14
5 G
8 M

14
5
G
8

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
14
5
G
8

Lione. L. Prost, 1624

CAGE006451

Digitized by Google

14 G
5. 8

Digitized by Google



BIBLIOTECA NA… ROMA VITTORIO EMANUELE

VNIVERSA
Philoſophia

A R.P. PETRO HVRTADO
DE MENDOZ
VALMASEDAN
E SOCIETATE IES
apud fidei Quæſitores Cenſore,
in Salmanticenſi Academia ſancta
Theologiæ Profeſſore, in vnum
corpus redacta.

NOVA EDITIO,

*Quinque anterioribus tertia ferè parte au-
ctior, & ab ipſo authore ita recognita, no-
uiſque indicibus & aliis ornam
culta, vt nouum opus merito*

Ad excellentiſſimum IO
DE MENDOZ
& Mendoz
Du
L

SVMPT. LVDOVICI PRO
162

Digitized by Google

SENTENTIA FLORENTISSIMORVM Complutenſium.

IN Dei nomine Amen. Per hoc publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, & ſit notum, quòd in Oppido Complutenſi Toletanæ Diæceſis, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimoquarto, die verò quinta menſis Aprilis, florentiſſima Complutenſis Academia, in Clauſtro congregata, in quo pariter conuenerunt dominus Rector & Doctores dictæ Vniuerſitatis, & ferè omnes Magiſtri facultatis Artium: videlicet Dominus Magiſter Don Baltaſar Martinez de Contreras, Rector dictæ Vniuerſitatis Complutenſis, Doctor Andreas Perez, Doctor Bartholomæus Dominguez, Doctor Soſſa, Doctor Franciſcus Perez, Doctor Morales Nieua, Doctor Manſilla, Doctor Ludouicus Bonilla, Doctor Didacus Ximenez, Doctor Franciſcus Perez, Doctor Didacus Martinez, Doctor Frater Laurentius Gutierrez, Doctor Melchior de Bolibar, Doctor Didacus Fernandez, Doctor Antonius Martinez, Doctor Franciſcus Perez de Ouiedo, Doctor Victoria, Doctor Don Ioannes de Pereda, Doctor Franciſcus Iuſte, Doctor Tineus, Doctor Zurbanos: omnes Doctores in Sacra Theologia dictæ Vniuerſitatis, congregati & conuocati per diem ante per Bedellum ſchedulam rei tractandæ deferentem de more vſus Academiæ; dixerunt & decreuerunt; quòd Commentarios hoſce in vniuerſam Ariſtotelis Logicam, in octo libros Phyſicorum, in libros de Cœlo & Mundo, de Geratione & Corruptione, necnon in libros de Anima, & Metaphyſica, doctiſſimi Patris Petri Hurtado de Mendoça, Societatis Ieſu, magno ſtudio elaboratos, & à ſupremo Senatu Regio huic almæ Academiæ Complutenſi commiſſos ſedulò & accuratè perlegerunt. In quibus vnanimiter, nemine prorſus diſcrepante, cenſuerunt nihil contineri Sacræ doctrinæ, ac bonis moribus quoquo modo aduerſum: ſed in eis vim ingenij, maximámque diligentiam, ac fœlix ſtudium, & breuitatem ſimul cum claritate, & omnium difficultatum, quæ agitari ſolent, enodatione mirificè elucere. Quare dixerunt & decreuerunt opus eſſe dignum vt typis mandetur, & in publicam ſtudiorum vtilitatem in lucem prodeat. Et de commiſſione dicti Clauſtri, dictus dominus Rector & Doctores, Don Ioan. de Pereda, Doctor Melchior Fernandez Bolibar, Doctor Manſilla, Doctor Frater Laurentius Gutierrez, Doctor Ludouicus de Arellano, Doctor Tineus ſubſcripſerunt inſtrumentum. Datum die, menſe & anno, vt ſupra.

Magiſter Baltaſar Martinez de Contreras, Rector.
Doctor dominus Ioannes à Pereda & Gutierrez.
Doctor Salas Manſilla.
Doctor Franciſcus Arellano.
D. Melchior Fernandez de Bolibar.
Magiſter Frater Laurentius Gutierrez.
Doctor Ioannes de Tineo.

Ludouicus de la Serna Notarius & Secretarius.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE, in ſacra Theologia Magiſter, in S. Pauli Lugdunenſis Canonicus, & in hac diœceſi, à Domino Dionyſio Simone de Marquemont, Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Lugdunenſi, *Philoſophiam R. P.* PETRI HVRTADO DE MENDOÇA *tertia ferè parte auctam*, vidiſſe: omniáque Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ Sanctorúmque Patrum ſacræ doctrinæ conformia inueniſſe. Lugduni apud ſanctum Paulum, nonas Decembr. 1622.

DE VILLE.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno aliiſque locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſſionis primæ inchoandos ac numerandos excudat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inſcribitur: *Diſputationes à Summulis ad Methaphyſicam, authore* PETRO HVRTADO DE MENDOÇA, *Valmaſedano, è Societate* IESV, *Cenſore apud Fidei quæſitores, & in Salamanticenſi Academia olim publico Theologiæ Profeſſore*: præter LVDOVICVM PROST, hæredem ROVILLE, Bibliopolam Lugdunenſem, aut alios quibus ipſe conceſſerit. Prohibitum inſuper eadem auctoritate Regia omnibus ſuis ſubditis eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti LVDOVICI PROST. Idque omne ſub confiſcatione librorum, aliiſque pœnis originali diplomate contra delinquentes expreſſis. Datum Lugduni die 16. Decembris 1622.

De mandato Regis

Signatum

PERROCHEL.

EXCELLENTIS.^mo DON IOANNI
HVRTADO

DE MENDOZA,

REGIÆ MENDOZIDVM

FAMILIÆ PRINCIPI, DVCI INFANTATVS, *Marchioni Sanctillanæ, & Zeneti; Comiti Regalis Mançanarenſis, & Saldannæ; Clauigero inaurato: Philippo III. & IV. maximo Maiori domus: Quarto item maximo equorum Præfecto: vtrique vero à conſilio ſtatus, ac belli, Zalameenſi Commendatario; denique toties Marchioni, Comiti, ac Domino, vt ſine longo cenſu deſcribi non poßit.*

RECTA ſuis greſſibus it hic liber, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, quò ego fratréſque mei non ſemel aut bis. Ad te; generis Principem ac Dominum: nos accepturi, non petituri beneficia: hic pro iiſdem recognitis acturus gratias. Grata equidem illa vltro diffluentia inter digitos, à te oblata; expoſita à nobis. Das non panem lapidoſum, morſibus frangentem dentes miſero comedenti; qualem iaciunt frequenter Principes: quorum cubile difficilius eſt expugnatu quàm murus, verba homini ingenuo duriora ferreâ glande; vultus hoſtili ſeuerior: mauult miles annum pugnare cum integro exercitu ad arcem quàm diem vnum cum vno illorum Ianitore: inde enim glorioſus abit vulneribus inflictis, & exceptis à forti milite: hinc inglorius, pudore ſuffuſus ab homine vili, ſuperbo ab Heri magnitudine. Ac hominis humeris impari moleſtia tam nos leuat tua facilitas & beneuolentia in tuos; (inquam) in omnes: (omnes enim tuos facit) vt cum ad tuos accurreremus pedes, exoſculaturi manum ob munera, & honores, quibus nos Rex auxerat flagitante ſtatus conſilio, cui præes antiquitatis iure, à nobis veniam petieris, quod oblitus non miſeris è veſtigio familiarem cum bono nuncio, cur autem oblitus? *præ gaudio*, inquis. O bonitatem Principe dignam! & à qua Principes quàm maximè alieni! Quos enim illi propriæ humanitatis obliti præ ſuperbia ſe ſimulant oblitos; tu tam charè foues, vt propriæ celſitudinis poſita me-

moria, reuocaris in dubium, magis ne tibi nos deuinxeris errati venia poſtulata quã impetratis à Rege muneribus? Bandam tuam Maurico ſanguine rubentem catena cingit argentea Regum imperio, ob abruptam ferream illam, quam rex Barbarus totius Hiſpaniæ iugo minabatur;quam iniicis tuorum ceruicibus,ornandis, non atterendis:Iouis in morem catenatis beneficiis imperitatis potius quàm maieſtate.Hanc imitata tua,genere,rebus geſtis,magnitudine. Generis author dignoſcitur primus Lupus Biſcainorũ Capitaneus generalis,maritus Infantiſſæ Scotæ,Scotorum Regis filię: naturalis illi genti libertatis aſſertor cõtra Adelphonſum Legionẽſem,iniuria indicentem tributa quibus non dicebat ius, æs appendit ille ex cuſpidum ferro, quibus infante Ordonio cum Paterno exercito fugato meritus,vt non imperium militare, ſed integrum in Biſcaiam Dominium deferretur Libero Fortunio Zuriæ. Dedítque vobis patronymicum LOPEZ cognomentum, Biſcainæ verò parmæ duos Lupos,fortitudinis nominíſque monumentum.

Atavi Infantadenſiũ Ducum. Primus Lupus Imperator Cantabricæ militiæ.

A Lupo Fortunius Lopez(ab albedine)Zuria,primus Cantabrię dominus;quem hiſtorici ab auo Rege Scotiæ, Infantem appellant.

Secũdus Zuria, primus Cantaber.

Zuria dedit Enecum (Ignatium) Fortunium Lopez ſecundum Biſcaiæ Dominum.

Enecum parentem inſecutus Don-Enecus Lopez,tertius Cantabriæ Dominus: præclarè nobilitatus coniugio cum Donna-Eluira Vermudez,nepti inclyti illius,& immortalis in Hiſpanorũ memoria,Laini Calui,alterius Caſtellæ Iudicis: à quo dominio auctus in ſeptẽ veteris Caſtellę Merindades.Quam tanti fecit Enecus,vt pro Biſcainis Lupis geſtare cæperit in parmis Bandam rubram aureo circumcinctã filo in campo viridi:qualis hodie conſpicitur Cardiniæ in Cidico ſepulchro:non quod à Cido mutuã eam acceperint Mendocini;ſed quod Cidus & Eluira ab vtriuſq; auo Caluo Laino.

Tertius Enecus Lopez,ſecundus Cantaber.
Quartus Don Enecus Lopez, tertius Cãtaber.

Maiorum auxit gloriã Don-Lupus Inniguez,qui in inſigni prælio de Hozinas ſuppetias iuit Comiti Caſtellæ Fredinando Gonzalez cum imperio in Cãtabros ſuos,in veteres Caſtellanos,omnéſq; Montanos. Succeſſit Don-Sançius Lopez, quintus Cantabriæ dominus;qui dum in Mauros exercitum duceret,& ſubortæ ſeditioni componendæ nauaret operam, ſagitta traiectus, luctum attulit Hiſpaniæ;vobis item exilium è Cantabrico dominio iam auito.

Quintus Don Lopez Inniguez quartus Cantaber.
Sextus Don Sançius Lopez, quintus Cantaber.

Ex deſiderato Sançio ſuperſtites legitimi duo filij; natu maior Don-Enecus Sanchez(apud alios Lupus Sanchez:)minor verò natu Garçias Sanchez(apud alios Enecus Diaz,) primus Orozci Dominus, maior futurus erat ſextus Cantabriæ dominus niſi illegitimus Don-Enecus Lopez Ezquerra,patruus Eneci & Garſię,eis per tyrannidem occupaſſet Dominium, ſubrogatis Lodio & Orozco pro hæreditate paterna: iniuria non inſueta Regibus, Iugurthæ Nummidæ,&c.

Septimus Don Enecus Sãchez, primus Lodij Dominus.

Lodium

Lodium ſpectauit hæreditario iure ad Lupum Sanchez. Hic fuit maximus Maior domus Regi Don-Sancio magno (quem Imperatorem appellant.)

Octauus Lupus Sanchez, ſecundus Lodij Dominus.

Nulli maiorum magnitudine cedens Don-Enecus Lopez: qui primus Auguſtum MENDOZA cognomentum vſurpat, à Caſtro forti in Alabenſi Prouincia, huic ab Imperatore Adelphonſo Caſtellano creditæ Burgi Soria & Nagera.

Nonus Enecus Lopez, tertius Lodianus, & primus appellatus MENDOZA.

Huic filius Lupus Inniguez de Mendoza Lodij quartus Dominus: cui in honoris feudo tradita Calagurria.

Decimus Don Lupus Inniguez, quartus Lodianus.

Enecus Lopez de Mendoza, quintus Lodianus: cuius in Regum priuilegiis hæc eſt ſyngrapha: *Enecus Lupi Dominus Soriæ.*

Vndecimus Enecus Lopez de Mendoza, quintus Lodianus.

Lupus Inniguez de Mendoza, Sextus Lodij Dominus: cuius hanc ſubſcriptionem reperio. *Lupus Eneci Calagurritanus, Dominus ſeptem Merindarum* *.

Duodecimus Lupus Inniguez de Mendoza ſextus Lodianus.

*F. Luiſius de Ariz de magnitudine Auilæ, p. 4.

Lupus ditionem partitus, Lodium adſcripſit Lupo Lopez de Mẽdoza natu maiori: minori autem natu Gonçalo Lopez de Mendoza dedit domum Mendocidum. A Lupo orti multi Hiſpanæ militiæ Martes, Principes clariſſimi; quorum virili propagine extincta, retractus eſt principatus ad alios Mendozas. Gonzalus ergo ſecum auexit Mendocinos lares.

Decimus tertius Gõçalez Lopez primus Mendozæ Dominus.

A quo genitus Lupus Gonçalez de Mendoza, ſecundus familiæ Princeps; Author diſſidiorum cum Don-Eneco de Gueuara, Domino Onnatenſi. A Gueuaris ſuperatis in prælio reuulſæ feruntur à nonnullis veſtræ argenteæ panellæ in campo rubro, veſtris affixæ parmis, victoriæ triumphíque trophea.

Decimus quartus Lupus Gonçalez de Mendoza, ſecundus Dominus.

Don-Diegus Lopez de Mendoza, tertius familiæ Princeps. Quam nobilitauit coniugio cum Elehonora Hurtado, Domina Mendibili, amplæque ditionis: Filia Fredinandi Hurtado: cui procerum caſtellæ inuidentia eripuit è manibus legitimorum iura in Caſtellæ Regno. Regina etenim Vrraca vidua, coniugio deſponſo cum Comite Don-Gomez de Cam-de Eſpina futuri matrimonij maturauit fructum, parto Fredinando Hurtado: quem cum vellet legitimitate donare matrimonio ſequente, interdicta fuit Optimatum iniuria, atque tumultu. Hinc verius coniicio geſtari ſolitas panellas quas Mendibilium tenet. Vt enim Mendozis Regium cognomentum *Hurtado* adiunctum eſt ab hoc coniugio, ſic & ſtemmata videntur eſſe coniuncta.

Decimus quintus Don-Diegus Lopez de Mendoza, tertius Dominus.

Hinc natus Diegus Hurtado de Mendoza: ab hoc Ioannes Hurtado de Mendoza, Domini Mendibilis. Ioannes duxit Donnam Mariam de Mendoza, conſobrinam; Principem tunc Mendozidum. Quem ſuſceperat Lupus Diaz de Mendoza ex Donna Maria de Salçedo, filia Didaci Lopez de Salçedo. Didaco autem parens Don-Lupus Diaz de Haro, vndecimus Cantabriæ Dominus.

Decimus ſextus Diegus Hurtado de Mẽdoza.

Decimus ſeptimus Diegus Ioãnes Hurtado de Mendoza.

Ex Ioanne Hurtado de Mendoza & Maria de Mendoza ortus

Decimus octauus Diegus Hurtado de Mendoza.

Don-Diegus Hurtado de Mendoza, poſt quem Don-Ioannes Hurtado de Mendoza. Diegus iure primogenituræ elegit maternam Mendocidum hæreditatem opulentiorem: Ioannes autem retinuit Mendibilium Hurtadenſe. Ab hoc origo clariſſimorum Almaçanenſium cum controuerſia de primatu in Mendocides.

Decimusnonus Gonzalez-Ibanez de Mendoza.

Ex Diego natus Gonzalez-Ibanez de Mẽdoza: qui ducta Donna Ioanna de Orozco, Domina Hitæ & Buitragi coniunxit dominia quæ Ezquerra fuerat partitus Eneco & Garſiæ, fratribus ex quinto Cantabriæ Domino.

Vigeſimus Petrus Gonzalez de Mendoza. Vigeſimus primus Don-Deigus Hurtado de Mendoza.

Hinc ſuſceptus Petrus Gonzalez de Mendoza, ad procerum exemplũ: Regis Ioannis primi maximus Maior domus. Hic Mendozum filium dedit D. Diegum Hurtado de Mendoza, Almirantum Caſtellæ. Item & Don-Enecum de Mendoza, originem Comitum Pliegij. Don Ioannem item de Mendoza, Dominum Baraxarum & Alamedæ. Inſuper & Donnam Ioannam de Mendoza, quam matrimonio iunxit Don-Aldefonſo Henriquez primo inter illos Regios Principes Almiranto. Diegus primam duxit vxorem Donnam Mariam de Caſtella (ab aliis Henriciam) filiã Henrici II. quæ illi peperit Adelphonſam de Mendoza, Dominam Cogolludij, datam matrimonio Don Friderico de Caſtella, Arſonæ Duci. Secundam Diegus duxit vxorem Eleonoram de la Vega; genere & magnitudine nulli Principum imparem. E cuius parmis acceptum à Mendozis ſacrum Angelicæ ſalutationis initium; cui loco ceſſere pannellæ. Banda verò quæ integra per diametrum ducebatur, fracta aut bipartita (à noſtris *infrange*) ducitur elegantiæ cauſa vt *Aue Maria* pulchrius inſcribatur ſtemmati. Hoc exemplo à pleriſque Mendozis partita ducitur Banda, pannellis circuminſeſſa.

Vigeſimus ſecũdus Enecus Lopez primus Marchio.

Diego ſucceſſit Don-Enecus Lopez de Mendoza, Regiarum virtutum exemplar. Henricus quartus ſe cenſuit non eſſe ſoluendo præmia Eneco debita. Quem creauit Marchionem S. Iulianæ (vulgo Sanctillanæ) & Comitem Regalis Mançanarenſis. Nullus Marchionatus tam antiquus ab vllo procerum retinetur in Hiſpania. Ab hoc procreati Diegus Hurtado primus Dux Infantadenſis: Petrus Gonzalez de Mendoza, magnus Hiſpaniæ Cardinalis, Archiepiſcopus Toletanus: Enecus Lopez de Mendoza proauus tuus: Legatus in Concilio Mantuano, primus Tendilæ Comes, & Marchio Monde-Iarenſis: cuius facinorum memoriam tempus haud quaquã abſumet. Item & Don-Laurentius Suarez de Mendoza Comes Corunnæ, & Vicecomes Torrigæ, Don-Petrus Hurtado de Mendoza, Adelantatus Laçorlæ. Et Ioannes Hurtado de Mendoza fortunis & ditione potens.

Vigeſimus tertius D. Diegus primus Dux.

Virtutes atque fortunæ Parentis ornauerunt Filium Don-Diegum Hurtado de Mendoza, primum Ducem Infantatus, creatum

ab

ab Iſabella & Fredinando Catholicis, cui quantum debeant Caſtellæ Reges, mox oſtendo.

Enecum Lopez de Mendoza reliquit Diegus, ſecundum Ducem Infantadenſem; primum autem Saldannæ Comitem.

Vigeſimus quartus Don Enecus Lopez ſecundus Dux.

Hanc ſequitur Diegus Hurtado de Mendoza Tertius Infantatus Dux: donatus inter primos aureo vellere à Carolo V. Romanorum Imperatore: primo autem eius nominis Caſtellæ Rege.

Vigeſimus quintus Don Diegus Hurtado III. Dux.

Eodem aureo vellere nobilitatus ab eodem imperatore Enecus Lopez de Mendoza Diegi filius, quartus Infantadenſis.

Vigeſimus ſextus Enecus Lopez IV. Dux.

Ab Eneco accepimus Diegum Hurtado de Mendoza, à Diego Enecum Lopez de Mendoza, ornatum aureo vellere, ſextum Infantadenſem Ducem ſupparem Regibus.

Vigeſimus ſeptimus Diegus Hurtado, Dux quintus.

Vigeſimus octauus Enecus Lopez ſextus Dux.

Tandem hæc omnia donauit Deus excellentiſſimæ Donnæ Annæ Hurtado de Mendoza, ſeptimæ Duciſſæ: inclytæ Heroinæ: fæmineis virtutibus tenebras Matronis Romanis offundenti: cuius coniugio prudentiſſimus & magnanimus Dux eius parens nullum te digniorem inuenit.

Vigeſima nona Anna Hurtado de Mēdoza ſeptima Duciſſa & Ioānes Hurtado de Mendoza eius coniux.

In hac Principum nomenclatura, virili (vt aiunt) propagine, nec Momus diſpiciat næuum. Hiſpani bipartimur Principes, nobiles à ſanguine; & à Palatio originali.

Hi Principe indicato familiæ, Palatij conditore, ſiſtunt, nec eius parentem oſtentant, ob humilitatem obſcuram, non Chriſtianam: illi nullibi Palatinam originem monſtrant ſed viros ſemper illuſtres. Nobilitatem à ſanguine Mendoçini dumtaxat atque Manriciani in Hiſpania probarunt; cæteri ab originali Palatio. Inter quos illud intereſſe video quod inter Pallada & reliquum Deorum vulgus: è quibus alij terra geniti, ij ex aqua; ex aëre illi; alij (infandum) ex adulteris, inceſtuoſiſque Parentibus. Pallas? ex ſolo Iouis cerebro. Iuppiter? ex Saturno Deo, cui nulli agniti parentes, ſed diuinitas dumtaxat. In tuorum cenſu maiorum gradum facimus à te ad Don Zuriam, primum Cantabriæ dominum, quem non immerito caput nobilitatis appellem. Noſtris Biſcainis inuident nobilitatem vniuerſi mortales: inter quos illi ſoli immunitate à tributis & vectigalibus, & nato cum ipſis dominio nobilitati, qui vel ſolo Biſcaino nomine nobiles familias illuſtrant. Horum caput Zuria. Hic autem quem parentem agnoſcit? Lupum, eiuſdem Imperatorem Biſcaiæ. Hic quis qualiſue fuerit, coniiciendum reliquit ex munere, connubio, & gente. Munus, Imperatorium cum Regia poteſtate; non hæreditaria ſed data ſuffragiis:* Connubium cum Infantiſa filia legitima Scotorum Regis, gens inter cæteras nobiliſſima: cuius nobilitatis ius, in orbis imperatrice Hiſpania educente copias à conciliis vrbanis, & oppidanis delectas, primam ſemper aciem tenet ab omni æuo: tam portendenter Bellatrix, vt ſola in orbe tunc agnito fuerit indocta Romana iuga: & quæ

** Garibai lib. 12. cap. 15.*

Cæſarem Auguſtum melancholia & quartana febri confectum impulit deſerere caſtra, quibus eam quaſi reti cinxerat, quæque caſtellana & legionenſia iura nunquam audiuerat; non modo ſe Lupo ſubiecit, ſed in eius bellicæ virtutis nominiſque memoriam Lupos geſtat in parma: & (quod vix poterat deſiderari; nec dum ſperari) Zuriæ, Lupi filio, detulit dominium cum iure ſucceſſionis. Lupiorum de Haro gloria orbem impleuit, & præter Mendocinos cæteros clariſſimos Hiſpaniæ Primates obſcurauit, non ſecus ac ſol præſens minora ſydera; tandem Ioannes primus Caſtellæ Rex à Matre Tharaſia de Lara & Haro Henrici ſecundi coniuge Bizcaiæ Domina nobilitates auxit & Regnum, adiuncta Biſcaia. At illi ex ſpurio, ac Tyranno Ezquerra originem à Lupo traxere: ab eodem vos legitimam, verúmque ius in Cantabricum Dominium. Hinc genus veſtrum contentis prædicent lateribus qui vos amant: muſſitantes & arroſis vnguibus ruminent qui inuident. Hoc genus. Res geſtæ? iniuriam vobis irrogat qui in breuem chartam contrahat quæ vix capiuntur infinitis voluminibus, Latinis, Hiſpanis, Italis, ac Gallicis; quæ tertio quoque verbo Mendoçarum perſonant factis egregiis. Lupus de Legionenſibus & Caſtellanis armis de orbe triumphatricibus, aperto Marte triumphauit; quando è lanceis appendit quinque marauedinos quos Legionenſis viritim exegit, & cum exercitu miſit fratrem Ordonium à Lupo fugatum. Fortunius Lupius Zuria & quatuor Cantabriæ Domini, Ataui tui cum Caſtellæ primùm comitibus; deinde cum eiuſdem & Legionis Regibus tam conſtanter geſſere negocium Chriſtianum, vt ſecundum Deum, eorum virtuti & armis Eccleſia debeat Hiſpaniam Mauris ereptam; quam gloriam emiſtis caro deſiderato Sancio Lupio quinto Cantabro; cuius filius natu maximus, Lupus Sanchez veſter proauus ob imbecillam ætatem Cantabria priuatus à Don Eneco Lupio Ezquerra illegitimo Sancij Lupi fratre. Quam iniuriam acceptam, ſatis poſteri depulêre maiori in bello gloria ac ditione ampliori quàm ipſis Harenſes ademêre. Petrus Gonzalez de Mendoza Imperator exercitus, cum militem longis feſſum itineribus, curandum curaret, inuitus præſentis Regis imperio ſigna contulit cum Luſitanis ante refectum militem, cum verò Regi equus eſſet interemptus, ex ſuo deſiliens Petrus in eum Regem impoſuit è pugna ſubducendum: in qua ipſe, ne Rex periret, occubuit. Enecus Mendoza à cuius nepti Primatum in Mendozinos tenes, impetu facto in Giennenſis Regis catenatos Camelos, catenis præruptis, conciſiſque Camelis Rege fugato, profligata Maurorum infinitudine, locuſtarum in morem operiente terram, Hiſpaniam metu & ſeruitute Maurica ſoluit; in facinoris autem memoriam antiquam Bandam catena cinxit argentea: quæ in nepotum parmis perennat. Enecus

Lupius

Lupius magnus Sanctillanæ Marchio; millies cum exercitu Barbaros captos reuexit in triumphum. Diegus Hurtado primus Infantatus Dux Henrico quarto extremè pœnè elaboranti accurrit cum ſeptingentis equitibus catafractis, & innumero delectu è Montanis euocato. Petrus item de Mẽdoza primus Comes Montis acuti ſuppetias iuit eidem Regi cum ducentis catafractis & pedite innumero. Enecus item de Mendoza primus Tendillanus conſilio & milite ſeruauit Regem ab inſidiis & perduellione Don Petri Gironis Magiſtri militiæ Calatrauẽſis aliorúmque Procerum de more in Regem rebellantium. Reges autem Catholicos Iſabellam & Ferdinandum Regno donauit Hurtadus,pecunia,armis, milite Mendocino, propriiſque pugnis: quibus repugnauit Caſtellæ rebellibus,Ioannam ſubrogatam Henrico filiam,deſponſam Luſitano ad Regnum euocantibus. Quod quidem Diego Hurtado, Petro Gonçalez de Mendoza,corúmque fratribus atque gentilibus ſe debere Reges ipſi apertè confeſſi: in quos non exiguam partem partiti,Diegum Infantatus crearunt primũ Ducem: ſecundus autem Dux Enecus Lopez ſuperatis Mauris, & Genile flumine cepit Loram, Moclinum, Sagram,& Baños. Primus Tendillæ Comes Enecus Lopez de Mendoza, tuæ familiæ Princeps, ſeruato Henrico quarto à Rebellium inſidiis,cum imperio in Granatenſes Mauros profectus Regnum illis ereptum reddidit Chriſto & Regi, pari prudentiæ virtute, conſignatis enim cartis pro argento ſuſtinuit importunam Alhamenſem à Mauris obſidionem. Cum autem Alhamæ muri de repente corruiſſent multa nocte, prudens Imperator ante primum manè depictum linteum murum Maurico obiecit aſpectui, quo deluſi hoſtes non auſi impetum facere: interim Enecus ſuorum ſuiſque manibus refecit muros.Ab hoc perennauit ad vos Granatenſis Capitaneatus generalis, & Alambræ cuſtodia. At quæ vobis parauerant bellicæ maiorum virtutes (dolendum) heri vobis eripuêre (ſpero breui reſtituenda) aliquorum artes aulicæ. Excellentiſſimus tuus Parens Marchio Monde-Iarenſis quinque apprehẽdit imperatorios bacillos. Eius germanus Don Ioannes Hurtado de Mendoza vita eſt functus Hiſpanienſium Biremium fungens imperio. Don Franciſcus Hurtado de Mendoza magnus Aragoniæ Almirantus tuus frater Belgico præfuit equitatui,exercitibus non ſemel:cui virtute & prudentia militari vix hac ætate vllum comparo; nec pietate, in viro bellatore: cui nunc Epiſcopo Siguntino creato diem dixit mors. Præceſſerat Don Diegus Hurtado de Mendoza Archiepiſcopus Hiſpalenſis, Patriarcha Alexandrinus, & Eccleſiæ Cardinalis. Tu,ô Princeps clariſſime, iuuentam armis exercitam, in qua Siculi Maris imperium erat,iam tibi decretum,dediſti ſignum bel-

licarum

licarum virtutum cum ſanguine hauſtarum. Ad aliud autem illuſtrius imperium vocauit te Numen: ad coniugium cum inclyta Ducißa. Tam naturalis eſt veſtris bellica fortitudo, vt Petrus Gonzalez de Mendoza magnus Hiſpaniæ Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus, non potuerit ſoli ſeruire Mineruæ ſed & Bellonæ in Granatenſes Mauros Imperator; & in Proceres Caſtellanos in Catholicam Iſabellam rebelles, quos ferro & conſilio domuit. O gentem natam non ad militum lanceas, aut gladios quibus immortalitatem adepti præſtantiſſimi viri: ſed ad imperia terreſtria atque marina. Quam Deus Hiſpaniæ prouidit à Mauris & rebellibus vindicandæ; ſeruandiſque Regibus cuſtodum alitum in morem; quos vt Deus ante creauit, hominem ſeruaturos, quàm hominem ipſum: non aliter & Mendozas prius præpotentes & bellatores effecit, Reges ſeruaturos, quàm Reges ipſos in Caſtella creauit. Impar eſt hoc argumentum huic interiorem. Duas veſtrorum facinorum ſubiicio coniecturas. Alteram antiquam à Lupo Sancio: qui Ezquerranam tyrannidem tanta pertulit conſtantia, vt ad recuperandum Cantabricum Dominium nec mouerit linguam; ſed manus ad maiora promerenda. Ratus ſe non ad hæreditaria Dominia, ſed hæreditariam Virtutem qua Dominia comparantur, natam cum ipſo, nec ſe in Caſtella inertiorem futurum Atauo Lupo in Cantabria, ampliorémque ac potentiorem condidit in Caſtella gẽtem, quàm in Cantabria Lupus. Alteram recentiorem: Don Diegus Hurtado de Mendoza ſecundus Marchio Santillanæ & primus Dux Infantatus tam ſibi obſtrinxerat Henricum Regem; vt Rex ſe arbitraretur illiberalem niſi Guadalaxaram Marchioni donaret. Eam recuſauit Marchio, conteſtatus ſe nolle Regibus eſſe parem; ſed inferiorem; triumphauerat hic Princeps de tyrannis apud Montanos; & aliis Regis hoſtibus. Hic triumphauit de innata Principum acquirendi Dominia cupidine: & ampliori dignus honore deſpecto præmio quàm merito, factus eſt Principibus exemplum, ne Reges deprædentur & Regna diſcerpant. Nec enim vaſſallum decet ſuis Regibus eſſe parem, nec expedit vno in Regno Regum competitores. Magnitudo tuæ familiæ primum dignoſcitur ex Principatu Mendozino: de quo contendunt interdum clariſſimi & excellentiſſimi Marchiones Almazani Comites Montis acuti. De Mendozidum primogenitura haud magna decertarent occaſione. De Hurtadenſium non admodum parua, iam recenſui in tuorum Auorum nomenclatura Diegum Lupium de Mendoza duxiſſe Eleonoram Hurtado, Dominam Mendibilij: è quibus ortus eſt Diegus Hurtado de Mendoza: qui primus hæc cognomenta coniunxit. Ex huius filio Ioanne Hurtado de Mendoza

&

& Maria de Mendoza Mendozidum Principe ſuſcepti Diegus Hurtado de Mendoza natu maior: minor verò Ioannes Hurtado de Mendoza. Diegus elegit hæreditatem maternam, in qua erat Mendocidum Principatus: Ioannes autem ſortitus Mendibilium, Hurtadenſium caput. Ab hoc Ioanne Almazadenſes orti nullo iure gaudent in Mendozios; quia illorum Dominia cum primogenitura ad Infantadenſes deuenêre, ortos à Diego illo natu maximo. In Hurtadenſes autem maiori cum ſpecie concertant. Tenent illi antiquiores Hurtadenſium lares, domum, lateres, & lapides. At vos agitis iure primogenituræ; Diegus enim maior erat Ioanne. Hinc litem dirimant ipſi, an homines primogenituram ducant ex lateribus atque lapidibus, an ex hominibus primogenitis? Hunc principatum commendant tam multæ ac tantæ Procerum familiæ; Equitum item inauratorum multitudo, qualis vix cernitur in reliqua Hiſpanienſium nobilitate. Primi vos deinde Marchiones Cenetenſes, Mondegarenſes, Almaçanenſes, Canetenſes, Monteclarenſes, in Hozoſani: Comites Tendillani, Montacutani, Corunnenſes, Riuadauienſes, Pliegani, Caſtrenſes, Horgacienſes, Lodoſani. Miſto autem cognomento Duces Paſtranenſes, Francabilani, Comites Salinenſes & alij quos nec vulgus ignorat. Familiæ autem perilluſtres vix cenſeri poterunt; fateor à me vix poſſe in memoriam reuocari quæ Guadalagaræ ſunt vicinæ, in Caſtella Bœtica, Aragonia, & Luſitania: in mea Cantabria ſunt permultæ, quæ vaſſallis non paucis iura dicunt; Corçanenſes, Martudani, mei Salcedani, Tranſlabiniani mei, vno verbo vniuerſi ferè Montani & Cantabri nobiles, quorum familiæ tanta multitudine vaſſallorum nobilitatæ, vt ſola tua cenſeat ſupra octoginta mille. Nullus quidem Rex tam amplo vaſſallo dominatur: nec multi potentes Reges illi poſſunt æquari: tibi parent in Aſturibus Sanctillanæ, aliiſque ditionibus nobiliores & antiquiores Equitum inauratorum domus Palatinæ quàm multorum quos Reges primoribus accenſendos voluerunt. Tu, *Excellentiſſime Princeps*, non es natus MendozarumPrinceps, natus tamen in illos Principatu dignus: virili propagine à primo Lupo per Comites Tendillæ & Marchiones Mondegarenſes: qui virtute verè Regia & inſita animi magnitudine effeciſti, vt te vnum inter tot clariſſimos fratres, inter tãtos Henricianos ex Sorore filios, inter tam præpotentes Principes Mendocinos, te natu minimum, virtute nullo inferiorem elegerit prudentiſſimus Socer ad virilem Infantadenſium Sobolem propagandam. Cui quibus virtutibus affulgeas non prædicent duorum Regum inauratæ claues: neque eorumdem duæ maximæ in Oeconomos præfecturæ: neque maxima Regiorum equorum

Comites Horgacienſes ſunt Domini Fontecha & ſancta Crucis Campociani. Lodoſani Comites ſunt Domini Moreni è primis & primoribus Mendozinis.

equorum adminiſtratio: (nec enim Palatia Regum ſe, te abſente, ſentiunt ornata) neque prædicent duo conſilia ſtatus & belli, quibus primus adès: prædicemus qui te nouimus: tuarum enim laudum præconia ſe faciliùs oculis quàm linguæ præbent. Vale, Salmanticæ Kalendis Nouembris. Anno Chriſtiano 1623.

***

Puente Hurtado de Mendoza.

INDEX DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET SVBSECTIONVM, QVÆ IN PRIMO TOMO DE SVMMVLIS & Logica continentur.

Numerus paginam indicat.

Diſputationes de Summulis. *Pagina 1.*
Inſtitutiones de arguendi ratione. *ibid.*

DISPVTATIO I.

De terminis propoſitionum, & eorum vnione.

Sect. 1. QVID ſit ſubiectum, prædicatum & vnio. Pag. 2
2. Terminum definio. 3
3. De termino vocali, mentali & ſcripto. 5
4. De terminis ſignificatiuis, & non ſignificatiuis. 6
5. Diuiſiones termini mentalis. 7
6. De termino vniuerſali, particulari, confuſo, & determinato, ſuperiori & inferiori. 7
7. De tranſcendentibus & non tranſcendentibus. 10
8. De termino vniuoco, æquiuoco, & analogo. ibid.
9. De termino abſoluto & connotatiuo. 11
10. De cathegorematico & ſyncathegorematico. 12
11. Terminus concretus, complexus, & incomplexus, copulatiuus & non copulatiuus. 13
12. De termino negatiuo & non negatiuo, contrario & contradictorio. 14
13. De termino primæ & ſecundæ intentionis, pertinente & impertinente. ibid.

DISPVTATIO II.

De proprietatibus terminorum.

Sect. 1. De ſuppoſitione. 15
2. Suppoſitio formalis & materialis. 17
3. Suppoſitio ſimplex & perſonalis. ibid.
4. Suppoſitio communis & ſingularis. 18
5. Suppoſitio diſtributiua, copulata, determinata, naturalis, accidentalis. 19
6. De aſcenſu atque deſcenſu. 20
7. De ampliatione, reſtrictione, alienatione, diminutione. 22
8. De appellatione. 23

DISPVTATIO III.

De Oratione, eius partibus & diuiſione.

Sect. 1. De Nomine. 23
2. De Verbo. 25
3. De Oratione. 26

DISPVTATIO IV.

De propoſitione.

Sect. 1. Propoſitionem definio. 27
2. De materia, qualitate, & quantitate propoſitionis. ibid.
3. Propoſitio cathegorica, hypothetica, complexa & incomplexa. ibid.
4. De æquipollentia ſimplicium propoſitionum. 29
5. De conuerſione ſimplicis propoſitionis. ibidem.
6. De oppoſitione ſimplicis propoſitionis. 30
7. Explicantur præcedens doctrina, & regulæ oppoſitarum. ibidem.
8. De propoſitione modali. 32
9. Explicantur ac deſcribuntur propoſitiones modales. 33
10. Quare omnes propoſitiones cuiuſque figuræ ſunt mutuo æquipollentes. ibid.
11. De quantitate & qualitate cuiuſque figuræ. 34
12. De oppoſitione cuiuſque figuræ cum aliis. 35
13. De exponibili & excluſiua propoſitione. 37
14. Difficultates circa hanc doctrinam. ibid.
15. De exceptiuis, & reduplicatiuis. 39

DISPVTATIO V.

De modo ſciendi.

Sect. 1. De definitione. 39
2. De diuiſione. 40
3. De argumentatione. ibid.
4. De modo & figura ſyllogiſmi. 41
5. Oſtenſiua deductio ſyllogiſmorum. 42
6. Deductio ſyllogiſmorũ ad impoſſibile. 43
7. De conſequentia. 44
Aliquæ voces explicatæ. ibid.

DISPVTATIO IV.

De forma ſubſtantiali.

Sect. 1. Num & quid ſit forma ſubſtantialis. 188
2. De forma quædam expedio. 189
3. Vtrum in materia ſint quædam formę ſubſtantiales. 190

DISPVTATIO V.

De vnione materiæ & formæ.

Sectio 1. Quid ſit vnio? & an ab vtroque extremo diſtincta? 192
Subſect. 1. Vnio eſt ab vtroque extremo diſtincta. ibidem.
2. In recentes nonnullos Philoſophos. 194
Sectio 2. Vtrum vnio ſit diſtincta ab actione qua producitur forma. 197
3. Explicatur vnionis diſtinctio à cauſalitate materiæ. 198
4. Vnionis eſſentia. 199
5. Subiectum vnionis. 200
6. Vtrum ratione diſtinguantur informatio & materializatio? 202
Subſect. 1. Pars affirmatiua. ibid.
2. Quî differant ſubiectum & terminus extrinſecus. 203
3. De informatione. 205
Sectio 7. Vtrum in compoſito ſint duæ vniones ſubſtantiales. ibid.
Subſect. 1. Aduerſariorum argumenta atque reſponſa. ibid.
2. Propria ſententia. 207
3. Animaduerſio. 209

DISPVTATIO VI.

De Compoſito.

Sectio 1. Sitne compoſitum ab vtraque parte diſtinctum. 210
2. Vtrum compoſitum habeat aliquid præter materiam, formam & vnionē. 213
3. Vtrum vnio ſit de eſſentia compoſiti, & cauſalitas reſpectu totius? 214
4. Poſſitne compoſitum creatione produci? 215
5. Vtrum in viuentibus maneat idem compoſitum poſt & ante accretionem & diminutionem. 217
6. De ſubiecto accidentium materialiū. ibi.
Subſect. 1. Vtrum quantitas recipiatur in totum compoſitum. ibid.
2. Vtrum qualitates recipiantur in quantitate. 220

DISPVTATIO VII.

De Natura.

Sect. 1. Naturæ ſignificatio & eſſentia. 221
2. Vtrum materia prima ſit propriè natura? 222
3. Quæ ratio principij motus ſit de eſſentia naturæ. 223

DISPVTATIO VIII.

De Cauſis in commune.

Sect. 1. Cauſam definio. 224
2. In quo conſiſtat eſſentialis cauſæ conceptus. 226
Subſect. 1. Docti cuiuſdam opinio. 226
2. Impugnatur hæc opinio. 227
3. Argumenta ſoluta. 229
Sectio 3. Vtrum cauſa ſit in ordine ad effectum in communi, an in particulari? 230
Subſect. 1. Potentiæ intentionales non tendunt in vnum, ſed in plura obiecta. 230
2. Intellectus non habet obiectū vnum. 231
3. De vnitate & pluralitate termini potentiæ phyſicæ. 232
4. Potentia phyſica æquè pendet à termino in ſingulari ac in communi. 233
5. Clarior explicatio doctrinæ. 234
Sectio 4. Vtrum definitio cauſæ conueniat cauſæ remotæ? 236
5. Quo pacto exiſtentia requiratur ad cauſam. 238
6. De prioritate cauſarum. 239
7. Enucleatur doctrina de proprietate, & ſimultate naturæ. 241
8. Sitne mutua cauſarum dependentia. 244
9. Cauſarum diuiſio. 246
10. Vtrum cum vna cauſa adæquata poſſit concurrere alia cauſa in eodem genere? 248

DISPVTATIO IX.

De cauſa efficiente creata.

Sectio 1. Cauſam efficientem definio. 249
2. Vtrum cauſa creata verè aliquid efficiat? 250
3. Vtrum ſubſtantia creata ſit immediatè actiua? 251
Subſect. 1. Examen Thomiſticæ ſententiæ. ibid.
2. Concluſiones. ibid.
Sectio 4. Quomodo ſuppleatur defectus cauſarum particularium. 254
5. Quid ſit cauſa adæquata, & vtrum talis ſit ſubſtantia creata in productione aliorum? 255
Subſect. 1. Explicatur adæquata cauſa. ibid.
2. Corollaria nonnulla. 256
3. Attributio formalitatum explicata. ibid.
Sectio 6. De propinquitate cauſæ & effectus. 257
Subſect. 1. Prima concluſio. ibid.
2. Concluſio ſecunda. 258
3. Diluuntur obiecta. 259
4. Tertia concluſio. 260
Sectio 7. De ſphæra actiuitatis. 260
8. Diſtinctio agentis à paſſo. 261
9. Diſſimilitudo agentis à paſſo. 262
10. De reſiſtentia paſſi. 263
11. De reactione. 264
12. Cauſa efficiens creata diuiditur. 265
13. Vtrum inſtrumentum ad ſui productionem poſſit aſſumi. 267
14. De potentia obedientiali. 269
Subſect. 1. Oſtenditur in animo rationali potentia obedientialis actiua, atque paſſiua. 269
2. Oſtenditur potentia obedientialis aliis in rebus. 271
3. Quid ſit formaliter potentia obedientialis. 274

DISPVTATIO X.

De cauſa prima.

Sect. 1. Vtrum & quid ſit cauſa prima. 276

Sectio 2. Vtrum cauſa prima influat immediatè in omnes creaturas. 277
Subſect. 1. Sententiæ communis examen. ibid.
2. Quid de quæſtione. 279
3. De concurſu Dei ad actum peccati. 280
Sectio 3. Vtrum cauſa prima & ſecunda eadem actione concurrant. 281
4. Vtrum cauſa prima determinet indiuiduationem effectuum. 283

DISPVTATIO XI.

De Motu, Actione, & Paſſione.

Sectio 1. Definitio motus. 287
2. Vtrum motus diſtinguatur ab agente, ſubiecto, & termino. ibid.
Subſect. 1. Pars affirmans. ibid.
2. In opinionem de connotatis. 288
Sectio 3. Vtrum actio & paſſio ſint de conceptu eſſentiali motus. 289
4. Vtrum actio realiter differat à paſſione. 290
5. De termino *à quo* motus. 291
6. De termino *ad quem* motus. 292
7. De ſubiecto motus. 293
8. Vnde ſumatur eſſentia motus. 295
9. De motu quædam expediuntur. 296
10. De motu inſtantaneo & ſucceſſiuo. ibid.

DISPVTATIO XII.

De Creatione.

Sectio 1. Creatio non eſt relatio. 297
2. Creationem non diſtingui ab agente & termino per illam producto, qui & quibus affirment. 298
Subſect. 1. Primum argumentum. 299
2. Argumenta cætera. ibid.
Sectio 3. Quid ſit Creatio. 300
Subſect. 1. Creatio non eſt voluntas Dei. ibid.
2. Duo impugnata reſponſa. 302
3. Argumenta cætera. 303
4. Angelorũ & animi rationalis creatio non eſt modus diſtinctus à termino. 304
5. Creatio termini, natura ſua educibilis è ſubiecto, eſt diſtincta à termino. 305
6. Creatio non eſt aggregatio Dei & termini. 306
7. Creatio eſt modus diſtinctus realiter ab agente & termino educibili natura ſua. 307
Sectio 4. Vtrum creatio habeat ſubiectum. 308
5. Quæ res poſſint naturaliter & diuinitus creari. 309
6. Vtrum diuinitus generari poſſit res quæ naturaliter eſt terminus creationis. 310
7. Vtrum creatura poſſit creare. 311

DISPVTATIO XIII.

De Infinito.

Sect. 1. A Deo cognoſcuntur infinita indiuidua infinitarum ſpecierum, nullum tamen infinitum ſimpliciter in eſſentia. 312
2. Argumentorum ſolutione oſtenditur non repugnare infinitum in actu. 315
3. Idem probatur aliunde. 318

DISPVTATIO XIV.

De Loco.

Sect. 1. Quid ſit locus extrinſecus. 321
2. Quid ſit vbicatio & ſpatium imaginarium. ibid.
3. Deus & creatura ſunt in ſpatiis imaginariis. 323
4. Quibus diſtinctæ vbicationes conueniant. 324
5. Vtrum idem corpus poſſit eſſe duobus in locis circumſcriptiuè. 327
6. De Vacuo & centro. 331

DISPVTATIO XV.

De continuo permanente & ſucceſſiuo.

Sectio 1. Actualis continui compoſitio monſtratur. 332
2. Sintne in cõtinuo indiuiſibilia realia. 333
3. Vtrum indiuiſibile diſtinguatur ab vnione. 336
4. Explicatio, & infinitudo punctorum, ac partium proportionalium. 337
5. Vtrum continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus. 339
Subſect. 1. Sententiæ affirmatiuæ argumenta proponuntur atque diſſoluuntur. 339
2. Ariſtotelis ſententia præfertur. 342
3. Secundum argumentum de penetratione punctorum. ibid.
4. Expenditur doctrina de virtuali punctorum extenſione. 343
5. Alia reſponſa. 345
6. Nonnulla mathematica argumenta. 346
7. Quartum argumentum ex velocitate motus. 348
Sectio 6. Temporis explicatio deducitur. 349
7. Velocitas, tarditas, & duratio motus. 350
8. De inceptione & deſitione rerum. ibid.

DISPVTATIO XVI.

Vtrum creatura permanens potuerit eſſe ab æterno.

Sect. 1. Pars affirmatiua. ibid.
2. Reſpondetur argumentis oppoſitæ ſententiæ. 353

DISPVTATIO XVII.

Vtrum mundus ſit æternus ſecundùm partes permanentes.

Sect. 1. Mundus potuit non eſſe æternus. 354
2. Omnis creatura producta fuit in tempore. 355

DISPVTATIO XVIII.

Vtrum ens ſucceſſiuum potuerit eſſe ab æterno.

Sect. 1. Vtrum generationes potuerint eſſe ab æterno. 356
2. Nullus motus ſucceſſiuus potuit eſſe ab æterno. 359
3. Satisfit argumentis. 361

INDEX DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET SVBSECTIONVM, DE SVBSTANTIA incorruptibili, ſiue de Cœlo.

PROOEMIVM. Pagina 362.

DISPVTATIO I.

De natura & eſſentia Cœli.

Sect. 1. VTRVM Cœlum ſit ſimplex an compoſitum corpus. 362
2. Vtrum Cœlum ſecundum ſe totum vel aliquam partem differat ſpecie à ſublunaribus. 364
3. Vtrum omnes Cœli & Aſtra differant ſpecie. 365
4. Vtrum Cœlum ſit animatum. 366
5. Vtrum Cœli ſint corruptibiles. ibidem.

DISPVTATIO II.

De Cœlorum proprietatibus.

Sect. 1. Cœlorum & Aſtrorum numerus. 367
2. Cœlorum figura, magnitudo & Aſtrorum numerus. 370
3. Vtrum Cœlum ſimul moueatur ab ortu in occaſum,& ab occaſu in ortum. 371
4. De motu Cœli difficultatesnonnullæ. 373
5. De Cœlorum luce. 374
6. Cœlorum influxus in hæc inferiora. 375

DISPVTATIO III.

De Cœlorum & mundi productione, ſiue de opere ſex dierum.

Sectio 1. Vtrum mundus productus fuerit ſimul totus, an verò ſex diebus naturalibus. 376
2. Opus primæ diei. 378
3. Opus ſecundæ diei. Quid ſit Firmamentum,& vtrum aqua elementaris ſit ſupra cœlum ſydereum. 380
4. Vtrum ignis ſit lunæ vicinus. 382
5. Opus tertiæ diei. 383
Subſect. 1. Elementorum ſitus, figura, grauitas & leuitas. 383
2. Vtrum terra trepidet motu aliarum rerum. 384
3. Cætera tertiæ diei. 386
Sectio 6. Opera cæterorum dierum. 387
7. Vtrum Cœli ſint corrumpendi. 388

INDEX DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET SVBSECTIONVM DE SVBSTANTIA corporea generabili & corruptibili, ſiue de generatione & corruptione.

DISPVTATIO I.

De generatione ſubſtantiali.

Sectio 1. DEFINITIO generationis ſubſtantialis. 389
2. Explicatur generatio viuentium. 390
3. Vtrum anomalæ generationes ſint vniuocè generationes cum analogis. 391
4. Vtrum generatio ſit conuerſio. 392
5. Vtrum in generatione maneant accidentia corrupti. 393
6. Vtrum generatio ſit ab alteratione diſtincta. 397
7. Nonnulla expediuntur. 398
8. De corruptione. 398
9. Quo pacto ſe habeat generatio vnius & corruptio alterius. 400
10. Quo pacto ſit neceſſaria rerum ſublunarium corruptio. 401
Subſect. 1. Quid ſufficiat vt res aliqua ſit abſolutè corruptibilis. 401
2. Homo eſt natura ſua mortalis. 401
3. Nonnulla impugnata de morte hominis ab intrinſeco principio. 402
4. Cauſa necis humanæ. 404
5. An ſit mors naturalis abſque morbo. 407

DISPVTATIO II.

De cauſis & ordine generationis.

Sectio 1. Vtrum accidentia ſint cauſa diſponens ad generationem. 408
Subſect. 1. Oſtenditur prioritas accidentiũ in communi. 408
2. Oſtenditur prioritas accidẽtium in particulari. 409
3. Impugnata mutua cauſalitas inter accidentia & formam. 411
Sectio 2. Vtrum accidentia quæ ſunt in paſſo concurrant actiuè ad generationem? an verò quæ ſunt in agente? 412
3. De principio actiuo vnionis humanæ. 414
4. De ſemine virili. 417
5. Vtrum fœminæ ſemen emittant. 416
Subſect. 1. Concluditur pars affirmatiua. ibidem.
2. Opinio negatiua propoſita ac impugnata. 417
3. Difficultas ex myſterio Incarnationis. 419
Sectio 6. De concurſu viri & fœminæ ad prolis formationem. 420
7. Quæ partes efformentur prius. 423
8. Vtrum homo fiat ex embryone. 426
9. Formatio fœtus atque geſtatio. 427

DISPV

DISPVTATIO III.

De augmentatione.

Sectio 1. Quid ſit augmentatio ſubſtantialis. 428
2. De termino & conditionibus augmentationis. 429
3. Vtrum augmentatio fiat tota ſimul, an ſucceſſiuè. 429
Subſect. 1. Impugnati qui docent augmentationem eſſe motum continuum. 429
2. Vera ſententia. 433
Sectio 4. De potẽtia nutritiua & generatiua. 436
5. De nutritione. 436
6. De accretione & decretione. 437

DISPVTATIO IV.

De raro & Denſo.

Sectio 1. Quid ſit rarum & denſum. 437
2. Vtrum raritas ſit motus ad nouam quantitatem. 437
3. Impugnantur corpuſcula: & extenſio punctorum. 439
4. Raritas fit noua qualitate. 441
5. De radice rarefactionis. 443

DISPVTATIO V.

De alteratione & eius termino.

Sectio 1. Per intenſionem nulla qualitas remiſſa corrumpitur. 444
2. Intenſio non fit per nouam exiſtentiam aut vnionem præcedentis qualitatis. 445
3. Nec per maiorem radicationem. 447
4. Additione noui gradus fit intenſio. 449
5. Explicatur B. Thomas. 451
6. Vtrum gradus ſint ſimiles. 453
Subſect. 1. Partis affirmantis argumenta diſſoluuntur. 453
Sectio 2. Pars affirmatiua. 457
Subſect. 1. Primum argumentum. 457
2. Secundum argumentum. 459
3. Cætera argumenta. 461
4. Nonnullæ difficultates. 461
5. De compoſitione intenſionis. 462
Sectio 7. De terminis qualitatis. 462

DISPVTATIO VI.

De Elementis eorúmque mixtione.

Sectio 1. Quid & quot ſint elementa. 463
2. Vtrum Elementa maneant formaliter in mixto. 464
3. Vtrum & quid ſint quatuor primæ qualitates. 466
4. Qualitatum per ſingula elementa partitio. 467
5. Vtrum Elementa ſingula potiantur binis qualitatibus ſummis. 469
6. Vtrum qualitates ſymbolicæ elementorum inter ſe, & à qualitatibus mixti differant ſpecie. 470
7. Aliquæ difficultates expediuntur. 472

INDEX DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET SVBSECTIONVM DE SVBSTANTIA corporea animata.

PROOEMIVM. fol. 473

DISPVTATIO I.

De eſſentia & informatione Animæ.

Sectio 1. ANIMVS definitur. 474
2. Vtrum ſit proprium viuentium corpus habere organicum? 476
3. Vtrum omnis animus ſit actus informans? 476
4. Vtrum anima vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, realiter diſtinguantur? 477
5. Vtrum animus rationalis vt rationalis corpus informet? 478
6. Quas partes animus actuet? 479
7. Vtrum animus producatur antequam corpus informet. 481

DISPVTATIO II.

De compoſitione viuentium.

Sectio 1. Vtrum animus rationalis ſit ſpiritualis & ſimplex. 482
Subſect. 1. Primum argumentum. 482
2. Secundum argumentum. 483
Sectio 2. Vtrum anima rationalis componatur ex potentia paſſiua & actu. 484
3. Vtrum omnis res ſpiritualis ſit indiuiſibilis. 485
Subſect. 1. Aliquorum ſententia de ſpiritalitate rerum. 485
2. Eius ſententiæ fundamenta. 486
3. Impugnatur ea ſententia. 486
4. Quid ſit corpus & ſpiritus. 487
5. Quid ſit rem eſſe corpoream & ſpiritalem. 490
6. Diluuntur obiecta. 491
Sectio 4. Vtrum omnes animæ materiales componantur ex partibus integrantibus. 492
5. Vtrum partes viuentium ſint ſubſtantialiter ſimiles. 495
Subſect. 1. Nonnulla argumenta pro prima ſententia. 495
2. Alia argumenta. 495
3. Concluſio. 496
4. Alia reſponſa diluuntur. 498
5. Secundum argumentum. 500
Sectio 6. Vtrum partes heterogeneæ ſint diuerſarum ſpecierum. 500
7. Partes abſimiles eſſe diuerſarum ſpecierum probatur à priori. 501
Subſect. 1. Diſcrimen ſimilitudinis ab æquitate. 501
2. Quid ſit ſimilitudo & diſſimilitudo. 502
3. Duæ res poſſunt eſſe reciprocæ ſimiles atque diſſimiles. 503
4. Non poſſunt duo indiuidua eiuſdem ſpeciei

ciei eſſe inæqualia ſubſtantialiter. 504
5. Partes animorum ſunt diuerſarum ſpecierum. 506
6. Recentiorum obiecta. 506
7. Quid ſit ſpecie & genere differre. 507
Sect. 8. Vtrum in vnione animi rationalis ſit inæqualitas. 507

DISPVTATIO III.

Quid ſit viuens.

Sectio 1. Vtrum vegetabile ſit viuens. 508
Subſect. 1. Partis negantis primũ argumentum. 508
2. Secundũ partis eiuſdem argumentũ. 510
3. Tertium argumentum Thomiſtarúmque reſponſum. 510
4. Aliorum doctrina. 512
5. Reſpondetur argumento ab ignis augmentatione petito. 514
6. Reſpondetur argumento facto à naturali emanatione paſſionum ab eſſentia. 515
7. Alia duo reſponſa. 516
8. Dirimitur tota quæſtio. 516
Sectio 2. Quæ ſint viuentia in actu primo. 517

DISPVTATIO IV.

De potentiis animæ.

Sect. 1. Qui negent concurſum actuum animi in actus intellectus. 518
2. Anima immediatè concurrit ad actus. 520
3. Vtrum anima immediatè efficiat, & recipiat actus materiales vitales. 522
4. Vtrum potentiæ vitales realiter diſtinguantur ab animo. 524
5. De ſpecificatiuis potentiarum. 526

DISPVTATIO V.

De intellectu & eius obiecto.

Sectio 1. De intellectu agente. fol. 527
2. De intellectu poſſibili. 528
3. De obiecto adæquato intellectus. 529
4. De ſpecificatione intellectus. 530
5. De ſpecificatione intellectionum. 531
6. Intellectus quæ prius & perfectius cognoſcat obiecta. 532
7. Vtrum intellectus ſimul poſſit cognoſcere plura vt plura vnico actu. 534
8. De memoria. 534
9. Ad lectorem. 535

DISPVTATIO VI.

De intellectione in communi.

Sectio 1. Vtrum intellectio in ſola qualitate conſiſtat. 535
Subſect. 1. Quid de quæſtione. 536
2. Primum argumentum. 536
3. Alia duo abſurda. 538
4. Aliorum reſponſum. 539
5. Quid tandem reſpondeant alij. 540
6. Argumenta cætera pro cõcluſione. 541
Sectio 2. Aliorum ſententias & argumenta impugno. 542
Subſect. 1. Opinio conſtituens actum vitalem in ſola actione & paſſione abſque termino. 542
2. Qui & quare conſtituant intellectionem in ſola qualitate diſtincta realiter ab actione. 543
3. De vitalitate vnionis. 545
Sectio 3. Vtrum actus vitalis poſſit produci ſine concurſu potentiæ vitalis. 546
Subſect. 1. Nonnulla prætermitto. 546
2. Concluſio. 546
3. De effectu formali intellectionis à Deo productæ. 548
Sectio 4. Vtrum actus vitalis poſſit diuinitus in alieno ſubiecto conſtitui. 549
Subſect. 1. Nonnullorum argumenta contra primam concluſionem. 550
2. Argumenta ſimiliora veri. 551
3. Secunda concluſio. 552
Sectio 5. De ſpecie expreſſa & verbo mentis. 553
6. Vtrum ſit intellectio creata ſine verbo. 554
7. Impugnatæ rationes aduerſantium. 556
8. Verbum eſt de conceptu formali intellectionis creatæ. 557

DISPVTATIO VII.

De triplici intellectus operatione.

Sect. 1. De ſimplici apprehenſione. 559
2. De iudicio. 559
3. Quid ſit diſcurſus. 561
4. Neceſſitas aſſentiendi concluſioni ex præmiſſis. 562
5. Vtrum ad aſſenſum concluſionis requiratur cognitio reflexa de bonitate illius. 564
6. Vtrum hæc cognitio reflexa aliquid appingat obiecto. 565
7. Vtrum concluſio poſſit eſſe ſine præmiſſis. 565
8. Vtrum præmiſſæ efficiant concluſionem. 566
9. Duæ difficultates. 567

DISPVTATIO VIII.

De euidentia & certitudine.

Sect. 1. Vtrum euidentia diſtinguatur ab actu intellectus. 567
2. Vtrum idem actus eiuſdem obiecti poſſit eſſe clarus, & obſcurus. 568
3. De euidẽtia morali, phyſica, & metaphyſica, & vtrũ illis poſſit ſubeſſe falſum. 569
4. Variæ certitudinis affectiones. 570
5. Vtrum certitudo diſtinguatur ab actu. 572
6. Vtrum vnus actus ſit certior, & euidentior alio. 572

DISPVTATIO IX

De veritate & falſitate intellectus.

Sect. 1. Vtrum veritas ſit formaliter in actu intellectus. 573
2. Vtrum in ſimplici apprehenſione ſit veritas. 574
3. Vtrum veritas diſtinguatur ab actu vero. 574
Subſect. 1. Duæ ſententiæ impugnatæ. ibid.
2. Tertia opinio de connotatis. 575
3. Quarta opinio de extrinſeca denominatione. 576

4. Con

4. Concluſiones. 578
5. Reſpondetur obiectis. 579
Sect. 4. Vtrum idem actus poſſit mutari de vero in falſum. 580
5. Vtrũ mutato obiecto mutetur actus. 584
6. De veritate propoſitionis de futuro. 584
Subſect. 1. Quid ſit rem abſolutè eſſe futuram. 584
2. Impugnata Ariſtotelis opinio. 587
3. Impugnata futurorum coëxiſtentia in æternitate. 589
4. Eadem veritas aliunde probata. 592
5 Nonnulla præmittuntur de futuris conditionatis. 593
6. Propoſitiones veræ. 594
7. Soluitur argumentum de libertate. 595

DISPVTATIO X.

De diuiſione & oppoſit. actuum intellectus.

Sect. 1. Vtrum ſimplex apprehenſio & iudicium poſſint eſſe ſimul. 596
2. Quid ſint, & vtrum opponantur actus abſtractiuus & intuitiuus. 596
3. De cognitione quidditatiua & comprehenſiua. 599
4. Nonnullæ difficultates expediuntur. 601
5. Vtrum fides poſſit eſſe ſimul cum ſcientia. 603
6. Quid ſit Opinio, Fides, Dubium, Formido, & Suſpicio. 605

DISPVTATIO XI.

De actu practico & ſpeculatiuo.

Sect. 1. Quid ſit in actu procedere modo compoſitiuo & reſolutiuo. 605
2. Vtrum ſcientia practica ſit circa opus liberum. 606
3. Concluditur quid ſit actus practicus. 607
4. Vtrum idem actus poſſit eſſe practicus & ſpeculatiuus. 608
5. De cauſalitate actus practici in obiectum. 609

DISPVTATIO XII.

De ſpeciebus impreſſis.

Sectio 1. Sitne aliqua ſpecies impreſſa. 610
2. Quorum obiectorum ſint vel eſſe poſſint ſpecies impreſſæ. 612
3. Poſſitne dari ſpecies impreſſa Dei. 612
Subſect. 1. Rationes communes pro Thomiſtica ſententia. 613
2. Expenduntur argumenta cuiuſdam. 613
3. Argumenta ſimiliora vero. 616
Sectio 4. Quid ſit ſpecies, & quomodo concurrat ad actum. 617
5. Specierum indiuiſibilitas. 619
6. Nonnullæ difficultates expediuntur. 620

DISPVTATIO XIII.

De obiecto voluntatis ſiue de cauſa finali.

Sect. 1. Quid ſit adiectũ adæquatũ voluntatis. 621
2. Quid & quotuplex ſit finis. 622
3. Quid ſit operari propriè propter finẽ. 623
4. Quæ & quos effectus operentur propter finem. 623
5. Vtrum cauſa finalis ſit realis & quæ eius cauſalitas. 625
6. Vtrum finis moueat ſecundũ eſſe reale. 626
7. Vtrum duo fines adæquati poſſint ſimul concurrere ad eundem effectum. 627

DISPVTATIO XIV.

De actibus voluntatis, & de eorum ab intellectu dependentia.

Sect. 1. Varij voluntatis actus. 629
2. Oppoſitio actuum voluntatis. 630
3. Vtrum diſtinguantur intentio finis & electio mediorum. 631
4. Vtrum voluntas neceſſariò pendeat ab intellectu. 632
5. Vtrum actus voluntatis dependeant à cognitione efficienter. 634
6. Vtrum ex varietate cognitionum deprehendatur affectuum varietas. 635
7. Quæ cognitiones ad quos effectus requirantur. 636
8. Vtrum voluntas moueatur per imperium intellectus. 637
9. Vtrum voluntatis defectum antecedat in intellectu defectus. 638

DISPVTATIO XV.

De libertate voluntatis.

Sect. 1. Quid ſit potentia libera. 640
2. Quibus agentibus ſit libertas. 641
3. Quid ſit libertas in actu primo. 642
4. Vtrum actio ſit libera quo exercetur inſtanti. 642
5. Libertas in actu ſecundo conſtituitur in actione volendi, non verò in iudicio indifferenti, modo, aut relatione. 644
6. Vtrum libertas ſit extrinſeca denominatio actui libero, an verò eſſentialis. 646
Subſect. 1. Opinio eam eſſe extrinſecam denominationem. 646
2. Opinio libertatem eſſe de eſſentia actus liberi præfertur. 649
3. Obiectiones aliæ. 651
Sect. 7. Vtrum poſſit eſſe pura omiſſio, & vtrum liberè. 653
Subſect. 1. Poſſibilis eſt omiſſio pura. 653
2. Aduerſariorum argumenta diluta. 655
3 Pura omiſſio poteſt eſſe libera. 657
Sect. 8. Diuiſio libertatis in ſpeciẽ & exercitiũ. 659
9. Subdiuiſa libertas in phyſicam & moralem. 662
10. Quæ cognitio relinquat voluntatem indifferentem aut determinatam. 662

DISPVTATIO XVI.

De habitibus potentiæ vitalis.

Sect. 1. Quid ſit habitus. 663
2. Intellectus non eſt capax habituum. 664
3. Voluntas eſt capax habituum. 665
4. De extenſione & ſimplicitate habitus. 666
Subſect. 1. Augmentum habitus eſt quid reale. 666
2. Hoc augmentum non eſt modus. 667
3. Tot ſunt habitus quot actus. 668
Sect. 5. De productione & corruptione habitus. 669
6. De cauſis habituum. 671
7. Vtrum habitus efficienter concurrat ad actum. 661
8. Collatio & diſcrimen habituum naturalium & ſupernaturalium. 672

DISPV

DIPVTATIO XVII.

De potentiis ſenſitiuis.

Sect. 1. Vtrum aliquis ſenſus percipere poſſit obiecta ſpiritualia. 675
2. De viſu & viſili. 676
3. De auditu & audibili. 678
4. De olfactu & odore. 679
5. De guſtu & tactu. 680
6. Monſtratur ſenſus internus. 680. & 681
7. Vtrum ſenſus communis diſtinguatur à phantaſia. 681
8 Vtrum æſtimatiua cognoſcat obiecta inſenſata ſitque diſtincta à ſenſu cõmuni. 682
9. Vtrum ſenſus cõmunis ſit in cerebro. 683
10. De ſenſitiuo appetitu, iraſcibili, & concupiſcibili. 684
11. Vtrũ ſint alij appetitus præter internũ. 685
12. Vtrum ſit in corde appetitus internus. 685

DISPVTATIO XVIII.

De Anima ſeparata.

Sect. 1. Humani animi immortalitas. 686
2. Animus natura immortalis. 688
3. Vtrum ſeparatio ſit animo violenta. 689
4. De cognitione animæ ſeparatæ. 690

INDEX DISPVTATIONVM, SECTIONVM, ET SVBSECTIONVM, QVÆ IN TERTIO Tomo de ente tranſnaturali, ſiue à materia abſtracto diſſeruntur.

DISPVTATIO I.

Proœmium.

Sect. 1. De obiecto & ſubiecto in commune. 693
Subſect. 1. De obiecto formali. 693
2. De obiecto materiali. 696
3. De obiecto proprio, & attributionis. 697
4. De obiecto adæquato & partiali. 698
Sect. 2. De obiecto Metaphyſicæ proprio ſeu communiſſimo. 700
Subſect. 1. Metaphyſica conſiderat ens reale atque rationis. 700
2. Difficultates contra ſecundam concluſionem de ente rationis. 701
3. Noui cuiuſdam argumenta. 702
4. Cætera Metaphyſicæ obiecta. 703
Sect. 3. Vtrum ſubſtantia completa vt ſic ſit Metaphyſicæ obiectum adæquatum attributionis. 705
Subſect. 1. Pars affirmans. 706
2. Oppoſita argumenta. 707
Sect. 4. Deus eſt adæquatũ obiectum Metaphyſ. 708
5. Vtrum Metaphyſica cognoſcat & præſcribat cæterarum facultatum obiecta. 710
6. Vtrum ſcientiæ diuidantur per abſtractionem à materia. 712
Subſect. 1. Quotuplex abſtractio à materia aſſignetur communiter. 712
2. Scientiarum partitio communis per abſtractionem à materia. 712
3. Impugnata nonnulla de abſtractione à materia. 713
4. De abſtractione formali. 714
5. Reſpondetur argumentis. 716
6. Enucleatur abſtractio à materia. 718
7. Abſtractiones nihil interſunt ſcientiarum diſtinctionis. 719
Sect. 7. Scientiarum vnitas. 721
Subſect. 1. Examinata aliquorum ſententia. 721
2. Scientiarum vnitas explicata. 722
Sect. 8. De ſubalternatione ſcientiarum. 725
9. De Methaphyſica quædam expediũtur. 728

DISPVTATIO II.

De ente in communi.

Sect. 1. Quid ſit conceptus entis. 729
2. Vtrum vnus conceptus formalis terminetur ad ens. 730
3. Vtrum ens vt ſic habeat conceptum obiectiuè vnum. 732
Subſect. 1. Partem affirmantem ſequor. ibid.
2. Oppoſitam ſententiam impugno. 734
Sect. 4. Vtrum ens tranſcendat omnes differentias & de eiſdem prædicetur. 737
5. Quo differant res & modus, & vtrum tranſcendantur ab ente. 737
6. Quæ ſint modus. 740

DISPVTATIO III.

De entis attributis in commune.

Sect. 1. Vtrum ens in commune habeat attributa. 742
2. Vtrum ens ſit de conceptu attributorum, & quot hæc ſint. 743
3. Nonnulla proponuntur principia. 744

DISPVTATIO IV.

De vnitate reali.

Sect. 1. In quo conſiſtat ratio formalis *vnius.* 745
Subſect. 1. Expenduntur duæ ſententiæ. ibid.
2. Quid de quæſtione ſentiendum. 747
3. Recentium argumenta. 750
Sect. 2. Aliquot corollaria. 751
3. Vnum per ſe & per accidens. 753
4. Nonnullæ difficultates expediuntur. 754
5. Vnde ſumatur vnitas indiuidualis. 756

DISPVTATIO V.

De vnitate vniuerſali.

Sect. 1. Vtrum omne ens reale ſit vniuerſale. 758
2. Scotica vniuerſalitas impugnatur. 759
3. Gradus ſuperiores ab inferioribus non diſtinguuntur ex natura rei. 761
4. Alia de ſingularitate & vniuerſalitate. 763
5. Vtrum naturæ ſint per ſe ſingulares. 763
6. Opinio Petri Fonſecæ. 765
7. Vniuerſalitas formaliter in intellectus actu conſiſtit, non in ſpecie impreſſa, aut in ente rationis. 767
8. Per quem actum fiat vniuerſale. 771

9. Vtrum

9. Vtrum detur natura ſecundũ ſe, quæ nec ſit formaliter ſingularis nec vniuerſalis. 772
10. Vtrum actus vniuerſalis obiectum ſit vna ratio communis obiectiua abſtracta ab inferioribus? an verò plura ſingularia ſimilia? 774
Subſect. 1. Duæ Realiũ Nominaliũque ſentẽtię. 774
2. Nominaliũ ſententia, ſententia eſt S.Th. 776
3. S. Thomæ Nominaliumque ſententia præfertur. 778
4. Primum argumentum. ibidem
5. Secundum argumentum. 780
6. Tertium argumentum. ibidem.
7. Realium argumenta proponuntur atque diſſoluuntur. 782
Sect. 11. Obiectum actus vniuerſalis nihil eſt fictum. 784
12. De vniuerſalibus quædam expediũtur. 786

DISPVTATIO VI.

De diſtinctione.

Sect. 1. Quid ſit diſtinctio. 786
2. De diſtinctione reali & modali. 788
Subſect. 1. Quid ſit diſtinctio realis. ibidem.
2. Vtrum conuenientia prædicatorum contradicentium arguat realem diſtinctionem. 789
3. Prima impugnatio eius ſententiæ. ibidem.
4. Secunda impugnatio eiuſdẽ ſententiæ. 790
5. Tertia impugnatio. 791
6. Vtrum opinio de connotatis arguat realem diſtinctionem. 792
7. Impugnatur ea doctrina. 792
Sect. 3. Diſtinctio ex natura rei. 795
4. De diſtinctione rationis. 796
Subſect. 1. In quo ſita ſit formaliter diſtinctio rationis. 797
2. Sententia Nominalium. 799
3. Nominalium opinio eſt S.Thomæ. 800
4. Hæc opinio probatur primò. 802
5. Secundum argumentum. 803
6. Argumenta cætera. 804
7. Teſtimonia S.Baſilij & Anſelmi. 805
8. Reſpondetur argumento ex Trinitate. 805
9. Argumenta cætera. 810
Sect. 5. Quæ requirantur ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ, item & ratiocinantis. 810
6. Vtrum per actus intuitiuos contingat diſtinctio rationis. 812
Subſect. 1. Quid abſolutè de quæſtione. 812
2. Quid in ſententia de formalitatibus. 812
3. Probatur efficacius eadem doctrina. 814
4. Vtrum actui comprehenſiuo reſpondeant diuerſæ formalitates. 815

DISPVTATIO VII.

De Vero & Bono.

Sect. 1. Quid ſit Verum. 817
2. De Falſo. 821
3. Quotupliciter ſumatur Bonum. 822
4. Quo pacto Bonũ diſtinguatur ab ente. 823
5. Boni diuiſio. 825
6. De Malo. 826

DISPVTATIO VIII.

De eſſentia & exiſtentia.

Sect. 1. Quid ſit creaturas eſſe poſſibiles. 827
2. Vtrum res in potẽtia ſit ſimpliciter ens. 829
3. In creatura exiſtente omnia prædicata realia fiunt ens ſimpliciter ex non ente ſimpliciter. 833
4. Vtrum eſſentia & exiſtentia diſtinguantur in rebus creatis. 833
Subſect. 1. Pars negatiua monſtratur à priori. 833
2. Idem probatur argumentorũ ſolutione. 835
3. De diſtinctione rationis eſſentiæ ab exiſtentia. 838
4. Nouum cuiuſdam argumentum. 838
Sect. 5. Difficultates nonnullæ. 839

DISPVTATIO IX

De Prædicamentis.

Sect. 1. Quid ſint prædicamenta. 841
2. Prædicamentorũ numerus & diſtinctio. ib.
3. Quæ & qua ratione in prædicamento collocata. 843
4. Vtrũ Deus ponatur in prædicamento. 845

DISPVTATIO X.

De ſubſtantia in communi.

Sect. 10. Quæ ſit immediatior & aptior diuiſio entis. 847
2. Quid & quæ ſint ſubſtantia. 848
3. Nulla actio eſt ſubſtantia. 850
4. Subſtantiæ conceptus penitius explanatur. 851

DISPVTATIO XI.

De Natura & ſuppoſito.

Sect. 1. Quid ſignificant hæc nomina *natura*, *hypoſtaſis*, *ſuppoſitum*, & *perſona*. 853
2. Quid ſit ſuppoſitum. 853
3. Vtrum ſuppoſitum diſtinguatur à natura. 854
4. Appendix de diſtinctione ſuppoſiti Angelici à natura. 858
5. Vtrum ſubſiſtentia ſit res an modus naturæ. 858. & 859
6. Suppoſiti formalis effectus. 861
Subſect. 1. Effectus formalis ſuppoſiti non eſt reddere naturam independentem à priori ab alio. 861
2. Subſiſtentia non dat naturæ independentiam à ſubiecto à poſteriori. 862
3. Effectus formalis ſuppoſiti non tollit indifferentiã naturæ ad alia ſuppoſita. 863
4. Effectus formalis ſuppoſiti. 864
Sect. 1. Vtrum natura cum ſubſiſtentia naturali poſſit aliam habere. 865
8. Vtrum ſuppoſitum creatum poſſit alienam terminare naturam. 867
9. Aliquæ difficultates expeditæ. 868

DISPVTATIO XII.

De intelligentia creata.

Sect. 1. Errores Ariſtotelis de Deo & Angelis. 871
2. Vtrum & quid ſint Angeli. 872
3 Vtrum Angeli intra eandem ſpeciem poſſint eſſe multi. 874
4. De Angelorum intellectione, & ſpeciebus impreſſis. 876
5. De voluntate Angelorum. 877
6. Quid ſit Angelus in loco. 880

DISPVTATIO XIII.

De Quantitate.

*Sect.*1. Quid ſit accidens. 883
2. Vtrum quantitas ſit ſubſtantia vel accidens. 883
3. Ariſtotelica definitio quantitatis. 885
4. Formalis quantitatis effectus. 886
5. Aliquæ difficultates expeditæ. 889
6. Variæ quantitatis ſpecies. 890

DISPVTATIO XIV.

De Qualitate.

*Sect.*1. Definitio & diuiſio qualitatis. 892
2. Ariſtotelica diuiſio qualitatis. ibid.
3. De contrarietate qualitatum. 894
4. Quæ res ſint intenſionis capaces. 896

DISPVTATIO XV.

De Relatione.

*Sect.*1. Vocum explicatio. 897
2. Vtrum relatio diſtinguatur à fundamento & termino. 897
3. Sententiæ explicatio & argumentorum ſolutio. 902
4. Quid ſit ratio *in* & *ad*. 905
5. De fundamento relationis. 906
6. De termino relationis. 907
7. Vtrum relatio terminetur ad relationem, an ad abſolutum. 908
8. Relatio tranſcendentalis, & prædicamentalis. 911
9. Appendix de relatione tranſcendentali Dei ad creaturas. 912
10. Diuiſio relationis. 915
*Subſect.*1. Relatio rationis, ſecundum dici, & tranſcendentalis. 916
2. Ariſtotelica diuiſio relatiuorum. 917
3. Scotica diuiſio relationis in aduenientem intrinſecus & extrinſecus. 920
*Sect.*11. Vtrum ſit conceptus relationis in communi. 921

DISPVTATIO XVI.

De actione & paſſione.

*Sect.*1. Quid ſint actio & paſſio. 923
2. De ſubiecto actionis. 924
3. Vtrum omnis actio habeat terminum. 924
*Subſect.*1. Impugnata prædicamentalis actio ſine termino. 924
2. Actus vitales habent actiones ab eis diſtinctas. 925
*Sect.*4. Diſtinctio actionis à paſſione. 926
5. Aliquæ difficultates expeditæ. 928

DISPVTATIO XVII.

De duratione.

*Sect.*1. Quid ſit duratio. 929
2. Duratio non diſtinguitur ab exiſtentia vt res abſoluta. 931
3. Vtrum exiſtentia diſtinguatur modaliter à duratione, vt eſt intrinſeca: aut duratio ſit ea ex parte ſucceſſiua. 931
*Subſect.*1. Primum affirmantium argumentum. ibid.
2. Reſpondetur ad argumentum. 932
3. Argumenta cætera. 933
4. Duratio non diſtinguitur ab exiſtentia. 934
5. Aliæ probationes. 935
6. Argumentum à priori. 936
*Sect.*4. Vtrum duratio includat ſucceſſionem. 937
*Subſect.*1. Non includit ſucceſſionem intrinſecam. 937
2. Duratio non dicit connotationem. 938
3. Duratio creata includit ſucceſſionem extrinſecam. 939
*Sect.*5. Æternitas, Æuum, Tempus. 940

DISPVTATIO XVIII.

De cæteris prædicamentis. 942

DISPVTATIO XIX.

De ente rationis.

*Sect.*1. Vtrum denominationes extrinſecæ ſint ens rationis. 942
*Subſect.*1. Sententiæ affirmantis fundamenta conuelluntur. 942
2. Impugnatur hæc ſententia. 944
*Sect.*2. Vtrum ens rationis ſit aliquid deriuatum ex denominatione extrinſeca reali. 945
*Subſect.*1. Sententia prima. ibidem.
2. Proponitur ſententia, deriuari ens rationis ex omni denominatione extrinſeca. 946
3. Impugnatio primæ eius ſententiæ. 948
4. Impugnatio ſecunda. 949
5. Duo argumenta ſoluuntur. 950
6. Impugnatio tertia eiuſdem ſententiæ. ibid.
*Sect.*3. Quid ſit ens rationis. 952
4. Nonnulla corolloria. 953
5. De cauſis entis rationis, & diuiſione. 954
6. Vtrum Deus cognoſcat ens rationis. 955

DISPVTATIO XX.

De Deo Optimo Maximo.

*Sect.*1. Eſſe Deum, vnum, ſimplicem, immenſum, æternum, cauſam cæterorum quæ infra eum. 957
2. Quis ſit conceptus quidditatiuus Dei. 961

F I N I S.

DISPVTA

DISPVTATIONES DE SVMMVLIS.

AVTHORE PETRO HVRTADO DE MENDOÇA, VALMASEDANO, E SOCIETATE IESV: Cenſore apud Fidei Quæſitores, & in Salmaticenſi Academia Theologiæ profeſſore.

INSTITVTIO TYRONIS DE arguendi ratione.

§. 1. SVMMVLA eſt *parua ſumma* ſiue *compendium*, aut *epilogus*, ad quem breuiter deducuntur, quæ alibi fuſiùs ſunt propoſita. Accipitur à Dialecticis pro *indiculo breui* rerum, quas neceſſariò prænoſcit, qui intelligentia, & ratione capeſſere vult ſuperiores facultates. Quapropter Philoſophi, Medici, Theologi, non poſſunt pedem in eas facultates inferre, niſi Summularum imbuti præceptis. Vulgus Iuriſperitorum eam facultatem ſpernit, ratum ſola memoria teneri prudentiam iuris: culti autem conſulti iuris hac facultate inſalutata nolunt aggredi ſuam, quæ mirum in modum Summuliſtica ornatur diſciplina. Etenim nõ poſſunt argumenta concinnari ab imperito argumentationis. Nec enim poteſt aliquid concludi, neque aliquis victoria potiri, neque in gymnaſio lucere, niſi animi conceptiones aliquo argumentandi genere eleganter explanet: eius autem facultatis ignari ſæpe cum dedecore ridentur, & irridentur ab auditoribus mediocriter doctis, quod indicent, ſe argumentationem nec de voce cognoſcere. Scopus harum diſputationum eſt, tyrones docere arguendi rationem, vt omnium facultatum ſtudioſis facem ad ipſas præferamus: quid autem ab vnoquoque præſtandum ſit, breuiter expono.

§. 2. Ac primum Scholaſtica diſſertatio initur inter tres: primus concluſiones propugnandas ſuſcipit: qui frequenter vocatur *Suſtentans*: ipſe enim primus ſuſtinet omnium impetus, & ſuſtentat propoſitiones quas in papyro geſtat ſcriptas. Hic cum primum auditores conſedere, modeſto vultu, oculis depreſſis, aſſurgens quæſtionem his verbis orditur: *Quæſtio hodierna die diſputanda, Illuſtriſſime, & nobiliſſime Rector, Præſes ſapientiſſime, doctiſſimi Magiſtri atque Doctores, concio litteris, ac nobilitate conſpicua, eſt. Vtrum.* Deinde ſedens quæſtionem diſputat in vtramque partem breui, clarè, & eleganter: eámque dirimit vna, aut pluribus concluſionibus, eaſq; probat: abſtinet autem à reſpondendo ad argumenta: finitis autem probationibus ait *Argumenta autem propoſita ſoluentur diſputationis decurſu. Quidquid autem dixi, ſumq; dicturus ſubijcio cenſuræ Romanæ Eccleſiæ, necnon & veſtræ.* Paululúmque aſſurgens caput detegit, reſidens iterum ſe tegit, & argumentum intentus expectat.

§. 3. Secundus in diſputatione eſt *Arguens*: qui poſt ſilentiũ Suſtentantis ſurgit, oculis & voce demiſſa, capútque aperiens, argumentũ orditur hac ratione. *Facta mihi dicendi facultate ab Illuſtriſſimo & nobiliſſimo Rectore. Præſide ſapientiſſimo. Doctiſſimis grauiſſimiſq; Magiſtris ac Doctoribus, concione litteris & nobilitate præclara: duo argumenta proponam, nobilis ac ingenioſe Suſtentans, aduerſus ſatis acutas tuas concluſiones. Primum aduerſus, &c. Secundum aduerſus, &c.* Propoſitis autem duobus argumentis ait: *His & alijs longe difficilioribus, pro tui dexteritate ingenij facile reſpondebis: nunc autem ad primum.*

§. 4. Tunc is qui reſpondet aſſurgens, & caput detegens ait: *Aduerſus meam concluſionem, in qua defendo, &c. Argumentatur ſic nobilis, & ingenioſus condiſcipulus.* Tunc ſedens, & operto capite integrum repetit argumentum: quo repetito, & (vt aiunt) reſumpto, reuertitur ad primam propoſitioem: quam, ſi concedit, pergit ad ſecundam, donec veniat ad aliquam propoſitionem quam negat, eaque negata ſiſtit, & ſilens dat locum Arguenti, vt eam probet.

§. 5. Animum aduerte, argumenta proponi aut enthymemate, aut Syllogiſmo. Enthymema duas continet propoſitiones; quarum ſecunda deducitur ex prima: cum hac voce *ergo*, aut *igitur*. Exempli gratia, *omnis homo currit, ergo Petrus currit*: prima propoſitio vocatur *antecedens*, ſecunda verò vocatur *conſequens*, & *conſequentia*. Syllogiſmus conflatur ex tribus propoſitionibus, quarum tertia ſequitur ex duabus cum eadem voce *ergo*, aut *igitur*. Prima propoſitio vocatur *maior*, ſecunda vocatur *minor*: tertia verò vocatur *conſequens*, & *cõſequentia*. Alio modo argumentari non licet.

§. 6. Cum igitur Suſtentans repetito argumento reuertitur ad primam propoſitionem, illam ſecundò repetit & ſolam, eáque repetita dicit, *concedo maio-*

rem, aut *antecedens*: deinde repetit ſolam minorem, eáq; repetita ait, *nego minorem*: ſi autem argumentatio fuit enthymema, dicit, *nego conſequentiam*. Negatam autem propoſitionem probare tenetur Arguens, & proponere nouam argumentationem: in qua inferat pro concluſione propoſitionem negatam ab Arguente: exempli gratia hanc propoſitionem *Petrus currit* negauit Suſtentans: hanc ſic debet Arguens probare, *Omnis homo currit: Petrus eſt homo: ergo Petrus currit.* Qua ratione perſequi tenetur argumẽtum, voce mediocriter elata, actione, & vultu modeſto, ſine contentione, vociferatione, aut pedum ſtrepitu, ſemper autẽ perquam vrbanè Præſidi morem gerens, eúmque audiens volentem argumentum dirigere, aut rationem reddere eorum, quæ à Suſtentante dicuntur: nec verò ſit prolixus, aut importunus: certus melius eſſe paucos Syllogiſmos efficaces modeſtè proponi, quàm centum ſcopas (vt aiunt) diſſolutas aut arenam ſine calce.

§. 7. Animaduertat, ſiniſtrum initium dari diſputationi hoc modo: *Logica non eſt practica: ergo tua concluſio eſt falſa.* Quæſtio enim eſt *vtrum Logica ſit practica:* Suſtẽtans dicit, *Logica eſt practica:* Arguens debet aliam propoſitionem in antecedenti ponere, vt inde inferat in concluſione propoſitionem contradicentem Suſtentanti: exempli gratia: *Nulla ſcientia ſpeculatiua eſt practica: ſed Logica eſt ſcientia ſpeculatiua: ergo Logica non eſt practica:* ſi autem immediatè dicit: *Logica nõ eſt practica: ergo falſa eſt tua concluſio:* incipit (vt aiunt) à petitione principij.

§. 8. Suſtentans autem tenetur formæ argumenti ita adſtringi, vt extra illã nec verbum faciat, niſi fortè breuiſſimum ad extricandos terminos, ne ambigua & implicata diſputatio texatur. Tres voces illi permittuntur: ſcilicet *concedo, nego, diſtinguo:* cum diſtinguit, tenetur bipartitè reſpondere: id eſt reſponſum habẽre duas partes: quarum altera negetur, altera concedatur, aut permittatur. Quando concedit maiorem, ne dicat *concedo propoſitionem:* id enim dicitur à Rhetoribus, ſed dicat, *concedo maiorem*, aut *maiorem propoſitionem:* deinde pergat ad minorem, & ne dicat *nego aſſumptionem*, vt Rhetores dicunt: conſequentiam autem ne Rhetoricè vocet *complexionem.* Cum autem aliqua propoſitio eſt falſa aut dubia, & ex illa non bene ſequitur conſequentia, non eſt opus illam negare, ſed dicere *tranſeat maior:* tunc enim eundum eſt ad concluſionem, neque diuertendum ad probationem aliarum propoſitionum non facientium Suſtentantis inſtituto.

§. 9. Nonnulli diſputationum ignari accipiunt pro iniuria, ſi illis dicatur *tranſeat maior:* neſcio ſanè quo iure: cum enim ita tranſire permittitur, per inde eſt ac *maior propoſitio eſt falſa, ſed eam nunc gratis admitto, quia ex ea non ſequitur conſequentia:* in quo nulla infertur iniuria: alioquin poſſent etiam offendi cum dicunt: *nego maiorem:* quia poſſent dicere illos à propugnatore, mendacij accuſari. Quia verò apud multos hæc ignoratio percrebuit, poterit Suſtentans dicere, *omitto maiorem.*

§. 10. Cum autem ita propoſitionem omittit, nunquam eſt redeundum ad eandem negandam: quia de illius veritate aut falſitate non agitur: ſed omittitur vt conceſſa ad examinandam bonitatem conſequentiæ. Cum autem diſtinguitur tertia propoſitio non eſt dicturus *diſtinguo conſequentiam:* ſed *diſtinguo conſequens:* quoties autem omittit illam ne dicat *tranſeat conſequentia*, aut *omitto conſequentiam:* ſed *tranſeat*, aut *omitto conſequens:* cum autem eam concedit aut negat, ne dicat *concedo*, aut *nego conſequens*, ſed *concedo*, aut *nego conſequentiam.* Modeſtia item eget, & vrbanitate, ne argumentum faſtidiat, aut dicat illud eſſe inane, aut repeti: id enim ſpectat ad diſceptatorem, ſiue præſidem controuerſiæ. Qui eſt tertius in diſputatione: ad quem ſpectat Arguentes cum Suſtentante componere, & moderari, neque permittere multos colloquentes, ne gymnaſium vertatur in forum; neque item permittet circumfuſos auditores mutuo muſitare, ſed viriliter conari, vt omnes attendant, dirimétque controuerſiam dans locum Suſtentanti vt luceat: ipſéque addet quæ ad Suſtentantis munus non ſpectant.

Veteres Dialectici perperam hunc tractatum *Summulas* vocarunt: nam in eis tradendis tam fusè laxéque vagantur, vt nihil viderentur acturi niſi in Summularum carceres omnem Philoſophiam naturalem, atque diuinam detrudere: quamobrem non tam Summam quam immenſam efficiunt rerum congeriem. Antiqui Pariſienſes ſe totos immerſere in ſophiſmata comminiſcenda, ac diluenda, rati ſe quid diuinum afferre, ſi quas nugas fallaces afferrent. Petrus Hiſpanus moderatior extitit in Summularum doctrina, quam tam breui, ac dilucidè tradidit, vt merito ab omnibus Summuliſtarum Princeps habeatur. Dominicus Soto, vir pietate, & doctrina clarus, Summulis Petri Hiſpani affulſit commentariis in eius libro; ſed admodum fuſis. Sotum circumcidit Villapandus ſtylo breui, claro, & eleganti. Villapandum ſuperat noſter Cardinalis Toletus breuitate, & claritate: qui antiquum illud & immane chaos Summularum ex Scholis ablegarunt; cæptáque eſt Philoſophia breui ac dilucidè doceri, fugatis vocum tenebris & horrore. P. Petrus Fonſeca ſuis inſtitutionibus lucem attulit Luſitaniæ: tandem Collegium Conimbricenſe in ſua Logica nuperrime euulgata, omnium fœliciſſimè & aptiſſimè his de rebus diſputauit. Equidem breuiſſimè perſtringam quæ decent Tyronum ingenia ad alias facultates capeſſendas, longam omnium & ad amuſſim diſputationem in ſua loca reijciens: tum vt vnicuique facultati morem geram; tum ne terreantur auditores, arbitrati in clariſſima Philoſophiæ luce tenebras omnibus offundi. §. 11.

DISPVTATIO I.

De terminis propoſitionum, & eorum vnione.

ARISTOTELES primo Phyſicorum, cap. 1. ait exordiendam diſputationem rerum compoſitarum ab earum partibus & elementis: Cum autem omnis argumentatio (quæ materia eſt Summularum) ex partibus conſtet, hæ primum occurrunt diſputandæ. Argumentatio verò propoſitionibus conſtat, propoſitio ſubiecto, prædicato, & vtriuſque vnione: ſubiectum autem, & prædicatum *termini* conſueuerunt appellari.

SECTIO I.

Quid ſint ſubiectum, prædicatum, & vnio?

IN vnaquaque propoſitione vocali, aut ſcripta reperiuntur tres voces, ſiue dictiones, quibus tres actus in intellectu reſpondent. In hac propoſitione. §. 1.

ſitione. *Petrus eſt albus.* Prima vox dicitur *ſubiectum:* Tertia *prædicatum:* Secunda verò *vnio*, ſiue *copula.* In his conſiſtit tota eſſentia propoſitionis: Sicut eſſentia hominis in corpore, animo & illorum vnione: totidem voces reperiuntur in omni propoſitione facta per alia verba, *vt Petrus currit:* habet enim hunc ſenſum, *Petrus eſt currens.*

§.2. Subiectum eſt, *de quo aliquid dicimus, vel prædicamus,* vt in hac propoſitione, *Petrus eſt albus: Petrus, eſt* ſubiectum, quia de illo dicitur, & prædicatur eſſe album. Prædicatum autem eſt illa res, quæ de alia dicitur, vel prædicatur: vt *album* in ea propoſitione prædicatur, & dicitur de Petro. Subiectum ita dicitur *à ſubiecto*, id eſt, iacitur ſub aliud. Nam vt in rebus phyſicis, Petrus eſt ſubiectum, quod eſt ſub accidentibus, accidentia autem ſunt in Petro, ita logice ſubiectum eſt quod ſubeſt prædicationi, quæ in illo ponit prædicatum: hoc autem ita dicitur, quia eſt res prædicata. Vnio autem ita dicitur, quia vnit, vel coniungit ſubiectum cum prædicato. Significat enim, idem eſſe ſubiectum & prædicatum, quod eſt, ea vnire: in propoſitione, autem negatiua non vnit, ſed abiungit prædicatum à ſubiecto, & negat ea eſſe idem: *vt Petrus non eſt lapis.*

§.3. Prædicatum, & ſubiectum aliud eſt, *vt quod,* aliud verò, *vt quo. Quod* eſt res ipſa, vel obiectum quod ſubiicitur, vel prædicatur. *Quo* eſt ipſa vox, aut ſcriptura, aut conceptus, *quo* vnum dicimus de alio; exempli gratia, *Petrus eſt homo,* id, quod ego dico, & affirmo de Petro, eſt homo ipſe, qui realiter eſt in Petro, & eſt prædicatum *Quod* ſiue materia, quæ prædicatur: At illa vox *homo* eſt inſtrumentum *quo* dico Petrum eſſe hominem; eſtque prædicatum *quo,* id eſt ratio, qua prædico hominem. In quo ſenſu aiunt Nominales vnam vocem prædicari de alia, non vt *quod*, quia id eſſet falſum, quia *Petrus eſt homo* eſſet falſum, ſi ſignificaret vocem *Petrus* eſſe vocem *homo*, ſed prædicatur vt *quo.* Id eſt in ratione ſigni accepti pro re ſignificata. Perinde enim eſt vocem *homo* prædicari *quo* de voce *Petrus*, ac dicere vocem *homo* eſſe ſignum eiuſdem rei cuius ſignum eſt vox *Petrus.* Ratio eſt, quia ſignum ſumitur pro re ſignificata, & ſic vicem gerit non ſui, ſed rei à ſe ſignificatæ, v. g. videt quis effigies duas Pompeij, & dicit *hic eſt Pompeius*, & idem Pompeius, ſiue idem homo eſt hic ac ille, non quod illæ effigies ſint eadem, aut ſint Pompeius, ſed quia ſumuntur pro prototypo, cuius ſunt effigies. Si autem videat ſtatuam Cæſaris, & eam conferat cum ſtatua Pompeij, dicit, hic non eſt Pompeius: id eſt non repræſentat Pompeium. Hunc eſſe Nominalium ſenſum alibi oſtendam ex Okamo: in quo loquuntur omnes dialectici cum de propoſitionibus præcepta tradunt, illum autem in Nominales perperam calumniantur.

§.4. Collige ex §.1. parum referre, ſubiectum, aut vnionem eſſe primam vocem propoſitionis, vel ſecundam, non enim eſt ſubiectum, quia eſt prima; aut vnio, quia eſt in medio: ſed ſubiectum eſt, quia de eo aliquid dicitur: Vnio autem, quia coniungit, & dicit eſſe idem prædicatum cum ſubiecto: nam in hac propoſitione *Petrus eſt albus* idem eſt ſubiectum, prædicatum, & vnio, ac in hac *eſt Petrus albus* aut *albus Petrus eſt.*

SECTIO II.

Terminum definio.

Terminus ſignificatum habet ſine termino, ſignificat enim limitem, vltimum, & extremum cuiuſque rei, extra quem nihil eſt eiuſdem rei, intra quem clauditur tota res, vt *Cades, & Irum* dicuntur Hiſpaniæ termini, quia inter illas tota interiicitur Hiſpania. Logici terminum vſurpant pro dictione quacumque, voce, vel ſcripto, quibus vtimur in propoſitionibus. Sic dicuntur eſſe nonnullæ propoſitiones per ſe notæ, quibus neceſſario aſſentimur ex ſola terminorum explicatione, id eſt, ex notitia vocum: item homines hallucinantes, quos argumento deludimus, dicuntur neſcire terminos, immo noſtri Hiſpani homines aulicos, & vrbanos, qui rem aliquam dicunt eleganter, vocant homines vtentes bono termino, *Dizelo con buenos terminos.* §.5.

Soto, 1. part. Summularum, cap.5. Lect. vnica, notab. 1. docet ex Boëtio, quamcumque partem categoricæ propoſitionis eſſe terminum: cui ſubſcripſit Villalpandus, lib.1. Summularum, cap.1. alij terminum ſumunt pro ſolo prædicato, & ſubiecto: moti Ariſtotele id adſtruente. Quæſtio tamen non tam de re quàm de voce. Conſtat enim tam vnionem, quàm prædicatum, & ſubiectum eſſe partes enuntiationis. Vtra vero ſit dicenda terminus, vtra non? parum refert. Sotus accedit Grammaticæ ſignificationi: cæteri Ariſtotelicæ, & Philoſophicæ, nam vnio vniuerſim dicitur extremorum coniunctio, extrema autem ſunt termini rei, cuius ſunt extrema: immo eo præciſè quod eſt vnio, eſt medium, quo nectuntur extrema: medium enim dicit ordinem ad extrema. In hac ſignificatione terminum capio cum Patribus Conimbricenſibus, lib.1. Prior. cap.1. quæſt.7. art.3. quia terminus eſt à terminando, vt indiuiſibilia terminare dicuntur quantitatem, cuius ſunt extrema. Confirmatur: tota propoſitio non eſt terminus apud Dialecticos, & tamen in ſignificatione Sotica eſſet terminus, quia tota eſt dictio ſignificatiua, & à Grammaticis vocatur dictio: ergo terminus apud Dialecticos non ſonat *dictionem.* §.6.

Terminum definiunt aliqui. *Vox ſignificatiua ad placitum, ex qua ſimplex conficitur propoſitio:* ſed haud bene, tum quia non conuenit omni definito, quia ſunt propoſitiones ſimplices mentales, & ſcriptæ, quæ habent terminos, qui non ſunt voces: ergo non conuenit omni definito. Dices per ſimilitudinem illi conuenire. Contra, quia tota vna ſpecies non habet omnimodam ſimilitudinem cum alia, quia ſingulæ habent oppoſitas differentias: male autem res vniuerſim captæ definiuntur per vnam ſpeciem. Si enim diceres. *Animal eſt viuens, ſenſibile, rationale,* inepte id diceres: quia genus diffinires per ſpeciem ſub illo contentam, quod eſt vitium: quia diffinitio debet conuenire omnibus inferioribus contentis ſub re definita: vt diffinitio animalis debet conuenire homini & leoni: ſed hæc definitio termini eſt communis, & non conuenit omni termino contento ſub termino in commune: ergo eſt mala. Tum impugnatur, quia multæ propoſitiones conſtant aliquo termino non ſignificatiuo ad placitum, ergo eſt mala. Probo antecedens, quia hæc eſt propoſitio, *blytiri non eſt vox ſignificatiua ad placitum,* & tamen ly *blytiri* eſt terminus, & non ſignificat ad placitum, ergo. §.7.

Dices *blytiri* ſupponi ibi materialiter. Contra, propoſitiones fiunt ex terminis ſupponentibus §.8.

 mate

materialiter pro ſe ipſis, vt hæc, *nomen eſt vox neutrius generis: nomen* ſupponit pro ſe, ergo etiam *blytiri* ſupponens pro ſe componit propoſitionem. Cætera vitia eius definitionis mox impugnabo, cum impugnabo Soticam. Dices ſecundo vocem *blytiri* ſupponi pro termino mentali illi reſpondente. Bene, ergo propterea componit propoſitionem vocalem, quia ſubrogatur pro mentali (vt patebit diſp.2. ſectione 1.) ergo vt aliquod ſignum ſit terminus propoſitionis, non eſt opus vt ſignificet ad placitum, ſed ſufficit ſi poſſit ſupponi pro termino mentali: quod quidem commune eſt voci ſignificatiuæ ad placitum cum non ſignificatiua.

§. 9. Sotus 1.part.cap.5. lect.vnica, notab.2. ſic definit terminum: *ſignum propoſitionis categoricæ conſtitutiuum.* Aduerte propoſitionem categoricam eſſe ſimplicem, vt *Petrus eſt albus:* alias autem eſſe propoſitiones compoſitas ex vna integra propoſitione, & aliis terminis, & vnione, quas vulgo vocant *hypotheticas:* vt *Petrus eſt albus eſt propoſitio:* vbi ly *Petrus eſt albus* eſt ſubiectum: *propoſitio* eſt prædicatum: ſecundum, *eſt* eſt vnio. His poſitis impugno primò Sotum; quia eius diffinitio eſt curta: non enim conuenit partibus propoſitionis hypotheticæ, quæ verè ſunt termini, ergo. Non cõuenire probo, quia ait Sotus *eſſe conſtitutiuum propoſitionis categoricæ*; ſed hoc non eſt conſtitutiuum hypotheticæ, quia, cum ſint propoſitiones diſtinctæ, habent diſtincta conſtitutiua. ergo non conuenit conſtitutiuo hypotheticæ propoſitionis.

§. 10. Hoc autem eſſe vitium probo: quia partes propoſitionis hypotheticæ conueniunt vniuocè in ratione conſtituendi propoſitionem cum partibus categoricæ, ergo debuerunt eadem definitione communi contineri. Probo antecedens, quia propoſitio hypothetica, & categorica conueniunt vniuocè in ratione propoſitionis, ergo & earum partes conueniunt vniuocè in ratione partis propoſitionis vt ſic. Conſequentia patet: quia compoſita non poſſunt conuenire, niſi eorum partes conueniant: antecedens probo, tum quia vtraque eſt affirmatiua, aut negatiua, & vtraque eſt verum, vel falſum ſignificans: tum quia propoſitiones mentales altera hypothetica, & altera categorica conueniunt vniuocè in ratione iudicij, ſimiliter & propoſitiones vocales inter ſe, ſimiliter & ſcriptæ inter ſe.

§. 11. Secundò argumentor, quia in hypothetica reperitur ſubiectum, prædicatum & vnio: ergo hæc debuerunt comprehendi communi definitione ſubiecti, prædicati, & vnionis. Probo conſequentiam, quia omnia, quæ conueniunt in vna ratione communi participant eius definitionem, vt homo & leo definitionem animalis, quia conueniunt in ratione communi animalis. Deinde explanare oportet proprias cuiuſque ſpeciei differentias.

§. 12. Dices primò ex Soto ſupra, propoſitionem nuſquam ab antiquis appellari terminum. Dices ſecundò ſubiectum propoſitionis hypotheticæ eſſe integram vnam propoſitionem, ergo non eſt terminus: probo conſequentiam, quia terminus eſt pars propoſitionis, propoſitio autem eſt totum, totum autem diſtinguitur à parte, ergo & terminus diſtinguitur à propoſitione: alioquin terminos confundemus. Non vrgent. Ad primum reſpondeo ab Ariſtotele 1. Priorum, diffiniri terminum eſſe ſubiectum, & prædicatum, vnde cum tota vna propoſitio ſit ſubiectum in alia, erit illius terminus iuxta Ariſtotelem, ſicque definitur terminus in communi, abſtrahendo ab hypothetica & categorica à Toleto lib.1.c.10. & Villalpando lib.1.cap.1.

Ad ſecundum nego conſequentiam: ad probationem diſtinguo maiorem: terminus eſt pars propoſitionis, cuius eſt terminus, & ab illa diſtinguitur, concedo maiorem; terminus eſt pars propoſitionis, cuius non eſt terminus, & ab ea diſtinguitur, nego maiorem. Similiter diſtinguo minorem: pars diſtinguitur à toto, cuius eſt pars, concedo minorem: diſtinguitur à toto, cuius non eſt pars, ſed potius totum eſt, & ordinatur vt pars ad aliud totum, nego minorem. §. 13.

Explico: hæc propoſitio *Petrus eſt albus* eſt quoddam totum & diſtinguitur à ſingulis ſuis partibus, quæ reſpectu ſui non eſt pars ſui, nec eſt terminus nec ſubiectum: at tota illa propoſitio eſt pars, & ſubiectum huius propoſitionis hypotheticæ. *Petrus eſt albus eſt propoſitio:* ecce tota vna propoſitio eſt pars alterius, & ſubiectum illius. Vnde conſtat terminum diſtingui ſemper à tota propoſitione, cuius eſt terminus, & illam propoſitionem non eſſe terminum ſui: quod non eſt confundere, ſed illuſtrare naturam termini. ratio huius eſt, quia intellectus eſt reflexiuus, & de tota vna propoſitione poteſt aliquid affirmare, & illam facere ſubiectum in alia. Vnde euidenter argumentum retorqueo contra Sotum. Vna propoſitio categorica eſt pars & ſubiectum conſtitutiuum hypotheticæ, ſicut *homo* eſt ſubiectum, & pars conſtitutiua categoricæ, & de tota categorica aliquid dicitur in hypothetica, ſicut in categorica aliquid dicitur de homine, ergo conueniunt in ratione termini. Deinde hæc definitio Soti conuenit vnioni, quam §.6. dixi non eſſe terminum logicum. §. 14.

Villalpandus lib. & cap. 1. terminum ait eſſe *ſignum ponibile in propoſitione,* quæ definitio quadrat in terminum propoſitionis etiam hypotheticæ: ſed duobus vitiis inficitur. Primo, quia conuenit vnioni, quam §.6. oſtendi non eſſe terminum. Deinde conuenit multis rebus, quæ nec ſunt termini, nec partes propoſitionis, v. g. *Ego, & Petrus amamus Deum*; *Deus* ponitur in hac propoſitione vt ſignũ, & non eſt terminus, quia nec eſt ſubiectum, quia de eo nihil prædicatur; nec eſt prædicatum, quia hoc debet eſſe idem cum ſubiecto; nec eſt vnio, vt patet, ergo non eſt pars propoſitionis; at terminus debet eſſe propoſitionis pars, vt ex omnibus conſtat, ergo. Probo minorem: quia omnis terminus eſt extremum alicuius rei, vel ſaltem in illa includitur. §. 15.

Secundum vitium eſt, eam non conuenire omni termino, quia non conuenit termino non ſignificatiuo ad placitum, ex quo fieri propoſitiones oſtendi §.7. ergo. Probo antecedens, quia vox non ſignificatiua non eſt ſignum, quia de eſſentia ſigni eſt ſignificatio. Dices, eam eſſe ſignificatiuam naturaliter. Contra, iſta ſignificatio eſt communis omnibus effectibus, qui ſignificant ſuas cauſas: nec ratione illius ſignificatus ponitur in propoſitione: ab hoc ſecundo defectu non difficile liberabitur hæc definitio per hoc reſponſum. §. 16.

Eſt ergo terminus *extremum propoſitionis,* ſcilicet ſubiectum, vel prædicatum, ita Toletus lib.1.c.10. Fonſeca lib.1.cap.8. & lib.6.cap.9. & Ariſtoteles 1. priorum, vt apertè fatentur etiam aduerſarij, *extremum* eſt genus, quo conueniunt ſubiectum, & prædicatum cum punctis, & indiuiſibilibus terminatiuis, quæ ſunt extrema lineæ, aut corporis, & cum quocumque extremo aliarum rerum. *Propoſitionis* eſt differentia ab iiſdem: quia puncta, non ſunt extrema propoſitionis. §. 17.

Dices propoſitionem vocalem, & ſcriptam eſſe quantitatiuam, cuius extrema ſunt puncta; ergo. Reſpondeo puncta eſſe extrema motuum, quibus §. 18.
ſit

ſit propoſitio, non tamen vt eſt formaliter ſignum, aut propoſitio, quia puncta non conſtituuntur ad ſignificandum. Itaque ſumitur propoſitio formaliter in ratione propoſitionis, non materialiter, ſiue pro materia, quæ ſumitur ad propoſitionem, & ſicut ad cognoſcendam propoſitionem formaliter non eſt opus formare conceptum de quantitate, quid ſit, & qualis: ita nec ad formandum conceptum de terminis propoſitionis formaliter eſt opus meminiſſe punctorum: ſed tantum ſubiecti, & prædicati.

§.19. Rectè in definitione poni *extremum* patet, quia omnis terminus eſt id, intra quod continetur tota res, & inter quem, & alium ponitur medium talis rei; ſed inter ſubiectum & prædicatum continetur tota propoſitio, & eſt medium propoſitionis, quia vnio eſt medium, quo extrema fiunt vnum, ergo rectè ponitur *extremum*, qua voce ſubiectum, & prædicatum diſparantur ab vnione; quæ non tam eſt extremum, quàm medium extremorum. Item ly *propoſitionis* complectitur omnes propoſitiones categoricas, hypotheticas, mentales, vocales, & ſcriptas.

§.20. Quando dicitur *extremum*, nō intelligitur actualiter exiſtere, vel eius carentia; vt cum dicitur *homo eſt animal*, non intelligitur actualiter exiſtere animal, nec carere exiſtentia; ſed de conceptu hominis ſecundùm ſe eſſe animal, ſic de conceptu termini eſt eſſe extremum: ſi eſt terminus actualiter exiſtens, eſt etiam extremum actualiter exiſtens; ſi eſt terminus in potentia, eſt etiam extremum in potentia; at verò terminus abſtrahit ab actuali, & potentiali; ſicut abſtrahit homo, ſic etiam abſtrahit extremum, & animal.

SECTIO III.

De termino vocali, ſcripto, & mentali.

§.21. Explicata ratione termini in communi, eam oportet diuidere, vt terminos in ſpecie calleamus, ac primum terminus vt ſic diuiditur in mentalem, vocalem, & ſcriptum. Terminus mentalis, eſt *extremum propoſitionis mentalis*: ideſt, quæ in mente, & intellectu formatur. Sotus 1. parte, introductionis, cap. 6. lectione 1. notabili 2. ait terminum mentalem extendi ad notitias ſenſitiuas etiam brutorum: ſed non bene; tum quia mens longè abeſt à brutis; tum quia præter intellectum nulla potentia cognoſcitiua propoſitiones efformat; ergo neque habet terminos, ex quibus componitur propoſitio. licet enim cognitio belluina ſit formale ſignum obiecti, eſt tamen propoſitionibus ineptum, ſicut lapis. Terminus ſcriptus eſt *extremum propoſitionis ſcriptæ*: terminus autem vocalis eſt *extremum propoſitionis vocalis*: ſic enim poſſunt termini diuidi pro varietate propoſitionum, quas conſtituunt, vnde reiicio Toleti definitionem termini vocalis ſignificatiui, lib. 1. cap. 11. *Terminus*, inquit, *vocalis ſignificatiuus eſt vox ſignificatiua ad placitum, ex qua ſimplex conficitur propoſitio.* nam vnio eſt vox ſignificatiua ad placitum, ex qua ſimplex efficitur propoſitio, quam §.6. & 19. oſtendi non eſſe terminum. Item non conuenit terminis propoſitionis vocalis hypotheticæ, de quibus egi, §.9. 10. & 11.

§.22. Obſerua primò, terminos, & propoſitiones formaliter, & propriè eſſe in ſolo intellectu, in voce autem, & ſcripto non reperiri propriè, ſed impropriè, analogicè, & per extrinſecam denominationem, nam propoſitio eſt *indicium aliquid affirmans, vel negans*, ſiue eſt *indicium verè, vel falsò ſignificans*: affirmare autem, vel negare; verè vel falsò loqui, ſi propriè ſumantur, in ſola mente reperiuntur, cuius ſignum eſt, has voces, quæ modo affirmant, potuiſſe pro ſolo hominum libito eſſe negatiuas: nam hæc oratio, *Petrus eſt homo*, potuit ſignificare Petrum non eſſe hominem; ſi autem duo conueniant in accipiendis vocibus in contraria ſignificatione, qua eis communiter vtimur, eædem omnino voces ſignificant illis affirmatiuè, cæteris verò negatiuè; ergo voces in ſe non habent affirmare potius, quàm negare, quia tam affirmatio, quàm negatio potuit illis adimi. ergo ſunt propoſitiones per ſolam extrinſecam denominationem.

Ratio à priori, quia voces, & ſcriptura ſunt ſigna rerum, vt mente apprehenduntur, quibus ſignificamus tam res, quas cōcipimus, quàm actus, quibus eas concipimus: & præcisè ſunt propoſitiones, quatenus ſunt ſigna, & loquutio inſtrumentalis noſtrorum conceptuum, & per illos loquimur præcisè, quia per illas vt per inſtrumenta facimus alios venire in cognitionem rerum: hæc autem omnia ſunt ad libitum noſtrum: ergo ex ſola noſtra voluntate ſunt propoſitiones. Immo non magis ſunt propoſitiones, quàm homo pictus eſt homo, qui eſt homo per extrinſecam denominationem veri hominis, quem refert: ſic voces ſunt propoſitiones ſignificatiuæ tantum, quia ſunt ſigna propoſitionum mentalium; immo magis eſt homo, homo pictus, quàm propoſitio vocalis eſt propoſitio: quia hæc pro ſolo hominum libito repræſentat propoſitiones, homo autem pictus hominem repræſentat, qui non poteſt ſignificare equum, nec in repræſentando pendet ab hominum libito. §.23.

Hinc obſerua ſecundò; iſtam diuiſionem termini ſic ſumptam eſſe impropriam. Nam ratio diuiſa debet eſſe communis ſaltem per analogiam intrinſecam; vt ens eſt commune ſubſtantiæ & accidenti: ſed terminus vt ſic non eſt communis nec per analogiam intrinſecam mentali & vocali: ergo non poteſt in illos diuidi. Maior eſt certiſſima, quia partes diuidentes continentur ſub diuiſo, illúdque intrinſecè participant, alioquin in illo non conuenimunt. Minor probatur, quia propoſitio vt ſic non reperitur propriè in vocali, aut ſcripta vt probaui §.22. ergo nec terminus. Conſequentia patet: quia terminus proprius propoſitionis non reperitur niſi in propoſitione propria. §.24.

Confirmatur, homo non bene diuiditur in pictum, & verum: quia non conueniunt in ratione hominis: ergo nec terminus in vocalem, ſcriptum, & mentalem: ſed terminus debet diuidi per varios terminos mentales: at craſſa Minerua, ſic diuiditur terminus claritatis ergo propter tyrones: deinde vt præcepta tradantur per terminos vocales, & ſcriptos, quia quod de illis dicitur, per attributionem quadrat in mentales, quorum loco ſubrogantur, vt ſignum poni conſueuit pro re ſignificata, & quia voces, & ſcripturæ ſunt ſigna terminorum mentalium, ea ratione terminus per illas diuiditur. §.25.

Tertiò obſerua, potuiſſe etiam diuidi terminum per varia genera ſignorum, quibus loquimur, vt enim loquimur ſcripto, & voce: ſic etiam nutu, geſtu, aliiſque motibus qui tam ſunt propoſitiones, quàm ſcriptæ, & vocales: ſed quia hæ ſunt perfectiora ſigna, vſitatiora, & doctrinæ magis conſentanea, de illis oportet, & non de aliis diſputari, & præcepta de vno conueniunt cæteris. §.26.

SECTIO IV.

De terminis ſignificatiuis, & non ſignificatiuis.

§.27. OMni termino conuenit ſignificare, aliquibus autem, & non ſignificare, quod qua ratione contingat explano.

§.28. Signum eſt, *quod aliquid repræſentat potentiæ cognoſcenti*, id eſt, quod facit, vt aliquid cognoſcatur, nam repræſentare potentiæ, facere præſens, & facere, vt potentia cognoſcat, ſunt ſynonyma.

§.29. Aliud ſignum eſt formale, aliud inſtrumentale: formale eſt id, *quo ſolo, & ſine alio potentia redditur cognoſcens:* Siue, eſt ratio formalis cognoſcendi, ſicut albedo eſt ratio albi. Hoc ſignum eſt cognitio, quæ eſt formalis repræſentatio obiecti, ſignum expreſſum, ſiue ſpecies expreſſa illius, vnde per illam nobis repræſentatur obiectum, quin ſit neceſſarium aliud ſignum, quod eſt eſſe ſignum formale: id eſt, per ſuam ſolam entitatem reddit potentiam cognoſcentem: vnde patet omnes terminos mentales eſſe ſignificatiuos, quia omnes ſunt ſpecies expreſſa, & imago ſui obiecti, per quam eſt præſens potentiæ cognoſcenti.

§.30. Signum inſtrumentale eſt, *Inſtrumentum mouens potentiam cognoſcentem ad cognitionem obiecti,* inſtrumentum enim eſt principium actiuum, per quod aliquid efficitur: at omnia ſigna inſtrumentalia efficiunt cognitionem de rebus, quas ſignificant: ergo ſunt inſtrumentum mouens potentiam cognoſcentem. Quod differt à formali, quod hic ſe ſolo, nihil à ſe diſtinctum faciendo, ſuum repræſentat obiectum: illud autem non ſe ſolo repræſentat, ſed faciendo aliquid à ſe diſtinctum, nempe cognitionem, quæ eſt ſignum formale.

§.31. Signum inſtrumentale eſt duplex: alterum quod ſine cognitione ſui facit nos venire in cognitionem alius rei, vt ſpecies impreſſa, quam color eiaculatur in oculos, & per illos in intellectum, eſt inſtrumentum faciens oculos, & intellectum venire in cognitionem albedinis, & tamen neceſſe non eſt cognoſci ſpeciem impreſſam, quæ vocatur *virtualis repræſentatio obiecti*, quia ipſa per ſe illud non repræſentat, quia id ſoli conuenit cognitioni, ſed quia eſt virtus in ſua actiuitate, & potentia actiua continens repræſentationem formalem: hoc ſignum pertinet ad animaſticum non ad logicum.

§.32. Signum alterum inſtrumentale eſt, *Quod per cognitionem ſui mouet intellectum ad cognitionem rei ſignificatæ per illud.* In omnibus conuenit cum altero inſtrumentali, niſi quod hoc eget præuia cognitione ſui ad excitandam cognitionem obiecti, ſecus illud. Huius exemplum ſit fumus ignem repræſentans, priùs tamen cognitus.

§.33. Obiicis, hanc definitionem conuenire aliis à definito: cauſa enim priùs cognita ducit in cognitionem ſui effectus, & tamen cauſa non eſt ſignum ſui affectus, ergo. Nego, hoc vitium in definitione committi. Dicitur enim *ducit in cognitionem rei ſignificatæ per illud*, cauſa verò licet prius cognita ducat in cognitionem ſui effectus, tamen effectus non ſignificatur per cauſam. Nam eſſe ſignum, ſeu imaginem rei, dicit talem rem ex natura ſua, ſeu ex hominum libito imponi ad aliud repræſentandum: cauſa autem non eſt ex natura ſua ad repræſentandum effectum. Nam Cæſar non repræſentat ſuam imaginem, licet ex cognitione Cæſaris veniamus in cognitionem de imagine illius: at imago Cæſaris Cæſarem repræſentat, quia facta eſt ad eum repræſentandum. Sic ego ſum imago mei parentis, & ille non eſt imago mei, quia ego factus ſum ad ſimilitudinem illius. ita creaturæ dicuntur imagines Dei: Deus autem creaturarum imago nequaquam. Imo Filius Dei dicitur imago Patris, quia productus eſt ad exprimendum Patrem, Pater autem æternus non dicitur imago Filij, ſic demonſtrationes per effecta vocantur *demonſtrationes à ſigno.*

Signum, quod per cognitionem ſui facit nos venire in cognitionem rei per illud ſignificatæ; aliud eſt purè intellectuale, quia per ſolum intellectum percipitur: aliud eſt ſenſibile, quia ſenſu externo percipitur. Quod egregiè definitum eſt à Beato Auguſtino: *Signum eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit nos in alterius rei cognitionem venire.* Ly *ſpeciem* ſumi poteſt vel pro ſpecie impreſſa, quam obiectum ſenſibile traiicit in ſenſus: vel melius pro ſenſione ipſa, quã rectè Auguſtinus vocat *ſpeciem*, quia cum ſit cognitio in ſenſu producta, eſt ſpecies expreſſa, & formalis imago obiecti. Præter hanc cognitionem, aliam cauſat ſignum, nempe cognitionem de re ſignificata, fumus exempli gratia, aut veſtigium animalis, mouet ſenſum ad cognitionem ſui. Ex qua ſenſione excitatur intellectus, & cognoſcit fumum, & veſtigium: quibus cognitis mouetur per fumi cognitionem ad cognitionem ignis, & per cognitionem veſtigij ad cognitionem animalis; itaque duę cognitiones oriuntur ex hoc ſigno, altera circa ſignum ipſum, altera circa ſignatum. §.34.

Hoc ſignum bipartimur in ſignificatiuum ad placitum, & ſignificatiuum purè naturaliter, & non ad placitum. Significatiuum purè naturaliter non ducit in cognitionem alterius rei, niſi ſuarum cauſarum idque ex natura ſua vbique terrarum, & gentium. Sic omnis vox, & ſcriptura, eſt ſignum naturale ſcribentis, & vocem emittentis. De his ſignis parum curat logicus, quia ex illis raro conficiuntur propoſitiones, demonſtrationes autem rariſſimè, imo non eſt opus vt de illis agat, ſed de his qui vices gerunt mentalium propoſitionum, & ex iſtis, non ſignificatiui ſignificant naturaliter propoſitiones mentales verſantes circa illos quarum vires ipſi gerunt: vt in hac *blytiri non ſignificat ad placitum*, ly *blytiri* ſupponitur pro conceptu mentis terminato ad vocem ipſam *blytiri*. §.35.

Signum ſignificatiuum ad placitum eſt: *Quod præter cognitionem ſui facit nos venire in cognitionem alius rei ex hominum inſtituto.* Exempli gratia, hæc vox *equus* cauſat tres cognitiones: duas ex natura ſui in quocumque intellectu ſiue in Græcia, ſiue in Latio, tertiam verò ſolum ex voluntate, & inſtitutione Latinorum in intellectu ſciente Latinum. Naturales ſunt cognitio de ipſa voce, & cognitio de homine eam proferente. Tertia verò eſt cognitio de *equo* per illam ſignificato apud Latinos: de his ſignis tam ſcriptis, quam vocalibus diſputat Summuliſta: non quod ad eum pertinet, quod inſtrumentis vox efformetur, vt agit Petrus Hiſpanus, ſed vt iam accipitur loco propoſitionis internæ, alioqui etiam Summuliſta eſſet Magiſter ludi, ac doceret, quo calamo eſſet ſcribendum: qua igitur ratione libuerit, ſcribe, aut loquere.

Summuliſta tantum vult vſurpare ſigna externa loco actuum intellectus, quibus percipiuntur res eiuſmodi.

SECTIO

SECTIO V.

Diuiſiones termini mentalis.

§.37. TErminus mentalis primò diuiditur in vltimatum, & non vltimatum. Vltimatus eſt, qui pertingit rationem vltimam obiecti. Dupliciter vltimatè obiectum poteſt attingi. Primò cognitione clara, & quidditatiua, penetrando propriam, & ſingularem differentiam obiecti, vt cum quis concipit Petrum, ſecundum quod Petrus eſt. Nam rationes communes non ſunt vltimæ, ſed quia communes ſunt poſteriores conſideratione noſtra, vocantur *vltimæ.* in quo ſenſu cognitio de homine in communi eſt non vltimata, quia non attingit vltimas hominis differentias, qui ſunt Petrus, & Paulus. Hic ſenſus eſt valde metaphyſicus, alienus à Summuliſta. Secundò eſt terminus vltimatus comparatus ſigno, quo mouetur intellectus; nam quando aliquis audit clangorem tubæ, & illum cognoſcit, ſimúlque penetrat tunc receptui, aut pugnæ cani, format conceptum vltimatum ſigni, quia per illud concipit rem ſignificatam per illud.

§.38. Non vltimatus opponitur vltimato: primò, quando non attingitur vltima rei differentia: ſecundò, & proprius noſtro muneri, quando concepto ſigno non ſcitur quid illud ſignificet, v.g. tyro ignarus bellicorum ſignorum audit tympanum; nec ſcit cui canatur, non format vltimatum conceptum ſigni, quia non peruenit ad vltimum, & finem ſigni, quæ eſt res ſignificata. Cuius ſignum eſt eiuſmodi homines eſſe inquietos, & rogitare, donec doceantur rem ſignificatam per ſignum.

§.39. Aduerte, poſſe quem formare vltimatum conceptum de ſigno ſecundum ſe, & non vltimatum de re ſignificata, vt cum Græcus audit Latinum, ſcit illud eſſe ſonum ſignificatiuum ad placitum, & penetrat quidditatem, aſperitatem, aut lenitatem vocis: at neſcit quid ſignificet: item poteſt rem ſignificatam vltimatè ſcire, vt ſi Latinum illud ſignificet vrbem in qua natus eſt Græcus, hic bene rem, & ſignum nouit, ſed id eſt ea ſcire materialiter, id eſt, ſcit bene materias illas: non verò formaliter in ratione ſigni, & ſignati. Vnde rectè quis poteſt ignorare naturam phyſicam ſigni, & rei ſignatæ, & formare conceptum vltimatũ de illis in ratione ſigni, & ſignati, vt vox *equus* non cognoſcitur à mulione ſit-ne qualitas? an actio? nec vtrum equus ſit ſpecies iumenti, & tamen ſcit ea voce equum ſignificari. Quod eſt vltimatè cognoſcere ſignum in ratione ſigni, quia cognoſcitur rem illam, quidquid illa ſit, ſignificari ea voce, ſiue ſit actio ſiue qualitas; & qui hoc non cognoſcit, non formac conceptum vltimatum rei, quantumuis & ſignum, & rem perfectè cognoſcat.

§. 40. Secundò diuide terminum mentalem in reflexum, & directum. Directus eſt, *qui terminatur ad rem diſtinctam ab actu eiuſdem potentiæ*, vt actus *lapis, leo.* id eſt, qui repræſentat lapidem, & leonem; ſic vocatur, quia quaſi via recta tendit potentia per illum in obiectum. Reflexus eſt, *cognitio de aliqua cognitione eiuſdem potentiæ:* v. g. ego cognoſco lapidem, hæc prima cognitio eſt directa. Deinde per aliam cognitionem cognoſco me cognouiſſe lapidem, & diſquiro, vtrum deceptus fuerim in cognitione lapidis nec ne? hæc ſecunda cognitio vocatur *reflexa:* quia per illam, potentia ſe flectit, reflectit, ac reuertitur ſupra ſe.

§. 41. Rogas, vtrùm cognitio, qua intellectus ſe cognoſcit, ſit reflexa? Reſpondeo non eſſe: quia hæc vox tantum imponitur ad ſignificandam cognitionem de alia cognitione eiuſdem potentiæ, non verò ad cognitionem de potentia ipſa cognoſcente. Vocibus autem vtimur vt nummis ad reipublicæ libitum. Secundò, quia nullus dicit viſum eſſe reflexiuum ſui, at ſe in ſpeculo videt: ergo cognoſcere potentiam non eſt reflexio. Inde omnes cognitiones de aliis rebus diſtinctis à cognitione eiuſdem potentiæ ſunt directæ. Intellectus, & voluntas tantum ſunt reflexiuæ, in quibus reflexionibus abire poſſunt ſine fine.

Dices primò, ſcripturas, & voces etiam eſſe reflexas. Reſpondeo eam reflexionem illis non conuenire propriè, ſed per denominationẽ à reflexione intellectus, & voluntatis, vtentium ſignis pro libito, & vna voce prolata poſſunt proferre ſecundam ad ſignificandum priorem. Sicut intellectus, & voluntas per actus ſecundos poſſunt amare priores, & ſicut cognitio repræſentans cognitionem in communi, repræſentat confusè ſe ipſam: ita hæc vox, *vox humana*, ſe ipſam ſignificat confusè, ſicut & cæteras voces: quia intellectus ea vtitur ad ſignificandas omnes. § 42.

Obiicis ſecundò, imaginationem eſſe reflexiuam, ſæpe enim meminimus nos habuiſſe inſomnia. Reſpondeo nos poſſe imaginatione meminiſſe res, quæ per ſomnum in imaginationem incidere, quia memoria conuenit potentiæ materiali: reflexa autem memoria ſupra actus ſomniandi, ſoli conuenit intellectui, in quo relinquitur ſpecies non ſolum de obiecto, ſed de ipſo actu ſomniandi. Aduerte voces non eſſe reflexas eo precisè, quod ſignificant actus intellectus vt *cognitio, ſpecies, genus, diſcurſus, &c.* Sed opus eſt ſignificent actus intellectus terminatos ad alios eiuſdem intellectus. §. 43.

SECTIO VI.

De termino vniuerſali, particulari, confuſo, & determinato, ſuperiori, & inferiori.

CArd Tolet. lib. 1. cap. 12. terminum communem ſeu vniuerſalem ait eſſe: *Cuius ſignificatio non prohibet illum à multis participari vniuocè.* Non placet: quia *ens, ſanum*, & omnia analoga, & æquiuoca ſunt nomina communia, vt patebit infra ex eorũdem definitione. & non participantur vniuocè à ſuis inferioribus. ergo curta eſt illa definitio. §. 44.

Dices ibi definiri nomen commune vniuerſale, vniuerſalia autem ſunt vniuoca. Contra, nomen commune latius eſt, quàm vniuerſale in iſta tua ſignificatione: quia commune eſt genus ad ęquiuoca, analoga, & vniuoca: ergo non bene diffinitur nomen commune per definitionẽ nominis vniuerſalis propriè ſumpti; ſicut non bene definitur animal, hominis definitione. Eſt ergo nomen commune, ſiue vniuerſale, *quod ſignificat plura, ſiue pluribus eſt communis tota eius ſignificatio, & de illis omnibus prædicabilis:* hæc definitio eſt propriè termini Logicè vniuerſalis. Exempli gratia, *homo, leo*, non ſolum conueniunt Petro, & huic leoni, ſed ſingulis hominibus, & leonibus, & earum ſignificatus eſt de illis prædicabilis, nam tota ſignificatio illarum reperitur in quouis homine, & leone. §. 45.

Hinc colliges. Petrum, & Pompelonam non eſſe terminos communes, quia nulli ex illis ſeorſim conuenit tota ſignificatio rei; nec de illis ſeorſim ſumptis eſt prædicabilis, ſed de omnibus illis vnitis, aut collectim ſumptis. Nam anima Petri non §. 46.

eſt Petrus, nec item corpus Petri eſt Petrus: Platea Caſtri eſt Pompelona, nec militum ſtationes ſunt Pompelona, quod Summuliſtæ dicunt, *conuenire pluribus diuiſiuè.*

§.47. Rogas primò vtrum hæc vox *Petrus, vel Paulus,* ſit communis? Eſt, quia tota eius ſignificatio conuenit pluribus, & de illis eſt prædicabilis, nam de Petro eſt verum, cum eſſe *Petrum, vel Paulum.* ſimiliter & de Paulo, quia disiunctiua, *vel,* denotat termini confuſionem, oſtendam autem, diſp.5.ſect.8. Logicæ hanc eſſe propoſitionem vniuerſalem. *Petrus eſt aliquis homo.*

§.48. Rogas ſecundò, vtrum hæc vox, *Petrus, & Paulus,* ſit vniuerſalis? Non: quia licet ſignificet plura, illa tamen ſignificat copulata, & quaſi vnum binarium effecta, vnde tota ſignificatio eius vocis non conuenit ſoli Petro, nec ſoli Paulo, nec de illis ſolis eſt prædicabilis, ſed de vtroque ſimul; ſicut *Pompelonæ* tota ſignificatio, nec conuenit ſoli ſtationi militari, aut ſoli plateæ Caſtri, ſed toti vrbi ſimul.

§.49. Rogas tertiò, vtrum hæc vox *omnis homo* ſit vniuerſalis? Nam videtur non eſſe, quia tota eius ſignificatio non conuenit ſingulis hominibus. Nullus enim eſt *omnis homo*, ſicut *Petrus*, & *Paulus*. Reſpondeo eſſe vniuerſalem vocem: quia ſignificatio vocis in ſe conſideratæ tota conuenit ſingulis hominibus. Item afficitur termino vniuerſali diſtributiuo *omnis*, qui conuenit omnibus hominibus diſtributiuè, huiuſmodi autem termini diſtributiui, vt *omnis*, non poſſunt præponi, niſi termino communi, qui per talem diſtributionē non amittit, ſed retinet totam ſuam vniuerſalitatem. Et propoſiones conſtantes illis diſtributionibus vocamus vniuerſales, vt *omnis homo currit*, quod conuenit omnibus hominibus collectiuè ſumptis: nam & Petrus currit, & Paulus currit, immo illa diſtributio eſt ſignum vniuerſalitatis, ratione cuius poteſt de omnibus prædicari; nam *omnis homo currit*, ſi eſt vera, debet de ſingulis hominibus prædicari propter ſignum illud diſtributiuum, quo differt ab hac voce *exercitus*, ſignificante plura, quibus non conuenit ſignificatio exercitus: ſicut ſignificatio hominis conuenit ſingulis contentis ſub illa voce. Quod verò non conueniat ſingulis eos eſſe omnem hominem, nihil refert, quia ad vniuerſalitatem vocis non requiritur, vt ſigna diſtributiua conueniant ſingulis inferioribus, ſed ſufficit ſi conueniat illis tota ſignificatio nominis diſtributi.

§.50. Rogas quartò, vtrum hæc vox *hic homo* ſit vniuerſalis: Reſpondeo vocem *homo* ibi eſſe vniuerſalem materialiter, id eſt, eſſe ex ſe communem pluribus, ſicut rationes vniuerſales reperiuntur quidem in inferioribus materialiter, & contractæ, ſiue reſtrictæ à ſua vniuerſalitate, vt homo componitur ex genere, & differentia: ſed genus in ea compoſitione non eſt abſtractum, ſed contractum à ſua vniuerſalitate ad vnam ſpeciem, tamen in ea vocatur genus: ita, *hoc animal,* continet vocem vniuerſalem contractam quidem. Simpliciter autem ſicut *animal rationale*, nō eſt genus, ita nec hæc vox *hic homo* eſt vniuerſalis, ſed tam particularis, quàm hæc *Petrus*: quia vtraque ſignificat rem ſingularem in ſingulari, nec eius ſignificationem totalem participant alia præter Petrum. Aduerte diſcrimen inter *hic homo*, & *omnis homo*, nam *homo* reſtringitur à ſua vniuerſalitate per hanc vocem *hic*, & efficitur ſingularis: at per terminum diſtributiuum, nec efficitur ſingularis, nec amittit ſuam vniuerſalitatem.

§.51. Rogas quintò an hæc vox *canis*, vt eſt æquiuoca ſit communis, & vniuerſalis? conſulto §.45. in definitione termini communis dixi eam eſſe propriam voci vniuerſali Logicè: quia Logica conſiderat vniuerſalia prædicabilia, Summuliſta verò conſiderat terminos ſignificantes illa prædicabilia. His poſitis, Reſpondeo diſtinctione, vox æquiuoca vt æquiuoca non eſt vniuerſalis, nec communis Logicè: quia vt æquiuoca non habet vnam ſignificationem prædicabilem de omnibus ſub ſe contentis, ſed habet plura ſignificata omnino diuerſa, & nullum de alio prædicabile, quod eſt contra Logicam vniuerſalitatem. *Canis* enim & ſignificat animal terreſte, & ſidus cœli, & piſcem, non vt conueniunt in ratione ſubſtantiæ, ſicut ſignificantur hac voce *corpus*, nec vt partes vnius compoſiti, ſicut *Pompelona* ſignificat Caſtrum, ſtationes, vicos, & plateas vt partes vnius vrbis, ſed ea ſignificat vt ſunt omnino diſſimilia.

At verò hæc vox *canis*, eſt vniuerſalis in latiori, & minus propria ſignificatione, qua ſignificamus rem vnam eſſe communem pluribus, id eſt, non conuenire vni ſoli ſimplici, ſicut *Deus*, nec compoſitæ per ſe, vt *Petrus*, nec compoſitæ per accidens vt *homo niger*, nec aggregatæ per accidens, vt *Pompelona*, quæ voces conueniunt vni rei ſingulari, & ſoli: ſed conuenire pluribus in quātum plura ſunt, vt ſol eſt vniuerſalis in cauſando: quia eſt cauſa plurium effectuum, ſic illa vox eſt vniuerſalis in repræſentando plura, vt plura: in quo conuenit cum voce *homo*. differt autem, quia totum ſignificatum hominis eſt prædicabile de pluribus, qui ſunt homo, quia conueniunt in ratione hominis, non verò totum ſignificatum per vocem *canis*: quia ſidus non eſt prædicabile de animali cane. §.52.

Aduerte vocem æquiuocā poſſe ſignificare plura, quorum neutrum ſit commune, ſed omnia ſingularia: vt *Rolanus* ſignificat canem eiuſdem nominis, & fabuloſum illum militem Gallum, vox autem communis Logicè ſignificat obiectum aliquod commune, & non ſingulare. Analoga verò, vt *ridens*, ſunt communia, & prædicabilia, nam homo eſt ridens, propriè; item pratum eſt ridens, non tamen propriè, ſed per tropum. §.53.

Terminus ſingularis eſt, *qui ſignificat vnam tātam rem in ſingulari* vt *Deus, Petrus.* res ſingularis poteſt eſſe ſimplex vt *Deus, angelus*; vel poteſt eſſe compoſita eſt diuerſis partibus, vt *homo, Pompelona, hic exercitus*, quæ compoſita, licet includunt plures res, tamen omnes illæ ſignificantur (vt barbarè aiunt) per modum vnius, id eſt, vt partes è quibus vnum ſingulare compoſitum coaleſcit, quo differt terminus ſingularis à communi: quia communis ſignificat plura, ſed non per modum partis vnius compoſiti, vt *homo* non ſignificat Petrum vt partem alicuius rei: at terminus ſingularis poteſt ſignificare plura, ſed tamen vt componunt vnum, quod compoſitum directè ſignificatur, vt includit omnes partes, quarum nulli conuenit tota ſignificatio: vt nullus homo eſt exercitus; neque equus eſt eſt exercitus. §.54.

Dices, *Petrus* eſt nomen ſingulare, ſed ſignificat multos Petros, quia *Petrus* de multis prædicatur, & habet numerum pluralem, ergo. Nego minorem, quia *Petrus* determinatè ſignificat hunc hominem, cui repugnat eſſe plures. Nec res ſignificata per *Petrum* eſt prædicabilis de multis; vox tamen ipſa, non vt ſignificat hunc hominem, ſed quatenus poteſt multis imponi, eſt vniuerſalis, & habet pluralē numerum; & ſic ſunt *multi Petri*, id eſt, multi, quibus imponitur hæc vox *Petrus*: at ſignificando hunc Petrum non habet plurale. Aliqua nomina ſingularia, §.55.

ſingularia, vt *Burgi*, *Athenæ*, habent plurale, ſed tantùm in grammatica declinatione; nam *Burgi* vna tantum vrbs eſt.

§.56. Rogas vtrum *Sol* ſit terminus ſingularis? videtur enim nō eſſe, quia vnus tantum eſt ſol. Reſpondeo, eſſe terminum communem, quia Sol ſecundum ſe conſideratus abſtrahit ab hoc, & illo ſole, ſicut homo à Petro, & Paulo. Ad rationem reſpondetur, vnum tantum eſſe ſolem exiſtentem: ſed Sol non ſignificat ſolem, vt exiſtentem actu, ſed ſecundum ſe, cui nō repugnat exiſtere in plurimus indiuiduis. Confirmatur. Si Deus nunc produceret alium ſolem, de illo prædicaremus totam ſignificationem ſolis, ſicut de homine cras naſcituro nunc prædicamus rationem hominis: nam hæc prædicatio non pendet ab actuali exiſtentia rerum.

§.57. Rogas ſecundò, vtrum *Deus* ſit terminus ſingularis. Eſt: quia Deus ſignificat veram Deitatem, verúmque Deū, qui vnicus eſt, licet ſint perſonæ tres, tunc autem terminus eſt ſingularis, quando illius ſignificato repugnat multiplicari in plura indiuidua. Obiicies primò multos fuiſſe Deos gentibus. Reſpondeo, ab illis ignoratam fuiſſe propriam vocem Dei, nec enim apprehendebant veram Deitatem. Deus autem in illorum ſignificatione erat terminus communis, quia apud illos ſignificabat excellentiam heroicam in aliquo genere: at apud nos ſignificat vnam rem à qua dependent omnia, quæ præter illam habent eſſe, eſtque principium & finis cæterarum rerum.

§.58. Obiicies ſecundò, Pſalm. 8. *Ego dixi, dij eſtis vos, & filij excelſi omnes*, quo teſtimomnio oppilauit Chriſtus ora Phariſæorum.

Reſpondeo, ibi ſumi *Deum* non propriè, ſed per participationem; id eſt, vos eſtis iudices habentes poteſtatem: non verò quod verè eſſent Dij. Quæ phraſis adſonat Hiſpanæ, *trae vn Rey en el cuerpo*, qua ſignificamus erectum ſpiritum alicuius, quaſi armatum non regia authoritate, ſed Rege ipſo.

§.59. Huic diuiſioni termini in communem, & ſingularem affinis eſt alia, in cōfuſum & determinatum. Determinatus eſt, qui *adſtringitur ad ſignificandam vnam rem in particulari*, quæ poſſit in digito monſtrari, vt *Petrus, hic homo, Deus*. Dicitur *determinatus*; quia nō vagatur per alia ſignificata, ſed ſiſtit in vno. Hic terminus nihil differt à ſingulari: nam *Petrus* terminus ſingularis eſt, id eſt, ſignificans vnam tantum rem. Dixit enim Ariſtoteles, *ſingulare eſt, quod exponimus vnum numero*; quod autem exponimus vnum numero, determinatum eſt.

§.60. Aduerte contra Sotum, 1. part. introductionis, c. 9. lect. 2. hunc terminum, *hic homo*, non eſſe determinatum confuſè, ſed ſingularem, vt eſt *Petrus*; nec eſſe terminos particulares confuſos, eſt enim implicatio; quia particulare eſt ſingulare determinatum, confuſum autem eſt indeterminatum.

§.61. Terminus confuſus eſt, *qui non ſignificat vnam rem determinatam, ſed vagatur per multas*; ita vt omnes ſignificet confuſè, & nullam determinatè, quod explicatur per particulam disiunctiuam, *vel*. exempli gratia, ſi quis dicat, *in hoc gymnaſio eſt aliquis homo*, ex vi huius termini confuſi, *aliquis homo*, non poteſt affirmari in particulari, Petrū eſſe in hoc gymnaſio: quia *aliquis homo* non ſignificat ſolum Petrum: & de omnibus hominibus disiunctiuè poteſt affirmari hoc modo: *in hoc gymnaſio eſt aliquis homo: ergo eſt vel Petrus, vel Paulus, &c.* hic modus ſignificādi eſt vniuerſalis, & ſic terminus confuſus, *aliquis homo*, exempli gratia, eſt terminus vniuerſalis. Oſtendam enim diſput. 5. Logicæ, ſectione 8. prædicationem indiuidui vagi eſſe vniuerſalem: item diſputatione 5. met. ſect. 10. oſtendam hanc propoſitionem *Petrus eſt homo*, eſſe idem cum hac *Petrus eſt aliquis homo*; quia, dixit Ariſtoteles, *idem eſt homo, vnus homo, & aliquis homo*. Aduerte ad formas arguendi, & oppoſitiones propoſitionum, terminos confuſos, & propoſitiones ex illis conſtantes particulares dici, & non vniuerſales. Sed ibi *particulare* ſumitur impropriè pro indiuiduo vago. Nam propriè idem eſt *ſingulare* ac *particulare*, ſed eſt quæſtio de nomine.

Terminus communis, eſt etiam terminus ſuperior: particularis verò ſeu ſingularis communiter ſolet eſſe inferior, immo omnis terminus ſingularis, & confuſus ſunt inferior. Superior eſt *cuius tota ſignificatio eſt prædicabilis* de aliis, ſiue (quod Summuliſtæ aiunt) qui ſub ſe continet alia, v.g. *Homo*, eſt terminus ſuperior Petro, & Paulo, quia Petrus, & Paulus continentur ſub nomine, qui de illis eſt prædicabilis. §.62.

Dices hanc eſſe definitionem termini communis, & vniuerſalis logicè traditam §.45. Quid inde? immo neceſſe eſt eſſe eamdem. Termini enim ſignificant ſua obiecta: at rationes vniuerſales logicè eſſe prædicabiles, quia vniuerſale eſt vnum in multis, & de multis, patebit diſput. 3. Logicæ, ſect. 1. & diſput. 5. met. nec poſſunt etiam ratione diſtingui terminus communis logicè, & ſuperior. Nam ſuperior totus reperitur in inferioribus, & communis in particularibus. Verum eſt, clariùs, & expreſſiùs in hac definitione contineri reſpectum termini communis ad ſua inferiora quàm in prima. Item terminus communis, vt complectitur æquiuocos, non eſt formaliter ſuperior, quia non habet vnum ſignificatum prædicabile de pluribus. Canis enim non continet vnam rationem communem piſci & ſideri. §.63.

Terminus inferior eſt, *qui ſub alio continetur*, ſiue, *cuius ſignificatum eſt ſubiectum partiale termini ſuperioris*. Hoc patet, qui terminus ſuperior prædicatur de pluribus inferioribus, ergo plura inferiora ſunt ſubiectum illius, quia vt patet ex §. 1. ſubiectum eſt de quo aliquid prædicatur. Dixi *partiale*, quia nullum inferius eſt totum ſubiectum, nā præter illud ſunt etiam alia inferiora, quæ etiam ſunt ſubiectum, nam ſi Petrus eſt ſubiectum hominis, etiam Paulus eſt eiuſdem ſubiectum. Aduerte non eſſe ſingularem aut determinatum omnem terminum inferiorem, nam *homo* eſt terminus inferior *viuente*, quia ſub illo continetur, & tamen *homo* eſt terminus vniuerſalis. Verum eſt, terminum inferiorem, vt eſt inferior, non eſſe vniuerſalem, nec communem. Oſtendam enim, diſputatione 5. Logicæ ſect. 1. ſpeciem ſubiicibilem, vt ſubiicibilem, non eſſe vniuerſalem; at terminus inferior materialiter poteſt eſſe vniuerſalis, quia ipſe ſub ſe continet alios. §.64.

Rogas primò, vtrum *rationale* ſit terminus communis reſpectu hominis, quia de illo prædicatur, ſimiliter de Petro, & Paulo? Reſpondeo non eſſe: oſtendam enim diſput. 6. Logicæ, differentiam non eſſe vniuerſalem comparatione ſpeciei quam conſtituit. Ad rationem reſpondetur rationale prædicari de homine, vt partem logicam de toto Logico conuertibiliter (vt aiunt,) & ſic non continet hominem ſub ſe: de Petro autem, & Paulo prædicari non conuertibiliter, ſed vt illos continet ſub ſe. §.65.

Rogas ſecundò, vtrum Deus ſit terminus inferior? Eſt, quia de eo prædicatur *ens*, & *ſubſtantia*. Rogas tertiò vtrum *hoc corpus*, & *hac anima*, ſint termini inferiores ad Petrum, quia illorum ſignificatum continetur in ſignificato Petri? Non ſunt, quia ſignificatum §.66.

ſignificatum termini communis ſola ratione debet diſtingui à ſignificato termini inferioris, & ſic eſt prędicabile de illo. Petrus auté realiter diſtinguitur à ſuo corpore, nec de illo prædicatur. Vno verbo, ſuperior eſt prædicabilis de inferiori, vt vniuerſale de contento ſub ſe: terminus autem inferior eſt ſubiicibilis inadæquatè vt contentum ſub illo. vide §.2. vbi ex Nominalibus oſtendi terminos prædicari, vt *quo*. Cum ergo obiectum commune ſit prædicabile vt *quod*, terminus illud ſignificans erit prædicabilis vt *quo*, & cum obiectum inferius ſit ſubiicibile vt *quod*, terminus illud ſignificans erit ſubiicibilis vt *quo*.

SECTIO VII.

De tranſcendentibus, & non tranſcendentibus.

§.67. INter terminos vniuerſales vniuerſaliſſimus eſt terminus tranſcendens, quem propterea prius expedit expediri. Terminus tranſcendens eſt, *qui per omnia genera rerum vagatur*, ſiue, *qui imbibitur in omni conceptu reali*: reperiri huiuſmodi terminos tranſcendentes, & conceptus oſtendam diſp.9. Logicæ, ſect.4. & diſput.1. met. & toto eius decurſu. nam omnis differentia entis eſt ens, & vnum, &c. Termini tranſcendentes clauduntur hac dictione *Reuban*: cuius ſinguli characteres ſignificant ſingulos terminos tranſcendentes, qui ſunt ſex. *Res* quæ ſignificat ratam, & firmam cuiuſque rei eſſentiam. *Ens* quod ſignificat aptitudinem, quam res habent vt ſint. *Vnum* ſignificans vnitatem cuiuſque rei, per quam in ſe eſt indiuiſa, & eſt vna, & non plures. *Bonum* ſignificans cuiuſque rei perfectionem, propter quam eſt amatu digna. *Aliquid* ſignificans diſtinctionem vnius rei ab alia, id eſt, *aliud quid*. *Verum* ſignificans rei entitatem, vt fundat veram cognitionem ſui. Hi ſunt termini tranſcendentes: tranſcendunt enim, permeant, ac penetrant omnes differentias entis realis, de quibus latè diſſero à diſput.1. met. Igitur hac voce *Reuban* ſignificantur ſex nomina: *Res, ens, vnum, bonum, aliquid, verum*.

§.68. Terminus tranſcendens alius ſimpliciter, & abſolutè tranſcendens, qui omnia penetrat genera rerum, vt ſunt ſex explicati: alius autem tranſcendens ſecundum quid, ſiue in vno genere, vt *ſubſtantia* tranſcendit omnia genera ſubſtantiarum, non tamen omne genus entis, quia accidens non eſt ſubſtantia: terminus enim tranſcendens, quia eſt ſuperior, prædicatur de omnibus, quæ tranſcendit. Item accidens tranſcendit nouem prædicamenta, non tamen tranſcendit ſubſtantiam, quia ſubſtantia non eſt accidens. Item *ſubſtantia, ſpiritus, infinitum*, & alia tranſcendunt omnia prædicata Dei. Hi autem termini ſunt ſimpliciter non tranſcendentes, tranſcendentes verò ſecundum quid. Terminus non tranſcendens eſt, *qui non penetrat omnes conceptus entis*, nec ſimpliciter vt *ſubſtantia*, nec in vno genere, vt *Petrus*.

SECTIO VIII.

De termino vniuoco, æquiuoco, & analogo.

§.69. REperies plures res inter ſe ſimiles in aliqua ratione; alias omnino diſſimiles; alias nec ſimiles omnino, nec omnino diſſimiles, ſed in parte ſimiles, in parte verò diſſimiles. Quæ ſunt omnino ſimiles, ſolent vocari *vna*, quia non diuidimus vnam ab alia per intellectum, ſed potiùs omnes facimus vnam. Vnde effluxit adagium *inter ſimilia vt ſimilia non eſt diſtinguere*, quia inter illarum differentias non ſatis diſtinguit intellectus, ſic homines habentes ſimiles annuos redditus dicimus eos habere eoſdem redditus: Hiſpani *vna meſma renta*. Quæ vero ſunt diſſimilia omnino, nullam fundant vnitatem in ea ratione, ſed diuerſitatem. Immo non habent vnam rationem, ſed plures, & ſic non fundant vnitatem. Quæ verò mixtam habent ſimilitudinem, & diſſimilitudinem, nec omnimodam habent diuerſitatem, nec vnitatem, aut ſimilitudinem.

Igitur terminus vniuocus eſt, *qui ſignificat plura, quæ ſunt idem in ratione per illum ſignificata*. Hæc definitio colligitur ex Ariſtotelis definitione vniuocorum, *quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ eſt eadem*. ergo illud nomen, quod ſic ea ſignificat, eſt vniuocum. Confirmatur: res ſimiles, vt omnino ſimiles, poſſunt vno nomine ſignificari, ergo illud eſt vniuocum, quia vna ratione tendit in omnia: huiuſmodi termini ſunt, *Homo, leo*, & omnes voces ſpectantes ad quinque prædicabilia. § 70.

Terminus æquiuocus eſt, *qui ſignificat plura omnino diuerſa in ratione ſignificata per nomen*: quia æquiuoca ſunt *quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ diuerſa*. Exempli gratia. *Canis* non ſignificat vnum conceptum, in quo conueniant animal, piſcis, & ſydus. Hi termini ſunt æquiuoci, vel caſu, quia forte fortuna, eadem vox fuit impoſita diuerſis rebus, vt *Rolanus* militi, & cani; vel conſilio, vt cum quis eamdem vocem, quæ impoſita eſt vni rei, imponit & alij: idque dupliciter, primò ad ſignificandam in re ſecunda aliquam proprietatem, in qua conuenit cum prima, vt ſi quis ſtrenuũ militem appellet *Cidum* ob ſimilitudinem, quam habet cum Roderico Cido in bellorum adminiſtratione: huiuſmodi autem nomina non ſunt æquiuoca, ſed analoga proportionis, vt cum Chriſtus dicitur *leo aut vitis*: nec enim ſignificant res omnino diuerſas, ſed aliquo modo ſimiles. Secundo quando non imponitur vox vni propter ſimilitudinem alterius, ſed vel memoriæ vel amoris, aut honoris ergo, cum Principis ſeruus ſe vocat *Guzmanum*, aut *Mendoçam*, propter Dominum cui ſeruit, quæ voces ſunt æquiuocæ, quia in ſignificatione illorum nominum non conueniunt ſignificata: ſeruus enim, qui non trahit originem à Guzmanorum, vel Mendoçarum capite, non conuenit cum Guzmanis in nobilitate, vt ſignificatur per illud nomen. §.71.

Terminus analogus eſt, *qui ſignificat plura nec omnino eadem, nec omnino diuerſa in ratione ſignificata per illum*. Sic enim analoga definiuntur. Exempli gratia, *ens* eſt analogum ſubſtantiæ, & accidenti, quod in illis partim eſt idem & in parte diuerſum, quod difficillimum eſt explicatu, vt patet, diſput.9. logicæ, ſect.4. Analoga ſunt alia propria, id eſt, quando ratio analoga reperitur propriè in ſingulis analogatis, vt *ens* reperitur propriè in ſubſtantia, & accidente, Deo, & creatura: alia impropria, quando ratio analoga reperitur propriè in vno analogato, in aliis verò impropriè, & per comparationem ad proprium: exempli gratia, *Riſus* eſt analogus riſui hominis, & prati, ſed riſus propriè reperitur in ſolo homine, in prato verò per tropum ad hominem. In his analogis verum eſt commune adagium. *Analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato*, id eſt pro ſignificato proprio. Si enim quis dicat, *riſus dolore miſcebitur*: §.72.

non

non loquitur de viriditate, & flacciditate foliorum, ſed de riſu & dolore humano: at in analogis propriis non eſt verum illud adagium, *ens* enim per ſe ſumptum non ſtat pro ſolo Deo. De materia huius ſectionis adi diſputationem 9. logicæ: & 2. met. vtrum autem in mente ſit æquiuocatio vide diſp. 5. de anima, ſectione 6.

§. 73. Aduerte res, quæ ſub vno nomine ſunt æquiuocæ, ſub alio eſſe poſſe vniuocas. Exempli gratia. Canis terreſtris & marinus ſunt æquiuoci ſub cōceptu & voce *Canis*: vniuoci autem ſub conceptu animalis, quia *Canis* nullam ſignificat rationem vtrique communem, quam tamen ſignificat *animal*. Item vox, quæ comparatione plurium eſt æquiuoca, poteſt eſſe vniuoca reſpectu aliorum, vt *Canis* eſt vox æquiuoca comparata piſci, & animali terreſtri; at vniuoca eſt comparatione Canium terreſtrium, quia ſignificat rationem Canis terreſtris, ita & comparata Canibus marinis. Idem contingit analogis.

SECTIO IX.

De termino abſoluto, & connotatiuo.

§ 74. Terminus abſolutus definitur à P. Toleto, lib. 1. capit. 13. & Fonſeca, lib 5. cap. 24. qui *ſignificat rem per ſe ſtantem, vt albedo, homo*. verùm hæc definitio eſt propria termini abſtracti, vt mox probo. Deinde *homo* eſt terminus abſolutus, & non ſignificat humanitatem per ſe ſtantem; ſed vt exiſtentem in ſuppoſito, & cum illo conſtituentem hominem (cum homo prædicatur de Deo.) ergo terminus abſolutus non eſt, qui ſignificat rem per ſe ſtantem.

§. 75. Dices humanitatem eſſe per ſe, quia ſubſiſtit. Contra: Etiam rationalitas per ſe eſt, & ſubſiſtit, quia eſt ſubſtātia, & tamē hac voce *rationale* ſignificatur vt adiacens animali, ergo rectè ſtat rem ſubſiſtere, & ſignificari termino quaſi adiacente. Confirmatur, *Humanus* eſt terminus connotatiuus, & non abſolutus, & ſignificare poteſt rem per ſe ſubſiſtentem; nempe hominem, perſona enim humana ſignificat hominem: Item vbicatio eſt terminus abſolutus. & ſignificat rem adiacentem alteri. Ratio eſt, quia non tam attenditur res ſignificata, quàm modus ſignificandi.

§. 76. M. Sotus, 1. part. introductionis, cap. 10. lection. 1. Sic definit terminum abſolutum, *qui præter ſuum materiale nihil aliud adiacere, vel non adiacere ſignificat*. Contra. Si ly *materiale* ſignificat rem, ſeu materiam, quam ſignificat terminus, ergo etiam *album* eſt terminus abſolutus, quia præter ſuam materiam, ſeu rem, ſeu ſubiectum nihil aliud adiacere ſignificat. Si autem materia propriè intelligitur pro vero ſubiecto: hi termini *Deus, Angelus*, ſunt abſoluti, & nullum ſignificant ſubiectum, ergo non eſt de ratione termini abſoluti ſignificare ſuam materiam: & nihil præter illam.

§. 77. Dices illis verbis intelligi à Soto, termino abſoluto non ſignificari rem alteri adiacentem. Bene, ergo eſt definitio Toleti verbis obſcurioribus, & eodem modo impugnatur, quo illam, §. 74. Villalpandus, lib. 1. cap. 5. ait: Terminus abſolutus eſt, *qui ab altero non ſumit denominationem, vt homo*. Primum hæc diffinitio non eſt quidditatiua, quia non explicat conceptum poſitiuum termini abſoluti, ſed negationem quamdam. Deinde *homo* eſt terminus abſolutus, & accipit denominationem ab alio, nempe ab humanitate, à qua denominatur *homo*, maxime cum dicitur *Deus eſt homo*. Itaque hæc diffinitio ſolis conuenit terminis abſtractis.

Dices ex Villalpando *hominem*, & *humanitatem* plus differre, quam *album*, & *albedinem*: quia hæc ſolo differunt caſu. Contra, *album*, & *albedo* non differunt ſolo caſu, ſed tamquam accidens & ſubſtantia; Immo plus differunt, quàm *homo* & *humanitas*, quia album includit ſubiectum quod ſine cōtrouerſia diſtinguitur realiter ab albedine, quod dubium eſt de homine & humanitate. vt ergo album eſt ab albedine, ita homo ab humanitate. §. 78.

Eſt ergo terminus abſolutus, *qui ſe ſolo eſt perfectè ſignificatiuus*. Hoc probo: Primò quia ly *abſolutus* eſt in ordine ad abſolutam ſignificationem, & conſtitutionem propoſitionis, ſed omnis & ſolus terminus ſe ſolo perfectè ſignificans, ſignificat abſolutè, & independenter ab aliis terminis vt patebit §. 81. Item ſimpliciter ſe ſolo eſt ſubiectum, & prædicatū, ergo terminus abſolutus eſt, qui ſe ſolo perfectè ſignificat. Secundò probatur ex termino connotatiuo, qui illi opponitur, qui ſe ſolo non ſignificat perfectè, ſed ſemper reſpicit alium terminum, cum quo perficit ſignificationem, vt *albus* ſe ſolo imperfectè ſignificat, niſi addatur *leo, homo*, aut *lapis*. Siquis enim audiat *in gymnaſio eſt albus*, non percipit an ſit homo, leo, aut lapis: ſed inquietus eſt, donec ſciat quis ſit albus ille: at ſi audiat *in gymnaſio eſt lapis*, perfectè concipit obiectum. ergo terminus connotatiuus eſt, qui non ſignificat perfectè; abſolutus autem, qui ſignificat perfectè; at vero quid refert ad terminum abſolutū, ſignificare per modum per ſe ſtantis, vel adiacentis, cum hoc ſpectet ad terminos abſtractos, & concretos? explicatur à phyſicis, vbi res independentes ab aliis vocantur *abſolutæ*; quæ ſe ſolis, ſine iis, à quibus ſunt abſolutæ, poſſunt exiſtere; quæ verò ab aliis dependent, dicunt ad illas relationem, nec poſſunt ſine illis eſſe; quod eſt illas in ſuo conceptu connotare; vt viſio connotat colorem, ſine quo nequit eſſe. §. 79.

Vnde colligo omnia nomina ſubſtantiua eſſe terminos abſolutos, quod nullus negat, nec negare poteſt; tum quia omnia ſignificant perfectè ſe ſolis, quin aliis terminis adiungantur, ſiue ſint abſtracta, ſiue concreta. *Vt homo, humanitas, Petrus, albedo*: tum inductione; nullū enim eſt ſubſtantiuum, quin ſit terminus abſolutus. Rogas vtrum *album* ſubſtātiuè ſumptum pro compoſito ex ſubiecto, & albedine ſit terminus abſolutus? Reſpondeo eſſe, vt vox *compoſitum* ſubſtantiuè ſumpta. Significat enim perfectè compoſitionem duarum rerum, quin illi alius adiungatur terminus. § 80.

Sotus ſuprà terminum connotatiuum ait eſſe, *qui præter ſuum materiale aliud adiacere, vel non adiacere ſignificat*. Contra. *Dominus, compoſitum*, & *album* ſubſtantiuè ſumptum non ſunt termini connotatiui, ſed abſoluti, & præter ſuum materiale ſignificant aliud adiacere, quia ſignificant dominium adiacens Domino, & in illo exiſtens, item ſubiectum, & albedinem, ergo. Dominium enim concretè ſignificatum eſt forma, qua Petrus dicitur *Dominus*: item *homo* eſt abſolutus, & ſignificat humanitatem, quaſi in ſubiecto, vel ſubſiſtentiam in eo exiſtentem. Denique vt impugnaui Soticam definitionem termini abſoluti, ita impugno definitionem termini connotatiui: quia oppoſitorum eadem eſt ratio. §. 81.

Toletus, & Fonſeca ſupra aiunt, terminum connotatiuum eſſe: *Quia ſignificat rem vt alteri adiacentem*; vt *albus, niger*, eſt eadem definitio Soti, & eadem impugnata ratione. §. 82.

Villalpandus

§. 83. Villalpandus ſupra ait terminum connotatiuum eſſe: *Qui ab alio ſumit nomen, à quo differt ſolo caſu.* Contra, *albus* eſt connotatiuum, & differt ab albedine pluſquam caſu: quia realiter differt, tanquam totum à parte, ergo. Secundo, *homo* non eſt connotatiuus, & accipit denominationem ab humanitate, ergo. De definitione denominatiuorum agetur diſp.9.logicæ ſect.2.

§. 84. Aduerte, quid ſit connotare: eſt enim cum vna re aliam notare, vt cognitio connotat obiectum, ideſt, notat obiectum, & non poteſt cognoſci perfectè, niſi etiam cognoſcatur obiectum, quo modo omnia relatiua ſe connotant, vt *pater filium, materia formam*: item eſt connotatio rei, cum qua facit vnum. Vt *album* dicit ſubiectum ſimul notans albedinem ſibi intrinſecam, cum qua facit album: ſimiliter *homo* dicit humanitatem notantem ſuppoſitum, cum quo conſtituit hominem.

§. 85. Eſt ergo terminus connotatiuus: *Qui notat alium terminum cum quo perfectè ſignificat, & ſine quo non ſignificat perfectè.* Probatur primò: quia non eſt connotatiuus in ſignificatione præciſè, & obiectiuè, quia in illa etiam homo eſt connotatiuus: quia humanitas notat etiam ſuppoſitum, cum quo conſtituit hominem. ergo eſt connotatiuus, quia notat alium terminũ, cum quo perfectè ſignificet; quem modum connotandi non habet *homo*, quia licet humanitas connotet ſuppoſitum, at non eget alio termino, nec illum connotat ad perfectiſſimam ſignificationem. Secundò probatur: quia hic agitur de terminis ſignificatiuis ad componendum propoſitionem, è quibus nonnulli ſunt abſoluti, ideſt, in ſua perfecta ſignificatione non pendentes ab aliis terminis, vt *homo*. res autẽ independẽtes vocamus abſolutas in ratione, in qua ſunt independentes, alij autem termini ſunt dependentes ab aliis ad perfectè ſignificandum, vt *albus*: & quia ſine illis non poſſunt perfectè ſignificare, nec propoſitionem componere: ideò illos connotant ad ſignificandum. Res enim ab alia pendens eam connotat. Confirmatur, connotatiuus opponitur abſoluto, ſed abſolutus eſt independens ab alio in ſua ſignificatione, ergo connotatiuus eſt dependens in ſua ſignificatione. Quæ ſententia apertè colligitur ex ipſa nominum etymologia.

§. 86. Vnde infero, omnia nomina adiectiua eſſe terminos connotatiuos, nam adiectiuum connotat ſubſtantiuum, cui adiicitur, ſine quo non ſignificat perfectè, ergo eſt connotatiuus. Probo antecedens: quia adiectiuũ adiicitur ſubſtantiuo ad ſignificandam aliquam eius proprietatem, ſed proprietas non bene cognoſcitur, niſi connotando rem cuius eſt proprietas, ergo. Confirmatur, quia *albus*, exempli gratia, non bene explicat, an ſit albus *leo*, an *homo albus*, vt oſtendi §. 67. Item omnes termini, quos Summuliſtæ vocant *connotatiuos*, ſunt nomina adiectiua, & ideò ab illis communiter definiuntur: quia ſignificant rem adiacentem, quia ſunt termini adiecti, ſiue adiectiui; abſoluti autem dicuntur per ſe ſubſiſtentes, quia ſunt ſubſtantiui, ideſt, ſignificantes rei ſubſtantiam, vt *homo*, ſubſtantiam animalis rationalis, & *albedo* ſubſtantiam coloris diſgregantis viſum, vt dixit Nebriſſenſis, lib.3. cap.5. ſic communis definitio defendi poteſt: dum hac ratione explicetur.

§. 87. Secundo colligo, nullum terminum eſſe connotatiuum, niſi ſit adiectiuus: quia omne nomen, aut eſt ſubſtantiuum, & ſic eſt terminus abſolutus; aut eſt adiectiuum, ſic autẽ eſt terminus connotatiuus: aliud autem nomen non eſt. Sed ait P.Fonſeca, lib. 1.cap.24. hæc nomina *Dominus, Pater*, & ſimilia, eſſe connotatiua, & non adiectiua, ergo connotatiuũ non conuertitur cum adiectiuo, nec ſubſtantiuum cum abſoluto. Verum P.Fonſeca non probat antecedentem propoſitionem, nec poteſt: quia eſt falſa, nam illi termini tam abſoluti ſunt, quam *materia, forma, relatio, cognitio*. ſin diſcrimen aſſignet, & ſicut hæc *Poëta, Pictor, Figulus, &c.* Et tamen materia connotat formam, forma materiam, relatio fundamentum & terminum, cognitio obiectum, Poëta carmina, &c. Immo *homo* connotat ſuppoſitum. Sunt quidem connotatiua illa nomina etiam à me adducta, ſed eſt illud genus connotationis obiectiuæ, & aliarum rerum, ſine quibus res connotantes non poſſunt perfectè cognoſci, vt omnia relatiua etiam tranſcendentalia. Sic *Dominus* notat dominium, non tamen connotant alios terminos, à quibus pendeant in ſua ſignificatione. Recognoſce §.67.

SECTIO X.

De categorematico, & ſyncategorematico.

TErtiò infero, omnia nomina adiectiua eſſe terminos *ſyncategorematicos*: ſubſtantiua autem eſſe terminos *categorematicos*. Hæc ſecunda §. 88.
pars illationis facilè conceditur ab his, qui ſolos terminos diſtributiuos putant eſſe ſyncategoremata, & probatur: quia categorematicus eſt *perfectè ſignificatiuus*, vel *prædicabilis*, quia *categoria* ſignificat *prædicationem*, ſed omnia nomina ſubſtantiua perfectè ſignificant, & ſunt prædicabilia, ergo ſunt termini categorematici. Sed aduerſus primam partem illationis denſo agmine impetũ faciunt Summuliſtæ, quibus commune eſt terminos ſyncategorematicos eſſe *omnis, nullus, aliquis*: quia ſe ſolis non ſignificant, & egent coniunctione cum aliis, vt *omnis homo*. Verùm illatum confirmo primo ex nominum etymologia: nam ſyncategorematicus, (teſte Calepino) eſt *conſignificatiuus*, ideſt, ſignificans cum alio, ſed omnis terminus adiectiuus eſt conſignificatiuus, quia ſignificat ſimul cum ſubſtantiuo, ergo omnis adiectiuus eſt ſyncategorematicus. Secundo, quia terminus adiectiuus, tam imperfectè ſignificat ſe ſolo quàm ſyncategoremata *omnis, nullus*, vt enim audita hac voce *nullus*, non formatur perfectus ſenſus, niſi addatur *homo*, ita audita voce *albus*. Quamobrem rectè auctores artis regiæ, lib.3. aiunt, nomen ſubſtantiuum eſſe: *Quod ſe ſolo in oratione ſignificat: adiectiuum autem, quod ſe ſolo in oratione ſtare non poteſt.*

Dices categorematicos ſignificare rem alicuius categoriæ, ſeu prædicamenti, non verò ſyncatego- §. 89.
rematicos. Contra primò, quia *chymera* eſt terminus categorematicus, & non ſignificat rem alicuius categoriæ, ſimiliter *Deus*. Secundo: quia *omnis, nullus* non eſſent ſyncategoremata, quæ ſignificant comprædicationes: at vero *nullus* non ſignificat prædicationem alicuius categoriæ, cum qua faciat comprædicamentum.

Sed audiamus Sotum 1.part.introductionis, ca- §. 90.
pit.8.notab.1. aſſerentem, terminum categorematicum eſſe, *qui ſignificat aliquid vel aliqua*; ſyncategorematicum, *qui ſignificat ſolum aliqualiter*. à qua definitione parum differt Toletana, lib.1. cap. 12. Contra, *nullus* ex eorum ſententia eſt terminus ſyncategorematicus, & aliqua ſignificat, ergo. Probo minorem, quia ſignificat nullitatem in ſubiecto, ſicut *cæcus* cæcitatem. Deinde *ſapiens* in eorum ſententia eſt categorematicus terminus, & ſignificat aliqualiter, ergo: probo minorem in hac propoſitione

propoſitione *hoc factum eſt ſapiens*, vbi *ſapiens* non ſignificat ſapientiam exiſtentem in facto, ſed modum, quo factum fuit, & ſonat, *hoc factum fuit ſapienter.* Item *nullus, omnis*, quamuis ſunt ſyncategoremata, nõ ſignificant aliqualiter. Non enim ſignificant modum rei. Si autem *aliqualiter* ſumatur pro *ſecundum quid*, certè *omnis*, & *nullus* tam ſunt abſolutè ſignificatiui, quàm *albus*: maximè *omnis*, qui non modo ſignificat aliqua, ſed etiam omnia.

§. 91. Villalpandus, lib. 1. 2. part. cap. 3. ait terminum categorematicum eſſe: *qui poteſt eſſe integrum prædicatum in propoſitione vt homo*: ſyncategorematicum verò, *qui ſimul cum alio eſt prædicatum in propoſitione.* Veroſimilior definitio, quia ſyncategorema eſt comprædicatio. Sed non placet, tum quia ſoli termini cõplexi eſſent ſyncategorematici, quia comprædicatum habet duas partes prædicati ſignificatas duobus terminis, v.g. *Petrus eſt homo iuſtus: homo iuſtus* eſſet categorema, quia includit duo comprædicata. Secundò, quia *nullus, aliquis, omnis*, ſunt ſyncategoremata, & poſſunt eſſe integrum prædicatum. Exempli gratia: *Homo confuſè cognitus eſt aliquis, carentia omnis rei eſt nullus, aut nullum; Deus, & creatura ſunt omnia.*

§. 92. Eſt ergo terminus ſyncategorematicus *nomen adiectiuum*, categorematicus autem *ſubſtantiuum.* Dices, *categorematicus* eſt categorematicus, & eſt adiectiuum: ergo. Diſtinguo maiorem, eſt categorematicus ſyllabis, & ſono, item & ſignificatione, qua ſignificat omnes terminos categorematicos, concedo maiorem; eſt categorematicus in modo ſignificandi, & re ipſa, nego maiorem. Sicut *ſubſtantiuum* ſignificat terminum ſubſtantiuum, cum ipſum ſit nomen adiectiuum. Ne tamẽ laceſſamus Summuliſtarum animos, dic duo eſſe genera ſyncategorematum: aliud proprium, quod conuenit termino diſtributiuo, vt *omnis*, & numeraſia, vt *duo.* Aliud non tam proprium (id eſt, minus receptum) comprehendens omnes etiam terminos adiectiuos. Cum autem omnia hæc ſint ſyncategoremata, nomen omnibus commune ſibi retinuerunt prima, vt omnis cognitio eſt apprehenſio obiecti, & tamen illud nomen vſurpatur pro ſimplici apprehenſione.

SECTIO XI.

Concretus, abſtractus, complexus, & incomplexus, copulatiuus, & non copulatiuus.

§. 93. CArdinalis Toletus, lib. 1. cap. 13. ait terminum concretum eſſe, *qui ab alio accipit denominationem*, abſtractum verò, *qui eam dat*, vt *homo* nominatur ab humanitate. Vnde *humanitas* eſt abſtractus, *homo* verò concretus. Huic definitioni adſonat P. Fonſeca, lib. 1. cap. 23. Concretum eſſe: *Qui habet modum ſignificandi compoſitum*: abſtractum verò, *qui non compoſitum, ſed ſimplicem habet ſignificatum.* Et quidem bene. Nam *concernere* eſt aliud ſimul cernere ad ineundam compoſitionem, vt *album*, dicit ſubiectum concernens albedinem in ſe ipſo, *homo* humanitatem in ſuppoſito. Abſtractum autem ſignificat ſeparari vnum ab alio, ita *albedo* ſignificat qualitatem, quin eam ſignificet in ſubiecto, quod eſt in ſignificandi modo abſtrahi à ſubiecto. Hinc communiter Summuliſtæ dicunt, nomine abſtracto rem ſignificari quaſi per ſe ſtantem, concreto autem vt exiſtentem in alio, id eſt, in compoſito.

§. 94. Concreta, & abſtracta poſſunt primò conſiderari cum ſola diuerſitate vocum abſtractæ, & concretæ, ſine vlla diuerſitate reali, vel rationis in rebus ipſis ſignificatis, quæ voces, & termini poſſunt dici *abſtracti, & concreti*, Grammaticè tantum: quia habent voces abſtractas, & concretas more Grammatico, vt *ens*, & *entitas*, quæ nullo modo differunt. Nam eſt ens entitas, & entitas ens formaliſſimè ſine vlla diſtinctione inter vtrumque.

Secundo modo poſſunt conſiderari. cum identitate reali inter abſtractum, & concretum, & cum diſtinctione rationis: v.g. *Deus*, & *Deitas*, ſunt à parte rei idem, differunt tamen noſtro modo concipiendi, quia *Deus* dicit ſuppoſitum, quod ratione diſtinguitur à Deitate, hæc autem ſunt concreta logica: quia eorum compoſitio non eſt à parte rei, ſed in noſtro intellectu. §. 95.

Tertio conſiderari poſſunt cum reali diſtinctione inter abſtractum, & concretum, vt *album, albedo.* Illud enim ratiõne ſubiecti realiter diſtinguitur ab hac, quæ poſſunt vocari concreta phyſicè, quia eorum cõpoſitio realiter exiſtit in ipſis. Hæc concreta alia ſubſtantiua, vt *homo*, quæ non ſunt connotatiua: alia adiectiua, quæ ſunt connotatiua, vt *albus*: ex adiectiuis alia purè denominatiua vt *humanus*, de quibus agam, d. 9. logicæ ſect. 2. alia eſſentialia, vt ſunt propriæ differentiæ, vt *rationale.* Alia accidentaria logicè, & prædicabiliter, vt *riſibile*: alia accidentaria phyſicè, vt *albus, &c.* §. 96.

Sotus 1. p. introductionis, c. 12. lect. 1. terminum complexum ait eſſe: *Qui habet duas partes ſignificantes iuxta ſignificationem totius*, hæc definitio quadrat quidem in terminum complexum, ſed eſt obſcura: quid enim eſt ſignificare iuxta ſignificationem totius, niſi dicere quamuis partem termini complexi eſſe per ſe ſignificatiuam, & retinere totam ſuam ſignificationẽ, ac ſi nõ eſſet in cõpoſito? §. 97.

Villalpandus, lib. 1. 2. part. cap. 4. ait terminum complexum eſſe *plures dictiones congruè ſe habentes*: non diſplicet, niſi quod ait, eam etiam conuenire orationi, quo defectu non caret Sotica definitio. Verum eſt orationem, & integram vnam propoſitionem eſſe poſſe terminum alterius, & tunc eam fore terminum complexum, verùm oratio differt à termino complexo, quod hic abſtrahit à verbo, ſecus illa, vt dicam diſput. 3. ſect. 3. §. 98.

Toletus, lib. 1. cap. 12. optimè ait terminũ complexum eſſe, *cuius partes per ſe ſunt ſignificatiuæ*, quæ definitio ponit terminum complexum eſſe compoſitum, ſi quidem habet partes: ly, *per ſe*, denotat eas partes per ſe ſolas, quin vna pendeat ab alia, habere integram ſignificationem diſtinctam ab alia: vt *homo iuſtus*, vtraque pars in compoſito retinet ſignificationem, quam antea: complexus enim eſt, quia complectitur duos terminos cum ſuis ſignificationibus. Item aduerte, debere vnũ terminum conflari ex duobus, ad quod neceſſe eſt aliquo modo vniantur, alioquin nõ erit vnus complexus, ſed duo incomplexi diſparati. Item debent ſignificare diuerſa, vel re ipſa, vel in modo concipiendi: re ipſa vt *homo iuſtus*, ratione noſtra, vt *Deus ſapiens*: ſi verò termini ſignificent eamdem rem eodem modo conceptam, non eſt complexio, ſed ſynonyma, vt *Marcus Tullius*. niſi fortè in his nominibus ſit ſignificatio diuerſa: vt *Claudius Caligula*, quia *Claudius* eſt dictus ob ſuorum memoriam, *Caligula* vero, quia caligis vtebatur. §. 99.

Itaque licet ſignificent eumdem hominem, non tamen eodem modo conceptum, quod ſufficit ad complexionem termini. Item poteſt nomen eſſe compoſitum ex duabus dictionibus integris, & tamen non erit complexum, niſi vtraque dictio retineat ſuam ſignificationem, vt *Pedemontanus* eſt §. 100.

terminus incomplexus, & includit *Pede, & Montanus*, quibus ibi non ſignificantur *pes*, & *Montanus homo*, ſed incolens radices mõtium Alpium. Terminus incomplexus eſt : *Vnus terminus carens compoſitione duorum, per ſe ſignificantium.* Vnde *Proconſul* eſt terminus incomplexus : quia licet *Pro, & Conſul* retinent ibi integras ſuas ſignificationes: tamen *Pro* nõ eſt terminus, ſed præpoſitio, quæ ſicut coniunctio, interiectio, & alia ſyncategoremata, in propoſitione nec ſubijciuntur, nec prædicantur, niſi cum reflexè de illis aliquid ſignificatur : vt *pro eſt præpoſitio*, quæ ſuppoſitio eſt materialis : in *Proconſule* autem non ſupponitur niſi formaliter. *Reſpublica* autem eſt terminus complexus: quia tam *Res* quàm *publica*, eſt terminus, & retinet vterque integram ſignificationem. Adde definitioni, terminum complexum eſſe: *Vnum terminum conflatum ex duobus retinentibus integras ſignificationes ſine verbo*; nam ſi verbo conſtent, erunt oratio, vt patet diſput. 3. ſect. 3.

§.101. Terminus copulatiuus eſt : *Terminus ſimplex ſignificans vnam rem conſtantem ex pluribus inter ſe per accidens copulatis ſine vera vnione*, vt *multitudo, aceruus, Reſpublica, ciuitas, exercitus, &c.* Dixi *eſſe terminum ſimplicem*, ad excludendos terminos complexos, qui poſſunt dici termini copulati, & compoſiti ex duobus, vt *homo, & equus currunt :* vbi ſubiectum ſignificat plura, & *Reſpublica* eſt terminus copulatiuus, & complexus, non ergo excludo omnes terminos complexos. Dixi item *vnam rem conſtantem ex pluribus copulatis*, ad excludendos terminos communes ſignificantes plura indiuidua, vt ſunt vnum in ratione communi: nam re ipſa nec omnes homines ex parte ipſorum ſunt vnus homo, nec *homo vt ſic*, eſt vna ratio ſimpliciter, quia tota eius vnitas non eſt in obiecto, ſed in intellectu, at terminus copulatiuus ſignificat vnitatem ex parte rei ſe tenentem, & plura, quæ intelligantur ex ſe componere vnum, vt *Reſpublica*, componitur ex diuerſis perſonarum ſtatibus : *homo* autem in communi non habet ex parte ſui compoſitionem ex Petro, & Paulo.

§.102. Dixi *per accidens copulati*, ad expungendos terminos concretos, & abſtractos ſignificantes compoſita per ſe, & quæ verè ſunt vna res, vt *humanitas*, ſignificat materiam, & formam vnitas per ſe, & non per accidens. Et *homo* ſignificat humanitatem, & ſuppoſitum per ſe vnita. Tandem addidi *ſine vera vnione*, ad excludendos terminos connotatiuos ſignificantes ſubiectum vnitum accidenti.

§.103. Dices *veſtitus & armatus*, non ſunt termini copulatiui, & ſignificãt plura ſine vnione, ergo. Nego minorem : quia non ſignificant plura in recto, ſed in recto ſignificant hominẽ, & in obliquo veſtem, & non per modum vnius reſultantis ex veſte, & homine. Dices accipiatur *veſtitum* ſubſtantiuè, vt ſignificat compoſitũ ex homine, & veſte. Reſpondeo tunc, fore terminum copulatiuum : quia in recto ſignificat plura aggregata ſine vnione, vt Aceruus. Terminus non copulatiuus eſt, *qui non ſignificat plura aggregata*, vt *homo, Deus, ſapiens.*

SECTIO XII.

De termino negatiuo, & non negatiuo: contrario, & contradictorio.

§.104. TErminus negatiuus bifariam vſurpatur. Primo pro *ſignificante negationem.* Secundo pro *termino actualiter negante.* Primus eſt, *qui ſignificat obiectum negatiuum*, ſcilicet negationem rei phyſicæ, vt *nihil, cæcitas, tenebræ*, quia *nihil* eſt carentia entis, *cæcitas* carentia *viſus*, & *tenebræ* carentia lucis. Hi termini diuiduntur in abſtractos, & concretos. Abſtracti ſignificant negationem ipſam præciſam à ſubiecto, vt *cæcitas*, quemadmodum & termini poſitiui. Item concreti ſignificant in recto ſubiectum, & in obliquo connotant carentiam, qua afficitur, vt *cæcus.*

§.105. Hi termini diuiduntur in purè negatiuos, & priuatiuos. Negatiui ſignificant carentiam formæ in ſubiecto incapaci illius, vt *non gratus*, ſignificat in lapide carentiam gratiæ, cuius eſt incapax, at in homine ſignificat carentiam gratiæ; cuius eſt capax. Sic lapis non poteſt dici *cæcus :* quia hæc vox ſignificat ſubiectum aptum viſui. Dicitur tamen *non videns*: quia hæc vox quadrat etiam in ſubiecta vſui inepta.

§.106. Secundo modo terminus negatiuus ſumitur, non quia ſignificat cõceptum negatiuum, ſed quia eo negatur propria ſignificatio nominis, & non excluditur alia, exempli gratia, *non homo* ſignificat negationem hominis, quem ſignificat *homo*, & non excludit aliam ſignificationem, vt *lapis eſt non homo*, habet hunc ſenſum, *lapis non eſt homo, ſed aliud, quod non ſit homo.* Item *in hoc gymnaſio eſt non homo*, habet hunc ſenſum, *in gymnaſio non eſt homo, ſed aliud, quod non eſt homo.* Hi termini vocantur *infinitantes :* quia negando ſignificatum nominis, extendunt nomen ipſum ad omnia ſine termino, & fine : vt cum dico *hic eſt non homo*, extenditur *non homo* ad *Deum, Angelos, animalia, & negationes ipſas:* quia Deus eſt non homo, & Angelus eſt non homo, & cæcitas eſt non homo. Aduerte hanc ſignificationem ad propoſitiones contradictorias.

§.107. Terminum contrarium potes itidem bipartiri in terminum contrarium logicè, & contrarium phyſicè. Contrarius logicè eſt, *qui facit propoſitiones contrarias*, vt ſunt ſyncategoremata *omnis, nullus.* Nam hæ propoſitiones. *Omnis homo currit, nullus homo currit*, ſunt contrariæ propter eas voces *omnis, nullus.* Contraria phyſicè ſunt, quorum ſignificata ſunt formæ phyſicæ contrariæ, ſe mutuo à ſubiecto depellentes. Vt *calor frigus, albor nigror.* Quæ contrarietas melius ſignificatur in concreto, *vt album nigrum*, quia qualitates opponuntur in ordine ad ſubiectum. Nam in ſtatu abſtractionis non opponuntur. Dicuntur tamen contrariæ, quia ex natura ſua connotant ſubiectum.

§.108. Terminus contradictorius in tot membra diſſecatur. Contradictorius logicè, qui fundat duas propoſiti ones contradicentes inuicem. Vt *omnis homo currit, aliquis homo non currit.* Contradictorius phyſicè eſt qui *ſignificat duas res immediatè oppoſitas*, ſiue qui *ſignificat formam, & eius carentiam, vt viſus cæcitas.* Nam *cæcitas* ſignificat carentiam *viſus*, ſiue non eſſe viſus.

SECTIO XIII.

De termino primæ, & ſecundæ intentionis: pertinente, & impertinente.

§.109. I*Ntentio* ſumi poteſt pro fine, ſiue ſcopo ſibi ab aliquo propoſito. Prima intentio erit finis, quem ſibi natura proponit. Secunda intentio erit quod ſecundario intendit. Siue prima intentio, quia eſt radix, & origo ſecundæ. Communiter dialectici vtuntur his vocibus. Nomina ergo primæ intentionis ſunt *quæ ſignificant res, vt ſunt independenter ab operatione intellectus*, vt *homo, lapis*, ſignificant eſſentias re ipſa conuenientes homini, & lapidi, quæ

eſſentiæ ſunt primæ hominis intẽtiones: quia circa illas primo natura verſatur. Terminus ſecundæ intentionis eſt, *qui ſignificat res, vt afficiuntur aliqua extrinſeca denominatione ab intellectus operatione.* V. g. *Species, genus, differentia, ſubiectũ, prædicatum, &c.* Nam cum dicitur *homo eſſe ſpecies*, & *animal genus*, & *rationale differentia* & *Petrus ſubiectum*, & *homo prædicatum*, ſignificatur obiectum *homo*, aut *animal*, vt cognoſcitur confuſè, & conſtituit ſpeciem, aut *Petrus*, vt conſtituit propoſitionem, quod non habet à parte rei ſed ab actu intellectus.

§. 110. Rogas vtrũ hæc nomina *intellectio, diſcurſus, &c.* ſint primæ intentionis vel ſecundæ? Reſpondeo illa nomina eſſe primæ intẽtionis, quia ſignificant eſſentias actuum intellectus, ſecundum quod ſunt à parte rei independentes à denominatione ab alio actu intellectus reflexo, verſante circa actus ſignificatos per illa nomina. Si tamen actus referantur ad ſua obiecta, vt illa denominant cognita, comparatione illorum ſunt ſecundæ intentionis.

§. 111. Tandẽ termini alij pertinentes, alij impertinentes. Pertinentes vocantur *pertinentes ſequela, aut repugnantia.* Quia vnus pertinet ad negãdum alium; quod eſt pertinere repugnantia, quia vnus repugnat alteri, *vt eſt homo, ergo non eſt irrationale*, quia irrationale repugnat homini. Pertinentes ſequela vocantur *quando ex vno ſequitur conſequentia ad alium, vt eſt homo: ergo eſt animal*, hæc pertinentia poteſt eſſe mutua: vt eſt *riſibile: ergo eſt homo. Eſt homo, ergo eſt riſibile.* Vel poteſt eſſe non mutua vt ex *animali* non ſequitur *homo.* Impertinentes vocantur *diſparati*, quia nec conſequentia ſequitur, nec repugnat: vt ex *homine* nec poteſt inferri nec negari *motus.*

DISPVTATIO II.

De proprietatibus terminorum.

EXplicatis terminis, eorum proprietates erunt percurrendæ.

SECTIO I.

De ſuppoſitione.

§. 1. SVppoſitio eſt *poſitio vnius rei loco alius.* Eſt enim ſubrogatio, ſubſtitutio aut ſuffectio, qua res ſubrogatur, ſubſtituitur, aut ſufficitur pro alia, in hac ſignificatione ſumitur in præſenti: quia eſt quædam termini affectio. Ac primo in limine obſerua ſignificationem à ſuppoſitione differre: nam omnis effectus ſignificat ſuam cauſam, & pro illa non ſupponitur. Cum enim vides fumum, & ex eo concipis ignem; fumus tibi fuit ſignum ignis: at pro quo ſupponitur fumus? Item cognitio eſt naturalis obiecti repræſentatio; cum ipſa pro nullo ſupponatur. Nam ea eſt repræſentatiua obiecti ex ſe; ad quod pro nullo alio ſubrogatur. Ratio à priori, quia ratio ſigni ſolum eſt ducere potentiam in notitiam rei ſignificatæ, ſupponi autem eſt conſtitui ad faciendum pro alio, quod erat ab ipſo faciendum.

§. 2. Aduerte ex P. Fonſeca lib. 8. cap. 2. terminum malè dici *ſupponere* pro alio, ſed dici debere *ſupponi*, quia terminus ponitur pro alia re, homo autem illum ſupponit: Sotus verò melior Summuliſta, quam Latinus 2. part. introductionis, cap. 1. lectione, 1. notab. 1. ait retinendam veterem conſuetudinem. Sed ſi mala, cur retinẽda quia vetus? eam eſſe malam patet è bona Grammatica, quia *ſuppono*, eſt verbum actiuum, & non neutrum.

Villalpandus, lib. 1. 3. part. cap. 1. ait terminum ſupponere, eſſe *terminum exiſtere in propoſitione, & eſſe rem, quam ſignificat tempore ſignificato per copulam.* §. 3. Exempli gratia. In hac propoſitione *Adam fuit, Adam* ſupponit, quia eſt tempore enuntiato per propoſitionem: Item in hac *Adam eſt*, non ſupponit *Adam*; quia non eſt Adamus tempore ſignificato. Villalpandus nondum exuit omnino ſophiſtarum nugas, qui multas de ſuppoſitione effuderunt; rati, ſuppoſitionem eſſe terminum verificabilem in propoſitione. Inde ortum traxit inter illos commune adagium *in propoſitionibus falſis, eas eſſe de ſubiecto non ſupponente*, id eſt, de termino non verificabili, & de obiecto non exiſtente, vt enuntiatur in propoſitione. Verum hæc definitio merito reijcitur, & exſibilatur à Soto, Toleto, atque Fonſeca. Nam ſupponi eſt poni pro alio, ergo omnis terminus in quacumque propoſitione ſupponitur, aut ſupponit. Probo conſequentiam, quia terminus in quacumque propoſitione ponitur loco rei ſignificatæ, vel loco cõceptuum mentalium. Nam in hac propoſitione, *Petrus eſt lapis* hæc vox *Petrus* non ponitur loco ſui, ſed loco ipſius Petri vt exiſtentis in propoſitione mentali, vt in hac *Petrus eſt homo*, nõ ponitur pro ſe, ſed pro Petro, qui eſt homo, ergo in vtraque propoſitione ponitur loco alterius, & ſupponitur. Obiectum autem exiſtere, aut non exiſtere, non refert. Adagium ortum traxit ex nugacibus ſophiſtis, quia nullum eſt ſubiectum propoſitionis non ſuppoſitũ, vel ſupponens: obiectum autem ſignificatum per terminos non ſupponitur nec ſupponit, ſed potius loco illius ſupponitur terminus. Poterit autẽ dici propoſitio *de ſubiecto non ſupponente*, quando aliquis argumentatur ex aliqua propoſitione tanquam conceſſa, cum non ſit: vt ſi quis dicat, *ſupponamus Petrum eſſe honeſtum, tunc ſic, ſed omnis homo honeſtus eſt dignus laude, ergo Petrus eſt dignus laude.* Si iſte progreditur in argumento quin à reſpondente admittatur ſuppoſitum, poteſt dici eum loqui de ſubiecto non ſupponente.

Sotus 2. part. introductionis c. lect. & notabili 1. ait: *ſuppoſitio eſt acceptio termini pro aliquo reſpõdente illi ſecundum eamdem acceptionem.* Melior definitio, quam Villalpandi, ſed non ſine vitio. §. 4. Nam *acceptio* eſt idem quod *ſignificatio ad placitum*; ſed ſuppoſitionem non eſſe ſignificationem oſtendi, §. 1. ergo. Maior patet, quia voces accipimus, & imponimus, ad ſignificandum, ac proinde eſt *acceptio vocis* ac *impoſitio.* Deinde ait *eſſe acceptionem*, ſi ly *acceptio* ſignificat ſignificationem, habet hunc ſenſum: *ſuppoſitio ſignificat eamdem rem, quæ ſignificatur per illam*, quia *eſſe acceptionem* eſt *ſignificare*, & *reſpondere ſignificationi* eſt *ſignificari*, & ſic nugax erit definitio: ſi autem ly *acceptio* ſignificat nõ ſignificationem, ſed ſubſtitutionem termini pro ſuo obiecto, habet hunc ſenſum, *ſuppoſitio eſt ſubſtitutio pro re pro qua ſubſtituitur*, quia ſuppoſitio eſt ſubſtitutio pro re, & *rem illi reſpondere ſecundum eamdem ſuppoſitionem* eſt *rem eſſe pro qua ſubſtituitur*; ſic autem recidet Sotus in anguſtias eaſdem. In alio ſenſu arbitror eſſe Sotum, vt ly *acceptio* ſit idem, quod *ſubſtitutio*, & *reſpondere ſecundum eamdem acceptionem*, ſit idem, quod *reſpondere eidem termino vt ſignificante rem*, id eſt, *ſuppoſitio eſt ſubſtitutio termini pro re per illum ſignificata:* ſic eſt clara definitio, Sotica verò minus clara, ſic autem & ſuam patitur difficultatem. Nam ibidem fatetur Sotus, & verè, terminos non ſignificatiuos ad placitum, habere ſuppoſitionem; item eſſe ſuppoſitionem materialem; tũc autem termino

non ſignificatiuo nihil reſpondet ſecundum eius acceptionem; quia nihil ſignificat, nec termino materialiter ſuppoſito aliquid reſpódet ſecundum ſuam ſignificationem, quia reſponſio petit extremum, quod reſpondet termino ſuppoſito, ergo. Nihil reſpondere patet in hac propoſitione, *Petrus eſt vox ſignificatiua ad placitum*, in qua *Petrus* ſupponitur pro ſe, & non reſpondet illi ſuum ſignificatum. Hoc vltimo argumento impugnatur definitio Fonſecæ lib.8. cap.20. aſſerentis, *ſuppoſitio eſt acceptio nominis pro re quam ſignificat.* Ná voces non ſignificatiuæ non accipiuntur pro re, quam ſignificant, quia nihil ſignificant, nec ſuppoſitione materiali nomen accipitur pro re quam ſignificat. Aduerte ly *acceptio*, ſumi à Fonſeca pro *ſubſtitutione*, vt ex eodem patet.

§.5. Toletus lib. 2. cap. 1. *ſuppoſitio eſt* (inquit) *vſus termini pro ſe*, vel *pro ſuo ſignificato.* Communior eſt hæc definitio, & ſimilior vero: complectitur enim ſuppoſitioné & materialem, & formalem: quæ vix poſſunt alia ratione vna definitione teneri. item eſt ex mente Ariſtot. 1. elenchorum aſſerentis, ideo nos vti terminis pro rebus, quia res nobiſcum ducere non poſſumus. Verum hæc ab Ariſtotele pingui Minerua videntur admiſſa. Non enim erat difficile Ariſtoteli ſecum ducere equum, quo vehebatur, & veſtem, qua tegebatur, & infinita alia, & tamen de illis ſic præſentibus non poſſe diſputare ſine terminis vocalibus, aut ſcriptis: ergo neceſſitas vtendi vocibus non oritur ex impotentia nobiſcum res trahendi, ſed aliunde, ergo voces non ſupponuntur pro rebus, quas ſignificant: ſed pro aliis, ſine quibus diſſerere non poſſumus, & tamen eas non poſſumus in diſputationem producere. Probo conſequentiam, quia ſuppoſitio vocum eſt neceſſaria ad diſputandum: non quia res, quas ſignificant, ſint abſentes, quia per illas nec præſentes nec abſentes diſputamus: ſed de illis, quia de mea veſte ego diſputo, quam in diſputatione habeo, & tamen non illa, ſed vocibus diſputo: ergo aliunde oritur neceſſitas accerſendi voces in diſputationem; nempe, vt vocibus ipſis diſputemus de rebus præſentibus phyſicè, vel abſentibus. Pro quo ergo neceſſario vtimur vocibus; niſi pro re neceſſaria diſputandum, quam non producimus in medium?

§.6. Quod vt pateat aduerte, totá noſtram diſputationem eſſe formaliter in intellectu: quia diſputare, affirmare, negare, definire, diuidere, & ratiocinari ſunt actus intellectricis potentiæ. Angeli, quia poſſunt manifeſtare ſua ſenſa ſine externis ſignis, non egent voce, ſcriptura aut alio motu: quia Michaël ſola ſua voluntate poteſt oſtendere Gabrieli, quid ipſe in ſua mente habeat. Immo vnus Angelus clarè videt intellectionem alterius: nos autem, dum animus carceratur in corpore, non poſſumus aperire quid de rebus ſentiamus, niſi per externa ſigna, per quæ loquimur. Id eſt pandimus animos. Hæc ſigna ſunt multiplicia: accenſis enim ignibus loquitur miles, hoſtem aduentare, communiter autem vtimur ſcriptura, & vocibus, cum hominibus natis: quia igitur mutuo diſputare, & confabulari non poſſumus immediatè per actus intellectus, vtimur externis ſignis, quibus diſſerimus, & loquimur. Hæc ſigna habent duo, & ſignificare rem, vt hæc vox *homo* ſignificat hominem, & conſtitui in propoſitionibus, & per illas aliquid affirmari, aut negari, in quo ſubſtituuntur pro conceptibus. Itaque diſputatio vocalis eſt vicaria diſputationis mentalis: quia hæc per illam oſtenditur, & vocalis ſufficitur pro mentali, quod non eſſet opus, ſi more intelligẽtiarum videremus actus intellectus. Vnde melius dixiſſet Ariſtoteles, nos vti vocibus, quia terminos mentales non poſſumus in mediam diſputationem proferre, & hinc oriri vocum neceſſitatem, non verò, quod non poſſimus res nobiſcum trahere.

§.7. Vnde concludo, ſuppoſitionem eſſe *ſubſtitutionem ſigni ſenſibilis loco conceptus mentalis ad conſtituendam propoſitionem circa ſignificatum termini mentalis.* Eſſe ad conſtituendam propoſitionem patet ex Summuliſtis aſſerentibus terminum ſignificare extra propoſitionem, ſupponi autem vel ſupponere intra propoſitionem: eam eſſe ſubſtitutionem patet, tum ex etymologia, tum ex Ariſtotele aſſerente nos vocibus vti pro rebus. Tertiò: quia per voces, & ſcripta diſſerimus eas ſubſtituendo vel pro rebus, vel pro conceptibus mentis. Eſſe loco conceptus mentalis patet ex §.6. Nam vocibus in propoſitione vtimur, vt per illas affirmemus vel negemus iis, cum quibus loquimur, ſed affirmare, aut negare nó eſt in vocibus formaliter, ergo ſubſtituere (ita vt dicã) eſt loco affirmationis, & actus mentalis, non verò loco rerum. minor probata eſt diſput. 1. §.14. quia affirmare eſt actus iudicij formaliter exiſtentis in intellectu, tunc ſic, ergo voces in affirmatione ſubſtituuntur loco affirmationis mẽtalis: quia voces ſunt affirmationes inſtrumentales per denominationé ab affirmatione formali intellectuali, ergo voces ponimus loco affirmationis mentalis, itaque voces ſignificant res ipſas, & ſupponuntur pro conceptibus intellectus.

§.8. Confirmatur, ſi ego poſſem tecum agere immediatè per actus intellectus, ita vt tu videres meas propoſitiones mentales, & ego tuas, certè videres præcepta, quibus ego te imbuerem, & non eſſet opus, vt per voces ea ego tibi manifeſtarem: quia ſine vocibus eſſent manifeſta: at verò, quia tu in meo intellectu non vides ea præcepta, ea ratione opus eſt vt ea tibi ego manifeſtem per voces. Quæ voces ſignificant tibi *hominem*: v.g. *Eſſe animal* quia meum præceptum mentale idem ſignificat. Et illæ voces tecum faciunt, vt percipias *hominem eſſe animal*, quod faceret præceptum mentale, ſi illud tibi pateret. Itaque præceptum mentale, & vocale idem habent obiectũ, nempe *hominem eſſe animal:* & vocale te certiorem de illo facit loco mẽtalis, & quia per ſolum mentale ego non poſſum tecum loqui, ſubſtituo loco illius vocale. Itaque tota ratio, & neceſſitas vtendi vocibus ad placitum ſignificantibus oritur ex impotentia videndi noſtras cognitiones de rebus. Quas ſi poſſemus in diſputationem producere, nec eſſet opus res ipſas ſignificatas, nec voces eas ſignificantes adducere. Quia per ſolas cognitiones diſputaretur, nec ad ſuſcipienda præcepta egeretur vocibus, quemadmodum præſtatur ab Angelis mutuo loquentibus per conceptus abſque ſignis externis: ergo tota diſputatio vocalis ponitur loco mentalium, vt faciat quod hę erant effecturæ, ſi poſſent in medium efferri.

§.9. Dicis, etiam actus mentales ſupponuntur pro rebus, ergo & vocales. Nego antecedens, quia res nihil erant facturæ in intellectu, & ſic nó facit terminus mentalis, quod res erat factura, nec ponitur loco illius. Nam termini mentales ſunt ipſæmet cognitiones, quæ cognoſcunt res, & obiecta: obiecta autem non debent cognoſcere, ſed cognoſci, & ſic actus funguntur ſuo munere, & cognoſcunt, ac prædicant: obiecta autem funguntur ſuo, cognoſcuntur, ac terminãt, & termini vocales ſupponuntur ad prædicãdum loco mentalium, quorum obiecta ſignificant, vel ſunt. Item voces ſubrogantur

ad

ad propoſitionem,& argumentationem conficiendas, obiecta autem non componunt argumentationem, ſed de illis arguimus, vnde argumentatio obiectiua vocantur, id eſt, obiectum argumentationis, quæ obiecta nihil erant factura in mente, ſed actus ſunt, quia faciunt, id eſt, exprimunt, & manifeſtant obiectum, quod aliis nos manifeſtamus per voces, quæ ea ratione faciunt, quod actus erant facturi,& pro illis ſubrogantur.

§. 10. Dixi in diffinitione *ſigni ſenſibilis*: quia non ſolùm voces,& ſcripta, ſed quæuis alia ſigna poſſunt ſubſtitui pro conceptu mentali: frequentiora autem ſunt verba, & characteres. Addidi *ad propoſitionem*, quia etiam vnio ſubiecti, & prædicati ſupponitur pro conceptu illi reſpondente. Quam ob rem malè aiunt veteres nonnulli Summuliſtæ, terminos adiectiuos nō ſupponi,cum verè ſubrogentur loco mentalium illis reſpondentium. Nam in hac propoſitione, *Petrus eſt albus*,non minus ponitur prædicatum loco mentalis cōceptus ad ſignificandum obiectū,quàm ponitur ſubiectū. Aduerte in quacumque oratione voces ſupponi pro conceptu,vt in hac *Petre curre*,quæ ponitur loco interioris imperij, ſed ego loquor de ſuppoſitione reſpectu propoſitionis,quæ pertinet ad logicum.

SECTIO II.

Suppoſitio formalis, & materialis.

§. 11. PRimò diuiditur ſuppoſitio in materialem, & formalem. Formalem dicunt eſſe *vſum termini pro re, quam ſignificat*, vt *homo eſt animal*, vox *homo* ſumitur pro vero homine:ita vocatur, quia terminus ibi ſumitur formaliter in ratione formali ſigni pro re, cuius eſt ſignum. Materialem dicunt eſſe *vſum termini pro ſe ipſo*, vt *blytiri non ſignificat*, ſumitur enim ibi materialiter,ſcilicet, pro ipſa materia vocali, & non pro alia re ſignificata. At iuxta ſuperiùs dicta ſuppoſitio formalis erit *ſubſtitutio termini ſignificatiui,loco termini mentalis ſignificatis eamdem rem*. Ly,*ſignificatiui*, ſumitur formaliter vt ſignificet rem: vt *homo currit*,ſumitur *homo* ad ſignificandum verum hominem, alioquin erit ſuppoſitio materialis: itaque & terminus mentalis, & vocalis ſignificare debent obiectum idem in propoſitione. Suppoſitio autem materialis, *ſubſtitutio termini ſenſibilis loco termini mentalis ad ipſum ſenſibile terminati*. Tunc enim terminus ſuppoſitus non ponitur ad ſignificandum obiectum à ſe diſtinctum, exempli gratia, mens apprehendit hanc vocem *blytiri* non eſſe ſignificatiuam, idque affirmat intra ſe,eámq; affirmationem dicit his verbis: *Blytiri non ſignificat*, ibi ponitur *blytiri* loco termini mentalis, & non ſignificat aliquid à ſe diſtinctum. Item *nomen eſt vox*: ly *nomen* ſupponitur materialiter pro ſe, quia illud ſignificat terminus mentalis.

§. 12. Dices ibi ſumi *nomen* pro omnibus nominibus & *blytiri* pro omni blytiri. Reſpondeo ad primum, nomen etiam ſumi pro ſe:& ibi non ſumi ad ſignificanda alia,niſi confusè. Ad ſecundum res eſt clarior:quia hæc vox *blytiri*, non eſt impoſita ad ſignificandas alias, ſecus hæc vox *nomen* imponitur ad ſignificandas voces declinabiles,& ex parte ſupponi poteſt formaliter, & qua parte ſe ſignificat ſupponitur materialiter. Hæc ſuppoſitio materialis, quandoque eſt intrinſeca, vt cum vox ponitur ad ſignificandam intrinſecam eius perfectionem, vt *vox eſt ſonus*:quandoque extrinſeca,quando ei attribuitur extrinſeca affectio,*vt amo eſt verbum*.

SECTIO III.

Suppoſitio ſimplex, & perſonalis.

TOletus, lib.2.cap.1. & Fonſeca, lib.8. cap.24. & 25. Aiunt, ſuppoſitionem ſimplicem eſſe *vſum nominis communis pro ſuo immediato, & formali ſignificato*. §. 13. Vt hæc vox *homo* ſumitur pro ratione hominis vt ſic abſtracta à Petro, & Paulo, quam rationem immediatè & formaliter ſignificat. Perſonalem ſuppoſitionem aiunt eſſe *vſum nominis pro re, quam ſignificat mediatè*, vt *homo currit*, non ſumitur *homo* pro homine abſtracto, ſed pro Petro, aut Paulo remotè ſignificatis per vocem *homo*: cui definitioni ita adhæret Fonſeca, vt in metaphyſica acriter inuehatur in Nominales, quòd illam videantur negare.

Doctrinam quam ſubiiciam de his duabus ſuppoſitionibus optimè tradit Sotus,2.parte introductionis,cap.1.lect.3.notab.1.& 5.Ac primum contra Toletum, & Fonſecam, eſt hoc argumentum in hac propoſitione: *Petrus eſt indiuiduum ſubijcibile*. §. 14. Ly *Petrus* ſupponit ſimpliciter, & non perſonaliter, & in hac *Petrus currit* ſupponit perſonaliter,& non ſimpliciter, ſed in vtraque habet immediatum ſignificatum idem, & neutra habet ſignificatum remotum: ergo ſuppoſitio ſimplex, & perſonalis,non bene diſparantur per ſignificatum proximum,& remotum:quia ſine ea diſtinctione obiectorum diſtinguuntur illæ ſuppoſitiones. Probo minorem: quia *Petrus eſt indiuiduum ſubijcibile*,non conuenit Petro ſecundum ſuam perſonam in ſe conſideratam, ſed per denominationem ſecundæ intentionis intellectualis, quia hominem eſſe ſpeciem ei conuenit non ratione perſonarum humanarum in ſe, ſed per actum intellectus, ergo ſicut *homo eſt ſpecies*, ſupponitur ſimpliciter, & non perſonaliter,ita & *Petrus eſt indiuiduum*. Confirmatur: omnis ſuppoſitio pro prædicabilibus formaliter, eſt ſimplex, ergo & pro ſubiicibilibus: quia verſantur in eodem genere logico.Eam autem ſuppoſitionem eſſe ſimplicem apertè docet Sotus ſupra, & Toletus,lib.1.c.1. *Petrum* autem ſupponi etiam perſonaliter, nemini dubium. Petrum autem in vtraque propoſitione habere ſignificatum idem, patet; quia *Petrus* tantum ſignificat rationem hominis contractam per Petreitatem nec proximè, nec remotè aliud ſignificat,ſin illud aſſigna.

Secundò argumentor in hac propoſitione: *Homo eſt ſpecies*, & in hac *homo eſt animal*, *homo* ſignificat §. 15. idem immediatum obiectum, & in priori ſupponitur ſimpliciter, & in poſteriori perſonaliter, ergo. Maior patet: quia *homo eſt animal*, non ſolum, quia eius inferiora ſunt animal, ſed ſecundum rationem communem hominis abſtractum eſt animal: immo quia illa ratio communis eſt animal, ideò inferiora ſunt animal.

Eſt ergo ſuppoſitio ſimplex *ſubſtitutio termini ad ſignificandum rem, vt ſubeſt ſecundis intentionibus, & ab illis accipit denominationem*. §. 16. Perſonalis verò *ad ſignificandam rem ſecundum ea quæ illi inſunt ſecundum rem independenter à ſecundis intentionibus*. Ita colligitur ex Soto ſupra ſic exponente definitionem communem de primario,& ſecundario ſignificato. Ait enim definitio communis, *ſuppoſitionem ſimplicem eſſe, qua ponitur terminus pro primario ſignificato, perſonalem verò pro ſecundo*. ait Sotus: *Pro primario in quantum cognitum eſt, pro ſecundo verò, quando ſumitur ſine tali applicatione*. At in quantum cognitum eſt, perinde eſt, ac in quantum ſubeſt ſecundæ intentioni. Probatur primò:quia ſupponi

pro termino, vt ſubeſt ſecundis intentionibus, & vt eſt à parte rei, ſunt diuerſæ ſuppoſitiones inſtituto logico prædicabilium, & prædicamentorum maxime neceſſariæ, ergo debuerunt à dialecticis tradi, ſed nulla alia traditur præter has, ergo. Secundò inductione per omnia prædicabilia, & ſubijcibilia. Tertiò, quia (vt oſtendi, §. 14.) multæ eiuſmodi ſuppoſitiones nõ poſſunt commodè diſtingui niſi hac ratione. Quartò ex nominum etymologia: quia perſonalis ſumitur à perſona, ſecũdum quæ in illa ſunt: ſimplex autem à modo tendendi in obiecta, nihil in illis efficiendo, ſed ea præcisè conſiderando.

§. 17. Hinc colligitur cur in ſuppoſitione perſonali vniuerſali locum habeat deſcenſus per inferiora ſub eadem voce, ſecus verò in ſuppoſitione ſimplici: nam *homo eſt animal,* habet hunc deſcenſum, *Petrus eſt animal, Paulus eſt animal*; hæc verò *homo eſt ſpecies,* non habet hunc deſcenſum *Petrus eſt ſpecies, Paulus eſt ſpecies.* ratio à priori: quia in ſuppoſitione perſonali ſignificatur quod cõuenit rationi communi à parte rei ſeu primò intentionaliter. ſic autem ea omnia conueniunt inferioribus contentis illa ratione communi, vt omni animali conuenit eſſe ſenſibile, quia à parte rei id conuenit animali vt ſic: at in ſuppoſitione ſimplici ſignificatur quod conuenit rei ſecundò intentionaliter ex modo concipiendi, hic autem modus diuerſus eſt circa rationes communes & particulares: quia circa illas eſt confuſus, & circa has clarus: modo autem claro non poſſunt conuenire proprietates modi confuſi. Sic eſt falſa hæc propoſitio *Petrus eſt ſpecies*, quia ſpecies humana ſupponitur pro indiuiduis confuſè cognitis, Petrus autem pro indiuiduo clarè cognito.

§. 18. Sotus ſupra aduertit, poſſe fieri deſcenſum per inferiora retinendo proprietatem, qua cognoſcitur ratio communis, vt *homo eſt ſpecies,* habet hunc deſcenſum, *hic homo, in quantum cognitus homo, eſt ſpecies.* Quod eſt verum, tamen abſolutè negandum, vt idem Sotus negandum cenſet, quia cum dicimus *hic homo*, iam eſt clara cognitio Petri, de quo ſic clarè cognito falſum eſt eum eſſe ſpeciem. Dicere autem, *hic homo in quantum cognitus homo,* coniungit terminos repugnantes. Nam *hic homo*, dicit claram cognitionem Petri, & in quantum *homo* dicit obſcuram eiuſdem Petri notitiam.

§. 19. Item aduerte contra Fonſecam ex vno termino ſimplici rectè inferri alium ſimplicem in diuerſo genere, v.g. *Animal eſt genus homini, ergo aliquod animal eſt ſpecies.* Ly *aliquod animal* ſimpliciter ſupponitur, non perſonaliter, quia eſſe ſpeciem non conuenit alicui animali, niſi vt ſubeſt ſecundæ intentioni. Dixi *in diuerſo genere:* quia ex ſuppoſitione ſimplici generica, & prędicabili infertur ſuppoſitio ſimplex, ſpecifica, aut indiuidua ſubijcibilis. Tertio aduerte contra eundem ex hac duplici ſuppoſitione non colligi immediatum ſignificatũ huius vocis, *homo*, eſſe vnam rationem obiectiuè abſtractam ab inferioribus: inferiora autem ſignificari remotè, id enim non colligitur.

§. 20. Rogas vtrum hæc ſit ſimplex ſuppoſitio, *Omnis homo eſt ſpecies?* Non eſt vera abſolutè ſumpta, licet eſt ſimplex, quia ly *omnis* eſt diſtributio ſpeciem tribuens ſingulis in particulari, vt *omnis homo currit*, tribuit curſum ſingulis hominibus. Si verò dicatur, *omnis homo confuſè cognitus eſt ſpecies*, eſt ſuppoſitio ſimplex, & vera, quia ſpecies humana nihil eſt præter omnes homines confuſè cognitos, ly autem *omnis* eſt copulatiua, vt *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim.* Tandem aduerte, ſuppoſitionem ſimplicem conſtitui loco termini reflexi, exempli gratia, ego dico *homo eſt ſpecies:* hæc propoſitio ſupponitur pro alia mentali, qua ego idem affirmo. Hæc mentalis propoſitio eſt reflexa; quia terminatur ad hominis ſpecieitatem, quæ eſt actus intellectus, quam ſpecieitatem ſignificat illa vocalis propoſitio, ſupponitur autem pro actu reflexo terminato ad ſpecieitatem.

SECTIO IV.

Suppoſitio communis, & ſingularis.

SVppoſitio ſingularis eſt *ſubſtitutio termini ad ſignificandam vnam rem ſingularem in ſingulari,* vt *Petrus, Deus*, quam alij vocant *diſcretam:* quia cognitio rei ſingularis in ſingulari eſt diſcretio ſui obiecti à cæteris alijs rebus (vt latè oſtendo diſp. 5. Metaph.) Vnde terminus ſubrogatus pro tali cognitione dicitur, *diſcretè ſupponi*, id eſt, ſupponi pro actu diſcreto, & claro circa ſuum obiectum. Itidem arbitror ſuppoſitionem particularem eſſe ſingularem: quia obiectum ſingulare, & particulare ſunt idem. Nam particularis homo eſt *Petrus*, eſt enim pars contenta ſub obiecto communi, atque idem eſt concipere obiectum in particulari, ac in ſingulari. Quia verò Summuliſtæ diſtinguunt ſigna particularia à ſingularibus, dic ſuppoſitionem ſingularem, & particularem diſcretam, ſeu determinatam eſſe idem, non tamen particularem confuſam. §. 21.

Toletus lib. 2. cap. 2. ait ſuppoſitionem communem *eſſe vſum termini pro ſuis inferioribus.* Non probatur, quia vſus termini communis pro ſignificato communi abſtracto ab inferioribus eſt etiam ſuppoſitio communis, vt *homo eſt animal*, non ſolum conuenit inferioribus, ſed etiam homini vt ſic ab illis abſtracto. Quare Villapand. lib. 1. 3. part. c. 1. ait ſuppoſitionem communem eſſe, *qua terminus ſupponitur cõmuniter,* id eſt, pro ſignificato communi. Sotus vero, 2. part. cap. 1. lect. 4. notabili 1. ait *eſſe vſum termini communis communiter retenti.* Et benè, quia ſuppoſitio communis eſt *ſubſtitutio pro termino communi*, ergo ſignificatur conceptus aliquis communis, vt communis: nam ſi eſt contractus ad ſingularem, iam non eſt communis, ſed ſingularis, & erit ſuppoſitio diſcreta. Confirmatur: ſuppoſitio communis diſtinguitur à diſcreta, non aliam ob cauſam, niſi quia diſcreta ponitur pro termino ſingulari, communis verò pro vniuerſali. Impugnaui eam Toleti definitionem ad hominem diſtinguentem ſignificatum immediatum commune à ſignificato remoto ſingularium, ſimpliciter autem idem eſt aliquid conuenire rationi communi, ac omnibus inferioribus confuſè notis. §. 22.

Pater Fonſeca, lib. 8. cap. 26. inuenit abſolutam quandam ſuppoſitionem, nempe *acceptionem nominis pro ſuo immediato ſignificato, non præciſo tantum*, vt in hac propoſitione *homo eſt animal*, conuenit prædicatio *homini*, vt ſic abſtracto à ſingularibus, item & ſingulis hominis indiuiduis. Quam ſuppoſitionem vocat mixtam ex ſimplici, & perſonali: qua enim parte ſumitur pro immediato ſignificato, eſt ſimplex: perſonalis verò, qua parte ſupponitur pro ſingularibus. Verum oſtendi §. 14. eam eſſe ſuppoſitionem perſonalem: quia ſupponitur pro termino primæ, & non ſecundæ intentionis. Fonſeca verò coactus eſt eam mediam ſuppoſitionem comminiſci, vt tueatur ſuam diffinitionem ſuppoſitionis ſimplicis, vt ſe tueatur §. 23.

contra

Digitized by Google

contra Nominales negantes duo ſignificata per vocem communem, alterum remotum, alterum commune. Impugnatur præterea: quia *abſolutè ſupponi*, nihil eſt, quam abſolutè ſubrogari pro alio; ſed tam ſimplex, quàm perſonalis ſuppoſitio abſolutè ſubrogatur pro alio, ergo vtraque eſt ſuppoſitio abſolutè & abſoluta. Secundo: quia hæc ſuppoſitio abſoluta, vt abſoluta, eſt etiam perſonalis, ergo. Probo antecedens, vt abſoluta ſupponit pro termino communi ſumpto à parte rei, vt *homo eſt animal*, *homo* ſupponitur ſecundum prædicata illi conuenientia: ſed hæc, vt ſunt in obiecto, ſunt perſonalia: quia ſunt ipſamet ſingularia cognita actu vniuerſali, & confuſo, ergo. Tandem non licet nouas inuehere definitiones, ſed receptas apud alios recipere, vt in diſputationibus ad arguendum principia fixa ponantur.

SECTIO V.

Suppoſitio diſtributiua, copulata, determinata, naturalis, accidentalis.

§. 24. HAc in parte intolerabiles ſunt Summuliſtæ tot regulis, diuiſionibus, ac definitionibus inutilibus onuſti, vt nihil videantur efficere, niſi comminiſci tenebrarum machinas ad debellandos tyronum animos, ne audeant in tam tetrum chaos pedem inferre: legat qui voluerit Sotum in eis tenebris fugandis ſatis laborantem. Ego cum Villalpando, Toleto, atque Fonſeca ab iis nugis duxi abſtinendum, ac tradendas frequentiores, & vtiles ſuppoſitionis communis ſpecies. Suppoſitio diſtributiua eſt, *qua ſupponitur terminus communis reſolubilis per deſcenſum affectum coniunctione, &c*, aut diſiunctione, *Nec*: vt *omnis homo eſt animal* ſupponitur pro omnibus hominibus, ad quos per legitimam conſequentiam fit deſcenſus, vel reſolutio, e.g. *ergo Petrus eſt animal, & Antonius eſt animal*, hoc volunt Sotus, Toletus, & Villalpandus ſuis definitionibus. Nam ſi terminus communis afficitur categoremate affirmatiuo *omnis*, retenta tota eius vniuerſalitate, certè diſtribuitur prædicatum per ſingula inferiora contenta ſub prædicato: exempli gratia. *Omnis homo eſt animal*, ita diſtribuitur, *ergo Petrus eſt animal, & Paulus eſt animal.* Quod ait Fonſeca eſſe, reſolui per varias propoſitiones, quod non eſt neceſſarium; nam per vnam quoque poteſt reſolui, vt *ergo Petrus, & cæteri indiuidui homines ſunt animal.* Item ſi terminus communis afficitur categoremate negatiuo, *nullus*, retenta eius vniuerſalitate, propoſitio reſoluitur per diſiunctionem, *Nec*, vt *nullus homo eſt lapis*: ita reſoluitur. *ergo nec Petrus eſt lapis, nec Paulus, nec vllus indiuiduus homo eſt lapis.* Hanc ſuppoſitionem vocant copulatiuam: quia propoſitioni propoſitio copulatur in ſuppoſitione affirmatiua, quod infra impugnabo. Quia copulatiua eſt qua ſupponitur pro termino copulato, vel copulatiuo, nam à terminis, pro quibus voces ſubrogantur, accipiunt denominationes: non verò à nexu multarum propoſitionum.

§. 25. Ante definitionem ſuppoſitionis copulatæ repete §. 81. diſput. 1. vbi definitus eſt terminus copulatiuus, *qui ſignificat plura aceruatim ſumpta per modum vnius.* ita ſuppoſitio copulatiua eſt, *ſubrogatio termini ſenſibilis loco termini mentalis copulatiui.* Ita eſſe probatur primò: quia voces, & ſcripta non ſupponuntur ratione ſui, ſed ratione propoſitionis mentalis, vel ſi vis, etiam ratione rei ſignificatæ. ergo ſi propoſitio mentalis conſtat termino copulato, etiam vocalis conſtans ſimili termino, illique reſpondens erit copulata: ſi verò mentalis non ſit copulata, ergò nec vocalis illi reſpondens erit copulata, quia illi reſpondet in omnibus proprietatibus.

Secundò inductione, quia communis ſuppo- §. 26.
ſitio, aut particularis eſt, qua ſubrogatur terminus loco rei, aut termini communis, & particularis: vnde hæc propoſitio, *Pompelona extruxit hanc Pyramidem ſancto Ignatio*, erit ſuppoſitio copulata, quia *Pompelona* eſt terminus copulatus. Tamen à Summuliſtis ſumitur in ſignificatione non nihil diuerſa, aiunt enim ſuppoſitionem copulatam eſſe, *quando ſumitur nomen in plurali numero ad ſignificanda plura cum ſigno vniuerſali.* ita Villalpandus: Toletus verò, *quando ſumitur pro omnibus ſuis ſignificatis collectiuè ſumptis.* exempli gratia, *omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim*: ly *omnes Apoſtoli* ſumuntur ſimul, & propoſitio non debet reſolui diſtributiuè, hic enim deſcenſus eſt malus, *ergo Petrus eſt duodecim*, ſed debent in ſubiecto omnes copulari, vt *Petrus, Andreas, & reliqui Apoſtoli ſimul ſumpti ſunt duodecim.* ſi tamen hæc ſecunda definitio rectè expendatur, non differt à priori, quia Apoſtoli ſumuntur pro Collegio Apoſtolico, qui eſt terminus copulatus. Eadem enim hæc eſt propoſitio, *tota Pompelona dicat Pyramidem*, ac *omnes Senatores Pompilonenſes dicant Pyramidem.* Itaque ille terminus pluralis affectus ſigno vniuerſali ſumitur pro aliquo aggregato rerum diſtinctarum per modum vnius ſignificatarum: vox autem eas ita ſignificans eſt copulata ſaltem virtualiter, vt *omnes Apoſtoli*, ſignificat idem quod *Collegium Apoſtolorum*: ſunt autem nugæ, quærere diſtinctionem inter *copulatè*, & *copulatiuè*, non ſecus ac ſi quæreretur inter *ſenſile*, & *ſenſibile*, *diſtributè*, & *diſtributiuè*.

Suppoſitio determinata definitur à Villalpan- §. 27.
do ſupra, *qua ſupponitur terminus communis vel nullo ſigno vel particulari affectus.* exempli gratia, *homo currit* vel *aliquis homo currit.* Sed non bene, nam ſuppoſitione diſtributiua ſupponitur terminus communis nullo ſigno affectus, vt *homo eſt animal.* Toletus lib. & cap. 2. ait determinatam eſſe, *qua ſupponitur terminus communis pro ſuis inferioribus diſiunctiuè*: ita communiter Summuliſtæ vtentes hoc exemplo *aliquis homo currit*, ideſt, vel *Petrus currit*, vel *Paulus*, *&c.* Sed certè videntur terminis abuſi, nam deſcenſus diſiunctiuus non poteſt eſſe determinatus, ſed indeterminatus, quia per illum nullum indiuiduum cognoſcitur determinatè: nam cum dico *aliquis homo currit*, nullum hominem determino, ſed indifferenter noto Petrum, vel Paulum: determino enim & terminum pono cognitioni, cum ea adſtringitur ad vnum determinatum obiectum.

Confirmatur; vagum opponitur determinato, §. 28.
vt ex terminis patet; ſed vagum eſt indeterminatum, quia vagatur per plura, quin adſtringatur ad vnum; ergo determinatum adſtringitur ad vnum determinatè. Oſtendi diſp. 1. §. 47. terminum ſingularem, determinatum, & particularem eſſe idem. Vnde ſuppoſitio determinata eſt *ſubſtitutio ſigni ſenſibilis loco termini mentalis ſingularis*, quæ eſt idem cum ſuppoſitione diſcreta, vt *Petrus currit*, *hic homo dormit.* At verò Summuliſtæ ſuppoſitionem vagam vocant determinatam, eſtque in eorum ſententia *acceptio termini communis pro inferioribus diuiſiuè ſumptis*, vt *aliquis homo currit.*

Suppoſitionem confuſam arbitror eſſe quam illi §. 29.
vocant particularem: vt hæc, *oculus eſt neceſſarius ad*

videndum. Nam oculus nõ ſumitur determinatè pro dextro in particulari, aut pro ſiniſtro in particulari, excludente dextrũ, ſed vagè & indeterminatè. Nam confuſio oritur ex noſtro modo concipiendi, qui modus eſt vagus. Nec video diſcrimen inter has propoſitiones, *aliquis oculus requiritur ad videndum, aliquis oculus videt*, cũ habeant deſcenſum, & aſcenſum eundem, quia ibi oculus confuſè ſignificatur.

§. 30. Fonſeca lib. 8. cap. 31. ait deſcenſum propoſitionis confuſæ eſſe disiunctum, exempli gratia, *oculus eſt neceſſarius ad videndum*, ideſt *neceſſarius eſt, hic vel ille, non tamen hic eſt neceſſarius*, vel *ille eſt neceſſarius.* Determinata verò propoſitio habet deſcenſum diſiunctiuum vt *aliquis homo currit* ideſt *hic currit*, vel ille *currit*. Non acquieſco, quia oculus requiritur, poteſt diſiunctiuè reſolui, nam vel hic oculus eſt neceſſarius, vel ille. Ait Fonſeca has reſolutiones eſſe falſas, quia nullus oculus eſt neceſſarius: diſtinguo, nullus in particulari excludendo alios, concedo; nullus vage, & diſiunctiuè non excludendo alios, etiam confuſè apprehenſos, nego: propoſitio autem non dicit aliquem particularem in particulari, ſed confuſè requiri, quod ſignificatur in illis reſolutionibus: nam ſicut à parte rei non poteſt videri ſine hoc, vel illo oculo, ita hic vel ille eſt neceſſarius: quia idem eſt, oculum eſſe neceſſarium, & nõ poſſe ſine illo videri. Verum eſt à parte rei viſionem non fieri niſi in oculo particulari, quia à parte rei non datur confuſio de quo alibi, & ſect. ſequenti, à §. 35. Nec verò ſuppoſitio diſcriminatur eo quod à parte rei exercetur; ſed ex modo quo terminus mentalis (pro quo ſupponitur vox) tendit in obiectum: at tam confuſè tendit in hoc *aliquis homo currit*, quàm in hoc; *aliquis oculus requiritur ad videndum*: quia in vtrumque tendit confuſè.

§. 31. Suppoſitio naturalis eſt, *qua terminus ſupponitur pro omni ſuo ſignificato*: Ego dicerem, *qua ſupponitur terminus in materia omnino neceſſaria.* Nam talis materia dicitur *naturalis*, vt *homo eſt animal.* quod prædicatum conuenit homini, in quocumque ſtatu conſideretur, ſiue in actuali, ſiue in potentiali, ſiue in intellectu, eſt enim animal vel actuale vel potentiale, vel in intellectu, quæ præpoſitiones vocantur, *ſempiternæ veritatis.* Hæc ſuppoſitio poteſt eſſe diſcreta vt *Petrus eſt homo*: vel communis, & æquiualet diſtributiuæ, perinde enim eſt *homo eſt animal*, ac *omnis homo eſt animal*: ſi verò ſit in materia remota, ſiue repugnante, eſt etiam vniuerſalis vt *homo non eſt lapis*: ſuppoſitio accidentalis eſt, *qua ſupponitur terminus pro differentia temporis importata in propoſitione*, vt *homo currit*, ideſt *tempore præſenti*, accidentalis ſumitur hîc non pro vero accidente, quia hæc eſt accidentalis, *Petrus exiſtit*, & nullum accidens ſignificat: & hæc, *Petrus eſt riſibilis*, dicitur ſignificare accidens, & non eſt accidentalis, ſed naturalis. Dicitur autẽ accidentalis, ideſt contingens.

§. 32. Hæc poteſt eſſe etiã diſcreta, vt *Petrus currit*, vel communis, vt *homo currit*, quæ ſi non afficitur categoremate vniuerſali, *omnis*, aut *nullus*, æquiualet particulari, ſiue vagæ, vt *homo currit*, ideſt *aliquis homo currit.* ſat hæc de ſuppoſitione, qui plura velit, adeat Sotum, atque Fonſecam. hæc enim ſunt frequentiora, cætera rara, parum vtilia, & quæ vſu diſcuntur, vt cum dicitur ſuppoſitio diſtributiua pro *ſingulis generum*, ideſt pro omnibus indiuiduis contentis ſub aliqua ratione communi, vt *omnis equus currit*, pro omnibus equi indiuiduis: item *pro generibus ſingulorum*, ideſt nõ pro omnibus indiuiduis cõtentis ſub genere, ſed pro aliquo eius, vt *omne animal fuit in arca Noë*, ideſt aliquod ex ſingulis generibus, vt vnus equus, & vnus Leo: vel duo.

SECTIO VI.

De aſcenſu atque deſcenſu.

Aſcenſus & deſcenſus ab aliis dicuntur *argumentatio*, ab aliis *conſequentia*, ab aliis *inductio.* Aſcenſus eſt *conſequentia à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad vniuerſale.* ea vox, *ſufficienter enumeratis* ponitur loco *conſtantiæ* veterum Summuliſtarum: pro qua conſtantiſſimus eſt Sotus, 2. part. introductionis, cap. 3. lect. 1. notabili. 4. quam rectè omiſerunt Toletus, & Villalpandus: Si autem ſingularia non enumerentur ſufficienter, inepta erit conſequẽtia, v. g. ſi quis Magiſtro dicat, *omnes Scholaſticos ſtuduiſſe*, & id probaret, quia Petrus ſtuduit, ſimiliter & Paulus, ſi Franciſcum non numerauit, nulla eſt conſequentia, quia potuit non ſtuduiſſe. Vnde argumentum ab inductione in conceptibus vniuerſalibus eſt valde eneruе, nec minimè formale: nam vniuerſa ſingularia ſunt impoſſibilia ab homine numeratu. Si quis enim probet omnẽ ignem calefacere, quia omnes ignes in Hiſpania calefaciunt, dicet aliquis in Belgio eſſe aliquos ignes, qui non calefaciunt, quis enim perſuaderet Æthiopi eſſe homines albos? aut Indis Barbaros? oportet ergo recurrere ad rationem aliquam, quæ in ſingulis vim habeat eamdem. §. 33.

Deſcenſus eſt *conſequentia ab vniuerſali ad ſingularia*, vt *omnis homo currit* habet conſequentias ad ſingulos, poteſtque probari, ſingulos homines currere, quia omnis homo currit. Seruit verificandis propoſitionibus vniuerſalibus, ad quod percurrenda ſunt indiuidua ſingulatim: & ad oſtendendam falſitatem earundem, ad quod ſufficit deſcendere ad vnum ſolum; exempli gratia, ſi quis dicat *omnem hominem currere*, ad eius falſitatem ſat eſt, ſi non currat Petrus: *aſcenſus* vocatur, quia conceptus vniuerſalis complectitur omnia ſingularia, & quia ex vno, & alio enumerato complectitur conſequentia vniuerſalis ſingula, quæ particulatim erant recenſita: quod eſt aſcendere; è contra verò *deſcenſus*, quia ab omnibus ſimul ſumptis deflectitur ad ſingula ſingillatim. §. 34.

Aſcenſum, atque deſcenſum quadripartiuntur Summuliſtæ, in *copulatum*, & *copulatiuum*; *diſiunctum*, & *diſiunctiuum.* Copulatiuus eſt, *cum ab vniuerſali fit deſcenſio ad ſingularia*, vt *omnis homo currit, ergo & Petrus currit, & Paulus currit*: quia, dicunt, vna propoſitio aliis copulatur. Verum iſte deſcenſus eſt diſtributiuus, quia prædicatum commune ſingulis inferioribus diſtribuimus. Deſcenſum copulatum vocant, *quando à ſuperiori deſcenditur ad inferiora non ſigillatim, atque diuulſa, ſed collecta: vt omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, ita deſcenſu explicatur, *ergo Petrus, Andreas, & alij Apoſtoli ſunt duodecim*, doctrina vera, ſed hic deſcenſus eſt idem ac copulatiuus, oſtendi enim non poſſe ſine nugis quæri diſcrimen inter copulatè, & copulatiuè. Deſcenſum diſiunctiuum vocant, *quando ex ratione communi deſcenditur ad ſingulares cum diſiunctione, vel*, vt *homo, vel aliquis homo currit, ergo vel Petrus currit, vel Paulus currit.* Quam doctrinam probo. Diſiunctum vocant, *quando à ratione communi deſcenditur ad particularia non ſiſtendo in ſingulis per ſe, ſed deſcendendo ad omnia ſub diſiunctione*, vt *equus requiritur ad equitandum*, infert, *ergo vel hic, aut ille, aut alter requiritur*; nullus enim in particulari requiritur. §. 35.

Hæc diſtinctio deſcenſus à diſiunctiuo impugnata eſt. §. 30. contra Patrem Fonſecam; impugnaturque contra cæteros Summuliſtas: §. 36.

quia

quia iſta propoſitio. *Aliquo equo equitatur*, habet deſcenſum diſiunctiuum de Summuliſtarum ſententia, ſed etiam habet deſcenſum, quem illi diſiunctum vocant, ergo iſti deſcenſus non diſtinguntur. Probo minorem, in illa fit deſcenſio ad omnes ſingulares equos recenſos ſub diſiunctione, ita vt in nullo determinatè ſiſtatur, ergo eſt deſcenſus copulatus. Probo antecedens: quia deſcenſus eſt conſequentia ab vniuerſali ad ſingulare; ſed ex illa propoſitione nulla eſt conſequentia ab vniuerſali ad aliquod ſingulare determinate ſiſtendo in illo, ſed ad omnia cum diſiunctione *vel* fit deſcenſus, ad nullum verò in particulari, ergo. minor probatur, quia hęc eſt mala conſequētia, *aliquis homo currit, ergo Petrus currit*: ſed hæc conſequentia eſt bona, *ergo*, vel *Paulus, vel aliquis alius currit*, quia deſcenditur ad omnia indiuidua vagè ſumpta, ad nullum verò in ſingulari.

§. 37. Dices in deſcenſu copulatiuo propoſitionis veritatem ſumi ab vno indiuiduo determinato ſiſtendo in illo, quin opus ſit ad alia progredi, *ergo aliquo equo equitatur*, eſt propoſitio vera, quia nunc Bucephalo equitatur, at in ſenſu diſiuncto eſt falſa, quia Bucephalus non requitur ad equitandum in particulari, quia ſine illo equitari poteſt. Quamobrem hæc propoſitio, *aliquis equus requiritur ad equitandum*, non eſt vera in aliquo indiuiduo determinatè, ſed vagè; quia in particulari nullus requiritur; requiritur autem vagè. Contra oſtendi §. 30 ea propoſitione non ſignificari aliquē equum in particulari requiri; cumque hoc non ſignificetur, non poteſt fieri deſcenſus ad particularia in particulari; ſed confusè ſimiliter fit in hac, *aliquo equo equitatur:* quia licet à parte rei Phæbo equitetur, at id non infertur, & ea propoſitione nec eius deſcenſu: eſt enim mala conſequentia, *ergo Phæbo equitatur:* hæc autē eſt bona, *ergo Phæbo* aut *Bruncillo equitatur, aut alio equo*, ergo idē eſt deſcēſus in vtraque propoſitione. Rationem à priori reddidi eo §. 30 quia conſequentia in deſcenſu non ſumitur à rebus vt ſunt: nam à parte rei nullum eſt indiuiduum vagum, ſed omne eſt determinatum, cōfuſio autem eſt in intellectu: vnde ex modo concipiendi ponderāda eſt ratio in aſcenſu & deſcenſu propoſitionis confuſæ.

§. 38. Aduerte, deſcēſus ſeruare ſignificationem propoſitionis vniuerſalis, ex qua deriuantur, alioquin inepta erit conſequentia, v.g. *omnis homo in particulari currit*, habet conſequentiam, ergo *Petrus in particulari currit*, & *Ioannes*, & cætera: ſimiliter hęc propoſitio, *aliquo equo curritur* non habet hunc deſcenſum, *aliquo equo in particulari curritur*: habet autem hunc deſcenſum, ergo *vel Brunello in particulari curritur, aut phæbo in particulari curritur*, quia in ea propoſitione vniuerſali ſignificatur curſus actu exiſtens, qui non poteſt eſſe niſi in particulari, & à cauſa particulari: ly autem, *aliquis*, non denotat indeterminationem in ipſo curſu, ſed confuſionem in modo concipiendi, propter quam confuſionem non bene penetratur curſus ſingularis exiſtens, quę confuſio retinetur in deſcenſu ſignificata diſiunctionibus *vel*, *aut*, & quia conſequentia eſt nota illationis, ſiue intellectionis deductæ ex antecedenti: ideo in deſcenſu non ſiſtitur in aliquo ſingulari, ſed omnia ſub diſiunctione percurruntur, quia ex vi antecedentis & modi, quo ſignificatur, non poteſt intellectus inferre Petrum currere in particulari, tametſi currat re ipſa, quia conſequentiæ non tam ſiſtunt in rebus ipſis, quam in modo, quo deducuntur ex cognitione antecedenti. In hac autem propoſitione, *aliquis equus requiritur ad curſum*, non ſignificatur confuſio ex parte modi cōcipiendi, ſed ſignificatur indeterminatio ex parte obiecti, quia licet ego clariſſimè videam omnes equos, & in illo modo cōcipiendi nulla ſit confuſio, poſſum dicere, *aliquis requiritur*, quia facit hunc ſenſum, *ſine equo curri non poteſt, poteſt tamen ſine hoc, & ſine illo:* Vnde nullius in particulari neceſſitas ſignificatur; ita vt hic adeo ſit neceſſarius, vt ſine illo non poſſit curri, nam in aliis eſt potentia ad currendum. En quo pacto retenta ſignificatione propoſitionis vniuerſalis deſcenditur diſiunctiuè, atque diſiunctè ad omnia ſingularia, nulloque modo differre deſcenſum diſiunctum à diſiunctiuo, ſicut nec eſt diſcrimen inter hos deſcenſus, *omnis homo in particulari currit, ergo Petrus in particulari*, & cætera. item, *omnis homo currit, ergo Petrus currit.*

§. 39. Quia verò Summuliſtæ deſcenſu diſiuncto, & diſiunctiuo ſignificant duos illos modos ſupponendi pro indiuiduo confusè cognito, & pro indiuiduo ſignificato indeterminatè ex parte obiecti, ideſt, quando in vnoquoque indiuiduo reperitur quidquid neceſſarium eſt ad veritatem propoſitionis: ita vt in vno ſolo non reperiatur, ſed in omnibus, propter quod requiritur aliquod ex illis, non tamen hoc, ita vt ſine hoc fieri non poſſit, vt *aliquis oculus requiritur ad videndum*, non tamen requiritur dexter, vt ſiniſtro etiam videri non poſſit. Ne diſcedamus à communi opinione, ſed admittamus duos illos deſcenſus, hoc vnum obſeruantes hac ſuppoſitione diſiuncta nullum ſignificari indiuiduum vagum, quod ex parte ſui ſit vagum, ſed ſignificari ad currendum eſſe virtutem in quolibet equo, non verò in ſolo vno, nam eſt etiam in pluribus aliis equis, & quia aliis eſt illa virtus, nullus in ſingulari eſt neceſſarius. Cum autem dicitur, *aliquis equus requiritur ad curſum*, habet hunc ſenſum, quolibet equo curri poteſt, nullus autem in particulari requiritur, ſed quolibet ſufficienter, perinde eſt ac in omnibus, & ſingulis eſſe virtutem ad currendum.

§. 40. Ex quo ſequitur nullum in ſingulari eſſe neceſſarium, quia illo amoto, poteſt eſſe alius, quo curratur; ſi autem in vno ſolo illa eſſet virtus, ille in particulari requireretur, vt *Deus requiritur ad creandum*, quia ille ſolus virtutem habet creatricem, in his autem nulla reperitur confuſio, quanuis nomine, *aliquis*, videatur ſignificari, quia eo confuſum modum concipiendi frequentius ſignificamus: hæc tamen obſerua, quia ex confuſa eorum notitia multa minus clarè traduntur. Item aduerte in propoſitione particulari ſignificante actum, conſequentiam valere in vno ſingulari excluſis aliis, e.g. *Aliquis homo currit*, ſi non currit Petrus, & non eſt alius niſi Paulus, bene ſequitur, ergo *Paulus currit*, quia ibi ſignificatur res exercita à parte rei, quæ neceſſario eſt determinata: at in propoſitione particulari denotante potentiam, non poteſt fieri illa excluſio cæterorum, e.g. *Aliquis equus requiritur*, non poteſt dici: *Bucephalus requiritur, ſi cæteri non requiruntur*: quia potentia currendi reperitur in cæteris ſicut in Bucephalo, at curſus reperitur in ſolo Paulo, & cæteri poſſunt excludi.

§. 41 Eſt ergo re ipſa triplex deſcenſus, *diſtributiuus*, ab vniuerſali propoſitione ad ſingularia cum coniunctione, *&*, aut diſiunctione, *nec*, quem *copulatiuum* vocant: ſecundus eſt *copulatiuus*, ſeu copulatus, ab vniuerſali ad ſingularia ſimul ſumpta, quem *copulatum* vocant: tertius *diſiunctus*, vel *diſiunctiuus*, ab vniuerſali confuſa ad ſingularia etiam confusè. Hunc propter Summuliſtas bipartior; alter vocatur *diſiunctiuus*, cum à confuſa deſcenditur ad ſingularia;

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſingularia; cuius veritas reperitur in vno ſingulari determinato vt *aliquis homo currit* reperitur veritas in ſolo Petro currente: alter quem *diſiunctum* vocant, vt *aliquis oculus requiritur ad viſum*, cuius veritas in nullo determinato reperitur, ſed in omnibus in ſenſu explicato, §. 38. & quemadmodum deſcenſum *diſtributiuum*, vocant *copulatiuum*, quia deſcenditur ad ſingularia in particulari ſine coniunctione vnius cum alio, *copulatum* autem vocant quando deſcenditur non ad vnum, ſed ad plura coniuncta; ita *diſiunctiuum* vocant, quando ſufficit vnum ſingulare ſine aliis, *diſiunctum* verò, quando nullum ſufficit, ſed omnia confusè. Non ſunt plures deſcenſus, quia termini communes, à quibus deſcenditur, his tribus modis ſupponuntur.

§. 42. Aſcenſus totidem ſunt, quia à ſingularibus copulatis, vel diſiunctis aſcenditur ad propoſitionem communem, totidem autem modis ab illis ad vniuerſale aſcenditur, quot ab vniuerſali deſcenditur ad ſingularia, vt *Petrus, vel Paulus currit*, ergo *aliquis homo currit*. Item *Petrus currit, Paulus*, & cętera, ergo *omnis homo currit*. Hic multæ regulæ traduntur, ſed ſine commodo, ab illis enim terminis deſcenditur, aut aſcenditur, qui vel diſtribuuntur, vel copulantur, vel diſiunguntur, & non ab aliis, quod ex ipſa propoſitione cernitur, vt *omnis ſeruus collegij dormit, ergo hic ſeruus collegij, & ille* & cætera, vt *omnis ſeruus* fundat deſcenſum, nam ille terminus diſtribuitur, collegium autem non fundat deſcenſum ibi, vnde male inferretur, *ergo hic ſeruus huius collegæ dormit*, quia nō eſt ſeruus collegij, ea propter ſeruus collegij non diſtribuitur per illum, ſed per ſingulos ſeruos totius collegij.

SECTIO VII.

De ampliatione, reſtrictione, alienatione, diminutione.

§. 43. DE ampliatione peramplè diſputant Sotus, 2. part. introductionis, cap. 4. atque Fonſeca lib. 8. à cap. 36. breuiùs Toletus, lib. 2. à cap. 8. breuiſſimè Villalpandus, lib. 1. cap. 4. quem imitandum cupio. Status propoſitionis dicitur, *cum res accipiuntur pro tempore ſignificato per verbum*, ſiue ſit præteritum, ſiue præſens, ſiue futurum, vt *Petrus dormiuit, peccat, ludet*. rationem arbitror eſſe, quia bene ſtant pro eo tempore omnia ſignificata per eas voces, ſomnus enim cum Petro ſtat tempore præterito: non enim habent vllam oppoſitionem: item peccatum & Petrus nunc ſtant, nec, vt vera ſit propoſitio, opus eſt recurrere ad ſignificationem rerum pro aliis temporibus Statui opponitur ampliatio, v.g. *quando termini propoſitionis ſignificant res incompoſſibiles pro tempore ſignificato per verbum*, tunc ampliatione eſt opus, quia ſubiectum, & prædicatum non ſtant pro eodem inſtanti, vt *iuſtus peccauit, ſtantes ſedent, & vigilans dormiet*, iuſtitia cum peccato non poteſt eſſe in vno homine: nec ſeſſio cum ſtatione, nec cum vigilia ſomnus, quam ob rem iuſtus ampliatur ad aliud tempus diuerſum ab eo, quod ſignificatur per verbum; nam verbum ſignificat, peccatum fuiſſe in Petro, inſtanti B. quo non potuit eſſe iuſtitia in eodem Petro, vnde opus eſt, vt iuſtus non ſumatur pro inſtanti *B*. ſed pro inſtanti *A*. aut *C*. reddatque hunc ſenſum, iuſtus peccauit, ideſt, qui inſtanti A. fuit iuſtus, peccauit inſtanti B. Quæ doctrina eſt admodum neceſſaria ad fugiendas ſophiſtarum captiones: igitur tunc eſt ampliatione vtendum, quando prædicatum, & ſubiectum non poſſunt ſimul poni, ſubiectum autem explicandum eſt pro alio inſtanti, pro quo non ſignificatur prædicatum. Erit ergo ampliatio, *Acceptio termini pro diuerſo tempore ab eo quod ſignificatur per verbum propoſitionis*; Status autem eſt *acceptio termini pro tempore eodem, quod ſignificatur per verbum propoſitionis*.

§. 44. Duo obſerua. Alterum, ampliationem ſoli conuenire ſubiecto in hac noſtra doctrina, quia prædicatum ſignificatur conuenire ſubiecto eo tempore, quod verbum ſignificat, quod ſemper habet ſtatum in propoſitione vera, vt *iuſtus peccat*, peccatum eſt tempore præſenti, *iuſtus* autē, quod eſt ſubiectum, ampliatur ad tempus præteritum, quo fuit iuſtus, non verò ad præſens, quo peccando deſinit eſſe iuſtus, ac proinde iuſtitia tunc non habet ſtatum. Alterum obſeruatu dignum, in argumento à termino amplo poſſe captioſè incautos deludi: vt ſiquis dicat *Petrus erat ſedens heri*, ſed *Petrus heri ſtetit*, ergo *Petrus heri ſedens ſtetit*, eſt enim diſtinguendum conſequens: ergo Petrus heri ſedens ſtetit, quo tempore erat ſedens, nego conſequentiam, alio tempore tranſeat conſequens, nam illa eſt argumentatio à ſenſu diuiſo ad compoſitum.

§. 45. Summuliſtæ in alio ſenſu accipiunt ampliationem termini, *Extenſionem à minori ad maiorem ſignificationem*, vt *Petrus ſedet*, dicunt ampliari *Petrum* ad eum, qui fuit, vel modo eſt: item *homo eſt animal*, dicunt ly *eſt* ampliari ad omnia tempora præterita, præſentia, futura, poſſibilia, & imaginaria. Verum non video cur ea vocitetur ampliatio, *Petrus enim cucurrit*, quid ſignificat oppoſitum ſtatui propoſitionis, nam ſtatui opponitur ampliatio, at *Petrum eſſe modò vel prius fuiſſe*, nullam habet oppoſitionem cum curſu, ratione cuius oppoſitionis opus ſit ampliatione.

§. 46. Dices *Petrum*, qui cucurrit, poſſe modo exiſtere. Quid inde? Etiam forte exiſtet cras, nam ſi quia *Petrus* poſt heſternū curſum poteſt nunc exiſtere, non modo ampliabitur *Petrus* ad præteritum, & præſens, ſed etiam ad futurum, in quo erit: cuius oppoſitum docent Summuliſtæ, præſcribentes ampliationem propoſitioni de præterito, & præſenti, propoſitioni verò de futuro præſcribunt ampliationem ad præſens, & futurum, cum tamen propoſitio de futuro ampliari poſſit ad præteritum, vt *Petrus curret*, ſumitur pro Petro qui heri fuit, nunc eſt, & poſtea erit. Item propoſitio de præterito ampliari poterit etiā ad futurum, vt *Petrus cucurrit* ampliatur ad Petrum, qui extitit heri, exiſtit nunc & cras exiſtet.

§. 47. Terminus ergo amplus eſt, qui *ſignificatur pro tempore diſtincto ab eo, quod verbum ſignificat*: terminus autem non amplus eſt, qui *ſignificatur pro eodem tempore, & conſtituit propoſitionis ſtatum*. Illa tempora quinque bene recenſentur. *Imaginarium* nihil addit ſupra *poſſibile*, niſi extrinſecam denominationem à noſtra imaginatione, qua apprehendimus tempus poſſibile, vt quandam ſucceſſiuam intercapedinem, capacem temporis realis, vt locus imaginarius apprehenditur, vt quædam capacitas corporis realis, de quo diſp. 14. phyſ. & 16. metaphyſicæ: vel dic tempus imaginarium eſſe obiectiuum, quo res in intellectu apprehēditur eſſe. Propoſitiones autem illæ, quas Summuliſtæ amplas vocant, ad ea quinque tempora, ſunt, quas Logici vocant *ſempiternæ veritatis*, propter fatalem nexum ſubiecti cum prædicato, vbicumque ſint aut concipiantur.

§. 48. Reſtrictio eſt *termini contractio à maiori ſignificatione ad minorē*, vt *omnis doctus eſt dignus honore*. illud adiectiuum, *doctus*, ſtatuit fines ſubſtantiuo *homo*, quod

quod ex ſua inſtitutione amplectitur etiam indoctos, quos ab eius ſignificatione adiectiuum excludit. Reſtrictionem aiunt Summuliſtæ opponi ampliationi: forte quia ampla, & reſtricta oppoſita videntur eſſe; propriè autem non opponuntur, quia *omnis homo* non eſt terminus amplus, quia ſolum ſubiectum incompoſſibile cum prędicato tempore ſignificato per verbum, eſt terminus amplus. Reſtrictio autem opponitur vniuerſalitati vocis, cui appingitur, quia eã limitat à tota ſua ſignificatione ad aliam minus vniuerſalem, vel omnino ſingularem. Reſtrictio melius diceretur opponi alienationi, quia hæc vocem extrahit à propria ſignificatione ad impropriam, *homo* enim, vt ſignificat pictos, & veros, plus ſignificat, quàm cum ſolos veros ſignificat, oppoſitum reſtrictioni contingit, quæ facit terminum pauciora ſignificare, quàm ſine reſtrictione.

§. 49. Quoddam genus reſtrictionis cenſetur eſſe *alienatio*, qua per additam vocem aliquam terminus transfertur à propria in impropriam ſignificationem, vt *duo homines picti veneunt*, pictura enim hominis impropriè dicitur *homo*, & qui addit *pictũ*, apponit vocem repugnantem homini vero ac proprio: hanc autem melius diceret quis ſpeciem extenſionis, ſiue (quam vulgò vocant, ampliationem) melius (inquam) quàm ſpeciem reſtrictionis, vt patet ex fine, §. 48. Diminutio verò eſt *vſus termini cum addita voce, qua non abſolutè, ſed ſecundum quid ſignificat*, vt *Æthiops eſt albus ſecundum dentes*. *albus* enim abſolutè ſignificat ſubiectum albedine delibutum, ly autem, *ſecundum dentes*, eſt additum (vt aiunt) diminuens, qui enim ſolum habet dentes albos, non poteſt abſolutè, Hiſpanè. *A boca llena*, dici albus, ſed ſecundum quid, Hiſpani, *en cierta manera*. Regulæ iis terminis argumentandi per ſe ſunt claræ, vſuque diſcuntur vel à pueris.

SECTIO VIII.

De appellatione.

§. 50. De appellatione appellãdum à veteribus Summuliſtis, magna diſcrimina quærẽtibus inter *vidi regẽ, & regem vidi; amo dulce & dulce amo, Petrus eſt magnus logicus, & Petrus eſt logicus magnus*. Pater Fonſeca, lib. 8. cap. 41. & 42: optimè de appellatione diſſerit, vel quia ipſum pudere inſinuat, multum eſſe in his næniis. *Appello* eſt vocare, ſeu nomen imponere; quam ob rem appellatio (quoad noſtra refert) eſt *denominatio vnius nominis ab alio, ſeu applicatio ſignificati per vnum nomen ad ſignificatum per aliud*. Verbi gratia, *homo eſt ſpecies*, ſignificatum ea voce *homo* appellatur, ſiue vocatur ſpecies; & ſignificatum hac voce *ſpecies* appellatur, vel appingitur ſignificato hac voce *homo*, vnde (ſi nominis etymon inſpiciatur) omne prædicatum appellationem tribuit ſubiecto, vt *Petrus eſt doctus*, vel *eſt homo*.

§. 51. Aliquando ſecunda intentio prædicatur de ente reali, vt *homo eſt ſpecies*, vbi prædicatum apellat ſeu denominat *hominem* ſpeciem, non hominem, vt eſt à parte rei aut diſtributiuè ſupponentem, ſed pro omnibus hominibus cognitis confuſè ſupponentem ſimpliciter. Aliquando prædicatur aliquid de rebus in recto ſupponentibus pro ſuppoſito, tunc autem prædicatum appellat ſuppoſita ipſa, vt *Chriſtus eſt ab æterno* Chriſtus enim in recto ſupponitur pro perſona diuina, quæ eſt æterna. Aliquando prædicatur de ipſo ſuppoſito aliquid ei in obliquo conueniens, vt *Deus factus eſt homo*: nam perſona diuina habet vnitam ſibi humanitatem, aliquando etiam prædicatur accidens de ſubiecto ipſo materialiter ſumpto, quod prædicatum, quia conuenit ſubiecto, illud appellat, vt *grammaticus eſt obeſus*, quod prædicatum illi non conuenit ratione grammaticæ, ſed ratione materialis temperaturæ; Aliquando verò prædicatum non conuenit ſubiecto ratione ſui, ſed ratione accidentis ſignificati per nomen, vt *Tullius fuit magnus Orator*, vbi magnitudo illa non fuit Tullio ratione ſui, ſed ratione oratoriæ: reddit enim hunc ſenſum *Tullius habet magnam oratoriam*. igitur illa magnitudo eſt excellentia oratoriæ.

Hinc Summuliſtæ anſam arripuere nugandi. §. 52. Breuiter autem aio, iudicium appellationum magna ex parte pendere ex idiomatis linguarum. Vniuerſim autem hæc æquiuocatio oritur ex coniunctione duorum adiectiuorum, vt *Petrus magnus eſt muſicus*, vel *Petrus eſt muſicus magnus*: quando nomen adiectiuum (quod eſt cauſa æquiuocationis, quia poteſt vel ſubſtantiuum, vel aliud adiectiuum appellare) ponitur ex parte ſubiecti, appellat ſubiectum ipſum materialiter, & illi applicat ſuã ſignificationem, non verò ratione alterius adiectiui, vt *Petrus magnus, eſt logicus*, ideſt, *Petrus longus, qui eſt corpore magno, eſt logicus*, nam ly *magnus*, ponitur, vt proprietas Petri & diſtinctio à Petro macro, aut puſillo. Quando verò nomen appellans ponitur ex parte prædicati, tunc appellat aliud prædicatum, ſubiectumque appellat non ratione ſui, ſed ratione alterius prædicati, vt *Tullius magnus fuit orator*, quia ponitur ibi vt comprædicatum ad ſignificandam excellentiam oratoriæ Tullianæ. Quando verò non percipitur, vtrùm nomen appellãs ponatur ex parte ſubiecti, vel prædicati, tunc prudentia opus eſt: ſi enim eſt ſermo ſerius de doctrina aut probitate alicuius, nomen appellat ſupra prædicatum vt *magnus orator Tullius*, vel *magnus Tullius orator*, ideſt *Tullius excelluit maximè eloquentia*; ſi autem ſermo ſit iocoſus, aut ironicus, appellat ſubiectum ipſum, vt ſi de ſtolido procero dicas, *iſte eſt Scholaſticus magnus*; item ſi eſt ſermo ad diſcriminandum vnum ab alio, verbi gratia, vides duos homines, & dicas, *ille magnus eſt muſicus*, ille *paruus eſt medicus*, tunc *magnum*, & *paruum* non appellant muſicam aut medicinam, ſed hominum quantitates.

DISPVTATIO III.

De oratione, eius partibus, & diuiſione.

SECTIO I.

De nomine.

OMNEM orationem conſtare nomine & verbo, oſtendendum, ſect. 3. ex Ariſtotele, lib. 1. de interpretatione, cap. 2. hæc colligitur definitio nominis: *Vox ſignificatiua ex inſtituto ſine tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparata, finita, & recta, quæ cum verbo eſt veram vel falſam efficit orationem*. §. 1. Prælonga definitio tam curtæ rei: quam tametſi omnes ferè dialectici admittunt cum Petro Hiſpano, lib. 1. ſum. cap. 3. & Conimb. in illud capur Ariſtotelis, nonnullas tamen patitur difficultates. Primam, nomina adiectiua non eſſe nomina: quia ſola cum verbo, *eſt*, non efficiunt propoſitionem veram aut falſam, vt *albus eſt*: ſi enim

albus,

albus, adiectiuè ſumatur ſine ſubſtantiuo ſaltem ſubintellecto, nullum efficit ſenſum, quam conſequentiam videtur admiſiſſe Fonſeca, libro 1. capit. 12. eſt tamen contra vniuerſam grammaticorum phalangem diuidentium nomen in ſubſtantiuum, & adiectiuum, vt patet ex noſtrate Ælio Antonio grammaticæ Doctore celeberrimo, lib. 3. cap. 5. de erotematis nominum, & ex arte recenter excuſa iuſſu Catholici Philippi Regis Hiſpanorum III. libro 3. nec adiectiua ſunt in alia ſpecie partium orationis, niſi in ſpecie nominum.

§. 2. Deinde *proconſul* eſt nomen, cuius vtraque pars eſt ſignificatiua in ea compoſitione: *pro* enim retinet integram ſignificationem, quæ eſt *loco* ſeu *vice* alterius: itidem & *conſul*: *proconſul* ergo ſignificat migiſtratum gerentem vices conſulis: & quamuis *pro* amittit ibi vim præpoſitionis, quia ibi non gaudet auferendi caſu, tamen non amittit ſignificationem, magiſtratus enim illi in prouincias mittebantur loco conſulum, modo Proreges creantur, quos Reges Hiſpaniæ vocant, *lugar tenientes*, vbi retinetur integra ſignificatio duarum vocum. Reſpondet P. Rubius eas partes ſeparatas habere proprias ſignificationes, non tamen quas habent in compoſito. Contra, in compoſito, habent proprias ſignificationes quaſi eterogeneas, ex quibus coaleſcit tota nominis ſignificatio, quę non diſtinguitur à ſignificatione vtriuſque partis: intelligimus enim magiſtratum illum eſſe loco conſulis, quod explicat nomen, *proconſul*, prima enim pars *pro* ſignificat *vicem*, & *conſul conſulem*, ſiue ſit in illo nomine ſiue extra illud, quod clarius patet in hoc nomine *Reſpublica*.

§. 3. Nomina, quæ infinita ſeu infinitantia vocantur, non videntur iure exulare è nominum claſſe, habent enim ſuos caſus, & ſignificationem, illis nihil in particulari, ſed infinita ſignificari, quid refert? nam infinita tam entia, quam non entia poſſunt vna voce ſignificari: *non homo*, exempli gratia, ſignificat quod non eſt homo, ſicut hæ voces *diſtinctũ ab homine*: ſed mittamus has quęſtiones de nomine, nam & caſus obliqui nomina ſunt, & quæ cum vno verbo ſignificant in recto, cum alio ſignificant in obliquo, e.g. *me pœnitet peccati*, eſt idem, ac *ego pœnitentiam ago peccati mei*: cum ergo ibi nulla ſit diuerſitas ſignificationum, ſed tantum phraſium, cur caſus obliqui excluduntur à nomine? Item *Regnis Regnidis* eſt nomen tertię inflexionis, & genere fœmininum, cum nihil ex inſtituto ſignificet.

§. 4. Eſt igitur nomen *vox declinata per caſus*, vt patet ex Nebriſſenſi ſuper arte Regia, & communi vſu grammaticorum, omne nomen declinari per caſus patet ex Ariſtotele eo cap. 2. lib. 1. de interpretatione, definiente nomen per *rectum*, qui eſt *nominatiuus*, cæteri vocantur *obliqui*: item omnis vox habens caſus eſt nomen, & nulla vox carens omni caſu eſt nomen, ergo hæc eſt apta nominis definitio.

§. 5. Dices primò, participia, & gerundia paſſiua eſſe voces declinatas per caſus, cum tamen non ſint nomina. Nebriſſenſis enim octo aſſignat orationis partes, in quibus nomina, pronomina, & participia diſtinguit à nomine, verum (vt patet ex eodem Nebriſſenſi, lib. 3. cap. 4. in commentariis) magnum fuit olim diſſidium de numero partium orationis, ipſe aſſerit octo, quod auctores artis regiæ aiunt eſſe admittendum, non alia ratione, niſi quia ita dicitur, lib. autem 3. annotatione 1. varias referunt opiniones, ac ſententiam Varronis, qui duas parter ſolas admiſit, quod ex dialecticis confirmat Petrus Hiſpanus, cap. 4. poſtea addidit ſententiam Diogenis Laërtij conſtituentis quinque, quod ex Platone confirmant, vt doctè obſeruauit noſter Brocenſis, qui in hac celeberrima Academia bonarum artium altrice floruit, quare, *nomen, pronomen*, & *participium*, ſunt vna pars orationis, quia *pronomen*, nihil eſt, quam nomen vſurpatum pro proprio nomine, *participium* autem à grammaticis dicitur adiectiuum deriuatum à verbo. Et quidem non incongruè erunt tres orationis partes, *nomen, verbum, aduerbium*, cæteræ ad has ſpectant; ſub *nomine* comprehenduntur, *pronomen, participium, & gerundium paſſiuum* (quod eſt participium futuri in *dus*:) ſub aduerbio continentur *prepoſitio, coniunctio, interiectio*, & cætera. Grammatici autem alia diuiſione vtuntur claritatis ergo in gratiam puerorum.

Dices ſecundo participia ſignificare cum tempore, quod eſt contra rationem nominis. Primùm, id eſſe falſum rectè oſtendunt auctores artis Regiæ, lib. 3. notat. 8. & 9. confirmant enim ex auctoribus optimè latinis, participia omni tempori deſeruire, quibus adiunguntur omnia tempora *ſum, es, fui*. Deinde adde in diffinitione, *vox declinata per caſus non ſignificans cum tempore*, qua vltima particula nomina differunt à participiis: quamquam non eſt neceſſarium. §. 6.

Obiicis tertio eſſe aliqua nomina indeclinabilia, vt *cacoheres*, aliqui grammatici ſatis incautè admittunt nomina inflexilia per caſus, Antonius ſupra capit. 5. ait declinabile eſſe diſcrimen nominis à dictionibus indeclinabilibus, cap. autem 4. dixerat orationis partes declinabiles eſſe quatuor, *nomen, pronomen, verbum, & participium*: indeclinabiles autem totidem alias, *præpoſitionem, aduerbium, interiectionem, & coniunctionem*, quæ doctrina conſtans eſt apud grammaticos, nunc autem cur ita oſcitantur, vt inter partes indeclinabiles nomen admittant? Ac ſi philoſophus, ſtatuto, *hominem* eſſe animal rationale, admitteret, aliquod irrationale eſſe hominē: vocantur ergo indeclinabilia nomina, quia omnes obliqui ſunt ſimiles recto, quod probatur ex nominibus neutris quartæ inflexionis, quæ in ſingulari habent integros caſus, ſimiliter tamen deſinunt omnes, vt *veru, gelu*, quæ ſi plurali caruiſſent, vocarentur *indeclinabilia*, immo à Beato Auguſtino, infra referēdo, vocantur indeclinabilia in ſingulari. En quæ Auguſtinus vocat indeclinabilia propter ſimilitudinem caſuum, à grammaticis vocantur declinabilia, & quæ hi vocant indeclinabilia, ab Auguſtino declinantur per ſimiles caſus, vt iam probo. §. 7.

Confirmatur, quia in orationibus vtimur nomine indeclinabili non ſecus ac ſi declinaretur, eique appingimus adiectiua, tribuimúſque caſus, v.g. *nullum frit eſt in ſpica, ſpica nullum frit habet*: ecce *frit* (ſignificans neſcio quid minus grano) conſtituitur in diuerſis caſibus, quæ doctrina expreſsè traditur ab Auguſtino tomo 1. lib. de grammatica ſub initium, vbi ait hoc nomen, *frugi, & nihili* declinari per omnes caſus ſingularis, & pluralis hoc ſono nominatiui: *frugi* autem inter indeclinabilia cenſetur à grammaticis, quod ait Auguſtinus per omnes caſus declinari vt in nominatiuo, quæ declinatio *monoptota* vocatur à grammatico, vt docet Antonius, lib. 3. cap. 5. quod grammatici exponunt per vocem indeclinabilem, vt & Beatus Auguſtinus ſupra, cum tamen paulo ante eis adſcripſiſſet omnes caſus eiuſdem terminationis. Immo ibidem aliquanto inferius declinat neutra quartæ inflexionis per omnes caſus ſingularis, quæ paulo ante dixerat eſſe indeclinabilia in ſingulari. Itaque eſſe §. 8.

eſſe indeclinabile eſt habere omnes caſus ſimiles, & quamuis eſt contra conceptum nominis, omnibus obliquis carere, non tamen carere aliquo: in linguis autem carentibus obliquis, reperiuntur etiam omnes: quia omnes ſunt ſimiliter deſinentes, diſcriminantur autem articulis præpoſitis, aut adiectiuis, vel aliqua alia nota, vt patet in lingua Hiſpana. Quod ſi aliquorum nominum non inuenimus caſus rectos, aut plures obliquos, non eſt quod eos non habeant, ſed quia ignoramus, qua ratione antiqui eis vſi.

§.9. De recto, & obliquis eſt quæſtio, differant-ne ſpecie? & quidem Collegium Conimbricenſe 1. de interpretatione, c.4.q.2.art.3.§. *cauendum tamen eſt*, rectè monet, non omnes obliquos inter ſe ſpecie differre: quia idem eſt *veſcor carnibus, & veſcor carnes*, illi enim nó ſigna diuerſorum conceptuum, ſed ſolum ſunt varij caſus ex variis grammaticæ documentis. Vnde etiam colligo, nec rectum ab obliquo differre in ratione ſigni, ſed tantum in grammatica terminatione, quando ex recto, & obliquo idem conceptus efformatur, idem eſt enim, *mihi cura eſt huius libri*, ac *mihi curæ eſt hic liber*: ſæpe tamen differunt ſpecie, quia deriuantur ex conceptibus ſpecie diuerſis, vt in his propoſitionibus: *mihi eſt liber, ego ſum libro.*

§.10. De adiectiuis, & ſubſtantiuis rogabit quis differant ſpecie nec ne? Conimbricenſes ſupra pro vtraque parte graues afferunt auctores, quam in vtramque partem tuentur: mihi verò magis placet ea ſpecie differre, quod de adiectiuis ſignificantibus formam aliquam realiter à ſubſtantiuo diſtinctam non poteſt eſſe dubium: *ſapiens* enim adiectum *Petro*, ſpecie differt: quia per illud formo conceptum ſpecie diſtinctum à ſolo conceptu *Petri*, nec minus certum videtur, quando adiectiuum ſignificat idem realiter, quod ſubſtantiuum, diuerſo tamen modo conceptum: quia modus concipiendi eſt actus intellectus, ergo vbi eſt diuerſus modus concipiendi, eſt diuerſa conceptio; ſed pro diuerſitate conceptionum ſumitur nominum diuerſitas in ratione ſigni, ergo: probatur minor, tum quia prædicationes ex illis terminis ſunt formales, & non idemticæ, vt *Deus eſt omnipotens*; tum quia diuerſitas nominum ſine diuerſitate conceptuum eſt *ſinonymia*, vt *enſis, gladius*. ratio à priori, quia *Deus*, v.g. concipitur, vt ens à ſe, & quaſi per ſe ſtans. *omnipotentia* verò concipitur connotando creaturas, & quaſi exiſtens in Deo.

§.11. Dubium eſt in hac voce, & ſimilibus, *album* adiectiuè, & ſubſtantiuè ſumptum. Reſpondeo tamen non ſumi ſubſtantiuè, quia albedo concretè ſignificata ſumitur ſemper, vt afficiens ſubiectum, vnde ſemper ſignificatur ſubiectum in recto, & albedo connotatur in obliquo: ſi quando autem ſumitur ſubſtantiuè, licet vox ſonet concretum, ſenſus tamen, & modus concipiendi eſt abſtractus; vt *album oui*, perinde eſt ac *albedo exiſtens in ouo*, ouum autem album eſt ouum habens albedinem, tum differunt ſpecie, quia fundant diuerſas conceptiones.

SECTIO II.

De verbo.

§.12. ARiſtoteles primo de interpretatione, cap.3. ait *Verbum eſſe, quod inſuper tempus ſignificat, atque ſemper eorum, quæ de alio dicuntur, eſt ſignum.* Ea verba, *quod inſuper*, referuntur ad cap.2. vbi nomen definierat. eſt ergo verbum ex Ariſtotele: *Vox ſignificatiua ad placitum, cuius nulla pars eſt ſignificatiua ſeparata, finita, & recta, ſignificans cum tempore*, vt *ſignum prædicati*. ita ferè Petrus Hiſpanus, cap.4. quem Sotus tuetur. Hæc definitio in eaſdem labitur difficultates, in quas ſuperior nominis deſcriptio. Nam *ſatisfacio, circumſedeo*, & ſimilia verba habent partes diſtinctas per ſe in compoſitione ſignificantes, ac retinentes in toto ſignificationem, quam extra totum, *facio* enim ſignificat in eo compoſito, *facere* ſiue præſtare aliquid: *ſatis* autem ibidem ſignificat *quod ſatis ſuperque eſt*. Immo ſignificatio verbi, *ſatisfacio*, eſt compoſita ex ſignificatione verbi, *facio*, & aduerbij, *ſatis*. Deinde verba infinitantia ſunt etiam verba. Præterea, tempora præteritum, & futurum verè ſunt verba, è quibus perfecta oratio, & propoſitio conſtruitur, propoſitio autem ſine verbo conſtare non poteſt, tandem ſunt nonnulla verba præſentibus carentia, vt *cœpi, odi*, è quibus efficitur affirmatio.

Eſt ergo verbum, *vox coniugata per tempora*, ita Nebriſſ. lib.3.cap.7. de erothematis verborum, ars Regia, lib.3. Auguſt. tom.1.lib. de grammatica, *verba* (inquiens) *dicimus hæc, quæ decurrimus cum temporibus, & perſonis*, vt *clamo, clamas*. Dices hæc grammaticorum in morem potius, quàm dialecticè definiri. Reſpondeo dialecticæ proprium non eſſe quærere voces, aut verba, ſed mentis argumenta conſtruere; vt verò idem commodius præſtetur, eget notitia vocum, quas pro conceptibus ſubrogat, vocum autem attributa, ac diſcrimina grammaticus ſibi vindicat, cuius legibus in eius prouincia ſtandum neceſſario. Illi nonnulli irrident quod tam grammaticè egerim de verbo, grammaticorum legum ſuperſtitioſus cultor. ſi hoc crimen eſt, ipſi ſunt ab eo quàm maximè immunes, qui leges grammaticæ nec audiſſe videntur, eritque mecum videndus Auguſt. quod in verbo, & nomine definiendis non ad Ariſtot. ſed ad grammaticos confugerit. §.13.

Adde, eamdem omnino ſignificationem vnius partis orationis poſſe, & nomine, & verbo, aut aduerbio dignoſci, e.g. vitæ turpitudo explicatur iam nomine, *vita turpis*, iam verbo, *viuere turpe*, item loci adiunctum explicatur, iam aduerbio, *hic*, iam nomine in *hoc loco, Petrus occidit Ioannem hic*, vel *hoc in loco*; vide autem in Aelio, lib.3.c.13. quæ partes orationis pro aliis ſubrogentur. ratio à priori: quia voces ſignificant ex inſtituto, & pro conceptu eodem ſubrogamus voces diuerſas, & vnam pro diuerſis conceptibus; diſcrimina autem nominis à verbo, & cæterarum orationis partium penſantur ex varia terminatione, inflexione, aliiſque accidentibus, quæ grammaticus expendit. §.14.

Aduerte, verbum *ſignificare cum tempore*, ſiue *adſignificare*, vel *conſignificare tempus*, quod explicatur illa parte definitionis *coniugata per tempora*: verbum indicat ſuum ſignificatum aliquo tempore exerceri, vt *ego ſcribo*, ſignificatur ſcriptura exercita tempore præſenti, vnde verbum non poteſt non conſignificare tempus. Multa nomina ſignificant tempus, vt *hora, dies, annus*: multa connotant tempus: quia ſignificant rem, quæ ſolet contingere certa temporis differentia, vt *cœna*, eſt enim *connotare notare ſimul*, & cum cœna contingat poſt veſperum, audita ea voce concipimus etiam ſub veſperum: at non ſignificatur vtrum cœnetur nec ne, ſed tantum ſignificatur cœnatio ſecundum ſe: cum autem dico *cœnatur*, vel *non cœnatur*, nego aut affirmo cœnam exerceri hoc tempore veſpertino, vnde liquet diſcrimen verbi à cæteris orationis partibus, & quam diuerſo modo ſumatur verbum à nomine, vt cũ dico, *diſplicet mihi tuum viuere*, non adſignificatur tempus, quo alius viuit, ſed infinitiuum §.15.

ſumitur in ſignificatione loco nominum. Cum vero aio, *dico te turpiter viuere*, tunc *viuo* adſignificat tempus. Item verbum conſignificat perſonas. Beatus Auguſt. dicto tom. 1. in lib. de dialectica primas, & ſecũdas perſonas, vocat compoſitas, vbi dicit eas eſſe voces complexas, *vt curro, curritis*: quia nos faciunt venire non ſolum in cognitionem ſignificati per verbum, ſed etiam ipſarum perſonarum, at non ſatis capio, cur idem neget tertiis, licet enim valde confuſè, venitur in cognitionem alicuius perſonæ, niſi forte ob hanc confuſionem id dixerit clariſſimus Auguſtinus.

§. 16. Patres Conimbricenſes primo Perihermenias, cap. 4. q. 1. art. 4. quærunt, *vtrum verbum infinitetur in propoſitione?* Nomen aut verbum infinitari, eſt per præpoſitam negationem negari formalem ſignificatum nominis aut verbi, & affirmari conceptum aliũ ex infinitis non ſignificatis per verbum, aut nomen. e.g. *Nõ homo currit*, ſubiectũ infinitatur, & negatur currenti ſignificatus hominis, & tribuitur aliis diſtinctis ab homine, ſed nulli determinatè, nam præter hominem ſunt infinita è quibus nulli determinatè tribuitur curſus, quapropter dicitur *vox infinita*, vbi aduerte orationem eo termino conſtantem non eſſe negatiuam, ſed affirmatiuam: quia negatio non appingitur vnioni, ſed extremo: reddit enim hunc ſenſum, *aliquid currit, quod non eſt homo*, nec enim curſus negatur homini, attribuitur autem alicui, quod non ſit homo, quo currente, poteſt eſſe vera ea propoſitio, quia homine currente poteſt equus currere, qui eſt non homo.

§. 17. Quæritur ergo vtrum verbum infinitetur? Et quidem participia infinitantur, vt *Petrus eſt non currens*, quæ propoſitio eſt affirmatiua, tribuens Petro aliquid diſtinctum à curſu: Conimbricenſes ſuprà opinantur verbum in propoſitione infinitari. Primò, quia extra illam infinitatur. Secundò, quia poteſt ad libitum quis vti verbo infinito, non ſecus ac nomine. Alij oppoſitum cenſent, & quidem ſi extra propoſitionem infinitatur, euidenter oſtendit Conimbrica ſuam concluſionem, quia de verbo ſic infinitato poteſt aliquid prædicari, vel ipſo poteſt de alio aliquid affirmari, quia ſignificat aliquid pro temporis differentia aliqua.

§. 18. Verum non placet hæc ſententia, quia eſt contra doctrinam Ariſtotelis, qui cenſet verbo finito conſtare omnem propoſitionem, ipſique fatentur eſſe contra veterum conſenſum: præſto eſt ratio, quia negatio affixa vnioni, aut copulæ verbi, reddit propoſitionem negatiuam, vt *Petrus non currit*. En quam ob cauſam non poteſt verbum infinitari, quia ly *non* non poteſt ſumi niſi negatiuè. Ad primum. Reſpondetur negando antecedens, quia negatio afficiens verbum illud negat, & nihil aliud affirmat: vt *ne currat, non currit*. Ad ſecundum reſpondetur potuiſſe homines vti verbis infinitis, vt vtuntur nomine, & participio, ſed non voluiſſe, & quidem rectè. Confunderentur enim propoſitiones negantes, & infinitantes. Nomina, & participia nullam pariunt confuſionem, quia licet afficiantur negatione, dant locum, vt vnio affirmetur, ſicque patet, quid negetur, quid verò infinitetur, vt *Petrus eſt nõ currens*: at vero cum verba non dent locum huic diſtinctioni, ſed negatio illi præfixa reddit propoſitionem negatiuam, eſſet valde ambiguum diſcrimen vocis negatæ ab infinitata, vt *Petrus non currit*. Rogas cur ergo Ariſtotel. excluſit verba infinita? Reſpondeo id non feciſſe Ariſtotelem expreſsè, ſed eius diſcipulos; ſed Ariſtoteles quædam addidit nominis definitioni, quod intellige ſeruatis ſeruandis, vel id effecit maioris claritatis ergo, vel quia voluit, vel quia fuit oblitus; cumque poſſent eſſe infinitæ cauſæ, quid ego ſcio, qua ſit motus.

SECTIO III.

De Oratione.

ARiſtoteles primo de interpretatione, cap. 4. ait orationem eſſe *vocem ſignificatiuam, cuius aliqua pars per ſe ſeparata ſit ſignificatiua, non vt affirmatio, ſed vt dictio.* Fonſeca lib 3. cap. 1. rectè ait non eſſe animo Ariſtoteli excludere ab oratione vtramque partem eſſe ſignificatiuam, ſed vnam ſufficere ad diſtinguendam orationem à nomine, & verbo. Verum ita non bene diſcriminatur, quia in hac voce *circumſcriptio* ſi ſepares *ſcriptio à circum*, eſt ſignificatiua vox, vt dictio, cum tamen, *circumſcriptio* ſit nomen. Petrus Hiſpanus, cap. 5. ait orationem eſſe, *cuius partes per ſe ſeparatæ ſunt ſignificatiuæ*, intelligitur autem eam eſſe vocem compoſitam, ſi quidem partes ſunt comparatione compoſitionis. Quam ob rem, Villalpandus lib. 1. cap. 1. ait, *eſſe orationem plures dictiones congruè ſe habentes.* Hæc definitio recipitur etiam à Toleto lib. 1. cap. 16. Conimb. cap. 4. lib. 1. de interpretatione, q. 3. art. 1. & Sot. lib. 1. in caput primum Petri Hiſpani lect. vnica notabili 1. §. 19.

Sed difficultate non caret. Primò: quia conuenit termino complexo: vt *homo iuſtus*. video ab his auctoribus orationẽ non diſtingui à termino complexo. Secundò hæ voces, *circumſcriptio, circumſeſſio*, non ſunt oratio, & tamen retinent duas partes integrè ibidem ſignificantes. Separata enim *ſeſſio à circum* habet eumdem ſignificatum, quem coniuncta, ſimiliter & *circumſcriptio*. §. 20.

Vt orationem definiam, præmitto grammaticos notitiam ſeu orationem quinquepartiri, in duas actiuas, duas paſſiuas, & quintam verbi imperſonalis; nullamque admittunt orationem niſi verbo conſtantem: immo pro ſolo verborum diſcrimine orationes diſparantur, dialecticique ipſi orationem diuidentes in imperfectam, & perfectam, hanc explicãt per ſignificationem perfectam verbi, illam per imperfectam. Eſt igitur oratio *Congruentia nominis cum verbo, ſiue vox ſignificatiua compoſita ex nomine, & verbo mutuo congruentibus.* Congruentia *eſt ratio, ob quam è duabus vocibus vna reſultat.* ſi autem voces non congruunt mutuo, non fiet vna oratio, ſed erunt duæ dictiones diſſolutæ. moueor, tum vt diſtinguam terminum complexum ab oratione, tum vt explicem voces compoſitas ex nomine, & verbo, tum tertiò, quia in explananda oratione, & eius partibus ſtandum eſt iudicio grammaticorum. *Tractent enim fabrilia fabri*, in mentis conceptu ſemper reſpondet nomen cum verbo, voce tamen aliquando reticetur nomen, vt *amo Deum*, ſubintelligitur autem *ego*, aliquando reiicetur verbum, vt cum inducitur aliquis loquens, *tunc ille*, ſubintelligitur *dixit*, vel quid ſimile. Oratio imperfecta conſtat verbo modo imperfecto ſignificante, vt *ſi venit*. tunc enim non formatur perfectus conceptus rei, aliquando eſt perfecta, quia verbum perfectè ſignificat, vt *ego veni*, oratio poteſt eſſe ſine propoſitione, vt tu fac, aliquando cum illa, quia eſt genus, quod diuiditur in orationem non enuntiatiuam, & in nuntiatiuam, quæ eſt propoſitio, de qua agendum. §. 21.

DISPV

DISPVTATIO IV.

De propoſitione.

SECTIO I.

Propoſitionem definio.

§.1. ARISTOTELES 1. perihermenias cap.4. Petrus Hiſpanus lib.1.c.6. aliique Summuliſtæ propoſitionem dicunt eſſe *orationem verè vel falsè ſignificantem.* Bene aduertunt Conimbricenſes, quæſt.3. art.2. meliùs, & profundiùs propoſitionem definiri per affirmationem, & negationem, quàm per veritatem, & falſitatem; diffinitio enim eſt quidditas rei; veritas autem & falſitas, non eſt quidditas propoſitionis, ſed affirmatio, & negatio, ex qua oritur veritas, & falſitas (vt patebit diſput.9. de anima ſect.1.) ergo propoſitio non eſt definienda per veritatem, & falſitatem, & quidem Ariſtoteles eo c. totus eſt in explicanda negatione, & affirmatione propoſitionis: cum autem propoſitionem definiit eo capit. definitionem, vt clariorem pueris; nihil enucleate ſentientibus, præmiſit. Secundò definitio non eſt tradenda per diſiunctionem differentiarum, niſi ad vitandam obſcuritatem, ſed per conceptum communem, vt *animal* malè definiretur eſſe *rationale* aut *irrationale*, ſed *viuens*, *ſenſibile*, ſic nec propoſitio ita eſt definienda. Tertiò, quia etiam in apprehenſione reperitur veritas incomplexa (vt oſtendam ea diſp 9.) cum tamen non ſit propoſitio.

§.2. Eſt ergo propoſitio *actus intellectus iudicatiuus:* prima pars eſt genus, quo conuenit propoſitio cum ſimplici apprehenſione, à diſcurſu non differt, quia etiam eſt iudicatiuus; differt autem ab apprehenſione, quæ neutram in partem flectitur, ſed præcisè ſiſtit in repræſentatione obiecti. Iudicium diuiditur in affirmatiuum, & negatiuum, *illud affirmat alterum de altero*, ſiue *dicit vtrumque terminum eſſe idem*, vt *Petrus eſt homo*, quod ſignificatur verbo, *eſt:* quam ob rem *verbum* dicitur *copula*, ſiue *vnio extremorum*, quia in mente vniuntur intentionaliter, id eſt, non diuiduntur, ſed mutuò copulantur. Verba autem adiectiua explicantur per participium, & verbum ſubſtantiuum, vt *tu ſcribis*, id eſt, *es ſcribens*, Aliud iudicium eſt negatiuum, quo *alter terminus negatur alteri conuenire*, vt *Petrus non eſt lapis*, quod vocatur *diuiſio*, quia negatur vnio verbi, res autem non vnitæ ſunt diuiſæ, quia ergo mens negat copulam extremorum, ideo termini ſunt mente diuiſi, è contra autem affirmatio vocatur compoſitio.

§.3. Propoſitio definita eſt à me magis animaſticè, quàm Summuliſticè, erit autem *oratio perfecta ſubrogata, pro iudicio mentis*, vel *erit oratio iudicatiua*, vel *erit oratio affirmans aliquid vel negans:* vel erit *oratio verè vel falsò ſignificans*, iam monui diſput.2. voces ſubrogari pro conceptibus, eaſque debere comparatione illorum explanari.

SECTIO II.

De materia, qualitate, & quantitate propoſitionis.

§.4. MAteria propoſitionis eſt obiectum iudicij, quod quia obiicitur intellectui, conſueuit *ſubiecta* appellari *materia*, (vt patet ex diſputatione, 1. logicæ ſect.1.) vt *Petrus currit, Petrus & eius curſus*, ſunt materia, circa quam propoſitio verſatur. Hæc materia eſt tripartita. Prima dicitur *neceſſaria*, quando prædicatum non poteſt non conuenire ſubiecto, vt *Petrus eſt homo*, quia implicat eſſe Petrum, quin ſit homo. Secunda eſt *remota*, quia prædicatum ita amouetur à ſubiecto, vt nequeant eſſe idem, vt *Petrus eſt lapis*. Tertia *contingens*, quia poteſt ſubiectum eſſe cum prædicato, item & poteſt eſſe abſque illo, vt *homo currit*, vnio verbi vocatur à nonnullis forma propoſitionis: verum etiam vnio eſt materia, quia eſt obiectum iudicij.

Qualitas propoſitionis dicitur à nonnullis eſſe *affirmatio*, & *negatio:* eſſentia autem dicitur eſſe *veritas*, vel *falſitas:* quod eſſe falſum patet, quia qualitas eſt accidens, ſed affirmatio non eſt accidens propoſitionis, vt patet, §.1. ergo non eſt qualitas. Item accidens non eſt eſſentia, ſed veritas eſt quaſi accidens propoſitionis, ergo non eſt eſſentia. Alii (vt Conimbricenſes, & Fonſeca) dicunt affirmationem, & negationem eſſe qualitatem eſſentialem propoſitionis, veritatem verò qualitatem accidentalem: rem capio, & probo: phraſim probare non poſſum, quia qualitas eſt accidens, eſſentia verò non eſt accidens: coniungere autem *quidditatem & accidentalem*, eſt cõiungere terminos repugnantes; vt ſi quis diceret *hominem habere rationalitatem irrationalem*, ergo eſſentia propoſitionis eſt affirmare aut negare, qualitas verò eſt eſſe veram vel falſam. §.5.

Quantitas non reperitur propriè in propoſitione, ſed per tropum. Nam in corpore magnitudo, & paruitas rei pendet ex quantitate, quæ ſi multum porrigitur, reddit corpus magnum; ſi verò contrahitur, illud reddit paruum: ita quantitas propoſitionis eſt illa, qua *propoſitio redditur magna ſiue extenſa, atque porrecta ad multa obiecta:* vel *qua adſtringitur ad pauca*, vnde quærenti quæ *eſt propoſitio?* Reſpondetur *affirmatiua, aut negatiua. Qualis eſt? vera aut falſa. Quanta? Vniuerſalis aut ſingularis.* Quantitas ergo propoſitionis diuiditur, in *vniuerſalem, particularem, confuſam*, & *ſingularem*, vt *omnis homo currit, aliquis homo currit*; hæc eſt *confuſa*, quam alij vocant *particularem, Hic homo currit*, quantitas pendet ex ſubiecto, & vt ſubiectum ſupponitur, propoſitio dicitur vniuerſalis, vel ſingularis. §.6.

SECTIO III.

Propoſitio categorica, hypothetica, complexa, & incomplexa.

NOnnullæ propoſitiones ſunt abſolutæ, nonnullæ pendent ab aliquo alio, e.g. *Petrus eſt homo*, eſt propoſitio abſoluta, quia eius veritas aut falſitas non pendet aliunde, ſed tantum ex abſoluta identitate, aut diſtinctione ſubiecti & prædicati: quamobrem eiuſmodi propoſitio dicitur *categorica*. Oſtendi autem diſput.1. ſect.9. categoriam eſſe prædicationem, item terminum categorematicum eſſe perfectè ſignificatiuum ſe ſolo, & abſolutè; vnde infero contra nonnullos Summuliſtas propoſitionem categoricam non conuerti cum ſimplici enuntiatione, nam complexa propoſitio poteſt eſſe categorica, vt *Petrus currit*, & *Ioannes legit*, eſt propoſitio abſoluta, & ſe ſola perfectè ſignificatiua. Exemplum autem propoſitionis pendentis aliunde ſit: *ſi Petrus venerit, loquetur*, ſubiectum cum prædicato nectitur non abſolutè, ſed cum dependentia à Petri aduentu: nec poteſt dici abſolutè *Petrum locuturum aut non*, nec §.7.

propoſitionem eſſe abſolutè veram aut falſam, niſi expectetur aduentus Petri, à quo pendet & locutio, & veritas propoſitionis.

§.8. Hæc propoſitio rectè poteſt dici *ſyncategorematica*, quia copula verbi ſe ſola non ſignificat abſolutè, ſed dependenter à conditione. Melius tamen dicitur *Hypothetica. Hypotheſis* enim Græcè ſonat, quod Latinè *ſuppoſitio*, ſiue *conditio*: quam ob rem non conuertitur propoſitio complexa ſiue conſtans ex duabus cum hypothetica, quia hæc *Petrus currit*, & *Paulus loquitur*, non eſt hypothetica, quia nulla hypotheſis in illa conſtituitur, ergo propoſitio categorica eſt *propoſitio abſoluta, quæ abſolute iudicat de obiecto.* Hypothetica autem eſt *propoſitio conditionalis, quæ dependenter ab aliqua hypotheſi, aut ſuppoſitione, iudicat de obiecto.*, quemadmodum promiſſio abſoluta eſt, quæ non pendet à conditione, vt *dabo tibi centum*, promiſſio autem conditionata pendet à ſuppoſitione, vt *ſi Nauis venerit dabo tibi centum.* Hanc doctrinam vide in Toleto lib. 1. cap. 19. quamuis Petrus Hiſpanus lib. 1. cap. 15. hypotheticam dicit eſſe, quæ componitur ex duabus categoricis, ſed non bene, vt obſeruaui, quia eſt contra nominis etymologiam apertámque rationem.

§.9. Propoſitio conditionalis alia eſt in materia neceſſaria, alia in contingenti. In Prima conditionalis non ſolum eſt enunciatiua, ſed etiam illatiua, cui adiungi poteſt illationis nota *ergo*, e.g. *ſi ſol oritur, dies eſt*, vel *ſi ſol oritur, ergo dies eſt*, quod non ſolum in propoſitione hypothetica, ſed etiam in abſoluta locum habet, vt *ſol oritur*, & *dies eſt*, vel *ſol oritur, ergo dies eſt*: ratio à priori, quia nota illationis ſignificat conſequens neceſſario ſequi ex antecedenti, & quia lucem ſequitur neceſſario dies, ea propter illæ propoſitiones ſunt illatiuæ. Quæ doctrina vera eſt etiam in propoſitione cauſali, vt *quia ſol oritur, dies eſt*, vbi *dies eſt* (quod eſt conſequens) ſequitur neceſſariò ex eo quod, *ſol oritur* (quod eſt antecedens.) regulæ autem Summuliſtarum cum Petro Hiſpano, lib. 1. cap. 15. de illatione conditionalium veræ ſunt in hoc genere propoſitionum.

§.10. Aliæ hypotheticæ ſunt in materia contingenti, in qua conditio, ſiue antecedens requiritur ad effectum, vt aliquo modo principiũ illius, ſed ex quo effectus non ſequitur neceſſariò, ſed contingenter: e.g. *ſi Petrus venerit, ei dabo centum*: donatio centum pendet ex Petri aduentu; at illum non ſequitur neceſſariò. Vbi propoſitio hypothetica non eſt illatiua, ſed tantum enuntiatiua, affirmans euentum. Nam (vt rectè Toletus lib. 1. cap. 19.) iſtæ propoſitiones ſunt veræ, vel falſæ, neceſſariæ, vel contingentes, quod patet in abſolutis, & cauſalibus, vt *Petrus venit, & dedi illi centum: quia Petrus venit, dedi illi centum*, vbi propoſitiones ſunt veræ, & cauſales, non tamen illatiuæ, quia illatio non contingit propoſitioni ex conceptu hypotheſis, nam & abſolutæ ſunt illatiuæ; ſed eſt diuerſitas materiæ: quia verò in materia contingenti ex antecedente non ſequitur neceſſariò conſequens, ſequitur autem neceſſariò in materia neceſſaria, ideo hypotheticæ neceſſariæ, ſunt illatiuæ: ſecus contingentes: Ad harum autem veritatem ſufficit rem eſſe ſicut enunciatur; non tamen requiritur, vt poſito antecedenti non poſſit non eſſe conſequens: nam antecedens poteſt eſſe cum conſequenti, & eius contradictione, vt *ſi diſputaueris, dabo tibi librum*; poſita diſputatione poteſt liber dari, & non dari.

§.11. Aliqui huic opinioni ſtomachati, eam exprobrant, vt nouam, & Summuliſtis nunquam auditam: verùm præter Cardinalem Toletum, Sotus celebris Summuliſta eam vindicat ab hac iniuria textu, 1. Summularum, in c. 16. Petri Hiſpani lect. 3. notab. 1. vbi ad veritatem conditionalium promiſſiuarum non requirit antecedens neceſſariò ſtare cum conſequenti, ſed tãtum requirit, vt conſequens ſit cum antecedenti, in quo conueniunt cum illatiuis; differunt tamen, quia in illatiuis non poteſt antecedens eſſe ſine conſequenti; audiamus Sotum iis etiam propoſitionibus veritatem, & Deo euidentem notitiam de illis adſcribentem, atque aſſerentem eas non eſſe illatiuas. Recognoſcent enim hi authores hanc doctrinam, vt propriam, & à Salmanticenſi Doctore olim traditam, cum nullum erat certamen de efficacia gratiæ: en verba Soti. *Ad veritatem huius, ſi viceris in diſputatione, dabo tibi librum: requiritur, quod non vincas in diſputatione, quin dem tibi librum: vndę non requiritur, quod antecedens, & conſequens ſint aliquando vera, & in hoc conuenit promiſſiua cum illatiua: nec requiritur, quod ſit bona conſequentia, quia ſcilicet antecedens non poſſit eſſe verum ſine conſequenti, & in hoc differt ab illatiua; ſed ſolum quod antecedens non erit verum ſine conſequenti: itaque non requiritur, quod oppoſitum conſequentis repugnet cum antecedenti, aut conſtituat copulatiuam impoſſibilem, ſed quod conſtituat copulatiuam, quæ nunquam erit vera, in quo manifeſtatur differentia inter promiſſiuam, & illatiuam Ex quo ſequitur primo, quod conditionalis promiſſiua eſt contingens*, v.g. *ſi tu viceris in diſputatione, & ego non non dederim tibi librum, dicta conditionalis eſt falſa; ſed ſi tunc dedero, illa eſt vera, ſequitur ſecundo multas eſſe conditionales promiſſiuas, de quarum veritate nobis non poteſt conſtare, ſed Deus ſolus ſcit, vera-ne ſint, an falſæ?* & cætera. Hæc ſunt verba Soti, quam doctrinam verbum pro verbo traditam à P. Ludouico Molina, & vniuerſis noſtræ Societatis Doctoribus omnibus Soto tempore poſterioribus exibilant, & explodunt, vt ſuppoſititiam, qui eam in ſuo Doctore ſingulis momentis oculis luſtrant.

§.12. Alię propoſitiones ſunt cõplexæ, vt *Petrus currit, & Ioannes loquitur*, quia conſtat duabus integris propoſitionibus, in quibus aliæ ſunt copulatiuæ, vt patet in exemplo adducto, quarum veritas pendet à veritate vtriuſque; nam ſi altera pars eſt falſa, tota propoſitio redditur falſa, quia eſt vniuerſalis. Aliæ ſunt diſiunctiuæ, vt *Petrus currit vel loquitur*, cuius veritas pendet à veritate alterius partis; non enim requiritur veritas vtriuſque, quia eſt particularis, cuius veritas reperitur in vno obiecto. Si enim Petrus currit, tametſi non loquatur, vera erit propoſitio diſiunctiua: immo bene Toletus obſeruat ex veteribus dialecticis, lib. 1. capit. 19. diſiunctiuam eſſe falſam, ſi vtrumque extremum eſt verum, quia diſiunctio *vel* ſignificat vnum ex ſuppoſitione, quod non ſit alterum. Quamuis hoc multum pendet ex modo, quo apprehenditur obiectum, illudque volumus explicare. Poſſet enim quis ſignificare, vt minimum alteram partem eſſe veram, non excluſa altera, vt Chriſtus dixit, vbi *duo vel tres congregati fuerint in nomine meo*, & cætera. Si autem congregentur duo, & tres, nunquid Deus eos non audiet? tunc autem non redditur falſa propoſitio diſiunctiua. Cum autem pro vno ſupponitur alterum, tunc diſiunctiua eſt falſa: non enim affirmatur vtrumque, ſed alterum ex ſuppoſitione, quod negetur alterum, vt in ſimili patet, & præceptis: quando Iudæi iubebantur offerre par turturum aut columbas: iubebantur columbas offerre ex ſuppoſitione, quod non offerrent turtures: & turtures ex ſuppoſitione, quod non

offerrent

offerrent columbas, vtrumque autem non iubebantur. Rogas vtrum hæc ſit complexa: *ſi ſol oritur, dies eſt*; & hæc, *homo currit, eſt propoſitio*. Non ſunt. Prior enim eſt hypothetica non cõpoſita ex duabus propoſitionibus: ſecunda primam partem habet pro ſubiecto. Sed cõmuniter complexæ vocantur, quia componuntur ex duabus orationibus, vide Sotum, & Toletum ſupra contra Fonſecam, lib. 3.

SECTIO IV.

De æquipollentia ſimplicium propoſitionum.

§. 13. ÆQuipollentia eſt *duarum propoſitionum æquiualẽtia*: fit autem inter propoſitiones habentes idem ſubiectum, & prædicatum affecta ſigno vniuerſali vel particulari poſita, vel ſublata negatione, *non*, v.g. hæc propoſitio, *nullus homo currit*, ſi ei præponas negationem, æquiualet ſuæ contradictoriæ: quia hæc *nonnullus homo currit*, æquiualet huic, *aliquis homo currit*. Item ſi huic propoſitioni *aliquis homo currit*, præponas negationem, & dicas *non aliquis homo currit*, æquiualet primæ vniuerſali *nullus homo currit*. Aduerte propoſitiones negatiuas fieri æquipollentes poſita negatione, v.g. *omnis homo eſt albus*: ſi dicas, *omnis homo non eſt albus*, æquiualet huic, *nullus homo eſt albus*. Item ſi dicas *nullus homo non eſt albus*, æquiualet huic, *omnis eſt albus*. Item inter duas ſubalternas, ſi negatio ſimul præponatur & poſtponatur, altera æquipollet alteri, v.g. *omnis homo eſt albus*, ſi dicas *non omnis homo non eſt albus*, idem eſt ac ſi dicas, *aliquis homo eſt albus*: ſi autem dicas, *non aliquis homo non eſt albus*, æquipollet huic *omnis homo eſt albus*: ratio, quia paritas negationum affirmat, imparitas verò negat.

§. 14. His verſiculis intelliges, *præ contra dic, poſt contra; præ poſtque ſubalter*, id eſt: negatio præpoſita contradicit: poſtpoſita vero reddit propoſitionem contrariam, præpoſita verò & poſtpoſita reddit ſubalternam. exempli gratia:

Non omnis, quidam: non omnis non, quaſi nullus.
Non nullus, quidam: ſed nullus non, valet omnis.
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.
Non alter, neuter: neuter non, præſtat vtrumque.

Poteſt etiam fieri æquipollentia per verba, vt *Petrus eſt doctus*, æquiualet huic, *Petrus non caret doctrina*, ſed priores ſpectant ad Dialecticum.

SECTIO V.

De conuerſione ſimplicis propoſitionis.

§. 15. COnuerſio eſt *vnius propoſitionis ad aliam neceſſaria conſequentia ex transmutatione terminorum*, id eſt, mutando ſubiectum in prædicatum, & prædicatum in ſubiectum; fitque tripliciter. Primò ſimpliciter per ſolam terminorum tranſmutationem, ſeruata eadem qualitate, & quantitate: ita conuertuntur vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua, vt *nullus homo eſt lapis*, ergo *nullus lapis eſt homo*. item *aliquis homo eſt albus*, ergo *aliquod album eſt homo*. ratio à priori, quia termini ſic conuerſi ſunt omnino idem realiter in vtraque propoſitione, & ab vno termino ad alium realiter eumdem valet conſequentia, vt ſi homo aliquis eſt albus, iam album aliquod eſt homo, quia homo albus aliquod album eſt.

§. 16. Secundò fit conuerſio per accidens in propoſitione vniuerſali negatiua, & vniuerſali affirmatiua, quando extrema mutantur manente qualitate, mutata tamen quantitate, vt *omnis homo eſt animal*, ergo *aliquod animal eſt homo*. Item *nullus homo eſt albus*: *ergo aliquod album non eſt homo*, quia ſi nullus homo eſt albus, ergo nullum album eſt homo, alioquin aliquis homo eſſet albus: quod ſi nullum album eſt homo, ergo aliquod album non eſt homo. Ratio eſt, quia negata identitate hominis cum albo, negatur identitas albi cum homine: quia eſt eadem: quod ſi negatur cum omni albo, eadem negatur cum aliquo, contento quidem ſub omni.

Tertiò eſt per contrapoſitionem in propoſitione vniuerſali affirmatiua, & particulari negatiua per adiectionem aliquarum negationum, vt *omnis homo eſt animal*, ergo *omne non animal eſt non homo*, quia ſi non eſt animal, nõ eſt homo, qui eſt animal, & non poteſt eſſe animal, & non animal. Item conuertitur per hanc, ergo *aliquod animal non eſt non homo*: quæ æquiualet huic, *aliquod animal eſt homo*. Item *aliquis homo non eſt lapis*, ergo *aliquod non lapis non eſt homo*. vbi ly, *non* ſumitur infinitanter, ſignificãdo aliquid quod nõ ſit homo. Itẽ aduerte in hac tertia conuerſione debere addi conſtantiam, id eſt, debere poni exiſtentiã rei, verbi gratia, *omnis homo eſt ens*, ſi conuertatur per hanc, *ergo omne non ens eſt non homo*; eſt falſa: quia non ens, quamuis non ſit homo, non tamen eſt non homo, quia eſſe non hominem dicit eſſe aliquid quod non ſit homo: at verò non ens, non eſt aliquid ſumendo *eſt* & *aliquid* propriè. In negatiua autem debet habere conſtantiam in ſubiecto conuerſæ, vt ſi dicas, *Antichriſtus non eſt bonus*, ſi conuertatur per hanc, ergo *aliquod non bonum eſt non Antichriſtus*, hæc eſt falſa, quia modò ſunt aliqua non bona, quæ tamen non ſunt Antichriſtus, quod ſi ly, *Antichriſtus*, haberet conſtantiam exiſtendi; eſſet vera propoſitio: qui tunc aliquod non bonum, ſcilicet ipſe Antichriſtus, non eſſet non Antichriſtus, id eſt, eſſet Antichriſtus ipſe. Attendenda deniquè eſt identitas terminorum propoſitionis conuerſæ, & conuertentis, ad quod operæ pretium erit æquipollentiam callere, vnde non poterit conuerti propoſitio per aliam, quæ habet terminos re ipſa diſtinctos à ſuis, quia conſequentia non eſt ab vno ad diſtinctum, ſed ad idem, vt *ab homine ad rationale* eſt conſequentia, non verò *ad non hominem*. Sunt autem hic multæ puerorum tricæ: attendendus eſt autem valor negationum. §. 17.

Tota conuerſio clauditur his verſibus. §. 18.

Aſſerit A, negat E, ſunt vniuerſaliter ambæ.
Aſſerit I, negat O, ſunt particulariter ambæ.

Id eſt littera A. ſignificat propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, E. vniuerſalem negatiuam, I. particularem affirmatiuam, O. particularem negatiuam, accipe igitur duo carmina.

Simpliciter feci, conuertitur Eua per acci.
Aſto per contra, ſic fit conuerſio tota.

Id eſt ſimpliciter conuertuntur vniuerſalis negatiua, & particularis affirmatiua ſignificatæ hac dictione, *feci*. Per accidens conuertuntur vniuerſalis negatiua, & vniuerſalis affirmatiua, ſignificatæ hac dictione, *Eua*; per contrapoſitionem verò vniuerſalis affirmatiua, & particularis negatiua, ſignificatæ hæc voce, *aſto*.

Definitio conuertitur ſimpliciter cum definito, vt animal rationale cum homine, & hoc animal rationale cum hoc homine. Item propoſitio de ſubiecto, & prædicato ſingulari, vt *Petrus eſt hoc album, ergo hoc album eſt Petrus*. Rogas, hæc, *Petrus eſt homo*, quo pacto conuertatur? Nam videtur conuerti per accidens, vt *ergo aliquis homo eſt Petrus*, vbi mutatur quantitas propoſitionis. Reſpondebit aliquis cõuerti ſimpliciter omnem propoſitionem, §. 19.

qua vniuerſale affirmatur de ſuo inferiori, quia vniuerſale tunc prædicatur confusè: hæc enim, *Petrus eſt homo*, æquiualet huic, *Petrus eſt aliquis homo*, quia homo confusè dicitur de Petro: quæ propoſitio eſt eiuſdem quantitatis cum hac, *Petrus eſt homo*. Contra, quia hæc propoſitio, *omnis homo eſt animal*, conuertitur per accidens ſic, *aliquod animal eſt homo*, ergo ſimiliter propoſitio argumẽti, quia *omnis homo eſt animal*, æquiualet huic, *eſt aliquod animal*. Ratio eſt, quia quãtitas propoſitionis ſumitur à ſubiecto, at huius ſubiectum, *Petrus eſt homo*, diuerſa quantitate eſt ab hoc *aliquis homo eſt Petrus*, quia alterum eſt ſingulare, alterum particulare confuſum, vnde illa propoſitio conuertitur per accidens.

SECTIO VI.

De oppoſitione ſimplicis propoſitionis.

§.20. Oppoſitio eſt *repugnantia duarum propoſitionum in veritate, aut falſitate* (id eſt) *ſunt duæ propoſitiones, quibus repugnat, aut falſitas ſimul, vel veritas ſimul.* Omiſi oppoſitionem propoſitionum ſecundum quantitatem, quia verè non opponuntur, ſed potiùs vna eſt quaſi pars alterius, v. g. *omnis homo currit, aliquis homo currit*. Prima, quia eſt vniuerſalis, continet ſub ſe ſecundam, quia eſt particularis: immò veritas vniuerſalium adæquatè conflatur ex veritate omnium ſingularium, ſiue confusè, ſiue clarè noſcantur. dicuntur autem opponi in quantitate, nam iam oſtendi propoſitionem eſſe vniuerſalem, particularem, & cætera, vocari à dialecticis quantitatem propoſitionis, & quemadmodum in re corporea magnum, & paruum opponuntur, ſic metaphoricè dicuntur opponi iſtæ propoſitiones ſecundum quantitatem, quia altera eſt quaſi parua, altera quaſi magna.

§.21. Oppoſitio verſari poteſt inter duas propoſitiones vniuerſales, alteram affirmatiuam, alteram negatiuam eiuſdem prædicati de eodem ſubiecto, vt *omnis homo currit, nullus homo currit*, quam oppoſitionem Ariſtoteles, lib. 1. de interpretatione, c. 5. vocat *contrariam*. Alio modo poſſunt opponi vna propoſitio vniuerſalis, & altera particularis, altera affirmatiua, & altera negatiua eiuſdem prædicati de eodem ſubiecto, quam oppoſitionem communiter vocant *contradictoriam*. Quam nonnulli definiunt eſſe *oppoſitionem duarum propoſitionum ſecũdum quantitatem, & qualitatem, quarum altera eſt vniuerſalis, altera particularis*. Quæ definitio colligitur ex Petro Hiſpano, lib. 1. cap. 11. verùm hæc diminuta eſt, neque Ariſtotelica. Ariſtoteles enim eo cap. 5. eam ſic diffiniuit: *Affirmationem, & negationem opponi contradictoriè quidem, dico, cum vniuerſaliter altera ſignificat, altera nõ vniuerſaliter*. Qua diffinitione comprehendi videtur oppoſitio inter propoſitionem vniuerſalem, & ſingularem, quæ ex hac definitione eſt contradictio, vt *omnis homo currit, Petrus non currit*: & probatur, quia ſi ſingulare confusè cognitum oppoſitum propoſitioni vniuerſali, & affectum ſigno particulari, ſiue indeterminato, *aliquis*, opponitur contradictoriè propoſitioni vniuerſali, cur idem ſingulare, clarè, & diſtinctè cognitum, non opponetur eadem ratione? Maximè cum veritas propoſitionis confuſæ expendatur re ipſa in vno ſingulari determinato. Hæc enim propoſitio, *aliquis homo currit*, veritatem ſumit à Petro ſolo currente, quapropter opponitur contradictoriè huic, *nullus homo currit*; ergo ſimiliter hæc, *Petrus currit*, quia veritatem ſumit ex eodem capite, contradictoriè opponetur eidem vniuerſali negatiuæ. Vnde patere videtur eam definitionem eſſe illegitimam, ſtandúmque eſſe Ariſtotelicæ.

§.22. Verùm Ariſtoteles exemplis adductis eo cap. excluſit à definitione contradictionis oppoſitionem inter vniuerſalem & ſingularem: praſto eſt ratio, quia vtraque poteſt eſſe falſa, vt *omnis homo currit*, eſt falſa, Petro non currente; & *Antonius non currit*, eſt falſa, Antonio currente: ſimul autem poſſunt, & Petrus nõ currere & Antonius currere. Vnde patet non quadrare in hanc oppoſitionem omnia præcepta contradictionis. Ad aliam rationem. Reſpondetur, propoſitionem confuſam opponi contradictoriè vniuerſali, quia vagatur per omnia indiuidua confusè, ad cuius falſitatem non ſufficit vnum indiuiduũ, vt *aliquis homo non currit*, non eſt falſa, quod Antonius non currat: vt hæc eſt, *Antonius non currit*, quia circa illum in ſingulari verſatur, ex modo autem concipiendi claro aut obſcuro pendet lex contradictoriarum: vnde Petrus obſcurè, & vagè cognitus non reddit propoſitionem particularem falſam, vt reddit ſingularẽ quando clarè cognoſcitur. Hæc autem oppoſitio reduci poteſt ad contrariam, quia habent repugnantiam in ſola veritate, & non in falſitate: immo ratione illius contrariæ non habent oppoſitionem in falſitate, vt oſtendam ſectione ſequenti. Ipſe Ariſtotel. cap. 6. addidit duas propoſitiones ſingulares oppoſitas in qualitate circa idem ſubiectum, & prædicatum, eſſe contradictorias, vt *Socrates eſt albus, Socrates non eſt albus*. Vnde definitur oppoſitio contradictoria *eſſe repugnantia duarum propoſitionum ſecundum qualitatem, quarum altera ſit affirmatiua, altera negatiua*. Item *altera vniuerſalis, altera particularis, vel vtraque ſingularis*.

§.23. P. Fonſeca, & Conimbricenſ. negant oppoſitionem ſubcontrariam (id eſt) verſantem inter duas propoſitiones particulares vel confuſas contentas ſub propoſitionibus contrariis, vt ſunt hæ, *aliquis homo currit, aliquis homo non currit*, quæ continentur ſub his vniuerſalibus, *omnis homo currit, nullus homo currit*. Mouentur primò: quia Ariſtoteles non meminit eius oppoſitionis. Secundò, quia non opponuntur in veritate. Verum communis ſententia eſt, eas eſſe oppoſitas, vt cũ Petro Hiſpano ſupra communiter docent Summuliſtæ. Probatur à priori, tum quia ſunt oppoſitæ ſecundum qualitatem, falſitas enim, quæ vtrique repugnat, tam pertinet ad proprietatem propoſitionis, quàm veritas: ergo ſicut contrariæ ſunt oppoſitæ, quia vtrique veritas repugnat, ita ſubcontrariæ opponentur, quia vtrique repugnat falſitas; tum quia nunc oſtendam earum falſitatem repugnare, quia illa continerẽtur duæ propoſitiones ſingulares contradictoriæ, vnde habent oppoſitionem contradictoriam, non ſecus, ac eam habent contrariæ. Ad primum reſpondeo, Ariſtotelem fuiſſe capacem obliuionis, aut ignorantiæ. Ad ſecundum reſpondeo ſufficere opponi in altera ſpecie qualitatis.

SECTIO VII.

Explicantur præcedens doctrina, & regulæ oppoſitarum.

§.24. Qvamuis hæc ita ſint accipienda, propter diuerſas tamen quantitates propoſitionum diuerſimodè dicuntur opponi propter quas diuerſo modo repugnant in qualitate. Tamen arbitror omnem huiuſmodi oppoſitionem re ipſa eſſe contradictoriam, & ratione huius repugnare; vt contrariæ ſint ſimul veræ, ſubcontrariæ verò ſimul falſæ,

falſæ, contradictoriæ autem nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ.

§.25. Itaque dico, omnem oppoſitionem propoſitionum in qualitate eſſe formaliſſimè propter duas propoſitiones ſingulares mutuo contradicentes, quæ continerentur in oppoſitis. verbi gratia, oppoſitio contrariarum in veritate eſt propter duas propoſitiones ſingulares contradictorias, quæ ſequerentur ex veritate vtriuſque contrariæ: idem eſt de falſitate ſubcontrariarum: quia verò nec in veritate ſubcontrariarum, nec in falſitate contrariarum continentur duæ ſingulares contradicentes, ideò contrariæ poſſunt eſſe falſæ, & ſubcontrariæ veræ. ergo adæquata, & vnica ratio oppoſitionis propoſitionum eſt oppoſitio contradictoria, quod patet in contrariis.

§.26. Nam duæ propoſitiones contrariæ falſæ eſſe poſſunt, quia ſub illis continentur multæ propoſitiones ſingulares, quarum duæ poſſunt eſſe falſæ, quarum falſitas falſam reddit vniuerſalem propoſitionem, v. g. *omnis homo currit*, continet ſub ſe has duas, *Petrus currit, Antonius currit*, è quibus Petro currente, ſi Antonius non currit, hæc eſt falſa, *Antonius currit*, & conſequenter hæc *omnis homo currit*. Hæc autem propoſitio vniuerſalis, *nullus homo currit*, continet ſub ſe has, *Petrus non currit, Antonius non currit*, quarum prima eſt falſa, quia Petrus currit, & conſequenter, *nullus homo currit*, eſt falſa. Vnde patet propoſitiones vniuerſales non eſſe oppoſitas in falſitate, quia vtraque poteſt eſſe falſa, quia falſitas illarum ſumitur ex obiectis, quæ inter ſe non habent contradictoriam oppoſitionem, quia *Petrum currere*, & *Antonium non currere*, nullam habent oppoſitionem, poteſt enim vtrumque ſimul eſſe: opponuntur autem in veritate, quia vtriuſque veritas dependeret ab obiectis contradictoriè oppoſitis. Nam ſi *omnis homo currit*, eſt vera, ergo *Petrus currit*. Item ſi, *nullus homo currit*, eſt vera, ergo *Petrus non currit*, erit etiam vera, quia vniuerſali exiſtente vera, omnes eius ſingulares ſunt veræ. Ecce vbi de Petro affirmantur duo contradictoria prædicata, nempe *currere*, *& non currere*. Idémque contingeret ſingulis indiuiduis, ergo oppoſitio contrariarum eſt in quantum ſunt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem obiecto ſingulari, quæ poteſt explicari per duas propoſitiones ſingulares perfectè contradictorias, vt *Petrus currit, Petrus non currit*. ergo adæquata ratio oppoſitionis contrariarum eſt contradictio, quæ in veritate vtriuſque contineretur. Quia verò in propoſitione vniuerſali multa prædicantur de multis, quæ poſſunt in vno reperiri, & in alio non ſine vlla contradictione ex parte obiecti, ideò non vocantur contradictoriæ, licet pendeat earum falſitas à contradictione obiecti.

§.27. Idem patet in ſubcontrariis, quæ poſſunt ſimul eſſe veræ, nam ſunt propoſitiones gaudentes deſcenſu diſiunctiuo, quia ſunt confuſæ, & indeterminatæ, ad quarum veritatem ſufficit in vno ſolo indiuiduo reperiri, quod per ipſas pronũtiatur, v.g. *aliquis homo currit*, eſt propoſitio vera currente ſolo Petro, licet cæteri non currant, ad cuius falſitatem requiritur, vt nullus omninò currat. Item hæc propoſitio, *aliquis homo non currit*, eſt vera Antonio non currente, licet Petrus currat, vt autem hæc ſit falſa, requiritur, vt omnes homines currant. Ecce cur poſſint eſſe veræ, quia veritas illarum comprobatur in indiuiduis omnino realiter diſtinctis, quorum altero currente, alterum poteſt non currere, ac proinde de nullo indiuiduo affirmantur duo prædicata contradictoria.

Vt autem ſint falſæ, opus eſt, vt de vno indiuiduo affirmentur duo prædicata contradictoria, nempe *de eodem Petro currere, & non currere*: nam falſitas huius propoſitionis, *aliquis homo currit*, requirit, vt nullus homo currat, & conſequenter, vt *Petrus non currat*. nam ſi Petrus curreret, eſſet vera. Item falſitas huius propoſitionis *aliquis homo non currit*, requirit, vt omnis homo currat, & conſequenter, vt *Petrus currat*. ergo iam requiritur ad falſitatem vtriuſque, vt *Petrus currat, & non currat*, idémque contingit cæteris indiuiduis. ergo oppoſitio harum propoſitionum ſumitur ex oppoſitione contradictoria duarum propoſitionum ſingularium mutuo contradicentium, quæ neceſſariò continerentur in vtriuſque falſitate: ſicut oppoſitio contrariarum oritur ex duabus ſingularibus contradictoriis, quæ continerentur in veritate vtriuſque contrariæ. Qua verò parte non opponuntur, eſt, quia in illa carentia oppoſitionis non continentur duæ propoſitiones ſingulares mutuo contradicentes. Subcontrariæ autem non vocantur contradictoriæ, quia verſantur circa varia indiuidua, quibus conuenire poſſunt diſſimilia prædicata, ob quæ hæ poſſunt eſſe ſimul veræ. §.28.

Idémque patet in oppoſitione contradictoria duarum propoſitionum, quarum altera ſit vniuerſalis, altera confuſa. Nam ſi vniuerſalis eſſet vera, & particularis falſa, ſequeretur de eodem indiuiduo ſimul proferri duas propoſitiones ſingulares mutuo contradicentes, nam ſi, *omnis homo currit*, eſt vera, & *aliquis non currit*, eſt vera: ergo de eodem Petro verè affirmari poterit, *Petrus currit, Petrus non currit*, quia ab vniuerſali vera deſcenditur ad ſingularem veram, *Petrus currit*: demus autem ad veritatem particularis negatiuæ illud indiuiduum non currens eſſe Petrum, in quo vera eſt illa propoſitio (idem namque eſt in quouis alio, quia vniuerſalis propoſitio omnia complectitur) iam *Petrus curret, & non curret ſimul*, ſimiliter ſi vtraque ſit falſa. demus enim vniuerſalem falſam, quia *Petrus non currit*, ſi particularis eſt falſa, ſequitur *Petrum currere*, quia omnis homo neceſſariò currit, ad huius falſitatem *aliquis homo non currit*, vt dixi, §.27. & 28. ergo *Petrus ſimul curreret, & non curreret*. omnis ergo oppoſitio propoſitionum re ipſa eſt contradictoria: explicatur autem triplici illa diſtinctione, vt oſtendantur diuerſæ rationes, quibus hæc oppoſitio cernitur in propoſitionibus diuerſarum quantitatum. §.29.

Vnde liquido conſtat cur contrariæ non poſſint ſimul eſſe veræ, & poſſint eſſe ſimul falſæ, ſubcontrariæ autem poſſint eſſe ſimul veræ, non tamen ſimul falſæ; contradictoriæ autem nec ſimul veræ, nec ſimul falſæ, ſed altera vera, altera falſa, quia idem affirmari, & negari ſimul de eodem verè, repugnat, quia ſicut Petrus non poteſt ſimul currere, & non currere, quia opponuntur immediatè, ita non poteſt vtrumque verè aut affirmari, aut negari. Hæc autem eſt ratio à priori, & vnicum fundamentum, cui innititur tota doctrina de oppoſitione propoſitionis. §.30.


Vnde expendi debent omnia adiuncta, quibus idem affirmatur, & negatur: nempe omnes terminos propoſitionum oppoſitarum debere in vtraque eodem modo ſupponere pro eadem re, eodem loco, tempore, & aliis circunſtantiis, alioquin non erit oppoſitio, verbi gratia, hæ non opponuntur, *Mater diligit filium, Mater non diligit filium*, ſi in prima ſupponat pro filio Ioanne, in ſecunda pro Petro. Item neque hæ, *ego fui in templo, ego non fui in templo*, ſi vel pro diuerſis templis, vel pro diuerſis §.31.

temporibus intelligatur. Item hæ non opponuntur, *ego occidi Petrum, ego non occidi Petrum*, ſi in prima intelligatur, Petrum occiſum Romæ, & non occiſum Madridij. ſimiliter ſi in altera intelligatur occiſum cultro, & in altera gladio. Item hæ non opponuntur, *omne animal fuit in arca Noë, aliquod animal non fuit in arca Noë*, quia in prima propoſitione ly *animal* ſupponit pro aliquo indiuiduo vago ſpeciei, quod dicitur, *pro generibus ſingulorum*, id eſt, pro aliquo indiuiduo ſingurum ſpecierum, vt pro aliquo equo, & leone, & cætera; & in ſecunda ſupponit diſcretè prò indiuiduis determinatis, quod dicitur *pro ſingulis generum*, id eſt, pro ſingulis hominibus, ſingulis leonibus, & cætera; id eſt, omnis ſpecies animalis fuit in arca Noë, & Petrus non fuit in arca Noë, in quo nulla cernitur oppoſitio, quia licet ibi non fuit Petrus, fuit Noë, & in eo ſpecies hominis.

§.32. Item aduerte ad veram oppoſitionem ſecundum qualitatem opus eſſe, vt negatio neget copulam propoſitionis, vt hæ, *Petrus currit, Petrus non currit*: vbi ly, *non* negat ly, *currit*, alioquin non eſt oppoſitio, vt in hac, *Petrus currit, non Petrus currit*: quæ propoſitiones non opponuntur, quia vtraque eſt affirmatiua, ſenſus enim ſecundæ eſt, *aliquid, quod non eſt Petrus, currit*: ſicut hæ, *in ſecana ſunt piſces, in ſecana ſunt non piſces*, vbi vtraque eſt affirmatiua, quia in ſecana ſunt piſces, & ſunt lapides, qui non ſunt piſces: vt autem ſint contradictoriæ ſic ponantur, *in ſecana ſunt piſces, in ſecana non ſunt piſces*.

§.33. Præterea aduerte propoſitiones falſificantes eſſe, quæ ſe ipſas deſtruunt, verbi gratia, dicit quis, *ego ſum mutus, qui non loquor, ego iuro me nunquam iurare, ego ſemper mentior*, ecce hæ ſunt falſificantes. Prima, quia dicit ſe non loqui, cum tamen loquatur: ſecunda, quia dicit ſe non iurare, & tamen iurat. Tertia, quia dicit ſe ſemper mentiri, cum tamen per illam propoſitionem deſtruat quod dicit, quia ſi ſemper mentitur, ergo & tunc mentitur, quod ſi tunc mentitur, ergo dicit verum, quia dicit quod eſt: at ſi tunc non mentitur, ergo non ſemper mentitur. Item hæ ſunt falſificantes. *Deus dabit mihi librum, Deus non dabit mihi librum*, poſito hoc caſu, quod dicat quis Petro, *Deus tibi dabit librum, ſi prima propoſitio, quam dixeris, fuerit vera*, & tunc Petrus dicat, *Deus mihi non dabit librum*, hæc propoſitio eſt falſificans, quia eſt impoſſibile, vt promiſſio impleatur, quia, *ſi Deus dat librum*, prima illa propoſitio non fuit vera; ſi verò *Deus non dat librum*, illa propoſitio fuit vera, & non poteſt impleri, nec à Deo ita ſponderi. Igitur ſi animaduertas propoſitiones falſificantes, item & circunſtantias ſubiecti, & prædicati, & negationis, numquam capieris, facile autem in manus inimici cades, ſi oſcitere. Quod autem dicitur, *nulla eſt melior contradictio, quam toti propoſitioni negationem præponere*: intellige, ſi negatio non eſt infinitans, ſi autem infinitetur, non eſt contradictio.

At in excluſiuis hæc regula eſt falſa, vt patebit ſectione 13. vbi agetur de oppoſitione excluſiuarum.



SECTIO VIII.

De propoſitione modali.

MIrabile fuit ingenium Petri Hiſpani, qui Ariſtotelem ſuperauit in tradenda doctrina de modali propoſitione lib.1. Summularum c.13. quam conabor perſpicuè, ac breuiter explanare, omiſſis Summuliſtarum nugis, ac tricis, quibus captioſè deludunt tyronum animos, atque deterrent. Sat difficilis redditur hæc diſputatio tot vocum multiplicitate, quin data opera tenebræ tenebris offundantur. Neque enim toties Cycicenæ turres, aut Olympiacæ porticus refractis vocibus recinunt echo, quoties propoſitio modalis geminatur. Si enim illæ bis ſepties verba repulſant, modi bis refranguntur octies, audientium aures diuerberantes, mentémque turbantes: conabor autem communis doctrinæ rationem reddere, quod arbitror non eſſe admodum facile. §.34.

Modus latè ſumptus eſt *limitatio ſeu reſtrictio alicuius orationis, aut vocis*, quæ fit per terminos adiectiuos vt *omnis homo iuſtus*, vel per terminos ſubſtantiuos in obliquo, vt *omnis liber Ariſtotelis*, vel per aduerbia, diſiunctiones, & cætera, de quibus non agimus in præſenti. Agimus autem de modo adſtringente propoſitionem in vna materia determinata. Diximus materiam eſſe triplicem, neceſſariam, remotam, contingentem: cui triplex reſpondet modus *neceſſarius, impoſſibilis, contingens*, quibus additur, & quartus ſcilicet *poſſibilis*, qui tamen parum differt à contingenti. In præſenti enim diſputatione claritatis gratia, vt communi mori morem geramus, de eo reciprocè cum poſſibili diſſeremus. Dupliciter fit propoſitio modalis vel per modum aduerbialiter ſumptum, vel adiectiuè, vt *Deus neceſſariò eſt vnus*, vel *Deum eſſe vnum, eſt neceſſarium*, per quem modum adiectiuum tota propoſitio mutatur, & modus fit prædicatum. Nam *Deum eſſe*, eſt ſubiectum de quo prædicatur *eſſe neceſſarium*. At vero in hac *Deus neceſſariò eſt vnus*; vnitas prædicatur de Deo, neceſſitas autem nec ſubiicitur, nec prædicatur, ſed eſt ſyncategorema ſubiecti. §.35.

Modus ſolet interponi, vt, *ſedentem poſſibile eſt ſtare*: vel ſolet præponi, vt *non eſt poſſibile ſedentem ſtare*: vel ſolet poſtponi, vt *ſtantem ſedere eſt poſſibile*, ſemper tamen eumdem reddit ſenſum: qui ſenſus eſt duplex, & compoſitus, & diuiſus. Compoſitus eſt, quando ſimul pro eodem tempore prædicatum componitur ſubiecto, vt *ſtantem ſedere eſt impoſſibile*, id eſt, dum ſtat: diuiſus eſt, quando prædicatum non pro eodem tempore, ſed pro diuerſo tribuitur ſubiecto, vt *ſtantem ſedere eſt poſſibile*, id eſt, tempore quo non ſtat, vt de ampliatione dixi diſputatione 2. Hic tamen aduerte, aliquos modos eſſe compoſitionis §.36.

poſitionis (vt ait Hiſpanus) qui componunt prædicatum cum ſubiecto, vt *Petrus contingenter diſputat*, componit contingentiam cum diſputatione: alij autem modi ſignificant, qualiter res fiat, vt *Petrus doctè diſputat*, oſtendit quo pacto ſe geſſerit in diſputatione. Sotus lectione 1. notabili 3. propoſitionem factam per aduerbium compoſitionis, vocat modalem diuiſam, vt *Petrus contingenter diſputat*, quæ autem fit per verbum, vocat modalem compoſitam, vt *Petrum diſputare eſt contingens*.

§.37. Propoſitiones modales ſuam habent veritatem, vel falſitatem. Propoſitio affirmatiua in materia neceſſaria eſt vera, & negatiua falſa, vt *hominem eſſe animal eſt neceſſarium, hominem eſſe animal non eſt neceſſarium*, vno verbo dignoſces veritatem, & falſitatem: ſi enim affirmant rem ſicuti eſt, ſunt veræ, ſi autem aliter, falſæ. Sunt autem ſemper falſæ, aut veræ ſemper, nam veræ ſunt in materia naturali, falſæ autem in materia remota, licet enim dictum (id eſt ſubiectum) ſit in materia contingenti; modus autem (id eſt prædicatum) eſt in naturali, aut remota, vt *Petrum diſputare eſt contingens*, *Petrum eſſe lapidem eſt poſſibile.* Item hæc propoſitio, *Petrum diſputare eſt contingens eſt propoſitio modalis:* non eſt modalis, ſed abſoluta, quia eſſe modalem illi conuenit abſolutè; nec illud prædicatum reflexum eſt modale, nam ad hoc exigitur prædicatum per copulam principalem eſſe modum, vt *Petrum currere eſt contingens.* Habent etiam quantitatem, vniuerſales ſunt *impoſſibile*, & *neceſſe*; particulares vero, *contingens*, & *poſſibile.* Aduerte quantitatem modalium abſolutè eſſe penſandam ex quantitate modi, & non ex quantitate dicti. Dictum autem vocamus cæteras partes propoſitionis à modo diſtinctas, de quo infra.

SECTIO IX.

Explicantur, ac deſcribuntur propoſitiones modales.

§.38. MOdi communiter ſunt quatuor, *poſſibile, contingens, impoſſibile, neceſſe*: quamuis contingens propriè, eſt limitatius quàm poſſibile, quia omne neceſſarium eſt poſſibile, & non contingens, in præſenti tamen reciprocè accipitur cum poſſibili, alioquin non poſſent omnes propoſitiones vnius figuræ æquipollere, æquipollent enim hæ, *hominem eſſe animal eſt poſſibile, eſt contingens*; quod abſolutè eſt falſum, quia homini neceſſaria eſt animalitas, eáque propter Ariſtoteles, contingens ab hac diſputatione reiecit; id tamen ad eam reuocamus claritatis ergo ad commodiorem notitiam figurarum. De ſingulis modis ſunt quaternæ propoſitiones. Exempli gratia. De poſſibili (exemplúmque eſto cæteris aliis) nam poſſunt affirmari dictum, & modus, vt *Petrum currere eſt poſſibile.* Item poteſt affirmari dictum, & negari modus, vt *Petrum currere non eſt poſſibile*, è contra verò negari poſſunt tam dictum quàm modus, *Petrum non currere non eſt poſſibile*, vel poteſt negari dictum, & modus affirmari, vt *Petrum non currere eſt poſſibile.*


§.39. Hæ quatuor propoſitiones deſcribuntur ab Hiſpano in quatuor figuris, aut tabulis, in quarum ſingulis cernitur oppoſitio vnius propoſitionis cũ alia aliarũ figurarum. Item in ſingulis tabulis conſtituuntur quatuor propoſitiones. *Prima de poſſibili, Secunda de contingenti, Tertia de impoſſibili, Quarta de neceſſe:* omnes iſtæ quatuor ſunt mutuò æquipollentes, mutatis, detractis, aut adiectis negationibus.

§.40. Vt autem faciliùs dignoſcas, qualis, ac quanta ſit propoſitio modalis, quatuor litteris vtimur in hac materia. *A.v.e.i.* *A*, ſignificat propoſitionem affirmatiuam tam de dicto, quam de modo, vt *Petrum currere eſt poſſibile.* *V*, ſignificat negatiuam de vtroque, vt *Petrum non currere non eſt poſſibile.* *E*, affirmatiuam de modo, & negatiuam de dicto, vt *Petrum non currere eſt neceſſe.* *I*, negatiuam de modo, & affirmatiuam de dicto, vt *Petrum currere non eſt neceſſe*, quod hoc carmine explicuit Hiſpanus.

E, dictum negat: I, quæ modum: nihil, A; ſed, V, totum.

§.41. Ex his quatuor ſyllabis, quatuor dictiones conflauit Petrus. *Amabimus, Edentuli, Illiace, Purpurea.* Quarum ſingulæ habent quatuor propoſitiones mutuo æquipollentes, quæ opponuntur omnibus propoſitionibus aliarum figurarum, quas breuitatis ergo hic deſcribam, earum rationem ſequenti ſectione redditurus.

	4. figura.	contrariæ.	3. figura.	
Pur-	Petrum non currere non eſt poſſibile.		Petrum currere nõ eſt poſſibile.	*Il-*
pu-	Petrum non currere non eſt cõtingens.		Petrum currere nõ eſt contingens.	*li-*
re-	Petrum non currere eſt impoſſibile.		Petrum currere eſt impoſſibile.	*a-*
a.	Petrum currere eſt neceſſe.		Petrum nõ currere eſt neceſſe.	*ce.*



	1. figura.	ſubcontrariæ.	2. figura.	
A-	Petrum currere eſt poſſibile.		Petrum nõ currere eſt poſſibile.	*Ed-*
ma-	Petrum currere eſt contingens.		Petrum nõ currere eſt contingens.	*en-*
bi-	Petrum currere nõ eſt impoſſibile.		Petrum nõ currere nõ eſt impoſſibile.	*tu-*
mus.	Petrum nõ currere non eſt neceſſe.		Petrum nõ currere eſt neceſſe.	*li.*

Figura, ſi de contingenti ſecundam, ſi de impoſſibili tertiam, quartam ſi de neceſſe, ac facillimo negotio diiudicabit, in qua ſit figura, ibíque dignoſcet, quanta ſit, qualis, quibúſque, & qua ratione opponatur. exempli gratia, hæc propoſitio, *Petrum currere eſt neceſſe*, eſt in *purpurea*, quia eſt affirmatiua de dicto & modo; hæc autem *Petrum non currere eſt contingens*, eſt in *edentuli*, quia eſt negatiua de dicto, & affirmatiua de modo, idémque eſto de cæteris, quod difficile eſt homini obliuioſo, memori id facillimè conſtat.

SECTIO X.

Quare omnes propoſitiones cuiuſque figuræ ſunt mutuo æquipollentes?

IAm dixi ſectione 4. æquipollentiam eſſe duas propoſitiones æquiualentes, quarum vtraque eſt de eodem prædicato, & ſubiecto, eámque contingere addendo, aut detrahendo negationem, vt §.42.

omnis

omnis homo currit, nullus homo non currit, ſunt æquiualentes, quia *nullus non, & omnis*, ſunt idem, duæ enim negationes affirmant. Hinc clariſſimè patet, quatuor propoſitiones modales vnius figuræ eſſe mutuo æquiualentes. Quis enim non videt, has propoſitiones ſignificare rem eamdem? *Curſus Petri eſt poſſibilis, eſt contingens, non eſt impoſſibilis, Petrum à curſu ceſſare non eſt neceſſarium*, etenim ſi curſus eſt poſſibilis, & contingens, non eſt impoſſibilis, quia poſſibile non eſt impoſſibile; quòd ſi impoſſibilis non eſt, ergo eius carentia non eſt neceſſaria: etenim ſi Petrus neceſſariò ceſſaret à curſu, non poſſet currere, & curſus eſſet impoſſibilis, quia quando carentia rei eſt neceſſaria, talis res eſt impoſſibilis. e. g. eſt neceſſaria carentia hominis irrationalis, ergo homo irrationalis eſt impoſſibilis, quia ſi eſſet poſſibilis, tolleret illam carentiam, quæ ſic eſſet contingens, non verò neceſſaria. Hæc, quæ clariſſima ſunt, continentur in prima figura *amabimus*, cuius prima, & ſecunda propoſitio eſt, *Petrum currere eſt poſſibile, & contingens*; tertia, *Petrum currere non eſt impoſſibile*; quarta, *Petrum non currere non eſt neceſſe*, quia tertia de *impoſſibili*, addito, *non*, æquiualet *poſſibili*, ſunt enim idem, *eſt non impoſſibile*, & *poſſibile*. Quarta verò, quæ habet duas negationes, nempe negationem curſus, & negationem neceſſitatis, negat neceſſitatem ceſſandi à curſu, qui autem non habet neceſſitatem ceſſandi à curſu, vel non currendi, poteſt currere, ac proinde eius curſus non eſt impoſſibilis, eſt poſſibilis, & contingens.

§.43. Idem patet in his propoſitionibus, *Petrum non currere eſt poſſibile, eſt contingens, non eſt impoſſibile. Petrum currere non eſt neceſſarium*: nam ſi Petrus exiſtere poteſt, quin currat, ergo Petrum non currere contingens eſt, ergo non eſt impoſſibile, ergo nulla neceſſitas eſt currendi, nam ſi illi eſſet neceſſariò currendum, non poſſet ceſſare à curſu. Hæ autem quatuor propoſitiones tam apertè æquiualentes ſunt in ſecunda figura, *edentuli*, cuius prima, & ſecunda propoſitio eſt, *poſſibile, & contingens eſt, Petrum non currere* (quod eſt carere curſu:) tertia, *non eſt impoſſibile Petrum non currere*; quarta vero, *non eſt neceſſarium Petrum currere*.

§.44. Nec difficiliores ſunt hæ, *Petrum non currere non eſt poſſibile, non eſt contingens, eſt impoſſibile, Petrum currere eſt neceſſarium*: eſt enim vel oculis conſpicuum, eum qui neceſſariò currit, non poſſe non currere: quia non poſſe non currere eſt omnino idem, ac neceſſitatem habere currendi; quod ſi non poteſt non currere, ſed neceſſariò currit, ergo illi non eſt contingens non currere, ergo eſt impoſſibile, quia non contingens, & impoſſibile, idem ſunt. Hæ autem quatuor tam claræ propoſitiones ſuo ordine continentur in tertia figura, *purpurea*, cuius prima, & ſecunda eſt, *Petrum non currere* (quod eſt curſu carere) *non eſt poſſibile, non contingens*. Tertia, *Petrum non currere eſt impoſſibile*. Quarta, *Petrum currere eſt neceſſarium*.

§.45. Item hæ ſunt per ſe notæ, *Petrus currere non poteſt, nec illi poteſt contingere, eſt illi impoſſibile, eſt illi neceſſarium curſu carere*: nam ſi currere non poteſt, nec contingens eſt: quod ſi contingere non poteſt, ergo impoſſibile eſt currere: quod ſi impoſſibile eſt currere, ergo non currere eſt neceſſarium: hæc autem doctrina continetur in quarta figura, *illiace*, cuius prima, & ſecunda eſt, *Petrum currere non eſt poſſibile, non contingens*. Tertia, *eſt impoſſibile*. Quarta, *Petrum non currere eſt neceſſarium*.

§.46. Vbi aduerte duas primas propoſitionès eſſe affirmatiuas, aut negatiuas eodem omnino modo. Tertiam verò eſſe negatiuam de modo, quando duæ priores ſunt affirmatiuæ de eodem modo: quia ſi in prima affirmantur *poſſibile, & contingens*, in tertia debet negari *impoſſibile*, vt eo negato affirmetur *poſſibilitas*. Quando verò prima, & ſecunda negant modum, tertia debet illum affirmare, quia ſi in prima, & ſecunda negatur *poſſibilitas*, in tertia illis æquipollente debet affirmari *impoſſibilitas*, vt eâ affirmata negetur *poſſibilitas*. Quarta vero propoſitio habet pro dicto contradictorium dictis præcedentium, ſi enim in tribus prioribus dictum eſt poſitiuum, ſeu affirmatiuum, in quarta eſt priuatiuum, aut negatiuum, exempli gratia, ſi in prioribus dicitur, *Petrum currere*, in quarta dicitur, *Petrum non currere*: ſi autem in prioribus dicitur, *non currere*, in quarta dicitur, *Petrum currere*, quia id poſtulat modus, *neceſſe*, alioquin non erunt æquiualentes. verbi gratia, in *illiace* dicitur, *Petrum diſputare non eſt poſſibile, non contingens, eſt impoſſibile*, ſi diceretur in quarta *Petrum diſputare eſt neceſſe* tantum abeſſet ab æquipollentia, vt redderet ſenſum oppoſitum, vnde neceſſariò dicitur, *non diſputare eſt neceſſe*, itaque in quauis figura, tres primæ propoſitiones ſunt ſimiles in affirmando, vel negando dicto, quod ſi in prima affirmatur, affirmatur in ſecunda, & tertia, in quarta autem negatur. Tandem conſidera, quibus negationibus, aut quibus affirmationibus reddatur ſenſus idem, tunc autem æquiualentes propoſitiones reddes. Hæc video eſſe moleſta, ſed non poſſunt prætermitti, quamuis omitto, quæ poſſum.

SECTIO XI.

De quantitate, & qualitate cuiuſque figuræ.

Oppoſitio propoſitionum modalium patebit, ſi earum quantitas, & qualitas dignoſcantur. §.47
Quantitatem propoſitionis dixi ſupra eſſe, eam eſſe vniuerſalem, particularem, aut ſingularem, in propoſitionibus abſolutis quantitas ſumitur ex quantitate multitudinis ſignificatæ per ſubiectum, vel ex vnitate, e.g. *omnis homo currit* eſt vniuerſalis, quia ſubiectum habet deſcenſum diſtributiuum per omnes homines, *Petrus autem currit*, eſt ſingularis, quia ſubiectum vnam rem ſignificat. *aliquis homo currit* eſt confuſa, vel particularis, quia vagè deſcendit ad indiuidua ſub diſiunctione. In propoſitione modali non ſpectatur quantitas ex ſubiecto ſiue dicto, ſed ex modo, nam propoſitiones de dicto vniuerſali ſunt particulares, & de dicto ſingulari ſunt vniuerſales, vt patebit. Quam ob rem rectè Fonſeca monuit lib.3.cap.10. harum quantitatem ſumi ex verbi vniuerſalitate, aut particularitate, nempe ex temporum differentiis: propoſitio enim modalis, qua verbum ſignificat omnes temporis differentias, erit vniuerſalis: quando verò aliquam vagè, erit particularis; qua vnam determinate, erit ſingularis: eritque iudicium idem de quibuſcumque aliis circunſtantiis ſignificatis per verbum.

Purpurea, & illiace, ſunt modi vniuerſales, quia ſub ſe continent, & ſubalternant alios duos modos, *purpurea* ſubalternat ſibi propoſitiones de *amabimus*; *illiace* verò propoſitiones de *edentuli*, vt patebit. vndè conſtat *amabimus, & edentuli* eſſe modos particulares. Quæ ſic probantur. In *purpurea* quarta propoſitio eſt hæc, *Petrum currere, eſt neceſſe*, quæ vniuerſaliſſima eſt, quia verbum, *eſt*, amplectitur omnia tempora, quibus Petrus exiſtit; nam ſi Petrus eſt neceſſariò currens, ergo nunquam poteſt §.48.

à curſu

à curſu ceſſare, quia ſi poſſet, non eſſet illi neceſſario currendum quod patet ex tertia propoſitione eiuſdem figuræ æquiualente quartæ, e. g. *Petrum non diſputare eſt impoſſibile*, quæ falſa eſſet, ſi aliquando eſſet poſſibile Petrum non diſputare, quia *impoſſibile*, eſt modus negatiuus, qui abſolute, & ſine limite dictus, eſt vniuerſalis, vt *Petrus non currit*, id eſt nullibi, nec modo vllo currit: quod ſi aliquando poſſet Petrus non diſputare, ergo non eſſet abſolutè impoſſibile diſputare, quia pro ea differentia non eſſet impoſſibile, nam quod aliquando eſt poſſibile, non eſt abſolutè impoſſibile, quia impoſſibilitas dicit carentiam potentiæ, & quod ſemel eſt poſſibile, non habet carentiam poſſibilitatis, ſed poſſibilitatem. Idem patet in prima, & ſecunda propoſitione, *Petrum non currere non eſt poſſibile, nec contingens*, ergo in nullo tempore Petrus erit potens ceſſare à curſu, aut in quo illi poſſit contingere carentia curſus, quod ſi quando contingere poſſet, contingens eſſet, & conſequenter falſa eſſet ſecunda propoſitio aſſerens, eam non eſſe contingentem.

§.49. In *illiace* cernitur eadem vniuerſalitas, quia habet modos eadem ratione negatos, & affirmatos, qua *purpurea*: quarta propoſitio eſt *Petrum non currere eſt neceſſe*: tertia *Petrum currere eſt impoſſibile*, ergo in nullo tempore poteſt currere, quia quod eſt impoſſibile, nullo tempore eſt poſſibile: prima & ſecunda aiunt non eſſe contingens nec poſſibile, ergo nunquam eſt contingens, nec poſſibile, alioquin eſſet poſſibile atque contingens. Ex quibus apertè monſtratur vniuerſalitas vtriuſque figuræ, quia modus vtriuſque ſe porrigit ad omnia tempora, poteſtque fieri deſcenſus diſtributiuus ad ſingula, more propoſitionis abſolutæ vniuerſalis, e. g. *Petrum currere non eſt poſſibile*, quæ eſt in *illiace, ergo non eſt poſſibile Petrum currere heri, nec hodie, nec cras*, &c. Item hæc, *Petrum currere eſt neceſſe*, quæ eſt in *purpurea* habet hunc deſcenſum, *ergo neceſſe eſt Petrum currere hodie, & cras, & quouis tempore exiſtat*, quæ ſunt ſigna propoſitionis vniuerſalis.

§.50. *Amabimus*, & *edentuli*, ſunt modi particulares, ſiue confuſi, qui non amplectuntur collectiuè omnes temporis differentias, ſed tantum ſub diſiunctione, nec opus eſt deſcendere ad ſingulas diſtributiuè, ſed diſiunctiuè. Nam ad veritatem earum propoſitionum ſufficit, ſi quod affirmatur, contingat aliquo tempore, & non omni, e. g. *Petrum currere eſt poſſibile*, quæ eſt prima propoſitio de *amabimus*, veritatem ſumit, ſi Petrus poteſt currere hodie, licet non poſſit currere cras, quia illa propoſitio tantùm affirmat potentiam curſus Petri, ſed Petrus potens currere cras, verè habet potentiam currendi. ergo propoſitio, quæ ſolum affirmat Petrum poſſe currere, erit vera, quemadmodum, qui dicit *homo curret* eius propoſitio eſt vera currente ſolo Petro, nec enim ly, *poſſibile*, ſic prolatum dicit curſum eſſe poſſibilem omni tempore. Quo manifeſtè diſparatur ab *impoſſibili*, quia cum is ſit modus negatiuus, vniuerſaliter negat, & pro quocumque tempore. Vt ſi quis dicat *Petrus non currit*, eſt falſum, ſi curratRomæ, licet non currat Toleti. Vnde patet cæteras tres propoſitiones de *amabimus*, eſſe particulares, quia æquiualent primæ; de ſecunda patet; tertia eſt hæc *Petrum currere non eſt impoſſibile, at non impoſſibile*, idem eſt, *quod poſſibile*, quemadmodum *non nullus*, idem eſt, *quod aliquis*; de quarta patet, quia eſt hæc, *Petrum non currere non eſt neceſſe*, id eſt, Petrus non habet neceſſitatem ceſſandi à curſu, quæ æquiualet huic, *Petrus poteſt currere*.

Idem iudicium eſt de propoſitionibus in *edentuli*, quia habent modos eodem modo affirmatos in prima, & ſecũda propoſitione, & negatos in tertia, & quarta, quemadmodum propoſitiones de *amabimus*, ac proinde ſeruant eamdem quantitatem.

SECTIO XII.

De oppoſitione cuiuſque figuræ cum alijs.

VNde conſtat *purpurea, & illiace*, opponi contrariè, quia negari non poteſt eſſe eas oppoſitas in affirmatione, & aliunde ſunt vniuerſales, ergo ſunt contrariæ, maior probatur, quia hæc prima propoſitio de *purpurea*, *Petrum non currere non eſt poſſibile*, habet hunc ſenſum, *Petrus non poteſt exiſtere, quin currat*. Item hæc prima propoſitio de *illiace*, *Petrum currere non eſt poſſibile*, reddit hunc ſenſum, *Petrus, quamuis exiſtat, non poteſt currere*, ſed Petrum exiſtere non poſſe, quin currat, & Petrum non poſſe exiſtere niſi currendo, apertè opponuntur, quia Petrus exiſtens, & neceſſariò currens non poteſt curſu carere, ergo illæ propoſitiones ſunt oppoſitæ. §.51.

Confirmatur, repugnat vtramque eſſe veram, ergo opponuntur: conſequentiam probaui ſuprà, oſtendens omnem repugnantiam propoſitionum in veritate aut falſitate eſſe ratione duarum ſingularium, reciprocè contradicentium. Antecedens patet, quia ſi verum eſt, Petrum exiſtere poſſe aliquando, quin currat, ergo non erit verum Petrum exiſtentem neceſſario currere, nam ſi neceſſario currit, non poteſt exiſtere niſi currens; quod ſi non poteſt exiſtere niſi currens, ergo non poteſt exiſtere quin currat. ergo ſi prima propoſitio in *purpurea*, affirmans Petrum non poſſe exiſtere quin currat, eſt vera: prima de *illiace*, neceſſario eſt falſa, quia affirmat Petrum exiſtentem non poſſe currere, nam ſi neceſſario currit, quo modo eſt impoſſibile vt currat? vt ſi Deus neceſſario eſt Deus, quo modo poteſt non eſſe Deus? ergo illæ propoſitiones opponuntur in veritate. §.52.

Tandem poſſunt eſſe ſimul falſæ, quæ eſt proprietas contrariarum, nam hæc *Petrum non currere non eſt poſſibile*, apertè eſt falſa, quia Petrus poteſt exiſtere quin currat. Item hæc *Petrum currere non eſt poſſibile*, eſt æquè falſa, quia Petrus exiſtens poteſt currere, quia tam curſus, quàm carentia illius ſunt accidentia ſeparabilia à Petro. Itaque quia in falſitate vtriuſque non continentur duæ propoſitiones ſingulares mutuo contradicentes, ideò poſſunt eſſe falſæ: quia verò continentur in vtriuſque veritate, ideò non poſſunt eſſe ſimul veræ, quæ eſt propoſitionum contrariarum proprietas, vt de abſolutis dixi. §.53.

Purpurea & *amabimus* ſunt ſubalternæ, quia *amabimus* eſt particularis, *purpurea* autem vniuerſalis, ſub quo modo continetur *amabimus*, nam hæc prima propoſitio *amabimus*, *Petrum currere eſt poſſibile*, continetur ſub hac prima de *purpurea*, *Petrum non currere non eſt poſſibile*, nam neceſſe eſt Petrum currere, quod ſi Petrus neceſſariò currit, *ergo currere poteſt*, quæ eſt prima propoſitio de *amabimus*, eam autem contineri ſub *purpurea* patet: quia valet conſequentia à *purpurea* ad *amabimus*, affirmatiuè, non tamen valet ab *amabimus* ad *purpurea*. nam omne quod neceſſario currit (quod affirmat *purpurea*) currere poteſt (quod affirmat *amabimus*) at non omne quod currere poteſt, neceſſario currit, vt patet: qua in parte ſeruant hi modi proportionem harum abſolutarum, *omnis homo currit, aliquis homo currit*, §.54.

currit, itaque poſſe currere verificatur in vno tempore vagè ſumpto, ſicut *aliquis homo currit*, in aliquo indiuiduo: at verò neceſſariò currere debet omni tempore diſtributiuè verificari, *ſicut omnis homo currit*, in omnibus indiuiduis. Veritas autem pendens ab omni tempore continet in ſe veritatem pendentem ab vno, immò pendet ab ea ſicut veritas huius, *omnis homo currit*, pendet à veritate huius, *aliquis homo currit*. veritas autem huius, *Petrus poteſt currere*, non pendet ab huius veritate, *Petrus neceſſario currit*: ſicut nec veritas huius, *aliquis homo currit*, pendet à veritate huius, *omnis homo currit*.

§. 55. Idem iudicium eſt de *edentuli*, qui modus ſubalternatur *illiace*, quia hæc prima propoſitio *illiace*, *Petrum currere non eſt poſſibile* continet hanc primam *edentuli*, & ab ea pendet, *Petrum non currere eſt poſſibile*, quia ſi non eſt poſſibile, vt currat, ergo poſſibile eſt vt non currat, vt ſi non eſt poſſibile, vt ſim ego lapis, ergo poſſibile eſt, vt non ſim lapis: expende has propoſitiones, quæ mutuo comparatæ ſeruant eamdem proportionem, quam inter ſe *purpurea*, & *amabimus*.

§. 56. Hinc vlterius deduco, *amabimus*, & *edentuli*, eſſe propoſitiones ſubcontrarias, quia ſunt ſubalternæ duabus contrariis. Item quia ſunt particulares, ſiue confuſæ, & poſſunt eſſe ſimul veræ, non tamen ſimul falſæ. Nam hæc prima de *amabimus*, *Petrum currere eſt poſſibile*, eſt quidem vera: ſimiliter, & hæc prima de *edentuli*, *Petrum non currere eſt poſſibile*, quia in earum veritate non continentur duæ ſingulares mutuo contradicentes, quia cum curſus Petro ſit accidens ſeparabile, poteſt illud habere, & non habere: eas non poſſe eſſe falſas probatur, quia ſi hæc de *amabimus*, *Petrum currere eſt poſſibile*, eſſet falſa, *ergo poſſibile eſſet Petrum non currere*, vt ex terminis patet: ergo hæc propoſitio de *edentuli*, *Petrum non currere eſt poſſibile*, non poſſet eſſe falſa, quia verè poſſet Petrus non currere; quod ſi poſſet eſſe falſa, continerentur in vtriuſque falſitate duæ ſingulares contradictoriæ, quia *Petrum currere eſt poſſibile*, ad ſui falſitatem requirit, vt curſus ſit impoſſibilis, & hæc, *Petrum non currere eſt poſſibile*, requirit ad ſui falſitatem, vt curſus Petri ſit neceſſarius, & vt Petrus ſemper currat, ſed Petrum non poſſe currere, & neceſſariò currere ſunt contradictoria, quia curreret ſimul, & non curreret, ergo *amabimus* & *edentuli*, non poſſunt eſſe ſimul falſæ, & poſſunt eſſe ſimul veræ, quod proprium eſt ſubcontrariarum.

§. 57. Tandem deduco *purpurea*, & *edentuli* eſſe contradictoriè oppoſitas, ſimiliter *illiace*, & *amabimus*; nam vna contraria opponitur contradictoriè ſubalternatæ alterius contrariæ, vt *omnis homo currit*, opponitur contradictoriè huic *aliquis homo non currit*, quia continetur ſub hac, *nullus homo currit*: ratio à priori, quia *purpurea* eſt propoſitio vniuerſalis negatiua de modo, *edentuli* autem eſt particularis affirmatiua de eodem modo, ergo ſunt contradictoriæ. Patet conſequentia ex definitione contradictoriarum (idem de *illiace*, & *amabimus* eſt) nam *purpurea* negat dictum in tribus propoſitionibus, illúdque affirmat in quarta, & negat modum in duabus, affirmat autem in tertia, & quarta. *Edentuli* verò in tribus negat etiam dictum, & affirmat modum in duabus, illúmque negat in duabus vltimis, e. g. *Petrum non currere non eſt poſſibile*, eſt prima de *purpurea*, cui contradicit hæc, *Petrum non currere eſt poſſibile*, quæ eſt prima de *edentuli*; *poſſibile* autem & *non poſſibile* mutuo contradicunt, quod clarius patet in *illiace Petrum currere non eſt poſſibile*, cui contradicit *amabimus*, *Petrum currere eſt poſſibile*, poſſe, & non poſſe contradictorie opponuntur, nec poſſunt ſimul eſſe veræ, vel ſimul falſæ, quia duo contradictoria reperirentur à parte rei. Poſſunt autem opponi contradictoriè, vt ſingulares, ſi terminos adſtringamus, vt *Petrum non currere hic & nunc* (vt aiunt) *non eſt poſſibile*. *Petrum non currere hic*, & *nunc eſt poſſibile*, quia vna temporis differentia in particulari ſignificatur.

Rogas vtrum reperiatur contradictio in modalibus, præter quam in contradictionem modi? Reſpondeo negatiuè, quia quacumque alia ratione ſe habeant propoſitiones, poſſunt eſſe aut ſimul falſæ, vt contrariæ, aut ſimul veræ, vt ſubalternæ. Ratio à priori, quia contradictio eſt in affirmatione, & negatione copulæ, quæ in modalibus eſt modus ipſe, in hac autem propoſitione modali: *Petrum currere eſt verum*, *Petrum non currere eſt verum*, reperitur contradictio, quia modus ipſe negatur ſaltem remotè: nam dicere, verum eſſe Petrum non currere, virtualiter dicit, non eſſe verum Petrum currere, quia in iis modus eſſentialiter pendet à dicto, nam ab eo quod res eſt vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa, vnde ex affirmatione, & negatione dicti ſequitur affirmatio, & negatio modi, & veritatis in propoſitione, quod eſt abſimile in cæteris modis. §. 58.

Dicta poſſunt eſſe ſingularia, vel vniuerſalia, vel confuſa, vt *Petrum currere eſt poſſibile*, *Omnem hominem currere*, *Aliquem hominem currere*. poſſúntque eſſe deſcenſus in dicto, retento eodem modo in ſingularibus, e.g. in *amabimus*, *Omnem hominem currere eſt poſſibile*, hunc habet deſcenſum, *ergo Petrum currere eſt poſſibile*, *Paulum*, *&c.* cui contradicit hæc, in *illiace*, *Hominem currere non eſt poſſibile*, ergo *nec Petrum*, *&c.* cui etiam contradicit hæc, in *illiace*, *Aliquem hominem currere non eſt poſſibile*, licet enim mutetur dictum in *illiace*, tamen quia hæc propoſitio in *amabimus*, *Omnem hominem currere eſt poſſibile*, complectitur hanc, *Aliquem hominem currere eſt poſſibile*, ideò hæc de *illiace*, *Aliquem hominem currere non eſt poſſibile*, contradicit huic de *amabimus*, *Omnem hominem currere eſt poſſibile*, quia ex veritate, aut ex falſitate vtriuſque, darentur in vno indiuiduo duo prædicata contradictoria. Nam eſſet poſſibile, & non poſſibile vnum hominem currere. §. 59.

Modales conuertuntur ex parte dicti, non verò ex parte modi, e. g. *Petrum currere eſt poſſibile*, ſic conuertitur, *aliquod currens eſſe Petrum eſt poſſibile*, conuertuntur autem dicta ſeruatis regulis conuerſionis abſolutæ propoſitionis. Modales excluſæ vocantur, quæ fiunt per modum aduerbialem, vt *Petrus contingenter diſputat*, licet enim voces ſint diuerſæ, quia diſputatio affirmatur de Petro, & non modus, tamen re ipſa, & modus, & diſputatio affirmantur, ſicut in compoſitis, quia *Petrum currere*, *eſt neceſſe*, affirmatur, & curſus, & neceſſitas illius, ſicut hæc *Petrus contingenter diſputat*, aſſerit, & contingentiam, & diſputationem, tamen impropriè affirmantur per aduerbium, vt hæc, *Petrus impoſſibiliter diſputat*. de iis agunt Sotus lectione 2. & Toletus, lib. 3. cap. 6. nec opus eſt ad earum oppoſitionem, & quantitatem niſi conſiderare, quomodo aduerbium æquiualeat verbo. *Impoſſibiliter*, *&* *neceſſariò*, ſunt modi vniuerſales, *poſſibiliter*, *& contingenter* ſunt particulares. Conſideretúrque eorum æquipollentia, quæ & alia, quia magis moleſta ſunt, quàm vtilia, omitto. Ariſtoteles alio modo propoſitionem efformat, nam primam vocat de *neceſſe*. Secundam de *poſſibili*. Tertiam de *contingenti*. Quartam de *impoſſibili*, quem imitatus §. 60.

Fonſeca,

Fonſeca, ſed res eadem eſt, vſus autem ſtat à Petro Hiſpano.

SECTIO XIII.

De exponibili, & excluſiua propoſitione.

§.61. PRopoſitio exponibilis eſt, *quæ indiget expoſitione*, quod poteſt multipliciter euenire, multis enim modis poteſt aliquis obſcurè loqui. à Summuliſtis accipitur pro enunciatione obſcura propter aduerbium aliquod, ratione cuius indiget reſolutione (vt aiunt) per clariores propoſitiones illi æquiualentes, & quæ eumdem habent ſenſum: propoſitio illa obſcura vocatur *exponibilis*, quia eſt, quæ eget expoſitione. Illæ autem, per quas exponitur, vocantur *exponentes*: quia per illas declaratur obſcura. De exponibilibus agunt Toletus, lib. 5. Fonſeca lib. item 5. Sotus autem præfuſè in opuſculo de exponibilibus.

§.62. Harum ſpecies eſt propoſitio excluſiua, quæ *afficitur ſigno aliquo excluſionem ſignificante*, e.g *tantùm, ſolùm, duntaxat, &c.* E quibus nonnullæ afficiuntur ſigno à parte prædicati, quæ vocantur de *extremo* ſeu *prædicato excluſo*. Quando nimirum excluditur aliquod comprædicatum à prædicato propoſitionis, e.g. *Petrus eſt Summuliſta tantùm*, id eſt, *eſt ignarus aliarum facultatum à ſummuliſtica*. Ex iis duo ſunt genera, alterum excludens numerum, e.g. *Apoſtoli ſunt duodecim tantùm*, id eſt, ſunt in numero duodenario, & non in maiori. Quæ excluſio dicitur, *ſecundum pluralitatem*. Alterū genus excludit rem aliquam, vt *Petrus eſt tantùm muſicus*. Quæ dicitur *excluſio ſecundum rem*. eſt magnum diſcrimen, cum excluſio ponitur à parte prædicati, ac cum ponitur à parte ſubiecti. e.g. *Apoſtoli ſunt tantum duodecim*, eſt vera propoſitio, hæc autem falſa, *tantùm Apoſtoli ſunt duodecim*, reddit enim hunc ſenſum, *in ſolo Collegio Apoſtolorum eſt numerus duodenarius*, quod eſt falſum, quia etiam Senatus Pompelonenſis eſt in eodem numero, in iis excluſiuis parum eſt difficultatis.

§.63. Secundum genus excluſiuarum eſt, quo excluſio præfixa propoſitioni totam illam afficit, quæ vocatur *excluſio ſimpliciter*, vt *tantum homo currit*. Hæ ſunt quatuor. Prima integre affirmatiua, qua *& ſignum excluſionis, & copula verbi affirmantur*, vt *tantum homo currit*. Secunda oppoſita primæ eſt, qua *negatur ſignum præpoſita vna negatione*, vt *non tantùm homo currit*. Tertia, qua *negatur copula, & affirmatur ſignum*, vt *tantùm homo non currit*. Quarta huic oppoſita eſt *de vtroque negato*, vt *non tantùm homo non currit*. Has propoſitiones ita Summuliſtę reſoluunt. Primam, per propoſitionem hypotheticam copulatiuam, cuius prima pars ſit particularis affirmatiua de eodem ſubiecto, amoto etiam ſigno; ſecunda verò ſit vniuerſalis negatiua cum oppoſito ſubiecti, e.g. hæc, *tantùm homo currit*, ſic exponitur, *aliquis homo currit, & nihil præter illum currit*. Secundam reſoluunt per hypotheticam diſiunctiuam, e.g. hæc, *non tantùm homo currit*, ſic reſoluitur, *nullus homo currit, vel aliquod non homo currit*. Tertiam verò reſoluunt per hypotheticam copulatiuam, vt primam, e.g. hæc, *tantum homo non currit*, ita reſoluitur, *homo non currit, & omne aliud currit*. Quarta verò reſoluitur per hypotheticam diſiunctiuam hoc modo, *non tantum homo non currit*, id eſt, *omnis homo currit, vel aliquod non homo currit*. Hæc communiter Summuliſtæ.

§.64. Inter has propoſitiones aſſignant omne genus oppoſitionis. Ad quas aduerte, vocali, *i*. ſignificari enunciationem particularem affirmatiuam, vocali autem, *a*. vniuerſalem affirmatiuam, *o*. autem particularem negatiuam, *e*. verò vniuerſalem negatiuam: E quibus conflantur quatuor dictiones, *iſte, regit, proram, clauo*, in dictione *iſte* ponitur prima propoſitio, *tantum homo currit*, in *regit* ponitur ſecunda, *non tantum homo currit*, in *proram* ponitur tertia, *tantum homo non currit*, in *clauo* ponitur quarta, *non tantum homo currit*. In hoc autem quadrangulo cernes oppoſitionem.

Iſte contrariæ *proram*
tantum homo currit. tantum homo non currit.

Subalternæ. Contra dictoriæ. Contra dictoriæ. Subalternæ.

clauo *Regit*
non tantū homo nō currit. nō tantū homo currit.
ſubcontrariæ.

Iſte & *Proram* dicuntur vniuerſales, forte quia illarum exponentes ſunt hypotheticæ copulatiuæ, quæ exigūt ad ſui veritatē collectionem obiecti, quemadmodum propoſitio vniuerſalis. Hæc enim copulatiua, *Petrus currit, & Ioannes non loquitur*, requirit ad ſui veritatem, vt Petrus currat, & Ioannes non loquatur, quorum altero deficiente non eſt vera propoſitio. *Clauo* & *Regit*, dicuntur particulares, forte quia illorum exponētes ſunt diſiunctiuæ: vbi autem eſt diſiunctio, eſt propoſitio particularis exigens vnam partem obiecti ad ſui veritatem: vt ad veritatem huius, *Petrus currit, vel Ioannes loquitur*, ſufficit, ſi Petrus currat tacente Ioanne.

SECTIO XIV.

Difficultates circa hanc doctrinam.

PRimum, iſte modus reſoluendi propoſitiones non videtur admodum aptus; licet enim in propoſitionibus de ſubiecto definito locum haberet ea doctrina, non tamen in ſubiecto vniuerſali. §.65.
Nam hæc propoſitio *tantum omnis homo currit*, eſt in primo modo, quia eſt integrè affirmatiua, quemadmodum hæc *tantum homo currit*, & tamen reſolui non poteſt *in iſte*, per primam particularem affirmatiuam: debet enim neceſſariò reſolui per primam vniuerſalem affirmatiuam, & per ſecundam vniuerſalem negatiuam, exempli gratia, *omnis homo currit, & nihil præter illum currit*. Nam propoſitiones primi modi reſoluuntur retento eodem ſubiecto. Nec item in materia neceſſaria propoſitio indefinita reſolui poteſt per particularem: e.g. *tantum homo eſt rationalis*, quæ reſoluitur per vniuerſalem illi æquiualentem, *omnis homo eſt rationalis*, & *nihil præter illum eſt rationale*. Hæc autem eſt mala expoſitio, *aliquis homo eſt rationalis, & nihil præter illum eſt rationale*: quia præter aliquem hominem aliquid eſt rationale, nempe duo, & omnes homines ſunt rationales: ſunt enim quo vis termini ſignificetur, eſt rationale. ergo propoſitio in *iſte* non reſoluitur ſemper per primam particularem affirmatiuam.

Deinde propoſitio ſecundi modi, *tantum omnis homo currit*, quæ dicitur contradicere priori, non §.66.

poteſt reſolui in *Regit* diſiunctiuè per primam vniuerſalem negatiuam, & ſecundam particularem affirmatiuam. Poſſent enim eſſe ſimul falſæ contra leges contradicentium. Demus enim currere ſolum Petrum, & nihil aliud, tunc eſſet falſa hæc propoſitio primi modi *tantum omnis homo currit,* quia habet hunc ſenſum, *omnis homo currit, & nihil præter illum*, quod eſt falſum, quia Antonius non currit. Item hæc *non tantum omnis homo currit* eſſet falſa, ſi reſolueretur in *Regit* hoc modo, *nullus homo currit,* vel *aliquid non homo currit.* Nam Petrus currit, & nullum non homo currit. Quod ſufficit ad falſitatem huius propoſitionis, quia nulla pars eius obiecti ponitur, ſicut per illam enunciatur, quia neque ponitur carentia curſus in omni homine, neque ponitur curſus in rebus diſtinctis ab homine, vt hæc eſt falſa, *Petrus currit, vel Ioannes non currit*, ſi neque Petrus currit, neque Ioannes caret curſu, nam ad veritatem diſiunctiuæ requiritur vnam partem obiecti eſſe, vt ab illa dicitur. Superſedeo à reſponſionibus huius argumenti, quia facilè poſſunt impugnari, ſatius eſſe ducens oſtendere falſitatem eius regulæ, quo cæteræ regulæ corruunt. Hoc autem confirmari poteſt ex propoſitione de ſubiecto ſingulari, quæ non poteſt illa ratione reſolui.

§.67. Secundò, hæc reſolutio propoſitionum non tam enucleatè quàm arietino more videtur inuecta. Hæc enim propoſitio, *nō tantum homo currit*, à Summuliſtis ita reſoluitur, *nullus homo currit, vel aliquod non homo currit*. cū tamen è mammis ſuxerimus eius reſolutionem eſſe hanc, *homo currit, & aliquid præter hominem currit.* Ratio à priori, quia in hac propoſitione primi modi *tantum homo currit*, ly, *tantùm*, negat ſocietatem curſus aliarum rerum cum homine, de quo non negatur, ſed affirmatur curſus in ea propoſitione. At verò hæc propoſitio ſecundi modi, *non tantum homo currit*, affirmat eam ſocietatem, quia illa negatio, *non* præfixa ſigno negatiuo affirmat, quod negatur per ſignum, nam duæ negationes affirmant. Signum enim eſt negatio, & quod per illud ſolum negatur, affirmatur per illud, & per præpoſitam illi negationem. Itaque vtraque propoſitio affirmat curſum de homine, prima autem eum curſum negat de aliis rebus, ſecunda verò eumdem concedit iiſdem rebus.

§.68. Confirmatur: quia hoc ſignum *ſolus* eſt excluſiuum ſicut *tantum*: etenim propoſitio, *ſolus ſum ego* æquiualet huic, *tantùm ego ſum*. Item hæc, *non ſum ego ſolus*, æquiualet huic, *non tantum ego ſum*: ſed hæc *non ſolus ſum ego*, non negat me eſſe, nec exponitur diſiunctiuè per primam negatiuam, & ſecūdam affirmatiuam: ſed copulatiuè per vtramque affirmatiuam, & affirmat me eſſe, & alium mecum: ergo hæc propoſitio, *non tantum ſum ego*, non negat me eſſe, ſed potius dicit me eſſe, & alium mecum. Probatur minor primò, ex cap. 8. Ioannis num. 16. *ſolus non ſum, ſed ego, & qui miſit me pater*, vbi Chriſtus hanc propoſitionem *non ſum ego ſolus*, ita reſoluit, copulatiuè, *ego ſum, & eſt Pater meus.*

§.69. Secundò probatur: quia ſi quis diceret, *ego ſolus natus ſum in peccato originali*, teneretur hanc propoſitionem retractandam, vt minimum per hanc, *non ſolus ego natus ſum in peccato originali*, id eſt, *ego & alij nati ſumus in peccato*, vbi ly, *non ſolus*, non negat eum hominem natum in peccato, ſic enim non purgaret errorem. Ergo negatio præpoſita ſigno excluſiuo non negat copulam de ſubiecto, ſed affirmat præciſè, quod negatum fuerat per ſignum: vtraque autem propoſitio eſt affirmatiua in prima præiacente.

Confirmatur hæc doctrina. Qui effutiret hunc errorem: *tantum ego natus ſum in peccato originali,* poſtea illum purgaret per hanc propoſitionem: *Non tantum ego natus ſum in peccato originali.* Quod Summuliſtæ negare non poſſunt opinantes, eas duas propoſitiones eſſe contradictorias: error autem per ſuam contradictoriam corrigitur. In mea autem ſententia ſatis purgari patebit nunc. Igitur hæc propoſitio *non tantum ego natus ſum in peccato originali*, eſt propoſitio catholica ab Eccleſia definita: quia eſt purgatio, & correctio propoſitionis hæreticæ, ergo eius exponens debet etiam eſſe catholica, & definita ab Eccleſia: vt ex terminis patet. §.70.

Sed hæc exponens à Sūmuliſtis aſſignata, *ego non ſum natus in peccato, vel alij ſunt nati in peccato*, licet ſit vera, non tamen eſt catholica, nec definita ab Eccleſia, ergo per hanc non bene exponitur illa excluſiua ſecundi modi. Minor patet: quia illa propoſitio nuſquā reperitur, nec alia, in qua contineatur. At verò per hanc hypotheticam copulatiuam, & integrè affirmatiuam, *ego & alij nati ſumus in peccato originali*, ſatisfit primo errori: ergo hæc exponit hanc, *non tantum ego natus ſum in peccato.* Conſequentia patet: quia error fuerat in excluſione aliorum à peccato originis, quam excluſionem tollit hæc vltima propoſitio. Et cum altero è duobus iis modis exponatur illa propoſitio ſecundi modi, oſtenſúmque ſit, eam non eſſe catholicam per exponentem diſiunctiuam, conſequitur, vt exponens copulatiua integrè affirmatiua ſit catholica, & illi æquiualens, eámque exponens. §.71.

Hanc autem copulatiuam eſſe definitam patet ex ſeſſione 5. Concilij Tridentin. aſſerentis omnes poſteros Adami naſci in peccato. Sub qua vniuerſali affirmatiua continentur copulatiuè omnes ſingulares affirmatiuæ. Exempli gratia: *Ego, & alij nati ſumus in peccato.* At non continetur hæc, *ego non ſum natus in peccato, vel alij nati ſunt in peccato*; quia vniuerſalis affirmatiua nullam continet ſingularem negatiuam nec deſcenſum diſiunctiuum, ſed copulatiuum: ergo hæc diſiunctiua non poteſt eſſe exponens huius catholicæ, *non tantum ego natus ſum in peccato*: ſed illa copulatiua, & affirmatiua erit eius exponens. Quod patet, quia ſi quis diceret, *Chriſtus non eſt homo*, vt errorem corrigeret, deberet determinatè dicere, *Chriſtus eſt homo*: nec ſatiſfaceret, ſi diceret *Chriſtus non eſt homo, vel lapis eſt ſubſtantia*, quia quamuis hæc eſt vera, tamen non conceditur determinatè, quod determinatè negaret prior: ergo ſimiliter, qui diceret, *non tantum ego natus ſum in peccato*, non ſatisfaceret, ſi haberet hunc ſenſum: *ego non ſum natus in peccato, vel alij ſunt nati*, quia non affirmaret determinatè, quod negaret determinatè, & eius propoſitio poſſet eſſe vera, quin ipſe natus eſſet in peccato. Satisfacit autem in mea ſententia, quia affirmat, *me, & alios natos in peccato originali.* Ergo hic modus reſoluendi eſt aptus: nec difficile eſſet falſitatem oſtendere regularum, quas Summuliſtæ de cæteris modis tradunt. Opinati enim ſunt, negationem præfixam modo negare totam propoſitioné, cum non neget niſi negationem ipſius modi. Quos ego hoc vltimo argumento non arguo falſitatis in ſua propoſitione, ſed ineptitudinis ad exponendas propoſitiones excluſiuas. §.72.

Excluſiuæ autem ſic exponuntur, hæc prima primi modi, *tantum Petrus currit*, ſic *Petrus currit*, & *præter illum nihil currit.* Hæc ſecunda ſecundi modi, *non tantum Petrus currit*, ſic exponitur, *Petrus currit*, & *præter illum aliquid currit.* Tertia verò, *tantum homo non currit*, ſic *homo non currit*, & *præter illum* §.73.

illum omnia currunt. Quarta verò *non tantum homo non currit*, ſic *homo non currit*, & *præter illum aliquid etiam non currit.*

§.74. His propoſitionibus contradictoriæ ſunt aſſignandæ in exponentibus, non verò in ipſis exponibilibus. Verbi gratia. In primo modo *tantum Petrus currit*, non bene contradicitur per hanc *non tantum Petrus currit*, vtraque enim poteſt eſſe falſa, ſi Petrus non currit. Ratio eſt, quia negatio præpoſita non negat totam propoſitionem, ſed tantum ſignum, vt dixi; contradicitur autem illi per exponentes. Verbi gratia, *Petrus currit*, & *nihil præter illum currit*, ſic contradicitur *non Petrus currit*, & *nihil præter illum currit.* Neque poteſt contradici per hanc copulatiuam, *Petrus non currit*, *& aliquid præter ipſum currit*: quia eſſent ſimul falſæ duæ contradicentes, ex ſuppoſitione, quòd nec Petrus, nec aliquid curret. Hæc enim eſt falſa, *Petrus currit*, & *præter illum nihil currit.* Item & hæc copulatiua, *Petrus non currit*, & *præter illum aliquid currit.* Idem dicendum eſt de propoſitionibus in cæteris modis.

SECTIO XV.

De exceptiuis, & reduplicatiuis.

§.75. PRopoſitio exceptiua eſt, *quæ aliquo ſigno exceptiuo afficitur*, vt *præter*, *niſi.* Aduerte terminum exceptum, debere eſſe ſuperiorem termino excipienti, vt *omne animal præter hominem eſt rationis expers.* Hæ propoſitiones debent exponi per alias æquipollentes, quæ clarius explicent propoſitionem exceptiuam, vt hæc, *nullum animal præter hominem eſt capax rationis*, ſic exponitur, *inter animalia, homo eſt capax rationis, & non aliud*, & ſic de reliquis propoſitionibus.

§.76. Reduplicatiuæ ſunt propoſitiones: *Quæ habent aliquod ſignum, appellans ſupra aliquem terminum*, vt *album, in quantum album, diſgregat viſum*: quæ propoſitiones indicant cauſam alicuius rei eſſe rationem formalem, ſupra quam reduplicant, vt *album in quantum album eſt diſgregatiuum viſus*, id eſt, *ratio diſgregandi eſt albedo*, de his vocibus fusè ago in explicatione vocum logicæ præmiſſa.

DISPVTATIO V.

De modo ſciendi.

§.1. MODVS ſciendi variè vſurpatur. Primùm, pro quocumque actu ſciendi: qui eſt modus ſcientificè tendens in rem ſcitam. Secundo pro facultate logica, quæ vocatur *modus ſciendi:* quia ipſa docet modum ſciendi ſeruandum in cæteris ſcientiis: propterea dixit Ariſtoteles, abſurdum eſſe, quærere ſcientiam ſimul, & modum ſciendi: id eſt non eſſe veſtigandas ſimul ſcientias reales, Philoſophiam, Medicinam, &c. ſimul cum Logica, quia hæc cæteris præit. Tertio, vſurpatur pro certis actibus intellectus, & illorum obiectis: qui vocantur *diffinitio, diuiſio, & argumentatio:* quia iſti actus explicant ſua obiecta, quæ per alios fuerant cognita inexplicatè. Exempli gratia, cognoſcit aliquis hominem conceptu, qui dicitur *homo:* quo concipitur à perito ſimul, & imperito, quæ cognitio eſt valde confuſa, & per accidentia non ſatis explicantia hominis naturam: ſi autem hominem definias eſſe *animal rationale*, iam illum explicas. Definitio igitur propterea eſt modus ſciendi.

Qui complectitur *diffinitionem, diuiſionem, & argumentationem:* nec alius eſt ſciendi modus in hac acceptione tertia. Item modus ſciendi diuiditur in *formalem*, & *obiectiuum. Formalis*, ſunt ipſi actus intellectus, quibus definimus, diuidimus, & argumentamur. *Obiectiuus*, ſunt res ipſæ ſiue obiecta, quæ definiuntur, diuiduntur, & arguuntur. Exempli gratia, dico ego, *eſt homo rationale:* ſunt in meo intellectu actus, quibus id dico, hi vocantur *definitio formalis:* ſunt præterea ex parte obiecti cogniti *animal rationale*, quæ vocantur *definitio obiectiua.* Hęc obſerua, quia multa dicuntur de modo ſciendi, quæ non conueniunt ſolis actibus: multa item, quæ nec ſolis obiectis, omnia autem quadrant in modum ſciendi: quia nonnulla quadrant in formalem, in obiectiuum autem nonnulla. §.2.

SECTIO I.

De definitione.

DEfinitio ex Ariſtotele primo topicorum, cap. 4. eſt *oratio ſignificans, quod quid eſt rei:* id eſt, *explicans naturam rei. Oratio* non ſumitur pro ſola vocali, ſic enim eſſet mutila definitio: ſumitur autem *oratio* vniuerſim pro actu intellectus, voce, aut ſcripto ſignificante rei quidditatem, aut naturam. exempli gratia, homo componitur phyſicè ex corpore, & anima: poteſt definiri, *homo conſtat ex corpore, & anima.* Componitur item logicè ex animali, & rationali, poteſtque ſic definiri, *homo eſt animal rationale:* vbi *corpus, & anima, animal, & rationale*, ſunt natura oſtendens hominis quidditatem, non ſunt oratio explicans naturam rei, ſunt ipſa natura rei explicata per orationem, quæ natura rei explicat definitum: id eſt, faciunt, vt perfectè cognoſcatur definitum, propterea eſt definitio obiectiua: quia in ratione obiecti habet explicare quod *homo* (quod eſt definitum) habet confusè, & quaſi inuolutè. §.3.

Dicitur *definitio*, non quod obiecto ponat finem, ſed quia ipſa ita adſtringitur vni obiecto, vt non vagetur per alia ſicut vagatur actus confuſus: *animal enim, & rationale*, ita ſunt homini propria, vt cognitio clarè de illis ſoli conueniat homini circa quem finitur ea cognitio. Si autem diceres, *homo eſt animal bipes*, non definiretur homo: quia habere duos pedes tam conuenit grui quàm homini. Quapropter ſi Deus definiri non poteſt, non eſt quòd careat fine, ſed quia non poteſt in via quidditatiuè cognoſci; ſicut neque aliæ ſubſtantiæ ſeparatæ. Poteſt autem definiri imperfectè: quia habet rationem cum creaturis aliquo modo communem, & differentiam ſibi propriam. §.4.

Ariſtoteles 3. met. cap. 3. ait omnia per definitionem cognoſci: genus autem eſſe principium definitionis: vnde dialecticum effluxit adagium, *Definitio conſtat genere, & differentia:* quia debet repræſentare genus, & differentiam. Genus quidem proximum, in quo conueniant plures ſpecies, differentiam verò eſſentialem, vt *animal rationale* eſt hominis definitio: quia *animal* eſt genus in quo proximè conueniunt *homo, & leo; rationale* verò eſt differētia, qua ab illis *homo* eſſentialiter differt: ſi autem differentia ſit accidentalis, non erit propriè definitio, ſed deſcriptio. Definitio logica conſtat genere, & differentia; phyſica verò non conſtat, niſi duabus partibus ſpecificis: vt homo corpore, & anima rationali. Corpus autem aliquo modo eſt commune etiam leoni, non tamen eſt genus. Definiri poſſunt §.5.

poſſunt omnia genera,indiuidua verò non tam bene: recognoſce diſp.10.logic.ſect.2.

§.6. Leges definitionis. Prima,vt *definitio,& definitum conuertantur*:id eſt, vt valeat conſequentia ab altero ad alterum. Secunda, *illam debere conuenire omni definito, & non alijs*: quæ ſecunda regula continetur in prima, exemplum vtriuſque, *eſt homo*, ergo *eſt animal rationale: eſt animal rationale, ergo eſt homo:* itaque *animal rationale* conuenit omnibus hominibus, & non aliis. Tertia regula, *definitio eſt clarior ſuo definito, propria, non metaphorica:* ſi quis enim vt definiat ſomnum, dicat, *ſomnus eſt mortis imago*, nihil dixit, quæ phraſes poëtis, & oratoribus ſunt aptæ: Dialectico autem nulla eſt apta præter claram, & breuem: propterea Ariſtoteles oratòrem comparauit manus palmæ; Dialecticum autem pugno: quia hic preſsè, ille loquitur fusè. Si quis interroget, *qua eſt hæc definitio*:Reſponde *Phyſica*, aut *Logica*. Si autem interrogeris *qualis eſt hæc definitio?* Reſponde *bona*, aut *mala*, & ne dicas *vera*, aut *falſa:* quia poteſt eſſe vera & mala, quia non conuertitur cum definito, vt *homo eſt animàl bipes* eſt mala, & vera; ſi autem definitio eſt bona, eſt neceſſariò vera.

SECTIO II.

De diuiſione.

§.7. SEcundus modus ſciendi eſt diuiſio. Diuiſio phyſica eſt abiunctio, & ſeparatio duarum partium: vt cum lignum ſecatur in duas partes. Per tropum diuiſio Logica diuidit quidem actus intellectus diuidens, & quaſi in ſuas partes ſecans obiectum. Eſt igitur diuiſio Logica: *Oratio explicans naturam rei per partes:* conuenit cum definitiòne illis verbis,*oratio explicans naturam rei:* differt autem illo, *per partes:* itaque omne obiectum conſtans partibus, quando per illas clarè cognoſcitur, diuiditur per intellectum. Partes autem aliæ ſunt Logicæ, vt genus, & differentia: aliæ verò Phyſicæ: ita diuiſio alia eſt Logica, alia Phyſica: nempe Phyſica quæ cognoſcit partes Phyſicas, Logica verò, quæ Logicas. Exempli gratia, homo componitur Logicè ex genere, & differentia, item componitur Phyſicè ex corpore,& anima rationali: actus intellectus cognoſcens hominis partes eſſe animal rationale, eſt hominis diuiſio Logica; ſi autem cognoſcat eius partes eſſe corpus, & animam, eſt diuiſio Phyſica, non quod Phyſicè diuidat obiectum, ſed quia repræſentat eius phyſicas partes. In quo caſu *homo*, v.g. eſt *diuiſum: animal* autem *rationale*, ſiue *corpus,& anima*, ſunt *partes diuidentes.* Ratio item communis diuiditur in ſua inferiora; vt *homò* in *Petrum*, & *Paulum*; & *animal*, in *hominem*, & *equum*.

§.8. Diuiſionem eſſe modum ſciendi patet: quia homo magis explicatur per conceptum de animali rationali, quàm per conceptum de homine, vt dixi.§.1.& 3. Item animal perfectius cognoſcitur in homine, & equo, quàm ſine illis. Omnem diuiſioné diſtingui à definitione aſſeritur communiter: id autem ego non aſſequor: quia definitio hominis attingit in ſe tam clarè,& explicitè hominis partes, quàm diuiſio:hæc enim eaſdem omnino partes cognoſcit, quas definitio,& eodem modo. Fateor diuiſioné rationis cõmunis in ſua inferiora diſtingui à definitione eiuſdem rationis communis.Exempli gratia,homo diuiditur in Petrum, & Paulum, non tamen definitur per Petrũ,& Paulũ,ſed per animal rationale,qua de re vberius egi,diſp.10.Log.ſect.6.

Leges diuiſionis. Prima, vt *diuiſum contineat in ſe omnia extrema diuidentia*, alioquin mala eſt diuiſio, & falſa, vt ſi dicas *animal aliud homo, aliud Angelus*:debet ergo omnis pars diuidens eſſe particeps diuiſi.Secunda regula,*diuiſum non eſt conuertibile cum ſingulis diuidentibus:* quia diuiſum continet alias partes ſupra vnam diuidentem, vt homo continet ſub ſe Petrum, & alios: omnia verò diuidentia ſimul, æqualia ſunt diuiſo, homo enim, leo,& cætera animalia ſunt æqualia animali, & hoc illis. Tertia lex, vt *ſingula diuidentia diſtinguantur inter ſe:* exempli gratia, *animal, aliud homo, aliud leo:* ſi verò diceres, *animal aliud homo, aliud rationale*, eſſet vitioſa: quia *homo*, & *rationale*, non ſunt diſtincta animalia, ſed idem. § 9.

A diuiſo ad vnum diuidens eſt mala conſequentia,vt hæc eſt mala, *eſt animal*, ergo *eſt homo:* potuit enim eſſe leo,at verò valet conſequentia ab vno diuidente ad diuiſum,vt *eſt homo*,ergo *eſt animal:* quia non poteſt homo eſſe quin ſit animal. Item eſt mala conſequentia ab vno diuidente ad aliud,vt *eſt homo*, ergo *eſt leo:* homo enim non catenatur leoni. At verò à diuiſo valet conſequentia ad vnum diuidens ex punctis aliis, vt *eſt elementum,& non aër,nec terra, nec aqua, ergo eſt ignis*:quia non ſupereſt aliud,quod ſit elementum. *Ex negatione vnius diuidentis non ſequitur negatio diuiſi*, vt *non eſt ignis, ergo non elementum*, potuit enim eſſe terra, quæ eſt elementum, at verò à negatione omnium diuidentium rectè negatur diuiſum:exempli gratia, *non eſt terra,nec aqua, nec aër, nec ignis, ergo non eſt elementum.* §.10.

Dices, *Bonum* diuiditur in *honeſtum*, *vtile*, & *delectabile*, & tamen ab vno diuidente valet conſequentia ad aliud, vt *eſt honeſtum, ergo eſt delectabile, & vtile.* Reſpondeo non valere conſequentiam: quia bonum honeſtum pertinet ad virtutem, quæ non eſt vtilis vtilitate pecuniaria, aut alia,quæ pecunia æſtimetur, nec delectabile delectatione corporea, quamuis eſt vtilis, & delectabilis, quod attinet ad ſpiritum: quæ vtilitas,& delectatio non ponitur in diuiſione boni, ſed tantum ponitur bonum pecuniarium, & delectabile corporeum. Vel dicito, illam non eſſe popriè diuiſionem boni, ſed quamdam rationem illud explicandi, de quo diſp. 13. de Anima. §.11.

Diuiſio his legibus conſtituta dicitur *bona*,deſtituta verò *mala*, vt de definitione dixi § 6. Diuiſio alia dicitur *quid nominis, alia quid rei. Quid nominis* explanat diuerſas ſignificationes vocum,ne illarum ambiguitate diſputatio confuſe taxatur;*quid* autem *rei* explicat res ipſas de quibus diſputatur, quod fit per omne genus partium, nempe Logicas, Phyſicas, eſſentiales, vel integrales. §.12.

SECTIO III.

De argumentatione.

ARgumentatio eſt tertius modus ſciendi, & ſcopus præcipuus inſtituti Dialectici,vt enim Rhetorica perfectum oratorem format, ita & Dialectica diſputatorem. Eſt igitur Argumentatio *oratio explicans naturam rei, conſtans pluribus propoſitionibus, quarum vltima ex alijs ſequi notatur.* exempli gratia, *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, aduerte non eſſe argumentationem, ſi deſit illa vox *ergo*,aut *igitur*. §.13.

Argumentatio diuiditur in *Syllogiſmum, entymema,dilema,exemplum,& inductionem.Syllogiſmus* Græcè, Latinè dicitur *ratiocinatio*, ſiue *diſcurſus:* quia animus illo ratiocinatur, & ex antecedentibus §.14.

propoſitio

propoſitionibus currit ad concluſionem, quod eſt diſcurrere ab vno ad aliud. Hic modus ſciendi eſt perfectiſſimus omnium, quo concluditur ſcopus diſputationis, ſine quo nihil efficitur. Definitur ab Ariſt. 1. priorum c. 1, his fere verbis: *Syllogiſmus eſt modus ſciendi, in quo quibuſdam poſitis aliud neceſſariò ſequitur.* Illa verba *quibuſdam poſitis* ſignificant maiorem, & minorem propoſitionem; illa autem, *aliud ſequitur*, ſignificant concluſionem, quæ ſequitur præmiſſas: illud autem, *neceſſariò*, ſignificat concluſionem non poſſe non ſequi præmiſſas: hæc autem neceſſitas explicatur his vocibus *igitur, ergo:* qua propter dicuntur *illationis notæ:* ideſt, ſigna neceſſaria conſecutionis. Exempli gratia, *omnis homo currit, Petrus eſt homo: ergo Petrus currit.*

§. 15. Entymema eſt *argumentatio, in qua ex vna ſola propoſitione ſequitur concluſio.* Differt à ſyllogiſmo, quòd in hoc ponuntur duæ propoſitiones antecedentes, in illo autem vna. Entymema vocatur *Syllogiſmus truncatus*; quod intellige in voce: quia tacemus alteram præmiſſam: at vero in mente non ſunt entymemata, ſed perfecti ſyllogiſmi; neque item entymema concludit, niſi compleatur in ſyllogiſmum: exempli gratia, *omnis homo currit: ergo Petrus currit:* illa conſequentia non eſt bona, niſi addamus, *Petrus eſt homo:* ſi enim aliquis neget *Petrum eſſe hominem,* nihil concludit.

§. 16. Dilema eſt *argumentatio bicornis, ſiue cornuta, in qua duæ partes ponuntur tam efficaciter, vt neceſſario capiatur reſpondens,* vt ſi quis proponat duas rationes, quarum altera neceſſariò concedenda ſit, aut neganda: ex conceſſione autem, aut negatione neceſſariò deprehenditur, vt ſiquis dicat ſe non mentiri, & alius ita arguat: *Aut iuiſti, quo ego præcepi, aut non iuiſti: ſi iuiſti; ergo mentiris, dum dicis te non vidiſſe Ioannem, qui ibi erat: ſi non iuiſti; ergo mentiris, dum dicis te iuiſſe* Ecce ex conceſſione, & negatione cuiuſuis partis, reſpondens arguitur mendacij. Hæc argumentatio poteſt formari in ſyllogiſmum, & entymema.

§. 17. Exemplum eſt *argumentum petitum ab aliorum factis:* exempli gratia, *pueri nonnunquam ſtudent virtuti: ergo virtuti tenentur ſtudere & viri.* Hæc argumentatio vtilior eſt Rhetori ſuadenti mores, quam Dialectico intellectum vincienti.

§. 18. Inductio eſt *argumentatio à recenſione aliquorum ſingularium ad colligendam aliam concluſionem.* Hæc argumentatio, vt vim habeat, debet attingere omnia ſingularia: verbi gratia: *Terra habet proprium locum, item & aër, ſimiliter & Aqua, & Ignis: ergo omne elementum habet proprium locum:* quæ argumentatio eſt ab omnibus diuidentibus ad diuiſum. Si autem non recenſeantur omnia ſingularia, infirma eſt argumentatio: ſicut ſi quis recenſitis ſingulis hominibus Europæ, & concluderet, *ergo omnis homo eſt albus*, concluderet quidem malè: quia in Æthiopia ſunt homines nigri. Vt autem hæc argumentatio ſit efficax, eſt oſtendendum non eſſe diſcrimen inter ſingularia recenſita, & alia, vt ſi quis ex ignibus Hiſpaniæ colligeret omnem ignem in Belgio eſſe calidum, opus eſt vt oſtendat eamdem eſſe rationem ignis Belgici, & Hiſpanici.

SECTIO IV.

De modo, & figura Syllogiſmi.

§. 19. SYllogiſmis multipliciter vtimur, in quibus reperiuntur tres termini, qui ſunt ſubiectum, & prædicatum. Ex quibus vnus reperitur in vtraque præmiſſa, & reticetur in concluſione, hic vocatur *medium.* Alij duo termini ponuntur, alter in maiori præmiſſa, qui vocatur *maior extremitas:* alter autem ponitur in minori, & vocatur *minor extremitas:* hi autem duo repetuntur in concluſione Figura ſumitur ex modo, quo medium ſubiicitur, aut prædicatur in vtraque præmiſſa.

Primum enim medium poteſt in maiori eſſe §. 20.
ſubiectum, & in minori prædicatum, quæ vocatur *prima figura.* Exempli gratia, *omnis homo currit, Petrus eſt homo: ergo Petrus currit:* hæc eſt prima figura. Secunda figura eſt, in qua medium eſt prædicatum in vtraque præmiſſa, exempli gratia, *nullus homo eſt brutum, omnis leo eſt brutum: ergo nullus leo eſt homo.* Tertia figura eſt, in qua medium eſt ſubiectum vtriuſque præmiſſæ, exempli gratia, *nullus homo eſt lapis, omnis homo eſt riſibilis: ergo nullum riſibile eſt lapis.* Galenus addidit quartam figuram, in qua medium eſt in maiori prædicatũ, & in minori ſubiectum. Hęc non differt à prima figura, niſi quia præmiſſæ ponuntur ordine inuerſo. Exempli gratia ſi dicas, *omnis homo currit, Petrus eſt homo: ergo Petrus currit,* hic ſyllogiſmus eſt in prima figura; ſi autem minorem ponas primo loco, & maiorem ſecundo, efficies quartam figuram, exempli gratia, *Petrus eſt homo, ſed omnis homo currit: ergo Petrus currit.* Ecce ſola tranſmutatione præmiſſarum ſine adiectione aut detractione verbi efficitur quarta figura: quia verò hæc tranſmutatio parui eſt momenti, ideo non diſtinguitur à prima.

Modus eſt, quo ſyllogiſmi ponuntur affirmati- §. 21.
ui, aut negatiui, particulares, aut vniuerſales. Iſti modi continentur his quatuor carminibus.

Barbara, celarent, darij, ferio, baralipton
Celantes, dabitis, fapeſmo, friſe ſomorum,
Ceſare. cameſtres, feſtino, baroco. darapti,
Felapton, diſamis, datiſi, bocardo, feriſom.

Præmitto ſingulos modos conſtare ternis vo- §. 22.
calibus, ſignificantibus quantitatem, & qualitatem propoſitionis, ſunt autem illæ vocales, *A. E. I. O.* *A*, ſignificat propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam, *E.* vniuerſalem negatiuam, *I.* particularem affirmatiuam, *O.* particularem negatiuam. Tres ergo vocales ſuo ordine ſignificant tres propoſines ſyllogiſmi, exempli gratia, *Barbara* tres vniuerſales affirmatiuas, *Celarent* primam vniuerſalem negatiuam: ſecundam vniuerſalem affirmatiuam: tertiam vniuerſalem negatiuam. Aduerte *Baraliptom*, & *friſe ſomorum* conſtare quatuor vocalibus: at quarta nihil ſignificat, ſed ſoli ſeruit ſono carminis.

Quatuor modi primi carminis ſunt primæ figu- §. 23.
ræ, directè concludentes: quia maior extremitas prædicatur de minori, exempli gratia in *Barbara, omnis homo currit: omne rationale eſt homo: ergo omne rationale currit* Item in *celarent. Nullus homo currit: omne rationale eſt homo: ergo nullum rationale currit.* Idem dico de *darij, & ferio:* quorum exempla ſunt facilia pueris. Quintus autem modus primi carminis, & quatuor ſecundi ſunt eiuſdem primæ figuræ, concludentes indirectè: quia minor extremitas in concluſione prædicatur de maiori, exempli gratia in Baraliptom, *omnis homo currit: omne rationale eſt homo: ergo aliquod currens eſt rationale:* hic ſyllogiſmus in præmiſſis nihil differt à *Barbara:* in concluſione autem differt: quia Barbarica dicit, *ergo omne rationale currit.* Idem reperies in aliis modis, illa enim ratione *celantes* differt à *celarent, dabitis* à *darij, fapeſmo,* & *friſe ſomorum* à *ferio,* ſed cum aliqua mutatione, vt dicam, § 35.

Ad ſecundam figuram ſpectant quatuor primi §. 24.
modi tertij carminis *Ceſare, cameſtres, feſtino, baroco.* Exempli gratia in *Ceſare, nullus homo currit:*

omne brutum currit: ergo nullum brutum eſt homo. Cameſtres nihil differt à Ceſare, niſi in verſione præmiſſarum: exempli gratia, *omne brutum currit: nullus homo currit: ergo nullus homo eſt brutũ.* Feſtino eſt tertius modus: *nullus homo currit: aliquis leo currit: ergo aliquis leo non eſt homo.* Barocho: *omnis homo currit: aliquod animal non currit: ergo aliquod animal non eſt homo.* Dixi diſputatione 10. Logicæ, §.3. poſſe in hac ſecunda figura concludi indirecte.

§. 25. Tertia figura amplectitur quintum modum carminis tertij, & alios quinque vltimi carminis, *Darapti*, cuius exemplum eſt, *omnis homo currit: aliquis homo eſt albus: ergo aliquod album currit.* Felaptom, *nullus homo currit: omnis homo eſt albus: ergo aliquod album non currit:* Exempla cæterorum modorum ſunt facillima. Hæ tres figuræ cum his modis concludunt euidenter, ita vt conceſſa vtraque præmiſſa, non poſſit conſequentia negari, niſi ab ſtolido. Primi autem quatuor modi primę figuræ tam ſunt manifeſti, vt qui conſequentiam neget, ſit ab ſcholis ablegandus: cum autem poſſimus in quacumque figura multipliciter ratiocinari, ſunt in ſingulis multi modi inutiles: in prima figura ſunt duodecim à me recenſiti ea diſputatione 10. §. 83. In ſecunda figura totidem inutiles recenſui, ibidem §. 113. in tertia autem ſunt decem modi inutiles, enumerati ibidem §. 119. quos hic prætereo prolixitatis vitandæ gratia.

§. 26. Animaduertens nihil omnino ſequi ex puris negatiuis, neque ex puris particularibus, neque ex quatuor terminis, neque ex duobus, ſed ex tribus, ita diſpoſitis, vt in præmiſſis Syllogiſmi affirmatiui concedatur eſſe idem medium cum vtroque extremo: vnde concluſio infert extrema eſſe idem inter ſe, propter illud metaphyſicum principium, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe:* euidens quidem in rebus creatis. Cui principio innititur principium logicum, *dici de omni*, ideſt, quando aliquid dicitur de vna re, dicitur etiam de omni alia re, quæ eſt idem realiter cum illa. At in ſyllogiſmo negatiuo (qualis eſt, qui habet vnam tantum propoſitionem affirmatiuam, duas vero negatiuas) debet oſtendi in præmiſſis negatio identitatis vnius extremi cum medio, & identitas alterius extremitatis cum eodem medio: vnde concluditur negatio idemtitatis extremorum inter ſe. Propter quod logici dicunt *dici de nullo*, id eſt, quando negatur aliquid de aliqua re, illud dicitur de nulla re identificata cum illa. Sunt nonnulli alij ſyllogiſmi, e. g quem vocant *expoſitorium*, conſtantem ex puris ſingularibus, exempli gratia, *hic homo eſt rex: Antonius eſt hic homo: ergo Antonius eſt rex.* hi ſyllogiſmi ſunt omnium manifeſtiſſimi, ſiue affirmatiui ſint, ſiue negatiui. Poteſt etiam fieri ſyllogiſmus modalis, & alij qui ſunt facillimi, quos diſputaui ea diſputatione 10. ſect. 24.

§. 27. In quarta figura Galeni poſſunt conſtitui tot modi, quot in prima, & eadem ratione concludentes, qui poſſunt vocari.

Barmaba, Galerent, Aimari ſiremo, Bamaliptom.
Calemes, dimatis, ſeſapo, freſi ſonorum.

SECTIO V.

Oſtenſiua deductio Syllogiſmorum.

§. 28. QVatuor modi primæ figuræ ſunt prototypus, & exemplar perfectiſſimæ ratiocinationis, ad quos cæteri modi reuocantur, vt aurum ad lydium lapidem. Moneo tamen illos modos habere initium à quatuor conſonantibus, *B. C. D. F.* cæteri modi ab eiſdem conſonantibus initiantur, vt ſignificetur eos reuocari ad illos modos perfectos, quibus ſunt ſimiles in illa conſonante: exempli gratia, omnes, quibus *B.* dat initium, ad *Barbara:* ad *celarem*, omnes incipientes à C. & cætera.

In nonnullis modis reperitur, *m.* ad ſignificandum eiuſmodi modos conuertendos eſſe, mutatis præmiſſis: verbi gratia, vt in conuerſione ponatur pro maiori propoſitione, quæ in ſyllogiſmo conuerſo erat minor: & maior fiat minor. Reperitur item, *S.* & *P.* *S.* ſignificat propoſitionem, quæ præcedit *S.* debere conuerti ſimpliciter: *P.* vero ſignificat propoſitionem præcedentem debere conuerti per accidens. Quid autem ſit conuerſio *ſimpliciter*, & *per accidens*, iam oſtendi diſputatione 3. §. 29.

Ad *Barbara* deducuntur *Baraliptom*, *Barocho*, & *Bocardo*: ſolus *Baraliptom* deducitur oſtenſiuè, *Bocardo* autem, & *Barocho* per impoſſibile. *Baraliptom* non differt à *Barbara*, niſi quia concluſio fuit indirecta: deducitur autem ad *Barbara*, non per conuerſionem per accidens: hæc enim non poteſt eſſe in propoſitione particulari: ſed conuertitur hoc modo, deberet in *Barbara* eſſe, *omne rationale currit*, dicitur in *Baraliptom*, *aliquod currens eſt rationale*, quæ fuit conuerſio per accidens: vt autem reducatur Baraliptom ad *Barbara*, diſſoluitur illa conuerſio, & ſumitur propoſitio conuerſa, ac ſi non eſſet conuerſa, & dicitur, ergo *omne rationale currit:* ſic enim reditur ad concluſionem directam in *Barbara*. Itaque *P.* in *Baraliptom*, non ſignificat concluſionem conuertendam eſſe per accidens, ſed potius illam iam eſſe conuerſam per accidens ex *Barbara*, in *Baraliptom*. §. 30.

Ad *celarem* conuertitur *celantes*, *Ceſare*, *cameſtres*. Exemplum in *celantes*, conuertendo ſimpliciter ſolam concluſionem, nam in cæteris non differunt *celarem*, & *celantes*: exempli gratia, *nullus homo currit: omne rationale eſt homo: ergo nullum currens eſt rationale*, ſi autem dicas, ergo *nullum rationale currit*, erit in *Ceſare:* id autem fit per conuerſionem ſimplicem concluſionis celanticæ. §. 31.

Ceſare conuertitur per ſolam conuerſionem ſimplicem maioris: exempli gratia, *nullus homo currit: omnis leo currit:* ergo *nullus leo eſt homo:* ſi autem in maiori dicas *nullum currens eſt homo*, eſt ſyllogiſmus in *celarem*. §. 32.

Cameſtres eſt difficilior conuerſu: quia præmiſſæ ſunt tranſmutandæ, item minor, & concluſio ſunt conuertendæ ſimpliciter: exempli gratia, *omnis leo currit*, *nullus homo currit*, ergo *nullus homo eſt leo:* ſi autem dicas, *nullum currens eſt homo: omnis leo currit*, ergo *nullus leo eſt homo*, efficies *celarem:* at minor cameſtrica eſt conuerſa ſimpliciter, & facta maior, ſimiliter & concluſio conuerſa fuit ſimpliciter. §. 33.

Ad *Darij* deducuntur *dabitis*, *darapti*, *diſſamis*, & *datiſi*. *Dabitis* ſola conuerſione ſimplici concluſionis, cuius exemplum eſt facile. *Darapti* ſola conuerſione minoris per accidens, exempli gratia, *omnis homo currit, omnis homo eſt rationalis: ergo aliquod rationale currit.* eſt in *darapti*; ſi autem dicas in minori *aliquod rationale eſt homo*, efficies ſyllogiſmum in *darij* cum eadem maiori, & concluſione. *Diſſamis* conuertitur mutatis præmiſſis, & conuerſa maiori ſimpliciter, ſimiliter & concluſione, exempli gratia: *Aliquis homo currit, omnis homo eſt rationalis: ergo aliquod rationale currit*, eſt in diſſamis, dic autem, *omnis homo eſt rationalis, aliquod currens eſt homo: ergo aliquod currens eſt rationale. Datiſi* deducitur minori ſimpliciter conuerſa, retentis maiori, & concluſione. §. 34.

Ad

§.35. Ad *ferio* deducuntur *fapeſmo* cõuerſa maiori per accidens,& conuerſa minori ſimpliciter, & mutatis præmiſſis. Exempli gratia, *omnis homo currit: nullus leo eſt homo, ergo aliquod currens non eſt leo.* eſt in *fapeſmo*: debet autem conuerti. *Nullus homo eſt leo,aliquod currens eſt homo:ergo aliquod currens non eſt leo*,eſt in *ferio*. *Friſeſomorum* conuertitur, mutatis præmiſſis, & ſimpliciter conuerſis. *Feſtino* conuerſa maiori ſimpliciter.*Felaptom* conuerſa minori per accidens.*Feriſon*,minori per accidens conuerſa.

SECTIO VI.

Deductio Syllogiſmorum ad impoſsibile.

§.36. Alio genere deductionis vſus eſt Ariſtoteles, quod vocauit *ad impoſſibile*: nam quando negatur concluſio legitima,cogitur negans admittere duas propoſitiones reciprocè contradicentes. Quatuor primi modi primæ figuræ non eſt opus, vt cõuertantur:quia tam euidens eſt illorum conſequentia, vt à mentis compote negari non poſſit, & qui ſemel negat concluſionem in *Barbara*,facilius eam negabit in alio quouis modo.

§.37. Quatuor dictionibus vtimur in hac deductione: *neſciebatis,oriebar, letare,Romanis.* Quibus continẽtur quatuor vocales. *A* ſignificans *Barbara:* quia eſt ſyllogiſmus vniuerſalis affirmatiuus. *E* ſignificans ſyllogiſmum vniuerſalem negatiuum,*celarent.* *I* ſignificans *darij*, particularem affirmatiuum, *O ferio* particularem negatiuum.

§.38. *Neſciebatis* ſignificat quinque modos indirectos primæ figuræ, ſuo ordine reduci ad ſyllogiſmos ſignificatos illis vocalibus, exempli gratia, *Baraliptom* ſignificatum prima, *E.* reduci ad *celarent*, *celantes* ſignificatum prima *I.* reduci ad darij,& ſic alij tres.

§.39. *Oriebar* continet quatuor vocales, ſignificantes ſuo ordine quatuor modos ſecundæ, *Ceſare* ſignificatur per *O.* deduci ad *ferio*: *Cameſtres*, per *I.* ad *darij*: *feſtino* per *E.* ad *celarent*, *Baracho*, per *A.* ad *Barbara.*

§.40. *Letare Romanis* continet ſex vocales,ſignificantes eodem ordine ſex modos tertiæ figuræ.*Darapti* ſignificatum per primam, *E.* reduci ad *celarent.* *Felaptom* ſignificatũ per primam *A.*reduci ad *Barbara.* *Diſſamis* ſignificatum per ſecundam *E.*deduci ad *celarent*: & ſic tres cæteri modi, reſpondentes *Romanis.* Itaque conſiderandus eſt modus, quem locum teneat in illis carminibus, exempli gratia, *Datiſi* eſt quartus modus tertiæ figuræ,cui reſpondet prima vocalis *Romanis*, ſic conſideratur reduci ad *ferio*: quia *O.* ſignificat modum particularem negatiuum,qualis eſt *ferio.*

§.41. Igitur *Baralipton* reducitur ad *celarent*.Nã quando aliquis negat concluſionem legitimam, debet arguens illi proponere propoſitionem contradictoriam concluſioni negatæ: quam non poteſt negare propugnans: quia ſimul negaret duas contradictorias. Exempli gratia, negat aliquis concluſionem in *Baralipton*, qua dicitur *aliquod currens eſt homo*,tenetur arguens inferre,*ergo nullum currens eſt homo*:quæ contradicit huic, *aliquod currens eſt homo*: retenta igitur contradictoria concluſionis, & poſita in maiori,& retenta maiori, quæ poſita fuerat in *Baralipton*, & poſita in minori infertur contradictorium minoris conceſſæ, eam conuertendo per accidens.Exempli gratia,*omnis homo currit,omne riſibile eſt homo: ergo aliquod currens eſt riſibile*, ſic conuertitur: *nullum currens eſt riſibile* (quæ eſt contradicens concluſioni) *ſed omnis homo currit* (quæ erat maior in *Baralipton*) *ergo nullus homo eſt riſibilis*: quæ contradicit huic, aliquis homo eſt riſibilis: hæc autem conuertit per accidens hanc, *omne riſibile eſt homo*, quæ fuerat minor conceſſa in *Baralipton.* Itaque cogitur admittere minorem, quam conceſſerat in *Baralipton*, item & concluſionem, illi minori contradicentem in *celarent.*

§.42. *Celantes* ad *darij*, ſumpto contradictorio concluſionis pro minori, & minori pro maiori,infertur contradictorium maioris cõuerſæ ſimpliciter: exempli gratia, *nullus homo currit,omne riſibile eſt homo, ergo nullum currens eſt riſibile*, reducitur autem ſic, *omne riſibile eſt homo* (quæ fuerat minor celantica) *ſed aliquod currens eſt riſibile* (quæ contradicit concluſioni celanticæ) *ergo aliquod currens eſt homo* (quæ contradicit huic) *nullum currens eſt homo*, hæc autem conuertit ſimpliciter hanc, *nullus homo currit*, quæ fuit maior in *celantes* conceſſa.

§.43. *Dabitis* ad *celarent*, ſumpto contradictorio concluſionis pro maiori, & maiori pro minori, infertur contradictio minoris conceſſæ, & conuerſæ ſimpliciter (vt dixi de Baralipton.)

§.44. *Fapeſmo* ad *Barbara*,ſicut *dabitis* ad *celarent*.*Friſeſomorum*, ad *darij*, ſicut *dabitis* ad *celarent*. Aduerte quinque modos indirectos quartæ figuræ eadem ratione conuerti, qua iſti, cum ſolo hoc diſcrimine, quod detur maiori quartæ figuræ,quod minori primæ: quia ſolum differunt collocatione præmiſſarum.

§.45. Quatuor modi ſecundæ figuræ ſunt facillimi deductu:quia ſumunt contradictorium concluſionis pro minori, cum eadem maiori inferunt contradictoriũ minoris. Hos modos ſignificat *oriebar.* *Ceſare* ad *ferio.* exempli gratia, *nullus homo currit,ſed omne brutum currit: ergo nullum brutum eſt homo*, ſic conuertitur, *nullus homo currit* (quæ eſt maior ceſarea) *ſed aliquod brutum eſt homo* (quæ contradicit concluſioni negatæ in *ceſare*) *ergo aliquod brutum non currit*, (quæ contradicit minori in ceſare conceſſæ.)

§.46. *Cameſtres* ad *darij*: *feſtino* ad *celarent*, quorum exempla ſunt facilia: *Barocho* ad *Barbara.*

§.47. Sex modi tertiæ figuræ, ſignificati in *letare Romanis*, reducuntur,ſumpto contradictorio concluſionis pro maiori, cum eadem minori: ex quibus infertur concluſio oppoſita maiori. Exempli gratia,*darapti* reducitur ad *celarent*, *omne animal currit, omne animal eſt viuens: ergo aliquod viuens currit*, ſic conuertitur *nullum viuens currit*, (quæ contradicit concluſioni darapticæ) *omne animal eſt viuens* (quæ eſt minor daraptica) *ergo nullum animal currit*, quæ concluſio eſt contraria minori conceſſæ in *Darapti*. Eſt autem idem impoſſibile: quia duæ contrariæ non poſſunt ſimul eſſe veræ. *Felapton* reducitur ad Barbara, exempli gratia, *nullus homo currit, omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal non currit*, ſic reducitur, *omne animal currit* (quæ contradicit concluſioni) *ſed omnis homo eſt animal* (quæ erat minor felaptica) *ergo omnis homo currit* (quæ eſt contraria maiori felapticæ.)

§.48. Diſſamis ad *celarent*, *datiſi* ad *ferio*, *bochardo* ad *barbara*, *feriſom* ad *darij*, qui quatuor modi inferunt concluſionem contradictoriam maioris conceſſæ, exempli gratia in diſſamis, *aliquis homo currit, omnis homo eſt albus, ergo aliquod album currit*, ſic conuertitur, *nullum album currit, ſed omnis homo eſt albus, ergo nullus homo currit*, quæ contradicit maiori conceſſæ. Hic autem opus eſt memoria,& contentione iuuenili.

Digitized by Google

SECTIO VII.

De conſequentia.

§. 49. Conſequentia eſt bona deductio vnius termini ex alio. Conſequentia, alia eſt formalis, alia materialis. Formalis eſt, quæ ratione diſpoſitionis præmiſſarum rectè ſequitur, vt patet in omnibus legitimis ſyllogiſmis: extra quos nulla eſt conſequentia formalis. Materialis autem eſt, quando ratione materiæ eſt conſequens verum.

§. 50. A ſuperiori ad inferius negatiuè valet conſequentia, exempli gratia, *non eſt animal, ergo non eſt homo*. Ab inferiori autem ad ſuperius valet affirmatiuè, *vt eſt homo, ergo eſt animal.* Ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitum antecedentis, exempli gratia, *Petrus currit, ergo mouetur*, ly *mouetur* eſt cõſequens, & ly *currit* eſt antecedens: vnde rectè infertur, *non mouetur, ergo non currit*. Hæc regula nihil differt à priori, *moueri* enim eſt ſuperius, *currere* autem inferius. Item conuenit hæc regula cum alia: *ab effectu ad cauſam valet conſequentia affirmatiuè, à cauſa ad effectum negatiuè: eſt riſus, ergo eſt homo; non eſt homo, ergo non eſt riſus.*

§. 51. Hic ſolet obijci contra hanc regulam: *eſt euidenter credibile, ergo eſt euidenter poſſibile:* quia *quod eſt euidenter impoſſibile, eſt euidenter incredibile.* Qua de re egi diſput. de fide. Nunc breuiter dico *credibile* non eſſe antecedens ad *poſſibile:* quia ſumuntur ex capitibus diuerſis, multa enim impoſſibilia poſſumus credere.

§. 52. *Quando aliquid infertur ex conſequenti, infertur etiam ex antecedenti*, exempli gratia, *currit, ergo mouetur:* ſi ex *mouetur* inferas, *ergo non quieſcit*, illud inferes etiam ex *currit*, quia quod conuenit inferiori conuenit etiam ſuperiori. At non omne quod infertur ex antecedenti conuenit conſequenti, vt ſi ex *currit* inferas, *ergo velociter mouetur*, id non inferes ex *mouetur:* quia poteſt moueri quin velociter.

§. 53. *Ex antecedenti falſo aliquando ſequitur verum conſequens, vt Petrus eſt equus, ergo eſt animal:* ex antecedenti contingenti poteſt eſſe conſequens neceſſarium, vt *Petrus ſentit, ergo eſt animal. At ex vero antecedenti non ſequitur conſequens falſum.*

ALIQVÆ VOCES EXPLICATÆ.

§. 1. MAterialiter, & formaliter, his vocibus frequenter vtimur, & abutimur. *Materialiter* ſignificat, quando alicui materiæ, ſiue ſubiecto realiter conuenit aliquod prædicatum, vt *album eſt dulce*, nempe materialiter, ideſt, eadem materia ſiue res, quæ eſt alba, eſt etiam dulcis, & in diuinis paternitas eſt natura, & iuſtitia miſericordia, identicè ſiue materialiter.

§. 2. *Formaliter* ſignificat, quando aliquod prædicatum conuenit ſubiecto ratione alicuius formæ, vt *album formaliter diſgregat viſum*, ideſt, albo conuenit diſgregare viſum ratione albedinis, quæ vox ſemper reduplicat formam, & ſignificat, formam eſſe cauſam, propter quam conuenit prædicatum ſubiecto, vt albo diſgregare viſum propter albedinem, qua propter multæ propoſitiones identicè, ſeu materialiter veræ, in ſenſu formali ſunt falſæ, vt *album formaliter eſt dulce:* quia facit hunc ſenſum, *albedo eſt ratio, propter quam ſubiectum eſt dulce.*

Hi termini applicantur, & conceptibus realiter diſtinctis, vt patet ex ſubiectis exemplis, & conceptibus ſola ratione diſtinctis, vt in diuinis, in quibus intellectus formaliter non eſt voluntas formaliter. Item in humanis animal formaliter non eſt rationale formaliter: quia efficit hunc ſenſum, operatio à qua homo denominatur animal non eſt operatio à qua denominatur rationale, & proportione ſeruata, diſtinctio rationis imitatur diſtinctionem realem, quia ſicut dulcor non conſtituit album, ita neque diſcurſus denominat animal, ſed rationale, de quo ſatis dixi diſputatione 6. metaphyſices, & diſputatione tertia logicæ, ſectione prima.

§. 3. *Reduplicatiuè, & ſpecificatiuè, ſiue identicè.* Hæ voces recidunt in *materialiter, & formaliter.* Nam *ſpecificatiuè*, & *identicè* appellat ſupra ſolum ſubiectum, ſiue materiam, ſiue entitatem, vel ſpeciem, reſpondétque *materialiter*, *reduplicatiuè* autem æquiualet *formaliter*, qua voce denotatur prædicatum conuenire ſubiecto ratione alicuius formæ, vt album reduplicatiuè diſgregat viſum, non tamen eſt dulce reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè.

§. 4. *In communi, & vt ſic* ſignificant conceptus communes, vt apprehenduntur conceptu confuſo, & communi, vt *homo vt ſic eſt riſibilis*, ideſt rationi cõmuni hominis conuenit riſibilitas. Hæc autem eſt falſa propoſitio, *homo vt ſic eſt albus*, nam rationi communi hominis non conuenit albedo. *Vt ſic* poteſt etiam reduplicare in ſenſu formali, & in identico, ſed vſitatius eſt in identico, nã rationes communes habent diuerſa prædicata communia, quorum aliqua illis conueniunt ratione eſſentiæ formaliter, vt *homo vt ſic eſt animal*, alia identicè, vt *homo vt ſic eſt riſibilis*. Sumatur ergo *vt ſic* pro ſolo conceptu communi, vt ab inferioribus præciſo.

§. 5. *Formaliter, & efficienter*, ſignificat *formaliter* prædicatum conueniens ſubiecto ratione alicuius formæ, aut conceptus, v. g. materia prima formaliter eſt potentia paſſiua, ideſt, per ſuum conceptum, ſiue eſſentiam. Item *hic calor reddit formaliter calidum*, ideſt per ſuam entitatẽ: *efficienter* autem ſignificat, quando res aliqua præſtat aliquid efficiendo aliud, verbi gratia, *calor ignis reddit calidam manum efficienter*, ideſt, efficiendo in manu calorem à ſe diſtinctum, calor autem exiſtens in manu illam reddit calidam formaliter, ideſt per ſuam entitatem illi vnitam. Item ignis formaliter eſt calefactiuus, & calefactio formaliter eſt calefactio, ideſt, per ſuas entitates, & eſſentias. Aduerte rationem agendi etiam formaliter denominare terminum actum, nam per ſuum conceptum formalem illum agit: item agens, immediatum formaliter eſt agens, vt *quod*, ideſt, per ſuam entitatem agit, vt *quod*, hæ autem denominationes reducuntur ad denominationes efficientium.

§. 6. *Virtualiter, formaliter, & eminenter* termini ſunt ad expreſſionem cauſarum, & effectorum. *Formaliter* continetur effectus in cauſa, quando eſt in illa propria entitas effectus, vt ignis formaliter eſt calidus, denique quotieſcumque res ſignificata ſecundùm ſuum eſſe eſt in alia, dicitur eſſe in illa *formaliter*, vt albedo in pariete, à qua denominatur formaliter albus. *Virtualiter* continetur effectus in ſua cauſa, quando non eſt ſecundum ſuum eſſe in illa, ſed ab illa poteſt produci, vt ſol eſt virtualiter calidus, non formaliter: quia calor ſecundum ſuum eſſe non reperitur in ſole, poteſt tamen à ſole produci, quia ſol eſt virtus ad calorem: ob quod dicitur illum continere virtualiter. *Eminenter* ſignificat effectum contineri in virtute cauſæ ipſo perfectioris

perfectioris, & æquiuocæ, quæ continet perfectionem effectus, ſublatis illius imperfectionibus ſpecificis, vt calor continetur eminenter in luce, quæ eſt qualitas, ſicut ille, ſed contrario carens, & creaturæ continentur eminenter in Deo. Nonnunquam Angelus dicitur continere eminenter hominem: quia eſt illo perfectior, ſed immerito, & vulgari ratione, quia illum non poteſt producere.

§. 7. *Actu, & potentia.* Res dicitur eſſe *actu*, quando ſimpliciter eſt, quod enim non eſt actu, non eſt ſimpliciter. *Potentia* dicitur res eſſe, quando non eſt, ſed poteſt eſſe, vnde ſicut homo, qui nondum eſt Papa, ſimpliciter non eſt Papa, licet poſſit eſſe: ita res, quæ ſunt in potentia tantum, ſimpliciter non ſunt, ſed poſſunt eſſe: ita omnis effectus antequam producatur, dicitur eſſe in potentia cauſarum, id eſt, cauſæ habent potentiam ad illum producendum, de quo diſputat. 8. Metaphyſ.

§. 8. *Abſolutè* ſiue *ſimpliciter*, *reſpectiuè*, vel *comparatiuè*: res *ſimpliciter* dicitur eſſe talis, quando in ſe ſpectata ſecundum ſuum eſſe habet tale prædicatum, vt dicitur homo ſimpliciter magnus, vel doctus, quando in ſe habet ſufficientem magnitudinem, aut doctrinam. *Reſpectiuè* autem dicitur, quando in ſe non habet tale prædicatum; ſi verò comparetur alteri rei, illud videtur habere, vt homo puſillus dicitur magnus, nano comparatus; & homo procerus dicitur exiguus, giganti collatus, & homo mediocriter peritus dicitur doctus reſpectiuè, id eſt, ex collatione cum barbaro. Adde *ſecundum quid.* quod ferè recidit in *reſpectiuè*, vt cum quis ſcit rectè vnam rem tantum, cæteráſque ignorat, hic *abſolutè* eſt idiota, *ſecundum quid* autem eſt doctus. Item homo pictus, *ſecundum quid* eſt homo, id eſt, in repræſentando.

§. 9. *Per ſe, & per accidens.* *Per ſe* ſignificat, quando ſubiectum conuenit prædicato ex principiis ſuæ naturæ, & non accidentario aliquo euentu, vt homo per ſe eſt bipes, & vinum per ſe eſt neceſſarium ad ebrietatem. & arma militi. *Per accidens* autem res dicitur eſſe, cum forte fortuna, & accidentariè illi conuenit prædicatum, vt homo per accidens eſt monoculus ex accidentario cauſarum congreſſu, & domus fit à muſico. In cauſis autem per accidens eſt illa, ſine qua effectus poterat eſſe.

Vt quo, & vt quod. Vt *quod* dicitur eſſe res aliqua, quæ ab aliqua forma, vel conceptu accipit denominationem, vt intellectus eſt intelligens, vt *quod*, quia ab intellectione accipit illam denominationem. Et materia, & forma vniuntur vt *quod.* Vt *quo* autem dicitur res illa, quæ talem denominationem dat, vt intellectio intelligit vt *quo*, id eſt, eſt ratio, qua intellectus intelligit, & vnio vnitur, vt *quo.* §. 10.

Poſitiuè, & negatiuè. *Poſitiuè* dicitur res eſſe talis, quando in illa ponitur aliqua forma, à qua ita denominetur, vt *ſtudioſus* eſt bonus poſitiuè, & qui cæteris omnibus antecedit, eſt poſitiuè primus. *Negatiuè* autem dicitur res, quando caret forma contrariam denominationem tribuente, vt homo non vitioſus dicitur negatiuè bonus, quia non eſt malus, & ille, cui nullus præcedit, dicitur negatiuè primus, id eſt non habet priorem. Sic beata Virgo dicitur peperiſſe primogenitum, non quod alios poſtea genuerit, ſed quia nullum genuit antequam Chriſtum: & dicitur peperiſſe antequam conuenerit cum Ioſepho, non quod poſtea conuenerit, ſed quod antea non conuenerat. §. 11.

In recto & in obliquo. Grammatici nominatiuum *rectum* vocant, cæteros caſus *obliquos.* Quando igitur nomen concretum ſignificat duos conceptus, quorum alter explicatur in nominatiuo, alter in alio caſu cum verbo ſubſtantiuo; qui ponitur in nominatiuo, ponitur in recto, alter autem ponitur in obliquo, vt *album* eſt ſubiectum cum albedine: quæ doctrina eſt valde obſeruanda ad diſquirendas veritates propoſitionum, præſertim myſterij Trinitatis, quia hinc dependet cur in Trinitate ſint tres perſonæ, & non tres Dij, & cur Chriſtus ſit vna perſona, & non duæ. §. 12.

FINIS SVMMVLARVM.

DISPV

DISPVTATIO PRIMA
DE OBIECTO LOGICÆ.

OBIECTVM ab obiiciendo, *eſt quod potentiæ obijcitur*, aut proponitur, vt ſe circa illud exerceat, ex quo logica, omniſque habitus, potentia, & actus dignoſcenda, ſicut quæuis relatiua ex terminis. Quia verò cuiuſuis ſingularis obiecti notitia ex obiecti in communi cognitione dependet, hæc præmittenda; breuitate tamen tyronibus apta, quos non decet ieiunos dimittere doctrinæ de obiecto in communi; nec propterea ſunt fatigandi & deterrendi metaphyſicis argutiis, quibus tanquam immaturis acerbiſque fructibus dentes hebeſcunt. Qui autem maluerit totum hoc argumentum de obiecto perlegere, adeat diſp. 1. met. ſect. 1.

SECTIO I.

De obiecto, & ſubiecto in commune.

§. 1. *Subiectū logicum eſt de quo aliquid dicitur, & ſumitur pro obiecto.*

SVbiectum (quod ad logicum ſpectat) eſt *de quo aliquid intellectus enuntiat.* Latè acceptum ſumitur pro obiecto: obiectum enim, eo quod ſit materia ſcientiæ ſubiecta, ſubiectum conſueuit appellari, ſic indiſcriminatim Doctores vſurpant. Si verò propriè ſumatur, id ab obiecto tanquam totum à parte diſtingue, eſt enim obiectum *totum quod intellectus attingit.* Similiter obiectum latè ſumptum nonnulli ex tendunt ad terminos potẽtiæ phyſicæ, vt Pater Molina 1. p. q. 25. art. 3. terminum omnipotentiæ Dei *obiectum* appellat: propriè tamen non tranſilit limites potentiæ vitalis. Solum enim, quod per quamuis potentiam cognoſcitur, vel amatur, propriè obiecti nomen accepit, vt lux, & color ſunt viſus obiectum.

§. 2. *Obiectū formale eſt quod primò attingitur, & propter illud cætera.*

Aliud *formale*, *materiale* aliud. *Formale* eſt, *quod primò, & per ſe attingitur à potentia, & propter quod cætera attinguntur obiecta*: vnde ratio formalis obiectiua appellatur. e. g. æger, qui vult curari, primò, & per ſe vult ſanitatem, & propter ſanitatem, vult ſciſſionem venæ, potiones, &c. Ecce hic amantur ab ægroto ſanitas, venæ ſciſſio, potiones, &c. Sed quia id, quod primò, & per ſe amatur, eſt ſanitas, reliqua verò non propter ſe, ſed propter ſanitatem amantur, ideo ſanitas eſt obiectum formale illorum actuum, quod in omni fine, mediiſque contingit, eſt enim finis formale voluntatis obiectum. Idem patet in intellectu: in ſyllogiſmo, e. g. cognoſcuntur præmiſſæ, & concluſio, ſed ratione diuerſa: præmiſſæ enim per ſe primò, & propter illas concluſio. Quare medium ſyllogiſmi eſt obiectum formale. Idem cernis in fide ſupernaturali, cuius ratio formalis obiectiua partialis eſt diuina reuelatio, quæ per ſe primò cognoſcitur, & propter illam myſterium reuelatum. Tandem vno verbo, obiectum formale eſt *id quod cognitum* vel *amatum ducit in cognitionem* vel *amorem alterius.* Obiectum verò materiale eſt id *in cuius amorem, aut cognitionem nos formale ducit*, vt in exemplis adductis media ſunt materiale voluntatis obiectum, concluſiones ſcientiæ, fidei verò reuelata myſteria.

Finis eſt obiectū formale voluntatis.

Medium in ſyllogiſmo eſt obiectum formale.

Obiectū materiale quod attingitur ratione alterius.

§. 3. *Obiectum formale eſt cauſa vt ametur materiale.*

Hinc, conſtat obiectum formalè neceſſariò eſſe cauſam, propter quam obiectum materiale ametur, aut cognoſcatur. Quod explicatur his terminis, *quia* & *ideo*, vt *quia amo ſanitatem, amo ſciſſionem venæ. Ideo aſſentior concluſioni, quia ſum aſſenſus præmiſſis. Ideo credo myſterium reuelatum, quia reuelationem credo.* At vero obiectum materiale nullam exercet cauſalitatem obiectiuam in obiectum formale, omnes namque propoſitiones, quibus talem cauſalitatem aſſerimus, falſæ ſunt, vt hæ duæ, *ideo amo finem, quia amo media.* item, *quia aſſentior concluſioni, aſſentior præmiſſis.*

§. 4. *Idē obiectum diuerſis comparatum eſt formale, & materiale.*

Hinc vlterius infertur, idem obiectum reſpectu diuerſorum eſſe poſſe materiale, & formale, quia poteſt eius amor, aut cognitio ab alterius amore, ſeu cognitione pendere, & eſſe cauſa, propter quam tertium aliud obiectum ametur, aut cognoſcatur, e. g. ſciſſio venæ (vt dixi §. 2.) eſt obiectum materiale reſpectu actus, quo volumus ſanitatem, & eſt formale reſpectu voluntatis, qua volumus phlebotomum acceſſere, nam ideo eum acceſſo, vt venam ſcindat. Item prima paſſio eſt obiectum materiale in ſyllogiſmo, in quo infertur vt concluſio, & eſt obiectum formale in ſyllogiſmo, in quo ponitur, vt præmiſſa. Ratio à priori, quia in primo caſu tale obiectum habet rationem medij, aut concluſionis, in ſecundo autem præmiſſarum, aut finis. Hæc autem obiecta non dicuntur formalia ſimpliciter, ſed formalia ſecundaria, vel ſecundum quid, formale enim ſimpliciter pro formali primario omnes vſurpant.

Obiectū formale abſolutè, & ſecundum quid.

§. 5. *Obiectū formale primum in intentione, & vltimum in reſolutione.*

Quod, ſicut eſt primum in cognitione, & amore, ita eſt vltimum (vt aiunt) in reſolutione, quia cum reddimus cauſas, quibus circa obiecta mouemur, reddimus ſemper immediatas, & ſic incipiendo ab vltima ſiſtimus in prima, vt ſi inuerſo ordine octo homines numeres, incipies ab octauo, & finies in primo, v. g. ſi ægrum roges, cur phlebotomum acceſſat? Reſpondet, quia vult emitti ſanguinem, & ſi rogas cur velit ſanguinem mittere? Reſpondet, quia vult ſanitatem, vltimò igitur redditur ratio, quæ primò mouet ægrotum.

§. 6. *Obiectū formale & materiale vnde dicantur.*

Vocantur autem obiectum materiale, & formale per analogiam ad formam, & materiam phyſicas: quia ſicut materia prima eſt indifferens ad hanc vel illam, ſpeciem completam, & determinatur per formam, à qua prouenit diſtinctio ſpecifica, ita materiale obiectum eſt indifferens ad hanc vel illam ſcientiam aut virtutem, determinatur verò per obiectum formale, vt hæc concluſio, *Deus eſt*, deducta ex diuina reuelatione ad fidem ſpectat, ad philoſophiam verò ſi ex euidenti creaturarum cognitione monſtretur.

§. 7. *Obiectū formale* quo & quod.

Hæc diuiſio in eam recidit, qua alij diuidunt obiectum in obiectum formale *quod* & *quo*: noſtrum materiale vocant illi *formale quod*, & noſtrum formale

male illi formale *quo* appellant: ſed vſitatior eſt noſtra diuiſio apud autores, qui formale obiectum vocant immediatum, materiale verò mediatum. Nam ratio formalis obiectiua, cum per ſe primò ametur, aut cognoſcatur, à nullo dependet: materiale verò obiectum, cum ex alio pendeat, non attingitur per ſe immediatè ſed per mediū obiectum prius cognitum vel amatum, vt patet in adductis exemplis. Nam præmiſſæ per ſe immediatè cognoſcuntur, concluſio verò medus illis.

§.8. *Obiectio.* Dices concluſionem poſſe cognoſci vel eodem actu intellectus, quo præmiſſæ, vel diuerſo actu, quando cognoſcuntur eodem actu præmiſſæ & concluſio, tunc concluſio cognoſcitur mediatè per eumdem actum, quo cognoſcitur medium: at verò quando cognoſcitur diſtincto actu, tunc non poteſt eſſe obiectum medium, quia in illo actu nihil mediat. Sed quæſtio eſt de nomine, conſtat enim de re, per talem actum ſolam repræſentari concluſionem, conſtat etiam concluſionem in ſui cognitione à præmiſſis pendere. *Cōcluſio ſemper eſt obiectum materiale.* Tamen in eo caſu exiſtimo, concluſionem dicendam eſſe obiectum mediatum, quia obiectum non dicitur mediatum, eo quod cognoſcatur eodem actu, quo formale, ſed quia cognoſcitur ex cognitione præmiſſarum, & *Obiectū mediatum vnde dicatur.* cum dependentia ab illis: præmiſſæ autem ſemper ſunt medium, & concluſio ex illis deducta ex medio, vel per medium deducitur, quod ſi per medium, ergo eſt mediatum. Præterea contra communem ſenſum cogeremur dicere, Deum à nobis immediatè cognoſci, quia in demonſtratione de eius exiſtentia actus concluſionis ſolum Deum repræſentat. Item diſcurſus ſemper eſſet immediatus contra communem ſenſum, quia diſcurſus diſtinctum habet actum in concluſione, & in præmiſſis.

§.9. *Obiectū materiale in proximum & remotum.* Rurſus obiectum materiale diuide in *proximum, & remotum.* Proximum eſt *quod verè & propriè ſecundum ſuam rationem attingitur à potentia*, vt medium à voluntate, & ab intellectu concluſio. Remotum obiectum dicitur, *quod verè, & propriè non attingitur ſecundùm ſuam rationem, ſed dicitur cognitum, quia cognoſcitur aliquod eius accidens.* dicitur corpus viſum, quia videtur color, quo eſt delibutum. Huiuſmodi obiecta propriè non cognoſci, euidenter probatur, quia iis mutatis immutata manet cognitio, à qua cognita denominantur, vt patet in Euchariſtia, cuius accidentia eodem modo ſentiuntur ante & poſt conſecrationem, cum ſubſtantia panis, & vini per conſecrationem euaneſcat.

§.10. *Ratio formalis ſub qua: alia obiectiua; alia ex parte potentiæ.* Deinde ratio formalis *ſub qua* alia eſt *obiectiua* de qua egimus, §.2. alia eſt *formaliſſima ſub qua*, vt viſibilitas in obiecto viſus, & amabilitas in obiecto voluntatis. Quidquid autem ſit hæc ratio, diſtincta ne ab obiectiua & actu potentiæ, an idem cum illis, ad logicum non ſpectat, cui ſufficit ſcire viſum tendere in colorem, ſub ratione viſibilis, & intellectum ſub ratione intelligibilis.

§.11. *Obiectū partiale & totale quid ſint.* Præterea obiectum aliud *partiale* aliud *totale.* Partiale eſt *quod ſimul cum alio cognoſcitur.* Totale & adæquatum *eſt totum id, de quo ſolum agitur in ſcientia*, vel *quod amatur à voluntate*, v.g. tota hæc propoſitio, *Petrus eſt homo*, eſt obiectū totale illius actus, ſubiectum autem eſt obiectum partiale, item prædicatum eſt obiectum partiale, ſimiliter & copula. *Obiectum adæquatum habitus, & potentiæ eſt obiectum omniū actuum.* Obiectum adæquatum potentiæ, vel habitus eſt obiectum omnium actuum illius, & non aliud, vt obiectum viſus ſunt omnia, quæ per eius omnes actus videntur, & voluntatis omnia, quæ per omnes eius actus amantur. Cum enim obiectum potentiæ, habitus, & actus ita ſit idem, vt ne ratione quidem diſtinguatur, non poteſt eſſe aliud obiectum habitus, nec potentiæ, niſi obiectum omnium actuum; & licet obiectum potentiæ ſit vniuerſalius obiecto cuiuſque actus in particulari, tamen latius patere non poteſt obiecto omnium actuum ſimul: ſin aſſigna mihi aliquam rationem obiectiuam formalem, aut materialem, quæ non claudatur in omnium actuum obiecto adæquato: potentia enim non per ſe, ſed per ſuos actus tendit in obiectum, de quo latè in libris de anima diſp.4. & 5. vbi agetur de vnitate obiecti, & in prooemio metaphyſicæ ſectione 1.

§.12. *Obiectum attributionis quid?* Adæquatum obiectum aliud *attributionis*, quod eſt vltimus finis ad quem referuntur omnia quæ in illa ſcientia tractantur, vt Deus eſt obiectum adæquatum Theologiæ: aliud eſt, quod propriè habet rationem obiecti adæquati, & quod verè, & propriè omnibus actibus obiicitur, quod inde patet; *Obiectum propriè ſiue commune, eſt quod obijcitur omnibus actibus.* quia illud eſt ſubiectum propriè, & adæquatum, de quo aliquid per omnes actus enuntiatur; & illud eſt adæquatum prædicatum, quod in omnibus actibus prædicatur de alio; & vnio adæquata eſt, quæ in omnibus actibus ſubiectum prædicato coniungit, ſed obiectum adæquatum eſt idem omnino cum adæquatis ſubiecto, prædicato, & vnionibus, quia illa omnia menti obiiciuntur: ergo obiectum adæquatum habitus eſt obiectum adæquatum actuum omnium.

§.13. *Duæ obiectiones.* Sed obiicies, Deum eſſe adæquatum Theologiæ obiectum, & ens mobile Philoſophiæ, cum tamen non obiiciantur propriè omnibus illarum actibus, ergo obiectum adæquatum habitus propriè non eſt obiectum adæquatum omnium actuum. Vnico verbo reſpondeo, illa eſſe obiecta attributionis, non verò propriè obiectum. Nam ſi adæquatè, & propriè omnibus actibus non obiicitur, qua ratione eſt verè, & propriè obiectum adæquatum? Ratione cuius attributionis habet pluſquam ſufficientem vnitatem. Hac de re conſule prooemium metaphyſicæ ſect.1. vbi hæc latius diſputantur: hæc hîc præſtrinxi, ne ipſo in limine offendas & offendaris reiectione in alios libros.

SECTIO II.

Logicæ adæquata materia.

§.14. *Obiectum adæquatum logicæ.* IGitur ſumendo obiectum propriè, & in rigore, illud eſt adæquatum logicæ, quod ipſa per omnes ſuos actus attingit, ſcilicet propoſitio, diuiſio, definitio, & argumentatio, earúmque partes, proprietates, attributa, cauſæ, atque contraria. Probatur, quia omnes actus logici ad hæc omnia, & non ad aliud terminantur. ergo hæc ſunt logicæ adæquatum obiectum: conſequentia liquet ex §.11. Antecedens inductione probatur, nam de ſubiecto, vnione, & prædicato, ex quibus propoſitio reſultat, & de propoſitionum oppoſitione, aliiſque attributis agitur in Summulis, & in libris Perihermenias: de quinque prædicabilibus, quæ communius in propoſitione ſubiiciuntur, & prædicantur, agitur in Iſogoge Porphyrij: de diuiſione, ac definitione certum eſt eas ad logicum ſpectare: libri Ariſtotelis de his duobus modis ſciendi periere: de ſyllogiſmo agitur in prioribus; de ſyllogiſmo topico in topicis, de fallaci in Elenchis, in poſterioribus verò de demonſtratione; reliquæ verò argumentationes ad has reducuntur, quia vim non habent, niſi ad ſyllogiſmum redactæ. At verò præter has nihil eſt, quod ad logicum ſpectet, vniuerſa enim ratio

Digitized by Google

ratiocinandi ratio, & modus in quauis facultate progrediendi iis rebus continetur:ergo propoſitio, diuiſio, definitio, & argumentatio, atque earum partes,affectiones,& attributa ſunt adæquatum logicæ obiectum, ſiuę logicæ adæquata materia.

§.15. Confirmatur, nam (vt ſect.4. patebit) adæquatum logicæ obiectum eſt dirigere actus intellectus, ſed ad hos dirigendos,quò ad illationem,& rectam diſpoſitionem,hæc omnia ſunt neceſſaria, & ſufficiunt,ergo hæc ſunt logicæ adæquata materia. Prima pars minoris ex ſe patet, quia vnum de alio affirmare, res diuidere, ac definire, earum proprietates demonſtrare, aut probabiliter ſuadere, item fallacias argumentationũ dignoſcere neceſſarium eſſe quis inficietur? At verò hæc ſufficere inde probatur,quia nihil aſſignabitur in veſtigatione ſcientiarum, quod prædictis rebus non contineatur.

§.16. *Obiectio.* Sed obiicies primò, ad obiectum logicæ ſpectare primam intellectus operationem, quam apprehenſionem vocant,quia ex ea ſæpe oritur error;ſed operatio non eſt propoſitio, nec modus ſciendi; quia apprehenſio nihil affirmat, aut negat. ergo præter propoſitionem, & modum ſciendi aliud eſt logicæ obiectum. *Prima intellectus operatio non pertinet ad logicum.* Nego maiorem, prima enim apprehenſio non ſpectat ad logicum vllo pacto, ſicut nec phantaſia,exteriórque ſenſus ad eum pertinent, licet ex eis oriatur error. Ad probationem reſpondetur, illi defectui ex dialecticis præceptis occurri non poſſe,ſed ex philoſophicis,nam cognita rei natura,de qua agitur,apprehenſio,& externi, interníque ſenſus corrigendi ſunt: & quamuis logicus agat de ſubiecto, & prædicato, quæ poſſunt eſſe apprehenſionis obiectum, agit tamen de illis, non vt ſunt obiectum apprehenſionis, ſed vt ſunt partes iudicij, nam ſicut in apprehenſione nulla eſt propoſitio, ita nulli ſunt termini.

§.17. *Definitio, vt eſt iudicium, ſpectat ad logicum.* Similiter quamuis per apprehenſionem cognoſcatur definitio rei,vt animal rationale, v.g. tamen definitio non pertinet ad logicum,niſi in quantum affirmatur de definito,vel de ea aliquid affirmatur, vel negatur. Nam definitione vtimur dupliciter, vel interrogati,vt *quid eſt homo?* Reſpondemus *animal rationale*, vbi ſubintelligitur hæc propoſitio, *homo eſt animal rationale.* vel vtimur definitione illam tradendo non rogati, vt cum philoſophus dicit, *homo eſt animal rationale.* at in vtroque caſu definitio ſpectat ad iudicium,& non ad apprehenſionem. ergo logicus non agit de definitione, vt eſt obiectum apprehenſionis, ſed iudicij.

§.18. Confirmatur,obiectum logicæ eſt dirigibile logicis præceptis in modum ſciendi, ſed ſimplex apprehenſio non eſt ita dirigibilis: ergo non eſt obiectum logicæ. Maior eſt clara ex ſect. 7. minor patet, quia ſimplex apprehenſio non eſt pars iudicij (vt patebit diſput.7. de anima ſect.2.) ergo nec obiectum illius, vt eſt eius obiectum, eſt dirigibile logicis præceptis. *S. Thomas explicatur.* Quando verò S.Thomas opuſc. 9. ait, obiectum ſimplicis apprehenſionis ad logicũ ſpectare, intellige materialiter, quia ſubiectum, & prædicatum propoſitionis reſpondent apprehenſioni, non verò formaliter,vt eſt obiectum apprehenſionis, quia vt ſic nec prædicatur, nec ſubiicitur, quia id fit per iudicium: quod ſi vis hæc ad logicum pertinere,adhuc cōtinetur in modo ſciendi, quia definitionis apprehenſio per te eſt modus ſciendi,& eſt ſubiectum, & prædicatum, alioquin non video quo pacto ad logicum ſpectent.

§.19. *Obiectio. Prædicamenta non ſpectāt ad logicum. Ariſtot.* Obiicies ſecundò, prædicamenta ad logicum pertinere,nec contineri in modo ſciendi.ergo modus ſciendi,& propoſitio non ſunt obiectum adæquatum logicæ. Nego maiorem, neque Ariſtoteles egit in logica de prædicamentis, ſed ea logicæ inſeruit,vt eſſent materia, in qua logicus exerceretur, ſicut in elementis alphabeti ſæpe ſe exercet Ariſtoteles, quod ex ipſo probatur, qui negat, res ſecundum ſe cadere in logicæ conſiderationem, ſed vt ſubſunt ſecundis intentionibus; prædicamenta verò agunt de rebus ſecundum ſe, ergo ex mente Ariſtotelis prædicamenta non cadunt in logicæ conſiderationem. Video ex Ariſtotele multos occaſionem rapuiſſe ad docendam in logica vniuerſam ferè metaphyſicam, & bonam partem animaſticæ diſciplinæ: de quo late agendum diſp.9. metaphyſicæ ſect.2.

Obiicies tertiò, ſequi ex noſtra ſententia, non minus per ſe agere logicum de ſyllogiſmo fallaci, quam de demonſtratiuo: hoc autem eſt falſum, ergo. Diſtinguo maiorem,logicus non agit de ſyllogiſmo fallaci per ſe,id eſt, propter ſe tanquam de obiecto attributionis, & fine extrinſeco quem intendat: at verò agit de demonſtratiuo tanquam de obiecto attributionis. igitur in hoc ſenſu nego ſequelam, conceditur autem ſequela, ſi ly, *per ſe*, intelligatur tanquam de obiecto per ſua principia cognito, & de eiuſdem paſſionibus demonſtratis: nam eodem modo logica demonſtrat proprietates ſyllogiſmi fallacis, ſicut demonſtrat proprietates demonſtrationis. Hoc autem nullum eſt abſurdum, ſicut non eſt abſurdum, vt in Theologia diſputetur de peccatis,& de virtutibus,quia *contrariorum eadem eſt diſciplina.* Confirmatur,quia cognitio ſyllogiſmi fallacis eſt omnino neceſſaria,nec pertinet ad aliam facultatem,ergo pertinet ad logicam; ſed demonſtratio quidem vt finis; Elenchus autem, vt contrarius, & oppoſitus fini. §.20. *Obiectio. De ſyllogiſmo fallaci agit logicus per attributionē ad demõſtrationem.*

SECTIO III.

Vtrùm voces ſint logicæ obiectum?

PRopoſui ſect.2. totam materiam, ſeu adæquatum obiectum quod logica attingit omnibus actibus. Nunc incipio explanare quid illa materia contineat? an voces? an vero entia rationis? vtrùm ſolos actus intellectus? an obiecta ſola? an autem actus & obiecta? Hac autem ſectione voces examinandas aggredior: ſequentibus cætera. §.21.

SVBSECTIO I.

Voces non ſunt obiectum adæquatum logicæ.

PRima ſententia docet modum ſciendi vocalem eſſe adæquatum obiectum logicæ: quæ ſententia dat logicæ ſolas voces. Quam opinionem multi abſcribunt Nominalibus: qui propterea huius nominis contraxerunt inuidiam, quod omnia ad nomina vocéſque referrent. Qui tamen longè in alio ſenſu hanc vocem, *nomen*, acceperunt: nempe pro conceptu mentali ſiue pro cognitione: quia cum voces ſubrogentur pro conceptu formali, acceperunt per metonymiam vocem pro conceptu:quos diſp.5.metaph.ſæpe defendo contra nonnullos qui neſcio an per anſam calumniæ, an per contemptum eorum legendi libros contenti primo ſyllabarum ſonitu multa imponunt Nominalibus:quibus homines doctiſſimos, qui lucem ſcholis attulerunt, in popularem inuidiam adduxerunt. Okamus in logica latè probat obiectum logicæ eſſe conceptus mentis: item in primum diſt.2.quæſt.8. conceptum mentis *vocem* appellat,quemadmodum §.22. *Prima ſententia docet logica adæquatum obiectum eſſe voces. Ea falſo imponitur Nominalibus.* Okam.

& B.

S.Thom. & B.Thomas opuſc.9. q.1. & initio lib.1.perihermen. omnia reducit ad voces ſubrogatas pro conceptibus. quin quinque prædicabilia vocantur à Porphyrio *quinque voces.* In hoc ſenſu & non in alio Nominales dixerunt modum ſciendi vocalem eſſe logicæ obiectum: id eſt, modum ſciendi formalem, quem vocalis ſignificat. Potiori iure ea

Aureolus explicatur. ſententia adſcribi potuit Aureolo in prologo fol. 66. aſſerenti, vocem vt expreſſiuam conceptuum obiectum eſſe logicæ: eundem tamen habet explicatum, nempe vocem acceptam formaliter pro conceptu quem exprimit.

§.23. *Refutatur prima opinio.* Ea tamen ſententia nunquam potuit inuehi in ſcholas, nec ratione vlla eſt probabilis. Etenim multa conſiderat logicus à vocibus aliena. Cum enim dicitur, primam paſſionem demonſtrari per eſſentiam, illud obiecto conuenit, non voci. Vox enim *prima paſſio* non monſtratur per hanc *eſſentia:* quamuis daremus voces ipſas eſſe id *quo* demonſtratio conficitur. Item cum dicimus demonſtrationem generare ſcientiam, id conuenit obiectiuæ demonſtrationi, & formali: obiectiua enim in ratione obiecti; formalis autem quaſi efficienter generat ſcientiam. Tertiò, quia logicus agit de ſigno formali, quod eſt actus intellectus: voces autem ſunt inſtrumentale ſignum. Tandem quia modus ſciendi eiúſque directio ſunt formaliter actus intellectus: & qui nihil ſcit de vocibus, aut ſcripturis, ſolo rationis lumine poteſt cognoſcere vim ſyllogiſticam, & eius attributa, & vti logicis præceptis: quæ nequaquam pendent à Græco idiomate, aut Latino. Omnes autem illi actus ſunt logici: ergo logicus multa conſiderat præter voces. Denique hæc concluſio clarius patebit ex §.28. vbi voces reiiciam etiam à partiali logicæ obiecto.

§.24. *Obiectio prima. Diluitur primò.* Argumentabere primò, quia logica dicitur à *logos,* id eſt *ſermo:* ergo logica agit de vocibus. Primùm reſpondeo, ſummum probari voces eſſe logicæ obiectum partiale, à quo nomen accepit: at non probat eas eſſe obiectum totale: agit enim de mentali ratiocinatione: vnde dicta eſt ratiocinatiua ſiue ſcientia rationalis. Secundo reſpondeo

Diluitur ſecundò. *ſermonem* non vſurpari niſi pro mentali ratiocinatione: vel pro vocali per metonymiam, qua ſignum ſumitur pro re ſignificata: vt cum dicimus leones victos ab aquilis, id eſt homines, quorum gentilitia ſunt leones, victos ab aquilas geſtantibus.

§.25. *Obiectio ſecunda. Diluitur bifariam.* Secundò argumentaberis: quia modus ſciendi eſt ignoti manifeſtatiuus: ſed voces manifeſtant ignota: ergo voces ſunt dialecticæ obiectum. Reſpondeo primò; etiam modum ſciendi formalem eſſe manifeſtatiuum ignoti, vt conſtabit diſput. 10. ſect. 1. ac propterea alia præter voces logicus contemplatur. Secundò reſpondeo duas eſſe manifeſtationes ignoti: alteram quando vnus actus intellectûs aut duo ſignificant clarius aliqua, quæ per alium actum ſignificata ſunt obſcuriùs: vt actus de animali rationali clarius repræſentant hominem quam hic actus *homo.* Atque hæc ratio eſt perfectus modus ſciendi, quem logica contemplatur. Secunda manifeſtatio eſt, qua ſignificamus exteriùs obiecta vt à nobis concipiuntur; vel ſignificamus directè conceptiones ipſas formales: hæc autem manifeſtatio grammatica eſt, non logica: grammatici enim muneris eſt ſuppeditare voces ſignificatiuas rerum omnium, eáſque ſtruere vt aptè ſignificent.

§.26. *Obiectio tertia.* Tertium argumentum: quia logicus agit de ſubiecto, & prædicato. Porphyrius item diſſeruit de quinque vocibus. Reſpondeo eadem ratione *Diluitur.* ſubiectum illud, & prædicatum etiam conuenire mentalibus, nec vocalibus ſolis: idem dixerim de quinque vocibus Porphyrianis. Deinde voces non ſunt propriè ſubiectum, aut prædicatum, ſed tantùm inſtrumentaliter: quorum inſtrumentorum conſideratio grammatica eſt, & rethorica; non verò dialectica.

SVBSECTIO II.

Nec inadæquatè ad logicum ſpectare voces.

Alij moderatiùs egerunt de vocibus: eas conſtituentes obiectum partiale logicæ non totale. Conſtituunt enim plures actus terminatos ad ſyllogiſmos formales & obiectiuos independenter à vocibus: alios item actus admittunt directè terminatos ad voces. exēpli gratia, hic actus *ſyllogiſmus vocalis explicat naturam rei:* qui, cum logicus ſit, directè terminatur ad voces. Quam ſententiam paucis docuit P.Fonſeca 2.metaph. c.3. q.1. ſect.5. verſu, *ſed quærat aliquis.* & ſequenti: & S.Thomas 1.periherm. lect.1. §.27. *Secunda ſententia aſſerit voces eſſe inadæquatū logicæ obiectū.* Fonſeca. S.Thom.

§.28. *Impugnatur opinio ſecunda.* Opinor tamen nullum actum dialecticæ directè ad voces terminari. Quæ ſententia eſt communis logicorum, qui dum impugnant ſententiam quam arbitrantur eſſe Nominalium, aiunt voces ad ſolam grammaticam & rethoricam pertinere. P Suarez diſput.1. metaphyſ. ſect.4. num.27. eam docet apertè. Probationi præmitto, voces non vſurpari materialiter pro qualitate ſoni, ſed formaliter vt ſignificant ex inſtituto: niſi enim in hac ſignificatione non conſiderantur neque à logico, neque à grammatico, ſed ab animaſtico agente de auditus obiecto, & facultate locutrici. Item præmitto diuerſum eſſe vocibus, ac de vocibus diſputare. Primum præſtatur in quauis facultate. Intellectus enim inſtructus vocum ſignificatione, & congruentia explicat, iiſdem vocibus obiecta vt ab ipſo per ſingulas facultates fuere concepta. De vocibus autem diſſerere eſt eas habere pro diſputationis obiecto, diſquirere earum ſignificatus, genera, inflexiones, ſyntaxim, & concinnitatem. P.Suarez. *Aliud eſt vocibus, aliud de vocibus diſputare.*

§.29. *Impugnatio prima.* Probatur concluſio primùm: quia voces præciſè habent ſignificationem, ſyntaxim, & ornatum: ſed nihil ex his ſpectat ad logicum: ergo nullus actus logicus eas contemplatur. Maior probatur: quia voces nobis ſeruiunt ad vitam ciuilem vt per illas ſignificemus obiecta vt à nobis concipiuntur: hic enim eſt adæquatus illarum vſus, & immediatus finis: quia enim non poſſumus conceptus noſtros pandere niſi per externa ſigna; vtimur pro libito vocibus, & ſcriptura ad nos explanandos. Nihil ergo habent voces ad vitam ciuilem præter liberam ſignificationem rerum vt conceptarum. Eáque propter nullus eget ſuarum vocum vſu, niſi ad agendum cum aliis: quia ſine illo ſcit ipſe quid, qualitérque conceperit: recognoſce diſputat. 2. ſummularum à §.6. Hæc autem ſignificatio vocum directè pertinet ad grammaticum. Etenim à nobis docentur pueri ſignificationem vocum Latinarum. Idque eſt primum grammatici præceptoris munus: quem, ſi perfectus eſt, nullius vocis latet ſignificatio: ſúntque grammatici plus minúſve docti quo plures paucioréſque ſciunt vocum ſignificatus. Anne ad diſcendas Latinas, aut Græcas ſignificationes adimus Theologorum, aut Philoſophorum gymnaſia,

& non potius grammaticæ? Ea ratione grammaticus præficitur iuuenibus examinandis ſint-ne apti ad dialecticam, & alias facultates ineundas? Structuram autem eſſe grammaticam; & concinnitatem ad rethoricum ſpectare quis ambigat? Quid ergo ſupereſt logicæ ad contemplandum in vocibus? Hinc probata manet propoſitio minor huius argumenti.

§.30. *Primum argumentum pro ſecunda ſententia.* Dices primùm, logicam contemplari vocalem modum ſciendi, qui explicat naturam rei. hic enim actus, *definitio vocalis explicat naturam rei*, directè ſpectat ad aliquam facultatem: non ad grammaticam, quia hæc non præbet inſtrumenta vocalia vt explicantia naturam rei: eſt enim id muneris dialectici. Finge hominem immemorem ſyllogiſmi mentalis cognoſcere ſyllogiſmum vocalem explicantem aliquid: quod explicatum rectè cognoſcitur ab audiente, tunc exercet hunc actum: *hic ſyllogiſmus rectè explicat hoc obiectum.* Hic actus ſæpe repetitus generat aliquem habitum, non quidem grammaticum, ergo logicum.

§.31. *Refellitur.* Primum non video, quid interſit hominem eſſe memorem aut immemorem ſyllogiſmi mentalis. Si enim cum illius obliuione illa cognitio generat habitum dialecticæ, generabit eundem cum memoria. Si enim audiens ſimul cum ſyllogiſmo vocali cognouerit mentalem, habebit duo obiecta partialia dialecticæ, alterum ſyllogiſmum mentalem, alterum vocalem, qui per te eſt obiectum partiale: quæ ratio obiecti non adimitur memoria alius obiecti: nec tamen poteſt ſyllogiſmus vocalis in ratione ſyllogiſmi concipi ſine memoria formalis, quia vt eſt ſubrogatio pro formali dicitur *ſyllogiſmus vocalis.*

§.32. Quia verò hoc eſt fundamentum oppoſitæ ſententiæ, placet illud eruere. Definitio non alio modo explicat naturam rei, quàm illam ſignificando ad placitum. Conceptus enim formalis ſiue mentalis explicat naturam rei eam naturaliter repræſentando ſiue ſignificando, quia eſt eius naturale ſignum: vox autem non explicat obiectum niſi illud ſignificando. Eius autem ſignificatio eſt à libera hominum inſtitutione, ergo definitio vocalis ſola ſignificatione libera explicat naturam rei. Sed *Omnis libera vocum ſignificatio ad grammaticã ſpectat.* omnis libera vocum ſignificatio eſt formaliter obiectum grammaticæ, & non dialecticæ: ergo modus ille quo voces explicant naturam rei, eſt obiectum ſolius grammaticæ. Minor probatur ex §.29. qui enim ignorat ſignificatus Latinarum vocum, grammaticæ præceptoribus traditur imbuendus, à quibus nunquam aſcendit niſi ſatis inſtructus peritia ſignificationis vocum, qua ſit aptus percipiendis dialecticæ præceptis, quæ dantur idiomate Latino: quod ſi Græcè eſſet erudiendus dialectica, Græcam grammaticam eſſet prædocendus. Signum eſt ergo cognitionem illam de ratione qua voces ſua obiecta ſignificant & manifeſtant, eſſe grammaticam, & non dialecticam.

§.33. Præter liberam ſignificationem habet ſyllogiſmus vocalis vocum ipſarum diſpoſitionem in figura & modo: nam ſi arguendum eſt in *Darij*, prima propoſitio eſt vniuerſalis, aliæ verò duæ particulares. Hæc autem ſtructura etiam pertinet ad grammaticum; cuius munus non ſolum eſt cognoſcere quid ſignificent voces aliorum, & quo ordine; ſed etiam diſcere illarum vſum: ita vt illas poſſit facere non ſolum vt ſignificant ſubſtantiam obiecti, ſed etiam ordine neceſſario ad exprimendas res ipſas vt à nobis concipiuntur, & eo ordine quo concipiuntur. Doctrina enim aptè loquendi & ſignificandi per voces obiecta vt à nobis apprehenſa, grammatica eſt, non dialectica: eo enim tendunt vniuerſa præcepta ſyntaxeos.

Quæ explicantur apertè: Pone hominem ignarum omnino Latini ſermonis, aut eo malè eruditum rectè callere omnia præcepta dialecticæ: huic nihil deeſt ad ea explicanda præter cognitionem vocum Latinarum, & earum ſignificationes: hic cuius facultatis præceptis eſt deſtitutus niſi grammaticæ? quia hic nullam habet ignorantiam niſi de vſu & ſignificatione libera Latini ſermonis. Quod ſi cognita ſignificatione vocum neſciret illas proferre neceſſaria methodo ad oſtendendum ſyllogiſmum mentalem, non eſſet ignarus arguendi, ſed loquendi: logica autem docet arguere, loqui grammatica. E quibus apertè concludo ſyllogiſmum vocalem nihil habere à grammatica alienum. §.34.

At obiiciat aliquis, grammaticam non poſſe cognoſcere naturam modi ſciendi, nec illum ſignificare: ergo neceſſaria eſt cognitio dialectica. Reſpondeo hoc argumento probari Theologiam, Philoſophiam, & alias facultates agere de vocibus, quibus ſua explanent obiecta: quia grammatica non poteſt ea callere. Conſidera, primum authorem vocum cognouiſſe *quid rei* (vt aiunt) *ſignificata per vocem:* qui autem ſunt rerum ignari, non poſſunt eas ſignificare: vſum enim vocum antecedit cognitio rei ſignificatæ per illas. Vox enim ſignificat obiectum vt apprehenſum à loquente: qui autem ſunt rerum ignari, non bene percipiunt ſignificatum vocis. Intellectus ergo inſtructus rerum cognitione vocibus vtitur ad eas ſignificandas: qui verò tantum cognoſcit *quid vocis*, imperfectè cognoſcit obiecta: quæ poſtea callet ſcientiarum diſciplina. §.35.

Ad argumentum in §.30. facilis eſt ſolutio: actus enim ille eſt purè grammaticus. Ad probationem reſpondeo ad grammaticum pertinere explicare per voces non ſolùm modum ſciendi obiectiuum, ſed etiam ipſam naturam Dei: Beatus enim eam nobis poteſt explicare: quia hic modus manifeſtandi naturam rei nihil eſt niſi aut præbere voces ſignificantes ad libitum naturam rei; & oſtendere vocem reſpondere conceptui formali: nempe vt prius tempore proferatur vox reſpondens priori conceptui formali, quam vox reſpondens ſecundo. §.36.

Secundo argumentor: qui contemplatur totum modum ſciendi formalem & obiectiuum, nihil cogitans de vocali aut alio externo, eſt perfectè logicus. Ita enim penetrat totam ratiocinationem, vt ea poſſit vti perfectè, & diſcernere vtrum bene, an malè alij eius præceptis vtantur? Exempli gratia, ſi Deus per accidens, aut per ſe infundat alicui habitum de modo ſciendi formali, & obiectiuo ſolum, ſine cognitione de vocali: hic tam perfectè eſt logicus quàm Ariſtoteles: ergo totum negotium dialectici eſt in modo ſciendi formali, & obiectiuo contemplandis, & non in vocali. §.37. *Impugnatur ſecundo ſecunda opinio.*

Reſpondebit aliquis; logicam perfectam conſiderare internum modum ſciendi haud nudum, ſed coniunctum vocali aut ſcripto: quemadmodum materia pœnitentiæ ſacramenti non ſunt nudi voluntatis affectus, ſed quaſi veſtiti ſigno aliquo ſenſili. Ah quale exemplum! Inſtituit Deus ſacramenta ſenſilia: cui inſtituto neceſſe fuit vt actus conferentis, & recipientis ſacramentum pœnitentiæ ſentiri poſſent: voluntas ergo, *qua* Sacerdos abſoluit pœnitentem, ſentitur per vocem: dolor autem pœnitentis ſentitur per confeſſionem ex- §.38. *Reſponſio ad impugnationem.* *Refellitur.*

ternam

ternam factam voce, ſcripto, nutu, aut alio muto ſigno. An ne propterea aliquis argumentabitur nutibus? Scientiæ omnes dici poſſent agere de vocibus, quia non contemplantur nudè res ipſas, ſed vt explanabiles externo ſigno. Igitur Dialectica per ſe nihil curat de ſui obiecti ſenſibilitate magis quàm Metaphyſica: ſignificatio autem rerum vt concipiuntur, ad grammaticum ſpectat, aut magiſtrum ludi pueriles.

§. 39. *Voces nō ſunt formalis ſed inſtrumentalis modus ſciendi.*

Dicet alius, eum qui ignorat vocum ſignificationem, neſcire modum ſciendi vt ſic, qui abſtrahit à mentali & vocali. Iam oſtendi diſput. 2. ſummularum ſect. 1. voces nec eſſe formaliter propoſitionem, nec modum ſciendi; ſed præciſè inſtrumentaliter: nec eſſe modi ſciendi conceptum obiectiuum abſtractum à mentali & vocali. Quia modus ſciendi formalis eſt per ſuam eſſentiam ignoti manifeſtatiuus; vocalis autem præciſè per voluntatem liberam imponentis: eſſe autem ſignum rei per ſolam extrinſecam aliorum voluntatem non poteſt conuenire cum ſigno per eſſentiam tali. Adde multo minus hominem ſignificari vocibus quàm pictura: ſed ab homine picto & vero non abſtrahitur ratio obiectiuè communis: ergo neque à modo ſciendi vocali & formali. Præterea qui characteres ignorat, neſcit etiam aliam ſpeciem modi ſciendi: & qui ignorat voces & characteres Latinos, quamuis Græcos didicerit, ignorat quidem alias ſpecies modi ſciendi. Etenim multi actus Græcorum terminantur ad modum ſciendi Græcum ſcriptum, atque vocalem: qui actus cum ſit de modo ſciendi logicus: ergo eſt diuerſus ab actu logico terminato ad modum ſciendi Latinum. Hæc inde ſequi probantur: quia vt ſcriptura & voces ſunt diuerſæ ſpecies modi ſciendi, ita & voces diuerſorum idiomatum. Tandem, ſint hæc modus ſciendi, non alio modo faciunt ſcire quàm ſignificando ad libitum, vt oſtendi à §. 32. Et quemadmodum Theologus non exercet actum theologicum circa Deum pictum, vocalem, aut ſcriptum: ideſt, circa picturam, vocem, & ſcripturam, quibus Deus liberè ſignificatur; ita nec logicus circa voces & characteres explicantes liberè modum ſciendi.

§. 40. *Quomodo logicus agat de modo ſciendi vocali, & ſcripto.*

Te vero monitum volo, Logicum ſæpe agere de modo ſciendi vocali, aut ſcripto, non vt de obiecto: hæc enim grammaticæ, & rethoricæ tantum ſunt obiecta: ſed quia occultam modi ſciendi formalis diſpoſitionem explicamus audienti, atque legenti ea vocum & characterum diſpoſitione, qua ſignificetur aptè non ſolum obiectum cognitum, ſed etiam ordo quo cognitum eſt, quoque diſponitur in intellectu modus ſciendi formalis. Quemadmodum medicus in membranis referentibus corpus humanum oſtendit ipſius corporis inſtrumenta: & oſtendit quo pacto ex cerebro aut corde ducantur nerui, & aliæ partes: non quod medicina ſpectrum illud membraneum contempletur: ſed quia in illo melius percipiuntur medica præcepta. Membranis autem humanum corpus imitari ſpectat ad artem fictricem, quemadmodum & ad picturam illud pingere. Aſtronomus etiam vtitur ſphæra lignea ad oſtendendos Zodiaci motus, non quod Aſtronomus hanc contempletur ſphæram: ſed quod in illa referuntur motus ſphæræ cœlicæ: ligneæ autem conſideratio practica ad faciendum, & ſpeculatiua iam factæ, ſpectat ad ſculpturam. Eæ autem artes ſupponunt quidem rerum exemplaria & ideas: quibus dirigantur manus: non ſecus grammatica ſupponit cognitionem de modo ſciendi: per quam dirigitur & ad loquendum de obiecto Dialecticæ, & conſiderat an de illo rectè ſcimus locuti. In hoc ſenſu adſtruxerunt Nominales eſſe voces Dialecticæ obiectum, & S.Thom. 1. periherm. lect. 2. S.Thomas.

SECTIO IV.

Vtrùm ens rationis ſit Logicæ obiectum?

§. 41. *Dialecticus error obiectū adæquatum logicæ ens rationis aſſerere.*

Mitto obſoletam aliquorum opinionem, ſomniantium ens rationis in genere & ſpecie eſſe logicæ obiectum. Quam P. Suarez diſp. vltima metaph. initio merito dialecticum appellat errorem. Cum enim tota logica incumbat in doctrinam de modo ſciendi, quorſum eſt actura de chymæris, aliiſque entibus rationis? anne illæ neceſſariæ ſunt ad rectè ratiocinandum? Suarez.

§. 42. *Entis rationis prima acceptio.*

Præmitto ſecundò, ens rationis multipliciter vſurpari: primum pro ente effecto phyſicè ab intellectu, qui eſt *ratio.* Quod paſſim indicatur ab Ariſtotele præſertim 7. politicorum cap. 14. artes intellectuales vocat *artes rationis:* non quod ſint entia rationis, ſed quod ſunt in intellectu, qui eſt *ratio.* S.Thom. opuſc. 47. initio ſyllogiſmum vocat *actum rationis:* opuſc. autem 48. in tract. de demonſtratione cap. 14. *Proceſſus* (inquit) *ſcientiæ eſt quaſi quidam motus rationis.* Hoc eſt *ens rationis effectiuè.* S.Thom.

§. 43. *Secunda acceptio.*

Secundo accipitur ens rationis pro actu intellectus, vt obiectum denominante: quod poſſumus vocare *ens rationis denominatiuè.* Sic accipitur à S.Thom. in 1. diſt. 2. q. 1 art. 2. verſu, *Et ex hoc patet:* vbi docet hoc nomine, *ratio*, non ſignificari aliquid, quod ſit in re extra animam, ſed eſſe in ipſa anima ſicut in ſubiecto: cui reſpondet res extra animam ſicut ſignificatum ſigno. Docet præterea, conceptionem intellectualem tripliciter ſe habere ad rem; vno autem modo, quando nomen non ſignificat ſimilitudinem rei exiſtentis extra animam, ſed aliquid quod conſequitur ex modo intelligendi rem, quæ eſt extra animam: ſicut intentiones generis, & ſpeciei: quæ intentiones licet non habent in rebus extra animam immediatum fundamentum, illud tamen habent immediatè in intellectu: id eſt immediatè ſunt in intellectu, quamuis non in obiectis: ens autem rationis, vt diſtinguitur ab omni ente reali, non habet immediatum fundamentum neque intra, neque extra animàm: quia nullibi ſunt, ſed obiectiuè tantùm in intellectu. Ergo S.Thom. inuentiones intellectus generis, & ſpeciei conſtituit in denominatione extrinſeca, ex eo quod res ſit intellecta: in hoc ſenſu accipiendus eſt in tractatu de natura generis, & in 4. metaph. lect. 5. S.Thom.

§. 44. *Tertia acceptio.*

Tertio ſumitur ens rationis pro fundamento aliquo ad ens rationis, quod fundamentum conſiſtit in aliqua extrinſeca denominatione. Sic dicitur Deus ab æterno liberè velle per rationis reſpectum additum ipſius eſſentiæ. Rationis (inquam) fundamentaliter. In quem ſenſum P. Vazquez tom. 2. in 1. p. diſput. 115. num. 13. ait ſe eſſe locutum, quoties eiuſmodi denominationes extrinſecas conſtituit in reſpectu rationis: non quidem formaliter, ſed fundamentaliter. Quarta ſignificatio omniúmque propriiſſima eſt, qua ſignificatur ens rationis pro ente ficto, ſeu chymærico, quod *tantum habet eſſe obiectiuè in intellectu.* Quod explicuit S.Thom. in 1. diſtinct. 2. quæſt. 1. art. 3. §. *Et ex hoc patet.* Hæc obſerua in diſput. 19. metaph. §. 2. P. Vazquez. *Quarta & propriiſſima.* S.Thom.

SVBSECTIO I.

Qui ens rationis conſtituant logicæ obiectum.

§.45. COmmunis eſt Thomiſticorum opinio, obiectum logicæ ſiue ſubiectum adæquatum attributionis eſſe ens rationis, & non reale. Sotus in logica q.5.proœmiali. P.Toletus q.5.concluſ.4. Maſius ſect.1.q.13.proœm. concluſ.5. P.Antonius Rubius q.6.concl.2. & compluriмi alij ita ſenſere cum Durand. in 1.d.33.q.1. num.10. Non tamen ſatis conſentiunt omnes, quid ſignificent hac voce *ens rationis*? conueniunt quidem non eſſe ens rationis chymæricum, de quo egi §.44. explanans ſignificationem quartam huius vocis: quorſum enim chymærarum molimini ſtuderet logicus? aut quid ratiocinatio, præſtantiſſima inter operationes humanas, pendet à figmentis? hanc autem operationem aut in ſe, aut in aliquo effectu conſiderat logicus, vt ratiocinari diſcamus: non accipiunt igitur ens rationis in ea quarta ſignificatione, quæ eſt omnium maximè propria.

§.46. P. Toletus ens rationis intelligit extrinſecam denominationem, ortam ab intellectione obiectis intellectis: nempe obiecta eſſe definita, diuiſa, & demonſtrata. Quæ denominationes extrinſecę quidem ſunt obiectis ipſis; intrinſecæ autem potentiæ cognoſcenti. Quapropter ait Toletus eas denominationes eſſe reales, extrinſecas tamen obiectis: & ante primum fundamentum ait inter albedinem & denominationem *cogniti* ſolum eſſe diſcrimen, quod albedo ineſt intrinſecè ſubiecto: denominatio autem generis eſt illi extrinſeca. Dicit item has denominationes *entia rationis* appellari id eſt, *intellectus*. In quo ſenſu explicat S.Thomam, quoties aſſerit ens rationis obiectum eſſe logicæ. Itaque P.Toletus cum S.Thoma ens rationis accipit *denominatiuè* in ſecunda ſignificatione propoſita §.43. Sic autem eſt abſolutè ens reale: quia illa denominatio, quæ eſt extrinſeca obiecto, non diſtinguitur ab actu intellectus denominante, quod eſt ens reale. In quo ſenſu locutus eſt Durand. adductus §.45. vt apertè conſtat in 1.d.19.q.3.num.7. non enim diſtinguit has denominationes ab actu denominante.

§.47. Sotus indicare videtur, ex actu intellectus oriri aliquid ab ipſo diſtinctum, quod ſit ſecunda intentio, qua res appellentur, & ſint *genus, ſyllogiſmus, &c.* Ait enim à ſe non agendum de ente rationis *effectiuè*, & *ſubiectiuè* in prima ſignificatione propoſita §.42. ſic enim ens rationis eſt abſolutè ens reale: ſermonem tamen ſibi eſſe de rationis ente, vt eſt conditio in rebus, quæ conuenit illis ſolum ex operatione intellectus: ex qua operatione ait reſultare in rebus intentiones ſecundas. Conſentire videtur Maſius, aſſerens ad hominem apprehenſum, vt ſubeſt animali, conſequi notionem *ſubiecti*: quæ eſt ens rationis. P. Rubius clariùs videtur admittere hanc rationis entis germinationem ex actu intellectus. §. enim, *Certum eſt.* diſtinguit ens rationis directè factum ab intellectu, qui eſt realis actus ipſius, ab ente rationis non directè factum ab intellectu, ſed indirectè & per accidens.

§.48. Arbitror tamen ab his authoribus non intelligi aliquid oriri à cognitione diſtinctum ab ipſa, quod quaſi medium inter cognitionem & obiectum, hoc denominet *genus* aut *ſyllogiſmum*: ſed eundem eſſe eorum ſenſum ac Toleti: nempe à dialectico conſiderari denominationes *cogniti, generis, &c.* non quidem vt ſunt qualitas, actio & paſſio, ſed præcisè vt denominant obiecta cognita. Quod enim aiunt hanc eſſe conditionem reſultantem ex actibus, non refert: quia effectus formales dicimus frequenter ab ipſis formis oriri: quod intellige in genere cauſæ formalis; non verò efficientis: vt ex albedine dicitur album reſultare: & ex cognitione cognoſcens. Accipiunt igitur ens rationis purè *denominatiuè* in ſecunda ſignificatione §.43.

Moueor quia Sotus concluſ. 2. conſtituit pro ſubiecto principali logicæ (quod inter entia rationis principaliter intenditur) argumentationem, & ratiocinationem. Quis autem non videat hæc non diſtingui ab actibus intellectus, quibus argumentamur, & ratiocinamur? Etenim non ratiocinamur per aliquid diſtinctum ab actibus intellectus, ſiue illud ſit reale, ſiue rationis: nec ens rationis inde reſultans eſt argumentatio. Intelligit ergo Sotus pro *ente rationis* actus intellectus, non ſecundùm ſe vt ſunt qualitas & actio, ſed vt obiectis dant paſſiuam & extrinſecam denominationem *cogniti, generis, &c.* quam tribuunt per ſeipſos, vt tribuunt denominationem *cognoſcentis*. §.49.

Maſius ſe explanat apertiùs: ait enim hoc ens rationis eſſe quod conuenit obiecto vt apprehenſo per intellectum: nec enim conſtituit aliquid interiectum inter apprehenſionem & obiectum. Item columnam eſſe dextram, aut ſiniſtram, ait eſſe ens rationis: quod tamen non eſt aliquid interiectum inter columnam & hominem, ſed eſt denominatio extrinſeca columnæ ab hominis dextra. Concluſione 4. ait obiectum formale & adæquatum totius dialecticæ eſſe intellectualem compoſitionem rerum *id eſt* (inquit ipſe) *ipſamet operatio intellectus eſt veluti forma, quæ conſideratur in dialectica.* Hanc autem compoſitionem, vt à dialectica conſideratur, dicit eſſe ens rationis, quia eſt quædam forma extrinſeca denominans rem definitam, &c. Itaque accipit ens rationis *denominatiuè*, vt accipitur §.43. non verò ens rationis *effectiuè* vt accipitur §. 42. Maſius ergo nihil diſcrepat à P.Toleto adducto §.46. §.50.

P. Rubius quamuis minus clarè locutus idem tamen ſenſit quod Maſius. Verſu enim, *ex quo etiam.* ait non eſſe materiam dialecticæ operationes intellectus prout ſunt reales: id eſt, vt ſunt qualitas & actio: ſed vt tribuunt obiectis denominationem *ſubiecti*, aut *prædicati*: quod vocat ens rationis indirectè & per accidens factum ab intellectu: quid autem hoc ſit explicat num.27. nempe non cognoſci directè & per ſe denominationem paſſiuam per actum ipſum denominantem: ſed eam cognoſci per eorum actum reflexum. In fine autem ait operationes intellectus eſſe cognoſcibiles à logica, dum conceptus obiectiui dirigibiles ſunt: tunc enim actus ipſi diriguntur, quando conceptus obiectiui per ipſos ſignificati diriguntur. Conſtituit ergo P. Rubius pro dialecticæ obiecto denominationes paſſiuas actuum intellectus, quæ immediatè ab ipſis dantur: in quem ſenſum adducit Flandriam, & alios Thomiſtas: neque verò per ſomnum Rubius cogitauit de alio ente rationis diſtincto ab actu & obiecto, & interiecto inter vtrumque. §.51.

Vix ergo grauem authorem comperies, qui conſtituat aliquod ens rationis diſtinctum ab actu intellectus & obiecto cognito: quod ens rationis deriuetur ab actu cognoſcente in obiectum, ſitque ratio formalis, quæ paſſiuè in genere cauſæ formalis denominat obiectum cognitum. Nullam tamen ſententiam ſine authore reperies, quantumuis ſine illo futura videatur. Ita hæc non caret omnino aliquo, ſic explicante ens rationis: quod apertè diſtinguit ab ipſis extrinſecis dominationibus, in ſenſu propoſito. §.52.

propoſito. Entia autem rationis orta ex modo ſciendi formali conſtituit logicæ obiectum : de qua ſententia agitur diſp.19.metaph.§.29.

SVBSECTIO II.

Confutatio primi argumenti ab authoritate petiti.

§.53. HÆc opinio (ſi Deo placet) erit expreſſa Ariſtotelis, S.Thomæ, & Senecæ, Ariſtotelis 4. met. text.5. verum nec Ariſtoteles egit de ente rationis in eo ſenſu, nec illius vllum veſtigium impreſſit. Præciſè enim dixit Sophiſticum, Dialecticum, & Philoſophum agere de iiſdem obiectis. Ex quo textu intulerunt aliqui, logicum agere de omni ente rationis, quia non poteſt agere de omni ente reali: qui tam malè intulerunt quàm hi: nam de obiecto eodem voluit Ariſtoteles agendum à metaphyſico & Dialectico. Voluit ergo Ariſtoteles philoſophum agere de omni ente demonſtratiuè per intrinſeca rerum principia : Dialecticum verò per extrinſeca principia ſecundarum intentionum, quæ ſunt intentiones rationis, vt S. Thomas exponit lect. 5. Quod perinde eſt ac philoſophum agere de omni ente ſecundùm ſe, logicum autem de eodem ente non ſecundùm ſe, ſed vt ſubeſt denominationibus extrinſecis, quibus conſtituuntur intentiones ſecundæ.

§.54. S. Thomam adducunt eadem lect. 5. Philoſophum explicantem his verbis: *Et huiuſmodi ens rationis eſt propriè ſubiectum logicæ : huiuſmodi autem intentiones intelligibiles entibus naturæ æquiparantur.* Idem ferè repetit inferius. Quibus adſonat opuſc.42.c.4. his verbis: *Ens autem rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio in rebus adinuenit : ſicut eſt intentio generis & ſpeciei, quæ non inueniuntur in rerum natura, ſed ſequuntur actiones intellectus & rationis; & eiuſmodi ens eſt ſubiectum logicæ.* Expenduntor illa verba, *non ſunt in rerum natura:* denominationes autem extrinſecæ in rerum natura ſunt: item illa, *ſed ſequuntur ad operationes intellectus:* quod expreſſe fauet huic ſententiæ : nihil enim ſequitur operationem intellectus niſi ab illo diſtinctum. Reſpondeo vno verbo cum P. Toleto: D.Thomam locutum de ipſis actibus intellectus, vt extrinſecè denominant obiecta in ſignificatione §. 43. Quod autem dixerit, eas intentiones non eſſe in rerum natura, id eſt extra intellectum : in intellectu autem eas non eſſe vbi negauit? Quod autem dixerit eam intentionem ſecundam ſequi ex operationibus intellectus, id eſt ſequitur in genere cauſæ formalis vt dixi §.48. P.enim Toletus qui eas denominationes non diſtinxit ab actibus, dixit eas ab actibus oriri, & reſultare : non eſt ergo legitima conſequentia, *S.Thomas dixit ſecundas intentiones oriri ab actibus intellectus : ergo cenſuit eas ab actibus diſtingui :* infiniti enim dicunt antecedens negata conſequentia.

§.55. Vt autem conſtet, quàm inuitus S.Thomas pro eiuſmodi opinionibus adducatur, eiúſque doctrina obtenebretur ab interpretibus, liber eius teſtimonia proferre pro ſententia oppoſita: & oſtendere quàm verum ſit quod ij authores dixerunt de aliis Thomiſtis: in quorum damnatione ipſi quoque eſſe videntur: *Quinta* (inquiunt) *tandem ſententia eſt quorundam Thomiſtarum, qui ſui authoris & Caietani præfato opuſculo mentem ad propriam imaginationem magis trahentes quàm ſequentes dicunt, &c.* Primum teſtimonium S.Thomæ eſt in 1.diſt.2.q.1. art.4. §. *Et ex hoc patet:* vbi cum dixiſſet animal eſſe genus, ex hoc quod intellectus intelligit animal, ait, *& huiuſmodi intentionis licet proximum fundamentum non ſit in re, ſed in intellectu, &c.* Sed ens rationis chymæricum: aut quod iſti fingunt ex conceptione generis reſultare, non habet immediatum fundamentum in intellectu: quia ei non eſt intrinſecè: ſed conceptio ipſa generica habet in intellectu fundamentum immediatum. Cum autem dixit animali conuenire eſſe genus ex eo quod intelligitur, loquitur S.Thom. in ſenſu formali; vt conſtat ex opuſc. 49. prope finem : cum enim egiſſet de ſecunda intentione generis, ait: *& ſimiliter abſtrahit ſpeciem ab indiuiduis in quantum intelligit naturam ſpeciei,* & immediatè ante. *ſic ergo intellectus abſque falſitate abſtrahit genus à ſpeciebus in quantum intelligit naturam generis.* Itaque ratio formalis generis eſt conceptio eiuſdem generis : alioquin eſſent falſa hæc verba S.Thomæ: ly enim *in quantum* reduplicat rationem formalem, vt album in quantum album diſgregat viſum, reduplicat rationem formalem albedinis.

Secundum teſtimonium eſt ex principio ethicorum, vbi S.Thom. eſt tam apertè à noſtra ſententia, vt non indigeat niſi oculis: diſtinguit enim rerum quadruplicem ordinem: primum, quem intellectus conſiderat & nō facit, qui eſt ordo rerum naturalium: ſecundum, quem ratio conſiderando facit in proprio actu, cum ordinat conceptus ſuos ad inuicem: tertium, quem ratio conſiderando facit in operationibus voluntatis: quartùm, quem ratio conſiderando facit in exterioribus rebus. Primum ordinem ait pertinere ad conſiderationem philoſophiæ naturalis: ſecundum ad conſiderationem rationalis philoſophiæ, id eſt logicæ: *Cuius eſt* (inquit) *conſiderare ordinem partium orationis ad inuicem:* tertium ſpectare ad conſiderationem moralis philoſophiæ: quartum autem ſpectare ad artes mechanicas. Vbi conſidera quàm ſint alieni à S.Thom. hi Thomiſtæ, qui recuſant dirigibilitatem intellectionum pertinere ad logicam, aſſerente S.Thom. ordinationem operationum intellectus pertinere ad conſiderationem rationalis philoſophiæ. §.56.

Conſtituta autem ſimilitudine philoſophiæ naturalis, & rationalis, item & artis mechanicæ concludit: *Sic ergo moralis philoſophia proprium eſt conſiderare operationes humanas, ſecundum quod ſunt ordinatæ ad inuicem & ad finem.* Quid eſt *ſicut*? niſi ſicut philoſophia naturalis conſiderat ordinem rerum naturalium; ſicut philoſophia rationalis conſiderat operationes intellectuales vt recto ordine componantur ad finem: ſicut artes mechanicæ conſiderant opera externa quæ moliuntur: ſic philoſophia moralis contemplatur operationes humanas vt componantur ex præſcripto rationis. Ponit ergo S.Thom. pro primo principio à logica conſiderari operationes intellectuales, vt dirigantur, indéque concludit euidenti ſimilitudine, ad philoſophiam moralem pertinere conſiderationem & compoſitionem humanorum actuum. An dicet aliquis propriam materiam philoſophiæ moralis eſſe ens rationis ex humanis actibus reſultans, & non ipſos actus humanos? §.57.

Age iam ex initio libri primi poſteriorum, & ipſe S.Thom. dicat apertè directionem actuum intellectus (ſiue ipſos vt dirigibiles) obiectum eſſe logicæ, his verbis. *Ratio non ſolum dirigere poteſt inferiorum partium actus, ſed etiam actus ſui directiua eſt. Hoc enim eſt proprium intellectiuæ partis vt in ſeipſam reflectatur. Nam intellectus intelligit ſeipſum, & ſimiliter ratio de ſuo actu ratiocinari poteſt. Sicut igitur ex hoc quod ratio de actu humano ratiocinatur, adinuenta eſt ars fabricatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter & ordinatè huius actus exercere poteſt: eadem ratione* §.58.

ars quædam neceſſaria eſt quæ ſit directiua ipſius actus rationis, per quam ſcilicet homo in ipſo actu rationis ordinatè & faciliter & ſine errore procedat. Et hæc eſt ars logica, id eſt rationalis ſcientia. Quæ non ſolum rationalis eſt ex hoc, quod eſt ſecundum rationem, quod eſt omnibus artibus commune: ſed etiam ex hoc quod eſt circa ipſum actum rationis ſicut circa propriam materiam. Et ideo videtur eſſe ars artium, quia in actum rationis nos dirigit, à quo omnes artes procedunt.

§.59. Hæc tam fusè deſcripſi, vt neminem lateat, multas opiniones in ſcholas inuectas, tinctas S.Thom. coloribus: quæ tamen aperto marte cum illo pugnant. Eiuſque interpretes data opera reticeant teſtimonia, quæ ſuo ipſorum ſenſui refragantur; vellicant autem alia teſtimonia, quæ illis fauent æquiuocis dumtaxat ſyllabis. Seneca vero epiſt.91. à nobis eſt: ait enim à Dialectica exigi ſtructuram, & argumentationem; ne pro vero falſa ſubrepant: hæc autem ſtructura non eſt ens rationis ex actibus deriuatum, ſed actus ipſi vel per ſuam eſſentiam, vel per aliquod accidens, vel extrinſecam denominationem exerciti ex artis præſcripto.

SVBSECTIO III.

Argumenta pro ſententia Soti, & aliorum Thomiſtarum.

§.60. ARgumenta pro ſententia propoſita §.45. diluenda ſunt præcipuè ex diſp.19.metaph. vbi oſtenditur apertè ſect.3. ens rationis nihil eſſe præter figmentum, atque chymæram. Denominationes autem extrinſecas eſſe ens reale ibidem probatur ſect.1. Rationem autem formalem, qua obiectum denominatur cognitum, non diſtingui ab ipſa cognitione ibidem oſtendo à §.39. ex quibus facilè diluentur omnia argumenta. Quorum ſolutiones hic breuiter indicabo, lectorem reiiciens in eam diſput.19.

§.61. Primum argumentum Soti: omnia quæ tractantur in logica, tractantur ſub conſideratione entis rationis: ergo ens rationis eſt obiectum adæquatum logicæ. Probatur antecedens, quia logicus non agit niſi de genere & ſpecie, vt eſt obiectum definitum atque diuiſum: ſed hæc omnia ſunt entia rationis: ergo. Probatur minor, quia ens rationis eſt quod conuenit obiecto præcisè vt eſt ſub operatione intellectus: ſed eſſe genus & eſſe ſpeciem conuenit obiecto vt ſubeſt operationi intellectus: ergo eſſe genus eſt ens rationis. Quod argumentum mutuatus eſt Sotus à Durando in primum diſt.33. q.1. num.10. Reſpondeo tamen, negato antecedenti. Ad probationem nego minorem: non enim ſunt entia rationis propria, ſed denominatiuè. Ad probationem diſtinguo maiorem, ens rationis eſt quod conuenit obiecto per operationem intellectus formaliter, nego maiorem: quod conuenit per operationem intellectus fingentem chymæram aliquam, concedo maiorem. Diſtinguo item minorem, eſſe genus conuenit obiecto per operationem intellectus denominatiuè, concedo minorem: conuenit per operationem fingentem, nego minorem. Diſtinguo etiam conſequens: ergo eſſe genus eſt ens rationis proprium (quod eſt fictum) nego conſequentiam: eſt ens rationis denominatiuum, concedo conſequentiam. Recognoſce §.44. vbi explicui hæc entia rationis.

§.62. Explico hanc doctrinam: quando obiectum aliquod cognoſcitur, illi conuenit hoc prædicatum *cognitum, exiſtens obiectiuè in intellectu.* Quod non conuenit obiecto niſi vt ſubeſt intellectioni; quæ eſt huius formalis effectus forma, ſeu ratio formalis. At verò id conuenit obiecto non per aliquod ens rationis, ſed per ipſam intellectionem quæ eſt ens reale: rationis autem tantum eſt effectiuè, ſubiectiuè, & denominatiuè. Agimus autem in præſenti de ente rationis quod ſit extra totam latitudinem entis realis vt ſic. Oſtendam autem diſp.19. metaph. ſect.3. ens rationis eſſe quod tantum habet eſſe obiectiuè in intellectu: vbi etiam oſtendam id contingere per actum fingentem: quia ſi haberet aliud eſſe diſtinctum ab obiectiuo & cognoſci, iam non haberet eſſe obiectiuè tantùm in intellectu. Propter quod actus efficiens ens rationis eſt chymæricus: quia ex parte obiecti non reſpondet id quod per ipſum affirmatur. Recognoſce eam diſp.19. §.65.66.& 67. Durandus autem non eſt locutus niſi de rationis ente denominatiuo: quod dixi conſiſtere in denominatione extrinſeca cognitionis locis adductis ea diſp.19.§.4.

Obiiciet aliquis, animal eſſe genus non conuenire ipſi animali formaliter ab actu intellectus; ſed à quodam ente rationis ex illo deriuato. Obiectum enim eſſe cognitum non eſt effectus formalis immediatus cognitionis. Reſpondeo primùm denominationem cogniti formaliter conſiſtere in ipſa cognitione: vt oſtendam ea diſp.19.metaph.à §.56. quia per eam rationem per quam homo eſt cognoſcens & videns colorem, per eandem color eſt repræſentatus & viſus: vt oſtendam ea diſp.19.§.62. vbi tota ſect. 2. latiſſimè impugno hæc entia rationis deriuata ex denominationibus extrinſecis. Quam doctrinam tradidit etiam apertè Durandus. Secundo reſpondeo admiſſo ente rationis ſic deriuato, illud non eſſe adæquatum logicæ obiectum: cuius ſcopus ſunt actus intellectus generis, ſpeciei & alij, non verò illorum effectus rationis vt oſtendam §.119. §.63.

Secundum argumentum Soti: ſubiectum ſcientiæ eſt à quo ipſa ſortitur ſpeciem: ſed logica ſortitur ſpeciem ab ente rationis; ergo ens rationis eſt logicæ obiectum. Probatur minor, quia logica dicitur ſcientia rationis ſiue rationalis: nec enim dicitur ſcientia realis. Vidit Sotus ipſe inanitatem argumenti: cuius minorem propoſitionem nego. Ad probationem reſpódeo logicam diuidi à ſcientiis realibus, non quod eius obiectum reale non ſit: ſed quod agit de rebus ipſis non ſecundùm ſe; ſed vt ſubſunt intentionibus ſecundis: item de ipſis actibus diſputat non ſecundum ſe an ſint actio, qualitas, &c. ſed vt obiectis tribuunt denominationem generis, ſpeciei, &c. Scientia autem rationis vocatur non ſolum quod ſit ſecundum rationem, ſed quod eius obiectū ſint ipſi rationis actus, vt oſtendi ex S.Thoma §.58. (vbi aduerte quantum ab ipſo diſtent eius diſcipuli affirmantes logicam dici ſcientiam rationis quod agat de rationis ente, aſſerente S.Thoma eam dici ſcientiam rationis & rationalem quod eius obiectum ſint ipſi rationis actus: quos ipſi ab obiecto logicæ ablegant. S. Auguſtinus tom.7. lib.1. contra Creſconium grammaticum cap.13. Dialecticam docet eſſe peritiam diſputandi, cap.autem 14. docet Dialecticam debuiſſe Latinè dici diſputatoriam: diſputatoria verò Latinè idem eſt quod Græcè dialoge vel dialexis: diſputatoria autem Latinè non dicitur ab ente rationis, ſed à diſputatione, qui eſt diſcurſus: Dialectica autem & logica idem ſunt: *logos* enim Græcè Latinè ſonat *ſermonem*, aut *ſermocinationem*. Dicitur ergo Dialectica & logica, quia ratiocinari & diſputare docet. Quod autem ait Sotus nulla ſcientia conſiderari ens rationis, conſtat eſſe falſum §.64.

ex

ex diſp. 1. metaph. §. 51. & à 54. vbi ſatis oſtendo, ens rationis vt ſic ad metaphyſicum ſpectare.

§. 65. Tertium argumentum P. Rubij ab authoritate Ariſtotelis & S. Thom. dilutum eſt à §. 54. Quartum autem eiuſdem authoris num. 20. eſt, quia logicus agit de genere & ſpecie, ſubiecto & prædicato: ſed hæc non ſunt entia realia; ergo ſunt entia rationis. Probatur minor, quia à parte rei non ſunt formaliter genera & ſpecies. Reſpondeo nonnulla genera & ſpecies ſecundùm illorum materiale, ſeu vt logici dicunt ſubſtratum, eſſe ens rationis: exempli gratia, chymæra vt ſic eſt genus ad chymæras ſpecie diuerſas. De hoc genere entis rationis non agitur hoc argumento: agitur autem dè ratione formali generis & ſpeciei. In quo ſenſu nego minorem: ratio enim generis & ſpeciei ſunt entia realia, extrinſeca tamen obiectis: ſunt enim actus intellectus multifariam cognoſcentes obiecta. Ad probationem reſpondeo non eſſe vniuerſale à parte rei: ideſt natura vniuerſalis non habet in ſe intrinſecam vniuerſalitatem: at verò vniuerſalitas extrinſeca rebus, à parte rei eſt, nempe in intellectu eam efficiente & recipiente.

§. 66. Age tamen: ratio formalis generis, ſpeciei &c. ſit ens rationis diſtinctum ab extrinſeca denominatione cognitionis: adhuc ens rationis non erit primarium logicæ obiectum. Nam in ea ſententia genus (idem eſt de cæteris intentionibus ſecundis) poteſt conſiderari proximè & formaliter, & poteſt conſiderari in fundamento proximo. Genus formaliter eſt ipſum ens rationis diſtinctum à cognitione generica, quod eſt proxima & formalis ratio generis. Genus autem fundamentale remotum eſt ipſum animal quod genus dicitur: quia quamuis in ratione obiecti terminet immediatè cognitionem; & in ratione quaſi ſubiecti recipit genereitatem, quæ per te eſt ens rationis: at verò vt hæc reſultet, opus eſt cognitione abſtrahente animal à ſuis differentiis: ex qua proximè & immediatè deriuatur eſſe cognitum, vt contendit P. Rubius; vel deriuatur aliud ens rationis, vt volunt alij.

§. 67. His conſtitutis reſpondeo ad argumentum ex §. 65. diſtincta minori propoſitione: genus & ſpecies formaliter & proximè ſunt entia rationis, prætereat minor: genus & ſpecies remotè & fundamentaliter ſunt entia rationis, nego minorem. Ad probationẽ reſpondeo, genera & ſpecies formaliter & proximè nec ſunt à parte rei in rebus, neque in intellectu: genus autem & ſpecies fundamentaliter (hoc genere fundamenti) quamuis non ſint in rebus, ſunt tamen in intellectu. dialecticus autẽ non agit de genere, & ſpecie proximè & formaliter, ſed fundamentaliter vt conſtabit ex §. 74. & 78.

§. 68. Argumentari quintò poſſumus ex eodem Patre Rubio, quæſtione 6. concluſione 2. quia dirigibilitas actuum intellectus debet eſſe in obiectis ipſis tanquam in ſubiecto, ſiue materia: ſed in obiecto non poteſt eſſe aliquid reale: ergo debet eſſe dirigibilitas rationis. Probatur minor, quia illa dirigibilitas eſt ordo ſubiecti ad prædicatum, præmiſſarum ad concluſionem: ſed in obiectis non poteſt eſſe ordo realis, ergo eſt rationis. Probatur minor quia ordo realis non poteſt eſſe niſi inter extrema diſtincta realiter. Reſpondeo rem eſſe directam per intellectum, nihil eſſe in obiectis ipſis præter extrinſecam denominationem ab actibus dirigentibus. vnde nego maiorem, acceptam de ſubiecto & materia inhæſionis: concedo autem de ſubiecto & materia denominationis: omne enim obiectum dicitur ſubiectum & materia circa quam verſatur actus: vt color eſt ſubiectum & materia quæ eſt & denominatur viſa: non tamen propterea viſio eſt in colore ſed in ſolo viſu. Sic materia Logicæ eſt obiectum dirigibilitatis actuum intellectus. hinc diſtinguo etiam minorem: non poteſt in rebus cognitis eſſe ſubiectiuè ordo realis ſubiecti, & prędicati, concedo minorem: non poteſt eſſe denominatiuè & extrinſecè ordo realis, nego minorẽ: quemadmodum viſio denominat colorem viſum. Ad probationem reſpondeo: ordinem realem intrinſecum eſſe inter extrema realiter diſtincta: ordo autem realis extrinſecus non petit extrema diſtincta realiter: nam actus intellectus poteſt extrinſecè denominare diuerſimodè entitatem realiter vnam: ſic eadem res eſt ſubiectum & prædicatum; definitum & definitio obiectiua: quia hæc omnia ſunt obiecto denominatio extrinſeca: eadem autem res poteſt complures habere denominationes extrinſecas. Secundò reſponderi poteſt ex doctrina §. 66. diſtinguendo ordinem proximum, & remotum. Proximus eſt ens rationis, de quo non differit Logicus: vt indicaui. §. 67. Remotus autem eſt ens reale extrinſecum obiectis, quia eſt formaliter actus intellectus, eaque propter ſpectat ad logicum.

Sextum argumẽtum, quia Logica diuagatur per omnia prædicamenta: quia agit de eiſdem prædicamentis, de quibus metaphyſicus: ergo agit de illis ſub aliqua ratione in illis reperibili: tunc vltra: ſed nulla vna ratio realis illis omnibus conuenit; ergo eſt ratio rationis. Probo minorem, quia directio actuum intellectus ſolùm ſpectat ad prædicamentum actionis, aut qualitatis, quia in eo collocantur actus intellectus, qui non poſſunt per omnia prædicamenta diuagari: ergo aliquod ens rationis eis attribuibile eſt ratio ſub qua Logica agit de omnibus prædicamẽtis. Confirmatur hæc demonſtratio: quia intentiones ſyllogiſticæ ſpectant ad aliquam ſcientiam, non ad aliam præter logicam. ergo. §. 69.

Reſpondeo diſtincta propoſitione antecedenti: diuagatur logica per omnia prædicamenta ſecundum ſe, nego antecedens: per omnia prædicamenta vt ſubſunt extrinſecis denominationibus, concedo antecedens. Ad minorem propoſitionem, reſpondeo nullam rationem realem vnam illis omnibus conuenire intrinſecè: extrinſecè autem illis conuenit. Ad probationem minoris, reſpondeo actus intellectus intrinſecè pertinere ad ſolum prędicamentũ qualitatis & actionis: extrinſecè autem non ſolum pertinent ad omnia prædicamenta, ſed etiam ad decem & entia rationis: quia ea omnia repræſentantur extrinſecè per intellectionem. Nec verò opus, eſt vt ratio formalis ſub qua tractantur, ſpectet intrinſecè ad omnia prædicamenta: ſed præciſe requiritur vt conueniat obiectis, qua ratione exiguntur à ſcientia: logica autem exigit præciſe modum ſciendi obiectiuum vt accipit denominationem ab actibus intellectus: cum autem hic eam tribuat omni obiecto reali & rationis exiſtens in vno aut duobus prædicamentis tantum non eſt neceſſe, vt ſit in pluribus. Si autem logicus ageret de omni prædicamento ſecundum ſe, non eſſet argumentum tam abs re, quamuis nec multum è re. phyſicus enim & metaphyſicus differunt de prædicamento ſubſtantiæ, qualitatis, actionis, &c. item & de ente rationis ſecundum ſe: nec verò ſub vna ratione communi omnibus intrinſeca: ratio enim *ſub qua* eſt ſubſtantia. Confirmatio tantum probat ſecundas illas intentiones à logico diſputari: illas autem eſſe ens rationis & non denominationes reales extrinſecas, vnde probat? Mitto §. 70.

alia argumenta quæ quàm facillimè poſſunt confutari.

SVBSECTIO IV.

Obiectum Logicæ eſt ens reale.

§.71. EST ergo logicæ obiectum ens reale, non verò rationis (vt ens rationis eſt extra latitudinem entis realis vt ſic.) Quæ concluſio diſertis verbis traditur à Sancto Thoma adducto §.57. & 58. vbi cõſtituit logicæ obiectum actus intellectus, quemadmodum conſtituit obiectum philoſophiæ moralis actus voluntatis, & actiones externas obiectum artis mechanicæ: ſed mechanicæ & moralis Philoſophia conſiderant eas operationes vt ſunt ens reale: ergo Sanctus Thomas reale conſtituit logicæ obiectum. Eadem opinio eſt Durandi adducti §.46. conſtituẽtis dialecticę obiectum extrinſecas denominationes quas ipſe vocat ens rationis. Conſentiunt P. Toletus adductus §.46. Didacus Maſius adductus §.50. Pater Fonſeca lib.2. metaph. cap.3. & P. Suarez 1. metaph. diſp. 1. ſect.4. n.25. & tom.2. diſput.39. initio: diſputatione verò 54. initio ait, eſſe dialecticum errorem opinari ens rationis eſſe logicæ obiectum: collegium Conimbricenſe in proœmio logicæ. q.5. art.2. & 3. & alij complurimi.

§.72. Probatur primum, quia logicæ adæquata materia ſunt conceptus generis, ſpeciei, definitionis, argumentationis, &c. Sed hæc omnia ſunt denominationes extrinſecę reales non diſtinctæ ab actibus intellectus: ergo obiectum adæquatum dialecticæ eſt ens reale. Minor probatur ex diſp. 19. Metaph. ſect.1. maximè autem ſect.2. à §.56. §. autem 62. totam doctrinam aptari huic ſententiæ. quia cognitio & amor per ſe, ſine aliqua forma reali aut rationis, denominat hominẽ amantẽ & cognoſcentem, vt omnes admittunt: ergo etiam denominant per ſe obiectum amatum aut cognitum. Conſequentia patet; quia amor & cognitio tam immediatè extrinſecè verſantur circa obiectum amatum & cognitum quàm immediatè intrinſecè circa cognoſcentem & amantem. quia qui immediatè amat, aliquid amat immediatè: ergo aliquis amatur immediatè: amor enim ille facit & hominem amantem & obiectum amatum. Has autem denominationes eſſe reales, inde patet; quod forma denominans eſt ens reale: cum autem ſubiectum & forma ſint realia, neque aliquid interiiciatur inte vtrumque, non eſt cur illa denominatio exulet à claſſe entis realis vt ſic: vt conſtat ex ea diſp. 19. metaphyſicæ §.14.

§.73. Obiicies cum patre Rubio, actus intellectus conſiderari poſſe vt intelligenti communicant denominationem intelligentis: ſub qua conſideratione non ſpectant ad logicum, ſed ad animaſticum: quia ſecundùm illam rationem ſunt actus ſecundùm ſe, & pertinent ad ſcientiam realem. Conſiderari item poſſunt vt tribuunt obiectis denominationem cogniti: ſub qua conſideratione abripiuntur à logica: ſic autem non ſunt entia realia, quia denominatio cogniti nihil ponit in rebus. Reſpondeo primùm, intellectiones eodem gaudere conceptu vt denominant cognoſcentem, ac vt denominant cognitum: quia per eandẽ rationem per quam homo eſt cognoſcens, obiectũ eſt cognitum, ac propterea vtraq; denominatio eſt realis, quia eſt vtraque à reali forma. Ad probationem, reſpondeo intellectionem ad animaſticum pertinere, qui conderat vtrum ſit actio? an paſſio? qualitaſue? an verò vtrumque? & eiuſmodi alia quæ logicus neque attingit. Conſiderari item poſſunt vt ex arte fiunt, nempe actum de genere coniungendum eſſe cum actu de differentia ad definiendum: item actum affirmatiuum vniuerſalem iungendum actui affirmatiuo particulari ad colligendam concluſionem in *Darij*; hoc ſpectat ad logicum, neq; eſt de actibus ſecundum ſe, ſed de illorum diſpoſitione ex arte: quæ diſpoſitio præter eſſentiam illorum actuum addit denominationẽ extrinſecam vnius actus ab alio: vel modum aliquem accidentarium: quemadmodum architectus agit de lapide, & calce, non ſecundum ſe, ſed vt miſceantur. Denominatio autem cogniti ponit aliquid in rebus: obiecto quidem extrinſecum, intrinſecum autem potentiæ. Recognoſce §.109.

Secundæ probationi concluſionis præmitto permittendam eſſe aduerſariis diſtinctionem inter denominationes cognoſcentis & cogniti, atque donandum aliquod ens rationis ab intellectione diſtinctum, quo proximè & formaliter conſtituantur genus, ſpecies, & aliæ intentiones ſecundæ, vt ea permiſi §.66. & 67. His conſtitutis, probo ſecundò concluſionem: actus intellectus vt ſunt formaliter & actiuè definitio, diuiſio, & argumentatio ſunt logicæ obiectum: ſed ſub hac conſideratione ſunt entia realia & non rationis: ergo obiectum logicę amplectitur entia realia. Minor ab aduerſariis datur: quia illi actus ſunt de genere qualitatis, & actionis. Maior patet, primùm ab exemplo, quia omnes operationes humanæ tam internæ quàm externæ, capaces alicuius præcepti, ſpectant ad aliquam facultatem per quam dirigantur: vt actiones voluntatis ad philoſophiam moralem. Circa quos bipartita eſt philoſophia: animaſticus enim conſiderat de actibus voluntatis an ſint actio? an verò qualitas? an ſolum ex natura rei à cognitione pendeant? an verò eſſentialiter? an libertas ſit illis extrinſeca denominatio: an verò intrinſeca? Moralis autem philoſophus iis animaſtico permiſſis diſputat, quod ſit rectum dictamen rationis vt ex eius præſcripto moueatur. Voluntas expendit vtrum & in quibus circunſtantiis iuſtitia potius vtendum ſit quam miſericordia. Architectus item acceptis ex philoſopho naturali ligni & lapidis attributis conſiderat qua ratione mouenda ſit manus ad illorum collocationem, quam ſuis legibus præſcribit. ergo eadem ratione præſcribet logicus, qua ratione ſumus actiuè argumentaturi. §.74.

Primùm obiicies, actus intellectus in ea conſideratione tractari quidem ab animaſtico: non verò à logico. Reſpondeo id apertæ falſitatis euinci: quia argumentatio actiua eſt ens per accidens conflatum ex tribus actibus intellectus, artificioſa quidem ſtructura: qua non conſideramus vtrum actus illi ſint actio? an qualitas? quæ quæſtiones ad animaſticum ſpectanț. Artificium autem per accidens, quo argumentatio conflatur, pendet à præceptis definitionis & modi ſciendi: hæc autem præcepta quæ pars animaſticæ diſciplinæ tradit? compara enim logicam philoſophiæ morali: quemadmodum hæc conſiderat regulas moris, & circunſtantias, quibus honeſtè ſit actus exercendus: ſic logicus conſiderat regulas artis; quibus actus intellectus ſint exercendi ex dictamine artis: & quemadmodum philoſophia naturalis non conſiderat rationem, qua voluntas ſit exercenda; ita nec conſiderat qua ratione intellectus ſit exercendus ex arte. Igitur vt præter philoſophiam naturalem conſtituitur moralis, directè contemplans voluntatis actiones honeſtè exercendas: ita & dialectica §.75.

lectica eſt conſtituenda vt intellectui præſcribat rationem ſe abſque errore exercendi. Quod item patet in architectura, muſica, & aliis: qua enim ratione pulſandæ ſint fides, & vox inflectenda, muſicus docet; non verò philoſophus naturalis: ſtructuram autem lapidis & ligni ſolus contemplatur architectus: ergo ſtructuram ſyllogiſmi actiui atque formalis: item intellectionum coniugationem variam ad rectè concludendum, contemplabitur logicus: Philoſophus autem naturalis nequaquam.

§.76. Obiicies ſecundò cum Patre Rubio directionem actiuam intellectionum ſpectare ad animaſticum; paſſiuam verò rerum, nempe obiectum eſſe diuiſum, definitum &c. quæ eſt paſſiua directio, ſpectare ad logicum: contra directionem actiuam commiſſionum & paſſiuam obiectorum, non diſtingui ſatis oſtendi: ſed paſſiua per te ſpectat ad logicum, ergo & actiua. Deinde directionem actiuam ſpectare ad logicum conſtat ex §.75. exemplo philoſophiæ moralis & architecturæ, quia in actiua definitione conſiderat animaſticus rationem qualitatis, actionis &c. logicus autem conſiderat an ſi per genus & differentiam, vtrum conuertatur cum definito, & habeat ſecundas intentiones quæ ad animaſticum nequaquam ſpectant. Hæc autem attributa ipſis intellectionibus conuenire oſtendam ſectione ſequenti. Tandem cum in obiectis ſit paſſiua directio & actiua in actibus, negari nó poteſt actiuam per ſe primò ſpectare ad logicum: quia ideo volumus rem à nobis eſſe ſcitã, vt ſit in nobis ſcientia de tali re. Quod enim volumus, eſt intellectum perficere dialecticis præceptis ne erret, ſiue vt ſit ſciens: quemadmodum philoſophus moralis vult, vt voluntas ſit perfecta, & amet ſecundum rationem; conſequenter autem vult, vt obiectum ſit ſecundùm rationem amatum. Cum igitur directio paſſiua non ſit formaliter intellectus perfectior, quemadmodum eſt actiua, hæc potius ſpectat ad logicum quàm illa.

§.77. Confirmatur: dialectica eſt ars docens rationem & methodum rectè diſputandi: ſed recta diſputatio eſt formaliter & actiuè in intellectu, in obiectis autem tantùm eſt paſſiuè vel per extrinſecam denominationem: ergo non ſolùm diſputatio paſſiua, ſed etiam actiua ſpectat ad logicum. Maior propoſitio à nullo negari poteſt. Ariſtoteles enim 1. rethoricorum ad Theodectem c.1. & 2. perſpicuè docet munus rethorici & dialectici eſſe diſputare: item 1. perihermenias cap.1. oſtendi ſciri oportere à dialectico quid ſit affirmatio, negatio &c. Idem docet 1. priorum cap.1. ſanctus Auguſt. tomo 7. lib.1. contra Creſconium cap.18. *quid enim* (inquit) *aliud dialectica quàm peritia diſputandi?* cap. autem 14. *ſic* (inquit) *à diſputatione dialectica nomen accepit, ita græcè dialecticus multo vſitatius & tolerabilius latinè dicitur diſputator. quod ſi vſus admitteret fortaſſe dialectica latinè diſputatoria vocaretur.* Probatur autem minor ex eodem Auguſt. ibid. cap. 15. *qui enim* (inquit) *diſputat, verum diſcernit à falſo:* vbi oſtendit diſputationem eſſe veri diſcretionem à falſo: ſed hæc diſcretio ſpectat formaliter ad intellectum, ſicut electio ad voluntatem. ergo diſputatio pertinet formaliter ad intellectum. diſputatio autem intellectualis non eſt ens rationis ſed reale, quemadmodum electio in voluntate. Minor patet, quia illa diſcretio eſt aſſenſus præſtitus veritati cum diſſenſu falſitati, quemadmodum electio eſt relatio vnius medij aliis. quæ ex 3. obiectione erunt liquidiora.

§.78. Obiicies tertiò poſſe conſiderari actus intellectus dici definientes & diuidentes; item & ens rationis inde deriuatur quod vocatur definitio, diuiſio &c. actus intellectus pertinet ad animaſticum, ens autem rationis ad logicum. Reſpondeo, mirum eſſe ab Auguſt. doceri logicam eſſe artem diſputatoriam; & diſputationem eſſe veri diſcretionem à falſo, quin meminerit ſomniati huius entis rationis: vt autem eius ſententiæ fibras euellamus, admitto illud ens rationis, & argumentum: præcepta dialecticæ ſunt immediatè de ipſis actibus diuidẽtibus definiẽtibus &c. ergo illi actus ſunt obiectum dialecticæ. Probo antecedens, qui hęc præcepta, *ſyllogiſmus in barbara cõſtat tribus propoſitionibus affirmatiuis: propoſitio per ſe nota eſt qua cognoſcitur ex terminis: dici de omni, & dici de nullo:* hæc inquã præcepta ſunt de ipſis actibus: propoſitio enim per ſe nota, item propoſitio affirmatiua, item dicere de omni & de nullo, actus ſunt intellectus. hæc autem eſſe præcepta dialectica quis dubitat? ſyllogiſticã enim ſtructura ad quam facultatem pertinet præter logicam?

Confirmatur: ex ſtructura domus etiam deriuatur in hac ſententia aliud ens rationis; item ex morali volitionum diſpoſitione deriuatur ens rationis: nec tamen architectus illud contemplatur ſolùm, neque philoſophus moralis: contemplantur enim ipſam lapidum diſpoſitionem, & collocationem, ex qua apertè oritur ens rationis: architecturæ enim præcepta ſunt de ſitu & figura domus quæ formaliter fiunt operarum induſtria, quæ ad ens reale & non rationis terminatur. Item Philoſophia moralis contemplatur ipſam actuum honeſtatem: qua ratione exercere oporteat erogationem ſtipis vt ſit honeſta: ergo eadem ratione dialecticus contemplatur ipſos actus intellectus, ex quorum diſpoſitione illud ens rationis fingitur deriuari. Immo nec partialiter contemplatur logicus illud ens rationis: licet enim ſit effectus ſui obiecti primarij, tamen ſunt effectus nonnulli, qui nullam ſibi vendicant facultatem: architectus enim, & philoſophus moralis nihil agunt de iſto ente rationis. Quamuis enim omnis effectus poſſit cognoſci per facultatem qua agimus de cauſa, iſte tamen effectus tam malæ eſt geniture, vt à nulla facultate tractetur: quod argumentum eſt non obſcurũ, eum recenter eſſe & obſcure natum. Sin roga, obſecro te, aliquem architectum, an de illo aliquid cognouerit, & arbitrabitur ſe à te illudi. §.79.

Hic præterire nolo cuiuſdam noui dialectici inconſtantiam: qui latè probat, ens rationis non poſſe eſſe metaphyſicæ obiectum: quia metaphyſica non poteſt ſe extendere ad obiectum quod ſit extra ambitum obiecti intellectus: ens autem rationis eſt extra ambitũ hunc. In quem iaculor argumentum. Logica nullum obiectum attingit vltra ambitum intellectus; quia eadem eſt ratio logicæ ac metaphyſicę: ſed ens rationis eſt vltra hunc ambitum: ergo non poteſt ens rationis eſſe logicę obiectum. Nihil huic argumento reſponderi poteſt, niſi illud eſſe in metaphyſica inefficax. Quod pronam diſput. 1. metaphyſ. §.65. Ens reale eſſe logicæ obiectum conſtabit apertiùs ſectione ſequenti. §.80.

SECTIO V.

Vtrum modus ſciendi formalis, an autem obiectiuus ſit logicæ obiectum.

NOn eſt quæſtio de obiecto tributionis, vtrum actus intellectus conſiderentur à logico cum §.81. attribu

attributione ad obiecta; an autem hæc per attributionem ad illos:ſed vtrum qui modi ſciendi ſpectent ad propriam materiam obiectumque logicæ. Si autem conſtiterit vtrumque ad hoc obiectum pertinere, diſquirendum erit vtrum pertineant vt obiecta partialia attributionis, an verò alter per attributionem ad alterum: quod diſputitur ſectione ſequenti.

SVBSECTIO I.

Explicantur hi modi ſciendi.

§.82. IAm dixi §.14. adæquatam logicæ materiam eſſe propoſitionem, modúmque ſciendi: quin complectitur definitionem, diuiſionem, & argumentationem: de quibus agendum latè, diſputatione 1. hic autem modus ſciendi diuiditur in formalem, & obiectiuum. Formalis ſunt ipſi actus intellectus, quibus definimus, diuidimus, & argumentamur. Dicuntur modus ſciendi formalis; tũ quia ipſi actus ſunt formæ denominantes extrinſecè modum ſciendi obiectiuum. Obiectum enim eſt materia vel ſubiectum accipiens denominationem cogniti ab actu cognoſcente: vt color eſt dicitúrque viſus à viſione: atque in hoc complexu *viſum* color eſt veluti materia & ſubiectum, viſio autem eſt forma: tum etiam, quia res eſt formaliter talis, quando per ſe ipſam & non per aliud habet conceptum illum. v.g. calor eſt formaliter & abſolutè calor, quia ſe ipſo talis eſt: lux autem non eſt calor formalis ſed virtualis, & abſolutè non eſt calor, quia præciſè eſt calor: quia poteſt efficere calorem. Sic actus intellectus ſunt modus ſciendi formalis & formaliter, quia ſe ipſis ſunt modus ſciendi: ſcire enim formaliter eſt in ſolo intellectu, item & ſciendi ratio; hæc autem eſt modus ſciendi: itaque formaliter & abſolutè modus ſciendi formalis eſt modus ſciendi: obiectiuus autem eſt modus ſciendi ſecundum quid, id eſt obiectum modi ſciendi.

§.83. Modus ſciendi formalis conſiderari poteſt, vel ſecundum ſe non conſiderata ratione aliqua illud per accidens afficiente. nempe conſideratur, an ſit actio? an qualitas? vtrum ex natura rei vel de potentia abſoluta poſſit à potentia ſeparari? an vitalitas ſit de eius conceptu? idque genus quæſtiones aliæ de attributis ſingulorum actuum:hæc autem ad animaſticum ſpectant, non ad logicum: quemadmodum ſpectat ad philoſophum contemplatio lapidis ſecundum ſe an ſit vitalis & alia ſimilia. Poteſt item conſiderari modus ſciendi non ſecundum ſe, ſed vt affectus aliquo conceptu per accidens, nempe qua ratione ipſi actus ſint collocandi ac diſtribuendi ad rectam ratiocinationem: nempe ad inferendam concluſionem, an ſit vtendum actibus affirmatiuis? an negatiuis? an verò vtriſque? quemadmodum contemplamur qua ratione ſint ligna & lapides collocandi ad rectum ædificium. Hæc autem ſecunda conſideratio modi ſciendi non eſt animaſtica ſed dialecticæ: quemadmodum & ſecunda lapidum conſideratio non eſt philoſophica ſed architectica. Pertinent autem hæ diuerſæ conſiderationes ad facultates diuerſas, quia diuerſis nituntur principiis: de quo me videro diſputatione 1. metaphyſicæ ſectione 8. maximè verò §.204. Quod ſi logicus aliquando vtitur doctrina de actibus intellectus ſecundum ſe, exempli gratia, quando diſputat quid ſit affirmatio & negatio, id præſtat, quia logica ſubalternatur animaſticæ, vt dicam ea diſputatione 1. metaphyſicæ §.209. Oſtendam autem ibidem §.205. ſcientiam ſubalternatam non diſtingui adæquatè à ſubalternante: quia nonnullos ab ea mutuatur habitus.

Modus ſciendi obiectiuus eſt obiectum modi ſciendi formalis: nempe obiectum quod definitur, diuiditur, & argumẽtatione cõcluditur: homo enim dicitur *definitum, animal* autẽ *rationale* definitio. Sic dicimus definitum & definitionẽ obiectiuam. Item quãdo diuidimus hominem in Petrum & Paulum, homo eſt *diuiſum*, Petrus autem & Paulus dicuntur *partes diuidẽtes*: idemq; dixerim de obiecto quocunque terminante modum ſciendi formalem. Dicitur autem modus ſciendi, non quod terminet præciſè modum ſciendi, ſic enim & color dicetur viſio obiectiua, & finis intentio obiectiua, quod longè abhorret ab vſu communi: ſed quia ita terminat modum ſciendi formalẽ, vt in ſe ſeruare videatur quandam modi ſciendi rationem: exempli gratia, obiecta præmiſſarum fatalem habent cum concluſione nexum, vt hæc ex illis neceſſario deducatur: item definitio obiectiua habet nexum neceſſarium cum definito, eſtque explicatio illius conceptus: partes item diuidentes clariùs manifeſtant diuiſum. §.84.

Hic modus ſciendi duplicem etiam habet conſiderationem: nam & ſecundum ſe conſiderari poteſt, nempe quid ſit homo? quid animal rationale? quid Petrus & Paulus, &c. Hæc conſideratio non ſpectat ad logicum, ſed ad eam facultatem, circa cuius obiectum verſatur modus ſciendi formalis: exempli gratia, ad Philoſophiam, quando agitur de aliquo corpore prædicamenti ſubſtantiæ: ad metaphyſicam autem, quando agitur de ſubſtantia ſeparata. Poteſt item conſiderari modus ſciendi obiectiuus non ſecundum ſe ſiue materialiter, ſed formaliter, vt obiectiuus eſt; id eſt, vt accipit denominationem modi ſciendi obiectiuè. quemadmodum architectus contemplatur lapidem, non quod eius quidditatem aut attributa conſideret, id enim ſpectat ad Philoſophum, ſed illum conſiderat, qua ratione cum ligno componi poſſit in ædificio. Eadem ratione conſiderat logicus, qua ratione genus componi poſſit cum differentia ad explanandam ſpeciem: præmiſſæ obiectiuæ ad exprimendam concluſionem. §.85.

Oportet autem explanare quid conſtituat modum ſciendi obiectiuum formaliter; vt inde deducas vtrum & qua ratione ad logicum ſpectet: rem obiici intellectui perinde eſt ac illam cognoſci: modus ergo ſciendi obiectiuus formaliter vt obiectiuus idem eſt ac modus ſciendi cognoſcibilis. Quod primum probatur à communi definitione entis rationis, nempe *quod habet eſſe obiectiuè tantum in intellectu*: quæ communiter explicatur. *quod tantum conſiſtit in cognoſci*: itaque & eſſe obiectiuè in intellectu idem ſunt, quemadmodum ſunt idem cognoſci tantum, & eſſe obiectiuè tantum in intellectu: item obiici & eſſe obiectum idem ſunt: ſed eſſe obiectum & eſſe cognitum ſunt idem. ergo obiici & cognoſci idem ſunt. Confirmatur, quia eſſe ſubiectum, prædicatum, medium ſyllogiſmi, concluſionem, & alia ſunt formaliter modus ſciendi: ſed eſſe prædicatum eſt cognoſci per affirmationem ipſius de alio: eſſe autem ſubiectum eſt terminare prædicationem de ſe ipſo. ergo modus ſciendi obiectiuus eſt formaliter eſſe modum ſciendi cognitum. §.86.

Tandem, quia eſſe obiectum aliquid addit ſupra intrinſecam rei entitatem; hoc autem nihil eſt intrinſecum, ſed aliquid extrinſecum: at nihil eſt §.87.

eſt extrinſecum, à quo poſſit accipere hanc denominationem obiecti præter actum intellectus, ergo ab actu intellectus habet eſſe obiectiuum. Itaque eſſe obiicibile, eſt eſſe cognoſcibile, & eſſe actu obiectum, eſt eſſe actu cognitum. Non diſputo nunc de intrinſeca & eſſentiali aptitudine, qua vnaquæque res cognoſci poteſt. hæc enim non diſtinguitur ab eius entitate: eſtque attributum entis vt ſic, de quo agendum diſputatione 7. metaphyſicæ. Ago autem de denominatione cognoſcibilis & cogniti, quam dico eſſe denominationem extrinſecam à cognitione poſſibili aut exiſtenti; ſiue enim prima aptitudo ſit eſſentialis, ſecunda autem ſit accidentalis obiectis, nihil intereſt inſtituti præſentis: animus enim præciſè mihi eſt agere de hac ſecunda denominatione cognoſcibilis, per quam animal & rationale cæteríque modi ſciendi cognoſcuntur comparati mutuo, vt vnum obiectum inferri poſſit aut explicari per aliud: quod illis eſſe accidentarium ambiget nullus.

§.88. Itaque modus ſciendi obiectiuus eſt concretum ex obiecto cognito & cognitione: ſiue ex modo ſciendi obiectiuo & formali: quemadmodum viſum dicit in recto colorem, & viſionem in obliquo: & album dicit in recto ſubiectum, albedinem autem in obliquo: item vt cognitum & amatum dicunt obiectum in recto, in obliquo autem cognitionem & amorem. In quo concreto modus ſciendi obiectiuus habet rationem ſubiecti; modus autem ſciendi formalis rationem formæ.

SVBSECTIO II.

Quæſtio dirempta.

§.89. Dico primò. Modus ſciendi formalis eſt logicæ obiectum. Hæc concluſio eſt ſancti Thomæ adducti §.57. & 58. vbi conſtituit obiectum logicæ actus intellectus, vt actus voluntatis obiectum Philoſophiæ moralis: Durandi adducti §.46. Toleti eodem §. Didaci Maſij adducti §.50. & aliorum quorum eſſet longa recenſio. Quæ confirmari poteſt ex ſancto Auguſtino adducto §.67. aſſerente dialecticæ munus eſſe docere diſputandi rationem: diſputatio autem eſt formaliter actus intellectus: ergo ex ſancto Auguſtino modus ſciendi formalis eſt logicæ obiectum.

§.90. Probatur primo, quia logica docet quid ſit definitio, diuiſio & argumentatio: ea verò doctrina quadrat in definitionem formalem: ergo dialectica præcepta ſunt de modo ſciendi formali. Probatur minor: quia definitio dicitur *oratio explicans naturam rei*: nomine autem orationis intelligimus & propoſitionem vocalem, & actum intellectus pro quo illa ſubrogatur: eſſe autem orationem non conuenit definitioni obiectiuæ: animal enim rationale non eſt oratio explicans naturam hominis, ſed potiùs eſt obiectum orationis eam explicantis. Itaque præceptum hoc in ſolam quadrat definitionem formalem quin in obiectiuam. Item, cum ſyllogiſmus dicitur conſtare tribus propoſitionibus affirmatiuis, receptum eſt de ſolo ſyllogiſmo formali: cuius obiectum nihil affirmat vel negat, nec eſt formaliter propoſitio. Adde illationem in argumentatione ſignificatam hac voce *ergo*, nihil eſſe ex parte obiecti; ſed eſſe actum intellectus connotantem neceſſitatem illationis ex præmiſſis. Et quamuis hæc ſuo etiam more conueniant modo ſciendi obiectiuo, conueniunt tamen formali tanquam formæ, ob quam conueniunt obiectiuo: animal enim eſſe genus, & hominem ſpeciem: riſibile eſſe concluſionem, & rationale præmiſſam; animal eſſe prædicatum, & hominem ſubiectum, habent formaliter ab actibus intellectus, quibus conuenit vt quo eſſe genus, ſpeciem &c. quemadmodum omnia quæ conueniunt albo vt diſgregat viſum, conueniunt etiam albedini vt rationi diſgregandi. Itaque in doctrina dialectica non poſſumus ſeparare modum ſciendi obiectiuum à formali, quia hic eſt ratio illum conſtituens in ratione obiectiui.

Pater Rubius conatur obiectum dialecticæ eſſe res ipſas vt paſſiuè denominantur diſpoſitæ per intellectum; non verò ipſos actus diſponentes. §.91. Quam ſententiam impugnaui non ſemel. Quod ita confirmo: quia diſpoſitio paſſiua non diſtinguitur ab ipſis actibus diſponentibus, vel ita ab illis pendet, vt niſi per illos cognoſci non poſſit: quis enim apprehendet, obiectum eſſe definitum, quin & cognitio definiens apprehendatur? vt non poteſt cognoſci rem eſſe amatam quin apprehendatur & amor: quod tam clarum videtur, vt oculos luce præſtringat. Addo præcepta definitionis vt ſic quadrare in definitionem actiuam ſiue formalem: actus enim definiens & eſt modus ſciendi, & oratio explicans naturam rei, non minus quàm denominatio paſſiua definit: ergo ad logicum ſpectat: quia omnis modus ſciendi ſpectat ad logicum: præceptáque ſunt tam ſimilia vt non poſſint ad duas facultates pertinere. Quod autem obiicit Pater Rubius, actus intellectus vt formaliter aut actiuè denominant obiecta, ſpectare ad libros de anima, dirutum eſt §.83. vbi conſtitui, qua ratione hi actus ſpectent ad animaſticam, & dialecticam. Quemadmodum actus voluntatis ſpectat ad eandem animaſticam & ad Philoſophiam moralem: item & lapis ad Phyſicum & architectum.

Poteſt obiici ſecundò, actus intellectus ad logicum pertinere non quidem in recto atque directè, ſed in obliquo & indirectè: quemadmodum §.92. animaſtica de coloribus agit indirectè atque remotè, quia agit de viſu, cuius obiectum eſt color. Contra, quia tam immediatè agit logicus de modo ſciendi formali, quàm de obiectiuo: etenim cum definitio dicitur oratio explicans naturam rei, hoc præceptum per ſe conuenit actui definienti: immo de modo ſciendi formali agit logicus in abſtrato & concreto. In abſtracto quidem, cum dicitur, *definitio eſt oratio explicans naturam rei*: quæ definitio ſoli conuenit actui definienti: quemadmodum eidem ſoli conuenit eſſe quidditatiuam cognitionem obiecti per genus & differentiam: & viſioni conuenit eſſe externam ſenſionem coloris. In concreto autem agitur cum dicimus definitionem quidditatiuè prædicari de definito: vbi definitum ponitur in recto; prædicatio autem quidditatiua in obliquo: non quidem indirectè, ſed tanquam rationi formali, qua aliquid quidditatiuè prædicamus: hæc autem duplex ratio aliquid tractandi; in aliqua facultate claro eſt argumento illud eſſe eius facultatis obiectum per ſe atque directè: quemadmodum Philoſophus agit de agente & actione, de potentia intellectrice & intellectionum. Animaſticus autem non agit de colore in abſtracto, nec in concreto explicans eius formales effectus, ſed præciſè, vt eſt terminus viſionis. Quid autem ſit color, ponit animaſticus ex alia Philoſophiæ parte agente de ſecundis qualitatibus. Quod ſi aliquis arbitretur ad libros de anima

Digitized by Google

ma per ſe ſpectare colorem, non premit ſed iuuat argumento.

§.93. Dico ſecundò. Modus ſciendi obiectiuus vt diſtinguitur à formali, eſt etiam dialecticæ obiectum. Quæ concluſio eſt ſancti Thomæ opuſculo 56. ad medium, his verbis: *Auicenna dicit quod logica eſt de ſecundis intentionibus adiunctis primis.* Quem communiter dialectici ſequuntur, aſſerentes ad logicam pertinere aliarum ſcientiarum obiecta vt ſubſunt ſecundis intentionibus. Probatur apertè, quia multa præcepta dialecticæ non poſſunt quadrare in ſolum modum ſciendi formalem, ergo quadrant in obiectiuũ. Probo antecedens his præceptis: *definitio diſtinguitur à definito ſola ratione: definitio prædicatur quidditatiuè de definito: vtraque præmiſſa diſtinguitur à concluſione ſolo modo concipiendi: genus prædicatur quidditatiuè de ſpecie.* Hæc autem omnia ſolis conueniunt obiectis, non verò actibus, neque aliqui denominationi paſſiuæ, aut enti rationis diſtinctis ab ipſa entitate generis, ſpeciei, &c. Quia actus intellectus de definitione pluſquam ratione diſtinguitur, ab alio actu de definito, de quo non poteſt quidditatiuè prædicari, quia realiter eſt ab illo diſtinctus: præmiſſæ autem formales diſtinguuntur etiam realiter à concluſione formali: ergo modus ſciendi obiectiuus ſpectat per ſe & immediatè ad logicum non minus quàm formalis. Idem argumentum efformo de paſſiua denominatione, & ente rationis: denominatio enim definitionis, aut ens rationis non prædicatur quidditatiuè de denominatione, aut ente rationis definiti.

§.94. Obiicies tamen, de modo ſciendi obiectiuo à logico diſſeri remotè, tanquam de ſubiecto modi ſciendi formalis: quemadmodum cum agitur de albo, agitur per ſe de ſola albedine, de eius autem ſubiecto remotè atque per accidens. Contra, præcepta recenſita §.93. conueniunt modo ſciendi obiectiuo immediatè & rationi ipſius, non verò mediatè & remotè, immo nec ratione modi ſciendi formalis: quia definitionem obiectiuam non eſſe diſtinctam realiter à definito, neque concluſionem à præmiſſis, habent quidem ex ſe, quamuis addunt denominationem aliquam extrinſecam à modo ſciendi formali. Quod obiicitur de albo & cæteris ſubiectis Phyſicis non eſt è re, quia ſi agitur de effectibus albedinis, ipſa eſt eorum cauſa, ſubiectum autem eſt cauſa remota: quo differt à modo ſciendi obiectiuo, qui immediatè ſubiicitur aut prædicatur; rationéque ſui habet identitatem aut diſtinctionem. Si autem agitur de toto compoſito accidentali Phyſico, agitur etiam immediatè de ipſo ſubiecto & forma: qua ratione agitur in logica de modo ſciendi obiectiuo, & formali: cum enim dicimus, genus prædicatur: hoc præceptum conuenit generi obiectiuo vt *quod*: generitati autem *vt quo*.

§.95. Dico tertiò. Logicus non contemplatur modum ſciendi obiectiuum niſi vt affectum extrinſeca denominatione à modo ſciendi formali. Quæ doctrina eſt Sancti Thomæ opuſculo 56. ad medium: *Logica* (inquit) *principaliter eſt de ſecundis intentionibus* &c. *ideo Auicenna dicit, quod logica eſt de ſecundis intentionibus adiunctis primis.* A qua nullus diſſentiri poteſt: quia logicus agit de modo ſciendi obiectiuo vt eſt ſubiectum, prædicatum, definitio, definitum, ſyllogiſmus &c. ſed hæc omnia conueniunt modo ſciendi obiectiuo, vt afficitur formali. ergo. Probo minorem, quia à parte rei non eſt formaliter ſubiectum, genus, nec ſpecies. ergo. Et quamuis definitio habet ex ſe realem identitatem cum definito, tamen eſſe definitionem & definitum, præmiſſam & concluſionem, eſt formaliter à modo ſciendi formali: definitio enim obiectiua eſt obiectum clarè cognitum per genus & differentiam: definitum autem eſt idem obiectum confusè cognitum.

Dico quartò. Neque de modo ſciendi formali dialecticus agit niſi comparatione, & cum ordine ad obiectiuum. Nam logicus conſiderat modum ſciendi formalem, vt eſt affirmatio aut negatio ſubiecti de prædicato: definitio aut definitum; diuiſio & ſyllogiſmus: hæc autem omnia ſunt comparatione obiecti affirmatio aut negatio, &c. Immo quamuis multa prædicata conueniunt ſoli modo ſciendi formali, ſemper tamen eſt vt explicemus quid habeat comparatione obiectiui: vt cum dicitur definitio, oratio explicans naturam rei. Quando verò dialectici longè diſputant de verbo mentis, de veritate aut falſitate, aliiſque eiuſmodi, id non efficiunt more dialectico; ſed animaſtico: ex qua facultate multa dialecticus mutuatur; non aliter ac architectus à Philoſophia. §.96.

Dico quintò. Adæquatum obiectum & immediatum logicæ ſunt modus ſciendi formalis & obiectiuus. Quæ doctrina noua non eget probatione: quia obiectum adæquatum immediatum alicuius facultatis eſt obiectum adæquatum immediatum omnium eius actuum: ſed omnium actuum dialecticæ obiectum adæquatum & immediatum ſunt modus ſciendi formalis & obiectiuus. ergo. Probatur minor, quia aliqui actus contemplantur immediatè modum ſciendi formalem; aliqui obiectiuum præter quos nihil contemplatur dialecticus. ergo omnes actus dialectici ſunt de modo ſciendi formali & obiectiuo. §.97.

Rogas, vtrum entia rationis ſpectent ad obiectum logicæ? Vt reſpondeam, pono ens rationis conſiderari poſſe vt formam conſtituentem ſecundam aliquam intentionem generis, ſpeciei &c. in hac conſideratione reiici ens rationis à logicæ obiecto. Conſiderari item poteſt ens rationis vt obiectum ſecundæ intentionis, quod denominari poſſit genus, ſpecies, ſubiectum, prædicatum, &c. Sic ſpectat ad logicum vt quodlibet aliud obiectum. Qua autem ratione conueniat ens rationis cum ente reali in ratione cognoſcibilis, oſtendam diſputatione 4. §.98.

SECTIO VI.

Quid ſit in modo ſciendi formali id quod logicus immediatè conſiderat.

SOlet à dialecticis diſputari quid ſit logicum artificium in modo ſciendi formali conſideratum à logico, quod artificium appellari conſueuit paſſiua directio actuum. Prima ſententia docet hoc artificium eſſe ens rationis: quia ex duobus actibus intellectus poſſunt diuerſæ concluſiones inferri: vt in prima figura & modo infertur directè concluſio affirmatiua vniuerſalis, indirectè verò particularis. Hoc tamen fundamentum eſt omnino nullum: quia ſi agitur de virtute illatiua, non diſtinguitur ab vtraque præmiſſa: quia quæ cognoſcuntur eſſe eadem vni tertio, habent vim, vt cognoſcantur eſſe idem inter ſe. Si autem agitur de illatione actuali, Reſpondeo illam eſſe præmiſſis denominationem extrinſecam, §.99.

quem

quemadmodum ſoli illuminatio & calefactio: Philoſophus autem contemplans conceptum agentis in actu ſecundo, non contemplatur ens rationis.

§.100. Deinde curta eſt hæc ſententia: concluſio enim demonſtrationis non minus ſpectat ad logicum quàm præmiſſæ: ſed concluſio illata ex præmiſſis nec eſt ens rationis, neque illo conſtituitur in ratione concluſionis: ſicut calor ſine vllo ente rationis oritur à ſole & amor ex cognitione. ergo artificium logicum non eſt vniuersè ens rationis. Adde definitionem ſuo etiam artificio gaudere, nec tamen illa ratio entis rationis in ea reperitur. item quia vno actu poteſt cognoſci totus ſyllogiſmus obiectiuus: qui tunc ſeruat leges dialecticæ: nec tamen eſt indifferens vt inde diuerſi inferantur actus. ergo artificium ſyllogiſticum vt ſic non conſtituitur illo genere entis rationis. Tandem, quia nullus dixit (nec potuit) Philoſophiæ moralis obiectum formale eſſe ens rationis, ſed actus voluntatis exercendos ex ratione recta: ergo neque logicæ obiectum erit eiuſmodi ens rationis: quia ſunt actus exercendi ex arte certa.

§.101. Secunda ſententia eſt, actus intellectus eſſe obiectum materiale dialecticæ: formale autem & proximum eſſe modum realem ab illis diſtinctum. quemadmodum obiectum proximum architecti eſt lapidum diſpoſitio; lapides autem ipſi ſunt obiectum remotum. Mouentur primò, quia diſpoſitio architectica eſt modus diſtinctus à lapide & ligno: ergo diſpoſitio logica erit etiam diſtincta ab actibus diſpoſitis. Nego conſequentiam: lapides enim & ligna conſtitui debent diuerſis in locis, ad quos egent vbiquatione diuerſa. quemadmodum ea egent independenter ab ædificio: vt enim lapis poſſit eſſe in eo loco vbi nunc habet rationem fundamenti in ædificio, non eſt opus vt illi reliquum ædificium imponatur: at verò vt ſit ibi, indiget ſemper vbiquatione eum ad illum locum adſtringente: ergo ille modus non eſt diſtinctus ratione artificij, ſed ratione loci. actus autem intellectus ſunt ſemper in eodem loco penetrati, quare ad rationem ſui artificij ſunt independentes à diuerſa loci poſitione.

§.102. Secundò mouentur, quia poſſunt actus reperiri ſine artificio, ergo ab eo diſtinguuntur. Nego antecedens: quamuis enim maior propoſitio poſſit eſſe abſque minori; & hæc abſque illa; & quando ſunt ſeparatæ, non habeant vim ſyllogiſticam; tamen ſi vtraque ſimul exiſtat, non poſſunt ſeparari ab artificio logico, quia vtraque per ſuam entitatem ſine aliquo diſtincto habent neceſſariò vim ſyllogiſticam ad concluſionem inferendam. itaque artificium logicum præmiſſarum ſunt ipſæ duæ præmiſſæ. Vnicuique autem hoc artificium eſt partim intrinſecum, partim extrinſecum: vt de ſimilitudine & omni ratione prædicamentali oſtendam diſputatione 15. metaphyſicæ ſectione 2. & 3.

§.103. Hæc ſecunda ſententia impugnatur primò, quia definitio fit ex logicæ præceptis, nec tamen habet artificium à ſe diſtinctum: ergo. Probo minorem, quia præcisè quod actus clarè repræſentent genus & differentiam obiecti, eſt definitio ex logicæ præceptis: ſed repræſentare genus & differentiam obiecti conuenit actui per ſuam eſſentiam ſine modo diſtincto: ergo eſſe definitionem ex logicæ præceptis non addit modum diſtinctum. Huic autem habitui ſic definienti nihil intrinſecum appingit logica cognitio, hæc enim contemplatur definitionis eſſentiam. Quod autem ex hac contemplatione fiat definitio, eſt denominatio extrinſeca. quemadmodum actiones voluntatis exerceri ex præcepto Philoſophiæ moralis, nihil addit actibus ipſis.

Secundò, quia duæ præmiſſæ in primo modo §.104.
& figura per ſuas entitates habent vim ad inferendam neceſſariò concluſionem: ſed artificium ſyllogiſticum nihil eſt præter duas præmiſſas inferentes neceſſariò concluſionem. ergo. Minor patet, quia totum artificium logicum eſt ad rectè definiendum, diuidendum, & arguendum: quemadmodum artificium architecticum eſt ad rectum ædificium. Maior probatur: quia tota vis ſyllogiſtica nititur huic principio, *dici de omni, dici de nullo*: qui enim affirmat duo extrema creata eſſe idem alicui tertio, non poteſt negare eadem eſſe idem inter ſe: ſed per duas illas præmiſſas dicuntur extremitates eſſe idem cum medio: ergo per illas ſine aliquo modo diſtincto habent intellectus neceſſitatem aſſentiendi concluſioni, & conſequenter totum artificium ſyllogiſticum. idémque comperies in diuiſione & quouis alio modo ſciendi: nam cognito homine & leone vt partibus ſubiectiuis animalis, diuidimus animal ipſum: hæc autem fiunt per ipſorum actuum eſſentiam. ergo ratio diuiſionis non conſtat artificio diſtincto ab actu diuidente.

Adde, modum ſciendi non rarò conſtare vno §.105.
ſolo actu: qui non poteſt habere rationem illam artificij: quia ſe ſolo habet totam rationem modi ſciendi. Et quamuis huic ſecundæ ſententiæ daretur artificium illud diſtinctum à modo ſciendi; adhuc actus intellectus non eſſent remotum dialecticæ obiectum. Primùm, quia architectura non agit remotè de lapidibus: hæc enim propoſitio, *Lapis iaciendus eſt in fundamentum*, lapidem attingit immediatè. Secundò, quia infinita dialecticæ præcepta cadunt immediatè in ipſos actus, verbi gratia, *definitio eſt oratio explicans naturam rei: genus prædicatur de pluribus*. quamuis enim actus egerent aliquo modo à ſe diſtincto, negari non poteſt eos ſua entitate eſſe & explicationem & rationem prædicandi obiecti. Alia argumenta recognoſce diſputatione 7. de anima ſectione 6. Igitur actus fieri ex logica directione eſt illis extrinſeca denominatio ab ipſa arte logica.

Tertia ſententia fatetur artificium logicum non §.106.
diſtingui à modo ſciendi formali, neque illi addere niſi denominationem extrinſecam: aſſerit tamen dialecticæ munus eſſe dirigere actus intellectus. Explicat autem hanc directionem exemplo architecturæ, quæ docet componere lapidem cum calce & ligno, cæteráſque partes ædificij: ita diſtinguit hæc ſententia actum ſubiecti ab actu prædicati, & vterque ab vnionis actu, docétque dialecticus componere actum ſubiecti cum aliis duobus: itaque logicum artificium eſt aggregatio plurium actuum, quibus componitur aliquis modus ſciendi: ſicut artificium architecticum eſt aggregatio plurium rerum, quibus ſtruitur ædificium. Argumentum huius ſententiæ eſt, quia logica non conſiderat actus intellectus ſecundùm ſuam eſſentiam, neque ſecundùm aliquem modum ab ipſis diſtinctum: ergo ſecundùm hanc rationem entis per accidens.

Hæc ſententia rectè explicaret dialecticæ obie- §.107.
ctum,

ctum, niſi falſo niteretur fundamento. Oſtendam enim diſputatione 7. de anima, ſectione 2. iudicium eſſe vnam ſimplicem qualitatem; & quamuis nonnulli philoſophi illud componant ex tribus actibus, nullus tamen negat illud eſſe poſſe vnam ſimplicem qualitatem. Pone igitur definitionem compoſitione carentem, illa eſt verè modus ſciendi, quia eſt ignoti manifeſtatiua, & oratio explicans naturam rei: ſub quo conceptu non ſpectat ad animaſticum, qui nihil curat vtrùm actus terminetur ad genus, vtrùm ad differentiam: ſpectat ergo ad logicum. at non ſub iſta collocatione plurium actuum. ergo hæc non eſt ratio communis dialecticæ. Adde hanc ſententiam veram eſſe in ſyllogiſmo, cum primum apprehenditur totum obiectum: tunc enim realiter diſtinguuntur tres illius propoſitiones: ſi autem admittamus, poſſe totum ſyllogiſmum obiectiuum vno actu cognoſci, non habet locum hæc ſententia. Vt autem dialecticæ defendamus obiectum, non ſumus adſtringendi vni ſententiæ minus communi minúſque probabili.

§.108. Quapropter opinor ipſam ſubſtantiam actuum intellectus eſſe logicæ obiectum; non tamen eam conſiderando quid ſit, quas habeat proprietates, quam dependentiam à cauſis, &c. ſed illam conſiderando vt præcisè denominat *obiectum, genus, differentiam, ſubiectum, prædicatum, maiorem, minorem, &c.* Multæ ex his prædicationibus addunt aliquid extrinſecum ipſis actibus intellectus, verbi gratia, in ſyllogiſmo, propoſitionem maiorem eſſe partem ſyllogiſmi dicit denominationem intrinſecam conſiſtentem in ipſa entitate maioris, & connotat denominationem extrinſecam ab exiſtentia minoris. Sæpe autem non addit aliquid extrinſecum, ſed eſt ſola actus eſſentia vt repræſentat & denominat obiectum ſecundò intentionaliter. Exempli gratia, docet dialecticus definire: ad quod neceſſarij ſunt actus de genere & differentia: ſiue enim hi actus plures ſint ſiue vnus, ſemper obiectum eſt cognoſcendum per genus & differentiam, alioquin non definitur obiectum: idémque dixerim de quouis alio modo ſciendi. Quapropter aſſerui §. 96. dialecticum non agere de modo ſciendi formali, niſi vt denominat obiectum, & comparatione ipſius. Itaque logicum inſtitutum eſt docere, definire, diuidere, & argumentari, non ſolum paſſiuè, vt ex Patre Rubio obieci §.73. ſed etiam actiuè, vt ſæpius oſtendi ſectione 4. & 5. ſiue autem definitio, & diuiſio conſtentur ex pluribus actibus vel vno ſolo, paruum intereſt logici inſtituti: qui enim vno actu cognoſcit genus & differentiam obiecti, illud tam bene definit, quàm qui duobus: coniungit enim genus & differentiam obiecti, ſeruátque rectæ definitionis leges, quas Animaſticus non conſiderat, neque curat qua ratione coniungenda ſint obiecta plura ad explicandum aliud.

§.109. Obiicies: ergo logicus agit de actibus intellectus ſecundum ſe. Probo conſequentiam, quia eſſe repræſentationem obiecti eſt eſſentiale cognitioni vt ſic. Nego conſequentiam, quia tota dialectica doctrina habet pro obiecto adæquato tributionis demonſtrationem: agit igitur de definitione, vt cum illa componat demonſtrationem: de diuiſione autem, vt per ſyllogiſmos certos definiatur obiectum, & eius attributa noſcantur: ſyllogiſmus autem eſt trium actuum aggregatio: quos nihil addere niſi mutuam denominationem extrinſecam vnius ab alio iam oſtendi, ſicque locutus ſum §.78. ex quibus patet ad argumentum ex §. 106. Itaque Animaſticus agit de his actibus cum independentia vnius ab alio, & ſine ordine ad oſtendendum vnum obiectum ex alio: dialecticus autem è conuerſo. Quod rectè explicatur exemplo Philoſophiæ & architecturæ. Aduerte tamen non poſſe dialecticum omnino abſtinere ab aliqua cognitione quidditatiua actuum intellectus: qui enim conſiderat modum ſciendi eſſe manifeſtationem obiecti, attingit eſſentiam illorum actuum, quibus ea manifeſtatio eſt eſſentialis, idque in omni ſententia: quia hæc eſt logica prædicatio, *actus circa prædicatum affirmat aliquid de ſubiecto:* cum tamen ea affirmatio ſit de eſſentia eius actus. Ratio à priori, quia logicus conſiderat manifeſtationem vnius obiecti ex alio, quæ manifeſtatio eſt eſſentialis actibus ipſis, quo differt logicus ab architecto: lapis enim eſt ſine tranſcendentali ordine ad lignum. Quid autem ſit propoſitionem in ſyllogiſmo eſſe maiorem aut minorem, oſtendam diſputatione 10. ſectione 11.

Quod ſi vrgeas, poſſe demonſtrationem vno §.110.
ſimplici actu conſtare. Reſpondeo illam etiam eſſe logicæ obiectum partiale: quia quamuis eſſe maiorem, minorem, &c. non habeat formaliter, habet tamen eminenter dum terminatur ad ſyllogiſmum obiectiuum. hunc enim eſſe virtualem diſcurſum oſtendi diſputatione 39. de fide §. 5. item ad concludendum effectum per cauſam, vel cauſam per effectum idem præſtat ille actus, ac ſi eſſet diſcurſus formalis. Quia igitur ille actus attingit obiecta tria cum dependentia tertij à duobus primis, ideo tenetur legibus dialecticæ, ſub qua conſideratione non attingitur ab animaſtico. Itaque actus etiam ſi ſecundùm ſuam ſolam quidditatem ſine modo diſtincto manifeſtant vnum obiectum ex alio, aut ſunt ad id vtiles, ſpectant ad logicum, qui non conſiderat actus ſecundùm ſe etiam in ordine ad obiectum, id eſt non conſiderat qualem habeant ab illo dependentiam: id enim phyſicus contemplatur: ſed materialiter conſiderat illam eſſentiam. qua ratione vnum obiectum manifeſtat ex alio, ſiue id fiat vno, ſiue pluribus actibus.

SECTIO VII.

Vtrùm modus ſciendi formalis tractetur per attributionem ad obiectiuum.

NVnc diſquirimus quodnam ſit logicæ attri- §.111.
butionis obiectum. Conſtat ex dictis, vtrumque modum ſciendi eſſe proprium logicæ obiectum, alterum tanquam formam denominantem, alterum tanquam ſubiectum denominatum. Inquirendum nobis eſt, vter ex iſtis ſit obiectum attributionis, & finis vltimus? In quo poteſt eſſe diſſenſio. Eſt igitur quæſtio an modus ſciendi formalis referatur ad obiectiuum tanquam ad finem? an verò è contra obiectiuus ad formalem? Prima ſententia eſt, modum ſciendi obiectiuum eſſe finem vltimum. Probatur primo; quia obiectum eſt finis actus; ergo modus ſciendi obiectiuus eſt finis formalis. Probatur antecedens, quia actus ſunt propter obiecta, & non è contra obiecta propter actus, ſed id, propter quod eſt aliquid, eſt finis illius, ergo obiectum eſt finis actus. Probatur maior, quia actus ſunt quædam viæ, & tendentiæ

tendentiæ ad obiectum tanquam ad terminum, terminus autem eſt finis viæ, & propter quem eſt via. Ergo actus intellectus ſunt propter obiecta. Secundo, quia Deus eſt vltimus finis hominis, & non viſio beata. Nam finis hominis eſt infinitus, ratione cuius infinitatis nullis creaturis homo poteſt eſſe contentus, ſed eadem eſt proportio inter cæteros actus,& ſua obiecta. ergo obiecta ſunt finis actuum.

§.112. Secunda ſententia affirmat, finem vltimum eſſe ipſos actus intellectus. Probatur primo in communi, quia in reliquis ſcientiis, quod intendimus, eſt noſtri intellectus perfectio, ſed obiectum ipſum non eſt perfectio noſtri intellectus, ſed ipſi actus; ergo finis vltimus aliarum ſcientiarum non eſt obiectum, ſed ipſi actus, ergo idem erit in logica. Probatur minor, quia obiectum ſecundum ſe non perficit intellectum, ſed vt cognitum; ergo tota ratio perficiendi conſiſtit in cognitione. ergo tota perfectio eſt ipſa cognitio. Secundo in particulari, quia logica eſt ars, ergo habet aliquod opus, ad quod dirigat tanquam ad finem: ſed hoc opus non eſt modus ſciendi obiectiuus, ſed formalis, ergo modus ſciendi formalis eſt finis extrinſecus logicæ. Probatur minor. Quia modus ſciendi obiectiuus non efficitur ab intellectu,ſed cognoſcitur. Dices, obiectum ipſum denominari diſpoſitum,& factum ab ipſa diſpoſitione modi ſciendi formalis. Contrà,ergo ipſum obiectum,vt diſpoſitum,eſt finis. Ergo ipſa diſpoſitio eſt vltimus finis ſaltem vt *quo*. Hæc autem diſpoſitio eſt modus ſciendi formalis. Ergo hic eſt obiectum extrinſecum ſaltem vt *quo*.

§.113. Huius quæſtionis vberior explicatio non ſpectat ad logicum. Breuiter tamen dico, neque obiectum eſſe finem actus, neque actum obiecti, ſed ex vtroque integrum conflari finem. Alterum vt finem *qui*, alterum vt finem *quo*. Ad eum modum quo de obiecto ſuprà dixi. Nec enim ſolum obiectum intenditur à ſciente, neque actus ſolus, ſed vtrumque. Neutrum verò ad aliud ordinari inde patet; nam,quando ex duabus rebus efficitur vnus vltimus finis,vtraque eſt vltima in ſuo genere,alioquin non fieret vnus finis ex illis: at ex obiecto, & actu vnum integrum conflari finem, primò probant vtriuſque ſententiæ rationes.

§.114. Secundò, quia obiectum per ſe, præciſo actu, non perficit intellectum. Actus autem non reddit illum ſcientem, niſi reſpiciendo ipſum obiectum tanquam terminum; ergo ex actu, & obiecto efficitur vnus vltimus finis, in quo ipſe actus habet rationem finis *quo*, obiectum autem finis *qui*.

§.115. Ad primum primæ ſententiæ reſpondetur,actus non eſſe propter obiecta tanquam propter finem: ſed ly *propter* ſignificare, actum eſſe repræſentationem obiecti, & ab illo ſumere ſpeciem; ſicut potentia dicitur eſſe propter actus,quamuis actus non eſt finis potentiæ, ſed potius è contra potentia eſt finis actus. Item via dicitur non propriè, ſed analogicè,quia vnit obiectum cum potentia, quæ medio actu in illud dicitur tendere.

§.116. Ad ſecundum reſpondetur, vtrumque eſſe hominis finem. Deum quidem obiectiuum, & *qui*; viſionem verò finem formalem, & *quo*. Nam Deus homines beat, vt obiectum beatitudinis, & viſio beat,vt beatitudo,& tanquam ratio formalis beandi. Itaque viſio cum Deo, & Deus cum viſione faciunt hominem beatum, & conflant vnum vltimum finem homines beantem. Ad probationem reſpondetur, hominis vltimum finem *qui* & obiectiuum, eſſe infinitum, cuius infinitudo cum ſui clara viſione appetitum ſatiat humanum. De quibus egi diſputationibus de ſpe.

Ad tertium reſpondetur, artem realem vt factibilem,verſari circa opus inanime,& non reſpiciens alios terminos,aut obiecta; logicam verò reſpicere opus ex ſua natura repræſentans obiecta, cum quibus vnum integrum finem conſtituit. §.117.

Ad primum ſecundæ reſpondetur, eo ipſo, quod quærimus actuum perfectionem, nos etiam quærere eorum actuum obiecta, quia ſine obiectis non poſſumus actus habere. Ad ſecundum, nihil probat, niſi modum ſciendi formalem eſſe finem *quo*, ſiue rationem formalem conſequendi finem *qui*. §.118.

SECTIO VIII.

De adæquato obiecto attributionis dialecticæ.

CVm conſtet de adæquata materia totius dialecticæ, ea eſt comparanda vtra eius pars ſit finis aliarum, ad quam in eſſe ſcibili referantur cætera, quæ dialectica contemplatur. In qua controuerſia multorum ſunt examinandæ computandæque ſententiæ. §.119.

SVBSECTIO I.

Prima ſententia.

PRima ſententia docet, quatuor eſſe dialecticæ obiecta attributionis adæquata. Primum eſt propoſitio vt ſic: ſecundum, argumentatio vt ſic: tertium, modus ſciendi vt ſic: quartum, actus intellectus humani vt ſic,abſtracti ab apprehenſione & iudicio.Huius fundamentum eſt noua definitio obiecti attributionis: nempe illud eſſe, *in cuius natura, proprietatibus,cauſis, effectibus, partibus integrantibus, eſſentialibus, & ſubiectiuis cognoſcendis tota inſumitur ſcientia.* Itaque conſideranda eſt eſſentia propoſitionis,v.g. hæc eſt obiectum attributionis, quia per ſe primo conſideratur: obiecta autem illi attributa ſunt ſubiectum,prædicatum,vnio,terminus in communi, modus ſciendi in communi & in particulari; quia terminus, & vnio ſunt partes illam intrinſecè componentes; terminus autem vt ſic,ſiue actus intellectus vt ſic,eſt illius logica pars; modus autem ſciendi eſt eius ſpecies, &c. §.120.

Cum autem nihil dialecticus tractet quod aliqua ex his rationibus non ſpectet ad propoſitionem; hæc eſt adæquatè obiectum dialecticæ. Etenim termini & eorum vnio ſunt partes componentes intrinſecè propoſitionem. Definitio autem & cæteri modi ſciendi ſunt partes ſubiectiuæ propoſitionis: nihil denique eſt quod non ſit propoſitio aut aliquid illius. Cum item modus ſciendi in commune includat propoſitionem, eiúſque terminos, propoſitio eſt aliquid illius, ac propterea eſt etiam modus ſciendi obiectum cui attribuitur propoſitio. Item ad argumētationem deducuntur propoſitio & modus ſciēdi,quia hic includit propoſitionem & modum ſciendi:quia verò modus ſciendi eſt ſpecies intellectionis vt ſic, & nihil tractatur in logica, quod non ſit actus intellectus, hic propterea eſt adæquatum etiam obiectum logicæ attributionis.Dicuntur autem obiecta adæquata non quòd vnumquodque ita ſit, vt præter illud non ſit aliud: ſed quòd vnumquodque ſibi vendicet attributionem cæterorum. §.121.

§.122. Hæc ſententia nititur definitioni obiecti attributionis neque communi, neque bonæ. Non communi: quia vt conſtabit diſputatione prima metaphyſicæ à §. 28. obiectum attributionis eſt finis extrinſecus totius facultatis ad quod in eſſe ſcibili cætera referuntur, id eſt, vt eius perfectior notitia habeatur. Itaque perfecta cognitio obiecti attributionis eſt finis cognitionum de cæteris obiectis. Vnde primùm hanc ſententiam impugno: quia iſtæ cognitiones non poſſunt eſſe mutuo finis, quia non eſt mutua cauſalitas maximè in eodem genere: cum verò de propoſitione v.g. vna ſit cognitio ſpecie in logica, & alia de termino vt ſic, non poſſunt eſſe mutuo vtiles: quia quæ primum comparata eſt, fuit independens à ſecunda: ac propterea ſecunda non potuit eſſe medium ad primam. Quia verò hęc ſententia hanc mutuam attributionem non conſtituit in cauſalitate finali, ideo ab hoc argumento ſuperſedens alia percurram.

§.123. Definitionem hanc impugno, quia non conſtituit attributionem obiecti in cauſalitate finali. quod eſt contra Ariſtotelem, ſanctum Thomam, & alios, quos recenſebo diſputatione prima metaphyſicæ §. 29. & 30. quod quidem eſt perabſurdum. Cum enim de eo genere obiecti ſit multis ab hinc ſæculis diſputatum, non eſt nunc definiendum. Alioquin niſi fixa teneatur definitio communis, non poterimus in obiectum attributionis conuenire.

§.124. Secundò argumentor, quia obiectum attributionis ſibi non vendicat, vt omnia eius facultatis obiecta ſint illius partes, proprietates, cauſæ aut effectus: ergo neque illa eſt ſufficiens definitio. Probo antecedens, quia ens reale vt ſic, aut ſubſtantia, aut Deus, ſunt adæquatum obiectum attributionis metaphyſicæ, cum tamen ens rationis de quo metaphyſicus agit, nullius entis realis ſit effectus, cauſa, pars, aut proprietas: ergo poteſt aliquod obiectum aliis attribui, quin ſit eius pars, cauſa, &c. Huic argumento ſolùm poteſt reſponderi, ens rationis ad metaphyſicum non ſpectare, ſed ad aliam facultatem diſtinctam, in quam paradoxam labitur neceſſario hæc ſententia propter ſingularem definitionem obiecti. Commune autem adagium fert, Contrariorum eandem eſſe diſciplinam; & quidem erunt iam plures partes Philoſophiæ. quia hæc de ente rationis vt ſic non eſt logica, vt oſtendi; nec eſt phyſica, quæ contemplatur ſubſtantiam corpoream; nec eſt metaphyſica, nec ſpecies mathematicarum eſt: ergo noua facultas.

§.125. Eius item abſurda indę patent, quod phyſicus agit de priuatione, quæ cum nihil ſit, nec eſt pars, neque cauſa, neque effectus ſubſtantiæ corporeæ. Eſto tamen aliquo modo aliquid materiæ & generationis. De vachuuo agitur in Philoſophia: quod tamen nihil eſt corporis: ergo vel vachuuum non ſpectat ad phyſicum, vel eſt obiectum corpori attributum, quin ſit eius pars, cauſa aut effectus. Idem patet in Theologo agente de vera & falſa diuinitate, falſa autem nihil eſt Dei veri: cum tamen hic ſit adæquatum obiectum attributionis Theologiæ. In vnaquaque ergo facultate agitur de ente & eius oppoſito, vt in Theologia de virtutibus & vitiis; de gratia & peccato: quia obiectum attributionis cognoſcitur perfectius per comparationem ad ſuum oppoſitum.

§.126. Tertia, quia in metaphyſica eſſent plura obiecta adæquata quàm philoſophi cognouerunt. Etenim eſſent eius obiectum attributionis ens vt ſic, Deus, ſubſtantia completa, ſubſtantia ſpiritalis completa, accidens vt ſic, accidens ſpiritale vt ſic, accidens ſpiritale Angelicum. Denique omne ens reale, de quo logicus agit, eſſet obiectum adæquatum metaphyſicæ. Probatur apertè, quia ſicut actus intellectus vt ſic eſt genus modo ſciendi, & per ſe tractatur à logico; ita & ens vt ſic comparatum metaphyſico. Ens autem vt ſic comparatur ad ſubſtantiam, & accidens vt ſic, non aliter ac intellectio comparatur propoſitioni & modo ſciendi, Deus autem tractatur à metaphyſico, cætera autem eius facultatis obiecta realia ſunt aliquid Dei. Angelus autem & prædicata communia, & accidentia omnia, & Deus ipſe, ſunt aliquid Angeli. Deus enim illius eſt cauſa. Hæc & alia poſſunt abſurdè deduci contra hanc ſententiam.

Imò & in ipſa logica ſunt alia plura obiecta quatuor ſignatis hac ſententia: ſubiectum enim propoſitionis vt ſic erit etiam logicæ adæquatum obiectum: quia eſt ſpecies intellectionis, & cætera logicæ obiecta ſunt aliquid ipſius. Prædicatum enim aliquid eſt ſubiecti, vnio autem prædicati & ſubiecti aliquid ſubiecti eſt. Tota autem propoſitio aliquid ſubiecti eſt: tum quia nihil eſt præter ſubiectum, prædicatum & vnionem, quæ ſubiectum ſunt & aliquid ſubiecti. Idem dixerim de modo ſciendi; qui cum ſpecies ſit propoſitionis, aliquid ſubiecti eſt vt eſt ipſa propoſitio. Item idem argumentum eſt de prædicato, idémque de vnione: Prædicatum enim & ſubiectum aliquid vnionis ſunt, quia ſunt eius extrema. Idem dixerim de propoſitione maiori: idem item de minori: & idem de concluſione. Præmiſſæ enim aliquid concluſionis ſunt, quia ſunt eius cauſa: Maior item aliquid eſt minoris, quia eſt comprincipium illius ad concluſionem: vixque eſt aliquid in logica, quod non ſit obiectum attributionis. Imò & actus vitalis vt ſic abſtractus ab intellectu & ſenſione erit obiectum attributionis logicæ, quia agitur de ſigno naturali vt ſic, & de apprehenſione obiecti, cuius ſpecies ſunt apprehenſiones & ſigna intellectualia. §.127.

Tandem neque modus ſciendi, neq; argumentatio erunt obiectum adæquatum logicæ: quia logicus agit de ſyllogiſmo fallace; qui nec eſt modus ſciendi, neque argumentatio cum potius ſit modus errandi & deficiendi ab argumentatione. Modus enim ſciendi eſt ignoti manifeſtatiuus: fallax autem argumentatio nō manifeſtat obiectum circa quod facit errare: Argumentatio autem eſt ſeductio vnius ex alio: quæ autem argumentationis leges non tenet, nihil colligit ex obiecto propoſito, ideóque facit errare, quia non colligit cum colligere videatur. Et quemadmodum nihil colligitur, nec fit abſolutè ſyllogiſmus ex quatuor terminis, aut ex duobus, neque ex puris particularibus aut ex puris negatiuis: ita nulla eſt argumentatio abſolutè niſi ſeruet argumentationis leges. Mitto alia quàm plura contra hanc ſententiam, quæ præſto occurrent ſtudenti. §.128.

SVBSECTIO II.

Neque argumentatio, neque modus ſciendi vt ſic, ſunt obiectum adæquatum attributionis.

VAriè opinantur authores de obiecto adæquato attributionis; quos referunt Patres Conimbricen §.129.

nimbricen

nimbricenſes quæſt. 5. proœmiali artic.2. Albertus magnus, quem ſequuntur Sotus quæſt.5. concluſione 2. aliique Thomiſtæ ſenſerũt adæquatum obiectum logicæ eſſe argumentationem: quibus fauiſſe videtur Auguſtinus adductus §. 77. appellãs dialecticam artem diſputatoriam. Maſius verò ſectione 1. quæſt.12. proœmiali concluſ. 7. Pater Rubius quæſt. 6. num. 21. & alij eam ſententiam impugnant, & conſtituunt adæquatum obiectum logicæ modum ſciendi in cõmune. Quibus etiam fauiſſe videtur ſanctus Auguſtinus, compellans diſputationem diſcretionem veri à falſo: hæc autem diſcretio eſt modus ſciendi, quo manifeſtantur ignota.

§. 130. Hæc ſententia bifariam poteſt intelligi. Primùm, vt per argumentationem, & modum ſciendi in commune intelligamus non ſolum conceptum communem argumentationis vt ſic, ſed etiam omnes eius ſpecies, nempe ſyllogiſmum, demonſtrationem, &c. In quo ſenſu ſubſectione 3. examinanda eſt hæc ſententia. Secundò vt per argumentationem in commune intelligamus conceptum argumentationis vt ſic; qui ſit obiectum attributionis omnium argumentationum in ſpecie, & cæterorum, de quibus logica diſſerit. In quo ſenſu impugnatur hæc ſententia. Primùm, quia eadem ratione poſſemus dicere, enunciationem vt ſic eſſe dialecticæ obiectum; quia omnia de quibus logica diſſerit, aut ſunt propoſitio, aut eius intrinſecæ partes, aut ſpecies: non aliter ac per te ſunt partes aut ſpecies argumentationis: ergo eadem ratione enunciatio erit obiectum dialecticæ, qua per te argumentatio.

§.131. Quod ſi obijcias, argumentationem vt ſic perfectius explicare finem dialecticæ, quàm enunciationem; quia diſputare nõ ſolum eſt aliquid enunciare, ſed etiam illud argumentatione probare: Reſpondeo eadem ratione concludi, nec argumentationem eſſe dialecticæ obiectum, ſed potius modum ſciendi: quia diſcretio veritatis (quæ ex ſententia Auguſtini eſt recta diſputatio) modus ſciendi eſt, & non quæuis argumentatio: ergo modus ſciendi erit obiectum logicæ.

§.132. Modum autem ſciendi in commune ſic impugno: quia eadem ratione poſſumus dicere argumentationem aut enunciationem eſſe logicæ obiectum: quemadmodum dixi de enuntiatione contra argumentationem. Quod ſi obijciatur, modum ſciendi eſſe finem à dialectica intentum: Reſpondeo dialectico menti eſſe non ſolùm ſcire ſed etiam rectè argumentari, imò & enunciationes efficere. Item inferendum inde obiectum dialecticæ futurum modum ſciendi in ſpecie, vt amplectitur definitionem, diuiſionem, & argumentationem: quia argumentatio vt ſic manca eſt, neque verum diſcernit à falſo niſi per modos ſciendi in ſpecie.

§. 133. Vtramque autem ſententiam à priori impugno: quia cognitio rationis genericæ refertur in eſſe ſcibili ad cognitionem de ſpecie: ſed argumentatio, & modus ſciendi in commune ſunt genus: definitio autem, diuiſio, & demonſtratio ſunt ſpecies: ergo cognitio de argumentatione & modo ſciendi refertur ad cognitionem definitionis, diuiſionis, & argumentationis. Probo maiorem, quia cõceptus genericus vtilis eſt ad perfectiùs cognoſcendam ſpeciem: quia cum hæc conſtet genere, & differentia, non poteſt cognoſci his ignoratis: conceptus autem genericus eſt independens à conceptu ſpecifico: ergo genericus refertur ad ſpecificum, & non è contra. Probo cõſequentiam, quia conceptus inutilis ad perfectiorem cognitionem alicuius obiecti, non refertur ad illud in eſſe ſcibili.

Secundò probatur: quia ſpecies perfectior eſt §. 134.
genere: ergo genus refertur ad ſpeciem, & non è contra. Tertiò à priori; quia cognitio partis refertur natura ſua ad cognitionem totius, non verò cognitio totius ad cognitionem partis: ſed genus eſt pars ſpeciei, hæc autem eſt totum metaphyſicum, idque ex natura ſua. ergo. Cui argumento reſponderi poteſt, genus eſſe totum poteſtatiuum reſpectu ſpeciei. Quam ſolutionem & eius impugnationem recognoſce diſputatione prima metaphyſicæ, §.86. 87. & 88. quibus adde eadem ſolutione probari enunciationem vt ſic eſſe dialecticæ adæquatum obiectum: quia enunciatio vt ſic eſt genus argumentationi modóque ſciendi, & totum poteſtatiuum illorum, & per ſe tractatur in logica: ergo eſt obiectum adæquatum illius. Probo conſequentiam, qua ratione tu probas tuam. Tandem logicus conatur perfectè ſcire ſpecies modi ſciendi: ergo ad hunc finem refert omnes cognitiones implicitè neceſſarias, quarum præcipua eſt cognitio de genere. Vt autem perfectè cognoſcat conceptum genericum, non pendet ab ſpecifico. De quo argumento plura dixi diſputatione prima metaphyſicæ, §. 89. His probari etiam poteſt, intellectionem vt ſic dirigibilem per logicam eſſe obiectum adæquatum attributionis.

SVBSECTIO III.

Definitio, diuiſio, & argumentatio non ſunt adæquatum Logicæ obiectum.

OPinantur alij, adæquatum logicæ attributio- §. 135.
nis obiectum eſſe modũ ſciendi qui amplectitur definitionem, diuiſionem, & argumentationem. Quæ docuit P.Suarez diſput.1. metaphyſicæ ſect. 4. à num.26. P.Fonſeca 2. metaphyſicæ cap.3. quæſt. 1. ſectione 5. Patres Conimbricenſes q. 5. artic.3. Maſius ſect.1. quæſt. 12. proœmiali, concluſione 7. quibus fauere videtur Toletus quæſt.5. eſtque ſententia cõmunior apud noſtros dialecticos, quam primum probant Conimbricenſes, quia in modo ſciendi cõperiuntur tres cõditiones obiecti adæquati: Primùm, quia modus ſciendi habet aliquam vnitatem qua definiri poſſit. Deinde, quia de nulla re agit dialecticus quæ non ſit definitio, aut diuiſio, aut argumentatio, vel eius pars, vt propoſitio & terminus, vel ad ipſum referatur vt prædicamentum. Quod argumentũ mutuati ſunt verbum pro verbo à Patre Fonſeca. Reſpondeo, modum ſciendi non eſſe tam perfectè vnum quàm eſt demonſtratio: ex quo capite in illam inclinari debent qui vnitatem exigunt in obiecto tributionis. Deinde cætera quæ tractantur in logica, referuntur quidem ad modum ſciendi demonſtratiuum: nam ad hunc definitio quoque, ac diuiſio referuntur: cum enim dialectica inuenta ſit, ad rationis vitia emendanda, nulla ratione id præſtatur melius quàm demonſtratione, per quam dialectica differt à cæteris facultatibus.

Secundò argumentatur ex parte artis practicæ, §. 136.
cuius materia eſt opus: ſed materia dialecticæ ex communi conſenſu eſt inſtrumentum, quo poſſimus diſertè diſſerere: ergo. Diſtinguo minorem, ſi loquamur de obiecto proprio, non ſolum modus ſciendi, ſed plura etiam à logico docentur: ſi autem loquamur de obiecto attributionis, opus dialecticum

cum eſt demonſtratio, cæteros ſciendi modos includens.

§.137. Tertium ipſorum argumētum, quia omnis diſſerendi forma aperiens ignotū ex notioribus participat rationem ſubiecti dialecticæ: ſed definitio, diuiſio, & argumētatio participant rationem aperiendi ignotum ex notioribus: ergo participant rationem ſubiecti dialecticæ. Probatur minor, quia definitio,& diuiſio manifeſtant definitum & diuiſum per eius partes: idque independenter mutuo & ab argumentatione. Etenim diuidere poſſumus obiectum & definire, quin ſyllogiſmum aliquem efformemus. Reſpondeo, quemlibet modū ſciendi participare rationem obiecti proprij logicæ; non tamen obiecti adæquati attributionis: ita tres hi modi ſciendi ſunt obiectum partiale proprium, non verò attributionis. Et quamuis poſſint exerceri diuiſio, & definitio, quin exiſtant in aliquo ſyllogiſmo, ſunt tamen vtiles ad illum: ratione cuius vtilitatis tractantur à dialectico: in quo eſt exemplum euidens ad hominem. Propoſitio enim diſtincta à definitione, & diuiſione, eſt obiectum partiale logicæ: exercerique poteſt independenter ab omni modo ſciendi; eſtque propoſitio multiplex, categorica, hypothetica, modalis,&c. quæ tamen ex his authoribus refertur ad modū ſciendi: vt ad obiectum attributionis: ergo quamuis definitio & diuiſio exerceri poſſint independenter à demonſtratione, poterunt ad illam referri.

§.138. Sed obijciunt definitionem & diuiſionem eſſe modos ſciendi expetibiles per ſe independenter à demonſtratione: ergo per ſe tractantur independenter ab illa. Diſtinguo tamen antecedens: ſunt expetibiles per ſe tanquam finis vltimus in quo animus conquieſcat, nego antecedens: ſunt expetibiles per ſe tanquam partes per ſe vtiles ad demonſtrationem componendam, concedo antecedens. Quemadmodum corpus & anima expetibilia ſunt per ſe, non tamen vt per ſe poſſideantur independenter à compoſito, ſed vt ſint in illo. Diſtinguo item conſequens: Per ſe tractantur à logico id eſt per propria ipſorum principia, concedo conſequentiam: Per ſe id eſt ſiſtendo in illis vt in vltimo fine, nego conſequentiam. Præter corpus & animam ſit nobis exemplo propoſitio, quæ per ſe expetibilis eſt & cognoſcibilis; cum tamen ab his authoribus referatur ad modum ſciendi: ergo eadem ratione imperfectus modus ſciendi poterit ad perfectionem reuocari.

§.139. Nos tamen vrgent: quia pars poteſt dupliciter ad compoſitum reuocari: primùm per ſe & ex natura ſua: vt corpus & anima ad hominem: ſecundo per accidens, vt lapis, & lignum ad ædificium. Primi generis pars refertur in eſſe ſcibili ex natura ſua ad compoſitum, vt corpus & anima ad hominem; genus,& differentia ad ſpeciem. Secundi generis pars non reuocatur ex natura ſua ad compoſitum, ſed tantum per accidens cum de illo compoſito tractatur: cum enim tractatur de ædificio, agitur de ligno & lapide comparatione ad illud: ita cum logicus agit de demōſtratione, aget etiam de definitione: tunc autem hæc refertur ad illam: at vero cum agitur de definitione ſecūdum ſe, non propterea refertur in eſſe ſcibili ad demonſtrationem. hoc argumento arbitrantur neotherici ſe ſatis eſſe vallatos.

§.140. Nec tamen aduertunt hoſtem intra vallum. Etenim propoſitio non refertur per ſe nec ex natura ſua ad modum ſciendi aliter ac definitio ad demonſtrationem; viderint ipſi qua ratione admitto propoſitionem referri per accidens ad modum ſciendi. Etenim ipſe eſt totum quoddam artificioſum integrum, atque completum, ex quo definitio, & quiuis modus ſciendi componi poteſt per accidens. Et tamen per hos authores exulat propoſitio ex obiectorum attributionis claſſe, eſtque attributa modo ſciendi, neque vnquam per ſe agitur de illa, quin referatur ad aliud: ergo ab aliqua ſcientia poteſt nō tractari aliqua pars, quæ in ſua entitate per accidens reſpiciat totum, niſi illam in eſſe ſcibili per ſe referendo ad tale compoſitum. Si autem dicant propoſitionem per ſe referri ad modum ſciendi, idem dixerim ego de definitione & diuiſione demonſtrationi comparatis.

Ratio à priori eſt, quia quod eſt per accidens obiecto, poteſt eſſe per ſe facultati de illo: quia facultas dicit ordinem eſſentialem ad rationem accidentariam obiecto: quod patet in arithmetica, quæ eſſentialiter conſiderat coniunctionem plurium vnitatum, de quibus diuerſi conſlantur numeri: hæc tamen vnitatum varia coniugatio accidentaria eſt vnitatibus ipſis. Idē cernitur in architectura, aliiſque facultatibus. Sic quamuis definitioni in ſua entitate conſideratæ eſſet accidentaria relatio ad demonſtrationem, tamen vt conſideratur à dialectico eſt cum illa relatione: quia artes practicæ habent pro fine opus perfectum, ad quod referunt imperfectiora, de quibus nullo modo agūt niſi cum ordine ad illud. Quod primum confirmo propoſitionis exemplo: quæ cum in ſua entitate per accidens referatur ad diuiſionem, tamen nunquam de illa à dialectico tractatur niſi cum ordine ad diuiſionem. Item in ſententia horum authorum logicus agit de nomine, verbo, ſubiecto, prædicato, oratione vt ſic, oratione imperfecta, aliiſque vocibus, quæ niſi per accidens non componunt propoſitionem modúmque ſciendi: nec tamen logicus illa conſiderat per ſe ſine relatione ad modum ſciendi: terminum etenim non tractat per ſe, ſed per propoſitionem quam per accidens componit. Quemadmodum grammaticus, & rhetor de illis agunt, non quidem vt in illis ſiſtant, ſed vt aut congruum ſermonem ſtruant, aut elegantem. Quod item maximè cernitur in facultate militari: doctrinæ enim equeſtris obiectum habet per ſe ſcitu dignum, nempe equorum vſum: quem tamen per ſe refert ad rectam compoſitionem totius exercitus & pugnæ: haſtiludia enim, torneamenta, equorum flexus, atque reflexus illos circum agere circis conatur eques ad ſtrenue imbuendum præceptis pugnæ. §.141.

Quæ quidem maximè confirmantur, quia in his facultatibus, quibus agimus de ente per accidens non inſtituuntur duæ tractationes de partibus obiecti adæquati. Philoſophia agit de ligno, & lapide ſecundum ſe; item & animaſtica de actibus intellectus, & voluntatis: at verò architectura agit de ligno, lapide, calce, & aliis non ſecundum ſe, ſed vt poſſunt ædificium componere: ita Logicus de actibus vt componunt modum ſciendi, moralis autem vt fiant ex recta ratione: at verò architectura non agit bis de ligno, & lapide; neque de pariete, aut pauimento, aut tecto. Non enim iam agit de pauimento independenter à domo, iam verò de pauimento cum relatione ad illam: ſed vna eſt communiſque tractatio pauimenti, atque parietis, quamuis per accidens in ſe referantur ad tectum, & reliquam domum. Quod euidenti argumento eſt, aut nunquam pauimentum aut parietem referri ad totam domum ex artis natura, aut referri ſemper. Sed negari non poteſt aliquando ex artis natura tectum atque parietem §.142.

rietem referri ad totam domum: referuntur ergo ſemper. Eadem autem ratione logicus non tractat bis de definitione ſed ſemel: quemadmodum de propoſitione, nomine, & aliis non tractat bis ſed ſemel: & tamen cum ſemel de his tractat, nomen attribuitur propoſitioni, & propoſitio modo ſciendi: ergo eadem ratione definitio attribuitur demonſtrationi. Ratio autem à priori eſt: quia definitio aliæque partes entium per accidens non habent diuerſa prædicata, quando ſecundum ſe tractantur, ac quando in toto compoſito. Quapropter cum aliquando ſint illæ partes ad totum compoſitum referendæ, tunc referuntur cum tractantur ſecundùm ſe. Ratio à priori eſt, quia ars vt eas referat ad totum compoſitum, non eget ex parte illarum niſi aptitudine ad illud: quam aptitudinem per ſe contemplatur, & expetit, ſiue illis ſit eſſentiale, ſiue accidentale: ars enim ex natura ſua non gaudet opere incœpto, ſed perfecto.

§.143. Solent item obiicere, à logica conſideratum iri definitionem, & diuiſionem, tametſi nulla ſit demonſtratio: ergo hæc non eſt finis cui definitio ſit attributa. Reſpondeo idem eſſe argumentum in propoſitione, nomine, & verbo: item in ſententia componenti iudicium ex tribus actibus. Quamuis enim impoſſibilis eſſet modus ſciendi, eſſet tamen poſſibilis propoſitio, ſubiectum, prædicatum, nomen, & verbum. ergo hæc ſunt obiecti attributionis, & iam non ſolus modus ſciendi. Quod ſi hoc argumento non vrgente adhuc hæc referuntur ad modum ſciendi, quid ni definitio ad demonſtrationem? Reſpondeo, ſi eſſet impoſſibilis demonſtratio; nec fore poſſibilem noſtrum intellectum, qui dicit ad illa eſſentialem ordinem, dependentem eſſentialiter ab illius poſſibilitate. Secundò reſpondeo: etiam ſi demonſtratio eſſet impoſſibilis, & eſſet poſſibilis noſter intellectus, non eſſet poſſibilis hæc logica: quia nec hæc definitio eſſet poſſibilis, quia ex natura ſua petit eſſe principium cognitionis de proprietate eſſentiæ quam definit: tùm etiam quia hæc logica eſt ex natura ſua propter demonſtrationem tanquã propter finem vltimum: non quod ſinguli actus dicant ordinem accidentalem ad demonſtrationem illam repræſentãdo adæquatè; ſed quia repræſentant aliquid ipſius actu, vel potentia, & quia ex natura ſua habet illam pro fine, quemadmodum habet etiam pro fine potentiam ipſam vitalem.

§.144. Exemplo propoſitionis quo ſæpe aduerſarios vrgemus, reſpondent Patres Conimbricenſes q. 5. art. 3. Propoſitio abſtracta à modo ſciendi non eſt ignoti manifeſtatiua: ac propterea ableganda eſt ab obiecto attributionis dialecticæ. Reſpondeo primùm, propoſitionem adductam in exemplum vt oſtendam aduerſantium argumenta nullius eſſe eſſe momenti: quia & eſt aliquid ſcitu dignum, & eſt per accidens pars modi ſciendi, ab eóque independens, & quæ per ſe poſſent conſiderari, tametſi modus ſciendi eſſet impoſſibilis: infringuntur ergo hoc exemplo omnia argumenta. Secundò reſpondeo non ſatis probari ab his authoribus quemcunque modum ſciendi eſſe obiectum attributionis: diuiſio enim imperfectè admodum eſt particeps modi ſciendi: & à ſimili argumento in propoſitione.

§.145. Dico igitur, modum ſciendi vt porrigitur ad definitionem, diuiſionem, & argumentationem, non eſſe obiectum adæquatum attributionis dialecticæ. Quæ concluſio ſatis conſtare videtur ex reſponſo ad tertium argumentum. Probatur, quia propoſitio non eſt obiectum attributionis dialecticæ: ergo neque diuiſio neque definitio. Probo conſequentiam, quia propoſitio tam eſt ſcitu digna quàm diuiſio: quia plurima præcepta ſunt de propoſitione & vtiliora quàm de diuiſione: vt conſtat ex ſummulis de propoſitione categorica, hypothetica, & modali: de illius quantitate, qualitate, & oppoſitione. Item per propoſitionem certi ſumus de proprietatibus obiectorum, quæ per ſe tam ſunt ſcitu dignæ quàm diuiſio obiecti: homo enim vt ſic diuiditur in Petrum, Paulum, & Antonium: homo item eſt riſibilis: certè tanti æſtimabit quilibet prudens noſſe per propoſitionem hominis riſibilitatem, quanti per diuiſionem noſſe Antonium. Fateor à me libentiùs conſtitutum iri obiectum dialecticæ eſſe omnem propoſitionem in ſpecie quàm ſolum modum ſciendi.

Secundò argumentor: quia dialectica eſt ars conſiderans propoſitionem & omnes modos ſciendi perfectos & imperfectos: ergo eos contemplatur cum relatione imperfectioris ad perfectiorem. Probo conſequentiam: quia artes inuentæ ſunt ad emendandos hominis defectus & vt totum hominem perficiant: hoc autem præſtatur non quolibet opere imperfecto, ſed perfectiſſimo. Quamobrem architectura non ſiſtit in hac aut illa parte ædificij, quamuis ex ſe pulchra, ſcitúque digna, ſed ad totam progreditur ſtructuram moliendam: quia ars ea inuenta eſt ad hominum ſalutem & commodum; quæ perfectè non adipiſcimur niſi toto ædificio perfecto: idémque comperies in cæteris actibus. Cum ergo tota perfectio intellectus neque ſit propoſitio, neque definitio, neque diuiſio, nec quælibet argumentatio, nulla ex his eſt obiectum attributionis dialecticæ. §.146.

SVBSECTIO IV.

Sola demonſtratio eſt adæquatum attributionis obiectum.

CEnſeo ſolam demonſtrationem vt amplectitur omnes demonſtrationum ſpecies, eſſe adæquatum attributionis logicæ obiectum. Quam ſententiam perſpicuè docuit Ariſtoteles ſexcentis in locis, aſſerens ſcopum ſibi propoſitum eſſe demonſtrationem. Quod negare non potuerunt aduerſarij. Aſſeruerunt tamen aliqui cum Patre Fonſeca periiſſe libros de definitione, & diuiſione: at certè non perierunt libri de interpretatione, de prioriſtica & analytica reſolutione, quos tamen Ariſtoteles ad demonſtrationem direxit. Qua propter aſſeruerunt alij Ariſtotelicæ logicæ attributionis obiectum eſſe demonſtrationem, non verò logicæ ſecundum ſe. Ariſtotelem imitantur Græci, Themiſtius, Simplicius, Philoponus, & alij ex recentibus non pauci, quibus lucem attulit inſignis theologus P. Vaſquez 1. parte, diſputatione 4. cap. 1. §.147.

Probatur primò, quia definitio refertur natura ſua ad demonſtrationem: ergo demonſtratio eſt obiectum attributionis. Probo conſequentiam, quia definitio eſt natura pars demonſtrationis. Cui argumento reſpõderi ſolet, definitionem non per ſe ſed per accidens ad demõſtrationem referri. Cui reſpondeo primò definitionem referri à logica per ſe ad demonſtrationem, quamuis definitio ſecundum ſe per accidens referatur ad demonſtrationem vt ad totum per accidens: vt cõſtat à §. 40. §.148.

Quod maximè debet ante oculos obuerſari : quia artes ex natura ſua referũtur ad perfectũ opus:hæc autem ars eſt rationalis ratione perficiens:quæ non perficitur adæquate,niſi per demonſtrationem.

§.149. Secundò reſpondeo, concluſionem non per accidens, ſed per ſe dicere ordinem tranſcendentalem ad demonſtrationem, quia ex natura ſua eſt illatiua concluſionis. Vt enim Angelus ex cognitione eſſentiæ deducit cognitionem attributi, ita definitio,quia quidditatiuè repræſentat eſſentiam, petit inferre cognitionem attributi. Quod ſi obiicias, definitionem dicere ordinem ad cognitionem proprietatis, non verò ad demonſtrationem, quia hæc conſtat alia præmiſſa ad quam definitio ordinem non dicit : Reſpondeo à nobis in via nullam proprietatem à priori cognoſci ſine duabus præmiſſis: Vnde ſi definitio petit eſſe principium cognitionis à priori de attributo, petit ex natura ſua coniungi cæteris comprincipiis, ſine quibus ea cognitio inferri non poteſt, è quibus eſt altera præmiſſa : à qua in actuali exiſtentia eſt independens definitio, non verò in poſſibili: quia alioquin non diceret definitio ordinem tranſcendentalem ad cognitionem de attributo : quia hæc eſſet impoſſibilis ſi impoſſibilis eſſet alia præmiſſa. Quod explico exemplo cauſæ partialis, quæ petit ex natura ſua compleri ad effectum alia cauſa compartiali; ſine qua nec effectus poteſt eſſe, neque vna cauſa partialis eſſet poſſibilis. exempli gratia, Oculus petit compleri per ſpeciem impreſſam ad videndum. Vnde concludo, definitionem non per accidens in ſua entitate, ſed per ſe & tranſcendentaliter referri & ad concluſionem demonſtratiuam vt ad effectum, & ad alteram præmiſſam vt ad compartem.

§.150. Secundò probatur à priori; quia ſola demonſtratio eſt finis vltimus logicæ per ſe vltimo expetibilis,ergo ſola demonſtratio eſt finis extrinſecus logicæ. Probatur antecedens primò ex parte ipſius intellectus humani, qui vna demonſtratione adæquatè, & completè perficitur: quæ demonſtratio triplicem operationem intellectus includit,& ſupponit; ſupponit quidem ſimplicem apprehenſionem, quæ omne iudicium præcedit, includit autem iudicium, & aſſenſum principiorum (ideſt præmiſſarum)& diſcurſum concluſionum: præter has operationes nullam habet intellectus humanus. Ergo demonſtratio eſt finis vltimus intellectus humani.Probo conſequentiã. Nam finis vltimus alicuius potentiæ eſt ille, in quo continetur adæquata illius perfectio. Secundò probatur ex parte ipſius obiecti,nam ille eſt finis vltimus potẽtiæ cognoſcitiuæ, per quam exhaurit, & percipit totũ obiectum. Sed intellectus humanus exhaurit, & percipit totum obiectum per ſolam demonſtrationem,ergo ſola demõſtratio eſt id,quod vltimò expetit intellectus humanus. Maior videtur certa; quia potentia cognoſcitiua appetit naturaliter ſuam operationem:& quo perfectior eſt operatio, eò vehementius illam appetit potentia : ergo cum potentia adipiſcitur totam perfectionem ſuæ operationis,in illa ſiſtit,& nihil vlterius appetit. Ergo potentia cognoſcitiua appetit vt vltimum finem illam operationem, in qua continetur adæquata illius perfectio, & per quam totum exhaurit obiectum. Probatur autem minor, ſcilicet per demonſtrationem totum exhauriri obiectum, & in illa contineri totam perfectionem intellectus, quia per demonſtrationem cognoſcimus naturam, & eſſentiam obiecti,item illius proprietates & attributa,item & omnes illius cauſas;ſed intellectus humanus adæquatè perficitur per cognitionem naturæ, & eſſentiæ obiecti, & per cognitionem illius proprietatum, & cauſarum. Item obiectum exhaurit per huiuſmodi cognitionem, quia nihil illius ſupereſt cognoſcendum; ergo intellectus humanus adæquate perficitur per demonſtrationem, & per illam totum exhaurit obiectum.

Confirmatur,quia quidditatiua, & propria hominis differentia, & perfectio eſt, eſſe cognoſcitiuum per diſcursũ ,hoc enim ſonat rationalitas:ſed eam virtutem diſcurrendi reducit in actum per demonſtrationem,ergo demonſtratio eſt propria hominis cognitio, & exercitium illius differentiæ eſſentialis, per ordinem ad quod exercitium ſumitur differentia eſſentialis hominis. Tunc ſic; ſed quæuis potentia amat tamquam perfectionem ſibi vltimò expetibilem illam operationem per ordinem ad quam conſtituitur eſſentialiter, vt negat nullus:ergo demonſtratio eſt, quod vltimò humanus appetit intellectus. §.151.

Iam verò probo, nihil præter demonſtrationem eſſe finem, quem per ſe primò aut vltimò logica doceat;nam poſita quacumq; alia cognitione naturali in noſtro intellectu, adhuc intellectus nõ quieſcit, ſed vlteriùs innititur ad demonſtrationem habendã;ergo nulla cognitio naturalis, præter demonſtrationem, eſt vltimò appetibilis ab intellectu. Conſequentia patet, quia in quo non ſiſtit intellectus, non eſt vltima perfectio illius, & niſi in vltima perfectione non poteſt ſiſtere, quia alia habita, adhuc nititur in eam, qua caret:vt lapis non quieſcit niſi in centro:nec voluntas niſi in vltimo ſuo fine. Antecedens probatur. Primò ex parte ipſius intellectus,quia in definitione, exempli gratia,(nam de reliquis cognitionibus conſtat apertius) non continetur adæquatè omnis intellectus operatio, ſed illi deficit diſcurſus; ſed quando deficit aliqua perfectio, non quieſcit potentia, donec illam acquirat. ergo poſita definitione non quieſcit intellectus. Secundò ex parte ipſius obiecti, quod non exhauritur, nec percipitur adæquatè per definitionem,quæ ſola repræſentat eſſentiam,& non proprietates; ergo poſita definitione adhuc non quieſcit intellectus. Confirmatur, quia per definitionem ſolam non exercet homo vltimam ſuam differentiam, quæ eſt rationalitas. §.152.

Confirmatur ſecundò, quia finis cæterarum facultatum eſt tota obiecta adæquatè cognoſcere, vt in ſcientia de homine, finis attributionis eſt homo cum ſuis proprietatibus:non enim ſiſtitur in nuda hominis eſſentia, ſed intenditur perfecta, & adæquata illius cognitio. ergo logica habet pro fine demonſtrationẽ. Probatur conſequentia,quia logica eſt ſcientia inſtrumentaria cęterarum facultatum, illis præbens modus ſciendi : ſed facultas inſtrumentaria habet pro vltimo fine dare illud inſtrumentum, quo facultas principalis conſequitur ſuum vltimum finem.Hoc autem inſtrumentũ eſt demonſtratio. Ergo demonſtratio eſt vltimus finis logicæ. Probatur minor,quia ſcientia inſtrumentaria deſeruit ſcientiæ principali, & illi ſubiicitur,vt miniſtra;ſed illi non perfectè ſubiiceretur, niſi ſeruando hunc ordinem. Ergo ſcientia inſtrumentaria, & principalis habent eumdem finem. Quod explico in arte fræno factoria, & equeſtri, equeſtris enim habet pro fine vltimo perfectè domare equũ;fræno-factoria verò habet pro fine dare inſtrumenta neceſſaria ad hunc finẽ.Vnde non poteſt ſiſtere in ſola effectione clauorum,ſed in effectione omniũ, quibus indiget equeſtris ad ſuũ vltimum §.153.

vltimum

timum finem. Ergo ſimiliter logica non poteſt ſiſtere in ſola definitione, ſed in demonſtratione. Nam finis remotus logicæ eſt finis immediatus facultatis, cui inſtrumenta præbet, vt remotus finis effectricis frænorum eſt finis equeſtris: nempe perfectus equorum vſus: ergo finis immediatus logicæ eſt inſtrumentum, quo facultas, cui ſeruit, finem conſequatur; ſed ſcientia principalis ſola demonſtratione conſequitur ſuum finem: Ergo debet etiam per ſe præbere inſtrumenta quibus ſcientia de homine totum penetret hominem.

§.154. Vnde argumentor vlterius: quamuis definitio per accidens, & non ex natura ſua, referretur ad demonſtrationem, adhuc à logica tractaretur per ſe cum ordine ad illam, quia ſcientiæ de obiecto per accidens, per ſe agunt de eius partibus in ordine ad totum, quod patet primò in ipſa logica agente de ſubiecto, & prædicato. Item de vniuerſalibus, & prædicabilibus, non ſiſtendo in ipſis, ſed in ordine ad propoſitionem, aut modum ſciendi, cum tamen ſubiectum, & prædicatum componant propoſitionem obiectiuam; item vocalem, & ſcriptam, non per ſe, ſed per accidens. Secundo in Architectura agente de ligno, & lapide in ordine ad domum. Item in equeſtri agente de loris, fræno, ſtapedibus, &c. in ordine ad perfectum inſtrumentum domans equum. Cùm ergo logica ſit inſtrumentaria facultas comparatione aliarum, & hæ acquirantur ſola demonſtratione, per ſe aget in ordine ad illam de definitione. Nec verò alia ratione agit Architectus de ligno, & lapide, niſi quia eius finis eſt domus. Item finis logicæ eſt comparare perfectè cæteras ſcientias, quod fit ſola demonſtratione. Vnde de definitione agit tanquam de illius parte. Nec vnquam de definitione oſtendit diuerſa attributa, ſed eadem ſemper. Ergo ſignum eſt de ea agi ſemper comparandæ demonſtrationis gratia.

§.155. Obiiciunt primò, non eſſe cur potius definitio ad demonſtrationem, quàm hæc ad illam reducatur: Immò verò eſſe ad hoc vltimum maiorem rationem, quia definitio nobilior eſt demonſtratione. Confirmatur, quia ſicut cognitio eſſentiæ iuuat ad cognitionem paſſionis, ita cognitio paſſionis ad eſſentiæ cognitionem: cur ergo altera ad alteram reducatur?

§.156. Reſpondetur, definitionem non referri ad concluſionem, tanquam ad finem, ſed ad totam demonſtrationem, quæ ex omnibus actibus componitur, ſicut cognitio formæ refertur ad cognitionem compoſiti, licet materia prima ſit minus perfecta, quàm forma. Vnde tota demonſtratio perfectior eſt, quàm ſola definitio, quia præter hanc continet concluſionem. Sicut compoſitum Phyſicum perfectius eſt, quàm ſola forma ſubſtantialis. Ad confirmationem reſpondetur, ex vtraque cognitione conflari perfectam, & conſummatam intellectus perfectionem, & obiecti notitiam, ad quod vtraque refertur, ſicut materia & forma ad compoſitum.

§.157. Dices, totam demonſtrationem nihil eſſe, præter præmiſſas & concluſionem: quare ſi definitio refertur ad demonſtrationem, refertur etiam ad concluſionem, quod eſt contra nos. Reſpondeo negando conſequentiam, quia finis præmiſſarum eſt, vt ſint ſimul cum concluſione; quia id, quod partes intendunt, eſt totum, vt contingit in Phyſicis; forma enim & vnio non referuntur ad materiam tanquam ad finem, licet in compoſito præter formam & vnionem nihil ſit præter materiam: & ſicut finis formæ & materiæ eſt, vt ſint ſimul vnitæ, ita eſt finis præmiſſarum & concluſionis, vt ſint ſimul, quia ſic perficiunt intellectum adæquatè, & exhauriunt obiectum.

§.158. Obiiciunt ſecundò definitionem etiam ſine ordine ad demonſtrationem eſſe modum ſciendi, quia poteſt quis ſolam rei eſſentiam velle cognoſcere; ergo docetur à logica ſine ordine ad demonſtrationem. Negatur antecedens, vt patet ex §.38. Nec poteſt quis rationabiliter eam ſolam cognitionem inquirere, quia per eam nec perficitur intellectus adæquatè, neque obiectum percipitur. Immò adeò pendet definitio à tota demonſtratione, vt non eſſet poſſibilis definitio, niſi demonſtratio eſſet poſſibilis, quia definitio eſt ex ſua natura illatiua concluſionis.

§.159. Obiiciunt tertiò, quia Dei viſio poteſt per ſe appeti, quin referatur ad amorē Dei, licet hic ex illa ſequatur: ergo ſimiliter definitio poteſt per ſe appeti, licet eam ſequatur demonſtratio. Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia amor ſequitur viſionem, tanquam proprietas, ad modum, quo ex actu materiali ſequitur habitus; eſſentia autem rei non refertur ad proprietatem tanquam ad finem, ſic nec beatitudinis eſſentia (ſi modò hæc in ſola viſione conſiſtit:) demonſtratio verò non ſequitur definitionem vt paſſio, ſed vt totum quoddam, in quo conſiſtit adæquata intellectus perfectio, & obiecti notitia.

§.160. Obiiciunt quartò. Syllogiſmus probabilis eſt per ſe expetibilis. ergo. Negatur antecedens: primò, quia eſt cognitio valde imperfecta, per quam conamur, rem euidenter cognoſcere, ſicut qui vult ad altum peruenire, per ſuos quaſi gradus aſcendit. Secundò, quia ad demonſtrationis notitiam refertur cognitio ſyllogiſmi topici & Elenchi, ſicut ad notitiam liberalitatis refertur cognitio parcitatis, & prodigalitatis.

§.161. Obiiciunt quintò, ſyllogiſmum vt ſic eſſe adæquatum logicæ obiectum, quia per ſe ad logicam ſpectat ſola forma ſyllogiſtica, quam continet ſyllogiſmus, vt ſic. Demonſtratio autem differt à topico ratione materiæ, quæ non ſpectat ad logicum. Elenchus autem non eſt verè ſyllogiſmus, ſed apparens. Contra, oſtendo latè in proœmio metaphyſicæ, ſect. 2. rationes communes cognoſci in ordine ad ſuas ſpecies. Eſt autem perfalſum, ad logicum non ſpectare per ſe demonſtrationem, quia præcepta tradit logicus de modo demonſtrandi ex veris, immediatis, &c. Item & oſtenditur probabiliter arguendi ratio, quia, licet materia ſingularis alicuius ſcientiæ non ſpectet ad logicum; ſpectat tamen in communi tota demonſtrandi ratio, quæ includit materiam in communi: ſin, aſſigna aliam facultatem, quæ doceat demonſtrandi regulas: aut quid agatur in topicis, & poſterioribus.

§.162. Obiiciunt vltimò. Deus non eſt metaphyſicæ obiectum attributionis, ſit licet cauſa cæterorum obiectorum: ergo ſimiliter demonſtratio non erit obiectum logicæ. Tranſeat antecedens (quod eſſe falſum oſtendam in proœmio metaphyſicæ à ſect. 2.) Sed nego conſequentiam. Ratio eſt; quia Deus eſt cauſa extrinſeca eorum, quæ in metaphyſica tractantur, ad quam cauſam non eſt neceſſarium referri cognitionem effectus. Quod ſi in Theologia referuntur ad Deum, ideo eſt, quia tota Theologia habet pro fine Deum cognoſcere, & amare: metaphyſica verò non, niſi contemplari ſpecies entis à materia abſtracti: at verò demonſtratio componitur ex definitione & aliis rebus logicis, tanquam totum adæquatè perficiens intellectum,

&

& percipiens obiectum. At cognitionem partium ad cognitionem totius referri neceſſe eſt.

§.163. Rogas, vtrum moralis philoſophia referat ſua obiecta ad aliquod vnum? Reſpondeo ad Deum, finem vltimum, & eius amorem: quia facultates ſemper referunt obiecta, quæ ordine ſunt neceſſaria, ad finem ipſarum.

SECTIO IX.

Cætera de obiecto logicæ.

§.164. IN quacumque facultate reperitur habitus principiorum, qui ad rei terminatur eſſentiam: qui habitus eſt propriè definitiuus: ab ipſo enim definitio, & quidditatiua cognitio dimanat. Item reperitur habitus concluſionum, qui ad rei proprietatem, & paſſionem terminatur. Obiectum habitus principiorum eſt obiectum formale, ſiue ratio formalis obiectiua priùs cognita: ea enim ratione dicitur habitus principiorum, quia eius obiectum eſt principium, & præmiſſæ in ſyllogiſmo. Obiectum autem habitus concluſionum, eſt obiectum materiale, quia pendet in ſui cognitione ab obiecto habitus principiorum, ſicut concluſionem pendere à præmiſſis dixi. In logica totidem habitus reperiuntur, habitus principiorum, qui fertur in eſſentiam modi ſciendi, & reliquorum, quæ in logica conſiderantur. Habitus concluſionum terminatur ad earumdem rerum proprietates. Vnde & ex ſect. 1. colligo, obiectum formale logicæ eſſe eſſentiam modi ſciendi formalis & obiectiui. Obiectum verò materiale eiuſdem proprietates, quia eſſentia prius cognita eſt medium in demonſtratione, & proprietas eſt concluſio, quæ à medio pendet in ſui cognitione.

§.165. Dices. Modus ſciendi formalis eſt forma denominans obiectiuum, ergo ſolus formalis erit obiectum formale, & obiectiuus erit obiectum materiale. Nego conſequentiam, quia duæ res, quarum vna eſt forma alterius, poſſunt ſimul eſſe obiectum formale, quia vtraque ſimul, & immediatè cognoſcitur. Non enim attenditur, ſit-ne vna pars forma alterius? ſed ſit-ne vtrumque neceſſarium ad primam cognitionem, & ad paſſiones inferendas? ſic materia & forma ſunt in phyſica obiectum formale, quia ex vtraque infertur cognitio paſſionum. Sic, licet modus ſciendi formalis eſt forma, qua obiectiuus denominatur, tamen quia vterque attingitur per habitus principiorum, & de vtroque attributa monſtrantur; ideò vterque eſt obiectum formale, eſto formalis ſit ratio formalis, qua obiectiuus in ratione obiectiui conſtituitur. Sicut corpus viuens eſt obiectum formale animaſticæ, licet per animam conſtituatur formaliter viuens, quia ex vtroque paſſiones monſtrantur.

Officium logici eſt dirigere actus intellectus.

§.166. Colligitur etiam ex dictis, officium logici eſſe, dirigere actus intellectus, ſicut Medici curare vulnera. Confirmatur, quia datur vna virtus, cuius officium ſit dirigere actus voluntatis, quod eſt prudentiæ munus; ſed ſimiliter intellectrices facultates poſſunt errare in ſuis actibus, ſicut appetitiuæ, ergo etiam indigent aliqua facultate, quæ illas dirigat. Hæc directio nihil eſt præter ipſos actus logicos, quibus docemur naturam modi ſciendi; ex parte verò obiecti eſt ipſe modus ſciendi, quem docemur, qui poteſt dici directio paſſiua, quia eſt obiectum directionis actiuæ, ſicut cum quis dirigit viatorem, obiectum talis directionis eſt via, per quam eſt eundum.

Hæc directio ſũt ipſi actus logici, ex parte verò obiecti ipſe modus ſciendi quem docemur.

Quare excludatur ab obiecto etiam partiali ſimplex apprehenſio.

Excluſimus ab obiecto, etiam partiali, ſimplicem apprehenſionem, quia non eſt modus ſciendi: non enim dicitur aliquis ſcire, niſi aſſenſum, aut diſſenſum præbeat obiecto, vnde apprehenſio ſimplex animalis & rationalis non eſt formaliter definitio, quia hæc eſt aſſenſus, ſine quo nulla eſt ſcientia. Nec ego ſcio nunc Turcam dormire, quantumuis id apprehendam. Animal quidem, & rationale ſunt definitio obiectiua, ſed comparata ad iudicium. Excluſimus etiam entia rationis tanquam formas denominantes. Circa quod aduerte logicum docere naturam modi ſciendi, circa quem dupliciter errari poteſt. Primò, affirmando modum ſciendi formalem eſſe formam inhærentem obiectiuo: quod mendacium, & ens rationis pertinet ad libros de anima, quia ad eoſdem pertinet. probare modum ſciendi formalem eſſe extrinſecam denominationem in obiecto. Hoc autem logicus non curat. Secundò errari poteſt aſſerendo definitionem v. g. non conſtare genere & differetia; hic error & ens rationis corrigi debet à logico, explicando rationem definitionis, quod eſt agere indirectè & ſecundariò de ente rationis, materialiter tantùm, non verò formaliter; quia agere de illo formaliter, eſt explicare naturam illius, quomodò fiat, &c. Quod pertinet ad ſolam Metaphyſicam. Alioquin omnes ſcientiæ practicæ agerent de ente rationis, quia circa illarum obiecta erratur. Ad eas quidem ſpectat errorum emendatio circa ſua obiecta, non tamen docere quid ſit ens rationis, vel quo pacto fiat, &c. §.167.

Ens etiã rationis.

Circa modũ ſciendi dupliciter errari poteſt.

Primò.

Secundò.

Quomodo proſit logica alys ſcientys.

Nec difficile erit ex dictis colligere, quo pacto dialectica vtilis ſit aliis ſcientiis. Nam, cum ipſa doceat modum ſciẽdi in communi, ex illius cognitione facile intellectus quamuis argumentationem, aut ſciendi modum efformat, quia ad dirigendam quamcumque potentiam ſufficiunt regulæ communes vt patet in architectura. Deinde colligitur dialecticam cognitionem eſſe reflexam, quia habet pro obiecto cognitionem eiuſdem potentiæ: immò verò omnia præcepta, quæ dialectica docet, conueniunt ipſis actibus dialecticis, quia etiam illi ſunt modus ſciendi, & ſicut logicus docet in alia facultate argumentari, eiſdem præceptis docet argumentari in materia logica. Immò verò non alio modo docet argumentari, niſi argumentando: ſicut, cum quis docet loqui alium, aut ſcribere, id præſtat loquendo, aut ſcribendo. §.168.

Dialectica cognitiones ſunt reflexæ.

DISPVTATIO II.

Qua ratione Logica attingat ſuum obiectum.

HVIVS diſputationis materiam quàm breuiſſimè perſtringam, argumentorum multitudinem, & ſententiarum varietatem in libros de anima, & Metaphyſicam reiiciens: quæ enim ex illis dialectici arripiunt, recentiores & tyrones vexant, ac deterrent, nec pro dignitate tractantur. Ne verò auditores earum rerum omninò ieiuni diſcedant, ſummatim difficultatum capita percurrentur.

SECTIO

SECTIO I.

De logica vtente, & docente, an vtraque ſit ſcientia?

§.1.

Prima ſententia de logica docente & vtente. Reycitur.

DE logica vtente magna vocum contentione inter Doctores, ſine magna vtilitate, certatur. Primò aliqui volunt logicam docentem eſſe habitum logicæ, qui docet naturam modi ſciendi, vtentem verò eſſe habitum, qui docet talem modum, & efficit. Sed immeritò, quia tantùm datur vnus habitus logicæ, qui doceat facere modum ſciendi, hic autem habitus non illum efficit in alia materia, ſed tantùm in ſua propria. Nec verò logica practica poteſt dici vtens, quia ſcientia ſemper eſt docens.

§.2.

Secunda ſententia. Impugnatur primò.

Secundò volunt alij, vtentem logicam eſſe peculiarem quemdam habitum, qui in quauis facultate, ſeu materia probabiliter diſputat. Verùm falſum eſt omninò dari peculiarem habitum, qui diſſerat in quauis materia probabiliter. Primò, quia non datur aliquis peculiaris habitus, qui in quauis materia diſſerat demonſtratiuè, ergo neque qui probabiliter. Antecedens eſt certum, conſequentia patet à paritate rationis. *Secundò.* Secundò, quia ſicut in quauis facultate ſunt aliqui habitus certi & euidentes, ſic ſunt & probabiles, qui in diuerſa materia diuerſas habẽt rationes formales, à quibus ſumunt diuerſam ſpeciem. Ergo non eſt dandus vnus habitus probabilis omnibus ſcientiis communis.

§ 3.

Tertia ſententia.

Tertiò volunt multi, logicam vtentem eſſe eam logicæ partem, quam ſcientiam appellamus topicam, quæ non diſſerit in quacumque materia in particulari, ſed tradit præcepta, & regulas communes probabiliter diſſerendi; quæ regulæ loci communes appellantur, quibus communiter Rethores vtuntur. Deinde per habitus probabiles aliarum ſcientiarum, in quauis materia probabiliter diſſeritur, vtendo locis communibus in ea materia. Hæc ſententia videtur eſſe Ariſtotelis, & B. Thomæ. (*Ariſtote. B. Thom.*) Talem habitum dari non eſt dubium, ſicut datur logica demonſtratiua, quæ doceat euidenter arguere. Verùm hunc habitum vocari logicam vtentem, quæſtio eſt de nomine, cùm de re conſtet. Nec video cur topica potius, quàm demonſtratiua, ſit vtens appellanda.

§.4.

Quarta ſententia de logica vtente. P. Vazquez. Probatur hic modus dicendi.

Alij volunt logicam vtentem eſſe actus, vel habitus aliarum ſcientiarum, quatenùs diriguntur logicis præceptis. Ita P. Vazquez, tit. 1. p. 1. diſp. 8. num. 19. Nec diſplicet hic modus, quia omnium propriiſſimus, ſed logica in auferendi caſu debet eſſe, non in nominandi. Nec eſt vna, logica vtens, ſed plures logicæ vtentes, quia omnes ſcientię vtuntur logica. Neque hic modus eſt inſolitus, námque Auguſtinus, Paulum, & reliquos Theologos vocat Dialecticos, quia Dialectica vtuntur. Et Dialectici diuiſerunt logicam, in logicam à rebus auulſam, quæ eſt docens, quia non circa res aliarum ſcientiarum, ſed circa directionẽ ipſorum actuum, verſatur: & in logicam rebus concretam, quæ ſunt omnes ſcientiæ reales, quia vnaquæque reale ſuum concernit obiectum, quæ vocantur logica vtens.

Iuxta hanc quartam ſententiam logica docens eſt vtens circa ſuũ proprium obiectum.

E duabus iis vltimis ſententiis vtere qua libuerit, illud aduertens, iuxta hanc quartam ſententiam logicam docentem eſſe vtentem circa ſuum proprium obiectum, quia circa illud ſuis vtitur præceptis, & docens argumentationem in communi, ipſa argumentatio ſecundum rationem communem eſt obiectum ſui ipſius. Item ſupra quemlibet actum logicum poteſt alio reflecti, actus autem directus erit propriè logica vtens. At verò iuxta tertiam ſententiam logica topica eſt vtens, quatenus dat regulas in propria ſua materia diſſerendi probabiliter.

§. 5.

Logica docens eſt verè, ac propriè, ſcientia. Obiectio ex Patribus diſſoluitur. Alia obiectio. Diſſoluitur.

De logica docente dubium eſſe non poteſt, quin ſit verè ac propriè ſcientia, quia habet ſua principia, & concluſiones euidentia. Si qui verò è Patribus aliquando dixere, logicam non eſſe ſcientiam, ſed perniciem, intellige non de logica, quæ docet modum ſciendi, ſed de Sophiſtica, qua Ethnici Philoſophi abutebantur aduerſus Catholicos. Dices. Logica vocatur modus ſciendi. Ergo non eſt ſcientia. Nego conſequentiam, quia modus ſciendi formalis eſt verè & propriè ſcientia, quia ab illo formaliter denominamur ſcientes. Dices. Communiter dicitur abſurdum eſſe quærere ſimul ſcientiam & modum ſciendi, ſed ille modus ſciendi eſt logica, ergo logica non eſt ſcientia. Reſpondetur nomine modi ſciendi intelligi ſcientiam logicam, & nomine ſcientiæ intelligi ſcientias reales, quas inquirere, niſi logica præmiſſa, eſt abſurdum.

§.6.

Iuxta tertiã ſententiam logica vtens eſt propriè ſcientia.

De logica vtente iuxta quartam & tertiam ſententiam Philoſophandum eſt. Iuxta tertiã dubium non eſt, eam eſſe verè ac propriè ſcientiam, quia topica demonſtratiuè docet qua ratione probabile argumentum efformes: licet enim ſyllogiſmus topicus, circa quem illa verſatur, non ſit ſcientia, ſed opinio ipſa, tamen ſcientificè docet, eum eſſe opinatiuum. Item docet argumentum probabile è quo loco communi ſit educendum: ſicut logicus euidenter oſtendit naturam ſyllogiſmi fallacis, quia circa vnum errorem poteſt ſcientia procedere euidenter; ſicut circa ipſam demonſtrationem alij diſcurrunt probabiliter, alij euidenter, alij verò falsò & malè ratiocinantur. Ratio à priori eſt, quia logica eſt ſcientia reflexa, quæ habet pro obiecto omnem demonſtrationem, & argumentationem. Hæc autem, cum ſuam habeat naturam & proprietates, poteſt cognoſci aut clarè, aut probabiliter, aut falsò, ſicut quoduis aliud obiectum.

§.7.

Iuxta quartam ſententiam ſi ſcientia particularis eſt propriè ſcientia, & logica vtens; ſi verò non fuerit, neque logica vtens.

Iuxta quartam ſententiam diſtinguendum eſt, aut enim ſcientia particularis realis, (quæ iuxta hanc ſententiam dicitur logica vtens,) eſt propriè ſcientia, aut non; ſi eſt ſcientia, logica vtens erit ſcientia; ſi verò non fuerit ſcientia, neque id erit logica vtens. Ratio eſt, quia actus aliarum ſcientiarum multi ſunt probabiles, multi euidentes, falſi multi, licet rectè per logicam diſponantur.

§.8.

Dubium. Reſpondetur.

Vnum in dubium reuocatur. Vtrum logica vtens, vt vtens, ſit ſcientia, etiam in actibus ſcientificis? Breuiter reſpondetur, Actus aliarum ſcientiarum dupliciter conſiderari. Primò, vt ipſi repræſentant ſua obiecta; ſic autem aut ſunt demonſtrationes, aut ſpecies ſyllogiſmi. Secundò non vt repræſentant obiecta, ſed vt cognoſcuntur ab aliis actibus, ſic autem nec ſunt ſcientia, neque opinio, ſed ſunt obiecta actus reflexi.

Logica vtens vt vtens neque eſt ſcientia nec opinio.

Dico igitur logicam vtentem, vt vtentem, neque eſſe ſcientiam, neque opinionem. Probatur, quia logica vtens, vt vtens, habet rationem obiecti logicæ docentis; ſed obiectum, vt obiectum, non eſt ſcientia; ergo logica vtens, vt vtens, non eſt ſcientia. Probatur minor, quia logica vtens eſt actus ſcientiæ realis directus per logicam, ſed idem eſt eſſe obiectum logicæ docentis, & eſſe actum directum à logica docente, quia logica docens non dirigit actum, niſi illum cognoſcendo; ſicut manus Architecti vtitur Architectura, dum ab eadem Architectura cognoſcitur domus, ergo logica vtens, vt vtens, eſt obiectum logicæ docentis.

§. 9.

Neque ob hoc dico logicam vtentem eſſe ſolam extrinſe

extrinſecam denominationem à docente, ſed vtentem conſtitui formaliter in ratione vtentis à docente, ſicut modus ſciendi obiectiuus conſtituitur in eſſe obiectiui à formali. Ratio eſt, quia logica vtens eſt obiectum, quod cognoſcitur per docentem. Et hoc exiſtimo doceri à pleriſque recentioribus, qui dicunt logicam vtentem, & docentem eſſe idem, id eſt, pro forma, à qua denominatur vtens ſicut modus ſciendi formalis & obiectiuus dicunt eandem formam, à qua obiectiuus denominatur. Cur verò ita ſit logica appellata potius quàm aliæ facultates. Reſpondeo, *quia ſic voluere poëtæ.*

SECTIO II.

Vtrum logica ſit ſcientia practica? an ſpeculatiua?

§. 10. *Logicam eſſe ſpeculatiuã docet prima opinio.* Sot. Molina. Suarez. *Fundamentum huius opinionis.*

COmmunis eſt Thomiſtarum opinio, Dialecticam ſimpliciter eſſe ſpeculatiuam & non practicam. Probatur primò fundamento Soti relati à Molin. 1. p. q. 1. art. 4. diſp. 1. §. *dubitari tamen poteſt.* & Suar. 2. met diſp. 44. ſect. 13. num. 20. Quia habitus practicus eſt, qui reſpicit praxim, ſed logica non reſpicit praxim. Ergo logica non eſt practica. Probatur minor, quia logica adæquatè verſatur circa actus intellectus tanquam circa obiectum, ſed actus intellectus non ſunt praxis, ergo logica non verſatur circa praxim. Probatur minor, quia omnis actus intellectus eſt ſpeculatio, ſed praxis non poteſt eſſe ſpeculatio, ergo actus intellectus non poteſt eſſe praxis. *Cõfirmatur.* Confirmatur, quia intellectus extenſione fit practicus, (vt fert commune prouerbium:) ſed intellectus non extenditur niſi circa actus aliarum potentiarum: ergo intellectus non fit practicus circa proprios actus, ſed circa actus aliarum potentiarum.

§. 11. *Reÿcitur.* Verum hoc fundamentum nullum eſſe omnino patet. Ad primam enim minorem reſpondetur logicam reſpicere praxim. Ad ſecundam minorem reſpondetur actus intellectus poſſe eſſe praxim, quia *Nõ repugnat eundem actũ eſſe ſpeculatiuũ & praxim.* non repugnat eundem actum eſſe ſpeculatiuum & praxim. Ad quod ſuppone ſpeculationem eſſe contemplationem, & cognitionem alicuius obiecti: praxim verò eſſe obiectum cognitum ab actu practico Vnde ſicut non repugnat cognoſci actum directum per actum reflexum: ita etiam non repugnat actum ſpeculatiuum cognoſci per aliũ actum practicum. Quare ipſe actus ſpeculatiuus diuerſo modo cognoſcit ſuum obiectum, atque ipſe cognoſcitur ab actu practico. Nam ipſe ita ſiſtit in cognitione ſui obiecti, vt nullas det regulas ipſum faciendi, vt qui conſiderat Angelum, non dat regulas quomodò fiat Angelus. At verò ipſe actus, vt cognoſcitur à practico, ita cognoſcitur, vt doceatur à practico quomodo ſit faciendus. Rectè enim poteſt actus ſpeculatiuus cognoſci per actum practicum, ſicut practicus poteſt cognoſci per ſpeculatiuum. Vtrique exemplum ſubiiciam. Homo quando facit hanc demonſtrationem, *omnis homo eſt animal rationale. Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal rationale.* Hæc demonſtratio eſt ſpeculatio, quia nullas dat regulas faciendi obiectum. Et quando hæc demonſtratio cognoſcitur à logico, ita cognoſcitur, vt logica det regulas illam faciendi. Quia logica docet, ad rectè concludendum debere præmiſſas diſponi in prima figura. Ergo actus ſpeculatiuus poteſt cognoſci per alium actum docentem quomodo fieri debeat ſpeculatiuus.

§. 12. Nunc autem probo actum practicum poſſe cognoſci ſpeculatiuè v. g. Architectus cognoſcit domum practicè, quia actus architecturæ dat regulas domus conſtruendæ, Angelus autem qui intuetur actum illum Architecti, illum conſiderat ſpeculatiuè: quia nullas dat regulas illius actus faciendi. Ergo actus practicus poteſt cognoſci ſpeculatiuè. *Actus practicus poteſt cognoſci ſpeculatiuè.*

§. 13. Vnde colliges, nõ opponi praxim & ſpeculationem, quia idem actus poteſt eſſe praxis & ſpeculatio. Opponuntur autem ſpeculatio, ſeu notitia ſpeculatiua, & actus practicus, quia non poteſt idem actus contemplari idem obiectum ſimul practicè & ſpeculatiuè, quia non poteſt ſimul dare regulas & non dare illius faciendi. Ex quibus patet ad argumentum.

§. 14. *Reſpondetur ad affirmationem.* Ad confirmationem reſpondetur, illud prouerbium nullius eſſe probati authoris, cuius authoritate reſpondere cogamur. Secundò reſpondetur, intellectum extenſione fieri practicum, quia non ſiſtit in ſola contemplatione, ſicut ſpeculatio, ſed vlterius ſe extendit ad opus efficiendum.

§. 15. *Ratio à priori propria doctrina.* Ratio à priori noſtræ doctrinæ eſt, quia actus intellectus poteſt eſſe obiectum dirigibile per alium actum, vt rectè fiat; ergo poteſt eſſe praxis. De antecedenti nullus dubitat, quia ſicut intellectus poteſt errare, ita & dirigi. Conſequentia patet, quia praxis eſt obiectum dirigibile per actum intellectus, vt rectè fiat. *Confirmatur.* Confirmatur, quia actus, qui dirigit alium actum, vt rectè fiat, non ſiſtit in mera eius contemplatione, ſicut ſpeculatiuus, ſed vlterius progreditur ad illum rectè efficiendum; ergo actus, qui reſpicit talem actum, non eſt ſpeculatiuus, ſed practicus. Antecedens eſt certum, quia talis actus docet factibilitatem obiecti, ſicut Architectura factibilitatem domus. Conſequentia verò patet, quia actus ſpeculatiuus ſiſtit in ſola contemplatione obiecti.

§. 16. *Obiectio diſſoluitur.* Suarez. Dicunt aliqui praxim neceſſariò eſſe opus externum dirigibile à ratione. Sed contra primò, quia hæc eſt friuola petitio principij, vt rectè Suarez, ſupra: id enim impugnamus. Cur enim opus intellectuale non erit praxis, cum ſit obiectum dirigibile à ratione? Contra ſecundò, quia prudentia eſt habitus practicus, vt eſt in confeſſo apud omnes Theologos. Ergo actus intellectus poteſt eſſe praxis. Patet conſequentia, quia actus intellectus eſt obiectum à prudentia dirigibile, prudentia enim dictat hic, & nunc eſſe ſtudendum. Tunc ſic, ſed ſicut prudentia dirigit actus ſtudendi, vt fiant boni moraliter, ſimiliter logica reſpicit eoſdem actus, vt ſint boni artificialiter: ergo ſicut actus intellectus ſint praxis reſpectu prudentiæ, ſimiliter erunt reſpectu logicæ.

§. 17. *Secundũ fundamentum.* Secundum fundamentum ſententiæ Soti eſt, quia logica conſiderat naturam & eſſentiam modi ſciendi nullas tradendo regulas illum efficiendi, ſed cognita eius natura intellectus redditur facilis ad illum efficiendum, ergo logica non eſt ſcientia practica. *Probatur primò.* Antecedens probatur, quia tota logica eſt circa naturam modi ſciendi, & docet quid ſit, quas habeat partes, &c. Neque enim docet quomodo ſit faciendus ſyllogiſmus, in quo differt tum à prudentia, quæ cenſet hîc, & nunc eſſe hanc virtutem exercendam, aut illam; tum ab Architectura, quæ docet regulas, per quas domus eſt ſtruenda. Logica verò ſiſtit in ſola cognitione formæ ſyllogiſticæ, & cum ſyllogiſmus ſit in eodem intellectu, quam facillimè fit ab intelligente.

§. 18. Vnde ſecundò probatur idem antecedens, quia habitus practicus ſemper ponitur ad tollendam difficultatem, quæ oritur circa exercitium obiecti iam cogniti, in intellectu autem nulla eſt difficultas circa

circa exercitium ſyllogiſmi iam cogniti. Ergo logica non eſt ſcientia practica. Probatur verò prima conſequentia, quia, vt habitus ſit practicus, non ſufficit, vt quoquo modo opus ex illo ſequatur, ſed neceſſe eſt, vt ſequatur ex habitu, tãquam à dictante, & præſcribente regulas illud efficiendi. Vt hic actus, *Deus eſt ſummum bonum*, eſt ſpeculatiuus, licet ex eo ſequatur amor circa ſummum bonum. Hic autem eſt practicus *Summum bonum eſt amandum.* Quia dictat amorem circa Deum.

§. 19. *Soluit. prima proba tur. Cognitio modi ſciendi eſt regula, qua ratione fieri debeat.*

Neque hoc fundamentum vrget, negatur enim antecedens. Ad primam probationem reſpondeo, eamdem cognitionem modi ſciendi eſſe regulam, qua ratione fieri debeat. Regula enim nihil eſt aliud, quàm cognitio, quæ dirigit potentiam ad opus, nulla enim ratione potentia dirigitur ab intellectu niſi per cognitionem obiecti. Omnino enim identicæ ſunt hæ propoſitiones. *Syllogiſmus in barbara conſtat tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis*, &, *ſyllogiſmus eſt faciendus in barbara ex tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis.* Sicut hæ ſunt identicæ. *Deus continet ſummam amabilitatem*, &, *Deus eſt amabilis ſummè.* Ergo ipſa cognitio modi ſciendi eſt regula ipſius conſtruendi. Diſcrimen autem prudentiæ non eſt ad rem. Prudentia enim tantùm cõſtituitur ad exercitium cæterarum virtutum, ad quod non indiget ſpeculari earũ naturas, ſed ſufficit ſupponere in intellectu earũ notitiam. Logica verò non ſolum ad exercitium, verum etiam ad cõſtructionem eſſentiæ modi ſciendi conſtituitur, ne eius erretur eſſentia, & fiat topicus, qui debet eſſe demonſtratiuus. Architectura autem & logica ſunt omninò ſimiles.

§. 20. *Soluit ſecũda. Habitus practicus tollit difficultatem qua eſt in cognitione obiecti ad quam inclinat potentiam.*

Ad ſecundum reſpondetur, habitum practicum non tollere nouam difficultatem, quæ remaneat, ſuppoſita cognitione obiecti, circa eiuſdem effectionem, ſed eam tollere, quæ poteſt eſſe circa obiecti cognitionẽ, ad quam ipſe inclinat potentiam, & facilitat. Hanc difficultatem logica vincit, quia intellectus inſtitutus habitu logico facilior eſt circa cognitionem modi ſciendi, quàm ſi eo eſſet deſtitutus: difficultates verò potentiæ externæ circa ſubiecti effectionem nõ vincuntur per habitus intellectus, ſed partim ipſa exercitatione repellente membrorum impedimenta, partim ex maiori ſpecierum practicarum perfectione, ſunt enim hæ potentiæ externæ neceſſariæ, quæ quantum poſſunt, & illis imperatur, exercent neceſſario. Si quid autem non exequuntur, eſt, quia non poſſunt. Ad quod nihil iuuat habitus, qui non dat potentiæ, vt poſſit, ſed vt facilè poſſit. Ad illas duas propoſitiones *Deus eſt ſummum bonum*, & *ſummum bonum eſt amandum.* Reſpondetur ex his noſtram ſententiam probari. Prima enim eſt ſpeculatiua, quia actus amoris, qui ſequitur ex illa, nõ cognoſcitur ab illa, & ita neque eſt eius obiectum, nec praxis. Secunda verò propoſitio eſt practica, quia reſpicit talem amorem vt obiectũ, qui amor oritur ab ea cognitione tamquam obiectum: ita ſyllogiſmus oritur ex cognitione Dialectica tamquam obiectum ex actu illuſtrante potentiam ad illud efficiendum.

§. 21. *Cognitio practica qua opus efficitur, & regula, ſecũdum quam debet fieri, sũt idem. Probatur primò.*

Huius ratio à priori eſt, quia cognitio practica, qua opus efficitur, & regula, ſecundum quam debet fieri, ſunt idẽ omnino: ergo dialectica eſt practica. Probatur minor, quia illa cognitio eſt regula, ad quam tãquam ad exemplar, vel prototypum comparatur opus, vt de eo iudicetur ſit ne rectè effectum? an non? ſed ad iudicandũ de modo ſciendi, vtrum ſit legitimus? nec ne? refertur ad cognitionem illã dialecticã, ergo illa cognitio de modo ſciendi eſt regula illius faciendi. Nec poteſt intelligi, qua ratione cognitio ſit regula, nec practica, niſi hoc modo, ſic enim architectura eſt regula domus, quia iuxta architecturam iudicatur de domo. Et ideæ diuinæ ſunt cognitiones practicæ, quia iuxta illas iudicatur de creaturis, & exercitium virtutum refertur ad prudentiam, quia de eo iuxta prudentiam iudicatur. Quod verò iuxta logicas cognitiones de modo ſciendi iudicetur, quis dubitet?

§. 22. *Secundo.*

Vnde ſumitur argumentum, quia aliqua debet eſſe regula, iuxta quam iudicemus de modo ſciẽdi, & per quam regulemur in iudicio ferẽdo, ſed hæc eſt notitia dialectica, ſin aſſigna mihi quæ ſit? ergo cognitio dialectica eſt regula de modo ſciendi. Probatur maior, quia ſæpe circa modum ſciendi oritur controuerſia: ergo debet eſſe aliqua regula, iuxta quam lis componatur, neque opus eſt, vt per modum imperij proponatur, *Hoc eſt faciendum.* Sed ſufficit, vt proponatur eius eſſentia, & ratio, qua fit, quod eſt re idem omnino, licet verbis explicetur diuerſis. Idem enim eſt dicere *hac via iturus eſt Romam*, ac dicere. *Hæc via te Romam ducet.* Quod eſt idem in modo ſciendi.

Tertium fundamentũ primæ ſententiæ. Reijcitur.

Tertium fundamentum eſt, quia logica neque eſt ſcientia actiua, neque factiua, ergo neque eſt practica. Reſpondetur eam eſſe actiuam, quia circa internas verſatur actiones.

§. 23. *Logica eſt practica.*

Igitur negandum non eſt logicam eſſe practicam Immo fatendum, præcipuos eius actus eſſe practicos, quia cognitio eſſentiæ modi ſciendi eſt præcipuus actus dialecticæ, & ille actus eſt regula, per quam intellectus dirigitur in modum ſciendi efficiendo, & quia practicè docet, quãdo vtendum ſit entymemate, quando ſyllogiſmo, quando definitione, &c. Sicut prudentia docet quando hæc virtus, quando illa ſit exercenda.

§. 24. *Eſt ſpeculatiua.*

Verum negandum non eſt, eam eſſe ſimul ſpeculatiuam, quia multas habet cognitiones ſpeculatiuas, per quas intellectus non dirigitur in ſuis actionibus, vt ſunt. *Hæc definitio non diſtinguitur realiter à definito. Genus latius patet ſuis differentijs.* Quæ cognitiones in ſola ſpeculatione conſiſtunt, nam cum actus genericos efformamus, cum definimus, & demonſtramus, per alias cognitiones dirigimur. V.g. Quando demonſtramus, dirigimur per actus, quibus cognoſcimus ſyllogiſmũ in tali figura tot ac tales habere propoſitiones, in quibus mediũ ſubijcitur in vna & prædicatur in alia. &c. Qui actus ſunt neceſſarij, & ſufficiunt ad arguendum. Item cognitiones, quibus cognoſcimus proprietates modi ſciendi, ſunt actus ſpeculatiui. Quia illæ proprietates ex ſyllogiſmo dimanant neceſſariò, ſiue à nobis cognoſcantur, ſiue ignorentur, ſicut cognitio architecti de domus proprietate eſt ſpeculatiua, per quam cognoſcit domum defendere à frigore, eam eſſe diuturnam, aut facilè corruere, quæ cognitio inutilis eſt ad domum efficiendam, & ea propter ſpeculatiua.

§. 25. *Obiectio.*

Dices huiuſmodi cognitiones referri ad demõſtrationem, ſicut cognitio partis, aut attributi refertur ad cognitionem totius, aut eſſentiæ, ergo ſunt practicæ.

Diſſoluitur.

Nego conſequentiam; quia referuntur ad demõſtrationem tanquã ad finem vltimum, & extrinſecum, quod non tollit quin ſint ſpeculatiuæ. Sicut in Theologia multæ cognitiones practicæ referuntur ad ſpeculatiuas, nam cum vnus habitus refertur ad alium, retinet ſuum proprium modum tendendi in obiectum, & cum habitus de paſſione ſiſtat in ſola contemplatione, eſt ſpeculatiuus, licet referatur ad practicum Quæ relatio nunquam immutatur. Quod ſi per extrinſecam denominationem à principali habitu, cum practicum

voces, quæſtio eſt de ſolo nomine; vteriſque non proprio.

§. 26. *Obiectio ſecunda. Reijcitur.* Dices ſecundo eas proprietates eſſe actuum ſecundum ſe, & ad animaſticum ſpectare. Contra, quia ex eſſentia ſyllogiſmi aliqua emanare attributa neceſſe eſt, nam quoduis ens, vt ens, habet attributa, quorum notitia ſpeculatiua eſt. Item genus latere pluſquam differentias, logica proprietas eſt, quia de genere aut differentia nihil animaſtica curat. *Obiectio tertia.* Dices tertio non poſſe eumdem habitum eſſe ſimul practicum & ſpeculatiuum, ergo neque logica. *Diſſoluitur.* Tranſeat antecedens, quod etiam eſt falſum, vt patet in habitu fidei. Et nego conſequentiam. Quia in logica ſunt plures habitus, quorum vni ſunt ſpeculatiui, practici alij.

§. 27. *Secũdum argumentum contra concluſionem.* Secundò ſic argumentaberis contra concluſionem, quia cognitio proprietatum modi ſciendi eſt ſpeculatiua. Ergo omnes concluſiones Dialecticæ ſunt ſpeculatiuæ, quia omnes illæ verſantur circa proprietates rei. Ergo & omnia principia ſunt ſpeculatiua. Probatur ſecunda conſequentia, quia ex principiis practicis non poteſt inferri concluſio ſpeculatiua. Ergo logica aut eſt tantùm ſpeculatiua, aut practica.

§. 28. *Eius ſolutio.* Nego primam conſequentiam, nam multæ concluſiones ſunt practicæ, quæ non verſantur circa proprietates, ſed circa ipſam eſſentiam modi ſciendi. Quæ concluſiones ex generalibus principiis deducuntur. Vt in hoc ſyllogiſmo, *omnis modus ſciendi explicans naturam rei conſtat ex genere & differentia: definitio eſt modus ſciendi explicans naturam rei. Ergo definitio conſtat genere & differentia*, quæ concluſio eſt practica. Item ſunt concluſiones practicæ omnes à poſteriori, quæ verſantur circa ipſam naturam modi ſciendi. Secunda verò conſequentia nihil valet. Nam concluſio ſpeculatiua poteſt inferri ex vno principio practico & alio ſpeculatiuò. Vt omne exercitium temperantiæ aliquando cauſat ſanitatem, ſed ieiunium eſt exercitium temperantiæ, ergo ieiunium aliquando cauſat ſanitatem. Quæ concluſio eſt ſpeculatiua, & infertur ex præmiſſa minori practica. Item poteſt inferri concluſio practica ex vno principio ſpeculatiuo, & altero practico. Vt ſummum bonum eſt amandum, Deus eſt ſummum bonum. Ergo Deus eſt amandus.

§. 29. Igitur, quia aliquæ cognitiones dialecticæ dirigunt potentiam ad efficiendum obiectum, quod repræſentant, ſunt practicæ. Proprietatis autem cognitio eſt ſpeculatiua, quia dirigit potentiam ad opus, quod æquè benè efficitur proprietate ignorata, ac cognita. Hæc ſententia, quæ docet logicam eſſe practicam, & ſpeculatiuam, eſt iam recepta apud recentiores. Quam ſequuntur P. Suarez & Vazquez, & videtur eſſe S. Thomæ, 2. 2. quæſt. 47. artic. 2. ad 3. Vbi docet quodcumque opus factibile à ratione eſſe praxim, & logicam conſtituit ad efficiendos ſyllogiſmos, & illam vocat artem ſpeculatiuam, id eſt practicam & ſpeculatiuam, quia ars ſemper eſt practica. Quando verò S. Auguſtinus, & alij graues Doctores docent, logicam vendicare ſibi perſpectionem veritatis, volunt finem extrinſecum logicæ eſſe indagationem veritatis iuuando ſcientias reales. Quid ſit actus practicus? quid ſpeculatiuus? Vtrum eſſe practicum ſit de eſſentia actus, an verò extrinſeca denominatio? latè diſputatur diſput. 11. de anima. Hîc hæc ſufficiunt, quia ſunt logicæ propria. Communia verò non debuere è propria ſede diuelli.

P. Suarez. Vazquez. S.Thom. S.Auguſt.

SECTIO III.

Vtrum logica concurrat efficienter ad actus aliarum ſcientiarum?

Affirmant ex recentioribus nonnulli. Sed immerito. Primò quia nullus habitus concurrit efficienter, niſi ad ſuos actus proprios, ex quibus generatur, ſed actus aliarum ſcientiarum non ſunt proprij logicæ, neque ab illis generatur. Ergo logica non concurrit efficienter ad illos: maior videtur ex terminis nota, quia, ſi non ſunt proprij actus logicæ, ergo ab illis non generatur logica. Ergo neque logica illos generat. Patet conſequentia, quia logica, & omnis habitus naturalis, nõ generat actus diſſimiles illis, à quibus ipſa generatur, ſed actus aliarum ſcientiarum ſunt diſſimiles actibus logicis, ergo illi non generantur à logica. Probatur minor primi ſyllogiſmi, quia actus aliarum ſcientiarum ſunt de rebus ſecundum ſe. Ergo actus aliarum ſcientiarum non ſunt actus logici. §. 30. *Logica non concurrit efficienter.*

Secundò actus aliarum ſcientiarum ſunt obiectum logicæ. Ergo nõ producuntur à logica. Patet conſequentia, quia ſcientia habitualis nõ producit ſuum obiectum, ſed illud conſiderat per actus, vt patet in Architectura, aliiſq; practicis facultatibus. Neque audiendus eſt qui aſſerit, eas ad opera externa immediata actione concurrere, id enim ſine fundamento (vt alibi dicam) & ſine authoritate aſſeritur. Doctores enim ſcientiis non effectionem, ſed contemplationem adſcribunt obiecti, ad quod concurrunt mediis ſuis actibus: at præter actus proprios tendẽtes in obiecta habituum quid producunt habitus? Cõfirmatur, habitus per actus tendit in obiectum. Rogo in quod obiectum logica tendat producendo actus aliarũ ſcientiarum? Demum intellectus cum propria ſpecie impreſſa, & habitu Phyſicæ verbi gratia, eſt cauſa adæquata cognitionis Phyſicæ, ergo non concurrit alia cum eis. Hanc cõſequentiam latè probo diſput. 9. Phyſ. ſect. 4. Quod verò fiant artificioſè eſt extrinſeca denominatio à logicis actibus, ſicut pedes ad numerum referri. §. 31. *Argumẽtum pro concluſione.*

Dices alias ſcientias practicas non concurrere ad ſua obiecta producenda, quia ſunt in potentia diuerſa, vt Architectura nõ concurrit ad domum, ſecus logicam, quæ eſt in eadem potentia. Sed contra, quia ſi ei non conuenit ex communi ratione ſcientiæ practicæ, multò minus illi conueniet ex eo quod ſit in eadem potentia. Nam intellectus directus à logica multò facilius exequitur obiectũ logicæ, quàm potentiæ externæ directæ à ſcientiis practicis, ergo ſi hæ potentiæ ſine concurſu actiuo ſcientiæ practicæ efficiunt ſuos actus, etiam intellectus ſine concurſu logicæ ſuos efficit. §. 32. *Obiectio. Confutatur.*

Tertiò, quia habitus logicæ nõn tendit immediatè in obiecta, ſed mediis actibus, eſt enim vt potentia, quæ obiectũ attingit ſolum per actus. Ergo habitus logicæ nõ producit ſuum obiectum. Patet conſequẽtia, quia iam haberet etiam modum tendendi in obiectum immediatè, & non per actus. Confirmatur, actus logicæ non producunt actus aliarum ſcientiarum, actus enim ſolùm producit habitum, & circa obiectum tantum verſatur in genere cauſæ formalis extrinſecæ, vt in libris de anima longè dicetur. Ergo neque habitus logicæ concurrit efficienter. Probatur conſequentia, quia actus maiorem, & immediatiorem, immò formalem directionem habent in obiecta, quàm habitus; ſed directio actus illi non tribuit actionem, §. 33. *Logica tendit medijs actibus in obiecta.*

nem, ergo neque habitus directio eam tribuit habitui.

§. 34. *Facilitas logici in diſſerendo prouenit ex habitus directione.*

Ratio autem, ob quam logicus facilius diſſerit, non prouenit ex habitus efficientia, ſed ex actuum directione. Quando verò ſine reflexa cognitione logica quis diſſerit, id præſtatur per habitus aliarum ſcientiarum, & naturali lumine rationis, non verò per habitum logicæ. Hoc enim firmum ſit, nunquam habitum aliquid circa obiectum præſtare, niſi per ſuos actus.

§. 35. *Artificiū in efficiente eſt notitia practica dirigens artificem ad opus.*

Rogas, quid ſibi velit adagium *principium artefacti eſt in efficiente artificium?* Reſpondeo artificium in efficiente, id eſt in artifice, eſſe notitiam practicam, quæ eſt principium dirigens ipſum artificem ad opus, non tamen illud efficiens.

SECTIO IV.

Vtilitas, vnitas, & finis dialecticæ.

§. 36. *Vtilitas logicæ.*

DIalecticam admodum eſſe vtilem luce clarius apparet, ſancti verò Doctores, cum in dialecticam videntur inuecti, non tam in illam, quàm in ſophiſtas, quia ea abutebantur, congerunt conuitia vt clarè conſtat ex S. Auguſt. t. 7. lib. 1. contra Creſconium cap. 18. vbi Chriſtum Seruatorem, & Apoſtolos dialecticos nuncupat; & dialecticam artem diſputatoriam: diſputare autem ait eſſe verum à falſo diſcernere. Nam, cum homini connaturalis ſit veritatis inquiſitio, apprimè ei erit vtilis facultas, per quam ei præmuniatur via ad veritatem cōſequendam. Habitus autem dialecticæ non eſt ſimpliciter neceſſarius, cum ſit natura ſua acquiſitus. Acquiſiti enim habitus non ſunt ſimpliciter neceſſarij, quia non dant ſimpliciter, ſed facilè poſſe. Quia totū, quod intellectus poteſt cum tali habitu, poteſt ſine illo. In quo differt ab habitu ſupernaturali, qui dat ſimpliciter poſſe, atque ideo eſt ſimpliciter neceſſarius. De quo me videro diſp. 16. de anima. Vtrum verò ſemper aliqua cognitio reflexa requiratur ad aſſenſum concluſionum aliarum facultatum? nō eſt præſentis inſtituti, ſed animaſtici. diſput. 7. ſect. 6. ſiue enim requiratur, ſiue non; ſyllogiſmi eodem modo conficiuntur logicis præceptis, ergo ea quæſtio inutilis eſt logico, quia huic illud tantum eſt vtile, quod eſt vtile arti ſyllogiſticæ addiſcendæ.

Differētia inter habitus acquiſitos & ſupernaturalis.

§. 37. *Logica ſcientia vna ſpecie completa.*

De vnitate logicæ nihil peculiare occurrit, præter difficultates omni habitui communes examinandas in prooemio metaph. ſect. 7. Dicendum autem eſt logicam eſſe ſcientiam vnam ſpecie completa, quia, ſi eſt vna ſimplex qualitas, eſt apertum: ſi verò includit plures habitus partiales, tota illorum collectio vnum aggregatum ſcientiæ conſtituit. Sicut plures domus vnum vicum, aut opidum, & plures homines vnum collegium. *Scientia* enim eſt nomen collectiuum continens multas ſcientias partiales.

§. 38. Dices. In logica ſunt plures habitus, ergo plures ſcientiæ, ergo plures logicæ. Diſtinguo cōſequens. Plures logicæ totales, nego conſequentiam. Partiales, concedo. Sicut non ſunt plures habitus totales, ſed partiales.

§. 39. Dices. Simpliciter dicimus logicam eſſe plures habitus, & non dicimus ſimpliciter logicam eſſe plures ſcientias, aut plures logicas. Reſpondeo primò, quæſtionem eſſe de nomine. Secundò rationem reddo, quia communiter nomina hæc, *ſcientia, logica, phyſica*, &c. ſumuntur pro collectione, nomen autem *habitus* non ita.

§. 40. *Vniuntur habitus partiales logicæ per aggregationem & collectionem.*

Sed inquiris, quomodo vniantur habitus illi? Reſpondeo, præciſe per collectionem, & aggregationem omnium, qui partiales dicuntur, eo quod verſentur circa partem obiecti logicæ; inter quos habitus nulla phyſica intercedit vnio, ſed fit quaſi aceruus quidam habituum, ſicut ex pluribus domibus reſultat aceruus, qui vocatur ciuitas; ita ex pluribus habitibus reſultat aceruus, qui vocatur logica.

§. 41. *Obiectio.*

Dices, ſicut ex habitibus conflatur vna ſcientia logicæ; ſimiliter ex omnibus facultatibus, & ex logica conflabitur vna ſcientia totalis; atque ita tantum erit vna ſcientia; ſicut ex multis opidis vnum reſultat Regnum. Reſpōdeo reliquas ſcientias non verſari circa directionem intellectus, ſicut verſantur omnes dialectici habitus, vnde ex obiecto ſcientiarum, illarum vnitas colligitur: ſic dicitur vna phyſica naturalis, quia eius obiectum eſt compoſitum phyſicum, & omnes habitus, qui verſantur circa hoc compoſitum, eius partes, & affectiones, conſtituunt vnam phyſicam; ita omnes habitus, qui verſantur circa demōſtrationem, &c. conſtituunt vnam logicam. Potuiſſent quidem philoſophi imponere aliquod nomen, quo ſignificaretur collectio omnium facultatū, ſicut impoſitum eſt ad ſignificandum verbum collectionem, aggregatum enim ex domibus *vrbs* vocatur, aggregatum vrbium *Regnum*, aggregatum ex Regnis *Prouincia*, aggregatum ex Prouinciis *Imperium*, aggregatum ex Imperiis *orbis*. at verò aggregatū ex vtroquo orbe cæleſti atque terreſtri vocatur *Mundus*. At ad ſignificandam collectionem omnium habituum non eſt impoſitū nomen. Vnitas enim ſcientiæ tantum tribuitur collectioni habituum, qui verſantur circa idem obiectum, aut eius attributa ſub eadem ratione formali. De ſimplicitate habituum longus mihi ſermo eſt, diſput. 16. de anima. Item de ſcientiarum vnitate, & diuiſione in prooemio metaphyſicæ, ſect. 7. & 9.

Diſſoluitur.

§. 42. *Finis logicæ.*

Finis intrinſecus habituū logicæ eſt eius actus. Finis extrinſecus immediatus reliquæ ſciētiæ, quas conſiderat per ſuos actus. Mediatus verò, atque remotus, eſt veritas. Sic dixit Auguſtinus logicam ſibi vendicare veritatis perſpectionem.

DISPVTATIO III.

De prædicabilibus in communie.

§. 1.

DIRECTIO actuum intellectus magna ex parte ex prædicabiliū cognitione dependet, quia ex illis vniuerſæ ferè propoſitiones, demonſtrationéſque cōflantur, in quorum indagatione Porphyrij rationem, & Dialecticam methodum ſequentes ea diſputabimus, quæ ſunt logici muneris, nec metaphyſicum negotium ſuſcipiemus, ne logicis carceribus egredientes alienam metā attingamus, & *ſutor ſit vltra crepidas*. Nouus fortaſſis videbor, ſum, fateor, apud nonnullos Dialecticos ſemi-Theologos, ac Metaphyſicos, non verò apud puros illos antiquos; ſed auditorum vtilitatem aliorum dictis præpono. Cúmque ingenuè fateantur cum noſtro Suarez, 1. metaphy. diſp. 6. ſect. 8. nu. 4. Vniuerſalium longam diſputationem Dialecticorum abuſu eſſe in logicam inuectam, mirum non ſit, ſi eū abuſum emendare conemur. Et vt eſt in noſtratum veteri prouerbio. *Alnal vſo quebrar le la pierna*. Quod ſi nullū è recentioribus habeo, quem hac in parte imiter, effi-

ciam profectò, vt habeant poſteri, quem imitentur, vt nonnulli non ſine laude fecere. In ſect. 1. ſummatim præmittam de vniuerſalibus, quæ ad efformandas prædicationes logico ſunt neceſſaria. Deinceps de ipſis prædicabilibus ex inſtituto diſputationem ordiemur.

SECTIO I.

De vniuerſalibus quædam præmitto.

§. 2. PRænoſcenda eſt natura vniuerſalis, vt inde eius prædicabilitatem (quæ ad logicã ſpectat) noſcamus. Qua in parte *vniuerſale eſt vnum in multis, & de multis.* Nam ſicut vniuerſale in cauſando eſt vna cauſa plurium effectuum, vt ſol, & vniuerſale in repræſentando eſt vnum ſignum plurium ſignatorum, vt hæc vox *homo*; ita vniuerſale in eſſendo & prædicando eſt vnum exiſtens in multis rebus, & de illis prædicabile v.g. animal eſt in homine, & leone, & de illis omnibus prædicatur.

§. 3. *Opinio Scoti de diſtinctione graduum.*

Scotus (vt communiter illi tribuitur) affirmat gradus ſuperiores (quos vniuerſales vocamus) diſtingui ex natura rei ab inferioribus, ſicut vnio diſtinguitur ab vnitis, & actio à termino producto. Itaque animal diſtinguitur à parte rei à rationali, & homo à Petro. *Ipſius fundamentum.* Fundatur Scotus primò, quia animal & rationale habent diſtinctas definitiones, ergo diſtinguuntur ex natura rei. *Reijcitur.* Sed hæc conſequentia nulla eſt, quia habere diſtinctas definitiones, nihil eſt aliud quàm cognoſci diſtinctis actibus intellectus, quod poteſt conuenire eidem rei, vt cùm ego video colorem ad exiguam lucem, non poſſum diſcernere, vtrùm ſit nigredo, aut albedo. Accedente autem maiori luce cognoſco, illum colorem eſſe albedinem. Ecce eumdem colorem cognoſco primò cognitione vniuerſali, & cõfuſa, deinde particulari, & diſtincta. Sic contingit in definitionibus, vt cognoſcens quis hominem & non valens diſcernere, ſit homo? nec ne? ſed tantum diſcernens eum eſſe animal, cognoſcit explicitè, & clarè rationem animalis eámque definit. Deinde cognoſcens illũ magis clarè, clarè cognoſcit illum eſſe hominem, & cognoſcit rationalitatem, illámque definit. Ecce quo pacto eidem rei conueniant diuerſæ definitiones, reliqua fundamenta Scoti, & longam eiuſdem Scoti impugnationem habes in diſput. 5 metaphyſicæ ſect. 4. & 6.

§. 4. *A parte rei non datur vniuerſale in eſſendo. Datur fundamẽtum ad efficiendum vniuerſale quod eſt ſimilitudo rerum.*

Conſtet ergo à parte rei nullum dari vniuerſale in eſſendo, ſed ad hoc requiri aliquod opus noſtræ rationis. Eſt tamen à parte rei vniuerſale fundamentaliter, id eſt fundamentum ad efficiendum vniuerſale. Quod fundamentũ tum eſt ipſa rerum ſimilitudo. Fit autem ſic. Videt quis Petrum conuenire cum Paulo in eo quod vterque eſt homo, vterque bipes, & diſcurſiuus. Item videt Petrum à Paulo diſſidere, vel in colore, voce, figura, &c. ſtatim intellectus concepit vnam rationem hominis, in qua conueniunt Petrus & Paulus, & aliam rationem talis hominis, in qua differunt. Ecce ratio hominis dicitur conceptus communis & vniuerſalis, & ratio talis hominis dicitur particularis cõceptus, in quo quiſque differt ab alio. Item video hominem conuenire cum equo in aliis rebus, quia vterque eſt animal, vterque ambulat, &c. Itẽ video inter vtrumque latum eſſe diſſidium. Equus enim nullam habet potentiam rationalem. Ecce cõcipio rationem animalis vt cõmunem Petro & equo, in qua cõueniunt, & concipio irrationalitatem equi, in qua differunt. Fundamentũ horum conceptuum eſt operationes ſimiles & diſſimiles, quæ in illis reperiuntur, re tamen ipſa diuerſum animal eſt homo ab equo. Illa ratio animalis eſt vna in multis, vna (inquam) per ſimilitudinem, vt dicimus Hiſpanè eos, qui ſimiles habent annuos redditus. *Tienen vna miſma renta.* Quod egregiè S. Auguſtinus explicuit t. 3. lib. 13. de Trinit. cap. 2 *Nam & duos homines ſimillimos* (inquit) *cum videmus, vnam faciem dicimus & miramur amborum.* Quod teſtimonium latè produco diſput. 56. de fide §. 5. Vel eſt vna per intellectũ apprehendentem eas res, ac ſi eſſet vna, & illa eſt prædicabilis de multis, quia de equo & Petro prædicatur animal. Ille conceptus communis, quando concipitur in rebus diſſimilibus in eſſentia; vt in equo & homine, dicitur abſtractio generis ab ſpeciebus; & quando concipitur in duobus indiuiduis eiuſdem ſpeciei, vt homo in Petro & Paulo, dicitur abſtractio ſpeciei ab indiuiduis, quia ita cognoſcitur ratio generica, vt non coſcatur clarè, & diſtinctè ſpecies, & ita concipitur ſpecies, vt non cõcipiantur clarè indiuidua, & hoc eſt abſtrahere vnũ ab alio, concipere vnũ ſine alio. *Abſtrahere eſt concipere vnum ſine alio.*

§. 5. *Abſtractio eſt duplex, alia præciſiua, alia negatiua.*

Et quidem abſtractio eſt duplex, alia præciſiua, quam vocant præciſionem rationis; alia negatiua, qua vnum negamus de alio In hac ſecunda poteſt eſſe mendacium; in prima, non, quia quando ego concipio Petrum eſſe hominem, nihil mentior, licet non dicam eum eſſe Petrum. Propterea dicitur *abſtrahentium non eſt mendacium.* Quando verò genus concipitur ſimul cum vna differentia, vt animal cum rationali, tunc dicitur contrahi genus ad ſpeciem, & quando ſpecies concipitur ſimul cum Petreitate v.g. tunc dicitur ſpecies contrahi ad indiuidua, quia ille conceptus communis, qui latè patebat, limitatur, contrahitur, & coarctatur ad hanc ſpeciem, vel ad hoc indiuiduum.

§. 6. *Vniuerſale eſt compoſitum ex materia & forma.*

Reperitur igitur in quouis vniuerſali & cognitio confuſa, & obiectum cognitum confusè. Eſt enim vniuerſale, compoſitũ quoddam ex materia & forma. Sed quæ eſt eius forma? Communiter Thomiſtæ cenſent eſſe ens rationis, quod reſultat ex illa abſtractione. Huic ſcipioni innixi. Quia vniuerſalia ſunt entia rationis, ſed non ſunt entia rationis pro materiali, quia animal & homo ſunt entia realia. Ergo ſunt entia rationis pro formali. Ergo illorũ forma eſt ens rationis. Verum oſtendi diſput. 19. metaphyſ. ens rationis non fieri niſi per actum mendacij. Sed in illa abſtractione nullum reperitur mendacium, ergo per illam abſtractionem nullũ fit ens rationis. Eſt ergo forma rei vniuerſalis, vt vniuerſalis, actus intellectus abſtrahens rationem cõmunem ab inferioribus. Quæ autem, & qualis ſit illa forma, habes in diſput. 5. metaphyſicè ſect. 7. & 8. *Forma vniuerſalis eſt actus intellectus abſtrahens rationẽ cõmunem ab inferiori.*

§. 7. *Opinio Thomiſtarum de materiali vniuerſalis.*

De materiali verò vniuerſalis magna eſt controuerſia inter Thomiſtas & Nominales. Thomiſtæ dicunt per actus vniuerſales ita abſtrahi naturam communem à ſuis inferioribus, vt hæc inferiora non cognoſcantur formaliter, & diſtinguunt ex parte ipſius obiecti plures formalitates, vt quando cognoſcitur animal, dicunt non cognoſci formalitatem *rationale*, & quando cognoſcitur homo, nõ cognoſci *Petreitatem*, & intellectũ habere hanc vim partiendi obiecta realiter impartibilia. Itaque non ſolum actus vniuerſalis, ſed ipſa etiam obiecta diſtinguuntur per actus vniuerſales. Rationes verò inferiores cognoſci materialiter, in quantum ſunt idem cum vniuerſalibus à parte rei. Dicunt etiam, quando prædicatur homo de Petro, prædicari quidem eumdem hominem de Paulo, eumdem (inquam) nõ realiter, nec quantùm ad rẽ prædicatam,

ſed

ſed eumdem ratione, & quantum ad modum prædicandi.

§. 8. *Opinio Nominalium.* At verò Nominales hanc ſententiā impugnant, cenſent enim nō poſſe ex parte obiecti reſpondere plures formalitates diſtinctas. Sed eandem numero formalitatem, quę diuerſa nominatur, non propter diuerſitatem obiectorum, ſed propter varios conceptus, per quos denominatur. Aiunt enim, quando cognoſcitur homo, cognoſci quidem explicitè aliquam rationem hominis, at verò cognoſci formaliter Petreitatem, & omnia alia indiuidua, ſed non clarè, & diſtinctè ſed confusè. Ad quod aduerte in hac ſententia aliud eſſe cognoſcere rem ſingularem, aliud illam cognoſcere in ſingulari, id eſt cōcipere rationes communes, quas cenſent eſſe ſingulares ex parte obiecti eſſentialiter. Atque ea cognitio talis eſt, vt ex vi illius non poſſit diſcerni vnum ab alio, ideò vocatur ratio communis, quia ille conceptus licet repræſentet rem ſingularem, eſt tamen confuſus, communis & indifferens, non magis repræſentans hoc ſingulare, quàm illud, ſed omnia confusè; quia, cùm omnia ſingularia in illa ratione repræſentata ſint ſimilia, non poteſt vnum ab alio diſcerni, quia inter ſimilia, vt ſimilia, non eſt diſtinguere; at verò cognoſcere rem ſingularem in ſingulari, eſt repræſentare rem ſingularem, illámque cognoſcere vt talem, & diſcernere ab aliis, vt cùm quis cognoſcit hominem eſſe Petrum. Longum vtriuſque examen ſententiæ habes in Metaphyſica diſput. 5. ſect. 10. quo autem pacto contingat diſtinctio rationis; habes ibidem diſput. 6. ſect. 4.

SECTIO II.

Vtrùm Prædicabilitas ſit de eſſentia vniuerſalis?

§. 9. *Quare proprietas non ſit de eſſentia rei. Proprietas dupliciter ſumi poteſt.* PRoprietas non poteſt eſſe de eſſentia rei. Quia eſſentia eſt primus conceptus, qui cognoſcitur in obiecto, vt in homine corpus & anima: proprietas verò eſt ſecundus conceptus, qui dimanat à primo. Proprietas dupliciter ſumi poteſt, primò vt ſit res verè & realiter ab eſſentia diſtincta, vt calor eſt proprietas ignis. Secundo modo vt non ſit diſtincta realiter, ſed tantùm intelligatur ratione noſtra diſtingui, & ab eſſentia manare, vt attributa diuina non diſtinguuntur realiter à natura Dei, ſed tantum ratione noſtra.

§. 10. *Prima ſententia.* Titulus quæſtionis eſt in hoc ſecundo ſenſu. Qui enim dicunt prædicabilitatem non eſſe de eſſentia vniuerſalis, ſed paſſionem, non aſſerunt eſſe paſſionem realiter, ſed tantum ratione diſtinctam. *Albertus. Toletus. Sotus. Veracruz.* Hæc ſentētia eſt grauium Authorum Alberti, Toleti, Soti, Veracruz, & aliorum. Probatur primò, *Probatur primo.* quia prius ratione eſt rem eſſe, quàm eſſe prædicabilem. Quia rem eſſe, eſt obiectum actus, & obiectum prius eſt quàm actus. Ergo prædicabilitas nō eſt de primo conceptu vniuerſalis, ſed illius paſſio.

§. 11. *Probatur ſecundo.* Secundò, hæc eſt vera cauſalis, quia res eſt vniuerſalis, ideò de pluribus prædicatur, ergo vniuerſalitas eſt principium prædicabilitatis, ergo prædicabilitas non eſt de eſſentia vniuerſalis, ſed potius aliquid ex illo ſequutum tanquam ex principio. *Probatur tertio.* Tertiò. Tota eſſentia vniuerſalis poteſt intelligi ſine prædicabilitate, ergo hæc non eſt de eſſentia illius, quia illud non eſt de eſſentia alicuius rei, ſine quo talis res cōcipi poteſt: antecedens probatur, quia ſi repugnaret actus prædicandi, tamen res eſſet vniuerſalis.

§. 12. *Scotus. Prædicabilitas eſt de eſſentia vniuerſalis. Probatur.* Oppoſita ſententia eſt Scoti in ſua logica q. 15. quem alij ſequuntur. Huius ſententia mihi magis probatur. Primò, quia vniuerſale fit per notitiam comparatiuam, vt multi volunt, ſic autem prædicabilitas eſt de illius eſſentia, quia cognitio comparatiua eſt reflexa cognitio, quo vniuerſale ad ſua inferiora comparatur, & apprehenditur illis conuenire. At apprehenſa cōuenientia ſuperioris cum inferiori, eſt iam proximè prædicabilis. Vel fit per notitiam abſtractiuam, vt volunt alij, & ſic prædicabilitas eſt de illius eſſentia, ergo ſemper prædicabilitas eſt de eſſentia vniuerſalis. Probatur ſecunda pars antecedentis: quia, vt res aliqua ſit prædicabilis, tantum requiritur, vt cōcipiatur vt conueniens rei, de qua prædicatur: vt enim cōcipimus rem vnam conuenire alteri, vel non conuenire; ſtatim poſſumus vnam de alia affirmare, vel negare, eſt enim talis conceptio immediata diſpoſitio ad affirmandum. Sed per notitiam abſtractiuā vniuerſalis, vniuerſale concipitur vt cōueniens ſuis inferioribus, quia concipitur vnum in multis, ergo illa notitia conſtituit formaliter rem prædicabilem, ergo prædicabilitas eſt de eſſentia vniuerſalis.

§. 13. *Confirmatur.* Confirmatur. De eſſentia præmiſſarum eſt conſtituere intellectum potentem ad diſcurſum, quia præmiſſæ per ſe ipſas immediatè ad illum determinant intellectum Sed ſimili ratione illa notitia abſtractiua vniuerſalis determinat intellectum ad illud prædicandum, ergo de eſſentia illius abſtractionis eſt conſtituere vniuerſale proximè prædicabile, quia idem eſt ac determinare intellectum ad prædicabilitatem.

§. 14. *Explicatur doctrina.* Vt res tota explicetur, aduerte, actus intellectus dupliciter poſſe conſiderari. Primò, vt reſpiciunt & denominant obiecta, quæ ab illis dicuntur cognita, & vt reſpiciunt ipſam potentiam, quam denominant cognoſcentem. Secundò vt ſe mutuò reſpiciūt ipſi actus, vt principiū & principiatum, ſiue vt cauſa & effectus, ſic diſcurſus reſpicit iudicium, & hoc apprehenſionem tanquam conditionem ad ſe prærequiſitam. Vtraque ratio eſt eſſentialis actibus. De prima non eſt dubium, de ſecunda patet etiam, quia illi actus eſſentialiter ſubordinantur, & vnus refertur ad alium; ſicut rerū eſſentiæ eſſentialiter referuntur ad ſuos effectus, quia illos per ſe ipſas immediatè reſpiciunt. Ex his duobus reſpectibus duæ conſurgunt denominationes eſſentiales ipſis actibus. Ex primo reſultat denominatio vniuerſalis, quia actus reſpicit obiectum repræſentans communem rationem pluribus. Ex ſecundo reſultat denominatio prędicabilis, quia ille met actus diſponit potentiam proximè aptam, vt prædicetur vnum de alio, in quo conſiſtit prædicabilitas, & proxima ratio, & diſpoſitio, vt poſſit prædicari, cui nihil deeſt præter ipſam prædicationem. Qua propter S. Thom. dixit, aliam eſſe rationem vniuerſalis, aliam prędicabilis; aliam (inquam) denominatione. Nam vniuerſale repræſentat obiecta cōfusè, prædicabile verò connotat iudicium, ad quod diſponit. At ſi actus vniuerſalis adæquatè penetretur, vtraque ratio eſt de primo eius conceptu, vt animal & rationale de homine, & neutra eſt attributum alterius.

§. 15. *Aliorum probatio.* Secundò probant alij, hanc ſententiam, quia vniuerſale logicum eſſentialiter conſtituitur in ratione talis per prædicabilitatem ſicut homo per rationalitatem, ergo eſt de eius eſſentia. Probatur antecedens, quia vniuerſale metaphyſicum abſtrahit à prædicabili, aut nōn prædicabili. Sed huic *Impugnatur.* argumento reſponderi facilè poteſt prædicabilitatem formaliter non eſſe immediatam vniuerſalis

logici differentiam, ſed prædicabilitatem radicalem. In hoc enim differt metaphyſicum à logico, quia ex metaphyſico nullo modo ſequitur prædicabilitas, ſecus ex logico. Vt ſi quis diceret hominem eſſentialiter à bruto differre, quia homo eſt radix admirationis, ſecus brutum. Deinde ſine fundamento inuenitur diſtinctio inter vniuerſale metaphyſicum & logicum, quia omne vniuerſale in eſſendo fit per actum intellectus, ſicut vniuerſale logicum, eáque diſtinctione Scotici ſolum vti potuere.

§. 16. *Reſpondetur primæ probationi prioris ſententiæ.* Ad primum ex §. 10. reſpondetur, Rem priùs eſſe, quàm ſit prædicabilis, quia etiam eſt priùs quàm concipiatur vt conueniens pluribus, & ſic prius eſt obiectum, quàm actus; at non eſt priùs vniuerſalis, quàm prędicabilis, quia idem actus, per quem efficitur vniuerſalis, immediatè determinat intellectū, vt eam poſſit prædicare. Sicut res priùs eſt quàm per præmiſſas concipiatur, ſed non eſt prius concepta per præmiſſas, quàm ſit diſcurſibilis, quia præmiſſæ diſponunt intellectum ad diſcurſum.

§. 17. *Reſpondetur ſecundæ.* Ad ſecundum ex §. 11. reſpondetur eam cauſalem eſſe verã, ſi intelligatur de vniuerſalitate fundamentali, falſam verò ſi de formali: nam quia res eſt vniuerſalis fundamentaliter, ideò eſt prædicabilis, quia ratione fundamenti eſt cognoſcibilis, vt conueniens pluribus, per quam cognitionem fit vniuerſalis, & prædicabilis. Eſt autem vera hæc cauſalis; ideo prædicatur, quia eſt vniuerſalis formaliter, quod eſt idem ac dicere: ideò prædicatur quia eſt prædicabilis. Iſtæ enim duæ rationes conueniunt eſſentialiter actui vniuerſali, & neutra ſequitur ex altera: at non eſt vera cauſalis illa intellecta de vniuerſalitate formali, quæ eſt prædicabilitas.

§. 18. *Reſpondetur tertiæ.* Ad tertium reſpondetur. Negando antecedens, quia non concipitur tota vniuerſalis eſſentia ſine prædicabilitate. Sicut neque hominis eſſentia ſine rationalitate. Ad probationem reſpondetur non fore poſſibile vniuerſale, niſi eſſet poſſibile prædicabile, quia ſunt idem. Nam formaliter idem eſt eſſe vnum in multis per intellectum, & prædicabile de illis. Eſt igitur prædicabilitas eſſentialis differentia vniuerſalis, quia actus, per quem concipitur vt conueniens pluribus, eſſentialiter differt ab aliis actibus, quia de ſe conſtituit intellectum proximè potentem ad prædicandum vniuerſale de pluribus.

§. 19. *Obiectioni ex Porphyrio ſatisfit.* Dices à Porphyrio dici definitionem generis eſſe deſcriptiuam, quia datur per prædicabilitatem. Reſpondetur, Porphyrium intelligi non de prædicabilitate, ſed de actuali prædicatione, vel latè ſumitur deſcriptio pro definitione eſſentiali. Sicut proprietas latè ſumitur pro conceptu eſſentiali, quando logici dicunt prædicabilitatem eſſe proprietatem vniuerſalis.

§. 20. *Res eſt prædicabilis & ab actu prædicãdi poſſibili. Et ab vltima diſpoſitione requiſita ante prædicationem ſecundùm ſe conceptam. Secunda prædicabilitas eſt de eſſentia vniuerſalis, non prima.* Aduerte rem bifariam eſſe prædicabilem: primò ab ipſo actu prædicandi, nõ actuali, ſed potentiali, ſicut res dicitur viſibilis à viſione poſſibili, quæ prædicabilitas non eſt de eſſentia vniuerſalis. Secundo modo ab vltima diſpoſitione requiſita ante prædicationem ſecundum ſe conceptam, ſicut res eſt diſcurſibilis per præmiſſas, quia hæ vltimò diſponunt potentiam, vt poſſit diſcurrere: hoc eſt de eſſentia vniuerſalis. Quia de eſſentia ſimplicis apprehenſionis eſt diſponere ad iudicium. Atque hic docent aduerſarij vniuerſale ſolùm fieri per ſimplicem apprehenſionem. Nam quando fit per iudicium clarior eſt mea ſententia, quia iudicium eſt prædicatio ipſa vel actualis, vel poſſibilis.

SECTIO III.

Quomodò vniuerſalia prædicentur?

Termini primæ intentionis ſignificant res ſecundùm id, quod illis conuenit à parte rei, ſecluſa quacũque extrinſeca denominatione; termini ſecundæ intentionis ſignificant res non ſecundum quod illis conuenit ex ſua natura intrinſeca, ſed tantum ſecundum quod ſubſtant extrinſecæ alicui denominationi vitali, vt eſſe genus, ſubiectũ, medium, &c. Vbi ſignificatur ipſa res denominata, & denominatio, à qua genus dicitur, &c. Primò de terminis primæ: ſecundò de terminis ſecundæ intentionis agetur. §. 21. *Termini primæ & ſecundæ intẽtionis quid ſignificent.*

Dico primò. Hæ ſunt veræ prædicationes. *Petrus eſt homo, homo eſt animal. Animal eſt rationale, rationale eſt animal, animal eſt homo.* Communis eſt, nec de ea poteſt dubitari. Nam illa eſt vera prædicatio affirmatiua, quæ affirmat rem, ſicuti eſt, ergo omnes illæ ſunt veræ, nam illa propoſitio, *animal eſt homo.* æquiualet huic, *aliquod animal eſt homo:* quia, quando ratio inferior prædicatur de ſuperiori, illa propoſitio æquiualet propoſitioni particulari, & confuſæ. §. 22. *Veræ propoſitiones.*

Dico ſecundò. Hæc eſt falſa. *Petrus eſt humanitas, homo eſt animalitas & rationalitas.* Probatur apertè, quia à parte rei homo non eſt idem cum humanitate, nam præter humanitatem homo includit ſuppoſitum, quod diſtinguitur realiter ab humanitate. Sicut hæc eſt falſa, *homo eſt animal,* quia pręter illam includit corpus. §. 23. *Falſæ propoſitiones.*

Dico tertiò. Hæc eſt vera, *humanitas eſt animalitas.* Primò, quia à parte rei humanitas eſt idem cum animalitate. Secundò, quia ratio ſuperior verè prædicatur de inferiori. Quis enim neget, albedinem eſſe colorem? Sed ſimiliter animalitas eſt ratio ſuperior ad humanitatem: ergo verè prædicatur de illa. §. 24. *Veræ propoſitiones.*

Dico quartò. Hæc eſt vera, *humanitas eſt rationalitas,* & hæc, *rationalitas eſt animalitas.* Probatur primò, quia à parte rei vna eſt alia. Ergo propoſitio, quæ id affirmat, eſt vera, quia ab eo, quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa. Secundò, quia hæc eſt vera, *iuſtitia Dei eſt miſericordia Dei;* ſed non magis diſtinguitur animalitas & rationalitas, quàm iuſtitia & miſericordia Dei; ergo etiam poterunt inuicem prædicari. §. 25. *Veræ propoſitiones.*

Sed contra omnes concluſiones arguitur primò, quia pars non prædicatur de parte, nec totum de parte, nec de toto pars: ergo omnes illæ propoſitiones ſunt falſę, quia aut ſunt totius de parte, vt *animal eſt homo,* totum prædico de parte; aut partis de toto, vt *homo eſt animal,* prædico partem de toto; aut partis de parte vt *animal eſt rationale.* Diſtinguo antecedens, quod eſt verum, quando inter partes eſt diſtinctio à parte rei, quia tunc non eſt res, ſicut enuntiatur, vt hæc eſt falſa *animal eſt corpus, manus eſt caput.* Eſt autem falſum antecedens, quando inter totum & partes non eſt diſtinctio à parte rei, ſed tantùm per noſtrum intellectũ, tunc enim res à parte rei eſt ſicut enuntiatur. Ratio à priori eſt, quia diſtinctio rationis, & compoſitio, non eſt diſtinctio ex parte obiecti, ſed tantùm eſt diſtinctio ex parte intellectus confuſè cognoſcentis obiectum, quæ diſtinctio rationis non tollit obiecti identitatem realem, atque ita nec veritatem propoſitionis. Quia ab eo quod res eſt, vel non eſt realiter, propoſitio dicitur vera, vel falſa, non verò ab eo, quod concipitur, vel non concipitur; §. 26. *Obiectio contra doctrinã ſuperius traditam. Reſpondetur obiectioni. Diſtinctio rationis neque tollit identitatem obiecti, neque veritatem propoſitionis.*

pitur; ly, *autem eſt*, ſignificat realem identitatem prædicati cum ſubiecto, non verò diuerſitatem in modo concipiendi.

§.27. *Obiectio Secunda.* Sed contra ſecundò, quia hæc eſt falſa, *Deus voluntate intelligit, & intellectu amat*, cum tamen inter Dei voluntatem & intellectum ſola ſit diſtinctio rationis. Ergo ſimiliter hæc erit falſa, *humanitas eſt rationalitas*. *Reÿcitur.* Nego conſequentiam. Ratio eſt, quia in priori propoſitione voluntas & intellectus ſumuntur reduplicatiuè (vt aiunt) & in ſenſu formali, qui ſenſus non ſolum includit obiectum, ſed etiam noſtrum concipiendi modum: at verò cum reduplicatione non poſſunt prædicari ea, quæ diſtinguuntur ratione, quia non ſunt res, ſicut enuntiatur. Quare voluntas diuina, vt voluntas diuina, non eſt intellectus diuinus, quia vt à nobis concipitur ſub ratione voluntatis, non concipitur ſub ratione intellectus, in quo ſenſu hæc eſt vera *attributum iuſtitiæ non eſt attributum miſericordiæ*; quia ly, *attributum*, etiam reduplicat modum concipiendi. Sic etiam hæc eſt falſa. *Deus iuſtitia miſeretur, miſericordia punit*, ob eamdem rationem, & licet hæ propoſitiones ſint falſæ, iſtæ tamen ſunt veræ. *Intellectus diuinus eſt voluntas diuina, miſericordia eſt iuſtitia*, quia in his ſignificatur obiectum, ſecundum quod eſt à parte rei, ſecluſo noſtro modo concipiendi, & ſenſu formali, quem efficit hæc propoſitio, *Deus voluntate amat.*

§.28. *Dubio fit ſatis.* Sed rogas, in his vltimis propoſitionibus cur non fiat ſenſus formalis, & reduplicatiuus? Fiat autem in prioribus? Ratio eſt, quia vnum attributum ab alio diſtinguitur, & vnus conceptus ab alio, per ordinem ad operationes diuerſas. Quotieſcumque verò talem conceptum, aut attributum referimus ad ſuas operationes, illum concipimus formaliter, vt dicam diſp. 5. Metaphyſicæ, ſect. 10. At verò, cum talem conceptum, aut attributum non referimus ad ſuas operationes, tunc non facit ſenſum reduplicatiuum, & formalem, quapropter hæ propoſitiones ſunt falſæ: *Homo rationalitate ſentit, homo animalitate diſcurrit.* Ratio eſt, quia rationalitas non denominatur à ſenſatione, neque animalitas à diſcurſu, ſed à diſcurſu rationalitas, & animalitas à ſenſatione.

§.29. *Propoſitio falſa.* Vnde dico quintò. Hæc eſt falſa, *animal formaliter eſt rationale*, quia nomen *formaliter* reduplicat concipiendi modum, à quo habet animal eſſe diſtinctum à rationali, quia facit hunc ſenſum, quando concipitur homo ſecundum quod eſt animal explicitè, neceſſariò concipitur explicitè ſecundum quod eſt rationale, hoc autem eſt falſum, vt probabo, diſput. 5. Metaphyſicæ, ergo propoſitio, qua id affirmo, eſt falſa, hæc autem eſt vera, *homo formaliter eſt animal, aut formaliter rationale*, quia conceptus hominis includit eſſentialiter conceptus rationalis, & animalis, & hæc eſt falſa, *animal formaliter eſt homo*, quia ly, *formaliter*, reduplicat præciſionem intellectus, per quam animal abſtrahit ab homine. Hæc autem propoſitio, *homo in quantum homo eſt animal in quantum animal*, poteſt eſſe ambigua, ſi enim nomen *in quantum animal* tantum appellet conceptum obiectiuum animalis cum ordine ad operationes ſenſitiuas, eſt vera: falſa tamen ſi nomen *in quantum* etiam reduplicet modum concipiendi, quia facit hunc ſenſum, *homo eſt quidquid animal eſt:* abſolutè tamen exiſtimo, eſſe veram, quia eius vniuerſalitas reſtringitur per ſubiectum, & efficit hunc ſenſum, *aliquod animal eſt de conceptu hominis.* Quare vtendo reduplicatione tam ex parte ſubiecti, quàm prædicati, omnes rationes ſuperiores poſſunt de inferioribus prædicari, & omnis differentia de ſpecie, vt *homo in quantum homo eſt animal in quantum animal, & rationale in quãtum rationale eſt homo.* At verò vtendo reduplicatione ex parte ſubiecti, nulla proprietas poteſt de eſſentia prædicari, quia hæc eſt falſa, *homo vt homo eſt riſibilis.* Facit hunc ſenſum, *de eſſentia hominis eſt riſibilitas.* At verò poſita reduplicatione ex parte prædicati, vt *homo eſt riſibilis in quantum riſibilis* eſt vera, quia omnes formalitates riſibilitatis conueniunt homini.

§.30. *Termini ſecundæ intentionis prædicãtur de terminis primæ.* Dico ſexto. Termini ſecundæ intentionis prædicantur de terminis primæ, vt *homo eſt ſpecies*, quia *ſpecies* ſupponit in recto pro homine, & connotat in obliquo actum, quo denominatur, ſicut dicitur, *homo eſt cognitus, homo eſt albus.* *Termini ſecundæ intentionis in abſtracto non prædicantur de terminis primæ.* Sed termini ſecundæ intentionis in abſtracto non prædicantur de terminis primæ, vt non dicitur *homo eſt ſpecieitas*, ſicut non dicitur *homo eſt cognitio, homo eſt albedo*, quia *ſpecieitas* eſt cognitio, quæ non prædicatur de homine. *Termini verò ſecũdæ intentionis in abſtrato prædicãtur de alijs etiam ſecundæ.* At termini ſecundæ intentionis in abſtracto, prædicantur de aliis etiam ſecundæ in abſtracto, vt *ſpecieitas eſt vniuerſalitas*, & concreti reflexi de concretis, vt *genus eſt vniuerſale*; & concreti de abſtractis, vt *genereitas eſt ſpecies*, quia actus ille, qui eſt genereitas, concipitur per alium actum reflexum, vt conueniens pluribus genereitatibus numero tantum differentibus, à quo actu reflexo genereitas denominatur ſpecies, ſicut homo dicitur ſpecies. Tunc enim genereitas ex parte ſubiecti ſignificat in recto actum genericum, & in obliquo connotat alium actum reflexum, à quo denominatur ſpecies. *Termini abſtracti nõ prædicantur de concretis neque concreti directi de abſtractis directis.* Sed abſtracti non prædicantur de concretis, neque item concreti directi de abſtractis directis. Hæc enim eſt falſa, *genus eſt genereitas*, quia genus præter genereitatem, rem dicit, quę denominatur genus. Sicut homo, præter animam, includit corpus, & homo viſus viſionem includit.

§.31. *Probatur.* Animaduertendum eſt aliquos dialecticos admittentes hanc propoſitionem, *homo eſt animal, homo eſt rationale:* negare hanc, *humanitas eſt rationalitas, animalitas eſt rationalitas.* Quia aiunt *homo, & animal* ſupponunt pro eodem ſuppoſito, ratione cuius verificatur propoſitio, vt *album eſt dulce.* Secus *animalitas & rationalitas*, ſicut albedo, & dulcedo. *Reÿcitur.* Hos exiſtimo non loqui conſequenter, & exempla adducere non apta. Nam ſuppoſitum animalis non poſſet rectè prædicari de ſuppoſito hominis, ſi iuxta eorum ſententiam pars metaphyſicæ compoſitionis per rationem, non poſſet de toto prædicari. Probatur, quia ſuppoſitum animalis eſt pars ſuppoſiti humani, ſicut animalitas eſt pars humanitatis, quia animalitas, cum ſit ſubſtantialis conceptus, & partialis, non poteſt intelligi ſuppoſitari completo ſuppoſito, ſed incompleto. Quare ſuppoſitum humanum componitur ratione noſtra ex ſuppoſito partiali rationalis & animalis, ſicut humanitas componitur ex animalitate, & rationalitate. Vnde aut vtraſque propoſitiones admittant, aut reiiciant vtraſque.

§.32. *Reſpondetur probationi.* Ad exempla reſpondeo, album in recto ſupponere pro eodem ſubiecto, pro quo dulce, ratione cuius ſubiecti verificatur hæc, *album eſt dulce*, quia facit hunc ſenſum. Idem corpus, quod afficitur albine, afficitur dulcedine, at non eſt idem ſuppoſitum adæquatè hominis & animalis, quia ſuppoſitum hominis eſt totale, & animalis partiale. De abſtractis longe clarior eſt ratio, quia albedo & dulcedo realiter diſtinguntur, ſecus animalitas & rationalitas, quare hæc propoſitio *homo eſt animal,*

non eſt vera ratione ſuppoſiti habentis humanitatem, & rationalitatem, ſed ratione identitatis inter eas formalitates, ſiue abſtractæ, ſiue concretæ ſumantur.

§. 33. Alij admittunt hanc, *humanitas eſt animalitas*, & negant hanc, *rationalitas eſt animalitas*, neque aliam rationem reddunt, niſi communem earum vocum vſum: quem quidem nos negamus, quia iuxta communem vſum ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa; quando autem volumus explicare diſtinctionem rationis repertam inter animalitatem & rationalitatem, proprios ad id terminos habemus; vtimur enim aliquibus reduplicatiuis, quales ſunt, *formaliter, vt ſic, in quantum, &c.*

DISPVTATIO IV.

De genere.

VARIAS generum acceptiones, & cur de eo priùs ſermo à Porphyrio inſtituatur, aliaque inutilia prætermittens, ad dialecticum negotium propero.

SECTIO I.

Genus definio.

§. 1. *Genus eſt id quod de pluribus differẽtibus ſpecie in quid aptũ eſt prædicari.*

GEnus (vt Porphyrius, & Dialectici ſentiunt) *eſt id quod de pluribus differentibus ſpecie in quid aptum eſt prædicari.* Qua definitione genus eſſentialiter definitur, quia prædicabilitas eſt de eſſentia vniuerſalis, vt probaui diſputat. 3. ſect. 2. conſtat hæc definitio genere, & differentia. Genus eſt *prædicabile*, quod ſignificatur illis verbis, *quod aptum eſt prædicari.* Quinque enim prædicabilia in ratione prædicabilis conueniunt eodem modo, quo leo & equus in ratione animalis: vt ergo animal eſt genus leonis & equi, ſic prædicabile eſt genus quinque prædicabilium, (vt diſp. 6. patebit.)

§. 2. *Obiectio contra definitionem. Obiectioni ſit ſatis.*

Dices. Primum prædicabile, quod eſt genus, eſt genus, ergo non poteſt eſſe ſpecies, ergo prædicabile non eſt genus ratione illius, quia genus ſemper reſpicit ſpeciem. Aduerte, primum prædicabile ſub diuerſis conſiderationibus eſſe genus & ſpeciem, eſt enim eſſentialiter genus, & accidentaliter ſpecies. Nam eo quod ſit cognitio confuſa repræſentans plures ſpecies, dicitur genus, quod illi conuenit eſſentialiter, quia eius eſſentia eſt repræſentare plura diuerſarum ſpecierum confuſè, vt ſunt ſimilia: & quia idem primum prædicabile eſt obiectum alterius cognitionis confuſæ, atque reflexæ ad illud cum aliis prædicabilibus terminatæ, dicitur ſpecies, ſicut homo dicitur ſpecies animalis, quia ſimul cum aliis animalibus confuſè cognoſcitur ſub conceptu animalis. Primum quidem eſſentiale eſt cognitioni genericæ, accidentale ſecundum, vt in omni cognitione patet, quæ eſſentialiter eſt cognitio ſuum repræſentans obiectum, & accidentaliter eſt obiectum alterius reflexæ cognitionis, vt in prima diſputatione dixi, actus aliarum ſcientiarum eſſe logicæ obiectum.

§. 3. Igitur prædicabile ponitur loco generis: reliqua ponuntur loco differentiæ. Differt enim genus à proprio & accidenti, quia hæc accidentaliter & *in quale*, genus verò eſſentialiter, & *in quid* de ſuis inferioribus prædicatur. Differt autem à differentia, quod hæc *in quale quid*, & per modum accidentis, genus vero *in quid* dicitur. Differt ab ſpecie, quia genus prædicatur in quid incompletè, ſpecies verò in quid completè, ideſt genus non eſt tota quidditas, & conceptus adæquatus, & completus ſuorum inferiorum, ſpecies verò eſt tota quidditas, & conceptus eſſentialis, completus ſuorum inferiorum, quæ differentia continetur illis verbis definitionis, *de pluribus differentibus ſpecie*; nam id, quod prędicatur de pluribus ſpeciebus, non poteſt eſſe tota illarum eſſentia, quia ſpecies habent diuerſas eſſentias totales, quare vna totalis non poteſt de omnibus illis prædicari.

Genus prædicatur in quid incomplete, ſpecies in quid complete.

§. 4. *Opinio Soti circa definitiũ in definitione generis. Reycitur.*

Solet à multis ſatis diſputari, quid in præſenti definiatur? Sotus indubitatum eſſe arbitratur, genus ſecundum vtramque partem definiri non poſſe, quia eſt ens per accidens; ſed eius ſententia eſt falſa, quia quidquid habet eſſe, eo modo, quo illud habet, eſt definibile, quia rem eſſe cognoſcibilem eſt entis attributum, atque proprietas: definitur itaque genus ſecundum vtramque ſui partem, quia definitur vniuerſale, & prædicabile de multis, quod nec ſoli conuenit naturæ, quæ vniuerſalis dicitur, quia ea ſola *animal* v.g. ſecluſa cognitione confuſa, neque eſt vniuerſalis formaliter, nec prædicabilis. Cognitio verò, ſecluſo obiecto, non eſt prædicabilis de ſpeciebus, vtrumque igitur definitur, natura quidem (animal v.g.) vt ſubiectum vniuerſalitatis, quod in recto ſignificatur, & definitur, cognitio verò tanquã forma vniuerſalitatis, quę in obliquo connotatur: eo enim ipſo, quod dicitur aliquid de multis prędicari, dicitur obiectum, quod prædicatur, & ratio, per quam prædicatur. Obiectum eſt definitum *quod*, cognitio definitum *quo*. Quod contingit in quauis definitione rei per terminos connotatiuos, adiectiuos, ſeu accidentales, vt quando definitur *album eſt diſgregatiuum viſus*, definitio conuenit parieti vt *quod*, albedini autem, vt *quo*. Quam doctrinam aperte colligo ex S.Thoma opuſc. 56. ante medium, aſſerente vniuerſale non eſſe vnum in ſubſtantia, cum aggreget in ſe accidens, ſcilicet, intentionem ſecundam, & ſubſtantiam. Ergo genus idem etiam aggregat, & per eam explicari oportet.

Definitio cõnotatiui cõpetit ſemper formæ vt quo, *materiali, vt* quod. S.Thom.

§. 5. *Definitio entis per accidens non explicat quidditatem partiũ, ſed rationem in qua conueniant.*

Ad Sotum reſpondeo, ens per accidens definiri non poſſe aliqua definitione quidditatiuè explicante vtramque partem ſecundum ſe, at poſſe, ſi tantum partes explicentur, ſecundùm rationem aliquam, in qua conueniunt, & efficiunt vnum, vt poteſt exercitus, & domus definiri.

§. 6. *Ens à ratione generis & quoduis analogum à ratione prædicabilis excluditur.*

Contra definitionem ſolet obiici, ens eſſe prædicabile de pluribus ſpecie differentibus, cùm tamen ens non ſit genus. Verùm admiſſa communiori ſententia de analogia entis, reſpondetur omnia analoga excludi non modo à ratione generis, ſed à quocumque prædicabili, quia prædicabile eſt vnum ſimpliciter, analogum verò vnum ſecundum quid. Reſpondetur ſecundò, ad rationem generis requiri, vt habeat ſpecies, quarum differentiæ non includant ipſum genus. Vt rationale non includit animal formaliter, at verò omnes differentiæ includunt ens, ergo ens non eſt genus.

Genus poſcit differentias in quibus nõ includatur.

SECTIO II.

Vtrum materiale generis ſit commune omnibus inferioribus?

§ 7. HIc latè ſolet inquiri, vtrum materiale generis, quod definitur, ſit abſtractum ab omnibus inferioribus

inferioribus materialibus? Scilicet, vtrum hoc materiale abſtrahatur ab animali, colore, chymæra? Quorum ſingula ſunt genus, primum reſpectu hominis & Leonis: ſecundum reſpectu albedinis & nigredinis: tertium reſpectu montis aurei & hypocentauri. Hæc quæſtio facile reſolui poteſt, aſſerendo hanc definitionem omnibus generibus conuenire ſecundum vtramque partem, quia nullum eſt genus, quod non ſit prædicabile de pluribus ſpeciebus. Ergo hæc definitio conuenit generibus omnibus. Confirmatur. Illa tria, quæ numerauimus, verè ſunt prædicabilia in *quid* de pluribus differentibus ſpecie, ergo illis omnibus conuenit definitio generis.

Definitio generis competit omnibus generibus realibus & rationis.

§. 8. *Obiectio.*

Sed obiicies, omnia genera non conueniunt vniuocè in ratione generis, ergo non poſſunt vna definitione comprehendi. Conſequentia patet, quia vna definitio fertur in vnum obiectum. Antecedens probatur, quia ens rationis etiam eſt genus, ſicut ens reale, ſed enti reali & rationis non poteſt dari vna ratio vniuocè conueniens: ergo omnia genera non cõueniunt vniuocè in ratione generis.

§. 9. *Soluitur.*

Sed hoc argumentum & falſum aſſumit, & malè concludit, quia omnia genera vniuocè conueniunt in ratione generis, nam omnia illa eodem modo de ſuis inferioribus prædicantur. Nam ſicut animal prædicatur in quid de homine & leone, ita color prædicatur in quid de albedine & nigredine, & chymæra, de monte aureo & hypocentauro; ergo chymera, color, & animal omnino ſunt ſimilia in ratione generis. Quod explico. Nam licet animal & color habeant diſſimilitudinem in ratione entis, & chymæra non conueniat cum illis in ratione entis, tamen eodem omnino modo reſpicit color albedinem & nigredinem, quo animal reſpicit hominem & leonem, eodem prorſus modo chymęra reſpicit montem aureum & hypocentaurum: ergo ens reale & rationis conueniunt vniuocè inferioribus reſpiciendis ſpeciebus: ſed hoc eſt conuenire vniuocè in ratione generis, & in ratione materiæ generis: nam genus denominatur id, quod concipitur, vt prædicabile in quid de pluribus ſpeciebus. ergo.

Ens reale & rationis conueniunt in ratione materiali generis.

§. 10. Confirmatur, quia cognitiones, à quibus ens reale, & rationis denominantur genus, vniuocè conueniunt in ratione genereitatis, repræſentantis confusè plures ſpecies; ergo & omnia genera vniuocè conueniunt in ratione generis. Antecedens patet, quia cognitio intellectualis humana genus eſt reſpectu omnium cognitionum humanarum intellectualium: conſequentia probatur, quia ab illis cognitionibus genera denominantur genera, quæ cognitiones ſimiles communicant denominationes. Confirmatur. Homo & albedo vniuocè conueniunt in ratione ſpeciei, licet in ratione entis, iuxta communem ſententiam, analogicè conueniant. Ergo eodem modo ens rationis & reale vniuocè conueniunt in ratione generis, licet ſint analoga in ratione entis. Ratio à priori eſt, quia duabus rebus, quibus eſt vna ratio analoga, poteſt eſſe alia vniuoca, quia in vna ſunt omninò ſimiles, ſecùs in alia, vt præter dicta, patet in quantitate & ſubſtantia, quæ in ratione exiſtendi in loco ſunt vniuoca, cum tamen in ratione entis ſint analoga.

Duabus rebus poteſt vna ratio eſſe analoga, alia vniuoca.

§. 11. *Ens reale & rationis in nulla ratione primo intentionaliter cõueniunt; ſecus ſecundo intentionaliter.*

Per quæ patet ad antecedens. Ad probationẽ reſpondetur, enti reali & rationis non poſſe eſſe aliquid commune vniuocè in ratione entis ſecundum ſe & primò intentionaliter, ſecus in ratione cogniti & ſecundò intentionaliter. Quia non cõparamus illa entia, ſecundum quod habent entitates ſimiles, ſed ſecundum quod illæ entitates diſſimiles inter ſe, eodem modo participantur ab inferioribus cuiuſque, vt patet in animali, & chymæra, & eodem modo terminant confuſas cognitiones, quibus ſingulorum inferiora confusè noſcuntur: at in reſpiciendis ſuis inferioribus, & terminandis confuſis cognitionibus omnino ſunt ſimilia genera omnia.

§. 12. Quod verò malè concludat argumentum probatur: tranſeat enim antecedens, & nego conſequentiam. Ad probationem reſpondetur, vna definitione vniuocè conuenienti pluribus non poſſe definiri, niſi ea, quæ vniuocè participant talem definitionem; at vna definitione analogicè conuenienti pluribus poſſe analoga definiri, vt hæc definitio, *ens creatum eſt quidquid ab alio habet eſſe*, conuenit ſubſtantiæ & accidenti creatis. In hoc autem ſenſu definitio generis erit vna analogicè, ſicut definitio entis creati.

Definitio vniuoca cõuenit his quæ vniuocè conueniũt, analoga his quæ analogicè.

§. 13. Dices, definitionem generis conſtare genere & differentia, genus autem debet eſſe vniuocum, ergo generis definitio debet eſſe vniuoca. Hæc omnia vera ſunt iuxta primum modum, quo argumento reſpondi. At iuxta ſecundum reſpondeo, tunc non conſtare definitionem genere propriè ſumpto: & in rigore, ſed latè, vt quando definitur accidens eſſe entis ens, licet ens non ſit propriè genus. Quãdo enim ſuprema genera definiuntur, eorum definitio non poteſt propriè conſtare genere, ſed aliqua ratione analogicè communi. Sic in præſenti prædicabile vt ſic abſtrahens à prædicabili reali & rationis non eſt genus; eſt autem genus prædicabile reale ad prædicabilia realia, & prædicabile rationis ad prædicabilia rationis. Definiuntur ergo omnia genera ſecundum rationem communem generis. Quòd verò hæc ratio abſtracta ſit communis vniuocè, vel analogicè ab omnibus generibus, ſiue ſint omnia ſingularia genera immediatè, & confusè cognita, parum refert. Nam in quacumque earum opinionum, eſt vera noſtra concluſio.

Definitio ſupremorum generum nõ poteſt conſtare genere proprio.

§. 14. Hoc autem admonuerim, haud quaquam loqui conſequentes, qui negant diſtinctas formalitates in obiectis (ſecundum opinionem Nominalium, quæ relata eſt in diſputatione 3. ſect. 1.) aſſerentes materiam vniuerſalis eſſe plura indiuidua confusè cognita, & aliunde negant dari poſſe conceptum cõmunem materialis generis entium realium, & rationis, quia enti reali & rationis nulla poteſt dari ratio communis, dicunt tamen in præſenti definiri immediatè omnia materialia generum realium & rationis. Hos igitur non loqui cõſequentes probatur, quia per te diffiniuntur omnia materialia generum immediatè cognita, vel ergo cognoſcuntur vt ſimilia, vel vt diſſimilia: non vt diſſimilia, quia conceptus confuſus in hoc diſtinguitur à claro, quia clarus cognoſcit rem diſtinctè, & vt diſſimilem ab aliis: at verò confuſus rem cognoſcit indiſtinctè, & vt ſimilem, & conueniẽtem cum aliis. Sed definitio generis eſt conceptus confuſus. Ergo non repræſentat genera vt diſſimilia. Probo etiam neque vt ſimilia, quia per te ens reale & rationis nihil habent commune, in quo ſint ſimilia. Nam, ſi aliquid haberent commune, in quo aſſimilarentur, illud poſſet abſtrahi; quia talis ſimilitudo eſſet vniuerſale fundamentaliter, non minus quam quæuis alia ſimilitudo. Qua igitur ratione ea genera cognoſcuntur?

§. 15. Confirmatur. Non cognoſcuntur, aut definiuntur, genera ſola realia, nec ſola genera rationis, quia definitio omnibus illis conuenit, neque cogno

cognoſcuntur omnia illa clarè & diſtinctè, ſecundum quod ſunt diſſimilia, quia conceptus ille eſt confuſus; neque item cognoſcuntur, ſecundum quod ſunt ſimilia, quia per te nullam habent ſimilitudinem; neque item cognoſcuntur ſecundum rationem abſtractam illis communem, quam rationem tu negas, qua igitur ratione cognoſcuntur?

§. 16. *Effugium. Precluditur.*

Dices, ea omnia immediatè cognoſci confuſè, vt ſunt ſimilia in eo, quod eſt de ſuis inferioribus eodem modo prædicari: contra primò; ergo niſi aliunde abſtractio repugnet, non repugnabit ex eo, quòd ſint entia realia & rationis. Quia per te in ratione generis ſunt ſimilia, quod ſufficit ad abſtractionem. Contrà ſecundò, quia non minùs requiritur in ſententia Nominalium ad illum actum confuſum immediatè repræſentantem plura indiuidua vt ſimilia, quàm in ſententia Thomiſtarum ad abſtrahendas duas formalitates obiectiuas, quia in vtraque ſententia tantum requiritur ſimilitudo in aliqua ratione. Dicendum igitur eſt, iuxta Thomiſtarum opinionem immediatè definiri omnia genera ſecundum rationem communem ab illis abſtractam, & iuxta Nominalium opinionem immediatè definiri omnia genera, vt ſunt ſimilia in ratione generis: conſequenter in vtraque ſententia, quæ dixi diſput. 3. ſect. 1.

Nō minorem ſimilitudinē requirit in obiecto actus confuſus ac requirit præſcindens.

SECTIO III.

Qua ratione genus ſit pars ſpeciei?

§. 17. *Genus eſt pars actualis ſpeciei, & totum poteſtatiuum reſpectu eiuſdem.*

GEnus dicitur eſſe pars actualis comparatione ſpeciei; item & totum poteſtatiuum comparatione eiuſdem, quæ oportet explicare. In concipienda ſpecie hominis v. g. hæ cognitiones repe riuntur. Prima eſt cognitio animalis. Secunda eſt cognitio rationalis. Tertia eſt cognitio hominis. Prima eſt generica, quia repræſentat rationem communem pluribus differentibus ſpecie, leoni, equo, & homini. Secunda eſt differentialis, quia eſt propria ſolius hominis, per quam à cæteris omnibus rebus ſeparatur. Tertia eſt ſpecifica, quia continet totam eſſentiam hominis prædicabilem eſſentialiter de pluribus ſolo numero differentibus. Hæc tertia cognitio complectitur obiecta duarum priorum, & nihil aliud. Hominis enim notitia ad nullum terminatur obiectum, præter animal rationale. Prima cognitio diſtinguit animal à rationali, quia diſtinctio rationis eſt cognitio vnius obiecti, non cognito alio, quod eſt idem cum illo. Item cognitio rationalis diſtinguit rationale ab animali, quia illud non cognoſcit clarè, licet ſit idem cum rationali.

§. 18. Hinc oritur, cognitionem de homine eſſe compoſitionem hominis ex genere & differentia: nempe ex animali & rationali, quia compoſitio vniuerſim eſt ſimul poſitio duarum rerum, ex quibus tertia reſultat, ita realis compoſitio hominis eſt realis vnio corporis & animæ, ex qua reſultat homo: ita etiam rationis compoſitio eſt cognitio componens, atque coniungens duo obiecta ratione diſtincta, è quibus reſultat tertium. Sic notitia generis componit ſpeciem cum differentia, è quibus reſultat ſpecies. Eamdem ob cauſam genus & differentia ſunt partes ſpeciei, quia pars eſt illa, ex qua ſimul poſita cum alia compoſitum efficitur, vt corpus eſt pars hominis, & cognitio generica eſt partialis, & incompleta, quia terminatur ad partem obiecti, & non ad totum. Idemque dixerim de cognitione differentiali. At ſpecifica cognitio eſt totalis, atque completa, Hæc eſt cauſa, cur genus dicitur pars actualis ſpeciei, quia in actuali cognitione ſpeciei comprehēditur genus, vt pars ſpeciei ſimul eam conſtituens cum differentia: quia ſpecies non poteſt concipi ſine genere & differentia, cuius tota eſſentia conſiſtit in vtroque conceptu, vt hominis eſſentia in corpore & animo, eandémque ob cauſam homo eſt totum actuale, quia in actuali cognitione ſui genus includit. Quod non eſt pars Phyſicè, ſed ſola ratione, quia Phyſicè nulla eſt diſtinctio inter animal & rationale, nec compoſitio vlla cum homine, ſed compoſitio, atque diſtinctio contingunt ſolum per actus confuſos, & claros intellectus. Diſtinctio quidem per confuſos, & inadæquatos, compoſitio verò per clariores, magiſque adæquatos obiectis.

Compoſitio rationis eſt cognitio coniungens duo obiecta ſola ratione diſtincta.

Cur genus ſit pars ſpeciei.

§. 19. *Cōpoſitio ex genere & differentia non includit genus abſtractū ſed contractū à differentia.*

Hæc compoſitio ex genere & differentia non includit genus abſtractum, atque commune cum ſua integra vniuerſalitate, ſed ab ea contractum, atque reſtrictum per conceptum differentiæ. Nam, ſicut genus, & quæuis ratio communis abſtrahitur actu confuſo non penetrante differentias, per quem genus diuagatur in omnes ſpecies, ita reſtringitur & limitatur ad vnam ſpeciem per actum clarum differentiæ, v. g animal, cognitum ſine rationali, commune eſt homini, & equo: at adiuncta rationalitate, iam non eſt commune equo, ſed homini proprium, & quia ſpeciem cōponit non cum confuſa priori cognitione, ſed cum clarè penetrante differentiam, ideò in compoſitione contrahitur à ſua vniuerſalitate ad hanc ſpeciem, & non ſinitur per eam cognitionem ad alias abire; nam, ſi eſſet tunc omnibus commune, omnes ſpecies confuſè cognitæ componerent hominem, quia animal commune eſt, omnes ſpecies cognitæ confuſè, ſaltem materialiter, homo autem nec materialiter componitur ex leone.

§. 20. *Adagium.*

Vnde efluxit adagium, *genus ſumitur à materia, differentia verò à forma*; quia ſicut materia eſt indifferens ad hominem & leonem, determinatur autem ad hominem per formam. Nam *actus eſt qui diſtinguit*; ita genus indifferens eſt ad plures ſpecies, determinatur autem per differētias. Cum hoc diſcrimine, materiam eſſe eamdem numero ſucceſſiuè in embrione, homine, & cadauere: at animal diſtinctum eſt realiter in ſingulis inferioribus. Igitur ſpecies componitur ex genere non abſtracto, atque communi, ſed concreto, & reddito particulari per differentiam. Vocatur autem genus, quia eſt obiectum cognitionis genericæ, quando non cernitur differentia. Sunt enim in homine & ſenſatio, & diſcurſus, animal dicitur à ſenſatione, & rationale à diſcurſu. Quia igitur homo poteſt concipi cum ſola ſenſatione, & ſic confuſè cognitus, eſt genus, & quia concipi poteſt cum ſenſatione, & ſimul cū diſcurſu, & ſic eſt ſpecies; ideò homo relatus ad ſenſationem, dicitur animal, & genus, quia per ordinem ad illam cognoſcitur actu generico, & vocatur genus concretum, & animal contractum, quia illi adiungitur cognitio differentiæ. Vno verbo. Illa ratio, in qua homo eſt ſimilis bruto, ſemper vocatur genus; abſtractum, ſi ſola cognoſcitur; concretum verò ſi ſimul cum alia, in qua eſt diſſimilis. Atque hæc vocatur differentia.

Animal à ſenſatione dicitur, & rationale à diſcurſu.

SECTIO IV.

Qua ratione genus ſit totum comparatione ſpeciei.

§. 21. TOtum poteſtatiuum dicitur etiam genus cõparatum ſpeciebus,eaſque poteſtate continere. Quod, vt explicem, ſuppono, ſermonem non eſſe de continentia, aut poteſtate phyſica, quia genus, cum ſit idem phyſicè cum ſpeciebus, nec eas continet, neque habet phyſicè potentiam ad eas. Eſt igitur ſermo de poteſtate & continentia logica, ſiue per intellectum. Item ſuppono, non dici genus totum poteſtatiuum, quia poſſit componi ex ſpeciebus. Nunquam enim ratio ſuperior componi poteſt ex inferioribus, tum quia tota eſſentia ſuperior concipitur non concepta inferiori: tum quia differentiæ inferiorum ſunt extra conceptum genericum, de quo non ſunt directè & formaliter prædicabiles, ſed pars logicè componens aliquid, eſt de eo directè & formaliter prædicabilis, quia eſt ratio illud conſtituens, vt rationale, & riſibile prædicantur de homine; ergo genus non eſt totum poteſtatiuum per aliquam compoſitionem poſſibilem, per quam intelligantur ſpecies eſſe partes clarè atque diſtinctè ſpectantes ad generis conſtructionem. Vnde concludo, non eſſe totum ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid, quia totum & pars ſimpliciter dicunt ordinem ad compoſitioné per claram coniunctionem duorum conceptuum in vno tertio inde reſultante: vbi autem nullum eſt id genus compoſitionis,nulla eſt pars,nec totum vllum.Erit igitur genus analogicè, & metaphoricè, totum quatenus actu confuſo plura aggregatim ſine vlla diſtinctione ponuntur, quod eſt contra rationem totius, & partis ſimpliciter.

Genus non eſt totũ potẽtiale phyſicè; ſed tantũ logicè.

Genus non eſt ſimpliciter totum ſed ſecũdum quid.

§. 22. S. Thoma. Ac primùm S. Thomas, quem refero diſp. 2. Metaphyſicæ ſect. 3. ait, differentias entis poteſtate contineri in conceptu entis, at in conceptu ſubſtantiæ, vel accidentis contineri actu, ideſt, actu terminato ad conceptum entis vt ſic;potentia, ideſt, confuſè, & indiſtinctè, cognoſci differentias; at conceptu claro,atque diſtincto ſubſtantiæ,actu, ideſt clarè atque diſtinctè differentias cognoſci. Itaque in ſententia S. Thomæ contineri in potentia generis eſt,cognoſci confuſè cum genere, actu contineri eſt diſtinctè cognoſci, quod verum eſt. Quapropter Ariſtoteles dixit, in genere latere æquiuocationes, ideſt, confuſè contineri ſpecies inæquales. Exiſtimo tamen non eſſe hanc totalitatem poteſtatiuam, quam generi adſcribunt, ſic enim non minus differentia eſſet totum poteſtatiuum comparata generi,quàm genus comparatum ſpeciei, quia in conceptu differentiæ ſolius, tam confuſè cognoſcitur genus, quam differentia in conceptu ſolius generis propter idemtitatem realem inter vtrumque. Sed differentia non dicitur totum reſpectu generis, ergo hæc totalitas poteſtatiua non conſiſtit in cognitione confuſa inferiorum præcisè, niſi aliquid addatur, vt §. 24. patebit.

Genus non eſt totũ poteſtatiuum ex eo quod differẽtia includantur cõfuſè in eius cõceptu.

§. 23. Rem arbitror, ſic ſe habere. Genus ſub ratione prædicabilis eſt totum poteſtatiuum, ideſt, totum prædicabile de ſpecie. Nam genus ſub ea ratione eſt totum reſpectu ſpeciei, ſub qua reſpicit ſpeciem tanquam partem, quia totum vt totum dicit relationem ad partes. Sed ſpeciem reſpicit, vt partem ſub ratione prædicabilis; ergo genus ſub ratione prædicabilis, eſt totum reſpectu ſpeciei. Probo minorem, quia ſpecies reſpicit genus vt totum ſub ratione prædicabilis de illa, ergo & genus eam reſpicit ſub eadem ratione prædicabilis. Probo antecedens,quia ſpecies,vt eſt ſubiicibilis generi,eſt pars; ſed pars illius vt ſubiicibilis, dicit reſpectum ad totum, vt prædicabile: quia correlatiuum partis eſt totum, prædicabile autem eſt correlatiuum ſubiicibilis: ergo genus comparatione ſpeciei eſt totum, eamque reſpicit ſub ratione prædicabilis. Probo maiorem, quia ſpecies eſt pars ſubiectiua generis, ſic enim dicitur pars generis & non aliter. Sed pars ſubiectiua eſt pars ſubiicibilis ideſt pars ſubiecti, nam in prædicatione generis nulla ſpecies eſt ſubiectum totale, quia de aliis etiam prædicatur, quæ etiam ſunt generis ſubiectum. Itaque ſpecies eſt pars ſubiecti generis, ideſt, non ſubiicitur illa ſola generi, ſed ſimul cum aliis ſpeciebus componit integrum ſubiectum;genus autem, quia eſt prædicabile, non ſolum de vna, ſed etiam de aliis, dicitur totum poteſtatiuum, ideſt prædicabile ſeu potens prædicari.

Genus eſt totum poteſtatiuũ ſub ratione prædicabilis de ſpecie.

Nulla ſpecies eſt ſubiectum totale generis.

Dices,hinc ſequi,aggregatum ex omnibus ſpeciebus ſubiicibilibus eſſe totum, non verò genus, quia totum reſultat ex partibus, ſiue ſunt omnes partes ſimul, ita totum reſpectu ſingulorum generum eſt aceruus ex illis omnibus reſultans. Sicut totum reſpectu ſingulorum granorum eſt aceruus ex omnibus illis reſultans. Reſpondeo totum per compoſitionem aut aggregationem eſſe omnes ſpecies ſubiicibiles generi, quia omnes illæ integrant adæquatum ſubiectum generis, at genus oſtendi §. 21. non dici totum per compoſitionem, ſed metaphoricè tantum, ad quod non ſunt exigendæ proprietates totius ſimpliciter. Deinde reſpondeo, omnes ſpecies ſimul ſumptas eſſe genus: oſtendam enim in diſput. 5. Metaphyſ. ſect. 10. materiam generis eſſe omnes ſpecies confuſè cognitas, vnde, ſi omnes illæ ſingillatim, & clarè cognitæ ſunt totum ſubiectum, omnes etiam illæ confuſè cognitæ ſunt totum prędicabile, quia genus, vt prædicabile de omnibus, ſunt omnes confuſè cognitæ, & ſubiectum ſunt omnes clarè cognitæ. Diſcrimen autem claræ & confuſè cognitionis non tollit, quin conceptus obiectiuus,qui ſolet genus denominari,ſemper denominetur genus (vt oſtendi §. 19) Item ſpecies vocatur pars obiectiua generis, ideſt, cognitionis genericæ obiectum partiale; quia ea cognitio immediatè terminatur ad omnes ſpecies,in qua ſignificatione probo diſp. 5. Metaphyſ. ſect. 10. omne, vniuerſale dicere immediatè omnia inferiora, quia eſt totum reſpectu illorum, non per aggregationem diſtinctam omnium, ſed per adunationem per actum confuſum: ſic inferiora vocantur partes diuidentes, ſeu membra diuidentia totius vniuerſalis. In quo ſenſu rectè dixit S. Thomas cognitione confuſa ſuperioris poteſtate contineri inferiora, quia confuſè ea omnia cognoſcuntur, quod non conuenit conceptui differentiæ, in quo nec materialiter clauditur irrationale. Non video, quî poſſit aliter explicari ratio totalitatis generis in ſpecies.

§. 24. *Obiectio.*

Soluitur.

Omnes ſpecies ſimul ſumpta ſunt genus.

Species eſt pars obiectiua generis.

§. 25. Infertur ex dictis, genus non aliter eſſe totum reſpectu ſpeciei, quam eſt pars illius in potentia. Monſtratur apertè, quia genus eſt totum, vt eſt prædicabile, quia ſpecies eſt pars illius, vt eſt illi ſubiicibilis, ſed eſt prædicabile formaliter, vt pars in potentia; ergo eſt totum poteſtatiuum, vt eſt pars in potentia: minor patet, quia genus eſt prædicabile in quid incompletè, ſimiliter

Genus nõ aliter eſt totum, ac eſt pars in potẽtia reſpectu ſpeciei.

ſimiliter & ſpecies illi incompletè ſubiicitur: genus enim non continet totam eſſentiam ſpeciei, ſed partem; ergo genus eſt prædicabile formaliter, vt eſt pars ſpeciei, ergo in eadem ratione eſt pars ſpeciei, & totum poteſtatiuum, quæ rectè cohærent: nam prædicari vt ſuperius, communeque multis, eſt prædicari vt totum poteſtatiuum. Quia quodcumque inferius eſt ſubiectum partiale, & eamdem ob cauſam non poteſt adæquatè & completè de ſingulis prædicari, ſed incompletè, & partialiter, quia tota mea eſſentia non poteſt aliis ſpeciebus eſſe communis.

§. 26. Rogas, qui poſſit idem eſſe totum & pars comparatione eiuſdem termini? Magna difficultas: totum per actum confuſum & vniuerſalem, per quem confusè concipiuntur omnia inferiora, quibus quaſi componitur, quia illa omnia amplectitur ratio communis: pars verò per compoſitionem & claram cognitionem, per quam ratio communis ſimul cum differentia componit inferiora. Immo genus eſt pars ſpeciei, & exercitium, & quaſi actus ſecundus potentialitatis poteſtatiuæ, quia actualis prædicatio, per quam eſt actualiter pars, eſt exercitium prædicabilitatis, per quam eſt totum. Vide diſputationem 5. Metaphyſ. à §.86.

Genus eſt pars ſpeciei per prædicationem, totũ per prædicabilitatem.

SECTIO V.

Vtrum genus immediatè de indiuiduis prædicetur?

§. 27. QVi negant cum Nominalibus ſupra præciſiones obiectiuas, neceſſariò fateri tenentur, genus immediatè de indiuiduis prædicari; quia vniuerſalia tantùm eſſe, aiunt plura ſingularia immediatè confusè cognita, vt ſimilia in aliqua ratione. In quorum ſententia, ſicut ſpecies nihil eſt præter plura indiuidua omninò ſimilia, ita genus nihil erit præter plura indiuidua ſimilia in operationibus communibus, & diſſimilia in aliis. Probatur ergo intentum, quia genus immediatè prædicatur de pluribus ſpeciebus: ſed per te ſpecies formaliter ſunt plura indiuidua ſimilia, ergo genus immediatè prædicatur de pluribus indiuiduis ſimilibus. Confirmatur, ſi genus non prædicaretur immediatè de indiuiduis, ergo prædicatur de aliqua ratione communi ab illis abſtracta, quæ ſit ſpecies, & quæ mediet inter genus & indiuidua: ſed illa ratio ſic abſtracta non erit indiuiduum; ergo, niſi genus prædicetur immediatè de indiuiduis, prædicabitur immediatè de illa ratione abſtracta, hoc autem eſt contra tuam ſententiã negantem rationem abſtractam ab indiuiduis, ergo in tua ſententia teneris admittere, genus immediatè prædicari de pluribus indiuiduis.

Pars affirmatiua, certa in ſentẽtia Nominalium.

§. 28. Explico, quia iuxta tuam ſententiam plura indiuidua cognita, vt ſimilia in operationibus communibus tantum, denominantur genus, v. g. plura indiuidua animalis relata ad operationes ſenſitiuas conſtituunt genus animal, qui conceptus animalis eſt omninò incompletus, quia per illum non cognoſcitur adæquatè quidditas alicuius indiuidui, vnde genus nihil eſt præter plura indiuidua ſimilia incompletè cognita: at verò indiuidua ſimilia in operationibus tam communibus, quàm propriis, erunt ſpecies, vt Petrus & Paulus relati ad actiones ſenſitiuas & rationales. Vnde ſpecies ſunt plura indiuidua completè cognita, quia referuntur ad omnes operationes, per quas differunt ab omnibus indiuiduis aliarum ſpecierum, ergo genus immediatè prædicatur de indiuiduis completè, aut incompletè cognitis; quia immediatè prædicatur de ſpecie, quæ per te ſunt indiuidua.

Genus ſunt plura indiuidua incõpletè cognita; completè cognita, ſpecies.

Confirmatur, per te homo vt ſic nihil eſt præter hunc, vel illum hominem, vt ſimiles; & leo vt ſic, præter hunc, & illum leonem: ſed animal immediatè prædicatur de homine & leone vt ſic, ergo animal immediatè prædicatur de hoc homine & de illo homine, & de hoc & illo leone. §. 29.

Dices, prædicari genus immediatè de indiuiduis confusè cognitis, non verò de illis in particulari cognitis. Contra primò, ergo iam habeo intentum; genus, ſcilicet, non poſſe prædicari in tua ſententia immediatè niſi de indiuiduis. Contra ſecundò, quia ſi genus immediatè prædicatur de indiuiduis cognitis confusè, cur non prædicabitur de illis, ſi explicitè cognoſcantur? Nam ſi conuenit indiuiduis vagè ſumptis, cur non cõueniet eiſdem indiuiduis determinatè ſumptis? Quia hæc propoſitio *homo eſt animal* quæ eſt generis de ſpecie, æquiualet huic, *Petrus & Paulus & omnis ſingula is homo eſt animal*: & hæc, *Petrus eſt animal*, quæ eſt generis de indiuiduo, æquiualet huic, *hic determinatus homo eſt animal*, ergo tam immediata eſt vna, ac alia, neque enim mediat ſpecies, ſed differentia tantum ſe tenet ex parte ſubiecti magis clarè cogniti, non verò ex parte prædicati, neque ex modo prædicandi. Nec verò opus eſt, vt prius cognoſcantur proprietates hominis, quàm de Petro prædicetur animal. Nam viſo Petro cum ſola ratione animalis (vt optimè poteſt) poteſt animal de illo prædicari, quæ prædicatio eſt de indiuiduo cognito incompletè. §. 30.

Effugium.

Præcluditur primò.

Secundò.

Proprietates hominis non prius cognoſci debent, quàm animal prædicetur de Petro.

Confirmatur: hæc eſt immediata prædicatio. *Homo eſt animal*: ergo & hæc, *Petrus eſt animal*: patet conſequentia: quia Petrus & homo ſunt ſingularia: homo quidem eſt ſingularia confusè cognita: Petrus vero eſt ſingulare clarè cognitum. Item ex parte obiecti nihil mediat inter Petrum & animal; quia homo in hac ſententia non diſtinguitur ex parte obiecti à Petro; ſed tantum ex modo cognoſcendi, nec opus eſt ad prædicandum animal de Petro, vt prius prædicetur animal de homine vt ſic, quia viſo Petro poteſt de illo prædicari animal. §. 31.

Controuerſia eſt inter Thomiſtas admittentes abſtractiones obiectiuas, & diuerſas formalitates abſtractas, & diſtinctas ab indiuiduis. Ex his authoribus multi docent, genus animal v. g. non prædicari immediatè de Petro & hoc leone, ſed de homine & leone in communi. Probant primò; quia genus definitur per ordinem ad ſpeciem, & non per ordinem ad indiuidua, ergo immediatè prædicatur de ſpecie genus, & non de indiuiduis, quod ſi de indiuiduis prædicatur, id prouenit, quia ſpeciem ſupponunt conſtitutam ex genere & differentia. §. 32.

Sed hæc ratio non vrget. Nam genus definitur per ordinem ad ſpeciem, non quia immediatè non reſpicit indiuidua, ſed quia ab ſpecie differt per ly, *differentibus ſpecie*. & quia vt certum ſupponitur id, quod prædicatur de ſpecie eodem modo de indiuiduis prædicari. Infrà autem oſtendam, adæquatum correlatiuum generis non eſſe ſpeciem, ſed ſubiicibile in quid incompletè. §. 33.

Secundò argumentantur, quia inter gradum ſupremum & infimum neceſſariò interponitur medius. §. 34.

Secũda ratio eiuſdem ſententiæ.

medius. Non enim poteſt eſſe immediata progreſſio de extremo ad extremum, niſi per medium: ſed gradus genericus eſt ſupremus, indiuiduus autem eſt infimus, ſpecificus verò eſt medius inter vtrumque; ergo non poteſt gradus genericus immediatè prædicari de indiuiduo, niſi prius prædicetur de ſpecifico.

§.35. *Soluitur.* Sed diſtinguo maiorem cum ſua probatione: quando inter ſupremum & infimum eſt interponibile medium, concedo maiorem, nego tamen quando non eſt interponibile. In quo caſu gradus ſupremus dicitur quia eſt ſuperior, & infimus quia eſt inferior; non verò quia inter vtrumque alius interponatur, & in hoc ſenſu ſpecies eſt infimus gradus reſpectu generis, & genus ſupremus, inter quos nullus gradus mediat. Similiter diſtinguo minorem; gradus ſpecificus eſt medius inter genus & indiuiduum completum, concedo minorem; nego tamen, inter genus & indiuiduum incompletum ſpeciem mediare. Similiter diſtinguo conſequens, ergo non poteſt prædicari genus de indiuiduo completo, niſi media ſpecie, concedo conſequentiam, nego tamen de indiuiduo incompleto. Habet ergo genus immediata indiuidua incompleta, non tamen completa.

§.36. *Indiuiduum non poteſt perfectè cognoſci, quin expreßè cognoſcatur ratio ſpecifica.* Pro explicatione aduerte, non poſſe cognoſci indiuiduum perfectè, & completè, niſi ratio ſpecifica explicitè cognoſcatur, quia completa indiuidui cognitio complectitur differentialem ſpeciei conceptum, ex quo conceptu & generico reſultat ſpecies, & per conceptum differentiæ completur, & contrahitur genus. In hoc ſenſu euidenter probat argumentum, genus non prædicari immediatè de indiuiduo, quin ſupponatur ſpecies, quia indiuiduum conſtituitur completè per conceptum ſpeciei. At verò quando indiuiduum non cognoſcitur completè ſecundum totam illius eſſentialem rationem, non mediat conceptus differentiæ, & conſequenter, neque ſpecies, quæ per differentiam conſtituitur, ſed tunc genus prædicatur de indiuiduo cognito incompletè. Dices eò ipſo quod deſignetur indiuiduum Petrus. v. g. deſignatur etiam ſpecies Homo. Diſtinguo, eò ipſo, quod deſignetur indiuiduum completum, concedo, incompletum nego. Poſſe verò incompletum deſignari, patebit ex probatione concluſionis.

§.37. *Concluſio S. Thomæ dat immediata indiuidua generi.* Ergo genus immediatè de indiuiduis incompletè cognitis prædicari, docet apertè S. Thomas opuſcul. 55. ad medium his verbis. *Cum habemus hoc animal; intellectus conſiderans, antequam deueniamus ad formam hominis apprehendit formam vniuerſalem in hoc indiuiduo. ſcilicet, animal.* Ecce admittit S. Thomas indiuiduum animal, quin ſit formaliter homo, aut leo, & ait animal apprehendi ab intellectu in hoc animali prius quam apprehendat hominem, & infra diſtinguit hoc animal à forte.

Probatur primò. Concluſio probatur primo. Quando video ſingulare animal à longè, euidenter iudico id eſſe animal, quia ei video conuenire proprietatem aliquam animalis, & non poſſum iudicare, id eſſe hominem, aut leonem. Tunc rationem animalis video tali indiuiduo conuenire, & non rationem determinatam ſpecificam, ergo animal immediatè conuenit indiuiduo. Antecedens ſæpe contingit, conſequentiam probo, quia genus contrahi immediatè ad indiuiduum nihil eſt, quam cognoſci rationem indiuiduam eſſe animalis, quin cognoſcatur eſſe eam hominis, aut leonis, ſicut cognoſcere rationem ſpeciei conuenire indiuiduo confusè cognito, nihil eſt quam cognoſcere rationem ſpeciei indiuiduo conuenire, ignorando an tale indiuiduum ſit Petrus? an Paulus?

§.38. *Effugium primum.* Dices primò, quando video indiuiduum animalis, tunc præſupponi ſpeciem, ratione cuius animalitas conuenit indiuiduo. *Præcluditur.* Sed contra, quia, vel ſupponitur à parte rei, & fundamentaliter, & hoc nihil ad rem præſentem, quia hoc modo etiam genus prædicatur immediatè de indiuiduis completis, quia realiter ſunt in ſpecie indiuidua: vel præſupponuntur cognitæ ſpecies clarè & diſtinctè, & hic non eſt argumenti caſus, quia tunc tale indiuiduum iam cognoſcitur completè, vel præſupponitur cognita confusè & in communi, & ſic non effugitur difficultas, quia in omni prædicatione generis de ſpeciebus cognoſcuntur confusè indiuidua, quia ſunt idem realiter cum ſpeciebus, & tamen non propterea dices genus immediatè prædicari de indiuiduis completis; ergo è contra, quando genus prædicatur de indiuiduis, licet ratio ſpecifica confusè cognoſcatur, non propterea tunc dicitur genus immediatè prædicari de ſpecie. *Denominatio generis, ſpeciei, vel indiuidui, non ſumitur à formalitate quæ confusè tantùm cognoſcitur, ſed ab ea, quæ clarè.* Ratio à priori eſt, quia conceptus confuſus formalitatis, quæ nos latet, dicitur conceptus talis formalitatis, propter identitatem realem talis formalitatis cum formalitate, quæ cognoſcitur clarè. Vnde ab ea formalitate, quæ latet, in eo caſu illud indiuiduum non denominatur ſpecies, neque indiuiduum ſpeciei, ſed ab ea, quæ, cognoſcitur clarè, denominatur animal, & indiuiduum animalis.

§.39. *Effugium ſecundum.* Dices ſecundò, quando cognoſco ſpeciem, cognoſci etiam confusè indiuidua, non quidem immediatè, ſed remotè, quia indiuidua non ſunt de ratione ſpeciei: At, quando cognoſco indiuidua, cognoſci etiam ſpecies, immediatè tamen, & non remotè. Vnde non omnis prædicatio immediata de ſpecie, eſt immediata de indiuiduo; at omnis de indiuiduo eſt immediata de ſpecie. *Præcluditur.* Hæc obiectio in ſecunda parte probandum aſſumit, deberet probare in indiuiduis incompletis ſpeciem contineri immediatè, & eſſe de illorum ratione. Id enim eſt in controuerſia. Tota autem obiectio vera eſt de indiuiduis completis, ſecus de incompletis, quibus repugnat conceptus ſpecificus.

§.40. Dices in illis contineri ſpeciem confusè & immediatè. Contra, ergo clarè non cognoſcitur niſi indiuiduum incompletum, ergo genus clarè tunc non prædicatur niſi de indiuiduo incompleto, quod eandem patitur difficultatem, quam tu mihi obiicis. Deinde cur ſpecies tunc cognoſcitur immediatè, cùm nulla videatur proprietas illius magis quàm ſi non eſſet? in cognitione ſpeciei cognoſcuntur remotè indiuidua, quia nihil videtur vnde illa noſcantur, ſed nec ſic videtur aliquid vnde noſcatur ſpecies, ergo non cognoſcitur immediatè. Quod affertur, ſpeciem eſſe de conceptu indiuidui, eſt clarum de indiuiduo completo; at, cùm non ſit de incompleto, cur cognoſcetur immediatè? Et ſi quid probat ea ratio, probat non poſſe concipi clarè indiuiduum, quin clarè concipiatur ſpecies, quia eſt de eſſentia indiuidui.

§.41. Nonnulli, qui abhorrent à ſententia Nominalium ea paſſim vtuntur, vt ſe extricent à nonnullis difficultatibus, & quidem ſine conſequentia, vt in præſenti. Nam illi præſcindunt animal à rationali, quia vnum cognoſcitur ſine alio, & dicunt cognitione animalis non cognoſci rationale immediatè, hîc autem dicunt cognoſci indiuiduum incompletum clarè, quin clarè cognoſcatur ſpecies, & dicunt ſpeciem cognoſci immediatè confusè, quod vniuerſim Nominales docent, & hi

& hi non aduertunt ſe ponere abſtractionem per claram cognitionem, quæ clarè cognoſcit indiuiduum, quin clarè cognoſcat ſpeciem, & dicunt immediatè cognoſci ſpeciem, dántque manus Nominalibus.

§.42. *Tertium effugium præcluditur.*

Vniuerſaliora ſunt priora in ſubſiſtendi conſequentia, nõ in cognitione.

Dices tertiò, conceptum ſpeciei eſſe vniuerſaliorem, qui prius neceſſariò cognoſcitur, quia vniuerſaliora ſunt priora. Reſpondeo eſſe priora in ſubſiſtendi conſequentia, quia ad ſuperius ab inferiori affirmatiuè valet conſequentia. Non verò ſunt priora in cognitione. Experimur enim, quotidie à nobis cognoſci multis indiuiduis conuenire rationem animalis, & ea indiuidua diſtinctè cognoſcimus eſſe animalia, ignorata omninò ratione ſpecifica. Rationes enim ſuperiores aliquando priùs, aliquando poſteriùs cognoſcuntur; & licet hoc admittamus, dicimus rationem genericam cognoſci priùs quàm indiuidualem incompletam, non verò rationem ſpecificam, quia hæc formaliter non eſt ſuperior, niſi ratione indiuidui completi. Nam omnis prioritas innititur alicui dependentiæ, quia inferiora pendent in ſui cognitione à cognitione ſuperiorum, ex quibus componuntur, & ſuperiora non pendent ab inferioribus: ideo vniuerſalia ſunt priora, etiam in ſubſiſtendi conſequentia. Quia verò iudiuiduum incompletum formaliter, non pendet ab ſpecie, ideo ſpecies formaliter non eſt prior indiuiduo incompleto vt incompleto, ſed tantum materialiter.

Omnis prioritas (exclude prioritatem temporis) requirit aliquã dependentiã.

§.43. *Quartum effugium.*

Præcluditur.

Dices quartò etiam in illo caſu mediare conceptum ſpeciei, non quidem ex parte prædicati, ſed ex parte ſubiecti, in quantum illud indiuiduum confusè habet rationem ſpeciei, quia eo ipſo, quod ſubiicitur generi, debet eſſe ſpecies. Sed hoc effugium præclude, quia conceptus confuſus, vt dixi, §.38. non efficit, vt ratio communis dicatur immediatè prædicari de formalitate, quam confusè cognoſcimus, nam etiam requiritur cognitio confuſa rationum indiuidualium, immò omnium graduum ſuperiorum, & tamen non dicitur animal immediatè prædicari de ente, ſubſtantia, &c. nec de Petro, & Paulo ſecundum rationem indiuidui completi: ergo hæc confuſa cognitio ſpeciei non efficit vt de illa genus immediatè prædicetur. Recognoſce §.39. Confirmatur hoc primum argumentum, quia omnis alia prædicatio inutilis eſt ad hanc, *hoc indiuiduum eſt animal*; quia eò præciſe, quod videam huic indiuiduo conuenire animalitatem, eam de illo prædico, ignota ratione ſpecifica illius, quam tunc non poſſum prædicare.

§.44. *Alia ratione probatur concluſio.*

Secundò probatur concluſio. Quando video quatuor indiuidua animalis, duos ſcilicet homines, & duos leones, & explicitè cognoſco ea eſſe animalia, & ignoro quæ animalia; tunc ab illis quatuor indiuiduis abſtraho immediatè rationem communem animalis, quam illis omnibus eòdem modo video conuenire; ſed illa eſt ratio generica, quia conuenit pluribus differentibus ſpecie; ergo ratio generica immediatè poteſt abſtrahi ab indiuiduis. Sed ratio abſtracta, de illis poteſt immediatè prædicari, à quibus abſtrahitur immediatè, ergo poteſt immediatè de indiuiduis prædicari.

§.45. *Primum huius rationis effugium præcluditur.*

Dices, eamdem rationem non abſtrahi ab indiuiduis, niſi in quantum continet ſpeciem. Contra, quia tunc non cognoſcitur formaliter ratio ſpecifica, quia nullum fundamentum videtur ad eam cognoſcendam: ergo non potuit abſtrahi ratio generica à ratione ſpecifica, ergo tantum fuit abſtracta ab indiuiduis. Secunda conſequentia eſt clara, prima probatur, quia vbi non videtur fundamentum ad abſtrahendum conceptum communem, non poteſt abſtractio fieri. Sed in eo caſu non videtur fundamentum ad abſtrahendam rationem ſpecificam, quia non videntur accidentia propria alicuius ſpeciei, ſed omnia quæ videntur, ſunt communia pluribus ſpeciebus; ergo tunc neque cognoſcitur, neque abſtrahitur ratio ſpecifica. Aliquæ ſolutiones huius argumenti in §.38. ſunt propoſitæ, & impugnatæ.

§.46. *Præcluditur etiam ſecundum.*

Dicunt alij, eam rationem ſic abſtractam eſſe ſpecificam, & non genericam. Contra, quia ratio ſpecifica ſolis conuenit indiuiduis eiuſdem ſpeciei, non verò indiuiduis alterius. Nam conceptus ſpecificus neceſſario eſt vltimus, ſed illa ratio conuenit plurium ſpecierum indiuiduis, & non eſt vltima, nec completa illorum eſſentia: ergo illa ratio non eſt ſpecifica ſed generica. Confirmatur: illa ratio animalis abſtracta immediatè ab indiuiduis eodem modo prædicatur de illis, ſcilicet in quid incompletè, ac ſi abſtraheretur ab ſpeciebus, & tamen de ſpecie & indiuiduo prædicatur in quid incompletè, ergo ſemper habet rationem generis. Nec verò opus eſt (quod hi inſinuant) vt cognoſcatur tota eſſentia ad prædicationem generis, nam prædicari in quid completè, vel incompletè, non prouenit ex cognitione ipſius prædicabilis, ſed tantùm requiritur, vt cognoſcatur obiectum fundamentaliter conueniens pluribus differentibus aut ſolo numero, aut ſpecie. Hominem enim in quid completè prædico de Petro, licet id non cognoſcam, quia, etiam me ignorante, homo eſt tota eſſentia Petri. Similiter animal non eſt tota eſſentia illorum indiuiduorum, & ſic prædicatur incompletè.

Ad prædicationem generis, non requiritur cognitio totius eſſentiæ.

§.47. *Vt homo componitur ex animali & rationali, ita hic homo ex hoc animali, & hoc rationali.*

Sicut ergo ex animali & rationali vt ſic componitur homo vt ſic, ita ex hoc animali, & hoc rationali componitur hic homo. Quod verò dicitur hoc animal, per ly, *hoc*, non deſignatur indiuiduum completum, ſed incompletum; ſi enim ly, *hoc*, denotaret illud completum, deſignaretur tota ratio ſpecifica clarè cognita, quod tamen contingere tunc non poteſt, quia ignoratur ſpecies.

§.48.

Sed rogas, cur genus non conſtituat duas ſpecies prædicabiles, alteram quæ de indiuiduis, alteram quæ de ſpeciebus immediatè prædicetur? Reſpondeo, quia ratio generica eodem modo de illis prædicatur, & quia notum eſt, prædicatum conueniens ſpeciei, etiam indiuiduis conuenire. Mitto à nonnullis aduerſariis admitti, Angelorum eſſentiam non diſtingui ab indiuiduatione, in quorum ſententia neceſſariò dantur indiuidua completa immediata generi.

DISPVTATIO V.

De ſpecie, & indiuiduo.

SPECIES alia ſubiicibilis, prædicabilis alia. De vtraque præſens inſtituitur diſputatio: quia verò indiuiduum generi, & ſpeciei reſpondet, illud hac diſputatione amplectemur.

SECTIO I.

De ſpecie ſubÿcibili.

§.1.

Species apud logicos ſignificat vltimum rei, eſſentialémque conceptum; ſic dicuntur ſpecie differre, aut conuenire, quæ in eſſentiali,

& vltimo

& vltimo conceptu differunt, aut conueniunt. Solet etiam vſurpari pro ſubiectis, ſiue pro inferioribus generum, in quo ſenſu in præſenti ſectione ſumitur, & diuiditur ſpecies ſubiicibilis in infimam, & ſubalternam. Infima, ſiue atoma, dicitur, quæ ſub ſe non continet niſi indiuidua omninò ſimilia in eſſentiali conceptu vltimo, vt *homo*. Subalterna eſt, quæ ſub ſe continet plures ſpecies diſtinctas, vt *animal*. Quare omnia genera, præter ſupremum, ſunt ſpecies ſubalternæ.

Diuiditur ſpecies ſubijcibilis in atomam, & ſubalternam.

§.2.

Quod ſubiectum generis in ſententia Nominaliũ?

Definitur ſpecies à Porphyrio, *ſpecies eſt quæ ſubijcitur generi*. Subiici generi nihil eſt, niſi eſſe rationem inferiorem ſub genere contentam, de qua genus prædicatur. In ſententia negante abſtractiones obiectiuas, idem eſt ac eſſe partem obiectiuam generis, ſcilicet, plura indiuidua ſpeciei eiuſdem, omninò ſimilia, confusè cognita, quæ ſunt pars obiecti genericæ cognitionis, quia hæc plura ad indiuidua terminatur diuerſarum ſpecierum, è quibus indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt vna ſpecies, & pars materiæ generis. Addiderim, ita eſſe partem, vt in prædicatione, qua genus prædicatur, directè habeant rationem ſubiecti, vt in hac *homo eſt animal*, omnia indiuidua hominis ſunt ſubiectum partiale, de quo genus prædicatur, alioqui tantùm eſſet pars obiectiua, vt cum cognoſco totum parietem v. g. pars parietis non poteſt dici ſubiici parieti, neque illius cognitioni, ita enim inferiora logica ſuis ſuperioribus ſubiiciuntur, vt totum hoc ſit in ordine ad habendam rationem ſubiecti in propoſitione. Sicut logica vniuerſalia ſunt in ordine ad habendam rationem prædicati, de quo latè egi diſputatione, & ſect. 4. In ſententia verò Thomiſtarum ſubiici generi eſt, eſſe conceptum aliquem ab indiuiduis abſtractum, à quo cum aliis ſimiliter abſtractis, abſtrahitur genus, & de illis prædicatur, vt animal de homine & leone abſtractis, quia, cum ratio generica latiùs pateat ſingulis ſpeciebus, illæ dicuntur generi ſubiici, quia, cùm de omnibus illis prædicatur, habent illæ rationem ſubiecti in propoſitione directa generis de ſpecie, vt *homo eſt animal*.

Quod in ſententia Thomiſtarum?

§.3.

Idem fundamentum requiritur ad faciendũ prædicabile de ſubijcibili.

Dantur in rebus ſpecies ſubiicibiles fundamentaliter tantùm, & non formaliter. Nam idem eſt fundamentum ad conſtituendum prædicabile, & ſubiicibile, quia ſi in rebus non eſt fundamentum, vt res aliqua prædicetur. ergo neque vt ſubiiciatur alia, quia prædicabile, de aliquo ſubiicibili eſt prædicabile. Vnde ſicut prædicabile fundamentaliter nihil eſt præter rerum eſſentiam connotantem diuerſas operationes, aut accidentia communia, ita ſubiicibile fundamentaliter ſunt ipſæmet eſſentiæ, vt participant rationem illam communem, & ſicut prædicabile formaliter dicit in recto, & de materiali obiectum contentum ſub illa ratione communi, & connotat in obliquo pro formali actum intellectus, per quem in propoſitione prædicatur, & ſicut prædicabile eſt rebus extrinſeca denominatio ab actu intellectus ſumpta, ſic & ſubiicibile; nam per eumdem numero actum, per quem res prædicabilis conſtituitur, eius inferiora ſubiicibilia conſtituuntur. Nam ſic conſtituitur prædicabilis per actum. Si enim per eum actum non eſt prædicabilis de aliquo: ergo non eſt prædicabile, quia prædicabile, de aliquo eſt prædicabile. Ergo per eumdem actum conſtituuntur prædicabile & ſubiicibile. Patet conſequentia, quia ſicut idem actus actu exiſtens denominat ſubiectum & prædicatum, idemmet exiſtens in potentia denominat prædicabile & ſubiicibile. Sicut viſio actualis denominat viſum, viſio autem in potentia denominat viſibile, nam ly, *de aliquo*, denotat rationem ſubiicibilem, *eſt enim ſubiectum id, de quo aliquid prædicatur.* Confirmatur; in actuali prædicatione per eumdem actum conſtituitur ſubiectum & prædicatum, vt in libris de anima diſput. 7. ſect. 2. monſtrabo.

Idẽ actus qui conſtituit ſuperius prædicabile, conſtituit inferiora ſubijcibilia.

§.4. *Obiectio.*

Explicata ratione ſubiicibilitatis, contra definitionem ſubiicibilis ſpeciei, eſt prima difficultas, quia in ea, & definitione generis committitur circulus. Nam de genere dicitur eſſe *id, quod prædicatur de ſpecie*, & de hac dicitur eſſe *id, quod ſubijcitur generi*, hoc autem eſt in definitione vitioſum, quia res manet æquè ignota, ac antea, ergo eſt vitioſa definitio.

§.5. *Soluitur. Duplex circulus cõmitti poteſt; vitioſus alter; alter, non.*

Aduerte dupliciter circulum poſſe committi, primò non explicando naturam definiti, vt hoc modo: *Pater eſt qui habet filium, & filius eſt qui habet Patrem*; qui circulus eſt vitioſus, vt probat argumentum, & ſic vitioſa eſſet generis definitio, & ſpeciei, vt ſi diceres *genus eſt quod habet ſpecies, ſpecies eſt, quæ habetur à genere*. ſic enim non explicatur illorum eſſentia. Alio modo committitur circulus, quando in definitione relatiuorum inuicem connotantur termini, ſed cum explicatione definiti, vt *quid eſt Pater? qui habet filium*. Si autem roges, quid ſit habere filium? non eſt reſpondendum, *filius eſt, qui habet Patrem*; ſed eſt dicendum, hominem genuiſſe & illi coexiſtere, eſſe habere filium. Nec fieri poteſt, quin in definitione relatiui aliud relatiuum connotetur, quia vnaquæque res definitur, vt eſt, at relatiua in ſuo eſſe inuicem connotantur, ergo in definitione debet connotari: Sic, cum genus definitur eſſe prædicabile de differentibus ſpecie, explicandum eſt, quid ſit ſpecie differre, ſcilicet habere vltimos eſſentiales conceptus diſſimiles, & cum dicitur ſpeciem ſubiici generi, explicandum eſt, quid ſit ſubiici generi, quod fieri facile poteſt, cum conſtet, quid ſit prædicari, & quid ſit ſpecie differre.

§.6.

Ad argumentum diſtinguo minorem: eſt vitioſum, quando in circulo non explicatur natura definiti, concedo minorem; ſecus verò cum explicatur. Vnde negatur conſequentia, quia in definitione generis debet explicari, quid ſit prædicari, & differre ſpecie.

§.7. *Alia obiectio.*

Secunda difficultas eſt; quia hæc definitio conuenit indiuiduo incompleto, quod ſubiicitur generi immediatè, vt dixi diſputat. 4. ſect. 5. ergo eſt mala definitio. Reſpondeo, in definitione intelligi hanc vocem *ſoli*, vt ſenſus ſit: ſpecies eſt, quæ ſoli ſubiicitur generi, ſicut in definitione ſpeciei prædicabilis dicemus eam de ſolis differentibus numero prædicari. Neque enim opus eſt, eas particulas ſemper à doctoribus explicari, quia ex cæteris colliguntur. Clarum eſt enim indiuidua ſubiici omnibus, quibus ſubiicitur ſpecies, ſicut eſt clarum de indiuiduis dici quidquid prædicatur de ſpecie. Et forte Porphyrius voluit abſtrahere ab ea quæſtione, vtrum genus immediatè de indiuiduis prædicetur? & iuxta varias opiniones definitionem intelligendam reliquit.

Soluitur.

§.8.

Dices per ly, *ſoli*, differre ſpeciem ab indiuiduo ſolum accidentaliter, quia ſubiici ſpeciei, aut generi, niſi in modo ſubiiciendi ſit diuerſitas, non conſtituit diuerſum eſſentialiter ſubiicibile: ſed in modo, quo ſpecies & indiuiduum ſubiiciuntur generi, non reperitur hæc diuerſitas: ergo tantum differunt accidentaliter. Concedo intentum argumenti, nam ſicut genus non differt in modo, quo de ſpecie, & indiuiduo prædicatur; ita neque ſpecies & indiuiduum in modo, quo generi ſubiiciuntur. Immò vero ſpecies infima & ſubalterna non differunt

Species ſubalterna, infima, & indiuiduum, ſolum accidentaliter diſtinguuntur in ratione ſubijcibilis.

differunt in ratione ſubiicibilis generi: quia de vtraque genus prædicatur *in quid* incompletè: cum tamen ipſæ differant in ratione prædicabilis, quia altera prædicatur vt genus, altera vt ſpecies.

§.9. *Immediatum correlatiuum generis nō eſt ſpecies, ſed ſubiicibile in quid incompletè.*

Ex dictis collige immediatum, & adæquatum generis correlatiuum non eſſe ſpeciem, ſed ſubiicibile in quid incompletè. Nam correlatiuum prædicabilis eſt ſubiicibile, genus autem immediatè, & adæquatè non prædicatur de ſola ſpecie, ſed de indiuiduo, eáque propter in ratione ſubiicibilis in quid incompletè conueniunt. Relatiuum autem ſolius generis eſt ſola ſpecies, quia hæc ſoli ſubiicitur generi. Nam indiuiduum etiam ſubiicitur ſpeciei, & quamuis dicatur ſpecies ſola immediatè correlatiuum generis, non tamen eſt adæquatum, quia etiam generi ſubiiciuntur indiuidua, quæ cum ſpecie conueniunt in ratione ſubiicibilis, ſicut etiam de vtriſque prædicatur genus.

§.10. *Subyicibile vt ſic non eſt vniuerſale.*

Secundò collige, ſubiicibile vt ſic reduplicatiuè non eſſe vniuerſale formaliter. Primò, quia indiuiduum eſt ſubiicibile, & non vniuerſale, nec prædicabile. Secundò à priori, quia vniuerſale formaliter conſtituitur in ordine ad ſua inferiora, de quibus aptum eſt prædicari, ſed ſubiicibile eſt in ordine ad ſuum ſuperius, quod de ipſo prædicatur: ergo formaliter ratio ſubiicibilis non eſt prædicabilis formaliter. Confirmatur. Subiectum non eſt formaliter prædicatum: ergo nec ſubiicibile eſt formaliter prædicabile, quia exercitium prædicabilitatis eſt actualis prædicatio. In aliquibus ſubiicibilibus reperitur vtraque ratio ſubiicibilis, & prædicabilis, ſed reſpectu diuerſorum, vt patet in ſpecie infima & ſubalterna, quæ reſpectu inferiorum ſunt prædicabiles, & reſpectu generis ſunt ſubiicibiles: in aliis tantum reperitur ſubiicibilitas, vt in indiuiduis; in aliis autem prædicabilitas tantùm, vt in genere ſupremo.

§.11. Dices, vt ſpecies ſubiiciatur generi, opus eſt vt ab indiuiduis abſtrahatur: ergo vt ſic eſt vniuerſalis. Tranſeat antecedens, & nego conſequentiam. Quia non dicitur vniuerſalis in ordine ad ſuperius, ſed reſpectu inferiorum, tunc autem erit vniuerſalis materialiter, & (vt aiunt) præſuppoſitiuè, ſiue antecedenter.

SECTIO II.

Speciei prædicabilis definitio.

§.12. Species prædicabilis eſt, *quæ de pluribus numero differentibus in eo quod quid eſt, prædicatur.* Huius natura rectè iſta definitione monſtratur. Nam ſpecies, quia eſt vltimus quidditatiuus rei conceptus, non poteſt de pluribus differentibus ſpecie prædicari. Quia quæ ſpecie differunt, non habent eumdem vltimum quidditatiuum conceptum, indiuidua autem eiuſdem ſpeciei illum habent. Quia *indiuiduatio eſt extra rei eſſentiam*, vt eſt commune dialecticorum Adagium, quod eſt latè in metaphyſica explicandum, cum de diſtinctione ſpecifica differemus.

§.13. *Differunt genus & ſpecies, quod illud incompletè, hæc completè prædicatur. Rationale, ad hoc rationale cōparatur vt ſpecies ad indiuidua.*

Differt autem ſpecies à genere; quia, licet hoc immediatè de indiuiduis prædicetur, non tamen completè, quia etiam prædicatur de ſpeciebus. A differentia eadem ratione differt, quia hæc incompletè etiam de ſuis inferioribus, & in quale quid prædicatur. Si autem compares differentiam ad ſua inferiora formaliter ſub ratione differentiæ, vt rationale ad hoc rationale formaliter, tunc prædicatur vt ſpecies de indiuiduo. Sicut cum prædicatur forma rationalis de hac & illa rationali forma, nec tunc prædicatur vt differentia, quia rationale non eſt differentia rationalis, ſed hominis, aut huius hominis.

Inquires cur genus non prædicetur de ſpecie, & de ſuo indiuiduo incompleto, vt animal de hoc animali? Reſpondetur quia totus ille conceptus poteſt prædicari de aliis indiuiduis diuerſarum ſpecierum, ſecus conceptus differentiæ vltimæ. Animal aut concipitur præciſum à rationalitate; aut cum illa: ſi cum illa, eſt homo, & ſpecies completa: ſi autem præciſum, eſt genus; quia licet ſit in homine; non tamen concipitur vt hominis, ſed vt commune homini atque leoni. §.14.

Prima difficultas. Soluitur.

Eſt prima difficultas contra definitionem, quia Deus non eſt ſpecies, & prædicatur de Patre & Filio in quid, qui numero differunt. Reſpondetur, Patrem & Filium non differre numero in ratione Dei, ſed eſſe eumdem numero Deum; quare Deitas non eſt vniuerſale, quia non multiplicatur numero in his, in quibus eſt, quod pertinet ad rationem vniuerſalis, quod eſt vnum in multis, & in illis realiter diuiſibile. §.15.

Secunda.

Secunda difficultas. Perſona diuina vt ſic reſpectu Patris & Filij, in quantum perſonæ ſunt, prædicatur de pluribus differentibus numero, quia ratio perſonæ eſt communis, & vna, & in inferioribus reipſa multiplicatur. Quia tres perſonæ diuinæ diſtinguuntur realiter inter ſe, & tamen perſona diuina non eſt ſpecies: ergo definitio ſpeciei conuenit aliis à definito. Omiſſis variis ſolutionibus falſis. Reſpondeo perſonam diuinam vt ſic nec eſſe ſpeciem propriè, nec genus: quia tres perſonæ non differunt propriè ſolo numero etiam in ratione perſonalitatis; quia ſunt diuerſarum rationum; altera paternitas, altera filiatio: nec propriè differunt ſpecie; quia ſunt æquali perfectione. Item aſſero perſonam diuinam vt ſic non eſſe propriè ſpeciem, quia ſpecies eſt conceptus de pluribus indiuiduis prædicabilis, ſed conſtans genere & differentia, vt diſcurrenti patebit. At perſona diuina vt ſic non conſtat genere, quia perſona vt ſic non eſt genus, quia eſt analoga perſonæ diuinæ & creatæ. Neque item eſt genus, quia ſub ſe ſolum continet indiuidua omnino æqualia: & eſt vltimus illorum quidditatiuus conceptus in ratione perſonæ diuinæ. Quod eſt ergo vniuerſalis genus? Reſpondetur participare ex ſpecie vltima & genere ſupremo, ex illa habet eſſe vltimum quidditatiuum conceptum ſuorum inferiorum, ex hoc habet conſtitui immediatè ex ratione analoga, quia ratio perſonæ vt ſic analoga eſt ad humanam & diuinam ex communiori ſententia (quam modo diſputationis gratia ſuppono) nam ſi oppoſita ſupponatur cum Scoto, nulla eſt argumenti difficultas. Vnde ad argumentum diſtinguo maiorem. Prædicatur de pluribus differentibus numero, tanquam conceptus conſtans ex genere & differentia: nego maiorem. Prædicatur vt conceptus alio modo compoſitus, tranſeat: ergo ſpeciei definitio non eſt bona, nego conſequentiam. Quia tantum definitur à Porphyrio vniuerſale rerum creatarum, quod cognouit: non verò vniuerſale rerum diuinarum, quas ignorauit. Quod ſi dicas perſonam vt ſic abſtrahentem ab humana & diuina eſſe genus ſupremum, conſequenter dicito perſonam diuinam non eſſe ſpeciem infimam; quia non habet indiuidua quaſi eiuſdem rationis. §.16.

Soluitur.

Ratio perſonæ vt ſic, habet aliquid de ſpecie vltima, & genere ſupremo.

SECTIO

SECTIO III.

Vtrum ſpecies prædicabilis requirat plura indiuidua poſſibilia?

SVBSECTIO I.

Sententia Thomiſtarum.

§.17. ASſerunt Thomiſtæ, naturam angelicam Michaëlis. v.g. non poſſe intra eandem ſpeciem vltimam multiplicari; neque poſſe eſſe duos angelos ſolo numero diſtinctos, ſed eos neceſſario ſpecie differre: quia angelicæ naturæ non accipiunt indiuiduationem ab alio, ſed à ſe ipſis. Hac de re cum illis non diſputo nunc, diſputaturus autem in metaphyſica diſputatione 12. ſectione 3. Thomiſtis autem permiſſa hac opinione diſputandi gratia, pergo ad logicam quæſtionem. Opinantur præterea naturam Michaëlis eſſe ſpeciem infimam prædicabilem de multis indiuiduis Michaëlis poſſibilibus quidem non in re, ſed in noſtro modo concipiendi. Quam ſententiam docuit Caietanus 1. parte q. 13. art. 9. §. *aduerte hic latitudinem.*

Opinio Caietani & Thomiſtarum de multiplicitate requiſita ad ſpeciem.

§.18. Cui doctrinæ præmittit duas eſſe communicabilitates alicuius conceptus obiectiui: Altera eſt ſecundum rem & rationem ſimul: quæ exigit fundamentum, & ex parte intellectus, & ex parte naturæ: ex parte quidem intellectus exigit abſtractionem, & poſitiuam indifferentiam ortam ex abſtractione à pluribus ſingularibus: ex parte autem naturæ exigitur exiſtētia actualis aut poſſibilis, ſimultanea aut ſucceſſiua in pluribus indiuiduis. Communicabilitas autem ſecundùm rationem tantùm, non exigit fundamentum ex parte naturæ, quia non reperitur exiſtentia poſſibilis in pluribus indiuiduis: habet tamen fundamentum ex parte ſolius intellectus, illam abſtrahentis à ſingularitate.

§.19. Probatur hæc ſententia ex ſancto Thoma compluribus in locis, maximè autem 1. p. q. 13. art. 9. aſſerente hoc nomen, *Deus*, eſſe quidem commune non ſecundùm rem ſed ſecundum rationem. Item hæc ait: *forma verò, quæ non indiuiduantur per aliud ſuppoſitum ſed per ſeipſas, quia ſcilicet ſunt ſubſiſtentes, ſi intelligerentur ſecundum quod ſunt in ſeipſis, non poſſent communicari neque re neque ratione. Sed quia formas ſimplices per ſe ſubſiſtentes non poſſumus intelligere ſecundùm quod ſunt, ſed intelligimus eas ad modum rerum compoſitarum, habentium formas in materia: ideo vt dictum eſt imponimus eis nomina concreta, ſignificantia naturam in aliquo ſuppoſito.*

Suadetur ex S. Thoma.

§.20. Sanctus Thomas neque per ſomnum cogitauit de ſententia tam aliena à logicis præceptis. Quod enim dixit Deum eſſe communicabilem, non dixit ratione, ſed opinione: opinione quidem non præſcindente ſed errante: ait enim eſſe nomen commune, quia in multorum opinione ſunt multi dij: hoc autem quid intereſt huius quæſtionis, agentis quidem de abſtractionibus præciſiuis non de opinionibus erraticis? ſi enim quis arbitraretur Petrum eſſe multiplicabilem in plures Petros, cenſeret hoc nomen, *Petrus*, eſſe etiam commune: an-ne propterea erit Petrus abſolutè ſpecies prædicabilis?

S. Thomas alienus ab hac ſententia.

§.21. Docet ibi ſanctus Thomas omnes naturas compoſitas à nobis concipi vt commune ſecundùm rem, id eſt vt exiſtentes actu in pluribus vt humanitate: vel vt communes ſecundùm rationem tantùm, vt ſolent exiſtentem quidem in actu in vno ſolo & non in pluribus: naturas verò ſimplices ſubſiſtentes, quæ non indiuiduantur ab aliquo ſuppoſito, ſed à ſeipſis, docet ſanctus Thomas à nobis concipi more compoſitarum. Hic autem mos, in quo conſtituitur à ſancto Thoma? an in vniuerſalitate? minimè gentium: ſed in ſignificatione per nomen concretum, quod compoſitionem eſſentialem ſonare videtur ex modo concipiendi, his verbis: *Ideo vt dictum eſt imponimus eis nomina concreta ſignificantia naturam in aliquo ſuppoſito. Vnde quantum pertinet ad rationem nominum, eadem ratio eſt de nominibus, quæ à nobis imponuntur ad ſignificandum naturam rerum compoſitarum, & quæ ad ſignificandum naturas ſimplices ſubſiſtentes.* Allegat autem ſanctus Thomas ſeipſum artic. 1. eius quæſtionis, vbi hunc ſenſum exponit non alium, his verbis: *Inde eſt quod omnia nomina à nobis impoſita ad ſignificandum aliquid completum ſubſiſtens ſignificant in concretione, prout competit compoſitis.*

§.22. Vt autem conſtet quam inuitus ſit ſanctus Thomas adducatur, docet nomina ſignificantia res indiuiduas eſſe incommunicabilia re & ratione: vnde ait hoc nomen, *Deus*, eſſe re ipſa incommunicabile, communicabile autem per errorem; item & per ſimilitudinem ſicut hoc nomen Achilles. Cùm autem Michaël ſit impoſitum nomen ad ſignificandam rem in ſe ſingularem, non poteſt nomen eſſe commune, neque in re, neque ratione: ſed tantum per ſimilitudinem aut errorem.

SVBSECTIO II.

Diruuntur eius ſententiæ fundamenta.

§.23. PRimum huius ſententiæ fundamentum eſt, quia angelicæ naturæ conſtituuntur in prædicamento, & non vt genera aut indiuidua: ergo vt ſpecies prædicabiles: Prædicamentum enim eſt prædicabilium coordinatio. Reſpondeo Angelos in prædicamento conſtitui, quia verè ſunt genera & ſpecies multiplicabiles à parte rei in plura indiuidua eiuſdem rationis. Secundò conſtituuntur naturæ genericæ Angelorum: item & illorum ſpecies infimæ, quæ ratione noſtra ſunt etiam indiuiduæ: neque opus eſt alia coordinatione prædicabilium niſi reſpondentium prædicatis quæ in ſeipſis habent. Indiuidua autem completa non ponuntur immediata generi, niſi quando idem ſunt re & ratione indiuiduatio, & differentia ſpecifica, vt in ea ſententia dicendum eſt. Tandem eſto diſtinguantur ratione differentia eſſentialis & indiuiduatio: dico poni in prædicamento ſpecies infimas ſubiicibiles generi, & prædicabiles de vno indiuiduo tantum: quæ propterea excluduntur ab hoc ſecundo prædicabili exigenti plura indiuidua.

Primum eius ſententiæ fundamentum.

Soluitur.

Species habēs vnum ſolum indiuiduum ponitur in prædicamento, non in prædicabili.

§.24. Secundum fundamentum: quia natura Gabrielis, & Michaëlis differunt ſpecie, & conſtant ex genere, & differentia: ergo ſunt ſpecies prædicabiles. Reſpondeo, diſtincto antecedenti: differunt ſpecie per indiuiduationem, concedo antecedens: differunt per aliquid ab indiuiduatione diſtinctum, nego antecedens: Item conſtant ex genere & differentia diſtincta ab indiuiduatione, nego antecedens: genere & differentia eadem cum indiuiduatione, concedo antecedens, & nego conſequentiam: ſunt enim illæ ſpecies ſubiicibiles non prædicabiles. Item reſpondeo admiſſa diſtinctione inter differentiam eſſentialem & indiuiduam angelicæ naturæ: do eas naturas ſpecie differri & conſtare genere & differentia, nego tamen conſequentiam: quia vt illæ ſint ſpecies ſubiicibiles ſufficit illa compoſitio ex genere & differentia: vt autem ſint

Secundū fundamentum.

Soluitur.

Species vnius indiuidui eſt ſubiicibilis, nō prædicabilis.

ſint prædicabiles, opus erat vt illa differentia eſſet poſſibilis in pluribus indiuiduis realibus: quod ex ſententia horum authorum repugnat.

§.25. *Tertium fundamentum. Soluitur.*

Tertium argumentum, quia natura Michaëlis concipitur abſtracta à ſingularitate: ergo concipitur communis. Primùm, falſum eſt antecedens, oſtendam enim non poſſe concipi ex hac ſententia naturam Michaëlis ſine indiuidua eius differentia. Secundò reſpondeo admiſſa diſtinctione inter differentiam indiuiduam & ſpecificam, nullam eſſe conſequentiam: tum quia ipſi cum ſuo Caietano dicunt naturas etiam realiter communes, abſtractas à ſingularibus, neque eſſe vniuerſales, neque ſingulares, ſed eſſe naturam ſecundum ſe. Itaque natura Michaëlis præciſa à ſingularitate non eſt ſingularis, quia nihil eſt ſingulare niſi per ſingularitatem: nec item eſt communis: ad id enim exigitur realis potentia, realis aptitudo, vt ſit in multis: quod deficit illi naturæ: quæ in eo ſtatu nullam habet aptitudinem communitatis; ſed aptitudinem ad vnam ſingularitatem tantùm. Vnde in eo ſtatu nec ſunt formaliter ſingulares neque communes: radicaliter autem ſunt ſingulares tantùm.

Caietanus & Thomiſtæ dāt naturam ſecundum ſe, *quæ nec ſit vniuerſalis, nec ſingularis.*

§.26. *Quartū fundamentum.*

Quartum fundamentum eſt ferè tertij repetitio: quia concepta natura Michaëlis abſque ſingularitate habet à noſtro intellectu vniuerſalitatem: ſed hæc eſt ſecundi prædicabilis.ergo. Maior patet, quia naturas ſpiritales concipimus per ſimilitudinem materialium: ſed natura materialis præciſa à ſingularibus habet vniuerſalitatem, ergo & natura ſpiritalis. Confirmatur primò, quia natura Michaëlis habet duo munia. Alterum gerere vicem principij ſpecifici, & ſic conſtituit proximè & immediatè ſpeciem: alterum eſt, gerere vicem principij indiuiduantis: hæc autem poſſunt ratione ſeparari.ergo. Confirmatur ſecundò, quia Deus poteſt à nobis concipi communiter præciſus à ſingularitate ex modo concipiendi: ergo & Angelus. Vnde iſte terminus, *Deus*, eſt communis teſte ſancto Thoma 1.parte quæſt.13.art.9.aſſerente eſſe incommunicabilem ſecundum rem, communicabilem autem ſecundum rationem. Quapropter ſi aliàs Deo propter infinitatem ſuam, & quia eſt ſuum eſſe,& expers generis,ac differentiæ, non repugnat intentio ſpeciei, re vera ex modo concipiendi fieret ſpecies prædicabilis.

Confirmatur primò. — *Secundò.* — S.Thom.

§.27. *Soluitur quartum argumentum.*

Totum hoc argumentum nititur principio falſo diſtinguente indiuiduationem à conceptu ſpecifico. Vnde reſpondeo præciſa ſingularitate à natura Gabrielis hanc manere communem genericè non ſpecificè. manet enim prædicabilis de Michaële & Gabriele. Secundo reſpondeo admiſſa diſtinctione ſingularitatis à natura falſam maiorem. Ad probationem reſpondeo, naturas materiales ſingulares repugnantes communicationi reali concipi quidem ſine vniuerſalitate, ita naturas ſpirituales. Vbi aduerte latam hic eſſe aduerſarij æquiuocationem: concipimus enim ſpiritalia per materialia, ſeruata vtrorumque proportione: non enim poſſumus ſpiritalibus adſcribere aliquid illis repugnans, licet id conueniat materialibus. Concipimus enim ſpiritalem, per materialem ſubſtantiam, non verò illam concipimus impenetrabilem, aut extenſam:quia concipere ſpiritalia per materialia eſt à materialibus accipere ſpecies ſpiritalium, non verò illis adſcribere aliquid quod non habeant. Ita naturas ſpiritales communes non accipimus per naturas materiales ſingulares: ita nec naturas ſpiritales intrinſecè ſingulares poſſumus concipere per corporeas communes; quia habent prædicata intrinſecè oppoſita. Natura igitur materialis ſeparata à ſingularitate eſt communis,quia à parte rei eſt communicabilis: quia verò naturæ angelicæ etiam ratione ſeparatæ repugnat à parte rei multiplicari realiter, non eſt communis. Argumentum autem ſumitur non admodum aptè à natura realiter communicabili ad incommunicabilem, ac propterea ex prædicato vnius naturæ alteri repugnanti deducitur proprietas ſimilis vtrique.

Spiritualia per materialia cognoſcimus. i. per ſpecies ipſorū; nō tamen illis tribuendo horum proprietates.

§.28. *Ad primam confirmationē reſpondetur.*

Ad primam confirmationem ex §.26. reſpondeo non eſſe duo munia ratione diſtincta in differentia eſſentiali & indiuiduali Gabrielis. Illis tamen admiſſis reſpondeo munus differentiæ ſpecificæ eſſe conſtituere Gabrielem ſecundùm ſe & quidditatiuè, item & ſpeciem ſubiicibilem; non tamen prædicabilem, quia illi deeſt indiuiduorum multitudo: in quo conceptu illa natura nec eſt ſingularis, neque vniuerſalis, vt dixi §.25. Munus autem ſingularitatis eſt illam conſtituere formaliter vt explicitè ſingularem, quod non habet in conceptu præciſionis.

§.29. *Ad ſecundū.* S.Thomas.

Secunda confirmatio ex eodem §.26. nec bene ſapit nec audit: Deus enim verus non eſt terminus logicæ communis pluribus diis. Sanctus autem Thomas dixit illum eſſe communem opinione, id eſt in errore conſtituente plures deos. Item & eſſe illum communem per ſimilitudinem, ſeu imitationem, quia in nominibus reperitur aliquid ſimile diuino: communitatem autem hanc negat admiſſis verbis: *natura diuina non eſt communicabilis niſi ſecundum ſimilitudinis participationem.* Et quamuis Deus non poſſit ſpeciei more prædicari, poſſet tamen non more ſpeciei, neque alicuius ex quinque prædicabilibus,ſed more alicuius analogi communis logicæ: quemadmodum perſona diuina prædicatur de pluribus: ita Deus erit abſolutè prædicabilis de pluribus diis. Quod quam ridiculum ſit apud ſe perpendant ſinguli.

SVBSECTIO III.

Oppoſita ſententia.

§.30. *Nulli ſpeciei repugnat multiplicitas indiuiduorum.*

NVllam eſſe ſpeciem cui repugnet multiplicitas indiuiduorum,tam communis eſt Theologorum opinio vt damnata ſit tribus articulis Pariſienſium, quam impugnat ſanctus Bonauentura, Alexāder, Albertus, Scotus,Gabriel,Carthuſianus, & Marſilius, quos referunt Patres Conimbricenſes & ſequuntur quæſt.8.in præfationem Porphyrij: è Thomiſtis Pater Molina 1. parte quæſt.50. artic.4. refert Ferrarienſem, Capreolum, & alios inſuper, & Durandum. Oppoſitam autem ſententiam vel ex logicis principiis ablegandam eſſe ab ſcholis docet ipſe Molina, cui ſubſcribit P.Suarez primo metaphyſicæ diſput. 5. ſect. 2. S.Thomas à nobis eſt ſatis apertè.

S.Bonauent. Alexand. Albert. Scot. Gabr. Carthuſ. Marſil. Conimbr. Molin. Ferrarienſ. Capreol. Durand. P.Suar. S.Thom.

§.31.

Cui præmitto duas eſſe quæſtiones: Alteram vtrum angelicæ naturæ poſſint ſolo numero eſſe multæ.In qua controuerſia non diſquiro nunc ſententiam Thomiſticam. Altera quæſtio eſt vtrum angelicæ naturæ ex ſuppoſitione quod non poſſint numero eſſe multæ, pertineant ad ſecundum prædicabile. Dico igitur ſanctum Thom. neque per ſomnum vnquam cogitaſſe de oppoſita ſententia. Vidimus enim quam ſiniſtrè à nonnullis Thomiſtis ad eam trahatur: nunc autem expende teſtimonia pro ſententia noſtra apud Petrum Bergomenſem, verbo, *Species*, num.1. quæ ego prætereo cauſa breuitatis: hæc autem ipſe proponit: *Species duplex,*

Digitized by Google

duplex, ſcilicet natura communicabilis pluribus indiuiduis immediatè, ſecundum nomen, & rationem æqualiter participatam, vt homo: in cuius confirmationem centum locos indicat Bergomenſis. Expende autem à ſancto Thoma exigi ad rationem ſpeciei prædicabilis vt æqualiter immediatè participetur à pluribus: vbi autem ſunt realiter impoſſibilia plura, non poteſt ſpecies à pluribus æqualiter participari. Indiuidua enim quæ tantum ſunt poſſibilia logicæ ſeu per intellectum, non participant conceptum Angeli cum æqualitate Michaëlis.

§.32. *Ratio concluſionis.* Primum fundamentum huius ſententiæ eſt, quia admiſſa repugnantia multiplicitatis realis, non poſſunt ratione diſtingui conceptus ſpecificus, & indiuiduus Michaëlis: ergo huius natura ſpecifica nõ poteſt eſſe de pluribus prædicabilis. Conſequentia liquet, quia conceptus indiuiduus non poteſt de pluribus prædicari. Antecedens expreſſum eſt à ſancto Thoma quæſt. de ſpiritualibus creaturis art.8. ad quartum, his verbis: *Sicut forma quæ eſt in ſubiecto, vel materia, indiuiduatur per hoc quod eſt eſſe in hoc: ita forma ſeparata indiuiduatur per hoc quod non eſt nata in aliquo eſſe. Sicut enim eſſe in hoc excludit communitatem vniuerſalis quod prædicatur de multis, ita non poſſe eſſe in aliquo.* Quibus comparat Sanctus Thomas indiuiduum habens ordinem ad materiam indiuiduo ſubſtantiæ completæ ſpiritalis: & quemadmodum natura iam recepta in materia ſingulari, quia ab ipſa indiuiduatur, non poteſt eſſe communis; ita nec natura ſubſiſtens, quia eſt irreceptibilis in materia, poteſt eſſe prædicabilis, quia eſt ſingularis. (S.Thom.)

§.33. Probo ratione ipſum antecedens: quia Sanctus Thomas aut quiſquis fuit author repugnantiæ multiplicitatis numericæ, ideo eam adſtruxit, quia omnis indiuiduatio diſtincta à conceptu ſpecifico ſumitur per connotationem ad materiam, vt eſt in vetuſto ipſorum prouerbio: ſed in natura angelica nulla materia connotatur, ergo nulla poteſt eſſe indiuiduatio diſtincta conceptu ſpecifico. Quod autem dicitur *omnis multiplicatio numerica ſumitur à materia,* ideo dicitur, quia omnis indiuiduatio diſtincta ab ſpecie ſumitur à materia: ſpecies autem ſic diſtincta ſumitur à forma ſecundum ſe. Ait enim ſanctus Thomas quæſt. de ſpiritualibus creaturis art.8.& 1. parte q.50.art.4. formas ſeparatas à ſubiecto poſſe multiplicari numero per diuerſa ſubiecta, in quibus eſſe poſſunt: & ea quæ conueniunt ſpecie, differunt numero, id habere per materiam. Ergo tota ratio indiuiduationis diſtincta ab ſpecie, eſt per ordinem ad materiam. Vnde argumentor: In Angelo nulla eſt connotatio ad materiam: ergo nulla eſt indiuiduatio diſtincta ab ſpecie. Probo conſequentiam, quia vbi deeſt principium indiuiduationis, indiuiduatio non eſt. (S.Thom.)

§.34. Item ſanctus Thomas alio nititur fundamento: Ait enim ſpecies Angelicas ſe ipſis eſſe indiuiduas, & non per aliquid diſtinctum: quia ſe ipſis habent totam perfectionem ſpeciei: ergo non eſt fundamentum ad diſtinguendam indiuiduationem à natura: quia cũ natura habeat in ſe totam ſuam perfectionem, habent etiam ſuam indiuiduationem ex ſe. Intelliguntur autem hæc etiam de continentia perfectionis per intellectum atque rationem: alioquin argumentum eſſet ineptum: quia nulla ſpecies connotans materiam accipit perfectionem ab indiuiduatione à ſe diſtincta realiter: gradus enim ſpecifici & indiuidui ex ſancto Thoma non diſtinguuntur ex natura rei; ſed tantum ratione: ergo cum conſtituat diſcrimen inter indiuiduationem, & ſpeciem rerum connotantium materiam, & inter indiuiduationẽ & ſpeciem eam non connotantium, non conſtituit illud in diſtinctione reali; ſed in diſtinctione rationis inter illos gradus. Igitur diſcipuli ſancti Thomæ negantes multiplicitatem realem indiuiduorum naturæ angelicæ, & aliunde diſtinguentes in ea natura ſpeciem infimam ab indiuiduatione, non calluerunt eius ſententiæ fundamenta: quia deficiente materia non poteſt apprehendi indiuiduatio ratione diſtincta ab ſpecie infima.

Secundo probatur eadem ſententia, admiſſa diſtinctione rationis inter conceptum ſpecificum & indiuiduum Gabriëlis. Vt aliqua natura ſit prædicabilis, opus eſt vt ſit vniuocè communis pluribus indiuiduis à quibus immediatè participetur, vt ex ſancto Thoma dixi: ſed natura Michaëlis nec poteſt eſſe vniuocè communis pluribus indiuiduis, neque ab illis æqualiter participari: ergo natura Michaëlis nõ poteſt eſſe ſpecies prędicabilis. Maior propoſitio naſcitur ex ſolis terminis: quia omnia inferiora cuiuſcumque prædicabilis conueniunt vniuocè in ratione prædicabili: quæ autem conueniunt ſpecie infima, ſolo numero differunt. Minor autẽ probatur, quia Michaël, qui exiſtit à parte rei, non poteſt ſolo numero differre à Michaële repugnãte exiſtere à parte rei, & exiſtente in ſolo intellectu: ſed in hac ſententia non poſſunt eſſe alia indiuidua: ergo natura Michaëlis non poteſt pluribus indiuiduis eſſe vniuocè communis. Minor patet, quia Michaël exiſtens eſt ens reale: alius autem Michaël non eſt ens reale, ſed fictum, aut apprehenſum: ens autem reale & non reale plus differunt quàm numero, neque intrinſecè conueniunt in aliquo. ergo. Quod quidem argumentum eſt logica demonſtratio. §.35. *Secunda ratio concluſionis.*

§.36. *Effugiũ primum.* Reſponderi poteſt primò, ſufficere multiplicitatem indiuiduorum per intellectum, vt natura ſit prædicabilis: quod ſufficit vt vniuocè conueniant in ratione indiuidui logicæ: quia prædicabilitas eſt logicum attributum, vniuocè conueniens enti reali atque rationis. Contra hæc ſententia deſerit omnino ſua principia: etenim omnis multiplicatio numerica ſumitur in hac ſententia à materia: ſed in natura Michaëlis non poteſt apprehendi materia ex parte obiecti exiſtens: ergo non poteſt apprehendi multiplicatio numerica. Minor patet, quia natura Michaëlis eſt actus ſubſiſtens, materiæ repugnans. ergo. Item ex parte modi concipiendi naturam non daremus fundamentum ad illam numero multiplicandam. Quod patet à priori, quia quando concipimus res ordinis ſuperioris per ordinẽ inferiorem, non apprehendimus in obiecto ſuperiori imperfectionem exiſtentem in inferiori. Cum enim concipimus Deum, non apprehendimus in ipſo exiſtentem rationem corporis: neque in eius intellectu diſcurſum, neque defectum à ratione in voluntate: nec poteſt dici Deus vllo modo eſſe nobiſcum vniuocè, neque analogicè, corporeum, diſcurrentem, aut deficientem à recta ratione: quia modus ille concipiendi tantum eſt per ſpecies acceptas à rebus inferioribus, per quarum ſimilitudinem ſuperiores explicamus ſublatis imperfectionibus, quas in inferioribus videmus. *Præluditur.* *Cum rem ſuperioris ordinis cognoſcimus per ſpecies inferioris non illi debemus eius tribuere imperfectiones.*

§.37. *Vniuoca requirunt conuenientiam non ſolum ex parte modi concipiendi, ſed etiam ex parte obiecti.* Impugno autem etiam à priori hoc reſponſum: quia quæ vniuocè conueniunt, debent habere duo, alterum ex parte obiecti, alterum ex parte modi concipiendi: ex parte obiecti ſignificati habent ſubſtantiam eandem, id eſt omnino ſimilem: ex parte autem modi habent conceptum commu-

nem: quæ ſignificantur hac definitione communi: *vniuoca ſunt quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ eadem:* ſed hæc indiuidua non habent eandem rationem ſubſtantiæ ſignificatam per nomen, vel conceptum: ergo non ſunt vniuoca. Probo minorem, quia Michaël exiſtens non eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum Michaële repugnante exiſtentiæ. Itaque etiam ad attributa logica exigitur conuenientia per ſimilitudinem realem indiuiduorum. Quod eſt fundamentum abſtractionis, & vniuerſalitatis.

§.38. *Ex contraria ſententia ſequitur ens reale, & rationis vniuocè conuenire.*

Quod ſi hæc non eſſent vera, concluderetur apertè ens reale, & rationis vniuocè conuenire, quia ex parte modi concipiendi non differunt, quamuis differant obiecta concepta: item Deus & ſubſtantia corporea conuenirent abſolutè vniuocè, quia Deus apprehenditur per corporea ſicut Angelus. Quæ tamen merito negantur: quia ex parte obiecti apprehenſi deeſt ſimilitudo & realis conuenientia in illis prædicatis, ſine qua conuenientia non poteſt eſſe vniuerſalitas logica. Præmoneo autem aliud eſſe denominationes logicas reflexè conſideratas, vniuocè conuenire enti reali, & rationis: Aliud autem eſt prædicatum reale, conceptum per ſecundam intentionem prædicari poſſe vniuocè de ente reali & rationis. Primum eſt verum: quia à parte rei reperitur ſimilitudo & conuenientia. Exempli gratia, chymæra & animal vniuocè conueniunt in ratione generis, quia ſicut animal eſt pars quidditatis hominis, & leonis, ita chymera comparata huic, & illi ſpeciei chymæræ: hæc autem conuenientia oritur, quia tam chymera quàm animal habent ſua inferiora præbentia fundamentum abſtractionis. At verò non poteſt directè prædicari obiectum reale de ente reali & rationis, quamuis vnum per analogiam ad aliud cognoſcatur. Cum igitur natura Michaëlis ſit ens reale, non poteſt eſſe vniuocè prædicabilis de vero Michaële, & apprehenſo.

Aliud eſt ens reale & rationis conuenire in denominationibus logicis, aliud in reali prædicato.

§.39. Quod ita confirmo: omne prædicabile poteſt ad actum ſecundum deduci per actuales prædicationes vniuocas de ſuis inferioribus: prædicabilitas enim dicit aptitudinem ad actuales prædicationes, quæ ſi poſſibiles non ſunt, non eſt prædicabilitas: ſed non poſſunt eſſe actuales prædicationes vniuocè naturæ angelicæ de vero & apprehenſo Michaële: ergo non eſt prædicabilitas vniuoca. Probo minorem, quia hæc prædicatio eſt vera. *Verus Michaël habet realiter naturam Michaëlis:* hæc autem eſt falſa: *apprehenſus Michaël habet realiter realem naturam Michaëlis.* Itaque ille modus aprehendendi realem naturam Michaëlis non facit illam aptam prædicari verè de duobus indiuiduis.

§.40. *Secũdum effugium ſuperioris argumenti. Præcluditur primò.*

Reſponderi ſecundò poteſt argumento propoſito §.39. naturam illam Michaëlis referri ad plura indiuidua non abſolutè poſſibilia, ſed ex hypotheſi; id eſt ſi eſſent poſſibilia plura indiuidua, hæc natura eſſet illis communis. Contra. Primùm, hoc reſponſum oſtendit naturas angelicas non eſſe abſolutè prædicabiles: ſed eas fore prædicabiles ſi haberent plura indiuidua, quod nullus negat. Probatur, quia realis indiuiduorum ſimilitudo eſt fundamentum prædicabilitatis: ſed non eſt ſimilitudo realis inter hæc indiuidua: ergo non eſt fundamentum prædicabilitatis. hypotheſis autem impoſſibilis de poſſibilitate indiuiduorum non præbet ſimilitudinem: nunc enim nulla eſt vniuocatio: quia quæ ſunt abſolutè impoſſibilia non conueniunt vniuocè cum impoſſibilibus quantaſcunque fingas hypotheſes: quemadmodum homo non eſt genus, quamuis ex hypotheſi impoſſibili quod eſſent plures homines ſpecie diſtincti, homo eſſet genus. Ratio à priori; quia ſpecies abſolutè ſortitur prædicabilitatem per ordinem ad inferiora, quæ abſolutè differunt ſolo numero, & quibus eſt abſolutè vniuocè communis: non eſt autem abſolutè vniuocè communis enti poſſibili abſolutè, & enti impoſſibili abſolutè, & poſſibili tantum ſub conditione impoſſibili.

Nulla hypotheſis poteſt facere, vt impoſſibilia cum poſſibilibus vniuocè conueniant.

§.41. *Secundò præcluditur effugium argumenti.*

Contra ſecundò: illa hypotheſis deſtruit per locum intrinſecum hanc ſpeciem angelicæ naturæ, & agit de alia omnino diuerſa. Etenim ſpecies quæ haberet plura indiuidua poſſibilia, non eſſet per locum intrinſecum actus ſubſiſtens completus, ſed diceret ordinem ad materiam: ſed hæc ſpecies Angelica eſt actus ſubſiſtens completus, nullum dicens ordinem ad materiam: ergo illa per locum intrinſecum non eſſet hæc ſpecies. Maior probatur: quia ex hac ſententia omnis natura ſolo numero multiplicabilis in ſuis inferioribus eſt circa materiam: quia omnis multiplicatio numerica ſumitur eſſentialiter à materia: ergo ex ipſo conceptu formali naturæ ſolo numero multiplicabilis, concluditur illius materialitas: & conſequenter non eſſet hæc natura, ſed alia: ergo hæc ſolutio non quadrat in hanc naturam, ſed in aliam. Quapropter ſæpius dixi hos authores non calluiſſe ſuæ ſententiæ fundamenta.

SECTIO IV.

Vtrùm genus in vna ſpecie, & hæc in vno indiuiduo reperiri poſſit?

Conſtat ex ſectione 3. ad rationem vniuerſalis requiri inferiorum multitudinem, de quibus poſſit prædicari. Nunc inquiritur, vtrum in vno quoque inferiorum reperiatur tota ratio formalis ſuperior? vt in vno indiuiduo tota ſpecies? & genus totum in vna ſpecie? Non controuertitur, vtrum in quolibet inferiori ſit ratio ſuperior? vt in homine animal, eſt enim pars affirmatiua ſine controuerſia. Petrus enim v g. eſt homo, in quo conuenit cum Paulo, & eſt animal, in quo conuenit cum leone. Neque etiam controuertimus, vtrùm in vno indiuiduo ſaluetur tota ratio vniuerſalis formaliter, ſine connotatione ad alia indiuidua? eſt enim certa negatiua pars, quia vniuerſale formaliter eſt vnum in multis, & de multis. Sed in quæſtionem adducimus, vtrum tota perfectio ſpeciei ſit in vno indiuiduo? & vtrum in vna ſpecie ſit tota perfectio generis? §.42.

§.43. *In ſententia Thomiſtarũ debet poni in quolibet indiuiduo tota perfectio generis & ſpeciei.*

Dico primò, in ſententia Thomiſtarum admittente abſtractiones obiectiuas reperiri in vno indiuiduo totam perfectionem generis, & ſpeciei. Probatur primò, quia in ea ſententia eſt eadem ratio ſpecifica abſtracta ab omnibus indiuiduis, & eadem ratio generica abſtracta ab ſpeciebus: ergo hæ rationes æquè perfectè reperiuntur in vno inferiori, ac in pluribus. Patet conſequentia; quia in pluribus reperitur eadem omnino ratio per intellectum communis. Secundò, quia ratio animalis in hac ſententia eſt omnino ſimilis in omnibus, quia, ſi eſſet diſſimilis, non poſſet eſſe vna abſtracta. Tertio, quia in opinione Scoti diſtinguentis ex natura rei gradus inferiores à ſuperioribus, hæc concluſio eſſet ſequenda: ergo & in opinione Thomiſtarum, quia vnitatem ex natura rei (quam admittit Scotus) illi per intellectum admittunt. Quod ſi obiicias hominis animalitatem eſſe perfectiorem quàm equi. Reſpondetur, id non eſſe in ratione animalis,

ſed

ſed in ratione talis, quæ perfectio non prouenit ex generica ratione, ſed ex ſpecifica.

§.44. *Secùs in opinione Nominalium.*

Dico ſecundò: In opinione Nominalium eas abſtractiones negantium, ſpecies non eſt extenſiuè tam perfecta in vno, quàm in pluribus indiuiduis, quia ſpecies complectitur, & ſe extendit immediatè ad omnia ſua indiuidua, quæ extenſiuè perfectiora ſunt, quàm vnum, quod à fortiori de genere eſt aſſerendum.

§.45. *Si ratio generica ſit perfectior in vna ſpecie, quã in alia, & ſpecifica in vno quàm alio indiuiduo; nec genus in vna ſpecie, nec ſpecies in vno indiuiduo continetur.*

Dico tertiò, in opinione aſſerente rationem genericam formaliter in vna ſpecie eſſe perfectiorem quàm in alia, & inter duo indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe vnum ſubſtantialiter perfectius alio, aſſerendum eſt nec genus in vna ſpecie, nec ſpeciem in vno indiuiduo perfectè contineri. Probatur, quia ſi animalitas hominis formaliter eſt perfectior animalitate leonis, & humanitas Chriſti nobilior humanitate Iudæ, certum eſt, neque animal habere totam ſuam perfectionem in leone, neque humanitatem in Iuda. Immo verò in omnium ſententia verum eſt, animalitatem non eſſe tam perfectam in leone, quàm in homine, ſiue id proueniat ratione generis, ſiue ratione ſpeciei.

§ 46.

Si verò teneas omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe omnino ſubſtantialiter ſimilia, ſpecies verò eſſe in ratione generica ſubſtantialiter diſſimiles: Dicendum eſt genus non contineri perfectè in vna ſpecie, quia perfectius reperitur in alia; at ſpeciem æquè ſubſtantialiter perfectam eſſe in vno indiuiduo, quàm in omnibus, quia duo homines, v.g. ſubſtantialiter, & intenſiuè non faciunt vnum perfectius quam vnus, quia vterque eſt omnino æqualis.

§.47. *Quæ ad fundamentum vniuerſalitatis tã perfectè reperitur genus, aut ſpecies in vno inferiori, quàm in pluribus.*

Eſt ſine controuerſia verum, rationes ſuperiores accidentaliter eſſe perfectiores in pluribus, quàm in vno, quia in pluribus habent plus perfectionis, quàm in ſolo vno. Item exiſtimo verum, quantum ad fundamentum prædicabilitatis, & vniuerſalitatis, æquè perfectè reperiri genus & ſpeciem in vno, ac in pluribus inferioribus. Probatur, quia à quocumque homine poteſt abſtrahi ratio hominis, cuius fundamentum eſt operatio rationalis, & à quocumque animali poteſt abſtrahi ratio animalis, cuius fundamentum eſt operatio ſenſitiua, & illa ratio ſic abſtracta, vel confusè concepta, poteſt de multis æquè prædicari, ac ſi ab illis perfectioribus eſſet abſtracta, aut in illis cognita, quia operationes illæ communes ſunt omnibus inferioribus. Quod de facto ita contingere probatur, quia ſæpe abſtrahimus rationes communes genericas ab ſpeciebus minus perfectis quia nulla eſt adeò perfecta ſpecies, quin intra idem genus alia poſſit eſſe perfectior, & earum quæ de facto exiſtunt, nec cognouimus perfectiores, neque eas diiudicare poſſumus in generibus rerum irrationalium. Igitur tam denominatur genus animal abſtractum à leone, quàm ab homine. Conſtet ergo, quantum attinet ad prædicabilitatem, vniuerſalia æquè perfecta eſſe in vno, ac in alio inferiori, quamuis phyſicè non ſit ita.

§.48. *Obiectio.*

Dices, fundamentum abſtractionis eſſe conuenientiam plurium in vna ratione, & eorumdem diſcrimen in alia: ergo ab vno inferiori non poteſt abſtrahi ratio communis. *Solvitur.* Verùm oſtendam, diſp.5. metaphyſ. ſect.9. vniuerſalia abſtrahi etiam ab vno indiuiduo confusè cognito, quia fundamentum abſtractionis eſt diſtinctio operationum, vel aliorum connotatorum, licet nõ videatur conuenientia, aut diſcrimen plurium, vt miſericordia infinita diſtinguitur à iuſtitia per effectus, licet non ſint plures miſericordiç infinitæ, nec iuſtitiæ plures.

SECTIO V.

De indiuiduo primæ intentionis.

§.49. *Definitio indiuidui non eſt quidditatiua.*

INdiuiduum ait Porphyrius eſſe, *cuius collectio proprietatum in nullo alio eadem erit.* Quç definitio non eſt quidditatiua; nam res non ſunt indiuiduæ per accidentia, ſed per ſuas intrinſecas entitates, quia vnaquæque res à parte rei eſt intrinſecè ſingularis, vt oſtendam diſput.5. Metaphyſ. tribus primis ſectionibus. Eſt autem deſcriptiua, & optima, quia ex natura rei (ſic eſt enim intelligenda) nullum indiuiduum eſt alteri ſimile in omnium proprietatum collectione, ſiue ſit accidens indiuiduum, ſiue ſubſtantia, ſiue in abſtracto, ſiue in concreto. Rogas cur Porphyrius definierit indiuiduum per accidentia? Reſpondeo, optima ratione: quia in logica agitur de rebus in ordine ad noſtros conceptus, & quia tunc concipimus determinatè, clarè, & diſtinctè indiuiduum, quando videmus in eo aliquam proprietatem, quæ in nullo alio reperitur: nam quando alia ſimilis in alio reperitur, neutrum cognoſcitur clarè per ordinem ad illam. Ratio eſt, quia ſubſtantiæ non cognoſcuntur à nobis immediatè & per ſe, ſed per accidẽtia in ordine ad quç diſtinguimus in intellectu diuerſos conceptus ſubſtantiæ. Si accidentia ſint vni peculiaria, illam cognoſcimus clarè, vt rationale per diſcurſum; ſi verò ſint communia pluribus, illam cognoſcimus confusè, vt animal per ſenſationem. Sic Petrus cognoſcitur diſtinctè per ſimitatem naſi, vel proceritatem corporis. De indiuiduo digni ſunt qui videantur PP. Conimb. in Iſagogen Porphyrij. q.3.

Cur indiuiduũ definiatur per accidentia.

Subſtantiæ non cognoſcuntur à nobis immediatè, & per ſe, ſed per accidentia.

SECTIO VI.

De indiuiduo ſecundæ intentionis.

§.50. *Indiuiduum ſubijcitur ſpeciei completè: incompletè, generi, & differentiæ.*

INdiuiduum eſt quod ſubijcitur ſpeciei. Subiicitur autem completè. Nam, quando differentiæ aut generi ſubiicitur incompletè, ſicut & ſpecies de eodem completè, genus incompletè prædicatur. Neque hæc definitio conuenit inuiduis rerum diuinarum, vt Paternitati, & Filiationi formaliter ſub ratione perſonæ, quæ propriè non ſubiicitur ſpeciei, vt dixi ſect.2. Alia ratione definitur indiuiduum à Porphyrio: id eſt, *quod de vno tantum prædicatur.* Cui definitioni refragantur Toletus, Sotus, & alij aſſerentes indiuiduum de nullo prædicari prædicatione formali, & directa, ſed identica tantum.

Toletus. Sotus.

§.51. *Prædicatio identica eſt, qua vtrumque extremũ eodem modo concipitur.*

Aduerte prædicationem identicam non dici illam, qua ſignificatur prædicatum conuenire ſubiecto, ſic enim omnis vera propoſitio affirmatiua eſſet identica: ſed eam ſolum vocari identicam, in qua idem eſt formaliter, & ratione noſtra prædicatum cum ſubiecto, quando ſcilicet vtrumque extremum eodem modo concipitur, vt ſunt hæ, *homo eſt homo, Petrus eſt Petrus.* Vt ſit autem propoſitio formalis, & directa, requiritur, vt ſit diuerſus modus concipiendi ſubiectum, & prædicatum, vt prædicatum ſit ratio formalis conſtituens ſubiectum in ratione, qua de illo prædicatur, vt *Petrus eſt homo, homo eſt animal, Ioannes eſt albus.* Præterea aduerte indiuiduum particulare determinatum habere ſingulares, particulareſque rationes, per quas formaliter conſtituitur in ratione talis, vt Petrus conſtituitur in ratione huius hominis

per

per hoc rationale, & per hoc animal, in ratione huius albi per hanc albedinem.

§. 52. *De indiuiduo prædicantur formaliter omnes rationes ſingulares quas habet.*

Dico ergo primò. De indiuiduo prędicatur prædicatione directa & formali ratio differentiæ ſingularis, & ratio generis ſingularis, & omnes rationes accidentales ſingulares, quas habet. Probatur primò, quia Petrus, v.g. formaliter conſtituitur in ratione huius hominis per hoc animal, & hoc rationale. Nam cum Petrus ſit ſingulare, non poteſt per rationes communes componi, niſi vt contractas, & ſingulares effectas. Item hoc animal, & hoc rationale differenti ratione concipiuntur, ac Petrus concipitur; quia Petrus concipitur, vt totum quoddam logicum; & hoc rationale, & hoc animal tanquam illius partes. Ergo hoc rationale & hoc animal prædicantur directè, & formaliter de Petro. Idem de accidentis prædicatione probatur. Nam Petrus diuerſo modo concipitur, ac album: & albedo conſtituit formaliter Petrum in ratione huius albi. Ergo hoc album prædicatur directè, & formaliter de Petro.

§. 53. Secundo, quia hæc eſt formalis & directa prædicatio, *homo eſt animal, homo eſt rationalis, homo eſt albus*; ergo & hæc: *Petrus eſt animal, Petrus eſt hoc rationale, hoc album.* Probatur conſequentia, quia ſicut homo conſtituitur formaliter ex animali & rationali in communi, & ex albedine: Ita hic homo conſtituitur formaliter, ex hoc animali, hoc rationali, & hac albedine; ergo ſicut illa eſt directa, & formalis prædicatio, ita & hæc. Neque enim opus eſt ad hoc, vt prædicatum ſit vniuerſale reſpectu ſubiecti, vt in hac, *homo eſt rationale.*

§. 54. *Reſpondetur.* *Reÿcitur primò.* *Indiuidua incompleta dari euidens eſt.*

Dices non componi Petrum ex hoc animali, & ex hoc rationali, ſed ex homine, & petreitate. Contra primò, oſtendi diſput. 4. dari indiuidua incompleta. Et eſt euidens: quia ego in homine clarè concipio eum eſſe animal ſingulare, quin concipiam eum eſſe hominem, ſicut concipio animal ſine rationali: ergo eodem modo diſtinguo hoc animal ab hoc rationali, quo animal à rationali.

Reÿcitur ſecundò.

Secundò, Petrus conſtituitur ex homine, & petreitate: ergo hæc eſt formalis prædicatio. *Petrus eſt homo contractus petreitate*, vt patet. Sed eſt prædicatio ſingularis de ſingulari: ergo. Probo minorem, quia homo contractus petreitate eſt ſingularis, quia ab ſpecie contrahitur, & efficitur ſingularis ſingularitate, ſicut album albedine.

§. 55. *Definitio indiuidui directè vt formaliter de illo prædicatur.* *Definitio ſpeciei directè de ea prædicatur.*

Dico ſecundò, definitionem indiuidui directè, & formaliter de illo prædicari. Primò, quia definitio conſtituit formaliter definitum, & ab illo differt in modo concipiendi. Secundò, quia definitio ſpeciei directè de ea prædicatur: ergo & definitio indiuidui de eodem: ſed hæc definitio eſt ſingularis, quia conuertitur cum definito: ergo formaliter ſingulare prædicatur de ſingulari.

§. 56. Petrus eſt hic homo *& è contra, eſt idemtica propoſitio.*

Dico tertiò. Hæc eſt idemtica propoſitio. *Petrus eſt hic homo. Hic homo eſt Petrus.* Probatur, quia Petrus dicit formaliter, & determinatè, hoc indiuiduum hominis; ſed idem dicit formaliter hic homo: ergo eſt idemtica. Confirmatur, quando ſigno demonſtratiuo oſtendo hominem, ſignifico hunc numero ſingularem, & contractum: ergo ſignifico formaliter Petrum. Nam homo, & Petrus hoc differunt, quod homo dicit confusè hominem: Petrus verò determinatè. Similiter & hic homo. Dices Petrum conſtitui formaliter per hunc hominem. Hoc nego, quia petreitas, & hæcceitas, ſiue hic homo, idem ſunt formaliter.

§. 57. *Obiectio.*

Dices, quando quis audit Petrum aliquid feciſſe, & Petrum ignorat: quando poſtea videt Petrum, poteſt ei aliquis dicere, *hic homo eſt Petrus,* ſed tunc eſt formalis prædicatio: ergo. Reſpondeo tunc diuerſo modo concipi Petrum, & hunc hominem, nam antea conceptus fuerat Petrus confusè, & indeterminatè conceptu vniuerſali, & pluribus indifferenti; neque efformatus fuerat conceptus Petri, vt Petri, ſed formatus fuerat conceptus nominis, quo appellatur, cuius ſignum eſt ab eodem ignorari Petrum, & tunc illa prædicatio æquiualet huic, *hic homo eſt homo, quem confusè cognoueras vocari Petrum:* at in noſtra concluſione agimus de prædicatione indiuidui, & Petri cogniti explicitè, & determinatè vt talis: quare illa propoſitio eſt indiuidui vagi de determinato quo ad ſenſum propoſitionis, quia Petrus fuerat vagè conceptus. *Diluitur.*

§. 58. *Formalis propoſitio eſt.* Petrus per ſe eſt Petrus.

Dico quartò. Hæc eſt formalis propoſitio, *Petrus per ſe eſt Petrus*, quia ſubiectum alio modo concipitur ad prædicatum, quia ly *per ſe* denotat non eſſe accidentale Petro eſſe Petrum. Sicut illi accidentaliter conuenit eſſe hoc album, ita dixit Ariſtoteles: *bonum per ſe eſt bonum.* Toletus & alij opponunt nobis aliqua Ariſt. teſtimonia, quibus negat indiuiduum de indiuiduo prædicari, quæ intellige de indiuiduis ſubſtantialibus eodem modo conceptis in ſubiecto, & prædicato, vt cum dicit primas ſubſtantias, id eſt, indiuidua, de nullo prædicari, vel intellige de indiuiduis abſtractis, quæ non prædicantur de concretis, vt cum dicit, *hoc album in ſubiecto eſt, ſed de nullo ſubiecto dicitur:* nomen enim hoc *album*, denotat albedinem in abſtracto; vel intellige de prædicabili vniuerſali. Hoc firmum ſit, rationes indiuiduas de indiuiduis eodem proportionali modo prædicari, quo communes de communibus. *Ariſt.*

Rationes indiuidua de indiuiduis eodem proportionali modo, quo communes de communibus prædicantur.

SECTIO VII.

Vtrùm detur ratio communis indiuiduis.

§. 59.

ACriter inter Doctores pro alterna parte pugnatur. Negat Caiet. cap. de ſpecie quam partem ait eſſe communem. Cui ſubſcribunt Albertus, Sotus, Toletus, Louanienſes ibidem. Fonſeca 5. Metaphy. c. 6. q. 5. ſect. 4. & c. 28. q. 11. ſect. 3. Affirmat verò maior ac melior Philoſophorum pars. S. Thomas 1. p. q. 30. artic. 4. corpore, & ad 1. & 2. quem ſequitur Caietanus parum conſequenter. Hæc mihi arridet opinio. Probatur primò, quia indiuiduatio, aut ſumitur pro intrinſeca, & quidditatiua ratione Petri & Pauli, aut pro vnitate, vt dicit negationem diuiſionis, vel pro entitate ſingulari, connotante propria accidentia. Sed quouis modo ſumatur, datur vna ratio communis ex illis: ergo datur vna ratio communis indiuidui. Probatur minor, quia ab intrinſeco, & quidditatiuo conceptu ſingulari Petri & Pauli, abſtrahitur ratio hominis, nam ratio ſpecifica immediatè abſtrahitur à ſingularibus conceptibus quidditatiuis. Homo enim abſtrahitur ab hoc & illo homine. Item Petrus & Paulus in hoc conueniunt, quod vterque habet ſuã vnitatem numericam, per quam vnuſquiſque inuicem diſtinguitur numero, cum tamen non habeant diuiſionem ſpecificam. Item vnuſquiſque conuenit in eo, quod eſt habere propria accidentia, quæ nulli alij ſint communia: ergo à triplici illa ratione poteſt abſtrahi vna ratio communis.

Indiuiduis datur ratio communis. *Probatur primò.* *Triplex ratio cõmunis indiuiduis aſſignatur.*

§. 60. *Confirmatur.*

Confirmatur; ratio ſpecifica hominis vt ſic habet aliquam vnitatem abſtractam ab vnitatibus ſingularibus: hæc autem eſt ratio indiuidui in communi:

muni: ergo datur ratio indiuidui in communi. Probatur hæc minor: quia illa vnitas conſtituit illum hominem vnum, quæ vnitas communicatur omnibus, quibus ratio hominis communicatur: nam omnes paſſiones entis cum ipſo ente communicantur, ſed illa vnitas ſic communicata conſtituit hominem indiuiduum, & ſingularem, ſicut ratio hominis communicata conſtituit hunc hominem: & illi vnitati conuenit contrahi, & communicari pluribus differentibus numero, ſicut conuenit rationi hominis vt ſic: ergo ſicut hæc eſt ratio communis pluribus ſingularibus, ita & illa pluribus indiuiduis. Itaque eodem modo philoſophandum eſt de ratione ſpecifica, ac de vnitate illam conſequente; & ſicut ratio hominis vt ſic eſt cómunis huic & illi homini, ita & vnitas eſt communis huic & illi vnitati, & indiuiduo.

§.61. *Probatur ſecundò.*

Secundò probatur. Petrus & Paulus eodem modo conueniunt, & ſunt ſimiles in ratione indiuidui, ac in ratione hominis, & differunt in ratione talis indiuidui, ſicut in ratione talis hominis: ergo ſicut ab illis abſtrahitur ratio communis, ita & ratio indiuidui. Conſequentia patet ab æquitate rationis, quia ſimilitudo eſt fundamendum abſtractionum. Confirmatur: omnes rationes ſpecificæ immediatè abſtrahuntur à ſingularibus, non obſtante eorum ſingularitate; per quam ſunt primò diuerſa: ergo non obſtante ſingularitate indiuiduationis poterit ab illis abſtrahi ratio indiuidui.

Similitudo eſt fundamẽtum abſtractionum.

§.62. *Probatur tertiò. Indiuidui vagè ſumpti datur ratio communis.*

Tertiò datur ratio communis indiuidui vagè ſumpti, vt *Petrus eſt aliquod indiuiduum, Paulus eſt aliquod indiuiduum:* ergo & ratio indiuidui vniuerſaliter ſumpti. Conſequentia patet, quia illud ſignum, *aliquod*, ſemper afficit aliquem terminum vniuerſalem, vt *aliquis homo, aliquod animal,* quia eſt ſignum quaſi reſtrictiuum.

§.63. *Probatur quartò.*

Quartò, hæc eſt formalis propoſitio. *Petrus eſt indiuiduum, Paulus eſt indiuiduum*, & non eſt propoſitio ſingularis, quia differt ab hac. *Petrus eſt hoc indiuiduum:* ergo ſunt propoſitiones vniuerſales: ergo ratio indiuidui, quæ per illas prædicatur, eſt vniuerſalis. Quintò indiuiduatio ſumitur per ordinem ad accidentia propria, & negationem identitatis: ſed ab omnibus accidentibus propriis poteſt abſtrahi ratio accidentis proprij, quia in illa conueniunt; & ab omnibus negationibus ratio negationis: ergo.

Probatur quintò. Indiuiduatio ſumitur per ordinẽ ad accidẽtia propria, & negationẽ idẽtitatis.

§.64. *Singularia confusè cognoſci ſolent, ratione cuius confuſionis formatur vniuerſale.*

Ratio à priori eſt; quia res ſingulares, & indiuiduæ non cognoſcuntur diſtinctè, clarè, & explicitè; ſed confusè. Ratione cuius confuſionis efformatur conceptus vniuerſalis, & communis, non diſtinguens eas rationes, ſed eas potius adunans, & confundens: quare dicitur cognitio ſingularium non in ſingulari, ſed in communi. Quando verò illæ rationes in ſingulari cognoſcuntur clarè, & diſtinctè, non poteſt ab illis abſtrahi ratio communis, alioquin in infinitum procederetur, qui proceſſus facillimè vitatur.

§.65. *Obiectio prima. Reſponſio. Ab vltimis differentijs clarè cognitis, vt vltimis, ratio cõmunis abſtrahi nõ poteſt: poteſt tamen ſi differentia obſcurè agnoſcantur.*

Quando enim obiiciunt; ab vltimis differentiis non poteſt abſtrahi ratio communis: ſed indiuiduatio eſt vltima differentia: ergo ab indiuiduatione non poteſt abſtrahi vna ratio communis. Diſtinguenda eſt maior, & concedenda de vltimis differentiis cognitis, vt vltimis clarè, & diſtinctè: neganda verò, ab vltimis differentiis cognitis ſub ratione communi differentiæ in confuſo; quia verò per conceptus deuenimus in vltimæ differentiæ claram, & diſtinctam cognitionem, ideo vitatur proceſſus in infinitum, qui confuſis cognitionibus non abitur in infinitum, cum iam deueniamus in aliquam claram, quæ ſit vltima cognitio indiuiduationis. Neque eſt maior difficultas abſtrahendi rationem indiuidui confusè cogniti ab hoc & illo indiuiduo, quàm rationem hominis à Petro & Paulo, quia ſingulares differentiæ hominis non minus impediunt, quàm ſingulares differentiæ vnitatis.

§.66. *Indiuiduum eſt ratio conueniendi, & diſconueniẽdi: huius, in ratione talis indiuidui; illius, in ratione indiuidui.*

Dices indiuiduum indiuiduatione differre ab aliis, & non conuenire. Reſpondeo indiuiduatione differre, & conuenire: ſicut humanitate, quia conuenit in eo, quod eſt eſſe indiuiduum, ſicut conuenit in eſſe hominis, & differt in ratione talis indiuidui, ſicut in ratione ſingularis hominis. Clarius exemplum eſt in diſſimilitudine: nam poteſt eſſe, dari conceptum vnum diſſimilitudinis, diſſimilitudo enim in albedine, & diſſimilitudo in quantitate conueniunt genericè in ratione diſſimilitudinis, & differunt ſpecie, & in ratione talis. Item duæ diſſimilitudines in quantitate ſpecie conueniunt, & differunt numero in ratione talis, à quibus ſemper abſtrahitur vna ratio communis, donec vltimæ differentiæ explicitè dignoſcantur, quibus exhauritur tota difficultas oppoſitæ ſententiæ. Huius authores fortè volunt ab indiuiduis clarè, & diſtinctè cognitis non poſſe abſtrahi rationem communem, quod eſt euidens, & probant argumenta de infinito proceſſu. Nos autem non ſic ſumimus indiuiduum, ſed dicimus illud poſſe concipi confusè, ſicut concipitur homo, & ſicut ratio hominis confusè concepti eſt communis Petro & Paulo; ita indiuiduationem confusè cognitam eiſdem eſſe communem, & ſicut ab hoc & illo homine in particulari cognitis non poteſt abſtrahi ratio hominis. Ita neque ab hoc & illo indiuiduo cognitis in ſingulari.

Authores aduerſi in bonum, verumque ſenſum adducũtur.

§.67.

Vidi non neminem exiſtimantem hanc quæſtionem eſſe magnæ difficultatis in Thomiſtarum ſententia admittente obiectiuas abſtractiones, ſecus in ſua eas negante: quia in ſua ſententia omnes rationes communes ſunt indiuiduæ. Verùm hic non expendit ſuæ & Thomiſtarum opinionis fundamenta. Nam idem omnino fundamentum requiritur ad concipiendum vno actu confuſo plura indiuidua vt ſimilia, & ad abſtrahendum vnam rationem communem ab illis. Eſt enim fundamentum ipſa ſimilitudo obiectorum: quare, cum ipſi hanc obiectiuam ſimilitudinem admittant in indiuiduis, in eaſdem recidunt difficultates: oppoſita enim ſententia talem ſimilitudinem negat in indiuiduis, quia in vltimis differentiis nulla poteſt eſſe ſimilitudo, cum res conſtituant primò diuerſas, & in infinitum procederetur, &c. Quapropter prudens noſtram ſententiam vniuerſaliter probaui, non diſtinguens inter Thomiſtarum Nominaliumque ſententias de præciſionibus, quia in vtraque ſententia argumenta pro vtraque parte vim habent eandem. Sed reliquis reſpondeamus argumentis.

§.68. *Obycitur tertiò.*

Tertium eſt, quia ſi indiuiduatio vt ſic eſt communis: ergo contrahitur per hanc numero indiuiduationem, & per illam: ergo iſta & illa indiuiduationes ſimul cum indiuiduatione in communi conueniunt in oratione indiuiduationis, & ſunt contrahibiles per alias, & ſic in infinitum. Huic argumento ex ſententia Nominalium reſpondetur, indiuiduationem in communi non eſſe aliam à particularibus, ſed eſſe omnes illas confusè cognitas. Cum verò hæc numero clarè concipitur, nulla fit contractio obiectiua. Sed conceptus ille formalis confuſus, redditur clarus, in quo non poteſt eſſe infinita proceſſio, quia deuenitur in claram

Reſpondetur in ſententia Nominaliũ.

ram vnius indiuiduationis cognitionem, qua cognoſcitur in ſinguiari, & non in communi: à qua ſic cognita non poteſt abſtrahi ratio communis.

§.69. *In Thomiſtica.* In opinione Thomiſtarum: nego antecedens, quia ratio communis non contrahitur per rationem particularem eodem nomine & conceptu gaudentem, ſed per particulares differentias, quæ ſimul cum conceptu communi ſpeciem conſtituunt, aut indiuiduum; vt animal non contrahitur per humanitatem, aut animalitatem, ſed per rationalitatem, cum qua hominem conſtituit; & homo non contrahitur per hanc humanitatem, ſed per differentiam ſingularitatis, cum qua Petrum, aut hunc hominem conſtituit: ita indiuiduatio non contrahitur per aliam indiuiduationem, ſed per differentias ſingulares, cum quibus indiuidua conſtituit. Hinc autem nullam ſequi infinitam proceſſionem clarè patet, qui ab humanitate in communi, & hac & illa humanitate non poteſt abſtrahi alia ratio humanitatis. Alioquin in omni abſtractione in infinitum abires: ergo neque in caſu argumenti poteſt abſtrahi alia ratio indiuiduationis. Ratio à priori eſt, quia ratio, quæ abſtrahitur ab hac & illa indiuiduatione, eſt ratio indiuiduationis vt ſic, in qua ſunt ſimiles. Sicut hic & ille homo in ratione hominis. Abſtracta verò hac ratione, non ramanet in illis ratio indiuiduationis, quæ abſtrahitur, ſed tantum remanent conceptus differentiales, qui ſunt primò diuerſi, vt abſtracta animalitate ab homine & leone, non remanet in illis animalitas; ſed rationalitas & rugibilitas, quæ ſunt primò diuerſa, & ſi cognoſcuntur alio conceptu clariori, debent concipi vt primò diuerſa.

§.70. *Obijcitur quartò. Inſtatur.* Dices eas differentias concipi poſſe vt conueniunt in ratione differentiæ, & vt differunt in ratione talis, & ſic in infinitum abitur. Verum dixeris idem de ratione hominis, cuius ſingulari differentiæ conueniunt in ratione ſigularitatis, & differunt in ratione talis. *Fit ſatis.* Quare nego id fieri poſſe: nam indiuiduatio vt ſic eſt ratio differentiæ, per quam indiuiduum differt: ratio verò talis, eſt vltima differentia, quæ, ſi confusè cognoſcatur, concipitur ſub ratione communi indiuiduationis: ſi verò clarè concipiatur, concipitur vt vltima in ſingulari, à qua non poteſt abſtrahi alia ratio differentiæ, nec video aliud argumentum quod vrgeat. Poſſunt enim omnia facile ſolui, ſi rectè percipiatur doctrina tradita de conceptu claro, & confuſo indiuidui, itaque ab indiuiduis in ſingulari cognitis non poteſt abſtrahi ratio indiuidui: ſecus ſi confusè noſcantur, quod eſt commune omnibus rebus, quæ ſub abſtractionem cadunt.

§.71. *Inſtantiæ argumenta oppoſita in homine, & eius ſingularitate.* Reſponderi item ſolet argumentis aduerſariorum per inſtantiam hominis, & eius ſingularitatis; quia indiuiduatio communis ſumitur pro vnitate indiuidui, quæ eſt attributum huius hominis ſingularis: nam ſicut homo eſt de primo conceptu rei; & vnitas eſt attributum hominis, ſicut & cuiuſuis entis, ita in Petro eſt hoc ſingulare ens, cuius attributum eſt hæc vnitas, ſiue ſingularitas, vnde percipies inſtantiam, ſi ab hoc & illo ſingulari ente humano abſtrahitur homo vt ſic, cur de hoc, & illo attributo, nempe vnitate indiuidua, non abſtrahitur bonitas, veritas, & vnitas? Hæc autem vnitas eſt abſtractio indiuidui vt ſic; quia

§.72. *Indiuiduum in vniuocatione, aut analogia entis rationem imitatur.* ſignificat indiuiſionem, vt ſic; quæ contrahitur per hanc indiuiſionem, ſicut veritas per hanc veritatem.

De vniuocatione, aut analogia indiuidui, eodem modo ratiocinare, quo de ente. Si enim aſſeris cum communiori ſententia ens eſſe analogum ſubſtantiæ & accidenti, item ſubſtantiam vt ſic ſubſtantiæ completæ & incompletæ. Subſtantiam verò completam eſſe vniuocam omnibus ſubſtantiis completis; idem proportione dixeris de indiuiduo. Vno verbo. Cum ratio vnius ſit paſſio entis, omnibus, quibus ens fuerit vniuocum, aut analogum, erit vniuoca, aut analoga ratio vnius.

SECTIO VIII.

De indiuiduo vago, & eius prædicabilitate.

Indiuiduum vagum opponitur inuiduo determinato, hoc enim *eſt certa res ſingularis, quæ poteſt termino demonſtratiuo monſtrari*, vt *Petrus, hic homo, illud animal.* Vagum autem eſt ſingularis res, incerta tamen, & quæ nomine proprio, aut termino demonſtratiuo ſignificari non poteſt, ſed termino confuſo, & ſine diſtinctione, vt *aliquis homo, quoddam animal. Petrus,* vel *Paulus hic,* aut *ille puer.* §.73. *Diſcrimen vagi, & determinati indiuidui.*

Indiuiduum vagū ſolùm dicitur à potentia vitali cōfusè in illud tendente. Dicitur vagum ab intellectu, à cuius actu vagum formaliter dicitur: non quod obiectum in ſe ſit vagum, ſed quia actus vitalis ad illud fertur vagè, atque confusè, & quantum eſt ex ſe non magis ad hoc, quàm ad illud, quo differt ab actu determinato tendente ad hoc, & non ad aliud obiectum. Si enim clarè noui Petrum, dico, *hic eſt Petrus & non alius*; & dicitur vagum, quia non ſiſtit intellectus & voluntas in vno, certoque ſingulari, ſed per plura disiunctiuè vagatur.

Vnde liquidò conſtat indiuiduum vagum formaliter non exiſtere à parte rei, quia, quidquid eſt realiter, certa res eſt, & determinata. Eſt autem indiuiduum vagum formaliter in intellectu, aut voluntate indeterminatè & confusè in rem ſingurem tendente, vnde vagum formaliter non connotat rem, ſed modum, quo confusè à potentia attingitur; vt cum hic exiſtit Petrus, & cum ego clarè non noui, ſtatim aio. *Hic exiſtit aliquis homo.* Ecce ego vagè concipio rem determinatam. Item cum ego volo è duobus libris alterum, non tamen magis alterum, quàm alterum. Ecce voluntas vagè fertur in res ſingulares. §.74.

Aduerte diſcrimen; intellectus, cum concipit vagè, id facit ob ſuam imperfectionem, ob quam non penetrat res ſinguiares, neque diſtinguit, ſed eas conceptu confundit. Quapropter diuinæ menti repugnat rem vagè concipere. Voluntas autem ſine vlla imperfectione ob ſuam libertatem poteſt in res vagè tendere, vt cum ego video clarè & diſtinctè duos libros, neque in altero plus boni quàm in altero cerno, poſſum velle alterum, quem tu mihi velis dare, non determinando hunc aut illum. Ita Deus vult à nobis res vagè, vt cum præcipit offerri in ſacrificium, aut turtures, aut agnum. Ecce voluntas diuina vagè fertur in obiecta, quæ determinatè nouit intellectus, cuius rationem latè reddidi. 3. p. diſp. 10. ſect. 4. vbi oſtendi Deum non tam vagè ferri in hæc obiecta, quàm determinatè in vtrumque, ſed nullum præferentem alij. §.75. *Diuinæ menti vagè concipere repugnat.*

Nam voluntas tendit propriè vagè in obiectum, quando illud confusè cognouit: & ſicut mens non diſtinguit vnum obiectum ab alio; ita nec voluntas poteſt velle vnum potius, quàm aliud; quia non poteſt in incognitum ferri. Quando autem intellectus clarè cognouit omnia obiecta; tunc voluntas non poteſt ferri confusè, & vagè propriè in rationem communē obiecti; quia ea non eſt repræſentata. Poteſt tamen pro ſuo arbitratu æquè velle §.76.

velle

velle vtrumque obiectum; nullum præferendo aliis, vt explicui ea ſectione 4. quod impropriè dicitur ferri vagè in obiectum; quia id eſt tendere in rationem confusè cognitam. Vtrùm autem Deus poſſit vagè velle media ab ipſo ſolo exequenda? quæſtio eſt 1.p.q.13. diſcutienda, cuius negatiuam partem ſequor cum Suarez 3.p q.1. quia huiuſmodi confuſio in electione mediorũ denotat in nobis ignorantiam aliquam ipſorum, ob quam cùm ſtatuerimus è duobus mediis alterum eligere, non ſumus certi, quod ex illis ſit melius; ſic decernit quis iter agere eques, aut pedes, quia tamen non bene expendit, vtrum medium ſit aptius, ad neutrum ſe determinat in ſingulari, donec ratio melior occurrat. Deus autem exploratiſſimam habet cuiuſcumque medij conuenientiam, vnde non poſſumus eum apprehendere volentem media in communi, & poſteà in particulari; ſed, quidquid vult, determinatè vult; ſecùs eſt, quando id, quod vult, alterius relinquit arbitrio. Tunc enim efficaciter nil vult, niſi quod alter velit, ſed de hoc agitur in materia de prædeſtinatione, & incarnatione.

Nequit Deus vage velle media ab ipſo ſolo exequenda. Probatur.

§.97. *Nihil non determinatũ eſt à parte rei.*

Deinde, quando ad aliquid requiritur indiuiduum vagum: id, ad quod requiritur, à parte rei non poteſt exerceri niſi in indiuiduo determinato, vt viſus requiritur ad videndum; quando fit viſio, fit viſio determinata, & non vaga. Item fit per determinatum indiuiduum, nempe ab hac determinata potentia, & non vagè ab aliqua, ad quod tantum ſufficit vnum ſolum indiuiduum, quantum tota collectio, vt cum dicitur, *equus requiritur ad equitandum*, equitatio in vno determinato equo exercetur, & tam in vno, quàm in omnibus ſimul, ſeruata ſemper proportione eius, ad quod requiritur, vt ſi præcisè requiritur equus, ad equitandum: vnus equus eſt tam ſufficiens, ac tota ſpecies equina; ſi verò ad bene, & velociter equitandum, requiritur velox & fortis equus: vnus fortis & velox eſt tam ſufficiens, quàm cæteri omnes ſimul. Quæ doctrina, vt eſt certa, ita & apprimè neceſſaria in materia de prædeſtinatione ad refellendam opinionem aſſerentium à Deo tantam multitudinem auxiliorum parari prædeſtinatis, vt ex vi totius collectionis infallibilis ſit effectus, quamuis non ex hoc, aut illo auxilio determinatè. Impugnatur enim, quia tota collectio auxiliorum ſimul non exiſtit. Ac propterea dicendum eſt totam illam non habere maiorem vim, quàm quodlibet auxilium, quia in eâ opinione non requiritur aliquod auxilium determinatum, ſed confuſum ad eam infallibilitatem. At verò indiuiduum vagum eius eſt naturæ, vt quodlibet indiuiduum eiuſdem ſit roboris, ac tota ſpecies. Hæc quidem in præſenti non ſunt diſputanda, ſed indicanda, vt ſciantur difficultates Theologicæ, quæ ex dialecticæ principiis ſint explanandæ.

Seruanda doctrina in materiã de prædeſtinatione.

§.98. *Ad particulares effectus cauſæ particulares exiguntur.*

Præterea, quando dicitur ad aliquam rem indiuiduum vagum requiri, communiter illa res ſignificatur vagè, vniuerſaliter, & indeterminatè; non verò in ſingulari, v.g. dicitur oculum requiri ad videndum, & equum ad equitandum, vbi videre, & equitare vagè ſumuntur, & non pro hac viſione, & hac equitatione. At verò ad particulares effectus, cauſæ particulares communiter requiruntur. Nam ad hanc numero viſionem, & equitationem hanc, requiruntur determinatus equus, & oculus determinatus, quia ex rei natura, legéque à Deo ſtatuta, nec hæc viſio, nec hæc equitatio poſſunt eſſe ab aliis cauſis. In effectibus modalibus res eſt clariſſima, quia modus vnius rei non poteſt eſſe modus alterius. In rebus abſolutis, etiam patet, quia hic numero effectus oritur, vel ex hac numero cauſa cum omnibus adiunctis hîc & nunc eam comitantibus, vel oritur ex hac numero voluntate Dei volentis hic & nũc concurrere cum hac cauſa ad hunc effectum, qui non poteſt ex natura rei, ſuppoſita Dei voluntate, ab alia oriri. Verum eſt effectus reales abſolutos (qui non ſunt modi) prærequirere voluntatem Dei concurrendi cum aliqua cauſa; non tamen cum igne, vel ſole determinatè ad hunc calorẽ, ſed vel cum ſole, vel cum igne, nam cum vtroque poteſt. Hæc autem exigentia cauſæ vagæ nihil eſt vagum, ſed eſt hic eſſentialis ordo, quem habet hic calor ad eas cauſas, & quia continetur in potentia vtriuſque, ideò poteſt ab vtraque produci.

Obiectionis ſimulatæ ſolutio.

§.99.

Quod autem dicimus non exigi hanc determinatè, ſignificamus non ſolùm ignem gaudere virtute producendi calorem, ſed etiam ſolem ea gaudere. Vnde non oritur neceſſariò ab igne, id eſt ab alio etiam poteſt oriri; & requiritur neceſſariò ignis, aut ſol, id eſt à nulla alia cauſa poteſt oriri, niſi ab igne, aut ſole; ita tamen poteſt à ſole, vt etiam poſſit ab igne, & è conuerſo, in quo nihil vagum reperies, nihil enim vagum eſt, ſed omnia ſunt determinata in eo, quod hic calor poſſit ex ſe produci & à ſole & ab igne, & non ab alio agente, quod eſt ad hunc calorem requiri ignem, aut ſolem indeterminatè, & in hoc ſenſu de determinatione effectuum per voluntatem Dei Summuliſtæ non loquuntur, ſed pronuntiant leges, quibus Deus mundum adminiſtrat; quibus poſitis dicunt ad videndum requiri aliquem oculum, non tamen hunc determinatè. Et quia non aduertunt aliqui nomen *videre* ſumi etiam vagè, vagè etiam, & diffusè vagantur.

§.100. *Indiuiduum vagũ determinatur ad vnum excluſione cæterorum.*

Item obſerua indiuiduum vagum determinari ad vnum excluſione cæterorum, v.g. non teneris ſacrificio dare agnum determinatè, nec turtures determinatè, ſed ex illis, quod libuerit, at ſi ſemel excludas à ſacrificio agnum, teneris iam offerre turtures determinatè. Similiter verè aliquis dicit, *hoc facit Petrus*, vel *Paulus*, & alius etiam verè dicit *non facit Petrus*; determinatur illa veritas in Paulo, quia cum id fecerit vnus, & non hic, non reſtat, qui id fecerit, & in quo vera ſit hæc propoſitio. Id autem non contingere in propoſitione ſignificante potentiam, oſtendi in ſummulis diſputat. 2. quia non poteſt fieri excluſio omnium, & in vno ſolo ſiſti. Hæc de indiuidui vagi natura. Surgamus ad prædicabilitatem.

SECTIO IX.

Prædicatio indiuidui vagi.

§.101. *Indiuiduum, vt ſignificat vnitatẽ, prædicatur vt paſſio. Vt ſignificat ſingularẽ rei quidditatem, prædicatur vt ſpecies. Probatio prima.*

Prædicari poteſt indiuiduum vagum, vt ſignificat vnitatem, quam dicunt in negatione conſiſtere; vel vt ſignificat ſingularem rei quidditatem, vt *Petrus eſt aliquod indiuiduum*; vel *Petrus eſt aliquis homo*. Primo modo prædicatur, vt paſſio, ſiue vt attributum, quia vnitas ſequitur entitatem, vt probo diſputatione 4. metaphyſ. ſect. 1. eſtque prædicatio proprij quarti prædicabilis. Secundo modo exiſtimo eſſe prædicationem ſpeciei de indiuiduo. Probatur; quia eſt prædicatio vniuerſalis de ſingulari, non accidentalis, quia ſingularitas non accidit Petro: ergo eſt quidditatiua, ſed non pertinet ad tertium prædicabile, quia non prædicatur, *in quale quid*, neque pertinet ad primum, quia non prædicatur incompletè: ergo pertinet ad ſecundum prædicabile. Confirmatur. Eſt quidditatiua & completa prædicatio. Item eſt vniuerſalis: ergo eſt ſpeciei de indiuiduo. Conſequentia patet à defi-

Confirmatio.

à definitione ad definitum, antecedens verò liquet, quia *aliquis homo* prædicatur de ſolis differentibus numero: & ſignificatur tota eſſentia Petri; quæ eſt homo: ergo prædicatur completè.

§.102. *Probatio ſecunda.* Petrus eſt homo, *&* Petrus eſt aliquis homo *ſolo verbo differunt.*

Secundò probatur, quia hæc propoſitio. *Petrus eſt homo*, non differt niſi verbo ab hac *Petrus eſt aliquis homo*: ergo vtraque pertinet ad idem prædicabile. Probatur antecedens. Quia in vtraque ſubiectum eodem modo concipitur, & ſimiliter prædicatum, quia in vtraque percipitur explicitè ratio humanitatis, & confusè cognoſcuntur indiuidua omnia, nullum tamen explicitè, quando enim dicitur *Petrus eſt homo*, ſenſus non eſt, Petrum eſſe hominem in communi, quia eſſet falſa propoſitio. Neque eſſe hunc hominem in particulari, quia licèt quantum ad rem prædicatam id dicatur, in modo tamen prædicandi non dicitur. Dicitur ergo Petrum eſſe aliquem hominem, eſſe quidem hominem, hunc tamen, vel illum, quod idem contingit in prædicatione de indiuiduo vago. Neque enim nomen *aliquis* variat modum concipiendi ſpeciem, ſed illum explicat. Ad idem prædicabile pertinet propoſitio hæc. *Hoc indiuiduum eſt aliquod indiuiduum*, ſi in eadem formalitate ſumatur.

§.103. *Obiectio prima.*

Obiicies primò. Actus concipiens aliquem hominem diſtinguit Petrum à Paulo; ergo non eſt vniuerſalis. Probo antecedens: quia ille actus, ſic explicatur: *Aliquis homo currit*: vel eſt; *aut Petrus currit, aut Paulus*: qui autem hoc dicit, iam diſtinguit vtrumque.

Solutio. Bifariã concipitur indiuiduum vagũ, & quomodo conceptum ſit vniuerſale, quo modo non.

Reſpondeo bifariam concipi indiuiduum vagũ: primùm cum clarè & explicitè concipiuntur indiuiduorum ſubſtantiæ; & ignoratur quænam ex illis aliquid fecerit, vel cui conueniat aliquod prædicatum accidentarium: vt cum ego ſcio hic eſſe Petrum & Paulum, mihi quidem notiſſimos; neſcio tamen vter ex ipſis loquatur: tunc dico, *Aliquis ex his loquitur*. hæc propoſitio non eſt vniuerſalis, quia omnia concipiuntur clarè; ſolúmque eſt confuſio in cognoſcenda cauſa eius actionis. Secundò poteſt concipi *aliquis homo*, tam confusè, vt nullum ſingulare repræſentet in ſingulari; tunc propoſitio eſt vniuerſalis: vt, *Aliquis homo eſt rationalis*; ſubiectum eius propoſitionis non magis repræſentat Petrum, quàm hic actus: *vnus homo*; *Homo*. Ad argumentum reſpondeo negato antecedenti in hac ſecunda ſignificatione. Ad probationem reſpondeo, illum actum ſic explicari à cognoſcente explicitè Petrum & Paulum; non tamen ab habente illum actum ſolum: quia ei non poſſunt venire in mentem Petrus & Paulus: ſed indiuidua tam confusè cognita, vt nullum in ſingulare noſcatur. Vnde illam explicabit loquens: *Vnum ex indiuiduis hominis eſt homo.*

§.104. *Obiectio ſecunda. Dilutio.*

Obiicis ſecundò, vocem *aliquis* ſignificare indiuiduationem, quæ eſt attributum; vel ſignificare ſingularitatem, quæ eſt extra eſſentiam. Contra, iam dixi eam prædicationem eſſe attributi, & quarti prædicabilis, ſi vnitas indiuidua ſignificatur: quia vnum eſt attributum entis. Si autem ſignificat ſingularitatem, nempe humanitatem ſingularem, ex qua oritur vnitas ſingularis, illa prædicatio eſt ſpeciei de indiuiduo: quia in ea ſemper prædicatur confusè ſingularitas; vt in iis *Petrus eſt homo, eſt aliquis homo*, ſingularitas clarè cognita, vt Petreitas eſt extra conceptum ſpeciei, non verò ſingularitas in communi, & confusè cognita.

§.105. *Illatio* Homo, *&* aliquis homo *ſunt propoſitiones identicæ.*

Vnde inferes has propoſitiones eſſe identicas, *homo & aliquis homo eſt homo*, quia prædicatum, & ſubiectum in vtraque eodem modo, & cum eadem vniuerſalitate concipiuntur. Vno verbo, perpende ad idem prædicabile pertinere indiuiduum vagum, ad quod pertinet terminus, quem afficit nomen, *aliquod*, vel *quoddam*, vt *Petrus eſt quidam homo*, ad ſpeciem; *quoddam animal*, ad genus; *quoddam rationale*, ad differentiam; *aliquod riſibile*, ad proprium; *aliquod album*, ad accidens. Ratio eſt; quia hi termini *omnis*, & *aliquis*, non variant modum, quo concipitur terminus communis, ſed tantum diſtribuunt, aut confundunt ſingularia, quod non variat rationem prædicabilis, quia hoc ſolùm diſcriminatur per modum, quo prædicata communia concipiuntur, quod in ſententia Nominalium negante obiectiuas præciſiones eſt clarum. Item & in Thomiſtarum, quia nomen *aliquis*, & *omnis*, non faciunt eſſentiam clariùs, aut confuſiùs cognoſci, vt cùm dicis *homo currit, aliquis homo currit, omnis homo currit*, quid varias hominis conceptum? Saltem reduci ad ſpeciem negari non poteſt, vel dic ſingularitatem in ſingulari eſſe extra eſſentiam, non verò ſingularitatem in communi, quia homo, vt ſic eſt idem quod ſingulare vt ſic, & confuſè.

DISPVTATIO VI.

De differentia, proprio, & accidenti.

DE his tribus prædicabilibus eamdem inſtituo diſputationem breuitatis ergo.

SECTIO I.

Differentiæ eſſentiam propono.

§.1. *Diſtinctio meram indicat pluralitatem, differentia addit inæqualitatem. Tot ſunt differentiæ, quot rationes inæqualitatis.*

HOc differt diſtinctio à differentia, quod illa meram indicat pluralitatem, hæc addit inæqualitatem, vnde Petrus diſtinctus eſt à Paulo, non tamen differens. Solent tamen minùs propriè indiſcriminatim ſumi. Tot ergo ſunt differentiæ, quot rationes, in quibus poteſt eſſe inæqualitas. In accidentibus, quibus quis differt à ſeipſo ſecundùm diuerſa tempora, aut partes, vel differt ab aliis ſecundum diuerſa accidentia, aut modo, quo in diuerſis temporibus, aut partibus poteſt habere. De differentia propriiſſima, qua res eſſentialiter differt ab aliis, diſputandum eſt in hoc tertio prædicabili.

Differentia genus cõtrahit ad aliquã ſpeciem.

Differentia eſt, quæ genus contrahit ad aliquam ſpeciem, quæ ex illo componitur tanquam ex forma metaphyſica, nam quia actus eſt qui diſtinguit, rémque exornat, & materiam limitat à ſua potentialitate in phyſicis; ideò metaphoricè differentia dicitur actus, ſeu forma, genus verò materia. Eſt quidem forma ſpeciem componens, & genus contrahens, ſiue perficiens.

Triplex differentiæ conſideratio.

Poteſt differentia conſiderari ſecundum ſe, ſecundum quod illi conuenit de ſuo conceptu, vt rationale ſecundum quod eſt principium diſcurſus; vel poteſt conſiderari, vt pars ſpeciei, & ſic etiam concipitur, vt contrahens genus, nam ſpeciem componit illud contrahendo; vel poteſt conſiderari in ordine ad ſua inferiora, ſic autem definitur,

Diſcrimen differẽtiæ tertij prædicabilis à genere, & ſpecie.

Differentia *eſt prædicabile de pluribus in quale quid*. differt à genere & ſpecie, quia hæ prædicantur *in quid*; à proprio autem & accidenti, quia *in quale*, éſtque medium inter illa quatuor aliquid de extremis participans, vt homo inter brutum & Angelum.

§.2. *Differentia quantum ad modum prædicatur* in quale; *quantum ad rem,* in quid.

Primò ſe ſe offert qua ratione prædicari poſſit *in quale*, & *in quid*, quia ſicut ſubſiſtere, & inhærere repugnat, ita *in quid* & *in quale*: verum facile conciliantur, res enim pertinens ad quidditatem compoſiti, termino quidditatiuo, & adiectiuo ſignificari poteſt,

poteſt, quia ſignificatur per modum adiacentis, & exiſtentis in alio, quod eſt proprium formæ, quæ quamuis ſubſiſtit, eſt tamen in materia, & materia non dicitur eſſe in forma. Igitur differentia prædicatur *in quale*, quantum ad modum prædicandi, quia prædicatur ad modum alteri adhærentis, illúdque afficientis, ſeu tribuentis denominationem, nam ſicut materia dicitur viuens ab anima, anima verò non accipit denominationem à materia, ita rationale non dicitur animal, hoc autem dicitur rationale, quia genus denominatur à differentia, differentia verò non à genere. In quo etiam imitantur materiam & formam phyſicam, vt patebit diſput.4.phyſicorum. at quantum ad rem prædicatam prædicatur in quid.

§.3. *Obycitur ſecundò.*

Secundò obiicio, quia irrationale eſt differentia, & non prædicatur *in quale quid.* Reſpondet nonnullus irrationale prædicari *in quid* de leone, quia conſtituit brutum, quòd eſt leonis genus, & de illo in quid prædicatur. *Cuiuſdã ſolutionis impugnatio.* Contra, quia rationale conſtituit hominem, qui eſt Petri ſpecies, & de illo in quid prædicatur, cùm tamen de Petro rationale non *in quid*, ſed *in quale quid* prædicetur: ergo idem erit in caſu argumenti. *Vera ſolutio.* Reſpondetur, ſi irrationale concipiatur præciſum ab animali, & cum illo non conſtituens brutum, & hoc termino irrationale ſignificetur, *in quale quid*, de leone prædicari. nam eodem modo prædicatur de inferioribus, quo de ſpecie, quam conſtituit. de hac autem prædicatur, *in quale quid*: Si autem concipiatur, vt componens brutum, & nomine ſubſtantiuo ſignificetur, prædicari *in quid*, ſicut rationale in quid prædicatur de Petro, cum ſignificatur hoc termino, *homo.*

§.4. *Obycitur tertiò.*

Obiicio tertiò. Irrationale eſt differentia animalis, quod diuiditur in rationale & irrationale, & non prædicatur de leone *in quale quid*, quia leo eſſentialiter non conſtituitur per negationem rationalitatis, ſed per aliquid poſitiuum: ergo differentia non prædicatur, *in quale quid.* *Obiectio diſſoluitur. Irrationale eſt differentia animalis vt ſignificat rem poſitiuã connotantem in obliquo negationem.* Diſtinguo antecedens. Irrationale, vt formaliter ſignificat negationem, eſt differentia eſſentialis animalis, nego antecedens. Concedo tamen, vt ſignificat rem poſitiuam connotantem in obliquo negationem. Primo modo non prædicatur *in quali quid*, ſed *in quale.* Secundo modo prædicatur, *in quale quid.*

§ 5. *Obycitur quartò ex Porphyrio.*

Quarto obiicitur. Quia Porphyrius aliter differentiam diffinit, ſcilicet, *quæ de pluribus differentibus ſpecie in quale quid prædicatur:* ergo nõ rectè à nobis. Nego conſequentiam; quia in ea re turpiter (vt ſæpius) errauit Porphyrius, tradens definitionem differentiæ ſubalternæ, omittens differentiam infimam, cui Porphyriana definitio repugnat. Vnde non definit differentiam, vt ſic, vel quia (vt placet S.Thomæ) vltimas rerum differentias ignorauit, (quod ſubdifficile videtur) vel quia eas non putauit eſſe differentias. *S.Thom.* Nec ferre poſſum Caietanum, & Sotum, tam eſſe ſollicitos de authoritate Porphyrij, hominis quidem blaſphemi, & apoſtatæ, qui noctuæ more veritatis lumine cæcutiuit. *Caiet.& Soti Porphyriana defenſio refertur, &* Aſſerunt ergo eam definitionem conuenire differentiæ vltimæ per non repugnantiã, quia ſecundum rationem communem differentiæ illi non repugnat prædicari de pluribus differentibus ſpecie, licèt illi repugnet ſecundum quod eſt differentia vltima.

§.6. *Refellitur primò.*

Sed malæ cauſæ peius patrocinium. Primò, quia homo poſſet definiri per animal irrationale, quia illi ſecundum rationem communem animalis non repugnat irrationalitas, licèt illi repugnet ſecundum quod eſt homo. *Secundò.* Secundò, quia proprium & accidens poſſent diffiniri per prædicabile *in quid*, quia id non repugnat ſecundum rationem communem prædicabilis. *Tertiò.* Tertiò à priori, quia vni rei non poſſunt conuenire duæ rationes oppoſitę contradictoriè, altera ſecundum rationem communem, altera ſecundum rationem particularem; vt homini non poteſt conuenire irrationalitas ratione animalis. Nam quod conuenit animalitati, conuenit à parte rei homini; quòd verò animalitas concipiatur ſine differentiis, tantum eſt in ſuo conceptu formali abſtrahere à rationali & irrationali. Quando verò contrahitur ad ſpeciem, tollitur illa indifferentia, & abſtractio. Vnde ſimpliciter repugnat ſpeciei differentia, contraria tam poſitiuè, quàm non repugnanter. Vnde homini ſimpliciter, & quouis modo repugnat irrationale. *Quartò.* Hinc ſumitur quarta ratio etiam à priori, quia definitio debet explicare naturam rei, & quidditatem ſpecificè, vt talis, quod illa definitione minimè præſtatur. Omitto alia, quia hæc ſatis. Omiſſa igitur Porphyriana definitione, quæ ſoli conuenit ſubalternæ differentiæ, hæc noſtra teneri debet: quæ abſtrahit ab vtraque differentia, & ſicut differentia ſubalterna de pluribus differentibus ſpecie, & infima de numero differentibus, prædicatur *in quale quid*, ita illa definitio per illas particulas contrahi poteſt ad vtramque differentiam.

SECTIO II.

Vtrùm differentia ſit vniuerſalis comparatione ſpeciei, quam conſtituit? Et vtrùm ſint de conceptu generis?

§.7. *Differentia n.n eſt vniuerſalis comparatione ſpeciei.*

Differentiam non eſſe vniuerſale formaliter reſpectu ſpeciei, quam conſtituit, videtur clarum: tum ex definitione vniuerſalis, quæ eſt in eſſe pluribus differentibus, tum ex illius proprietate, qua latius patet ſuis inferioribus, nec cùm illis conuertitur in ſubſiſtendi conſequentia, quæ deficiunt differentiæ reſpectu ſpeciei, quam conſtituit, quia ſpecies vna eſt, & non plura, & cum differentia conuertitur, vt homo cum rationali: ergo differentia non eſt vniuerſalis reſpectu ſpeciei, ſed eſt vniuerſalis reſpectu illorum, ad quæ comparatur ſpecies vt vniuerſalis, quia differentia ſpeciem, vt vniuerſalis eſt, conſtituit, & de omnibus, & ſolis illis prædicatur, vt vniuerſalis, de quibus ſpecies: vt rationale de omnibus, de quibus homo.

§ 8. *Obiectio prima. Soluitur. Differentia prædicatur de ſpecie vt vniuerſale materialiter.*

Contra primò, quia differentia prædicatur de ſpecie, & non vt ſingulare, ergo vt vniuerſale. Diſtinguo conſequens; vt vniuerſale materialiter, concedo; vt formaliter vniuerſale, nego; ſicut ſpecies ſubiicibilis comparatur generi, non vt vniuerſale, vel ſingulare formaliter, ſed vniuerſale materialiter, id eſt, differentia, quæ prædicatur de ſpecie, eſt vniuerſalis, non tamen reſpectu illius, ſed reſpectu ſuorum inferiorum.

§.9. *Obiectio ſecunda.*

Secundo obiicitur, quia hæc eſt prædicatio mediata, *Petrus eſt homo*, quia hæc eſt vera cauſalis, *Petrus eſt homo, quia eſt rationalis:* ergo differentia prædicatur immediatè de ſpecie, ſed vniuerſale conſtituitur formaliter reſpectu eius, de quo prædicatur immediatè; ergo rationale eſt vniuerſale reſpectu hominis.

§.10. *Reſponſio prima. Definitio, & eius partes nõ ſunt media inter definitũ, & rẽ ſub definitione contẽtam, neque è contra definitum inter definitionẽ & eaſdem res.*

Primo negatur antecedens. Ad probationem reſpondetur, definitionem, neque eius partes non eſſe medias inter definitum & rem, quæ ſub definito continentur, neque è contra definitum inter definitionem & eaſdem res; nam hæ propoſitiones æquè ſunt immediatæ. *Petrus eſt homo*, & *Petrus eſt animal rationale.* Quòd verò cauſalis ſit vera, non efficit

efficit propoſitionem mediatam ſemper; ſed tantum, cum redditur cauſalis explicans cauſam effectiuam, vel quaſi effectiuam, quæ mediet inter primam cauſam,& effectum, vt hæc eſt mediata, *homo eſt riſibilis*, quia hæc eſt vera cauſalis, ideo eſt riſibilis, quia eſt admiratiuus, Eſt enim admiratio quaſi principium actiuum riſus,medians inter hominem & riſibile. Ratio vtriuſque eſt,quia definitio & definitum eſt eadem formalitas, & ſic non poteſt inter ſe ipſam mediare: vnde hæc cauſalis, *Petrus eſt homo,quia eſt rationalis*, eſt in genere cauſæ formalis & immediatiſſima,vt hæc, *Petrus eſt homo quia habet animam*;at in cauſalibus quaſi effectiuis,ſunt plures formalitates, quarum vna poteſt eſſe media inter alias. *Reſponſio prima.* Secundo reſpondetur plus requiri ad vniuerſalitatem, quam prædicari immediatè, ſcilicet, eſſe ſuperius: at differentia non eſt ſuperior ſpecie.

§. 11. *Obiectio tertia.* Obiicitur tertiò,quia in ſpecie continentur virtute indiuidua,de quibus prædicatur ſpecies, ergo differentia eſt vniuerſalis reſpectu ſpeciei. *Diluitur.* Nego conſequentiam,quia vniuerſalitas conſtituitur formaliter per ordinem ad inferiora formaliter. *Differẽtia eſt vniuerſalis reſpectu ſpeciei virtualiter, & remotè.* Verum eſt,differentiam dici poſſe vniuerſalem virtualiter, & remotè per ordinem ad ſpeciem, non quia reſpectu illius ſit vllo modo vniuerſalis, ſed ob rationem argumenti.

§. 12. *Differẽtia nõ cõtinetur formaliter in genere.* Nec minus eſt certum, differentiam non contineri formaliter in genere, quod diuidit, id eſt, in conceptu formali generis non contineri formalem conceptum differentiæ. *Probatur primò.* Primò, quia genus abſtrahit ab ſpeciebus,& conſequenter à differentiis,quæ illas conſtituunt, quia in conceptu ſpeciei præter genus non eſt niſi differentia. *Secundò.* Secundò,quia omne vniuerſale concipitur ſine ſuis inferioribus, ergo & genus ſine ſuis differentiis. *Tertiò.* Tertio,quia ſi rationale contineretur formaliter in animali, omne animal eſſet rationale formaliter,& ſi in eo contineretur irrationale,eſſet omne animal irrationale:quidquid enim eſt de conceptu formali generis, & cuiuſcumque vniuerſalis, eſt etiam de conceptu cuiuſcumque inferioris. *Quartò.* Quarto,quia differentiæ contrahentes habent oppoſitionem contradictoriam, vt rationale non eſt de conceptu ſenſibilis, quia etiam eſſet de conceptu leonis, quia quidquid eſt de conceptu partis, eſt etiam de conceptu totius, & quidquid eſt de conceptu differentiæ, eſt etiam de conceptu ſpeciei, quam componit.

SECTIO III.

Vtrum genus & differentia ſubalterna ſint de conceptu formali differentiæ vltimæ?

§. 13. *Cõtraria opiniones probantur.* MAior difficultas eſt, vtrum in conceptu formali differentiæ vltimæ contineatur conceptus differentiæ ſubalternæ? Affirmant aliqui. Primò, quia alioquin differentia vltima eſſet ratio ſuprema, quæ non contineretur ſub ratione ſuperiori. Secundò, quia eſſet omnino ſimplex, & purus actus. *Refutãtur hæ rationes.* Sed hæc futilia ſunt, primum enim eſt falſum, quia ad rationem rei ſupremæ requiritur, vt neque directè, neque indirectè ſub rationibus generis contineatur, & vt ſit de pluribus generibus prædicabilis: vtrumque deficit vltimæ differentiæ, quæ ad latus clauditur ſub genere, quod diuidit, & non eſt prædicabilis,niſi de ſpecie,quam conſtituit, & de illius inferioribus. Præterea rationale vt ſic continetur ſub conceptu differentiæ vt ſic, quæ comparata ſuis inferioribus eſt genus,contrahibilis per differentias infimam & ſubalternam: ſicut color eſt genus albedini & nigredini, habent enim infimi conceptus incompleti ſuas ſpecies, ac genera, quibus inuicem conueniunt, ac differunt.

Secundum autem non vrget. Primò, quia eſt pars compoſiti, per quod extrahitur à ratione puri actus. Secundò,quia habet mille alias compoſitiones ex eſſentia & exiſtentia, item ex genere rei incompletæ, & differentiæ. Habet enim rationale ſuum genus & differentiam, in quo conuenit cum alio ente incompleto. §. 14.

Efficaciter ergo probatur. Non poteſt concipi rugibile formaliter, quin formaliter concipiatur ſenſibile; ſed rugibile eſt differentia vltima leonis, & ſenſibile ſubalterna: ergo non poteſt differentia vltima concipi, quin concipiatur formaliter ſubalterna: ergo de conceptu formali differentiæ vltimæ eſt conceptus formalis differentiæ ſubalternæ. Hæc ſecunda conſequentia eſt euidens ex prima,vt patet ex terminis. Minor verò primi ſyllogiſmi eſt certa. Probatur maior, rugibile nihil eſt formaliter niſi principium operationum leonis, vt ſunt illius propriæ, ſenſibile autem eſt principium operationum animalis, vt ſunt illius propriæ; id eſt, ſenſationum,ſed non poteſt concipi principium operationum leonis, quin concipiatur formaliter principium ſenſationis,ſiue operationis animalis,(quod eſt idem:) ergo non poteſt concipi rugibile formaliter, quin concipiatur formaliter ſenſibile. Maior in nulla ſententia negari poteſt, quia Nominales non diſtinguunt conceptus vniuerſales inter ſe, & à ſingularibus, niſi per extrinſecam denominationem ab operationibus ſimilibus, & diſſimilibus. At Thomiſtæ dicunt animal eſſe diuerſam formalitatem à rugibili, & ſenſibile à viuente;ſed illæ formalitates diſtinguuntur per ordinem ad operationes, quæ ſunt fundamentum talis diſtinctionis, vt patet in diuinis attributis. Itaque ſemper rugibile eſt principium operationis leoninæ formaliter, & ſenſibile eſt formaliter principium ſenſationis.Iam verò probatur minor, quia operatio leonina formaliter eſt ſenſatio propria leonis, ſed leonina eſt formaliter ſenſatio,ergo idem principium actionis leoninæ eſt formaliter principium ſenſationis,quia actio leonina, eſt formaliter ſenſatio: ergo principium operationis leoninæ non poteſt concipi ſine principio ſenſationis. §. 15. *Efficacius argumentum pro aduerſariis.*

Confirmatur: actio leonina eſt formaliter ſenſatio, vt negabit nullus: ergo ab eodem principio, à quo habet eſſe actionem leoninam, habet etiam eſſe ſenſationem: ſicut homo ab eodem principio, à quo habet eſſe homo,habet etiam eſſe animal;ſed actio leonis habet eſſe actionem leoninam à rugibili formaliter, ergo ab eodem habet eſſe ſenſationem: ergo rugibile eſt principium ſenſationis formaliter: ergo eſt formaliter ſenſibile. Hoc patet ex dictis, quia ſenſibile vt ſic eſt principium ſenſationis formaliter, ergo non poteſt intelligi à ſenſibili præſcindi, & conſequenter non poteſt differentia infima concipi ſine ſubalterna. §. 16. *Confirmatur primò.*

Confirmatur ſecundò: rugibile formaliter eſt principium actionis vitalis formaliter, quia eſt principium rugiendi (ſumo enim rugitum pro ſpecifica leonis ſenſatione:) rugire autem, ſicut & ratiocinari eſt, ſe ab intrinſeco circa obiecta mouere (quod eſt viuere:) ergo rugibile formaliter eſt principium vitale & animatum, quæ ſunt differentiæ ſubalternæ: ergo differentia vltima in ſuo formali conceptu ſubalternas includit. §. 17. *Secundò.*

Dices primò, differentiam leonis includere rationem viuentis,& ſenſibilis,incompletè tamen,& §. 18. *Solutio prima.*

imper

Digitized by Google

imperfectè. Quæ ratio non continetur, neque in genere, neque in differentia animalis. Contra primò, quia etiam ratio viuentis, & ſenſibilis, &c. ſunt incompletæ in genere, quod eſt animal, & in illius differentia conſtitutiua, quæ eſt ſenſibile; ſunt enim rationes communes, quæ incompletæ ſunt ſimpliciter, donec ad vltimam differentiam, & ſpeciem contrahantur. Contra ſecundò, quia non continentur illæ rationes magis completæ in differentiis ſuperioribus, quàm in rugibili, quia complementum illarum ſumitur in ordine ad operationes, quarum ſunt principium: at vltima differentia eſt formaliter principium actionis vitalis, & animalis, ergo habet rationem completè principij vitalis, animati.

Refutatur primò. *Secundò.*

§.19. *Solutio ſecunda.* Dices ſecundò, rationale eſſe differentiam animalis, & tamen non includere differentias ſuperiores, quia rationale formaliter non eſt ſenſibile: ergo differentia infima non includit ſubalternam. *Impugnatur.* Sed animaduerto, aliquas eſſe differentias, quæ vltra operationes formaliter contentas ſub genere addunt alias, quæ omnino ſunt ſupra genus, nec continentur ſub ratione communi illarum operationum, vt rationale habet quidem operationes ſenſitiuas, & rationales ſpecificas & proprias hominis, quæ formaliter cõtrahunt operationes communes animalis, quæ ſunt ſenſatio, quæ eſt genus operationis animalis, quod contrahi poteſt ad has & illas ſenſationes ſiue operationes animales; habet etiam operationes diſcurſiuas, quæ, quia ſenſatio non ſunt, ideo nec ſunt actiones animalis formaliter: neque participant rationem communem illarum: rationale igitur, vt habet ſpecificas actiones animalis, & ſenſationes proprias hominis, eſt formaliter differentia animalis, quia ſicut animal conſtituitur per ordinem ad ſenſationem, ita eius differentiæ ſunt in ordine ad tales ſenſationes, vt patet in rugibili; rationale verò, vt connotat diſcurſum, & cæteras intellectiones, non eſt formaliter differentia animalis, quia eſt principium operationis non ſenſitiuæ. Vnde ſemper differentia generis formaliter eſt per ordinem ad operationes contentas ſub operationibus generis, quod diuidit, & rationale ſecundum hanc rationem, id eſt, vt eſt principium talium ſenſationum, includit ſenſibile & animatum, ſicut ſenſationes humanæ ſunt formaliter ſenſitiuæ, & animatæ.

Differētia generis formaliter eſt per ordinem ad operationes contentas ſub operationibus generis.

§.20. *Sententia negans vera. Probatur primò.* Oppoſita ſententia verior eſt, atque communior: quamuis propoſita ratio eam reddit non parum difficilem. Probatur primò, quia ſi differentia infima contineret formaliter ſubalternam, etiam contineret genus, quia per te, ſicut rugibile eſt principium actionis ſenſibilis, ita etiam eſſet principium actionis vitalis, quia ſentire eſt viuere; omnes denique rationes, quibus tuam ſententiam probas de differentia ſubalterna, probant idem de genere. Ex quo duo ſequuntur abſurda per ſe in dialectica improbata. *Ex hac probatione duo eliciuntur abſurda. Primum.* Primum eſt, genus non conſtituere diuerſum prædicabile à differentia, quia ratio tranſcendentalis non conſtituit diuerſum prædicabile à re, quam tranſcendit, vt patet in accidenti, quod de quantitate & qualitate non prædicatur, vt vniuerſale prædicabile, cuius nulla eſt ratio, niſi quia eſt tranſcendens. Immo neque conſtituit diuerſum prædicamentum.

§.21. *Abſurdum ſecundum.* Secundum abſurdum eſt ſpeciem non differre à differentia, quia vtraque eadem omnino ratione formali componitur, quia in ſpecie nihil continetur præter genus & differentiam, quæ in ipſa differentia formaliter continentur per te, & ſic corruit ſecundum prædicabile, & tota metaphyſica compoſitio ex genere & differentia, & ex ratione communi & particulari, v. g. ex ſpecie & ſingularitate, quia ſingularitas formaliter continet ſpeciem. Ratio eſt, quia compoſitio eſt duarum partium ſimul poſitio: at non ſunt duæ partes, vbi altera per alteram permeat, quia non ſunt duo, quando vnum non eſt extra aliud, ſicut ſubſtantia non dicitur componi ex ente & perſeitate. Quia ens tranſcendit perſeitatem. Hæc autem adeo ſunt manifeſtè abſurda, vt non egeant impugnatione. Confirmatur tertiò ab abſurdo, qua differentia eſſet tota, & adæquata rei eſſentia, & prædicaretur, *in quale quid.* Quod quam ſit abſurdum patet, quia vltimus quidditatiuus conceptus, *in quid*, debet prædicari potius, quam genericus. Immo differentia, *in quale quid*, prædicaretur de ſolis indiuiduis, quia non eſſet ſpecies, de qua prædicaretur, de genere autem non prædicatur directè.

Compoſitio eſt duarum partium ſimultanea poſitio. *Confirmatur ab alio abſurdo.*

Secunda concluſionis ratio, & reſponſio ad argumentum ducitur ex declaratione differentiæ, & generis. §.22. *Probatur ſecundò. Quid genus, quid differentia declaratur.* Eſt enim genus conceptus confuſus terminatus ad aliquam rationem, vt eſt principium operationum ſpecie differentium, quæ, quia omnino ſimiles ſunt, non poſſunt ducere in cognitionem diſtinctam ſui principij, niſi magis explicitè cognoſcantur, vt duo oua non poſſunt diſtinctè cognoſci, dum eorum accidentia non cognoſcuntur diſtinctè: differentia autem eſt conceptus magis diſtinctus eiuſdem rei, per quem cognoſcitur magis talis res, vt principium huius operationis, ex qua operatione diſtinguitur ſpecies in cognitione à reliquis ſpeciebus. Hæc differentia non conſtituitur in ordine ad nouam actionem diſtinctam ab actione generis, ſed in ordine ad nouam illius formalitatem, per quam formalitatem contrahitur, & determinatur tum conceptus generis, tum operatio propria generis, vt rugibile cognoſcitur per ordinem ad rugitum, qui non eſt noua actio à ſenſatione diſtincta, ſed addit ſupra illam nouam formalitatem, vel denominationem, per quam & animal contrahitur ad leonem, & ſenſatio ad rugitum.

In hac noua formalitate non concipitur formalitas generis, nec illius explicitus conceptus, nam propria illius ratio eſt determinare ſenſationem in communi ad hanc ſpeciem, id eſt, vt ſit ſenſatio talis, aut talis modi: in illa enim determinatione, aut contractione actionis non includitur ſentire, ſed ſupponitur, ſentire enim nihil eſt, niſi percipere per ſenſus, quod iam ſupponitur per animal in communi; cui deficit tali, vel tali modo ſentire; quod habet per differentiam, vnde oritur æquiuocatio, vt exiſtimetur genus & differentia ſubalterna formaliter includi in conceptu differentiæ vltimæ, quia hæc non intelligitur, quin etiam genus intelligatur: verum quidem eſt, genus intelligi & differentiam ſubalternam, ſed non tanquam rationes formaliter componentes differentiam vltimam, ſed tanquam ad illam præſuppoſitas, & ab eadem connotatas in obliquo. Non enim poteſt intelligi differentiam contrahere genus, quin præcognoſcatur genus, ad eum modum, quo non poteſt intelligi formam determinare materiam: quin etiam cognoſcatur materia. In quo differunt prædicabilia à tranſcendentalibus, hæc enim formaliter imbibuntur in ſuis differentiis. Quia cum perſeitas, quæ eſt differentia entis, ſit aliquid, neceſſario eſt ens; at in prædicabilibus, licet non poſſint concipi rationes formales infimæ, quin connotentur ſupremæ tanquam quid per infimas determinatum, tamen non concipiuntur tanquam tranſcendentes infimas differentias.

§.23. *Concepta differentia infima genus, & ſubalterna concipiuntur, non tanquam rationes formales illius, ſed tanquam ab illa præſuppoſita, & in obliquo connotata.*

§.24. *Reſpondetur in forma.* Ad argumentum in forma diſtinguo maiorem cum conſequente. Non poteſt concipi rugibile & vltima differentia, quin concipiatur ſenſibile, & ſubalterna tanquam quid extrinſecè connotatum; ſicut non poteſt concipi forma phyſica ſine materia: tranſeat maior. Non poteſt concipi, quin etiam concipiantur, tanquam ratio formalis conſtituens rugibile, vt rugibile, aut vltimam differentiam, nego maiorem. Ad probationem diſtinguo maiorem; rugibile eſt formaliter principium operationis leoninæ ſecundum totam formalem illius rationem, vel denominationem, nego. Secundum partialem, & vltimam illius differentiam, per quam conſtituitur in eſſe leoninæ, concedo. Item diſtinguo minorem, ſicut diſtinxi maiorem primi ſyllogiſmi. Ad probationem maioris dico, conſtitui animal in ordine ad ſenſationem ſecundum conceptum communem ſenſationis, rugibile verò non in ordine ad ſenſationem, ſecundum eandem formalitatem, aut denominationem, inutiliter enim in ordine ad eandem formalitatem duo principia conſtituuntur, ſed conſtituitur in ordine ad formalitatem, per quam ſenſatio contrahitur ad rugitum. Ad probationem minoris concedo, rugitum eſſe formaliter ſenſationem, quia ſpecies includit genus, at in eſſe rugitus non conſtituitur per ſenſationem, ſed per illam differentiam, per quam ſenſatio contrahitur ad rugitum, in ordine ad quam differentiam conſtituitur rugibile.

§.25. Ad confirmationem patet ex dictis, rugibile non eſſe principium rugitus, ſecundum quod eſt ſenſatio, ſed ſecundum illam differentiam, quam habet; neque enim quidquid eſt principium actionis ſecundum illius differentiam, eſt etiam principium eiuſdem ſecundum rationem communem, vt ſpecies impreſſa eſt cauſa intellectionis, ſecundum quod eſt repræſentatio huius obiecti, & non ſecundum rationem intellectionis. Exemplum de homine nihil valet, quia homo realiter fit totus indiuiſibiliter, ſicut & quæuis res: ſi autem formalitates hominis præſcindas, etiam reperies in eius cauſis diuerſas formalitates cauſæ.

§.26. Ad ſecundam confirmationem eodem modo reſpondetur, rationem vltimam rugitus, non eſſe formaliter ſenſionem, ſed differentiam, qua contrahitur & determinatur vita, quamuis fortaſſe nec ſubſtantia vt ſic, nec corpus, nec viuens ſunt genera propriè, ſed prædicata tranſcendentia.

SECTIO IV.

Vtrum differentia infima ſpecie differat à ſubalterna?

§.27. *Opinio affirmans probat.* Nonnunquam non fui alienus à parte affirmatiua hac vnica ratione: quia differentia infima prædicatur de pluribus differentibus numero, *in quale quid completè*, & ſubalterna, *in quale quid incompletè*; at hoc conſtituit diuerſa prædicabilia, vt patet in genere, & ſpecie, ergo. Probatur maior, qua differentia vltima adæquatè conſtituit indiuiduum diſſimile omnibus indiuiduis alterius ſpeciei, ita vt per illam excludatur omnis ratio conueniendi; & hoc non præſtat differentia ſubalterna, quia in ratione ſenſibilis conueniunt indiuidua plurium ſpecierum: ergo per differentiam vltimam completè & adæquatè differunt indiuidua, & per ſubalternam inadæquatè & incompletè.

§.28. *Negans approbata.* Oppoſita eſt communis. Primò, quia tantum ſunt quinque prædicabilia, eſſent autem ſex iuxta oppoſitam ſententiam. Secundò, quia omnes differentiæ ſunt conceptus incompleti, nec magis complet rationale hominem, quam ſenſibile animal; quòd verò vltimò differat per rationale, non prouenit ex maiori complemento, ſed quia eſt vltimus conceptus incompletus. Exemplum autem de genere & ſpecie te obtruncat. Nam animal eſt conceptus incompletus, ſpecies verò eſt conceptus completus compoſitus ex duobus incompletis, ſecus verò differentiæ, quarum vtraque eſt conceptus incompletus, & partialis. Tertio quia ſequeretur genus infimum differre ſpecie ab aliis, quia dicit vltimum conceptum incompletum, in quo non conueniunt alia. Dari autem vltimum genus patet. Quia prædicabile, *in quid*, eſt vltimum genus ad genus & ſpeciem. Ad argumentum reſpondetur ex dictis, differre completè non addere conceptum magis completum, ſed conceptum incompletum vltimum. Immo verò nec accidentaliter differunt differentiæ infima & ſubalterna, quia, *in quale quid* prædicantur eodem modo. Alteram verò prædicari de differentibus ſpecie, alteram de ſolo numero, quid refert, ſi vtraque prædicatur *in quid* incomplete? *Differentiæ omnes ſunt conceptus incompleti.* *Cōtrariæ probationis reſponſum.* *Differētia infima, & ſubalterna nec accidētaliter differunt.*

SECTIO V.

De Proprio.

Explicatis rationibus quidditatiuis rei, explicandæ ſuperſunt, quæ rem conſtitutam ſequuntur, ſuntque conceptus non eſſentiales. Quadrupliciter aſſignatur Proprium à Porphyrio. Primò, *quod conuenit vnius ſpeciei indiuiduis, non tamen omnibus*, vt eſſe muſicum conuenit homini. Secundò, *quod omnibus, ſed non ſolis*, vt eſſe bipedem. Tertiò, *quod omnibus & ſolis, ſed non ſemper*, vt ridere. Quarto, *quod omni, ſoli, & ſemper*, vt eſſe riſibilem. Poſſet eſſe quintum, *quod conuenit omnibus ſpeciebus eiuſdem generis*, vt animali eſſe locomotiuum, ſed reduci poteſt ad quartum accipiendo ſpeciem pro vltima & ſubalterna. Proprium quarto modo eſt omnium maximè proprium. §.29. *Quadruplex Proprij acceptio.*

Ad hoc prædicabile ſpectat omnis conceptus qui de re conſtituta iam in ſuo eſſe eſſentiali formatur, ſiue re ipſa ab eſſentia, ſiue ratione tantum diſtinguatur. Nam conceptus, qui non ſunt quidditatiui logicè conſiderati, ſunt accidentales, etiam logicè. Sic homini eſt accidentale eſſe appetitiuum, quia appetitus eſt veluti paſſio rationalis. In rationali verò ſaluatur integer quidditatiuus hominis conceptus. Ratio à priori eſt, quia in præſenti agitur de conſtitutione metaphyſica, & logica, & præciſiua rei, & ſic non de accidente reali, niſi in quantum eius conceptus formaliter eſt poſt quidditatiuum. §.30. *Ad prædicabile Proprij ſpectat omnis conceptus, qui de re conſtituta in ſuo eſſe metaphyſicè eſſentiali formatur.*

Ad hoc prædicabile ſpectant omnes quatuor modi proprij aſſignati, quia omnes illi propriè conueniunt ſpeciei, & cum illa neceſſariam habent connexionem, vt eſſe bipedem neceſſario cum homine connectitur, & non cum quauis re. Item eſſe muſicum, &c. Eo autem ipſo, quod ſit proprietas ſpeciei, eſt illius proprium. Requiritur ergo, & ſufficit, vt aliquo modo ſpeciei conueniat, & non rebus omnibus. Item vt cum illa naturalem habeat connexionem, nam ſi hæc deficit, non poteſt dici eſſe rei proprietatem. Quis enim dicat habere tres ſulas eſſe hominis proprietatem, licet eas Deus ſolis hominibus communicet? Hinc habitus ſupernaturales excluduntur à ratione proprij. Quia homo, §.31. *Omnes quatuor modi Proprij ad quartum prædicabile ſpectant.* *Habitus ſupernaturales à ratione Proprij excluduntur.*

aut

aut Angelus non habent cum illis neceſſariam connexionẽ, quis enim audeat dicere eos eſſe hominis proprietates? Per quod diſtinguitur hoc prædicabile à quinto. Quintum enim dicit accidens, quod non habet neceſſariam connexionem cum ſubiecto, ſed latiùs diuagatur, & ex aliquo caſu accidentali illi conuenit, vt eſſe hominem album, aut nigrum; itaque cum accidens per plura genera vagari poteſt, & cum ſuo ſubiecto non habet connexionem neceſſariam, ab hoc prædicabili reiicitur.

Diſcrimen inter quarti & quinti prædicabile.

§.32. *Qui, & quare velint ſolum proprii quarto modo ad quartum prædicabile pertinere.*

Toletus, Caietanus, & alij volunt ſolum proprium quarto modo pertinere ad hoc prædicabile. Adducunt pro ſe Ariſtotelem 1. Topic. cap.4. ſed ibi Ariſtoteles loquitur de proprio nimis preſsè. Secundò dicunt proprium eſſe demonſtrabile à priori per ſuam eſſentiam, ad quod requiritur vt eſſentia ſola, & ſimpliciter ſit illius cauſa. Reſpondetur effectum à priori poſſe demonſtrari etiam per cauſam partialem, ſaltem in demonſtratione imperfecta, vt docemus in poſterioribus, at verò ad hoc prædicabile id ſufficit.

§.33. *Proprij definitio.*

Proprium autem logicè ſic definio. *Eſt prædicabile in quale vt proprietas.* Per nomen, *in quale,* differt à primis tribus prædicabilibus, quorum duo prima, *in quid,* tertium, *in quale quid*, prædicatur: per ly, *vt proprietas*, ab accidenti differt, quod prædicatur, *in quale,* non vt proprietas.

SECTIO VI.

De Accidenti.

§.34. *Accidẽs prædicabile à Porphy. definitur.*

Accidens quintum prædicabile Porphyrius ait eſſe, *quod adeſt, & abeſt abſque corruptione ſubiecti*: ly *&* non copulatiuè, ſed diſiunctiuè per *vel* eſt accipienda. Hæc definitio magnum negotium faceſſit Porphyrianis, quia vel intelligitur de phyſica corruptione: ſic autem inepta videtur, quia multa accidentia adſunt, & abſunt cum ſubiecti corruptione, vt calor in octauo gradu corrumpit aquam, & homo nimio frigore corrumpitur. Si verò ſumatur de corruptione metaphyſica, id eſt accidens eſſe id, quod ita aduenit quidditatiuo rei conceptui, vt hic ſemper maneat, ſiue illud apprehendatur ſiue non, etiam videtur inepta ad diſtinguendum hoc prædicabile à quarto, cui communis eſt eadem ratio, Confirmatur: aliquod proprium adeſt omnino & abeſt ſine corruptione ſubiecti, multo melius, quam accidens commune, vt actu videre, & eſſe poëtam: ergo hæc definitio conuenit quarto prædicabili.

§.35. Dicit quidam logicus non ignobilis, accidens definiri rectè, quia hic definiuntur accidentia, quæ non per ſe, ſed per accidens cum eſſentia iunguntur, quæ illi nullam afferunt perfectionem, & ideò, ſi abſint, nil ſubiectum perficiunt; neque, ſi adſint ei, quid adimunt perfectionis. Quia perfectiones eſſentiæ ſunt, quæ cum illa naturalem, & neceſſariam habent connexionem; quare corruptio, vel incorruptio ſubiecti ſumitur non modo pro quidditatiuo conceptu, vel defectu illius, ſed pro conceptu completo tam eſſentiæ, quàm omnium perfectionum, quæ ab illa dimanant, quæ omnes perfectiones ad quartum prædicabile ſpectant.

§.36. *Plura accidentia quinti prædicabilis ſubiectum perficiunt.*

Hæc expoſitio rectè Porphyrium tuetur, ſed non ſe ipſam. Primò, quia multa accidentia huius quinti prædicabilis apprimè ſubiectum perficiunt, vt pulchritudo, cuius pars eſt color. Quis enim neget magnam eſſe perfectionem? Neque enim enim quod ab eſſentia neceſſariò non dimanat, tollit rationem perfectionis: nam ſi ſubiecto bene congruit, illius erit perfectio, ſicut nec quod defectus aliquis oriatur ex ipſa eſſentia tollit, quin ſit imperfectio, præſertim cum à multis accidentibus communibus ſubiectum in ſuo eſſe dependeat.

§.37. *Accidentia ſupernaturalia ad hoc prædicabile ſpectant.*

Secundò perfectiones ſupernaturales, ſicut gratiæ, magna ſunt hominis perfectio, cum tamen non connectantur neceſſario & naturaliter cum eſſentia hominis, quæ perfectiones ad hoc prædicabile pertinent, & non ad quartum: vt dixi ſectione 5. At quis dicat eas, cum adſunt, nihil hominem perficere? Tertiò quia aliqua accidentia pertinent ad quartum, quæ non modo non perficiunt ſubiectum, tantum quantum aliqua accidentia comunia, verum illud aliquando non perficiunt, vt hominem ſenecta ceneſcere: aliquando illi obſunt, & afferunt imperfectionem, vt inſanire, delirare, eſſe peccabilem, & alia imperfectiones eſſentiæ creatæ connaturales: ergo hæc duo prædicabilia non diſtinguuntur ex eo quod perficiant, vel non perficiant ſubiectum. Adde inuſitatum eſſe defectus accidentales vocari corruptionem.

Plura accidentia quarti prædicabilis ſubiectum nõ perficiunt, & plura afferũt imperfectionem.

§.38. *De definitione Porphy. eiuſque authoritate nil curandum.*

Quid igitur Porphyrio reſpondes? Illum in hoc tam ineptè erraſſe, quàm in tertio prædicabili definiendo. Quid autem me cogit eum defendere, cuius impugnandi occaſionem arripere Chriſtiani tenẽtur omnes, quod ille fuerit tam male de Chriſto Domino meritus? Adde ab homine logico logicam definitionem eſſe oſcitanter prætermiſſam.

§.39. *Vera accidentis definitio.*

Eſt igitur accidens prædicabile, *prædicabile de pluribus differentibus in quale, non vt proprietas neceſſario connexa cum ſubiecto*: per quam definitionem accidens explicatur, & à cæteris prædicabilibus diſtinguitur. Rogas primò, vtrum hoc prædicabile differat ſpecie à quarto? Reſpondeo, logicè conſiderata ambo pertinere ad eamdem ſpeciem, quia eodem modo prædicantur, ſcilicet, vt conceptus non quidditatiuus; quod verò naturaliter connectatur, vel non, differentia eſt accidentalis logico inſtituto. Confirmatur, accidens reale proprium in ratione prædicabilis non diſtinguitur ab accidenti logico, quod realiter eſt idem cum eſſentia, ſed magis differunt illa duo accidentia, quam alia duo realia, alterum realiter ſeparabile, alterum non, quia hæc ſaltem de potentia abſoluta poſſunt ab eſſentia ſeparari, ſecus accidens logicum: ergo quartum & quintum prædicabile non differunt. vide diſp.7.§.18.

Proprium, & Accidens logicè conſiderata ad eandem pertinẽt ſpeciem.

§.40. Rogas ſecundò, cur in duo prædicabilia accidens diuidatur? Quia explicare oportuit duo genera illa accidentium realium, intereſt enim cognoſcere, quod accidens ſuum comitetur ſubiectum, & quando, vel quod non, ad formandas propoſitiones, deſcriptiones, & demonſtrationes: quapropter hæc duo vltima prædicabilia differunt accidentaliter, ſi logicè conſiderentur.

DISPVTATIO VII.

De his, quæ ſunt quinque prædicabilibus communia.

QVam breuiſſimè ab his difficultatibus me expediendum curabo, quas iam diſcuſſi perſtringam, non perſequar, ne actum agatur.

SECTIO I.

Vtrum prædicabile ſit genus ad quinque prædicabilia.

§. I. *Negat Albertus in prædicabilibus tractatu 2. c. 9. Fundamentũ primum.*

CVm nonnullis negat Albertus in prædicabilibus tract. 2. cap. 9. Probatur primò, quia vniuerſale, vt ſic non eſt ratio vniuoca ad omnia vniuerſalia, ergo nec genus. Antecedens probatur. Primò, quia ſunt multa vniuerſalia entis rationis, & realis. Multa item ſubſtantiæ & accidentis, quibus nihil poteſt eſſe vniuocè commune. Secundò probatur idem antecedens, quia duo vltima prædicabilia pendent à tribus primis, vt accidens à ſubſtantia. Ergo prima tria vniuerſalia per prius participant rationem vniuerſalis, quam duo vltima, ergo ratio vniuerſalis eſt analoga. Tertiò, quia modus prædicandi eſt ſimilis modo eſſendi, quales enim ſunt res, tales debent enuntiari. Sed modus eſſendi eſt analogus, ergo & modus prædicandi.

§. 2. *Enti reali, & rationis, ſubſtantiæ, & accidenti datur ratio vniuocè communis nõ primò, ſed ſecundò intentionaliter.*

Non vrget hoc argumentum. Negatur antecedens. Ad primam probationem reſpondetur enti reali & rationis, ſubſtantiæ & accidenti non dari rationem vniuocè communem primò intentionaliter, datur verò ſecundò intentionaliter, quia ſimili omnino ratione genus accidentis, aut entis rationis prædicatur de ſuis ſpeciebus, ac ſubſtantiæ genus, vt dixi diſput. 4. ſect. 2. & infra dicetur ſect. 2.

§. 3. *Duo vltima prædibilia phyſicè pendent à ſubſtantia; non tamen in ratione prædicabilis. Quartũ prædicabile non ſemper pendet phyſicè ab aliјs.*

Ad ſecundam probationem primò negatur antecedens, quia licet ea prædicabilia phyſicè pendeant à ſubſtantia, non tamen in ratione prædicabilis, quia non eſt opus prius concipere ſubſtantiam vniuerſalem, quam accidens. Formato enim accidentis conceptu poteſt quis illum ad inferiora referre, ſicut poteſt referre ſubſtantiam, cum eam cognoſcit. Secundò, quartum prædicabile non ſemper pendet phyſicè ab alis, v.g. quando prædicatur proprium, quod non diſtinguitur realiter à ſubſtantia, tunc non pendet phyſicè ab illa. Dices illum conceptum pendere à quidditatiuo. Reſpondetur pendere ab illo tanquam obiectum materiale à formali in demonſtratione à priori, quod non tollit vniuocationem; ſicut conceptus de riſibili in demonſtratione à priori pendet à conceptu de admiratiuo, & vterque pertinet ad quartum prædicabile vniuocè. Adde eamdem ob cauſam vltima prædicabilia dici poſſe priora primis, quia in demonſtratione à poſteriori pendent hæc ab illis, ergo hæc dependentia non tollit vniuocationem.

§. 4. *Modus prædicandi non ſequitur modũ eſſendi realẽ, ſed intentionalem. Res à parte rei ſunt determinatæ, in intellectu ſunt, & prædicantur cõfuſè.*

Ad tertiam probationem diſtinguo maiorem; modus prædicandi ſequitur modum eſſendi realiter, negatur: ſequitur modum eſſendi in intellectu, & obiectiuè, conceditur. Explico, non prædicantur res ad modum, quo ſunt, ſed ad modum, quo per actus noſtros apprehenduntur, & ſicut obiectiuè in intellectu. Nã res à parte rei ſunt determinatæ, & prædicantur confuſè, quia confuſè apprehenduntur. Itẽ genus & differentia habẽt eumdem modum eſſendi realiter, & prædicatur modo diuerſo. Ad rationem ergo veræ prędicationis requiritur, vt quantum ad rem prædicatam, res enuntientur vt ſunt, non verò quantum ad modum prædicandi, qui eſt valde diuerſus propter actus confuſos, per quos res eſt in intellectu. Præterea admiſſo antecedenti, negatur conſequentia, quia licet ſubſtantia prædicetur vt ſubſtantia, & accidens vt accidens, tamen ſubſtantia in ordine ad ſua inferiora eodem omnino modo prædicatur, quo accidens in ordine ad ſua. Vtrumque enim eſt ratio communis à ſuis inferioribus vniuocè participata.

§. 5. *Generis duplex conſideratio, vt eſt genus, & vt eſt ſpecies.*

Secundò mouentur, quia genus non poteſt eſſe ſpecies. Ergo prædicabile non eſt genus. Reſpondetur genus ſub diuerſa conſideratione eſſe genus, & ſub diuerſa eſſe ſpeciem ſubiicibilem; qua enim ratione eſt cognitio confuſa repræſentans plures ſpecies, eſt genus; qua ratione verò eſt obiectum alterius cognitionis confuſè repræſentantis rationes communes omnibus prædicabilibus, eſt ſpecies ſubiicibilis, vt ſuo modo contingit ſeciei prædicabili, quæ eſt indiuiduum cum aliis ſpeciebus reſpectu eius cognitionis, per quam cognoſcitur ſpecies in communi. Item cognitio eſſentialiter eſt cognitio, & accidentaliter eſt obiectum cognitionis reflexæ, vide quæ dixi diſput. 4. ſect. 1.

§. 6. *Obiectio.*

Dices, ergo prædicabile accidentaliter prædicatur de genere, quia accidentaliter ei conuenit eſſe ſpeciem ſubiicibilem. Nego conſequentiam.

Reſponſio. Quodlibet prædicabile eſſentialiter eſt tale, & accidentaliter eſt ſpecies ſubiicibilis.

Quia, licet accidentaliter ei conueniat per aliam cognitionem repræſentari, & denominari ſpeciem ſubiicibilem, ratio tamen repræſentata (quæ eſt eſſe prædicabile,) illi conuenit eſſentialiter, v.g. animal eſt genus, & includit actum intellectus tanquam genereitatem, & ipſam naturam animalis tanquam materiale. Huic generi, nempe animali, accidentaliter conuenit repræſentari per actum, & eſſe genus; ratio tamen repræſentata eſſentialis eſt omnibus, quæ continentur ſub animali: toti huic generi accidentale eſt cognoſci per alium actum reflexum, vt conueniens eſt cum ſpecie, & aliis prædicabilibus: eſſe prædicabile eſt de eſſentia generis, vt eſt genus, & hæc eſt ratio repræſentata per prædicabile vt ſic; at cognoſci per actum reflexum eſt illi accidentale, & conſequenter illi accidit eſſe ſpeciem ſubiicibilem comparatione prædicabilis vt ſic. Vnde patet non eſſe inconueniens, quodlibet prædicabile eſſe accidentaliter ſpeciem ſubiicibilem, & eſſentialiter eſſe prædicabile.

§. 7. *Fundamentum tertium firmius.*

Tertiò eſt omnium difficillimum argumentum: quia ſi prædicabile vt ſic eſt genus, ergo pertinet ad primum prædicabile: ergo non poteſt eſſe ratio communis omnibus prædicabilibus. Conſequentia patet, quia ratio communis debet ſub ſe continere omnes rationes particulares: ſed primum prædicabile non continet ſe ſub ſe, neque eſt ratio communis cæteris prædicabilibus, quia illa non ſunt genus. Antecedens probatur, quia primum prædicabile eſt genus, in quo continentur formaliter & directè omnia genera: nec eſt cur aliquod excipiatur, cum ei omnia conueniant, quæ requiruntur ad genus.

§. 8. *Reſponſio quædam. Reiicitur.*

Nec iuuat dicere vniuerſale vt ſic eſſe actum reflexum, quod eſt ſupra omnia prædicabilia. Nam etiam genera reflexa pertinent ad hoc prædicabile, tum quia verè ſunt genera, tum quia cognitio reflexa vt ſic eſt genus ad cognitionem humanam reflexam & Angelicam, quæ tamen ad hoc pertinent prædicabile.

Aliud reſpõſum futile.

Si verò dixeris cæteras cognitiones reflexas non reflectere ſupra rationem communem prædicabilis, ſicut reflectit prædicabile vt ſic, atque ea ratione poſſe cæteras reflexas ad primum prædicabile pertinere, ſecus verò prædicabile vt ſic: ſi hoc dicis, petis quidem principium, hoc enim impugnamus; cur enim vnus actus reflexus pertineat ad primum prædicabile, & non alius, cum per te vterque omnino ſit genus?

§. 9. *Monitio pro argumento diluendo.*

Pro explicatione argumenti eſt aduertendum, prædicabile vt ſic habere pro ratione quidditatiua

eſſe

eſſe vnum de multis prædicabile (ſicut animal eſſe viuens ſenſibile) in quo continentur ea, quæ denominantur vniuerſalia, vt *animal, homo*, & actus intellectus, à quo denominantur, vt cognitio animalis, cognitio hominis, quia vniuerſalia ſunt compoſita ex obiecto & actu illud repræſentante. Itaque prædicabile vt ſic eſſentialiter eſt vel omnia vniuerſalia immediatè, & confuſè cognita, vt omnia genera, omnes ſpecies, omnes differentiæ, omnia propria, & omnia accidentia, includendo tam materiam, quàm formam; vel ſunt vna ratio ab illis omnibus abſtracta (vt volunt Thomiſtæ) quæ ratio eſſentialis eſt cuique prędicabili, vt eſt prędicabile. Hæc ratio prædicabilis vt ſic connotat pro forma denominante actum reflexum noſtri intellectus confuſè repræſentantem omnia prædicabilia, qui actus reflexus dicitur, quia habet pro obiecto actus eiuſdem intellectus, per quos prædicabilia particularia conſtituuntur.

§. 10. *Actus reflexus accidentaliter conuenit prædicabili vt ſic.* Hic actus reflexus accidentaliter conuenit prædicabili vt ſic, ſicut animali vt ſic conuenit accidentaliter cognitio, à qua genus denominatur. Hic actus reflexus repræſentat rationem communem & confuſam materialis & formalis vniuerſalis. Sicut cognitio animalis repræſentat rationem communem animalis: in qua repræſentatione ipſi actus etiam repræſentantur, & omnes actus reflexi ſupra illum, ſecundum quod conueniunt in ratione materialis & formalis vniuerſalis. Etenim actus intellectus humani licet ſe ipſum clarè & diſtinctè non poſſit habere pro obiecto, poteſt tamen ſecundum aliquam rationem communem, in qua cum ſuo obiecto conueniat; vt quando definitur aut cognoſcitur ens, aut actio vitalis in communi, certè ea definitione definitur etiam ipſe actus definiens, quia eſt ens, & actio vitalis, & illi conuenit definitio entis & actionis vitalis.

§. 11. *Ratio communis vt cognoſcatur, non exigitur niſi cognoſcere aliquid in quo plura ſũt ſimilia.* Ratio à priori eſt, quia ad cognoſcendam rationem communem non requiritur, niſi cognoſcere aliquid, in quo plura ſunt ſimilia: cognito enim vno ſimili, cætera ei ſimilia confuſè cognoſcuntur, vt dixi diſp. 3. ſect. 1. Confirmatur, quando definitur ens, illa definitio conuenit actui definienti, quia verè ille eſt ens, ſicut cætera. Item dicimus, Deum cognoſcere omnes noſtros actus, & cognoſcendo confuſè illum Dei actum, confuſè cognoſcimus omnes noſtros tanquam terminos actus diuini. Sic actus ille reflexus, quo cognoſco prædicabile vt ſic, etiam cognoſcit ſe tanquam formam conſtitutiuam vniuerſalis. Item actus reflexus cognoſcit alium actum reflexum tanquam formam, à qua ipſe denominatur vniuerſalis, & ſic in infinitum.

§. 12. Ad argumentum in forma diſtinguo primum conſequens. Pertinet ad primum prædicabile accidentaliter, concedo conſequentiam: eſſentialiter, nego. Dixi enim ſupra prædicabili in communi eſſe eſſentialem rationem prædicabilitatem de pluribus ſicut animali eſſe viuens ſenſibile, quæ includit tam materiam quàm formam vniuerſalem, vt genus, ſpecies, &c. Illi autem eſſe accidentale cognoſci per actum confuſum reflexum, vt animali cui accidit cognoſci & denominari genus. Itaque accidentaliter continetur in primo prædicabili, quia illi accidit eſſe obiectum ſui ſecundum rationẽ prædicabilis, & eſſentialiter eſt ſupra quinque prædicabilia: quia eſt de eius eſſentia eſſe prædicabile, ſicut de eſſentia animalis eſſe viuens. Deinde diſtinguo conſequens, non poteſt eſſe ratio communis ſecundum id, quod illi conuenit eſſentialiter, nego conſequentiam: ſecundum verò id, quod illi conuenit accidentaliter, concedo: vt animal ſecundum quod illi eſt eſſentiale, eſt ratio eſſentialis communis homini, & leoni, ſecus ſecundum id, quod illi conuenit extrinſecè & accidentaliter.

§. 13. *Prædicabile ſecundũ quod dicit rationẽ prædicabilis continet ſub ſe omnia prædicabilia.* Ad confirmationem conſequenter reſpondetur, rationem communem, ſecundum quod eſt communis, debere continere omnes particulares; conceditur, & ſic prædicabile ſecundum, quod dicit rationem prædicabilis, continet ſub ſe omnia prædicabilia, vt animal omnia animalia, at ratio communis, ſecundum id, in quo non eſt communis, non debet continere ſub ſe omnes particulares; ſic autem prædicabile non eſt ratio communis ſecundum quod extrinſecè à cognitione reflexa denominatur, ſed ſecundum rationem prædicabilis, quam dicit in recto; ſicut animal eſt ratio communis ſecundum quod dicit animal in recto, at vero actus genericus animalis non eſt communis vt quod, nec prædicabilis de homine & leone: atque ita primum prædicabile non ſe continet ſub ſe, ſed continentur ſub prædicabili in communi ſecundum eſſentialem rationem prædicabilis.

§. 14. At verò dices, licet prædicabili vt ſic ſit accidentale eſſe genus, ſicut animali, tamen illi compoſito includenti & rationẽ prædicabilis & actum confuſum, ſecundum quod conſtituunt genus, eſſentialiter conuenit ratio vniuerſalitatis ſicut animal, in quantum genus eſſentialiter eſt vniuerſale. Vnde infertur prædicabile, vt ſic eſſe ſpeciem prædicabilis, ſicut genus & differentia. Hoc autem eſt abſurdum, quia in infinitum procederetur.

§. 15. *A prædicabili vt ſic non poteſt abſtrahi alia ratio prædicabilis.* Sed ex dictis §. 10. & 11. Reſpondetur, à prædicabili vt ſic non poſſe abſtrahi aliam rationem prædicabilis, quia illa ratio eſt iam abſtracta. Nam actus reflexus tendens in quinque prædicabilia, etiam tendit in ſe ipſum ſecundum rationem prædicabilis, ſicut actus tendens in rationem communem entis, aut actus vitalis, tendit in ſe ipſum ſecundum quod participat rationem entis, aut actus vitalis, quia in ipſo obiecto per illum repræſentato reperitur ratio, quam ipſe habet in ſe. Non eſt ergo inconueniens, vt actus intellectus ſit inferior ſuo obiecto, & ipſius ſpecies, quando illud continet rationem communem ipſi actui conuenientem, quare non abitur in infinitum, quia licet poſſit infinitos actus reflexos terminare, omnes tamen illi repræſentant eamdem rationem communem prædicabilis, ſicut actus repræſentans rationem entis poteſt ab illis actibus cognoſci ſub ratione entis, qui tamen non abſtrahunt aliam rationem communem entis, ſed eamdem, quam primus actus: at verò in abſtrationibus, vt in infinitum iretur, opus eſſet nouas rationes communes abſtrahere in ratione prædicabilis.

§. 16. Itaque prædicabile vt ſic in quantum eſt obiectum, cui conuenit ratio prædicabilis de pluribus differentibus ſpecie eſt genus, & ex ſpeciebus prædicabilium vna; quod illi conuenit accidentaliter ab actu reflexo, per quem confuſè repræſentatur ratio conueniens cum aliis prędicabilibus, ſicut animali eſt accidentale repræſentari vt commune pluribus ſpeciebus. In quantum autem eſt vnum in multis, dicit rationẽ eſſentialem, per quam conſtituitur in ſuo eſſe ſupra quinque prędicabilia, & illis eſſentiale, ſicut animal dicit viuens ſenſibile, per quod conſtituitur in ſuo eſſe, & eſſentiale eſt ſuis inferioribus.

SECTIO

SECTIO II.

De numero prædicabilium.

§.17. *Prædicabile commodè in quinque ſpecies diuiditur.*

COmmuniter aſſignantur prædicabilium ſpecies quinque. De quibus modo diſſeremus. Primò quidem poterunt ad duas reduci, ad prædicabile, *in quid*, & *in quale*; quas deinde diuidemus in prædicabile *in quid completè* & *incompletè*, & in in prædicabile *in quale proprium* & *commune*; deinde prædicabile *in quid incompletè* poſſet diuidi in prædicabile, *in quid*, *ſubſiſtens*, & *in quale quid*, vel poſſet vniuerſale tripartiri, *in quid*, *quale quid*, & *quale*. Itaque ſecundum diuerſas rationes communes, in quibus conueniunt, poſſet fieri partitio, ſed commodè partitum eſt in quinque ſpecies, quibus rectè prædicata quidditatiua & accidetalia dignoſcuntur, & quid vnaquaque ſpecie contineatur, neque enim eſt vllus prædicationis modus, quin in eis contineatur. Nam omnis res aut eſt de conceptu quidditatiuo vel extra illum. Si primum, aut continet totam quidditatem, & ſic eſt ſpecies; aut tantum rationem communem, & ſic eſt genus; aut rationem differentiæ, & ſic eſt tertium prædicabile, neque alio modo pertinere poteſt ad quidditatem. Si vero eſt conceptus non quidditatiuus, eſt ergo accidentalis. Quod per ly *quale* denotatur, etiam ſi ſit conceptus quantitatis. Accidentalis dupliciter eſſe poteſt, aut habens neceſſariam connexionem cum rei quidditate, ſic autem pertinet ad proprium; aut non habens talem connexionem, ſic verò eſt quintum prædicabile.

§.18. *Ad dignoſcēdum an ſpecies ſint atomæ, & ſubalternæ: non eſt attēdenda diuerſitas rerum quæ prædicabilia denominantur, nec actuū à quibus denominantur.*

Ad dignoſcendum vtrum hæ ſint ſpecies atomæ? an verò ſubalternæ? non eſt attendenda materialis diuerſitas rerum, quæ prædicabilia denominantur. Hæc enim diuerſitas eſt omnino phyſica, & per accidens ad logicum inſtitutum, ad quod tantum attinet inquirere, quo pacto vnum de alio prædicetur in ordine ad demonſtrationem? vnde prouenit vt genus entis realis, & entis rationis ſint omnino vniuoca, & numero tantum diſtincta, quia in dialecticis præceptis, & proprietatibus omnino ſunt ſimilia ſine vlla prorſus diſſimilitudine. Vtrumque enim in quid incompletè de ſuis inferioribus prædicatur, &c. Illa autem diſſimilitudo entis realis & rationis ad logicum neque ſpectat, neque ei quidquam in ſuo officit inſtituto.

§.19. *Omnia genera conſtituūt vnam infimam ſpeciem generis.*

Vnde omnia genera conſtituunt vnam infimam ſpeciem generis, & omnes ſpecies vnam infimam ſpeciem, & omnes differentiæ vnam infimam ſpeciem differentiæ, atque hæ tres ſpecies inter ſe diſtinguuntur ſpecie. Quartum autem & quintum prædicabile conſtituunt vnam ſolam ſpeciem, quamuis non multum reclamaro, ſi dicas eſſe duas ſpecies, quia in ordine ad demonſtrationem multum intereſt inter vtrumque.

§.20. Dices. Genus eſt vna ſpecies infima, ergo quando definitur, non definitur genus, ſed ſpecies, quia definitur ratio communis omnium generum: hæc autem eſt ſpecies, ergo. Hic committitur æquiuocatio, non enim definitur genus ſecundum quod refertur ad cognitionem confuſam, per quam omnia genera repræſentantur vt ſimilia, ſed per ordinem ad cognitionem, per quam conſtituitur in ratione generis, & repræſentatur, vt communis pluribus ſpeciebus; ſicut cum definitur differentia, non definitur ſpecies, aut genus, licet differentia vt ſic, eſt ſpecies ad hanc & illam differentiam, quia hoc illi conuenit per actum reflexum, à quo non vocatur differentia, ſed ratio differentiæ; ſed illi conuenit ab actu directo, per quem refertur ad ſua inferiora, vt rationale ad Petrum & Paulum.

DISPVTATIO VIII.

De Signo.

MONITIVNCVLA *ad Lectorem.*

HÆc diſputatio reſpondet duobus Ariſtotelis libris Perihermenias, ſiue de interpretatione, quibus Ariſtoteles iecit fundamenta dialecticæ, quas nos Summulas vocamus. Hi duo libri ſuccedunt diſputationi de prædicabilibus; quia eorum obiectum attributionis eſt propoſitio: de qua poſt terminos eſt diſputandum. Optaram ego & hic de eadem: ſed in ſummularum diſputatione ſecunda egi de ea abunde, de ſimplici propoſitione & compoſita: de quantitate, qualitate, æquipollentia, conuerſione, oppoſitione, aliiſque propoſitionis attributis, à quibus nunc ſuperſedendum. Item omitto, vtrum propoſitio ſit vnus actus ſimplex? De quo diſput.7. de anima ſect.2. Item vtrum veritas ſit eſſentia propoſitionis? vtrum omnis propoſitio de futuro contingenti ſit determinatè vera, vel falſa? De quo latè diſput. 10. de anima: hic omittuntur, quia non ſunt logica, ſed philoſophica. Non enim conueniunt rebus ſecundò intentionaliter, ſed ſecundum ſe; eáque omnia ſunt inutilia ad Syllogiſmorum ſtructuram, qui eodem modo formantur poſita qua volueris opinione ex animaſtica diſciplina. Si hæc hic tibi placent, præſto ſunt in diſp.7.& 10. de anima, neque enim longè abſunt, ſunt enim hanc ob cauſam in hoc volumine, neque enim te fatigabit longa in eis conquirendis peregrinatio. Rationem ſigni, qua in Syllogiſmis vtimur, nondum explicui, neque explicarem in logica, quia non eſt logica, niſi communi vſui morem gerendum hac in parte putarem. §.1.

SECTIO I.

Quid ſit ſignum.

SIgnum eſt, *quod aliquid ſignificat, vel repræſentat.* Repræſentare autem eſt, *aliquid facere præſens potentiæ cognoſcenti:* quæ diffinitio conuenit ſigno in communi abſtrahenti à materiali & formali. Signum formale eſt, *quod repræſentat rem tanquam ratio cognoſcendi.* Quæ diffinitio ſoli conuenit cognitioni, illa enim potentiæ præſentat obiectum. Huc poteſt reduci ſpecies impreſſa, quæ, licet non ſit formalis obiecti repræſentatio, eſt tamen virtualis, & conuenit cum cognitione, quia vtraque repræſentat non prius cognita, eſtque virtualiter formalis repræſentatio obiecti.

§.2. *Signum eſt quod aliquid ſignificat vel repræſentat.*

Signum materiale eſt, *quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius.* Quæ diffinitio conuenit omni ſigno, tam corporeo, quàm ſpirituali. Nam creaturas ſpirituales poſſe vti ſpiritualibus ſignis mihi non eſt dubium. Vnde rectè potuit Angelis Sacramentum inſtitui, quod eſſet verè ſignum. Item hæc diffinitio latius patet ea, quam tradit S. Auguſtinus. *Signum eſt* (inquiens) *quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit nos in alterius rei cognitionem*

§.3. *Signum materiale eſt quod prius cognitū ducit in cognitionem alterius.*

tionem venire quæ in ſolum ſignum materiale ſenſu perceptibile quadrat; ſi verò auferatur ly *ſenſibus*, recidit in noſtram. Item hæc definitio conuenit ſigno formali, in quantum poteſt eſſe obiectum alterius cognitionis, & ſic cognitum ducere in cognitionẽ ſui obiecti, v.g. cognoſcit Angelus à me videri parietem, cognoſcendo meam viſionem, per illam, tanquam per ſignum, cognoſcit ipſum parietem. At mea viſio non eſt formale ſignum Angelo comparata, ſed materiale: quia Angelus ea non cognoſcit, ſed colorem per eam prius cognitam.

§.4. *Signũ aliud eſt naturale, aliud ad placitum.* Signum aliud naturale, ad placitum aliud: Naturale eſt omne ſignum formale, item omnes effectus reſpectu ſuarum cauſarum, vt fumus ignis, creatura Dei, quæ ſignificatio eſſentialis eſt ipſis ſignis, iiſque conuenit ex intrinſeca ſua natura, quam ob cauſam in nulla natione de illis dubitabitur, nam & Barbarus & Græcus viſo animalis veſtigio cognouit animal illac fuiſſe prætergreſſum. Aliud ſignum eſt ad placitum (ad quod reduco ſignum ex conſuetudine) quod (vt præſefert vocabulum, (ex intrinſeca ſua natura non repræſentat rem, ſed ex mero hominum libito. Ad quod aduerte voces exempli ergo humanas, quia clarè articulantur, habere in ſe quandam aptitudinem, vt illis poſſit ſe homo exprimere; nam ſicut à natura accepit intellectum, ſic accepit & voces, quibus illum aperiret; at verò vti ad ſignificandum hominem hac voce *homo* potius quàm *formica*, fuit omnino in eius libera poteſtate. *Voces ſunt ſigna ad placitum.*

§.5. Dices Adam commendari in Scriptura, quod ſingulis rebus apta nomina impoſuerit, *omne quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius*; ergo in ipſis vocibus reperitur aliqua aptitudo ad ſignificandum hoc potius quam illud. Aliqui concionatores reſpondent verba Hebræa neſcio quam aptitudinem habere in prolatione, & ſono. Quibus ego non aſſentior, nam ſi verba Hebræa haberent iſtam aptitudinem: ergo ſunt ſigna naturalia, quia ex ſe habent repræſentare hominem, v.g. ſicut fumus ignem; ergo à quocumque audiantur, percipientur, atque adeo omnes nos calleremus linguam Hebræam. Reſpondetur primo teſtimonium Scripturæ ſic intelligi, *omne quod vocauit Adam, ipſum eſt nomen eius*, id eſt, ipſum eſt nomen: quod poſtea retinuit, ſicut Ioannes eſt nomen eius.

§.6. Secundo poteſt quis voces deſignare ad hanc vel illam rem ſignificandam, & inuenta iam iſta lingua, ſi ad eum accedant varia animalia, eis poteſt imponere nomina, illarum apta naturis, ita vt ſerpentem vocet *callidum*, non quia hæc vox illud ſignificet ex ſe magis, quàm hæc vox *ſtultus*; ſed quia ipſe voluit, & poſita iam iſta ſignificatione, prudenter illum vocat callidum. Sic fecit Adam, inuenta iam à ſe lingua vſus eſt vocabulis ſignificantibus animantium proprietates: ſic etiam in ſacris litteris recenſentur aliqua nomina impoſita viris, vt *Boanerges*, id eſt, filij tonitrui. Nec verò in prolatione potuit eſſe ille modus ſignificandi, nam ſæpe ad ſignificandas res aſperas vtimur voce leni, vt *ferus*, & ad ſignificandam rem exiguam, vtimur voce inflata, vt *Camaleo*. At verò voces ſignificare ad placitum tu ipſe collige ex alieni idiomatis ignoratione. Lege (amabo te) Galenum lib. 2. & 3. de placitis, doctè & acutè ridentem, & irridentem ineptias Chryſippi ex ſignificatione vocis *ego* probantis cordis ac cerebri proprietates; quod ſi aliquo ſono ſuaui ſignificantur ſerica, quia ſunt ſuauia, & lenia, quo alio ſignificabuntur goſypina, & linea? Item ſi leo ſignificatur voce horrenti, qua ſignificabitur vrſus? qua pardus? qua elephas? *Galenus lib. 2. & 3. de placitis.*

SECTIO II.

In quo conſiſtat ratio ſigni.

§.7. *Signum naturale materiale in eo cõſiſtit quod prius cognitũ ducat natura ſua in cognitionẽ alterius rei.* Signum naturale materiale in eo conſiſtit, quod prius cognitum ducat natura ſua in cognitionem alterius rei. Hæc ratio ſigni in actu primo non diſtinguitur ab eius entitate: quia ſignum in actu primo eſt potentia manuducendi intellectum in rem ſignificatam: ſed hoc ſua entitate præſtat naturale ſignum: quia ſe ipſo dicit relationem ad ſignificatum, ad quod natura ſua ducit: ergo.

§.8. Hinc ſuboritur difficultas, quia cauſa prius cognita ducit in cognitionem ſui effectus; ergo etiam eſt ſignum. Nego conſequentiam, qui cognitio effectus per cauſam eſt à priori, at vero cognitio rei per ſignum eſt à poſteriori; ſic demonſtratio à poſteriori vocatur à ſigno, quando igitur diffinitur ſignum, intellige de cognitione à poſteriori, & non à priori. Quando cognoſcit Angelus rem ſignificatam antea quàm ſignum, non cognoſcit illam per ſignum, etiam ſi videat ab homine eam per ſignum ſignificari.

§.9. Dices: Deus, & Angelus cognoſcunt illud ſignum impoſitum ad ſignificandum aliquid; ergo etiam cognoſcunt id, quod ſignificatur. Diſtinguo conſequens; cognoſcunt ex ipſo ſigno, nego conſequentiam; cognoſcunt cognoſcendo immediatè rem ſignificatam, & voluntatem illam ſignificandi, concedo conſequẽtiam: itaque cognoſcunt ipſum ſignum cognoſcendo prius rem ſignificatam. Hic non loquor, vtrum Deus per effectus cognoſcat cauſas? eſt enim quæſtio de ſcientia Dei, ſed ago de cognitione per ſignum ad placitum.

§.10. *Signum dicit relationẽ ad intellectum, à quo imponitur, ad perſonam cui ſignificat, ad rem ad quã imponitur.* Signum dicit reſpectum ad tria: primò ad intellectum, à quo imponitur: ſecundò ad perſonam, cui ſignificat; tertiò ad rem, ad quam imponitur. quare voces ab animante prolatæ, vt quando pſittacus loquitur, non ſunt ſignificatiuæ ad placitum, quibus non vtitur pſittacus tanquam ſignis, quia deeſt illi relatio ad imponentem. Item ſi quis loquitur lapidi, aut bruto, propriè nil ſignificat, quia illæ res ſunt incapaces cognoſcendi per ſignum ad placitum. Item ſi quis loquatur ſurdo, aut det aliud ſignum homini incapaci illud percipiendi, vt ſi Hiſpano Hæbraicè loquaris. Item ſiquis vtatur vocibus nil ſignificantibus ad libitum, nullum dat ſignum, quia deeſt relatio ad rem ſignificatam, & ad illum, cui debet ſignificari. Igitur ad rationem ſigni ad placitum requiritur, vt qui dat ſignum, aliquid velit ſignificare, & ille, cui dat, id poſſit percipere per ſignum.

§.11. *Ratio ſigni ad placitum in actu primo non eſt relatio realis prædicamẽtalis.* Difficultas eſt, in quo conſiſtat hæc ratio ſigni in actu primo? Nonnulli dicunt conſiſtere in quadam relatione reali: quibus ego non aſſentior. Nam ex mera hominum voluntate vtente hoc ſigno potius quàm illo quid phyſicum ſigno potuit appingi? Nam, quando quis pulſat cymbalum, ille ſonitus ab aliis poteſt imponi ad dormiendum, ab aliis ad vigilandum, an ne oppoſitæ relationes illi conuenient?

§.12. *Relatio ſigni ad placitum non eſt realis.* Secundò ſæpe ſignificamus obiecta, quæ nec exiſtunt, nec poſſunt: vt Antichriſtum futurum; hominem nunquam exiſtentem: & chymæram: ſed relatio realis non poteſt eſſe ad terminum non realem: ergo relatio ſigni ad placitum non eſt realis: nec verò poſſunt in vno ſigno ſimul eſſe relationes

tiones oppoſitæ ad eum terminum, v.g. Antonius vtatur hoc tubæ clangore ad pugnam, Marcus verò vtatur eodem ad receptum; Ioannes ad ſomnum; alius ad vigiliam: an ex ſingulorum oppoſita voluntate orientur relationes oppoſitæ?

§.13. Tertiò, quia qui cognoſceret illam relationem, cognoſceret naturaliter ſigna ad placitum. Hoc autem eſt abſurdum: ergo. Probo maiorem: quia relatio eſt natura ſua ad terminum, ſine quo non poteſt cognoſci. Minor patet: quia iá non eſſet vſus vocum ex libito; ſed ex naturali ratione. Adde hanc relationem interituram ex ſola alia intrinſeca voluntate abrogante ſignificationem. Tandem, hæc relatio oritur ex ſignificatione ipſa; vt relatio cauſæ ex cauſalitate: rogo illa ſignificatio, quæ relationi præit, quid ſit?

§.14. *Relatio ſigni ad placitum nō eſt ens rationis ſictum, nec quoddam ens ab actibus deriuatum.*

Secundò cenſent alij ſignificationem ad placitum eſſe ens rationis: quia ſi loquantur de ente rationis ficto, non ſunt audiendi: quia voces abſque fictione ſignificant. S. Thomas & alij loquuntur de extrinſeca denominatione, quam vocant ens rationis: quod eſt denominatiuè tale, vt conſtat ex diſputatione 1. §.43. Eſt autem abſolutè ens reale, vt oſtendam diſputatione 19. metaphyſicè à §.4. Alij verò ſomniant, eſſe ens quoddam ab actibus deriuatum, quod dicunt eſſe ens rationis quorum ſententiam referam, atque refellam ea diſputatione 19. à §.43

§.15. *Significatio ad placitum non eſt ens morale medium inter Phyſicum & rationis.*

Opinantur aliqui ſignificationem eſſe ens morale, diſtinctum ab actibus, quibus liberè impoſita fuit ſignificatio; quod ens ab ipſa deriuatur. Miri equidem homines! qui admittunt à parte rei ens reale morale, exiſtens à parte rei moraliter; quod non ſit ens tam phyſicum quàm ipſi actus morales, à quibus deriuatur: quos impugnaui diſputatione 1. de iuſtificatione, oſtendens peccatum habituale non eſſe ea ratione ens morale. O quam efficax eſt hominum voluntas! ſiquidem voluntas primi ducis mille annis mortui, appingit hodie moralitatem clangori buccinæ receptui, aut pugnæ canentis. Sunt hæc puerilia, & indigna relatu.

§.16. *Ratio formalis ſigni ad placitū quid ſit.*

Dico primò. Ratio formalis ſigni ad placitum eſt *voluntas qua primus inuentor voluit eo ſigno indicare hoc, aut aliud obiectum.* Exempli gratia, latinitatis author voluit hac voce *homo* ſignificare ſpeciem noſtram. Illa voluntas eſt ratio formalis per quam vox *homo* id ſignificat obiectum. Probatur primùm, quia ideo eſt ſignificatio ad placitum, quia pendet ab imponentis voluntate: ex hac autem iam oſtendi nihil deriuari: ergo ipſa ſola eſt ſigni ad placitum ratio formalis. Secundò, quia ratio formalis ſignificandi eſt id per quod vox proximè poteſt excitare intellectum, vt per ipſam percipiat obiectum ſignificatum: id autem eſt voluntas imponentis: ergo hæc eſt ratio formalis ſignificandi ad placitum. Probatur minor, tum quia concepta hac voluntate concipimus ſignificationem vocis, quamuis nihil aliud concipimus: tum etiam quia illa voluntas habet pro obiecto vt omnes per vocem intelligant hoc obiectum: tandem quia ſignificatio imitatur valorem monetæ, legum, dominij &c. Hæc autem omnia ſunt denominatio extrinſeca à voluntatis actu vt oſtendi diſp. 1. de Iuſtificatione. ergo.

§.17. Obiicies: voluntas illa habet pro obiecto ſignificationem vocis ad placitum: ergo ipſa non eſt ſignificatio, quia non eſt obiectum ſui quemadmodum voluntas de valore monetæ habet pro obiecto valorem ipſum, & voluntas transferendi dominiū fertur in ipſum dominium. Reſpondeo duas eſſe ſignificationes; alteram in actu primo proximo, alteram in actu ſecundo: ſignificatio prima non eſt huius voluntatis obiectum, quia ipſamet voluntas eſt ea ſignificatio: ſecunda autem ſignificatio eſt audientis cognitio de obiecto quod audit, orta ex cognitione vocis: hæc ſignificatio eſt illius voluntatis obiectum, alicuius enim ſigni inuentor vult, vt omnes intelligant illo ſigno tale obiectum: hic enim eſt ſcopus vocum & alius cuiuſuis ſigni ad placitum. Idem dico de valore monetæ: principis enim voluntas eſt valor in actu primo proximo habens pro obiecto æſtimationem actualem ſubditorum de moneta, vt tanti æſtimetur, & ſic habeatur in vſu. Idem dixerim de voluntate dominij: quod in actu primo proximo eſt ipſa voluntas rem donantis: quæ habet pro obiecto vſum accipientis citra iniuriam aliorum: Itaque voluntas efficax, qua ego volo vt Petrus deinceps vtatur meo equo citra mei, aut aliorum iniuriam, eſt formale dominium. Neque ſunt abſimilia alia è moralibus exempla.

Voluntas imponentis voci ſignificationē habet pro obiecto cognitionem audientis de obiecto quod audit.

§.18. *Voluntas imponentis, dum non abrogatur, eſt ratio formalis, qua voces & ſigna poſſūt in actu primo proximo ſignificare obiecta.*

Dico ſecundò. Illa prima voluntas imponentis dum non abrogatur, eſt ratio formalis qua voces, & ſigna poſſunt in actu primo proximo ſignificare obiecta. Probatur, quia illa voluntas tametſi phyſicè præterierit, habet in hominum vſu, dum non abrogatur, eandem vim, quam haberet ſi non præteriiſſet,: ſed ſi non præteriiſſet, haberet vim ad ſignificationem vocis: ergo eandem habet præterita & non abrogata. Maior experimento conſtat in valore monetæ, voluntas enim prima dum non abrogatur à principe, eſt in cauſa vt nunc metallum tanti æſtimetur, quanti dum phyſicè eius voluntas perſeuerauit. Item prima equi donatio valet vt donante etiam mortuo poſſit donatarius vti donato equo citra iniuriam alterius. Præteritum autem præceptum ſuperioris etiam iam dormientis, imo atque demortui tenet ſubditos ad obſeruationem ſui. Ratio à priori, quia inſitum eſt homini moueri memoria præteritæ voluntatis non abrogatæ, non minus quàm ſi non fuiſſet præterita. hæc autem eſt moralis permanentia rerum; id eſt illarum vis ad præſtandos in hominum intellectu, & voluntate eoſdem effectus, quos præſtaret ſi phyſicè exiſteret. Si autem ea voluntas abrogetur per aliam, iam non habet eandem vim.

§.19. Obiicies, non apprehendi ab audientibus voluntatem illam imponentis: ergo alia eſt ratio formalis ſignificandi. Patet conſequentia, quia ſicut non poteſt videri album ſine albedine, ita nec ſignificatiuum ſine ſignificatione cognoſci. Reſpondeo hoc argumentum ipſis etiam aduerſariis eſſe commune: quia nec ens rationis cognoſcitur, nec ens morale, neque relatio realis. Nego igitur conſequentiam: Ad probationem reſpondeo non poſſe videri album ſine albedine, quia albedo eſt tota ratio illud videndi; poſſe tamen cognoſci per intellectum album materialiter quin albedo. Ita poteſt cognoſci ſignum, & ex illo res ſignificatæ, quin cognoſcatur voluntas aut ſignificatio in actu primo proximo: quia communi conſuetudine comparantur ſpecies de cognitione rerum per illa ſigna, quin comparentur ſpecies de cauſis illorum effectuum, vt conſtat quotidie ſexcentis experimentis: ſi autem reflexè cognoſcatur ſignum in ratione ſigni, non poteſt non cognoſci ſignificatio in actu primo proximo.

§.20. Aboletur autē hæc ratio ſigni, vel per non vſum, vt contingit vocabulis obſoletis vetuſtioris Hiſpanæ

næ linguæ, vel quia à peritioribus vetuſta aliqua expunguntur è communi ſermone, vt apud noſtros iam non eſt in vſu ingens vetuſtarum caterua vocum. De hac morali permanentia non tenetur logicus diſputare, nec debet, ſat eſt autem rem indicare.

§. 21. *Ratio ſigni actualis cōſiſtit in actuali expreſſione & perceptione rei ſignificatæ per illud.*

Ratio ſigni actualis, ſiue in actu ſecundo, conſiſtit in actuali expreſſione, & perceptione rei ſignificatæ per illud; quia eſſe ſignum in potentia proxima, ſiue in actu primo, eſt poſſe rem ſignificare, id eſt, habere iam impoſitionem ad id munus (nam non agimus de potentia remota) ergo ſignificare actu eſt actu exprimi, ac percipi rem ſignificatam per ſignum; ergo, dum intellectus nil percipit per illud, nil illi ſignificat actu. Confirmatur ſecundo, docere eſt, quando audiens actu percipit, & diſcit rem doctam; & quando diſcipulus non diſcit, magiſter quidem non docet, quia ſi docet: ergo aliquis docetur, ergo qui docetur redditur doctus; at non redditur doctus, niſi qui actu percipit rem doctam: ergo. atqui eadem eſt ratio de ſignificatione.

§. 22. Confirmatur, ſignum in actu primo eſt poſſe exprimere obiectum, ergo in actu ſecundo eſt actualis expreſſio obiecti, quia actus ſecundus potentiæ expreſſiuæ eſt actualis expreſſio, ſicut actus ſecundus potentiæ actiuæ eſt actio, quia expreſſiuus conſtituitur per expreſſionem in potentia; quæ potentia reducitur ad actum per expreſſionem in actu, idem eſt de potentia diſcendi, atque docendi: hæc autem expreſſio eſt cognitio rei ſiſignificatæ per ſignum, quia intellectui nihil exprimitur niſi per cognitionem; nec repræſentatur, nec fit præſens; nam poſſe repræſentare eſt poſſe efficere, vt intellectus per ſignum rem repræſentatam percipiat: ergo ſignificatio eſt ipſa perceptio.

§. 23. *Prolatio verborum apud ignorantem ſuæ linguæ nō eſt propriè locutio.*

Rogas, quando quis verba facit ſecum, aut apud flumen, aut apud hominem ignorantem ſuæ linguæ, vtrum illa verborum prolatio ſit verè & propriè locutio? & quidem communiter eſſe vocandam locutionem patet ex cōmuni vſu, tum etiam, quia prolationem verborum ab animante vocamus locutionem, ſic dicitur Aſina Baalan locuta & Hiſpanè dicimus. *Parla como vn papagayo loquitur vt pſittacus.* Præterea illum, qui hæc verba facit, propriè loqui, ſi locutio ſumatur pro verborum prolatione ex ſe aptorum ad rem ſignificandam, certum eſt. Verum abſolutè exiſtimo illum propriè non loqui. Primo, quia, cum loquitur lapidi, non dat aliquod ſignum perceptibile à lapide, quia deeſt relatio ſigni ad percipientem: ergo propriè non loquitur. Patet, quia loqui eſt dare ſigna, ſed tunc nullum datur ſignum: ergo non eſt locutio. Secundò, quia actualis locutio eſt actualis ſignificatio rei, & expreſſio (vt oſtendi ſuprà, § 21. nō eſt autem actualis ſignificatio ſine actuali perceptione audientis. Nec verò ramus appenſus ſignificat aliquid actu, niſi quando actu ex illo cognito deuenitur in cognitionem vini: Nec ramus eſt ſignum iumento, ſed potatori. vide diſput. 13. de fide §. 37. vbi fuſè agitur hac de re.

§. 24. *Signum formaliter vt ſignum non poteſt ſignificare perfectius rem, quam ab imponente percipitur.*

Eſt difficultas, an ſignum poſſit ſignificare rem perfectiùs quàm ab imponente percipitur? Negat Beatus Thom. 1. part. quæſt. 13. art. 1. At verò Scotus, & P. Molina oppoſitum videntur docere, ſed vtrique facilè conciliantur. Nam certum eſt Philoſophum, quando audita hac voce, *formica*, eam cognoſcit, perfectiorem habere cognitionem de formica, quam agricola, à qua talem vocem audiuit. Certum eſt etiam illam cognitionem non oriri à ſigno, in quantum ſignum, quia ſignum dicit relationem ad illa tria, quæ dixi, atque ita in ratione ſigni non poteſt rem perfectius ſignificare, quam eam percipit, qui vtitur ſigno, illa verò cognitio oritur adeo perfecta ex ſpecie impreſſa, quam de formica Philoſophus habet, quæ ſpecies excitata fuit audita illa voce. Itaque formaliter non poteſt illa res perfectius cognoſci per ſignum, quàm à ſignificante cognoſcitur: materialiter autem poteſt, vnde formaliter non poſſumus ſignificare rem, niſi vt à nobis cognoſcitur.

Signū poteſt materialiter ſignificare rē perfectius quam ab imponente percipitur, excitādo ſpeciem, quæ aliunde erat acquiſita.

§. 25. *Ratio ſigni in imagine eſt relatio realis prædicamentalis ſimilitudinis inter imaginis & Cæſaris accidentia.*

Vt nullum ſignum prætereamus, examinare oportet, in quo ſita ſit ratio ſigni in imagine ſiue pictura, quæ Cæſarem, v.g. repræſentat. Reſpondeo eam eſſe relationem realem prædicamentalem ſimilitudinis inter imaginis, & Cæſaris accidentia: quia ea repræſentatio eſt vis ſiue poteſtas, qua poteſt imago nos ducere in Cæſaris cognitionem: ſed hæc poteſtas eſt in accidentibus vtriuſque: ergo in accidentibus vtriuſque eſt ratio ſignificationis. Probo minorem, quia niſi vtriuſque accidentia noſcantur & conferantur, non poſſumus cognoſcere Cæſarem eſſe imaginis prototypum. Confirmatur, quia imago habet in ſe figuram, magnitudinem, colorem, qualia Cæſar habuit: alioqui eum non repræſentat: ergo per ſimilitudinem accidentium eſt illius imago. Qua propter hæc relatio non eſt aliquis ordo tranſcendentalis, imaginis ad Cæſarem: ſed eſt quædam ſimilitudo, quæ partim eſt intrinſeca, & extrinſeca in parte. Si autem Cæſar non exiſtit, aut eſt ſine illis accidentibus, non eſt abſolutè ſimilitudo realis actualis, quia abſolutè non exiſtit alterum extremum; eſt tamen realis ſecundum quid, quia refertur ad extremum præteritum, quo differt hæc imago à cognitione obiecti quæ eſt ad illud tranſcendentalis ordo. Ex quo ordine prius cognito venire poſſumus in cognitionem obiecti. Itaque imago picta aut ficta dicit in recto accidentia ipſi intrinſeca, & connotat in obliquo Cæſaris accidentia: quæ quamuis ſint extrinſeca accidētibus imaginis, ſunt tamen intrinſeca formali imaginis conceptui? Inſuper addit imago productionem ex fine, & animo, vt per ipſam cognoſcatur Cæſar. Quia igitur Cæſar non eſt factus vt per illum cognoſcatur pictura, hæc autem facta eſt ad Cæſarem cognoſcendum, ideo Cæſar non eſt imago picturæ, eſt autem pictura Cæſaris imago.

SECTIO III.

Vtrum voces ſignificent immediatè res? An conceptus?

§. 26. HAc in parte magna diſſidetur vocum contentione. S. Thomas, & alij contendunt per voces immediatè ſignificari noſtros conceptus, mediatè verò res ipſas. Tum, quia Ariſtoteles ait voces eſſe notas eorum, quæ ſunt in mente; tum, quia voces non poſſunt ſignificare res, niſi vt conceptas: ergo quod immediatè ſignificatur eſt conceptio; tum tertiò, quia homo ideo loquitur vt ſui exprimat animi ſenſus: at animi ſenſus ſunt ipſi conceptus: ergo voces impoſitæ ſunt ad ſignificandum immediatè animi conceptus: tandem, quia ſæpe ſignificamus res in eo ſtatu, quem habent in ſolo intellectu, vt quando ſignificamus albedinem, aut aliud accidens in abſtracto. Sed hęc ſententia explicanda eſt, ne ridicula videatur.

S. Thom. *Ariſtoteles.*

§. 27. Dico primò. Voces non poſſunt ſignificare res,

Voces nō poſſunt ſignificare res niſi vt conceptas, ita vt conceptio ſit conditio ſine qua non ſignificarent.

niſi vt conceptas, ita vt conceptio ſit conditio, ſine qua voces non ſignificarent, ſicut ignis calefacit vt applicatus. Hæc concluſio, ſic explicata, probatur, tum ex Ariſtotele, quia voces ſunt notæ (id eſt ſigna) eorum quæ ſunt in mente (id eſt, rerum cognitarum, quæ obiectiuè ſunt in mente, formaliter per cognitionem earum:) tum probatur ſecunda & tertia ratione S. Thom. quæ nihil aliud probant, quia, qui loquitur, vult explicare rem, quam ipſe concipit.

Voces formaliter repræſentant res ipſas, & non conceptus. D.Thom. opuſc.56.

§. 28. Dico ſecundò. Voces formaliter repræſentant res ipſas, & non ipſos actus, id eſt obiectum vocum ſunt res, non verò notitiæ rerum. Ita S.Tho. opuſc.56. ſub initium inquiens; Hæc vox *lapis* impoſita eſt ad ſignificandam naturam lapidis. Probatur apertè, quia quādo quis dicit ruſtico Deum eſſe trinum, venit ruſticus in cognitionem Dei, quin concipiat vllam loquentis intellectionem: ergo illæ voces ſignificant immediatè Deum, & non ipſos actus intellectus. Conſequentia patet, quia tota ratio ſigni conſiſtit in aliqua re ſignificanda, & non eſt ſignum reſpectu eius, in cuius cognitionem non ducit. Antecedens probatur, tum experientia, quia quotidie in familiari ſermone res omnes cognoſcimus externas, quin vllum actum eliciamus circa cognitiones internas: tum etiam, quia rogatus ruſticus quid intellexerit? reſpondet Deum eſſe trinum, nullo facto verbo de interna loquentis cogitatione, immò verò ſi illum interroges, quid ſit interna cognitio: hæſitabit exiſtimans ſe à te illudi, & vt eſt apud noſtrates, *que le dezis bernardinas*.

§. 29. Secundò probatur, quia, cum tu dicis hominem eſſe mortuum, nónne ſatis percipieris ab audiente, ſi hominem eſſe mortuum intelligat, quin aliud intelligat? Tertiò, quia voces ſubrogantur pro noſtris conceptibus, vt ipſæ præſtent audienti, quod mihi præſtat verbum internum, internáque locutio, ſed interna locutio immediatè mihi repræſentat obiecta: ergo & voces. Quartò, quia cum quis dictat amanuenſi epiſtolas ad amicos, ſcripturæ illæ ſubrogātur pro vocibus, ſicut voces pro conceptibus; ſed ſcripturæ non ſignificant immediatè voces, ergo neque voces conceptus. Probatur minor, quia, quando amicus legit litteras, non eget recordatione locutionis amici, præſertim ſi ſibi perſuadeat manum illam eſſe amici, & non amanuenſis.

§. 30. Dico tertiò. Voces ſignificant aliquando ipſos animi conceptus, vt *hæ, intellectio; actus intelligendi.*

§. 31. Dico quartò. Qui audit alium loquentem, poteſt per diſcurſum intellectiones illius cognoſcere, ſed non pro libito, ſed naturaliter. Probatur, quia, qui videt alium loquentem, poteſt diſcurrere illum benè aut malè cognoſcere ea, quæ loquitur, eúmque deceptum, aut non deceptum. Hanc cognitionem eſſe naturalem inde patet, quia vox articulata ex natura ſua indicat apprehenſum eſſe id, quod profertur, ſicut voces animantium indicant naturaliter internas illorum imaginationes. Hunc autem diſcurſum non fieri ſemper experientia teſtatur. Ad tertium, pro prima ſententia reſpondetur, nos vti voce ad exprimēda obiecta actuum, nempe quid de illis ſentiamus. Hoc eſt autem pandere ſenſa: vt cum dico, ſentio hoc, aut illud.

Ad quartum, in tali caſu cognoſci etiam albedinem actu abſtractiuo, quin cognoſcatur abſtractio loquentis.

SECTIO IV.

De Nomine, Verbo, & Propoſitione.

His de rebus egimus in Summulis, de nomine ſolum dubita, an nomen infinitans, vt *non homo, non ens*, ſit propriè nomen? Ego eſſe nomen non dubito (quidquid alij obſtrepant,) quia *non homo* habet caſus, & tam perfectè ſignificat negationem hominis, ſicut cæcitas priuationem viſus. Quod verò nomen infinitans non ſignificet rem aliquam determinatam, quid ad rem? nens enim eſt nomen, & indeterminatè ſignificat omnia entia & realia & rationis. Præterea *nihil* eſt nomen, cum nihil ſignificet. Video Ariſtotelem eſſe ab oppoſita ſententia, ſed in Summulis diſp.3.ſect.1. impugnaui eius de nomine definitionem: conuenit autem nominis definitio, quam ego ibi tradidi, nomini etiam infinito. §. 32.

Verbum non infinitari patet ex communi vſu, quia, quotieſcumque negatur copula, propoſitio redditur negatiua, quia negatur id, quod per verbum ſignificatur, & non affirmatur aliud, vt in hac *Petrus non currit*: at vero ſecus eſt in nomine, ex cuius infinitate non negatur propoſitio, ſed fit affirmatiua, *vt non Petrus currit*, id eſt, aliquid, quod non eſt Petrus, currit. Vide quæ diximus in Summulis diſput.3.num.17. §. 33.

Propoſitio eſt, *qua aliquid affirmamus, vel negamus.* Primus conceptus propoſitionis eſt affirmare, vel negare, ex quo conceptu tamquam ex radice oritur veritas, vel falſitas tamquam propria paſſio; hæc enim cauſalis eſt vera, *quia Petrus affirmat Deum eſſe bonum, verum dicit.* Hæc autem falſa, *quia Petrus dicit verum, ideo affirmat, &c.* Ratio eſt, quia affirmatio non ſequitur ex veritate, ſed potius veritas ex affirmatione, quapropter veritas pertinet ad quartum prædicabile: vtrum autem ſit realiter vel ratione diſtincta? viderit Animaſticus, & nos agemus d.8.de anima. §. 34.

Propoſitio vt ſic eſt genus reſpectu affirmatiuę, & negatiuæ; quas ſupponitur inter ſe differre ſpecie. Item affirmatio eſt genus reſpectu diuerſarum affirmationum de obiectis ſpecie diuerſis, etiamſi ſint ſub vna ratione formali, vt quando quis ex diuina reuelatione aſſentitur myſterio Trinitatis, & incarnationis. Idem proportione de propoſitione negatiua vt ſic. De propoſitione abſtrahente ab hypothetica & categorica affirmo eam eſſe genus reſpectu categoricæ propriæ, hæc enim propoſitio *Deus eſt*, ſpecie differt ab hac, *ſi ſol eſſet, dies eſſet.* De hypothetica impropria, vt hæc, *Ioannes currit, vel loquitur*, & hæc. *Ioannes currit, vel Petrus ſaltat*, eſt ſub diſtinctione loquendum. Si enim illæ propoſitiones disiunctæ ſunt actus diſtincti realiter, non differunt ſpecie à categoricis, ſecus verò ſi actus illi hypothetici ſint vnus tantum, de quibus me videro in libris de anima. §. 35.

Hic ſolet magis moleſtè, quam ad rem, prolixè diſputari de veritate & falſitate propoſitionum. Vtrum eadem propoſitio mutari poſſit de vera in falſam? An propoſitiones de futuro cōtingenti abſoluto, & conditionato habeant determinatam veritatem, vel falſitatem? An iudicium ſit ſimplex qualitas, vel compoſita? Sed hæc quis non videat à logico inſtituto plurimum abhorrere? & à noſtris dialecticis anſam arripi præpoſtera ambitione (vt rectè Quintilianus in ſimiles ſuæ tempeſtatis magiſtros) ad dialecticā aliarum facultatū difficultatibus referſiendam, & obruenda tyronum ingenia, §. 36.

ſicut

ſicut antiqui Summuliſtæ totam Theologiam, ac Philoſophiam in vnas Summulas detruſere, rectam methodum inuertentes.

DISPVTATIO IX.

De vniuocis, æquiuocis, analogis, & denominatiuis.

IN anteprædicamentis præmittit Ariſtoteles præſentem diſputationem; vtilem quidem ad notionem prædicabilium, & ad analoga ab vniuocis diſcernenda.

SECTIO I.

De vniuocis, & æquiuocis.

§. 1. VNiuoca, teſte Ariſtotele, ſunt, *quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ eſt eadem*; æquiuoca verò, *quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ diuerſa.* ly, *nomen*, vocem intellige, quæ ſola æquiuocis eſt communis; nam, iuxta cōmunem ſententiam, non poteſt nomen ſumi pro formali conceptu, quia exiſtimatur in mente non eſſe æquiuocationem. ly, *ratio ſubſtantiæ*, denotat conceptū obiectiuum, quiſquis ille ſit, ſubſtantialis, vel accidentalis; album namque vniuocè dicitur de homine & leone albis, & ab eiſdem abſtrahitur, quia ratio ſignificata per nomen eſt eadem. Adde ſemper accipi conceptum obiectiuum reduplicatiuè, in quantum ſignificatur per nomen, & ſic ſumitur eſſentialiter, quia leoni vt albo eſſentialis eſt albedo. Igitur æquiuoca hoc differunt ab vniuocis, quia his communis eſt & vox & conceptus formalis & obiectiuus: animal enim v.g. idem habet nomen, & eodem apprehenditur conceptu, & ſignificat idem obiectum; idem (inquam) identitate præciſiua, aut per ſimilitudinem. Vniuoca enim ſunt ipſa vniuerſalia, atque ita eiſdem omnino verbis, ac cōceptibus conſtant, quibus & illa: æquiuoca verò neque habent eumdem cōceptum formalem neque obiectiuum, quia ſignificata ſunt omnino diſſimilia in ratione ſignificata per nomen. Vnde prouenit (vt putant) non poſſe habere eumdem conceptum formalem. v. g. *Gallus* ſignificat gallum gallinaceum, & habitatorem Galliæ, in quantum habitatorem illius: vbi manifeſtè patet in rebus ſignificatis formaliter per nomen nullam ineſſe ſimilitudinem. dixi *ſignificatis formaliter per nomen*: nam ſignificata materialia ſimilia ſunt in ratione animalis, ſed hæc ratio in homine & gallo non ſignificatur hoc nomine *gallus*.

§. 2. Dixi, in communi ſententia, in mente non eſſe æquiuocationem, quod ſolum intelligitur de noſtra viatorum, nam Angeli, & Deus vnico ſimplici actu plura vt diſſimilia cognoſcunt, immo verò Deus nullum habet actum vniuerſalem, quia quocunque actu penetrat vltimas rerum differentias. De noſtro verò intellectu in via difficultas eſt propria de anima diſput. 5. ſiquis velit poſſe nos vno actu plura vt diſſimilia cognoſcere, dicat præter nomen, conceptum etiam formalem eſſe eumdem æquiuocis, differreque ab vniuocis, quod vniuoca habent eumdem conceptum obiectiuum ſimilem; ſecus verò æquiuoca, quæ habent plures diſſimiles, item differunt in conceptu etiam formali, quia æquiuocus æquiualet pluribus, quia tam diſtinctè concipit æquiuoca, ac ſi eſſent plures actus, vniuocus autem non ita, itaque conceptus vniuocorum eſt ita communis, vt ab illo ipſa obiecta dicantur vnum, ſecus ab æquiuoco, vt oſtendo diſp. 5. Metaphyſ. ſect. 10.

Ad vniuocationem non requiritur, vt conceptus obiectiuus ſit omnino ſimilis, & quidditatiuè; alioquin ſolus conceptus ſpecificus eſſet vniuocus; quod eſt perabſurdum, quia genus non eſſet vniuerſale, quia ſolus ſpecificus eſt intrinſecè, & adæquatè ſimilis in indiuiduis; conceptus verò genericus non eſt intrinſecè, & adæquatè ſimilis: ſolum requiritur ad vniuocationem, quod ad vniuerſalia, vt conceptus obiectiuus ſit ſimilis, neque in illo appareat differentia, & diſſimilitudo, ſed tantùm ratio, in qua inferiora conueniunt. §. 3.

Obijcies Ariſtotelem teſtari ſub genere latere æquiuocationes, quod dixit de differentiis, quæ, quia conſtituunt ſpecies intrinſecè diſſimiles, videntur æquiuocationem cauſare. Ob hoc teſtimonium cenſet non nemo ſolas ſpecies eſſe perfectè vniuocas ſuis indiuiduis, ſed immerito; quia Ariſtoteles non dixit in genere cerni æquiuocationes, ſed latere, id eſt, materialiter contineri, quod nihil officit verę vniuocationi, ſicut nec veræ vniuerſalitati, quę verò vnitas requiratur ad vniuocationem, & quod genus ſimilitudinis conſtabit ex ſect. 4. §. 4.

Diuidunt nonnulli vniuoca in logica, & phyſica, illa vocant rationes communes vniuerſales; hæc dicūt eſſe ea, quæ ſunt omnino ſimilia, qualia ſunt indiuidua eiuſdem ſpeciei vltimæ. Quibus haud acquieſco; nam ſicut non ſunt vniuerſalia phyſicè, ſed logicè, ita nec ſunt vniuoca phyſicè, quia identitas requiſita ad vnitatem vniuocorum, formaliter prouenit ab actu confuſo intellectus, rationes ſimiles exprimente, & ſicut à parte rei datur vniuerſale fundamentaliter tantum, ita datur vniuocatio fundamentaliter tantùm. §. 5.

SECTIO II.

De denominatiuis.

DEnominatiua (inquit Ariſtoteles) *ſunt, quæ habent appellationem ab alio ſecundum nomen ſolo caſu ab illo differentia*, (quam diffinitionem nō percipio, ne eam damnem,) quia album v.g. quod eſt denominatiuum, differt à forma denominante realiter; ergo differt plus quàm nomine; quare albedo & album plus differunt quàm caſu, omnes ergo denominationes perſtringam, vt, ſublata nominum varietate, rem, quæ venit in diſputationem, cognoſcas. §. 6.

Sunt denominatiua, quæ ab aliqua forma, vel quaſi forma ſortiuntur effectum formalem, & nomen, vt *album* ab albedine. Denominatio aliquandò quando ſumitur non pro formali nominis impoſitione, ſed pro ipſo effectu formali, orto ab aliqua forma, à qua etiam ſumitur nomen: ſic eſſe *viſum* dicitur extrinſeca denominatio, eſſe *album* intrinſeca, qui vſus frequentiſſimus eſt. Aliquando verò ſumitur (& quidem maximè propriè) pro ipſa nominis impoſitione, quæ denominatio includit & obiectum per vocem ſignificatum, tanquam materiam, vt ſubiectū album cum albedine, & includit nomen tanquam formam, vt hæc vox *album*, hæc denominatio, ſiue impoſitio nominis ſequitur ex prima de qua agitur in præſenti, quia deſeruit logico inſtituto: de ſecunda grammaticus agat. §. 7.

§. 8. Deinde denominatio primi generis, alia extrinſeca, quia forma denominans eſt extrinſeca, vt eſſe *viſum, amatum,* &c. Alia intrinſeca, quia forma eſt in ſubiecto denominato, vt eſſe *amans*, aut *cognoſcens*; alia denique partim intrinſeca & partim extrinſeca, quia talis eſt forma denominans, vt, eſſe *ſimile* prouenit tum ab albedine, quam ego habeo, tum ab albedine Petri, cui ſum ſimilis in albedine. Extrinſeca propriè pertinet ad hoc genus denominationis, quia omnes cognitiones, & amores (excipe diuinos) ſunt accidētia realia: item propriè pertinent ad hoc genus omnes intrinſecæ denominationes, quæ cōnotant formam accidentalem adiectiuo nomine ſignificatā, vt *muſicus niger*, de quibus ambigi non poteſt. Item ſunt aliæ intrinſecæ denominationes prouenietes à quidditatiuo conceptu, vt *humanus, equinus, rationale.* Aliæ item, quæ nomine ſubſtantiuo ſignificantur; vt *homo* ab humanitate, ad quas præter conceptū quidditatiuum, requiritur etiam nominis cōmunicatio, *homo* enim neque *humanitas* non eſt denominatiuum ab animali, quia non eſt commune nomen; eſt autem *homo* ab *humanitate*, quia nomen eſt commune, & non video cur hæ eſſentiales denominationes non ſint propriæ, quia ab *humanitate* verè homo eſt, & dicitur *homo*. Similiter dicitur *humanus*, ſed communior vſus eas à propriis expungit.

§. 9. Denominatiua recidunt in vniuoca, aut æquiuoca, de quibus nūc agitur, non vt habent formam denominantem ſimilem, aut diſſimilem (ſub qua ratione vniuoca ſunt, aut æquiuoca) ſed vt ſubiectum afficiunt vt formæ, & illi ſe cōmunicant tribuentes effectum formalē, qui effectus eſt denominatio, & termino denominatiuo exprimitur. Nonnunquam ad ſignificandum formā rei non conuenire, niſi ſecundum nomen, dicitur denominatiuè conuenire, vt pulſus denominatiuè tantum dicitur *ſanus*, quia ſanitatis nil habet præter nomen.

SECTIO III.

De ratione analoga omnibus analogatis non intrinſeca.

§. 10. INter vniuoca & æquiuoca interijciuntur analoga, quæ aliquid de extremis accipiunt. Sunt autem analoga, *quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantia neque omnino eadem, neque omnino diuerſa.* Cōueniunt cum vniuocis, quia non habent obiectum omnino diuerſum, ſed aliquo modo ſimile & idem; ſed cōueniunt cum æquiuocis, quia non habent obiectum omnino ſimile & idem; ſed aliquo modo diſſimile & diuerſum.

§. 11. Analoga communiter philoſophi bipartiuntur in impropria, & propria: Propria habent vnam rationem cōmunem in omnibus propriè repertam, vt *ſubſtantia & accidens* habent rationem entis (de quibus latè in ſectione ſequenti.) Impropria ſunt, quibus omnibus non eſt intrinſeca ratio analoga, ſed vni intrinſeca & propria, cæteris verò extrinſeca & metaphorica, vt riſus propriè ineſt homini, prato verò metaphoricè. Hæc vocantur analoga, quia *analogia* Græcis ſonat, quod Latinis *proportio*, id eſt, ſimilitudo quædam, ac comparatio, vel conuenientia; & quidem his analogis apprimè conuenit definitio, riſus enim, v.g. (qui eſt hoc genere analogus) non eſt omnino idem homini, & prato; riſus enim eſt actus potentiæ loco motricis ortus ex admiratione; qui prato non conuenit: neque eſt omnino diuerſus, habet enim proportionem, comparationem, & conuenientiam, homo enim ridet, cum bene ſe habet, & aliquo oblectatur obiecto; eſt enim riſus lætitiæ argumentum: Pratum verò ridere dicitur, nō quia propriè oblectetur, ſed quia bene ſe habet: & quia ſua fruitur oblectatione, quod ſua amęnitate tripudiare, laſciuiréque videatur, cuius tropi hæc eſt proportio: æquiuocis autem nihil tale accidit, quia *Gallus*, v.g. non dicitur de incola Galliæ per comparationem vllā ad Gallum gallinaceum, aut econuerſo. Item nec vniuocis; *equus* enim non dicitur animal ex comparatione cum homine, ſed ex intrinſeca animalitate, quæ conuenit cum humana; vnde hæc ſunt propriè analoga, id eſt, proportionem habent, & comparationem.

Hæc vocantur analoga attributionis, quia per comparationem ad vnum cætera omnia participāt rationem analogam, vt pratum per attributionem ad hominem ridere dicitur; pulſus, & pomum dicuntur ſana ex proportione ad animal. In hæc quadrat commune prouerbium, *analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato*, vt riſus pro hominis riſu, ab his non poteſt abſtrahi vna ratio communis, nec ſunt ſimilia in ratione analoga, nam à riſu prati, & hominis non poteſt abſtrahi ratio riſibilis, quia prati viriditas impropriè & per tropum metaphoram per riſum explicatur; quod ſi in ſe rationem riſus non habet, quo pacto ab eo poteſt abſtrahi talis ratio, & in ea eſſe ſimile homini? Immo non habet riſum, ſed humanus riſus de illo per metaphoram prædicatur. §. 12.

Eſt aliud genus analogorum, quod proportionis vocant, quia inter duas res ſimilis comparatio ſeruatur, ſicut inter alias duas; vt ſicut ſe habet leo ad ſuas actiones fortiter exercēdas, ita & Chriſtus ad ſuas; & ſicut leo ſe habet ad deuorandam pecudem, ita & Dæmon ad homines deglutiendos: ſed hæc analogia aliquando eſt attributionis, & conſiſtit in aliqua proportione vniuocationem non tollente: vt ſicut ſe habēt duo ad quatuor, ita quatuor ad octo, ſcilicet, quia quatuor includit duplo maiorem numerum quàm duo; & octo quàm quatuor: at verò ratio dupli vniuoca eſt numero quaternario & binario, & numero octauo & quaternario. Quibus in ratione dupli conuenit definitio vniuocorum. Rurſus analogia proportionis, vel attributionis, quandoque eſt analoga, vt quādo Magiſter vocatur vitis, quia diſcipulorum ingenia doctrina imbuit, ſicut vitis vino racemos. Quæ ratio non eſt vniuoca, ſed metaphorica; aliquando verò eſt vniuoca, vt fortitudo vniuoca eſt leoni & Chriſto, ſicut & ratio animalis. Præterea datur analogia proportionalitatis, quando fit comparatio dupla ſiue rerum in maiori numero, vt cum dicimus, ita ſe habet riſus prati ad oculos oblectandos, ſicut riſus hominis ad ſociorum voluptatem. Itaque analogia proportionis eſt inter duo extrema ſimplicia, vt riſus inter hominem & pratum; proportionalitatis verò inter duo complexa. Hic multi multis inutilibus tempus impendunt. §. 13.

SECTIO IV.

Vtrum dentur analoga propria?

HÆc eſt logicæ omnium grauiſſima difficultas, eo grauior, quo inexplicatior, & cōfuſior eſt reddita magna vocum contentione, & rei ferè nulla explicatione. Quid enim frequentius eſt in ſcholis, quàm Deo & creaturæ, ſubſtantiæ & accidenti §. 14.

denti

denti nullam dari vniuocam rationem, ſed analogam? at quis explicat in quo hæc analogia conſiſtat? equidem cum primum ſæpius audierim, ſecundum à nullo audiui. Ne vero longitudo ſectionis faſtidium pariat in varias interſecabitur difficultates.

SVBSECTIO I.

Proponitur ſententia Scoti.

§. 15. IGitur in Thomiſtarum & Nominalium ſchola vulgo dicitur ens eſſe analogum ſubſtantiæ & accidenti, Deo, & creaturis; quia conceptus entis neque eſt omnino in omnibus idem, neque omnino diuerſus, ſed quandam in omnibus ſeruat proportionem, quam ſententiam ſumpſere ex S. Tho. q. 1. prologi art. 2. ad 2. Quibus, cum Scoto refragantur Scotiſtæ, enti vniuocationem adſcribentes: pro quibus arguitur primum: quia Ariſtoteles nullam agnoſcit analogiam rationē, niſi quæ vni analogato ſit intrinſeca, cæteris extrinſeca: illi enim eſt frequens exemplum de ſanitate, quæ prædicatur de pulſu, & homine, & alia huiuſmodi; ſi quando verò dicit ens eſſe analogum, id non eſt in ea ſignificatione excludente vniuocationem, vt cum dicit binarium habere analogiam ad quaternariū, ſicut hic habet ad octauum, & vt aſſerit in genere latere æquiuocationes, quæ non excludunt vniuocationem, ſed ita vocantur ab Ariſtotele ad explicandas ſpecierum inæqualitates, quæ tamen rationem communem habent vniuocam.

§. 16. Secundo, quia definitio analogorum non poteſt enti v. g. conuenire, (quod enim de hoc dixerim, de reliquis analogis propriis dixerim) quia repugnat, vt vna ratio ſit neque omnino eadem, nec omnino diuerſa; ſed opus eſt, vt ſit vel omnino eadem, vel omnino diuerſa, quia illa ratio debet eſſe abſtracta à ſuis inferioribus, ſed nō poteſt vna ratio abſtracta eſſe partim eadem, partim diuerſa, ergo illi non poteſt conuenire ratio analogorum. Probatur minor, quia vel abſtrahitur ratio, ſecundum quod in illa conueniunt inferiora, & non vt diſconueniunt: ſic autem conceptus ille erit vnus omnino, ſicut conceptus animalis; quia tūc repræſentatur ratio cōueniendi ſine diſconuenientia: vel illa ratio abſtrahitur, ſecundum quod in illa differunt, & non cōueniunt inferiora; ſic autem eſt omnino diuerſa: vel abſtrahitur ratio, in qua differūt, & conueniunt formaliter: quod primo repugnat in opinione Thomiſtarum negantium poſſe à nobis concipi duas rationes diſſimiles eodem actu.

§. 17. Secundò, quia ille conceptus neque eſſet communis, & eſſet omnino diuerſus, nam ſi repræſentantur rationes diſſimilitudinis, ergo formaliter cognoſcuntur differentiæ rerum inferiorum: ergo non eſt abſtracta ratio à differētiis inferiorum, ſed potius eſſet contracta ad ſua inferiora, quia cum illis cognoſcitur, & ſic non eſſet ratio communis. Fore autem diuerſum conceptū patet, quia ad vnitatem requiritur, vt cognoſcatur ratio, in qua conueniunt inferiora, at verò ad pluralitatem, & diuerſitatem requiritur vt apprehendatur ratio, in qua differunt, quod ſi hæc cernitur, iam ſimpliciter apparet diſſimilitudo, & cernitur diuerſitas conceptus obiectiui.

§. 18. Confirmatur, quia ſic ratio animalis eſſet analoga, quia ſicut per te poteſt cognoſci ens in ratione conueniendi & ratione differendi, quid ni & animal? tunc vero quod erit diſcrimen inter ens & animal?

Confirmatur ſecundo, quia ſi in cōceptu communi nulla cernitur inferiorum diſſimilitudo: ergo ille conceptus eſt omnino vnus, quia ob ſimilitudinem dicitur conceptus vnus: ergo non eſt partim ſimilis partim diſſimilis; ſi verò cerneretur diſſimilitudo, ergo, licet conceptus formalis ſit vnus, conceptus obiectiuus non erit vnus, quia non apprehenditur confuſè, ſed diſtinctè, vt conceptus diuinus de homine, licet ſit vnus, tamen non dicitur habere vnum obiectum, quia cognoſcit omnia indiuidua in indiuiduo: ergo ſimiliter, ſi cognoſcitur à nobis diſſimilitudo, concipimus plura obiecta, & non vnum, huic argumento reſpondebitur à §. 76. §. 19.

Duo animaduerte, primum non effugere hanc difficultatem, qui negant obiectiuas præciſiones, ſed eādem vim eam habere in Thomiſtarum Nominaliūmq; ſententia: nam quod Thomiſtis obijcitur de ratione abſtracta, obijcitur Nominalibus de ſingularibus confuſè, vt ſimilibus cognitis, quia vltime videntur aliqua ſingularia in ſingulari, eorum differentia explicitè cognita: vel cognoſcuntur confuſè tantum per ordinem ad operationes, vel accidentia, in quibus ſunt ſimilia, latentibus propriis differentiis: ſi primum, ergo iam obiectum non apprehenditur vt ſimile, ſed vt diſſimile, & vt plura: ſi ſecundum, ergo obiectum omnino denominatur vnum. §. 20.

Ratio huius eſt, quia ad illum conceptum confuſè terminatum ad ſingularia vt ſimilia, exiguntur omnino eadem, quæ ad conceptum abſtractiuum. Vnde illa quæſtio vtrum detur vna ratio abſtracta analogis? eadem eſt ac ſi à Nominalibus quæras vtrum analoga ſint ita ſimilia, vt poſſint cognoſci vt ſimilia, non cognita eorum diſſimilitudine? quæ quæſtio in vtraque ſchola eiſdem rationibus eſt habenda. Nec enim æquè fero nonnullos, qui aiunt ens confuſè cognitum includere immediate omnia inferiora, animal autem non, ſed eſſe ab illis abſtractum, contra quos arguam diſp. 5. Metaphyſicæ. §. 21.

Secundò aduerte eos, qui negant poſſe abſtrahi rationem vnam analogis cōmunem, quia cognoſcuntur cum aliqua diſſimilitudine, conſequenter negaturos analogiam propriā, quia ſi cognoſcuntur analoga, vt diſſimilia; ergo cognoſcuntur explicitè vt plura, ergo nullum habent conceptū obiectiuum, qui ſit proportione idē, vt dixi §. 16. video ab aliquibus vnum aſſeri ſine alio, conſequentiam ipſi tueantur, contra quos diſſeram, à §. 41. §. 22.

Nec rationes. quæ pro oppoſita ſententia vulgo iactantur quid efficiunt. Aſſerunt enim Deum & ens in prædicamento conſtitutum vniri, ſi qua verò ratione excluduntur, eſt, quia non ſunt vniuoca; ſed neutrum ſequitur, ens enim, licet ſit vniuocum, non ponitur in prædicamentis, quia hæc ſunt entis diuiſionis, quia ſingula prædicamenta, ſunt entis differentia (vt fauente numine monſtrabitur diſp. 9. metaph. ſect. 4.) Deus autem abeſt à prædicamento, quia in illis prædicamentorum authores noluerunt conſtitui niſi indiuidua creata (vt ibidem patebit ſect. 5.) §. 23.

SVBSECTIO II.

Expenditur ſententia negans conceptum entis omnibus analogatis.

NOn pauci ſuccumbentes Scoticis argumentis de vniuocatione conceptus entis ab inferioribus abſtracti, negant huiuſmodi abſtractionem, § 24.

nem, quo differre aiunt vniuoca ab analogis, quod vniuoca habent conceptum communem ab inferioribus abſtractum; ſecus analoga. His non eſt vna communis via, ſed ſunt diuiſi in duas.

§. 25. Nonnulli mouentur; quia ens ſimpliciter ſolis conuenit ſubſtantiis, quod ens proportione quadam de accidẽte prædicatur per attributionem ad ſubſtantiam, vt ſanitas prædicatur de pomo per attributionem ad animal. Probant primò ex Ariſtotele paſſim affirmante ens ſimpliciter, inquantum ens, eſſe ſubſtantiam: Accidentia verò eſſe entis ens. Quàm infirma ratio ad tam ſingularem opinionem! multa Ariſtotelis teſtimonia referam id indicantia in prooemio metaphyſicæ ſect. 3. quibus Ariſtoteles ens vſurpat pro ſubſtantia, quam dicit eſſe metaphyſicæ obiectum. At non propterea excludit accidentia à ratione entis, ſed tãtum à conceptu directo Metaphyſicæ, quia de accidenti diſſerit per ordinem ad ſubſtantiam, ſicut de inſtrumentis ſanitatis agitur per attributionem ad ſanitatem: cum autem Ariſtoteles accidens vocat entis ens, illi tribuit rationem entis, item diuidit ens in decem prædicamenta. Solet autem ſubſtantia vocari ſimpliciter ens, quia ſupponit pro primo, & quidditatiuo rei conceptu, vt pro homine, lapide, & equo, vt ego explico diſput. 10. Metaphyſicæ, nõ tamen propterea excludimus accidentia à conceptu entis abſtractiùs accepti.

§. 26. Secundò probant, quia analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori analogato. Sed hoc parum vrget, tum quia oſtendi §. 12. id eſſe verum in ſolis analogis impropriis; tum quia eſto ſtet pro famoſiori, non propterea minus famoſum excluditur ab analogo conceptu; immo hinc ſumitur reſponſum ad primum argumentum, quia Ariſtoteles accepit ens pro famoſiori ente, non tamen propterea accidens non erit ens.

§. 27. Tertiò, quia omnis analogia habet proportionem vnius ad aliud, vt pulſus ſanus ad animal ſanum. Reſpondetur, ex §. 12. vbi oſtẽdi analogiam proportionis eſſe ſpeciem analogiæ impropriæ, id eſt, cuius vnum inferius habet intrinſecè rationem analogam, cætera verò impropriè per metaphoram ad illud. At analogia, de qua diſſerimus hic, non habet iſtam proportionem, nec ſi haberet, deſinerent omnia inferiora eſſe ens, quia tota entitas accidentis eſt per attributionem ad ſubſtantiam, quia eſt ad illam tamquam ad finem, & eſt illius attributum: & hoc, ſicut non tollit interdum vniuocationem, ita nec proprietatem intrinſecè habendi rationem analogam.

§. 28. Hæc ſententia non videtur digna homine philoſopho, impugnatur primò, quia nõ admittit analogiam, cuius omnia analogata intrinſecè habeant rationem analogam contra cõmunem dialecticorum ac philoſophorum conſenſum. Secundo, quia iſti admittunt conceptum entis analogum Deo & creaturis, ergo ens dicitur ſimpliciter de ſolo Deo, de ſubſtantia verò creata non dicitur ſimpliciter ſed ſecundum quid: immo ens, quod de creaturis prædicatur, erit ens infinitum, quia per attributionem ad illud omnia creata habent eſſe.

§. 29. Dices hoc argumento vrgeri, qui admittunt analogiam inter Deum & creaturas in ratione entis, non verò qui eam negant, & admittunt vniuocationem. Contra, quia in hac ſententia eædem rationes probant analogiam creaturarũ ad Deum, nam ſi ſemel propter entis tranſcendentiam non impeditur eius abſtractio à Deo & creaturis, neque impedietur à ſubſtantia & accidente. Deinde ſicut Ariſtoteles ſubſtantias ſolas vocauit ſimpliciter ens: ita ſacræ paginæ dicunt ſolum Deum habere eſſe. Iob 14. 4. *Quis poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es?* Exod. 3. 14. *Ego ſum, qui ſum; qui eſt, miſit me ad vos.* Quæ teſtimonia ſoli Deo tribuunt eſſe. Reſpondeant mihi ad hæc teſtimonia Dei, vt eorum reſponſa ego reddam ad Ariſtotelis teſtimonia, cæteráque argumenta propoſita §. 26. tam facilè in conceptum entis Dei, & creaturarum quadrant quàm in ſubſtantiam & accidens: immo & melius, quia creaturæ eſſentialius ſunt propter Deum, & entia Dei quàm accidens comparatione ſubſtantiæ: at rationem entis ſimpliciter non reperiri propriè in Angelo, aut homine magis quàm ſanitatem in pomo, aut riſum in prato, non eget impugnatione, & conſtabit eius falſitas ex infra dicendis.

Tertio argumentor: accidens habet entitatem immediatè oppoſitam chymæræ: ergo habet ſimpliciter rationem entis. Antecedens patet, quia accidens non eſt chymæra: quia hæc includit duos conceptus eſſentialiter incompoſſibiles, quibus repugnat exiſtere; at accidenti non repugnat exiſtere, nec repugnantes conceptus includit. Conſequentiam probo, quia omne immediatè oppoſitum chymæræ eſt ens ſimpliciter, ergo. Probo antecedens; omne immediatè oppoſitum non enti eſt ſimpliciter ens, ſed omne immediatè oppoſitum chymæræ eſt immediatè oppoſitum non enti: ergo omne immediatè oppoſitum chymæræ eſt ens ſimpliciter. Minor eſt certa, quia chymæra eſt per eſſentiam non ens. Maior videtur certa, quia ens & non ens opponuntur; ſi enim ſimpliciter eſt non ens, & impoſſibile vt exiſtat, quid illi opponetur, niſi ſimpliciter ens aptum ſimpliciter exiſtere? Sicut non videnti ſimpliciter, quid opponeretur niſi ſimpliciter videns? & non Deo ſimpliciter, quid opponeretur niſi ſimpliciter Deus? §. 30.

Dices, negari non poſſe accidens eſſe ens ſumptum pro quacũque aptitudine ad exiſtendum (ſic accipitur ens, homo v.g. ſecundum ſe, abſtractus ab exiſtentia) hæc autem aptitudo eſt oppoſita ineptitudini ad exiſtendum, quam habet chymæra. At verò ens preſſius ſumitur pro ente per ſe, quod dicitur ab aduerſariis analogicè cõuenire ſubſtantiæ & accidenti. Contra, de illo conceptu entis, vt opponitur chymæræ, qui intrinſecè, & eſſentialiter conuenit tam ſubſtantiæ, quàm accidenti, rogo ſit ne analogus: an vniuocus abſtractus ab inferioribus? an repugnet abſtrahi? An ne quis vnquam dixit ens, per ſe, prædicari de accidenti, non vniuocè, neque analogicè? §. 31.

Dices ſanum prædicari de pomo. Contra, quia id fit impropriè & metaphoricè, non re ipſa. Nam re ipſa de pomo prædicatur principium efficiens ſanitatem, ſed per vocem ſignificantem propriè ſanitatem animalis, tranſlatam ad ſignificãdam cauſam ſanitatis; quam ob rem dixi ſect. 3. riſum hominis prædicari de prato tranſlatiuè, id eſt, quantum ad vocem, & modum, re tamen de prato prædicatur eius viriditas, & amoenitas. Similiter dicendũ eſſet *ens per ſe* prædicari de accidenti, quantum ad vocem, & modum tantum; re tamen ipſa de illo prædicari quidditatiuum eius conceptum; de quo rogo ſit ne ens ſimpliciter, vt opponitur chimæræ? non tamen rogo ſit ne ſubſtantia? Si ergo conuenit accidens cum ſubſtantia in aptitudine eſſendi; rogo vtrum analogicè? §. 32.

Adde diuerſas eſſe has prædicationes, *Accidens eſt ens: Accidens eſt ens per ſe.* Secunda eſt falſa & non §. 33.

non eſt vera; ſicut hæc; *pulſus eſt ſanus*. Prima eſt vera ſicut hæc: *ſubſtantia eſt ens. Deus eſt ens*. Ergo ratio ſubſtantiæ nec metaphoricè prædicatur de accidenti;ens autem, quod verè prædicatur, eſt in in latiori ſignificatu, quàm ſubſtantia. Confirmantur hæc omnia, quia accidentia ſunt ſimpliciter bona,& vera:ergo & ſimpliciter entia. Conſequentia patet, quia bonum & verum reciprocè dicuntur de ente. Antecedens probo: quia calor eſt ſimpliciter bonus igni;gratia, & gloria homini. Item potentiæ vitales ſunt ſimpliciter potentiæ:ergo ſimpliciter habent terminum,quia niſi ad terminũ ſimpliciter non eſt potentia phyſica ſimpliciter. Item accidens actu exiſtens, ſimpliciter habet eſſe extra cauſas: ergo ſimpliciter eſt. Itidem dicere quis poſſet, formas materiales, neque vniones ſubſtãtiales,nec ſubſiſtentia, neque alia id genus, eſſe ens ſimpliciter, ſed entis ens, quia vnio eſt ens extremorum, & forma eſt actus materiæ, nec vllam habent aduerſarij rationem pro ſua ſententia, quin & pro hac poſſit adduci. Nolo te in re tam clara morari diutius, quia clarius hoc ex ſubſectione ſequenti patebit.

SECTIO III.

Expenditur ſententia negans abſtrahi conceptum entis.

§. 34. ALij, inter quos, P. Vazquez, quos referam diſput. 2. metaphyſicæ, ſect. 4. negant abſtrahi poſſe conceptum entis à ſubſtantia & accidente; Deo, & creaturis. Fundamentum P. Vazquez eſt; quia ille conceptus non eſſet analogus, ſed vniuocus. Verum id contendere Scotum probatum eſt ſubſectione prima: erat ergo prius probanda entis analogia, vt inde negaretur vniuocatio entis abſtracti: nam rectè P. Suarez, ait, prius negandam eſſe entis analogiam, quàm vnitatem conceptus entis. Vnde ergo probatur eſſe abſurdum admittere vniuocationem in conceptu entis abſtracti.

§. 35. Secundum argumentum, quia ratio tranſcendens non poteſt præſcindi à ſuis inferioribus:ergo non datur conceptus communis analogus. Antecedens probatur in ente;quod non poteſt abſtrahi à ſubſtantia & accidenti, quid enim abſtrahitur? ratio entis. Hæc manet in ratione inferiori, à qua fingis illam abſtrahi. Qua igitur ratione abſtrahis rationem entis à ratione formali entis? non enim poteſt abſtrahi eadem ratio à ſe ipſa formaliter.

§. 36. Confirmatur,quia (vt dixi,§.9.& 10.)in accidẽte non reperiuntur duo conceptus,ſed vnus: ergo non poteſt fieri abſtractio, quia abſtractio eſt cognitio vnius conceptus, alio non cognito. Augeo difficultatem, quia(vt ſæpe diximus) quando abſtrahitur vna ratio, illa non remanet in inferioribus: abſtracto enim animali ab homine, tantum remanet rationale; at verò abſtracta ratione entis, remanet ens in inferioribus: ergo abſtraheretur, & non abſtraheretur.

§. 37. Tollatur æquiuocatio, & nulla erit difficultas. Præciſiones rationis non ſunt conſiderandæ ad modum realis diſtinctionis, ſed ſupponendum, actum præciſiuum formaliter nil eſſe, niſi cognitionem confuſa, alicuius obiecti, quæ non penetrat ipſum obiectum, neque diſtinguit omnes illius rationes, vt cum video animal à longè, cognoſco quidem illud eſſe animal, at tamen non diſtinguo vtrum homo? an brutum? cum verò propius accedit, illud diſtinguo eſſe hominem: ſic concipere ens, nil eſt quàm concipere aptitudinem ad eſſendum, non penetrado an ſit ſubſtantia? an accidens? cognoſcere verò ſubſtantiam eſt cognoſcere illud magis clarè, in qua cognitione non reſpondet alius conceptus obiectiuus diſtinctus ab ente, in quo differt ab animali, quod quando contrahitur ad hominem, eſt per alium conceptum ab illo diſtinctum.

Moneo ſæpius à me tractari diſtinctionem hanc inadæquatam; maximè §.73.& alibi; vbi oſtendo conceptu de ente abſtrahi ens apta differentia; conceptu autem de ſubſtantia hanc non abſtrahi ab ente; quæ eſt rationis inadæquata diſtinctio: quæ ita poteſt eſſe, quamuis de formis diſtinctio realis ſit adæquatè inter duo. §. 38.

Vnde ad argumentum negatur antecedens, & eius probatio. Ad interrogationem reſpondetur, abſtrahi quidem ens, & remanere particulare ens, quod, licet ſit formaliter ens in conceptu claro, quo ſatis penetratur, non cognoſcitur formaliter, & clarè per conceptum communem entis, quod, aut quale ſit, ſed tantum de illo cognoſcitur eſſe ens, ignorata propria illius differentia. Ad Secundam interrogationem reſpondetur, abſtrahi rationem entis in communi à ratione in particulari, quod non eſt præſcindere ens à ſe ipſo formaliter, ideſt, eodem modo cognito, ſed ab inferiori cognito confuſè. Accidens enim & ſubſtantia ſunt inferiora entis in communi, quia licet differentia ſubſtantiæ, & accidentis nihil habeat, quod non ſit ens, aliqua tamen ratione diſtinguitur ab illo, quia ens præciſè ſumptum non includit formaliter rationem accidentis, alioquin omne ens eſſet accidens:ratione ergo eius, quod accidens addit ſupra ens in communi, poteſt fieri hæc præciſio, illud autem, quod addit, eſt inadæquatè ens,non quod habeat aliquid quod non ſit ens, ſed quia eſt ens limitatum iam ad vnam ſpeciem entis clarè cogniti, quæ confuſè noſcitur conceptu communi entis, quod eſt præſcindere vnum ab alio:vt dico §.ſequenti. §. 39.

Ad confirmationem reſpondetur, omiſſo antecedenti,nullam eſſe conſequentiam,quia licet non ſint duo conceptus adæquatè diſtincti, ſed idem, tamen in inferiori addit aliquid ſupra rationem communem, quod clariùs cognoſcitur in inferiori. Quod additum, quia ignoratur per conceptum cognoſcentem ens confuſè, fundat abſtractionem, quia hæc nihil eſt præter confuſam cognitionem, qua obiectum non penetratur ſub vno connotato, licet penetretur ſub alio, poſtea verò per conceptum clarum accidentis cognoſcitur eius diſcrimen à ſubſtantia, & ſic contrahitur ens ad accidens, ideſt, cognoſcitur clarè in accidente. Ad exemplum de animali reſpondetur, abſtractionem vniuocorum eſſe magis perfectam, quàm analogorum, quia ratio vniuoca habet duos conceptus adæquatè diſtinctos: ad abſtractionem verò analogam ſufficit concipere rationem communem ſine particulari, quamuis particularis non poſſit concipi ſine communi. Itaque cognoſcitur explicitè ratio entis non cognito in particulari accidenti,vel ſubſtantia,quod eſt abſtrahere à ſubſtantia, & accidenti. Hæc autem diſtinctio non eſt adæquata, ſed inadæquata: quia ens non eſt in ſuo conceptu formaliter accidens: accidens autem eſt formaliter ens: ſecus in animali: quod nec formaliter eſt rationale, nec rationale formaliter animal. §. 40.

§. 41. Datur ergo vnus conceptus entis abſtractus à ſubſtantia & accidenti, Deo & creaturis. Primo, quia alioquin ens neque vniuocè, neque analogicè prædicaretur de ſubſtantia & accidenti, nam qua ratione aduerſarij conantur defendere entis analogiam, eam euertunt, quod ita confirmo: ſi in conceptu entis non abſtrahitur vna ratio ab inferioribus: ergo ens non eſt aliquid commune, ſed immediatè dicit ſubſtantiam & accidens, quia, ſi ea non dicit immediatè, opus eſt, vt dicat rationem illis communem, quia non poteſt intellectus ſubſtantiam & accidens attingere, niſi vel ſecundùm rationes communes, vel particulares, & immediatas: at tu negas ab intellectu attingi rationem vtrique communem, ergo vtrumque attingitur immediatè, ſed ſubſtantia & accidens immediatè cognita ſecundum rationes particulares, fundant ſolum æquiuocationem: ergo. Probo minorem: ratio ſubſtantiæ, in ratione ſubſtantiæ, eſt omnino diuerſa ab accidenti, vt accidens eſt; ergo fundant puram æquiuocationem.

§. 42. Confirmatur, ideo omnis cognitio Dei de pluribus obiectis eſt æquiuoca, quia licet illa obiecta inter ſe habeant aliquam ſimilitudinem, tamen cognoſcuntur à Deo non actu confuſo, non penetrante eorum differentias, ſed actu eas clarè exprimenti: quare diuina cognitio de homine neque eſt vniuerſalis, neque vniuoca, quia Petrum & Paulum diſtinctè cognoſcit: ergo licet ſubſtantia & accidens ſint ſimilia in ratione entis, fundant ſolam æquiuocationem, quia repræſentantur non ſecundum conceptum communem, ſed clarè, atque diſtinctè in quantum ſunt talia.

§. 43. Dices, actum, qui repræſentat ens, eſſe analogum, ſimiliter & ens, quia immediatè terminantur ad ſubſtantiam, & accidens, non ſecundum proprias differentias clarè cognitas, ſed confuſè tantum, in quo differt ab æquiuocis; nec ſecundum conceptum obiectiuum abſtractum ab inferioribus, ſed ad omnia inferiora immediatè; quo differt ab vniuocis; quam ob rem eſt medius conceptus ille inter æquiuocum, & analogum.

§. 44. Hæc ſolutio admittit actum confuſum vniuerſalem (non ex quinque prædicabilibus) indiſcriminatim attingentem plura obiecta immediatè cognita vt ſimilia, in quo ego cum Nominalibus conſtituo diſputat. 5. Metaphyſ. ſect. 10. vnitatem, & abſtractionem conceptuum communium; itaque in mea ſententia dat ea ſolutio intentum: quia idem eſt vnum obiectum abſtrahi ab alio, & omnia immediatè cognoſci vt ſimilia non clarè, ſed confuſè: quod contingit tam in animali, quàm in ente.

§. 45. Deinde hæc ſolutio ait eum conceptum entis non eſſe vnum, quod ego eſſe probo inconſequenter aſſertum. Nam vnitas conceptus communis eſt vnitas per intellectum, ergo habet eſſe formaliter, vel in actu intellectus, vel in ente rationis inde reſultante, ergo omnis conceptus communis habens vnitatem per intellectum, eſt, & denominatur vnus, & non plura, quia ab vnitate res denominatur vna, & in quantum eſt vna, non eſt plures, ſed ens confuſè cognitum habet vnitatem ab intellectu: ergo eſt vnum ab intellectu: probo minorem, actus ille confuſus eſt vnitas entis, ſicut actus communis animalis eſt vnitas animalis per intellectum. Ergo ens habet vnitatem: Probo antecedens, vnitas intellectus eſt indiuiſio obiecti per intellectum, & eius diuiſio per eumdem à quolibet alio, quia omnis vnitas eſt indiuiſio rei in ſe, ſed actus ille confuſus eſt indiuiſio entis in ſe, & diuiſio entis à quolibet alio, ergo eſt vnitas entis per intellectum: probo minorem, quia ille actus tunc non diuidit ſubſtantiam ab accidente, ſed potius adunat, vt ſic dicam; nam diuiſio obiecti per intellectum eſt clara cognitio cuiuſque obiecti, vt diuiſio animalis in rationale & irrationale eſt illorum clara cognitio, quia tunc intellectus vnum ab alio ſecernit, ac diuidit ſeu ſeparat, quando verò confuſè cognoſcit, non diuidit vnum ab alio, nec diſtinguit, ſicut ergo diſtincta cognitio eſt diuiſio, & illi reſpondent plura obiecta vt plura, ita confuſa cognitio eſt indiuiſio, & illi reſpondet obiectum indiuiſum, quod latius propono ea diſputatione quinta Metaphyſicæ, ſectione 10.

Dixi vnitatem eſſe, vel actum intellectus, vel ens rationis, nam licet ego probo ea diſputatione quinta Metaphyſicæ, ſectione ſeptima, vnitatem vniuerſalem eſſe actum intellectus, tamen oportet hìc vniuerſalius hoc diſputare; ens enim rationis reſultans ex actu, reſultat ex eo actu confuſo non diſcernente obiecta: itaque ſi ens vt ſic dicit immediatè ſubſtantiam & accidens vt talia ſunt, ſunt plura vt plura, & fundant ſolam æquiuocationem; ſi verò ens vt ſic non diſcernitur per conceptum communem de ente; fit vnum ab illo actu, quia ab illo habet indiuiſionem per intellectum, ſicut eam habet animal. §. 46.

Confirmo hæc contra hanc ſolutionē. Ens confuſè cognitum ſunt plura ſimpliciter, vel vnum ſimpliciter in ratione conceptus communis: Si primum, ergo non habet vnum ſimpliciter conceptum, ſed ſimpliciter plures: Si ſecundum, rogo, cur non erit vniuocum, cum habeat vnitatem? At repugnat id non eſſe ſimpliciter vnum, vel ſimpliciter plura, quia vel ſimpliciter diuiduntur per intellectum, & ſic erunt plura, vel ſimpliciter manent intellectu indiuiſa, & ſic ſunt ſimpliciter vnum. §. 47.

Deinde probo malam eius ſententiæ conſequentiam, quia omnia argumenta quibus Thomiſtici probant diſtinctioni rationis reſpondere ex parte obiecti diuerſas formalitates, eadem probant eaſdem reſpondere conceptui entis. Etenim ſicut animal & rationale diſtinguuntur virtualiter, quia in eadem entitate terminant diuerſos conceptus, quorum altero cognoſcitur ſub ratione animalis, altero ſub ratione rationalis, ita vt animalitas terminet immediatè conceptum ſuum, non verò conceptum de rationalitate: Ita eadem entitas accidentis terminat duos conceptus formales; alterum, quo concipitur clarè, & explicitè ſub ratione entis, non verò ſub ratione accidentis; alterum, quo cognoſcitur clarè, & explicitè ſub ratione accidentis. Quod ſi hi conceptus poſſunt terminari ad eandem entitatem ſine diuerſitate formalitatum obiectiuarum; idem ego reſpondebo in animali, & rationali. De quo argumento latius agetur diſput. 2. metaphyſicæ, §. 30. & 11. Item diſput. 5. metaphyſicæ ſect. 10. In fine ſubſect. proponam argumenta probantia vnitatem conceptus obiectiui animalis v. g. quæ omnia oſtendam infringi in hac ſententia, in qua illis omnibus eſt neceſſariò reſpondendum. Conſtet ergo conſequenter admittendā eſſe abſtractionem obiectiuam entis à ſuis inferioribus vt admittitur in animali. §. 48.

Secundò probo entis ab inferioribus abſtractionem, quia ens tranſcendit ſubſtantiam & accidens; §. 49.

accidens; ergo ens ratione diſtinguitur à ſubſtantia, & accidenti, vt ſuperius ab inferiori. Antecedens patet ex ſummulis, & ratione, nullus enim eſt conceptus ſubſtantiæ, aut accidentis, qui non ſit formaliter ens, vt ens opponitur chymæræ. Conſequentiam probo, quia ſubſtãtia, vt ſubſtantia, non eſt tranſcedens, nec item accidens, ergo cum in ſubſtantia & accidenti ſint & conceptus entis tranſcendens, & conceptus ſubſtantiæ & accidentis non tranſcendens, conceptus entis ratione diſtinguitur à conceptu ſubſtantiæ, & accidentis, alioquin non poſſet alter eſſe tranſcendens, altero non tranſcendente. Eam diſtinctionem eſſe ſuperioris ab inferiori patet, quia ratio tranſcendens eſt communis iis, quæ tranſcendit, nam tranſcendere aliqua, eſt in illis reperiri; at ratio reperta in multis, eſt illis ſuperior, & vniuerſalis comparatione illorum; ergo ratio entis diſtincti à ſubſtantia, & accidente eſt illis communis.

§. 50. Dices primo, ens & accidens ratione diſtingui, non quidem ex parte obiecti, vt diſtinguuntur animal & rationale, ſed ex modo concipiendi, quo vtrumque immediatè cognoſcitur, ſed ens clarè, atque diſtinctè, accidens verò in diſtinctè, atque confusè: at nõ inde ſequitur ens eſſe rationem cõmunem. Contra, quia in mea ſententia non eſt alia diſtinctio rationis ex parte obiecti, præter iſtam confuſam notitiam inferiorum. Deinde, non eſt tranſcendens ea cognitio, quia eſt extrinſeca ſubſtantiæ, & accidenti; ratio vero tranſcendens imbibitur in illis eſſentialiter: ergo ex parte obiecti reperitur ratio tranſcendens. Conſequentia patet ex terminis, ergo ex parte obiecti ratio tranſcendens ratione diſtinguitur à ſubſtãtia, & accidente. Patet conſequentia, quia ex parte obiecti concipiuntur ſubſtantia & accidens vt non tranſcedentia, & ex parte obiecti cõcipitur aliqua ratio tranſcendens, quod repugnat ſine diſtinctione rationis ex parte obiecti, ergo ens ex parte obiecti diſtinguitur à ſubſtantia, & accidente. Item cognitio clara entis non eſt cognitio clara ſubſtantiæ; ergo ens clara cognitione abſtrahitur à ſubſtantia. Quo ergo modo per te ens cognoſcitur clarè manente incognito clarè accidente, ſi abſtrahitur ens ab accidente cognitione clara? quia abſtrahi vnum ab alio, & cognoſci vnum ſine alio, idem ſunt. Deinde illud, quod manet incognitum eſt ens, ergo ens cognoſcitur, & manet incognitum vt tu argumentaris, & relaberis in tuas difficultates.

§. 51. Dices ſecundò, ens eſſe tranſcendens, quia ens dicit ſubſtantiam vel accidens, omne autem ens eſt ſubſtantia vel accidens. Contra hanc ſolutionem arguam, §. 52. Deinde etiam rationale vel irrationale erit tranſcendens, nihil eſt enim, quod non ſit rationale, vel irrationale, ſpirituale, vel materiale; ergo aliqua eſt ratio tranſcendens, quæ in ſubſtantia diſtinguitur ab eius differentia, ſimiliter & in accidenti.

§. 52. Tertiò arguitur. Hæ prædicationes, *ſubſtantia eſt ens*, *accidens eſt ens*, ſunt ſuperioris de inferiori, ergo ens eſt ſuperius ſubſtantia, & accidente. Probo antecedens: tum quia ens eſt de intrinſeco conceptu ſubſtantiæ & accidentis, de quibus formaliter prædicatur. Item cum neutro conuertitur; nec valet conſequentia ab ente ad ſubſtantiam in particulari, neque ad accidens in particulari; valet autem ab accidente ad ens, item à ſubſtantia ad ens; ergo illis conueniunt omnia attributa rationis ſuperioris, & inferioris.

§. 53. Obiicies primò, ens dicere immediatè ſubſtantiam & accidens clarè & diſtinctè cognita. Contra, ergo de neutro poteſt prædicari ens, quia ſubſtantia & accidens clarè cognita, non poſſunt de ſubſtantia prædicari; non quantum ad rem prædicatam, vt patet, nec quo ad modum prædicandi, quia modus prædicandi ſumitur ab actu confuſo non repræſentante ſubſtantiam magis quàm accidens, vt patebit diſp. 5. metaphyſicæ: per te autem cognitio entis eſt clara de accidente, & ſubſtantia, ergo nullo modo poſſunt prædicari.

Obiicies ſecundò, prædicari quidem ens non abſtractè cognitum, ſed reſtrictum per ſubiectum. Contra vel cõcipitur ens vt quid commune (quod contendo) vel clarè concipiuntur ſubſtantia & accidens ſecundum proprias rationes: ſic autem hæc prædicatio non eſt formalis, *ſubſtantia eſt ens*, quia ſubiectum & prædicatum eodem modo noſcuntur; ens enim concipitur clarè ſecundum quod eſt ſubſtantia. Item ſubſtantia concipitur ſub ratione ſubſtantiæ, ergo. §. 54.

Confirmatur, quia per te in accidente non concipitur ens, vt diſtinctum à differentia, alioquin poſſet abſtrahi; ergo accidens eodem modo concipitur & ſub ratione entis, & ſub ratione accidẽtis. Nec vero iuuat, conceptu entis etiam concipi accidens ſub ratione accidentis, & ſic differt ſubiectũ à prædicato: hoc (inquam) non iuuat, quia difficile eſt eodem actu cognoſci clarè & diſtinctè ſubſtantiam & accidens. Deinde cognitio clara de alio obiecto nõ facit propoſitionem formalem; nam, ſi tu concipis clarè ſub ratione hominis Petrum & Paulum, & nihil aliud, tunc prædicatio hominis de Petro non fit formalis per claram notitiã de Paulo; nec Deus efficit ſimiles prædicationes; nam cognitio de Paulo, inquantum Paulus eſt, quid intereſt prædicationis de Petro? efficitur ergo formalis prædicatio hominis de Petro, quia Petrus clarè cognoſcitur ſub ratione Petri, confusè verò ſub ratione hominis. Adde non modo ſubſtantiam & accidens, ſed ſubſtantiã creatam, Deum, quantitatem, & qualitatem, neceſſariò conceptum iri per cognitionem entis, quia omnia illa analogicè conueniunt in ratione ſubſtantiæ, & accidentis. §. 55.

Obiicies tertiò, ens immediatè dicere ſubſtantiam, vel accidens confusè cognita, bene! ergo ens eſt abſtractum à ſubſtantia, & accidente, quia nihil aliud eſt abſtractio, vt dixi §. 50. Deinde, ergo hæc prædicatio *ſubſtantia eſt ens*, de ente vagè cognito, ſicut hæc, *Petrus eſt aliquis homo*, eſt de indiuiduo vago, eſt vniuerſalis de ſingulari. Patet conſequentia ex diſputatione quinta, qua oſtẽdi indiuiduum vagum eſſe vniuerſale, illi enim conueniunt omnes proprietates rei vniuerſalis. Deinde cum ille conceptus confuſus non ſeparet, ſed adunet ſubſtantiam & accidens, illa efficit vnum in cognitione, vnitate vniuerſali ſufficiente ad prædicationem entis de pluribus. Recognoſce §. 46. Mihi hęc nunc ſufficiunt, quibus arbitror ſatis oſtendi ens eſſe abſtractum à ſubſtantia & accidenti, de quo recidit ſermo diſputatione ſecunda metaphyſicæ ſect. 3. Properemus nunc ad expendendum, cur ille conceptus abſtractus ſit analogus? §. 56.

SVBSECTIO IV.

Analogia non conſiſtit in dependentia vnius analogi ab alio.

E Recentioribus neque pauci, neque ignobiles hanc entis inæqualitatem adſtruunt in dependentia vnius entis ab alio, & in prioritate, qua ratio §. 57.

ratio communis per prius trahitur ad vnum, quàm ad aliud. Probatur primò, quia hæc prioritas & independentia conſtituit inæqualitatem in ratione communi abſtracta, in qua inferiora habent aliquam ſimilitudinem, ſed hoc requiritur ad conceptum analogum: ergo. Probatur maior, quia ratio communis reſpicit inferiora, quia eſt per ordinem ad illa: ergo ea reſpicit cum eadem dependentia, & prioritate, quā inferiora habent, ſed ea, quæ dependent habent inæqualitatē, ergo. Confirmatur, quia in vniuocis non reperitur talis prioritas, aut dependentia, ergo eſt propria analogorum.

§. 58. Secundò probatur, quia ratio entis cōpleti eſſet vniuoca ſubſtātiæ, quātitati & qualitati, quia ratio entis completi non eſt tranſcendens. Hæc ſecunda ratio falſò ſupponit, quantitatem & qualitatē eſſe ens completum, quæ quia ſunt partes cōpoſiti per accidens & affectiones ſubſtātię, entia ſunt incompleta, falſitas autem primi argumenti, & confirmationis ex eius ſententiæ impugnatione patebit.

§. 59. Non acquieſco huic ſententiæ, primò quia in illo conceptu communi abſtracto, ob dependentiā particularium, nulla cernitur inęqualitas; ergo analogia non conſiſtit in tali dependentia. Probatur antecedens, quia in conceptu entis vt ſic non cernitur, illud prius trahi ad ſubſtantiam quàm ad accidens, ad Deum quàm creaturas, ſed tantum cognoſcitur ratio habendi eſſe, ergo nulla cernitur inæqualitas. Probatur antecedens, quia in conceptu communi entis non cognoſcitur formaliter ſubſtantia, neque accidens, (vt probaui) ſed vel ratio communis abſtracta, vel omnia inferiora vt ſimilia in entitate, ſed non cognita explicitè ſubſtantia, vel accidente, non poteſt concipi prioritas in participanda ratione communi, quia non viſis rebus, quæ ſunt priores, earum prioritas videri non poteſt. ergo.

§. 60. Confirmatur, quia vel cernitur inæqualitas, vel non. Si primum, ergo non eſt conceptus confuſus, neque obiectum vnū, vt dixi à § 16. Si ſecundum, ergo conceptus eſt omnino vnus, ergo cognoſcitur vt ſimilis omnibus, latente diſſimilitudine, & prioritate, atque adeo erit vniuocus. Quod verò confuſè contineantur inferiora diſſimilia, nil officit vnitati conceptus, & vniuocationi, quia vnitas conceptus non ſumitur ab obiecto materiali, & confuſo, ſed à ratione, quæ explicitè, & formaliter cognoſcitur.

§. 61. Dices in conceptu communi non cerni inęqualitatem, cerni tamen in conceptu entis contracto ad inferiora. Contra, ergo iam inæqualitas non prouenit ex dependentia vnius ab alio (vt ex §. 62. conſtabit) ſed ex tranſcendentia, de qua me videro ſubſectione. 5. Quod verò dicitur in probatione argumenti primi, rationem commmunem dicere ordinem ad ſua inferiora, à quibus petit inæqualiter paticipari. Reſpondetur rationem communem dicere eum ordinem, ſed explicitè non cognoſci inæqualitatem, niſi materialiter & confuſè, ſicut animal inæqualiter reſpicit hominē, & leonē, licet id non cognoſcatur explicitè: explicitè enim tantum cognoſcitur ab ea reſpici inferiora; quæ autē, aut qualia illa ſint, non cernitur in ratione communi, per quæ patet ad primum ex §. 57.

§. 62. Secundum argumentum è regione opponitur confirmationi oppoſitæ ſententiæ, & illius fundamento quia talis dependentia poteſt eſſe cum vniuocatione: ergo dependētia non conſtituit analogiam. Probatur antecedens in qualitate, quę vniuoca eſt actui & potentiæ vitali, cum tamen qualitas per prius participetur à potentia quàm ab actu.

Dices primò, qualitatem eſſe analogam actui & potentiæ. Contra, ergo pars phyſica erit analoga materiæ & formæ ſubſtantiali. Item potentia vitalis vt ſic erit analoga ad potentias apprehenſiuas & appetitiuas, quia apprehenſiuæ per prius participant rationem potentiæ, quam appetitiuæ. Item actus vitalis erit analogus ad intellectionem & amorem, & intellectio vt ſic ad apprehenſionem, iudicium, & diſcurſum. Item amor ad ſimplicem complacentiam, intentionem finis, & executionem mediorum, quæ abſurda contra rationem, & ſine authoritate non ſunt admittēda. Quis enim credat maiorem vniuocationem reperiri inter hominem & formicam, quam inter intellectum & voluntatem; & inter duos actus eiuſdem potentiæ; nec enim multum contendo, ſit ne vniuoca qualitas, vt ſic (quæ forte propter tranſcendentiam eſt analoga:) at eſt ſine dubio hæc mea ſententia vera in cæteris exemplis adductis. §. 63.

Dices ſecundò, actum & potentiam conuenire vniuocè, quia tantum pendent phyſicè, non verò in conceptu noſtro. Contra, primo, quia ſi phyſica dependentia non conſtituit inæqualitatem, multo minus eam conſtituit dependentia in cognitione, quia noſtra cognitio non facit obiectum inæquale, ergo id illi conuenit independenter à noſtra cognitione. Contra ſecundò, quia dependentia actus à potentia vitali non eſt dependentia per accidens in ſola cauſalitate actiua, qua vnus homo pendet ab alio (quæ nunc non venit in iudicium) ſed eſt dependentia eſſentialis, qualis eſt inter accidens & ſubſtantiam; actus enim vitalis tam eſſentialiter pendet à potentia vitali, quàm accidens à ſubſtantia, ergo ſicut ob eam dependentiam ex tua ſententia per ſe ens habet analogiam & prioritatem in cognitione, eamdem habebit qualitas vitalis. §. 64.

Dices tertiò, potentiam & actum eſſe correlatiua, & mutuo in cōceptu pendere, quod officit analogiæ. Sed non capio id, quo fundamento dicatur, nam ſi vnam rem cognoſci dependenter ab alia analogiam conſtituit, multo melius ea conſtituitur, quando duæ res inuicem dependentes cognoſcuntur, quæ cognitio non tollit inæqualitatem rerum cognitarum, quod inde confirmo, quia etiam inter analoga datur mutua dependentia in cognitione, ſubſtantia enim & accidens mutuo dependēt in cognitione, ſunt enim correlatiua, quia ſubſtantia eſt dependens ab accidenti, & à nobis cognoſcitur per ordinem ad illud, item creator & creatura dicunt, relationem ſecundum dici. §. 65.

Tertiò à priori, quia potentia phyſicè eſt independens ab actuali exiſtentia actus, magis quam ſubſtantia ab omni accidente, quia potentiæ prius conuenit eſſe potentiam, quàm actum exiſtere, licet non poſſit concipi niſi per ordinem ad actum, non tamen apprehenditur vt ſimul habens eſſe cum actu, vt apprehenduntur relatiua prædicamētalia, vt ſimilitudo, paternitas, &c. Quod verò in cognitione referatur ad actum poſſibilem, non tollitur prioritas, neque in eſſe, neque in cognitione, vt contingit ſubſtantiæ creatæ per ordinem ad accidens, & creatori per creaturam. §. 66.

Tandem, quia actus vitalis prius contrahitur ad intellectionem quàm ad amorem, quia cognitio præcedit amorem, tum in eſſe, tum in cognitione, & tamen amor & cognitio non ſunt correlatiua, ergo prioritas poteſt eſſe in vniuocis non correllatiuis, adde albedinem, & actum viſionis circa illam, eſſe vniuocè qualitatem, & tamen albedo eſt independens à viſione, vel intelle- §. 67.

ctione

ctione, quia obiectum non pendet à cognitione ſui, at cognitio de albedine eſt dependens ab albedine in ſui cognitione: ergo dependentia non mutua in cognitione non conſtituit analogiam, cum reperiatur in vniuocis.

§. 68. Tertium argumentum eſt, quia tantum eſſent analoga ea, quæ dependent inter ſe, vnde accidens ſpirituale vniuocè conueniret cum ſubſtantia materiali in ratione entis, quia ab illa non dependet. Item noſter actus iuſtitiæ cum actu miſericordiæ diuinæ, nam à miſericordia formaliter non pendet iuſtitia creata.

SVBSECTIO V.

Analogia conſiſtit in tranſcendentia.

§. 69. TRanſcendentia eſt, quando vnus conceptus communis imbibitur in ómnibus differentiis, ita vt nulla ſit, quin talem conceptum includat, quod in ſummulis explicauimus hac dictione *REVBAV*, v.g. differentiæ entis ſunt ſubſtantia & accidens, at in ſubſtantia nullus eſt conceptus differentialis, quin ſit ens, ſimiliter in accidente vt oſtendam diſp. 5. Metaph.

§. 70. Opinantur igitur alij analogiam propriam conſiſtere in tranſcendentia, quibus libens aſſentior, quia per tranſcendẽtiam facile explicatur proportionalis conuenientia conceptus obiectiui. Præmittendum eſt diſcrimen inter conceptum obiectiuum tranſcendentium, & non tranſcendẽtium, tranſcendentia quando concipiũtur ſecundum rationem communẽ tantum (ſuppono enim ex ſubſectione, 3. ens abſtrahi poſſe ab inferioribus) in illo conceptu cognito ſic confusè per illum actum præciſiuum nulla inuenitur differentia, diſſimilitudo, aut diſconuenientia inferiorum, in quo non differunt ab vniuocis.

§. 71. Nam in ſolo conceptu entis non plus cognoſcitur ſubſtantia aut accidens, Deus aut creatura, quàm in conceptu animalis homo, aut leo. At verò quando concipitur aliqua differentia conſtitutiua alicuius entis in particulari ſubſtantię, vel accidentis, in illo conceptu talis differentiæ (vt ita dicam) imbibitur formaliter, & explicitè conceptus communis entis, vt cum Deum concipio, concipio formaliter rationem entis. At cum concipio rationem aliquam vniuocam, animal verbi gratia, ille conceptus non includitur formaliter, & explicitè in conceptu differentiæ rationalis, neque differentia in conceptu communi.

§. 72. Vnde prouenit hominem v. g. conſtare ex duobus conceptibus metaphyſicis, generico, & differentiæ adæquatè diſtinctis, quorum neuter in altero includitur, qui veram metaphyſicam compoſitionem efficiunt. At ſubſtantia, vel accidens non duplici cõceptu, ſed vno magis claro conſtat, quia conceptus entis non efficit in accidente diſtinctum conceptum à differentia, quia in illa formaliter includitur, non enim diſtinguitur ratio accidẽtis à ratione entis, licet ratio entis vt ſic diſtinguatur à ratione accidentis. Quod non eſt mirum, licet enim in phyſicis vna res ab alia nõ diſtinguatur, quin è conuerſo ſit inter vtramque diſtinctio: at in conceptu metaphyſico poteſt id contingere: quia diſtinctio metaphyſica nihil eſt, præter confuſam cognitionem, poteſt autem eſſe confuſio ex parte conceptus communis, quin ſit ex parte conceptus particularis. Ex qua indiſtinctione conceptuum prouenit, accidens non cõponi metaphyſicè, quia non habet duos conceptus adæquatè diſtinctos, quod requiritur ad rationem partis, & compoſitionis, vt patet in animali & rationali.

Sæpe dixi ens, & accidens non eſſe duos conceptus, ſed vnum magis aut minus confusè cognitũ; quod oportet explicare. Vt enim ſint duo conceptus, opus eſt vt vel accipiant duas denominationes quarum neutra includatur in altera, vt animal, & rationale: neutrum enim denominatur ab altero: ſed vnumquodq; à diuerſis omnino connotatis. Homo enim cognitus cum ſenſione denominatur animal: Idem autem homo cognitus cum diſcurſu, rationale denominatur. Hoc eſt in ſententia Nominalium refellente præciſiones obiectiuas. In ſententia autem eas admittente, diuerſæ formalites ſunt, quando altera poteſt ſe ſola immediatè terminare cognitionẽ, quin illã terminet altera: vt conſtat in animali & rationali: quæ mutuo cogitatione ſeparãtur. At verò ens & accidẽs non poſſunt ſic mutuo independenter habere has duas denominationes, aut duos actus terminare: quia formalitas accidentis denominatur formaliſſimè ens, & imbibit eſſentialiter formalitatem entis: neque poteſt accidens cognoſci quin eodem conceptu eadem ratione cognoſcatur ens. Quapropter hæc eſt inadæquata diſtinctio: quia ens poteſt clarè cognoſci ſine accidente, quod eſt ab illo diſtingui: Accidens autem nõn poteſt cognoſci abſque ente illi intrinſeco, & eſſentiali, quod eſt ab illo non diſtingui. §. 73.

Hinc oritur ſecundum diſcrimen: animal perfectius eſt in ſpecie hominis, quàm in genere, quia in ſpecie habet perfectionem differentiæ; ſed illa perfectio, licet ſit illi intrinſeca, non eſt quidditatiua, quia conceptus differentiæ non eſt de eſſentia generis, ſed ſe habet ad modum formæ ſubſtantialis, quæ licet perficiat intrinſecè materiam, non tamen eſt de quidditatiuo illius conceptu; ſic conceptus quidditatiuus animalis & manet idem genericus, ſiue componat ſpeciem, ſiue abſtrahat ab illa, & tamen cum maneat idem, perficitur magis in ſpecie propter adiunctam illi differentiam, ſicut materia prima eadem manet in homine, & cadauere, licet in homine ſit perfectior propter vnionem perfectiorem. §. 74.

Secus eſt in tranſcendentibus, quorũ conceptus communis quidditatiuè efficitur perfectior in inferioribus: quia formaliter imbibitur in illorũ differentiis, vt ens in ſubſtãtia. Conceptus enim entis non eſt extra conceptum ſubſtantiæ, ſicut eſt animal extra rationale. Cum ergo ſubſtantia non duobus, ſed vno conceptu conſtet, totam perfectionẽ, quam habet eſſentialiter ſubſtantia, habet eſſentialiter ille conceptus. Vnde illemet in ſubſtantia eſt quidditatiuè diſſimilis à ſe ipſo, quãdo abſtrahitur à ſubſtantia, nam ſubſtantia eſt formaliter ens, ſed ſubſtãtia eſt eſſentialiter perfectior accidente: ergo ens in ſubſtãtia formaliter eſt perfectius accidente. Vnde ens ſumptum formaliter ſub ratione entis, vt eſt in ſubſtantia, eſt inæquale enti, vt eſt ens in accidente: quia ſubſtantia eſt formaliter ens, item & accidens, & hæc ſunt inæqualia, ergo ens vt ens, eſt in ſubſtantia inæquale ſibi ipſi, vt eſt in accidente, item ens abſtractum eſt æquale. Animal verò non habet totam perfectionem eſſentialem, quam habet homo, quia etiam in homine diſtinguitur à rationali, & conſequenter tota perfectio rationalitatis eſt extra totum conceptum quidditatiuum animalis, & tantum intelligitur illi adiungi, ſicut materiæ forma. §. 75.

E quibus colligitur, rationem analogiæ in tranſcendentia conſiſtere. Quia ille conceptus tranſcendens neque eſt omnino idem, neque omnino diuerſus, §. 76.

diuerſus, quia, quando concipitur ſecundum rationem communem, eſt quidem idem, quia tunc nulla apparet diſſimilitudo; quando verò illemet concipitur in aliquo inferiori, eſt quidem diſſimilis ſibi ipſi, vt explicaui, à §. 74. Nam ratio ſuperior eſt ens formaliter, item ſubſtantia & accidens ſunt ens formaliter, ergo ens formaliter habet æqualitatem, & inæqualitatem; quia ratio communis entis eſt æqualis in ſtatu abſtractionis, quia in illo nulla cernitur inæqualitas, ſed omnia inferiora ſunt ſimilia, vt homo & leo in animali, & ratio entis particularis eſt inæqualis, etiam in ratione formali entis in ſtatu contractionis: quia differentia accidentis, vt differentia, eſt formaliter ens, & illa eſt inæqualis differentiæ ſubſtantiæ, quæ etiam formaliter eſt ens; ergo ſubſtantia & accidens differunt per conceptum formalem entis contracti, & conueniunt in conceptu entis abſtracti. Ab his, petitur ſolutio rationis dubitandi in §.15. propoſitæ. Ad primum ſufficit authoritas S. Thom. aliorumque Doctorum admittentium propriam analogiam.

§.77. Ad rationem adductam, §. 16. diſtinguitur minor: in conceptu abſtracto non cernitur ratio diſcriminis, & diſſimilitudinis, pro vt abſtracto, & per actum illum abſtrahentem; concedo minorem: in illo conceptu communi clarè cognito in differentiis ſubſtantiæ, vel accidentis non cernitur diſſimilitudo, negatur. Id quo pacto fiat dixi, §.70. reliquæ probationes, & exemplum de animali corruunt hac diſtinctione.

§.78. Dices, ergo illa ratio communis eſt vniuoca. Nam per te in illa vt ſic nulla cernitur differentia: at verò ad rationem vniuocam nil requiritur, niſi vt nomen ſit commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ eadem, ergo nomen entis vt ſic eſt vniuocum, quod verò in particularibus differentiis appareat diſſimilitudo entis, hoc non tollit vniuocationem, quia in inferioribus iam eſt alius conceptus, vt patet in animali.

§.79. Nego conſequentiam, ad probationem reſpondetur, non ſolum requiri ad vniuocationem, vt in conceptu communi non appareat diſſimilitudo, ſed opus eſt, vt illemet conceptus cõmunis, etiam in differentiis, ſit idem, nec diſſimilis ſibi, & opus eſt, vt quando contrahitur ad inferiora, contrahatur per alium conceptum, in quo ipſa ratio communis non imbibatur, vt patet in animali. Si enim idemmet cõceptus in ſtatu abſtractionis eſt diuerſus à ſe ipſo vt eſt contractus: ergo non eſt omnino idem, ſed partim idem in abſtractione, & partim diuerſus in contractione; animal autem in vtroque ſtatu eſt idem, quia differentia ab eo diſtinguitur adæquatè, & ſic eſt omnino idem nec negari poteſt analogiam, & vniuocationem reſpicere inferiora: quia pendent à modo, quo contrahuntur, & poſſunt prædicari: ita ſpecies dicitur componi ex genere: ergo genus, vt genus, reſpicit differentiam, tunc autem non eſt genus abſtractum, ſed contractum.

§.80. Ad quod animaduerte, conceptum obiectiuum ſemper eſſe eumdem, quando refertur ad eaſdem operationes, accidentia, aut alias proprietates, licet conceptus formales ſint diſtincti. Nam conceptus obiectiuus in recto dicit obiectum relatum ad operationes, & connotat in obliquo actum intellectus, per quem refertur. Vnde, licet actus intellectus varientur, ſemper manet idẽ conceptus obiectiuus, ſicut manet idem album, licet paries mutet albedines. Ratio eſt, quia ad mutationem alicuius rei requiritur, vt mutetur id, quod ponitur in recto. Conceptus ergo animalis vt ſic idem eſt, quando abſtrahitur ab homine, & quando ad illum contrahitur, quia ſemper animal denominatur à ſenſione. Notum eſt autem actum præſcindentem animal ab homine eſſe diſtinctum ab actu contrahente animal ad rationale: quia ille eſt magis confuſus, hic verò magis diſtinctus, neque enim negari poteſt (vt diſputatione 4. §.19. oſtendi) hominem componi ex genere & differentia: non tamen abſtracto in ſua latitudine, ſed contracto per differentias, & tamen ille conceptus contractus dicitur genus, qui conceptus, vt diſtinguitur adæquatè à differentia, non eſt perfectiùs in vno ſtatu, quàm in alio; quia vt ſic diſtinctus, nil habet, per quod ſibi ſit diſſimilis: habet autem maiorem perfectionem contractus per differentiam ab illo adæquatè diſtinctam.

Similiter conceptus obiectiuus entis ſemper eſt idem abſtractus & contractus: quia ſemper refertur ad exiſtentiam actualem, vel poſſibilem; quando enim concipio ens in commune, concipio formaliter aptitudinem ad eſſe: ſimiliter, cum concipio accidens, concipio formaliter aptitudinem ad eſſe; quod verò actus præciſiuus ſit diſtinctus, non tollit, quin conceptus obiectiuus entis ſit idem, vt patet in animali, & albo. Itaque ille conceptus entis abſtractus, eſt quidem conceptus entis, quia eſt conceptus de aptitudine ad exiſtendum. At non eſt omnino idem in omni ſtatu: ſicut animal eſt omnino idem, quia illemet contractus, eſt etiam formaliter conceptus entis, quia differentiæ ſunt formaliter ens, at in eo ſtatu, habet diſſimilitudinem, quod non cernitur in animali, illos verò conceptus conſtituentes accidens, aut ſubſtantiam non eſſe plures, ſed vnum oſtendi, §.74 quia ens tranſcendit omnes differentias, quare nequit ab illis adæquatè diſtingui. §. 81.

Dices ſecundò: ergo etiam animal eſt æquiuocum, quia inferioribus eſt perfectius. Nego conſequentiam. Ad probationem dico, animalis conceptum præciſum à rationali non eſſe perfectiorem, nam vt oſtendi diſput. 4. ſect. 4. omnes rationes cõmunes habent diſtinctas indiuiduationes, vel ſaltem habent diſtinctas eſſentias, maiorem autem perfectionem habet animal, quia ei adiungitur conceptus differentiæ ab illo omnino diſtinctus, vt dixi §.74. Enti autem non adiungitur alius, vt ibidem dixi. Toti huic doctrinæ adſtipulatur P.Fonſeca 4.Met.capit.12 quæſt.2.à ſect.4. §. 82.

SVBSECTIO VI.

Ad argumenta reſpondetur.

HÆc quę dixi, oſtendũt apertè diſcrimen inter conceptum tranſcendentem & non tranſcẽdentem. Tranſcendens enim imbibitur quidditatiuè in differentia, quæ nihil includit extra quod ſit formaliter conceptus entis: at verò conceptus non tranſcendens habet differentiã, quę eſt extra ipſum, & ipſe extra illam. Hinc oritur, conceptum non tranſcendentem non accipere in ſua differentia eandem denominationem vel eandem formalitatem, quam habet in ſe: rationale enim formaliter neque habet denominationem animalis, neque formalitatem: neque item animal denominationem aut formalitatem rationalis. Vnde homo eſſentialiter differt ab equo non denominatione aut formalitate animalis, ſed denominatione aut formalitate rationalis. §. 83.

Econtra verò conceptus tranſcendens imbi- §. 84.

bitur

bitur quidditatiuè in vltima differentia, quæ concipi non poteſt, quin in ipſa quidditatiuè concipiatur ens: imo nihil addit vltra ens. Hinc fit ens in ſuis differentiis habere eandem denominationem ad formalitatem, quam habet in ſtatu præciſionis. Vnde ſubſtantia differt ab accidente eſſentialiter per conceptum, qui formaliſſimè denominatur ens, vel per eandem formalitatem obiectiuam, quæ terminauerat conceptum formalem vniuerſalem. Species enim includunt formalitatem illam obiectiuam quæ abſtracta fuerat ab inferioribus. Cum enim aliquis concipit animal abſtractum à rationali, & irrationali; deinde concipit animal rationale; non concipit diuerſam formalitatem obiectiuam animalis, ſed eandem: quæ etiam in compoſitione ſpeciei dicitur genus: Species enim componitur ex genere, & differentia, genere (inquam) non in ſtatu abſtractionis ſed contractionis: Vnde formalitas obiectiua entis quæ per actum vniuerſalem fuerat præciſa à ſubſtantia, & accidente, eadem (inquam) imbibitur in formalitatem ſubſtantiæ & accidentis. Quæ eadem ratione conuenire denominationibus, quas Nominales conſtituunt, oſtendam ſubſect. ſequenti.

§.85. E quibus deduco accidens differre à ſubſtantia per conceptum obiectiuum, aut formalitatem entis, & non per aliquid ab ipſo diſtinctum. Vnde hic ſyllogiſmus eſt verus & euidens: *Subſtantia & accidens differunt perſeitate, & inhærentia: ſed ſubſtantia, & inhærentia ſunt formaliter ens; ergo ſubſtantia, & accidens differunt conceptu formaliter entis.* Hic autem ſyllogiſmus in non tranſcendentibus eſt falſus. *Homo & leo differunt rationali, & irrationali: ſed rationale, & irrationale ſunt formaliter animal: ergo homo & leo differunt formaliter conceptu animalis:* quod diſcrimen eſt manifeſtum: quod vitat omnem quæſtionem de nomine: quia oſtenditur, in quo differant tranſcendentia à non tranſcendentibus. Hoc autem diſcrimen quod re ipſa cernitur dico ego ſignificari analogia, & vniuocatione. Vniuoca enim habent eandem formalitatem obiectiuam abſtractam, & contractam: Contractio autem contingit per aliam formalitatem adæquatè diſtinctam à ratione communi: illa autem formalitas contrahens non includit contractam, quæ propterea non habet eſſentialem diſſimilitudinem in vtroque ſtatu Tranſcendentia verò habent eam diſſimilitudinem, quia illamet formalitas quæ fuerat abſtracta, habet diſſimilitudinem eſſentialem in ſuis differentiis: Vnde analoga ſecundum nomen nec ſunt omnino eadem nec omnino diuerſa: ſed partim eadem, & partim diuerſa: eadem quidem, quia omnia habent conceptum entis; diuerſa verò, quia illomet conceptu differunt ſubſtantia & accidens. Hæc ſic ſtatuere ſum coactus, quia video ea non ſatis percepta: quorum argumenta ſubiicio.

§.86. Primum, quia etiam animal eſſet analogum. ergo. Probant antecedens, quia animal obiectiuè tam eſt idem cum rationali quàm ens cum ſubſtantia: ergo eſt eadem ratione analogum. Secundò probant, quia idem conceptus animalis in ſtatu abſtractionis & contractionis eſt ſimile, & diſſimile ſibi ipſi: ergo habent eandem analogiam quam ens. Reſpondeo tamen negato antecedenti. Ad primam probationem reſpondeo, animal & rationale eſſe obiectiuè tam idem realiter, quàm ſubſtantiam, & ens. At verò admiſſa diſtinctione inter formalitates obiectiuas reſpondeo, non eſſe tam idem animal, & rationale, quàm ſubſtantiam, & ens: quia illa diſtinguuntur adæquatè; hæc verò inadæquatè: quia ens imbibitur quidditatiuè in ſubſtantiam ſecus animal in rationale. Ad ſecundam probationem reſpondeo, animal in diuerſis ſtatibus non eſſe ſibi ſimile & diſſimile quidditatiuè, ſed per differentiam quæ eſt extra eius eſſentiam, & in quam ipſum non imbibitur: at verò ens non habet diſſimilitudinem per differentiam extra quam ipſum ſit quidditatiuè. Vnde eius diſſimilitudo eſt per conceptum entis formaliter, & non per differentiam ab ipſo diſtinctam adæquatè. Si verò negetur diſtinctio intra obiectiuas formalitates, reſpondetur animal, & rationale in recto tam eſſe idem quàm ens, & ſubſtantiam: non tamen ratione connotati ſignificati in obliquo. Animal enim connotat ſenſionem & non diſcurſum: rationale verò diſcurſum & non ſenſionem. At verò connotata ſignificati in obliquo non ſunt diuerſa in ſubſtantia, & ente: ens enim explicatur per oppoſitionem cum chymæra: quia eſt aptitudo ad exiſtendum: quam oppoſitionem, & aptitudinem dicit etiam ſubſtantia: perſeitas enim eſt aptitudo ad exiſtendum independenter à ſubiecto inhæſionis.

Arguunt tamen contra hanc doctrinam: licet conceptus entis ſit de conceptu ſubſtantiæ, non tamen ſubſtantia eſt de conceptu entis. ergo conceptus ſubſtantiæ non poterit reddere analogum conceptum entis. Probant conſequentiam: quia conceptus ſubſtantiæ eſt diuerſus à conceptu entis. Confirmatur, quia quamuis rationale ſit de hominis conceptu non conſtituit animal analogum, quia homo non eſt de conceptu animalis. Ratione à priori id probant, quia intellectiones ipſæ abſtrahentes, & contrahentes ſunt omnino diſſimiles ac propterea conceptus formalis non eſt analogus: conceptus autem obiectiuus eandem identitatem habet in tranſcendentibus quam in non tranſcendentibus. §.87.

Reſpondeo malam eſſe conſequentiam. Ad probationem reſpondeo, ſæpius eſſe dictum, illam diſtinctionem ſubſtantiæ, & entis eſſe inadæquatam: ſubſtantia enim non diſtinguitur ab ente, quamuis ens diſtinguitur à ſubſtantia, vt dixi §.57. & 73. Ad confirmationem reſpondeo, animal eſſe vniuocum, non præciſè quod homo nõ ſit de eius conceptu, ſed quia homo habet differentiam adæquatè diſtinctam ab animali: ob quam animal non eſt quidditatiuè in conceptu animalis partim ſimile, & diſſimile partim: ſecus cernitur in ente. Ad rationem à priori conſtat ex §. 86. cum reſponderetur ad primam probationem antecedentis. §.88.

Secundò argumentantur: quia in formalitate entis, vt eſt præciſa à ſuis inferioribus, nulla cernitur diuerſitas inferiorum: ergo vt ſic non eſt analoga. Antecedens latè probant, mutuati à me argumenta: conſequentiam autem non probant, ſed certam arbitrantur: quam tamen inficior ego: quia illa formalitas non diſtinguitur adæquatè à conceptu ſubſtantiæ & accidentis, ſed potius imbibitur in differentiis: propter quod illamet formalitas abſtracta eſt analoga etiam in ſtatu abſtractionis, analoga (inquam) partialiter, ſiue habet partem analogiæ: quia hæc conſtituit rationem ſignificatam per nomen, partim eandem, partimque diuerſam: vnde in ſtatu abſtractionis eſt illa formalitas partim eadem: eademmet autem eſt in inferioribus partim diuerſa. Vnde tam longè abeſt hæc argumentatio ab impugnanda noſtra ſententia, vt potius illam confirmet. §.89.

§.90. Obiiciunt, ſubſtantiam & accidens non differre in ratione entis, quia in illa conueniunt. Verum hæc obiectio vel eſt ad impugnandam tranſcendentiam entis, vel impugnandam eius abſtractionem: quia, ſi ens tranſcendit in intimas differentias, opus eſt, vt ipſo ente differant inferiora, ſicut differunt propriis differentiis: quia differentiæ ſunt formaliter ens. Reſpondeo ergo, inferiora eſſe ſimilia in ratione entis, vt abſtrahitur ab inferioribus; ſine quibus poteſt apprehendi; differunt tamen & ſunt diſſimilia in ratione entis, vt in ipſas imbibitur differentias. Conueniunt ergo & differunt in ratione entis inadæquatè diſtincta, & inadæquatè identificata.

SVBSECTIO VII.

Nonnullæ opiniones.

§.91. Nonnulli triplicem volunt de ente formari conceptum: Primum genericum vel quaſi genericum, quo ens ſecundum ſe conſideratur abſtractum à ſubſtantia & accidenti: Secundum, quo ens ſecundum ſe conſideratur in ſpecie, illam componens, qui conceptus eſt ſpecificus, vel quaſi ſpecificus: Tertium, quo concipitur ens cum differentia ſuorum inferiorum, qui conceptus eſt differentialis. Dicunt ens conceptum prima ratione eſſe vniuocum; argumenta propoſita ſunt, atque repulſa à §.83. Dicunt ſecundò ens conſideratum ſecunda ratione eſſe analogum non analogia propriè, ſed impropriè; quia analogia propria excludit vniuocationem eiuſdem conceptus in ſtatu abſtractionis.

§.92. Non placent: primùm enim non ſatis diſtinguunt ſecundum conceptum à tertio: non enim concipitur genus in ſpecie ſecundum ſolam formalitatem genericam; ſed cum differentia eſſentiali; ſine qua nec ſpecies componi poteſt, nec concipi: genus ergo in ſpecie concipitur actu differentiali: ſed hic actus non conſtituit analogiam; ſed æquiuocationem: ergo.

§.93. Secundo conceptus ſpecificus ſemper eſt inæqualis etiam in animali; ſicut per te in ente: quia hoc per te inæqualiter participatur à Deo & creatura: quod non oritur ex conceptu communi vt ſic, ſed ex eodem vt conſideratur in ſpecie: ſed eadem ratione animal vt eſt in ſpecie, participatur inæqualiter; quia aliud eſt rationale; irrationale aliud: ergo.

§.94. Tertiò, quia illa formalitas entis eſt per te vniuoca; quia in illa nulla cernitur differentia: ſed in eadem formalitate vt in ſpecie conſideratur, nulla cernitur differentia: ergo ibi eſt analoga. Minor patet; quia differentia non eſt quidditatiua illi formalitati, ſed eſt extra illam: vt patet in animali. At verò ſi velint propter tranſcendentiam eandem formalitatem eſſe partim ſimilem, partímque diſſimilem: iam recidunt in meam ſententiam, quam videri volunt impugnare: nec bene aſſerunt eam formalitatem eſſe vniuocam in ſtatu abſtractionis: quia ipſi mecum analogiam conſtituunt in vtroque ſtatu: in quorum altero ratio entis eſt ſimilis, in altero diſſimilis. Immo ſi in primo ſtatu eſt vniuoca; in ſecundo erit æquiuoca; quia concipiuntur differentiæ; quæ iam non ſinunt concipi ens vt commune. In mea autem ſententia analogia componitur ex vniuerſalitate entis abſtracti; & in contractione eiuſdem formalitatis ad differentias communem rationem combibentes.

§.95. Animum aduerte, malam huius ſententiæ conſequentiam: ait enim in ſententia conſtituente præciſiones obiectiuas; ens abſtractum eſſe analogum; quia illa formalitas eſt tranſcendens: at verò in ſententia eas negante, eſſe vniuocum, quia non eſt tranſcendens. Hinc eos arguo: illa formalitas, quia eſt tranſcendens, eſt analoga: ergo in nullo ſtatu eſt vniuoca. Probo conſequentiam: quia etiam in ſtatu præciſionis eſt tranſcendens: quia ibi ita concipitur, vt non poſſit extra differentias conſiderari. Quamuis enim tranſcendentia ſit comparatione inferiorum; & hæc tunc non concipiantur; at conceptus ille communis connotat confusè inferiora; quia habet ſtatum vniuerſalitatis; & talis eſt, vt non poſſit in illa non penetrare quidditatiuè.

§.96. Nonnulli admittentes in logica ens eſſe analogum; poſtea in metaphyſica aſſeruerunt ea à ſe dicta in ſententia admittente abſtractiones obiectiuas; quia in ea ratio entis eſt formalitas tranſcendens omnes differentias: At in ſententia eas præciſiones negante, ens non eſſe analogum, ſed vniuocum: quia non eſt tranſcendens. Mouentur primò, quia in ea ſententia ad vniuocationem exigitur vnitas conceptus formalis, cui reſpondeant plura ſimilia: Secundò, quia in ea ſententia vt ens ſit tranſcendens, exigit ne concipiatur ſubſtantia, quin formaliter concipiatur ens: ſed in ea ſententia poteſt concipi ſubſtantia quin formaliter concipiatur ens: ergo ens non eſt tranſcendens. Probatur minor: quia in ea ſententia ens concipitur formaliter quando concipitur connotando chymæram, cui opponitur; ſed ad concipiendam ſubſtantiam non eſt opus connotare chymæram: ergo nec concipere formaliter ens.

§.97. Non acquieſco: tum quia ipſi non mouentur ad analogiam niſi propter inæqualem participationem rationis communis: ſed hæc inæqualitas cernitur in ſententia negante præciſiones obiectiuas: ergo & analogia. Probo minorem; quia cum concipitur ſubſtantia, cernitur nobilior ratio entis quàm in accidente: & cum concipitur homo nobilius animal quàm cum leo: ſiue animal ſit formalitas obiectiua; ſiue omnia animalia vt ſimilia. Deinde §.91. propoſiti ſunt tres conceptus entis; quaſi genericus vnus; alius quaſi ſpecificus, alius differentialis. Sed in quauis ſententia locum habent æqualiter hi tres conceptus: ergo in quauis ſententia conceptus quaſi genericus erit vniuocus; analogus verò erit conceptus ſpecificus, vt ibi proponitur.

§.98. Tertio eos impugno, nullum eſſe in vtraque ſententia diſcrimen: quia in admittente præciſiones obiectiuas, hæ pendent à cognitione extrinſeci connotati, non minus quàm actus confuſus in ſententia eas negante: ſed per te non concipiuntur connotata extrinſeca entis in conceptu ſubſtantiæ: ergo ſicut eam ob cauſam non concipitur ens; nec concipitur formalitas entis. Conſequentia patet; quia ſicut per te conceptus de ente pendet à connotatione chymæræ; ita pendet ab eadem conceptus de formalitate obiectiua entis. Maior probatur: quia non concipitur formalitas entis niſi concipiatur id quod exigitur ad formandum conceptum formalem de ente; ſed hic pendet per te à connotatione chymæræ: ergo & conceptus de formalitate entis pendet ab eadem connotatione.

§.99. Quod explico ab animali: de quo ſub ratione animalis non poteſt formari conceptus niſi connotando ſenſionem, aut aliquid proprium animali.

mali. Eſt autem hoc diſcrimen in Nominalium, Thomiſtarúmque ſententiis:quod Nominales concepto animali cum ſenſione, nolunt ex parte animalis reſpondere formalitatem obiectiuam à rationali diſtinctam; ſed animal & rationale concipi immediatè cum illa connotatione: Thomiſtici autem volunt ex hac connotatione ſenſionum oriri animalitatis formalitatem obiectiuam diſtinctam à rationalitate. Itaque in vtraque ſententia cognitio de animali, & ente formaliter pendet à connotatis eiſdem.

§.100. Ad argumentum ex §. 96. Reſpondeo in vtraque ſententia exigi eadem connotata ad concipiendum formaliter ens. Ad primam probationem reſpondeo exigi eandem ſimilitudinem in vtraque ſententia, vt dixi §. 10 eſt autem opus ſimilitudine in vtroque ſtatu abſtractionis & contractionis. Ad ſecundam probationem reſpondeo, hic non diſputari ſed poni ex diſput. 2. met. entis tranſcendentiam in vtraque ſententia; probo autem eandem eſſe rationem: vnde diſtinguo minorem; in ea ſententia poteſt concipi ſubſtantia quin formaliter ens ſpeciali ratione quàm in ſententia oppoſita, nego minorem: eadem ratione poteſt in vtraque concipi, aut non concipi, concedo minorem. Ad probationem diſtinguo maiorem: in ea ſententia concipitur ens connotando chymæram diuerſa ratione quàm in oppoſita ſententia, nego maiorem: quia conceptus entis vtrobique pendet ab iiſdem connotatis, vt dixi §.99. pendet ens in vna ſententia à chymæra, eadem ratione ac in altera, tranſeat maior. Diſtinguo item minorem: non eſt opus connotare chymæram diuerſa ratione in vna ſententia ac in altera, nego minorem: eadem ratione in vtraque, tranſeat minor. Diſtinguo item conſequens, non eſt opus concipere ens ſpeciali ratione in vna ſententia ac in altera, nego conſequentiam; eadem ratione in vtraque, tranſeat conſequens.

SVBSECTIO VIII.

Vtrum ſubſtantiæ & accidenti, Deo & creaturis conueniat aliqua ratio vniuocè communis?

§.101. AD exactam analogiæ rationem hæc difficultas ſpectat, quæ ex iactis fundamentis duci poteſt. Ex dictis liquido conſtat rationem entis eſſe analogam Deo & creaturis, item rationem ſubſtantiæ completæ, quia licet hæc non tranſcendat ens creatum, tranſcendit tamen ens diuinum, quia quidquid eſt in Deo, eſt formaliter ſubſtantia completa; ad rationem verò analogiæ ſufficit conceptum communem eſſe tranſcendentem in aliquo ex inferioribus, per quam tranſcendentiam conſtituitur inæqualitas (niſi in Deo vt mox dicam) vnde conſtat, differentiam conſtitutiuam Dei in eſſe Dei eſſentialiter, & quidditatiuè, neque analogicè, neque vniuocè conuenire cum aliis rebus; quia conceptus differentiæ eſt primò diuerſus vt rationale, & irrationale, quæ primò intentionaliter in nullo conueniunt, ſed potius faciunt ſpecies differre. Sentio ergo conceptum Dei ſpecificatiuè ſumptum conuenire analogè cum ente creato in ratione entis, & ſubſtantiæ propter tranſcendentiam explicatam.

§.102. Alij probant hac ratione, quia ens creatum, ſi cum Deo componatur, ſimpliciter non eſt ens, quia inter vtrumque diſtantia interiicitur infinita. Sed hæc ratio, licet metaphoricè concionatori deſeruiat, metaphyſicè tamen examinata nullius eſt momenti, quia tam propriè reperitur in homine ratio entis, quàm in Deo. Non enim comparantur ſicut riſus prato & homini. Pratum enim nullum habet propriè riſum. Quis autem dicat hominem tam impropriè eſſe ens, quàm pratum ridere? Adde hominem in ſacris litteris vocari imaginem, & ſimilitudinem Dei, & à Petro vocari conſortem diuinæ naturæ. Argumenta oppoſita nihil concludunt, aliquæ enim ſcripturæ locutiones, quibus affirmatur ſolus Deus eſſe, tantum contendunt, ſolum Deum eminenter continere omnes creaturas,& illum ſolum eſſe per eſſentiam, & independentem ab alio, creaturas verò ab illo ſolo pendere. Quando dicitur eſſe infinitè perfectior, probat noſtrum intentum, ſi enim Deus eſt perfectior homine, ergo & homo eſt ens, alioquin inepta eſſet comparatio, quæ debet verſari inter extrema ſimilia, malè enim comparatur ens non enti.

§.103. Difficultas eſt in aliis conceptibus Dei, & creaturarum: vtrum vniuocè conueniant? nam duæ res materialiter ſumptæ, ſecundum diuerſos conceptus poſſunt & vniuocè, & analogicè conuenire, vt homo & equus in ratione entis, & animalis.

§.104. Dico primò: aliqui conceptus attributorum Dei vniuocè conueniunt cum creaturis. Probatur primò, quia ratio voluntatis, iuſtitiæ, &c. non eſt tranſcendens voluntatem creatam, aut increatam, vt eſt certum; ergo neque analoga. Conſequentiam probo ex dictis, quia in ſola tranſcendentia conſiſtit analogia. Neque hoc ita dici à nobis mirere, cum ab omnibus ſit neceſſario aſſerendum. Nam aut in tranſcendentia, aut independentia ab omnibus ſtatuitur analogia; ſed ſunt aliqui conceptus increati, qui non tranſcendentes ſunt, neque ab illis formaliter pendent ſimiles conceptus creati; ergo in omnium ſententia debent eſſe vniuoci. Probatur minor quo ad ſecundam partem, quia actus erroris angelici circa futura contingentia, & ſcientia diuina de illis, ſunt ſimiles in ratione cognitionis futurorum; & vnus non pendet ab alio formaliter, quia ſcientia viſionis non eſt cauſa rerum, ergo aliqui conceptus diuini nec ſunt tranſcendentes, neque habent cauſalitatem in conceptus creatos, vt diſtinguuntur ab omnipotentia.

§.105. Neque eſt cur tantopere aliqui hanc aſſertionem aſpernentur, quam ſequitur Scotus, eius diſcipuli; neque alij pauci. Tum quia nil officit Dei infinitati hoc conuenientiæ genus; neque analogia arguit ſummam diſtinctionem inter inferiora. Materia enim & forma ſubſtantialis ſunt analoga in ratione entis, præterea eſt vniuocatio inter res valde diuerſas, vt actus voluntatis eſt vniuocus odio, & amori Dei, quibus adde ab omnibus admitti conceptum communem Deo, & creaturis; quod verò ſit analogus, vel vniuocus, tantum arguit diuerſum modum illum contrahendi ad ſua inferiora.

§.106. Dico ſecundò. Subſtantiæ & accidenti datur aliquis conceptus vniuocè communis. Probatur, quia ſubſtantia & accidens conueniunt in ratione principij actiui. Nam ſubſtantia efficit ſuas proprietates,& calor calefacit; ſed ratio principij actiui nullam dicit tranſcendentiam, ergo.

§.107. Dices primò commune eſſe apud philoſophos Deo & creaturis, ſubſtantiæ & accidenti nihil eſſe vniuocè commune. Reſpondetur, id eſſe

commune in ſola Thomiſtarum ſchola; quæ licet grauis ſit, non tamen ſufficit, quando non probat id, quod vult. Secundo reſpondetur, id eſſe commune ſecundum rationem entis, aut alterius tranſcendentis.

§.108. Dices ſecundò Dei attributa poſſe in prædicamento conſtitui. Reſpondetur Deum non conſtitui in prædicamento ſubſtantiæ vt dixi §. 23. eius autem attributa non collocantur in prædicamento, quia in cæteris prædicamentis ſola accidentia collocantur.

§.109. Hic diſputarem, quid eſſet illa ratio communis diuinis attributis & creaturis? genus ne? an ſpecies? niſi viderer mittere falcem in metaphyſicæ, aut Theologiæ meſſes. Aduerte rationem ſubſtantiæ completæ, vt eſt communis omnibus diuinis perfectionibus, licet illas tranſcendat, non eſſe analogam comparatione illarum, quia illa tranſcendentia non conſtituit inæqualitatem, quia omnia attributa Dei habent æqualem perfectionem, ſcilicet ſimpliciter ſimplicem. At verò ratio entis, vt tranſcendit Petrum & Paulum, eſt analoga, quia inæqualitas accidentalis Petri & Pauli reperitur in conceptu entis ad illos contracto.

§.110. Rogas, cur idem conceptus realis ſit iam analogus, iam vniuocus? Reſpondeo, quia ſub vno conceptu formali, & denominatione habet conuenientiam, aut diſconuenientiam clarè cognitam: ſecus ſub alio: ſicut homo per eundem conceptum realem conuenit cum animali, & differt ab eodem.

§.111. Igitur tota huius ſectionis doctrina pendet ex eo, quod conceptus entis ſit idem abſtractus & contractus inadæquatè, quod inde colliges, quod conceptus entis eſt tranſcendens: at non poteſt eſſe tranſcendens per actum confuſum, quia per illum non cognoſcuntur inferiora; neque item per quem limitatur ad ſubſtantiam, vel accidens; ergo ea ratione dicitur tranſcendens, quia ſemper cognoſcitur ratio entis eadem, & dicitur ſemper eadem abſtracta, vel contracta, licet actus ſit diuerſus pro ſtatu diuerſo abſtractionis, vel contractionis.

§.112. Hic diſputari ſolet vtrum ens ſit genus? cui quæſtioni feci ſatis diſput.4.§.6.

DISPVTATIO X.

De modo ſciendi.

SECTIO I.

Quid ſit modus ſciendi? & quotuplex?

§.1. MODVS ſciendi variè vſurpatur. Primùm pro logica docente, quæ ab obiecto, quod conſiderat, qui eſt modus ſciendi, non modo eſſentiam, ſed & nomen accipit; ſic intellige adagium, quod vulgo ex Ariſtot. circumfertur, *abſurdum eſt ſcientiam ſimul quærere & modum ſciendi*, id eſt, ſcientiam realem non eſſe addiſcendam ſimul cum logica: ſed hanc præmittendam, vt cognita ratione arguendi, cæteræ facultates capeſſantur.

§.2. Secundò vſurpatur pro definitione, diuiſione, & demonſtratione, quia conueniunt in manifeſtando ignota. Hæc autem vſurpatio minus impropria eſt, quàm præcedens, non tamen admodum propria: nam modus ſciendi propriè dictus eſt inſtrumentum propriè ſciendi, ſcientia autem non reperitur propriè in definitione ſola, neque in ſola diuiſione, ſed in demonſtratione, qua propriè ſcire dicimus. Vnde tertiò vſurpatur modus ſciendi pro demonſtratione, qua per verum diſcurſum concluſionem ſcimus per præmiſſas, in præſenti autem latè definiam modum ſciendi in ſecunda ſignificatione.

Sic autem communiter definitur, *modus ſciendi eſt oratio ignoti manifeſtatiua*, nomine orationis, non intelligo orationes vocales: oſtendi enim in ſummulis illas propriè nec eſſe propoſitiones, nec modum ſciendi; vſurpatur autem pro oratione mentali, quam in diſputatione vocali explanamus, ſicque oratio externa ſubrogatur pro interno conceptu. Erit igitur propriè modus ſciendi, *cognitio manifeſtans ignotum*, nec arbitreris definitionem hanc in quamcumque cognitionem quadrare: licet enim omnis cognitio quodam modo manifeſtet ignotum, id eſt, exprimat intellectui obiectum, quod prius non exprimebatur, tamen non loquimur in eo ſenſu, ſed comparamus modum ſciendi alij actui intellectus verſanti circa idem obiectum obſcurè, atque confusè, modus autem ſciendi reiectis illius actus inuolucris, fugatiſque tenebris, obiectum manifeſtè repræſentat, & comparatione illius actus confuſi dicitur ignoti manifeſtatiuus, id eſt, clarè manifeſtat obiectum, obſcurè cognitum per alium actum; per quem, ratione obſcuritatis, obiectum non tam cognoſcebatur, quàm ignorabatur. Exemplum ſit in definitione, quæ clarè, & diſtinctè, & particulatim repræſentat, quod confusè repræſentabatur in definito. §.3.

Modus ſciendi communiter diuiditur in definitionem, diuiſionem, & argumentationem. Vtrum autem hæc diuiſio ſit in tres ſpecies adæquatè diſtinctas? an vero in ſolam vnam? defluente diſputatione patebit. §. 4.

SECTIO II.

De definitione.

ARiſtoteles, 1. top. cap.4. terminum, ſeu definitionem ait eſſe, *orationem, quod quid erat eſſe ſignificantem*, id eſt, explicantem quod quid eſt rei, ſeu eſſentiam rei, quam quidditatem philoſophi vocant, quia per illam reſpondemus quæſtioni, *quid eſt res?* Conſtat autem ex Ariſtot. paſſim, præſertim opere metaphyſicorum, definitionem eſſe rei eſſentiam, & quidditatem, lib.enim 5.cap.8.ait. *Item quod quid erat eſſe, cuius ratio definitio eſt*; definitio obiectiua eſt rei eſſentia, quæ definitur, quæ non eſt oratio explicans, ſed obiectum explicatum, definitio verò formalis eſt actus intellectus, & oratio explicans eſſentiam rei: dicitur autem definitio, quia finem limitéſque præfigit obiecto: non quod neceſſe ſit obiectum eſſe finitum, ſed quia actus intellectus clarè pertingens rei eſſentiam non vagatur vltra eius limites; nam actus confuſi non penetrantes rei conceptum, vagantur per alia obiecta, id eſt, attingunt rationes aliis communes: à qua vniuerſalitate frænantur attingendo clarè rei eſſentiam, id eſt, definitè, & in ſingulari eam cognoſcendo. §. 5.

Quod enim aliqui volunt, Deum definiri non poſſe, quia caret fine: non poteſt probari; quia, cum Deus proprium habeat & quidditatiuum conceptum, poteſt clarè ac definitè cognoſci; cognitio autem §. 6.

autem eum conceptum attingens clarè, definitio eſt Dei, non quod in via eum quidditatiuè cognoſcamus;nec enim alias ſubſtantias ita cognoſcimus, ſed quia per effecta attingimus conceptus communes Deo, & creaturis, item & differentiam, qua Deus diſcriminatur à nobis. Paſſim autem S.Thomas ait, Deum & eius attributa definiri: oppoſitum autem aſſerentes exponi poſſunt de definitione quidditatiua,id eſt,quæ ſit notitia quidditatiua Dei; qua caremus in via; non tamen de cognitione,& definitione clara quidditatis.

§.7. Vt autem hoc clarius pateat; definitio poteſt ferri in partes phyſicas obiecti,ideſt,è quibus obiectum componitur à parte rei: v. g.definitio hominis ferri poteſt in corpus & animam; è quibus re ipſa componitur: ſi quis enim roget quid ſit homo? Rectè reſpondetur eſſe compoſitum ex corpore & anima rationali, qua propoſitione explicantur materia,forma & earum vnio,quæ ſunt hominis eſſentia;quæ definitio phyſica vocatur. Item definitio ferri poteſt in idem obiectum per conceptus,ſeu partes logicas;id eſt,quæ reipſa non ſunt partes,ſed tantum conſideratione noſtra,ſeu logo, vel ſermone, v. g. cognoſco hominem eſſe animal rationale, qui duo conceptus dicuntur partes hominis logicè, ſeu metaphyſicè, eiuſmodi definitio vocatur metaphyſica, quia attingit rei eſſentiam logicè, ſeu metaphyſicè compoſitam, de hac definitione frequentius eſt logicis ſermo.

§.8. Ariſtoteles 3.met.cap.3.ait omnia per definitionem cognoſci, genera autem eſſe definitionis principia. Vnde patet definitionem neceſſario ferendam in genus:& quidem rectè:quia genericus conceptus eſt quidditatiuus rei, prædicatur enim in quid;qui ergo genus ignorat, ignorat rei quidditatem, ac proinde rem non definit. Hinc dialecticis eſt familiare definitionem conſtare genere & differentia,id eſt,ex parte obiecti attingi eſſentiam connotando ea, à quibus dicitur genus, & differentia; ex parte verò definitionis formalis includit cognitionem genericam, & differentialem. Vbi obſerua duo, alterum, genus non eſſe remotum, ſed proximum. Eſt enim inepta definitio, qua coniungitur vltima differentia cum genere remoto: vt ſi quis dicat *hominem eſſe ſubſtantiam rationalem*, quia inter illud genus & differentiam clauduntur multa quidditatiua prædicata; quibus ignoratis, ignoratur ſimpliciter homo, ea eſſentialiter includens.

§.9. Alterum eſt,non oportere definitionem ferri in genus propriè:contingit enim definitum non conuenire cum aliis in aliquo conceptu vniuoco; ſed analogo. Nomine autem generis intellige prædicatum commune quidditatiuè, vt Deus non conuenit vniuocè cum aliis in conceptu entis; nec ſubſtantia cum accidente;cum tamen Deus,ſubſtantia & accidens queant definiri. Ratio à priori, quia definitio tantum exigit attingere quidditatem definiti: quæcumque illa ſit. Oportere autem differentiam attingi eſt per ſe notum,alioquin cognitio non attingeret eſſentiam definiti,quæ differentiam includit. Item non attingeret definitè obiectum, ſed vagè, atque confuſè. Vnde conſtat definitionem phyſicam *eſſe cognitionem explicantem obiectum, vt eſt phyſicè*: metaphyſicam verò eſſe *cognitionem explicantem obiectum, vt eſt logicè compoſitum ex genere & differentia*.

§.10. Item obſerua Ariſtotelis doctrinam. cap.7. met. c.4. definitionem ſimpliciter ſolis conuenire ſubſtantiis, accidentibus autem non ſimpliciter; ſed ſecundum quid. Verba Ariſtot. *An definitio quoque, vt & ipſum quid eſt multipliciter dicitur? Etenim ipſum quid eſt, vno quidem modo ſubſtantiam, & quod quid ſignificat, alio verò ſingula eorum, quæ prædicantur, quantitatem,qualitatem,& quæcumque cætera talia ſunt,* & infra, *etenim interrogare poſſumus, quid eſt ipſum quale? Quare & ipſum quale eſt eorum,quorum eſt quid eſt; non tamen ſimpliciter.* Qua doctrina frequenter vtitur S.Thom. aſſerens ſolas ſubſtantias ſimpliciter definiri, accidentia verò, & entia per accidens non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

§.11. Hæc autem doctrina valde eſt preſſa: accipit enim ens ſimpliciter pro ſola ſubſtantia. Negari autem non poteſt accidentia ſua habere quidditatiua prædicata,id eſt, proprias differentias, & conceptus communes; quibus cognitis cognoſcantur accidentia, & quibus ignoratis ignorentur; definitio enim albedinis eſt *color diſgregans viſum*. Ita vt albedo ignoretur, niſi illi duo conceptus apprehendantur: item triangulus definitur à geometra, numerus à mathematico, ſyllogiſmus à logico, & exercitus à politico. Conſtet ergo de re hac, poſſe quamlibet rem ſuo ordine definiri per conceptus communes, & particulares. Reliqua verò quæſtio eſt de nomine; de qua nonnihil egi diſput.10.met. ſectio.2.

§.12. Potiori iure dubitari poteſt, vtrùm genera definiri poſſint? Nam genus nihil eſt quàm indiuiduum cognitum confusè, & inadæquatè, ſed cognitio confuſa, & inadæquata obiecti, non poteſt eſſe illius definitio (vt ex terminis patet:) ergo genus non poteſt definiri. Dices primo, partem definiri poſſe:genus autem eſt pars metaphyſica ſpeciei, ergo poteſt definiri. Sed diſtinguo maiorem, pars phyſica definiri poteſt, concedo maiorem: pars logica, nego maiorem. Præſto eſt ratio, quia pars phyſica habet eſſentiam realiter diſtinctam ab aliis, quæ per propriam cognitionem poteſt adæquatè cognoſci; pars autem logica eſt idem à parte rei cum toto, & cæteris partibus, ac proinde non cognoſcitur adæquatè, dum cæteræ partes ignorantur. Immo in ipſo conceptu partis logicæ cernitur repugnantia, vt definiatur, quia eo præciſe eſt logica pars, quia cognoſcitur inadæquatè, atque confusè.

§.13. Dices ſecundo, poſſe conſiderari totum, vt totum, ſic autem definitio generis non eſt ſimpliciter definitio totius: nam definitio animalis non eſt definitio hominis,vel poteſt conſiderari conceptus genericus, vt clarè cognoſcitur abſtractum ab ſpeciebus, ſic autem definiri poteſt, quia habet quidditatiua prædicata, quæ definitiones explanant. Fateor hac ratione genera definiri, ſi qua definiri poſſunt, verum illa reduplicatio, genus in quantum genus,eſt (vt aiunt) additum diminuens; quia genus in quantum genus cognitum clarè,eſt totum obiectum inadæquatè cognitum: & omnia eius quidditatiua prædicata ſunt inadæquata ſpeciei. Ne autem communem ſenſum deſeramus, dicendum, genus definiri ſimpliciter, quia attinguntur prædicata, quibus quidditatiuè conuenit, & differt ab aliis conceptibus.

§.14. Non definiri indiuidua ait S. Thomas; rationem arbitror eſſe, quia indiuidua præter cóceptum ſpecificum nullam addunt ſpecialem differentiam; ſed tantum logicè accidentariam. Definitio autem eſt conceptus quidditatiuus etiam logicè, ac proinde non vagatur per indiuidua. Verum negari non poteſt indiuiduis definitio ſubſtantialis: & quidem eſſentialis phyſicè: eſt enim de eſſentia huius hominis hæc anima cum hoc corpore, immo & eſſentialis metaphyſicè: nam hoc animal & hoc rationale ſunt primi huius hominis conceptus; ac

Digitized by Google

ac proinde quidditatiui, logicè autem non dicuntur quidditatiui in ordine ad diuerſum prædicabile conſtituendum, in quo ſenſu loquitur S.Thomas, quia in ordine ad prædicationem ſola ſpecies eſt tota eſſentia; ſi autem indiuidua rectè poſſent penetrari, illorum definitio eſſet omnium perfectiſſima, quia nulli ali rei eſſet communis, ſuóque obiecto perfectiſſimè terminos figeret.

§.15. Definitio diuidi ſolet in definitionem, *quid nominis*, & definitionem, *quid rei*, de hac egimus hac ſectione: illam rectè ait S.Thomas eſſe explicationem ſignificationis nominum. Explicamus enim quid nomina ſignificent, v. g. quid ſignificent hæ voces, *homo*, *leo*. Ad quod non exigitur ſignificatio quid rei, licet enim ego ignorem conceptum quidditatiuum leonis, poſſum ſcire illum ſignificari hac voce, *leo*, quotidie enim experimur nos ſcire vocum ſignificationes, & ignorare conceptum quidditatiuum obiectorum, ſcio enim hac voce, *canis melitenſis* exiguum canem ſignificari, & tamen neſcio, vtrùm ſpecie differat à moloſo.

SECTIO III.

Vtrùm definitio ſit modus ſciendi?

§.16. Ratio dubitandi eſt, quia modus ſciendi eſt clara, & expreſſa cognitio rei, quæ obſcurè cognoſcitur per aliam, v.g. definitio, vt ſit modus ſciendi, debet à definito diſtingui, non ex parte obiecti, quia definitio obiectiua, & definitum ſunt idem à parte rei, quia cum aliqua re nihil eſt magis idem, quàm eius eſſentia: debent ergo diſtingui (vt monet S.Thomas) ex parte intentionum, id eſt, cognitio de definitione debet diſtingui à cognitione de definito, v. g. cognitio de animali rationali à cognitione de homine: ſed hæ cognitiones diſtingui non poſſunt, nec cognitio definitionis explicat definitum, magíſque cognitio eiuſdem definiti: ergo definitio non explicat clarè, quod definitum dicit confusè, ac proinde nec erit ignoti manifeſtatiua, nec modus ſciendi.

§.17. Definitionem à definito non differre, ſic probo: quia cognitio definiti attingit clarè atque diſtinctè genus, & differentiam obiecti: nam actus, quo ego cognoſco hominem, repræſentat hominis eſſentiam, alioquin non attingeret hominem: ſi quis enim non format conceptum de hominis eſſentia, qua ratione de homine conceptum efformat? Eſſentia autem hominis, eſt genus & differentia: ergo ille actus attingit genus, & differentiam.

§.18. Dices illum actum eſſe obſcurum circa genus, & differentiam; quia repræſentat totum confusè continens partes; definitionem autem verſari circa genus & differentiam clarè, atque diſtinctè; quia verſatur circa partes totius; vt ſi quis domum apprehendit, verſatur confusè circa illius partes, ſecus verò quando illas particulatim attingit. Contra; cognitio definiti clara, atque diſtincta verſatur circa genus & differentiam; quia per illam ego cognoſco clarè atque diſtinctè hominem, e. g. nam quando ego cognoſco hominem, verè illum diſtinguo à non homine, alioquin non tam cognoſcerem hominem, quàm aliud commune homini, & non homini.

§.19. Cuius oppoſitum apertè cernitur: quia, quando ego concipio hominem, non concipio ſolam rationem communem hominis, nam ſi illam conciperem, ineptè illam definirem per animal rationale: ergo per illum actum clarè cognoſco rationalitatem hominis. Patet conſequentia, quia, niſi per illam clarè cognitam, non poſſum clarè cognoſcere hominem, vt diſtinctum à non homine; ſicut non poſſum clarè cognoſcere album, vt album, quin clarè cognoſcam albedinem; quia rationalitas eſt ratio formalis per quam homo differt à non homine, ſicut albedo eſt ratio albi: repugnat autem effectum formalem clarè cognoſci, quin forma clarè noſcatur. Ad exemplum de domo reſpondetur eam poſſe clarè cognoſci adæquatè; ſic autem includit cognitionem claram ſingularium partium: vel cognoſci clarè inadæquatè; ſic aliqua pars cognoſcitur clarè; cæteræ confusè. Tandem qua ratione cognoſcitur totum, cognoſcuntur, & partes; quia totum, & partes ſunt idem.

Dices ſecundò, cognitionem definiti non eſſe cognitionem communem, ſed particularem definiti: obſcuram tamen, atque confuſam; cámque differre à cognitione communi, quia communis repræſentat inferiora mediatè, atque remotè; hæc verò repræſentat genus, & differentiam immediatè: Itaque conueniunt in confuſione obiecti: differunt tamen in immediatione, & mediatione. Definitio vero repræſentat definitum clarè, atque diſtinctè ſecundum genus, & differentiam. Contra patebit diſputat. 5. Metaphyſicæ ſect. 10. omnem cognitionem vniuerſalem terminari ad omnia inferiora immediatè, & confusè, ac proinde idem erit cognitio communis, & cognitio definiti; quia vtraque eſt immediata & confuſa ſui obiecti. Deinde in communiori ſententia ens immediatè includit ſubſtantiam, & accidens; quæ confusè, & immediatè repræſentantur, & tamen diuerſus eſt conceptus de ente vt ſic à conceptu de ſubſtantia; quo ergo differunt, niſi quia cognitio de ſubſtantia eſt clara? §.20.

Tertiò probo, reſponſum hoc manifeſta implicari contradictione: nam illa cognitio definiti, ita eſt propria hominis, vt per illam nihil commune repræſentetur: ergo illa cognitio eſt diuiſio hominis à non homine. Patet conſequentia, quia tunc vnum obiectum ratione diuiditur ab alio, quando clarè cognoſcitur, vt ab alio diſtinctum: quemadmodum tunc fit vnum cum aliis, quando cognitione confunditur cum illis (vt latè probabo diſputatione 5. Metaphyſic. ſect. 9.) ergo illa cognitio definiti clarè obiectum cognoſcit, quia illud diſcernit ab aliis; tunc enim obiectum ab alio diſcernitur, quando cognitio terminatur ad illud ſolum, tunc enim cognitio non eſt communis, ſed particularis. §.21.

Confirmatur, quia illa cognitio definiti aliquid repræſentat clarè, atque diſtinctè; quod non repræſentat conceptus communis, alioquin non poſſet differre à conceptu communi: Ideò enim repræſentat immediatè ſolum definitum, quia clarè videt in obiecto aliquid, quod non poteſt eſſe commune; nunc enim, diſputationis ergo, admitto conceptum communem remotè terminari ad inferiora, conceptum verò definiti immediatè ad illud terminari. Probo autem hoc diſcrimen oriri ex clara notitia definiti. Nam ſi nihil particulare clarè repræſentat hic actus, vnde illi oritur, vt adſtringatur ad hominem ſolùm, & non ſit communis animali vt ſic? quemadmodum eſt communis alia cognitio, quæ nil hominis ſingillatim repræſentat. Itaque cognitionem communem remotè terminari ad ſingularia oritur, quia nihil in particulari cognoſcitur, ſed illa tantum clarè cognoſcuntur, in quibus ſingularia conueniunt: cognitionem autem definiti eſſe immediatam oritur, §.22.

tur,

tur, quia clarè cognoſcitur diſcrimen definiti ab aliis. Quo ergo differt à definitione? ergo vterque actus repræſentat obiectum ratione eadem, ac proinde non diſtinguentur definitum ac definitio.

§.13. Præterea, non poteſt concipi ratio inferior ſine ſuperiori; quia per illam conſtituitur: ergo nec ſpecies ſine genere. Nec item ſine differentia; quia concipitur genus, vt contractum; quod efficitur per differentiam. Tandem quo pacto cognoſcitur totum, & partes cognoſcuntur.

§.14. Præmoneo, hominem bifariam poſſe cognoſci, vel per connotata valde extrinſeca conceptui quidditatiuo, vel quę illi eſſentialiter annectũtur. Exempli gratia, homo habet corporis habitum, & accidentia, quæ ex natura rei in nullo reperiuntur alio, vt hoc genus organorum, faciei, manus, corporis proceritatis, & rectitudinis, hæc accidentia pariunt euidentem notitiam, ſubſtantiam illorum eſſe hominem; vnde illa notitia eſt hominis in particulari, & non alterius rei, nec poteſt eſſe aliis communis. Alia accidentia homini inſunt, quæ magis explicant hominis naturam; verbi gratia, ſenſio, atque diſcurſus: nam quia ſenſio eſt actus ſecundus ſubſtantiæ animalis ſenſitiuæ, ideò magis eam explicat: quia potentia ſenſitiua, vt ſenſitiua, connotat eſſentialiter actum ſentiendi: itidem diſcurſus eſt actus ſecundus ſubſtantiæ rationalis vt rationalis: quia magis propriè connotatur per cõceptum quidditatiuum rationalitatis, quàm alia accidentia corporea.

§.15. Hinc patet, poſſe conſeruari diuinitus totam collectionem accidentium corporis ſine anima, & cum alia forma: neque inferri conſequentiam immediatam, & formalem ab his ad hominem, ſed tantùm remotam: nam quia hæc organa ſeruiunt ſenſioni, & diſcurſui, inferunt cognitionem facultatis ſentientis, & diſcurrentis; at nec ſenſio, nec diſcurſus poſſunt eſſe ſine ſuis facultatibus; ad quas ab illis infertur immediata conſequentia. Item licet Deus produceret ſubſtantiam affectam iis accidentibus, non ſequitur eam eſſe hominem; ſi autem ſubſtantia eſt ſenſitiua, & diſcurſiua, non poteſt non eſſe homo. E quibus deduco cognitionem hominis ortam ex ſolo corporis habitu, non eſſe quidditatiuam, nec cognitionem claram animalis rationalis, vt ſunt animal & rationale: cognitionem autem, per quam concipio hominem ſentire poſſe, atque diſcurrere, eſſe expreſſam notitiam animalis, & rationalis; quia per actum ſecundum cognoſcitur clarè potentia, vt potentia.

§.16. Cognitio ergo definiti eſt clara de aliquibus accidentibus, aut connotatis primi generis, quæ non ſunt immediatè & eſſentialiter annexa animali; & rationali: definitio verò eſt clarà notitia eorum connotatorum, per ordinem ad quæ eſſentialiter conſtituitur obiectum: quæ accidentia non penetrantur per cognitionem definiti; vnde definitio eſt clarior, & expreſſior cognitio eſſentiæ obiecti, quàm cognitio definiti. Hinc enim clarè patet formaliorem, & expreſſiorem conceptum formari de hominis eſſentia; quando concipitur eſſe capax rationis, aut videndi Dei, quàm cum concipitur, vt principium corporis recti, atque proceri. Hæc enim cognitio non facit cognoſci immediatè, & formaliter intellectum, ſicut altera.

§.17. Ad argumentum ergo §.17. reſpondetur, vtroque actu cognoſci hominem clarè atque diſtinctè (vt euidenter probatur ibidem) ſed diuerſa ratione, nam per actum definiti cognoſcitur eſſentia hominis clarè in ordine ad accidentia propria quidem, (quo differt à conceptu communi) ſed quæ ſola non explanant eſſentiam hominis perfectè; at definitione explicatur eadem eſſentia per ordinem ad alia accidentia, ex quibus perfectius cognoſcitur eſſentiam hominis eſſe capacem rationis. Immo per ordinem ad ſola hæc cognoſcitur hominis rationalitas; per alia autem accidentia corporea non immediatè, ſed per diſcurſum, eaque propter definitio dicitur contineri confusè in definito; quia eſſentia cognita per ordinem ad accidentia imperfecta, poſtea explanatur, & explicatur per ordinem ad alia perfectiora, quæque magis propriè, & immediatè connotantur. Nam ſentire, & diſcurrere ſunt finis aliorum accidentium. Hæc autem ſunt media, verbi gratia, organa ſenſoria ad hauriendas ſenſilium ſpecies; ab his igitur accidentibus, quæ ſunt cæterorum finis, explicatior ſumitur notitia rei definitæ, formalior, & immediatior.

SECTIO IV.

Leges definitionis.

Definitio primùm debet conuerti cum ſuo definito, id eſt, ſunt termini pertinentes ſequela, definitio, & definitum; quia ab vno ad alterum valet conſequentia affirmatiuè; & negatiuè, vt hæc. *Eſt homo, ergo eſt animal rationale.* Item *eſt animal rationale, ergo homo*: & hæc, *non eſt homo: ergo nec animal rationale.* Ratio à priori eſt, quia definitio eſt rei eſſentia, quæ illi, cuius eſt eſſentia, conuenit, & non aliis. In qua regula continetur ſecunda, ſcilicet, definitionem debere conuenire omni definito. Nam quæ conuenit aliis, vel non conuenit omni, eſt mala, vt ſi quis dicat, *homo eſt viuens ſenſibile*, eſt vitioſa, quia conuenit leoni; & hæc, *animal eſt viuens reptile*, quæ non conuenit omni animali. Ratio huius vitij eſt, quia talis definitio non rectè explicat totam naturam definiti. Et in hac ſecunda regula continetur tertia, ſcilicet, à definitione ad definitum, & à definito ad definitionem valere conſequentiã. Ratio eſt, quia definitio & definitum ſunt termini conuertibiles. Quarta regula, definitio debet eſſe clarior ſuo definito, propria, & non metaphorica: nam obſcura & impropria, eſt vitioſa, vt hæc. *Somnus eſt imago mortis. Homo eſt arbor inuerſa*; quæ definitiones aptiores ſunt poëtis, & oratoribus quàm dialecticis, quibus inepta eſt omnis locutio, præter breuem & claram. §.28.

Quinta regula, definitio debet dari per genera immediata; vt hæc. *Homo eſt animal rationale*: nam, quæ dantur per genera remota ſunt vitioſæ, & obſcuræ, vt hæc, *homo eſt ſubſtantia rationalis.* (vt iam dixi ſect.2.) Igitur ea definitio, quæ his proprietatibus conſtat, eſt bona; ſi verò ei defecerit aliqua ex iſtis, eſt mala. Si quis autem interrogauerit, *quæ eſt hæc definitio*? Reſponde, *phyſica*, aut *metaphyſica*. Interroganti autem, *qualis eſt?* Ne reſpondeas, *vera*, vel *falſa*, ſed *bona*, vel *mala*: quia poteſt definitio eſſe mala, & vera, quia curta, aut ſuperflua: quæ autem eſt bona, ſemper eſt vera. Aliqui dicunt eſſe aliquas definitiones, quæ dantur per proprietates, vel accidentia, vt hæc, *homo eſt animal riſibile*, quibus ego non acquieſco, quia illæ non ſunt definitiones, ſed deſcriptiones; ſi autem placuerit eas vocare definitiones deſcriptiuas, voca; ſed id facies impropriè. §.29.

SECTIO V.

De diuiſione.

§.30. VT diuiſio logica percipiatur, obſeruandum, eam ita nuncupari per tropum à diuiſione phyſica. Phyſicè res diuiditur, quando abiunguntur duæ partes mutuo vnitæ. Exempli gratia, hominis interitu abiunguntur corpus, & animus; ſectionéque ligni ſeparantur partes, quæ prius erant continuæ. Eſt igitur diuiſio phyſica, carentia vnionis inter duas res, ſiue duarum rerum ſeparatio. Huic opponitur vnitas, qua duæ res copulantur, efficiuntque compoſitum vnum, vt in homine ab inferis reuocatione anima & corpus copulantur, conſtantque hominem.

§.31. Hinc logicus dicitur mente vnire, atque diuidere obiecta: ea vnit, cum vno actu ita confusè eadem attingit, vt non poſſit ea diſcernere cogitatu: ſed in omnia fertur ſine diſcrimine, ac ſi eſſent vnum, verbi gratia, cognoſcit hominem, quin diſcriminet Petrum à Paulo, aut vllum indiuiduum ab aliis. Illa cognitio dicitur adunare hominis indiuidua, & repræſentare ea ſub vna ratione communi: item apprehendit hominem, non percipiens clarè corpus, & animam; hæc cognitio adunat eas partes, quia non diſtinguit cogitatus alteram ab altera.

§.32. Quod clarius patet in diuiſione, qua vna res ſecernitur ab alia; ea enim dicuntur diuidi, quæ clarè, atque diſtinctè cognoſcuntur, vt diſtincta: quemadmodum enim ſectio ligni efficit, vt duæ partes, quæ prius erant vnum per compoſitionem, deinceps ſint diuulſæ, & plura compoſita; ita cognitio clara ſecernit vnum obiectum ab alio, & efficit, vt ſint totalia obiecta duorum actuum, cùm priùs eſſent obiectum vnius confuſi. Qua de re latè diſſeritur diſp. 10. Metaph. ſect. 7. & 10.

§.33. Diuiſio communiter definitur, *conceptus manifeſtans obiecti eſſentiam per partes.* Prima definitionis parte cenſetur cum definitione conuenire; poſteriori vero ab eadem differre (de quo ſectione ſequenti.) Nonnulli arbitrati ſunt diuiſionem haud eſſe modum ſciendi. Primum, quia Ariſtot. ſolius definitionis meminit, ac demonſtrationis. Secundo, quia non tam explicat, quid ſit res, quàm quid non ſit. Verum Ariſtoteles ſolius meminit definitionis, quia (vt rectè ait Pater Fonſeca. primo inſtitutionum dialecticarum, cap. 4.) diuiſionem non diuiſit à definitione.

§.34. Ad ſecundum reſpondetur, modo ſciendi ſufficere clarè manifeſtare attributum (quale eſt id, quod obiicitur in argumento; nempe diſtinctio vnius rei ab alia) quod prius confusè concipiebatur, licet non manifeſtet eſſentiam, vt patet in argumentatione, qua parte à definitione diſtinguitur; diuiſionem autem eſſe modum ſciendi, & clariorem diuiſo probatur apertè.

§.35. Primum enim res diuidi poteſt in partes, quibus phyſicè componitur, verbi gratia, homo in corpus & animam: ſi enim quis apprehendat hominem, at dubitet, ſit ne ſubſtantia ſimplex? an compoſita? nonne ea ignoratione purgabitur, ſi euidentur ſciat homini ineſſe duas partes; alteram corpus, alteram animum rationalem? Id autem diuiſione præſtatur, qua aſſeritur hominis partes eſſe corpus, & animum. En diuiſum eſt *homo: corpus* autem, & *animus*, ſunt partes diuidentes: ergo diuiſio hominis in partes phyſicas manifeſtiùs eum repræſentat, quàm cognitio diuiſi, ergo eſt modus ſciendi eſſentiam obiecti manifeſtans.

Secundò probatur in diuiſione metaphyſica, ſeu logica ipſius hominis, id eſt, quæ fertur in partes; quibus imponitur logicè, ac metaphyſicè; non verò à parte rei. Si quis enim ignorat, quos conceptus claudat homo; ſciet apertè, ſi nouerit alterum eſſe animal, alterum rationale, qua de re nulli dialectico licuit dubitare. Conſpiciturque apertius in diuiſione rationis communis in inferiora. Homo enim cognitus confusè conceptu communi, clarius concipitur in inferioribus clarè cognitis, in quibus ratio communis includitur eſſentialiter, quia cognitio inferiorum eſt etiam cognitio rationis communis: & ratio communis, qua ignoratur ſit ne Petrus? an Paulus? deinceps cognoſcitur clarè eſſe Petrus, & Paulus: quia inferiora ſunt partes ſubiectiuæ, de quibus ratio communis prædicatur. §.36.

E quibus patet apertè diuiſionem eſſe modum ſciendi; & ignoti manifeſtatiuam. Colligitur præterea omnem diuiſionem ferri in partes alicuius compoſiti, ita vt cognitio de diuiſo terminetur confusè ad compoſitum; cognitio verò de diuiſione obiectiua, ſiue de membris diuidentibus, terminetur clarè ad partes eiuſdem compoſiti. Exempli gratia, in diuiſione phyſica hominis in corpus & animam; & metaphyſica in animal & rationale; & logica in Petrum & Paulum: oſtendi enim diſputatione 4. inferiora eſſe partes ſubiectiuas contentas ſub ratione communi, quæ vocatur totum poteſtatiuum; quia de ſingulis poteſt prædicari, & non de vno ſolo ex inferioribus; & quia cognitio confuſa, & vniuerſalis ad omnia inferiora immediatè terminatur; ſingula ſunt obiectum partiale; ratio autem communis, quia omnia ſingularia amplectitur, eſt obiectum totale, & adæquatum. §.37.

En quo pacto omne diuiſum ſit totum, membra verò diuidentia ſint partes: vt enim phyſice nihil ſecatur, niſi in partes, quibus componitur: idem, proportione, logica diuiſione contingit, vnde aſſerere Petrum eſſe hominem, & Phebum eſſe equum, non eſt diuiſio, niſi diuidatur communis ratio animalis in Petrum & Phebum; quando autem dicitur, oculorum alter eſt dexter, alter ſiniſter: diuiditur ratio communis oculi confusè cogniti, alioquin non eſt diuiſio. Item aduerte totidem eſſe diuiſiones, quot compoſitiones, logicam, vt rationem communem diuidere in inferiora: vel compoſitum logicum in ſuos conceptus; vel metaphyſicam, in naturam, & ſubſiſtentiam; vel phyſicam, in partes eſſentiales, vel etiam in integrales ſimilares, aut diſſimilares. Illa autem diuiſio erit eſſentialis, quæ attingit prædicata eſſentialia. Cæteræ verò vel accidentariæ, vel ſubſtantiales pro dignitate obiecti, quo differt à definitione. Hæc enim ſimpliciter fertur in eſſentiam; diuiſio verò in quaſcunque partes cuiuſuis compoſiti; quod prius fuerit cognitum confusè. §.38.

SECTIO VI.

Vtrum diuiſio differat à definitione?

DIuiſionem eſſentialem non eſſe modum ſciendi à definitione diſtinctum ſemper in animum induxi. Nam actus intellectus verſantes circa idem obiectum modo eodem, non conſtituunt diuerſos modos ſciendi formales, quia hi nihil ſunt §.39.

præter

præter actus; de qua propoſitione nemini dubium, ſed diuiſio, & definitio eſſentialis verſantur circa idem obiectum modo eodem: ergo non conſtituunt diuerſos modos ſciendi; probo minorem: quia vtraque verſatur circa eaſdem partes eiuſdem eſſentiæ clarè atque diſtinctè. Definitio enim explicat eſſentiam rei compoſitæ per partes: diuiſio autem idem præſtat. Quod patet exemplo, ſiquis enim definiat hominē eſſe compoſitum ex corpore & animo rationali: quo differt à diuidente eum hominem in corpus & animum rationalem? Nonne vterque clarè apprehendit diuiſione eaſdem partes, quas definitione?

§.40. Dices primo vtroque actu attingi vtramque partem clarè, ſed modum eſſe diuerſum; quia definitio vtramque partem quaſi componit hoc pacto. *Homo conſtat corpore & animo.* Vbi componitur vna pars cum altera: diuiſio autem ſeparat vtramque, hac ratione: *hominis alia pars eſt corpus, alia animus.* Puerilis mihi videtur hic ludus, & illuſio. Qui enim ait, *homo componitur ex duabus partibus, corpore*, videlicet, & *animo*: hominem definit; illa autem phraſis quo differt ab hac. *Compoſitus homo habet vnam partem corpus; alteram animum*? & quidem hæc eſt diuiſio, iocatur equidem, qui cenſet non eſſe idem, *Petrum componi corpore & animo, & Petri partes eſſe corpus & animum vnita.* Nam qui dicit partes, & vnionem, dicit compoſitionem, & qui compoſitionem dicit, multitudinem partium dicit.

§.41. Quod dicitur de modo compoſitionis, non explicatur, nam vterque actus eſt compoſitio, ſiue iudicium; vterque affirmat in toto eſſe eaſdem partes, definitio autem diuidit, etiam partes definitionis obiectiuæ, etiam (vt patet ex §.30.) actus confuſus eſt vnio, ſiue vnitas obiecti: quia eius partes non penetrat clarè; clara autem cognitio eas attingit, ac diuidit, eſt ergo idem diuidere obiectum cognitione in ſuas partes, & illas clarè cognoſcere, de quo latius diſputatione 5. Metaphyſicæ, ſect. 7. & 10.

§.42. Dices ſecundo, definitione explicari rei eſſentiam; diuiſione autem eius diſtinctionem ab aliis, vt aiunt Conimb. q. 6. proœmial. art. 1. §. *Tertio ſi ita eſſet.* Contra, diuiſio eſſentialis non eget notitia aliarum rerum à diuiſo diſtinctarum, magis quàm definitio; ſi enim quis cognoſcat corpus & animam rationalem; & nihil aliud; poterit hominem in ea diuidere; quemadmodum & per eadem definire. Item definitio vocatur ab Ariſt. *terminus*, quia cognoſcit in obiecto propriam eius differentiam, per quam diſcriminatur ab aliis: ergo tam definitio, quàm diuiſio attingunt rationem, per quam obiectum differt ab aliis: conſiderare autem vtrum differat actu? non eſt definire ac diuidere, ſed conſiderare diſtinctionem, quæ conſideratio non requiritur ad definitionem, nec diuiſionem eſſentialem; ſed potiùs eas ſequitur.

§.43. Idem iudicium eſt de diuiſione integrante, id eſt, quæ fertur in partes integrantes, quæ eſt definitio continui. Item diuiſio per partes affectas accidente eſt deſcriptio. Sola diuiſio rationis communis in ſua inferiora non eſt definitio eiuſdem rationis communis. Animal enim eſſe rationale & irrationale, non eſt definitio animalis; hoc enim concipitur abſque rationali, & irrationali, & quidem ſola hæc eſt logica diuiſio, cæteræ impropriè dicuntur diuiſio.

§.44. Hæc autem diuiſio logica, eſt definitio diuidentium extremorum; diuiditur enim animal in rationale, & irrationale: rationale animal eſt definitio hominis; irrationale vero eſt definitio bruti. Ratio à priori, quia non poteſt ratio communis diuidi in ſua inferiora, niſi euidenter cognoſcantur & ipſa ratio communis & differentiæ inferiorum; cognitio autem clara de ratione communi & differentia propria, eſt definitio ſpeciei, quia fertur in genus & differentiam; nec intellectus alia ratione diuidit niſi cognoſcendo clarè differētias: nec item alio modo definit. Eſt ergo diuiſio logica, duplex definitio duarum ſpecierum.

Vnde conſtat diuiſionem eſſe modum ſciendi diſtinctum à definitione, ſi conſiderentur circa diuiſum: at vero circa extrema diuidentia, non diſtinguntur diuiſio logica, & extremorum definitiones; quia verò comparatio eſt ad idem definitum, atque diuiſum; dicendum eſt, eas eſſe duos modos ſciendi diſtinctos, & vtrumque poſſe ſine altero reperiri, definitionem animalis. E.g. ſine diuiſione; ſicque conciliaberis communi ſenſui admittenti tres modos ſciendi. Hac autem diuiſione via præmunitur ad definitionem. Exempli g. animal diuiditur in hominem, & brutum; hinc autem arripiet quis hominem, ac definiet eum eſſe animal rationale. Si autem diuiſio expreſsè feratur in rationalitatem, tunc non parat viam ad definitionem, ſed eſt ipſiſſima definitio. Vide quæ ſect. 5. dixi de definitione & definito, quæ huic ſunt communia doctrinæ. §.45.

SECTIO VII.

Leges diuiſionis.

PRima lex diuiſionis eſt, vt diuiſum contineat in ſe omnia extrema diuidentia: nam ſi aliquod extremum diuidens non contineatur ſub diuiſo, eſt mala diuiſio, vt hæc, *Animal aliud homo, aliud Angelus,* quia Angelus non eſt animal. Hinc ſequitur omnia extrema diuidentia debere participare rationem diuiſi. Diuiſum vocatur res, quæ diuiditur; diuidentia membra vocantur partes, in quas diuiditur. Secunda regula; diuiſum non eſt conuertibile cum ſingulis diuidentibus: quia terminus ſuperior & inferior non ſunt conuertibiles: nec item pars phyſica cum toto, quamuis differentia, quæ eſt pars logica, eſt conuertibilis cum ſpecie. At verò omnia diuidentia ſimul, ſunt æqualia diuiſo; nam homo, leo, & cætera animalia non patent latius quàm animal. Hinc ſequitur tertia lex, ſcilicet membra diuidentia eſſe diſtincta inter ſe; alioquin vitioſa eſt diuiſio, vt hæc, animal aliud homo, aliud rationale. Item ne vnum extremum diſtinguatur realiter ab aliis, cætera autem ſola ratione, ſed vel omnia ratione, vel omnia realiter, vt de diuiſione entis probabo diſp. 9. metaphyſ. ſect. 3. §.46.

A diuiſo ad vnumquodque extremum diuidens non valet conſequentia, vt hæc, *eſt animal, ergo eſt homo*, quia à ſuperiori ad inferius affirmatiuè non valet conſequentia: at verò valet ab vnoquoque diuidente ad diuiſum, vt hæc, *eſt homo: ergo eſt animal*, quia valet affirmatiuè conſequentia ab inferiori ad ſuperius. Item non valet conſequentia ab vno diuidenti ad aliud, vt hæc, *eſt leo, ergo eſt homo.* At vero à diuiſo valet conſequentia ad vnum extremum diuidens, cæteris ex punctis, vt *eſt animal, & non eſt leo, neque equus, &c. ergo eſt homo*, quæ conſequentia dicitur à ſufficienti partium enumeratione; quia cæteris excluſis, non manet quid ſit animal, præter hominem: at verò à ſingulis extremis §.47.

negatis

negatis rectè valet negatio diuiſi, vt hæc, *non eſt terra, neque aqua, neque ignis, neque aër, ergo non eſt elementum*; at vero ab vno ſolo negato non bene negatur diuiſum, vt hæc, *non eſt terra, ergo non eſt elementum,* quia poteſt eſſe aër.

§.48. Dices, bonum diuiditur in honeſtum, vtile, & delectabile, & tamen ab vno membro diuidente ad aliud rectè valet conſequentia: ergo falſò dicimus ab vno diuidente ad aliud non valere conſequentiam. Probatur minor, quia virtus eſt bonum honeſtum, & etiam eſt delectabile. Item & eſt vtile: ergo bona erit hæc conſequentia, bonum honeſtum eſt bonum vtile. Reſpondeo, bonum diuidi in vtile, quod pertinet ad pecunias, & bona fortunæ: & in delectabile, ſcilicet, de delectamento corporeo: & honeſtum, ſcilicet, de honore. Vnde virtus tantum participat vnam rationem diuiſi; quia non habet oblectationem corpoream, neque vtilitatem pecuniariam, ſed habet oblectationem, & vtilitatem ſpiritualem. Si quando verò homo virtuoſus pecuniis abundat, ſequitur hoc per accidens ex virtute, & non per ſe. Vnde reſpondetur argumento non valere talem conſequentiam. Vel dicendum eam non eſſe propriè diuiſionem boni, ſed quemdam modum illud explicandi, de quo diſp. 13. de anima.

§.49. Diuiſio autem dicitur bona, ſi his legibus conſtituatur, ſi ſecus, dicitur mala. Interroganti autem quæ eſt hæc diuiſio? Reſponde quid nominis, aut quid rei. Item phyſica, vel metaphyſica, per partes integrales, vel eſſentiales.

SECTIO VIII.

In qua fiat diuiſio?

§.50. Diuiſio totius actualis fit in partes, è quibus componitur actu, v.g. diuiſio phyſica hominis in corpus & animam; metaphyſica autem in animal & rationale; nec enim totum diuiſum clauditur in parte diuidente, quia vnaquæque cognoſcitur actu, vt diſtincta adæquatè, cum enim dicitur hominis partem eſſe corpus: corpus diſtinguitur ab homine, quia homo includit animam ratione cuius diſtinguitur à corpore; idem reperitur in compoſitione ex genere & differentia: nec enim differentia continetur formaliter in genere, aut è contra; ſed adæquatè diſtinguuntur mutuo: ſpecies autem ratione diſtinguitur ab vtrauis, ratione alterius. Cum igitur diuiſio ſit clara cognitio totius ſecundum ſuas partes; totum ita diuiditur in eas, vt in nulla concipiatur adæquatè, ſed conceptus vtriuſque partis ſimul & vnionis ſit conceptus clarus diuiſi.

§.51. De diuiſione poteſtatiua in partes ſubiectiuas locus eſt controuerſiæ, id eſt, vtrum genus diuidatur in ſuas ſpecies? an verò in ſolas differentias? Itidem vtrum ſpecies diuidatur in indiuidua? an verò in indiuiduationes? animal, verbi gratia, in rationale, & irrationale? an autem in hominem & brutum? & quidem diuiſionem ferri in ſolas differentias; in ſpecies autem denominatiuè ratione earum; ſic probari poſſe videtur. Genus non diuiditur in ſe ipſum, nec in ſpecies ratione ſui, quia totum diuiditur in partes: ipſum autem non eſt pars ſui: ergo diuiditur in ſolas differentias, in ſpecies autem per denominationem à differentiis. Patet conſequentia, quia nihil eſt in quod diuidatur. Confirmatur, genus diuiditur in ſua inferiora: ergo formaliter diuiditur in rationem formalem, per quam conſtituuntur inferiora in ratione inferiorum, hæ autem ſunt differentiæ: ergo formaliter diuiditur in ſuas differentias.

Verum genus immediatè diuidi in ſpecies probatur apertè, quia totum diuiditur in ſuas partes, §.52.
ſed partes generis non ſunt formaliter differentiæ, ſed ſpecies ipſæ: ergo genus non diuiditur in differentias, ſed in ſpecies: maior propoſitio iam eſt alibi probata: minor patet, qui partes generis, in quas diuiditur, non ſunt actuales, ſed poteſtatiuæ, ſeu ſubiectiuæ, id eſt, ſunt partes ſubiecti, de quo prædicatur genus, eſt enim ſpecies, quæ ſubiicitur generi; & quia illi non ſubiicitur vna ſola, ſed plures ſpecies, ideo dicuntur partes ſubiectiuæ, id eſt, ſubiecta partialia, vt oſtendi diſput. 1. ſect. 1. & diſput. 4. ſect. 5. Sed generi in prædicatione directa non ſubiicitur differentia, quia genus de ea dicitur indirectè, ſed ſpecies illi ſubiicitur directè: ergo ſpecies ratione ſui, & non ratione differentiæ eſt pars generis: ergo in ſpecies, & non in differentias diuiditur genus.

Confirmatur, diuiſio generis in ſpecies eſt cla- §.53.
rior notitia ipſius conceptus generici, alioquin non eſſet modus ſciendi: ergo conceptus diuidens genus terminatur ad conceptum ipſum genericum, alioquin non eſſet clarior notitia illius: ergo diuiſio fertur in conceptum ipſum genericum, nec verò in eum ſolum, ſed etiam fertur in differentiam, quia illa maior claritas cognitionis oritur ex differentia, ergo diuiſio fertur in genus, & differentiam, quæ eſt tota ſpecies, quod patebit ex argumenti dilutione.

Ad argumentum ex §.51. reſpondetur, genus di- §.54.
uidi in ſe ipſum cum differentia. Ad probationem reſpondetur, genus confusè cognitum non eſſe partem ſui, clarè autem cognitum cum differentia eſſe partem ſui ipſius cogniti confusè. Nam illa ratio totius poteſtatiui, & partis ſumitur ex diuerſitate cognitionis claræ, & obſcuræ, quando obiectum cognoſcitur confusè, tunc amplectitur plura ſimilia; quando verò cognoſcitur clarè, tunc adſtringitur ad aliquod ex illis: hac autem cognitione clara cognoſcitur non ſolum differentia, ſed genus ipſum, alioquin genus non cognoſceretur clarè. Quid enim refert cognoſci rationale, niſi cognoſcatur eſſe idem realiter cum animali, & differentia illius? conſtet ergo actu diuidente cognoſci non ſolum differentiam, ſed etiam genus. Ad confirmationem diſtinguo conſequens, terminatur ad ſolam rationem inferioritatis, nego conſequentiam, alioquin genus non cognoſceretur clarè per diuiſionem: terminatur ad vtrumque conceptum repertum in inferiori, concedo conſequentiam.

Aduerte, in ſpecie reperiri conceptum generi- §.55.
cum, ratione cuius, genus dicitur de ſpecie directè; nam de differentia non dicitur directè, quia hæc eſt extra genus, & conſequenter ratione differentiæ genus non poterit de ſpecie directè prædicari. Item reperitur inferioritas, qua ſpecies minus patet genere. Hi duo conceptus conſtituunt ſpeciem inferiorem, & ſubiicibilem. Genus autem ratione differentiæ cognoſcitur clarius, quia ratione illius cognoſcitur eſſe idem cum illa: qua quaſi afficitur, vt materia per formam. Quare genus dicitur contrahi ad ſpeciem per differentias, quia ſunt cauſa clarioris notitiæ generis, & ſpeciei, nec mirum, conceptum communem diuidi in ſe, quia nihil eſt quàm clarè cognoſci in aliqua ſpecie, cum prius in nulla eſſet cognitum propter actus confuſionem, quo differt hæc diuiſio à phyſica ſectione,

ſectione, qua in nulla parte cernitur totum, quamuis conuenit, quia genus, vt eſt totum confuſum, nullo actu diuidente attingitur.

SECTIO IX.

De argumentatione in commune.

§.56. ARgumentatio eſt tertius modus ſciendi, ac præcipuus ſcopus dialecticæ diſputationis, quia dialectica format perfectum argumentatorem, ſicut rethorica oratorem. Eſt igitur argumentatio, *duæ aut plures propoſitiones, quarum vna ex alijs ſequi denotatur*, vt *Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, vbi aduerte deficiente nota illationis (quæ exprimitur per ly *ergo* aut *igitur*) nullam eſſe argumentationem, vt ſi dicas; *Petrus eſt homo: Petrus eſt animal:* non eſt argumentatio, quia deficit illa nota ſignificans dependentiam concluſionis illatæ à propoſitione antecedēti. Argumentatio communiter diuiditur in enthymema, dilemma, exēplum, & ſyllogiſmū. Dilemma eſt *argumentum cornutum*, ſic vocatur, quia complectitur duas partes, quarum altera conceſſa neceſſario deprehenditur reſpondens, vt ſiquis vult conuincere ſeruum inobedientiæ, ſic argumentatur, *aut iuiſti, quò ego tibi præcepi, aut non; ſi non iuiſti, ergo mentiris; ſi iuiſti, ergo vidiſti Ioannem, qui ibi erat: ergo etiam mentiris.* Quia igitur reſpondens altera parte neceſſario petitur, vocatur argumentum cornutum, ideſt bicorne, aut bimembre. Exemplum eſt *argumentum deſumptum ab alterius exemplo*, vt *iſte puer ſtudet litteris, ergo tu iam vir debes ſtudere.* Enthymema eſt *argumentatio, in qua ex vna ſola propoſitione denotatur ſequi altera*, vt *Petrus currit, ergo mouetur.* Syllogiſmus eſt *argumentatio in qua ex duabus propoſitionibus tertia ſequi denotatur.*

§.57. Verum hæc diuiſio craſſa eſt; atque rudis: quia exemplum, & dilemma neceſſario reducuntur ad enthymema, vel ſyllogiſmum. Item enthymema eſt ſyllogiſmus, quia ſemper ſubintelligitur ſecunda propoſitio, ideo enim vocatur ſyllogiſmus truncatus, ideſt, vna propoſitione minutus. Vnde non bene concludit, niſi explicetur propoſitio ſubintellecta; quare conſequentia enthymematis eſt materialis, & non formalis, quia ſequitur ratione materiæ & non ratione formæ. Dicitur enim conſequentia materialis illa, *quæ ſequitur ſolum ratione materiæ*, quia antecedens habet connexionem cum conſequenti, quæ conſequentia non eſt formalis, quia poſita eadem diſpoſitione terminorum non bene ſequitur conſequentia, vt *Petrus currit: ergo plorat.* Conſequentia formalis eſt, *quando propter diſpoſitionem terminorum in quacumque materia ſequitur eadem conſequentia* (vt iam dicam:) igitur ſolus ſyllogiſmus, eſt argumentatio, quia nulla alia quid probat, nec infert concluſionem, niſi in ſyllogiſmum formetur, vt probat Collegium Conimbr. 1. priorum, cap. 1. quæſt. 2. art. 3. §. *Sit vnica concluſio*, nihil inquam ratione formæ, eſto inferatur ratione materiæ.

SECTIO X.

Syllogiſmi definitio.

§.58. SYllogiſmus eſt perfectiſſimus modus ſciendi, quia amplectitur duos præcedentes, additque concluſionem ex illis deductam. *Syllogiſmos* Græcè, Latinè *ratiocinatio*, ſiue *diſcurſus*: quia mens ratione ducta probat, quod conatur. Cuius argumentationis vis adeo eſt perſpicua, vt ſi quis admiſſa vtraque propoſitione præmiſſa, neget concluſionem legitimè illatam, à rationali deficiat. Syllogiſmum definit Ariſtoteles 1. priorum cap. 1. *Ratiocinatio eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quippiam ab his quæ poſita ſunt, neceſſario accidit, eo quod hæc ſunt:* conſequenter autem ex hac definitione ſic definitur, *ſyllogiſmus eſt modus ſciendi, in quo quibuſdam poſitis aliud ſequi neceſſe eſt.* Modus ſciendi eſt quaſi genus, quo vltimo conueniunt diuiſio ac definitio & ſyllogiſmus. Nam oratio, per quam ab Ariſtotele definitur, remotius genus eſt: cum omnis modus ſciendi ſit oratio: at non eſt modus ſciendi quæuis oratio; res tamen eſt exigui momenti. Ariſtoteles enim ſolum voluit indicare diſcrimen ſyllogiſmi, quia includit deductionem neceſſariam vnius propoſitionis ex aliis.

Dicitur autem oratio, quia licet tres orationes includit, eſt tamen vna complexa oratio: eſt autem ſyllogiſmus ens per accidens includens tres actus re diſtinctos, quorum tertius neceſſario annectitur duobus præcedentibus, duo autem priores non ſunt mutuo nexi, ſed poſſunt abiungi: accipiunt tamen vnitatem, non quidem per phyſicam vnionem, ſed quia conſtant adæquatam cauſam motiuam ad concluſionem eliciendam, vocanturque medium. A qua coniunctione ad cauſandam concluſionem, & à dependentia huius à prioribus actibus omnes illi tres, ſcilicet duo inferentes & tertius illatus conſtant vnam orationem, & ſyllogiſmum. Quamobrem merito dixit Ariſtoteles eum eſſe orationem. §.59.

Addit Ariſtoteles, *in qua quibuſdam poſitis*, qua parte ſignificatur propoſitiones antecedentes, quæ præmiſſæ vocantur, debere eſſe plures quàm vnam, vt conſequentia ſit formalis; nam, ſi præmiſſa ſit tantum vna, eſt inſufficiens ad legitimā illationem. Hęc autem, quæ præmittuntur, poſſunt accipi & ex parte obiecti, circa quod ratiocinamur, & ex parte ipſorū actuū, quibus ratiocinamur. Ex parte obiecti debent præmitti duo prædicata, quæ habent idemtitatem realem cum vno tertio, quæ identitas priùs cognita ducat intellectum in concluſionem, in qua infertur idemtitas realis illorū prædicatorum inter ſe (vt patebit ſect. ſequenti.) ſi hæc idētitas extremorum cū medio ſemel admittatur, ducit intellectum neceſſariò in cognitionem concluſionis, ſiue præmiſſæ apprehendantur vno actu, vel duobus, illationis enim parum intereſt diſtinctio præmiſſarum. Ex parte verò actuum debent præmitti duo actus realiter diſtincti, alioquin non erit ſyllogiſmus, neque diſcurſus, tum quia non ponuntur quædam ex parte actuum, tum quia S. Thom. ad diſcurſum requirit realem ſucceſſionē inter vtramque præmiſſam: non quod neceſſario ſemper interiiciatur ſucceſſio realis, ſed quia poteſt interiici: quod ſi vno actu vtraque præmiſſa apprehendatur, non erit formalis diſcurſus, ſed virtualis, virtualiſque ſyllogiſmus. §.60.

Subiicit præterea Ariſtoteles, *aliud quippiam ab his, quæ poſita ſunt.* Vbi incipit explanare eſſentiam concluſionis, ac primum debet à præmiſſis eſſe diſtincta, id enim ſignificat, *aliud quippiam ab his:* quod ex parte obiecti non poteſt eſſe realiter diſtinctum ab vtraque præmiſſa obiectiua: nam, ſi eſſet realiter diſtinctum, non poſſet ex illis neceſſariò deduci. Tota enim neceſſitas illationis innititur huic principio, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe.* Ex idemtitate autem extremorum cum §.61.

medio,

medio, quæ diſponitur in præmiſſis, infertur in concluſione idemtitas extremorum inter ſe, quæ ſi non eſſet eadem realiter cum idemtitate extremorum cum medio, ineptè ex illa deducetur. Nam ex eo quod Petrus ſit riſibilis, & riſibile ſit admiratiuum, ineptè deducitur lapidem eſſe ſubſtantiam: aptè autem deducitur Petrum eſſe admiratiuum, quia hoc realiter reperitur in præmiſſis, ſecus illud. Igitur aliud quippiam debet eſſe ratione diſtinctum, tum quia ſi non diſtinguitur ratione, non erit modus ſciendi, de cuius conceptu eſt, clarè explicare per vnum actum, quod per aliud fuerat confusè cognitum; at in præmiſſis cognita fuerat confusè idemtitas extremorum inter ſe, quæ clarè cognoſcitur concluſione. Tum etiam, quia, ſi concluſio neque realiter, neque ratione diſtinguitur à præmiſſis, non erunt in ſyllogiſmo tres, ſed duæ propoſitiones. Ex parte verò actuum concluſio debet eſſe realiter diſtincta à præmiſſis; alioquin erit virtualis ſyllogiſmus, non formalis.

§.62. Aduerte; quando dicit Ariſtoteles, *aliud ſequi à quibuſdam poſitis*, non eſſe ſenſum, præmiſſas debere eſſe ita certas, vt non poſſint negari; illa enim definitio in ſolam demonſtrationem quadraret. Neque item illas eſſe ita probabiles, vt poſſint admitti, id enim conuenit ſyllogiſmo topico. Perinde eſt ergo *quibuſdam poſitis*, ac quibuſdam conceſſis à reſpondente: tum quia explicatur ſola forma ſyllogiſtica abſtracta ab omni materia, tum etiam quia explicatur neceſſitas concluſionis cum præmiſſis. His enim admiſſis non poteſt illa negari, quia cogeretur reſpondens admittere duas propoſitiones mutuo contradicentes.

§.63. Vltima particula definitionis eſt *eo quod hæc ſunt*, id eſt, concluſio ſequitur neceſſario ex præmiſſis, eo præciſè, quod præmiſſæ concedantur. Vbi explicat Ariſtoteles concluſionem ſyllogiſmi deduci per conſequentiam formalem, ideſt, eſſe legitimam propter diſpoſitionem terminorum, quibus admiſſis neceſſario debet admitti concluſio. Licet enim conſequens ſit falſum, non poteſt negari admiſſis præmiſſis, quia cogeretur negare aut concedere duas propoſitiones contradictorias: illa eſt ergo conſequentia formalis, quæ in quacumque materia debet neceſſario admitti ex ſuppoſitione, quod præmiſſæ admittantur propter diſpoſitiones ipſarum præmiſſarum, quod ſignificatur hac voce, *quia hæc ſunt*. Tota hæc definitio conuenit ſyllogiſmo vt ſic tam catagorico, quam hypothetico quamuis Conimb. & alij 1. priorum cap. 1. q. 2. oppoſitum conentur, quod facile probabis, ſi conſideres nullum ſyllogiſmum poſſe ſine hac definitione conſiſtere. Hac de re partim agetur diſp. 11. vbi de demonſtratione erit ſermo.

SECTIO XI.

Materia & forma ſyllogiſmi.

§.64. SYllogiſmus alter obiectiuus, formalis alter. Ille eſt obiectum, circa quod verſatur ſyllogiſmus formalis: hic autem eſt ipſa ratiocinatio ſeu actus intellectus, quibus circa obiecta ratiocinamur. Syllogimus obiectiuus eſt materia ſyllogiſmi, quia actuum obiecta, vocantur materia, circa quam ſcientia verſatur (vt dixi diſp. & ſect. 1.) quia obiectum denominatur cognitum, aut amatum à ſcientia, aut amore; ſcientia autem, aut amor eſt, quo denominatur ſcitum, aut amatum. Materia autem vocatur, quæ denominationem accipit ab alio: id autem, quod eam dat, dicitur ratio formalis, ſeu forma (vt oſtendam diſput. 2. phyſicorum.)

Hæc materia eſt triplex (vt in ſummulis explicui.) Neceſſaria, quæ non poteſt aliter eſſe nec per potentiam Dei, ac per propoſitionem dicitur, vt *Petrus eſt homo, Petrus non eſt lapis.* Remota, quæ nec per potentiam Dei poteſt eſſe, ſicut enunciatur, vt *Petrus eſt lapis, Petrus non eſt homo:* ad hanc reuocatur materia neceſſaria; & remota ex natura rei, quæ viribus naturæ non poteſt eſſe aliter, ac enunciatur, vel non poteſt ita eſſe, vt, *Petrus eſt coloratus. Petrus eſt duobus in locis*, quorum prius eſt neceſſarium ex natura rei, poteſt tamen diuinitus eſſe ſine colore Petrus: alterum eſt impoſſibile ex viribus naturæ, non tamen ex diuinis. Tertia materia eſt contingens; quæ viribus naturæ poteſt eſſe & non eſſe, vt *Petrus currit.* §.65.

Syllogiſmus formalis (qui comparatus obiectiuo eſt forma illius;) conſtat etiam materia, & forma. Materia alia eſt proxima, alia remota. Remota ſunt termini propoſitionum (de quibus mox) proxima verò ſunt propoſitiones ipſæ, quibus coaleſcit ſyllogiſmus. Hæ propoſitiones ſunt vel euidentes, quæ conſtituunt ſyllogiſmum demonſtratiuum; vel probabiles, quæ componunt topicam ratiocinationem: quæ ſunt indifferentes ad veritatem, vel falſitatem. Vel ſunt euidenter falſæ, quæ non conſtituunt ſyllogiſmum, niſi ratione formæ concludentem ex mala ſuppoſitione præmiſſarum conceſſarum: deberet enim vel vtraque, vel altera negari: ſicque præciderentur concludendi nerui. Syllogiſmus topicus differt à demonſtratiuo, quod hic euidenter compellit reſpondentem concedere concluſionem, quia compellit eumdem præmiſſas admittere, quamobrem concluſio eſt ſimpliciter neceſſaria, ſecus in ſyllogiſmo probabili, cuius concluſio eſt neceſſaria ſolum ex ſuppoſitione, quod præmiſſæ admittantur, quæ ſuppoſitio non eſt neceſſaria, cum præmiſſæ poſſint non ſine probabilitate negari. §.66.

Quapropter ſola demonſtratio ſibi videtur vendicare rationem argumentationis: quamuis alij ſyllogiſmi ſunt etiam argumentatio propter neceſſitatem conſequentiæ ex ſuppoſitione, quod præmiſſæ dentur. Aduerte ab his propoſitionum conceptibus materiam ſyllogiſmi dici probabilem, euidentem, aut falſam, quod de obiecto ſyllogiſmi ſecundum ſe dici nequit. Res enim nec ſunt euidentes in ſe, nec probabiles, ſed ita dicuntur per extrinſecam denominationem ab actibus. Euidens enim dicitur, quæ gignit actum euidentem, &c. Quare obiectum ſecundum ſe non eſt euidens, ſed vt ſubeſt actui euidenti, ſiue re ipſa euidenti, ſiue qui euidens apparet, cum non ſit, qui probabilis ſolum modo eſt, quando talis apparentia alicui innititur fundamento. Poteſt enim homini præcipiti videri euidens, quod nulli nixum ſcipioni. Vnde melius diuiditur materia ſyllogiſmi tripartitò in euidentem, falſam, & probabilem. §.67.

Hæc ſyllogiſmi materia, ſeu propoſitiones ſunt tres, vel ſimplices vel compoſitæ: nam plures eſſe non poſſunt, quia nihil concluderent, nec pauciores, quia non eſſet formalis diſcurſus. Duæ propoſitiones, quæ ſunt cauſa tertiæ, vocantur præmiſſæ, ſeu antecedentes, quia præiaciuntur ante concluſionem, vt fundamentum, quo eliciatur: & quia ſunt cauſa illius, vocantur antecedentes, ideſt, priores. Nam cauſam vocamus, priorem effectu (vt patebit diſp. 8. phyſicorum.) §.68.

Altera præmiſſarum vocatur, *maior propoſitio*, altera §.69.

altera *minor*, cur autem ita fiat, incertum. Dicet aliquis ita vocari pro ſolo libito dialecticorum; nam, quæ eſt maior, poteſt eſſe minor, vel è contra. Primam enim vocamus maiorem, ſecundam verò minorem: & quam ego protuli primam, potui proferre ſecundam: tunc autem conſequentia deducitur eodem modo. Si quis enim dicat: *Petrus eſt homo: ſed omnis homo eſt riſibilis: ergo Petrus eſt riſibilis*, eodem modo concludet ac ſi dicat, *omnis homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo: ergo Petrus eſt riſibilis*. In hac opinione duo mihi probantur; alterum, eſſe extrinſecam denominationem propoſitioni proferri primam, aut ſecundam: alterum, non variari formam ſyllogiſticam ex ea transmutatione præmiſſarum (vt contra Galenum oſtendam ſect. 14.) diſplicet autem in ea ſententia, nullam rationem reddi, cur propoſitiones ita nuncupentur.

§.70. Patres Conimb. 1. priorum in prænotatione in c.4. aiunt maius extremũ eſſe, quod in ſyllogiſmo præſtantiorem habet locum, minus vero quod minus præſtantem. Verum difficilius eſt dignoſci, quis ſit locus magis, aut minus præſtans? Iidem Conimbr. in cap.7.q.1.artic.1.§. *Ariſtotelica tamen.* dicunt extremum eſſe loco præſtantiori, quia eminet prædicatione, illud autẽ minus præſtanti, quia ſubijcitur: itaque extremum maius eſt, quod de medio prædicatur; minus autem extremum, quod ſubijcitur medio, itaque eminentius eſt prædicari de medio, quàm eidem ſubijci. Illa ergo erit maior propoſitio, in qua medium eſt ſubiectum, & illa minor, in qua eſt prædicatum, v. g. *omnis homo eſt animal, Petrus eſt homo*: prima eſt maior, quia *animal* prædicatur: ſecunda minor, quia *Petrus* ſubijcitur. In ſecunda autem & tertia figura, illud erit maius extremum, quod in concluſione prædicatur; minus autem erit, quod ſubijcitur.

§.71. Nec placent, nam ſi propoſitio eſt maior, quia altera extremitas prædicatur, cur eadem non erit minor, quia medium non prædicatur? etenim medium eſt præſtantius in ſyllogiſmo, quia eſt argumentum concluſionem oſtendens, quid autem intereſt ſubijci aut prædicari? in prima enim figura in quinque modis indirectè cõcludentibus minor extremitas prædicatur, & eſt minor: in ſecunda autem, & tertia figura nec erit maior nec minor propoſitio, quia medium in altera ſemper prædicatur, & ſubijcitur in altera ſemper, & quamuis maior extremitas dicatur, quæ prædicatur, cur propoſitio dicitur maior? ergo maior extremitas dicitur, quæ reperitur in maiori propoſitione, minor verò quæ in minori, non verò, quia ſubijcitur aut prædicatur in concluſione: quare autem dicatur maior propoſitio? inquiro. Eadem ratione impugnata manet opinio P. Fonſecæ, lib.6. inſtit. cap.1. parum diuerſa ab opinione Conimbricæ.

§.72. *Maius & minus* comparatè dicuntur, docui in ſummulis terminum ſuperiorem eſſe, qui ſub ſe continet alios, inferiorem verò qui continetur ſub alio, vt *omnis homo, aliquis homo, & hic homo.* Itẽ dixi in ſummulis quantitatem propoſitionis ſumi ex multitudine, aut paucitate obiectorum, proprium eſt autem quantitatis fundare relationem maioris & minoris, quæ eſt inæqualitas: propoſitio autem vniuerſalis maior eſt particulari, aut ſingulari, vt virga per multos palmos porrectą maior eſt, quàm quæ per paucos. Ea igitur propoſitio eſt maior, quæ in ſyllogiſmo eſt vniuerſalis, particularis autem aut ſingularis eſt minor. Itaque in *Darij* & *Ferio*, cæteriſq; modis particularem propoſitionem colligentibus reperiuntur propriè maior & minor propoſitio, in cæteris autem impropriè, & quia modi particulares ſunt in diſputatione magis familiares, ideo ab illis tranſlata eſt hæc vox ad alios modos, in iis enim duobus prius proferimus propoſitionem vniuerſalem, quam particularem, aut ſingularem: proptereáque primam vocamus *maiorem*, ſecundam *minorem*.

Ita per conſuetudinem, & abuſum quamcumque primam vocamus maiorem, ſecundam minorem; cum tamen illis id ſit valde extrinſecum: at in modis particularibus eſt differentia eſſentialis inter maiorem & minorem, quare merito Fonſeca eo lib.6. cap.1. fine ait, hunc abuſum inuectum calore argumenti emendari debere, ſed non emendabitur, inueterata enim conſuetudo altas radices agit, altiores verò, quo magis praua. §.73.

Confirmatur hæc doctrina, quia Rhetores noſtram maiorem propoſitionem vocant ſimpliciter *propoſitionem*, id eſt, vniuerſale pronuntiatum, rem vniuerſim ante oculos ponens, more theſis, ſiue argumenti vniuerſalis, minorem verò vocant *aſſumptionem*, quia illã cum vniuerſali aſſumunt ad concludendum; hæc autẽ aſſumptio non eſt tam vniuerſalis, quia ſtrictior more hypotheſis ad quam ipſi reuocant theſim; concluſionem verò appellant *complexionem*, quia complectitur duas extremitates propoſitionis, & aſſumptionis. §.74.

Materia remota ſyllogiſmi ſunt termini, id eſt, ſubiectum & prædicatum. *Remota* dicuntur, non quod non ſint de immediato conceptu ſyllogiſmi, ſed quia immediatè componunt propoſitionem, ſyllogiſmum autem per propoſitionem: etenim, cum res componitur ex partibus compoſitis ex aliis, hæ partes remotè dicũtur componere totum; quia prius componunt aliam partem, deinde totum integrum. Eſt autem quæſtio de nomine. Hi termini ſunt tres, nec plures, quia nihil concluderent; nec pauciores, quia non eſſet locus concluſioni à præmiſſis diſtinctæ: ſi enim eſſent quatuor, aut plures, non poſſent in præmiſſis oſtendere identitatẽ extremorum cum medio. Etenim arguens conatur oſtendere, e.g. *Petrum eſſe riſibilem, Petrus*, & *riſibilis* ſunt extrema intenti (ſic dicitur à dialectico) quam propoſitionẽ, quam à reſpondente extorquere conatur, infert pro concluſione in primo ſyllogiſmo: vt autem probet *Petrum*, & *riſibile*, eſſe re idem, ponit in præmiſſis alium terminum, cum quo ſunt idem re *Petrus* atque *riſibile*, id autem poni non poteſt niſi aſſerendo, *Petrum* eſſe idem cum *homine*, ſimiliter & *riſibile* eſſe idem cum eodem *homine*: Ecce in præmiſſis non ſint alij termini, niſi *homo, Petrus*, & *riſibile*. §.75.

Ratio à priori, quia vnus terminus repetitur in vtraque præmiſſa, quia ſemper eſt in illis ſubiectũ, aut prædicatum. Vnde duæ propoſitiones conſtantes eodem termino nõ poſſunt admittere niſi alios duos terminos, qui cum tertio ſubiiciantur, aut prædicentur: in concluſione autem non poteſt poni alius terminus, quin ſit poſitus in aliqua præmiſſarum, quia debent illi termini poni vniti inter ſe, qui fuerant vniti cum medio; nam ſi nouus eſſet terminus, cuius non meminiſſet arguens in præmiſſis, eſſet abs re, quia ex vi præmiſſarum concludi non poſſet. Itaque quia ſyllogiſmo probatur identitas duarum rerum inter ſe ex identitate earumdem cum vno tertio, non poſſunt poni alij termini, niſi illi duo, quorum identitas probatur, & medius terminus, cum quo alij duo ſunt idem, eaque propter, quando quis ineptè concludit, ex probratur ei quaternitas terminorum. §.76.

Indidem autem patet, ſyllogiſmum cõſtare non poſſe §.77.

poſſe paucioribus terminis tribus, quia ſi eſſent duo duntaxat, nec eſſet tertius, nullum eſſet medium, ex cuius identitate cum duobus aliis terminis inferretur identitas duorũ inter ſe. Tota enim vis ſyllogiſtica innititur huic principio, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idẽ inter ſe*: quam ob rem poni debent & tertiũ & extrema, quæ ſint idem & cum tertio & inter ſe, quod nec pluribus nec paucioribus terminis quàm tribus fieri poteſt. Hi autẽ poſſunt eſſe ſimplices, aut complexi. Quæ dixi de ſyllogiſmo affirmatiuo, locum habent in negatiuo, negatur enim identitas extremorũ inter ſe, ex negatione identitatis eorumdem cum medio, (vt patebit in explicandis tribus arguendi formis.)

§. 78. Hi termini ſua habent nomina. Vnus vocatur *maior extremitas*, alius *minor extremitas*, tertius vocatur *medium*. Hoc eſt ille terminus, qui repetitur in vtraque præmiſſa, v.g. *homo eſt animal, Petrus eſt homo*, en *homo*, repetitur in vtraque propoſitione: *medium* vocatur, quia eſt vinculum, quo vtrumque copulatur extremum, quia *animal* & *Petrus* in illo vniuntur per identitatem: item eſt medium ad inferendam concluſionem, & extremorum identitatem inter ſe, quia illo medio cognito manuducitur intellectus ad cognitionem cõcluſionis. *Maior extremitas*, dicitur ille terminus, qui cum medio ponitur in maiori propoſitione, id eſt, in vniuerſali; *minor* verò *extremitas*, qui ponitur in minori, id eſt in particulari, vel ſingulari. Vide quæ de maiori & minori propoſitione dixi à §. 50. Nam maior extremitas eſt in maiori propoſitione, minor verò in minori. Vocantur extrema, ſiue extremitates, quia medium eſt vnio, quæ verò vniuntur vocantur extrema vnita (vt de termino dixi in ſummulis, idem dicturus diſp. 5. phyſicorum:) & quamuis medium eſt extremum in quauis præmiſſarũ, quia in illa vnitur alteri termino, dicitur medium comparatione duorũ terminorum, qui in illo iunguntur. Quæ dixi de medio in ſyllogiſmo affirmatiuo, locũ habent de negatione identitatis in ſyllogiſmo negatiuo, in quo eſt mediũ remouens vnionem extremorum cum ſe ipſo, in affirmatiuo autem eſt medium complectens vnionem.

§. 79. Hæc de materia ſyllogiſmi formalis. Forma eſt *diſpoſitio præmiſſarum apta ad concludendum*: id eſt, congrua prædicatio, atque ſubiectio extremorum inter ſe & cum medio: de qua agitur ſect. 13. Vocatur forma comparatione actuum, quia hi ab illa denominantur diſpoſiti; id autem, quod denominat aliud, comparatur illi vt forma.

SECTIO XII.

Vtrum ſyllogiſmus ſit vtraque præmiſſa? an ſola concluſio? an verò vtrumque?

§. 80. Patres Conimb. primo priorum, c. 1. q. 2. art. 2. §. *quartum argumentum*. hanc difficultatem attingunt. Albertus, Niphus, & alij opinantur eſſentiam ſyllogiſmi eſſe ſolas præmiſſas, cõcluſionem autem non eſſe partem ſyllogiſmi, ſed effectũ. Mouentur primo Ariſtotelis teſtimonio. 1. poſter. cap. 2. definiens enim demonſtrationem ait, *demonſtrationem autem dico ratiocinationem eam, quæ ſcientiam efficit*. At ſolæ præmiſſæ ſcientiam efficiunt, id eſt, concluſionem: ergo demonſtratio ſunt ſolæ præmiſſæ. Primo autem priorum ait ſyllogiſmum conſtare duabus propoſitionibus, & tribus terminis. Secundo mouentur, quia ſyllogiſmus facit ſcire, at concluſio eſt ſcientia; ergo concluſio eſt effectus ſyllogiſmi, ergo extra illum.

Hæc ſententia mihi diſplicet, quia ſyllogiſmus eſt modus ſciendi aliqua ratione diſtinctus à definitione: ergo plus includit quàm præmiſſas: probo conſequentiam, quia in præmiſſis ſola conſtituitur definitio in ratione modi ſciendi, e.g. in hoc ſyllogiſmo, *omne rationale eſt admiratiuum, omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt admiratiuus*; maior propoſitio nõ eſt modus ſciendi, ſi quis autem eſt, eſt definitio; minor verò eſt hominis definitio: ergo in ratione modi ſciendi nihil habent præmiſſæ præter definitionem, aut aliquando diuiſionem, ergo ſyllogiſmus includit concluſionem, qua in ratione modi ſciendi differt à definitione, & diuiſione. Ratio à priori, quia concluſio eſt modus ſciendi, clarè vnionem repræſentans extremorum inter ſe, quæ vnio confuſè repræſentatur in præmiſſis: in quibus repræſentatur clarè vnio extremorum cum medio: ergo concluſio explicat præmiſſarum obiectum, ergo eſt oratio manifeſtatiua illius, ergo modus ſciendi, non definitio, nec diuiſio, ergo argumentatio; itaq; ſe habet concluſio comparatione præmiſſarum reſpectu vnionis extremorum inter ſe, vt ſe habet definitio, & diuiſio comparatione diuiſi, & definiti. §. 81.

Ad primum teſtimonium Ariſtotelis reſpondetur primo, ibi nõ ſumi efficientiã in genere cauſæ efficientis, ſed formalis, id eſt, demonſtratio facit nos ſcire, id eſt, reddit ſcientes; ſic communiter definitur ſyllogiſmus faciens ſcire, id eſt, reddens ſcientes. Vidimus finem ſcientiæ ſpeculatiuæ eſſe contemplari, cum tamen ipſa ſit contemplatio. Secundo reſpõdetur, ſyllogiſmum per præmiſſas efficere concluſionem, & ſcientiam: quæ enim conueniunt parti, toti tribuuntur, vt homo ſe mouet per animam. Ad ſecundum teſtimonium reſpondetur, quandoque ſolas præmiſſas vocari ſyllogiſmum, vt à D. Tho. definitio vocatur demonſtratio ſola poſitione differens, non quod excludatur concluſio, ſed quia ſatis apertè intelligitur eſſe pars ſyllogiſmi virtute contenta in præmiſſis, & neceſſario inde deducta. Cum autem ijdem autores concluſionem in ſyllogiſmo concludant, non ſunt credendi eam vnquam excludere, ſed ſuppoſita ipſorum doctrina intelliguntur ita loqui breuitatis ergo. Ad argumentum ex ratione patet ex reſponſo ad primum teſtimonium Ariſtotelis. §. 82.

Melius fortaſſe arbitraretur quis, ſyllogiſmum eſſe ſolam concluſionem, in quam partem videntur inclinari Philoponus & Burana. Probatur, quia actus clarus & confuſus de eodem obiecto, non conſtituunt vnum modum ſciendi, ſed concluſio eſt actus clarus de vnione extremorũ inter ſe, præmiſſæ verò ſunt confuſæ circa eamdem vnionem, ergo præmiſſæ & concluſio non conflant vnum modum ſciendi. Minor eſt certa, alioquin concluſio non differret à præmiſſis: maior patet tum in definitione, & diuiſione; actus enim confuſi circa definitum, & diuiſum non conſtituunt vnum modum ſciendi cum actu definiẽte, & diuidente, tum etiam quia actus confuſus non eſt modus ſciendi reſpectu obiecti, ad quod terminatur actus clarus; ergo actus obſcurus nõ eſt pars modi ſciendi cum actu claro. §. 83.

Hæc non ſunt improbabilia: fugienda eſt quæſtio de nomine. Tamen communius dicitur ſyllogiſmum ex præmiſſis componi, nam Ariſtoteles, cum ſyllogiſmum definiuit, non dixit illum eſſe orationem ſequutam ex aliis duabus, ſed orationem, in qua quibuſdã poſitis, aliud ſequitur neceſſariò; itaque in ipſa oratione, quæ eſt ſyllogiſmus, ponuntur §. 84.

ponuntur aliqua,& in eadem ex iam poſitis ſequitur aliud; ergo tam præmiſſæ,quæ ponũtur,quam concluſio,quæ ſequitur,ſunt in ſyllogiſmo,vt partes in toto. Deinde S.Tho. ait concluſionem cum nota illationis eſſe veluti formam ſyllogiſmi,præmiſſas verò veluti materiã, ſed tam materia quàm forma ſunt partes compoſiti, ergo tam præmiſſæ quàm concluſio ſunt partes ſyllogiſmi.

§.85. Tandem concluſio habet ſufficientem connexionem cum præmiſſis ad conſtituendum vnum modum ſciendi,qui eſt per artificiũ, ad cuius vnitatem non exigitur vera vnio;ſed tantum quædam congruentia,quam hic reperies,tum ex parte obiecti, quod cum vnum ſit, cognoſcitur perfectè per præmiſſas & concluſionem ſimul, quia præmiſſæ terminantur ad eſſentiam, concluſio verò ad attributa,ſicq; totum hauritur obiectum: tum etiã reperitur hæc vnitas ex parte actuum,quia præmiſſæ intellectum impellunt, vt neceſſariò eliciat cõcluſionem, quia ſolæ præmiſſæ non ſatis penetrant obiectum,ſunt autem motiuum,vt penetretur.

§.86. Ad argumentum diſtinguo maiorem: quando actus confuſus nõ eſt principium inferens clarum, concedo maiorem;quando verò confuſus,quia eſt clarus circa aliud obiectum, infert actum clarum; nego. Diſcrimen eſt præſto, quia actus inferens & illatus habent à parte rei obiectum idem; ad cuius perfectiorem notitiam iuuat actus inferens. Secus contingit definitioni & diuiſioni, quæ non inferuntur ex actu circa definitũ,ac diuiſum.Ad ſecundam probationem reſpõdeo præmiſſas ſimpliciter eſſe modum ſciendi,licet non circa concluſionem: quare ex illis & concluſione tanquam ex duobus modis ſciendi partialibus conflatur vnus totalis.

§.87. Hinc deduces modum ſciendi vt ſic, vt diuidatur in ſpecies adæquatè diſtinctas, oportere diuidi in diuiſionem, definitionem, & concluſionem: quando verò diuiditur in definitionem, & ſyllogiſmum; non eſt in ſpecies adæquatè diſtinctas, quia ſyllogiſmus definitione conflatur. Itẽ aduerte ex diſp. 1. definitionem eſſentialiter referri ad ſyllogiſmum tamquam partem ad totum. Memento item nullam eſſe diuiſionem, quæ non ſit vel definitio, vel deſcriptio, vel ſaltem duæ definitiones duarum ſpecierum:è quibus deduces non eſſe ſimpliciter niſi vnum modum ſciendi, qui eſt ſyllogiſmus, & hic demonſtratiuus. Cæteri namque non tam ſunt modi ſciendi, quàm modi ignorandi: partiales autem ſunt duo modi ſciendi. Definitio,atque concluſio.

SECTIO XIII.

Triplex ſyllogiſmorum figura.

§.88. SYllogiſmi obiectiui non dicuntur habere figuram, niſi vt ſubſunt ſyllogiſmo formali circa illos verſanti in aliqua figura. Neque item ſyllogiſmi formales habent propriè figuram, hæc enim eſt per cõnotationem ad locum diuiſibilem,quem occupat corpus,vt rotunditas,triangulus,&c. Impropriè autem dicuntur habere figuram deſumptam ex modo, quo medium ſubijcitur aut prædicatur in præmiſſis. Vt enim variæ lignorum,ac parietum ſtructuræ dicuntur figura domus, ſiue ſpecies,quia per illas dignoſcimus quadros, angulos, &c. Ita diſpoſitio medij per ſubiectionem & prædicationẽ eſt figura ſyllogiſmi, & ſpecies, quia per illam ratiocinatio dignoſcitur & vna diſcriminatur ab aliis.

§.89. Hæc figura eſt veluti forma ſyllogiſmi, quia quemadmodum ligna, ac parietes ſuis aptantur figuris, ita actus intellectus in ſyllogiſmum aptantur. Hæc forma nihil addit reale præter eſſentiam ipſorum actuum, quia eſſentialiter ſunt affirmatio & negatio, & concluſio eſſentialiter petit inferri ex præmiſſis. Verum eſt, figurã eſſe realiter diſtinctam à ſingulis actibus, quia vnus connotat alios, quemadmodum eſſe ſimile ſupra propriam albedinem connotat aliam; eſt igitur tota figura ſyllogiſmi tres illius actus ſimul ſumpti,quorum tertius infertur ex duobus. Qua de re agendum diſp.10. de anima,hîc enim plura non ſunt è re.

§.90. Medium in duabus propoſitionibus poteſt quadrupliciter conſtitui: primum ſi in maiori propoſitione ſit ſubiectum,& in minori prædicatũ, quæ ab Ariſtotele, & dialecticis vocatur prima figura, exempli gratia, *homo eſt animal,rationale eſt homo:ergo rationale eſt animal.* Secundò poterat è contra in maiori eſſe prædicatũ,& in minori eſſe ſubiectum, vt *rationale eſt homo, homo eſt animal, &c.* quæ à Galeno vocatur quarta figura. Vtrum hæc ſit à prima diſtincta? quæretur inferius. Tertiò poteſt in vtraque præmiſſa eſſe prædicatũ,quæ vocatur ſecunda figura,exempli gratia, *nullus homo eſt lapis,omne durum eſt lapis,ergo nullum durum eſt homo.* Quartò poteſt in vtraque figura eſſe ſubiectum, quæ vocatur tertia figura, e. g. *nullus homo eſt lapis,omnis homo eſt riſibilis: ergo nullum riſibile eſt lapis.* Neque poteſt excogitari alia ratio, qua conſtituatur medium in duabus propoſitionibus,ac propterea repugnat eſſe alia figura,præter has tres,aut quatuor.

SECTIO XIV.

Modi cuiuſcumque figuræ.

§.91. QVia verò retenta quacumque figura poteſt quis ita diſponere mediũ, vt nihil inde concludat, eſt enim latus ad errandum campus, Ariſtoteles mentem carcerauit intra certos tramites, quibus euidenter colligatur concluſio. Hos vocamus *modos*, quia in illis obſeruatur, quomodo medium nectatur extremis, an affirmatiuè, vel negatiuè? an vniuerſaliter vel particulariter?aut ſingulariter? an concluſio colligatur directè, vel indirectè? quia ergo hæc omnia ſpectant ad modum, quo medium ſubijcitur, aut prædicatur, ideo ſinguli ſyllogiſmi rectè concludentes ſingulos conſtituunt modos; qui ſunt vndeuiginti, quos his carminibus explicamus.

Barbara,Celarent,Darij,Ferio,Baralipton.
Celantes,Dabitis,Fapeſmo,Friſeſomorum.
Ceſare,Cameſtres,Feſtino,Baroco,Darapti.
Felapton, Diſamis,Datiſi, Bocardo,Feriſon.

§.92. Quorum notitiæ præmitto, ſingulas dictiones conflari ternis vocalibus ſignificantibus quantitatem,& qualitatem trium propoſitionum cuiuſque ſyllogiſmi. *A* ſignificat propoſitionem vniuerſalem affirmatiuam. *E* vniuerſalẽ negatiuam. *I* particularem affirmatiuam. *O* particularem negatiuam. Dictio ergo quæuis ſignificat tres propoſitiones tribus vocalibus primis, ſiue affirmatiuas, ſiue negatiuas,ſiue vniuerſales,ſiue particulares,eo eo ordine quo vocales diſponuntur. Quarta verò vocalis reperta in *Baralipton*,& *Friſeſomorum*, ſono ſeruit, non ſyllogiſmo,e.g. *Barbara*, ſignificat ſyllogiſmum cõſtantem tribus propoſitionibus vniuerſalibus affirmatiuis,&c.

§.93. Nouem priores modi contenti primis duobus

carminibus ſunt primæ figuræ. Quatuor primi naturales, ſiue directi. Cęteri quinque indirecti. Quatuor modi deſcripti tertio carmine ſunt ſecundæ figuræ. Quintus autem eiuſdem carminis & alij quinque carminis quarti ſunt tertiæ figuræ, quos ſingillatim expendam.

SECTIO XV.

Quatuor modi primæ figuræ directè & vtiliter concludentes, & cæteri directi inutiles.

§. 94. PRimi modi ſunt *Barbara, Celarem, Darij, Ferio*; hi quatuor modi adeo ſunt perſpicui, vt cunctæ ratiocinationes ad ipſos reuocentur, vt ad prototypum euidentis conſequentiæ, quam qui negaret, non alia ratione eſt puniendus, quàm perpetuo ab ſcholis exilio, more bruti rationem penitus ignorantis: cogitur tamen deductione ad impoſſibile fateri, aut negare ſimul duas propoſitiones mutuò contradicentes. Hi modi directè concludunt & naturaliter. A dialecticis directa concluſio vocatur, in qua maior extremitas de minori prædicatur; indirecta verò, quando minor prædicatur de maiori, quod in *Darij* eſt perſpicuum, quia altera præmiſſa eſt maior, quia vniuerſalis; altera minor, quia particularis. At in *Barbara, & Celarem*, non eſt tam facile, quia ſingulæ propoſitiones ſunt vniuerſales. Verum (vt conueniatur inter omnes) illam voco nunc maiorem extremitatem, quæ prædicatur de medio; minorem verò, qua prædicatur medium: tunc ergo concluditur directè in hac figura, quando in concluſione prædicatur extremitas, quę de medio prędicata fuerat in prę miſſa (vt clarè patebit §. 99.) itaque debet bis prædicari: indirectè autem concluditur, quando extremitas, prædicata in præmiſſa de medio, ſubiicitur in concluſione. Percurramus ergo omnes modos directè in hac figura concludendi.

§. 95. *Barbara.* Ac primùm poteſt quis vti propoſitionibus affirmatiuis, idque multipliciter. Primò, ſi omnes ſint vniuerſales, qui modus eſt *Barbara*, e.g. *omnis homo eſt animal, omne rationale eſt homo, ergo omne rationale eſt animal.* Vbi *animal* prædicatur in maiori, & concluſione: *Petrus* autem ſubiicitur in minori, & concluſione. Tunc ergo concluditur directè, quando extrema in concluſione retinent locum ſubiecti, aut prędicati, quę habuerunt in præmiſſis. Melius tamen & vniuerſalius dici poteſt directa collectio, vbicumque terminus vniuerſalior prædicatur de minus vniuerſali, quæ prædicatio dicitur à dialecticis directa, atque formalis: prædicatio verò inferioris de ſuperiori eſt indirecta, vt *animal eſt homo*: quia ergo in *Ferio, & Darij*, reperiuntur hi termini, ita reperitur hoc prædicandi genus, & quia terminus vniuerſalior eſt prædicatum in maiori, ideo omnis terminus prædicatus in prima figura infertur in concluſione etiam prædicatus, vocaturque illa prædicatio directa.

§. 96. *Darij.* Item propoſitiones affirmatiuæ poſſunt eſſe abſimilis quantitatis, ſcilicet maior vniuerſalis, minor particularis, ſimiliter & concluſio, qui modus eſt *Darij*, e.g. *omne rationale eſt homo: aliquod animal eſt rationale: ergo aliquod animal eſt homo.* Nec plures modos affirmatiuos aſſignant Ariſtoteles, & dialectici.

§. 97. Duo tamen difficilia occurrunt: alterum poſſe concludi ex affirmatiuis ſingularibus, quæ ratiocinatio dicitur ſyllogiſmus expoſitorius. Albertus Magnus tract. 1. in lib. 1. poſteriorum negare videtur ſyllogiſmũ poſſe componi ex propoſitione ſingulari. Verum Albertus debet intelligi de ſyllogiſmo ſpectante ad ſcientiam; quæ communiter non eſt de ſingularibus: at negari non poteſt, quin duo termini ſingulares monſtrentur duabus propoſitionibus eſſe idem cum tertio termino ſingulari, ex qua identitate infertur (in rebus creatis) identitas extremorum inter ſe. Ratio à priori, quia quæcumque ſunt eadem vni tertio in creatis, ſunt idem inter ſe; probata autem identitate vni tertio, euidenter probatur mutua identitas, e.g. *Primogenitus Philippi eſt Rex Hiſpaniæ, Aldefonſus eſt primogenitus Philippi: ergo Aldefonſus eſt Rex Hiſpaniæ*, quæ conſecutio tam legitima eſt quàm in *Barbara*, ſed hic modus concludendi nuſquam reperitur apud Ariſtotelem in hac figura, nec aliis duabus, ergo hæ figuræ ſunt aliquo modo diminutæ.

Reſpondeo ab Ariſtotele hunc modum non omiſſum, ſed aliò remiſſum, nempe in cap. 1. priorum, vbi agit de ſyllogiſmo expoſitorio; hic autem ſolum agit de his modis, qui ſunt communes in hac figura, cæteros, qui ſpeciali egent doctrina, ſingillatim percurrit. §. 98.

Alterum dubium eſt, poſſe concludi ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori ſingulari etiam affirmatiua: ergo aſſignandus eſt modus à *Darij* diſtinctus. Patet conſequentia, quia diſtinctio quantitatis propoſitionum ſufficit ad diſtinguẽdos modos, vt cernitur in *Barbara, & Darij*, qui ſũt diuerſi propter ſolam quantitatis varietatem; quantitas autem ſingularis diſtincta eſt à quantitate particulari (vt in Summulis dixi.) Antecedens probo: quia poteſt oſtendi in præmiſſis identitas vnius termini ſingularis, & alius vniuerſalis cum tertio termino vniuerſali, qua oſtenſa, euidenter infertur in concluſione identitas extremorum inter ſe. Exempli gratia, *omnis homo currit: Petrus eſt homo: ergo Petrus currit*, *homo* eſt medium, cum quo ſunt idem *Petrus*, & *currens*. Vnde infertur eſſe etiam idem, *Petrum*, & *currens*, hic autem modus frequentior eſt quàm *Darij*. §. 99.

Poterit reſponderi, ex doctrina P. Vazquez, tom. 1. in 3. part. & tom. 2. in 1. part. diſput. 135. Vbi ait myſterium Trinitatis non poſſe demonſtratione cognoſci ex reuelatione euidenter cognita, quia concluſio nihil infert à præmiſſa diſtinctum. Nam qui euidenter noſcit omnia Dei dicta eſſe vera, etiam ſcit hoc dictum eſſe verum, quia continetur in vniuerſali propoſitione, vnde videtur inferri non eſſe propriè ſyllogiſmum, qui conſtat præmiſſa vniuerſali, & concluſione ſingulari, quia non diſtinguuntur illæ propoſitiones. Verum eam doctrinam impugnaui diſput. 41. in 3. part. ſect. 3. ſubſect. 1. quia nulla demonſtratio poſſet componi ex vna præmiſſa vniuerſali, & altera particulari; nam *aliquis homo currit* tam continetur ſub hac *omnis homo currit*, quàm hæc, *Petrus currit*; ſunt enim ſubalternæ. Ratio à priori, quia nihil refert omnem hominem currere, vt Petrus currat, niſi Petrus ſit homo, itaque conceſſo omnem hominem currere, negari poteſt Petrum currere, quia negari poteſt Petrum eſſe hominem, donec enim non probantur hæ duæ propoſitiones: *omnis homo currit, Petrus eſt homo*, nulla eſt neceſſitas concedendi hanc: ergo *Petrus currit.* §. 100.

Ratio à priori, quia per ſolam vniuerſalem non bene probatur identitas extremorum cum tertio termino; ſic autem deficit medium ad deducendam identitatem extremorum inter ſe, itaque concluſio non continetur adæquatè in ſola vna propoſitione §. 101.

poſitione, ſed in duabus. Quamobrem ſupra probaui ſyllogiſmum conſtare duabus præmiſſis. Propoſitio vniuerſalis poteſt cognoſci quidditatiuè adæquatè; quia cognoſcuntur omnes eius ſingulares: tunc nihil ex ea infertur nec particulare, nec ſingulare; nec dat diſcurſui locum: quia omnia eodem modo noſcuntur. Secundò poteſt cognoſci inadæquatè quidditatiuè; quia non omnes ſingulares noſcuntur clarè: tūc poteſt inferri ſingularis: vt dico diſp. 11. de fide ſect. 2.

§.102. Reſpondeo ergo, argumentum euincere poſſe addi alium modum directè concludendi in hac figura ex maiori vniuerſali; eum autē omiſſum, quia reduci poteſt ad *Darij*, vel in eo directè collocari. Quia nomine propoſitionis particularis complecti poſſumus omnes vniuerſales; modi autem non geminantur, quādo ſunt tam ſimiles, vitandæ prolixitatis ergo: deficerent enim vocales ad tot minutias minutatim perſequendas.

§.103. Arbitror, non poſſe alio modo affirmatiuo directè concludi in hac figura, niſi tribus vniuerſalibus, vel tribus ſingularibus, vel maiori vniuerſali, & minori particulari, aut ſingulari. Quod inde probatur, quia duo alij modi, qui ſuperſunt, ſunt inutiles: Exempli gratia, quo concluditur tribus propoſitionibus particularibus: & alia maiori particulari, vel ſingulari, & minori vniuerſali: Exempli gratia *aliquod animal currit, omnis homo eſt animal: ergo aliquis homo currit.* Hic eſt inutilis modus, quia præmiſſis admiſſis, & veris, poteſt concluſio eſſe mala. Ratio à priori, quia maior poteſt eſſe vera currente bruto, tametſi currat nullus homo, quare non oſtenditur in præmiſſis identitas *hominis & currentis* cum *animali*; quia *currens* poteſt non eſſe *homo*, nam maior eſt particularis, cuius veritas integrè poteſt reperiri in vno ſolo indiuiduo animalis, quin reperiatur in homine. Eadem ratione hic modus eſt inutilis. *Hoc animal currit, homo eſt animal: ergo homo currit*, quia homo poteſt eſſe aliud animal diſtinctum ab hoc currente. Itidem hic eſt inutilis. *Aliquod animal currit. Aliquis homo eſt animal: ergo aliquis homo currit.* Quia maior poteſt eſſe vera in alio animali ab homine diſtincto.

§.104. Dices hunc modum eſſe vtilem in quarta figura Galeni, *aliquod riſibile eſt animal, ſed omne animal currit: ergo aliquod riſibile currit*, in quo ſyllogiſmo maior eſt particularis, minor vniuerſalis, ſed ille modus ſeruata eadem quantitate & qualitate eſt in *Darij*, per ſolam tranſmutationem præmiſſarum, quæ non tollit legitimam conſequentiam: ergo. Reſpondetur illa figura Galeni rectè concludi, at in noſtro caſu non ſeruatur ea figura, ſed in maiori propoſitione medium eſt ſubiectū particulare, vt *aliquod animal currit*: propter quod non probatur identitas illius cum vtroque extremo: at in figura Galeni nunquam medium eſt ſubiectum particulare, ſed vniuerſale, vt patet in minori ſyllogiſmi poſiti, *omne animal currit*: ergo in hac prima figura nihil cōcluditur affirmatiuè, quando in aliqua præmiſſa medium eſt ſubiectum particulare (quæ præmiſſa vocatur *maior*) & altera extremitas eſt ſubiectum vniuerſale in alia præmiſſa, (quæ dicitur *minor*.) Hæc de directa collectione affirmatiuè.

§.105. Poſſumus item concludere negatiuè directè in hac prima figura. Primo, maiori vniuerſali negatiua & minori vniuerſali affirmatiua & conſequen-

Celarem. tia vniuerſali negatiua, qui modus eſt *Celarem*, ſecundus huius figuræ. Exempli gratia, *nullus homo currit, omne animal rationale eſt homo*: ergo *nullum rationale currit.* Ratio à priori huius collectionis, & cuiuſcumque alius eſt: quia negatur identitas currentis & hominis, & propterea negatur identitas currentis cum omni re, quæ ſit homo; quod ſiquis id negaret ſequi, eſt deducendus ad impoſſibile, & ab ſcholis abducendus, de quo ſectione ſequenti.

Vel poſſumus concludere maiori vniuerſali negatiua & minori particulari affirmatiua, & conclu- §.106.
ſione particulari negatiua, qui modus eſt *Ferio*, & Ferio.
quartus. Exempli gratia, *nullus homo currit, aliquod animal eſt homo*: ergo *aliquod animal non currit.* Nec aſſignantur alij modi negatiui directi. Tamen reperitur ſyllogiſmus expoſitorius negatiuus. Exēpli gratia. *Primogenitus Antonij non eſt Rex Hiſpaniæ, Petrus eſt primogenitus Antonij*: ergo *Petrus non eſt Rex Hiſpaniæ.* Itē reperitur ſyllogiſmus ex maiori vniuerſali negatiua, & minori & conſequentia ſingularibus negatiuis. Exempli gratia, *nullus homo currit, Petrus eſt homo*: ergo *Petrus non currit.* Quibus reſpondeo, vt §.72. & 75. Præter hos quatuor modos directos negatiuos non eſſe alium communiter cenſent dialectici, de quo §.82.

Ac primum meritò dicitur *ex puris negatiuis nihil ſequi*, nam ſi ponantur duæ præmiſſæ negatiuæ, §.107.
ſiue omnes ſint vniuerſales, ſiue ſingulares omnes, ſiue omnes particulares, ſiue abſimilium quantitatum, nihil omnino concludetur. Ratio à priori, quia ex identitate vnius extremi cum medio & negatione alius extremi cum eodem medio, infertur negatio extremorum inter ſe, quod ſi nullum extremum eſt idem cum medio, quo pacto ex negatione illius infertur negatio extremorum? verbi gratia, *nullus homo eſt brutum, nullus leo eſt homo*: ergo *nullus leo eſt brutum*, eſt hæc ſtultiſſima argumentatio, nam ex negatione irrationalitatis & hominis, & ex negatione hominis & leonis infert negationem irrationalis & leonis, quaſi verò leo non ſit brutum, quia homo non eſt brutum, nec leo eſt homo. Immo, quia leo non eſt homo, & homo non eſt brutum, proximior eſt leo vt ſit brutum, quia poteſt eſſe quod homo non eſt, de quo ſectione ſequenti.

Deinde poſſumus negatiuè concludere, ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali, vel §.108.
particulari negatiua, quæ collectio eſt inutilis. Exempli gratia, *omnis homo eſt animal, nullus leo eſt homo*: ergo *nullus leo eſt animal.* Ratio à priori, quia licet ex affirmatione animalis de omni homine rectè ſequatur ſingulos homines eſſe animal; at non ſequitur animal conuenire ſolis hominibus, quia eſt ratio generica conueniens etiam brutis: quare ineptè negatur de illis, licet affirmetur de homine, & homo de illis negetur. Nec enim leo non erit animal, ex eo quod non ſit homo, & homo ſit animal: ſicut eſt ſubſtantia, quamuis non ſit homo, & homo ſit ſubſtantia, ẽſtque mala collectio, quia à negatione vnius ſpeciei de alia, & affirmatione generis de vna ſpecie infert negationem generis de alia ſpecie.

Eadem ratione ſunt malæ collectiones ex maiori affirmatiua particulari, aut ſingulari, & minori §.109.
negatiua etiam ſingulari, vt *Petrus, aut aliquis homo eſt animal, equus non eſt Petrus, aut aliquis homo*: ergo *equus non eſt animal.* Item *Petrus eſt doctus, Ioannes non eſt Petrus*: ergo *Ioannes non eſt doctus.* Aduerte, *Celarem* poſſe mutari in quartam figuram Galeni per ſolam tranſpoſitionem præmiſſarum, tunc autem rectè concludetur ex maiori vniuerſali affirmatiua, ſicut & in *Ferio*, tunc enim nec mutatur ſubiectio, nec prædicatio medij, quod ſemper eſt ſubiectum prædicati negatiui, ex qua negatione rectè infertur negatio alterius extremi, de

omni ente realiter eodem cum medio (vt patet in illis modis:) at in noſtro caſu hæc diſpoſitio mutatur omnino; quia mediũ ſubijcitur affirmatiuè, & prædicatur negatiuè. At verò in *Celarem*, ſubijcitur negatiuè, & prædicatur affirmatiuè, quæ mutatio reddit inutilem ſyllogiſmum. Perinde ergo eſt in præſenti maiorem eſſe affirmatiuam, & minorem negatiuam, ac medium ſubijci affirmatiuè, & prædicari negatiuè, quæ eſt inepta collectio.

§.110. Item poſſumus argumentari, ex maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua, qui modus eſt etiam inutilis in ſententia dialecticorum, damnantur enim à Conimbricenſ. ex Ariſtotele primo priorũ in explicationem cap.4. linea 5. de modis inutilibus primæ figuræ, & à Fonſeca, lib.6.cap.14. damnanti eoſdem duodecim modos, quos Conimbrica damnat, conſentit Villalpand. lib.5.cap.7. fine. Contra quos ſic arguitur, hic ſyllogiſmus eſt legitimus, *aliquis homo non currit, omne rationale eſt homo:* ergo *aliquod rationale non currit,* quæ conſequentia non eſt ratione materiæ, quæ eſt contingens: Item in vtraque præmiſſa probatur identitas hominis & rationalis, & negatur identitas currentis cum homine: ergo bene negatur eadem cum rationali, tandem, quia poteſt ad impoſſibile deduci; ſi enim negetur concluſio, infertur hæc cõtradictoria: ergo *omne rationale currit*; cui additur hæc minor; *ſed omnis homo eſt rationalis*, & infertur in *Barbara*: ergo *omnis homo currit,* quæ contradicit minori primi ſyllogiſmi conceſſæ, *aliquis homo non currit.* Verum iſte modus eſt inutilis, vt patet hoc ſyllogiſmo: *aliquod animal nõ currit, omnis leo eſt animal:* ergo *aliquis leo non currit.* Quæ cõcluſio poteſt eſſe falſa cum vtraque præmiſſa vera.

§.111. Ratio à priori, quia medium (niſi in ſyllogiſmo expoſitorio) non poteſt ſubijci in hac figura particulariter, ſed vniuerſaliter: nam, ſi particulare ſit, poteſt verificari propoſitio, in qua ſubijcitur in alio obiecto realiter diſtincto à minori, ſicq; non probatur ex vi formæ identitas extremorũ inter ſe. Quamobrem aiunt dialectici, à medio non diſtributo non valere cõſequentiam; quod patet in ſyllogiſmo adducto, cuius maior eſt vera nõ currente equo, licet currant omnes leones, quo etiam poſito, omnis leo eſt animal, ecce maior eſt vera in equo, & minor in leone; vnde concludit ineptè. Ad obiectionem reſpondeo, illum ſyllogiſmum valere ratione materiæ; non ex parte prædicati, ſed ſubiecti, quia medium, quod eſt homo, eſt conuertibile cum rationali: qui ſunt termini ſubiecti in præmiſſis, & quod realiter conuenit vni rei, conuenit etiam termino, qui cum illa reciprocatur. Ad ſecundam probationem reſpondeo, identitatem illam probari ratione materiæ, quia ſubiecta præmiſſarũ mutuo reciprocantur. Ad tertiam reſpondeo, eam deductionem indidem oriri, non ex forma, vt patebit ex ſyllogiſmo à me adducto; ſi quis enim negat hanc: ergo *aliquis leo non currit,* & deducat hanc: ergo *omnis homo currit,* ex ea illata nulla propoſitio infertur contradicens præmiſſis admiſſis.

§.112. Hi ſunt modi inutiles primæ figuræ breuiter deſcripti, quos claritatis ergo in tres partes ſecabo. In primam modos affirmatiuos, in ſecundam purè negatiuos, in tertiam mixtos ex præmiſſis negatiuis & affirmatiuis. Quatuor enim propoſitiones ſunt in hac figura, vna vniuerſalis affirmatiua, alia vniuerſalis negatiua. Tertia particularis affirmatiua. Quarta negatiua particularis. Hæc poſſunt bis octies copulari, quater vtiliter, duodecies autem inutiliter.

EX AFFIRMATIVIS *omnibus.*

Primus Modus inutilium. *Ex vtraque præmiſſa particulari affirmatiua.* §.113.

Secundus. *Ex maiori particulari, & minori vniuerſali affirmatiua.*

EX PVRIS NEGATIVIS.

3 *Ex vtraque præmiſſa vniuerſali negatiua.*
4 *Ex vtraque præmiſſa particulari negatiua.*
5 *Ex maiori vniuerſali, & minori particulari negatiua.*
6 *Ex maiori particulari, & minori vniuerſali negatiua.*

EX MIXTA PRÆMISSA.

7 *Ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua.*
8 *Ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua.*
9 *Ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua.*
10 *Ex maiori particulari affirmatiua, & minori particulari negatiua.*
11 *Ex maiori particulari negatiua, & minori vniuerſali affirmatiua.*
12 *Ex maiori particulari negatiua, & minori particulari affirmatiua.*

SECTIO XVI.

Probatur à priori vis ſyllogiſtica directè concludens in prima figura.

Antequã cæteros huius, & aliarum figurarum modos percurramus, præcurrendum eſt ad probationẽ à priori, cur hi quatuor modi euidenter concludant, quo probato vis cæterorum ſtabilitur, quia in eo ſita eſt, vt ad hos quatuor cæteri reuocentur. Ariſtot. 1. priorum cap.1. ait: *In toto autem quopiam eſſe, & de omni quopiam quippiam prædicari idẽ ſignificat. Atque tum de omni dicimus, quippiam prædicari, cum nihil poteſt ſubiecti ſumi, de quo alterum non dicatur. Idem dicendum eſt, & cum de nullo dicimus quippiam prædicari:* Quam doctrinã ſic explanat Collegium Conimbr. ſubiectum eſt in toto prædicato, & prædicatum dicitur de omni cõtento ſub ſubiecto, e.g. *omnis homo eſt animal,* ſi compares hominem ad animal, comperies hominem eſſe in toto animali, quia latitudo animalis complectitur hominem; ſi verò compares animal ad ſingulos homines, comperies animal de ſingulis prædicari, quia ſinguli continentur ſub homine. §.114.

Hinc oriuntur duo dialectica principia. *Dici de omni, & Dici de nullo.* id eſt, quod prædicatur affirmatiuè de conceptu cõmuni vniuerſaliter ſumpto, dicitur de omni inferiori contento ſub illo: quo pacto concluditur in primo, & tertio modo primę figuræ, *Barbara* & *Darij*, cum autem negatur aliquid de ratione cõmuni vniuerſaliter ſumpta, negatur de omni inferiori contento ſub illa: qua ratione concludunt ſecundus & quartus modus primæ figuræ *Celarem* & *Ferio*. §.115.

Hoc dialecticũ principium, *Dici de omni,* impoſuit Ariſtoteles huic principio metaphyſico, *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe,* cum dixit; *in toto autem quippiam eſſe, & de omni quippiam prædicari, idem ſignificat,* id eſt, idem omnino pronuntiatum eſt, quippiam eſſe in alio toto poteſtatiuo, & realiter §.116.

realiter habere conceptum illius,& de illo prædicâri,quia ab eo quod res eſt,vel non eſt,ſumitur affirmatio vera,vel falſa. Ab eo principio metaphyſico logicum pendere probatur euidenter. Ea ratione dicitur prædicatum de omni ſingulari, quando dicitur de conceptu communi affecto ſigno vniuerſali habente deſcenſum diſtributiuum , quia ſingularia habent realem idẽtitatem cum illo conceptu communi, propter quam identitatem conceptus cõmunis affectus ſigno vniuerſali deſcendit ad ſingularia , ergo *dici de omni* innititur identitati reali ſingulariũ,& vniuerſalis ſubiecti. Patet conſequentia,quia dependentia vnius principij ab alio explicatur dictione cauſali, *ideo,* aut, *quia*. Antecedens probatur ; *dici de omni*, ſignificat actum affirmatiuum, quo iudicatur, prædicatum realiter idẽtificatum cum conceptu communi affecto ſigno vniuerſali, identificari realiter cum omnibus ſingularibus contentis ſub illo conceptu communi, e.g. *dici de omni homine* eſt actus, quo affirmo animal eſſe realiter idem cum ſingulis hominibus, quia affirmo conceptum hominis vt ſic eſſe realiter animal , ſed affirmatio vera identitatis aliquarum rerum pendet ab ipſa earumdem identitate reali (vt eſt per ſe notum :) ergo dici de omni homine pendet ab identitate reali hominis & ſingulorum hominum.

§.117. Confirmatur , primo antequam concedamus Petrum eſſe hominem , licet conceſſerimus rationale eſſe hominem, videmus Petrum eſſe rationalem ; niſi enim concedamus identitatem Petri & rationalis , non cogimur forma ſyllogiſtica ad fatendum Petrum eſſe hominem , ergo dici hominem de Petro pendet ab identitate Petri cum rationali & hominis cum eodem rationali, e. g. ego dico, *omne rationale eſt homo* , en identitas hominis cum rationali , ex qua nihil de Petro concluditur, niſi ponatur hæc, *Petrus eſt rationale*. ecce identitatem Petri cum eodem rationali,vnde infertur hęc: *ergo Petrus eſt homo*: Ecce identitatem Petri cum homine pendẽtem ab identitate hominis & Petri cum rationali, & in concluſione deducitur identitas extremitatum inter ſe ex identitate earumdem cum vno tertio.quod eſt mediũ in præmiſſis. Confirmatur ſecundo in ſyllogiſmo demonſtrante , ſi quis euidenter cognoſcit hominem , vt ſic (quem ſignificamus hoc termino *omnis homo*) eſſe animal, deinde cognoſcat euidenter illum conceptum hominis à parte rei eſſe Petrum : euidenter infert Petrũm eſſe animal : ſed ad concluſionem non mouetur niſi identitate extremorum cum vno tertio, ergo ex eo principio pendet dialecticum principium *dici de omni*.

§.118. Secundò probatur ex ipſo dialectico principio *dici de omni*,quod inde vim habet,quia ſi quis diceret de omni homine,e.g. *illum eſſe animal*,& admitteret *Petrum eſſe hominem*, deinde negaret *Petrum eſſe animal* , cogeretur admittere contradictorias propoſitiones. Nam ſi negat *Petrum eſſe animal*, infertur contra illum, *ergo aliquis homo non eſt animal:* quia Petrus, qui eſt aliquis homo , non eſt animal, quæ contradicit maiori conceſſæ , *omnis homo eſt animal*. hoc autem eſſe abſurdum probatur ex metaphyſico principiò , *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: item *quodlibet eſt, vel non eſt*,quia ergo idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe , ideo de eadem re non poteſt verè affirmari eam eſſe & non eſſe. Immo nec poteſt affirmari mente, quia altera propoſitio repugnat cum altera. Vnde concludo propoſitiones illas contradictorias verſari circa idem obiectum reale, quia earum contradictio eſt , quia ſunt affirmatio & negatio eiuſdem de eodẽ ſimul & pro eodem tempore altera vniuerſalis & altera particularis. Quod ſi verſarentur circa diuerſa obiecta, non eſſent contradictoriæ , ergo quia obiectum particularis propoſitionis habet identitatem realem cum obiecto vniuerſalis,ideo repugnant in veritate : ergo tota repugnantia dialectici principij oritur ex identitate obiectorum cum vno tertio: Patet conſequentia, quia illa identitas obiectorum inter ſe non aliunde conſtat , quam ex identitate eorumdem extremorum cum medio.

§.119. Itaque propoſitiones contradictoriæ non poſſunt admitti propter metaphyſicum adagium , *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*. Item probatur eas eſſe contradictorias, quia obiectum concluſionis realiter eſt idem cum obiecto maioris: hæc autem identitas realis probatur in maiori & minori, ex identitate reali vtriuſq; obiecti cum medio,ergo de primo (vt aiunt) ad vltimum tota forma ſyllogiſtica reſoluitur in hoc principium , *quæ ſunt eadem vni tertio. ſunt idem inter ſe*. Equidem niſi ex hac identitate extremorum cum tertio ſequeretur eorum identitas inter ſe , non video cur ſequerentur duæ contradictoriæ ex negatione concluſionis directè illatæ in prima figura , quia quæ carent ea identitate , non diſponuntur bene in ſyllogiſmo conſtante vtraque præmiſſa vera , nec video cuius referret tam exactæ leges bene diſponendi medium vt inferatur concluſio.

§.120. Pater Vazquez to.2.in 1.part. diſput.122. c.22. ait principium ſyllogizandi , non eſſe hoc principium metaphyſicum , ſed illud dialecticum , *dici de omni*;tum quia Ariſtoteles non meminit niſi, *dici de omni* , tum quia ſyllogiſtica forma illi principio innixa vim non habet in myſterio Trinitatis,at recta forma vbique vim habet eamdem : ipſe autem ait, *dici de omni* , vim habere etiam in Trinitate. Verum ipſe conatur defectus inuenire ſyllogiſmi,quos nõ probat. Etenim hic ſyllogiſmus expoſitorius eſt in prima figura. *Natura diuina eſt paternitas. filiatio eſt natura diuina, ergo filiatio eſt paternitas*. Nec differt ab hoc, *Petrus eſt Rex, hac perſona humana eſt Petrus , ergo hæc perſona humana eſt Rex.* Dices naturam diuinam eſſe terminum communem,relationes verò eſſe particulares,vnde eſt inepta argumentatio. Contra,eadem forma ſyllogiſmi probatur,hac reſpõſione peti principium, quia natura diuina non eſt communis logicè cum non ſit vniuerſalis,ſed ſingulariſſima ; eſſe autẽ cõmunem phyſicè eſt eam eſſe idẽ realiter cum relationibus, has autem eſſe particulares , eſt eas non eſſe idem inter ſe,cuius oppoſitum probat ſyllogiſmus.

§.121. Immo eodem pacto non quadrat in diuina, *dici de omni* , quia ſignificat prædicatum vnum dici de aliqua re, & de omni alia, quæ ſit idem realiter cũ illa(vt ex Ariſtotele probaui:)quia ſubiectum comparatum prædicato, eſt in toto illo, vt *homo* in *animali* , & prædicatum reperitur in omni re , in qua. reperitur ſuum ſubiectum:vt *animal* in *omni homine* (vt oſtendi §.114.118.& 120.)ſed quod dicitur de natura diuina,nõ dicitur de omní, quod eſt realiter natura diuina , quia Paternitas dicitur de natura, & non de filiatione , quæ realiter eſt natura ; ergo forma ſyllogiſtica, *dici de omni* , non quadrat in myſterium Trinitatis , magis quàm quæ ſunt eadem vni tertio.

§.122. Dices in præmiſſis non ſumi terminos in ſenſu formali, ſed identico. Contra, ergo deficit principium metaphyſicum non in ſenſu idẽtico, ſed formali, & defectu illo non bene concluditur : Deinde in concluſione non infertur identitas formalis

relationum inter ſe,ſed tantum identica , ad quod non eſt ponenda in præmiſſis identitas formalis relationum cum natura, ſed ſufficit identica, vt in creatis patet , quia in hac demonſtratione ſolum infertur realis idẽtitas,*omne rationale eſt riſibile,omne admiratiuum eſt rationale , ergo omne admiratiuum eſt riſibile.* Conſtet ergo difficultatem eſſe communem vtrique principio , & vbi deficit metaphyſicum eodem modo deficere logicum,quia ab obiecto pendet prædicatio vera. Ariſtotelem iam explicui , & ipſe P. Vazquez fatetur ab eo alibi hoc principium poſitum.

§.123. S.Thomas , 1.p.q. 28. ait , quæ ſunt eadem vni tertio materialiter & formaliter,eſſe idem inter ſe: non verò quæ ſunt idem vni tertio ſolum materialiter,vt actio & paſſio non ſunt idem inter ſe licet materialiter ſint idem cum motu , vt ex Ariſtotele probat. Verùm actio & paſſio realiter ſunt idem inter ſe,cũ tamen relationes diuinę inter ſe realiter diſtinguantur , cum actio & paſſio non ſint idem formaliter in motu(vt vult.S.Tho.)ergo identitate materiali cum tertio bene infertur identitas realis extremorum inter ſe. Ariſtoteles autem (vt ait P. Vazquez) tantum vult ex identitate reali extremorum cum medio non inferri identitatem rationis eorumdem inter ſe. Ratio à priori huius doctrinæ eſt, quia diſtinctio rationis eſt extrinſeca denominatio obiectis ab actu confuſo : quod verò realiter conuenit obiecto confuſè cognito , conuenit ipſi clarè cognito:quia cognitio clara,aut obſcura non immutat prædicata realia obiecti : vt patet in *Darij* in quo in præmiſſis affirmatur confuſè identitas extremorum,in concluſione verò affirmatur clarè: & quidem rectè Pater Vazquez obſeruat nullam fore ſyllogiſmorum formam niſi inter terminos, qui eſſent re , & ratione noſtra idem. S. Thomas eſt in profundiori ſenſu, nomine enim diſtinctionis rationis intelligit diſtinctionem virtualem in diuinis ex qua infertur realis diſtinctio perſonarum. Exemplum de motu adduxit exempli gratia, nam *exemplorum nõ requiritur veritas,* maximè comparatione Trinitatis : adduxit exemplum S.Thom. ad oſtendendam diſtinctionem rationis, quod deficit ad oſtendendam virtualem. Itaque ex identitate reali extremorum creatorum cum medio infertur realis eorum identitas inter ſe.

§.124. Scotus in 1.diſt.2.q.4.§.4. *Ad primum principale* ait relationes non eſſe idem formaliter inter ſe, quia non ſunt idem ex natura rei cum natura. Cõtra , ex Scoto ſunt realiter idem cum natura , tametſi non ex natura rei , ergo licet diſtinguantur ex natura rei, non tamen realiter. Reſpondet Scotus,illas eſſe idem realiter inter ſe non in ſubſiſtentia , quia in ea non ſunt idem cum natura diuina, ſed illas eſſe idem realiter inter ſe in eſſentia. Bene ait P. Vazquez , hanc reſponſionem eſſe inutilem, quia ex identitate extremorum cum tertio infertur in concluſione identitas extremorum inter ſe. Nam ex vna parte colligitur altera, nec infertur concluſio aſſerens identitatem extremorum cum medio,quia de hac egerat in præmiſſis,ſed aſſerens eorum identitatem inter ſe, alioquin nihil inferretur in concluſione diſtinctũ à præmiſſis, nam quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt inter ſe eadem vni tertio,hoc autem inutiliter inferretur in concluſione. Deinde ex identitate ſubſiſtentiarum cum natura in eſſentia infertur identitas ſubſiſtentiarum inter ſe in ſubſiſtentia, quia vtraque ſubſiſtentia eſt realiter idem cum natura , vnde infertur vtramque ſubſiſtentiam eſſe idem inter ſe.

§.125. Capreolus opinatur , ideo hæc dialecticum & Metaphyſicum principia nõ valere in diuinis;quia natura diuina eſt inadæquatè idem cum vna perſona;ac propterea non bene infertur idẽtitas vnius perſonæ cum alia ex identitate ipſarum cum natura.Quod poteſt explicari exemplo hominis,qui eſt idem ratione cum animali & rationali ; hæc autem non ſunt ratione idem.Reſpondeo,hic etiam principium peti. Quia naturam eſſe inadæquatè idem cum vna perſona , eſt , eam eſſe idem cum illa & cum alia diſtincta realiter ab illa prima : Hoc autem quo pacto fieri poteſt , cum omnia quæ ſunt eadem vni tertio , ſint idem inter ſe ? ideſt, ſunt adæquatè idem. Exemplum hominis eſt abs re : homo enim eſt compoſitum ratione : in quo vna pars ratione adæquata diſtinguitur ab alia : natura autem diuina non componitur ex perſonis.

Vt autem vis ſyllogiſtica etiam in Trinitate ſer- §.126.
uetur,opus eſt aduertere,quod dixi diſput. 19.in 3. p.§.15.in diuinis eſſe diſtinctionem virtualem nobiliorem diſtinctione virtuali creaturarum , per quam Deus præſtat vna ſola entitate eminentiſſimo modo , quæ creaturæ præſtant pluribus , qua diſtinctione fundantur in Deo prædicata quaſi cõtradictoria intrinſeca entitati Dei, v.g.illam eſſe communem ſecundum conceptum naturæ,& non eſſe communem ſecundum conceptum relationis, quod non eſt cõtradictio abſolutè propter virtualem diſtinctionem. Hinc oritur , vt relatio explicata conceptu formali , & reduplicatiuo , habeat prædicata realiter repugnantia naturæ , vt eſt natura, & explicatur conceptu formali & reduplicatiuo,vnde non bene concluditur ex vno aliud,e.g. in hoc ſyllogiſmò vitium eſt in vtraque præmiſſa, *natura diuina eſt Paternitas : filiatio eſt natura diuina: ergo filiatio eſt Paternitas,*quia in maiori ponitur ſola identitas realis formalis inter paternitatem & naturam , in minori ponitur ſola eadem identitas inter filiationem & naturam , in concluſione autẽ infertur identitas realis inter paternitatem & relationem,quæ eſt mala collectio.

Quod ſi eam probes. Quia , *quæ ſunt eadem vni* §.127.
tertio,ſunt idem inter ſe , & *dici de omni.* Reſpondeo, omnia quæ ſunt eadẽ vni tertio realiter, & formaliter,& virtualiter eſſe idem inter ſe,& dici de omni:quæ verò sũt realiter formaliter eadẽ vni tertio, non verò virtualiter, nec ſunt inter ſe idem realiter,nec dicuntur de omni.Quod ſi dicas in creatis ex ſola identitate reali formali extremorum cum medio inferri eorum identitatem realem inter ſe. Reſpondeo,id eſſe falſum,quia etiam colligitur ex identitate virtuali ; quia creata carent eo genere diſtinctionis virtualis (vt patet ex lumine naturæ) diuina non caret(vt patet Dei teſtimonio:) diſcrimen eſt;quia Deus eſt Deus,& creaturæ, creaturæ. Sic explicatur, quod communiter dicitur ; relationes non eſſe adæquatè idem cum natura, ideſt,realiter , formaliter & virtualiter , alioquin peteretur ipſum principium contra ipſam formam ſyllogiſmi.

Probatum manet *dici de omni* , ex principio me- §.128.
taphyſico , *quæ ſunt eadem vni tertio :* Probandum nunc alterum logicum principium. *Dici de nullo,* ideſt, quando nihil ſubiecti eſt in prædicato toto : nec prædicatum dicitur de aliquo , in quo reperitur ſubiectum : Exempli gratia:*Nullus homo eſt brutum,*nulla pars poteſtatiua hominis reperitur in tota latitudine bruti,ita neque brutum poteſt prædicari de re aliqua , quæ ſit realiter homo : alioquin ſequeretur eandem rem eſſe brutum , & non eſſe brutum ; non eſſe quidem brutum ponitur in hac

hac propoſitione maiori: *Nullus homo eſt brutum*: eſſe brutum, quia conceſſo hominem non eſſe brutum, & Petrum eſſe hominem, ſi negatur hæc concluſio: ergo *Petrus non eſt brutum*, infertur hæc: ergo *Petrus eſt brutum*, deinde hæc: ergo *aliquis homo eſt brutum*, quia Petrus, qui eſt aliquis homo, eſt brutum, quæ contradicit maiori, *nullus homo eſt brutum*.

§.129. Ad quod duo requiruntur, alterum vt duo termini præmiſſarum affirmentur eſſe idem inter ſe, alioquin nihil concludetur, nam opus eſt, vt forma ſit legitima, vt affirmato vno extremo de medio, negetur aliud extremum de eodem medio, vt in concluſione negetur de altero extremo, nam ſi ego, & Petrus ſumus idem homo, & de Petro negatur eſſe Regem, idem de me negabitur: quod ſi ego & Petrus ſumus diſtincti, ſi de Petro negatur eſſe doctum, non ideo bene negabitur de me, qui poſſum eſſe doctus Petro idiota, vnde ex puris negatiuis nihil ſequitur. Alterum quod requiritur, eſt, vt vna extremitas negetur de medio, & ſic negabitur de alia. Porro quæ non ſunt eadem vni tertio poſſe eſſe idem inter ſe, patet, quia rationale & homo ſunt inter ſe idem, & non ſunt idem cum lapide: requiritur ergo ad bene arguendum affirmare vnum extremum de medio & negare alterum, vt vtrumque extremum mutuo negetur. Hæc tam latè diſcuſſi, quia communiter non niſi curſim diſputantur, vel potius omittuntur, cum ſint bona dialecticæ pars.

SECTIO XVII.

Quinque modi indirectè concludentes in prima figura.

§.130. IAm Dixi collectionem indirectam primæ figuræ eſſe, qua minor extremitas prædicatur de maiori, idest, quando in concluſione deducitur pro ſubiecto extremitas, quæ in præmiſſis fuerat prædicatum. Sunt ergo in hac prima figura quinque modi indirectè concludentes, tres primi ſunt ipſiſſimi tres directi, niſi, quod concluſio eſt indirecta. Quartus, & quintus non nihil differunt à primis; ſunt autem, *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapeſmo*, *Friſeſomorum*. Exemplum. *Baralipton*, *Omne rationale eſt ſenſibile*, *omnis homo eſt rationalis*: ergo *aliquod ſenſibile eſt homo*, ſi directè concluderet, inferretur hæc concluſio in *Barbara*: ergo *omnis homo eſt ſenſibilis*. Quia verò *ſenſibile* ponitur pro ſubiecto, & *homo* pro prædicato, non potuit ſenſibile ſupponi vniuerſaliter, ſed particulatim, aut confusè: eſſet enim falſum conſequens ſi inferretur: ergo *omne ſenſibile eſt homo*, quia leo non eſt homo, tametſi ſenſibilis. Particularis autem potuit inferri concluſio, quia in præmiſſis oſtenta fuit identitas inter rationale & aliquod ſenſibile, & inter omnem hominem & rationale.

§.131. Vnde ſequitur identitas inter rationale, & aliquod ſenſibile, quia in prædicatione ſuperioris de inferiori ſuperius ſupponitur confusè, deſcenditque diſiunctiuè confusè. Exempli gratia: *Petrus eſt homo*, æquiualet huic, *Petrus eſt aliquis homo*; deinde in *Barbara*, infertur ex illis præmiſſis: *ergo omnis homo eſt ſenſibilis*, quæ ſic conuertitur in Baralipton: *ergo aliquod ſenſibile eſt homo*. Quia propoſitio vniuerſalis affirmatiua conuertitur per accidens. Differunt ergo *Barbara*, *& Baralipton*, quod Barbarica concluſio conuertitur per accidens in *Baralipton*. Cum ergo à propoſitione conuerſa ad conuertentem valeat conſequentia (vt in ſummulis dixi) ita valet à *Barbara*, ad *Baralipton*, & è côuerſo.

Celantes, cuius exemplum ſit. *Nullum rationale eſt inſenſibile, omnis homo eſt rationalis*: *ergo nullum inſenſibile eſt homo*: præmiſſæ ſunt in *Celarem*, ſola concluſio differt propter indirectam collectionem, erat enim directa conſequentia: *ergo nullus homo eſt inſenſibilis*: rectè autẽ dicit: *ergo nullum inſenſibile eſt homo*. Etenim, ſi quod inſenſibile eſſet homo: ergo aliquis homo eſſet illud inſenſibile, contra propoſitionem prius illatam; differunt ergo *Celarem*, & *Celantes*, quia concluſio *Celantica* eſt conuerſio concluſionis celaricæ. §.132. *Celantes.*

Dabitis gaudet præmiſſis Regis *Darij*. E.g. *omne rationale eſt riſibile*, *aliquod viuens eſt rationale*, ecce vtriuſque modi præmiſſæ, ſed *Darij* colligit: ergo *aliquod viuens eſt riſibile*. *Dabitis* autem colligit, ergo *aliquod riſibile eſt viuens*, quæ concluſio conuertit ſimplici conuerſione concluſionem *Darij*. Eſt enim bona conſequentia, *aliquis homo eſt riſibilis*, *ergo aliquod riſibile eſt homo*, nempe homo eſt riſibile illud, quod dixi habere identitatem cum homine; itaque *Darij*, *& Dabitis*, ſolum differunt quia *Dabitis* in concluſione conuertit ſimpliciter concluſionem *Darij*. §.133. *Dabitis.*

Fapeſmo ſit exemplo, *omnis homo eſſe ſenſibile, nullus leo eſt homo, ergo aliquod ſenſibile non eſt leo*. Vbi aduerte in modis directè concludentibus in prima figura nullum habere maiorem affirmatiuam, nec minorem negatiuam, ſed è contra maiorem negatiuam, & minorem affirmatiuã, vt *Celarem*, *& Ferio*, quia medium ineptè diſtribueretur (vt oſtendi à §.76.) at verò in collectione indirecta ex altera præmiſſa ſyllogiſmi deducendi ad *Ferio*, non poteſt maior eſſe negatiua; quia non bene oſtenderent præmiſſæ identitatem extremorum cum medio: nam ex vtraque præmiſſa vera deduceretur conſequens falſum. Exempli gratia, *nullus homo currit*, *aliquod animal eſt homo*: *ergo aliquod currens non eſt animal*, quæ concluſio poteſt eſſe falſa, ſi currat leo ſolus, cæteris animantibus non currentibus, cum vtraque præmiſſa ſit vera; ratio à priori, quia ex negatione hominis, & currentis, & ex affirmatione alicuius animalis & hominis, non infertur bene negatio currentis & alicuius animalis; quia poteſt currere aliquod animal diſtinctum ab homine. *Fapeſmo* ergo bene concludit, quia ex affirmatione omnis hominis cum ſenſibili, rectè ſequitur aliquod ſenſibile eſſe hominem, & ex negatione omnis leonis & hominis, rectè ſequitur quidquid eſt idem cum homine, non eſſe idem cum leone. Ecce rationem à priori huiuſmodi, quod eſt idem realiter cum homine, diſtinguitur ab omni alio, quod realiter non eſt homo, & nullus leo eſt homo: ergo nulli leoni côuenit, quod realiter eſt idem cum homine; ſed in minori dicitur nullum leonem eſſe hominem, in maiori autem hominem eſſe aliquod ſenſibile: Vnde infertur, illud aliquod ſenſibile non eſſe leonem. Hic autem modus & immediatus, qui ſequitur; reducuntur ad *Ferio* (vt patebit ſectio.21.) §.134. *Fapeſmo.*

Vltimus modus eſt *Friſeſomorum* diſcriminatus à *Fapeſmo*, ſola quantitate maioris præmiſſæ, quæ eſt particularis in *Friſeſomorũ*, in *Fapeſmo* verò vniuerſalis: exemplum *Friſeſomorum*. *Aliquis homo eſt ſenſibile, nullus leo eſt homo: ergo aliquod ſenſibile non eſt leo*. Ratio eſt eadem, quæ in *Fapeſmo*, nihil enim refert illa mutatio quantitatis. Nam illud ſenſibile, quod eſt idem cum homine aliquo, negatur de leone, de quo negatur omnis homo; alioquin illud ſenſibile eſſet rationale, & brutum, quia eſſet idem cum §.135. *Friſeſomorũ.*

cum homine, & leone. Rogas cur hic quintus modus adhibeatur cum ſufficeret *Fapeſmo?* Reſpōdeo id factum claritatis ergo; vel quia ſic voluere poëtæ. Ex hac & 15. ſect. facilè patet eſſe vndecim modos inutiliter indirectè concludentes in hac prima figura. Nam propoſitiones indirectè concludentes bis geminantur octies: è quibus quinquies tantum concluditur bene: ergo vndecies concluditur malè, quos modos non recenſeo vitandæ prolixitatis ergo.

SECTIO XVIII.

De ſecunda figura.

§. 136. ARiſt. 1. priorum, c. 5. docet ſecundam ratiocinandi figuram, qua medius terminus de vtraque extremitate prædicatur in præmiſſis. Hæc quatuor gaudet modis vtiliter concludentibus, qui ſunt primi tertij carminis. *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.* *Ceſare* exemplum, *nullus homo currit, omne brutum currit: ergo nullum brutum eſt homo.* Ratio, ob quam bene concludit, eſt, quia ponitur in minori identitas inter extremitatem alteram & medium; in maiori autem negatur identitas eiuſdem medij cum altera extremitate; vnde infertur negatio vtriuſque extremitatis inter ſe.

Ceſare.

§. 137. Secundus modus eſt *Cameſtres*, qui differt à præmiſſis *Ceſareis* ſola tranſpoſitione. Exempli gratia, *omne brutum currit, nullus homo currit: ergo nullus homo eſt brutum.* Cōcluſio autem huiuſmodi conuertit ſimpliciter concluſionem modi præcedentis; vnde conſtat vtilitas huiuſmodi, quia conuerſio eſt cōſequentia vnius propoſitionis ad aliā. Tum etiā, quia ponitur in præmiſſis identitas vnius extremi cum medio, & negatio alterius de eodem medio. Vnde infertur negatio mutua vtriuſque extremi.

Cameſtres.

§. 138. *Feſtino* tertium locum obtinet. E.g. *nullus homo currit, aliquis leo currit: ergo aliquis leo non eſt homo.* ratio eſt eadem omnino. Item in Baroco, *omnis homo currit, aliquod animal non currit: ergo aliquod animal non eſt homo,* quia affirmato curſu de omni homine, ſequitur non eſſe hominem, quod non currit, quia omnis homo currit; alioquin aliquis curreret ſimul & non curreret.

Feſtino. Baroco.

§. 139. Hic aduerte poſſe in hac figura indirectè concludi in *Feſtino & Baroco*, quia minor extremitas poteſt prædicari de maiori; eſt autem minor extremitas, quæ cum medio conſtituit præmiſſam particularem. E.g. in *Feſtino*, concluditur directè hoc modo, *nullus homo currit, aliquod animal currit: ergo aliquod animal non eſt homo,* indirectè autem concluditur in eodem *Feſtino: ergo aliquis non homo non eſt non animal.* item in *Baroco, omnis homo currit, aliquod animal non currit*, concluditur directè, *ergo aliquod animal non eſt homo,* indirectè cōcluditur: *ergo aliquis non homo non eſt non animal,* quæ concluſiones indirectè ſunt conuerſiones per cōtrapoſitionem concluſionum directarum *Feſtino*, & *Baroco.* Oſtendi autem in ſummulis particularem negatiuam conuerti per contrapoſitionem. Item aduerte in *Ceſare & Cameſtres*, propriè nullā eſſe collectionē directā, nec indirectam, quia propriè nō eſt maior, nec minor extremitas, poteſt autem in eis concludi iam prædicando vnū extremū, iam idē ſubiiciēdo. E.g. in *Ceſare, nullus homo currit, omnis leo currit: ergo nullus leo eſt homo,* vel *ergo nullus homo eſt leo,* quia concluſiones ſunt vniuerſales negatiuæ, quæ ſimpliciter conuertuntur. *Ceſare* autem, & *Cameſtres*, ſola tranſmutatione præmiſſarum differunt.

In hac figura ſunt duodecim modi inutiles, v.g. ex puris affirmatiuis, vt *omnis homo currit, omnis leo currit: ergo omnis leo eſt homo*, quia poſſunt conuenire in curſu, & non in humanitate, licet enim currant & homo & brutum, non ſequitur eos eſſe idem inter ſe. Itaque non diſponitur medium aptè ad oſtendendam identitatem extremorum cum illo; niſi tanquam in conceptu generico, ex qua idētitate non colligitur identitas ſpecierum inter ſe, quia per diuerſas entitates conueniunt genericè, & tamen inter ſe non poſſunt ſpecificè conuenire, vt ſi quis dicat, *ego ſum homo, tu es homo: ergo tu es ego,* quia non ſumus idem numero homo; igitur in concluſione infertur identitas particularis inter duo extrema ex identitate vniuerſali eorum cum medio; item ex puris negatiuis nihil concluditur; nec ex puris particularibus. §. 140.

Modi ſunt hi ad has claſſes adducti, ex communi conſenſu dialecticorum (vt patet ex Conimbr.) §. 141.

EX PVRIS AFFIRMATIVIS.

1 EX *vtraque præmiſſa vniuerſali affirmatiua.*
2 *Ex vtraque præmiſſa particulari affirmatiua.*
3 *Ex maiori vniuerſali, & minori particulari affirmatiua.*
4 *Ex maiori particulari, & minori vniuerſali affirmatiua.*

EX PVRIS NEGATIVIS.

5 EX *vtraque præmiſſa vniuerſali negatiua.*
6 *Ex vtraque præmiſſa particulari negatiua.*
7 *Ex maiori vniuerſali, & minori particulari negatiua.*
8 *Ex maiori particulari, & minori vniuerſali negatiua.*

EX MIXTA PRÆMISSA.

9 EX *maiori particulari affirmatiua, & minori particulari negatiua.*
10 *Ex maiori particulari negatiua & minori particulari affirmatiua.*
11 *Ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuerſali negatiua,* qui dicitur *Fiteſmo.*
12 *Ex maiori particulari negatiua & minori vniuerſali affirmatiua.* qui dicitur *Bormaco.*

Aduerte etiam vndecimū, & duodecimum eſſe legitimos ad concludendum indirectè. Exēpli gratia. *Fiteſmo & Bormaco*, prior differt à *Feſtino*, poſterior à *Baroco*, ſola præmiſſarum tranſmutatione, vt *Ceſare* à *Cameſtres* in præmiſſis. Exempli gratia, in *Fiteſmo, aliquod animal currit, nullus homo currit: ergo aliquod animal non eſt homo.* erit *Feſtino*, ſi dicas iiſdē ex præmiſſis mutatis, *nullus homo currit, aliquod animal currit, ergo aliquod animal non eſt homo,* reducitur etiam ad *Ferio* mutatis præmiſſis & minori per accidens conuerſa, vt patebit §. 172. in *Bormaco*, idem patet, *aliquod animal non currit, omnis homo currrit, ergo aliquod animal non eſt homo*, quæ concluſio eſt indirecta, ex vulgi ſenſu, inferrique poteſt in *Baroco*, mutatis præmiſſis. Exempli gratia, *omnis homo currit, aliquod animal non currit: ergo aliquod animal non eſt homo*, reduciturque ad *Barbara*, per impoſſibile, vt patebit. §. 181. Vnde conſtat hos modos rectè concludere: tum ex ipſa extremorum connexione cum medio: tum quia ſola præmiſſarum tranſmutatione deducuntur ad modos rectè concludētes: Tertiò, quia rectè deducūtur ad *Barbara, & Ferio*, conſtat item plures eſſe modos vtiles huius figuræ, quàm ab Ariſtotele, & dialecticis aſſignantur. Nam concluſio indirecta mutat modum, §. 142.

Bormaco.

vt

vt patet in *Baralipton,& Barbara.* Vide quæ etiam dixi.§.139.

SECTIO XIX.

De tertia figura.

§.143. PRimo priorum.c.6. traditur tertia ſyllogiſmorum figura; qua medius terminus ſubiicitur in vtraque præmiſſa, in hac figura nunquam concluditur vniuerſaliter. Ad eam ſpectant.ſex vltimi modi, quinq; ex vltimo carmine & quintus ex tertio, *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.* *Darapti* exẽplum, *omnis homo currit, aliquis homo eſt albus, ergo aliquod album currit*, cuius conſequentia eſt euidentiſſima;tum quia oſtenditur in pr̨miſſis identitas extremorum cum medio; nam ſi omnis homo currit,curret quidquid eſt homo; at eſt homo aliquod album;bene ergo ſequitur aliquod album currere,quia eſt homo: tum etiam quia conuerſa ſimpliciter minori propoſitio eſt in *Darij.*

Darapti.

§.144. *Felapton.* Felapton; *nullus homo currit, omnis homo eſt albus: ergo aliquod album non currit.* Non concluſit vniuerſaliter,quia poſſet cõſequens eſſe falſum;quia poſſet currere leo albus nullo homine currente & exiſtente albo; concluſit autem particulariter, quia ſi nulli hominum conuenit curſus, & omnis homo habet albedinem: ergo illa alba, quæ ſunt homo, non current;alioquin aliquis homo curreret ſimul & non curreret,eſt autem in *Ferio*, (vt poſtea patebit:) eamdem ob cauſam *Darapti* particulariter concluſit (vt conſideranti patebit) quia currente homine omni,poſſet leo albus non currere; & inferretur conſequens falſum.

§.145. *Diſamis. Datiſi.* Diſamis. *Aliquis homo currit, omnis homo eſt albus: ergo aliquod album currit.* Datiſi,*omnis homo eſt albus, aliquis homo currit: ergo aliquod currens eſt album.* hi duo modi ſola differunt præmiſſarum tranſpoſitione;concluſio autem in *Diſamis*, eſt indirecta;in *Datiſi* autem directa. *Bocardo. Aliquis homo non currit, omnis homo eſt albus: ergo aliquod album non currit.* Ratio huiuſmodi eſt aperta,quia ille homo,qui non currit in maiori, & eſt albus in minori, eſt album, quod in concluſione non currit: alioquin curreret ſimul,& non curreret.

Bocardo.

§.146. *Feriſon.* Feriſon, *nullus homo currit, aliquis homo eſt albus: ergo aliquod album non currit.* Aduerte,*Feriſon, & Felapton,* parum differre; ſicut in prima figura, *Celarem,*& *Ferio,* per ſolam quantitatem minoris. *Ferio* enim ſubalternatur modo *Celarem:& Darij*, ſubalternatur modo, *Barbara*: item *Diſamis,& Datiſi*, ſubalternantur *Darapti: & Feriſon*, ſubalternatur modo *Felaptõ*,immo & *Bocardo* ſubalternatur eidẽ *Felapton*, quia differunt in ſola quantitate maioris.

§.147. Collectio indirecta locum habet in hac figura: in *Diſamis, Datiſi, Bocardo*, & *Feriſon*, quia maior extremitas poteſt eſſe ſubiectum, de quo prædicetur minor.E.g.in *Diſamis. Aliquis homo currit,omnis homo eſt albus:ergo aliquod album currit*, eſt concluſio indirecta, quia *album* eſt maior extremitas, quia eſt in propoſitione vniuerſali; *currit* autem eſt minor: vt autem concluderet directè, erat inferendum, *ergo aliquod currens eſt album*, quod fit in *Datiſi* retentis iiſdem præmiſſis, ſed ordine inuerſo, poſita prima loco ſecundæ. Neſcio autem cur hos duos modos diſtinguant dialectici,quia ſola tranſmutatio earumdem propoſitionũ ſine vlla alia mutatione non variat modum concipiendi, nec arguendi. Quid enim refert,ſi dicas in prima figura: *Aliquod album eſt homo, omnis homo currit;* ac ſi dicas, *omnis homo currit, aliquod album eſt homo?* in omnibus his ſex modis poteſt fieri conuerſio concluſionis;in negatiuis per contrapoſitionem; in affirmatiuis autem ſimpliciter.

Sunt in hac figura decẽ modi inutiles ex communi dialecticorũ ſenſu,quos adducunt Conimb. 1.priorum c.6. inter quos referunt ex maiori vniuerſali affirmatiua, & minori particulari negatiua, vt *Bamorco,* qui modus eſt vtilis ad concludendum indirectè. E. g.*omne animal eſt viuens, aliquod animal non currit: ergo aliquod viuens non currit*, quæ concluſio non poteſt eſſe falſa: ſi præmiſſæ ſunt veræ, quia illud aliquod animal non currens, eſt viuẽns,vt patet ex maiori: ergo illud viuens, quod eſt animal non currit;quia non currit animal,cum quo idem eſt viuens.Hic modus,*Bamorco*, eſt idem cum *Bocardo*, niſi quod præmiſſæ inuertuntur; & reducitur per impoſſibile ad *Barbara.* §.148.

Bamorco.

Item ex maiori particulari affirmatiua,& minori vniuerſali negatiua non rectè concluditur. E. g. *aliquis homo curru,nullus homo eſt albus: ergo aliquod album non currit.* Conſequens poteſt eſſe falſum currente leone albo, tametſi aliquis homo currat & nullus homo ſit albus. Verum licet directè non concludat(quod logici videntur velle)tamen indirectè concludere videtur,ideſt ſubiiciendo in concluſione extremum propoſitionis primæ; & quia illa eſt particularis, & ſecunda eſt vniuerſalis, collectio huiuſmodi eſt directiſſima(vt oſtendi.§.95.) nunc tamen morem gerens vulgo maiorem voco præmiſſam primam, igitur ſiquis inferat ex illis præmiſſis: *ergo aliquod currens non eſt album.* Rectè concludit:quod non poteſt eſſe falſum,ſi præmiſſ̨ ſunt ver̨:nam ſi aliquis homo currit:ergo aliquod currens eſt homo,ſed nullus homo eſt albus: ergo aliquod currens non eſt album. Vnde hunc modũ ſic reducam ad *Ferio,nullus homo eſt albus,* quæ propoſitio eſt minor in hoc modo: *ſed aliquod currens eſt homo,* quæ eſt propoſitio conuertens ſimpliciter maiorem huiuſmodi;*ergo aliquod currẽs non eſt albũ,* quæ eſt conſequentia indirectè illata,in hoc modo qui vocari poteſt *Fiſemo.* Ratio à priori huius doctrinæ eſt;quia,*ſi nullus homo eſt albus,& aliquis homo currit:ergo illud currens identificatũ cum homine non erit album.* Vnde bene ponitur identitas hominis & currentis, & negatur identitas currentis & albi: quia negatur identitas hominis & albi. §.149.

Fiſemo.

Eamdem ob cauſam rectè concluditur indirectè in hac figura ex maiori vniuerſali affirmatiua,& ex minori vniuerſali negatiua. Exempli gratia, *omnis homo currit, nullus homo eſt albus: ergo aliquod currens non eſt album.* Poteſt enim reduci ad *Ferio*, mutatis præmiſſis,& conuerſa maiori per accidens. Exẽpli gratia,*nullus homo eſt albus*,quę eſt minor huiuſmodi, *aliquod currens eſt homo*, quæ propoſitio conuertit per accidens maiorem huiuſmodi: ergo *aliquod currens non eſt album*, hunc modum vocare poſſumus *Fapemo*, differt à *Fapeſmo*, quod hic eſt in prima figura,& indiget vt minor ſimpliciter conuertatur; ſecus hic: ratio à priori huius doctrinæ eſt quia oſtenditur in præmiſſis identitas vnius extremi cum medio,& negatio alterius cum eodem;vnde bene infertur negatio vnius extremi de alio,cui nititur principium logicum *dici de nullo.* §.150.

Fapemo.

Aduerte *Fiſemo*,ſolum differre à *Feriſon*,in collocatione præmiſſarum retenta eadem quantitate,& qualitate;vt *Diſamis,& Datiſi.* Item *Fapemo*,eadem ratione differt à *Felapton*, ſolum eſt diſcrimen in concluſione non quidem in ſubſtantia,quia eadem eſt in vtriſque, ſed quia *Feriſon*, & *Felapton*, prædicant in concluſione extremum propoſitionis primo §.151.

primo loco poſitæ, quæ cõmuniter vocatur *maior. Fapemo* verò, & *Fiſemo*, prædicant in concluſione extremum præmiſſæ ſecundò prolatæ, quæ cõmuniter dicitur *minor*; vnde miror hos tres modos à dialecticis exploſos, quorum eadem eſt ratio, quæ quinque modorum indirectè concludentium in prima figura, qui differunt à quatuor primis eiuſdem primæ figuræ in ſola collectione indirecta. Alia omitto, quia ſunt moleſta.

SECTIO XX.

Vtrùm ſit quarta figura?

§. 152. AVerroës Galeno adſcribit inuentionẽ quartæ figuræ. Conimb. 1. priorum. c. 7. q & art. 1. aiunt Auerroi fidem haberi, quia in operibus Galeni ea opinio non inuenitur; ſed homini ſine fide, cur eſt fides adhibenda? Sit tamen penes auctorem. Hæc quarta figura eſt, qua medium prædicatur in maiori præmiſſa, & ſubiicitur in minori. Ariſtoteles autem non meminit niſi earum, quibus vel medium ſubiicitur in maiori, & in minori prędicatur vel ſubiicitur, aut prædicatur in vtraque. Et quidẽ primò ſtatuendum eſt poſſe legitimè concludi in ea figura totidẽ modis directis, & indirectis, quot in prima; quos poſſumus vocare *Barmaba, Calerem, Dimari, Firemo, Bamalipton, Calemes, Dimatis, Feſapo, Freſiſonorum*. Exempli gratia, in *Barmaba, omne rationale eſt homo, omnis homo currit, ergo omne rationale currit*, in præmiſſis ponitur identitas extremorum cum medio; quia *rationale*, & *currens*, identificantur cum *homine*; in concluſione autem identificantur inter ſe, & *de omni homine dicitur curſus, & homo dicitur de omni rationali, ergo curſus debet dici de omni rationali*, nec conſequens poteſt eſſe falſum, ſi præmiſſæ ſunt veræ; ſi enim aliquod rationale nõ curreret, ergo aliquis homo, qui eſſet illud rationale non curret, quod contradicit minori admiſſæ. Denique *Barmaba* reducitur oſtenſiue ad *Barbara* per ſolam tranſlocationem præmiſſarum; ſi enim minorem ex *Barmaba, omnis homo currit*, facias maiorem in *Barbara*, illique pro maiori adiungas alteram propoſitionem, *omne rationale eſt homo*, quæ eſt maior in *Barmaba*, efficies ſyllogiſmum in *Barbara*.

Barmaba.

§. 153. Idem iudicium eſt de *Calerem*; ſi enim maior vertatur in minorem, eſt *Celarem*: *Dimari* autem eſt *Darij*: *Firemo* eſt *Ferio*; *Bamalipton* eſt *Baralipton*: *Calemes* eſt *Celantes*: *Dimatis* eſt *Dabitis*: *Feſapo* eſt *Fapeſmo*: *Freſiſonorum* denique eſt *Friſeſomorum*. Vbi aduerte in modis quartæ figuræ indirectè concludentibus ſemper eſſe conuertendas propoſitiones; qua ratione conuertuntur in modis reſpondentibus in prima figura; vt reducantur ad quatuor modos perfectos. Exempli gratia, minor in *Fapeſmo*, conuertitur ſimpliciter; eadem conuertitur eadem ratione in *Feſapo*, vbi eſt maior. de quo ſectione ſequenti.

Calerem. Dimari. Firemo. Bamalipton. Calemes. Dimatis. Feſapo. Freſiſonorũ.

§. 154. Hæc ſunt de re. Vtrum autẽ hi modi pertineant ad aliam figuram diſtinctam à prima? Multum eſt de nomine. Opinor autem cum communiori conſenſu, non eſſe aliam figuram, ſed eſſe primam, quam ſententiam ſequuntur Conimb. ea q. & art. 1. & probatur apertè ex §. 72. vbi probaui in nullo ſylogiſmo eſſe propriè maiorem & minorem pręmiſſam, niſi in quo altera eſt vniuerſalis, altera particularis, aut ſingularis, v. g. in *Darij, & Ferio*, vniuerſalis eſt *maior*, particularis eſt *minor*. Prima autẽ figura eſt in qua medium ſubiicitur in maiori, & prædicatur in minori; ſed in modis particularibus huius quartæ figuræ medium ſubiicitur in maiori, & prædicatur in minori: ergo non diſtinguitur hęc figura à prima. Probo minorem in Dimari, *aliquod animal eſt homo, omnis homo currit, ergo aliquod animal currit, homo* eſt medium, quod ſubiicitur in propoſitione vniuerſali, & prædicatur in particulari. Idẽ cernitur in *Firemo*. *Aliquod animal eſt homo, nullus homo currit: ergo aliquod animal non currit*: & quidem cum medium in vtraque figura eodem modo ſumatur, ac diſtribuatur, non eſt cur diuerſæ cenſeantur; quia actus intellectus, quibus vtroque modo ratiocinamur, ſunt iidem omnino; differunt autem, quia alter priùs, alter poſteriùs elicitur. In aliis autem duobus modis vniuerſalibus propriè nec eſt maior, nec minor præmiſſa: illa autem dicitur communiter maior, in qua medium ſubiicitur; minor verò in qua prædicatur, quia ita fit in *Darij & ferio*. Semper autem medium ſubiicitur in altera, quæ erit maior vbicunque ponatur; & quidem in *Celarem*, negatiua eſt maior, quia in illa neceſſariò ſubiicitur medium; in *Barbara* autem maior dicitur illa, in qua medium ſubiicitur, ne barbarè aberret ab aliis.

Dimari.

Firemo.

Si verò maior & minor pro libito ſumantur, quia primo aut ſecundo loco proferũtur: Reſpondeo ad huc non eſſe quartam figuram, quia ea collocatio eſt propoſitionibus extrinſeca denominatio. Figuræ autem plus differunt, quia eſſe ſubiectum plus eſt in actu affirmante, quàm extrinſeca denominatio; differunt enim eſſentialiter hæ propoſitiones, *Petrus eſt homo, aliquis homo eſt Petrus*; differentia autem figurarum ſumitur ex differentia ſubiiciendi, aut prædicandi medium: nulla autem cernitur in ſola collocatione diuerſitas. Quod ſi vrgeas à te contendi figuras poſſe differre ſola ea extrinſeca denominatione, eſto, differant. Modi quidem ſunt diuerſi ex ſola collocatione, vt *Ceſare*, atque *Cameſtres, Diſamis & Datiſi*. Verum modi facilius diſcriminantur claritatis ergo; ego quidem eos circumciderem, qui nulla alia ratione differunt, aut eos geminarem aliis de cauſis (vt ſæpe inſinuaui) vnde dic eſſe in prima figura modos duo de viginti. §. 155.

SECTIO XXI.

Præmonitio ad deductionem oſtenſiuam ſyllogiſmorum.

SYllogiſmi imperfecti (quales ſunt omnes exceptis quatuor primis primæ figuræ) deducuntur ad perfectos; quia horum forma ita eſt perſpicua, vt concluſio negari non poſſit à mentis compote. Præmoneo autem primo omnes modos initium ſumere à quatuor conſonantibus. *B. C. D. F.* vt *Barbara, Celarem, Darij, Ferio*. Cæteri modi ad hos quatuor deducuntur; qui initium ſumunt à *B.* ad *Barbara*, qui à *C.* ad *Celarem*, qui à *D.* ad *Darij*, qui autem ab *F.* ad *Ferio*. §. 156.

Item in nõnullis modis reperitur *M.* qua ſignificatur in deductione illorum commutandas eſſe præmiſſas, & quæ in modo imperfecto eſt in primo loco, ſiue maior, ponenda eſt in ſyllogiſmo perfecto minor, ſiue in ſecundo loco. Item poſt aliquas vocales repeciuntur nonnunquam *S.* aut *P.* *S* ſignificat propoſitionem immediatè præeuntem conuerti ſimpliciter. *P* autem ſignificat immediatè præcedentem conuerti per accidens. Vbi autem omnes hæ conſonantes reperiuntur, ſeruanda ſunt omnia hæc præcepta. §. 157.

SECTIO

SECTIO XXII.

Deductio oſtenſiua ſyllogiſmi imperfecti, ad perfectum.

§.158. AD *Barbara* deducuntur *Baralipton, Baroco, Bamarco. Bocardo, Bamorco, Barmaba & Bamalipton.* Verùm *Bormaco, Bocardo, Bamorco,* atque *Baroco,* non poſſunt deduci oſtenſiuè. Ratio à priori; quia præmiſſæ modi imperfecti, vel habent aliquam modi perfecti, vel ſaltem illi æquiualentem, vel ad quam fiat immediata conuerſio, habent enim obiectum realiter idem, & realiter affirmatum, vel negatum, ſaltem virtualiter. *Baroco* autem, & *Bocardo,* ſunt modi negatiui: quorum præmiſſæ, nec per conuerſionem, nec per tranſpoſitionem, poſſunt reddi affirmatiuæ, nec vniuerſales; quibus opus eſt ad *Barbara:* deducuntur autem ad *Barbara,* per impoſſibile (vt patebit ſect. ſequenti) cæteri modi deducuntur oſtenſiuè, vel mutando, vel conuertendo propoſitionem aliquam, vel vtrumque præſtando: ſic autem oſtenditur modum imperfectum eſſe bonum; quia per legitimas conſequentias eius præmiſſæ, vel totus ſyllogiſmus conſtituuntur in aliquo modo perfecto. Exempli gratia.

§.159. *Baralipton.* *Baralipton,* nihil differt à Barbara niſi in concluſione, quæ in *Barbara,* eſt vniuerſalis atque directa; in *Baralipton* autem particularis, & indirecta. Dices, *Baralipton* non poſſe deduci, quia *P.* conſtituta poſt tertiam vocalem ſignat concluſionem conuertendam per accidens; quod repugnat, quia propoſitio particularis affirmatiua non conuertitur niſi ſimpliciter. Reſpondeo *P* in eo modo non ſignificare niſi concluſionem è *Barbara* conuerſam per accidens in *Baralipton*, quam reuocari oportet ad priorem quantitatem & directè colligi, v.g. in *Baralipton* colligitur, *ergo aliquod animal eſt homo,* debet reduci ad ſuam conuerſam, *ergo omnis homo eſt animal,* quæ eſt in *Barbara,* quæque per accidens conuertitur in *Baralipton.* Igitur hic modus reducitur, reducendo concluſionem particularem in directam ad vniuerſalem directam. Exempli gratia, *omnis homo eſt animal, omne rationale eſt homo, ergo aliquod animal eſt rationale*, debet mutari in hanc, *ergo omne rationale eſt animal*, qua ratione eſt in *Barbara.*

§.160. *Barmaba.* *Barmaba,* qui eſt in quarta figura, deducitur ad *Barbara,* per ſolam præmiſſarum commutationem. Exempli gratia, *omne rationale eſt homo, omnis homo eſt animal, ergo omne rationale eſt animal:* ſi dicas, *omnis homo eſt animal, omne rationale eſt homo, &c.* erit *Barbara.*

§.161. *Bamalipton.* *Bamalipton* conuertitur & per tranſmutationem præmiſſarum, & per reſtitutionem concluſionis particularis indirectæ ad vniuerſalem directam, vt patet in *Baralipton,* à quo differt *Bamalipton,* per ſolam præmiſſarum commutationem.

§.162. *Celantes.* Ad *Celarem* reducuntur *Celantes, Ceſare, Cameſtres;* ex quarta figura, *Calerem,* atque *Calemes. Celantes,* per ſolam ſimplicem conuerſionem concluſionis. *Nullus homo currit, omne rationale eſt homo: ergo nullum currens eſt rationale,* ſi autem dicas: *ergo nullum rationale currit,* erit in *Celarem.*

§.163. *Ceſare.* *Ceſare* conuertitur per ſolam ſimplicem conuerſionem maioris, per quam ſubiectum facies prædicatum. Exempli gratia, *nullus homo currit, omnis leo currit: ergo nullus leo eſt homo:* ſi autem in maiori dicas, *nullum currens eſt homo*, inferes cum eadem minori concluſionem eandem in *Celarem.*

§.164. *Cameſtres.* *Cameſtres* conuertitur per commutationem præmiſſarum; & per ſimplicem conuerſionem minoris & concluſionis. Exempli gratia, *omnis leo currit, nullus homo currit, ergo nullus homo eſt leo;* ſi autem dicas; *Nullum currens eſt homo, omnis leo eſt currens, ergo nullus leo eſt homo*, videbis minorē ex *Cameſtres,* conuerſam ſimpliciter, & factam maiorem; ſimiliter, & concluſionem; quo patet deduci ad *Celarem.*

§.165. *Calerem.* *Calerem* deducitur per ſolam præmiſſarum tranſmutationem, quia per illam ſolum differt à *Celarem,* vt *Barmaba,* & *Barbara. Calemes* autem, & per tranſmutationem præmiſſarum; inſuper, vt *Celantes*, per ſimplicem conuerſionem concluſionis. Exempli gratia, *omnis homo currit, nullum currens eſt brutum, ergo nullum brutum eſt homo;* ſi autem dicas, *nullum currens eſt brutum, omnis homo currit: ergo nullus homo eſt brutum*, erit *Celarem*, vbi concluſio ex *Calemes,* conuerſa eſt ſimpliciter, & minor in maiorem commutata.

§.166. *Dabitis. Darapti.* Ad *Darij* reducuntur *Dabitis, Darapti, Diſamis, Datiſi;* è quarta figura, *Dimari, & Dimatis. Dabitis* per ſolam conuerſionem ſimplicem concluſionis. *Darapti* verò per ſolam conuerſionem per accidens minoris. Exempli gratia, *omnis homo currit, omnis homo eſt animal;* ſi loco huius dicas, *aliquod animal eſt homo*, inferes in *Darij*, *ergo aliquod animal currit.* *Diſamis.* *Diſamis* conuertitur per tranſmutationem præmiſſarum, & ſimplicem conuerſionem maioris, & concluſionis. Exempli gratia, *aliquis homo currit, omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal currit:* ſi dicas, *omnis homo eſt animal, aliquod currens eſt homo: ergo aliquod currens eſt animal,* conficies in *Darij:* vbi vides hæc duo præcepta ſeruata. *Datiſi.* *Datiſi* reducitur per ſolam ſimplicem conuerſionem minoris. Exempli gratia, *omnis homo currit, aliquis homo eſt animal:* ſi loco huius dicas, *aliquod animal eſt homo*, inferes, ergo *aliquod animal currit*, quæ concluſio infertur in *Datiſi*, & in *Darij.*

§.167. *Dimari. Dimatis.* *Dimari* reducitur ad *Darij*, ſola præmiſſarum tranſmutatione. *Dimatis* autem per tranſmutationem præmiſſarum, & conuerſionem ſimplicem concluſionis. Exempli gratia, *aliquod currens eſt homo, omnis homo eſt animal,* ergo *aliquod animal eſt currens:* ſi dicas, *omnis homo eſt animal, aliquod currens eſt homo, ergo aliquod currens eſt animal;* erit in *Darij*, per ſolam obſeruationem horum præceptorum.

§.168. *Fapeſmo.* Ad *Ferio* reducuntur *Fapeſmo, Friſeſomorum, Feſtino, Felapton, Fiſemo, & Fapemo, & Fiteſmo.* E quarta figura, *Firemo, Feſapo, Freſiſonorum. Fapeſmo* mutatis præmiſſis, minori conuerſa per accidens; minori verò ſimpliciter. Exempli gratia, *omnis homo currit, nullum brutum eſt homo, ergo aliquod currens non eſt brutum*, ſic reducitur incipiendo à conuerſione ſimplici minoris. *Nullus homo eſt brutum.* Deinde conuertendo per accidens maiorem, *aliquod currens eſt homo.* Deinde in concluſione infertur: *ergo aliquod currens non eſt brutum*, & efficitur *Ferio,* quæ conuerſio eſt difficilis propter tria præcepta præmiſſarum. Nec facilius deducitur *Friſeſomorum* (*Friſeſomorũ.*), propter totidem præcepta; debent enim inuerti præmiſſæ, & conuerti vtraque per accidens. Exempli gratia, *aliquis homo currit, nullum brutum eſt homo, ergo aliquod currens non eſt brutum*, incipe à conuerſione ſimplici minoris, *nullus homo eſt brutum;* & perſequere conuerſionem ſimplicem maioris, *aliquod currens eſt homo:* & infer in *Ferio: ergo aliquod currens non eſt brutum.*

§.169. *Feſtino.* *Feſtino* conuertitur per ſolam conuerſionem ſimplicem maioris: *nullus homo currit, aliquod animal currit, ergo aliquod animal non eſt homo.* ſi in maiori dicas, *nullum currens eſt homo*, efficies argumentum

Felapton. *in ferio. Felapton* reducitur ſola conuerſione minoris per accidens, *nullus homo currit, omnis homo eſt albus,ergo aliquod album non currit,*conuertitur in *Ferio* ſi in minori dicas, *aliquod album eſt homo.*

§.170. Fiſemo. Fiſemo reducitur,& præmiſſarum inuerſione,& conuerſione ſimplici maioris. Exempli gratia, *aliquis homo currit, nullus homo eſt albus,ergo aliquod currens non eſt album,* incipe à minori, *nullus homo eſt albus*, & minorem conuerte ſimpliciter, *aliquod currens eſt homo*, & inferes in *Ferio*, *ergo aliquod currens non eſt album.* Fapemo. Fapemo reducitur mutatis præmiſſis, & maiori conuerſa per accidens. Exempli gratia, *omnis homo currit, nullus homo eſt albus, ergo aliquod currens non eſt album*, ſic reducitur, *nullus homo eſt albus,aliquod currens eſt homo, ergo aliquod currens non eſt album.* Ecce hos modos in *Ferio*, quos tamen dialectici damnant.

§.171. Firemo. E quarta figura, *Firemo*, per ſolam præmiſſarum inuerſionem. Exempli gratia, *aliquis homo currit, omne currens eſt album, ergo aliquis homo eſt albus*; ſi dicas, *omne currens eſt album, aliquis homo currit, ergo aliquis homo eſt albus*,eſt in *Ferio*. Feſapo. *Feſapo* differt à *Fapeſmo*, ſola præmiſſarum ſerie; reducitur ad *Ferio*, ſimplici conuerſione maioris, & minoris per accidens. Exempli gratia, *nullus homo currit,omne currens eſt animal, ergo aliquod animal non eſt homo*, incipe à ſimplici conuerſione maioris: *nullum currens eſt homo*, perſequere conuerſionem per accidens minoris, *aliquod animal eſt currens, ergo aliquod animal non eſt homo.*

§.172. Freſiſomorũ. *Freſiſonorum* reſpondet *Friſeſomorum*, reducitur ad *Ferio*, minori, & maiori ſimpliciter conuerſis. Exempli gratia, *nullus homo currit, aliquod currens eſt animal, ergo aliquod animal non eſt homo*, conuerte ſimpliciter maiorem, *nullum currens eſt homo.* Item & minorem, *aliquod animal eſt currens, ergo aliquod animal non eſt homo.* Fiteſmo. Hic aduerte conuerſionem *Fiteſmo*, quem §.113. dixi ad *Ferio* reduci, eſſe in ſecunda figura. Exempli gratia, *aliquod animal currit, nullus homo currit, ergo aliquod animal non eſt homo*, conuertitur autem mutatis præmiſſis & minori conuerſa ſimpliciter. Exempli gratia,*nullum currens eſt homo, aliquod animal currit, ergo aliquod animal non eſt homo.* Vnde patet hunc modum iniuſtè exulare ab vtilium claſſe.

SECTIO XXIII.

Deductio ſyllogiſmorum ad impoſſibile.

§.173. QVando quis negat conſequentiam in aliquo modo legitimè concludente, ducitur ab argumentatore ad ſyllogiſmum perfectum, vt ex vna præmiſſa conceſſa, & contradictorio concluſionis (quod etiam concedit) cogatur admittere concluſionem directè contradicentem vni è præmiſſis conceſſis. Vocatur hæc deductio ad impoſſibile, quia repugnat rem ſimul eſſe,& non eſſe, ac proinde non poteſt ſimul negari, & affirmari. Aduerte primò, hanc deductionem fieri ſumendo propoſitionem contradictoriam concluſioni negatæ;quam negare non poteſt qui reſpondet. Si enim negat hanc *Aliquis homo currit.* cogitur fateri hanc. *Nullus homo currit.* Deinde ex illa propoſitione contradicente concluſioni, & ex altera è præmiſſis efficitur ſyllogiſmus perfectus, in quo infertur concluſio contradicens præmiſſæ conceſſæ in ſyllogiſmo imperfecto, & quæ reticetur in imperfecto. E.g. in *Baroco, omnis homo currit, aliquod animal non currit: ergo aliquod animal non eſt homo.* Si quis neget hanc concluſionem,debet arguens inferre: *ergo omne animal eſt homo*, quod negari non poteſt,niſi ſimul negentur duo cõtradictoria;deinde cum maiori ipſius *Baroco*, & cum hac contradictoria poſita pro minori efficitur hic ſyllogiſmus in *Barbara,omnis homo currit* (vt concedis in *Baroco) & omne animal eſt homo*, (vt cõceſſiſti:)*ergo omne animal currit*,quod contradicit minori in Baroco, vbi obſerua expunctam à *Barbara* minorem cui contradicit concluſio.

Secundò obſerua modos perfectos non eſſe deducendos ad impoſſibile, quia ipſi ſunt in logica prima principia; quæ,ſi negentur, probanda ſunt à priori per principia metaphyſica; *quæ ſunt eadem vni tertio, &c.* quod ſi hæc quis neget, ſinatur vt amens, & quamuis interdum prima principia probari liceat ab abſurdo:hic tamen non eſt locus huic probationi; quia debet progredi arguens, ita vt reſpondens conceſſis præmiſſis cogatur concedere concluſionem: at omnis concluſio eſt minus clara, quàm in prima figura, in huius autem modis æquè eſt clara in ſingulis: ergo hi modi non ſunt deducendi ad impoſſibile. Confirmatur, ſi quis negat concluſionem in *Darij*, & admittat eius contradictoriam negatiuam;ſi quis ex hac,& alia præmiſſa è *Darij*,concludat in *Celarem*,opprimens,vt admittatur concluſio in *Celarem*,& affirmetur contradictoria alterius præmiſſæ, an qui primam negauit in *Darij*, non negabit ſecundam in *Celarem?* quod ſi nõ admittit eam in *Celarem* nunquam conuincetur contradictionis. Adde *Darij*, non poſſe reduci, niſi prius ad *Cameſtres*,deinde ad *Celarem*; ac ſi facilius non negaretur concluſio *Cameſtrica.* Vnde miror Ariſtotelem per tot flexus conatum reductionem *Darij* ad *Celarẽ*,& *Ferio* ad *Ceſare*,deinde ad *Celarem* oſtenſiuè,quod & ſi fieri poſſit,eſt tamen inutile. §.174.

§.175. Poſſunt ergo reduci quinque modi indirecti primæ figuræ, &c. quatuor ſecundæ & ſex tertiæ: modi è quarta reduci poſſunt, quinque vltimi & indirecti, vt quinque primæ; niſi quod ex illis expungitur minor, quando ex iis expungitur maior, & è conuerſo, quia quarta & prima ſolum differunt ordine præmiſſarum,reliquos modos, quos legitimos eſſe probaui, deducendos conabor. Quatuor dictionibus vtimur ad hanc deductionem. Prima, *neſciebatis*, ſecunda, *odiebam*, tertia, *lætare*, quarta, *Romanis*, in quibus reperiuntur, *A. E. I. O.* Prima ſignificat modum perfectum vniuerſalem affirmatiuum *Barbara.* Secunda vniuerſalem negatiuum *Celarem.* Tertia particularem affirmatiuum *Darij.* Quarta particularem negatiuum *Ferio.* Prima dictio quinque habet vocales ſignificantes quinque modos indirectos primæ figuræ, ſingulos ſuo ordine. Prima *Baralipton, &c.* Secunda continet quatuor vocales ſignificantes ſuo ordine quatuor modos ſecundæ figuræ. Tertia & quarta continent ſex vocales ſignificantes ſex modos tertiæ figuræ. Modus ergo imperfectus ſuo ordine reſpondens vocali *A.* reducitur ad *Barbara*, reſpondens *E.* ad *Celarem*;reſpondens *I.* ad *Darij*; reſpondens *O.* ad *Ferio.* Exempli gratia, dubitat quis ad quem modum reducatur *Feſtino*, videt eum eſſe tertium in ſecunda figura, cui reſpondet tertia vocalis ſecundæ dictionis,*Odiebam*,quæ vocalis eſt *E.* vnde cernit reduci ad *Celarem.*

§.176. Baraliptõ. & Bamalipton. *Baralipton*. reducitur ad *Celarem*, poſito pro maiori contradictorio concluſionis: maior autem *Baraliptica* fit minor in *Celarem*, infertur autem contradictorium minoris conceſſæ eam conuertendo per accidens. Sic conuertuntur omnes modi primæ figuræ, *Celantes* excepto: differunt tamen aliqui in conuerſione minoris. E. g. *omnis homo currit,*

omne

omne riſibile eſt homo : ergo aliquod currens eſt riſibile: ſic conuertitur, *nullum currens eſt riſibile, omnis homo currit, ergo nullus homo eſt riſibilis*. hæc concluſio contradicit huic, *aliquis homo eſt riſibilis*, hæc autem conuertit per accidens hanc, *omne riſibile eſt homo*, quæ eſt minor conceſſa in *Baralipton*. *Bamalipton* reducitur eodem modo, niſi quod de eius maiori dicuntur, quæ dicuntur de minori *Baralipton*, quia hi duo modi differunt ſola præmiſſarum collocatione.

§.177. **Celantes.** *Celantes* ad *Darij*, ſumpto contradictorio concluſionis pro minori, & minori pro maiori infertur contradictorium maioris conuerſæ ſimpliciter. Exempli gratia, *nullus homo currit, omne riſibile eſt homo, ergo nullum currens eſt riſibile*, reducitur autem ſic, *omne riſibile eſt homo, aliquod currens eſt riſibile* (quod eſt contradictorium concluſionis) ergo *aliquod currens eſt homo*, quæ contradicit huic, *nullum currens eſt homo*, hæc autem conuertit ſimpliciter hanc, *nullus homo currit*, quæ fuit maior in *Celantes* conceſſa, **Calemes.** ſic conuertitur *Calemes*, cuius maiori tribuentur, quæ minori *Celantica*.

§.178. **Dabitis.** *Dabitis* ad *Celarem*, ſumpto contradictorio concluſionis pro maiori, & maiori pro minori infertur contradictio minoris conceſſæ conuerſæ ſimpliciter (vt dixi de Baralipton.) **Dimatis.** *Dimatis* conuertitur vt *Dabitis*, niſi quod minori *Dimaticæ* tribuuntur, quæ maiori *Dabiticæ*. **Fapeſmo.** *Fapeſmo* ad *Barbara*, ſicut *Dabitis* ad *Celarem*. **Feſapo.** *Feſapo* autem vt *Fapeſmo*, excepta collocatione præmiſſarum. **Friſemorũ & Freſiſonorũ.** *Friſeſomorum* ad *Darij*, ſicut dabitis ad *Celarem*. *Freſiſonorum*, autem vt, *Friſeſomorum*, ſeruato diſcrimine præmiſſarum. Vnde patet hos quatuor modos conuerti ſumpto contradictorio concluſionis pro maiori, & maiori pro minori, & inferre contradictorium minoris conuerſæ per accidens, aut ſimpliciter. *Celantes* verò ſumit contradictorium concluſionis pro minori, & minorem pro maiori.

§.179. Quatuor modi ſecundæ figuræ reducuntur ſumpto contradictorio concluſionis pro minori cum eadem maiori, infertur autem contradictorium minoris. **Ceſare.** *Ceſare* ad *Ferio*, quia reſpondet primæ vocali, *odiebam*. Exempli gratia, *nullus homo currit, omne brutum currit, ergo nullum brutum eſt homo*, ſic conuertitur, *nullus homo currit*, quæ eſt maior *Ceſarea*; *aliquod brutum eſt homo*, quæ eſt contradictio concluſionis negatæ in *Ceſare*; *ergo aliquod brutnm non currit*, quæ contradicit minori in *Ceſare*, conceſſæ.

§.180. **Cameſtres. Feſtino, & Fiteſmo.** *Cameſtres* ad *Darij*, *Feſtino* reducitur ad *Celarem*, *Fiteſmo* item, niſi quod minor *fiteſmica* ſumitur pro maiori, quia differt à *Feſtino* collocatione præmiſſarum, Exempli gratia, *aliquis homo currit, nullum brutum currit, ergo aliquis homo non eſt brutum*; reducitur ſic, *nullum brutum currit*, quæ eſt minor *fiteſmica*; *ſed omnis homo eſt brutum*, quæ eſt contradictio concluſionis negatæ in *Fiteſmo*; *ergo nullus homo currit*, quæ contradicit maiori *Fiteſmo* conceſſæ.

§.181. **Baroco, & Bormaco.** *Baroco* ad *Barbara*, cuius exemplum præmiſi §.173. *Bormaco* ad eundem *Barbara*, niſi quod minor *Bormacica* ponitur in *Barbara*, pro maiori, & maior *Barocica* retinetur *in Barbara*, vt dixi de *Fiteſmo*, & *Feſtino*, quod cernitur ex collocatione vocalium.

§.182. Sex modi tertiæ figuræ reducuntur ſumpto contradictorio concluſionis pro maiori cum eadem minori, ex quibus infertur concluſio oppoſita maiori. **Darapti.** Exempli gratia, *Darapti*, reducitur ad *Celarem*, quia reſpondet primæ vocali, *Letare*. *Omne animal currit, omne animal eſt viuens, ergo aliquod viuens currit*; ſic conuertitur, *nullum viuens currit, omne animal eſt viuens, ergo nullum animal currit*, quæ concluſio non eſt contradictoria, ſed contraria maiori conceſſæ in *Darapti*; eſt autem idem impoſſibile, quia cum duæ contrariæ propter incluſam contradictionem, non poſſint eſſe veræ, ita nec poſſunt ſimul concedi. Cæteri quinque modi inferunt propoſitionem contradictoriam excepto *Felapton*. *Felapton* **Felapton.** reducitur ad *Barbara*. Exempli gratia, *nullus homo currit, omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal non currit*; ſic reducitur, *omne animal currit, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo currit*, quæ eſt contraria maiori conceſſæ: ita reducitur *Fapeſmo*, qui conclu- **Fapeſmo.** dit indirectè eandem propoſitionem ex iiſdem præmiſſis mutata collocatione, vnde maior *Fapeſmica* ſumitur pro maiori in *Barbara*.

Diſamis ad *Celarem*, exempli gratia, *aliquis homo* §.183. **Diſammis.** *currit, omnis homo eſt albus, ergo aliquod album currit*; ſic conuertitur, *nullum album currit, omnis homo eſt albus, ergo nullus homo currit* : quod contradicit maiori conceſſæ. *Datiſi*, ad *Ferio*, quia reſpondet primæ **Datiſi.** vocali *Romanis*, exempli gratia, *omnis homo eſt albus, aliquis homo currit, ergo aliquod currens eſt album*; ſic reducitur, *nullum currens eſt album, aliquis homo currit, ergo aliquis homo non eſt albus*. *Bocardo* ad *Barbara*, **Bocardo.** ſimiliter & *Bamorco*, niſi quod huius concluſionis **Bamorco.** contradictorium ſumitur pro minori. *Feriſon* ad **Feriſon.** *Darij*, item & *Fiſemo*, mutatis præmiſſis. **Fiſemo.**

SECTIO XXIV.

De alijs ſyllogiſmis.

§.184. ARiſtoteles probauit modos tertiæ figuræ per ſyllogiſmum expoſitorium, cuius medium eſt ſingulare in ſingulari, exempli gratia, *hoc animal eſt hoc rationale. Petrus eſt hoc animal : ergo Petrus eſt hoc rationale*, vbi ſeruatur lex primæ figuræ. In præmiſſis euidenter oſtenditur identitas extremorum cum medio; in concluſione autem earumdem inter ſe : immo arbitror hoc ſyllogiſmorum genus omnium perſpicuiſſimum, quia diſpoſitio, ſiue figura, eſt communis cum aliis; termini autem ſunt ſingulares, alieni à confuſione præceptorum de diſtributione, & ſuppoſitione medij. Poteſt item fieri negatiuus. Exempli gratia, *primogenitus Antonij non eſt rex, Franciſcus eſt primogenitus Antonij, ergo Franciſcus non eſt Rex*. Poteſt item fieri in ſecunda figura. Exempli gratia, *Philippus eſt hic homo, Antonius non eſt hic homo, ergo Antonius non eſt Philippus*. Nam in præmiſſa maiori ponitur identitas vnius extremi cum medio, in minori autem alterum extremum remouetur à medio : in concluſione verò remouetur ab altero extremo identificato cum medio. Hic modus reducitur oſtenſiuè ad primam figuram mutatis præmiſſis & minori & conſequentia ſimpliciter conuerſis, quia reſpondet *Cameſtres*. Exempli gratia, *hic homo non eſt Antonius, Philippus eſt hic homo, ergo Philippus non eſt hic homo*, ex iiſdem præmiſſis mutatis poteſt concludi ſicut in *Ceſare*; item ad impoſſibile reduci poſſunt hi duo modi alter ad affirmatiuum, alter ad negatiuum modum primæ figuræ vt *Ceſare* & *Cameſtres*, in tertia figura poteſt confici ſyllogiſmus expoſitorius. Exempli gratia, *Petrus currit, Petrus eſt hoc animal, ergo hoc animal currit*, reducitur oſtenſiuè ſicut *Datiſi*, mutata minori ſimpliciter, potéſtque reduci ad impoſſibile more ipſius *Datiſi*, item negatiuè fieri poteſt vt *Bocardo*, *Petrus non currit, Petrus eſt hoc animal, ergo hoc animal non currit*.

§.185. Syllogiſmus modalis conſtare poteſt, vel vtraque propoſitione modali, vel altera. Hic vltimus frequenter eſſe ſolet. Exempli gratia, *omnem hominem currere eſt poſſibile, & aliquod animal eſt homo, ergo aliquod animal currere eſt poſſibile.* ratio à priori bonitatis huius ſyllogiſmi eſt, quia maior propoſitio æquiualet huic, *omnis homo poteſt currere*, cum qua & minori & conſequentia præmiſſis conficitur ſyllogiſmus in *Darij*, vnde licet totum dictum dicatur à dialecticis eſſe ſubiectum, ſolus etiam homo reipſa eſt ſubiectum, de quo prædicatur poſſibilis curſus.

§.186. Syllogiſmus infinitans conſtat vtraque præmiſſa infinitante, alioquin conſtabit pluribus, quàm tribus terminis. Exempli gratia, *omne non rationale eſt non homo, omnis lapis eſt non rationale, ergo omnis lapis eſt non homo*; ſi autem diceres, *nullus lapis eſt rationale*, non recte concluderetur, quia termini ſumuntur diuerſo modo, nempe finitè & infinitè. Item minor propoſitio eſſet negatiua: poſitæ autem præmiſſæ ſunt affirmatiuæ. Dixi enim in ſummulis terminum infinitantem affirmare aliquid diſtinctum à termino infinitato, & negare ſignificationem illius, vt *non homo*, affirmat aliquid diſtinctum ab homine,& negat hominem. Alia omitto, quia plus habent faſtidij, quàm commodi. Item omitto ſyllogiſmos inutiles,eorúmque fallacias: in ſingulis enim figuris eos indicaui atque vniuerſim illi ſunt vitioſi,qui conſtant,vel ex puris particularibus, vel ex puris negatiuis, vel ex medio particulari, vel quando concluduntur vel diuerſi termini, vel diuerſo modo accepti, quàm in præmiſſis. Item omitto artem inueniendi medium, quia nugis ſcatet, quam ſi vocant *pontem aſinorum*, arbitror non tam id propter auditores, quam in præceptores dictum, quid enim turbant animos? aut quæ poteſt eſſe ars inueniendi medium, niſi aut ingenij acumen, aſſiduum ſtudium, & crebra exercitatio? ſiquis enim rationem inuenit ad probandam concluſionem, eam tenetur diſponere in aliqua figura è tribus, neque opus eſt illum onuſtare præceptis.

SECTIO XXV.

De conſequentia.

§.187. Conſequentia eſt *bona deductio vnius termini ex alio.* Iam dixi nullam eſſe legitimam, niſi in ſyllogiſmo, extra quem ſunt aliquæ, non quidem legitimæ, & formales, ſed materiales. Exempli gratia, *à ſuperiori ad inferius negatiuè valet conſequentia*,vt non *eſt animal,ergo non eſt homo.* Ratio à priori, quia homo non poteſt eſſe ſine eo quod eſt de eius eſſentia. *Ab inferiori autem ad ſuperius valet conſequentia affirmatiuè*, propter eandem rationem. Exempli gratia, *eſt homo, ergo eſt animal*; *non tamen valet negatiuè*, quia hæc eſt mala conſequentia, *non eſt homo, ergo non eſt animal*, quia ratio ſuperior poteſt reperiri in alia ſpecie.

§.188. *Ex oppoſito conſequentis infertur oppoſitum antecedentis.* Exempli gratia, *Petrus currit, ergo mouetur*, ly *mouetur* eſt conſequens ex ly *currit* antecedente, vnde rectè infertur, *non mouetur, ergo non currit.* Dices hanc regulam eſſe falſam, vt patet in præſenti, *res euidenter eſt impoſſibilis, ergo euidenter eſt incredibilis. Impoſſibilitas euidens* eſt antecedens, *incredibilitas euidens* eſt conſequens; ex oppoſito huius conſequentis, non ſequitur oppoſitum ſui antecedentis, eſt enim mala conſequentia, *eſt euidenter credibile, ergo eſt euidenter poſſibile*, vt patet in myſteriis Fidei. Reſpondeo, regulam eſſe optimam, res enim ſunt tam euidenter poſſibiles, quàm credibiles ſi euidentia eodem modo ſumatur. Nam ſi ego haberem euidentiam phyſicam de credibilitate myſteriorum, eandem haberem de myſteriis ipſis: oſtendi enim in 3.part. diſp.42. myſterium Trinitatis euidenter cognoſci, quod ad *an eſt*, ab eo qui euidenter cognoſcit diuinam reuelationem. Noſtra autem myſteria ſunt credibilia euidenter, non euidentia phyſica, alioquin nullus poſſet illis diſſentire, quia euidentia phyſica neceſſitat intellectum, ſaltem quo ad ſpeciem actus: ſunt tamen credibilia euidenter moraliter, id eſt, tot argumentis proponi, vt à nullo abſque peccato poſſint non credi, quo genere euidentiæ potiuntur myſteria ipſa, nullus enim opinari poteſt ea poſſe aliter contingere, quàm proponuntur ab Eccleſia, ſed quia euidentia in ipſis myſteriis ſumitur pro euidentia phyſica, credibilitas autem ſumitur pro morali, ea ratione ex vna non ſequitur alia.

Hæc tamen non ſufficiunt: non enim agimus de euidenti credibilitate, vt eſt denominatio extrinſeca ab actu fidei quo credimus: Hæc enim eſt euidentia moralis tantum: ſed agimus de obligatione ad credendum: quæ credibilitas, id eſt, obligatio ad credendum, eſt phyſicè euidens: eſt enim tam clarum hominem, cui myſteria fidei proponuntur euidenter teneri ad aſſenſum firmum;quàm eſt euidens nunc eſſe lucem. Hinc tamen non infringitur hoc dialecticum principium. §.189.

Ad obiectionem reſpondeo regulam eſſe optimam inter omnes terminos antecedentem & conſequentem: qui ſunt illi inter quos eſt connexio & conſequentia: vt *curſus* & *motus*: hic enim infertur logicè ex illo; & primi negatio ex negatione ſecundi. At vero *credibile* & *poſſibile* non ſunt termini antecedens & conſequens: quia ſumuntur ex diuerſis cauſis: vnde hæc conſequentia *eſt incredibile, ergo impoſſibile*; non eſt ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis: quia eſt ab oppoſito poſſibilis & credibilis; de quo latè diſſero diſput.22.de fide ſect.2. §.190.

Quando aliquid infertur ex conſequenti, infertur etiam ex antecedenti. Exempli gratia, *currit, ergo mouetur*, ſi ex hoc conſequenti *mouetur*, inferas, *ergo non quieſcit*,illud poteris inferre ex antecedenti,quia quod conuenit inferiori conuenit etiam ſuperiori. At vero *quod infertur ex antecedenti, non infertur ex conſequenti.* Exempli gratia, ex curſu Petri bene infertur, *Petrum velociter moueri*, quod non infertur ex *motu*. Poteſt enim moueri, quin velociter, non tamen currere. §.191.

Ex antecedenti falſo aliquando ſequitur verum conſequens, Exempli gratia, *Petrus eſt equus, ergo Petrus eſt animal*, conſequentia eſt bona, quia ex *equo* bene infertur *animal*, ſicut ex ſpecie genus. Item conſequens eſt verum non ex connexione Petri & equi, ſed quia Petrus eſt in aliqua ſpecie animalis. *Ex antecedenti contingenti poteſt ſequi conſequens neceſſarium*, vt *Petrus ſentit, ergo eſt animal.* Item, *ex antecedenti impoſſibili aliquando ſequitur poſſibile, & neceſſarium*, vt *Petrus eſt equus, ergo eſt animal: at ex antecedenti vero non poteſt ſequi impoſſibile*, quia antecedens ſimul eſſet poſſibile,& impoſſibile. §.192.

DISPV

DISPVTATIO XI.

De demonſtratione.

§.1. SYLLOGISMVS topicus & demonſtratiuus non differunt in forma, ſed in materia, quia demonſtratiuus habet actus certos, & euidentes, topicus incertos, & obſcuros. Logicus igitur agit de materia demonſtrationis, tanquam de eſſentiali parte ſui obiecti adæquati attributionis, non verò agit de materia particulari: hoc enim ſpectat ad ſcientias reales, ſed de materia in communi.

SECTIO I.

De præcognitis.

§.2. PRæcognitio eſt præmiſſa, præcedens, ſiue præuia cognitio. Hæc poteſt eſſe connexa cum ſubſequenti tanquam principium cum effectu, vel poteſt eſſe diſparata, in quo ſenſu non agitur in præſenti, ſed in priori: eſt igitur præcognitio quæuis notitia, ex qua alia ſequitur, ſic ſenſio exterior eſt præcognitio tum ad ſenſionem internam ſenſus communis, tum ad intellectionem, item phantaſia ad apprehenſionem, & hæc ad iudicium. Cognitiones ſenſibiles demonſtrationem neceſſariò præcedunt, de quibus nunc non diſputatur. Totam etiam demonſtrationem præcedunt apprehenſiones, & penetrationes terminorum, neque enim poſſumus alteram in partem contradictionis inclinari, quin apprehendamus terminos, & voces, & obiecta ſignificata per illas: quod ſi principia ſint per ſe nota, vel prima, nulla præcedit cognitio præter apprehenſionem terminorum, quod ſi non ſint prima, ad eorum cognitionem demonſtratiuam præcognoſcendum eſt quidquid eſt neceſſarium ad aſſenſum certum, & euidentem talium principiorum, ſcilicet prima eorum principia, vnde ipſi deducentur aſſenſus.

§.3. Ante concluſionem præcognoſcendæ ſunt præmiſſæ: quia hæ ſunt illius cauſæ, ſiue formalis ratio obiectiua, ſub qua concluſio cognoſcitur. De his præcognitis, ſiue præmiſſis diſputat Ariſtoteles in libris de poſteriori reſolutione, & dialectici cum illo, non verò de præcognitis ad totam demonſtrationem. Quod patet, tum ex ratione præmiſſarum, quæ *præcognita* vocantur; tum etiam quia omnia, quæ præcognoſcenda vult Ariſtoteles, in ipſis præmiſſis cognoſcuntur, ſcilicet quidditas, & exiſtentia ſubiecti, & quid vocis concluſionis.

§. 4. Ante concluſionem præcognoſcendæ ſunt præmiſſæ: quia hæ ſunt illius cauſæ, & formalis ratio. Primum ad quamuis demonſtrationem non requiritur cognitio vniuerſaliſſimorum principiorum, vt *Totum eſt ſua parte maius. Quodlibet eſt vel non eſt.* Nam ſine hac cognitione poſſunt cognoſci alia principia magis particularia, & ex illis inferri concluſio. Secundò, non ſemper eſt ſcienda vocis ſignificatio, nec quid vocis, nam qui propria inquiſitione demonſtrat, non vtitur vocibus, vtrum autem præcognoſcenda ſit bonitas illationis per actum reflexum? an vero ſufficiant ipſæ præmiſſæ? dicemus diſput.7. de anima, ſectione 5. non eſt neceſſaria ea cognitio.

§ 5. Ariſtoteles duo præcognita requirit, prædicatum, & ſubiectum, de ſubiecto dicit præcognoſcen-

dum eſſe an exiſtat? ſcilicet actu, vel potentia: quia non entis, id eſt non exiſtentis actu, vel potentia, cum nullæ ſint proprietates, non oportet paſſionem indagare, incerti ſit-ne res poſſibilis? vel non? de prædicato præcognoſci debet quid ſignificat: de quo non præcognoſcitur, vtrum conueniat ſubiecto? quia hoc quæritur, & probatur in demonſtratione, non enim præſupponitur, quod probatur: quia ſupponeretur intentum probandum, neque eſſet diſputationi locus. Neque item præcognoſcitur, vtrum prædicatum exiſtat? quia accidentia communia, vt albedo, exiſtere poſſunt, & non in hoc ſubiecto: tamen propria paſſio, quæ oſtenditur in demonſtratione, de qua philoſophus agit, non poteſt exiſtere niſi in illo, & licet eſſe poſſet ſine illo, cum quæritur, vel monſtratur ſuo ſubiecto conuenire, ſimul oſtenditur eam eſſe poſſibilem: nam ſi eſſet impoſſibilis, non poſſet monſtrari ſuo ſubiecto conuenire.

Dices, diminutè numerari præcognita ab Ari- §. 6.
ſtotele: quia etiam eſſentia rei eſt præcognoſcenda ad concluſionem. Reſpondeo primò eam includi in præcognitione ſubiecti, cuius exiſtentia præcognoſcitur: male enim inquirimus, vtrum res exiſtat nec-ne? quin cognoſcamus eius eſſentiam vt ſi quæras ſit-ne poſſibilis lupus? ſtatim rogaris, quid eſt lupus? Reſpondeo ſecundò, eſſentiam eſſe medium, ſiue rationem formalem, quæ cum vtraque præmiſſa diſponatur, ſpectat ad præcognitum complexum (quod eſt tota propoſitio:) hic autem agitur de incomplexo (quod eſt pars propoſitionis:) igitur vno verbo dicam, præcognita ſunt vtraque præmiſſa, & quidquid ad illarum aſſenſum requiritur, & nihil aliud, quia cognitio quid nominis concluſionis continetur in extremitate vnius præmiſſæ.

SECTIO II.

De veritate præmiſſarum.

SYllogiſmus fallax ab aliis differt vel quia non §.7.
bene concludit, qui propriè non eſt ſyllogiſmus, vel ratione materiæ, quæ licet ſit bene diſpoſita, propoſitiones ſunt aut omnino aut ex parte falſæ. Probabilis differt à demonſtratiuo, quia & materiam bene diſponit, & propoſitiones habet probabiles, quæ neque omnino apparent veræ, vel falſæ, ſed poſſunt in vtramque partem iactari.

Veritas eſt *conformatio actus cum obiecto*; ita vt §.8.
idem ſit in obiecto, quod relucet in actu: vel vt obiectum ſit, ſicut repræſentatur per actum. De qua latè diſput.9. de anima. Hic præſtringam quæ ad logicum ſpectant. Præmiſſas eſſe veras in demonſtratione eſt luce clarius. Primò, quia ſi aliqua ſit falſa, non erit euidens ex natura rei (de quo diſputo nunc; non verò de potentia abſoluta, de quo diſput.8. de anima, ſectione 3.) & conſequenter nec principium euidens demonſtrationis. Secundò, quia ſi demonſtratio eſt à priori, debet eſſe cognitio rei per cauſam, ita vt cauſa cognita moueat ad concluſionem; at falſa præmiſſa non poteſt eſſe cauſa concluſionis veræ, quia ratio, ob quam aſſentimur vnioni extremorum inter ſe eſt per aſſenſum vnionis eorúmdem cum medio: at non vniuntur extrema medio, ſi qua ſit falſa præmiſſa, vt in hoc ſyllogiſmo, *lapis eſt ſubſtantia, homo eſt lapis, ergo homo eſt ſubſtantia.* Quod ſi demonſtratio ſit à poſteriori, debet eſſe per effectum, qui effectus cognitus eſt

cauſa concluſionis, quod repugnat, ſi præmiſſa ſit falſa, vt patet in hoc ſyllogiſmo, *riſibile eſt rationale, lapis eſt riſibilis, ergo lapis eſt rationalis.* Cum ergo riſibilitas lapidi non vniatur, malè poteſt ex ea inferri vnio eiuſdem lapidis cum rationali, quod iam patet ex tertia ratione.

§.9. Tertiò, quia concluſio reſoluitur in præmiſſas, quæ pro ratione concluſionis redduntur; ſed concluſio non poteſt reſolui in falſam præmiſſam, quia efficit ſenſum falſum; ergo nulla præmiſſa poteſt eſſe falſa. Probatur minor in ſyllogiſmo primo propoſito, ſi enim inquiras cur homo ſit ſubſtantia? reſpondebitur, quia lapis eſt ſubſtantia, & homo lapis: quæ cauſalis eſt falſa, vnde concluſio vera deducta ex principio falſo, habet virtualiter falſitatem, ſcilicet in reſolutione, quod demonſtrationi repugnat.

§.10. Sed obiicies: Ex vna præmiſſa falſa ſequitur vera, & euidens concluſio; ſed hæc concluſio eſt demonſtrata; ergo demonſtratio poteſt conſtare præmiſſa falſa. Probatur maior hoc ſyllogiſmo, *omnis lapis eſt ſubſtantia, omnis homo eſt lapis, ergo omnis homo eſt ſubſtantia.* Diſtinguo maiorem. Concluſio vera ſequitur formaliter ex præmiſſa falſa, negatur; materialiter ex illa, & formaliter ex alia, conceditur: verbi gratia. *Subſtantia eſt accidens, accidens eſt ens, ergo ſubſtantia eſt ens,* hæc concluſio non ſequitur ex illa formaliter, *ſubſtantia eſt accidens*; ſed materialiter tantùm.

§.11. Ad quod aduerte, tunc ex præmiſſa falſa ſequi veram concluſionem, quando prædicatum concluſionis eſt vniuerſalius, quàm ſubiectum, de quo prædicatur, vel propter identitatem materialem ſubiecti cum prædicato, tunc autem infertur vera concluſio, quia prædicatum vnitur ſubiecto tam in vna præmiſſa, quàm in concluſione ratione ſuæ vniuerſalitatis, vt in hoc ſyllogiſmo, *lapis eſt ſubſtantia, homo eſt lapis; ergo homo eſt ſubſtantia:* ratio eſt, quia ſubſtantia conuenit homini, & lapidi tanquam ratio ſuperior, atque ea propter verè de vtraque prædicatur; quod ſi non eſſet vniuerſalior quàm lapis, aut homo, non poſſet inferri vera concluſio: infertur igitur ea concluſio non ex hac propoſitione, *homo eſt lapis,* ſed ex hac ibi vniuerſaliori contenta, *homo & lapis ſunt ſubſtantia.*

§.12. Hæc certa, illud in controuerſiam reuocatum; vtrum præmiſſæ ſint veriores concluſione? Ad quod aduerte, veritatem formaliter conſiſtere in actu intellectus, agimus enim in præſenti de ſola veritate in dicendo (vt præmiſi §.8.) fundamentum autem veritatis eſt ipſum obiectum: *ab eo* enim, *quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa.*

§.13. Nunquam dubitaui, vnam propoſitionem alia eſſe veriorem repugnare; quia veritas conſiſtit in eo, quod actus repræſentet obiectum ſicut eſt, ſiue in adæquatione actus cum obiecto; ſed ſi vnus actus adæquatur cum obiecto, non poteſt alius magis adæquari cum illo, quia hæc conformatio conſiſtit in indiuiſibili; ergo non poteſt vnus actus eſſe verior alio. Si enim Petrus currit, tam vera eſt hæc propoſitio, *Petrus currit*, quàm hæc, *Petrus eſt homo,* quia vtriuſque obiectum eodem modo eſt, quo repræſentatur per eos actus.

§.14. Confirmatur. Vnum punctum non eſt maius alio, quia vtrumque eſt indiuiſibile; ergo neque vna veritas maior alia, immo nec fundamentaliter vna eſt verior alia, quia licet vnum obiectum ſit magis neceſſarium, non tamen verius: quia curſus Petri, licet ſit contingens, tam eſt fundamentum cognitionis veræ, quàm eſſentia ipſius Petri; hac in parte quo differunt? atque hæc eſt veritas fundamentalis, quia dicit ordinem ad formalem veritatem, quam fundat, vt vniuerſalitas fundamentalis dicit ordinem ad formalem.

Sed obiicies Ariſtotelem aſſerentem hanc propoſitionem, *bonum eſt bonum,* veriorem eſſe hac, *bonum non eſt malum.* Reſpondetur ab Ariſtotele non ſumi ibi veriorem pro veritate formali, aut materiali, ſiue fundamentali; ſed pro maiori proprietate, & formalitate, quia vna propoſitione explicatur ratio boni, in alia verò eiuſdem contrarij negatio. §.15.

Secundò obiicies vnum actum eſſe certiorem alio, & euidentiorem; ergo & veriorem. Nego conſequentiam, quia euidentia & certitudo ſuſcipiunt magis, & minus, (vt dicam ſectione ſequenti:) at veritas non ſuſcipit magis, & minus, quia obiectum non poteſt eſſe magis, aut minus repræſentatum, ſicuti eſt per vnum actum, quàm per alium. Qua de re agitur diſput. 58. de fide. §.16.

Tertiò, quia vnus actus eſt eſſentialiter perfectior alio, ergo & verior. Nego conſequentiam, qui licet vna veritas ſit alia eſſentialiter perfectior propter identitatem cum actibus diuerſis, neutra tamen eſt maior, quia hoc ſumitur ex conformatione cum obiecto, vt duæ partes materiæ aureæ ſunt æquales, item duæ partes ligneæ; æqualitas non eſt maior in partibus aureis, quàm ligneis, licet ſit perfectior pro diuerſitate materiæ. Item modius aureus melior eſt modio ligneo, ſed in ratione menſuræ vterque eſt æqualis. Ita veritas eſt quædam quaſi menſura actus cum obiecto. Confirmatur, actus viſionis beatæ eſſentialiter eſt perfectior actu fidei de myſterio Trinitatis, & tamen neuter eſt verior; tum quia vterque dicit obiectum ſicut eſt; tum etiam quia cum diuina Fides innitatur teſtimonio & authoritati diuinæ, habet omnem veritatem, quam poteſt habere, nihil enim eſt magis verum, quàm quod Deus dicit; ergo ex maiori perfectione actus non poteſt vna veritas eſſe maior alia. §.17.

Obiicies quartò, quia *propter quod vnum quodque tale, & illud magis,* ſed concluſio eſt vera propter præmiſſas, ergo præmiſſæ ſunt veriores. Admiſſo nunc illo pronunciato (quod multiplicem continet falſitatem) nego conſequentiam, concluſionem, ſcilicet, eſſe veram propter præmiſſas, quia ex falſa præmiſſa ſequitur concluſio vera. Formaliter enim eſt vera, quia repræſentat obiectum ſicuti eſt: at ex præmiſſis non ſumitur, ſed ex illis à nobis cognoſcitur veritas. §.18.

Quintò, quia vnus actus eſt falſior alio; magis enim mentitur, qui dicit hominem eſſe lapidem, quàm qui dicit hominem eſſe leonem; quia magis diſtat lapis ab homine, quàm leo; ergo è contra vnus actus poterit eſſe verior alio. §.19.

Negant aliqui conſequentiam; & quidem merito in adductis exemplis. Etenim in propoſitionibus de obiecto conſiſtente (vt aiunt) in indiuiſibili; earum veritas & falſitas conſiſtit etiam in indiuiſibili: & vtraque propoſitio æquè eſt difformis, aut æquè conformis obiecto. Vnde hæc propoſitio *Petrus currit*, Petro non currente tam eſt falſa, quàm hæc, *Petrus non eſt homo:* quia tam adæquatè aberrat à vero, quàm altera: vtraque enim fertur in contradictorium veritatis. Quod autem obiiciunt omnes qui ſunt Salmanticæ æquè in illa eſſe; qui autem abſunt, non æquè diſtare; nihil vrget: quia exiſtentia Salmanticæ conſiſtit in indiuiſibili, vt nihil exiſtentis ſit extra vrbem; diſtantia autem conſiſtit in diuiſibili: ac propterea poteſt eſſe inæqualis: in neutra harum propoſitionum ſunt iſta diſcrimina; §.20.

immo

immo qui longiùs diſtant & qui propiùs ſunt æquales in carentia exiſtendi Salmanticæ;quia hæc eſt indiuiſibilis.

§.21. Huic tamen doctrinæ obſunt & communis authoritas & ratio: illa Ariſtotelis 4. met. text. 18. aſſerentis eſſe nonnullas propoſitiones veriores, atque falſiores aliis: & S.Thomæ q.2. de virtutibus art.9.ad 1. Ratio verò; quia obiecta ſunt inæqualiter vera, aut falſa: magis enim eſt verum *Deum eſſe*, quàm *Petrum currere:* & magis eſt falſum, *Duos homines currere* nullo currente, *quàm vnum currere.* Reſpondeo Ariſtotelem loquutum non de veritate formaliter, ſed de obiectiua: quæ, quãuis in ratione veritatis fundamentalis ſit æqualis omnibus; quia æquè eſt cognoſcibilis actu vero; at non eſt æquè certa,aut neceſſaria,aut infallibilis. Quapropter exiſtẽtia Dei verior eſt exiſtentia Petri; ideſt magis neceſſaria, & credibilis. In quo ſenſu eſt etiam S.Tho.& P.Commb.in cap.2.Poſt. q.2. art.5. §. *Rogabis.* aſſerentes ſicut nonnulla entia ſunt magis entia, ita & magis vera: ideſt, magis neceſſariò & perfectè. At de veritate formali à nobis eſt S.Thomas. P.Rubius 1. Poſt.q.4.verſu, *ſolum reſtat:* ait abſolutè eſſe dicendum nullam veritatem eſſe maiorem alia.Ego diſtinguo: cum loquimur apud doctos, ita eſſe dicendum:ſecus apud indoctos: apud quos maior veritas ſolet pro maiori certitudine vſurpari.

§.22. Hæc certa videntur; at cum propoſitio falſa eſt de obiecto admittente (vt aiunt) magis & minus, non eſt æquè certa falſitas æqualis. Dicat enim Petrus, *octo homines currunt*; currentibus dumtaxat tribus; dicat Paulus, *quatuor homines currunt:* propoſitio Petri eſt magis falſa. Probant primò, quia ea eſt magis difformis obiecto,ergo eſt magis falſa. Probant antecedens: quia qui dicit, *octo homines currunt:* dicit de ſingulis eos currere: & cum hoc dicat de quinque falsò; ita eſt difformis illa propoſitio quinque partibus ſui obiecti: qui autem dicit, quatuor homines currere, eſt difformis vni parti ſui obiecti: ac propterea illi actus ſunt inæqualiter difformes.

§.23. Confirmatur: ſi Petrus pronuntiaret octo propoſitiones ſingulares, quibus affirmaret idem obiectum quod illa copulatiua, ſiue complexa propoſitione, diceret plures propoſitiones falſas quàm Paulus; ergo propoſitio Petri eſt magis falſa quàm Pauli.

§. 24. Secundò probant:quia voluntas occidendi octo homines deterior eſt voluntate occidendi quatuor: ergo & illi actus. Probo conſequentiam; quia vt voluntas circa plura obiecta exorbitat à dictamine rationis: ita & actus intellectus aberrat à vero. Vnde hi authores conceſſa inæquali falſitate in eis obiectis, negant veritatem inæqualem. Quibus conſentit P Rubius adductus §.21.

§.25. Præmitto obiectum includens plures partes conſiderari poſſe ſecundum eas partes ſecundum ſe, non conſiderata illarum copulatione aut vnione: vt ſi quis conſideret Petrum, & de illo aliquid prædicet, nulla habita conſideratione cæterorum hominum, qui cum illo currant, aut non. Secundò conſiderari poſſunt partes vt partes; quia quod de vna affirmatur, affirmatur etiam de aliis; ita vt actus indiuiſè feratur ad omnes. Dico propoſitione complexa conſiderari partes ratione hac poſteriori, non priori.

§.26. Ac propterea nulla propoſitio eſt aliis magis falſa: quia obiecta conſiderantur vt conſiſtentia in indiuiſibili: quapropter hac propoſitio. *Omnis homo currit*, eſt falſa, & non vera abſolutè, non currente ſolo Petro: quia quamuis verè repræſentet curſum Antonij, tamen illum repræſentat ſimul cum curſu Petri: at non eſt à parte rei copulatio illa curſus Petri, & Antonij. Quod cernitur in deſcenſu diſtributiuo: ergo *Petrus currit & Antonius currit.*

Ad primum argumentum ex §.22. nego propoſitionem hanc, *octo homines currunt*, eſſe magis falſam hac, *quatuor currunt.* Ad probationem nego antecedens de maiori difformitate propriè accepta. Ad probationem diſtinguo antecedens; affirmat idem de ſingulis ſecundum ſe ſine copulatione cum aliis, nego antecedens; cum copulatione, concedo antecedens: & nego illam eſſe maiorem difformitatem propriè: quia quamuis eſt difformis in quinque partibus obiecti, non tamen ſecundùm ſe,ſed cum copulatione animalis:in qua copulatione non eſt magis aut minus. Nam curſus trium hominum dumtaxat tam habet carentiam curſus octo hominum quàm curſus vnius, aut nullius. Quia igitur vtraque propoſitio copulat octo homines in curſu, & alia copulat quatuor,vtraque eſt æquè falſa; quia neutra copulatio eſt à parte rei. Materialiter autem & vulgari ratione eſt de obiecto admittente magis & minus, quia in pluribus partibus aberratur. quod voluit Ariſtoteles. §.27.

Ad confirmationem ex §.23. Reſpondeo illa probari meam ſententiam, quia ſi Petrus dicat verè,*octo homines currunt:* item & Paulus,*quatuor currunt:* vtraque propoſitio eſt æquè vera; quamuis Petrus ſi id diceret octo propoſitionibus ſingularibus, diceret plures veras quàm Paulus: quia Petrus diceret octo, quatuor Paulus: ergo illa argumentatio ab octo propoſitionibus ſingularibus falſis non probat propoſitionem vniuerſalem eſſe magis falſam. Vnde nego conſequentiam: diſcrimen eſt clarum ex modo quo illæ propoſitiones tendunt in obiecta: quia ſingulares tendunt in partes obiecti ſecundum ſe & ſine copulatione cum aliis:communis verò in earum copulationem;quia non vnam partem affirmat,ſed omnes. §.28.

Ad ſecundum reſpondeo argumentum eſſe etiam à nobis ad hominem; qui enim vult dare vitam octo hominibus, nobiliorem actum exercet quàm qui quatuor vult idem beneficium; non tamen veriorem: ergo vt ex maiori honeſtate voluntatum non arguitur veritas maior; ita nec ex turpitudine maiori maior falſitas. Idémque argumentum fieret in falſitate conſiſtente in indiuiſibili: quia odium Dei deterius eſt odio hominis: & tamen falſitas de vtroque obiecto eſt æqualis. §.29.

Reſpondeo igitur actus eſſe inæqualiter bonos, & malos: non tamen inæqualiter veros, aut falſos. Diſcrimen eſt: quia bonitas & malitia ſumuntur ex maiori, aut minori conuenientia cum natura rationali: & quia ſunt obiecta inter ſe conuenientiora, & diſconuenientiora, ideo actus ſunt inæquali bonitate, & malitia: octo igitur hominum nex diſconuenientior eſt naturæ rationali quàm vnius,ac propterea homicidium eſt deterius. Propoſitio autem aliunde pendet in veritate: nempe à toto obiecto vt eſt, vel vt non eſt: quia ergo totum obiectum vnius non eſt vt dicitur; & totum alterius ſimiliter eſt aliter ac dicitur: ideo non eſt diſcrimen in veritate, aut falſitate vtriuſque. Quæ dixi de conuenientia obiecti cum natura rationali; dixi ex ſententia propria: oſtendi enim in diſputationibus de actibus humanis, & peccatis inde expendi bonitatem, & malitiam: quod de malitia fundamentali, ob quam obiecta prohibentur, negat nullus: niſi rancidus aliquis & antiquatus §.30.

Theologus. ita vna veritas erit melior alia: quia conuenientior naturæ rationali;non tamen maior.

SECTIO III.

De euidentia & certitudine præmiſſarum.

§.31. IN actu perfecto comperies conformitatem cum obiecto: quæ eſt veritas: determinationem ad aſſenſum, ita vt non poſſis diſſentiri, quam vocant euidentiam: determinationem ad veritatem, ita vt actus nequeat eſſe falſus:quam vocăt certitudinem. Euidentia ideo eſt determinatio ad aſſenſum; quia tam claré proponitur obiectum vt negari non poſſit: & quemadmodum quæ videntur, negari nõ poſſunt; ita nec quæ ea perfectione noſcuntur. De euidentia,& certitudine ſermo fiet diſput.8. de anima; & diſput.25. de Fide; vbi longa texitur quæſtio.

§.32. Has duas rationes poſſe ſeparari, probatur; quia licet omnis cognitio euidens ſit certa,tamen actus Fidei diuinæ eſt omnino certus, obſcurus, & ineuidens, cuius rei rationem reddere non mei, ſed animaſtici muneris eſt. Ariſtoteles ſolum cognouit actus certos euidentes, non verò actus certos obſcuros, quapropter ad omnem demonſtrationem requirit euidentia principia: quem ſequuntur Philoſophi, ac Theologi pene omnes,& S.Thom.vbique. Qui nihilominus aſſerit Theologicum ſyllogiſmum eſſe ſcientificum.1.part.quæſtione 1.art.2. quia Theologia habet principia euidentia, ſcilicet, ſcientiam beatorum. Sed hæc ratio S.Thom. non caret difficultate, quia demonſtratio requirit principia euidentia ei, qui concluſionem demonſtrat, vt principia Arithmeticæ, per quam muſicus demonſtrat concluſiones muſicas, ſunt eidem muſico euidentia: ſed ſcientia beatorum Theologo non eſt euidens, ergo illa ſcientia non poteſt eſſe principium Theologicæ demonſtrationis.

§.33. Multi diſcipuli S.Thomæ negant requiri euidentiam ad rationem ſcientiæ in communi. ſed abſtrahunt rationem ſcientiæ communem ſyllogiſmo euidenti, & obſcuro, quam dicunt eſſe propriè ſcientiam, ac proinde ſyllogiſmum Theologicum eſſe verè ſcientificum. Reclamat P.Vazquez cum communi Theologorum 1. part. diſp.4. quia Ariſtoteles & alij philoſophi ad ſciendum euidentiam requirunt. Sed quæſtio eſt de nomine, loquendum tamen eſt cum communiori, & Patre Vazquez. Igitur ad ſcientiam requiritur euidentia tam in vtroque principio, quàm in concluſione, alioquin non tam eſſet demonſtratio, quàm ſyllogiſmus topicus, aut Theologicus, qui eſt certus, & obſcurus.

§.34. Poteſt in controuerſiam reuocari, Vtrum præmiſſæ certiores ſint, & clariores concluſione? aut aliqua concluſio ſit certior ſuo principio? diſtingue duplicem certitudinem, ſubſtantialem, & gradualem: ſubſtantialis eſt, quæ ſequitur ſubſtantiam actus: gradualis, quæ ſequitur gradus intenſionis. Rectè poteſt actus *A.* eſſe certior ſubſtantialiter quàm actus *B.* & hic certior gradualiter quàm *A.* vt actus Fidei intenſus vt quatuor, eſſentialiter, & ſubſtantialiter eſt certior, quàm actus metaphyſicus intenſus vt octo: metaphyſicus autem habet quatuor gradus certitudinis maioris, quàm actus Fidei, quia totidem gradibus intenſionis ſuperat eumdem actum Fidei, certitudo gradualis non ſpectat ad logicum, ſpectat tamen ſubſtantialis.

Nullam demõſtrationem conſtare vtraque præmiſſa euidentiori, aut certiore concluſione cum multis ſentio, & probo. Primò, quia in concluſione aſſentimur duas rationes eſſe idem inter ſe, ſubiectum, ſcilicet, & prædicatum, quia in præmiſſis aſſentimur, illa eſſe idem vni tertio, ſcilicet, cum medio; ergo tam certi ſumus de concluſione, quàm de præmiſſis: patet conſequentia, quia, *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe*, quod eſt & dialecticum, & metaphyſicum principium, in rebus naturalibus ita per ſe notum, vt illi innitatur vis tota ſyllogiſtica, cui principio hinc deriuatur euidentia; quia vnio extremorum concluſionis eſt omnino eadem cum vnione extremorum cum medio diſpoſito in vtraque præmiſſa, verbi gratia, *animal rationale eſt riſibile, Petrus eſt rationalis, ergo Petrus eſt riſibilis*, ecce medium eſt *rationale*, cui illa duo extrema, *Petrus* & *riſibile*, vniuntur eadem vnione,qua vniuntur inter ſe (vt ex terminis patet:) ergo eadem ratione,qua moueor ad aſſentiendum Petrum eſſe riſibilem, moueor ad aſſentiendum Petrum, & riſibile eſſe rationale. Patet conſequentia,quia circa idem obiectum non poſſumus eodem ſyllogiſmo eſſe magis, aut minus certi. §.35.

Dices vnionem præmiſſarum ratione differre ab vnione extremorum: ſed quid inde? etiam ab homine differt animal rationale, & tamen æquè certum eſt Petrum eſſe hominem, quàm animal rationale. Illa enim diſtinctio non tollit vllam rationem certitudinis, quia exiſtente illa adhuc manet realis idemtitas,cui innititur principium illud. §.36.

Confirmatur; eo eſt actus certior, quo plures habet rationes, quibus ad aſſenſum verum moueamur:ſed non ſunt plures rationes ad aſſentiendum vtrique præmiſſæ ſimul, quàm concluſioni: ergo vtraque præmiſſa non eſt certior, aut euidentior concluſione. Probatur minor in demonſtratione poſita, §.35. quia licet ſit maior ratio ad aſſentiendum *Petrum eſſe animal rationale*, quàm *rationale eſſe riſibile*, tamen nulla eſt ratio maior ad aſſentiendum *rationale eſſe riſibile*, quàm *Petrum eſſe riſibilem*, ſin eam aſſigna. Hoc argumentum,longum exigit examen; de quo agitur diſp.25. de Fide & diſp.58. ad §.21. debemus enim expendere quot ſint cauſæ in actu primo proximo nos determinantes ad aſſenſum: item & ad veritatem: in iis enim ſitam eſſe euidentiam & certitudinem dixi §.31. At in præmiſſis non ſunt plures cauſæ determinantes nos ad aſſenſum nec veritatem quàm in concluſione:ergo nec maior euidentia, nec certitudo. Minor probatur: quia ſpecies ad concluſionem ſunt euidentes & determinant; habitus item determinat: nec eſt aliud quod determinet: ergo non ſunt plures cauſæ determinantes in præmiſſis quàm in concluſione. Quod argumentum probat ſententiam à priori. §.37.

Dices, præmiſſas eſſe magis proximas lumine naturali, atque ideo eſſe euidentiores, & certiores concluſione, ſicut videtur clarius obiectum, quod proximius eſt luci quàm diſtans. Sed non tenet exemplum, quia enim lux propter phyſicam, localemque diſtantiam non poteſt agere æqualiter in tota ſua ſphæra, ea ratione clarius videtur obiectum, ſi ſit proximum luci, quia ibi lux eſt intenſior: at verò intellectus non diſtat, nec ſic operatur, nec ſatis percipio quid ſit præmiſſas eſſe magis coniunctas lumini naturali. Si enim ſignificat eas eſſe immediatiores, eſt petitio principij: nam ego affirmo iſtam immediationem non cauſare maiorem certitudinem, quia non habent præmiſſæ aliquam §.38.

aliquam rationem ad ſui aſſenſum, quam non habeat concluſio: ſi eſt non habere intellectum virtutem ad tot aſſenſus eliciendos, primò id eſt falſum, quia potius neceſſitatur ad aſſenſum concluſionis. Secundò id probat ad ſummum, præmiſſas eſſe intenſiores, vel diuerſæ ſpeciei à concluſione, non verò ſubſtantialiter clariores aut certiores.

§.39. Denique hæc ratio quàm ſit infirma adhuc patebit, quia intellectus neceſſitatur præmiſſis ad concluſionem, quia præmiſſis aſſentitur idemtitati extremorum cum medio, concluſione vero idemtitati extremorum inter ſe, cui ſi non aſſentiretur, inferret concluſionem contradicentem præmiſſis; ergo tam certa eſt concluſio, quam vtraque præmiſſa,quia tam certum eſt duas contradictorias eſſe falſas, quam eſt certa vtraque præmiſſa.

§.40. Secundò probatur, quia hæc concluſio *Deus eſt*, tam certa, & euidens eſt philoſopho, quàm ſunt effectus naturales (vt ſuppono ex communi Theologorum, 1. part. quæſt. 2.) Sed hæc concluſio eſt à poſteriori deducta ex effectu, tanquam ex præmiſſa, ergo concluſio tam certa eſt, quàm præmiſſæ.

§.41. Tertiò, hæc propoſitio, *Chriſtus eſt riſibilis*, eſt æquè certa, quàm hæc, *homo eſt riſibilis.* Theologica enim concluſio tam certa eſt, quam principium naturale, quod nullus Theologus negat, quin potius affirmant multi eam eſſe certiorem, ſed ea propoſitio eſt concluſio deducta ex hoc ſyllogiſmo, & principio, *homo eſt riſibilis*, ergo concluſio non eſt minus certa ſuo principio.

§.42. Quartò, concluſio deducta ex duobus principiis reuelatis eſt æquè certa ac ipſa principia, quia etiam illa concluſio eſt de Fide diuina immediatè à Deo reuelata, quia qui immediatè reuelat duo principia, etiam reuelat concluſionem illorum, quia concluſio eſt idem obiectum cum vtraque præmiſſa, quod verò concluſio confuſè contineatur in præmiſſis, non tollit, quin ſit vnum cum illis, quæ omnia ſuppono ex ſecunda ſecundæ diſput. 10.

§.43. Tandem probatur actus, quo credo Deum aliquid reuelaſſe, non eſt certior actu, quo credo reuelatum myſterium, quia tam certus ſum Deum eſſe Trinum, quam certum id ab ipſo reuelatum eſſe; ſed actus, quo credo Deum aliquid reuelaſſe, eſt principium illius actus, quo credo myſterium reuelatum, ex quo deducitur tanquam concluſio; ergo concluſio non eſt minus certa ſuo principio.

§. 44. Dices primò, eſſe eumdem actum, quo credo & reuelationem & myſterium. Sed primò eſt falſum, quia ſicut non vno actu tendimus in concluſionem & præmiſſas, ita neque in reuelationem & reuelatum. Deinde quando duobus obiectis aſſentimur vno actu, ille non eſt certior, quàm eſſent duo actus, ſi eos exerceremus circa eadem obiecta ſub eadem ratione formali.

§.45. Dices ſecundo actus Fidei non eſſe diſcurſiuos. Reſpondeo id non prouenire, niſi quia reuelationem vno apprehendimus actu, ex quo non tollitur, quin reuelatio ſit verè principium immediatè, & per ſe notum per habitum Fidei, ex qua reuelatione cognoſcitur myſterium tanquam materiale obiectum ex formali partiali; vnde corruunt omnia aduerſariorum fundamenta, quia etiam videtur reuelatio proximior lumini Fidei, cum per ſe credatur, & myſterium propter illam, illi qui deberet cóuenire Ariſtotelis proloquium *propter quod vnumquodque tale & illud magis*, quo ſuam ipſi probant opinionem, quia myſterium creditur per reuelationem: ergo magis deberet credi reuelatio.

Quod adagium ſolum eſt verum in finali cauſa nam in efficienti eſt falſum, *homo enim eſt creatura, propter Deum: ergo & Deus eſt magis creatura.* Item in cauſa formali eſt falſum, *vt homo eſt propter animam: ergo ipſa anima erit magis homo.* Item in materiali eſt falſum, vt *Cathedra eſt propter lignum, ergo lignum eſt magis cathedra*, in ſola finali eſt verum. Eſt enim bona hæc conſequentia, *Medicina amatur propter ſalutem, ergo magis amatur ſalus.* Dices, ergo nullæ concluſiones poſſunt eſſe probabiles. Reſpondeo,concluſiones deductas ex duabus præmiſſis euidentibus eſſe neceſſariò euidentes: at verò multæ ſunt probabiles, quia deducuntur ex vno principio euidenti, & alio probabili; & quando vnum principium eſt probabile,concluſio non poteſt eſſe niſi probabilis; & quando vnum principium eſt obſcurum, licet ſit aliud clarum, concluſio neceſſario eſt obſcura, *quia concluſio ſequitur debiliorem partem.* §.46.

Ex hoc adagio occaſionem ſumo ad inquirendum, vtrum ſemper concluſio ſequatur debiliorem partem? P. Molina 1. p. q. 1. a. 2. diſput. 1. ait concluſionem Theologicam deductam ex vno principio de Fide, & alio naturali eſſe ſupernaturalem, quia efficitur ab habitu ſupernaturali Fidei, hoc verò adagium ipſe intelligit de euidentia, & certitudine, in quibus concluſio pendet ab vtraq; præmiſſa,at verò in ſupernaturalitate ſolum pendet à Fide diuina: concluſionem verò eſſe certiorem non poſſe, aut euidentiorem, quàm præmiſſas, Theologi communiter affirmant, quia ea ratione moueor ad concluſionem,quia video illius extrema vniri vni tertio in præmiſſis, totáque aſſentiendi ratio eſt vnio extremorum cum medio, ergo non poſſum magis certus eſſe de vnione extremorum inter ſe, quàm de eorumdem vnione cum medio. Quam ſententiam eiſdem rationibus probo, quibus probaui præmiſſas non poſſe eſſe certiores concluſione. §.47.

Obiiciunt aliqui, concluſionem, vt infertur ex præmiſſis, non eſſe vtraque certiorem, quia ex illis eam certitudinem habere non poteſt. At verò ex pia affectione voluntatis certiorem eſſe concluſionem Theologicam quàm naturale principium, ex quo deducitur. Sed contra primò, quia affectio pia non efficit actum intellectus certiorem, quia certitudo non ex voluntate, ſed ex ratione motiua ad credendum ſumitur, vt patet in Catholico credente incarnationem,ſed non tam vehementi affectu, quàm alius, certè vtriuſque actus æqualem habet ſubſtantialem certitudinem: dat quidem pia affectio certitudinem, quàm vocant *adhæſionis*, qua quiſque firmior eſt in credendo voluntate,vt praua diſpoſitio hæreticum affigit errori: diſcrimen,quia hæreticus Dæmonis obfirmatur ſuggeſtione, Catholicus verò ex impulſu diuino, hæc obfirmatio intellectui nullam tribuit certitudinem, vt ex hæretico patet. §.48.

Contra ſecundò, quia in tali caſu pia affectio circa concluſionem pendet ex principio naturali, & non ex ſolo ſupernaturali; niſi enim ſibi perſuadeat naturale principium,non ſe exercebit circa concluſionem, qua ratione enim credet *Chriſtum eſſe riſibilem*, niſi comperiat *hominem eſſe riſibilem?* vt patet in concluſione Theologica probabili: at cognito eo principio adhæret quidem concluſioni eadem certitudine, qua principio naturali, & minori quàm principio fidei. Et cum hoc pendeat à naturali principio in communicanda certitudine concluſioni, communicat quidem quantum naturale principium poteſt, quia certitudo,& euidentia §.49.

conclu

concluſionis pendet ab vtroque tanquam à ratione formali, vnde talis concluſio neque eſt magis certa, quàm principium naturale, neque magis clara quàm principium Fidei, ſequitur enim debiliorem partem: vtrum autem ſit ſupernaturalis? à Theologo petitur.

§. 50. Huic doctrinæ non infrequentes aduerſantur Dialectici, Sotus in cap. 2. Poſt. quæſt. 3. ad 8. Card. Toletus quæſt. 1. P. Conimb. quæſt. 2. art. 5. Rubius quæſt. 5. Didacus Maſſius. quæſt. 9. aliique recentes. Mouentur primùm, quia concluſioni aſſentimur propter præmiſſas: ergo magis aſſentimur præmiſſis: quod non eſt niſi propter maiorem certitudinem, & euidentiam. Probant conſequentiam primùm, quia ideo ignis eſt calidior aqua, quia hæc eſt calida propter ignem: ergo & concluſio eſt minus certa & euidens; quia talis eſt propter præmiſſas. Secundò, quia quæ immediatius participant aliquam rationem, melius eam participant quàm quæ remotius. Tertiò, probari poteſt ab exemplo mediorum & finis.

§. 51. Hoc argumentum eſt leue: quia ego ſum homo propter meum patrem; qui non eſt magis homo quàm ego: & omnes ſumus homines propter Adamum, nec propterea minus homines quam noſtri ataui propinquiores nobis Adamo: & aſſenſus concluſionis eſt cognitio propter præmiſſas, nec propterea minus cognitio quàm illæ.

§. 52. Nego igitur conſequentiam. Ad primam probationem nego propterea ignem eſſe calidiorem; ſed quia ſi aqua eſſet æquè calida ac ignis, deſineret eſſe aqua: at verò cum ignis producit ignem, illum producit æquè calidum in communiori ſententia, in mea autem nulla qualitas operatur æquè intensè ac ipſa eſt: certitudo autem ſubſtantialis non pendet ex hoc genere cauſæ. Vnde licet gradualis non eſſet tanta in concluſione quanta in præmiſſis, ſubſtantialis eſt æqualis. Ad ſecundam probationem reſpondeo, eam habere locum in cauſis vt agunt per gradus intenſionis, non verò vt ſubſtantialiter dant eſſe. Ad tertiũ negatur conſequentia; quia voluntas pluris æſtimat finem quàm medium vt præcisè eſt medium: quod genus æſtimationis non eſt in intellectu.

§. 53. Arguunt ſecundò: quia præmiſſæ operantur per vnionem extremorum cum medio; concluſio verò continet vnionem extremorum inter ſe: ergo prima vnio fortior eſt & immediatior. Nego conſequentiam: quia vnio illa ex parte obiecti eſt eadem in præmiſſis & concluſione; ac propterea neutra eſt cauſa realis alterius, aut medium realiter; ſed tantum intentionaliter mouens ad obiectum idem realiter cum medio: item nego eſſe fortiorem; quia tam fortis eſt identitas extremorum inter ſe quàm cum medio: vt dixi §. 35. Quia hæc fortitudo nihil eſt quàm vis in actu primo proximo ad determinandum intellectum ad aſſenſum, quæ æquè determinat in concluſione ac in præmiſſis. Recognoſce §. 37.

§. 54. Argues tertiò. Viſio beata eſt clarior & euidentior quàm ſcientia naturalis; cum vtraque determinet ad aſſenſum: ergo & præmiſſæ quàm concluſio. Primùm negari poteſt conſequentia: quia ego moueor ex identitate extremorum inter ſe ex identitate eorumdem cum medio: quæ eſt ratio propria huius quæſtionis. Secundò nego eamdem conſequentiam; quia viſio beata habet in actu primo proximo plures rationes determinantes intellectum ad ipſam; nempe & lumen vt complet potentiam; & concurſus ſpeciei, vel obiecti ſupernaturalis, ſcientiæ autem naturali deeſt determinatio ex ponte potentiæ: vt de certitudine dixi diſp. 58. de fide, ſect. 3. & 4. De ſcientia infuſa & viſione beata ſupererat comparatio, ſed non eſt huius inſtituti. Dubium non eſt, euidentias eſſe inæquales perfectione: quia perfectior eſt in viſione beata quàm in ſcientia infuſa; vt contingit earum veritati, & certitudini: quæ tamen ſunt æqualiter veræ, & certæ. Hoc autem volunt authores adducti, vt conſtat ex P. Conimb. cap. 2. art. 5. §. *ſit nihilominus.* Quia præmiſſæ ſunt in ſpecie nobiliori quàm concluſio: cuius ſunt æquiuocæ cauſæ. Quo autem pacto viſio beata ſit euidentior quàm ſcientia infuſa, non tamen certior, alterius eſt facultatis.

Argues quartò eam eſſe euidentiorem cognitionem, quæ magis accedit ad cognitionem angelicam & diuinam: ſed cognitio immediata accedit magis ad angelicam & diuinam. ergo. Reſpondeo primùm, omnem cognitionem eiuſmodi eſſe euidentiorem, ſumpta maiori euidentia pro maiori perfectione: quo pacto præmiſſa eſt certior. Secundò reſpondeo; certitudinem diuinam eſſe æqualem circa Deum ac circa creaturas; circa obiectum formale & materiale: in cognitione mediata & immediata: ergo noſtra etiam cognitio erit tunc certa æqualiter quo magis ad diuinam acceſſerit. Itaque quæ cognitio diuinam & angelicam imitur in capitibus certitudinis, eſt certior: Nego tamen id conuenire ſoli immediatæ & circa obiectum formale: nam diuina & angelica cognitio mediata, ſiue de obiecto ſecundario, tam certa eſt quàm de obiecto primario: à quo realiter, aut ratione noſtra pendet cognitio mediata. §. 55.

SECTIO IV.

De propoſitione per ſe nota.

PRopoſitio alia eſt per ſe nota, alia per aliud: propoſitionem per ſe notam, primam, ſeu immediatam, dicunt eſſe eam, quæ vacat medio, per quod noſcatur, id eſt, vt (ait, P. Vazquez 1. part. diſput. 16. ſect. 10. num. 1.) cui non per aliam, ſed per ipſam intellectus præbet aſſenſum, id eſt, quæ ſolum indiget terminorum explicatione, vno verbo, propoſitio per ſe nota eſt immediata, & quæ in ſe ipſa, & non in alio cognoſcitur. Propoſitionem per ſe notam 1. p. q. 2. art. 2. diuidit S. Tho. in *per ſe notam ſecundum ſe, & per ſe notam quoad nos.* Illam vocat per ſe notam ſecundum ſe, cuius prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vt *homo eſt animal rationale:* quo ad nos, *quam non in alio, vel ex alio cognoſcimus*, cuius prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, & ita cognoſcitur. In hanc diuiſionem acriter inuehuntur Scotus, & Nominales, ſed quæſtio eſt de nomine, teſte P. Vazquez ſupra cap. 1. num. 8. & P. Molina eodem art. 2. §. *Addebamus.* §. 56.

Nam propoſitiones, in quibus prædicatum per ſe immediatè vnitur ſubiecto vocat S. Thomas per ſe notas ſecundum ſe, quia ſecundum ſe eas non repugnat ita cognoſci: eas verò, quas per ſe & non per aliud cognoſcimus, vocat Angelicus Doctor per ſe notas quoad nos. Aſſentior P. Molin. aſſerenti S. Thomæ locutionem non eſſe admodum propriam, quia *per ſe notum* dicit reſpectum ad noſtrum intellectum, quia agimus de principiis demonſtrationis, quam intellectus efformat humanus, cui nihil prodeſt obiectum ſecundum ſe, neque vt eſt cognoſcibile ab Angelis, aut Beatis, ſed vt eſt à nobis viatoribus cognoſcibile. Vnde hæc propoſitio §. 57.

propoſitio *Deus eſt* non eſt abſolutè per ſe nota, quia non immediatè, ſed per creaturas eam viator attingit.

§.58. Aduerte eamdem propoſitionem eſſe poſſe per ſe, & per aliud notam in diuerſo genere demonſtrationum. Nam à priori *homo eſt animal rationale* eſt per ſe nota, prima, & indemonſtrabilis: at à poſteriori eadem eſt per aliud nota, ideſt, per effectus. Vnde effectus in demonſtratione à poſteriori ſunt per ſe noti, & per aliud noti à poſteriori. Ratio eſt, quia cognoſcimus diſcurrendo iam ex cauſa ad effectum, iam ex effectu ad cauſam. Abſolutè tamen, & communiter *per ſe notum* ſumitur pro primo, & eſſentiali conceptu.

§.59. Item abſolutè dicitur propoſitio per ſe nota, quando in vno genere cauſæ eſt indemonſtrabilis à priori, licet in alio monſtretur, vt *homo eſt animal rationale*, eſt principium ſimpliciter per ſe notum, quia nullam habet cauſam intrinſecam, per quam monſtretur, ſicut monſtratur riſibile: cum tamen eadem propoſitio à priori monſtretur per cauſam finalem ſupernaturalem, in qua demonſtratione propoſitio immediata eſt cauſa finalis, & animal rationale eſt concluſio. Quod ſi dicas cauſam finalem eſſe medium extrinſecum, quod non facit concluſionem per aliud notam, nil obeſt, quia cognitio mediata eſt, quæ habetur per medium, quod medium, ſi ſit cauſa concluſionis demonſtratæ, erit à priori: quia omnis cauſa eſt prior effectu, eſſe autem extrinſecam cauſam quid refert? cum præſertim per extrinſecos effectus Deus à poſteriori monſtretur: quod ſi medium extrinſecum non conſtituit propoſitionem mediatam, hæc propoſitio, *Deus eſt*, eſſet immediata, etiam quoad nos, cuius oppoſitum communis Theologorum eſt ſententia cum S.Thom. 1.p. q.2. art.2. quod ex Paulo colligitur aſſerente, *inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur*, id eſt, Deus inuiſibilis à nobis cognoſcitur per viſibilia.

§.60. Immediata propoſitio diuiditur *in affirmatiuam, & negatiuam*, item *in veram, falſam, & probabilem:* quia *homo non eſt animal*, dignoſcitur ex terminis eſſe falſa: eſſe autem propoſitiones probabiles immediatas patet, quia ſunt multæ concluſiones probabiles, ergo ſequuntur ex aliquo principio probabili. Rurſus illud aut eſt immediatum, aut mediatum; ſi primum, habeo intentum; ſi ſecundum, ergo ſequitur ex alio probabili, nam ex duobus certis ſequi non poſſe, conſtat ex ſect. 3. de illo autem ſit eadem quæſtio, donec ſiſtatur in aliquo vno primo probabili, quæ ratio idem probat de principiis falſis.

§.61. Secundò, quia ſunt aliquæ propoſitiones indemonſtrabiles à priori, quarum veritas, aut falſitas non penetratur ex terminis, ergo dantur aliqua principia probabilia.

§.62. Propoſitio immediata vera diuiditur in dignitatem, ideſt, principium vniuerſaliſſimum, & in poſitionem. Dignitas eſt principium commune facultatibus vniuerſis, vt *Quodlibet eſt, vel non eſt. Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.* quæ principia cuiuis facultati deſeruiunt. Poſitiones ſunt principia vnius facultatis particularis, licet ſint ex terminis tam manifeſta, quàm dignitates, vt ſunt mathematica principia.

§.63. Item diuiditur per ſe nota in particularem, vt *Petrus eſt homo*, & vniuerſalem, vt *homo eſt animal.*

SECTIO V.

Vtrum demonſtratio conſtet propoſitionibus immediatis?

PRimam demonſtrationem, qua eſſentia monſtratur à priori per cauſam extrinſecam, vel prima paſſio per eſſentiam, conſtare præmiſſa immediata conſtans eſt logicorum opinio; quia tunc ſumuntur propoſitiones indemonſtrabiles à priori, vt in hoc exemplo cauſæ extrinſecæ, *creatura capax viſionis Dei intuitiua eſt intellectualis, homo eſt creatura capax viſionis Dei intuitiua, ergo homo eſt intellectualis.* Maior ex terminis patet, quia Deus non poteſt niſi intellectu videri. Minor ſimpliciter non eſt immediata, quia patet ex Fide diuina; at verò hæc demonſtratio, *rationale eſt admiratiuum, Petrus eſt rationalis, ergo admiratiuus*, conſtat vtraque immediata, quia prima paſſio à priori per eſſentiam demonſtratur, & rationalitas ex ipſis terminis cognoſcitur ineſſe Petro. §.64.

Dices, ergo omnis propoſitio eſt immediata, quia hæc, *admiratiuum eſt riſibile*, non probatur per aliam à priori, quia immediatum principium riſibilitatis eſt admiratio. Nego conſequentiam, quia propoſitio mediata dicitur, non reſpectu paſſionis immediatæ, ſed reſpectu ſubiecti, vel eſſentiæ. Nam quando vna paſſio monſtratur à priori, & non per eſſentiam, tunc inter eſſentiam, & talem paſſionem demonſtratam mediat id, per quod demonſtratur, vt inter *rationale* & *riſibile* mediat *admiratio.* §.65.

Hinc conſtat demonſtrationem, qua ſecunda, vel tertia paſſio monſtratur de ſubiecto, non conſtare præmiſſis immediatis, quia inter eſſentiam & ſecundam paſſionem mediat prima, & inter primam & tertiam ſecunda. §.66.

Præterea, in demonſtratione à poſteriori, ſi ex tertia paſſione monſtretur ſecunda, ſunt præmiſſæ per ſe notæ à poſteriori. Nomine *paſſionis* comprehendo quemuis effectum, quia ſiſtendum eſt in aliquo effectu, vel paſſione ex experientia cognita immediatè; at verò quando ex vno effectu monſtratur alius, qui eſt magis proximus potentiæ, tunc eſt propoſitio mediata à poſteriori, vt in ſimili dixi de à priori, v.g. in hac. *Petrus eſt admiratiuus*; quod ex riſu demonſtratur; quia inter *eſſentiam* Petri & *admirationem* mediat riſus prius cognitus; illa propoſitio ideo eſt mediata à poſteriori, in qua hic ſeruatur ordo: primò cognoſcitur riſus Petri, ſecundò ex riſu riſibilitas, tertiò ex riſibilitate admiratio. §.67.

Sed multæ demonſtrationes à priori non conſtant formaliter ex immediatis, vt in hac, *Admiratiuum eſt riſibile, ſed riſibile eſt plorabile, ergo admiratiuum eſt plorabile.* Ratio eſt, quia præmiſſæ huius demonſtrationis ſunt concluſiones à priori demonſtratæ in aliis demonſtrationibus. Conſtat autem omnis demonſtratio ex immediatis proximis, vel remotis, quia reſolutio fit vſque ad primam demonſtrationem, quæ conſtat ex immediatis; quia in reſolutione non poteſt in infinitum abiri. §.68.

Poteſt in controuerſiam reuocari vtrum vniuerſaliſſima principia, vt *Quodlibet eſt, vel non eſt*, poſſint eſſe principia demonſtrationis? Hæc principia poſſunt ſumi vel in actu ſignato per terminos proprios illa ſignificantes, vel in actu exercito per alios terminos, quibus illorum principiorum doctrina exercetur. §.69.

Dico primo, ad demonſtrationem propriæ paſſionis §.70.

ſionis de ſubiecto non poſſumus vti illis principiis formaliter in actu ſignato, ſed exercito: probatur, quia propria paſſio monſtratur per eſſentiam cum qua adæquatam habet, & neceſſariam connexionem, *admiratio* enim per *rationale* monſtratur à priori, & per riſibile à poſteriori. Dixi *formaliter*, quia virtute omnis demonſtratio pendet ex illis metaphyſicis principiis, quia per illa quæuis deſtratio defendi poteſt, vel per reductionem oſtenſiuam ſyllogiſmi, vel deducendo ad impoſſibile, quia proprium eſt metaphyſicæ munus omnium ſcientiarum principia tueri, vnde illud adagium. *Contra negantes principia non eſt arguendum*, intellige non eſſe arguendum contra eum ex principiis eius facultatis, quæ negat; at verò ille eſt conuincendus ex metaphyſicis principiis, quod ſi hæc negauerit, cum illo age fuſte, & non ratione.

§.71. Dico ſecundo. Multæ demonſtrationes conſtant ex illis principiis, vt hæc, *Quodlibet eſt vel non eſt riſibile, ergo homo eſt, vel non eſt riſibilis.* Quem ſyllogiſmum eſſe demonſtratiuum quis neget? cum nec ſit elenchus, nec topicus, nec Theologicus, cum conſtet forma & figura rectè concludente, & euidentibus propoſitionibus.

SECTIO VI.

Vtrum præmiſſæ demonſtrationis poſſint eſſe de contingentibus, ſingularibus, & corruptibilibus?

§.72. POſſe demonſtrationem aliquam conſtare præmiſſis de ſingularibus corruptibilibus meridiana eſt luce clarius. Primam enim demonſtrationem de exiſtentia Dei, vnde habemus, niſi ex effectibus, quos videmus? immo ex his originem ſumunt omnes noſtræ demóſtrationes, quia ex actuali riſu colligimus euidenter riſibilitatem, ex hac admirationem, ex hac rationalitatem; rurſus à priori ex rationalitate admirationem, &c.

§.73. Præterea multas efficimus demonſtrationes de ſingularibus omnino contingentibus, vt cum ex motu, quem videmus euidente, inferimus euidenter motu excitari calorem, immo & à priori euidenter demonſtrat Aſtrologus futuram Ecclypſim ex ſingulari, & corruptibili aſtrorum ſitu, & poſitione. Ratio à priori eſt, quia tota diuerſitas inter demonſtrationem, & ſyllogiſmum probabilem verſatur non in materia, ſed in certitudine, & euidentia actuum præmiſſarum; Nam de eadem omnino concluſione poteſt quis modò opinionem, modò ſcientiam habere. Quod verò requiritur ad veram demonſtrationem eſt, vt actus ſint omnino certi & euidentes, rectè diſpoſiti in modo & figura; quod verò ſint de hac, vel illa materia parum refert. Videatur Pater Vazquez, 1. part. diſput.4. num.16.

§.74. Confirmatur, quando ego video Petrum currere, hunc ſyllogiſmum efformo, *omne viuens, dum currit caleſit*; *Petrus currit & eſt viuens, ergo Petrus caleſit.* Hic ſyllogiſmus non eſt probabilis, neque elenchus, ergo erit demonſtratius, niſi affirmemus aliam quartam ſpeciem. De ſingularibus incorruptibilibus eſſe demonſtrationes, patet in ſcientia de Deo, item in Aſtrologia demonſtrante effectus, & attributa horum numero aſtrorum; ex lib. de Cœlo, quibus inquirimus numerum, menſuram, & magnitudinem horum numero Aſtrorum.

§.75. Sed obiiciunt nonnulli Ariſtotelem requirentem, vt demonſtratio conſtet ex præmiſſis neceſſariis, & euidentibus; ſic enim ſcientiam diffinit; *Cognitio rei per cauſam, & quod illius ſit cauſa, & quod aliter habere ſe non poteſt* Verum Ariſtoteles egit de ſcientia à priori, qua propria paſſio de ſubiecto demonſtratur: eum verò non egiſſe de ſcientia à poſteriori, patet; quia tum ex illius mente, tum lumine rationis clarum, eſt, ſcientiam haberi de exiſtentia Dei. Nec ferre poſſum eos, qui vt illi tam ſtricto principio adhæreant, negant eſſe ſimpliciter demonſtrationem, quæ non conſtat neceſſariis præmiſſis, & à priori, cum ſit communis ſenſus Theologorum cum S.Thom. 1. part. quæſt. 2. ar.2. Deum demonſtrari per effectus ſimpliciter, ergo vocanda eſt demonſtratio conſtans præmiſſis de contingentibus.

Secundo obiicitur, quia ad veram demonſtrationem requiritur cognitio effectus per cauſam, ergo. Primùm reſpondeo id requiri tantum ad vnam ſpeciem demonſtrationis, ſcilicet à priori, non verò à poſteriori. Secundò reſpondeo, ex effectu ſingulari corruptibili poſſe à priori alium monſtrari, vt futuram Ecclypſim ex hoc aſtrorum ſitu, & mortem Petri ex graui vulnere in iecore. §.76.

Tertio obiicitur, quia ſyllogiſmus probabilis verſatur circa contingentia, ergo demonſtratiuus circa neceſſaria. Sed antecedens eſt falſum, quia res neceſſarias probabiliter cognoſcimus, quia non apparet earum neceſſitas. Diſcrimen inter topicum ſyllogiſmum, & demonſtratiuum iam propoſui. §.77. §.77.

Cum autem Ariſtoteles, & alij exigunt in demonſtratione principia neceſſaria, intellige de demonſtratione paſſionis propriæ per eſſentiam; non verò de demonſtratione in communi. §.78.

SECTIO VII.

Vtrum Demonſtratio conſtet principiÿs propriÿs; Prædicato de omni, vniuerſali, & ſecundum quod ipſum?

PRoprium opponitur & *alieno*, & *communi*: alienum poteſt eſſe & commune, vt riſibilitas eſt aliena ab equo & lapide, quia neuter ex illis eſt riſibilis: item poteſt *alienum* eſſe particulare, vt ſenſus, non eſt alienus à lapide, & equo, ſed à lapide tantum, quia equus eſt ſenſibilis, lapis autem non eſt. *Commune*, licet nón poſſit eſſe particulare, vt ex terminis patet, ſed tam bene conuenit alicui rei, quam ſi aliis non conueniret, vt *ſenſibile* homini; quamuis ſit commune & equo. §.79.

In prima ſignificatione omnis demonſtratio neceſſariò conſtat ex propriis, quia præmiſſæ debent cum concluſione connecti: vel in ratione cauſæ, ſi demonſtratio eſt à priori, vel in ratione effectus, ſi eſt à poſteriori; nam effectus non eſt alienus à ſua cauſa, neque cauſa ab effectu ſuo; ergo debet habere demonſtratio præmiſſas non alienas, ſed proprias, quia alienæ non concernuntur cum concluſione. §.80.

In ſecundo ſenſu æquè certum non eſt conſtare ex propriis quamlibet demonſtrationem: probatur, quia quando demonſtratur aliquis effectus communis pluribus cauſis, per quamlibet ex illis probari poteſt, vt ex *igne*, aut *ſole* probatur *calor*; vel quando monſtratur paſſio aliqua communis, vt *verum, bonum*, & ſimilia, non poteſt oſtendi per particularia principia. Confirmatur; Theologiæ vnum principium eſt naturale, & alterum ſupernaturale; ſed principium naturale commune eſt §.81.

alicui

alicui facultati naturali, ergo ad ſyllogiſmum certum concurrit vna præmiſſa communis, ergo etiam ad euidentem.

§.82. Confirmatur ſecundò; Muſica ſumit vnum principium ex Arithmetica, Chyrurgia aliud ex Philoſophia, vt hoc: *Partes circuli magis diſtant à centro, quàm partes alterius figuræ*; cui Chyrurgus addit: *ſed partes, quæ magis diſtant, difficilius curantur*; *ergo partes vulneris circularis difficilius curantur*, ecce concluſio Chyrurgiæ ex vno principio illi & philoſophiæ communi, quod commune eſt cuiuis ſcientiæ ſubalternæ, quæ accipit vnum principium à ſubalternante.

§.83. Confirmatur tertio: hæc concluſio, *terra eſt rotunda*, ſpectat ad Aſtrologum, qui eam demonſtrat ex vmbræ rotunditate; item ſpectat ad philoſophum, qui eam probat ex elementorum diſpoſitione; ergo idem principium poteſt eſſe duabus facultatibus commune. Patet conſequentia, quia concluſio demonſtrata à priori in vna ſcientia, in eadem eſt principium à poſteriori; ergo hæc concluſio, *terra eſt rotunda*, eſt principium à poſteriori commune Philoſophiæ, & Aſtrologiæ. Ratio huius noſtræ ſententiæ à priori eſt, quia vni principio communi, & vniuerſali poſſunt adiungi varia particularia principia, ex quibus variarum ſcientiarum concluſiones deducantur.

§.84. Ad quod animaduerte, vnamquamque demonſtrationem & habitum naturalem differre ſpecie ab aliis pro differentia rationis formalis, quæ ſunt præmiſſæ. Vnde tot erunt particulares ſcientiæ, quot particulares rationes formales ſpectantes ad idem obiectum. Vnde Theologia ſpecie totali differt à philoſophia, quia principio philoſophico adiungit aliquid ad Philoſophum non ſpectans, cuius concluſio vt hæc, *Chriſtus eſt riſibilis*, neque eſt philoſophica, nec de Fide, ſed tertiæ cuiuſdam facultatis, id eſt Theologiæ.

§.85. Sed obiicis Ariſtotelem volentem demonſtrationem conſtare ex propriis. Reſpondeo eum intelligi de demonſtratione paſſionis eſſentiæ per eamdem eſſentiam, vt cum de homine probatur riſus, ex propriis illius principiis probatur. Quod etiam intellige de prædicato *ſecundum quod ipſum.*

§.86. Aliam ergo conditionem requirit Ariſtoteles, ſed (vt dixi) ad demonſtrationem propriæ paſſionis de ſubiecto, vt prædicatum conueniat ſubiecto, *ſecundum quod ipſum*, id eſt, propriè quarto modo, ſi ſit prædicatum accidentale, vel vt differentia eſſentialis, ſi ſit quidditatiuum, id enim ſonant verba, *ſecundum quod ipſum*, id eſt, ſecundum vltimam differentiam.

§.87. Vnde colliges primo *ſenſibile* eſſe prædicatum, *ſecundum quod ipſum animalis*, quia cum illo conuertitur; & *rationale*, & *riſibile* prædicantur *ſecundum quod ipſum* de *homine* eamdem ob cauſam. At vero *animal* non prædicatur de homine *ſecundum quod ipſum*, nec *rationale* de *Petro*, quia cum illis non conuertuntur. Requiritur enim vt cum ſubiecto prædicatum conuertatur.

§.88. Sed contra, quia homo ſecundum quod homo, eſt animal; & Petrus ſecundum quod Petrus, eſt homo, & non conuertuntur. ergo. Diſtinguo maiorem, homo ſecundum quod homo vltimatè, eſt animal, nego: ſecundum rationem communem, concedo. Obiicies; accidens ſecundum vltimam differentiam eſt ens, quod cum illo non conuertitur. Fateor, ſed Ariſtoteles ea voce voluit explicare prædicata rei conuenientia ſecundum eorum differentias cum conuerſione in conſequentia. Per illa verba voluit Ariſtoteles venire in vltimas cuiuſque rei eſſentias, & proprietates; neque obeſt, quod ſecunda paſſio de prima prædicetur, & monſtretur à priori, quia per ſe primo paſſiones omnes conueniunt eſſentiæ, à qua tanquam à prima radice dimanant; ſecunda verò conuenit primæ tanquam principio *quo* & non *quod*, vnde ſecunda paſſio de eſſentia prædicatur *ſecundum quod ipſum.*

Prædicatum *vniuerſale* vocat Ariſtoteles prædicatum *de omni*, *per ſe*, *& ſecundum quod ipſum.* de hoc vltimo egimus §.90. De *per ſe* agemus ſect. ſequenti. Prædicatum *de omni* dicitur, *quod vtique eſt non in quodam quidem, in quodam autem non, nec quod aliquando quidem, aliquando verò non*, id eſt, quod reperitur ſemper in omnibus inferioribus contentis ſub vna ratione communi, vt *ſenſibile* ſemper conuenit cuiuis *animali*, & *riſibile* cuicumque *homini*, eſt ergo prædicatum *de omni* aliqua ratio quidditatiua, aut accidentalis communis pluribus ſpeciebus vnius generis aut indiuiduis vnius ſpeciei. Ratio eſt, quia quod primo intentionaliter conuenit alicui ſpeciei, conuenit neceſſariò eiuſdem inferioribus, quia paſſio ſemper comitatur ſuam eſſentiam; ſic *Petrus* eſt *animal rationale, & riſibile*, quia illæ rationes homini primo intentionaliter conueniunt, quo principio innititur P. Vazquez tom. 1. in prima ſecundæ, diſputat. 52. num. 20. Ad probandum contra Thomiſtas dari actum in indiuiduo indifferentem, ſi datur actus indifferens, quoad ſpeciem. Quem ſequor proprio in loco. §.89.

Prædicatum *de omni* differt à prædicato *ſecundum quod ipſum*, quia hoc eſt conuertibile cum ſuo ſubiecto; ſecus illud, quia latius patet. Item in Deo datur prædicatum *ſecundum quod ipſum*, & non *de omni*, quia omnipotentia conuertitur cum Deo, & de nullo alio prædicatur. §.90.

Aduerte diſcrimen inter prædicatum *de omni poſterioriſtico*, de quo in præſenti, & prædicatum *de omni prioriſtico*, de quo in Summulis, hoc eſt principium illud, *dici de omni*, *dici de nullo*, quod conuenit ratione formæ, licet materiæ non conueniat. Vt cum dico, *omnis homo eſt lapis* ratione illius vniuerſalitatis teneor illud dicere de quouis homine, & negare in propoſitione negatiua; at verò id, de quo nunc agitur, conuenit rei in ſe ipſa, vt riſus homini. §.91.

Ex quo ſecundo aduerte, hoc prædicatum non conuenire rebus eſſentialiter ſingularibus, quia ſub illis nulla ratio communis continetur, quod quidem de Deo, & Petro ſecundum quod ipſum prædicatur, conuenit nulli alij. §.92.

Ex quo tertio colliges Ariſtotelem hanc conditionem requirere non ad omnem demonſtrationem, ſed ad eam, qua de eſſentia communi, vel aliquo ex eius inferioribus, communis ratio monſtratur; non verò ad eam, qua ex principiis ſingularibus ſingularis ratio monſtratur, vt cum ex immutabilitate Dei eiuſdem monſtratur æternitas. §.93.

Item ex dictis aduerte, prædicatum *vniuerſale* in præſenti non eſſe idem, quod *de omni*, quia prædicatum vniuerſale præter pluralitatem requirit, vt ſit conuertibile cum ſubiecto, quia debet eſſe *ſecundum quod ipſum*. Ex quo patet vniuerſale prædicatũ, non requiri ad quamuis demonſtrationem. Prædicatum *de omni*, eſt etiam prædicatum per ſe, nec poteſt ſemper cuiuis inferiori conuenire, niſi ſit, vel de eius eſſentia, vel proprium quarto modo. §.94.

SECTIO VIII.

De modis per ſe.

§.95. MOdos per ſe Ariſtoteles quatuor aſſignat,excluſis nunc aliis, quos in Metaphyſica proponit aptos ad efformandas demonſtrationes. Primus communiter appellatur *modus per ſe prædicandi*,quando de aliquo ſubiecto dicitur quidditatiuus conceptus,vt *animal*,vel *rationale* de *homine*. A quo modo excluduntur prædicationes indirectæ,& negatiuæ: quia in illis non prædicatur conceptus quidditatiuus ſubiecti,vt in hac,*animal eſt rationale*, quia *rationale* non eſt de eſſentia *animalis*, neque ad hunc modum ſufficit identitas & perſeitas materialis. Agitur enim de conceptibus præciſis formaliter. Excluduntur etiam propoſitiones,quarum ſubiectum includit accidens, ratione cuius prædicatum non eſt quidditatiuum ſubiecto, vt *homo albus eſt animal rationale*, quæ propoſitio excluditur, non quia nullo exiſtente albo propoſitio eſt falſa, (vt vulgo dicitur,) hæc enim nunquam eſt falſa, ſiue enim exiſtat album,ſiue non: *homo albus ſemper eſt animal rationale*, non enim affirmat hominem exiſtere album, ſed hominem album eſſe animal. Ratio, qua excluditur, eſt, quia tunc homo materialiter ſupponit vt ſubiectum,& ratione illius particulæ *albus* efficitur ſenſus quaſi reduplicatiuus. Quare illa propoſitio non eſt formalis, quia *rationalitas* non eſt de eſſentia hominis albi, in quantum albi.

§.96. Deinde omnes rationes quidditatiuæ ſuperiores, & tranſcendentes pertinent ad hunc modum, quia omnes illæ ſunt de ratione inferioris. Vocatur autem *modus per ſe prædicandi*, quia diffinitio eſt quidditatiua prædicatio diffiniti. Hic modus neceſſarius eſt ad demonſtrationem, quam perfectiſſimam vocant. Propria enim & prima paſſio per diffinitionem ſubiecti demonſtratur, ſed ad hanc inepti ſunt multi modi per ſe in hoc primo contenti,vt cum ratio vniuerſalior,vel tranſcendens de ſubiecto prædicatur: per quam propria alicuius inferioris paſſio non poteſt oſtendi,vt *riſus* non probatur ex *animalitate*,multæ tamen perfectæ demonſtrationes poſſunt fieri per omnes prædicationes huius primi modi, & ſine vlla ex illis.

§.97. Secundus modus per ſe communiter dicitur, *per ſe inhærendi*, quando in diffinitione prædicati ponitur ſubiectum, ad hunc modum ſpectat proprium quartum prædicabile; tum quarto modo,vt *riſibile homini*: tum primo, quando conuenit ſolis indiuiduis vnius ſpeciei, non tamen omnibus, vt *hominem eſſe poëtam*;tùm tertio modo,quando conuenit ſolis, & omnibus, ſed non ſemper, vt *ridere*, alius modus quarti prædicabilis, cum res conuenit omnibus, ſed non ſolis, excluditur ab hoc modo *per ſe*, ad quem ſpectat ſola accidentalis forma propria vnius determinatæ ſpeciei infimæ, vel ſubalternæ, quam explicamus per ordinem ad ſuum ſubiectum, vt *muſicam, riſibilitatem, & actualem riſum* per *hominem*, vt, *quid eſt muſica?* Reſpondetur, habitus per quem homo redditur facilis ad pulſandas fides ad numerum.

§.98. A quo modo per ſe excluduntur omnes rationes extrinſecæ, vt cùm diffinitur *vnum relatiuum per ſuum terminum*: & rationes accidentales communes, vt cum *albedo*, aut *motus progreſſiuus* de *homine* prædicatur: quia in eorum diffinitione non ponitur *homo*. Verum eſt idem prædicatum pertinere ad hunc modum cum vno ſubiecto, & cum alio non, vt habere *motum progreſſiuum* eſt proprietas *viuentium ſenſibilium*, & pertinet ad hunc modum per ſe, quia in explicatione *motus progreſſiui* ponitur *viuens ſenſibile* tanquam ſubiectum, vt, *quid eſt motus progreſſiuus? eſt actio, per quam animal de vno loco migrat in alium*: at idem prædicatum cum *homine* non pertinet ad hunc modum ratione reddita.

§.99. Rogas vtrum hæc propoſitio ſit per ſe, *Petrus eſt riſibilis?* Reſpondeo negatiuè, quia *Petrus* non ponitur in diffinitione *riſus*: neque eſt illius proprietas,ſed hominis. Confirmatur,quia hæc etiam eſſet in ſecundo modo dicendi per ſe, *homo eſt mobile progreſſiuum*, quia ſicut Petrus ſub homine, ita homo ſub animali continetur, cuius proprium eſt ſe mouere motu progreſſiuo corporeo.

§.100. Hic ſecundus modus per ſe dicitur, *inhærendi*, quia proprietas per ſe inhæret eſſentiæ. Hic modus non eſt ad primam paſſionem à priori de ſubiecto monſtrandam, eſt tamen ad alias demonſtrationes, *quia & propter quid*. Nam ex prima paſſione poteſt monſtrari ſecunda, & ex actuali riſu potentia ridendi.

§.101. Tertius modus vocatur, *per ſe exiſtendi*,ad quem ſpectant prædicata, in quibus ſignificatur exiſtentia per ſe de ſubiecto. Ad hunc propriè pertinent *ſubſtantiæ*, quæ per ſe ſubſiſtunt, quin alteri inhæreant, pertinent etiam accidentia Euchariſtiæ, quæ in illa per ſe ſubſiſtunt, qui modus latuit omnino philoſophum. Reductiuè ad hunc pertinent rationes accidentales in abſtracto ſignificatæ, quæ, licet ſint inhærentes, non tamen id exprimitur in prædicatione. Dixi *pertinere reductiuè*; quia verè non exiſtunt per ſe,ſed in alio, licet ex modo ſignificandi non pateat exiſtentia in alio.

§.102. Hic modus aptus eſt ad demonſtrationem, *quia & propter quid*, quia ex ſubſtantia creata increata monſtratur, & ex ſubſtantia creata aliquæ fluunt paſſiones realiter, aut ratione diſtinctæ, quæ per illam monſtrantur à priori: Item de Deo efformari poſſunt à priori demonſtrationes per eius ſubſtantiam cognitam à poſteriori, vt quando ex immutabilitate monſtratur æternitas. Ad primam paſſionem demonſtrandam à priori de ſubiecto ineptus eſt hic modus,quia illa ex diffinitione eſſentiæ,non ex exiſtentia monſtratur.

§.103. Quartum modum vocant *per ſe cauſandi*, quando effectus ponitur cum cauſa; ex qua neceſſariò ſequitur, vnde (vt rectè P. Vazquez) non pertinet ad hunc modum effectus, qui ex cauſa non oritur neceſſariò, quia talis effectus non rectè poteſt à priori monſtrari; ad quem à ſua cauſa non valet conſequentia, vt *Petrus eſt riſibilis, ergo ridet*; pertinet autem prædicatum,quod neceſſario infertur ex ſua cauſa, vt *iugulatus interijt*, interitus enim euidenter infertur ex iugulatione. Aduerte, ad modos per ſe poſſe reduci ea, quæ non habent mutuam connexionem, ſed tantum eſt connexio,& neceſſitas vnius extremi, vt eſſe bipedem non habet neceſſariam connexionem cum homine, quia præter illum alia ſunt bipedia. Item homo non coniungitur neceſſariò cum actuali riſu, ſecus hic cum homine. Ita effectus creatus poteſt reduci ad hunc quartum modum, quia, licet Deus poſſit eſſe ſine creaturis, non tamen hæc ſine illo.

§.104. Differt hic modus per ſe à ſecundo & primo, quia in hoc quarto ponitur ſemper actualis effectus. Secundo,quia in ſecundo ſemper ponitur accidens intrinſecum:ſecus in quarto,& tertio. Quia in hoc quarto, ponuntur varia cauſarum genera, quæ non veniunt in diffinitionē effectuum,*internus* enim

enim non diffinitur per *ingulationem*, vnde hic modus eſſentialiter differt à ſecundo. Ex hoc modo plures poſſunt fieri demonſtrationes, vt ex *ingulatione* monſtratur *interitus*.

SECTIO IX.

Vtrum diſtinguantur obiectum præmiſſarum & concluſionis?

§.105. OBiectum cuiuſcumque præmiſſæ non eſſe adæquatè idem cum obiecto concluſionis eſt certum: difficultas eſt de obiecto vtriuſque præmiſſæ ſimul ſumptæ, quod idem eſſe cum obiecto concluſionis, probatur primò, quia in concluſione ſunt duo termini, & illorum vnio, ſed illi duo termini, & illa vnio eſt formaliter in præmiſſis: ergo obiectum concluſionis eſt idem cum obiecto præmiſſarum: quia nihil formaliter cognoſcitur in concluſione, quod non cognoſcatur in præmiſſis. Confirmatur hoc ſyllogiſmo, *homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis*. Ecce *Petrus* eſt ſubiectum minoris, & *riſibile* prædicatum maioris, vnio autem *Petri* cum *riſibili* continetur in vtraque præmiſſa. Quod ſic probatur, quia in vtraque continetur vnio *Petri* cum *homine*, & *hominis* cum *riſibili*, ſed hæc vnio eſt eadem cum vnione *Petri & riſibilis*: ergo vnio concluſionis continetur in vtraque præmiſſa. Probatur minor. Primò, quia *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, ſed *Petrus & riſibile* vniuntur vni tertio: ergo vniuntur inter ſe: ergo vnio illorum vni tertio, eſt vnio eorumdem inter ſe. Secundo, quia *riſibile* non habet aliam vnionem cum *homine*, & aliam cum *Petro*, ſed eadem vnitur vtrique, quia *Petrus & homo* ſunt formaliter idem, ergo quidquid eſt idem cum *homine*, eſt idem cum *Petro*. Ad eum modum, quo quidquid eſt idem cum homine, eſt idem cum animali rationali: ſi verò eſſet alia vnio, verè inter ſe non vnirentur.

§.106. Dices, in concluſione non contineri medium, quod continetur in præmiſſis. Contra primò: ergo ſaltem, totum obiectum concluſionis continetur in obiecto præmiſſarum, licet non è contra totæ præmiſſæ in concluſione. Secundo (& pro concluſione) quia medium formaliter continetur in concluſione, vt in ſyllogiſmo poſito, *Petrus* continetur in concluſione; ſed *homo* formaliter continetur in *Petro*: ergo *homo* formaliter continetur in concluſione: at *homo* eſt medium præmiſſarum: ergo medium præmiſſarum formaliter continetur in concluſione.

§.107. Tertio, qui affirmat vtramque præmiſſam, formaliter affirmat concluſionem: ergo eſt omnium idem obiectum: Probatur antecedens, quia, qui dicit, *bis quinque digitos eſſe decem*, & *in manibus eſſe bis quinque digitos*, formaliter dicit, *in manibus eſſe decem digitos*, quia dixerat *bis quinque eſſe decem*. Confirmatur, de fide eſt *Chriſtum eſſe animal rationale*, quod ſub his terminis nullibi expreſſum eſt, ſed ſub aliis idem ſubiectum habentibus, ſcilicet, ſub his; *Chriſtus eſt homo*: ergo quando affirmamus obiectum idem diuerſorum terminorum, quolibet ex illis terminis idem affirmamus obiectum.

§.108. Dices obiectum concluſionis ratione differre ab obiecto præmiſſarum, quia in concluſione explicitè continetur vnio extremorum inter ſe, quæ confusè continetur in præmiſſis. Item in his continetur explicitè vnio extremorum cum medio, quæ vnio implicitè continetur in concluſione. Reſpondeo, totam illam diuerſitatem non ſe tenere ex parte obiecti, ſed eſſe extrinſecam denominationem prouenientem formaliter ab actu claro, aut confuſo intellectus. Quantumcumque enim intellectus præſcindat, & diſtinguat, ſemper obiectum in re formalitate reali manet idem: ad eum modum, quo homo, & animal rationale: ergo obiectum præmiſſarum, & concluſionis formalitate reali ſemper eſt idem: ſic accipior §.109.

Dices, in concluſione contineri illationem, & non in præmiſſis. Reſpondeo illationem nil eſſe in obiecto, ſed eſſe actionem, qua ex virtute præmiſſarum infertur, deducitur, & producitur concluſio: quæ illatio, cum ſit obiecto extrinſeca denominatio, nil illud variat intrinſecè. Ex quibus inferes concluſionem deductam ex duobus principiis de fide, tam eſſe de fide, quàm ipſa principia eamdem ob cauſam: vt dixi diſput. 9. de fide. §.109.

SECTIO X.

Vtrum præmiſſæ ſint cauſa concluſionis?

DIſtinguendæ ſunt præmiſſæ, & concluſio obiectiua à formalibus. Hæ ſunt ipſi actus informantes intellectum, illæ obiectum ipſum denominatum ab actibus. Præmiſſas obiectiuas non eſſe veras cauſas concluſionis obiectiuæ, patet ex nona ſectione, quia nihil eſt cauſa ſui ipſius. At præmiſſæ obiectiuæ ſunt idem cum concluſione obiectiua, ergo illæ non ſunt cauſæ huius. Dices communiter affirmari concluſionem contineri virtute in præmiſſis. Reſpondeo, id eſſe verum de præmiſſis, & concluſione formalibus, non de obiectiuis, quia nihil continetur in virtute ſua, ſed alterius. Deinde negari non poteſt obiectum præmiſſarum eſſe rationem formalem obiectiuam, & ſub qua, reſpectu obiecti concluſionis, quia ex præmiſſarum obiecto mouetur intellectus ad obiectum concluſionis. Ad quod ſufficit diſtinctio rationis, quia in præmiſſis explicitè vniuntur extrema cum medio, at in concluſione explicitè vniuntur inter ſe. §.110.

Dices, nil eſſe poſſe rationem formalem reſpectu ſui, ſed per te præmiſſæ & concluſio obiectiua ſunt idem: ergo non poſſunt eſſe ratio formalis concluſionis. Aduerte, illam cauſalitatem non conſiſtere formaliter in ipſis obiectis immediatè, ſed in actibus connotantibus obiecta, quia obiectum formale mouet intellectum non per ſe, ſed media cognitione ad ipſum terminata, vt aſſentiatur concluſioni. Vnde diſtinguo maiorem; nihil poteſt eſſe ratio formalis ad ſe ipſum phyſicè cauſandum, concedo maiorem; ad cauſandum vnum actum, quo diuerſo modo concipiatur, nego maiorem. Dices, ergo & finis poterit mouere voluntatem, vt illum eligat tanquam medium ad ſe ipſum. Nego conſequentiam, quia finis phyſicè pendet à medio tanquam à cauſa proxima, vel remota; quæ non poteſt eſſe reſpectu ſui ipſius; at nihil tale reperies inter præmiſſas, & concluſionem obiectiuam. §.111.

De præmiſſis formalibus negari non poteſt, quin ſint cauſæ concluſionis. Quod probatur, quia concluſio, vt concluſio, pendet à præmiſſis, è quibus neceſſario deducitur. Nam, niſi educatur ex præmiſſis, non erit concluſio, ſed immediata propoſitio. Confirmatur, actus intellectus circa duo principia ſyllogiſmi mouet illum ad aſſenſum concluſionis: ergo ſunt cauſæ, propter quas fit concluſio. §.112.

Confirmatur ſecundo, actus intellectus eſt cauſa volitionis, quia mouet voluntatem ad volendum, & finis eſt cauſa volitionis mediorum, quia ad eam mouet voluntatem, ſed ſimiliter actus præmiſſarum mouet intellectum ad actum concluſionis: ergo ſunt cauſæ illius. Huc ſpectat propoſitio Ariſtotelis omnem ſcientiam, id eſt, ſcientificam cognitionem, ex exiſtente cognitione, id eſt, ex præmiſſis, fieri. Item diffinitio ſyllogiſmi, *in quo quibuſdam poſitis aliud ſequi neceſſe eſt.* Item concluſio deducitur cum nota illationis, quæ omnia oſtendunt concluſionem à præmiſſa pendere.

§. 113. Rogas, in quo genere cauſæ? hic abſtinendum eſt ab ea quæſtione, vtrum efficienter præmiſſæ producant concluſionem? quam diſputabimus diſput. 7. de anima. Ad hunc locum ſpectat, noſſe actus præmiſſarum eſſe cauſam concluſionis in genere cauſæ excitantis intellectum, illi obiectum præſentando ad modum, quo intellectus mouet voluntatem: noſſe hoc genus eſt omnino logico neceſſarium. Vtrum verò ſint cauſæ efficientes? vel non? logico inſtituto quid prodeſt?

SECTIO XI.

Vtrum præmiſſæ neceſſitent ad concluſionem?

§. 114. Ex communi diffinitione ſyllogiſmi patet, actus præmiſſarum neceſſitare intellectum ad concluſionem, eſt enim ſyllogiſmus, *in quo quibuſdam poſitis aliud ſequi neceſſe eſt*, quæ obiectiuæ conuenit, quia obiectum concluſionis eſt ratione noſtra aliud à præmiſſarum obiecto. Item conuenit ſyllogiſmo formali, in quo poſitis duabus præmiſſis concluſionem ſequi neceſſe eſt. Quando verò non ſequitur neceſſariò vnum ex alio, non eſt ſyllogiſmus, nec diſcurſus. Ratio eſt, quia (vt dixi ſect. 9.) obiectum præmiſſarum eſt idem realiter cum obiecto concluſionis: ergo qui vnum affirmat, tenetur & aliud affirmare, alioquin idem ſimul poteſt affirmari, & negari; quod non poteſt eſſe magis, quam idem ſimul eſſe, & non eſſe.

§. 115. Hinc deducimus ad impoſſibile negantes concluſiones conceſſis præmiſſis, quia illos cogimus negare propoſitionem conceſſam, vel concedere negatam, vel duas contradictorias concedere. Hic communiter diſputatur, Vtrum intellectus poſito aſſenſu vtriuſque prǣmiſſæ poſſit ſuſpendere actum circa concluſionem? nam actum contrarium elicere omnino repugnat, quia exiſtente aſſenſu præmiſſarum, ſi negaretur concluſio, inferretur iudicium contradicens aſſenſui præmiſſarum. Neque hanc quæſtionem attingam, ſum etenim certus in alienam meſſem non mittere falcem. Illis, qui negant, hoc fauet argumentum, quia euidentia obiecti rapit intellectum, & illum cogit aſſentiri; qui enim oculis videt lucem, neceſſariò affirmat intellectu eſſe lucem. Nec poteſt intellectus informatus præmiſſis aliò à voluntate diuerti, quia præmiſſæ illi euidenter præſentant obiectum; ſed nolo inſtitutum deſerere. Conſule diſputationem 7. de anima, ſectione 9. vbi probo neceſſitari intellectum etiam quo ad exercitium. Recognoſce interim P. Conimbr. lib. 1. Poſter. cap. 1. q. 4. art. 4.

SECTIO VLTIMA.

Demonſtrationem, & ſcientiam diffinio, & diuido.

Demonſtratio in communi eſt *ſyllogiſmus certus, & euidens* (vt patet ex tota hac diſputatione:) ad quem requiruntur tres actus realiter diſtincti, quorum duo primi neceſſariò inferunt tertium. Rurſus, demonſtratio alia *à priori*, vel *propter quid*; alia *à poſteriori*, vel *à ſigno*, vel *quia*. Illa eſt, per quam ex cauſa monſtratur effectus, vel quaſi effectus, hæc per quam ex effectu, vel quaſi effectu cauſa monſtratur. Dices in aliquibus, nec monſtrari cauſas per effectus, neque è contra, ſed monſtrari eſſentiam ex diffinitione. Reſpondeo, diffinitionem eſſe cauſam formalem conſtituentem eſſentiam; ſi quas alias demonſtrationes repereris ad has reducito, de quibus nihil ſumus ſolliciti, cum ſint parum vſitatæ. §. 116.

Demonſtrationes illæ ſubdiuidi poſſunt in plures alias ſpecies particulares, quarum omnes ſimpliciter ſunt demonſtrationes, quia ſunt ſimpliciter certi, euidentéſque diſcurſus. Demonſtratio à priori ex ſuo genere perfectior eſt demonſtratione à poſteriori; at verò ratione materiæ demonſtratio à poſteriori eſt aliquando perfectior, vt demonſtratio de exiſtentia Dei eſt perfectior quacumque alia demonſtratione. Hæc diuiſio eſt generis in ſpecies, omiſſa enim quæſtione, Vtrum actus illarum demonſtrationum ſint diuerſæ ſpeciei phyſicæ? in eſſe quidem logico, quantum ad artificium, & modum demonſtrandi ſpecie differunt. Eſt enim diſſimile oſtendere effectum per cauſam, vel cauſam per effectum. §. 117.

Scientia propriè ſumpta eſt actus concluſionis, quam defini, *eſſe actum deductum ex duobus principijs certis, & euidentibus*, tot erunt ſcientiarum genera, & ſpecies, quot demonſtrationum. Scientia à priori *eſt cognitio rei per cauſam & quod illius eſt cauſa*, ecce euidentia; *& quod aliter ſe habere non poteſt*, en certitudo. Scientia à poſteriori *eſt cognitio cauſæ per effectum, & quod illius eſt effectus*, cui non addo, & *quod aliter ſe habere non poteſt*, quia ſæpe ex effectu contingenti cauſa monſtratur. §. 118.

FINIS LOGICÆ.

TOMVS

TOMVS SECVNDVS
DE
SVBSTANTIA
CORPOREA
IN COMMVNI,
ET PARTICVLARI.

ARGVMENTVM.

PHILOSOPHIA *naturalis eſt altera pars philoſophiæ vt ſic. Hanc hoc ſecundo Tomo explanandam ſuſcipio. Ac primùm erit ſermo de ſubſtantia corporea in communi: de qua Ariſtoteles per octo libros de Phyſico auditu. Deinde de ſubſtantia corporea ingenerabili & incorruptibili: de qua Ariſtoteles per quatuor libros de cœlo. Deinceps de ſubſtantia corporea generabili, & corruptibili: de qua Ariſtoteles per duos libros de ortu & interitu. Tandem de ſubſtantia corporea animata: quæ argumento eſt Ariſtoteli per tres libros de anima. Cæteras ſubſtantias nunc omitto, quia plus habent oblectamenti, quàm ſcholaſtici commodi.*

PHYSICÆ

PHYSICÆ DISPVTATIONES, DE SVBSTANTIA CORPOREA IN COMMVNI,

A PETRO HVRTADO DE MENDOZA, Valmaſedano, de Societate IESV.

PROOEMIVM.

§.1. RECOGNOSCENDA ſunt, quæ dicuntur in logica, & metaphyſica, diſputatione, & ſect.1.de obiecto & ſubiecto, è quibus infertur apertè, obiectum adæquatum Philoſophiæ naturalis eſſe corpus de prædicamento ſubſtantiæ cum omnibus ſuis proprietatibus, & cauſis, actionibus, eorumque contrariis: quia hæc omnia omnes phyſici actus attingunt. Primùm enim agitur de principiis, ſcilicet, materia, forma ſubſtantiali, & priuatione. Deinde de eorum vnione, & de toto compoſito ex illa reſultante; de eius cauſis, de motu, & loco, vacuo, & tempore, per quæ & in quo fit. Deinde de quantitate, figura, & ſitu, & habitu, quæ omnia ſunt cauſæ, aut affectiones compoſiti ex materia & forma ſubſtantiali.

§.2. Attributionis autem obiectum eſt ipſum corpus de prædicamento ſubſtantiæ, quia toti hi libri in hunc tendunt ſcopum, vt ante oculos proponant compoſitum ſubſtantiale, eiuſque affectiones demonſtrent. Quod inde probatur; quia natura & eſſentia, à qua paſſiones & attributa dimanant, eſt finis extrinſecus ſcientiæ, quæ de illis diſputat; conamur enim per ſcientiam rem exactè cognoſcere, ſed corpus ſubſtantiale eſt radix & eſſentia, à qua fluunt quantitas, motus, &c. ergo horum librorum attributionis obiectum eſt corpus de prædicamento ſubſtantiæ.

§.3. Omnes ferè bonæ notæ Philoſophi huic adhærent ſententiæ, inter quos de ſolis vocibus eſt diſſidium. Noſter Cardinalis Toletus, q.2. procemij Phyſicorum dicit, obiectum attributionis eſſe ens naturale, quod ſignificat compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali, quæ in ordine ad motum à Phyſiologo definitur; vt videbimus in naturæ definitione, diſput.7. Auicena, Linconienſis, Magnus Albertus, & Ægidius, quos refert & ſequitur noſter Pererius lib.2. Phyſico. cap.3. exiſtimant eſſe corpus mobile, ſeu naturale, quod eſt de prædicamento ſubſtantiæ: quod dicitur natura completa, motuſque principium. S. autem Thomas in procemio Phyſico. Ferrar. Iabellus, & Aquarius, Paulus Soncinas.4. metaphyſicæ. q.10. noſter Fonſeca 2. metaphyſicæ. cap.3. q.5. ſect.2. quos Thomiſtæ ſequuntur, obiectum attributionis volunt eſſe ens mobile. E quibus cum rem omnium teneam, non tamen placent omniũ loquendi rationes, ſed ſolius P.Molinę in Phyſicis manuſcriptis. Quod enim ait Toletus, longam habet æquiuocationem, cum Angeli & multa etiam creata ſint etiam ens naturale, vt latè accipitur contra ſupernaturale; idem dico de locutione Thomiſtarum; Angeli enim ſunt entia mobilia. Minus æquiuocè loquitur Pererius, ſed tamen quantitas & materia prima, etiam ſunt corpus mobile. Vitioſè autem res ſignificatur per genericas rationes ſupremas, & infimas differentias; vt ſi quis dicat hominem eſſe ens, aut ſubſtantiam rationalem, quod vitium reprehẽdit Philoſophus.6. Phyſico. cap.3. loco 27. vocetur igitur *corpus de prædicamento ſubſtantiæ*, quod immediatè ſignificat compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali. Moueor & vnius Molinæ authoritate, tum quia res nullo nomine aptiùs ſignificatur quàm proprio; tertiò, quia nullam admittit æquiuocationem, cuius ſententiæ eſt Aureolus in prologo ſententiarum pag.64. ſed parum refert ſic aut aliter loqui.

§.4. In hac autem quæſtione inani ſudare voluit non nemo, arbitratus multum intereſſe obiectum Phyſicorum appellare *ens mobile*: quia Sanctus Thomas illud ita compellat: primùm, quia ſub hoc nomine ſupponitur tanquam notiſſimum & indemonſtrabile paſſionum phyſicarum ſubiectum: At ſub ratione corporis mobilis demonſtratur à Philoſopho 6.phyſ. textu.32.hoc modo: *Omne mobile partim eſt in termino à quo, partim in termino ad quẽ: ſed omne quod ita exiſtit, eſt diuiſibile: ergo omne mobile eſt diuiſibile.* & quia id quod probatur diuiſibile, conſequenter probatur eſſe corpus: cuius comes eſt diuiſibilitas, probatur etiam eſſe corpus. Secundò, hæc doctrina veritati contradicit: quia obiectum Fidei eſt prima veritas, & non Deus: Perſpectiuæ linea viſualis; & non quantitas viſualis, &c.

§.5. Primùm S.Thom.1. p.q.84.art.1. in argumento *ſed contra*, aſſerit philoſophiam eſſe de *corpore mobili*; idque frequenter affirmat: arguant contra ipſum. Et quidem ſi ens mobile eſt indemonſtrabile, eſt indemonſtrabile corpus ſubſtantiale; quia per te ſolo nomine differunt. Ad primum reſpondeo, clariùs eo probari non poſſe hoc obiectum eſſe ens mobile: quia ſicut per te ſupponitur omne diuiſibile eſſe corpus; multo melius ſupponitur eſſe ens mobile. Mõſtratur ergo diuiſio vt attributum corporis ſubſtantialis, melius quàm entis mobilis: ſunt enim entia mobilia plura quæ non ſunt diuiſibilia.

bilia. Ad ſecundum reſpondeo primam veritatem commodiùs eſſe obiectum formale, quàm Deum ſecundùm ſe, non propter inanem diuerſitatem appellationũ:ſed quia Deus ſub ratione veri in dicendo eſt fidei formale obiectum, vt dico diſp.5. de fide. Perſpectiua autem nõ contemplatur totum conceptum quantitatis, ſed extimam ſuperficiem.

§. 6. Huic aſſertioni opponitur Antonius Andreas tractatu de tribus principiis, Ioannes Canonicus 1. Phyſic. q. 1. aliqui Scotiſtæ opinantes ad Phyſicum pertinere ſubſtantias Angelicas. Verum de illis ab eo non agi per ſe, niſi forte, in quantum ſunt extrinſecæ corporum motrices, patet primò, quia per ſe non agit Phyſicus niſi de rebus, quarum principia ſunt quæ tradit Ariſtoteles in præſenti cap. 1. materia, forma, & priuatio, vt eſt conſtans Philoſophorum ſenſus, alioquin mala eſſet Ariſtotelis principiorum definitio, vt patet diſp. 1. ſed Angeli non habent ea principia: ergo per ſe non ſpectant ad Phyſicum. Secundò, quia Phyſicus non abſtrahit à materia ſenſibili, ſed Angeli non habent eam materiam: ergo Angeli per ſe non ſpectant ad Phyſicum. Tertiò, quia nullibi in Phyſica per ſe agitur de Angelis, ſed id pertinet ad Metaphyſicam, noſque agemus de illis ibi diſputatione 12.

§. 7. Alij, quos reticet P. Pererius, opinantur ſolas res generabiles & corruptibiles ad Phyſicum pertinere, non verò corpora incorruptibilia; quorum ſententia primò impugnatur, quia corpus incorruptibile (ſi quod datur) verè eſt natura completa, cum ſit principium & cauſa motus & quietis in ſe, & de eius materia agitur & forma: ergo ſub hac ratione ſpectat ad phyſicum. Patet conſequentia, quia in hoc conuenit cum corpore corruptibili. Secundò, quia Ariſtoteles in Philoſophia agit de cœlo, libri enim de cœlo & mundo non inter metaphyſicos, ſed inter phyſicos & naturales numerantur; at cœli incorruptibiles ſunt, iuxta communem ſententiam: ergo Phyſicus agit de corpore incorruptibili. Adde Ariſt. 2. Phyſicorum cap. 7. textu 71. affirmantem ad Phyſicum pertinere ea, quæ, cum mouent, mouentur, etiam ſi non intereant: ergo cum corpus incorruptibile poſſit ſine ſui interitu mouere, & moueri, erit pars obiecti Phyſici. Vrgeo; principia quæ tractat Ariſtoteles in præſenti cap. 1. cœlo conuenire, materiam ſcilicet & formam; neque enim opus eſt, vt illi priuatio conueniat, omnia enim corpora de prædicamento ſubſtantiæ habent illa principia: omnia quidem materiam, & formam, priuationem verò ea quæ corrumpuntur; neque enim ſingulis omnia debent conuenire principia. Si enim Deus hominem creaſſet in vno inſtanti, ita vt in materia non præceſſiſſet formæ priuatio, nonne ille homo ad Phyſicum pertineret? Vtrum autem cœlum in aliquo priori habeat priuationem? in proprium locum reiicio. Adde in partitione ſcientiarum eas omnes ad Phyſicum pertinere, quæ merguntur in materiam, eas autem ad metaphyſicam, quæ emergunt è materia.

§. 8. Igitur, ſi conſideremus ſolos hos octo libros, illorum attributionis obiectum eſt corpus de prædicamento ſubſtantiæ in communi; at verò, quia corpus in communi eſt genus, & pars metaphyſica cæterorum corporum, ea de cauſa cognitio corporis in communi refertur ad cognitionem corporum particularium, vt animal & materia prima ad hominem & leonem, vt latè oſtendo diſput. 1. metaphy. ſect. 3. Quare hi libri ſunt quaſi pars ſcientiæ de cœlo, homine, &c. At verò ſcientia de cœlo & de homine non ſunt partes vnius ſpecie ſcientiæ, quia cœlum & homo ſunt ſpecies diſparatæ corporis, inter quas nulla eſt ſubordinatio, quare ex illis duabus ſcientiis & cæteris partibus Philoſophiæ naturalis, fit vna ſcientia genere, aut ſpecie, aggregatione habituum ſpecie completa differentium, ſicut ex pluribus vrbibus regnum. Scientia de corpore in commune, & ſciẽtia de homine dicuntur vna ſpecie; non quod non includant duos habitus, aut plures diſtinctos ſpecie, qui nullam inter ſe habeant phyſicam vnionem: ſed quia contemplantur adæquatè vnam ſpeciem infimam obiecti: in cuius perfectam cognitionem tendunt: at ſcientia de homine & leone ſunt vna genere: quia ſcientia de altero non iuuat per ſe ſcientiam aliam. Recognoſce prœmium metaphyſicæ, §. 186. & 190.

Diuiditur autem Philoſophia in octo libros Phyſicorum, quibus continentur, quæ pertinent ad cognitionem corporis ſubſtantialis in communi; in libros de generatione & corruptione, quæ ſunt de corporibus corruptibilibus, & in libros de generatione animalium, de Anima, de cœlo & mundo, de plantis, mineralibus, de hiſtoria animalium, alioſque libros, quos ab Ariſt. vulgus accipit. Videantur noſtri Conimbricenſes & Pererius in prœmio Phyſicorum, & meum prœmium in libros de cœlo. §. 9.

Philoſophia ſimpliciter dicitur ſpeculatiua, quia omnes ferè præcipuique habitus ſiſtunt in ſola contemplatione obiecti. Habent tamen plures actus practicos, per quos intellectus dirigi poteſt ad efficiendum opus. v. g. *ignis ad calefaciendum neceſſariò debet applicari paſſo. Motus rectus fit linea recta. Per fiſtulam trahitur aqua aëre attracto, &c.* per quas cognitiones dirigitur homo ad applicandum ignem ſubiecto, ad efficiendum motum rectum, & ad aquam attrahendam. §. 10.

DISPVTATIO I.

De principijs rerum naturalium.

ARISTOTELES hoc lib. 1. capit. 2. agit de principiis rei naturalis, quia totum ex partibus cognoſcitur, & principiatum ex principio, ſicut effectus ex cauſa.

SECTIO I.

Principium, initium, cauſa.

PRincipium latè ſumptum definit Ariſtoteles, 5. metaphyſicæ cap. 1. Principium eſt, *vnde fit aliquid, eſt, aut cognoſcitur:* qua comprehenduntur tam principia effectiua rerum, quàm cõſtitutiua, & propoſitiones præmiſſarum, de quibus egi in logica diſp. 10. & 11. Huic definitioni eſt ſimilis definitio S. Tho. 1. p. q. 33. art. 1. *Principium eſt omne id, à quo aliquid procedit quocumque modo:* ex qua definitione infertur inter principium & principiatum aliquam intercedere connexionem, vt obſeruat P. Suarez 1. metaphyſicæ. d. 11. ſect. 1. num. 11. ſic ſumptum principium latius patet quàm cauſa, quia (teſte Cicerone de fato) *Cauſa eſt quæ efficit id, cuius eſt cauſa,* omnis enim cauſa vel mediatè, vel immediatè phyſicè influit in effectum; non verò principium. Quod patet, primùm in Patre æterno §. 1.

principio

principio Filij, non tamen influente more cauſæ. Secundo in puncto lineæ. Tertio in priuatione comparata generationi. Verum eſt apud Græcos nomen, *cauſa*, non in eo rigore vſurpari; ſic excuſantur Græci Patres eo nomine in diuinis vtentes: apud ipſos tamen Græcos latius patet principium, quàm cauſa; priuatio enim non dicitur cauſa generationis, nec punctum lineæ. Hoc animaduertit apud Ariſtotelem P. Suarez ſupra n. 2.

§.2. Preſſius ſolet principium vſurpari, pro primo principio alicuius rei in vno ordine, id eſt, pro origine, ſiue exordio alicuius rei, ait enim Cicero 5. Tuſcula. *Principij nulla eſt origo, nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autem ex re nulla alia naſci poteſt*, & Ariſtot. 5. de Generatione animalium. cap. 7. ait eſſe *de ratione principij, vt ipſum quidem cauſa ſit multorum, ſed ipſius nulla ſit ſuperior cauſa*. Quo ſenſu communiter ſumitur in ſcriptura, in qua principium ſumitur pro temporis initio, Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* & Ioan. 1. *In principio erat verbum.* Grammaticis vſitatior eſt hæc acceptio principij, immo & Hiſpanis. Quo ſenſu, cauſa latius patet principio, non eſt enim de ratione cauſæ, vt non ſit ab alia cauſa, ſic aſſeritur ab Ariſtotele non omnem cauſam eſſe principium. Videatur P. Suarez ſupra num. 1. & 2. Hic ſenſus minus familiaris eſt Theologis in Theologica materia, à quibus Verbum diuinum dicitur principium Spiritus ſancti, licet Verbum procedat à Patre tanquam à principio.

§.3. *Initium* ſignificat inceptionem, ſiue (teſte Calepino) *cæptum*, eſt enim prima pars, ſiue primum inſtans durationis creatæ, aut initium rei tunc incipientis. Sic ſumitur in ſcriptura, *ab initio creata ſum*, id eſt, ante principium ac primum temporis exordium, & 2. Reg. 21. primo, *ab initio menſis*, & Iob. 4. 14. *in ipſa enim* (id eſt ſuperbia) *initium ſumpſit omnis perditio*, & Pſalm. 110. primo, *Initium ſapientiæ timor Domini*, id eſt, à timore incipit ſapientia, & Eccl. 25. 33. *A muliere initium factum eſt peccati*, id eſt, primus author humanus fuit mulier. & *initium ſancti Euangelij ſecundum Ioannem*. Eſt igitur conſtans huius vocis ſignificatio *cæptum*, ſiue *inceptio*, in aliquo genere de nouo. Quapropter eam amouendam eſſe à diuinis perſonis rectè obſeruat P. Vazquez tom. 2. 1. partis, diſp. 139. cap. 1. licet enim Pater æternus ſit principium Filij, non tamen initium, quia Filius nunquam cæpit de nouo, poteſt quidem Deus dici creaturarum initium, quia à Deo cæperunt eſſe. Vnde obſerua multa eſſe iuſtificationis principia, ſed initium vnum tantum. Actus enim contritionis eſt principium iuſtitiæ, initium verò eſt gratia excitans, à qua in nobis incipit ſeries iuſtificationis.

§.4. Principij correlatiuum non poteſt dici *principiatum*: licet enim ſignificet id quod eſt à principio, tamen apud Eccleſiæ Doctores eſt in diuinis vox inuſitata, vt obſeruat ſanctus Thomas 1. p. q. 33. art. 1. ad 2. & cum eo P. Vazquez diſp. 139. n. 17. & Magnus Suarez 1. metaphyſicæ diſput. 12. ſect. 1. num. 33. Erit ergo adæquatum principij relatiuum *quidquid à principio procedit*.

§. 5. De ratione principij creati eſſe, vt in ſuo genere ſit prius principiato, indubitatum eſt apud Philoſophos; inter Theologos eſt diſſenſio, Vtrum in diuinis perſonis, perſona, quæ eſt principium alterius, ſit etiam prior, quàm illa: negat S. Thom. 1. p. q. 42. art. 3. Scotus 1. diſtinctione 12. q. 2. negat in diuinis prioritatem naturæ, aut durationis, ſed admittit originis prioritatem, quæ nihil aliud eſt, niſi patrem eſſe originem filij, non è contra filium patris: vterque modus probabilis eſt: Thomiſticus magis probatur Franciſco Suarez ſupra. n. 10. in medio, Scoticus Gabrieli Vazquez arridet d. 167. cap. 2. hic modus iam magis eſt receptus. Agere de conuenientia principiorum non eſt huius loci; apprimè id præſtant P. Suarez ſupra n. 13. Vazquez d. 139. cap. 4. & 5.

SECTIO II.

Definiuntur principia rei naturalis.

PRincipij vt ſic eſt ſpecies principium phyſi- §.6.
cum, ſiue rei aut compoſiti naturalis, quod ſic definiri creditur ab Ariſtotele. cap. 5. text. 42. *Principia ſunt quæ neque ex ſeſe, neque ex alijs, ſed omnia ex ipſis ſunt.* Hanc definitionem non conuenire ſolis principiis rei naturalis, ſed omni primo principio ſic probo, quia omne primum principium in ea ratione, in qua eſt primum, non habet principium, alioquin non eſſet primum; ſed omnia principiata in eo genere pendent ab illo, nam (vt ſupra retuli ex Tullio, cui conſonat Ariſtoteles in præſenti) *principij nulla eſt origo; nam ex principio oriuntur omnia*, &c. Sic igitur definitionem interpretor, *principia ſunt quæ neque ex ſeſe, neque ex alijs ſunt*, id eſt, quæ in eodem genere, & ſub eadem ratione, qua ſunt principia, à nullo alio, neque vnum principium ex alio pendet: ſed omnia, id eſt, omnia principiata (nam per ly *omnia* ea tantum ſignificat Ariſtoteles ad quæ principia referuntur ſub ratione principij,) ex ipſis ſunt, id eſt, ex ipſis procedunt, ſiue ab ipſis dependent.

Hanc eſſe mentem Ariſtotelis præter rationem §. 7.
redditam, patet ex 1. Phyſic. cap. 1. vbi proponit ſe acturum de principiis, cauſis, & elementis naturalibus, quod præſtat de omni genere cauſæ, lib. 1. & 2. Ea ergo principia definit cap. 5. de quibus dixit ſe acturum cap. 1. ea verò ſunt omnia principia rei naturalis. Hanc definitionem conuenire materiæ, formæ, & priuationi, iam probo argumentorum ſolutione.

Obiicio ergo primò, definitionem non conue- §.8.
nire formæ; quia animus rationalis fit ex non eſſe ſui tanquam ex termino *à quo*, eſt enim creatio *productio entis ex nihilo*. Præterea cæteræ formæ fiunt ex priuatione ſui tanquam ex termino à quo, & ex materia prima tanquam ex ſubiecto; ſed omnis forma, & omnis priuatio, & materia ſunt principia rei naturalis: ergo aliquod principium fit ex aliis principiis contra definitionem. Tandem, quia tam formæ quàm materia ſunt ex Deo, à quo procedunt tanquam à primo principio: ergo principia ſunt ab aliis.

Huic argumento reſponderi ſolet, illud verbum §.9.
ſunt ſumi ſtrictè, & in rigore pro effectione propriè ſumpta, quæ conuenit rebus per ſe completè ſubſiſtentibus, quæ effectio nec materiæ conuenit, nec formæ. Quod inde confirmo, quia in bona Grammatica in copulatione duarum propoſitionum idem verbum accipitur eodem ſenſu, ſed ly *ſunt* applicatum principiatis, vt homini, aut lapidi, ſumitur in iſto rigore: ergo etiam applicatum ipſis principiis.

Non placet hæc ſolutio; tum quia creatio ma- §. 10.
teriæ primæ, & generatio formæ ſimpliciter ſunt effectiones, ſicut ſunt ſimpliciter actiones, per quas materia & formæ ſimpliciter pendent à Deo; neque enim ad hoc requiritur eſſe completum, ſed quoduis eſſe: quis autem neget materiam fieri à Deo

à Deo propriè, aut formam educi de potentia materiæ? Verbum autem *ſunt* ſumitur abſtractè & accommodè ad entitatem, quæ fit; quod neceſſario in diuerſa ſignificatione ſumitur, quando entibus applicatur diuerſis. Igitur applicatum principiato ſumitur pro effectione completa, applicatum verò principiis, pro incompleta. Confirmatur, ſi forma eſſet compoſita ex forma corporeitatis & ex alia ratione, vt opinatur Scotus, illi non conueniret definitio principij, cum ipſa principiis conſtaret, & tamen non fieret effectione completa; ergo effectio incompleta, ſi eſt ex alio, obeſt definitioni principiorum.

§.11. Adde animum rationalem fieri abſolutè: quia eſt ſubſiſtens, & terminus creationis: creatio autem tendit in ens ſimpliciter; eſt enim *productio entis ex nihilo:* id eſt, creatione non fit compoſitum cum quo ſimul fiat pars: vt album fit; albedo autem fit ſimul: ſed totum ens efficitur creatione: & hæc fit ex termino à quo priuatiuo; vt homo fit ex non homine; ita ens creatum ex non ente. Item fit à Deo: ergo principium vnum fit ex alio principio: quod repugnat illi parti, *nec ex ſeſe.* Item fit ex alia re non principio: quod eſt contra ea verba; *nec ex aliјs.*

§.12. Reſpondent alij vnum principium fieri ex alio; non tamen cum mutua cauſalitate; quia forma fit ex materia, non tamen materia ex forma: mutua autem cauſalitas eſt contra ea verba *nec ex ſeſe.* Contra; vnum principium non eſt ab alio tam propriè & abſolutè quàm principiatum eſt ab ipſo principio alioquin innepta eſſet illorum definitio: ſed principiatum eſt verè & propriè à principio ſine reciproca cauſalitate: ergo rationi principij & principiati parum obeſt cauſalitas non reciproca: ergo vnum principium non poteſt eſſe ab alio etiam ſine influxu reciproco.

§.13. Reſpondeo ergo ex §.6. ab Ariſtotele definiri prima principia in vnoquoque genere. Ad primum diſtinguo antecedens, animus fit & eſt principiatum ex alio principio, in eodem genere, in quo ipſe eſt principium, nego antecedens; quia animus eſt formale principium, & ipſe non pendet, aut fit ex alio principio formali. Concedo autem animum fieri, & eſſe ex principio in alio genere, ſcilicet ex termino *à quo*, & ex principio actiuo: reſpectu enim diuerſorum vna res eſt cauſa & effectus; ſic omnia principia creata (ſaltem poſitiua) in genere principij actiui ſunt ab alio. Ad reliquas probationes patet ex dictis.

§.14. Secundò arguitur ex proximè dictis, quia materia prima & forma meterialis ſunt principiata, ſimiliter & priuatio: ergo definitio non conuenit illis. Probatur antecedens, quia materia & forma componuntur ex partibus intrinſecis; at ipſa ſunt principia equi, verbi gratia; tanquam partes intrinſecæ: ergo. Item priuatio habet terminum, à quo, nam ex vidente fit cæcus, ſicut ex cæco videns.

§.15. Nego antecedens, & probationem diſtinguo; componuntur ex partibus integrantibus, concedo; ex eſſentialibus nego; at materia & forma non ſunt principia integralia, ſed eſſentialia. Ad quod aduerte partes integrales eas eſſe, quarum vna ſublata tollitur compoſiti intergritas, non tamen conceptus quidditatiuus, vt ſi Petro manus abſcindas, manet quidem Petrus, non tamen integer, ſed mancus: licet enim non maneat totum compoſitum, quod antea erat, vt includebat etiam manus: at id quod manet ſine manu, verè eſt & dicitur homo; at partes eſſentiales ſunt, quarum altera ſublata auſertur quidditatiuus rei conceptus, vt non manebit Petrus ſublato corpore, aut animo, ita materia & forma componunt lapidem eſſentialiter, ipſæ autem componuntur integraliter. Ad illud de priuatione, reſpondeo, non habere propriè terminum *à quo*, hic enim eſt *à quo incipit motus aut actio*, ipſa autem, quòd non ſit ens, nullam habet actionem. Si verò dicas eam habere actionem negatiuam, adhuc dico, eam habere terminum *à quo*, in diuerſo non modo genere, ſed etiam ordine; quia forma habet terminum *à quo* priuatiuum; priuatio verò poſitiuum; qui conſtituunt diuerſos ordines terminorum.

Hinc arguo tertio, quia materia & forma habent principia eſſentialia: ergo ſunt in eodē genere principiata. Probatur antecedens, quia conſtant genere & differentia. Diſtinguo antecedens, habent principia eſſentialia phyſicè, nego: metaphyſicè, ſeu logicè, concedo: hinc nego conſequentiam, quia principium phyſicum diuerſum eſt à principio metaphyſico, aut logico. Materia enim realiter componit compoſitum, genus verò ſola ratione. §.16.

Qua ergo definitione cognoſcentur tria generationis principia? nulla quidem, quæ ſit vna. Cum enim priuatio æquiuocè conueniat cum materia & forma in ratione principij, non poſſunt eadem definitione comprehendi, niſi forte hoc modo generationis principia ſunt, *quæ neque ex ſeſe, neque ex aliјs: ſed omnia phyſica compoſita ex ipſis ſunt tanquam ex partibus eſſentialibus, aut termino à quo.* Materia verò & forma ſic definiuntur. Sunt principia *quæ neque ex ſeſe, neque ex aliјs, ſed omnia corpora prædicamenti ſubſtantiæ ex ipſis conſtant eſſentialiter phyſicè.* Quæ definitio ex iam dictis probari poteſt, atque defendi. §.17.

Sed animaduerte, ex P. Suarez ſupra, materiam & formā diuerſo modo eſſe principia generationis quàm conſtitutionis. Conſtituunt enim cōpoſitum per vtriuſque vnionē, qua materia recipit formā, & hæc actuat materiā: at verò materia eſt principium receptiuum generationis, eam in ſe ſuſtentans, per quam de vno eſſe mutatur in aliud, forma verò eſt principium generationis illam terminans, eſtque quaſi principium finale, actionis enim immediatus finis eſt terminus. Comparatione autem totius compoſiti, forma eſt etiā principiū phyſicè influens in generationem hominis, equi; & aliorum: quia forma prius natura exiſtit quàm vniatur; & eſt verum ſubiectum vnionis, & generationis ipſius vnionis: à qua generatione totum compoſitum eſt, & dicitur genitum, vt conſtabit diſp.6. §.17. Hæc autem adſonant doctrinæ dicendæ diſput.6. §.12. vbi oſtendo materiam & formam eſſe cauſam adæquatam compoſiti, dum ſunt cauſa adæquata vnionis in genere cauſæ materialis: quod latè oſtendo diſp.5. ſect.5. §.18.

Huic expoſitioni definitionis ſeſe P. Conimbricenſes opponunt 1. phyſicorum, cap.5.q.1.cenſent enim, cum aliis multis, definiri ab Ariſtotele ſolam materiam, formam, & priuationem; quia per præpoſitionem, *ex*, excluduntur cauſæ efficientes, & finalis; res enim non eſt *ex*, ſed *ab* efficienti, neque *ex*, ſed *propter* finem. §.19.

Huic rationi obeſt primò ſcripturæ locutio, quę principium efficiens coniungit cum verbo *ſum, es fui*, & effectu, Ioannis 8.42. *qui ex Deo eſt &c.* n.44. *vos ex patre diabolo eſtis*, id eſt, videmini effecti à diabolo, qui vos in peccatum impellit. Philoſophicè verò omnis effectus ſiue principiatum rectè explicatur per præpoſitionem, *ex*, cui reſpondet aduerbium *vnde*, vt ſi roges, *Vnde cognoſcitur conclusio?* §.20.

cluſio? Reſpondetur, *ex præmiſſis, Vnde fit forma materialis? ex materia, Vnde procedit filius? ex patre.* Sic adduxit ſupra S.Thomam ſect. & §.1. aſſerentem: *Principium eſt vnde aliquid procedit*; & Ariſtotelem: *Vnde aliquid fit, eſt, aut cognoſcitur.* Eo igitur pacto, quo aliquid ex principio procedit, ex illo eſt.

§.21. Quidam autem Neoterici ſibi contradicunt apertè; admittunt enim in definitione intelligi principia intrinſeca, & terminum à quo, quibus ſi obiicias vnum principium fieri ex alio tanquam ex termino à quo: Reſpondent fieri ex illo, ſed non tanquam ex parte intrinſeca, ſed termino à quo. Contra quos ſic argue; per vos in definitione principiorum cnmprehenditur terminus à quo, per vos etiam vnum principium fit ex termino à quo: ergo vnum principium fit ex alio principio, erit ergo mala definitio. Igitur recurrant ad noſtram ſolutionem, fit enim vnum principium ex alio in diuerſo genere principij.

SECTIO III.

De oppoſitione, & numero principiorum.

§.22. MAteria & forma opponuntur relatiuè tranſcendentaliter, vtraque enim alteram eſſentialiter connotat: aliam oppoſitionem non agnoſcunt. Materia & priuatio non opponuntur, afficitur enim in priuatione materia: at priuatio opponitur formæ, qua priuat; quia ſimul in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt. Hæc oppoſitio eſt priuatiua, quæ *prima* appellatur, tum quia eſt omnium maxima oppoſitionum, tum quia nullam habet priorem. Eadem oppoſitio eſt inter priuationem & formam in communi, & inter hanc priuationem & hanc formam; quare vtraque eſt *prima*, phyſicè loquendo. Verum eſt, ſi logicè loquamur, priorem eſſe oppoſitionem inter *priuationem & formam* in communi, quàm inter hanc *priuationem & formam*; quia vniuerſalia ſunt priora in ſubſiſtendi conſequentia. Hæc oppoſitio vocatur ab Ariſtotele *contraria*; ſed non propriè. Vide Conimbricenſes 1. phyſic.cap.5.q.2.

§.23. Plura ſunt generationis principia & intrinſeca, & extrinſeca. De cauſis extrinſecis agetur à diſp.8. Principia intrinſecè conſtituentia ſunt duo tantum, materia ſcilicet & forma ſubſtantialis, nam (teſte Ariſtotele) vnum principium ſufficit ad recipiendum, (prima materia) in quo ex natura rei non poteſt ſimul recipi niſi vna forma ſubſtantialis, quod in progreſſu patebit.

§.24. Dices primò, vnionem pertinere ad intrinſecam compoſiti conſtitutionem: ergo ſunt tria principia conſtitutiua. Nego conſequentiam; quia vnio pertinet tanquam ratio formalis, per quam materia & forma compoſitum principiant; at ex principio, & ratione principiandi non conflantur duo principia, ſed vnum, quia principium per formalem rationem reducitur in actum in ratione principij, vt ex cauſa actiua & actione non fiunt duæ cauſæ, ſed vna.

§.25. Dices ſecundò, ſubſiſtentiam pertinere ad compoſitionem naturæ: ergo ſunt plura principia intrinſeca. Reſpondeo primò, ſubſiſtentiam non pertinere ad phyſicam conſtitutionem, ſed ad metaphyſicam; quia ſubſiſtentia eſt tantum integritas naturæ, non verò de eius eſſentia; ſic Chriſti humanitas habet totam compoſitionem eſſentialem in ratione naturæ, ſed non habet naturalem ſubſiſtentiam. Secundò reſpondetur, materiam primam non eſſe ex natura ſua principium vtcumque, ſed completam, & perfectam in ſuo eſſe ſubſtantiali; quare ex materia & ſubſiſtentia non efficiuntur duo principia, ſed vnum integrum, & completum. Idem dico de ſubſiſtentia formæ.

Priuatio eſt principium generationis, vt terminus à quo. Probatur, quia ex non homine, fit homo, & equus ex non equo, ſed illud dicitur principium rei, ex quo talis res ſequitur quocunque modo, ergo. Huius rei probatio ſupponatur ex d.3. ſect.2.§.18. §.26.

Præter hæc tria nulla ſunt alia principia intrinſeca, & terminus *à quo*. Dices ex aëre fieri aquam, ſicut ex non aqua, ergo datur alius terminus à quo. Reſpondeo, generationem per ſe reſpicere terminum *à quo priuatiuum*; ſi enim materia eſſet ſine forma aëris, in eam nihilominus aquæ forma introduceretur; quia tamen materia non poteſt carere omni forma ſubſtantiali, concomitanter fit aqua ex aëre, in quantum includit illius priuationē. Itaque aqua fit per ſe ex non aqua; ex aëre autem per accidens. Vide P.Conimb.ſupra.cap.7.q.vnica. §.27.

DISPVTATIO II.

De materia prima.

SINGVLA principia explicanda erunt, incipio à materia; quia eſt primum generationis ſubiectum.

SECTIO I.

Quædam de materia prima præmitto.

NOmine materiæ primæ intelligo commune mutationis ſubſtantialis ſubſtantiale ſubiectum, expers corruptionis, ex quo fiunt omnia phyſica corpora prædicamenti ſubſtantiæ. Rebus ineſſe huiuſmodi ſubiectum, noſtri Conimbricenſes oſtendunt in præſenti cap.9. quæſt.1. & P.Suarez.1. Metaphyſicæ.d.13. ſect.1. num.4. eſſe materiam primam, tam euidens eſſe teſtatur, quàm eſt euidens eſſe ſubſtantiales mutationes. Probatur. Primò ex tranſmutatione ſubſtantiali, quæ fit in ſubiecto, in quod, verbi gratia, inducitur forma ſubſtantialis ignis, & forma ligni corrumpitur; tunc remanet commune ſubiectum vtriuſque formæ, quia illa mutatio ſubſtantialis, ideo eſt in ſubiecto, vt in illud ſuum terminum inducat; quod ſi hoc facit, neceſſariò ab eodem ſubiecto aliam formam ſubſtantialem expellit: ergo datur vnum commune ſubiectum; in quo recipiantur & forma ligni corrupta & forma ignis recens producta. Manere quidem commune ſubiectum oculis cernimus, homine enim pereunte, manent multa illius accidentia, quæ niſi in ſubſtantiali ſubiecto eſſe non poſſunt, at non ſunt in animo, quia migrauit è corpore, neque poſſunt eſſe in ſubiecto omnino nouo: ergo ſunt in aliquo communi ſubiecto. §.1.

Secundò probatur ex alteratione, quorſum enim ignis ferrum calefaciat, niſi in ſubiectum formæ ferreæ vellet formam ignis inducere? Cui rei eſſet vtilis talis alteratio, niſi ad veteris formæ expulſionem, & inductionem nouæ? Quod clarius patet ex alimento viuentis: quorſum enim homo indigeret pane, niſi ad inducendum in illum animam rationalem? & ſic reſarciat damnum, quod §.2.

patitur

patitur à natiuo calore humidum radicale depaſcente.

§.3. Tertio, quia omnis productio eſſet creatio, & corruptio annihilatio; cui reclamat vniuerſa philoſophia conteſtans, ex nihilo nihil fieri. Probatur ſequi, quia ſi non eſt commune ſubiectum: ergo nulla actio pendet à ſubiecto, & conſequenter eſſet creatio.

§.4. Quartò, quia cadauer Chriſti idem fuit ac ipſius viuentis corpus, quod tamen ex natura ſua non potuit in triduo omni forma ſubſtantiali carere: ergo Corpus Chriſti potuit eſſe commune ſubiectum formæ viuentis & cadauericæ. Idem patet in ſanctorum reliquiis, quibus nullus deberetur cultus, niſi in illis maneret aliqua pars ſanctorum; at non remanet forma: ergo materia. Confirmatur, ſi quis in triduo mortis Chriſti conſecraret panem in Chriſti corpus, illum tranſubſtatiaret: ergo Corpus Chriſti demortui eſt idem cum corpore Chriſti viuentis.

§.5. Dices, ad inductionem formæ ſubſtantialis non requiri materiam primam, quia in Euchariſtia conſumptis ſpeciebus panis & vini in ſtomacho Sacerdotis, inducitur forma ſubſtantialis panis, & vini, & ibi nullum eſt ſubſtantiale ſubiectum. Nego antecedens, ad probationem reſpondeo, tunc à Deo materiam primam produci in tanta magnitudine, quantam exigunt ſacramentales ſpecies.

§.6. Hoc ſubiectum eſſe ſubſtantiale probatur primo; quia eſt primum ſubiectum, alioquin de alio priori eadem rediret quæſtio, ſed primum ſubiectum compoſiti non poteſt eſſe accidentale, quia accidens ſubſtantiæ innititur, illamque ſupponit: ergo eſt ſubſtantiale. Secundò, quia eſt cauſa receptiua formæ ſubſtantialis materialis, & prius quàm illa. Tertiò, quia cum forma componit per ſe ſubſtantiam, at ſi ſubſtantiale non eſſet, non per ſe, ſed per accidens illam componeret. ergo.

§.7. Illud verò eſſe incorruptibile probatur, quia eſt ſubiectum commune, cui nullius formæ diſpoſitiones aduerſantur, omnes enim eo tendunt, vt in illud inducant formam, ad quam diſponunt. Secundò, quia omnis generatio habet duos terminos oppoſitos, quorum alter alterum perimit è ſubiecto; ergo ſubiectum neceſſariò manet. Patet conſequentia, quia tota pugna terminorum oritur, quia vnuſquiſque vult poſſidere ſubiectum, quam ob cauſam ex eo conatur pellere contrarium. Tandem, quia ſi poſſet perire, corruptio compoſiti eſſet annihilatio.

§.8. Materiam primam non eſſe corpus completum, & perfectè ſubſiſtens probat P. Suarez ſupra ſect.3. num.5. quia, teſte Ariſtotele, materia primò per ſe ineſt compoſito: ergo non eſt ens completum. Patet conſequentia, quia tale complementum eſt contra rationem partis eſſentialis. Secundò probatur ex fine, quia actuatur & informatur, & in ſuo eſſe perficitur per formas ſubſtantiales, ergo non eſt perfectè ſubſiſtens. Patet, quia res perfecta eſt actus perfectus, qui non eget alia ſubſtantiali perfectione.

§.9. Hæc nunc ſint ſine controuerſia, quæ præſtrinxiſſe ſufficiat. Materia vocatur *mater*, quia omnia compoſita gignit; vocatur *adultera*, quia, dum eſt cum vna forma, admittit diſpoſitiones ad aliam; vocatur *Sylua*, propter multitudinem formarum, quæ ex ipſa educuntur. Videantur Conimbricenſes ſup. cap.9. quæſt.2. art.3.

§.10. Aduerte ex iiſdem ibidem artic.1. bifariam ab Ariſtotele definiri materiam. Primò per negationem, vt, *Materia non eſt quid, nec quantum, neque aliquid eorum, quibus ens determinatur*, id eſt, neque eſt tota quidditas compoſiti, neque quantitas, neque forma ſubſtantialis, per quam ens determinatur ad hanc aut illam ſpeciem completam; neque accidentalis, per quam determinatur ad ſpeciem accidentalem: addit autem Auguſtinus, *non tamen omnino nihil*; eſt enim aliquid in omni phyſico compoſito exiſtens.

Secundò definitur poſitiuè ab Ariſtotele primo phyſicor. cap.9. hiſce verbis; *Materia prima eſt primum cuiuſcumque ſubiectum, è quo quidpiam eo fit pacto, vt non per accidens inſit*, id eſt, eſt primum compoſiti phyſici, & eſſentiale ſubiectum. In qua definitione genus eſt *primum cuiuſcumque ſubiectum*, quod ſubſtantiæ conuenit Angelicæ, quæ primum eſt ſuorum accidentium ſubiectum, & animo rationali, cæteriſque rebus, quæ ſunt prima principia receptiua aliarum. Differentia eſt vt *non per accidens inſit*, nam ex ſola materia prima fit compoſitum eſſentiale tanquam è ſubiecto, ex artefactis enim, ex Angelo & eiuſdem accidente; item ex animo & ſuis, non fit vnum per ſe, ſed per accidens. §.11.

SECTIO II.

Ratio potentiæ quo pacto materiæ conueniat.

TRifariam accipitur potentia. Obiectiua, actiua, & paſſiua. Obiectiua eſt non repugnantia rei ad eſſendum, vt mundus non repugnabat antequam fieret; huic reſpondet actus exiſtentiæ, actus enim vnicuique potentiæ reſpondet. Actiua eſt, quæ virtute continet aliquem effectum, illúmque poteſt producere, vt omnipotentia Dei continet Angelum, cuius actus eſt effectus ipſe productus. Paſſiua eſt, quæ recipit aliquam formam, vt paries albedinem, huius actus eſt ipſa forma. §.12.

Indubitatum eſt inter Philoſophos, materiam primam eſſe potentiam paſſiuam formarum, ſed oportet explicare, quomodo ſe res habeat. Poſſet enim quis dicere, formam eſſe potentiam paſſiuam materiæ, ſicut materia eſt potentia paſſiua formæ, quia vtriuſque vnio recipitur tam in materia, quàm in forma. Dices materiam eſſe cauſam materialem formæ, atque adeo potentiam ad illam, non actiuam, neque logicam, ergo paſſiuam. Contra, quia materia prima etiam dicitur paſſiua animi rationalis, qui verè eſt actus materiam informans, & tamen animus non continetur in materia tanquam in cauſa materiali, neque eſt in illius potentia; ergo non eſt cur magis materia prima dicatur potentia paſſiua animæ, quàm animus materiæ. Quod ſi dixeris animum ſecundum ſe non contineri in materia, ſed tantum ſecundum quod illi vnitur, id eſt, vnionem animi contineri in potentia paſſiua materiæ. Reſpondeo talem vnionem etiam contineri in virtute paſſiua animi (vt ſuppono ex diſput.5.) Cur igitur materia dicitur potius potentia paſſiua animi, quàm animus materiæ? Confirmatur, quia ſicut materia perficitur per vnionem ad formam, ita & forma per vnionem ad materiam, quod igitur erit diſcrimen? §.13.

Reſponde hinc eſſe ſumendum. Primum, quia forma materialis pendet à materia, quia productio formæ recipitur in materia, & fit ex ea, quia ab ea pendet vt à ſubiecto, imitatione accidentium. De his formis nulla eſt difficultas: quia fiunt §.14.

concur

concurrente materia ad illas, at materia fit ſine illarum influxu. Deinde vniuerſalior ratio ſumitur, quia quando duæ res vniuntur, & vna communicat alteri effectum formalem, & denominationem ab ipſa prouenientem, res, quæ talem effectum communicat, dicitur *forma*; res verò, cui communicat, dicitur *ſubiectum*, ſiue *cauſa materialis*, ſiue *potentia paſſiua*: verbi gratia, vniuntur actus ſapientiæ, & animus rationalis: ab illo actu animus dicitur *ſapiens*, non verò actus dicitur ab animo *animal*, aut *animatus*.

§.15. Item materia prima organizata (quæ corpus phyſicum vocatur) à forma vitali ſubſtantiali dicitur viuens, & habere vitam, vt patet ex diffinitione animi, videlicet *actus corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis*, id eſt, eſt actus materiæ primæ organizatæ (vt probaui diſput. 1. de anima ſect. 1.) vnde corpus humanum dicitur *viuens* ab animo rationali, *mortuum* vero à cadauerica forma; at vero animus rationalis non dicitur à corpore corporalis, aut corporeus.

§.16. Dices, aliquando dici formam ſubiectatam in materia, ergo etiam forma accipit denominationem à ſubiecto. Reſpondeo duas eſſe denominationes, Primam, qua explicatur actualis ipſa receptio, aut informatio; ſic materia dicitur informata, & forma recepta, vel cauſata. Secundam formalem ſumptam ab ipſa forma, qua, quidquid conuenit formæ, adſcribimus ipſi ſubiecto, vt paries dicitur albus, & diſgregatiuus viſus ab albedine. Hoc ſecundum denominationis genus non accipit forma à ſubiecto, ſed ſubiectum à ſola forma, albedo enim non dicitur *parietata*, paries autem dicitur *albus*. Confirmatur, ea ratione partes continui, & partes qualitatis intenſæ, licet alteri vna vniatur, non efficiunt compoſitionem ex materia & forma, quia neutra accipit denominationem ab alia.

§.17. Dices, materiam non dici *ſpiritualem* ab animo rationali, ergo materia non accipit denominationem à forma. Concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia ly *ſpiritualis* dicit negationem partium, quam materia non habet, denominatur autem materia à forma ſecundum eam rationem, in qua non includit denominationẽ oppoſitam ipſius conceptui: ita materia dicitur *viuens*. Video potuiſſe ita dici, ſed non factum ob negationem partium, quam dicit *ſpirituale*, poſſet autem materia dici *ſpirituata*. Itaque materia ab animo ſpirituali accipere poſſet denominationẽ aliquam *ſpiritus*, ſicut denominationem *vitæ*, & *ſenſus*, ſed non eſt vſurpata vox vlla ad ſignificandam eam denominationem. Immo vox, *ſpirituale*, vſurpatur pro re carente extenſione, eâque propter opponitur voci *materiale*.

§.18. Igitur omnis res ab alia denominata, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè, dicitur ſubiectum talis denominationis, tametſi verè non ſit ſubiectum, nec forma id, quod denominat, viſio enim non eſt forma parietis, qui dicitur *viſus*: nec verbum eſt ſubiectum vnionis hypoſtaticæ, à qua dicitur *vnitum*: eſt enim adeo proprium formæ tribuere denominationem, & effectum formalem, vt per tropum res aliæ dicantur *formæ*, quando aliis rebus impertiunt denominationem ſuam. Hinc conſtat materiam primam eſſe potentiam paſſiuam formarum ſubſtantialium, à quibus accipit varias denominationes pro ſingularum varietate.

§.19. In controuerſiam reuocari poteſt, ſit-ne materia eſſentialiter potentia, nec-ne? parti affirmatiuæ adhæreo. Primò, quia non poteſt intelligi materia prima in ratione materiæ, quin concipiatur vt potentia paſſiua formarum, ſed ille conceptus eſt de eſſentia alicuius, ſine quo talis res intelligi non poteſt; ergo conceptus paſſiuæ potentiæ eſt de eſſentia materiæ primæ. Probatur maior, quia materia prima non poteſt intelligi, niſi vt primum ſubiectum, ſic enim eſt ab Ariſtotele definita, ſect. 1. de qua ſermo redibit diſput. 8.

Dices materiam primam non poſſe intelligi niſi per ordinem ad formas recipiendas, non quia hoc ſit de eſſentia illius, ſed quia ad illas dicit relationem ſecundum dici, vt attributa diuina illam relationem dicunt ad creaturas. Sed contra arguitur ſecundò, quia materia prima non modo dicit relationem ſecundum dici ad formas, ſed etiam tranſcendentalem; ergo reſpectus materiæ ad formas recipiendas eſt de eſſentia ipſius materiæ. Patet conſequentia, quia relatio tranſcendentalis eſt de eſſentia eius cuius eſt relatio, quia totam quidditatem tranſcendit. Antecedens probatur, quia (vt ſuppono ex Patre Vazquez tomo 1. primæ partis diſp. 164. n. 25. probaturus diſp. 15. metaph. ſect. 8.) relatio tranſcendentalis conſiſtit in dependentia, quam habet vna res ab alia, ſine qua ſaltem in eſſe poſſibili, eſſe non poteſt, vt actus vitalis ſine potentia vitali, & hæc ſine actu, ſaltem poſſibili, ſed materia prima eſſe non poſſet, niſi eſſent poſſibiles formæ, ergo ad illas dicit relationem tranſcendentalem. §.20.

Hinc argumentor tertiò, quia ſi formæ eſſent impoſſibiles, etiam materia eſſet impoſſibilis, quia ſublatis receptibilibus, nullum eſſet receptiuum, ergo eſſentia materiæ primæ pendet aliquo modo à formis, ergo ad illas dicit ordinem, ſed ab illis dependet in ratione principij paſſiui: ergo eſſe principium paſſiuum pertinet ad illius eſſentiam. §.21.

Quartò, quia pars ex natura ſua reſpicit aliam compartem. Nam ens incompletum eſſentialiter petit compleri; ſed materia prima eſſentialiter eſt pars receptiua alterius partis, ergo illam reſpicit eſſentialiter ſub ratione potentiæ paſſiuæ. §.22.

Quintò, quia forma eſſentialiter eſt actus materiæ, ergo & materia eſſentialiter eſt potentia formæ. Autores huius ſententiæ latè referuntur diſp. 8. ſect. 2. oppoſiti autem non negant potentiam materiæ eſſe eandem eius entitatem, quia illa ex ſe ens eſt partiale, & incompletum, quod ex ſe petit compleri, vt accidens petit eſſe in ſubiecto, licet non dicat relationem ſecundum eſſe ad illud, ex ſententia illorum. §.23.

Communiter verò materia prima appellatur à Thomiſtis *pura potentia*, quod ita fusè ſumptum, nec placet, nec eſt verum; quia materia prima actu exiſtens habet vt minimum actum entitatiuum, & exiſtendi; quem dixi §.2. potentiæ logicæ reſpondere, per quem actum vnaquæque res de potentia logica reducitur in actum; ergo materia prima non eſt pura potentia vniuerſaliter ſumpta. §.24.

Dices materiam primam non habere actum exiſtendi à ſe, ſed à forma. Contra primò, quia hoc eſſe falſum infra patebit, ſect. 6. Secundò eo admiſſo probatur intentum, quia ipſa eſſentia materiæ primæ actu exiſtens, etiam vt diſtincta ab exiſtentia formæ, eſt aliqua entitas actualis, quia ipſa ſic diſtincta eſt reducta in actum de potentia actiua, & logica; ergo ipſa materia prima, etiam vt diſtincta ab exiſtentia, non eſt pura potentia. §.25.

Confirmatur, materia prima, vt eſt extra potentiam reſpondet illi potentiæ vt iam exercitæ, ſed exercitæ potentiæ reſpondet actus, ergo materia, vt reſpondet illi potentiæ logicæ, eſt actus: immo licet exiſtentiam habeat à forma, quia tam materia, quàm exiſtentia reſpondet potentiæ logicæ, vtraque eſt §.26.

actus. Quod patet tum in ipſa eſſentia formæ,quæ cum exiſtentia reſpondet potentiæ logicæ vt exercitæ: tum quia ſi materia haberet exiſtentiam propriam, per illam eſſet actus entitatiuus reſpondens potentiæ logicæ,ergo & modo per exiſtentiam formæ: quia hæc idem præſtat, quod præſtaret illa: nempe conſtituere materiam in actu,vt modo contingit in humanitate Chriſti, quia exiſtentia Dei (ex aduerſariis) facit totam humanitatem in actu entitatiuo;ergo ad hunc effectum parum refert habere exiſtentiam propriam, vel alienam.

§.27. Deinde, materiam primã habere aliquem actum effectiuum probabitur ſectione 8. cum oſtendetur quantitatem,& ſubſiſtentiam ab illa efficienter exire: at verò cauſa actiua comparata cum ſuo effectu eſt actus primus, ergo materia prima non eſt pura potentia, ſed habet aliquem actum.

§.28. Sed rogas,cur appelletur *pura potentia*. Reſpondeo ad ſignificandum tantum eſſe ſubiectum receptiuum in phyſica compoſitione, qua loquutione refelluntur errores aſſerentium materiam primam vel eſſe vnum, & adæquatum principium rerum naturalium, vel ſaltem eſſe aliquid compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali,à quorum errore recedimus eam vocando puram potentiam.

§.29. Dices, etiam formam poſſe dici *purum actum phyſicum*,quia neque eſt materia,neque ex illa conflatur. Nego conſequentiam,quia *purus actus* communiter ſumitur pro actu ſubſiſtente,cui repugnat omnis ratio potentiæ paſſiuæ,qualis eſt ſolus Deus, & licet forma nõ eſt potentia phyſicè paſſiua materiæ,patitur tamen aliqua accidentia,immo & vnionem ſubſtantialem,vnde in compoſitione eſſentiali habet rationem aliquam potentiæ paſſiuæ.

§.30. Hinc ſuboritur quædam difficultas, quia actus diuiditur in informantem,& ſubſiſtentem: at materia neque eſt actus informans (vt eſt certum) neque ſubſiſtens, quia eſt incompleta, ergo non eſt actus, ſed pura potentia. Reſpondeo actum ſubſiſtentem alium eſſe completum,vt Angelum, alium incompletum vt animam rationalem, quia eſt & informans & ſubſiſtens. Igitur materia prima eſt actus ſubſiſtens incompletus. Communiter verò actus ſubſiſtens ſumitur pro completo;in quo ſenſu negatur materiam primam eſſe actum ſubſiſtentem, quare ſemper eſt addendum eſſe actum ſubſiſtentem incompletum.

SECTIO III.

De appetitu materiæ ad formas.

§.31. POtentia affectiua vocatur *appetitus*,cuius actus, quando eſt amor circa aliquod obiectum, dicitur *appetitus elicitus*. quia efficitur à potentia appetitiua, & hæc eſt propria huius vocis ſignificatio. Alius dicitur *appetitus innatus* per tropum ab *appetitu elicito*. Eſt autem *appetitus innatus* potentia cum inclinatione, & propenſione ad ſuam perfectionem,quia ſicut animalia, id quod apprehendunt vt ſibi vtile,appetunt appetitu elicito; ſic vnaquæque res videtur per ſe ipſam appetere id, quod ad ſui attinet perfectionem.

§.32. Vnde ſicut non quiuis actus potentiæ affectiuæ eſt appetitus elicitus, ſicut odium & diſplicentia, item nec quæuis potentia naturalis eſt appetitus innatus, ſed ea tantum, quæ eſt circa ſuam perfectionem, aqua enim habet potentiam receptiuam caloris,non tamen appetitum,cum potius illum exhorreſcat. Item vnaquæque res habet obedientialem potentiam actiuam,& paſſiuam ad plures effectus ſupernaturales, quo ad ſubſtantiam, vel modum, ad quos tamen non habet appetitum innatum,nulla enim res naturaliter appetit, quod naturaliter aſſequi non poteſt, vt nullus prudens conatur,quod iudicat ſibi eſſe impoſſibile. Hinc inferes materiam primam habere appetitum innatum ad formas ſubſtantiales, quarum eſt natura ſua capax, eſt enim quæuis ex illis formis, connaturalis materiæ perfectio, ergo in illas materia propendet. Confirmatur ex Ariſtotele paſſim aſſerente à materia prima formas appeti, ſicut pulchrum à turpi, & à fœmina virum.

Obiicies, materiam primam nunquam habere appetitum ad formam, quia nunquam eſt ſine aliqua forma, non enim appetimus id, quod poſſidemus; at dum eſt ſub vna forma,non appetit aliam, quia illam non poteſt habere ſimul cum hac: hanc autem non appetit dimittere,ergo nunquam appetit formam. Quod vrgeo,quando informatur animo rationali omnium formarum perfectiſſimo, quem non niſi inuita relinquit. Reſpondeo,appetitum materiæ ad formam eſſe conſiderandum in materia ſecundum ſe ad formam ſecundum ſe,nulla facta ſuppoſitione:ſic autem manifeſtum eſt,materiam habere appetitum ad formam,quia forma ſic conſiderata eſt perfectio maxima materiæ,& materia habet potentiam ad illã. Quæ ratio perfectionis in forma,& potentiæ paſſiuæ in materia non tollitur,nec minuitur facta vnione cuiuſuis formæ cum materia, ergo materia ſemper habet appetitum ad formam. Habet quidem ſimul potentiam ad omnes formas habendas,ſed non ad habendas ſimul: ſicut intellectus humanus ſimul,& in eodem inſtanti habet vim ad eliciendos duos actus cõtradictorios,ſed non ad eos eliciendos ſimul, & in eodem inſtanti. §.33.

Ad argumentum in forma nego antecedens. Ad probationem reſpondetur, nos non habere appetitum deſiderij ad id, quod poſſidemus, habere tamen appetitum complacentiæ, quod metaphoricè contingit materiæ. Dum autem habemus aliquam perfectionem, non appetimus aliam illi repugnantem,appetitu abſoluto, ſed ſub conditione,ſi priorem perfectionem amiſerimus:ſic materia non appetit formam,qua caret,niſi ſub conditione,ſi amiſerit quam habet ſiue ſit animus, ſiue alia. Hæc reſponſio,quo ad vltimam partem, procedit exactè conferendo appetitum innatum cum elicito, quod quidem ſuperuacaneum eſt, quia metaphora ex vna, aut altera proportione non ex omnibus deſumitur. Quare cum appetitus innatus ſit potentia naturalis,& hæc ſemper remaneat,ſemper remanet appetitus. Igitur quando vnitur materia formæ, eſt quidem potentia ad illam, reducta iam ad actum, non tamen eſt in potentia ad illam, quia hoc denotat carentiam formæ, ac proinde ſemper habet innatum appetitum. §.34.

Difficultas eſſe poteſt vtrum materia prima habeat appetitum ad formam ſemel corruptam? Ex dictis pars negatiua concludi videtur, quia appetitus innatus eſt potentia cum inclinatione ad perfectionem naturaliter poſſibilem, ſed forma corrupta eſt naturaliter impoſſibilis.ergo materia prima non habet appetitum ad illam. Probatur minor,quia id,quod ſemel fuit,& deſiit eſſe, eſt naturaliter impoſſibile, quia res non reproducuntur ex natura ſua, ergo forma ſemel corrupta eſt naturaliter impoſſibilis. §.35.

Oppoſita ſententia eſt vera,& probatur,quia (vt dixi §.33.) conſiderandus eſt appetitus in materia ſecundum ſe ad formam ſecundum ſe, nulla facta ſuppoſi §.36.

ſuppoſitione; ſed materia prima reſpicit formam corruptam,tanquam perfectionem ſibi connaturalem, ergo habet appetitum ad illam: ſed facta corruptione nec materia prima amiſit rationem potentiæ paſſiuæ illius formæ,nec forma amiſit rationem quidditatiuam actus illius potentiæ; ergo in vtraque remanet eſſentialiter mutuus reſpectus materiæ & formæ. Probatur minor, quia materia prima per ſe ipſam, & non per aliquid illi ſuperadditum habet rationem potentiæ ad formam,& forma eodem modo habet rationem actus materiæ; ergo corrupta forma manet in illa, & in materia conceptus eſſentialis potentiæ, & actus. Dices eſſe appetitum ad formam ſecundum ſe, non verò ad eam iam corruptam. Contra, formam eſſe corruptam non tollit eius quidditatiuos conceptus, quia eos retinet, ſed ante corruptionem forma ſecundum ſe reſpiciebat materiam,ergo & poſt illam; ergo poſt corruptionem habet appetitum ad illam, & ad actionem, per quam producitur à Deo, & ad voluntatem quæ ſit principium eius actionis: quod patebit ex §.ſequenti, & ex diſput.10. ſect.vltima: vbi oſtendetur determinationem indiuiduorum eſſe à cauſa prima.

§.37. Dicet fortaſſe quis appetitum materiæ dicere in recto eſſentiam ipſius materiæ, & connotare in obliquo carentiam præteritæ poſſeſſionis ipſius. Hæc doctrina poteſt intelligi appetitum materiæ eſſe idem adæquatè cum eius entitate; quæ manet in ratione entis corrupta forma; non tamen in ratione denominationis: contra quam doctrinam longè diſputabo infra diſput.5. & diſput.6. & 15. metaph. Secundò poteſt intelligi; vt ipſa carentia formæ ſit pars appetitus materiæ:in quo ſenſu eam impugno: quia appetitus eſt inclinatio ad perfectionem: ſed carentia formæ non eſt inclinatio ad ipſam formam;cui opponitur contradictoriè: ergo non eſt pars appetitus materiæ ad formam. Nec appetitus dicit in ſe niſi aptitudinem ad perfectionem poſſibilem: ita vt ex vna parte conſideretur poſſibilitas; ex altera appetitus: carentia formæ non conſtituit illam poſſibilem; quia poſſibilitas eſt non repugnantia: nec ſi eam conſtituat poſſibilem,ſe tenet ex parte appetitus; ſed ex parte termini appetiti: ergo vel manet appetitus ad formam corruptam; aut hic aliquid eſt reale à materia diſtinctum: vel melius diceres;materiam habere potentiam & appetitum eſſentialem ad formam ſecundum ſe: deſiderium autem ad formam quæ nunquam extitit: at verò ad corruptam habere potentiam ſecundum ſe & quandam ſimplicem complacentiam; non tamen deſiderium,nec potentiam vt reproducatur: quia potentia ad formam ſecundum ſe ſemper retinetur, dum retinentur conceptus materiæ & formæ quidditatiui: nam etiam corrupta forma, eſt ens reale,& non chymæra: ad reproductionem autem nunquam fuit appetitus, nec potentia; ac propterea nihil mirum ſi non maneat. Nec opus eſt ad hæc connotata recurſu: nec ad potentias conditionatas: nec exemplo omnipotentiæ explicantur bene:quia ſi omnipotentia non dicit tranſcendentalem ordinem ad creaturas, eſt illi diuerſa ratio potentiæ ac in creaturis; nec tunc efficitur argumentum ad materiam, quæ dicit ordinem eſſentialem ad formam: ſi autem omnipotentia dicit ordinem ad creaturas,eas reſpicit abſolutè & non ſub conditione.

§.38. Ad argumentum diſtinguitur minor,eſt naturaliter impoſſibilis ſimpliciter & ex natura ſua,negatur;eſt naturaliter impoſſibilis per accidens,& ſuppoſita extrinſeca lege Dei, conceditur. Similiter diſtinguitur probatio. Explico doctrinam: poſtquam res corrupta eſt, adhuc habet conceptum eſſentialem entis realis, quia hic eſt inuariabilis, & incorruptibilis,quod ſi eſt ens reale,ergo eſt ſimpliciter poſſibile, quia de eſſentia entis realis eſt aptitudo ad eſſendum, ergo poſtquam forma corrupta eſt,habet eandem non repugnantiam ad eſſendum, quàm antequam produceretur:tunc ſic,ſed,ſi poſſibilis eſt, continetur in virtute cauſarum naturalium,quia illa poſſibilitas, quam habet,eſt cum dependentia à ſuis cauſis, in quibus continetur vis cauſatiua talis formæ,atque adeo in materia remanet ratio potentiæ naturalis illius: quia forma materialis ex natura ſua non eſt poſſibilis,niſi cum dependentia à materia. Vnde ſemel corrupta forma adhuc eſt ſimpliciter poſſibilis, impoſſibilis autem per accidens,& ſecundum quid: quia noluit Deus concurrere cum agente creato ad ſecundam illius indiuidui productionem, ſiue illa voluntas Dei ſit ex ſolo Dei libito,ſiue ex conditione primæ productionis, id eſt ſemper per accidens, comparatione formæ ſecundum ſe. Quod ſi vellet Deus parare concurſum ad ſecundam productionem formæ, agentia quidem creata poſſent reproducere illam formam, cum æquali concurſu, quo illam primò produxere: noluit autem Deus indiuidua repetere, varietatis ergo: quod ſi voluiſſet, rectè id præſtare poſſet: nam ad ſecundam productionem non requiritur ex parte cauſarum maior virtus, quàm ad primam. Huc recidit aliorum ſolutio, formam eſſe naturaliter poſſibilem,quo ad ſubſtantiam, non tamen quo ad modum, non quod in illa ſit aliquis modus impoſſibilis, ſed ratione extrinſecæ voluntatis Dei, quæ tamen materiæ primæ, aut formæ naturas haudquaquam immutat.

Hæc diuina voluntas eſt maximè conformis rerum naturis, eſt quidem rationi conſentaneum, vt res,quæ ſemel amiſit eſſe, illud non recuperet,vt ſic ſit perpetua generationum ſucceſſio; quod ſi Deus oppoſitum voluiſſet, permultæ ad id ſuppeterent rationes. Confirmatur,Deus de facto decreuit non producere multas formas, ad quas materia prima habet appetitum innatum; tunc ſic, facta iſta ſuppoſitione extrinſeca,& accidentali,formæ ſunt impoſſibiles, & tamen ad illas materia prima habet appetitum; ergo eumdem habet ad formam corruptam, licet ſupponatur voluntas Dei de illa non reproducenda; quia ſicut forma antequam producatur, nihil habet præter non repugnantiam, eandem habet poſtquam corrupta eſt, & non minorem;& ſicut forma corrupta habet voluntatem Dei de illa non reproducenda, eamdem voluntatem habent formæ, de quibus in præſenti. §.39.

Dices primò, materiam non habere potentiam ad formam, quia iam eſt educta de illius potentia. Reſpondeo, adhuc in illa contineri, quia educi nihil aliud eſt, quàm à materia pendere, & ſicut primò pependit,ita poteſt & ſecundò. Dices ſecundò, noſtrum appetitum elicitum non eſſe in res cognitas vt impoſſibiles etiam per accidens, ergo neque appetitus innatus. Nego conſequentiam, quia primum oritur ex cognitione impediente actum appetitus,at appetitus innatus,cum ſit potentia naturalis, ſecundum ſe reſpicit obiectum, quod nulla ratione poteſt impediri. §.40.

Dices tertiò, ergo reuocatio mortuorum ab inferis non eſt ſupernaturalis, quæ tamen impoſſibilis viſa fuit Areopagitis. Reſpondeo quo ad ſubſtantiam illam eſſe naturalem, quia tota hominis reſurgentis eſſentia eſt ordinis naturalis, at verò multis ex capitibus illam eſſe ſupernaturalem, tum §.41.

quia Deus cum ſolis hominibus infringit legem cæteris rebus ſtatutam de illis non reproducendis: tum quia ſine ſemine viri, & ſine concurſu matricis tot homines progignentur. Tertio, quia ſubito tot millia animorum infundentur in corpora, ereptis corporibus ab animalibus,& cæteris rebus,ſub quarum formis tunc erunt, è quibus capitibus non ſolum miraculoſa erit mortuorum ſuſcitatio , ſed etiam portendens.

SECTIO IV.

Vtrum materia immediatè ſuſcipiat formam ſubſtantialem?

§.42. EXplicata ratione potentiæ,ſupereſt explicanda ratio , qua hæc potentia reducatur in actum. Triplicem ſenſum habet titulus. Primum , vtrum materia prima ad recipiendam,v.g. formam leonis, egeat aliqua potentia paſſiua ſubſtantiali ab ea realiter diſtincta? Cuius quæſtionis pars negatiua placet primò, quia vel illa potentia eſt in materia tanquam forma,vel non,ſed per ſe ſubſiſtens: hoc vltimum eſſe nõ poteſt. Primò,quia talis potentia eſſet materia prima,quia eſſet primum & commune ſubiectum,nec quicquam proderit quam tu vocas *materiam.* Secundò , quia ſi talis potentia non ineſſet materiæ , ergo non poſſet illi communicare ſuum effectum formalem. Probatur conſequentia , quia cauſa immediata denominat remotam per vnionem ad illam, ſicut *corpus* denominatur *album*,quia ſubiectum immediatum albedinis , quod eſt quantitas (iuxta communem ſententiam) immediatè vnitur corpori , & ignis dicitur calefaciens , quia calor, à quo immediatè egreditur calefactio , vnitur igni ; ergo ſi illa potentia paſſiua non vnitur materiæ , non illi communicabit ſuum effectum formalem.

§.43. Nec talis potentia paſſiua poteſt dici forma ſubſtantialis : primò rationibus,quibus diſp.4. probabitur ex natura rei duas formas ſubſtantiales non poſſe ſimul eſſe in ſubiecto eodem. Secundò, quia illa forma immediatè,& adæquatè recipitur in materia prima,ergo eodem modo poteſt recipi quæuis alia forma ſubſtantialis,ergo ad recipiendas formas non indiget materia alia forma. Tertiò , quia vna forma non eſt ſubiectum alterius formæ ſubſtantialis,tum quia id eſt proprium materiæ, tum quia non poteſt vna forma,ab alia denominari, nõ enim dicitur ea forma animata per animum. Denique, quia ex illis non fieret vnum per ſe, ſed per accidens, quia ex vno ente completo & alio incompleto non fit vnum per ſe, quia quidquid aduenit enti completo,eſt illi accidentale ; ſed materia prima & illa forma paſſiua efficerent vnum per ſe completum, quale reſultat ex materia & forma ſubſtantiali ; ergo non datur in materia talis forma paſſiua.

§.44. Secundus ſenſus eſt , materiam primam egere aliqua potentia paſſiua accidentali,per quam adæquatè formas recipiat,ipſa verò remotè. Quæ ſententia (præter rationes , quibus tertia impugnabitur) impugnatur primò , quia materia prima verè & propriè informatur actu ſubſtantiali, & eſt vera cauſa illius, cum eſt materialis ; ergo concurrit immediatè ad illum recipiendum. Conſequentia patet,quia cauſa remota non eſt verè ac propriè cauſa effectus remoti (vt patebit diſput.8. ſect.2. Secundò , quia ex materia & forma non poſſet fieri vnum per ſe,ſed per accidens ; tum quia vnirentur per medium accidens , quia vnio adæquata cum accidenti , neceſſario eſt accidentalis , & non ſubſtantialis , ergo illa vnio non faceret vnum per ſe, ſed per accidens. Tertiò,quia ſi annihilata materia prima maneret forma ſubſtantialis, in illa accidentali potentia tunc conſeruaretur eodem omnino concurſu , quo nunc conſeruatur cum materia (vt in ſimili paſſim dicemus) hoc autem eſt abſurdum, quia forma ſubſtantialis non poteſt dependere materialiter à ſolo accidenti, ergo.

Tertius ſenſus eſt , cum materia ſimul concurrere ad recipiendam formam ſubſtantialem potentiam illam paſſiuam accidentalem. Hæc ſententia impugnatur primò , quia materia cum tali potentia accidentali concurrit eadem omnino , ac indiuiſibili vnione, vel diſtincta ? Si primum, ergo illa vnio eſt accidentalis, & per accidens, vt §.44.probaui. Si eſt diſtincta , rogo , ſpectet ne vtraque ad eſſentialem conſtitutionem compoſiti, vel non ? ſi primum,ergo compoſitum eſt vnum per accidens, quia ad illud pertinet vna vnio accidentalis ; ſi ſecundum,ergo ad conſtitutionem eſſentialem compoſiti tantum vniuntur immediatè materia & forma : eas verò ad alios effectus diuerſas habere vniones, nihil ad rem. §.45.

Secundò impugnatur, quia accidens non poteſt eſſe ſubiectum formæ ſubſtantialis,ergo : probatur antecedens primò à nomine *ſubſtantiæ*,quæ in creatis dicitur à ſubſtando accidentibus , accidentia verò ſimpliciter non dicuntur ſubſtare, ac per conſequens nec ſuſtentare. Secundò, quia forma ſubſtantialis non communicat ſuum effectum formalem accidentibus,quis enim vnquam aſſeruit quantitatem aut calorem , aut quoduis aliud accidens dici animatum ſenſibile? immo verò quotquot nouimus accidentia communicant formæ ſuos effectus formales,vt extenſam eſſe, albam, aut nigram (ſi vniuntur accidentia.) §.46.

Tertiò,quia incognita eſt talis potentia, & inutilis,& ſine fundamento ponitur.ergo. Dices ſimul cum ſubſtantia concurrere accidens ad efficiendam aliam ſubſtantiam,verbi gratia,calor, & ignis ad ignem,ergo etiam ad recipiendam. Sed antecedens eſt dubium,& conſequentia nulla ; diſcrimen eſt , quia ex cauſis actiuis , & effectu , non reſultat vnum per ſe, ſicut reſultat ex compoſitione materiæ , & formæ ſubſtantialis , cui compoſitioni repugnat vnio accidentalis , vt eſt in philoſophia principium notum. Quod ſi ad compoſitionem materiæ, & formæ inutilis eſt talis vnio ad potentiam accidentalem paſſiuam , nulli alij muneri eſt vtilis, quid dicam neceſſaria? §.47.

SECTIO V.

Vtrum materia omnium corruptibilium ſit, vel eſſe poſſit diuerſæ ſpeciei?

HOc ſpectat ad abſoluenda , quæ pertinent ad eſſentiam materiæ primæ. Dico primò. Materia omnium rerum corruptibilium creatarum de facto eſt in omnibus eadem ſpecie. Probatur, quia omnes formæ creatæ corruptibiliter informantes pendent , tanquam à diſponentibus à primis quatuor qualitatibus,& à ſecundis, quæ ex illis oriuntur ; ſed qualitates huiuſmodi habent contrarium, quia calor refragatur frigori , & humor ſiccitati, ſicque ſubſtantiæ ſublunares mutuis pugnis , & odiis diffident,vt aqua in ignem,& ignis in aquam; ergo materia ignis & aquæ eſt ſubiectum capax frigoris & caloris,ergo vtraque eſt eiuſdem ſpeciei. §.48.

Patet

Patet conſequentia, quia contrariorum pugna eſt ad idem non modo ſpecie, ſed etiam numero ſubiectum. Confirmatur; materia hominis poteſt eſſe ſucceſſiuè ſub forma aquæ, ignis, terræ, aëris, ſtercoris, cadaueris, &c. Ergo materia prima illorum eſt eadem ſpecie. Patet conſequentia, quia ignis productus ex homine, & ex aëre eſt idem ſpecie, immò verò eadem numero materiæ pars ſucceſſiuè reperitur in omnibus corporibus relatis.

§.49. Dices primò, materiam formicæ ſpecie differre à materia cameli. Negatur, quia illa numero poteſt eſſe in camelo, ſi hic formicis veſcatur, tota illa diuerſitas oritur ex diſpoſitionibus vtriuſque formæ, quæ diſpoſitiones accidentaliter tantùm variant materiam. Dices ſecundò, formas differre ſpecie, ergo etiam materias. Nego conſequentiam, quia materia eſt omnium commune ſubiectum. Dices tertiò, materias cœlorum inter ſe differre ſpecie, ergo & materias ſublunares. Admiſſo illo dubio antecedenti, negatur conſequentia; diſcrimen eſt, quia ſublunaris materia corruptibiliter informatur, atque adeo eſt capax plurium formarum, ſecus materia cœli, quia incorruptibiliter informatur.

§.50. Rogas, quomodo diſtinguantur eſſentialiter compoſita ſublunaria, cum omnium materia ſit eiuſdem ſpeciei? Reſpondeo communi axiomate, *actus eſt qui diſtinguit*, id eſt forma ſubſtantialis facit differre hominem à leone, quod ſi materiæ cœlorum ſint diſtinctæ ſpeciei, non ſolum diſtinguit actus, ſed etiam ipſa materia; quare maior diſtinctio erit inter cœlum lunæ & ſolis, quàm inter equum & leonem, quia illi duo cœli different ſecundum vtramque partem eſſentialem, equus autem & leo ſecundùm formam tantùm.

§.51. Hic ſolet inquiri, vtrum de potentia abſoluta Dei poſſit fieri alia materia rerum corruptibilium diuerſæ ſpeciei à noſtra? Ab his quæſtionibus de potentia abſoluta libens abſtineo, quando non ſunt neceſſariæ ad aliarum deciſionem, hæc autem nullo modo eſt neceſſaria, ſed breuiter.

§.52. Dico ſecundò, de potentia abſoluta Dei poteſt eſſe alia materia rerum corruptibilium, diſtincta ſpecie à noſtra. Probatur, quia ſunt poſſibiles aliæ primæ qualitates inter ſe cõtrariæ, ex quibus oriuntur aliæ ſecundæ qualitates, quæ diſponant ad formas alias independentes à noſtris qualitatibus, ſed materia talium formarum ſpecie differret à noſtra, ergo. Probatur minor, quia hæc materia tantum eſt capax frigoris, caloris, &c. & formarum, quæ ab illis dependent, & non eſt capax aliarum qualitatum contrariarum: maior autem patet, quia in eo nulla apparet repugnantia. Secundò, quod non implicat contradictionem, non eſt denegandum Deo; ſed nulla apparet repugnantia talis materiæ, ergo non eſt denegandum Deo illam facere poſſe.

§.53. Rogas vtrum eſſet perfectior hac noſtra vel non? Reſpondeo eſſe poſſibiles multas perfectiores, & imperfectiores multas, quia qualitates illæ poſſunt eſſe, aliæ quidem perfectiores noſtris qualitatibus, aliæ verò imperfectiores. Si autem nulla materia eſſet capax formæ ſpiritualis, non dubium, quin hæc noſtra ſit illis perfectior; ſi autem eſſet capax alterius formæ perfectioris animo, non dubium quin ſit perfectior, quàm hæc noſtra. Vnde ſemel admiſſa diſtinctione eſſentiali inter materiam cœli, & noſtram, exiſtimo noſtram materiam eſſe multo perfectiorem illa, quia eſt capax perfectiorum formarum. Has verò quæſtiones de materia cœli, in lib. de cœlo reiicio: cognita enim materia cœleſti, illæ facilius expedientur.

SECTIO VI.

Vtrum materia prima habeat propriam exiſtentiam?

E*ſſentia* dicitur primus conceptus, quem effor mamus de quouis ente, ſi metaphyſicè loqua mur; ſi verò phyſicè, *eſſentia* rei eſt partes ſubſtan tiales inter ſe vnitæ, vt hominis eſſentia eſt cor pus vnitum animo rationali. *Exiſtentia* eſt rati formalis, per quam vnaquæque res conſtituitu extra ſuas cauſas in actu, & ratio, per quam re conſtituuntur in ratione entis ſimpliciter (qui quod non exiſtit, non eſſe ſimpliciter ens probab diſput. 8 met. ſect. 1.) vnde ipſo rationis lumine vi detur inferri, eſſentiam actualem non diſtingui rea liter, neque ex natura rei ab exiſtentia actuali. A præſentem tamen controuerſiam ſupponenda e diſtinctio realis, aut modalis inter eſſentiam & exiſtentiam. Nam ea diſtinctione reiecta, nullu ſupereſt huic controuerſiæ locus, de diſtinction autem eſſentiæ ab exiſtentia nec verbum quiden in præſenti faciam, cuius ſedes propria eſt in me taphyſica, diſput. 8.

Thomiſtæ communiter aſſerunt, materiam pri mam nullam habere exiſtentiam niſi formæ, à qu dicitur materia exiſtens, ſicut album ab albedine Sic videtur loqui S. Thomas pluribus in locis, cu ius oppoſitum Caietanus de ente & eſſentia into lerabilem vocat errorem. Sed ipſe haud tolerabilis qui inintelligibilem opinionem tam acriter ſequa tur. His parum fauet S. Thomas, qui cum dici effectum formalem formæ eſſe quod per illam exi ſtat materia, intelligitur non de exiſtentia entitati ua, & incompleta materiæ, ſed exiſtentia in act completo ſpecifico perfecto, qui conſtituitur vlti mo per formam, quod oſtendam ſect. 9. item diſp. 8 metaph. ſect. 4. oſtendam à B. Thoma non diſtingu eſſentiam ab exiſtentia (ſic etiam Boëtium intelli ge) ſicut *album* (exemplum eſt B. Thomæ) in ſpeci accidentali conſtituitur formaliter per albedinem at verò in ſuo eſſe per ſeipſum conſtituitur. Quen in ſenſum accipe Ariſtotelem. Cum verò B. Thom 3. part. quæſt. 17. art. 2. negat propriam exiſtentian Chriſti humanitati, intelligitur de *exiſtentia termi natiua*, id eſt, *ſubſiſtentia*, *hypoſtaſi*, vel *perſonalitat* vt loquuntur Theologi antiquiores, non verò d entitatiua exiſtentia.

Sed arguunt primò, materiam primam eſſe pu ram potentiam, ergo ex ſe nullum habet actum; a exiſtentia eſt aliquis actus, ergo materia illum no habet. Nihil vrget, eſt enim pura potentia phyſi cè, id eſt, comparata ad actus phyſicos tantum ha bet rationem potentiæ receptiuæ illorum; cui po tentiæ non repugnat, ſed potius eſt neceſſariu actus entitatiuus & metaphyſicus. Vide ſectionem ſecundam.

Secundò arguunt. Ex duobus entibus in act non poteſt fieri vnum per ſe; ſed, ſi materia prim habet propriam exiſtentiam, ipſa, & forma ſubſtan tialis erunt duo entia in actu; ergo ex vtraque no poſſet fieri vnum per ſe. Neque vrget, quia implica fieri vnum ex duobus entibus, niſi ſit vtrumque i actu. Nam per te etiam materia prima eſt in act cum forma, quid ergo refert eam eſſe cum vna ve duabus exiſtentiis incompletis? Diſtinguo erg maiorem, non fit vnum per ſe ex duobus enti bus, quorum alterum ſit in actu completo, conce do maiorem, nego tamen de actu incompleto qui petit eſſentialiter compartiali actu compleri

materia verò per ſuam ſolam exiſtentiam eſt in actu incompleto, ſicut & forma ſola.

§.58. Dices ex ſubſtantia, & accidenti fieri vnum per accidens, quia vtrumque propriam habet exiſtentiam: ergo ſimiliter ex materia & forma ſubſtantiali. Reſpondeo non fieri vnum per accidens ratione propriæ exiſtentiæ, ſed quia accidentia ſunt accidentia, quæ non per ſe, ſed per accidens componunt. Forma verò ſubſtantialis eſt ſubſtantia, quæ per ſe, & non per accidens ordinatur ad aliam ſubſtantiam.

§.59. Tertiò, quia ſi habet actum, ergo habet ſimpliciter ſubſtantiale eſſe, & completum. Nulla eſt conſequentia, animus enim ſeparatus, immo & quæuis forma ſubſtantialis propriam habet exiſtentiam, &, ſi placet, ſubſiſtentiam, cum tamen nulla ex illis ſit ſubſtantia ſimpliciter completa.

§.60. Quartò, quia materia nullam habet operationem, ergo neque exiſtentiam, quia *eſſe eſt propter operari*. Verum idem probari poſſet de eſſentia, de qua intelligitur illud adagium, non verò de exiſtentia, quæ formaliter non eſt principium operandi: ſicut eſt eſſentia; vnde materia prima non haberet propriam eſſentiam, quia non poſſet operari. Negatur igitur conſequentia, quia eſſe ſpecierum completarum eſt propter operari, eſſe verò materiæ primæ propter recipere, quia vnaquæque res eſt propter id, quod continet in potentia. Materia verò non continet operari, ſed recipere, atque adeo eſt propter recipere.

§.61. Quintò, quia ſequeretur materiam non pendere à forma, à qua non accipit exiſtentiam, cum tamen ab ea pendeat in genere cauſæ formalis. Verum materiam non pendere à priori à forma, infra patebit. Deinde id non ſequitur ex noſtra ſententia, quia ſicut forma ſubſtantialis materialis dependet à materia, licet ab ea non accipiat exiſtentiam, ita materia prima poterit à forma pendere, licet ab ea non accipiat exiſtentiam. Quia ſicut eſſentia materiæ à forma pendet, ita & exiſtentia. Confirmatur, accidentia pendent à ſubiecto, à quo tamen non accipiunt exiſtentiam; pendet ergo exiſtentia materiæ ab exiſtentia formæ, quia eſt per ordinem ad illam, ſicut exiſtentia formæ pendet ab exiſtentia materiæ in diuerſo genere.

§.62. Sextò, quia materia eſſet per ſe cognoſcibilis, quod eſt falſum. Veruntamen id non infertur, quia tota materia eſt per ordinem ad formam, neque poteſt concipi niſi cum relatione ad illam, vt è conuerſo forma, quamuis cum exiſtentia propria, non poteſt concipi ſine connotatione ad materiam. Alia afferuntur argumenta, ſed non diſſimilia. Ex iis verò liquidò conſtat, quàm imbecillo ſcipioni hæc ſententia nitatur.

§.63. Materiam primam propriam habere exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ communior eſt, receptiórque ſententia. Quam neceſſariò ſequuntur quotquot negant diſtinctionem realem eſſentiæ ab exiſtentia, vt Scotus, Durandus, & aliquos refert Pater Molina, 1. part. quæſt. 3. art. 4. diſput. 2. quos ſequitur Pater Suarez 2. metaphyſicæ diſputat. 31. & Pater Vazquez vbicumque in eam incidit quæſtionem, & de materiæ primæ propria exiſtentia apertè 1. part. tom. 1. diſput. 74. num. 9. & tomo 2. diſp. 174. num. 19. Molina ſupra §. *Hactenus*. Pererius, Conimbr. Toletus, aliíque quamplurimi.

§.64. Pro qua multæ ſuppetunt, grauéſque rationes; & præter omnium præcipuam, qua probatur eſſentiam non diſtingui à ſua exiſtentia. Probatur primò: quia eadem actione, qua producitur eſſentia, eadem indiuiſibili producitur eius exiſtentia, ſed exiſtentia formæ (ago nunc de materiali forma) non producitur eadem omnino actione, qua producitur eſſentia materiæ primæ, ergo exiſtentia formæ non eſt exiſtentia materiæ primæ. Conſequentia eſt certa, quia ſi eſſet exiſtentia materiæ, produceretur per eandem actionem, per quam eſſentia materiæ. Minor non eſt minus certa, quia eſſentia materiæ primæ fit per creationem, & per actionem independentem à cauſa materiali; at verò exiſtentia formæ materialis, quia materialis eſt, fit per generationem, & cum dependentia à cauſa materiali, quæ duæ rationes eidem actioni conuenire non poſſunt, ergo exiſtentia formæ materialis non producitur eadem actione, qua eſſentia materiæ primæ.

Maior verò primi ſyllogiſmi eſt B. Thomæ quæſtione prima de Potentia art. 2. Corpore, iis verbis, *Omnis actio actiua potentiæ terminatur ad eſſe*: cum autem locutum de eſſe exiſtentiæ oculis cernitur. Immo Ioannes ille Theologus celeberrimus in Concilio Florentino ſeſſione 18. ad medium, dixit. *Fieri non poteſt, nec mente concipi, vt vna res ab alia ſit, niſi ab illa accipiat eſſe*. Quo vicit Græcos tumultuantes de proceſſione Spiritus ſancti à Filio, maximè autem Marcum Epiſcopum Epheſinum, aſſerentem in diſputatione; Spiritum ſanctum eſſe à Filio, ſed ab illo non accipere eſſe: eſtque hoc ex terminis notum. Probatur, quia actio terminata ad producendam eſſentiam, tendit ad eam conſtituendam extra ſuas cauſas, quod eſt eam facere exiſtere, ergo actio terminata ad eſſentiam producendam, producit eiuſdem exiſtentiam. Antecedens eſt certum ex ſola terminorum apprehenſione. Conſequentia patet, quia eſſentia actu terminans actionem eſt exiſtens, cum tamen antequam illam terminaret, non exiſteret; ſed eſſe exiſtentem habet per actionem ad ipſam terminatam, & non per aliam; ergo eadem actio, quæ tendit ad illius eſſentiam, dat illi exiſtentiam. §.65.

Quod ſic explico, ſupponamus in productione materiæ primæ duas interuenire actiones, alteram, qua eſſentia producitur, alteram, qua exiſtentia: de actione terminata ad eſſentiam, rogo quid præſtet? certè eam producere, ergo illa actio ſecluſa quauis alia, eſt productiua exiſtentiæ, quia facit formaliter rem exiſtere, illíque communicat actualitatem. Quid enim aliud eſt producere rem, niſi illam conſtituere extra ſuas cauſas, & in rerum natura? non enim poteſt res intelligi vt producta, quin intelligatur facta, factum autem quid eſt niſi exiſtens? Nam res producta eſt extra omnem potentiam: extra potentiam logicam, quia eius non repugnantia deducta eſt in actum: extra potentiam actiuam, quia iam eſt ab ea producta: extra potentiam paſſiuam, quia in ea, & ex ea producta eſt, ergo per productionem eſt in actu, qui opponitur potentiæ: iſte autem actus eſt exiſtentia, ergo per eandem actionem, per quam res eſt facta, eſt exiſtens. §.66.

Dices eadem actione produci eſſentiam & exiſtentiam, ſi exiſtentia ſit propria illius eſſentiæ, ſi verò non ſit propria, eadem actione produci eſſentiam, & vnionem illius cum exiſtentia, vt patet in myſterio Incarnationis, in quo Chriſti humanitas non habet creatam exiſtentiam, exiſtit enim per exiſtentiam Dei, quæ eſt improducta. §.67.

Sed exemplum Incarnationis eſt abs re, quia recidit in eaſdem anguſtias; argumentum enim propoſitum & in myſterio, & in materia prima vim habet eandem. Præterea eſt in Theologia abſurdum, quia ex eo ſequeretur, vnionem humanitatis §.68.

Chriſti

Chriſti factam fuiſſe ad aliquod abſolutum diuinum, quia in opinione Thomiſtarum tres perſonæ non exiſtunt niſi exiſtentia communi, & abſoluta, & iuxta illorum ſententiam vnio facta fuit in ea exiſtentia, ergo fuit facta in aliquo communi abſoluto. Huius ſententiæ abſurda vide apud Patrem Suarez tom.1. in 3. part. diſp.10. ſect.3. §. *Præter hos modos*, & diſput.36. ſectio, 1. & Patrem Vazquez tomo etiam 1. diſp.16. & 71. Quam ex Concilio Toletano, 6. acriter impugnaui diſp.19. in 3. part. contra Capreolum.

§.69. Reſpóſio verò ſic impugnatur, quia illa vnio vel producitur eadem actione, vel diuerſa? ſi ſecundum: de actione terminata ad eſſentiam redit eadē difficultas: ſi primum, rogo vtrum illa vnio habeat propriam exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia, cuius dicis eſſe vnionem, vel non? Si ſecundum: ergo illa actione nihil producitur, quia nō producitur eſſentia rei, neque eſſentia vnionis, neque exiſtentia præcedens, quid ergo producitur? Non produci eſſentiam rei, neque eſſentiam vnionis patet, quia eſſentiæ ſunt improducibiles, niſi extra ſuas cauſas ponantur, & non ponuntur niſi illis detur exiſtentia, ſed in caſu poſito illis non datur exiſtentia, ergo non ponuntur. Probatur minor, quia omnia ſe habent eodem modo, quo antea. Antea enim erat eſſentia humanitatis, & eſſentia vnionis, & exiſtentia non propria illius eſſentiæ, ſed ſolius Dei: hæc omnia eodem modo ſe habent poſt productionem, ergo nihil producitur per eam productionem. Confirmatur, ſi talis eſſentia in eo caſu eſt exiſtens, ergo ab æterno eſt exiſtens, quia ab æterno habet eſſentiam, & habet eſſentiam vnionis ad exiſtentiam, item ab æterno habet exiſtentiam Dei, cui poteſt vniri per te, ergo exiſtit ab æterno.

§.70. Dices deficere actum voluntatis Dei volentis vniri humanitatem verbo. Contra, non poteſt Deus velle, ne vniantur duo extrema, quando habent eſſentiam vnionis: ſicut non poteſt velle, me non videre, dum habeo viſionem, ergo ſi eſt ab æterno vnio humanitatis ad verbum, & in tempore nihil de nouo datur: non poteſt Deus non velle eam eſſe vnitam verbo. Præterea ſolutionem impugno, quia productio eſſentiæ, & vnionis, vt terminatur ad illas, eſt productiua illarum, ergo habet terminum formalem in ratione productionis, ergo ille terminus eſt productus vt *quo* per illam, terminus enim formalis *quo* productionis eſt productus vt *quo* per illam, ſed terminus formalis *quo* productionis debet eſſe exiſtentia, ergo illa actio producit exiſtentiam vt *quo*, at non producit exiſtentiam præcedentem & alienam, quia hæc, cum iam ſit producta per aliam actionem, non poteſt produci de nouo, ergo actio productiua eſſentiæ producit exiſtentiam propriam illius, ergo creatio materiæ primæ dat illi propriam exiſtentiam.

§.71. Si verò illa vnio propriam habeat exiſtentiam, illa erit ſufficiens ratio formalis, qua exiſtat eſſentia: ergo non indiget alia exiſtentia. Hæc conſequentia patet, ſequela probatur, quia illa exiſtentia vnionis communicat eſſentiæ ſuum effectum formalem, ſed effectus formalis exiſtentiæ eſt exiſtens: ergo per illam exiſtentiam exiſtunt vnio, & eſſentia. Præterea eadem ratione, qua illa vnio habet propriam exiſtentiam, debet etiam eſſentia illam habere, quia ſcilicet, eſt terminus realis productionis diſtinctæ à productione vnionis.

§.72. Tandem tota hæc ſolutio impugnatur, quia eſſentia in ſe ipſa intrinſecè eſt mutata, & de non ente ſimpliciter facta eſt ens ſimpliciter: ergo ipſa vt præciſa à quouis alio habet intrinſecam exiſtentiam. Patet conſequentia, quia per exiſtentiam res de non ente ſimpliciter, fit ens ſimpliciter. Quod ſi per eam actionem eſſentia nihil accipit, niſi alienæ exiſtentiæ vniri, ergo in ſe intrinſecè non immutatur magis, quàm cum animus rationalis vnitur materiæ, quæ vnio & eius productio afficiunt quidem animum, ſed non faciunt: ergo ſimiliter vnio eſſentię cum exiſtentia afficiet eſſentiam rei, non tamen eam efficiet, at vnio non poteſt afficere rem, niſi præexiſtentem: ergo talis vnio præſupponit eſſentiam exiſtentem. Confirmatur, illa vnio non poteſt inhærere eſſentiæ, ratione §.73. ſubiicienda, ergo impoſſibilis eſt talis productio. hac de re vide diſputat.8. Metaphyſi. ſect.5.

§.73. Secundò probatur concluſio, quia eſſentia materiæ primæ eſt vera cauſa materialis formæ materialis, ergo materia non poteſt exiſtere per formam. Probatur conſequentia, quia cauſa vera, & propria eſt natura prior ſuo effectu, quem in illo priori continet eminenter, ſed in illo priori præintelligitur exiſtens, quia nulla cauſa realis cauſat, neque eſt proximè potens ad cauſandum, antequam præexiſtat; ergo, antequam intelligatur exiſtentia formæ materialis, præintelligitur materia prima exiſtens, ſed in illo priori non poteſt exiſtere per formam, quia tunc nondum intelligitur forma exiſtens, ergo materia prima non poteſt exiſtere per formam.

§.74. Dices materiam primam verè pendere à forma, & formam à materia, quia cauſæ ſunt ſibi cauſæ in diuerſo genere, ergo idem erit in materia, & exiſtentia formæ. Reſpondeo antecedens eſſe falſum, vt ſæpius oſtendam; ſed eo omiſſo, negatur conſequentia. Diſcrimen eſt, quia, vt cauſa præintelligatur præcedens in vno genere, vt minimum requirit exiſtentiam, per quam præintelligatur in eſſe entis realis actualis, vnde non poteſt materia eſſe prior actu, quàm forma, ſi accipit exiſtentiam à forma, quia materia non eſt exiſtens ante exiſtentiam; at verò eſt exiſtens ante formam, ergo non exiſtit per eius exiſtentiam, alioquin ſequeretur materiam dependere à forma, & formam à materia in eodem genere exiſtendi; at verò in diuerſo genere cauſæ id non reputatur abſurdum; quia non prærequiritur materia informata ante formæ receptionem, requiritur tamen præexiſtens in illo priori. Vnde neque vnio illa (de qua §.71.) poteſt inhærere eſſentiæ rei, quia hæc deberet præcedere vt exiſtens in ratione ſubiecti.

§.75. Hoc vt planum fiat, aduerte in mutua prioritate cauſarum conſiderari vnamquamque in ſuo ordine priorem vt exiſtentem; abſtrahendo aliam ab exiſtentia actuali. Nam cauſam concipimus in aliquo priori rationis exiſtentem, quin tunc concipiamus exiſtentiam actualem effectus; vt patebit diſput.8. ſect.6. & 7. vt ergo concipiamus materiam in aliquo priori naturæ & rationis, debemus illam concipere vt exiſtentem; quin in illo priori concipiamus formam vt exiſtentem: alioquin prioritates confunderentur: ergo in illo priori non concipimus exiſtentiam formæ. Probo conſequentiam; quia non concipimus formam vt exiſtentem; quod formaliter habet ab exiſtentia: & concipimus materiam vt exiſtentem; quia prioritas naturæ non abſtrahit ab exiſtentia cauſæ: ergo concipimus materiam cum exiſtentia non formæ. Quod argumentum eſt euidens. Recognoſce mutuas cauſalitates diſp.8. ſect.8.

§.76. Dicet aliquis (admiſſa diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia)

exiſtētia) hoc argumentum eneruë:quia in ea ſententia eſſentia materiæ eſſet ſubiectum inhæſionis exiſtentiæ : nec tunc eſſet prioritas cum exiſtentia. Reſpondeo eſſentiam non poſſe eſſe ſubiectum exiſtentiæ ; quia eſſet cauſa ſui ipſius : nulla enim ratione Petrus eſt effectus cauſæ efficientis, niſi quia ab ea accipit exiſtentiam. item eſſentia materiæ creatur *vt quod* : ergo exiſtentia creatur *vt quo*:quia ratio formalis cur creatur, aut generatur terminus, eſt eius exiſtentia. Tandem quia omnis cauſa eſt natura prior effectu : ſed in illo priori concipitur cauſa exiſtens : ergo eſſentia concipitur exiſtens antequam concipiatur exiſtentia. Vnde videant Thomiſtæ diſtinguentes eſſentiam ab exiſtentia; vtrum exiſtentia accidentium ſit in ipſis vt in ſubiecto ; an in ipſo ſubiecto accidentium : Hoc autem vltimum dicendum eſt ; quia ignis eſt cauſa paſſiua caloris dum patitur eius exiſtentiam. Hoc autem & alia argumenta efficiunt à parte rei non poſſe eſſentiam ab exiſtentia diſtingui, quia ex ea ſententia non poſſumus exiſtentiæ commodare ſubiectum.

§.77. Tertiò arguitur, quia, ſi materia exiſteret per exiſtentiam formæ materialis, ſequeretur materiam produci, & conſeruari ab agente naturali creato, conſequens eſſe falſum infra patebit, & eſt contra ipſos Thomiſtas, omneſque Philoſophos, ergo. Probatur minor, quia res ab eo producitur & conſeruatur,à quo efficitur exiſtentia, per quam exiſtit, ſed ſi materia exiſtit per exiſtentiam formæ, exiſtentia materiæ efficeretur, & conſeruaretur ab agente creato, ergo ab illo efficeretur, & conſeruaretur materia. Minor liquet, quia formæ materiales ab agente creato producuntur. Maior probatur, quia producere exiſtentiam rei eſt conſtituere rem extra cauſas, & illam facere actu eſſe, quia res non producitur, niſi media exiſtentia,produci enim eſt extra cauſas educi, quod res habent formaliter per exiſtentiam, ergo, qui rem educit extra cauſas, dat illi exiſtentiam.

§.78. Huic argumento nullam video ſolutionem, niſi forte quis dicat in productione materiæ hæc tria reperiri, productionem eſſentiæ,& productionem exiſtentiæ, & productionem vnionis inter vtramque, & agens producens materiam producere ſimul vnionem materiæ cum exiſtentia formæ : ſed hoc iam eſt impugnatum, §.70. & 71.vlteriúſque reiicitur,quia vel vnaquæq; ex illis actionibus conſtituit ſuum terminum extra cauſas, ſic autem vnaquæque ex illis producit exiſtentiam, vel aliqua ex illis non conſtituit terminum extra cauſas, ſic vero percipi non poteſt, quo pacto ſit productio. Præterea id non contingit in productione formæ, quæ ab eo agente exiſtit, à quo accipit exiſtentiam, ſed idem agens dat per te materiæ exiſtentiam, à quo talis exiſtentia vnitur materiæ, ergo ab agente naturali materia exiſtit, & producitur. Tandem ſimpliciter res exiſtit per exiſtentiam, ergo ab eo efficienter exiſtit, à quo efficitur, & vnitur exiſtentia. Confirmatur, quia per te materia pendet ab exiſtentia formæ, tanquam à ratione formali exiſtendi, ſicut homo pendet ab vnione tanquam à ratione formali componendi, ergo ſicut agens producens vnionem hominis facit ipſum hominem, ita agens producens exiſtentiam materiæ faciet illam exiſtere.

§.79. Quartò materia fit per creationem : ergo non pendet à forma à priori, has duas propoſitiones infra probabo : ſed ſi haberet exiſtentiam à forma, ab illa penderet à priori, quia ſine illa eſſe non poſſet (& ipſi aiunt nec per potentiam Dei :) ergo non habet exiſtentiam à forma. Quintò ad hominem argumentor, pereunte vna forma neceſſariò periret eius materia, & producta alia forma produceretur alia materia, vel iam corrupta reproduceretur, hoc eſt maximum abſurdum, ergo. Probatur maior, quia per te maiorem dependentiam intrinſecam habet materia à forma,quàm accidentia ab eadem forma, tum quia res magis pendet à ſua exiſtentia,quàm ab alio ſubiecto,tum quia per te non poteſt Deus conſeruare materiam ſine forma, poteſt autem accidentia ; ſed per te pereunte forma pereunt omnio accidentia, quæ erant in compoſito, & alia producuntur; ergo pereunte forma perit etiam materia. Dixi *ad hominem*, quia argumentum ſimpliciter non vrget, poſſet enim dici neque accidentia, nec materiam corrumpi forma pereunte, quia alia ſuccedit ſupplens vices iam corruptæ, (ſi datur mutua cauſalitas.)

Sextò probatur, quia materia creatur, ergo eius §.80.
exiſtentia non pendet à cauſa materiali, ſicut exiſtentia formæ materialis, quia pro modo exiſtendi ſumitur denominatio productionis paſſiuæ. Septimò, productio, qua materia conſeruatur ſub animo rationali eſſet ſpiritualis, quia talis eſt exiſtentia animi. Hæc duo argumenta ſupponunt eadem actione produci eſſentiam, & exiſtentiam.

Mitto alia argumenta, quæ haud difficilè ſolui §.81.
poſſunt,vt quod ſumitur ex animo rationali, cuius exiſtentia dicitur improportionata materiæ : cui poteſt reſponderi, eandem proportionem requiri inter eſſentiam materiæ, & exiſtentiam formæ, quæ requiritur inter materiam, & eſſentiam formæ ; cum ergo animi eſſentia ſit proportionata materiæ, ita & eſſentia. Sumi poteſt efficax argumentum ex ſubſiſtentia materiæ (de qua ſectione ſequenti) nam ſubſiſtentia etiam eſt actus, & eſt modus exiſtentiæ : ſed ſubſiſtentia materiæ non eſt actus formæ,neque modus exiſtentiæ illius:ergo eſt actus materiæ, & modus exiſtentiæ illius.

Rogas primò, vtrum, ſuppoſita diſtinctione §.82.
reali inter eſſentiam & exiſtentiam, poſſint de potentia abſoluta exiſtere eadem exiſtentia materia & forma ? Reſpondeo, ſi illa exiſtentia producatur eadē omnino actione & indiuiſibili, qua eſſentia materiæ & formæ, poſſe : neque in hoc video repugnantiam, neque hunc caſum vrgent argumenta facta. Vtrùm verò ſit poſſibilis talis actio productiua materiæ,& formæ ? non eſt huius loci: ſi verò materia, & forma diſtinctis actionibus producantur, non poſſe rationibus adductis : niſi eadem exiſtentia plures terminet.

Rogas ſecundò, vtrum exiſtentia formæ vnia- §.83.
tur materiæ immediatè ? ſi enim hoc contingit, per exiſtentiam formæ exiſtet materia. Reſpondeo ſuppoſita diſtinctione inter eſſentiam & exiſtentiam,exiſtentiam formæ tantùm vniri eſſentiæ formæ, quia exiſtentia tantùm vnitur eſſentiæ cuius eſt, quia illi eſſentiæ tantum communicat ſuum effectum formalem, alioquin per tot exiſtentias exiſteret materia prima, quot habet formas accidentales:ſicut ergo *vbicatio*,& alij modi ſoli vniuntur formæ, ita & exiſtentia propria illius. Hæc ita videntur dicenda ab exemplo aliarum rerum. E contra verò ; quamuis exiſtentia rei creatione productæ non vniatur niſi ſuæ eſſentiæ,& ſit independens à ſubiecto ; quia eſt terminus formalis creationis;tamen accidentium,& formæ materialis exiſtentia neceſſariò pēdet à ſubiecto.Hoc autem non poſſe eſſe ipſam eſſentiam conſtat ex §.76. eſt ergo ſubiectum idem eſſentiæ & exiſtentiæ : ac dici poſſet, exiſtentiam pendere quidem à ſubiecto & illi

illi vniri; quod facit exiſtere in ſpecie aliqua compoſita ex ſubiecto & forma: non tamen exiſtere ſimpliciter; quia hoc præſtatur per exiſtentiam, quam ſubiectum accipit per ſui productionem: effectus enim formalis exiſtentiæ eſt complere eſſentiam vt terminet productionem: quod eſſentia materiæ non habet ab exiſtentia formæ. Hæ autem anguſtiæ cogunt eſſentiam ab exiſtentia non poſſe diſtingui: ſi autem exiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia: exiſtentia formæ vnitur materiæ, quam facit exiſtentem in ſpecie hominis, non tamen exiſtentem ſimpliciter: quia hic effectus non poteſt eſſe ab alia re in genere cauſæ formalis: quia ſicut nulla eſt ens formaliter per aliam, ita ne exiſtens, quod eſt idem.

SECTIO VII.

De ſubſiſtentia materiæ, & compoſiti materialis.

§.84. Quia *ſubſiſtentia* eſt modus exiſtentiæ, affectio & proprietas, non poſſunt diſputatione diiungi. Quia verò ſubſiſtentia materiæ ſine cognitione ſubſiſtentiæ formæ, non poteſt ad amuſſim explicari, de totius compoſiti ſubſiſtentia diſſeremus, communes difficultates in metaphyſicam reiicientes.

§.85. Pater Ludouicus de Molina 1. part. quæſt.29. art.2. diſp.3. §. vt *huius rei veritas*, & §. *tertio modo*, & §. *ſubſiſtentia ſumitur.* tres ſubiicit ſubſiſtendi aceptiones. Primam minùs propriam, qua aliquid ſignificatur exiſtens per ſe non inhærendo alij, ſic conuenit cuiuis ſubſtantiæ completæ, & incompletæ; quæ nullam habet propriè inhærentiam, ſic ſubſtantia definitur *ens per ſe.*

§.86. Secundam, quæ ſignificat eſſe per ſe ſine dependentia ab aliquo tanquam à ſuſtentante; quo pacto ait, nec materiam primam, nec formas materiales ſubſiſtere propter mutuam dependentiam, quam habent; animum verò rationalem ſubſiſtere, quia eſt independens.

§.87. Tertiam, qua ſignificatur ſub aliis omnibus ſiſtere ſeu ſubeſſe, quod ſolis ſingularibus completis, ſeu ſuppoſitis conuenit. Subſiſtentiam verò ait eſſe modum, quo ſubſtantia alij non inhæret, vel quo exiſtit cum independentia à ſuſtentante, vel quo vltimo ſubeſt rebus omnibus, quem modum dicit eſſe poſitiuum, & connotare negationem.

§.88. Hunc modum communiter vocamus *Perſeitatem*, & vltimum terminum naturæ, quem nomine, *ſubſiſtentia*, ſignificamus, quia id, quod per ſe eſt, ſiſtit ſub omni accidenti reali, vel attributo, & ſubſiſtere eſt vlterius non progredi, vt dixit Suetonius in Caio Cæſare; *Rabenæ ſubſtitit.* Hic vltimus modus exiſtẽdi in naturis irrationabilibus dicitur *ſuppoſitum*, at in rationabilibus dicitur, *hypoſtaſis*, ſiue, *perſonalitas:* quapropter Pater Vazquez 1. part. tomo 2. diſp.125. cap.3. negat Dei naturæ communem aliquam ſubſiſtentiam, quia ex communi Patrum, ac Thologorum vſu ſubſiſtentia eſt vltimus naturæ terminus, & ſuppoſitum, quod non conuenit naturæ ratione communis exiſtentiæ, ſed relationum, quæ ſunt perſonalitates diuinæ. De nomine, *ſubſiſtentia*, & de re illo ſignificata vide Patrem Suarez ſecundo metaphyſicæ tota diſputatione 34. & tomo primo tertiæ partis diſputatione 11. ſectio 3. §. *Vt ergo explicemus.*

His poſitis, nulla eſt controuerſia, iuxta primam acceptionem in quouis compoſito phyſico tot reperiri ſubſiſtentias, quod partes tam integrales, quàm eſſentiales, quia quæuis pars materiæ, & formæ eſt ſubſtantia. Nec dubitatur in quouis compoſito vnum tantum eſſe ſuppoſitum, ſeu perſonam integram, & completam, quia natura totalis eſt vna integra, & completa, quam ſequitur ſuppoſitum, ſeu perſonalitas. Controuerſia eſt vtrum hæc perſonalitas ſit compoſita ex duobus modis, quorum alter ſit proprius materiæ, alter formæ? Quos recentiores Phyloſophi vocant *partiales ſubſiſtentias*, an verò vna ſit indiuiſibilis ſubſiſtentia, neutri parti per ſe conueniens, ſed toti compoſito? §.89.

SVBSECTIO I.

Pars affirmatiua.

Pater Molina ſupra quæſtione 29. art.2. diſp.3. §. *Nulla item forma*, & §. *Ex dictis facile*, docet animum rationalem in corpore propriam habere ſubſiſtentiam, quia non pendet ab aliquo ſubiecto ſuſtentante. Idem docet Caietanus, 3. part. quæſt.6. art.3. de anima poſt reſurrectionem, cæteras verò formas ea carere, quia à materia pendent: at materiam primam eadem carere, quia in ſuo eſſe pendet à forma. Hæc vltima pars mihi non probatur, quia, ſi dependentia à forma tollit materiæ ſubſiſtentiam, ergo etiam tollit materiam creari. Patet conſequentia, quia iuxta S. Thomam & communem Philoſophorum ſententiam, *creatio eſt rerum ſubſiſtentium:* & ipſe P. Molina, quæſtione prima, art.3. §. *Secunda ratio.* & quæſtione 44. artic.2. §. *Aduerſus errores*, docet materiam primam creari. De hac illatione agemus ſectione ſequenti. §.90.

Pater Vazquez ibidem diſputatione 125. cap.4. num.17. vniuerſè negat ſubſiſtentias partiales; & diſputatione 174. à num.15. docet, nec materiam, neque animum rationalem in compoſito proprias habere ſubſiſtentias; & tom.1. in 3. p. diſput.32. acriter inuehitur in aduerſarios quod ſine authoritate antiquorum eam philoſophandi rationem fuerint è proprio ſenſu commenti: primum, quia eſſe in toto, & eſſe per ſe omnino repugnat, quia vnum dicit negationem alterius. Sed hæc ratio non vrget: primò, quia perſonalitas Chriſti etiam in Chriſto ſubſiſtit, & eſt perfectiſſimè per ſe, at in Chriſto eſt in toto, Chriſtus enim eſt perſona compoſita, cuius extremum eſt verbum, vt docet S.Thomas, 3. part. quæſtione.2. art.4. & Pater Suarez ibidem diſp.7. ſect.4.§. *dico tertiò.* & P.Vazquez ipſe diſput.16. cap.2. quorum doctrinam ibidem probaui diſp.17. ſect.5. §.21. quæ ſententia omnino eſt certa, ergo eſſe in toto, & eſſe per ſe non opponuntur. §.91.

Ratio à priori eſt, quia eſſe per ſe tantum dicit modum poſitiuum ſubſiſtendi per ſe cum negatione dependentiæ ab aliqua cauſa intrinſece ſuſtentante, ſed rectè poſſunt duæ partes vniri ſine dependentia, & ſuſtentatione vnius ab alia, vt de animo rationali eſt certum, & de materia prima docet ipſe P.Vazquez ea diſp.174. num.19. ergo rectè poteſt res eſſe in toto, & eſſe per ſe. Quod ſi quis dicat eſſe per ſe dicere negationem cuiuſque vnionis, primùm de nomine contendit, neque eo vtitur ex communi philoſophorum vſu. Secundò conſequenter dicet, verbum diuinum non ſubſiſtere, & eſſe per ſe in humanitate Chriſti, §.92.

quia

quia illi vnitur, quod eſt falſum, ſupereſt item probandum eum modum cum quauis vnione pugnare.

§.93. Dices, verbum vniri tanquam rationem formalem ſubſiſtendi, non verò materiam, & formam; ſed contra, quia verbum verè ſubſiſtit, quia vnitur humanitati ſine vlla dependentia ab illa; ergo ſimiliter animus ſubſiſtit, quia corpori vnitur ſine dependentia ab illo: quod ſi verbum ab ab humanitate penderet, non ſubſiſteret, licet eſſet ratio ſubſiſtendi, ſicut non ſubſiſtit ſubſiſtentia creata in homine, quia pendet à natura, (vt ſuppono ex diſput. 11. metaphyſicæ) ergo tota ratio ſubſiſtendi ſumitur ab independentia, & non à negatione vnionis; quod ſi ipſi ſubſiſtentiæ vnitæ vt *quo* non repugnat ille conceptus ſubſiſtendi, & & vniendi; multo minus repugnabit animo vnito ſubſiſtenti vt *quod*.

§.94. Secundam rationem inſinuat Pater Vazquez illo num. 17. quia ſubſiſtentia eſt idem quod ſuppoſitum, ſiue hypoſtaſis, vel perſonalitas: at non dantur hypoſtaſes, aut perſonalitates partiales, animus enim non eſt perſona partialis, neque ſemi-ſuppoſitum: ergo non dantur partiales ſubſiſtentiæ, quod argumentum latè proponit in 3. p. ea diſ. 32. cap. 4.

§.95. Neque vrget hæc ratio: ſubſiſtentia enim latius patet hypoſtaſi vel perſonalitate, hæc enim duo conueniunt enti completo, & ſicut animus non eſt *ſemi-homo*, licet ſit hominis pars, ita nec *ſemi perſona*: quia *homo*, & *perſona*, eſt effectus, & denominatio vtriuſque partis vnitæ; at ſubſiſtentia conuertitur cum quauis ſubſtantia etiam incompleta independente ab omni cauſa præter efficientem. Quod confirmo ex ipſo Patre Vazquez, qui num. 19. diſput. 174. dicit animum ſeparatum propriam habere ſubſiſtentiam, quam etiam haberet materia, ſi ab omni forma eſſet abiuncta, at tunc nec materia, nec forma rationalis eſſent *ſemi ſuppoſitum*, vel *ſemi-perſona*; ergo ſubſiſtentia latius patet quàm hypoſtaſis, & perſona.

§.96. Sed ait Pater Vazquez hunc eſſe vocis abuſum: quia antiqui Patres tam Græci quàm Latini hoc nomen *hypoſtaſis*, & *ſubſiſtentia*, vſurparunt ad ſignificandam perſonam, & rationem, per quam formaliter conſtituitur: at verò recentiores ſcholaſticos ignoratione vocis eam tranſtuliſſe ad ſignificandas partiales ſubſiſtentias ſine vllo fundamento in veteribus authoribus. Verum oſtendi in 3. part. ſatis fundamenti eſſe Antiſioderenſi, & aliis Scholaſticis, & Patribus, vel docentibus, vel inſinuantibus duas vniones Verbi, alteram ad corpus, alteràm ad animam, quæ videntur ſubrogatæ pro duabus partialibus ſubſiſtentiis. Item ex S. Thoma aſſerente creationem terminari ad rem ſubſiſtentem, & Caietano aſſerente duas vniones humanitatis ad corpus, & propriam ſubſiſtentiam in anima poſt reſurrectionem. Rogo autem ego ipſum Patrem Vazquez, in quo veteri authore inueniat omnes animas ſeparatas habere iſtum modum ſubſiſtendi? Cum illæ ne ſint ſuppoſita, nec perſona, & quod ait 1. part. ea diſput. 174. num. 21. materiam primam eſſe quaſi hypoſtaſim in compoſitis? Non eſt ergo opus tam manco fundamento inuidiam nouitatis concitare contra recentiores Theologos, qui manuducti principiis Fidei, oſtendentis diſtinctionem ſuppoſiti à natura, laudabili ingenio, & ſtudio diſquiſierunt partes iſtius ſuppoſiti, & ſicut reperiuntur naturæ partiales ita reperiri cenſent partiales modos, & complementa partialia, ſicut ipſe inuenit in anima ſeparata, & tamen antiqui patres nec Græci, nec Latini non vſurparunt hypoſtaſim niſi pro integro ſuppoſito: quo ergo pacto ipſe ea voce vtitur? Redeamus ad argumenta.

Tertia ratio eſt, quia ſubſiſtentia eſt vltimus terminus complementúmque naturæ per quod redditur incommunicabilis, ſed materia prima, & animus rationalis mutua communicantur vnione, ergo cum tali vnione repugnat ſubſiſtentia propria. Reſpondetur, ſubſiſtentiam, etiam partialem, eſſe vltimum terminum materiæ, & animi, quo in ſua ratione complentur vltimo, & conſtituuntur perfecta in ſuo eſſe partiali materiæ, & formæ. Quod complementum ex natura ſua præſupponitur ad vnionem, quia materia ante vnionem præſupponitur eſſe cum ſua exiſtentia, & modo exiſtendi, cuius eſt ſignum vnionem animi ad Verbum Diuinum, & corporis ad idem verbum factam fuiſſe prius natura quàm facta fuerit animi ad corpus, vt ex S. Thoma, & aliis probat Pater Suarez tomo 1. tertiæ partis diſp. 17. ſect. 1. & 2. cuius doctrinam ibidem probaui. §.97.

Vnio verò corporis, & animi eſt quidem complementum, ſed in alio genere immediatè componendo, ſubſiſtentia verò eſt in perficiendis ipſis partibus ſecundum ſe. Vnde ad maiorem reſpondetur ſubſiſtentiam eſſe vltimum terminum partium ſecundum ſe, & complementum, cui non repugnat vnio compoſiti, quia eſt complementum in alio genere: ad illud de incommunicabilitate reſpondetur ſubſiſtentiam completam eſſe vltimum terminum naturæ, illam reddentem incommunicabilem alteri ſuppoſito, at verò ſubſiſtentia partialis non reddit naturam incommunicabilem alteri naturæ. Nam ex eo quod ſit pars, poteſt communicari; ex eo verò quod ſit independens ab alia parte, eſt ſubſiſtens, neque enim proprietates ſuppoſiti ſunt adſcribendæ ſubſiſtentiæ in communi. §.98.

Immo verò duæ partes aquæ perfectè ſubſiſtentes vniuntur continuatione, quia hæc communicatio, & vnio eſt in alio genere. Vnde, licet vna pars aquæ in ratione naturæ ſit perfectè ſubſiſtens, & incommunicabilis alteri ſuppoſito; tamen in ratione partis integralis poteſt aliis vniri. Do autem nunc effectum formalē ſubſiſtentiæ completæ eſſe reddere naturam incommunicabilem, cuius oppoſitum oſtendo diſput. 11. Metaphyſicæ, & S. Thomas; 3. part. quæſtione 3. art. primo ad ſecundum, item & Caietanus ibidem docent effectum formalem ſubſiſtentiæ eſſe reddere naturam incommunicabilem alij ſuppoſito, non verò alij naturæ. Igitur definitio perſonæ, quam ex Boëtio P. Vazquez adducit; *rationalis naturæ indiuidua, & incommunicabilis ſubſtantia*, intelligitur de completa ſubſiſtentia, quæ reddat naturam incommunicabilem aliis ſuppoſitis. Cæterum, ly, *indiuidua*, non ſignificat iſtam incommunicabilitatem: ſed rationem indiuidui, vt diſtinguitur à ratione communi, & communicabili per intellectum. Sic S. Thomas 3. part. quæſtion. 4. art. 4. corp. ait naturam communem perſona indiuiduari, in eodem ſenſu loquitur Boëtius. Hæc dixi, ne eadem cogar in metaphyſica repetere. §.99.

Nulla eſt ergo efficax ratio, qua negemus materiæ primæ, & animo rationali propriam ſubſiſtentiam, ſed potius illam eas habere, probatur primò: quia materia prima, (vt ſectione ſequenti probabo) & animus rationalis verè, & propriè creantur, ergo vterque habet propriam ſubſiſtentiam. Conſequentia probatur, primò ex S. Thoma, §.100.

&

& communi philoſophorum aſſerentium creationem terminari ad rem ſubſiſtentem. Quod adagium non intelligitur, creationem eſſe rerum ſubſiſtentium, id eſt, independentium à ſubiecto: eſſent nugæ: quia ipſa creatio eſt formaliter actio independens à ſubiecto; & ſignificaret adagium creationem eſſe rerum, quæ creantur: ſignificat ergo eam habere pro termino rem per ſe ſtantem & ſubſiſtentem; quæ eſt proprietas rei natura ſua creatæ. Nec ſignificat, materiam eſſe ſubſiſtentem ſubſiſtentia totali;quia ea ratione ſubſiſtit etiam forma materialis, & compoſitum, quæ non creantur: in alio ergo ſenſu creatio eſt rerum ſubſiſtentium: quia omnis connaturalis terminus creationis habet propriam ſubſiſtentiam.

§.101. Secundò ex ipſa ratione creationis, quæ eſt *productio entis ex nihilo*, ideſt, ex nulla cauſa intrinſeca,ſed ſubſiſtentia (vt conſtat ex ſecunda acceptione §.86.) eſt modus exiſtendi independenter à cauſa intrinſeca, ergo materia propriam habet ſubſiſtentiam. Reſpondet Pater Vazquez illa diſp.174. num.15. & 21. Creationem terminari ad rem natura ſubſiſtentem, non tamen ſubſiſtentem actu, dum eſt in compoſito. Cum duobus aduerſariis depugno. Primus P. Molina admittit in animo rationali vnito propriam ſubſiſtentiam, eam verò negat in materia, quam cenſet à forma pendere, quod infra tractabo. Secundus P. Vazquez admittit independentiam materiæ, & formæ rationalis, cui tribuit ſubſiſtentiam in potentia, eam verò negat in actuali compoſitione: contra quem ſic arguo: Subſiſtentia ex natura ſua conuenit materiæ primæ, quia eſt independens à forma, & eſt modus ſecutus ex ea exiſtentia, quia eſt modus exiſtendi per ſe, id eſt, independenter à ſubiecto, ergo eandem retinet cum forma. Probatur conſequentia: primò, quia illa aptitudo ex natura rei eſt reducibilis in actum, nulla enim eſt potentia naturalis ad rem naturaliter impoſſibilem: ſed, ſi materia ſub forma non retineret propriam ſubſiſtentiam, nunquam poſſet reduci in actum illa potentia ex natura rei:ergo vel habet actualem ſubſiſtentiam, vel caret aptitudine ad illam. Probatur minor, quia ex natura rei nunquam materia poteſt carere omni forma.

§.102. Dices: ex ſuppoſitione quod careat,illam habebit. Sed contra, quia id, quod ſequitur ex ſuppoſitione impoſſibili, eſt ſimpliciter impoſſibile, ſed illa ſuppoſitio eſt ſimpliciter impoſſibilis naturaliter, ergo & materiam habere ſubſiſtentiam eſt ſimpliciter naturaliter impoſſibile, ergo non habet potentiam naturalem ad illam. At illi eſſe aptitudinem ad ſubſiſtentiam patet, quia tam ſubſiſtens eſt, ideſt, tam terminus creationis, quàm animus. Si ergo ſepararetur ab omni forma,reſultaret in illa proprie ille modus, ſicut in anima,quia eſſet independens, & non eſſet in compoſito:quæ duæ rationes ſunt adæquata cauſa ſubſiſtendi.Vide diſp.11.§.62.

§.103. Secundò probatur eadem conſequentia: quia ſubſiſtentia per te eſt modus exiſtendi independenter ab alio, ergo talis modus non repugnabit, vbi non repugnat exiſtentia independens ab alio. Conſequentia videtur manifeſta, quia proprietas comitatur eſſentiam, ſed in compoſito per te partes habent exiſtentiam independentem ab alio, ergo & ſubſiſtentiam; maximè ſi per illam conſtituuntur partes independentes formaliter. Hæc vrgent hominem conſtituentem ſuppoſiti formalem effectum in independentia à priori,aut à poſteriori, à ſubiecto inhæſionis: quia materia & anima ita ſunt independentes: abſolutè item in mea ſenten tia; quia ſubſiſtentia eſt complementum ſubſtar tiale naturæ in ordine ad ſe; ſed materia & form ſunt naturæ; ergo habent illud complementun ergo partiale: quia eſt prius vnione: ſubſiſten tia enim eſt ad ſe,vnio autem ad aliud. Quod affe tur de incommunicabilitate reiectum eſt §.97. & vlterius impugnatur, quia ſi de ratione ſubſiſten tiæ eſt incommunicabilitas formæ, & materiæ ergo non poteſt animo, & materiæ ſeparatis con uenire ſubſiſtentia. Patet conſequentia, quia d conceptu eſſentiali materiæ, & formæ eſt commu nicabilitas (vt dixi ſect.2.) ergo non poteſt in telligi animus ſeparatus, niſi vt communicabilis ergo illi ſeparato non conuenit ſubſiſtentia, qu per ſe rem conſtituit incommunicabilem.

Dices ſeparato animo conuenire priuationen vnionis: at ſublata ea priuatione non conueni ſubſiſtentia. Sed contra, quia quantumuis ſepare tur, adhuc concipitur, & eſt vnibilis: licet enin vt ſeparatus manens vniri non poſſit, ſimplicite tamen eſt vnibilis, & communicabilis, ergo ve ſemper habet ſubſiſtentiam, vel nunquam. Quor ſum enim modò ei attribuetur; modò negabitur Aduerte nos habere ex Patre Vazquez, ſubſiſten tiam non eſſe ſuppoſitum, cum eam tribuat anim ſeparato, quem non concedit eſſe ſuppoſitum quod ſi negandæ ſunt ſubſiſtentiæ partiales, erg non ex eo, quod partes non ſunt ſuppoſitum, au ſemiſuppoſitum, vt P. Vazquez contendit 3. p diſp.32. cap.4. Sed ſunt negandæ ratione vnionis at cum ea vnione non repugnat exiſtentia inde pendens à ſubiecto, ergo nec modus illam ſecu tus: vt tu ais eum eſſe animo ſeparato, quia care vnione.

Tertiò probatur concluſio(& quod vltimo dixi quia quælibet pars cõpoſiti materialis, aquæ verb gratia, habet propriam ſubſiſtentiam partialem diſtinctam à ſubſiſtentia alterius partis, ergo & quæuis pars eſſentialis propriam habet ſubſiſten tiam partialem. Conſequentia probatur, tum qui magis diſſimiles ſunt partes eſſentiales inter ſe quàm integrales, atque adeo difficilius compler poſſunt eadem indiuiſibili ſubſiſtentia, tum qui vtræque partes ſunt in compoſito; nec videtur cu potius compoſitio tollat alteris ſubſiſtẽtiam,quàn alteris. Antecedens probatur; quia quælibet par aquæ eſt ſubſtantia completa eſſentialiter in ra tione ſubſtantiæ, conſtantis ex partibus eſſentiali bus, item nulla pars integralis aquæ dependet al alia: ergo quælibet, vt diſtincta ab alia, propriam habet ſubſiſtentiam, quia hæc ſequitur modun eſſendi per ſe.

Dices eadem indiuiſibili ſubſiſtentia totan aquam terminari. Sed contra primò,quia tota ſub ſiſtentia aquæ eſt materialis: ergo non eſt indiui ſibilis in partes integrales:ergo in diuerſis partibu ſunt diuerſæ partes ſubſiſtentiæ. Si dicas eſſe to tam in toto, & totam in qualibet parte. Contr ſecundo, quia hoc eſt contra rationem rei mate rialis, cuius vna pars eſt extra aliam partem. Ter tio, quia eadem indiuiſibilis ſubſiſtentia de facto eſſet in locis maximæ diſtantiæ, vt eadem ſubſi ſtentia aquæ ſimul eſſet in extremis maris Oceani & in toto interuallo inter eadem interiecto, quo refugit intellectus, & eadem ſubſiſtentia poſſe progredi in infinitum per infinitam partium aqu additionem.

Tandem, quia authores huius ſententiæ tenen tur fateri ad diuiſionem aquæ corrumpi præceden tem ſubſiſtentiam, & produci duas ſubſiſtentias i duabu

duabus partibus abiunctis. Item quando vniuntur duæ partes, corrumpi præcedentes ſubſiſtentias, & aliam produci: quod ſine vrgenti fundamento admitti non debet, tum quia diuiſio, & vnio continuatiua non eſt corruptiua, & productiua, niſi punctorum indiuiſibilium, quibus partes aut continuantur, aut terminantur: tum quia difficile percipitur totum mare Oceanum ſubſiſtentiam mutare, quia ei vna guttula vniatur, aut ſeparetur, ſicque perpetuas pateretur ſubſiſtentiæ viciſſitudines, quia continuo in illud aquæ influunt, reſſiuuntque ex illo. Maneat ergo, quamlibet partem habere propriam ſubſiſtentiam: tunc ſic, ſed illæ ſubſiſtentiæ ſunt in partibus actu componẽtibus, & ſe communicantibus: ergo non omnis communicabilitas repugnat ſubſiſtentiæ, de quo me videro in metaphyſicâ. Caue aſſeras eſſe in aqua partialia ſuppoſita, quia ſuppoſitum dicit terminum rei totalis cum priuatione vnionis ad aliud: ſicut ergo quodlibet compoſitum integrale eſt vnum, vt mare eſt vna aqua, ſic eſt & vnum ſuppoſitum, ex quo tot deriuantur ſuppoſita, quot per diuiſionem aquarum deriuantur compoſita integralia.

§. 108. Obiicies quamlibet partem aquæ habere propriam ſubſiſtentiam, tum quia ſunt in locis diſſitis, tum quia ſunt natura verè & propriè, ſecus partes. Contra; ergo non vrget argumentum propoſitum § 91. quia iam partes aquæ ſunt in toto cõpoſito & per ſe: ergo eo ex capite rectè poterit materia eſſe in toto, & per ſe. Secundò, ex diſtantia locorum colliguntur apertè ſubſiſtentiæ partiales; à quibus colligimus eaſdem in partibus eſſentialibus, quia non eſt contra conceptũ ſubſiſtantiæ eſſe partiales; maximè cum anima ſit etiam ſeparabilis à corpore. Secunda ratio eſt mira: compoſitum non eſt natura, ſed ens naturale: ergo non habet niſi ſubſiſtentias partium quæ ſunt natura, cuius perfectio eſt ſubſiſtentia.

§. 109. Quartò probatur, quia verbum diuinum in vnione corporis & animi Chriſti ſeruauit eum modum, quem natura ſeruat in cæteris animis rationalibus corporibus vniendis (neque enim erat cur ille ordo inuerteretur:) ſed priùs natura, quàm corpus, & animus vnirentur inter ſe, fuerunt vnita ad ſubſiſtentiam verbi, per quam prius natura ſubſtiterunt, quàm vnirentur, (vt ex Theologia ſuppoſui, §. 97.) Ergo etiam naturaliter prius natura ſubſiſtunt corpus, & animus, quàm inuicem vniantur. Hoc argumentum facilè negabitur à Patre Vazquez.

§. 110. Secundo vrgeo omnem oppoſitam ſententiam: quia verbum duplici vnione diſtincta ſibi vniuit corpus, & animum, quia vtriuſque corrupta vnione in triduo, manſit tamen vtriuſque vnio ad verbum, quæ nunquam fuit corrupta, ſed in reſurrectione illæ partes ſubſiſtentes in verbo fuerunt vnitæ: ergo res ſubſiſtens poteſt vniri. Confirmatur hoc vltimum, quia vel ſubſiſtentia eſt vna ſimplex exiſtens in vtraque parte, vel diuiſibilis, cuius vna pars ſit in materia, alia in animo: ſi hoc ſecundum admittis, meum admittis intentum. Primum autem eſſe non poſſe probatur, quia ſi ſubſiſtentia eſt modus, non poteſt identificari cum corpore & ſpiritu, neque etiam ſi ſit res abſoluta, & non modus, quia modus exiſtendi accommodatur ipſi exiſtentiæ, ſed exiſtentia hominis eſt partim materialis, & partim ſpiritualis: ergo & ſubſiſtentia erit partim ſpiritualis, & partim materialis, atque non poteſt eſſe vna ſimplex. Confirmatur, per ſubſiſtentiam compoſiti partes verè ſubſiſtunt: ergo eſſe in compoſito & in illo habere ſubſiſtentiam non pugnat. Quid autem refert eum modum eſſe communem vtrique parti, aut cuiuſque ſingillatim? quaſi verò ille modus non tribuat ſuum effectum formalem, qui nõ poteſt neceſſario coniungi cum carentia vnionis inter res ſubſiſtentes, cum partes ſint vnitæ, & ſubſiſtentes. Immo per illas totum ſubſiſtit, ſicut eſt per illas. Cur igitur ſubſiſtentia partialis exigit neceſſario partes abiungi?

Dixi fine ſectionis ſextæ, ex ſubſiſtentia materiæ primæ ſumi argumentum ad probandam eiuſdem exiſtentiam, quod ſic efformo. Subſiſtentia materiæ eſt modus alicuius exiſtentiæ; ſed non eſt modus exiſtentiæ alicuius formæ materialis, neque animi rationalis; ergo eſt modus exiſtentiæ materiæ. Probatur minor, tum quia exiſtẽtia formæ materialis non eſt exiſtentia per ſe independens à ſubiecto, ergo modus exiſtendi per ſe independenter à ſubiecto non eſt modus illius; tum, quia forma non poteſt dare modum exiſtendi excellentiorem, quàm quem ipſa habet, ipſa autem exiſtit cum dependentia à ſubiecto; ergo non poteſt communicare materiæ modum exiſtendi independenter à ſubiecto: tandem, quia ſubſiſtentia materiæ eſt materialis etiam in homine, alioquin homo non eſſet perſona materialis, ſed modus materialis non eſt modus exiſtentiæ ſpiritualis, ſicut nec modus exiſtendi ſpiritualis poteſt conuenire exiſtentiæ materiali, ergo exiſtentia, quam habet materia in homine, non eſt exiſtentia formæ rationalis. §. 111.

SVBSECTIO II.

De ſubſiſtentia totius compoſiti.

Poſſet inquiri, vtrùm formæ materiales propriam habeant ſubſiſtentiam? an verò in compoſitis purè materialibus ſufficiat ſubſiſtentia materiæ? Pater Suarez ſecundo metaphyſicæ, diſp. 34. ſect. 5. n. 18. probabile cenſet in compoſito omnino materiali tantum eſſe ſubſiſtentiam materiæ. Vnde clarè infertur, formam irrationalem non poſſe à verbo aſſumi, vt docui in 3. p. diſp. 24. ex B. Thoma, Carthuſiano, & aliis. Sed id reiecit ibidem, quia ſicut eſſentia materię eſt incompleta, ita & eiuſdem exiſtentia, & ſubſiſtentia eſt incompleta. Ratio à priori videtur eſſe, quia ſubſtantia habet ſubſtantialem compoſitionem ex eſſentia, ſiue natura, & ſubſiſtentia (vt in metaphyſicâ fauente numine probabo:) ergo quæuis ſubſtantia habet eam compoſitionem. Verum eſt, quod docet P. Suarez ſupra nu. 35. iſtum modum ſubſiſtendi formæ materialis eſſe contra ſecundam acceptionem ſubſiſtẽdi. §. 86. poſitam, non verò contra primam, quia eſt inſufficiens vt per illum exiſtat forma ſine ſuſtentante, vnde ſimpliciter non eſt vocanda ſubſiſtentia. §. 112.

In homine quidem ex ſubſiſtentia materiæ & formæ reſultat perfecta ſubſiſtendi ratio, quæ vocatur *perſona*, vel *hypoſtaſis*, quia non modo totum compoſitũ non pendet ab alio, verum neque altera pars ab altera. In compoſitis irrationabilibus eſt ſubſiſtendi ratio imperfectior, quia, licet totum per ſe ſubſiſtat, vna tamen pars innititur alteri; ad efficiendum autem ſuppoſitum ſufficit & modus materiæ, & illa imperfecta ſubſiſtentia formæ, per quam redditur non inhærens. Nec mirum eſt ſubſiſtentia materiæ tam diuerſis modis compleri, eſt enim in cauſa infinita pene diuerſitas compoſitorum ex infinitis formis reſultantium. §. 113.

Quod ſi & hic modus diſplicet, illum nega. Nec enim compoſita irrationalia habent niſi ſubſiſtentiam materiæ, quia illa ſola eſt independens: dependent §. 114.

pendent autem à materia ratione formæ, ab aliis autem illa non pendere, nihil refert, quia per formam pendent ſimpliciter à materia. Nec eſt complementum totale niſi in compoſitis, quorũ vtraque pars creatur. Nec partialis ſubſiſtentia materiæ petit aliam partialem niſi in homine, habet autem forma materialis alias compoſitiones: hac caret, quia eſt valde perfecta.

§.115. Rogas vtrum vnio habeat propriam ſubſiſtentiam? Ex proximè dictis ſolutio patet negatiua. Deinde, ſi productio ſubſtantiæ eſt verè ſubſtantia, non eſt de conceptu ſubſtãtiæ vt ſic propriam ſubſiſtentiam habere, quia abiretur in infinitum: quia actio illa eſſet ſubſtantia, ergo haberet ſubſiſtentiam productam per aliam actionem, at hæc haberet aliam productam alia actione ſine fine. Deinde ſi ſubſiſtentia eſt res, & non modus, ſequetur proceſſus idem; quia illa ſubſiſtẽtia vniretur per vnionem ſubſtantialem, & hęc haberet aliam ſubſiſtentiam, & ſic ſine fine. Si verò actiones omnes ſunt accidentia, & ſubſiſtentia, modus, non eſt improbabile vnionem habere propriam ſubſiſtentiam. Verum probabilius eſt eam non habere: tum quia ſubſiſtentia eſt propriè complementum naturæ quam cognoſcimus ex natura diuina: vnio autem non eſt natura. Confirmatur, oſtẽdi in 3. part. vnionem humanitatis non terminare vnionem ad verbum, ſignum eſt ergo ei non conuenire ſubſiſtentiam; eſt autem de ratione ſubſtantiæ eſſe ens per ſe, non verò terminatum propria ſubſiſtentia; ſed per ſe ſpectans ad rei conſtitutionem.

§.116. Dicet aliquis primùm, hãc infinitudinem vitari; quia vnio ſubſiſtẽtiæ ad vnionem vniretur ſe ipſa ipſi ſubſiſtentiæ: item vnio eſt de cõceptu compoſiti. Reſpondeo primum, ſubſtantiam abſolutè realem nõ habere pro ſubiecto modum: ſecundò, non vitari proceſſum illum in actionibus: tertiò, nec in vnionibus; quia vnio ſubſiſtentiæ cum vnione eſſentiali eſt etiam ſubſtantia ſpectans ad hominem intrinſecè; ergo petit eſſe ſubſiſtens: ſed nõ eſt ſubſiſtens per ſubſiſtentiam vnionis eſſentialis: ergo per aliam: & ſic abſque fine. Probo minorem; quia ſubſiſtentia non reddit ſubſiſtens niſi id quod afficit vt ſubiectum, ſicut albedo non facit album, nec animus animatum: ſed vnionem ſui non afficit vt ſubiectum; quia ipſa eſt ſubiectũ eius vnionis, ſicut albedo ſuæ: ergo. immo ſicut ab vnione eſſentiali non eſt vnita, quia non eſt ſubiectum, nec terminus vnionis: ita nec à ſubſiſtentia eſt ſubſiſtens: alioquin vnio albedinis eſſet alba. Manet ergo probata progreſſio. Secundum quod obijcitur non obeſt: quia vnio eſſentialis nõ pertinet ad compoſitum vt natura, ſed vt naturæ modus: qui nõ eget complemento naturarum: quia ipſe eſt earumdem complemẽtum: ac propterea quamuis ſubſiſtentia eſſet modus, non eſt cur adſcribatur vnioni.

§.117. Rogas ſecundo: vtrum ſubſiſtentiæ materiæ, & formæ immediatè vniantur? P. Suar. ſup. num. 43. affirmat eas vniri tamquam actum, & potentiam; ſicut materia, & forma ita vniuntur. Mouetur primò, quia ſubſiſtentia compoſiti eſt vna per ſe, & non aggregatũ ex duabus, ergo debent immediatè vniri, quia nulla poteſt eſſe vnitas per ſe ſine vnione. Secundo, quia ſicut eſſentia materiæ, & formæ indiget vnione inter ſe, ita & ſubſiſtentiæ.

§.118. Verum non acquieſco huic vnioni tamquam actus & potentiæ. Primùm, quia illi modi (ad hominem arguo illos opinantem modos) aut vniuntur ſe ipſis ſine vnione diſtincta? aut non? Primum eſſe non poteſt, nam quando illi modi ſepararentur, periret vterque, vel certè ſemper eſſent vniti, & non poſſent ſeparari: vtrumque autem eſt falſum, ergo. Probatur prima pars maioris, quia modus perit, niſi ſemper afficiat rem, quam ſemel affecit, vt patet in vnione pereunte ad animi ſeparationem, ergo ſi illi modi abiungantur peribunt, & cõtra hoc genus vnionis ſunt omnia argumenta, quibus probamus modos diſtingui à rebus. Probatur ſecunda pars maioris, quia de ratione modi eſt, vt ſemper afficiat rem, quam ſemel affecit, vt ſeſſio, & vbicatio ſemper afficiunt ſedentem, & vbicatum.

Confirmatur ex ipſo P. Suar. ſup. num. 38. aſſe- §.119.
rente in materia prima, ſemper manere eumdem modum ſubſiſtentiæ: item ſubſiſtentiæ animi modus manet in corpore, & extra corpus, hoc autem fieri non poſſet, ſi vnirentur ſine vnione diſtincta. Iam verò probo ſubſiſtentias nõ poſſe vniri vnione diſtincta tamquam actum & potentiam: quia modus ex natura rei non vnitur per vnionem à ſe diſtinctam rei, quam afficit vt actus, ſed illi vnitur per ſe ipſum, vt patet in vnione, quæ per ſe ipſam vnitur extremis, quod pono ex diſput. 2. metaphyſ. ſect. 3.

Impugnatur ſecundo hæc ſentẽtia, quia modus §.120.
formæ non communicat ſuum effectum formalem ſubſiſtentiæ materiæ, ſed tantum ipſæ formæ, quæ à ſua ſubſiſtentia dicitur *ſubſiſtens*, ſubſiſtentia verò materiæ non eſt ſubſiſtens, ſed per illam ſubſiſtit materia, at ſi illi vniretur tamquam actus potentiæ, illi communicaret ſuum formalem effectũ, ergo non vnitur illi tamquam actus potentiæ. Probatur minor, quia forma ex natura ſua non poteſt vniri tamquam actus, quin communicet ſuum formalem effectum. Nam hoc diſtinxi vnionem formæ vt formæ à cæteris vnionibus, quia vnio formæ eſt ratio formalis, per quam forma communicat ſuum effectũ formalem, & denominationem.

Tertio, quia ſubſiſtentia formæ non habet duo ſubiecta, ſed vnum, nimirum, ipſam formam, ergo non reſpicit ſubſiſtentiam materiæ tamquam ſubiectum ſuum.

Poſſet igitur reſpõderi ſubſiſtentias materiæ, & §.121.
formæ inter ſe vniri nõ vnione quaſi eſſentiali, per quam vna pars vnitur alteri, illi communicando ſuum formalem effectum, ſed vnione quaſi continuatiua, per quam neutra pars communicat alteri ſuum formalem effectũ. Hoc genus vnionis reperitur in quouis compoſito integrali: ſiue conſtet partibus homogeneis, ſiue heterogeneis, vt in aqua, & in viuentibus. Etiam reperitur in compoſitione intenſiua, quæ iuxta multorum, meámque opinionem fit per gradus diſtinctarum ſpecierum.

Ratio à priori, propter quã huiuſmodi res non §.122.
communicat aliis ſuos formales effectus, eſt, quia omnes illæ partes vnitæ habent ſimilem conceptum formalem, & denominationem, quam, cum ipſæ in ſe habeant, non poſſunt accipere ab aliis formis: Ergo duæ partes aquæ vniuntur, & quælibet ex illis eſt aqua per ſuum cõceptum: vnde non poteſt ab alia accipere hãc denominationem. Item quælibet pars formæ equinæ eſt eſſentialiter actus corporis: vnde non poteſt ab alia parte denominari actus, neque actuata, ſicut albedo non poteſt dici alba ab alia. Item quilibet gradus caloris eſt calor, & primus, verbi gratia, nõ denominatur calidus à ſecundo, cui vnitur. Ratio à priori, quia forma non poteſt habere vt *quod* effectum formalem, quem ipſa communicat vt *quo*, immo, neque quantitas verè eſt *quanta*, quia *quantum* eſt ſubiectum quantitate affectum. Igitur vt vna pars communicet alij ſuum formalem effectum, opus eſt, vt cui illum cõmunicat, nõ habeat per ſe denomina-

tionem alterius partis. Ita forma vitalis denominat per ſuum conceptum corpus *viuum*, quia corpus per ſe non habet vitam,& intellectio denominat intelligentem, quia intellectus per ſuum conceptum non eſt ratio intelligendi.

§.123. Hinc oritur ſubſiſtentias non vniri tamquam actum, & potentiam, quia vtrauis per ſuum conceptum eſt ratio formalis ſubſiſtendi, quam denominationem non poſſunt accipere inuicem.

§.124. Dices primo, non poſſe vniri per modum à ſe diſtinctum, (vt ego contra Patrem Suarez arguebam)quia id eſt contra rationem modi:Diſtinguo, non poſſunt vniri tamquam actus,& potẽtia,concedo; non poſſunt vniri quaſi integrali vnione, nego. Quod patet in ſuppoſitis materialibus,quorum partes integrales inuicem vniuntur per continuationẽ ab illis diſtinctam: Idem patet in vnione formæ, & materiæ, cuius partes continuatur per aliam vnionem. Ratio à priori, quia modus per ſuam eſſentiam eſt cõmunicatio effectus formalis rei, ad quam comparatur vt modus, ſicut ſubſiſtentia, & vnio ad res, quas terminant & vniunt:at verò, quia duæ partes ſuppoſiti,& vnionis inuicem non comparantur vt modus,indigent alia vnione.

§.125. Dices ſecundo, vnionem integralem fieri non inter partes eſſentiales, ſed inter partes facientes aliquid maius, vt maior aqua fit ex duabus partibus, quàm ex vna; & maior calor ex primo & ſecundo gradu,quàm ex ſolo primo; & actus intenſus poteſt vocari maior, & vehementior cognitio. Ita vt omnis vnio integralis præſeferat aliquã ſpeciem quantitatis; at verò ex ſubſiſtentia materiæ, & ſubſiſtentia formæ non fit maior ſubſiſtentia. Hæc obiectio non eſt parui momenti: reſponderi tamen poteſt, ex vno genere vnionis ſumi fundamentum ad philoſophandum in alio, in quo reperitur magna ſimilitudo,quia illa vnio, licet non ſit inter partes integrales propriè, eſt tamen inter partes valdè ſimiles in effectu formali, & complentes naturam vnam.

§.126. Dices tertiò etiam hinc ſequi dari aliquã vnionem inter habitus vnius facultatis,vt ſit vna ſcientia. Reſpondetur primùm, forte non defuturum, qui ita opinetur de habitibus verſantibus circa proprietates vnius obiecti. Deinde id non ſequitur neceſſario,quia non eſt incõueniens ſcientiam habitualem eſſe aggregatũ, ſicut ſcientiam actualem; at verò dedecere videtur, vt in vno compoſito per ſe,reperiatur aliquid per aggregationem.

§.127. Dices quartò, non poſſe ſubſiſtentiam materiæ compleri niſi per aliam, at ille modus ſubſiſtentiæ formæ materialis non eſt ſubſiſtentia propriè: ergo per illam non poteſt compleri:Probatur maior, quia ſicut ſubſtantia non componitur niſi ex ſubſtantiis,ita nec ſubſiſtentia,niſi ex ſubſiſtentiis. Diſtinguo maiorem; non poteſt compleri,niſi per aliam æquè perfectam, nego:per aliam minùs perfectam,quæ ſit complementum naturæ non inhærentis, concedo; quia non inhærere valde refert, quia eſt participare conceptum ſubſtantiæ, id eſt, complementum naturæ ſubſtantialis. Item diſtinguo minorem: ille modus nõ eſt ſubſiſtentia imperfecta,nego minorem; concedo autem de ſubſiſtentia ſumpta pro modo conſecuto, ad exiſtentiam independẽtem à ſubiecto,in quo ſenſu à pleriſque negatur ſubſiſtentia formæ materiali:Immo & hic modus eſt negatu facilis.

§.128. Rogas vtrum accidentia in Euchariſtia per ſe ſubſiſtant? Reſpondeo per ſe ſubſiſtere, id eſt,non dependere à ſubiecto, quod habent formaliter per creationem,non tamen ſubſiſtunt,id eſt,complentur ſuppoſitalitate, aut alio modo à creatione diſtincto, quia ille modus eſt proprius naturæ, non tamen rei,naturæ ſuæ inhærentis,de quo diſput. 5. de generatione.

Solutio hæc §. 121. probabilis eſt, & quidem acuta ratione propoſita: verum non eſt neceſſaria. §.129. Vnde ad primum Patris Suarez §.187. Reſpondetur,ſubſiſtentiam compoſiti propriè nõ eſſe vnam, neque etiam aggregatum per accidens, quia, licet nõ vniantur immediatè, vniuntur tamen mediatè, quia eſſentiæ, quas terminant immediatè, per ſe vniuntur, ad quarum vnionem per ſe, & non per accidens requirũtur ſubſiſtentiæ partiales,quæ vocantur *integra ſubſiſtentia*: quia per illas adæquatè ſubſiſtit tota eſſentia compoſiti. Dices: ergo perſona,vel ſuppoſitum,non eſt vnum, quia perſonalitas non eſt vna. Confirmatur, quia ea ratione in Trinitate perſonæ ſunt tres, quia perſonalitates ſunt tres. Nego conſequentiam,quia *ſuppoſitum* ſeu *perſona* creata eſt idem,quod *ſubſiſtens* creatum,*ſubſiſtens* autem eſt vnum, quia ſubſiſtens eſt natura: quæ eſt vnum. Nam ſicut album eſt vnũ, licet habeat albedines duas,ſic ſubiectũ tantum eſt vnum, quia non multiplicantur res, niſi multiplicentur quæ ponũtur in recto,licet poſita in obliquo multiplicentur, vt *pomum album* & *dulce* nõ ſunt plura qualificata,ſed vnum,licet qualitates ſint plures:ſimiliter *ſubſiſtens* creatum dicit in recto tanquam ſubiectum naturam,& in obliquo connotat ſubſiſtentiam ab illa dependentem tãquam à ſubiecto.

In diuinis autem nunc tantũ reſpondetur, non §. 130. eſſe ita philoſophandum, quia natura non eſt ſubiectum relationis, neque è contra. Ad confirmationem reſpondetur, Theologi muneris eſſe diſquirere,quo modo ſint *tres perſonæ*,& non *tres Dij*, aut *vnus Deus*, & non *vna perſona*, de quo egi in 3. part.diſput.3. nobis in phyſicis ſufficiat diſcurrere ex dependentia materiali ſubſiſtentiæ à natura. Et confirmo non requiri huiuſmodi vnionem ex myſterio Incarnationis, quia vnio corporis ad verbum,& vnio animi ad verbum ſunt duæ,& tamen illæ inter ſe non vniuntur, & componunt vnam perſonam: ergo ad vnitatem perſonæ non requiritur vnitas ſubſiſtentiarum ſicut non requiritur vnitas vnionum.

Ad ſecundum reſpondeo, eſſentias immediatè §.131. vniri,quia altera communicat ſuum effectum formalem alteri: ſecus verò ſubſiſtentias: quia eos effectus ſibi non præſtant.

SECTIO VIII.

Vtrum materia prima verè pendeat à forma.

Ependentia alia à poſteriori, quando res eſſe §.132. non poteſt ſine alia, à qua non cauſatur, vt ignis ſine calore,animus ſine potentiis:Sic certum eſt, materiam à forma pendere, cui non debetur productio, aut conſeruatio, niſi ſub forma, éſtque hoc commune philoſophorum placitum. Quem in ſenſum interpretor Patrem Molinam. 1. part. quæſt.29.artic.2.diſput.3.§. *Nulla item forma.* Alia dependentia eſt à priori, qua omnes effectus dependent à ſua vera cauſa, vt lux à ſole, forma equi à materia.

Prima opinio aſſerit materiam primã verè pen- §.133. dere à forma dependentia à priori: hæc poteſt tribui Thomiſtis,aſſerentibus materiam primam exiſtentiam mutuari à forma, nulla eſt autem maior depen

dependentia à priori, quàm in exiſtendo. Quorum ſententia de exiſtentia materiæ primæ, vel ex hoc improbatur abſurdo.

§.134. Hanc ſententiam de dependentia materiæ à forma defendit non ignobilis quidam philoſophus. Ad cuius probationem præmitto doctrinam Patris Vazquez, tomo 2. primæ partis, diſp. 174. num. 15. & 21. Creationem eſſe productionem rei independentis à priori ab aliqua cauſa intrinſeca tam materiali, quàm formali. De materiali communis eſt omnium ſenſus ſic exponentium definitionem creationis, *productio entis ex nihilo*, id eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto, ſeu cauſa materiali: de formali probatur idem à ſimilitudine rationis. Cur enim impediat creationem dependentia à cauſa materiali potius, quàm à formali, cum vtraque ſit intrinſeca? Secundò, quia quod pendet à forma, fit ex forma (vt rectè ait P. Vazquez ſupra num. 19.) ergo, ſi materia pendet à forma, fit ex forma, quia fieri, & educi de potentia cauſæ, & fieri cum dependentia à cauſa, idem eſt quod ex illa fieri, vt in forma materiali patet; ſed, ſi materia fit ex forma, fit ex aliquo: ergo non ex nihilo: ergo non creatur, quod ſi ly, *ex nihilo*, ſumitur pro ſubiecto, ideo eſt, quia communiter ſupponunt philoſophi vt primum principium, materiam non educi ex forma.

§.135. His poſitis probatur hæc ſententia primò, quia materia prima verè, & propriè crearetur, niſi penderet à forma; conſequens eſt falſum: ergo ab illa pendet. Ego verò, vt defenderem communē omnium Philoſophorum, ac Theologorum ſenſum, aſſerentium materiam primam verè, & propriè creari, ab hac ſententia diſcederem, ne cogerer nouum actionis genus contra eos omnes inuehere. Nullum autem eſt inconueniens, ens ſimpliciter imperfectius alio, eſſe illo perfectius ſecundum quid in exiſtendi modo, & productionis, vt cœlum perfectius eſt homine in duratione, eſt enim æuiternum. Neque eſt inconueniens ſolum Deū productorē eſſe materiæ, immo id maximè decet, quia materia non dependet à diſpoſitionibus accidentalibus, mediis quibus operantur agentia creata.

§.136. Secundum fundamentum eſt, quia duæ cauſæ poſſunt eſſe inuicem cauſæ in diuerſo genere.

§.137. Oppoſitæ ſententiæ fui ſemper aſſenſus. Primò, quia materia prima eſt creata, vt admittunt Philoſophi omnes, ac Theologi, nemine excepto, qui omnes id expreſsè fatentur, quod negari non poteſt, niſi oppoſitum euidenti ratione monſtretur, alioquin poſſet vnuſquiſque pro ſuo arbitratu nouam philoſophiam inducere, omnem antiquitatem euertens: ergo non pendet à forma. Conſequentia patet ex §.134.

§.138. Secundo probatur, quia, ſi materia intrinſecè pendet à forma, productio materiæ debet inhærere formæ tamquam ſubiecto, quia productio (vt alibi probabo) non poteſt inhærere termino ſuo, eam autem debere recipi in formam admittit aduerſarius, & probatur, quia productio materiæ per te pendet à forma nō tamquam ab agente, nec tamquam à termino producto, nec formaliter tamquam à forma, quia non informat eam actionem, neque illi communicat ſuum effectum formalem: ergo ab ea pendet tamquam à ſubiecto: ergo & materia pēdet à forma tamquam à ſubiecto: Patet conſequentia, quia in eodem genere, in quo cauſalitas pendet à cauſa, pendet etiam effectus, vt homo pendet à Deo efficienter, quia omnis generatio eſt efficienter à Deo, & forma materialis à materia, tamquam à ſubiecto, quia in eodem genere pendet ipſa generatio à materia. Ratio à priori eſt, quia cauſalitas eſt ratio, per quam effectus pendet à cauſa, neque poteſt intelligi terminum pendere in vno genere, & cauſalitatē in alio, quia ratio dependendi à cauſa in illo genere eſt ipſa cauſalitas.

Confirmatur, forma recipit productionem materiæ, non tamquam terminum productum per aliam productionem: ergo tamquam viam ad materiam: ergo illa cauſalitas eſt via ad recipiendam materiam: ergo per eam viam recipitur materia in forma. Huius conſequentis abſurditas ex ſe patet, quia eſt confundere rerum cauſalitates, & admittere, poſſe eamdem rem à ſua cauſa pendere in eodem genere cauſæ. Mitto alias rationes, quæ ſumuntur ex implicatione mutuæ cauſarum dependentiæ, & ex animo rationali, qui non poteſt recipere modum materialem, quæ rationes alibi diſcutiuntur. §.139.

Ad ſecundum, omiſſo antecedenti; nulla eſt conſequentia ob rationes factas; non enim quia vna cauſa pendet à ſuo effectu, ideo omnes pendere poſſunt, vt in tua ſententia animus rationalis non pendet à materia, cum materia pendeat ab animo; quia non in omnibus cauſis eadem eſt ratio, conſtat autem cur non poſſit materia à forma pendere. §.140.

SECTIO IX.

Vtrum materia prima poſſit exiſtere ſine forma?

NOn poſſe ex natura rei, perſpicuum eſt, tum, quia ſi id fieri poſſet, eſſet aliquando factum, id autem contigiſſe, quis auſit affirmare? cum, ſi quo modo id fieret, maximè corrumpendo formam præcedentem: hoc autem non fit, niſi per introductionem qualitatum diſponentium ad aliā formam ſubſtantialem; natura enim per ſe generationem intendit, corruptionem verò per accidens. Patres Conimbricenſes oculis luſtra, rem hanc luculenter illuſtrantes 1. phyſi. c. 9. quæſt. 6. art. 3. ante finem. §.141.

De potentia abſoluta diuiſi ſunt Thomiſtæ ab aliarum Scholarum Doctoribus. Partem negatiuam ſequuntur eorum complurimi, quia effectus formalis non poteſt eſſe ſine forma, ſed exiſtere materiā eſt effectus formalis formæ, ergo non poteſt exiſtere ſine forma. Probatur minor, quia materia exiſtentiam capit à forma. Confirmatur, materia ſine forma eſſet in actu, quia exiſteret, & non eſſet in actu, quia actus conſtituitur per formam, ergo. §.142.

Sed harum rationum inefficaciam cognoſces è ſect. 6. vbi probaui materiam propriam habere exiſtentiam, vnde negatur minor. Ad confirmationem reſpondētur, materiam tunc fore in actu entitatiuo, & non cōpleto, non tamen in actu completo, qui conſtituitur per formam. Hac de re vide Conimbricenſes ſupra art. 3. §.143.

Agedum, eſto, materia prima exiſtentiam capiat à forma, etiam poterit de potentia abſoluta ſine forma exiſtere: probatur, quia materia poteſt aliunde exiſtentiam capere, quid enim implicat à Deo produci materiam cum aliqua exiſtentia ſupernaturali à forma non accepta? Licet enim ex natura rei exiſtentia proueniat à forma, cur non poterit aliunde prouenire? §. 144.

Dices, quia omnis actus prouenit à forma. Contra primò, quia ſubſiſtentia etiam eſt aliquis actus, §.145.

& tamen diuinitus poteſt à forma non prouenire, vt patet in Incarnatione: vbi Corpus Chriſti ſubſiſtit ſubſiſtentia verbi à forma non proueniente, ergo licet ex natura rei omnis actus proueniat à forma, poterit etiam de potentia abſoluta aliunde venire, ergo & exiſtentia. Contra ſecundo: quia conſtans eſt Thomiſtarum opinio, Corpus Chriſti exiſtere exiſtentia verbi, inter quos nihil eſt antiquius, quàm Chriſti humanitatem propria exiſtentia priuari: tunc ſic, ſed ille effectus formalis exiſtendi non prouenit à forma, quia illa exiſtentia non eſt formæ, ſed Dei, ergo diuinitus poteſt actus exiſtendi aliunde, quàm à forma venire.

§. 47. Dices, in verbo materiam exiſtere per formam, quia ſimul cum illa exiſtit. Contra primò, ergo etiam forma exiſtit per materjam eandem ob cauſam, quia neutrius eſt illa exiſtentia. Secundo, forma ibidem nihil confert materiæ, quia per te effectus formalis exiſtendi in Verbo non prouenit à forma, ſed à Verbo: ergo ceſſant omnes tuæ rationes. Tertio, quia exiſtentia verbi diſtincta vnione vnitur formæ, ac materiæ, tum quia prius natura vnitæ ſunt partes verbo, quàm inter ſe, tum quia eandem retinuerunt vnionem in triduo. Chriſtus enim quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit, id eſt, nullam amiſit ſupernaturalem vnionem ad ſe factam, ergo ibidem nihil contulit forma ad exiſtentiam materiæ.

§. 48. Confirmatur, ponamus materiam ſolam vniri Verbo, & non formam, quod poſſibile eſſe probat huius ætatis Doctor Suarez tomo 1. 3. partis diſp. 14. ſect. 3. §. *dico primo*, & de facto ita eueniſſe in triduo probabile cenſet §. *ſecundo modo*. ex aliquorum ſenſu opinantium formam cadaueris in triduo non fuiſſe vnitam verbo: dato caſu cur non poſſet illa materia exiſtere ſine forma? Certiſſima eſt igitur oppoſita ſententia, quia (vt bene P. Suarez ſupra) nulla affertur probabilis contradictionis ratio.

§. 49. Dominicus Soto primo phyſi. quæſtione 6. art. 2. concluſione ſecunda, & Dominicus Bañes de anima, ſiue prima part. quæſtione 66. art. 1. dub. 2. concluſione 3. euidentia argumentorum conuicti, apertè (vt ipſi arbitrantur) à ſuo Sancto Doctore deficientes, noſtræ ſubſcribunt opinioni. Quem, ſi expendiſſent, non arbitrarentur ab ipſis eum eſſe deſertum; vbi enim negat materiam poſſe exiſtere ſine forma, intelligitur de potentia ordinaria, non abſoluta; à quæſtionibus enim de potentia abſoluta ferè perpetuo abſtinet S. Tho. At (inquis) 1. p. q. 66. art. 1. eſt difficilis explicatu, aſſerit enim implicare contradictionem materiam eſſe ſine forma, quia eſſet in actu cum crearetur, & non eſſet in actu, quia ipſum quod eſt actus, eſt forma. Sed, ſi accuratè legatur, longe in alio ſenſu loquitur. Sicut enim ait S. Thomas eſſe in actu prouenire à forma, ita ait diſtinctionem materiæ ab eadem oriri forma; ſed diſtinctio materiæ in ſuo eſſe proprio non prouenit à forma, quia res per ſuas diſtinguuntur eſſentias; ergo non loquitur de actualitate, & diſtinctione incompleta materiæ, ſed de ſpecifica completa.

§. 50. Expende verba S. Thomæ, *ipſum autem, quod eſt actus, eſt forma*, ſed forma phyſica non eſt omnis actus; primò quia per te exiſtentia formæ diſtinguitur ab ipſa forma, ergo forma non eſt omnis actus. Secundo, quia ſubſiſtentia eſt aliquis actus & non eſt forma phyſica, ergo non omne quod eſt actus, eſt forma phyſica; ergo quando S. Thomas dicit omnem actum eſſe formam, loquitur de actu, qui eſt forma, hic autem eſt forma phyſica conſtituens actum phyſicum completum; cum ergo dicit materiam eſſe in actu per formam, loquitur de actu ſpecifico completo; nec titulus articuli id poſtulat, quærit enim vtrum materia fuerit ſine forma? de facto agit, non de abſoluta potentia, & ſupponens Deum perfectè operari (quod docet ad ſecundum) ait ad operationem Dei non prærequiri priuationem formæ in materia, ſicut ad operationem agentis creati: atque ita docet de facto nunquam materiam fuiſſe ſine forma.

Tandem argumentor; materiam exiſtere non eſt effectus formalis primarius formæ, ſed ſecundarius, ergo ſi ponatur materia exiſtens per aliam exiſtentiam, nulla ſequitur contradictio: probo conſequentiam, quia ſi qua ſequeretur, eſſet, materiam eſſe in actu ſine actu, ſed hæc non ſequitur; ergo. Probo minorem, quia tunc haberet actum exiſtendi, & careret actu complente ſpeciem, ergo non eſſet in actu ſine actu: quia haberet actum exiſtendi. §. 51.

Dices fore effectum formalem ſine forma. Contra effectus formalis exiſtendi eſt ab actu realiter à forma diſtincto, ergo exiſtere non eſt formaliter à forma. Dices eſſe effectum formalem ſecundarium. Contra primo, in Verbo, per te, non eſt effectus ſecundarius formæ; quia vtraque exiſtit per exiſtentiam Dei, qui non eſt effectus ſecundarius formæ. Contra ſecundo, effectus ſecundarius præſtari poteſt ſine primario: vt expulſio frigoris eſt effectus formalis ſecũdarius caloris, & exiſtentia in diuerſis loci partibus eſt ſecundarius effectus quantitatis, qui effectus poſſunt eſſe ſine calore, & quantitate; aduerte à me non dici materiam exiſtere poſſe ſine forma per exiſtentiam formæ, quæ eſt effectus ſecundarius formæ, ſed per aliam, quæ non eſſet effectus illius. Vnde effectus formalis formæ erit reddere materiam exiſtentem per hanc exiſtentiam in ſpecie completa, non tamen exiſtentem omni genere exiſtentiæ, vt apertè patet in Verbo, qua diſtinctione oppoſita ſententia euertitur funditus. §. 52.

Inquiri poſſet, num in tali caſu materia prima indigeret peculiari concurſu, quo tunc ſuppleretur concomitantia formæ? affirmare videntur Patres Conimbricenſes illo art. tertio, & P. Suarez illo §. *Dico primo*. Ego vero id non ſentio; quia actio illa eſt ſufficiens ad conſeruandam materiam ſub forma ſine dependentia à forma, ergo etiam eſt ſufficiens ad conſeruandam materiam ſine omni forma; patet conſequentia, quia recedente omni forma, nihil recedit, à quo ſimpliciter pendeat illa actio. §. 53.

Confirmatur, ſi ſol priuaretur omni luce, nihilominus poſſet conſeruari eodem concurſu, quo nunc, quia ſol eiuſque productio natura ſunt luce priora, ergo & materia ſine forma. Eſſet quidẽ miraculũ & res ſupernaturalis, quo ad modum tantùm (vt aiunt) quod Deus vellet conſeruare materiam in eo ſtatu, in quo non debebat: at ſuppoſita voluntate illam conſeruandi, tantum requireretur continuatio præcedentis actionis, & hoc tantum ſibi vendicat dependentia à poſteriori à rebus comitantibus, vt docet Pater Suarez primo Metaphyſi. diſpur. 15. ſect. 9. num. 7. & hoc forte volunt auctores adducti, quia illud miraculum eſſet concurſus ſpecialis, quo ad modum, propter fatalem neceſſitatem, qua tunc eſſet interitura materia, quam effugeret illo, protecta miraculo. §. 54.

SECTIO

SECTIO X.

Vtrum materia ſuas paßiones efficiat?

§. 155. QVantitatem (ſi modo à materia diſtinguitur) & ſubſiſtentiam materiæ paſſiones appello: efficientiam voco naturalem emanationem proprietatis à ſubiecto. De quantitate (idem eſt de ſubſiſtentia) negat Pater Vazquez tom. 2. 1. part. diſput. 196. num. 13. de vtraque affirmat Pater Suarez primo metaphyſ. diſput. 13. ſect. 4. num. 57. Sed neutra pars poteſt ſatis oſtendi: ſententia Patris Vazquez probatur primò, quia oppoſitum nullo efficaci argumento probatur. Verum hinc retorqueo argumentum, quia nec ſententia P. Vazquez efficaciter probatur, ergo eſt materia principium quantitatis actiuum, quia omnis eſſentia ſuas efficit proprietates.

§. 156. Secundo arguo pro eodem Patre Vazquez, quia materia prima eſt pura potentia, ergo nihil efficit, alioquin eſſet actus primus. Sed neque hoc vrget, quia puræ potentiæ phyſicæ non repugnat actus in alio genere, (vt dixi ſect. 2.) Neque aliud video huic ſententiæ fauere præter communem modum loquendi, negantem actiuitatem materiæ. Qui tamen exponi poteſt primo de actione in formas ſubſtantiales, & in earundem proprietates; aut effectus: ſecundo, & melius, de actione diſtincta ab emanatione, quam communiter non vocant actionem, quia, licet emanatio immediatè fluat ab eſſentia; generanti tantum adſcribitur illo prouerbio, *qui dat formam, dat conſequentia ad formam.*

§. 157. Pro ſententia Patris Suarez arguitur primo; quia omnis natura à materia diſtincta producit ſuas proprietates, ergo & materia. Nego conſequentiam, ex communi differentia materiæ ab aliis naturis, hæ enim aliquam aliam habent actionem, quia, teſte Ariſtotele, à forma oritur virtus actiua, at materia eſt potentia merè paſſiua, tam reſpectu formarum, quàm propriæ paſſionis.

§. 158. Secundò arguitur, quia quantitas habet cauſam efficientem creatam, quia neque ex ſua perfectione, neque ex modo agendi repugnat ab agente creato produci, ſed eius cauſa efficiens non eſt forma, quia quantitas, cum ſit diſpoſitio materiæ ad recipiendam actionem, & formam, illam natura præcedit, ergo eius efficiens eſt materia. Nego maiorem, quia oritur ex eiuſdem quantitatis imperfectione, quia eſt proprietas potentiæ merè paſſiuæ.

§. 159. Tertio arguitur ex proportione inter materiam, & quantitatem, quia vtraque eſt paſſiua. Reſpondeo ex ea proportione probari, quantitatem eſſe materiæ paſſionem, non verò ab eadem produci. En neutra ſententia quid concludit. Prima videtur eſſe magis conſentanea naturæ materiæ primæ, & eſt commodior ad probandum rationem vitæ conſiſtere in principio ſe mouendi ab intrinſeco (vt patebit diſput. 3. de anima.)

DISPVTATIO III.

De priuatione.

PRIVATIO prior eſt tempore quàm forma, quapropter de illa eſt prius agendum.

SECTIO I.

De natura, & cognitione priuationis.

QVæ dicenda ſunt de priuatione paucis expediam. *Priuatio* eſt *carentia formæ in ſubiecto apto.* Conuenit cum carentia entium non exiſtentium in ſubiecto, in ratione carentiæ, quia quando Angelus non exiſtit, non eſſe Angeli eſt illius carentia: per ly, *in ſubiecto,* differt à carentia Angeli, conuenit autem cum negatione formæ exiſtente in ſubiecto, negatio enim viſus eſt in ſubiecto: per ly, *apto,* differt à negatione, quæ eſt carẽtia formæ in ſubiecto inepto. Itaque priuatio, & negatio hoc differunt, quod priuatio connotat in ſubiecto aptitudinem ad formam, cuius eſt carentia, negatio verò ineptitudinem. §. 1.

Hinc collige primò, priuationem malè à nonnullis appellari *ens reale priuatiuum:* primò, quia ægritudo poſſet etiam dici *valetudo priuatiua*, & peccatum *iuſtitia priuatiua*, quod nullus admittet. Secundo, quia in ipſis terminis repugnantia inuoluuntur, nam *ens reale* dicit entitatem poſitiuam: *priuatiuum* autem dicit oppoſitam rationem; cur ergo *priuatiuum* adiicitur *enti reali*? Dices, priuationem eſſe ens reale, quia eſt à parte rei ante functionẽ intellectus, & nihil eſt poſitiuum: ergo eſt ens reale priuatiuũ. Sed tollatur vocis ambiguitas. Quando dicimus, *priuatio eſt. Homo eſt cæcus,* idem ac ſi dicas, *non eſt forma, homo non habet viſum,* in qua propoſitione nihil reale affirmatur, ſed potius negatur: ly enim *eſt* adiunctum *cæcitati*, aut *priuationi,* nullam ſignificat exiſtentiam, vt cùm dicimus, *nihil hic eſt*, certum eſt *nihil* nullum habere eſſe, aut exiſtentiam, quæ propoſitio hanc ſonat, *hic non eſt aliquid.* Ita verò loquimur, quia priuationes apprehẽdimus ad modum entis. Vnde reſpondeo priuationem quidem eſſe, ſed non eſſe ens, quia eſſe priuationem, idem eſt, ac non eſſe formam, quod tantum abeſt ab ente, vt ſit eſſentialiter non ens, rectè autem Ariſtoteles dixit, ipſum non ens eſſe dicimus, & B. Aug. explicans quo pacto res dicatur: *eſt futura:* ait nos per pauca propriè dicere, plura vero impropriè. §. 2.

Collige ſecundo, ab aliis non rectè negari priuationem, & formam opponi immediatè: aſſerunt enim priuationem immediatè opponi ſuæ priuationi, vt *cæcitas, priuationi cæcitatis,* quo fundamento peccatum habituale conſtituunt neſcio in qua priuatione priuationis. Sed impugnantur primò, quia cæcitas eſſentialiter eſt carentia viſus, carentia autem viſus eſt eſſentialiter non viſus: ergo cæcitas, & viſus opponuntur immediatè. Patet conſequentia, quia ens, & non ens opponuntur immediatè, quid enim mediat inter vtrumque? Confirmatur, id, quod mediat, aut eſt ens, quod dici non poteſt, aut eſt non ens, quod etiam repugnat, quia priuatio eſſentialiter eſt non ens: ergo tam immediatè opponitur enti, quàm illud non ens, quod tu fingis. §. 3.

Secundò, quæ non opponuntur immediatè, poſſunt de potentia abſoluta eſſe ſimul in eodem ſubiecto, vt *calor & frigus, albedo & nigredo,* ſed cæcitas & viſus non poſſunt eſſe ſimul: ergo opponuntur immediatè. Tertiò, quia priuatio opponitur ſuæ priuationi mediatè, quod fieri non poteſt, quia procederetur in infinitum; vel opponitur immediatè, ſi hoc admitis: ergo priuatio opponitur immediatè formæ, qua priuat; patet conſequentia, quia ſicut per te priuatio vna eſt priuatio alterius §. 4.

priuationis, ita & hæc altera priuatio eſt priuatio formæ: ergo ſicut priuatio opponitur immediatè ſuæ priuationi, ſimiliter quæuis priuatio opponitur immediatè ſuæ formæ.

§. 5. Confirmatur, quia ſi priuatio non opponitur immediatè formæ: ergo nec priuationi priuatio, quia ſicut per te diuerſus eſt cõceptus *non tenebroſi*, vel *non cæci* à conceptu *lucidi*, aut *videntis*, propter quod diſtinguis *lucidum* à *non tenebroſo*, ita eſt diuerſus cõceptus *priuationis tenebrarum* à conceptu *non tenebroſi*: ergo priuatio non opponitur immediatè ſuæ priuationi. Denique in homine tantum ſunt hi cõceptus *videns, cæcus*, nec tertius vllus dari poteſt, quia ſi eſt homo *non cæcus*, ergo eſt *videns*, quod ſi non eſt *videns*, eſt ergo *cæcus*: nam quod tu dicis *non cæcum* priuatiuè opponi *cæco*, verum dicis; ſed tamen *non cæcus* eſt formaliter *videns*, quia ens tollitur per non ens, & non ens per ens, ſicut aliquid per nihil & nihil per aliquid.

§. 6. Tãdem lux opponitur immediatè tenebris, quia lux eſt eſſe lucis, & tenebræ ſunt non eſſe lucis, eſſe autem & non eſſe immediatè opponuntur, quia non eſſe contradicit eſſe, ergo inter lucem & tenebras non eſt medium, ergo nec inter tenebras & lucem. Patet conſequentia, quia ſi quid interijceretur inter *tenebras* & *lucem*, interijceretur etiam inter *lucem* & *tenebras*, nam *eadem via ducit Thebis Athenas*, & *Athenis Thebas*.

§. 7. Dices, diuerſum eſſe conceptum *non cæci*, & *videntis*, quia Angelus non eſt videns, & tamen eſt non cæcus. Reſpondeo, in ſubiecto capaci viſus, & cæcitatis, illos conceptus eſſe eumdem, quia priuatio, & forma ſunt circa idem ſubiectum; at in ſubiecto incapaci non ſunt idem, quia ibidem non eſt priuatio viſus, ſed negatio: viſus autem, & eius carentia nõ opponuntur priuatiuè in ſubiecto incapaci, nec enim negatio viſus, ſed ſola priuatio eſt cæcitas, lignum enim non eſt *cæcum*. De priuatiua autem oppoſitione, non de negatiua præſens eſt controuerſia: Negatio autem, & forma, quam negat, etiam immediatè opponuntur, vt in Angelo *viſus*, & *non viſus*.

§. 8. Tertiò collige, in eodem ſubiecto vnius formæ vnam tantùm eſſe priuationem, & vnam priuationem eſſe tantum vnius formæ. Quia ſi à ſubiecto tollatur vna priuatio formæ, nulla remanet alia priuatio, ergo vnius formæ vna tãtum eſt priuatio in vno ſubiecto. Patet conſequentia, tum quia, ſi eſſent plures, ſublata vna non auferrentur cæteræ; tum quia ſublata illa priuatione neceſſario ponitur forma, at cum forma nulla poteſt eſſe illius priuatio, quia impoſſibile eſt eamdem formam ſimul eſſe, & non eſſe. Secunda verò pars probatur, quia ſi vna priuatio eſſet plurium formarum, ergo poſita vna ſola ex illis formis, nõ tolleretur priuatio. Conſequens eſt falſum, quia impoſſibile eſt ſimul eſſe in eodem ſubiecto formam, & eius priuationem, hoc autem contingeret in tali caſu, quia illa priuatio etiam eſſet priuatio formæ, cum qua exiſteret, vt ſupponit argumentum. Sequela probatur, quia vt tollatur priuatio, opus eſt vt ponatur forma, qua priuat, ſed poſita vna forma tantum, non poneretur forma, qua priuat, quia ſupereſſent plures aliæ formæ ponẽdæ, quibus etiam priuat, ergo. Secundò, quia priuatio eſt non eſſe formæ, ergo tot ſunt non eſſe formarum, quot ſunt formæ. Confirmatur, quia poſita vna forma tollitur eius priuatio, & remanet priuationes aliarum, quarum vnaquaque adueniente tollatur eius priuatio, ergo ſignum eſt ſingulis formis ſingulas reſpondere priuationes.

Dices, tenebras eſſe vnam priuationem, & priuare multiplici luce, ergo plurium formarum eſt vna priuatio. Nego antecedens, tenebræ enim non ſunt vna ſola priuatio, ſed quoddam aggregatum priuationum, id eſt, omnes priuationes lucis, ſublata autem vna ſola priuatione, auferuntur tenebræ, quia vna priuatio aufertur per lucem, tenebræ autem quauis luce pelluntur. Vnde patet malè Theologizare eos, qui, vt tueantur peccatum habituale cõſiſtere in priuatione gratiæ, affirmant plura peccata habitualia eſſe eamdem priuationem gratiæ, quia vnius formæ plures poſſunt eſſe priuationes in eodem ſubiecto; & plures priuationes eadem forma idem priuare ſubiectum. §. 9.

Collige quartò, priuationes formæ ſubſtantialis non ſuſcipere magis, & minus, quia ſicut formæ oppoſitæ conſiſtunt in indiuiſibili (vt aiunt) ita & priuationes earum, quia ſicut poſito indiuiſibili formæ ponitur tota forma, ita ſublato indiuiſibili priuationis tota aufertur priuatio; alioquin exiſtente forma, ſimul eſſet cum illa in eodem ſubiecto aliqua illius priuatio. §. 10.

At verò priuationes formæ accidentariæ ſuſcipiunt magis, & minus, ſicut formę, quibus priuant. Probatur, quia poſito vno gradu lucis in aëre, eſt ablata aliqua priuatio lucis, vt patet, & non eſt ablata omnis priuatio; quia non eſt poſita omnis lux, ergo priuatio lucis ſuſcipit magis, & minus. Itaque ſicut tot gradus efficiunt vnã integram formam, & quilibet gradus eſt forma partialis, ita & priuatio omnium graduum efficit integram priuationem, & quælibet partialis priuatio partialem. §. 11.

Quinto infertur, priuationem tolli poſſe, vel per formam oppoſitam poſitiuè, vel per negationem. Probatur ex definitione, quia priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto, ergo quando ponitur forma poſitiua, vel ſubiectũ redditur ineptum ad eam formam, tollitur priuatio; ſed aliquando ſubiectum recipit formam oppoſitam, aliquando redditur ineptũ ad eam recipiendam; ergo priuatio tolletur, vel per formã poſitiuam, vel per negationem. Probatur minor quo ad ſecundam partem, quia, vt rectè P. Vazquez, 1.2.tom.1. diſput. 132. num. 38. niſi Deus pactum inijſſet de conferenda in pueros iuſtitia originali, eius carentia, quæ modo eſt priuatio, eſſet in pueris mera negatio, quia pueri natura ſua non ſunt apti ad gratiam, niſi per potentiam obedientialem paſſiuam, quæ reducitur in actum per ſolam Dei voluntatem. Confirmatur: catulus canis ante octauum, aut nonum diem ſui ortus habet negationem viſus, quia ante illum diem eſt incapax videndi; ſi poſtea verò ex aliquo accidenti, quia oculi eruuntur, &c. non habeat viſum, erit quidem priuatus viſu, quia ex natura ſua illum poterat habere eo tempore, ergo idem ſubiectum poteſt effici de incapaci capax, aut incapax de capaci alicuius formæ. Simili ratione dixi in diſputationibus de actibus humanis, & de voluntario: priuationem actus liberi auferri poſſe abſque actu: quia priuatio non libera poteſt per liberam auferri. §. 12.

Sed hic ſuboritur quædam difficultas, quia ſequeretur nullam eſſe actualem priuationem, quia, dum materia eſt ſub vna forma, non poteſt aliam habere, ergo non habet priuationem illius, ſicut diximus de catulo canis. Nego ſequelam: ad rationem reſpondeo, materiam exiſtentem ſub aliqua forma corruptibiliter informante, ſimpliciter, & pro quouis tempore habere priuationem aliarum, quia tunc quam habet, poteſt abijcere, & accipere, qua caret. Ex ſuppoſitione autem quod vnam §. 13.

habeat

habeat, non poteſt habere aliam, quæ ſuppoſitio, cum ſit conſequens, ſimpliciter non tollit materiæ capacitatem, vt ego, ſuppoſito, quod ſcribo, nō poſſum ab ſcribēdo cellare; ſimpliciter tamen poſſum: exemplum de catulo non vrget, quia catulus ex intrinſeca ſua natura ratione animæ caninæ non poteſt ante illud tempus videre. Itaq; conſideranda eſt materia ſecundum ſe comparatione omnium formarum, quarum ſecundum ſe eſt capax: & quia hæc capacitas non tollitur per vnam formam, ita nec priuatio illarum tollitur: quæuis autem forma reddit materiam impotem componendi aliam formam cum ipſa, non verò incapacem illius.

§. 14. Priuatio à nobis per ſenſus externos propriè nō cognoſcitur, quia non eſt delibuta aliquo accidenti reali, per quod terminet ſenſiones: dicitur autem cognoſci priuatio obiecti ſenſilis, dum applicata potentia, & non impedita ſuum non ſentit obiectum; ſic tenebræ dicuntur videri, quia non videtur lux, quia ex non viſione lucis infert intellectus aërem tenebreſcere. Per intellectum verò cognoſcimus priuationes, dum cognoſcendo formas, eas cognoſcimus à ſubiectis abeſſe, vt in demortuis cognoſcimus eſſe priuationē animi, quia ex accidentibus dignoſcimus animum abeſſe.

Priuatio dicitur ens rationis, nō quia ſit propriè ens rationis, equidem non eſt ficta, neq; in ſuo eſſe ab intellectu dependet, eſt autem ens rationis, quādo eam apprehendimus ad modum formæ realis. Entia negatiua phyſicè, ſolent dici entia rationis, ſeu obiectiua: quia in intellectu habent eſſe obiectiuè, ideſt, cognoſcuntur: extra intellectum autem non habent eſſe, quia ſunt non eſſe. Deus immediatè cognoſcit priuationes non per proprias earum ſpecies, ſiue (vt melius dicam) per ipſas, ſed per formas oppoſitas: priuatio enim, cum ſit non eſſe formæ aptæ eſſe, non poteſt cognoſci, niſi cognoſcatur forma, eiuſque aptitudo: igitur cum Deus cognocit formam non exiſtere, eius priuationem cognoſcit. De priuatione, & eius cognitione, videantur Patres, Molina, 1. p. q. 14. art. 10. §. *contra reſponſionem*, (lege ibidem S. Thom. ad tertium) Vazquez diſput. 61. num. 2. & 3. & cap. 2. diſput. 62. & tom. 2. diſput. 115. num. 6. & Suarez 2. metaphyſ. diſput. 54. ſect. 5.

SECTIO II.

Priuatio quando, & quam habeat rationem principij.

§. 15. PRiuatio dicitur eſſe principium generationis, quia agens naturale ab ea progreditur ad formam. Vnde ex *non calido* fit *calidum*, & ex *non equo equus*. Præſupponitur verò priuatio, quia, ſi forma præexiſteret in ſubiecto, nequaquam poſſet à naturali agente produci. Hæc ſententia procedit in ſubſtantiali generatione ab agente creato, quod eām attingit mediis accidentariis diſpoſitionibus, quæ tempore ſubſtantialem generationem præcedunt: non verò de generatione accidentali, quæ fit ab agente creato, ſæpe eodem inſtanti reali, quo fit ſubiectum, vt ſol produxit in ſe lucem eodem inſtanti, quo fuit ipſe productus. In generatione verò ſubſtantiali à ſolo Deo facta, non requiritur priuatio, quia in prima rerum productione ſimul Deus produxit materiam, & formam.

§. 16. Dicunt aliqui, etiam in his caſibus priuationem fuiſſe generationis principium, quia materia eſt prior natura, quàm forma, & ſol quàm lux, quæ prioritas ſufficit ad rationem priuationis. Sed non acquieſco, quia, licet in illo priori poſſimus concipere materiam non concepta forma, eam non poſſumus concipere cum priuatione formæ, quia (vt diximus in logica,) res poſſumus concipere præciſiuè, non tamen negatiuè. Ratio eſt, quia numquam eſt materia cum priuatione formæ, ergo non poteſt concipi cum tali priuatione. Antecedens patet, quia in vno inſtanti reali non poſſunt componi forma & eius priuatio, quia eadem res ſimul eſſet & non eſſet realiter. Sed, ſi priuatio eſſet in illo priori naturæ, eſſet in vno inſtanti reali cum forma, quia prioritas naturæ in vno inſtanti reali eſt, ergo. Neque bene arguitur, eſt prior natura, quàm forma, ergo eſt cum priuatione formæ, quia à prioritate naturæ arguitur ad realem durationem. Alias quæſtiunculas de priuatione prudens omitto, vt graues, vtileſque quæſtiones quamprimum aggrediamur.

§. 17. Hanc autem ne prætereamus: quæ ſunt priora natura; ſunt ſimul in eodem inſtanti reali: vt ſol & lux; materia & quantitas: vt conſtabit diſput. 8. idque dat oppoſita ſententia in hac quæſtione: ponit enim in eodem inſtanti reali fuiſſe materiam cum forma; in quo ponit priuationem formæ pro naturæ priori; ſic argumentor: in eo inſtanti reali in quo eſt forma, non eſt non eſſe formæ: quia impoſſibile eſt rem eamdem eſſe ſimul & non eſſe: quæ enim ſunt ſimul in eodem inſtanti reali, ſunt abſolutè ſimul: ſed priuatio formæ eſt non eſſe illius: ergo non ſunt ſimul. Etenim eſſent tunc duo prædicata contradicentia reciprocè: tunc enim eſt abſolute priuatio formæ: quia in eo inſtanti eſt; & eſt abſolutè forma; quæ etiam tunc eſt; ergo abſolutè forma ſimul duratione eſt & non eſt: quia duratio non conſideratur per ſigna naturæ, ſed per inſtantia realia.

§. 18. Rogas quomodo priuatio ſit principium? Reſpondeo eſſe principium generationis eodem inſtanti, quo primum eſt generatio: quia tunc exiſtit generatio hominis ex non homine, quod præceſſit. Dices, tunc non eſt priuatio hominis, ergo tunc non eſt principium; quia principium debet exiſtere eo inſtanti, quo eſt principium, vt patet in materia, & forma. Nego conſequentiam, ad probationem dico principium phyſicè influens debere tunc exiſtere, non verò principium *à quo*, quia cauſat per deſitionem ſui: id enim eſt *à quo*, ideſt, *à quo deſtructo*. Requiritur ergo, vt tunc deſinat eſſe, ſicut terminus ad quem incipit eſſe.

§. 19. Eſt ergo conſideranda materia prima tempore quo eſt cum forma aquæ, *v.* g. nec eſt vltimò diſpoſita ad formam aëris, tunc habet veram aëris priuationem, quaſi remotam tamen: quia tunc ſubiectum caret diſpoſitione accidentaria ad aërem: de priuatione ſic conſiderata non agimus nunc. Conſiderari poteſt item materia immediatè antequā ſit vltimo inſtructa ad aërem, & ſuſcipiat eius formam; tūc eſt proxima aëris priuatio in materia; quia nihil ei deeſt præter vltimum indiuiſibile diſpoſitionis; quod perficitur inſtanti *B*. eo ergo inſtanti *B*. verè dicitur; *Nunc eſt aër, & immediatè ante non fuit:* immediatè ergo ante fuit aëris in materia proxima priuatio: tunc autem non erat principium generationis: At verò inſtanti *B*. quo fuit aër, fuit ex aqua; quia tunc ex aqua factus fuit aër: quo pacto ex aqua? quia immediatè ante fuit aqua; quæ inſtanti *B*. deſtruitur: dum fuit aqua, fuit aëris priuatio, quæ cum aqua deſtruitur; vnde ex aqua & non aëre factus eſt aër, quia tunc pereunt aqua & non aër. Repugnat ergo termino à quo vt ſit eo

inſtanti quo eſt principium: quia tunc eſt principium cum fit aër; fit autem aër, cum deſtructa eſt aqua, & non aër ſiue aëris carentia: idque ſonat *terminus à quo*: ideſt, à quo deſtructo. Cetera principia phyſicè influunt, ac propterea tunc exiſtunt.

§. 20. Aduerte valde per accidens eſſe priuationem principium generationis propter præuias diſpoſitiones, ſi autem ignis ſimul applicaretur materiæ productæ abſque alia forma, ſubito produceret ignem, quin priuatio præiret.

DISPVTATIO IV.

De forma ſubſtantiali.

SECTIO I.

Num, & quid ſit forma ſubſtantialis?

§. 1. EXPLICANDA ratio ſubſtantialis formæ. Subſtantia alicuius rei eſt eius eſſentia, quia ea poſita ponitur talis res, & aufertur ſublata. Forma accidentalis eſt, qua ablata, res non aufertur, nec poſita ponitur, verbi gratia, *albedo* in homine eſt accidens, quia ea poſita aut ſublata, manet idem homo. At vero *animus* eſt illius ſubſtantia, ratione reddita: hinc eſt, ſubſtantiam phyſicam rei eſſe quidditatem phyſicam illius, & quod primo concipimus in tali re, ad eum modum, quo eſſentia metaphyſica rei, eſt primus conceptus, quem de illa formamus.

§. 2. Dices, hinc ſequi nullam formam eſſe ſubſtantialem, quia omnes accidunt materiæ, quæ eadem manet ſemper quacumque forma mutata. Nego ſequelam, quia in præſenti agimus de ſubſtantia completa vt de *homine*, *leone*, *lapide*, non verò de ſubſtantia ſimplici: formam autem eſſe ſubſtantialem homini, aut leoni euincit ratio facta, neque proptera forma eſt accidentalis materiæ, quia hæc ad illam, tamquam ad actum ſibi proportionatum per ſe primò ordinatur, vt per illam ſubſtantialiter in ſuo eſſe compleatur. Vide diſput. 10. metaphyſicæ, ſect. 2.

§. 3. Ex dictis patet, cur primus conceptus phyſicus rei dicitur ſubſtantia. Primò, quia ſubſtat accidentibus, & attributis. Secundò, quia ſubſiſtit, in ea enim ſiſtit natura tanquam in fine. Tertiò, quia partiali ſuo modo iuuat ad integram compoſiti ſubſiſtentiam: ad eum modum quo metaphyſica eſſentia ſubſtat attributis, & proprietatibus, quæ de illa accidentaliter logicè prædicantur.

§. 4. Immò verò ea ratione *ſubſtantia* cuiuſque rei vocatur ab Ariſtotele, quia *eſſentia*, *ſubſtantia*, & *natura rei*, ſunt idem. *Natura* autem dicitur, quia ab ea oriuntur omnes actiones, & perfectiones compoſiti, quapropter vocatur *principium motus, & quietis*, vnde qui velit inueſtigare vtrum ſit aliqua natura, aut forma ſubſtantialis in rerum natura? Inquirat primum vnum principium perfectionum, quæ in quouis compoſito reperiuntur, quia accidentia aliquam naturam, ſubſtantiámque perficiunt, vbi videtur magna diuerſitas accidentium, diuerſas eſſe naturas, apertè monſtratur.

§. 5. Vnde euidenter infertur, eſſe formas ſubſtantiales, primò, quia aliquando aufertur eſſentia hominis & leonis, ergo deeſt aliqua hominis ſubſtantia, ſed non deeſt materia, (vt conſtat ex diſp. 2. ſect. 1.) ergo deeſt forma. Primum antecedens experientia conſtat, quid enim frequentius aut videmus, aut audimus quam hominum interitus? Quod ſi dicas per interitum ſolam fieri in homine accidentium mutationem, vrgeo, ergo res non differunt eſſentialiter, ſed accidentaliter: patet conſequentia, quia *homo niger* eiuſdem eſt ſpeciei, ac *homo albus*, ergo homo & brutum ſunt eiuſdem ſpeciei, quod ipſi lumini naturali repugnat.

Dices formam hominis eſſe ſubſtantialem, cæteras verò accidentales, ſed hoc eſt abſurdum. Primò quia lapis, & leo non ſunt eiuſdem ſpeciei. Secundò, quia tam ſunt indicia ad ſubſtantialitatem formæ leoninæ, quàm ad humanæ. Tertiò, quia ſequeretur vel materiam primam carere ex natura rei omni forma ſubſtantiali, vel hominem eſſe vnum per accidens: primùm patet, quia in leone per te nulla eſt forma ſubſtantialis, & ſic ens eſſentialiter incompletum eſt ſine fine ſuo: ſi verò dicas materiam eſſe ens completum; inde ſecundum ſequitur abſurdum, quia *ex duobus entibus in actu non fit vnum per ſe*. §. 6.

Secundò, probatur concluſio ex dictis, quia in quouis compoſito datur principium vnum, & radix omnium potentiarum, & operationum, ergo datur natura, & ſubſtantialis forma. Conſequentia patet ex §. 4. & quia accidentia omnia compoſiti vnam habent radicem diſtinctam à materia, quia hæc eſt indifferens ad omnia accidentia. Antecedens probatur, primò in animantibus, in quibus tot ſunt organa, tot inſtrumenta, atque potentiæ, quæ eorum naturam comitantur, & quæ ea recedente recedunt, vt probatione non egeat. Ratio eſt, quia eorum natura eſt ſenſitiua: ad ſentiendum verò tot organa requiruntur. Confirmatur ex ſubordinatione vnius potentiæ ad aliam, ergo etiam potentiæ ſubordinantur formæ. Secundò probatur inductione in omnibus inanimatis, eorumque proprietatibus, lege Patrem Suarez diſput. 15. ſect. 1. metaphyſicæ. §. 7.

Hoc autem difficile videtur, quia formæ omnes materiales pendent intrinſecè à materia, ergo ſunt accidentales. Patet, quia illi inhærent, & *accidentis eſſe eſt ineſſe*. Nego conſequentiam, ad probationem reſpondeo duplicem eſſe dependentiam à materia, alteram rei dantis eſſe compoſito, & quæ ſit prima radix, primúſque conceptus talis entitatis, quæ ſimul cum materia conſtituat vnum per ſe ſubſiſtens, quæ dependentia non eſt inhærentia; alteram rei ſupponentis eſſe, & conſtitutionem eſſentialem compoſiti, quæ res non eſt primus conceptus compoſiti, neque prima radix omnium proprietatum, quæ poteſt adeſſe, & abeſſe integra manente eſſentia compoſiti, quæ dependentia dicitur *inherentia*; ſic autem *accidentis eſſe eſt ineſſe*, quia non dat eſſe rei, ſed illi ineſt, afficitque eam, & perficit: forma verò ſubſtantialis non ineſt rei, neque illam afficit, ſed facit, vt forma leonis facit leonem. Itaque diuerſitas dependentiæ ex intrinſecis conceptibus ſubſtantiæ, & accidentis eſt deſumenda. §. 8.

Hinc colliges, cur materia reſpiciat formam ſubſtantialem per ſe, & hæc cum illa faciat vnum per ſe, quia nimirum materia, & forma per ſe, ideſt, per ſuas entitates conſtituunt ſubſtantiam, & eadem de cauſa ſubſiſtentia, & vnio ſubſtantialis per ſe pertinent ad compoſitum; quia verò accidentia per ſe non ſpectant ad illius conſtitutionem, ideo per accidens reſpiciuntur à materia. Subſtantiam eſſe primum conceptum, accidentia verò ſecundum, Philoſophus expreſſit, 7. Metaphyſicæ, cap. 4. poſt medium, *quemadmodum* (inquit) *vt ipſum eſt* (ideſt, ratio entis) *ineſt quidem omnibus*, §. 9.

omnibus, non tamen ſimiliter, ſed huic quidem (ideſt ſubſtantiæ) *primo, illis verò* (ideſt accidentibus) *conſequenter*(ideſt ſecundariò)de quo agetur diſput. 10.Metaphyſicæ ſect.2.

SECTIO II.

De forma quadam expedio.

§. 10. PRæmittendum eſt, formas ſubſtantiales non eſſe in materia ante earum generationem: oppoſitum ſequuti ſunt nonnulli aſſerentes in materia præcedere quaſdam formarum inchoationes, & *eſſe* illarum imperfectum, quos refert & impugnat Pater Suarez 1. Metaphyſicæ, diſput. 15. ſect. 2. à num. 2. præſertim quinto. Probatur primò concluſio ex infinitudine formarum, quæ, ſi eſſent in materia actu, eſſent infinitum in actu, & conſequenter eadem numero materia eſſet actu in infinitis ſpeciebus, & eadem forma actu penderet ab infinitis ſubiectis, & eſſet ſimul in locis infinitis, quia omnes formæ actu eſſent in eadem numero parte materiæ, & quælibet pars materiæ actu contineret omnes formas, quia non eſſet cur potius vna forma exiſteret, quàm alia, in vna parte materiæ potiùs quam in alia. Dices formas præcedere ſecundum *eſſe* imperfectum. Contra, illud eſſe aut eſt formæ aut non? ſi ſecundum, ergo forma non præcedit ſecundum aliquid: ſi primum, ergo eſt forma ſecundum *eſſe* perfectum, quia forma ſubſtantialis eſt incapax intenſionis, vt in libris de generatione dicetur, quare, ſi aliquid eius exiſtit, exiſtit tota perfectè.

§. 11. Secundo probatur ex animo rationali, qui non præcedit in materia (vt eſt fide ſanctum:) item neque eius vnio, quia vnio eſſe non poteſt ſine extremis vnitis, ergo idem eſt de cæteris formis. Tertiò, quia idem eſſet dicendum de forma accidentali, quæ ex nihilo fieret, niſi inchoata præcederet in materia. Quartò ex impugnatione fundamenti opinionis contrariæ, quod eſt huiuſmodi. Si forma non præcedit in materia, ſecundum illam inchoationem, ergo nihil eius præcedit, ergo forma fit ex nihilo ſui, ergo creatur, & non generatur, at formæ non creantur, ergo præcedunt ſecundum illam inchoationem. Hoc argumentum ſic retorqueo: illa pars formæ, quæ de nouo producitur, non præceſſit in materia, quia de nouo generatur, ergo fit ex nihilo ſui, quia pars ſiue inchoatio præcedens, ab illa diſtinguitur, ergo illa pars etiam creatur, & ſequitur in tua ſententia idem inconueniens, quod etiam ſequitur in quauis accidentali forma.

§. 12. Nonnulli quorum meminit P. Suarez ſupra numero 9. huic argumento ſuccumbentes, arbitrati ſunt omnem formam ſubſtantialem creari, quia nihil eius præcedit, quos P. Suarez impugnat, quia ſequeretur formam materialem eſſe immortalem, quia eſſet ſubſiſtens, & à materia independens: ſecundò, quia etiam crearentur accidentia.

§. 13. Sed ex ea ſententia non ſequitur primum abſurdum: quia iuxta eam diſtinguenda eſſet duplex creatio, altera ex nihilo tamquam ex *termino à quo*, ideſt, cum nihil termini producti in materia præceſſit; altera ex nihilo tamquam ex *termino à quo, & tamquam intrinſeco principio*; ſic autem non crearentur materiales formæ, ſiue accidentales, ſiue ſubſtantiales: quia dependerent à ſubiecto, de quo genere creationis eſt commune adagium, *creatio eſt rei ſubſiſtentis*; ea verò, quæ in primo ſenſu crearentur, rectè poſſent eſſe corruptibilia, vt nunc ſunt.

Impugnatur ergo præcedens opinio à priori, quia creatio non dicitur *ex nihilo* tamquam ex termino à quo, ſed tamquam ex ſubiecto: quæ enim non continentur in potentia paſſiua, non fiunt ex illa; quæ verò continentur, fiunt ex illa, & non ex nihilo: quod ſi ly *ex nihilo* excludat omnem cauſam, certè nulla erit creatio, quia omnis actio oritur ex aliquo principio, ly ergo *ex nihilo* excludit ſolos concurſus cauſæ intrinſecæ. Vnde ad argumentum negatur ſecunda conſequentia, quia, licet nihil formæ præcedat actu, tota tamen continetur in virtute paſſiua materiæ, *ex qua* fit, & non *ex nihilo*. *Ex nihilo* autem *nihil fieri*, vetus fuit rudium Philoſophorum delyrium, opinantium materiam primam eſſe improductam, quibus repugnat fides, rationiſque lumen: eſt tamen verum prouerbium de agente creato, quod aliquid creare non poteſt. §. 14.

Secundò præmitto, omnes formas (ſi à rationali diſcedas) eſſe verè, & propriè generatas, & eductas de potentia materiæ. Probatur, quia omnis forma materialis in ſuo eſſe eſt intrinſecè dependens à materia, tamquam à ſubiecto, ergo omnis forma materialis educitur de potentia materiæ. Antecedens patet. Primò; quia ſi aliqua forma illarum eſſet independens à materia, eſſet quidem immortalis, ſicut eſt animus rationalis. Secundò eſſet ſpiritualis, quod fidei repugnat, quia animus rationalis ea ratione monſtratur eſſe ſpiritualis, quia eſt actus ſubſiſtens independens à materia. Tertiò, quia, ſi aliqua forma eſſet independens à materia, haberet etiam aliquam operationem independentem à materia, ſicut eam habet animus rationalis, quia vnaquæque res poteſt operari eo modo, quo ipſa eſt. Denique omnes rationes, quibus probamus ſpiritualitatem animi rationalis, probãt idem de quauis forma independente à materia; vel certè in probatione animæ caſſæ redduntur. Vnde eam opinionem, quæ affirmaret formas cœli non dependere propriè à materia, ſicut forma equi, habeo ſuſpectam. Iam verò probo conſequentiam primi enthymematis, quia vnaquæque forma educitur ex potentia, in qua continetur, ſed formæ materiales continentur in potentia materiæ, ergo ex illa educuntur: tunc ſic, ergo non creantur, quia non producuntur ex nihilo; ergo generantur, quia educuntur ex præſuppoſito ſubiecto. §. 15.

Hanc ſententiam limitat Pater Suarez illa ſectione 2. n. 17. ad ſolas ſublunares formas: de cœleſtibus affirmat, eas non generari, neque educi de potentia materiæ, quia licet ab illa dependeant, totum tamen cœlum vnica fit actione creatiua, qua concreantur materia & forma, ergo non generatur. §. 16.

Huic ſententiæ diſſentior, quia materia, & forma cœli fiunt actionibus ſpecie diſtinctis; quia actio eſt modus, qui non poteſt identificari cum rebus ſpecie diſtinctis, quo argumento paſſim vtitur ipſe P. Suarez 2. Met. diſp. 34. tota ſect. 5. Ad probandum ſubſiſtentiam compoſiti naturalis includere duos modos diſtinctos, quia vnus modus non poteſt cum rebus identificari diuerſis. Secundo probatur diuerſitas earum actionum: ex modo tendendi, quia vt terminatur ad materiam, vna tendit in rem per ſe ſubſiſtentem, independentem à ſubiecto; vt verò terminatur ad formam, tendit in rem exiſtentem, & dependentem in eſſe à materia. Tertiò ex prioritate, qua materia præcedit. §. 17.

Quæ

Quæ eſt cauſa receptiua formæ:quæ, quia materialis eſt, eſt à materia dependens: ſed materia non præiret natura formę ſi fierent actione eadem:ergo. Probo minorem; quia in illo priori conciperetur actio & eius terminus adæquatus, qui formam includit.item materia eſſet ſubiectum ſui ipſius, quia eſſet ſubiectum eius actionis, per quam reciperet formam:ſed etiam reciperet ſe ipſam: quia illamet actio eſt etiam productio materiæ:ergo.

§. 18. Sed eſto fiant vna actione, adhuc non creatur forma cœli;quia, vt eſt productio formæ, eſt illius eductio de potentia materiæ,ad quam ſimul materia concurrit: ergo vt terminatur ad formam, non eſt creatio,ſed generatio, quia generatio eſt *productio formæ ex ſubiecto concurrente*: antecedens patet, quia(vt diximus) materia cœli eſt cauſa materialis formæ cœleſtis.

§. 19. Dices,non poſſe eamdem actionem eſſe generationem, & creationem. Reſpondeo, id eſſe verum quia nulla actio identificatur cum duobus terminis ſpecie diſtinctis: admiſſa verò per te tali identificatione nullum eſt inconueniens eamdem actionem eſſe generationem, & creationem pro diuerſitate terminorum,& ſicut tu nullum reputas abſurdum eadem actione produci materiam ſubſiſtentem, & formam dependentem à materia, nec cenſere debes abſurdum, eas duas rationes eidem conuenire actioni, immò verò ipſe P. Suarez ſect. 3. diſtinguit partiatim actiones ad materiam & formam,qua diſtinctione admiſſa nulla noſtro argumento poteſt obiici difficultas.

§. 20. Dices, ad eductionem requiri priuationem in materia. Sed id probari non poteſt, ſufficit enim rem fieri ex ſubiecto,à quo pendet,vt patet in prima productione terræ,& lucis cum ſole.

§. 21. Tertiò defini formam, ex P.Suarez ſupra ſect.5. *forma eſt ſubſtantia ſimplex incompleta, actus per ſe materiæ, vnum per ſe cum illa efficiens.* Quæ definitio ex ipſo P. Suarez ex dictis præſertim ſect. 5. facile poteſt expediri.

§. 22. Quartò,videatur P.Suarez ſupra ſect.6. de cauſalitate formæ.Primò namque eius eſſentia,& ſubſtantia eſt principium cauſandi compoſitum ſine vlla potentia accidentali, media qua vniatur materia,iiſdem omnino rationibus,quibus idem probatum eſt de materia, diſputat. 2. ſect. 4. Secundò de conditionibus ad cauſandum aſſero exiſtentiam non eſſe conditionem, ſed ipſam cauſandi rationem. Deinde propinquitas localis requiritur, ita vt nullo pacto poſſit intelligi formam & materiam diſtantes vniri, tamdem requiruntur omnes conditiones, & proprietates, à quibus forma à poſteriori dependet.

§. 23. De ratione formali cauſandi,ſi vera eſſet opinio affirmans, materiam verè à forma pendere, duplex eſſet diſtinguenda cauſatio, alia formæ in materiam, & hæc eſſet productio materiæ in formam recepta (vt dixi diſputatione 2. ſectione. 8.) Alia cauſatio eſſet in totum, hæc autem eſt vnio, quæ ſola eſt cauſalitas formæ, à qua vnione tamquam à comitante materia dependet.

§. 24. Quintò vide in eodem P. Suarez ſect.7. quis ſit effectus formæ? proprius enim & adæquatus eſt compoſitum, quia non pendet materia à forma: at verò impropriè, & à poſteriori materia eſt effectus formæ quia ab ea pendet tamquam à comitante.Ibidem lege numero 6. Compoſitum perfectius ſola forma eſſe,quia includit formam,& materiam,quæ materia licet ſit ignobilior, quàm forma, continet tamen aliquam perfectionem, quæ nec formaliter, nec eminenter in forma côtinetur.

Dices,ex Deo & creaturis non fit aliquid perfectius Deo: ergo neque ex forma & materia. Nego conſequentiam,quia infinitæ Dei perfectioni non poteſt fieri accretio,ſecus finitæ formæ. §. 25.

Tandem aduerte,formam materialem non poſſe ex natura ſua cohærere, & exiſtere ſine materia, quia ab ea dependet intrinſecè & in *fieri*, & *eſſe*: quia petit generatione produci, quæ eſſentialiter pendet à ſubiecto; ſi verò Deus velit formam ſine materia conſeruare, id debet fieri per creationem, per quam, quia perfectior eſt generatione, ſupplet Deus in genere cauſæ efficientis concurſum cauſæ materialis. Hoc probatur oppoſitis rationibus, quibus diſputat. 2. ſect. 9. probaui materiam primam eodem concurſu poſſe conſeruari à Deo ſine forma,ac modo. Poſſe autem formam exiſtere abiunctam à materia euidens eſt: primò, quia nulla affertur contradictionis ratio: ſecundò, quia forma non eſt eſſentialis affectio materiæ; quia non eſt modus, ſed illam afficit media vnione, ſine qua poteſt produci. Tertiò, quia accidentia conſeruantur in Euchariſtia ſine ſubiecto: ergo multo melius forma ſubſtantialis,quæ minus pendet à materia,quàm accidentalis. §. 26.

SECTIO III.

Vtrum in materia ſint plures formæ ſubſtantiales?

HAc de re videndus eſt P.Suarez 1. metaphyſi. diſput.13.ſect.3. num.12. & diſput.15. ſect. 10. Prima ſententia aſſerit in materia tot eſſe formas ſubſtantiales, quot ſunt prædicata eſſentialia. Primò ex Ariſtotele 7. metaphyſicæ, cap. 10. aſſerente, partibus definitionis reſpondere partes rei. Secundò ex eodem 2.metaphyſicæ cap.2.affirmante in formis ſubſtantialibus nô dari proceſſum in infinitum, quia non datur in côceptibus quidditatiuis. Verum leuia ſunt hæc fundamenta: primum namque intellige de phyſica definitione,quę datur per partes phyſicas,vel de metaphyſica,cui reſpondent partes obiecti, non quia ſint realiter partes, ſed quia ita extrinſecè denominantur, vt *animal* & *rationale* dicuntur partes metaphyſicæ *hominis*. Secundum nihil concludit, illud enim Ariſtoteles adducit,vt euidens principium,quia ex quauis forma eſſentiali oritur vnum, vt minimum, prædicatum. Vnde ſi hæc ſunt finita, formæ non poſſunt eſſe infinitæ.At non dixit Ariſtoteles cuiuis prædicato reſpondere formam diſtinctam, vt patet in definitione Angelorum. §. 27.

Euidenti etiam ratione hanc ſententiam impugno; quia etiam deberent eſſe plures materiæ, quod eſt ridiculum:patet ſequi, quia etiam in materia ſunt plura prædicata eſſentialia, nam materia vt ſic abſtrahit à ſublunari & cœleſti, quarum quælibet alia habet prædicata: item in homine eſſent plures animæ rationales; alia intellectiua vt ſic, alia per apprehenſionem in communi, alia per iudicium, alia per diſcurſum, alia per ſenſus in communi, alia per viſum, alia per auditum,&c. Quia omnia illa ſunt prædicata eſſentialia, quæ omnia ſunt ridicula. Ratio à priori eſt, quia conceptus formantur à nobis per ordinem ad extrinſecum connotatum: pro varietate verò eſſentiali connotati, obiectiui conceptus diuerſimodè denominantur, ſic *homo* dicitur *animal*, quia concipitur per ordinem ad ſenſionem, *rationale* verò per ordinem ad diſcurſum, *animal* autem §. 28.

&

& *rationale* idem ſunt, de quo latè diſputatione 5. & 6.Metaphyſicæ.

§. 29. Secunda opinio eſt Scoti, & aliorum quos refert P. Suarez numero 8. conſtituentium formam corporeitatis in materia ad excipiendas animas tam rationalem, quam irrationales. Præcipuum fundamentum eſt, quia anima dicitur, & eſt *actus corporis phyſici organici*, ergo anima informat corpus phyſicum, ideſt, compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali. Vide alia fundamenta ſupra, quæ optimè diluit P. Suarez. Hoc autem leue eſt, vocatur enim anima *actus corporis phyſici*, vel quia in corpore phyſico habet rationem actus, vel quia materia organizata eſt corpus phyſicum propter ſenſiles qualitates. Impugnatur verò opinio Scoti primò, quia nullo fundamento multiplicat formas ſubſtantiales. Secundò homo eſt vnum per ſe, & non per accidens, ergo in eo non ſunt duæ formæ ſubſtantiales;patet conſequentia, quia ex vno ente completo & ex alia forma ſubſtantiali non fit vnum per ſe.

§. 30. Dices materiam cum illa forma eſſe ens incompletum. Contra,quia quæuis forma, cum ſit indiuidua,pertinet ad phyſicam ſpeciem atomam,ergo conſtituit ſpeciem completam, tum quia eſt materia, & actus eiuſdem generis, tum quia neque lapis, neque inanimata eſſent ſpecies completæ. Quid enim habet illa forma, vt non ſit actus ſpeciei completæ,vt eſt forma lapidis?

§. 31. Tertiò, quia, ad corporis organizationem ipſa anima ſufficit, *qui enim dat formam,dat conſequentia ad formam*; ſic videmus omnes formas eſſe principia actiua inſtrumentorum, quibus egent ad ſuas functiones,vt ignis caloris & ſiccitatis,animus potentiarum,ergo etiam ſenſuum externorum, & internorum, neque enim videtur, cui rei illa forma deſeruiat, non ad efficiendos ſenſus; nam hi fiunt à forma vitali, qualis illa non eſt. Nec item ad efficiendas diſpoſitiones, & organa ſenſoria, hæc enim fieri virtute formatrice ſeminis, & vteri patebit diſputatione ſecunda de generatione, ſectione quinta: nec item forma corporeitatis poteſt vti ſenſibus, quia non eſt viuens: nec poteſt eos recipere:quia vel in materia, vel in compoſito recipiuntur, per quos anima exercet vitam, ergo non ſunt in alia forma. Dices corpus eſſe diſpoſitum ante productionem animalis. Reſpondeo, id fieri virtute ſeminis, ac fœminæ, ſicut ignis calore diſponit lignum ad concipiendum ignem, adueniente forma conſeruat præcedentes diſpoſitiones,vel iis corruptis alias producit.

§. 32. Quartò, quia nulla forma eſt apta ad recipiendum aliam ſubſtantialem, alioqui eſſet materia, immo & materia poſſet informare aliam formam, quod eſt confundere munera actus, & potentiæ ſubſtantialis.

§. 33. Hinc obiter manet impugnata ſententia conſtituens formam incompletam neceſſariam ad excipiendas alias formas, vlteriuſque impugnatur, quia ad id ſufficit quantitas, quæ materiam extendit, ad eam verò aut contrahendam, aut protrahendam ſufficiunt raritas, & denſitas, vnde efficax ſumitur argumentum, quia demus materiam cum ea forma, adhuc eget quantitate ad extenſionem, & ſimul cum hac eget rarefactione, & condenſatione, ergo ad extenſionem materiæ talis forma non ſeruit, ſed illa accidentia cum materia: à formis autem oriuntur peculiares diſpoſitiones, vt à forma terræ denſitas, ab ignea raritas.

§. 34. Vnde patet, formas elementorum non manere formaliter in mixto:primò, quia nullum eſt earum veſtigium,quia calor,frigus,ſiccitas, & humor veniunt à forma mixti, quia non ſunt in eo in ſummo gradu, vt ſunt in elementis, quæ conſeruari non poſſunt, niſi cum maiori gradu alicuius qualitatis quàm eſt in mixto.

Secundò, quia vel ponitur vna forma elementi in vna parte materiæ, ſimul cum forma mixti, quod eſt ridiculum, quia nulla eſt pars viuentis, quæ non habeat primas qualitates contrarias. Vnde vel nulla eſt ibidem forma elementi, vel ſunt omnes. Aut in eadem parte viuentis ſunt ſolæ omnes formæ elementorum, quæ ſimul vnitæ dicuntur forma mixti,quod eſt ridiculum,tum,quia omnia mixta eſſent vnius ſpeciei, & entia per accidens,vt domus,exercitus,&c.Tum quia formæ repugnantes, & primo contrariæ ratione ſuarum qualitatum eſſent ſimul, & conſequenter vnum elementum non fieret ex alio, item ſi ex vno effectu colligis adeſſe formam, ergo in aëre erit forma ſolis, à qua oritur lux, & in animali erit eadem forma ſolis, quia etiam amotum à ſole æſtuat calore à ſole producto. §. 35.

Tandem ex multiplicitate formarum ſubſtantialium impugnatur, vt ſupra, nam ſimiliter eſſet vnum ens per accidens. Vel vltimo ſimul cum forma mixti reperiuntur omnes elementares, quod præter dicta reiicio, quia omnes illæ diſpoſitiones oriuntur ex forma mixti, anima enim ſicut eſt principium viuendi, ita & caloris neceſſarij ad vitam: calor enim vt producitur à ſole, ita poteſt & ab aliis formis diſtinctis ab elementaribus, quia in cauſa æquiuoca continentur plures effectus accidentarij, vnde reiiciendæ ſunt aliæ. Vide P. Suarez ſupra num.41. §. 36.

Vnde conclude in vna parte materiæ vnam eſſe formam ſubſtantialem, quia cum ea materia facit vnum compoſitum per ſe, & quia non poteſt materia eſſe ſimul in pluribus ſpeciebus, quia ſi duæ poſſent, eſſe poſſent & in quouis numero. Dices eſſe plura accidentia, ergo & plures formæ ſubſtantiales. Nego conſequentiam: quia accidens non conſtituit vnum per ſe, & cum ſit perfectio, aut inſtrumentum formæ, poſſunt multiplicari ad varia munera, vt in ſenſibilibus ſenſus, &c. §. 37.

Sed aduerte non poſſe accidentia eſſe niſi in gradu remiſſo in contrariis prouenientia à formis diuerſis, vt in terra diſpoſitiones auri, quia ab vnaquaque forma peculiares ſuæ diſpoſitiones manant; igitur duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt ſimul eſſe, quia, ſi id fieret ex rei natura, efficerent vnum per accidens, quia altera adueniret enti completo. Item nulla forma petit primas qualitates, & ſecundas in eodem gradu, quo alia. Nam vna eſt frigidior, rarior, aut denſior, &c. Quam ob rem materia non capit niſi vnam: accidentia verò capit multa:tum vt ſeruiant illi formæ,tum vt ad aliam diſponant. §. 38.

Poſſet inquiri num de potentia abſoluta poſſint eſſe ſimul in eadem materia duæ formæ ſubſtantiales non ſubordinatæ, ſed vnaquæque immediatè vnita materiæ?In affirmationem inclinor cum Patre Suarez ſupra illa ſectione 10. num. 60. Quia id nullam repugnantiam inuoluit,vnio enim & forma continentur in virtute materiæ; quod verò ſimul eſſe non poſſint, prouenit ex naturali neceſſitate. Deinde duo contraria in gradu intenſo poſſunt de potentia abſoluta eſſe ſimul, & duæ quantitates in eodem ſpatio & vna quantitas ſimul duobus in locis, ergo & duæ formæ ſimul in eadem materia. §. 39.

Compoſi

§. 40. Compoſitum illud eſſet eſſentiale, & ſubſtantiale, quia vnio vtriuſque formæ eſſet ſubſtantialis: ſuppono enim eadem vnione, quia vnaquæque forma vniretur materiæ carenti alia forma, eadem (inquam) in noſtro caſu vniendam, illa autem vnio, & ſubſtantialis, & eſſentialis eſt. Sed rogas, quo pacto ex vno ente in actu completo,& alio fiat vnum & non per accidens? Reſpondeo, id intelligi de ente completo, quod petat vniri alij enti, & ab illo perfici, vt in opinionibus relatis non poteſt fieri vnum per ſe ex forma corporeitatis vnita materiæ, & ex animo, quia non poteſt vlterius ordinari ad alium actum materia exiſtens in vno actu completo: in noſtro verò caſu nulla fit talis ordinatio; quia neutra forma recipit alteram, neque ad eam diſponit, vnde de potentia abſoluta rectè poſſunt eſſe illæ formæ cum connaturalibus ſuis vnionibus, quin efficiant vnum per accidens, quia ſingulæ vniones petunt ſubiectum carens vnione alia ſubſtantiali: per accidens autem ſimul componuntur per extrinſecam voluntatem Dei, contra naturales cuiuſque leges; quod ſi ex natura ſua peterent eſſe ſimul, efficerent vnum per accidens, vt dixi.

§. 41. Præterea, illud compoſitum neque eſſet adæquatè idem, neque adæquatè diuerſum, quia id, quod ſignificatur in recto, neque eſſet omnino idem, nec diuerſum: verbi gratia, *lignum* dicit in recto materiam, & formam, & vnionem: idem dicit *aurum*. Si contingeret vniri formam auri materiæ informatæ forma ligni, eamdem haberent materiam aurum, & lignum. Vnde ibidem eſſet aurum & lignum, diuerſa quidem ex parte formæ, & vnionis, ſed omnino idem ex parte materiæ. Dices ad cauſandum ſpeciem diuerſam ſufficere diuerſitatem formæ ſolius, vt *homo*, & *leo* differunt penes formas, ergo & ad diſtinctionem numericam. Nego conſequentiam, quia diuerſitas ſpecifica prouenit ex inæqualitate, hæc autem parum refert, ſi ab hac, vel illa parte proueniat, at multitudo prouenit ex ſignificatis in recto, vt duo homines cum eadem albedine, ſunt duo albi, & vnus cum duabus eſt vnum album, quia album ſignificat in recto ſubiectum,& in obliquo albedinem.

§. 42. Nec dici poſſet tunc *lignum eſt aurum*, nec *aurum eſt lignum*, ſicut dicitur *album eſſe dulce*, & *dulce eſſe album*; ratio eſt, quia ſignificatum in recto non eſt idem, ideo hæc eſt vera, *album eſt dulce*, quia idem ſubiectum afficitur albedine, & dulcedine. Sed cur hæc eſt vera *Deus eſt homo*? & *homo eſt Deus*? quia ibidem ſignificatur ſuppoſitum in recto, quod eſt idem in humanitate, & diuinitate; vnde non dicuntur *duæ perſonæ*, ſed vna in duabus naturis, & in diuinis non dicuntur *tres Dij*, quia Deitas in recto ſignificata eſt vna ſola, dicuntur verò tres perſonæ, quia, licet natura ſit vna, at perſonalitates in recto ſignificatæ ſunt tres, de quo prima parte latè diſſeritur, & à me præſtitum eſt diſputatione, 50. in 3. part. nobis ſufficiat illas denominatones ſumi ex vnione ad ſuppoſitum, ſiue hypoſtatica, at in caſu, de quo loquimur, non eſt idem ſuppoſitum, quia quæuis forma habet ibidem propriam ſubſiſtentiam. Quid verò eſſet, ſi eſſet earum vna ſubſiſtentia, nec aurum eſſet lignum, & è contra, ſicut homo Deus? num id fieri poſſit? in metaphyſica diſcutietur.

DISPVTATIO V.

De vnione materiæ & formæ.

COMPOSITI naturalis exacta cognitio ſibi vendicat hanc diſputationem, eſt enim vnio de intrinſeca eius ratione.

SECTIO I.

Quid ſit vnio? & an ab vtroque extremo diſtincta?

VNio latè ſumitur pro quacumque coniunctione, ex qua fit vnum quauis ratione. Ita amor amicitiæ dicitur *voluntatum vnio*, qua amicorum voluntas dicitur vna, quia vtraque in eumdem tendit ſcopum: Coniunctio lignorum, ac parietum dicitur *vnio*, quia ex eis vna fit domus; & militum coniunctio, ex quibus copiæ reſultant, à qua vnus denominatur exercitus. Preſsè ſumitur, pro coniunctione duarum rerum, ex quibus vnum propriè,& in rigore reſultat,vt *punctum* ex quo reſultat linea,& *vnio* corporis & animi,ex qua homo. Aliquando ſumitur pro perfecta identitate, ſic Theologi affirmant,*quæ in creaturis ſunt diſperſa eſſe vnita in Deo*, ideſt, quæ in creaturis diſtinguuntur realiter, eſſe idem in Deo. Propriiſſime ergo ſumitur pro coniunctione duarum rerum, ex quibus compoſitum vnum efficitur. Eſt ergo vnio *compoſitio, & ratio formalis, ex qua reſultat totum in ratione totius*, vt actio eſt ratio formalis agendi, paſſio patiendi,& albedo albi. §. 1.

Vnde quando aliquod ens talis eſt naturæ, vt ipſum ſe ſolo cum ſubiecto efficiat compoſitionem, & ſubiectum denominet tamquam forma, tunc tale ens habet rationem eſſentialem vnionis ſui ipſius, verbi gratia. *Seſſio* eſt modus per ſe efficiens ſedentem, cui immediatè vnitur per ſe ipſam ſine alia vnione (vt eſt commune modis omnibus:) *ſeſſio* igitur ſe ipſa eſt vnio ſui ipſius. De hoc vnionis genere nequaquam diſputo in præſentia,quia ſimpliciter non eſt vnio: hæc enim eſt compoſitio duorum extremorum, ſicut actio eſt productio termini; agitur autem de vnione duarum entitatum perfectarum, quales ſunt materia,& forma. §. 2.

Diſtinctio realis, alia abſolutè vocatur *realis*, quæ reperitur inter duas entitates ita perfectas, vt vtraque ſine alia poſſit diuinitus eſſe, vt materia ſine forma,& è contra:alia diſtinctio realis dicitur *modalis*, ſiue ex natura rei, quando alterum è duobus extremis diuinitus eſſe non poteſt ſine altero: verbi gratia, agens poteſt eſſe ſine actione, non tamen actio ſine agente. §. 3.

SVBSECTIO I.

Vnio eſt ab vtroque extremo diſtincta.

DIco primo. Vnio non diſtinguitur realiter abſolutè ab extremis vnitis.Probatur, de potentia abſoluta non poteſt eſſe vnio, ſine extremis vnitis:ergo non diſtinguitur realiter abſolutè ab illis. Conſequentia patet ex prima diſtinctione: antecedens probatur, quia vnio eſt actualis coniunctio extremorum, quæ illa denominat actu vnita, ſed non poteſt actu vnire, & denominare extrema non exiſtentia, vt patet ex terminis: ergo non §. 4.

non poteſt eſſe vnio ſine extremis vnitis. Confirmatur, quia vnio non indiget alia vnione ad vniendum, alioqui ad vnionem daretur vnio, de qua ſecunda vnione eadem quæſtio rediret in infinitum: ergo eſſentia vnionis eſt actu vnire: ergo non poteſt manere vnio, quin actu vniat, ſed non poteſt actu vnire, quin ſint extrema, quæ vniat: ergo non poteſt vnio eſſe, quin ſint extrema: qua de re recognoſce diſp. 2. metaphyſ. ſect. 5. & 6. vbi latè enucleatur natura modorum.

§. 5. Dico ſecundo. Vnio diſtinguitur realiter modaliter ab extremis vnitis. Hic eſt communior Doctorum aſſenſus, P. Suarez 1. metaphyſ. diſput. 15. ſect. 6. præſertim num. 10. & P. Vazquez tom. 1. in 3. part. diſput. 19. num. 23. & diſput. 18. cap. 3. apud quem vide authores huius opinionis quæ nunc receptiſſima eſt, quam clariſſimè docet P. Suarez tom. 1. in 3. part. diſput. 8. ſect. 3. concluſione 3. & videtur expreſſa S. Thom ibi, quæſt. 2. art. 7. loquentis de vnione hypoſtatica, vt ibi explicui diſput. 17. ſect. 2. quem ſequitur Gabriel in 1. diſt. 30. quæſt. 4. art. 1. concluſione 4. Probatur, quia extrema poſſunt actu exiſtere ſine actuali vnione: ergo extrema habent aliquam diſtinctionem realem ab vnione. Antecedens probatur, tum quia Deus ſua virtute conſeruare poteſt formam equi abiunctam à materia, vt conſeruat in Eucharistia accidentia; tum in animo rationali, qui conſeruatur à materia ſeparatus. Sit ergo firmum de conceptu materiæ, & formæ non eſſe, actu eſſe vnitas. Conſequentia probatur, quia illud eſt euidens ſignum diſtinctionis, quando duæ res ita comparantur, vt corrupta altera, altera perſeueret; ſi enim eſſent eademmet indiuiſibilis entitas, implicaret omnino vnam corrumpi manente alia, neque enim id mente apprehendi poteſt. Confirmatur, vnio producitur diſtincta actione, qua extrema, ſed vbi ſunt diſtinctæ productiones, ſunt diſtinctæ entitates, vt diſput. 2. probaui, ergo vnio eſt entitas ab vtroque extremo diſtincta.

§. 6. Dices primò, vnionem non eſſe entitatem diſtinctam ab vtroque extremo, ſed eſſe formam in materia prout in materia, tanquam actus eſt in ſua potentia, quæ eſt doctrina Caietani 3. part. q. 2. art. 8. vbi comparat hanc vnionem vnioni hypoſtaticæ, quam dicit eſſe, filium Dei acquiſiuiſſe eſſe hominem, quod clarius dixerat art. 7. §. *in hoc articulo acutiſſimè.* Vbi ait vnionem hypoſtaticam eſſe ipſum eſſe perſonale verbi. Pro qua ſententia faciunt Gregorius & Nominales referendi diſput. 11. ſect. 4. negantes vniuerſim diſtinctionem motus à ſubiecto & termino, quibus hac in parte fauet P. Valentia tom. 4. diſput. 1. quæſt. 2. puncto 5. & expreſſè Gabriel in 1. diſt. 30. quæſt. 4. art. 1. concluſ. 5. Vide interim P. Vazquez tom. 1. in 3. p. diſput. 18. cap. 1. & P. Suarez diſputat. 8. ſect. 3. Sed contra, quia eſſe formam in materia tanquam eſt actus in ſua potentia, eſt aliquid diſtinctum realiter à materia, & forma; ergo & vnio eſt diſtincta realiter. Probatur antecedens, quia poteſt exiſtere materia, & forma, quin forma ſit in materia tanquam actus in potentia. Confirmatur; quia exiſtentia formæ in materia vt actus in potentia terminat actionem diſtinctam ab actione materiæ & formæ, ergo exiſtentia formæ in materia tanquam actus in potentia eſt, aliqua entitas ab vtraque diſtincta.

§. 7. Nec poteſt dici eſſe formam tanquam actum in potentia, addere ſupra vtramque ſolas materiæ diſpoſitiones. Primò, quia de potentia abſoluta poſſunt vniri materia, & forma ſine his diſpoſitionibus, ergo vnio in illis non conſiſtit. Secundò, quia diſpoſitiones ſunt accidentia præcedentia vnionem ipſam. Tertiò, quia accidentia fiunt per alterationem, vnio verò per generationem ſubſtantialem: tandem, quia exiſtente materia cum ſuis diſpoſitionibus poteſt animus rationalis conſeruari ſine vnione, qui à materia diſpoſita nullam habet dependentiam, tunc ſic, ſi in eo caſu vniretur forma materiæ non vniretur per diſpoſitiones, quia his exiſtentibus non fiebat vnio, ergo vniretur per aliquam entitatem diſtinctam realiter à materia, forma, & diſpoſitionibus.

Nec poteſt affirmari vnionem addere ſupra materiam, formam, & diſpoſitiones, propinquitatem localem: primò, quia mutato compoſito ex vno loco in alium non mutatur vnio, ergo vnio non includit formaliter vbicationem. Secundò, quia prius natura forma materialis vnitur materiæ, quàm habeat vbicationem, quia à materia pendet à priori, ab vbicatione autem à poſteriori, ergo vnio eſt prior, quàm vbicatio. Tertiò, quia vbicatio eſt accidens, quod non poteſt facere vnum per ſe, vnio verò eſt ſubſtantialis: tandem, quia generatio ſubſtantialis hominis non terminatur ad vbicationem, ſed ad eſſentiam hominis, quis autem dicat vbicationem eſſe de eſſentia hominis? Immo verò exiſtente animo propinquo corpori diſpoſito poteſt non eſſe vtriuſque vnio, ergo hæc diſtinguitur à materia, forma, & diſpoſitionibus, & propinquitate. §. 8.

Dices ſecundò, vnionem habere aliquam diſtinctionem à materia, forma, vbicatione, & diſpoſitionibus, ſed eam eſſe diſtinctionem actualem formalem, non verò actualem realem, per quam diſtinctionem formalem effringitur vis argumenti propoſiti, & eiuſdem confirmationis. Authores huius ſolutionis (vt credo) nobiſcum rebus conueniunt, vocibus autem diuerſis; quas oportet explicare: nam per *diſtinctionem formalem actualem* non intelligunt diſtinctionem rationis, vnio enim magis diſtinguitur ab extremis, quàm animal à rationali, quia hæc ſolum diſtinguuntur per extrinſecam denominationem intellectus, vnde à Deo non cognoſcuntur vt diſtincta, nec poteſt diuinitus animal exiſtere ſine rationali, aut è contra, ſecus vnio, quæ diſtinguitur ab extremis independenter à noſtro intellectu, & cognoſcuntur à Deo, vt diſtincta, & poſſunt extrema exiſtere ſine illa: ergo vnio non poteſt dici formalitas, ſola ratione ab vtroque extremo diſtincta. §. 9.

Nec dici poteſt diſtingui ab extremis per ſolam extrinſecam denominationem, ſicut diſtinguitur relatio prædicamentalis per coëxiſtentiam alterius relatiui, verbi gratia, duo alba ſunt ſimilia, quæ ſimilitudo præter intrinſecam entitatem cuiuſque albi, tantum addit extrinſecam denominationem ab albedine alterius albi. Diſtinctio igitur vnionis ab extremis non eſt hoc modo. Primò, quia vniri materiam formæ non eſt extrinſeca denominatio, ſed intrinſeca, quia eſt intrinſeca perfectio, & complementum vtriuſque, quo exercetur aptitudo, quam habent ad totum. Secundò, quia in extrinſeca denominatione reperiuntur duo extrema realiter diſtincta, vt in exemplo de duobus albis: ergo ſi extrema, & vnio diſtinguuntur hoc modo, debent dari duo extrema realiter diſtincta, inter quæ ſit relatio prædicamentalis: erunt ergo hæc extrema ex vna parte *materia & forma*; & ex alia *vnio:* ergo vnio diſtinguitur realiter à materia & forma, ſicut terminus relationis prædicamentalis ab alio termino. Confirmatur; exiſtente materia, & forma, §. 10.

non exiſtit vnio; at exiſtenti duplici albo exiſtit relatio ſimilitudinis: ergo vnionis relatio aliquid eſt præter illa duo extrema.

§.11. Nec poſſet hæc diſtinctio dici virtualis, tum quia diſtinctio virtualis ſimpliciter non eſt diſtinctio, ſed virtute, in quantum eadem entitas virtutem habet duarum, vt animus rationalis virtutem ſentiendi, & vegetandi; neque extrema ſic diſtincta poſſunt inuicem ſeparari, nec terminare actiones ſpecie diſtinctas, aut numero; animus enim, vt eſt ſenſitiuus, non poteſt exiſtere, nec produci ſine gradu rationali. Quæ omnia ſecus vnioni contingunt: ergo iſta tua diſtinctio *formalis actualis*, non eſt diſtinctio virtualis. Cum ergo nec ſit realis abſoluta, neque item ſit rationis, nec virtualis, nec per extrinſecam denominationem, ſupereſt, vt ſit realis modalis, aut ex natura rei, & quod nos vocamus *modum* ex natura rei realiter à ſubiecto diſtinctum, hi vocant *formalitatem* actu diſtinctam à ſubiecto.

§.12. Quod poteſt explicari, explicando phraſim horum authorum, aiunt enim iſtam formalitatem recenter aduenire ſubiecto, ſiue extremis vnitis, quam fatentur diſtincta actione produci, negant tamen eſſe aliquid realiter ab illis diſtinctum, ſed dicunt materialiter eſſe idem cum illis, quæ omnia & nos de modis aſſerimus, licet enim affirmemus, ex natura rei eos diſtingui à rebus, quas afficiunt: ſimpliciter tamen dicimus eſſe idem cum rebus ipſis, idem (inquam) non poſitiuè, id enim repugnare ſupra probaui, ſed negatiuè, id eſt, ex illis non conſtitui duas realitates perfectas inuicem ſeparabiles.

§.13. At ſi oppoſita ſententia velit, rem & eam formalitatem, eſſe poſitiuè vnam entitatem cum ſuis ſubiectis, ſicut animal, & rationale cum homine, aut attributa diuina cum Deo, fateor me exiſtimare euidenter eam ſententiam falſitatis argumento facto conuinci. Quod vlterius vrgeo in diuinis, in quibus ſingulare eſt eandem poſitiuè entitatem diuinam eſſe producibilem ſecundum relationes, & perſonas; & eſſe improducibilem ſecundum naturam, & attributa: admittere autem hoc myſterium humana ratione imperceptibile, in omnibus rebus creatis, durum admodum videtur, quia myſterium Trinitatis non excederet captum humanum, cum in beſtia & lapide idem reperiretur.

§.14. Præterea idem videtur dicendum de vnione hypoſtatica, & humanitate Chriſti, erit enim conſequenter dicendum, eſſe eandem entitatem poſitiuè, quod non caret abſurdo; quia humanitas Chriſti eſt omnino naturalis, & in ſe mutatur mutatione ſupernaturali, quia vnio hypoſtatica eſt ſupernaturalis, ſed eadem entitas non poteſt eſſe naturalis, & ſupernaturalis: ergo humanitas Chriſti, non eſt eadem entitas, cum vnione hypoſtatica. De quo latè egi in tertiam partem, quæſtione 4. vide diſputationem 6. metaphyſicæ ſectione 3. Vbi latè explico, & impugno diſtinctionem ex natura rei.

§.15. Sed obiiciunt aduerſarij, primò, eum modum, vt à nobis adſtruitur, eſſe diuerſam entitatem ab extremis, minus quidem perfectam, vt actus & potentiæ vitales ſunt diſtinctæ entitates ab animo, licet non poſſent vlla potentia ſine animo conſeruari. Reſpondeo talem modum eſſe entitatem diuerſam ab extremis, ſi entitatis nomine intelligas rem, quam tranſcendat *reubau* tam imperfectam, vt non poſſit exiſtere ſine ſuis extremis, vt affirmas de tua iſta formalitate: at vero talis modus non eſt entitas abſoluta, quæ poſſit conſeruari ſine extremis, vt tu dicis de formalitate illa; potentiæ verò vitales, ſi non poſſunt conſeruari ſine animo, ſunt modi illius. Si verò poſſunt conſeruari, ſunt res abſolutæ, de quo agemus diſput. 6. de anima ſect. 3.

Hinc obiiciunt ſecundò, hanc entitatem non §.16.
poſſe ſe ipſam vnire, ſed alia indigere, & ſic in infinitum. Negatur ſequela, vt enim id non ſequitur in tuis formalitatibus, ita neque in his modis, ea enim ratione eos affirmo, vt veniamus ad aliquam entitatem, quæ ſit eſſentialiter ratio *agendi, vniendi*, & *exiſtendi in loco*, quæ non indigeat alia in eo genere, vt punctum continuat lineam, & ſe illi: & (vt craſſiori minerua loquar) vnio, & vnit extrema inter ſe, & ſe illis, quemadmodum gluten glutinat duas papyros, & ſe illis: nam extrema ſunt indifferentia ad vnionem, quæ indifferentia tollitur per vnionem, quæ non eſt indifferens, ſed eſſentialiter determinata ad vniendum: ſic autem non eget alia vnione (vt latè oſtendo ea diſputat. 2. metaphyſic. ſectio. 5. & 6.) At ex his oritur tertia obiectio, quia ſequitur extrema non vniri per ſe immediatè, ſed mediatè. Hoc quoque negatur eadem ratione, qua tu negas in tuis formalitatibus. Ratio à priori, quia vnio immediata non tollit rationem formalem vniendi, ſed potius ratio formalis vniendi vtrumque attingit extremum: eſſet quidem mediata, ſi inter extrema interiiceretur aliquid, quod non eſſet vnio, ſeu ratio vniendi, vinculum autem non tollit immediationem rerum, quæ illo copulantur. Explicatur exemplo viſus, qui immediatè videt colorem, quia licet mediet viſio, mediat tamen tanquam ratio videndi. Sic mediat vnio: extrema ergo vniuntur immediatè vt *quod*; quia immediatè attinguntur vnione: at non vniuntur vt *quo*, nec mediatè, nec immediatè: quia id conuenit vnioni: ſicut viſus non videt vt *quo*, ſed vt *quod*, viſio autem vt *quo*.

Breuiter animaduerte ſequi ex dictis, vnionem §.17.
duorum extremorum nulla potêtia eſſe poſſe vnionem aliorum. Ratio enim, qua ego probo diſtingui materiam, & formam ab vnione, eadem probat vnionem corporis & animi Petri non poſſe eſſe vnionem corporis & animi Ioannis, quod ſic probo: quia exiſtente corpore & animo Petri cum ſua vnione, non exiſtit vnio corporis, & animi Ioannis, & hac corrupta non corrumpi vnionem Petri, & vtramque fieri per diſtinctas actiones, ergo vnio Petri, & Pauli diſtinguuntur inter ſe. Confirmatur, ea ratione corpus, & animus indigent vnione à ſe diſtincta, quia vtroque exiſtente, poſſunt non vniri, & vt vniantur aliquid debet illis ſuperaddi, ſed ſimiliter exiſtente vnione Petri, & materia, & forma Ioannis, illa vnio non vnit illa extrema, ergo vt vniantur debet illis aliquid ſuperaddi: qua de re latè agetur diſput. 2. metaphyſ. ſect. 5. An fieri poteſt de potentia abſoluta aliqua vnio, quæ vniat extrema vnibilia per duas vniones? Verbi gratia, vna quæ vniat animos Petri & Pauli vni, vel duobus, aut multis corporibus? Hanc quæſtionem tractare nulli rei vtile cenſeo.

SVBSECTIO II.

In recentes nonnullos Philoſophos.

NOnnulli recentes Philoſophi ne diſtinguant §.18.
relationem à fundamento, & ne illam conſtituant eſſe denominationem extrinſecam à fundamento & termino, confugiunt ad extrinſeca connotata.

connotata. Quorum ſententiam impugno diſp.6. metaph.à §.59. Quam hic breui præſtringam, non impugnandam quidem; ſed vt oſtendam malam eius authorum conſequentiam: qui erant conſequenter aſſerturi vnionem non eſſe diſtinctam ex natura rei ab extremis vnitis.

§.19. Dicunt ergo relationem ſimilitudinis non diſtingui ab albedine, v. g. ſed Petrum eſſe in albedine ſimilem Antonio per albedinem ſolam ipſius Petri; & non per albedinem Antonij, nec per aliquem modum ab vtraque diſtinctum. Dicunt item, Petrum ante exiſtentiam Antonij eſſe quidem *album*; quia hoc prædicatum nec in entitate, nec in denominatione pendet ab exiſtentia Antonij: at verò Petrum non eſſe ſimilem Antonio ante exiſtentiam Antonij ipſius: quia hoc prædicatum *ſimile* pendet ab exiſtentia Antonij connotata per ſimilitudinem: dicunt igitur ſimilitudinem in entitate non pendere ab Antonij exiſtentia, pendere tamen in denominatione *ſimilis*.

§.20. Quod ſi eis obiicias. *Antea non erat realiter ſimilitudo: & nunc eſt realiter; ergo ſimilitudo Petri diſtinguitur realiter ab eius albedine.* Reſpondent: *diſtinguo antecedens; ſimilitudo non erat in ratione entitatis, nego antecedens; non erat in ratione denominationis, concedo antecedens; & nego conſequentiam.* Quod confirmant exemplo actuum liberorum Dei; potuit enim Deus non velle mundum: qui actus quo ad entitatem non potuit non eſſe; potuit tamen quoad denominationem. Hæc illi.

§.21. Contra quos ad hominem argumentor: poteſt exiſtere albedo cum denominatione *albi* quin exiſtat cum denominatione *ſimilis*; & poſtea poteſt exiſtere cum denominatione *ſimilis* ſine nouo ente à quo habeat eam denominationem: ergo poſſunt exiſtere materia & forma in ratione *entis*, quin exiſtant cum denominatione *vniti*; & hanc denominationem poſtea habere ſine nouo ente *vnionis* ab vtroque extremo diſtincto. Probo conſequentiam: quia ſeparatio realis in ratione entis & in ratione denominationis non arguit, ex te, realem diſtinctionem, vt tu concedis in albedine, & relatione. Et aliunde poſſunt alia concurrere, à quibus pendeat materia & forma in ratione denominationis *vniti* & non in ratione entis.

§.22. Dicunt hoc genus denominandi non reperiri niſi in relatiuis prædicamentalibus; quia denominatio vnius pendet eſſentialiter ab exiſtentia alterius. Contra primùm, quia ipſi admittunt hoc genus denominationis in vnione ſubſtantiali: quia cenſent in myſterio Incarnationis eſſe duas vniones; alteram ſe tenentem ex parte humanitatis; alteram ex parte verbi; hanc autem non diſtinguunt à verbo; quod quidem ante vnionem ſe tenentem ex parte humanitatis manebat in ratione *entis*, non tamen in ratione *vniti*: poſita autem illa altera vnione eſt iam cum denominatione *vniti*. ergo non in ſolo prædicamento relationis eſt hæc doctrina; ſed etiam in hoc; ergo poterunt manere materia & forma in ratione *entis* & non in ratione *vniti*, & poſtea hanc nouam denominationem habere abſque vnione ab vtroque diſtincta: vt manet albedo ſine relatione diſtincta.

§.23. Contra ſecundò, argumentum horum authorum eſt ab actibus liberis Dei, qui poſſunt manere in ratione *entis* quin in ratione denominationis abſque aliquo extrinſeco: ſed actus liberi Dei argumento ſunt non ſolùm ad prædicamentum relationis, ſed ad alia: quia ipſi non ſunt relatio prædicamentalis: ergo vbi poſſunt eſſe diuerſa connotata extrinſeca, poterit eſſe ea diſtinctio: hæc autem connotata ſunt in vnione; quia materia, vt vniatur, pendet à forma, quam connotat: ergo eſt in vnione locus huic argumento non aliter ac in relatione.

Tertiò impugnatur à priori; quia ipſi non alio fundamento mouentur in prædicamento relationis, quàm poſſent moueri in cæteris rebus: ergo in omnibus eſt ratiocinandum ratione eâdem: Probo antecedens: quia eadem forma reſponſio reddi poteſt: vt enim ipſi dicunt, *relatio manet in entitate, non verò in denominatione*; poſſet quis dicere: *vnio manet in entitate, non verò in denominatione: Actio manet in entitate, non verò in denominatione: Duratio manet in entitate & non in denominatione: Vbicatio, cognitio, moralitas actuum peccatum &c. manent in entitate & non in denominatione.* Quapropter non pauci ex ipſis recurrunt ad complures difficultates in aliis prædicamentis expediendas. Quàm autem ſit abſurda ea ſententia; vel hinc colligitur, quod non ſolum vnio & modi cæteri non diſtinguantur à rebus (quod vel ipſi refugiunt) ſed quod nec cognitio nec infinita alia ſint diſtinguenda. §.24.

Secundò dicent, non eſſe in vnione rationem eandem: quia non ponuntur connotata è quibus oriatur denominatio *vniti*, quin oriatur nouus modus vnionis. Contra, ſunt ad vnionem neceſſario requiſitæ multæ diſpoſitiones, ſine quibus non eſt vnio; & quæ nec poſſunt eſſe abſque vnione: ergo iis poſitis aut ablatis peribit, aut erit recenter vnio quin ſit, aut pereat in ratione entis. §.25.

Quod ſi volunt connotatum eſſe talis naturæ vt eo poſito impoſſibile ſit per potentiam abſolutam impediri denominationem; Reſpondeo primùm ad hominem contra nonnullos; non eſſe cur diſtinguantur informatio & materializatio; quia poſita altera, non poteſt aliud extremum non vniri, vt ipſi dicunt de vnione ſe tenente ex parte verbi diuini. Secundò reſpondeo; poſita vltima diſpoſitione ad vnionem, & intima præſentia materiæ & formæ, non poſſe diuinitus impediri denominationem *vniti*, vt non poteſt impediri denominatio *ſimilium* poſito fundamento & termino: qua enim ratione id ipſi dicunt de relatione orta ex termino; idem ego dixerim de vnione orta ex iis accidentibus: nec enim alio fundamento ipſi agent in ſua relatione, quo non agatur contra ipſos in vnione. Dicam enim ego vnionem in ratione vnionis nihil eſſe præter materiam & formam connotantes ea accidentia: vt ipſi dicunt de albedine & relatione. §.26.

Quod explico in opinione diſtinguente ex natura rei relationem à fundamento & termino: in ea poteſt Deus diuinitus negare concurſum ad nouos illos modos; & relinquere duo alba ſimilia radicaliter, aut fundamentaliter, non tamen formaliter: ita poſitis omnibus requiſitis ad vnionem, poteſt Deus diuinitus impedire modum vnionis, & relinquere extrema vnibilia proximè, non tamen vnita: vt ergo tu dicis poſſe aut non poſſe impediri denominationem *ſimilis* poſito termino; quia hæc denominatio non aliunde pendet quam ex fundamenti terminíque exiſtentia; vel etiam pendet à libera voluntate Dei: ita ego dico non poſſe ex natura rei impediri denominationem *vniti*; de potentia autem abſoluta poſſe, aut non poſſe; quia non aliunde pendet quàm ab exiſtentia materiæ, formæ, ac diſpoſitionum; vel poſſe impediri, quia etiam pendet à libera voluntate Dei: eadem ergo gladiorum acie feriuntur ac feriunt: nec reſpondebunt verbum pro ſe, quod contra ſe non fiat. §.27.

§.28. Qui tamen nec ſe tuentur hoc verborum clypeo: nam exiſtente homine cum tempore vnius anni implicat non oriri denominationem *durantis* anno: poteſt ergo dici hominis duratio eſſe entitas hominis cum connotatione temporis extrinſeci: & dum tempus non connotatur, manebit annua duratio in ratione *entis*; quia eſt idem cum homine; & non manebit in denominatione *durantis*; quia non connotatur annus: eritque duratio denominatio intrinſeca: nec opus erit durationem diſtinguere vt modum intrinſecum à re durante. idémque argumentum erit de *vbi*: quod non diſtinguitur à corpore: quia corpus vt connotat diſtantiam ſtadij ab alio corpore, manet & in ratione *entis*, & denominationis *diſtantis* ſtadio: at ſi inter duo corpora poſſit aut minus ſtadio corpus interiici, diſtabunt plus aut minus: idémque dixerim de aliis rebus quas diſtinguunt: quod certe de *duratione* tam euidens eſt, vt mirer ab hominibus ingenio valentibus id tam oſcitanter omiſſum.

§.29. Tandem non eſſe neceſſariam hanc impotentiam abſolutam impediendi denominationem poſita entitate, probatur ex ipſis: mouentur enim exemplo actus liberi Dei; qui in ſua entitate conſiſtens, potuit nõ denominari *voluntas creandi mundi*: quæ denominatio non oritur ex aliquo connotato exiſtente prius, à quo ortum trahat denominatio *volentis*: ergo ſufficit poſſe impediri denominationem, nec opus eſt eam impediri non poſſe. Conſequentiam probo, quia Deus nec habet neceſſariò eam denominationem, & fuit in eius poteſtate eam habere & non habere. Antecedens probo: quia voluntas Dei non denominatur *volens* mundum ex eo quod mundus extiterit; nam exiſtentia mundi non eſt ratione noſtra cauſa vt Deus ſit formaliter volens; ſed potius quia Deus eſt formaliter volens, eſt cauſa mundi; exiſtit enim mundus quia Deus vult: & Deus non vult mundum, quia mundus exiſtit. Et quamuis non poſſunt ſeparari exiſtentia mundi & volitio formaliter Dei: non eſt quod hæc à mundo pendeat; ſed quod ab illa mundus: ergo vt ſit de nouo denominatio in ratione denominationis, non pendet ab aliquo connotato, ſed ex ſolo arbitratu Dei: ergo vt vnio ſit nunc in ratione *vnionis* non eſt opus vt non poſſit non exiſtere diuinitus. Sed quemadmodum non poteſt non eſſe mundus, in ordine ad quem Deus poſſit liberè denominationes diſtinctas habere: ita nec poteſt eſſe denominatio *vniti* ſine extrinſeco alio connotato; non tamen eſt opus vt id fiat neceſſario poſita entitate extremorum: ſicut Deus non vult neceſſariò poſita entitate ſuæ voluntatis.

§.30. Quod explico ad hominem: admittunt peccatum habituale eſſe connotationem actus præteriti ad non condonationem Dei, vel ad aliud connotatum extrinſecum: dicunt poſſe per extrinſecam & liberam voluntatem Dei remitti peccatum: tunc quid erat ante liberam condonationem ex quo neceſſario oriretur denominatio *peccati*? Nihil equidem; cum nulla mutatione phyſica facta illa denominatio perierit. Ergo ex ſola libera voluntate Dei pendet, vt ea denominatio pereat, aut duret: *pereat* per voluntatem directam illam interimendi: *duret* indirectè dum Deus non vult illam perire per ſuam condonationem: ergo potuit Deus velle vt ſit aut pereat denominatio *vniti* poſitis diſpoſitionibus. Item ipſi componunt de potentia abſoluta peccatum cum gratia: quæ ex natura ſua poterat abolere denominationem peccati: ergo hæ denominationes non ſunt ita neceſſariæ vt diuinitus impediri non queant. Poterit ergo Deus exiſtente materia, forma & diſpoſitione velle vt ſit, aut non ſit denominatio *vniti*.

Hinc impugno quod poſſet obiici, vnionem eſſe modum ex rei natura diſtinctum ab extremis: quia eſt neceſſe vt Deus aliquid faciat, ex quo reſultet *vniti* denominatio. Hoc (inquam) impugno tum ex §. 26. vnde conſtat de productione vltimæ diſpoſitionis, quæ non poteſt auferri ab vnione: tum ex §. 29. quia Deus liberè vult multa ſine tali mutatione phyſica: vult enim condonare peccatum veniale habituale ſine mutatione cum illo incompoſſibili (ex horum ſententia,) & poteſt abſque gratia condonare mortale habituale: item Deus ex multiplici fine poteſt creare mundum: qui actus ſunt valde diuerſi in ratione *denominationis*; quia poſſunt pertinere formaliter ad diuerſas virtutes: & Deus poteſt reflexè velle ſuos actus; quæ volitio nullam habet mutationem pro obiecto. Quæ omnia hi authores admittunt, & quidem ex parte obiecti ſufficit diuerſitas in ratione *denominationis*: antea enim non erat realiter denominatio in ratione denominationis; poſtea verò eſt: quod ſufficit ad terminandum nouum actum liberum. §.31.

Tandem obiicient, vnionem eſſe modum diſtinctum; quia eſt ſubſtantialis; quem conceptum habere non poſſet ſi oriretur ex diſpoſitionibus accidentariis. Contra primùm, quia diſpoſitiones accidentariæ ſunt conditio antecedens denominationem vnionis; non verò pertinent ad intrinſecum illius conceptum: ſed ad modum ſubſtantialem poſſunt eſſe diſpoſitiones accidentariæ: ergo & ad denominationem; quia illæ ſunt neceſſariæ ad compoſitum, de cuius eſſentia eſt denominatio *vniti* ſiue ab ipſis ſit partibus, ſiue à modo diſtincto. Itaque conſideranda eſt denominatio orta ex connotatis: ſi enim pertinet ad compoſitionem ſubſtantiæ, eſt ſubſtantialis, vt vnio verbi cum humanitate, vt ipſi dicunt: ſi autem eſt extra conceptum ſubſtantiæ, eſt accidens. Et quamuis in compoſito ſubſtantiali eſſet efficax argumentum; at non eſſet in accidentali; vnde vnio albedinis & quantitatis cum ſubſtantia non eſſet diſtincta; & maneret in Euchariſtia in ratione *entis*, & non in ratione *denominationis*; immo illa denominatio *vniti* eſt eſſentialis: nec poteſt concipi quin concipiatur intima præſentia materiæ & formæ: quia quemadmodum in mea ſententia modus vnionis pendet in cognitione ab intima præſentia extremorum; quia concipi non poteſt niſi inter extrema intimè præſentia; ita contingeret denominationi *vniti*. Quod ſi modus vnionis poſſet concipi quin concipiatur intima extremorum præſentia; ita & denominatio vniti: quæ eſſe non poteſt ſine connotatione diſpoſitionum & *vbi*: poteſt tamen concipi; vt de ipſo modo vnionis ab extremis diſtincto dicitur. §.32.

Poteſt autem voluntas Dei liberè terminari ad has denominationes; vt terminatur liberè reflexè ad ſuos actus directos, qui habent has denominationes cum connotatione ad extrinſeca; & ſicut deſtruit, per te, denominationem peccati. Ratio à priori: quia hæ denominationes verè ſunt poſſibiles à parte rei in ratione *denominationis*; ac propterea poſſunt cognoſci & efficaci amore aut odio haberi. Et quamuis aduerſarij non ita vinciantur vt obmuteſcant; quia inani verborum multitudine ſe tegi arbitrantur; tamen vrgeri poſſunt, quia in vnione, infinitiſque aliis rebus poſſunt eis aduerſarij reſpondere eadem ratione, qua ab ipſis reſpondetur: *quia Deus poteſt de nouo velle materiam & formam*, non in ratione entis, ſed in ratione denominationis. §.33.

nationis. Quod eſt in ea ſententia abſurdum non exiguum. Recognoſce §.24. Quod ſi dicas, poſita albedine non poſſe Deum non velle vt ſit album, ita nec poſita vnione vt non ſit vnitum. Contra, poſita ſimilitudine potuit non eſſe denominatio *ſimilium*, ergo poſita vnione potuit non eſſe denominatio *vniti*: Probo conſequentiam: quia ſicut albedo & ſimilitudo tribuunt ſuas denominationes *ſimilium*, ita materia, forma, & vnio ſuas *vniti*: & ſicut per te albedo ex defectu extremi connotati non tribuit denominationem *ſimilis*: ita materia & forma ex defectu decreti Dei extrinſecè connotati non tribuit denominationem *vniti*, quia hoc prædicatum eſt realiter ſeparabile ab entitate materiæ & formæ (quæ ſunt vnio) ſicut per te eſt ſeparabilis denominatio *ſimilium* ab entitate albedinis (quæ eſt relatio:) ergo potuit amari à Deo vt eſſet ſeparatum. De albedine in denominatione albi, dicam diſput. 6. metaphyſ. eſſe idem abſurdum ex ea ſententia. Nunc tamen dico illud prædicatum non poſſe ſeparari ab entitate albedinis vnitæ; quia eſt abſolutum: at denominatio cogniti ſeparari poteſt ab entitate cognitionis vnitæ, quia eſt relatiua: ſic denominatio *vniti* eſt ſeparabilis ab entitate vnionis.

SECTIO II.

Vtrum vnio ſit diſtincta ab actione, qua producitur forma?

§.34. DE vnione animi rationalis dubitari non poteſt, quin ſit ex natura rei diſtincta ab ipſius animi productione; hæc enim eſt independens à materia, ſecus illa; vnio procedit ab agente creato, productio verò à ſolo Deo.

§.35. De formæ materialis vnione vllus eſt controuerſiæ locus, cuius vnionem, & productionem eſſe idem ex natura rei probatur primò: quia productio formæ materialis eſt eductio formæ ex materia, ergo per eam actionem forma eſt in materia: patet conſequentia, quia educi eſt fieri cum dependentia ab illa, non poteſt autem dependere ab illa, niſi ſit in illa, ergo per talem actionem vnitur forma materiæ: patet conſequentia, quia vniri formam materiæ eſt formam eſſe in materia tanquam actum in potentia: per quam verò rationem magis eſt forma in materia tanquam actus in potentia quam per eam, per quam ipſa materia de potentia educitur in actum? ſed per talem actionem educitur materia de potentia in actum, ergo talis actio eſt vnio formæ, & materiæ.

§.36. Confirmatur primò, per eam actionem materia materializat, & cauſat formam, ſed materia materializat formaliter per vnionem, ergo illa actio eſt vnio. Confirmatur ſecundo, per eam actionem forma materiam informat, & illi communicat ſuum effectum formalem, hoc autem media præſtatur vnione, ergo illa actio eſt vnio.

§.37. Secundo arguitur; vnio eſt receptio formæ in materia, & informatio formæ, ſed illa actio eſt receptio formæ, quia eſt paſſio: item eſt informatio, quæ ſola ratione diſtinguitur à receptione; ſicut actio à paſſione, ergo productio formæ materialis eſt vnio illius.

§.38. Sed obiicis: vnio animi rationalis eſt diſtincta ab illius productione, ergo & vnio alterius formæ. Nulla eſt conſequentia; quia vnio animi rationalis eſt ſingularis, quia non eſt cum dependentia formæ à materia, neque animi creatio à materia pendet, ſecus contingit vnioni formæ materialis, neque enim aſſero, quamuis vnionem eſſe productionem formæ, ſed eam tantùm, quæ eſt dependentia formæ à materia.

§.39. Hæc ſententia diſplicet primò, quia ratio dependentiæ ſeu productionis formæ ex materia, non eſt ratio vniendi formam materiæ, ergo productio formæ diſtinguitur ab vnione. Probatur antecedens in vnione animi rationalis; quæ vnio per ſe ipſam eſt ratio vniendi, quia ſe vnit extremis, & extrema inter ſe, & tamen per ſe ipſam non dependet à materia, nec per ſe ipſam producitur, ſed per actionem à ſe ipſa diſtinctam, ergo ratio vniendi diſtinguitur realiter à productione formæ materialis.

§.40. Confirmatur, quia generatio hominis producit vnionem, & illa generatio non eſt formalis vnio, quia in ratione productionis aliquid producit, vt *quo*, ratione cuius homo producatur, vt *quod*, hoc autem eſt vnio. Item vnio pendet à materia per eam generationem, quia illa generatio eſt paſſio, paſſio autem eſt cauſalitas materiæ. Vnio autem non eſt cauſalitas, quia per illam cauſaretur aliquid materialiter: at in homine nihil poteſt materialiter per vnionem cauſari: ſed ipſa vnio cauſatur: non vt *quo*, quia per illam nihil cauſatur, ergo vt *quod*, quia eſt terminus cauſatus per paſſionem. Patet ergo non eſſe idem generationem rei, & eius vnionem: quia vnio eſt vnio ſui, & non eſt generatio ſui, quamuis per eam generationem verè pendeat, & educatur à ſubiecto.

§.41. Itaque conſiderandus eſt formalis effectus, quem hominis generatio præſtat; & quem vnio. Hæc eſt vnio corporis & animi; qua hæc extrema ſunt formaliter vnita: quæ vnio nullius termini eſt cauſalitas materiális; quia præter ipſam, nulla pars eſſentialis hominis pendet à cauſa materiali: ipſa item vnio eſt formaliter cauſata per eductionem, & productionem ſui; quæ eſt etiam hominis generatio, quia eſt generatio vnionis. Hæc autem generatio non eſt vnio corporis & animi, ſed eſt vnitio: per quam generatur vnio: ergo conceptus generationis non eſt vnio termini geniti cum ſubiecto ex quo generatur: nec vnionis conceptus eſt eſſe generationem, aut eductionem: cum hi conceptus ſint realiter ſeparati in hominis vnione & eiuſdem vnionis generatione: ergo conceptus generationis formæ materialis erit etiam realiter diſtinctus à conceptu vnionis eiuſdem formæ. Patet conſequentia, quia aduerſantium argumenta ſoluuntur in generatione hominis & vnione.

§.42. Secundo, ſi productio formæ materialis eſſet formaliter vnio, ſequeretur eandem actionem terminari ad ſe ipſam tanquam ad terminum per ſe productum, hoc implicat, ergo. Probatur maior, quia generatio compoſiti terminatur ad vnionem materiæ & formæ; tanquam ad terminum formalem, ſed per te vnio materiæ & formæ eſt ipſa productio formæ, & illa productio facit compoſitum, quia non eſt alia, à qua fiat, ergo illa actio terminatur ad ſe ipſam producendam.

§.43. Dices, generationem equi terminari ad formam equi: Contra, non ſolum ad formam ſecundum ſe, ſed ad formam vnitam. Nam terminus totalis eſt equus; ergo ex parte termini illius actionis reſpondet vnio, per quam conſtituitur compoſitum, ſed forma non eſt vnio, quia poteſt à Deo conſeruari, quin vniat, ergo actio vnitiua habet pro termino vnionem. Quamobrem generatio non vocatur vnio, ſed vnitio, id eſt, factio vnionis. Ratio à priori huius ſententiæ ſumitur ex ipſa

natura vnionis,quæ eſt vinculum & formalis compoſitio duarum partium producta per actionem diſtinctam, productio verò tantum eſt via, & cauſalitas, per quam agens & patiens ſuos attingunt effectus,& efficienter vnit partem vtramque. Adeo autem eſt certum productionem rei eſſe extra ipſius eſſentiam,& conceptum, terminum autem *quo* eſſe de eſſentia termini totalis, & *quod*, vt B.Thomas 1.p.q.40.art.2.dicat perſonas non conſtitui formaliter origine,ſed relatione: quia origo paſſiua concipitur vt via ad terminum,qua terminus originatur ab alio, quia origo diuina concipitur inſtar creatæ, quæ realiter eſt via ad terminum.

§.44. Ab aliis probatur hæc ſententia, quia idem eſt ignis productus ab alio igne ac conſeruatus à Deo; ſed non poſſet eſſe idem; ergo. Quod non admodum vrget: eſt enim idem non adæquatè, ſed inadæquatè: vt eſt idem homo ante & poſt nutritionem; quia partes ſunt eædem; & idem ignis poſt aggenerationem ac ante illam. Poteſt tamen argumento premi oppoſita ſententia; quia communiter aſſignatur diſtinctio ſpecifica inter actionem ſolius cauſæ primæ,& actionem cauſæ primæ ſimul atque ſecundæ: ergo prima ignis generatio à cauſa prima cum ſecunda differt ſpecie à conſeruatione à ſola cauſa prima: ergo ignis eſt ſpecie diuerſus: qui eſſentialiter eas actiones includit.Cauſa prima ſe ſola poteſt producere omnes effectus cauſæ ſecundæ, exceptis actionibus, quæ eſſentialem dicunt ordinem ad agentia creata. Vnde hinc non ſumitur efficax argumentum ad probandum vnionem poſſe fieri à ſolo Deo, quia fit à creatura: Reſponderetur enim eam vnionem eſſe actionem creaturæ, ſine qua eſſe non poteſt.

§.45. Ad primum, ex §.35. diſtinguitur primum conſequens, eſt forma in materia eam informando per actionem,nego conſequentiam, ab ea dependendo concedo; ſecunda conſequentia negatur, vt euidenter patet in vnione animi rationalis. Ad probationem conſequentiæ reſpondeo vnionem eſſe exiſtentiam formæ in materia, tanquam actus in potentia, informando, non autem dependendo, ſunt enim illi diuerſi conceptus:animus enim noſter eſt in materia, vt actus in potentia ſine dependentia ab illa, & eiuſdem vnio eſt in materia, ſicut actus in potentia per ſe ipſam formaliter, & non dependet à materia per ſe ipſam, ſed per generationem ab illa diſtinctam. Per productionem formæ materialis reducitur materia de potentia cauſatiua in actum, non verò de potentia vnitiua, ſeu compoſitiua. Ad primam confirmationem patebit ſectione ſequenti, vnionem non eſſe cauſalitatem materiæ. Ad ſecundam negatur antecedens. Ad ſecundum argumentum negatur maior, de qua ſectione 3.

SECTIO III.

Explicatur vnionis diſtinctio à cauſalitate materiæ.

§.46. EX dictis ſectione præcedente euidenter infertur, vnionem non eſſe cauſalitatem materiæ in formam: probatur primò, quia vnio animi rationalis cauſatur à materia per aliquid ab ipſa diſtinctum,ergo vnio non eſt cauſalitas materiæ: probatur antecedens, quia vnio cauſatur per generationem hominis,quæ generatio recepta in materia eſt motus,& paſſio ipſius materiæ, per quam mouetur de non vnita in vnitam, vide ſupra,à §.39.

Secundò probatur, quia actio, per quam producitur forma materialis, eſt cauſalitas materiæ in formam, ergo vnio non poteſt eſſe cauſalitas materiæ, quia materia non habet duas cauſalitates in eandem formam. Probatur antecedens, quia illa actio eſt paſſio à parte rei, ſed paſſio eſt cauſalitas materiæ, ergo & illa actio. De maiori non dubito, actio enim & paſſio ſola ratione diſtinguuntur, vt ſuppono ex diſput.11. ſect. 3. & ex diſput.16. metaphyſicæ, ſect.5. vbi probatur paſſionem nec ratione ab actione diſtingui: minor videtur certa, quia paſſio, vt paſſio, eſt via, & tendentia cauſæ in effectum, ſed vt paſſio non eſt tendentia agentis, quia vt agens non patitur, ergo eſt tendentia ſubiecti,ſeu materiæ, ergo paſſio formaliter eſt via ſeu cauſalitas materiæ. Probatur maior,tum quia paſſio eſt ratio recipiendi, ſeu patiendi, ſicut actio agendi, tum quia formaliter vt paſſio non eſt terminus,ergo eſt via ad terminum: antecedens patet, quia eadem entitas non eſt terminus ſui ipſius, nec paſſio poteſt eſſe terminus alterius actionis, quia ad paſſionem non datur actio. Conſequentia patet, quia quidquid producitur, aut eſt terminus productus aut ratio producendi. §.47.

Tertio, quia productio formæ materialis eſſentialiter eſt eductio illius de potentia materiæ, ergo per eandem actionem forma dependet à materia, quia educi de potentia materiæ eſt ab illa dependere, ergo ratio formalis educendi ex materia eſt ratio formalis dependendi ab illa.Primum antecedens probatur, quia productio formæ materialis eſt eſſentialiter generatio, ſed omnis generatio eſt eductio formæ de potentia materiæ, ergo productio formæ materialis eſt eſſentialiter eductio illius de potentia materiæ. Confirmatur, illa generatio reducit materiam primam de potentia in actum, ergo eſt cauſalitas illius; quia omnis reductio potentiæ in actum eſt cauſalitas. Antecedens probatur, quia generatio eſt ratio educendi formam ex potentia materiæ, ergo eſt reductio illius. §.48.

Dices generationem eſſe eductionem formæ dependentis à materia,non per generationem,ſed per vnionem. Contra, quia ipſa generatio eſt formaliter eductio formæ de potentia materiæ,id eſt,concurrente materia, ergo ipſamet generatio educitur de potentia materiæ, at non educitur vt terminus eductus, ergo educitur vt via ad terminum educendum; ergo terminus eductus dependet per illam à materia tanquam terminus eductus, ergo illa eſt cauſalitas materiæ in formam.Confirmatur,generatio eſt motus materiæ, per quam materia mouetur ad formam ſubſtantialem; ſed materia cauſat per motum ſuum terminum, quia motu mouetur ad terminum, ergo generatio eſt cauſalitas materiæ. Antecedens probo: quia generatio eſt motus,per quem agens mouet materiam,ergo materia mouetur per illam. Quarto, quia vnio intrinſecè pendet à forma, tanquam à ſubiecto,ſed actionem non pendere à forma, tanquam à ſubiecto, oſtendam diſput.11.ſect.7.ergo. §.49.

Huic ſententiæ refragari videtur communis opinio, aſſerens vnionem eſſe cauſalitatem materiæ. Reſpondeo primò,veram eſſe communem opinionem, & intelligendam de cauſalitate materiæ in compoſitum, ſicut etiam vnio eſt cauſalitas formæ in compoſitum, quia vtraque media vnione compoſitum conſtituit. Reſpondetur ſecundò, vnionem aliquando ſumi pro actione, ſiue vnitione, vt obſeruat P.Suarez 1. metaphyſ. diſputat.15.ſect.6. num.10.quæ vnitio eſt cauſalitas materiæ. §.50.

Sed in terminis metaphyſicis nobis aduerſatur §.51.

P.Suarez

P. Suarez ibidem ſect. 4. numer. 3. vbi videtur non admittere diſtinctionem inter productionem formæ, & vnionis, & ſect. 6. num 9. ſed clarius diſp. 13. ſect. 9. num. 11. Primò, quia in accidenti non diſtinguitur vnio ab inhærentia, ergo nec in forma ſubſtantiali vnio à dependentia materiæ. Secundò, quia propria dependentia cauſæ materialis intrinſecè, & eſſentialiter includit vnionem.

§. 52. Verum eadem ſect. 9. num. 8. docet ipſe, generationem eſſe cauſalitatem materiæ in formam in fieri, quod tenetur, & affirmare in facto eſſe, quia etiam in facto eſſe manet generatio, & eductio formæ de poteſtate materiæ; ergo ſicut per te forma in fieri dependet à materia per eam generationem, ſimiliter dependebit in facto eſſe; licet enim ſæpe perit actio, qua res primùm fuit effecta, at illi ſuccedit alia, quæ eodem modo ponit terminum à materia pendentem, quo actio prior; ergo per hanc ſequentem actionem conſeruatur terminus, ſicut fuit per primam productus; ſed per primam fuit productus cauſante materia terminum per eam actionem, ergo ſimiliter conſeruatur per conſequentem.

§. 53. Videantur rationes ſententiæ Patris Suarez illo num. 8. quæ omnes & meam concludunt. Ad primum negatur antecedens: inhærentia enim eſt productio accidentis cum dependentia à ſubiecto, quæ realiter diſtinguitur ab vnione illius. Ad ſecundum negatur antecedens; tota enim cauſalitas materiæ conſiſtit in generatione formæ, & non in vnione. Quin non eſt improbabile, poſſe de potentia abſoluta formam dependere à materia, & illi non vniri; forma enim producitur generatione diſtincta à generatione vnionis, cur autem Deus non poſſit producere primam ſine ſecunda? Item poteſt vniri forma materiæ, quin dependeat ab illa: poteſt enim Deus accidentia Euchariſtiæ creata manentia reunire materiæ. Porrò vnionem accidentium non eſſe inhærentiam eſt tam certum, quàm generationem ſubſtantiæ non eſſe vnionem illius; nam vtriuſque vnio, & generatio habent ſimiles rationes.

SECTIO IV.

Vnionis eſſentia.

§. 54. IN compoſitione materiæ, & formæ reperiri *informationem*, & *receptionem*, ſeu *materializationem* conſtans eſt Philoſophorum opinio; quas duas rationes oportet explicare ſimul cum illarum ſubiecto: hæc enim non poſſunt ſine incommodo abiungi. Informatio *eſt modus ille vnionis ſe tenens ex parte formæ, & illam perficiens vt ſubiectum, reſpicienſque materiam tanquam terminum formæ.* Informationem eſſe modum ex natura rei ab ipſa forma diſtinctum, eſt clarum, quia forma ſine illo poteſt exiſtere, vt animus ſeparatus. Eum verò modum eſſe vnionis, inde probatur, quia ille modus non eſt productio formæ, quæ per productionem non perficitur, perficitur autem per informationem. Secundò, quia informatio eſt formalis communicatio formæ, & compoſitio compoſiti, exercitiumque formæ, ſed forma informat materiam, & ſe exercet per vnionem, ergo illa informatio eſt vnio: probatur minor, quia forma in ſuo conceptu eſſentiali formæ reſpicit materiam tanquam alteram compartem, cui communicetur, & cum qua efficiat compoſitum: ergo exercitium formæ conſiſtit formaliter in vnione, quia partes ſe exercent in ratione partium, quando ſe inuicem communicant.

Informationem ſe tenere ex parte formæ probatur: quia eſt proprium exercitium formę, in quantum formæ. Ad quod aduerte, formam eſſe ordinem tranſcendentalem ſibi intrinſecum, & eſſentialem, per quem reſpicit materiam tanquam terminum; qui ordo, cum ſit imperfectus, eſt perfectibilis per informationem: quæ eſt actuale exercitium, & actualis relatio talis ordinis: materia autem, quæ eſt terminus illius ordinis, quem ad ipſam dicit forma, non perficitur per illum quidditatiuè, immo nec intrinſecè niſi per eius receptionem: quia totus ille ordo eſt extra materiam, & poteſt eſſe ab illa abiunctus: animus enim ſeparatus eſt eſſentialiter ordo ad materiam, & tamen per illum ſeparatum non perficitur. Hic ordo tranſcendentalis formæ, exercetur, & perficitur per informationem, quæ informatio reſpicit intrinſecè tanquam perfectio formæ ipſam formam; illámque actualiter refert, & complet ad materiam tanquam ad terminum ipſius formæ: quæ informatio reſpicit materiam ipſam, tanquam terminum ſuum. Nam, cum ſit relatio formæ ad materiam, tam forma relata, quàm ipſum exercitium reſpiciunt materiam tanquam terminum, forma quidem reſpicit materiam, vt *quod* eſt ad illam; informatio verò, *quo* forma eſt ad materiam actu. Quod explicari poteſt ex relatione prędicamentali, quæ refert ſubiectum ad terminũ eiuſdem ſubiecti, & ſui ipſius, ergo ipſa informatio debet eſſe reſpectus vt *quo* formę ad materiã, quia eſt ratio, qua forma vnitur materiæ tanquã termino ſuæ relationis. §. 55.

De receptione ſeu materializatione duplex eſt ineunda via. Prima materializatio eſt cauſatio formæ materialis, per quam materia prima influit in formam, quæ conſiſtit in generatione formaliter paſſiua, de qua nonnulla dixi ſect. 2. & 3. plura dicturus diſp. 11. §. 56.

Materializatio ſecunda eſt in compoſitum, quæ eſt formaliter vnio materiæ, & formæ, de qua in præſenti diſſeritur. Eſt igitur hæc materializatio *modus ille vnionis, qui ſe tenet ex parte materiæ illam perficiens tanquam ſubiectum, tendenſque in formam tanquam in terminum materiæ.* Hæc omnia probantur eodem pacto, quo nunc ſunt de informatione probata. De diſtinctione vnionis à generatione formæ, quæ generatio eſt cauſalitas materiæ in formam, egimus ſect. 2. & 3. generatio enim non eſt compoſitio, nec formalis vnio materiæ, & formæ: Materializatio, & informatio debent explicari, ſicut (in ſententia communi) explicantur actio, & paſſio: vt enim actio eſt modus agendi, & producendi ſe tenens formaliter ex parte agentis, illudque denominans, ita informatio eſt modus vniendi, & componendi ſe tenens formaliter ex parte formæ, illámque denominans. & ſicut paſſio eſt modus cauſandi, ſe tenens formaliter ex parte materiæ, illámque denominat *patientem*; ſic materializatio eſt modus vniendi, & componendi, ſe formaliter tenens ex parte materiæ, illamque denominans *recipientem*. §. 57.

Ex his manifeſtè deduco; primo vnionem materiæ & formæ eſſentialiter includere informationem, & materializationem; & præter hæc nihil aliud habere. Probatur: quia vnio eſt coniunctio materiæ, & formæ in ratione formæ, & materiæ; ſed hæc coniunctio tantum includit informationem, & materializationem, quia includit tantum exercitium materiæ, & formæ, ergo præter hæc nihil aliud includit. §. 58.

§.59. Secundò deduces, vnionem eſſe perfectionem intrinſecam materiæ, & formæ, quia vtraque eſt ens incompletum, & imperfectum; quod eſſentialiter petit compleri,& perfici per mutuam vnionem, quia ſubiectum, vt ſubiectum, nunquam eſt perfectum, niſi dum informatur; ſimiliter ens incompletum, non eſt perfectum, donec ſit cum ſuo complemento; hoc autem complementum, & perfectio materiæ eſt in ordine ad formam; quia materia eſt incompleta, quia eſt pars, pars autem eſt in ordine ad complementum,& totum,& aliam compartem.

SECTIO V.

Subiectum vnionis.

§.60. TErtiò deduco, vtrumque extremum eſſe ſubiectum receptiuum vnionis. Probatur, quia vnio æqualiter reſpicit vtrumque extremum,illúdque perficit æqualiter: quia vtrumque eſt æqualiter ens incompletum, perfectibile per vnionem, quæ non minus coniungit formam materiæ, quàm materiam formæ: neque minus eſt materializatio, quàm informatio: neque poteſt vllum vel probabile diſcrimen afferri, cur potius ſubiectetur in vno extremo,quàm in altero. Confirmatur: omnis conceptus perficiens rem debet in illa ſubiectari, ſecundum eam rationem, qua eſt illius perfectio; vel debet eſſe terminus alicuius rei, quæ ſubiectetur in re, quam perficit. Sed vnio materiæ, & formæ eſt perfectio illarum, ſecundum quod eſt vnio, ergo debet in illis ſubiectari, vel eſſe terminus alicuius rei in ipſis extremis ſubiectatæ. Minor negari non poteſt: probatur maior; quia perfectio alicuius rei eſt actus illius, vel ſaltem terminus alicuius actus, omnis enim perfectio eſt actus: ſed actus reſpicit potentiam, ergo omnis perfectio vel ratione ſui, vel ratione rei, quam terminat, reſpicit potentiam; ſed illa potentia quam reſpicit, debet eſſe paſſiua, ergo actus reſpicit potentiam paſſiuam; ſed potentia paſſiua ſubiectat in ſe ſuum actum, ergo ſubiectat ſuam perfectionem, vel rem cuius eſt terminus ipſa perfectio. Vnio autem non eſt terminus niſi ſuæ productionis, per quam educitur ex extremis, & in ipſis recipitur. Ergo vnio & ratione ſui, & ſuæ productionis perficit extrema, & in illis recipitur.

§.61. Dices primò materiam eſſe perfectionem formæ, & non eſt actus illius. Diſtinguo antecedens; materia vt vnita eſt perfectio formæ, concedo; ſecundum ſe conſiderata ſine vnione nego:& quamuis materia ſecundum ſe non ſit actus formæ, tamen eius vnio eſt actus illius: Et ſecundum eam rationem, qua illius eſt perfectio, reſpicit formam tanquam ſubiectum. Quia ea vnio eſt informatio, reſpiciens formam vt ſubiectum, materiam verò vt terminum: per quam forma perficitur; non verò per materializationem: informatio autem eſt vnio materiæ vt terminus.

§.62. Dices ſecundò, animum rationalem ſecundum ſe eſſe perfectionem materiæ; & tamen non recipitur in materia tanquam in ſubiecto, ergo. Diſtinguo maiorem; animus ſecundum ſe præciſo ordine ad vnionem eſt perfectio materiæ, nego: cum vnione potentiali eſt perfectio in potentia, & cum vnione actuali eſt actualis eius perfectio,concedo; & ſic in quantum vnitus dependet à materia:immo & animus ſecundum ſe eſt actus corporis. Vbi aduerte diſcrimen; animus rationalis intelligitur ex natura ſua exiſtens,quin perficiat mariam, at verò forma materialis non poteſt ex natura rei ita intelligi. Nam ſemper debet fieri dependenter à materia: quæ duplici ratione materiam perficit: prima per generationem ipſius formæ: & quia illa generatio immediatè denotat formam productam ex materia, ea ratione generatio eſt perfectio materiæ vt *quo*, forma verò perfectio vt *quod*, quia generatio recipitur in materia vt *quo*, forma vero recipitur vt *quod*: ita vt per hunc conceptum forma ſecundum ſe ſit perfectio actualis materiæ; quia ſecundum ſuam entitatem recipitur in materia actu, quotieſcumque producitur iuxta naturæ leges. Secunda perfectio eſt generatio vnionis; quæ producit vnionem vt *quod*: atque ita vnio eſt propriè perfectio materiæ; quia verò illa vnio coniungit formam materiæ, & facit vt illi tribuat ſuum effectum formalem, & denominationem, ea ratione per vnionem forma dicitur perficere materiam.

§.63. Ne autem quis exiſtimet à me negari animum eſſe perfectionem corporis,aduertat animum, animum rationalem ſecundum ſe eſſe perfectionem corporis in actu primo; quia eſt potens illi vniri, potens ex natura ſua eſſe terminus generationis & motus: quod ſi ex conceptu ſuo abſtraheret ab hoc ordine ad motum, non eſſet perfectio natura ſua corporis. Hæc autem perfectio exercetur actu per vnionem: quia hæc eſt natura ſua terminus motus, & vnit animum vt formam; quæ vocatur *formalis terminus generationis*. Sunt autem illæ duæ perfectiones, altera vt *quo*; altera verò vt *quod*. Et quamuis actu crearetur vnio (vt poteſt) adhuc perficeretur materia animo vnito: quia quamuis actu non terminent motum generationis; adhuc habent entitatem talis naturæ, vt eum motum petant. Eſt igitur de ratione perfectionis alicuius rei, vt poſſit illi vniri per motum. Quod ſi ab hoc motu poſſibili præſcindatur,non eſt perfectio alicuius rei. Vnde niſi informatio natura ſua ſit terminus motus, quo ſuſtentetur in materia, non eſt perfectio illius: quia nec eſt producta per mutationem materiæ, nec producibilis, nec vnibilis: animus autem eſt natura ſua vnibilis per motum: & qua ratione verbum eſt vnibile humanitati per huius mutationem, ideo eſt eius perfectio. Recognoſce diſp.12.§.97.

§.64. Nonnulli cenſent non eſſe opus ſuſtentatione vnionis in vtroque extremo, vt ſit perfectio vtriuſque: cenſent enim ſufficere ad perfectionem,vt id quod perficitur, ſit ſubiectum ſuſceptiuum & paſſiuum perficientis rei; non verò eſſe opus, vt ſit ſubiectum ſuſtentans: quod primùm probant,quia rationalis animus eſt perfectio materiæ; hæc autem patitur,non ſuſtentat animum. Secundò, quia humanitas perficitur verbo Dei; quod non ſuſtentat. Tertiò, quia ſufficit rem aliter ſe habere, & accipere effectum formalem. Hoc autem explicant, quia ſufficit rem eſſe ſubiectum, merè paſſiuè ſe habere, vel eſſe more ſubiecti: ideſt vt recipiat aliquid gerens vices rei ſuſtentatæ;vt verbum gerit vices ſubſiſtentiæ creatæ.

§.65. Hæc non explicant conceptum rei perficientis aliam niſi addatur ordo rei perfectibilis ad motum. Iam enim explicui humanum animum & vnionem dicere ordinem ad generationem; ac propterea corpus eſt paſſiuum vtriuſque; quia natura ſua petit vtrumque ad accipiendum eorum formalem effectum per generationem. Idem dico de verbo & vnione hypoſtatica, quæ mutat humanitatem generatione Chriſti. Tertium autem non ſufficere,

inde

inde patet; quod verbum ipſum accipit denominationem ab vnione cum humanitate; in qua denominatione accipienda, merè paſſiuè ſe habet; quia vt ſubſiſtentia verbi in compoſitione Chriſti nō habet actionem niſi toti Trinitati communem: nec tamen perficitur vnione: plus ergo requiritur.

§.66. Quod autem dicunt verbum gerere vices ſubſiſtentiæ creatæ, probat verbum etiam gerere vices rei perficientis, non tamen eſſe perfectionem:ſicut gerit vices rei perfectibilis per ordinem ad humanitatem, non tamen propterea ipſum perficitur. Eſt ergo perfectio humanitatis, quia illi communicat ſuum formalem effectum per vnionem, terminū natura ſua generationis ac motus. Nec communicatio quæuis formalis effectus ſufficit ad perfectionem; ſed illa quæ petit natura ſua eſſe per motum in ſubiecto: Nam verbum accipit denominationem intrinſecam *vniti*;qua non perficitur. Vnde conſtat non ſatis eſſe explicatam rationem, qua res perficitur alia.

§.67. Duo ergo ſunt per ſe neceſſaria & ſufficiunt ad conceptum rei perficientis & perfectæ; primum, vt altera communicet ſuum formalem effectum alteri; nempe denominationem vt *quod*, quam res perficiens habet vt *quo:* e. g. albedo perficit parietem, quia reddit illum *album vt quod:* & ipſa eſt *alba vt quo:* vnio eſt perfectio corporis & animi; quia ipſa eſt *vnita vt quo*,& eos reddit *vnitos vt quod:* ſic continuatio reddit vtrumque extremum *vnitum*, & ipſa eſt *vnita* vtrique. Quia verò materia prima non communicat formæ ſuum formalem effectum,ideo non eſt illius perfectio, nec vna pars continui eſt perfectio alterius.

§.68. Alterum, quod requiritur, eſt; vt ille formalis effectus ſit communicabilis ſubiecto per motum, aut generationem receptam in ipſo ſubiecto: v.g. animus rationalis eſt communicabilis corpori per generationem hominis; & verbum humanitati per generationem Chriſti,& per motum receptum in humanitate quo producitur vnio ad hypoſtaſim verbi.

§.69. Non ſufficere denominationem paſſiuam ſine ordine ad motum, probatur: quia verbum paſſiuè & intrinſecè eſt vnitum humanitati quin perficiatur. Dicunt verbum eſſe imperfectibile à creatura; quia eſt infinitum. Contra: eſt intrinſecè denominabile à creatura, & non perfectibile; ergo *perfectibile* addit aliquid ſupra *denominabile intrinſecè:* cuius eſt incapax verbum. Id autem quod addit dico ego eſſe ordinem ad motum: ipſi autem non explicant nec quid ſit eſſe ſubiectum paſſiuum: vt diſtinguitur à receptiuo: quod explico ego,quia omnis perfectio eſt communicabilis ſubiecto per motum, licet ipſa non ſuſtentetur.

§.70. Quod confirmo ad hominem; ipſi enim aiunt vnionem eſſe æqualiter in vtroque extremo vt in ſubiecto; quia ſi eſſet in altero tantum, non perficeret alterum. Contra quos arguo: ſi loquuntur de ſubiecto paſſiuo abſtrahente à ſuſtentante & purè recipiente; dicunt quidem cum conſequentia; quia perfectio debet recipi à re perfectibili: ſic autem non ſatisfaciunt quæſtioni, quæ eſt *vtrum vnio ſit in vtroque ſubiecto ſuſtentante?* quæruntur enim vnionis cauſæ materiales an ſit vna? an verò duæ? Dicet quidem aliquis ſubiectum ſuſtentans eſſe materiam ſolam, aut ſolam formam; (quod aſſerit P. Suarez:) hi autem volunt materiam & formam æquè eſſe cauſam materialem;(quę eſt ſuſtentatiua rei quam cauſat:) idque probant, quia niſi vtraque pars eſſet cauſa materialis, non perficeretur vtraque. Quod argumentum eſt contra hoc quod dicunt eâdem fere columna, poſſe rem perfici, quin ſit ſubiectum ſuſtentans perfectionem: quod reſponderi poteſt ad ipſorum argumentum; nec habent quo probent vnionem ab vtroque extremo ſuſtentari.

Itaque res incapax mutationis non poteſt perfici, licet accipiat denominationem & effectum formalem ab alia re: nec eſt propriè ſubiectum, nec patiens nec ſuſtentans:ſi autem eſt capax motus natura ſua ad accipiendum formalem effectum, eſt potentia paſſiua & ſuſtentatiua vnionis,formæ autem interdum paſſiua tantum: ratio à priori; quia potentia paſſiua eſt in ordine ad motum, *qui eſt actus entis in potentia prout in potentia:* & quamuis actu careat motu, perficitur actu, vt dicam diſp. 12.§.97. §.71.

Oportet aliorum ſententias de ſubiecto vnionis ſequi, & inſequi. Pater Suarez 1. metaph. diſp.13. ſect.9. num.13. valde probabile cenſet, vnionem ſubiectari in ſola forma, & ſe ex illius parte tenere; quia tota agentis efficientia terminatur ad formam educendam de potentia materiæ, ergo quidquid efficitur, ſe tenet ex parte formæ. Hanc ſententiam non probo: quia ipſamet generatio formæ tendens ad educendam formam ex materia, non ſubiectatur in forma, ſed in materia; ergo idem erit de vnione, ſi præciſè conſideretur illa ratio antecedentis poſiti à Patre Suarez. Immo verò eo ipſo quod ſit terminus vnionis, non poteſt eſſe ſubiectum illius, vt infra patebit. Deinde falſum eſt antecedens; quia efficacia agentis vt vnientis æquè terminatur ad materiam ac ad formam: tum quia vtramque coniungit, tum quia vtraque eſt perfectibilis per vnionem, & vtraque ratione ſui petit agens, à quo perficiatur, ergo efficientia agentis vt vnientis ad vtramque terminatur eodem modo. Immo verò ſi quod eſſet diſcrimen,potius dicerem totam agentis efficaciam ſe tenere ex parte materiæ: tum quia tam forma, quàm actio educuntur ex ipſa materia,ergo etiam vnio ſubiectatur in illa; tum quia forma ſatiat appetitum materiæ, illámque ſua pulchritudine expolit. §.72.

Hinc refellitur aliorum euaſio aientium vnionem in ſola materia ſubiectari, quia dicunt materiam vniri formæ. Quaſi verò forma non vniretur materiæ. Sicut ergo ipſi ponunt vnionem materiæ in materia, ponant etiam in forma vnionem formæ. §.73.

Pater Vazquez in 3. part. diſp.19. num.23. ait, vnionem eſſe modum receptum in formam, non verò in materiam: quia forma eſt indifferens, vt ſit in materia, & vt ſit per ſe ſeparata à materia; vnde opus eſt, vt ipſa in ſe habeat illos duos modos exiſtendi in alio, & in ſe. Non vrget hæc ratio: quia vnio non requiritur præciſè, vt ſit aliqua mutatio, ſed vt per illam vtraque pars perficiatur, at vtraque æquè perficitur, ergo æquè recipit vnionem. Deinde, etiam materia ex natura rei eſt indifferens ad diuerſas formas, determinatur autem per vnionem, ergo in materia debent eſſe vniones, per quas formæ de non vnitis erunt vnitæ, & materia habeat in ſe formas, ad quas eſt indifferens: erit ergo opus, vt materia habeat in ſe modum, quo tollatur illa indifferentia. Item materia diuinitus poteſt ſeparata conſiſtere, ſicut forma accidentalis; ergo, ſicut per te vnio ob hanc rationem eſt in forma accidentaria, ſimiliter & erit in materia: immo in materia ponetur melius; quia cauſalitas agentis propriùs illi conuenit vt ſubiecto, quàm formæ: nullum ergo nec leue diſcrimen reperies. §.74.

Alij fatentur in compoſitis omnino materialibus §.75.

bus eſſe vnionem in vtroque extremo receptam; in homine autem eſſe in ſola materia materia; quia arbitrantur vnionem eſſe ſimplicem, & materialem, quæ in re ſpirituali ſubiectari non poteſt. In compoſito omnino materiali vtrumque extremum eſt capax recipiendi vnionem: non verò animus rationalis: ad modum, quo vnio Hypoſtatica ſubiectatur in ſola humanitate Chriſti, & non in Verbo propter Verbi incapacitatem. Hæc philoſophandi ratio non tantum diſplicet, quantum præcedens.

§.76. De vnione Hypoſtatica poſtea me videro. De incapacitate animi, quæro, cur ſit animus incapax recipiendi vnionem, cum non ſit incapax, vt per illam perficiatur, & compleatur? Animum perfici vnione, ſicut cæteras formas probatur, quia eſt ens incompletum, ſicut illæ, ergo completur, & perficitur in compoſito ſicut cæteræ: cur ergo non erit capax recipiendi ſuam perfectionem? cum nihil perficiatur niſi ſubiectando in ſe perfectionem, vel modum, qui eſt ad illam, vt materia perficitur animo ſubiectando in ſe vnionem, animus autem eſt terminus vnionis: cum igitur animus perficiatur vnione, debet illam pati, vel aliquid cuius ipſa ſit terminus; at eſt terminus generationis ſui, ergo animus debet eſſe ſubiectum productionis vnionis, & conſequenter ipſa vnio ſubiectabitur vt *quod* in animo, quia eius productio ſubiectatur vt *quo*. Verbum autem diuinum non ſubiectat vnionem naturæ humanæ, quia per illam non eſt perfectibile; nec per aliquid creatum.

§.77. Dicunt alij, vnionem in homine ſubiectari in ſola materia, & attingere animum tanquam terminum intrinſecum; hocque ſufficere, vt per illam perficiatur animus, & compleatur. Non placent; quia terminus intrinſecus in ratione termini intrinſeci non perficitur ratione, quam terminat, vt patet in Verbo diuino, quod non perficitur vnione quam terminat. Dices Verbum eſſe incapax perfectionis creatæ. Contra, Verbum eſt incapax perfici per vnionem, & non eſt incapax terminandi intrinſecè vnionem, ergo intrinſecè terminare non eſt perfici. Quid ergo habet animus rationalis pluſquam Verbum, cum non ſit niſi terminus intrinſecus vnionis, ſicut Verbum? Ergo ratio termini vt ſic non eſt perfectibilis; cum autem contrahitur ad hunc terminum, niſi differentia addat aliquid ſupra purum terminum, non conſtituit terminum perfectibilem, conſtituit autem, quia ſupra terminum addit rationem ſubiecti.

§.78. Deinde ſic arguo contra hanc ſententiam: quia materia in homine eſt ſufficiens ſubiectum vnionis, ergò etiam erit ſufficiens in quouis compoſito, quia in omnibus eſt eiuſdem virtutis ad ſubiectandum: ergo vnio in aliis compoſitis eſt conſtituenda in ſola materia, quia ex natura rei cum vna cauſa ſufficienti in vno genere non concurrit alia in eodem genere ad eundem effectum. Quod argumentum ad hominem vrgeo, quia aduerſarij negant duas vniones partiales, quia cenſent vtramlibet ſufficere ad vniendum, ſed ſimiliter per te materia ſufficit ad recipiendum, ergo ſola materia recipit vnionem, & non forma. Confirmatur, quia ad nullum munus requiritur concurſus materialis formæ ad vnionem, cum ſine tali concurſu reperiantur in homine omnes effectus vnionis perfectè. Nec valet aſſerere vnionem hominis eſſe diuerſæ rationis à cæteris; tùm quia etiam cæteræ differunt inter ſe, & licet humana differat ab aliis in entitate, conuenit tamen cum illis in eo quod eſt eſſe compoſitionem totius, & perfectionem vtriuſque extremi, & in tribuendis omnibus ſuis effectibus compoſito. Dices vnionem hominis non poſſe educi de potentia animæ ab agente naturali. Nihil refert; tum quia agens naturale illam educit de potentia materiæ, quia ſufficit vt homo verè generet hominem: tum quia ex re ſpirituali coniuncta materiæ poteſt agens materiale aliquid efficere vt motum localem, & vbicationem. Tertiò, quia homo generans hominem habet principium ſpirituale, nempe animam; quo ex anima producat vnionem.

§.79. Secundò arguo; quia non eſt cur non ponatur vnio in anima; vt eam ponit Pater Vazquez: demus enim animum vniri materiæ vnione ſpirituali in ipſo recepta, hæc vnio eoſdem præſtat effectus, quos tua præſtat, quia & ſi ſit ſpiritualis, vel erit indiuiſibilis, & tota in toto, & tota in qualibet parte, ſicut animus; vel erit diuiſibilis, (vt multi dicunt vbicationem Angelicam eſſe diuiſibilem,) tunc autem vitantur inconuenientia, quæ vitare cupiunt hi authores; quia in re ſpirituali non ſubiectabitur res materialis, aut è contra: item efficitur illa vnio ab agente naturali media anima illam immediatè educente ex anima geniti.

§.80. Nec poteſt dici in homine vnionem ſequi debiliorem partem, ſicut concluſionem in ſyllogiſmo, & vnionem accidentis cum ſubſtantia; quæ non eſt ſubſtantialis, ſed accidentaria. Concluſio enim pendet ab vtraque præmiſſa tanquam à ratione formali, & in concluſione coniunctio extremorum inter ſe, neque eſt certior, neque euidentior, quàm coniunctio extremorum cum medio in præmiſſis, quia vtraque coniunctio eſt idem à parte rei: at verò hæc vnio tantum penderet ab animo ſubiectiuè, & non à corpore: ac proinde non participaret corporis imperfectiones; ſimiliter eſt abs re exemplum vnionis accidẽtalis, quia illa vnio non facit vnum per ſe, ſed per accidens, quia aduenit enti extra conceptum primum illius, hoc autem inconueniens non reperitur in vnione, quæ tantum reciperetur in animo, cum ergo nulla ſit ratio, ob quam potius ſit in corpore, quam in anima: ſit in vtroque. Niſi velis vnionem in nullo eſſe ſubiecto, quod nullo aſſeres fundamento. Quia forma ſubſtantialis materialis non ſubſiſtit; ergo neque vnio. Secundò, quia vnio generatur, ergo educitur de potentia alicuius ſubiecti, ergo pendet à ſubiecto,

SECTIO VI.

Vtrum ratione diſtinguantur informatio, & materializatio?

SVBSECTIO I.

Pars affirmans.

§.81. QVarto deduces (quod præ oculis habe vt fundamentum ſententiæ à nobis ſequendæ ſequenti ſectione) informationem minimum ratione diſtingui à materializatione, vt iuxta communem ſententiam diſtinguitur actio à paſſione. Itaque ſicut in entitate actionis ratione diſtinguitur conceptus actionis à conceptu paſſionis, ita in entitate vnionis ratione diſtinguitur conceptus informationis à conceptu materializationis. Probatur primò à ſimili; quia in ordine ad diuerſas cauſas, nempe agentem, & patientem à paſſione diſtinguitur actio, (iuxta commu-

nem

nem ſententiam,) ergo etiam in ordine ad diuerſas cauſas vnionis, nempe formam; & materiam à materializatione diſtinguitur informatio.

§.82. Quia verò hanc ſententiam communem falſam opinor, propoſitum corollarium ita confirmo; quia informatio formaliter reſpicit formam tanquam ſubiectum perfectibile per ipſam, & materiam tanquam terminum ipſius formæ, quæ ſub ratione termini non perficitur per vnionem: è contra verò materializatio reſpicit materiam tanquam ſubiectum perfectibile, & formam tanquam terminum; ſed hi duo modi tendendi ſufficiunt ad diſtinctionem rationis; ergo. Probatur minor: quia diſtinctio rationis ſumitur, quando eadem res refertur ad diuerſa connotata diuerſo modo; nam poteſt concipi vt relata vno modo, & non alio, exempli gratia, poteſt aliquod agens in ſe operari, quod quidem realiter eſt & *agens* & *patiens*, at iſta denominatio *agentis* ratione diſtinguitur à denominatione *patientis*; quia poteſt intelligi agens, vt principium actiuum illius actionis, & non vt principium paſſiuum: ſimiliter poteſt materia concipi vt terminus vnionis, & non vt ſubiectum.

§.83. Confirmatur: à parte rei vnio Verbi diuini reſpicit Verbum vt terminum, & non vt ſubiectum; vbi realiter diſtinguuntur eſſe *ſubiectum*, & eſſe *terminum* vnionis, ergo in cæteris vnitis poſſumus ratione præſcindere rationem *termini* à ratione *ſubiecti*: patet conſequentia à paritate rationis. Confirmatur ſecundò: poſſumus concipere formam vt ordinem tranſcendentalem perfectibilem per ordinem ad materiam tanquam ad terminum, quin concipiamus materiam vt perfectibilem per formam; ergo tunc poſſumus concipere informationem vt perfectionem formæ, & non vt materiæ: patet antecedens, quia poſſumus concipere exercitium illius ordinis perfectibilis ſub illo conceptu tantum.

§.84. Quamuis enim neceſſario concipitur materia vt terminus illius ordinis; tamen non concipitur neceſſario ſub conceptu perfectibilis; ſed vt terminat præciſè illum ordinem; in quo conuenit cum aliis terminis, poteſt ergo concipi vt cum illis conuenit in ratione termini intrinſeci: vt concipitur filius vt terminat relationem patris, ſub qua ratione non concipitur vt ſubiectum filiationis: quamuis per alium actum concipitur filius vt ſubiectum filiationis & pater vt terminus: qui modi ſunt diuerſi; idem in præſenti contingit.

§.85. Ergo materializatio formaliter ſolam perficit materiam, quia perfectio debet vniri perfectibili tanquam forma ſubiecto, à quo dependet (modo explicato;) terminus enim in ratione termini non perficitur formaliter per modum, quem terminat, vt patet in Chriſto, cuius perſonalitas non perficitur per vnionem creatam, licet illi intrinſecè, ſiue per illam intrinſecè vniatur humanitati: item in termino actionis & ipſa actione, quæ actio intrinſecè vnitur termino, illumque intrinſecè denominat productum, cum tamen terminus formaliter non perficiatur illa actione: Recognoſce §.100.

SVBSECTIO II.

Qui differant ſubiectum & terminus intrinſecus?

§.86. SÆpe memini *termini intrinſeci*, & *ſubiecti*: ac dixi verbum eſſe terminum intrinſecum humanitatis, nec tamen ſubiectum: materiam eſſe intrinſecum terminum informationis, & formam productam terminum intrinſecum productionis; nec propterea ſunt earum rerum ſubiecta; quæ oportet explanare tum ad diſtinctionem rationis inter informationem, & materializationem; tum ad realem earum diſtinctionem perſcrutandam; tum tertiò ad myſterium incarnationis. Dicunt nonnulli terminum intrinſecum eſſe illum qui cum re quam terminat, init compoſitionem intrinſecam; vt verbum eſt terminus intrinſecus vnionis, quia cum illa conſtituit hominem Deum: & pars aquæ eſt terminus continuationis exiſtentis in altera parte vt ſubiecto.

Hæc non explicant naturam termini intrinſeci: quia hæc ratio compoſitionis intrinſecæ quin vtraque pars componens ſit ſubiectum, eſt tam difficilis explicatu quàm terminus ipſe intrinſecus: æquè enim dubitatur quid ſit intrinſeca compoſitio ex altera parte recipiente vnionem, & ex altera eam intrinſecè terminante, ac quid ſit intrinſecè terminare, & non recipere more ſubiecti. Ratio à priori eius obſcuritatis ſumitur ex conceptu totius & partis: nec enim compoſitum poterit rectè calleri quin partes ipſæ calleantur. Vnionis ad verbum myſterium ex hoc capite eſt etiam difficile captu: qua enim ratione verbum vniatur intrinſecè ſine ſui mutatione, & ſine paſſiua receptione vnionis, eſt perquam difficile: item illa ſententia de duabus vnionibus in continuo eſt paucorum: omnes autem admittunt diſcrimen ſubiecti à termino intrinſeco; non ergo vniuerſim explicatur opinione minus communi: & quamuis ea opinio tam eſſet communis quàm eſt actionem non habere pro ſubiecto ſuum terminum intrinſecum; oporteret explicare diſcrimen: dicet enim arguens continuationes eſſe in vtroque extremo ſubiectiuè, & in neutro vt in purè termino: quod ſi ei obiiciantur incommoda, reſpondebit inde probari vel ineundam aliam viam de continuatione partium; vel oſtendendum diſcrimen inter compoſitionem attingentem extrema in ratione ſubiecti, & attingentem in ratione termini intrinſeci. §.87.

Secundo impugnantur, quia productio attingit intrinſecè effectum illa productum; vt creatio in Euchariſtia quantitatem: & generatio formam materialem & vnionem; nec tamen hæc aliquid componunt: latius ergo patet terminus intrinſecus compoſitione intrinſeca. §.88.

Reſpondent huic argumento, creationem non eſſe intrinſecè in termino; quia non eſt modus creatus: generationem autem non eſſe compoſitionem formalem, quia eſt extra eſſentiam hominis geniti; eſſe tamen compoſitionem radicalem: quia eſt id quo producitur vnio. Neutrum explicat quæſtionem. Non primum; quia hoc diſcrimen *termini intrinſeci* & ſubiecti adeo eſt commune, vt à nullo catholico negetur; ea autem ſententia de creatione indiſtincta à Deo eſt minus communis. Nec explicat diſcrimen à generatione. Creatio enim animi & corporis, & (quam ij admittunt) miraculoſa creatio vnionis, ſunt radicalis vnio & compoſitio; quia faciunt vnienda extrema, & vnionem: differt creatio à generatione (inter alia) quod creatio eſt compoſitio radicalis extrinſeca; generatio verò intrinſeca. Rogo, hoc diſcrimen inter has radicales compoſitiones in quo verſatur? & quid eſt generationem eſſe intrinſecam vnionem radicalem, creationem verò extrinſecam? Dicet enim arguens, diſcrimen eſſe, quòd creatio non habet pro ſubiecto terminum; habet autem generatio, oportet ergo id explicare. §.89.

Nec

§.90. Nec ſecundum explicat quæſtionem: do enim generationem eſſe compoſitionem radicalem intrinſecam; dico id ita eſſe, quia ipſa recipitur in termino vt in ſubiecto, item & in materia: quod ſi hoc negetur, oportet explicare quid ſit eſſe intrinſecam compoſitionem radicalem per modum attingentis terminum in ratione termini; quin in ratione ſubiecti. Hæc ergo ſententia tam confuſam retinet quæſtionem, quam ſi *idem* (vt aiunt) *explicat per idem*: aut *per æquè ignotum*.

§.91. Dicunt aliqui, attingere rem vt ſubiectum, eſſe illam attingere vt principium, quod ad aliud refertur: vt terminum autem eſſe eam attingere vt terminum ad quem refertur res, vt patet in relatione prædicamentali. Hoc vniuerſim non probo, quia per actionem refertur effectus ad cauſam relatione tranſcendentali, & tamen effectus non eſt ſubiectum actionis. Item per actionem refertur agens ad paſſum, & paſſum ad agens. Ratio à priori, quia relatio prædicamentalis extrinſecè reſpicit terminum, fundamentum verò intrinſecè; tranſcendentalis verò non ita: quia eſt exercitium alicuius actus primi, & ad proportionem illius reducit in actum ſua principia. Vt actio eſt exercitium potentiæ actiuæ, quæ agendo non immutatur: item & eſt paſſio, per quam mutatur ſubiectum, & per quam producitur res in actu ſecundo, eſtque relatio illarum omnium rerum: & refert agens extrinſecè denominando, quin vt ſubiectum, patiens verò intrinſecè immutando, terminum autem intrinſecè afficiendo.

§.92. Nec item hæc opinio rem explicat: ea enim ratione dicet arguens terminum non referri ad ſubiectum, quia non eſt ſubiectum relationis; ac propterea non eſſe terminum intrinſecum; quia terminus intrinſecus non poteſt non referri ad aliud; quia eo ipſo eſt ſubiectum relationis. Quod affertur de relatione prædicamentali, non eſt è re; quia terminus illius eſt purè extrinſecus; ac propterea non refertur ad aliud niſi relatione quam ſuſtentat. Denique oportet explicare radicem cur non referatur terminus intrinſecus, oſtendendo quid ſit? & quo differat à ſubiecto? hinc enim oritur impotentia vt referatur. Nec meliori à cauſa ſunt, terminum intrinſecam eſſe eum qui eſt intimè præſens rei quam terminat. Quaſi verò tota Trinitas non ſit intimè præſens vnioni hypoſtaticæ, quam terminat ſolum verbum: & accidens inhærens materiæ nō ſit intimæ præſens ipſius materiæ creationi? quidquid hæc ſit. Qua de re agendum item §.111.& 112.

§.93. *Terminus*, ſi accipiatur propriè, eſt extremitas alicuius rei; ſiue limes vltimus: ſic dicuntur imperij *termini*, limites vltimi extra quos nihil eſt imperij; & intra quos interiicitur tota imperij regio. Hinc *terminus* viæ dicitur id in quod dirigitur iter: vt qui Romam petit; eam dicitur habere pro termino; id eſt, pro vltimo loco in quem iter agit. Sunt nonnulla entia quæ eſſentialem habent ordinem tranſcendentalem ad alia; vt accidens ad ſubiectum; materia ad formam; cognitio creata ad obiectum. Hic ordo exercetur aliquando manente ordine & exercitio extra rem, ad quam eſt ordo; vt viſio eſt extra colorem, actio tranſiens extra agens: aliquando exercetur intrinſecè, ideſt, nec ordo, nec exercitium eſt extra id ad quod eſt; vt forma non eſt extra materiam, cum eam informat; nec accidens extra ſubſtantiam.

§.94. Hi ordines tranſcendentales ſolét appellari *via, reſpectus, tendentia* ad id ad quod ſunt: viſio eſt tendentia in colorem, forma in materiam: quia ex natura ſua facta ſunt ad id ad quod tendunt. Hinc omne id ad quod ſunt illi ordines, vocatur *terminus eius ordinis*: quia ordo explicatur more viæ, atque *tendentiæ*, quæ eſt ad *terminum*: ſic obiectum eſt terminus cognitionis: ſubiectum eſt terminus accidentis, & materia terminus formæ: & quando eſt mutua relatio, accidens eſt terminus relationis ſubſtantiæ, & forma relationis materiæ.

§.95. Hæc autem vſurpatio latior eſt quàm terminus, quem diſquirimus. Etenim ſubiectum eſt etiam terminus formæ; & agens terminus actionis: quærimus autem terminum, purè terminum, qui nec ſit ſubiectum, nec agens &c. qualem videmus eſſe effectum actione productum, & verbum vnitum humanitati. Dico ergo *terminum* hunc eſſe *id ad quod refertur aliqua res, quæ illi non eſt extrinſeca; & quæ ab illo non pendet in genere cauſæ materialis, nec alius cauſæ intrinſecæ*. Eſſe id *ad quod* refertur aliqua res, probatur; quia non eſt terminus niſi aliquid in ipſum tendat: adeo vt actus Dei tendant in terminum à quo in denominatione actus liberi pendeant rationenoſtri.

§.96. Eiuſmodi rem non eſſe termino extrinſecam patet ex ipſo conceptu *termini intrinſeci*: & quia ordo hic tranſcendentalis vnitur intrinſecè termino; quemadmodum vnio hypoſtatica verbo; generatio termino genito: quod ſi termino eſſet ordo extrinſecus quam facillimè oſtenderetur eius conceptus.

§.97. Hunc ordinem non pendere à termino in genere cauſæ materialis, patet: quia vnio hypoſtatica non pendet à verbo vt à cauſa materiali; quia non fit ex verbo, vt fit ex humanitate: nec enim actio vnitiua verbi attingit verbum ipſum, niſi valde remotè, dum attingit vnionem verſantem immediatè circa verbum. Quod patet apertius in generatione; quæ non fit ex termino producto. Nam ſi ea actio fieret ex termino, terminus ipſe fieret ex ſe ipſo; quia omnis cauſa influens in cauſalitatem influit in eius effectum. Quid autem ſit educi aut fieri ex ſubiecto, conſtat ex terminis; vt quid ſit fieri ab agente, & propter finem: eſt enim concurrere ad effectum cum intrinſeca mutatione ſui, per actionem quæ ſit motus ipſius agentis: & ſicut terminus non ſuſtentat ſe ipſum, nec in ſe influit, ſed præciſè accipit intrinſecam denominationem *producti*; ita nec cauſat actionem. Quod eſt reſpici vt purè terminum.

§.98. Hunc autem terminum non eſſe in alio genere cauſam intrinſecam rei quam terminat, probatur; quia nulla ſupereſt niſi formalis: at calor non eſt forma calefactionis; nec verbum vnionis hypoſtaticæ. Et quamuis per negationem explicamus purum terminum; non tamen eſt negatio, ſed ens poſitiuum: quemadmodum creatio definitur per negationem concurſus à ſubiecto, cum tamen ſit poſitiua.

§.99. Hinc etiam deduces; cur dicatur verbum intrinſecè vniri & denominari humanitate; non verò mutari, aut affici intrinſecè. Mutatio quidem infinitè diſtat à verbo; verbum *afficere* non eſt valde alienum; quia eſt tam commune vt etiam quadret in denominationes extrinſecas; *vt afficere aliquem honore*: vitetur tamen ea vox, ne cui ſonet mutationem. Vniri autem extrinſecè eſt illi communicare effectum formalem non extrinſecum. Itaque accipere intrinſecam denominationem ab aliqua re aut modo, & nullam intrinſecam cauſalitatem in talem rem, aut modum exercere, eſt eſſe purè terminum intrinſecum. Quod confirmo ex termino extrinſeco, qui denominationem accipit

cipit à re, aut modo ſine cauſalitate: differtque ab intrinſeco; quod hic vnitur illi rei, aut modo; ſecus ille.

§.100. Dixi §.85. purum terminum non perfici re quam terminat, vt effectus non perficitur productione ſui. Quod aliqui mirantur; quos ego non ſatis miror. Quam multi cenſent creationem eſſe denominationem extrinſecam termino creato: quæ non eſt illius perfectio. Terminus perficitur productione ſui, efficienter; quia efficienter eſt exiſtens per illam; non formaliter, quia non eſt illius ſubiectum, nec terminus mutationis. Hæc dico de denominatione *producti*, quæ oritur formaliter à productione, & eſt diſtincta à denominatione *exiſtentis*. Recognoſce à §.111.

SVBSECTIO III.

De informatione.

§.101. HOc quod dixi de materializatione, proportione dico de informatione, vel è contra, nam materializatio perficit materiã vt ſubiectum, formam verò vt terminum. Quare, cum ratione præſcindo informationem à materializatione, verè concipio vtrumque extremum vnitum per informationem, quia intelligo formam vnitam materiæ. Sed illa ratio vnionis non eſt tota eſſentia vnionis formaliter; quia in illo conceptu non clauditur materializatio; vnio autem adæquatè conſiſtit in perfectione materiæ, & formæ, quæ non reperitur in ſola informatione: neque in materializatione ſola; ſed in vtraque. Quare ſola informatio cum eius extremis non eſt completè hominis eſſentia, ſed tantum eſt coniunctio formæ per modum ſubiecti cum materia vt termino, at verò ad completam rationem hominis requiritur perfectio vtriuſque extremi. Quando verò in illo conceptu informationis deſideratur materializatio, non ideo deſideratur, vt vniat præciſè materiam, quæ iam intelligitur vnita per informationem, ſed vt vniat materiam illam perficiendo tanquam ſubiectum, quapropter illi duo conceptus vocantur vniones partiales.

§.102. In vnione hypoſtatica ſecus contingit, ſufficit enim vnus modus ſeſe tenens ſubiectiuè ex parte humanitatis, & terminatiuè intrinſecè ex parte Verbi; quia ſola humanitas perficitur illa vnione, quia verò Verbum non eſt perfectibile per vnionem creatam, ideo illud non attingit tanquam ſubiectum; neque requiritur alius conceptus vnionis. Dixi autem illam vnionem eſſe intrinſecam, vt opponitur extrinſecæ denominationi, quia vnio non eſt extrinſeca denominatio Verbo, ſicut eſt noſtra cognitio, aut noſter amor.

§.103. In d.2. ſect. 2. dixi, quando duæ res vniuntur, & altera denominat alteram, denominantem eſſe formam, & denominatam ſubiectum: nunc rogare quis poteſt per vtram ex his vnionibus forma denominet materiam? Reſpondeo per vtramque ſimul. Conſiſtit enim illa denominatio in perfecta vnione, & communicatione materiæ, & formæ; per quam communicationem vtraque pars perficitur, hæc autem perfectio includit, & materializationem, & informationem: quauis autem deficiente non communicantur extrema perfectè, nec conſurgit ea denominatio: huius ſignum eſt vnio hypoſtatica, quæ ex defectu receptionis in altero extremo, neque eſt informatio, nec materializatio.

§.104. Obiicis: per informationem eſt forma in materia tanquam actus in potentia, ergo illi communicat ſuum effectum formalem per illam; item materializatio eſt receptio formæ in materiam, ergo illa ſola eſt denominatio formæ in materiam. Diſtinguo antecedens: eſt forma in materia tanquam actus in potentia perficiendo vtrumque extremum, nego antecedens: perficiendo alterum tantum; concedo, & nego conſequentiam. Nam illa denominatio conſiſtit in eo quod forma det per informationem, & materia recipiat per materializationem, de quo infra.

SECTIO VII.

Vtrum in compoſito ſint duæ vniones ſubſtantiales?

DIximus eſſentiam vnionis adæquatè conſiſtere in his duobus conceptibus informationis, & materializationis. In præſenti diſquiritur, vtrum iſti conceptus ſint diſtincti ex natura rei? Nullus dubitat vnionem tenentem ſe ex parte materiæ eſſe compoſitam ex partibus integralibus vnitis continuatione; ſicut quælibet res extenſa. §.105.

SVBSECTIO I.

Aduerſantium argumenta, atque reſponſa.

PRima ſententia affirmat in compoſito vnam tantum eſſe vnionem eſſentialem non includentem duas. Probatur primùm: quia vnio ſe tenens ex parte materiæ eam vnit formæ; itidem vnit formam materiæ, ergo vna ſimplici vnione vnitur vtrumque extremum; ergo ſuperfluus eſt alius modus diſtinctus ſe tenens ex parte formæ. Confirmatur, per vnum modum vnitur materia formæ: rogo vtrum illemet modus vniat formam materiæ? Si vnit: ergo nullus relinquitur locus alij modo vnionis. Si non vnit, ergo non eſt vnio, nam de conceptu vnionis eſt copulare, & coniungere duo extrema. §.106.

Secundo, ſi illi duo modi realiter diſtinguuntur, poterit corrupto vno manere alius, in quo caſu extrema manerent vnita: quia haberent vnionem, & non vnita; quia carerent vnione: item eſſet compoſitum & non eſſet compoſitum; quia compoſitio adeſſet, & non adeſſet. §.107.

Tertio, per vnum modum fit vnum compoſitum per ſe, quia per materializationem materia recipit formam, ergo per illam forma recipitur, ergo per illam informat; patet ſecunda conſequentia, quia informare eſt recipi in materiam per vnionem, ſuperfluit ergo informatio à materializatione diſtincta. Quarto, per vnam vnionem Verbum vnitur humanitati, & humanitas Verbo; ergo per vnam vnionem vnitur materia formæ, & forma materiæ. §.108.

Illis argumentis reſpondebit quis, materiam per materializationem vniri formæ, non verò formam materiæ: nam vniri eſt aliquid intrinſecum extremo vnito, materializatio autem eſt extrinſeca formæ. Eſt enim implicatio in ipſis terminis aliquid eſſe intrinſecum alicui in ratione termini: terminus enim ex conceptu ſuo extrinſecus eſt rei, quam terminat; vt color viſui. Contra, implicat aliquid vniri alteri, quin, & hoc ſit illi vnitum phyſicè. Vnio enim ex conceptu vnionis eſt nexus, & compoſitio duorũ extremorum. Implicat autem vnam rem habere nexum cum alia quin ille nexus nectat vtramque. Si enim vna catenatur alteri, an hæc immunis eſt à vinculo? §.109.

Confirmatur: vnio eſt indiuiſio duarum rerum: §.110.

nam carentia vnionis eſt formaliter diuiſio illarum (vt oſtendam diſ.4.metaphyſ.) Ergo per quamlibet vnionem ſunt duæ partes indiuiſæ;patet cōſequentia; quia vna res non poteſt eſſe indiuiſa ab alia, ſi alia eſt ab illa diuiſa.Quod adeo patet,vt non egeat niſi apprehenſione terminorum: nihil enim difficilius probatur, quàm principia per ſe nota. Adde: materia eſt indiuiſa à forma per materializationem, ergo per materializationem facit vnum cum forma: quia indiuiſio eſt vnitas,& vbi eſt indiuiſio,eſt vnitas;at vbi eſt vnitas eſt vnum,ergo materia cum forma facit vnum per materializationem; ergo per eandem forma facit vnum cum materia. Patet conſequentia;quia quod materia facit cum forma,forma facit cum materia: quia id ſignificat effectum illum fieri ab vtroque principio; quamuis ab vtrouis in ſuo genere: vt Deus cum aëre cauſat lucem; item aër cum Deo;alter efficienter; alter materialiter. Quod in præſenti eſt clarum:quia facere vnum cum forma eſt facere vnum cum parte: pars autem vnitur alteri; quia in toto per ſe, & non per accidens,omnis pars eſt vnita: ergo per materializationem materia,& forma faciunt vnum,ergo vtraque ſunt mutuo indiuiſa; ergo mutuo vnita. Id enim ſonat vnio, id eſt, compoſitio.

§.111. Quod affertur, terminum vt ſic eſſe extrinſecum,non placet. Primò,quia verbum eſt terminus vnionis hypoſtaticæ, & cum illa componit intrinſecè perſonam humanam: quod non eſt verbo extrinſeca denominatio, ſicut eſt eſſe viſum. Dicunt verbum vniri alia vnione identificata cum ipſo verbo. Patet Suar.tom.1.in 3.p.diſ.8.ſect.4.§.*Addunt aliqui.* Ait hanc ſolutionem eſſe improbabilem,& contra omnes Theologos.Quam impugnaui diſ.17. in 3. p. ſect.3. à qua nunc abſtinendum. Quæ innititur opinioni de connotatis impugnatæ à §. 18. impugnandæ non infrequenter, maximè diſput.6. metaph. Secundò, quia productio caloris illum attingit purè vt terminum; & tamen non eſt illi extrinſeca denominatio,ergo. Dicunt actionem eſſe denominationem intrinſecam termino; quia eſſentialiter petit cum illo in loco coniungi. Contra, ergo iam eſſe terminum vt ſic non eſt extrinſeca, ſed poteſt eſſe denominatio intrinſeca; ergo ſicut terminus intrinſecè attingitur actione, forma intrinſecè attingitur vt terminus materializatione, ergo vnitur vt terminus intrinſecus, quod tu negas. Contra ſecundò, propinquitas localis eſt extrinſeca denominatio. Nam vbicatio actionis nihil eſt in termino,ſed ſingula habent ſuas vbicationes: vt vbicatio vnionis non eſt vbicatio materiæ, nec illi inhæret; ergo hæc non tribuit intrinſecam denominationem materiæ aut formæ.

§.112. Deinde Deus ex ſuo conceptu neceſſariò eſt indiſtans à creaturis,& tamen Deus & creaturæ ſunt mutuo extrinſecæ denominationes. Quod patet ex viſione intuitiua creaturarum; quæ neceſſariò ſupponit propinquitatem Dei & creaturæ; quia illam cognoſcit vt exiſtentem, ſed ex proprio conceptu viſionis diuinæ petit eſſe in eodem loco cum ſuo obiecto, & tamen eſt illi extrinſeca denominatio, ergo neceſſaria indiſtantia non dat rebus denominationem extrinſecam. Probatur min. Primò,quia ex conceptu cognitionis Dei ſequitur eſſe in omni loco; quia omnia diuina ſunt in loco per immenſitatem. Nec enim actio eſt ipſa indiſtantia à loco; ſed ex illa dimanat; item ex cognitione Dei ſequitur eſſe in eodem loco cum rebus omnibus, quia eſt per immenſitatem. Secundò probatur eadem min. quia cognitio intuitiua Dei iam ſupponit propinquitatem Dei & creaturæ, ergo petit eſſe in eadem propinquitate Dei & creaturæ: patet conſequentia; quia petit eſſe in eodem loco,in quo Deus; quia petit eſſe in ipſo Deo: ſed Deus in ratione agentis petit indiſtantiam à termino, ergo & intuitio Dei. vide §.92.

Tandem, quia actio facit rem eſſe, cum antea non eſſet; quod magis intrinſecum eſt termino, §.113. quàm eſſe viſum. Immo ea ratione eſſentialiter requiritur propinquitas cauſæ & effectus; quia ex cauſa aliquid intrinſecum appingitur effectui:quod non appingeretur, ſi diſtaret. Quod ſi eſſe productum eſſet extrinſeca denominatio, cur ea non daretur diſtanti? Sicut extrinſecæ aliæ denominationes dantur. Adde, per actionem dependere terminum à materia; pendet autem intrinſecè;quia materia cauſa eſt intrinſeca; ergo actio eſt intrinſeca vt *quo* tam materiæ, quàm termino; quia eſt ratio intrinſecè cauſandi.

Poteſt ergo terminus eſſe intrinſecus rei terminatæ. §.114. Quia modus poteſt ſe ipſo vniri alicui rei, etiam ſi in nullo genere cauſæ phyſicæ ab ea pendeat. In iis enim duobus conceptibus quæ inuoluitur repugnantia? Animus vnitur corpori, à quo phyſicè non pendet. Dices pendere vnionem. Contra,non ſolum vnitur vnio,ſed etiam animus. Dices vnionem pendere ab animo. Contra: quia vnio vnitur animo ab illo pendens: at non propterea animus pendet à corpore, & tamen illi vnitur intrinſecè,ergo vt res alij intrinſecè vniatur,non exigit phyſicam ab ea dependentiam. Tandem creetur vnio (vt fieri poſſe oſtendam diſput.12.) tunc actu vniet extrema,& actu ab illis non pendebit. Immo in ipſa vnione aliud eſt vnire, quod facit ſe ipſa, aliud pendere,quod habet à generatione: cur ergo modus non vnitur rei intrinſecè, licet ab illa non cauſetur materialiter? Nam vnio ſe ipſa vnitur vt *quo* animo rationali, quod eſt eſſentiale vnioni: & tamen ſe ipſa non pendet vt *quo* ab animo, nec actu dependere eſt de eius eſſentia, ſicut actu vnire: ergo diuerſa ſunt vniri, & dependere: ergo poterit modus vniri intrinſecè alicui rei, quin ab illa pendeat vt ſubiectum, hoc autem eſt vniri in ratione termini intrinſeci: qua de re egi à §.92.

Argumenta ergo poſita §.105. haud difficile ſolues ex ſectione 6. à §.81. §.115. Ad primum argumentum diſtinguo antecedens, vnio ſe tenens ex parte materiæ illam vt ſubiectum vnit formæ tanquam termino, concedo antecedens; nego tamen vnire materiam tanquam ſubiectum, & formam ſimiliter tanquam ſubiectum per illam perfectibile. Recognoſce illa verba §.101. *quare cum ratione præſcindo.* quæ enim ibi dicta ſunt de diſtinctione rationis inter materializationem, & informationem, applica diſtinctioni reali inter eoſdem conceptus; hinc nego conſequentiā,quia alius modus requiritur non præciſè vt vniat formam,ſed vt illam vniat tanquam ſubiectum illam perficiendo: quamuis enim materializatione vnitur forma, vnitur vt purè terminus intrinſecus,non verò vt ſubiectum; vt autem vniatur & perficiatur vt ſubiectum, eget informatione. Ad confirmationem, reſpondeo materializatione vniri materiam vt ſubiectum, & formam vt terminum, requiri autem informationem, qua forma vniatur vt ſubiectum.

Ad ſecundum argumentum, omiſſa diſputatione de poſſibilitate caſus, negatur ſequi illud abſurdum: §.116. nam ſi maneret ſola informatio, exempli gratia, manerent quidem extrema vnita non perfectè, ſed imperfectè, alterum vt ſubiectum, alterum vt terminus. Similiter eſſe compoſitum incompletum, quia tantum haberet perfectionem vnius

Digitized by Google

vnius extremi, vnde compoſitum illud non eſſet ſimpliciter *homo*, quia *homo* includit materiam, formam, & vtriuſque perfectionem. Nam ad completam compoſitionem & vnionem requiritur vnio perficiens omne extremum perfectibile per vnionem. Qui verò hoc argumento mouentur, negent etiam diſtinctionem rationis inter vtrumque conceptum (quod facient ſine fundamento:) nam argumentum, ſi quid vrget diſtinctionem realem, eodem modo vrget diſtinctionem rationis, vt applicanti parebit.

§. 117. Ad tertium, patet ex dictis ad ſecundum, illud non fore compoſitum perfectè, neque hominem. Ad probationem verum eſt per ſolam materializationem materiam recipere, & formam recipi; negatur tamen conſequentia ſecunda, quia informari non eſt recipi in materia formaliter, ſed perfici vnione per ordinem ad formam, ſéque illi hoc modo vnire, itaque à materializatione materia denominatur *recipiens*, & forma *recepta*, quia hoc eſt intrinſecum materiæ vt ſubiecto, formæ verò vt purè termino: informare autem eſt recipere in ſe vnionem, informari verò illam terminare, at communicatio effectus formalis perfecta, & completa eſt ſe dare materiæ, & ab illa recipi, vt enim nihil abſolutè datur, dum non admittitur, licet offeratur, ita non communicatur effectus formalis, niſi per receptionem, vnde corpus cum ſola informatione non erit *viuens*, ſed tantum terminans vitam, quia viuere addit perfici in ordine ad vitam.

§. 118. Ad quartum nulla eſt conſequentia, quia verbum tantum eſt vnibile vt terminus, non verò vt ſubiectum, immo inde retorqueo argumentum, quia vnio verbi nullam habet diſtinctionem etiam rationis, quia illa vnio ſemper intelligitur eodem modo, nempe tendens in verbum tanquam in terminum, ab humanitate tanquam à ſubiecto. Hoc autem oritur, quia verbum diuinum eſt incapax vt perficiatur per vnionem, & ex illa incapacitate oritur ſimplicitas vnionis, etiam ratione noſtra, ergo ex capacitate formæ, & materiæ ad recipiendam vnionem, per quam perficiantur, oritur diſtinctio realis vnionum, ſicut oritur diſtinctio rationis.

§. 119. Quintò arguunt, non eſſe de ratione vnionis vt ſic eſſe compoſitam, vt patet in verbo & puncto continuatiuo: ergo. Reſpondeo vnionem vt ſic abſtrahi ab eſſentiali, & integrali. Contrahi autem per proprias differentias, quibus non conueniunt eædem proprietates. Item eſſentialis vnio eſt completa, & incompleta. Vnio completa eſt ſimplex, quando perficit omne extremum perfectibile, tunc enim omnia incompleta accipiunt ſuum complementum, talis eſt vnio hypoſtatica, quæ complet ſolam humanitatem, ideóque eſt ſimplex: at vnio compoſiti naturalis eſt compoſita, quia vna ſola non complet vtrumque extremum. In continuo dico eſſe duplex punctum eandem ob cauſam. Nonnulli, cum hic negaſſent excitatis magnis tragædiis compoſitionem vnionis, eam admiſere in continuo coacti diſſoluere argumenta ab ipſis effecta, in continuo autem nulla ratione potuere moneri, quæ hinc non eſſet communis: ſi qua verò eſſet differentia, in continuo eſſet neganda duplex vnio, & adſtruenda in aliis.

SVBSECTIO II.

Propria ſententia.

§. 120. Dico igitur informationem, & materializationem eſſe duos modos realiter diſtinctos. Probatur primò in animo rationali, cuius informatio eſt ſpiritualis, vt ait P. Vazquez tom. 2. primæ partis diſput. 188. num. 13. quia recipitur in eodem animo tanquam in ſubiecto: quapropter materialis eſſe non poteſt, vt probabo infra diſput. 6. & diſputat. 4. de anima (fauente Deo,) Materializatio verò eſt materialis, quia pendet à materia tanquam à ſubiecto, ergo in homine materializatio & informatio diſtinguuntur realiter. Patet conſequentia, quia idem modus non poteſt eſſe ſpiritualis, & materialis, niſi ratione diſtinctarum partium. Itaque efficacia huius argumenti ſumitur ex dictis ſect. 4. vnionem compoſiti naturalis recipi in vtroque extremo tanquam in ſubiecto.

Dices primo, ſi vnio partialis animi eſt ſpiritualis, ergo quauis corporis parte adueniente, aut recedente mutatur tota informatio, conſequens eſt falſum. ergo. Primùm negari poſſet maior, multi enim conantur, aliquos modos ſpirituales conſtare partibus, vt P. Suarez ait de vbicatione angelica, quos tamen impugnabo diſputat. 2. de anima. Secundò reſponderi poteſt negando minorem: ſicut enim nullum eſt abſurdum in continuis crebra punctorum corruptio, & generatio, ita neque in nutritione hominis crebra acquiſitio, atque deſtructio vnionum. §. 121.

Dices ſecundò, eam informationem non attingi virtute naturalis agentis. Primum id nullum eſſet abſurdum. Deinde eſt falſum, quia homo media anima poteſt efficere vnionem in alia anima. §. 122.

Secundò probatur, exemplo relationis prædicamentalis, quæ in ſententia communi diſtinguitur à fundamento & termino, vt à me ponitur vnio: relatio ſolum ineſt fundamento, quod refert: termino autem non ineſt (vt patet ſine controuerſia:) ergo vnio, qua materia vnitur vt ſubiectum, ſolum ineſt materiæ, & non termino, nempe formæ. Probo conſequentiam, quia vnio eſt relatio tranſcendentalis materiæ ad formam, non ſecus ac paternitas eſt patris ad filium. Immo multo nobilior eſt hæc relatio, quia eſt actuale exercitium ordinis eſſentialis materiæ ad formam. §. 123.

Dices primò, relationes prædicamentales eſſe diſtinctas, quia poſſunt eſſe in diuerſis locis. Contra, poſſe eſſe in diuerſis locis oritur ex diſtinctione, ſi enim non eſſent diſtinctæ, non poſſet in illis eſſe. Adde multas eſſe relationes, quæ nec diuinitus poſſunt loco ſeparari, vt relatio cauſæ & effectus inter potentiam, & actionem vitalem. Dices ſecundò, vnionem eſſe intrinſecam vtrique extremo, ſecus relationem. Contra, id probat terminum vnionis eſſe intrinſecum, non tamen probat terminum eſſe ſubiectum, nam retento conceptu relationis vt ſic, differt vnio, quia connotat intrinſecum terminum, alia verò relatio extrinſecum, quin terminus vnionis ſit ſubiectum illius: ergo ex nullo capite colligitur terminum eſſe ſubiectum. Non ex conceptione relationis vt ſic, nec ex differentia huius, ergo ex nullo. §. 124.

Dices tertiò, relationem prædicamentalem non eſſe diſtinctam ab extremis. Contra, ſi diſtinguitur, ita eſt ratiocinandum, ergo & de vnione, quæ diſtinguitur. Dices quartò, non eſſe multiplicandas vniones. Contra, quia cogit ad id conceptus relationis. Dices quintò non repugnare vnam vnionem eſſe in vtroque extremo. Reſpondeo, vnam rem forte poſſe eſſe in duobus ſubiectis, non tamen alterum ad alterum referendo intrinſecè, vt viſio ponitur à multis in corpore & animo non tamen illa mutuo referendo, ſed illa ad obiectum. Actio autem, licet eſt relatio agentis ad paſſum, non eſt ex §. 125.

ex ſuo conceptu intrinſeca agenti, niſi in quantum agens eſt patiens. Immo in rigore potius refert ſubiectum ad agens. Quæſtio tamen eſt de nomine: relationes enim tranſcendentales poſſunt eſſe extrinſecæ ſuis principiis, & illa extrinſecè referre. Itaque repugnantiam conſtituo non in ſubiectis: ſed quia vnum refertur intrinſecè ad aliud. Quod ſi vna relatio prædicamentalis poteſt eſſe ſubiectiuè in fundamento & termino, idem dicam de vnione: ſecus verò, ſi illa non poteſt.

§.126. Vt autem difficultas exhauriatur aduerte, actionem ex ſe non eſſe relationem inter agens & patiens: ſed inter hæc & effectum. Nam relatio petit diſtinctionem realem inter extrema relata, ſed actio ex ſe non petit diſtinctionem realem inter agens & patiens (vt oſtendam diſput. 9.) ergo actio ex ſe non eſt relatio agentis ad paſſum. Confirmatur in creatione, quæ fit ſine ſubiecto.

§.127. Quando verò agens & patiens realiter diſtinguuntur, tunc actio non eſt propriè relatio vtriuſque, niſi forte ex ſpecifica ſua differentia petat eſſentialiter diſtinctionem vtriuſque. Tunc autem refert extrinſecè agens, quia actio, vt denominat agens, non eſt illius perfectio, nec exercitium aut relatio perficiens agens. Si autem eſt immanens, illud perficit, non quia eſt agens, ſed quia patiens, actio ergo vitalis ponitur à multis in corpore & animo, tunc autem non refert animum intrinſecè ad corpus, vt denominat agens, ſed materialiter eſt patiens; vt autem & corpus & animus patiuntur, non referuntur mutuo, ſicut non referrentur duo corpora habentia eandem albedinem. Hæc dixerim pro illorum opinione, me autem non vrget obiectio affirmantem actionem vitalem materialem eſſe in ſolo corpore, non verò in animo. Quia verò vnio ex intrinſeco ſuo conceptu eſt intrinſeca perfectio vnius extremi, ſemper eſt intrinſecum exercitium illud perficiens in ordine ad aliud vt terminum, ſicut paternitas refert patrem ad filium.

§.128. Tandem obiicies, relationes tranſcendentales eſſe omnino diuerſas à prædicamentalibus, vt actio eſt relatio extrinſeca agenti, quod refert, ad quam non ſumitur argumentum ex relatione prædicamentali, nulla enim eſt extrinſeca rei, quam refert. Ergo idem erit de vnione. Nego conſequentiam, oſtendi enim actionem ex ſe non eſſe relationem agentis ad paſſum, ſed ad terminum. Relationis enim ratio habet petere diſtinctionem agentis à termino, & aliquando à ſubiecto, in cæteris aberrat à conceptu relationis, quod illi eſt peculiare, at vnio eſt in aliis ſimilis relationi prædicamentali, ergo etiam erit in referendo ſubiectum ad terminum. Oportet enim ex conceptu vnionis reddere diſcrimen, vt redditur ex conceptu actionis, immo cæteræ relationes tranſcendentales in hoc conueniunt cum prædicamentalibus, viſio perficit ſubiectum videns, non tamen terminum: vbicatio, & motus perficiunt mobile, non tamen locum, qui eſt terminus.

§.129. Rogas vtrum illi modi inuicem vniantur? Non, neque enim opus eſt, niſi vt per illos vniantur extrema. Dices, ergo non poſſunt vnum facere per ſe, quia cum ipſi non ſint vnum, non poſſunt componere vnum. Nego conſequentiam, quia vnum eſt indiuiſum in ſe, & partes per illas vniones ſunt indiuiſæ in ſe; etiam vnio, ipſa eſt indiuiſa à partibus, quod verò inter ſe non vniantur vniones quid refert? Nam compoſitum dicit naturam in recto, & compoſitionem in obliquo: natura autem completa ſemper eſt vna, quia eſt indiuiſa in ſe; quia habet vnionem in ſe. Item illa indiuiſio eſt etiam indiuiſa à partibus, quas vnit, & illis communicat ſuum formalem effectum, nec egent alia vnione, niſi ad ſuas partes, quæ vnitæ ſunt vnum, licet vniones inter ſe non ſint vnitæ. Quæ tamen non faciunt vnum per accidens, quia per ſe ſpectant ad compoſitum, nec ſunt aggregatio, quia vniuntur partibus, & inter ſe vniuntur remotè per partes. Rogas an poſſimus philoſophari de vnione ſicut diſput. 2. ſect. 7. philoſophati ſumus de ſubſiſtentiis? Reſpondeo non poſſe, alioquin in infinitum abiremus: nam illæ vniones non poſſunt continuari vnica vnione ſimplici propter rationem eandem, propter quam materia, & anima non vniuntur vna, ſed pluribus.

Fateor apertè, non eſſe adeo efficax primum argumentum ad probandum in cæteris compoſitis §.130. informationem, & materializationem eſſe diſtinctas realiter, quia poſſet quis dicere rectè poſſe in cæteris compoſitis vnum terminum eſſe perfectionem vtriuſque extremi, & in illo ſubiectari: nihilo tamen minus ex vnione hominis argumentum efformo; tum quia omnes rationes aduerſariorum iam infringuntur in homine. Dices, poſſe quem non moueri illis rationibus, ſed hac ſpeciali, non eſſe multiplicandos modos ſine neceſſitate. Contra, quia de ratione informationis eſſe recipi in ſola forma, & terminari ad materiam colligitur ex animo rationali, qui cum in ratione formæ, & modo informandi conueniat cum cæteris formis, conueniet in recipienda informatione, & materializatione terminanda. Neque hoc fit ſine neceſſitate, quia ſi etiam cæteræ formæ non tam diſtent à materia quàm anima, ſunt tamen valde diuerſæ rationis à materia, vnde vnaquæque ſuum habet perfectionis genus diſtinctum, neque idem modus poteſt eſſe perfectio ſubiectorum tam diſſimilium. Nam ad diſtinctionem realem eorum modorum ſufficit diuerſitas, qua vnuſquiſque afficit extremum ſuum, illud perficiendo. Neque refert actionem realiter non diſtingui à paſſione, quia entitas actionis non eſt intrinſeca, niſi patienti in ratione ſubiecti, illúdque tantum perficit. Secundum autem argumentum communius eſt.

Confirmatur, quia ſi eſſet vnus modus indiuiſi- §.131. bilis, non poſſet recipi in vtroque extremo: conſequens eſſe falſum probatum eſt ſect. 5. ergo. Probatur maior, quia materia ſufficeret, ad cauſandum illum modum materialiter ſicut ſufficit ad formam materialem, ſed poſita vna cauſa adæquata in vno genere, non poteſt alia in eo genere ſimul cum illa concurrere, ergo.

Rogas primò, cur terminus in ratione termini §.132. non perficiatur per vnionem? Iam reddidi rationem à §. 67. quam confirmo, quia perfectio, quando recenter aduenit ſubiecto, illud immutat: nam perfectum, & imperfectum diuerſæ ſunt mutationes: at terminus in ratione termini non mutatur per eum modum, cuius eſt terminus. Nam talis modus non eſt motus termini; probatur, quia, ſi eſſet motus, eſſet actus, & terminus eſſet potentia illius: nam *motus eſt actus entis in potentia prout in potentia*, terminus autem ſub ratione termini non eſt potentia, quia neque eſt potentia actiua, neque paſſiua, ergo. Et hæc eſt ratio à priori propter quam Verbum diuinum non mutatur per vnionem hypoſtaticam.

Dices accidentia Euchariſtiæ eſſe mutata, quia §.133. ſe habent modo aliter quàm antea ſe habebant. Aduerte accidentia in ſubſtantia panis eſſe ſubiectum

ſuæ

ſuæ vnionis, & quia in Euchariſtia amittunt hanc vnionem,ratione illius ſubeunt mutationem priuatiuam: at verò non mutantur ex eo quod iam generentur, iam creentur: quia non ſe habent aliter in ratione ſubiecti, ſed tantum in ratione termini, mutari autem eſt aliter ſe habere in ratione ſubiecti, & ſe habere aliter comparatione ſui actus, nam mutari dicit ſubiectum,quod eſt ſub termino *à quo* motus,& *ad quem*,quod autem non eſt ſubiectum, non eſt ſub illis terminis. Sic defendi Verbi immutabilitatem per vnionem in 3.parte diſput.17.

§.134. Inquiris cur modus ſpiritualis non poſſit ſubiectari in re materiali, & poſſit illam attingere in ratione termini intrinſeci? Quia *omne quod recipitur,ad modum recipientis recipitur,* & quia ſubiectum eſt vera cauſa rei, ideo participat eius imperfectiones: at verò non fit ex termino. Quapropter vnio corporis Chriſti ad verbum eſt materialis, quia licet terminetur ad rem ſpiritualem, ſubiectatur in re corporea.

§.135. Hanc quæſtionem nulli ex antiquis attigere, è noſtris neotericis partim huic partim illi ſubſcribunt opinioni, Pater Suarez 1.metaphyſ.diſput.13. ſect.9. num.13. docet probabilius eſſe in compoſitis omnino materialibus vnam tantum eſſe vnionem; cum taceat de hominis vnione, eam videtur cenſere eſſe compoſitam,& diſp.15.ſect.3.num.11. dicit vnionem hominis educi de potentia materiæ, & formæ. Vnde colligo,cum ſentire eam eſſe compoſitam, quia eſt partim materialis, & partim ſpiritualis: ipſe enim diſput.14.ſect.3.num.15.ait rem materialem non educi de potentia rei ſpiritualis. Item tom.1. in 3. part. diſput.17. ſect 5. probat à Verbo non modo aſſumptas materiam,& formam, ſed etiam earum vnionem: de qua loquitur vt de pluribus vnionibus.

SVBSECTIO III.

Animaduerſio.

§.136. NOnnulli recentes ne huic opinioni conſentiant, variè conati argumenta propoſita diluere. Ac primùm ad ſecundum propoſitum §.123. petitum à relatione prædicamentali, quæ duplex eſt;reſpondent eam à fundamento,& termino non eſſe diſtinctam. Contra quos vt agam, præmitto ſententias tres de relatione prædicamentali, vt in ſingulis vires argumenti conſpiciant. Prima ſententia docet, relationem eſſe diſtinctam modaliter à fundamento & termino: in qua vna relatio ſubiectatur in vno extremo, reſpiciens aliud vt purè terminum: quo exemplo vtor ad. diſtinguendas vniones. Secunda ſententia conſtituit relationem eſſe idem cum ſolo fundamento, eámque in ratione denominandi pendere & reſpicere terminum extrinſecum; in qua ſententia relatio *ſimilitudinis* repertæ in vtroque extremo eſt duplex; altera in *Petro* intrinſecè, connotans extrinſecè *terminum*; altera è contra intrinſeca *Antonio*, extrinſecè connotans Petrum:ex qua ſententia efficax argumentum ſumitur non ſecus ac ex prima: quia relatio prædicamentalis eſt duplex, altera in vno ſubiecto terminum reſpiciens; altera è contra: vt ego dico de vnione.

§.137. Tertia ſententia conſtituit relationem in fundamento & termino ſimul; ſed *Petrum eſſe ſimilem Antonio*; dicit in recto *albedinem* Petri, & in obliquo vt terminum *albedinem Antonij*: & è contra *ſimilitudo Antonij* eſt in recto *albedo Antonij*, & in obliquo *albedo Petri*: includit ergo duas relationes: rectè igitur ſumitur argumentum. Denique ſi diſtinguantur,fatentur omnes eſſe duos modos,quorum neuter reſpicit vtrumque extremum niſi alterum vt ſubiectum; alterum verò vt purè terminum: ſumo igitur argumentum in tribus illis ſententiis eiuſdem roboris: & conſtituo relationem prædicamentalem, qualis ponitur ab omnibus eius authoribus; & qualis cenſetur ponenda ab omnibus ex ſuppoſitione quod diſtinguatur ab extremis: ex qua argumentor ad probandam diſtinctionem modalem inter relationes prædicamentales materiæ & formæ in ratione vniti. Videamus an quid reſpondeant acutius.

Reſpondent non eſſe argumentum à relatione prædicamentali ad vnionem; quia non potuit vna relatio eſſe in vtroque extremo; quia hæc poſſunt loco diſtare; nec poteſt ex rei natura vna relatio eſſe duobus in locis inſtanti eodem: vnio autem ſupponit extrema in eodem loco adæquatè. Quam reſponſionem eos arbitror in me vidiſſe, §.124. quemadmodum & eius impugnationem: quia potentia vitalis & eius actio vitalis,& vnio qualitatis vitalis non poſſunt ſimul eſſe diuerſis in locis magis quàm extrema ex ſuppoſitione quod ſint vnita: & tamen referuntur prædicamentaliter per duas vniones,alteram in *cauſa* vt in ſubiecto,& in *effectu* vt termino;alteram è contra in *effectu* vt ſubiecto, & in *cauſa* vt termino: item & eſt relatio *diſſimilitudinis* inter res eaſdem: ergo illa diſtinctio & ratio afficiendi vnum extremum vt ſubiectum, alterum vt terminum,non oritur ex potentia exiſtendi duobus in locis: cum hæ relationes non poſſint in illis eſſe: ſed oritur ex communi conceptu relationis vnius extremi ad aliud: cum autem hic conceptus ſit in vnione compoſiti,eſt etiam eadem diſtinctio; ſin,reddant diſcrimen aliud. §.138.

Huic tam aperto argumento reſpondent eiuſmodi relationes locis inſeparabiles referre ſua extrema ac ſi eſſent ſeparabilia vel ſeparabilium more. Rogo, in quo gymnaſio res inſeparabiles didicerint ſeparabilium mores: ſi enim natura ſunt quaſi contradictoriæ ſeparabilium, quo pacto referunt ſeparabilium more? ac ſi diceres animal eſſe rationale, aut ratiocinari more irrationalium, & quibus ratiocinari repugnat. Cur autem ſeparabiles non referunt more inſeparabilium? maximè cũ actu non ſunt ſeparatæ,licet ſeparari queant. Separabiles ergo & inſeparabiles eundem habent morem referendi. §.139.

Ratio à priori; quia *vbicatio* eſt proprietas eſſentiam rei conſecuta; & vbi per ſe non eſt ratio oſtendens rei diſtinctionem, non eſt *vbicatio* diſtincta, nec diſtans: & vbi eſt diſtinctum *vbi*, eſt ratio ob quam prius natura ſint diſtincta *vbicata*: Hanc ego rationem dico eſſe quod de conceptu relationis eſt habere pro ſubiecto ſolum fundamentum quod refert; terminum autem non niſi in ratione termini. Equidem diſtans *vbi* oſtendit à poſteriori diſtinctionem rerum: opus autem eſt rationem à priori veſtigare: quia videmus diſtinctas relationes vbi non poſſunt eſſe *vbicationes* diſtantes. Redde hic rationem aliam; & conijce diſtantiam *vbicationum* non eſſe cauſam,ſed effectum relationum: ecqua ratio eſt relationes inſeparabiles referre vt ſeparabiles? §.140.

Eam tamen admitto; & dico,vniones inſeparabiles loco vnire extrema more ſeparabilium. Tu enim admittis vnionem continuatiuam duplicem; alteram in vno puncto vt in ſubiecto; alteram in alio:quas dicis non eſſe in eodem loco.Ego dico & vnionẽ eſſentialem vnire extrema more vnionum §.141.

loco diſtantium; & vniuerſim more relationum ſeparabilium. Viden opus eſſe maiori cum fundamento reſpondere?

§. 142. Minus male reſpondent alij relationes loco inſeparabiles non eſſe compoſitas ſed ſimplices, vt ab ipſis aſſeritur vnio: v. g. relatio cauſæ ad effectum eſſe eandem quàm effectus à cauſa; conſéntque argumentum propoſitum eſſe efficax: eſt enim conſequentia bona ab his relationibus ad vnionem: quapropter relationem patris ad filium conſtituunt in vtroque vt in ſubiecto; & eadem eſt filiatio quando pater & filius ſunt indiſtantes; vel certè id dicunt in omni cauſa & effectu inſeparabili. Mouentur, quia argumentum ab his relationibus ad vnionem eſt efficax; in compoſito autem eſt abſurda duplex partialis vnio; ergo & duplex relatio partialis. Minorem non probant niſi quia abſque neceſſitate non ſunt vniones & entia geminanda. Reſpondeo tamen non eſſe abſque neceſſitate ob rationes redditas: quod ſi nulla alia neceſſitas cogeret niſi aſſentiendi communi omnium Philoſophorum ſenſui de diſtinctione omnium relationum, & paradoxè non diuagandi ſolum vitandi vnius entis ergo: eſſet ſatis magna neceſſitas. Etenim ab omnium ſenſu non eſt puerilem in morem diſcedendum, ſed cum fundamento adeo premente vt omnes opprimat: quid autem opprimit, *non eſt neceſſitas multiplicandi relationes?* ergo. Reſpondetur enim facile eſſe neceſſitatem eas multiplicandi, dum aliunde non monſtratur multiplicitatis abſurdum: quia de illis non vt de vna, ſed vt de pluribus philoſophi diſputant. Alioquin & vbicationes eſſent vitandæ, & vna ſola adſtruenda: quod eſſe falſum conſtabit diſput. 14. à §. 29.

§. 143. Secundò, eas eſſe diſtinguendas colligitur, quia vnumquodque creatum extremum habet perfectionem comparatione ad aliud: quæ perfectio in cauſa & effectu eſt abſimilium rationum, quia cauſa non refertur ad effectum eodem genere quo effectus ad cauſam; vt conſtat in *filiatione & paternitate*: ergo hæ non ſolùm numero, ſed etiam genere diſtinguuntur. Tertiò, quia vbi ſunt duæ cauſæ non ſubordinatæ, ſunt etiam duo reſpectus: quia vnuſquiſque eſt in ſua cauſa independenter ab alia: vnde ad cauſam referri effectum eſt omnino independens à relatione cauſæ ad effectum: quia creaturæ referuntur ad Deum in ratione effectus (in ſententia communiori ex cuius ſuppoſitione arguo) relatione accidentaria inhærente ſoli creaturæ: Deus autem non refertur ad creaturam in ratione cauſæ relatione inhærenti realiter ipſi Deo: ergo vnum ſubiectum eſt independens ab alio ad habendam ſuam relationem. Quæ confirmo ab exemplo vbicationum: vna enim conuenit vni rei, & non duabus; quia licet ſint loco inſeparabiles: vnaquæque tamen eſt perfectibilis in ordine ad locum: nec vanè cenſentur multiplicari entitates vbicationum: ergo eadem ratione habent ſingulæ ſuas relationes. alioquin eadem ratione natura & ſubſiſtentia haberent vnum vbi; item materiam & quantitatem.

§. 144. Quo genere argumenti probatur reſpectum vnionis formæ ad materiam eſſe diſtinctum à reſpectu materiæ & formæ: quia ſinguli habent ſubiecta quaſi diſparata. Non enim ſunt vt potentia vitalis & anima; quia altera eſt ſubiectum *quo*, altera *quod*: cum ſubordinatione & complemento vnius ab alia: vt ſunt etiam agentia partialia, quorum alterum altero completur. Item relatio diſſimilitudinis inter ignem *A* & productionem caloris in ſe, eſſet ſpecie diuerſa à diſſimilitudine eiuſdem ignis à productione caloris in ligno: item & relatio cauſæ ad effectum: Hoc autem eſt abſurdum inter extrema eiuſdem ſpeciei in ſubſtantia & modo: ergo. Probo maiorem: quia prima relatio haberet duo ſubiecta ſpecie diuerſa; ſecunda verò vnum: quia relatio cauſæ in primo caſu eſſet in igne & actione ſimul; in ſecundo verò eſſet in ſolo igne: quia hæc ſecunda eſſet loco ſeparabilis; ſecus prima. Nec difficile ſimilia deduces abſurda, immo & non conſequentiam: quia cauſa eſt ſubiectum ſufficiens ad relationem ad effectum ſeparabilem: ergo & ad relationem inſeparabilem. Probo conſequentiam; quia cauſa æqualem virtutem habet ad relationem vtramque: nec altera petit maiorem virtutem quàm altera. Quo argumento bene hi authores mecum vtuntur ad probandum quantitatem in equo recipi in ſolam materiam, quia ita fit in homine: teneant & mecum conſequentiam. Quos noto diſput. 6. §. 65.

Argumento autem (quo ſæpius vtor) non poſſe eadem relatione duo extrema referri, reſpondent ſe mirari hæc à me dici, cum §. 91. dixerim eâdem actione referri agens ad paſſum & effectum. Verum §. 126. explicui actionem vt ſic, ſiue ex conceptu ſuo non eſſe relationem ad agens. Deinde nuſquam aſſerui eadem relatione referri vtrumque extremum vt ſubiectum, ſed alterum vt terminum, alterum vt ſubiectum. Actione refertur effectus ad cauſam vt terminus intrinſecus ad cauſam extrinſecam; ad ſubiectum vt ad intrinſecam cauſam: rationem reddidi eodem §. 91. quia relatio tranſcendentalis in actu ſecundo eſt exercitium actus primi; & in actu ſecundo refert vnamquamque rem vt ipſa conſtituitur in actu primo, nempe principium actiuum vt cauſam extrinſecam; paſſiuum, vt ſubiectum; effectum verò, vt terminum intrinſecum. §. 145.

DISPVTATIO VI.

De compoſito.

PArtibvs, & vnione explicatis, compoſitum ſupereſt explicandum.

SECTIO I.

Sit-ne compoſitum ab vtraque parte diſtinctum?

DIximus ſupra, vnionem eſſe compoſitionem: eſt autem compoſitio *ſimul poſitio*, vel *coniunctio plurium rerum, vnum tertium conſtituentium.* Compoſitum autem erit partes illæ, quæ compoſitione afficiuntur: nam *compoſitum* dicit formaliter *compoſitionem*, & partes componentes, quæ à compoſitione *compoſita* denominantur, id eſt, *ſimul poſita*: vt enim *album ab albedine*, & *vnitum dicitur ab vnione*, ſic à *compoſitione compoſitum.* Illud ergo denominabitur *compoſitum*, quod intrinſecè afficitur compoſitione, hoc autem eſſe partes inde patet, quia illæ recipiunt, & terminant compoſitionem, vt fusè probaui diſput. 5. §. 1.

Dices vnamquamque partem eſſe compoſitam, quia vnaquæque ſimul cum alia ponitur, ſicut dicitur *vnita*, hoc autem eſt abſurdum, ergo. Reſpondeo, ſpectata nominis etymologia, & vnde deriuatur, verum eſſe, quod infertur: at verò communis philoſophorum vſus eam vocem vſurpat pro vtraque §. 2.

que

que parte ſimul cum vnione,partes verò non vocat compoſitas (niſi etiam illæ aliis partibus conſtent) ad ſignificandam rerum ſimplicitatem.

§.3. Ex hac ratione compoſiti videtur inferri totum compoſitum includere vtramque partem & compoſitionem: præter illas autem nihil addit, nec ratione diſtinctum, vt rectè Durandus affirmat in 3. diſt.2. quæſt.2. numer.12. Ita Ariſtoteles 4. phyſ. cap.3. text.23. *non enim* (inquiens) *à partibus diuerſum eſt totum.* Primum patet, quia compoſitum dicit aliquid pro materiali, & pro formali; pro formali compoſitionem, à qua denominatur, *vt album ab albedine*; pro materiali ipſas partes, quæ compoſitionem recipiunt, & ab ea denominantur: ergo compoſitum includit partes, & vnionem. Præter hæc nihil includere patet, quia poſita compoſitione & partibus, ſecluſo quocumque alio intelligitur compoſitum, ergo præter partes & compoſitionem nihil addit compoſitum. Probatur antecedens, quia poſita vtraque parte & compoſitione, ponitur adæquata materia & forma compoſiti, quia compoſitio, (quæ eſt forma) nullum habet ſubiectum præter partes, quæ ſunt materia compoſiti à compoſitione denominata, præterquam à nulla alia forma poſſunt denominari compoſitæ. Ergo poſita compoſitione & partibus intelligitur adæquatè materia & forma compoſiti. Confirmatur, *vnitum* nihil addit ſupra vnionem, & partes vnitas, quia partes denominantur ab vnione, quæ in illis ſolis recipitur, præter quas nihil aliud ab vnione denominatur *vnitum*, ſed *vnitum* & *compoſitum* ſunt idem re, & ratione formali,ergo compoſitum nihil addit ſupra vnionem, & partem vtramque. Minor probatur: quia *vnitum* dicit partes ſimul coniunctas cum vnione, hoc autem eſt compoſitum, ergo.

§.4. Secundò probatur intentum, quia poſita in homine v.g. materia, & forma vnitis, intelligitur ſufficiens principium ſentiendi atque diſcurſus, ſecluſo etiam realiter quocumque alio, ergo & intelligitur ſufficiens hominis eſſentia: quia hæc adæquatè conſiſtit in principio ſentiendi, & diſcurrendi. Probatur antecedens, quia animus rationalis habet ſufficientem virtutem ad diſcurſum, ad quem eget in via ſenſatione, quæ pendet ab organo materiali, cuius ſenſationis principium actiuum adæquatum eſt animus, paſſiuum materia prima organizata. Ergo poſitis in homine corpore & animo,intelligitur in homine ſufficiens principium ſentiendi, atque diſcurſus.

§.5. Tertiò, quia ad id, quod ais compoſitum ſupra partes,& vnionem addere,aut eſt ſimplex aut compoſitum? Neutrum, ergo. Non eſſe compoſitum patet, quia etiam illud compoſitum diſtingueretur à ſuis partibus, quæ eſſent diſtinctæ à materia & forma,ſicque in infinitum abiretur: nec poteſt eſſe ſimplex,quia compoſito repugnat ſimplicitas, quæ dicit negationem partis. Dices compoſitum componi, verbi gratia, corpore & animo rationali, & ſupra illa aliquid addere, ſcilicet integritatem, & totalitatem. Contra, vel corpus, & animus eſt tota quidditas illius, compoſiti, vel non? ſi primum, ergo adæquatè compoſitum conſiſtit in vtraque parte & vnione, alioquin non conſiſteret in eis adæquatè illius quidditas; ſi ſecundum, ſequitur primò hominis eſſentiam non conſiſtere adæquatè in corpore, & animo vnitis, quod eſt contra communem philoſophorum ſenſum, & Athanaſij in ſymbolo aſſerentis,*ſicut corpus & anima vnus eſt homo,ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.*

Secundo de illa parte quidditatis, quam vocas §.6.
intergritatem, redit hoc tertium argumentum, quia ex illa & ex materia & forma reſultat compoſitum, hoc autem compoſitum diſtinguetur ab illis partibus, ſcilicet, materia, forma, vnione, & integritate, & ſic in infinitum: quod ſi compoſitum ab his non diſtinguitur, ergo totum non diſtinguitur ab omnibus ſuis partibus vnitis, quæ ſunt materia, forma, vnio, & integritas.

Dices diſtingui à materia, formà & vnione,non §.7.
tamen ab his ſimul cum integritate. Contra, ergo abſolutè totum non diſtinguitur à ſuis partibus, ſed ab aliquibus: nam, licet diſtinguatur à materia & forma, non tamen diſtinguitur ab omnibus ſimul ſumptis,at non ſolum materia, forma, & vnio eſſent partes compoſiti, ſed etiam illa integritas, & ab illis omnibus non diſtinguitur, ergo. Quorſum ponis iſtam partem, quam vocas *integritatem* diſtinctam à materia, forma, & vnione?

Confirmatur: id, quod additur partibus, & §.8.
vnioni, pertinet ad hominis eſſentiam, vel non? Si ſecundum, non eſt cur ponatur. Si primum, vel eſt tota eſſentia, vel pars? (ago de illa totalitate vt diſtincta à corpore animo, & vnione) ſi primum, ergo materia, & animus non ſunt de hominis eſſentia, quia hæc per te conſiſtit in ſola illa integritate diſtincta à materia, & forma: ſi ſecundum, ergo illa integritas ſimul cum corpore, & animo hominem conſtituit, ergo illa non eſt totum, ſed pars totius: tunc ſic primò,ergo iam totum non diſtinguitur à ſuis partibus vnitis, quia per te homo non diſtinguitur à materia, animo, vnione & totalitate, quæ per te ſunt hominis partes. Non eſt ergo cur ſupra partes & vnionem aliquid addatur. Secundò, ſequitur proceſſus infinitus, quia totalitas eſt pars hominis; ergo totum quod reſultat ex illa, & ex aliis partibus diſtinguitur ab illis:rurſus illud totum habet aliam totalitatem, &c. Si verò non diſtinguitur illud totum, ergo nec diſtinguitur totum, quod reſultat ex materia, forma, & vnione ab illis. Hæc ſententia eſt S.Thomæ, Alexandri, Durandi, & aliorum, quos refert, & ſequitur Pater Suarez 2. metaph.diſp.36. ſect.3. num,6.

Caietanus autem 3. part. quæſt.6.art.5. verſ. *ad* §.9.
ſecundam autem Durandi. Scotus item in 3. diſp.2. quæſt.1. §. *Quantum ad ſecundam*, eiuſque dicipuli, aliique non pauci, apud P.Suarez ſupra num.2. & Conimbricenſes 1. phyſi. cap.2. quæſt.1.art.1. in quos ipſi inclinant artic.3. affirmant compoſitum addere aliquid realiter diſtinctum à partibus & vnione. Probant primò, quia compoſitum debet eſſe vnum, quia eius productio eſt vna, ſed materia, & forma vnita ſimpliciter ſunt plura, ergo compoſitum non eſt materia, & forma vnita.

Quod argumentum leue eſt, in eoſque retor- §.10.
queo, quia materia, & forma pertinent ad eſſentiam totius, an non?Secundum negabitur (vt patet ex §.8.) Si primum, rogo quomodo ex duabus eſſentiis fiat vna manentibus illis diſtinctis? immo verò ex illa integritate, & duabus partibus vnitis difficilius reſultabit vnum, quàm ex ſolis partibus. Ad argumentum diſtinguitur maior; compoſitum eſt vnum ſimplex, nego; compoſitum eſt vnum compoſitum, concedo; item generatio totius non eſt vna ſimplex ſed conflata ex duabus partialibus, quarum altera producit materializationem, altera informationem, quod ſi vnio eſſet ſimplex, generatio etiam eſſet ſimplex, ſufficit enim terminum formalem *quo* eſſe ſimplicem, licet terminus totalis *qui* ſit compoſitus: item ad minorem, materia

& forma ſunt plura partialia & ſimplicia, & vnum compoſitum. Immo intelligi non poteſt vnum compoſitum ſine partibus diſtinctis,quod expreſſit Apoſtolus 1. ad Corinthios 12. *omnia* (inquit) *membra vnum ſunt corpus*:& quod dixit Athanaſius, *ſicut corpus & anima vnus ſunt homo*: quæ propoſitiones eſſent falſæ, ſi totum adderet aliquid ſupra partes: ſicut hæc eſt falſa, *homo eſt corpus*: quod ſi eſt vnum per compoſitionem, ergo in ſuo conceptu eſſentiali includit plures partes quæ fiunt vnum per vnionem, id eſt,*indiuiſum*: nam eſſe *vnitum* eſt eſſe *indiuiſum in ſe* (vt oſtendo diſputat.4. metaph. ſect.2.) at eſſe indiuiſum eſt eſſe vnum; ergo eſſe vnum eſt eſſe vnitum, ſed vnitum eſſentialiter includit plures partes, & vnionem, ergo vnum eſſentialiter includit plures partes & vnionem, nec capio qua ratione aduerſarij oppoſitum concipiant,

§.11. Secundo mouentur, quia materia, forma & vnio ſunt adæquata cauſa compoſiti, at nihil eſt cauſa ſui ipſius, ergo. Confirmatur, totum continet materiam, formam, & vnionem, ſed illæ res non ſe continent, ergo. Hoc argumentum difficile videtur ex comparatione cauſæ intrinſecæ cum extrinſeca. Sed diſcrimen attende: cauſa extrinſeca cauſat non communicando ſe ipſam formaliter, ſed producendo aliquid adæquatè à ſe ipſa diſtinctum, ſic duæ cauſæ actiuæ, vt Deus & homo ſimul ſumpti, & copulatiuè, ſunt adæquata hominis cauſa actiua; at cauſa intrinſeca cauſat totum, ſe ipſam illi formaliter communicando, & ſe includendo in effectu, quapropter vocatur *cauſa eſſentialis* effectus: & ſic non poteſt ſimul ſumi vtraque pars; nec copulatiuè: quia ſic neceſſariò reſumitur cauſa in effectu. Sed vtraque ſumi debet diſiunctim, ſiue diuisè: ſic igitur diſtinguo maiorem; materia, forma, & vnio ſunt adæquata cauſa compoſiti, ſigillatim,& diuiſiuè ſumpta, concedo maiorem: ſunt cauſa ſimul, & copulatiuè ſumpta,negatur maior; quia ſic non ſunt cauſa compoſiti, ſed ipſum compoſitum, vt etiam patet in aceruo lapidum, quem nullus diſtinguit ab omnibus partibus, omnes enim lapides aceruati, non ſunt cauſa acerui, ſed aceruus ipſe, omnes autem lapides diuiſim ſumpti componunt aceruum.

§.12. Dices, materia ſola eſt cauſa partialis compoſiti, item & forma, ergo vtraque ſimul eſt cauſa adæquata. Diſtinguo conſequens eſt cauſa adæquata ſubiectiua vnionis,illam intrinſecè recipiendo, & ſub iſta ratione eſt cauſa adæquata compoſiti, ſicut Deus eſt cauſa efficiens illius, quia efficit vnionem, concedo conſequentiam, nego tamen de cauſa adæquata intrinſecè conſtituente compoſitum. Totum enim non componitur ex cauſis adæquatis. Materia quidem & forma ſunt compoſiti cauſa adæquata diſiunctim tamen,id eſt, præter illas nullam habet cauſam.

§.13. Dices, cauſa partialis reſpicit totalem. Diſtinguo, cauſa extrinſeca partialis reſpicit totalem, concedo: cauſa verò intrinſeca partialis, non reſpicit totalem, ſed aliam compartialem, & totum compoſitum, non vt cauſatum propriè,ſed vt conſtitutum eſſentialiter per vtramque partem: quia cauſa intrinſeca eſſentialiter eſt cauſa, inquantum pars, pars autem non poteſt eſſe cauſa adæquata, vtraque verò pars vt vnita iam non eſt pars, ſed totum: ac proinde non poſſunt illud cauſare propriè, ſed conſtituere, ſe intrinſecè communicando, & manendo eſſentialiter intra eius eſſentiam.

§.14. Materia quidem,& forma ſunt adæquatus conceptus compoſiti, non tamen cauſa adæquata, quia cauſa dicit ordinem ad effectum diſtinctum. Nec contrarij difficultatem effugiunt, quia hoc illorum argumentum ipſos vrget: cum ex illorum opinione integritas pertineat ad compoſitum, tanquam pars. Confirmatur, coniunctum ex materia, forma, & vnione conſtat adæquatè ex illis omnibus, non tamen cauſatur adæquatè, itaque materia,forma,& vnio ſunt conceptus adæquatus compoſiti, & in hoc ſenſu ſunt cauſa adæquata, id eſt, adæquata eſſentia, at propriè non ſunt cauſa adæquata, nec totalis, quia cauſa propriè eſt ad aliud: dicitur autem materia cauſa partialis, quia eſt pars compoſiti, quod componit ſimul cum alia, & ſic reſpicit aliam compartem, & totum: non tamen cauſat totum, vt totum ſimul cum forma, & vnione, ſed dicitur cauſare totum, quia cauſat aliam compartem, vt formam materialem, & vnionem. Sic totum habet cauſam materialē, quia habet materiam, quæ eſt ſubiectum formæ, ſic autem cauſalitas vnius partis circa aliam tribuitur toti. Item materia & forma ſunt cauſa totalis compoſiti,non quia ſimul vnitæ cauſent compoſitum: non enim cauſant, ſed conſtituunt: ſed quia in illis clauditur adæquata cauſa: nam materia eſt cauſa formæ materialis, & forma eſt cauſa materiæ, & præter has non eſt alia cauſa in compoſito. Quod igitur eſt diſcrimen inter totum per ſe, per accidens, & aggregationem? Hoc aggregatum fit ſine vera vnione; accidentale per accidentalem vnionem,totum verò per ſe, per ſubſtantialem vnionem.

Ariſtoteles verò,quando diſtinguit totum à partibus, intelligitur de partibus diſiunctim, non copulatè ſumptis. Quandò verò dicit, *bis tria non eſſe ſex*,vult,ſex componi ex ſex vnitatibus vnitis: non verò è duobus numeris ternariis, quia vt ſic non vniuntur, ſed ſunt ſeparati. §.15.

Immo verò exiſtimo, compoſitum nec ratione diſtingui à partibus vnitis, quia implicat concipere cum fundamento in re compoſitum ſine partibus vnitis, nec partes vnitas ſine compoſito, & explicitè concipitur homo, cum concipitur corpus vnitum animo,& corpus vnitum animo, cum concipitur homo. Nam, ſi concipio corpus & animum vnita, ergo concipio duas partes ſimul poſitas per compoſitionem, quæ eſt vnio, ergo totam eſſentiam compoſiti,quæ nihil eſt præter compoſitionem, & materiam, quam denominat, & concipio vnitum, quod probaui eſſe compoſitum. Item, cum concipio hominem, concipio eas duas partes, & vnionem, cum quibus ſecluſo alio eſt totum: quia eſt principium diſcurrendi, ac ſentiendi. Omnes denique rationes, quibus probatur, non diſtingui realiter totum à partibus, probant nec diſtingui ratione, ſed ſolum vocibus, & grammatico diſcrimine,non philoſophico. §.16.

Dices totum generari, & non generari partes vnitas, & fieri compoſitum, & non fieri partes vnitas. Reſpondeo, compoſitum, & partes vt vnitas fieri eodem modo, partes enim non fiunt ſimpliciter,ſed fiunt *vt vnita*, ideſt, fit vnio, à qua ipſæ dicuntur *vnita*.Vnde fit compoſitum vt *quod*,compoſitio verò vt *quo*. Dicitur autem, & verè ita eſt, per eam actionem totum fieri, quia per actionem illam fit vnio, ſicut fit album per dealbationem. Vnde non ſunt audiendi, qui negant totum propriè non fieri, aiuntque fieri ſolam vnionem,quod & eſt cõtra communem Philoſophorum,ac Theologorum ſenſum, & contra rationem, quia antea verè non erat totum, & per generationem vnionis verè eſt totum, ergo per aliam generationem verè fit totum. Confirmatur:Beata Virgo verè genuit §.17.

nuit Chriſtum, quia attigit vnionem partium humanitatis iam ſubſiſtentium in Verbo, per quam vnionem fecit hominem, componendo per illam, vel ſimul ponendo vtramque partem.

§.18. Rogas cur productio materiæ, aut formæ non dicatur productio totius, ſecus verò productio vnionis? Reſpondeo, quia illa actio eſt productio totius, quæ producit rationem formalem compoſiti, quia eſt vltima actio, quæ non poteſt eſſe, quin ſit formaliter compoſitum: productio verò partium poteſt eſſe ſine compoſito, ſicut ille dicitur facere album, qui facit vnionem, quia per eam actionem ita fit album, vt repugnet non fieri. At per productionem albedinis præcisè non fit album, quia poteſt fieri ſeparata à ſubiecto.

SECTIO II.

Vtrum compoſitum habeat aliquid præter materiam formam & vnionem?

§.19. Vidimus compoſitum nec ratione diſtingui ab omnibus ſuis partibus vnitis. Videamus vtrū iſtæ partes ſint aliquid præter materiam formam & vnionem? Pater Gabriel Vazquez, tom. 1. in 3. part. diſp. 19. num. 26. ait, ex forma ſubſtantiali deriuari in materiam quoddam eſſe ſubſtantiale diſtinctum ab ipſa forma, item & à modo, per quem forma eſt in materia. Nam num. 26. dixerat formam accidentalem eſſe in ſubiecto per inhæſionem, ex qua nullus alius effectus deriuatur præter album, quod nihil eſt præter albedinem inhærentem ſubiecto, at præter inhæſionem, ait, ex forma ſubſtantiali deriuari alium formalem effectum, qui eſt informatio ſeu actus formæ, & eſt actus materiæ ſeu illius receptio: hunc effectum deriuari, probatur primò, quia materia non ſolum recipit animam, ſicut paries albedinem, ſed etiam verè dicitur *viuere*, & eſt principium operum vitalium: nam corpus diuerſo modo concurrit ad vitales actiones, ac aqua ad calefaciendum: quod ſi ſolum reciperet animam, diceretur concurrere ad actiones vt *vehiculum*, vt dicitur de aqua reſpectu caloris, & ſic ſola anima ſentiret, contra Ariſtotelem, ſecundo de anima cap. 4. text. 64. aſſerentem, animam non iraſci, ſicut nec texere. Secundò, anima, cum ſit ſpiritualis, tribuit materiæ eſſe *corporis*, *viuentis*, *animalis*, &c. Tertiò, corpus dicitur habere vitam corruptibilem, at anima eſt incorruptibilis, ergo anima non eſt vita corporis. Quartò, homo ponitur in prædicamento ratione corporis, & non ratione ſpiritus quod eſſet falſum, ſi anima nihil à ſe diſtinctum in corpus deriuaret. Hinc colligit diſcrimen inter vnum per ſe, & per accidens, quia ex ſubiecto & albedine non reſultat tertius conceptus ſpectans ad prædicamentum, at ex forma ſubſtantiali & ſubiecto reſultat.

§.20. Ab hoc vltimo incipiet impugnatio: vnum per ſe eſſe vnam vel plures ſubſtantias ſpectantes ad conſtitutionem alicuius rei, vt *angeli*, *hominis*, & *lapidis*, oſtendo diſput. 4. metaphyſicæ & diſp. 10. agens de ſubſtantia, & vnione ſubſtantiali, ſimiliter & in 3. part. quæſt. 2. vnum autem per accidens eſſe vnam, aut plures res vnitas, accidentes, ſiue accedentes rei conſtitutæ in ſuo eſſe, vt *albedo*, quæ iam ſupponit totam eſſentiam *Petri*, quia ſicut accidens eſt accidens, ita eius vnitas eſt per accidens, & accidentalis, & ſicut ſubſtantia eſt ens per ſe, ita eius vnitas eſt per ſe. Deinde falſum eſt, album eſſe albedinem inhærentem ſubiecto, quia omnes propoſitiones concretæ eſſent falſæ. Exempli gratia. *Petrus eſt albus*, non facit hunc ſenſum, *Petrus eſt albedo inhærens ſubiecto*, ergo *album* in recto ſignificat ſubiectum, & in obliquo connotat albedinem.

Deinde, rem eſſe albam per albedinem vnitam, non verò inhærentem, probatur: demus quantitatem conſeruari à Deo per creationem, & ſic creatam vniri materiæ, illam denominaret *quantam*, & non haberet inhæſionem, ergo. Deinde vnio corporis, & animi eſt diſtincta ab inhæſione ipſius vnionis; ergo etiam vnio aliarum rerum. Probo antecedens, quia inhæſio vnionis terminatur ad vnionem ipſam, quia generatio, quæ eſt inhæſio, habet pro termino producto, vt *quo*, vnionem, at non terminatur ad ſe ipſam, ergo. Quo argumento oſtendi diſp. 5. vnionem ab actione diſtingui. Tandem illa eſt vnio, quæ coniungit duas res, & eas facit indiuiſas, & facit vt vna communicet alij ſuum formalem effectum, ſed albedo eſt communicata Petro indiuiſa ab eo, & eum denominat album, ergo ei vnitur, & cum eo facit vnum diſtinctum à ſingulis partibus, ſpectans ad prædicamentum qualitatis, vel directè vel reductiuè, vt oſtendo diſp. 9. metaphyſicæ diſputans de iis quæ collocantur in prædicamento accidentis.) §.21.

Vnde ſic argumentor; albedo per ſolam vnionem ſui denominat *Petrum album*, ergo *anima* per ſolam vnionē ſui denominat *corpus animatum*. Probo conſequentiam, quia ſicut albedo eſt ratio albi, ita anima eſt ratio animati, ergo ſicut per ſolam vnionem albedinis redditur album, ita per ſolam vnionem animi redditur animatum. Confirmatur, in animato ſolum reperitur anima, corpus quod animatur, & animatio per quam animatur ab anima: hæc reperiuntur formaliter: efficienter autem reperiuntur cæteri modi cauſandi. Sed vnio eſt formaliter animatio, ergo per illam anima animat. Conſequentia patet, quia animare eſt formaliter per animationem. Antecedens probo; quia per te, & abſolutè animatio includit animam; quia eſt effectus formalis illius, ſed effectus formalis eſt ille, qui vnit formam materiæ; ergo animatio eſt, quæ vnit formam materiæ. Probo minorem, quia effectus formalis eſt ipſa forma ſecundum ſuum eſſe communicata; nam efficiens facit aliquid diſtinctum ab ipſo, at formale per ſuum proprium conceptum vnitum præſtat ſuos effectus. Itaque animatio dicit formalem animæ communicationem, & vnionem. §.22.

Denique pone in corpore animam illi vnitam, & tolle cæteros omnes conceptus, illud corpus erit animatum, ergo. Probo minorem, illud corpus habet in ſe denominationem ab anima, quia forma differt à materia, quod hæc vnitur non tribuendo formæ denominationem ſui, illa verò tribuit ſuam denominationem, vt anima non dicitur corporata, corpus verò dicitur animatum. Præterea in illo effectu formali includitur anima. Anima igitur vnita ſe ſola cum vnione abſque alio modo reddit corpus animatum. Deinde corpus non viuit per illum modum, ſed per animam, quæ eſt principium vitaliter operandi per ſuas potentias; vt autem viuat, quo eget niſi vita ſibi vnita? §.23.

Ad fundamenta in §. 19. Ad primum reſpondetur, animam formaliter & vniri corpori, & illud denominare *viuens*. Nam per te etiam in illo effectu formali includitur anima, ſicut ergo tu ais, per animam & illum effectum viuere corpus, ita aio ego, per animam, & vnionem viuere. Porrò rationem formalem viuendi non eſſe aliquid diſtinctum ab §.24.

ab anima eſt luce clarius. Nam viuere eſt formalis effectus vitæ, ſed ſola anima in homine eſt vita, ergo. Probatur minor, quia ſola anima eſt principium, quo homo operatur vitaliter per ſuas potentias. Deinde, ſi ille effectus eſt vita diſtincta ab anima, ergo ille vnitus denominat *viuens*, & non anima; ergo à vita vnita oritur ille effectus, ergo non requiritur præter vitam & eius vnionem.

§.25. Ad probationem reſpondeo, parem eſſe rationem in ſententia oppoſita, quia vel ſola anima cum illo effectu formali concurrit, materia ſuſtentante effectum illum: ſic autem materia ſolum eſt vehiculum illius effectus, & ſe habet ſicut aqua in calefactione, niſi quod à te hoc vehiculũ oneratur alio effectu diſtincto ab anima, & vnione: vel materia aliquo modo concurrit actiuè cum illo effectu, ſic autem dicito idem de materia inſtructa organis,& informata animo. Deinde, materiæ nullus philoſophus adſcripſit actiones vitales. Nec verò anima texit; quia *texere*, & *iraſci*, ſunt actiones vitales, quæ eſſentialiter includunt actionem ab anima, & receptionem in materiam, & cum totus homo agat per animam,& patiatur per corpus,ideo totus iraſcitur, & non partes. Quia verò anima ſola agit & patitur actus ſpirituales, ideo ea ſola intelligit, & quidem materia nihil agit in actiones, niſi eas recipere: at verò totum compoſitum aquæ calefacit per accidens, & contra inſitam proprietatem: vim enim patitur per calorem: at totum compoſitum *homo*, verbi gratia, naturaliſſimè agit per animam, & patitur actus vitales per materiam: vt tu teneris fateri.

§.26. Ad ſecundum reſpondeo,difficultatem eſſe communem vtrique, tu enim ais, animam formaliter includi in illo effectu formali: ergo etiam anima vt forma dat eſſe corporis. Deinde, ille effectus vt diſtinctus ab animo, & corpore eſt ſpiritualis, aut materialis. Spiritualis videtur dicendus in ſententia Patris Vazquez, opinantis vnionem eſſe ſpiritualem: ſic autem recidis in difficultatem eandem. Si eſt materialis: ergo non oritur ab anima formaliter, ſed efficienter: quia anima formaliter,& per incluſionem ſui non conſtituit rem materialem, cum ipſa ſit ſpiritualis; & ſicut per te iſte effectus corporeus datur formaliter ab anima, cur materiæ non dabitur formaliter ab eadem anima? Reſpondeo, materiá ex ſe habere eſſe corpus,ratione cuius omnia compoſita phyſica ſunt corporea, à formis autem non accipit eſſe corpus,ſed eſſe completum, & conſtituere hominem, & leonem. Formæ autem aliæ ſunt corporeæ, à quibus materia non denominatur corpus, ſed potius formæ ſunt corporeæ à materia, à qua pendent, maximè in ſententia ipſius P. Vazquez aſſerentis, animas perfectorum brutorum eſſe indiuiſibiles,quæ præciſè erunt corporeæ, quia pendent à corpore. Dicitur autem homo *corporeus*, non verò *ſpiritualis*, quia *ſpirituale* dicit in ſuo conceptu carentiam partium, homo autem in ſuo conceptu non habet carentiam partium: quia carentia eſt negatiua, & æquiualet vniuerſali: hæc enim eſt falſa propoſitio abſolutè, *homo caret partibus*, & hæc vera,*homo habet partes*,ſic autem eſt abſolutè corporeus, ſpiritualis autem ſecundum animam.

§.27. Ad tertium reſpondetur, corpus habere vitam corpoream, & corruptibilem, non quia eius vita in actu primo, & in ſe ſit corporea, aut corruptibilis, ſed quia illud animat & informat corruptibiliter, & vnione corporea. Sumitur ergo non in actu primo, ſed in ſecundo vniendi, ſicut per te etiam anima includitur in tuo iſto effectu, & tamen vita eſt corruptibilis, anima autem incorruptibilis, quia vita corruptibilis ſumitur concretè pro viuente, quod eſt corruptibile, quia licet anima ſit incorruptibilis, informat tamen corruptibiliter.

Ad quartum, patet ex ad tertium. Prædicamentum §.28. corporis ex æquo conſtituitur ex materia & ex forma, quia corpus eſt ſubſtantia completa, materia autem formaliter eſt corpus, anima verò etiam connotat corpus, quo etiam differt ab Angelo.

SECTIO III.

Vtrum vnio ſit de eſſentia compoſiti, & cauſalitas partium reſpectu totius?

VNionem eſſe de eſſentia compoſiti eſt luce §.29. clarius; quia compoſitum non poteſt concipi ſine vnione, magis quàm album ſine albedine; aut animatum ſine anima: ergo ſicut albedo eſt de eſſentia huius compoſiti, *album*, & anima, *animatum*: ita vnio eſt de eſſentia compoſiti. Antecedens patet, quia ſicut *album*, eſt formalis effectus albedinis, & *animatum* animi: ita compoſitum eſt formalis effectus vnionis, quia eſt formalis effectus compoſitionis, à qua denominatur *compoſitum*: ſed vnio eſt compoſitio: ergo compoſitum eſt formalis effectus vnionis. Confirmatur primò, compoſitum,& vnitum ſunt formaliter idem, ſed vnio eſt de eſſentia vniti: ergo & de eſſentia compoſiti. Confirmatur ſecundò, ſi vnio non eſt de eſſentia compoſiti: ergo eſt extra eius eſſentiam. Demus exiſtere eam eſſentiam, quin exiſtat vnio. Rogo quid ſit illa eſſentia? ſi eſt ſola anima & corpus: ergo nunc exiſtit tota eſſentia Beati Petri, quia exiſtunt eius anima & corpus: ergo nunc exiſtit Petrus,quia eſſentia Petri cum ſua ſubſiſtentia eſt Petrus, nec alio modo Petrus exiſtit, quàm exiſtente eius eſſentia ſubſiſtente.

Si verò *Petrus* addit effectum illum formalem, §.30. quem Pater Gabriel adſtruxit, demus illum exiſtere ſine vnione: ergo exiſteret Petrus ſine vnione. Quod eſt ridiculum, quia Petrus in ſuo conceptu eſt eſſentialiter compoſitus, conſtat enim duabus partibus, quarum altera communicat alteri ſuum effectum formalem: ergo ad illum communicandum requiritur actualis communicatio: hæc autem eſt vnio,quia vniri & communicari idem ſunt: ergo Petrus non poteſt exiſtere ſine vnione. Dices, caſum repugnare. Contra primò, id vnde probatur? nam ſi vnio eſt conditio ſine qua non, cur communicato illo formali effectu non poterit vnio corrumpi, & ille manere? nam vnio tantum videtur requiſita ad coniungendas partes, quæ ſine vnione poſſunt eſſe coniunctæ vt agens & paſſum: immo ex natura rei non requiritur vnio, quia ſicut agens operatur in ſubiecto ſibi proximo ſine vnione, cur forma penetrata cum materia non poterit ſine vnione illi communicare ſuum formalem effectum?

In aliis conditionibus percipio neceſſitatem per- §.31. manendi: niſi enim applicatio permaneat, ceſſabit actio agentis; ſimiliter niſi duret cognitio,ceſſabit ab amore voluntas, quia ceſſat repræſentatio obiecti (ſi forte hæc eſt conditio, & non potius principium:) at manente propinquitate materiæ cum forma, quorſum requiritur alia vnio? Contra ſecundò, repugnet phyſicè caſus, at conceptus Petri poſſet adæquatè cognoſci ſine ea vnione,ſicut ſine

ſine vbicatione, calore, & aliis accidentibus, ſine quibus tamen non poteſt phyſicè exiſtere. Quod etiam abſonat eſſentiæ Petri, quæ includit duas partes, verbi gratia, corpus viuum per communicationem animi, ergo vnio non poteſt præſcindi, à vita hominis: quia per vnionem deriuatur ille formalis effectus tanquam per formalem rationem communicandi. Denique de eſſentia Petri ſunt duæ partes, non diuulſæ, nec abſtractæ ab vnione, ſed vt vnitæ, quod à nullo philoſopho negari, aut vidi aut audiui, niſi à quodam recentiori: quem tamen arbitror in alio ſenſu loquutum.

§.32. Eandem vnionem dicunt eſſe conditionem, ſine qua non cauſabunt partes compoſitum, non tamen cauſalitatem ipſam. Mouentur, quia vnio eſt cauſalitas materiæ in formam, & ſic eſt prior natura, quàm forma, cauſalitas autem formæ in compoſitum eſt poſterior quàm ipſa forma, ergo cauſalitas formæ in compoſitum non eſt vnio. Vel ob hanc ſolum rationem tenentur negare vnionem eſſe cauſalitatem materiæ in formam. Ac primum maior propoſitio terminis implicatur: ſi vnio eſt ratio, per quam forma ſe communicat materiæ, & ſuum formalem effectum, quo pacto intelligitur priùs quàm forma ipſa? An intelligitur agens ſe priùs communicare effectui, quàm ipſum exiſtat? Aut qui intelligitur communicatio formæ priùs quàm ſit? Hæc enim eſt bona cauſalitas, *quia forma eſt, communicatur*: hæc mala, *quia forma communicatur, eſt*: quia res priùs eſt in ſe, quàm ſe det, & communicet aliis.

§.33. Adhuc duplici via poſſunt euadere: prima diſtinguendo partiales vniones, ſic autem materializatio, quæ eſt pars vnionis, eſt cauſalitas materiæ tam in formam, quàm in compoſitum: eſtque prior natura quàm forma: informatio verò eſt cauſalitas formæ in compoſitum, & eſt poſterior quàm ipſa forma. Secunda, negando cauſalitatem actualem eſſe priorem natura, quàm terminum, ſed eſſe ſimul: ſic autem materia ſimul cauſat formam, & compoſitum, quia compoſitum nulla ratione cauſatur à materia & forma niſi per vnionem, quæ vnio eſt ſimul ratione cum forma: effectus autem eſt poſterior natura, quando eſt in genere cauſæ extrinſecæ: at non eſt neceſſe vt omnis effectus ex partibus eſſentialibus ſit poſterior illis, implicat enim: quia illas includit, vel eſt idem adæquatè cum illis. Vnio enim non poteſt eſſe prior compoſito, quia intellecta vnione partium intelligitur formaliſſimè compoſitum: immo, licet dicant informationem, & materializationem eſſe prius natura quàm formam, quia ſunt cauſalitas materiæ in formam, adhuc vnio poteſt eſſe cauſalitas formæ in compoſitum, quia poſita forma, & præintellecta vnione intelligitur compoſitum ſine noua entitate, aut modo. Nec cauſalitas poteſt eſſe poſterior quàm forma, quia forma cauſat compoſitum ſe vniendo materiæ, per quam vnionem pendet à materia: ſic euadent: ſed neſcio, qua ratione capiant, informationem formæ in materiam eſſe priorem ipſa forma. Videtur ergo dicendum neceſſariò, quod docui diſput. 5. ſect. 3. vnionem non eſſe cauſalitatem materiæ in formam: ſed hanc priùs natura exiſtere, quàm vniatur.

§.34. Vnionem non eſſe rationem formalem, qua partes cauſant compoſitum, nulla poteſt ratione defendi. Nam ratio formalis cauſandi eſt ea, à qua cauſa denominatur actualiter cauſans, vt patet tum ex terminis, quia cauſa à cauſatione eſt formaliter cauſans: tum inductione, quia actio, & paſſio ſunt rationes formales agendi, & patiendi, quia per eas patimur, & agimus, ſicut viſio eſt ratio videndi, quia per eam videmus. Sed vnio eſt, à qua partes formaliter ſunt actualiter cauſantes compoſitum, ergo vnio eſt ratio formalis per quam partes cauſant compoſitum. Probo minorem: partes cauſant compoſitum ſe mutuo communicando, & componendo compoſitum, quia pars vnitur alteri, & conſtituit per ſuam entitatem totum, manens intra illud: ſed vnio eſt à qua formaliter partes ſe communicant, quia eſt earum vinculum, & communicatio, & eſt compoſitio, per quam ſimul ponuntur, & eſt per quod manent in toto, ergo vnio eſt ratio formalis, à qua partes actualiter ſunt cauſantes compoſitum.

Secundò, quia partes habent rationem cauſandi realiter ab ipſis diſtinctam, ſed nulla poteſt eſſe præter vnionem, ergo. Maior eſt certa, quia anima ſeparata non habet actualem cauſalitatem in hominem. Ergo cauſalitas diſtinguitur ab anima. Minor probatur, quia animæ ſeparatæ nihil deeſt, quo formaliter cauſet, præter vnionem. Quid enim habet anima in compoſito præter ſuam entitatem, & vnionem? Dices habere effectum formalem à ſe deriuatum. Bene: ille effectus eſt effectus; eius cauſa eſt forma, cur exiſtente forma ſine vnione non reſultat ille effectus, niſi, quia ille reſultat per communicationem, quia oritur in genere cauſæ formalis? Communicatio autem eſt vnio. Si autem forma ſe ipſa eſſet ratio formalis cauſandi, dum exiſteret, ſemper cauſaret actu, ſicut agens ſemper cauſat actu, dum actio exiſtit, & vnio tandiu vnit, quandiu durat. §.35.

SECTIO IV.

Poſſit ne compoſitum creatione produci?

INfertur ex dictis, compoſitum in ratione compoſiti creari non poſſe: quia compoſitum producitur eadem actione, qua vnio (vt modo probaui.) Sed vnio generatione producitur, & non creatione; quia fit cum dependentia à ſubiecto, ergo & compoſitum. Confirmatur, homo ſimpliciter generatur, tum quia frequens eſt ſacræ Paginæ vſus, *Abraham genuit Iſraël*. & vniuerſæ Philoſophiæ, *ſol & homo generant hominem*; tum quia alioquin non poſſet ab agente creato produci, quod nequit ex natura ſua creatione aliquid efficere, ſed vtraque hominis pars verè creatur. Ergo generatur in ratione compoſiti. Vnde confirmo, quod dixi fine ſectionis primæ, à productione vnionis totum denominari productum, ſicut homo denominatur genitus à ſola generatione vnionis. Hinc magis impugnatur opinio Patris Suarez opinantis, cœlum verè, & propriè creari, contra quem egi ſupra diſp. 4. ſect. 2. §.36.

Prima difficultas eſt contra hanc ſententiam: quia cœlum, & terra in ſcriptura creata dicuntur à Deo, & ſecundo Machab. 7. 28. cœlum & terra dicuntur ex nihilo facta, id eſt, creata. Ratione probatur, quia totum compoſitum ex nihilo fit, quia, licet vnio fiat ex extremis, & vna pars ex alia, totum tamen ex nullo alio fit. Confirmatur, quia totum perfectè ſubſiſtit, ergo creatur, quia creatio eſt rei ſubſiſtentis. §.37.

Sed ſcripturæ teſtimonia non vrgent: quia creatio ibi latè ſumitur pro effectione, quia idem homo, qui dicitur creatus, ſæpius dicitur genitus, ergo ſcriptura aliquando ſumit creationem pro generatione. Quod ex ſecundo teſtimonio clarius apparet: §.38.

ibi

ibi enim ab illa Machabæa Viragine omnia, quæ ſub cœlo ſunt, ex nihilo dicuntur creata: ſed accidentia ex nihilo non fiunt in rigore. Illis autem teſtimoniis intenditur, Deum ſua virtute omnia creaſſe, & nihil eſſe, quin ſit ab illo productum: *creari* autem non ſemper in ſcriptura ſumitur philoſophico rigore. Probatur 1. ex Pſalm. 50. 12. *cor mundum crea in me Deus*, ideſt, crea in me munditiem, & ſanctitatem cordis, quæ cum accidens ſit, non creatur, ſed generatur. Secundo ex Eccleſiaſtici 7. ibid. *non oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab Altiſſimo.* & cap. 17. 6. *creauit illis ſcientiam ſpiritus*, id eſt, eis infudit cognitionem intellectualem. Quæ & ruſticatio (quæ eſt ſcientia colendi agros) non propriè creatur, ſed propriiſſimè generatur. Eſai. 45. 6. *formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Item compoſita creantur ratione materiæ, homo autem ratione materiæ, & formæ.

§.39. Ad rationem, negatur antecedens: quia totum compoſitum fit per eam actionem, per quam fit vnio, quæ fit ex materia & forma, per quam totum generatur vt *quod*. Ad confirmationem negatur conſequentia, licet enim omnis terminus creationis ſit ſubſiſtens, non tamen omne ſubſiſtens eſt terminus creationis, niſi ſimplex ſit: compoſitum autem, quia compoſitionem includit, ab illius generatione dicitur *genitum*, alioquin etiam compoſitum per accidens creatur. Ratio à priori, quia compoſitum denominatur *productum* ab vnione terminante generationem, & non ſubſiſtit per vnionem, ſed per partes: at res ſubſiſtens ſimplex, ſicut ſe ipſa eſt terminus, & ſe ipſa eſt ſubſiſtens: ſic ſubſiſtens ſimplex eſt terminus creationis.

§.40. Hinc oritur ſecunda difficultas: quia diximus, materiam primam verè, & propriè creari; at materia prima eſt compoſita, cuius partes vniuntur per vnionem, quæ generatur: ergo à generatione huius vnionis materia erit generata. Vrgetur exemplo hominis. Cuius vtraque pars creatur, ratione tamen vnionis homo generatur; ergo idem erit de materia prima: ergo materia eſt generabilis, & corruptibilis.

§.41. Hoc argumentum multos malè vexauit: P. Vazquez 1. p. diſp. 174. num. 21. affirmat, materiam verè, & propriè creari, & ibidem negat creari id, quod fit vel ex ſubiecto, vel ex principio conſtituente. Vellem ipſe ſolueret argumentum. Omiſſis variis ſolutionibus, hæc differentia eſt inter continuum, & compoſitum eſſentiale: quod de huius eſſentia eſt ipſa vnio, vt in homine, equo, &c. at continuatio non eſt de eſſentia rei continuæ. Verbi gratia. Vnio partium materiæ non eſt de eſſentia materiæ, quæ *continua* denominatur, neque vnio partium aquæ de eſſentia aquæ, ſicut de eſſentia hominis eſt vnio. Quod inde probatur: quia quando quis coniungit duas partes aquæ, aut materiæ, non generat materiam, neque aquam, neque eas producit, ſed continuat; nec vidi, aut audiui vnum, qui aſſerat produci nouam materiam, aut aquam per continuationem, nec per diuiſionem corrumpi: ſed, ſi puncta continuatiua aut continuatio eſſet de eſſentia materiæ, aut aquæ, toties generaretur, & corrumperetur materia, quoties de nouo continuatur, aut abiungitur, vt contingit in homine, quando animus vnitur, aut ſeparatur; ergo continuatio non eſt de eſſentia rei continuæ, verbi gratia, materiæ, aut aquæ. Confirmatur, quia partes ſunt continuæ, ſed continuatio nec diuiſio non ſunt de eſſentia partis, ergo continuatio non eſt de eſſentia continui.

Sed obiicis primo: quia pars materiæ, & materia eſſentialiter eſt diuiſibilis, quo differt res materialis à ſpirituali, ergo continuatio eſt de eſſentia partis. Nego conſequentiam, quia pars eſſentialiter eſt continua, id eſt continuabilis, quia reſpicit aliam partem, cui continuetur, ſed per continuationem ab vtraque diſtinctam, ſicut materia eſt vnibilis eſſentialiter formæ, at verò vnio neque eſt de eſſentia materiæ, neque formæ. Ratio eſt, quia *continuum* dicit vnitum per continuationem: vniuntur autem partes, ſicut partes eſſentiales hominis corpus & animus ſunt vnita vnione eſſentiali. Differt autem res materialis à ſpiritali, quia ſpiritalis non habet compoſitionem, quia caret partibus, & ſic non petit illis vniri: at materialis conſtat partibus, quarum ſingulæ petunt vniri aliis. Ratione huius petitionis, qua vna pars connotat alias, dicitur *eſſentialiter vnibilis*, id eſt, eſt fundamentum petens vnionem à ſe diſtinctam, per quam ſit vnita, & continua. Sicut anima eſt eſſentialiter vnibilis corpori, ſed per vnionem diſtinctam ab ipſa. §.42.

Obiicis ſecundò: nulla pars etiam diuinitus poteſt eſſe ſine continuatione, quia continuum eſt diuiſibile in infinitum, ergo de eſſentia partis eſt continuatio. Sed nulla eſt conſequentia, quia homo non poteſt exiſtere ſine aliquo modo ab illo diſtincto, & tamen modus non eſt de eſſentia hominis. Non poſſe vnam partem eſſe ſine alia non prouenit, quia continuatio ſit de eſſentia partis, hoc enim affirmat nullus, ſed ex infinitate partium proportionalium, quas quodlibet continuum admittit. Equidem eſt de eſſentia partis connotare aliam, cui continuetur, ſicut eſt de eſſentia materiæ primæ connotare formam, cui vniatur, & ex Thomiſtarum opinione materia prima nec diuinitus poteſt eſſe abſque aliqua vnione ad aliquam formam, cum tamen nulla vnio ſit de eſſentia materiæ. Confirmatur apertè, quia ſi pars petit continuationem cum alia, ergo diſtinguitur realiter à continuatione, quia nihil ſe ipſum petit: de quo latè diſp. 15. §.43.

Igitur tota eſſentia materiæ conſiſtit in partibus, continuatio autem non eſt de intrinſeco conceptu illius, ſicut neque eſt de partis eſſentia, quod clariùs patet in opinione conſtituente continuum ex ſolis punctis. Pone lineam trium punctorum: tria puncta ſunt tota eſſentia illius materiæ: tres autem illorum vniones ſunt extra eſſentiam materiæ: quod idem eſt in partibus proportionalibus: in illis enim ſolis conſiſtit eſſentia materiæ, non verò in earum vnionibus. Interueniunt igitur in materia duæ actiones, altera terminata ad partem, ad continuationem altera, hæc vltima eſſentialiter eſt generatio, quia educit vnionem ex potentia partium, illamque generat. Quare totum integrale, ſiue continuum in ratione compoſiti, vt includit pro termino formali continuationem, verè generatur, vt argumentum in principio demonſtrat; negatur tamen materiam generari, aut corrumpi: quia partes nec generantur, nec corrumpuntur, in quibus eſſentia materiæ adæquatè conſiſtit. Itaque continua materia materialiter ſumpta non generatur, ſed creatur, quia ſic ſupponit pro partibus: at in ratione continui, & compoſiti, generatur, quia reduplicat vnionem. §.44.

Inquiri poteſt, an de potentia Dei abſoluta poſſit compoſitum creatione produci? Videtur P. Vazquez ſupra negare, quia creatio eſt productio entis ex nihilo: compoſitum autem fit ex partibus. §.45.

Eſt

§. 46. Eſt cum diſtinctione loquendum. Qui affirmant, vnionem non poſſe etiam diuinitus creari, parti negatiuæ neceſſariò adhærebunt, quia compoſitum dicitur productum formaliter per productionem vnionis, vt patet in homine, qui propter ſolam generationem vnionis dicitur genitus: ſed in ea ſententia vnio non poteſt eſſe creata, ergo neque compoſitum. Qui verò aiunt, vnionem poſſe creari, conſequenter affirmabunt, poſſe creari compoſitum: quia compoſitum denominatur *productum* à productione vnionis, ſed vnio poteſt creari, ergo & compoſitum. Confirmatur, creetur vnio hominis, neceſſariò totus homo creatur, quia omnes actiones in eo repertę ſunt creationes, à qua ergo actione denominabitur genitus, cum nullam terminet generationem? Quin affirmo, etiam ſi vtraque pars generaretur, dummodo crearetur vnio, totum creatum iri in ratione totius, ſicut modo generatur homo, quia eius vnio generatur, licet corpus, & animus creentur.

§. 47. Ad rationem reſpondetur, totum in ratione totius in eo caſu ex nihilo fieri, quia productio vnionis, eam produceret ex nihilo, at verò ex partibus propriè non fit totum, ſed conſtat, quod creationi non obeſt, dummodo productio vnionis ſit ex nihilo, ideſt, ſine concurſu cauſæ intrinſecæ, vt patet in materia prima, quæ, quamuis conſtet partibus, creatur. Sed quam ſequemur partem? Nunc in affirmatiuam inclinor, quia diſp. 12. ſect. 3. probabo, vnionem poſſe creari. Immo, cum Pater Suarez aſſerat cœlos vnica actione creatiua productos, conſequenter dicit eos in ratione compoſiti fuiſſe creatos.

SECTIO V.

Vtrum in viuentibus maneat idem compoſitum poſt, & ante accreationem, & diminutionem?

§. 48. PRæmitto ex lib. de generatione & corruptione, viuentia per nutritionem nouas partes acquirere, & deperdere per diminutionem, nec eſſe partem vllam, etiam quas *ſpermaticas* vocant, huius mutationis expertem. Compoſitum dupliciter accipitur. Primo, pro coniuncto tũ ex partibus, tum ex compoſitione, ſic autem manifeſtum, pro varietate cuiuſuis partis, aut vnionis totum variari. Secundo, pro partibus in recto, & compoſitione in obliquo: frequenter enim ſubiectum ſignificatur in recto, & in obliquo forma: ſic pro varietate vnionis non variatur compoſitum, quia manent partes, quæ ſunt materia illius compoſitionis, vt mutata ſola albedine non mutatur album.

§. 49. Mutata autem materia, aut forma, compoſitum neceſſariò mutatur, quia mutatur, quod ſignificatur in recto, itaque puer non eſt adæquatè idem ſecum iam viro, quia vir addit plures partes, quibus puer carebat: & homo pinguis non eſt idem adæquatè ſecum macro, eamdem ob cauſam. Hoc eſt diſcrimen inter hominem & cętera viuentia, quod hæc mutantur ſecundum materiam, formam, & vnionem; homo autem ſecundum materiam, & vnionem, dicitur autem ſemper idem vjuẽs: homo quidem quia ſemper habet eamdem animam; cætera viuentia, quia retinent aliquid partium, quas primo accepere, licet continuo alterentur, non videntur omnes periiſſe ſecundum ſe totas. Quod ſi omnes mutãtur ſecundum ſe totas, dicitur ſemper idem viuens, quia moraliter cenſetur idem, continuatione, quia non omnes partes ſimul acquiruntur, ac deperduntur ſed paulatim. Qua propter pars de nouo acquiſita afficitur figura, & cæteris accidentibus ſimilibus accidentium partium perditarum. Sic Durius dicitur ſemper idem flumen, quia aquæ paulatim ſibi ſuccedunt.

Ariſtoteles dixit perire compoſitum ſecundum partes materiales: non verò ſecũdum formales. Dicunt aliqui, quia forma non perit, licet abſcedat materia. Sed non placent, quia illud eſſet verum in ſolo homine, & plurimum in viuentibus perfectis: placet ergo S. Thomas exponens de partibus indiuiduis, quas amittit viuens, etiam homo in materia; non de ſpecificis, quas Ariſtoteles vocat *formales*. In reſurrectione quidem vnicuique reddet Deus multas partes materiæ eiuſdem, quam antea habuit, & fortaſſe omnes materiæ partes, quas tunc habebimus, fuerunt noſtræ diuerſis temporibus. Hoc vnum ſcio, prouidendum tunc à Deo vnicuique, ita vt aſſerat cum Iob, & *iterum circumdabor pelle mea.* & alibi, *& in carne mea videbo Deum Saluatorem meũ, quem viſurus ſum ego ipſe, & nõ alius.* §. 50.

Rogas, quænam ſit forma compoſiti? animus ne? an vnio? Reſpondeo, formam compoſiti in ratione compoſiti eſſe vnionem, materiam verò, vtramque partem. At verò, ſi pars parti comparetur, animus eſt forma, quia vnitur materiæ, illi communicans ſuam denominationem: eſt enim forma compoſiti duplex, altera eſt vnio, quæ comparata extremis, eſt illorum forma: altera eſt anima, verbi gratia, quæ comparata materiæ eſt forma illius. Abſolutè autem vna eſt forma in compoſito: tum quia comparatio ſit inter ipſas partes, quarum vna eſt materia, & altera eſt forma, tum quia vnio non tam eſt forma, quàm informatio, & materializatio; eſtque exercitium materiæ, & formæ, vt tales ſunt, & ſicut actio, & agens non ſunt duo agentia, ita nec forma, & informatio ſunt duæ formæ, ſed vna forma in actu ſecũdo informans, & vna materia materializans. §. 51.

SECTIO VI.

De ſubiecto accidentium materialium.

SVBSECTIO I.

Vtrum quantitas recipiatur in totum compoſitum?

AFfirmat Sanctus Thomas 1. p. q. 76. art. 6. & q. de ſpiritualibus creaturis, art. 3. ad 18. & alibi. Magnus Albertus, Dur. Capr. Caiet. & alij relati à P. Suarez 1. metaphyſ. diſp. 14. ſect. 3. num. 6. quã in partem vniuerſa fere Thom. iurauit Schola, nouiſſimè autem P. Rubius 1. de generat. c. 4. tract. 3. q. 7. num. 17. & P. Vaſquez tom. 2. in 3. part. diſput. 129. num. 30. Fundamentum ſumitur ab Ariſtotele aſſerente, in compoſito corrupto nullum ſenſibile ex præcedentibus manere, hoc autem fieri non poſſet, niſi accidentia eſſent in toto compoſito; ergo. Sed nec maior eſt vera, experimur enim eadem accidentia in genito, & corrupto, vt probabo diſp. 1. de Generat. vbi patebit Ariſtotelem loqui de ſenſibili, vt *quod* ſubſtantiali, non verò accidentali: nec minor eſt vera, quia licet in ſola materia reperirentur, perire poſſent, quia pendent à forma tamquam à fine, ad quem diſponunt, & tamquam ab actiuo principio. §. 52.

Hic aduerte circulum, quo circumagũtur aliqui §. 53.

ex his authoribus, aiunt enim in præſenti, accidentia recipi in vtramque partem compoſiti, quia pereunt intereunte compoſito: at verò agentes de accidentibus aiunt, perire, quia recipiuntur in compoſitum, vt patet ex diſput. 1. de Generatione. Itaque pereunt, quia recipiuntur, & recipiuntur, quia pereunt.

§. 54. Secundò mouentur; quia materia prima eſt pura potentia, ergo nullum habet actum. Tertiò, quia materia prima exiſtentiam mutuatur à forma, ergo non poteſt quantitatem recipere. Has duas rationes ſatis refelli ſuprà, oſtendendo exiſtentiam, actumque materiæ. Sed eſto, id totum mutuetur à forma, cur non poterit accepta iam exiſtentia quantitatem recipere? præſertim cum recipiat formam ſubſtantialem, & partialiter quantitatem, nihil impediente eiuſdem potentialitate, contra quod rationes factæ æquè procedunt.

§. 55. Quartò, quia ex materia,& forma fit vnum per ſe, at ex materia, & quantitate vnum per accidẽs; ſed prius eſt vnum per ſe, quàm per accidens; ergo materia prius vnitur formæ quàm quantitati,ergo quantitas non recipitur in ſola materia. Mala eſt hæc ſecunda conſequentia: argumentum enim ſummùm probat,materiam prius natura vniri formæ,quàm quantitati: non verò quantitatem ineſſe formæ,& in hac ſententia eſt S.Thom.ſupra illo art. 6. ibi autem illi nec venit in mentem, neque ipſe vllum fecit verbum de hac opinione, quam illi imponunt eius diſcipuli.

§. 56. Argumentum tamen, & S. Thomam ſic expono, compoſitum per ſe, prius, id eſt, principalius eſſe, vel prius in ordine intentionis, non verò in executione; quia quantitas materiam diſponit ad formam, vt agens naturale prius intendit ſubſtantialem generationem, quàm accidentalem, & tamen prius natura exequitur accidentalem, quia finis intenditur prius,& poſterius producitur.Immo S.Tho.ſupra docet, quantitatem ſecundum aliquã rationem eſſe priorem forma ſubſtantiali. Et quãuis dem à S. Thoma aſſeri, prius in exequutione eſſe formam ſubſtantialem, quàm accidentalem: vnde colligunt ex eo præcisè loco à S.Tho.conſtitui accidentia in toto compoſito? Nam materia rectè poteſt formas in ſe ſola recipere ſuo ordine, vt accipit vbicationem, relationes. Immo pro me afferam S. Thomam. In quæſtione autem de ſpiritualibus creaturis art. 3. ad 18. eſt expreſsè in hoc ſenſu,immo & à nobis eſt,quia diſtinctio partium eſt in ſola materia,& non in animo rationali, quam ait S.Tho. intelligi poſt formam.

§. 57. Quinto,quia accidentia ſunt proprietates totius compoſiti, ergo in eo recipiuntur. Sed ſufficit, vt in materia recipiantur, & in toto ratione illius: ſicut homo dicitur *æger*, licet ſolis manibus ſit ægris. Sicque Ariſtotelem multi intelligunt, nempe accidentia eſſe in toto vt *quod*, in materia verò vt *quo*, vt ait Durand.

§. 58. Oppoſitæ ſententiæ,ſcilicet, in ſola materia recipi quantitatem, ſemper aſſenſi. Eſt Philopponi, Auerrois, Simplicij, quam tribuit Ariſtoteli, & Platoni; & aliorum, quos refert P. Suarez ſupra num. 10. & ſequitur, nu.43. eſtque inter recentiores communior, quam tuentur P. Conimbricenſes 1. de Generat. cap.4.q.4. art.1. concluſ. 1. & 4. eſt expreſſa S. Thom. in 1.diſt.8.q.5.art.2.ad 4. ait animam non poſſe ſubiici quibuſdam accidentibus *vt albo*, & *nigro*, vbi autem adducitur initio huius ſectionis, tantum probat materiam prius vniri formæ ſubſtantiali,quàm accidentali,& quãuis quantitatem, & alia accidentia à quibus ait materiam indiuiduari,conſtituit in ſola materia:at in 1. p.q.77.art.5.potentias materiales vitales conſtituit in vtraque parte compoſiti.

Poſſet probari primò, quia, ſi quantitas recipitur in materia & forma, ergo non poſſunt inuicem penetrari, ſicut non penetrantur duæ partes materiæ. Secundò, quia eadem accidentia manent in genito, & corrupto: ergo recipiuntur in ſola materia, quia, ſi in forma reciperentur, ea pereunte perirent: quia accidentia non migrant de ſubiecto in ſubiectum. §. 59.

Prima ratio nihil probat, quia duo corpora, quæ habent eamdem numero partem quantitatis, non ſunt impenetrabilia inter ſe, ſed cum alio corpore habente aliam quantitatem: quia impenetratio per ſe primò eſt inter partes quãtitatis inter ſe, quam ob cauſam duæ partes materiæ ſunt impenetrabiles, quia habent duas partes quantitatis. Secunda non vrget, negatur conſequentia, & prima eius ratio:ad ſecundam reſpondetur, accidentia tunc non migratura de ſubiecto adæquato in adæquatum, quod vult adagium illud, nullum autem eſſet inconueniens, quod tunc ſubiecta inadæquata mutarent. Ratio, ob quam non perirent eſt, quia pereunte forma ſuccedit alia eiuſdem virtutis ad ſuſtentanda accidentia, vt, cum perit vna cauſa efficiens, non perit effectus, ſi adſit alia potens eum cauſare: cum tamen eſſentialior ſit dependentia ab efficienti, quàm à materiali. Quod argumentum ad hominem eſt contra Thomiſtas aſſerentes materiam primam,licet pẽdeat à forma, non perire pereunte forma,quia ſuccedit alia prioris vices ſupplens. De hac controuerſia de interitu aut conſeruatione accidentium in compoſitorum ruina longè differo diſp. 1. de gener. ſect. 5. illuc adi:hic autem ſatis ſit rem indicare. §.60.

Probatur ergo primo: quia quantitas non recipitur in animo rationali, ergo neque in aliis formis. Conſequentia negari non poteſt, quia omnes rationes, quæ contra materiam in aliis compoſitis afferuntur, æqualem vim habent in homine, tum quia, ſi ſemel admittitur in materia ſufficiens virtus ad quantitatis receptionem, quorſum in aliis compoſitis multiplicanda erunt ſubiecta? Antecedẽs autem non probabo communi ratione, quia accidens materiale nequit ineſſe ſubiecto ſpirituali, video enim nonnullos in præſenti hac vti ratione, at in libris de anima admittunt ſenſiones materiales in animo recipi rationali, quam quæſtionem illuc reiicio. Probatur igitur antecedens,quia nulla forma poteſt ex natura ſua inhærere ſubiecto; ex quo & ex ipſa non reſultet formalis effectus,ea enim ratione forma ordinatur ad ſubiectũ, neque hæc propoſitio indiget probatione: quia otioſè natura talem formam dirigeret ad illud ſubiectum: quia eo præcisè quod ſit incapax effectus formalis, eſt ineptum tali formæ. Quorſum enim intellectio poſſet ex natura rei lapidi vniri? Aut quantitas Angelo? Ratio à priori: quia natura ſubiectis dat formas, vt per illas conſtituantur in actu ſecundo, quem ex ſua natura petunt, & formæ hunc habent finem, vt viſio reddere videntem, & albedo album, ſed ex animo rationali, & quantitate non poteſt reſultare effectus formalis illius:ergo quãtitas non inhæret animo. Probatur minor,quia animus rationalis nõ poteſt eſſe quantus, *quantum* enim eſt corpus cum alio corpore impenetrabile: vel *quantum* eſt habens partem extra partem,extenſumque in ordine ad locum,vel ad ſe. Sed animus neque eſt corpus, neque habet partes, quas oportet extendi: ergo non eſt quantus. §.61.

Dices

§. 62. Dices primo, animum non extendi, extendi tamen totum compoſitum. Contra, quia totus homo extenditur ratione ſolius materiæ, ergo & eſt quantum ratione illius: ergo in ſola illa recipitur quantitas, quæ ſolutio colligitur ex S. Tho. in primum ſententiarum ſupra adducto, qui accidentia in eo ſubiecto collocat, quod illis indiget vel ad agendum, vel ad alios fines.

§. 63. Dices ſecundo actionem non ineſſe ei, quod denominat, & ſpeciem impreſſam aeri ineſſe, cui non communicat ſuum formalem effectum, nec tamen otiosè ponitur in aere, qui ſic ſpeciatus ſpeciem producit in oculo. Ad primam obiectionem reſpondeo, duplicem eſſe denominationem actionis, aliam extrinſecam, quæ eſt agens, ad quam non requiritur inhærentia intrinſeca formæ cum ſubiecto denominato: aliam intrinſecam, quæ eſt patiens, quam ſemper communicat per intrinſecã inhærentiam, itaque actio nulli ſubiecto inhæret, cui non communicet effectum ſuum formalem intrinſecum, extrinſecum autem cõmunicat principio extrinſeco: vt viſio intrinſecè denominat potentiam videntem, extrinſecè autem colorem viſum: ergo in nullo ſubiecto ponitur incapaci effectus formalis, quem intrinſecè dat actio. Ad ſecundam reſpondetur, ſpeciem impreſſam communicare aeri ſuum formalem effectum, ſcilicet, poſſe producere ſenſionem, quia aer ſpeciatus, licet non produceret ſpeciẽ in pupilla, ipſe cum oculis producet viſionem. Neque enim effectus formalis ſpeciei eſt, habere formaliter præſens obiectum, ſed virtualiter, ideſt, habere virtutem præſentandi obiectum cum potentiæ concurſu, quem effectum aeri communicat.

§. 64. Dices tertio ſenſionem recipi in materiam primam, cui non communicat ſuum formalem effectum, qui eſt *ſentire*: ergo & quantitas poteſt eſſe in animo ſine communicatione formalis effectus, qui eſt *extendi*. Non poſſunt hoc argumento vti, qui conſtituunt potentias ſentientes accidẽtarias, & in ſolis illis actus vitales; quos tunc materia valde remotè reciperet. Deinde totus effectus formalis qualitatis communicatur corpori: quia ille non eſt *ſentire*, ſed habere imaginem obiecti: corpus autem bene poteſt eſſe affectum imagine: ſentire autem includit formaliter *agere*: quod materia non habet. Quantitas autem non poteſt animum extendere; ergo nec in illo eſſe.

§. 65. Ex homine autem rectè arguitur ad corpora cetera; quia materia æqualis virtutis eſt in omnibus ad quantitatis receptionem: nec hæc plus exigit virtutis in ſubiecto hominis quàm equi. Quod fatentur omnes. Nonnulli tamen forte non multum conſequentes: quia relationem cauſæ conſtituunt in ſola cauſa, quando eſt ſeparabilis loco ab effectu: quando autem eſt inſeparabilis eam conſtituunt in effectu & cauſa ſimul: cum vtrobique ſit eadem in cauſa ad recipiendum virtus: ergo idem erit in receptione quantitatis. Dicent modos relationis eſſe diuerſos, vnumque ab vna, alterum à duabus cauſis pendere. Contra: etiam modus vnionis quantitatis eſt diuerſus; & in homine à ſolo corpore, in equo à corpore & anima pendere. Vide diſp. 5. § 144.

§. 66. Secundo, probatur hæc opinio: quia quantitas eſt diſpoſitio in materia antecedens formam: ergo præſupponitur ad formæ introductionem; ergo in illo priori non intelligitur in forma, ſed in ſola materia; ergo materia habet virtutem ſufficientem ad receptionem quantitatis. Probatur primum antecedens: quia agens materiale non poteſt agere niſi in ſubiecto quanto, & extenſo, vim autem primæ conſequentiæ probabo ſubſectione ſecunda, cum oſtendam accidentia in ſola recipi materia, & non in quantitate.

Dices, quantitatem eſſe priorem natura quàm forma in genere diſpoſitiuo, at in materiali eſſe poſteriorem. Sed diſput. 8. oſtendam, implicare huiuſmodi mutuam dependentiam. Deinde, quia quantitas diſponit ad formam in genere cauſæ materialis, ergo in eodem genere non poteſt eſſe poſterior quam forma. Video reſponderi poſſe quantitatem non eſſe propriè ſubiectum formæ, ſed aliquid ad illud pertinens, at formam eſſe verè ſubiectum quantitatis, ac proinde non eſſe cauſalitatem mutuam in eodem genere propriè. Item quantitatem præcedere in materia, & forma corrupti toto tempore ante inſtans generationis, in quo inſtanti recipitur quantitas in forma geniti, vt calor conſeruatur ab vno agente, donec producatur ignis, quo inſtanti conſeruatur à forma ignis. §. 67.

Sed non poteſt eodem inſtanti quantitas eſſe diſpoſitio antecedens, & pendere à forma: quia iam reciditur in mutuam dependentiam: neque eſt ad rem exemplum de calore: quia vltima diſpoſitio in eodem inſtanti, in quo diſponit ad formã, non pendet à forma geniti, ſed ab alio agente: at verò tempore ſubſequẽti pendet à tali forma, quia tunc non eſt diſpoſitio antecedens, ſed comitans, vel ſubſequens, neque eſt inconueniens eam tunc à forma produci, quod ſi in illo inſtanti generationis à nulla forma pendet quantitas, quia non pendet à forma corrupti, vel à forma geniti, ergo à ſola materia dependet. Si autem toto tẽpore ſequenti accidens ſit diſpoſitio antecedens, nõ poterit à forma cõſeruari in eo gradu, in quo eſt diſpoſitio: mutua enim cauſalitas eſt omnino fugienda. §. 68.

Tertium argumentum eſt, quia per te materia prima cauſat materialiter quantitatem, ergo in ſola materia recipitur, & non in forma: quia materia eſt cauſa ſufficiens ad illum effectum, ſicut eſt ſufficiens ad cauſandam formam ſubſtantialem. §. 69.

Dices materiam ſufficere ad cauſandam formam ſubſtantialem: quia hæc non indiget vt ſuum ſubiectum ſubſiſtat, quia ipſa complet totius ſubſiſtentiam: at verò accidens indiget ſubſiſtentia in ſuo ſubiecto, quia ipſum accidens eſt inhærens, & quo plus habet forma inhærentiæ, eo plus ſubſiſtentiæ in ſubiecto requirit. Verum materiam habere ſubſiſtentiam ſupra probaui. Deinde illa diſtinctio eſt ſine fundamento: quia ad recipiendam ſubſtantiam maior ſubſiſtentia requiritur, quàm ad accidens, quia ad nobiliorem effectum nobilior requiritur cauſa, nulla enim ſubſtantia recipitur in accidente, quamuis alia accidentia recipiantur. Deinde in materia recipiuntur mille modi, vt generatio ſubſtantialis, motus localis, & vbicatio, immò in ipſa quantitate recipiuntur modi, qui ſunt magis inhærentes, quàm ipſa quãtitas, ergo chymæricium eſt hoc latibulum. Adde, quantitatem eſſe aſſeclam non formæ, ſed materiæ, cui eſt coæua. Item formæ materiales extenduntur ad extenſionem materiæ, ſicut extenduntur accidẽtia, ergo ſicut quantitas ad extendenda accidentia non recipitur in illis, ita neque in forma, cui ergo muneri formæ inhærebit? Tandem, quantitas nullum effectum formalẽ poteſt habere in forma. Si enim eſt diſpoſitio materiæ, in materia debet eſſe: ſi eſt, vt extendat materiam, ſit in illa: forma autem diuiſibilis extendetur ad extenſionem materiæ, in qua eſt, ergo nulli rei eſt neceſſaria in forma eius receptio. §. 70.

SVBSECTIO II.

Vtrum qualitates recipiantur in quantitate?

§. 71. AFfirmat Sanctus Thomas 3.p.q.77.art.2.Durandus, 1.diſp.8.2 part.q.4. P.Suarez 1. metaphyſicæ, diſput.14. ſect. 4. & tom.3. 3.p. diſput. 56. ſect. 3. Primum fundamentum ſumitur ex Euchariſtia; vbi accidentia inhærent quantitati: quæ ſola ſubſiſtit, alioquin, & miracula eſſent multiplicanda, nec poſſet explicari qualitatum productio, & corruptio in Euchariſtia. Secundò, quia quantitas comes eſt materiæ, eamque iuuat ad receptionem, ergo erit immediatum ſubiectum accidentium. Tertiò, quia vnum accidens poteſt eſſe ſubiectum alterius, vt potentiæ vitales ſunt ſubiectum actuum vitalium. Item quantitas recipit plures modos, vbicationem, motum, & figuram, ergo etiam accidentia.

§. 72. Poteſt reſponderi ad primum, omnia accidentia in Euchariſtia ſubſiſtere, neque inutiliter multiplicari miracula. Hinc enim nullum ſumitur fundamentum. Quia de miraculis philoſophandum eſt conſequenter ad cuiuſque opinionem; non enim eſt philoſophandum cum timore multiplicandi miracula, ſed agendum prius de rerum phyſica natura, & attributis: quibus explicatis, conſequenter erunt miracula admittenda, vel neganda. Qui enim vnum efficit, efficiet omnia ad illud myſterium neceſſaria. Productio accidentium explicāda erit, vel quia agens creatum concurrit ad eorumdem creationem inſtrumētaliter, vel ad agentis naturalis præſentiam accidentia creari, & annihilari immediatè à ſolo Deo, eo temporis inſtanti, & diſpoſitione, quo ex natura rei eſſent generanda, & corrumpenda, ſi inhærerent ſubſtantiæ, vt Deus materiam reproducit, cum ex natura rei erat nutritio facienda in ſtomacho Sacerdotis, quia ſtatuit Deus in hoc myſterio partes agere naturalis agentis, quod egregiè dixit Gab. in 4. diſt. 12. q.1. art. 2. idem eſt de exiſtentia qualitatum in loco, & aliis, quæ Deus præſtat ad occultandum hoc myſterium.

§. 73. Ad ſecundum, quantitatem iuuare materiam ad receptionem, materiam extendendo, non tamen cum illa ſimul recipiendo accidentia, vt patet in forma ſubſtantiali: Ad tertium, primò negari poteſt antecedens: inſtantia de potentiis nihil vrget, probabitur enim diſput.4. de anima, potentias vitales non diſtingui à ſubſtantia. Secundò, omiſſo antecedenti, negatur conſequentia: quia potentia vitalis per ſe primò ordinatur ad agendum immanenter, & conſequenter ad patiendum, quantitas autem non ordinatur ad patiendum, ſed ad extendendum: neque in Ariſtotele reperietur, quantitatem eſſe ſuſceptiuam accidentium, ſed tantùm eam eſſe rationem phyſicæ diuiſionis. Modos autem non ſolum recipit quantitas, ſed quodcumque accidens, vnde ſicut hinc non infertur omne accidens eſſe alterius ſubiectum, ſic nec quantitatem. Ratio eſt, quia modus non diſtinguitur realiter abſolutè à re, cuius eſt modus; ſed eſt eius perfectio, ſecus qualitas, & quantitas.

§. 74. Arguunt quarto: ignis in ſe calorem producit, in ligno autem non per ſe, ſed per ſuum calorem quo vtitur vt cauſa proximè calefacienti lignum; ergo & materia per quantitatem excipit accidentia. Miror eos non intuliſſe; *ergo per albedinem excipit accidentia:* tam eſt efficax argumentum. Calorem vim habere producendi calorem, experimento docemur; & cum ſit cauſa vniuoca, illi debetur concurſus: at vt albedo non eſt productiua dulcoris, ita nec quantitas exceptiua qualitatum; ac propterea non eſt ſubiectum *quo* ipſarum.

Oppoſitam ſententiam ſequuntur Capr. 1. diſtinctione 3.q.3.art.2. ad ſecundum Scoti, opinans in materia eſſe vnam potentiam ad quantitatem, aliam verò diſtinctam ad qualitatem, in qua poteria, & non in quantitate Capreolus ſubiicit qualitates, Greg.2.diſt.12. q.2. art.2. Nomin. apud P. Suarez tom. 3. 3.p. diſput. 56. ſect. 3. eam ſequuntur quotquot negant, quantitatem à re quanta diſtingui, iuxta quos accidentia ſunt in ſola materia. Marſilius verò 4. quæſtione 9. art. 2. licet admittit diſtinctionem quantitatis à materia, negat tamen quantitati qualitates ineſſe. In hanc ſententiam primùm impellor, quia quantitatis munus eſt materiam diſponere, & extendere ad impenetrabilitatem, & ad actionem materialis agentis, ergo eius munus non eſt qualitates recipere. Patet conſequentia, quia ſine tali receptione exercet primum munus: vt patet reſpectu formæ ſubſtantialis, ad quam diſponit, & eam non recipit. §. 75.

Confirmatur: qualitates primæ diſponunt ad formam ſubſtantialem, & ſunt cauſa ſecundarum qualitatum: & tamen ſecundæ non recipiuntur in primis. Cur ergo omnes recipientur in quantitate? Dices, omnes qualitates eſſe *quantas*, & *extenſas*, at in qualitatibus non eſt aliquis effectus; qui ab vna proueniat aliis. Contra: quia nulla qualitas eſt *quanta* propriè loquendo, quia *quantum* prouenit à quantitate tamquam à forma, & in tua ſententia quantitas non eſt forma qualitatis, ergo qualitas non eſt propriè *quanta*: eſt autem qualitas *extenſa* ad extenſionem ſubiecti, quia diuerſæ partes qualitatis recipiuntur in diuerſis materiæ partibus: quæ materiæ partes, cum ſint in locis diſtinctis propter ſuam impenetrabilitatem, ſecum trahunt qualitates ad eadem loca, & diuiſione partium materiæ diuiduntur etiam qualitates: quia vnaquæque pars materiæ ſecum trahit ſuam qualitatem. Sic ait Sanct. Thomas, formas diuidi ad diuiſionem ſui ſubiecti, ſicut in oppoſita ſententia qualitates diuiderentur, & extenderentur ad diuiſionem, & extenſionem quantitatis, in qua eſſent. Sicut nunc diuiduntur, & extenduntur ad extenſionem, & diuiſionem materiæ, in qua ſunt. §. 76.

Secundo: diſpoſitio debet eſſe in eodem ſubiecto, quod diſponit ad formam, & in quo eſt ipſa forma: nam ſi non ineſt ſubiecto, quod diſponit, quo pacto illud diſponit, cum eius diſpoſitio ſit per informationem? Quod ſi ſubiectum formæ non afficitur diſpoſitione, illa diſpoſitio, qua in re deſeruit formæ? Si enim eſt in vno ſubiecto, & diſpoſitio in alio, quid præſtat talis diſpoſitio? Sed qualitates ſunt diſpoſitiones materiæ recipientis formam, & non quantitatis, ergo ſunt in ſola materia; & non quantitate. §. 77.

Dices primo, materiam diſponi, vt *quod*, quia recipit quantitatem, quæ eſt ſubiectum *quo*. Contra, tum quia quantitas non diſponitur, vt *quo*, quia neque vt *quo* recipit formam ſubſtantialem; ergo nec recipit qualitates, vt *quo*: tum quia diſp. 8. probabo, cauſam remotam, verè non eſſe cauſam: præſertim cauſam materialem. Vnde infertur, materiam neque eſſe cauſam: neque ſubiectum qualitatum, niſi eas immediatè recipiat, idque clarius patebit ex lib. de anima diſput. 4. vbi ponetur actus ſentiendi in appetitu, quia vna potentia realiter diſtincta non poteſt moueri per actus alterius, niſi eos in ſe recipiat. Vnde qui hac ratione ibi mouentur, & in præſenti quæſtione §. 78.

nobis

nobis aduerſantur, ſibi contradicunt parum conſequentes.

§. 79. Dices ſecundo ſpeciem impreſſam in aëre recipi, quem non diſponit ad viſionem. Reſpondeo primum, ſpeciem non diſponere ad recipiendam, ſed ad agendam ſenſionem. Secundò reſpondetur, diſpoſitionem recipi in ſubiecto, quod diſponitur, ſicut ſpecies in oculo. Nec enim refugio nunc, poſſe diſpoſitionem eſſe aliquando extra ſubiectum, quod diſponit, ſed ſubiectum neceſſariò habere diſpoſitionem, ac proinde qualitates ineſſe materiæ immediatè, quod ſi illi inſunt, illi ſoli inſunt, vt de quantitate probaui.

§. 80. Dices tertiò, actum intellectus eſſe diſpoſitionem ad actum voluntatis, cum tamen cognitio non ſit in voluntate. Reſpondeo primùm, volitionem, & cognitionem eſſe immediatè in anima, vel ob hanc ſolam rationem. Secundo ſint in potentiis diuerſis, intellectio non diſponit ad volitionem, quia diſpoſitio non poteſt eſſe perfectior forma, ad quam diſponit.

§. 81. Dices quartò, actum meritorium eſſe diſpoſitionem ad Gratiam, & eſſe in ſubiecto diuerſo. Contra, tum quia Gratia & actus ſunt immediatè in animo, tum quia actus non eſt diſpoſitio phyſica, ſed moralis. De quo ago in materia de iuſtificatione.

§. 82. Dices quintò, peccatum eſſe in voluntate, & eſſe diſpoſitionem ad expellendam Gratiam ex animo. Contra, quia ea ratione pono peccatum in ſubſtantia animæ. Deinde illa expulſio eſt mouendo voluntatem Dei ad diſplicentiam; & qui diſplicet ſibi in peccatore, mouetur ad auferendam Gratiam: at verò diſpoſitio qualitatum eſt phyſica, ac propterea debet eſſe phyſicè in ſubiecto diſpoſito.

§. 83. Rogas, cur quantitas non recipiat qualitates, & ipſæ qualitates producant alias? Reſpondetur, qualitatem dari formis, vt diſponant ſubiecta ad generationem ſubſtantialem, quod præſtare non poſſunt niſi producendo alias qualitates, quantitas autem diſponit, & extendit materiam, quin recipiat illas qualitates.

DISPVTATIO VII.

De Natura.

EXPLICVI adhuc eſſentiam compoſiti naturalis in ordine ad ſe; explananda nunc in ordine ad motum.

SECTIO I.

Naturæ ſignificatio, & eſſentia.

§. 1. PRimò, Sumitur *natura*, pro *Deo*, natura naturans, id eſt, parturiens omnia: ſic mundus dicitur opus naturæ & intelligentiæ. Sumitur etiam pro principio alicuius rei, ac diuiditur in vniuerſalem, quæ eſt Deus, & in particularem, quæ ſunt entia creata, & *natura naturata* vocantur, id eſt, ex alia natura nata.

Secundò ſumitur pro cuiuſque rei quidditate & eſſentia, ſic diffinitio dicitur *oratio explicans naturam rei.*

Tertiò, pro vniuerſitate rerum creatarum, ſic dicitur *miraculum*, quod excedit naturæ vires, id eſt, rerum omnium infra Deum exiſtentium.

Quartò, pro cauſis naturalibus: ſic dicimus, *naturam nihil fruſtra moliri*, & *naturam agere quod poteſt optimum*, & ſecundum inſitam propenſionem.

Quintò: pro cuiuſque rei temperatura, ſic flegmata, & melancholiam, dicimus eſſe naturam melancholici, & flegmatici.

Sextò: pro cuiuſque rei generatione: eſt enim natura *naſcentia*, ſiue *naſcitura*: ſiue *ratio naſcendi*, ex qua ſignificatione origenem traxit hoc nomen.

Septimò ad ſignificationem primi principij intrinſeci motus. Quæ, ſi propriè ſumatur, adſtringitur ad materiam, & formam ſubſtantialem: à quibus compoſitum dicitur *ens naturale*; &, quia natura dicit ordinem ad motum, vocatur etiam *ens mobile*. Eſtque hæc tam ſtricta ſignificatio, vt ſubſtantiæ materiæ expertes, atque completæ, nec natura dicantur, neque ens naturale, adeo, vt ſolus philoſophus ſit philoſophus *naturalis*, id eſt, naturam indagans: metaphyſicus autem dicitur *tranſnaturalis*, quia agit de rebus vltra naturam, id enim *metaphyſica ſonat*. Videantur ſanctus Thomas 3. p. quæſtione 2. art. 1. & noſtri Conimbricenſes hic quæſt. 1. art. 1. & P. Suarez 1. metaphyſicæ diſp. 15. ſect. 11. num. 4.

§. 2. *Naturale* dicitur totidem modis, quot natura. Præſertim ait Ariſtoteles motum ignis ſurſum eſſe naturalem, id eſt, iuxta naturam ignis: at verò *ſupernaturale* ſimpliciter dicitur, quod eſt ſupra vires rerum omnium creatarum, pro quibus diximus naturam ſumi tertio modo. Adde etiam, requirere, vt ſit ſuprà totam naturam poſſibilem, non videntem Deum viribus propriis.

§. 3. Aduertendum obiter, rectè poſſe ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem, & eſſe naturam, ſi illi eſt connaturale propriis viribus videre Deum, vt Deus naturam habet; eſtque ſupernaturalis ſubſtantia, quia viribus propriis ſe videt: cui connaturales ſunt omnes proceſſiones diuinæ. Si autem produceretur aliqua ſubſtantia, cui eſſet connaturalis viſio beata, eſſet quidem ſupernaturalis, quia propriis viribus videret Deum. Dices, illam fore naturam: ergo non eſt ſupra omnem naturam: ergo non eſt ſupernaturalis. Diſtinguo primum conſequens, non eſt ſupra omnem naturã non videntem Deum viribus propriis, nego conſequentiam; concedo autem de natura in tota latitudine ſumpta: inde nego ſecundam conſequentiam, quia *ens ſupernaturale* ſemper non dicitur comparatione omnium naturarum, ſed earũ tantum, quibus non eſt connaturale videre Deum, & ea ratione angelus non eſt ens ſupernaturale ſimpliciter, quia non eſt ſupra omnem naturam impotentem viribus propriis videre Deum. Hæc obſerua in 1. p. q. 12. vbi quæritur ſitne poſſibilis ſubſtantia, cui connaturalis ſit viſio beata? Hîc neutram partẽ ſtatuo, ſed terminos explano, ne æquiuocatione hallucinemini. Natura autem communius vſurpatur, pro eſſentia cuiuſque ſubſtantiæ vt obſeruat P. Suarez. Ego vero cum Ariſtotele more phyſico loquar, naturam vſurpans pro materia, & forma ſubſtantiali.

§. 4. Diffinit autem naturam Ariſtoteles. *Natura eſt principium, & cauſa, vt id moueatur, & quieſcat, in quo primo, & per ſe, & non per accidens ineſt*: quam definitionem vide apud Patres Conimbricenſes hoc lib. cap. 1. q. 2. Ad cuius explicationem aduerte; ad rationem naturæ requiri vt ſit cauſa motus; per quod excluditur priuatio. Quæ, licet eſt principiũ motus, non tamen cauſa; ly autem, *in quo eſt*, eſt particularior differentia, qua principium, & cauſa motus reſtringitur vt ſit intrinſeca rei, quæ mouet: nam Deus eſt etiam cauſa mei motus, extrinſeca tamen non intrinſeca. Quapropter ablegatur à natura

à naturæ conceptu, ly autem *per ſe primo*, eſt ad excludenda accidentia, quæ, licet ſint in mobili, ſunt per accidens, & non per ſe primò. Itaque quatuor requiruntur ex parte naturæ. Primum, vt ſit vera cauſa motus. Secundum, vt ſit cauſa intrinſeca rei, quæ mouetur per talem motum, vnde forma non ſortitur rationem naturæ, vt eſt cauſa motus in alio, ſed vt eſt cauſa motus in ſuo compoſito. Tertiò requiritur, vt ſit in compoſito per ſe primò, & non per accidens, quo excluduntur omnia à ratione naturæ.

§. 5. Quartò, vt ſit de eſſentiali compoſitione rei, in qua eſt: quia *primò, & per ſe ineſſe*, eſt eſſe de conceptu quidditatiuo rei, qui vocatur primus. *Ineſſe* autem ſignificat exiſtentiam in aliquo tertio: nulla enim res ineſt ſibi. Itaque debet eſſe partialis conceptus quidditatis rei, quod hoc capite expreſſit Ariſtoteles. *Natura aut ſubiectum eſt, aut ſubiecto ineſt*, ideſt, natura, aut eſt materia, aut forma; quo excluduntur à ratione naturæ compoſita, quæ non ſunt naturæ, ſed entia naturalia, vt iis verbis expreſſit Ariſtoteles hoc lib. 2. cap. 1. text. 12. *id autem, quod ex his* ideſt, materia, & forma, *eſt compoſitum, natura quidem non eſt, ſed eſt & conſtat natura, vt homo.*

§. 6. Quo excluduntur à ratione naturæ angeli; quorum eſſentia non conſtat è duobus conceptibus partialibus realiter diſtinctis, licet enim componantur per ſe ex natura, & ſuppoſito, tamen illa compoſitio non eſt eſſentialis, neque poteſt angelus dici habere compoſitionem eſſentialem realem, ac proinde nihil illi ineſt per ſe primò, natura enim angelica non eſt de eſſentia angeli, ſed tota eſſentia. Excluditur etiam corpus ſimplex completum (ſi forte poſſibile eſt) eamdem omnino ob cauſam, ob quam Angeli. Dices: tale corpus futurum principium motus naturalis: ergo eſſet à natura. Diſtinguo antecedens, motus naturalis formaliter negatur: quia ſic dicitur à natura: conceditur autem de motu naturali, vt diſtinguitur à ſupernaturali; eſt item naturalis, materialiter, id eſt, cui ſimiles motus à natura procedunt: & negatur conſequentia, ſicut mea latio, vt procedit à Deo, non eſt naturalis, niſi vt aliquo modo à mea natura cauſatur. Excluditur etiam totum compoſitum, quia non tam natura, quàm ens naturale dicitur ab Ariſtotele hoc lib. 2. c. 2. text. 22. excluditur etiam ſuppoſitum, quod non eſt pars quidditatis.

§. 7. Rogas: cur non ſit compoſitum natura completa; vt eſt ſubſtantia completa? & quemadmodum ex duabus partialibus ſubſtantiis componitur alia completa; cur ex duabus naturis partialibus non componitur natura completa? Præſto eſt diſcrimen ex vtriuſque definitione. Subſtantia eſt *ens per ſe*: & multo melius compoſita ſunt entia per ſe quàm partes. Natura autem dicit ordinem partis ad totum: quia debet per ſe primò ineſſe in aliquo compoſito: hic autem ordo entis incompleti eſſentialiter repugnat enti compoſito ex materia & forma: quia eſt eſſentialiter completum; ideſt, completam habet eſſentiam. Naturæ igitur conceptus eſt partialis: ſubſtantiæ autem abſtrahitur à partiali & totali.

§. 8. Præterea ſufficit ad rationem naturæ eſſe principium in aliquo genere, non verò in omni, quia id non exigit definitio: ſicut neq; eſſe cauſam omnium, ſed ſufficit alicuius. Vnde refutatæ manent plures obiectiones, quæ hic ſolent opponi: at neceſſarium eſt, vt ſit principium motus & quietis, ideſt, retentionis ſeu poſſeſſionis termini acquiſiti per motum, quod conuenit omni naturæ ſaltem in motu, & quiete locali, nam omne corpus cieri poteſt, & quieſcere: nullum enim ſibi vendicat neceſſariò perpetuam lationem, aut quietem perpetuam, ſaltem ratione partium diuerſarum. Neque anima rationalis eſt excludenda à ratione naturæ, cum in illam quadret integra definitio naturæ. Dices, naturam eſſe determinatam ad vnum, id eſt, non eſſe liberam: non verò animus: ergo animus non eſt natura. Diſtinguo maiorem: natura rationalis eſt determinata ad vnum in operationibus voluntatis, nego: irrationalis, concedo maiorem.

Obiicis primò ex Scoto in 2. diſt. 18. quæſt. vnica, principium motus debere eſſe intrinſecum, ſed principium actiuum non eſt intrinſecum: ergo hoc excluditur à ratione naturæ. Nego minorem: quia forma, quæ in compoſito efficit motus, tam intrinſeca eſt compoſito, quam materia: principium actiuum, vt actiuum, non eſt intrinſecum motui ipſi, ſicut eſt materia: at intrinſecum eſt compoſito, quod mouetur. §. 9.

Obiicis ſecundò, tunc naturaliter aliquid moueri, quando mouetur, vt eſt aptum moueri, ſed hoc fit per principium paſſiuum: ergo. Nego maiorem: quia per actiuum ſe mouent res vt debent: quando verò ab extrinſeco mouentur, non mouentur vt ipſa petunt moueri modo naturali, niſi illis detur perfectio debita ex inclinatione naturæ. Vnde lib. de cœlo oſtendam, motum illi non eſſe naturalem: de principio paſſiuo eſt alia difficultas. §. 10.

Obiicis tertiò, non eſſe de ratione naturæ eſſe principium quietis; quia cæli ſunt ens naturale, nec poſſunt quieſcere: ergo. Probatur minor: quia cæli perpetua latione cientur. Nego maiorem: cæli enim ſunt principium quietis in motu alterationis: item quies erit illis connaturalis: quia eſſe in loco abſque motu tam eſt illis connaturale, quàm moueri: ac propterea amoto extrinſeco motore tam connaturaliter quieſcent, quàm nunc mouentur. §. 11.

Obiicis quartò, formam non eſſe principium generationis ſui, & tamen comparatione formæ eſt naturalis generatio: ergo non eſt neceſſe naturam eſſe principium motus. Diſtinguo minorem; eſt naturalis, id eſt, conſentanea ſiue connaturalis, concedo minorem; eſt naturalis, id eſt à natura, nego: ſic autem eſt naturalis comparatione materiæ; quæ & forma ſunt natura vt *quod*; vnio autem vt *quò*; quia eſt id per quod materia & forma naturalizant. §. 12.

SECTIO II.

Vtrum materia prima ſit propriè natura?

MAteriam primam eſſe verè, ac propriè naturam vniuerſæ fere teſtantur Scholæ. S. Thomas 2. phyſic. text. 2. & 10. & 21. & cum eo eius ſectatores; Scotus in 2. diſtinct. 18. quæſt. vnica. §. *contra primum*, vbi ait naturam eſſe ſolum principium paſſiuum motus. P. Conimbric. 2. phyſic. c. 1. q. 1 art. 2. & q. 3. art. 1. & 2. & P. Suarez 1. metaph. diſput. 15. ſect. 11. num. 8. quam expreſſit Ariſtoteles text. 5. *Natura* (inquiens) *aut ſubiectum eſt, aut ſubiecto ineſt*. & text. 10. *Natura ſic dicitur* primò *cuiuſque ſubiecta materies eorum, quæ motus in ſe mutationiſq; principium habent: alio verò modo ipſa forma, & ſpecies*, & alibi paſſim. Ratione probatur: quia tota definitio naturæ cõuenit materiæ primæ, nam eſt per ſe primò in compoſito: item eſt principium, & cauſa vt compoſitum moueatur, quia eſt cauſa materialis motus, quam eſſe veram cauſam nemo §. 13.

ibit

ibit inficias. Quid ei deeſt ad rationem naturæ?

§. 14. Pater Bellomõtanus tom.1.in 1.2.diſp.25.n.20. ſecutus paucos, quorum meminere P. Conimbricenſes hoc lib.2.c.1.q.3 art.1. opinatur, materiam primam non eſſe propriè naturam, ſed metaphoricè, ſolúmq; principium actiuum motus eſſe propriè naturam. Mouetur primo ex 5. metaph.cap.4. vbi aſſerit Ariſtoteles, omnem ſubſtantiam dici metaphoricè naturam propter ſimilitudinem cum forma:quia eſt ſubſtantia. *Ex dictis itaque prima, & quæ propriè dicitur natura, & ſubſtantia eorum, quæ in ſe ipſis, vt ipſa ſunt motus principium habent. Materia enim,eo quod huius eſt ſuſceptiua,dicitur natura.*

§. 15. Patres Conimb.q.1.art.2. docent, Ariſtotelem hoc teſtimonio tradidiſſe, naturam eſſe analogam comparatam materiæ & formæ: vnde non colligitur nagatam materiæ proprietatem naturæ: ſicut accidenti non negatur proprietas entis,tametſi eſt analogum comparatione ſubſtantiæ. Quæ expoſitio confirmari poteſt ex eodem Ariſtotele 2. phyſ. c.1.text.12. aſſerente de forma, *atque natura magis hæc eſt, quàm materies: vnumquodque enim tum magis dicitur,cum eſt actu,quàm cum potentia.* Vbi enim admittit formam magis eſſe naturam,quam materiã, admittit materiam eſſe naturam,licet minus præcipuam,& ex eius ratione patet:quia ibi ſumit naturam, vt ex illa reſultat compoſitum (quod legenti conſtabit) & ex modo conſtituendi compoſitum infert modum naturæ. Quia ergo formam conſtituit actualitate;materiam verò potentialitate,ideo formam ait magis eſſe naturam,quia ſua actualitate magis determinat eſſentiam, ſed materia prima verè,& propriè eſt de eſſentia compoſiti, ergo & natura illius. Hic eſt ſcopus eius cap.4. ex lib.5. metaphyſic. vbi omnem ſubſtantiam vocat Ariſtoteles naturam metaphoricè, quia, ſicut forma determinat rei eſſentiam,ita quævis ſubſtantia determinat eſſentiam cuiuſq; rei,& de materia prima non dixit eam eſſe metaphoricè naturam, ſed eo quòd huius ſuſceptiua dicitur, ideſt, quia eſt ſubiectum recipiens formam, & cum illa conſtituens compoſitum, ideo eſt natura: quia in ratione potentiæ ordinatur ad actum vt ad finem,vt cum illo conſtituat compoſitum. Quod patet ex reduplicatione Ariſtotelis,*in ipſis, vt ipſa ſunt*,ideſt,eſt cauſa, vt hõmo,e.g moueatur inquantum homo, materia verò non eſt cauſa vt moueatur in quantũ homo, niſi vt informatur anima.Itaque probo P.Conimbricenſium explicationem, qua parte docet materiam, & formam eſſe inæqualiter naturam, de analogia verò non diſputo. Aliam expoſitionem videat qui voluerit in S. Thomam. lect. 5. videtur enim minus apta.

§. 16. Secundo mouetur ex definitione naturæ: nam apud Ariſtotelem idem eſt eſſe principium motus, ac eſſe cauſam efficientem: ſic enim hanc definit cap.3.huius libri.Confirmatur:Ariſtoteles hoc c.1. aſſignat diſcrimen inter motum artis, & naturalem: quod naturalis eſt intrinſecum principium efficiens, ſecus verò artificialis: at principium paſſiuum eſt artificialium motuum. Tertiò mouetur, quia ſi motus eſſet naturalis à materia, perpetua quies eſſet illi violenta.

§. 17. Ad ſecundum reſpõdetur,apud Ariſtotelem eſſe idem primum principium motus, & cauſam actiuam: quam per primum principium definijt, (vt patebit diſput.9.ſect.1.) naturam verò non definiit per primum,ſed per principium motus, abſtrahens à primo & non primo, vt complecteretur principium paſſiuum,& actiuum.

§. 18. Ad confirmationem reſpõdetur, diſcrimen eſſe clarum, & verum: nam artificialis motus non fit à ſubiecto connaturali, ſed ab extrinſeco. Motus verò naturalis fit à ſubiecto ipſo, quod ſe mouet ab inſita virtute actiua.Item aduerte materiam eſſe principium paſſiuum naturale motuum, quos efficit forma,ſub qua eſt. Nam (vt ex Ariſtotele diximus)habet rationem naturæ in ordine ad formam. Cum igitur ars non oriatur à forma,ſed ab extrinſeco, ideo materia, vt ſubeſt tali formæ, non eſt principium naturale illius,ſed violentum,aut præternaturale. Sic motus ignis deorſum ſimpliciter eſt violentus, quia materia illi reluctatur per accidentia ignea,& hoc diſcrimen aſſignat Ariſtoteles ibi inter ea, quæ fiunt ex natura, aut vi, aut arte. Video, materiæ ſecundum ſe nihil eſſe violentum, ex qua parte rectè aiunt P.Conimbricenſes omnes motus eſſe ſecundum quid naturales, non tamen ſimpliciter.Quia reſpectandum eſt totum compoſitum,non verò materia ſola.

§. 19. Ad tertium reſpondetur, quietem, ſi ſumatur pro carentia totius motus, fore non violentam materiæ,ſed contra eius naturam,quę petit eſſe ſub forma ſubſtantiali,& accidentali. Si verò ſumatur pro perſeuerantia in termino acquiſito, vt hic ſumitur, quies illi non foret contra naturam. Nam ille terminus eſt aliqua forma materiæ connaturalis, vt ſi eſſet perpetuò ſub forma ignis in concauo lunæ. Ne ergo deſeratur opinio communis, ſine aliis fundamentis.

SECTIO III.

Quæ ratio principij motus ſit de eſſentia naturæ?

§. 20. PRæ oculis ſunt habenda, quæ diſp. 6. logicæ ſect.5.dixi, conceptum quidditatiuum eſſe primum, propriúmque conceptum rei; reliquos verò conceptus, etiam ſi non realiter diſtinguantur ab eſſentia,non eſſe quidditatiuos. Sic conceptus miſericordiæ non eſt quidditatiuus Deo,ſed attributum. Aliqui tamen volunt,omnes conceptus, qui realiter non diſtinguuntur ab eſſentia,eſſe quidditatiuos. Hoc modo certum eſt eſſe de eſſentia naturæ, vt ſit principium motus localis: & omnium motuum quos viribus naturæ agere, aut pati poteſt corpus,quod ex tali natura componitur, iuxta inclinationem ſuæ naturæ.

§. 21. De primo genere conceptus dico primò: de eſſentia formæ ſubſtantialis eſſentialiter eſt principium actiuum omnium proprietatum compoſiti. Eſt enim prima radix,& origo illarum. Quod tam certum eſt,quàm eſt certum,nullum eſſe compoſitum ſubſtantiale, quod non habeat aliquem motũ ſibi proprium ortum à propria forma. Hoc voluit Ariſtoteles hoc lib.2.c.2.cum dixit,carnem,& oſſa non poſſe definiri,niſi in ordine ad motum.

§. 22. Dico ſecundò: de eſſentia materiæ primæ eſt eſſe naturam, quia materia prima eſſentialiter eſt principium paſſiuum formarum ſubſtantialium, ſed hoc eſt eſſe naturam: ergo. Probatur minor, quia hoc eſt eſſe principium motus eius, in quo per ſe primò ineſt.

§. 23. Dico tertiò non eſſe de eſſentia naturæ in cõmuni, eſſe principium alicuius motus in particulari. Probatur apertè,quia natura in communi ſufficienter intelligitur eſſe principium motus in communi: ergo ad illius conceptum non requiritur motus in particulari. Confirmatur.Sicut de conceptu animalis non eſt eſſe rationale, aut irrationale,

ſed præſcinditur ab vtroque; ita principium motus vt ſic non includit formaliter hoc, aut illud principium motus. Dices: omnis forma in particulari eſt principium motus localis, ergo de eſſentia formæ vt ſic eſt eſſe principium motus localis. Diſtinguo conſequens, ergo omnis forma in ratione naturæ vt ſic, eſt principium motus localis, nego conſequentiam; materialiter ratione illius differentiæ, concedo. Nam totus conceptus formalis naturæ concipitur ſi concipiatur in ratione principij alteratiui, vel alius.

§. 24. Dico quartò: rectè poteſt concipi inadæquatè aliqua natura in particulari, v. g. eſſentia animæ concipitur in particulari, ſi illam concipiamus vt principium diſcurrendi: item poſſumus concipere formam ignis vt principium calefaciendi, quin concipiatur vt principium motus localis.

§. 25. Ex dictis collige, diſcurſum eſſe motum naturalem, quia, licet ſit ſpiritualis, procedit tamen à natura, viribus illius; at verò actus Fidei, & Charitatis ſunt ſupernaturales, quia non fiunt viribus naturę, ſed per potentiam obedientialem, & ſupernaturalem virtutem. Motus ignis deorſum & alij violenti non ſunt abſolutè naturales, quia ſunt contra naturam rei, quæ mouetur: tamen, quia materia prima eſt principium paſſiuum illorum, ſunt naturales ſecundum quid: ſic diſpoſitiones corrumpentes vnionē formæ præcedentis ſunt violentæ ſimpliciter, quia illis compoſitum per formam reſiſtit, vt aqua calori; at generatio formæ eſt ſimpliciter connaturalis, quia inſtanti, quo fit, non eſt alia forma niſi geniti, cui genito connaturalis eſt ea actio, & omnes diſpoſitiones, quæ præiuere.

§. 26. Mitto quæſtiones de rebus arte factis, quia noſtro inſtituto inutiles, & alienæ. Multis de rebus poſſunt videri Conimbricenſes quas ego lubens omitto, quia me vrgent grauiores difficultates. Principium actiuum rei arte factæ eſt extra ſubiectum quod mouetur: de quo in libris de anima: de violento diſſerui in diſputationibus de voluntario.

DISPVTATIO VIII.

De cauſis in commune.

CAVE, quæ dicenda ſunt, tibi excidant è memoria; ſunt enim cardines, quibus voluitur melior, ac maior pars machinæ totius philoſophiæ naturalis, & diuinæ.

SECTIO I.

Cauſam definio.

§. 1. NVllibi Ariſtoteles definiuit cauſam in communi. Patres Conimbricenſes, hic. c. 7. quæſtione 1. art. 1. aiunt; *Cauſa eſt id, à quo aliquid per ſe pendet.* Quam definitionem omnino approbat P. Suarez, 1. metaph. diſp. 12. ſect. 2. n. 6. ipſe enim n. 3. ſic eam definierat, *Cauſa eſt principium per ſe influens eſſe in aliud*, quia illud propriè ab alio dependet, quod habet ſuum eſſe ab alio, aliquo modo fluens. Hæc vltima definitio arridet omnino; quia ly *principium* ponitur loco generis immediatè, vltima enim ratio, qua cauſa conuenit cum aliis rebus, eſt ratio principij: ly *influit* excludit priuationem, & cætera principia, à quibus, licèt principiata procedant, non tamen fluunt: ly *per ſe* excludit cauſas per accidens: *influo* verò ſignat dare eſſe cum dependentia à principio cauſante. Hæc definitio recidit in Tullianam definitionem, libris enim de Fato ait Cicero. *Cauſa eſt, quæ efficit id, cuius eſt cauſa*, vbi *efficere* latè ſumitur pro *influere*.

§. 2. In rebus creatis accuſari non poteſt definitio, quia quidquid creatum eſt, dependet à ſuis cauſis. E diuinis duo communiter argumenta ſumuntur. Primum ex myſterio Incarnationis, quia humanitas pendet ſpecialiter à Verbo, & non cauſatur ſpecialiter à Verbo, quia nullus effectus cauſatur ſpecialiter ab aliqua perſona diuina, ſed omnes ſunt toti Trinitati communes: ergo depēdere, & cauſari non ſunt idem. Reſpondeo primo, humanitatem, & naturas creatas non pendere à priori à ſuppoſitis, vt probabo, diſp. 11. metaph. Secundò (eſto) dependeat, pēdet tamen præcisè vt à termino terminante vnionē cum ipſa humanitate. At hæc dependentia ſpecialis eſt Verbi, quod ſolum & non tota Trinitas hypoſtaticè vnitur humanitati, per quam vnionem, quia compoſitio eſt, pendet Chriſtus, vt Chriſtus, à Verbo, non tamquam totum à parte, pars enim, cum denotet imperfectionem, reiicienda eſt à Verbo, ſed tamquam totum à principio intrinſeco. Cauſalitas autem effectiua, & vltimi finis eſt toti Trinitati communis, non verò ea, quę formaliter in hypoſtatica vnione conſiſtit.

§. 3. Secunda difficultas (quæ non leuis eſt) eſt è Trinitate deſumpta, quia Pater verè influit eſſe in Filium: Filius autē & Pater in Spiritum ſanctum, nec tamen Pater eſt cauſa Filij, neque vterque Spiritus ſancti: ergo alia eſt aſſignanda definitio cauſæ. Minor certa eſt apud Latinos: maior patet, qui enim maior influxus eſſe poteſt, quàm vera generatio, & productio, qua principium totum ſuum eſſe communicat aliis?

§. 4. Reſponderi ſolet primò, de ratione cauſæ eſſe, vt influat in *aliud*, ideſt, in terminum habentem naturam diſtinctam à natura principij: hoc enim ſignificat *aliud*. Filius autem non eſt aliud à Patre, ſed alius. Confirmatur, in productionibus per ſe primò intenditur terminus formalis, qui communicatur, hic verò in diuinis eſt ipſa natura, quæ non producitur, ſed communicatur, perſonalitas verò tantum requiritur ad diſtinctionem producentis à producto.

§. 5. Sed contra: quia in diuinis proceſſionibus, licet non procedat aliud in natura, procedit tamē aliud ſuppoſitum: cur ergo id non ſufficiet ad verum influxum, præſertim cum non obſtante identitate naturæ, verè, & propriè producatur aliud ſuppoſitum? Non video huius conſequentiæ vim: *Formalis terminus non producitur neque fluit à Patre, ergo Pater non influit in Filium*; ſicut hæc non habet vim: *Formalis terminus neque generat, neque generatur, ergo nec Pater generat, nec Filius generatur.* Confirmatio autem pro nobis eſt, terminus enim formalis productus vt *quo* ſimpliciter generatur, is enim eſt relatio producta, ideſt; Filiatio, totalis autem terminus ſimpliciter eſt genitus, qui terminus eſt Filius, à quibus terminis denominationes ſumuntur actionum, vt homo dicitur genitus ratione vnionis, quæ eſt terminus genitus vt *quo*, licet animus non generetur; ita licet natura diuina, quæ eſt terminus formalis communicatus, non generetur, generatur Filius, ergo Pater influit in illum, quia generare eſt influxus. Tandem ſi identitas naturæ non officit diſtinctioni termini producti à principio producente, neque veræ generationi, aut productioni; cur officit influxui?

Dicunt

§. 6. Dicunt aliqui hoc nomen, *cauſa*, impoſitum eſſe ad ſignificandum quadruplex genus cauſæ efficientis, materialis, finalis, & formalis; quæ verſantur inter terminos habētes eſſentias ſpecie, aut numero diſtinctas: hoc autē nomen, *Principium*, vſurpatū pro principio ex quo ſequitur aliquid abſtractum ab habente eſſentiam diſtinctam, aut non diſtinctā à producente. Contra: ſi loquamur de Philoſophis, qui ſola ratione duce, definierūt cauſam, & principium vt ſic; illi tam principio quam cauſæ reſpondere voluerunt terminum diſtinctæ naturæ: nec enim priuatio eſt principium ſui ipſius, ſed formæ; cuius naturæ opponitur priuatiuè: cetera verò principia ſunt etiam ad naturam aliam: ſunt enim *quæ nec ex ſeſe, ſed omnia ex ipſis fiunt*. Ergò Philoſophi non diſcriminarūt principium & cauſam per terminum diſtinctum ſuppoſito ſolum, aut natura & ſuppoſito ſimul: ſed quod omnis cauſa influit phyſicè in terminum; non verò principium omne; vt priuatio.

§. 7. Si autem loquamur de Theologis; contra omnes eſt hoc argumentum: conſidera, te diſputare cum negante hoc myſterium non alia ratione niſi quia omne principium eſt ad terminum naturæ diſtinctę; & pro ſe afferente communē Philoſophis definitionem principij; & obiiciente tuos Theologos erraſſe in ipſa ſignificatione vocis, quia ea vti debuerunt vt eſt à Philoſophis accepta: quid illum vrgeres? ſic igitur argumentor: Ratio principij eſt ad aliud non minus quàm ratio cauſæ: ſed per te in diuinis eſt ratio principij phyſicè agentis, ergo & ratio cauſæ: ergo vel ſunt duæ naturæ diuinæ; vel nulla perſona eſt principium alius. Maior probatur, tum ex definitione principiorum, quæ eſt comparatione termini adæquatè diſtincti; tum inductione omnis principij creati; tum tertiò, quia etiam in diuinis colligimus realem diſtinctionem principij à termino ex communi ratione principij phyſicè agentis. Et quia P. Suarez ita ſenſit de ratione principij; aſſeruit poſſe aliquid eſſe phyſicè cauſam ſui ipſius. Eſt ergo opus rationem reddere. Nec ſufficit diſcrimen in ſola vſurpatione vocis: ea enim vel habet reale diſcrimen in ſignificatis obiectis: vel non habet. Si primum, eam quærimus: cur ſit *cauſa* appellanda quæ dat naturam diſtinctam, *principium* autem quod dat ſolum ſuppoſitum? aut cur vtrumque non compelletur eadem voce?

§. 8. Reſponderi poteſt ſecundò, Patrem non agere per actionem diſtinctam ab ipſo, & termino, ſed generationem actiuam formaliter eſſe Patrem, & Filium paſſiuam; at ibi non eſt actio diſtincta, quia non eſt influxus, & ſic nec eſt influere: in rebus autem creatis eſt influxus, quia & actio diſtincta, & ſic eſt influere.

§. 9. Sed neque hoc placet, quia in diuinis eſt vera productio, & terminus verè productus, ſicut ergo illa denominat *Patrem generantem*, & *Filium genitum*, cur non denominabit *Patrem influentem*, & *Filium fluentem*? Item quia ipſæmet actiones creatæ verè fluunt à ſuis principiis, & non per alias actiones, ergo ratio influendi non conſiſtit in diſtinctione actionis. Item ſi per impoſſibile, aut poſſibile animus rationalis ſine creatione diſtincta apprehendatur à Deo procedens, quis neget tunc apprehendi verum influxum, & Deum fore illius cauſam?

§. 10. Ad ſolutionem duo præmitto: primum ex prima parte in materia de Trinitate perſonas diuinas formaliter conſtitui relationibus: has autem formaliter eſſe origines; ideſt, productiones actiuas aut paſſiuas. Itaque perſona Patris formaliter conſtituitur per actiuam, & actualem generationem, Filius autem per generationem paſſiuam. Quam ſententiam nonnulli negant, vt Pater Vazquez ibi tom. 2. diſp. 158. cap. 4. & 5. eſt tamen longe probabilior. Quam ſequuntur B. Bonauentura, & Pater Molina ibi, quæſt. 40. art. 2. Vnde infertur manifeſtè, Patrem non poſſe concipi ſine connotatione ad actualem exiſtentiam Filij, neque poſſe eſſe illo priorem natura, quia totus conceptus perſonæ Patris eſt actu generare Filium: ita vt virtus generatiua nec ratione poſſit ab actuali generatione diſtingui, quaſi actus primus à ſecundo, Qua propter eadem omnino neceſſitate, & ſubſiſtendi conſequentia ſunt Pater, & Filius. Vel dicendum, non diſtingui in diuinis poſſe producere & produci ab actuali producere, & produci, nunc enim abſtraho ab ea quæſtione, vtrum paternitas ſit generatio actiua? Vel vtrum Filiatio ſit, qua Filius generatur & Pater generat? mihi enim ſufficit Patrem, & Filium non concipi prius potentes generare, & generari, quàm concipiantur generare, & generari actu; & quamuis tunc non concipitur formaliter ſpiratio, at ſimul concipiuntur vt ſpirantes actu, & ſpiratiui, quando concipiuntur referri ad Spiritum Sanctum.

§. 11. Obiicis: Pater & Filius ſunt priores ratione quàm Spiritus ſanctus: ergo erunt natura priores: ergo & cauſa. Diſtinguo antecedens, ſunt ratione priores ſub conceptu Patris & Filij præcisè conſiderato, do antecedens: quia intellectus & eius operatio poteſt concipi voluntate non concepta: ſunt ratione priores ſub conceptu ſpiratoris, aut ſpiratiui quàm ſit ſpiritus ſanctus; nego antecedens. Itaque Paternitas & filiatio permittūtur à me eſſe ratione priores quàm ſpiratio. At ſpiratio non eſt ratione prior Spiritu ſancto: quia Patrem & Filium eſſe ſpiratorem, & ſpiratiuum; idem eſt ratione ac eſſe ſpirantem actu: & ſicut ſpirans actu non eſt ratione prior termino ſpirato; ita nec eſſe ſpiratorem, aut ſpiratiuum. Hinc nego conſequentiam; quia prioritas naturæ non ſolum eſt in conceptu cauſæ materaliter; ſed etiam formaliter in ratione cauſatiuæ: quia ſol prius concipitur vt potens illuminare abſtractus ab illuminatione actuali, quàm concipiatur illuminans: de quo mox.

§. 12. Secundum ſumitur ex Ariſtotele, & communi philoſophorum, cauſam eſſe priorem natura ſuo effectu & ſubſiſtendi conſequentia; ea verò, quæ non habent hanc prioritatem, non poſſe munus cauſæ exercere. Sic relatiua formaliter excludit Ariſtoteles à ratione cauſæ, quia ſunt ſimul natura, & ratione. Ratio, ob quam cauſa concipitur prior natura, eſt, quia cum eius productio non ſit de illius eſſentia, ſed aliquid ab ipſa dimanās, prius intelligitur eſſentia in ſuo eſſe completa, quàm prodeat in externam actionem; vnde tota concipitur ſine actuali exiſtentia effectus. Hæc autem prioritas non eſt quòd vna natura producatur ab alia. id enim eſſet recidere in primam ſolutionem impugnatam; nec eſſet vlla conſequentia: cur enim prioritas naturæ erit inter ſolas naturas, & nō inter relationes? ly enim *Naturæ* non ſumitur propriè pro primo principio motus & quietis; ſed latè pro reali conceptu fluente ab alio; ſiue ſit ſubſtantia ſiue accidens. Eſt ergo prioritas naturæ exiſtentia cauſæ abſtractæ à conceptu de exiſtentia effectus. Quam definitionem ex Ariſtotele & aliis probabo à §. 121.

§. 13. Hinc ſumitur diſcrimen, quia influxus, & cauſalitas ſupponit naturam, & eſſentiam cauſæ: At

generatio

generatio in diuinis non ſupponit Patrem, ſed formaliter conſtituit illum, vel ſimul oritur ab illo. Dices non obſtante illa identitate Filium produci à Patre, ergo Pater influit in Filium. Negatur conſequentia, quia ex communi conſenſu ad influxum requiritur illa conditio prioritatis, qua deficiente in diuinis deficit ratio cauſæ. Neque enim quis poteſt pro ſuo arbitratu cauſarum cōditiones addere, aut minuere, ſed ſtandum eſt communi philoſophorum ſenſui. Prioritas autem originis in diuinis tantum eſt ad ſignificandum vnam perſonam eſſe principium, & originem alterius & non è contra.

§. 14. Ex dictis redditur diſcrimen reale: quia hæc productio diuina non eſt quales creatæ: in quibus cauſa non conſtituitur ipſa cauſalitate; & eſt prior ratione ſuo effectu: quod datur ab Ariſtotele, & Philoſophis agentibus de cauſa. Hoc autem non reperitur in Patre; qui ipſa generatione conſtituitur perſona: nec concipitur prior ratione quàm filius: quod ex principiis Theologicis accipio: ergo productio phyſica licet ſit ad terminum diſtinctum realiter, nec erit cauſalitas, nec influxus, nec dependentia: quia licet phyſicè oriatur vnum ab alio, non cum conditionibus conceptuque cauſæ: immo licet naturæ eſſent numero diſtinctæ non eſſet cauſalitas niſi eſſet hæc prioritas.

§. 15. Dices: Etiam redditur à P. Suar. diſcrimen reale: quia nō reperitur in diuinis diſtinctio naturarum, & reperitur in humanis. Reſpondeo, diſcrimen reddi cur non ſit terminus adæquatè diſtinctus à principio: At cur illa diſtinctio in ſuppoſito non ſufficiat ad cauſalitatem, vt ſufficit ad rationem principij non reddit. Hanc ego reddo; quia principium eſt id *à quo aliquid quoquo modo procedit*: filius autem eſt aliquid aliquomodo procedens à Patre: cauſa autem dat eſſe cum prioritate naturæ quæ non eſt in diuinis.

§. 16. Collige, cauſam exemplarem & finalem nō eſſe in rigore cauſas, quia nullum habent influxum in effectum (vt patebit diſp. 11. & 14. de anima) neque per ſe influunt, ſed per alias potentias. Vnde ratio cauſæ eis conuenit per analogiam impropriam, vt riſus homini, & prato; quia influxus agentis, quia eſt ex affectu in finem, & ex directione exemplaris, dicitur cauſalitas exemplaris, & finalis, non vero quia exemplar aut finis phyſicè concurrant ad opus: vt vero cum vulgo loquamur, erunt etiam à nobis cauſæ compellandæ: quia excitant, & dirigunt potentias agentes.

SECTIO II.

In quo conſiſtat eſſentialis cauſæ conceptus.

§. 17. HIc erit examinandum accuratè, quis ſit conceptus ille, per quem cauſa conſtituitur in ratione cauſæ? Nec dubium quin in ratione cauſæ actualis, ſiue in actu ſecundo, conſtituatur per ipſam actualem cauſalitatem, vt enim viſus conſtituitur in ratione videntis & per ſuam entitatem tamquam per ſubiectum, & per actum videndi tamquam per formam: ita agens, & patiens actu, includunt proprias entitates, vt ſubiecta, vel quaſi ſubiecta, quæ denominantur cauſantia, & actionem, & paſſionem tamquam formas, quibus denominantur: quibus in actu ſecundo apta eſt definitio cauſæ. Quia verò verba in definitionibus non tam ſignificant actum quàm aptitudinem, oportet diſcutere, per quid conſtituatur cauſa potens cauſare in actu primo?

SVBSECTIO I.

Docti cuiuſdam opinio.

THeologus quidam ingenio nobili ſic opinatur. Primùm, cauſam in actu primo dicere in recto entitatem propriam cuiuſque cauſæ, & connotare in obliquo cauſalitatem, actionem ſcilicet, aut paſſionem, per quam tendat in terminum cauſandum. Si entitas cauſæ conſideretur præciſè ſecundum conceptum in recto ſignificatum, tunc non concipitur formaliter ſub ratione cauſæ, ſed ſub alio conceptu abſoluto abſtracto à cauſalitate: exempli gratia, conſiderantur calor, & intellectus, ſecundum quod ſunt formæ perficientes ſubſtantiam: totus illorum conceptus concipitur non concipiendo vtrum ſit calor principium alterius caloris? Vel intellectus principium intellectionis? Quando verò concipitur calor, vt principium alterius, addit hic conceptus cognitionem actionis poſſibilis, per quam calor producens refertur ad calorem producibilem. §. 18.

Secundò ſupponitur, conceptum illum in obliquo connotatum eſſe ordinem realem tranſcendentalem, ſiue ſecundum eſſe. Quia vt patet ex Ariſtotele, relatiua ſunt, *quorum totum eſſe eſt ad aliud*; entitas autem cauſalitatis, cognitionis, & amoris, tota eſt ad terminum, ergo eſt relatiua: at non eſt relatiua prædicamentalis (quod facile admittitur:) ergo eſt tranſcendentalis. Confirmatur, quia proprium eſt relatiui, ſi propriè & determinatè cognoſcatur, ferre ſecum cognitionem ſui termini, vt ex Ariſtotele patet, ſed actio, paſſio cognitio, & amor, ſi determinatè cognoſcuntur, ferunt ſecum cognitionem ſui termini, ergo ſunt relata. §. 19.

Tertiò ait, conceptum illum cauſæ in recto ſignificatum, habere relationem realem, nō ſecundum eſſe, ſed ſecundum dici. Eſſe relationem realem probatur, quia ſi quis ſatis penetret intellectū, & calorem, colligit ex illis alium calorem producibilem, & intellectionem cauſabilem: ergo ſecum afferunt cognitionem ſui termini, quod eſt ſignum relatiuorum. Deinde ſine vlla fictione concipitur in ea cauſa, eſſe aliquem ordinem ad effectum. Eam verò relationem non eſſe ſecundum eſſe, probatur primò: quia relatio ſecundum eſſe eſt idem cum ipſo eſſe, aut entitate rei; ſed reſpectus caloris ad alium non eſt idem cum eſſe caloris, ergo non eſt ſecundum eſſe. Probatur minor, tum quia calor non dicit conceptum ad aliud, ſed ad ſe. Secundò: quia poteſt concipi tota entitas caloris, nihil cogitando de illius actiuitate, vt quando aliquis ex ſenſione caloris illum percipit. Tertiò, quia relatio ſecundum eſſe non poteſt concipi, quin præſupponatur terminus cognitus: ſed calor, & intellectus poſſunt cognoſci quin præſupponantur cogniti illorum termini, cum potius termini cognoſcantur ex vi illorum, ergo non ſunt relatiua ſecundum eſſe. Ex his collige, relationem ſecundum dici, non eſſe relationem ſimpliciter, ſed ſecundum quid, id eſt, petit cognoſci cum cognitione ſui termini. §. 20.

Ex his concludit, cauſam in actu primo conſtitui formaliter per entitatem abſolutam, relatiuámque, ſecundum dici, connotando in obliquo relationem tranſcendentalem, nempe cauſalitatem. Præter dicta probat primò inductione, quia potentia generatiua & ſpiratiua Dei conſtituuntur in recto per aliquid abſolutum, & relatiuū ſecundum §. 21.

ſecundum dici: & in obliquo connotant veram relationem, vt patet ex S. Thoma in 1. diſt. 7. q. 1. art. 2. corpore. & 1. part. q. 41. art. 5. corpore. Potentia creatiua, vt omnipotentia Dei non dicit reſpectum in recto, ſed in obliquo, vt patet ex communi Theologorum apud Patrem Vazquez tom. 1. in 1. part. diſp. 104. cap 6. Idem confirmari poteſt in potentia calefactiua caloris.

§. 22. Secundò argumentatur: quia non eſt magis de eſſentia intellectus eſſe operatiuum, quàm de eſſentia accidentis reſpectus ad ſubſtantiam, & quã eſt de eſſentia creaturæ reſpectus ad Deum: ſed nec accidenti eſt eſſentialis reſpectus ad ſubſtantias, nec creaturæ ad Deum, ergo. Probo minorem, quia tunc eſt certiſſimum ſignum, rem aliquam non eſſe relatiuam, quando poteſt concipi cognitione diſtincta, quin cognoſcatur terminus, ſed accidens, & creatura poſſunt concipi diſtinctè, quin concipiatur inhærentia ſubſtantiæ, aut dependentia à Deo, ergo. Minor probatur: quia poteſt aliquis intuitiuè cognoſcere calorem, & hominem nihil cogitando de inhærentia, aut dependentia: maximè, quia intellectus ſine lumine Fidei eodem modo cognoſcit albedinem poſt, & ante conſecrationem.

§. 23. Tertiò argumentatur: quia cauſa in actu primo, conſtituitur per cauſalitatem in actu primo, verbi gratia, principium actiuum per actionem in potentia, ſed actio in potentia eſt ipſa productio, per quam agens refertur ad ſuum terminum, ergo principium actiuum conſtituitur per actionem ipſam. Maior probatur: quia cauſa in actu ſecundo conſtituitur formaliter per actionem in actu ſecundo, ergo cauſa in actu primo conſtituitur per actionem in actu primo; nam effectus formalis actualis ortus à forma in actu, eſt effectus potentialis ab eadem forma in potentia: ſicut videns in actu eſt à viſione actuali, viſiuum eſt à viſione in potentia: tunc ſic, ſed cauſalitas eſt extra eſſentiam cauſæ, ergo cauſa in actu primo conſtituitur per aliquid extra ſuam eſſentiam. Ad hoc argumentum reſpondebitur.

§. 24. Quartò argumentatur, quia ſi cauſa dicit eſſentialem reſpectum ad terminum; illum etiam dicit ad cauſalitatem, ſed ad cauſalitatem non poteſt, ergo. Probo minorem, quia etiam cauſalitas eſt eſſentialis reſpectus ad cauſam, ſed nulla res poteſt eſſe eſſentialis reſpectus ad reſpectum eſſentialem ſui, ergo. Probo minorem, quia eſſet etiam reſpectus eſſentialis ad ſe ipſam, ſimiliter reſpectus alter, eſſet reſpectus ad ſe: committereturque circulus. Nam qui reſpicit eſſentialiter aliam relationem, illam non reſpicit ſiſtendo in ipſa, ſed progreditur ad illius terminum, quia illam reſpicit in quantum eſt relatio: ſed ipſa cauſa eſt terminus cauſalitatis, ergo ſe reſpiceret eſſentialiter.

SVBSECTIO II.

Impugnatur hæc opinio.

§. 25. HÆc ſententia haud quaquam mihi probatur: primò, quia ſingularis, & inter Theologos, & hos recentiores, qui accuratiùs diſſerunt de relatione tranſcendentali, nihil eſt familiarius, quàm cauſam dicere relationem tranſcendentalem ad ſuos effectus: adeo vt multi opinentur omnipotentiam Dei, & alia attributa dicere relationem tranſcendentalem ad creaturam: ita vt Deus non exiſteret, niſi creaturæ ſaltem in communi eſſent poſſibiles: alij verò excludunt relationem tranſcendentalem à Deo reſpectu creaturarum, quia cenſent, Deum futurum, etiam ſi creaturæ repugnarent (vt videbimus diſp. 15. metaphyſ. ſect. 9.) Quam ob rem Pater Suarez ſecundo metaphyſicæ diſput. 47. num. 9. ait probabilius eſſe Deum non dicere relationem tranſcendentalem ad creaturas: num. 11. ponit relationem tranſcendentalem ſecundum eſſe inter materiam & formam, & inter potentiam & actum ex S. Thoma. Pater Vazquez tomo 2. in 1. part diſput. 173. num. 13. ait relationem *potentis* non diſtingui à potentia ipſa. Qui verò aiunt has eſſe relationes ſecundum dici tantùm, non agnoſcunt relationem realem ſecundum eſſe, niſi prędicamentalem: nam & S. Thomas cognitionem vocat relationem ſecundum dici ad obiectum, de quo recidet ſermo diſput. 15. metaphyſicæ. Accidentia eſſe eſſentialiter ad ſubſtantiam docent omnes, ea ex Ariſtotele definientes, *entis ens*. Hæc de communi ſenſu relationis cauſæ ad effectum.

Materiam dicere eſſentialiter conceptum potentiæ paſſiuæ docent P. Conimbricenſes. 1. phyſ. cap. 9. quæſt. 3. art. 2. cum S. Thoma, Soncinante, Capreolo, Ferrarienſi, Ægidio, Henrico: & 1. de generatione c. 4. quæſt. 14. art. 2. ad 4. Item P. Pereira 5. phyſ. cap. 21. Toletus 1. phyſ. cap. 7. quæſt. 14. concl. 2. ait potentiam cauſatiuam eſſe de eſſentia materiæ, quod refert ex S. Thoma. Sotus 1. phiſ. q. 6. dub. 2. in concluſione, S. Thomas in 1. diſt. 3. quæſt. 4. art. 1. ad 3. ait à philoſophis vocari potentias eas, quæ ordinantur ad aliquem actum, & ad 7. ait, intellectum ordinari ad cognitionem, & 1. parte quæſtione 77. arti. 3. c. diſtinguens potentiam ab actu ait, potentiam, ſecundum quod eſt potentia, ordinari ad actum, etiam 1. part. quæſt. 54. art. 3. eſtque hic ſenſus cum ipſa philoſophia natus, ac retentus à philoſophis vniuerſis, cenſentibus potentias eſſentialiter ordinari ad ſuos actus, ideſt, referri. Verum omiſſis quæſtionibus forte de nomine ad reales deſcendamus. §. 26.

Ac primùm, *relationem tranſcendentalem* voco, cuius entitas dependet à poſſibilitate termini, ita vt entitas illa eſſet impoſſibilis, ſi eius terminus eſſet impoſſibilis. Et quidem certiſſimum eſt eſſe eiuſmodi entitates. Nam, ſi lux eſſet impoſſibilis, non eſſet poſſibilis entitas actus videndi lucem. Quid enim eſſet ille actus? Probo igitur entitatem cauſæ naturalis fore impoſſibilem, niſi eius actio, & termini eſſent poſſibiles. Primùm argumento Doctoris, cum quo pugno. Nam intellectus non minus pendet à poſſibilitate intellectionis, & ſpecies impreſſa à poſſibilitate viſionis, quàm accidens à poſſibilitate ſubſtantiæ, & creatura à Deo: ſed creatura eſſet impoſſibilis, niſi eſſet Deus; & accidens, niſi eſſet poſſibilis ſubſtantia; ergo intellectus eſſet impoſſibilis, niſi eſſet poſſibilis aliqua intellectio. Minor eſt certa: nam cum homini repugnet exiſtere, niſi dependenter à cauſa prima, ſublato Deo, non eſſet cauſa prima, nec ens per eſſentiam, à quo ens participatum traheret originem; & cum accidens exiſtere nequeat, niſi dependenter à ſubſtantia, & illi inhærens, ſi non eſſet ſubſtantia, non eſſet cui inhæreret, ſed eſſet ens per ſe ac ſubſtantia, & cum finis accidentis ſit ſubſtantia, cum fine perirent omnia quæ ſunt ad illum. Maior patet, quia intellectus tam eſt ex natura ſua ad intelligendum: quàm accidens ad inhærendum: ſpecies autem impreſſa §. 27.

tam

tam eſt determinatio viſus ad albedinis viſionem quàm calor ad perficiendum ignem.

§. 28. Secundò probatur in potentia paſſiua materiæ primæ, quæ omnino eſſet impoſſibilis, ſi formæ ſubſtantiales eſſent impoſſibiles. Nam materia prima eſſentialiter eſt ens incompletum, ergo eſſentialiter petit compleri. Conſequentia paret, quia ens incompletum ex intrinſeca ſua natura petit complementum. Quod ſi complementum eſſet impoſſibile, repugnaret ens reale eſſe incompletum comparatione illius. Nam materia non eſt incompleta comparatione chymæræ, ſed formæ: ſi autem omnis forma eſſet chymera, nullum ens eſſet complebile per illam.

§. 29. Confirmatur: demus repugnare omnem formam, quid eſſet materia? Non receptiua formarum, ſicut non eſt receptiua chymeræ. Non pars hominis actu vel potentia, quia repugnaret homo ſine anima (quæ ex caſu eſt impoſſibilis.) Non ens potentiale, quia eſſet impoſſibilis actus. Quid ergo eſſet hæc materia? Idem dico de intellectu: ſi enim repugnaret omnis intellectio, cui muneri ſeruiret intellectus? Non ad intelligendum, quia id eſſet chymæra. Dices, perficeret animam. Contra, eam perficit ad intelligendum: quia finis intellectus eſt reddere animam aptam, vt poſſit intelligere: immo nec eſſet anima. Nam hæc eſt rationalis, capax vltimi finis, tunc autem nequaquam poſſet ratione dirigi, aut obtinere Deum. Quod ſi hæc negantur, tota philoſophia inuertitur. Similiter ego dicam, futuram viſionem lucis, licet lux repugnaret: quia viſio eſt qualitas abſoluta, ſicut idem diceretur de potentia vidente. Conſtet ergo, entitates aliquarum potentiam agentium, & paſſiuarum fore impoſſibiles, ſi eſſent effectus illarum impoſſibiles, ſiue vocentur *relatio ſecundum eſſe* ſiue *ſecundum dici*.

§. 30. Dices, potentiam eſſe poſſibilem priùs ratione, quàm eius effectum, ergo non pendet ab illo. Diſtinguo conſequens, non pendet tamquam à principio à priori, concedo conſequentiam: tamquam à comitanti, ſiue poſteriori, nego conſequentiam. Vt ſol in exiſtentia non pendet à lucis exiſtentia à priori, ſed ſine illa non poteſt exiſtere: ita Sol non eſſet poſſibilis niſi lux eſſet poſſibilis, quia eamdem dependentiam ſeruant in poſſibilitate, quam in actualitate. Ratio à priori, quia illarum rerum eſſentia eſt fundare cauſalitatem, qua ſunt priores in ratione fundamenti. Quod ſi effectus eſſent impoſſibiles, non haberent eſſentias fundantes eam cauſalitatem, nec eſſent eædem eſſentiæ. S. Thomas 1. part. quæſt. 77. art. 3. ad 1. ait, actum eſſe poſteriorem potentia in ordine ad eſſe, ſed in intentione eſſe priorem, & ſic ait potentias ſpecificari per actus; ſed ſectione 6. & 7. oſtendetur, quæ ſit prioritas inter cauſam & effectum poſſibiles: hæc enim doctrina tantùm eſt ad reſpondendum argumento.

§. 31. Deinde probo, huiuſmodi entitates eſſe formaliter cauſam in actu primo ſimul cum concurſu generali Dei. Nam eiuſmodi entitates ex natura ſua petunt compleri generali concurſu, non ſolum vt effectus oriantur ab ipſis, ſed etiam vt oriatur cauſalitas. exempli gratia, Sol petit concurſum generalem Dei non ſolum vt lux ab ipſo oriatur, ſed etiam vt oriatur illuminatio, & vt Deus habeat formalem, & expreſſam voluntatem illuminationis, quæ ſicut formaliter reſpicit illuminationem, ita Sol petens eam voluntatem petit eam ſimiliter in ordine ad eamdem lucem. Completa autem cauſa oriuntur neceſſariò tam lux, quàm illuminatio: ſed, cum tunc intelligitur completa cauſa, intelligitur conſtituta in actu primo non modò ad lucem, ſed etiam ad illuminationem; ergo Sol per ſuam entitatem cum concurſu generali Dei conſtituitur in actu primo illuminandi. Maior eſt certa: ea enim ratione Deus illuminat cum Sole, & infrigidat cum niue, quia ita exigunt Sol, & nix: minor probatur, quia ex parte actus primi operatiui, nihil aliud requiritur: nam illis poſitis oritur neceſſariò actio. Sic communiter definitur cauſa neceſſaria, *quæ poſitis omnibus requiſitis non poteſt non operari*: libera verò, *poteſt operari, & non operari*. Hæc autem requiſita ex parte actus primi, ſunt fundamentum & virtus requiſita ad agendum, & ſunt formaliſſimè virtus actiua, nam actio continetur in eorum virtute, ideo oritur ab illis, illaque neceſſario præſupponit, quia continetur in virtute omnium illorum, & non in virtute vnius ſolum. Quare Sanctus Thomas in 1. diſtinctione 45. quæſtione 1. articulo tertio ad ſecundum dixit. *Ratio potentiæ conſiſtit, vt ſit proximum principium operis.*

Dices ea, quæ in recto requiruntur ex parte cauſæ, eſſe fundamentum illius, quod di- §. 32.
cit relationem ſecundum dici ad actionem, per quam conſtituitur in ratione potentiæ operatiuæ. Solutioni præmittitur, actum ſecundum dici eam formam, per quam cauſa denominatur *agens*: vt enim actus ſecundus videndi eſt viſio, per quam potentia viſiua redditur *videns*, ita actus ſecundus agendi eſt actio, perquam effectrix cauſa dicitur *agens*, adeo vt repugnet concipi actionem vt pendentem ab agente, vel clarè concipi paſſionem vt vnitam ſubiecto, quin concipiatur illud denominare agens, ſeu paſſum, vt repugnat concipi viſionem vnitam potentiæ, & albedinem vnitam ſubiecto, quin concipiantur denominando potentiam videntem, aut ſubiectum album. Si igitur concipitur actio exercita, & exiſtens in actu, concipitur denominando exercitè agens, ſicut viſio exercita denominat actualiter videns, & albedo album. Si verò actio concipitur ſecundum ſe abſtracta ab actualitate, & potentialitate, denominat agens ſic abſtractè, ſicut viſio videns, & albedo album: ſi autem concipiatur actio in potentia logica, non deducta ad exiſtentiam, concipitur denominando agens in potentia logica, non deducta ad exiſtentiam. Sicut viſio denominat videns. Quod clarè docet S. Thomas quæſtione 1. de potentia articulo 1. corpore, aſſerens, actum primum eſſe formam, quæ eſt finis, & principium operationis, operationem autem ipſam eſſe actum ſecundum: actumque primum potentiam vocat, & art. 2. diſtinguit ab actione potentiam Dei, cámque ait conſtitui actu ſuo infinito, qui eſt principium actionis.

Hinc argumentor: actio ſiue ſecundum ſe, ſiue §. 33.
exercita in exiſtentia, ſiue carens exercitio, & manens in potentia logica, eſt actus ſecundus agentis, ergo non conſtituit actum primum agendi. Conſequentia patet: quia actus primus conſtituitur ante actum ſecundum, quia ſecundus oritur à primo. Antecedens patet ex §. 32.

Dices actionem actu exercitam eſſe actum §. 34.
ſecundum,

ſecundum, at in potentia eſſe actum primum. Contra: actio exercita eſt idemmet conceptus actionis in potentia logica, ſed vt exercita eſt actus ſecundus pendens ab actu primo, ergo & vt in potentia logica eſt actus ſecundus in ſuo conceptu pendens à primo. Eſtque hæc ratio à priori oſtendens hanc opinionem. Confirmatur primò: potentia logica non eſt actus primus: tum quia eſt terminorum implicatio puram potentialitatem vocare *actum primum*: tum quia eſſet actus primus reſpectu ſui ipſius exiſtentis: nam potentia eſt potentia comparatione ſui actus, ſed potentia logica eſt potentia comparatione exiſtentiæ ſui ipſius: hoc autem eſt falſum, quia actus ſecundus eſt comparatione alterius rei, à qua oritur vt à principio influente; at exiſtentia non oritur à potentia logica, vt à principio influente, ergo.

§.35. Confirmatur ſecundo: ſol actu exiſtens cum concurſu generali Dei, & antequam intelligatur operans, intelligitur conſtitutus in actu primo phyſico, ex quo oriatur actio: ſed non conſtituitur actione poſſibili, ergo. Maior eſt certa, quia omni actuali operationi ſupponitur potentia completa phyſicè ad agendum: quæ vocatur *actus primus*, quia ſecundus non eſt. Minor eſt certa: actio in illo priori non exiſtit phyſicè, ergo non complet phyſicè potentiam: tum quia actio actualis oritur ab actu primo, vt conſtituto in actu primo, ſed non oritur à ſe ipſa, ergo. Igitur actus primus vt primus realiter diſtinguitur à ſecundo (loquor in rebus creatis) ſed ſecundus eſt actio, ergo actio diſtinguitur ab actu primo. Confirmatur tertiò, omnipotentia Dei eſt idem cum eius eſſentia; ſed omnipotentia eſt actus primus creatiuus rerum omnium; ergo conſtituitur per ſuam entitatem: ſed actio diſtinguitur ab eius entitate, & illi eſt externa denominatio, ergo.

§.36. Vt clarius pateat: conſidera potentiam viſiuam actu videntem: in illa reperiuntur duæ actualitates, altera potentiæ, altera viſionis. Potentia eſt actus primus, & principium actuale viſionis. Viſio autem eſt actus ſecundus. Conſidera has duas res in potentia logica: ibi ſunt duæ potentiæ logicæ, altera oculi viſiui, altera viſionis. Ita tamen vt oculus ſit potentia phyſica in actu primo phyſico comparatione viſionis exiſtentis in potentia logica: oculus potentialis (inquam) eſt actus primus viſiuus: at per viſionem exiſtentem in potentia logica, eſt videns in potentia logica, ſeu viſiuus, quæ duæ denominationes facile confunduntur.

§.37. Vnde patet, cauſam eſſe actiuam in actu primo & potentia phyſica, per ſuam entitatem: agentem verò actu per actionem actualem, agentem verò in potentia logica, per actionem in potentia logica quæ realiter eſt idem cum actione actuali. Si verò ſumatur actio in potentia, pro potentia phyſica, tunc idem eſt actio in potentia, & potentia ipſa actiua ſecundum ſuam entitatem. Quare ad tertium in §.23. diſtinguo maiorem. Cauſa in actu primo phyſico conſtituitur per actionem in actu primo phyſico, concedo maiorem: quia idem ſunt. Conſtituitur per actionem in potentia logica, nego maiorem, & diſtinguo minorem; actio in potentia phyſica eſt relatio, per quam cauſa refertur ad effectum in actu ſecundo, nego minorem: actio in potentia logica, concedo minorem. Ad probationem maioris diſtinguo conſequens, per actionem in actu primo logico conſtituitur cauſa in potentia logica, ſeu in actu primo logico (licet eſt impropria vox) concedo conſequentiam, qui actus eſt ſimpliciter actus ſecundus, non exercitus, ſed in potentia logica: per actionem in actu primo logico conſtituitur agens in actu primo phyſico, nego conſequentiam: itaque per actionem exiſtentem eſt agens actualiter, & per eandem actionem in potentia logica eſt agens in potentia logica, ſiue in actu ſecundo nondum exercito. Non tamen eſt actiuum phyſicè in actu primo.

Concludo igitur, potentiam actiuam duobus modis dici productiuam in potentia. Primò eſſentialiter per ſuam entitatem potentem compleri ad operandum, quod ab opinante contrario vocatur *fundamentum ad agendum*. Hæc virtus reſpicit pro termino adæquato tam actionem, quàm terminum productum per illam: actionem vt *quo*, terminum vero vt *quod*. Hæc entitas vocatur *actio in actu primo*, id eſt, virtus ad actionem, in ordine, ad quam completur, qua phraſi ſæpius vtar, maximè diſputatione 5. de anima, atque hæc virtus ſeu fundamentum eſt, qua cauſa eſt ſimpliciter in actu primo, qui eſt phyſicus. Alio modo dicitur *actiua in potentia logica*, ſeu *non repugnans agere*, non per ſuam intrinſecam entitatem formaliter, ſed per actionem ipſam, quæ ſemper eſt actus ſecundus cauſæ. Quando hæc actio exiſtit, conſtituit Deum, exempli gratia, cauſantem per extrinſecam denominationem: quando verò non exiſtit, ſed eſt in potentia, illum denominat potentem in actu ſecundo potentiali, & logico, quæ denominatio tam eſt illi extrinſeca in potentia, quam eſt in actu, ab huiuſmodi forma potentiali tribuuntur rebus denominationes potentiales, vt color dicitur *viſus actu* à viſione exercita, *viſibilis* verò à viſione potentiali: at diſtinguantur voces, & non erit grauis aliqua difficultas. §.38.

SVBSECTIO III.

Argumenta ſoluta.

AD poſitionem primam in §.18. Reſpondeo, connotationem bifariam ſumi: primo pro duobus conceptibus intrinſecè pertinentibus ad conſtitutionem vnius rei compoſitæ, altero in recto, in obliquo altero, exempli gratia, *album* componitur intrinſecè ex ſubiecto in recto poſito, & albedine in obliquo connotata. Sed vterque conceptus intrinſecè componit *album*. Secundò modo connotatur aliquid in obliquo non tanquam pars intrinſeca rei, ſed tanquam aliquid omnino extrinſecum, quod res notat, & cum quo petit cognoſci, (id enim eſt connotare, id eſt, notare ſimul, & cum illo cognoſci.) Sic viſio coloris dicit in recto qualitatem & actionem vitalem: in obliquo verò colorem, non tanquam partem viſionis, ſed tanquam extrinſecum terminum, quem notat viſio, & cum quo cognoſci petit. Sic potentia actiua in actu primo connotat actionem, & terminum actionis: non tanquam intrinſecam partem potentiæ in actu primo, ſed tanquam extrinſecum terminum, à potentia notatum, cum quo cognoſci petit, quando rectè penetratur. §.39.

Hinc oritur cognitionem eius entitatis, niſi repræſentet actionem vt terminum eius virtutis, & fundamenti, non eſſe formalem cognitionem cauſæ in ratione cauſæ. Non quòd ex parte obiecti §.40.

non attingatur tota entitas cauſæ in actu primo; ſed quia confusè attingitur, eam non penetrando, nec effectum per illam cognoſcendo. Sic oſtendam diſputatione 5. metaphyſicæ ſectione 10. differre conceptum de animali à conceptu de rationali, quia, licet vtroque actu cognoſcatur homo in recto, tamen cognitio de animali terminatur in obliquo ad ſenſiones ſolas, de rationali verò ad ſolum diſcurſum. Actiuum autem principium in ratione potentis agere per logicam potentiam, includit actionem ipſam poſſibilem tanquam intrinſecam formam huius complexi. *Agens in potentia:* ſicut agens actu eam includit actu exiſtentem.

§.41. Secundam poſitionem §. 19. admitto libenter. Tertiam §.20. non admitto: oſtendam enim diſputatione 15. metaphyſicæ, relationem ſecundum dici, non eſſe realem. Item dico relationem cauſæ eſſe realem ſecundum eſſe, quia ſublato per impoſſibile effectu, non poſſet eſſe cauſa in ſua entitate: hoc enim eſt ſignum relationis tranſcendentalis, quia relatio omnis realis pendet à termino. Inter has relationes quædam ſunt exercitia actualia, vt *actio vnio viſio*, quas nunc admitto non poſſe cognoſci, niſi illarum terminus ſupponatur apprehenſus: quæ verò non ſunt exercitia actualia, non petunt ita cognoſci, ſed poſſunt ducere in cognitionem ſui termini. Deinde cauſa in actu primo ne dicat relationem realem ſecundum eſſe, ſed tantum ſecundum dici.

§.42. Ad primum in §.21. Reſpondeo primùm, mentem S. Thomæ eſſe ſubobſcuram; item Gregor. non admittit vllam diſtinctionem inter perſonam generantem, & potentiam, qua generat. Bonauentura verò, & Durandus cenſent potentiam eſſe relationem ipſam. Henricus autem cum multis tum antiquis, tum recentioribus in potentia generatiua requirit vtrumque. Vnde nullum ſumitur argumentum: ſed omiſſa ea ſententia Henrici diſcrimen eſt clarum, nam potentia generatiua non diſtinguitur à termino genito in diuinis, maximè cum terminus formalis communicatus ſit natura ipſa: licet enim generans realiter diſtinguitur à genito, non tamen id, quo fœcundatur ad generandum; ſic autem nulla potentia eſſet relatio realis nec ſecundum eſſe, nec ſecundum dici: quia in natura Dei nulla eſt relatio realis ad aliquid diuinum, niſi formaliter per proprietates perſonales. S. autem Thomas valde in alio ſenſu vſurpat ibi relationem ſecundum dici, non enim dicit eſſe realem in natura diuina: at in creatis, potentia realiter diſtinguitur à termino, & ſic poteſt eſſe relatio ſecundum eſſe inter vtrumque. Ad id de omnipotentia reſpondeo, eam non eſſe relatiuam realiter, quia, ſi creaturæ eſſent impoſſibiles, adhuc exiſteret tota eius entitas. Et quidem hoc primum argumentum tantum probat cauſam in actu primo non conſtitui per aliquam relationem ſecundum eſſe, non tamen probat conſtitui per aliquid ab ipſa, & generali concurſu diſtinctum: aut id quo formaliter conſtituitur, non eſſe de eſſentia cauſæ.

§.43. Ad ſecundum in eodem §. 21. nego minorem; quia ſicut accidens repugnaret, ſi eſſet impoſſibilis ſubſtantia, ſic repugnaret intellectus, ſi repugnaret intellectio; ad probationem reſpondeo primo; intellectum non poſſe concipi conceptu proprio, & adæquato, vt eſt accidens animæ, quin concipiatur connotando intellectionem, ſicut ipſe ait non poſſe penetrari cognitione, quin in illo cognoſcatur actio. Exemplum de calore non viget; quia cognitione orta ex ſenſu, tantum ſentitur exiſtentia obiecti, at neſcitur ſit-ne actiua, aut paſſiua? Immo, cum calor ſit eſſentialiter accidens, non cognoſcitur vt tale eo genere cognitionis; ex qua quam eſſentiam caloris cognoſcis? at cognitione diſcurſiua, ſi propria ſit, & adæquata, cognoſcetur calor eſſe principium alius caloris.

Secundo reſpondetur, non eſſe de primo, & quidditatiuo conceptu caloris eſſe productiuum; quia forte per ſe primò non ordinatur ad agendum, nec de primo conceptu hominis ab alio pendere; at dependentia radicalis, & calefactio in radice eſt idem à parte rei cum caloris, & hominis eſſentia: vt eſſe principium amandi eſt idem realiter cum anima; non verò de primo conceptu: ſicut miſericordia Dei eſt attributum, & conceptus ſecundarius Dei ratione noſtra, ſine qua concipitur eſſentia Dei; at eſt idem re cum eſſentia. Intellectus verò, quia eſt per ſe primò potentia, non concipitur quidditatiuè, ſine conceptu actiuitatis; quo corruit totum argumentum. §.44.

Ad tertium in § 23. iam reſpondi à §.22. Ad quartum in §.37. oſtendam diſputat. 15. metaphyſicæ ſect. 7. poſſe vnum relatiuum terminari ad ſuum correlatiuum formaliter, quin terminetur ad ſe, vt Pater æternus terminatur ad Verbum. Aduerte cauſam terminari ad cauſalitatem, *vt quo*, ad effectum verò, *vt quod*, quia cauſalitate cauſat effectum, & ſic quod attingit viam, attingit terminum ad quem eſt via: at non eſt via ad cauſam, ſed à cauſa ad terminum; ſic autem cauſa terminatur ad ſuam cauſalitatem, à qua ipſa cauſa reſpicitur. Vel dicito, cauſam in actu primo non eſſe relatiuam ſecundum eſſe, ſed conſtitui ſua entitate abſoluta, ſicut omnipotentia Dei in ratione potentiæ ſe ipſa conſtituitur ſine vlla relatione ſecundum eſſe ad creaturas; meus enim animus hic eſt, oſtendere cauſam in actu primo conſtitui non per actionem, ſed per ſuam entitatem: de relatione verò, non multum curo; dum conſtet cauſam creatam fore impoſſibilem in ſua entitate, ſi omnis eius effectus repugnaret. §.45.

SECTIO III.

Vtrum cauſa ſit in ordine ad effectum in communi? An etiam in particulari?

Oſtendi cauſæ entitatem futuram impoſſibilem, ſi omnis eius terminus repugnaret; nunc inquiro, vtrum pendeat à ſingulis effectibus? An verò ab illis ſecundum rationem communem tantum? Ac percurramus non modò potentias Phyſicas, ſed etiam intentionales. §.46.

SVBSECTIO I.

Potentiæ intentionales irrationales non tendunt in vnum, ſed in plura obiecta.

Dico primo: Potentiæ intentionales irrationales non tendunt in ſua obiecta, vt ſunt formaliter vnum, aut vt conueniunt in vna ratione formali; ſed vt ſunt plura à parte rei. Ita P. Molina 1.p.q.1.art.3.diſput.2. §.*Illud hoc loco*, vbi ait viſum non tendere in aliquam vnam naturam; ſed in plures, ſcilicet lumen, vel colorem, Pater Vazquez ibi diſput.7.num.12. non requirit nec vnitatem genericam, nec ſpecificam. Gregorius quæſt.3. Prologi in ſcientiis non quærit niſi analogam vnitatem. §.47.

Aureolus

Aureolus autem in prologo fol.52. §.*Ad obiecta* 4. non exigit in ſcientiis vnitatem obiecti, niſi ex modo tendendi circa illud. Commentator. 4. metaph. comment. 2. inquit. *Res, quæ habent vnam ſcientiam, non tantum ſunt, quorum ſubiectum eſt vnum ſpecie, aut genere dictum vniuocè; ſed etiam quorum eſſe vni fini, &c.* S.Thomas quæſt. 1. de potentia art. 2. c. ait, *in obiectis potentiæ quædam multitudo inuenitur*; & 1. 2. q.56. art.2. c. ait diuerſitatem potentiarum attendi ſecundum generales conditiones obiectorum; diuerſitatem verò habituum ſecundum ſpeciales. Cui ſententiæ ſubſcribunt Nominales omnes, negantes obiectis etiam intellectus, aliquam vnitatem ſe tenentem ex parte illorum, ſed aiunt ea ſemper eſſe plura ex parte ſui, vnum verò præciſè ab vnitate cogitationis: quos ſequentur diſp.5. metaphyſicæ ſect. 10.

§.48. Probatur primò, oſtendi diſput. 1. ſect. 5. Logicæ, & Metaphyſicæ, idem eſſe formaliſſimè obiectum potentiæ cum obiecto omnium actuum eiuſdem potentiæ, (quod pono vt probatum,) ſed obiectum omnium actuum potentiæ viſiuæ, exempli gratia, non eſt color ſecundum vnam rationem, ſed ſunt omnes colores & lux: ergo obiectum viſus ſunt plura obiecta, vt plura, & non ſub vna ratione communi. Probo minorem: omnes actus videndi repræſentant omnes colores, nam multi repræſentant confusè albedinem, & alios colores, quæ cognitio vel terminatur ad illum colorem præciſè, à quo oritur ſpecies, vel indifferenter terminatur ad omnes: alij verò repræſentant albedinem in particulari, clarè, atque diſtinctè, alij nigredinem, alij colores cæteros, ſed albedo vt albedo, nigredo vt nigredo, & cæteri colores ſunt plures colores & non vna ratio coloris vt ſic, ergo omnes actus videndi habent plura obiecta vt plura, & non vnum.

§.49. Confirmatur: lux & color ſunt obiectum viſus, at non vt ex parte illorum eſt aliqua conuenientia, ergo. Probo minorem, quia lux non habet rationem aliquam communem cum colore, quam non habeat cum ſapore, & ſono: nam lux eſt virtualiter prima qualitas; color verò, & ſapor ſunt ſecunda, nec oculi diſcernunt eam conuenientiam, aut diſcrimen, ſed ad lucem in ſe terminantur, ergo.

§.50. Secundo argumentor: viſus, & auditus habent obiecta adæquatè diſtincta, & plura vt plura. Nam (vt rectè S.Thomas 1.2. quæſt.8. art.2. ad 2.) ad ea, quæ ſunt diuerſa genera ex æquo, ordinantur diuerſæ potentiæ, vt ad ſonum, & colorem ordinantur auditus, & viſus, ergo ſonus & color ſunt ex æquo diuerſa genera, & adæquata. Sed communis ſenſus percipit ſonum vt ſonum, & colorem vt colorem, ergo eadem potentia ſuperior ordinari poteſt ad diuerſa genera obiectorum adæquata.

§.51. Dices, eas qualitates conuenire in ratione ſenſibilis per ſenſum communem. Contra, id eſt eas conuenire in ratione obiecti ſenſus communis, ſed illæ, quæ ſic conueniunt, ſunt plures abſolutè in diuerſis generibus phyſicis, ergo plura vt plura poſſunt eſſe obiectum vnius potentiæ. Tertio argumentor à priori: obiecta, quæ ſunt realiter plura, nullam habent inter ſe vnitatem, niſi per extrinſecam denominationem ab actu intellectus, (vt pono ex diſput. 5. metaphyſ.) ſed potentiæ irrationales non reſpiciunt ſua obiecta, vt extrinſecè denominata per actum noſtri intellectus, ergo non reſpiciunt obiecta vt vnum; ſed vt plura. Minor eſt certa: potentiæ enim brutorum, quam habent dependentiam à noſtro modo cognoſcendi illarum obiecta?

Obiicies primò, non ſumi vnitatem in præſenti pro formali vnitate orta ex actu intellectus; ſed pro fundamentali. Contra primò; quia fundamentalis vnitas eſt formaliter pluralitas obiectorum; ſed per te tendit in vnitatem fundamentalem, ergo tendit in formalem pluralitatem. Maior eſt certa, quia illud fundamentum exiſtit à parte rei; immo, vt exiſtit, eſt fundamentum propter realem ſimilitudinem, ſed omne exiſtens realiter vt exiſtens, eſt ſingulare formaliter, ergo illud fundamentum eſt ſingulare: non vnum, ergo plura ſingularia. Contra ſecundo: lux & color non habent eam fundamentalem ſimilitudinis vnitatem; vix enim ab illis abſtrahes rationem qualitatis non communem aliis qualitatibus, vt ratio animalis abſtracta ab homine, & leone eſt aliis communis. §.52.

Obiicies ſecundò, communiter dici, viſum tendere in albedinem; quia eſt color, & eius obiectum eſſe colorem vt ſic. Contra: viſus non tendit in albedinem, quia eſt color præciſè; ſed quia eſt talis color: illum enim cognoſcit ſecundum propriam ſuam differentiam, quin illa cognitio pendeat à cognitione alius coloris, vel coloris in communi. Ille autem communis loquendi modus verus eſt bene intellectus, nam quia viſus terminatur ad colores omnes; ita vt collectio ex illis omnibus ſit obiectum adæquatum cum luce; ideo dicitur color vt ſic obiectum viſus, id eſt non vnus, aut alter color, ſed omnes ſimul; & quia omnes colores complectimur hac voce, *color vt ſic*, ea ratione dicitur color vt ſic obiectum adæquatum viſus: vt in proœmio dixi de corpore vt ſic comparato Philoſophiæ naturali; & quia albedo eſt vna pars coloris vt ſic, ideo dicitur obiectum viſus, quia eſt color, id eſt, quia eſt vnus ex coloribus: quod habet ratione etiam ſuæ differentiæ. §.53.

Obiicies tertio à S.Thom. 1. p. q.77. art.3. ad 2. affirmari, duo contraria non pertinere per ſe ad vnam potentiam, ſed ſecundum rationem vtrique communem; vt viſus non reſpicit per ſe albedinem & nigredinem; ſed colorem, qui eſt vtrique communis. Reſpondeo cum Caietano ibi, à ſancto Thoma ibi affirmari, albedinem, & nigredinem non attingi à viſu per ſe, vt obiectum, ſcilicet adæquatum; ſed partiale: quia obiectum adæquatum viſus nec eſt albedo, nec nigredo; ſed omnis color. Quæ interpretatio quadrat in textum, quo diſquiritur diſtinctio potentiarum per actus, & obiecta. Diſtinguuntur autem per obiecta adæquata, non verò per inadæquata. Si autem albedo eſſet obiectum adæquatum viſus; nigredo non eſſet illius obiectum. Contraria autem ad eandem facultatem partialiter pertinere rectè ibi ex Ariſtotele Caietanus obſeruat. §.54.

SVBSECTIO II.

Intellectus non habet obiectum vnum.

Dico ſecundò. Intellectus non habet pro obiecto adæquato vnam rationem entis abſtractam ab inferioribus, nec omnia entia vt conueniunt in ratione entis. Probatur: quia intellectus per ſuos actus non ſolum repræſentat conceptum entis: ſed etiam ſubſtantiam, & accidens; vt differunt in ratione talis entis: deinde cognoſcit plurima obiecta, quæ inter ſe ſunt primo diuerſa, nec poſſunt in aliquo intrinſeco conuenire. Nam chymæra, entia rationis, negationes, & priuationes cognoſcuntur ab intellectu tam directè, quàm reflexè, & non conueniunt in aliquo cum §.55.

ente reali. Item Deus & creaturæ ſunt obiectum intellectus, quibus multi negant conceptum communem.

§.56. Obiicis primò: omnia conuenire in ratione veri. Contra: verum eſt idem realiter cum ente, ſed ens illarum rerum in nullo conuenit, ergo nec verum. Obiicis ſecundò: omnia conuenire in ratione cognoſcibilis. Contra: vel *cognoſcibilitas* eſt extrinſeca denominatio à cognitione? Et ſic intentum habeo quia ſunt obiectum intellectus cum inter ſe ſint primò diuerſa; vel eſt aliquid exiſtens in obiecto? ſic autem erunt diuerſæ cognoſcibilitates primo diuerſæ. Obiicis tertio: ens reale eſſe obiectum primarium, rationis autem ens ſecundarium. Contra: obiectum primarium, & ſecundarium conueniunt in ratione obiecti, quia vtrumque obiicitur potentiæ,& terminat cognitionem, ſed non conueniunt in vna ratione entis, ergo. Obiicis quarto: potentias, & ſcientias diſtingui per obiecta. Sæpe dixi, circa obiectum idem ex parte obiecti, eſſe potentias diuerſas. Deinde potentiæ particulares diſtinguuntur per varia obiecta, vt ſenſitiuæ; non verò vniuerſales, quæ complectuntur etiam omnia obiecta potentiarum inferiorum, vt S.Thomas ſupra dixit; ſcientiæ autem habent obiectum aliquo modo vnum, vt patet ex Ariſtotele primo poſteriorum capite penultimo. Vnum (inquam) fundamentaliter, vt corpus vt ſic; id eſt, omnia corpora ſunt obiectum phyſicæ. Aduerte obiecta eſſe vnum ab vnitate actus intellectus, vt dicam d.5. metaphyſ. ſect. 9. potentiam verò non eſſe vnam ab obiecti vnitate, ſed à ſe. Quia ſiue verſetur circa vnum, vel circa plura obiecta, ſemper in ſe eſt indiuiſa. Vnde circulum vitioſè conficiunt, qui aiunt obiectum eſſe vnum ab vnitate actus: potentiam verò vnam ab vnitate obiecti, de quo d.5.metaphyſ.ſect.9.

SVBSECTIO III.

De vnitate aut pluralitate termini potentiæ phyſicæ.

§.57. Dico tertio: Potentia cauſatiua phyſicè, vt actiua & paſſiua; non habent terminum vnum, ſed plures in quantum plures; quos æquè reſpiciunt. Probatur primò: quia terminus cauſæ efficientis eſt terminus omnium ſuarum actionum, ſed earum termini ſunt plures, & non vnus, ergo. Probo minorem: quia actiones omnes ſunt plures, & ſingulæ producunt terminum omnino diſtinctum (vt ex terminis patet,) ergo. Confirmatur: pone terminos omnium actionum, omnes illi ſunt plures, ſed potentia non habet alium terminum, ergo.

§.58. Secundo probatur: Cauſa phyſica reſpicit terminum vt producibilem à parte rei; ſed terminus vt producibilis, eſt ſingularis, & non communis: ergo. Maior patet; quia vis cauſatiua eſt ad tribuendam exiſtentiam effectui: minor probatur: quia à parte rei nec exiſtere, nec produci poſſunt rationes communes, ſed ſingulares, vt latè probaui d.10. in 3.p. ſect.4. Nam omne exiſtens vt exiſtens eſt indiuiſibile in alia, quæ ſint idem adæquatè cum illo, (vt oſtendam d 5 metaph.ſect.1.& 2.) ergo eſt indiuiduum. Confirmatur: vnitas obiecti ſumitur intentionaliter à noſtra cognitione, ſed potentiæ phyſicæ non producunt terminos, vt à nobis cognoſcuntur; ergo. Dices, produci ſubſtantiam à Deo, quia eſt ens Contra; potius ens producitur, quia eſt hæc ſubſtantia; quia generationes, & corruptiones per ſe ſunt ſingularium; vniuerſalium verò per accidens; ſic enim dixit Ariſtoteles 1.met. cap.1. *Actiones autem, ac generationes omnes circa ſingulare ſunt, non enim hominem, niſi per accidens ſanat, qui medetur*: ergo potentiæ actiua, & generatiua per ſe verſantur circa ſingularia; circa vniuerſalia verò per accidens: hæc concluſio certiſſima eſt, nec niſi in vocibus poteſt eſſe diuerſitas. Vnde ſemper dicendum, terminum eſſe aliquo modo vnum vel fundamentaliter, vel in ratione obiecti reduplicando modum potentiæ circa illud, vt ex Caietano obſeruat ſupra Pater Molina.

§.59. Obiicis; omnipotentiam non reſpicere omnia entia in particulari; quia reſpiceret actus malos, vt malos. Reſpondetur, à parte rei omnia entia particularia eſſe terminum omnipotentiæ, vt eſt cauſa prima, & indifferens: peccatum autem (ſi eſt poſitiuum) eſt etiam terminus, ſecundum indiuiduam ſuam entitatem materialiter acceptam: peccatum verò vt peccatum iam reduplicat modum, quo procedit à noſtra voluntate, vt actus vitalis vt vitalis; quod non tollit, quin tota entitas indiuidua oriatur à Deo vt à cauſa prima indifferenti, cui, quia eſt indifferens, non attribuuntur denominationes, quibus præbent fundamentum cauſæ particulares: vt equus in quantum equus, non oritur à ſole, de quo d.10.

§.60. Quia verò hæc doctrina tam eſt manifeſta: libuit eam confirmare. Terminus potentiæ phyſicæ eſt exiſtens vt exiſtens: ſed omne exiſtens vt exiſtens eſt ſingulare: ergo terminus potentiæ phyſicæ eſt ſingularis. Maior conſtat, quia potentia phyſica conſtituitur comparatione rei vt exiſtentis; tum quia eſſentia ſine ordine ad exiſtentiam non poteſt phyſicè cauſari; tum quia cauſa phyſica tunc formaliter exercetur, quando influit in effectum, illique tribuit eſſe extra cauſas. Minor probatur: quia à parte rei nec ſunt vniuerſalia, nec rationes communes; ſed quidquid eſt, eſt ſingulare: rationes enim communes vt à ſingularibus diſtinguuntur, quamuis à parte rei exiſtunt, non tamen ſunt communes vt exiſtunt à parte rei; ſed vt exiſtunt intentionaliter in intellectu. Itaque *animal*, *homo*, & *Petrus* à parte rei ſunt, entiaque realia: *animal* autem ab *homine* diſtingui, & *hominem* à *Petro* non eſt à parte rei, aut vt exiſtunt: exiſtentia enim nec aliud vt exiſtit, non eſt ratio diſtinguendi *hominem* à *Petro*: ſed ſola ſecunda intentio eſt ratio eos diſtinguendi. Vnde non ſunt communes rationes vt exiſtunt, ſed vt cognoſcuntur: quia idem eſt eſſe rationes communes vt exiſtunt in cognitione, & non à parte rei, ac cognitionem, & non realem exiſtentiam eſſe rationem ob quam rationes communes ſunt communes, & diſtinguuntur à ſingularibus.

§.61. Secundò probatur, omne exiſtens vt exiſtens eſſe ſingulare: quia omne exiſtens vt exiſtens eſt indiuiduum: ſed omne indiuiduum eſt ſingulare; ergo omne exiſtens vt exiſtens eſt ſingulare. Minor liquet: quia indiuiduatio eſt vltima differentia; hæc autem eſt ſingularitas: qua conſtituitur *vnum* numero: tum quia indiuiduum non poteſt multiplicari, nec eſſe in alio: hæc autem ſunt ſingularia. Maior probatur: indiuiduum eſt quod diuidi non poteſt in alia quæ ſint idem adæquatè cum ipſo; ita vt id quod diuiditur ſit realiter idem & adæquato cum diuidente, & nihil ſit in diuiſo quod non ſit realiter in diuidente: de quo latè diſput. 6. met.ſect.1.& 2. ſed nulla res, vt exiſtens eſt, diuidi poteſt in alias quæ ſint ita idem cum ipſa: ergo nulla res vt exiſtens non eſt indiuidua. Minor liquet: quia

quia phyſica diuiſio & inexiſtentia, eſt diuiſio realis quæ fit in partes adæquatè mutuo diſtinctas. Liquet ergo omnem rem vt exiſtētem eſſe ſingularem. Dices inter *hominem* & *Petrum* eſſe diſtinctionem virtualem, per quam poſſunt habere prædicata quaſi oppoſita: & terminare diuerſas cognitiones, actiones, atque potentias. Vnde *homo* vt virtute diſtinctus à *Petro* poteſt cognoſci quin *Petrus*: poteſt produci, vt peccatum producitur à Deo ſecundum conceptum entis & non peccati. Vnde res vt exiſtens habet conceptum communem virtute diſtinctum à ſingularitate: hic autem conceptus ſic diſtinctus eſt formalis & per ſe terminus potentiæ phyſicæ; ſingularitas autem eſt terminus materialis, & ſecundarius.

§.62. Hæc doctrina eſt ex multis capitibus impugnanda. Primùm enim ea virtualis diſtinctio in rebus creatis oſtendetur non admittenda diſp.6.metaph. Secundò eſto admittatur: probo terminum potentiæ phyſicæ eſſe ſingularem: ille conceptus *hominis* vt virtute diſtincti à *Petreitatis* conceptu proprio eſt ſingularis vt exiſtit: ſed vt exiſtit, eſt terminus potentiæ phyſicæ: ergo. Probatur maior: quia ille conceptus vt exiſtit, non eſt multiplicabilis in alios qui ſint idem cum illo: quia præciſè eſt multiplicabilis vt cognoſcitur, non vt exiſtit: item do illi diſtinctionem ex natura rei à Petreitate: do realem diſtinctionem: ſic diſtinctus non poteſt eius exiſtentia eſſe communis vt exercetur à parte rei. De quo latè ea diſput.6.metaph. & diſput.5.

§.63. Præterea do huic ſententiæ illam communitatem reſpondentem actioni & potentiæ in ipſo termino. Probo illam ſolam non eſſe formalem terminum potentiæ niſi cum ſingularitate: quia illa ratio communis eſt terminus potentiæ phyſicæ, vt poteſt exiſtere & eſſe productus: ſed poteſt exiſtere & eſſe productus cum ſingularitate & non abſque illa: ergo cum ſingularitate & non abſque illa eſt formalis terminus potentiæ phyſicæ. Maior eſt certa ex §.60. Minor probatur; quia illa ratio *hominis* non poteſt exiſtere ſeparata realiter à *Petreitate*; quia eſt à parte rei idem cum illa; ergo abſque ſingularitate non poteſt exiſtere *homo*. Vbi obſerua diſcrimen intellectus & potentiæ phyſicæ: ille attingit (in oppoſita ſententia) rationem *hominis*; quæ conceptu ſeparatur à *Petreitate*: quam non eſt opus concipere formaliter ad formalem conceptum *hominis*: vnde ille *homo* eſt ratione communis, & prædicabilis de pluribus: At phyſica potentia non ſeparat realiter *hominem* à *Petro*: quia quando illum producit, habet etiam actionem cum duobus conceptibus virtute diſtinctis; quorum alter terminatur immediatè & formaliter ad *hominem*; alter ad *Petreitatem*: & *homo* ille non poteſt produci in *Paulo*, ſed alius realiter diſtinctus.

§.64. Potentia phyſica producit in *Petro hominem* vt habentem neceſſariam connexionem cum *Petro*, & non vt ſeparabilem ab illo in productione: & habet cauſalitatem *hominis* vt inſeparabilem realiter à cauſalitate Petri: ergo *homo* vt connexus cum *Petro* eſt terminus formalis potentiæ. Probo conſequentiam: quia *homo* & eius productio ſunt terminus potentiæ vt poſſunt exiſtere: ſed poſſunt exiſtere vt ſunt mutuo nexu catenati & non alia ratione; ergo *homo* & *Petrus* vt ſunt tales, ſunt terminus formalis potentiæ phyſicæ.

§.65. Quo item differunt ab accidentibus & aliis conceptibus re ab illis diſtinctis: quia *Petrus*, licet non poteſt exiſtere abſque aliquo accidente, tamen poteſt abſque hoc, & abſque illo. vnde non terminat actionem, vt eſt cum hoc: *homo* autem productus in *Petro* non poteſt abſque Petreitate exiſtere: nec productio illa *hominis* abſque productione Petreitatis. Vnde omnis conceptus *hominis* cum *Petreitate*, & ſingularitatibus aliis ſunt terminus formalis & immediatus potentiæ phyſicæ. Probo: quia nullus conceptus eſt terminus eius potentiæ niſi vt exiſtens: ſed omnis conceptus *hominis* vt exiſtens habet neceſſariam connexionem cum ſingularitatibus determinatis, & nullus *hominis vt exiſtentis* conceptus eſt indifferens ad plures ſingularitates; quia id proprium eſt *hominis vt exiſtentis* in intellectu: ergo nullus conceptus *hominis* niſi vt determinatè connexi cum hac ſingularitate eſt terminus formalis potentiæ phyſicæ: quæ adæquatè fertur in *Petrum* & *Paulum*, & cæteros ſingulares homines vt tales ſunt; quia niſi vt tales nec exiſtere nec produci poſſunt illi, nec ratio hominis.

SVBSECTIO IV.

Potentia phyſica æquè pendet à termino in ſingulari ac in communi.

OStendi, non poſſe terminum potentiæ phyſicæ eſſe rationem communem præciſam à ſingularibus; ſed vt cum vnoquoque ſingulari habet connexionem determinatam: nec terminum vllum, vt eſt eius terminus eſſe indifferentem ad plura ſingularia; quemadmodum ratio communis vt exiſtit in intellectu eſt communis & indifferens ad plura indiuidua. Quæ doctrina erit illuſtrior ſi conſtiterit de potentiæ phyſicæ dependentia à ratione communi & ſingulari ſui termini. §.66.

Dico quartò: Potentia, quæ pendet à termino in communi, etiam pendet à ſingulis ſuis terminis. Probatur: mutato termino vel in toto, vel in parte, mutatur eſſentialis ordo ad illum: ſed ſinguli termini ſunt partes termini adæquati potentiæ, ergo mutato vno mutatur ordo potentiæ ad illum. De minori nullum poteſt eſſe dubium. Maior probatur; primò, in actuali cognitione repræſentante tria obiecta, quorum alterum ſi mutetur, perit tota cognitio: licet cætera maneant. Dices cognitionem eſſe actualem cognitionem. Contra; quia actualis cognitio per ſuam entitatem reſpicit tria obiecta, deficiente vno deficit tota; ſed potentia per ſuam indiuiſibilem entitatem eſt actualis virtus ad ſingulos effectus. ergo, ſi deficit circa vnum, deficit circa omnia. §.67.

Secundò probatur à priori eadem maior propoſitio: quia à parte rei potentia amitteret reſpectum ad vnum effectum, ſi talis effectus eſſet impoſſibilis: quia non eſſet actus primus ad efficiendum obiectum impoſſibile, nec hæc eſſet potentia ad illud: ſed ordo ad cætera obiecta eſt à parte rei idem cum ordine ad illud obiectum ſingulare; quia intellectus, verbi gratia, per ſuam indiuiſibilem entitatem eſt ordo ad aſſenſum, & cæteros actus: ergo cum ordine ad vnum obiectum ſingulare periret ordo ad cætera. Conſequentia patet ex d. 5. ſect.1. vbi probaui implicare corrumpi rem vnam, quin cum illa corrumpantur omnes conceptus realiter idem cum ea. §.68.

Obiicis primò, potentiam non dicere ordinem ſecundum eſſe ad effectum. Iam egi ſect. 2. aduerſus hunc dicendi modum: ſed ne vocetur *ordo ſecundum eſſe*; negari non poteſt, eſſe de eſſentia, vel eſſe à parte rei idem cum eſſentia intellectus, & materiæ primæ, eſſe fundamentū, & virtutem, quæ perit compleri vt ſit proximum fundamentum, §.69.

quo fundetur cauſalitas intellectionis, & formarum: ergo, ſi eſſent impoſſibiles formæ, deficeret hoc fundamentum in materia prima: nam ſicut modo non eſt fundamentum ad chymæram, nec tunc eſſet ad formas chymæricias; ergo deficeret tota entitas materiæ; quia tota eſt fundamentum cauſalitatis in formas, cui reſpondent formæ neceſſariò. Atque hæc obiectio probat, futuram materiam primam, tametſi omnes formæ repugnarent; quia ab omnibus eſt abſoluta, ſicut à ſingulis. Nec audiui vnquam, aut legi futuram materiam, ſi formæ repugnaret; nec poſſum id mente apprehendere. De ſolo Deo docent Theologi perpauci, eum futurum, etſi creaturæ repugnarent; poſito vt certo cauſam creatam fore impoſſibilem, ſi eius repugnarent effectus omnes. Diſquirimus, vtrum id etiam illis conueniat comparatione ſingulorum?

§.70. Obiicis ſecundo, cauſam per ſe primò reſpicere effectum in communi, ſecundariò autem effectus in particulari; manente autem effectu in communi manet ſpecificatiuum potentiæ; licet non maneat hic aut ille effectus. Primum repugnat intelligi, phyſicas potentias actiuas, aut paſſiuas connotare terminum communem, deinde particularem; quia illæ ſunt extrinſecæ denominationes ab actibus intellectus clarè, aut diſtinctè repræſentantibus obiecta: at non reſpicit cauſa ſuum terminum ſub iſtis denominationibus. Secundo in actibus intellectus, & voluntatis bene capio, obiectum vnum attingi primariò; aliud verò ſecundariò; quia veritas, aut bonitas vnius ratione ſui, aut per ſe amata ducit in amorem, vel cognitionem alterius (vt patet ex d. 1. ſect. 1. Logicæ, & Metaphyſicæ) at verò vbi vna ratio producta non ducit in productionem alterius, non capio iſtas rationes per ſe primò, & per ſe ſecundò. Tertio, negari non poteſt materiam primam habere in ſe aptitudinem ad animam rationalem excipiendam, & cauſandam illius vnionem; ſiue per ſe primò, ſiue per ſe ſecundò: ergo, ſi animus rationalis eſſet impoſſibilis, eſſet etiam impoſſibilis illa aptitudo materiæ ad animum & eius vnionem: quia non eſt poſſibilis aptitudo ad chymæram; ergo tota materia eſſet impoſſibilis. Probo conſequentiam, quia illa aptitudo non diſtinguitur realiter à materia prima, quia hæc ſe ipſa eſt apta ad animam, ſed illa aptitud o tunc repugnaret, ergo & tota materia. Nonnulli autem noſtrum modum confuſè concipiendi, & faciendi vniuerſalia, appingunt rebus ipſis, nec ſe dant intelligi, nec ſe intelligunt. Nos concipimus cauſas cum reſpectu ad effectus in communi; non quia illos ſic reſpiciant cauſæ, ſed quia ignoramus particulares effectus, quos, ſi bene cognoſcimus, meliùs penetramus cauſas.

§.71. Obiicis tertiò, manente forma in communi manere actum receptibilem, & ſic maneret materia prima, ſicut manente colore eſſet obiectum viſus, licet albedo deficeret. Contra: non maneret hæc materia, ſed alia. Si enim daretur vna materia receptiua formarum materialium, quas hæc recipit, non tamen eſſet receptiua animi rationalis, illa materia diſtingueretur ſpecie ab hac; ergo, ſi animus eſſet impoſſibilis, materia receptiua aliarum formarum tam eſſet diſtinctæ ſpeciei ab hac, quàm eſſet in caſu argumenti: quia vtraque eſſet ſimpliciter incapax animi, cuius eſt hæc capax. Idem dico de potentia viſiua: ſi enim aliquis viſus perceptiuus cæterorum colorum, non poſſet percipere albedinem, eſſet diſtincta ſpecie à noſtro viſu.

§.72. Confirmatur: ſi vna viſio repræſentat omnes colores, ſi vnus amoueatur, corrumpetur tota viſio, licet manerent cæteri; viſibiles quidem per aliam, ſed non per illam. Ratio à priori; quia iam tunc eſſet obiectum adæquatè diſtinctum. Quod indicium ponunt ad diſtinguendas potentias S. Thomas, Caietanus, Pater Vazquez adducti ſupra, & quotquot hac de re agunt. Deinde in caſu argumenti nō eſſet eadem ratio communis formæ, quæ nunc: ergo non maneret eadem materia. Conſequentia liquet; quia iam eſſet aliud primarium obiectum. Antecedens probo: ratio communis formæ vel includit immediatè animam, vel eſt aliqua ratio ab illa abſtracta, verè prædicabilis de illa, & idem realiter cum illa; ſed, ſi anima eſſet impoſſibilis, nec ratio formæ illam immediatè includeret, nec ab illa eſſet abſtracta, nec prædicabilis de illa, nec realiter idem cum ea: quia ſicut modò forma vt ſic non eſt prædicabilis de chymæra, ita nec tunc eſſet de anima, ergo eſſet diuerſa ipſa ratio communis.

Concluſionem hanc tam expreſsè non reperies apud auctores, qui tamen eam æquiualenter docent in aliis. Nam S. Thomas, Caietanus, Pater Vazquez, & alij adducti ſupra expreſsè diſtinguunt potentias per obiecta adæquata; & S. Thomas, & omnes diſtinguunt viſum, & auditum per ſonum, & colorem; & Ariſtoteles adductus §. 58. ſingularia aſſignat pro obiecto generationum, de actibus communiſſima eſt apud omnes. De Deo multi Theologi recentiores, maximè Salmanticenſes, arbitrantur, omnipotentiam Dei defuturam ſi qua creatura poſſibilis, eſſet impoſſibilis, quia eſſet mutatus adæquatus terminus huius omnipotentiæ. Ex quo deduces, hanc animam fore impoſſibilem, ſi quis eius actus, aut obiectum eſſet impoſſibile. §.73.

SVBSECTIO V.

Clarior explicatio doctrinæ.

QVia verò oppoſitæ ſententiæ authores multas in hanc excitant tragædias, ac ſe tuentur verborum inuolucris, libet ea euoluere. Dicunt potentiam phyſicam dicere ordinem per ſe ad terminum in commune; ad ſingulares autem per accidens. e. g. omnipotentia ad ens creatum vt ſic, & non ad Petrum, aut leonem: Materia prima ad formas; non verò ad animam rationalem: vt viſus ad colorem, non verò ad albedinem. Quapropter ſi omnis creatura eſſet impoſſibilis, eſſet impoſſibilis omnipotentia; non tamen ſi ſolus leo eſſet impoſſibilis: idem dicunt de materia, & viſu comparatis formæ, & colori in communi, & in ſingulari. §.74.

Sic argumentor: Pereunte (in eſſe poſſibili) hac forma in communi periret (in eodem eſſe poſſibili) materia prima: ergo pereunte anima rationali periret materia prima: ergo materia prima (idem eſt de quauis potentia phyſica) pendet ab anima: quia hic dependentiam accipio pro interitu vnius rei ſi alia eſſet impoſſibilis. Probo primam conſequentiam: quia pereunte anima periret hic conceptus communis formæ, cuius hæc materia eſt capax: ſed per te, hoc conceptu pereunte, materia periret; ergo anima pereunte, materia periret. Probo antecedens: quia hic conceptus eſt realis identitas cum anima: quia ratio communis eſt à parte rei idem cum particulari; quam identitatem non habent per aliquid à ſe diſtinctum, ſed per ſe ipſas: ſed pereunte anima periret identitas realis huius conceptus formæ vt ſic cum anima: ergo anima pereunte periret hæc ratio communis formæ. §.75.

Probo

Probo minorem; quia ſi anima eſſet impoſſibilis, eſſet impoſſibilis realis identitas alicuius entis realis cum illa: ſed identitas realis formæ vt ſic cum anima eſt vnius entis realis cum alio virtualiter diſtincto: ergo eſſet tunc impoſſibilis hæc identitas: quia anima eſſet & non eſſet ens: non eſſet, quia argumentum ponit eam hypoſtaſim: eſſet autem; quia à parte rei haberet identitatem cum ente reali.

§.76. Dices primùm, tunc manſurum conceptum formæ vt ſic; qui à reliquis formis eſſet abſtractus. Contra: ille conceptus eſſet omnino diuerſus ab hoc: ergo & eſſet alia materia. Conſequentia patet; quia mutato termino formali & immediato neceſſe quoque eſt mutari ordinem ad ipſum. Antecedens probo: conceptus communis formę, quem nunc abſtrahimus, eſt idem realiter cum anima rationali; de qua verè prædicatur: quia anima eſt forma: ſed alius ille conceptus non eſſet idem cum anima: vt nunc hic non eſt idem cum chymæra; ergo non eſſet idem conceptus communis. Differentiam hanc fore ſpecificam, patet: quia habet hic identitatem cum tota vna ſpecie, qua careret alius: ergo hic conceptus non eſt eiuſdem ſpeciei cum illo.

§.77. Dices ſecundò, materiam dicere per ſe ordinem ad formam vage ſumptam; non verò ad hanc, vel illam determinatè: vt equus requiritur ad curſum; non tamen hic, vel ille. Contra: iſte ordo deficeret realiter ſi anima eſſet impoſſibilis; ergo deficeret hæc materia. Probo antecedens: quia hic ordo reſpicit animam vagè, ſicut quamuis aliam formam: quia reſpectus ad obiectum vagum eſt ad omnia ſingularia ſub diſiunctione: ſed ſi anima eſſet impoſſibilis non eſſet materiæ ordo ad ipſam etiam vagè ergo hic ordo deficeret realiter. Probo minorem, tum quia hæc materia non dicit nunc ordinem ad chymæram: tunc autem anima eſſet chymæra; ac proterea nec materia diceret ordinem ad illam: tum à priori; quia iſte ordo eſt vagè ad formam: quia eſt ordo puræ potentiæ paſſiuæ; & niſi terminus ſit forma, non reſpicitur; nec materia natura ſua inſtituitur ad paſſiuam informationem chymæræ. Quod patet exemplo adducto: quia curſus non petit vagè chymæram, vel equum vt principium actiuum. Conſtet ergo interiturum hunc ordinem materiæ ad animam ſi hæc eſſet impoſſibilis.

§.78. Præterea materia reſpicit formam vt informabilis; item (in materialibus) vt dans illi exiſtentiam; quia eam reſpectat vt exiſtentem: ſed omne exiſtens vt exiſtens eſt determinatum, & non vagum: quia vagum eſt præcisè vt exiſtit intentionaliter in intellectu, aut voluntate: ergo materia non eſt ad formam vagè. Ad exemplum reſpondeo, nihil vagum ſignificari ad exiſtentiam curſus; ſed tantùm explicatur omnium equorum potentia ad curſum; & oſtenditur ea non eſſe in vno ſolo, aut altero, ſed in ſingulis. Vnde hæc propoſitio, *equus requiritur ad curſum*: æquiualet huic; *ſine equo curri non poteſt*; *poteſt tamen abſque hoc, & illo.*

§.79. Hæc de curſu quod attinet ad exiſtentiam: ad eſſentiam autem reſpondeo; curſum qui oriri poteſt ab omnibus equis, non fore poſſibilem, ſi hic equus eſſet impoſſibilis: quia ille curſus eſt ordo ad hunc equum; ſed tunc non eſſet ordo ad hunc equum; quia eſſet impoſſibilis: ergo nec eſſet ille curſus. Eadem ratione, materia non poteſt exiſtere ſine forma: poteſt tamen ſine hac, vel illa: at verò non eſſet poſſibilis niſi hæc eſſet poſſibilis. Ratio à priori: quia exercitium dependentiæ actualis non eſt de eſſentia materiæ, & poteſt eſſe cum variis exercitiis diuerſarum formarum: ordo autem tranſcendentalis eſt eſſentialis; & nòn poteſt hæc materia eſſe abſque ordine ad animam; quia eſt idem cum ordine ad formam in commune. Hæc argumenta rem digito monſtrant.

Probo propterea cauſam phyſicam perituram niſi eſſent poſſibiles termini ſingulares: quia niſi eſſent poſſibiles termini potentiæ phyſicæ, hæc non eſſet poſſibilis: ſed nullus terminus eius potentiæ eſſet poſſibilis niſi eſſent poſſibiles termini ſingulares: ergo. Probatur minor: quia omnis terminus aut eſt formaliter ſingularis, aut virtualiter à ſingulari diſtinctus: ſi das primum, das quoque manus: ſi ſecundum, ſic argumentor: ille terminus non eſt poſſibilis à parte rei abſque ſingularitate, quia reſpicitur vt exiſtens: vt autem exiſtens connectitur neceſſariò cum ſingularitate: ergo. §.80.

Dices, exiſtentiam ſingularem eſſe conditionem vt exerceatur exiſtentia communis. Contra; illæ exiſtentiæ ſunt vna à parte rei; ergo neutra eſt conditio alterius: ſed vtraque eſt neceſſaria: quia nec ſingularia poſſunt exiſtere ſine ratione communi; nec hæc ſine ſingularitate: ergo per locum intrinſecum, ſi termini ſingulares ſunt impoſſibiles, erit impoſſibilis omnis terminus potentiæ phyſicæ; & ipſa quoque potentia. §.81.

Tandem; potentia dicit ordinem ad ſingularitates; ſed ille ordo eſt idem cum ordine ad terminum communem: ergo ordo ad terminum communem eſt ordo ad ſingulares. Sed ſi ſingulare aliquod eſſet impoſſibile, eſſe impoſſibilis ordo ad illud: ergo eſſet impoſſibilis ordo ad terminum communem. §.82.

Obiicies, materiam v. g. dicere odinem tranſcendentalem ad formam in communi; ad hanc autem & illam non dicere ordinem, ſed puram non repugnantiam: vnde deficiente forma vt ſic deficeret materia; deficiente autem hac forma non deficeret materia, nec ordo; ſed tantum illa non repugnantia. Contra: quia materia dicit ordinem ad terminum vt exiſtentem: ſed terminus vt exiſtens includit neceſſariam connexionem cum ſingularitate, vt probaui; ergo materia dicit ordinem ad terminum vt nexum ſingularitati: ergo deficiente ſingularitate deficeret materia; quia deficeret omnis terminus. Item ordo ad terminum communem eſt materialiter & realiter ordo ad ſingularem: ſed deficiente termino ſingulari deficeret ordo materialiter & realiter ad illum: quia ad impoſſibile, nec materialiter eſt ordo potentiæ phyſicæ: ergo realiter deficeret ordo ad terminum communem. §.83.

Ad hæc: Materia perficitur anima non ſolum quia eſt forma; ſed etiam quia eſt anima: ergo materia dicit ordinem tranſcendentalem ad animam, quia anima eſt. Antecedens patet; quia materia perfectior euadit cum anima quàm cum forma lapidis: id autem non eſt ex conceptu communi formæ; qui abſtrahit à perfecta & imperfecta: vnde ex conceptu proprio animæ id habet. Conſequentiam probo; quia omne perfectibile appetit vehementius & inclinatur in maiorem perfectionem ſibi connaturalem. Eſt item mutuus reſpectus inter effectum & cauſam connaturalem: quod effectus eſt ordo ad cauſam; & hæc ad effectum: ad quem poteſt & petit natura ſua compleri: at verò effectus ſupernaturalis dependet interdum ex ſe à naturali cauſa cum vero ad illam ordine, vt viſio de Deo, at cauſa non dicit ordinem ad effectum; quia nec petit, nec poteſt ad illum natura ſua compleri; §.84.

pleri; ſed habet puram non repugnantiam ad effectum.

§.85. Quod confirmo: viſus vt viſus eſt cauſa per ſe & connaturalis huius numero viſionis: rogo vtrum ex natura ſua petat compleri ad illam; ita vt abſque connotatione ad illam non poſſit comprehendi? ſi id petit; ergo periret viſus ſi hæc viſio eſſet poſſibilis. Probo conſequentiam: quia periret illa petitio,& fundamentum: quia viſus ſe ipſo abſque alio extrinſeco poteſt, & petit compleri ad hunc numero actum: ſi autem nec petit, nec poteſt ad illum natura ſua compleri; ergo ex natura ſua non eſt illius cauſa. Hac enim vnica ratione diſtingui potentiam obedientialem à naturali oſtendam diſ. 9. ſect. 14. & diſp. 8. à §. 180. in potentia obedientiali illa non repugnantia eſt denominatio extrinſeca à voluntate Dei ſupernaturali: quam cauſa creata non petit, nec poteſt ex natura ſua. Confunditur ergo cauſa obedientialis cum naturali ob opinionem nequaquam non obſcuram.

SECTIO IV.

Vtrum definitio cauſæ conueniat cauſæ remotæ?

§.86. EXplicato conceptu quidditatiuo cauſæ, oportet diſputare, quibus cauſis conueniat, vt cauſæ cognitio perfectior euadat. Cauſa proxima dicitur illa, quæ immediatè per ſuam entitatem ad effectum concurrit, vt calor ad calefactionem, & materia ad quantitatem. Remota dicitur, quæ mediata eſt, & non per ſe, ſed per ſua accidentia, aut medio quouis principio operatur, vt aqua calefacit manum non per ſe immediatè, ſed per ſolum calorem illi inhærentem. Vocatur *mediata cauſa*, non quia inter illam,& effectum mediet actio, nam principium immediatum actionis eſt principium immediatum termini, quia actio eſt formalis ratio dependendi, vt de vnione ſimile diximus, ſed quia mediat tertia entitas, à qua ſola procedit immediatè actio.

§.87. Aduerte cauſam remotam, ſimpliciter eſſe vocandam cauſam: ignis verbi gratia dicendus eſt calefacere, neque hoc vertitur in controuerſiam; ſicùt homo dicitur tangere hominem, licet non eius carnem, ſed veſtes, quibus eſt indutus, tangat; quia ad hanc denominationem ſufficit id, quod immediatè agit, aut tangitur immediatè, ſuſtentari, aut pendere à principio, quod denominatur agens aut tactum: admiſſa ergo ea phraſi, in agentibus neceſſarijs, de re agendum.

§.88. Quæſtio igitur eſt; num huiuſmodi principium ſit propriè, & in rigore cauſa? Pro parte affirmatiua duo poſſunt adduci. Primum communis loquendi modus: ſed hic iam eſt explicatus. Secundum; quia illa dicitur immediata cauſa, quæ eſt conditio, aut principium neceſſarium, vt exiſtat Id, à quo actio immediatè procedit: ita ignis eſt immediata cauſa caloris in ligno, quia eſt principium neceſſarium vt exiſtat calor, à quo lignum immediatè calefit, & aqua eſt immediata cauſa calefactionis, quia eſt ſubiectum caloris calefacientis Hoc fundamentum non video, qua ratione probetur à ſuo auctore, quod tamen infra facile diſſoluetur.

§.89. Oppoſita ſententia valde mihi ſemper arriſit. Pro qua non poſſunt multi Doctores adduci, qui eam expreſsè tueantur, ſicut nec pro contraria; quia eam non vidi in terminis diſputari, pro ea tamen poſſunt adduci omnes, qui aſſerunt, ſola accidentia materialia propriè ſentiri, eorum verò ſubiecta impropriè & remotè; item omnes, qui tenent actus intelligendi, & amandi in eodem recipi principio, quia ſi in diuerſis exiſtant, non poteſt vna potentia moueri per actus alterius; item Pater Suarez. d. 18. met. ſect. 2. num. 22. & d. 26. ſect. 3. num. 11. clariùs autem illi fauet Pater Vazquez tom. 1. in 3. p. d. 21. num. 17.

Alter autem Gabriel eius eſt author apertè in 1. diſt. 45. art. 5. corollario. 3. & in 2. diſt. 1. quæſt. 2. art. 1. notab. 2. Quam indicat S. Thom. in 2. d. 37. quæſt. 2. art. 2. Vbi ait Deum non eſſe cauſam rerum omnium ſi non concurrit immediatè ad omne ens. Quo impugnat ſententiam negantem Deo immediatum influxum in actum peccati; quæ impugnatio nulla eſſet ſi cauſa remota eſt verè & propriè cauſa. Quam arbitror eſſe Durandi,& Aureoli, defendentium Deum non eſſe cauſam peccati; quia non influit immediatè in actum prauum: immo eſt omnium eos impugnantium; quia cenſent abſurdum eſſe aliquod ens, cuius Deus non ſit cauſa. Okamus in 1. diſt. 45. eam ſententiam diſputat, & tuetur apertè. §.90.

Explicatur autem prius: aqua calida, verbi gratia, dicitur calefacere; tota verò calefactio per ſe oritur à calore, ita vt ſi idem numero calor ſucceſſiuè ſit in pluribus ſubiectis, eadem numero calefactio eodem modo ab illo prodibit: quia, cum ſubiectum tantum influat in colorem agentem, à quocumque ſubiecto calor ſuſtentetur, præſtat effectus eoſdem. §.91.

Vnde probatur primò hæc ſententia: cauſa debet eſſe cauſa per ſe, vt ſit propriè cauſa; ſed cauſa remota non eſt cauſa per ſe, ſed per accidens, ergo non eſt propriè cauſa. Maior ex definitione cauſæ patet: minor probatur, quia illa dicitur cauſa per accidens, qua deficiente, ex natura rei non deficit cauſalitas: nam, ſi cauſalitas ex ſe poteſt ſine illa eſſe, quam dependentiam per ſe habet ab illa? ſed deficiente quauis cauſa remota, immo verò deficiente omni ſubiecto, non deficit cauſalitas cauſæ proximæ, (vt mox patebit) ergo cauſa remota eſt cauſa per accidens. §.92.

Dices primo; pereunte ſubiecto perit effectus ex natura rei,& cauſalitas, per quam ſit; quod contingit per ſe, & non per accidens, ſicut ablato calore producente perit calor ab eo productus, niſi alius, aut lux illi ſuccedat; nec tamen propterea calor per accidens à calore dependet. Sed contra: quia pereunte ſubiecto perit effectus, quia perit immediata eius cauſa, quæ pendebat à tali ſubiecto; at verò ſublato calore per ſe perit effectus, quia perit virtus, à qua egreditur immediatè. Quod diſcrimen hoc patet exemplo. Ponamus calorem *A*, recipi in aqua, & ab illo produci calorem *B*. auferat Deus aquam, omnéque ſubiectum; & per creationem conſeruet calorem *A*. tunc ille calor *A*, eadem numero actione conſeruabit colorem *B*, vt experientia patet in Euchariſtia, cuius accidentia eodem modo operantur ante & poſt conſecrationem; at ſi Deus auferat illum calorem *A*, ex natura ſua calor *B*, deſinit eſſe: eiuſque cauſalitas nec de potentia abſoluta poterit conſeruari, ergo magnum eſt inter vtrumque diſcrimen. §.93.

Dices ſecundò, calorem *A*, ſeparatum à ſubſtantia ex natura ſua operari non poſſe. Sed hoc, qua ratione probatur, cum ſit conſtans Theologorum opinio in operatione accidentium Sacramentalium nullum nouum interponi miraculum præter eorum ſeparationem? Et qui aiunt, qualitates §.94.

eſſe

eſſe in quantitate receptas, expreſsè affirmant nullum nouum miraculum eſſe, quod quantitas retineat accidentia, vt ex S.Thoma, & alus docet Pater Suarez 1.metaph. diſp.14.ſect.4.n.5. Ratióque demonſtrat: quia in ſola eſſentia caloris continetur virtus ſufficiens ad calefaciendum,quia in aqua ſolus calor calefacit; ergo, ſi calor exiſtat ſeparatus à ſubſtantia, poterit calefacere, quia ſubiectum tantum ei confert exiſtentiam, & non virtutem actiuam. Vnde quocumque modo exiſtat, cum ſemper retineat eandem eſſentiam, ſemper retinet virtutem agendi. Quidquid autem ſubſtantiæ requiritur ad agendum,& datur per creatiuam actionem,vt ex Euchariſtia patet:& licet ſit miraculum, id tantum eſt ad exhibendum concurſum generalem, quo exhibito conſeruatur eadem cauſalitas; quod de potentia Dei repugnat,ſi immediata cauſa periret.

§.95. Vnde argumentor ſecundo: quia exiſtente cauſa materiali remota, eodem modo afficitur proxima per terminum proximum, ac non exiſtente; & quando remota exiſtit, non magis immutatur per vnionem remotam, quàm ſi non exiſteret: ergo non eſt vera cauſa materialis cauſa remota: conſequentia ex terminis liquere videtur, quia eſt de ratione cauſæ materialis per vnionem immutari: antecedens probatur, quia vnio ad cauſam proximam, eodem modo ſe habet exiſtente ſubiecto remoto, ac non exiſtente; ergo & ſubiectum eodem modo ſe habet. Quia, ſi qua eſſet differentia, eadem omnino eſſet in vnione. Antecedens patet, ſuppoſita communi ſententia de receptione qualitatis in quantitate, in Euchariſtia enim quantitas, quæ antea erat ſubiectum *quo*, modo eſt ſubiectum *quod*,remanente eadem numero vnione.Confirmatur; ſi ſubiectum remotum eſſet propriè cauſa, ergo & cauſalitas eſſet propriè eius modus; at non eſſe probatur; quia illa cauſalitas conſeruatur ſine illa cauſa remota; cum tamen nullus modus queat conſeruari ſine re, cuius eſt propriè modus, ergo.

§.96. Tertiò arguitur: eodem modo dicitur panis videri, & tangi medio colore, & quantitate,quo dicitur operari medio calore, ſed propriè, & in rigore non videtur;ergo neque operatur. Probatur minor: quia, ſi propriè videretur, eſſet propriè obiectum viſus, ſed non eſt, quia viſio cum non attingit propriè, pane enim corrupto, manet eadem numero viſio, & accidentia eodem modo prorſus videntur; ergo panis non eſt propriè viſionis obiectum.

§.97. Quartò arguitur ex opinione Durandi, quam Theologi omnes damnant erroris;qui ait non omnes creatos effectus immediatè à Deo prodire, ſed à ſolis cauſis ſecundis, mediis quibus à Deo procedunt: vndè inferunt Theologi ex hac opinione, eſſe multos effectus, quorum Deus non ſit propriè cauſa, quod continet abſurdum in Theologia; vnde agumentor: Deus non eſſet propriè cauſa talium effectuum, niſi ipſe ad illos immediatè concurreret, ergo idem eſt dicendum de quauis cauſa remota.

§.98. Dices, id eſſe verum de cauſa remota actiua; ſecus de paſſiua, quæ denominationem ſumit ab accidentibus quæ patitur; vt paries dicitur viſus, & non Deus. Contra: omiſſa denominatione, rebus inſiſtamus, cauſa materialis dicitur agens, quia per vnionem influit in principium agendi, ergo eadem ratione principium actiuum remotum denominabitur agens, quia influit in principium proximum: Patet conſequentia, quia influxus ſubiecti nihil efficit in effectum remotum, at in principium proximum tantum efficit cauſa remota actiua, quantum paſſiua.

Confirmatur, qui dicunt ſenſus materiales recipi in ſola materia prima, & dicunt animum non influere immediatè in eorum actus, ſed tantum per ſenſus, dicunt quidem animum efficere ſenſiones per ſenſus, cum tamen ſenſus ab animo non recipiantur; ſed efficiantur; vel ergo opinio Durandi nullum habet abſurdum, vel idem habet ſententia, quam impugno. Ad illam denominationem viſi requiritur; vt quod ſic denominatur, aliquid ſpeciale efficiat circa accidentia ſenſibilia, vt Angeli dicuntur videri, quia aliquid præſtant in colores. Immo hinc argumentor; vt aliquid dicatur videri,non eſt opus vt in ſe recipiat accidentia.Angeli enim dicuntur videri,cum nec propriè videantur, nec accidentia recipiant, ergo nec eſt neceſſaria ea vnio, nec propria cauſalitas, vt dicatur agere. Sed id, quod verè non agit, dicetur agere ab actione ſui effectus. §.99.

Ex dictis ſolutum manet ſecundum argumentum; quod tantum probat, principium proximum immediatè à remoto pendere. Neque quis dicet, ſi calor *B* productus à calore *A* producat calorem *C*, nullus (inquam) dicet *C* pendere ab *A*, licet *B* ab illo dependeat. Item illa ratio eſt contra eoſdem, qui aiunt duas cauſas mutuo pendere. Contra quos ſic argſio; id, quod requiritur ad principium proximum, eſt vera cauſa principiati à tali principio; ergo id, quod requiritur ad materiam primam, eſt vera cauſa cuiuſque effectus à materia pendentis, ſed per te forma requiritur ad materiam, ergo forma eſt vera cauſa effectuum materiæ; at ipſa forma eſt effectus materiæ; ergo forma eſt cauſa ſui ipſius. §.100.

Dices propoſitum argumentũ verum eſſe,quando aliunde non ſequitur abſurdum. Contra; ergo tua opinio eſt explodenda, quia contra eam euidenter ſequitur tale abſurdum. Hinc amplius probata manet noſtra ſententia d.6.ſect.6. præſertim ex dictis hac ſect. § 95. Quia per vnionem accidentium ad quantitatem non magis diſponitur materia: ac ſi non eſſet talis vnio. §.101.

Tandem, cauſa propriè, eſt ordo ad effectum; vel ſaltem fundamentum ad talem ordinem, & cauſalitas eſt actualis ordo cauſæ ad effectum. Sed cauſa remota non eſt talis, ergo. Probo minorem. Quia totus ordo potentiæ calefactiuæ, & fundamentum calefaciendi intelligitur in ſuo calore, quin intelligatur in aqua. Nam ſicut eſſentia caloris ſola fundat calefactionem, aqua verò poteſt adæquatè concipi ſine tali ordine, aut fundamento, & calor ſolus ſeparatus retinet totum fundamentum: ergo aqua non habet rationem cauſæ propriæ calefactionis,nec hæc ducit in cognitionẽ cauſæ remotæ,magis quàm ſi non eſſet,quæ omnia ſunt contra conceptus cauſæ explicatos ſect.2.& 3. §.102.

Dices id eſſe verum in aqua, non vero in igne. Bene: per caloris ſuſtentationem tam conſeruat aqua calorem, quàm ignis, ergo vtrumque eſt eodem modo cauſa, niſi quod vnio ad colorem eſt violenta aquæ; igni verò connaturalis: at illa remota calefactio nec reſpicit ignem,nec in illo fundatur, nec ducit in eius cognitionem, magis quam in cognitionem aquæ; nam eademmet actio oritur à calore exiſtente in aqua, vel igne, vel ſeparato. Quod ſi ignis eſſet extremum, ad quod referretur propriè calefactio, hæc periret amota ſubſtantia connaturali caloris: quia relatio perit pereunte altero extremo. §.103.

Hæc

§.104. Hæc tibi ante oculos obuerſentur in lib. de anima, ad probandum animum immediatè concurrere ad actus vitales. Item in materiam de habitibus ſupernaturalibus, præſertim de charitate, & viſione Dei, ad probandum potentias vitales naturales immediatè influere in actus vitales ſupernaturales. Huc enim totam hanc quæſtionem direxi: de quo latè egi diſputans charitatem.

SECTIO V.

Quo pacto exiſtentia requiratur ad cauſam?

§.105. QVi negant exiſtentiam ab eſſentia diſtingui, neceſſariò fatentur exiſtentiam eſſe virtutem, & rationem agendi. Qui verò eas diſtinguunt, aſſerent eſſentiam eſſe virtutem actiuam, exiſtentiam verò conditionem, ſine qua non. In præſentem autem controuerſiam adduco, vtrum cauſa poſſit phyſicè in effectum influere, ſine exiſtentia actuali?

§.106. Nullus hucuſque affirmauit, poſſe aliquam cauſam influere realiter, quin cum influit, aut antea habuerit exiſtentiam: ita enim eſt conſtans omnium hominum ſenſus, vt ex effectus exiſtentia monſtretur apertè exiſtentia cauſæ.

§.107. E Thomiſtis aiunt nonnulli poſſe cauſam actiuam phyſicè in effectum influere temporis inſtanti, quo realiter iam non exiſtit, dummodo extiterit immediatè, inter quos vnum vidi Cabezudum 3.p q.62. art.1. diff.5.§. *Quinta ſententia eſt*, vbi ait Sacramenta phyſicè gratiam producere, quando non exiſtunt, id eſt, in vltimo inſtanti extrinſeco. Idque probat primò, quia illud inſtans ratione noſtra pertinet ad exiſtentiam Sacramenti; quod ſufficit vt tunc poſſit operari. Secundò confirmat tribus (vt ipſe ait) appoſitiſſimis exemplis; primò ex diſpoſitionibus, quæ producunt formam geniti eo inſtanti, quo ipſæ iam non ſunt, ſed perierunt cum forma corrupti. Secundò ex morte viuentium. *Certum enim eſt* (inquit) *quod non moriuntur, niſi viuentia: tamen in inſtanti mortis iam viuens non eſt: non viuit, ſed ſufficit, quod vixerit toto tempore præcedenti, vnde in illo inſtanti dicitur eſſe ſufficienter, cum verè dicatur mori, cum tamen in alio inſtanti non verè dicatur mori, licet fuerit viuens, mors autem mutatio phyſica eſt realis. Tertium exemplum eſt, nam ſicut contiguitas duorum corporum ſufficit ad hoc, vt vnum agat in aliud, ita ſufficit ad agendum contiguitas inter cauſæ & effectus exiſtentiam.* Cui ſententiæ ita adhæret, vt cæteras omnes cenſeat improbabiles.

§.108. Sententiam hanc improbabilem cenſet Pater Suarez diſp.14.met.ſect.3. num.30. cui Ariſtoteles refragatur hoc lib.2. cap.3. text.36. & 37. *omnia* (inquit,) id eſt cauſarum genera, de quibus ibi. *aut agentia*, id eſt, actu cauſantia, *aut quæ poſſint agere. Hoc autem differunt, quod, quæ efficiunt, & ſingula, atque ea, quorum ſunt cauſæ, ſimul ſunt, & non ſunt. Vt hic, qui medetur, &c. at quæ ſunt poteſtate, non ſemper.* Vbi vult Ariſtoteles intereunte cauſa effectum perire, & effectu exiſtente cauſam ſimul exiſtere, at inſtans, & tempus immediatè præcedens non ſunt ſimul ex tua ſententia, ergo cauſa non exiſtens illo inſtanti non eſt ſimul cum ſuo effectu contra Ariſtotelem.

§.109. Reſpondet hic author, tunc exiſtere cauſam non formaliter; ſed virtualiter; non in eſſe entis, ſed in eſſe cauſæ. Verum his nugis repugnat ipſe Ariſtotelicus textus, qui ex cauſalitate infert exiſtentiam cauſæ in eſſe entis, & ex non exiſtentia cauſæ non exiſtentiam effectus: id eſt, (vt terminis iiſdem reſpondeam) ex virtuali exiſtentia, quæ eſt exiſtentia effectus infert exiſtentiam formalem, id eſt, cauſæ, & ex negatione exiſtentiæ in eſſe entis, infert negationem in eſſe cauſæ. Deinde hæc ſolutio principium petit, nam exiſtentia formalis, & in eſſe entis eſt propria exiſtentia cauſæ; & exiſtentia virtualis, & in eſſe cauſæ, eſt exiſtentia cauſalitatis, ſin minus ipſe explicet terminos; at in controuerſiam adducitur, quo pacto ſit cauſalitas, & effectus actu, ſine actuali exiſtentia cauſæ; ergo petitur principium.

Impugnatur igitur primò hæc ſententia; quia cauſa materialis non poteſt recipere accidentia, niſi actu exiſtens; ergo neque efficiens. Antecedens admittunt etiam aduerſarij, eſtque ex terminis notum. Qua enim ratione poteſt eſſe album, aut nigrum quod non eſt? Conſequentia probatur à paritate rationis; effectus enim non minus pendet ab efficienti, quàm à materiali cauſa: vnde inconſequentes ſunt nonnulli, dum aiunt accidentia corrupti perire, quia perit forma, à qua ſuſtentabantur, & aiunt formam geniti phyſicè effici à talibus accidentibus iam corruptis. Rogo enim, cur forma corrupti in eo inſtanti non valeat cauſare accidentia, cum hæc iam corrupta valeant cauſare formam geniti? aut ſicut ad primum exigitur actualis exiſtentia, quid ni & ad ſecundum? §.110.

Secundò probatur: quia in inſtanti initiatiuo antequam res exiſtat, non poteſt phyſicè cauſare; §.111. ergo neque in vltimo terminatiuo per quam extitit. Patet conſequentia; quia ſicut vltimum inſtans eſt terminus durationis præcedentis, ſimiliter & primum, quia tota duratio cauſæ clauditur duobus illis inſtantibus, item cauſam extitiſſe eſt extrinſeca denominatio in illo inſtanti, ſimiliter eſt & in inſtanti initiatiuo; quia ſicut in vno fuit, ita & in altero erit, & poſtquam fuit, nullam virtutem reliquit magis, quàm anteaquam eſſet, fuiſſe enim nihil eſt actu, magis quàm fore; & ſi exemplum ſumitur de contiguitate corporum, parum refert duo corpora ex hac, vel illa parte contiguari. Ergo etiam parum refert exiſtentias cauſæ & effectus contiguari, vel ex parte initij, vel ex parte finis. Item ſi res poteſt operari aliqua duratione reali, in qua non eſt, etiam poterit operari quolibet tempore ſubſequenti. Caue igitur ne te mordeat canis mortuus.

Tertiò, cauſa efficiens iam corrupta poteſt phyſicè cauſare: ergo & homo mortuus in primo inſtanti ſui non eſſe, poterit ſentire, quæ enim ratio diſcriminis poteſt afferri? Nam ſi calor corruptus poteſt ignem producere; quidni videbit homo mortuus? quis autem non irrideat eum, qui aſſerat mortuos videre? Præterea ſequitur magnum in Theologia abſurdum, nam ſi quis repente moriatur, habens perfectam libertatem ad peccandum, ſi in inſtanti obitus erat in gratia; poterat peccare in vltimo inſtanti, excitatus per appetitum ſenſitiuum, per quod peccatum damnaretur ille, qui in gratia deceſſerat, cum ſit certum talem hominem ſic decedentem ſaluari: hoc autem abſurdum probo ego eadem ratione qua tu tuam ſententiam, quia ſufficit contiguari exiſtentias cauſæ, & effectus, & manet cauſa in eſſe cauſæ, licet non manet in eſſe entis, & quia tunc ſufficienter dicitur viuere, cum verè dicatur mori: ergo appetitus poteſt tunc mouere ad peccatum, & hoc commiti per organi corporei diſpoſitionem. §.112.

Quartò probatur à priori: quia actio eſt modus realis ſupponens cauſam realem: ſed cauſa non §.113.

exiſtens

exiſtens ſimpliciter, nihil eſt: ergo ab ea non poteſt actio prodire. Nec videtur poſſe apprehendi, quo modo exiſtat agendo, quod non exiſtit: quia exiſtere agens, ſupra exiſtentiam addit actionem; at tunc nulla eſt exiſtentia: ergo ſupra illam nulla additur actio. Adde modum exiſtere non poſſe ſine re, cuius eſt modus: ergo cauſa non exiſtente non poteſt exiſtere eius cauſalitas. Cauſa finalis mouet non exiſtendo, quia non influit phyſicè, ſed intentionaliter, & ſicut res poſſunt cognoſci antequam ſint, ita & amari.

§.114. Tandem argumentor à priori, actio eſt actus ſecundus agentis: ergo oritur ab actu primo, quia omnis actus ſecundus oritur à primo; ergo tunc debet eſſe actus primus, à quo oriatur. Nam ſi non eſt actus primus; non eſt actus priùs, ſed in inſtanti, quo vere dicitur, *nunc non eſt cauſa*, non eſt actus primus, à quo oriatur ſecundus: ergo in eo inſtanti non oritur actio à cauſa. Dices tunc eſſe cauſam non in actu, ſed in potentia. Contra, non eſt in actu: ergo ſimpliciter non eſt actus primus. Probo conſequentiam, quia actus ſimpliciter eſt per exiſtentiam, ſine qua nihil eſt actu, ſed in potentia tantum; ſed actio actu exiſtens eſt ſimpliciter actus ſecundus: ergo oritur ab actu primo ſimpliciter, nam illa actualitas ſimpliciter actionis oriri debet phyſicè ab ente ſimpliciter; nam à ſimpliciter non ente, quale eſt non exiſtens, quo pacto datur phyſicè exiſtentia, & entitas ſimpliciter?

§.115. Dices, actum ſecundum oriri à primo exiſtente priùs, non tamen exiſtente tunc. Contra, ergo tunc eſt actus ſecundus à pura potentia logica, ſiue non repugnantia, quia tunc cauſa non eſt in actu exiſtendi, ſed in potentia tantum: & vt in potentia operatur: ergo ens in actu fit phyſicè à non ente in actu, quod qua ratione capiant, ipſi viderint, ac poterit vnuſquiſque pro ſuo arbitratu aſſerere rem antequam exiſtat, ſaltem immediatè antequam exiſtat operari. Reſponderéque poterit, quod ipſi: in hós quadrat ſapiens Ariſtotel. ſententia 2. phyſ. cap. 5. text. 6. *oſtendere verò ea, quæ manifeſta ſunt per ea quæ non ſunt manifeſta, hominis eſt profectò, qui nequit id, quod eſt per ſe notum, & id, quod non eſt per ſe notum, diſcurrere.* Cum ergo hæc ſententia ſit per ſe nota, non poteſt niſi ex terminorum apprehenſione probari. Nec illis eſt Beatus Thomas commune aſylum, oſtendam enim ipſiſſimis eius verbis diſp. 2. de generat. ſect. 2. accidentia agentis, non verò patientis concurrere ad generationem.

§.116. Ad primum in §. 107. admiſſa illa ſententia, ſcilicet, vltimum inſtans ratione pertinere ad durationem Sacramenti, negatur id ſufficere ad veram cauſalitatem, ad quam requiritur exiſtere realiter, & non ratione noſtra. Quemadmodum inſtans initiatiuum Sacramenti, in quo vltimo non eſt, & immediatè poſt erit, non ſufficit, vt in illo Sacramentum efficiat: quamuis illud inſtans ratione noſtra pertinere poteſt ad durationem Sacramenmenti, ſicut primum non eſſe. Sed de illo antecedenti alibi latius.

§.117. Ad primum exemplum de diſpoſitionibus, patet ex dictis §. 110. non loqui conſequentes auctores earum duarum opinionum, & ad vnam ſententiam in intelligibilem in philoſophia, adducitur alia non magis probanda, in qua eadem eſt omnino difficultas.

§.118. Ad ſecundum exemplum, multa mirabilia ibi miſcentur, ſi non moriuntur niſi viuentia, quo modo eo inſtanti moritur, quod per te eo inſtanti non viuit? Quod ſi tu affirmas, tunc viuens non eſſe, quo modo dicis ſufficienter eſſe, vt poſſit mori? Præterea: quo modo in illo inſtanti dicitur eſſe, cum verè non ſit, ſed perierit? anne mortui verè viuunt? nam vita animalis eſt anima vnita corpori: mors autem eſt carentia vnionis, ſed tunc non eſt vnio, ſed eius carentia: ergo non eſt viuens animal, ſed mortuum.

Reſpondeo igitur, viuens eo inſtanti non mori, ſed eſſe mortuum, quia diſſoluta vnione vitali, corpus eſt cadauerica forma indutum, moritur autem tempore præcedenti, quia mori eſt vitam habere tempore quod immediatè præcedit inſtans, in quo vita non eſt habenda. Mori enim eſt deſinere extrinſecè, ita vt verum ſit dicere *hoc inſtanti non eſt viuens, & immediatè ante fuit*, eſſe igitur immediatè ante, eſt mori: morte vulgari modo accepta. At in rigore, homo moritur eo inſtanti, in quo eſt cadauer, quia tunc corrumpitur, ac deſinit eſſe extrinſecè per primum non eſſe, quod eſt metaphyſicè mori. §.119.

Ad tertium exemplum reſpondetur, duo corpora contigua, ſimul retinere ſuas actuales eſſentias, per quas operantur; at verò cauſa corrupta ſuam non retinet, per quam agat. Deinde non ſunt contiguæ tales exiſtentiæ, quia contigua ſunt, *quorum extrema ſunt ſimul*, ibi autem exiſtentiarum extrema non ſunt ſimul. §.120.

SECTIO VI.

De Prioritate cauſarum.

Nihil eſt in Philoſophia communius cauſarum prioritate comparatione effectuum. De modis prioris agit Ariſtoteles in poſtprædicamentis & 5. metaphyſicæ c. 11. è quo tres ſubiiciam, quartum verò e Theologia deſumam. §.121.

Primum, prius, & poſterius ſimpliciter dictum, de prioritate *durationis*, ac temporis intelligi voluit Ariſtoteles in poſtprædicamentis, cap. de modis prioris, & 5. metaphyſicæ cap. 11. & ex S. Auguſtino probat Pater Vazquez, tom. 1. primæ partis, diſp. 167. n. 8. Eſt autem hæc prioritas: quando vna res tempore antecedit aliam, vt meus pater eſt me prior. Quapropter eiuſmodi res, vetuſtiores, & antiquiores vocantur. §.122.

Huic prioritati è regione opponitur prioritas *originis*, quam S. Thomas, aliique Theologi non prioritatem, ſed ordinem vocant originis: qua vnum principium concipitur vt principium alterius rei ab ipſo procedentis, ſed cum omnimoda ſimultate temporis, naturæ, atque rationis: implicat enim tale principium non modo eſſe vllo modo verum, neque apprehendi ſine re, cuius eſt principium, vt de perſonis diuinis dixi ſect. 1. Ratio à priori eſt, quia inter eas res intercedit perfectiſſima omnium relatio: relatiua enim, teſte Ariſtotele, *ſimul ſunt natura, & cognitione*: patétque euidenter, quia pater, vt pater neque eſt, neque poteſt apprehendi ante, aut poſt filium formaliter. Porrò, Patrem æternum non eſſe natura, aut ratione priorem Filio, rectè probat P. Vazquez ſupra num. 10. eſtque ſine controuerſia, cum illi non conueniat definitio prioris natura. Itaque hæc prioritas eſt, quia Pater eſt principium à quo eſt Filius, Pater autem non eſt à Filio, ſed ſimul concipiuntur eſſe. §.123.

Tertia prioritas eſt *rationis*, quæ per ſe primo verſatur inter res ſola ratione diſtinctas, vt inter prædicata vniuerſalia & ſingularia, aut minus vniuerſalia. Atque hæc duplici ratione: primò quando fit comparatio inter vniuerſalia ſuaque inferiora; §.124.

vt

vt inter animal & hominem, quæ prioritas dicitur *in ſubſiſtendi conſequentia*, vniuerſale enim prius dicitur, vel quia prius cognoſcitur, vel quia ab illo ad ſingulare non valet conſequentia: valet autem à ſingulari ad vniuerſale, vt hæc non valet, *eſt animal, ergo eſt homo*, valet autem *eſt homo, ergo eſt animal:* atque hæc conſequentia non modo de actuali exiſtentia, ſed de ipſa eſſentia etiam in conceptu, & apprehenſione noſtra debet intelligi. Ponamus enim omnia animalia neceſſariò exiſtere, adhuc eſſet vera hæc doctrina, quia in conceptu quidditatiuo animalis non clauditur homo, ſecus animal in conceptu hominis.

§.125. Ratio à priori cur vniuerſale dicatur ab Ariſtotele prius quia non conuertitur conſequentia cum inferiori eſt, quia hæ prioritates conſiſtunt in dependentia, quam vna res habet ab alia & in independentia alterius: vniuerſale autem in cognitione ſui non pendet à ſingulari, nam ſine homine cognoſci poteſt animal: at particulare in cognitione ſui pendet ab vniuerſalis cognitione: propter quam dependentiam valet conſequentia ab inferiori ad ſuperius affirmatiuè in cognitione, quia qui concipit inferius cognoſcit neceſſariò ſuperius: non tamen valet à ſuperiori ad inferius; quia cognito ſuperiori non cognoſcitur neceſſariò inferius, itaque cognitio de homine pendet à cognitione de animali, non è contra. Quapropter hæc eſt prior illa in conſequentia ſubſiſtendi in intellectu. Item homo pendet ab animali in exiſtentia phyſica, ideſt, non poteſt eſſe abſque conceptu animalis: animal verò poteſt abſque homine. Vnde in ſubſiſtendi realiter conſequentia homo pendet ab animali, & eſt poſterius.

§.126. Secundo contingit hæc prioritas inter conceptus æquè vniuerſales, aut ſingulares, ſed quorum alter ſit alterius ratio, radix, aut origo. verbi gratia: in diuinis intellectio eſt ratione prior volitione, & in nobis admiratiuum priùs riſibili, quia primus apprehãdimus Deum cognoſcentem, quàm amantem, vbi etiam valet ſubſiſtendi conſequentia ab vno ad aliud, ſed non è contra, vt hæc valet. *Deus amat, ergo cognoſcit:* hæc autem non eſt formalis, *Deus cognoſcit, ergo amat:* quia amor non ſequitur neceſſario ex cognitione (loquor circa res creatas). Ratio, ob quam hæc ſunt priora ratione, eſt, quia vnum noſtro modo concipiendi eſt principium, à quo pendet aliud: non è contra: vnde in propoſitione cauſali, id quod dicitur prius, redditur pro ratione poſterioris, poſterius autem non redditur pro ratione prioris, vt hæc eſt bona cauſalis, *quia Deus vult mundum exiſtere. videt illum exiſtere:* hæc autem eſt mala: *quia Deus videt mundum exiſtere, vult illum exiſtere:* quo præcisè conſtituitur prioritas rationis; ſiue conſequentia valeat à priori ad poſterius, ſiue non.

§.127. Quarta prioritas eſt naturæ; quam in omni cauſa intercedere manifeſtum eſt; qualis autem hæc ſit oportet ex Ariſtotele monſtrare quinto metaphyſicæ cap. 11. *Quædam verò* (inquit) *ſecundum naturam & ſubſtantiam* (priora, & poſteriora dicuntur) *quæcumque contingunt abſque aliis eſſe, iſta vero ſine illis minimè.* Vnde infertur apertè, ad prioritatem naturæ requiri, vt id, quod eſt prius, poſſit eſſe ſine poſteriori, & poſterius non ſine priori, id eſt, vt id, quod dicitur prius, ſit cauſa poſterioris, non verò è contra poſterius ſit cauſa prioris, vnde commune eſt adagiũ inter philoſophos ex Ariſtotele ſumptũ *inter prius, & poſterius natura non valere conuertentiam*, ſeu ſubſiſtendi conſequentiã; quod ex Ariſtotele adducit P. Vazquez ſupra diſp. 167. n. 3.

Quapropter neganda eſt mutua cauſarum dependentia, tum, quia cauſa eſt natura prior effectu, & ab illo independens; tum, quia valeret conuertentia inter prius, & poſterius. Sic hanc prioritatem intelligit P. Suarez 1. met. diſp. 26. ſect. 2. num. 18. *Eſt* (inquiens) *dependentia effectus à cauſa, & independentia cauſæ ab effectu.* Quod docuit Ariſtoteles in poſtprædicamentis, cap. de modis prioris. *Videbitur autem* (aiens) *& vltra iam dictos alius quidem eſſe prioris modus, eorum enim, quæ eſſendi conſequentia conuertuntur, alterum, quod eſt cauſa quouis modo, vt alterum ſit, prius natura non incongruè dici poteſt:* & oſtendit exemplo propoſitionis veræ, quæ, cum ab obiecto in veritate dependeat, obiectum eſt independens ab eius veritate. Quod autem dicit de conuertendi conſequentia, non abſolutè loquitur, ſed ex hypotheſi, quod propoſitio ſit, *homo profectò eſt* (inquit) *ſi vera eſt ea oratio, qua hominem eſſe dicimus;* & item, *ſi ſit homo, vera oratio eſt, qua homo dicitur eſſe.* Vbi non affirmat, *ſi homo eſt: ergo oratio eſt, quæ id affirmet:* poteſt enim eſſe homo, quin talis ſit oratio, ſed ait, *ſi homo eſt: ergo vera eſt oratio, qua homo dicitur eſſe.* Semper enim vult Ariſtoteles à cauſa ad effectum ſimpliciter non eſſe conuertibilem conſequentiam: illa autem conſequentia non eſt conuertibilis ſimpliciter, eſt enim hæc mala conſequentia, *homo eſt, ergo eſt propoſitio vera de illo:* hæc autem eſt bona, *eſt oratio vera affirmans hominem eſſe, ergo homo eſt;* at verò eſt conſequentia ſecundum quid ex ſuppoſitione quod ſit propoſitio. Quo poſito conuertitur conſequentia, ſed ſuppoſitum non eſt neceſſarium.

Ac nequis exiſtimet Ariſtotelem loqui de cauſa in vno genere tantum, ſtatim in capite de modis ſimul; *Natura verò* (inquit) *ea dicuntur ſimul, quæ eſſendi quidem conſequentiam cum conuertantur, neutrum tamen vt ſit alterum, cauſa eſt.* Itaque ad prioritatem naturæ requirit, ne ſit conuertibilis conſequentia; & vt vnum ſit alterius cauſa & non è contra; & ad ſimultatem naturæ requirit, vt ſit conuertibilis conſequentia, & vt neutrum pendeat ab altero. Vnde, qui ponunt mutuam cauſalitatem, debent ponere conuertibilem conſequentiam atque ita deſtruunt prioritatem naturæ, & ponunt dependentiam vnius ab alio, per quàm deſtruunt ſimultatem naturæ, ipſi enim volunt mutuas cauſas eſſe ſimpliciter ſimul natura, & ſecundum quid vnam priorem alia, neutrũ tamen ex philoſophi doctrina aſſequuntur. §.129.

Sed obiicis 1. phyſ. cap. 3. text. 30. aſſerentem: *Sunt præterea, quæ mutuo ſunt ſibi cauſa, vt exercitium* (*id eſt* eſt cauſa) *bonæ habitudinis, & hæc* (eſt cauſa) *exercitij, at non eodem modo, ſed hæc vt finis, illud vt principium motus.* Idem ait 5. met. cap. 2. vbi admittit mutuam cauſalitatem, & conſequenter dependentiam mutuam. §.130.

Sed hic nõ admittit propriè talem cauſalitatem, ſed potius negat; ad quod aduerte, finẽ non eſſe cauſam ſecundũ ſe, ſed vt apprehenſum; ita vt ex fine, & eius apprehẽſione fiat integra cauſa, in qua finis eſt cauſa, *quæ* mouet, & terminat amorem: apprehenſio verò eſt ratio, *per quam* mouet: ſed quando finis cauſatur, cauſatur ſecundum ſuum eſſe exiſtentiæ, qui duo modi ſunt valde diuerſi; nam finis vt mouet, non cauſatur, ſed cauſat media apprehenſione, & voluntate, & vt cauſatur phyſicè, non mouet: mouet enim vt apprehenſus, & non vt exiſtens; cauſatur autem vt exiſtens realiter, finis vt apprehenſus, prior eſt natura eo, ad quod mouet: apprehenſio enim ſanitatis, prior eſt natura exercitio ad ſanitatem, ad quod mouet finis: ſic autem nunquam §.131.

quam eſt poſterior: ſanitas autem exiſtens, poſterior eſt exercitio, ſic autem numquam eſt prior. Itaque ſecundum diuerſas exiſtendi rationes eſt prior & poſterior: at verò ſecundum eamdem rationem exiſtendi, ſemper eſt prior, aut poſterior ſemper: prioritas autem naturæ debet eſſe ex méte Ariſtotelis iuxta eamdem exiſtendi rationem realem, aut intentionalem: ſecundum quam verum eſt Ariſtotelis effatum, quia ab exiſtentia apprehenſa ſanitatis ad exiſtentiam realem exercitij non valet conſequentia: neque ab exiſtentia exercitij ad realem exiſtentiam ſanitatis: valet autem è contra à ſanitate ad exercitiũ, & ab exercitio ad apprehenſionem ſanitatis. Eſt enim bona conſequentia, *eſt ſanitas, ergo eſt exercitium; eſt exercitium, ergo eſt apprehenſio ſanitatis*: hæ autem non valent, *eſt apprehenſio ſanitatis, ergo eſt exercitium; eſt exercitium, ergo eſt ſanitas*. Vnde retorqueo argumentum, quia enumerãs Ariſtoteles mutuas cauſas, nullius meminit niſi finalis & actiuæ; ratio eſt, quia vnaquæque eſt ſimpliciter prior alia in exiſtẽtia, ſecundum quam cauſat, & poſterior in ea, ſecũdum quam cauſatur. Vbi autem non reperiuntur huiuſmodi exiſtentiæ realiter diſtinctæ, non reperitur mutua cauſalitas.

§.132. Hæc prioritas naturæ eſt, vt propter eam cauſa ex natura ſua ob præciſam rationem cauſæ poſſit eſſe ſine effectu. Dixi *ob rationem cauſæ*, quia aliunde poteſt effectus neceſſariò connecti cum cauſa, vt proprietates cum eſſentia, & effectus cum potentia applicata, ſed id, teſte P. Suarez agente de cauſa actiua, (quod ad omnes cauſas extendo) non oritur ex ratione cauſæ, ſed aliunde: ita vt etiam connecteretur effectus cum cauſa, etſi ab ea non fieret, ait enim P. Suarez illa ſect. 2. num. 14. *Si interdum eſt cauſa aliqua efficiens, quæ non antecedat tempore ſuum effectum, id non eſt ex præciſa ratione talis cauſæ, ſed ex aliqua peculiari conditione.* Nam (vt inſinuaui ſupra) deficienti omni forma ſubſtantiali, eodem concurſu materia conſeruaretur, quo antea: ratio à priori eſt, quia antequam cauſa influat in aliud, ponitur habens ſuum eſſe, & pendere à ſuis cauſis, quæ non deficiunt, etiam ſi ipſa non operetur. Sit igitur firmum dogma Ariſtotelicum, à cauſa ad effectum non valere conſequentiam formalem: ſecus ab effectu ad cauſam, ſpectata præciſè ratione cauſæ & effectus.

SECTIO VII.

Enucleatur doctrina de prioritate & ſimultate naturæ.

§.133. QVoniam hæc doctrina de prioritate naturæ apprimè eſt neceſſaria Philoſophis, ac Theologis, eam oportet explicare. Prioritas dicit aliquid in recto, & connotat aliud in obliquo. In recto dicit fundamentum cauſæ, & effectus: in obliquo connotat noſtrum modum cõcipiendi cauſam & effectum. Fundamentum eſt ipſa virtus cauſæ, quæ in ſuo eſſe exiſtendi conſtituitur non quidem per effectum, ſed per alias ſuas cauſas: e.g. ſol, antequã illuminet, intelligitur conſtitutus in ſuo eſſe actuali, & ex illo oritur lux: ſol ſecundum ſe conſideratus eſt prior, ſiue eſt primum ſignum, vel inſtans rationis, quia præbet fundamentum, vt ratio noſtra verſetur circa exiſtentiam ipſius, quin tunc verſetur circa exiſtentiam lucis. Nam exiſtentia ſolis independens à lucis exiſtentia, eſt cauſa, ob quam concipiatur, quin concipiatur lux exiſtens. Quando verò concipitur lux eſt ſecundum ſignum, ſiue inſtans naturæ, vel rationis. Quod ex parte obiecti eſt ipſa exiſtentia lucis pendens ab exiſtentia ſolis: & ſicut lux ipſa in exiſtendo pendet ab exiſtentia ſolis, ita pendet in cognitione ſui à cognitione ſolis: quod genus cognitionis vocatur à *priori*, id eſt, à cauſa cognita. Huc recidit, quod communiter circumfertur. Prioritatem naturæ eſſe *prius à quo* non *in quo*: ideſt eam prioritatem eſſe entitatem cauſæ exiſtentis, à qua oritur effectus: non vero in quo, ſiue in inſtanti reali, in quo ſit cauſa, quin realiter ſit effectus.

Obiicis non poſſe concipi quidditatiuè Solem, quin concipiatur lux: quia concipi debet vt illuminatiuus. Confirmatur. Sol non poteſt exiſtere ſine luce: ergo nec cognoſci. Aduerte, Solem bifariam poſſe concipi connotando lucem: primo modo lucem ſecundum ſe abſtractam ab exiſtentia: ſic autem concipitur in caſu argumenti, ſed hoc non officit prioritati naturæ, quę eſt in ordine ad actualem exiſtentiam. Secundo modo concipitur Sol connotando lucem exiſtentem, ſic autem non eſt opus concipi ſolem, quia totam eius exiſtentiam concipimus vt principium illuminandi, quin concipiatur lux actu exiſtẽs. Et ſic Sol eſt prior natura luce, quia fundat talem modum concipiendi. Ad confirmationem reſpondetur, Solem à poſteriori pendere à luce, non à priori: ſimiliter nõ poteſt cognoſci, quin cognoſcatur lux exiſtens, ſed ſicut exiſtit poſterius Sole, quia ex illo oritur ſine dependentia Solis à luce, ita ex cognitione Solis oritur neceſſario cognitio lucis, in ſigno poſteriori naturæ: non verò in priori ſigno. Nam & ipſæ cognitiones ſunt altera cauſa alterius, effectus altera. §.134.

Vbi animaduertenda eſt ratio, ob quam dixi, cauſam ex conceptu cauſæ eſſe poſſe ſine effectu, & ab illa ad effectum non eſſe conſequentiam ex conceptu cauſæ. Quod patet ex cauſa libera, quæ, antequam intelligatur in actum ſecundũ exire, intelligitur conſtituta in actu primo potente liberè operari: ex quo actu primo non valet conſequentia ad effectum. Nam poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari & non operari, ideſt, cum illo principio ita poteſt operatio coniungi, vt etiam poſſit coniungi non operatio: quia poteſt operatio non eſſe. Cum igitur cauſa neceſſaria tam ſit indepẽdẽs à ſua operatione, quàm libera, conſequentia à cauſa ad effectum non fundatur in cõceptu cauſæ, ſed in neceſſitate cauſandi. Quo differunt cauſa libera, & neceſſaria: libera enim non fundat conſequentiam ad operationem potius quam ad non operationem: quia operatio ita ſequitur, vt poſſit non ſequi, eaque propter cauſa libera non eſt medium, vt ex illa cognoſcatur exiſtẽtia effectus, quia cauſa cognita, poteſt effectus non cognoſci, ſicut poteſt non eſſe: at verò cauſa neceſſaria fundat neceſſariò cognitionem effectus, qui cognita cauſa cognoſcitur neceſſario, ſicut & ſequitur. Prioritas ergo cauſæ liberæ eſt indepẽdentia ipſius ab effectu, cũ indifferentia ex parte ipſius ad vtramque partem contradictionis, cum qua poteſt coniungi. Vnde eſt penſanda libertas actionũ, quæ quantum eſt ex parte ſui principij, ita ſunt vt principium ipſum eſſe poſſit cum alia actione oppoſita. Vnde aduerte, cum dicimus cauſam eſſe indifferentem ad operandum in illo priori rationis, in quo intelligitur ante operationem, nõ ſumi pro actuali noſtra conſideratione. Hæc enim cum extrinſeca ſit cauſæ, parum refert, ſed ſumitur pro fundamento huius conſiderationis: quia illud talis eſt naturæ, vt ex ſe poſſit eſſe cum operatione & nõ operatione: & antequam operetur, vel omittat §.135.

operationem, intelligitur ex ſe nec petens operationem, nec carentiam illius. Hoc obſerua in ſect. 8. contra quandam opinionem Patris Vazquez.

§.136. Hic etiam aduerte, non poſſe fieri comparationem inter prius, & poſterius: niſi inter cauſam,& effectum. Quia fundamentum ſumitur ex independentia cauſæ ab effectu, & dependentia effectus à cauſa. Vnde, ſi cum cauſa vnius effectus exiſtat aliud ens, dummodo nulla ratione ſit principium illius effectus, non eſt prior conceptu illius, ſed eſt ſimul comitanter cum cauſa, & effectu: niſi forte talis res & cauſa pendeat ab vno principio indiuiſibili. Exempli gratia, vno actu indiuiſibili ratione creat Deus duos Angelos, & in eo inſtanti operatur vnus: alter non eſt prior operatione alterius phyſicè,& propriè quia nó eſt cauſa illius operationis,eſt tamen aliquo modo ratione prior,quia in illo priori antecedente operationem alterius Angeli, concipitur & alter productus à Deo, qui poteſt dici *prior negatiuè*: ſi verò eſſet diuerſis actibus vterque productus, Angelus non operans nullo modo eſſet prior operatione alterius Angeli: duæ autem res,quarum vna eſt prior altera,poſſunt fundare aliam prioritatem comparatione tertij effectus ab vtraque producti vt intellectus & præmiſſæ reſpectu concluſionis.

§.137. Deinde iſta prioritas naturæ, quæ realis eſt, id eſt, eſt entitas cauſæ, & effectus: eſt in eodem inſtanti reali. Nam comparata cauſa cum effectu reſpectu diuerſorum inſtantium realium non eſt naturæ prioritas, ſed temporis. Ita eſſe intelligendum patet ex Ariſtotele 5. metaphyſicæ,c.11.aſſerente. *Quædam verò ſecundum naturam, & ſubſtantiam* (priora, & poſteriora dicuntur) *quæcumque contingunt abſque alijs eſſe, iſta verò ſine illis minimè.* Pone autem cauſam mutationis inſtantaneæ, quæ non durat niſi per inſtans, vt productio inſtantis realis, illa non poteſt eſſe ſine ſuo principio actiuo, hoc autem poteſt eſſe ſine illa, ergo illi conuenit Ariſtotelica definitio. Sed non poteſt illi conuenire,niſi in vno inſtanti reali,ergo.Idem docuit Magnus Baſilius primo contra Eunomium longè à fine his verbis. *Nam in his priorem eſſe cauſam dicimus, poſterius verò, quod ab ipſa eſt, non interuallo hæc inuicem diſcrepantes: ſed cogitatione, prius quàm cauſatum cauſam intelligentes. Quonam igitur pacto rationem habet, ordinem in his negare, in quibus eſt prius, & poſterius non poſitione noſtra, ſed naturali quadam conſecutione?*

§.138. Nec de hac re licet philoſopho dubitare. Nam cauſæ neceſſariæ ſunt priores ſuo effectu,& tamen eodē inſtanti reali,quo Sol fuit,illuminauit. Item præmiſſæ ſunt priores concluſione, & tamen ſunt eodem inſtanti. Item cauſa libera eodem inſtanti, quo operatur,eſt prior ſua actione,quia tunc habet potentiam ad non operandum. Denique quia generatio vnius formæ prior eſt corruptione alterius, & tamen eodem inſtanti ſunt, ergo. Minor probatur, quia alioquin duæ formæ ſubſtantiales ſimul exiſterent in eodem ſubiecto:homóque idem eſſet mortuus & viuus. Quod vidi publicè defendi,eſt tamen contra communem philoſophorum ſenſum aſſerētium primum eſſe vnius formæ, eſſe primum non eſſe alterius (vt oſtendam diſp.15.) Item materia eſſet tunc in duabus ſpeciebus completis,immò, forma cadaueris conſtitueret vnum per accidens qui ex natura ſua aduenirer enti completo, licet per ſolum vnum inſtans, nam & per inſtans ſunt multæ accidentales mutationes. Nec video cur forma cadaueris cætero tempore non poſſit eſſe cum anima. Nam ſi comparatione vnius inſtantis non habent effectus formales repugnantes nec eos habebunt reſpectu ſecundi inſtantis, quod nihil mutat illarum formales effectus. Denique rem præceſſiſſe alio inſtanti reali, eſt per accidens, & extrinſeca denominatio, pugna enim eſt pro eodem inſtanti reali, pro quo vna res eſt cauſa, aut ratio alterius. Velim audire ab auctore huius ſententiæ, vtrum ſentiat idem de aſſenſu & diſſenſu, amore, & odio? quibus eſt eadem ratio. In rebus phyſicis nullus author adſtruxit, ad prioritatem naturæ exigi diuerſa temporis inſtantia.

Petrus Lorca 2. tom. in 1.2.diſp.4. de gratia. §. *Tertio dico*, hæc ait: *Et certe, ſi bene attendamus, in aliquo inſtanti peccatum, & gratia ſunt ſimul, vt aduertit Scotus in 2. diſt.37.* Vbi docet in rebus moralibus id, quod eſt poſterius,poſſe nō eſſe ſimul cum priori, nam expulſio gratiæ habitualis eſt poſterior peccato actuali, & effectus illius,& tamen quando gratia expellitur,iam peccatum actuale poteſt non eſſe: quod in primo inſtanti ſimul eſt cum gratia. Hæc ſententia ortum traxit, quia eius autor non calluit prioritatem naturæ: à cuius calumnia Scotum vindicaui in nuperis diſputationibus de iuſtificatione diſp.8. & oſtendi eam eſſe à duobus Pontificibus damnatam contra Michaëlem Baium: item eam è regione opponi non modo omnium Theologorum aſſenſui, ſed teſtimonio B. Ioannis Epiſt. 1. cap.3. & contra ſacros eius teſtimonij interpretes. Omiſſis ergo theologicis argumentis, philoſophicis contra eam agamus. §.139.

Ac primum, ſi in primo inſtanti, quo peccatum committitur, non expellitur gratia, ergo nec eam expellit in ſecundo, niſi in eo perſeueret,ergo ſemper erit peccatum actuale cum gratia. Probo primam conſequentiam: in primo inſtanti non expellit gratiam, quia opus eſt, vt prius exiſtat; ſed opus eſt vt etiam in ſecundo inſtanti prius exiſtat, vt in illo gratiam expellat, ergo eſt eadem in vtroque ratio. Probo minorem: peccatum extitiſſe in primo inſtanti non ſufficit ad expellendam gratiam in ſecundo, ergo ad hoc opus eſt, vt exiſtat peccatum in ſecundo etiam inſtanti: probo antecedens: peccatum, poſtquam exiſtit in primo inſtanti, poteſt non exiſtere in ſecundo. Immo poteſt Angelus, vel homo in ſecundo inſtanti ceſſare à peccato & elicere actum contritionis, vel ſaltem Deus poteſt in ſecundo inſtanti illi donare viſionem beatam, per quam eliciet actum charitatis: tunc autem in ſecundo inſtanti remittitur peccatum commiſſum in primo, ergo præciſè ex exiſtentia peccati actualis in priori inſtanti, non infertur expulſio gratiæ in ſecundo: ergo opus eſt vt actuale peccatum perſeueret in ſecundo inſtanti: tunc ſic: ſed in ſecundo inſtanti debet conſummari prius, quàm gratiam expellat, propter eandem tuam rationem, ergo etiam in ſecundo inſtanti deber habere exiſtentiam priorem, quàm gratia expellatur, ergo in ſecundo inſtanti erunt ſimul:idem erit de tertio, & cæteris. §.140.

Confirmatur: demus per poſſibile, vel impoſſibile,tranſacto actu in priori inſtanti, non remanere in ſecundo nec peccatum actuale, nec habituale; tunc in ſecundo inſtanti non expellitur gratia, quia tunc nulla eſt forma, à qua expellatur, quia ponitur nullum eſſe peccatum: quod autem prius fuerit, nihil refert, vt patet in phyſicis; ergo peccatum actuale in ratione actualis non expellit gratiam in ſecundo inſtanti, eo præciſè, quod extiterit in priori; ſed opus eſt,vt in ſecundo exiſtat aliquid gratiam tunc expellens. §.141.

Dices: in ſecundo inſtanti iam eſſe peccatum habituale. §.142.

habituale. Contra primò, quia manente actuali non manet habituale: vt enim in primo inſtanti non eſt habituale, ſed actuale, quia habituale eſt actuale moraliter manens, & non phyſicè, vel eſt terminus ex illo relictus, qui non relinquitur, dum eſt actuale, ita in ſecundo inſtanti eſt actuale, & non habituale propter eandem rationem, ergo actuale formaliter, vt actuale nunquam gratiam
§.143. expellet.

Contra ſecundo, vel ad expulſionem gratiæ non concurrit actuale, vt actuale, quod eſt falſum, quia demeritum formaliter in illo conſiſtit, itemque, vt actuale nullo modo opponetur gratiæ; vel concurrit in ſecundo inſtanti, tunc autem locum habet argumentum, quia gratiam expellit vt demeritum in ſecundo inſtanti, ergo in illo debet conſummari, & prius eſſe; vel ad expulſionem concurrit habituale, quod ſufficienter expellere poteſt gratiam: tunc ſic, habituale in ſecundo inſtanti expellit gratiam, ergo exiſtit habituale in ſecundo inſtāti, alioquin non expellet: ergo prius eſt habituale in ſecundo inſtanti, quàm in eo gratiam expellat, quia per te prius eſt peccatum in primo inſtanti, quia eſt demeritum, ſed in ſecundo inſtanti expellit, vt demeritū, ergo exiſtit prius, ergo ſimul cū gratia: patet ex te: ergo in nullo inſtanti expellet gratiam, quia in eo debet exiſtere prius, vel ſi habituale expellit in ſecundo inſtanti, in quo eſt primo, cur actuale nō expellit in primo ſuo inſtāti? æqualem enim oppoſitionem habet cum gratia habituale, ac actuale. Vel ſi habituale fuit in primo inſtanti cum actuali, cur tunc non expulit gratiam? eamdemque ob cauſam eam non expellit in ſecundo. Quia in ſecundo debet eſſe prius natura. Quod ſi non eſt, non habet gratia, à quo tunc expellatur: quia peccatum non exiſtens non expellit gratiam.

§.144. Secundò argumentor: cauſa phyſica in eodem inſtanti, eſt prior ſuo effectu, quia exiſtunt vtrumque, ergo & moralis. Negabis conſequentiam, quia cauſa phyſica expellens formam eſt prior expulſione in vno genere, & poſterior in alio, ſecus cauſa moralis. Secundò etiam, quia phyſica cauſa operatur ſua virtute, meritoria verò mouendo voluntatem Dei; ad quod requiritur, vt prius exiſtat. Contra, multæ cauſæ non pendent à ſuis effectibus à priori, vt Sol à luce, viſio beata ab actu charitatis: & tamen Sol, & viſio ſunt eodem inſtanti cum luce, & actu charitatis, ergo exiſtentia cauſæ cum effectu non oritur ex mutua dependētia. Confirmatur: iam admittis cauſam eſſe ſimul cum ſuo effectu: item addis, cauſam ab eodem effectu pendere. Mihi ſufficit primum, hoc autem ſecundum me adiuuat, nam ſi effectus poteſt exiſtere cum ſua cauſa, & prius illa in vno genere, multo facilius erit poſterius abſolutè: nam cauſa facilius concipitur cauſare effectum, à quo non pendet, quàm à quo pendet.

§.145. Secundo contra ſecundam rationem: eodem inſtanti, quo exiſtit cauſa meritoria, poteſt cauſare effectum, non minus quàm phyſica. Nam cauſare meritoriè eſt mouendo intellectum, & voluntatem Dei ad pœnam, vel præmium, ſed eodem inſtanti poſſumus Deū ita mouere: ergo. Minor probatur, quia eodem inſtanti, quo exiſtit meritum bonum, aut malum, videtur à Deo; id enim negare nullus audebit, quia vt res cognoſcatur, non eget temporis prioritate. Item eodem inſtanti Deus ſibi placet, aut diſplicet in obiecto, quia illi actus, vel neceſſariò ſunt, vel ſaltem poſſunt in eodem inſtanti: nam Deus vnico inſtanti habet omnes ſuos actus, alioquin eſſet ſucceſſio, & infinita diſtantia. Item eodem inſtanti potuit velle gratiam deſtruere, itaque omnes actus cauſæ moralis poſſunt eodem inſtanti reali exerceri, ſicut & phyſicæ cauſæ, vt patet in augmento gratiæ dato iuſtis eodem inſtanti, quo bene operantur.

Confirmatur hoc argumentum: nam contritio eſt cauſa moralis, & meritoria infuſionis gratiæ, & tamen eodem inſtanti reali eſt infuſio gratiæ, & contritio, ergo cauſa moralis eodem inſtanti infert ſuum effectum; ſed expulſio gratiæ eſt effectus moralis peccati, ſicut infuſio eſt effectus contritionis, ergo ſunt ſimul eodem inſtanti. Doctrinā hanc de contritione non admodū conſequenter traditur à Lorca diſp. 38. §. *Hac ſententia*, & §. *Ad argumenta denique*. Contra quem eſt ipſius argumentum, & auctoritas Scoti, adducta à me §. 139. Dices peccatū fieri à ſolo homine, contritionem autē præcipuè à Deo Contra: fiat à quo volueris, vtrumq; eſt cauſa moralis, vtrūque eſt meritum: vtrumq; eſt prius in homine. Deinde vtrūq; videtur, & afficitur præmio, aut ſupplicio, & de vtroque dicitur verè, *prius homo meretur, quàm aut donetur, aut priuetur gratia*. §.146.

Igitur omnis cauſa eſt in eodem inſtanti reali cum ſuo effectu. Vnde colligi videtur, obiecta, quæ non exiſtunt eodem inſtanti, quo exiſtunt actus circa illa, non eſſe priora natura ſuis actibus. Nam ex Ariſtotele valet conſequentia à poſteriori natura ad prius: at ab actu ad exiſtentiam obiecti non valet conſequentia, ergo actus non eſt natura poſterior obiecto. Ad quod aduerte prioritatem, & poſterioritatem ex parte obiecti eſſe cauſam, & eius effectum: ſi igitur cauſa intentionaliter tantum, & non phyſicè influit in effectum, prioritas eſt intentionalis, & non phyſica: ſi autem eſt cauſa moralis, ſimiliter prioritas erit moralis, at in eo genere, in quo eſt cauſa pro aliquo inſtanti, in eodem eſt prior pro eodem: exempli gratia, ego ſcio hominem cras moriturum: mors craſtina eſt prior obiectiuè pro craſtina die, quam mea ſcientia: quia hæc pendet à morte, mors autem non à ſcientia. Ideo enim ego ſcio mortem, quia mors erit, priuſque ponitur exiſtens, quæ exiſtentia eſt intentionalis cauſa meæ ſcientiæ: licet mea ſcientia tempore ſit prior, nam eſt prior, quia non pendet ab influxu phyſico mortis; eſt poſterior, quia ponitur mors futura in ratione obiecti, ſiue ad terminandum actum. Prioritas phyſica ſemper infert cauſam, & effectum ſimul, quia phyſicus influxus pendet ab exiſtentia: prioritas verò intentionalis abſtrahit à ſimultate temporis, quia non eſt per phyſicum influxum. §.147.

Simultas tot modis dicitur, quot prioritas. *Rationis*, quando duo cognoſcuntur ſimul ſine dependentia vnius ab alio. *Temporis*, quando exiſtunt in eodem inſtanti. *Natura* verò ſimul ſunt dupliciter: primò negatiuè, quando duo exiſtunt eodem inſtanti reali, vel dependenter ab vno tertio principio ſine dependentia inter ſe, vel independenter ab vno tertio & inter ſe, quæ ſimultas dici poterit *negatiua*: alio modo quando duæ res coniunguntur ad cauſandum aliquem effectum: tunc ſunt ſimul natura poſitiuè, quia prius natura eſt cauſa, ergo quæ ſunt ſimul natura, ſunt duæ cauſæ ad effectum, idem enim eſt *ſimul natura*, quod duæ cauſæ ſimul potentes vnum effectum, & licet vna cauſa in ſuo eſſe pendeat ab alia, & ſit poſterior, quàm illa, tamen poteſt cum illa conſtituere ſecundam prioritatem naturæ ad tertium effectum. Nam poteſt eſſe effectus vnius rei, & ſimul cum illa eſſe cauſa alterius: vt præmiſſæ ſunt effectus intellectus §.148.

illóque poſteriores, & ſimul cum illo ſunt cauſa concluſionis, & illa priores.

§.149. Rogas, vtrum cauſa vt actu cauſans, ſit prior natura, quàm effectus? An ſimul? Nollem quæſtionem eſſe de nomine, vt litem componamus, nomina expendemus. Certum eſt actionem actualem non conſtitui prius in ſuo eſſe, quam terminum producat, quia eius eſſentia eſt eſſe actualem termini productionem: quo differt à cauſa in actu primo, quæ non conſtituitur niſi per potentialem productionem. Hinc infertur, eſſe conuertibilem conſequentiam inter actionem & terminum, quia terminus exiſtit terminando actionem, & actio exiſtit tendendo in terminum. Deinde infertur, neutrum eſſe prius ratione, quia terminus non poteſt concipi, vt poſterius cauſa, niſi ab illa pendens per cauſalitatem, nec hæc concipi poteſt, niſi dando eſſe termino à cauſa.

§.150. Ex his rectè colligitur actionem non eſſe abſolutè priorem natura termino, quia illi deficiunt conditiones ab Ariſtotele aſſignatæ. Aliunde verò dubitari non poteſt, quin actio ſit ratio, ob quam terminus exiſtit, quia ideo exiſtit, quia actualiter producitur; terminus autem non eſt ratio productionis, non enim ideo actio exiſtit, quia terminus exiſtit, quamuis non poteſt ſine illo exiſtere: omnis autem ratio reddita, in propoſitione cauſali ſignificat prioritatem aliquam, quam non impediri ſimultate cognitionis, & coëxiſtentiæ, patet in diuinis proceſſionibus. Dico, terminum, & actionem eſſe adæquatum ſignum poſterius natura reſpectu ſuæ cauſæ: at actionem eſſe priorem aliqua prioritate naturæ imperfectæ reſpectu ſui termini.

§.151. Quod ex Ariſtotele colligo in poſtprædicamentis c. *de modis ſimul*, his verbis. *Simul igitur dicuntur natura ea, quæ in eſſendi quidem conſequentia conuertuntur, nullo tamen pacto alterum cauſa eſt, vt alterum ſit*: ergo ex ſententia Ariſtotelis, ſi alterum aliquo pacto eſt cauſa, vt alterũ ſit non erunt ſimul natura: at actio aliquo pacto eſt cauſa ſui termini, quia eſt ipſiſſima ratio formalis, per quam producitur, vt albedo eſt cauſa albi. Confirmatur indidem ex c. de modis prioris. *Videbitur autem, & vltra iam dictos alius quidam eſſe prioris modus: eorum, quæ eſſendi conſequentia conuertuntur, alterumque eſt cauſa quouis modo vt alterum ſit prius natura, non incongruè dici poteſt.* Dixit *quouis modo*. vnde cum aliquo modo actio ſit cauſa, vt ſit terminus, non incongruè dici poterit prior natura. Et quamuis exempla ab Ariſtotele adducta non quadrent in actionem, tamen doctrina quadrat. Nec hæc aduerſantur dictis §. 127. ibi enim ago de prioritate naturæ perfectè, & ſimpliciter, in qua non eſt conuertibilis conſequentia: in quem finem explicui hoc teſtimonium, hic autem loquor de imperfecta, quam non incongruè, & vltra iam dictos modos vocat Ariſtoteles, non tamen ſimpliciter: imitatúrque hæc prioritatem originis.

§.152. Infero ex dictis, non omne, ſine quo aliud eſſe non poteſt, eſſe prius illo, nam animus non poteſt eſſe ſine potentiis, non tamen potentiæ ſunt priores natura animo.

§.153. Infero ſecũdo, omnem cauſam eſſe natura priorem ſuo effectu: de finali iam dixi §. 130. de materiali in diſput. 2. de efficienti res eſt clara, de formali ex mea ſententia liquet, quia forma materialis non pendet à materia per vnionem, ſed per generationem paſſiuam, quæ eſt natura prior vnione. Quapropter de quauis forma philoſophor proportione ad animum rationalem, quia ſicut huius creatio natura præcedit vnionem, ſic & illarum generatio. Qui verò dicunt materialem formam pendere per vnionem, nequeunt defendere illius abſolutam prioritatem, nec reſpectu vnionis, nec compoſiti. Cuius impugnatio ſumitur ex dictis, & ex illatione, quàm verò difficile defendatur vide in P. Suarez illa ſect. 2.

Rogas, vtrum cauſæ in eſſe poſſibili ſint inuicem cauſæ? §.154. Dupliciter conſidera eſſe poſſibile. Primo in ordine ad exiſtendum, ſic autem eamdem prioritatem retinent in eſſe poſſibili, quã in actuali, quia quę exiſtunt, quo ordine exiſtunt, erant poſſibilia exiſtere: nam & iſta prioritas poſſibilis erat, nec in hoc ſenſu reperitur mutua cauſalitas, quia non eſt poſſibile vt exiſtant ſe actu mutuo cauſando: alio modo intelligi poteſt dependentia, & prioritas poſſibilis, non comparando duas res ad ordinem, quem ſeruare petunt, cum exiſtunt, ſed ad ipſam poſſibilitatem ſecundum ſe, verbi gratia, vtrum eſſet poſſibilis intellectus, ſi non eſſet poſſibilis intellectio? Et primum hîc propriè nulla prioritas ſimpliciter reperitur, ſed ſecundum quid, quia illa petit actualem exiſtentiam.

Deinde in multis reperitur prioritas, & poſterioritas rationis. §.155. Nam obiectum concipi poteſt ſine cognitione de illo, ſecus cognitio, quin connotetur obiectum. Secundo in primariis conceptibus poteſt reperiri, verbi gratia, non eſt de primo conceptu caloris calefacere, quia eius eſſentia concipitur in ratione qualitatis igneæ. Tertio in ipſa ſubſtantia rei adæquatè cõſiderata poteſt eſſe mutua depẽdentia. Nam calor non eſſet poſſibilis niſi eſſet poſſibilis calefactio, quia calor per ſuam entitatem eſt principium illius. Quarto in rebus per ſe primò ordinatis ad agendum, datur mutua dependentia, & in cognitione, & in eſſe: quia nec vitalem actum concipere poſſumus non concipiendo potentiam, nec potentiam non connotando actum (vt enim ſupra attuli ex S. Thoma) actus eſt finis potentiæ, & potentia principium actus. Vnde hæ ſunt veræ propoſitiones, *quia eſt poſſibilis actus, eſt poſſibilis potentia & quia eſt poſſibilis potẽtia eſt poſſibilis actus*, nec hoc eſt inconueniens, quia non eſt ſimpliciter mutua cauſalitas, ſed ſecundum quid.

SECTIO VIII.

Sit ne mutua cauſarum dependentia?

DE dependentia à poſteriori non dubito, quin materia pendeat à forma etiam accidentali. §.156. De dependentia à priori probatum eſt ſupra, cauſam finalem eſſe cauſam efficientis, & efficientem finalis. Vide §. 131. Difficultas eſt, vtrum duæ cauſæ ſecundum eamdem exiſtentiam realem poſſint inuicem eſſe cauſæ?

Affirmant ex Neotericis nonnulli non indocti. §.157. Primum: quia id nullum cenſetur inconueniens, nec ratio adducitur vlla, ob quam oppoſitũ queat oſtendi, præcipuè cum ſit axioma commune, *cauſas eſſe inuicem cauſas in diuerſo genere cauſæ*. Secundò, quia generatio recipitur in termino, à quo pendet in genere cauſæ materialis, & terminus pendet ab illa in genere cauſæ efficientis, idque confirmant creationis exemplo, quæ, cum modus ſit, neceſſario ineſt ſubiecto; nulli autem præter terminum, ergo.

Huic parti numquam adhæſi, ſecutus P. Suarez, §.158. tom. 1. metaphyſi. diſp. 15. ſect. 8. numero 20. & 27. ſect. 2. quod ſequuntur Scotus, Gregorius, Henricus, Aureolus, & alij apud P. Suarez, ea diſp. 15, ſect. 8.

ſect. 8. num. 5. vt patet ex fundamento ſententiæ, quam ibi ſequuntur: eſtque hæc ſententia magis communis, ac probatur. Primùm, quia tale cauſandi genus reiicit Ariſtoteles: aſſignans enim ſupra mutuas cauſas, ſolius efficientis meminit, & finalis, & ex ordine, quo ipſe aſſignauit prioritatem naturæ, colligitur manifeſtè. Quia prior natura eſt cauſa effectu, & ex cauſa ad effectum non valet conſequentia; valet autem ab effectu ad cauſam, vnde in ſententia, quam impugno, conuertibilis eſt conſequentia, quia cauſa eſt effectus ſui effectus. Item ex hac ſententia dicendum eſt, mutuas cauſas eſſe ſimpliciter *ſimul*, & neutram ſimpliciter eſſe altera priorem, quem modum *ſimul* non agnouit Ariſtoteles ſupra agens de modis *ſimul*.

§.159. Secundo: quia cauſa materialis, & formalis non ſe cauſant mutuo, vt ſupra probaui, item neque efficiens cum materiali, aut formali: ergo.

§.160. Tertio: quia cauſa prius, ſaltem ratione, aut natura ponitur ad cauſalitatem, per quam cauſat, ſed, ſi mutuo cauſantur, non poteſt ita poni: ergo. Maior probatur ex dictis ſectione 6. & ratione, quia entitas creata prius intelligitur habere ſuum eſſe in ſe, quàm illud alteri communicare, & prius intelligitur proximè potens, quàm actu cauſans, quia potentia proxima eſt ratio, ob quam cauſat actu, quod adeò verum eſt, vt inde ſit ortum commune adagium, *actiones ſunt ſuppoſitorum*: quia ſuppoſitalitas eſt vltima naturæ perfectio, quæ donec naturæ adueniat, non intelligitur natura operans, quia prius res in ſe perficitur, quàm ab ea aliquid fluat. Denominationes autem tribuuntur vltimæ formæ, quæ ad eas requiritur (vt vidimus diſp. 6. ſect. 2.) ea de cauſa actiones tribuuntur ſuppoſitis, quia ſunt vltimæ formæ complentes naturas, requiſitæ ad operandum. Minor probatur: quia, ſi mutuo cauſantur: ergo cauſa *A*, verbi gratia, non eſt prior cauſalitate, per quam cauſatur à cauſa *B*. quia effectus non eſt prior cauſalitate, qua fit: ergo nec eſt prior cauſalitate ſua, quia hæc non eſt prior, quàm cauſa *B*. ſed cauſa *A*, non eſt abſolutè poſterior, quàm *B*, in hac ſententia: ergo neque cauſalitas cauſæ *A*, eſt abſolutè poſterior, quàm ipſa cauſa *A*.

§.161. Dicunt, duas res ſimul eſſe poſſe, vnam priorem altera in vno genere, & poſteriorem eadem in diuerſo, quæ tamen ſimpliciter ſunt *ſimul*: vnde aiunt bene probare argumentum, non poſſe eas mutuo eſſe cauſas in eodem genere, non tamen in diuerſo. Verum hoc genus *ſimul* eſſendi reieci, ſect. 6. vt alienum à philoſophia, philoſophorum principi ignotum. Prætereа ſic argumentor; cauſa efficiens, verbi gratia, eſt prior in genere cauſæ efficientis ſuo effectu: ergo ſimpliciter eſt prior. Probatur conſequentia, quia eſſe priorem in genere cauſæ efficientis, eſt potentiam & virtutem actiuam, præſupponi eo pacto, quo eſt prius, & præſupponi in genere cauſæ actiuæ, eſt præſupponi ad agendum: ſed id, quod præſupponitur ad aliud in aliquo genere, eſt illo ſimpliciter prius: ergo id, quod eſt prius in aliquo genere, eſt ſimpliciter prius, & non poſterius. Probatur minor, quia id, quod præſupponitur, præſupponitur vt exiſtens, & conſequenter præſupponuntur omnes cauſæ, à quibus pendet in exiſtendo, qua enim ratione effectus præſupponitur exiſtens, niſi cauſæ talis exiſtentiæ præſupponantur? Si enim non præſupponuntur exiſtere cauſæ, quomodo intelliguntur cauſaſſe, aut ab illis effectum fluxiſſe? at inter cauſas efficientis cauſæ, non præſupponitur effectus à tali cauſa procedens, alioquin vt eius cauſa actiua eſſet prior in genere cauſæ efficientis ipſo effectu, ita ipſemet effectus deberet præſupponi, quod nequit intelligi: ergo effectus cauſæ non præſupponitur in ſerie cauſarum ipſius cauſæ: quia talis effectus præſupponeretur exiſtens à cauſa efficienti: hæc autem eſt ipſamet res, ad cuius productionem ipſe ſupponitur. Exempli gratia, ſi forma eſſet cauſa materiæ; materia, antequam materialiter cauſet actu, intelligitur exiſtens extra omnes ſuas cauſas, quarum vna eſt forma: ergo præſupponitur forma: ergo præſupponuntur omnes cauſæ formæ, extra quas intelligitur forma; ſed vna ex his cauſis eſt materia ipſa: ergo materia ſupponitur ante formam: ergo materia ſupponitur ante ſe ipſam, quod repugnat.

Confirmatur primo, verbi gratia, ſi calor eſt cauſa productiua formæ ignis, & hæc eſt ſubiectum caloris, non poteſt calor intelligi producens formam ignis, niſi ipſe intelligatur productus eſſe, quia debet intelligi vt exiſtens, at non intelligitur tunc in illo priori, quo præſupponitur, niſi vt exiſtens in ſubiecto, quia eſt accidens, vtque tale concipitur, rogo ante quam intelligatur agere, cui ſubiecto intelligatur inhærere? non formæ, quam producit, quia cum hæc nondum intelligatur producta, non poteſt intelligi vt affecta calore, ergo implicat intelligere vnam rem priorem alia in vno genere cauſæ, & eam non intelligere, vt ſimpliciter priorem, nullóque pacto poſteriorem ſuo effectu. §.162.

Confirmatur ſecundo: calor ille ſimpliciter eſt natura prior actione, qua ignem producit, ergo ſimpliciter eſt prior ipſo igne: antecedens patet, quia actio à calore dependet, & calor non pendet ab ea actione, neque per eam, ergo calor ſimpliciter eſt prior illa actione: hæc conſequentia patet ex ſect. 6. primam conſequentiam probo, quia ignis non eſt prior illa actione, ſed ſimul re, natura abſoluta, & ratione, ergo quidquid eſt præſuppoſitum illi actioni, præſupponitur & illius termino. §.163.

Pater Vazquez tom. 2. 1. 2. diſp. 211. num. 8. docet, res quæ ſunt cauſæ eſſe poſſe inuicem cauſas, & vnam in vno genere eſſe priorem altera, & alio poſteriorem: cæterum cum inuicem diuerſa comparamus in aliquo ordine inter ſe, non debemus comparare vnum genus cauſandi cum alio genere, nam diuerſa genera cauſandi non habent ordinem inter ſe prioris & poſterioris, ſed res quæ ſunt cauſæ, loꝰ cum habent in ſuo genere cauſandi, & ita ea, quæ ſunt in vnoquoque ordine cauſæ, inter ſe debemus conferre, verbi gratia, non debemus conferre cauſalitatem efficientis cum cauſalitate materiæ, quia vna cum alia non habet ordinem, neque vna eſt altera prior, neque enim prius eſt efficere, quod eſt ex parte efficientis, quam pati, & recipere, quod eſt ex parte paſſi, ſed comparari debent ea, quæ ſunt in quouis ordine, inter ſe, nempe ea, quæ ſunt ex parte efficientis ad agendum, ita debent inter ſe conferri, vt videamus quid nam ſit prius in eo genere? & quid poſterius? hoc eſt, quid prius alio conducat ad genus efficiendi? Hæc P. Vazquez, quibus mouetur ad affirmandum, gratiam habitualem concurrere efficienter ad productionem contritionis in homine peccatore, & contritionem eſſe diſpoſitionem ad infuſionem eiuſdem gratiæ. §.164.

Verum (ni fallor) hæc doctrina P. Vazquez reluctatur doctrinæ, quam ex ipſo retuli ſect. 6. §. 127. quam ipſe prima parte deſumpſerat ex Ariſtotele, illud ſcilicet eſſe prius natura, quod poteſt eſſe ſine poſteriori, at vero mutuæ cauſæ non poſſunt eſſe vna ſine alia, eſt enim mutua conſequentia inter vtramque. §.165.

§.166. Deinde, id quod aſſerit, vnum genus cauſandi non debere cum alio conferri, verum eſt, quando neutrum ab altero pendet, vt patet exemplis, quia quantitas, & extenſio, aliáque huiuſmodi conferunt ad cauſalitatem materialem, receptionémque ignis *B*. exempli gratia. Item calor,& ſiccitas conferunt ad cauſalitatem actiuam,ignis *A* producentis, nec tamen prior eſt quantitas, nec poſterior in materia patienti, quam calor in igne *A* producente, quia neque ille calor pendet ab illa quantitate, neque illa quantitas ab illo calore. Itèm omnes diſpoſitiones, ex parte materiæ primæ non ſunt priores natura phyſicè influentes animo rationali, neque animus eſt prior illis diſpoſitionibus, quia nec materia pendet à forma rationali, neque hæc à materia, ſed debet fieri comparatio inter ea, quæ ſunt eiuſdem ordinis vſque ad vnum primum in tali ordine.

§.167. Cæterum hæc doctrina falſa eſt, quando totus vnus ordo cauſandi pendet ab altero: licet enim in vnoquoque ordine ſiſtendum ſit in vno primo in tali ordine,tamen, ſi totus ille ordo pendet ab alio ordine & genere cauſandi, non minus debet fieri comparatio inter illos duos ordines,quàm inter res ordinis eiuſdem,verbi gratia, forma materialis accidentalis, vt quantitas, eſt primum principium formale, in genere cauſæ formalis accidentalis, habétque ſuas diſpoſitiones,& conditiones præ requiſitas ad cauſalitatem formalem,in quo genere, cum quantitas ſit primum principium, eſt in ipſa ſiſtendum. Item materia prima eſt primum ſubiectum, & materialis cauſa compoſiti eiuſdem accidentalis, in qua ſiſtitur in ordine, & genere cauſalitatis materialis. Quis dubitet illam cauſam formalem accidentalem, & omnes eius diſpoſitiones, & conditiones à materia pendere, etiam vt eſt cauſa formalis,quia vt accidens materiale eſt, à materia dependet?Comparatio enim fit prioris & poſterioris, inter ea,quæ dependent,ad ea,à quibus dependent: quod ſi totum vnum genus ab alio dependet, inter illa duo genera reperitur prioritas naturæ. Item calor exiſtens in homine eſt principium actiuum alterius caloris. Cum ergo virtus actiua caloris ab hominis materia dependeat,cur non fiet comparatio inter actionem caloris, & inter dependentiam, quam habet à materia, cum hæc ſit cauſa illius, & non è contra? Ratio à priori ſumitur ex §.133.quia prioritas dicit ex parte obiecti fundamentum,quod eſt vis cauſatiua: vbi ergo reperitur vis cauſatiua alicuius effectus, in eodem, vel diuerſo genere, reperitur fundamentum prioritatis. Vnde maneat, rem in vno genere priorem natura alia, ſimpliciter eſſe illa priorem, & nullo modo poſteriorem.

§.168. Quarto argumentor, quia, ſi duæ res ſe poſſunt mutuo cauſare in diuerſo genere cauſæ,ergo etiam in eodem: conſequens eſt abſurdum, tum quia in philoſophia eſt omnino inauditum, & ab omni philoſopho negatum; tum quia nulla interueniret naturæ proprietas inter cauſam, & effectum. Nam inter cauſas caloris,exempli gratia, numeratur efficiens, quæ eſt ignis, & inter cauſas ignis numeratur calor illum efficiens; vel ergo nulla eſſet prioritas, vel idem eſſet prius ſe ipſo in eodem genere: ſequela probatur, quia ſi materia pendet à forma, verbi gratia, ergo forma verè influit, éſtque vera cauſa materiæ, ergo materia vt exiſtat, requirit formam exiſtentem, ad quam exiſtentiam ſufficit, formam ſimul eſſe cum materia, licet aliquo modo ſit forma poſterior quàm materia. Sicut ergo forma poteſt verè cauſare materiam, à qua ipſa forma cauſatur, cur duæ cauſæ efficientes non ſe mutuo cauſabunt?Quia forma non eſt minus cauſa, neque minus exigit exiſtentiam neque prioritatem, ergo.

Quarto, quia idem eſſet cauſa ſui ipſius: proxima quidem,& immediata in eorum ſententia,(quæ eſt aliquorum ex aduerſariis,) qui aiunt eam eſſe cauſam propriam, & immediatam, à qua pendet immediata ratio cauſandi, vide quæ dixi ſect.4. vel erit cauſa remota ſui ipſius eodem modo, quo ignis eſt cauſa caloris producti à calore exiſtente in ipſo igne. Quod ſufficit ad conſtituendum tale genus cauſæ,quale ſufficit ad realem diſtinctionem inter effectum & cauſam remotam. Nam ſi Spiritus ſanctus produceretur à ſolo Filio immediatè,& non à Patre; adhuc Pater diſtingueretur à Spiritu ſancto, ſolum quia eſſet principium remotum ipſius: ergo ſi calor eſt principium formæ, & hæc ſubiectum caloris; calor erit principium remotum ſui; & diſtinguetur à ſe ipſo. §.169.

Ad primum ex §.157. iam conſtat de abſurdis. Cauſæ autem poſſunt eſſe mutuo cauſæ,vna à priori, altera à poſteriori; non tamen vtraque à priori. Ad id de generatione patebit diſputat.11. eam recipi in ſubiecto, in quo recipitur eius terminus, & non in ipſo termino. Creationem verò probabo diſputat.12. vel non inhærere termino, ſed per ſe ſubſiſtere, vt *quo*, vel à termino nequaquam diſtingui. §.170.

Quod verò ex Patre Vazquez retuli §.164. de prioritate gratiæ reſpectu contritionis, eſt difficilius: tum quia contritio eſt moralis diſpoſitio, quæ præuidetur liberè exiſtens, antequam intelligatur mouere ad præmium;ergo in illo priori ſupponitur principium actiuum à quo liberè producitur, ſed non ſupponitur gratia habitualis,quia hæc eſt præmium poſterius natura dandum, ergo ſupponitur aliud principium: tum etiam, quia principium contritionis de ſe eſt indifferens, vt ſit cum contritione, vel ſine illa quia liberè oritur ab illo, ſed gratia habitualis in eo inſtanti non eſt indifferens ad exiſtendum ſine contritione, ergo non eſt principium illius. Minor probatur, quia gratia habitualis in eo inſtanti datur ob contritionem,quia ab illa pendet, & exiſtit ex ſuppoſitione contritionis:ſed ex hac ſuppoſitione gratia non eſt indifferens ad carentiam contritionis, ergo in eo inſtanti non eſt indifferens: Item gratia habitualis non poteſt cum peccato componi ex natura rei, poſſet autem,ſi eſſet principium indifferens contritionis: quia poteſt non eſſe contritio, tunc autem peccatum maneret cum principiis ad contritionem, de quo egi in 1.2.q.113.diſput.13. Nec magis placet, quod dicit actionem eſſe priorem ex parte agentis, non verò receptionem, ſed expulſionem veteris formæ ex parte patientis. Nam agens habet formaliter actionem eductiuam, ergo ſi prius agit, agit educendo ex ſubiecto, ergo in illo priori intelligitur receptio ſubiecti, quia eductio eſt receptio illius(vt oſtendam diſput.11.)Item ſubiectum ideò deponit formam veterem, quia recipit nouam, de quo recidet ſermo lib.de generatione. §.171.

SECTIO IX.

Cauſarum diuiſio.

Variæ poſſunt aſſignari cauſarum diuiſiones. Aliæ quidem vniuerſaliores; aliæ verò minus vniuerſales, quas hic breuiter præſtringam, nihil curans,vtra illarum ſit immediatior? Vtra vniuoca? §.172.

Aut

Aut analoga? Neque enim eſt, cur his nugis tempus impendam. Vulgaris diuiſio eſt, quam ab Ariſtotele vniuerſi ſumpſere philoſophi, in cauſam *actiuam, paſſiuam, formalem, & finalem*: ad quæ membra cæteræ cauſæ poterunt reuocari, vt exemplar, quod ad formalem reduxit Ariſtoteles. Vel diuidi poteſt cauſa in intrinſecam, qualis eſt materia, & forma; & hæc ſubdiuidi in materialem, & formalem: & in extrinſecam, quæ ſubdiuiditur in efficientem, & intentionalem: efficiens autem ſubdiuiditur in primam, & ſecundam. Secunda verò in principalem, & inſtrumentalem. Rurſus vniuerſaliter loquendo; diuidi poteſt cauſa in cauſam realiter influentem, *actiuam*, ſcilicet, *paſſiuam*, & *formalem*: & in metaphoricè influentem, quæ diuiditur in *moralem*, & *finalem*.

§.173. Cauſa phyſicè influens eſt, *quæ realiter per ſuam entitatem exiſtentem concurrit ad effectum*, ſiue ſit cauſa phyſica, id eſt, naturalis, pertinens ad corpus naturale; ſiue ſit ſpiritalis, aut ſupernaturalis; aut vitalis. Cauſa intentionalis eſt, *à qua prodit effectus non tanquam à principio per ſuam entitatem in effectum, ſed per alienam influente*, vt finis, qui non influit per ſuam entitatem in effectum, ſed per apprehenſionem tanquam per mouendi rationem, aut conditionem; ideo dicitur *Cauſa intentionalis*, quia mouet vt obiectum, quod eſt exiſtere intentionaliter, ſiue in intellectu. Cauſa moralis duplex eſt; alia phyſicè influens per ſe, quæ eſt cauſa libera: liberum enim & morale idem eſſe patebit in libris de anima, de qua cauſa morali in præſenti non agitur, quia eſt idem cum cauſa phyſica.

§.174. Alio modo cauſa moralis dicitur, *quæ in effectum non influit, illi tamen attribuitur effectus, ac ſi verè influxiſſet in illum*. ita cauſa conſulens, aut imperans, eſt cauſa effectus ſic imperati, & qui videt vrbem comburendam, niſi ipſe feſtinaret ad reſtinguẽdum ignem, ſi non feſtinauit, cum deberet, & vrbs deflagrauit, dicitur cauſa incendij. Cauſa moralis ſæpe mouet medio intellectu cauſæ primæ, vt qui ſeruo imperat necem inimici; ſæpe ſine intellectu cauſæ liberæ, vt qui commouet canem in viatorem; aut non extinxit incendium. Dicitur autem cauſa moralis, quia in prudentium more, & æſtimatione perinde ſe habet, ac ſi phyſicè influeret: eaque propter illi adſcribitur effectus.

§.175. Item diuiditur in cauſam per ſe, & per accidens. Cauſa per ſe, vocis ſpectato rigore, eſt, *quæ per ſuam entitatem concurrit immediatè ad effectum*: ſicque ſola cauſa immediata eſſet cauſa per ſe: cauſa verò per accidens eſſet, *quæ non per ſe, ſed medio aliquo accidenti concurrit ad effectum*, ly enim *per accidens*, idem eſt, ac medio acidente. Sed hic vſus non eſt in vſu. Eſt igitur cauſa per ſe, *quæ eſt per ſe neceſſaria ad effectum, ita vt ſine illa effectus eſſe non poſſit*. Sic ignis, & aqua, aliæque cauſæ remotæ ſunt per ſe cauſæ calefactionis in ligno procedentis à calore in ipſis exiſtente, quia, licet calefactio adæquatè procedat à calore, ignis tamen, & aqua ſunt neceſſaria ad exiſtentiam caloris: qui natura ſua niſi in ſubiecto nequit exiſtere. Cauſa verò per accidens erit ea, *quæ ita concurrit ad effectum, vt ad illum non ſit neceſſaria*. verbi gratia, muſicus eſt cauſa calefactionis, quia homo calefaciens eſt muſicus. Equidem calecalefactio tam bene fieret ab homine non muſico, quàm à muſico, quia principium calefaciendi non eſt muſica, ſed calor. Itaque cauſa per accidens eſt, quæ habet coniunctam ſecum aliquam rationem, quæ nihil confert effectui nec mediatè, nec immediatè. Vnde quidquid requiritur ad exiſtentiam cauſæ, eſt cauſa per ſe effectus. Sic, qui tendit Toletum fratris inuiſendi cauſa, ibique pecunias accipit, fuit quidem hoc per accidens, quia ipſe non iuit Toletum pecunias recipiendi cauſa, ſed contigit eas repetere. Et qui nauim trahit, trahit quidem muſcam in naui exiſtentem, ſed per accidens, quia etſi muſca non eſſet in naui, adhuc traheretur nauis. Hanc doctrinam deſumpſi ex Ariſtotele hoc lib.2. cap.5. text. 50. Item diuide cauſam in proximam, & remotam, videatur Pater Suarez diſput.12.ſect.2.

Alia diuiſio ex inſtituto nobis eſt explicanda: §.176.
quia vtilior eſt Theologi negotio, eſt autem diuiſio cauſæ in *totalem*, ſeu *adæquatam & completam*: & & in *partialem*, ſeu *inadæquatam*, vel *incompletam*. Totalis eſt *tota ratio influendi in effectum*. Hæc autem aut eſt in omni genere cauſæ, vt in corpore naturali: cuius adæquata cauſa eſt quadruplex cauſarum genus ex Ariſtotele ſumptum: quia ad illud omnes cauſæ concurrunt. Aut eſt cauſa adæquata in vno genere cauſæ efficientis, verbi gratia; ſic autem cauſa adæquata efficiens eſt omne id, quod concurrit ad actionem eliciendam. Rurſus in genere cauſæ efficientis poteſt eſſe cauſa adæquata in vno ordine, licet non in pluribus, vt homo eſt cauſa adæquata hominis in genere, vel ordine cauſæ ſecundæ, & Deus in genere cauſæ primæ. Hoc autem genus adæquationis non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Totidem modis dicitur partialis cauſa, ſic vnum- §.177.
quodque genus cauſæ eſt partiale, quando cum illo ad eumdem effectum concurrit alia cauſa, vt materia, aut forma, aut efficiens in corpore naturali: vel ſumitur cauſa partialis in aliquo genere determinato, vt viſus eſt cauſa partialis viſionis in genere cauſæ efficientis, quia cum viſu in eodem genere concurrit ſpecies impreſſa.

Cauſa totalis dicit ex natura ſua totam virtu- §.178.
tem influendi in effectum in ſuo genere, conotando negationem influxus in eumdem effectum ab alia cauſa in eodem genere. Quare vbi reperitur cauſa influens in effectum tam efficaciter, vt influxus in eo genere ſufficiat ad exiſtentiam effectus, ex natura rei in illo genere non concurrit alia cauſa (vt latius dicam ſectione ſequenti.)

Cauſa partialis ex natura ſua connotat aliam §.179.
compartem, per quam compleatur, ac ſimul cum ea concurrat ad effectus productionem, tum quia pars dicit ordinem ad totum, & ad aliam partem, & res incompleta ſuum reſpicit complementum; tum patet inductione in quouis cauſarum genere: cauſa materialis connotat formalem, & formalis materialem; item potentia paſſiua reſpicit actiuam, à qua patitur effectum; item actiua operans cum dependentia à ſubiecto, illud connotat ex natura ſua: cauſa ſecunda efficiens reſpicit primam, & prima vt prima connotat ſecundam. Item cauſa ſecunda partialis connotat alias in eodem genere, vt potentia viſiua connotat ſpeciem impreſſam, & inſtrumentum reſpicit agens principale, cui deſeruit.

Hęc connotatio nihil eſt præter propriam cuiuſ- §.180.
que cauſæ entitatem, in ordine ad cauſandum petentem conſortium alterius cauſæ, quod conſortium illi ex ſua natura debetur, vt inductione patet exemplis adductis. Itaque cauſa partialis debet, & poteſt ex natura ſua coniungi cuicumque principio, à quo in cauſando dependet.

Dices, potentias vitales (& vniuerſim obedien- §.181.
tialem potentiam actiuam aut paſſiuam) eſſe cauſam partialem actuum ſupernaturalium, (ad quos ſupponuntur immediatè concurrere,) & tamen ex

natura ſuâ non petunt compleri per auxilium ſupernaturale: quia petere ex natura ſua, & poſſe ex natura ſua, idem eſt omnino; ergo cauſa partialis non dicit ordinem ad compartem.

§.182. Huius difficultatis enodatio; ſcopus eſt tota hac ſectione intentus. Potentia vitalis naturalis ſi conſideretur ſecundum ſuam intrinſecam rationem, nullum dicit ordinem, nec reſpectum ad actum ſupernaturalem. Nam, ſi illum diceret, eſſet connaturalis cauſa actus ſupernaturalis, at verò coniungendo potentiam vitalem cum auxilio ſuſupernaturali, illa reſpicit actus ſupernaturales, vt potentia, vel obedientialis, vel principalis, quia tunc iam conſideratur, vt connotans comprincipium ſupernaturale, per quod compleri poſſit. Ad quod aduerte, in cauſa partiali duo reperiri: primum connotare principium, & petere, & poſſe cum illo coniungi: ſecundum, coniunctam iam cum illo, operari, aut proximè poſſe operari, numquam enim intelligitur potens cauſare cauſa partialis, niſi coniuncta cum alia comparte, & pro maiori, vel minori diſtantia coniunctionis vtriuſque cauſæ, dicitur proximè, aut remotè potens.

§.183. Cauſæ partiales connaturales ſunt ex natura ſua dicendæ partes ſimpliciter: quia ex natura ſua coniunctæ cum aliis partialibus cauſis poſſunt cauſare effectus, & petunt talem coniunctionem. Species enim impreſſa vnita oculo poteſt viſionem elicere, & petit talem vnionem cum oculo, ita vt ille reſpectus ad oculum ſit eſſentialis ſpeciei, quæ natura ſua eſt coniunctiua lucis cum oculo, ſine quo reſpectu comprehendi non poteſt: immo nec quidditatiuè cognoſci in ratione ſpeciei viſiuæ. At verò potentia vitalis, licet coniuncta cum auxilio ſupernaturali queat actum ſupernaturalem elicere, non tamen petit neque ex ſe connotat talem coniunctionem: quia in ea nullus reperitur intrinſecus reſpectus ad compartem ſupernaturalem, cum ſine tali reſpectus poſſit ab Angelo comprehendi. Itaque potentia naturalis, quia ex natura ſua petit coniungi alij cauſæ partiali, eſt ſimpliciter cauſa partialis: quia verò potentia vitalis non petit ex ſe coniunctionem cum cauſa partiali ſupernaturali, non eſt ſecundum ſe, ſimpliciter cauſa partialis.

§.184. Dices, potentiam vitalem poſſe ex natura ſua coniungi cum ſupernaturali auxilio: quia de facto illi coniungitur: ergo illud reſpicit intrinſecè ex natura ſua. Reſpondeo, illam coniunctionem potentialem eſſe extrinſecam denominationem in potentia vitali, & non intrinſecam: ex eo enim, quod Deus vt ſupernaturalis auctor poteſt coniungi cum potentia vitali, hæc denominatur potens coniungi: ſed hæc potentia intrinſecè in Deo eſt, & in potentia vitali extrinſeca, vt color eſt viſibilis à potentia viſiua. quæ viſibilitas in obiecto eſt extrinſeca denominatio: intrinſeca verò oculis.

§.185. Dices, potentiam in actum vitalem non concurrere per ſolam extrinſecam denominationem, ſed per virtutem intrinſecam, quia actio vitalis ſupernaturalis, eſt actus ſecundus realis; qui intrinſecè ſupponit primum. Reſpondeo potentiam vitalem coniunctam auxilio ſupernaturali influere immediatè per ſuam, & auxilij virtutem, in qua potentia reperitur virtus in actu primo, ſi cum auxilio coniungitur, quia ſicut actualiter effectus non oritur ab vna ſola cauſa, ſed ab vtraque ſimul coniuncta, ita nec poteſt oriri niſi ab vtraque potente coniungi, hæc autem potentia non reperitur, neque eſt aliquid intrinſecum potentiæ obedientiali. Vnde potentia vitalis ſecundum ſe conſiderata non eſt potentia obedientialis, ſed vt connotat imperium Dei volentis illa vti ad opus ſupernaturale.

Rogas quid ſit talis connotatio? Reſpondeo, eſſe diuinam voluntatem volentem cum potentia vitali concurrere ad actum ſupernaturalem, ſine ordine ad quam voluntatem potentia vitalis non eſt dicenda potentia actus ſupernaturalis: & quamuis verum ſit, ipſam potentiam vitalem non poſſe prodire etiam in actus naturales ſinè Deo volente concurrere, eſt tamen hoc diſcrimen: quod ad actus naturales petit ipſa potentia, vt Deus velit concurrere, quæ petitio eſt illi eſſentialis in ratione cauſæ: at verò ad actus ſupernaturales non petit talem Dei voluntatem, eâque de cauſa dico illam connotationem ad actum ſupernaturalem illi potentiæ non eſſe intrinſecam. Quod confirmo ex ratione rei ſupernaturalis, ad quam, quia ſupernaturalis eſt, potentia naturalis ſecundum ſe non poteſt dicere ordinem, nec petere coniungi alteri principio ſupernaturali; quia verò actus ſupernaturalis, vitalis eſt, petit potentiam vitalem, & vt cum illa coniungatur auxilium ſupernaturale. Inter effectum & cauſam naturalem reperitur mutuus reſpectus, ſecus verò inter effectum ſupernaturalem & cauſam naturalem. Nam effectus ſupernaturalis reſpicit cauſam naturalem, cauſa verò non reſpicit effectum. Dixi, illam coniunctionem eſſe extrinſecam, quod non intelliges de vnione potentiæ cum habitu ſupernaturali, ſed cum voluntate Dei, volente concurrere cum potentia vitali. §.186.

SECTIO X.

Vtrum cum vna cauſa adæquata poſſit concurrere alia cauſa in eodem genere?

Dixi, *In eodem genere*, nam in diuerſo pars affirmatiua in cõpoſitis naturalibus patet apertè. Item intellige in eodem genere, & ordine, nam cum cauſa effectiua creata in ratione cauſæ ſecundæ adæquata, concurrit etiam cauſa prima generali concurſu. §.187.

Duos ſenſus poteſt habere quæſtio: alterum vtrum applicatis duabus cauſis ex ſe ſufficientibus ad cauſandum eumdem effectum, poſſit hic effectus ab vtraque prodire, concurrente vtraque non ſecundum omnem ſuam virtutem, ſed illam moderando, & quaſi partiendo influxum: ita vt ex vi influxus cuiuſque cauſæ non poſſit effectus prodire, niſi ſimul vtraque coiret, vt Deus virtutem habet ad producendum hominem, vel per alium hominem, vel ſolum per ſe ipſum; at cum Deus concurrit cum alio homine, influxus ille vt à Deo, non eſt ſufficiens ad cauſandum hominem ſine alio homine, in hoc ſenſu hanc quæſtionem tractabo diſpút. ſequenti, ſect. 5. §.188.

Alter ſenſus eſt, vtrum concurrente vna cauſa actione totali, & ſufficienti ad effectus exiſtentiam, poſſit alia cauſa totalis aut partialis concurrere ad eumdem effectum alia actione? Et quidem ad eumdem effectum celerius, aut diſtantius cauſandum non dubito, quin ita poſſint concurrere. Verbi gratia, applicantur hic duo calores eidem calefactibili, vnuſquiſque ſeorſim ſumptus poteſt producere calorem vt ſex in dimidia hora, rectè poteſt vterque coniungi actione totali ad producendum talem calorem in quarta horæ parte; quæ actio, licet ſit totalis reſpectu ſubſtantiæ caloris producti ſecun- §.189.

ſecundum ſe conſiderata, non tamen eſt totalis reſpectu temporis,quo fit.

§.190. Ad eumdem verò effectum ſimul,& pro eadem temporis parte, omnibuſque adiunctis eodem modo concurrentibus non poſſe duas cauſas totales concurrere, aut vnam totalem, & aliam partialem, communis eſt Philoſophorum ſenſus, ponendus potiùs, quàm probandus. Cauſarum enim multitudo eo tendit, vt effectus poſſit exiſtere: ſi verò poteſt per duas exiſtere, quorſum erunt tres adhibendæ? Adde dependentiam effectus à cauſa eſſe indigentiam effectus à cauſa, nulla eſt autem neceſſitas ab alia cauſa, quando effectus adæquatè pendet ab vna. Huc ſpectat adagium commune, *fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora*, vt enim natura neceſſaria non denegat, ita & ſuperflua circumcidit.

§.191. Num ſaltem potentia Dei abſoluta poſſunt ſimul duæ cauſæ in eumdem effectum influere? Nullam video repugnantiæ rationem. Quod docent Patres Valentia. tom.4. diſput. 1. quæſtio. 3. part. 3. §. *Mihi videtur*, & Suarez. 1. metaph. diſputatio.26.ſectio.4.numero 14. Vnde ſicut idem corpus poteſt ſimul pluribus vbicationibus affici; & duo corpora ſimul eſſe poſſunt in eodem loco; cur non poterit idem effectus duplici cauſalitate effici?

§.192. Immo probabile eſt, id quotidie fieri in Euchariſtia iuxta Patris Suarez opinionem, aſſerentis verba conſecrationis eſſe phyſicè productiua corporis Chriſti, & tranſubſtantiationem eſſe productionem Chriſti ſub accidentibus panis, & vini; item beatam Virginem, & Spiritum ſanctum duplici actione totali influxiſſe in Chriſtum oſtendi diſputatio.15.in tertiam partem.§.5.

§.193. Sed ais, cauſalitatem eſſe exigentiam effectus, qua petit à cauſa produci; quando autem adæquatè pendet ab vna, nullus relinquitur locus neceſſitatis dependendi ab alia. Confirmatur; tunc effectus à nulla cauſa penderet; non à cauſa *A*, quia ſine illa poteſt eſſe; neque à cauſa *B*, ob eamdem cauſam. Quo argumento negant hanc noſtram ſententiam Scotus in 3.diſput.1.quæſt.2. Caietanus 3.part.quæſt.3.artic.5.§.*Ad probationem*, & Pater Vazquez tom. primo in 3. partem diſputatio.2[illegible].capite.4.

§.194. Reſpondeo illas actiones ex natura ſua fundari in exigentia effectus à cauſa: neque hoc variari in illis: eſt enim dependentia adæquata concurſus cauſæ neceſſarius ad effectum ex ſua natura, connotans ex natura ſua carentiam alterius concurſus; quod verò diuinitus alius adhibeatur, nihil de priori concurſu mutatur. Sicut non mutatur quantitas, licet cum alia in eodem loco penetretur, quæ ex natura ſua petit non penetrari. Ad confirmationem negatur antecedens: quia penderet ab vtraque, ideſt, fieret: at non habet neceſſitatem vtriuſque ſimul;habet tamen vtriuſque diuiſiuè, ideſt, huius, aut alterius; vel ex ſe habet neceſſitatem vtriuſque: facta verò ſuppoſitione, quòd habet vnam, non indiget alia; bene tamen poteſt Deus ei dare id, quo non eget; vt corpus eget vna vbicatione, qua poſita alia non eget; eam tamen poteſt ei dare Deus.

§.195. Rogas vtrum illæ cauſalitates debeant eſſe naturales? An ſupernaturales? Reſpondeo, naturales quo ad ſubſtantiam:ſupernaturales verò, quo ad modum. Hic modus in eo conſiſtit, quod cum vna cauſalitate Deus velit conſeruare aliam; illa perſeuerantia voluntatis Dei facit rem miraculoſam in modo.

Obiicis: Cauſæ tunc influerent, vt eleuatæ, ergo eleuantur per cauſalitates; ſed cauſalitas eleuans cauſam eſt ſupernaturalis, ergo. Diſtinguo antecedens, vt eleuatæ quo ad ſubſtantiam, nego antecedens; concedo quo ad modum; ſimiliter diſtinguo,concedo,& nego minorem. §.196.

Confirmatur: eo præcisè quod Deus conſeruet priorem cauſalitatem coexiſtentem alteri, intelligitur miraculum: quia intelligitur coexiſtentia rerum imcompoſſibilium. Sed hæc coexiſtentia intelligitur ſine vlla eleuatione ſupernaturali quo ad ſubſtantiam; vt ſi Petrus eſſet moriturus vulnere lethali, & Deus illum miraculosè liberaret, ego coexiſterem illi miraculosè ſine vlla re ſupernaturali, quo ad ſubſtantiam. Deinde ſupernaturalitas non eſſet in vtraque actione, ſed in illa, quæ naturaliter non poſſet eſſe; vt in actione cauſæ poſterius applicatæ, cui non debetur concurſus ſuppoſita prioris actione. Hæc ſecunda operatura eſt ſupernaturaliter, non prima: vnde miraculum eſſet in concurſu ſecundæ cauſæ, quia illi non debetur influxus ex natura rei, ſuppoſita operatione primæ cauſæ: miraculum ergo erit in dando concurſu cauſæ, cui non debetur. Hoc autem non eſt reſpectu prioris cauſæ, quia illa naturaliter operatur. Vide, quæ in ſimili dixi de conſeruatione gratiæ cum peccato diſputat.9.de iuſtificatione. §.197.

DISPVTATIO IX.

De cauſa efficiente creata.

ACTVM eſt libro 1. de cauſa materiali, & formali. De quarum cauſalitate plura dicam. d.11. De cauſa efficienti, eius cauſalitate, conditionibus, ac proprietatibus, quatuor primis diſputationibus erit agendum.

SECTIO I.

Cauſam efficientem definio.

ARiſtoteles in præſenti. cap. 2. & 3. cauſam efficientem ait, *vnde primum principium eſt mutationis, aut quietis*. Ideſt, eſt primum principium, à quo per ſe oritur motus, aut quies. Quæ definitio non admodum enucleat cauſæ efficientis eſſentiam: tùm, quia videtur ſoli cauſæ primæ conuenire, tùm, quia cauſæ creanti non conuenit: quæ non agit per motum; tùm tertiò, quia etiam conuenit fini: tandem, quia conuenit cuiuis cauſarum generi, in ſuo genere, neque explicat peculiarem rationem cauſandi efficientis. Hanc definitionem ita exponit Pater Suarez 1.met.d.14.ſect.1. vt aliam nouam ipſe condat: eam definitionem, vt incommodam reiicio: Ariſtotelem autem in ea tueri, nec neceſſarium eſt doctrinæ;nec ſine temporis diſpendio poteſt. §. 1.

Commodius autem ſic definies; cauſa efficiens eſt *principium per ſe influens in aliud, præciſa mutatione ſui, ex præciſa ratione influxus*. Prima pars ponitur loco generis, quæ conuenit omnibus, & ſolis cauſis, (vt patet ex octaua diſput. ſect.1.) per ly *præciſa mutatione ſui* differt à cauſa materiali, & formali: quæ ex præciſa ratione ſuæ cauſalitatis immutantur: quia recipiunt intrinſecè ſuas cauſalitates, per quas mutantur. Addidi autem, §. 2.

ex

ex præciſa ratione influxus, quia conceptus actionis formaliter non petit immutare agens: quandoque verò illud immutat: ſed non ob rationem actionis, ſed quia contingit aliquando agens eſſe patiens, quod quidem mutatur patiendo formaliter, non agendo.

§. 3. Hanc definitionem optimè quadrare in efficientem probatur: tùm quia conuenit omni efficienti, quia quæuis per ſe influit ſine ſui mutatione; vt Deus, homo generans, & lux calefaciens; item conuenit illis ſolis, quia licet finis & exemplar ſua cauſalitate non immutentur, vere tamen per ſe non influunt in effectum. Vnde liquidò conſtat diſcrimen inter omnes, & propria efficientis differentia. Hinc dignoſce, cur Deo conueniat cauſalitas efficientis, quia nimirum, cum ſit illi extrinſeca, per eam non immutatur, repugnat verò cauſalitas materialis, aut formalis; quia intrinſecè mutat.

§. 4. Sed definitioni obiicio: actio vitalis formaliter immutat agens, ergo ea definitio non conuenit omni efficienti. Probatur antecedens; quia actio vitalis vt ſic eſt immanens, ergo immutat agens formaliter. Patet conſequentia, quia cauſalitas intrinſeca immutat cauſam: ſed actio immanens eſt cauſalitas intrinſeca, quia manet intra agens: ergo formaliter immutat agens.

§. 5. Diſtinguo primum antecedens; actio vitalis in quantum denominat *agens*, immutat, negatur; in quantum denominat *patiens*, conceditur. Ad probationem negatur conſequentia; ad cuius probationem diſtinguo maiorem, cauſalitas intrinſeca in ratione, in qua eſt intrinſeca, immutat cauſam, conceditur; ſecundum rationem, in qua non eſt intrinſeca, negatur. Diſtinguo etiam minorem, actio immanens eſt cauſalitas intrinſeca in denominatione *paſſionis*, concedo; in denominatione *actionis*, nego: quia non manet in denominatione *actionis*, ſed *paſſionis*. Itaque hoc differt actio immanens à tranſeunte: quia tranſiens petit, vt agens, & patiens ſint diſtincta: immanens verò vt ſit idem agens & patiens. Itaque, tota entitas actionis vt manet in agente, dicitur immanens, ſed manet, in quantum denominat patiens. Cur autem actio dicitur immanens? Quia tota illa entitas petit recipi in illo ſubiecto à quo fit, eſſe autem cauſas actiuas eſt luce clarius.

SECTIO II.

Vtrum cauſa creata verè aliquid efficiat?

§. 6. Hac de re videatur Pater Suarez ſupr. d. 18. ſect. 1. Aliqui negant cauſis creatis veram actionem, aſſerentes ſolum Deum operari, creaturas autem dici operari, quia ad illarum præſentiam operatur Deus. Fundamenta leuia ſunt, & in decurſu diſputationis proponentur. Alij affirmarunt creaturas corporeas nihil efficere, ſecus ſpiritales. Alij, res corporeas eſſe principium accidentium, non tamen ſubſtantiarum.

§. 7. Omnes illæ ſententiæ, vt ſtultæ exploſæ ſunt ab ſcholis. Prima quidem, quia in viuentibus ſunt vitales actiones, de quarum ratione eſt vt fiant & recipiantur ab eodem principio: recipiuntur autem à principio creato, ergo fiunt ab eodem. Item ſunt multæ creaturæ liberæ, quarum libertas conſiſtit in dominio propriarum actionum; quod autem dominium habet homo in actiones ſolius Dei? Adde contra hanc ſententiam, Deum eodem modo eſſe auctorem boni, & mali: quia ſi homo nihil operatur, ergo ſolus Deus facit bonum, & malum. Nec peccata tribuerentur homini, ſed Deo ſoli.

Secunda ſententia item impugnatur, quia multa materialia habent actiones vitales, vt equus, & leo; quæ ex actione ſenſitiua eliciunt appetitiuam. Item motus localis viuentium, vocum prolationes, & id genus alia, à quo principio actiuo veniunt, niſi à vitali creato? Cur autem bos mugit, non verò lapis? §. 8.

Alia prætereà materialia verè aliquid producere, patet ex calore calefaciente, & ex ſole illuminante. Dices, eas actiones prouenire à Deo eas eliciente ad præſentiam caloris & ſolis. Sed hoc ridiculum eſt: cur enim calor calefacit potiùs, quàm frigus? Dices quia calor ſimilior eſt calori, quàm frigus, pactum autem fundatur in aliqua ſimilitudine. Contra; cur ergo lux non frigefacit? vel cur frigus non illuminat? cum non ſit maior ſimilitudo inter lucem, & calorem; quàm inter illam, & frigus. Cur item albedo non producit albedinem? & cur homo generat hominem? & Angelus non creat Angelum? Quæ omnia ſunt perabſurda. §. 9.

Deinde, dicamus etiam cauſam materialem, verè non recipere accidentia; ſed ea dici cauſari, quia ad cauſæ præſentiam cauſantur à Deo effectiuè. Iiſdem enim rationibus vtrumque poteſt defendi, & impugnari. Quod ſi obiicias, accidentia Euchariſtiæ videri inhærere ſubiecto cum tamen non inhæreant, & in illa produci alia à ſolo Deo, cum tamen videantur à cauſa creata produci. Reſpondeo, hinc retorqueri argumentum; quia Deus, vt myſterium celet, præſtat eoſdem effectus, quos erant cauſæ creatæ præſtituræ, at verò ſic operari ſemper cum quauis cauſa nulla ratione oportet: immo verò fruſtra viuentibus communicaſſet tot inſtrumenta ad agendum. §. 10.

Tertia ſententia iiſdem fere rationibus confutatur: quia ad ignis præſentiam alius producitur, vel mediatè, vel immediatè. Dices eſſe infinitam diſtantiam inter eſſe, & non eſſe: ad quod requiritur infinita virtus actiua. Sed hæc diſtantia non eſt propriè diſtantia, nec infinita: quia terminus *ad quem* eſt finitus: ad quem ſufficit finita virtus, quæ tantum diſtat à non virtute, quantum calor à non calore. Deinde cauſa materialis quaſi interiicitur, quia cum illius concurſu operatur creatura: niſi velis, & materialem non poſſe influere, quod eadem ratione probabis. §. 11.

Sed ſupereſt explicanda ratio; qua id contingat. Ad quod aduerte, Deum omnia operari ex imperio libero ſuæ voluntatis, quo poſito ſtatim oritur effectus ex eius omnipotentia ſine vlla mutatione Dei: idem fere contingit in homine, & proportione in bruto; quod ergo Deus, homo, & brutum efficiunt per voluntatem, & appetitum, ignis facit ſine appetitu. Nam ſicut ex potentia hominis applicata per voluntatem oritur actio, ita ex potentia ignis applicata. §. 12.

SECTIO

SECTIO III.

Vtrum ſubſtantia creata ſit immediatè actiua?

SVBSECTIO I.

Examen Thomiſticæ ſententiæ.

§. 13. ID eſt; vtrum ratio formalis, & principium, à quo immediatè oritur actio, ſit ſubſtantia? An vero accidens? Communis eſt Thomiſtarum opinio, nullam ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operatiuam, ſed omnes agendi rationes eſſe omnino accidentales: vnde vna ſubſtantia ab alia non producitur immediatè, ſed mediis accidentibus. Hæc ſententia probari poteſt primò auctoritate Sancti Thomæ, & Ariſtotelis; aſſerentium omnem actionem fieri inter contraria, contraria verò ſola ſunt accidentia. Præterea Ariſtoteles ait ignem producere ignem inquantum calidus eſt, ideſt, rationem agendi eſſe calorem.

§. 14. Quando ait S. Thomas ſubſtantiam non eſſe immediatè operatiuam, illum intellige non eſſe immediatè operatiuam ſine præuia diſpoſitione: vel ſine aliquo accidente, modio quo ſimul concurrat. Nam ignis non generat ignem, quin prius materiam diſponat per calorem, & ſic generat in quantum calidus, ideſt, adiutus calore ad diſponendum: nam ly, *in quantum*, non reduplicat rationem formalem agendi, ſed conditionem requiſitam, vt cũ dicitur ignis comburere, vt applicatus, eſt enim applicatio conditio ſine qua non, ſic Ariſtotelem accipe. Illud de contrarietate inter agentia, falſum eſſe, euincit illuminatio, quæ inter nulla fit contraria: tum præterea ſufficit radicalis contrarietas inter formas geniti, & corrupti. Quando verò non requiritur præuia diſpoſitio, vt ad actus vitales producendos, tunc cum ſubſtantia concurrit ſpecies accidentalis impreſſa. Itaque in actionibus diſtinctis ab emanatione ſemper reperitur principium aliquod accidentale, ſine quo ſubſtantia non eſt operatiua mediatè, nec immediatè, quod ſignificat Sanctus Thomas. Quem tamen ægrè explicari fateor in genere: quamuis enim naturalem emanationem ſubſtantiis adſcribit non tamen actiones alias.

§. 15. Secundum argumentum ſumunt ab experientia, ignis enim calefacit medio calore, & aqua infrigidat medio frigore, & ſic de omni alia materiali ſubſtantia; ſignum eſt ergo ſubſtantiam per ſe nihil operari. Nulla eſt hæc conſequentia: non enim intendimus ſubſtantiam efficere per ſe omnes effectus, ſed aliquos, qualis eſt ſubſtantialis generatio, & aggeneratio vitalis, omneſque functiones naturales.

§. 16. Tertium; quia prius eſt eſſe, quàm operari, ergo prius eſt eſſe, quàm operari poſſe; ergo per ſe ſubſtantia nihil efficit. Diſtinguo antecedens, prius natura concedo; tempore nego. Prima conſequentia vel eſt mala, vt patet in potentia vitali, quæ ſimul eſt, & poteſt operari; quia de eius conceptu eſt poſſe operari: vel eſt intelligenda de prioritate rationis: Secunda conſequentia nihil valet, quia idem principium poteſt ratione noſtra habere eſſe prius, quàm concipiatur poſſe operari, & in ſecundo inſtanti poteſt concipi vt operatiuum.

§. 17. Quartum eſt, quia potentia, & actus debent eſſe in eodem genere, teſte Ariſtotele, at ſubſtantia eſt in diuerſo genere, ac accidens, ergo ſubſtantia non poteſt operari. Confirmatur primò: potentia debet proportionari actui, cui per ſe ordinatur, ſed ſubſtantia nec proportionatur accidenti, neque ad illud poteſt ordinari, ergo. Confirmatur ſecundo: potentia ſpecificatur ab actu, ſed ab accidente non poteſt ſpecificari. ſubſtantia, ergo.

Hoc argumentum probat ſummum, ſubſtantiam per ſe primò non poſſe eſſe principium accidentis; alterius autem ſubſtantiæ quid ni? Immo vero ad hominem euidenter probo, ſubſtantiam non poſſe produci niſi ab alia ſubſtantia, quia per te potentia, & actus ſunt in edem genere. Dices cauſam remotam eſſe in eodem genere cum ſubſtantia producta. Contra; ergo ſubſtantia non poteſt producere accidens medio accidenti; quia per te cauſa remota cum accidenti immediatè concurrente eſt in eodem genere cum ſubſtantia producta, ergo non poteſt eſſe in eodem genere cum accidente, quod producit per ſuum accidens. §. 18.

Præterea hæc ratio pugnat apertè cum doctrina S. Thomæ §. 13. referendi, aſſerentis accidens à ſubſtantia produci. Deinde illud Ariſtotelicum intellige de actu, & potentia paſſiua. Loquitur enim de materia prima, quæ eſt in eodem genere ſubſtantiæ cum forma ſubſtantiali; illud verò eſſe omnino falſum in cæteris potentiis, tam actiuis, quàm paſſiuis patet, tum in Deo, cuius omnipotentia non eſt in eodem genere cum rebus accidentalibus, quas producit; tum in animo producente ſuas potentias accidentales, & in potentia vitali naturali producente, & patiente actus ſupernaturales; tum in ſubſtantia recipiente accidentia. Huius etiam teſtimonij vide latam impugnationem in libr. de Anima diſp. 4 ſect. 1. §. 19.

Ad primam confirmationem negatur minor; ſubſtantia enim vitalis proportionem habet cum actu vitali, ſicut ignis cum calore, & quæuis cauſa æquiuoca cum effectu, quia ratio ſuperior eminenter continet inferiorem. *Per ſe* autem *ordinari* dupliciter poteſt intelligi; primum vt ſit idem, ac per ſe dicere ordinem tranſcendentalem ad accidens, ſic autem quæuis ſubſtantia creata per ſe ordinatur ad ſuas accidentales perfectiones. Secundò eſt referri tamquam ad finem, ſic autem omnis ſubſtantia creata per ſe ordinatur ad ſuas perfectiones tamquam ad finem *qui*, quia perfectio ſubſtantiæ eſt finis, *qui* intenditur, at verò omnes illæ perfectiones per ſe ordinantur ad ſubſtantiam, tamquam ad finem principalem, & *cui*, ſubſtantia enim eſt finis *cui*, & propter quam procuratur perfectio accidentalis. §. 20.

Ad ſecundam confirmationem negatur minor: ſicut enim animus ſpiritalis ſpecificatur à materia, & actus ſpiritalis ab obiecto materiali; ita & potentia ſubſtantialis ab effectu accidentali. Ratio eſt; quia terminus relationis tranſcendentalis eſt extrinſecus, quem poſſunt reſpicere res generum diuerſorum. Quintum argumentum eſt ab inconuenienti: quia ſequeretur multarum rerum nullam eſſe cauſam ſecundam, ſed eſſe neceſſariò recurrendum ad cauſam primam. De hoc argumento me videro ſect. 4. §. 21.

SVBSECTIO II.

Concluſiones.

DIco primo: ſubſtantia non efficit immediatè accidentia in ſubiecto à ſe diſtincto: probatur tum ex philoſophorum ſenſu, tum experientia: §. 22.

rientia: quia calor aquæ calefacit manum, ergo & calor ignis; quia eiuſdem virtutis eſt in vtroque ſubiecto. Ratio eſt, quia effectus commodius efficitur per cauſam vniuocam, aut minus æquiuocam, quàm per æquiuocam, ſic enim effectus ſimilior euadit ſuo principio.

§. 23. Dico ſecundo: quæuis ſubſtantia (non eſt ſermo de materia prima) efficit in ſe ſuas naturales proprietates. Hanc ſententiam his fere terminis docet S. Thomas. 1. parte quæſtio. 57. artic. 6. vbi quærens, *vtrum potentiæ animæ fluant ab eius eſſentia?* In concluſione ſic ait: *actualitas formæ accidentalis cauſatur ab actualitate ſubiecti, ita quod ſubiectum, in quantum eſt in potentia, eſt ſuſceptiuum formæ accidentalis. In quantum autem eſt in actu, eſt eius productiuum. Et hoc dico de proprio, ac per ſe accidenti: nam reſpectu accidentis extranei ſubiectum eſt ſuſceptiuum tantum: productiuum verò talis accidentis eſt agens extrinſecum.* Vnde nullum principium actiuum propriæ paſſionis admittit S. Thomas præter propriam eſſentiam, cum illud admittat reſpectu accidentis extranei. Caietanus autem ibidem huic adhæret opinioni; & cæcos vocat eos omnes, qui ſentiunt aduerſari Auerrois doctrinæ; ſic concludens, *cum hoc tamen euidenter patet ſtare, quod ſubſtantia ſit efficiens & finis accidentis.* Quod verò hoc actionis genus dicatur à S. Thoma *quodammodo actio*, & à Caietano dicatur *effectio ſine media actione*, & propriæ paſſionis productio attribuatur generanti, nihil officit concluſioni. Illis enim locutionibus tantùm intenditur, eam actionem tam neceſſariò eſſe coniunctam productioni ſubiecti, vt non cenſeatur noua actio, ſicut cenſentur actiones accidentis non proprij: & Caietanus obſeruat, qua ratione in ſententia S. Thomæ ſit dicendum *ſubſtantiam eſſe immediatè actiuam.*

§. 24. Cõcluſio ergo probatur primo ratione S. Thomæ: quia eſſentia eſt in actu primo ſufficienti ad agendum, ergo agit. Probatur antecedens ex eodem, quia in his, in quibus eſt ordo per ſe: primum, & perfectius eſt in actu primo ſufficienti, qua ratione artic. 7. probat vnam potentiam animæ ab alia effici; ſed inter eſſentiam, & paſſiones eſt ordo per ſe; ergo. Probatur maior: quia in his, in quibus eſt ordo per ſe, primum, & principalius eſt perfectius quàm poſterius, & hoc habet dependentiam à primo: cur igitur poſterius non continebitur in virtute prioris, ſicut calor in luce?

§. 25. Secundò probatur experientia, quia aqua ſe reducit ad priſtinam frigiditatem, & tunc nullum eſt principium, cui talis reductio attribuatur, præter eſſentiam. Aiunt nonnulli, id fieri per occultam quamdam qualitatem, relictam aquæ ad ſe infrigidandam, & igni ad incaleſcendum, ſicut graui relinquitur grauitas ad centrum petendum. Tam occulta eſt hæc qualitas, vt præter Iauelli oculos, cæterorum philoſophorum effugerit; vnde impugnatur primo. Quia eſt omnino ignota, & occulta, vnde ergo eam noſti? Certè ex nullo effectu, ſi quem enim haberet, certe ille eſſet maximè notus, qui non pateretur ſuam qualitatem eſſe tam occultam, vt contigit graui, & leui. Ais, vt loquaris conſequenter ad tua principia, tuearíſque ſententiam Sancti Thomæ. *At vereor committere* (inquit. Tullius 1. de Legibus) *vt non bene prouiſa, & diligenter explorata principia ponantur.* Quale autem principium eſt, quod te, vel inuitum in peregrinam trahit concluſionem? Hoc mihi ingenium eſt, atque natura; vt commenta exiſtimem eorum placita, qui vt apertas rationes, & experientias eludant, confugiunt ad occulta naturæ Sacramenta, tamquam ad ſacram anchoram; vt inter occulta latibula veritas deliteſcat, erigantque aras ignoto Deo.

§. 26. Et quidem hoc argumento ipſi premuntur: nam ſicut illa qualitas occulta infrigidat aquam, in qua eſt, cur, & aliam, cui applicatur, non infrigidat? Sed frigus oritur ab alio frigore? Si enim negas aquæ influxum in ſuum frigus; quia poſſet & infrigidare aliam, friguſque non infrigidaret; nega eum influxum huic qualitati propter rationem eamdem. Nec verò ad defenſionem ſuæ ſententiæ opus eſt S. Thomæ ad ignota recurrere; qui enim negant ſubſtantiam aliquid operari extra ſe, dicunt in ſe operari proprias paſſiones, quia ad eas efficiendas nullam habet vniuocam cauſam: at verò ad producenda in aliis accidentia habet quidem cauſam vniuocam, vt ignis calorem ad calefaciendum; vel minus æquiuocam, vt Sol lucem ad illuminandum & calefaciendum: hoc autem ſufficiens eſt diſcrimen. Nam & S. Thomas 1. parte quæſt. 77. artic 7. ait, vnam potentiam ab alia produci, licet primam dicat ab anima produci.

§. 27. Secundo impugnatur: quia illa qualitas eſt remiſſibilis, & intenſibilis? An non? Vltimum dicetur ſine fundamento: quia omnis qualitas, præter potentias vitales, eſt intenſibilis, & remiſſibilis, etiamſi ſit ſupernaturalis; item grauitas, cui comparas iſtam tuam qualitatem, etiam eſt intenſibilis, quia aqua glaciata grauior eſt ſe ipſa diſſoluta; cum tamen eadem ſit aquæ menſura. Quod patet apertius, quando calore rareſcit, plures enim partes aquæ diſſolutæ minùs graues ſunt, quàm pauciores glaciatæ; ſi autem eſt remiſſibilis, quando intenditur, à quo intenditur niſi ab ipſa aqua immediatè? Quod ſi dixeris eam intendi à Deo; idem dicito de frigiditate, & tolle è medio occultam qualitatem; quam cognoſcis occultè. Porro cum omnes qualitates etiam corporeæ ſint capaces intenſionis: etiam omnes quæ per ſe ab illis producuntur vt à cauſa principali, erunt ea imperfectione. Nec verò quia fingitur qualitas ignota, è proprio cerebro debet fingi ſine intenſione: niſi forſan ita ponatur, quia è cerebro ponitur, non è philoſophia.

§. 28. Dico tertio: ſubſtantia immmediatè producit aliam ſubſtantiam. Hæc eſt contra vniuerſam ferè Thomiſtarum Scholam: dixi *ferè*: nam ex ea nobis adſtipulantur Patres Conimbricẽſes 2. phyſic. quæſt. 18. artic. 2. conclu. 1. art. 6. & Suarez 1. met. diſput. 18. ſectio. 2. numer. 21. Rubius tractatu de cauſa efficienti quæſt. 5. à num. 57. quæ ſententia familiaris eſt Scoticis cum Scoto, & Nominalibus cum Okamo adductis à Patre Suarez num. 5. & Dur. in 1. diſ. 1. quæſt. 4. num. 13. eſtque hac tempeſtate communior.

§. 29. Ad probationem præmitto, ſubſtantias materiales ſublunares immediatè produci ab aliqua cauſa creata, quæ non modo vltimo diſponat ſubiectum, ſed peculiari actione influat in ipſas ſubſtantias. Quod præter communem Philoſophorum ſenſum probatur, tum quia dantur cauſæ principales talium effectuum, tum quia potentiæ naturali paſſiuæ materiæ primæ reſpõdet potentia naturalis actiua, quia potentia naturalis paſſiua eſt reſpectu naturalis actiuæ: immò hoc cernitur in animo rationali, ad quem materia prima non dicit rationem potentiæ paſſiuæ, quia eſt ab illa independens: at verò quia ad eius

vnionem

vnionem dicit potentiæ paſſiuæ rationem, ideo ad eamdem datur potentia naturalis actiua; tum tertio, quia hoc limitatæ virtutis eſt, nec cenſeri debet tranſilire limites creatæ virtutis. Tandem, quia alienum eſt ab homine Philoſopho ad omnem generationem ſubſtantialem recurrere ad ſolum auctorem naturæ.

§. 30. Dices, Dei potentiam dici naturalem comparatione materiæ iam diſpoſitæ, nec enim eſt contra potentiam naturalem paſſiuam connotare ſolum Deum, vt principium actiuum: quia materia prima cœli potentia eſt paſſiua naturalis, & tamen à ſolo Deo reduci poteſt in actum. Verum id eſt ſub lite; ſi enim alia materia Solis eſſet huic Soli applicata, vnde conſtat formam Solis non poſſe induci in eam ab alio Sole? Deinde, eſto; præſto eſt diſcrimen: vt enim nullum agens naturale poteſt aptare materiam cœli; ita nec cœlum producere; vnde ſolus Deus reſpicitur vt auctor omnium rerum cõcurrentium ad cœli productionem; at ignis diſponit ad alium ignem; cur illum non producet? cum hoc finitæ virtutis ſit.

§. 31. His poſitis probatur aſſertum, ignis, verbi gratia, cauſam habet creatam principalem, ergo ad eius generationem immediatè cõcurrit ſubſtantia creata. Conſequentia probatur tum ex dictis d. 8. ſect. 4. vbi latè probaui eam tantum eſſe veram cauſam, quæ immediatè influit in effectum; tum quia concurſus ſolius accidentis nõ eſt concurſus cauſæ principalis. Dices illum concurſum prout ab accidente eſſe inſtrumẽtalem; principalem autem, prout è ſubſtantia. Contra: quia in tua ſententia ille influxus prout eſt ab accidente, eſt formaliter à ſubſtantia, quia hæc nullo modo concurrit niſi per ſolum illud accidẽs, quod eſt ratio formalis, per quam ſubſtantia concurrit, ergo ſemper habet rationem cauſæ inſtrumentalis.

§. 32. Secundò probatur: efficere eſt communicare eſſe, quod habet cauſa; ergo cauſa adæquata debet concurrere per æqualem virtutem, ac habet effectus. Hæc conſequentia patet; quia nulla cauſa adæquata poteſt extra ſuam virtutem cauſare; quia in ea non continetur effectus excedens eiuſdem virtutem; *nemo enim dat quod non habet:* ſed accidens non eſt æquale ſubſtantiæ, ergo accidens non poteſt eſſe cauſa adæquata ſubſtantiæ. Dices primo; accidens non continere ſubſtantiam, ſed hanc contineri in virtute alterius ſubſtantiæ, quæ per tale accidens operatur; nec enim eſt attendendum, vtrum virtus, per quam operatur ſubſtãtia, ſit accidens? vel ſubſtantia? ſed attendenda eſt cauſa, cuius eſt illa virtus.

§. 33. Verum hæc ſolutio omnino videtur inintelligibilis, nam contineri in virtute ſubſtantiæ nihil eſt aliud, quàm cõtineri in virtute accidentis; quia per te tota virtus ſubſtãtiæ eſt accidens: nam contineri effectum in cauſa actiua, eſt contineri in virtute actiua cauſæ; ſiue in cauſa eſſe virtutem agendi talem effectum; ſed per te tota virtus actiua ſubſtantiæ eſt accidens, & nulla eſt in ſubſtantia alia virtus agendi; ergo contineri effectum in virtute ſubſtantiæ, eſt contineri in accidente actiuo; & in ſubſtantia eſſe accidens, quo agatur effectus. Hæc autem ſunt ridicula: quia terminis diuerſis reſpondetur *idem per idem.* Hoc enim eſt de quo diſputo, qui fieri poſſit, vt ſubſtantia adæquatè contineatur in virtute accidentis? Aſſerere autem non eſſe attendendam perfectionem virtutis actiuæ, neſcio quo fundamento dicatur; cum ex perfectione entitatiua virtutis inferenda ſit virtus in agendo: quia virtus actiua talis rei eſt virtus entitatiua: alioquin animus rationalis non egebit habitu ſupernaturali ad actum charitatis, ſed illum eliciet ſua ſola voluntate; quia, licet hæc ſit imperfectior actu charitatis, non eſt tamen attendenda virtus actiua, ſed perfectio animi, cuius eſt illa virtus: quia animus per te perfectior eſt omni habitu ſupernaturali: & actus materialis producet ſpeciem ſpiritualem: immò calor vitalis hominis producet intellectionem, quia hæ res operabuntur in virtute animi rationalis, cuius ſunt inſtrumenta: anima enim eſt attendenda, non verò accidentia, per quæ operatur.

Tertio, quia continget ſæpenumero nullam dari cauſam principalem ſubſtantiæ, ſed accidens propria ſua, ſolaque virtute eſſe in omni genere cauſæ efficientis ſecundæ adæquatum principium ſubſtantiæ; quo in philoſophia nihil dicetur abſurdius, vt ex ipſis terminis patere videtur. Probatur conſequentia in medium productis exemplis quibus tu moueris ad tuam ſententiam: ferrum, verbi gratia, producat ignem, & calor ſtercoris producat viuentia ex putrefactione; tunc ferrum non eſt cauſa principalis ignis, quia ferrum ex natura ſua non continet ignem, immo hac ratione tribuis accidenti totam agendi virtutem, quia ferrum non poteſt concurrere per ſe ad ignem; & in generatione viuentium patet, quia terra, aut ſtercus non ſunt cauſæ principales viuentium; tunc ſic: ignis, à quo productus fuit calor in ferro, non eſt cauſa ignis producti per calorem; quia ſuppono talem ignem extinctum, cui ſic extincto nulla poteſt conuenire phyſica cauſatio: quia quod non eſt non operatur, neque ſuſtentat accidentia, quæ id cauſant; quia iam periit, quo igitur pacto habet rationem cauſæ? §. 34.

Dices cauſare quidem non per ſe, ſed per calorem à ſe relictum: contra; ergo tota cauſalitas per ſe oritur adæquatè à calore, à ſubſtantia enim iam annihilata quomodo phyſicè poteſt oriri? Vnde patet totam virtutem agendi ſubſtantiæ eſſe accidens; immo verò male ais agere accidens in virtute ſubſtantiæ, cum potius ſubſtantia agat in virtute accidentis. §. 35.

Vnde confirmo rationem; quia calor exiſtens in igne eodem modo operatur, quo ſeparatus, ſolúmque differt, quod ignis totam cauſandi virtutem ſuſtentat; ſed ignis corruptus nihil omnino efficit, ergo neque exiſtens; vnde patet calorem relictum à ſubſtantia non eſſe inſtrumentum ſubſtantiæ annihilatæ; quia inſtrumentum phyſicum non poteſt operari, niſi cum actuali dependentia à cauſa principali; at tunc non exiſtit ſubſtantia, ergo tunc non poteſt exercere cauſalitatem principalem phyſicam. Conſtet ergo totam, & adæquatam virtutem actiuam eſſe accidens, & non ſubſtantiam: accidens autem non operari in virtute ſubſtantiæ, ſed ſubſtantiam in virtute accidentis; quia accidens vt realiter à ſubſtantia diſtinctum & ſeparatum habet virtutem actiuam; quam exercet annihilata ſubſtantia. Hæc autem vt ab illo diſtincta non habet virtutem actiuam; eam tamen habet in accidente. Ergo ſubſtantia operatur virtute accidentis, non verò accidens virtute ſubſtantiæ. Nam tunc, dicitur manere ſubſtantia in accidente, & virtutem ſubſtantiæ in virtute accidentis: ſed illa exiſtentia eſt formaliter accidentis, & non ſubſtantiæ: item illa virtus eſt formaliter accidens: ergo accidens virtute ſua manet, & operatur; ſubſtantia verò per ſolam denominationem ab accidente. Vt panis videtur ratione albedinis; hæc autem ratione ſui. §. 36.

§. 37. Secundò reſponderi ſolet, calorem agere ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ, & non ſua propria virtute. Sed hæc ſolutio nos illudit terminis, éſtque idem cum præcedente, & eodem pacto impugnanda; nam eſſe virtutem ſubſtantiæ,& agere in eius virtute nihil eſt aliud, quàm accidens agere ſecundum rationem accidentis: quia non habet virtutem ſubſtantiæ niſi inquantum eſt accidens illius (vt nunc dixi.) Immo verò ſic vrgetur argumentum: quia virtus ſubſtantiæ eſt accidens formaliter: quia ſubſtantia per te nullam habet virtutem actiuam niſi accidentalem Rogo ergo quomodo ſubſtantia cótineatur adæquatè in accidentali virtute alterius ſubſtantiæ?

§. 38. Dices è ſubſtantia neſcio quid deriuari in accidens: rogo, vtrum id, quod deriuatur ſit ſubſtantia? An accidens? Si accidens,iiſdem omnino difficultatibus implicaris:ſi verò ſubſtantia, ergo iam ſubſtãtia eſt immediatè operatiua, quod tu negas. Præterea,quomodo ſubſtantia ſubiectatur in accidenti? ergo commentitia eſt iſta virtus traiecta. Confirmatur primo ad hominem contra non nullos, qui aiunt ignem produci à ſolo calore; nutritionem verò fieri à calore vitali ſimul cum immediato concurſu ſubſtantiæ viuentis: contra quos ſic arguo:accidentia viuentis nó ſufficiunt ad nutritionem,etiamſi ſint virtus actiua viuentis; ergo neque ignis accidentia ſufficiunt ad ignem, quia eamdem ſeruant proportionem.

§. 39. Dicunt,accidentia viuentis nó eſſe inſtrumenta ſeparata, ſicut eſt calor. Contra: quia etiam ſi eſſent ſeparata à viuenti, dummodo eſſent vtrique parti intimè coniuncta, tunc producerent nutritionem: quod ſi ſeparari non poſſunt, non inde prouenit,quia non continent virtutem agendi,ſed quia neceſſario debent agere vniendo duas partes viuentis, quod non conuenit calori,qui poteſt diſponere ſubſtantiam diſtantem ab eo, à quo fuit ipſe productus; itaque illud prouenit nó ex diſcrimine accidentium in virtute actiua, ſed ex diſcrimine ſubiectorum,ergo quantum ad agendum eadem eſt omnium ratio. Sic poſſunt impugnari omnes ſolutiones,eas reducendo ad virtutem actiuam accidentalem, quæ eſt improportionata ad ſubſtantiæ productionem.

§. 40. Confirmatur ſecundò,quia ſimiliter dici poſſet ab agente remiſſo produci effectum intenſiorem, vt calorem vt duo,à calore vt vnum: immo & lucem, quia tale agens operatur in virtute ſubſtantiæ.Dices calorem,non eſſe inſtrumentũ ad alium; Contra calor vt vnũ rectè poteſt eſſe inſtrumentum ad calorem vt octo: item & ad lucem. Cur autem ſubſtantia nó producet lucem per calorem? & calorem intéſum per qualitatem remiſſam,ſicut producit ſubſtantiam?

§. 41. Tertiò argumentor;quia operari immediatè eſt limitatæ perfectionis cóuenientis accidenti, quidni conueniet ſubſtantiæ? Quartò, quia ſubſtantia eſt immediatè receptiua: ergo & actiua:quia ſicut ordinatur ad componendum vnum per ſe; quidni ordinabitur ad agendum per ſe, cum eſſe ſit propter operari?

SECTIO IV.

Quomodo ſuppleatur defectus cauſarum particularium.

§. 42. PRæcipuè mouentur nonnulli oppoſitæ ſententiæ auctores; quia non vident quomodo ſuppleatur concurſus ſubſtantiæ pluribus in caſibus; quibus breuiter reſpondebo. Quando ferrũ comburit ſtupam, dicendum, in ferro incluſas contineri igneas aliquas particulas; quod facilè colliges; quia ferrum ſæpe flammeſcit, quod eſt proprium ignis: ſi quando verò per calorem diſponitur ſubiectum ad concipiendum ignem, tunc præſto eſt auctor naturæ, qui in rebus fortuitis agit partes creaturarum, vt patet in forma cadaueris, quæ gignitur ex ſuffocatione hominis,& in forma animantium, quæ gignitur ex putrefactione: illæ enim formæ à quo producuntur, niſi à ſolo Deo? aliàs aut ſtercus, aut laqueus erunt cauſæ adæquatæ cadaueris,aut viuentis.

In productione plantarum, & mineralium ſol eſt cauſa principalis;plantæ enim & mineralia maximè pendent ab aſtrorum influxu: quando verò vna planta aliam producit, vt contingit in myricis, & ceraſetis, tunc vna eſt cauſa principalis alterius. §. 43.

Hinc ſuboriuntur tres difficultates: prima,quia ſol diſtat à plantis. Sed oſtendemus ſect.6. illum eſſe maximè præſentem. Secunda, ſol eſt ignobilior planta, ergo non poteſt eſſe cauſa principalis illius. Negatur antecedens: licet enim viuens ex genere ſuo ſit nobilius non viuente; tamen non viuens ex differentiæ conceptu poteſt adeo excedere differentiam viuentis, vt ſit illo ſimpliciter perfectius: vt vnio hypoſtatica ratione ſuæ differentiæ ſimpliciter eſt perfectior quauis ſubſtantia creata, cum tamen ſubſtantia ex genere ſuo ſit nobilior vnione. Quis autem dicat rapam eſſe nobiliorem cœlo? §. 44.

Ratio à priori; quia illud genus vitæ nititur maximæ imperfectioni; nempe corruptioni viuentis; quod paulatim conſeneſcit, & amittit ſubſtantiam priorem; quam recuperat nutritione; at melius eſt ſimpliciter, nihil de proprio eſſe amittere, quam inſtaurari propria virtute. Sol igitur, quia eſt incorruptibilis, & cauſa vniuerſaliſſima rerum inferiorum perfectior eſt,quàm lactuca; licet hæc vitaliter operetur, quia operatur inſtaurando ſubſtantiam propriam corruptam.Animalia verò ratione vitæ ſentientis ſunt perfectiora ſimpliciter ſole; plantæ verò ſunt imperfectiores ſimpliciter, & perfectiores ſecundum quid in ratione vitæ: ſic intellige B.Auguſtinum,& alios. §. 45.

Tertia, quia ſol etiam concurrit ad productionem cuiúſque plantæ, & illius frugum; quia ſemper eſt applicatus. Negatur, quia præſenti cauſa vniuoca, aut minus æquiuoca, & magis particulari, non debetur concurſus cauſæ æquiuocæ, & vniuerſaliori, licet ſit applicata: productio autem fructuum plantarum ab ipſis oritur adæquatè. §. 46.

Supereſt, à quo principio procedant viuentia perfecta? Reſpondeo, à fœmina, vt latè oſtendo diſput.2. de generatione,neque hoc tollit quo minus mas ſit pater; quia ad hanc denominationem, & ad denominandum genitorem ſufficit diſpoſitio ad fœtum per ſemen, ſementinámque materiam, vt in ſententia Ariſtotelis fœmina verè eſt mater, licet ſine concurſu actiuo: immo homo mortuus dicitur pater, & generare, quia concurrit eius ſemen,cum conſtet hominem mortuum neque generare, neque eſſe patrem in rigore. §. 47.

SECTIO

SECTIO V.

Quid ſit cauſa adæquata? & vtrum talis ſit ſubſtantia creata in productione aliorum?

§. 48. NOn agitur de cauſa adæquata in actu ſecundo, quam diſput. 8. ſect. 10. dixi eſſe, quæ cauſat actione ſufficienti ad exiſtentiam effectus: agitur autem de cauſa in actu primo adæquata, ſcilicet, quæ requiratur, & ſufficiat, ex parte principij actiui, vt contineat totam virtutem requiſitam ad cauſationem totalem. Quam quæſtionem ex inſtituto pauci attingunt.

SVBSECTIO I.

Explicatur adæquata cauſa.

§. 49. PAter Vazquez tom. 1. primæ partis, diſput. 43. à cap. 2. præſertim 4. negat cum lumine gloriæ, & intellectu naturali concurrere Deum ad ſui viſionem effectiuè loco ſpeciei impreſſæ: hac ratione, quia omnes formalitates repertæ in viſione beata reperiuntur in intellectu & ſpecie impreſſa ſupernaturali; vel in lumine & intellectu; vnde infert, aut lumen, aut ſpeciem ſuperfluere. Itaque in hac ſentẽtia Patris Vazquez illa erit cauſa adæquata, quæ habet in ſe omnes formalitates ſimiles his, quæ reperiuntur in effectu, & tom. 2. diſput. 176. cap. 3. negat potentiã obedientialem actiuam, quia tali potentiæ nulla formalitas in effectu reſpondet: quam ob cauſam to. 1. primæ partis diſp. 43. à num. 22. conſequenter ait, habitum naturalem producere in actu quãdam facilitatem intrinſecam, ratione cuius influit in illum: neſcio autem vtrum tam conſequenter tom. 2. primæ partis diſp. 189. num. 10. affirmarit, ſola accidentia concurrere ad productionem ſubſtantiæ: quia his nulla formalitas in ſubſtantia reſpondet.

§. 50. *Calor nõ producit ſubſtãtiam.* Ex hac doctrina colliguntur duo: primum cauſæ efficienti proximæ neceſſario reſpondere in effectu aliquam formalem rationem, quæ nõ reſpondeat alij cauſæ proximæ efficienti. Vnde accidentia non concurrunt immediatè ad ſubſtantiæ productionem, quia accidentibus nulla formalitas reſpondet in ſubſtantia. Nam ratio entis, quæ illis poſſet adſcribi, cum ſit tranſcẽdens ipſam ſubſtantiam, illi principio reſpondet, cui reſpondet ſubſtantia, vel reſpondet cauſæ primæ, quæ ad creaturas concurrere dicitur ſub ratione entis.

§. 51. Cum dico, debere formalitatem reſpondere, intelligo formalitatem aliquam ſimilem formalitati cauſæ, licet ſit perfectior, vel imperfectior quam ipſa cauſa, vt in productione actus vitalis ſupernaturalis, vitalitas reſpondet potentiæ vitali, cum qua conuenit in ratione vitæ: ſupernaturalitas verò reſpondet habitui ſupernaturali, cum quo in ea conuenit: item calor calorem producit, cui eſt omnino ſimilis, item & lux calorem, qui eſt luce imperfectior.

§. 52. Hinc dices inferri, ſolum Deũ eſſe cauſam adæquatam omnium effectuum, quia eos cõtinet eminenter. Negatur ſequela: Deus enim eſt agens liberũ, & pro ſuo arbitratu ita moderatur actiones, vt velit ſimul cauſas creatas cum eo aliquãdo concurrere, aliquando non: cauſæ autem creatæ non eſt ea poteſtas, concurrítque Deus vt cauſa vniuerſalis, quæ determinatur per particulares.

§. 53. Secundò dices inferri, ſolum habitum ſupernaturalem eſſe adæquatũ principium actiuum actus vitalis ſupernaturalis, & ſolam animã actus naturalis, quia tam anima, quam habitus eſt ſuo effectu perfectior, & vniuerſim omnem cauſam æquiuocam eſſe adæquatam, vt lucem caloris, & ſolem lucis. Neque hoc ſequitur, nam, quando in effectu continetur aliqua ratio, quæ vel ex modo, quo petit produci, non poteſt prodire à ſola cauſa æquiuoca, vel cauſa ob ſuã indifferentiam indiget comprincipio alio determinatiuo, tunc non ſufficit æquiuoca virtus, vt in actu vitali, qui neceſſario petit principium operans modo vitali: qualis non eſt habitus ſupernaturalis: & actus naturalis, qui petit eſſe de determinato obiecto, quam determinationem non habet potentia à ſe, ſed ab ſpecie impreſſa. Animus autem ad producendas ſuas proprietates non eſt indifferens, ſed ex natura ſua determinatus. Quando verò cauſa æquiuoca non habet aliquam ex his rationibus, ea ſola eſt cauſa efficiens adæquata, vt lux calefacit, & illuminat: quia eſt perfectior calore, ad quem nõ eget alia determinatione, quàm applicatione paſſi apti calefieri.

Colligitur ſecundò, non eſſe multiplicandas cauſas partiales poſitis iam omnibus cauſis, quibus poteſt effectus attribui. Id eſt, eã eſſe cauſam adæquatam efficientem, quæ influit in effectũ per virtutem, cui poſſint omnes eius formalitates attribui. Hæc concluſio mihi certiſſima eſt, quia præſcribit certam regulam cauſas adæquatas cognoſcendi, quæ niſi hac ratione diſcerni non poſſunt. Probatúrque primo inductione; calor ſola ſua virtute calorem producit, frigiditas frigus, lux lucem, & calorem: item potentia vitalis vt voluntas ſola producit naturalem amorem, ad quem non indiget alio principio: ergo idem eſt in quauis cauſa influente per virtutem, cui poſſint omnes formalitates attribui: patet conſequentia, quia rerum de quibus in antecedenti agitur, nulla ratio reddi poteſt, præter aſſignatam. §. 54.

Dices, illas qualitates, quia ſunt inſtrumẽta ſubſtantiæ, non indigere concurſu alterius inſtrumẽti, ſubſtantiã verò indigere concurſu ſui inſtrumenti. Contra, quia ſi inſtrumentum non contineat totam virtutem effectus, indiget quidem concurſu alterius cauſæ, vt patet in potentia vitali, requirente habitũ ſupernaturalem ad ſupernaturalẽ actum, & in potentia vitali impotente operari ſine ſpecie impreſſa, & in hac, quæ eſt inſtrumẽtum vicarium obiecti, ergo niſi calor eſſet tam perfectus, quàm alius calor non poſſet illum producere ſine concurſu alterius cauſæ, ergo tota ratio concurrendi adæquatè prouenit ex æqualitate cauſæ cum effectu, propter quam omnes formalitates illi poſſint attribui. §. 55.

Confirmatur ad hominem contra aliquos ponentes in nutritionẽ immediatum cõcurſum ſubſtantiæ cum concurſu accidentis vitalis, & concurſum intellectus cum phantaſia in ſpeciem impreſſam ſpiritualem, quia neque ſpiritualitas in re materiali, nec ſubſtantialitas continetur in accidente: ergo ea ratione ait ſubſtantiam concurrere ad productionem ſubſtantiæ, & rem ſpiritualem ad aliam, vt reperias in cauſa formalitates effectus: ergo huc eſt recurrendũ ad diiudicandum de cauſa adæquata: alioquin ſolum phantaſma eſſet cauſa ſpeciei impreſſæ ſpiritualis, & ſola accidentia eſſent cauſa nutritionis. §. 56.

Immo verò, qui negant ſubſtantiis immediatum influxum in alias ſubſtantias, conſequenter tenentur affirmare, ea accidentia eſſe cauſam adæquatam §. 57.

quatam inſtrumentalem, ſeu rationalem adæquatam cauſandi, quæ deriuatur è ſubſtãtia æquè perfecta ac effectus. Vnde ſect. 3. §. 39. malæ conſequentiæ notaui eos, qui aiunt ignem à ſolo calore produci, nutritionem verò à calore ſimul & ſubſtãtia vitali.

§. 58. Secundò probatur concluſio, quia cauſa continens omnes formalitates effectus eſt æque aut magis perfecta ipſo effectu, ergo ad productionem illius non eget alio comprincipio. Probatur conſequentia, quia illud comprincipiũ non confert cauſæ aliquam maiorem virtutem, ergo non eget eo comprincipio: omne enim comprincipium conferre debet ad maiorem virtutẽ totius cauſæ. Probatur antecedens, quia illa maior virtus nõ requiritur ex parte effectus, qui non habet plures formalitates, nec perfectiores, quam cauſa.

§. 59. Dices, cauſam eſſe æquè perfectam in ratione entis, non tamen in ratione principij actiui. Contra, quia ex æqualitate perfectionis entitatiuæ colligitur ſufficientia virtutis actiuæ. Hoc enim eſt noſtrum negotium inquirere, quæ requirantur ad virtutem actiuam. Porrò autem æqualem perfectionem eſſe ſufficientem virtutem, probatur, quia entitas perfectionis eſt idem cum actiua virtute, ergo quo maior eſt perfectio, maior eſt virtus actiua. Conſequentia videtur clara: probatur antecedens, quia entitas ſolum differt à virtute agendi in connotatione ad effectum: quia ſæpe entitas in ratione entitatis concipitur ſine effectu, ſecus verò in ratione principij: immo verò aliquæ ſunt eſſentiæ, vt principia vitalia, quæ non poſſunt concipi niſi in ratione principij actiui, in quibus efficacius procedit argumentum.

§. 60. Confirmatur, cauſatiua virtus requiritur ex parte effectus, vt inde tota eius entitas emanet. Item requiritur cauſa, quæ operetur modo, quo effectus petit oriri. Item principium determinatum, quo tota cauſa determinatè hunc operetur effectum. Poſitis autem his omnibus nihil vltra eſt neceſſarium, cæteræque cauſæ ſuperfluunt, ac per accidens ſe habent. Ea ratione intellectus cum ſpecie impreſſa eſt cauſa adæquata cognitionis naturalis: & cum habitu ſupernaturali poteſt elicere ſupernaturalem actum. Item homo cum cauſis vniuerſalibus generat hominem, & ignis ignem. Quod ſi ab hac doctrina diſcedatur, nulla certa ratio cauſæ in actu primo adæquata deprehenditur, ſed vnuſquiſque pro ſuo arbitratu plures, paucioréſve conſtituet. Equidem frequenter dicitur, multitudinem cauſarum eſſe fugiendam, niſi neceſſitas vrgeat: poſitis autem cauſis iam recenſitis nulla ſupereſt neceſſitas, ergo illa erit cauſa adæquata in actu primo, quæ cõtinet omnes formalitates, quas habet effectus tam ex vi ſuæ perfectionis, quàm modi procedendi, & determinationis.

SVBSECTIO II.

Corollaria nonnulla.

§. 61. EX dictis collige, habitum naturalem non concurrere effectiuè ad ſuos actus, quia habitus iam ſupponit in potentia totam virtutem neceſſariam ad agendum: facilitas autem, ad quam iuuat habitus, non eſt modus intrinſecus actui, ſed connotat in potentia maiorem promptitudinem ad agendum, quia verò actus efficitur in inſtanti, in quo non eſt facilius aut difficilius, ea ratione habitus non concurrit actiuè, ſed per ſe ipſum formaliter facilitat potentiam, & ad actum inclinat antecedenter ad actionem, vt dicam diſp. 16. de anima.

Infertur ſecundò, neque actum præmiſſarum in actum concluſionis, neque apprehenſionem in iudicium; neque hoc in appetitum voluntatis efficienter influere, quia in ipſis potentiis ſupponitur ſufficiens virtus ad agendum, & licet ſint indifferentes ad plures actus, non indigent comprincipio actiuè determinante, ſed repræſentatione obiecti, quam habent formalem omnes illi actus, in quo differunt ab ſpecie impreſſa. Hæc namque, cum non ſit formalis repræſentatio obiecti, ſed virtualis, difficilè perſpicitur, quî poſſit determinare potentiam, niſi agendo; at vero illi omnes actus intellectus ſunt formalis obiecti repræſentatio. Quare etiam ſine actione proponunt ſufficienter, intellectio rationem boni & mali, & præmiſſæ conuenientiam extremorum inter ſe, quæ cognoſcitur per cõcluſionem, & apprehenſio proponit menti extrema, de quibus iudicet, de quo diſput. 7. de anima. §. 62.

Infero tertio, accidentia non influere immediatè in ſubſtantiam, quia ſubſtantia concurrit immediatè ad illam, cui reſpondent omnes formalitates ſubſtantiæ productæ, nec ex modo producendi requiritur concurſus accidentium: nec ex vniuerſalitate, quia diſpoſito ſubiecto agens determinatur ad formam ſubſtantialem naturaliter reſpondentem illi diſpoſitioni. Quam concluſionem præter Scotum tradit apertè Dur. in 2. diſt. 1. quæſt. 4. num. 13. & 14. §. 63.

SVBSECTIO III.

Attributio formalitatum explicata.

DIces totam hãc doctrinam commentitio niti fundamento, ſcilicet, in effectu diuerſas formalitates cauſis reſpondere diuerſis, cauſæ enim totam attingunt entitatem effectus, neque vnam præſcindunt ab alia. Reſpõdeo, cauſam producere totam effectus entitatem, quia eſt phyſicè indiuiſibilis, vt actus charitatis totus producitur ab habitu, & à voluntate totus. Illud de formalitate ſic intellige: nos requirere principium, quod contineat totam perfectionem, & determinationem effectus, & modum, quo petit oriri, ſic requirimus ad cognitionem ſupernaturalem cognoſcitiuam potentiam, & auxilium ſupernaturale. Cum autem dicimus ſupernaturalitatem formaliter nõ reſpondere potentiæ, ſed habitui, idem eſt ac dicere, actum ſupernaturalem conceptum ſub ratione ſupernaturalis, referri ad principium ſupernaturale, non verò ad vitale, quia tunc non concipitur ratio vitalis, quando verò concipitur vt vitalis, tunc refertur ad potentiam vitalem, & non ad auxilium, quia non concipitur vt ſupernaturalis. §. 64.

Certum eſt autem non poſſe concipi explicitè vitalem actum ſine relatione ad potentiam vitalem, neque ex eo quod explicitè cognoſcatur vt vitalis, cognoſcitur explicitè vt ſupernaturalis, aut è contra: cum igitur vnam formalitatem non eſſe aliam, & eſſe plures formalitates in obiecto (quod explicamus iis terminis, *vt, formaliter*, & *in quantum*) ſint denominationes ab intellectu deſumptæ, ſimiliter & concurrere potentiam ſub vna ratione, & non ſub alia eſt cum ordine ad eumdem intellectum. Qui, ſi præciſè cognoſcit actum eſſe vitalem, neceſſario infert ad illum concurrere potentiam vitalem. §. 65.

Quod explicamus propoſitione cauſali, verbi gratia, §. 66.

gratia, *Quia hic actus eſt ſupernaturalis,oritur à principio ſupernaturali. Quia eſt vitalis, oritur à potentia vitali. Quia ſpecies concurrit ad illum, eſt circa hoc obiectum. Quia eſt à creatura contra præceptum,eſt peccatum*; hæc autem eſt mala cauſalis: *Quia eſt à Deo, eſt peccatum*: item; *Quia eſt à potentia,eſt ſupernaturalis,&c.* Itaque cauſa concurrit ſub ea ratione, quæ illi tribuitur: quia, licet concurrit ad omnes, dat fundamentum,vt intellectus illi tribuat prædicata poſita in propoſitione cauſali. Igitur quot ſunt formalitates diſtinctæ in effectu, tot cauſas debemus aſſignare, in ordine ad quas eaſdem formalitates cognoſcamus, & referamus, & nó pauciores: alioquin non haberemus vnde eas dignoſceremus: neque plures,quia ſuperfluerent. Nec enim ſufficit quæuis diſtinctio formalitatum ad diuerſas cauſas realiter: nam ad actum vitalem vt ſic non datur vna potentia, & alia realiter diſtincta ad differentiam intellectionis: ſed dantur cauſæ realiter diſtinctæ,quando potentia vel ex modo,vel ex indifferentia, vel ex nobilitate effectus requirit conſortium alterius principij.

§. 67. Explicatur hæc doctrina. *Formalitas* effectus dicit duo: alterum in recto ex parte obiecti:alterum in obliquo. Rectum eſt ipſa entitas effectus cum modo, quo à ſua cauſa procedit: qui modus fundat noſtrum concipiendi modum,qui connotatur in obliquo: exempli gratia, actus vitalis ſupernaturalis de Chriſto, habet hos tres conceptus, ſeu formalitates, ſeu prædicata; *eſſe actum vitalem, eſſe ſupernaturalem, & eſſe de Chriſto. Vitalitas eſt totus actus ſignificans modũ,quo oritur à potentia*:quia enim ab ea oritur modo vitali; ideo dicitur *vitalis*: ſupernaturalitas *eſt idem actus ſignificans principium, à quo oritur ſupra vires naturales potentiæ humanæ, vel angelicæ*: eſſe de Chriſto *eſt idem actus ſignificans modum, quo oritur ab ſpecie impreſſa determinatè repræſentante Chriſtum,& non aliud obiectum.* Quando ergo dicitur *vitalitas formaliter oriri à potentia, & non ab habitu*, idem eſt ac dicere, ex parte noſtri modi cócipiendi eſſe actum, quo cognoſco actum illum oriri à potentia vitali,& tũc abſtraho vtrum oriatur à principio ſupernaturali? nec ne? at ex parte obiecti ſignificatur actus, cum modo,quo oritur à ſua potentia,& tunc nó ſignificatur vtrum oriatur à principio ſupernaturali? nec ne? quod explicatur his propoſitionibus cauſalibus, *quia actus oritur à potentia modo vitali, ideo eſt formaliter vitalis*:hæc autem eſt falſa: *quia oritur ab habitu ſupernaturali, ideo eſt vitalis.*

§. 68. Nam ratio,ob quam eſt vitalis, non eſt habitus; quia hic non concurrit vitaliter. Nam effectus ſupernaturales poſſunt eſſe, quin ſint vitales: nec ex eo quod ſit à potentia vitali, eſt ſupernaturalis; quia multi ſunt actus ab ea potentia & non ſupernaturales. Quapropter vitalitas ratione abſtrahitur à ſupernaturalitate, & è contra. Inquirimus igitur formalitatum principia ſecundum ea, quæ dicunt in recto, & ex parte obiecti: quibus nititur noſter modus concipiendi. Nam de ipſa actuali conceptione nihil refert. Hæc obſerua,cur Deus non concurrat ad peccatũ formaliter? nempe quia à Deo nó procedit modo peccaminoſo,ſecus à libero arbitrio creato,nec eſt peccatum, quia eſt à Deo,ſed quia ab homine agente contra legem.

§. 69. Hæc doctrina de concurſu ſubſtantiæ ſolius in aliam eſt Scoti in 4.diſtinct.12.quæſt.3.præſertim §. *Dices ergo*, quem ſequitur Okamus apud Patrem Suarez 1.metaphyſ.diſput.18.ſect.2.num.5. & hos vniuerſi Scotiſtæ & Nominales,multique è recentioribus. S. Thomam fateor habere difficilem explicatum: licet nonnulli conentur illum explicare, vtinam aſſequantur.

SECTIO VI.

De propinquitate cauſæ & effectus.

EA quæ de actione ſubſtantiæ dixi ſect. 3. magna ex parte depẽdent ex hac difficultate propter efficientiam immediatam, quam ſect. 4. Soli attribui in plantas,& mineralia.

SVBSECTIO I.

Prima concluſio.

DIco primo: agens creatum non poteſt immediatè agere in diſtans, quin agat aliquid in medium. Hæc eſt Ariſtot.7. phyſicorum cap.2.& 1.de generatione cap.6. S. Thom. 1.parte quæſt.8. artic.1.& 3. contra gent. cap.68. Patris Molinæ 1. parte quæſt.8.artic.1.diſput 2.Patris Suarez 1.metaphyſicæ diſput.18. ſect 8.Patris Rubij 1. de generat.cap.6.q.1.& communis cótra Scoticos: immo in creatis conſentit Scotus in 1. diſtinct.37.§. *argumentorum*.Probatur primo ex ſolicitudine,qua natura vacuum exhorreſcit; nulla alia ratione niſi vt corpora inferiora non priuentur influxu cæleſti, ſed ſi poſſent cæli immediatè agere in corpora inferiora, non impediretur illorum influxus, ergo cæli non poſſunt agere in diſtans. §. 70.

Secundò probatur experientia,quia ſi inter agẽs & paſſum interponatur corpus incapax talis actionis,non poteſt agens agere in primum paſſum; ſed huius nulla poteſt ratio reddi, niſi quia per interiectum ſpatium continuatur actio; ergo agentia non poſſunt agere in diſtans, niſi cótinuetur actio per medium. Maior patet in lumine: ſi enim inter faciem,& ſolem pallium interijcias, ſol non illuminabit, nec calefaciet faciem, quam antea illuminabat,& calefaciebat.Minor patet,quia ſi agens poteſt immediatè agere in diſtans, cur non traijcit actionem etiam interpoſito pallio, ſicut interpoſita cryſtallo? Dices id prouenire ex reſiſtentia corporis interiecti. Contra primò, quia corpus opacum tantum reſiſtit actioni in ſe recipiendæ, non verò recipiendæ in facie: ſi ergo poteſt agere in diſtans immediatè, non poterit reſiſtere corpus medium. Contra ſecundò: quia tale corpus non reſiſtit poſitiuè illuminationi, ſed negatiuè per ſuam incapacitatem; ſicut reſiſteret vacuum. hoc autem cur tolleret actionem immediatam in diſtans? Videatur Pater Suarez 1.metaphyſ.diſp.18. ſect.8 num.14. §. 71.

Tertiò,quia ſi agens poteſt agere in diſtans ſine medio, ergo poterit agere in quacumque diſtantia: ergo nullam habet agens creatum actiuitatis ſphæram: quod eſt perabſurdum. Probatur prima conſequentia, quia in agente ſupponitur ſufficiens virtus actiua, & in paſſo paſſiua, propinquitas verò per te non eſt neceſſaria, ergo. Confirmatur; obiectum non requirit propinquitatem cum intellectu, eáque ratione cognoſci poteſt in quacumque diſtantia, ergo idem erit de quocumque agente. §. 72.

Dices nullam eſſe primam conſequentiam,quia maior propinquitas eſt conditio, vt agens melius operetur, & tanta poteſt eſſe diſtantia, vt nihil poſſit operari. Patet enim ex terminis, maioris eſſe virtutis vincere maiorem diſtantiam, ſicut §. 73.

proiicere lapidem in locum diſtantiorem. Contra, quia in tua ſententia ſine fundamento requiritur propinquitas, quia medium nihil omnino iuuat, cum in illo nihil agatur; reſiſtere verò maiori diſtantiæ maioris eſt virtutis, quando per totum ſpatium aliquid agitur; at verò per te nihil agitur in illo, atque ita inter agens, & medium, neque eſt pugna neque victoria, vt patet in intellectu percipiente obiectum minus aut magis diſtans eadem facilitate: quia per medium interiectum nihil agit, nec ab eo pendet. Secus viſus non porrigitur ad obiecta multum diſſita, quia ab illis accipit ſpecies impreſſas traiectas per medium, ab eoque pendentes. Hæc autem ſolutio coniungit communem ſententiam cum ratione oppoſita; & ita rixantur, nec cohærent. Illud de lapide eſt abs re, quia impetus per totum medium producit motum, quapropter maiori eget virtute, ſecus eſt in tua ſententia.

§. 74. Sed obiicis pro Scoto, imaginationem immediatè alterare tum appetitum, tum alias corporis partes diſtantes, & à muliere hominem faſcinari, & regulum viſu occidere homines, & torpedinem hamo pendente piſcatoris brachium ligare, torpere; & trahi ferrum magnete. Reſpondetur imaginationē nihil efficere in partes diſtantes, quia actus phantaſiæ non concurrit actiuè, neque ad appetitum neque ad membrorum motum, ſed excitantur humores, & ſpiritus vitales per naturalem ſympathiā, vel quia appetitus coniunctus eſt neruis, quos immediate mouet per illorum initium, quo oriuntur è cerebro, vt in libro de anima dicetur: illud de regulo eſt anilis fabula, de quo dici poſſet, quod de muliere faſcinante, ab illis per medium venena diffundi, quæ aëra non inficiunt, quia non habet humores: quæ venena per lineam rectam operantur, magnes autem aliquid diffundit per aëra, nam in magna diſtantia ferrum non trahit, neque etiam trahit, ſi corpus interiiciatur, ineptum traiectioni virtutis, aut ſi liniatur ceppa, aut allio.

§. 75. Secundò difficilius obijcitur locutio Angeli, per quam Angelus loquens excitat Angelum diſtantem, quod fit per immediatam actionem in diſtans. Suppono ex prima parte, quod etiam dicam diſput. 12. metaphyſicæ §. 31. loquutionem Angeli nihil eſſe præter actum voluntatis, quo loquens vult, vt ille, cui loquitur, ſua noſcat ſecreta, quo actu poſito, ſtatim Deus præbet concurſum generalem, per quem concurrit cum ſpecie impreſſa, quam Angelus, cui fit loquutio, habet de ſecreto actu Angeli loquentis: qui ordo neceſſarius eſt, & fundatur in ipſa natura liberæ creaturæ.

SVBSECTIO II.

Concluſio ſecunda.

§. 76. DIco ſecundò. Agens creatum agendo per medium poteſt etiam agere in diſtans per ſe ipſum, ita vt actio oriatur immediatè ab illo, & non ab aliquo agente intermedio, vel ſaltem ſimul ab vtroque. Eſt Patris Suarez ſupra num. 19. & in parte Patris Rubij ſub initiū eius quæſtionis primæ, idem affirmantis de remiſſioribus partibus eiuſdem agentis: quæ agunt immediatè in partes diſtantes. Explicatur, & probatur primo in fornace flammis accenſa: quæ ſi porta reſeretur, ſubito calefacit quatuor, aut quinque cubitos aëris per lineam rectam: aio igitur totum illum calorem aëris immediatè fluxiſſe ab igne, & ab omnibus illis partibus reſpondentibus lineæ rectæ: quia ſi flueret calor ab aëre calido & non immediatè ab igne, ergo ſiquis lineæ rectæ manum apponeret, etiam ſi occluderetur fornax, tantum caloris ſentiret, quantum antea; cuius oppoſitum experientia demonſtrat: ergo ille calor non fluebat adæquatè ab aëre calido, ſed etiam immediatè ab igne. Probatur conſequentia, quia occluſio fornacis nō impediret actionē aëris immediatè circundantis manum ipſam: neque ab illo tollitur aliquid caloris: nam aër circunſtans etiam manet calidus. Quod ſi aëris calor minuitur, efficacius probatur concluſio: quia ea ratione minuitur, quia portæ interiectu impeditur ignis actio.

Dices primò; calorem vicinum manui amitti, quia corrumpitur calor vicinus portæ, qua occluditur fornax; qui pēdebat à calore immediatè exiſtente in igne. Contra: quia falſum eſt calorem aëris corrumpi, alioquin totus corrūperetur eamdem ob cauſam, quia totus ſaltem mediatè ab igne dependet: ſicut ergo ſummoto prunario è cubili, cubile manet calefactum, & homine ſurgente è lecto ſindones diu retinent calorem, quidni & aër iſte maneat calidus occluſa fornace? §. 77.

Dices ſecundò, quia impeditur correſpondentia lineæ rectæ. Contra primò, quia ſemper manent in eadem linea manus, & ignis; quid igitur officit porta interiecta? Secundo hinc probatur intentum: quia ſi calor vicinus manui adæquate calefaciebat manum ante interiectum portæ, quidni & poſt illum? aut in quo dependet calefactio à linea recta expedita, ſi ignis in eam non influit immediatè? Exiſtimo hoc eſſe euidens. §. 78.

Quod verò calor ab omnibus partibus proueniat; probatur, tum quia omnes illæ conſtituunt vnum agens exiſtens in ſua adæquata ſphæra: tum quia nō prouenit ille calor à ſola vltima ſuperficie ignis, ſecundum quam aërem contingit: tum quia tam vehementē actionem impoſſibile eſt ab agente indiuiſibili, & tam exiguo manare: ergo prouenit ab alia parte diuiſibili, quæ non ſit aëri immediatè coniuncta: cur ergo potius ab hac quam ab illa, cum omnes illæ ſint intra ſuam ſphæram, & actio oriatur ab aliqua parte determinata agētenā actio determinata dicit ordinē ad principium determinatum, videtur autem ridiculum recurrere ad actionem ſolius partis proportionalis; quæ nihil determinatè operatur. Confirmatur; quia hinc colligitur, quo pacto multitudo partium iuuet ad vehementiorem actionem, quia omnes illæ immediatè ad effecta concurrunt, & patet in eadem fornace actionem remittente, ſi partes ignis poſterioris extinguantur, quod cōfirmat quod dixi de partibus determinatis. §. 79.

Secundò probatur, & explicatur in generatione ſubſtantiæ; ad quam ſi ſola ſubſtantia concurrit, clarè patet concluſio, quia mater, v. g. non penetratur cum fœtu; ſed illum tangit ſecundum vltimas ſuperficies, idémque eſt de ſemine, cum tamen in quauis parte materiæ fœtus producatur anima, aut ſaltem vnio illius; ergo agens operari poteſt immediatè in diſtans operando ſimul per medium: ſi verò ſola accidentia concurrant actiuè, probatur concluſio, quia accidentia, quæ concurrunt, non ſunt ea quæ exiſtunt in paſſo, ſed quæ in agente, quia quæ ſunt in paſſo iam habent ſuam cauſalitatem diſpoſitiuam, item quia ſequeretur agens non eſſe cauſam vt *quod*, geniti, ſed vel materiā primā, vel ipſum genitum, aut corruptum, quod eſt falſum. Probatur, quia accidentia paſſi iam non pendent à generante ſubiectiuè; immo neque actiuè, ea quæ ſunt in parte remotiori; ergo generans §. 80.

non

non operatur per illa, quia neque ipſum influit cum illis, neque ab eo vllo modo dependent. Item accidentia pendent à ſola materia, vel à toto compoſito, ergo vel materia, vel compoſitum dicerentur per illa generare, ſicut ferrum calefacere per calorem, quia accidentia dependent materialiter ab illis ſubiectis, à qua dependentia omnes cauſæ remotæ dicuntur influere in effectus. Conſtet ergo accidentia generantis concurrere, ſed illa accidentia, non tangunt immediatè omnes partes materiæ, in qua operantur, ergo rectè poteſt cauſa creata agere immediatè in diſtans.

§. 81. Tertiò probatur, quia Sol efficacius ſolet operari in ſubiecto remotiori, quàm in propinquo, ergo omnes illi gradus, quibus propinquum exceditur à remotiori, non poſſunt prouenire à propinquo: Conſequentia probatur, quia agens remiſſum non poteſt producere effectum ſe intenſiorem, vt calor vt *vnum* non poteſt producere calorem vt *tria*. Antecedens probatur, quia Sol intenſiorem lucem producit in ſpeculo, & in pariete intenſiorem calorem, quàm in aëre interiecto. Experimur enim hominem pene ſuffocari apricatum parieti, à quo ſi recedat, etiam verſus ſolem, non ita premitur, & ſpeculum ob lucis vehementiam oculos perſtringit, ignemque producit.

§. 82. Dices primò, neque lucem, neque calorem eſſe intenſiora in remotiori ſubiecto, quàm in propinquo, ſed propter denſitatem ſubiecti remori eſſe plures partes extenſiuas caloris; quæ magis ſentiuntur, licet ſint æquè intenſæ, vt æs aqua calefactum plus calefacit quàm ipſa aqua, cum non ſit calidius. Contra, quia certum eſt calorem eſſe vehementiorem, quia ſuffocat hominem, & lux producit ignem, cum tamen certum ſit eos effectus non poſſe prouenire à calore æquali ei, qui eſt in aëre, licet tempore longiori illi apricetur homo: at verò plures partes extenſionis citiùs quidem operantur, ſed non vehementiùs vt in exemplo æris, & aquæ, ſi diutiùs manum in aqua teneas, tantum calefiet ab aqua, quantum ab ære, homo verò non ſuffocatur in aëre.

§. 83. Dices ſecundò, calorem in pariete eſſe intenſiorem, quia ſunt ſimul plures partes caloris propter plures partes ſubiecti; per quod fit intenſio: ſcilicet per partes ſimiles. Verum hæc ſolutio ſupponit doctrinam à nobis impugnandam diſp. 5. de generat. vbi (fauente numine) probabitur intentionem fieri per additionem noui gradus perfectioris, quàm præcedens: ſecundo, eſto ita fiat, eſt falſum quod infertur: nam in vnaquaque parte ſubiecti denſioris non poſſunt ab agente introduci plures, quàm ipſum habet, licet ſint omnino ſimiles, quia in omni ſententia agens remiſſum non producit qualitatem intenſiorem, alioquin calor vt vnum poſſet producere calorem vt octo, ergo ſubiectum remotum non eſt intenſiuè calidius aëre, ſi ab ipſo aëre calefit; habet ergo immediatè à ſole illam maiorem intenſionem. Porrò intenſionem fieri per additionem qualitatis in eadem indiuiſibiliter parte, & non in diuerſis, liquet ex terminis.

§. 84. Quartò, Sol immediatè perſtringit oculorum aciem, eoſque facit conniuere, ergo poteſt agere in diſtans modo explicato. Probatur antecedens, quia ille effectus non prouenit niſi cum per lineam rectam oculos ſuffigimus Soli, ergo ille effectus prouenit immediatè à ſole: patet conſequentia, quia ſi proueniret à radio lucis per aëra diffuſo, illum præſtaret effectum, cum medium ipſum intuemur, tum quia per lineam rectam tale medium intuemur; quod ſi eam virtutem haberet, eam tunc exerceret: tum etiam, quia ſicut non pendet à linea recta Solis ad illuminandum, neque etiam penderet ad oculos perſtringendos.

SVBSECTIO III.

Diluuntur obiecta.

Sed primò obiicitur concluſioni, quia ſi iſta actio intenſior oritur immediatè à Sole, cum illamet numero non diffundatur per medium, ergo iam Sol immediatè agit in diſtans: ergo ſi non continuet actionem, etiam aget in diſtans: patet conſequentia, quia partes quibus continuatur actio in diſtans, ſunt omnino ab illa diſtinctæ, quid ergo iuuant remotiorem? Concedo primam conſequentiam, & ſecundam nego; cuius rei rationem à priori nullam habeo. Primam quidem concluſionem ſuis argumentis probaui. Secundam etiam ſuis, quæ cum à poſteriori ſint, rem probant; conciliare rationes non poſſunt: etenim experientia, facta probat, rationem factorum neque indicat: eſt tamen experientia philoſophiæ magiſtra: diſcurſus verò præceptor metaphyſicæ. Reſpondeo tamen iuuare continuationem, vt effectus non ſit omnino diſtans à cauſa, ſed illi coniungatur vel per ſe, vel per aliquid, à quo dependeat, vt videbitur concluſione tertia: vel cum quo continuetur, vt faciat vnum effectum. §. 85.

Obiicitur ſecundò Paulus actorum 17. num. 27. & 28. probans Dei præſentiam nobiſcum, quia operatur in nobis: *Non enim longè abeſt* (inquit) *ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.* aut ergo collectio Diui Pauli inepta eſt, aut omnino dicendum cauſam immediatè cum effectu coniungi, inquit, P. Molina ſupra ea diſp 2. §. 86.

Primùm reſpondeo cum Patre Vazquez diſp. 28. num. 14. primæ partis, ibi non agi de præſentia phyſica Dei, ſed de intentionali; Apoſtolus enim contendit Athenienſes arguere cæcitatis, cum Deum ignorent, qui eſt facilis cognitu, non enim longè diſtat à noſtra cognitione, cum ea illum poſſimus attingere, & quaſi palpare ex eius effectibus, quos palpamus, vt rectè oſtendit ac probat Lorinus noſter: Paulus enim nihil ibi curat de immenſitate Dei, ſed de vnitate, quam ait non longè abeſſe à cognitione noſtra, quia ex noſtris moribus cognoſci poteſt vnus primus motor, vt ea ratione Athenienſes reuocatos à à pluralitate deorum ad vnius, & veri Dei cognitionem adduceret: quod patet ex tota oratione Pauli. §. 87.

Secundò reſpondeo, eo argumento, ſummùm, probari noſtram concluſionem, Deum ſcilicet eſſe præſentem, & immediatum ſpatio, in quo operatur, ſecundum aliquam partem: at non probatur Dei immenſitas, quia ad agendum non requiritur penetratio in quauis parte ſubiecti, ſed contactu ſecundum aliquam, quare ſubiunxit, Apoſtolus, *non enim longe abeſt.* §. 88.

Obiicitur tertiò Pſalm. 138. vbi ait Dauid: *ſi aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vnde hæc formatur conſequentia. Deus eſt in cœlo, in inferno, & in extremis maris, quia illic operatur. §. 89.

§. 90. Sed Dauid ibi non probat præſentiam phyſicam Dei, ſed probat Deum per cognitionem vbique eſſe præſentem: quia eius lynceos oculos nihil latet, vt patet ex argumento Pſalmi, *Domine probaſti me, & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè, &c.* Vnde infert, ſe non poſſe latere oculos Dei in cælo, inferno, aut mari, quia cum ibi Deus operetur, rectè cognoſcit, quod operatur: quare vt dixit, *& tenebit me dextera tua*, protinus addit, *& dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Perlege Pſalmum, ſi placet, in quo commendatur intentionalis Dei præſentia in rebus omnibus, quam colligit Dauid, quia Deus res omnes operatur, cumque hæc operatio ſit per intellectum, omnia cognoſcit Deus. Lege Hieronymum tom. 8. & Genebrardum; Cardin. Bellarminus ſecutus Chryſoſtomum, & Eutymium cenſet argumentum eſſe de prouidentia Dei.

SVBSECTIO IV.

Tertia concluſio.

§. 91. Dico tertiò: agens creatum poteſt agere in diſtans actione diſſimili ab intermedia; ſed ab illa dependente, verbi gratia, Sol immediatè generat plantas, & mineralia, quorum generatio, licet pendeat ab alteratione medij, eſt tamen illius diſſimilis. Hæc aſſertio eſt Patris Suarez ſupra. Probatur ex dictis, quia Sol immediatè attingit diſpoſitiones neceſſarias ad talem actionem: ergo etiam attingit immediatè ipſam actionem ſubſtantialem. Patet conſequentia, quia ille effectus neque excedit virtutem actiuam Solis, neque ſphæram actiuitatis illius, cum ibidem Sol operetur, neque illa actio eſt independens à medio, quia ab illius alteratione dependet: quid ni ergo ad eam concurrat?

§. 92. Dices, eſſe actionem diuerſæ ſpeciei ab alteratione medij. At etiam maior intenſio lucis eſt diuerſæ rationis, & tamen fit immediatè à Sole in ſubiecto remotiori. Dices, maiorem intenſionem continuari cum præcedenti. Contra; quia illi gradus, qui excedunt in ſubiecto remotiori, non continuantur cum gradibus remiſſis corporis intermedij. Secundò Quid refert non continuatio, ſi aliunde pendet generatio ab intermedia actione? Dices, ad eam generationem non concurrere accidentia medij: ſed certè concurrunt diſponendo ſaltem in gradu remiſſo; quod verò non concurrant effectiuè, quid refert? An ne tollitur virtus actiua Solis, aut debita diſtantia, etiam ſi cum eo accidentia non concurrant? Certè non video cur Pater Suarez ſupra numero 31. cenſeat, dicendum eſſe neceſſariò ad actionem in remotum requiri etiam concurſum agentis intermedij; nam ſi agens habet virtutem producendi ſubſtantiam propinquam ſine concurſu accidentium, eamdem virtutem habet ad quamcumque diſtantiam intra ſuam ſphæram, quando per medium continuantur diſpoſitiones, quæ ſi deficerent, deficeret & generatio: quia agens impos ad diſponendum, erit etiam impos ad generandum. Verum quidem eſt non poſſe agens in ſubiecto remotiori agere actione, quæ vel non continuetur cum intermedia, vel ab illa non pendeat, alioquin ſe haberent omnino per accidens.

Sed quid erit in hoc caſu? calor diſponat lignum ſine concurſu ignis, ſitque lignum intra ignis ſphæram, anne tunc ignis comburet lignum? Nequaquam: quia tunc eſſet immediatè agere in diſtans, nihil agendo per medium: quia effectus caloris, non eſt propriè ignis effectus. Contra quam actionem ſunt probationes concluſionis primæ: requirtur ergo contactus phyſicus inter agens proprium, & paſſum, ſaltem ſecundum aliquam partem ſpatij intermedij. §. 93.

SECTIO VII.

De ſphæra actiuitatis.

Conſequitur hæc difficultas præcedentem. Agentia naturalia propter limitationem ſuæ virtutis non poſſe actionem protendere vltra diſfinitos limites, deprehenditur experientia; qua videmus lucernam vltra certum ſpatium nihil illuminare, cum illuminatio nec contrarium habeat nec reſiſtentiam negatiuam, quia nullum corpus opacum interiicitur: immo à proportione maioris, vel minoris diſtantiæ eſt actio maior aut minor, orta ab ipſa luce. §. 94.

Quam experientiam hæc ratio difficilem reddit. Lucerna quando immediatè in ſe ipſa, & in linea ſibi immediata lucem producit vt *octo*, & in diſtanti linea lucem vt *ſeptem*, non eſt mirum, quia cum agat continuè per medium, deficit agendi virtus: at verò lux exiſtens in linea proxima lucernæ, cur non producit in parte ſibi immediata tantumdem lucis, quantum ipſa habet, cum habeat virtutem actiuam? rurſus, illa ſecunda lux producta cur non producit aliam ſibi æqualem in parte immediata? Vnde exigua lucerna ſufficeret ad illuminandam totam Pompelonam, & in quauis eius parte legi poſſet. Confirmatur, ſi lux illa immediata lucernæ, eſſet ſine lucerna, proculdubio produceret aliam æquè intenſam, & ſic de alijs lucibus: cur igitur eamdem non producet vnita lucernæ, vel continua cum alia? §. 95.

Dices primò, in aëre eſſe reſiſtentiam negatiuam: ſed hoc non capio: luci enim quippe quæ contrario careat, nulla poteſt eſſe in aëre reſiſtentia, quem ſuppono in noſtro caſu æqualiter eſſe diaphanum: in contrariis qualitatibus id rectè percipitur propter mutuam contrarietatem: ſolet enim tantum reſiſtere vna qualitas, vt ſuæ contrariæ impetus frangat, vireſque retundat: at in aëre æqualiter diaphono, & diſpoſito reſpectu lucis nihil tale reperies. §. 96.

Dices ſecundò, lucem exiſtentem in lucerna immediatè producere aliam æquè intenſam ſecundum ſe, ſed non productiuam tantumdem lucis quantum ipſa habet. Sed hoc non capio: ſi enim lux vt octo producit lucem, vt octo, hæc tua lux cur non erit productiua lucis alterius æqualis, nam potentia productiua in luce non eſt diſtincta realiter ab ipſa luce. Præterea lux producens, & producta ſunt eiuſdem ſpeciei, & per ſe in eodem gradu: ergo tantam virtutem habet vna, quantam altera: nam ex diuerſitate potentiæ actiuæ colligimus diuerſitatem ſpecificam rerum. §. 97.

Ego quidem dicerem, nullam qualitatem eſſe productiuam alterius in eodem gradu intenſionis, quem ipſa habet, ſed calorem vt *tria*, verbi gratia, habere virtutem producendi calorem vt *duo* tantum, ſicque à proportione maioris diſtantiæ tam §. 98.

tam exiguum gradum lucis produci in vltima linea, vt ratione minimi naturalis non poſſit alium producere. Hic modus probatur, quia ita quotidie experimur, nec eius alia poteſt ratio ſufficiens adduci.

§. 99. Secundo, quia radius ſolis non eſt productiuus alius radij, ſed lucis minus intenſæ alioquin, cur non illum produceret quando producit lucem remiſſam? ſi enim eſſet productiuus lucis intenſæ, ſicut eſt remiſſæ, vt hanc producit in lateribus lineæ rectæ, qua producitur à Sole, etiam produceret illam, vel nullam poſſet. Sicut viſuales ſpecies nullam nec remiſſam producunt, niſi per lineam rectam: ſecus ſpecies auditus tam intenſæ fiunt in linea obliqua, quàm in recta, idémque patet in calore, qui in manu non producit tantum, quantus ipſe eſt in igne. Quod patet, quia etiam ſubſtantia quo pauciores habet partes, minus operatur, & tam paucas poteſt habere, vt nihil omnino producat. Confirmatur, quia lux remiſſa nullum producit gradum caloris, quem quidem produceret, ſi haberet plures partes intenſionis. Huius ſententiæ videtur eſſe Pater Suarez, primo metaphyſicæ diſput. 18. ſectione 9. num. 26. & maxime 34.

§. 100. Obiicis primò: calor exiſtens in ferro producit calorem æque intenſum in ſtupa, quam comburit: ergo. Negatur antecedens; quia ſtupa propter ſiccitatem minori indiget calore ad concipiendum ignem, at hic latet in ferro, vt ex communi philoſophorum docet P. Suarez ſupra numero 29.

§. 101. Obiicis ſecundò; deuenietur ad aliquem gradum, qui ex ſe non ſit actiuus. Nego conſequentiam, quia, cum quiuis gradus ſit infinitè diuiſibilis, ſignata quacumque parte remiſſa, poteſt producere aliam remiſſiorem, ſed illa potentia non reducetur in actum, quia ille gradus remiſſus non eſt vnitus gradui intenſiori, & ratione paruitatis impeditur actio, quia aliqua multitudo partium eſt conditio neceſſaria ad agendum, vt etiam patet in ſubſtantia.

§. 102. Sed poſſet inquiri, an lux intermedia producatur ab agente principali? an verò ab alia luce? Reſpondeo, lucem intermediam produci immediatè à luce, ſibi immediata, vſque ad illum gradum, quem lux proxima poteſt producere: intenſiores verò gradus immediatè produci ab agente principali, Sol, verbi gratia, in linea immediata producit lucem, vt *octo*, ſimiliter & in parte remotiori, lux vt *octo* eſt productiua lucis vt *quatuor* tantum: concurrat ergo ad lucem proximam vſque ad illos quatuor gradus, cæteri quatuor à ſolo producuntur Sole, quia vbi eſt cauſa vniuoca commodius agitur effectus per illam: ea tamen actio continua eſt, quia omnes illi gradus ſunt continui. Hac de re iterum agetur ſectione nona. Vnde concluſio ſupra ſectionis tertiæ, intelligitur in hoc ſenſu, vt inde patet, nempe à ſubſtantia in ſubiecto diſtincto non produci accidens, ſcilicet, in eo gradu, quo poteſt ab accidente produci. Quod ſi hæc ratio pro communi ſententia non placet, quæratur alia, quam lubens audiam, & ſequar, ſi & mihi placuerit.

§. 103. Concluditur ergo agentium ſphæra: quia qualitatibus paulatim decreſcit virtus actiua. Subſtantiæ verò operantur per ſe à proportione maioris diſtantiæ inæqualiter, vnde quæuis diſtantia eſt per ſe cauſa remiſſioris actionis. Per accidens autem ob incapacitatem, aut indiſpoſitionem ſubiecti proximi non ſeruatur ea inæqualitas, & in parte remotiori ſit intenſior actio, quàm in proximiori. Quod quamuis ita ſit, rectè poterit agens Sol, aut ignis, producere ſimul ignem in parte proxima & remota: quia ſimul ſit in vtraque vltima diſpoſitio neceſſaria, quia illa non excedit intenſionem, quam in parte remota æquè diſpoſita poteſt attingere ignis; quando autem per accidens qualitas in parte proxima eſt remiſſa, poteſt fieri intenſior à ſubſtantia in parte remotiori.

SECTIO VIII.

Diſtinctio agentis à paſſo.

Perſequimur conditiones efficientis cauſæ, & patientis. Pater Suarez. 1. metaphyſicæ, diſp. 18. ſect. 7. latè probat aliquam diſtinctionem eſſe inter agens, & paſſum ea duntaxat ratione ductus, vt defendat hanc Ariſtotelis propoſitionem, *omne quod mouetur, ab alio mouetur*, quæ, cum falſa ſit comparatione cauſarum ſecundarum (nam omne quod mouetur, à Deo mouetur vt à cauſa vniuerſali, à qua phyſicè pendet omnis motus) male poteſt defendi, ipſeque P. Suarez, re eam negat, licet per multa folia eam verbis explicare conetur, vt patet ex numero 54. In quam propoſitionem vniuerſi conſpirare Thomiſtæ, quia idem non poteſt ſimul eſſe in actu, & potentia; quia haberet actum, & illo careret. Verum hæc probatio clariſſimè aduerſatur S. Thom. 1. p. q. 77. artic. 6. vbi probat, potentias animi ab ipſo produci, quia *ſimul eſt in actu & potentia ad illas*; cuius verba retuli ſectio. 3. §. 104.

Vnde retorqueo argumentum. Eadem res poteſt eſſe in actu primo continente eminenter effectum, & cum priuatione, & in potentia paſſiua ad talem effectum formaliter: ergo hinc non repugnat idem eſſe agens, & paſſum: antecedens probatur primo, quia formaliter non ſunt idem actus primus & ſecundus: ergo poteſt eſſe vnus ſine alio. Secundo in potentia vitali voluntatis, verbi gratia quæ quando non amat, habet virtutem amandi, ideſt, amorem in actu primo, & tunc non habet amorem, ſed eſt in potentia & cum priuatione illius: ergo vna res poteſt ſimul eſſe in actu primo, & in potentia paſſiua reſpectu eiuſdem effectus, vt Sol eſt actus primus ad illuminandum, & ſæpe caret actuali illuminatione aëris: ergo idem eſſet reſpectu ſui, quia non magis repugnat ex conceptu exiſtendi in actu primo actiuo, & in potentia paſſiua. §. 105.

Vnde argumentor ſecundo: quia grauia, & leuia ſe mouent localiter, & aqua ſe infrigidat: ergo inter agens creatum, & patiens non requiritur diſtinctio realis. Dices eos motus prouenire à generante. Contra, quia ridiculum eſt eas actiones phyſicè, & propriè manare à generante quod vel longè abeſt, vel interiit. Deinde ipſa grauitas verè ſe mouet: item potentia loco motiua, qua Angelus ſe mouet liberè, non eſt producentis, ſed ipſiuſmet Angeli: at illa etiam ſe mouet, quia moto Angelo ipſa non manet immota. Dices, eam moueri per accidens. Contra, quia ſi non repugnat eam moueri per accidens, neque illi repugnabit motus per ſe, quia nec per accidens poteſt idem eſſe *in actu ſimul & potentia ad* eumdem effectum. §. 106.

Tertiò, potentiæ vitales ſe ipſas mouent per ſe primò: ergo. Probatur antecedens, quia ratio, per quam ſe Angelus mouet vitaliter, ſunt ipſæ §. 107.

potentiæ

potentiæ vitales, à quibus per ſe primò & immediatè oritur actio: & in quibus per ſe primò recipitur, ſiue à ſubſtantia realiter diſtinguantur, ſiue non.

§.108. Ad propoſitionem Ariſtotelis reſpondeo, eam eſſe falſam vniuerſim ſumptam: veram autem in actionibus cauſæ vniuocæ; quia hæc non poteſt producere in ſe effectum; quia illum iam habet. Calidum non ſe poteſt calefacere; quia non habet priuationem caloris. Deinde recurrendo ad cauſam primam vera eſt propoſitio, quia quidquid mouetur, à Deo mouetur, cum ille motus immediatè procedat à Deo, in quo ſenſu à nonnullis accipitur vt principium ad demonſtrandam exiſtentiam Dei.

SECTIO IX.

Diſsimilitudo agentis à paſſo.

§.109. DE diſſimilitudine agentis videndus eſt P. Suarez diſput. 18. ſect. 9. ex quo aduerte duplicem ſimilitudinem; alteram vniuocam, ſeu formalem, vt inter duo calida, alteram æquiuocam, ſeu eminentialem, vt inter lucidum & calidum, quæ ſimilitudo intercedit inter effectum & cauſam æquiuocam, quæ operatur per virtutem perfectiorem, quàm effectus. Rurſus vtraque ſimilitudo poteſt eſſe in ſubſtantia vt inter duo calida, vel inter lucem & calidum, vel etiam in gradu, vt inter calida vt duo. Cum ſimilitudine in ſubſtantia ſtat aliquando diſſimilitudo in gradu, vt calida vt duo, & vt tria ſunt ſimilia in ſubſtantia, & diſſimilia in gradu, & cum ſimilitudine in gradu ſtat diſſimilitudo in ſubſtantia, vt calidum & frigidum vt duo ſunt ſimilia in gradu, diſſimilia in ſubſtantia.

§.110. Item diſſimilitudo conſiderari poteſt ante ipſam actionem, vel poſt. Non agitur de ſimilitudine poſt actionem: Certum eſt enim agens, & paſſum poſt actionem eſſe ſimilia, quia in paſſo relinquitur forma, fundamentum talis ſimilitudinis; neque eſt minus certum, paſſum ante actionem debere eſſe diſſimile agenti, vel in ſubſtantia, vel in gradu, ideſt, ſubiectum debere carere ea forma, quam agens conatur inducere, quia priuatio formæ (vt patet ex diſput. 1.) eſt vnum generationis principium, quod non ſolum eſt intelligendum de priuatione formæ exiſtentis in agente, ſed de tota ſpecie talis formæ, vel ſaltem de gradu: eſt enim commune philoſophorum axioma, *agens conatur facere ſibi ſimile*, item *ſimile non agit in ſimile*: vbi autem reperitur talis ſimilitudo, illi nihil reſtat agendum. Confirmatur, non fit calidum ex calido, ſed ex non calido, aut ex frigido, aut magis calidum ex minus calido. Item ſequeretur rem eamdem poſſe in ſe ipſa agere formam omnino ſimilem ei, quam habet, vt aquam frigidam ſe infrigidare, immo ſe calefare ſi ſemel habeat vnum gradum caloris. Tandem, quia producere formam ſimilem præexiſtenti in ſubiecto non ſeruit alicui rei: non extenſioni, quia hæc fit in diuerſa parte ſubiecti: non intenſioni, quæ non fit ab agente remiſſiori; cui ergo deſeruit? patetque in igne non producente ignem in alio igne: ſed in ligno; vnde communis eſt philoſophorum ſenſus, *duo accidentia ſolo numero diſtincta non poſſe ſimul eidem ineſſe ſubiecto.*

§.111. Contra primò, quia duæ ſpecies intentionales ſolo numero diſtinctæ, & duæ cognitiones de duobus indiuiduis eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe in eadem potentia ſimul: ergo & duæ qualitates ſimiles; patet conſequentia, quia ſicut imprimens ſpecies agit in ſimile, ita & quoduis agens.

Negatur conſequentia, quia ſpecies intentionales proprium habent munus diſtinctum: vnaquæque enim ſuum repræſentat obiectum, nulla enim ex illis præſtare poteſt quod alia, nam ſpecies aut cognitio de ſolo Petro non repræſentat Paulum. Ad probationem negatur ea ſimilitudo, imprimens enim ſpeciem Petri non agit in ſimile, quia ſpecies Pauli, quam habebat non eſt repræſentatiua Petri, verum eſt non poſſe imprimi vnam ſpeciem Petri ſi alia eiuſdem præexiſtat in ſubiecto, niſi vna ſit directa, & alia reflexa, quia iam habent diuerſum munus repræſentandi obiectum à tergo, vel à fronte: vt qui videt Petrum directa ſpecie, quia illum habet è regione; deinde interiectu duorum ſpeculorum è quorum altero ſpecies refrangantur in alterum, & ex hoc in viſum: illum videt quaſi in diſtincto loco per ſpeciem ex ſpeculo refractam in viſum. §.112.

Contra ſecundò, quia ſæpe idem agit in ſe ipſo per eamdem qualitatem, vt patet in Antiperiſtaſi. Hac in re dico cum P. Suarez ſupra numero 18. Antiperiſtaſim fieri ab aliqua forma ſuperiori, ſe reducenti ad ſuum connaturalem ſtatum ob remotionem alicuius contrarij circumſtantis, vt aqua putealis ſe verè infrigidat, quia per verum calorem exhalantur è puteo calidi vapores, qui aquam hyeme calefaciebant, quibus exhalatis propter aëris raritatem, ipſa aqua ſe infrigidat, quod contingit in vaſe Soli obiecto, è cuius poris vi caloris egrediuntur calidæ exhalationes: idem eſt proportione dicendum de alijs. §.113.

Contra tertiò, quia agens denſius paſſo, non tamen intenſius, poteſt in illo operari: quia agens habet plures gradus numero in quibus eſt diſſimile paſſo: ergo duo accidentia poſſunt eſſe ſimul. Sed primùm iam requiris diſſimilitudinem aliquam, quod intendo. Nam illa raritas diſſimilis eſt denſitati: deinde id eſſe falſum probatur, tum quia non faceret ſibi ſimile, ſed diſſimile (vt obſeruat P. Suarez) quia in eamdem partem induceret plures gradus, quam ipſum habet: tum quia illa diuerſitas non ſe tenet ex parte formarum, ſed ex parte ſubiectorum, quod per accidens eſt ad agendum in ſimile. Tandem, quia tria agentia ſimilia poſſent agere mutuo in ſe, v g. *A*, *B*. calida vt quatuor in *C*. calidum vt quatuor: Item *C*. & *B* in *A*. quod eſt ridiculum. §.114.

Contra quartò, quia in reflexione aër remiſsè lucidus producit lucem intenſiorem in ſubiecto denſo. Iam patet ex ſect. 6. maiorem intenſionem eſſe immediatè ab agente principali, vt lucem ſpeculi à luce Solis, & lucem reflexam ab ſpeculo à luce ipſius ſpeculi produci. §.115.

Poteſt inquiri, vtrum aër ex actione reflexa fiat magis calidus? & à quo agente? v. g. vtrum aër immediatus parieti magis incaleſcat à pariete? Reſpondeo affirmatiuè, quia paries, aut corpus denſum impedit illum aërem latè diffundi, illumque tuetur ab incurſione aëris exiſtentis in contraria parte. Ille calor prouenit à corpore denſo vſque ad gradum illum quem poteſt producere; vt patet quando quis iter facit noctu inter duas rupes, aut per loca ſaxea: ſentit enim tam vehementem calorem vt pene ſuffocetur, quando verò aër eſt calidus vltra gradum, qui poteſt à corpore denſo produci, illa maior intenſio prouenit immediatè ab agente principali, eo pacto, quo explicui ſectione 7. §.116.

Inquiris

§.117. Inquiris ſecundò, vtrum aër tunc ſit lucidior? Reſpondeo affirmatiuè, quia eſt craſſior: ſi tamen craſſior non ſit, nec eſt calidior, neque lucidior; quia agens principale cum in corpore denſo remotiori maiorem lucem producat, eam etiam produceret in aëre, ſi haberet capacitatem. Alia de ſimilitudine multorum agentium iuuantium ad maiorem intenſionem diſcutiemus in libris de generatione agentes de intenſione qualitatis diſput. 5.

SECTIO X.

De reſiſtentia paſſi.

§.118. RESiſtentia eſt *impedimentum, quo potentia ab alio retardatur ab agendo.* Diuiditur in poſitiuam, & negatiuam. Poſitiua eſt *actio qua paſſum reagendo in agens, ſe vindicat, illius vires infringens:* vt cum nix infrigidat ignem, ne ab ipſo calefiat, quod non eſt tam reſiſtere, quàm agere. Negatiua eſt *incompoſſibilitas effectus ab agente prouenientis cum aliqua forma, aut proprietate patientis:* vt incompoſſibilitas albedinis cum nigredine, frigoris cum calore, huis corporis cum illo in eodem ſpatio. Hæc eſt propriiſſimè reſiſtentia, & eſt poſitiua, quia formaliter vna forma alteri repugnat, ſed quia hæc repugnantia eſt ſine actione formali, ideo *priuatiua* vocatur. Hanc non conſiſtere in actione inde probatur, quia albedo non eſt actiua in nigredinem, & vna alteri reſiſtit, & ſiccitas nihil agit in ignem, & per illam terra igni reſiſtit, & lapis exiſtens in terra nihil agit in lapide ſuper illum cadente, & tamen illi reſiſtit: ergo hæc reſiſtentia eſt ſine actione. Ratio eſt, quia vnio formæ reſiſtentis talis eſt naturæ, vt per ſe ipſam ita ſubiectum afficiat, vt ab eo dimoueri facilè nequeat, licet ipſa nihil ſit actiua.

§.119. Dices, lapidem cadentem aliquid pati à iacente, quia ex illius colliſione comminuitur. Verum illa lapidis fractio non prouenit niſi ab impetu, quem illi mouens impreſſit, qui impetus, cum ſit productiuus motus localis, eum producit in omni parte, in qua exiſtit, & quia à lapide iacente impeditur, ne motus deorſum fiat, ideo impetus ſua efficacia diſtrahit partes, ac diuidit in varia loca: quia vel propter mobilis grauitatem, & figuram, non poteſt illud retrahere, & facere reſilire, vt trahit globum leuem, qualis eſt pila, vel etiam ſi ſit grauis vt ferrea glans, quæ propter rotunditatem figuræ non poteſt impetu frangi.

§.120. Nec poſſumus negare, qualitates actiuas minus habere reſiſtentiæ, quo plus habent actiuitatis, tum quia experimur ſiccitatem eſſe parum actiuam, vt patet in terra, & multum reſtitiuam, vt patet in morbo in ſiccitatem inclinante; qui difficile curatur, quia medicamentorum reſiſtit efficaciæ: tum, quia ſi vis actiua eſſet æqualis reſtitiuæ, non poſſet eſſe reactio, quia, ſi ignis reſiſtit aëri æquè, ac in illum efficit, cum illum ſuperet in actione, etiam ſuperabit in reſiſtentia; vnde aër non poterit ſua actione ignis reſiſtentiam ſuperare, neque in illum reagere. Ratio diſcriminis eſt, quia reſiſtentia ſumitur ab immobilitate formæ à ſubiecto, quæ magna eſſe poteſt, etiam ſi forma vel parum vel nihil ſit actiua, vt in calore: item poteſt talis immobilitas eſſe exigua, licet ſit magna virtus agendi. Solet autem maior reſiſtentia prouenire ratione denſitatis, & duriciei, per quam multæ partes condenſantur, quæ quo plures & coniunctiores ſunt, facilius ſe tuentur, quia agens difficilius operatur in tam multas ſimul, & quia calor eſt actuale principium raritatis, frigus autem denſitatis, ea ratione ignis reſiſtit minus, quam terra: licet ſit actuoſior: hac de cauſa ſerra difficilius diuidit lignum, quia propter ſuam groſſitiem tangit plures partes ligni, difficilius (inquam) quam acus, quæ, quia per paucas attingit partes, facilius eas diſiungit, ſic inſtrumenta acuta facile ſecant corpus denſum, quod difficillimè ſecarent inſtrumenta plana, aut alterius figuræ: è contra verò corpora rariora communiter minùs reſiſtunt, quia illorum partes minùs ſe iuuant, vt patet in igne. Vnde ſiccitas non tam ratione ſui, quam ratione denſitatis, aut duriciei reſiſtit: ignis enim eſt ſiccus, item & terra, ſed quia hæc eſt denſa, rarus ille, ea de cauſa plus reſiſtit terra, quàm ignis.

Efficit quidem reſiſtentia, ne agens ſubito paſſum ſibi aſſimilet: at verò totum paſſum non vinci, & aſſimilari perfectè agenti, non efficit: vt cum ignis comburit ferrum, aut ſtupam. Item qualitates actiuæ inducunt ſæpe in ſubiectum totam latitudinem graduum, quam poſſunt producere, tantam verò quantam ipſæ habent, ſi non producunt, non prouenit ex reſiſtentia, ſed quia (vt dixi ſect. 7.) non habent vim productiuam maioris gradus, vt enim aliquæ non ſunt actiuæ, ita aliæ non ſunt actiuæ alterius æquè intenſæ, nihilominus eſt cauſa vniuoca, quia eiuſdem ſpeciei completæ cum gradu à ſe producto. §.121.

Rogas, cur prouenit à forma, vt cum primum applicatur agens poſſit inducere primum gradum qualitatis contrariæ, & non totam qualitatem? quia plus reſiſtit forma contraria toti contrariæ qualitati, quam primo gradui, ad quem non requiritur tanta virtus actiua, quanta ad totam: quemadmodum lignum facilius patitur ſectionem minutulæ partis, quàm ingentis. §.122.

Sed eſt ſubtilis difficultas, an agens quod in primo inſtanti ſuæ applicationis ad paſſum nihil in illud producit, propter paſſi reſiſtentiam, ſi poſt illud inſtans nihil virtutis agens acquiſiuit, nec paſſum reſiſtentiæ, an (inquam) poſſit poſt aliquod tempus agere? Partem affirmantem tenet aliquis: quia agens continuo applicatum conatur in contrarium, qui conatus tamdem contrarium vincit. Secundò, quia ſi ſemper continuè ageret in paſſo, certè æquè velociter agerent agentia remiſſum & intenſum. Tertiò argumentor: ergo vnum lapidem ponamus ſuper lignum, lapis non ſubito neque per duos annos lignum fregit, ac diuiſit ſuo pondere, diuiſit tamen poſt tres annos: ſic argumentor, lapis ille nihil omnino fecit in ligno toto biennio, & tamen propter continuum conatum grauitatis in centrum vicit ligni reſiſtentiam in triennio: ergo. §.123.

Huic ſententiæ haudquaquam acquieſco: quia tantum eſt excogitata ad defendendas morulas imperceptibiles motus continui localis, quæ morulæ ſicut ſunt imperceptibiles, ſic ſuos auctores in opiniones omnino imperceptibiles impulere. Ratio à priori eſt, quia ſi agens in primo inſtanti nihil egit, quia eius actiua virtus non potuit vincere reſiſtentiam paſſi: ergo niſi virtus agentis augeatur, aut minuatur reſiſtentis in ſecundo inſtanti nihil efficiet. Probatur conſequentia, quia in ſecundo inſtanti actiua virtus & paſſiua ſunt æquales ſicut in primo, ergo ſicut in primo inſtanti reſiſtit omnino agenti ita in ſecundo. Conatus autem ille, quem tu fingis, quid eſt? non eſt aliquid §.124.

aliquid in paſſo productum: quia per te nihil produxit agens, neque eſt maior virtus in agente, quia eſt contra caſum quæſtionis: quid ergo eſt præter ipſum agens applicatum? at hoc in ſecundo inſtanti non eſt fortius, quàm in primo: ergo ille conatus nihil refert. Confirmatur: ſupponamus agens de nouo applicari illo ſecundo inſtanti, & non priori; tunc nihil ageret propter rationem ob quam nihil egit in primo: ergo etiam ſi præceſſerit applicatio in primo inſtanti, non operabitur in ſecundo, quia præcedens applicatio eſt ac ſi non eſſet, quia neque virtutem auxit agenti, neque minuit reſiſtenti: ergo illa virtus eſt inſufficiens ad agendum in ſecundo inſtanti.

§.125. Explicatur communi exemplo, conetur aliquis parietem demoliri, in illum bombardam explodat, quæ primo ictu nihil omnino egerit in pariete magis quàm ſi non eſſet exploſa; explodatur ſecundo in eumdem parietem eodem modo reſiſtentem, & vis bombardæ non ſit maior in ſecundo ictu, quàm in priori, certè per ictum ſecundum non magis efficiet quàm per primum quia *idem ſemper idem natum eſt facere ſemper idem*; ergo ſimiliter, licet continuo explodereutur bombardæ, niſi maiori virtute glandes proiicerent, nihil in pariete efficeretur, quia illa continuatio non auget bombardarum virtutem: ſi enim augeret, iam in ſecundo inſtanti eſſet maior virtus actiua quàm in primo, quod eſt contra caſum. Quod ſi bombarda prima vice exploſa non egit magis quàm ſi non exploderetur, quid prodeſt ad demoliendum murum ſecundæ exploſioni magis quam ſi non præceſſiſſet prima? Vel magis, quam ſi poſt centum annos ſecunda vice exploderetur? anne noſtri Pompelonenſes muri corruent poſt centum annos per bombardas exploſas, quia tempore Imperatoris in eos fuerunt exploſa tormenta, quæ nihil effecerunt magis quam ſi non eſſent exploſa? Ita contingit in motu locali, ſi in ſecundo inſtanti interruptus eſt motus propter medij reſiſtentiam, & in illo inſtanti mobile non acquirit maiorem virtutem, nec ſpatium reſiſtentiam amittit: ergo in tertio inſtanti etiam motus interrumpetur eamdem ob cauſam, donec virtus augeſcat, aut decreſcat reſiſtentia, quod videtur ex terminis patere. Ratio igitur ob quam in ſecundo, & tertio inſtanti agit, eſt, quia cum in primo inſtanti aliquid egerit iam diminuit reſiſtentiam expellendo formam contrariam ſicque paſſum paulatim vincitur: ſi quando verò interrumpitur actio, non continuatur, niſi aut aliunde aucta virtute, aut reſiſtentia diminuta.

§.126. Ad primum, in §. 123. patet illum conatum nihil cauſare. Ad ſecundum, primo negatur conſequentia: in continua enim actione eſt magis, & minus pro maiori agendi virtute (vt probatur diſp. 15.) Secundo reſpondetur, idem ſequi in prima opinione, quia etiam in illis inſtantibus conatur agens remiſſum. Ad tertium reſpondetur, toto illo tempore à lapide aliquid imprimi ligno, ſcilicet, impetum à grauitate, qui impetus propter reſiſtentiam fuit admodum exiguus, nec potuit depellere lignum antequam per continuationem fieret maior: vt experimur cum manum ſupponimus oneri, quæ paulatim deprimitur; quia per ſingula momenta incrementum capit impulſus, quod ſi lapis à principio nihil impreſſit ligno, neque etiam poſtea imprimet, donec reſiſtentia ligni aut humiditate, aut aliunde minuatur. Quod ſi aliunde id non proueniat, ſic perpetuo durabunt vt magnæ ædificiorum moles non corruunt, niſi ob extrinſecas temporis iniurias.

Hic ſolet diſputari, vtrùm actio procedat à proportione maioris inæqualitatis? id eſt, vtrum per totam ſphæram agentis ſit minor actio quo plus diſtat ab agente? Ex dictis ſect. 7. reſpondetur; quando agens inuenit per totam ſphæram ſubiectum capax omnium graduum, quos poteſt producere, actionem eſſe minorem, quo longius diſtat, ſed non ita debet intelligi vt à linea immediata incipiat minui ſenſibiliter, ſed, v.g. in toto vno palmo operatur vniformiter vt octo; ad ſenſum: qui non percipit remiſſionem exiguam. In ſecundo, vt ſeptem, &c. Quando verò ſubiectum intermedium eſt incapax omnium graduum, in toto illo operatur ex ſe vniformiter; quia totum illud, quod operatur, adhuc eſt minus quàm quod operaretur in diſtantius ſubiectum, ſi modo eſſet aptius, vt Sol æqualiter illuminat aërem, & intenſius ſpeculum remotius. Dixi *ex ſe*, quia tam longa poteſt aſſignari ſphæra, vt ratione diſtantiæ non poſſit operari plus in ſubiecto ex ſe capaci, quàm in incapaci; vt aër & ſpeculum tantum poſſunt diſtare ab igne, vt æqualiter illuminentur: quando autem in medio eſt reſiſtentia, eam vincet agens diu perſeuerans. Vnde ſi Sol diutius duraret in noſtro hemiſphærio, æquè calefaceret aërem diſtantem à pariete ac calefacit coniunctum parieti. Modo verò id non facit, quia ad vincendam reſiſtentiam medij requirit diuturniorem præſentiam, niſi forte aër iuxta parietem ſit craſſior, quam ob cauſam intenſius calefiet. De reſiſtentia videt P. Suarez, 2. met. diſput. 43. ſectione 1. à num. 7. & Conimbricenſes, 1. de generatione, cap. 9. quæſt. 3. art. 3. §.127.

SECTIO XI.

De Reactione.

FRequens eſt philoſophis propoſitio, *Omne agens agendo repatitur*: eſt autem repaſſio *recipere ex ſubiecto, in quo agit aliquam qualitatem*: reactio autem eſt *agere in ſubiecto, quod in ſe etiam agit*; ſiue repaſſio eſt *mutua paſſio*; reactio verò *mutua ſeu reciproca actio*. Hoc agendi genus non conuenit rebus materia diuerſis, vt cœlum nihil ab igne repatitur, licet ignis patiatur à cœlo, neque in agentibus perfectiuis, vt lux nihil repatitur ab aëre, neque ſpecies impreſſa à viſu: eſt igitur reactio inter agentia per contrarias qualitates, quarum eſt capax vtrumque agens. Fit dupliciter: primò agendo vnam qualitatem & recipiendo aliam diuerſæ ſpeciei non contrariam, vt calidum calefacit aquam, & ab ea humectatur: vel per qualitates contrarias, vt ignis calefacit niuem, à qua infrigidatur, poteſt etiam agere per vnam partem, & repati per aliam, vel ſimul per eamdem agere, & repati. §.128.

Omnibus his modis fieri reactionem eſt opinio Ariſtotelis, & aliorum, quos P. Conimbricenſes illa quæſtione 3. referunt, & ſequuntur: quæ vt communior ita & vera, tum experientia, videmus enim ferrum calidum in aquam immerſum infrigidari, & aquam ab eodem ferro incaleſcere, linteum calidum à manu hominis frigeſcere, & manum incaleſcere à linteo: alimentum agere in viuens, & viuens in alimentum: ferrum frigidum imprimere humanæ fronti frigus, frontem calorem ferro: niuem totam diſſolui ab igne, §.129.

igne, igneum temperari calorem ob niuis frigiditatem; dies me potius, quàm exempla deficient. Tum ratione; calidum verbi gratia, vt octo, applicatum frigido vt ſeptem, habet virtutem producendi in eo frigido calorem vt vnũ: item frigidum poteſt inducere in calidum frigus vt vnum: ergo ſi hæc duo agentia applicentur ſimul, vtrumq; aget: patet conſequentia, quia licet calidum remittat ſeptimum gradum frigoris, remanent in frigido ſex gradus frigoris, qui gradus poſſunt producere vnũ, idémque fit in calido: ergo vtrumque ſimul aget.

§.130. Confirmatur primò, ſi tunc frigidum non ageret in calidũ, certè ab illo pateretur primum gradum caloris: qui eſt compoſſibilis cum ſex gradibus frigoris: ergo etiam ſi frigidũ agat in calidum, ab eodem nihilominus patietur illũ primum gradum, quia per frigidi reactionem non pellitur à calido virtus agẽdi primum gradum caloris. Confirmatur ſecundo: Demus lucem vt quatuor producere in aqua calorem vt vnum: ergo ſimiliter calidum vt octo eamdem calefaciet vt vnum, licet ab illa repatienda amittat gradum octauum caloris. Confirmatur tertiò, quia ex pugna elementorum quãdo neutrum perfectè vincitur, oriuntur mixta, ſignum eſt ergo inter elementa mutuam eſſe pugnam: oſtendã autem in Metaphyſica contra Gregorium Ariminenſem, & Paulum Sócinatem non eſſe incompoſſibiles qualitates contrarias in gradu remiſſo: admiſſa autẽ ea ſententia adhuc alias qualitates mutuo acciperent agentia contraria, quas quidem experimur, & vocamus contrarias remiſſas: hi autem alio vocabulo eas nuncupant.

§.131. Sed contra primò: quia cõtraria vel ſunt æqualia in actiuitate, & reſiſtentia, ſic autem nulla poteſt eſſe actio: vel ſunt inæqualia, at ſic infirmius non poterit agere in potentiori: ergo. Reſpondetur reactionẽ eſſe inter inæqualia; negatur tamen, non poſſe infirmius agere in potentiori; quia, licet ſit in agendo infirmius contrario, tamen, quia contrarium minus reſiſtit, poteſt in eo reagere, quia vincit eius reſiſtentiam: vnde ſumitur proportio maioris inæqualitatis, cõparando potentiam actiuam agentis cũ reſiſtiua patientis; non verò vtriuſque potentiam actiuam, aut reſiſtiuam vtriuſque.

§.132. Contra ſecundò, quia ſequeretur eamdem partem habere qualitates contrarias in gradu intenſo, quia nix, verbi gratia, infrigidat vnam partem ignis ſibi proximam, quam tamen calefaciunt aliæ partes eiuſdem ignis. Negatur ſequela, quia totus ignis non ſufficit ad reſiſtendum frigefactioni, neque etiam ſufficit ad calefaciendum illam partem, donec per continuam actionem contrarij vires infringat.

§.133. Argues ſecundo, pro eadem ſequela, quia omnes partes ignis, & niuis, v. g. ſunt intra ſphæram ſuæ actiuitatis; demus à partibus remotis ignis calefieri niuem. Rogo, vtrum eamdem calefaciant immediatè partes remotiores ignis, quin calefaciant partes intermedias ipſius ignis? quod eſt agere immediatè in diſtans, vel calefaciunt niuem, ſimul calefaciendo partes ignis medias, tunc ſic: ergo illæ partes ignis intermediæ retinent contrarias qualitates, calorem intenſum acceptum ab aliis partibus, & frigus remiſſum acceptum à niue. Idem argumentum eſt de frigiditate niuis. Hæc difficultas probat noſtram ſententiam, qua ſect. 6. aſſerui poſſe agens naturale per omnes ſuas partes agere immediatè in tota ſphæra, licet eam non tangat niſi per vnam lineam: vnde in eo caſu omnes partes calidi producũt immediatè calorem in niue, & tota nix producit frigus in igne, vt in communi dixi ſectione illa 6. non tamen calefacit ignis partem infrigidatam à niue, quia nix vincit reſiſtentiam ignis in illa parte. Quod verò hic aſſerunt nonnulli, calorem partis remotioris ignis conſeruari à calore partium proximarum, effugium eſt ad illudendas rationes pro noſtra ſententia ſectione illa 6. nam ille calor partis remotioris conſeruatur in prælio ab eodem agente, à quo ante prælium conſeruabatur, quia ad eam conſeruationem habet virtutem æquè applicatam, cur ergo non conſeruatur ab eodem, ſed mutat agentia? eſt quidem effugium.

Argues tertiò, pro eadem ſequela: demus aërem habere totam frigiditatem, vel calorem, applicentur nix, & ignis paruo aëre interpoſito: tũc vtrumque agens in aëre ſuam qualitatem intendit: ergo ſimul erunt duo contraria in gradu intenſo. Reſpondetur, ſi aër æquè ſit calidus, & frigidus, tunc remiſſum iri qualitatem agentis impotentioris, verbi gratia, frigus: quo verò plus illa remittitur, contraria intenditur vehementius, ſicque vitatur inconueniens: ſi verò minus ſit calidus, quàm frigidus, tunc vincet agens fortius, licet in ſe recipiat remiſſam aliquam reactionem contrarij: ſi verò ſit magis calidus & ignis ſit vehemens, tunc, quia nix non poterit vincere reſiſtentiam ignis, nihil reaget; ſed liqueſcet. Sicque agens vehementius perfectè ſibi paſſum aſſimilat, cuius reſiſtentiam vincit, infractis autem contrarij viribus ſe ipſum reparat, ſe reducens ad ſuum connaturalem ſtatum, intendens propriam ſuam qualitatem, contrariam depellens, quia contraria non habet virtutem, à qua conſeruetur. Quod ſi non vincit per natiuam qualitatem, vt ferrum calore vincens aquam, tunc remanet ferrum in eodem ſtatu, quem habuit in fine pugnæ, quod ſi non ſit aliud agens, à quo remittatur qualitas contraria, erunt ſimul victa & victrix in gradu, in quo in fine pugnæ. Quando verò Ariſtoteles ait, ignem non eſſe frigidũ, intellige quo ad ſenſum, quia ex vehementia caloris non ſentitur frigus, vt contingit aquæ calidæ: at verò formaliter ſæpe ignis adeo frigeſcit, vt extinguatur. §.134.

SECTIO XII.

Cauſa efficiens creata diuiditur.

Omiſſis cauſę diuiſionibus, de quibus egi diſp. 8. Cauſa efficiens diuiditur in vniuocam & æquiuocam: ſed inſufficienter: quia multæ, neque ſunt vniuocæ, neque æquiuocæ, ſed virtuales (vocentur ita.) Vniuoca eſt, *quæ continet effectum in virtute æquali ipſi effectui*, vt homo hominem, lux lucem. Æquiuoca, *quæ continet effectum eminenter*, ideſt, *in virtute illo perfectiori*, vt lux calorem, Sol lucem, creaturam creator. Continere enim æquiuoce vel eminenter, eſt continere in virtute actiua effectum ſublatis illius imperfectionibus ſpecificis, vt lux & calor ſunt qualitas, ſed lux non eſt corruptiua, ſecus calor. Itaque ad eminentialem continentiam, præter excellentiam requiritur virtus actiua: ſic Angelus non continet eminenter hominem, licet ſit illo excellentior. Latè verò quamcumque excellentiam poſſumus vocare *eminentiam.* Cauſa virtualis eſt, *quæ habet virtutem productiuam effectus, ſed illo imperfectiorem*, quæ ſemper eſt cauſa partialis, vt ſpecies impreſſa. Aduerte cauſam æquiuocam & vniuocam etiam eſſe virtualem, in quantum virtualis ſignificat virtutem influendi, ſed ab hac virtuali §.135.

diſtinguuntur, quia non ſunt imperfectiores ſuo effectu.

§.136. Secundo diuiditur creatum efficiens in principale, & inſtrumentale: omnẽ cauſam vniuocam, & æquiuocam eſſe principalem, cõſtans eſt omnium opinio. Eſt autem difficultas de cauſa inſtrumentali, quam optime (vt aſſolet) tractat Pater Suarez 1.met.diſput.17.ſect.2.à num.7.

Aiunt nonnulli, cauſam principalem eſſe eam, *cui attribuitur effectus*. Quam rationẽ approbo cum P. Suarez; quam explicabimus §. 142. quia cauſæ principali reſpondet aliqua formalitas, ſecundum quam illi attribuatur effectus.

Alij aſſerunt cauſam principalem, eſſe quæ propria virtute influit in effectum: verum hæc ſententia vera eſſet, ſi negaretur inſtrumẽtis immediatus influxus in ſubſtantiam: at verò admiſſo hoc concurſu, impugnatur apertè: quia calor propria ſua virtute influit in ignem, quia enim ex ſe eſt potentia, per quam ignis in alium ignem concurrit, ex ſe, & ex ſua virtute & per ſuam propriam entitatem habet calor virtutem productiuam illius; de quo latè egimus ſect.3.conc.3. Dices cũ caloris influxu eſſe neceſſarium concurſum ſubſtantiæ. Contra, quia ſubſtantia eſt cauſa principalis ſubſtantiæ, ad quam indiget concurſu accidentis (in tua ſententia) hoc autem non tollit, quin accidens natura ſua, & propria virtute attingat immediatè ſubſtantiam: immo in Thomiſtarũ ſententia tota influendi ratio eſt accidens, nec ſubſtantia habet virtutem aliam actiuam. Et quemadmodum accidens proprio conceptu eſt accidens ſubſtantiæ, ita propria virtute eſt virtus ſubſtantiæ, ſicut intellectus eſt cauſa principalis intellectionis licet eſt virtus ſubſtantiæ. Cum ergo accidens propria virtute concurrat, cur erit inſtrumentum potius quàm ſubſtantia?

Alij dicunt, inſtrumentum agere vt motum ab alio: cauſam verò principalem, vt mouentem. Serra enim agit vt mota: faber autem vt mouens. Sed neque hoc placet: nam piper non calefacit niſi vt alteratum per calorem, & humiditatẽ ſaliuæ; & homo non amat, niſi motus per intellectum: cum piper ſit principalis cauſa caloris, & homo amoris; item calor eſt inſtrumentum ad ignem, & nõ operatur vt motus. Inſtrumenta artis non cauſant niſi per motum localem, quem agit faber.

§.137. Pater Suarez ſupra numero 16. 17. & 18. cauſam principalem vocat eam, quæ eſt vniuoca aut æquiuoca; inſtrumentalem verò vocat eam, quæ concurrit ad effectum ſe nobiliorem: vel ad quem ex ſe nõ habet proportionem. Hæc ſententia probabilis eſt, nec multas patitur difficultates. Primò namque cõuenit inſtrumentis artis; quia licet hæc entitatiuè ſint perfectiora, quàm forma artificialis: ad eam tamen ex ſe non habent proportionem: quia talis forma non fit per ſe ab inſtrumẽtis; Sed reſultat ex motu locali inſtrumentorum, ad quem ſe habent vel merè paſſiuè, vel, ſi actiuè, eſt remotè per impetum illis impreſſum: vt aqua agit per calorem, ex quo impetu reſultat motus localis inſtrumentorum, & materiæ arti ſubiectæ, ex quibus motibus artificioſa forma reſultat. Secundo conuenit calori, qui eſt imperfectior igne: conuenit Chriſti Domini humanitati, quæ licet ſit perfectior, quàm ſanitas, & alia id genus, ex ſe tamen non habet proportionem ad illam producendam. Solum videtur obſtare, quia animus rationalis cõcurrit vt inſtrumentum ad actus ſupernaturales; quia ex ſe ſpectatus non habet virtutem ad illos, niſi per potentiam obedientialem: & ſpecies impreſſa eſt inſtrumentum ad actum cognitionis. Sed hæc non multum habent incõuenientis, dum conſtet animum & ſpeciẽ immediatè influere in actus, & illis formalitatem aliquam reſpondere. Quibus poſitis, ſupereſt quæſtio non tam rerum, quàm vocum, vtrum eiuſmodi cauſa ſit dicenda principalis? An inſtrumentalis? Odi autem eiuſmodi controuerſias, in quibus vocibus obtundimur fabrorum more.

S.Thomas 1.part.quæſt.45.artic.5.concluſ.2.ait cauſam inſtrumentalem eſſe, quæ non concurrit ad effectum cauſæ principalis, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium præuiè concurrit ad effectum. Vbi duo Sanctus Doctor affirmare videtur; primum, inſtrumenta ſemper aliquid operari præuiè per aliquam connaturalem virtutem; ſecundum, talia inſtrumenta non concurrere immediatè ad effectum principalem. Video poſſe dici non excludi à S. Thoma concurſum immediatum, ſed illum eſſe media diſpoſitione. Hæc ſententia de inſtrumentis ſubdifficilis eſt in aliis principiis S. Thomæ, in cuius ſententia phantaſma concurrit inſtrumentaliter ad ſpeciẽ impreſſam ſpiritualem; ad quam nihil præuiè operatur. Secundò, quia in eiuſdem ſententia vt patebit diſput.12. Sacramenta cauſant phyſicè gratiam, ad quam nihil præuiè operantur. §.138.

Dicunt nonnulli eius interpretes eã doctrinam intelligi ex natura rei, nõ verò per ordinem ad diuinam potentiam. Sed hi non legerunt illum articulum quintum; vbi negat S.Thomas poſſe inſtrumentum aſſumi ad creationem: quia ad eam nihil poteſt præuiè operari; quod in ordine ad potentiam abſolutam communiter intelligunt diſcipuli S.Thomæ, inter quorum plurimos ob ſolum hoc teſtimonium commune eſt repugnare de potentia abſoluta creaturam inſtrumentum eſſe creationis. S.Thomã intelligi de potentia abſoluta patet, quia ſi ille modus cauſandi eſt de conceptu inſtrumenti, nec diuinitus poterit aliter fieri.

Alij dicunt, Sacramenta ſecundum propriam virtutem aliquid præuiè operari, motum ſcilicet localem, vel quid ſimile. Quorum doctrina videtur falſa, & S. Thomæ contraria; aſſerenti illud præuium, quod ab inſtrumento procedit, eſſe neceſſariò diſpoſitiuum ad effectum: at verò motus localis non eſt diſpoſitio ad gratiam, ergo in ſententia S.Tho. ille motus localis non eſt diſpoſitio, quam Angelicus Doctor ab inſtrumentis requirit. Vnde argumentor à priori; in naturali inſtrumento requiritur præuia operatio propter dependentiam formæ à præuia diſpoſitione, vt ignis pendet à calore, ſed gratia non pendet ab illo motu locali, ergo Sacramentum ad productionem gratiæ nõ eget præuia latione. §.139.

Dices, gratiam ſecundum ſe non pendere à latione, pendere tamen vt producibilem per inſtrumentum: contra, quia petis principium, id enim eſt aſſerere illum modum operandi inſtrumentis conuenire, quod ego inde impugno, quia ad gratiam, effectúmque Sacramentorum non requiritur talis modus, ergo quando dicis illum requiri ad gratiam, quia fit ab inſtrumentis, affirmas illum modum eſſe proprium inſtrumenti, petíſque principium; reddens pro ratione tuam concluſionem. Secundò, per te ille motus nullam habet ex ſe connexionem cum gratia, ergo tantum valet, ac ſi non fieret: nam ſi non habet connexionem, quid refert illum fieri, aut non fieri? Tertiò, quia præuia diſpoſitio debet fieri in ſubiecto, in quod inducitur forma principalis, vt patet exemplis; diſpoſitio enim §.140.

enim lapidis parum confert vt lignum concipiat ignem; alias Angelus poſſet eſſe creationis inſtrumentum, quia poſſet alterare aërem, & creare animum, quod cum S. Thoma negant Thomiſtæ; ſed motus localis Sacramentorum eſt in aëre, vt patet in abſolutione confeſſionis, gratia autem eſt in animo pœnitentis, ergo ille motus non diſponit ad gratiam.

§.141. Immo & hinc argumentor. Si præuius motus ponitur neceſſariò in ſubiecto effectus principalis, ideo eſt, quia eſt diſpoſitio; alioquin quorſum requiritur? ergo conducit ad effectum, quia diſpoſitio conducit. Quod ſi nec conducit, nec requiritur in ſubiecto; perinde erit in ſubiecto & extra ſubiectum fieri: & ſic Angelus creabit animam agendo aliquid præuium in aëre. S. Thomas agnouit duplex inſtrumentum; alterum vulgare, & vſitatius, quod operatur præuiè ad effectum; quod iure negauit poſſe ad creandum aſſumi; quia creatio non fit ex ſubiecto: alterum minus vulgare; vt phantaſma, quod non operatur præuiè; & Sacramenta. Quibus nihil in effectu reſpondet, vt probo.

§.142. Eſt autem inſtrumentum, à quo dependet effectus; ſed ei nulla effectus formalitas attribuitur ex modo concurrendi: vnde mortuorum ab inferis reuocatio eſt inſtrumentaliter à Chriſti humanitate propter modum. Effectum ab inſtrumento pendere eſt clarum; ei nullam formalitatem attribui colligitur ex S. Thoma, qui ſupra inſtrumentis attribuit præuiam diſpoſitionem, & probatur ex communi ſenſu; quo cenſentur inſtrumenta valde improportionata ad agendum, niſi in virtute cauſæ principalis. Sic ſentit Scotus tribuēs inſtrumentis præuiam tantum diſpoſitionem, negans illis immediatum influxum in effectum principalem; quem ſequi videtur in parte P. Vazq. to. 2. 1. p, diſp. 176. n. 8. Dixi *videtur*, quia etiam videtur, oppoſitum ſentire, ait enim n. 19. & 20. cauſam concurrentem ſecundum aliquam formalitatem in effectum eſſe principalem, item ait ſolum calorem eſſe immediatam cauſam ignis, cui totus ignis reſpondet: & tamen calorem ait eſſe inſtrumentum, & num. 8. ait inſtrumenta, vel præuiè operari, vel ſecundùm aliquam formalitatem in effectu.

§.143. Hic modus conuenit inſtrumentis artis, quæ motu diſponunt ad formam artis, quæ illis nullo modo reſpondet: & naturalibus, quibus nihil in effectu reſpondet, vt calori in igne: item & ſupernaturalibus vt Sacramētis. Naturalia quidem non concurrunt ad effectum principalem, ſed diſponunt, quia totus prouenit à cauſa principali, quod ſufficere ad rationem inſtrumenti patet ex S. Thoma illo art. 5. vtrum verò ſupernaturalia concurrant actiuè alibi quæram.

§.144. Obiicis cauſam inſtrumentalem vt inſtrumentalem, eſſe actiuā, ergo eſt actiua alicuius effectus, reſpectu cuius ſit inſtrumentum; ergo calor vt inſtrumentum eſt productiuus ignis quod negatum eſt, ſect. 5. Non eſſe inſtrumentum ad calorem patet; quia reſpectu illius eſt cauſa principalis. Hæc obiectio non tam eſt contra naturam inſtrumenti, quæ rectè conſiſtit cum hoc immediato influxu: quàm contra doctrinam de cauſis adæquatis traditam ſect. 5. Ac primùm cauſa inſtrumentalis vt ſic non eſt actiua, quia inſtrumenta artis potius concurrunt patiendo motum artificis, quàm agendo. Deinde non ſunt formaliter actiua termini principalis, ſed diſpoſitionis ad illum: vt calor eſt actiuus caloris diſponentis ad ignem. Vnde diſtinguo primum antecedens, ſunt actiua (loquor de ſolis naturalibus) diſpoſitionis concedo; termini vltimi, nego, & diſtinguo primum conſequēs; eſt actiua effectus diſponentis ad terminum, ad quem eſt inſtrumentum, cōcedo conſequentiam; eſt inſtrumentum comparatum termino diſponenti, nego conſequentiam; itaque calor conſiderari poteſt vt præcisè eſt quædam qualitas non magis perfecta quàm eius cauſa; & ſic cauſa caloris eſt principalis reſpectu illius: vt autem calor conſideratur vt medium diſponens ſuum ſubiectum ad ignem, ſic cauſa actiua caloris ſub iſto reſpectu eſt inſtrumētum ad ignem (ſi alias non habeat virtutem principalem ad ignem) quia facit calorem eo fine. Itaque per ordinem, & denominationem ad vltimum terminum eſt inſtrumentum, non verò præcisè ad diſpoſitionem in illa ſiſtendo.

Differt hæc ſentētia à S. Thom. non in aſſignanda ratione inſtrumenti naturalis; ſed in neganda inſtrumentali actione phantaſmati, & negāda præuia motione ſupernaturalibus inſtrumētis, quamuis præuiam actionem non aſſignat S. Thomas niſi vulgatioribus inſtrumentis: conuenit autem cum eodem in neganda formalitate effectus principalis reſpondente inſtrumento. Differt autem à ſententia Patris Suarez, quia non omnia principia actiua imperfectiora effectu ſunt inſtrumenta, ſed ea tantum, quibus nulla reſpondet formalitas in effectu. Animus enim rationalis, potentia vitalis, & ſpecies impreſſa ſunt cauſæ principales cognitionis ſupernaturalis, licet in hoc magna ſit quæſtio de nomine. §.145.

Inſtrumentum aliud eſt coniunctum, vt omnia inſtrumenta artis, quæ neceſſariò coniunguntur in agendo cum principali agente, vt penicillus, & calamus, licet non ſemper coniungantur in eſſendo; alia ſunt ſeparata in cauſando, vt calor exiſtens in ferro, & vini ſpecies in Euchariſtia diſponunt, quin exiſtant in ea ſubſtantia, cuius ſunt inſtrumenta; quia ſine illius concurſu poſſunt alterare ſubiectum: item & in eſſendo ſunt inſtrumenta ſeparata, & ſæpè ſunt ſeparata in cauſando, & non in eſſendo, quia ſunt in ſua ſubſtantia, & cauſant ſine concurſu illius: varias inſtrumenti acceptiones vide in Patre Suarez illo num, 16. §.146.

SECTIO XIII.

Vtrum inſtrumentum ad ſui productionem poſſit aſſumi?

Res dupliciter produci poteſt; vel per vnam ſolam actionē orientem ab omnibus ſuis cauſis; vel per duas, alteram à cauſa principali ſola, alteram à principali ſimul cum inſtrumētali: item produci poteſt primo inſtanti reali, quo incipit eſſe: & conſeruari inſtantibus ſequentibus. §.147.

Dico primò. Non poteſt inſtrumentum aſſumi ad primam productionem ſui quando productio eſt vna ſola Probatur primò; quia calor, verbi gratia, vt eliciat aliquam actionem, debet conſiderari exiſtens priùs natura, & ratione, quàm eam eliciat, ſed non poteſt conſiderari exiſtens prius ratione quàm ea ratio, per quam primo producitur, ergo non poteſt eam elicere. Maior probata diſp. 8 ſect. 8. minor probatur. Vt poſſet cōſiderari propriè, & adæquatè in ratione creaturæ exiſtentis (ſic enim loquimur non de exiſtentia abſtracta à creatura, & creatore) debet conſiderari productus ab alio, quia non poteſt aliquid concipi vt creatura exiſtens, quin intelligatur exiſtens ab alio; ſed non poteſt conſiderari vt productus ab alio prius quàm §.148.

quàm concipiatur illa actio, ergo non poteſt conſiderari exiſtens prius ratione, quàm illa actio. Probo minorem: non poteſt intelligi cauſa producens, nec effectus productus, priùs quàm concipiatur ratio formalis producẽtis, & producti; ſicut non poteſt intelligi priùs album formaliter, quàm albedo: nec effectus formalis, quàm forma. Sed illa productio eſt ratio formalis producentis & producti, ergo non poteſt intelligi calor productus ab alio priuſquàm intelligatur illa productio; cũ ergo in prioritate naturæ formaliter non inuoluatur effectus, qui eſt poſterior, & in illo priori caloris exiſtentis inuoluatur prima productio caloris; fit planè illam non eſſe effectum illius caloris.

§. 150. Dices: idem argumentum fieri in mutuis cauſis: id ego vellem, vt etiam illas impugnem. Immo quia hæc ratio eſt efficax ad hanc ſententiam; & eamdem vim habet ad negandas mutuas cauſalitates, ideo ea vſus ſui diſput. 8. ſect. 8. Nam contritio verbi gratia, ſi præcedit in genere cauſæ diſpoſitiuæ, præcedit liberè producta, & ſi præcedit facta in ſubiecto, præcedit facta ab aliquo; ergo in eo genere præſupponitur cauſa efficiens contritionis: Quidquid autẽ ſit de cauſis mutuis; hoc argumentum eſt vrgentiſſimum: nam in mutuis cauſis poteſt dici præcedere vnam in vno genere, alias verò in aliis, tunc autem nõ concipi eamdem, quia ſunt diſtinctæ realiter, & cauſalitates diſtinguuntur ſaltem per varia connotata: hic autem debet intelligi cauſa efficiens caloris, & eius cauſalitas; quia calor operatur vt eſt in actu primo, ergo in illo priori non inuoluitur actio, quæ oritur ab ipſo calore; quod clarius patet in productione animæ, quæ cum pendeat à ſolo efficienti, non poteſt intelligi cauſata niſi per effectionem.

§. 151. Secundò probatur eadem concluſio, nam productio ſui oritur à calore vt ab inſtrumẽto eleuato per potentiã obedientialem; ergo ſupponitur prius ſaltem natura productus per actionem principalem: probo conſequentiam, quia prius quàm calor eleuetur vt inſtrumentum obedientiale, debet intelligi exiſtens fundamẽtum talis eleuationis, nam res vt præcisè eſt extra cauſas nõ eleuatur ad agendum: vt autem operetur ſupra modum ſuæ naturæ; videtur neceſſaria exiſtentia ipſius inſtrumenti, qua vtatur cauſa principalis.

§. 152. Tertiò probatur, quia inde valde eneruatur myſterium Trinitatis; quia dicere quis poſſet non eſſe in Deo duas proceſſiones, ſed vnam tantùm, aut duas perſonas: nam ex conceptu productionis vt ſic nõ eſt realis diſtinctio inter producens, & productum: ſed ſufficit diſtinctio virtualis. Nam in conceptu productionis nõ includitur imperfectio, nec quod terminetur ad principium producens nullam inuoluit imperfectionem, ſi non inuoluit repugnantiam.

§. 153. Dices inuoluere imperfectionem, quia illa productio eſt ſupernaturalis, quod Deo repugnat. Cõtra, prædicatum eſſe ſupernaturale creaturis tantum abeſt ab imperfectione in Deo, vt illi facilius conueniat; quia diuinius eſt quàm naturale: igitur, quæ nobis ſunt ſupernaturalia, Deo poſſunt eſſe naturaliſſima; vt impeccabilitas eſt nobis ſupernaturalis, & naturalis Deo: ergo ſimpliciter illa actio erit Deo naturalis, licet nobis ſupernaturalis. Dices, de conceptu principij productiui eſſe, eſſe connaturaliter ad aliud. Contra, id erit in naturalibus, ſicut connaturale eſt creaturis rationalibus poſſe peccare: at ſicut hoc nõ eſt de conceptu perſonæ rationalis, vt ſic, ita nec illud de ratione principij productiui vt ſic.

Dico ſecundò; nec per ſecundam actionem inſtrumẽtalem poteſt creatura eleuari ad productionem ſui. Probatur primò ex proximè dictis de myſterio Trinitatis. ſi enim ex conceptu productionis vt ſic non repugnat idem à ſe ipſo produci, non repugnabit Deo; nec firmum ſumitur argumentum ad probandam diſtinctionem trium perſonarum ex duabus productionibus ad intra. §. 154.

Dices primò, Deo repugnare eſſe inſtrumentum ſui, aut alius. Contra, quæ in nobis fiunt ſupernaturaliter more inſtrumentario, fiunt à Deo naturaliter more principalis principij; vt viſio Dei & gratia impeccabilitatis fit in nobis ex obedientiali potentia, non verò in Deo. Ratio à priori; quia excellentiſſima illa prædicata nõ attingimus niſi per participationem ab eo, cui ea ſunt inſita à natura ſua. Dices ſecundò, hic iam reperiri diſtinctionem, quia creatura producit ſe dependenter à Deo: vnde cauſa adæquata diſtinguitur à termino. Contra primò; ergo etiam Verbum diuinũ poterit ſe ipſum producere; quia per te ſufficit vt principium adæquatum ſit realiter diſtinctũ à termino producto; ſed Filij & Pater eſſent principium adæquatũ Filij; & eſſent diſtinctũ à Filio; quia includeret Patrem. vnde complexum ex Patre & Verbo produceret Spiritũ ſanctum: quæ productio eſſet ſecunda productio Verbi ſub ratione Spiritus ſancti: qui tunc diſtingueretur realiter à ſolo Patre, non tamen à verbo: igitur eneruatur vis argumẽti ad probandum myſterium Trinitatis. Non video quid poſſint reſpondere. Contra ſecundò, quia creatura non eget Deo concurrente ſecum, ratione diſtinctionis: ſed vt compleatur ad agendum: cui argumento eſt, non poſſe creaturam aliquid à ſe diſtinctũ operari abſque generali Dei concurſu: cum ergo Deus nullo egeat, & diſtinctio producentis à producto non ſit de conceptu principij vt ſic; rectè poterit vna perſona diuina ſe producere: maximè Verbum diuinum, quod ſub conceptu Verbi eſt prius ratione & origine, quàm Spiritus ſanctus: & ſic in quantum Verbum erit prius productum quàm in quantum Spiritus ſanctus; vel ob hanc rationem non poteſt huic ſententiæ aſſenſus præberi. §. 155.

Secundò argumentor: repugnat rem aliquam eſſe cauſam receptiuam, & formalem ſui; ergo & actiuam. De antecedenti nulli ſano Philoſopho eſt locus dubitandi. Alioquin idem informaretur ſe ipſo, & calor eſſet calidus per ſe ipſum, ſicut corpus per calorem: conſequentiam probo: quia id oritur ex communi conceptu cauſæ. Confirmatur, ſicut actio diſtinguitur ab agente, ita receptio à ſubiecto, ergo ſicut eadem res per te poteſt attingere actionem vt principium actiuum: & vt terminus productus, ita poterit attingere receptionem vt ſubiectum, & vt terminus. §. 156.

Dices primò, cauſam materialem eſſe potẽtiam ad actũ, à quo realiter diſtinguitur. Contra, etiam cauſa actiua eſt actus primus comparata effectui, & hic eſt actus ſecundus comparatus cauſæ. Dices ſecundò, ex ſubiecto & forma fieri veram compoſitionem, quæ requirit diſtinctionem realem partium. Contra: illa compoſitio erit ex natura rei, non verò de potentia abſoluta, ſicut cauſa actiua eſt ad aliud ex natura rei: nec tunc ſequeretur vera vnio & compoſitio inter ſubiectum & formam; ſed tantum eſſet cauſalitas, cui per te non obeſt identitas cauſæ & effectus. §. 157.

Dices tertiò, difficiliorem eſſe influxum paſſiuum quàm actiuum. Nec enim calor poteſt recipere Angelum, quem diuinitus poteſt producere, nec §. 158.

nec recipere alium calorem. Contra: in rebus pendentibus à ſubiecto ex natura ſua tam facilis eſt vnus influxus, quàm alter: Angelus non poteſt recipi, quia eſt actus cõpletus, ſimplex, & per ſe ſubſiſtens, cui nõ eſt locus vt recipiatur: vnus calor ex rei natura non recipit alium; quia in ſe habet formalem effectum alterius: at de potentia abſoluta cur non fiet? Sicut ſe ipſum poteſt producere.

§. 159. Ratio à priori harum concluſionum eſt, conceptum cauſæ eſſe ad aliud. Nam vt *Dominus*, *Rex*, *Magiſter*, *Pater*, & alij conceptus ſunt ad aliud, ita & cauſa. Vt enim repugnat Dominum eſſe ſui Dominum; ſed alterius hominis, alioquin eſſet Deus Dominus ſui, ita repugnat eſſe cauſam ſui. Nam cauſalitas relatio tranſcendentalis eſt inter principium & terminum: item ponamus me à me ipſo generari ex vtero matris; ego eſſem pater mei ipſius: quia in generatione viuentis à viuente à principio coniuncto fundatur paternitas, & filiatio; hæc autem quis non videat? Immo vel ſola definitione cauſæ hæc ſententia impugnatur: quia cauſa per ſe influit in aliud. Immo hac ratione auctor oppoſitæ ſententiæ ait Patrem æternum non eſſe cauſam Filij, quia Filius non eſt aliud à Patre: & certè tota ſubuertitur Philoſophandi ratio, niſi communibus ſtetur principiis, ac definitionibus. Quid autem opus eſt vt Chriſti corpus ſe phyſicè producat? Producatur ab anima, vel à ſolo Deo.

§. 160. Dico tertiò: ſi in ſecundo inſtanti reali poteſt res ſe ipſam producere, ſimiliter poterit in primo. Demus enim in ſecundo contingere cauſam per duas actiones; tunc ſic, in illo ſecũdo inſtanti actio principalis eſt independens ab inſtrumentali; & hæc dependens à principali: quia principalis poteſt eſſe ſine inſtrumentali, hæc verò non ſine illa: ergo etiam ſi eſſent in primo inſtanti, in illo ſeruarent eam naturæ prioritatem: quia in illo ſeruarent eam dependentiam & independentiam; ſed prioritas naturæ ſufficit ad cauſandum, ergo.

§. 161. Confirmatur: cauſam præceſſiſſe prius tempore, quàm effectum, eſt omnino extrinſeca denominatio: eſt enim ac ſi non fuiſſet: tantum autem requiritur exiſtentia phyſica pro inſtãti, in quo cauſat: ſicut rem eſſe futuram poſt, nihil refert ad cauſandum phyſicè pro inſtanti præcedente: ſolum ergo exigitur exiſtentia cauſæ cum ſufficienti prioritate: ſi verò per vnã actionem ſolam caſus contingeret in ſecundo inſtanti; ergo etiam ſi prius non extitiſſet cauſa, poſſet ſe ipſam cauſare: quia exiſtentia tempore prior nihil iuuat: ſi enim requiritur prioritas naturæ, hæc reperitur in vno ſolo inſtanti; ad quam nihil refert præcedens: quia hæc prioritas eſt independentia cauſæ in ratione cauſæ ab effectu, & dependentia effectus in ratione effectus à cauſa: quæ exercentur eodem inſtanti reali, quo effectus oritur à cauſa, non in aliis: quia in illis non dependet effectus à cauſa: ſi verò non requiritur naturæ prioritas; quorſum exigitur tẽporis ſucceſſio? Vnde cum auctor huius ſententiæ neget hoc poſſe cõtingere in prima rei productione, neceſſariò eſt dicendum repugnare etiam in conſeruatione; vel in neutro repugnare.

SECTIO XIV.

De potentia obedientiali.

§. 162. NOn erit abs re agere de diuinis inſtrumentis, quorum cognitio maximè pendet ex phyſicis principiis: vt enim alibi dixi, non docemus ethnicam philoſophiam, ſed Chriſtianam, Chriſtianæ Theologiæ famulatricem. Potentia actiua, & paſſiua dicitur naturalis comparata illis effectibus, quos cauſare poteſt cum concurſu generali ſibi debito, & cæteris comprincipiis, quibus petit, aut poteſt coniungi, ſpectata eius natura, & legibus. exempli gratia. Angelus habet potentiam naturalem actiuam & paſſiuam lationis, quia iuxta ſuam naturam petit, vt Deus cum illo concurrat ad agendum motum. Item intellectus creatus eſt potentia naturalis ad cognitionem abſtractiuam Dei, quia poteſt ex ſuis viribus coniungi cum omnibus comprincipiis ad eam cognitionem neceſſariis. Potentiam obedientialem intelligo, virtutem ſeu fundamentum ad cauſandum aliquid, ad quod naturæ viribus concurrere non poſſit; poſſit tamen adiuta voluntate Dei miraculoſa, illi minimè debita, cum qua poſſit agere aut pati aliquid ſupernaturale ipſi potentiæ ſecundum ſe conſideratæ; ſupernaturale (inquam) quo ad ſubſtantiam, vt gratiam; vel quo ad modum, vt reſtitutionem viſus; vel vtrumque. Igitur illam potentiam voco obedientialem, quia in recipiẽdo complemento ad cauſandum non tam ſequitur inſitas à natura leges; quàm imperium Dei, vltra id quod natura ſola poteſt.

SVBSECTIO I.

Oſtenditur in animo rationali potentia obedientialis actiua, atque paſſiua.

SIc exiſtimo eſſe Fide ſanctum, ineſſe animo rationali potentiam paſſiuam obedientialem ad vnionem hypoſtaticam, gratiam habitualem, & habitus per ſe infuſos. Nam hos effectus cauſat animus in genere cauſæ materialis, nõ per potentiam paſſiuam naturalem præciſè, tum quia hæc reſpicit naturalem actiuam, tum quia illi effectus ſunt ſupra naturam ipſius animi, ad quos non poteſt dicere ordinem naturalem; alioquin non eſſent illi ſupernaturales, ſi eos poſſet naturaliter pati, neque eos cauſat per potentiam ſupernaturalem mediam inter eſſentiam animæ, & gratiam, vt dicitur quantitas media inter materiam primam & qualitates; tum quia illos recipit in ſe immediatè, quia vnio hypoſtatica non attingit humanitatem medio accidente, quia eſſet vnio per accidens; tum quia ſi in ſe haberet potentiam ſupernaturalem paſſiuam, de hac eadem rediret quæſtio, ſicut de vnione hypoſtatica; ergo cauſat eos effectus per potentiam obedientialem paſſiuam. §. 163.

Confirmatur explicatione potentiæ obedientialis: quia animus non reducitur ad eos actus per concurſus connaturales ſibi debitos, ſed per concurſus actiuos omnino ſupernaturales: qui concurſus cum formaliter ſint vel ſaltem identicè receptiones animi, quia actio non diſtinguitur à paſſione, ſunt etiam receptiones ſupernaturales, ergo ſunt ſubiecti cauſalitates ſupernaturales, ergo denominant animam ſupernaturaliter recipientem; quid autem ſit formaliter illa potentia, dicam infra, nunc tantum probo illam eſſe in anima. §. 164.

Nec videtur negãda potentia obedientialis actiua in intellectu, & voluntate ad actus ſupernaturales; quia potentia vitalis relata ad concurſus ſibi ex ſua ſua natura debitos, nõ poteſt exercere actus ſupernaturales, poteſt tamen cum concurſu extraordinario, & ſupernaturali; ergo ad actus ſupernaturales habet potentiam obedientialem actiuam. §. 165.

Digitized by Google

§.166. Dicunt Thomiſtæ, potentias vitales non concurrere per ſe immediatè, ſed adæquatè per habitus, vt aqua calefacit per calorem. Contra primò; quia habeo intentum, ſcilicet entitatem naturalem potentiæ adiutam cócurſu ſupernaturali poſſe efficere actus ſupernaturales, in quo conſiſtit ratio potentiæ obedientialis; eſto, ipſa non concurrat immediatè: vt enim anima, in illorum ſententia, eſt cauſa naturalis intelligendi colorem, verbi gratia, licet intellectionem non cauſet immediatè, ſed mediis potentiis, ita erunt cauſa actiua obedientialis viſionis, quia eam cauſant per virtutem illis ſuperadditam ſupernaturalem, licet non influant immediatè in actus.

§.167. Contra ſecundò; quia actus vitalis ſupernaturalis habet duas formalitates virtute, & ratione diſtinctas *vitalitatem, & ſupernaturalitatem*; ergo vtraque habet aliquod principium, à quo immediatè procedat; nihil enim poteſt produci niſi per aliquod principium immediatum: ſed *vitalitas* formaliter non poteſt immediatè ab habitu produci, quia formaliter neque reſpondet illi, neque attribuitur, ergo immediatè procedit à potentia vitali: conſequentia liquet, minor probatur; quia vitalitas immediatè procedit ab aliquo principio vitali, cui (vt eſt in confeſſo apud omnes) attribuitur propter modum vitaliter ab illo procedendi; ſed ab habitu non procedit modo vitali, ergo procedit à potentia. Vide, quæ de formalitate effectus diximus ſect. 5. Confirmatur, vitalitas attribuitur principio, à quo procedit modo vitali; ſed ab habitu ſupernaturali non procedit modo vitali, ergo ei non attribuitur. Probatur minor, quia ea ratione habitus indiget potentia vitali, vt ab ea actus vitaliter procedat: ſi autem à ſolo habitu vitaliter procederet, quid ei eſſet opus potentia vitali cum ipſe ageret, & pateretur actus? Quod etiam præſtaret exiſtens in alio ſubiecto.

§.168. Secundò probatur eadem minor: quia ſi habitus modo vitali concurreret, eſſent in homine duo intellectus, & voluntates duæ; quia eſſent duo principia vitalia eorumdem actuum: ea enim de cauſa ſunt in homine intellectus, & voluntas, quia ſunt duo principia vitalia cognitionis, & amoris; conſequens eſt falſum, tum quia id nullus auſus eſt affirmare; tum quia Fides & Charitas inhærerent non immediatè in intellectu, & voluntate formaliter, ſed in ipſa ſubſtãtia animi, vt gratia, quia vna voluntas nõ ineſt alij; ſed animo, qui per eã amat: hoc autem eſt abſurdum, ergo. Confirmatur: ſi Charitas cauſat actum modo vitali, ergo & modo libero, quod enim poteſt eſſe diſcrimen? Ergo in actus ſupernaturales noſtrum liberum arbitrium nullam haberet libertatem; Charitas enim non eſt noſtrum arbitrium, hoc enim eſt potentia naturalis; at verò noſtrum liberum arbitrium liberè eos actus exercere definit Trident. ſeſſ. 6. probans ita gratiam per habitus concurrere ad actus, vt non adimatur naturalis noſtra libertas.

§.169. Deinde efficaciter ſolutionem impugno. Ex Concilio ſupra ſeſſ. 6. can. 4. aſſerente; *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, veluti inanime quoddã nihil omnino agere, mereq; paſſiuè ſe habere, anathema ſit.* Vnde ſic arguo; ſi nullam haberet immediatam actionem in eos actus, ſed eos adæquatè produceret ſolus habitus per ſe infuſus, ſe haberet vt inanime inſtrumẽtum merè paſſiuè, ergo habet aliquam immediatam actionem. Probatur minor ex ipſis terminis aduerſariorum: per quos tota agendi ratio oritur ab habitu immediatè, & non à potentia, quia hæc in illorum opinione merè paſſiuè ſe habet circa habitus, & circa actus verſatur præcisè patiendo habitus, & nullum aliud exercendo munus; ergo ſe haberet merè paſſiuè contra definitionem Concilij: & à priori probo: quia cauſa remota ea præcisè ratione dicitur concurrere ad effectus, in quantum materialiter conſeruat principium, à quo efficitur effectus, vt aqua ea præcisè ratione dicitur calefaciens, quia ſuſtẽtat calorem, & in bona parte Thomiſtarum ſcholæ animus intelligit, quia ſuſtentat intellectum; ita aqua dicitur calefaciens *vt quod*, & calor *vt quo* quia illa per calorem, & calor per ſe ipſum calefacit: ſed hoc genus cauſandi non tranſilit limites inanimis inſtrumẽti, & cauſæ merè paſſiuæ; ergo. Probatur minor, quia cauſa remota totam ſuam cauſalitatem exercet circa cauſam proximam, & ratione illius dicitur cauſare effectus remotos: ſed cauſalitas circa cauſam proximam eſt merè paſſiua, quia voluntas circa habitum Charitatis nullum alium habet concurſum; ergo.

Confirmatur primò: vel intellectus immediatè influit in actus efficienter ſimul cum habitu per ſe infuſo, ita vt actio oriatur tam ab intellectu, quàm ab habitu, vt viſio coloris oritur immediatè, & à viſu, & ab ſpecie impreſſa: vel oritur efficienter à ſolo habitu; ab intellectu autem non immediatè, ſed medio habitu, circa quem intellectus verſatur merè paſſiuè per potentiam obedientialem paſſiuam: & ſicut aqua verſatur circa calefactionem manus, præcisè in quantum per potentiam paſſiuam naturalem cauſat calorem, à quo manus calefit: ſi primum, ergo habemus intentum, ſcilicet potentiam vitalem eleuatã auxilio ſupernaturali efficere actus ſupernaturales, quam voco potentiam obedientialem actiuam: ſi ſecũdum, ergo eſt apertè contra definitionem Concilij: quia tota cauſalitas voluntatis in conſenſum in vocationem Dei conſiſteret formaliter in mera paſſiua receptione habitus; à quo denominatur operans per ſolam illius receptionem. Si autem habet aliam influendi rationem, erit immediatè actiua. §.170.

Dices, aquam calefacere per calorem violenter, potentiam verò per habitus nequaquam. Contra, id probat, habitus non eſſe violentos potentiis, ſicut aquæ eſt violentus calor: quia habitus perficiunt potentias, calor verò deſtruit aquam: at in modo ſe habendi, vt inanime quoddam & merè paſſiuè non differunt; quia potentia non habet in habitus per ſe infuſos alium concurſum niſi paſſiuum, ſicut nec aqua, licet alter concurſus ſit violentus, alter non: at in ratione paſſiui vterque eſt merè paſſiuus ſine mixtione actiui: & reſpectu actuum ſupernaturalium per te non habet alium influxum actiuum, ſed paſſiuum etiam: ergo tota cauſalitas actuum eſt paſſiua, actiua autem non niſi per denominationem ab habitu, quem paſſiuè ſuſtentat; ſicut contingit aquæ calefacienti per calorem, quem ſuſtentat. §.171.

Confirmatur ſecundò: quia in eo caſu voluntas non poteſt imperare actus charitatis, aut eos cohibere; quia nullum habet in eos influxum actiuum, præter materialem; quo recipit charitatem, à qua receptione dicitur operari: item charitas non eſt habitus liberè operans formaliter ex conceptu ſuo ſolo: ergo homini non eſt libertas ad eos actus. §.172.

Dices animum eſſe liberum, licet non influat immeditè in actus voluntatis, ergo idem erit de voluntate reſpectu charitatis. Sed quidem animum immediatè influere in actus monſtrabitur §.173.

in

in lib. de anima diſputatione 4. ſectione 1. Deinde animus tantum eſt liber à libertate in voluntate formali reſidente, quia nullam habet immediatam libertatem: ergo eodem modo voluntas erit libera à libertate formaliter reſidente in habitu charitatis, ſed charitas nullam habet libertatem, cum non ſit potentia vitalis: ergo voluntas non poteſt eſſe libera ab illius libertate. Et quamuis charitas eam libertatem haberet, tamen non eſſe noſtri liberi arbitrij, vt vult Concilium ſuprà, quod agere de libertate homini innata legenti, & mentem Concilij attendenti patebit: ergo tota libertas prouenit ab habitu, vel vt melius dicam nulla eſt libertas. Certè contrariam opinionem recuſarem defendere vt minus aptam Concilio. Nam ſubſtantia animæ ſecundum ſe conſiderata ſe habet paſſiuè in actus naturales, & actiuè remotè, producendo potentias: ſi autem eſt libera, eſt per denominationem à ſola libertate voluntatis, & quia hæc eſt naturalis animæ potentia, & ratio per quam anima amat: ideo eſt libertas animæ. Habitus autem ſupernaturalis non eſt naturalis potentia voluntatis: & illius libertas non eſt libertas animæ. Concilium autem ait noſtrum liberum arbitrium non ſe habere in conſenſu vt inanime inſtrumentum: ergo ex parte ipſius requirit libertatem. Si autem haberet totam libertatem ab habitu: ergo ad actum ex parte ſui ſe haberet vt inanime. Nam habitus eodem modo ſe haberet in lapide, aut extra ſubiectum, quia ſecum afferret totam libertatem: habet ergo actus à libero arbitrio aliquid, quod non habet à ſolo habitu.

§.174. Totum argumentum confirmo tertiò, quia ſi charitas eſt adæquata ratio agendi: ſi ſeparetur à voluntate, vel in alio ſubiecto exiſtat, poterit cum generali concurſu producere connaturaliter actus charitatis. Conſequens eſt falſum: ergo. Probatur maior, quando vna cauſa in hoc ſubiecto eſt adæquata ad aliquem effectum in vno genere, ſi in aliud ſubiectum, vel extra ſubiectum transferatur, poterit cum concurſu communi eumdem cauſare effectum, vt calor in igne, aqua, & Euchariſtia, cum eodem concurſu calefecit, & quantitas in opinione Thomiſtarum eodem concurſu conſeruat accidentia in Euchariſtia, quo in ſubſtantia panis. Ratio à priori, quia effectus adæquatè continetur in virtute illius cauſæ, quæ ad cauſandum tantùm requirit exiſtentiam, hæc autem eiuſdem virtutis eſt vbicumque ſit. Falſitas conſequentis probatur; quia eſſet connaturaliter actus vitalis ſine concurſu actiuo potentiæ vitalis, quia ille concurſus habitus ab illo ſolo orietur in genere cauſæ efficientis. Miraculum enim eſſet non in eo quod ſine voluntate eſſet volitio ſed quod voluntatis habitus ab ea ſepararetur. Facta verò ſeparatione, actus connaturaliter orietur ex habitu, vt miraculum Euchariſtiæ non eſt in eo, quod quantitas accidentia conſeruet, ſed quod ſeparetur à pane, quo poſito, naturaliter ſequitur conſeruatio qualitatum.

§.175. Hinc verò clarius colligitur inconueniens contra Concilium illatum; quia demus charitatem ſeparatam à voluntate producere actum amoris: certum eſt tunc voluntatem non eſſe liberam circa talem actum: reuniatur habitus voluntati, conſeruans actionem præcedentem; certum eſt etiam tunc voluntatem non eſſe liberam circa talem actum; quia de nouo non habet niſi receptionem habitus, in qua receptione, cum ſit merè paſſiua, non eſt libertas, ergo etiam modò ex tua ſententia voluntas non eſt libera, quia modò nullum alium habet influxum diſtinctum ab influxu, quem häberet in dicto caſu. Confirmatur tota doctrina ex communi Theologorum aſſerentium concurſum habitus charitatis ſuppleri poſſe per auxilium extrinſecum, & de facto ita fieri in peccatore attritionem exercente, ſed in tali caſu voluntas concurrit immediatè, quia Deus ſolus id non facit, ergo & modò voluntas concurrit immediatè, quia habitus non præſtat plus, quàm auxilium extrinſecum.

Dices, caſum illum argumenti repugnare: eſto, repugnet: ſicut etiam per te repugnat voluntatem ab animo ſeparari: certè id non repugnat ex conceptu influendi in actum: ſed ex dependentia ſpeciali habitus à voluntate, & gratia: & ex dependentia voluntatis ab animo: ſi enim dependerent ſicut calor ab igne, poſſent ſeparari diuinitus: tunc autem operarentur ſeparata ab anima, vt accidentia in Euchariſtia, quia ſecum afferrent, ſicut illa, totam virtutem agendi, ergo nunc operantur eodem modo anima merè paſſiuè concurrente: probo conſequentiam; quia nunc retinent modum, quem tunc retinerent: nam in modo operandi non eſt diuerſitas, ſed in ſpeciali dependentia, quam habent ab anima, non in modo influendi, ſed in ſua exiſtentia: ſicut dicunt charitatem pendere à gratia, & tamen gratia non habet influxum in actus: quod ſi habitus ſine illa eſſet, eodem modo operaretur, ac cum illa; vt patet in Fide, & Spe. Recognoſce diſputationes de Charitate. §.176.

SVBSECTIO II.

Oſtenditur potentia obedientialis alijs in rebus.

MAior eſt difficultas, ſit ne in rebus omnibus potentia obedientialis actiua ad res ordinis ſupernaturalis? Affirmat Sanctus Thomas. 3. p. quæſt. 13. artic. 3. & quæſt. 62. artic. 1. 3. & 5. vbi Chriſti humanitati tribuit phyſicum influxum in miracula: & Sacramentis nouæ legis in gratiam, quem ſequuntur communiter eius diſcipuli, præſertim Pater Suarez, & Pater Molina, ille tomo. 3. diſput. 31. ſect. 6. vbi eam confirmat, & explicat; pro qua multos ac graues adducit auctores; hic 1. part. vbi ait dæmones phyſicè igne torqueri, quibus lubens acquieſco. §.177.

Primò, quia datur in rebus inferioribus potentia obedientialis paſſiua ad res ſupernaturales, ergo & actiua. Probatur conſequentia. Primò, quia difficiliùs pendent res ſuperiores ab inferioribus in genere cauſæ materialis, quàm efficientis, vt ignis non recipitur in quantitate, & tamen multis videtur à calore actiuè pendere, & patet in ſpecie impreſſa actiuè, & non paſſiuè ad viſionem concurrente. Secundo probatur ab æquitate rationis, omnia enim incommoda ab aduerſariis obiecta contra actiuam potentiam vrgent paſſiuam: ſicut enim rogant, vtrum actiua ſit ſubſtantia, vel accidens? Eandem ego quæſtionem inſtituo de paſſiua; & ſicut magnum reputant inconueniens, vt ex ipſa natura oriatur virtus aſſurgens ad effectum ſupra totam naturam, idem erit de paſſiua; quia effectus non minus continetur in cauſa materiali, quàm efficienti. Ea enim de cauſa materia prima non poteſt recipere aliquid ſupernaturale, quia illud non continet in virtute, qua igitur ratione illi §.178.

reſpondent pro potentia paſſiua, reſpondeant pro actiua.

§.179. Secundò probatur: quia intellectus poteſt cum habitu ſupernaturali concurrere ad viſionem Dei, ergo & quæuis res ad aliam cum auxilio ſupernaturali: de antecedenti iam conſtat; quod enim ait Pater Vazquez, eas potentias per virtutem actiuam ſibi innatam concurrere, eſt quæſtio de nomine, conſtat enim eam virtutem ſecundum ſe conſideratam eſſe inſufficientem ad eos actus, ad quos completur per concurſus illi minimè debitos; quam ob cauſam habet virtutem obedientialem paſſiuam. Præterea non placet ille loquendi modus; quia potentia natiua eſt innata potentia, ſiue naturalis, quia naſcitur ex ipſa rei eſſentia: innata autem potentia exigit innatè, ſiue naturaliter, aut natiuè concurſum ad id, cuius eſt potentia; & ſic effectus erit illi naturalis, & innatus.

§.180. Dices non eſſe potentiam proximam, ſed remotam. Contra eſt potentia remota naturalis, ergo naturaliter poteſt compleri per potentiam proximam, ſicut aqua poteſt naturaliter per calorem compleri ad calefaciendum: connotat enim potentia remota proximam, comparatione cuius eſt remota: item, & effectum ipſum. Dices non eſſe remotam hoc ſenſu, ſed quia ex ſe non dicit vllum ordinem naturalem ad effectum Cõtra, ergo ex ſe nec eſt potentia innata proxima, nec remota, quia potentia ſine reſpectu intelligi non poteſt. Et quod tu vocas potentiam innatam remotam, voco ego obedientialem, ergo ſicut intellectus habet id genus potentiæ ad actus vitales, etiam aqua illud habebit ad productionem gratiæ.

§.181. Hanc conſequentiam negat Pater Vazquez, quia in actibus reſpondet potentiæ vitalitas, in aliis autem rebus nihil reſpondet inſtrumentis. Sed hoc nihil ad rem: quia tota illa vitalitas eſt omnino ſupra naturam, & vires intellectus in ſe conſiderati, qui licet dicat proportionem ad cognoſcendum Deum, non tamen ad videndum: ſicut licet ignis dicit proportionem ad calorem, non tamen ad gratiam; ergo ſicut potuit intellectus eleuari ad viſionem Dei; ita & ignis ad gratiam, quod vero ei nulla formalitas reſpondeat nihil refert, tum quia ad hominem oſtendi ſupra ipſum Patrem Vazquez ſentire calorem influere in ignem, cui tamen nulla formalitas reſpondet; ſi autem cauſæ principali omnes formalitates per inſtrumenta reſpondent, etiam gratia producta per ſacramentum reſpondebit Deo, per idem ſacramentum.

§.182. Item poteſt eadem formalitas potentia Dei abſoluta cauſis reſpondere diuerſis, quia poſita vna cauſa adæquata de potentia abſoluta poteſt cum illa alia concurrere: ratio autem ob quam ego inſtrumento naturali nego concurſum actiuum ex eo, quod ei nulla formalitas reſpondeat, eſt, quia cauſa, cui omnes formalitates reſpondent, eſt adæquata: cum qua ex natura rei non poteſt alia concurrere. Quia vna cauſa ſuperfluit. Quod verò hoc de potentia abſoluta repugnet, non video magis, quàm quod poſſint duæ cauſæ adæquatæ ad eumdem effectum ſimul concurrere, quod fieri poſſe oſtendi diſputatione 8. ſectione vltima. Vnde ex eo, quod negem inſtrumento naturali influxum in effectum, nullum contra me ſumitur argumentum: quia quod non poteſt ex natura rei, poteſt potentia Dei: ſicut corpus, quod natura ſua vnum tantum occupat locum, potentia Dei poteſt occupare mille, ſicut hoc nullum eſt argumentum: *calor poteſt producere ignem, ergo & gratiam*; ita neque hoc valet, *calor non poteſt natura ſua producere ignem, ergo neque de potentia abſoluta poteſt producere gratiam.*

Dicunt aliqui, actum vitalem ſecundum conceptum vitalitatis præciſe à ſupernaturalitate habere conuenientiam cum potentia vitali, quæ formaliter concurrit ad vitalitatem: at ſupernaturalitatem non attingit niſi per habitum, potentiam autem habere improportionem ad ſupernaturalitatem non refert, quia ad eam non concurrit niſi habitus: in cæteris autem rebus id non inuenitur: aqua enim quam habet proportionem cum gratia? Contra: à parte rei illæ formalitates ſunt idem realiter: ergo à parte rei habent eamdem conuenientiam, vel inconuenientiam cum cauſis. Probo conſequentiam: tum quia, quod à parte rei & intrinſecè conuenit vni conceptui, conuenit à parte rei, & intrinſecè omni conceptui realiter cum illo identificato, tum quia conuenientia effectus eſt ordo, quem effectus dicit ad cauſam: at ſupernaturalitas à parte rei eſt ordo ad potentiam vitalem, & vitalitas eſt ordo ad habitum ſupernaturalem, ergo habent eamdem conuenientiam, aut diſconuenientiam: & ſicut vitalitas à parte rei reſpicit potentiam vitalem, ita & ſupernaturalitas, quia hæc à parte rei eſt totus actus: & ſicut iſte actus indiuiduus non poteſt à parte rei eſſe niſi à potentia, ita nec hæc ſupernaturalitas à parte rei, ergo hæc à parte rei reſpicit potentiam vitalem: vt ergo hæc potuit diuinitus oriri à potentia, à qua non reſpicitur naturaliter, quid-ni & ab aqua, aut calore? §.183.

Confirmatur, lux conuenit cum calore in ratione qualitatis, & calor eſt productiuus alius qualitatis. Item ignis poteſt producere ignem: & tamen calor nec ſub ratione qualitatis poteſt producere lucem, nec ignis aquam ſub ratione ſubſtantiæ, propter differentias illorum effectuum, quas illæ cauſæ non attingunt: ergo nec potentia vitalis dicit proportionem cum actu ſupernaturali propter differentiam, ad quam eſt improportionata: ergo ſicut hæc improportio diuinitus aufertur, auferetur & in aliis rebus. Nec vitalitas abſtracta dicit proportionem, ſed abſtrahitur à proportionato actu, vel improportionato: quando enim differentia effectus dicit improportionem cum cauſa ſecundum ſe conſiderata, conceptus abſtractus ſola ratione ab illa differentia non eſt proportionatus, ſed abſtractus: ſicut illa vitalitas non eſt naturalis, ſed abſtracta à naturali, & ſupernaturali, vt autem eſſet proportionata ſecundum vitalitatem, deberet ſecundum illam eſſe naturalis: nam effectus proportionatus cauſæ naturali vt naturali, eſt naturalis in conceptu in quo eſt proportionatus: ſi autem conceptus ſit ſupernaturalis, effectus ſecundum illum non eſt proportionatus ſoli cauſæ naturali: ſic autem effectus abſtrahit à naturali & ſupernaturali, abſtrahit etiam ſecundum eam rationem à proportionato & improportionato, contrahitur autem per differentias proportionati, & improportionati, ideſt, naturalis, vel ſupernaturalis, à quibus totus actus eſt proportionatus: vt homo eſt animal rationale abſolutè propter differentiam, licet genus abſtrahat à rationali. §.184.

Contra ſecundò: ergo anima eleuari poteſt ad producendam vnionem hypoſtaticam, & calor ad gratiam: probo conſequentiam; quia conceptus §.185.

ceptus vnionis ſubſtantialis abſtractus à ſupernaturalitate, dicit proportionem cum anima potente producere ſubſtantialem vnionem: ad differentiam verò ſupernaturalitatis non concurret ipſa formaliter, ſed voluntas ſupernaturalis Dei: poteſtque hoc argumentum vrgeri ijſdem terminis, quibus reſpondent aduerſarij.

§.186. Dices, actum vitalem ſupernaturalem petere ex ſe potentiam vitalem, qua fiat modo vitali: Contrariam hoc labitur in ſolutionem de diuerſis formalitatibus impugnatam, & iam non nititur in illa conuenientia vitalitatis abſtracta à ſupernaturalitate, ſed quia effectus non exigit eam cauſam. Oſtendi autem, Deum multa operari poſſe vltra eorum exigentiam. Deinde nec effectus id exigeret, ſi repugnaret cauſam eleuari ſupra ſuas vires. Nam ex parte cauſæ repugnaret. Ergo non repugnat ex parte potentiæ obedientialis vt ſic: licet autem effectus eam non requirat, cur Deus eam non poterit eleuare?

§.187. Adde iuxta ſententiam meam dari actiones ſupernaturales, quæ exigunt tam eſſentialiter ea inſtrumenta, quàm actio vitalis potentiam vitalem. Nam actio orta ab anima in gratiam, eſt modus eſſentialiter ab ea pendens, ergo ad illum anima poterit eleuari. Dices hunc modum repugnare, quia non exigitur à ſuo termino: Contra euidenter (vt opinor) accidentia poſſunt creari à Deo actione omnino independente à ſubiecto, & tamen tale genus actionis non petunt accidentia, ergo vt ſit poſſibilis de potentia abſoluta aliquis modus, non eſt opus, vt ex natura ſua eum requirat terminus, ergo licet gratia non petat actionem ex ſe à calore pendentem, non tamen hæc propterea repugnabit.

§.188. Reſpondent alij potentias actiuas naturales eſſe natura ſua determinatas ad certos effectus, qui ſunt veluti rationes formales illarum, vltra quos nullomodo poſſunt alios attingere, vt viſus nihil poteſt videre niſi lucem & colorem, quæ ſunt obiecta illius. Quo negant concurſum actiuum accidentibus in effectum principalem. Verum hæc nihil vrgent opinionem de concurſu accidentium: quia ſicut color pertinet ad obiectum viſus, ita ignis ad effectum caloris. Deinde potentiæ paſſiuæ ſunt natura ſua determinatæ ad ſuos effectus. Anima enim non poteſt eſſe ſubiectum proprietatum Angeli, nec quantitas formæ ſubſtantialis, & tamen diuinitus poſſunt attingere materialiter effectus ſupernaturales. Illis autem effectus naturales erunt veluti ratio formalis, ſicut per te contingit agentibus. Nec enim quidlibet poſſunt à quodlibet accipere ex natura ſua: ſed certos effectus ab agentibus certis.

§.189. Præterea accidentia ſunt natura ſua determinata ad exiſtendum inhærendo ſubſtantiæ: quæ ratio ab illorum connotatur eſſentia, at poſſunt diuinitus abſque ſubſtantia cohærere. Adde, hac ſolutione probari intellectum nec Trinitatem poſſe cognoſcere, nec Deum intueri. Nam Trinitas vt Trinitas non continetur in obiecto connaturali intellectus. Nam illam non poteſt attingere ſolis naturæ viribus, niſi facta ſupernaturali reuelatione. Dices ea facta poſſe cognoſci. Bene, ergo facta miraculoſa eleuatione, poterit ſacramentum producere gratiam: nec hæc eſt extra ſphæram illius ex ſuppoſitione eleuationis. Aliunde ergo probanda repugnantia huius ſuppoſitionis. De intuitione Dei idem probo: quia Deus non eſt obiectum immediatum noſtri intellectus; ſed per creaturas prius cognitas: nec alia ratione naturaliter pertinet ad intellectum: ſicut calor ad viſum non pertinet niſi ſimul cum luce: ergo diuinitus non poteſt intellectus immediatè attingere Deum: quia extraheretur intellectus à ſuo obiecto primario adæquato, quod ſunt ſolæ creaturæ, ſicut viſus nec diuinitus poteſt videre colorem niſi per lucem. Immo potentiæ magis pendent ab obiecto primario, & formali, quàm à ſecundario, & materiali.

Ad hæc, intellectus non reſpicit obiecta niſi per actus: & vt non poteſt vltra illa vagari, ita nec niſi per ſuos actus. Nam voluntas, & intellectus habent eadem obiecta materialia: differunt tamen per actus, quibus in ea tendunt: vt viſus & phantaſia circa colorem & lucem. Sed ratio formalis connaturalis intellectui ſunt actus naturales: ſupernaturales verò ſunt extra illam; ergo non poteſt intellectus tendere in obiectum niſi per actus naturales, & cum ſit potentia actiua, non poteſt extrahi vltra naturales actiones. §.190.

Quod affertur de ſenſibus externis, eſt abs re, primo per inſtantiam, non poteſt viſus videre colorem ſine luce ex natura ſua, nec de potentia abſoluta; ergo intellectus nec natura ſua, nec diuinitus poteſt videre Deum ſine creaturis prius cognitis: quia ex natura ſua ita eſt determinatus. Item non poteſt viſus elicere actus ſupernaturales circa colorem, ergo nec intellectus circa Deum, aut creaturas. §.191.

Secunda ratio eſt, quia obiecta ſunt quaſi formæ extrinſecæ, à quibus ſumitur eſſentia ſenſuum: qui ſua imperfectione ſunt limitati: & mutato obiecto, alius ſenſus mutatur: & ſicut natura ſua tantùm verſantur circa ſenſibiles qualitates, ita ab illis adæquatè pendent, effectus verò phyſici non tam ſpecificant ſua principia: vt patet in cauſa materiali: & in ipſo intellectu, cuius potentia actiua extrahitur vltra actiones naturales. Ratio forte eſt: quia ſenſus ſpeciem ſumunt ab actibus, actus autem pendent ab obiectis: cauſa verò non pendet ab effectu. Tamdem, licet non appareat ratio diſcriminis, diſcrimen certè apparet apertè, nam omnes fateri tenemur magis pendere ſenſus ab obiectis, quàm cauſa phyſica ab effectu. Quia potentia vitalis petit actus vitales: qui natura ſua ſunt determinati ad certa obiecta, & potentias: & vbi repugnant hi actus, repugnat potentia ad illos. Poteſt quidem viſus eleuari ad efficiendam intellectualem viſionem Dei, vt lapis: at non ad videndum Deum: quia viſio non eſt comparatione oculorum. §.192.

Sed obiicitur primò: quia ſequitur dari in rebus principium potens operari ſupra ſuam naturam, quod implicat, ergo. Reſpondeo, nullum principium ſe ſolo poſſe operari ſupra ſuam naturam, ſecus verò coniunctum principio ſupernaturali; intellectus enim non poteſt clarè videre Deum ſe ſolo, poteſt tamen concurrente Deo concurſu ſupernaturali luminis gloriæ. §.193.

Obiicitur ſecundo, res naturalis ante eleuationem non poteſt cauſare aliquid ſupernaturale, ſed ipſa eleuatio nihil ei virtutis addit, ergo neque cum eleuatione poteſt aliquid ſupernaturale operari. Primùm oſtendo futilitatem argumenti, exemplo ignis, qui ante concurſum generalem Dei non poteſt comburere, concurſus autem generalis nihil ei addit virtutis, ergo neque cum illo concurſu poteſt comburere: applica manum & experiere. Diſtinguo igitur minorem, eleuatio nihil §.194.

nihil virtutis intrinſecæ addit, concedo: extrinſecum nego: ei enim additur aſſiſtentia Dei volentis cum illa concurrere, per quam voluntatem redditur potens ad operandum.

§.195. Dices. Ante illam voluntatem Dei cauſa creata non erat potens, & poſt illam eſt potens, ergo accipit aliquid intrinſecum. Nulla eſt conſequentia, vt patet in igne Babylonio, qui nihil intrinſecum accepit aut amiſit, quando potuit aut non potuit comburere pueros. Ratio eſt; quia *potens* dicit & intrinſecam virtutem agendi, & connotat extrinſeca comprincipia, à quibus in operando dependet, & quia manente intrinſeca virtute poteſt deficere, aut adeſſe extrinſecum comprincipium, ideo ſine intrinſeca mutatione poteſt eſſe, aut *potens*, aut *impotens*, vt ſi tu ſolus non potes trahere trabem, & tibi coniungatur ſocius, factus es potens ad illam trahendam: per quam ſocij coniunctionem nihil intrinſecum accepiſti. Hoc autem fieri poſſe à Deo per diſtinctum actum liberum, quo id ab æterno vellet Theologus cognoſces. Neque hinc ſequitur aliquid, quod faueat Pelagio: vt perperam arbitratur Zumel, quia non damus in rebus vitutem quæ ex natura ſua petat, & poſſit compleri per auxilium ſupernaturale, ſed potius negamus. Id tamen quod naturæ negamus, concedimus Deo, vt ipſe neceſſariò fateri tenetur in potentia paſſiua, & in voluntate, & intellectu reſpectu actus vitalis ſupernaturalis.

§.196. Vrget adhuc: ante eleuationem non poterat potentia agere, nec dicebat reſpectum vllum ad actum: poſt eleuationem non dicit reſpectum ad actum, ergo non poteſt concurrere. Verum idem argumentum erit in potentia paſſiua, & in voluntate inſtructa iam habitu per ſe infuſo. Diſtinguo ergo maiorem: potentia ſe ſola conſiderata non poterat agere, nec dicebat ordinem ad actum, concedo maiorem: potentia concepta à nobis ſub eleuatione non poterat agere, nec dicebat ordinem obedientem illi eleuationi, nego maiorem. Itaque quoties concipitur voluntas coiungibilis cum eleuatione, concipitur potens obedientialiter: diſtinguo item minorem, poſt eleuationem non dicit ordinem naturalem, ideſt, conſideratum ſecundum ſuam entitatem præciſè, concedo minorem: obedientialem, dum conſideratur formaliter ſub eleuatione, nego minorem. Dixi autem diſput. 8. ſect. 9. potentiam naturalem ab obedientiali differre, non immediato influxu in effectum: completa enim vtraque potentia, immediatè concurrit, ſed in modo complementi: nam potentia naturalis illud petit ex ſe vt ſpecies coniungi cum oculo, obedientialis verò non petit ſed habet non repugnantiam. In oppoſitum autem arguentes ſumunt argumentum ab entitate potentiæ obedientialis ſecundum ſe conſiderata, ad eamdem conſideratam non ſecundum ſe, ſed vt ſubeſt eleuationi actu vel potentia, vt ſi arguerent ab igne ſecundum ſe, ad ipſum vt ſubeſt concurſui generali Dei.

§.197. Tertio obiicit P. Vazquez 1 part. tom. 2. diſput. 176. cap. 3. quia effectus, qui ex ſua natura non pendet ab vna cauſa, non poteſt diuinitus ab ea pendere, ergo gratia, verbi gratia, non poteſt phyſicè à Sacramento produci. Probatur antecedens, quia ſi modo dependet, debet eſſe per aliquam mutationem factam in gratia, hæc autem fieri non poteſt, ergo. Nego antecedens: ad probationem reſpondeo, id fieri per modum nouum dependentiæ, qui ſi ſit generatio, recipitur in ſubiecto, in quo recipitur terminus, qui modus dependentiæ poteſt oriri à Deo principaliter, & minus principaliter ab inſtrumento, licet huic nulla formalitas in effectu reſpondet, ſicut P. Vazquez cum aliis Thomiſtis concedit calorem influere in ignem. Porrò illud antecedens eſſe falſum probatur: quia accidentia Euchariſtiæ non pendent ex natura ſua à Deo per creationem; & tamen pendet de facto & miraculosè, quod per modum nouum dependentiæ fieri, quid vetat?

Tandem obiiciunt alij: ſe hoc vnico argumento negare, quia non percipiunt, quo pacto gratia contineatur in aqua, & Angelus in ligno. Sed in quæſtionibus de potentia abſoluta Dei, ideſt valde periculoſum argumentum, ſic namque negari poſſet myſterium Euchariſtiæ, quia vix capimus integrum hominem puncto claudi indiuiſibili. Oportet igitur claram contradictionem afferre, ſin captiuare intellectum in obſequium omnipotentiæ Dei. Vtrum autem creatura poſſit aſſumi vt inſtrumentum creationis: diſquiram diſput. 12. Vnum animaduerte, quando ex peculiari effectus ratione repugnat, tunc eſſe negandum concurſum potentiæ obedientialis: aqua enim, verbi gratia, non poteſt concurrere ad actus vitales modo vitali, poteſt tamen modo mortuo: nec datur potentia obedientialis ad materialem viſionem Dei; quia hæc eſt impoſſibilis: debet ergo effectus eſſe poſſibilis, vt ad illum ſit potentia obedientialis. §.198.

SVBSECTIO III.

Quid ſit formaliter potentia obedientialis.

PRobata exiſtentia potentiæ obedientialis, ſupereſt explicandum, quid ſit. Potentiam obedientialem admittunt plurimi auctores: ſed eam exponunt variè. Franciſcus Zumel arbitratur eam eſſe non repugnantiam creaturæ ad obediendum Creatori: quam ſententiam nonnulli imponunt Capreolo in 1. diſt. 42. quæſtione, 2. §. *Ad argumenta Aureoli*, ſed immerito, vt patebit §. 210. Aduerte ſermonem eſſe non de cauſalitate actiua, aut paſſiua, ſed de virtute cauſatiua conſtituta in actu primo. §.199.

Impugnatur ergo primò euidenter in potentia paſſiua, quæ eſt ea potentia, quæ dicitur *patiens*, quando paſſio exercetur: ſed quando exercetur paſſio gratiæ, aut actus vitalis ſupernaturalis, ſubſtantia animi, & intellectus dicitur *patiens*, non verò non repugnantia; ergo ſubſtantia animi, & non repugnantia, eſt potentia paſſiua. Maior videtur clara: quia nihil agit niſi potentia actiua, nec patitur niſi paſſiua: ratio à priori, quia actio aut paſſio ſunt rationes formales potentiæ actiuæ, & paſſiuæ, & actus ſecundus illarum. Minor eſt clarior: quia anima dicitur *grata*, & recipere gratiam: item intellectus credit, & voluntas amat. Dices id fieri per ſolam non repugnantiam. Contra, vel hoc reſponſo ſignificatur, neceſſariam eſſe non repugnantiam, quod certiſſimum eſt etiam in potentia naturali: vel ſignificat non repugnantiam eſſe ipſam rationem conſtituentem potentiam: quod terminis repugnat. Quia potentia vel ſumitur pro principio agente, & patiente vt *quod*, hoc autem eſt anima, aut Angelus, quia non repugnantia non amat, ſed Angelus: vel ſumitur pro ratione formali proxima concurrente ad actionem, aut paſſionem, vt calor eſt ratio calefaciendi, & quantitas dicitur ratio per quam compoſitum recipit qualitates: quod item eſt falſum: quia §.200.

intellectus

intellectus eſt qui credit vt *quo*, quia non repugnantia, cum nihil ſit, non poteſt phyſicè influere in effectum poſitiuum.

§.201. Secundò impugnantur, quia receptio pendet ab aliqua potentia phyſica receptiua, quò ſit in potentia proximè recipiendi, ſed non repugnantia non conſtituit phyſicè potentiam proximè recipiendi capacem, ergo: minor patet, quia non repugnantia nihil eſt phyſicè exiſtens in tua ſententia.

§.202. Tertiò impugnantur in potentia actiua, quæ eſt actus primus agendi: ſed non repugnantia non poteſt eſſe actus primus agendi; ergo: probatur minor, quia actus primus eſt actualitas exiſtens extra cauſas, (vt ex terminis patet) ſed non repugnantia præcisè, non eſt actus exiſtens phyſicè, extra cauſas, ergo. Confirmatur: quando voluntas cōcurrit liberè ad actum per auxilium extrinſecum; tunc ipſa concurrit immediatè, quia Deus nō concurrit modo vitali. Rogo vnde oriatur illa vitalitas niſi ex potentia vitali modo in actum influente? Idem eſt, quando concurrit cum habitu (vt oſtendi ſubſectione 1.)

§.203. Alij opinantur potentiam obedientialem eſſe qualitatem ſupernaturalem inhærentem inſtrumentis: alij motionem: alij fluctuant, nec ſibi conſtant iam motionem adſtruentes, iam non. Impugnantur vtrique in potentia obedientiali paſſiua, à qua pendet illa qualitas vel motio, quæ ad illas recipiendas non concurrit per potentiam naturalem, quia iam qualitas, & motio eſſent naturales, naturaliſque potentia, & non obedientialis: nec ad illas concurrit per potentiam ſupernaturalem, quia de hac grauior recideret difficultas, ergo per potentiam obedientialem phyſicè recipientem iſtam qualitatem, & motionem. De hac ergo potentia obedientiali, ex qua educitur iſta qualitas, rogo quid ſit? Et ſicut ad recipiendas iſtas qualitatem & motionem ſupernaturales ſufficit ens naturale cum concurſu extraordinario Dei, quid ni & ad receptionem gratiæ? Secundò, quia vnio hypoſtatica non recipitur in animo media qualitate, vt qualitas dicitur recipi media quantitate, quod fieret ſi potentia paſſiua eſſet illa qualitas: quia effectus recipitur media potentia recipiente. Id autem abſurdi patet, quia illa vnio eſſet per accidens, quia immediatè reciperetur in accidente. Tertiò, quia intellectus vitaliter recipit fidem, ergo in ſe immediatè.

§.204. Quartò impugnantur in potentia actiua: oſtenſum eſt enim ſupra voluntatem ſimul cum habitu influere in actus ſupernaturales: ergo ab ipſis eorum entitatibus oriuntur actus ſimul & ab habitu: ſed potentiæ concurrunt immediatè per obedientialem, ergo obedientialis potentia non eſt qualitas ab illis diſtincta. Quintò, quia illa motio, aut qualitas, aut eſt ſpiritualis, aut materialis. Materialis eſſe non poteſt, quia tam improportionatum relinquit inſtrumentum, quàm antea. Motio autem non habens connexionem cum effectu non requiritur in inſtrumento (vt patet ex ſectione 11.) Spiritualis eſſe non poteſt: quia illa ex natura ſua per te petit fieri & eſſe cum dependentia à cauſa materiali, quia per te conuenit rei materiali, ea enim ratione quantitas eſt materialis, quia ex naturæ ſua inhæret materiæ.

§.205. Confirmatur, quia nullum relinquitur veſtigium ad probandum ſolam animam rationalem eſſe ſpiritualem, quia id colligimus ex independentia à materia, ſed per te res dependens à materia eſt ſpiritualis, ergo & formæ ſubſtantiales erunt ſpirituales. Maximè in opinione Thomiſtarum aſſerentium, formas perfecti viuentis eſſe indiuiſibiles; tunc neque ex diuiſibilitate, neque ex dependentia à materia poteſt colligi earum materialitas: quod ſi dicas, eas formas eſſe diuiſibiles. Reſpondeo iſtam qualitatem eſſe etiam diuiſibilem propter dependentiam, quam habet à pluribus partibus materiæ.

Dices, eas formas eſſe materiales, quia ex natura ſua pendent à materia: at verò potentia obedientialis non pendet ex natura ſua à materia, ergo non eſt materialis. Nego minorem: res enim ſupernaturalis poteſt ex natura ſua pendere à re naturali, & ab illa ſpecificari, non minùs, quàm res naturalis. Habitus enim Fidei, & Charitatis dependent & ſpecificantur à potentia vitali, ergo ſimiliter illa potentia obedientialis, quam tu fingis, erit materialis; quia ex ſua natura non minus pendet à materia quàm quantitas. §.206.

Dices, actum intellectus de potentia abſoluta poſſe à lapide pendere, cum ſit ſpiritualis; ergo ſimiliter illa potentia obedientialis. Sed nulla eſt conſequentia, quia illud non conuenit intellectui ex ſua natura ſicut per te conuenit potentiæ obedientiali. Ad eum modum, quo quantitas non eſt ſubſiſtens, quia licet in Euchariſtia ſubſiſtat; non ei conuenit ex ſua natura. Quia verò animus rationalis ex ſua natura eſt independens à materia, ideo ſimpliciter eſt ſubſiſtens, ergo ſimiliter illa motio erit materialis, quia ex ſua natura pendet à materia. §.207.

Sed aiunt, res naturales permanentes à materia pendere, ſecus iſtam qualitatem. Contra, quia ſi eo modo, quo petit eſſe, pendet à materia, erit quidem materialis, vt latio corporea, quæ ſucceſſiuè, & ſine vlla permanentia fit, eſt materialis, quia pendet à materia ex natura ſua. Secundò, quia illa qualitas etiam eſt permanens, cum tamdiu durarit in Chriſto, & in Sacerdote duret. §.208.

Deinde arguo, quia humanis inſtrumentis nihil præuium imprimitur, ergo neque diuinis: de quibus proportione ad humana eſt philoſophandum. Oppoſitum enim nulla ratione probatur, antecedens probatur: tum ad hominem, quia phantaſmati per te concurrenti inſtrumentaliter ad ſpeciem intellectus, nulla imprimitur motio, neque calori concurrenti ad ignem; ſed tantum requiritur coniunctio principalis: tum quia illa motio, ſi eſt accidentalis, eſt tam improportionata, quàm ipſum accidens: ſubſtantialis autem eſſe non poteſt, quia accidenti nulla ineſt ſubſtantia, & ſi requiritur motio ſubſtantialis ad ignem, ergo inſtrumentis, quibus producitur viuens, debet præberi motio ſubſtantialis vitalis, & equina ad equum, quod eſt ridiculum. Inſtrumento artis imprimitur impetus; quia illud inſtrumentum non iuuat niſi per motum localem, & cum ipſum ſit inanimatum, tantum poteſt illum motum pati? Inde tamen ad cætera inſtrumenta nullum ſumitur argumentum. §.209.

Eſt igitur potentia obedientialis non aliqua motio, neque qualitas; ſed ſubſtantia ipſius rei connotans extraordinarium concurſum Dei volentis cum illa concurrere ad opus aliquo pacto ſupernaturale: cuius explicationem vide ſupra diſputatione 8. ſect. 9. à §. 176. quam ſententiam de potentia obedientiali paſſiua docet Capreolus ſupra in 1. diſt. 42. quæſt. 1. verſiculo. *Ad argumenta Aureoli.* ad primum his verbis: *Conſimiliter dico, quod potentia obedientialis receptiua, quam Deus indidit materiæ, non eſt aliud, quàm eſſentia materiæ* §.210.

ſecundum

ſecundum rem, ſed tamen ſecundum rationem addit reſpectum ad potentiam actiuam Dei. Tota potentia paſſiua in recto ſignificatur, & eſt eſſentia rei eleuatæ: at in obliquo connotatur omnipotentia Dei, non vt receptiua, ſed vt principium, à quo recipitur effectus in materia. Differt à potentia paſſiua naturali: quod hæc reſpicit voluntatem ſibi debitam, obedientialis indebitam. Actiua autem potentia eſt entitas eleuata, non ſola, ſed ſimul cum habitu ſupernaturali, aut voluntate eleuante, è quibus duobus conflatur integrum principium actiuum, vt proportione patet in naturalibus. Potentia ad iſtam coniunctionem eſt in re naturali non repugnantia, vt oſtendi diſput. 8. ſectio 9. facta autem coniunctione eleuationis & rei eleuatæ, vtraque immediatè concurrit, quod forte voluit Zumel: nec diſſentit in re Pater Suarez, quem vide tomo primo in 3. part. diſputatione 31. ſectio. 6. hæc ſufficiant.

§. 11. Quæ potentia eſt ſubſtantialis, aut accidentalis, naturalis, aut ſupernaturalis, pro vt fuerit res, in qua eſt, ſi eſt in ſubſtantia eſt ſubſtantialis, &c. quæ concurrit vt naturalis vel accidentalis, ſi ly, *vt*, reduplicet ſupra entitatem, per quam concurrit, quod eſt dicere in aliquibus entitatem potentiæ obedientialis eſſe naturalem, vt in anima, in aliquibus accidentalem, vt in calore, quia anima eſt ſubſtantia, & calor accidens, & hæc potentia non diſtinguitur ab iis rebus, in quibus ineſt, ſemper autem concurrit, vt ſupernaturalis, ſi ly, *vt*, reduplicet ſupra ipſum concurſum, ſeu cauſalitatem, ideſt, ipſam cauſalitatem potentiæ obedientialis eſſe ſemper ſupernaturalem.

DISPVTATIO X.

De cauſa prima.

PRINCIPIVM efficiens diuiditur in primum, & ſecundum, ſiue in increatum, & creatum. Agimus de increato, de cuius exiſtentia vide Patres, Suarez 2. metaphyſicæ diſp. 29 per tres ſectiones. Molinam 1.p.q.2.art.3. Vazquez ibidem diſput.20. Valentiam tom.1.diſput.1. q 2. punct.3. è quibus pauca deſumam noſtro inſtituto admodum neceſſaria.

SECTIO I.

Vtrum, & quid ſit cauſa prima?

§. 1. PEr cauſam primam intelligo *primum omnium rerum creatarum principium, quod à nullo alio trahat originem:* ſiue hoc ſit vnum, ſiue plura; materiale, vel ſpirituale; neceſſarium, vel liberum: nunc enim tantum inueſtigamus eius independentiam à rebus omnibus, & omnium dependentiam ab illo: nam in omni motu recurrendum eſt ad vnum illius primum principium. Qua in re ſit primum argumentum diuina quædam Ariſtotelis verba hoc lib.2.cap.4.text.43. & 44. *Sunt etiam* (inquit) *qui mundi huius, aliorumque omnium cauſam in caſum referant. conuerſionem enim, & motum eum qui vniuerſum diſtinxit, & hunc ordinem redegit caſu eſſe: & hoc ſanè admiratione maxima dignum eſt: quod enim animalia quidem, & plantas, neque eſſe, neque fieri à fortuna, ſed aut naturam, aut mentem, aut aliquid aliud tale cauſam eſſe affirment, propterea, quod è cuiuſque ſemine non quoduis fiat, ſed ex tali oliua, ex tali autem homo; cœlum verò, & ea, quæ inter ſenſilia diuiniora ſunt, caſu effici cenſeant, taliumque eorum nullam, qualis plantarum, & animalium eſt: cauſam eſſe.*

Vnde arguo: tota hæc rerum creatarum vniuerſitas non potuit caſu eſſe, ergo prouenit ab aliquo principio, quod eam produxerit mente, & ratione. §. 2. Conſequentia negari non poteſt: antecedens ab homine negari non poteſt: ſi enim nec domus, nec nauis, nec ciuitas, nec res minimæ, vt horarium, pictura, veſtis, & calceus caſu eſſe poſſunt, ſed ab artifice, & non qualicumque, ſed optimo, quis erit adeo excors, vt ſibi perſuadeat perpetuum cœlorum motum, elementorum diſſidium & conſenſionem, animi rationalis productionem, perfectorum animalium mirabiles proprietates non eſſe ab aliqua mente inditas? Cum hoc non ratione, ſed fuſte erit agendum. Vide diſput. 20. metaphyſicæ ſect. 2. Ariſtoteles autem libris de cœlo hanc ſententiam mutaſſe videtur, cum cœlum dicit à nemine factum: (vt contra eum oſtendam diſput.4.de cœlo.)

Secundum argumentum ſumitur ex clara repugnantia proceſſus in infinitum in cauſis per ſe, §. 3. quæ ſic probatur. Si ad productionem Petri præceſſiſſent infinitæ cauſæ, quarum vna eſſet tempore prior alia, non potuiſſet ad vltimam, ſcilicet eius patrem, perueniri. Ergo non præceſſere infinitæ. Probatur antecedens, quia in infinito non eſt vltimum, alioquin non infinitum eſſet, ſed finitum, quia vltimum eſt finis, & terminus numeri; tum, quia aſcendendo ab vltima ad priores cauſas non poſſumus infinitas numerare, neque ad primam venire, quia, *infinitum ſucceſſiuè pertranſiri non poteſt*, quia ſi pertranſiretur, haberet finem, ergo deſcendendo per cauſas ſuperiores ad inferiores, non poſſumus peruenire ad vltimam, quia eadem via aſcenditur, & deſcenditur.

Dices, infinitum poſſe habere vltimum, dummodo non habeat primum, §. 4. vt patet tum in actibus æternitatis, qui ſunt infiniti, & licet non habeant vltimum, habent primum: tum quia ſi Deus creaſſet hominem ab æterno, ille duraret infinitè, quem tamen Deus poſſet annihilare in quauis parte temporis, quia contra infinitum non eſt vnus terminus, ſed duo, primum ſcilicet, & vltimum. Reſpondetur negando antecedens, nam vt habeat vltimum, opus eſt omnes partes pertranſiri, quod repugnat, ſi ſunt infinitæ; alioquin exhaurietur infinitum ſucceſſiuè. Quod patet in ipſis actibus æternitatis, quibus nullum aſſignabis vltimum, immo nec primum propriè loquendo, inquantum ſunt infiniti, quia primum reſpicit ſecundum, & hoc tertium, &c. ſemper reſpectu numeri finiti, & determinati, cuius affectiones ſunt *primum, ſecundum, & tertium.* Infinitum autem non eſt numerus: Dicitur autem vnus actus liber eorum, primus, quia ante cæteros fuit productus; non verò quod ſit formaliter primus in illa infinitudine, quæ, quia numerus non eſt, primum non habet: at verò in caſu argumenti ſi deſcendendo à cauſis remotis ad immediatas, omnes tranſeundo venietur ad vltimam, ergo eodem modo aſcendendo ab vltima ad remotiores, omnes tranſeundo ſucceſſiuè, ſaltem cogitatione, ſicut realiter ſunt omnes tranſitæ deſcendendo ad vltimam, venietur ad primam, & erunt finitæ. Patet conſequentia, quia *eadem via ducit Thebis Athenas, & Athenis Thebas*, cuius oppoſitum cernitur

cernitur

cernitur in actibus æternitatis:numquam enim venietur ad vnum,vltra quem non ſint infiniti,at per te percurrendo omnes cauſas motus, venietur ad vnam, vltra quam non eſt alia. Vnde ſequitur omnes eſſe finitas: quia omnes ſunt tranſitæ, de quo diſp.18. vbi latè probatur homines ſumpſiſſe initium ab aliquo principio non homine:item latè oſtenditur repugnantia infiniti ſucceſſiui ab æterno: quia eo ipſo, quod nunc ſucceſſiuè eſſet exhauſtum, eſſet finitum.Illuc adi.

§. 5. Aduerte in multitudine infinita poſſe aſſignari primum, & vltimum reſpectu alicuius multitudinis finitæ,ſed non reſpectu totius: ſimiliter in magnitudine. Ad illud de homine creato ab æterno reſpondetur id repugnare iiſdem cauſis in ſententia aſſerente ſucceſſionem extrinſecam, aut intrinſecam eſſe de ratione durationis creatæ, & hominem tunc duraturum; quod ſi duratio ſit omnino indiuiſibilis, exemplum non eſt ad rem; quia vbi non eſt pluralitas rerum, non eſt prius, & poſterius: hominem autem eſſe æternum tūc nihil erit, quàm extitiſſe, antequam poſſet exiſtere res ſucceſſiua,& anihilari, quando exiſtit, aut poteſt exiſtere ſucceſſio, in quo non reperitur infiniti pertranſitio, principium nec finis reſpectu plurium: ſtet ergo repugnare progredi in infinitum in cauſis ſibi ſuccedentibus.

§. 6. Hinc verò probatur intentum,quia omne,quod eſt productum,ab alio producitur (vt patet ex terminis:)ergo in huius productione ſiſtendum eſt in vno producente improducto: quia huius productionis non potuerunt eſſe infinitæ cauſæ per ſe: hoc explico: quia ſpecies hominis,verbi gratia,eſt producta, ſed tota illa ſpecies non potuit produci ab aliquo indiuiduo eiuſdem ſpeciei, quia, cum hoc includatur in tota ſpecie, eſſet principium ſui ipſius, ergo tota ſpecies producitur ab indiuiduo alterius ſpeciei, de hac ſpecie rogo, vtrùm ſit producta? Vel non? Si non eſt producta,habeo intentum: ſi verò eſt producta, de illius principio rogo ſit ne productum? Vel non? Si non, habeo intentum: ſi verò eſt productum, eamdem quæſtionem inſtituam, donec ſiſtam in vno improducto, quia in infinitum abiri non poſſe,probatum,§.3.

§. 7. Dices multa eſſe improducta, quæ tamen non producunt. Reſpondeo hoc nihil ad rem eſſe,quia modò non inquirimus, vtrum poſſint eſſe plures dij? Sed inueſtigamus vnum primum principium efficiens à nullo factum, & ab ipſo omnia facta. Confirmatur: tota ſpecies hominis eſt ens ab alio, ergo ſumendo omnes homines exiſtentes ex vna parte, debet dari aliud principium, à quo exiſtant. Dices nullum eſſe, quin ſit ab alio homine eiuſdem ſpeciei,nec tamen venietur ad primum.Contra, omnes homines huc uſque exiſtentes fuerunt facti ab aliquo, recurre mente omnes illos incipiendo,à te ad tuum patrem, auum, proauum,&c. certè illos omnes mente finies, ſicut tempore finiti ſunt: cum ergo nullus alius ſuperſit, rogo illum vltimum, quem in hac ſerie inueniſti,quis effecerit?

§. 8. Eſt igitur argumentum: omnes res creatæ pendent ab vno primo principio, hoc autem à nullo alio dependet; ergo datur primum principium rerum omnium creatarum, ergo datur cauſa prima. Hæc ſufficiāt phyſico inſtituto,de infinito ex profeſſo diſputabitur diſput.13.& 18. vbi probabitur aliquid ab homine diſtinctum determinaſſe materiam primam ad animā rationalem: & repugnaſſe generationes ab æterno: vnde tota hæc doctrina liquidius conſtabit.

SECTIO II.

Vtrum cauſa prima influat immediatè in omnes creaturas?

SVBSECTIO I.

Sententiæ communis examen.

DEum immediato concurſu actiuo attingere omnia entia creata tam conſtans eſt Theologorum, & Chriſtianorum opinio Philoſophorum,vt dixerit Gabriel de ea nō poſſe inter catholicos eſſe dubium. Libet tamen eorum fundamenta librare. Ac primùm pono,Deum poſſe conſiderari dupliciter: Primùm cum immediato influxu in creaturas omnes,actu exiſtēte in illis, ita vt non poſſit aliqua eſſe abſque illo:Secundò cum potentia ad hunc influxum præſtādum & cohibendum; ita vt ſit in eius arbitratu cauſis creatis permittere totalem actionem,& partialem. §. 9.

Argumentum autem primum ab ſcriptura. Primò Ioan.5.17. *Pater meus vſque modo operatur, & ego operor.* Secundò Iſa.26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Tertiò 1.ad Corinth.12. *Qui operatur omnia in omnibus.* Quartò ex cap.3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat Deus.* Quintò ex cap.15. *Tu nudum granum ſeminas, Deus autem dat illi corpus ſicut vult, & vnicuique ſeminum proprium corpus.* Sextò, Pſal.138. *Etenim illuc manus tua deducet me,& tenebit me dextera tua.* §. 10.

Hæc teſtimonia nihil omnino vrgent: Ad primum,Chriſtus loquitur de facto:quia Deus voluit immediatè cōcurrere ad omnem actionem diſtinctam à voluntate mala:at non dixit Chriſtus, rem non potuiſſe aliter contingere. Nec enim opus eſt dicere Deum non poſſe immediatè concurrere ad omnes eiuſmodi actiones: eam enim doctrinā impugnabo fusè:ſed eſſe in arbitratu Dei concurrere & non concurrere:elegiſſe tamen concurſum. Eadem ratione reſpōdetur ad cætera teſtimonia.vnde liquet,ex ſcriptura nulla ratione probari, Deū non poſſe præſtare creaturis virtutem adæquatam ad omnes effectus. §. 11.

Age dum, videamus quid obſint ea teſtimonia Durando, aſſerenti Deum non concurrere ad omnem actionem creaturæ. Teſtimonium Chriſti, P. Maldonatus cum Leontiò,& aliis exponit, voluiſſe Chriſtū oſtēdere ſe eſſe Dominum ſabbati,quia nec Patri præſcripta eſt lex ceſſandi ſabbatis ab operatione cum ſemper operetur; & ipſe Chriſtus cum eo. Operatur autem conſeruationem cœli,& infinitarum rerum ortum:at verò non dixit Chriſtus Patrē influxu immediato phyſico omnes creaturarum effectus operari. Secundò, reſpondetur, omnia opera fieri à Deo, non immediato influxu, ſed voluntate directè volente omnes operationes (à praua voluntate diſtinctas:) quæ voluntas eſt principium ſine quo nulla eſſe poteſt. Quo ſenſu exponi poſſunt ſcripturæ,& Patres. §. 12.

Animaduertendum tamen opera honeſta moraliter,oriri à Deo conſulente, & inuitante:ſi autem ſint ſupernaturalia,etiā phyſicè auxiliante per gratiam congruam,& phyſicum influxum ſupernaturalium habituum; qui ſpeciali ratione adſcribitur Deo. Peccatum autē non operatur Deus abſolutè: eſt enim opus diaboli,& noſtrum. Nec enim Deus dicitur abſolutè *operator peccati:* dicitur autem *operator* aliarum rerū. Cum autē volūtas directa Dei ſit §. 13.

ſit principium extrinſecū omnium actionum non malarum; earum eſt Deus operator, quamuis phyſicè eas non attingat.

§. 14. Secundum argumentum eſt à ratione: omnis creatura eſt ens per participationem; ergo pendet ab ente per eſſentiam, qui eſt Deus. Confirmatur: creatura in ratione creaturę dicit ordinē ad Deum: ergo immediatè pendet à Deo. Reſpondeo diſtincto conſequenti; pendet immediato influxu phyſico, nego conſequentiam: pendet mediato, concedo. Ecquis neget me eſſe ens per participationem quamuis à ſolo meo parente ſim genitus Deo nō influente phyſicè in me? eo enim præciſè quod ego habeam eſſe ab aliqua cauſa efficiente, ſum ens ab alio, & non à me. Ad confirmationem reſpondetur, creaturam dicere ordinem ad Deum mediatè, aut immediatè.

§. 15. Tertium, quia omnis creatura pendet immediatè à Deo in eſſe & conſeruari: ergo pendet immediatè à Deo in operatione: quia *operatio ſequitur eſſe*. Reſpondeo primùm negata conſequentia: ad probationem, operatio ſequitur eſſe ſeruata totali proportione, nego: cum aliqua, cōcedo. Calor enim immediatè pendet ab igne, lux à ſole, ab intellectu intellectio, nec tamen ignis immediatè calefacit, nec ſol illuminat, nec intellectus generat habitum. Ratio à priori: quia cauſa non habet virtutem ad ſe producendam, aut conſeruandam; habet tamen ad producendum aliud.

§. 16. Quartum, Nullus eſt effectus cuius Deus nō ſit verè, & propriè cauſa: ſed cauſa remota nō eſt propriè cauſa effectus remoti: ergo. Diſtinguo maiorem, omnis creatura eſt propriè & rigore effectus Dei in actu ſecūdo, nego antecedēs: in actu primo, concedo. Nulla eſt res diſtincta à peccato, & ab actione adæquata cauſæ ſecundæ, quæ non poſſit eſſe immediatè à Deo: in quo cernitur perfectio eius omnipotentiæ: at verò non eſt incommodum exiſtere aliquem effectū abſque influxu actualiter Dei: tū quia actualis productio totius mundi, nulla eſt perfectio Dei; ergo nec quod ceſſet à toto mūdo faciendo eſt imperfectio: potētia igitur faciendi omnia eſt perfectio Dei; actualis autem effectio, non eſt: tum quia Deus non neceſſitate vlla, ſed ſolo ſuo arbitratu definit eſſe cauſa immediata alicuius rei: quod tantum abeſt ab imperfectione, vt maximum ſit argumentum perfectionis.

§. 17. Reſpondeo ſecundò, omnia opera nō mala pendere immediatè à Deo non per phyſicū influxum, ſed per voluntatem directā, immediatè ad ipſa terminatam, ſine qua nulla creatura eſſe poteſt.

§. 18. Quintum argumentum, quo oppoſitam ſententiam vrgere ſoleo, eſt: quia Deo adſcribēda eſt omnium perfectiſſima prouidētia; qua poſſit actiones imperare & cohibere creaturis: adeo vt poſitis omnibus requiſitis ad operandum poſſit Deus tenere virtutem creatā ne quid agat; quin ſit opus aut deſtruere cauſas immediatè pendentes à Deo, aut illis imprimere qualitatem incompoſſibilē cum actione. immo demus multipliciter actiones poſſe impediri; cur cæteris omnibus non addemus hunc quoque modum?

§. 19. Huic argumento reſponderi poſſe videtur; Deo ſatis perfectā prouidentiam adſcribi, ſi ipſe pro ſuo arbitratu poſſit actiones cohibere, aut imperare. Quemadmodum appetitus imperat, & cohibet actiones animalis abſque immediato influxu. Hæc autem ſolutio impugnari poteſt; quia inanimata non percipiunt imperia Dei niſi per phyſicam mutationem. Appetitus autē aut imprimit aliquid potentiæ motrici; aut omnes nerui deriuātur immediatè è cerebro, appetitus ſede: mouentur autem nerui ab appetitu, & fiūt motus arbitrarij. Verumtamen nec hoc ſatis oſtendit immediatū influxum Dei. Nam præter motus arbitrarios, alij etiā excitantur ab appetitu; vt cum præſentem cibum appetimus, confluit ſaliua in os; quę non mouetur ex appetitus imperio; ſed naturali nexu, quo totum animal ita compingitur, vt partes moueantur ad bonum totius animalis.

§. 20. Vt autem conſtet hoc quintum argumentū non eſſe efficax; Reſpondeo Deum etiam pollere hoc prouidentiæ genere: quia ipſe poteſt velle concurrere cum omni cauſa creata; & velle ne illa operetur vt cauſa totalis, ſed vt partialis: qua voluntate poſita, facilè reſpondetur argumento, omnes illas prouidentias eſſe poſſibiles Deo: nō tamen illi eſſe neceſſarium vſum omnium; ſed eum ſolo arbitratu poſſe vti qua libuerit. Quod ſi vtitur hac potius quàm illa, id non oriri ex impotentia aliis vtendi, ſed ex arbitrio: cúmque Deo nihil perfectionis accreſcat ex hac ratione prouidendi potiùs quàm ex illa, poterit eligere quam maluerit. Hoc autem argumentum eſt maioris perfectionis.

§. 21. Quod autem obiicitur §. 19. inanimata nō ſentire imperia Dei; quid refert: Nec etiam ſaliua ſentit appetitionem ex qua deriuatur. Reſpondeo ergo; creaturas ex naturali ſeruitute & dependentia à Deo, habere inſitam inclinationē, & determinationem ad nō operandum actiones non malas, niſi Deo id directè volente; malas autem non poſſunt niſi volente Deo eas nō impedire. id autem eſt ob Dei perfectionem; qui vtitur ſuis creaturis pro libito; & ex harum ſubiectione, quæ nec mutire valent abſque annuente Deo. & quemadmodum actiones multæ oriuntur à voluntate Dei influente; ita nulla poteſt oriri niſi eadem voluntate annuente bonis, & non renuente malas. Hæc autem eſt maxima Dei perfectio.

§. 22. S. Thom. in 2. d. 37. q. 2. art. 2. argumētatur ſextò quia ſequeretur eſſe plures cauſas primas actionū: Quia ignis v.g. ageret ſine auxilio prioris agentis: ſed hoc eſt de ratione primi principij: ergo. Reſpondetur tamen negatione conſecutionis: ad probationem reſponderi poſſe videtur, ignē non agere abſq; auxilio alius cauſæ: quia propriū eſſe accipit à Deo: qui autem accipit ab alio virtutem agēdi, non operatur abſq; illius auxilio; quāuis agat ſine nouo auxilio diſtincto à receptione virtutis actiuæ. Deus autem nec virtutem nec operationem accipit ab alio; ac propterea operatur abſque alius auxilio.

§. 23. Vrget tamen S. Thom. agens non poteſt ſe conſeruare; ergo nec agere: quia ab eo eſt operatio à quo eſt eſſe & virtus operatrix: & quamuis hinc non concluderetur eam rem eſſe primum ens, eſſet tamen primum agens. Reſpondeo tamen ex §. 15. non ſequi actionem immediatè illud principium à quo eſt virtus. Nec item ſequitur cauſam creatam eſſe abſolutè primum agens: tum quia omnis eius actio mediatè pendet ab actione alterius agentis, nempe Dei conſeruantis virtutē cauſæ creatæ: tum etiam, quia omnis effectus dicit ordinem ad voluntatem qua Deus aut directè vult, aut permittit actionem: itaque omnis creatura operatur dependenter ab illa voluntate Dei, quod eſt contra rationem agentis primi.

§. 24. Septimum argumentum S. Thomæ: quia Deus non eſſet cauſa vniuerſaliſſima omnium entium. Reſpondeo id non ſequi de cauſa in actu primo, quia omne ens diſtinctum ab actione totali creaturæ, poteſt oriri à Deo, in cuius omnipotentia continetur: quod autem de facto id nō fiat, oritur

ex

ex voluntate Dei, non ex neceſſitate. Peccati autem Deus nõ eſt abſolutè cauſa, ſed cum addito, nempe permiſſiua. Itẽ illa volũtas quam ex parte Dei conſtituo, ſufficit vt Deus in naturalibus, & honeſtis ſit abſolutè cauſa; in peccato autẽ cauſa permittẽs.

§. 25. Octauum argumẽtum; quia eſſent multæ actiones, quarum Deus non eſſet immediata cauſa; hoc autem eſt falſum: ergo. Probo minorem, quia illarum nec poſſet eſſe cauſa: ergo. Probo antecedens, quia actio eſt modus impos denominãdi rẽ quam ſemel non denominat; vt de vnione dixi diſp. 5. & dicam diſp. 2. met. ſect. 5. Diſtinguo maiorem; quarum non eſſet cauſa phyſica immediatè influens, concedo maiorem: non eſſet cauſa phyſica immediatè volens directè, aut permittens, nego.

§. 26. Itaq; omnis actio creata eſſet ordo tranſcẽdentalis ad illam voluntatẽ: non minus quàm volitio ad intellectionem. Hoc autem quamuis in aliis rebus eſſet abſurdum, non tamen in actionibus, quæ ex parte ſui repugnãt eſſe ab aliis principiis: vt non eſt abſurdum non poſſe eſſe à ſolo Deo actionem, quæ ſemel eſt etiã à creatura: nec poſſe vniri corpus & animum Petri vnione Pauli: quia ex parte termini, nempe modorum, oritur ea imperfectio & repugnantia, non verò ex parte Dei. immo ad exactam eius perfectionem id ſpectat; vt poſſit communicare creaturis adæquatam virtutem agendi.

§. 27. Nonum argumentum; quia nõ eſſet cur potius hic numero effectus oriatur ab his cauſis quàm alius: quia Deus actione immediata determinat hunc potius quàm alium. Reſpondeo, frequenter à doctoribus præſcribi aliam rationem indiuiduorum effectuum. Deinde Deus poteſt directa voluntate eligere hunc potius; aut permittere.

SVBSECTIO II.

Quid de quæſtione.

§. 28. Dico primo. Antiquorum ſententia aſſerens Deum initio condidiſſe creaturas; eiſq; permiſiſſe generationes, motúſque omnes, ceſſantem ab omni actione; eſt plenè & planè hæretica. eius ſententiæ meminit S. Aug. t. 3. lib. 5. de Geneſi ad litteram c. 20. Quam ipſe confutat teſtimonio Chriſti, Ioan. 5. his verbis: *Contra quos profertur illa ſententia Domini, Pater meus vſque modo operatur, & ego operor. Deinde quia non ſolum magna & præcipua, verum etiam iſta terrena & infima ipſe operatur, vt dicit Apoſtolus.* Sentit ergo Auguſtinus eam ſententiam eſſe contra ſcripturæ teſtimonia.

§. 29. Ratio eſt manifeſta: quia multæ ſubſtantiæ veteres, atque recentes, & generationes multæ pendent immediatè à Deo: quia ab alio non poſſunt eſſe: exempli gratia, Angeli, Animi rationales, cæli, materia prima, elemẽta, viuentia perfecta ſeparata à parentibus: viuentium ex putrefactione generatio; excuſſio pullorũ in ſtercore aut cinere calido, & id genus infinita. Ea autem ſententia indigno à nonnullis imponitur Aureolo, atque Durando.

§. 30. Dico ſecundò. Illa ſententia, quæ aſſerit eſſe aliquem effectum, qui à Deo fieri non poſſit immediatè; eſt proxima hæreſi. Probatur; tum quia eſt contra omnes eccleſiæ Patres, & ſcholaſticos: ipſe enim Dur. in 2. d. 1. q. 5. num. 14. aſſerit poſſe à Deo fieri quidquid fit à creatura: tum etiam, quia negaretur omnipotentia Dei: quia omnipotens eſt, qui poteſt facere omnia poſſibilia; ſi enim ſit aliqua res ſecundùm ſe poſſibilis; illa erit poſſibilis à Deo: vt latius oſtenditur 1. p. Ratione etiam probatur: quia nullus effectus eſt eſſentialiter affixus principio efficienti creato; ergo poteſt fieri à ſolo Deo. Conſequẽtia patet: quia repugnãtia oriretur ex natura effectus huic agenti defixa. Antecedens probo: quia agenti vt agenti ſola actio eſt defixa: ceteri autem effectus vel quia ſicut abſoluti, vel quia ſunt modi nõ ſpectantes ad agendi rationem, ſunt ſeparabiles ab agente creato. Quapropter accidentia euchariſtica fiunt à ſolo Deo; quæ priùs fiebant etiam à creaturis. Ratio à priori; quia id arguit perfectionem in Deo, & non repugnantiam in creaturis.

§. 31. Obijcis; ergo hinc concluditur nõ poſſe actionem peccati nõ eſſe à Deo immediatè concurrente; nec poſſe actionem aliquam eſſe niſi etiam à Deo: quia illa actio nõ poſſet à Deo fieri. Reſpondeo ex §. 25. nullam eſſe conſequentiam: primùm, quia omnes effectus diſtinctos ab actione creaturæ poteſt Deus efficere ſe ſolo; non tamen actiones creaturæ: & hoc nullum cenſetur abſurdum; quia oritur ex repugnantia effectus; qui ob imperfectionẽ modi non poteſt eſſe niſi à re, cuius ſemel eſt modus: ita nec eſt abſurdum actionem peccati non eſſe à Deo poſſibilem; quia eſt modus agendi ſoli libero arbitrio creato. Eſſet autem contra omnipotentiam, ſi eſſet res abſoluta, vel nõ eſſet ratio agendi; quia eiuſmodi res non ſunt per eſſentiam affixæ agenti creato, pendent item à Dei voluntate.

§. 32. Dico tertiò. Illa ſententia, quæ negat poſſe Deum ſimul cum creatura efficere creatos effectus, eſt temeraria. Quam docuerunt Dur. in 2. d. 1. q. 5. & diſt. 37. q. 1. & Aureolus d. 38. art. vnico. §. *Nunc pono.* Probatur; quia tã aliena eſt à ſanctis Patribus, & ſcholaſticis, vt S. Thom. eam cenſeat proximam duobus erroribus; & Gabriel dixerit oppoſitã non habere dubiũ apud catholicos. P. Suar. 1. Met. diſp. 22. ſect. 1. eam dãnat erroris. Præſto eſt ratio; quia ſcriptura ſacra ait omnia facta à Deo: & ſancti Patres nullam omnino excludunt creaturam quantumuis minimam. Item quia nulla affertur vel probabilis ratio. Quod enim ait Dur. creaturam eſſe cauſam adæquatam. Reſpondeo id eſſe in actu primo; at eius cõcurſũ moderari poteſt Deus, vt oriatur à duabus cauſis: vt poteſt moderari duos ignes, quorum tamen alter ſufficit ad ignem efficiẽdum. Quod autem ait non poſſe vnam actionem oriri à duabus cauſis; Reſpondeo viſionem oriri ab oculis & ſpecie impreſſa; actum ſupernaturalem à potentia & habitu infuſo: itaq; effectus poteſt eſſe à duabus cauſis; videat vtrum vna actione, aut duabus: id enim erit Deo & creaturis. Nec propterea eſt Deus cauſa partialis in actu primo, quia admittit cauſas ſecundas non ex neceſſitate, ſed pro arbitratu.

§. 33. Dico quarto. Sententia, quæ aſſerit poſſe Deum concurrere cũ creaturis ad earum effectus; & poſſe arbitratu ſuo non cõcurrere; non eſt tam abſurda quàm quæ propoſita eſt §. 32. Probatur; quia nullum ſcripturæ teſtimonium oſtendit, Deum neceſſariò concurrere ad actiones omnes: nec definitio vlla: nec conſpirarunt doctores eccleſiæ omnes: nec ratio eſt tam manifeſta: ergo non eſt ſententia tam abſurda. Immo ratio ſuffragari videtur quia Dei perfectio eſt quod poſſit efficere res omnes. Quæ potentia eſt virtus eminens & æquiuoca rerum cauſa: actualis autem effectio eſt Deo extrinſeca denominatio: quæ nulla eſt perfectio Deo. Itẽ omnes cauſæ etiam tunc penderent à Deo in cauſando: quia ita cauſarent ex arbitratu Dei: qui ſola ſua voluntate ſineret eas ita cauſare: penderent itẽ à voluntate directè volente, aut permittente actiones creaturarum: ratione cuius eſſet omnium immediata cauſa: ergo. Recognoſce totã ſubſectionẽ

primam,& comperies contra eam ſententiam,nullum eſſe monſtrans argumentum ; & eam acriter vrgeri ſolis ſcholaſticorum cenſuris : ob quas eam ego arbitror deſerendam.

§. 34. Dico quinto.Sententia aſſerens de facto Deum noluiſſe concurrere cum creaturis ; non eſt tuta. Quia vel itá non poteſt cótingere,vt docent ſcholaſtici ferè omnes:vel ſi poſſet, adhuc ſcripturæ teſtimonia, ſacrorum interpretũ conſenſus, & ſcholaſticorum conſpiratio,oppoſitum docent.

SVBSECTIO III.

De concurſu Dei ad actum peccati.

§. 35. DIco ſextò. Sententia, quæ docet, Deum non concurrere immediato influxu phyſico in actum,qui eſt peccatum ; ſeu in materiale peccatũ, non nititur fundamento leui. Probatur primùm, quia P.Vazq.t.1.in 2.diſp.129.n.5. aſſerit eam non videri ita deſtitutam , quia probabilis viſa eſt Altiſiodorenſi , & Gregorio de Arimino : & quia ex Patribus ei fauere videntur Hieronymus & Auguſtinus : ſed ſententia iis innixa Patribus , & probabilis cenſa duobus ſcholaſticis tam illuſtribus, non nititur fundamento leui:ergo.

§. 36. Eam ſententiam olim docuerunt multi præclarique doctores:ait enim S. Bonau.in 2.diſt.37.a.1. q.1. *Circa iſtam quæſtionem fuerunt diuerſæ poſitiones adeo magnorum virorum : & adeo rationabiles , vt nec Magiſter auſus fuerit diffinire, quæ earũ magis cõtineat veritatem.* id autem dixit,quia inter alios eum influxum negauit Magiſter Bonauenturæ Alexander in 1.q.35.membro.1.Greg.ibidem q.1.a.3. initio hęc ait.*Dubium eſt,& de ipſo ſunt ſolennes opiniones contrariæ, quarum neutram temere affirmando, pro nunc communem affirmatiuam,tamquam probabiliorem.*&c.Magiſter ſententiarum in 1.d.37.producta vtraq; ſententia,atq; probata hęc ait:*illarum verò ſententiarum iudicium prudentis lectoris , cui vtriuſque ſententiæ notitiam plenariam dedimus , arbitrio relinquimus.* Durandus autem , in 2.d.37.q.1.& Aureolus diſt.38. art. vnico §. *Nunc pono.*ei ſententiæ ſubſcribunt. Non eſt ergo tam aliena ab ſcholis.

§. 37. Origenes 3.Periarch.c.1.ante finem eam ſententiam aſſerit iis verbis:*ſicut etiã ex Deo habemus quod homines ſumus.quod ſpiramus , quod mouemur , ex Deo eſt;vel quod ſingula quoque mẽbra officio ſuo deſeruiunt, & mouentur, ex Deo eſt. ex quo vtique non illud intelligitur. quia quod mouetur manus(verbi cauſa) ad verberandum iniuſte, vel ad furandum , ex Deo eſt : ſed hoc ipſum quod mouetur , ex Deo eſt ; noſtrum verò eſt motus iſtos , quibus motum à Deo habemus , vel ad bona, vel ad mala conuertere.* Quibus Origenes admittit immediatum influxum Dei in motus potẽtiarum, non tamen voluntatis:quia libertatem cenſuit auferri:quem ſic intellexit S.Tho.3.cõtra Gent.c.89. & non in alio ſenſu,vt opinati ſunt aliqui. & quãuis nec fundamentũ Origenis , nec opinionem admittas in actibus bonis : negare non potes ab eo negatum influxum in actus prauos.

§. 38. Hugo victorinus in c.11.ad Rom.q.280.hęc ait. *Quoniam ex ipſo , & per ipſum , & in ipſo ſunt omnia: quæritur an peccata inquantum ſunt,ſint à Deo? ſi enim omnia, ergo & peccata : vel peccata non ſunt de numero omnium.ſolutio. Nonnulli dicunt quod peccata inquantum ſunt , habent eſſe à Deo. Sed Auguſtinus de natura boni dicit ; tantum ea quæ ſunt naturaliter debere intelligi , cum dicitur omnia eſſe ex Deo : non peccata quæ naturam corrumpunt : non ergo peccata ſunt ex Deo aliquo modo.* Hæc Hugo agens de materiali peccati illis verbis *in quantum ſunt :* id eſt vt ſunt ens, & illis *non ſunt ex Deo aliquo modo.* Item non allegat pro oppoſita ſententia authores hæreticos , ſed catholicos cenſentes non peccatum formaliter,ſed materialiter oriri à Deo. Suam autem ſententiam Auguſtinianam arbitratus eſt Hugo.

§. 39. Poſuit Hugo moueri ad arbitrandum eam ſententiam eſſe S. Auguſtini multis eius teſtimoniis, ex t. 1. lib. 2. de liber. arbitr. cap. 19. & 20. cuius hæc ſunt verba. *Motus ergo ille auerſionis , quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectiuus motus eſt : omnis autem defectus ex nihilo eſt ; vide quò pertineat ; & ad Deum non pertinere minimè dubites.* Didacus Aluarez diſput.24. de auxiliis ; ait hic eſſe Auguſtino ſermonem de materiali & formali peccati : materiale ait eſſe à Deo ; legit autem ſic : *& ad Deum pertinere minimè dubites.* Miror hominem doctum ita legiſſe : ea enim lectio primùm prodiit ex typographia Baſileenſi , anno 1539. inuiſa catholicis omnibus, quod corruperit non paucos catholicorum libros:quam typographiam ſecuta eſt Veneta Franciſci Franſcicij anno 1584. cum mendis pluſquam bis mille ; opus quidem artis inertis. Quam lectionem ad primum exemplar correxit Plãtinus in editione Antuerpienſi anno 1577. *& ad Deum* (inquit) *non pertinere ne dubites.* Plantinianam ſequuta eſt Lugdunenſis anno 1586. ſub ſigno leonis muſcati (vt aiunt) emendata per Theologos Louanienſes multo labore. & quamuis Sebaſtianus Honoratus typographus Lugdunenſis anno 1563.legerit vt Baſileenſes & Aluarez, in margine vitium emendat per hæc verba, *& ad Deum non pertinere ne dubites :* & citat lib. 1. Retract. cap. 9. vbi S. Auguſtinus cum meminiſſet huius teſtimoniis , inquit , *& quoniam conſtiuit inter nos diligenter ratione diſcuſſa malum non exortum niſi ex libero voluntatis arbitrio.* Item ex cõtextu capitis liquet,eum motum quia nihil eſt , non oriri à Deo , ſed à nihilo , id eſt peccatore. Nec ſi legeretur vt ab Aluarez,quidquam prędeterminatores iuuaret.Quid quod oppoſitum Catholici legunt ? Tantæ molis erat prædeterminationi Authorem cómodare Auguſtinum.

§. 40. Gregorius d.37.quæſt.1. artic.2. §. *Ad probationem* , & artic. 3. reſpondet ab Auguſtino accipi motum pro formali , & non pro materiali. Quæ expoſitio violenta eſt;quia Auguſtinus egit de illo motu quem fatemur eſſe peccatũ , quia defectiuus motus eſt : cúmque dixit ad Deum non pertinere: ídque videbatur exigere diſputatio cũ Manichæis; qui non ſolum agebant de formali ratione mali, ſed de rebus etiam ipſis , quæ malæ dicuntur. omnia ergo bona vult Auguſtinus ex Deo eſſe ; motum verò malæ voluntatis à ſolo arbitrio creato. Quod clarius conſtat ex t.5. lib.5. de ciuit. cap.9. iis verbis : *Sicut omnium creaturarum author eſt ; ita omnium poteſtatum dator ; non voluntatum:malæ quippe voluntates ab illo non ſunt ; quoniam contra naturam ſunt ; quæ ab illo eſt.* vbi non diſtinguit qua ratione mala voluntas pro materiali ſit à Deo , non pro formali : quod faciendum fuerat à cenſente eam materialiter eſſe à Deo : ſed abſolutè docet, malam voluntatem non eſſe à Deo. Mitto alia teſtimonia S.Auguſtini , & Concilij Trident. ſeſſ.6. can. 6. de quibus vberius egi diſputãs de cauſis peccati.

§. 41. Contra hanc ſententiam arguunt Greg. & Gabriel. Quia ſi non poſſumus actionem aliam imperfectiorem phyſicè ſine concurrente Deo ; ergo nec peccatum. Negatur conſequentia : quia ſicut Deus poteſt directè velle alias actiones imperfectiores,

ctiores,non tamen peccatum;ita poteſt illas attingere per omnipotentiam, non tamen prauam:quia eius omnipotentia tam immunis eſt ab actione directa mali, quàm voluntas à voluntate; ad improbam autem, quoniam deficiens eſt à ratione recta ſatis ſumus potentes. Qualitas illa poteſt fieri à Deo ſine noſtro concurſu libero:non tamen actio quæ eſſentialiter eſt libera.

§. 42. Quòd ſi S.Thomas eam opinionem cenſet proximam duobus erroribus, S. Bonauentura eam dicit rationabilem,magnorúmque virorum;eam ego nunc non defendo : ſed in medium produco quid habeat fundamenti; vt oſtendam eam non eſſe periculoſam, vt eſt opinio Durandi & Aureoli opinantium poſſe creaturas, & re ipſa operari abſque Dei concurſu immediato : factum enim eſt contra ſcripturas: id autem fieri poſſe, eſt contra omnes cæteros doctores. De peccato autem nec eſt cõtra ſcripturas: & à multis patribus, docetur, & ſcholaſticis. A qua tamen non ſum ego : adhuc enim communiorem ſequor ſcholaſticorum ſentẽtiam, admittentem Dei immediatũ influxũ in omne ens creatum:non quia id demonſtretur apertè:ſed quia maior Theologorum vis in id conſpirauit ab æuo.

SECTIO III.

Vtrum cauſa prima & ſecunda eadem actione concurrant?

§. 43. Nihil operatur Deus antecedenter cum cauſis ſecundis naturalibus,ſed illis iam productis à Deo,cum omnibus principiis,& iam applicatis,vel in eodem loco cum paſſo, vel in actu primo conſtitutis, ſimul natura & ratione Deus cum illis influit in effectum. Hic influxus in actu primo eſt voluntas diuina parata cum homine concurrere, à qua voluntate cauſa ſecunda dicitur proximè potens : vt cum homo vult mouere trabem, ſi ſolus non poteſt, & illi adſit ſocius,iam cum illo poteſt, licet nihil intrinſecum ei ſocius addat, quia *potens* dicit præparationem omniũ neceſſariorũ ad agendum, ſiue intrinſeca ſint, ſiue extrinſeca : hac Dei voluntate poſſumus vti prout libuerit,nõ aliter ac ſi eſſet habitus noſter, aut ſpecies impreſſa. Quare ait ſcriptura, *ignis,& aqua appoſita ſunt tibi, ad quod volueris porrige manum.* Hic concurſus Dei in actu ſecundo eſt ipſa Dei actio,per quam operatur. De qua inquiro ſit ne à creaturæ actione diſtincta?

§. 44. Prima ſententia ſit, Deum concurrere ad effectum duplici actione: altera ſolius Dei,quæ ſit eſſentialis dependentia creaturæ à Deo, & ſit idem cum termino producto, altera actione creaturæ & Dei.Huius ſententiæ meminit Pater Suarez primo de auxiliis,cap.6.num.3. fine; quam merito cenſet improbabilem ; tum quia ſine fundamento multiplicat actiones : tũ quia ſi actio ſolius Dei eſt creatiua (vt à quodam audiui) & ex ſe ſufficiens ad effectum, quorſum idem effectus pendet à cauſa ſecunda per generationem ? quia creatio, & generatio,vel includunt,vel connotant modos contradictoriè oppoſitos : terminus enim creationis eſt ex ſua natura ſubſiſtens, & generationis inhærens. Præterea quis credat accidentia natura ſua nõ pendere à ſubiecto?

§. 45. Dicebat ille id fieri,quia virtus actiua creata petebat influere in effectus. Contra : quia cauſa ſecunda non petit cõcurrere ad terminum creatum propriè, neque cum alia cauſa adæquata : nullum enim agens creatum poteſt producere aut Angelum, aut animum rationalem : nam res ex ſua natura creabilis habet altiorem modum, quo producatur, quàm poſſit ab vllo agente creato attingi : ergo nullum agens petit illam producere per creationem : ergo nec per generationem , quia, quando res eſt creabilis natura ſua, non eſt ex natura rei generabilis : vnde nec erit ex natura rei principium aliquod generatiuum illius; nam *generatiuum* & *generabile* ſunt relata. Adde cauſam influere in effectum, quia effectus indiget natura ſua concurſu illius cauſæ : quære ergo prius neceſſitatem in effectu,deinde verò virtutem in cauſa:at in effectu creabili non reperitur illa neceſſitas (vt patet in animo rationali :) ergo nec in cauſa naturali reſpondet virtus productiua illius: in actibus autem malis illa doctrina non placet; quia ſi ponantur in ſola qualitate, & hac intrinſecè mala , mala erit iſta doctrina.

§. 46. Inferebat autem ille, accidentia in Euchariſtia ſubſiſtere eadem actione , qua priùs conſeruabantur à ſolo Deo ; periiſſéque concurſum creaturæ. Hoc autem eſt perabſurdum , nam deficiente vera cauſa à priori,ſupplet Deus illius defectum influxu efficaciori, & potentiori, vt eſt indubitatum apud omnes: ergo Deus non conſeruat accidentia Euchariſtiæ eodem concurſu,quo antea, ſed alio ſupplente prioris defectum.

§. 47. Secunda ſententia , non conſtituit duas actiones ex parte Dei,ſed vnam propriam Dei ; alteram creaturæ ; ita tamen vt actio Dei non terminetur ad actionẽ creaturę;neque creatura agat per actionem Dei , neque è contra ; dependet autem actio creaturæ ab actione Dei , tamquam à comitante. Huius ſententiæ auctores ex antiquis vidi nullum, ex recentioribus ſcio duos,ſed qui pedem retulere, quia apud Theologos Durandiſmum ſapuit hæc opinio. Quæ probatur primo : quia non probatur efficaciter actionem Dei,& creaturæ eſſe eamdem. Verum cum neque hæc ſententia efficaciter probetur,ab ea vt à ſingulari diſcedendum cenſeo,eſt autem in philoſophia periculoſa hæc argumentandi ratio : demonſtrationes enim habemus perpaucas , eſt autem nobilis ingenij communiorem ſequi doctrinam , niſi vrgenti fundamento prematur. Quapropter ego recuſo ſententiam propoſitam §.33.

§. 48. Secundo pro ea arguitur : quia eadem indiuiſibilis actio non poteſt egredi ab agentibus ſpecie diſtinctis:ergo. Diſtinguo antecedens;non ſubordinatis,concedo;ſubordinatis,nego.Difficile enim crederem ſpeciem impreſſam,& potentiam, & habitum diuerſos habere influxus in actum. Tertiò arguitur; quia eadẽ actio non poteſt eſſe tranſiens, & immanens : vitalis & non vitalis : ergo non poteſt eſſe eadem actio Dei & creaturæ. Diſtinguo antecedens : reſpectu eiuſdem, concedo : diuerſorum, nego. Nam ſicut meus actus vitalis reſpectu mei eſt vitalis , quia à me procedit modo vitali, comparatione tamen Dei non eſt vitalis , ita & actio,quæ ſimpliciter eſt dicenda *vitalis*,quia actio mortua, vel non vitalis dicit negationem vitalitatis , quam negationem illa actio non habet , cum reſpectu creaturæ ſit vitalis. Propoſitio autem negatiua vitalitatis, quia eſt vniuerſalis, redditur falſa,ſi vitalitas actioni oriatur ex aliquo capite.

§. 49. Quartò arguitur:quia meliùs ſaluatur cur Deus non concurrat ad peccatum formaliter. Negatur: quia actio praua hominis,licet nõ egrediatur propriè à Deo, per te tamen eſt verè depẽdens à Deo: ſic autem idem argumentum fit cõtra tuam ſententiam ; vel non eſt verè dependens à Deo : ſic

verò recidis in Durandi opinionem; quia nulla actio creaturæ verè dependeret à Deo.

§. 50. Verior ſententia aſſerit, Deum & creaturā vnica indiuiſibili actione cōcurrere ad effectū. Quam ſequuntur omnes noſtræ familiæ Doctores, præſertim P.Suarez diſput.22.metaphyſ.ſect.3.num.2. pro qua refert S.Thomam, & alios. Probatur primo: quia eadē actio poteſt egredi à diuerſis agentibus ſubordinatis, vt eadem actio eſt extrinſeca agenti, & intrinſeca paſſo, & termino, cur ergo negabitur Deo? Secundo; quia actio creaturæ verè pendet à Deo tamquam à cauſa per ſe, ſed non poteſt dependere per aliam actionem; quia ad actionem non datur actio, ne ſit infinita progreſſio; ergo dependet per ſe ipſam à Deo tamquam ratio agendi; patet conſequentia, quia cauſa per ſe, & propriè, cauſat aliquid, vel tamquam terminum cauſatum; vel tamquam viam, & rationem cauſandi talem terminum.

§. 51. Confirmatur: ſi actio dependet à Dei actione tamquam à comitante, non eſt dependentia effectus, neque cauſalitatis à ſua cauſa per ſe; ergo illa dependentia tamquam à comitante non ſufficit: probatur antecedens, tum quia etiam concurſus ille Dei pendet à concurſu creaturæ tamquam à comitante, & tamen creatura nō eſt propria cauſa illius cōcurſus: tum quia etiam in viuentibus, quæ ſibi certam quantitatem determinant, pendet vna pars ab alia, tamquam à comitante, & conditione ſine qua non, nec tamen quis dixerit propterea vnam partem viuentis eſſe cauſam alterius: tum tertiò, quia illi duo concurſus mutuo eſſent ſibi propriè cauſæ in eodem genere, quia inuicem pendent vt à comitante. Ratio à priori concluſionis eſt: quia in oppoſita ſententia neque Deus influeret in actionem creaturæ, neque creatura in actionem Dei: nam influere eſt rem dependere à ſua cauſa per verum influxum, ſed actio Dei per te non eſſet influxus in actionem creaturæ, neque actio creaturæ eſſet influxus Dei, quia per te non eſt actio Dei, ergo actio creaturæ non dependeret per ſe à Deo.

§. 52. Confirmatur, ſi depēdentia à comitanti eſt vera dependētia, ſupponamus duas partes viuentis, verbi gratia, medietates cordis, ita produci vt altera à ſolo Deo, altera à ſolo animali producatur, tunc verè vtraque pars penderet à Deo, ſicut per te modo pendet vtraque actio: ergo ex vi dependentiæ creaturæ à Deo non requiritur vt res omnes creatæ fiant propriè à Deo; quod ſi in exemplo poſito hoc eſt abſurdum (ſicut verè eſt vt in errore Durandi) idem erit in ſententia, quam impugno.

§. 53. Obſerua cum P. Suarez ſupra quorumdam loquendi modum aientium, actionem creaturæ pendere ab actione Dei: quia illi vocāt actionem Dei internum Dei voluntatis actum; quo Deus vult producere effectus: in quo ſenſu ſolent affirmare S.Thomas & alij actionem Dei non diſtingui ab ipſo Deo, in eo etiam ſenſu actio creaturæ, & ipſa actio creata Dei dependet ab actione interna Dei, nam omnis effectus dependet à voluntate Dei. Placet tamen enucleare concurſum iſtum Dei per voluntatem.

§. 54. Ac primùm, Deum non habere actionem phyſicam tranſeuntem, quæ terminetur ad actionem creaturæ, fateri tenentur quotquot negant phyſicas prædeterminationes. Nam illa actio eſſet phyſica prædeterminatio: quia illa eſſet à ſolo Deo, aliquo modo antecedens actionem creaturæ: eſſet enim cauſa, cur exiſteret à priori actio creaturæ: iam enim dixi, terminū exiſtere; quia exiſtit actio. Confirmatur: ſi illa actio oriretur à qualitate impreſſa à Deo libero arbitrio, eſſet prædeterminatio, vt patet; ergo etiam orta ab interna voluntate Dei: quæ eſt principium illius actionis, & non eſt magis in poteſtate arbitrij creati, quàm eſſet illa qualitas. Itaque negantes prædeterminationes, eam actionem negabunt conſequenter. Immo actio creaturæ ab illa ſola fieret in genere cauſæ efficientis.

Secundò, quia actio creaturæ eſſet formaliter actio Dei, ergo non eſſet neceſſaria alia: probo antecedens? Deus attingeret actionem creaturæ vt actio eſt, ergo per illā produceret terminum. Conſequentia ſæpiſſimè à me probatur, quia non attingimus terminum phyſicè, niſi in quantum attingimus actionem, quæ eſt phyſica termini attingentia: antecedens probatur, quia actio Dei terminaretur ad actionem creaturæ ſub ſpecifica eius eius differentia vt diſtinguitur à rebus aliis, ſed ſub iſto conceptu eſt actio, ergo terminaretur ad actionem vt actio eſt, ergo vt eſt ratio producendi terminum. Ratio à priori, quia ſicut vnio non eget alia vnione, ita nec actio alia: quia ipſa per ſuam eſſentiam eſt dependentia ſui, & ſui termini ab agente, & ſicut alia actio Dei per ſe dependeret à Deo, ita & actio creaturæ. §. 55.

Dices actionem creaturæ attingi à Deo, vt actio eſt creaturæ, non verò vt actio Dei. Contra actio creaturæ phyſicè attingitur à Deo & creatura, vt actio termini; ergo à Deo & creatura attingitur vt productio termini, ergo terminus per illam attingitur phyſicè à Deo & creatura, ergo per illam producitur à Deo & creatura. Attingi enim actionem per aliam nihil obeſt: ſi enim ego actione vna producerem meam calefactionem, mea actio calefaceret per calefactionem, ſicut ego nūc calefacio: quia ad hoc tantum requiritur phyſicè attingere actionem in genere cauſæ efficientis: nam ſemper attingitur vt actio; ſiue ſit ſine noua actione, ſiue cum illa: ergo Deus per illam actionem produceret effectus cauſæ ſecundæ. §. 56.

Nec item Deus habet voluntatem aliquam, quæ ſit ratio formalis agendi. Primò, quia oſtendam diſput. 12. id vniuerſim repugnare. Secundò, quia illa actio non terminaretur ad actionem creaturæ propter eadem argumenta, quibus §. 55. probaui actionem Dei non terminari ad actionem creaturæ: nam per actionem creaturæ ageret Deus. Nec item illa actio Dei terminaretur ad eumdem terminum, ad quem actio creaturæ, quin terminaretur ad eamdem actionem creaturæ: quod probatur iiſdem argumentis quibus §. 47. impugnaui duas actiones, alteram Dei, alteram creaturæ. Addo præterea Deū nullo modo fore cauſam actionis creaturæ, quia circa illam nō haberet voluntatem, nam voluntas Dei, nō eſt actio Dei per te ad actionem terminata, quia ad actionem non datur actio: alio autem modo non vult Deus creaturas efficaciter, niſi eas volendo; cum ergo Deus non velit actionem, non erit efficax cauſa illius. Item hoc genus actionis negare tenentur, qui negant phyſicas prędeterminationes. Itaque habet Deus voluntatem terminatam ad noſtras actiones, & earum terminos; quæ voluntas non eſt formaliter actio, ſed eſt principium, à quo dependet actio noſtra; vt *quo*, & eius terminus vt *quod*: quemadmodum actiones noſtræ pendent à voluntate creata, de quo recidit ſermo ſect. 4. §. 57.

Dixi §. 43. hominem poſſe vti, pro ſuo arbitratu, concurſu Dei, non aliter ac ſi eſſet habitus inhærens, videatur P. Suarez ſupra ſectio. 5. quo- §. 58.

modo

modo Deus illum offerat; vbi probatur Deum nolle efficaciter antecedenter noſtros actus liberos, ſed videns per ſcientiam mediam ad quos actus voluntas creata ſe inclinatura eſſet poſitis omnibus requiſitis, voluit ſuppoſita hac ſcientia concurrere cum ea voluntate ad eos actus, paratus concurrere ad oppoſitos, ſi ipſa vellet, quod ſect. ſequenti explicabo. De quo vberius egi diſputans de cauſis peccati.

SECTIO IV.

Vtrum cauſa prima determinet indiuiduationem effectuum?

§. 59. QVæſtio eſt, quidnam ſit in cauſa, cur applicatis his numero cauſis, hoc tempore, loco & aliis adiunctis, cur (inquam) oritur hic effectus potius quàm alius? Gregorius de Arimino in 1. diſt. 17. q 4. art. 2. ad 7. & diſt. 35. q. 1. art. 1. docet gradus intenſionis eſſe omnino ſimiles: hunc autem eſſe primum, illum ſecundum, & alium tertium, illis contingere ex voluntate Dei, qui voluit vt hic produceretur poſteriùs, cum priùs poſſet produci. Gregorius ergo docet apertè indiuiduationem illorum effectuum hic, & nunc ex his cauſis oriri, non ex natura cauſarum, & effectuum, ſed ex ſola voluntate Dei volentis ad hunc concurrere effectũ potius quàm ad illum. Idem clarè docet in 2. d. 37. oſtendens Deum immediatè influere in actionem peccati, quia determinat concurſum in hanc numero actionem. Qua ratione mouetur etiam P. Salas de peccatis diſput. 13. ſect. 10. Quam ob rem mihi accidit mirum, nouam accidiſſe hanc philoſophandi rationem Patri Vazquez.

§. 60. Eam ſecutus eſt Pater Suarez diſputatione 5. metaphyſicæ. ſectione 3. numer. 34. aſſerens oppoſitam ſententiam multis viris doctis viſam eſſe difficilem creditu, quia determinatio indiuiduorum videtur reduci ad ſolam temporis circumſtantiam & ſect 6. à num. 6. idem ait de anima rationali eius indiuiduationem non ſumi per ordinem ad aliquas determinatas materiæ partes. Cui ſententiæ adſtipulatur Toletus 3. de anima quæſt. 18. concluſione 2. & 3. quod de cæteris formis ipſe P. Suarez docet apertè eadem ſectione 6. à numer. 9. cum tamen P. Suarez ſequatur ſententiam Gregorij hac in parte, ab eo tamen diſcedit in opinione de prioritate, & poſterioritate graduũ qualitatis, quia opinatur eos eſſe diſſimiles, & vnum natura ſua poni ante alium, nec in hoc poteſt argui à P. Vazquez deſertio conſequentiæ, quia Gregorius rationem reddit communem omnibus effectibus intrinſecè ſimilibus, quam libens P. Suar. admittit, negat tamen primum & ſecundum gradum qualitatis eſſe ſimiles: in quo nulla eſt deſertio conſequentiæ: opinionem eamdem vniuersè ſequitur Collegium Conimbricenſe hoc lib. 2. c. 7. q. 15. a. 2. & 1. de generat. c. 11. q. 1. a. 3. multique philoſophi recentiores non indocti; quam à P. Leonardo Leſſio defendi me memini vidiſſe in diſputatione de prædeſtinatione Angelorum, & hominum, quam animaduerti, poſtea verò, cum locum quærerem, non inueni. Eamdem tradit. P. Lorinus in acta cap. 17. 27. verſu *Profectò*. Hanc opinionem arbitror eſſe veriorem, quam ſic explano.

§. 61. Cauſa creata ignis, exempli gratia, applicatur huic manui in hoc loco, hoc tempore, & omnibus aliis adiunctis antecedenter deſideratis ad calefaciendum. Dico, iſtum ignem ex ſe cum iis omnibus circumſtantiis habere virtutem ad calefactionem vt octo, ex ſe tamen in iis circunſtantiis non connotare hanc numero calefactioné vt octo in particulari nec illam: ſed ex ſe eſſe indifferentem ad omnes calefactiones vt octo: quæ in eius, & ſubiecti potentia continentur: ad omnes (inquam) non collectiuè, ita vt poſſit illas exercere ſimul in eo ſubiecto, nec plures, nec duas. Non enim poteſt niſi vnam ſolam tunc elicere, ſed indifferens ad omnes diuiſiuè, ita vt nulla petat in particulari, ſed omnes indifferenter non magis hanc quam illam: eius enim virtus hic & nunc applicata tam connaturaliter eliciet hanc quàm illam; ſi velit Deus ad eam concurrere. Dico prꝗterea, hanc indifferentiæ determinationem debere tolli voluntate cauſæ primæ parantis concurſum ad hanc calefactionem, non verò ad illam.

Dices, cauſam primam determinari à ſecunda ad ſpeciem actus: ergo ipſa non determinat ſecundam ad indiuiduationem, quia indiuiduatio continet ſpeciem, & ſic cauſa prima determinaret ſecũdam ad ſpeciem. Aduerte, determinationem explicari propoſitione cauſali, v. g. Deus, & ignis concurrunt ad calefactionem: concurſus Dei ex ſe in actu primo eſt indifferens ad calefaciendum, & infrigidandum, vnde in ſolo Deo vt eſt præciſè cauſa vniuerſalis, non intelligimus, cur eius actio eſſe debeat calefactio potius quàm infrigidatio: vnde non dicimus hanc actionem eſſe calefactionem, quia oritur à Deo, nam & infrigidatio oritur etiam à Deo: at verò ignis ex ſe eſt determinatus ad calefaciendũ, nec enim eſt indifferens ad infrigidandum, & dum concipimus ignem petentem concurſus Dei ad agendum, intelligimus eos concurſus eſſe ad calefaciendum. Ecce hæc vera cauſalis, *hæc actio eſt calefactio, quia oritur ab igne*, & ſic determinatur volũtas Dei per calorem, vt velit cum eo concurrere ad calefaciendũ. E contra verò hæc indiuiduà calefactio hic & nunc non oritur ex aliquo determinato ignis conceptu, ſed ex voluntate Dei parata ad illam, & non ad alias. Vnde ad argumentum, nego conſequentiam. §. 62.

Ad probationem reſpondeo, ſpeciem poſſe ſumi vt contrahitur ſingularitate ad compoſitionem indiuidui, vel in ſua latitudine complectente confusè omnia indiuidua, vel rationem communem: ſic cauſa prima determinat conceptum ſpeciei, vt contrahitur ad ſingularitatem: quia omnes gradus ſuperiores ſunt à parte rei idem cum indiuiduatione, non tamen determinat ſpeciem formaliter ſub conceptu communi. Nam, quia Deus vult concurrere concurſu generali cum igne, tenetur concurrere ad aliquam calefactionem in communi, ita vt illa actio non poſſit eſſe alia, niſi calefactio, quod eſt Deum igne determinari quo ad ſpeciem: at verò non cogitur igne vt ſit hæc calefactio potius quàm illa, ſed quæ illi libuerit, & hoc eſt ignem à Deo determinari quo ad indiuiduum. Hæc, quæ dixi de cauſa neceſſariò operante, dico de libero arbitrio creato comparatione earum actionum, quas operatur ſine illarum electione, vt in diſcurſu patebit. §. 63.

Sic igitur explicata concluſio, probatur primò, quia ignis in ſe virtutem habet ad plures calefactiones: eius enim eſſentia ſecundum ſe conſiderata æqualem ordinem dicit ad illas: nam illæ eſſentialiter continentur in potentia ignis, quas ſucceſſiuè poteſt exercere: manus item, cui applicatur, ſecundum ſe conſiderata, indifferens eſt ad plures calefactiones ab eodem igne recipiendas, quas recipere poteſt ſucceſſiuè: locus §. 64.

item non determinat cauſam actiuam, aut paſſiuam ad aliquem calorem potius quàm ad alium; tum quia locus nec eſt operatiuus caloris, nec confert igni virtutem actiuam; tum quia in eodem loco poſſunt eſſe plures calores: tempus autem non determinat cauſas ad hunc effectum: tum quia tempus eſt valde extrinſecum, nec imprimit aliquid cauſis: tum quia non eſt operatiuum: tandem quia ſi alius calor in eo produceretur, quid intereſſet temporis? quod ex ſe non reſpicit calorem, nec calor tempus, cum in diuerſis poſſet exiſtere: ergo nihil eſt creatum, quod determinet cauſas ſecundas ad hanc numero actionem. Conſequentiam arbitror euidentem, quia ſi nulla ſingularis cauſa petit determinatè effectum, ſed omnes ſunt indifferentes, vnde toti collectioni orietur hæc determinatio? Antecedens autem ſatis videtur probatum.

§. 65. Dices, tempus requiri ad productionem effectuum cauſarum ſecundarum, quæ pendent à motu cœli tamquam à cauſa vniuerſali, hanc verò partem motus non poſſe concurrere niſi ad hanc actionem. Contra primo: tempus formaliter conſiſtit in motu cœli, ſed motus non eſt principium influendi in effectus aliarum cauſarum, ergo iſte effectus non eſt effectus temporis: ergo, quantum eſt ex parte ſui, non petit magis hanc temporis partem, quàm aliam.

§. 66. Confirmatur: hæc numero actio potuit produci ab his cauſis alio tempore, ſaltem de potentia abſoluta, ergo hæc non eſt dependentia effectus ab hoc tempore: quia niſi in illo, non poſſet eſſe de potentia abſoluta. Antecedens patet in Chriſto, cuius anima, & vnio hypoſtatica, & vnio eſſentialis decreta fuerunt à Deo abſtrahendo ab hoc tempore, quia aliqua circumſtantia temporis cecidit in patrum merita habita ex gratia per Chriſtum, vt oſtendi in 3. part. diſputatione, 16. ſectione, 2. ergo actio ex ſe non petit magis hoc tempus, quàm illud. Motus eſt applicatio aſtrorum, quæ illo circumaguntur ad diuerſa ſpatia reſpondentia diuerſis terræ partibus: at verò inferiores actiones per ſe pendent à qualitatibus cœleſtibus; à motu verò tamquam ab applicatione, & ſicut iſte calor hic & nunc nõ producit diuerſam actionem ſi applicetur ligno manu dextra vel ſiniſtra, ita nec lux cœli ſi applicetur ſubiecto hac vel illa temporis parte.

§. 67. Contra tertiò, multæ actiones humanæ pendent à cœlo remotè, & indirectè: directè autem à ſolo Deo, & anima. Illæ vnde ſunt diuerſæ ex diuerſis temporibus? Deinde intellectus Angeli non pendet à motu, aut influxu cœli: de illa determinatione ad indiuiduum, rogo vnde oriatur? Adde, cur hic, & nunc voluitur cœlum hoc numero motu? cum ſint poſſibiles infiniti alij, quibus moueretur. A tempore autem imaginario res inferiores pendere eſſet imaginatio, tempus enim imaginarium, cum nihil ſit, non eſt cauſa rerum; nec eſt niſi aptitudo vt ſit tempus reale: & quidem vt dicuntur eſſe *cati Auguſtales*, quia oriuntur Auguſto, & *fructus verni*, & *hyberni*: ita eſſent *Angeli autumnales*, qui non niſi autumno peterent produci, alij ineunte vere, alij hyeme, quæ quam ſint philoſophica ipſi viderint: & impugnatur in Chriſto, qui poſtquam abſolutè fuit productus, & viſus exiſtere, & benè operari, impetrauit matri ſuæ merita, quibus diſponeretur ad illum tali die, ac loco concipiendum, quod ſi Deus vno inſtanti ante aut poſt mundum produxiſſet, non hunc, ſed alium produxiſſet: quod ſi hæc fœmina non ſe diſpoſuiſſet ad concipiendum Chriſtum hoc die, vt potuit, non concepiſſet hunc Chriſtum, ſed alium.

Secundò argumentor in materia prima: quæ in prima molitione mundi creata eſt ſub forma elementorum, & non ſub forma viuentium, cui in prima productione non fuit magis connaturalis forma aquæ, quàm leonis: vt enim Deus alio die ex eadem materia fecit leonem, quid contra illam faceret, ſi primo inſtanti id feciſſet? maxime cum eadem materia ſub diuerſis formis perſeueret, arbitrorque ridiculum opinari materiam primam in fieri dependere ab hac forma, in conſeruari autem ab alia: cum productio, & conſeruatio ſint eadem actio, & materia æqualiter reſpiciat omnes formas. §. 68.

Idem argumentum eſt de animo rationali, qui in prima creatione informat corpus exiguum, quo aucto, idem conſeruatur. Demus autem duo corpuſcula æqualiter diſpoſita in eodem inſtanti reali, & duas animas à Deo creari, cur hæc anima petit hoc corpus potius quàm illud? cum vtrumque illi ſit aptum. Demus autem corpuſculum gibberum, aut ſimum, erit ne aliqua anima, quæ ſecundum ſe petat illud corpus, ita vt corpus rectum eſſet contra eius inclinationem? nihil deeſt niſi vt conſtituatis animos gibberos, ſimos & coclites. Cum igitur corpora defectuoſa careant perfectione naturali; non poſſunt animæ ad illa ex ſe determinari. Vnde ſi corpora eſſent aut maiora, aut minora, cum materia requiſita ad organorum perfectionem, animæ melius in illa infunderentur; & cum corpus in prima conceptione eſt trium palmorum, exempli gratia, ſi in illo inſtanti eſſet, aut minus, aut maius, poſſet idẽ animus illud informare. Si maius, patet quia tempore ſequenti id facit: ſi minus, quia illam quantitatem pono non eſſe minimum quod ſic. Idem confirmari poſſet in anima Adami, quæ, cum ſit eiuſdem rationis cum noſtra, non petit natura ſua corpus ita diſpoſitum extra vterum: ſed organizatum in vtero: & vt Deus creauit Adamum, poſſet & me, & vt ego genitus ſui, potuiſſet Adamus. §. 69.

Idem patet in libero arbitrio, quod non poteſt liberè præferre hanc actionem alteri: quia eam non cognoſcit, & quidem voluntas repræſentato illi obiecto poteſt illud aut amare aut odiſſe: ad quod non eget cognitione reflexa amoris, & odij, ſed tantum directa cognitione bonitatis, & malitiæ: item poteſt intra latitudinem intenſionis, quam cognitio patitur, illud intenſè, vel remiſsè amare, aut odiſſe: nam ſicut totus amor eſt in eius poteſtate, ita & quæuis determinata pars intenſionis actus eiuſdem: quia ad id ſufficit ſola bonitas obiecti cum modo illud indifferenter repræſentandi: at verò quo principio moueri poteſt ad præferendum actum hunc amoris alij amori eiuſdem ſpeciei? Cum igitur voluntas ab aliquo determinetur ad hunc actum hîc & nunc: dico id oriri à voluntate Dei: quæ videns voluntatem hîc, & nunc eſſe indifferentem ad amorem, & odium, parauit concurſum generalem ad hunc amorem & non alium, & ad hoc odium, & non aliud, ita vt ſint in eius poteſtate hic amor, & hoc odium ad ea exercenda vel non: non tamen ad præferendum hunc amorem aliis amoribus, ſed ex ſuppoſitione quod amet, erit hoc amore. §. 70.

Dices, ergo Deus eſt cauſa peccati, quia ipſe eſt cauſa, cur oriatur hoc peccatũ potiùs quàm aliud: & ſicut calor eſt cauſa à qua oritur calefactio formaliter, quia eſt determinatiua concurſus §. 71.

Dei

Dei ad calefaciendum, ita voluntas Dei erit cauſa huius malitiæ, quia ad eam determinat voluntatem humanam:eſtque hæc bona cauſalis; *hæc malitia oritur nunc, quia Deus vult eam.* Nego conſequentiam: ad probationem reſpondeo à Deo ex lege cauſæ liberæ creatæ parari concurſum generalem ad aliquam actionem malam huius ſpeciei: quo poſito, quid refert eam parari ad hanc potius quàm illam? Semper enim paratur ad illam indifferenter cum dependentia ab eius conſenſu ſi velit vti eo concurſu; item & cum exhortatione ne eo malè vtatur. Ad probationem reſpondeo, Deum non eſſe cauſam vt oriatur formaliter hæc malitia; ſed vt oriatur iſte actus, ex ſuppoſitione, quod homo velit malè operari. Et ſicut Deus non concurrit ad malitiam formaliter; ſed tantum ad entitatem materialem actus mali; ita non concurrit ad hanc malitiam formaliter; ſed materialiter tantum parat ſuum concurſum generalem,& conditionatum ad iſtam entitatem actus, & ſicut odium Dei vt ſic, exempli gratia, non ſumit ſuam malitiam ex concurſu Dei, ſed ex libero noſtro arbitrio;ita nec hoc odium ſumit ſuam malitiam; ſed in hoc indiuiduo odio reperiuntur & hæc entitas actus vitalis indiuidua, & incompleta,& hæc malitia ſingularis: ſicut in Petro reperitur hoc animal, & hoc rationale: Deus autem concurrit ad hanc entitatem, ad hanc verò malitiam formaliter nec parat concurſum, nec concurrit, ſed ea ſumitur per ordinem ad noſtram voluntatem: hoc autem quî fiat, ſpectat ad Theologum. Nec enim volo phyſici carceribus effractis Theologicam metam tangere, nec *Sutor vltra crepidas.*

§. 72. Aduerte tamen ex diſp. 9. ſect. 5. quæ dixi de attributione formalitatum: vnde comperies peccatum formaliter non eſſe à Deo, ſed à nobis: nam *peccatum vt peccatum* reduplicat modum, quo peccaminosè oritur à ſua cauſa, vt *vitalitas* formaliter reduplicat modum vitaliter producendi: at peccatum non oritur à Deo modo peccaminoſo; ſicut nec modo vitali;ergo peccatũ formaliter non oritur à Deo:minor patet, quia à Deo oritur iuxta leges ſuæ ſapientiæ, & noſtri liberi arbitrij petentis compleri ad liberè operandum: item cõcurſus Dei eſt indifferẽs: determinatur autem à libero noſtro arbitrio:ſicut calore determinatur ad calefaciendum: ergo ſicut calefactio formaliter tribuitur calori,& non concurſui indifferenti Dei,ita peccatũ tribuitur formaliter noſtro libero arbitrio, & non concurſui generali Dei:eſt tamen diſcrimen: quod calor eſt per ſe intentus à Deo, ſecus verò actio praua. Cuius clarius exemplum eſt actus vitalis: quia licet determinetur eius indiuiduatio à Deo, tamen hæc vitalitas vt hæc vitalitas non oritur à Deo; ſed ab hac potentia vitali. Quia Deus parat eius concurſum ad eum actum materialiter ſumptum:non verò vt oriatur à Deo modo vitali:quia verò ille actus oritur à libero arbitrio,eſt vitalis:ita parat Deus concurſum indifferentem ex ſe,& conditionatum ad entitatem huius actus: eius autem malitia eſt formaliter à creatura, quia per illum operatur contra legem. Sed de his Theologus: libremus autem oppoſitæ ſententiæ pondera.

§. 73. Pater Pereira lib. 8. cap. 15. recurrere videtur ad naturam cauſarum. Verùm ille non quærit vtrum hæc numero cauſa hîc & nunc applicata ſit indifferens ad hunc vel illum effectum?Sed vtrum vnus effectus huius cauſæ poſſit ab alia produci? Ipſe autem neganti adhæret opinioni, & quod ipſe ait de actione, cenſeo eſſe euidens. Vnde non poteſt pro alterutra parte adduci. Pater Vazquez tomo. 1. in 3 part diſp. 74. cap. 8. ait poſita hac cauſa hîc & nunc, ex natura rei produci hunc effectum,& non alium: rationem à priori nullam ipſe reddit: nec mirum, quia nulla eſt:ab abſurdo autem totis neruis iacula torquet.

Primò: quia nulla ratio reddi poterit, cur naturalis cauſa ſit indifferens ad vnum effectum & ad alium,& nõ potius determinata ad vnum. Confirmatur:nam ſi cauſa eſt indifferens ad vnum effectũ, erit etiam indifferens ad infinitos:nam & ad duos, tres &c. Hoc autem eſt abſurdum:cum cauſæ creatæ ſint finitæ virtutis; nec enim veriſimile eſt, voluntatem vna cognitione conſtitui indifferentem ad infinitos actus intenſionis eiuſdem. §. 74.

Reſpondeo tamen, rationes multas nobis ſuppetere, quas iam reddidi: confirmatio eſt infirma: non enim ponitur indifferentia cauſæ ad multos, aut duos effectus collectiuè: ſed diuiſiuè: eſt enim indifferens ad infinitos diuiſiuè, ideſt, ad faciendum vnum ex infinitis,ideſt,quemlibet ex tota infinitudine, non tamen duos, aut tres ſimul: exempli gratia:ego poſſum equitare in vno equo ex infinitis,ita vt poſſim in quolibet: nõ tamen in duobus ſimul: quia ſi vnum aſcendam, non poſſum alium ſimul: ita ſi cauſa producat effectum vnum, non poteſt ſimul alium producere: valde enim diuerſum eſt, poſſe efficere mille effectus ſimul, aut poſſe efficere quemlibet ex mille:ſed non cum alio ſimul,ſed vnum ſolum: nec video quid huic cum infinita virtute commune. §. 75.

Secundo mouetur, quia ſi cauſa haberet vim ad plures numero effectus, etiam poſſet iterũ producere effectum iam præteritum. Nam habet virtutẽ ex ſe indifferentem ad omnes:determinatur autem ad hoc indiuiduum ſola voluntate cauſæ primæ: ex quo ſequitur, poſſe eumdem hominem decidere ſemen idem, & diſponere materiam ad vnionem animæ demortui filij, & ad eius ſuſcitationem virtute natiua cooperari, quæ omnia cenſet abſurda. §. 76.

Reſpondetur, primò negari poſſe ſequelam, nã cauſa de ſe eſt indifferens ad effectus qui ex ſe non habent vllam conditionem repugnantem ex rei natura productioni:ſi autem effectus talem conditionem includat, cauſa iam non illum reſpicit naturaliter:quia cauſa, & effectus naturalis ſe mutuò connotant. Dicere autem quis poſſet, effectum iam corruptum non poſſe ex rei natura redire:non quia defectus oriatur ex cauſa, ſed ex effectu ipſo: vt chymæram Deus non poteſt facere ex defectu ipſius chymæræ: oritur autem repugnantia, quia natura per ſe intendit ſpeciei conſeruationem per multiplicitatem indiuiduorum: quia ipſius naturæ fœcunditas demonſtratur: repetitionem autem eiuſdem indiuidui eſſe per accidens, minùs venuſtam, & gratam, vt ſi quis ſemper eadem vteretur veſte: aut dux non haberet niſi perpaucos milites: eoſque repetitis recenſionibus iactaret: quanto autem pulchrior,& ornatior eſt plurium copiarum recenſio. Denique repugnantia quærenda eſt ex effectu,non verò ex cauſa. §. 77.

Secundò reſpondetur, cauſam applicatam poſſe ex ſua natura reproducere effectum iam productũ; ſi Deus ad illum,concurſum paret; oſtendi autem diſp. 2. ſec. 3. materiam habere appetitum ad formas iam corruptas; nec hoc eſt magis difficile, quàm habere virtutem ad plures effectus, quos Deus non vult produci. Hæc tamen reproductio eſt impoſſibilis, non ſimpliciter inſpecta præcisè cauſarum, & effectuum aptitudine, ſed §. 78.

inſpecto

inſpecto decreto Dei, de non reproducendis iis effectibus, vt etiam ſunt impoſſibiles alij effectus, ad quos Deus non vult concurrere, & quia hæc voluntas Dei eſt abſolutè neceſſaria, & ea non eſt in noſtra poteſtate; nec ex potentia ordinaria datur: ideo abſolutè de potentia ordinaria non poteſt cauſa naturalis eumdem iterum producere effectum. Vide P. Conimbr. 2. de Genera. cap. 11. q. 1. art. 3. ita reſpondentes: reſurrectio mortuorum eſt miraculoſa mille modis; tum quia Deus generalem legem infringit; tum quia ſine coitu fit vnio, ſine coagulo, & puerperio; tandem, quia corpora extrahentur ex piſcibus, terra, & aliis compoſitis; vbi tunc erunt.

§. 79. Aliud, quod dicitur de vnione animæ iam ſeparatæ ſpecialem habet difficultatem, quia anima per ſe petit eſſe in termino merendi poſt ſeparationem à corpore: at ſi præciſè conſideretur phyſica aptitudo ad vnionem, ſi Deus pararet concurſum ad eam iterum vniendam, fieri poſſet: vt ante fuit factum. Eſt quidem ex parte animæ ſpecialis ratio, ne Deus concurſum paret ad ſecundam vnionem: at eo parato, fiet. Dicit P. Vazquez, antiquos philoſophos non cognouiſſe potentiam reproductionis; infirma ratio: rudia enim illa idololatriæ ſæcula abiectè ſenſere de prouidentia Dei, cognouerunt quidem effectum; cauſam ignorauerunt. Quibus reſpondeo Auguſtinianis verbis tom. 10. ſer. 147. de tempore. *In homine carnali tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi, quod ſolent videre, credunt: quod non ſolent, nõ credunt. Præter conſuetudinem facit Deus miracula quia Deus eſt. Maiora quidem miracula ſunt tot quotidie homines naſci, qui non erant, quam paucos reſurrexiſſe, qui erant*; quod ſi de illa miraculoſa ſuſcitatione Chriſti id dixit Auguſtinus, multo potiori iure id dicetur de reproductione ſeruatis aliis naturæ legibus. Et quidem cum effectus corruptus ſit idem, ſi ponantur eadem principia cum eadem voluntate Dei; quid mirum ſi producatur?

§. 80. Tertio mouetur, quia in cauſis liberis læditur libertas; quæ non ſolum eſt ad actus ſpeciem & exercitium, ſed etiam ad indiuiduum; quia non modo eſt nobis liberum amare, & non amare, & odio habere, ſed etiam amare hoc amore ita intenſo: nec enim puniemur ſolum aut donabimur præmio, quia amauimus, ſed quia tali actu. Confirmatur; quia ſi voluntas non eſt libera ad actionem indiuiduam, ergo determinatur ad eam à ſolo Deo; quod in prauis actionibus videtur abſurdum.

§. 81. Hoc argumentum nullam habet difficulatem; nam per voluntatem Dei non determinatur cauſa ad actionem indiuiduam magis quam in oppoſita ſententia determinatur cauſa à ſe, & aliis circumſtantiis; quibus hic, & nunc operatur: aiunt enim aduerſarij non poſſe liberum arbitrium reproducere actum iam præteritum, & conſequenter ad illum iam non habet libertatem: item aiunt non poſſe exercere duos actus eiuſdem ſpeciei omnino ſimiles circa idem omnino obiectum, vel ſaltem non poſſe habere ſimul niſi certos actus, & non plures: item aiunt liberum arbitrium non eſſe indifferens ad omnes actus illius ſpeciei; ſi enim admitterent eam indifferentiam, iam nobiſcum conſentirent; & poſſet voluntas pro ſolo ſuo arbitratu reproducere præteritos actus; (quod ego inficior,) & different in aſſignanda cauſa tollente eam indifferentiam: reſtat ergo vt dicant, cauſam neceſſariam hîc & nunc eſſe determinatam ad exercitium huius effectus: liberam autem poſſe exercere hunc actum, & ab illo ceſſare: at verò ex ſuppoſitione quod operetur; non eſſe in eius poteſtate eligere hoc indiuiduum præ aliis, vt probatum eſt: ergo liberum arbitrium determinatur à circumſtantiis ad indiuiduum actum, ergo Deus illi non adimit libertatem, quoad indiuiduum, quia eam non habet; ſed nos Deo tribuimus; quod aduerſarij circumſtantiis, ergo ſicut illæ non tollunt libertatem; ita nec Deus.

Ad argumentum ergo ex. §. 80. negatur antecedens: ad probationem reſpondetur, nos habere libertatem ad indiuiduam actionem exercendam & non exercendam; non tamen ad hoc indiuiduum eligendum potius quàm aliud eiuſdem ſpeciei: ac proinde nobis eſt liberum amare hoc amore, quia ita per illum amamus, vt poſſimus illum non habere: at non poſſumus illo ita amare, vt eo liberè omiſſo poſſimus alium eiuſdem ſpeciei circa idem obiectum hic, & nunc exercere; vt etiam aduerſarij dicunt de circunſtantiarum determinatione, nec præmio aut ſupplicio afficiemur, quia hoc indiuiduum prætulimus alij eiuſdem ſpeciei; id enim in nulla ſententia fiet; ſed quia id exercuimus potentes non exercere, atque debentes ex lege. Libertas item eſt altera quoad ſpeciem actus: quia poſſumus amare & odiſſe: altera quoad exercitium; quia poſſumus hoc actu amare & non amare: at non ponitur libertas ad indiuiduum: qua hoc eligamus potius quàm aliud. Nec tu eam das, ergo non adimitur à Deo. §. 82.

Ad confirmationem reſpondetur, nos non determinari antecedenter à Deo: ſed ab ipſo parari concurſum ad hanc actionem, & ad illam oppoſitæ ſpeciei: non tamen ad alias earumdem ſpecierum: quæ determinatio non eſt influendo, ſed negando concurſum ad alias præter has duas: vt per te contingit ex circumſtantiis, ob quas non parat Deus concurſum niſi ad hunc actum, non verò ad alium: idem ergo ex ſe facit Deus quod ex te facit ob circumſtantias. Qui tamen concurſus in actu primo non eſt diuerſus à concurſu quem in tua ſententia parat Deus ad hanc actionem hoc tempore, qui concurſus non cogit eo vti: vt ſi tu potes ſcribere duobus calamis: & ego tenens alterum tibi ſcriptionem per illum interdico, eam permittens per alium: at hæc permiſſio te non cogit ſcribere, ſed liber es ad vtrumque; ſi autem ſcribis, erit alio calamo, quem ego relinquo, non verò eo quem teneo: eademque ratione Deus non determinat ad malitiam actus, ſed ad entitatem: nec circumſtantiæ non determinant; ſed Deus facit, quod ille præciſè, ergo. §. 83.

Tandem obiicies eſſe in poteſtate voluntatis eligere actionem: ergo. Probo antecedens: quia in eius poteſtate eſt amare hac, aut illa intenſione, & remiſſione: quia non eſt opus cognoſcere actum, aut intenſionem. Reſpondeo antecedens eſſe falſum in omni ſententia: in oppoſita enim determinatur voluntas ab extrinſecis circumſtantiis ad hoc indiuiduum. Ad probationẽ reſpondeo ad amandum non exigi niſi cognitione obiecti; intentio item & remiſſio eſt in eodem genere cum actu: at non eſt cur hi numero gradus exerceantur ex ſolo arbitratu: ergo aliunde oritur determinatio. §. 84.

DISPV

DISPVTATIO XI.

De Motu, Actione, & Paſſione.

SECTIO I.

Definitio Motus.

§. 1. PATRES Conimbricenſes hoc lib. 3. & 2. quæſt. 2. num. 2. tres ſubiiciũt definitiones ex Ariſtotele. Primam: *Motus eſt actus entis in potentia, pro vt in potentia.* Secundam: *motus eſt actus eius rei, quæ vim habet vt moueatur, quatenus eam vim habet.* Tertiam: *motus eſt actus eius, quod agere, & pati poteſt, quatenus tale eſt.*

§. 2. Ipſi Conimbricenſes, & alij multi cenſent hic definiri motus ſucceſſiuos tantum, qui ita actuant ſubiectum, vt illud relinquant in potentia ad alias partes formæ: ſic enim exponunt illud *in potentia,* ideſt *cum priuatione actus.* Sed longe alia Philoſopho mens, qui cum toto ſecundo libro egerit de potentia actiua, & paſſiua naturæ in communi, hoc lib. 3. agit de ratione formali, per quam hæc potentia exercetur, ſeu in actum educitur. Illæ enim definitiones huic æquiualent. *Motus eſt actus, per quem exercetur potentia actiua, & paſſiua naturæ, in quantum potentia eſt,* vt ſi quis diceret, *actio eſt actus agentis, ſeu ratio agendi, & paſſio eſt actus patientis ſeu ratio patiendi:* vt clarè patet ex ſecunda definitione, & clarius ex tertia. Ly ergo, *in potentia pro vt in potentia*, eſt idem ac in ſenſu formali, & reduplicatiuè, *eſt actus agentis vt agens, &c.* nam quod in prima definitione dixit, *pro vt in potentia,* dixit in ſecunda *quatenus eam vim habet,* & in tertia, *quatenus tale eſt*, quod ex initio capitis ſecundi conſtat apertè. *Cum autem* (inquit) *in vno quoque genere aliud quidem actu, aliud poteſtate eſſe dixerimus; eius quod poteſtate eſt, quatenus tale eſt, actus, motus eſt, vt rei quæ alterari poteſt, quà ex parte alterari poteſt, alteratio, &c.* agit ergo Ariſtoteles de ratione formali, per quam potentia exit in actum, comparatque actum, & potentiã formaliter: vt enim potentia in quantum potentia eſt, connotat actionem, aut paſſione: ſic motus in quantum motus eſt, connotat formaliter potentiam motiuam, & mobilem: eſt ergo motus, *actus entis in potentia,* ideſt, entis in actu primo potentis, *in quantum in potentia,* ideſt, quatenus potẽs eſt mouere, aut moueri: ſicut *viſio eſt actus entis in potentia,* ideſt poteſtate vidẽtis; *pro vt in potẽtia,* ideſt, pro vt videre poteſt; ſiue *viſio eſt actus potentiæ viſiuæ in quantũ viſiua eſt;* ita motus eſt, *actus potentiæ mouentis, & mobilis in quantum motiua, & mobilis eſt.*

§. 3. Nec oppoſita explicatio ſibi conſtat: nam motus eſt actus: quo igitur pacto eſt actus eius quod eſt in potentia prout in potentia? nã motus non eſt actus entis in potentia prout in potentia: in ſenſu, quo communiter dicitur eſſe *in potentia,* ideſt, cum priuatione actus. Nam actus & priuatio opponuntur contradictoriè: quo ergo pacto motus eſt actus entis prout eſt in carentia motus? nam ſi eſt cum tali carentia, quo pacto in quantum tale actuatur per actum? an ne viſio erit actus potentiæ, in quantum non eſt videns? recedendum ergo ab hac expoſitione. Item deberet dici ab Ariſtotele *motus eſt actus rei reductæ à potentia in actum; ſed cui deeſt pars eiuſdem actus,* quod neque in mentem venit Ariſtoteli. Conuenit ergo omni motui, & mutationi etiam inſtantaneæ, quia per illam exercetur potentia paſſiua, & actiua in quantum talis.

Aduerte ad veram rationem motus prærequiri in ſubiecto mobili carentiam, vnde prima productio formæ ſubſtantialis in prima molitione mundi, non fuit motus, quia materia prima numquam præceſſit cum illius priuatione; eſt ergo de ratione motus, vt mobile ſe habeat per illum aliter, quàm antea ſe habebat: ſiue ſit in potentia præcisè non deducta in actu. Quod communiter dicitur eſſe in potentia. Igitur ly, *in potentia,* ſignificat potentiam actiuam, & paſſiuam in actu primo eſſe ſine termino motus: motus autem eſt actus eius potentiæ quatenus talis eſt: nam tollit priuationem termini, & exercet ipſas potentias. §. 4.

SECTIO II.

Vtrum Motus diſtinguatur ab agente, ſubiecto, & termino?

SVBSECTIO I.

Pars affirmans.

GRegorius in 1. diſ. 28. quæſt. 2. ad 15. non diſtinguit inhærentiam accidentis ab eodem accidente, & ad 13. non diſtinguit paſſionẽ à ſubiecto, & vniuerſim tota ea quæſtione nullam realem diſtinctionem admittit inter ea, quæ à nobis modaliter diſtinguuntur; eamdem ſententiã docet Gabriel de ſex vltimis prædicamentis in 1. diſ. 30. q. 4 a. 1. conc. 3. de actione & paſſione, & aliis reſpectibus: idem docet Okamus d. 30. q. 2. ſub initium: quibus P. Val. ſubſcribit tom. 1. diſp. 3. q. 2. p. 1. §. *Si autem creatio:* & omnes, qui negant vnionem hypoſtaticã eſſe aliquid ab humanitate, & Verbo diſtinctum, tenentur conſequenter idem de motu aſſerere, cum rationes ęquales ſint vtrobique: quos retuli diſp. 17. in 3. p. ſect. 1. Fundamenta iacta ſunt diſput. 5. ſect. 1. & conuulſa: de actione id probat Okamus, quia agens agendo mutaretur: item quia ſine tali actione diſtincta ſaluantur omnia: ſed hoc ſecundum conuincetur falſitatis: primum autem non vrget; oſtendi enim d. 9. ſec. 1. cauſam actiuam non mutari ex præciſo conceptu agendi. §. 5.

S. Thomas paſſim loquitur de motu vt de re à termino, agente, & ſubiecto diſtincta, maximè ſecundo contra Gen. cap. 17. ſed clarius cap. 18. vbi creationem realiter diſtinguit à termino, quem ait eſſe ſubiectum illius. Huius opinionis eſt Caietanus 3. p. q. 2. art. 8. §: *Dubium quarto occurrit.* Scotus adductus diſp. 15. met. ſect. 10. ſubſect. 3. Aſſerens relationes extrinſecùs aduenientes eſſe diſtinctas realiter à fundamento, & termino, ante quas ponit ſex vltima prædicamenta. Durandus in 3. diſt. 5. q. 2. nu. 4. diſtinguit actionem à termino, & alibi ſæpe ait poſſe eſſe plures motus ad eumdem terminum; item motum ſpeciem ſumere à termino, eſtque ſententia hæc communis, quam ſequitur P. Suarez 2. met. diſput. 49. ſect. 2. num. 5. quam ait ab omnibus doceri: eſtque communior quàm egeat autoritate firmari. §. 6.

Probatur apertè: exiſtente termino, agente, & ſubiecto, nõ exiſtit actio, ergo actio realiter diſtinguitur ab illis. Conſequentiam probaui diſp. 5. ſec. 2. antecedens probatur primo: equus in prima ſui generatione fit à parente, vel aliquo eius inſtrumento: poſt ortum verò perſeuerat idem equus cum eadem materia, forma, & vnione; & non manet illa prima generatio, quia equus extra vterum matris à ſolo Deo conſeruatur: alioquin §. 7. *Actio eſt diſtincta ab agẽte & termino.*

perpetuò

perpetuò generaretur, & conſeruaretur à patribus, ergo manente agente, ſubiecto, & termino non manet actio.

§. 8. *Obiectio. Reſponſio.* Dices non manere approximationem agentis, & paſſi. Contra, hæc approximatio vel eſt de conceptu actionis? vel non? Si primum, ergo non manet actio manentibus agente, ſubiecto & termino; quia non manet approximatio: ſi verò non eſt de eius eſſentia; rogo vtrum maneat tota eſſentia actionis? vel non? ſi non manet, habeo intentum; ſi manet, ergo ſemper denominat agens illud, quod ſemel denominauit; quia actio ſemper denominat agens, ſicut vnio vnitum: alioquin eſſet proceſſus in infinitum.

§. 9. Secundò probatur idem antecedens; & præcluditur hæc ſolutio Gregorij, quia Deus poteſt conſeruare per ſolam creationem qualitatem productam à ſole in hac materia prima, manente vtraque cum approximatione mutua; quin ſol habeat actionem in qualitatem. Nam poteſt Deus annihilata materia, & præſente ſole creare lucem, ſicut creat quantitatem: tunc autem ſol non habet actionem in lucem. Deinde reproducat Deus materiam in eodem loco quo prius; iam eſt approximata; & poteſt non cauſari lux à materia, & ſole, quia Deus illam conſeruat per creationem; ergo manente agente, ſubiecto, termino, & applicatione poteſt non manere actio. Vide diſp. 5. ſect. 1. *Actio eſt modus.* & quemadmodum vnio eſt modus, & non res, ita & actio; quia ipſa eſt ratio formalis qua terminus eſt productus *vt quod*, ergo ipſa producitur *vt quo:* habetque per eſſentiam denominationem, quam termino tribuit. Eſtque actualis determinatio huius agentis ad hoc ſubiectum, & hunc terminum: omnia autem quæ diſput. 2. met. ſect. 5. dicuntur de modis, ſine controuerſia quadrant in actionem.

§. 10. *Quantitatis productio eſt diſtincta.* Hoc argumento probatur, productionem quantitatis diſtingui ab ipſa quantitate: quia in Euchariſtia manet quantitas ſine prima productione: quia hæc eſt dependens à materia, ſecus in Euchariſtia. Item probatur calorem diſtingui à ſui productione: quia in cubili producitur ab igne, quo amoto conſeruatur ille calor, non verò actio ignis: qui tunc non producitur ab igne: & conſequenter non manet eius actio: nam actu eſt ignis, & calor, & ſubiectum, & actu non eſt calorem ab igne produci, ergo produci calorem ab igne aliquid eſt diſtinctum ab igne, calore, & ſubiecto: (vt de vnione probaui diſputat. 5. ſectio. 2.) Quid autem ſit de termino creationis? quæritur diſp. 12. Quid verò de actu vitali? patebit diſputatio. 6. de anima.

SVBSECTIO II.

In opinionem de connotatis.

§. 11. Diſput. 5. à §. 18. promiſi me oſtenſurum contra opinionem de connotatis, non eſſe conſtituendum modum aliquem diſtinctum ex natura rei à fundamento, ſiue re abſoluta, cuius eſt modus: ſed omnes effectus formales eſſe præſtandos à rebus abſolutis cum his extrinſecis connotatis. Oſtendi poſſe dici vnionem nihil eſſe diſtinctum ab extremis: ad argumentum autem de ſeparatione reali extremorum & vnione, reſponderi poſſe manere vnionem quoad entitatem; non verò quoad denominationem. Eadem ratione dico reſponderi poſſe his argumentis. Etenim manente termino, agente, & ſubiecto, manet actio quoad entitatem, non verò quoad denominationem; quia deficit connotatum voluntatis diuinæ nolentis terminum habere denominationem *producti* ab hoc agente, aut ab hoc termino. Poſſe enim voluntatem Dei directè terminari ad hanc denominationem, ibidem oſtendi §. 33.

Reſpondebunt manente ſubiecto, agente, & termino, & applicatione poſſe terminum non pendere ab eis cauſis: Reſpondeo; id non poſſe ex natura rei; quod ſufficit vt poſſit eſſe noua denominatio. Secundo reſponderi poteſt, repugnare etiam diuinitus impediri denominationem poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, vt tu dicis de relatione: quia iſta denominatio nihil eſt diſtinctum in ratione entis à termino, agente, & ſubiecto connotantibus requiſita ad agendum. Vnde ea denominatio impediri nequit, niſi Deus auferat aliquod requiſitum. §. 12.

Quod explico ad hominem; ipſi non diſtinguunt creationem à voluntate Dei; quia voluntas Dei poteſt manere in ratione entis quin in ratione denominationis. Et quando in Euchariſtia quantitas creatur, incipit actus internus Dei habere denominationem *creationis:* quin in quantitate aliquis nouus terminus producatur. Sic argumentor: ergo etiam Deus poteſt velle vt terminus ſit dependens à ſubiecto ſine nouo modo. Probo conſequentiam, quia ſicut vult ne ſit dependens; potuit velle vt ſit dependens: & quemadmodum terminus eſt independens per voluntatem Dei habentem nouam denominationem; ita poteſt eſſe & dependens. §. 13.

Obiiciunt ſola voluntate Dei poſſe terminum eſſe independentem; non verò dependentem: quia dependentia à ſubiecto non poteſt eſſe voluntas Dei. Bene: admitto illam voluntatem eſſe diſtinctam à dependentia à ſubiecto: quia hæc eſt intrinſeca cauſæ; Deo autem extrinſeca eſt cauſalitas materiæ: do inquam hoc diſputandi gratia: inde concluditur actionem eductiuam eſſe diſtinctam ab agente; at non probat eam eſſe diſtinctam à ſubiecto & termino; quibus eſt intrinſeca. Probatur quia terminus & ſubiectum poſſunt manere in ratione entis quin maneant in ratione dependentis: per ſolum extrinſecum connotatum voluntatis diuinæ; vnde actio erit extrinſeca agenti; quia nihil eſt præter entitatem termini & ſubiecti connotantium aliquid extrinſecum, applicationem ſcilicet, & voluntatem Dei per quam agens accipit nouam denominationem agentis ab ipſis entitatibus abſque modo ab illis diſtinctis. §. 14.

Vident ipſi non eſſe multum fidendum huic argumẽto de reali ſeparatione actionis ab agente; quia eo non mouentur ad diſtinguendam creationem à termino: diſtinctionem autem agentis creati ſic probant: Actio Dei & creaturæ ſunt idem; ſed actio creaturæ eſt diſtincta ab agente & termino; ergo & actio Dei. Probatur minor: quia omnis actio creaturæ eſt eductio: ſed omnis eductio diſtinguitur ab agente & termino: ergo. Probo minorem: quia actio realis eſt ordo realis ad terminum: ſed ordo realis diſtinguitur à termino; ergo. Confirmatur: actio eductiua eſt formaliter cauſalitas materialis & paſſio: ſed entitas Dei non poteſt eſſe paſſio. ergo. §. 15.

Reſpondeo, nec hoc argumento monſtrari actionem eſſe modum diſtinctum ab agente, ſubiecto, & termino. Diſtinguo igitur maiorem: actio Dei & creaturæ ſunt idem adæquatè, nego maiorem; inadæquatè, concedo: quia ſunt complexum ex entitate Dei & creaturæ, quod indiuiſibiliter §. 16.

denomi

denominatur agens: diſtinguo item minorem, omnis actio creaturæ diſtinguitur adæquatè ab agente, nego minorem; inadæquatè, concedo. Ad probationem diſtinguo minorem, omnis eductio diſtinguitur adæquatè ab agente, nego; inadæquatè, concedo. Ad probationem reſpondeo, eam eſſe abs re. Nunc enim admitto eductionem diſtingui realiter à termino; quia conſiſtit in ſola entitate agentis adæquati cum connotatione alicuius extrinſeci à quo pendet denominatio *agentis*.

§. 17. Ad confirmationem ex §. 15. Reſpondeo, in ſententia conſtituente actionem eſſe modũ ab agente & paſſo diſtinctum, eam non diſtingui à paſſione: ſecus in hac ſententia de connotatis: quia agens dicit in recto entitatem agentis, & in obliquo connotat ſubiectum, & alia à quibus denominatio pendet. Itaque agens dicitur agens intrinſecè per ſuam entitatem cum connotatione: ab eadem autem entitate terminus dicitur extrinſecè *actus*, & *eductus* ex materia: paſſio verò eſt entitas ſubiecti connotantis, agens & alia extrinſeca, à quibus pendet denominatio *patientis & recipientis*. itaque actio diſtinguitur realiter à paſſione & termino; non verò ab agente: paſſio diſtinguitur ab agente & termino, non tamen à ſubiecto: ergo ad agendum & patiendum non exigitur modus diſtinctus ab agente & ſubiecto.

§. 18. Reſpondetur aliter argumento eidem ex §. 15. diſtincta minori; actio creaturæ eſt diſtincta ab agente, concedo minorem; eſt diſtincta à ſubiecto, nego minorẽ: ad probationem, reſpondeo ſummùm probari actionem eſſe diſtinctam ab agente & termino; non verò à ſubiecto: per quod agens agit, terminus agitur, & ſubiectum patitur: manet autem in ratione entis ſi aliqua extrinſeca auferantur; at in ratione denominationis pendet ab extrinſecis. Confirmatio probat, ſubiectum eſſe paſſionem ſimul & actionem; quod accipit denominationem *actionis* per noua connotata.

§. 19. Reſponderi tertiò poteſt, actionem eſſe entitatem agentium, ſubiecti, & termini, variis conceptibus ſignificatorum, & accipientium denominationes diuerſas pro diuerſis connotatis. Vnde actio inadæquatè diſtinguitur à ſubiecto, & termino, & dicit agentium entitatẽ, & termini, & ſubiecti. Ex parte agentis, & ſubiecti eſt ordo realis ad terminum; non tamen adæquatè. Quia includit terminum ipſum. Cum autem dicitur actio eſſe ordo ad terminum, abſtractum ſumitur pro concreto, id eſt, *actio pro agente*. Paſſio dicit in recto paſſum, & entitatem agentis, & termini; à quibus ſolum ſubiectum dicitur *patiens*: quia terminus illi ſoli eſt intrinſecus. Denique poſſunt confingi reſponſa ſimilia, vt cogantur aduerſarij fateri ex ipſorum ſententia de connotatis, non eſſe argumentum ad probandum modos ex natura rei eſſe diſtinctos: ac propterea argumento de reali ſeparatione eſſe ab omnibus vtendum.

SECTIO III.

Vtrum actio, & paſſio ſint de conceptu eſſentiali motus?

§. 20. NOn ago vtrum de conceptu actionis, & paſſionis ſit motus: quia pars negatiua eſt euidens: tum quia creatio eſt actio, & non eſt motus: quia non habet ſubiectum, quod ſit in potentia ad ipſam & terminum, vt docet S. Thomas 2. contra Gentes capite 18. tum in prima productione ſubiecti cum ſua forma: illa enim productio non fuit motus, qui præter entitatem actionis eductiuæ connotat etiam ſubiectum prius tempore extitiſſe in potentia ad formam, cum reali illius priuatione, vel ſaltem cum priuatione ipſius motus: tum etiam in conſeruatione termini producti per motum: ibi enim reperitur actio, & paſſio ſine motu: quia in conſeruatione res non mutatur, quia non ſe habet alio modo, quo antea, nam (vt dixi) eſt de ratione motus, vt incipiat à priuatione. Rogo igitur, vtrum de conceptu motus ſint actio & paſſio, primò productiua termini immediatè antè non exiſtentis in ſubiecto?

Pars negatiua placet quibuſdam, ob quædam Ariſtotelis teſtimonia: verùm infra patebit Ariſtotelem eſſe à nobis: deinde probant: quia motus deberet conſtituere diuerſum prędicamentum: ſed verò per ſe pertinet ad duo prædicaméta, actionis ſcilicet, & paſſionis: neque eſt cur tertium conſtituat: pertinet autem ad poſtprædicamenta, quia ibi ſub iſto conceptu motus connotantis priuationem conſideratur: in prædicamentis verò actionis, & paſſionis conſideratur ſecundùm diuerſas denominationes quas tribuit. Argumentantur præterea: quia ſi motus formaliter eſt actio, & paſſio formaliter; ergo actio, & paſſio ſunt formaliter idem, quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe. Nego conſequentiam: ad probationem reſpondeo, quæ ſunt eadem vni tertio adæquatè, eſſe formaliter idẽ inter ſe: ſecus verò, ſi non ſint idem adæquatè vni tertio, vt homo formaliter eſt animal, & formaliter rationale; animal tamen & rationale non ſunt formaliter idem; quia homo præter animal includit alium conceptum; quod etiam contingit in reali compoſitione; quia igitur motus includit formaliter actionẽ, & paſſionem, ſicut duas partes; ideo non ſequitur actionem eſſe formaliter paſſionem; de quo tamen infra. §. 21.

Quartò argumentantur, quia tranſacta actione manet motus, vt lapis mouetur, & non eſt actio mouentis, vel proijcientis. Sed hoc eſt falſum; quia ab eodem principio, à quo oritur motus ille, oritur actio; ſcilicet vel à proijciente, vel ab impetu impreſſo. Quintò, quia actio eſt in agente, & motus in paſſo, ergo motus non includit actionem. Verùm infra patebit, actionem formaliter non eſſe in agente: ſed eo admiſſo, negatur conſequentia. Quia motus in quantum actio, eſſet in agente, & in quantum paſſio, in patiente: eſt enim motus actio & paſſio. Sextò, quia motus eſſet vnum per accidens, quia pertinet ad prædicamenta diuerſa. Sed ſi per accidẽs intelligatur res habens vnũ conceptum, cui accidit alius; motus non eſt per accidens; quia nec paſſio accidit actioni, neque actio paſſioni, ſicut animal & rationale mutuò nõ accidunt; ſi verò intelligatur res habẽs duos cõceptus, quorum neuter alij vniatur tamquam ſubiecto, aut formæ, aut parti integrali, tranſeat, in quo ſenſu actio & paſſio ſunt etiam per accidens, quia ſunt duo conceptus in eadem entitate; ſicut ego dico eſſe in motu. Oſtendam autem diſput. 16. metaph. actionem eductiuam à paſſione nec ratione diſtingui; ac proinde non habet duos conceptus. §. 22.

Exiſtimo igitur, motum includere in ſuo conceptu formali actionem & paſſionem; ſicut homo animal rationale: ita vt non poſſit concipi motus adæquatè, quin concipiantur actio & paſſio. De paſſione à nobis eſt Pater Suarez 2. metaph. diſp. 49. ſectio. 2. prope initium, & paſſim S. Thomas: tota autem hæc concluſio eſt expreſſa Ariſtotelis hoc libr. 3. capite 2. & 3. vbi affirmat expreſsè, §. 23.

motum eſſe rationem formalem, per quam potẽtia actiua & paſſiua formaliter reducuntur in actum, vt vidimus ſect. 1. & text. 16. ait. *Nam in id agere, quatenus eſt tale, id demum mouere eſt.* & ſubdit, *quam ob rem motus actus eſt rei, quæ vim habet vt moueatur, quatenus eam vim habet.* Id eſt, eſt actus intrinſecus mobilis, & cap. 3. text. 17. concludens quidnam ſit motus; inquit, *motus, eius quod agere & pati poteſt, quatenus tale, eſt actus*, id eſt, eſt actus agentis formaliter vt agentis, & patientis: eſtque hoc manifeſtum ex ipſo Ariſtotelis ſcopo, qui fuit explicare actum naturæ, quam definierat eſſe principium, & cauſam motus, nunc verò explicat rationem formalem ipſius naturæ, in quantum eſt natura, id eſt, in quantum eſt principium actiuum, & paſſiuum.

§. 24. Ratione autem probatur primò: quia mouere eſt formaliter agere, & moueri eſt pati, ergo motus formaliter eſt actio, & paſſio; patet conſequentia, quia id, à quo agens & patiens denominatur agere, & pati, eſt actio, & paſſio; ſicut viſio eſt id, quo potentia denominatur videns, & obiectum viſum: quia actio eſt actus agentis, & paſſio patientis; antecedens probatur, quia alterare ſubiectum eſt formaliter illud mouere, & alterari eſt moueri; ſed alterare eſt formaliter agere, & alterari eſt pati; ergo mouere eſt formaliter agere, & moueri pati. De maiori dubitari non poteſt; quia alteratio eſt ſpecies motus, & qui alterat formaliter, facit rem aliter ſe habere quàm antea, ergo qui alterat formaliter, mouet. Minor verò probatur, quia alterare eſt producere qualitatem corruptiuam in ſubiecto ea carente, vt calefacere, aut infrigidare: in quo eſſentialiter includitur conceptus actionis, ſcilicet calefactionis, aut frigefactionis. Alterari verò eſſe moueri; eadem ratione probatur: quia alterari eſt recipere ſeu habere calefactionem, qua antea carebat.

§. 25. Secundò probatur: generatio ignis in ligno eſt motus formaliter, quia per illam materia ligni ſe habet aliter quàm antea, ergo ignis generando ignem mouet lignum; quia illi dedit generationem, per quam mutatum eſt lignum; ergo agendo formaliter mutauit ligni materiam: quia generare agere eſt: præſertim cum nullum agens creatum agat niſi in materia, ergo formaliter actio agentis eſt motus. Maximè cùm nihil remaneat, quod ſit motus formaliter præter hos duos conceptus: quia motus eſt via ad terminum, & dependentia ipſius termini: ſed nihil tendit in terminum præter agens & patiens: & terminus ab illis dependet phyſicè, & non ab aliis, ergo motus nihil eſt præter viam agentis, & paſſi in terminum, & huius ab illis dependentiam, ſed via agentis & patientis in terminum, & dependentia ab illis nihil eſt præter actionem, & paſſionem, ergo. Quod explicuit Ariſtoteles comparatione viæ accliuis, & decliuis, in qua nihil formaliter eſt præter accliuitatem, & decliuitatem.

§. 26. Confirmatur; conſtitue hic actionem ignis in ligno prius carente calore: calor tunc producit in ligno calorem, illa calefactio eſt formaliter actio, vt negabit nullus: ſed eo præcisè quod intelligamus lignum antea caruiſſe calefactione, intelligimus illud moueri per eam entitatem motus, & non per aliam; ergo de conceptu illius motus eſt illa actio, & paſſio connotans præcedentem immediatè priuationem ſui.

§. 27. Tandem probatur: quia motus formaliter eſt ab aliquo, & in aliquo; nam eſt à motore, & in mobili; ergo motus eſt formaliter actio, & paſſio. Patet conſequentia: quia actio eſt actus ab agente, & paſſio in patiente: nomine paſſionis non intelligo vnionem formæ, ſed illius generationem. Tandem motor mouet, ergo per motum: pone eum mouere lapidem de albo in nigrum, aut è loco in locum: illum mouet dealbando, & impellendo; dealbare autem & impellere, mouere eſt, ergo mouere & agere idem ſunt. Ergo motus & actio idem ſunt.

SECTIO IV.

Vtrum actio realiter differat à paſſione?

Ariſtoteles hoc lib. 3. tex. 19. hoc diſputat in vtramque partem, dirimit tamen concluſionem duplici pronuntiato: primò, actionem, & paſſionem eſſe idem realiter; ſecundò, ea differre ratione, ſicut viam accliuem, & decliuem, & viam Thebis Athenas, & Athenis Thebas; quæ Ariſtotelis ſententia nullam expoſitionem admittit, quam ſequitur S. Thomas, & P. Suarez cum communiori ſecundo met. diſput. 49. ſect. 1. quem ego ſequor. §. 28.
Primò, quia ſi actio eſt modus diſtinctus realiter à paſſione, ſequitur paſſionem non eſſe modum productum in rerum natura; hoc autem eſſe falſum patet ex terminis, ex quibus repugnat eſſe aliquid reale diſtinctum à Deo, & non eſſe productum: ergo. Probatur maior; quia paſſio non eſſet producta ab agente tamquam terminus alterius actionis, neque tamquam ratio producendi: ergo non eſſet producta, neque haberet cauſam actiuã, quia quidquid fit, altero ex his modis fit. Antecedens probatur: quia paſſio non eſt terminus, ſed via ſubiecti in terminum, tum quia ſi producitur per aliam actionem, rogo vtrum illa habeat paſſionem? Si habet, recidit in eamdem quæſtionem in infinitum, cum ergo ſiſtendum ſit in vna paſſione improducta per actionem, dicamus primam paſſionem eſſe improductam vt terminum; ſi verò dixeris actionem terminatam ad paſſionem non habere paſſionem; primò ſine fundamẽto dices: quia talis actio eſt motus, vel ſaltem productio rei ex ſubiecto, habet ergo paſſionem; Secundò ſicut ſufficeret illa actio ſine paſſione diſtincta realiter conſtituere ſuum terminum in ſubiecto, cur & prima actio id nõ præſtabit? Tandem ſi paſſio producitur per actionem vt terminus, ergo poterit creari, maximè ex tua ſententia aſſerente modos poſſe creari, id autem paſſioni repugnat; quia cum ſit eſſentialis inhærentia termini à ſubiecto, non poteſt illi non inhærere vt *quo*, patet ergo paſſionem non produci vt terminum alterius actionis. Eam verò non produci vt viam patet, quia ſi producitur vt via, & ratio formalis producendi, ergo eſt actio, ergo paſſio non diſtinguitur realiter ab actione. Prima conſequentia patet, quia ille modus eſt proprius actionis, & denominat formaliter agens, ſicut paſſio patiens, & vnio vnitum.

Secundò: quia paſſio non diſtinguitur realiter à motu, ſed actio eſt idem realiter cum motu, ergo actio non diſtinguitur realiter à paſſione. Dices, motum eſſe inadæquatè idem cum paſſione. Contra, quia tota entitas motus clauditur in entitate paſſionis, ergo quidquid eſt idem realiter cum motu, eſt idem cum paſſione realiter. Probatur antecedens: quia de ratione motus eſt facere rem aliter ſe habere, quàm antea; neque aliud eſt de entitate motus, ſed totum hoc conuenit entitati paſſionis, ergo. Probatur minor, quia paſſio facit rem aliter ſe habere. §. 29.

Dices,

§. 30. Dices, paſſionem id præſtare paſſiuè, actiuè autem actionem. Contra; ille motus, qui eſt paſſio, denominat materiam motam, ergo ab aliquo mouetur per illum motum; nam omne quod mouetur, ab aliquo mouetur; ergo illa paſſio denominat aliquod agens, ergo illa paſſio realiter eſt actio. Prima conſequentia patet, quia mouere eſt agere, vt oſtendi §.24.

§. 31. Tertiò probatur; alterans ſubiectum, vt calefaciens, producit calorem in ſubiecto, ergo illa productio eſt paſſio. Probatur conſequentia; quia illa productio in quantum eſt eductio de potẽtia ſubiecti, recipitur in ipſo ſubiecto; ſaltem *vt quo*, quia ex illo educitur *vt quo*, quia per illam educitur terminus *vt quod*. Sed recipi *vt quo*, eſt eſſe paſſionem, ergo actio eſt paſſio. Probatur minor, quia receptio termini, & illius eductio eſt dependentia termini à ſubiecto; ſed illa actio eſt receptio termini, & eductio; ergo eſt dependentia termini à ſubiecto; ſed terminus dependet à ſubiecto per paſſionem, ergo illa actio eſt paſſio.

§. 32. Confirmatur. Agens mouet ſubiectum illud alterando, ergo per illam actionem quæ oritur ab agente, ſubiectum mouetur: nam agens mouendo, aliquid mouet, & per id, per quod mouet, aliquid mouetur: ſed aliquid mouetur per paſſionem, & mouens mouet per actionem, ergo per eamdem entitatem, per quam res mouetur, agens mouet; ergo actio & paſſio ſunt eadem entitas, quod clarius patebit ſect. ſeq. & diſp. 16. met. ſect. 4.

§. 33. Sed primò obiicitur diſtinctio prædicamentorum: item eamdem cauſalitatem non poſſe cauſis conuenire diuerſis: ſed hoc vltimum falſum eſt, vt dixi diſp. 10. ſect. 3. quia eadem forma rectè poteſt extrinſecè vni rei conuenire, & intrinſecè alij, vt patet in cognitione intrinſeca potentiæ, & extrinſeca obiecto: prædicamenta verò bene diſtinguũtur per diuerſos modos concipiendi eamdem formalitatem; vt oſtendam diſp. 8. met.

§. 34. Secundò obiiciunt, remanere cauſalitatem materiæ pereunte actione priori. Sed hoc dicitur pro libito; toties enim perit paſſio, quoties actio, quia actio cauſæ ſecundæ ſemper eſt eductio & paſſio: paſſio enim pendet ab agente, quo mutato illa perit.

§. 35. Tertiò, quia actio vt actio, debet habere ſubiectum, ſed vt actio non poteſt eſſe in mobili, in quo non eſt niſi paſſio, ergo actio & paſſio ſunt in ſubiectis diuerſis, ergo diſtinguũtur; probatur maior: quia actio vt actio eſt accidens, de cuius ratione eſt ineſſe. Diſtinguo maiorem: actio vt actio debet habere ſubiectum à parte rei, concedo; ſecundum conceptũ præciſum actionis, nego: quia vt ſic concipitur vt accidens extrinſecum, extrinſecum autem accidens non poteſt concipi in ſubiecto. Itaque accidens ſub conceptu accidentis intrinſeci debet concipi in ſubiecto, non verò ſub conceptu extrinſecæ denominationis.

§. 36. Dices, illam extrinſecam denominationem eſſe accidens, ergo concipitur vt in ſubiecto. Nego cõſequentiam, quia concipitur vt accidens extrinſecum, de cuius conceptu non eſt ineſſe, niſi concipiatur inquantum intrinſecum, vt viſio concipitur in ſubiecto in quantum denominat videns, at verò vt denominat viſum, non concipitur in ſubiecto, quia obiectum viſus non eſt ſubiectum viſionis. Quod verò dicitur; *Accidentis eſſe eſt ineſſe*: intellige eſt ineſſe à parte rei, at ſub conceptu præciſo accidentis extrinſeci non poteſt intelligi ineſſe, quia iam non conciperetur vt extrinſecum, ſed vt intrinſecum. At vt eſt extrinſecum, eius conceptus eſt denominare extrinſecè, denominatione non conſtituente ſubſtantiam rei denominatæ, ſed illi conſtitutæ accedente.

Hæc reſponſio ſufficit, ſuppoſita ſentẽtia diſtinguente ratione actionem à paſſione, & conſtituente duas formalitates obiectiuas ratione, & adæquatè diſtinctas ex parte obiecti: cui non acquieſco, opinans in motu nõ eſſe duas formalitates diſtinctas, ſed vnam tribuentem duas denominationes, vt cognitio, quæ denominat cognitum, & cognoſcens per eamdem formalitatem. Probatur, quia generatio, verbi gratia, eſt productio formæ depẽdenter à materia, & paſſio eſt receptio formæ à generante; ergo non poteſt concipi actio ſine paſſione, nec paſſio ſine actione. Patet conſequentia, quia productio cum dependentia à materia eſt formaliter paſſio, & receptio materiæ ab agente eſt formaliter actio: ergo non poteſt præſcindi actio à paſſione. Confirmatur; mouens per ſuam actionem aliquid mouet: ergo non poteſt concipi illa actio, quin concipiatur per illam aliquid moueri; ſed hoc eſt concipi vt paſſionem; ergo. Dices, ergo ab actione vt actio denominatur paſſum, & à paſſione vt paſſio denominatur agens, concedo conſequentiam, quia idem eſt conceptus vtriuſque, qui conceptus neceſſariò refertur ad vtrumque principium ſimul. §. 37.

Dices, ergo patiens eſt agens, & è contra. Nego conſequentiam: nam ab eadem formalitate ſumuntur illæ diuerſæ denominationes propter diuerſa principia, quæ denominantur ex diuerſo modo, quo influunt in eamdem entitatem: patiens enim denominatur ſubiectum, quod recipit illam denominationem: agens autem vocatur principium, à quo oritur non intrinſecè, ſicut viſio denominat oculos videntes, & parietem viſum: & vnio hypoſtatica denominat Verbum vnitum ſine inhæſione in Verbo, & humanitatem vnitam cum inhæſione. Itaque actio eductiua etiam vt actio, reſpicit ſubiectum, & paſſio agens. Conſtituit autem diuerſas Categorias, quia tribuit diuerſas denominationes, de quo in Metaphyſica diſp. 16. ſect. 4. vnde patet actionem hanc ſemper concipi in ſubiecto. §. 38.

SECTIO V.

De termino à quo *motus.*

OMnis motus habet terminum *à quo*, & *ad quẽ*. Ille eſt id, *quo deſtructo fit terminus ad quem*. Non eſt de conceptu actionis vt ſic, habere terminum *à quo*: quia non eſt opus deſtrui aliquid, nec præcedere immediatè priuationẽ termini *ad quem*: tum quia Deus ab æterno producit Verbum; quæ productio non habet terminum *à quo*; tum quia ab æterno potuit producere creaturam permanentẽ, quæ non haberet terminum *à quo*, quia Deus non produceret illam ex alio, nec ex priuatione ſui: tandem in conſeruatione, quæ non eſt ex termino *à quo*: nunc enim lux conſeruatur in ſole, quæ conſeruatio nunc non eſt ex alio contrario, quo caret; nec eſt ex carentia ſui, quia in tempore immediatè præcedenti non fuit carentia lucis, ergo conſeruatio lucis in ratione conſeruationis non habet terminum *à quo*: at motus in ratione motus habet terminum *à quo*: quia eſt ratio, ob quam res nunc ſe habet aliter quàm antea, & illi tollit id, quod antea habebat, & ei dat quod non habebat. §. 39.

Iſti termini ſunt inter ſe oppoſiti. Primò probatur inductione; quia ex calido fit frigidum: & calidum §. 40.

calidum ex frigido : ex tenebroſo lucidum : & tenebroſum ex lucido : quia productio caloris petit deſtructionem frigoris;& tenebrarum inductio eſt exiliū lucis,vnde effluxit adagium. *Generatio vnius eſt corruptio alterius*, id eſt, eſt cauſa corruptionis: nec enim dicitur fieri calidū ex dulci; aut lucidum ex nigro : quia productio caloris non petit deſtrui dulcorem,nec lux nigredinem abigit : vnde patet, terminos *à quo* & *ad quem* eſſe oppoſitos ex natura ſua. Secundo probatur explicatione vocis *Ex*, quæ in præſenti notat deſtructionem termini : cur enim ex albo fit nigrum potius quàm ex dulci;niſi quia nigredo rixatur cum albedine, & non cum dulcore? Quamobrem tam difficilè inuenitur in Eucharistia cōuerſio phyſica panis in Christi corpus,ſiue productio corporis ex pane? quia difficilè inuenitur phyſica oppoſitio inter vtrumque. Perinde ergo eſt vnum fieri ex alio; ac vnum fieri deſtruendo aliū terminum : & iſte terminus deſtructus, quando eſt poſitiuus, dicitur conuerſus in alium,vt panis conuerſus in Christi corpus;& nigrum conuerſum in album : & aqua in aërem:quia materia repudiata forma aquæ,ſe conuertit ad formam aëris.

§. 41. Vnde patet, motum non habere pro termino *à quo* id quod non deſtruit : exempli gratia,eſt hic ſubiectum cum calore vt duo, fit frigidum vt tria: calor vt duo nō eſt terminus eius infrigidationis, quia per eam non deſtruitur : item fit calidum vt octo,& Deus ſimul cum illo calore introducat frigiditatem,tunc nō habet infrigidatio pro termino *à quo* calorem;quia illum non expellit.Vt ergo habeat aliquid pro termino *à quo*, requiritur deſtructio naturaliter ſecuta ex productione termini *ad quem*. Eſtque hoc entitati motus extrinſeca denominatio,præceſſiſſe enim formā contrariam,eámq; corrumpi connotat extrinſecam denominationem à forma; & eius corruptione. Vnde entitas actionis in ratione motus completur,& formaliter conſtituitur per connotationem ad eas extrinſecas denominationes. Vnde colligo non migrare ex vno loco in alium corpus,quod retento priori loco acquirit diuinitus alium; migrat quidem in alium, quem acquirit; ſed non ex alio,quem non deſerit. Impropriè autem dicitur venire ex alio loco : quia de nouo venit in hunc,in quo non erat.

Motui eſt denominatio extrinſeca carentia termini. Actio eſt motus per extrinſecam denominationem.

§. 42. Iſte terminus *à quo* ſolet eſſet poſitiuus, & priuatiuus. Priuatiuus ſemper requiritur ad rationem motus, & ille ſufficit. Nam aër tenebroſus verè mutatur, quando lumine perfunditur,ſe enim habet intrinſecè aliter quàm antea. Poſitiuus terminus non requiritur; eſt tamen quandoque. Quoties enim fit actio inter qualitates,aut alias res cōtrarias, terminus *à quo* eſt poſitiuus; exempli gratia, ex albo fit nigrum : album eſt terminus poſitiuus *à quo*, quia per nigrefactionem perit conceptus poſitiuus albi, quo genere motus bifariā mutatur ſubiectum:primo poſitiuè per nouam acquiſitionem nigredinis.Secundo priuatiuè per nouam carentiam albedinis. Quapropter in omni motu à contrario in contrarium eſt vnus motus poſitiuus, & vna mutatio priuatiua.

SECTIO VI.

De termino ad quem *motus.*

§. 43. TErminus *ad quem*:eſt ille *ad quem acquirendum mouemur* : ſiue eſt *finis,ad quem dirigitur motus, & qui per illum producitur* (vt mox dicam.) Iſte terminus alius eſt *totalis*; ſiue terminus *qui* acquiritur aut producitur : exempli gratia,in hominis generatione,terminus *qui*, eſt homo,ille enim fit per generationem. Antea enim non erat homo ; nunc autem eſt homo, ergo factus eſt homo. Vnde non ſunt audiendi, qui aiunt totum non fieri propriè: ſed vnionē.Quis enim neget modo eſſe hominem, qui non erat,& factū eſſe hominem?Ad quod ſufficit vnionem fieri:productio enim partis,maximè autē vnionis,conuenit toti compoſito:omne enim quod conuenit parti, conuenit toti ratione illius, quæ ſententia modúſque loquendi eſt familiariſſimus Ariſtot. 1 met.c.1.& lib.7.c.8. S.Thom.1 p.q. 45.artic.1. & omnibus Philoſophis ac Theologis, quos referunt, & ſequuntur P. Conimbr. 1. de generatione cap.4.quæſt.15.artic.2.

De termino *quo*, & formali cenſent P. Conimbricenſes ſupra concluſ. 3. eſſe formam ad quam motus dirigitur; cui doctrinæ ſubſcribit P. Vazquez t.1.in 3. p. diſp.19.cap.2. aſſerens,oppoſitum (nempe terminum formalem eſſe illum, qui immediatè producitur per motum) à ſolis recentioribus dictum. Quod mihi mirum accidit,cum ipſe Aureolum adducat. Durandus item in 3. diſtinct. 5. quæſt.2. num.5. id docet expreſsè, cenſens terminum formalem non ſupponi ante actionem,ſed per eā produci : Scotus item ait expreſsè ad vnionem hypoſtaticam dari per ſe motum, terminus autem eſt id ad quod per ſe datur motus. Quam ſententiam docet P.Suarez tom.1. in 3.p.diſput.8. ſect.3.§. *In hoc nihil poteſt* : quam ego docui in 3.p. diſp.17. ſect.5. §.20. & quidem vitare vellem moleſtas,atque pueriles de vocibus quæſtiones. §. 44.

Primò negari non poteſt, id quod immediatè producitur per actionem, eſſe terminum *ad quem* actionis. Nam terminus *ad quem* eſt ille, ad quem terminatur actio, ſed terminatur ad id, quod producit:ergo eſt terminus id,quod motu producitur. Probatur minor, quia productio eſt ad productū: productio enim,alicuius productio eſt:ergo eſt ad illud,ſed terminus eſt id, ad quod eſt aliquid:ergo. Deinde terminus productionis eſt id, quod fit per illam : terminus enim *à quo* eſt qui deſtruitur:ergo terminus *ad quem* eſt qui producitur. Adde, id, quod producitur,denominatur ab actione, non vt cauſa actiua,nec paſſiua:ergo vt terminus.Item id, quod producitur, eſt finis producentis, ſaltem immediatus, ergo eſt terminus immediatus, nec de hoc poterit quis dubitare. §. 45.

Item eſt certum, compoſitum denominari productum,aut genitū per ſolam generationem vnionis,vt patet in homine : ergo vnio eſt id, *quo tamquam termino* totus homo denominatur genitus. Dixi *tamquam termino*, nam tamquā ratione generandi denominatur generatione ipſa : antecedens patet, quia in homine nihil aliud generatur præter vnionem : nam corpus,& anima creantur. Conſequentiam probo, quia quod conuenit toti, debet conuenire,vel ratione omnium partium,vel alicuius : ſed cæteræ omnes partes ſunt creatæ, ſiue diuiſim,ſiue collectim capiantur : ergo à ſola vnione habet homo eſſe genitum, vt terminum totalem. Deinde denominatio vnius partis datur toti vt *quod*, & parti vt *quo* : ſic enim homo ſe mouet vt *quod*, & anima illum mouet vt *quo* : ergo à generatione vnionis homo eſt genitus vt *quod*, & vnio vt *quo*, quia eſt id, quo homo denominatur genitus: equidem videtur euidens vnionem eſſe terminum *quo* immediatum generationis. §. 46.

Vnde deduco, vnionem eſſe terminū formalem generationis compoſiti. Primò,quia proprium eſt formæ §. 47.

formæ tribuere ſpeciem, ſed vnio tribuit ſpeciem generationi totius: ergo eſt terminus formalis illius. Minor probatur, tum quia calefactio ſumit ſpeciem à calore & illuminatio à luce: ergo & vnio, quæ eſt generatio, ab vnione; tum, quia ſi variatur vnio, etiamſi nō varientur extrema, erit diſtincta actio terminata ad vnionem. Secundò probatur, quia proprium eſt formæ tribuere alij denominationem ſui, vt albedinis denominare album; ſed vnio in ratione termini geniti, denominat cōpoſitum genitum vt *quod*, ergo eſt forma in ratione termini, ſeu eſt terminus formalis. Tertiò, quia terminus formalis eſt, qui ſe ipſo immediatè terminat actionem, & per illā agitur: ſed vnio ſe ipſa terminat actionem, & per illā agitur: ergo eſt terminus formalis. Maior videtur certa, tūc enim res formaliter eſt talis, quando ſuo conceptu eſt talis: Minor patet: quia generatio vnionis non attingit formā immediatè, ſed remotè media vnione. Anima enim non magis attingitur generatione vnionis, quàm ſi non eſſet talis generatio: vnio immediatè tangit animam, vnitio verò remotè, vt patet in vnione, & vnitione hypoſtatica: immo non eſt propriè terminus formalis, niſi ille qui tribuit cōpoſito denominationē geniti. Vnde Angelus non eſt terminus formalis creationis propriè, quia forma dat ſui denominationem compoſito, quia tamen omnis terminus immediatus dat ſpeciē actioni, & ſe ipſo eſt terminus, ideo minus propriè dicitur *formalis*.

§. 48. Sed primo obijciunt P. Conimbricēſes, & Vazquez ſupra, terminū formalem eſſe eum, qui conſtituit eſſentialiter terminum totalem, vt eſſentia diuina eſt terminus formalis generationis Verbi, non verò ſubſiſtentia Verbi: ergo terminus formalis non eſt qui immediatè producitur. Diſtinguo antecedens, terminus formalis communicatus, & in genere quaſi cauſæ finalis eſt eſſentia: concedo antecedēs. Terminus formalis in ratione producti eſt eſſentia; nego antecedēs, quia terminus formalis in ratione producti eſt ille, à quo totum dicitur productum, vt à ſubſiſtentia Verbi, totum Verbum dicitur genitum, nō verò ab eſſentia. In primo autem ſenſu multi tenent concluſionem P. Conimbricenſium, non in ſecundo. Hic autem iam nō ſupereſt, niſi quæſtio de nomine, vtrum autem eſſentia diuina ſit terminus formalis ſe ſola, vel ſimul etiam cum relatione? non eſt huius inſtituti.

§. 49. Obijcit ſecundò Pater Vazquez, terminum formalem reſurrectionis non eſſe vnionem, ſed animam: ergo nec primæ generationis: verum non probat antecedens: ego id diſtinguo: anima eſt terminus formalis communicatus, quia eſt finis generationis, aut reſurrectionis, vt per eam conſtituatur homo, concedo: eſt terminus formalis productus, nego.

§. 50. Rogas; vtrum terminus motus intrinſecè denominetur à motu? an verò extrinſecè ſolum? Primùm reſpondeo, terminum non eſſe ſubiectū motus (vt ſectione ſequenti patebit.) Secundò reſpondeo, terminum eſſe productum per motum; actionem autem eductiuam nō eſſe extrinſecam, ſed intrinſecam denominationem termino. Nam terminus dependet intrinſecè à ſubiecto, nam cauſalitas materialis eſt intrinſeca tam cauſæ, quàm effectui, ex quibus intrinſecè communicatis reſultat vnum: ergo habet terminus intrinſecè rationem dependendi à materia, quia ſi ratio dependendi eſſet illi extrinſeca, eſſet ipſe extrinſecè, & per extrinſecam denominationem dependens.

§. 51. Dices materiæ eſſe intrinſecā cauſalitatem materialem nō verò termino. Contra; materia intrinſecè cauſat materializationem: ergo per illā intrinſecè cauſat terminum. Patet cōſequentia; quia motum cauſat intrinſecè, vt *quo*, ergo per illum cauſat intrinſecè vt *quod* terminū: ergo terminus intrinſecè eſt cauſatus, vt *quod*: ergo intrinſecè habet denominationem cauſati, quæ videntur clara, & vix capitur actio extrinſeca dans eſſe rei, agens eſt extrinſecum, quia ab illo fluit terminus: actio verò non videtur ita eſſe poſſe: ſed ſicut exiſtentia eſt intrinſeca termino; ita & ratio per quam accipit exiſtentiam. Recognoſce diſput. 5 à §. 109.

SECTIO VII.

De ſubiecto motus.

SVbiectum hic capitur pro cauſa materiali, ſeu receptiua motus. Quæ debet & eſſe intrinſecè communicare effectui, & eſſe verè principium, & cauſa phyſicè in illum influens. Vnde cauſa materialis debet eſſe diſtincta realiter à ſuo effectu; quia nihil poteſt in ſe influere phyſicè, aut à ſe dependere. Item aduerte, cauſam materialem perfici ſuo effectu, ita vt quidquid perfectionis eſt in illo, item & imperfectionis, communicetur ſubiecto: quod bonum, aut malum denominatur pro bonitate, aut malitia formæ, cuius eſt ſubiectum, quia proprium eſt formæ communicare denominationem ſui, & ſubiecti, illam recipere. Ratio à priori, quia cauſa materialis eſt paſſiua, id eſt; quæ patitur, & recipit perfectionem, aut imperfectionē, ſui effectus. Actiua autem eſt quæ dat, & agit eam perfectionem. Quamobrem potentia actiua dicitur eſſe in actu primo agēdi, quia actualiter eminenter, aut virtualiter habet in ſe perfectionem effectus. Cauſa verò materialis nō dicitur eſſe in actu primo, ſed in potentia, id eſt, carens actu formaliter, & eminenter. Quam ob rem eſſe cauſam actiuā dicit perfectionem, eſſe verò paſſiuam imperfectionem, illa eſt in Deo, hæc illi repugnat: iis poſitis, §. 52.

Dico primò. Agens non eſt cauſa materialis actionis ſuæ. Hæc concluſio intelligitur de agente in quantum agens, nam aliquādo eam recipit: non quia eſt agens; ſed patiens. Probatur primò: quia oſtenſum eſt actionem & paſſionem eſſe eumdem motū, ſed paſſio à parte rei non eſt in agente: ergo nec actio. Secundò, agens, in quantum agens, eſt principium extrinſecū effectus, nec mutatur agendo: ergo actio non eſt in agente: antecedens patet in Sole, cui eſt extrinſeca lux, quam in me producit; Conſequentiam probo, ſi actio eſſet intrinſeca agenti, etiā terminus illi eſſet intrinſecus. Nam actio eſſet illi intrinſeca, vt actio & via ad terminum, ſed eadem ratione illi eſſet intrinſecus terminus, ergo. Probatur minor, quia terminus attingitur phyſicè vt *quod* à cauſa eo modo quo attingitur cauſalitas termini: terminos enim non attingimus phyſicè niſi media cauſalitate, quæ eſt ratio illos attingendi: ergo ſi rationem attingendi terminum ego intrinſecè attingo, attingam intrinſecè terminum. Quod argumentum vide in diſput. 16. met. ſect. 3. §. 53.

Confirmatur: principium actiuum formaliter non recipit vllam perfectionem agendi: ergo actio non eſt in illo vt in ſubiecto. Antecedens patet, tum in Deo, cui nihil perfectionis accreſcit ex temporaria mundi productione: tum in Sole, qui non perficitur producendo calorem, non enim in ſe recipit calefactionem. Tum tertiò à priori, quia §. 54.

principium actiuum eſt ad faciendam perfectionem. Id enim eſt agere: paſſiuum autem ad eam recipiendam, propterea enim dicitur potentia paſſiua, & receptiua.

§. 55. Secundo argumentor: quia actio eductiua non eſt in Deo: ergo nec in reliquis agentibus. Dices, Deum nō agere actione à ſe diſtincta, ſed eius volitionem eſſe actionem. Contra, quia vel illa volitio habet pro termino producto actionem creatam; ſic autem reciditur in phyſicas præmotiones, & in ea incommoda, quæ diſput. 10. ſect. 3. intulimus contra actionem Dei, terminatam ad noſtras actiones, quæ hic eamdem vim habent: vel illa volitio Dei nō terminatur in actionem noſtram, ſed in ipſum effectum, & concomitanter ad noſtram actionem, ſic autem reciditur in incommoda, quæ ibid. ſect. 4. deduxi contra opinionem aſſerentem influxum Dei, & noſtrum eſſe diſtinctos: vel ſimul Deus concurrit ſuo actu, & noſtra actione: ſic verò reciditur in opinionē eadem ſect. 3. impugnatam; & ſequitur actionem non eſſe in agente; quia noſtra actio non eſt in Deo. Quod ſi Deus poteſt per voluntatem tamquam per actionem agere, quid ni & homo?

§. 56. Quartò: quia ſi actio recipitur in agente, ergo agens per illam immutatur; ergo agens illam patitur. Patet conſequentia, quia mutari eſt pati: nam recipiendo in ſe motum aliter ſe habet, quàm antea, ergo actio eſt paſſio, quia agens ab illa denominatur patiens, ergo actio eſt in patiente, quia eſt in agente; quod per te patitur. Rurſus paſſio eſt formaliter ab agente, quia materia prima cum mouetur, ab aliquo mouetur, ſed non eſt ab agente vt terminus, ergo vt ratio agendi (vt patet ex dictis ſect. 3.) ergo paſſio eſt actio; vnde actio non in agente, ſed in patiente conſtituetur. Confirmatur: actio cauſæ ſecundæ eſt eductio formæ è ſubiecto, ergo ipſa actio educitur *vt quo*. Patet conſequentia, tum ex receptione, tum ex vnione, quæ cum ſimul vniat extrema, ſe ipſam illis vnit, & receptio ſe ipſa recipitur, ergo & actio ſe ipſa educitur; tum quia eſt de eſſentia modi, vt illi conueniat eſſentialiter, quod ratione illius cōuenit aliis rebus, ſed ratione actionis conuenit termino educi, ergo id cōueniet actioni eſſentialiter, ergo ipſa eſt in mobili vt *quo*, quia forma eſt *vt quod*, in eo ſubiecto ex quo educitur.

§. 57. Dico ſecundò: neque actio neque paſſio inhærent termino: patet tum ex dictis; tum quia actio, & paſſio non educunt terminum ex potentia ipſius termini, ergo illi non inhærent. Secundo probatur efficacius: terminus non poteſt eſſe cauſa ſui ipſius: ſed eſſet cauſa ſui, ſi in ſe reciperet actionem, aut paſſionem. ergo. Probatur minor, quia id quod eſt cauſalitatis principium, eſt in eodem genere principiū termini cauſati per talem cauſalitatem; at per te forma producta eſt immediatū principiū paſſiuum ſuæ cauſalitatis, ergo eſt immediatum principium ſui ipſius. Probatur maior, quia agens ea ſola ratione terminum producit, quia attingit immediatè actionem, & generans immediatè producit compoſitū, quia ſolam compoſitionem attingit; ergo eadē ratione cauſa, quæ attingit immediatè motum, aut actionem: attingit etiā immediatè illarū terminum. Ratio à priori, quia terminus non per ſe, ſed per ſuā cauſalitatem pendet: quæ terminum facit dependentem in eo genere, in quo ipſa pendet: & cum ipſa ſit eſſentialiter dependentia termini, illum denominat dependentem *vt quod*, ab illa cauſa à qua ipſa pendet *vt quo*: pendet autem *vt quo*, ab omni principio à quo pendet: quia pendet vt ipſa eſt eſſentialiter: ſed eſſentialiter eſt dependentia *vt quo* termini, ergo vt talis pendet, & terminum denominat pendentem.

Dices: actionem eſſe in termino adhæſiuè, & non inhæſiuè, ad eum modum, quo dicimus vnionem hypoſtaticam eſſe intrinſecam verbo, ſed non illi inhærere. Sed hoc diſplicet: tum quia paſſio eſt idem cum actione, ergo recipiuntur in eodem ſubiecto actio & paſſio: tum quia cum actio ſit eductio termini è ſubiecto, & dependētia, ergo debet ipſa educi *vt quo*, & dependere à ſubiecto, à quo pendet eius terminus. Nam ratio dependendi habet eſſentialiter eſſe dependentiam, vt denominet terminum dependentem, ergo eſt in illo ſubiecto dependens *vt quo*, & vt dependentia, à qua terminus eſt dependens, *vt quod*: ſi enim ipſa in ſe non habet, *vt quo*, formalem effectum, quo pacto illum communicat termino? Præterea tam actio, quàm paſſio afficiunt intrinſecè terminum, ſed præciſè in ratione termini, præter quod indigent alio ſubiecto inhæſiuo, vt patet in vnione Hypoſtatica, quæ licet Verbum attingat vt terminum, inhæret tamen humanitati. §. 58.

Dices, actionem, & paſſionem eſſe modum termini, ergo illi debent inhærere: nego conſequentiam, vt patet in vnione hypoſtatica, quæ eſt modus Verbi, itaque actio, & paſſio ſunt modus extrinſecus agentis, & intrinſecus termini in ratione termini, & intrinſecus mobilis in ratione ſubiecti. Dices creationem inhærere termino, ſed hoc eſſe falſum patebit diſput. 12. §. 59.

Dico tertiò. Motus eſt ſubiectiuè in ſubiecto ſui termini; exempli gratia. Illuminatio eſt in aëre. Probatur primo inductione, quia eſt in ſubiecto, non in termino, nec in agente, ergo in paſſo. Secundò probatur à priori: motus eſt cauſalitas qua ſubiectum cauſat terminum in genere cauſæ materialis (vt probaui:) vel ſaltem vnio corporis & animi cauſatur per generationem: nam forma cauſatur materialiter per eductionem ſui ex potentia ſubiecti, quam eductionem oſtendi eſſe paſſionem; ergo eductio ipſa & paſſio educitur ex eodem ſubiecto vt *quo*: nam terminus educitur vt *quod*, & habet aliquam rationem, qua educatur: ergo eductio, quæ eſt motus, pendet à ſubiecto vt *quo*, quia educi, & pendere à priori à ſubiecto, idem eſt: ergo ſubiectum cauſat eductionem vt *quo*, & per illam terminum vt *quod*. Nam ſi eductio eſt ratio denominans terminum pendentem vt *quod* à ſubiecto, ipſa pendet vt *quo*, vt ipſiſſima ratio dependendi. Confirmatur, agens, quod producit terminum vt *quod*, producit actionem vt *quo*: repugnat enim fieri terminū vt *quod*, niſi fiat vt *quo* actio qua producitur terminus, nam aliqua ratione agendi producitur terminus: idémque patet in vnione: ergo ſubiectum cauſans terminum vt *quod*, cauſat eductionem illius vt *quo*. §. 60.

Dices, vnionem termini eſſe cauſalitatem materiæ. Contra, oſtendi ſect. 3. diſp. 5. id eſſe falſum: nam vnio animi rationalis nō cauſatur vt *quo*, quia nō eſt ratio cauſandi aliud, & ipſa cauſatur vt *quod* in genere cauſæ materialis. Nam generatio terminatur ad vnionem, & generatio eſt dependens à materia, quæ vnionem denominat dependentem: nec opus eſt probata repetere. Confirmatur, aër mouetur de tenebroſo in lucidum: ergo per motum illi intrinſecū. Dices, moueri per lucem. Contra primò, mouetur de tenebris ad lucem; ergo non per lucem, ſed per motū ad lucem. Contra ſecundo, lux non eſt motus, ſed terminus motus: ergo lux non denominat ſubiectum motum: Dices per lucem §. 61.

lucem moueri: quia ipſa mouetur, & per illam aër. Contra: ergo lux mouetur vt *quo*, & aër denominatiuè mouetur, vt quantitas in ſententia communi recipit qualites vt quo, & per illam eas recipit ſubſtantia. Ridiculum autem eſt dicere lucem moueri, quia id, quod mouetur, debet exiſtere prius tempore quàm motus, & habere carentiam illius, & eſſe ſubiectum, in quo naturaliter repugnat componi terminus *à quo*, & *ad quem*. Videatur Pater Suarez, 2. metaph. diſputatione 48. ſectione. 4. & mea diſputatione 16. metaphy. ſect. 3.

SECTIO VIII.

Vnde ſumatur eſſentia motus?

§. 62. HIc inquiritur, vtrum motus diſtinguatur ſpecie pro ſola diſtinctione eſſentiali termini? an etiam pro diſtinctione agentis, patientis, & modi tendendi? Ac primùm ſtatuo, motum ſumere ſpeciem intrinſecè à ſua entitate, quæ eſt eius eſſentia, & extrinſecè connotando ſubiectum, agens, & terminum (vt patebit diſput. 4. metaphy.)

§. 63. Dico primò, duas actiones ſpecie diſtinctas eſſe poſſe ab eodem agente, & in eumdem terminum, ſed modo diuerſo. Probatur, quia eadem forma accidentalis poteſt generari à ſolo Deo, & poteſt creari, ſed illæ actiones differunt ſpecie, ergo. Dices creationem habere duos terminos, alterum rem ipſam creatam, alterum eiuſdem ſubſiſtentiam, generationem verò habere alios duos, & ipſam formam genitam & illius inhærentiam. Contra primò, quia creatio tantum terminatur ad terminum creatum: ad ſubſiſtentiam verò non terminatur creatio, ſed quædam generatio, quia ſubſiſtentia fit cum dependentia à ſubiecto (vt patebit diſput. 11. metaph.) Item forma, quæ dependet à materia, non habet inhærentiam, quæ terminet aliquam actionem, nam ipſa generatio formæ eſt. illius inhærentia: ergo illa creatio, quæ præciſè terminatur ad ſubſtantiam formæ, & generatio quæ terminatur ad eamdem; oriuntur ab eodem agente, & in eumdem terminum. Contra ſecundò, quia accidentia Euchariſtiæ creantur, & non habent ſubſiſtentiam, (vt oſtendam diſput. 13. metaphyſi.) ergo creatio non terminatur ad ſubſiſtentiam.

§. 64. Dices ſecundò, potentiam creatiuam Dei eſſe ratione diſtinctam à generatiua creaturarum, & actiones illas prodire à diuerſis in ſpecie principiis. Sed primùm id aſſeritur ſine fundamento, quia omnipotentia vnica vnicum habet conceptum, per quem refertur ad omnia poſſibilia, quia quælibet ratio potentiæ in Deo eſt formaliter omnipotentia, diuerſa tamen habet connotata: ſecundò eo admiſſo, illi duo conceptus non differunt ſpecie, quia ſunt eadem entitas omnino æqualis: ergo ab eodem realiter principio in eumdem terminum oriuntur duæ actiones ſpecie diuerſæ propter ſolum modum terminum attingendi. Tandem quia ſi illi duo conceptus diſtinguuntur ſpecie, ea ratione differunt, quia habent diuerſum modum tendendi, ergo cum ille modus reperiatur in ipſa generatione, & creatione, propter illum different ſpecie generatio, & creatio.

§. 65. Dico ſecundò: pro ſola varietate agentium non variatur eſſentia motus, neque actionis. Probatur primo, quia actio requiritur propter terminum, vt per illam conſtituatur in ratione exiſtentis; ſed calor, verbi gratia, ſufficienter ponitur per calefactionem ignis, ergo per eamdem ſpecie ponetur à ſole; quia calor ex ſe non requirit perfectiorem actionem. Confirmatur, tum ex ipſo calore, qui idem ſpecie poteſt eſſe à ſole, & igne, tum ex Ariſtotele 5. Phyſico. cap. 1. tex. 4. & cap. 4. tex. 31. aſſerente omnes dealbationes eſſe eiuſdem ſpeciei.

Dices, actionem reſpicere eſſentialiter agens tamquam eius cauſalitatem, ergo variato agente in ſpecie, variatur in ſpecie actio; ſicut variato agente numero variatur actio numero. Nego conſequentiam, ad probationem reſpondeo, actionem, numero variari pro numerica varietate agentis, quia cum actio ſit modus, non poteſt eſſe hæc niſi ab hoc agenti; (vt de vnione dixi diſput. 5. ſect. 1.) quam ob cauſam multæ calefactiones, quæ ſunt à calore *A.* non poſſunt eſſe à calore *B.* cum tamen actiones illius caloris, & huius ſolo numero diſtinguantur; ſimiliter diuerſæ actiones numero poſſunt eſſe ab agentibus ſpecie diuerſis. §. 66.

Dices ſecundò, lucem, & calorem eſſe potentias calefactiuas ſpecie diuerſas, ergo habent actiones ſpecie diuerſas. Nego conſequentiam, ſicut non habent diuerſos ſpecie terminos, à quibus præcipuè ſpecificantur potentiæ. Illa autem diuerſitas prouenit ex diuerſa entitate lucis, & caloris: itaque, quia calor ſufficienter ponitur per actionem, quæ habet hanc ſpeciem perfectionis, ideo applicato alio agente non variatur in ſpecie actio: quia tamen qualibet actio eſſentialiter pendet à ſuo agente, ideo variatur numero pro quacumque varietate agentis. §. 67.

Motus diſtinguitur numero pro varietate vel agentis, vel patientis, vel termini: pro tempore autem non variatur, quia eadem entitas actionis poteſt eſſe diuerſis temporibus. Nō diſputo vtrum ad res omnium prædicamentorum detur per ſe motus? Exiſtimo enim tot eſſe motus diſtinctos, quot termini producti; neque diſputo, vtrum motus conſtituat vnum genus? Nam conſtituit actionem & paſſionem. Quod ſi Ariſtoteles illum poſuit in poſtprædicamentis, ideo fecit, quia ibi egit de motu tam priuatiuo, quàm poſitiuo. §. 68.

De paſſione philoſophandum eſt quantum ad diſtinctionem, ſicut de actione.

Dico tertio: Actio non ſumit ſpeciem à termino à quo, vt expreſsè docuit Sanctus Thom. 1. p. quæſt. 45. artic. 1. ad 2. Probatur apertè. Tum quia eadem illuminatio perſeuerat, quæ facta fuerat in primo inſtanti; ſed in primo habuit terminum à quo priuatiuum, in ſecundo autem non habet, ergo. Tum etiam, quia hæc numero illuminatio potuit eſſe quin aër priùs habuiſſet tenebras, potuit enim ſimul cum aëre produci. Tandem, terminus *à quo* deſtruitur per terminum *ad quem*, quod facere poteſt quilibet terminus *ad quem*, quia ſemper opponitur termino *à quo*: deſtruere autem contrarium, eſt illi accidentale; nam ex eo quod contrarium præexiſtat deſtruitur terminus *ad quem*, ſi verò non præextitit, non deſtruitur; contrarium autem extitiſſe, aut non extitiſſe valde per accidens eſt calori; itaque ſi eſt actio à termino *à quo*, habet adiunctam deſtructionem illius, ſecus verò ſi non habet talem terminum: illam autem deſtructionem habere, aut non, eſt extrinſecum actioni. §. 69.

SECTIO IX.

De Motu quædam expedio.

§. 70. DIco primo. In motu à contrario in contrarium poſitiuè reperiuntur duæ mutationes; altera poſitiua, altera priuatiua. Patet, quia in productione albi reperitur motus poſitiuè tendens in albedinem, & corruptio nigredinis, quæ duæ mutationes poſſunt de potentia abſoluta ſeparari; nam poteſt ſubiectum eſſe ſine albedine, in quod ſi tunc introducatur nigredo, nulla fit corruptio contrarij: item poteſt introduci qualitas contraria in ſubiecto, Deo contrariam conſeruante.

§. 71. Inter terminos priuatiuè oppoſitos, tantum reperitur vnus motus: nam introductio lucis eſt formaliter expulſio tenebrarum; & introductio tenebrarum eſt formaliter corruptio lucis; formaliter (inquam) formalitate reali: non tamen formalitate rationis; nam bene poteſt concipi lux in aëre producta, quin concipiantur tenebræ deſtrui: quia lux poteſt concipi ſine ſuo contradictorio, quamuis tenebræ non poſſunt ſine luce. Dices, à S. Thoma aſſeri acceſſum ad terminum *ad quem*, non eſſe formaliter receſſum à termino *à quo*: ergo ſemper reperiuntur duæ mutationes. Intellige Sanctum Thomam de acceſſu, & receſſu inter terminos contrarios non verò contradictorios.

§. 72. Dico ſecundò: Omnis motus habet mutationem contradictoriè oppoſitam, vt generatio corruptionem eius termini, accretio diminutionem, remiſſionem intenſio. Deinde plures motus habent contrarium poſitiuum, vt alteratio, quæ eſt inter qualitates contrarias; latio ſurſum opponitur lationi deorſum ſi ſumatur aſcenſus, & deſcenſu per eamdem lineam adæquatam: nam ſi ſint per eamdem inadæquatè, tunc non opponuntur; motui circulari opponitur motus per eumdem circulum ordine inuerſo. Hæc contrarietas ſumitur ab incompoſſibilitate terminorum & ſubiectorum, quæ ſimul penetrari non poſſunt in eodem loco, quapropter impediuntur mutua quantitate. Neque hic agitur de propria contrarietate ſub eodem genere, ſed de quauis incompoſſibilitate in eodem ſubiecto, vel ſpatio.

§. 73. Dices: motum ſurſum, & deorſum per eamdem viam non opponi, quia illi motus poſſunt ſimul ab eodem exerceri, vt animus mouetur ſurſum in vna manu, & in altera deorſum: rurſus homo exiſtens in ſupremo gradu ſcalæ mouetur ſurſum ab eleuante ſcalam, & ipſe ſe mouet deſcendendo deorſum. Idem contingit his, qui feruntur naui. Verum animus per virtualem extenſionem exiſtens in duobus locis ſe mouet, ac ſi ipſe eſſet duo: cum verò duæ corporis partes, quas animus mouet, concurrunt ad idem ſpatium, impediuntur, & anima tunc habet motus contrarios. Plures autem poteſt habere ſimul in diuerſis partibus corporis non concurrentibus, propter virtualem extenſionem. Caſus autem ſecundus peculiarem continet difficultatem, diſquirendam libris de cœlo: interim reſpondeo, nunquam eſſe niſi vnum motum, quia non eſt niſi vnum vbi, illum autem motum prouenire à vehementiori impulſu. Motus qualitatum contrariarum in gradu remiſſo non ſunt propriè contrarij, donec veniatur ad gradus ſimul incompoſſibiles, ſicut neque ipſæ qualitates, quia tota oppoſitio motuum oritur à terminis. Cum verò à termino *ad quem* vnius motus, poſſit eſſe alius vt à termino *à quo*, omni motui motus eſt contrarius, vt frigefactio tendit ad frigus, & calefactio oritur à frigore: illuminatio oritur è tenebris ad lucem: obtenebratio verò à luce ad tenebras.

Quies ſumi poteſt primo pro carentia motus in termino *à quo*, vt calidum quieſcit à frigefactione, quia non mouetur per illam: ſecundò, pro carentia motus in termino *ad quem*, vt calidum poſtquam calefactum eſt, ceſſat à motu. Primo modo, quies opponitur motui priuatiuè, ſicut lux tenebris, quia frigefactio, & non frigefactio in ſubiecto apto opponuntur priuatiuè, in inepto autem negatiuè. Secundo modo quies, & motus non opponuntur in rigore, ſed potius illa quies eſt effectus, & finis motus: tunc enim mobile non mouetur, ſed fruitur termino ſui motus: tunc autem non remanet motus in ratione motus; quia non connotat immediatam carentiam termini in ſubiecto, at ſæpe poteſt manere in ratione actionis conſeruatiuæ, vt lux, quæ ſucceſſiuè producta fuit per motum, per eamdem actionem permanenter conſeruatur: itaque manet eadem entitas motus. §. 74.

Quies ergo in termino *à quo* etiam opponitur quieti in termino *ad quem*, quia eſſe calidum opponitur frigido; quies autem in termino *ad quem* non omnino perfecta, non opponitur motui, quia acquiſita vna parte termini, adhuc eſt in potentia ad aliam, quam acquirat: vnde quies ſiue acquiſitio primi gradus caloris non opponitur motui ad acquirendos cæteros intenſiores gradus caloris: nam ſi quis per horam quieuit in primo gradu, poteſt moueri ad alios deinceps; quies autem perfecta opponitur motui omnino, quia acquiſito toto termino *ad quem* non eſt ad quid vltra moueatur ſubiectum, vt acquiſito toto calore non eſt, cur moueamur ad alium calorem: ſub hac diſtinctione concilia Ariſtotelem, iam aſſerentem quietem in termino *ad quem* non contrariari motui, ſcilicet motui in eſſe imperfecto: quando verò ait eſſe contraria, intellige in eſſe completo: cum autem ait Ariſtoteles vni vnum eſſe contrarium, intellige extremè contrarium ſub eadem ratione: non verò ſub diuerſa, poteſt enim vna res habere plura contraria, & liberalitas habet prodigalitatem & parcitatem, & albedo nigredinem, & viriditatem. §. 75.

SECTIO X.

De Motu inſtantaneo, & ſucceſſiuo.

MOtus diuiditur in inſtantaneum, & ſucceſſiuum. Primus eſt, *actus entis in potentia prout in potentia totus ſimul.* Secundus eſt, *actus entis in potentia prout in potentia, cuius vna pars fit poſt aliam.* Motus inſtantaneus communiter vocatur *mutatio*, ſucceſſiuus autem ſibi nomen *motus* vſurpat. Dicitur *mutatio eſſe tota ſimul*, quia cum ſit ſubita, & in vno inſtanti, non eſt vnde poſſit in acquiſitione diuidi magis, quàm vnum inſtans: motus autem, cum in acquiſitione termini progrediatur vltra inſtans, neceſſariò habet vnam partem poſt aliam, ſicut poſt vnum inſtans neceſſariò ſequitur pars temporis. Motus ſucceſſiuus poteſt accipi primò per morulas interiectas, vt in inſtanti *A*, ſit vna pars motus, & immediatè poſt ceſſet, & poſtea in inſtanti *C*, ſit alia pars motus: §. 76.
hic

hic motus non tam eſt ſucceſſiuus, quàm plures diſcretæ mutationes, de quibus agemus lib. de Generatione. Secundo modo ſumitur motus pro continuata termini acquiſitione, vt cum ignis producit calorem, illum continuat per partes ſuperficiei, ita vt inter productionem earum partium caloris nulla interiiciatur morula. Sic de eſſentia motus ſucceſſiui eſt continuatio, quia vbi nulla interiicitur morula inter duas partes, illæ quidem continuantur: immo verò non modo quando motus fit ſucceſſiuè, ſed etiam quando eius terminus acquiritur in inſtanti, requiritur continuatio inter partes termini inter ſe, & inter partes motus inter ſe.

§.77. Mutatio inſtantanea habet etiam continuationem, quando eius terminus eſt diuiſibilis; vt generatio animalis eodem inſtanti fit continua in tota illa parte, quam diſpoſuit calor: etiam ſubita illuminatio continua eſt, ſicut lux: quando verò terminus eſt indiuiſibilis, mutatio neque eſt continua, neque diuiſibilis.

§.78. Mutatio inſtantanea fit, vel quia paſſum non reſiſtit agenti ſufficienter applicato: vel quando agens ſubito vincit totam reſiſtentiam: vel quando forma eſt indiuiſibilis, vt intellectio ſubito fit, & Deus infinita virtute poteſt vincere reſiſtentiam calidi, & illud ſubitò infrigidare, & ſol ſubito illuminat aërem, cui applicatur.

§.79. Motus ſucceſſiuus, nulla ratione poteſt fieri in inſtanti ſucceſſiuè, quia in ſucceſſione vna pars eſt prior tempore alia, quæ prioritas inſtanti repugnat: at verò tota entitas motus ſucceſſiui poteſt eſſe ſimul in vno inſtanti ſine ſucceſſione, quia terminus talis motus totus ſimul perſeuerat in vno inſtanti, ergo & actio, quæ ad illum terminatur. Patet conſequentia: quia ibi reperiuntur idem agens, idem ſubiectum, & terminus idem; ergo etiam poteſt totus ſimul produci in inſtanti ſi deſint impedimenta, quia non eſt maior difficultas in primò producenda tota entitate rei ſucceſſiuæ, quàm in eadem conſeruanda. Confirmatur: ſupponamus calorem introduci in ligno ſucceſſiuè, prima pars caloris conſeruatur, poſt quam immediatè producitur alia, illæ duæ partes caloris inter ſe continuantur; ſimiliter continuantur partes motus, per quas producuntur, ſi in ligno nulla eſſet reſiſtentia, omnes illæ partes ſimul fierent; ergo omnes illæ partes motus, quæ propter reſiſtentiam productæ fuerunt ſucceſſiuè, potuiſſent produci ſimul. Ratio à priori eſt, quia ſucceſſio nihil addit ſupra partes, ſed tantum connotat vnam partem non exiſtere, quando exiſtit alia, ſicut ſi duo homines ſimul producantur, nihil habent magis, aut minus: quàm ſi vnus poſt alium produceretur.

§.80. Dices entitatem motus localis non perſeuerare totam, ergo nullus motus ſucceſſiuus poteſt perſeuerare totus. Nego conſequentiam: diſcrimen eſt, quia vbicatio, ad quam terminatur localis motus, non perſeuerat tota ſimul, ſicut perſeuerant termini aliorum motuum; quod ſi Deus de potentia abſoluta velit, vt homo quando ſe mouet, non deſerat locum, quem ſemel acquiſiuit, talis homo conſeruabit ſimul totam entitatem motus.

§.81. Motus ſpecie diuiditur pro diuerſitate terminorum: in genere quatuor ſunt ſpecies motus: Ad ſubſtantiam: Ad quantitatem: Ad qualitatem: Ad vbi. Nam ad cætera prædicamenta nullus eſt motus. Nam relatio non diſtinguitur à qualitate in qua fundatur, vnde *ad relationem non eſt per ſe motus*. Actio & paſſio ſunt actiones & motus. *Quando* eſt motus cœli: *Situs* non diſtinguitur ab vbi circumſcriptiuo. *Habere* autem reſultat ex motu locali veſtis, & armorum.

Motus ad ſubſtantiam continet duos; generationem & corruptionem; augmentationem & diminutionem. Totidem continet motus ad quantitatem: accretionem, & decretionem; raritatem & denſitatem. Verum eſt hunc vltimum contineri in alteratione, & latione. Motus ad qualitatem vocatur *Alteratio*: quamuis hæc vox adſtringitur ad motum ad qualitatem corruptiuam. Hic diuidi poteſt in productionem & corruptionem qualitatis: & in intenſionem & remiſſionem; vt de motu ad ſubſtantiam dixi. At verò alteratio dicitur intenſio & remiſſio. De his motibus propriis in locis agetur. §.82.

DISPVTATIO XII.

De creatione.

CREATIO præteriri à nobis non poteſt, tum quia eſt cauſalitas propria cauſæ primæ: tum quia per eam producuntur & prima materia, & animus rationalis.

SECTIO I.

Creatio non eſt relatio.

SAnctus Thomas 1.p.q.45. art.1. Creationem definit eſſe *productionem entis ex nihilo*. Ly, *ex nihilo*, ne intelligas quod vulgo *nihil*, ideſt, repugnantia rei, vt chymæra, quia ex tali *nihil* repugnat quid fieri: item *ex nihilo* non ſumitur pro non repugnantia ad non eſſendum, quia (vt bene Pater Vazquez ibi) talis non repugnantia ſemper manet: item neque omnino placet, quod ipſe dicit *ex nihilo* ſignificare ex non actualitate, ſiue non exiſtentia rei, quia ſi creatura creata ab æterno fuiſſet, non fuiſſet *ex nihilo* producta in hoc ſenſu, quia nunquàm præceſſiſſet non exiſtentia talis rei, item quia ſic etiam crearetur forma materialis, quia *ex nihilo* fit, cum neque ipſa, neque aliqua eius pars præextiterit. Eſt igitur idem *ex nihilo* quod *ex nullo concurrente ſubiecto, vel forma intrinſeca*, quia (vt dixi diſput.2.ſect.8.) tam officit creationi concurſus formæ, quàm materiæ, quia id quod fit forma concurrente, fit ex aliquo: nempe ex forma ipſa. Vt ergo generatio *eſt productio entis ex aliquo*, ideſt, non ex aliqua actualitate ſui, ſed ex ſubiecto: ita creatio *eſt ex nihilo*, ideſt, non ex non actualitate ſui, ſed nullo concurrente intrinſeco principio; vt enim vocamus *generationem* actionem eam, quæ terminum producit dependenter à ſubiecto, ita vocamus *creationem* actionem eam, quæ terminum producit independenter à ſubiecto, & quouis alio principio intrinſecè influente. Vide Durandum in 2.diſt.1.q.1.num.7. §. 1. *Creatio definita.* *Vox ex nihilo explicata.* *Generationis à creatione diſcrimen.*

Creationem re ipſa eſſe probat Sanctus Thomas, quia tota rerum creatarum vniuerſalitas fuit ex nihilo facta. Verum, vt hæc ratio ſit efficax, oportet adiungere, materiam primam verè, ac propriè creari, alioquin poſſet totus modus produci & non creari; quia in eius productione nulla interueniſſet actio creatiua. Fuerunt igitur creata, materia prima, animus rationalis, Angelicæ mentes: §. 2. *S. Thomas probat eſſe creationem.*

mentes: quod verò Ariſtoteles & præcedentia rude philoſophantium ſæcula dixere, *ex nihilo nihil fit:* aliqui exponunt de agentibus naturalibus: ego opinor illos non agnouiſſe omnipotentiam Dei.

§. 3. *S. Thom. Caie. & Ferrar. diſtinguũt creationem à termino. Creatio nõ eſt relatio prædicamentalis.*

S. Thomas 1. parte. quæſtione 45. art. 3. expreſsè diſtinguit creationem à termino creato: idem præſtat ſecundo contra Gentes cap. 18. quem ſequuntur Caietanus, & Ferrar. ibidem: aiunt tamen, creationem eſſe relationem creaturæ ad Deum; quod S. Thomas non intelligit de relatione prædicamentali. Primò, quia prædicamentalem non diſtinguit S. Thomas à fundamento, & termino (vt oſtendam diſput. 15. met. ſect. 1. & 2.) Secundò, quia ait S. Thomas in actione ſublato motu manere relationem effectus ad cauſam, ſed actio non eſt relatio prædicamentalis, quia conſtituit prædicamentum actionis etiam ſublata ratione motus, quia motus non ponitur in prædicamento. Tertiò, quia eo cap. 18. ait S. Thomas eſſe ipſam dependentiam creaturæ à Deo, ſed relatione prædicamentali nihil formaliter à Deo dependet, ergò. Probatur minor, quia relatio effectus ad cauſam eſt poſt actionem, & dependentiam, quia innititur actioni tamquam rationi fundandi. Loquitur ergo S. Thomas de relatione latiùs ſumpta pro entitate, quæ eſt vnius rei ad aliam: quia quod fit, ab alio fit: ſicut vnio eſt relatio tranſcendentalis, vel ſecundum dici, vt vocatur à S. Thoma.

§. 4. *Opinio Ferraræ.*

Creationem eſſe prædicamentalem relationem, probatur Ferraræ eo cap. 18. lib. 2. contra gentes, §. *Secundum dubium:* dicit aliud eſſe creaturam à Deo produci vniuerſaliter, aliud dependere à Deo per creationem: primum ait fieri per voluntatem Dei vt connotat creaturam, quod eſt prius, quàm relatione creationis referri: hoc autem ſecundum ait eſſe poſterius, quod fit creatione quæ eſt accidens. Verùm Ferrara vocem, *creatio,* accipit in diuerſa ſignificatione, ac communiter accipitur, nec nunc diſputatur de illa entitate, quæ reſultare dicitur ex termino iam exiſtente, & producto: ſed de ipſa termini productione, vt cum quæritur quid ſit generatio? non agitur de relatione, quæ conſequitur actionem, ſed de actione ipſa.

§. 5. *Creationem non eſſe relationẽ probatur.*

Probo igitur, rationem, qua Angelus denominatur productus ex nihilo à Deo, non pertinere ad prædicamentum relationis (quidquid ſit de alio relationis modo inde reſultante.) Nam ratio, qua Angelus denominatur productus, non ſupponit ex parte Angeli aliquod fundamentum exiſtens, ergo non eſt relatio prædicamentalis, quæ ſupponit fundamentum & terminum iam exiſtentia: probo antecedens: quia Angelus non ſupponitur ante productionem (vt probabo ſectione 3.) eſtque notum ex terminis, quia ante rationem producendi nihil intelligitur productum.

§. 6. *Confirmatur.*

Confirmatur: actio, qua agens aliquid producit, pertinet ad prædicamentum actionis, & non ad prædicamentum relationis, ſed productio, qua Angelus à Deo fit ex nihilo, eſt actio, qua Deus producit Angelum: ergo pertinet ad prædicamentum actionis, & non relationis; ſed eiuſmodi productio eſt creatio, quæ definitur, *productio entis ex nihilo*; ergo creatio eſt de prædicamento actionis, & non relationis. Quando Sanctus Thomas dixit, ſublato motu non manere niſi relationem actionis, non intelligitur de entitate motus, quia ea ſublata auferuntur actio, & paſſio, quæ ſunt idem cum illo: ſed manere relationem, ideſt, aliam actionem cum reſpectu tranſcendentali ad ſolum agens, nam motus etiam refert effectum ad ſubiectum.

S. Thom. Explicatur.

SECTIO II.

Creationem non diſtingui ab agente & termino per illam producto, qui, & quibus affirment.

§. 7. *Ferrar. & alij cenſent creationẽ non diſtingui ab agẽte & termino.*

FRanciſcus Ferrarienſis ſecundo contra Gentes capite 18. §. *Ad tertium dubium,* ait creationem eſſe diſtinctam à termino creato, & Deo: at verò actionem, qua Deus Angelum producit, non eſſe mediam entitatem inter Deum & creaturam: ſed creationem actiuam eſſe voluntatem Dei cum habitudine actualiter producendi vniuerſaliter creaturam; paſſiuam autem eſſe, creaturam ipſam, vt dicit ad Deum habitudinem accipientis eſſe. Ferrara eſt ſingularis in vſurpatione *creationis:* ſumitur enim communiter pro actione ipſa formali producendi terminum. Definitur enim, *Productio entis ex nihilo:* hanc autem eſſe propriam huius vocis ſignificationem docet Pater Gregorius de Valentia 1. p. diſput. 3. quæſt. 2. p. 1. prope initium: quod optimè ex ſcriptura, & patribus probat: quamuis dicat, creationem paſſiuè eſſe relationem dependentiæ, ſed ibi non ſumitur creatio propriè. Quam eſſe actionem ait Durandus in 2. diſt. 1. quæſt. 1. numero 5. Item S. Thomas ſecundo contra Gentes cap. 17. hæc ait. *Manifeſtum eſt quod Dei actio, quæ eſt abſque materia præiacente, & creatio vocatur:* & 1. p. quæſt. 45. in proœmio. *Deinde* (inquit) *quæritur de modo emanationis rerum à primo principio, qui dicitur creatio.* tandem artic. 1. quærit, *vtrum creare ſit ex nihilo facere.* Reſpondet autem affirmatiuè, in quo ſenſu negatur ab Scoto diſtinctio creationis à termino, & agente. Ferrara verò conſentit Scoto, ne tamen videatur à S. Thoma diſſentire, immutat communem vſum huius vocis, *creatio.*

Creatio non vſurpatur propriè niſi pro actione.

P. Valen.

Durandus. S. Thom.

Scotus. Ferrara cum Scoto ſentit.

§. 8.

Ferrara igitur à S. Thoma ad Scotum deficiens ait creationem non diſtingui à Deo & termino creato; nec eſſe medium inter agens, & terminum. Quod docuerat Scotus in 2. diſt. 1. quæſt. 5. §. *Ad quæſtionem iſtam:* qui tamen loquitur vniuerſim de omni dependentia creaturæ: vbi tantum videtur locutus de relatione conſecuta creationem. Scotus enim hic non deſeruit familiarem obſcuritatem: nec ſatis diſtinxit inter actionem, & relationem. Nam loquitur de lapide, cuius generatio in ſententia Scoti diſtinguitur ab ipſo, quia eſt relatio extrinſecùs adueniens, & ſæpe mutatur lapide immoto. Sententiam hanc Ferraræ propugnabunt Nominales adducti diſp. 11. ſect. 2. pro identitate motus cum termino, & agente, Durandus in 2. diſt. 1. quæſt. 1. numero 12. Quod expreſſe tuetur Pater Valentia ſupra, §. *ſi autem creatio accipiatur*, aſſerens creationem eſſe voluntatem Dei cum habitudine, ſeu reſpectu rationis ad creaturam, quæ ſententia nunc ſatis eſt communis. Pater Vazquez tom. 2. in 1. part. diſput. 173. numero 4. ait, creationem eſſe quidem in re creata, à qua Deus denominatur creans. Cap. autem 3. ait eam à termino ſola ratione diſtingui; cum tamen num. 3. dixiſſet, eam eſſe influxum relatiuum. Num. autem 5. aſſeruit omnem actionem eſſe medium inter agens & terminum, & quidem hæc ab ipſo debent intelligi de relatione, & medio rationis: eſt tamen haud

Nominales cum Ferrara.

Duran. P. Valen.

Digitized by Google

haud propria locutio. Quod ſi terminus à parte rei eſt abſolutus, & creatio eſt à parte rei terminus, ergo creatio eſt abſolutè abſoluta; quid ergo reprehendit aduerſarius?

SVBSECTIO I.

Primum argumentum.

§. 9. *Primũ argumẽtum Scoti.* PRimum argumentum Scoti; quæ non poſſunt ſeparari ſunt idem à parte rei, ſed dependentia à Deo & creatura non poteſt ſeparari; ergo ſunt idem. Maior probatur; quia ſeparatio eſt ſignum diſtinctionis, ergo inſeparabilitas eſt ſignum realis identitatis. Caietanus, & Ferrara negant maiorem: quia prima paſſio, & eſſentia ſeparari non poſſunt. Sed non bene: cur enim eſſentia eſſe non poterit ſine prima paſſione? Per locum enim intrinſecum, quæ contradictio ſequitur, ſi Sol conſeruaretur ſine omni luce? aut ignis ſine calore: aut Angelus ſine intellectu: quod enim dicit de toto, & partibus eſt falſum; quia ſunt idem totum & partes vnitæ; ſi verò totum diſtinguitur, poterunt etiam partes vnitæ diuinitus exiſtere ſine totalitate, eam impediente Deo.

Caietani, Ferraraque ſolutio impugnata.

Eſſentia & prima paſſio poſſunt abiũgi.

§. 10. Video modos eſſe inſeparabiles à ſuis rebus, vt oſtendam diſput. 2. metaphyſicæ ſect. 5. res autem abſoluta ſeparari poterit à qualibet alia creatura in particulari, nam illa eſſentialis dependentia vnius rei ab alia in particulari eſt propria modorum; quæ enim repugnantia ſequitur, ſi Angelus ſit ſine hac numero actione? ſine hoc vbi, &c. Opinor igitur maiorem Scoti eſſe veram. Diſtinguo autem minorem, creatura non poteſt eſſe realiter ſine dependentia aliqua à Deo, concedo minorem; non poteſt eſſe ſine hac numero; nego minorem: itaque poteſt creatura dependere à Deo ſine dependentia *B.* in particulari, & ſine dependentia *C.* & ſic de ſingulis in particulari: at non poteſt dependere ſine aliqua: non enim poteſt omnibus collectiuè carere, poteſt tamen omnibus diuiſiuè: vt non poteſt homo exiſtere niſi in aliquo loco, poteſt tamen non exiſtere Pampelonæ, & ſic de ſingulis locis in particulari; hæc autem ſeparabilitas omnium dependentiarum ab hoc termino, eſt euidens ſignum diſtinctionis inter illos & terminum.

Creatura poteſt eſſe abſq; hac dependẽtia, non tamẽ abſque omni.

§. 11. *Obiectio recentiorum. Occluditur.* Huic argumento obiiciunt recentiores non eſſe vel leuiſſimum veſtigium: non enim eſt fundamentum, quo coniiciamus poſſe Angelum diuerſis creationibus à Deo pendere. Verum nec ſententiam, nec ſe tuentur; non ſententiam, quantitas enim in Euchariſtia creatur, cuius creatio eſt ab ipſa ſeparabilis: toto enim tempore conſecrationi præeunte extitit quantitas quin creatio: deficiente deinceps creatione quantitas perſeuerat: ergo vniuerſim res creata non eſt inſeparabilis à creatione, quia aliquis terminus ab ipſa eſt realiter ſeparatus: ergo malè concludunt creationem non eſſe modum diſtinctum ab agente & termino ex eius ab vtroque inſeparabilitate: cum potius exiſtentia agentis & termini ſine exiſtentia creationis ſit argumento nobis ad probandam realem diſtinctionem creationis ab agente & termino.

Quantitas ſeparatur à creatione.

§. 12. *Obiectio ſecunda. A creatione quãtitatis ad alias ducitur argumẽtum, & infringuntur aduerſãtia.* Obiicies hoc argumento probari creationem quantitatis ab ipſa Deóque diſtingui: non tamen vniuerſim creationem omnem. Angelus enim non ſeparatur à creatione ſua. Bene ergo ad diſtinguendam aliquam actionem à termino nitimur fundamento non leui. In hac autem creatione exungulantur aduerſariorum argumenta: quibus probant non poſſe accidens eſſe natura ſua independens à ſubiecto inhæſionis. Deinde cum omnis creatio cum quantitatis creatione conueniat in ratione creationis, non aucupamur argumentum leue ex vna ad alias. Video poſſe ratione vtramq; diſparari, vt oſtendam infrà; at verò id erit priuatim de creatione rerum natura ſua independentium à ſubiecto: non verò de creatione vt ſic. ipſi autem neque aliquo argumento oſtendunt non poſſe Angelum ab hac numero creatione ſeparari: mouentur enim quia de facto non ſeparatur, quod nullius eſt momenti. Nec enim materia cœli quit à forma natura ſua ſeparari, nec tamen quis inde prudenter deducet, non poſſe diuinitus eam ſeparationem contingere.

Aduerſantiũ argumentum leue.

Se autem non tuentur, aſſerunt enim creationem eſſe idem cum voluntate diuina: ſed idem Angelus poteſt à Deo pendere voluntatibus diſtinctis: ergo ex creationibus diſtinctis. Probo minorem: quia Angelum iam creatum ex ſolo amore Dei potuit Deus annihilare: annihilatum autem poteſt recreare Deus non ex ſolo amore ſui, ſed etiam ex alio affectu virtutis moralis: ergo poteſt Angelus à Deo pendere per diuerſas voluntates Dei. Angelus ergo ſeparabilis eſt ab hac numero & quaſi ſpecie creatione: quia Angelus poteſt exiſtere quin exiſtat illa prima creatio, in quantum denominatur hoc genere actus liberi & creationis. Eadem ergo ratione dico poſſe Angelum produci & reproduci per duos modos creationis diſtinctos realiter inter ſe, & ab agente & termino. §. 13.

Idẽ Angelus poteſt diuerſis creationibus à Deo pẽdere.

SVBSECTIO II.

Argumenta cætera.

SEcundò arguit Scotus, quod vniformiter conuenit omni creaturæ in ordine ad Deum, non diſtinguitur à creaturis, ſed dependentia à Deo illis conuenit vniformiter, ergo. Maior eſt falſa, quia actu exiſtere conuenit liberè omni creaturæ vniformiter in ordine ad Deum, & tamen non eſt de conceptu creaturæ exiſtere liberè, quia connotat actum liberum Dei, qui illis accidit. Idem dixerim de cognitione: omnibus enim conuenit vniformiter eſſe obiectum ſcientiæ Dei, quod tamen illis accidit. Item omnibus conuenit vniformiter eſſe in loco, & illis eſt accidentarium. Ratio à priori; quia ſicut eſſentiæ, quæ pendent à Deo vniformiter, conueniunt in ratione creaturæ: Ita vniformiter conueniunt in petenda relatione, & dependentia à Deo, ſicut vniformiter conueniunt in petendo vbi, accidentiáque alia à quibus realiter diſtinguuntur. Tertiò argumentatur, quia ſubſtantia non poteſt eſſe prior creatione. Quod verum eſſe probabo ſect. 4. non tamen propterea eſt idem cum creatione. §. 14.

Secũdum argumentũ Scoti.

Infringitur. Quod conuenit vniformiter rebus omnibus, non propterea eſt de illarum eſſentia.

Tertiũ argumentum.

Quartum argumentum ſumitur ex Patre Vazquez ſupra, comparante creationem cum ſuo termino relationibus diuinis cum ſuis: ſunt enim à parte rei idem cum termino. Verum hinc ſequitur, etiam illuminationem eſſe idem realiter cum luce eadem proportione, quod meritò ipſe negat numero 5. Reſpondetur igitur, in diuinis omnia eſſe idem realiter, vbi non eſt oppoſitio relatiua, & cum inter originem paſſiuam filij, & perſonam & naturam filij nulla ſit relatiua oppoſitio, non diſtinguuntur: in creatis verò non reperitur hæc ſimplicitas, eſtque debile argumentum à ſimpli §. 15.

Quartum ex P. Vazquez Refellitur.

Digitized by Google

A Trinitate ad nos malũ eſt argumentum. Quintum.

à ſimplicitate Trinitatis ad nos: nam à parte rei Pater conſtituitur in eſſe perſonæ per generationem, non tamen nos. Quinto argumentatur, quia non eſt vnde colligatur diſtinctio realis. Verum id oſtendam inferius.

§. 16. *Sextum.*

Sexto argumentantur alij, quia quæ dependent à Deo eſſentialiter, & immediatè, non pendent per actionem à ſe diſtinctam; vt patet in eadem actione: ſed creaturæ pendent à Deo eſſentialiter, & immediatè, ergo dependent ſe ipſis. Primum aduerte, immediatè poſſe effectum à cauſa pendere per actionem diſtinctam ab agente & termino: primùm, quia materia & forma vniuntur immediatè, & per vnionem diſtinctam: & lux immediatè illuminat aërem, & per actionem diſtinctam, alioquin omnis actio deberet eſſe idem cum termino, & cauſa immediata; ratio à priori, quia illa immediatè vniuntur, & producuntur ab aliquo, quæ immediatè afficiuntur vnione, & actione: ſicut videntur immediatè, & dealbantur immediatè, quæ immediatè attinguntur viſione, & albedine; nam actio eſt ratio formalis producendi, & illud immediatè producit à quo immediatè oritur actio: illud autem producitur immediatè, quod immediatè fit actione, quia effectus formales concreti immediati non excludunt; ſed includunt formas, à quibus accipiuntur: mediatè autem fit vnum ab alio, quando inter vtrumque mediat alia cauſa, cauſa enim remota non attingit per ſe cauſalitatem, ſed per aliam cauſam intermediam. Vnde patet, omnia à Deo immediatè produci vt *quod* mediis actionibus, quas Deus immediatè attingit vt *quo*.

Actio nõ tollit immediatam dependẽtiam.

§. 17. *Quid ſit pendere eſſentialiter & per eſſentiam.*

Dependere autem per eſſentiam, & eſſentialiter, debent diſtingui: omnia dependent à Deo per eſſentiam vt *quod*, quia per ſuas eſſentias ſunt terminus qui à Deo petit dependere, & dependet, quandiu exiſtit: item dependere eſſentialiter poteſt ſignificare ipſam dependentiam actualem eſſe de eſſentia creaturarum, quod eſt falſum: item poteſt ſignificare, repugnare illi eſſentiæ exiſtere, quin actu immediatè pendeat à Deo, quod eſt verum. Vnde lux per eſſentiam pendet à Deo vt *quod*, non verò eſſentialiter: hæc autem illuminatio, & per eſſentiam, & eſſentialiter pendet ab hoc ſole, non quod de eius eſſentia ſit ſemper pendere actu, id enim eſt falſum: ſed quia per ſuam eſſentiam eſt ratio dependendi, & non per aliquid diſtinctum. Ita creatura pendet eſſentialiter à Deo, quia illi repugnat ſine immediato influxu Dei exiſtere: Nam ſiue influxus ſit diſtinctus ab eſſentia, ſiue non, ſemper exigitur neceſſariò. Vnde negatur maior argumenti ex §. 16. actio autem pendet ſe ipſa, non quia eſſentialiter pendet; ſed quia pendet vt modus, ſeu ratio formalis agendi; vnde non eget alio modo: termini verò pendent vt res; & non vt ratio agendi: nam perſeuerante eodem termino non perſeuerat eadem dependentia, nonnulli autem dicunt, res creari ſine actione diſtincta, quia à Deo pendent eſſentialiter, & pendere eſſentialiter: quia creantur, quo circulo circumaguntur.

§. 18. *Septimũ argumentum. Soluitur.*

Septimo argumentantur: quia applicata potentia creatiua ad creandum, ſufficienter intelligitur creans ſine actione intermedia. Verum id dicunt, non probant; eſſéque falſum patet in applicatione potentiæ eductiuæ Dei, quæ non poteſt educere terminum niſi media eductione à termino, & agente diſtincta. Immo applicatio potentiæ creatiuæ eſt ad terminum vt *quod*, ad creationem verò vt *quo*.

§. 19. *Octauum.*

Octauo mouentur, quia creatio eſſet accidens, ac deberet eſſe in ſubiecto, nullum eſt autem. Verum oſtendam ſect. 4. creationem eſſe accidens, & non habere ſubiectum. Alia argumenta decurſu ſoluentur.

SECTIO III.

Quid ſit creatio.

§. 20. *Creationem eſſe accidens in termino receptum.*

SEntentia S. Thomæ 2. contra Gentes cap. 18. & 1. p. quæſt. 45. art. 3. eſt, & creationem eſſe actionem ipſam, qua creatura pendet à Deo & producitur ex nihilo, & eſſe accidens receptum in termino tamquam in ſubiecto; quam ſequitur Caietanus, & multi Thomiſtæ: præter quos eam ſequuntur alij, quos refert Pater Suarez 1. metaphyſicæ diſput. 20. ſect. 5. num. 10. quos ipſe ſequitur numero 12. quam ita P. Molina defendit 1. p. quæſt. 45. art. 3. vt oppoſitam cenſeat improbabilem; nec ipſe eam diſtinguit realiter abſolutè, ſed tantum ex natura rei, quod communiter dicitur *diſtinctio modalis*, quod obſerua, ne hallucineris in callenda doctrina P. Molinæ, quæ nunc communior eſt, quam explico ſequentibus dictis.

SVBSECTIO I.

Creatio non eſt voluntas Dei.

§. 21. *Prima concluſio. Creatio non eſt voluntas Dei. P. Vazquez. Durand. S. Thom.*

DIco primo: Creatio non eſt formaliter volitio Dei: hæc eſt contra Patrem Valentiam, & alios, ſed eſt P. Vazquez, Durandi, & aliorum: eam expreſsè docet Sanctus Thomas ſupra, aſſerẽs creationem eſſe actionem Dei, qua producit creaturas; eámque eſſe in ipſis tamquam in ſubiecto. Dices, ab eodem S. Thoma affirmari, actionem creationis Dei eſſe eius voluntatem. Reſpondeo à S. Thoma non ſumi tunc actionem pro ipſa productione termini, ſed pro actione immanenti Dei qua vult creationem: in Deo autem nulla eſt alia actio. Eſt enim voluntas ratio, qua Deus mouetur ad actiones tranſeuntes, ſiue ſint creatio, ſiue eductio, quapropter diſput. 10. monui diſtingui debere modum iſtum loquendi, ne per affinitatem deludaris; in 1. contr. Gent. ſe explanat cap. 79. fine. *Velle* (inquit) *eſt actio in volente manens: vnde non contingit intelligi aliquid exiſtens extrà actu: ſed facere, creare, & gubernare ſignificant actionem terminatam ad exteriorem effectum, ſine cuius exiſtentia eiuſmodi actio non poteſt intelligi.* En qua ratione diſtinguit creationem à voluntate; vt diſtinguit actionem vniuerſim, & gubernationem: quia volitio eſt immanens, & poteſt eſſe quin obiectum exiſtat, vt patet in æternitate: gubernatio autem & creatio ſunt extra & neceſſariò cum ipſo effectu.

Clara verba Sancti Thomæ.

§. 22. *Creatio eſt realiter ſeparabilis à volũtate diuina creandi.*

Primum argumentum: creatio eſt realiter ſeparabilis à voluntate creandi: ergo & diſtincta realiter. Probo antecedens: voluntas creandi Angelum in tempore eſt in Deo ab æterno: & creatio Angeli in tempore non eſt in Deo ab æterno: ergo creatio Angeli in tempore eſt ſeparabilis realiter à voluntate diuina creandi Angelum in tempore. Maior probanda §. 25. minor probatur. Quia Deus eſt ab æterno volens creare Angelum in tempore; (vt pono) & non eſt ab æterno creans Angelum in tempore; ergo creatio non eſt ab æterno. Conſequentia patet: quia ſi creatio eſſet ab æterno, Deus quoque eſſet ab æterno creans; ſicut eſt

ab

ab æterno volens creare;quia ab æterno habet voluntatem creandi : quia creatio dum exiſtit in ſubiecto,denominat *creans*;vt quæuis forma formalem præſtat effectum.Antecedens probo:quia Angelus extitiſſet ab æterno creatus, vt eſt volitus creari: quia creatio producit terminum, illique præbet exiſtentiam exercitam extra cauſas.

§. 23. *Prima obiectio præcluſa.*

Dices primò, non eſſe idem velle creare pro tali tempore, & creare ; at voluntatem creandi eſſe creationem. Contra, creatio, & voluntas creandi in abſtracto ſignificatæ ſunt idem, ergo volens creare, & creans ſunt idem : quia quando ſubiectum, aut ſuppoſitum eſt idem, & forma illud denominans eſt eadem in abſtracto, denominatio concreti erit eadem, vt ſi diſgregatio viſus, & albedo eſt idem;& homo diſgregans eſt etiam homo albus, idem erit hominem eſſe album, & diſgregantem, quia iſtæ denominationes non variantur niſi pro varietate ſubiecti aut formæ ; ſi ergo creatio, & volitio creandi ſunt idem,idem erit formaliſſimè, creare, & velle creare, ſiue creans, & volens creare. Vnde vt Deus eſt ab æterno volens in tempore creare, & Angelus eſt volitus creari ; ita erit ille creans realiter ab æterno ; & hic creatus; aut volitio & creatio ſeparari poſſunt.

Effectus formalis eſt idē. niſi forma aut ſubiectū ſint diuerſa.

§. 24. *Secunda obiectio impugnata.*

Dices ſecundò, creationem eſſe ab æterno pro tali tempore.Contra;ergo ſicut Deus vult ab æterno creare pro tali tempore, ita ab æterno creat, ergo Angelus eſt ab æterno creatus pro tali tempore ; repugnat enim Deum ab æterno creare, & aliquid non creari ab æterno,ergo Angelus, & tale tempus exiſtunt ab æterno. Aduerte, Deum ab æterno velle creare pro tali tempore, duo dicere; alterum voluntatem creandi exiſtere formaliter in Deo tota æternitate, alioquin non eſſet ab æterno formaliter volens: alterum, obiectum talis voluntatis non eſſe exiſtens ab æterno, ſed exciturum tali tempore, ita vt non extiterit præcedente æternitate,alioquin tale obiectum non cœpiſſet de nouo in tempore, ſicut voluntas Dei de creando hoc die non incipit modo de nouo, ſed ab æterno eſt habens pro obiecto hunc diem, vt ego habeo modo voluntatem faciendi cras miſſam, nunc habeo voluntatem miſſæ non faciendæ modò, & ſic modò non fit miſſa, ſed fiet cras durante hac voluntate, ſi ergo Angelus eſt ab æterno creatus pro tali tempore,eſt quidem coëxiſtens Deo in tota æternitate : ſicut exiſtit voluntas creandi ; alioquin non creatur ab æterno pro illo tempore, ſed creatur in ſolo illo tempore, in quo Deus illum creat multo poſtquàm voluit illum creare, eſſet autem abſurda doctrina, Angelum extitiſſe ab æterno creatum pro tali tempore: quia numquam extitit niſi cum tali tempore ; quia nec extitit tale tempus ab æterno : & tamen eſt ab æterno volitus creari pro tali tempore : quia ab æterno extitit illa voluntas : ergo velle creari, & creari non ſunt idem : quia velle eſt ab æterno, & creari non niſi in tempore.

§. 25. *Tertia obiectio,*

Dices tertiò, non exiſtere in Deo ab æterno voluntatem creandi Angelum.Contra : ergo Deus tota æternitate fuit quin vellet creare Angelos, ergo eius voluntas de nouo incipit eſſe, quod pono vt abſurdum in Fide. Dicitur enim Deus ab æterno nos dilexiſſe : & tempora dicuntur à patre præfinita. Nec poteſt dubitari, Deum ab æterno habere voluntatem faciendi ea, quæ in tempore facit. Si enim cordati homines habent voluntatem faciendi, quæ præuident expedire, eam non habebit Deus ? nec enim dubitare licet, Deum ab æterno eſſe volentem, & cognoſcentem creaturas. Stet ergo ab æterno eſſe voluntatem creandi Angelum, & creationem non eſſe ab æterno, ergo voluntas creandi Angelum non eſt creatio Angeli.

Deus eſt ab æterno volens & cognoſcēs.

§. 26. *Quarta obiectio.*

Dices quartò, creationem Angeli dicere reſpectum ad Angelum:ſecus voluntatem. Contra : voluntas creandi Angelum dicit etiam reſpectum rationis, quia habet pro obiecto Angeli exiſtentiam pro tali tempore. Deinde, ergo diſtinguitur voluntas creandi à creatione : quia illa dicit ſolum reſpectum rationis ad Angelum : creatio verò realem,quod ſine diſtinctione reali eſſe non poteſt.

Creatio & volitio dicerent eumdem reſpectum.

§. 27. *Quinta obiectio.*

Dices quintò, non eſſe ab æterno tempus, pro quo creandus eſt Angelus. Contra, etiam ſi non ſit hoc tempus ab æterno, adhuc ab æterno eſt tota volitio creandi Angelum pro hoc tempore : ſed per te illa eſt creatio Angeli pro hoc tempore : ergo ab æterno eſt creatio Angeli pro hoc tempore. Confirmatur : aut tempus pertinet ad intrinſecum conceptum creationis, ſic autem habeo intentum: quia tempus non eſt voluntas Dei, vel non pertinet, ſic autem tota formalis ratio creationis exiſtebat, antequam tempus exiſteret, ergo creatio fuit ab æterno:vel diſtinguitur à voluntate.

§. 28. *Sexta obiectio.*

Dices ſextò, ab æterno eſſe creationem Angeli, quæ tamen non creat Angelum ab æterno, ſicut ab æterno eſt voluntas illum creandi, & tamen non creat vſque ad tempus, pro quo vult illum creare. Contra : creatio eſt ab æterno in Deo, ergo Deus ab æterno creat, quia creatio actu exiſtens communicat ſuum formalem effectum : ergo Angelus ab æterno creatur : ſicut Deus ab æterno cognoſcit Angelum,& Angelus cognoſcitur ab æterno ; Deus ab æterno vult creare Angelum, & Angelus (fas ſit ita loqui) eſt volitus creari : ergo ab æterno illum Deus creat, & ille creatur : probo conſequentiam, quia in Deo idem ſunt formaliter velle creare, & creare, quia idem ſunt creatio, & voluntas creandi, ergo ex parte Angeli idem erit eſſe volitum creari, & creari : quia eadem ratione, qua Deus creat Angelum, Angelus creatur à Deo, ſicut eadem ratione, qua Deus cognoſcit Angelum, Angelus cognoſcitur à Deo, & ſicut implicat Deum non eſſe ab æterno volentem, & Angelum volitum ; ſi ſemel ponatur ab æterno voluntas : ita implicat Deum non eſſe creantem, & Angelum creatum ab æterno, ſi ſemel creatio ponitur ab æterno : quia ratio formalis tribuens denominationem ſubiecto, non poteſt in illo phyſicè exiſtere,quin illam tribuat. Sin aſſigna mihi, quo differat denominatio *volendi* à denominatione *creandi : ſi creatio, & volitio* ſunt idem ? nam ad tribuendam denominationem creandi expectat aliam rationem formalem, vel non : ſi expectat, ergo ſola volitio non eſt creatio, ſed erit etiam terminus, vel quid aliud quod contendo : ſi autem non expectat, ergo ab æterno eſt tota denominatio creādi in ſubiecto apto, cur ergo non denominat ab æterno, & denominat in tempore ? & ne te armes exemplo relationis creatæ, aduerte hoc argumento à me probari diſp. 15. metaphyſicæ ſect. 3. relationem eſſe duo extrema relata, vel modum ab vtroque diſtinctum : ſi ergo abſurdum eſt creationem eſſe ab æterno, ergo creatio aliquod temporarium eſt, vel addit diſtinctum ab æterna voluntate Dei.

Impugnatio.

Angelus eſſet ab æterno creatus, vt eſt voliſſe ab æterno.

§. 29. *Cur non exiſtant ab æterno, res exiſtit voluntas efficax de illis.*

Quod affertur de voluntate creandi ab æterno exiſtente, quin ab æterno exiſtat effectus, non eſt è re, vt patet, primò in creatis, ego habeo modò voluntatem inambulandi cras,& non ambulo modò : repugnat autem me habere inambulationem,

quin inambulem modò: tum ratione à priori, quia formæ non poſſunt exiſtere in ſubiecto apto, quin illi communicent ſuum formalem effectum, quia hic nihil eſt aliud, quam ipſa forma, & ſubiectum vnita: præter quæ nihil aliud requiritur ad communicationem formalis effectus. Ita non poteſt albedo eſſe vnita ſubiecto apto, quin illud reddat album. Cum igitur creatio ſit ratio formalis, qua conſtituitur *creans*, non poteſt eſſe in ſubiecto apto, quin illud denominet *creans*, quia ad id nihil aliud requiritur. At principia actiua rerum non ſunt formalis ratio denominandi eas productas, ſed ſunt actus primus illarum: actus verò primus agendi bene poteſt eſſe, quin agat, vt potentia voluntatis poteſt eſſe quin amet. Voluntas Dei comparata ipſi Deo, eſt velut actus ſecundus illius, quia eſt actus vitalis formaliter denominans Deum *volentem*, nec poteſt in eo eſſe, quin ſic denominet; comparata verò creaturæ eſt principium & actus primus illius, & ſic poteſt exiſtere, quin tunc exiſtat effectus.

Quid exigatur ad effectum formalem.

§. 30. *Diſcrimē potentiæ intentionalis à phyſica.*

Rogas, cur actio non oriatur ab æterno? Reſpondeo, quia eius exiſtentia liberè eſt producibilis à Deo, & non poteſt oriri ſine voluntatis actu, qui non vult eam oriri niſi tali tempore. Et quidem potentiæ intentionales, quia non operantur phyſicè obiecta per ſuos actus, poſſunt præuertere tempus, & cognoſcere, & velle obiecta multò antequam ſint, potentiæ verò phyſicæ non habent actus, niſi quo tempore effectus exiſtunt, quia illarum actio eſt ratio formalis faciendi phyſicè exiſtentiam.

SVBSECTIO II.

Duo impugnata reſponſa.

§. 31. *Prima obiectio de connotatis.*

HVic tam efficaci argumento vires adimere conati recentes nonnulli: quorum memini diſp. 5. §. 18. & diſp. 11. §. 11. dicunt volitionem diuinam eſſe realiter creationem; eaſque eſſe inſeparabiles in ratione entis, non verò in ratione denominationis. Huic ergo propoſitioni ex §. 23. *creatio non eſt ab æterno*, reſpondent; non eſt ab æterno in ratione entis, nego: in ratione denominationis, qua conſtituitur *creans*, concedo: & nego eam realiter diſtingui à volitione: quia in ratione denominandi *creans* pendet ab extrinſeco connotato temporis actu exiſtentis; tunc enim incipit denominare *creans*: at verò in ratione volentis non pendet à tempore exiſtente. Quæ confirmari poſſunt ex §. 29. & 30.

§. 32. *Impugnatur.*

Verùm hæc doctrina parum iuuatur ea, quam docui eo §. 29. & 30. quia ibi diſtinxi realiter actionem phyſicam ab intentionali: phyſica non oritur niſi quo tempore vult agens liberum; voluntas autem præuertit & tempus. At in hac ſententia actio phyſica non diſtinguitur ab intentionali: quapropter vt tribuit ab æterno denominationem intentionalem volentis, cur non tribuit phyſicam *creantis*? Quia verò hic non eſt mihi animus eam ſententiam ad viuum reſecare, id præſtituro diſp. 6. Met. ſed eius authores malæ conſequentiæ accuſare; hoc præſtandum curo.

§. 33. *Actio eductiua ſolius Dei nō diſtingueretur à Deo.*

Ac primùm poſſent dicere actiones eductiuas quibus ſolus Deus producit terminum ex ſubiecto, non diſtingui à voluntate Dei: quia illa voluntas & eductio ſunt ab æterno in ratione entis; non tamen in ratione denominandi *educens*: Dicunt actionem eductiuam eſſe cauſalitatem etiam ſubiecti, quæ ex ſubiecto debet educi vt *quo*: volitio autem diuina non poteſt ex ſubiecto educi. Reſpondeo primùm in ea ſententia diſtinctum iri eductionem actiuam à paſſiua; actiua eſt denominatio extrinſeca termino à voluntate Dei; à qua eſt, & dicitur extrinſecè *eductus*: paſſiua autem eductio eſt intrinſeca ſubiecto & termino: itaque non eſt opus actione ſe tenente ex parte Dei, diſtincta ab ipſa voluntate eductiua: quando ſolus Deus educit, immo nec exigitur modus diſtinctus a ſubiecto & termino educto. repete diſp. 11. à §. 15. & diſp. 5. à §. 22.

Reſponſio impugnatur.

Tunc Actio & paſſio diſtinguerentur.

§. 34. *Secunda impugnatio. Non eſt opus creationē eſſe volitionem, ſed terminū.*

Secundò oſtendo non eſſe creationem conſtituendam in voluntate Dei; ipſi enim eam ita conſtituunt, quia creatio non poteſt eſſe modus diſtinctus ab agente & termino; nec poteſt eſſe terminus ipſe; ergo eſt voluntas agentis. Reſpondeo eam commodius conſtitui in ipſo termino: quia tunc *eſſe productum* eſſet denominatio intrinſeca & non extrinſeca: item terminus vt creatus eſſet obiectum eius voluntatis. Sic fieri poſſe probatur ad hominem: quia quantitas quamuis priùs manſerit in ratione entis non tamen in ratione denominationis *creationis*, & *creatæ*: quia ad hanc denominationem pendet ab extrinſeco connotato voluntatis diuinæ, & temporis pro qua illa voluit quantitatem eſſe creatam: vt ipſi dicunt albedinem manere in eſſe entis independenter ab alia albedine; non verò in ratione denominationis relatiuæ: poſita autem alia albedine iam incipit denominatio ſimilitudinis in priori albedine abſque nouo modo: ita hic quoque contingit; item in vnione & aliis.

§. 35. *Secunda ſolutio de nouo prædicato in Deo.*

Nonnullus recuſans has nouas denominationes ortas ex connotatis diuerſis, cenſet in Deo eſſe duo prædicata intrinſeca idemtificata realiter cū ipſo. Primum prædicatum eſt Deum *eſſe volentem* Angelos creare: quod ait eſſe in Deo ab æterno. Ea autē voluntas vt comparatur Angelis futuris, non eſt creatio: vt autem venit tempus quo Deus decreuit Angelos creare; habet Deus in tempore ſecundum prædicatum, nempè Deum eſſe *creantem* Angelos. Hoc autem nouum prædicatum recēs accidit Deo abſque noua entitate: ſed quemadmodum Deus ſua entitate eſt ab æterno liberè volens, & potuit non eſſe; idque abſque vllo ente addito eſſentiæ Dei; ita in tempore Deo accedit & abſcedit hoc nouum prædicatum *creans* abſque nouo ente.

§. 36. *Admittit in Deo connotata.*

Quæ ſententia admittit in Deo connotata, non ſecus ac ſuperior: quia vt Deus habet nouam prædicationem in ratione nouæ denominationis, quāuis non in ratione entis noui; ita habet nouum hoc prædicatum abſque noua entitate; deſcendens à tempore extrinſeco. Differt autem quod in creatis fugit nouas illas denominationes. Et quidem vehementer mihi diſplicent nonnulli Philoſophi, qui caliginoſas & impenetrabilis difficultates, quibus in myſterio Trinitatis, & Dei premimur; paſſim obiectant ad explicandas obuias quaſque Philoſophicas quæſtiones: quo nec explicant diuina, & obtenebrant humana. Vix poſſum gradum facere in actus & ſcientiam liberam Dei: & ij nec moueri poſſunt in Philoſophiam abſque illo ſcipione. Hæc autem ſentētia nouo ſe irretit abſurdo; quod conſtituit in Deo prædicatum temporarium & intrinſecum, identificatum cum Deo, nullus autem Theologus ex his quos ego aut vidi, aut audiui, id auſus. Nec enim amor temporarius, aut cognitio Deo adſcripta vnquam; nec prædicatum intrinſecum aliud.

Et abſurdè admittit in tempore nouū prædicatum idem cū Deo.

§. 37. *Multis modis poſſet defendi diſtinctio creationis à voluntate Dei.*

Aſſerunt id à ſe præſtari coactis eucharistiæ myſterio. Fatentur ergo ſe non magis tenere quæ dicunt

dicunt, quàm quæ de actibus liberis Dei. Conſiderent autem vtrum facilius euadant, ſi aſſerant creationem eſſe modum ex rei natura diſtinctum; quod quam facillimè defendam §. 79. aut eam eſſe eſſentiam termini vt habet negationem à ſubiecto dependẽdi:quod commodius defendi poſſe oſtendam §. 48. Cum ergo poſſint minùs obſcurè & abſurdè aliorum viam inire; cur exiſtimant maiori ſibi eſſe decori ſolos ſe abſque luce gradi?

§. 38. *Abſurdè ſequitur eductionem eſſe voluntatem Dei.*

Impugnantur prætereà; quia poſſent etiam dicere voluntatem Dei eſſe actionem eductiuam, quando ſolus Deus formam educit; e. g. productionem cœli non eſſe diſtinctam à voluntate Dei de illo producendo: cui in tempore accidit prædicatum nouum abſque nouo ente. Voluntas enim illa neceſſariam habet connexionem cum forma dependente à materia pro eo inſtanti quod connotatur: implicat enim eſſe tunc eam voluntatem quin educatur forma. Quo argumento ipſi probant creationem non eſſe modum ab illa voluntate diſtinctum, in quorum ſententia facilè diſtinguitur actio eductiua à paſſione; quia idem in creatione admittunt ſi effectus referri nequit ad cauſam relatione exiſtente in ſola cauſa: ergo non exigitur modus diſtinctus à Deo & termino: eſto exigatur in eductionibus à cauſa ſecunda, quia hæc non poteſt habere nouum prædicatum ſine nouo ente. Recognoſce §. 35.

§. 39. *Effugiũ præcluditur.*

Reſpondent voluntatem eductiuam habere neceſſariam connexionem cum forma educta, mediatam quidem non immediatam; quia tendit in formam media cauſalitate: idque probant,quia ea voluntas habet pro obiecto formam vt dependentem à ſubiecto; quod fieri nequit niſi per modum diſtinctum; quia alioquin aut ipſa voluntas ſe haberet pro obiecto; aut recideretur in opinionem de connotatis, quam ipſi impugnant. Reſpondeo tamen eamdem eſſe difficultatem in creatione, quæ vult terminum vt independentem à ſubiecto; vt oſtendam à §. 43. maximè 50. tunc autem aut voluntas ſe habet pro obiecto; aut reciditur in connotata.

Idem ſequitur in creatione.

§. 40. *Eſſet vnio, qua forma à materia penderet.*

Deinde id probat, eſſe aliquam vnionem per quam forma pendeat à materia paſſiuè. Erunt enim duo genera vnionum; alterum formæ independentis; quæ non poteſt eſſe terminus voluntatis eductiuæ; alterum dependentis: quod ſpecie differt à primo, eſtque terminus voluntatis eductiuæ; & producitur vt via & cauſalitas materialis in formam. Itaque in generatione cœli reperitur ex parte Dei agentis ſola voluntas efficax eductiua; ex parte materiæ & termini, ſola vnio & forma. Superfluit ergo modus alius: in agentibus creatis actio & paſſio non diſtinguantur;tunc autem fiet alia vnio quæ non ſit dependentia formalis, ſed terminus dependentiæ. Vnio autem, quæ eſſet dependentia, eſſet ſola materializatio, recepta in ſola materia. Milleque aliis rationibus probari poſſet, non eſſe neceſſariam actionem diſtinctam ex parte Dei.

Eſſet duplex genus vnionu.

§. 41. *Alia impugnatio.*

Dicere item quis poſſet, creationem eſſe terminum, & non voluntatem Dei; item voluntatem eſſe applicationem omnipotentiæ:hanc autem eſſe creationem ipſam, quæ non differt à ratione formali actiua: voluntatem autem efficere terminum non immediatè,ſed media omnipotentia vt principio & actione.

SVBSECTIO III.

Argumenta cætera.

§. 42. *Secundum argumentum ab eductione.*

Secundum argumentum eſt: quia eductio, qua ſolus Deus producit formam dependentem à ſubiecto,diſtinguitur à voluntate efficaci eductiua;vt fatentur aduerſarij: ergo & creatio ſaltem in rebus quæ natura ſua non ſunt creabiles, niſi per potentiam obedientialem: quam conſequentiam proba ex ſubſectione ſecunda contra auctores duarum opinionum adductarum ibidem.

§. 43. *Tertium argumentum. Volitas creatiua terminatur ad rem vt independentem.*

Tertium argumentum:voluntas creatiua terminatur ad rem independentem actu à ſubiecto: ergo quando terminatur ad quantitatem, terminatur ad modum ab ipſa diſtinctum, quo ſit independens à ſubiecto. Antecedens probo, quia illa voluntas eſt vt quantitas ſit per ſe, ſine vlla dependentia à ſubiecto:quo differt à voluntate eductiua. Et quidem terminus creatus ita conſiſtit, vt nullo exiſtente ſubiecto, adhuc perſeueret. Conſequentiam probo:quantitas per ſe,ſuo conceptu quidditatiuo non fundat negationem dependentiæ, quia antequam creetur, exiſtit naturaliter totus conceptus quantitatis fundans connaturaliter dependentiam à ſubiecto: ergo ſola quantitatis eſſentia non eſt independentia, ſeu fundamentum negationis dependentiæ: ergo ex parte obiecti voluntatis creatiuæ reſpondet neceſſariò in quantitate modus ab ipſa diſtinctus fundãs eam negationem. Patet conſequentia: quia ex parte obiecti eſt independentiæ fundamentum; hoc autem non eſt ſola quantitas,vt probaui; ergo eſt aliquid à quantitate diſtinctum. Confirmatur, quantitas per ſe non eſt fundamentum eius negationis; ergo per ſe nec eſt obiectum voluntatis creatiuæ:quæ habet pro formali termino modum exiſtendi, cui innitatur negatio actualis dependentiæ.

Quantitas ſe ſola non fundat independentiam à ſubiecto.

§. 44. *Solutio impugnata.*

Dicent primùm, voluntatem non habere pro obiecto terminum vt ſubſiſtentem, ſed illum facere ſubſiſtentem: vt creatio ipſa faceret, ſi eſſet modus à termino diſtinctus: voluntas autem vult illum terminum,qui eſt tunc ſubſiſtens. Reſpondeo primùm voluntate Dei conſtitui obiectum formaliter amatum, ſicut creatione creatum, & albedine album: neque illam terminari ad obiectum vt amatum, ſicut albedo non afficit ſubiectum vt album. Tunc ſic argumentor:voluntas Dei terminatur ad quantitatem non vt volitam, ſed vt independentem à ſubiecto: ergo independentia à ſubiecto non ſe tenet ex parte Dei, ſicut ſe tenet voluntas,ſed ſe tenet ex parte quantitatis.

Comparatio voluntatis & creationis.

§. 45. *Voluntas quò terminetur ad terminum creatum.*

Secundò reſpondeo, voluntatem non terminari ad quantitatem vt dependentem à ſubiecto,quia eſt contra rationem termini creati: nec terminari ad voluntatem ſecundùm ſe: quia hæc ſecundùm ſe non fundat negationem dependentiæ: ergo terminatur ad illam,vt potentem exiſtere ſine ſubiecto, ſiue vt actu fundantem negationem dependentiæ à ſubiecto:hoc autem fundamentum debet neceſſariò diſtingui à quantitate ſecundùm ſe: ergo creatio dicit aliquid in quantitate ab ipſa diſtinctum.

§. 46. *Quantitas ſecundum ſe eſt dependens à ſubiecto.*

Quod ſic explano: ſi quantitas ſecundùm ſe eſſet fundamentum independentiæ à ſubiecto, neceſſariò eſſet independens ex natura ſua: tum quia Angelus, & animus eam independentiam fundant neceſſariò, quia ſecundùm ſe habent tam perfectam exiſtentiam, vt non poſſint, niſi à ſolo Deo pendere: in quo conſiſtit fundamentum independentiæ à ſubiecto: tum etiam,quia negatio dependentiæ

Negatio dependentiæ à ſubiecto oritur ex perfecto modo exiſtendi.

dentiæ à ſubiecto oritur ex perfecto modo exiſtendi per ſe, cui opponitur imperfecta exiſtentia dependenter à ſubiecto: cum ergo quantitas ſecundùm ſe habeat exiſtentiam imperfectam petentem dependentiam à ſubiecto, non poteſt ſecundùm ſe fundare independentiam à ſubiecto.

Volūtas creatiua habet pro obiecto fundamētum independentiæ à ſubiecto.

§. 47. Tunc ſic: Deus vult quantitatem eſſe independentem à ſubiecto, ita vt quantitas poſſit eſſe pereunte omni ſubiecto: ergo vult Deus rationem formalem per quam tam perfectè exiſtat, vt non egeat ſubiecto: quia nō poteſt Deus velle aliquem effectum formalem quin velit formam, qua conſtituatur, vt nequit velle eſſe album, quin illi inſit albedo. Sed quantitas ſecundùm ſe non eſt ratio formalis petens independentiam à ſubiecto, ergo voluntate creatiua quantitatis vult Deus modum exiſtendi ab ipſa quantitate diſtinctum. Cum igitur quantitas comparata potentiæ abſolutæ ſit indifferens, vt exiſtat per ſe, aut dependenter à ſubiecto, hæc indifferentia tollitur per duos modos realiter diſtinctos, alterum generationem, creationem alterum.

Secunda obiectio, qua defendi poterit creationē eſſe terminum ipſum.

§. 48. Poterit ſecundò dici, voluntatem creatiuam habere duos terminos, alterum poſitiuum, qui eſt quantitas ſecundùm ſe, alterum priuatiuum, quæ eſt actualis independentia à ſubiecto. Fateor creationem minùs incommodè conſtitui poſſe in quantitate ſic independente à ſubiecto, quàm in voluntate creatiua, ita enim nullibi conſtituitur prædicatum nouum ſine nouo ente: numquam enim exiſtit quantitas cum omni independentia à ſubiecto, quin exiſtat creatio: voluntas autem creatiua habet diſtinctum obiectum, ac eductiua: quia hæc vult terminum vt dependentem: illa verò vt independentem, creatio autem includeret quantitatem vt poſitiuè fluentem à Deo; item & dependentiam à priori ab omni alia cauſa quæ quidem non ſunt tam tenebrica, quàm quæ propoſui à §. 35.

Independentia à ſubiecto ſequitur perfectum exiſtēdi modum.

§. 49. Hanc tamen ſolutionem impugno, quia actualis independentia quantitatis à ſubiecto eſt priuatio ſequuta tam perfectam exiſtentiam, vt ſubiecto non egeat: ſed ſola quantitas non habet hanc tam perfectam exiſtentiam: quia potius ex illius imperfectione oritur actualis dependentia à ſubiecto, ergo ex ſola quantitate non poteſt oriri illa negatio: ergo debet oriri ex alio modo exiſtendi perfectè quantitati adiecto. Quod explico; quia quantitas eſt tam imperfecta, vt ſe ſola non poſſit conſiſtere ſine ſubiecti adminiculo: quo eget vt ſit: ſed voluntas extrinſeca Dei conſiderata in genere cauſæ formalis nec eſt intrinſeca quantitati, neque illi ſubrogat aliquem modum tam perfectum, quàm eductionem, ſupplentem eductionis vices: ergo illa voluntas creatiua niſi quantitati intrinſecum modum attingat, non poteſt efficere, vt quantitas exiſtat independens à ſubiecto, nam voluntas eductiua tam perfecta eſt, quàm creatiua: & tamen quantitas vt erat obiectum eductiuæ indigebat intrinſeco modo, quo ſubiecto eſſet innixa: ergo eadem vt ſubeſt voluntati creatiuæ indiget intrinſeco modo, quo per ſe exiſtat, & ſuppleantur vices prioris. Poteſt igitur Deus efficienter ſupplere eductionis defectum, non verò in genere cauſæ formalis. Ratio à priori, quia eductio eſt modus intrinſecus, quo quantitas indiget: voluntas autem Dei eſt extrinſeca. Qua propter vix capitur, qua ratione ſine omni modo intrinſeco exiſtat quantitas, quæ natura ſua indiget aliquo modo.

Sine modo intrinſeco quātitas nequit exiſtere.

Tertia obiectio.

§. 50. Tandem obiicies, voluntatem creatiuam ſe habere reflexè pro obiecto: vnde cum ipſa ſit creatio, terminatur ad rationem formalem independendi à ſubiecto. Propter hoc dixi §. 39. difficultatem ibi propoſitam communem eſſe & huic ſententiæ. Reſpondeo igitur ex §. ſuperiori voluntatem ſine modo intrinſeco in quantitate, non poſſe illam conſeruare. Ad hæc: voluntas Dei prius ratione amat directè obiectum, quàm ſe reflexè, vt aliunde pono, ſed in illo priori rationis, quo intelligitur amare obiectum, intelligitur illud amare vt independens à ſubiecto: ergo ex parte quantitatis ſe tenet fundamentum independentiæ à ſubiecto, vt obiectum voluntatis directæ: vnde voluntas creatiua habet neceſſariam connexionem cum quantitate cum modo ab vtraque diſtincto, & non ſine illo.

Impugnatur.

Voluntas directa Dei habet pro obiecto terminum vt independentiam.

SVBSECTIO IV.

Angelorum, & animi rationalis creatio non eſt modus diſtinctus à termino.

Creatio Angeli & animi nō diſtinguitur à termino.

§. 51. Dico ſecundò. Creatio rerum natura ſua independentium à ſubiecto eſt idem realiter cum termino: v. g. Angeli creatio eſt eius eſſentia vt concipitur dependere à ſolo Deo: idem dixerim de animo rationali. Quam doctrinam dono Durādo, Patri Vaſquez, Nominalibus, & aliis: quamque probo: Angelus ſua entitate eſt independens à ſubiecto; ergo non eget creatione à ſe diſtincta. Conſequentia patet, quia effectus formalis creationis eſt reddere terminum tam perfectè exiſtentem, vt nequeat à ſubiecto pendere: cum autem hic effectus Angelo conueniat per eſſentiam, nequit illum habere à forma diſtincta. Probo antecedens: quia Angelus ſua entitate eſt actus completus repugnans omni compoſitioni more formæ, & cuius dependentiæ ab alia cauſa præter Deum: ergo ſua entitate eſt independens à ſubiecto. Confirmatur, formalis effectus creationis eſt producere terminum non egentem ſubiecto: ſed Angelus ſuo conceptu eſt non egens ſubiecto: ergo ad hoc non eget creatione. Neque verò vt producatur; quia res aliqua rectè poteſt eſſe ratio vt producatur.

Angelus ſe ipſo eſt independens.

Angelus habet in ſe formalem creationis effectum.

§. 52. Obiici primùm poteſt: forma materialis ſe ipſa eſt dependens à ſubiecto & Deo; eget tamen actuali dependentia diſtincta: ergo & Angelus eget actione quæ ſit independentia à Deo. Nego maiorem: quia forma eſt dependens radicaliter, non actualiter: non enim eſt modus, ſed ens abſolutum, quod non eſt huic ſubiecto affixum. Angelus autem ſe ipſo fundat negationem dependentiæ. Præſto eſt ratio: quia fundamentum ad aliquid poſitiuum non poteſt exerceri ſine nouo ente poſitiuo vt intellectus eſt aptus ad cognoſcendum; quæ aptitudo cognitione exercetur actuali. At fundamentum ad negationem non eget alio conceptu poſitiuo: vt lapis eſt non cognoſcitiuus & non cognoſcens ſua entitate: & Angelus eſt indiuiſibilis & indiuiſus per ſuam ſine modo diſtincto, eaque propter nego formalem effectum ſubſiſtentiæ eſſe independentiam à ſubiecto; quia Angelus eſt ita independens.

Obiectio ex eductione.

Fundamentum ad poſitiuum exercetur actu poſitiuo: ſecus ad negatiuū.

§. 53. Adde formam eſſe indifferentem ex ſe ad hanc numero materiam, & illam; ad ſolum Deum agentem, & ad Deum & creaturam ſimul; determinatur autem actionibus diuerſis. Angelus autem eſt determinatus ad ſolum Deum, nec eget vllo modo à ſe diſtincto.

Angelus non habet indifferentiam ad plures cauſas vt eam habet forma.

§. 54. Secundò poteſt obiici, Angelum fore modum

Angelus nō eſt modus.

& non rem abſolutam: ergo. Probo antecedens, quia modus eſt qui nequit exiſtere niſi denominando rem aliquam. Nego antecedens: ad probationem reſpondeo, modum denominationem tribuere neceſſariò alicui rei creatæ, cuius indifferentiam tollit: at verò omnis creatura præſtat Deo denominationes multas *Dominij*, *effectus*, & alias: quia nulla poteſt exiſtere ſine influente Deo. Non eſt ergo conferenda creatura Deo ſed aliis creaturis; vt coniiciamus rationem modi.

Modus ideo eſt modus quia inſeparabilis à creatura, non quia inſeparabilis à Deo.

§. 55. *Tertia obiectio.* *Potentia actiua quomodo ad aliud.*

Tertiò obiicies: potentia actiua refertur ad aliud: ergo per actionem ab vtroque diſtinctam. Conſequentia patet: quia inter extrema interiicitur relatio. Confirmatur: agens vt agens dicit ordinem ad terminum à ſe diſtinctum; ergo vt agens includit actionem diſtinctam. Nego primam conſequentiam, ad probationem reſpondeo eam eſſe falſam etiam in prædicamento relationis; quæ non diſtinguitur à fundamento & termino: ea tamen diſtinctione permiſſa, nego actionem eſſe neceſſariò diſtinctam: quia terminus ſe ipſo refertur ad agens. Animum aduerte *agens eſſe ad aliud:* perinde eſſe, ac terminum eſſe diſtinctum ab agente: quod verum eſt, tametſi agens & actio ſint idem, immò agens eſt ad actionem vt *ad aliud*, in rebus creatis. Ad confirmationem reſpondeo, agens vt agens non eſſe ad aliud diſtinctum neceſſario ab agente vt agente formaliter; ſed materialiter: quia agens, ſiue res quæ agit, eſt neceſſariò diſtincta à termino producto: *agens* autem *vt agens*, iam implicat actionem; vnde non ſemper refertur ad aliud non implicatum in agente vt agente.

SVBSECTIO V.

Creatio termini natura ſua educibilis è ſubiecto eſt diſtincta à termino.

§. 56. *Creatio diſtinguitur à quantitate.*

Dico tertiò. Creatio quantitatis, & cuiusvis rei natura ſua à ſubiecto pendentis, diſtinguitur realiter à quantitate, & vniuerſim à termino. Huius ſententiæ authores adduxi §. 20. Probatur: quantitas exiſtit quin exiſtat creatio; ergo quantitas diſtinguitur realiter à creatione. Antecedens patet: quia quantitas nunc exiſtit in me, nec tamen exiſtit eius creatio; quia in me non creatur: ſed educitur. Quod ſi reſpondeas, creationem exiſtere cum quantitate in ratione entis, non tamen in ratione denominationis; reſpondeo, eadem ratione probari poſſe vnionem non eſſe diſtinctam ab extremis; vt probaui diſp. 5. ſect. 1. nec cognitionem à potentia cognoſcente. Confirmatur, quantitas eſt indifferens vt pendeat à ſubiecto, vel à ſolo Deo: ſed hæc indifferentia eſt neceſſariò tollenda per modum ab ipſa diſtinctum; ergo.

Quantitas exiſtit ſine creatione ſui.

§. 57. *Obiectio.* *Diſcrimen creationis Angelicæ à quantitatis creatione.*

Dices: Angeli creatio non diſtinguitur ab Angelo, ergo nec creatio quantitatis à quantitate. Nego conſequentiam: Angelus enim eſt natura ſua fundamentum proximum independentiæ à ſubiecto; ac propterea non eget alio fundamento; nec eſt indifferens ad dependendum & non dependendum: quantitas autem non eſt natura ſua proximum fundamentum independentiæ à ſubiecto; egetque creatione eam fundante proximè. Nec arbitreris creatione quantitatis præſtari eumdem ſpecie effectum formalem, qui præſtatur creatione Angeli; ſed alium valde diuerſum etiam genere: etenim independentia quantitatis eſt genere diuerſa ab Angeli independentia.

§. 58. P. Vaſq.

Pater Vaſquez, illa diſp. 173. num. 18. ait, quantitatem cum modo perſeitatis eſſe terminum creationis, (ratione ab ipſa creatione diſtinctum vt dixi §. 8.) ſicut forma cum modo inhærendi eſt terminus generationis. Contra: iſte modus perſeitatis terminat creationem diſtinctam realiter à quantitate, & ſe ipſo; aut non terminat. Si terminat; datur quod volumus; nempè terminum eiuſmodi eſſe diſtinctum à creatione: ſi autem non terminat, rogo vtrum modus ille ſit creatio, aut non ſit: ſi eſt creatio, ergo iam creatio diſtinguitur realiter à termino: de quo agendum §. 63. ſi verò non eſt creatio; rogo vbi ſit creatio: quia ipſe nec in voluntate Dei, nec in modo diſtincto eam agnoſcit.

Impugnatur ex ipſius principiis.

§. 59. *Modus perſeitatis patitur eaſdem difficultates quas creatio.*

Adde in hoc modo eſſe Patri Vaſquez integram difficultatem quam fugit. Nam ille modus non poteſt eſſe inhæſiuè in ſubiecto, quemadmodum nec creatio: quia ille modus eſt perſeitas fundans independentiam à ſubiecto: quæ non poteſt inhærere ſubiecto? qua enim ratione reddit terminum formaliter independentem, ſi ipſe modus eſt dependens? aut creatio erit etiam dependens à termino vt à ſubiecto: quod illi non repugnabit ex eo quod ſit productio entis independenter à ſubiecto: ſi autem ille modus non habet ſubiectum inhæſionis, quid mirum ſi illo careat creatio?

§. 60. *Obiectio ex P. Vaſq.*

Alia adducit Pater Vaſquez, quæ difficultate non carent. Ait enim, quantitatem cum modo perſeitatis eſſe terminum creationis, ſicut forma cum modo inhærendi eſt terminus generationis, nam creatio non terminatur ad quantitatem ſecundum ſe, alioquin in priori, quo conſiderari poſſet vt à Deo producta, poſſet eſſe creata. At in nullo priori poteſt conſiderari creata: quia vel conſideratur ſecundum ſe ſine vlla actione, tunc autem nec concipitur creata, nec generata: vel concipitur vt dependens ab agente præciſo ordine ad ſubiectum, vel negationem ſubiecti, ſic autem concipitur facta abſtractè ab eductione, vel creatione: vel concipitur cum negatione dependentiæ à ſubiecto, ſic autem concipitur creata, ſed id non poteſt fieri ex natura rei, nec concipi cum fundamento in re: vel concipitur dependens etiam à ſubiecto, tunc autem concipitur vt educta.

§. 61. *Differentia inhærendi & independendi à ſubiecto, conſiſtunt in ipſis actionibus.*

Contra: quia illæ differentiæ dependendi à ſubiecto, vel non dependendi, nihil ſunt ex parte termini, vt diſtinguitur ab actione: ſed ſunt differentiæ ipſarum actionum, à quibus terminus eſt dependens: vt eſſe diſcurſum, aut iudicatum non ſunt differentiæ obiecti, ſed actuum: creatio enim eſt actio ſolius agentis, & in ſe habet negationem ſubiecti, vt *quo*, à qua, ſicut terminus eſt productus, vt *quod*, quin hæc denominatio reſpondeat ex parte termini: ſic ab eadem denominatur independens, vt *quod* à ſubiecto, id eſt, pendens à ſolo efficienti: generatio verò eſt eſſentialiter dependentia à ſubiecto, quia ipſa eſt cauſalitas vtriuſque: vnde ſicut forma generatione dicitur *genita*, ita dicitur *dependens à ſubiecto*, ſiue illi inhærens, quæ dominationes non reſpiciuntur ab actionibus vt termini, nec ex parte termini, ſed potius termino obueniunt formaliſſimè ab actionibus, quæ terminantur ad entitatem termini ſecundum ſe à ſubiecto dependentem per generationem ipſam: & independentem à ſubiecto per actionem creatiuam, quod non habent per alios modos, aut conceptus diſtinctos ab actionibus: ſicut viſio non terminatur ad obiectum, vt viſum, ſed formaliſſimè illud conſtituit viſum:

viſum : ita creatio non terminatur ad rem vt indepẽdẽtẽ à ſubiecto, ſed formaliſſimè illam conſtituit independentem à ſubiecto. Pater autem Vazquez eas denominationes ponit ex parte termini, & ait ad illas terminari actiones.

Vazquez.

§. 62. *Inſinuatur propria ſubſiſtentia animi ad hominem.* S.Thomas.

Quod tamen neſcio ſit ne ſatis conſequens: nam ipſe ait animam, & materiam non habere proprias ſubſiſtentias, ſed vnam communem, poſteriorem natura vnione compoſiti : hic autem num. 19. ait ex S. Thoma creationem eſſe rerum ſubſiſtentium, & terminari ad res cum illo modo perſeitatis ; ergo creatio animæ terminatur ad modum perſeitatis etiam in compoſito, ſed creatio eſt prior vnione corporis, & animi, ergo in illo priori intelligitur habere pro termino animam & modum perſeitatis, quod ipſe negat : quia eſſe in toto & per ſe repugnat : vel ſi creatio animæ terminatur ad ſolam animam ſecundùm ſe, & non cum illo modo perſeitatis, ergo creatio quantitatis terminabitur ad quantitatem ſecundum ſe, & non cum illo modo.

§. 63.

Deinde, vel ille modus pertinet ad terminum creationis ? vel non pertinet, ſed eſt ipſa creatio? Si primum, ergo terminus creationis realiter diſtinguitur à creatione ; quia iuxta hoc reſponſum quantitas & ille modus ſunt terminus creationis, & non ſunt creatio : ſi verò modus ille eſt creatio, ergo diſtinguitur à quantitate creatio, quia quantitas poteſt exiſtere ſine tali modo, quia poteſt non creari ; atqui quantitas eſt terminus creationis, & ille modus eſt creatio, ergo creatio diſtinguitur à termino. Dices, quantitatem, & modum eſſe creationem, & terminum. Contra; idem dico ego diſtinguens creationem à termino; quia creatio creatur, & eſt creatura, *vt quo*, terminus autem *vt quod*: ſimiliter ille modus perſeitatis erit creatio *vt quo*, & quantitas creabitur *vt quod*. Vnde erunt, & terminus *quod*, & ratio *qua* creatur, & vnum realiter ab alio diſtinctum. Nam ex doctrina Patris Vazquez numero 10. ille modus erit in quantitate vt in ſubiecto, quia eſt accidens. Tandem ſicut ipſe ait non poſſe ſeparari modum illum à quantitate creata, nec item poteſt ſeparari inhæſio à forma generata, & tamen in ſententia ipſius generatio diſtinguitur à termino, ergo & creatio. Alia omitto, quia hæc ſuffeciſſe videntur.

SVBSECTIO VI.

Creatio non eſt aggregatio Dei & termini.

§. 64. *Creatio non eſt aggregatio Dei & termini.* Ferrar.

DIco tertiò : creatio non componitur ex voluntate Dei actiuè, & ex termino paſſiuè creato ; contra Ferraram opinantem Deum ſua voluntate creare Angelum tamquam ratione formali agendi ; Angelum verò ſe ipſo eſſe creatum. Probatur, quia per eam rationem, per quam Deus Angelum creat, Angelus creatur à Deo ; ſed per te Deus creat Angelum per voluntatem, ergo Angelus creatur per voluntatem Dei. Maior probatur; tum quia per te Deum eſſe creantem eſt Deum eſſe volentem Angelum, ſed per eamdem rationem per quam Deus vult Angelum, Angelus eſt volitus à Deo (vt ex terminis patet) ergo per eamdem rationem per quam Deus creat Angelum, Angelus erit creatus. Tum etiam, quia ratio formalis, per quam Deus agit, denominat Deum agentem aliquid; ergo per illam aliquid agitur à Deo. Probo conſequentiam : quia implicat Deum agere aliquid, quin per illam rationem aliquid agatur, non minus quàm Deum cognoſcere obiectum, quin obiectum per illam cognitionem cognoſcatur à Deo. Ratio à priori, quia ſicut cognitio habet potentiam quam denominat cognoſcentem, & terminum, quem denominat cognitũ, ita creatio habet ſubiectum, quod denominat creans, & habet etiam terminum, quem denominat creatum: nam creatio dat denominationem ſuo termino, ſed denominatio, quam dat termino, eſt creati, ergo per eamdem rationem, qua Deus creat Angelum, Angelus creatur à Deo.

Deus creat, & Angelus creatur eadem ratione, & non diuerſa.

Creatio tribuit duas denominationes.

§. 65. *Secunda probatio.*

Secundò probatur, quia ſi Deus formaliter eſſet creans per volũtatem, eſſet ab æterno creans, ſicut ab æterno volens (vt probaui. §.21.) ſed implicat Deum eſſe ab æterno creantem Angelũ, quin Angelus ſit creatus ab æterno, quia creare eſt ad aliud, & non poteſt aliquid eſſe creans, quin ſit aliud ab illo diſtinctum creatum : ſed ab æterno Angelus non eſt creatus, vt eſt de fide, ergo Deus ab æterno non eſt creans.

Deus eſſet ab æterno creãs.

§. 66. *Obiectio. Refutatio.*

Dices, Angelum denominari creatum: ergo habet in ſe paſſiuam creationem ; Deus autem eſt creans, ergo habet in ſe actiuam creationem. Reſpondeo, ſuppoſito quod voluntas Dei ſit creatio actiua, Angelum eſſe creatum, quin in ſe habeat creationem paſſiuam, nam per eamdem, quæ eſt in Deo, Angelus erit creatus, ſicut eſt cognitus per cognitionem exiſtentem in Deo : aliud enim eſt paſſiuè habere denominationem, aliud autem in ſe habere intrinſecè denominationem: vt obiectum paſſiuè denominatur cognitum, quin illam habeat intrinſecè: illa enim denominatio eſt cognitio, quæ intrinſecè exiſtit in potentia cognoſcente, & non in obiecto : ſimiliter ſi creatio paſſiua eſt in termino, per illam Deus denominatur creans, vt contingit in quauis alia actione tranſeunte, quæ extrinſecè exiſtens denominat agens: rectè autem dixit Pater Vazquez ſupra, creationem eſſe rationem, per quam Deus denominatur extrinſecè creans.

Aliud eſt creari, & cognoſci ; aliud in ſe habere creationem, & cognitionem.

§. 67. *Quarta concluſio. Creatio diſtinguitur à Deo & termino.* Gabriel.

Dico quartò : Creatio realiter diſtinguitur à Deo, & termino creato. Contra Gabriel in 2. diſtinct. 1. quæſt. 1. artic. 2. concluſ. 5. & 6. Probatur primo : quia poſſunt exiſtere Deus, & terminus creatus quin exiſtat creatio, ergo diſtinguitur ab vtroque. Probo antecedens, antequam proferantur verba conſecrationis, exiſtunt Deus, & quantitas, & tunc non exiſtit creatio quantitatis, ergo exiſtente Deo, & termino creato non exiſtit creatio. De maiori nulli dubium : minor patet, quia ſi tunc exiſteret creatio, ergo tunc Deus eſſet creans, & quantitas eſſet creata : quia oſtendi à §. 21. repugnare exiſtere rationes formales in ſubiecto apto quin illi tribuant ſuum formalem effectum ; ſed creatio eſt forma creandi, & Deus eſt ſuum principium aptum, vt per illam denominetur creans, & quantitas vt denominetur creata; ergo ſi eſſet creatio ſimul cum Deo & quantitate, & Deus eſſet creans, & quantitas creata : quemadmodum exiſtente Dei voluntate, & quantitate in ratione obiecti, non poteſt Deus non eſſe volens quantitatem, & quantitas non eſſe volita à Deo. Atque hanc cõcluſionem probant omnia ferè quæ dixi ab illo. §. 21.

§. 68. *Obiectio prima.*

Dices primò, hoc argumentum in terminis, probare intentum in iis, quæ poſſunt eductione & creatione produci, non verò in aliis : Contra; ergo omnia argumenta, quæ auctores oppoſiti iaculantur contra omnes creationes diſtinctas à termino, poſſunt hic contra illos retorqueri.

§. 69. *Obiectio ſecunda.*

Dices ſecundò, quantitatem exiſtere ante conſecra-

ſecra

Digitized by Google

ſecrationem reſpicientem Deum non vt creatorem, ſed vt eductorem; poſtea verò exiſtere connotando Deum non vt eductorem, ſed vt creatorem. Contra à parte rei ante conſecrationem exiſtunt Deus, & quantitas; & quantitas à parte rei non habet reſpectum ad Deum, vt creatorem: ergo reſpectus ille quantitatis ad Deum vt creatorem diſtinguitur realiter à quantitate, & Deo. Conſequentia patet, quia realis ſeparatio vnius ab alio eſt euidens ſignum realis diſtinctionis: antecedens probo, quia ante conſecrationem nec Deus creat quantitatem, neque hæc creatur: ergo non habet reſpectum ad Deum vt actualiter creantem. Deinde poſt conſecrationem, realiter habet reſpectum illum, quem ante realiter non habebat: ergo reſpectus ille aduenit quantitati & Deo realiter de nouo. Recognoſce quæ contra connotata dixi.

Quantitas exiſtit ſine reſpectu ad Deũ vt creatorem.

§. 70. *Quãtitas ſine nouo ente nõ poteſt Deum reſpicere vt creatorẽ ſui.*

Confirmatur: quando quantitas reſpicit Deum vt creatorem, quem antea nõ reſpiciebat, vel habet aliquid de nouo realiter, & ſic habeo intentum; vel non habet: ſic autem, ergo ante conſecrationem exiſtebat à parte rei tota eſſentia creationis, & reſpectus quantitatis ad Deum vt ad creatorem; tempus autem non eſt de ratione formali creationis: ac proinde per ſolum temporis aduentum non poteſt eſſe de nouo creatio, quæ antea non erat; vel ſi tempus eſt de conceptu creationis, ergo omnis creatio diſtinguitur realiter à termino, & creatore. Si verò dicant, iſtum reſpectum eſſe voluntatem Dei creandi quantitatem pro tali tempore: Contra, ergo ſicut Deus eſt volens creare quantitatem per illum reſpectum, ita eſt illam creans: ſed ante conſecrationem eſt volens, ergo & creans, vide quæ ſupra dixi à §. 21.

§. 71. *Quãtitas ſine nouo modo nequit exiſtere.*

Probo ſecundò concluſionem: quia quantitas, vt exiſtat connaturaliter, indiget modo à ſe diſtincto per quem dependeat à cauſa materiali, eſtque quãtitas terminus intrinſecus illius modi; ergo vt exiſtat, indiget alio modo à ſe diſtincto, quem intrinſecè terminet. Patet conſequentia, quia defectus intrinſecus illius modi opus eſt vt ſuppleatur.

§. 72. *Sola volũtate extrinſeca Dei non ſuppletur indigentia quantitatis.*

Dices primò, ſuppleri per voluntatem extrinſecam Dei. Contra, illa eſt extrinſeca, & non eſt melior quàm voluntas eductiua Dei; ſed eductiua non ſufficiebat; ergo nec ſufficit creatiua. Dices ſecundò, quantitatem eſſe indifferentem vt ſit ſine ſubiecto, & dependenter à ſubiecto. Contra: ergo ſi illa ad exiſtendum non indiget modo intrinſeco, petit ex natura ſua voluntatem creatiuã, nam voluntas connaturalis accommodatur exigentiæ terminorum, ſed quantitas per te poteſt exiſtere ſine alio modo, ergo petit voluntatem per quam ita ſit, & repugnabit naturaliter voluntas, quæ illi tribuat concurſum materialem. *Fruſtra enim fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora*, illáque eſt connaturalior. Recognoſce à §. 49.

SVBSECTIO VII.

Creatio eſt modus diſtinctus realiter ab agente, & termino educibili natura ſua.

§. 73. *Quinta concluſio. Creatio quãtitatis eſt modus ab ipſa & Deo, diſtinctus.*

DIco quinto: Creatio eſt modus ex natura rei diſtinctus à termino, & Deo, exiſtens intrinſecè in termino, & extrinſecè denominans Deum. Hæc concluſio de reali diſtinctione non eſt noua à præcedentibus, ſed ex illis euidenter infertur. Probatur præterea. Actio eductiua eſt diſtincta à termino, agente, & ſubiecto, ergo & creatiua. Patet conſequentia, quia illa diſtinctio oritur ex conceptu communi actionis ſeparabilis ab agẽte & termino. Dices primo, motum clarè probari diſtingui à fundamento, & termino propter ſeparationem realem. Contra, eadem ſeparatio reperitur inter creationem, & terminum, vt patet in quantitate Euchariſtiæ. *Obiectio.*

§. 74.

Aduerte à nonnullis diſtingui motum propter illud argumentum; non tamen creationem: argumento autem de quantitate reſpondent, illam connotare Deum, vt creatorem, & applicantem ſuam potentiam per voluntatem creandi: quos eodem argumento reuincam. Nam poſſet quis dicere, motum non diſtingui à termino, agente, & ſubiecto: ſed modo pendere ab hoc ſubiecto, & agente: modò ab aliis, quia Deus per diuerſos actus applicat ſuam omnipotentiam, vt terminus dicat reſpectum iam ad has cauſas; iam ad illas, vt Nominales affirmant: etenim ſicut manente quãtitate, & Deo, modò creatur quantitas, modò non: quia Deus applicat ſuam omnipotentiam, cum Deus habeat diuerſos voluntatis actus, ratione noſtra diſtinctos, hoc actu vult lucem pendere à ſole, alio à luce: lux autem dependens à ſole connotat reſpectum ad ſolem, & non ad aliam lucem.

§. 75.

Dices cauſas creatas eſſe diuerſas. Contra, etiam cauſæ à quibus pendet terminus eductus, ſunt diſtinctæ à Deo, & tamen ſine creatione diſtincta ſola applicatione diuerſa ſuæ omnipotentiæ facit, vt non pendeat ab illis, & pendeat à ſe ſolo. Ergo per eamdem applicationem ad diuerſas cauſas facit terminum ab eis pendere ſine actione diſtincta. Nulla reſponſio afferetur, quam non retorqueam contra eos: vnde vel vniuerſim cum Nominalibus negent omnem modalem diſtinctionem, vel eam hic admittant.

§. 76. *Quantitas eget modo diſtincto.*

Secundò probatur: quia quantitas eget natura ſua modo intrinſeco ad exiſtendum: quem ſola extrinſeca voluntate Dei ſuppleri non poſſe, oſtendi §. 48. 49. 71. & 72.

§. 77. *Quantitas eſt indifferens ad plures cauſas.*

Tertiò: quia quantitas ſecundùm ſe eſt indifferens vt pendeat à ſubiecto, aut non pendeat diuinitus: ſed hæc indifferentia exigit modum diſtinctum, quo tollatur; vt de omni modo dicam diſp. 2. Met. ſect. 5. Hæc autem indifferentia non tollitur voluntate creatiua, quia hæc eſt ab æterno & non tollit eam indifferentiam, cuius effectus formalis eſt reddere amatum, quod præſtat ab æterno: ergo exigitur modus in tempore determinans indifferentiam illam quantitatis.

Voluntas Dei non tollit eã indifferentiã niſi faciendo modum.

§. 78. *Creatio non eſt res abſoluta in quantitate.*

Creationem eſſe modum, & non rem abſolutam, patet ex differentia rei & modi, quam aſſigno diſput. 2. metaphyſicæ ſect. 5. quia creatio tollit indifferentiam, quam Deus habet ad Angelum efficiendum, & eſt ratio formalis, qua terminus agitur; ergo eſt per eſſentiam actio, & fit vt *quo*, ſic autem non eget illa actione. Si autem eſſet res abſoluta, egeret actione in infinitum; eſtque creatura vt *quo*, & dependens vt *quo* à Deo. Illam eſſe intrinſecam termino, patet: quia eſt modus exiſtendi, qui immediatè diuiditur in modum exiſtendi per ſe, & in modum exiſtendi dependenter à cauſa materiali; qui opponitur exiſtentiæ per ſe: creatio enim eſt ratio formalis ob quam res exiſtit dependenter à materia: quia eſt dependentia termini à ſolo agente: generatio verò eſt dependentia termini à ſubiecto, cui facit terminum inhærere, eſtque inhærentia. Et quamuis creatio non eſt ſubſiſtentia, quæ *hypoſtaſis*, vel *ſuppoſitum* vocatur, eſt tamen ſubſiſtentia, vt ſignificat independentiam à ſubiecto: quamuis hac voce eſt vtendum cum diſtinctione, ne confundatur cum *ſubſiſtentia, hypoſtaſi*.

Modus autem exiſtēdi non poteſt non eſſe intrinſecus exiſtentiæ. Deo autem eſſe extrinſecam creationem, patet ex conceptu communi tranſeuntis actionis.

SECTIO IV.

Vtrum creatio habeat ſubiectum?

§. 79. *Subiectum creationis multos diuiſit.*

MVlti abierunt in varias opiniones ſect.3. impugnatas, quia nō videbāt, quomodo actioni commodarent ſubiectum. Ex opinantibus relationem eſſe modum cenſent aliqui eius ſubiectū eſſe terminum, qui per eam producitur. Probare poſſunt primò ex S.Thoma 2. contra Gentes c.18. id aſſerente expreſſe, & 1. p. quæſt.45. art.3. ad 3. iis verbis, *creatura eſt eius ſubiectum*, (ſcilicet creationis) *& prius ea eſſe ſicut ſubiectum accidente.* Verum Sanctus Thomas doctrinam, quam tradiderat ſecundo contra Gentes eo cap. 18. explicat in hoc art.3. Diſtinguit enim Sanctus Thomas creationem, ſecundum quod eſt via, à creatione, ſecundum quod eſt relatio. Et quamuis dicit terminum eſſe ſubiectum illius in quantum eſt realatio, id tamen negat in quantum eſt via his verbis. *Ad tertium dicendum, quod creationis ſecundum quod ſignificatur vt mutatio, creatura eſt terminus, ſed ſecundum quod verè eſt relatio, creatura eſt eius ſubiectum.* Itaque Sanctus Thomas, negat terminum eſſe ſubiectum actionis in quantum eſt actio. At verò ſi ex actione reſultat relatio prædicamentalis (vt volunt Thomiſtæ,) terminus erit illius ſubiectum: ſi verò non reſultat (vt volunt Nominales) terminus quidem non erit ſubiectum cui inhæreat relatio, ſed quod intrinſecè denominetur ad aliud; & quia iſta relatio, ſiue denominatio fundatur in actione, iure dixit S. Thomas terminum eſſe priorem relatione, vt relatio eſt, ſicut duas res eſſe albas, eſt prius quam relatio ſimilitudinis, licet relatio non diſtinguatur ab vtraque.

S.Thom.

S.Thom.

§. 80. *Secūdum argumentum.*

Secundò moueri poſſunt: quia creatio eſt accidens, ergo habet ſubiectum, à quo dependeat, quia *accidentis eſſe eſt ineſſe.* Poſſet reſponderi, creationem eſſe modum ſubſtantialem. Verum hoc non eſt verum: quamuis enim in termino ſubſtantiali id defendi poſſet, tamen in termino accidentali non poteſt: tum quia in Euchariſtia nullus eſt conceptus ſubſtantiæ diſtinctus à ſubſtantia Chriſti. Quamuis enim definitio Tridentina directè ſit ad damnandos *impanatores*, aſſerentes manere ſubſtantiam panis in Euchariſtia: tamen eius definitio eſt vniuerſaliſſima, affirmans non manere niſi *dumtaxat accidentia*, vt patet ſeſſione 13. Canone 2. Vt autem nullus poteſt dicere, accidentia eſſe in alia ſubſtantia diſtincta à pane; ita non poteſt dicere manere alium conceptum ſubſtantialem diſtinctum à ſubſtantia Chriſti. Item non poteſt eſſe productio ſubſtantialis, vbi terminus eſt accidentalis, quia terminus eſt accidentalis, quia eſt extra conceptum ſubſtantiæ, cuius eſt terminus: ſed actio eſt etiam extra conceptum eiuſdem ſubſtantiæ, ergo eadem ratione erit accidens.

§. 81. *Subſtantia & accidens non diſparantur per dependentiam à ſubiecto.*

Reſpondeo igitur, ſubſtantiam & accidens non diſtingui per dependentiam à ſubiecto, vel non dependentiam: nam forma ſubſtantialis poteſt à ſubiecto pendere, & tamen non eſt accidens; ergo ſimiliter ex eo quod modus aliquis ſit independens, non erit ſubſtantia. Eſt ergo ſubſtantia, *ens per ſe*, ideſt, quod per ſuum conceptum conſtituit quod abſolutè vocamus *rem*, & eſt prima radix cæterarum proprietatum: eáque propter eſt *ſubſtantia*, licet ſit dependens: quia verò creatio eſt extra conceptum *rei*, non eſt *ens per ſe*, ſed accidit *rei*. De quo latè agitur diſp.10. metaphyſicæ ſect.3. eſt igitur conceptus accidentis vt ſic *eſſe extra conceptum rei*, omnéque accidens eſt intrinſecè dependens natura ſua ab aliquo, vel tamquam à ſubiecto inhæſionis, vt ſunt omnia accidentia abſoluta, vel tamquam à ſubiecto intrinſecæ denominationis, quod ab aliis vocatur *adhæſionis*, qualis eſt creatio: & in hoc ſenſu *accidentis eſſe eſt ineſſe*. Ariſtoteles autem non cognouit iſtas actiones potentiæ abſolutæ, & propterea illarum non meminit.

§. 82. *Creatio quātitatiua eſt accidens.*

Tandem videant ipſi in quo ſita ſit ratio accidentis; eaque conueniet huic creationi: Nec enim eſt prima radix cui debentur accidentia, nec ab illis denominatur aut *agens* aut *patiens*: nec eſt complementum ſubſtantiæ: ſed eſt via ad accidens: non fundans ſubſiſtentiam; via autem ad accidens, accidens eſt. Quod ſi obiiciant id non conuenire aliis accidentibus; reſpondeo nihil eſſe mirum, quia nullum aliud eſt creatio: hoc autem eſt accidens ſupernaturale; *cuius eſſe eſt ineſſe*; eſt enim in termino illud denominans, adeo vt eius eſſentia ſit in eſſe actualiter cum repugnantia ad non ineſſendum, (vt ſic loquar.)

Accidētis eſſētia quo pacto ſit ineſſe.

§. 83. *Creatio non habet ſubiectum.*

Dicendum ergo, creationem non habere ſubiectum in ratione productionis, vt ait S.Tho. ſupra, & ſimpliciter non habere ſubiectum, vt ait P.Suarez 1.metaphyſicæ diſp.20.ſect.5. nu.27. Probatur primò: quia terminus non poteſt eſſe cauſa materialis ſui ipſius: eſſet autem ſi reciperet actionem, vt de motu idem probaui, diſp.11.ſect.7.

§. 84. *Secunda probatio.*

Secundò probatur: quia terminus non poteſt concipi vt prior natura productione ſui; quia debet intelligi exiſtens cum dependentia à Deo; quia concipitur vt ens creatum exiſtens, in quo conceptu includitur creatio, per quam dependet; vt autem eſſet ſubiectum, opus erat vt conciperetur prius exiſtens. Hæ duæ rationes communes ſunt cuiuis actioni.

§. 85. *Tertia. Creatio eſt indepēdēs vt quo à ſubiecto.*

Tertiò probatur: creatio reddit ſuum terminum independentem vt *quod* ab omni ſubiecto, ergo illa eſt independens vt *quo* à ſubiecto omni. Probo conſequentiam: quia effectus formalis formæ continetur vt *quo* in forma ipſa: niſi enim ſua eſſentia ſit vt *quo* talis, quale denominat ſubiectum, implicat illud denominare. Niſi enim cognitio ſit *quo* cognoſcitur obiectum, non poterit denominare potentiam cognoſcentem vt *quod* obiectum: quod ex terminis patere videtur. Tunc ſic, creatio eſt independens vt *quo* à ſubiecto, ergo non poteſt pendere ab vllo ſubiecto. Probo conſequentiam: eſſe independens ab omni ſubiecto, & eſſe dependens à ſubiecto aliquo, ſunt termini contradictorij.

§. 86.

Dices creationem eſſe independentem vt *quo* à ſubiecto termini, non verò à termino ipſo. Contra: creatio eſt dependens à termino vt à ſubiecto, ergo ſimpliciter dependet à ſubiecto, & ſimpliciter non eſt independens à ſubiecto; ergo non poteſt reddere terminum abſolutè independentem vt *quod* à ſubiecto. Nam vt in ſimili acutè dixit Gabr.in 3.diſt.1.q.1.art.1.notab.5 initio: quo pacto denominare poteſt vt *quod* ſubiectum ea denominatione, qua ipſa caret? & vt Durandus obſeruat, actio tunc exigit ſubiectum, quando terminus illud exigit: terminus autem creationis illud non exigit, ergo nec creatio.

§. 87. *Si creatio inhæreret, non faceret terminū non inhærentem.*

Confirmatur primò: ſi creatio inhæret alicui ſubiecto, ergo terminus per illā inhęrebit ſubiecto eidem.

eidem. Patet conſequentia: terminus generationis nullo alio modo pendet à ſubiecto vt *quod*, niſi quia actio, qua producitur, pendet à ſubiecto: nam actio non conſtituit terminum dependẽtem actu, niſi ab illa cauſa à qua illa ipſa dependet: nec alio modo niſi ipſa dependente à cauſa: eo enim ipſo quod cauſalitas pendeat ab vno principio phyſicè, totus effectus illius pendet phyſicè ab eodem principio: quod ſi cauſalitas non pendet, nec pendebit effectus: quia non habemus rationem aliam attingendi effectus niſi attingendo cauſalitates: ergo ſubiectum, quod attingit creationem, attingit ſubiectiuè terminum illius; ſed terminus ipſe non poteſt attingere ſe ipſum ſubiectiuè, ergo nec creationem.

§. 88. *Comparatio creationis & inhærentiæ.* Confirmatur ſecundo: inhærentia non poteſt non inhærere alicui ſubiecto, ex quo educat terminum; quia eſt ratio formalis, qua terminus inhæret, & educitur; quod ſi ipſa non inhæreat, non poſſet facere terminum inhærentem; ergo ſimiliter creatio eſt omnino non inhærens, quia eſt ratio ob quam terminus eſt non inhærens. Aduerte, ad communicãdos huiuſmodi formales effectus, non ſufficere non inhærere vni ſubiecto, ſed non inhærere vlli: verbi gratia, eductio caloris ex aëre conſtituit illum dependentem ab aëre, illa non conſtituit calorem independentem à terra; nam per potentiam abſolutã poteſt manente illa actione pendere calor ſimul à terra per aliam actionem; quod non poſſet, ſi effectus formalis illius actionis eſſet reddere calorem independentem à terra: ergo quod creatio non pendeat ab alio ſubiecto, ſi tamen pendet ab vno, non poteſt reddere ſuum terminum independentem à ſubiecto, ſed eo ipſo quod illa pendeat ab vno, ab eodem pendebit & terminus; vt terminus eductionis pendet ab vno, eo ipſo quod ab eo pendeat eductio, licet non pẽdeat ab aliis. Tandem terminus per creationem eſt ſubſiſtens, quia fit ſine concurſu cauſæ intrinſecæ, ergo ipſa eſt ſubſiſtens, vt *quo*. Quod repugnat cum inhærentia.

SECTIO V.

Quæ res poſſint naturaliter, & diuinitus creari?

§. 89. *Nulla forma diſtincta à rationali creatur.* EST ſine controuerſia, non creari ex natura rei formam vllam (animo rationali excepto) nec naturalem, nec ſupernaturalem, quia omnes illæ petunt fieri cum dependentia à ſubiecto, & conſequenter ex illo, quod ex earum corruptibilitate conſtat: niſi enim à ſubiecto penderent, non eſſet cur eius ſeparatione perirent: de accidentibus res eſt clarior: quia ex natura ſua ſunt ad perficiendum ſubiectũ, extra quod nulli muneri ſunt apta: creatio verò eſt inſeparabilis à ſuo termino: quod ſi verè non habet ſubiectum, eſt, quia ipſa eſt ratio formalis independendi à ſubiecto, quod nulli accidenti conuenit. Eſt etiam certum animum rationalem propriè creari: idem probaui de materia prima diſp.2 ſect.8.

§. 90. *Compoſitum non creatur. S.Thomas.* Item diſp.6.ſect.4.oſtendi, compoſitũ in ratione compoſiti verè ac rigore non creari; ſed generari, cuius oppoſitum docere videtur S.Thomas 1. p.q. 45. art. 4. verum ibi agit Sanctus Doctor de creatione fusè ſumpta, quia etiã dicit formas concreari: vel dicendum compoſitum minus impropriè creari quàm formam; quia totum illud fit ex nihilo, ſed rigore vera ſunt quæ dixi illa diſp.6.

§. 91. *Omnis forma abſoluta poteſt diuinitus creari.* Item eſt ſine controuerſia, omnes formas abſolutas poſſe à Deo creari; tum quia quantitas in Euchariſtia creatur; ergo idem erit de cæteris: tum quia formæ non pendent per ſe tamquam per formalem dependendi rationem, ſed per dependentiã à ſe diſtinctam; at hæc dependentia per aliam perfectiorem poteſt à Deo ſuppleri; ergo. Quod ſi forma ſe ipſa penderet ab agente, & ſubiecto vt ratio formalis depẽdendi (vt nonnulli dicũt de actu vitali) equidem creari non poſſet, quia eius eſſentia eſſet actu ab illis cauſis oriri: at hoc eſt contra rationem formæ abſolutæ, quæ ſe ipſa non eſt affixa his principiis, quo differre rem à modo rei oſtendo diſp.2.metaphyſicæ ſect.5.

§. 92. *Modus poteſt diuinitus creari, generatio non. Modus ſe ipſo afficit ſed cauſatur alio modo.* Illa diſputatione 6. ſectione 4. huc remiſi, vtrum modi poſſint abſoluta potentia creari? & quidem non eſt ſermo de generatione, cui repugnat creari, quia eius eſſentia eſt actu eſſe dependentem à materia, quia eſt ratio formalis ab illa dependendi; quod ſi illius eſſentia eſt à materia pendere, implicat eam produci niſi dependendo à materia. Nam ſi exiſteret, quin à materia penderet, iam eius eſſentia non eſſet pendere actu à materia, vt ſi vnio exiſtere poſſet non vniendo, eius eſſentia non eſſet vnire; ſi autem exiſtere non poteſt niſi dependendo à materia, ergo non poteſt creari: quod eſt fieri independenter à materia.

§. 93. De cæteris modis idem cenſeo, quod de forma ſubſtantiali, & accidẽtali. Nempe eos poſſe diuinitus creari, quia forma creari poteſt à Deo eo præciſè, quia nõ pẽdet ipſa à materia per ſe, ſed per modum à ſe diſtinctum: ſed ſimiliter modi nõ pendent per ſe à materia, ſed per alium modum à ſe diſtinctum, ergo ſimiliter poſſunt creari modi. Probatur minor; quia vnio, verbi gratia, producitur ex materia per actionem à ſe diſtinctam (vt probaui diſp.5.) ergo per illam educitur vnio, ergo per illam pendet ex materia, quia educi à materia, & ab illa pendere, idem eſt.

§. 94. Confirmatur: paſſio eſt cauſalitas materiæ, vt probatum eſt diſp. 11. ſed paſſio non eſt vnio, ergo vnio non eſt cauſalitas materię. Cõfirmatur ſecundò, in vnione hominis, quæ nõ poteſt eſſe paſſio & receptio, ſed terminus receptus: nã receptio, alicuius eſt receptio, & via in terminum receptum: ſed per eam vnionem nihil recipitur vt terminus, quia animus rationalis, cum ſit independens à materia, non recipitur in illa inhæſiuè; ergo vnio hominis non eſt receptio, ſed generatio hominis immediatè terminata ad vnionem, quia illam educit ex ſubiecto, eſt cauſalitas, qua agens, & materia influunt in vnionem: ſicut generatio formæ materialis eſt, qua cauſatur forma ab agente, & ſubiecto.

§. 95. *In vnione diſtinguuntur realiter vnire & fieri.* Itaque, in vnione reperiuntur duo conceptus; alter dependendi ſubiectiuè à materia, quem conceptum vnio non habet à ſe; ſed à generatione ſui realiter diſtincta ab ipſa vnione: ſicut generatio formæ materialis diſtinguitur ab ipſa forma genita. Alter conceptus eſt afficiendi, ſeu denominandi extrema vnita: & hunc habet à ſe formaliter: quia eſt ratio vniendi extrema, & ſe illis. Quod plures eludit, exiſtimantes eſſe eumdem conceptum dependendi tamquam à ſubiecto, & afficiendi: vnio enim non generatur per ſe tamquam per rationem generandi, & tamen vnitur per ſe tamquam per formalem rationem vniendi: hos duos conceptus dico poſſe ſeparari, ita vt maneat vnio afficiens, & vniens extrema; & non maneat generatio vnionis: nam cum vnionem vniri, & dependere à materia ſint conceptus realiter diſtincti; cur non poterit eſſe vnio ſine tali

generatio

generatione,ſicut poteſt eſſe quantitas ſine ſua?

§. 96. *Duæ dependentiæ modi.* Dices;quia implicat modum manere niſi dependenter à re, cuius eſt modus, & non penderet ſi crearetur. Aduerte duas dependentias:alteram,qua vna res nequit etiam diuinitus manere ſine alia: alteram,qua verè pendeat per phyſicum influxum, primo modo non poteſt manere modus ſine dependentia à ſua re, quia ipſe modus eſt illa dependentia, quia eius eſſentia eſt tribuere rei denominationem ſui, & ſic ſine tali re eſſe non poteſt, vt vnio non poteſt eſſe ſine extremis, quia eius eſſentia eſt denominare extrema vnita: & actio non poteſt eſſe niſi denominando terminum actum, quia eius eſſentia eſt denominare actum: at verò rectè poteſt eſſe modus abſque altera dependentia cauſæ materialis: quia eſſentia modi diſtinguitur ab illa dependentia: rectè enim poteſt modus denominare rem, quin ſic ab ea pendeat: vt actio denominat terminum, à quo non pendet ſubiectiuè. Explicatur, motus localis producit vbicationem,quæ eſſentialiter conſtituit mobile in hoc numero loco, nec poteſt exiſtere niſi illud in eo conſtituens:at hęc vbicatio diſtinguitur à ſuo motu,quo producitur: cur ergo non poterit produci creatione ſicut producitur motu? tunc autem tam intrinſecè cõſtituet mobile in hoc loco, quàm antea:quia ſemper crearetur vbicatio affixa mobili & loco. Confirmatur:poteſt vnio conſeruari actionibus diuerſis,vt ſæpe contingit: ergo eſſentia vnionis non petit vnam determinatè; ſicut ergo pro vna ſuccedit alia, cur non poterit creatio ſuccedere?nec inde vlla contradictio ſequitur.

§. 97. *Si vnio crearetur, eſſet in homine tota eius perfectio.* Rogas, Vtrum eo caſu perficerentur extrema per vnionem? Reſpondeo ea perfectum iri vnione, quia hæc ſe ipſa eſt vtriuſque partis perfectio: qua poſita perficiuntur & complentur in ordine ad totum:nec deficeret homini vlla eſſentialis perfectio, nam vt res perficiat aliam, ſufficit eſſe ex natura ſua actum potentiæ paſſiuæ & terminum paſſionis: actu autem vniri ſine motu aut receptione cauſatiua, eſt per accidens:at tunc carerent extrema perfectione motus,aut actionis eductiuæ, quia creatio non eſſet illorum actio,nec actus,nec perfectio.

SECTIO VI.

Vtrum diuinitus generari poſſit res quæ naturaliter eſt terminus creationis?

§. 98. *Angeli generari non poſſunt.* Vidimus, rem generabilem poſſe creari:inquirendum,num res creabilis generari poſſit. Ac primò de Angelis certa videtur pars negatiua:quia generatur res ex ſubiecto, quod afficit vt forma: Angelo autem repugnat ratio formæ, quod eadem *Dubium de anima. Primum argumentum ſoluitur.* ratione dico de materia prima. Quæſtio eſt de anima rationali: pars negatiua videtur probari primò; quia quando res producitur modo non connaturali, requirit modum productionis, qui eminenter contineat productionem connaturalem: quam ob cauſam quantitas creatur in Euchariſtia: quia creatio eminẽter continet gẽnerationẽ quantitatis; ſed generatio non continet eminenter creationem: ergo res ex natura ſua creabilis non poteſt generari. Probatur minor, quia generatio eſt imperfectior creatione.

§. 99. Dices,diſtinguo minorem,quę vera eſt de generatione naturali, non de ſupernaturali. Ad probationem reſpondetur, creationem ex genere perfectiorem eſſe generatione, at generationẽ ſupernaturalem perfectiorem creatione naturali; vt in ſimili dixi diſputatione 9. ſect. 4. Immo hinc retorqueo argumentum: quia res generis inferioris, ſi conſtituatur in ordine ſupernaturali, poteſt præſtare, quod res naturalis generis ſuperioris; verbi gratia, vbicatio ſpiritualis, poteſt conſtituere totum in toto, & totum in qualibet parte: immo id præſtat multo miraculoſius, quia talis vbicatio repugnat ex natura ſua corpori, & non ſpiritui, ergo generatio ſupernaturalis præſtare poterit, quod creatio naturalis; & quamuis agens non eleuetur ad actionem ſuperiorem ex modo agendi, at eleuatur ad ſuperioris ordinis actionem nempe ſupernaturalis.

Arguitur ſecundò:quia res ſpiritualis non continetur in potẽtia paſſiua materiali. Dices. Diſtinguo;in paſſiua naturali,concedo; in obedientiali, nego;ſicut continetur vnio hypoſtatica. §. 100. *Secũdum argumentum.*

Tertiò animus eſt per ſe independens à materia; quo ergo pacto ab illa poteſt eſſe dependens? Dices. Reſpondeo,amittendo creationem, per quam eſt formaliter independens, & accipiendo loco illius generationem ſupernaturalem, per quam dependebit: ſicut gratia, quæ non eſt dependens à lapide in genere cauſæ materialis, nec à ſacramento in genere efficientis, poteſt ab illis pendere amittendo priores cauſalitates, & accipiendo nouas, quibus ad nouas cauſas determinetur. §. 101. *Tertiũ argumentum.*

Quartò, quia animus eſt ſpiritualis, ergo non poteſt à materia pendere. Diſtinguo conſequens: ex natura rei, concedo conſequentiam; miraculosè, nego: ſicut accidens ex natura rei non ſubſiſtit,miraculosè tamen ſubſiſtit. §. 102. *Quartum argumentum.*

Quintò; quia illa actio non eſt proportionata ad eum terminum, quæ neceſſariò eſt materialis, cum à materia ex natura ſua pendeat. Miror obiici hoc argumentum ab eo, qui ait ſubſtantiam produci modo accidentali, & hoc ex natura rei, cur ergo diuinitus non producetur ſpiritus modo materiali? Reſpondeo, illum modum ſatis eſſe proportionatum, quia non inhæreret animo; ſed illum afficeret vt purè terminum, ſicut vnio materialis afficit animam, & hypoſtatica Verbum attingit. §. 103. *Quintum argumentum.*

Sextò, vel tota materia concurreret ad animum; vel pars tantum; neutrum eſſe poteſt,ergo. Dices; reſpondeo totum animum cauſatum iri à qualibet parte, ſed non adæquatè: quia quælibet pars requirit conſortium alterius ad cauſandum animum, à quarum actionibus totus animus dependet: ſicut intellectio tota dependet ab intellectu, ſed non totaliter ab illo ſolo, ſed ab illo ſimul cum ſpecie impreſſa. §. 104. *Sextum argumentum.*

Dices,ergo animus eſſet tunc corruptibilis. Hæc conſequentia eſt neganda, quia incorruptibilitas eſt animo eſſentialis. Si enim tunc illa actio deſtrueretur: tunc Deus ex natura animi, vt auctor naturæ, illi prouideret creationem, quæ impedita fuerat per eam generationem; ablato autem impedimento conſequeretur ſtatim vnio, vt patet in quantitate Euchariſtiæ, cui in ſtomacho Sacerdotis tribuit Deus actionem, qua pendeat à materia reproducta poſt ſpecierum ſacramentalium corruptionem, vnde quantitas nunquam perit, quia ſublata actione miraculoſa, illi tribuitur naturalis,idem contingeret animo. §. 105.

Abſolutè cenſeo, animam non poſſe generari; quia nulla generatio eſt tam nobilis in modo exiſtendi, & producendi, quàm creatio; quia omnis generatio pendet à ſubiecto; & quantumuis ſit ſuperna §. 106. *Animam rationalem generari non poſſe monſtratur.*

ſupernaturalis, ſemper habet eum imperfectum modum. At actio ſupplens defectū naturalis actionis, debet in modo attingendi eſſe nobilior. Quæ obiiciuntur, §. 98. non ſunt è re; quia illi modi in ſubſtātia, & modo ſunt nobiliores modis, quorum defectus ſupplent; ſecus hic. Adde animam creari ſe ipſa: ac propterea non poteſt amittere creationem: omnis autem eductio petit natura ſua expellere creationem: ſed nulla productio petit terminum expellere: ergo nulla eductio poteſt eſſe animi productio.

SECTIO VII.

Vtrum creatura poſſit creare?

§. 107. INquiram primò ex natura rei, ſecundò ex abſoluta Dei potentia. Communis eſt Theologorum opinio (à quibus hac in parte non erit tutum deficere) tum in 2. diſt. 1. tum in 1. p. quæſt. 45. art. 5. nullam creaturam viribus ſuis poſſe aliam creare. Ratio tamen implicationis eſt inuentu admodum difficilis; ac primùm conſulendi ſunt, P. Suarez, 1. metaphyſicæ diſp. 20. ſect. 2. num. 1. Molina, & Vazquez, 1. p. q. 45. art. 4. probantes nullam creaturam ab alia eſſe creatam. Vnde non improbabiliter infert P. Suarez, nullam creaturam de facto eam vitutem habere, quia non eſſet cur ſemper ſua priuaretur actione. De poſſibili hanc rationem reddit Sanctus Thomas illo a. 5. quia effectus vniuerſaliſſimi ſunt tribuendi cauſæ vniuerſaliſſimæ, ſed terminus creationis eſt vniuerſaliſſimus, quia eſt ens inquantum ens, ergo eſt tribuendus cauſæ vniuerſaliſſimæ ſcilicet Deo. Sed hæc ratio non caret difficultate; primùm, quia ens, inquantum ens abſtractum, non creatur, alioquin omnia entia crearentur, & ipſe Deus. Item neque creatur ens participatum abſtractè ſumptum, quia forma materialis non creatur. Quæ eſt ergo illa ratio entis inquantum ens, quæ creatur?

P. Suarez. Molina. Vazquez.

S. Thomas.

Eius ratio difficilis.

§. 108. *Ratio entis vt ſic non creatur.* Dices rationem entis creabilis in cōmuni creari. Cōtra, quia ens creabile vt ſic, eſt terminus creationis vt ſic, & ens particulare, terminus particularis creationis, ſicut reſpectu generationis ens generabile eſt eius terminus; at verò terminus huius creationis *A*, non eſt ens vt ſic, ſed tale ens, ſicut terminus huius generationis eſt hoc generabile. Deinde actio phyſica non tendit in terminum præſcindendo vnam rationem ab alia, hoc enim prouenit à noſtro intellectu, eſtque extrinſeca denominatio intentionalis: at verò actio phyſica attingit res vt ſunt in ſingulari (vt arbitror à me ſatis apertè monſtratum contra non neminem recentiorem diſput. 10. in 3. part. ſectione 4. & diſput. 15. ſectio. 3.) ſed actio phyſica tendit in rationes communes, vt idemtificatas cum ſingularibus: nam actionis phyſicæ terminus, vt eſt terminus illius, eſt exiſtens à parte rei: omne autem exiſtens à parte rei vt exiſtens, eſt ſingulare, ergo omnis terminus actionis phyſicæ eſt ſingularis: quia vt terminus illius habet rationem, per quam exſtit à parte rei, ergo creatio *A*, non tendit in ens niſi in quantum eſt hoc, alioquin ratio huius entis per quam actionem formaliter produceretur? Adde, rationes communes non produci per ſe, ſed per accidens; quia *medicus non curat hominem: ſed Socratem, aut Chaliam.* Ita generat Socratem: & ratione illius cęteros gradus communes: quia actio per ſe primo eſt circa ſingularia: ergo ens eſt creabile non inquantum ens: ſed inquantum tale: ergo creatio eſt ad tale ens vt tale. Deinde ſi terminus huius creationis *A*, eſt ens inquantum ens, ergo creato vno animo non poteſt Deus alium creare, quia in primo producta fuit tota ratio entis.

Actio phyſica attinget rationes cōmunes vt cōtractas.

Dices, non fuiſſe productam totam rationem entis, niſi vt contractam, ſicut vna creatura generat aliam. Contra, ergo rectè poterit creatura aliam creare, ſicut generare: quia terminus generationis, & creationis eſt ſingularis. Senſus Sancti Thomæ eſt, per creationem produci ens inquantum ens, ideſt, totam entitatem termini independenter à ſubiecto, quia quando forma fit ex ſubiecto, non tam fit ens, quàm tale ens; ideſt, *album*, aut *equus*: quia ex non ante albo, aut ex non equo, ideſt, ex ſubiecto non albo & ex materia non equi, fit album aut equus, illæ autem formæ dicuntur confieri, quia terminus talis generationis eſt equus, qui ſecundum ſe totum non fit generatione, cui præceſſit ſecundum materiam, vnde fit, vt generatio non producat totum terminum, at verò animus non fit ex non homine, ſed ex non ente: quare eius productio non eſt productio hominis ex non homine, ſed entis ex non ente, vnde tota eius entitas fit per creationem, per generationem autem non fit tota entitas hominis. Cur autem repugnet tale ens à creatura produci? inquirimus. Aduerte Deum dici concurrere ad effectus creaturarum ſub ratione entis: non quod attingat ens vt ens; nam cum igne attingit calorem: ſed quia eius concurſus eſt indifferens ad hoc aut illud ens: determinatur autem à cauſa particulari ad hoc ens: at quādo creat, gerit vices cauſæ particularis determinatæ: vnde creat Angelum inquantum Angelus eſt. Immo ob differentiam Angeli creat illud ens: quia ens vt ſic eſt indifferens vt ſit creabile, aut generabile: eſſe autem creabile habet à perſeitate Angeli. De repugnantia vt terminus ſecundum rationem communem producatur, agendum diſp. 6. met. §. §. 109.

Secunda ratio eſt: quia quo magis terminus elongatur à ſubiecto, maiorem exigit perfectionē in agente; ſed terminus creationis elongatur infinite à ſubiecto; ergo requirit virtutem actiuam infinitam: inefficax calculatio, tum, quia millies inſtatur, vt quo perfectius eſt obiectum, perfectiorem requirit potentiam viſiuam; ſed Deus eſt infinitè perfectus: ergo ad videndum Deum requiritur potentia infinitè perfecta, quod conſequens eſt hæreticum. Negatur igitur illa conſequentia: ſed requiritur potentia altioris perfectionis, quàm ad videndum obiectum finitum: quod idem dico de potentia producente terminum infinitè elongatum à ſubiecto: deinde non eſt infinita diſtantia inter terminos *à quo, & ad quem* creationis, magis quàm inter terminos generationis, quia ſicut Angelus fit ex non Angelo: ita & albedo ex non albedine tamquam termino à *quo*, à materia autem non diſtat Angelus infinitè. §. 110. *Secūda ratio.*

Tātum diſtat à non eſſe res generabilis quantū creabilis.

Nec minus inefficax eſt quod infert Caietanus contra nos, poſſe dari potentiam generatiuam longè perfectiorem, quàm creatiua: quia maior virtus requiri poſſet ad educendam formam perfectiſſimam vincendo longam reſiſtentiam ſubiecti, quàm ad aliquem terminum creandum. Hoc (inquam) eſt inefficax: primò, quia eo admiſſo ſequitur apertè ad creandum non requiri virtutem infinitam, quia illa virtus generatiua, etſi eſſet perfectior, eſſet finita. Secundò, quia ex illa calculatione perfectioris formæ, & maioris reſiſtentiæ non colligitur virtutem generatiuā eſſe perfectiorem creatiua: quia terminus generatiuæ non eſſet tam §. 111. *Inefficacia argumenti Caietani.*

tam perfectus, quàm terminus creatiuæ; neque modus tendendi illius tam nobilis, quàm huius, quantumuis autem terminus ille generabilis in perfectione creſcat, ſemper manet imperfectior termino creabili, vt quamtumuis creſcat perfectio bruti, ſemper eſt imperfectius homine.

§. 112. *Inefficacia argumenti Scoti, & P. Vazq.* Pater Vazquez ſupra diſput. 175. numero 13. hanc ex Scoto reddit rationem, quia ſi qua creatura poſſet creare, maximè creatura liberè operans per actus intellectus, & voluntatis; ſed hi, cum ſint accidentia, non poſſunt producere ſubſtantiam, ergo. Neque hæc placet, tum quia creatio prodiret immediatè à ſubſtantia, intellectu, & voluntate liberè illi imperantibus, & præſcribentibus creationem, ſicut homo hominem generat & operatur, quia tam diſtingueretur tunc creatiua potentia ab intellectu, & voluntate, quàm in nobis generatiua: immò oſtendemus in metaphyſica attributum omnipotentiæ ratione diſtingui ab intellectu & voluntate Dei: tum quia licet volitio ſit accidens, ab ea tamquam à cauſa inſtrumentali, & à ſubſtantia creatiua, tamquam à cauſa principali creatio prodiret, vt de facto contingeret, ſi potentia generatiua eſſet accidens à ſubſtantia diſtinctum, & vt ipſe P. Vazquez docet, ignis per calorem producit ignem. Itaque creatio fieret à ſubſtantia tamquam à cauſa principali per directionem intellectus, & imperium voluntatis, vt brutum generat brutum cum dependentia ab imaginatione, & appetitu.

§. 113. *Vtrùm potentia creatiua eſſet perfectior intellectu.* Quarta ratio ſit: quia potentia creatiua, aut eſſet perfectior quàm intellectus, aut imperfectior; perfectior eſſe non poſſet, quia in creatura rationali primas tenet intellectus, tum etiam, quia illi reſponderet actio perfectior, quia hoc eſt de ratione potentiæ perfectioris, at imperfectior eſſe non poſſet, quia maior virtus requiritur ad creandum, quàm ad intelligendum. Reſpondeo primò, eam potentiam, neque eſſe perfectiorem intellectu, & voluntate, ſed omnes illas eſſe idem cum ſubſtantia creatiua rationali, at verò terminum potentiæ creatiuæ formaliter eſſe perfectiorem, quàm terminum intellectus & voluntatis.

§. 114. Reſpondeo ſecundò, fore perfectiorem creatiuam, quàm intellectiuam, ſicut in bruto perfectior eſt generatiua, quàm ſenſitiua: quia terminus creatiuæ, & generatiuæ eſt ſubſiſtens, Angelus, verbi gratia, aut equus; intellectiuam autem eſſe perfectiorem in modo vitaliter operandi. Neque eſt abſurdum potentiam nobiliorem ab ignobiliori pendere, quia caret ea perfectione, quam habet ignobilior: licet aliunde eam excedat, vt patet in Charitate, quæ Fide perfectior eſt, & tamen ab ea pendet in operando; item vnio hypoſtatica, licet non pertineat ad intellectum, eſt perfectior quocumque habitu intellectuali: ergo aliquid poteſt non pertinere ad intellectum, & eſſe perfectiſſimum in creatura rationali: etiam animal pendet à phantaſia, & ſenſu in generando, cum terminus genitus perfectior ſit, quàm potentiæ ſenſitiuæ bruti (ſi modo à bruto diſtinguuntur.)

§. 115. *Inefficacia argumenti P. Suarez.* Quintam reddit P. Suarez, quia de facto Deus non communicauit eam virtutem: ergo non eſt communicabilis. Nego conſequentiam, quia poteſt Deus creare mille rerum ordines præter creatos de facto.

§. 116. *Sexta ratio.* Sexta poſſet afferri ex identitate creationis cum termino creato, quia omnis res creata creatur per ſe ipſam tamquam per formalem rationem: ergo non poteſt pendere niſi à ſolo Deo. Patet conſequentia, quia actio, quæ ſemel eſt vnius agentis, non poteſt eſſe alterius, ſed terminus creatus eſt actio ſui ipſius, ergo non poteſt dependere niſi ab eo agente, à quo ſemel dependet. Contra primò, quia falſum adducitur fundamentum, vt patet in quantitate. Deinde poſſemus conſiderare duo genera creabilium: primum eorum, quæ à ſolo Deo dependent, ad quod non poſſet concurrere creatura propter rationem redditam: alterum eſſet rerum dependentiũ à Deo & creatura, ad quod genus concurreret cauſa creata, vt ad quantitatem.

§. 117. *Nulla creatio eſt cõnaturalis agenti creato.* Ego ſic exiſtimo, nullam actionem poſſe ex natura ſua creaturæ conuenire, quæ non ſit proportionata modo eſſendi illius. Ea enim ratione probatur animas brutorum non agere niſi cum dependentia à materia, quia illæ ab ea dependent in eſſe; nulla autem eſt creatura, quæ non habeat aliquam compoſitionem, vel ex materia & forma: vel ex accidenti, & natura: vel ex natura, & ſuppoſito: ergo nulla creatura poteſt habere aliquam actionem, quæ non ſit pars veræ compoſitionis, vel ſubiectum: patet ex maiori iam poſita. *Creatio nullã facit compoſitionem.* Sed creatio nullam facit compoſitionem tamquam forma, vel ſubiectum, vt probatum eſt: ergo creatio non poteſt ex natura ſua conuenire creaturæ. Si minus hæc ratio placet, quære aliam.

§. 118. *Poteſt eſſe inſtrumentum ad creãdum.* De potentia abſoluta poſſe aſſumi inſtrumentum ad creationem, ſuppoſita potentia obedientiali actiua, videtur clarum: quia vix affertur vlla efficax ratio, qua probetur non poſſe creaturam ex natura ſua creare, ſed ad idẽ manuducimur autoritate: multo igitur minus afferetur ad potentiam abſolutam. S. Thomas. Quando verò S. Thomas negauit ſupra artic. 5. poſſe aſſumi inſtrumentum ad creandum, intellige de inſtrumento præuiè operante, quia præuia operatio debet eſſe in ſubiecto: terminus autem creatus non fit ex ſubiecto. Hanc eſſe mentem Sancti Thomæ, patet ex eius probatione, quæ tota eſt de inſtrumentis diſponentibus ſubiectum: cum ergo ratio ſit euidens de iis inſtrumentis, in aliis autem ſit abs re, non eſt credendus Sanctus Thomas afferre probationes à concluſione aberrantes. Iam dixi diſputatione 9. ſectione 12. à B. Thoma conſtitui duo genera inſtrumentorum: alterum vulgatius diſponens ſubiectum, cui negat concurſum in creationem: alterum, quod nihil operatur præuiè, vt phantaſma. De hoc non agit ibi: quod dico poſſe producere totum vnum ens nullo præſuppoſito ente, vt ſubiecto ſuæ actionis: quamuis multa alia ſupponantur, non vt ſubiectum. Durand. Aduerte à Durãdo in 2. diſt. 1. q. 4. num. 23. oppoſitam ſententiam defendi, opinatur enim poſſe alicui creaturæ communicari facultatem creandi aliam in ſpeciali: Verum ſolus eſt Durandus, quamuis Magiſter in idem inclinat: Magiſter. ſed explicatur de potentia inſtrumentaria.

DISPVTATIO XIII.

De Infinito.

SECTIO I.

A Deo cognoſcuntur infinita indiuidua infinitarum ſpecierum, nullum tamen infinitum ſimpliciter in eſſentia.

§. 1. *Infinitum quid.* VArie accipitur *Infinitum*. Propriè ſignificat, *id quod caret limite, fine, ac termino*, ideſt, infinitum, vel ſine fine. Vnde reiicio ab

ab infiniti ratione punctum, quod licet non habeat finem,nec initium magnitudinis,ipſum enim non eſt magnitudo, ſed terminus magnitudinis: diciſque poteſt negatiuè infinitum:item reijcio id, quod eſt imperfectum,ſiue cui non imponitur manus vltima, ſic dicitur Domus *infinita*,id eſt, nondum omnino facta: totidem modis dicitur infinitum,quot ſunt limites;quibus res caret.

§. 2. *Infiniti diuiſio.* Primum dicitur infinitum in *eſſentia*, quod eſt infinitum ſimpliciter,cuius natura,& eſſentia nullos habet terminos,qualis eſt eſſentia diuina; proprietates naturaliter ſequentes hãc eſſentiam, ſunt ſimpliciter infinitæ in ſuo genere, vt potentia, cognitio, &c. Quia proprietas, & modus operandi ſequitur eſſendi modum.

§. 3. Deinde infinitum poteſt accipi in aliquo genere determinato, de quo quæritur vtrum conueniat rei eſſentialiter finitæ? Nam vt rectè S.Tho.1.par. quæſt.7.art.3. eſſentiæ finitæ conuenire poteſt aliqua infinitudo, vt quantitati infinita magnitudo, & multitudini infinitæ vnitates, quod controuertitur inter Philoſophos: nec propterea res erit infinita ſimpliciter, quia habet multas imperfectiones illi finem præſcribentes.

§. 4. *Infinitũ ſimpliciter & ſecũdum quid.* Rurſus infinitum *ſecundum quid*, ſeu in aliquo genere, ſumitur pro infinito ſimpliciter in eo genere,& ſecundum quid. Infinitum ſimpliciter eſt, *quod nullos habet terminos.* Secundum quid eſt, *quod ſemper habet terminum actu, in potentia tamen non habet*; quia nullus poterit aſſignari terminus, quem prætergredi non poſſit: vt patet in quantitate, & multitudine. Infinitum *ſimpliciter* vocatur infinitum in actu; quia actu nullos habet fines. Infinitum *ſecundum quid,* vocatur infinitum in potentia, quia poteſt ſine fine creſcere. Vocatur autem infinitum ſimpliciter in eo genere,quod licet primo adſpectu videatur cõiungere terminos repugnantes; rectè tamen dicitur.Nam in quantitate,exempli gratia, poſſumus dicere non poſſe dari,nec primam nec vltimam partem actu exiſtentes: quod eſt habere magnitudinem ſimpliciter infinitam,& eſſe infinitum ſimpliciter in genere quantitatis: poteſt item dari prima & vltima actu exiſtens,non tamen in potentia; quod eſt in genere quantitatis infinitum ſecundum quid. Igitur ad explicandas

§. 5. vltimas, & primas partes magnitudinis, dicimus eam eſſe finitã actu: quando verò in partibus actu exiſtentibus nec eſt prima, nec vltima, dicimus eam magnitudinem eſſe ſimpliciter infinitam in ratione magnitudinis;ſi verò ſimpliciter infinitum ſumatur in rigoroſa ſignificatione, eſt implicare terminos vocare *infinitum ſimpliciter* & *in vno genere*; quia eo ipſo quod ſit *in vno genere*, eſt *ſecundum quid*, & non *ſimpliciter.*

§. 6. *Infinitum categorematicũ & ſyncategorematicum.* Huc recidit infinitum *categorematicum*,quod eſt infinitum ſimpliciter, & per ſe; ſiue quia ſecundum id quod habet,eſt ſine fine: nam ſicut terminus categorematicus eſt,qui ſolus per ſe ſignificat, ita eſt categorematicè infinitum, quod per ſe tale eſt. Infinitum ſecundum quid vocatur *ſyncategorematicum*, quia ſicut terminus ſyncategorematicus per ſe non ſignificat, ni adiunctus alij termino;eáque propter dicitur *conſignificatiuus*, id eſt, ſignificans cum alio, ita infinitum ſyncategorematicum non eſt infinitum per ſe, ſed per additionem aliarum rerum: hoc enim genus infiniti,ſecundum ea, quæ habet, eſt finitum: ſecundum autem ea, quæ non habet, ſed habere poteſt, eſt infinitum, quia poteſt illi fieri additio ſine termino, & ſic dicitur *infinitum in potentia, & ſecundum quid*, abſolutè autem, & actu *finitum*,quamuis hi vltimi termini ap-

Syncategorematicũ eſt finitũ in actu, vt infinitũ in potentia.

plicentur infinito in potentia: quod etiam diuiditur in *categorematicum* ſeu ſimpliciter, & in ſecundum quid ſeu *ſyncategorematicum.*

Aliqui affirmant,Deum non cognoſcere infinitam multitudinem rerũ poſſibilium, ſed eas, quas cognoſcit eſſe ſimpliciter numero finitas. Ita expreſsè ſentit Scotus de Gratia actuali Chriſti, & cæteris qualitatibus in 3. diſt.13. quæſt.4. §.*Ad 1. quæſt.dico.* à quo non videtur Caietanus diſſentire in 3.part.quæſt.7. art.12. §.*ſiſte hoc in loco lector:*ſed quidem non conſentit: non enim negat augmentum infinitum de potentia abſoluta, ſiue à parte agentis, ſed tantum ait illud non conuenire qualitati ex conceptu ſuo. Hanc opinionem nonnulli appingunt Durando, ſed dubio quidem iure. Ille enim in 1.diſt.39. quæſt.2.à nu.8.docet à Deo cognoſci infinitas cogitationes cordis in tota æternitate exiſtentes: item ſcientiam ſimplicis intelligentiæ non terminari ad obiectum finitum in potentia tam multitudine,quàm magnitudine docet tota ea quæſt. §. 7. *Opinio negãs cognoſci à Deo infinita.* Scot. Caiet. Durand.

At verò diſtinct.43.quæſt.2. num.7. negat infinitudinem ſpecierum,poſſibilium inuicem ſubordinatarum, non verò diſparatarum: diſtinctione quidẽ 44. quæſt. 2. magis videtur inclinare in eam ſententiam, ſed tamen expreſsè eam non defendit,ſed videtur eam in vtramque partem diſputare, propoſita enim ſententia communiori, dicit nu.8. *Quicquid ſit de concluſione, rationes tamen iſtæ non cogunt.* Quidquid autem nunc ſit de infinitate ſpecierum, negari indiuidua eiuſdem ſpeciei infinita in potentia minimè poſſunt. §. 8.

Primò enim videtur hæc opinio illabi in errorem Vviclephi. Refert enim Vvaldenſis tom.1.lib. 1. cap. 14. eum hæreticum dixiſſe, non potuiſſe à Deo fieri infinitos effectus,neque eos contineri in omnipotentia Dei,quod Vvaldenſis damnat erroris. Hunc errorem ſuxit Ioannes Hus, qui inter eius errores refertur his verbis in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 15. *Deus nihil poteſt annihilare, nec mundum maiorare, vel minorare, ſed animas vſque ad certum numerum creare, & non vltra.* At illa propoſitio merito dicitur ibi dãnata ab omnibus Theologis, & refertur inter Huſitarum articulos damnatos, ergo hæc opinio longè eſt abigenda. Eam eſſe eumdem errorem Ioannis Huſi ſic probo, ille enim dicebat poſſe à Deo fieri animas vſque ad certum numerum finitum, & non vltra. Hæc autem opinio ait cognoſci à Deo indiuidua certo numero circumſcripta,& non vltra.Quo ergo differt ab Huſo? maximè cum illis factis eſſet certus numerus,vltra quem non poſſet eſſe minor:eas autem fieri poſſe,cum ſint finitæ, quid vetat? §. 9. *Ea opinio vicina Vvicle-phana.* Vvalden. Hus. Concilium Conſtantin.

Dicendum ergo in omnipotentia Dei contineri infinita indiuidua, ita vt tota illa multitudo careat primo & vltimo indiuiduo, & ſignato quocumque numero, poſſint alij ſine fine ſignari: eáque omnia in particulari à Deo clarè,atque diſtinctè cognoſci. Ita S.Thomas 1.part.quæſt.14.artic. 12. Caietanus ibi cum omnibus Thomiſtis. Durandus adductus §.6. Gabriel cum Okamo in tertium diſtinct.13,quæſt.vnica art.1.bene poſt notabile tertium. P. Molina cum S. Thoma ſupra, P. Vazquez diſput. 63. cap. 2. P. Valentia tom. 1. diſput.1. quæſt.14. puncto 6. Probatur primò: quia Deus per ſcientiam viſionis cognoſcit infinitos actu exiſtentes extra ſuas cauſas, vt oſtendam ſect. 3. §. 10. *In Deo continentur infinita indiuidua cognita diſtinctè.* S.Thom. Caiet. Durand. Gabr. Okam. P.Molin. S.Thom. P.Vazq. P.Valent.

Secundò, quia Deus vltra diem iudicij potuit mouere cœlum ſpatio vnius anni; quo elapſo poteſt per alium annum cœlum idem mouere:

Vltra diem iudicij poteſt moueri cœlũ abſque fine.

quid enim id repugnat? ſignato autem quocumque motu, poteſt Deus cœlum iterum circum agere, & ſingulis circuitionibus creare vnum animum, aut Angelũ vnum. Quod videtur ex terminis notum. Hæc autem in particulari à Deo cognoſci non eſt minus certum, quàm ſingula poſſe liberè à Deo produci.

§. 12. *Solutio impugnata clarè.*

Reſpondét aliqui; hoc argumentum eſſe ineffi-cax: quia poteſt reſponderi poſſe cœlum moueri ſine fine, motibus quidem prioribus repetitis; non tamen nouis. Contra: ipſi diſtinguunt durationem à re durante, eámque cõſtituunt eſſentialiter ſucceſſiuam; nec poſſe durationem heſternam craſtino reſpondere diei: ſed illi motus ſine termino repetiti poſſunt habere durationes diſtinctas abſq; termino: ergo cognoſcit Deus aliquod infinitum ſine termino. item poteſt Angelus diſtinctis actibus cognoſcere omnes eiuſdem motus repetitiones: qui actus ſunt infiniti. etenim Angelus poteſt vi ſua eos motus cognoſcere, & ſingulos actibus ſingulis: immo illi actus poſſunt eſſe infinitarum ſpecierum: quia vno cognoſcitur vnus motus: alio duo; alio tres, &c. cur ergo & ipſi motus non erunt infiniti?

§. 13. *Homines poſſunt eſſe infiniti.*

Tertiò probatur apertè: homines poſſunt multiplicari in eadẽ ſpecie humana ſine fine, ſed Deus cognoſcit omnes illos, ergo Deus cognoſcit infinitam rerum multitudinem. Probatur maior; quia nullus poteſt aſſignari certus numerus hominum, vltra quem nõ poſſit dari alius homo: non eſt enim maior ratio, cur poſſint eſſe quatuor homines, potius quàm ſex: id enim qua ratione monſtrabitur? Ergo nullus poteſt aſſignari determinatus numerus hominum. Confirmatur: ſupponamus illum tuum numerum eſſe centum hominum, dic obſecro, cur repugnat vnum ſupra centum, cum non repugnauerint centum? Et quocumque numero aſſignato faciam idem argumentum.

§. 14. *Nõ cognoſcit Deus numerum determinatum, ſed infinita.*

Dices, poſſe aſſignari quemcunque numerum, dummodo non ſit infinitus. Contra; quia Deus per te cognoſcit numerum determinatum, & finitum, rogo cur illo aſſignato non poſſit eſſe alius homo? Dices, quia poſſet eſſe infinitum in actu. Contra, quia hoc ego contendam ſect. 2. & 3. ex eo quod Deus infinita cognoſcat. Deinde, vt alij negant infinitum in actu, id tu etiam negato, ne te conijcias in has anguſtias, vt communem opinionem defendas. Confirmatur, pone homines poſſibiles eſſe decem (exempli gratia) da mihi duas propoſitiones inuicem contradicentes ex eo quod ſint tredecim, quod ſint quatuordecim, quindecim, ſedecim, &c. ridicula ſunt hæc, & homine philoſopho indigna.

§. 15. *Syncategorematicè infinitum non eſt in rebus poſſibilibus, ſed in actualibus.*

Dicunt alij contineri in omnipotentia Dei effectus ſyncategorematicè infinitos, id eſt, non tot, quin plures. Contra: infinitum ſyncategorematicum ſecundum id quod habet, eſt ſimpliciter finitum, alioqui eſſet ſimpliciter infinitum, quod eſt eſſe categorematicè infinitum: ſecundum autem ea, quæ habere poteſt, eſt infinitum, quia ea quæ habere poteſt, nunquam habet, ergo eſt in potentia infinitum, vt linea exiſtens vt exiſtens eſt ſyncategorematicè infinita: quia habet quantitatem exiſtentem finitam: at quæ exiſtere poteſt, eſt infinita. Hoc autem de poſſibilibus adſtrui non poteſt ſine hallucinatione terminorum. Sumamus enim ſtatum rerũ poſſibilium, antequam Deus aliquam crearet: rogo vtrum illæ res ſecundum ſtatũ poſſibilem ſint infinitæ categorematicè, id eſt, inter eas non eſſe primam, & vltimam? Et ſic habeo intentum. Vel ſunt ſyncategorematicè infinitæ? ſic autem in ſtatu poſſibili erunt finitæ, & habent primam & vltimam: at verò ſecundum additionem poſſibilem erunt infinitæ. quod terminis implicatur; quia vltra creaturas poſſibiles non poteſt eſſe additio. Nam quod addi poteſt, poſſibile eſt, & inter poſſibilia continetur: quod ſi additio poſſibilis eſt ſine termino, creaturæ poſſibiles ſunt ſine termino. Nec eſſe poſſet infinitum ſyncategorematicum, quin actu eſſent poſſibilia infinita ſimpliciter; alioquin finiretur obiectum omnipotentiæ, & veniretur ad vltimum, vltra quod non poſſemus progredi.

§. 16. *Deus non cognoſcit infinitum ſyncategorematicè ſed categorematicè.*

Dicunt alij; eſſe poſſibiles creaturas infinitas ſimpliciter, ſed à Deo non cognoſci omnes categorematicè. Error peior priori, quia tribuit Deo imperfectam notitiam. Nullus eſt effectus poſſibilis, quem Deus non cognoſcat actu claro, atque diſtincto, multo melius quàm ego cognoſco quinque digitos meæ manus; ſed effectus ſunt infiniti, ergo clarè, atque diſtinctè noſcuntur à Deo. Præterea rogo, vtrum Deus poſſit de nouo cognoſcere aliquem effectum, quem antea non cognouerit? Nullus erit tam ſtolidus, qui id affirmet, cecidiſſet in Deum ignorantia rei toto tempore præcedente nouæ notitiæ: ergo non poteſt eius ſcientiæ addi obiectum, quod de nouo cognoſcat; ergo in cognitione Dei non eſt obiectum ſyncategorematicè infinitum. Patet cõſequentia; quia infinito ſyncategorematico poteſt fieri additio in eo ſtatu, in quo eſt infinitum, vt patet ex dictis; ſed obiecto cognitionis Dei, vt eſt in illa, non poteſt fieri additio, ergo non eſt ſyncategorematicè infinitum in ratione obiecti.

Deus nihil de nouo cognoſcit.

§. 17. *Infinitæ rerũ ſpecies cognoſcũtur à Deo.*

Nunc opinioni Durando adſcriptę litem intendam, aſſerenti à Deo non cognoſci infinitas rerum ſpecies, quia in illis repugnat infinita proceſſio: quia ſequeretur dari poſſe aliquam creaturam infinitam in eſſentia. Impugnatur tamen, quia poſſet dici, non eſſe poſſibilem aliam ſpeciem præter eas, quæ de facto ſunt productæ; quod in parte recidere videtur in errorem Vuicleffi, & eſſe contra Paulum aſſerentem, ſe non ſeparatum iri à Charitate Chriſti à præſentibus, inſtantibus, & futuris, ſed neque à creatura alia, vbi *per creaturam aliam* intelligit res poſſibiles.

§. 18. *Aſſignata vna ſpecie ſunt infinita illa imperfectiores; & perfectiores infinita.*

Deinde probatur, quia ſi eſſent eſſentiæ rerum determinatæ, poſſet dici non eſſe poſſibiles alias præter eas, quæ de facto ſunt: quod ſine fundamento diceretur: cur enim repugnat fieri Angelum perfectiorem omnibus exiſtentibus modo? ergo poterunt eſſe plures: at hoc etiam ſine fundamento dicitur, vnde enim id tibi conſtat? Vel ſi ſunt poſſibiles plures, ſupponamus eſſe centũ, quæ implicatio ſequitur, vt vltra illas centum ſit vna? Videatur hoc argumentum in §. 13. Itaque ſignata quacumque ſpecie poſſe aliam aſſignari, nullum eſt inconueniens. Neque ſequitur inde ab eo cognoſci aliquam creaturam infinitam ſimpliciter in eſſentia: quia eo ipſo quod ſit creatura, habet eſſentiam finitam, & limitatam: cui poſſent præſcribi infiniti termini tam in eſſendo, quàm in operando, cum à cauſa prima dependeret in illis, & haberet aliquam compoſitionem realem. Nam eſſentia infinita eſt, quæ caret principio & fine: at nulla creatura caret principio & fine, quia Deus eſt principium & finis cuiuſuis creaturæ.

Nõ poteſt eſſe creatura infinita per eſſentiam.

§. 19.

Dices, eſſet infinita in ſuo genere, ſicut homo in ratione animalis. Contra: quia hoc non tollit rationẽ finiti ſimpliciter, quia illud genus eſt ſimpliciter finitum. Itaque nulla eſt aſſignabilis ſpecies, quæ ſit omnium infima, vel ſuprema, quia illa aſſignata,

Digitized by Google

aſſignata: poſſunt aliæ ſuperiores,& inferiores aſſignari. Nec quia res excedat in perfectione infinitas ſpecies,ideo erit infinita ſimpliciter:vt homo nō eſt infinitus, licet excedat infinitas ſpecies materiales, quia participat plures imperfectiones rerum inferiorum: ſicut nulla res eſt infinitè imperfecta, quia licet ſit imperfectior infinitis ſpeciebus imperfectis,participat tamen aliquam illarum perfectionem.Cur enim poſita vna creatura repugnabit alia quæ habeat modum cognoſcendi Deum magis perfectū quàm Angeli? Et alia magis quàm hæc? Et ſic ſine termino maximè cum Deus infinitè ſit participabilis?Argumenta Durandi & Scoti ſunt facillima ſolutu.

§. 20. *Obiectio occluditur euidenter.*

Huic tamen reſpondet non nemo: eſſe aliquam creaturam in collectione poſſibilium, quæ ab aliis non excedatur; & aliquam cui omnes aliæ excellant; ergo non repugnant perfectiſſima,& imperfectiſſima omnium. Nihilominus inter illas duas ſunt poſſibiles infinitæ. Antecedens probat: quia niſi eſſet aliqua perfectiſſima,ergo eſſet extra illam collectionem aliqua perfectior; ergo non omnes exceduntur. Confirmatur primùm, Deus perfectiſſimè callet omnes ſpecies poſſibiles; ergo videt quænam ex illis minus, plúſve cæteris ab ipſo diſtet. Confirmatur ſecundò in homine: videt Deus quæ illum creatura ſuperet immediatè: & hanc quæ ſuperet: ergo ſcit Deus quæ vltimò hominem excedat.

§. 21. *Omnis creatura excedit infinitas, & ab infinitis exceditur.*

Reſpondeo nullam eſſe quin infinitas excedat, & ſuperetur ab infinitis. Ad probationem antecedentis nego primam conſequentiam: quia omnes creaturæ excedentes & exceſſæ continentur in collectione creaturarum poſſibilium:in illa tamen nulla eſt, quin ſit ſuperior & inferior infinitis. Quod in multitudine & magnitudine patet: quia nulla eſt magnitudo finita quin excedatur ab infinitis; quia ab illa ad infinitam poteſt fieri additio infinita: nec tamen eſt extra magnitudinem poſſibilem alia excedēs quamlibet magnitudinem. Ad primam confirmationem, videt Deus nullam eſſe creaturā inter ceteras omnes ſibi propinquiſſimam, nec diſtantiſſimam: quia *quod non eſt, non ſcitur.* Ad ſecundam,nullam videt Deus à qua vltimo excellatur homo.

Nulla eſt multitudo finita tam magna, vt nō ſint infinita maiores.

§. 22. *Obiectio ſecunda. Deus eſt infinitè participabilis.*

Secundò, Reſpondet inter Deum & creaturarum collectionem eſſe infinitam diſtantiam;& tamen non eſt poſſibilis alia creatura:ergo hinc non non colligitur eſſe poſſibiles infinitas. Reſpondeo argumentum ſumi ab infinita participatione Dei: & poſita vna perfecta,eſſe poſſe infinitas perfectiores;nec hinc inferri contradictionem. Nec eſſe cur in vna ſiſtatur,ſed progrediamur ſine fine.

SECTIO II.

Argumentorum ſolutione oſtendo non repugnare infinitum in actu.

§. 23. *Opinio negās poſſe eſſe infinitum.* Ariſtot. S.Thom. Caiet. Capreol. Ferrar. P.Vazq. P.Conimb. P.Valent. P.Pereir. P.Rubius.

ARiſtoteles hoc 3. & vbique aſſirmat, repugnare infinitum in actu; de cuius auctoritatē non eſt multum curandum in quæſtionibus de potentia abſoluta, quia eam ignorauit: eandem ſententiam ſequitur S.Thom. 1.p.q.70.art.3. & 4. Caietanus,Capreolus Ferrara, & alij, quos referūt Pater Vazquez ibi diſput. 26. num. 1. & Conimbricenſes hoc lib.3.c.8.q.2.art.1. quibus ipſi adſtipulantur art.3.& P.Valentia.tom.1. diſput. quæſt. 7.punct.3.P.Pereira lib.10.Phy. c.11. P.Rubius 3. Phyſ. tract.2. q.3. num. 85. aliique quam plurimi, ſed nullam aſſerunt repugnantiæ rationem,vt iam probo.

§. 24. *Prima rationi ſatisfit.*

Prima ratio, quam afferunt, eſt, quia omnipotentia Dei eſt ſimpliciter infinita, ergo non poteſt producere infinitum in actu.Probatur conſequentia, quia ſi ſemel poteſt producere infinitum, ergo etiam poterit actu producere quicquid eſt producibile: ſed tunc finiretur omnipotentia Dei; quia iam non valet quid vltra producere,ergo.

§. 25. *Infinitum in actu eſt argumentū potentia infinita.*

Sed hæc ratio eſt inefficax, tum quia ex ea oppoſita cōſequentia erat deducenda, infinitus enim effectus actu productus argumentum eſt infinitæ potentiæ. Tum, quia omnipotentia Dei non eſt magis infinita quàm ſcientia ſimplicis intelligentiæ, & tamen ſcientia ita cognoſcit infinita, vt nihil ſit aliud tali ſcientia cognóſcibile præter id quod actu cognoſcitur: ſed illa ſcientia non finitur; nec clauditur terminis, ergo neque omnipotentia finitur,etiamſi producat omne producibile.

Sciētia eſt infinita, quia terminatur ad omne ſcibile.

§. 26.

Confirmatur:nihil eſt poſſibile præter id, quod de facto poteſt Deus facere,& tamen obiectū omnipotentiæ eam non limitat,aut definit: ergo etiam ſi totum illud obiectum de facto producatur,non finiet omnipotentiam. Ratio à priori, quia non poſſe produci aliud præter iam producta, oriretur non ex imperfectione Dei,ſed ex repugnantia obiecti, ſicut non cognoſci à Deo aliud præter id, quod cognoſcitur,venit ex repugnantia obiecti,& non ex imperfectione ſcientiæ. Hinc eſt nullam eſſe imperfectionem in Deò,non poſſe chymæram producere. Præterea obiectū illud omnipotentiæ, ſi actu produceretur,eſſet ſine termino,& fine:quā ob cauſam eius productione non limitaretur omnipotētia Dei, neque exhauriretur, ſed potius actu referretur ad ſuum adæquatum obiectum, & cum illo adæquaretur actu. Quod poſſet annihilare, & iterū reproducere. Immo retorqueo argumentum, quia niſi poſſet fieri infinitum actu, ſemper præſcriberetur terminus omnipotentiæ Dei,quia ſemper,quod actu produceret,eſſet finitum neceſſario, quod ſi ex eo quod poteſt infinitum in potentia, eſt infinita; multo melius id erit, ex eo quod infinitum de facto producat.

Chymæram non poſſe à Deo fieri non eſt imperfectio.

§. 27. *Secunda rationi S. Tho. occurritur. Infinitū qua ratione cadit in certam intentionem agentis.*

Secunda ratio eſt S.Tho. ſupra: quia quidquid fit à Deo,cadit ſub certam agentis intentionē: ſed infinitum non ita cadit,quia non habet certam, & determinatam ſphęram,ergo.Diſtinguo maiorem, debet cadere ſub certam intentionem, id eſt, ſub determinatam voluntatem directam,infallibili cognitione,concedo maiorem; debet cadere ſub certam intentionem numeri, aut menſuræ,nego:quia infinitudo rerum poteſt à Deo certò, & infallibiliter dirigi in duos fines,ac ſi eſſet finita.

§. 28. *Tertium argumentum.*

Tertiò,quia repugnat multitudinem non eſſe in aliqua ſpecie numeri: ſed omnis numerus eſt finitus,ergo.Confirmatur,quia ſequeretur partem eſſe æqualem toti, quia numerus binarius, qui eſt pars quaternarij,poſſet toties multiplicari,quoties quaternarius,& contra: hoc autem eſt impoſſibile;ergo. Negatur maior:nam tota collectio rerum poſſibilium, quam Deus cognoſcit, non eſt in ſpecie numeri, quia id conuenit multitudini finitæ. Ad confirmationem negatur ſequela,ad probationem reſpondeo multiplicatione finita toties poſſe replicari quaternarium, quoties binarium:at non ita multiplicatione infinita, quia quaternarius infinities ſuperatur à binario, vt etiam patet in illa rerum infinitudine à Deo cognita, in qua non ſunt tot hominum quaternarij numeri cogniti à Deo, quot binarij:cum tamen in numero finito tot poſſint produci à Deo quaternarij,quot binarij.

Infinita multitudo non eſt in ſpecie numeri.

In infinito tot ſunt quaternaria finita quot binaria.

§. 29. *Infinitũ qua ratione minus aut maius alio.*

Confirmatur,videt Deus infinita malogranata, & in ſingulis centena grana, certum eſt illa malogranata centies ſuperari à ſuis granis. Dices, ergo vnum infinitum eſt maius alio. Diſtinguo : maius propriè, negatur conſequentia, quia *maius, & minus* ſunt proprietates entis finiti:maius impropriè, id eſt, vnum infinitum continet aliud infinitum, item alias,& alias partes ſupra illud,concedo. Neque hoc eſt abſurdum,ſed neceſſarium, vt patet in exemplo adducto de granatis infinitis à Deo cognitis, & neceſſariò cōcedent, qui aſſerunt in continuo eſſe puncta actu infinita. Nam in digito non continentur tot puncta,quot in tota manu,in qua ſententia ſoluendæ ſunt omnes rationes. Quam doctrinam perſpicuè docet S.Thom. 3.part. q. 10. art. 3. Ad tertium,vbi ait numeros pares & impares infinitos,eſſe plures quàm numeros pares:item infinita cognoſci ab anima Chriſti: at vero à Deo plura cognoſci: diſtinctio enim ibi à S.Thom.tradita eſt clara:nempe in vna linea infinita nihil eſſe maius quàm illa linea infinita: quod eſt clariſſimū:at verò in alia ſecunda, aut tertia linea eſſe aliquid maius quàm prima linea infinita. Neſcio autem, cur puta hæc B. Thomæ doctrina nauſeam prouocet.

S.Thomas.

S.Thom.

§. 30. *Maius & minus non competũt infinito formaliter, ſed materialiter.*

Aduerte,maius,& minus poſſe ſumi reduplicatiuè in ratione infiniti,vel ſpecificatiuè in ea multitudine,aut magnitudine,quæ clauditur in infinito : primo modo nullum infinitum eſt maius alio, quia in ratione infiniti tā malogranata, quàm grana ſunt ſine principio,& fine : ſecūdo modo vnum eſt maius alio,quæ patent in illis poſſibilibus,quæ Deus actu cognoſcit; vbi effringitur vis argumēti. Nec infinitum multitudine, magnitudine, aut intenſione differt eſſentialiter à magnitudine finita; ſicut duo homines non differunt ſpecie à tribus; quamuis in ratione numeri dicuntur ſpecie differre, quia binarius differt à ternario, ſed hæc eſt differentia per accidens,ita multitudo cōſtituens numerum,differt ſub ea ratione accidentali numeri à multitudine innumera,non tamen ſimpliciter.

§. 31. *Quartum argumentum.*

Quartò, ſi infiniti homines conſpirent ad mittendos ſingulos lapides in aceruum, illi lapides eſſent infiniti : reſumat vnuſquiſque ſuum lapidem; ſequitur aceruum exhauſtum iri, quia tot lapides erunt ablati,quod fuerant coniecti; & non exhauſtum iri; quia infinitum non habet finem, neque conſumitur ablatione finiti. Verum ille aceruus exhaurietur, quia ſicut per coniectionem infinitorum, lapides euaſerant infiniti, ſic per ablationem eorumdem cōſumeretur infinitudo; nam illa non eſſet ablatio finiti, ſed infinitorum ; vt Deus ficus videt infinitos conſumptum iri, ſi eos diſtribueret hominibus infinitis; ablatio autem finiti eſt,quæ non exhaurit infinitum ; non vero ablatio infiniti.

Infinitũ non finitur ablatione finita, ſecus infinita.

§. 32. *Quintum argumentum.*

Corpus infinitum creari poteſt multipliciter.

Quintò probatur in magnitudine : non poteſt creari corpus ſine aliqua forma ſubſtantiali, ergo neq; infinita magnitudo : nam quælibet forma ſibi vendicat accidentia determinata; è quibus vnum eſt quantitas. Sed falſum eſt antecedens, & mala conſequentia, tum quia poteſt creari à Deo ſola materia prima ſine vlla forma, vel ſola quantitas ſine materia, tum quia ignis, verbi gratia, nullum petit terminum magnitudinis, cum ſe augeat ſine termino:petit autem determinata accidētia ſecundum eſſentiam,vt calorem,ſiccitatem : non tamen ſecundum magnitudinem, & licet naturaliter peteret terminum magnitudinis, non eſſet, cur diuinitus illam non poſſit prætergredi.

§. 33. *Sextum argumentum.*

Sextò : quia omne corpus eſt loco mobile,ergo debet eſſe finitum; quia infinitum moueri nō poteſt; quia nunquam vltima pars poſſet peruenire ad locum primæ:nam in motu recto debet terminus *à quo* deſeri in parte inferiori,& conſtitui mobile in termino *ad quem* : item in motu circulari non poſſet peruenire pars ad locum alterius, quia quæuis linea infinitè diſtaret ab alia. Negatur antecedens de toto corpore ſimul, conceditur autem de toto ſecundum quamlibet partem determinatam. Dices, illud totum corpus eſſet naturale, ergo totum illud eſſet principium lationis. Negatur conſequentia:nam de ratione naturæ ſufficit eſſe principium alterationis, licet non lationis:vt dixi diſput.7.ſect.2.illud autem corpus variè poſſet à Deo alterari.Deinde ſufficeret,vt per partes moueri poſſet,nam tota illa moles & careret figura,& impediretur à latione.

Infinitũ corpus eſt loco immobile niſi per partes.

§. 34. *Septimũ argumentum.*

Septimò : creet Deus lineam,aut virgam infinitam,& Deus eam diuidat ea parte,quæ deſcendendo de cœlo in terram nobis reſpōdet, & annihilet ex ea quatuor palmos : tunc velit Deus illas virgas reunire ſine additione materiæ, eas mouendo ex vtraque parte : tunc ſic, illis virgis poſſunt præfigi duo termini,intra quos claudantur totæ,ergo non ſunt infinitæ : conſequentia eſt euidens : antecedens patet, quia in reunione neceſſario deſerunt illæ virgæ duos palmos ſpatij, quos antea occupapabant,ergo tangendo vtriuſq; extremitatem verſus illos palmos vacui, verum eſt dicere, *hi ſunt termini huius virgæ.* Caſum autem non repugnare probatur:quia potuit Deus in prima virgæ productione eam conſtituere præſentem illi parti ſpatij; vbi quatuor palmi virgæ annihilati ſunt; & tunc virga eſſet ſine illis palmis, ergo in tali caſu eſſent duo palmi ſpatij verſus vtrâque partem: quos non occuparet virga. Hoc argumentum accommodatur Angelis,quia poſſent creari occupantes ſinguli ſingula ſpatia diſtincta : annihilaret Deus quatuor verſus medium : tunc poterat Deus reunire totam illam Angelorum catenam, & relinquerent duo ſpatia vacua verſus vtramque partem.

§. 35. *Virga infinitā poteſt reuniri.*

Reſpondeo,facta illa diuiſione,poſſe à Deo virgam reuniri,vel per rarefactionem aliquarum partium, vel per nouarum additionem, vel cōſtituendo aliquas partes duobus in locis,at eo modo,quo ponitur in argumento implicare cōtradictionem: quia totum illud corpus ſimul non poſſet moueri, quia motus eſt deſertio termini *à quo*, & acquiſitio termini *ad quem*, latio enim eſt inter duos terminos:ſed illæ virgæ verſus cœlum,& inferos nullum haberent terminum, quia occuparent ſpatia infinita ſine termino, ergo non poſſent moueri. Ad probationem reſpondeo,in prima productione non potuiſſe verſus cœlum præfigi terminum vltimum corpori infinito.

§. 36. *Obiectio.*

Dices : poteſt Deus infinitam illam magnitudinem palmo concludere, ergo etiam reunire illas virgas.Diſtinguo antecedens;efficiendo,vt deſerat ſpatium infinitum, & ſine termino, concedo antecedens; vt deſerat finitum,& vltimum,nego; & in eodem ſenſu concedo conſequentiam. Dices, illi virgæ verſus terram præſcribitur terminus, cur repugnat eumdem præſcribi verſus cœlum? hæc quæſtio ſoluta manet diſput. 10. ſect.2. ille enim propriè non eſt terminus; quia terminus eſt *finis magnitudinis, aut multitudinis pertranſitæ adæquatè*: at totam multitudinem, aut magnitudinem infinitam pertranſiri implicat; ergo propriè verſus nullam partem præſcribitur terminus; licet per plures partes interſecetur : dicetur autem terminus,vel propriè reſpectu numeri aut magnitudinis finitæ

Infinita virga poteſt moueri deſerendo terminum à quo infinitum.

Infinitum nō habet propriè terminos.

Terminus lineæ quid ſit.

finitæ ex illo infinito: vt centum vnitatum, aut palmorum,vel impropriè dicetur terminus,& materialiter, quia vltra non protenditur multitudo, aut magnitudo, vt patet in actibus æternitatis,qui nunquam poterunt pertranſiri adæquatè,licet initium ſumpſerint ab vno.

§. 37. *Confirmatur ex infinito in potētia quod Deus videt.*

Confirmatur; quia videt Deus verſùs cœlum infinita ſpatia imaginaria vel finita: ſi finita,caſus inuoluit repugnantiam: quia finitum ſpatium ex ſe eſt incapax corporis infiniti, nec poſſunt finita dici, alioquin extenſio in potentia eſſet finita, cuius oppoſitum monſtratum eſt ſect. 1. illa enim argumenta in quauis ſpecie vim habent eamdem: ſi infinita,malè arguis, quia cum omnia illa occuparentur virga,non eſt vltimum, quod virga deſerat. Vnde patet ad illud de Angelis; quia vel Deus videt illa infinita ſpatia: ſic autem videt etiam implicare ex illis vnum aſſignari; quod deſeratur à virga: ſi verò ſint finita, poterit Deus penetrare in eodem ſpatio infinitudinem Angelorum, & corporum: ergo ſic non repugnat infinitum. Virgam ſic præciſam non habere propriè terminum, patet: præcidatur in terra, & protrahatur verſus cœlum, rogo vtrum videat Deus verſus cœlum finem ſpatij imaginarij vel non?Si videt ergo non eſt poſſibilis extenſio infinita ſyncategorematicè, vt probaui ſectione 1. ſi non videt finem verſus cœlum, ergo incipiendo à terra non pertranſibitur ſucceſſiuè tota linea; quia ſi non habet finem, numquam venietur ad finem,nec poterit pertranſiri menſurando ſucceſſiuè vel realiter, vel imaginatione. Ergo è contra incipiendo ex parte ſuperiori verſus cœlum & eam metiendo numquam pertranſibitur, nec venietur ad terram: ergo,ſicut ex parte cœli non habet finem, ita nec ex parte terræ: quia *eadem via itur Thebis Athenas, & Athenis Thebas*, eſt enim finis extremum magnitudinis pertranſitæ, atque finitæ, & quemadmodum multitudo manet infinita ablatis duabus vnitatibus, ita & magnitudo ablatis duobus palmis. Quod conſidera in eadem magnitudine ſecundum eſſe poſſibile, quæ in illo ſtatu manet verſus omnem partem infinita, quamuis eſſent impoſſibiles duo palmi, alioquin in illo ſtatu non retineret eſſentiam infiniti.

§. 38. *Octauum argumētum ex triangulo.*

Octauò argumentantur contra magnitudinem infinitam: Demus triangulum, cuius duæ lineæ continentur intra ſpatium certum; protendantur illæ lineæ in infinitū: inter illas interijcietur actu infinitū ſpatium,quia quo plus protrahuntur plus diſtant, & protractæ in infinitum diſtabunt infinitè, & non interijcietur actu ſpatium infinitum, quia clauditur duobus terminis,ergo infinita magnitudo includit duo prædicata cōtradictoria.

Soluitur clarè exēplo infiniti in potentia.

Hoc argumentum,vt cætera omnia, ſoluitur in infinita extēſione,quam Deus cognoſcit:rogo enim vtrum Deus cognoſcat illas duas lineas retenta figura trianguli poſſe extendi ſine fine, vel non? Si non poſſunt, ergo malè ſupponis eas poſſe ſine fine protrahi: ſic autem corruit argumentum, ſi verò poſſunt protrahi, vt verè poſſunt, vt patet ex ſect. 1. ergo videt Deus inter illas lineas eſſe poſſibile corpus infinitum, ergo ſi illud ſpatium repleatur corpore,ſequitur per locum intrinſecum,illud corpus eſſe infinitum, & videt Deus illas duas lineas nōn eſſe terminos illius,qua in parte ſunt ſine fine protractæ. Nam videt Deus incipiēdo ab vna ſucceſſiua non poſſe veniri ad aliam: termini autem ſunt extrema rerū quæ ſucceſſiuè pertranſiri poſſunt ab vno ad alium.Duo probat hoc argumentum: alterū eas lineas eſſe fines corporis interiecti in quacumque diſtantia finita; addita verò infinitate diſtantiæ non eſſe eius terminos: alterū,quod probat,eſt,corpus interiectum inter eas non habere totam extenſionem poſſibilem, quia vltra illas poteſt protrahi: non verò probat illud non eſſe infinitum,vt §.41.probabo,& ſicut multitudo hominum eſt infinita in potentia, licet ab illa tollas multa indiuidua; ita extenſio eſt infinita,licet vndequaque ei tollatur extenſio finita.

§. 39. *Nonum argumentum.*

Nonò arguitur contra infinitatem Angelorum, & intenſionis qualitatum: quia ſi eſſent actu Angeli infiniti, cum poſſent ſimul applicari lapidi, eum loco mouerent in inſtanti,quia haberent virtutem motricem infinitam, hoc autem repugnat, quia motus fit in tempore. item grauitas infinita momento è loco lapidem pelleret,& per viſionem infinitè intenſam Deus euaderet comprehenſus.

Motus corporis neceſſario fit ſucceſſiuè à creatura etiam habēte potentiam infinitè intenſam.

Reſpondetur,ab infinitis Angelis lapidem neceſſario ſucceſſiuè motum iri, qui licet poſſit in infinitum fieri velocior, nūquam tamen fiet in inſtanti: quia rei ſucceſſiuæ id repugnat: cum verò Angeli liberè applicarentur lapidi, illi imprimerent motum velociorem, aut tardiorem pro ſuo arbitratu, ſicut Deus modo facit, qui non poteſt producere motū infinitè velocem,quia velocitas dicit acquiſitionem partis poſt partem. Grauitas autem illa determinatur à Deo ad hāc velocitatem, vel illam, ita tamen, vt nec grauitati, nec lapidi aſſignetur tam velox motus, quin poſſint alium velociorem efficere: nec propterea illa virtus eſt ſimpliciter infinita in ratione potentiæ: quia in operatione pendet à Deo, vt Deus videt potentiam illam in eſſe poſſibili non continere conceptum potentiæ ſimpliciter infinitæ, quia eſt potentia creata, ſed infinitæ ſecundum quid.

§. 40.

Dices, cur grauitas non mouebit lapidem momento ſubito motu? Reſpondeo, quia id fieri nequit niſi conſtituendo ſimul eūdem lapidem pluribus in locis,quod omni creaturę repugnat.Nam, ſi lapis momento mouetur, ergo omnes eius partes ſimul ſunt eodem momento in toto ſpatio,per quod mouentur.

Viſio infinitè intēſa Deum non comprehendit.

Ad illud de viſione reſpondeo, non ideo Deum fore comprehenſum, nam quamuis viſionem creatam, quantumuis infinitè intenſam infinitæ latent diuinæ formalitates, vt patet in intenſione poſſibili,quam Deus videt: nō enim videt eſſe poſſibilem viſionem creatam comprehenſiuam ſui; licet intenſio ſit poſſibilis ſine termino. Hac de re videantur P.Vazquez & Conimbricenſes ſupra.

§. 41. *Decimū argumentum.*

Argumentantur alij: quia ſequeretur numerum finitum eſſe, & non eſſe partem multitudinis infinitæ: ergo. Eſſe partem datur ab omnibus: nō eſſe probo, quia parte ſublata tollitur totum, quod ex illa conflatur:ſed ablato quouis numero finito non tollitur, neque minuitur multitudo infinita; ergo numerus finitus non eſt pars multitudinis infinitæ: idem argumentum fit de magnitudine.

§. 42. *Numerus finitus qua ratione pars multitudinis infinitæ.*

Negatur ſequela:eſt enim pars:ad probationem reſpondeo, variata parte non manere adæquatè totum ex illa conflatum, vt abſciſſa manu ab homine non manet adæquatè idem homo. Ad minorem reſpondeo, ablato numero finito non manere adæquatè illud infinitum, ſed inadæquatè, & magis (liceat ſic impropriè loqui) imminutum, quam antea, licet enim non corrumpatur infinita multitudo per ablationem finiti, at certè minuitur, neque manet eadem adæquatè, ſed inadæquatè, & hoc eſt de ratione partis integralis, vt patet in homine, in quo differt ab eſſentiali parte, quia hac ablata, totum aufertur. Atque hoc

Probatur ab exemplo infiniti in potentia.

argumentum inſtatur in infinitudine rerum poſſibilium, quam Deus actu cognoſcit: contra quam vim habeat eamdem, nam Deus videt ſingulatim omnes homines poſſibiles, quos videt eſſe diſtinctos, nam Petrus poſſibilis non eſt Paulus poſſibilis: illi autem ſunt infiniti, ſi enim ſucceſſiuè, producantur, aut numerentur, nequibunt exhauriri. Rogo, vtrum Petrus poſſibilis ſit pars hominum poſſibilium, ſiue illius multitudinis, ſicut Petrus exiſtens eſt pars infinitæ multitudinis hominum actu exiſtentium? Si non eſt pars, idem dico ego de actuali. Si vero eſt pars, rogo vtrum eo ablato maneat infinitudo hominum poſſibilium integra? Vel non? & quod tu mihi reſponderis de illis infinitis hominibus poſſibilibus, intellige à me tibi reſponſum de actualibus. Aliqui auctores dum intentè indulgent ingenio contra infinitum in actu, non animaduertunt, ſe corpora obijcere hoſti, vt feriat infinito in potentia: igitur nulla pars finita ſe ſola eſt pars infiniti in quantum infinitum eſt; quia ea ablata manet tam ſine primo & vltimo quàm cum illa: at quælibet pars ſimul cum aliis infinitis eſt pars infiniti vt infinitum eſt, quælibet autem etiam ſe ſola eſt pars illius multitudinis infinitæ ſpecificatiuè ſumptæ.

§. 43. *Vndecimum argumentum.*

Alij dicunt, infinitum eſſe quod eo in genere continet quidquid poſſibile eſt; ſed nulla magnitudo, aut multitudo id continere poteſt, ergo. Maiorem probant, tum ex definitione infiniti, tū quia infinitū per eſſentiā eſt quod formaliter aut eminenter cōtinet omnes perfectiones poſſibiles. Sed hinc nihil concludunt, poterit enim Deus producere omnes partes materiæ poſſibiles, quæ continet quidquid eſt poſſibile in eo genere. Deinde, Deus videt omnes homines poſſibiles, vt diſtinguuntur ab indiuiduis Angelicis. Rogo, vtrum illi homines ſic diſtincti ſint infiniti? & ſic non erunt infiniti in potentia, cuius oppoſitū probaui ſect. 1. vel ſunt infiniti; & non continet omnem multitudinem poſſibilem: ergo hoc non exigit ratio infiniti. Deinde, videt Deus infinitos homines poſſibiles; ſi ex illo numero ignoraret duos, vel ſi omnes mihi oſtendat præter duos, ego cognoſcerem infinitos, quia illi duo ſuperadditi ſoli non facerent multitudinem infinitam: ergo infinitum hoc non requirit.

Infinitum nō continet omnia poſſibilia in ſuo genere.

§. 44. *Infinitum caret principio & fine.*

Ad probationem reſpondeo, eam definitionem eſſe ipſorum: communis enim non eſt niſi *infinitum carere principio & fine:* ego hic volo poſſe exiſtere multitudinem, in qua nulla ſit pars prima: nulla vltima, cæteræ ſunt quæſtiones de voce. Infinitum autem per eſſentiam eſt, *cuius eſſentia caret principio, & fine*, id eſt, nec habet cauſam efficientem, nec finalem, vnde eſt ens à ſe, & principium finíſque rerum omnium ab ipſo diſtinctarum, cui inſunt omnes perfectiones poſſibiles formaliter vel eminenter. Itaque ea definitio non eſt formalis infiniti vt ſic, ſed propria Dei ob eius differentiam: quia eſſe infinitum per eſſentiam, & eſſe omnes perfectiones formaliter, aut eminenter recidunt in Deum: quia eſt ſummè actualis ſine principio, & fine: cætera infinita ſunt per compoſitionem, quæ ſolum requirūt carere prima, & vltima parte componente, hinc patent quæ dixi ſupra infinitum eſſe quod caret principio, & fine.

§. 45. *Affectiones infiniti creati.*

Denique ſit præ oculis in magnitudine infinita nō eſſe figuram, neque terminum, neque centrum, neque medium, neque primum, neque vltimum, quia omnia illa ſunt affectiones corporis finiti. Item in multitudine infinita non eſſe formaliter primum, neque ſecundum, neque medietatem, nec tertiam partem, neque in intenſione eſſe duos gradus, alterum perfectiſſimum omnium, alterum imperfectiſſimum, neque vnam creaturam, quæ ſit omnium perfectiſſima, vel imperfectiſſima, vnde omnia argumēta inde ſumpta apertam inuoluunt terminorum implicationem, nullum eſt autem argumentum, quod non infringatur in infinito, quod cognoſcitur à Deo in eſſe pòſſibili (vt ſæpe oſtendi.)

SECTIO III.

Idem probatur aliunde.

§. 46. *Nō repugnat infinitum in actu.* Durand. Auicen. Algazel. Pariſien. Almai. Io. Maior. Gregor. P. Vazq. Okam. Gabr. Aliacus. P. Conimb.

DVrandus in 1. diſt. 43. quæſt. 2. num. 9. fine, ait eſſe ſatis probabile poſſe dari infinitum in actu, eámque eſſe opinionem Auicennæ, & Algazelis. Gratiam Chriſti eſſe actu infinitè intenſam fuit opinio Pariſienſibus communis, vt refert Almainus in 3. diſ. 13. q. 1. §. *iſtis ſuppoſitis.* à qua ipſe non videtur alienus: quam apertè ſequitur Ioannes Maior eadem diſput. 13. quæſt. 3. Gregorius in 1. diſtinct. 44. quæſt. 4. art. 1. P. Vazquez in 1. part. diſput. 26. vbi refert Okamum, Gabrielem, Aliacenſem: item P. Conimbricenſes ſupra referunt alios, eámque defendunt vt probabilem: articulo enim tertio reſpondent omnibus argumentis. Quam hac ętatę multi viri docti ſequuntur, & quidem iure.

Probari poſſet primò: quia infiniti homines poſſibiles, verbi gratia, ſunt ſimpliciter ens reale: ergo poſſunt ſimul à Deo produci: antecedens patet, quia omnes illi habent verum hominis cōceptum: conſequentiam probo; quia omne ens reale, vt eſt ens reale, poteſt exiſtere à parte rei, ſed infiniti homines vt infiniti, ſunt infinita entia realia: ergo vt infiniti poſſunt exiſtere à parte rei. §. 47.

§. 48. *Primum argumētum ab infinitis in potētia examinatur aliūde.*

Dices, infinitos homines eſſe entia realia non vt ſunt infiniti, ſed vt vnuſquiſque eſt vnus homo. Contra, vnuſquiſque vt eſt vnus homo eſt ens reale, ergo infiniti, vt infiniti ſunt infinita entia realia: probo cōſequentiam, quia duo homines ſunt duo entia realia: ergo per additionem ſingulorum hominum fit additio entium realium: ergo per additionem infinitam horum fit additio infinitorum entium realium: ergo infiniti homines vt infiniti, ſunt infinita entia realia: ergo vt infiniti poſſunt exiſtere: ergo tota aggregatio hominum eſt aggregatio realis: probo conſequentiam; quia quando omnes partes componentes ſunt ens reale, totum compoſitum eſt ens reale; quia nihil eſt niſi omnes illæ partes: præſertim in quantitate diſcreta, cuius partes nō habent vnionem: ſed ſunt per accidens aceruatæ, & ſicut aceruus lapidum eſt realis aceruus & non chymæricus, aceruus infinitorum hominum poſſibilium eſt aggregatio realis, quia omnes illius partes ſunt reales, ergo tota illa aggregatio, vt eſt aggregatio, poteſt exiſtere à parte rei; quia ens reale eſt, quod poteſt exiſtere à parte rei, ergo non repugnat exiſtere infinitum in actu.

Dices primo: eſſe poſſibiles omnes homines ſingillatim ſumptos; non tamen collectiuè. Contra: ergo infiniti homines in potentia nō ſunt ens reale. Patet conſequentia, quia vt infiniti non poſſunt eſſe à parte rei; hoc autem repugnat, quia in illa infinitudine, nulla pars includitur, quæ non ſit ens reale, ergo omnes partes ſimul ſumptæ ſunt ens reale. Patet conſequentia: quia quod conuenit toti, debet conuenire illi ratione alicuius partis: antecedens probo; quia omnes partes illius multitudi- §. 49.

titudinis ſunt verè homo, & nihil in ea includitur, quod non ſit homo: tota autem collectio nihil eſt aliud præter omnes homines; in quibus nullus eſt qui non ſit homo, & conſequenter, qui non ſit ens reale:ac propterea omnes partes, & totum compoſitum eſt ens reale;ac poterit exiſtere.

§. 50. Dices ſecundo: omnes homines eſſe ens reale, quia omnes illi poſſunt produci, & conſequenter tota aggregatio ex illis eſt ens reale. Contra: ergo tota vt tota eſt, poteſt produci ſimul. Patet conſequentia ex te: quia, vt tota ſit ens reale, ſufficit ſingulas eius partes eſſe ens reale; ergo vt tota poſſit exiſtere, ſufficit omnes eius partes exiſtere poſſe, & cum ratione nullius partis repugnet compoſito produci, tota vt tota produci poterit. Nam aliqua collectio habet repugnantiam ad exiſtendum, quia partes, ex quibus erat conſtitura, mutuo repugnant, & exiſtentia vnius dicit eſſentialem repugnantiam cum exiſtentia alterius: eaque propter collectio ex illis duabus partibus eſt chymærica, atque repugnans, verbi gratia, non poteſt excogitari coëxiſtentia aſſenſus & diſſenſus eiuſdem intellectus circa idem obiectum: vnde aggregatio illorum actuum eſt impoſſibilis. Nec in eſſe poſſibili debent conſiderari, vt poſſibiles ſimul,ſed vt poſſibiles diuiſiuè;idemque de rebus ſucceſſiuis: quas nonnulli aiunt eſſe eſſentialiter ſucceſſiuas. At verò collectio illa infinitorum hominum non habet duas partes, quarum vna cum alia repugnet, nec poteſt dici repugnare ratione infinitudinis: hoc enim eſſet petere principium: id enim ego impugno, quia illa infinitudo conflatur ex entibus realibus, quorum nullum dicit repugnantiam cum alio, ac propterea non ſolum apprehenduntur ſinguli vt poſſibiles: (ſic enim & aſſenſus & diſſenſus ſunt poſſibiles,) & omnes illi collectiuè ſumpti apprehenduntur vt poſſibiles, quia in tota illa infinitudine nullus apprehenditur vt repugnans alteri, ſicut apprehenduntur aſſenſus & diſſenſus, & entia ſucceſſiua.

§. 51. *Tota collectio poteſt eſſe ens reale non vt exiſtat ſimul tota, ſed ſucceſſiue.*

Vt hoc argumentum ſit efficax, non eſt probandum totam collectionem poſſe ſimul exiſtere; quia tota eſt ens reale: poteſt enim æquiuocatione offendi. Nam etiam apprehenduntur aſſenſus & diſſenſus vt poſſibiles, & conſtituunt binarium numerum rerum poſſibilium, qui binarius eſt realis, quia exiſtere poteſt ſecundum vtramque vnitatem, quamuis actu non poſſint componi & exiſtere ſimul: hoc autem non tollit illum binarium eſſe realem, quia eſt realis non in actu, ſed in potentia. Denominatio autem *poſſibilis* conuenit ſimul aſſenſui & diſſenſui, exiſtentia autem ſimultanea illis repugnat. Idem reſponderi poſſet de infinita illa hominum multitudine: quia vt infinita, eſt ens reale in potentia; & poteſt produci non ſimul, ſed ſucceſſiuè, ita vt nulla ſit eius pars, quæ produci non poſſit, at non poteſt tota ſimul exiſtere & quemadmodum eſt impoſſibilis coëxiſtentia aſſenſus cum diſſenſu; ita & coëxiſtentia omnium hominum: itaque collectio omnium ſimul eſt impoſſibilis, non verò tota multitudo ſucceſſiuè. Igitur non eſt nitendum primo illi

Qua ratione argumētū ſit efficax.

antecedenti de ente reali. Sed eſt probandum non repugnare totam infinitudinem ſimul produci, quia in tota illa nulla pars habet oppoſitionem cum alia. Confirmarique poteſt quia quocumque numero hominum producto, poſſunt ſimul alij produci, ergo & infiniti: nam ex parte Dei non repugnat nec ex parte hominum: nullus enim eſſentialiter ſupponit alium, nec ſunt ſucceſſiui; ſed permanentes:permanentes autem effectus non ſe impediunt.

§. 52. *Secūda & efficax probatio ab exēplo infiniti in potētia:in quo infringuntur omnia fere argumenta.*

Secundo probatur efficaciter: Deus cognoſcit infinitos homines, & infinitam extenſionem in ſua omnipotentia contentos: ergo videt non repugnare ſimul ea omnia produci. Probo conſequentiam: omnes repugnantiæ alicuius momenti, quæ ab aduerſariis obiiciuntur contra infinitum in actu, impugnant etiam infinitum in potentia; quod tametſi in diluendis argumentis indicaui, id nunc libet altius probare. Argumentum confectum contra infinitudinem multitudinis, conatur probare quamlibet vnitatem eius magnitudinis eſſe partem illius & non eſſe: eſſe, quia à nobis ponitur: & omnis multitudo conſtat vnitatibus: non eſſe verò, quia ea ſublata tam integrúm maneret infinitum, quam antea, quod eſt contra rationem partis. Hoc argumentum vim habet contra multitudinem infinitam in potentia. Deus Petro oſtendat omnes homines poſſibiles; vt eos cognoſcat cognitione *A*. iſte actus repræſentat homines infinitos, quia pono poſſibiles eſſe infinitos: Deinde per actum *B*. ſimul cum priori exiſtentem oſtendat Deus eidem Petro omnes homines, excepto Martino, in quo nulla eſt repugnantia; & ſi eſſet, adhuc per locum intrinſecum poſſumus argumentari: Rogo, vtrum Martinus poſſibilis ſit pars obiecti, quod cognoſcitur per actum *A*? negari non poteſt: ſicut eſſet pars infinitudinis actu exiſtentis; quod ſi non eſt, nec erit, ſi exiſtant infiniti homines; & ſic locum non habet tuum argumentum;eſt ergo pars. Probo item eum non eſſe partem; quia obiectum actus *B*,tam infinitum manet ſine Martino,quàm obiectum actus *A*. cum eodem Martino: quod tu ais eſſe contra conceptum partis; ergo Matinus poſſibilis, eſt & non eſt pars infinitæ multitudinis hominum poſſibilium: ergo, ſi Deus producat omnes illos homines, retinebunt conceptum infiniti in actu,ſicut retinent in potentia:vel erunt etiam in potentia finiti: arbitror ad hominem eſſe euidens argumentum.

§. 53. *Confirmatur in magnitudine.*

Contra infinitum in magnitudine idem argumentum efforma de illa linea: repræſentetur Petro per actum *A*, omnis linea poſſibilis ducta à cœlo empyreo ad terram & ad partes ſupra cœlum: illa linea eſt infinita in potentia, vt pono; alioquin non poſſet ſine fine protendi: quia tandem ſiſteretur in vltima extremitate, quod eſt affine errori Vuicleffi: Deinde per actum *B*, repræſentetur eidem Petro tota illa linea, exceptis quatuor palmis reſpondentibus terræ: rogo, vtrum linea, quam Petrus cognoſcit ſecundo actu ſine illis palmis ſit infinita? Si non eſt, ergo nec eſt infinita quam videt per priorem actum; quia finitum additione quatuor palmorum non redditur infinitum; ergo ſecunda linea ſine palmis illis retinet conceptum infinitæ; ergo ſi producatur tota illa ſine illis quatuor palmis, retinebit conceptum eumdem infiniti: quem retinebat in potentia: ergo eſt idem argumentum. Deinde videt Petrus poſſe illas virgas vniri relinquendo extrema vel non? Si videt; & adhuc videt eas eſſe infinitas, ergo & ſi producantur ſic, & deſerant extrema, erunt infinitæ in actu, quod negas; vel non ſunt infinitæ in potentia:quod concedis.Quod ſi Deus non videt extrema, quæ poſſint deſerere; ergo & ſi producantur, non poterunt vniri relinquendo extrema; quia retinerent in actu negationem extremorum, quam retinent in potentia: eſt ergo idem argumentum.

§. 54. *Idē probatur in lineis infinitis.*

Idem probo de illis duabus lineis trianguli ſine fine protractis: aut enim videt Deus eas protendi poſſe ſine fine, aut non? Si ſecundum, ergo numquam diſtabunt infinitè, & tuum ceſſat argumentum; ſi primum, videt ergo Deus inter illas poſſe capi corpus infinitum; & videt illud claudi inter illas duas lineas; ergo ſi totum illud corpus producatur, retinebit actu eſſentiam infiniti, quam habet in potentia.

§. 55. *Et de infinito maiore, aut minore.*

Argumentum autem de vno infinito maiore alio non eſt abſimile in infinito in potentia: videt enim infinita malogranata, rogo vtrum ſit maius infinitum granorum, quàm malogranatorum? Si eſt, ergo infiniti retinet eſſentiam cum inæqualitate cum alio infinito; ſi non eſt, nec erit ſi ponatur in actu.

§. 56. *Obiectio præcluſa.*

Dices, hæc argumenta æquiuocatione peccare: nam infinitum in potentia eſt ſyncategorematicè, infinitum autem in actu eſt categorematicè infinitum: nec infringi in vno argumenta ad aliud. Immo hic latiſſima æquiuocatione peccatur. Nam ſyncategorematicum infinitum conflatur ex duobus: partim ex entitate finita actu exiſtente, partim ex entitate infinita illi exiſtenti addita non actu, ſed potentia, in quo ſenſu non retorquetur argumentum, ſed comparamus duo infinita cuius nulla pars actu exiſtat: quæ non ſunt ſyncategorematica: ſed categorematica in eſſe poſſibili: ideſt, ea quæ habent in potentia, vt ſunt in potentia, carent primo & vltimo, nec ſucceſſiuè poſſunt cognitione hauriri cognoſcendo vnum poſt aliud: & quemadmodum multitudo centum malogranatorum poſſibilium, antequam producantur in actu, includit ſimpliciter centum granata, & tamen in illa multitudine includuntur grana centies plura quàm granata, & de illis duabus multitudinibus poteſt Arithmeticus ratiocinari: quod ſi producantur, retinent eumdem conceptum centum granatorum & granorum centies plurium: & illa multitudo intelligitur compoſita ex pluribus vnitatibus habentibus primam, & vltimam, & ſic carentibus infinitate: ita omnia granata poſſibilia componunt infinitudinem vnitatum diſtinctarum, carentium prima & vltima, & ſic retinent infiniti conceptum, quem retinerent in actu producta. Nec fiet vllum argumentum (excepto vno, aut altero S. Thomæ ſumpto ex intentione Dei agentis) quod non elumbetur in infinito in potentia.

Syncategorematicū infinitū cōflatur ex duobus.

Poſſibilia in potentia non poſſunt hauriri cognitione ſucceſſiuè.

S. Thom.

§. 57. *Tertiū argumentum. In æternitate videntur à Deo infinita actu exiſtentia.*

Tertiò argumentor: Deus videt infinitam multitudinem actu exiſtentium in tota æternitate: ergo non repugnat infinitum in actu: antecedens probatur, quia actus in æternitate futuri non ſunt finiti, ſed infiniti: alioquin tandem veniretur ad vltimum, vltra quem non progrederemur, & ſic finirentur damnatorum cruciatus: illos actus eſſe in actu monſtratur, quia futuri non cognoſcuntur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, ſed viſionis, quæ terminatur ad rem vt exiſtentem à parte rei. Dices primò; non cognoſci actus vt exiſtentes ſimul: Contra, non dico eos eſſe infinitos comparatos certo tempori ac determinato: ſed reſpectu totius æternitatis, quæ tota vt exiſtens videtur à Deo, rogo vtrum illud obiectum ſit maius alio obiecto infinito? vtrum ſit in certa ſpecie numeri? vtrum cadat in certam intentionem agentis? vtrum ſi ſingulis diebus Deus produxiſſet partem lineæ, & illam conſeruaret per totam æternitatem ſemper producendo, vtrum illud corpus moueri poſſet? efficiámque ibi omnia argumenta, quæ ipſi contra nos.

§. 58.

Dices ſecundo: in æternitate non contineri omnes actus poſſibiles, licet non ſit in illis primus, & vltimus: bene ergo poteſt cognoſci infinitum ſine ea continentia omnium poſſibilium. Ariſtoteles enim 3. phyſicorum dixit *infinitum eſſe, cuius quantitatem accipientibus ſemper eſt ſumere extra*, ideſt, quod ſucceſſiuè hauriri non poteſt, ac propterea accipientes ſucceſſiuè ex eo, non veniunt ad vltimum, at nec habent formaliter primum: Quod ſi mihi concedis poſſe actu exiſtere magnitudinem, & multitudinem, quæ ſucceſſiuè non poſſit hauriri nec finiri, ego ſum contentus; id ego infinitum voco. Deinde, cur Deus non poterit producere omnes Angelos? equidem non poterit omnes actus vitales producere, quia amorem & odium, aſſenſum & diſſenſum ſimul non poteſt, nec infinita multitudine, nec finito numero, quia vnus eſſentialiter opponitur alteri, at Angelos quid ni poterit?

Infiniti definitio ex Ariſt.

§. 59. *Quartum argumentum ab infinitis punctis.*

Quartò argumentor ad hominem, contra admittentes infinita puncta actu exiſtentia in continuo, illi labuntur in omnes difficultates infinitæ multitudinis. Dicunt, ea pertinere ad quantitatem finitam, bene: ego nolo eſſe ea infinita magnitudine, ſed multitudine; quibus conuenit definitio infiniti, ideſt, accipienti ex eorum multitudine, ſemper alia accipienda reſtare, nec ea poſſe ſucceſſiuè finiri, & carere primo, & vltimo: quod ſi Deus in ſingulis illorum ſingulos Angelos creaſſet, hi eſſent infiniti ſimpliciter.

§. 60. *Cōtra Ariſt.*

Tandem ad hominem contra Ariſtotelem conſtituentem motum ſucceſſiuum æternum, quod ſi ſingulis motibus Deus ſingulas animas produxiſſet, nunc eſſent infinitæ; quod repugnare, ſi motus non repugnat, nullus ſanus mente dicere poteſt.

§. 61. *Creatura ex ſuo conceptu eſt finita in eſſentia.*

Nec propterea volo, poſſe produci creaturam infinitam in eſſentia, quia eo præciſè quod eſt creatura, eius eſſentia habet principium, & finem, nempe Deum. Item potentia creata eſt finita, quia vel diſtinguitur ab eſſentia vel non? ſi ſecundum, eſt finita ſicut eſſentia; ſi primum, magis erit finita, quia habet principium actiuum, atque paſſiuum, & finem. Item in operando pendet à voluntate, & concurſu alterius, quo completur in eſſe potentiæ naturalis. Cognitio repræſentans infinita clarè, atque diſtinctè, ſi puncta ſunt infinita, non repugnat, quia Angelus comprehendit quantitatem manus, & ſingula eius puncta. Supernaturalis cognitio non repugnat, de obiecto infinito, vtrum autem repugnet motus ſucceſſiuus ab æterno, aut creatura permanens? diſp. 16. diſquiram.

§. 62. *Repugnat infinita intenſio naturalis.*

Item repugnat infinita intenſio qualitatis naturalis: quia gradus determinati poſſibiles iuxta leges naturæ ſunt etiam finiti. Nam omnis qualitas naturalis (præſertim vitalis) dicit naturalem ordinem ad potentiam naturalem: ita vt omnes gradus naturales petant oriri à principio naturali, ſed omnis forma naturalis, quia finita, dicit reſpectum ad accidentia in gradu finito: alioquin eſſet potentia naturalis ſimpliciter infinita: ergo. Gratia, & accidentia ſupernaturalia poſſunt ſine fine augeri: quia fiunt à Deo vt author eſt ſupernaturalis. Itáque naturalis intenſio videtur tam magna, vt nulla maior poſſit eſſe naturaliter: quamuis non ſupernaturaliter. Nec tamen propterea ſubſtantiæ naturales ſunt finitæ: quia è mille capitibus poſſunt multiplicari. Quamobrem dixi in 3. p. q. 7. Chriſtum habere habitus & actus ſupernaturales infinitè intenſos: naturales verò finitè.

Gratia, habitus, & actus ſupernaturales chriſti ſūt infinitè intēſi.

DISPV

DISPVTATIO XIV.

De loco.

SECTIO I.

Quid ſit locus extrinſecus?

§. 1. IN re difficili quot capita tot ſententiæ. Aliqui affirmarunt, locum eſſe materiam primam, aut formam ſubſtantialem: alij eſſe corpus infinitum, quos euidenter impugnat Ariſtoteles per quatuor prima capita huius libri quarti. *Ariſt.*

§. 2. *P. Conimb. Definitio loci extrinſeci reijcitur.* Patres Conimbricenſes cap. 5. q. 1. ex Ariſtotele defendunt locum eſſe, *ſuperficiem corporis ambientis, intra quam aliud corpus includitur*, vt vas eſſe locum aquæ in illo concluſæ. Hæc ſententia nullam habet probationem præter autoritatem Ariſtotelis. Quam ſic impugno primò; quia in omni latione mutatur locus, in quo erat mobile, & nouus acquiritur, ſed id non fieret in hac ſententia: ergo ſuperficies corporis ambientis, non eſt locus: maior patet ex Ariſtotele in præſenti, & alibi vbi ex latione colligit eſſe locum *à quo*, & *in quem* mobile deferatur; & ratione, quia per motum localem mobile acquirit nouam diſtantiam & reſpondet ſpatiis diuerſis, qui enim à cœlo leucam diſtabat, per motum diſtat ſemileucam; ipſum nomen *motus localis* id præſefert, eſt enim *ex vno loco in alium emigratio.* Minor verò probatur, moueatur vter plenus vino, certum eſt vinum quoque moueri: at non mutatur ſuperficies, quia ſemper concluditur intra eundem vtrem, ergo ſi ſuperficies eſt locus poteſt eſſe motus localis ſine mutatione loci. *In omni motu locali eſt terminus à quo & ad quem.*

§. 3. *Motus eſt extrinſecus mobili: ſuperficies verò extrinſeca. Superficies nō eſt locus.* Secundo: quia mutatio loci eſt intrinſeca mobili, ſed ambiri ſuperficie corporis extrinſeci, eſt extrinſeca denominatio, quæ acquiri poteſt & deperdi ſine intrinſeca mutatione mobilis; ergo eſſe in loco non eſt ambiri extrinſeca ſuperficie. Maior patet tum ex communi ſenſu conſtituente lationem inter ſpecies motus: & ratione, quia mobile eſt *quod verè mouetur.* Minor probatur: quia poteſt mutari ſuperficies ſine mutatione mobilis: turris enim eſt immota, cum paſſim mutetur aër, quo ambitur.

§. 4. *Reſponſum P. Conimb.* Reſpondent P. Conimbricenſes ſupra artic. 3. ad ſecundum: non eſſe abſurdum rem immotam mutare locum, & motam retinere locum eumdem, quia res poteſt mutare vbicationem, & non ſuperficiem; & ſuperficiem, & non vbicationem. Contra: quia res, quæ mutat vbicationem, mutatur ſecundum locum, quia ille motus eſt localis, ſeu latio, per quam ex Ariſtotele ſupra corpus transfertur è loco in locum; at quæ tantum mutat ſuperficiem extrinſecam, non mutatur localiter; ergo res, quæ mutat vbicationem, non manet in eodem loco: neque mutat locum, quæ non mutat vbicationem. Confirmatur: quia cymba totum amnem decurrens, ſi ambiatur iiſdem aquæ partibus, aut operiatur linteo, poſtquam amnem decurrit, erit in eodem loco, quod eſt ridiculum, cum prius fuerit apud Valliſoletum, verbi gratia, deinde verò apud Zamoram, & non habeat eamdem diſtantiam, vel propinquitatem, cum rebus, quam antea habebat. Dices id prouenire ab vbicatione diuerſa. Contra ergo ex ſola mutatione vbicationis res cientur. Deinde vbicatio eſt præſentia ad ſpatium, ſiue locatio, & non variatur niſi quia corpus ex vno loco emigret in alium.

§. 5. *Superficies eſt in loco.* Tertiò probatur: quia etiam ſuperficies eſt in loco, & Chriſtus in Euchariſtia eſt etiam in loco, vel ergo ad locum erit locus, quod reputat abſurdum Ariſtoteles, cap. 2. text. 20. vel aliquid erit in rerum natura, quod non ſit in loco; quod nequit intelligi, *ea enim quæ ſunt* (inquit Ariſtoteles cap. 1. text. 1.) *alicubi eſſe omnes exiſtimant, quod namque non eſt, nuſquam eſt.* Item potuit Deus producere corpus ſine ſuperficie, vel ſaltem in vno puncto; immo ipſe Deus eſt in omni loco per immenſitatem; ergo eſſe in loco non eſt ambiri ſuperficie. Confirmatur, quia etiam ſuperficies loco mutatur, item per vacuum poſſet eſſe motus: ergo poteſt res mutare locum ſine mutatione ſuperficiei. Item locus eſt immobilis, ſecus ſuperficies. *Ariſt. Omne quod eſt, alicubi eſt.*

§. 6. *Locus non cōſtatur ex vbi & ſuperficie.* Alij opinantur, locum adæquatè conflari ex vbicatione intrinſeca, & ſuperficie corporis ambientis, & ſpatio imaginario. Verum hæc ſententia recidit in eaſdem difficultates, in quas prior: quia poteſt mobile continua latione ferri, quin mutet extrinſecam ſuperficiem; & poteſt mutare ſuperficies, quin locum mutet; & quia locus etiam in hoc ſenſu eſt mutabilis, quia mutari poteſt ſuperficies. Immò ſi vbicatio pertinet ad locum, non poteſt ei conuenire proprietas, quam exigit Ariſtoteles text. 7. locum non interire iis, quæ in eo ſunt intereuntibus, quia vbicatio interit corpore intereunte.

SECTIO II.

Quid ſit vbicatio & ſpatium imaginarium?

§. 7. *Vbicatio quid ſit.* VBicatio eſt *ratio formalis exiſtendi in loco*, ſiue *præſentia localis, & terminus latione productus:* eſſe rationem exiſtendi in loco non eget probatione: quia vbicatio eſt ratio exiſtendi alicubi: eſſe terminum latione productum egregiè dixit Durandus in 3. diſt. 5. quæſt. 2. numero 6. Patet, tum quia acquiritur per motum localem, ergo fit per illum. Patet conſequentia, quia motus eſt actio: ergo id, quod intrinſecè motu acquiritur, motu fit: oſtendo enim diſput. 16. metaph. nullam eſſe actionem ſine termino producto: tum quia mouere aliquid, eſt agere: ergo habet aliquem terminum productum, quia omnis actio producit terminum, ſed terminus motus eſt præſentia localis, quia motus eò tendit vt mobile conſtituat præſens diuerſo ſpatio: ergo vbicatio producitur motu. *Durand.*

§. 8. *Eſt intrinſeca mobili.* Hanc vbicationem eſſe intrinſecam mobili iiſdem probatur modis, quibus probatur motum eſſe intrinſecum, quia motus eſt ratio, qua terminus intrinſecè pendet à ſubiecto: ergo eius terminus intrinſecè pendet vt *quod* ab eodem ſubiecto: eſſe autem diſtinctam à mobili iiſdem quibus idem de vnione probatum eſt: quia mobile reperitur ſine tali præſentia: ergo diſtinguitur ab illa.

§. 9. *Vbicatio non eſt præſentia ad ſuperficiē.* Vbicationem non eſſe præſentiam ad ſuperficiem corporis ambientis colligitur ex ſect. 1. quia mota ſuperficie manet præcedens vbicatio, quæ etiam maneret in vacuo, eſt autem præſentia ad ſpatium imaginarium. Ad quod aduerte, vbicationis *A.* v. g. eſſentiam eſſe conſtituere corpus diſtans ab vbicatione *B.* tantum quantum ſufficit, vt

Digitized by Google

vt inter vtramque interiiciantur duo palmi quantitatis; quod ita eſt de eſſentia vbicationis *A*. vt nec diuinitus poſſit eſſe vel diſtantior vel propinquior vbicationi *B*. ſic autem eſt de ratione cuiuſque vbicationis ab aliis diſtare, vel adeſſe pro cuiuſque ratione, aut ſpecifica, aut numerica.

§. 10. *Vbicatio explicatur per diſtantiã, & indiſtãtiam.*

Quod lubet altius probare. Petrus, verbi gratia, eſt indifferens ad diſtandum à Paulo vno ſtadio, quia ab illo diſtare poteſt, & poteſt ab eodem non diſtare, eſt etiam indifferens ad non diſtandum à Paulo: ergo quando diſtat, habet aliquid à ſe realiter diſtinctum, per quod diſtat. Probo conſequentiam, quia exiſtentibus Petro & Paulo poteſt non exiſtere eorum diſtantia, quod eſſe euidens ſignum diſtinctionis realis oſtendi diſput. 5. ſect. 1. ergo illa ratio, per quam diſtant, ita facit illos diſtare, vt eius eſſentia exiſtere non poſſit niſi faciendo illos diſtare. Probo conſequentiam, tum quia ſi exiſteret realiter nec faciendo illos diſtare: ergo non eſſet à parte rei diſtantia, quia diſtantia non poſſet exiſtere, niſi faciendo diſtare, ſicut nec vnio niſi vniendo, tum etiam, quia quando faceret diſtare, aliquid realiter de nouo illi adderetur, quod non poſſet exiſtere, niſi faciendo diſtare, & ſic abiretur ſine fine: ratio à priori, quia vbicatio eſt determinatio Petri vt diſtet à Paulo vno ſtadio, qua tollitur indifferentia Petri; id autem quod eſt determinatio, ſe ipſo eſt determinatum vt *quo* ad effectum, ad quem ſuum ſubiectum determinat vt *quod*, vt vnio eſt determinata ad ſe vniendum extremis; id enim conuenit cuiuis modo, de quo vide diſp. 5. ſect. 1. ſed præcipuè diſput. 2. met. ſect. 5. vbi latè proponetur hæc doctrina.

§. 11. *Indiſtãtia poteſt amitti mutatione vnius corporis.*

Hæc diſtantia aut indiſtantia in vbicatione vtriuſque ſcilicet, Petri, & Pauli: poteſt amitti per ſolam deſtructionem alterius vbicationis, quin vtraque deſtruatur. Petrus enim retinens vbicationem, per quam diſtabat à Paulo, poteſt non diſtare, quia Paulus mutauit ſuam. Nam Petrus per illam priorem diſtat ab vna vbicatione Pauli, & eſt propinquus alj vbicationi ipſius Pauli: en cur ſit de eſſentia illarum vbicationum diſtare inuicem, vel non diſtare.

§. 12. *Cõtra opinionem de connotatis.*

Hic aduerte contra authores ſententiæ de connotatis propoſitæ diſp. 5. §. 19. poſſe defendi, vbicationem non eſſe modum diſtinctum à locato. Cum autem arguitur: locatum nunc exiſtit ſine vbicatione Salmanticæ; ergo ab illa diſtinguitur; reſponderi poteſt; diſtinguo antecedens; exiſtit ſine vbicatione quo ad entitatem, nego antecedens; quo ad denominationem, antecedens concedo, & nego conſequentiam. Quia eſſe hic aut alibi non eſt niſi inter diuerſa corpora poſſe interiici ſtadium, aut aliam diſtantiam: Cum ergo inter Petrum & Paulum poteſt eſſe ſtadium, habent diuerſum *vbi* quo ad denominationem: vt ipſi dicunt de relatione, creatione, peccato, & aliis. Item ex noua voluntate Dei pendebit denominatio diſtandi, aut non diſtandi. De motu ſucceſſiuo idem dico: eſt enim à mobili diuerſus in ratione denominationis, non verò in ratione entis; quia eſt continua & ſucceſſiua diſtantiarum mutatio: quod fit per entitatem priorem, connotando diuerſas capacitates capiendi maius aut minus corpus inter duo locata: quo connotato & voluntate Dei poſita, oritur noua denominatio ſucceſſiua, ſine nouo ente intrinſeco. Vt videant qualis ſit ea ſententia: ex qua eadem ratione hic & in relatione reſpondetur.

Ex ea ſequitur nõ diſtingui vbi à corpore.

Nec motum.

§. 13. *Vbi definitiuum quid.*

Vbicatio, quæ neceſſariò diſtat ab alia, dicitur definitiua: quia ita definit mobile, & adſtringit ad vnum ſpatium, vt per illam non poſſit fieri præſens alj. verbi gratia, Angelus occupans hoc gymnaſium, & animus rationalis informans hoc corpus, ex vi vbicationum quas habent, non poſſunt eſſe vel extra gymnaſium, vel corpus: vnde per illas neceſſariò diſtant ab aliis ſpatio, & corpore; vbicatio autem, quæ neceſſariò eſt intimè præſens omnibus vbicationibus à ſe diſtinctis vocatur *immenſitas*, quia ita omnia replet, vt non ſit fundamentum diſtandi ab aliqua re.

Immenſitas quid.

Hæc autem conuenit Deo, diciturque *immenſitas*, quia ſine menſura adeſt rebus omnibus creatis, & creabilibus neceſſariò debet adeſſe, ſi fiant. At verò vbicatio quæ neceſſariò diſtat ab vbicationibus cæterorum mobilium, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei cum ſuo ſubiecto, & quæ ſimul poſſunt exiſtere, dicitur *vbi circumſcriptiuum*: quia ita determinat ſuum ſubiectum ad hoc ſpatium, vt nulla pars eiuſdem ſubiecti ſit ſimul in eodem loco cum alia parte, neque aliud corpus ſimul cum illo, vt conuenit quantitati, cuius duæ partes non poſſunt ſimul eſſe in eodem loco, ſed in diuerſis: propter quod quantitas eſt natura ſua impenetrabilis.

Vbi circumſcriptiuum quid.

§. 14. *Immenſitas qui differat ab alijs vbi.*

Differt ergo immenſitas ab alis præſentiis, quia immenſitas eſt fundamentum ſummæ indiſtantiæ, reliquæ verò neceſſariò fundant aliquam diſtantiam ab aliis: *vbi* definitiuum etſi neceſſariò diſtat ab aliquibus vbicationibus cæterorum mobilium eiuſdem ſpeciei, non tamen diſtat ab omnibus ſimul exiſtentibus: nam plures Angeli poſſunt eſſe ſimul ſine vlla diſtantia. Item qualitates materiales ſunt etiam inuicem penetratæ cum materia prima, & quantitate. Repugnare autem per ſe eſſe in eodem loco cum præſentia mobilis eiuſdem ſpeciei ſoli conuenit quantitati propter ſuam impenetrabilitatem. Dixi *per ſe*; nam ob quantitatem non poſſunt omnes partes formæ ſubſtanlis, aut accidentalis, occupare eumdem locum, quia cum quælibet pars formæ ſit in eodem loco quantitatis, non poteſt eſſe cum alia parte formæ, quia eſſent ſimul duæ partes quantitatis. Hinc non tollitur, quin diuinitus duę partes quantitatiuæ penetrentur: id enim fieri poteſt, ſi Deus ſimul producat duas vbicationes in eodem loco; vel tribuendo quantitati vbicationem definitiuam, & non circumſcriptiuam, vt tribuit in Euchariſtia quantitati Chriſtianæ..

Qualitates materiales penetrabiles per ſe: per aliud impenetrabiles.

§. 15. *Spatiũ imaginarium explicatur.*

Quia verò naturam vbicationis neceſſariò apprehendimus in ordine ad ſpatium imaginarium, ſic eam declaramus per propoſitiones affirmantes aliquid de ſpatio imaginario, ac ſi eſſet verum ens reale, ſic dicimus inter vbicationem *A* & *B* interiici interuallum ſiue intercapedinem duorum palmorum: non quia ſpatium illud aliquid ſit reale, ſed quia aptitudo quæ eſt, vt inter vtramque vbicationem interiiciantur duo palmi quantitatis, non poteſt rectè explicari, niſi per hos terminos *interuallum*, *ſpatium*; quam ob cauſam vocatur *ſpatium imaginarium*, quod imaginamur, vt immenſum verſus omnem dimenſionem, fixum, permanens, immobile, incapax natura ſua duorum corporum ſimul in eadem parte; quæ omnes propoſitiones ſumuntur ad exactam explicationem motus, diſtantiæ, propinquitatis, & penetrationis. Nam ad explicandum, mobile nunc habere vbicationem magis, aut minus diſtantem ab alio mobili, quàm antea; dicimus illud ex vno ſpatio imaginario tranſlatum in aliud, & ad explicandas diſtantias vbicationum, ſurſum, deorſum, & à lateribus, apprehendimus in illo ſpatio ſupernum,

ſupernum, & infernum, dextrum, & ſiniſtrum, quia illæ vbicationes conſtituunt tales differentias, ac ſi inter illas reale ſpatium interiiceretur. Quamob rem ſpatium imaginarium nihil eſt præter ſpatium reale, quod realiter poteſt eſſe inter Petrum & Paulum: ſic enim vocatur aptitudo ad recipiendum tantum corpus. Vbicationes ergo dicuntur reſpondere ſpatio imaginario,& ad illud determinare, quia illis poteſt reſpondere ſpatium reale, & inter illas poteſt eſſe tantum ſpatij realis: ſicut tempus imaginarium explicatur per aptitudinem ad tempus reale; & hoc eſt inter duas vbicationes eſſe ſpatium imaginarium, ideſt, inter illas poſſe eſſe corpus reale menſura vnius ſtadij: quæ cum facillima ſint, aliqui volunt ea obſcurare, & quia vbicationes ſunt immobiles,dicitur ſpatium eſſe fixum,& immobile.

§. 16. *Impugnatores eius ſpatij hallucinantur.* Vnde hallucinantur apertè, quia hoc ſpatium impugnant ac ſi à nobis adſtrueretur vt verum ens reale: hanc eſſe Ariſtotelis mentem patet,quia ipſe vult locum eſſe immobilem, & non perire pereunte locato,& alia id genus, quæ nulli corpori poterunt conuenire. Immò ipſi P. Conimbricenſes immobilitatem ſuperficiei declarant ex Ariſtotele in ordine ad ſpatium imaginarium. *P.Conimb.* Dixit autem Ariſtoteles ſuperficiem eſſe locum, tum quia egit de loco omnino extrinſeco, tum maximè, quia in ordine ad ſuperficiem realem voluit declarare ſuperficiem imaginariam: at verò quando videtur inſectari hoc ſpatium imaginarium, non contra nos ſed contra rudes illos Philoſophos, qui dixerunt hoc ſpatium eſſe chaos illud poëticum, corpuſque reale, & forte Ariſtoteles hoc illis ex ſuo cerebro impoſuit pro ſuo more, vt eos melius impugnaret; qui ſtylo illo poëtico adſtruebant noſtram ſententiam. Itaque res ſunt in ſpatiis imaginariis, non vt in aliquo reali (vt Pater Vazquez nobis imponit) ſed habent illas reales vbicationes, quibus fundant relationes diſtantiæ & propinquitatis, quas non poſſumus niſi per ſpatium imaginarium explicare.

§. 17. *Vbicatio non pēdet realiter ab ſpatio.* Dices primò, vbicationem eſſe aliquid reale, ergo non poteſt habere dependentiam ab ſpatio imaginario. Reſpondeo primò, ad puram chymæram poſſe eſſe relationem entis realis tranſcendentalem, vt omnis actus intellectus falſus dicit relationem tranſcendentalem ad chymæram. Reſpondetur ſecundo, vbicationem non pendere realiter ab ſpatio imaginario; ſed, quia eſſentia vbicationis eſt tantum diſtare ab aliis vbicationibus versùs omnem partem, ideo explicatur per ordinem ad hoc ſpatium imaginarium ac ſi illi eſſet eſſentialiter affixa.

§. 18. *Locus quo pacto vim habet trahendi.* Dices ſecundò, ſpatium imaginarium non habere virtutem attractiuam, & conſeruatiuam mobilium. Reſpondeo, chymæriciam eſſe talem virtutem; locus enim neque conſeruat, neque attrahit locatum, ſed hoc illi adſcribitur tranſlatitiè, quia terra, verbi gratia, petit vt inter ipſam & cœlum interiiciantur ignis & aër, ea ratione vbicatio illa per quam ponitur infra cætera corpora, vocatur *centrum*, & ſpatium imaginarium illi reſpondens dicitur *centrum*, & conſeruare, & attrahere terram: quia terra in illo exiſtens cœleſti fruitur influxu, quod eſt idem de cæteris corporibus: ſi autem alio modo diſtaret, non haberet temperiem cœleſtium influxuum ſibi debitam; propterea eſt *in centro.*

§. 19. Dices tertiò, vbicationem quantitatis fundantem diſtantiam quatuor palmorum, cum alia fundante diſtantiam trium, eſſe eiuſdem ſpeciei; quia motus, per quos producuntur, ſunt etiam eiuſdem ſpeciei, ergo non poteſt illis eſſe eſſentiale tantum diſtare. Nego conſequentiam, quia eiuſdem perfectionis eſt diſtare tres aut quatuor palmos, quod verò non poſſit plus aut minus diſtare, illis conuenit ratione modi, cui quod ſemel conuenit, eſſentialiter conuenit, vt calefactio ignis *A*, eſt eiuſdem ſpeciei cum calefactione ignis *B.* cum tamen repugnet omnino calefactionem vnius eſſe calefactionem alterius.

SECTIO III.

Deus, & creatura ſunt in ſpatijs imaginarijs.

§. 20. *Quæſtio de voce.* MAgna verborum, vocúmque contentione, hac in quæſtione diſſident Doctores: rebus autem, & ſententiarum varietate vel leuiter differunt. Pater Vazquez 1. p. diſput. 29. cap. 2. 4. & 3. pro viribus contendit, Deum non eſſe in ſpatiis imaginariis, tum quia eſſe in alio dicit realem coëxiſtentiam loci, & locati, quæ non reperitur inter Deum & ſpatium imaginarium: tum etiam, quia Deus non eſt in chymæra. *P.Vazq. Sententia.* Verum hæc probant apertè Deum non coëxiſtere ſpatiis imaginariis tamquam alicui reali: at verò Deum non eſſe in ſpatiis imaginariis modo ſupra explicato, nequaquam probant; ad illud de chymæra latum eſt diſcrimen: quia hæc non apprehenditur vt interuallum, & intercapedo ad explicandas vbicationum eſſentias; ſicut apprehenditur ſpatium imaginarium vt aptitudo ad capienda corpora.

§. 21. *Deus eſt in ſpatijs imaginarijs.* Dicendum autem eſt, Deum actu eſſe extra cœlum in infinitis ſpatiis imaginariis, ideſt Deum modo habere immenſitatem, per quam neceſſariò eſt intimè præſens cuiuis corpori, ſi extra cœlum creetur, ſic enim ex dictis debet explicari exiſtentia in ſpatiis imaginariis. Eſt communis Sanctis, ac Theologis, quam docent P. Molina 1. p. quæſt. 8. artic. 1. diſput. 3. concluſi. 2. & Suarez tom. 2. metaphyſicæ diſput. 30 ſect. 7. à num. 30. vſque ad 44. immo ipſe P. Vazquez illa diſput. 29. numero 14. nec negari poſſe videtur: *P Molina. P. Suarez. P.Vazquez.* primò, quia Deus eſt immenſus, vt eſt fide certum: ergo modò Deus habet præſentiam localem; per quam coëxiſteret infinitis corporibus, ſi extra cœlum crearentur. Probo conſequentiam, quia ſi modo eam præſentiam non haberet, ergo modo careret aliqua præſentia, quam poſtea poſſet habere: hoc autem dicit imperfectionem, & potentialitatem ad habendum actum, & illo carendum; quo nihil poteſt abſurdius dici. *Deus eſſet loco mutabilis niſi eſſet in ſpatio imaginario.* Probatur ſequela ex ſuppoſitione quod ſupra ſuperficiem extimam cœli creet Deus alium mundum; tunc Deus verè eſſet præſens illi mundo præſentia diſtincta ab ea, quam modo habet, & qua modo caret: ergo Deus modo caret aliqua præſentia, quam poſtea haberet ſi modo non eſt in ſpatiis imaginariis. Dices, Deum eſſe præſentem per operationem, & non per aliquid intrinſecum, vt de Angelis cōmuniter docent Thomiſtæ. *Triplex ratio qua Deus rebus adeſt.* Verum hoc de Angelis falſum eſſe patebit d. 12. met. de Deo autem impugnatur, tum quia attributum immenſitatis diſtinguitur ratione ab attributo omnipotentiæ: ergo Deus per immenſitatem eſt præſens, & non per omnipotentiam: tum etiam, quia communiter dicitur Deus eſſe in rebus per eſſentiam (ideſt per immenſitatē ſuæ ſubſtantiæ) & per præſentiam (ideſt per intentionalem præſentiam intellectus)

&

& per Potentiam (ideſt per exercitium omnipotentiæ) ergo diſtinguuntur illi modi exiſtendi in rebus de quo agendum in 1.p.

§. 22. *Creatura nō eſt immenſa quia eſt in ſpatio imaginario finita.* Secundò probatur: nam hac præcisè ratione res creatæ ſunt finitæ, ac limitatæ in præſentia; quia ita ſunt in hoc ſpatio imaginario, vt nequeant ſimul eſſe in alio; ergo Deus ea ratione erit immenſus, quia ſimul eſt in omnibus ſpatiis. Nam eſſe in ſpatio finito nihil eſt (vt patet ex dictis) niſi habere vbicationem, qua poſſit ab aliqua re diſtare; ergo è contra habere vbicationem in omni ſpatio imaginario, nihil erit niſi habere vbicationem, qua à nulla re diſtare poſſit: & ſicut eſſe in loco definitiuè, eſt inter ipſum & aliud locatum poſſe interiici ſpatium reale: ita eſſe immensè, eſt inter ipſum & alia non poſſe interiici medium corpus: ergo tam certum eſt Deum eſſe in omni ſpatio imaginario, quàm quantitatem eſſe in parte ſpatij.

§. 23. *Mūdus poteſt moueri extra ſuum locum.* Tertiò, quia ſi Deus nunc non ſit extra cœlum, poterit verè, ac propriè moueri, ergo nunc eſt extra cœlum: probatur antecedens: quia Deus poteſt totum hunc mundum extra cœlum mouere, vt eſt certum, & Pater Vazquez admittit ſupra capit. vltimo; ſed in illo motu Deus realiter mutaretur, niſi antea eſſet extra cœlum, ergo: probatur minor: quia Deus acquireret nouum locum, in quo non erat, & deſineret eſſe in eo, in quo antea erat: ergo realiter mutaretur ſecundum locum; conſequentia patet, quia vt probauimus ſupra ex Ariſtotele latio eſt *è loco in locum tranſlatio:* antecedens probatur ex aduerſariis, quia Deus nunc per te non eſt extra cœlum, & eſt in hoc mundo, tunc autem deſineret eſſe in hoc mundo, & inciperet eſſe extra cœlum: inde verò liquet conſequentia, quia ea ſolum ratione totus mundus in eo caſu verè mutaretur, quia ex ſpatio, in quo modò eſt, commigraret extra cœlum, etiam ſi ſeruaſſet eamdem partium proportionem, & diſpoſitionem inter ſe: ita vt nulla ab alia diſtaret plus, minuſue quàm modo, ſin aſſignent mihi aduerſarij, ob quam aliam cauſam mundus moueretur, cum retineret eaſdem ſuperficies, eamdem diſtantiam partium, & ſitum eumdem, niſi quia ex hoc ſpatio migraret in aliud? Sed per te Deus etiam hoc modo migrat, ergo eodem modo mouetur. P.Vazquez.

§. 24. *Reſponſio.* Reſpondent nonnulli, non poſſe mundum extra cælum moueri, & vniuerſim in vacuo repugnare motum: quos infra coarguemus: ſupponamus tamen totum hunc mundum annihilari à Deo, & ſimul produci alium mundum in alio ſpatio præter hoc, in quo caſu eamdem vim habet argumentum: quia Deus de nouo eſſet in alio mundo, & relinqueret hunc.

§. 25. *Deus nec per accidens moueri poteſt.* Reſpondent alij: Deum tunc motum iri, non per ſe: ſed per accidens ad motum mundi: & extrinſeca denominatione proueniente ex diſtantia, vel propinquitate corporis. Hæc ſolutio impugnatur primo: quia id, quod per accidens mouetur, realiter mouetur; ergo ex hac ſolutione non vitatur inconueniens. Probo antecedens, quia nauarchus motu nauis mouetur per accidens & anima motu corporis, & accidens motu ſubſtantiæ, & eques motu equi, quis autem inficietur hæc verè, & propriè mutari? Secundò impugnatur: quia Deus per aliquid ſibi intrinſecum eſt præſens rebus, & non per extrinſecam denominationem, vt patet ex dictis, & exemplo aliarum rerum.

§. 26. P.Vazquez. Pater Vazquez ſupra num. 28. reſpondet, Deum tunc nec ſecundariò motum iri: licet mundus moueretur: quia Deus non poteſt habere nouum reſpectum diſtantiæ à punctis imaginariis: corpus autem poteſt: quia puncta poſſunt extra illud figi, & non extra Deum: quia vbicumque figantur adeſt Deus, & non corpus. Verum hæc ſolutio nobis concedit quod tota hac ſect. contendimus; quod attinet ad rem: quia nullibi poſſunt puncta defigi, quin ibidem intelligatur eſſe Deus, ergo Deus eſt in omni loco capaci punctorum figendorum: hoc autem dicimus eſſe, in ſpatiis imaginariis eſſe. *Obiectio refellitur ad hominem.* *Puncta figi nō poſſunt niſi in ſpatio imaginario.*

§. 27. Deinde eſt facilis impugnatu: qua parte nobis ſaltem verbis aduerſatur, & ad hominem (vt aiunt.) Primum patet: figamus puncta vltra cœlum Empyreum, ita vt inter puncta fixa, & cœlum poſſit interiici linea quantitatis, Deus per te ea ratione non mouetur, quia eſt in illis punctis fixis vltra cœlum Empyreum: ſed ibi nihil eſt præter ſpatium imaginarium; ergo cum Deus coëxiſtat punctis fixis, etiam coëxiſtet ſpatio imaginario; qua igitur ratione ipſe philoſophatur de punctis fixis, philoſophetur etiam de ſpatio imaginario.

§. 28. *Alia impugnatio.* Deinde impugnatur ſolutio; quia chymærica ſunt hæc puncta; fingamus enim à Deo ſolum vnum lapidem conditum fuiſſe, & illum moueri: rogo vbinam eſſent huiuſmodi puncta fixa, cum nulla eſſet imaginatio, qua figerentur? Dices ſufficere aptitudinem vt figantur. Contra verò: fingamus nullam creaturam rationalem eſſe poſſibilem, tunc certè, & lapis moueretur, & puncta figi non poſſent. Secundò, quia illa aptitudo nihil eſt niſi ſpatium imaginarium, quod non poſſumus explicare niſi cum habitudine ad corpus, eadem autem ratio eſt de cæteris ſpatiis imaginariis. Vide alias probationes apud Patres Suarez, Molinam, & Conimbricenſes ſupra. Rogas vnde ſumenda ſit diſtantia? patet ex dictis; ex vna vbicatione ad aliam, & ex ſpatio imaginario; quia ipſæ vbicationes explicatæ in ordine ad ſpatium imaginarium ſunt ratio diſtandi, aut proximum eſſendi: puncta autem fixa parum referunt: nam ipſæ vbicationes ſunt ſatis fixæ, & certa ratio diſtantiæ, & indiſtantiæ vnius rei ab alia. P. Suarez. P.Conimb. *Diſtantia ſumitur ex vna vbicatione ad alias.*

SECTIO IV.

Quibus diſtinctæ vbicationes conueniant?

§. 29. *Motus localis non habet vbi diſtinctum à ſe.* DIco primò: motus localis non habet diſtinctam vbicationem à ſe ipſo: neque formaliter eſt in loco per terminum à ſe productum. Prima pars probatur; quia illud *vbi* quod haberet, rogo vtrum produceretur per motum? Negari non poteſt; de illo igitur motu rogo per quid in loco exiſteret? Si per ſe: ergo idem erit de quouis motu: ſi verò per aliam vbicationem, redit infinita quæſtio. Secunda pars probatur: quia eſſe in loco per vbicationem eſt effectus formalis proueniens ſubiecto ab ipſa vbicatione tamquam à forma intrinſeca, ſed *vbi* non eſt forma intrinſeca motus, ergo motus non poteſt eſſe formaliter in loco per ſuum terminum.

§. 30. *Eſt eſſentialiter huic loco fixus.* Secundò probatur concluſio: quia motus localis eſſentialiter eſt conſtitutio ſeu productio vbicationis in hoc ſpatio, ita vt nec diuinitus poſſit ille motus non correſpondere huic ſpatio; ergo non minus conuenit motui eum eſſe eſſentialiter affixum huic loco, quàm vbicationi. Ergo ſicut hæc per

per ſuam eſſentiam huic loco reſpondet, ſimiliter & illic. Eſt autem diſcrimen: quia motus huic loco reſpondet, tamquam ratio formalis, per quam mobile mouetur ad hoc ſpatium, & cauſat vbicationem; vbicatio autem eſt terminus productus per motum, & formalis ratio, qua mobile exiſtit in loco, ita vt vbicatio ſit formalis locus intrinſecus; motus autem ſit effectio loci: quæ non poteſt ab eodem loco diſtare.

§. 31. P. Vazquez. Pater Vazquez tom. 3. in 3. p. diſp. 199. num. 29. cenſet qualitates nõ habere diuerſum *vbi* à quantitatis *vbi*: primum, quia ſi tot eſſent *vbi*, corpus habens quatuor qualitates moueretur ſimul ſex motibus: quia ipſum moueretur ad ſuum *vbi*, & ſingula accidentia ad ſua: ſecundò, quia albedo & nigredo mouerentur per ſe, & non per accidens contra Ariſtotelem (Ariſtot.): tertiò, quia materia, & vita non habent diſtinctum *vbi*: quis enim vnquam dixit vnionem, & effectum formalem vitæ habere diuerſum *vbi* à corpore? Diſput. autem 190. cap. 3. id probat; quia à ſola quantitate & materia habet partes, & extenſionem: item & qualitates. Vnde probat, per ſolum *vbi* quantitatis cætera eſſe in loco, Chriſtum autem in loco conſtituit quemadmodum Angelos.

§. 32. Quod ait de partibus à quantitate ſatis apertè confutabitur in metaphyſica diſputatione 13. item & diſputatio. 12. reijcientur, quæ aſſerit de Angelis. *Materia vno ſolo mouetur motu.* Ad primum reſpondetur, materiam non moueri niſi vno motu, cæteris autem moueri accidentia; quorum motuum ſubiectum ſunt ipſa; corpus autem valde remotè. *Motus per accidens vnde ſit.* Ad ſecundum reſpondeo: motum per accidens ſumi ab impetu impreſſo corpori, vt afficitur quantitate: quorum motus per ſe intenditur illo impulſu; vt motus nautæ non eſt per ſe à vento; quia ex impulſu nauis non intenditur motus nautæ: licet enim hic abeſſet, nihilominus moueretur nauis: in hoc ſenſu dixit Ariſtoteles (Ariſtot. *Accidentia cur per accidẽs moueantur.*) accidentia moueri per accidens: at ex illo impulſu oritur motus ad ea, quæ ſunt in corpore; vt ex impulſu in naui oritur motus in nautam: hi motus per ſe terminantur ad *vbi* accidentium: in quo ſenſu per ſe mouentur. Ad tertium negatur antecedens: ad interrogationem reſpondeo: omnes Nominales, & cæteros autores, quibus cum ipſe vtroque brachio digladiatur: immo & ipſũ, opinantem vnionem eſſe ſpiritualem, quæ nõ eſt in loco per *vbi* extenſum, addere, materiã habere diſtinctum *vbi* (*Materia habet diſtinctũ* vbi.), tametſi habeat partes à quantitate: nam *vbi* quantitatis eſt circumſcriptiuum; materiæ verò definitiuum; quod retineret quantitate deſtructa; vt mox probo.

§. 33. *Secunda concluſio. Qualitates habent proprium* vbi. Itaque hæc ſententia non habet multum ponderis, nec rationis. Quam impugno: quia materia prima, & qualitates nõ ſunt in loco per *vbi* quantitatis. Nam *vbi* materiæ, & qualitatum nec diuinitus exiſtere poteſt, quin illas formaliter actu cõſtituat in loco: ſed *vbi* quantitatis poteſt exiſtere, quin actu formaliter conſtituat in loco materiam, aut qualitates: ergo *vbi* quantitatis nec eſt materiæ, nec qualitatum, nec eas actu formaliter conſtituit in loco. Minor probatur, tum in Euchariſtia, in qua remanet *vbi* quantitatis, quin materiam panis conſtituat in loco: quia, cum materia non ſit, nullibi eſt. Item ſubſtantiæ paſſim amittunt multas qualitates: nec tamen propterea ſubſtantia, aut quantitas mutant *vbi*: quis enim dicat aërem, cum mane illuminatur, habere diſtinctum *vbi* à veſpertino, cum luce priuatur; eo præciſe, quod lucis viciſſitudines ſubeat? Nec id affirmãt aduerſarij: nam in illorum opinione *vbi* oritur ab extenſione, hæc autem à quantitate: cuius extenſio non mutatur qualitatum abſceſſu, aut acceſſu. Nec dicent eſſe vnũ indiuiſibile *vbi* in materia, quantitate, & qualitatibus, omnia illa per ſe primò æquè afficiens: illúdque perire amota quacunque: vt viſio quatuor colorum amittitur vno ſolo amoto: ſi enim hoc dicerent, relaberentur in ſua argumenta: eſſétque motus æquè per ſe ad accidentia, ac ad corpus. Et quemadmodũ cuilibet qualitati affigunt *vbi* commune omnibus; affigant ſingulare: ne *vbi* commune mutetur. Nam ex conceptu cuiúſque qualitatis oritur in illa intrinſecum *vbi*. Cur fugietur illi proprium dare?

§. 34. Vbi *nõ poteſt exiſtere niſi actu conſtituẽdo in loco.* *Vbi* materiæ, & qualitatum nec diuinitus poſſe exiſtere, quin eas conſtituat in loco actu formaliter, probatur apertè ex cõmuni ratione modi: qui nequit exiſtere niſi actu tribuẽdo ſuum formalem effectum rebus, quarum eſt modus: vt de vnione dixi diſput. 5. ſect. 1. latius dicturus diſp. 2. Metaph. ſect. 5. ſed *vbi* materiæ, & qualitatum eſt modus illarum: ergo nec diuinitus poteſt exiſtere, niſi illis communicando ſuum formalem effectum: qui eſt conſtituere in loco.

§. 35. *Obiectio refellitur.* Dices primò, qualitates, & materiam eſſe in loco per vnionem ad quantitatem. Contra; retenta eadem numero vnione, mutant materia, & qualitates rationem exiſtendi in loco: nam cum eadem vnione acquirunt nouas relationes diſtãtiæ, & indiſtantiæ: ergo ratio exiſtendi in loco non eſt vnio cum quantitate: item haberent diſtinctas rationes exiſtendi in loco: quia vniones ſunt diſtinctæ.

§. 36. *Secunda obiectio.* Dices ſecundo, *vbi* quantitatis eſſe rationem, ob quam qualitates ſunt in loco, non per ſe primò, & immediatè; ſed ratione quantitatis: vbi enim eſt quãtitas, ſunt omnia cum quãtitate vnita. Contra: (Vbi *quantitatis non attingit immediatè qualitates.*) *vbi* quantitatis non attingit immediatè materiam, aut qualitates vt ſubiectum; ſed tantum remotè, & denominatiuè: alioquin periret illud *vbi*, vt pereunt omnes modi amoto quocunque ſubiecto partiali: item daretur per ſe immediatus motus ad illa omnia; non ſecus ac ad quantitatem: ſed, niſi immediatè attingat materiam, & qualitates vt ſubiectum, non poteſt illas conſtituere in loco, ergo. Probatur minor; quia ſuum effectũ formalem ſoli tribuit quãtitati: quod verò qualitates ſint in quãtitate, non pertinet ad eas illud *vbi*, magis quam creatio, aut perſeitas quantitatis in Euchariſtia. Nam à creatione quãtitatis nulla qualitas eſt creata, quamuis ſit in quantitate: nec ab huius perſeitate, quã P. Vazquez admittit, vlla qualitas eſt per ſe (P. Vazq.): quia creatio & perſeitas ſoli conueniunt quantitati: cæteris autem accidentibus non aliter, ac ſi non eſſent. Nam modi illis tantum rebus tribuunt ſuos effectus, quas immediatè reſpiciunt: non verò illis omnibus, quæ ſunt in ipſis.

§. 37. Maximè; quia quamuis effectus formales modorum poſſint adſcribi remotè ſubiectis formarum, quas afficiunt: vt in ſententia communi vnio qualitatis ad quantitatem denominat qualitatem vnitam materiæ; & viſio coloris denominat ſubſtantiam viſam, quia forma communicat ſubiecto omnes ſuos formales effectus; quos etiam ipſa habet vt forma: (*Effectus formalis quem ſubiectũ habet ab vna forma non præſtatur aliĩ formæ eiuſdem ſubiecti.*) at effectus formalis quem ſubiectum habet ab vna forma, non communicatur aliis formis: nec enim albedo dicitur dulcis, licet ſit in eodem ſubiecto: eſt enim proprium formæ communicare ſubiecto ſuas denominationes: ſubiectum autem eas non communicat: ſed qualitatum ſubiectum per te eſt quãtitas: ergo denominatio quantitatis orta ab *vbi* tamquam à forma modali non communicatur qualitatibus; ſicut

quantitati non communicatur perſeitas materiæ, & formæ.

§. 38. *Vbi eſt forma qualitatum.*

Cum ergo qualitates verè ſint in loco, debent habere aliquam rationem in illo exiſtendi, vel illis immediatè affixam (vt volo) vel mediatè per aliquid, quod ſit forma illarum: nam niſi à conceptu formæ, vel quaſi formæ non accipitur denominatio, nec effectus formalis: nam à ſubiecto non accipitur. Sed nihil poteſt habere rationem formæ comparatione qualitatum, per quod ſint in loco niſi *vbi*: ergo *vbi* eſt illarum forma: non mediata: quia deberet cõmunicari per aliam formam, ergo immediata. Dices qualitates eſſe extenſas à quantitate, licet non ſit illarum forma. Iam oſtendi diſputat. 6. §. 76. qualitates eſſe extenſas per ſua *vbi*: quia per illa reſpondent diuerſis locis, in quibus eſt ſubiectum.

§. 39. *Qualitas poteſt à Deo in loco cõſeruari abſque quantitate.*

Deinde impugnatur: quia Deus poteſt conſeruare qualitates in eodem loco extrinſeco, quo nũc ſunt, & deſtruere quantitatem. Nam, vt aduerſarij fatentur, ſeparari poſſunt à ſubiecto omnia accidentia abſoluta: in illo caſũ qualitas haberet *vbi* intrinſecum, per quod haberet relationes diſtantiæ, & indiſtantiæ: ſed non eſſet à quantitatis *vbi*; quod cum illa periret; ergo aliunde. Vbi corruit fundamentum oppoſitæ ſententiæ: Nam ſi *vbi* oritur à quantitate tamquam à ratione formali, ſicut oritur diſtinctio partium, ergo ſicut implicat diſtinctio partium abſque quantitate, vt effectus formalis abſque forma: ita repugnat *vbi* propter eamdem rationem. Maior probatur: quia illa qualitas haberet tunc eamdem diſtantiam à cœlo, quam antea: item poſſet illã amittere; quia ita ſeparata poſſet à Deo è loco moueri; ergo haberet aliquid diſtinctum ab ipſa; quo acquireret nouas relationes diſtantiæ. Ergo & modo illud habet: quia illi tam intrinſecum eſt fundamentum diſtantiæ, & indiſtantiæ nunc, quam in eo euentu: nunc enim tam verè, ac propriè mouetur, & eſt diſtans & indiſtans à cœlo, quam tunc: *Motis enim nobis mouentur omnia quæ ſunt in nobis.* Si enim per extrinſecam denominationem mouentur qualitates, etiã Deus dicetur moueri localiter ad motum humanitatis, quia id nihil eſt niſi moueri humanitatem: item abſolutè qualitas eſt in hoc loco: ex quo mouetur per intrinſecam mutationem: quia motus eſt actus mobilis: ergo intrinſecè mutatur, licet ſecundariò; ergo habet intrinſecum terminum eius motus. Nam magis intrinſecè mouetur, quam creatur, aut per ſe exiſtit creatione & perſeitate quantitatis. Alioquin ſicut qualitas non eſt per ſe intrinſecè in Euchariſtia, ita nec intrinſecè exiſtit in loco, nec mouetur, ſed per extrinſecam denominationem: vt ſi diceres aquam in vitro non moueri niſi motu vitri: & turris diceretur moueri motu ſuperficiei ambientis, cum tamen turris nihil intrinſecè acquireret, aut amitteret: ergo omnia accidentia abſoluta mutãt intrinſecum fundamentum diſtantiæ. Vide ſectionem primam.

Si qualitas loco mouetur per extrinſecam denominationẽ. Deus diceretur moueri.

§. 40. *Omnis modus habet propriũ vbi.*

Dico tertiò: quiuis modus (exceptis his, qui eſſentialiter locum reſpiciunt) habet diſtinctum *vbi*, ab *vbi* ſuarum rerum. Probatur, quia quilibet modus eſt diſtinctum mobile, & vbicatio rerum poteſt eſſe ſine vbicatione modorum; ergo vbicatio rei diſtincta eſt ab vbicatione modi: antecedens probatur, quia materia prima, dum abijcit formam hominis, & recipit cadauericam, non mutatur loco, licet vnio præcedens ſimul è loco, & è vita migret, immo immotis manentibus in loco corpore & animo, deperdi poterit vnio & eius vbicatio.

§. 41.

Hic animaduerte contra connotatores adductos diſput. 5. §. 19. poſſe dici *vbi* modorum, non diſtingui ab *vbi* rerũm abſolutarum: quia modi rerum per connotationem exiſtentiæ modorum, incipiunt habere nouam denominationem conſtituendi modos in loco: quæ denominatio oritur neceſſariò ex modorum exiſtentia; ita vt nec diuinitus queat impediri: item aduerte contra negantes diſtinctionem realem materializationis ab informatione, & negantes diſtinctionem relationis effectus ad cauſam à relatione à cauſa ad effectum, quando ſunt inſeparabiles; quos adduxi eadem diſput. 5. §. 142. Aduerte (inquam) non eſſe multiplicandas vbicationes modorum: quia hi ſunt inſeparabiles loco à rebus: nec qualitatum inſeparabilium quidem à ſubiectis ex natura rei. At propterea res immota loco tot vbicationes mutabit, quot modos, aut qualitates: quod ipſi meritò negant. Hoc ex ipſis conſequi probo: quia ideo non diſtinguunt relationes, quia ſunt ſubiecta in eodem loco; & vna poteſt ad vtrumque referri.

Contra connotatores: vbi modorum non diſtingueretur ab vbi rerum.

Contra alios, non fore ſingulis rebus ſingula vbi.

§. 42. *Res ſpiritualis habet vbi.*

Dico quartò: animus rationalis, & quæuis Angelica ſubſtãtia eſt propriè in loco per veram præſentiam intrinſecam, quam latione mutare poſſunt. Hæc concluſio probanda erit contra Thomiſtas diſput. 12. metaphyſ. vbi probabitur intelligentiam creatam non eſſe formaliter in loco per operationem.

§. 43. *Vbi quantitatis partibus conſtat.*

Cum quantitas eſt in loco, diſtinctas ipſas habet partes inter ſe, cuius vbicatio conſtat etiam partibus diſtinctis: quarum quæuis cuiuis quantitatis parti reſpondet, & quia quæuis pars neceſſariò diſtat ab alia, ideo cuiuis parti loci, ſeu ſpatij imaginarij reſpondet diſtincta pars vbicationis, atque hoc neceſſariò, & per ſe: in quo conſiſtit impenetratio quantitatis. Quando verò tota quantitas diuinitus collocatur tota ſimul in eodem ſpatio, vt in Euchariſtia, tunc longè aliter ſe res habet: nam licet partibus corporis, & ſpatij, reſpondeat diuerſa pars vbicationis, tamen cuilibet parti corporis dantur tot partes vbicationis, quot ſpatij: verbi gratia, caput eſt in puncto *A*. ſe totum, idem caput eſt in partibus *A B*. & *C*. item tota manus eſt in illo puncto & in illis partibus. Ad modum, quo totus Angelus eſt in puncto, & in partibus, & quo animus eſt in corpore, & totus in qualibet corporis parte. Miraculum quantitatis eſt, quia manui exiſtenti in parte *A*. non erat tribuenda vbicatio in parte *B*. Ad hunc modum Angeli exiſtunt in loco, ſed cum differentia, quia cum Angelus ſit indiuiſibilis, non poteſt habere diuerſas partes vbicationis, quæ reſpondeant diuerſis partibus Angeli, quia eſt inſectilis, ſed quælibet pars vbicationis afficit totum animum, vel Angelum: vtrum autem vbi Angelicum ſit diuiſibile per ordinem ad ſpatium? eſt proprium metaphyſici negotij, vbi accuratè differemus de Angelicis affectionibus, & diſp. 2. de Anima nonnulla præſtringemus.

Vbi euchariſticum Chriſti quale.

§. 44. *Vbi penetrationis nõ conſtituit figurã.*

Aduertendum; vbicationem materialem per quam tota quantitas ponitur penetrata in eodem loco, neque habere figurã, neque ſitum; quia conſiſtunt in diſtantia, & proportione, quam partes ſeruant inter ſe in ordine ad locum, vt patet in figura recta, & circulari. At verò vbicatio circumſcripta eſſentialiter eſt figura, & ſitus: ita vt nec ratione diſtinguantur, quia non poteſt apprehendi *vbi* circumſcriptiuum, quin apprehendatur vna pars ab alia diſtare. Ponamus ergo vnam diſtare ab alia verſus locum ſupernum, & aliam verſus dextrum; ecce in primo caſu figuram rectam, in ſecundo verò initium figuræ circularis, eo enim quod

Figura non diſtinguitur ab vbi circũſcriptiuum. Nec ſitu.

Digitized by Google

quod hæc vbicatio detur mobili, per quam diſtet tantum ab vbicatione alterius partis verſus hanc poſitionem, facit circulum, aut lineam rectam, vt patet in domo, eo enim quod lapis ſupta lapidem ponatur fit paries.quod ex ſola ſumitur vbicatione.

§. 45. *Obiectio.*

Dices mutari vbicationem non mutata figura, vt quando homo fertur ſella geſtatoria: ſed id impoſſibile eſt in omni ſententia, quia ſaltem figura eſt paſſio vbicationis, quia ſitus eſt partium diſpoſitio reſultãs ex vbicatione, quæ eſt fundamentum diſtantiæ partium. Deinde ſemper mutatur figura, quia eſt talis diſpoſitio corporis in ordine ad locum, & licet non mutetur diſtantia partium inter ſe, mutatur tamen totus ille modus, qui eſſentialiter priori reſpondebat ſpatio: & datur alia vbicatio, qua partes, ſeruata eadem diſtantia inter ſe, reſpondeant ſpatio diuerſo; vt ſi Deus homini ſedẽti auferat ſeſſionem, & pro illa ſubroget aliam nouam; vel ſedens annihiletur, & reproducatur iterum ſedens, hic modos figuræ mutaſſet. Vulgo tamen dicitur eamdem retinere figuram, quia partes æquè diſtant inter ſe, & vt melius explicaret Ariſtoteles hanc vulgarem conceptionem, adhibuit prædicamentum de *ſitu*, de quo nec de prædicamento *vbi* nihil ſupereſt tractandum in metaphyſica.

Figura & ſitus mutãtur cum vbi mutatur.

Figura vulgo dicitur non mutari.

SECTIO V.

Vtrum idem corpus poſſit eſſe duobus in locis circumſcriptiuè?

§. 46. *Sententia negans.* B. Thom. B. Bonauent. Capreol. P. Suár. P. Vazq.

NEgant Beati Thomas, & Bonauentura, Capreolus, & alij plures, grauéſque Doctores apud Patrem Suarez tom.3. 3.part.diſp.48. ſect.4. ſub initium: quibus ſubſcribit Pater Vazquez diſp. 189.cap.5. Quia eſſe corpus extenſum duobis in locis eſt eſſe circumſcriptiuè; ſed implicat vnum corpus ẽſſe circumſcriptiuè duobus in locis: ergo & eſſe extenſum. Probatur minor: quia circumſcribi loco, eſt, ita eſſe in hoc loco, vt non ſit extra illum; ſed implicat rem eamdem eſſe ſimul extra locum & non eſſe, ergo. Sed vt rectè ait Pater Valentia, nimis frigida eſt hæc vſurpatio, &, vt Pater Suarez, omnino voluntaria, & ſine fundamento: quare ab ea diſcedendũ cenſeo cum Alenſi, Scoto ac bona parte Theologorum, è quibus tredecim adducit, & ſequitur P. Suarez illa ſect.4.§. *Dico tertiò*, quibus adde Patrem Valentiam tom.4. diſput.6. quæſt.3. puncto 1. §.23. fine, qui ait oppoſitam ſententiam à Catholicis reijci, vt re vera minus congruentem veritati fidei, & Patres Conimbricenſes, hoc lib.4.cap.5. quæſt.5. artic.2. & Rub.éſtq; tam recepta vt oppoſita ferè exoleuerit.

Sententia frigida. P. Valent. P. Suar. Alenſ. Scot. *Idem corpus poteſt diuinitus eſſe circumſcriptiuè pluribus in locis.* P. Conimb. P. Rubius.

§. 47. Vbi *circumſcriptiuũ non negat aliud in alio loco; ſed aliud corpus in ipſo loco.*

Varie probatur.

Probatur primò euertendo fundamentum oppoſitæ ſententiæ: quia eſſe circumſcriptiuè in loco nõ negat locatum eſſe poſſe extra illum locum, ſed potius affirmat locum ita corpore circumſcribi, vt non ſit capax ſimul alterius corporis, ſed quod locus non ſit capax alterius corporis, non efficit, quo minus corpus ſit capax alterius loci: frigida ergo eſt illa ratio. Probatur maior primò ex differentja vbicationis circumſcriptiuæ, & definitiuæ, quia per definitiuam totum locatum ponitur in toto loco, & totum in qualibet parte, vt Angelus, & Chriſtus in Euchariſtja: at per circumſcriptiuam vna pars eſt extra aliam, quia oſt extenſio partium in ordine ad locum, ergo tota differentia circumſcriptionis ſumitur in ordine ad diuerſa corpora in eodem loco, & non in ordine corporis ad diuerſa loca. Probatur tertio eadem minor: quia ſi de conceptu quidditatiuo circumſcriptionis eſt, vt locatum non ſit extra eumdem locum, ergo non potuit Chriſtus extenſus exiſtens in vno loco inſtituere Euchariſtiam: conſequens eſt hæreticum, ergo: probo ſequelam, quia Chriſtus in Cœna erat extenſus in ordine ad locum, cui aderat circumſcriptiuè, ergo ſi exiſtens circumſcriptiuè non potuit ſimul eſſe extra illum locum, neque etiam potuit ſubeſſe phyſicè ſpeciebus panis, & vini.

§. 48. *Obiectio de præſentia ſacramentali refellitur à maiori ad minus.*

Dices; potuiſſe eſſe Sacramentaliter, & definitiuè, non tamen circumſcriptiuè: quia circumſcriptio dicit negationem alterius circumſcriptionis, & non definitionis. Contra; ergo iam non eſt de ratione circumſcriptionis, vt corpus non ſit extra illum locum, cur ergo eſt de ratione illius vt non ſit extra illum circumſcriptiuè? Certè nulla poteſt reddi ratio: affirmare enim vnam vbicationem circumſcriptiuam repugnare magis cum alia circumſcriptiua, quam cum definitiua, frigidũ eſt, & ſine fundamento; ac videtur eſſe petitio principij. Huius enim rationem quærimus. Confirmatur, eſſe definitiuè in loco dicit locatum ita eſſe in hoc loco, vt non poſſit eſſe in alio, hoc enim ſignificat *definiri*, id eſt, finibus contineri, quapropter hæc vbicatio Deo repugnat, ſed non obſtante hac naturali incapacitate, idem corpus poteſt eſſe in duobus locis definitiuè; vt patet in Euchariſtia, ergo non obſtante circumſcriptione poterit eſſe corpus extenſum in duobus.

§. 49. Vbi *definitiuum & circumſcriptiuũ æqualem dicunt negationem aliorum.*

Dices definitionem non dicere negationem alterius definitionis, ſecus circumſcriptionem. Contra primo: quia tam circumſcriptio, quàm definitio ſunt modi poſitiui, atque reales, ergo de neutrius eſſentia eſt dicere negationem alterius vbicationis: ſecundò, quia hæc negatio potius conueniret definitioni, quia eſt limitatio locati ad vnum locum, quàm circumſcriptioni, quia eſt limitatiò loci ad vnũ corpus. Tertiò, quia ſi de ratione vbicationis circumſcriptiuæ eſt illa negatio, dicamus eſſe duas extenſiones, alteram circumſcriptiuam, non circumſcriptiuam alteram: dicamus poſſe corpus eſſe extenſum duobus in locis, & non per circumſcriptionem, cur autem erit de ratione extenſionis ad locum, vt non poſſint omnes illæ partes ſeruata eadem proportione diſtantiæ inter ſe in alio loco conſtitui? Confirmatur: quia difficilius conuenit corpori eſſe in vno loco definitiuè, & in alio circumſcriptiuè, quàm eſſe in duobus locis circumſcriptiuè; quia definitio eſt modus ex ſe valde repugnans corpori; ſi ergo quod difficilius eſt Deus potuit facere, quidni & quod facilius?

Confirmatio.

§. 50. *Æque pugnat duo corpora in vno loco ac vnum corpus in duobus locis.*

Secundò probatur concluſio: quia non magis repugnat corpus extenſum duobus in locis; quàm in vno loco duo corpora extenſa: atqui hoc diuinitus fieri potuit, vt in Chriſto egrediente è vulua materna virgineis clauſtris obſeratis, egrediente è ſepulchro, Cœnaculum clauſis foribus intrante, ac penetrante cœlos, ergo etiam conſtitui vnum corpus duobus in locis.

§. 51. *Obiectio. Præcluditur.*

Dices, poſſe auferri ab vbicatione actualem impenetrationem: non verò negationem alterius circumſcriptionis. Contra: quia vt circumſcriptio tollit natura ſua idem corpus eſſe ſimul in alio loco, ſic tollit aliud corpus ſimul eſſe in eodem loco, ergo ſicut diuinitus tollitur impedimentum duorum corporum in eodem loco, etiam tolletur impedimentum vnius corporis ad duo loca: neque apparet vllum probabile diſcrimen.

§. 52. *Impenetratio nō diſtinguitur ab* vbi *circumſcriptiuo, niſi ratione carentia alius* vbi *in eodem loco.*

Contra ſecundò, quia actualis impenetratio non diſtinguitur ab *vbi* circumſcriptiuo, quia circumſcriptio eſt præſentia corporis illud conſtituens partem extra partem, ac diſtans ab omnibus corporibus ſimul exiſtentibus: hoc autem habet circumſcriptio eſſentialiter à ſe ipſa: aſſerere autem impenetrationem eſſe quid præuium ad vbicationem eſt ſine fundamento, quia impenetratio dicit partem extra partem, quod prouenit formaliter ab vbicatione: ad actualem penetrationem nihil aliud requiritur, niſi vt ſimul in eodem ſpatio imaginario detur vbicatio alij corpori, ſicut ad conſtituendum calorem intenſum ſimul cum frigore intenſo non tollitur ab illis aliquis modus, ſed exiſtente altero in ſubiecto, alterum producitur in eodem: quia repugnantia oritur per ſe ex ipſis formis in ordine ad ſubiectum, cuius incapacitatem ſupplet Deus. Quis autem credat cœlis ablatam fuiſſe actualem impenetrationem? Aut cum Chriſto aërem potuiſſe ſimul per illos penetrari? Nam ſi cœli caruerunt penetratione, ergo ignis attiguus cœlo, potuit cum Chriſto naturaliter aſcendere, vel inſito motu, vel ab Angelo impulſus: & de facto quantitas in Euchariſtia poſſet à nobis penetrari. Nam ſicut per te à corpore Chriſti aufertur impenetratio, ita & à quantitate debet auferri; quia, ſi ipſa eſt cum actuali impenetratione, non poterit cum Chriſto penetrari; ergo ſicut penetratur Chriſtus, & nos poſſumus penetrari. Eſt igitur actualis impenetratio, ipſa vbicatio circumſcriptiua cum priuatione alterius circumſcriptionis in eodem loco ſimul, quam priuationem poteſt Deus auferre per ſolam poſitionem alterius vbicationis, quin aliquis modus intrinſecus auferatur à præcedenti. Solutionem à Patre Vazquez redditam facilius impugnabo inferius.

§. 53. P. Vazquez. *Argumētum.*

Pater Vazquez ea diſput. 189. cap. 6. & 8. hac vnica ratione ſuam ſententiam probat, & improbat argumentum. Nam, ſi idem corpus conſtituatur extenſum duobus in locis; ſequitur planè illud poſſe in vtroque vi inſita moueri, & in ſe producere duplex *vbi*: hoc autem repugnat; ergo. Probatur maior: ſit lapis in aëre in duabus extremitatibus trabis; amoueatur trabs: lapis in vtroque loco peteret centrum; quia vtroque grauitaret: ſed ille motus eſſet ab inſita virtute lapidis, ergo vterque eſſet naturalis.

§. 54. *Imbelle. Ad hominem contorquetur.*

Miror tam robuſtum militem tam imbecillia tela torquere. Rogo enim; vtrum poſito miraculo de exiſtentia extenſa in duobus locis: ſequatur per locum intrinſecum vterque motus ab inſita virtute ſine nouo miraculo? Et vtrum adſint omnia requiſita ad motum? An verò abſit vllum? Si ſecundum: ergo admiſſo caſu, non efficietur duplex motus: ſed vnus, ſi ad illum ſint omnia requiſita: vel nullus, ſi deſit aliquod. Si autem ſunt omnia requiſita, quid mirum ſi fiat motus? Nam poſita virtute actiua & paſſiua motus, cum concurſu generali, & applicatione in diuerſis ſpatiis, motus fiet naturaliter.

§. 55.

Dices, vtrumque ſequi: eáque propter negari. Contra: potentia actiua ex ſe habet virtutem ad duos motus ſimul? an ad vnum? item & paſſiua? ſi non habent ex ſe, ergo & ſi ponantur in duobus locis, non efficient duos motus ſimul: quia per illam conſtitutionem non augetur vis actiua, aut paſſiua. Si autem ex ſe habent eam virtutem, & illis deeſt applicatio per duo *vbi*: ergo poſita miraculosè applicatione; efficient naturaliter duos motus; quia data eſſet conditio diuinitus, quam viribus naturæ non poterant comparare. Vt ego non poſſum ſimul videre Petrum Romæ, & Paulum Pompelonæ, quia deeſt applicatio ad vrbem vtramque: data autem applicatione, eos ſimul potero videre, vt poſſum Pompelonæ videre vtrumque ibidem exiſtentem.

§. 56. *Corpus exiſtēs duobus in locis nullibi moueri poteſt naturaliter.*

Reſpondeo, lapidem vtrobique conſtitutum nullo modo moueri poſſe naturaliter: ſed naturaliter quieturum. Nam, quamuis habet virtutem actiuam ad duos motus ſimul efficiendos in diuerſis corporibus ſibi applicatis: at non habet virtutem paſſiuam ad illos ſimul recipiendos: vt calidum vt vnum habet virtutem actiuam ad producendum calorem vt vnū in diuerſis ſubiectis: non verò in ſe ipſo. Nam ſi eſſet in homine virtus actiua & paſſiua ad efficienda in ſe duo vbi ſimul, fierent ex natura rei: vt ex ſe patere videtur: quia virtus actiua & paſſiua eſſent applicatæ mutuo. Lapis autem violentè eſſet in vtroque loco; quia ex ſua inclinatione petit centrum, ſicut aqua eſt violenta cum calore, & quemadmodum hæc non poteſt præſente igne, à ſe vim propulſare: ita nec lapis, quia impeditur potentia paſſiua ex ſe incapaci recipiendi nouum *vbi*, dum alio eſt informata. Cuius exemplum ſint duo corpora penetrata: quæ in ſententia Patris Vazquez non ſe poſſent mouere: quia alterum altero impediretur; immo nec ab agente naturali poſſent dimoueri; quia nullum poteſt conſtituere duo corpora in vno loco, etiam ſi diuinitus in alio ſint conſtituta. Ita nec lapis vlla virtute naturali poſſet moueri in loco vno, dum in alio exiſteret, ob defectum potentiæ paſſiuæ.

P. Vazquez. *Duo corpora penetrata moueri ſimul non poſſunt naturaliter.*

§. 57. *Grauitas in puncto melius moueret lapidem. Agēs in puncto ageret efficacius.*

Quid autem refert lapidem conſtitui extenſum, vel non extenſum? Nam grauitas etiam in puncto exiſtens impelleret lapidem ad centrum: non enim pendet ab extenſione, niſi ob certam partium magnitudinem, quam habent formæ: at ſi ſemel ponatur mobile in puncto; melius mouebitur, quia coniunctiores ſunt partes grauitatis & lapidis, & minor eſt reſiſtentia medij: vt ignis in puncto melius eſſet applicatus, quàm extenſus: ergo eadem eſt difficultas, ſiue ponatur extensè in vtroque loco, ſiue inextensè; éſtque in tua ſententia abſurdum idem.

§. 58.

Item exiſtens in vno loco inextensè, non ſe poteſt in alio mouere: quia etiam poſito priori miraculo, non habet virtutem ſe conſtituendi de nouo in vno loco, manens in alio: nam cum vbicatione inextenſa, non poteſt dari alia extenſa: quia per locum intrinſecum, poſſet vi naturali componere *vbi* ad vnum locum cum *vbi* ad alium. Quod idem eſt in Catholica doctrina: ac in ea, quam Pater Vazquez impugnat. Si Chriſtus in Euchariſtia habet *vbi* naturale quoad ſubſtantiam: eget ad motum in cœlo ſpeciali concurſu quo ad modum. Ex dictis patet, diſcrimen redditum à Patre Vazquez argumento poſito. §. 50. nullum eſſe: nam vt moles vnius corporis officit motui alterius: ita defectus potentiæ paſſiuæ officit motui lapidis duobus in locis conſtituti. P.Vazquez. P.Vazq.

§. 59. *Chriſtus in cœlo non mouetur naturaliter etiāſi eius* vbi *euchariſticum ſit ſupernaturale.*

Si Chriſtus in Euchariſtia habeat *vbi* ſupernaturale quoad ſubſtantiam; rogo vtrùm in cœlo poſſit moueri naturaliter abſque ſpeciali concurſu Dei: item, vtrum à ſacerdote moueatur in euchariſtia ſine concurſu ſupernaturali? Reſpondeo non poſſe Chriſtum nec à ſe, nec à ſacerdote ſine ſpeciali Dei concurſu moueri: quia corpus ex natura ſua eſt determinatum ad vnum locum; cui repugnant duæ vbicationes ad loca diuerſa: vt poſitis miraculosè duobus corporibus in eodem loco *vbi*.

circum

circumſcriptiuo ſupernaturali non poteſt tertium corpus ab agente naturali ibidem collocari: quia omnis circumſcriptio ſiue naturalis ſiue ſupernaturalis pugnat cum alia in eodem loco: ita omnis vbicatio creaturæ ad certum locum eſt definitio ad illum locum: vnde ex natura ſua pugnat cum alia.

§. 60. *Obiectio.* Obijcies: *vbi* ſupernaturale non pugnare cum naturali: quia quamuis in intellectu non poſſunt eſſe ſimul duo habitus naturales de eodem obiecto formali; poſſunt tamen eſſe vnus naturalis, & alius ſupernaturalis. Ratio à priori: quia alter educitur ex potentia obedientiali; alter ex naturali: quæ non opponuntur. Reſpondeo ab hoc vltimo: quia inter formas naturales & ſupernaturales eſt connaturalis oppoſitio: vt inter peccatum mortale & gratiam: odium & amorem: aſſenſum catholicum & errorem: quia ſubiectum eſt idem; & potentia obedientialis in recto eſt ipſa entitas paſſiua.

Inter formã ſupernaturalem & naturalem poteſt eſſe connaturalis oppoſitio.

§. 61. *Habitus cur poſſint eſſe multi ſimul?* Ad exemplum habituum reſpondeo; omnes illos poſſe eſſe ſimul quando diſtinguuntur ſpecie, licet obiectum formale ſit idem: ídque ſiue habitus ſint naturales, ſiue ſupernaturales: exempli gratia, habeo ego duas cognitiones naturales de Deo, diſtinctas ſpecie: alteram deductam ex vna creatura; alteram ex alia diſtincta ſpecie: ex his inferri poteſt duplex amor Dei, ſpecie diſtinctus: cuius obiectũ formale ſit idem Deus. ecce duo amores naturales ſpecie diſtincti ſimul in eadem voluntate. ergo non oritur id ex naturalitate & ſupernaturalitate, itẽ poteſt habere intellectus duas cognitiones naturales, ſolo numero diſtinctas de duobus obiectis numero diſtinctis; & non poteſt habere duas vbicationes naturales ſolo numero diſtinctas: ergo non aptè ducitur argumentum. item duo habitus per ſe infuſi de eodem obiecto formali non poſſunt ſimul eſſe: quamuis non educuntur ex potentia naturali voluntatis: & poteſt eſſe vnus infuſus ſupernaturalis cũ alio per ſe acquiſito etiam ſupernaturali: aliunde ergo oritur hæc repugnantia.

Etiam naturales poſſunt ſimul eſſe: & ſupernaturales interdum non poſſunt.

§. 62. *Ad argumentum. Diſcrimẽ potentiæ vitalis ab alijs.* Ad argumentum ex §. 60. nego antecedens vniuerſim acceptum: ad primam probationem, iam conſtat ex §. 60. & 61. id non oriri ex cõceptu naturalium & ſupernaturalium: ſed quia potentiæ vitales ſunt vniuerſaliores, & habent vim ad plures actus ſimul numero diſtinctos, ſeruientes diuerſis obiectis; item & diſtinctos ſpecie circa idem. at duos actus & habitus ſolo numero diſtinctos circa idem omnino obiectum non poteſt habere: eſſe autẽ in diuerſis locis non poteſt creatura ſimul. Ad rationem à priori iam patet, eſſe eamdem entitatem potentiæ obedientialis paſſiuæ, & naturalis: ac propterea eſſe poteſt oppoſitio formarum naturalium & ſupernaturalium.

§. 63. *Grauis obiectio.* Contra hanc ſententiã inferunt nonnulli; contingere poſſe corpus Romæ viuere, & mori Pompelonæ; hic habere oculum, & Romæ illo carere: item ſimul eſſe in gratia & peccato in diuerſis locis. Item in vno frigere, & in alio incaleſcere in gradu intenſo: quia Romæ applicatur igni: Pompelonæ autem niui, & alia huiuſmodi. Quæ tamen vim habent eamdem in ſententia Catholica. Nam, ſi poſt cœnam Dominicam aſſeruatus fuiſſet panis conſecratus, ibi eſſet Chriſtus viuus, & non eius cadauer: at cum Chriſtus obijt, quid contingeret corpori exiſtenti ſub ſpeciebus panis? Poſſet ne tunc ibi viuere, & in Cruce mori? An verò neceſſario illi eſſet vita auferenda? Idem dic in noſtro caſu.

§. 64. Duo ſunt certa. Alterum, accidentia reſpicientia locum determinatum non poſſe eidem corpori ſimul conuenire in locis diuerſis. Nam motus, *vbi*, figura, & ſitus, quæ per ſuas eſſentias ſunt fixa in vno loco; non poſſunt inde auelli. Non ſecus ac viſio nigredinis ſolius non poteſt nec diuinitus repræſentare albedinem. Alterum, potentiam actiuam, aut paſſiuam non augeri per ſolam replicationem *vbi*: quia hoc non confert vim potentiis. Quamobrem non poteſt habere duobus in locis ſimul niſi effectus, quorum eſt capax ſecundum ſe. Cum ergo ſit incapax aſſenſus & diſſenſus ſimul: quia connotant contradictionem in obiectis: ita nec poteſt Romæ eſſe aſſenſus, & ſimul diſſenſus Pompelonæ. Quia illi actus non vniuntur ſubiecto vt exiſtenti in loco, ſed ſecundum ſe: cum ergo eadem ſit eſſentia aſſentiens & diſſentiens, nõ poteſt in ſe vtrumque componere: quia ipſa videt repugnantiam.

Potẽtia actiua, aut paſſiua nõ augentur per vbi replicationem.

Corpus duobus in locis nõ poteſt habere plura accidẽtia abſoluta quam in vno.

§. 65. *Nec poteſt in illis habere qualitates ſecundũ ſe contrarias.* Item nõ poteſt ex natura rei eſſe gratia Romæ, cum peccato Pompelonæ: quia illorum formales effectus ſunt ſecundum ſe repugnantes. Eſſe in gratia Romæ dicit & vnionem gratiæ cum anima, & vtriuſque *vbi* Romanum, quod innititur illi vnioni: cum ergo vnio ſecundum ſe repugnet, non poteſt eſſe fundamentum illorum *vbi*. Item non poteſt Romæ intenſo calore perfundi, & Pompelonæ frigore intenſo: quia illi effectus repugnant ſecundum ſe. Si ergo Romæ applicetur ignis, non poterit producere calorem intenſum, ſed illum, quem poſſet componere ex natura rei, ſi corpus eſſet in vno dumtaxat loco. Si igitur agentia frigoris vincunt ignis virtutem, nihil efficiet ignis: ſi autem hic vincit reſiſtentiam infrigidantium, inducit calorem, & expellet frigus Pompelonenſe. Licet enim frigus illud non ſit Romæ; eſt tamen ſubiectum frigidum. Ex quo calor productus abigit vnionem frigoris, illúdque deſtruit: & conſequenter deſtruit omnia frigoris accidẽtia: quorum vnum erat *vbi* Pompelonenſe.

§. 66. Itaque calor Romanus nihil egit Pompelonæ; ſed deſtruens frigus, deſtruxit conſequenter, quæ illi innitebantur, accidentia. Idémque eſt de cæteris rebus in argumento obiectis. Verum ſi capacitas omnium effectuum non eſt expleta; poterit partim Romæ partim Pompelonæ exerceri: verbi gratia, producere aut pati vtrobique totum effectum, quem poteſt in vno loco. Item ſi in vno non poteſt producere centum effectus, non aliam ob cauſam niſi quia non poſſunt applicari ſubiecta in vno loco: poterit ſimul eos efficere in duobus: quia in illis plura ſubiecta poſſunt applicari, quàm in vno.

§. 67. *Poſito vno miraculo: qualitates connaturali aliæ ſunt in pluribus locis.* Vt argumento reſpondeam, pono, ex ſuppoſitione primi miraculi debere Deum iuxta leges naturæ conſtituere omnes effectus abſolutos à certo loco, in omnibus, in quibus eſt ſubiectum. Nam vnaquæque forma eſt comes indiuiduus ſubiecti, Eſt enim contra naturam partis non eſſe cõtinuam cum toto, aut componere, vbicumque ſit alia pars in ſtatu capaci vnionis. Quod admodum videtur clarum, vt oppoſitum cenſeant nonnulli repugnare: & quidem hoc ſecundum, eſt etiam miraculum, quia à nullo agente naturali poteſt accidens in duobus locis conſtitui, etiam ſi ſubiectum ſit in illis: eſt autem res aliquo modo ſupernaturalis, annexa quidem priori; vt concurſus ad viſionem Dei eſt ſupernaturalis, licet debitus intellectui iam informato lumine Gloriæ.

§. 68. Item opinor, poſſe Deum facto primo miraculo conſtituente corpus in duobus locis, non conſti-

Corpus in duobus locis, poteſt habere calorē in vno quin in alio.

conſtituere eius formas duobus in locis: ſed in vno tantum. Nam *vbi* formæ eſt diſtinctum ab *vbi* materiæ: ergo facto ſecundo *vbi* materiæ, poteſt non fieri aliud ſecundum in forma. Pater Vazquez obijcit, idem eſſe *vbi* earum rerũ, & propterea non poſſe vnam eſſe niſi ſimul cum cæteris. Item *vbi* totius eſſe *vbi* partium. Verum iam oſtēdi hæc eſſe falſa, nec enim materia mutat *vbi*: in generatione ſubſtantiali: & abſciſſo brachio manet prius *vbi*: an quia ſolus digitus mouetur, totus homo mutat *vbi*? ſunt ergo illa *vbi* partialia, & extenſa, ſicut compoſitum integrale.

§. 69. Verum eo admiſſo; adhuc poteſt eſſe Romæ, quin animus, aut brachium: nam corpus poteſt diuinitus conſeruari Romæ ſine animo, aut brachio: det ergo Deus corpori illud *vbi*; quo eſſet Romæ ſine animo, aut brachio. Dices tale *vbi* eſſe corporis realiter carentis animo: Contra, illud *vbi* non pendet phyſicè à carentia animi, aut brachij: ſed tantùm quaſi à conditione, quia non componit totale *vbi*: ſed tantum eſt vnius partis: at tunc tam maneret *vbi* incompletum, ac ſi verè nō eſſet animus alibi: quia carentia animi requiritur, ne illud *vbi* ſit totius compoſiti, ſed tantum partis: hoc autem eodem modo fit: licet animus alibi ſit: quia nō attingitur per illud *vbi*: ac propterea reſpectu ſui loci tam partiale manet, ac ſi non eſſet brachium: eſtque totum tunc more totius mutili: quia mutilum eſt illud *vbi*: id eſt, ſolum illarum partium.

§. 70. *Affirmāt aliqui poſſe corpus eſſe viuū in vno loco, & mortuum in alio.*

Supereſt inquirendum, vtrum idem corpus poſſit Romę eſſe viuum, & mortuum Pompelonæ? ingenuè fatentur non pauci, nec ignobiles: quia corpus viuere Pompelonæ, eſt ipſum & animam illi vnitam, eſſe Pompelonæ, mortuum autem Romæ eſt, ipſum eſſe Romæ, quin ibi ſit eius anima vnita: hoc autem non repugnare nos fatemur: ergo.

P. Vazquez. Pater Vazquez diſput. 189. cap. 4. non leuiter præſtringit hos auctores: quia hæretici inania argumenta contra Euchariſtiam obijcientes; hac Catholicorum doctrina rudi imponunt vulgo; proijcientes ampullas, & ſeſquipedalia verba. Doctrina Patris Vazquez mihi placet. Fundamentum diſplicet, nempe idem eſſe *vbi* corporis & cæterarum rerum, ortum à quantitate. Eſto id ex natura rei: conſeruet Deus hominem abſque quantitate, tunc *vbi* materiæ non erit à quantitate, nec *vbi* qualitatum: cur Deus non tribuet tunc diſtincta *vbi*: & erit albedo Romæ quin Pompelonæ, cum corpus ſit vtrobique?

§. 71. *Poteſt corpus habere vitam Romæ & non Pompelonæ: nō tamen poteſt eſſe viuū Romæ & mortuum Pompelonæ.*

Dico ergo; poſſe corpus eſſe Pompelonæ cum anima ibidem, & eſſe Romæ ſine anima ibi; quin ſit mortuum Romæ, & viuum Pompelonæ. Primo: quia eſſe mortuum dicit carentiam vnionis inter corpus & animum, quæ conſtituit formaliter corpus mortuum: at mortuum Romæ, addit præter carentiam vnionis, carētiam *vbi* Romani eiuſdem vnionis, exiſtente corpore Romæ: ſed in noſtro caſu exiſtente corpore Romæ quin tunc Romæ exiſtat vnio, non eſt carentia vnionis inter corpus & animum: ergo non eſt ratio formalis mortis. Minor eſt certa, quia conſideratis corpore & animo non habent carentiam vnionis, ſed potius ſunt vnita: eſt enim falſa hæc propoſitio, *animus non informat corpus*: eſt enim abſtrahens à loco: nec ea vnio conſtituitur per *vbi*: ſed potius ex illa oritur *vbi*. Maior patet: quia mors & vita opponuntur priuatiuè: ſed carentia *vbi* Romani non opponitur vitæ priuatiuè: ergo illa carentia non conſtituit mortem Romæ: priuatiuè autem opponuntur vita ſubſtantialis & mors.

Mors dicit carentiā formæ cum corpore ſecūdum ſe: non vero carentiā vbicationis in hoc loco.

§. 72. Secundò, viuere Romæ non conſtituitur formaliter per ſolum *vbi* Romanum; ſed viuere conſtituitur vnione vitæ, quæ eſt ſubſtantialis; quod autem vita ſit Romæ, conſtituitur *vbi* Romano: ergo ſimiliter mori Romæ conſtituitur formaliter per carentiam vitæ ſecundum ſe, & per carentiam *vbi* Romani: ergo deficiente carentia vnionis non eſt mors Romæ, licet non ſit *vbi* Romanum.

Confirmatur: non corrumpitur homo Madridij, tametſi corrumpatur *vbi* Madridianum: quia corrumpi hominem dicit carentiam influxus: at viuente homine Toleti, non eſt Madridij carentia influxus: quia carentia eius influxus, cum nullibi ſit, nō eſt Madridij. Nec enim eſt cæcitas mea Madridij; quamuis ibi non ſunt mei oculi: quia cum ego non ſim cæcus, nullibi eſt mea cæcitas: cum ergo mors, id eſt, ſeparatio corporis & animi, non ſit in rerum natura, non eſt mors Romæ. §. 73. *Confirmatio.*

Ad argumentum ex §. 70. Nego maiorem: nam ad moriendum Romæ requiritur, vt & mors ſit, & vt ſit Romæ: mors autē non eſt. Id quotidie contingit; ego deſino nūc eſſe in gymnaſio, ergo morior in gymnaſio? ſimiliter vnio vitæ non eſt Romæ, ergo corruptio vnionis, ſiue mors eſt Romæ? Dices: corpus non viuit Romæ, ergo Romæ eſt mortuum: quia inter mori Romæ, & viuere Romæ non eſt medium. Concedo antecedens: quia vita non eſt Romæ, eo præciſè quia illi deeſt *vbi* Romanum, ſicut ego eādem ob cauſam non viuo Romæ. Nego autē conſequentiam: ſicut ego non morior nunc Romæ, licet non viuo Romæ. Nego itē probationem: quia inter viuere Romæ & mori Romæ eſt medium; nempe nec viuere, nec mori. Sicut inter viuere cum filio & mori cum filio eſt medium: nempe nec viuere nec mori cum filio, multi enim ſine filio viuunt; quia nec viuunt, nec moriuntur cum filio, eſt quidem immediatè oppoſitum viuere & non viuere: item eſſe Romæ & non eſſe Romæ: ſecus autē viuere Romæ & mori Romæ. Arguens autem, à negatione accidentis arguit ad negationem ſubſtantiæ. Quo videtur nonnulli moti, arbitrantes mori Romæ eſſe, non habere vitam Romæ: at mori Romæ eſt, Romæ eſſe priuationem ſubſtantialis vnionis: non verò eſſe carentiam *vbi* Romani. §. 74. *Mors non eſt Romæ, quamuis vita non ſit Romæ.* *Inter viuere Romæ & mori Romæ eſt mediū; nempe, non viuere Romæ.*

Dices, ergo Romæ eſt viuum: diſtinguo, ſpecificatiuè, concedo; reduplicatiuè, nego: quia corpus illud affectum *vbi* Romano, viuum eſt; at illud *vbi* non afficit vitam: & quia nec afficit corpus carens vita; ita nec reduplicatiuè, nec ſpecificatiuè eſt mortuum Romæ; ſed eſt corpus ſpecificatiuè viuum: reduplicatiuè autem nec viuum, nec mortuum; ſed ſecundum conceptum corporis indiuidui; quia per illud *vbi* tantum attingitur eſſentia corporis. §. 75.

Probata eſt ad hominem cōtra Catholicos concluſio ex fidei principiis; cōfirmatur abſolutè contra hæreticos: quia nulla cernitur repugnantia in caſu concluſionis: ergo. Probatur antecedens, quia duæ vbicationes tantum opponuntur contrariè, vel quaſi contrariè, ſicut calor & frigus, ſed duo accidentia cōtraria poſſe ſimul-eſſe in eodem ſubiecto non oſtenditur repugnare, ergo. Confirmatur, animus rationalis exiſtit in toto corpore continuo, & in vna parte mouetur totus, & in alia totus quieſcit, hic ſurſum fertur, deorſum illic; hic ſentit, illic non; hic afficitur dolore, illic voluptate; cur ergo de potentia abſoluta non poterit ſimul exiſtere in iiſdem locis diſcontinuis? Cur, & idem corpus totidem in locis eſſe non poterit? §. 76. *Cōtra hæreticos probatur concluſio.*

Dices, ergo idem corpus poterit ſimul eſſe in locis infinitis, ergo & eſſe immenſum. Nego ſecun- §. 77.

ſecundam conſequentiam: quia immenſitas eſt præſentia natura ſua conſtituens rem in omnibus ſpatiis poſſibilibus, at verò corpus id non habet ex natura ſua. Dices, non poſſe idem à ſe ipſo diſtare, quia hoc dicit diſtinctionem. Bene: tunc autem non diſtaret à ſe ipſo, ſed haberet vbicationes diſtantes, à quibus non denominaretur *diſtans*, ſed diceretur *idem vt hic exiſtens diſtare à ſeipſo vt exiſtente alibi*, ſicut Chriſtus, & animus: ille in diuerſis hoſtiis, hic verò in diuerſis corporis partibus, id enim tantum eſt habere vbicationes inter ſe diſtantes. Inania illorum argumenta diluere ſpectat ad Theologum in 3. p. Videantur noſtri doctores.

Obiectio. Præcluditur.

SECTIO VI.

De Vacuo, & Centro.

§.78. *Vacui definitio.* P.Conimb.

VAcuum communiter dicitur eſſe: *Locus vacans corpore, aptus illo repleri.* Qua propter P. Conimbricenſes hoc lib.4. cap. 9. affirmant, ſpatium illud imaginarium interiectum inter angulos cœli empyrei (ſi modo quadratum ſit) & orbem ſphæricum primi mobilis, non eſſe vacuum propriè, quia naturaliter non eſt vis actiua, per quam repleatur, & conſequenter omnia ſpatia imaginaria, quæ ſunt vltra hunc mundum, non ſunt vacua, eamdem ob cauſam: ſed impropriè ſunt vacua, quatenus poterant diuinitus repleri. Item canales illi, per quos libr. de cœlo errones circumagit quorumdam opinio, propter eamdem rationem non ſunt vacui. Propriè igitur eſt vacuum, *ſpatium aliquod ſublunare vacans corpore, quo poteſt naturaliter repleri.* Hoc autem repugnare naturaliter, peracutè, & eleganter P. Conimbricenſes oſtendunt ſupra tota quæſt. 1. quod manifeſtè colligitur ex ſolerti diligentia naturæ, qua præuidet vt corpus graue ſuopte ingenio petat accliue, & leue decliue, vt fugiatur vacuum; ratioque commonſtrat: nam corpora ſublunaria frui non poſſunt cœleſtibus beneficiis, ſi ſint loco diſſita, quia per inanem illam intercapedinem non poteſt cœlum ſuos influxus traiicere.

Vacuum repugnat. P.Conimb.

§.79. Quapropter cum vnum corpus loco mouetur, ſimul, atque eodem indiuiſibili tempore corpus immediatum mouetur ad occupandum locum, à priori mobili deſertum, quapropter diffuſus eſt vndequaque aër, qui omnium corporum inanes compleat meatus: ſic diſrumpitur vas, quando per gelidam concretionem condenſatur aqua, vt in locum ab ea deſertum ſuccedat vicinius corpus, ſic duo plana agglutinata non poſſunt ſimul, abiungi, nec tabula ex aqua extrahi tota ſimul, ſed ſucceſſiuè, vt à corpore ambiente poſſit totus illius locus ſucceſſiuè occupari.

§.80. P.Conimb. *Angeli non poſſunt vacuũ.* Probant etiam rectè P. Conimbricenſes q. 3. non poſſe fieri vacuum Angelica virtute, quia licet quodlibet corpus poſſit Angelus è loco pellere, non tamen illud ab alio abiungere, quia hic eſt ordo totius naturæ corporeæ, quem nullus poteſt inuertere, niſi qui eiuſdem ſit auctor.

§.81. *Obiectio.* Dices, poſſe Angelos mouere duo corpora in partes contrarias, & impedire corpora circumfuſa, ne confluant ad inane relictum, quia virtus motiua Angelorum ita poteſt excreſcere, vt ſuperet reſiſtentiam corporum. Sed negatur hic caſus: quia ab auctore naturæ corporibus debetur concurſus ad ſuperandum Angelicum impulſum. De potentia abſoluta non repugnare vacuum, cur negabitur? videantur Patres Conimbricenſes quæſt.2. P.Conimb.

§.82. *In vacuo non poteſt eſſe motus inſtantaneus.* In quo vacuo naturaliter non fore motum inſtantaneum corporum, probat diſtantia ipſa interualli, & limitatio corporis ad vnum locum, vltra quem non poteſt ſimul exiſtere. Ratio eſt: quia ſucceſſio non prouenit adæquate à reſiſtentia medij, vt patet in Angelo, cui medium non reſiſtit, ſed præcipuè ex intercapedinis diſtantia. Fore autem motum ſucceſſiuum negant nonnulli, ſed ſine fundamento, quia Angelus mouens vltimum cœlum habet eamdem virtutem motricem annihilato igne à Deo, vel non annihilato: ergo ſi Deus annihilet ignem, nihilominus Angelus circumuoluet cœlum, nam ignis potius impedit motum. Deinde Deus poteſt ponere ignem in ſpatio, in quo modò eſt aër, cæteris corporibus annihilatis; cur non poterit & ſucceſſiuè eumdem ignem conſtituere in omnibus illis ſpatiis? aut quis dicat hominem exiſtentem in terra non ſe poſſe loco mouere niſi eſſet aër, neque virgam fixam cœlo vltimo moueri poſſe motu cœli, ſi eius extremitas eſſet in vacuo? Quid tunc fieret de illa virga? Ratio à priori eſt, quia motus fit ex vno ſpatio imaginario in aliud, & ex vna vbicatione in aliam, quæ omnia retinentur in vacuo.

§.83. *Motu graui & leui corpora agitarẽtur donec cõiungerentur cœlo mediatè, aut immediatè.* Motu autem grauium, & leuium mouerentur corpora, donec cœlo adiungerentur, vel per ſe vel per alia corpora: vnde ſi Deus annihilaret ignẽ, aërem, & aquam, ſtatim terra peteret concauum lunæ; ne priuaretur dono cœleſti; ſi verò cœlum annihilaretur, adhuc elementa eumdem ſitum retinerent, quem modo, vt pote accommodatiorem ad fruendum cœleſtem influxum, ſi poneretur: ſi verò non eſſet cœlum, & poneretur terra in ſpatio imaginario, ſupra ſpatium imaginarium ignis, & inter vtrumque elementum eſſet vacuum totum ſpatium, quod cœli occupant, tunc neutrum corpus moueretur, quia tunc nullus eſſet illius locus aptior ad fruendum cœlo, quia res ſe mouent in centrum, quod eſt locus aptior ad fruendum cœlo; ſic terra eſt, quæ maximè diſtat à cœlo, quia cum ſit opaca, impediret lucem aëris; aër autem quia diaphanus eſt, non impedit lucem, aut calorem terræ. Quapropter aër ponitur proximior cœlo, ob quod inſitæ ſunt illis qualitates per quas ea loca ſibi vendicent.

§.84. *Ad motum cuiuſque corporis non mouetur totus orbis.* Hoc vnum admonuerim: ad motum cuiuſque corpuſculi non motum iri totam naturam, ſed vel duo corpora locum commutare, vel aliquod rareſcere? Rogas, ſi lapis ponatur in aëre, & annihiletur aër infra illum. Vtrum lapis ille à ſe moueretur? Non: quia elementa non mouentur niſi in locum, ex quo fruantur cœlo; lapis autem deſcendens, non poſſet cœlo frui cum ab illo abiungeretur, & per vacuum non poſſit cœleſtis traiici virtus. Aduerte, ſi terra manens infra lapidem illum, eſſet continua cœlo ex alia parte, vt per antipodes e. g. & locus ſupra vacuum ab aëre deſerto eſſet commodior lapidi, tunc lapis propria qualitate deſcenderet, cuius finis eſt eum conſtituere in loco commodo: ſi verò eſſet commodius in loco ſuperiori eum retineret, quia non pugnaret cum corpore leuiori eſſe: in qua pugna leue vincit, & graue deiicitur ad eius pedes. De loco elementorum videantur P. Conimbricenſes hoc li.4.c.5.q.3. de quo agemus libro de cœlo.

Terra peteret locum commodiorem. P.Conimb.

DISPVTATIO XV.

De continuo permanente, & ſucceſſiuo.

§. 1. *Cognitio de continuo opprimit ingenia.*

DEVENIMVS tandem in hanc materiam, quam nullus Philoſophus non exhorreſcit; quia eius difficultates opprimunt humanum ingenium. Mihi quidem nullum amarorem diffundunt: immo delector interdum acutiſſima ingenia cæcutire; vt intelligant ſe eſſe humana, neque altum ſapere cupiant, cum vix poſſint percipere vnguis compoſitionem. Lata, & communi via gradiemur; non quia planior, ſed quia tritior, niſi forte & ob id etiam planior, nihil enim eſt tam difficile, quod non complanent præeuntium pedes; deflecterem quidem in eorum viam, qui à communi diuertunt, ſi in ea viderem aliquod diuerſorium, in quo poſſemus pacatè diuerſari, at in eo difficultates tam apertè cruentant, vt ferè inter vulnera animum exhalent aduerſarij; at in communi philoſophantium ſolo, nonnullis latibulis vulnera eluduntur: vix enim termini ab arguente, aut reſpondente percipiuntur: malo tamen apertè non capi, quam apertè capi.

SECTIO I.

Actualis continui compoſitio monſtratur.

§. 2. *Stulta ſententia.*

NVlla fœditas ſine amatore, nec fatuitas ſine patrono. Non defuere, qui aſſererent, continuum actu nullas habere partes, ſed poteſtate, neque actu eſſe compoſitum, ſed ſimplicem entitatem, poteſtate verò continere infinitas partes, in quas poſſit diſſecari. *Continuũ eſt actu compoſitum.* Cuius ſententiæ nullum eſt fundamentum, niſi vt effugiat difficultates circa continui compoſitionem. Sed aliis grauioribus irretitur. Primò, quia ſi materia prima actu nullas habet partes diſtinctas, ergo à Deo nullæ partes actu diſtinctæ productæ ſunt: nam ſi eſſent productæ, non dubium, quin actu diſtinctæ exiſterent: ergo partes materiæ tunc producuntur, cum materia diuiditur: quia ante non ſunt productæ: ergo qui materiam diuidit, producit euſdem partes: atqui eæ fiunt creatione; ergo qui materiam diuidit, creat eius partes; & qui vnit partes, eas annihilat. Sed virtute naturalis agentis non poteſt quid creari, aut annihilari, ergo. *Obiectio.* Dices entitatem partium fuiſſe à Deo creatam; non verò diſtinctionem, quam accipiunt à diuidente. *Confutatur.* Contra, quia in metaphyſica probabitur, diſtinctionem formaliter prouenire à propria cuiuſque entitate, & implicare contradictionem, vt duæ res, quæ ſemel ſunt diſtinctæ, poſſint aliquando eſſe idem.

§. 3. *Continuũ eſt diuiſibile in partes quas actu habet.*

Vnde argumentor ſecundò, quia continuum eſt diuiſibile. Rogo, vtrum in partes, quas modo habet? an verò in quas non habet modo? Hoc dici non poteſt: ergo modo habet partes in quas poſſit diuidi; ſed de conceptu partium realium eſt, vt ſint realiter diſtinctæ, ergo. Probatur minor, tum quia pars dicit relationem ad totum, & ad compartem; tum quia niſi diſtinguantur actu, non poteſt in eas diuidi. Nam diuiſio non eſt diſtinctio, ſed ſeparatio rerum iam diſtinctarum. Confirmatur: antequam vniantur duæ partes aquæ, erant realiter diſtinctæ, ergo etiam quando vniuntur, nam eamdem retinent eſſentiam, & exiſtentiam, & productionem. Immo eaſdem videmus iiſdem affectionibus præditas, quibus ante vnionem, quare Ariſtoteles dixit, *quantum eſſe diuiſibile in ea, quæ inſunt.* *Ariſt.*

§. 4. *In continuo ſunt partes actu diſtinctæ.*

Tertiò: quia manus hominis non ſunt caput neque caput manus; quia præciſis manibus manet caput, & ſunt in diuerſis locis, & habent diſtinctos motus: immo motis manibus non mouetur caput: alioquin manus, & caput eſſent in eodem loco; neque eſſet neceſſaria nutritio, quia nulla pars diſtincta à præcedentibus acquireretur.

§. 5. *Obiectio. Prima confutatio.*

Dicunt, manus & caput diſtingui, quia iam illa ſignamus: Contra primo: ergo iam in continuo actu ſunt partes diſtinctæ realiter; quia per illam mentis deſignationem non tollitur illarum continuatio, quia manent in toto, alioquin cum ego affirmo, *Petrus habet manus.* Petrus diuideretur. *Secunda. Deſignatio eſt extrinſeca partibus.* Secundo, quia illa deſignatio eſt extrinſeca denominatio ab intellectu tendente in obiectum, vt eſt, ſed tendit in obiectum vt eſt à parte rei, cum capite & manibus diſtinctis: ergo obiectum à parte rei habet manus diſtinctas à capite, alioquin falſa eſt propoſitio aſſerens illas partes eſſe actu diſtinctas. Itaque illa deſignatio non diſtinguit partes, ſed eas iam diſtinctas cognoſcit vt diſtinctas. *Vnio ſupponit partes.* Ratio à priori eſt, quia continuatio, vel vnio, non tollit, ſed ſupponit partium diſtinctionem, quia aliud eſt partes eſſe vnitas, aliud eſſe diſtinctas, vt patet in materia prima, & animo rationali, quæ actu diſtinguuntur realiter, & actu vniuntur realiter: quando verò Ariſtoteles, & alij affirmant *continuum actu eſſe vnum, poteſtate verò plura*; non eſt ſenſus continuum eſſe vnam ſimplicem entitatem, ſed eſſe vnum compoſitum actu, poteſtate verò plura compoſita. nam duæ partes aquæ, dum ſunt vnitæ, faciunt vnam aquam, abiunctæ verò faciunt duas totales, & ſic tot ſunt compoſita poteſtate, quot ſunt partes actu.

§. 6. *Dubium.*

Dubitari autem poteſt, num continuum ſit vnum per ſe? an verò per accidens? non eſſe per ſe, probatur: quia ex duobus entibus completis, & perfectis non poteſt fieri vnum per ſe: ſed ex duobus entibus completis & perfectis fit continuum, vt cum ex duabus aquis fit vna: ergo continuum non eſt vnum per ſe. Confirmatur, quia vnum per accidens fit ex materia, informata ſubſtantialiter, & ex quantitate, quia hæc eſt extra rationem compoſiti ſubſtantialis, quod eſſentialiter ſine ea coaleſcit: ſed continuum *A.* eſſentialiter coaleſcit ſine continuo *B.* ergo quando hæc duo iunguntur, fit vnum per accidens. Confirmatur ſecundò, quia compoſitio per ſe non manet ſublata vna parte, vt liquet in homine, ſed ſublato continuo *B*, à continuo *A.* manet integra vtriuſque eſſentia: ergo.

§. 7. *Concluſio. Cõtinuum eſt vnum per ſe.*

Dicendum tamen cenſeo, continuum eſſe vnum per ſe, quia vnum per ſe fit ex duabus partibus, ſine quibus non poteſt intelligi primus, & quidditatiuus conceptus rei, ſed ſine partibus continuis non poteſt intelligi primus, & quidditatiuus conceptus materiæ primæ & cuiuſuis rei diuiduæ: ergo ex partibus continuis fit vnum per ſe. Probatur minor, quia eſſentia materiæ primæ eſt eſſe diuiduam, & compoſitam, ſaltem in actu primo: in quo differt ab animo rationali. Materiam autem primam, & quantitatem in ſuo genere eſſe vnum per ſe quis ambigat? Confirmatur: homo inquantum homo eſt vnum per ſe, ſed inquantum homo, eſt continuum, quia eius corpus eſt organicum, quod petit partium vnitarum

extenſio

extenſionem. Item qualibet pars materiæ eſt materia: ergo qualibet eſt de eſſentia compoſiti, ſaltem de integritate.

§. 8. *Qualibet pars continui petit per ſe aliam.*

Ante ſolutionem aduerte, quamlibet partem materiæ primæ per ſe reſpicere cæteras omnes, quia cum quauis illarum facit compoſitionem per ſe; vnde, quando cum illis coniungitur, fit media vnione per ſe, quia ſemper reſpicit cæteras partes per eamdem vnionem. Ad argumentum diſtinguo maiorem, ex duobus entibus completis non poteſt fieri vnum per ſe eſſentiale, concedo maiorem, quia illa non ſe mutuo reſpiciunt: vnum per ſe integrale, negatur; quia quælibet pars huius compoſiti integralis reſpicit quamlibet partem alterius modo explicato.

Ex duobus entibus completis non fit vnum per ſe eſſentiale ſecus integrale.

§. 9. *Cur ex materia & forma fiat vnū per ſe.*

Ad primam confirmationem, non ſolum ob rationem, quæ redditur in maiori, non fit vnum per ſe ex quantitate, & materia informata, ſed quia materia, & forma efficiunt compoſitum eſſentiale, quod non dicit ordinem per ſe niſi ad partes eſſentiales: at verò continuum reſpicit per ſe indifferenter quamlibet partem integralem. Ad ſecundam confirmationem, maior habet verum in compoſitione eſſentiali: ratio ob quam compoſitum eſſentiale non dicat ordinem per ſe ad alias partes, præter eſſentiales, ſecus autem integrales, clara eſt, quia res omnes materiales ſiue continuæ obſeruiūt variis exercendis muneribus, ad quæ modò plus materiæ, modò minus requiritur, vt ad recipiendam formam equi plus materiæ requiritur, quàm ad formam formicæ, & vt ignis comburat intenſè, plures requirit partes, quam vt remiſsè comburat: & vt aqua ſe conſeruet, plures requirit, ne ob materiæ paruitatem facilius hoſti cedat; quia igitur materia & quantitas natura ſua referuntur ad has formas, idcirco natura ſua reſpiciunt omnes partes, vt modo cum pluribus, modo cum paucioribus, ſe ſuis formis accommodent, & formæ, quia natura ſua ad eas operationes naſcuntur, ideo exigunt tot partes ſui, & materiæ & quantitatis quot ſunt neceſſariæ: ſecus contingit compoſitio eſſentialis: nam ex homine, & Angelo quodnam compoſitum fieri poteſt? Illæ autem partes, & earum vnio ſubſtantialia ſunt, quia integrant ſubſtantiam: eaque propter efficiunt vnum per ſe.

Ad ſecundā cōfirmationē.

Ex diſcrimine formarum oritur diſcrimen maioris aut minoris continui.

SECTIO II.

Sintne in continuo indiuiſibilia realia?

§. 10. *Triplex indiuiſibile.*

HÆc controuerſia eſt inter Ariſtotelicos admittentes in continuo partes infinitè diuiduas: nam inter Zenoniſtas locum non habet; cum illi ſola puncta inſectilia agnoſcant in continuo. Rurſus indiuiſibile tripliciter ſumitur, & pro indiuiſibili ſecundum omnem dimenſionem, & omni parte vacante, quod dicitur *punctum*: & pro indiuiſibili verſus latitudinem, & profunditatem, ſed quod ſit diuiſibile verſus longitudinem, quod vocatur *linea*; & pro indiuiſibili verſus profunditatem ſolam, ſed quod ſit diuiſibile verſus longum, & latum, quod vocatur *ſuperficies*. Deinde quodlibet indiuiſibile vel eſt terminatiuum, in quo partes finiuntur, vel continuatiuum, in quo duæ partes copulantur.

§. 11. P. Conimb. Durand. Gabr. Gregor.

His poſitis, mira eſt ſententiarum varietas; quas referunt P. Conimbricenſes hoc lib. 6. cap. 4. quæſt. 1. art. 1. & 4. Durandus, Gabriel, Gregorius, & Nominalium Schola in genere negant indiuiſibilia; primò, quia res materialis non poteſt eſſe indiuiſibilis, quia de conceptu rei materialis eſt partium multitudo; de conceptu rei ſpiritualis, ea carere: ſed punctum eſſet materiale, ergo non poſſet omni parte carere. At ſemel admiſſa negatione puncti, non ſunt neceſſariæ lineæ, & ſuperficies: quia ſicut linea continuatur, & terminatur ſine punctis: ita & ſuperficies ſine linea, & profundum ſine ſuperficie.

Nominales negāt indiuiſibilia. Primum argumentum.

§. 12. *Reſpondetur. Res materialis quid ſit.*

Negatur maior: ad probationem reſpondetur: rem materialem eſſe, quæ conſtat partibus integralibus, vel illas copulat inter ſe: quidquid enim intrinſecè pertinet ad conſtitutionem diuiſibilem rei, eſt materiale: punctum autem, licet partibus careat, eas tamen copulat, & materiam facit diuiſibilem, ipſum autem eſt diuiſibile, & continuum vt *quo*, quia teſte Auguſtino, per ipſum eſt omnis ſectio; at verò res ſpiritualis, & partibus vacat, neque eas copulat, vt diuiſibiles extenſiuè per ordinem ad ſubiectum.

§. 13.

Dixi *per ordinem ad ſubiectum extenſiuè*, vt modò abſtineam ab ea quæſtione, vtrum qualitates ſpirituales intendantur? & vtrum *vbi* Angelicum ſit diuiſibile, & continuum in ordine ad locum? Vtrumque autem eſt indiuiſibile ex parte ſubiecti.

§. 14. *Secūdum argumentum Nominaliū.*

Secundò mouentur, quia ſequeretur in eadem prorſus duratione reali fore idem mobile ſimul in termino, *à quo*, & *ad quem*, vel nullibi eſſe; hæc autem ſunt abſurda, ergo. Probatur maior, dum planum mouetur ſuper punctum alterius corporis, in eadem duratione eſt ſimul in puncto *A.* vbi erat ante motum, quia in inſtanti illo non potuit ibi non eſſe: item eſſet in puncto *B.* ſequenti, quia tunc motus eſt factus, per quem acquiritur terminus *ad quem* indiuiſibilis, quia in inſtanti non acquiritur terminus diuiſibilis, ergo ſimul eſſet in termino *à quo*, & *ad quem*.

§. 15. *Reſpondetur. Inſtās & inſtātanea qua ratione ſimul incipiunt & deſinunt.*

Nego maiorem: ad probationem implicatur ibi terminis, quia in inſtanti non mouetur corpus localiter; vnde, ſi mouetur, neceſſariò eſt in tempore; in quo iam receſſit mobile à puncto, & ponitur in parte diuiſibili. Verum retorqueo argumentum, in Angelo exiſtente in puncto *A.* & ſubito in inſtanti ſe mouente inde in ſpatium proximum: in hoc caſu non ſequitur tunc inconueniens, quia Angelus in eo inſtanti, quo mouetur, iam non eſt in puncto *A.* ſed in ſpatio: quia ille motus eſt ſubitus, & incipit intrinſecè, & eſt vera hæc propoſitio prolata in inſtanti eodem. *Nunc Angelus non eſt in puncto A. ſed in ſpatio diuiſibili, & immediatè ante fuit in puncto A. & non in ſpatio:* ratio à priori; quia ſi habet motum ex loco, non eſt in eo.

§. 16.

Tertiò mouentur: quia eadem res non poteſt ſimul eſſe & non eſſe realiter: ergo inſtans, dum eſt, non poteſt deſinere eſſe, ergo deſinit eſſe immediatè poſtquam eſt: ſed immediatè poſt eſt tempus, ergo inſtans deſinit eſſe in tempore, & rurſus tempus deſinit eſſe in inſtanti eamdem ob cauſam; hæc autem ſunt abſurda, ergo.

§. 17. *Non poteſt res ſimul incipere & deſinere extrinſecè, ſecus intrinſecè.*

Diſtinguo primum conſequens: non poteſt eſſe & deſinere eſſe extrinſecè, concedo conſequentiam; intrinſecè, nego. Nam deſinere extrinſecè eſt, tunc (id eſt in aliquo inſtanti determinato) non eſſe, & immediatè ante fuiſſe; deſinere autem intrinſecè eſt, tunc eſſe, & immediatè poſt non fore, quare inſtans incipit eſſe, & deſinit intrinſecè: quia quando eſt, tunc eſt, & immediatè ante non fuit; neque erit immediatè poſt: qui termini ſunt omnibus peruulgares, vt infra patebit ſectio.

Digitized by Google

ſect. 8. ſicque inſtans non deſinit eſſe in tempore, quia quando tempus eſt, iam inſtans non eſt determinatè; ſed fuit, & quando fuit, deſiit eſſe, & incipit intrinſecè; quia tunc fuit, & non immediatè ante nec immediatè poſt: quod eſt deſinere, & incipere intrinſecè: at verò tempus deſinit eſſe extrinſecè in inſtanti, in quo verum eſt dicere, *nunc non eſt tempus, & immediatè ante fuit*: equidem ferre non poſſum malam cuiuſdam conſequentiam; qui cum ſibi videatur hoc argumento alios premere, ipſe diſputans de tempore admittit inſtantia indiuiſibilia, in quo non loquitur conſequenter, oblitus huius argumenti ab ipſo confecti.

§. 18. *Quartum argumentum.*

Quartò mouentur, quia punctum non poteſt tangere partem diuiſibilem, neque illam immediatè afficere, ergo: probatur antecedens, quia punctus vel coëxtenditur toti parti; quod implicat; vel ſimul conſtituitur duobus in locis. Dices non coëxiſtere toti parti adæquatè, ſed inadæquatè ſecundum partem proportionalem, ita vt ſignata vna parua non in tota illa, ſed in alia minori in infinitum ſit tactus: quod eſt tangere indiuiſibiliter rem diuiſibilem. Contra: ergo ſemper tangit in parte aliqua, quam Deus videt: ergo illa eſt determinata, quia ab illa pendet: ergo illa adæquatur, vel eſt in duobus locis.

§. 19. *Punctum tãgit lineam in parte indeterminata.*

Huic vltimæ rationi reſpondeo, nunquam eſſe tactum in parte determinata, neque id à Deo videri, quia cum non ſit, eſt inuiſibilis, vnde ſecunda & tertia conſequentiæ malæ ſunt: id autem quo pacto fiat dicetur inferius. Hoc admonuerim in ſchola admittente partes diuiſibiles, hac ſolutione eſſe infinities vtendum, vt quando corpus ſphæricum tangit planum, tunc enim non fit tactus ſecundum partem determinatam, alioquin ſphæricum planitiem haberet; vnde hoc argumento vtatur Zeno contra Ariſtotelem, ad negandas partes diuiduas, at Peripatetici ne vtantur, quia illo ſe obtruncant apertè.

§. 20. *Quintum argumentum. Reſpondetur. Sunt puncta terminatiua.*

Quinto mouentur ad neganda puncta terminatiua: non datur punctum vltimo terminatiuum, linea enim non euadet infinita, licet non terminetur puncto. Reſpondetur, dari puncta terminatiua, quæ licet non ſint vltima, quia quodlibet copulat duas partes, ſunt tamen inſectilia: & non dantur, quia linea euaderet infinita, ſed ob rationem reddendam §. 2. & licet ex natura rei non detur vltimum punctum, neque vltima linea, datur tamen vltima ſuperficies. Et in qualitatibus dantur vltima indiuiſibilia, quia lux eſt in vno puncto, & linea, quin vlterius protendatur.

Dubiũ de ſuperficie.

Hæc reſponſio ſit pro ſententia communiori; difficilia enim ſunt probatu indiuiſibilia vltima, quia punctus non datur vltimus, vltima autem ſuperficies quorſum eſt neceſſaria?

§. 21. *Sextũ argumentum.*

Sexto arguunt: quia ſi medietas manus ſummè incaleſcat, & altera medietas ſummè infrigidetur; non erit vbi ſubiectentur indiuiſibilia vltima vtriuſque qualitatis; non in eadem ſuperficie, quia indiuiſibilia non minus pugnant inter ſe, quàm ipſæ qualitates: neque in duabus ſuperficiebus immediatis, quia non ſunt: neque vna qualitas erit terminata, & altera interminata, quia vtriuſque eadem eſt ratio: ergo non eſt vbi ſubiectentur indiuiſibilia qualitatum.

§. 22. *Indiuiſibilia qualitatum cõtrariarum nõ habent effectus formales oppoſitos.*

Primùm, caſus eſt naturaliter impoſſibilis: quia in ea approximatione vna qualitas aget in aliam, pugnabúntque mutuo, donec altera remittatur: deinde admiſſo caſu, vtriuſque indiuiſibilia erunt in eadem ſuperficie, aut linea; tum quia indiuiſibilia qualitatum non ſunt actiua, ſed ſiunt ab ipſis, à quibus ipſæ qualitates; tum, quia in eo caſu non habet munera oppoſita, quia terminare qualitates contrarias immediatas nullam habet contrarietatem: ſicut eam non habet qualitates eſſe immediatas; ſi quam autem contrarietatem haberent indiuiſibilia, eſt in ordine ad qualitates in eo ſtatu, & ſubiecto, in quo ipſæ repugnant eſſe immediatæ & ſe tangentes. Tertiò, ſi demus indiuiſibilia eſſe vniones, & quamlibet partem ſuam habere diſtinctam (vt de vnione eſſentiali diximus) ruit argumentum, quia calor erit in ſuperficie ſe tenente ex ſua parte, & frigus in alia, de quo erit ſermo ſect. 3. Tandem reſponderi poteſt, indiuiſibilia qualitatum in ipſis qualitatibus ſubiectari, quo corruit argumentum. Tot ſolutiones adhibui, ne vni adſtringamur ſententiæ.

§. 23. *Septimũ argumentum. Reſpondetur.*

Septimò arguunt, quia daretur linea gyratiua ſimpliciter infinita, quia gyraret columnas per circulos infinitos: ergo. Negatur antecedens: quia non ſunt circuli, quos gyrat, ſimpliciter, ſed ſecundum quid infiniti. Vel in ſententia admittente puncta ſimpliciter infinita non erit abſurda talis linea, quia ens erit incompletum, ſicut puncta inſectilia.

§. 24. *Concluſio.*

Communior opinio (à qua non libet diſcedere) admittit in continuo puncta, lineas, & ſuperficies in ſuo genere indiuiſibilia, & realiter diſtincta à partibus. Auctores adducunt Patres Conimbricenſes ſupra, quibus adde Patrem Suarez 1. met. d. 40. ſect. 5. a. num. 13. eam diſertè tradit Beatus Auguſt. tom. 1. lib. de quantitate animæ in fine capitis 11. & initio 12. his verbis. *Siquidem hoc eſt, quod nullam diuiſionem patitur, & punctum vocatur, cum medium tenet figuræ, ſi autem principium lineæ eſt, vel lineis, aut etiam finis*, & infra. *Nam ab ipſo incipit linea, ipſo terminatur, & figuram rectis lineis nullam videmus fieri poſſe, niſi ipſo angulus claudatur. Deinde vndecumque ſecari linea poteſt, per ipſum ſecatur: cum ipſum omnino nullam in ſe admittat ſectionem: nulla linea linea, niſi per ipſum copulatur.* Supra autem probauerat Auguſtinus omnia genera indiuiſibilium.

P. Conimb.

B. Auguſt.

§. 25. *Aliquorum probatio improbata.*

Quam ſententiam nonnulli probant primò: quia corpus perfectè ſphæricum tangit planum in ſolo puncto, & cylindrus (ideſt columna perfectè rotunda) in ſola linea: ergo in continuo dantur puncta indiuiſibilia realia: probatur antecedens, quia ſi tangeret in aliqua parte diuiſibili, neque cylindrus eſſet perfectè rotundus, neque globus perfectè ſphæricus: quia ſecundum illam partem adæquarentur plano, & conſequenter haberent planitiem: ergo præter partes dantur indiuiſibilia.

§. 26. *Quia ex ea fit continuum ex ſolis pũctis.*

Miror homines doctos hanc argumentationem conficere: quæ, ſi quid probat, probat apertè continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus. Demus enim ſphæricum rotare ſuper planum, ſemper illud tanget, & per te ſemper in puncto, & nunquam in parte diuiſibili; ergo in globo ſphærico non ſunt niſi puncta indiuiſibilia. Dices, ſucceſſiuè non eſſe inconueniens: ſecus autem permanenter. Contra: ergo in ſphærico poſt punctum immediatè eſt linea, ſecundum quam tangitur planum, quæ linea nihil officit rotunditati, ergo etiam ſi nullum ſit punctum, globus erit perfectè ſphæricus, ergo non ſunt neceſſaria puncta. Deinde, globus ille eſt perfectè rotundus, cuius nulla pars cæteris eminet: ergo permanenter poterit tangere planum ſecundum partem non minus quàm ſecundum punctum, quia nec punctum eminet

eminet parti, nec pars puncto. Hinc ruit ſolutio, negans poſſe rotundum rotare per planum; id enim cur repugnet? Igitur vltima linea rotunda componitur ex punctis, & partibus: & tamen partes æqualem faciunt rotunditatem ac puncta, quia non eminent lineæ punctis, nec è contra: ac proinde ſemper tanget ſphæricum per lineam æqualem puncto, & per punctum æqualem lineæ rotunditate componenda.

Linea & pūcta æqualem habent rotūditatem.

§. 27. *Rotūdum & planum tangūtur in parte proportionali.*

Deinde probo, rotundum eſſe ſuper planum ſecundum partem diuiſibilem: quia per te planum tangitur à rotundo in puncto, ſed pars rotundi tangit etiam punctum illud, ergo etiam planum tangitur per illam partem; quia illa pars rotundi tangit totum punctum, & non ſunt in diuerſis locis, ergo quidquid tangit punctum, tangit illam partem, aliter enim punctum cum parte faceret maiorem extenſionem, quàm ſola pars, contra auctores, quos impugno.

§. 28. *Explicatur id qui fiat.*

Dicendum igitur eſt, rotundum tangere planum in puncto, & parte proportionali, ideſt, non poſſe ſignari aliquam partem tam paruam, in qua tāgit, quin alia minor in infinitū aſſignari poſſit, ſecundum quam tangat, quod eſt tangere indiuiſibiliter in parte diuiſibili, ſicut dixi. §. 13. Neque hinc fit ſphæricum adæquari plano nec duo corpora penetrari: quia ad vtrumque requiritur contactus corporum in parte determinata: planum enim eſt, *quod habet certam magnitudinem extenſam æqualiter ſuperficie:* penetratio autem eſt *duorum corporum contactus ſecundum ſe tota*; neutrum autem contingeret in noſtro caſu, quia ſphæricum non haberet ſuperficiem extenſam æqualiter, neque tangeret planum ſecundum aliquam partem totam. Qua reſponſione ſimul occurro

§. 29.

aliis argumentis, quibus aſſolet hæc concluſio probari: vt de illuminatione ſpatij in vltima ſuperficie: dico enim eam fieri in parte proportionali, & diaphanum ab opaco differre, quia illud ſecundum ſe totum illuminatur, hoc autem ſecundum partem indeterminatam. Item ruit aliud argumentum deſumptum ex tempore, vt infra etiam patebit, quia numquam exiſtit vnum inſtans ſolum, ſed cum aliquibus partibus proportionalibus. Hæc argumenta omitto: quia poſſunt ad hominem retorqueri.

§. 30. *Partes continui vniuntur modo à ſe diſtincto.*

Ante probationem præmitto, partes continui vniri vnione per ſe, diſtincta ab illis, quia materia prima, verbi gratia, eſt vnum ens per ſe, & non aggregatum per accidens: at eſſet niſi eius partes vnirentur, ergo. Probatur minor: quia duæ res non vnitæ conflant aggregationem per accidens, vt *exercitus, ciuitas*, & quia vnum compoſitum non fit abſque vnione: vnio enim eſt *vnitas compoſitorum*, vt patebit diſputatione 4. metaphyſicæ ſectione 2. Vnionem eſſe diſtinctam patet, quia poſſunt realiter exiſtere duæ partes, quin actu vniantur: ergo vnio diſtinguitur à partibus, quod tam certum eſt, ac vnionem materiæ, & formæ ab illis eſſe diſtinctam. Immo multo magis, quia vnio continui eſt neceſſariò indiuiſibilis, partes verò diuiſibiles.

§. 31. *Obiectio. Vnio cōtinui diſtincta.*

Dices, vnionem continui non eſſe aliud niſi vt duæ partes ſe tangant immediatè nullo corpore interiecto. Contra: quia illæ duæ partes antequam collocarentur immediatè, & corpus tertium expellerent, erant ſimpliciter plura, & non vnum: at poſt expulſionem corporis nihil eſt illis additum: ergo faciunt ſimpliciter plura, & non vnum: immò eadem ſolutione reſpondere poſſes vnionem materiæ, & formæ eſſe eaſdem approximatas. Dices hoc argumento probari contiguationem eſſe vnionem per ſe. Sed nihil minus, quia contiguatio fit per vbicationes indiſtantes, quibus variatis, variatur contiguitas; at verò continuitas addit contiguitati vnionem per ſe diſtinctam ab vbicatione.

Contiguitas non eſt vnio.

§. 32. *Continuum à contiguo diſtinctum.*

Immo hinc retorqueo argumentum: quia continuum, & contiguum eſſent idem, quod eſt perabſurdum: patet ſequela, quia inter contigua nullum corpus interiicitur, ſicut neque inter continua. Dices, contigua eſſe diuerſæ rationis, continua verò eiuſdem. Sed primum hæc definitio inuehitur in ſcholas contra Ariſtotelem; deinde, quia totus mundus inferior eſſet vnum per ſe, & continuum ſaltem ratione materiæ, quia ignis, & aër ſunt immediati, & vtriuſque materia eiuſdem rationis; vel ſi huic officit diuerſitas formæ, certè duo lapides, ſi immediati conſtituātur, erunt vnum per ſe, quia ſunt eiuſdem rationis, & immediati, quod quam ſit ridiculum patet.

§. 33. *Terminus nutritionis eſt continuitas.*

Deinde non poteſt aſſignari terminus nutritionis, quia præter introductionem formæ viuentis in materiam alimenti eſt etiam vera continuatio quæ *augmentatio* dicitur; hæc autem, cum ſit actio phyſica, de nouo producit terminum, non materiam, quæ creatur: ergo vnionem duarum partium materiæ. Non enim terminatur ad vbicationem, quia non eſt motus localis, neque ad formam viuentis, quia non eſt generatio, neque aggeneratio per quam ſupponitur forma producta: quod ſi ad augmentationem ſufficeret indiſtantia formæ eiuſdem rationis, certè homo augmentaretur quando tangit alium hominem. Hoc clarius patet in diminutione, cuius terminus eſt diſcontinuatio materiæ: igitur partes vniuntur vnione diſtincta.

§. 34. *Cōtinui vnio eſt inſectilis.*

Hinc probo concluſionem, quia partes continui non poſſunt vniri vnione diuiſibili: ergo indiuiſibili; patet antecedens: quia ſi vnio eſt diuiſibilis habens certas, determinataſque partes: ergo afficit certas partes ac determinatas materiæ: ergo vnit partes materiæ ſecundum ſe totas: quia totum illud vnit ſecundum ſe totum, quod afficit ſecundum ſe totum: at partes non poſſunt ſic vniri: quia penetrarentur: ergo. Dices vniri partes determinatas per vnionem determinatam & proportionales per proportionalem. Contra primò, quia hoc eſt vniri vnione indiuiſibili, quia fit tactus indiuiſibiliter in parte indeterminata; quod neceſſariò fit in puncto. Secundò, verbi gratia, totus palmus afficitur vnione illa determinata extenſa per ipſum palmum: ergo totus ille vnitur ſecundum ſe totum: immo & partes proportionales totæ vniuntur ſecundum ſe totas, quia totæ illæ ſecundum ſe totas afficiuntur vnione: ergo recurrendum eſt ad vnionem indiuiſibilem vnientem partes non ſecundum ſe totas.

§. 35. *Definitio cōtinui.*

Secundò probatur concluſio: quia *continua ſunt quorum extrema ſunt vnum*, at non poteſt eſſe vnum, niſi ſit indiuiſibile; quia ſecundum diuerſas ſuas partes reſpondebit diuerſis continui partibus, atque adeò nullus erit terminus communis. Rurſus ſi vnio eſt diuiſibilis, erit continua; igitur in illa debet eſſe communis terminus diſtinctus à partibus. Neque hoc poteſt explicari de negatione, quia hæc nullius rei eſt terminus communis.

§. 36. *Ariſtoteles fauet.*

Fauet Ariſtoteles 6. phyſ. c. 1. aſſerens extremitatem aliud eſſe ab eo, cuius eſt extremitas, & terminum eſſe vniuſcuiuſque vltimum, extra quod nihil accipi poteſt; & intra quod omnia continentur cum

cum ergo partes ſint etiam aliquid continui, immo & continuæ, non poſſunt dici terminus continui, quia intra eas non accipiuntur omnia, cum ipſæ non accipiantur intra ſe: ergo terminus, intra quem continentur omnia, debet à partibus diſtingui.

§. 37. *Tertiũ argumentum. In tempore ſunt inſtãtia realia.* Tertiò probatur: quia in tempore dantur inſtantia realia: ergo & in continuo permanenti puncta: antecedente nihil eſt antiquius in philoſophia, conſequentia liquet ab æquitate rationis. Vide P. Conimbricenſes, & Suarez ſupra, tibi perſuaſus, quo plus huic rei operam impenderis, plus te iri defatigatum, infinitæ enim partes ſyncategorematicæ dolorem tibi parient ſyncategorematicè infinitum.

SECTIO III.

Vtrum indiuiſibile diſtinguatur ab vnione?

§. 38. *Punctum non eſt vnio, niſi ſit modus.* P. Suarez. SAnciendum eſt primò, punctum non eſſe vnionem, ſed ab ea realiter diſtingui, ſi ponatur illud eſſe rem, & non modum rei; quod enim ait Pater Suarez ſecundo metaphyſicæ diſput. 40. ſect. 5. numero 46. non improbabiliter dici poſſe punctum eſſe tam minutam entitatem, vt ſe ipſo ſit vnio, non placet; quia in metaphyſica diſputat. 2. ſect. 5. probandum erit, hoc vnum eſſe diſcrimen inter modum, & rem: quod hæc non ſe ipſa, ille ſeipſo vniatur: nec poteſt dici linea, & ſuperficies minuta entitas, nec punctum cum dicantur in materia vera creatione produci, & conſequenter ſubſiſtere. Item ſi punctum ſemel poteſt exiſtere, quin actu vniat partes, neceſſariò id poſtea præſtabit per vnionem à ſe diſtinctam, vt de vnione eſſentiali probaui diſp. 5. ſect. 1.

§. 39. P. Suarez Sententia. Pater Suarez ſupra numero 38. negat punctum eſſe modum partis, ſed rem ab illa abſolutè diſtinctam: quia impoſſibile eſt rem indiuiſibilem identificari cum re diuiſibili, non enim identificatur cum tota parte adæquatè: alioquin, & totam illam vniret; & punctum eſſet in diuerſis locis, neque cum parte proportionali ob eamdem rationem.

§. 40. *Retorquetur argumẽtum.* P. Suarez. Hoc argumentum contra eumdem Patrem Suarez retorqueo, tum quia; vt vidimus, §. 34. ipſe cenſet poſſibile, punctum eſſentialiter à parte pendere: rogo vtrum à tota determinata? An verò à proportionali? Et quod ipſe reſpondet mihi, ſibi reſpondet: tum quia numero 45. ait, punctum vniri partibus per vnionem indiuiſibilem contra quam eiuſdem argumenta procedunt, nam ille modus identificatur cum parte, & puncto, quibus hæret vt probabo, §. 45. & 46. Reſpondeo igitur; punctum identificari negatiuè cum parte indeterminata, ſicut in omni ſententia terminat partem indeterminatam: hæc autem identitas ſimpliciter eſt diſtinctio; identitas autem ſecundum quid, ideſt, quæ non verſatur inter duas res abſolutas: quia altera eſt modus: quid autem repugnat modum indiuiſibilem eſſe rei diuiſibilis modum? *Punctum eſt negatiuè idẽ cum parte.*

§. 41. *Secũdum argumentum.* Secundò argumentantur alij, quia idem punctum terminatiuum poteſt eſſe continuatiuum: ergo non eſt modus, ſed res; conſequentia patet ex nobis: antecedens liquet; quia in motu ſucceſſiuo interrupto eſſet continuatio, ſi non interrumperetur; ſed non poterat continuari niſi per punctum, quod terminauit motum præcedentem; ergo idem punctum determinatè poteſt fieri continuatiuum; maior patet, quia homo qui ambulauit mille paſſus, poterat vnum ambulare ſupra mille. Probatur minor, quia pars ſubſequens motus erat futura immediatè poſt punctum, ergo erat continuanda per illud punctum præcedens: quia per aliud fieri non poterat; alioquin duo puncta immediata producerentur. Confirmatur primò, quia in tempore inſtans non poteſt eſſe modus partium, quia tunc nulla exiſtit; præterita enim iam non eſt; futura verò nondum eſt, ſed modus non poteſt exiſtere ſine re cuius eſt modus, ergo. Confirmatur ſecundò quia corpus ſphæricum tangens planum in puncto poteſt fieri planum, quin pereat punctum illud. Hoc enim de potentia abſoluta, quid repugnet? Sed punctum illud fiet de terminatiuo cõtinuatiuum, quia ex ſphærico iam plano poteſt fieri pyramis, quæ terminatur in puncto.

§. 42. *Bonum argumentum ad componendũ cõtinuum ex ſolis punctis.* Hoc argumentum eſt efficaciſſimum omnium ad probandum continuum conflari ex ſolis indiuiſibilibus, cuius latiorem ſolutionem in ſectionem quintam reiicio contra Zenoniſtas; nunc autem contra Ariſtotelicos, cum quibus pugno, ſic retorqueo; quia numquam poteſt exiſtere ſolum vnum inſtans, niſi cum aliqua parte, quia inſtans, aut eſt vnio duarum partium, vel ſaltem in illo inſtanti vniuntur partes: ergo puncto exiſtente exiſtunt neceſſariò partes vnitæ, quia tunc cum puncto exiſtit vnio, quæ non poteſt exiſtere ſine partibus, quia eſt illarum modus; infra autẽ explicabo quomodo id fiat. Ad argumentum in forma negatur antecedens, ad probationẽ negatur minor. Ad probationem reſpondetur poſt illud punctum terminatiuum non poſſe ſequi aliam partem, ſed motum neceſſariò fore continuandum per alium punctum diſtinctũ ab illo terminatiuo, quia, ſicut vnio earum partium eſſe non poteſt niſi ſimul cum illis, ita nec punctum continuans. *Ad argumentum. Punctum terminatiuũ diſtinguitur à continuante.*

§. 43. *Cum puncto exiſtit ſimul pars temporis proportionalis.* Ad primam confirmationem reſpondetur, cum puncto exiſtere partem proportionalem temporis indeterminatam, non ſecundum ſe totam, ſed ſecundum partem proportionalem. Nam, ſicut in continuo permanenti punctum tangit realiter duas partes, quas continuat in parte proportionali & indeterminata; ita fit in continuo ſucceſſiuo. Quod probo ad hominem, quia poſt punctum ſequitur pars, & non determinata ſecundum ſe totã, ergo indeterminata, & proportionalis. Quod vrgeo, quia aliquæ partes futurę ſunt aliquando præteritæ: ergo omnes regulantur per aliquam propoſitionem de *ineſſe* (ideſt de præſenti) quia præteritum aliquando fuit præſens, & futurũ erit præſens; ergo aliquando partes ſecundum ſe ſunt præſentes, quod in Ariſtotelis ſententia eſt luce clarius: quod ipſe docuit hoc lib. 4. c. 13. à text. 21. & expreſsè docent P. Conimbricenſes ibidem q. 1. art. 4.

§. 44. *Sphæricum fit planum abſq; mutatione punctorum.* Ad ſecundam confirmationem, reſpondetur, ſphæricum fieri planum ſine punctorum immutatione per ſolam variam vbicationem, vbi puncta eaſdem partes terminant, & continuant: at verò non poteſt fieri pyramis, quin mutetur punctum, ſicut in omni ſententia mutatur vnio, quia pyramis in ſolo puncto finitur: quod ſolum eſt terminatiuum.

§. 45. *Tertium argumentum.* Tertiò arguitur: quia in augmentatione partes diuiſibiles motus vniuntur partibus diuiſibilibus materiæ, & indiuiſibilia motus vniuntur indiuiſibilibus materiæ, ſed tunc non producuntur indiuiſibilia materiæ; ſed eorumdem tantum vniones, ergo vnio diſtinguitur à punctis. Sed æquiuocum eſt hoc argumentum, quia in augmentatione duo

In augmentatione duo reperiuntur.

duo reperiuntur:alterum inductio formæ ſubſtantialis in materiam quæ formaliter nō eſt augmentatio,ſed aggeneratio; alterum eſt cōtinuatio duarum partium materiæ, aut formæ, & vnionis: hæc autem eſt inſtantanea, quia fit per vnum indiuiſibile punctū; aut lineam: per quam vnionem tota pars materiæ dicitur vnita. Vnde indiuiſibilia motus non ſunt ad continuandas partes materiæ;quia hæc continuatur per indiuiſibilia propria permanentia,& ſubſtantialia; ſed ad partes ipſius motus, ſcilicet indiuiſibile cuiuſque rei eſt ad continuandas partes eiuſdem rei,& non alterius, in quo manifeſtè deceptus eſt Durandus, in 1.diſtin. 17.q.7. opinans vnitatem qualitatis productæ per intenſionem, formaliter ſumi ab vnitate motus continui intenſionis:vnde in charitate aucta in inſtanti non agnouit vnitatem:quia defuit continuitas intenſionis: itaque indiuiſibilia cuiuſque rei ſunt eiuſdem vniones, à quibus talis res dicitur vna: nō verò ab indiuiſibilibus aliorum.Denique quidquid contra hunc modum obijcitur, poteſt retorqueri contra omnes Peripateticos adſtruentes diſtinctam vnionem à punctis.

Indiuiſibilia motus non ſunt ad continuandas partes materiæ.

Durand.

§. 46. *Quartum argumentum.*

Quartò arguitur, quia ſequitur aliquas ſpecies materiæ primæ corrumpi, & generari,ergo:probatur antecedens,quia per nos corrumpuntur ſuperficies,& lineæ materiæ, quæ ſunt veræ ſpecies materiæ:ſicut ſuperficies quantitatis eſt ſpecies illius. Nego ſequelam, ad probationem reſpondeo, eas non eſſe ſpecies materiæ, ſed modos ſubſtantiales illius, licet admittamus ſuperficiem quātitatis eſſe illius ſpeciē,quia tunc quantitas ſumitur pro quacumque extenſione impenetrabili,vt *quo*.qualis eſt ſuperficies,ſecundum rationem,qua eſt diuiſibilis; at verò materia prima non ſumitur pro quacumque re extenſa,ſed pro primo ſubiecto formæ ſubſtantialis.

Indiuiſibilia materiæ non ſunt illius ſpecies.

Indiuiſibilia cur dicantur ſpecies quantitatis.

§. 47. *Concluſio. Indiuiſibilia ſunt vniones actuales.* Ariſtot.

Dicendum igitur eſt, indiuiſibilia eſſe actuales vniones, aut terminationes partium. Eſt expreſsè Ariſtotelis ſententia 4. Phyſ.cap.13. text.21. aientis: *Momentum autem præſens temporis,vt dictum eſt, continuatio eſt* & infra:*ſic & temporis momentum partim quidem eſt temporis diuiſio poteſtate, partim terminus,& vtriuſque copulatio.* Neque vnquam meminit Ariſtoteles alterius vnionis, aut continuationis à lineis,punctiſque diſtinctæ. Probatur primo, quia non ſunt multiplicandæ entitates nulla neceſſitate cogente, ſed ad multiplicādas huiuſmodi vniones non ſolum non cogit ratio, vt probatum eſt omnium dilutione, ſed multo commodius explicatur compoſitio continui ſine illis,ergo.

Primum argumentum.

§. 48. *Secundum. Multiplicantur, & confundūtur indiuiſibilia.*

Secundò, quia ſi indiuiſibile vnitur per aliam vnionem à ſe diſtinctam indiuiſibilem, ergo dantur duo indiuiſibilia,alterum vniens,alterum verò vnitum: hoc autem eſt abſurdum, tum quia confunditur vtriuſque munus, cur enim potius alterum terminat & alterum vnit?quia per illam vnionem indiuiſibilem ſatis colligitur extremitas cuiuſque partis, & copulatio cum altera: quia vltra illam vnionem nulla pars protenditur, & intra illam & aliam extremitatem clauduntur omnes, & copulantur; ergò per iſtum modū præſtatur quidquid per punctum. Hoc argumento vrgendi ſunt aduerſarij ex collatione vnionis indiuiſibilis, cum illorum punctis, & confirmo ex Auguſt.tom.1. in lib. de quantitate animæ cap. 11. & 12. aſſerente: *ab ipſo* (ſcilicet puncto) *incipit linea, ipſo terminatur,* &, *vndecumque linea ſecari poteſt, per ipſum ſecatur: nulla linea lineæ niſi per ipſum copulatur.* Ecce noſtra ſententia ipſis Auguſtinianis verbis. Nam diuiſio compoſiti fit tollendo vnionem: copulatio verò

S. Auguſt.

partium eſt earumdem formalis vnio.

§. 49. *Obiectio.*

Dices, vnionem differre à puncto,quia pūctum non eſt in eodem loco in quo pars: at ſi eſſet eius vnio, eſſet in illa neceſſario, quia vnio eſt in re, quam vnit. Verum hoc dicitur parum conſequenter:quia pars tangit punctum adæquatè ſecundum ſe totum,ob quod probatur contra Zenonem duo indiuiſibilia non facere maiorem extenſionē,quàm vnum, quia ſe tangunt adæquatè in eodem loco, ergo idem erit de parte,& puncto. Deinde ſi vnum punctum eſt extra totam partem, ita vt Angelus exiſtens in puncto non exiſtat in parte, ergo iam punctum cum parte facit maiorem extenſionem, quàm ſola pars. Nonnulli Ariſtotelici hoc prætermittentes recidunt vel inuiti in eaſdem anguſtias, in quas ipſi compellunt Zenoniſtas.Præterea,nonnulli peccant in cōſequentia,quia ſubiectant vnionem in puncto, & non in parte. Reſpondeo igitur, punctum ſubiectari in parte proportionali, & indeterminata,ſicut per ſe tāgit in illa,atque adeo eſt in eodem loco proportionali, & ſicut vnio partis eſt in vtroque extremo, quod vnit, ita & punctum.

Puncti ſubiectum eſt pars proportionalis.

§. 50. *Indiuiſibile materiæ non creatur ;ſed educitur ex ipſa.*

Rogas, per quam actionem fiant indiuiſibilia materiæ? Reſpondeo vnumquodque fieri generatione indiuiſibili, per quam educitur ex potentia partis materiæ:& ſicut in ipſa materia dantur partes ſubſiſtentes, & illarū vniones inhærentes ipſis; ſimiliter in creatione illius dātur partes ſubſiſtentes vt *quo*,& indiuiſibilia inhærentia vt *quo* in ipſis materiæ partibus:continuantur autem partes creationis materiæ,per alia indiuiſibilia,quæ ſunt modus illius,producta per generationem. Video multa indiuiſibilia multiplicari, ſed id eſt neceſſarium in omni ſententia admittente indiuiſibilia, & multo plura multiplicantur in ea,quæ vnionem diſtinguit à punctis.

SECTIO IV.

Explicatio & infinitudo punctorum, ac partium proportionalium.

§. 51. *Pars determinata, & proportionalis quid ſit.*

AD enodationem difficultatis proponendæ ſect. 5. explicandæ ſunt voces Peripateticis communes. Dicunt igitur in continuo eſſe partes *determinatas* ad certam magnitudinem, quæ non includunt partes alterius magnitudinis ab ipſis diſtinctæ,vt *palmus,cubitus,vlna*;has autem in quouis continuo eſſe numero finitas oculis cernitur,homo namque ſeptem, aut octo habet palmos, & non plures. Alias partes vocant *proportionales,inæquales, indeterminatas, & communicantes*, quibus vocibus eadem res explicatur.

§. 52. *Pars indeterminata.*

Pars inæqualis.

Vocantur *proportionales*,quia palmus, verbi gratia,ſeruata proportione minoris,& minoris quantitatis,ſecatur in plures partes, vt in duos ſemipalmos, & in quatuor medietates ſemipalmorum, & in octo medietates illarū medietatum,&c. *Inæquales* vocantur; quia nulla datur certa magnitudo,in qua cōueniant illæ partes,& ſint æquales:quæ partes ſemper ſunt minores, & nulla datur adeo parua,quin alia ſit minor, vt medietas ſemipalmi minor eſt ſemipalmo. Dicuntur *communicantes*, quia ſemper vna accipit aliquid de alia, vt ſemipalmus medietatem palmi,& ſic de reliquis. *Indeterminatæ* dicuntur,tum quia nullū habent terminū paruitatis,tum quia cū accipiāt varias partes, nulla poteſt determinari,qua accepta non accipiatur alia;verbi gratia, inter duos palmos determinatos poſſumus

Pars communicans.

metiri quatuor, aut quinque palmos, acceptis ab vtroque partibus dimenſioni neceſſariis, è quibus duobus palmis poſſumus indiſcriminatim quaſlibet partes accipere.

§. 53. *Pars communicãs & proportionalis continetur in parte determinata.*

Aduerte partes *cõmunicantes* eſſe incluſas in partibus *determinatis*, à quibus diſtinguuntur nõ adæquatè, ſed inadæquatè, vt ſemipalmus includitur in palmo, & medietas ſemipalmi in ſemipalmo: itaq; ſemipalmus, & omnes partes in illo contentæ non diſtinguuntur adæquatè à palmo. Poſſunt tamen partes *determinata* eſſe communicantes in toto, & non inter ſe, quæ partes ſunt determinatæ, & numero finitæ; vt patet experientia: partes igitur *proportionales* ſemper ſunt *communicantes* inter ſe, ita vt in vna includatur pars alterius, vt quando è duobus palmis metimur quatuor.

§. 54. *Pars proportionalis nõ eſt diſtincta ſimpliciter à determinata.*

Partes iſtæ *proportionales* non ſunt aliæ ſimpliciter à *determinatis*, ſed ſecundum quid, verbi gratia: hominis brachium eſt trium palmorum, quia habet extenſionem trium palmorum, qui ſunt *determinati, & non communicantes inter ſe*, quorũ vnus eſt adæquatè extra alios: in eo brachio ſunt mille palmi proportionales facta dimenſione, *per partes proportionales*: res eſt manifeſta, hominis brachium non eſſe mille palmorum ſimpliciter, ſed ſecundum quid; ita partes *proportionales*, ſicut ſimpliciter non ſunt aliæ *à determinatis*, ita neque ſimpliciter ſunt plures nec pauciores; ſed ſecũdum quid: atque adeo ſecundum quid ſunt infinitæ, & non ſimpliciter. Quare, quando dicuntur eſſe *ſimpliciter infinita*, in quantum, *proportionales*, eſt aperta terminorum æquiuocatio: ac ſi quis diceret, *infinitum ſecundum quid, in quantum ſecundum quid, eſſe ſimpliciter infinitum*, quia partes *proportionales* ſunt partes ſecundum quid, vt ſi quis diceret hominis brachium eſſe ſimpliciter mille palmorum, eo quod habeat mille palmos *proportionales*; vtque ſi quis diceret, hominem ex ſuppoſitione, quod loquatur, loqui neceſſariò ſimpliciter: quia dum loquitur, neceſſariò loquitur.

Partes proportionales vt proportionales dicũtur per abuſum infinita ſimpliciter.

§. 55. *Qua ratione ſit loquẽdum de infinitudine partium.*

Ratio eſt, quia illi termini *ex ſuppoſitione*, & *neceſſario ſimpliciter* ſunt termini incompoſſibiles eidem rei ſub eadem ratione: ſimiliter & illi termini *partes proportionales*, & *infinitæ ſimpliciter* ſunt termini incompoſſibiles, quia *proportionales* ſunt idem quod *ſecundum quid*: quod repugnat huic termino *ſimpliciter*: ſi autem partes ſimpliciter eſſent infinitæ, efficerent profectò extenſionem infinitam: quia quælibet pars haberet aliquam extenſionem, & ex infinitis infinita coaleſceret, neque poſſent ſucceſſiuè pertranſiri, vt hominis brachium ſimpliciter eſſet extenſum ſicut mille palmi, ſi totidem ſimpliciter haberet: quod ſi contrarium fit, eſt, quia nec partes ſunt *ſimpliciter* diſtinctæ, neque *ſimpliciter* infinitæ; ſed diſtinctæ, & infinitæ, *ſecundum quid*. Quod quia non animaduertunt aliqui Ariſtotelici, grauiter vrgentur à Zenone, eiúſque diſcipulis: vide §. 70.

Sunt infinita ſecũdũ quid; & finita ſimpliciter.

§. 56. *Ex infinitudine oritur diuiſio infinita ſyncategorematicè.*

Ex hac partium infinitudine oritur aptitudo, qua continuum poteſt diſſecari infinities ſyncategorematice: quia quælibet pars conſtat ex aliis: at verò numquam poteſt fieri ſectio in partes actu infinitas, quia ſectio fit in duas partes *determinatas*, & *non communicantes inter ſe*, quæ per ſe apparent finitæ: vnde non potuit palmus diuidi ab æterno, quia iam fuiſſet ſectus in *partes determinatas ſimpliciter infinitas*: quamuis (vt dixi) poſſit ſecari *in partes determinatas infinitas ſyncategorematicè per partes proportionales communicantes inter ſe.*

§. 57.

De indiuiſibilibus poteſt eſſe controuerſia inter Peripateticos, ſint ne ſimpliciter infinita? An verò finita ſimpliciter? Ac primùm reijciendi ſunt nonnulli, qui cum aſſerant continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus, aiunt hæc eſſe ſimpliciter infinita, qui vtriuſque ſententiæ difficultates admittunt. Zeno enim eò confugit ad indiuiſibilia, vt fugeret partium infinitudinem: Ariſtoteles autem eo confugit ad partes infinities diuiſibiles, vt fugeret compoſitionem ex ſolis inſectilibus: ij autem omnia illa incommoda admittunt partes infinities diuiſibiles, quia facta quacumque ſectione poſſunt vlterius diuidi: quia in quacumque parte diuiſi manent infinita puncta, è quibus componitur linea, ergo eſt diuiſibilis. Deinde illæ partes ſubdiuiſæ retinent infinita puncta: ergo poſſunt ſine fine diuidi.

Puncta infinita ſimpliciter ex quibus ſolis componi continuũ non poteſt dici.

§. 58. *Secũdum argumentum.*

Secundò, quia vel quælibet pars erit magnitudinis ſimpliciter infinitæ, vel nullius; quorum vtrumque ſenſui repugnat. Probo conſequentiam, quia ſi vnum indiuiſibile additum alteri facit maiorem extenſionem, ergo infinita indiuiſibilia infinitam facient lineam, quia maior additio punctorum facit maiorem lineam, & additio infinita ſyncategorematicè faciet lineam infinitam ſyncategorematicè, ergo additio infinita ſimpliciter, facit lineam ſimpliciter infinitam. Confirmatur: additio finita vnitatum facit numerum finitum, & additio vnitatum infinitarum facit multitudinem infinitam, ergo additio punctorum infinita, facit lineam infinitam, quia ſicut per additionem vnitatum creſcit multitudo, ita & linea per additionem punctorum: ſi autem vnum indiuiſibile additum alteri non facit maius, ergo neque infinita facient maius, quia omnia illa eſſent in vno indiuiſibili loco, quia ſingula ſe tangerent adæquatè. In hanc ſententiam nullus bonæ notæ Philoſophus inclinauit.

Si duo indiuiſibilia non faciũt extenſionẽ, nec infinita: aut eã faciunt infinitam.

§. 59. Ariſtot.

Deinde dicet quis, in Ariſtotelis ſententia eſſe puncta infinita ſimpliciter, quia partes proportionales ſunt ſimpliciter infinitæ, ſed quælibet pars habet ſuum punctũ, ergo puncta ſunt infinita ſimpliciter: eſt enim quod in noſtro prouerbio *la cuẽta del trillo*, nam ſingulis partibus ſingula puncta reſpondent; ergo ſi partes ſunt ſine prima, & vltima, ita erunt & puncta. Confirmatur, quia vel puncta ſunt infinita ſimpliciter, vel ſimpliciter finita Si primum, habeo intentum; ſi ſecundum, ergo poteſt cõtinuum actu ſecari in omnes ſuas partes, quia ſectio fit per puncta, finita autem ſectio quid repugnet?

§. 60. *Puncta ſunt finita ſimpliciter.*

Nihilominus dicendum cenſeo, puncta (idem cenſeo de aliis indiuiſibilibus) eſſe infinita ſecundum quid, & nõ ſimpliciter. Ad quod animaduerte, ſicut dantur in continuo partes *determinata*, & pars *indeterminata*, ſiue *proportionalis*. ſic dari *puncta determinata*, & *puncta indeterminata*. ſeu *proportionalia*: non quin cenſeam vllum indiuiſibile eſſe diuiſibile, & incluſum in alio: hoc enim multos decepit & ab hac ſentẽtia retraxit: ſed quia pũcta partis indeterminatæ includũtur in multitudine punctorum partis determinatæ, ſicut ipſæ partes proportionales claudũtur in parte determinata. Quod ſic probo: partes proportionales non ſunt à determinatis diuulſæ, ſed cum illis vnitæ: ergo habent ibi vniones & puncta: ergo illa puncta partiũ proportionalium cõtinentur in punctis determinatarum: ergo ſicut partes proportionales accipiũtur de determinatis, ita & illarũ puncta accipiũtur de pũctis determinatarũ, & ſicut ſemper fit ſectio per partes minores, ita in quacũque ſectione communicãtur pauciora puncta; quæ ſunt vniones: nec video, cur partes vnitæ ſint communicãtes aliis partibus, vniones

Puncta ſunt etiam proportionalia, & cõmunicantia.

vniones autem nõ ſint communicantes aliis vnionibus.

§. 61. *Puncta proportionalia quæ.* Voco igitur *puncta proportionalia* ea, quæ conueniunt partibus proportionalibus; & determinata ea, quæ conueniunt parti determinatæ, & proportionalia diſtingui inadæquatè à determinatis, quia modus rei ſumit eſſentiam, & denominationem à re, cuius eſt modus: ergo ſi res eſt indeterminata, modus erit indeterminatus; ſi verò ſit determinata, ita & modus.

§. 62. Dices hanc vltimam ſuperficiem eſſe determinatam, & eſſe modum partis indeterminatæ: ergo nihil valet ratio. Reſpondeo; hanc ſuperficiem eſſe determinatã, quia eſt modus profunditatis determinatæ, & cõſequenter debet eſſe terminus illius, licet immediatè nõ tangat niſi partem proportionalem, quia illam tangendo conſtituit magnitudinem determinatam, quod non cõtingit ſuperficiei indeterminatæ, quam dari euidens cenſeo, quia quælibet profunditas proportionalis habet ſuperficies, quæ includuntur in ſuperficiebus profunditatis determinatæ.

§. 63. *Secũdum argumentum.* Deinde probatur aſſertum, quia inter quælibet duo puncta interijcitur pars determinata, vt inter punctum *A*, & *B*, linea *C*. ergo ſi puncta ſunt ſimpliciter infinita, erunt etiam infinitæ partes determinatæ, quia inter ſingula duo puncta interijcitur pars ſicut inter *A* & *B*. ergo, cum per te ſint in cõtinuo infinita binaria punctorum, erunt etiam infinitæ partes determinatæ.

§. 64. *Tertium argumentum. In punctis eſt primum & vltimum.* Tertiò, quia in punctis datur primum, & vltimum vt patet in inſtantibus temporis, & in ſuperficiebus: ergo nõ ſunt infinita. Conſequentia patet ex diſp. 3. quia infinitũ eſt cuius neque eſt primum neque vltimum. Dicere autem pũcta extrema non pertinere ad infinitudinem pũctorum intermediorum (vt volunt P. Conimbricenſes) non placet: tum quia omnia illa puncta pertinent ad continuũ; tum etiam, quia in tempore numerãtur inſtantia clauſa inter primum, & vltimum, quia Deus videns tempus, videt poſt primum inſtans, mediatè ſequi alia ſucceſſiuè vnum poſt aliud, & ſequi illorum vltimum, quod repugnat infinito: nam multitudo infinita non poteſt ſucceſſiuè ita recenſeri vt finiatur, ſed Angelus intuens tempus ſucceſſiuè, videt, & exhaurit omnino eius puncta ſingillatim, quia non ſunt ſimul duo aut plura, & nullum eſt quod non ſit poſt primum, & quin videatur ab Angelo: ergo illa puncta non ſunt infinita ſimpliciter.

§. 65. Confirmatur, ſi illa ſunt ſimpliciter infinita: ergo ſi ſingulis ponerentur ſingulæ animæ, aut crearentur, in fine horæ eſſent infinitæ animæ, & haberent primã, quæ creata eſſet, cum motus incepiſſet, & vltimam, quæ producta fuiſſet in *primo non eſſe* motus, quod eſt contra infiniti rationem, & ſicut Deus creat ſingula puncta, quid ni poterit creare animas? vel ſaltem, ſi eas creaſſet, eſſent infinitæ. Quare dicendum eſt indiuiſibilia eſſe infinita ſecundum quid, & ſimpliciter eſſe finita, quia illa dicuntur eſſe ſimpliciter diſtincta, & finita, quæ ſunt determinata in ſuo eſſe, vt de partibus dixi.

§. 66. *Ad argumẽtum.* Ad argumentum ex §. 59. patet ex dictis, partes *proportionales* non eſſe dicendas ſimpliciter infinitas, ſed ſecundum quid: vnde ego probo puncta eſſe eodem modo infinita. Ad cõfirmationem patet, puncta eſſe infinita ſecundum quid: ad conſequentiam concedo continuum actu poſſe ſecari in omnes ſuas partes determinatas vt palmũ in duos ſemipalmos, vel in quatuor medietates ſemipalmorum, &c. Nego tamen poſſe continuum actu ſecari in omnes ſuas partes proportionales & cõmunicantes, quia implicat diuiſo continuo in duas partes determinatas, ſectionẽ facere in parte proportionali, quia iam primæ duæ partes ſimul eſſent minores, cum ex illis tertia pars eſſet extracta per aliam ſubſectionem, vt ſi duos palmos diuidas, manent in ſingulis binæ medietates: hæc retinet alias partes, & hæc alias. Vnde implicat eos diuidi in duos palmos, quin in ſingulis cõtineantur binæ medietates integræ. Hæc libuit explicare ad inſequentem difficultatem.

Continuum ſecari poteſt actu in omnes partes determinatas; non verò proportionales.

SECTIO V.

Vtrum continuum componatur ex ſolis indiuiſibilibus?

SVBSECTIO I.

Sententiæ affirmatiuæ argumenta propono, atque diſſoluo.

ZEno, Pythagoras, Democritus, Leucippus, & vniuerſa Stoicorum familia affirmarunt continuum cõponi ex ſolis indiuiſibilibus finitis: hanc opinionẽ iacentem iam, ab inferis excitarunt duo, aut tres è recentioribus philoſophis. Probant primo ex globo ſphærico rotato per planum, cui reſpondi ſect. 2. à §. 25. Secundo probant argumento facto, & diſſoluto ibid. §. 18. & 19. §. 67. Zeno. Pythagoras. Democrit. Leucippus. Stoici, & recentes.

Tertiò argumentantur, qua ſi poſt punctum ſequitur pars perpetuò diuidua, ergo nunquam poterit pertranſiri palmus, ergo poſt punctum ſequitur aliud punctum: probatur ſequela, quia pars illa habet infinitas partes, quarum vna debet pertrãſiri prius alia, ita vt nulla poſſit deſignari quin ſit alia prius pertranſita, ſed infinitum tranſiri non poteſt ſucceſſiuè, ergo ſi poſt punctum ſequitur pars, palmus non poterit pertranſiri. §. 68.

Nego ſequelam, ad probationem patet ex ſect. 4. à §. 53. in continuo non eſſe infinitas partes determinatas, ſed proportionales: ad minorem reſpondetur, infinitum ſimpliciter ſucceſſiuè pertranſiri non poſſe, poſſe tamen infinitum ſecundum quid, quale eſt quod conſtat ex partibus proportionalibus. Ad id, quod dicitur, nullam partem eſſe ſignabilem quin alia prius pertranſita ſit: Reſpondetur id nullum eſſe inconueniens, quia partes ſignatæ, ſunt finitæ, quæ poſſent ſucceſſiuè tranſiri: facta verò comparatione per partes proportionales nullum ſequitur abſurdum; quia ſicut non ſunt ſimpliciter diſtinctæ à determinatis, ita nec ſunt infinitæ ſimpliciter, ſicq; poterunt pertranſiri, vt pertranſeuntur determinatæ: immo proportionalis nulla ſignari poteſt: ſed determinata, qua ſignata aliæ minores ſunt pertranſitæ prius: ſed certæ, & determinatæ: nam *maius & minus*, ſunt affectiones rei determinatæ. §. 69. *Reſponſio. Infinitũ ſimpliciter non poteſt ſucceſſiuè tranſiri, ſecus infinitũ ſecundum quid.*

Dices, partes proportionales non ſunt ſimpliciter finitæ, ergo infinitæ ſimpliciter. Sed rem calle; deinde terminos. Partes proportionales ſpecificatiuè ſumptæ, ſunt finitæ ſimpliciter: quia non ſunt diſtinctæ à determinatis, quæ ſunt finitæ. At verò vt proportionales, ſunt infinitæ ſecundũ quid: quia *Proportionalis* eſt additum (vt aiunt) diminuens; & quod partibus conuenit ratione *proportionalitatis*, conuenit ſecundum quid: infinitudo autẽ conuenit partibus ratione *proportionalitatis*. Ergo illi cõuenit ſecundum quid, vt homo ſedens, abſolutè ſedet ſine neceſſitate: quia ſeſſio non habet neceſſariam connexionem cum homine ſecundum ſe. At verò ex §. 70. *Obiect. æquiuoca. Partes qua ratione infinitæ, ſcilicet ſecundum quid.*

ex ſuppoſitione quod ſedet, ſedet neceſſario: & quia ſuppoſitio non eſt neceſſaria ſimpliciter, ſed tantum ſecundum quid: ideo neceſſitas inde orta, eſt ſecundum quid.

§. 71. Hinc autem nō benè infertur:hominem ex ſuppoſitione quod ſedeat; ſedere neceſſariò ſimpliciter:quia cōponit terminos ineptos: nempe ex *ſuppoſitione* & *ſimpliciter*:quorū poſterior deſtruit priorem: vt ſi dicas rem eſſe neceſſariā *ſimpliciter ſecundum quid*, ita pars proportionalis in ratione proportionalis non eſt infinita *ſimpliciter*: quia proportionalis eſt ſecundum quid pars: idem ergo eſt ac dicere *infinita ſimpliciter ſecundum quid.* Nec debet dici *finita ſimpliciter, vt proportionalis*: quia finis illi non obuenit ex proportionalitate:ſed ex determinatione. Sicut non dicitur homo liberè ſedere ex ſuppoſitione quod ſedet: quia libertas non oritur ex illa ſuppoſitione ſed ex actu primo. Itaque quod oritur ex illa ſuppoſitione coniungitur cum illa:non verò quod non oritur:oritur autem neceſſitas,non verò libertas:& ita melius dicitur. *Homo abſolutè eſt liber*:quia libertas oritur ex cōceptu hominis abſoluto ab actu ſecundo:item dicitur. *Neceſſarius ex ſuppoſitione.* Non tamen, *liber ex ſuppoſitione*, quamuis enim ex ſuppoſitione non tollitur libertas, nec infertur neceſſitas abſoluta: quòd ſignificari poteſt hac voce. *Adhuc ex ſuppoſitione eſt liber abſolutè*:tamen illi termini nō benè iunguntur. Ita partes in ratione proportionaliū,non ſunt finitæ ſimpliciter:nec finitudo oritur ex proportione. Sic nec ſunt finitæ, nec infinitæ ſimpliciter in ratione proportionalium:ſed in hac ratione infinitæ ſecundum quid,& abſolutæ finitæ ſimpliciter. Hac de re, modus loquendi formalior, eſt quem pono: ſequere quem libuerit.

Vnde oriatur ea infinitudo.

Libertas non tollit neceſſitatem ex ſuppoſitione.

§. 72. Quartò argumentantur,quia ſi indiuiſibile non eſt immediatum alteri: ergo inter vtrumque mediat pars:ergo,cum puncta ſint infinita ſimpliciter ordine quodam ſucceſſiuo locata, apertè ſequitur inter illa interijci infinitas partes determinatas. Verum hoc argumentum ſolui à §. 57. vbi probaui, puncta determinata eſſe ſimpliciter finita, & puncta proportionalia infinita ſecundum quid? inter quæ non poteſt interijci infinita magnitudo.

Quartum argumentum.

Puncta determinata ſūt ſimpliciter finita.

Quintò arguitur: quia ſi Deus diuiſiſſet continuum ab æterno, eſſet diuiſum in infinitas partes determinatas:ergo habet continuum infinitas partes determinatas actu, quia habet eas; in quas poteſt diuidi. Hoc argumentum ſolutum eſt §. 66. Denique omnia argumenta petita ex infinitudine partium, & punctorum facilè dilues ex illa ſect. 4.

Quintum argumentum.

§. 73. Alia argumēta ſumuntur ex ſuppoſitione quod Deus conſeruet omnia puncta ſine partibus, aut partes ſine punctis, quæ omnia vnico verbo ſoluuntur, negando ſuppoſitionem vt chymæriciam, quia punctum non poteſt ſeparari à parte, quia eſt modus illius, neque partes poſſunt eſſe ſine punctis, quia de illarum eſſentia eſt habere aliquam compoſitionem. Dices, poſſe à plano auferri vltimam ſuperficiem,& à pyramide vltimū punctum, tunc illa duo corpora ſe tangent in aliquo indiuiſibili. Hoc negatur,quia tactus fieret in parte proportionali,vt ſæpius dixi.

Omnia pūcta non poſſunt abſque partibus cōſeruari, nec è contra partes abſque punctis.

§. 74. Rogas, ſi puncta ſepararentur, eſſent per locum intrinſecum finita? an infinita ſimpliciter? Reſpondeo, in ipſa ſuppoſitione includi repugnantiam, quia pars neceſſariò eſt vnita alij: non poteſt eſſe ſine omni vnione. Si autem partes eſſent ſine vnione, eſſent finitæ actu ſimpliciter, & infinitæ in potentia & ſecundum quid: quia haberent potentiam vt ſe communicarent, & mutuo participarent: idem dico de punctis.

Partes ſeparata, & puncta eſſent ſimpliciter finita.

§. 75. Sextò arguitur:quia tempus componitur ex ſolis indiuiſibilibus: ergo & cætera continua. Conſequentia eſt clara: antecedens probatur:quia poſt inſtans ſequitur aliud inſtans immediatè, & poſt illud aliud: ergo tempus conſtat ex ſolis indiuiſibilibus: probatur antecedens, quia poſt inſtans non ſequitur pars diuiſibilis; quia illa non poteſt ſimul eſſe, quia cum ſucceſſiua ſit, non poteſt vna pars exiſtere quin alia prius extiterit, quia quando vna exiſtit,altera eſt præterita, & alia futura, poſt inſtans autem nō ſequitur immediatè præteritum, præſens,& futurum. Confirmatur: ſumo primum inſtans temporis,& omnia indiuiſibilia illius,inter hæc, quid interijcitur? non pars, nec aliud quicquam:ergo in tempore ſola ſunt inſtantia.Non interijci partem, probo:quia illa pars non poteſt eſſe continua, quia non habet indiuiſibile, quo continuetur, quia præter illa indiuiſibilia ſeorſim ſumpta,nullū remanet in continuo. Hoc argumentum continet totam difficultatem huius ſententiæ, cui ſoluendæ nullus eſt œdypus:ſed Dauus omnes.

Sextum argumentum ex compoſitione temporis.

§. 76. Ac primum ſuppono, tempus (idem dico de quouis ente ſucceſſiuo) habere veram, ac realem compoſitionem, & eſſe vnam entitatem per ſe, & non aggregationem ex pluribus,quia motus, verbi gratia, eſt vnus, & continuus, quo cœlum mouetur, ſed non eſt vnus ſimplex:ergo compoſitus. Secundo probatur, quia continuum permanens habet cōpoſitionem realem per vnionem diſtinctam à partibus, vt probaui ſect. 2. ergo & continuum ſucceſſiuum debet habere veram compoſitionem diſtinctam à partibus: patet conſequentia, quia ſicut tu argumentaris à compoſitione temporis ad compoſitionem continui permanentis, ita ego retorqueo argumentum à compoſitione permanentis ad compoſitionem ſucceſſiui: & ſicut tu vis valere cōſequentiam (vt rectè valet) à compoſitione ex ſolis indiuiſibilibus tēporis ad compoſitionem continui permanentis, cur non valebit mea conſequentia à compoſitione, & vnitate continui permanentis,ad compoſitionem,& vnitatem temporis? alioquin ſi tu cōcedis ſucceſſiuum componi ex punctis ſolis ſine vnione, & negas permanens componi ex iiſdem ſine vnione, & præter puncta admittis etiam vnionem; ita dicet aliquis, continuum ſucceſſiuum componi ex ſolis punctis, permanens verò ex illis & partibus: ac dicet ſucceſſiuum nec eſſe verè continuum, nec verè extenſum, nec vniuocè conuenire cum permanenti in ratione continui & quanti magis quam conuenirent centum Angeli creati ſucceſſiuè ſine interuallo inter ſingulos illorum; ac propterea tempus erit aggregatio plurium rerum indiuiſibilium,quibus repugnat vera compoſitio,quia nunquam duæ ſimul exiſtunt: quæſtionem autem nunc eſſe de vera ſpecie quantitatis continuæ, non verò de quantitate diſcreta.

Tempus habet realem cōpoſitionē & Vnionē partium.

Argumentum ad hominem.

§. 77. Confirmatur primò:quatuor Angeli immediatè producti vnus poſt alium, non ſunt tempus,nec ſpecies vlla quantitatis continuæ, ergo nec duo inſtantia ſine vnione producta vnum poſt aliud, erunt ſpecies quantitatis continuæ: ergo ineptè arguitur ab eo, quod non eſt quantum, nec continuum,ad verè quantum atque continuum.Confirmatur ſecundò, inſtantia temporis per te ex ſua natura repugnant vniri,& tempus in ratione temporis includit carentiam vnionis inter ſuas partes: continuum autem permanens per te dicit partes, quæ eſſentialiter petunt vnionem: ergo includunt cōtradictoriè oppoſita in ratione compoſitionis

Confirmatio. Duo Angeli immediatè producti non ſunt tempus.

Confirmatio ſecunda.

quo

quo ergo pacto ex vno arguis ad aliud?

§. 78. *Tertia confirmatio.* Confirmatur tertiò, habere vnionem res ſucceſſiuas: quia alteratió, quæ facta fuit ſucceſſiuè, conſeruatur permanenter, & habet vnionem, ergo & quãdo facta fuit ſucceſſiuè. *Quarta.* Confirmo quartò: quia ſicut tu facis veram extẽſionem temporis per illius partes ſucceſſiuè defluentes vnã poſt aliam abſque vlla vnione, ita fieret vera extenſio cõtinui permanentis per ſolas illius partes immediatè collocatas, nulla interpoſita vnione: contra quod vide incommoda, quæ deduxi ſupra ſect. 2. Eſt autem rudis ingenij, difficultatibus ita ſuccũbere, vt apertè oſtendant illis eſſe impares vires, nec ſe poſſe continens filum deducere, ſed cæmenta ferre, lapides, & arenam ſine calce. Nam propter difficultates componendi tẽpus, illud relinquis ſatis incomptè incompoſitum: & propter difficultates negandi compoſitionem continui permanentis, in eo compoſitionem admittis: ratione nulla reddita diſcriminis, niſi quia hæ ſunt illorũ naturæ: eas autem cõminiſceris naturas, vt vnde ſint natæ ignorentur, quia altera non eſt natura continua, altera verò eſt continua: & ex non continua ita argumentaris ad cõtinuam, ac ſi probaſſes vtramque fuiſſe continuam: conſtet igitur temporis partes eſſe phyſicè vnitas.

§. 79. *Tempus exiſtit per partes proportionales.* Iſtæ partes, quæ vniuntur, ſe tangunt, & coexiſtunt per partes proportionales, ita vt nullæ ſint aſſignabiles partes adeo exiguæ, vt non ſe tangant, & coexiſtant in aliis minoribus, quod eſt tangere, & exiſtere indiuiſibiliter. Quod explico ex continuo permanenti, de quo ſæpe dixi, punctũ tangere duas partes proportionales, nó ſecundum ſe totas, ſed inadæquatè; & partes illas ſe tangere immediatè, vt *quod*, vt de plano, & ſphærico dixi; & partes illas diuiſibiles oſtendi nó ſe penetrare, neque eſſe in eodem loco ſimpliciter, quia non ſe tangunt in parte determinata, penetratio autẽ eſt tactus duorum corporum ſecundum ſe tota adæquatè: ſimiliter inſtans temporis afficit immediatè duas partes proportionales, quæ ſe tangunt, & coexiſtunt ſecundum partes indeterminatas, quæ abſolutè non ſunt permanentes, neque abſolutè ſunt ſimul, quia ad hoc requiritur vt ſint ſimul ſecundum partem determinatam: & quod ſignentur duæ partes, de quibus verum ſit dicere, *nunc exiſtunt A & B.* ſicut ad penetrationem & coexiſtentiam in eodem loco, requiritur ſimilis partium determinatio, ex cuius defectu partes ſimpliciter ſunt diuerſis in locis. Quod ſi tempus ſolis inſectibilibus conſtat, duo illorum exiſtunt ſimul & penetrantur; quia illorum vnio repugnat exiſtere, quin illa vniat, vt oſtendi diſp. 5. ſect. 1. ea autem non poteſt phyſicè vnire, quin exiſtant. Vnde in tua ſententia clarior apparet repugnantia: ac propterea negaſti vnionem, ratus te illius negationem effugere.

§. 80. *Ad argumẽtum.* Ad argumentum ex §. 75. negantur primum, ſecundum, & tertium antecedens. *Nulla pars determinata temporis eſt tota præſens.* Ad probationem reſpondetur, nullam partem determinatam poſſe ſimul eſſe totam ratione ſucceſſionis, ſicut ratione impenetrabilitatis nullæ poſſunt eſſe ſimul in eodem loco: at verò partes indeterminatas poſſe ſe tangere, & coëxiſtere vt dixi §. 75. ſicut permanentes ſe tangunt indiuiſibiliter. De partibus determinatis eſt verum vna præterita, aliam eſſe futuram, ſicut de partibus determinatis, vnam eſſe extra locum alterius; at verò partes proportionales, quando exiſtunt, non ſunt præteritæ, & futuræ, ſed præſentes. Vnde poſt inſtans non ſequitur præſens, præteritum, & futurum; quia præteritum eſt pars determinata, quæ immediatè anteceſſit inſtanti,

Ariſtot. Confirmatur ex Ariſtot. 4. Phyſ. definiente tempus eſſe *numerum ſecundum prius, & poſterius*: numerus autem eſt rei determinatæ, res enim indeterminatæ ſunt innumerabiles.

§. 81. *Ad cõfirmationem.* Ad confirmationem, argumentum eſſe chymæricum, quia nó poſſunt inſtantia ſumi ex vna parte ſine tempore; & ex alia tempus ſine inſtantibus, *Inſtantia non poſſunt cogitatione ſumi extra partes.* quia inſtantia ſunt modi temporis, neque ratione abiungibiles ab illo: & partes neceſſario includunt aliqua inſtantia, vnde inter omnia inſtantia nihil clauditur, quia cum illis ſunt etiam partes: at inter quælibet duo inſtantia clauditur pars: illæ autem partes interiectæ continuãtur, partim per illa duo inſtãtia, partim per alia intermedia, inter quæ duo non poteſt accipi primum & vltimum proportionale, poteſt tamen accipi primum, & vltimum determinatum.

§. 82. *Obiectio.* Dices ex hac doctrina ſequi, plura inſtantia eſſe ſimul, quia illæ partes proportionales ſunt continuæ, ergo per alia indiuiſibilia. *Plura inſtãtia non ſunt ſimul.* Nego ſequelam: quia exiſtenti inſtanti *A*, partes ſunt continuæ per illud, quia hoc eſt eius munus, ſicut in permanentibus eadem pars proportionalis copulatur alij, vno puncto, & nó pluribus. Quare elapſo illo puncto per motum, aut deſignationem; cæteræ partes copulantur aliis punctis; ita in ſucceſſiuo, exiſtenti inſtanti *A*, copulantur partes proportionales, quibus trãſactis, ſicut tranſuolat punctum *A*, ita cum aliis partibus aduenit punctum *B*. Denique in hac materia philoſophare ſicut in cõtinuo permanente reſpectu eiuſdem loci: cum hoc diſcrimine quod permanens retinet ſimul plures partes determinatas, non verò ſucceſſiuum.

§. 83. *Septimũ argumentum.* Septimò ſic argumentor: quia motus nó poteſt eſſe continuus, ſed diſcretus per morulas imperceptibiles: ergo motus non habet præter ſola indiuiſibilia. Probatur antecedens: demus muſcã moueri continuè, & Achillem eam inſectari, tunc tantum curret muſca quãtum Achilles, quia nunquam ceſſat à motu, ſicut neque Achilles, & in vna hora neceſſario debet moueri tantum, quantum ille, quia nulla eſt pars horæ, in qua aliquid nó cucurrerit, in quo non potuit ab Achille ſuperari, quia etiam Achilles idem tempus conſumpſit in ſuo curſu.

§. 84. *Argumẽtum vocatum Achilles.* Hoc argumentum Zeno vocabat *Achillem*, vnde argumenta difficilia *Achillem* vocamus. Sed nego antecedens, vt toti philoſophiæ repugnans, & ſenſui, vt rectè oſtendit Diogenes Cynicus continuè ambulando per gymnaſium, Zenone inſpectante, & tam celebre delyrium docẽte. Sal Diogen. Zeno. Ad probationem reſpondetur, muſcam non currere tantum, quãtum Achillem, quia in eodem ſpatio temporis per motum velociorem, muſcam præcurret Achilles, adhibens maiorẽ vim, per quam partes motus celerius producantur: *Cur muſca minus currat Achille.* ſicut per te adhibendo maiorem conatũ, per quem morulæ eſſent breuiores; & quamuis dem motum continuum intercipi morulis: non tamen infertur in motu non eſſe puncta & partes: quia licet eſſet æqualis velocitas in motu, eſſent maiores morulæ, vt ex te vtrobique motus eſt æqualis, dum durat: morulæ autem inæquales: at per te non intercipitur ſingulis inſtãtibus: ſed per quatuor, vel quinque. Denique quod tu reſpondes de inſtantibus reſpóderi tibi poteſt motum poſt breuiſſimam continuationem intercipi.

§. 85. *Octauum argumentum.* Octauò argumentantur ex Theologia; quia ſequitur meritum vnius horæ eſſe infinitum, quia in quolibet inſtanti eſt nouum meritum æquale, & determinatum, quia in quolibet inſtanti poteſt ceſſare à bona actione, at inſtantia ſunt infinita ſimpliciter, ergo.

§. 86. Nonnulli philoſophiæ præceptores non expen-

Aliquorũ inconſtantia. Prima ſolutio.

dentes in philoſophia huius argumenti vim, poſtea docentes materiam de charitate, eo oppreſſi, parum honeſtè pedem retulere. Negatur tamẽ ſequela, quia nõnulli docent actum meritorium habere rationem merẽdi bipartitam, alteram pro ſubſtantia actus: alteram pro duratione: dicunt autem pro ſubſtãtia dari duos gradus præmij, exempli gratia, pro duratione verò dari præmium continuum, & quidem partem extenſiuam illius reſpondentem temporis parti, & indiuiſibile præmij reſpondens indiuiſibili temporis; & quidẽ ingenioſiores neotherici oppoſitæ ſententiæ aſſertores ab hoc abſtinent argumento, vt non penetrante communem difficultatem continui: vnde ſicut qualitas naturalis non euadit infinita: ita nec meritum.

§. 87. *Merito in tẽpore proportionali reſpõdet præmium proportionale.*

Ne tamen illi adſtringamur opinioni, Reſpondeo, merito reſpõdere præmium proportionale, & determinatum: illud eſt infinitum ſecundum quid: hoc autem ſimpliciter finitũ, & quia meritum ſumitur pro determinato, ideo eſt finitum abſolutè. Ad probationem reſpondetur, in quolibet inſtanti determinato eſſe nouum meritum determinatum æquale, vel maius: quia nulla eſt pars tẽporis adeo exigua, poſt quam non poſſit homo à bona actione ceſſare: hæc autem inſtantia ſunt finita ſimpliciter, ſicut partes: at verò in inſtanti indeterminato non eſt nouum meritum determinatum à merito inſtantis determinati, quia eo ipſo, quod voluit operari vltra inſtans determinatum, ſe neceſſitauit ad operandum per aliquod tempus indeterminatum, ita vt impoſſibile ſit cohibere actionem, ne tendatur vltra illud inſtans, pro aliqua temporis parte, pro qua nõ habet determinatam libertatem diſtinctam à libertate inſtantis determinati: poteſt tamen poſt quamcumque partem determinatã ceſſare, & pro illa habet libertatẽ & præmium. Vnde habet præmium indeterminatũ pro parte proportionali pro qua habet libertatem indeterminatam, id eſt, durationis indeterminatæ, quia ex ſuppoſitione quod voluit vltra inſtans, eius voluntas fuit de aliquo tempore: habet autem præmium determinatum finitum pro determinata parte, quæ eſt ſimpliciter finita: & eiuſmodi partes ſunt finitæ omnes. Immo & Deus eo ipſo quod noluit in hoc inſtanti determinato Angelum creare, non poteſt illum creare immediatè poſt, niſi prius trãſeat aliquod tempus: verum eſt, nullum eſſe certum tempus tam exiguum, in quo non poſſit Deus operari, & homo ceſſare ab actione, ſimpliciter tamen ſit liberè vtrumque, quia in inſtanti determinato potuit amari oppoſitum; & in illo ſe liberè determinauit ad conſeruandam actionem pro aliqua parte ſucceſſiua: quod ſi non poteſt ceſſare eſt ex ſuppoſitione, quod voluit in illa operari: & huic actui datur præmium indeterminatum pro illo tempore, determinatũ autem pro tempore determinato. Qua de re abunde diſſerui diſputans de charitate.

Nec in eo eſt noua libertas, niſi in tẽpore determinato.

SVBSECTIO II.

Ariſtotelis ſententia præfertur.

§. 88. Ariſtot. *Continuum componitur ex punctis & partibus. Continuum poteſt diuidi in omnes partes determinatas.*

ARiſtoteles hoc lib. 6. & alibi ſæpe, probat cõtinuum componi ex punctis, & partibus diuiſibilibus infinitis ſecundum quid, vt explicui ſect. 4. Quibus addo, licet continuum poſſit ſine fine diuidi, poſſe tamen actu diuidi in omnes ſuas partes determinatas, vt palmum in duos ſemipalmos, & licet poſſint aſſignari partes minores, poterit etiam in illas actu diuidi, vt palmus in quatuor medietates ſemipalmorũ, &c. Vnde aduerte omnes illas diuiſiones non eſſe adæquate diſtinctas, nam ſecunda, & tertia diuiſio ſemipalmi clauditur in prima diuiſione palmi, repugnat enim palmum diuidi in duos ſemipalmos, & his ſtantibus integris ſubdiuidi palmum in quatuor medietates ſemipalmorum, vnde liquido conſtat proportio, communicatio, & indeterminatio partium proportionalium & cur ſint ſimpliciter finitæ partes continui. Ariſtotelem ſequuti ſunt omnes Philoſophi, ac Theologi vno excepto Gerardo. Vide P. Conimbricenſes hoc lib. 6. c. 2. quæſt. 2. quam ſententiam demonſtrari cenſet P. Suarez 2. metaphyſ. diſp. 40. ſect. 5. num. 35. éſtque expreſſa B. Auguſtini adducti §. 24. vbi ait punctum eſſe copulationem partium, & per ipſum diuidi lineam. Vnde conſtat ab eo conſtitui partes diuiſibiles, & puncta indiuiſibilia. Quod conſtabit legenti illa capita 11. & 12. de quantitate animæ. idem expreſſit B. Anſelmus cap. vlti. de incarnatione Verbi, verbis hiſce. *Punctum cum puncto ſine interuallo non eſt niſi vnum punctum*: id eſt non conſtituit maiorem intenſionem vnõ puncto.

Ariſtot. Gerardus. P. Conimb. P. Suar. B. Auguſt. S. Anſelm.

§. 89. *Primum argumentum à tẽporis compoſitione.*

Probatur primo: quia (vt probaui §. 76.) tempus habet veram, ac phyſicam vnionem partium, ſed illæ partes non poſſunt eſſe indiuiſibiles, ergo ſunt diuiſibiles. Probo minorem: quia exiſtente vnione neceſſario exiſtunt duæ partes, quas vnit (vt probaui ſect. 3.) quia nullus modus poteſt exiſtere ſine actuali exiſtentia ſuæ rei; ſed non poſſunt ſimul exiſtere duo indiuiſibilia temporis, quia exiſterẽt ſimul illius partes certæ, & determinatæ; ergo partes temporis nõ poſſunt eſſe indiuiſibiles.

SVBSECTIO III.

Secundum argumentum de penetratione punctorum.

§. 90. *Secũdum argumentum. Indiuiſibile additũ alteri nõ facit maius.*

SEcundo: quia vnum indiuiſibile additum alteri non facit maiorem extenſionem, ergo continuum nõ componitur ex ſolis indiuiſibilibus; conſequentia patet, quia continuum habet extenſionem: antecedens probatur: quia indiuiſibile tangit aliud adæquate ſecundum ſe totum, ita vt nihil ſit in altero indiuiſibili, quin totum tangatur ab altero, ſed ea, quæ ſic ſe tangunt, non faciunt maiorem extenſionem, ergo. Maior eſt clara, minor probatur, quia, quæ ſic ſe tangunt, ſunt adæquatè in eodem loco: quia locus vnius tangitur à loco alterius; non in parte, quia eſt indiuiſibilis, ergo adæquatè ſecundum totum: ergo non eſt vnus locus extra alium. Confirmatur: ſi duo palmi ſe tangunt adæquatè ſecundum omnes ſuas partes, non poteſt vnus eſſe extra alium, ſed duo pũcta ſe tangẽtia immediatè ſe penetrãt ſicut duo palmi, quia ſicut nulla eſt palmi pars, quæ non adæquatè tangatur ab alia, ſimiliter nihil eſt puncti, quod non tangatur ab alio puncto; ergo ſicut eam ob cauſam duo palmi ſunt in eodem loco, ita & duo puncta.

§. 91. *Obiectio.*

Dicunt aduerſarij primò: hanc difficultatẽ eſſe communem vtrique ſententiæ, quia punctum facit maiorem extenſionem, quàm ſola linea, & inſtans cum parte longiorem durationem, quàm ſola pars, quia Angelus durans per horam & punctum, plus durat quàm per ſolam horam, ergo mirum non eſt ſi vnum indiuiſibile additum alteri faciat maius. Sed hoc immerito dicunt; quia ſæpè dixi, punctum eſſe in loco proportionali partis, quare Angelus in illo exiſtens non poteſt non exiſtere in parte diuiſibili proportionali, neque poteſt Angelus durare per horam, & punctum extra illam, quia nullum

Reijcitur. Punctum eſt in parte proportionali.

nullum eſt inſtans, quod non ſit cum aliqua parte proportionali. Vnde, licet producantur immediata mille inſtantiæ, aut puncta, vnum indiuiſibilem locum occupabunt, & ſolum efficerent vnicum inſtans temporis: vident aduerſarij hoc reſponſum eſſe certum, ſi ſemel ponatur puncta eſſe vniones, quod ipſi recuſant. Verum quod illi dicunt de vnione indiuiſibili, dico ego de his punctis, & licet non ſint vniones, eſt eadem ratio: quia ſunt vinculum, ad quod confluunt duæ partes, & in quo vniuntur: eſt autem de conceptu rei indiuiſibilis penetrari in eodẽ loco cum re, quam tangit, ſiue ſit eius vnio, ſiue non ſit. Vnde cum duo lapides ſe contingunt, vltimæ ſuperficies penetrantur; quia verſus profunditatem tanguntur ſecundum ſe totas; quia ea ex parte ſunt indiuiſibiles: cum parte autem non penetratur pars, quia non ſe tangunt in parte determinata. Punctum vero additum lineæ non facere maiorem extenſionem docent mathematici: videatur clarius eorum Princeps in ſcholio propoſitionis 8. libri 5. Euclidis.

Millia puncta nõ faciũt extenſionem.

Res indiuiſibilis penetratur cum tangente.

§. 92. *Secunda Obiectio.*

Dicunt ſecundò, non ſufficere ad penetrationem vt duæ res tangantur adæquatè; ſed opus eſt vt ſint in eodem loco: at rectè poſſunt tangi adæquatè, quin in eodem loco ſint: quia ſi ſunt in duobus locis immediatis, ſe tangunt, & non penetrantur; ſic ſunt duo puncta immediata. Reſpondeo eamdem eſſe difficultatem duobus in locis immediatis ſi ſunt indiuiſibiles. Etenim illi loci ſe tangunt non minus quàm ſe tangunt duo puncta illis præſentia: niſi enim loci ſe tangerent, nec ſe tangerent puncta dum præcisè ſunt in ipſis locis: ergo loci ſe tangunt ſecundum ſe totos, ſicut puncta: ergo ex illis locis non conflatur locus extenſus. Probo conſequentiam tum exemplo & argumento punctorum, cui reſpondes alio exemplo ſimili, in quo eſt eadem difficultas: tum quia ſi totus vnus locus tangitur ab alio, ergo vterque locus tangitur adæquatè: ergo neuter eſt extra alium: vt quantitas tangens aliam adæquatè non eſt extra illam.

Reijcitur. Duo loci indiuiſibiles nõ faciũt maiorem locum.

§. 93. *Tertia obiectio.*

Infinita puncta nõ faciũt maiorem extenſionem.

Dicunt tertiò, vnum indiuiſibile ſolum additum alteri non facere maiorem extenſionem, at vero infinita indiuiſibilia facere. Verum hanc ſolutionem reieci ſupra §. 77. & impugnatur vlterius, quia vel vnum indiuiſibile eſt pars lineæ, vel non? ſi eſt pars, ergo illo ablato, linea erit minor, implicat enim totum manere tam integrum poſt partis ſeparationem, quàm antea; ſi non eſt pars; ergo non pertinet ad illius compoſitionem, quia compoſitio eſt ex partibus, ergo linea non componitur ex illo indiuiſibili; & ſic de ſingulis. Confirmatur, quia poſt vnum punctum ſequuntur immediatè finita vel infinita? ſi finita, non poſſunt per te facere maiorem extenſionem: ſi infinita, ergo punctum vnum vnitur infinitis aliis punctis immediatè, & habet infinitas vniones adæquatè diſtinctas, quod eſt ridiculum. Præterea eſt hoc in tempore inintelligibile, quia eſſent ſimul infinita inſtantia, vel ſi non ſunt infinita, per te non poſſunt facere partem extenſam. Ariſtoteles autem non conſtituit infinita puncta proportionalia ad maiorem per ipſa extenſionem: nec enim infinita addita vni facerent extenſionem: ſed vt copulent partes, quarum vna eſt extra alias: nec vna proportionalis eſt maior alia; quia *Maius* & *Minus* ſunt proprietates quantitatis determinatæ.

Confirmatio.

Infinita puncta non ponũtur, vt per ipſa creſcat extẽſio, ſed vt partes vniãt.

SVBSECTIO IV.

Expenditur doctrina de virtuali punctorum extenſione.

§. 94. *Quarta obiectio.*

Dicunt quartò; vnum indiuiſibile additum alteri facere maius: quia licet ſe penetrent, non ſunt adæquatè in eodem loco, ſed inadæquatè: quia vnumquodque indiuiſibile occupat locum diuiſibilem, vt duò Angeli, quorum alter occupat medietatem huius gymnaſij: alter verò aliam medietatem, qui ſe contingunt, & penetrant in medio gymnaſio, & non in extremis illius, ſimiliter & puncta: nec mirum eſt rem indiuiſibilem occupare locum diuiſibilem, vt patet in animo, & Angelo.

§. 95. *Sententia de virtuali extenſione punctorum.*

Quod vt probent, aiunt punctum eſſe indiuiſibile formaliter; diuiſibile autem virtualiter; quia habet tres aut plures vbicationes, vel vnam illis æquiualentem; quibus occupat tria, aut quatuor indiuiſibilia qualia pronuntur à Zenone. Hanc virtualem extenſionem explicant ex conceptu hominis, qui virtualiter eſt planta, animal, & lapis: quia cum illis conuenit in multis operationibus, & terminat diuerſos conceptus. Melius autem id poſſent explicare in ſententia Ariſtotelis; eadem enim quantitas denſa occupat palmum; rara autem occupat duos palmos: ergo eadem ratione punctum affectum raritate poterit eſſe in duplo maiori ſpatio.

§. 96. *Nulla pars determinata poteſt triplicari duobus in locis.*

Antequam progrediar; libet oſtendere abſiſſimam eſſe rationem in Ariſtotelis ſententia: in qua nulla materiæ pars certa, & determinata poteſt duobus in locis replicari; ſed pars vnius palmi, ſit duorum palmorum accedente raritate: at in hac ſententia, eadem pars certa, & determinata replicatur per quatuor aut quinque locos; & quod mirum eſt, puncta rareſcunt: quantitas enim rareſcit, quia eius partes rareſcunt; at ſola puncta ſunt partes, ergo ſola puncta rareſcunt: Mira ſunt hæc intumeſcentia puncta: quæ grandinum in morem futura obiicere ſolebam ego cuidam meo Magiſtro, è ſuo cerebro ea fingenti. Virtualem item extenſionem admitto in ſubſtantia ſpirituali; at in materiali recuſo.

§. 97. *Pũcta tumẽtia nõ fugiũt mathematicas demõſtrationes.*

Deinde ea ſententia non fugiuntur incommóda mathematica; vt decurſu conſtabit. Cum enim lac, aut aqua incluſa vitro eiuſdem ſit raritatis in quauis parte vitri, puncta circuli interioris ſunt in eadem extenſione in qua puncta circuli exterioris; vnde non poſſunt eſſe in circulo interiori tot puncta quot in exteriori; nec vnum eſt in ampliori loco quàm aliud: ac propterea ab omni puncto in centrum non poterit duci linea: aliaque abſurda æquè hanc ſententiam, ac Zenones ſequerentur.

§. 98. *Rei materiali repugnat extenſio virtualis.*

Impugno præterea eam ſententiam, vt paradoxam ſine vrgenti fundamento: nam quis vnquam dixit rem materialem indiuiſibilem eſſe in loco diuiſibili determinato? Rogo enim vtrum locus ſiue ſpatium imaginarium componatur ex ſolis punctis? An verò ex partibus? Si ex ſolis punctis, ergo linea imaginaria excreſcit ex indiuiſibilibus non extenſis in loco: ſic autem & quantitas excreſceret, nec eſſet recurrendum ad virtualem extenſionem puncti; cum locus componatur ex ſolis indiuiſibilibus inextenſis formaliter, aut virtualiter: & ſit locus extenſior: vel vnum indiuiſibile imaginarium eſſet in alio, quod eſt ridiculum; quia partes ſpatij concipimus extenſas: ſi vero ſpatium componitur ex punctis & partibus,

 idem

idem erit in vbicatione reali continua, quæ per ordinem ad ſpatium ſumitur; & cum illo exponitur.

§. 99. *Obiectio.*

Dicunt ſpatium imaginarium eſſe idem ac ſpatium reale poſſibile; quod explicatur per vbicationes, & apprehenſionem ſpatij poſſibilis. Cum autem ſpatium poſſibile habeat virtualem extenſionem, ita & imaginarium: quemadmodum tempus imaginarium eſt tempus reale. *Impugnatur.* Contra ſpatium imaginarium eſt quidem ſpatij realis capacitas, explicatur tamen per menſuram certam, ex qua cognoſcimus quantitatem, & puncta occupare minus, maius, aut æquale ſpatium loci. Pone puncta in ſumma denſitate quantitatis, occupant per te ſingula binos locos indiuiſibiles: at in ſumma raritate occupant ſenos: rogo qui ſint illi loci? non ſunt ipſa puncta: quia hæc non ſe occupant; nec punctum rarum eſt maius ſpatio ſe ipſo denſo: ſed rarum & denſum comparantur certo & inuariato ſpatio, reſpectu cuius punctum eſt minus aut magis extenſum virtualiter. Sed illud ſpatium non habet virtualem extenſionem in eſſe apprehenſo, quia vnus locus imaginarius non eſt in alio: ergo vt ille apprehenditur extenſus ſine hac virtuali extenſione; ita ſpatium poſſibile illo explicatum, erit extenſum abſque extenſione virtuali.

Spatiũ imaginarium cõcipitur abſq; extenſione virtuali.

§. 100. *Alia ſolutio.*

Addunt ipſi extenſionem virtualem punctorum explicari per indiuiſibilia Zenonis; non quod hæc ſint poſſibilia; ſed quia ſi eſſent, eſſet punctum per virtualem extenſionem in quatuor punctis Zenonis. Contra: abſolute per te ea puncta Zenonis ſunt impoſſibilia; ergo ſpatium imaginarium non explicatur per illa: probo conſequentiam, quia per te ſpatium imaginarium eſt reale poſſibile; quod illo imaginario explicatur: ſed eſt impoſſibile ſpatium reale Zenonis: ergo imaginarium non explicat ſententiam Zenonis.

§. 101. *Puncta virtualiter extẽſa nõ bene explicantur per puncta Zenonis.*

Secundò ea puncta Zenonis ſunt, per te, impoſſibilia, quia ſine virtuali extenſione eſſent penetrata, quia ſe tangerent in eodem loco adæquato: ſed ſi tua hæc puncta occupant quatuor indiuiſibilia Zenonis, erunt etiam penetrata in eodem loco adæquatè, ergo non explicantur per indiuiſibilia Zenonis. Probo minorem: quia duo indiuiſibilia Zenonis ſe penetrarent, quia ſe tota tangerent immediatè ſine extenſione virtuali: tertium autem etiam penetraretur cum duobus, quia tangeret vnum immediatè in eodem adæquato loco; qui locus eſt idem vtriuſque, atque omnium trium: idem dico de quarto ac de milleſimo: ergo niſi pũcta Zenonis ſint virtualiter extenſa, non poſſunt tua puncta efficere extenſionem; quia reſpondent quatuor punctis, qui ſi exiſterent, non efficerent extenſionem. Cum ergo ſpatium non habeat virtualem extenſionem, & tamen ſit extenſum; ſequitur vel ſine hac virtuali extenſione effici magnitudinem; vel ſpatium & lineam non componi ex ſolis punctis.

§. 102. *Sine loco imaginario non poſſunt intelligi punctorũ loci.*

Alij, vt bene ſuccumbant, aſſerunt, locum imaginarium eſſe imaginationem inanem; ex qua nullum poteſt argumentum effici. Sæpius dixi, ſpatium imaginarium nihil eſſe reale: ſed à nobis apprehendi ad modum corporis realis fixi, & immobilis ad explicandas corporum dimenſiones, diſtantias, & *vbi*. Sublata autem hac conſideratione nihil certum erit de exiſtentia extenſa; aut non extenſa. Nam ſi indiuiſibile quantitatis non intelligitur reſpondere loco indiuiſibili, non poteſt intelligi eſſe in vno, aut duobus locis. Ac proinde nec erit in loco diuiſibili, nec indiuiſibili. Namque punctum quantitatis non eſt in ſe ipſo, vt in loco: nec in ſpatio indiuiſibili imaginario; quia per te eſt inanis imaginatio, nec eſt in duobus locis, aut in vno propter vbicationem: quia hæc eſt indiuiſibilis: tum ex parte ſubiecti, quod eſt indiuiſibile, tum ex parte loci, qui per te nec eſt diuiſibile, nec indiuiſibile. Vnde ergo colligis punctum eſſe in vno loco diuiſibili, aut in duobus? Dices; quia habet duo *vbi*. Contra: hoc naturaliter repugnat: duplex enim *vbi* adeo eſt difficile, vt ſit vnum e myſterijs Fidei, multiplex *vbi* corporis Chriſtiani in Eucharistia. Quia verò id abſurdum ſequeretur in corpore in duobus locis extenſo, negatur à P. Vazquez illud effici poſſe.

§. 103. Vbi *animi extẽditur ad locũ corporis, & Vbi Angeli ad gymnaſium.*

Dices, *vbi* ipſa fundare diſtantiam, & extenſionem, vt *vbi* Angelicum, & Animaſticum. Contra: *vbi* animi extenditur ad corpus, quia reſpondet ſpatio imaginario occupato per corpus: eaque propter penetratur cum illo, ſimiliter Angelus in toto hoc gymnaſio. Item vna res diſtat ab alia, quia inter vtramque poteſt eſſe certa corporis extenſio, determinata, & inuariabilis, vt *cubitus*, *vlna*, quod vocamus *ſpatium imaginarium*: at ex te nulla poteſt eſſe certa diſtantia: quia hæc non ſumitur ex corpore reali: quia idem poteſt eſſe extenſius, aut limitatius, eſtque obnoxium varietati rarefactionis: ergo ex illo non ſumitur diſtantia certa, nec menſura. Immo ex te duo puncta, aut vnum poſſunt eſſe menſura vnius palmi: quia poſſunt extendi cum illo, vt animus, & Angelus. Certa ergo menſura ſumitur in ordine ad vbicationem reſpondentem ſpatio imaginario, certo, & immobili. Nam ad explicandum locum minimum ex imaginabilibus dicimus eſſe indiuiſibilem: ac propterea componentibus continuum ex ſolis punctis, nihil eſt familiarius, quàm materiam ſemper eſſe determinatam ad certum ſpatium: quia conſtat octo punctis, exempli gratia, quæ occupant octo puncta ſpatij imaginarij, nec plura, nec pauciora: item raritate non occupari plus loci: & ne conſtituant vnum punctum duobus in locis, aſſerunt rarum fieri per interiectum corpuſculorum: quæ difficultas premit aduerſarios, quia videtur inferri, corpus idem ſimul eſſe in duobus locis.

§. 104. *Aliud abſurdum.*

Atque vt videatur huius ſententiæ leuitas, fateri tenentur, poſſe punctum idem occupare locum vnius vlnæ. Nam lacte rareſcente, aiunt puncta occupare octuplo maius ſpatium & replicant ſingula puncta in decem ſpatia. Quod adeo eſt abſurdum, vt pudeat id impugnare. Nam in illorum ſententia vnum punctum erit maius alio, quia maiorem habet extenſionem. Nam palmus ideo eſt maior alia menſura ſemipalmi, quia porrigitur ad maius ſpatium, ſed per te vnum punctum porrigitur ad maius ſpatium, quam aliud: ergo eſt illo maius.

§. 105. *Aliud item.*

Adde eo admiſſo non eſſe opus vnum punctum eſſe extra locum aliorum. Lac, verbi gratia, poterit totum eſſe intra ſpatium vnius puncti valde extenſi, vt ab his ponitur. Nam facile penetrabuntur duo in vno loco adæquato, ſicut penetrantur in parte illius loci: in qua ſunt ſimul: vt ex eorum reſponſo patet: item penetrabuntur tria puncta, quia duo extrema tangunt medium, & ſic de aliis, nec lac petit maiorem extenſionem. Ergo vt linea imaginaria componitur, vel ex ſolis punctis non penetratis, nec exiſtentibus in duobus locis, ita fiet in continuo reali, vel ſaltem vtrumque componetur ex punctis & partibus.

Tota

§.106. *Aliud argumentũ à tempore.* Tota hæc doctrina confirmatur in tempore reali, quod per te componitur ex ſolis punctis: quæ vocamus *momenta*, ſiue *inſtantia*. Tempus facit maiorem extenſionem ſucceſſiuam ſolo inſtantium fluxu, quin inſtans vnum duret per duo inſtantia, ergo ſimiliter linea erit magis extenſa, quin punctum ſit in duobus locis: de conſequentia nulli dubium, nam etiam inſtantia ſunt immediata, & vnum contingit aliud ſicut puncta lineæ. Antecedens probo: quia vnum inſtans non durat per duo indiuiſibilia: ſed ſimul incipit & deſinit intrinſecè. Ita vt cum eſt, verè dicatur. *Hoc inſtans nunc eſt, & immediatè ante non fuit, nec immediatè poſt erit.* Si verò punctum illud fuiſſet immediatè ante, aut futurum eſſet immediatè poſt, equidem eſſet inſtans permanens in duratione. Permanentia enim nihil eſt, niſi conſeruari nunc eſſe, quod fuit prius. Cum ergo duo inſtantia habeant comparationem prioris & poſterioris, inſtans reale temporis in ſecundo inſtanti retineret eſſe, quod habuerat in priori; cui conueniret tota definitio rei permanentis. Quin momentum duraret per octo inſtantia, & per viginti, ſicut hi extendunt puncta ad viginti locos. Eademque ratione dicent horam eſſe vnum ſolum inſtans extenſum: & hominem vnum ſolum punctum exiſtens in toto illo loco, nec diuiſione partiri in duas partes, ſed idem punctum ſeparari ad diuerſa loca non continua. Negato enim vno communi principio ſine nouis expenſis dicent quod libuerit.

§.107. *Obiectio.* Dices tempus eſſe ſucceſſiuum, quia inter inſtans & inſtans interiicitur morula; vnde tempus nihil erit præter multa momenta diſſita, & interrupta. *Impugnatio prima.* Contra primo: ergo non poteſt eſſe nec per potentiam Dei, continua & immediata inſtantium ſucceſſio; quia non faceret tempus extenſum: vel ſi poteſt eſſe; rogo vtrum tunc ſingula momenta durarent pluſquam vno momento, in quo eſſent cum immediatè ante, nec fuiſſent, nec futura eſſent poſt? ſi hoc admittis: ergo eſt extenſio temporaria ſine exiſtentia inſtantis in duobus momentis, quod contendo: ſi autem inſtantia ſingula eſſent pluribus momentis: ergo ſingula eſſent permanentia, non aliter, ac duo Angeli, tametſi diuerſis inſtantibus producantur: & alter annihiletur, cum creatur alter.

§.108. *Impugnatio ſecũda à duratione.* Contra ſecundo, ij admittunt durationem ſucceſſiuam, per quam reſpondeamus diuerſis temporis partibus: hæc duratio non intermittitur, alioquin Angelus non duraret in illo interuallo durationis, nec eſſet illa ſucceſſiua magis quam multi actus vitales, quos Angelus habet, & intermittit. Item poſſet Angelus per vnam horam durare minus alio per eamdem: quia potuit Deus diuturniores moras velle inter momenta durationis alterius, quàm inter alterius.

§.109. *Impugnatio tertia.* Contra tertiò: inter inſtans & inſtans vel poteſt eſſe tempus ſucceſſiuum; vel aliud inſtans: aut nihil poteſt eſſe. Si poteſt eſſe, ſit: *nam poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur inconueniens*: rogo vtrum illud ſit indiuiſibile? Si eſt, ergo indiuiſibile temporis additum alij ſine exiſtentia in duobus indiuiſibilibus, facit maius tempus; quod contendo: ſi non eſt indiuiſibile, ergo tempus illud poſſibile conſtat ex partibus & non ex ſolis inſtantibus. Si autem inter duo inſtantia nihil temporis poteſt interiici, ergo ſunt immediata. Quia immediata ſunt ea, inter quæ nihil poteſt interiici: vt corpora ſunt immediata, quando ſunt in duobus locis, inter quos non poteſt eſſe alius.

§.110. *Obiectio.* Dices, eſſe tempus imaginabile. Cur obſecro te, recurris ad inanem noſtram imaginationem? Ergo in illo concipis certam extenſionem ſucceſſiuam, capacem extenſionis realis: ex qua declaras tempus reale, item relationes *præſentis, futuri*, &c. Et quidem bene: nam ſine illo non poſſunt exponi bene: idem ergo dic de ſpatio. *Confutatur.* Et cum tempus illud conſtet vel ex ſolis punctis non penetratis, nec exiſtente vno in duobus: id enim repugnat, quia de illis duobus recidit quæſtio: ita compone tempus momentis ſubito fluentibus: ita & quantitatem ex punctis occupantibus locum inſectilem. Vel ſicut illud tempus, & ſpatium imaginarium non poteſt apprehendi ex ſolis punctis: quia non fieret extenſio, ita compone tempus, & quantitatem. Hæc tam latè dixi; quia hanc tertiam ſolutionem, cum puer eſſem, audiui à quodam philoſopho, ne deinceps tam futilis doctrina irrepat ſine authore, ſine fundamento: ſed præcisè vt fugiat vim argumenti, quod conficio.

§.111. *Diſcrimen Angeli & puncti.* Ad exemplum è §. 94. Reſpondeo, abſimilem eſſe rationem. Nam res ſpiritualis habet virtualem extenſionem, id eſt, ſua entitate indiuiſibili præſtat, quod res materialis ſua diuiſibili: quia hæc per diuerſas partes eſt in locis diuerſis, tota in toto, & pars in parte. Spiritualis verò eſt in illis tota in toto, & in quauis parte. Quod admodum eſt difficile: & à nonnullis datur illis *vbi* diuiſibile: eſt autem inauditum quantitatem ita exiſtere. Audiamus alios.

SVBSECTIO V.

Alia reſponſa.

§.112. HOc autem argumentum de penetratione punctorum tam male vexat aduerſarios, vt ſe in omne latus vertant. *Quinta ſolutio.* Reſpondent igitur quintò, in puncto eſſe latera extrinſeca, & poſſe tangi per vnum latus, & non per aliud: ſic autem non penetratur, quia lineæ tangunt punctum per latera diuerſa, nec tamen cum illo penetrantur. *Reijcitur.* Verùm hæc ſolutio verbis conatur difficultatem effugere; nam eo ipſo, quod palmus tangat adæquatè alium per ſolum latus extrinſecum, penetratur cum illo, & eſt in eodem loco adæquatè, *Penetrationẽ eget tactu ex omni latere.* vt patet in Chriſto cœlos conſcendente, cum quibus penetratus fuit, licet illos tangeret per ſolum terræ latus, ergo ſimiliter punctum penetrabitur, & erit adæquatè in eodem loco cum alio; quia illud tangit adæquatè per vnum latus extrinſecum; conſequentia patet à paritate rationis.

§.113. *Confirmatio.* Confirmatur, quia vnum punctum poteſt cum alio adæquatè penetrari, ſed ad hoc non requiritur, vt illud tangat per omnia latera extrinſeca, ergo: probatur minor: quia quid opus eſt trahere punctum per omnia latera extrinſeca, cum totum tangatur per quodcumque latus, ſicut per omnia latera ſimul? ratio à priori, quia in puncto nihil remanet intactum, ratio autem ob quam non tangitur per omnia latera extrinſeca eſt, quia ſicut eadem linea non poteſt eſſe duobus in locis, ita nec punctum poteſt ſimul duci verſus ſolem orientem, & occidentem. At verò punctum illius figuræ penetratur cum omnibus partibus, à quibus tangitur: illæ autem non ſe penetrant; quia non tanguntur adæquatè, ſed in parte proportionali.

§.114. *Confirmatio ſecunda.* Confirmatur: quia ſi punctum trahatur per omnia latera, tandem venit ad tangendum aliud

totaliter,

totaliter, non magis, nec minus quàm ſi per vnum latus trahatur: ſingula enim tangunt tandem totum punctum. Confirmatur ſecundo: demus à Deo ſimul produci duo puncta immediatè ſe tangentia: deinde aliud punctum tractum per omnia latera illa tangere: aliud verò tractum per vnum ſolum latus: rogo vtrum illa duo puncta ſimul producta ſe penetrent? Vel non? Si non ſe penetrant; reddatur ratio: nam illa Deus potuit producere ſimul penetrata: quid autem potuit facere; niſi efficere vt ſe tangerent? Tunc autem per nullum latus ſe tangerent. Denique hæc ratio adeo eſt pro libito, vt nullam illius nec apparentem rationem reddant: ac ſi latera extrinſeca quid præſtarent rei omni latere intrinſeco carenti, & quæ tangitur ſecundum ſe totam, tam per vnum, quam per omnia latera. Aliæ ſolutiones ex dictis facile poſſunt impugnari. Quapropter cenſeo argumentum hoc apertam eſſe demonſtrationem, quæ voce; non ſenſu negari poteſt: volo tamen eam vrgere alio argumento communi ex cuius ſolutione ab ipſis data hæc corruit omnino.

SVBSECTIO VI.

Nonnulla mathematica argumenta.

§.115. *Tertiũ argumẽtum à circulis inæqualibus.*

ARiſtotelis opinio certiſſima cenſetur à Mathematicis, opinatis cum ſententia Zenonis nequaquã cõponi mathematicas aliquot demonſtrationes: à quibus ſumitur tertium argumentum, quia circulus exterior non erit maior circulo interiore, quod ſenſui repugnat. Ponamus enim punctum, & illum circumdemus circulo octo punctorum, hunc autem circulum ambiamus alio circulo ſedecim punctorum: ex quo deprehenditur non poſſe circulum interiorem, ideſt viciniorem centro (qui eſt punctus) eſſe tantum, quantus eſt circulus exterior, ideſt, remotior à centro; quia exterior ducitur per ſpatium duplo maius quàm interior: ad quod occupandum exigitur maior corporis extenſio: hoc autem abſurdum manifeſtè ſequi probatur. Nam è ſingulis ſedecim punctis poſſunt tendi ad centrum ſingulæ lineæ, & ex toto circulo tendentur lineæ ſedecim: eſt enim Mathematicis familiare principium, *à puncto ad centrum lineam duci*, eſtque Mathematicè euidens: quia vnumquodque punctum eſt in ſuperficie, in qua tot ſunt lineæ verſus omnem partem, quot puncta in ſingulis circulis, & cum ex vno puncto ducatur vna linea, cur non ducetur ex alio, cum illa puncta ſint in eadem ſuperficie, & ab ea capiantur? Denique non eſt opus niſi deſcriptis circulis admouere calamum, & lineas ducere in centrum. Hinc autem ſequitur, per circulum interiorem octo punctorum traiici ſedecim lineas. Vnde patet alterum è duobus, aut duas lineas penetrari in vno puncto circuli interioris, quod in illorum ſententia eſt impoſſibile; quia illæ lineæ non ſe tangunt ex omni latere, quia non ducuntur ex omnibus lateribus: aut in circulo octo punctorum eſſe ſpatium capiens ſedecim puncta facientia extenſionem duplo maiorem circulo interiori, quod aſpectui repugnat.

§.116. *Reſponſio cõfutata ad hominem.*

Dicunt, à puncto in centrum lineam duci: at duas lineas traiici per punctum eumdem circuli interioris, vnam impoſitam alteri. Vnde non ſequitur æqualis extenſio vtriuſque circuli. Verum in hos quadrat commune prouerbium, *oportere memores eſſe mendaces*, eſt autem falſitas tarda pedibus, atque curta, quæ facile capitur. Nam argumento facto §.112. reſponderunt, duo puncta nec ſe penetrare, nec eſſe in eodem loco, quia non ſe tangunt ex omni latere extrinſeco, ſed tantum ex vno: oportere autem vt ſe tangant totaliter, & ex omni latere: quo filo rati ſunt ſe texere telam: hîc autem argumento mathematico preſſi dicunt, duas lineas ductas ex duobus punctis immediatis ſe penetrare in eodem puncto circuli interioris: at illæ non fuerunt ductæ ad illud punctum per omne latus extrinſecum, ſed tantum per vnum, quo ergo pacto inuicem penetrantur? Et non penetrantur duo puncta? Imme & lineæ ipſæ antequam ducantur ad interius non penetrantur? An lineæ illæ, quæ verſus latus ſunt inſectiles, pingueſcunt ante circulum interiorem, & replent duo loca, & extenſionem faciunt? aut macreſcunt interioribus anguſtiis? Nec poſſunt occupare niſi vnum indiuiſibile loci? Quid habent illæ lineæ, quod antea non haberent? Et quidem ſufficit indiuiſibile tangi ex vna parte, vt tu fateris, eo autem ipſo tangitur totaliter, ideſt, adæquatè: non quantum tangibile eſt; nam hæc eſt denominatio ab aliis partibus tangentibus: alioquin nunquam diuinitus poſſet penetrari: ſed ita tangitur vt ſecundum ſe totum tangatur: vt obiectum dicitur cognoſci quantum cognoſcibile eſt, non quia comprehenſio det obiecto omnes denominationes *cogniti*, quas dant cæteræ cognitiones: ſed quia nihil illius non cognoſcitur: ſimiliter ſpatium imaginarium penetraretur, ſi ex ſolis punctis conſtaret.

Ad penetrationem ſufficit tactus ex vno latere.

§.117. Ad hæc, quot lineis eſſet onuſtus miſerrimus punctus interior? ſunt enim ſine numero exteriores circuli, quorum lineæ ducuntur ad centrum, adeo autem tumeſceret punctus impoſitis lineis, vt tota aërea regio illius tumori non ſufficeret. Quod ſi nec in altum excreſceret magnitudo, ſed omnes lineæ impoſitæ penetrarentur: euincitur clarè indiuiſibile additum alteri non facere maiorem extenſionem. Propterea aſſerui hoc argumentum, & per ſe eſſe euidens, & coniunctum ſecundo cum aduerſariorum reſponſo, illos ſuis verbis captum iri.

§.118. *Secunda ſolutio.*

Dicunt ſecundo, à puncto ad centrum non duci lineam diſtinctam à linea ducta ab alio puncto, ſed cum venitur ad circulum interiorem duplo minorem, ibi frangi lineam vnius puncti, & inde protrahi lineam alterius tantum, quæ reſpondet duabus lineis ductis ab extrinſeco ad intrinſecum. Contra, iam hæc opinio contradicit illi Mathematico principio, vt non modo belligeretur cum Philoſophis, ſed etiam cum Mathematicis. Deinde impugnantur primo: iam omnes lineæ non tenduntur vſque ad centrum, quia illud non tangunt niſi duæ, aut tres, quæ ducentur ex circulo immediato centro: ſed remote dicuntur ab illo oriri. Deinde hinc retorqueo argumentum; lineæ octo franguntur in circulo intrinſeco, quia binæ ſunt ducendæ per ſingula puncta circuli interioris, per ea autem traiici non poſſunt, quia vna occupat totum locum, & alia penetraretur: at hæc eſt friuola petitio principij: mihi enim hoc argumento animus eſt probare ex ſententia, quam impugno, ſequi eam penetrationem, licet non fiat tactus per omnia latera, vel extrinſecum circulum eſſe intrinſecus æqualem: tu autem negas lineas tendi, quia ſequeretur alterum ex duobus abſurdis: ergo concluſione ipſa negas antecedens: ego enim probo punctum non componi ex ſolis, punctis, quia immediato tactu penetrarentur, vt patet

Eſt contra Mathematicos.

Argumentum ad hominem.

patet in interiori: tu negas talem tactum in interiori, quia penetrarentur.

§. 119. *Aliud ad hominem.* Præterea argumentor: ex te franguntur illæ lineæ, quia eo præciſè, quod ducerentur per eumdem punctum interiorem penetrarentur; quia per diſtinctos intrinſecos duci non poſſunt: quia non reſpondent tot in circulo minori, quot in maiori: ergo conceptus duorum indiuiſibilium ſe tangentium immediatè, eſt, ea eſſe in eodem loco & penetrata, quia per te ea ratione lineæ ſecantur, quia alioquin penetrarentur. Immo & punctus intrinſecus duceret ad centrum eamdem lineam duorum extrinſecorum; quia illæ tandem ſe tangunt in interiori, & vbi ſe tangunt, non habent niſi vnum indiuiſibilem locum; demus autem, ab extrinſeco duci lineas à puncto *A.* & *B.* immediatis ad punctum extrinſecum *D.* & non duci actu aliam lineam ex toto circulo; in eo caſu illæ duæ lineæ non protenderentur à puncto *D*, ad centrum: quia per te punctis extrinſecis *A*, & *B.* reſpondet punctus *D.* quia eſt via directa à punctis *A*, & *B.* ad centrum; & tunc non interciduntur illæ lineæ propter defectum ſpatij, quia ex caſu argumenti non ducuntur aliæ lineæ, ergo ex conceptu duarum linearum ſe tangentium eſt, eas eſſe in eodem loco. Immo locus indiuiſibilis intrinſecus reſpondet totus & totaliter duobus indiuiſibilibus extrinſecis, quia lineæ ex illis ductæ tandem ſe contingunt in intrinſeco, & non per omnia latera extrinſeca.

§. 120. *Alia ſolutio impugnata.* Tandem oneri ſuccumbunt; & negant ab omni puncto circuli maioris duci lineam tangentem centrum, nec omne punctum circuli minoris; ſed duci lineam à puncto penetratam omnino cum aliis lineis in circulo minori. Ponit enim centrum ſcilicet punctum, non poſſe tangi niſi à quatuor lineis tenſis ab omni latere: at non propterea eas lineas non eſſe rectas. Contra: ergo iam in continuo ponuntur multa puncta penetrata; & impenetrata multa: cur ergo eſt ea diſparitas? Cum enim omnia puncta ſint extenſionis partes: cur hæ duæ lineæ actu tenſæ à puncto ad centrum, non ſunt exceſſæ latitudinis, & eædem lineæ in parte ſuperiori ſunt extenſæ? cur penetrantur duæ quantitates in vna parte lineæ, & in alia ſunt impenetrabiles?

§. 121. *Nō poſſunt lineæ eſſe rectæ.* Deinde non poſſe eas lineas eſſe rectas, oculis patet: etenim à circulo centipuncto ducitur linea ad octipunctum à puncto *A.* ad punctum *M.* ex alio autem circulo magis extrinſeco & maiori ducitur linea à puncto *B.* ad idem punctum *M.* & punctum primum *A.* non eſt ſub puncto ſecundo *B.* ſed ad latus ipſius. Sic argumentor: punctum *M.* eſt in linea recta ad punctum *A*: ergo non ad punctum *B.* quia punctum *A* & *B.* non ſunt in linea recta, ſed vnum ad latus alterius. At linea ducta à circulo interiori non eſt recta comparatione duorum punctorum quæ in diuerſis circulis continentur aut reſpondent linea tranſuerſa, & non recta: ergo.

§. 122. *A puncto in punctum ducitur linea ex Euclide.* Ad hæc, P. Clauius lib. 1. elementorum petitione ſiue poſtulato primo, proponit primum principium ex Euclide à quouis puncto in punctum lineam rectam produci; quod ipſe Clauius apertè demonſtrat ex omnium mathematicorum ſententia ſequentium Euclidem. Item *Duabus lineis rectis nullū ſegmētum eſt commune præter vnū pūctum.* dignitate, aut pronuntiato 10. oſtendit etiam ex Proclo duabus rectis lineis nullum ſegmētum eſſe commune niſi punctum, ideſt, vnum ſolum punctum illis eſſe commune & non plura: ſed in hac ſententia plura puncta lineæ rectæ eſſent communia: ergo. Maioris probationi pono; diametrum ſiue lineam rectam tranſeuntem per centrum ex vna parte circumferentiæ ad aliam, circulum diuidere in duas partes æquales: vt euidenter probat ex Thalete Mileſio lib 1. definit. 17. in quem locum Lectorem reiicio.

§. 123. *Diameter diuidit circulū in duas partes æquales.* Hoc poſito, dentur ex ſententia oppoſita duæ lineæ *A. B.* & *A. C.* habentes idem commune ſegmentum *A. D.* quod plura quam vnum punctum continet: ex *D.* autem tamquam ex centro, & interuallo *D. A.* deſcribatur circulus *A. B. C.* cum ergo linea recta *A. D. B.* trāſeat per centrum, diuidet circulum in duas partes æquales: ac proinde *A. B. C. E.* erit medietas circuli: quia etiam linea *A. D. C.* eſt diameter, quia tranſit per centrum, diuidet circulum in alias duas partes æquales: ac proinde ſpatium *A. D. C. E.* erit medietas *Pars eſſet æqualis toti.* circuli: quod eſt impoſſibile: quia eſſet æqualis ſpatio *A. B. C. E.* quod eſt etiam medietas circuli. Hoc autem eſt abſurdum, quia pars eſſet æqualis toti.

§. 124. *Effugium. Eſt diſcrimen in noſtra eorūque ſententia.* Dicunt, difficultatem eſſe ſententiæ noſtræ communem. Sed non rectè: nos enim inter quælibet duo puncta interiicimus partem diuiſibilem: & cum linea ducta ſemper dirigatur per indiuiſibile, tangit ſemper in puncto intrinſeco; alia vero etiam tangit in alio puncto intrinſeco: inter quos eſt pars: ac propterea non penetrantur, & quot ſunt partes determinatæ, & puncta determinata in extrinſeco, tot ſunt in intrinſeco, licet minores: ſi enim extrinſecus habet quatuor palmos, intrinſecus habet quatuor ſemipalmos; quam ob rem lineæ ductæ ſemper inter ſe diſtant partes autem proportionales non poſſunt dici minores, aut maiores, plures, aut pauciores, quia hæ ſunt affectiones partium determinatarum, in noſtra ſententia, tot lineæ rectæ reſpondent in intrinſeco, quot in extrinſeco, licet in illo minus diſtantes: proportionales autem tam ſine fine ſunt in vno, quam in altero, cum eadem proportione maioris, & minoris; ſi enim nullæ ducuntur lineæ, quin aliæ minus diſtantes ſine termino duci poſſint, ita nulli deeſt indiuiſibile intrinſecum, quod non tangat ad proportionem maioris, & minoris diſtantiæ ſine termino; aduerſarij autem terminis deluſi arguunt contra partes indeterminatas, ac ſi certæ eſſent, & determinatæ.

§. 125. *Solutio ex tumenti puncto reiecta.* Qui ſunt tumentia puncta commenti, gloriantur hæc abſurda tumore punctorum facile vitari: quia circulus interior habet puncta virtualiter extenſa; linea autem ducitur ad partem loci indiuiſibilem, minorem, alia verò linea ad minorem: v. g. ſi eſſent octo indiuiſibilia Zenonis ducerentur octo lineæ à circulo maiori ad centrum per minorem: maior autem circulus conſtaret punctis octo; minor autem quatuor. Contra: in corpore æquè raro id repugnat: quia puncta circuli maioris ſunt æquali extenſione virtuali ac circuli minoris; & omnes lineæ rectæ conſtant punctis æquè extenſis: cum ergo ex maiori ducantur octo lineæ ex octo punctis, & in circulo minori non ſint niſi quatuor, opus eſt vt lineæ rectæ mutuo penetrentur: (quod hi refugiunt, & eſt impoſſibile quia habent extenſionem virtualem:) vel vt non poſſit duci linea recta ab omni puncto in centrum?

§. 126. *Secunda impugnatio.* Secundò impugnantur: ponamus circulum interiorem octo punctorum: & alium exteriorem ſedecim punctorum: & alium magis exteriorem triginta punctorum: & alium centum punctorum: ab hoc vltimo poſſunt duci centum lineæ

rectæ

rectæ ad centrum; quæ ſunt traiiciendæ per circulum quatuor punctorum: at iſtæ lineæ ſunt plures quàm capiat circulus octo punctorum: ergo. Probo minorem: quia circulus octipunctus non capit plures quàm trigintipunctus, (vt oculis cernitur:) ſed centipunctus capit plures triginti-puncto; tum quia id oculi cernunt; tum quia à circulo millepuncto poſſunt duci centum lineæ, & mille: ergo octipunctus non capit tot lineas quot trigintipunctus. Cum enim octipunctus non habeat niſi viginti puncta Zenonis, & trigintipunctus habeat ſexaginta: poſſunt duci lineæ ſexaginta ad centrum: quæ non poſſunt rectà reſpondere circuli maioris punctis: vel neceſſariò penetrantur; ſic autem nec rectæ eſſe poſſunt, vt patet: nec ab omni puncto ad centrum poſſent diſtinctæ porrigi. Niſi ergo recurratur ad infinitudinem partium proportionalium, non poſſunt defendi mathematicæ demonſtrationes.

SVBSECTIO VI.

Quartum argumentum ex velocitate motus.

§. 127. *Quartum argumẽtum ab inæquali velocitate motus.* QVartò argumentor: quia motus continuus eſſet eiuſdem velocitatis in omnibus: conſequens eſt falſum, vt patet experientia, & ratione; quis enim dicat aquilam non moueri velociùs teſtudine? Ergo. Probatur maior: & ponamus teſtudinem moueri per quatuor inſtantia; in quolibet inſtanti acquirit vnum indiuiſibile loci, & in quatuor inſtantibus quatuor indiuiſibilia, & non pauciora, quia dum mouetur, non manet in priori loco, neque acquirit medietatem indiuiſibilis: etiam aquila non poteſt acquirere præter quatuor indiuiſibilia, ergo pariter mouentur: probatur antecedens: quia vno inſtanti non poteſt acquirere duo indiuiſibilia loci, tum quia in inſtanti æque velociter mouetur teſtudo, quia in indiuiſibili, neque eſt plus, neque minus: tum quia aquila eodem inſtanti eſſet duobus in locis, quia ſimul eſſet præſens indiuiſibili *A* & *B*. ſimul relinquens alia duo indiuiſibilia: quod rei materiali repugnat.

§. 128. *Obiectio.* Dicunt, non eſſe motum continuum, ſed diſcretum, per morulas imperceptibiles, & teſtudinem tardius moueri, quia plus ſiſtit in morulis: motus autem continuos eiuſdem eſſe velocitatis.

Morulæ eſſent perceptibiles. Contra primo, quia illæ morulæ neceſſario perciperentur, non minus quam motus, quia tunc nullæ eſſent ſpecies viſoriæ motus; quia non durant niſi durante motu: ergo tunc videretur mobile quieſcere. Dices, tam breues eſſe morulas, vt non poſſint ſenſu diſtingui. Contra: quia percipitur motus trium inſtantium; cur etiam non percipietur quies totidem inſtantium? Nam mobilia tarda, verbi gratia, grauia vt quinque ſiſtunt per morulas trium inſtantium, alioquin graue vt decem nihil ſiſteret, ergo tunc perciperentur morulæ: immo magis perciperentur quàm motus: quia carentia ſpecierum certius infert carentiam viſionis, quam ſpecies viſionem.

§. 129. *Saxum quieſceret in aëre.* Secundo, quia ridiculum videtur immane ſaxum, è turri deiectum, in aëre ſiſtere; quibus enim fulcris innititur? Vlterius autem ſic arguo, verbi gratia, lapis vnius libræ ſiſtit per tres morulas trium inſtantium, quia grauitas vnius libræ, non potuit citiùs vincere reſiſtentiam aëris: at lapis duarum librarum non ſiſtet niſi per duo inſtantia: quia libra ſuperaddita citiùs vincet reſiſtentiam, eamdem ob cauſam. Lapis trium librarum non ſiſtet niſi per vnum inſtans: lapis autem quatuor librarum nihil ſiſtet, quia per exceſſum ſuæ grauitatis ſuperat velocitate lapidem trium librarum ſiſtentem per ſolum inſtans; vnde ſaxum quinque millium librarum non mouebitur velocius lapide quatuor librarum. Quod non indiget confutatione. Quis enim dicat glandem ferream exploſam bombarda in aëre ſiſtere, & non ferri velocius lapide quatuor librarum è turri deiecto. Certè non eſſet adeo timenda: & poſſet miles expectare vt ſiſteret, & in illius morula illius impetum fugere. Deinde, ſi ſemel ſiſtit mobile, neceſſariò ſiſtet, dum non minuuntur vires contrarij, aut propriæ augentur (vt latè probaui d. 9. ſect. 10.) ſed in ſecundo inſtanti non ſunt auctæ vires mobilis, neque imminutæ reſiſtentis, ergo non poterit moueri. Vnde ſaxum ſemel ſiſtens in aëre, ſiſtet per annum, niſi ei vires augeantur, aut minuantur aëri. In diſput. 4. de Generatione clarius apparebunt alia abſurda in philoſophia ridicula ex his morulis. *Argumẽtum euidens.*

§. 130. *Alia impugnatio.* Atque vt cernatur, in quas anguſtias indignas homine philoſopho iſti Zenoniſtæ compellantur, & quam è ſuo cerebro, & diuinatione morulas ſibi confingãt: probo vel moras eſſe tam longas, vt motus vix percipiatur vel re ipſa motum Solis æquali eſſe velocitate motui vltimæ ſphæræ. *Motus eſſet imperceptibilis, morulæ imperceptibiles.* Cum quis magno impetu manum concitat, nulla mora percipitur: cum ſit certum ex hac ſententia eſſe multas in eo motu: ſed illæ moræ eſſent multo longiores, quam motus, ſi vllæ eſſent, ergo perciperentur multo melius quam motus. Probo minorem: quia moræ eſſent centuplo longiores. Nam motus ſolaris erit centuplo velocior, quam motus ille manus; ergo motus manus habet moras centuplo longiores motu ipſius manus: nam velocitas motus ſolaris eſt, quia motus manus eſt tardior per diuturnitatem morarum, quibus interciditur: & dum Sol ſiſtit per vnum ſolum inſtans, manus ſiſtit per centum: immo ſiſtet per inſtantia ſine numero; motus etenim manus eſt pluſquam teſtudineus, comparatus rapiſſimæ ſolis concitationi. *Exemplum aſtrorum.* Vnde in tam quieta morarum ſeſſione, neſcio cur manus non videatur quieſcere: & videtur moueri, cum certum ſit motum eſſe per tria aut quatuor inſtantia; moras autem per quatuor millia. Nam manus eo motu non perageret vna die centum leucas, tametſi irrequieto motu ageretur: Sol autem vna hora conficit ſpatium ſepties maius quàm terra: & ſingulis diebus curſum conficit immenſum: quartum enim cœlum, in quo deuoluitur Sol, ſine menſura ſuperat terram.

§. 131. *Saturnus & vltima ſphæra eodem tẽpore conficiunt ſpatium inæquale.* Eum autem motum moris intercidi probatur: quia Saturnus; & vltima ſphæra eodem tempore conficiunt curſum quadruplo, & triplo maiorem: Saturnus enim eſt in ſeptima ſphæra, Sol autem in quarta: vltima autem ſphæra cæteras omnes ambit; eſtque quadruplo maior, quam ſphæra ſolis. Si ergo ſolaris motus moras habet quatuor inſtantium, quot inſtantium moras manus habebit? Nonne moræ manus perciperentur potius quam eiuſdem motus? Quod ſi Sol non habet eas moras, ergo tam velox eſt quam motus octauæ ſphæræ, quod eſt ridiculum, quia eodem omnino tempore percurrit octaua ſphæra ſpatium quadruplo maius quàm Sol: vel dicant octauam ſphæram quieſcere, & non moueri continuè, quia ſe frænat, tarditatem ſolis accuſans: cum tamen ſphæræ inferiores rapiantur motu vltimæ: vel dicant octauam ſimul eſſe pluribus

in

in locis: quod (vt arbitror) benè accipietur à Philoſophis, ac Theologis.

§.132. *Quartum argumentum.* Quartò: demus rotam trium linearum, vnáquaque ſex punctorum: moueatur: probo non poſſe moueri ſimul ſex puncta cuiuſque lineæ, quia punctum vltimum extrinſecum debet moueri per plura puncta, quàm interius, quia puncta diſtantiora à centro cõficiunt maius ſpatium; ergo dum punctum exterius percurrit quatuor indiuiſibilia loci, interius non percurret niſi duo: ergo dum mouetur exterius, interius neceſſariò quieſcet; quod repugnat ſenſui: cum ſemper videamus totam rotam moueri: deinde probo vnamquamque lineam diſcontinuari, vel de recta fieri flexam, quorum vtrumque ſenſui repugnat, & rationi, quia rota ferrea nõ poteſt ita interſecari. Probo conſequentiam; quia dum mouetur punctum exterius, quieſcente interiori, magis diſtat ab illo, quàm antea, quia acquirit locum diſtantiorem.

Rota torquequeretur & frangeretur.

§.133. Dices: illa puncta ſemper eſſe continua, quia tria puncta vltima interiora ſeruant eamdem diſtantiam, quam antea. Contra primò: quia diſtantia puncti exterioris non ſumitur ex indiſtantia interiorum inter ſe, quia ſeruata horum indiſtantia poteſt exterius abiungi loco; ratio eſt: quia maior, aut minor diſtantia ſumitur ex cuiuſque rei vbicatione. Contra ſecundo: demus motis punctis exterioribus moueri vnum ex extrinſecis, ecce hæc iam non ſeruant eamdem diſtantiam, ergo per illum motum diſcontinuantur omnes lineæ.

§.134. *Oſtenditur rotæ fractio & obliquitas.* Quod patet in motu cœli: verbi gratia: locus vltimæ ſphæræ, vbi modo eſt Luna, eſt continuus cum toto illo orbe: moueatur ſuprema illius ſuperficies: probo infimam ſuperficiem non moueri: ſed omnes lineas ductas inde ad ſupremum, abiungi, aut deflecti. Nam punctum vltimum non mouetur per centum inſtantia, per quæ mouetur ſupremum punctum; ergo ſupremum poſt duos motus indiuiſibiles non reſpondet directè per lineam rectam vltimo: patet conſequentia, quia antea illi recta reſpõdebat; nunc autem poſt quadraginta motus diſtat à priori loco quadraginta punctis; & puncta intermedia ſunt in priori loco, ergo iam omnia puncta non ſibi reſpondent via recta, ſed vltimum diſtabit à rectitudine per quadraginta indiuiſibilia; intermedia verò alia per viginti; alia per decem: & cum ante motum haberent figuram rectam, poſt motum habebunt flexam: quod in rota ferrea apparet eſſe chymericum. Audiui Zenonem quemdam adſtruxiſſe, non eſſe mirum, ſi cœlum paſſim dirumperetur: in noſtra ſententia reſpondetur, totam lineam moueri ſemper; ſed per vltimas partes ad minorem diſtantiam, per ſupremas ad maiorem; ita vt ſemper ſibi reſpondeant mutuo.

§.135. *Alia argumenta omittuntur.* Mitto vniones punctorum, etiam ſi ſint compoſitæ ex duabus, eſſe vnamquamque duobus in locis, quia vnio debet eſſe in eodem loco cum rebus, quas vnit. Prætereo definitionem lineæ, quam Mathematici dicunt eſſe, *quæ clauditur inter duo puncta*, quæ non poteſt conuenire lineæ ex ſolis duobus punctis. Taceo multas lineas non poſſe diuidi in partes æquales, ſcilicet eas, quæ conſtant punctis imparibus, quod eſt cõtra Mathematicos: hæc ſufficiant; cum communi ſcholarum omnium conſenſu. Mitto teſtimonium ex Concilio Conſtantienſi: vbi refertur inter Vvicleffi errores continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus finitis. Non quod potuerim colligere inde eam eſſe damnatam: ſed quia à Notario recitatæ fuerunt multæ opiniones Vvicleffi, vt dãnatæ à Theologis: poſtea verò in anathematiſmo Concilij nec inter errores Vvicleffi, nec inter Ioannis Hus refertur hæc opinio damnata: nec videtur materia neceſſaria illi Concilio, damnanti eos hæreticos in materia Religionis, morum, & Sacramentorum. Tamen inde conſtat, hanc opinionem ſuſpectam fuiſſe erroris omnibus Theologis eius ætatis: eſtque ea ratione inuiſa, quod eam effutiuerint duo hæretici, viſúmque ſit Theologis coactis in Concilium generale, & conſultis, eam eſſe errorem in philoſophia: voluerunt enim illi Patres exponere Vvicleffum peſſimum fuiſſe Theologũ, & malum Philoſophum; quod ita ſit opinatus: arbitror tamen adhuc ad fidem Catholicam non ſpectare.

A Concilio Conſtantienſi nõ damnatur Vvicleffus.

Damnatur à Theologis ea ſententia.

SECTIO VI.

Temporis explicationem deduco.

§.136. *Ariſtot. P. Conimb. P. Suar. Tempus quid ſit.* DE tempore egit Ariſtoteles libr. 4. Phyſic. à cap. 10. Videantur Patr. Conimbr. ibi. cap. 14. Suarez 2. Metaphyſ. diſput. 40. nos autem ex dictis illud facilè explicabimus; eſt enim tempus; *continuum ſucceſſiuum, conſtans punctis & partibus diuiſibilibus.* Differt autem à permanenti, quia huius partes determinatæ ſimul exiſtunt, illius verò non. Vide quæ dixi ſect. 3. & 5.

§.137. *Temporis definitio.* Tempus definiuit Ariſtoteles eſſe *numerum motus ſecundum prius, & poſterius*, id eſt, eſſe partes motus, quarum vna præcurrit aliam, ſicque poſſunt numerari. Neque eſt intelligendus Ariſtoteles de numero formaliter, vt dicit actum intellectus, ante quem eſt motus ſucceſſiuus, ſed intelligitur de numero fundamentali, id eſt, de motu continuo. Hæc autem definitio data eſt per partes determinatas, quæ numerari poſſunt, proportionales autem non poſſunt.

§.138. *Indiuiſibilia temporis ſunt inſtantia.* Indiuiſibilia temporis vocãtur *inſtantia, momenta, mutata eſſe*; de quibus inquiri poteſt, vtrũ detur primum & vltimum? Reſpondeo, dari primum & vltimum determinatum: non verò proportionale: ſicut dixi de punctis continui permanentis.

§.139. *Obiectio. Refellitur.* Dices; cadente cane è turri, & in aëre ſuffocato: motum illius animæ non eſſe intrinſecè terminatum. Ergo non habuit vltimum inſtans. Reſpondetur, motũ animæ canis deſiuiſſe extrinſecè cum ipſa anima: & motum cadaueris cæpiſſe extrinſecè eo inſtanti, quo cadauer cœpit intrinſecè. Hoc autem non tollit, quin ſit aliquod inſtans primum, & vltimum: non quidem ante, & poſt omnes partes proportionales: ſed in ipſis partibus determinatis: quæ habent primam & vltimam: & vt determinatę habẽt primum & vltimum inſtans determinatum: de quo dicam ſect. 8. agens de inceptione, & deſitione rerum.

§.140. *Obſeruatio.* Notandum: indiuiſibilia motus, quæ illũ primò terminant verſus initium (ſi admittantur) non dici *mutata eſſe*, quia hoc nomen imponitur ad ſignificandum ſtatum mobilis, poſtquam acquiſiuit aliquem locum: quod non contingit ante motum.

§.141. *Tempus quid dicatur communiter.* Deinde, licet omnis motus ſucceſſiuus ſit tempus: communiter id nõ dicitur niſi de motu primi mobilis, quia ille ſumitur vt menſura cæterorum. Quapropter dixit Ariſtoteles, ea tantũ eſſe in tempore, quæ ab illo aliquid patiuntur, id eſt, res ſublunares, quæ diurno, nocturnóque cœlorum motu corrumpuntur. Quando verò in ſacra pagina Sol & Luna dicuntur data eſſe in tempora, intellige, data eſſe, in temporum cognitionem. Dignoſcimus enim motum primi mobilis ex motu horum

aſtrorum. Præter hoc tempus reale eſt aliud imaginarium: quod apprehẽdimus, vt quemdam motum ſucceſſiuum, inuariabilem, vniformem, aptum ad explicãdum menſuram motuum realium; quod explicandum eſt ſicut ſpatium imaginariũ diſp. 13.

SECTIO VII.

Velocitas, tarditas, & duratio motus.

§. 142. *Tempus non eſt velocius nec tardius.*

TEmpus non dicitur velocius, nec tardius: quia ſumitur pro quodam determinato motu inuariabiliter exiſtente: ſicut vnus palmus non eſt maior alio: dicitur autem tempus maius, aut minus; breuius, aut longius, quia ſignificat plures partes determinatas & æquales eiuſdẽ motus: hora enim maior & longior eſt quàm ſemihora.

§. 143. *Cæteri motus dicuntur velociores aut tardiores.*

Cæteri autem motus poſſunt dici velociores, aut tardiores: quia eodem tempore conficiunt ſpatium longius, aut breuius. Difficultas eſt, quid ſit hæc tarditas aut velocitas? In ſententia Zenonis *velocitas eſt minor interruptio per morulas: tarditas* autem *maior.* At vero in Ariſtotelis ſententia, *velocitas eſt maior coniunctio, & maior indiſtantia partium motus inter ſe: tarditas* autem *eſt maior diſtantia partium*, verbi gratia, homo & equus conficiunt vnam leucam: cæpere ſimul, ſed equus homini præcurrit, ecce vltimæ partes motus equini minus tempore diſtant à primis, quàm partes motus humani.

§. 144. *Velocitas non eſt modus diſtinctus à motu.*

Inquiri poteſt; vtrum hæc velocitas ſit modus aliquis diſtinctus à motu? Vel ſit de eſſentia illius? An verò extrinſeca denominatio? Et quidem non eſſe modum ex natura rei diſtinctum, probatur: quia producta vna parte nullus modus poteſt illi imprimi, per quẽ alia pars citius producatur, nam prima parte producta, alia poteſt non produci, ergo & poteſt citius non produci, ergo in parte præcedenti nullus fuit modus, quo velocius produceretur pars ſequens: quia eo poſito, non poſſet non produci pars ſequens. Deinde in parte non producta non poteſt produci ille modus, vt ex terminis patet. *Confirmatio.* Confirmatur: producta iam vna parte, & in illa producto quocũque modo, poteſt agens debilitari & ſequentem producere tardius, ergo velocitas non eſt modus à motu diſtinctus.

§. 145. *Nec eſt de eſſentia motus.*

Eam verò non eſſe de eſſentia motus probatur; quia (vt dixi. d. 11.) tota entitas motus ſucceſſiui poteſt in inſtanti fieri, ergo non poteſt eſſe de eſſentia alicuius motus tardè, aut velociter fieri: patet conſequentia, quia in ſubita productione repugnat eſſe tardũ, aut velox, quia hoc dicit vnum poſt aliud. *Confirmatio.* Confirmatur vtraque ſententia in ſucceſſiua productione qualitatis, quæ tota ſimul permanet, & non cum velocitate, aut tarditate: ergo velocitas, & tarditas non poſſunt eſſe de eſſentia illius productionis. At verò nõ eſſe modum qualitatis patet, nam lux producta per horam, quam habet perfectionem aut imperfectionem, quam non habeat lux producta per ſemihoram, aut inſtans?

§. 146. *Velocitas eſt entitas motus facti tempore leuiori. Longius.*

Eſt ergo velocitas, aut tarditas motus, ipſamet entitas motus connotans breuius, aut longius ſpatium temporis. Quæ oritur aut ex maiori impetu agentis, aut ex maiori reſiſtentia ſubiecti, ita vt ſi Deus vellet producere eundem motum, poſſet ille fieri velocior, aut tardior, ſine additione aut diminutione alicuius entitatis: quod prouenit ex diuiſibilitate partium.

§. 147.

Hæc difficultas affinis eſt difficultati de raro, & denſo, quam examinabimus in libro de Generatione. Sicut enim eadem quantitas reſpondet ſpatio breuiori, aut longiori, ita motus reſpondet tempori breuiori, aut longiori, ſed cum hoc diſcrimine: quod quantitati id contingit per aliquid ab illa diſtinctum, & illi phyſicè hærens: motui autem eſt extrinſecum. *Velocitas eſt extrinſeca.*

§. 148. *Duratio motus extrinſeca poteſt eſſe maior aut minor.*

De duratione motus dupliciter poſſumus agere, vel de extrinſeca, vel de intrinſeca: extrinſeca poteſt eſſe maior, aut minor pro tarditate, aut velocitate, qua primò fit motus, quia totus ille reſpondet tempori breuiori, aut longiori: de intrinſeca non eſt animus ex inſtituto diſputare ante Metaphyſicam. Illud aduerte; durationem aliquo modo diſtingui à velocitate, & tarditate: quia duratio manet cum ipſa entitate motus: velocitas autẽ, & tarditas nõ manent: quia euaneſcunt cum prima productione motus. Item aduerte, rem ſucceſſiuam, vt ſucceſſiuam, propriè non durare, quia nõ permanet in eſſe: dicitur autem durare impropriè ratione diuerſarum partium, ſic durat motus cœli ab initio mundi, quia perpetuò continuatur per varias partes. De duratione vide diſp. 8. metaphy. ſect. 5. & diſp. 17. vbi agitur de prædicamento, *quando.*

SECTIO VIII.

De inceptione, & deſitione rerum.

§. 149. *Res dupliciter incipiunt, & deſinunt. Omnis res indiuiſibilis incipit ſecundũ ſe totam. Item forma ſubſtantialis in aliqua parte.*

RES incipiunt, & deſinunt dupliciter: primo totæ ſimul, vel ſecundum aliquam partem determinatam ſimul: ſecundò ſucceſſiuè, & per partes indeterminatas. Primo modo incipiunt res omnes indiuiſibiles: quia in his non dantur duæ partes, quarũ vna ſit prior altera: item ſic incipiunt formæ ſubſtantiales in aliqua materiæ parte determinata, quia huiuſmodi formæ ſunt indiuiſibiles quo ad intenſionem: item ſic incipiunt quo ad extenſionem eædem formæ, quia pars materiæ diſponitur per accidentia in tempore, qua diſpoſitione finita, introducitur forma ſine vlla reſiſtentia in inſtanti ſequenti, vt probabo diſput. 3. de Generatione. Præterea ſic incipiunt omnes qualitates non habentes contrarium in tota illa parte, quæ continetur intra ſphæram agentis; verbi gratia cum primum productus fuit ſol, ſubito ſine vlla ſucceſſione lucem produxit in toto Emiſphærio, ſic incipiunt omnes actus intellectus, & voluntatis, item ſenſiones omnes. *Et qualitas contrario carens.*

§. 150. *Qualitas corruptiua incipit ſucceſſiuè.*

Succeſſiuè incipere dicuntur qualitates corruptiuæ; quia contrarium habent. Etiam motus localis, quia licet eius terminus non habeat eiuſmodi contrarium, tamen ratione ſpatij interiecti debet prius mobile eſſe in vna parte, quam in alia. Præterea ſucceſſiuè intenduntur omnes qualitates intenſibiles, vel propter cõtinuam reſiſtentiam contrariæ, vel propter vehementiorem applicationem agentis. *Item intẽſio.*

§. 151. *Subiectum nunquam caret omni forma, nec habet duas oppoſitas.*

Deſinunt res totidem modis; vel ſecundum totam partem determinatam: vel ſecundum partem proportionalem vt dicam. §. 53. Ita tamen, vt ſubiectum nuſquam ſit ſpoliatum omni forma: ſed neceſſariò habeat alteram è duabus contrariis, verbi gratia, inducitur in materiam primam forma equi tota ſimul in vno inſtanti, in eodem inſtãti deſinit eſſe tota forma embryonis, quæ tamen præceſſit toto tempore inſtans præcedente, quo tempore non fuit in materia forma equi. Item calor inducitur in ſubiectum ſucceſſiuè, antequam inducatur, eſt in ſubiecto frigus, quando verò eſt calor, iam non eſt frigus, quia Deus ſimul concurrit ad calorem, & corrumpit frigus, & non ante.

Idem

§.152. *Inductio formæ eſt cauſa expellendi cõtrariam.*

Idem intellige de motu locali, quando enim nouus locus acquiritur, deperditur præcedēs; ratio à priori, quia introductio vnius formæ eſt cauſa formalis expulſionis alterius: *generationem enim vnius eſſe corruptionē alterius*, eſt in veteri prouerbio: ſed in eodem inſtāti reali, in quo exiſtit cauſa cauſans, exiſtit effectus: ergo in eodem inſtanti exiſtūt & forma de nouo genita & corruptio contrariæ: ſed exiſtente corruptione formæ nō exiſtit forma corrupta, ergo introducta forma noua hoc inſtanti, eodem iam non exiſtit antiqua forma: & quia iſta cauſalitas eſt in genere cauſæ formalis, in eodem inſtanti fit, quo forma introducitur, quia vt dixi contra Petrum Lorcam, nō eſt maior ratio, cur fiat in ſecūdo inſtanti, quam in primo: quia ad cauſandum non requiritur cauſam eſſe tempore priorem effectu, & quia corruptio eſt effectus formæ productæ non poteſt eſſe ante inſtans generationis: quia effectus non poteſt ſine cauſa præſtari.

§.153. *Quatuor obſcuri temini.*

Hæc quæ clariſſima ſunt, difficilia reddidere philoſophi quatuor terminis: dicūt enim quaſdam res incipere *per vltimum ſui non eſſe*, & deſinere *per primum non eſſe*, quam vocant *inceptionem, & deſitionem extrinſecam*: alias verò incipere *per primum ſui eſſe*, & deſinere *per vltimum eſſe*, quam vocant *inceptionem, & deſitionem intrinſecam*: Inceptio extrinſeca eſt, qua res incipiunt, & deſinunt ſucceſſiuè: quia *vltimum non eſſe*, in quo incipiunt, eſt (vt patet ex terminis) vltima nō exiſtentia rei: explicatur hoc modo, *nunc non eſt res, & immediatè poſt erit*: ly, *nunc*, ſumitur pro inſtanti determinato. Similiter explicatur deſitio extrinſeca, *nunc non eſt res, & immediatè ante fuit*; ly *nunc* ſignificat inſtans, in quo res non eſt: eáque propter vocatur *inceptio, & deſitio extrinſeca*, quia cum tunc non ſit res, eius inceptio eſt extra illam: ſimiliter & deſitio.

Inceptio extrinſeca per vltimum nō eſſe.

Deſitio extrinſeca per primum non eſſe.

§.154. *Qualitas cõtraria deſinit intrinſecè: quia oppoſita incipit extrinſecè.*

Hoc modo non deſinunt qualitates contrariæ; de quibus non eſt verum dicere, *nunc non eſt frigus, & immediatè ante fuit*, quia de eius cōtrario verum eſt dicere eodem inſtanti, *nunc non eſt calor, & immediatè poſt erit*: alioquin in eodem inſtanti neque eſſet calor, neque frigus in eodem ſubiecto, in quo inſtanti verum eſt dicere, *nunc eſt frigus, & immediatè poſt non erit*. Itaque *vltimum non eſſe* caloris, eſt *vltimum eſſe* frigoris, quia tunc eſt frigus, & non calor, & immediatè poſt erit calor, & non frigus: & tunc corrumpitur contrarium per partes proportionales, per quas alterū producitur ſecundum gradum incompoſſibilem in eodem ſubiecto: ratio à priori, quia contraria qualitas non expellitur niſi per gradum oppoſitum: & cum iſte gradus incipiat extrinſecè in vno inſtanti; in eodem deſinit intrinſecè contrarius, id eſt in eodem inſtanti, in quo verum eſt dicere. *Nunc non eſt calor productus, & immediatè poſt producetur*: verum eſt dicere, *nunc exiſtit frigus, & non eſt corruptum, & immediatè poſt corrumpetur & non exiſtet*. Alioquin (vt dixi) vel duo contraria ſimul eſſent, vel ſubiectum vtroque careret.

§.155. *Intrinſece deſinunt res quæ deſinunt totaliter.*

Deſinunt eſſe intrinſecè, quæ deſinunt ſecundum ſe totas in aliquo inſtanti; de quibus verum eſt dicere, *nunc eſt intellectio, & immediatè poſt non erit* quod vocatur *deſitio intrinſeca*, quia tunc verè exiſtit: ſed vltimo, quia immediatè poſt nō exiſtet: ſic autem poteſt res ſimul incipere, & deſinere eſſe: quia verum eſt dicere, *nunc eſt res, & immediatè ante non fuit, neque immediatè poſt erit*. Itaque poſſunt res deſinere eſſe intrinſecè, vel ſecundū ſe totas ſimul, vt intellectio: vel per partes vt frigus cum verè dicitur: *nunc eſt octauus gradus frigoris, & immediatè poſt non erit*. Nam immediatè poſt erit gradus caloris incompoſſibilis cum octauo frigoris: at immediatè poſt non deſinet aliqua pars determinata octaui gradus, ſed indeterminata: quia immediatè poſt nec ſequitur temporis determinata pars, nec determinatus calor. Hoc aduerte: quando res incipit intrinſecè, eius contrarium deſinere extrinſecè: quia intrinſeca deſitio appellat ſupra exiſtentiam rei, & deſitio extrinſeca appellat ſupra non exiſtentiam: vnde quando vnum contrarium exiſtit, alterum non exiſtit.

Res poſſūt deſinere intrinſece vel tota vel per partes.

§.156. *Cum res deſinit intrinſece, eius contraria incipit extrinſece, & è contra.*

Quando verò res incipit extrinſecè, eius contrarium deſinit intrinſecè: alioquin in eodem inſtanti neutrum eſſet in ſubiecto: nec ad hoc opus eſt, vt res extrinſecè deſinens habeat partes; nam intellectio poteſt ita deſinere, quia eius cōtrarium incipit intrinſecè. Verbi gratia, error expellitur per ſcientiā, ſcientia incipit in inſtāti, quia cum ſit indiuiſibilis, vnico fit momento, & quia in illo momento repugnat errorem exiſtere; verum eſt dicere: *nunc non eſt error, & immediatè ante fuit*, & tamen non deſinit eſſe in tempore, ſed in inſtanti; quia ante tempus verum fuit dicere: *Nunc non eſt*, alioquin ſimul eſſent error & ſcientia. Vnde clarius impugnatur Lorcitana doctrina, quia eodem inſtanti, quo ſcientia eſt, expellit errorem: licet non ſit mutua cauſalitas.

§.157. Nunc *ſignificat inſtās determinatum.*

Difficile eſt explicatu, quid ſignificet ly *nunc* & ly *immediatè poſt, & immediatè ante*; qui dicunt, cum inſtanti nullam partem exiſtere, ly *nunc* ſignificare aiunt inſtans, cætera verò ſignificare tempus. Verum iam probauimus, nullum inſtans ſolum exiſtere: in ſententia conſlante continuum ex ſolis punctis res eſt clara: quia res ſemper incipiunt intrinſecè in aliquo inſtanti, quod ſit eius pars. Exiſtimo ly *nunc* ſignificare ſolum inſtans temporis, & indiuiſibile motus, ſiue rei, quæ incipit & deſinit: ita vt vera ſit hæc propoſitio *nunc*, id eſt, in hoc inſtanti, *tantum exiſtit indiuiſibile motus, & immediatè poſt exiſtet motus*, & ſic proportione ſeruata cæteras propoſitiones explicandas cenſeo.

§.158. *Nō exiſtit ſolum inſtans, ſed cum parte proportionali.*

Neque ob id exiſtimo, ſolum inſtans exiſtere, aut ſolum indiuiſibile motus; ſed cenſeo ſignificari illis vocibus, id, quod in motu, aut tempore deſignare poſſumus determinatè, eſſe ſolum inſtans, & punctum: quod exiſtit ſecundum ſe totum: nam partem proportionalem ſimul exiſtentem cum illo indiuiſibili, non poſſumus determinare, cum nec ſit prima, nec vltima, nec ſit ſecundum ſe totam determinatè: ſed ſit indiuiſibiliter per partem indeterminatam, vt in quantitate dixi cum puncto eſſe partem indeterminatam in eodem loco proportionali. Ly verò *immediatè ante vel poſt* non ſignificatur diuerſa duratio, ſed pars proportionalis, quam afficit immediatè primum, vel vltimum indiuiſibile, quod intrinſecum eſt tempori, & rei deſinenti, aut incipienti.

§.159. *Obiectio. Res dupliciter intrinſeca.*

Sed inſurgit nouus quidam contra P. Suarez, quia ſequitur omnes res incipere, aut deſinere intrinſecè. Sed aduerte, dupliciter poſſe rem eſſe intrinſecam alteri: primò eſſentialiter, vt animus eſt intrinſecus homini: quidquid verò non eſt eſſentiale, conſueuit appellari *extrinſecum*, quia eſt extra quidditatiuum rei conceptum: ſic riſibilitas eſt extrinſeca homini. Secundò modo ſumitur *intrinſecum* pro quacumque re in alio exiſtente, vt diſtinguitur contra extrinſecam denominationem: ſic albedo eſt intrinſeca parieti. Vnde colliges diſcrimen inter inceptionem intrinſecam, & extrinſecam: quia extrinſeca eſt, per quam deſignatur ſolum indiuiſibile, quod licet ſit intrinſecum continuo, id eſt, non extrinſeca denominatio, tamen

Inceptio intrinſeca eſt per aliquid de eſſētia, incipiētis, ſecus extrinſeca.

quia non eſt de conceptu quidditatiuo rei continuæ, dicitur extrinſecum, id eſt, non eſſentiale: at verò quando res incipit intrinſecè, tunc determinatè ſignificatur, vel tota eſſentia illius; vel aliqua pars. Sic autem dicitur incipere intrinſecè, id eſt, ſecundum aliquid eſſentiale. Vnde ſemper deſignatur res aliqua, vel modus, poſitiuè pertinẽs ad conſtitutionem rei deſinentis, aut incipientis.

§.160. *Confirmatio ex continuo permanenti.* Confirmatur ex continuo permanenti, cuius ſignata vltima ſuperficie, verum eſt dicere: *hac non eſt profunditas, & quod immediatè ſequitur, eſt profunditas*, & tamen vltima ſuperficies eſt intrinſeca profunditati; id eſt, modus illam afficiens tam intrinſecè quàm albedo parietem: ergo ſimiliter illa indiuiſibilia ſignificata per *nunc* ſunt intrinſeca rei incipienti, aut deſinenti: patet conſequentia, quia indiuiſibilia cõtinui ſucceſſiui tam ſunt illi intrinſeca quàm permanenti ſua.

§.161. *Gratia qua ratione poſſit phyſice ſacramẽto produci.* Hæc aduerte in tertiã partem q. 62. ad probandam phyſicam efficientiam Sacramẽtorum in gratiam per vltimum pũctum, quod eſt primum non eſſe Sacramenti. Hinc enim probabis gratiam produci per Sacramenta media entitate phyſica actu exiſtente: itaque continuum ſucceſſiuum habet partes, & puncta, quemadmodum permanens: & vt in permanente indiuiſibilia nõ ſunt de eius eſſentia, ſunt tamen modi illi intrinſeci, ita inſtantia temporis, & rei ſucceſſiuæ ſunt modi illi intrinſeci, & inhærẽtes, quos deſignamus hac voce *nunc*, & ſicut deſignatur modus indiuiſibilis temporis: ita in illo incipit exiſtere alius modus indiuiſibilis intrinſecus calori: licet non de eius eſſentia.

§.162. *Res cũ incipit intrinſecè moueri nõ poteſt ſucceſſiuè.* Rogas, quando res producitur tota ſimul, an tunc moueri poſſit ſucceſſiuè? Reſpondeo negatiuè: quia non poſſunt eſſe plures partes motus: ſed incipit extrinſecè moueri producendo in illo inſtanti indiuiſibile motus, ratione cuius incipiat extrinſecè: & ſit verum dicere, *nunc nõ exiſtit motus, & immediatè poſt exiſtet*; & tamen erit verum dicere: *Nunc exiſtit indiuiſibile initians motum.*

DISPVTATIO XVI.

Vtrum creatura permanens potuerit eſſe ab æterno?

SECTIO I.

Pars affirmatiua.

§. 1. *Creatura permanẽs potuit eſſe ab æterno.* S.Thom. Durand. P. Suar. P. Vazq. P. Molin. P. Valent. P. Conimb.

PARTEM affirmatiuam conſtanter tuetur S.Thom. 1.part q.46.artic.2. Durandus in 2.d.q.2. Patr. Suarez 1. metaphyſ. diſput.20.ſect.6.num.11. Vazquez tom.2. in 1.part.diſp.177. cap.5. Molina in 1.part.q.46.art.2. Valentia tom.1. diſput.3.q.3.punct.2. §.*ſecunda aſſertio:* Collegium Conimbricenſium 8.phyſic.cap.2.q.6.art.2.& alij complures apud eoſdem, in quam ſententiam eunt recentiores ferè omnes: fuitq; primum quaſi principium antiquis omnibus philoſophis.

§. 2. *Cauſa poteſt ſimul eſſe & operari.* Probatur primò à priori, quia cauſa, & effectus, quæ ſine ſucceſſione producit, & producitur, poſſunt eſſe ſimul, quin cauſa duratione præcurrat effectui, ſed Deus abſque ſucceſſione producit multos effectus, & illi producuntur: ergo non eſt opus prioritate temporis inter Deum & eos effectus; de minori dubitari homini nõ licet: maior patet, tum quia materia prima in primo inſtãti quo fuit producta, habuit formam, quæ ab illa pendet: tum quia lux ſemper fuit cum ſole: nec vnquam exiſtit ignis ſine calore, nec Chriſtus vllo exiſtit inſtanti ſine gratia habituali, nec partes continui extiterũt vnquam ſine vnione; eſſetque ridiculum ſingula recenſere. *Exẽpla cauſarũ & effectuũ incipientium ſimul.* Probatur eadem maior à priori: quia ſufficit prioritas naturæ, qua intelligitur cauſa potens ad operandum. Nam rem præceſſiſſe, eſt tam extrinſeca denominatio, quàm eſſe futuram, nec operatur vt extitit, ſed vt tunc exiſtens, nec ex eo quod extiterit, acquirit aliquid virtutis: ergo cauſa non requirit temporis prioritatem ad cauſandum ſine ſucceſſione: ſucceſſio autem non poteſt eſſe niſi in tempore pars poſt partem.

§. 3. *Obiectio.* Dices primò, cauſam creatam poſſe ſimul tempore exiſtere cum effectu: non tamen increatam, quia omnis cauſa eſt prior natura ſuo effectu, ergo Deus etiam eſt prior natura, ergo in illo priori intelligitur eſſe æternitate ſua integra, ergo non poteſt non præcedere per totam æternitatem. *Æquiuoca.* Hæc ratio nullius eſt momenti: tum quia eadem probaretur in nullo inſtanti reali poſſe Deum operari, quia in illo eſt prior ſuo effectu, ergo in illo eſt prior per ſuam æternitatem: ergo in illo inſtanti reali præceſſit æternitas, quod eſt ridiculum: tum etiam quia in illo priori intelligitur Deus exiſtere per ſuam exiſtentiam, quę eſt æternitas; ſed pro illo priori non durat pluſquam effectus. *Prioritas naturæ non eſt durationis.* Nam prioritas naturæ non facit cauſam durare plus, quàm effectum, quia ſimul ſunt tempore: ſol enim & lux æquales ſunt duratione; ſed tãtum per illam prioritatem explicatur dependentia effectus à cauſa, & independentia cauſæ ab effectu, vt explicui diſp.8. *Ad obiectionem.* Ad obiectionem diſtinguo ſecundum cõſequens, intelligitur cum æternitate, id eſt, cum exiſtentia neceſſario durante, concedo conſequentiam: intelligitur cum illa exiſtente, quin realiter exiſtat effectus, nego conſequentiam: non enim ſic præcedit: quia in illo priori abſtrahitur ab exiſtentia effectus: non verò negatur: & nego tertiam conſequentiam: quia per æternitatem præcedere, ſignificat exiſtentiam Dei cum negatione effectus.

§. 4. *Secũda obiectio.* Dices ſecundò: in cauſis creatis poſſe ſimul eſſe effectum, & cauſam, quando neceſſariò operantur: ſecus quando liberè: quod maximè cernitur in Deo: nam ſi creatura produceretur ab æterno, nullum eſſet inſtans, in quo non extitiſſet, eáque propter neceſſariò exiſteret, & non liberè. Verum hæc ſolutio parum eſt firma. *Cauſa libera & neceſſaria poſſunt æque ſimul eſſe & operari.* Nam creatura libera poteſt operari in eodem primo inſtanti reali, in quo incipit eſſe: Anima enim Chriſti ab illo primo inſtanti ſe obtulit pro redimendo genere humano: libertas autem non conſideratur ex inſtanti, aut tempore præcedente, ſed ex indifferentia arbitrij in eodem inſtanti reali. Nam in illo ita operatur, vt in illo poſſit non operari, cõſiderando arbitrium ſecundum ſe & ſecundum ea, quæ prius natura requiruntur ante actionem; ex ſuppoſitione autem ipſius liberæ operationis, iam non poteſt non operari; id eſt, non poſſunt ſimul eſſe operatio & eius carentia, de quo latè diſſero diſp.17.de anima. Deinde, in ipſo Deo eſt clariſſimum exemplum; etenim Deus ab æterno habuit actũ liberum creandi mundi, ita vt in nullo inſtãti reali dici verè poſſit. *Nunc Deus non habet voluntatem creandi mundi;* & tamen illam habet liberè; ergo res liberè poteſt eſſe per totã æternitatem: quia in priori rationis Deus intelligitur ex ſe indifferẽs; ſéque liberè flexit hanc in partem. Vnde effectus illi abſolutè eſſent liberi; ex ſuppoſitione autem neceſſarij;

& pro

& pro quocũque inſtanti potuerunt abſolutè non eſſe,quamuis non ex ſuppoſitione: vt contingit in iiſdem liberis actibus Dei.

§. 5. Dices tertiò: actiones creaturarum poſſe ſimul eſſe cum cauſis; quia non fiunt ex nihilo: creatio autem eſt productio entis ex nihilo; at ſi effectus fuiſſet ab æterno creatus, non fuiſſet ex nihilo, quia nunquã præceſſiſſet carentia illius. Iam oſtendi diſput. 12. ſectione 1. creationem non dici, *ex nihilo*, quia eſt *ex non eſſe termini*, ea enim ratione non differt à motu: qui ſub conceptu motus conſtituitur per connotationem ad carentiam termini *ad quem*; ita vt *dealbatio* ſit ex *non albo* ad *album:* ly autem *ex nihilo* eſt differẽtia creationis à motu: motus enim, quia eſt ex præſuppoſito ſubiecto, eſt productio entis *ex aliquo*,non ex termino poſitiuo; ſed *ex ſubiecto* quod eſt aliquid:ex quo educitur terminus motus: creatio autem *ex nihilo* eſt,quia excludit ſubiectum à ſuo termino.

§. 6. Quartò dices,non poſſe effectum eſſe æqualem in duratione cum Deo; ſecus creaturas. Hæc eſt petitio principij: quæſtio enim eſt, vtrum aliqua creatura potuerit tamdiu exiſtere, quamdiu exiſtit Deus. Itaque tot ſpatia prætеrijſſent cum creatura, quot cum Deo, & quamuis eſſent æquales, quia vtrumque duraſſet æternum:at fuiſſent inæqualiſſimi in modo durandi, quia Deus neceſſariò & à ſe; creatura verò contingenter,& ab alio: & quouis temporis inſtanti deſtrui poſſet, Deus autem non poteſt: qui eſt æternus à parte (vt aiunt)poſt, & ante; creatura verò potuiſſet non eſſe æterna à parte poſt, tametſi fuiſſet à parte ante. Secundum argumentum ſumo ex ſolutione argumentorum.

SECTIO II.

Reſpondetur argumentis oppoſitæ ſententiæ.

§. 7. PRo oppoſita ſententia adducitur Bonauentura in 2.d.1.q.2. ſed ille nihil fauet: numero enim 15. ait eſſe intelligibile mundum fuiſſe ab æterno ſi materia fuit ab æterno, quod negat eſſe: & ait non fuiſſe mundum ab æterno, ſed factum ex priuatione ſui: eam tamen ſequitur Henric quodlib. 1. quæſt. 7. & quodlib. 9. quæſt. 17. & nonnulli alij Scholaſtici apud Patr. Conimbricenſes ſupra a. 1. in quos P. Toletus inclinat. 8. Phyſ. quæſt. 2. pro qua adducit Ambro. 1. Exam. cap. 3. aſſerentem,eſſe incõueniens poſſe creaturam eſſe coæternam creatori. Sed Ambr. hanc quæſtionem non attingit,ſed reprehendit opinantes mũdum eſſe æternum, mouetúrque ex initio Geneſis,quod explanat: in quo Catholicam doctrinam tuetur de facto; quod ſolum probatur ex eo loco. Itaque de poſſibili nihil egit; immò loquitur de toto mundo, vt eſt; non verò ſingillatim de creatura permanente; eodem in ſenſu loquitur Baſil. Hom. 1. Exameron,contra opinantes mundum caruiſſe principio:ſimiliter & Damaſc. 1. de fide cap. 9. factum negat; potentiam nec attingit. Auguſt. verò tom. 5. libr. 12. de ciuit. cap. 15. nihil de hac quæſtione inſinuat:ſed ait nec Angelos,nec tempus fuiſſe Deo coæternos: immo eo cap. monet, vt homines mediocriter docti abſtineant ab his quæſtionibus,à quibus non ſe poſſunt facilè expedire: itaque hæc ſententia non innititur autoritati ſanctorũ,ſed paucorum ex Scholaſticis doctoribus.

§. 8. Ac primum mitto plura argumenta, quæ congerit P. Toletus, quæ ſunt contra creaturam ſucceſſiuam; quam diſput. 18. probabo non potuiſſe ab æterno produci. Quare ſol potuit in quacumque parte loci produci,& in illa neceſſariò duraret per integram æternitatem, quia ſucceſſiuus motus in ea eſſe non potuit. Præterea omitto argumentum quod P. Toletus efformat de infinito in actu exiſtente: eſt enim euidens contra Ariſtotelem,& alios probãtes repugnare infinitum in actu,& potuiſſe motũ ſucceſſiuum eſſe ab æterno;quod contra Ariſtotelem obſeruaui diſp. 13. Item,dico non inferri nunc futurũ infinitum in actu,tametſi creatura permanens potuerit eſſe ab æterno: qui enim opinãtur repugnare infinitum modo à Deo ſimul produci, conſequenter id negabunt ſimul potuiſſe ab æterno; ſucceſſiuè autem repugnat veniri ad vnum inſtans in quo finita ſint producta ſucceſſiuè: quamobrem hoc argumento non ſum vſus diſput. 13. ad probandum infinitum in actu. Item mitto argumentum, quod ſumitur ex repugnantia creaturæ ſucceſſiuæ,de quo agetur diſput. 18.

Primum argumentum ſit, quia ſequeretur Petrum, verbi gratia, futurum cum vno actu per totam æternitatem: ex quo ſequuntur duæ propoſitiones mutuò contradicentes:Petrum ceſſare poſſe ab illo actu; quia eſt per totam æternitatem liber: & non poſſe ceſſare,quia actus ſecũdus eſſet etiam ab æterno, ac proinde nõ poſſet in æternitate ſucceſſiuè produci poſt priorem; quia in æternitate nõ eſt prius aut poſterius: quia eſt tota ſimul. Deinde crearet Deus ignem vehementiſſimum applicatum ſulphureo pulueri apprimè diſpoſito, illum corriperet,& non corriperet: Primum,quia agens neceſſarium applicatum paſſo diſpoſito, in illud operabitur: Secundum, quia forma pulueris eſt in puluere ab æterno, ergo in æternitate non potuit corrumpi, quia forma ignis poſterius duratione induceretur in puluerẽ. Tertiò, ponamus ab æterno fœminam prægnantem;illa non pareret in tota æternitate: nec lapis pendens ex aëre deſcenderet, & ſexcenta alia exempla. §. 9.

Sed nullum me mouet;nec enim per hæc exempla cõpendiaria gradimur via. Ad primum de actu libero Petri reſpõdeo,illum actum duraturum per totã æternitatem,& nequaquam ab eo ceſſandum; ad probationem reſpondeo,cum fore liberum abſolutè per totam æternitatem; neceſſarium verò ex ſuppoſitione: vt actus,quem ego elicio hoc inſtanti, eſt liber eo inſtanti abſolutè; quia ego abſolutè in actu primo conſideratus nullum habui principium me ad illum determinans: ſed ego me determinaui cum concurſu Dei: at in hoc inſtanti neceſſariò eſt hic actus ex ſuppoſitione, quod illum exerceo, vt dixi. §. 4. æternitas autem eſt tota ſimul inſtar puncti, quamuis cum extenſione virtuali: quod clarius patet in Deo,qui nullo inſtanti ceſſat ab actu, ad quem ſe liberè flexit: quia illa eſt neceſſitas ex ſuppoſitione, & ſenſu compoſito conſequente. Ad exemplum ſecundum de igne. Reſpondeo, per totam æternitatem nihil acturum in puluerem, quia caret aliqua conditione requiſita, nempe tempore, quo forma ignis ſuccedat in materia pulueris poſt eiuſdem pulueris formam;& alteratio neceſſariò fieret ſucceſſiuè, ſi verò materiam vltimò diſpoſitam crearet Deus; vel ſaltem ſine reſiſtente qualitate,tũc ſubitò ab æterno eam corriperet ignis. Ad tertium de prægnante, & lapide eadem ratione reſpondetur,fœtum non maturatum iri per æternitatem pluſquam per inſtans, nec vrgeret puerperium: nec lapis centrum peteret magis quàm modò vno inſtãti:ſic ſunt diluenda omnia argumenta petita ex effectu, aut cauſa requirentibus ſucceſſionem. §. 10.

§. 11. Secundum argumentum: Duratio creaturæ permanentis eſt ſucceſſiua, ergo non potuit ab æterno produci: quia ab æterno ſucceſſiuè duraret. Antecedens eſſe falſum oſtendo diſp 8. & 17. met. eo autem omiſſo, nego conſequentiam: ad probationem reſpondeo; creaturam tunc nō duraturam propriè, ſed extituram vel per ſuam exiſtentiam ſolam: vel per modùm diſtinctum, qui non reſpiceret tempus; ſed ſpatium æternum, præcurrens omni tempori imaginabili. Qui enim volunt durationem eſſe ſucceſſiuam; volunt etiam eam eſſe modū, per quem creatura ita ponitur in hac temporis differentia, vt per illum non poſſit in alia conſtitui per potentiam abſolutam Dei, quemadmodum *vbi* quo Petrus conſtituitur Romæ, illum ita Romæ defigit, vt per illud non poſſit Petrus alibi eſſe: at in æternitate non eſt tempus imaginarium; quia hoc eſt ſucceſſiuum. Quod ſi in æternitate concipitur tempus imaginarium, cur non concipis ſucceſſiuā durationem? quia tempus imaginarium eſt potētia ad tempus reale: habebítque creatura modū, quo illi reſpondeat: ſi verò apprehendatur æternitas, ſiue ęterna duratio ſine ſucceſſione, non eſt tempus imaginariū, nec modus creaturam determinans ad aliquā partem illius: quemadmodum nullum eſſet *vbi* ad ſpatium: vbi non eſſet ſpatium. Confirmatur, illæ durationis partes ab illarum auctoribus adſtruuntur ad fundandam relationē *prioris, & poſterioris, plus, minusue durantis*: vt *vbi* ponitur ad fundandas relationes diſtantiæ, & indiſtantiæ; ſed in æternitate non eſt prius, plus, aut minus durans: ergo in illa non eget creatura modis, quibus eæ relationes nitantur; ac propterea exiſtere poterit ſine illis modis.

§. 12. Obijciunt tamen aduerſarij; potuiſſe eam creaturam annihilari quouis temporis inſtanti: ergo non potuit habere durationem reſpondentem neceſſario cuiuis inſtanti. Concedo conſequentiam; ac dico; æternitatem fuiſſe ante omne tēpus imaginabile; ita vt conſiderato omni tempore poſſibili, æternitas ſit ante illud: quia ſucceſſio non poteſt eſſe in æternitate: vt Angelus ſit in hac æternitate conſiderata ante omne tempus poſſibile, non eguit duratione ſucceſſiua; quia tunc concipitur tēpus vt impoſſibile: ſed vel extitit per ſuam eſſentiam; vel per durationem indiuiſibilem præuertentem omne tempus collectiuè ſumptum, in quouis autem determinato tempore potuit illa deſtrui. Quod cernitur in æterna mundi carentia; quæ ſuo more, durauit in æternitate; & tamen potuit deſtrui in quauis parte determinata: ergo potuit idem contingere Angelis.

§. 13. Adde poſſe excogitari modum aliquem; qui ſit virtualiter ſucceſſiuus per totam æternitatem à parte ante & poſt: ita vt ex eius ſuppoſitione non poſſit Angelus annihilari: quia Deus videns illum modum, & volens eum communicari, voluit Angelum exiſtere tota æternitate; ex ſuppoſitione autem quod exiſtat, non poteſt deſtrui: vt non poteſt in hoc inſtanti ex ſuppoſitione quod habeat durationem illi reſpondentem. Habet autem ille modus virtualiter denominationē prioris, poſterioris, præſentis, maioris durationis, &c. quia ſe ipſo reſpondet omnibus inſtantibus ſucceſſiuis à quibus illæ denominationes ſequuntur. Immo aduerſarij admittunt in tempore momentum virtualiter extenſum ad ſex inſtantia Zenonis; admittant durationem extenſam ad omnia. Alia argumenta facilia quidem ſolutu vide apud P. Toletum & Conimbricenſes ſupra.

§. 14. Aduerte, Beatum Ambroſium lib. 1. Exameron cap. 3. probare mundum habuiſſe initium, quia habebit finem; & non poſſe carere initio, quod fine non caret: quod argumentum mutuatus videtur à Magno Baſilio in Exameron homil. 1. Verum illi patres non ducunt argumentum ſimpliciter: rectè enim poſſet Deus liberè producere Angelum in æternitate, & illum nunc annihilare: quia liberè eum producit, atque conſeruat; nec enim per locum intrinſecum ſequeretur, Angelum non poſſe corrumpi eo quod fuerit ab æterno productus: vt è contra; anima non habebit durationis finem, licet habuerit initium. Argumentātur autem ad hominem contra negantes mundi natales dies; qui mouebantur ex motus perpetuitate, & præſertim ex neceſſitate Dei in operando. Hos rectè impugnant; cauſa enim quæ mundum perimet, rectè potuit illum non producere: & motus, qui tandem ceſſabit, rectè potuit initium habere.

DISPVTATIO XVII.

Vtrum mundus ſit æternus ſecundum partes permanentes?

SECTIO I.

Mundus potuit non eſſe æternus.

ARISTOTELES perſpicuè docuit mundum fuiſſe ab æterno, vt contra S. Thomam piè illum exponentem, docent multi ſancti, & interpretes apud S. Bonauenturam in 2. diſtinct. 1. quæſt. 2. num. 5. & multi eiuſdem diſcipuli, quos referunt, atque ſequuntur Patres Conimbricenſes hoc lib. 8. cap. 2. quæſt. 3. artic. 1. fine quod ipſi demonſtrant, & ego oſtendam diſput. 3. de cœlo: cum verò 1. topi. cap. 9. dixiſſe id eſſe problema, indicat, eum in ſua ſententia fuiſſe inconſtantem: vt enim oſtendi diſput. 10. ſect. 1. ex repugnantia infinitæ progreſſionis cauſarum per ſe, intulit primam vnam cauſam: item negauit poſſe produci infinitum in actu, quæ pugnare cum mundi æternitate probabo diſput. 18. vel dic cum P. Conimbricenſibus, id ab Ariſtotele dictum, exempli gratia; in exemplis autem non requiritur veritas: vel eſſe problema, quia licet ipſe partem affirmantem confirmet: multi tamen nobiles philoſophi eam impugnabant: eáque propter poterat eſſe problema. Ariſtoteles autem, quia Deo libertatem negauit, (vt oſtendo diſput. 12. met. ſect. 1.) in eam incidit amentiam; rationéſque facti impotentiam aliter eueniendi apertè confirmant; quas in præſenti diſſoluo. §. 1.

Prima, ſi motus non fuit ab æterno, ergo ante primum motum cœli fuit alius motus; ergo fuit prior quàm primus, quod implicat. Primam conſequentiam probo: quia cœlum productum fuiſſet prius quàm eius motus. Hæc argumentatio eſt futilis, quia cœlum productū fuit ſine motu propriè: materia enim fuit creatione producta, quæ non eſt motus, forma autem producta fuit per eductionem ſimul duratione cum materia: tunc autē non potuit eſſe motus, qui in ratione motus præſupponit ſubiectum carens termino *ad quem*. §. 2.

Deinde tam inepta eſt ſecunda conſequentia, quia, licet eſſet vnus motus prior, quā primus motus cœli, tamē non eſſet prior quam primus motus ſimpliciter. Non enim eſſet prior ſe ipſo, quamuis §. 3.

enim

enim productio formæ ſit prior quàm motus cœli, non tamen eſt prior ſe ipſa, incepiſſetque motus à productione formæ.

§. 4. Secundum argumentum: ſi motus cœli incepit: ergo ante illum non fuit motus: & fuit etiam motus: quia ſic ante illum verè præceſſiſſet aliquid, quod diceretur verè; *ante præceſſit*: ergo ante fuit tempus: quod eſt motus. *Ante* enim & *poſt* ſunt temporis differentiæ. Reſpondetur, motum cœli verè & propriè non fuiſſe productum ante, neque poſt actu, & formaliter: ita vt ſit aliquod ens actu ante, quia *ante* & *poſt* ſunt temporis denominationes. Tempus autem eſt primæ ſphæræ motus: at verò comparatione temporis imaginarij fuit tempus ante cœlum (ideſt) potuit eſſe alius motus. Ad explicandam autem hanc potentiam, & potuiſſe eſſe infinitos alios motus, & vt ſignificemus cœli, & eius motus initium, dicimus ante cœlum nihil fuiſſe, & potuiſſe eſſe. Fuit quidem Deus ante tempus reale cœli: & in tempore imaginario fundari poſſunt relationes prioris & poſterioris: & comparatione illius dicuntur res plus, minusue durare. At verò nullus motus fuit ante primum motum cœli: licet potuit eſſe. Nec cœlum productum fuit poſt aliam creaturam, aut motum actualem, vt contendit argumentum: ſed poſt aliquod tempus imaginarium, & ante alia. Recognoſce quæ de ſpatio, & tempore imaginario dixi diſput. 14. ſect. 1. diſ. 15. ſect. 6.

§. 5. Tertium argumentum, Deus ab æterno fuit omnipotens: & mundus fuit poſſibilis: ergo fuit productus ab æterno. Ariſtoteles hoc argumento apertè oſtendit ſe ſentire Deum libertate carere. Vnde negatur conſequentia: quia omnipotentia Dei non operatur abſque libero voluntatis Dei actu.

§. 6. Quartum, nullum tempus eſt abſque momento: ſed momentum eſt finis temporis præteriti, & initium futuri: ergo. Minor eſt falſa, & ridicula petitio principij, vt obſeruat S. Thomas, & poſt illum P. Conimbricenſes: datur enim momentum initiatiuum temporis, in quo verum ſit dicere: *Nunc non eſt tempus, & immediatè poſt erit*, quæ eſt propria inceptio rei ſucceſſiuæ, quod patet in alteratione ſucceſſiuè incipiente, quæ incipit per vltimum ſui non eſſe, & deſinit per primum non eſſe, eſtque eadem ratio in tempore, & quouis alio motu ſucceſſiuo.

§. 7. Quinto: motus non eſt habiturus finem, quia poſt vltimum motum ſupereſſet alius: ergo nec incepit. Sextò, animæ non habent finem: ergo nec habuerunt initium. Ad quintum dicitur, pro Dei arbitratu poſſe ceſſare, quin ſit pars poſterior quàm vltima, ſicut ceſſant infinitæ alterationes quotidie per primum ſui non eſſe, in quo verum eſt dicere, *nunc non eſt alteratio, & immediatè ante fuit.* Idem contingere poteſt in tempore deſinente per primum ſui non eſſe.

§. 8. Ad ſextum, diſcrimen eſt clarum, quia non eſt ens à ſe, ſed ab alio, & continetur in potentia alterius, & cum hæc potentia liberè operetur, poteſt quando voluerit animam creare, ſicut & creatam poteſt annihilare. At verò poſt quam anima ſemel eſt producta, cum ſit perfectè ſubſiſtens, careatque contrario, eſt immortalis, & relicta concurſui generali non corrumpetur, nec poterit. At diuinitus poterit. Septimò, ex Auicenna, exemplar mundi in Deo eſt ab æterno: ergo & mundus productus ad exemplar. Conſequentia indigna philoſopho, nam & exemplar Petri æternum eſt in Deo, Petrus tamen nondum eſt productus, eſt igitur productus liberè ad exemplar, quod eſt in Deo.

Octauò ex eodem, aut Deus potuit & non voluit: hoc autem argueret inuidiam in Deo: aut voluit, & non potuit, quod imbecillitatis eſt argumentum. Stultum de Deo delyrium. Potuit, & non voluit: quia omnia operatur Deus propter ſe ipſum, nec indiguit ad fruitionem ſui, & feliciſſimam vitã vllius creaturæ productione, vt oſtendi diſput. 3. in tertiam partem, cui autem inuideret Deus, cum nullum eſſet bonum cuius liuore tangeretur? bona autem, quæ ipſe communicat tantum abſunt ab inuidia, vt non poſſint Deo non eſſe grata, ſuppetuntque illi rationes mille ad nihil producendum, multa enim poteſt, quæ non producet: an ne propterea Auicenna confimabit Deum eſſe liuidum? Alia argumenta vide apud P. Conimb. lib. 8. cap. 2. quæſt. 4. §. 9.

SECTIO II.

Omnis creatura producta fuit in tempore.

MItto rationes, quas Patres Conimbricenſes, & Toletus adducunt de ignoratione hiſtoriarum, quæ tam vniuerſim contingere non potuit: etenim rectè potuit æternus eſſe mundus, & in æternis obliuionis tenebris hominum facta iacere. Nec enim profanas hiſtorias habemus antiquiores, quàm hiſtoriam Ogygis; qui fuit coætaneus Patriarchæ Iacobo; at niſi ſacræ litterę antiquiorum facta nobis narraſſent, moueri prudenteṛ nullus poſſet ad neganda ſæcula multo vetuſtiora Ogyge. An Catholico poteſt eſſe dubio Noëticum diluuium? Et ſalus hominum in arca? emiſſio corui? atque columbæ? at hæc non hiſtoricè, ſed per fabulam, & ludum cecinere poëtæ: nec omnia ſed in parte: Ouidius enim primo Faſtorum per fabulam Saturni deliteſcentis in Latio poſt pererratum orbem in naui, tetigiſſe videtur aduentum Noë in Italiam, cuius filij dicuntur eam incoluiſſe. Poſteri autem videntur in eius facti memoriam pecunias naui conſignaſſe: item in altera pecuniæ parte ſignabatur homo biceps, quem eſſe Ianum teſtes ſunt critici; quo ſignificatus videtur Noë: qui duo ſæcula conſpexit: nempe ante diluuium alterum; alterum poſt. §. 10.

——Thuſcum rate venit in amnem,
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum:
Cœlitibus regnis à Ioue pulſus erat.
At bona poſteritas puppim formauit in ære
Hoſpitis aduentum teſtificata Dei.

Vnde concludo, hiſtoriarum defectum leue eſſe argumentum ad negandam æternitatem mundi. Qui hiſtorici prophani meminere Adami? Qui Abraham? Qui liberationis Iſraëliticæ ex Ægyptiorum tyrannide? Niſi Spiritus ſanctus nobis Moſen prouidiſſet, ſilerent omnia, nec communem hominum lucem aſpicerent. Multos verò ita ſentire de mundi primordiis, quid refert? Plerique enim docti Philoſophi, & cum illis vulgus infinitum, infantiam negarunt mundo. Solum ſupereſt argumentum ex diuina auctoritate ad negandum initium creaturis permanentibus: nam de ſucceſſiuis ſequentem diſputationem texemus.

Sacræ paginæ initium hanc veritatem ſonat: *In principio creauit Deus cœlum, & terram* Geneſ. 1. quamuis enim *principium* vſurpent Auguſtinus 1. §. 11.

de Geneſ. ad litt. cap. 3. Alcuinus, Gloſſa interlinearis, & alij Eccleſiæ Patres pro filio Dei, quod eſt principium, per quod facta ſunt omnia: nullus tamen negat, propriè in ſenſu literali ibi ſignificari temporis exordium. Gloſſa interlinearis prima dictione omnium id expreſſit: Auguſtinus ſupra: *Illud certe* (inquit) *accipiendum eſt in fide, etiam ſi modum noſtræ cogitationis excedit, omnem creaturam habere initium, tempuſque ipſum creaturarum eſſe, ac per hoc ipſum habere initium, nec coæternum eſſe creatori:* atque hoc teſtimonio edocta vniuerſa Eccleſia à Moſe veritatem eam, denſo agmine atque conferto propugnat. Baſilius Magnus & Ambroſius eo vtuntur & vniuerſi Peripateticorum impugnatores.

§. 12. Confirmatur 1. ex cap. 1. Ioann. num. 1. *In principio erat Verbum*; vbi ly *principium* non ſignificat Filium Dei, nec Deum Patrem: repetit enim infra Ioannes per anacephaleoſim. *Hoc erat in principio apud Deum:* ideſt, hæc ita ſe habebant in Deo, quando in principio temporis omnia creauit. Significat autem temporis exordium: alludit autem Ioannes primo ſuo verbo ad primum verbum Moſis, & cum Moſes dixiſſet Deum in principio creaſſe cœlum & terram; ait Ioannes, ante ipſum principium eſſe Verbum Dei: Ly enim *erat* æquiualet huic, *iam erat Verbum, quando tempus habuit initium:* vt dixit Chriſtus Ioannis 8. *antequam Abraham fieret, ego ſum*, cui conſonant verba Eccleſiaſtici 24. num. 14. *Ab initio & ante ſæcula creata ſum:* ideſt, genita ſum ante initium creaturarum: huic initio alluſit Pſaltes Pſalm. 101. n. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti.* vt autem oſtendi diſput. 2. ſect. 1. *initium* eſt vnde primo incipit res, ante quod non fuit: ſed clariſſime cap. 8. prouerbio. *antequàm quidquam faceret.* & Ioannis 17. *antequam mundus fieret.* quo comprehenditur cuncta creaturarum vniuerſitas: Idem definitur in cap. *firmiter* de ſumma Trinitate, & fide Catholica: quo teſtimonio vtar lib. de cœlo, & in metaphyſica ad probandum Angelos & cœlum eodem inſtanti reali fuiſſe productos.

DISPVTATIO XVIII.

Vtrum ens ſucceſſiuum potuerit eſſe ab æterno?

QVIA variè à Philoſophis, & Theologis hac in parte ſentitur, ſententias expendam.

SECTIO I.

Vtrum generationes potuerint eſſe ab æterno?

§. 1. ARiſtoteles lib. 8. mundum conſtituit æternum, cum infinita generationum, & corruptionum ſerie: arbitratus mundum caſu, & natura ſita hoc rerum ordine conſtare, à Deo autem non fuiſſe productum, ſed gubernatum, & motum ab æterno. Vt autem rectè P. Vazquez aduertit tom. 2. in 1. p. diſput. 177. num. 17. ſi eſſet aſſecutus, Deum liberè mundum produxiſſe, non abiiſſet in infinitam generationum ſeriem. Eum autem creationem mundi Deo negaſſe, oſtendam lib. de cœlo & diſput. 12. met. ſect. 1. Cum lib. 2. huius operis cauſam primam demonſtrauit ex repugnantia infinitarum cauſarum, rectè fuit ratiocinatus: deinde nec fuit in doctrina conſtans, & cæcutiuit in neganda libertate Deo.

Eius ſententiam non quoad factum, ſed quo ad potentiam, ſecutus videtur S. Thom. 1. p. q. 46. art. 2. probans eſſe Fidei, & ſoluit argumenta ex ſucceſſiua rerum generatione petita in reſponſo ad 7. tamen ad primum ait cauſam ſucceſſiue operantem neceſſariò eſſe priorem tempore ſuo motu: vnde colligitur ab eo ſentiri non potuiſſe motum eſſe æternum. Item ad 8. ait, ſibi non eſſe animum probare potuiſſe hominem, aut mundum totum eſſe ab æterno: id enim negat ob argumentum de infinitis animis, qui actu exiſterent: ſed id vult de Angelo, aut creatura alia. Caietanus ibi monet ſubſtantiam mundi eſſe potuiſſe, non tamen generationes hominum: videtur autem diſſenſio Thomiſtarum, quam indicat Caietanus, argumento eſſe non conſtare liquido de S. Thomæ doctrina. Mihi quidem conſtat ex ad primum, & octauum non poſſe eſſe ſucceſſionem ab æterno, nec homines cum generationibus: quia iam eſſent infinitæ animæ. Eamdem ſententiam ſequuntur Gregorius, OKamus, & alij apud P. Vazquez ea diſput. 177. cap. 4. & P. Conimbricenſes hoc lib. 8. c. 2. q. 7. §. 2.

§. 3. Sententia Ariſtotelis eſt homine indigna, quia apertè Deo negauit creationem mundi. Vnde ſi qua ratione hominum generationes ab æterno eſſe potuerunt, fuit per immediatam productionem duorum hominum à Deo, maris & fœminæ, à quibus cæteri gignerentur, at hoc modo generationes non potuerunt eſſe ab æterno: ergo nullo. Probo minorem: quia illi duo homines vel genuerunt alios vnico inſtanti, vel inter ortum, & conceptionem interiectum eſt aliquod interuallum, ita vt verè ortus fuerit duratione poſterior quàm conceptio? ſi primum; ergo fœmina vnico indiuiſibili inſtanti ſuſcepit ſemen, formauit fœtum, coagmentauit, fouit, & peperit, ita vt nulla ſucceſſio interiecta ſit inter ſuſceptionem ſeminis, & partum: quod ridiculum apparet, & cum id viribus naturæ repugnet, ſic repugnat eiuſdem lumini Ariſtotelis ſententia: ſi autem conceptio fuit duratione prior, quàm generatio: ergo hæc non fuit ab æterno: patet conſequentia, quia rei ab æterno productæ, nihil præire duratione potuit: ſic autem miſera fœmina per integram æternitatem prægnaſſet.

§. 4. Video de potentia abſoluta non repugnare fœminam illam ſubitò concipere, & parere. Rogo: vtrùm eius filius aut filij alios genuerint ſucceſſiuè? an in inſtanti? ſi in inſtanti, infinities rogabo, donec veniatur ad vnam generationem ſucceſſiuè peractam: ſi enim vnico inſtanti infiniti homines generentur, eſt extra quæſtionem hanc: ſed nulla generatio ſucceſſiuè peragi potuit ab æterno: quia partus eſſet tempore poſterior, quàm conceptio: ergo generationes hominum ſucceſſiuæ non potuerunt eſſe ab æterno.

§. 5. Immo do, à Deo productos ſimul homines infinitos, & hos infinitos alios genuiſſe ſubito, de hoc non dubito: at quando iſti communi naturæ concurſu alios genuerunt, tunc cœpit ſucceſſio: & non modo infinitæ generationes eſſe non potuerunt ab æterno, verum nec vna: quia illa ſucceſſionem includit, & partus fuiſſet poſterior: & cum fœmina non poſſet parere infinitos ſimul: ſed vnum: illúmque infantem ineptum generationi pro illa ætate: expectanda fuit tota æternitas, vt alius homo generaretur. Nec hic argumentor: quia

quia fœmina illa à Deo producta immediatè eſſet prima: id enim negarent aduerſarij, ſed argumentor: quia illa ad generandos alios, prius deberet ſuſcipere ſemen, atque formare fœtum: ita vt nullum hominem generali concurſu gignere poſſet, quin inter conceptionem & partum tempus interiiceretur.

§. 6. Hinc impugno Ariſtotelis ſententiam; quia nullus homo poteſt producere alium ſecundum vtramque partem: quia non poteſt produci materia ab homine, ergo tota ſpecies hominis non eſt producta ab hominibus: quia omnes illi ſunt poſteriores natura quàm tota materia: ergo fuit aliquis vnus homo productus ab alio principio, quod non erat homo. Quod principium produxit materiam, atque ſuppoſuit, vt ex illa generaretur homo. Rogo vtrum ille homo, ſimul genitus ſit cum materia prima? Vel vtrum hæc ſucceſſiuè fuerit diſpoſita? Si ſecundum: ergo ille homo non potuit eſſe principium infinitarum generationum ab æterno: quia antequam gigneretur, fuit materia realiter exiſtens ſine forma hominis: ac proinde forma illa geniti non potuit eſſe ab æterno: quia quod eſt æternum, non eſt duratione poſterius quàm aliud. Si primum: ergo generationes cæterorum hominum fuerunt ab illo: ſed æternitate nullum hominem, ne dicam infinitos generare potuit, quia prius tempore erat filius concipiendus, quàm pariendus, ac proinde natiuitas eſſet in tempore: ergo.

§. 7. Huic argumento non video ſolutionem: niſi in alio Ariſtotelis errore cenſentis materiam primam principio actiuo carere, eamque caſu ita conſtitutam: vel ſaltem natura ſua. Quem errorem confutabo in libris de cœlo: ſed eo admiſſo, ſic argumentor: ergo fuerunt ab æterno homines infiniti caſu producti, & non ab aliis hominibus. Probo conſequentiam: quia ſicut materia prima per ſe eſt caſu, vel natura ſua, & non à libera voluntate Dei, eodem modo eſt ab æterno cum forma hominis: ita vt à nullo agente libero fuerit ad illam determinata: ſi autem ab aliquo fuit determinata, illud non potuit eſſe homo, nam de tota ſpecie humana procedit quæſtio. Tunc ſic argumentor: ergo fuerunt homines infiniti ingeniti, & improducti: nam ſi nullus homo fuit ingenitus; ergo omnis homo fuit poſterior tempore quàm materia prima, quia omnis homo eſt natura ſua producibilis poſterius tempore, quàm materia prima, quia generatio hominis vt ſic petit ſucceſſiuam diſpoſitionē, ergo omnis homo eſt in tempore genitus, & nullo modo ab æterno: & quamuis demus infinitos homines ſimul ingenitos ab æterno, tamen ab illis non potuerunt oriri ſucceſſiuè homines infiniti: quia inter illorum conceptionem & ortum erat futura temporis ſucceſſio: vnde nulla generatio potuit eſſe ab æterno ſucceſſiuè.

§. 8. Vnde vlterius argumentor: generatio hominis vt ſic petit ex natura ſua, vt in illa prior tempore ſit conceptio quàm partus: ergo ſumendo omnes homines, qui fuerunt ab æterno geniti, nullus fuit natus ab æterno, ſed omnes in tempore. Patet conſequentia: quia omnes illi quotquot fuerunt geniti, prius tempore fuerunt concepti, quàm nati, ergo in omnibus illis prior tempore fuit conceptio, quàm ortus: ergo omnes illi ſunt tempore poſteriores, quàm conceptio.

§. 9. Dices, ſingulos eſſe poſteriores tempore conceptione: non tamen omnes ſimul. Contra: ergo ſi collectio hominum eſt ab æterno, aliquis homo in particulari eſt ab æterno: ſi enim in æternitate nullus fuit homo ſingularis, ergo in æternitate nullus fuit homo. Quandocumque enim continuatur hominum generatio, tunc eſt aliquis homo ſingularis, vel infiniti homines ſingulares: vel ſaltem in ſingulis æternitatis partibus erunt homines aliqui: ſed in æternitate nullus potuit eſſe homo ſingularis, nec infiniti, quia omnis homo, & omnes collectiuè ſumpti prius tempore petunt concipi, quàm naſci: ſed illa, quæ naſcuntur in temporis poſterioritate, non ſunt ab æterno, ergo neque vllus homo in particulari, neque tota collectio hominum eſt ab æterno.

Dices, eodem argumento probari non poſſe eſſe tempus æternum à parte poſt, quia nulla eius pars erit æterna. Nego conſequentiam: omnes enim partes motus non petunt eſſe poſteriores aliis motibus: nunquam enim omnes ita ponentur, vt non ſuperſint infinitæ ponendæ: ac propterea nulla in particulari, nec vlla ex collectione: nec tota collectio petit eſſe omnes partes poſt vnam certam: ſed quæuis habet poſt ſe infinitas, nec vnquam venietur ad vnam partem, cui præceſſerint infinitæ. At verò omnis generatio vt ſic petit ex natura ſua vt prior tempore ſit conceptio quàm partus: vnde ſumendo omnes conceptiones ſunt duratione priores, quàm omnes ortus: ita vt in conceptu natiuitatum includantur omnes fœminarum partus; qui fuerunt tempore poſteriores, quam conceptiones. De hac verò ratione æternitatis infinitæ mox agetur. §. 10.

Adde contra Ariſtotelem, repugnare effectum aliquem oriri à cauſis infinitis per ſe ordinatis, ſed ſi generationes fuiſſent ab æterno, eſſent neceſſariæ infinitæ cauſæ per ſe ordinatæ ad vnum effectum: ergo. Maior eſt Ariſtotelis, qui adductus diſput. 10. ſect. 1. ideo recurrit ad cauſam primam, quia cenſet res nec caſu eſſe poſſe, nec ab infinitis cauſis pendere. Minor verò eſt clara, quia Petrus per ſe pendet ab omnibus ſuis progenitoribus, ita vt niſi omnes præextitiſſent, & ſucceſſiuè concurriſſent ad generationem, non poſſet exiſtere Petri parens, nec illum gignere. Nam parens Petri pendet ab alio homine, nec exiſtere poſſet ſine ſuo patre: ergo Petrus non exiſteret, ni aliquando eius auus extitiſſet: de auo recidit argumentum, qui exiſteret nunquam, niſi fuiſſet genitus à proauo Petri, & ſic de reliquis, in quorum vltimo nunquam ſiſteretur, ſed iretur ſine fine. §. 11.

S. Thomas 1. p. quæſt. 46. art. 2. ad 7. ait, eſſe impoſſibile effectum pendere ab infinitis cauſis efficientibus per ſe requiſitis ad effectum, vt ſi lapis pendet à motu baculi, & baculi motus à manu in infinitum. Si verò cauſæ efficientes ſint per accidens effectui, tunc poterunt eſſe infinitæ, exempli gratia, ſi artifex operatur vno martello, & illo fracto operetur alio, etſi martelli ſine fine frangantur, poterunt eſſe infiniti martelli. Similiter homo generat alium vt eſt exiſtens, per accidens autem in quantum eſt filius alius hominis: vnde poſſent præcedere homines infiniti. Contra primo: generatio hominis per ſe pendet ab omnibus principiis à quibus homo dependet, quia pendet ab illis omnibus ſine quibus exiſtere non poſſet homo: cauſa enim per accidens eſt illa, ſine qua effectus eſſe poſſet tam bene, quàm cum illa, vt muſicus ædificat per accidens, quia muſica nihil ad ædificium conducit: cauſa verò per ſe eſt, ſine qua effectus eſſe non poteſt; ſed præcedentes homines non ita ſe habent per accidens ad generationem Petri, quia ſinguli eorum requirunt principia §. 12.

cipia à quibus generentur, & producantur: ergo illi omnes ſunt cauſa per ſe.

§. 13. Confirmatur: Adamus non ſe habet per accidens ad Cainum, quia ſine Adamo non extitiſſet Cainus ex natura rei: nec Cainus per accidens ſe habet ad ſuum filium, qui ſine Caino eſſe non poſſet: ergo Adamus non ſe habet per accidens ad filium Caini; idémque argumentum efformo in tota ſerie filiorum Adami. Ad exemplum S. Thomæ reſpondeo, fractionem vnius mallei per accidens eſſe fabro ad vſum alius mallei: non enim fuit neceſſaria fractio vlla ad vſum mallei: eo enim vti poſſet faber pro ſuo arbitratu quin alius eſſet effractus. Quod ſi poſt fractum vnum, eſſet faber vſurus alio, numquam poſſet vti illo, ad quem ſupponendi erant infiniti. Itaque non ſupponuntur infiniti, quia id repugnat: nec ſupponitur per ſe vnus fractus, quia vſus vnius non pendet à fractione alius: ſed poteſt ſine illa eſſe. At verò ſeries parentum omnium neceſſaria eſt ex natura rei ad producendum quemlibet ex illa ſerie: ponamus enim opinionem Durandi, negantem Deo immediatum influxum in effectus cauſæ ſecundæ, niſi Deus produxiſſet Adamum, non potuiſſet eſſe vllus Adami filius: ergo licet Adamus iam exiſtens ſe ſolo gigneret Cainum, verè Cainus penderet à Deo remotè. quia ſine Adamo gigni non potuit, nec Adamus ſine Deo. Ad rationem reſpondetur, hominem non gignere alios in quantum eſt filius aliorum, ſi ly *in quantum* reduplicet rationem formalem filiationis, & influendi in filium, quia nec filiatio, nec generatio hominis ab alio homine ſunt ratio influendi, quia ſolus homo generans influit cum cauſis vniuerſalibus: at generat in quantum genitus ab aliis, reduplicando principia neceſſaria ad exiſtendum, itaque pendet ab illis, vt exiſtat, iam vero exiſtens non pendet in actuali generatione: quia verò generatio ſupponit exiſtentiam, ideo pendet ab omnibus principiis, à quibus exiſtentia generantis pendet: cuius oppoſitum conſpicitur in malleorum vſu.

§. 14. Deinde ſimpliciter contra Ariſtotelem argumentor; & hanc S. Thomæ ſolutionem impugno: quia implicat infinitum ſucceſſiuè pertranſiri, atque finiri, ſed iam eſſet pertranſitum, atque finitum ſucceſſiuè: ergo implicat generationes rerum eſſe ab æterno ſucceſſiuè. Minor eſt certa, quia omnes mei progenitores concurriſſent iam ad generandum, nulluſque modo exiſteret, nec extiturus eſſet: ſed illi per te ſunt infiniti: ergo infinitum eſſet pertranſitum ſucceſſiuè, atque finitum. Maior verò eſt Ariſtotelis eiuſdem lib. 3. phyſ. cap. 4. text. 34. tradens enim varias infiniti definitiones, alias proprias: alias minùs proprias, hanc tradit, *quod tranſitum habet, ſed ad eius finem nunquam venitur: aut vix.* cap. 5. text. 35. *ſed hoc modo infinitum, nec illi ponunt. nec ſcrutamur, ſed vt id, quod non poteſt tranſiri.* Textu verò 41. infert pro abſurdo, *ſi igitur fieri poteſt, vt res innumerabilis numeretur, infinitum quoque poterit tranſiri.* cap. 6. text. 57. *omnino quidem infinitum ex eo eſt, quod aliud ſemper & aliud ſumatur, & quod ſumit ſemper illud quidem finitum eſt.* Abſolutè autem cap. 7. text. 67. concludit contra veterum philoſophorum definitionem; *infinitum igitur eſt, cuius, qui ratione magnitudinis aliquid ſumunt, his ſemper aliquid licet extra accipere.* Quæ definitio ab omnibus philoſophis admittitur: quia perinde eſt, ac magnitudinem carere principio & fine.

§. 15. Hæc tam late adduxi, vt conſtet Ariſtotelem, quem impugno, parum ſibi conſtitiſſe. Nam ventum eſſet, & non vix, ſed ſingulis momentis ad finem infiniti. Apprehende enim mente totam ſeriem generationum præeuntium, accipienti Deo ex illa ab æterno, iam non eſſet aliquid accipiendum: ſi enim Deus nunc deſtrueret mundum, nulla generatio ex illa ſerie reſtaret accipienda. Vnde toti illi collectioni repugnat infinitudo, quam Ariſtoteles definiit. Dices, non poſſe infinitum pertranſiri tempore finito: poſſe tamen infinito. Egregiè quidem: ecquis adeo eſſet ſtultus, vt cenſeret infinitum poſſe ſucceſſiuè tranſiri finito tempore? Ex eo autem quod res ſit infinita, non poteſt tranſiri abſolutè ſucceſſiuè: eadémque ratione repugnat veniri ad aliquod inſtans, quo tranſitum ſit tempus infinitum, eadem ergo repugnantia eſt temporis infiniti; quæ cæterarum rerum cum ſucceſſione fluentium.

Quod patet ex vltima Ariſtotelis definitione; §. 16.
cuius accipienti ſemper ſupereſt accipiendum: ſed tempore quod tranſiit accepto ſucceſſiuè per intellectum nihil illius ſupereſt accipiendum, ſed totum eſſet acceptum: ſi, verbi gratia, Deus nullum aliud tempus deinceps creare vellet; ergo totum tempus præteritum non eſſet infinitum. Vnde conſtat tam repugnare infinitis malleis ſucceſſiuè fabrum operari, ac effectum pendere ab infinitis cauſis per ſe: quia numquam veniretur ad vltimum malleum, nec ad cauſam vltimam, quia accipienti ab æterno eas cauſas ſucceſſiuè ſemper aliqua reſtaret accipienda: ac propterea non veniretur ad vltimam: quia ante illam reſtarent accipiendæ infinitæ: nec hæc eſſet vltima: quia ea accepta reſtarent infinitæ accipiendæ. Quod idem eſt de ipſo tempore.

Propter quam repugnantiam oſtendi ex Ari- §. 17.
ſtotele cauſam primam diſp. 10. ſectio. 1. vbi probaui omnes cauſas fore finitas, quia Deus recenſens illa ſucceſſiuè videret hanc vltimam, omneſque eſſent finitæ in recenſione diuina. Quia nulla eſſet, quin eſſet contenta in illa recenſione; contenta (inquam) ſucceſſiuè; vnde tota cauſarum ſeries eſſet recenſita vna poſt alias. Vnde è conuerſo illas Deus idem recenſens, omnes recenſeret, & incipiendo ab hac vltima tandem ſiſteret in alia vna, vltra quam non eſſet alia recenſenda: *eadem* enim *via itur Athenis Thebas, & Thebis Athenas:* quod ſi Deus potuit ſucceſſiuè eas omnes recenſere, quin ſuperſit alia (vt ita dicam) deſcendendo recenſione ab æternitate: cur in æternitate non poſſet eaſdem ordine inuerſo recenſere? Tunc autem inciperet ab vltima & ſiſteret in prima: quia ſucceſſiuè recenſis omnibus nihil reſtat accipiendum.

In æternitate ſecus contingit: nunquam enim §. 18.
venietur ad vnum inſtans, vltra quod non poſſimus progredi infinitè: hic autem iam ſiſtimus in hoc vltimo, cum cætera omnia pertranſiſſemus. (Quo argumento vniuerſim negatur omne infinitum ab æterno ſucceſſiuè: quod ſect. 2. latius confirmabo) nunc autem ad hominem contra Ariſtotelem & S. Thomam ex illorum principiis æqualem eſſe repugnantiam in cauſis per ſe, & per accidens.

Dices, ab Ariſtotele conſtitui vnam cauſam §. 19.
primam, à qua ſit motus: quia infinitæ ſimul eſſe non poſſunt. Contra: ergo nec per accidens poſſunt eſſe infinitæ, ſicque non eſt recurrendum ad confractos malleos. Deinde argumentum Ariſtotelis eſſet inefficax: quia aduerſarij negarent primam cauſam; item & infinitum in actu: quia homines actu exiſtentes ſemper ſunt finiti, licet

præteriti

Digitized by Google

præteriti infiniti fuerint: quod etiam admittit Ariſtoteles, quo admiſſo nulla vi proberetur cauſa prima; quia motus ab æterno fuiſſent abſque primo, & prima cauſa: ſicut Ariſtoteles generationes conſtituit. Stet ergo primam cauſam hinc probari efficaciter; nec aliunde eam ab Ariſtotele probari potuiſſe, ex ſuppoſitione quod negauerit aliquem vnum hominem genitum à ſolo Deo, à quo cæteri originem traxerint.

§. 20. Vrgeamus argumentum ad hominem: Ariſtoteles & S. Thomas negant potentiam infiniti in actu, ſed ſi generationes ab æterno eſſe potuiſſent, eſſet iam infinitum in actu: ergo. Probo maiorem; demus homines ab æterno productos, eorum animæ eſſent infinitæ. Hic Ariſtoteles neceſſariò recurrit, vel ad animorum mortalitatem, vel ad illarum è corpore in corpus emigrationem. Diſcipuli autem S. Thomæ dicent Deum miraculosè, & præter ordinem naturalem, tunc traiecturum animas ex vno corpore in aliud. Quod miraculum ridet Caietanus & irridet 1. p. quæſt. 46. art. 2. idem patet in Angelis: nam cum ſingulis hominibus potuit Deus ſingulos Angelos producere, cum haberet cognitionem perfectam de Angelis, plenum arbitrium, & potētiam plenam, quid enim prohiberet Deum cum vno homine producere Angelum vnum, & cum ſingulis ſingulos?

SECTIO II.

Nullus motus ſucceſſiuus potuit eſſe ab æterno.

§. 21. EX §. 14. conſtat, nullum motum ſucceſſiuum potuiſſe ab æterno eſſe; quia nunquam veniretur ad vltimam eius partem determinatam, quæ hodie exiſtit, quia cum omnes ſint infinitæ, non poſſunt ſucceſſiuè ſumi, quin reſtent accipiendæ infinitæ, ſiue motus ille ſit rectus, ſiue circularis. Nunc lis mihi cum Patre Vazquez. & Collegio Conimbricenſi: ille ea diſput. 177. cap. 5. ait generationes ſubſtantiarum, & accidentium non potuiſſe eſſe ab æterno, potuiſſe tamen motum ſucceſſiuum: Hoc verò lib. 8. cap. 2. q. 7. artic. 2. tuetur nullum motum rectum potuiſſe eſſe ab æterno, circularem autem in vtramque partem tuentur, art. 3.

§. 22. De generationum ſerie probat Pater Vazquez, quia Deus eſſet producturus vnum aliquem hominem, ex quo deducendæ fuiſſent generationes, ille autem non potuiſſet infinitorum hominum eſſe principium, quia eos eſſet ordine quodam generaturus: quod repugnat. In motu non eſt illa ratio: forte quia Deus ſolus poteſt eos motus ſine primo producere. Verum eodem argumento probo, nullum motum eſſe potuiſſe ab æterno. Demus enim Angelum & cœlum ſimul eſſe creatos, & cœlum ab Angelo moueri. Rogo enim, vtrum Angelus illud potuerit ab æterno mouere? ſi non potuit, iam habeo partem intenti: ſi potuit, ergo etiam vnus homo potuit infinita accidentia generare ſucceſſiuè, immo & homines infinitos. Probo conſequentiam: per te ea ratione non poſſet ita generare, quia ordine quodam id eſſet facturus, ſed Angelus producturus motum ab æterno, id erat facturus ordine quodam: ergo vel Angelus non potuit ab æterno cœlum mouere, contra conceſſa: vel homo potuit infinitos homines generare, quod negas.

§. 23. Dices primò, inter creationem hominis, & generationem alterius per primum, interiiciendum fore ſpatium aliquorum menſium, quare non eſſet ab æterno niſi vnus homo. Contra primò, id non probat intentum in generatione accidentium, quia ad nullius actionem in particulari indigeret ſucceſſione in qualitatibus incipientibus per primum ſui eſſe: verbi gratia, in cognitionibus, & affectibus: vnde vt Angelus potuiſſet ab æterno orbes ciere, ita & homo facultates vitales, inter quarum actiones non eſſet prima, ſicut nec inter determinatas motus partes. Contra ſecundò, etiam Angelus ad quamlibet partem determinatam motus indiget ordine, & ſucceſſione: ergo nulla pars motus determinata eſſet ab æterno, exempli gratia, nec hora, nec ſemihora, nec quadrans, nec quadrantis medietas: ergo ſicut generatio hominis ab illo homine eſſe ab æterno non potuit, ita nec pars vlla motus: ergo ſi in æternitate eſſe nequiuit ſemihora, nequiuerunt eſſe infinitæ ſemihoræ: quia ſemihoræ infinitæ includunt plures ſemihoras determinatas: at nulla fuit ab æterno: ergo nec fuit compoſitum ex illis: vel ſi dicas ſemihoras fuiſſe infinitas; & inter illas nullam eſſe primam, dic & generationes potuiſſe eſſe, quin inter illas eſſet prima: nam quiuis motus determinatus exigit ſucceſſionem, ſicut eam exigit generatio humana; & vt tu ais eſſe ab æterno infinitos annos ab illo Angelo, dic eſſe in ſingulis annis ſingulas hominum generationes ab illo vno, quem Deus immediatè produxit.

Quod ſi dicas non potuiſſe cœlum ab Angelo moueri, potuiſſe tamen à ſolo Deo: ſic arguo primo: ab Angelo non potuit eſſe, non propter defectum facultatis motricis, ſed propter neceſſariam ſucceſſionem motus: alioquin rationem aſſigna: ſed eamdem exigit ſucceſſionem comparatione Dei mouentis, ergo & eamdem habet repugnantiam. Contra ſecundò: ab æterno non potuerunt eſſe infinitæ ſemihoræ: ergo nec motus determinati infiniti: probo antecedens: infinitæ ſemihoræ non poſſunt eſſe niſi ſint aliquæ ſemihoræ; quia totum non poteſt eſſe ſine partibus: ſed nulla ſemihora potuit eſſe ab æterno; ergo: probo minorem: quia inter partes ſemihoræ eſt ſucceſſio, ita vt inter punctum terminatiuum primi quadrantis & terminatiuum ſecundi quadrantis ſit tempus, ita vt vnum ſit tempore prius altero; ergo tota ſemihora non fuit ab æterno, quia æterno nihil eſt duratione prius; item nec primus quadrans potuit eſſe ab æterno propter eãdem rationem, quia momenta continuantia partes quadrantis ſunt poſteriora tempore, quam alia: ac proinde illis repugnat exiſtentia ab æterno; ergo non modo non fuit ab æterno ſemihora, verum nec minima pars temporis determinata: ergo tempus quod potuit eſſe à Deo, non potuit eſſe ab æterno. §. 24.

Dices, nullam eſſe poſſe determinatam temporis partem: at per partes proportionales præcedere aliam, & aliam priorem, quin veniatur ad omnium primam. Cõtra, quia id itidem reperitur in motu vnius horæ; quæ per partes proportionales habet eſſe infinita: atqui hoc nequit conſtituere tempus æternum: nam id eſt incipere per vltimum ſui non eſſe; vt dixi d. 15. ſect. 8. Quod ſi ad eam fugis temporis infinitudinem; ergo & dies hodiernus eſt ab æterno; quia per partes proportionales minores nunquam venies ad primam, da ergo infinitas partes determinatas, æquales vni tertiæ, & non communicantes; quæ ſint ab æterno. Non quæro inter illas primam, & vltimam: nec item quæro vtrum ſint omnes ſimul, ſed vt aſſignes, §. 25.

aſſignes, quo modo potuerit eſſe multitudo infinita horarum ab æterno, cum omnino repugnet omnibus illis collectim, atque diuiſim ſumptis eſſe ab æterno? Et omnes, totaque illarum collectio ſit diuidenda per partes proportionales?

§. 26. Tandem probatur: cœlum erat producendum totum ſimul more rerum incipientium per primum ſui eſſe, quamuis tunc non eſſet dicendum *primum:* at tunc in æternitate nihil determinatum motus potuit exiſtere præter vnicum momentum: ſi quid autem fuit præter illud, erat pars proportionalis; ergo illud momentum fuit initium motus nec aliter potuit eſſe, ac proinde tempus cæpit. Probo conſequentiam: ſignando momentum illud, verum fuiſſet dicere; *nunc Deus producit cœlum, & nunc eſt temporis momentum: & tamen nunc non eſt tempus, ſed immediatè poſt erit:* ergo momentum illud fuit temporis initium; conſequentia patet ex definitione temporis incipientis; antecedens patet; quia ly *nunc Deus producit cœlum, & eſt temporis momentum*; deſignat exiſtentiam ſimultaneam Dei, cœli, & puncti: tempus autem nullum erat tunc, quia nullum determinatum eſt ſimul cum aliquo momento.

§. 27. Dices non poſſe tunc ſignari inſtans primum. Contra, tunc ſignatur inſtans antecedens omnem temporis partem, vt ſignari potuit in prima productione mundi, quia tunc ſolus Deus, & cœlum, & momentum exiſterent; vel momentum non exiſteret tunc, ſed purè eſſet non eſſe temporis, ergo tunc ſignaretur primum inſtans temporis, & in illo inciperet extrinſecè tempus, quia verum eſſet, *nunc non eſt tempus, & immediatè poſt erit:* quæ eſt temporis inceptio: tunc autem non fore tempus determinatum eſt per ſe notum, quia hoc non exiſtit totum ſimul cum vno momento. Ergo exiſterent cœlum, & primum inſtans temporis ante omnem determinatam partem temporis, & ſolum cum parte proportionali: vel nulla eſſet pars, nec proportionalis, nec determinata, ac proinde nec tempus vllum. Ridiculum autem eſt per totam æternitatem fore punctum ſolum cum parte proportionali expectans partes determinatas, quæ deinceps eſſent finitæ: quia haberent primam, & vltimam.

§. 28. Confirmatur: ponamus tempus componi ex ſolis punctis (nam ad arguendum eadem eſt ratio: in hoc tamen caſu clarior apparet, de pulſis nebulis partium proportionalium) duo puncta non eſſent ſimul ab æterno, quia iam non efficerent tempus formaliter, ergo eſſet vnum poſt aliud; ergo inter vnum & aliud interiecta eſſet æternitas, quia ſecundum erat duratione poſterius primo, ac proinde non æternum; ergo ab æterno ſolum fuiſſet vnicum momentum: quia de vno ſolo potuit ab æterno dici, *nunc eſt momentum; & nunc non eſt tempus:* ergo quæ ſunt poſt illud, non ſunt infinita, quia ſunt producta in tempore; idem eſt ergo in Ariſtotelica ſententia componente continuum partibus & punctis. Hoc argumentum eodem modo confutat motum circularem Patr. Conimbricenſium, quos adhuc expendam.

§. 29. Illi ergo ea quæſt. 7. artic. 2. tuentur, non potuiſſe eſſe motum rectum ab æterno, nam ſi, verbi gratia, lapis ab Oriente Conimbricam moueatur, conficeret infinitum ſpatium; nam motus ille non haberet primum terminum *à quo:* deinde ſi alius lapis ab eadem æternitate moueretur Conimbricam ab eodem Oriente motu duplo tardiore: proculdubio hodie confeciſſet ſpatium infinitum: & inter illos duos lapides eſſet ſpatium finitum, & infinitum: ergo ſpatium interiectum fore infinitum patet, quia confectum irrequietè fuiſſet tempore infinito: velocitate autem infinitè ſuperatus eſt motus tardus à motu veloci, item eſſet finitum: clauderetur enim duobus terminis, altero Conimbricæ, altero in lapide tardè moto: ergo. Secundo mouentur, quia ſi duo lapides mouerentur Conimbricam, alter ab Occidente, alter ab Oriente, ſibi occurrerent Conimbricæ, ſi aquilina velocitate ferrentur: item & non occurrerent, quia non eſſet cur hodie potius quàm heri, nam infinitum ſpatium, nec habet medium, nec latus, &c.

§. 30. Verum his argumentis conficitur aperte contra eoſdem P. Conimbricenſes articu. 4. non poſſe eſſe motum circularem ab æterno: ponamus eius duos circulos ſimul ab æterno moueri, alterum duplo velocius altero, ſimulque ponamus ſingulos lapides iuxta ſingulos circulos, item ad ſingulas circuitiones proiici lapides ab Oriente Conimbricam per ſtadium ſingulis circumuolutionibus: lapis ille proiectus ad motum tardiorem circuli confeciſſet infinitum, & finitum ſpatium: infinitum, quia eſſet lapis proiectus per infinita ſtadia, nam circuitiones fuiſſent modo infinitæ: quarum ſingulis reſpondent ſingula ſtadia: item ſpatium illud interiectum inter lapidem & Conimbricam, non fuiſſet infinitum, quia clauderetur duobus terminis, vt argumentantur P. Conimbricenſes.

§. 31. Dices repugnare hos lapides moueri: Contra: ſi rationi ſucceſſionis non repugnant, non eſt cur repugnent ratione rectæ lineæ, niſi petatur principium: quod enim eſt impedimentum vt impetu circuli proiiciatur lapis Conimbricam potius, quàm ad alium locum? idem argumentum confici poteſt conſtituendo vnum circulum verſus Orientem, alterum verſus Occidentem: nam poſſet vterque lapis proiicere Conimbricam, & contingere argumenti caſum.

§. 32. Confirmatur, circuitiones vnius circuli eſſent finitæ, & infinitæ: infinitæ, quia ab æterno; finitæ verò, quia circulus tardior haberet duplo pauciores circuitiones, quibus termini eſſent præfixi. Dices, vtramque fore infinitam. Contra: ergo ſimiliter ſpatium confectum linea recta vtroque lapide, & interiectum inter vnum lapidem & Conimbricam eſſet infinitum, quia propriè non haberet terminos, licet alterum eſſet altero maius. Video à P. Conimbricenſibus hæc difficile poſſe defendi, quia non perſiſtunt in definitione infiniti, quæ eſt, *cuius accipienti reſtat ſemper aliquid accipiendum:* hac autem definitione deſerta, ſequitur per locum intrinſecum illa ſpatia eſſe finita & infinita; non ſolum ſpatium vnius lapidis, ſed vtriuſque, ex neutro enim reſtat aliquod accipiendum, & tamen eſſet peractum tempore infinito.

§. 33. Tandem argumentor: demus ſolem ab æterno moueri: prius natura quàm moueretur, fuit creatum à Deo in loco certo, & determinato, cum vbicatione determinata, & certa. Rogo, vtrum illam vbicationem retineret per æternitatem? vel non? ſi retinuit neceſſariò, ergo per totam æternitatem moueri non potuit: ſi non retinuit, ergo videt Deus illa deperdita acquiſiuiſſe aliam. Rogo, vtrum ſimul acquiſiuerit infinitas? vel vnam finitam? infinitas non potuit, quia infiniti motus non ſunt actu ſimul: ergo acquiſiuit vnam ſolam: ergo illam videt Deus in particulari, quod negari

non

non poteſt: ergo ab illa inceptus eſt motus,& fuit prima acquiſita per motum. Probo cõſequentiam, quia ante illam nulla fuit acquiſita, & poſt illam cæteræ ſunt acquiſitæ:ergo illa eſt prima omnium, & hodierna eſt vltima: ergo illæ vbicationes habent primam,& vltimã: ac proprerea ſunt finitæ.

§. 34. Pater Vazquez ea diſput. 177. num. 19. reſpondet, hic peti principium: ponitur enim, Solem creatum à Deo per primum ſui eſſe,& motum incepiſſe. Contra: cœlum ponitur creatum ab æterno totum ſimul more rerum incipientium per primum ſui eſſe, quantum ad ſimultatem, non verò quo ad nouitatem eſſendi: at verò non ponitur aliqua vbicatio prima, ſed ponitur vbicatio certa & determinata,quia Deus non crearet cœlum ſine vbicatione: nec cum aliqua vaga, ſed cum determinata in certo ſpatio, quam per conſequentias probo eſſe primam: quia ante illam nulla fuit, & cum illa non fuerunt aliæ, ſed omnes fuerunt poſt illam. Recognoſce argumenta facta ſup. maximè à §. 26.

SECTIO III.

Satisfit argumentis.

§. 35. VEra ergo ſententia eſt, nullum motum ſucceſſiuum potuiſſe eſſe ab æterno, quam expreſsè docet Durand. in 2. diſt. 1. quæſt. 3. & cum illo ex antiquis multi graues Theologi, ex recentioribus Pat.Suarez eã apertè ſupponit 1. metaph. diſput.20.ſect.6.num.17.Pat.Valentia tom.1.diſp. 3. quæſt. 3. punct. 2. noſter Cardinalis Toletus 8. phyſicorum quæſt. 2. in quam tandem inclinat S. Thom. 1.part.quæſt.46.art.2.fine; éſtque communior apud recentiores: quam in vtramque partem diſputant Patr. Conimbr. quo ad motum circularem; quo ad reliquos hanc tuentur. Item & Pater Vazquez quo ad generationes ſubſtantiæ, & accidentis.

§. 36. Contra quam ſic argumentor; creatura permanens potuit eſſe ab æterno,ergo & ſucceſſiua. Hãc conſequentiam nego;quia ex primo nulla ſequitur contradictionis implicatio: ſecus ex ſecundo.

§. 37. Secundo arguo,Deus poteſt producere motum æternum(vt aiunt) à parte poſt,ergo & ab æterno. Diſtinguo antecedens, poteſt producere tempus æternum ita vt veniatur ad aliquod inſtans,in quo verum ſit, præterijſſe tempus infinitum, nego antecedens,eſt enim hæc eadem rationis implicatio: poteſt facere tempus æternum, ita vt ſingula momenta ſint initium infinitorum temporum ſubſequentium,tranſeat antecedens; & nego cõſequentiam: quia tempus ab æterno haberet nunc vltimam partem determinatam,& inſtans, vltra quæ nihil reſtaret accipiendum: quod eſt contra definitionem infiniti,itaque nullum tempus infinitum tranſiri poteſt,ſed omnia tempora, quæ labuntur, ſunt finita,quæ reſtant verò ſunt infinita.

Tertiò: ab æterno potuit produci tempus ſine initio, ſicut poteſt in æternum abſque fine; ergo eſſet infinitum. Cõfirmatur: tempus imaginarium eſt æternum, quia non habet principium: ſignato enim quocũque tempore, poteſt aliud prius ſignari, ſed hoc eſt eſſe infinitum, ergo. Nego antecedens(vt probatum ſect.2.)t[illegible] eſſet ab æterno ſolum vnum inſtãs determ[illegible],tum quia numquam potuiſſet ad vltimum [illegible],ſicut in æternitate non poteſt. Ad confirmationem reſpondetur, tempus imaginarium eſſe aptitudinem ad tempus reale,& ſicut tempus reale non poteſt eſſe ab æterno; ita nec imaginarium eſt; quia ante illud concipimus æternam aliam rationem durandi; quam explicamus anteuerſione ad omne tempus. §. 38.

Ad probationem reſpõdeo, nullam eſſe partem imaginarij temporis antequam nõ poſſimus aliam concipere; quia idem eſt ac non poſſe tot entia ſucceſſiuè produci, quin alia poſſint: nam ex collectione infinita rerum ſucceſſiuarum poteſt Deus incipere à qua voluerit, ſimiliter,& finire: at ſicut ſucceſſiuè à parte poſt non poteſt omnia finire; ita nec à parte ante. Quoties ergo determinatur ad producendum, eſt ad finitam multitudinem: ſed non ita vt adſtringatur ad hanc: potuit enim & ad quamlibet aliam,vt patet in futuris; non enim aliquando venietur ad vnum inſtans, nec poteſt, in quo infinita ſint producta, & tamen ſine termino poſſunt produci,& producentur actus infiniti. §. 39.

Alias difficultates de Deo omitto; partim quia, quæ ſunt Phyſici inſtituti diſput. 10. diremi; partim quia in Metaphyſ. de Deo, & Angelis longior nobis erit ſermo. Hæc autem ſufficiant huic primo anno; vereor ne graue tuleritis tyrocinium: in ſequentibus autem duobus ſat nobis erit loci & otij ad cæteras philoſophiæ partes capeſſendas: vtinam in eius laudem, qui eſt *alpha*, & *omega*; id eſt rerum omnium principium ac finis. §. 40.

FINIS PHYSICORVM.

DISPVTATIONES
DE SVBSTANTIA CORPOREA INCORRVPTIBILI, ſiue de Cœlo.

PROOEMIVM.

§. 1. AD Phyſicam diſciplinam ſpectat inquiſitio omniũ corporũ de prædicamento ſubſtãtiæ. Rationem corporis in communi indagauimus anno ſuperiori cum Ariſtotele per octo libros Phyſicorum: illud corpus, de quo egimus, diuiditur in incorruptibile & corruptibile: è quibus incorruptibile corruptibili nobilitate pręcellit; hoc corpus eſt cœlum, de quo, vt de præcipua corporis ſpecie primum egit Ariſtoteles his quatuor libris: de corpore verò corruptibili in cõmune egit deinde duobus libris de Generatione, & corruptione. Corpus corruptibile ſubdiuiditur in animatum, & non animatum: de corpore animato, vt de præcipua ſpecie egit primum Ariſtoteles tribus libris de anima & libris de hiſtoria animalium. Item & aliis de generatione animalium; de corpore autem inanimato egit libris Meteororum, & paſſim agens de metallis, mineralibus, &c. Peculiares verò diſputationes neceſſarias ad corporum cognitionem abſoluit in problematis, in libris de morte & vita, ſomno & vigilia, &c. quibus omnibus tractationibus conflatur vniuerſa naturalis philoſophia, ſiue phyſica. Qua diſciplina abſoluta perrexit Ariſtoteles ad veſtigandas rationes communes entis, & omnes ſpecies abiunctas à compoſitione materiæ, verbi gratia, ſubſtantiam completam ſpiritualem, Deum videlicet, & Angelos, & rationes accidentis, quæ plurimum continentur decem prædicamentis, quod præſtitit Ariſtoteles quatuordecim libris Metaphyſicorum, quos (fauente numine) anno ſequenti exponemus.

§. 2. Obiectum adæquatum proprium eſt natura & eſſentia cœli, cum ſuis proprietatibus & elementa ſecundum quod ſunt grauia, & leuia: agitur enim his libris de loco, quem ſibi vendicant ſingula elementa, & de pulchritudine totius vniuerſi: obiectum autem attributionis ſunt ipſa Cæleſtia corpora. Definitiones Ariſtotelicas, & quas interpretes attingunt in has diſputationes colligam. Agens primum de Cœlorum eſſentia, deinde de proprietatibus, numero, motu, luce, & illorum influxu in corpora inferiora, deinde de Cœlorum origine, & natalitiis: methodum Ariſtotelis, quia moleſta, & inutilis, inuertam.

DISPVTATIO I.

De natura, & eſſentia Cœli.

SECTIO I.

Vtrum Cœlum ſit ſimplex, an compoſitum Corpus?

COELVM eſſe corpus habens trinam dimenſionem, oculis cernitur: quæſtio eſt; vtrum illud corpus ſit naturale, vel phyſicum: id eſt, conſtans materia & forma ſubſtantiali; an vero ſit ſubſtantia quædam completa carens eſſentiali compoſitione phyſica, habénſque compoſitionem partium integralium. §. 1.

Multi authores cẽſent, Cœlum eſſe corpus ſimplex: quos referunt P. Conimbric. lib. 1. de Cœlo cap. 2. quæſt. 4. art. 1. & Suarez diſput. 13. metaphyſ. ſect. 10. num. 2. quos meminit & ſequitur Durand. in 2. diſtinct. 12. quæſt. 1. num. 16. & 17. Probant primum quibuſdam Ariſtotelis teſtimoniis, aſſerentis materiam primam quandoque eſſe in actu, quandoque eſſe in potentia ad formam, & formam fieri ex priuatione ſui; ſed in cœlo nihil eſt quod ſit aliquando in potentia ad formam, quia Cœlum eſt incorruptibile: neque materia cœli aliquando fuit ſine forma, ergo in Cœlo non eſt materia prima.

Sed (vt benè P. Conimbr. & Suarez) loquitur Ariſtoteles de materia ſublunari, & de productione formæ materialis corruptibilis, quod in ſententia Ariſtotelis eſt planum, qui ſubſtantiam materialem diuiſit in materiam, formam, & vtraque conſtantem, ergo nullam agnouit ſubſtantiam materialem ſimplicem. §. 2.

Secundò probant, quia materiam primam indagamus ex viciſſitudine generationum, vt probaui diſput. 2. phyſic. ſect. 1. ſed in cœlo nulla reperitur tranſmutatio ſubſtantialis, ergo neque fundamentum ad adſtruendam materiam primam. Fateor, efficaciſſimum argumentum ſumi ad materiam primam ſublunarem ex multiplici generatione ſubſtantiali, per quam euidentius demonſtratur materia ſublunaris, quàm cœleſtis; ad cœleſtem autem aliis mouemur argumentis. Quamuis ex Caſſiopea multi aſtrologi moti fuere ad cœlorum corruptibilitatem. Verùm poteſt corpus aliquod compoſitum eſſe incorruptibile, cuius materia veſtigari non poteſt ex tranſmutatione ſubſtantiali. §. 3.

Tertiò

§. 4. Tertiò mouentur, quia vnio materiæ & formæ eſt neceſſario diſſolubilis, ſed cœlum eſt inſolubile, ergo. Probatur maior: quia perfectiſſima vnio materiæ & formæ eſt humana, hæc autem eſt ſolubilis, ergo omnis vnio eſt ſolubilis. Negatur maior: ad probationem reſpondetur, vnionem humanam eſſe ſimpliciter perfectiorem cœleſti, imperfectiorem tamen ſecundum quid in modo exiſtẽdi, ſicut & ipſe homo cœlo comparatus. Neque enim repugnat rem vnã eſſentialiter nobiliorem alia, eſſe eadem ignobiliorem ſecundum quid, homo enim eſt eſſentialiter perfectior leone, leo tamen eſt velocior, & robuſtior homine.

§. 5. Quartò, quia cœlum eſt perfectius rebus omnibus inferioribus, cum habeat virtutem in illas influendi ſubſtantialiter, & accidentaliter: & quia cœlum gaudet accidentibus perfectioribus, vt luce, ergo eſt ſimplex. Primum negatur antecedens, quia perfecta viuentia ſunt illo perfectiora, & ſenſiones ſunt accidentia præſtantiora luce, in quæ viuentia cœlum non influit ſubſtantialiter. Secundò, omiſſo antecedenti, nego conſequentiam, nam maior perfectio poteſt oriri vel à perfectiori materia, vel forma, vel vtraque.

§. 6. Quintò arguunt: quia non repugnat dari corpus ſimplex: quod neque ſit materia prima, neque forma ſubſtãtialis (hæc enim ſe mutuo reſpiciunt:) ſed tertia quædã ſubſtantia ſimplex completa, quæ materialis dicitur: non quia materia conſtet, ſed propter extenſionem partium integralium, ergo cœlum erit ſimplex: oportet enim in ſubſtãtiis materialibus reperiri ſubſtantias ſimplices completas, ſicut in ſpiritualibus reperiuntur Angeli.

§. 7. Ex hoc dubio antecedenti, nulla ſequitur conſequentia, quia Deus non fecit omnia, quæ potuit facere; fecit quidem ſubſtantias rationales completas. Item & incompletas, eáſque direxit in æternam fœlicitatem: res autẽ corporeas effecit vt hominum miniſtras, quarum ope ſuam poſſet conſequi fœlicitatem, ad quod non fuit opus corpore ſimplici, ſufficit enim corpus compoſitum. Neque enim fuit multiplicanda rerum varietas, niſi in ordine ad eum finem. Sententiæ neganti cœlis ſimplicitatem eſſentialem libenter adhæreo, tum quia Peripatetica, tum præcipuè propter communem ſanctorum Patrum, ac Theologorum conſenſum, quos referunt, & ſequuntur P. Suarez ſupra, & Conimbr. art. 2. Adde nullum reperiri, vel probabile veſtigium cœli ſimplicitatis, niſi illud tantum argumentum, quod non repugnet corpus ſimplex. Vellem tamẽ huiuſmodi authores meminiſſe ſummuliſtici canonis, *à potentia ad actum affirmatiuè, non valet conſequentia.*

§. 8. Dico ſecundò. Probabilius eſt repugnare corpus ſimplex. Probatur primò, quia tale corpus non poſſet eſſe vegetatiuum, quia vegetatio fit inter ſubiecta affecta qualitatibus contrariis, quibus inuicem ſibi perniciem moliuntur: vt patet inter viuens & alimentum; ſed corpus ſimplex non haberet contrariam qualitatem, quia non haberet materiam capacem duarum formarum ſubſtantialium, neque haberet formam quæ eſſet expellenda, ergo tale corpus non poſſet eſſe vegetatiuum. Maior cum ſua probatione eſt clara, quia augmentatio eſt ad reſarciendas partes per decretionem, aut amiſſas, aut labefactatas.

§. 9. Dices illud corpus augeri poſſe ab intrinſeco, vt augetur aqua. Contra: ab intrinſeco augentur corpora quæ corrumpuntur ab intrinſeco: eſt enim nutritio ad reſarcienda damna corporis viuentis. item corpora diuidua ſunt corruptibilia; illud autem corpus corrumpi non poſſet: quia corruptio petit formam ſubſtantialem corruptibiliter informantem; ergo. Maior probatur; quia tandem veniretur ad tam exiguam partem quæ conſeruari non poſſet. Quod ſi materia prima non eſt corruptibilis, ideo eſt, quia in parua quantitate conſeruari poteſt aliqua forma, in qua non poteſt alia. Tandem continuatio partiũ fit à corporibus conſtantibus his primis qualitatibus; quia eorum formæ id exigunt. vide tamen diſput. 2. §. 24.

Deinde tale corpus non poſſet eſſe ſenſitiuum, tum quia ſenſatio fit medio calore, cæteríſque primis qualitatibus, vt in nobis experientia patet: ſed tale corpus non haberet huiuſmodi qualitates, ergo non haberet ſenſionem. Probatur maior, quia huiuſmodi qualitates ex natura ſua ſunt diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem, quapropter ſubiecto calido vt ſex, verbi gratia, debetur forma ignea, ſúntque ex natura ſua corporum inſtrumenta ad generanda ſibi ſimilia corpora, ſed tale corpus eſſet incapax formarum, ad quas diſponunt iſtæ qualitates, ergo illis careret; tum etiam, quia non poſſent ſentiri hæc accidentia, quæ modo ſentimus, niſi à potentiis formarum vitalium, ergo tale corpus non poſſet hæc ſentire. Probatur antecedens, quia huiuſmodi accidentia ſentiuntur per ſpecies à ſe emiſſas, ſed eæ ſpecies tantum ordinantur ad potentias formæ vitalis; indigent enim temperamento humido, calido, aut ſicco, aut frigido, ergo non poſſunt iuuare potentiam eiuſmodi temperamento carentem. §. 10.

Dices, tale corpus ſentire poſſe, vel alia accidentia diuerſæ rationis à noſtris, illámque cognitionem non dependere à primis qualitatibus: vocari tamen ſenſionem, quia eſt cognitio extenſa dependens à ſubiecto extẽſo, vel poſſe ſentire hæc accidentia per ſpecies inditas à Deo. Certè hæc ſolutio non poteſt manifeſtè oppugnari, præſertim cum in quæſtionibus de potẽtia abſoluta, manifeſtè ſit coarguendus, qui affirmat: alioquin ius non contra illum, ſed ab illo eſt. §. 11.

Contra tamen, quia ſi tale corpus eſſet poſſibile, eſſet nobilius animo rationali: conſequens eſt falſum, quia ſubſtantia ſpiritualis perfectior eſt quouis corpore, habétque operationes multo excellentiores, nam virtus intellectiua, & capacitas ad fruendum Deum eſt perfectior eſſentialiter quouis corpore, & eius actione, ergo repugnat tale corpus. Probatur maior, quia illud corpus eſſet actus ſubſiſtens completus, non reſpiciens ſubſtantialem compoſitionem: hoc autem dicit perfectionem eſſentialiter maiorem, quàm eſſe actum informantem. Vnde corpus illud, cum haberet modum exiſtẽdi multo nobiliorem, quàm animus rationalis, neceſſariò etiam haberet operationem aliquam multo nobiliorem. Quapropter tale corpus eſſet neceſſariò viuens, nam habet duos conceptus tam perfectos, vt illis repugnet non habere vitam, hi conceptus ſunt *actus ſubſiſtens completus.* Nam animus rationalis eſt intellectiuus, quia eſt actus ſubſiſtens, licet incompletus, ergo corpus illud habebit modum cognoſcendi nobiliorem, quàm actus, qui eſt actus ſubſiſtens incompletus. §. 12.

Dices, illud corpus ex genere ſuo eſſe inferius animo propter extẽſionem. Cõtra, quia in tua ſententia extenſio nihil adimit perfectionis, admittis enim res ſpirituales extenſas, ſicut Angelicam vbicationem. Contra ſecundò, quia licet conceptus genericus ſit perfectior, tamen conceptus vltimæ differentiæ ita ſuperat cõceptum animi, vt propter §. 13.

Digitized by Google

illum ſit corpus nobilius. Tertiò, quia hæc eſt repugnantia terminorum, coniungere in eadem re conceptum corporis cum cóceptu actus completi, nam actus completus adeo perfectus eſt, vt repugnet corpori.

§. 14. Itaque quemadmodum repugnat eſſe aliquem actum ſpiritualem completum, & non eſſe intellectiuum, ita repugnat aliquod corpus eſſe ſimplex completum, quia ſicut conceptus ſpiritualis completus exigit neceſſario principium intelligẽdi, ita conceptus actus completi propter ſuam perfectionem exigit neceſſario indiuiſibilitatem, vnde ſicut repugnat corpus intellectiuum ſimplex, repugnat corpus ſimplex completum. Adde corpus illud non ceſſaturum à cognitione, quia ea non defatigaretur, & ſemper eſſet in actu ſecundo, ſicut Angelus, quæ nobilitas non conuenit ignobili creaturæ.

§. 15. Dices corpus eſſe nobilius animo ſecundùm quid. Contra: maior perfectio abſolutè ſumitur ex ratione actus & ſubſiſtentiæ: vnde Deus eſt omnium rerum perfectiſſimus, quia perfectiorem habet rationem actus: ſed illud corpus haberet rationem actus perfectiorem ſimpliciter: ergo. Probo minorem: quia eſſet actus ſubſiſtens completus: alienus à potẽtialitate ſubſtãtiali recipiendi vnionem ſubſtantialem: animus autem eſt ſubiectum ſubſtantialis compoſitionis. Compoſita autem ex materia & forma, non ſunt actus ſubſiſtens; ſed mixta ex potentia ſubſtantiali, & actu (in purè materialibus) vix ſubſiſtente.

§. 16. Aduerte, qui tenent non repugnare corpus ſimplex, teneri admittere illud non eſſe extenſum hac noſtra quãtitate, ſed vel ſe ipſo, vel alia quantitate à noſtra ſpecie diſtincta, quia quantitas noſtra ex natura ſua eſt diſpoſitio ad formam ſubſtãtialem, & ſicut cœlum eſt incapax caloris, quia eſt incapax formæ ignis, ita illud corpus eſſet incapax huius quantitatis, quia eſt incapax harum formarum.

SECTIO II.

Vtrum cœlum ſecundùm ſe totum vel aliquam partem differat ſpecie à ſublunaribus?

§. 17. PLerique philoſophi ex priſcis illis, rudioribuſque ſæculis, quos referunt Patres Conimbricenſes libr. 1. cap. 2. quæſt. 5. artic. 1. cenſuere cœlum non differre ſpecie ab elemẽtis, ſed eſſe vnum ex illis, vel ignem, vel terram, aërem, vel aquam. Ariſtot. autem eis primus refragatus eſt, vnde abijt in prouerbium, *quinta Peripateticorum ſubſtantia.* Illa ſententia exoleuit iam, quia cœlum nobilius eſt igne, aut aqua, quod colligitur ex eius effectibus, qui ſunt nobiliores ipſis elementis; tum ex cœli amplitudine, & formoſitate, neque poſſet videri ſi eſſet ignis, aut aër, nec ſiſtere in excelſiori loco, ſi eſſet aqua, aut terra; nec poteſt eſſe mixtum ex illis, ne ſit aggregatum per accidens.

§. 18. Aliquando verò ſtellarum globi vocantur *cœleſtes ignes*, ſed metaphoricè propter emicantem lucem, & quaſi flammeſcentem. Non defuere, qui cenſerent hac tempeſtate cœlum eſſe terram, quia eius ſoliditas non aliunde, quam è terra potuit eſſe. Verùm, terra non poſſet ſiſtere ſupra aërem: quæ ſuo pondere repeteret centrum: nec tam facilè cieretur: nec eſſet pellucida, ſua enim opacitate lucem repulſaret. Aſſerere autem eam terram eſſe diuerſæ ſpeciei, eſt ridiculum. Nam ſicut careret grauitate, & opacitate, ita careret ſoliditate. Illámque tuam terram voco ego *quintam Peripateticorum ſubſtantiam.*

Huius temporis Aſtronomi cenſent cœlum eſſe aërem, in quo ſunt aſtra, quæ illis motibus circumaguntur ab intelligentiis: quia Caſſiopea viſa fuit illis deflagraſſe inter aſtra ipſa. De quo redibit ſermo. Hi enim in præſenti admittunt corpora incorruptibilia, nempe Aſtra, quod in præſenti ſat eſt. Iuſtus Lipſius in phyſiologia Stoicorum, videtur aſſerere cœlum eſſe ignem, ſed immerito: tum, quia cœli ſunt denſiores igne: tum quia oſtendam ſect. 3. Solem, & Lunam ſpecie differre: quæ tamen Lipſius taceſcens cum Stoicis vocat duos ignes. Item ignis nõ habet effectus quos Luna: hæc enim per ſe eſt cauſa humectationis: quod igni admodum ſicco repugnat: item nonnulla aſtra, & partes cœli per ſe influunt frigus; vt ſeptentrionalis plaga eſt frigidiſſima propter Vrſam minorem. At ſi cœlum eſſet ignis, abſumeret totum aërem, qui ſe tuetur beneficio Lunæ aërem madefacientis: nec ſeptentrio eſſet tam frigidus: quia æquè vicinus eſſet igni cœlico, quàm meridies: nulla enim pars cœli pendet à Sole ad calefaciendum. Tamdem ignis non trahit magnetem, quam trahit quoddam aſtrum: ſunt ergo in cœlo multa corpora ſpecie diuerſa ab igne. §. 19.

De materia cœli poteſt controuerti ſit ne eiuſdem ſpeciei cum ſublunari. Dico primo, non repugnare duas materias ſpecie diuerſas. Nam poſſunt reſpicere formas omnino diuerſas, in quo nulla cernitur vel apparens repugnantia. Quædam enim formæ pendent à diſpoſitionibus corrumpentibus aliarum formarũ diſpoſitiones, quædam verò haud quaquam, ſed à diſpoſitionibus carentibus contrariis. At quid repugnat vna materia recipiens ſolum primas formas, alia verò ſecundas? §. 20.

Dico ſecundò. Non repugnat eamdem numero materiam recipere formas corruptibiliter, & incorruptibiliter informantes. Hęc ſentẽtia fuit communis priſcis philoſophis, quam amplectuntur Ocham, Ægidius, Bonauentura, apud P. Conimbr. ſupra quæſt. 6. art. 1. & Molinam, qui eam tuetur, 1. part. tractatu de opere ſex dierum, diſput. 4. vt congruentiorem ſacris litteris inſinuantibus cœlos factos ex aqua, cui aſſentiemur diſput. 3. quam æquè probabilem cenſent P. Conimbr. artic. 3. Probatur, quia nulla adducitur repugnantia. §. 21.

Dices hanc eſſe apertam; quia eadem forma corruptibiliter, & incorruptibiliter informaret: incorruptibiliter vt ſupponimus: corruptibiliter autem probo, quia materia exiſtens cum vna forma, ſi eſt capax alterius formæ, habet appetitum ad illam, ergo ſi accedat agens naturale, poterit producere in ea materia aliam formam, cuius eſt capax, ergo præcedens corruptibiliter informabat, quia eius vnio neceſſario ſoluitur per introductionem alterius: probatur antecedens, quia in tali caſu daretur potentia actiua cum ſubiecto capaci, ergo poterit operari. §. 22.

Sed non vrget argumentum, non enim ſufficit potentia remota paſſiua ad recipiendam aliam formam, quia illa poteſt impediri: quod contingit in caſu concluſionis, accidentia enim vnionis incorruptibilis, cum careant contrariis, repugnant per ſe ipſa accidentibus vnionis corruptibilis, per quam formalem repugnantiam redditur materia proximè incapax alterius formæ; licet remotè ſit capax illius. Neque verò cœlum ſuperius corrumpet inferius, quia accidentia propria cuiuſque cœli habent formalem repugnantiam cum accidentibus alterius; quæ accidentia nullum §. 23.

habent

habent contrarium. Qua propter vnum cœlum non poteſt generare aliud.

§. 24. Confirmatur primò, quia quantitas cœli eſt capax diuiſionis, quæ tamen proximè eſt indiuiſibilis, & irreducibilis in actum eius potentia remota, propter vnionem, quam habet cum materia cœli, ergo rectè poteſt impediri potentia remota materiæ ad aliam formam ne reducatur in actum.

§. 25. Confirmatur ſecundò ad hominem, quia quantitas per te eſt capax caloris, & frigoris, ſed in cœlo non poteſt recipere calorem, etiamſi adſit ignis, à quo poſſit produci, quia videlicet eſt impedita potentia remota quantitatis per accidentia cœleſtia, ergo per eadem accidentia poterit impediri potentia remota cœli materiæ ad formam. Confirmatur tertiò, quia materia ferri difficilius deponit ſuam formam, & eius accidentia, quam materia aquæ: quia quælibet forma ſecum affert accidentia ſibi accommodata, ergo forma incorruptibilis affert etiã accidentia apta ſuæ incorruptioni, quamuis ſubiectum remotè ſit capax aliarũ formarum. Cõfirmatur quartò, quia animus rationalis de ſuo conceptu potentiam habet liberam amandi Dei, quæ impeditur viſione beata. Immo homines beati ſunt de ſua natura mortales: tamen per dotem corporis beati impeditur mors, & potentia proxima moriendi.

§. 26. Dico tertiò. Nihil certum poteſt affirmari de conuenientia, aut differentia materiæ cœli Empyrei & ſublunaris; quia poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, & poſſunt eſſe diuerſæ, quid factum ſit neſcio, materiam vero cœli ſyderei eſſe eiuſdem ſpeciei cum ſublunari probabo d. 3.

§. 27. Dico quartò: admiſſa diſtinctione ſpecifica materiæ cœlorum à ſublunari, non different ſpecie materiæ cœlorum inter ſe licet materia compoſiti incorruptibilis vt ſic differat ſpecie à materia corporis corruptibilis: tamen poteſt dari vna materia, quæ reſpiciat diuiſim plures formas incorruptibiliter informantes: & habita vna non petit aliam, ſed totus eius appetitus ſatiatur vnica forma, ſicut animus rationalis reſpicit vnum corpus; at, ſi cum primum producitur animus, ei proponantur duo corpora æqualiter diſpoſita, ipſe vtrũque reſpiceret diuiſiuè, ſed poſſeſſo vno non appeteret alterum. Neque hic appetitus innatus conferendus eſt ad vnguem cum appetitu elicito, per quem appetimus ſub conditione bonum, quod quoquomodo poſſumus conſequi, vnde materia lunæ habens formam lunæ, non intelligitur appetere ſub conditione formam Solis. Vide P. Suarez diſput. 13. Metaphyſicæ ſect. 11. Caſu verò quod differant ſpecie materia cœli & ſublunaris, perfectior eſt ſublunaris, quia eſt capax formarum perfectiorum.

§. 28. Obijcis primò, materiam ſublunarem plus habere potentialitatis, quàm cœleſtem, ergo eſt minus perfecta. Nego conſequentiam, quia, licet ſit maior potentialitas, eſt tamen ad formas, & vniones perfectiores.

§. 29. Obijcis ſecundò, materiam cœli nobiliori informari modo. Sed hoc probat eam eſſe ſecundum quid perfectiorem ſublunari, non tamen ſimpliciter, vt contingit compoſitis ipſis. Ratio eſt, quia res tranſcendentalis eo plerũque eſt nobilior, quo terminum habet nobiliorem, vt cognitio de Deo perfectior eſt, quàm cognitio de creatura.

§. 30. Dico quintò. Poteſt dari vna materia, quæ tantum reſpiciat vnam ſpecie formam, quia nullam video repugnantiam.

§. 31. Dices, materiam corruptibiliter informatam reſpicere plures formas ſpecie; ergo eadem materia incorruptibiliter informata reſpicit plures formas incorruptibiliter informantes. Nego conſequentiam: eo enim ipſo quod materia corruptibiliter informetur, eſt capax qualitatum contrariarum, & formarũ, quæ dependent ab illis. Vnde implicat eam materiam reſpicere vnã ſolam formam: at verò materia incorruptibiliter informata, cum non ſit capax contrariarum qualitatum, poteſt limitari ad vnam ſolam formam.

SECTIO III.

Vtrum omnes cœli & Aſtra differant ſpecie?

PAtres Conimbr. lib. 2. cap. 5. quæſt. 2. art. 1. referunt authores opinãtes cœlos eſſe eiuſdem ſpeciei. Pro qua ſententia nullum video vrgens argumentum, nam plura accidẽtia ſimilia poſſunt conuenire indiuiduis diuerſarũm ſpecierum, vt albedo homini, & cygno; motus quoquouerſum homini, & bruto; ſimiliter lux, virtus influens, motus circularis, & globoſa figura conueniunt vnicuique cœlo. §. 32.

Qua propter arbitror omnes cœlos (ſi fortè diſtinguuntur) eſſe ſpecie diuerſos. Ita P. Conimbr. art. 2. cum S. Tho. & aliis quam pluribus. Probatur primo: quia quidquid conuenit indiuiduo vnius ſpeciei, poteſt conuenire aliis eiuſdem; ſed cœlo lunæ conuenit aliquid, quod non poteſt conuenire aliis cœlis, ergo differt ſpecie ab illis. Maior oſtendetur lib. de anima, minor probatur, quia cœlum lunæ petit ex natura ſua eſſe ſub cœlo Solis, & cœlum Solis petit eſſe quaſi centrum cœlorum omnium. Luna enim neque eius orbis à ſe non habet lucem vehementem, quam mutuatur à Sole, & Sol natura ſua deſideratur à cæteris orbibus, vt illius lumine perfundantur, & decorentur: vt enim cor totum corpus perfundit ſpiritibus vitalibus, quibus corpus pulchrum, ac robuſtum redditur, ita Solis beneficio cæteri orbes collucent. §. 33.

Confirmatur, ſi luna & Sol eſſent eiuſdem ſpeciei, tã lucida eſſet luna, quàm ille, quia neque Sol, neque luna habent contrarium, quo lumen impediretur: neque credendum eſt ea aſtra eſſe creata à Deo in ſtatu violento, ſed in ſtatu ſibi cõnaturali. Dices, Deum ſuſtuliſſe lunæ lucem vehementem, ne terras comburat. Sed hoc eſt ſine fundamento, quia licet luna lumine priuaretur propter eã cauſam, quam obſecro ob cauſam Iupiter & Saturnus eſſent priuandi luce cum longius diſtent à terra, quàm Sol? Denique cum cœli & aſtra poſſint eſſe diuerſæ ſpeciei, & id indicet tot accidentium, effectuúmque varietas, cur id negabitur? §. 34.

Dico ſecundò. Omnia aſtra tam fixa, quam errantia differunt ſpecie à ſuis orbibus. Ita P. Molina, 1. p. tract. de opere ſex dierũ diſp. 15. §. *alij arbitrantur.* Ac primum de luna probatur (idémque eſt de cæteris erronibus) quia non continuatur cum ſuo orbe, & petit motum ab illo diſtinctum, ergo. Probatur antecedens, quia luna intra ſuum Epicyclum (id eſt circulum, quo quaſi ſepitur vnumquodque aſtrum) habet diſtinctum motum circularem, quaſi gemma, quæ non ſolum mouetur cum ipſo annulo, ſed etiam agitatur intra illius palam, vt aſſerunt Patr. Conimbr. ergo luna petit natura ſua aliquid, quod non conueniat ſuo orbi; quod argumentum vim habet in opinione adſcribente cœlis motum; quem ipſi exigunt ex natura ſua, & quidem ſi eſſet eiuſdem ſpeciei cum illo, etiam §. 35.

eſſet continua cum illo, ſicut ſunt cæteræ partes orbis.

§. 36. Secundò probatur vniuerſim; quia Sol, Luna, & cætera aſtra petunt natura ſua maiorem denſitatem, & lucem intenſiorem, quàm ſui orbes, ergo differunt ſpecie: patet conſequentia, quia denſitas oritur ex intrinſeca cuiuſque natura, non vero ex ſola extrinſeca voluntate Dei. Confirmatur; quia Vrſa minor (vulgo *el norte*) habet peculiarem influxum in magnetem, quo illum videtur ad ſe trahere, qua propter acus, quam tetigit magnes, non quieſcit, niſi è regione ſe ſiſtat Vrſæ minori: vnde per acum horas dignoſcimus, & nautæ dirigunt naues, ſed hunc influxum non habent cætera aſtra: ergo Vrſa minor differt ſpecie ab illis. Hócque patet ex diuerſitate effectuum, quos errones cauſant, Saturnus enim frigiditatem influit, & melancholiam, quapropter partus octimeſtres ſunt infælices, quia fœtus perimuntur inclementia Saturni octauo menſe regnantis in fœtus, Iupiter autem eſt benignus propter temperatum calorem, quem influit. Mars cenſetur ferox propter calorem, & ſiccitatem, quæ bilem excitant, quapropter bellorum Deus. Venus autem cenſetur impudica, quia eius influxus ſanguinem auget, & fouet, qui eſt parens lætitiæ, & luxuriæ. Mercurius autem cenſetur mercatorum, & ſcholarum Deus, quia influit ſubtilitatem ingenij, qua mercatores, & ſcholaſtici egent, ergo omnia hæc aſtra differunt ſpecie.

§. 37. Dices, in viuentibus eamdem numero formam petere diuerſas diſpoſitiones, in oſſibus, verbi gratia, duritiem; in carne flexibilitatem, ergo ſimiliter cœlum in diuerſis partibus exiget diſpoſitiones diuerſas.

§. 38. Contra: quia oſtendemus libris de anima heterogeneas partes viuētium ſpecie incompleta differre. Deinde, id non poteſt conuenire aſtris errantibus: quia non cōtinuantur cum ſuis orbibus, neque cum illis faciūnt vnum per ſe, ſicut viuens. Deinde, neque aſtris fixis id poteſt conuenire, nam ſicut aſtra oberrātia ſunt entia completa adæquatè diſtincta à ſuis orbibus, quidni & fixa? ſolúmque ſit diſcrimen, quod fixa petunt certas partes orbis, errantia verò totum diſcurrunt. Deinde in viuentibus longè eſt alia ratio, quia anima petit corpus organicum ad varia vitæ munia, éſtque proprius viuentium hic organorum apparatus, cœlum autem non eſt viuens: ergo.

§. 39. Dico tertiò. Aſtra fixa inter ſe ſpecie differunt. Primò, quia Apoſtolus, primo Corinth. 15.41. ait, ſtellam differre à ſtella in claritate, loquitur autem Apoſtolus de ſtellis firmamenti. Prius enim dixerat aliam eſſe lucem Solis, aliam lunæ: ergo ſtellæ firmamenti non ſunt æquales in claritate: ſed illa inæqualitas oritur ex inæqualitate eſſentiæ, nam vnaquæque ſtella habet ſtatum ſibi debitum: ergo ſtellæ fixæ ſunt inæquales in eſſentia. Secūdò, quia Vrſa minor eſt ſtella fixa, & habet aliquos effectus, qui non poſſunt oriri ab aliis fixis, vt magnetem allicere: ergo Vrſa minor differt ab aliis, vnde colligimus cæteras ſtellas habere peculiares effectus, licet nobis ignotos.

§. 40. Rogas, quo pacto ſint aſtra in ſuis orbibus? reſpondeo aſtra fixa eſſe quaſi inciſa, & ſculpta in ſuis orbibus, ſicut nodus in tabula: quæ aſtra non eminent orbi, ſed cum illo efficiunt quaſi pauimentum æquale. Vtrum vero errones ſint ſupra vlimam ſuperficiem, ſupra quam rotentur, ſicut globus ſupra terram, an verò includantur in ipſis orbibus, diſput. 2. inquiretur.

SECTIO IV.

Vtrùm cœlum ſit animatum?

PAtr. Conimb. lib. 2. cap. 1. quæſt. 1. a. 1. referunt nonnullos antiquos philoſophos opinātes cœlos eſſe animatos, quibus ſubſcripſiſſe videntur Auguſtinus, & alij Patres. Sed Auguſtinus pedem retraxit à priori ſententia. Patres verò non tam è proprio Marte, quàm è Platonico loquebantur, vel poſſunt exponi de anima tranſlatione, quatenus cœlum ab intelligentiis gubernatur: omniáque argumenta, quæ poſſunt afferri pro cœli animatione, exponuntur de extrinſeca Angeli aſſiſtentia. Porro orbes cœleſtes non eſſe animatos, conſonantius eſſe Fidei, rectè oſtendunt P. Conimbr. ſupra. Quæ ſententia probatur primo: quia nullum reperitur veſtigium talis animationis, quia motus, quem habent cœli eſt ab extrinſeco motore: vel ab aliqua qualitate illis propria: ſicut ignis cietur leuitate: deinde varietas aſtrorum non arguit animationem, ſed vel ſpecificam diſtinctionem inter ſe & orbes, vel vt plurimum partes mortuas variè accidentales, vt cernitur in iaſpide, marmore. §. 41.

Deinde, cœli non habent altricem facultatem, tum quia ſunt incorruptibiles, tum quia ex continuo incremēto in dies augeſcerent cœli, & ſe porrigerent in latiorem locum, & quotidie excremēta defluerent. Neque habent vitam ſenſitiuam, tum quia hæc indiget calore, cuius eſt incapax cœlum, tum quia cœlum caret organis, ſenſionibus aptis, quis enim dicat cœlum videre, aut audire? cum nec vel leuiſſimum veſtigium ſit talium operationum: tum etiam, quia propter rapidiſſimam velocitatem, qua circumferuntur, nihil poſſent ſentire. Experimur enim vehementi circumuolutione non poſſe ſenſus ſe exercere, quapropter animal, quando circumagitatur, penè exanimatum concidit. Tandem quia cœlum defatigaretur continua agitatione. Neque item cœlum eſt intellectiuum, tum, quia Angelus, & homo tantum, ſunt procreati ad videndum Deum, neque res omnino materialis poteſt intelligere. Neque cœlum eſt capax meriti, aut demeriti. Neque eſt neceſſaria cœlorum animatio ad effectus rebus inferioribus præſtandos. §. 42.

SECTIO V.

Vtrum cœli ſint corruptibiles?

HAc de re eleganter diſputant Patr. Conimbricenſ. lib. 1. cap. 3. quæſt. 1. partem affirmatiuam ante Ariſtotel. ſequuti ſunt Philoſophi & poſt illum non pauci, quibus ſubſcribit noſter Martinus del Rio in primum caput Geneſeos adducens plures pro ſe Patres, quod tenentur fateri omnes qui adſtruunt cœlos eiuſdem rationis cum elementis. Argumentum poteſt eſſe primum, quia aliquæ partes ſunt denſiores, aliæ rariores, ergo ſunt corruptibiles cœli. Verum antecedens eſt falſum, & conſequentia mala: cœli enim ſunt fuſiles velut æs, teſte Iob, fuſilia autem eamdem habent raritatem, aut denſitatem, niſi fortè per accidens reſpectu alicuius cauſæ: at ſolus Deus cœlos fudit, ergo illos excudit æquales. Deinde non repugnat incorruptibilitas cum maiori, & minori raritate, omnes enim diſpoſitiones ſunt ſine contrario. §. 43.

Secun

§. 44. Secundum poteſt eſſe: quia aliquando dantur in cœlo tranſmutationes ſubſtantiales, vt conſpeximus anno 1572. in noua ſtella Caſſiopea, quæ biennium integrum durauit per quod pauliſper decreuit, de qua diſſerunt P. Conimb. art. 4. Sed quidem illa ſtella fuit noua, portendens Luſitanam cladem cum Rege Sebaſtiano, apud Africanos Mahumetanos, quæ miraculoſa fuit, ſicut ſtella, quæ Magos deduxit Bethlehem, neque fuere verè cœleſtes ſed ex nubibus compactæ. Quod ita confirmo: ſi illa fuit natura cœleſti, & biennio materiam abſumpſit, ergo abſumpſit aut materiam cœlicam, aut elementarem. Non primam; nam biennio tanta materia cœli deflagraſſet, vt eius foramina nulla alia materia poſſent ſarciri. Nam ad id alia, & alia eſſet euocanda ex igne, & aëre: alioquin toti cœli commutarentur: elementaris autem materia nec biduo poſſet ſuppetere, quid dicam biennio, tam voraci igni: qui totum inferiorem orbem ſine comparatione magnitudine ſuperauit. Miror autem cur Aſtronomi non prouiderint materiam tam ingenti rogo, equidem nec illi ſufficeret mundus totus: nec hic illius cineres cepiſſet.

§. 45. Dices primùm, ſi Caſſiopea fuit coagmẽtata ex aëre; qua ratione potuit eſſe maior toto orbe inferiore? Reſpondeo primùm, eam fuiſſe neceſſariò maiorem ex eorum ſententia Aſtronomorum eam conſtituentium in octaua ſphæra prope Caſſiopeam: in quorum ſententia non fuit ex aëre compacta; ſed fuit vera pars cœli: cum ergo tanta futura fuiſſet Caſſiopea, non ſuppetiuiſſet illi pabulum, quod aſſumeret biennio. Licet enim tam parua apparuerit, tamen bienni voracitate rupiſſet cœlos; & inferiorem orbem oppleſſet cinere.

§. 46. Dices ſecundò, eam verè fuiſſe in octaua ſphæra: nec enim contingere potuit Paralaxis, ſiue oculorum deceptio; conſpecta enim fuit vndique terrarum ſeruans eamdem diſtantiam à Caſſiopea; nec fuit viſa in diuerſis poſitionibus. Reſpondeo eam miraculo ibi repoſitam; compactam ex aëre fulgore ſuperantem defectus magnitudinis. Etenim corpus minus poteſt apparere maius quàm aliud maius, propter luminis intenſionem, & ſubiecti raritatem. Voluit enim Deus miraculo monere mortales, vt ipſum timeant, ac ſibi prouideant.

§. 47. Tertium poteſt eſſe, quia aliquandò cœli ſoluentur, ergo ſunt corruptibiles. Diſtinguo antecedens; ſoluentur ex natura ſua, negatur; miraculoſè, tranſeat; inde negatur conſequentia, quia incorruptibiles dicuntur ex eo, quod petunt ex ſua natura: non verò in ordine ad omnipotentiam.

§. 48. Itaque cœli ſunt natura ſua incorruptibiles, probatur primò ex communi authorum conſenſu. Secundò, quia ſi luna eſſet corruptibilis, proculdubio damnum aliquod accepiſſet ab igne, cuius voracitas aut integram lunam, aut bonam ipſius partem abſumpſiſſet, ſicut abſumit partes viciniores aëris, licet ſit ſummè humidus, mutuoque pugnarent ignis & luna: cumque ignis ſemper adhæreat lunæ, & ſit potentior quàm illa, illam vinceret; vel ſi eſt impotentior vinceretur à toto concauo lunæ. Deinde cœlum non habet humiditatem, nec ſiccitatem, neque influit illas qualitates, quia eas habeat formaliter, ſed eminenter. Tertiò, quia ſi cœlum eſt corruptibile, ergo ab aliquo agente naturali poteſt corrumpi, ergo illa potentia eſſet reducta in actum per tot annorum millia, atque ita cœlum non eſſet aptum ad continentem, & perpetuam mundi gubernationem. Adde poſſe dari vnionem materiæ & formæ, quæ petat non corrumpi, ſicut vnio quantitatis cum materia, & ſubſiſtentiæ cum anima: ſed ſi hoc poteſt eſſe, id de facto eſſe petit mundi longæuitas, & æternitas qua duraret ſi permitteretur, ergo cœli habent huiuſmodi vnionem.

Inter Theologos ſolet controuerti an diuinitus cœli ſint diſſoluendi nec ne? Diſputatione 3. oſtendemus cum P. Molina cœlos corruptum iri extremo Iudicij die, quod apertè prædixit Chriſtus Matthæi 24. n. 29. *Stellæ cadent de cœlo & virtutes cœlorum commouebuntur.* vbi celeberrimus noſter Maldonatus cum aliis patribus cenſet, ſolem re ipſa in ſe eſſe obſcurandum, vt enim Chriſto intereunte, veras in ſe paſſus eſt tenebras, ita Chriſto iudicante, eaſdem eſt repaſſurus, cui conſentit Chryſologus ſerm. 82. in hæc verba. *Sol igitur, qui vt ſuo commoreretur authori meridianam ſuam mortificauerat claritatem, vt autori ſuo conſurgeret euictis tenebris antelucanus erupit*; vbi *commori* & *mortificare*, plus ſignificat quam quod vulgo dicimus *occidere ſolem*, *occidere* enim dicitur *à cadendo*, quia cũ Antipodes petit ſub noſtros pedes videtur deuolui. Item ſtellæ re ipſa cadent è cœlo. *Magis enim* (inquit Maldonatus) *aſſentior Chriſto affirmanti, quàm Ariſtoteli id fieri poſſe neganti.* §. 49.

Et quidem ex contextu euangelico non obſcurè deprehenditur: ibi enim Chriſtus recenſet arma, quibus vniuerſus orbis bellum inferet flagitioſis, terra enim commouebitur, & contremiſcet ab ira Dei, mare crebris fluctibus, & mugitibus expaueſcet, atque hominibus terrorem incutiet; aër peſtilentia laborans homines inficiet, ignis inferiores orbes comburet: reſtat nunc recenſere arma cœleſtia diſtincta ab inferioribus, & quæ augeant ſua magnitudine præteritorum horrorem, quapropter virtutes cœlorum commouebuntur, & ſtellæ ingenti impetu cadent de cœlo, in quo apparebunt ſtellarum rupturæ, vt tam incredibili rerum nouitate homines obſtupeſcant, ſeroque cognoſcant quam terribile ſit dereliquiſſe Deum factorem ſuum, & incidere in manus Dei viuentis, neque mirum, quia teſte ſcriptura, *pugnabit pro eo vniuerſus orbis contra inſenſatos*; & quidem ſtellarum fragmenta penetrabuntur ſecum, & cum terra; poſtea verò cœleſtes orbes diſſoluentur, & fient alij ſeptuplo lucidiores. Modus autem erit quia illorum materia ex ſe eſt capax caloris: quo intenſo ſummè, inducimur forma ignis natura ſequens diſpoſitionem vltimam, eritque cauſa formalis expellendi formam cœli, quæ cum alia ſubſtantiali componi non poteſt in eodẽ ſubiecto. §. 50.

DISPVTATIO II.

De Cœlorum proprietatibus.

SECTIO I.

Cœlorum, & Aſtrorum numerus.

HAc in parte acriter diſſident authores graues: vtrorumque ſententias expendam: rem in medium proferens: eam vos ſuæ rationis pondere penditote. §. 1.

P. Conimb. 2. de cœlo cap. 5. q. 1. art. 1. & 2. affirmant eſſe vndecim cœlos diſtinctos: infimum eſt cœlum Lunæ, ſecundum Mercurij, tertium §. 2.

Veneris, Quartum Solis, Quintum Martis, Sextum Iouis, Septimum Saturni, Octauum Firmamentum ſiue Stellatum, Nonum primum mobile, ſiue aqueum vel cryſtallinum, Decimum glaciale, Vndecimum Empyreum.

§. 3. Huius aſſertionis neque graues, aut multos afferunt authores: neque firma fundamenta. Ariſt. enim octo tantum agnouit ſphæras, & octauam cenſuit eſſe primum mobile. Aſtrologi ſibi videntur commonſtrare octo cœlos propter octo diuerſos motus, vnum firmamenti, ſeptem vero ſeptem planetarum: vnde inferunt eſſe nonũ cœlum; quod ſit primũ mobile: quia octo cœli habent duos motus, alterum ab Oriente in Occidẽtem, qui vocatur *motus rapidus*, quia nona ſphæra eo motu ſecum rapit octo ſphæras inferiores, itidẽ vocatur *violẽtus* nec nõ & diurnus: quia viginti quatuor horis motus ille peragitur ab Oriente in Occidentem: alter motus eſt peculiaris cuiuſque ſphæræ inferioris, & illi connaturalis, eſtque ab Occidẽte in Orientem, qui peragitur per multa annorũ milliaria. Poſt hos Albategnius Arabs, deinde Thebitius, poſtremo Alphonſus Caſtellæ Rex obſeruarunt motum *trepidationis*, ex quo deducunt decimam ſphęram mobilem, ratione cuius conueniat cæteris cœlis trepidatio; quia duo motus non poſſunt per ſe ſimul conuenire eidem corpori, ſed vnus per ſe, & alter per accidens ratione alterius corporis, vt cum quis naui defertur.

§. 4. Huic Aſtronomorum ſenſui refragãtur nõnulli Eccleſiæ Patres, quos adducam inferius, nec fundamentũ ſuffragatur. Primum, quia nona ſphæra, ſiue primũ mobile incognita fuit Ægyptiis, & Ariſtoteli (vt ipſi referunt P. Conimb.) à quibus cæteri Aſtronomiã didicere. Cũ ergo illi perfectè oſtenderint aſtrorũ motus ſine ſphæra nona, cur & nos id nõ præſtabimus? Si autem dixerint nouis ſe motibus motos; Reſpondeo alterum è duobus: aut antiquos non rectè aſtronomiam calluiſſe; quia eos motus ignorarunt (quod videtur abſurdum,) aut ſine tot ſphæris eos motus poſſe componi.

§. 5. Secundò, quia cœlis nulla latio eſt violenta, nec naturalis vlla, ergo male diuiditur illorum motus in violentum, & naturalem. Probatur antecedens, quia cœli ex ſe nullum exigunt motum, tota enim ratio propter quam cæli mouentur, eſt luminis, & cœleſtium influxuum diſpẽſatio, è qua nullum ipſi capiunt emolumentum, lucem enim vnicuiq; corpori cœleſti neceſſariã diſpertitur Sol, aut cœlum Empyreum; corpora autem inferiora indigent cœlorum circumuectione, cuius argumentum eſt intelligentia motrix. Si enim cœli natura ſua lationem poſtularent, eam haberent ab aliquo principio innato, vt grauia, leuia, & viuentia: neque cœli quieſcerent poſt Iudicij diem, alioquin tota æternitate futuri eſſent violenti.

§. 6. Deinde eſto, ſit neceſſaria cœlo aut inferiori mundo duplex illa latio; rogo quorſum exigatur primũ mobile? Nam octaua ſphæra cietur à ſua intelligentia, & ſphæræ inferiores à ſuis propriis; neque enim motus orbis ſuperioris ſecum trahit inferiores: ſicut enim ſphæra immediata cœlo empyreo mouetur empyreo immoto, ita poterit moueri octaua ſphæra cæteris immotis: cum ergo iſti motus veniant ab intelligentiis; quorſum requiritur nonum cœlum, à quo oriantur? Nam quem motum efficit cœlum ſuperius in inferiori, poterit efficere intelligentia ſe ſola, ſi quidem illum per te efficit medio cœlo ſuperiori.

§. 7. Dicunt Aſtronomi, quia eidẽ corpori non conueniunt per ſe duo motus: vnde oportet vt alter ei conueniat ratione ſui: alter ab alio corpore. Contra primo: quia eidẽ corpori conueniunt per ſe plures motus locales, vt homini, qui per ſe mouetur motu grauium, & motu viuentiũ, quæ habẽt plura genera lationum. Secundo, quia licet eidem corpori inanimato non conueniat eſſe principium actiuum plurium lationum, conuenit tamen eſſe paſſiuum. Vnde cum cœli paſſiuè tantum cieantur, habebunt principium plurium lationum. Deniq; ſicut tu ais motum raptũ oriri à primo mobili, & trepidationem à cœlo glaciali, ego dico eoſdem motus oriri ab vna, vel pluribus intelligentiis, & ſic ſine fundamento inuehitur cœlorum multitudo.

§. 8. Adde hæc, quæ vulgo iactantur de cœlorũ motibus ſect. ſecunda ſunt Lydio lapide examinanda, continẽt enim aperta in philoſophia abſurda: corruente igitur hoc fundamento totam machinam cœlorum multitudinis prolabi neceſſe eſt.

§. 9. Deinde colligunt Aſtronomi octo cœlos ex ſeptem planetis & ſtellis fixis. Porrò leue eſſe hoc argumẽtum oſtendo; quia in eodẽ cœlo poſſunt eſſe plures planetæ, aut errones, ſiue ſtellæ oberrantes. Nam, cum cœlum ſit latæ profunditatis, poſſunt in medio corpore partes aſſignari diuerſæ, vbi ſint errones: & ex varia eorum gyratione per eas partes, efficiunt varios aſpectus, atq; cõgreſſus: non minus quam ſi eſſent in cœlis diuerſis, ergo non ſunt multiplicandi cœli, quia in Philoſophia ſine neceſſitate non admittitur rerum multiplicitas; omnes autem Aſtronomicæ demonſtrationes ſtant cum paucitate cœlorum, dum aſſignentur diuerſæ partes curſibus planetarum.

§. 10. Hoc quidẽ probat Aſtronomus: at ſingulos planetas ſingulos ſibi cœlos vẽdicare vnde probat? Et quidem qui aiunt tot eſſe cœlos, quot planetas, ſic videntur nobiſcum conſentire, vt ſinguli planetæ ſingulas habeant partes, aut ſuperiores, aut inferiores, quæ denominentur ab ipſis planetis, ita vt vltima ſuperficies cœli, in qua conſpicitur luna, appeltur *cœlum lunæ*, ea verò parte, per quã gyrat planeta Mercurius, vocetur *ſecũdum cœlum*, ſiue *cœlum Mercurij*, &c. Sicut aër à nobis tripartitur in regionem aëream, quæ eſt nobis vicinior; & olympicam, quia cacumen tangit olympi; & æthercam, quia eſt propior igni, nec tamen propterea tres aëres diſtinctos adſtruimus. Idem omnino cœlo contingit.

§. 11. Nec poſſunt Aſtrologi oſtẽdere niſi octo partes cœli, vnam infimã, alias ordine ſuo ſuperiores: eas autem eſſe partitas in octo cœlos diſtinctos non probant, alioquin iam eſſent adnumerandi ſex alij noui cœli: Gallilæus enim de Gallilęis teſtatur obſeruatos eſſe ſex alios planetas, ſiue errantes ſtellas: quas ipſe in honorem Magni Etruriæ Ducis, ſui Mæcenatis, *Aſtra Medica* appellat: prope Iouem quatuor obſeruat; duos Saturno vicinos. Nec cõſtans eſt Aſtrologorũ ſenſus: etenim Tracaſtorius negat epicyclos: ſine quibus ſiderũ motus oſtendit poſſe componi. Quid autem dicam de Nicolao Copernico, totum inuertente mundum?

§. 12. Huic noſtræ ſententię adſtipulantur apertè plures Patres, Chryſoſt. hom. 4. in Gen. his verbis; *Et quomodo dicunt aliqui factos multos cœlos? non ex diuina ſcriptura hoc didicerunt, ſed ex ſuis opinionibus, vt ita dicam, impelluntur.* Quod ibidẽ confirmans ſubdit: *Quis igitur poſt tantam doctrinam ferret eos, qui ex ſuo capite loqui, & contra diuinam ſcripturam multos cœlos dicere audent?* Vbi reſpondet argumentis factis pro cœlorum multitudine. Et Amb. 2. Hexam. cap. 2. & 3. tres tantum annumerat cœlos, quos infra admittemus.

§. 13. Hos patres exponit S. Thom. 1. p. q. 68. art. 4. de pluralitate

pluralitate corporum diſtinctorum ab his, quæ includuntur in cœleſtibus ſphæris, ita vt non ſit alius mundus præter hunc. Verum S. Tho. præ modeſtia hanc explicationẽ addit, ne aperte videatur ab his Patribus diſcedere, in quos talis explicatio non caret difficultate: tum, quia Ambroſius apertè diſputat contra aſſertores aliorum mundorũ: qua diſputatione abſoluta, aliam inſtituit de cœlorũ pluralitate, & diſtinctione firmamenti à cœlo, quod primum produxit Deus. Et affirmat ſe non poſſe negare tres cœlos, quia Apoſtolus dicit ſe raptum ad tertium, inter quos connumerat aërem, ergo non loquitur Ambroſius de aliis mundis, alioquin tres mundos conſtitueret.

§. 14. Chryſoſt. vero non meminit alterius mundi, ſed corporis cœleſtis: diſtinguit enim cœlum à terra, & de cœlo diſputat, vt de parte mũdi diſtincta. Adde Theodor. q. 12. in Gen. ſic aientem. *Qui igitur non credit ſecundum eſſe cœlum, ſemitam rectam tranſgreditur, qui verò plures numerare conatur, adhæret fabulis, poſtpoſita diuini ſpiritus doctrina.* Agit autem Theodoretus de cœlis incorruptibilibus, non de aëre. Baſilius autem in Hexameron duos cœlos admittit homilia 1. immo & tres, hoc autem tertium in fine homiliæ ait eſſe aërem. Nec plures admittit cœlos; immo irridet eos, qui ſeptem orbes inter ſe immixtos, & incluſos more plurium cadorum, aut vaſculorum, aſſignant ſeptem erronibus. Refert enim totam illorum ſententiam de numero, & muſica
§. 15. cœlorum: eam autem explodit.

Et S. Clemens Romanus, recognitionum lib. 2. fine, refert ex S. Petro hæc verba. *Vnum quidem confiteri conuenit Deum, qui verè eſt, cœlos autem eſſe, qui ab eo facti ſunt. Quorum vnum cœlum ſit ſuperius, quo continetur,* (ideſt ſub quo clauditur, vel cõcluditur) *etiam viſibile firmamentum: illud eſſe perpetuũ, & æternum* (ideſt à parte poſt) *cum his, qui habitant ibi, iſtud autem viſibile in conſummatione ſæculi reſoluendum &c.* Vbi Apoſtolus duos cœlos diſtinguit, Empyreum, & firmamentum; illud ait relinquendum, hoc interiturum. Hanc autem eſſe Apoſtoli mentem colligitur ex tota diſputatione cum Simone Mago, nam lib. 3. in ipſo ferè principio enarrans Clemens exordiũ alterius diſputationis habitæ die ſequenti, hæc ait dicta eſſe à Simone Mago diſputationem ordiente à fine præcedentis, *nolo me verbis occupes Petre, repeto abs te, quæ heſterno promiſeras: dicebas enim oſtendere te poſſe, quia lex doceat de immenſitate lucis æternæ, & quod duo tantum ſint cœli, & ipſi creati.* Hęc retulit Simon, quem propterea non reprehendit Petrus vt ſolebat vel minutiſſima quæque mendacia illius Magi confutare. Et libr. 3. fine enumerans Clemens librorum argumenta, ſic ait, *quintum, quod duo ſint cœli, aliud &c.*

§. 16. Itaque tres ſunt cœli ex horum Patrum ſenſu; primum vocatum *Aëreum*, quod vocat aliquando Ambroſius *ferreum*, includitq; aërem, & quidquid interiicitur inter vltimam ſuperficiem terræ & concauum lunæ: ſic dicitur in ſcriptura, *volucres cœli, pluuia de cœlo, & catharactæ cœli.* Secundum cœlum eſt *ſtellatum*, continens ſtellas in octaua, & ſuprema parte, quæ ab Aſtrologis vocatur *firmamentum*, ſeu *octaua ſphæra*, vel *Aplane*, continetque lunam in vltima ſuperficie concaui; in medio autem cæteros planetas. Tertium eſt cœlum *Empyreum*, de quo dicitur Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram*, vt exponunt P. Martinus del Rio, & Pereira ibidem, & Molina 1. p. de opere ſex dierum, de quo cœlo agemus diſput. 3.

§. 17. Hos tres cœlos admittit Ambroſius, ſicque P. Molina exponit Paulum aſſerentem ſe raptum vſq; ad tertium cœlum. Neque in ſcriptura, aut Patribus inuenitur fundamentũ ad plures cœlos; oportetque Aſtrologos ſe ſubiicere Patribus. Quod ſi aliquando ſecundũ cœlum dicitur plures cœli, intellige plures partes eiuſdem cœli. Equidem ita eſſe colligitur ex Dauide canente *cœlum cœli Domino, terram autem dedit &c.* Ideſt cœlum Empyreum, quod dignitate præſtat alteri cœlo, eſt ſedes Domini, vbi ſe clarè beatis oſtendit; & dicitur inhabitare. Monet autem B. Chryſoſtomus non eſſe intelligendos plures cœlos, quia in ſcriptura dicitur. *In principio creauit Deus cœlos, & terram:* quia cœlum apud Hebræos caret ſingulari, vt *Athenæ* apud Græcos.

Sed ſe offert quædam grauis difficultas, quo pacto errones per cœlum moueantur? Nam ſi ſunt §. 18.
incluſi in ipſo corpore cœli, ſequitur vnum è tribus: ſcilicet cœlum continuo diſſecari & diuidi, vel duo corpora penetrari, vel cœlum eſſe excauatum: nullum autem ex his fieri poteſt, ergo non eſt tantum vnum cœlum ſtellatum. Probo non poſſe cœlum diuidi, tum quia eſt fuſum ſicut ex ære, fuſilia autem non diuiduntur: tum ex eius incorruptibilitate, nam ſicut Angelus trahendo Solem per orbem, illum interſecat, ſimiliter eumdem poſſet aſcia diſſecare, & in minutas partes comminuere, atque inde corrumpere. Adde ſcripturam affirmare cœlos eſſe ſolidiſſimos.

Item probo non poſſe penetrari; nam effectus §. 19.
formalis quantitatis eſt reddere corpus impenetrabile, eſtque maximum miraculum, & vna è quatuor gloriæ dotibus penetrabilitas, quã Theologi *ſubtilitatem* vocant, tum etiam, quia ſi cœlum eſſet penetrabile, non eſſet firmamentum, quod ſignificat & *firmitatem* & *expanſionem*. Probatur, quia quæ ſunt penetrabilia, facillimo negotio ſe penetrant, & coëunt in eumdem locum, vnde cœli penetrarentur cum igne, & non poſſent circulariter moueri tanto impetu. Quin etiam cum Empyreo penetrarentur, immo & ipſæ partes ſe penetrarent, quia vna non reſiſteret impulſui alterius, ergo Sol non ſe penetrat cum ſuo orbe.

Iam verò probo non poſſe cœlum eſſe excauatum, §. 20.
tum, quia daretur vacuum, quod exhorret natura; tum etiam, quia cælum non eſſet cõtinuum cum eſſet diſſectum per illas cauitates. Sed certè leuia ſunt hæc argumenta. P. Conimb. qui hos ſurculos maximè aſpernantur, fatentur angulos cœli empyrei, licet corpore vacent, non eſſẽ vacuos proprie, quia vacuum *eſt locus vacans corpore, aptus illo repleri*, ſed illi ſurculi non ſunt apti repleri ex natura rei, ſicut anguli cœli empyrei, ergo propriè non ſunt vacui; tantùm enim petunt vnum corpus, quo repleatur aliqua ſurculorum pars, & totus ſurculus repleatur ſucceſſiuè, non tamen totus ſimul, quod præſtatur per ſingulos planetas, atque adeo non datur vacuum propriè. Neque item ſequitur abſurdum ſecundum; cœlum enim cõtinuatur per ſuperficies conuexas eorum canalium, item & per concauas, ſicut enim in cœlo lunæ datur iſta cauitas, quæ capiat mundum inferiorem, & tamen illud cœlum eſt continuum, & ſicut in tua ſententia cœli ſuperiores habent cauitates, quibus capiunt cœlos inferiores, & hoc nullum cenſetur abſurdum, cur erit abſurdum in eodem corpore cœleſti conſtituere huiuſmodi cauitates, atque canales? cœlum enim eſt fornicatum, & iſti canales ſunt quidam quaſi fornices, arcuſque triumphales, per quos Planetæ triumphant, & ſuam pulchritudinem oſtentant. Quod mirum in modum confert ad cœli pulchritudinem.

Neque

§. 21. Neque hoc mirum alicui debet accidere;habent enim corpora humana perplures cauitates incluſas, apprimè neceſſarias variis vitæ functionibus, & quidem ſine diſpendio humanæ pulchritudinis, ita & cœlum ſuas habet. In quam ſententiam lubentius propendere quis poterit, quo in omnium opinione videtur huiuſmodi ſurculos conſtituendos eſſe; admitto enim diſputationis ergo diſtinctionem cœlorum,rogo vtrum Sol ſit incluſus ſuo orbi ſicut nodus? An verò ſit illi eminens, ſicut globus ſupra menſam?Hoc vltimum eſſe non poteſt,quia cum Sol interponatur inter ſuum cœlum & cœlum Veneris, ſequitur apertè illos duos cœlos non eſſe contiguos,ſed diſſitos,è quo plura, & clara ſequuntur abſurda;ſi vero Sol eſt incluſus ſuo orbi, non poteſt moueri per illum motu ſibi proprio, quin vel illud ſcindat, vel cum illo penetretur,vel habeat canales,per quos vehatur.

§. 22. P. Chriſtophorus Clauius, è noſtra Societate Euclides alter, ſe expedit ab hac difficultate in ſua ſphæra; affirmans, errones ita vocari, non quia habeant diſtinctum motum à motu ſui orbis, ſed quia apparent in diuerſis diſtantiis, quod prouenit à motu ſui orbis. Itaque in ſententia P.Clauij ſtellæ errantes fixæ ſunt in ſuo orbe, ſicut ſtellæ firmamenti; vnde poſſunt planetæ moueri cum ſuo orbe ſine ſurculis, aut penetratione, aut diuiſione cœli.

§. 23. In qua reſponſione oſtendendum eſt qua ratione orbi deferenti planetam conueniat motus naturalis ab occaſu in ortum, quem multis peragit annis: planetæ enim conuenient ea ratione duo motus naturales: alter ab occaſu in ortum; alter erraticus. In ſententia autem admittente *Aſtra Medica* admittenda videtur hæc cauitas aut diuiſio, aut penetratio: niſi ſex nouas ſphæras velis admittere: quia hæc Aſtra diſtinctum habent motum ac Saturnus,& Iupiter.

§. 24. In illis canalibus incluſi planetæ contingunt ipſum cœlum per partem infimam, & ſupremam, neque enim totum cœlum perforatur, nam planetæ ſunt perfectè ſphærici, & ſunt valde minores cœlo, atque ita non exigunt tantū foramen,quantum cœlum eſt, ſed exiguum comparatione cœli. Quod ſi hæc minus arrident (ſunt etenim aliena à communi Aſtronomorum opinione, nec niſi ſoluendi difficultates, & argumenta cauſa, propoſui) facile ſe expediunt Græci Patres admittentes cœli corruptibilitatem,& ſectionem planetarum rotatione. At licet ſindantur, dici etiam poteſt, eos non eſſe corruptibiles, vt materia prima eſt incorruptibilis, quamuis ſit diuiſibilis. Nec ea ſectione corrumpitur vlla pars materiæ, aut formæ cœlicæ, ſed tantum indiuiſibilia continuantia: planeta autem progrediente continuantur partes cœlicæ, vt aquæ prætergrediente naui. Quo vis adimitur argumento à me facto diſp.1. §.9.

SECTIO II.

Cœlorum figura, magnitudo, & Aſtrorum numerus.

§. 25. DE ſtellarum numero multa comminiſcuntur Aſtrologi: ſunt enim 1022. quas ipſi cognoſcunt: hinc negant eſſe plures,ſed non bene: tum quia Galaxia,ſiue circulus lacteus,conſpicitur propter infinitudinem ſtellarum, quarum luce affunditur,tū præcipuè,quia ſcriptura indicat ſtellas eſſe innumerabiles: cum enim vult ingentem aliquam multitudinem ſignificare,eam cōparat ſtellis cœli, & arenæ maris.Eſſet autem inepta comparatio,niſi ſtellæ ſint quamplurimæ. Dicunt,nomine ſtellarū intelligi radios lucis,qui nobis videntur eſſe ſtellę. Contra, quia ſcriptura in proprio ſenſu eſt accipienda, vbi non deprehenditur abſurdum in ſenſu litterali. Deinde poſſemus etiam contra eos affirmare eos non ſtellas,ſed radios lucis videre. Deinde vnde ſciunt ipſi non eſſe plures ſtellas, quàm quas ipſi norunt cum poſſint eſſe aliæ per plures, quas non videmus,vel propter remiſſiorem lucem; aut exiguitatem, vel raritatem materiæ?

De Aſtrorum magnitudine Aſtrologi ita aſſignant minuta grana,quibus aiunt mille ducenties terram ab aſtris ſuperari, ac ſi ipſi eſſent terram,& aſtra palmo dimenſi,contra quos argumētor.Nam ipſi non poſſunt certo ſcire terræ magnitudinem, & latitudinem, neque poſſunt Arithmetica proportione id indagare, quo enim argumento poſſunt probare à terra in concauum Lunæ eſſe decem millia ſtadiorum,vt inde deducant lunæ magnitudinem? ipſi enim ſic argumentantur; *Corpus quod ex vno milliario videtur habere magnitudinem cubitam,habet in ſe magnitudinem viginti cubitorum, & ſic proportione: ſed luna apparet tanta magnitudinis ex ſpatio decem mille ſtadiorum, ergo habet tantam magnitudinem.* quæ conſequentia nulla eſt: quia minor propoſitio eſt dubia. Item & maior: quia corpus minus, propter dēſitatem maiorem apparet in eadem diſtantia maius,quàm aliud maius.Item qui diuerſa ſunt potentia videndi, diuerſimodè iudicant de magnitudine:quia alij melius, alij nō æquè bene vident. Adde, aërem non ſemper eſſe æque diſpoſitum ad excipiendas ſpecies viſuales.Nec Sol ſemper eſt in eadem diſtantia; nam celerrimo curſu ita volat, vt vix poſſit iudicari in quo ſit ſpatio: cum ictu oculi permulta conficiat. §. 26.

Multoque magis ignorant aliorum ſyderum magnitudinē, quia neſciunt quantum vnum aſtrū diſtet ab alio. Quod colligitur ex illorum opinionum varietate,qui inter ſe longè,latéque diſſident, & vnuſquiſque arbitratur ſuam ſententiam ſe cōmonſtrare, cui igitur credemus? Equidem nulli. Deinde aſtrum, quod minus ſplendeſcit, & apparet minus, fortaſſe eſt maius aſtro ſplendidiori,& quod maius apparet, quia licet hoc ſit minus habet materiam denſiorem, è qua vehementiores refranguntur lucis radij, quapropter non tam clarè conſpicitur:vt de cœlo Empyreo dicunt non pauci: ergo nullum poteſt ſumi fundamentum firmum ad aſtrorum magnitudinem deſignādam, ſed id eſt præſtandum pingui Minerua,& vt noſtri aiunt *à buen ojo.* §. 27.

Ex Eclypſi lunæ oſtendunt aſtrologi terram eſſe maiorem luna, quia terræ interiectu tota abſconditur luna. Nec hoc certo ſcitur hoc præcisè argumēto: tum quia ſi luna eſſet æqualis terræ,velaretur tota per breue ſpatium; quamuis nō tam longo, quam ſi eſſet minor:tum quia poſſet contingere Eclypſis, non quod luna ſit minor quàm terra, ſed quia Sol eſt minor. Hoc argumentum probat apertè terram non eſſe minorem vtroque aſtro; at vt probet eam eſſe maiorem luna, fulciendum eſt aliunde Solem eſſe maiorem terra. §. 28.

Sol autem multum excedit terram, quia in deliquio nunquam velatur totus, verum nec id probant:nam ex deliquio Solis tantum probatur Solem eſſe maiorem luna, quia nunquam velatur totus:velaretur autem,ſi eſſet minor luna,quia hęc in ſe combiberet totam lucem,& ſpecies viſuales Solis,nec eas ſineret ad nos traiici. At cum neſciatur §. 29.

exceſſus

exceſſus inter lunam & terram, non poteſt ad vnguem dignoſci exceſſus inter Solem & terram, aliunde ergo debet probari exceſſus Solis.

§. 30. Non omitam, quod annis ſuperioribus obtigit Hieronymo Muñoz celebri aſtronomo; & in hac academia Salmanticenſi Mathematicarum profeſſori. Qui rogatus à nobili diſcipulo, vt metiretur cubilis diſtantiam à cœlo;illi dixit cælum certo interuallo diſtare: ſequenti autem die queſtus fuit adoleſcens,ſe à magiſtro deluſum: quia cubile diſtabat à cœlo ſemipalmũ minus,quàm dixerat magiſter:qui non animaduertens pauimentum; conſpexit non eſſe abſque fundamento queſtus diſcipuli:ac aſſeruit,aut terram, aut cœlum mutaſſe locum.Cui ſubridens dixit adoleſcens,terrã mutaſſe locum:quia ipſe ſtrauerat tabulatum ſemipalmum habens altitudinis. Hæc ſi ita ſunt magno ſunt argumento. At potuit ille animaduertere tabulatũ, non enim erat atomus inſectilis; ac diſſimulauit. Vel certe per ſuas menſuras nonnulla habent certa principia, quibus mutatis animaduertunt non eſſe eandem diſtantiam: at quis ſcit, vtrum tanta ſit,quanta ab illis iudicatur?

§. 31. Dices,eſſe inſtrumentum metiendi,quod vocãt *Baculum Iacob:*quo bombardarij metiũtur muros: quo baculo noſcunt quantum ipſi diſtent à muro, & quàm ſit ille latus,aut altus, non ſecus ac ſi palmo illum metirentur. Vereor, ne ſit inſtrumentum mentiendi. Nec enim bombardarij pollent æquali viſu. Nam lippis videntur corpora magis exigua: per conſpicialia verò maiora apparent. Deinde non metiũtur tam exactè, vt ne latum vnguem diſcedant: at ſi in muro viginti cubitorum ex vno ſtadio decipiantur in vno ſolo palmo: & ex duobus ſtadiis in ſeſquipalmo, non cenſentur errare. At in diſtantia tam ingenti,& tanta magnitudine Solis multum erit errãdum.Præterea ſpecies, à corpore viciniori facilè illud repræſentant,vt eſt: at in tanta diſtantia ægerrimè. Anne inſtrumentum illud perfectius faciet repræſentari obiectum diſtans; quam repræſentantur duæ virgæ vicinæ oculis? & tamen non cernimus quantum altera excedat alteram, niſi attentè illas componamus, & metiamur;ergo nec illo baculo tam exacte metientur muros bombardarij.

§. 32. De cœlorum figura variæ extitere opiniones.S. Auguſtin.cenſuit cœlum eſſe latum, & rotundum, vt referunt P.Conimb.lib.2. cap.4 q.2. Impugnatur hæc ſententia,quia ſi cœlum eſſet latum, paterent aliquando partes extremæ,quia cœlum terminos habet,& non cogeremur qualibet ex parte terræ cœlum intueri. Nam continua circumuolutione extrema apparerent alicubi. Deinde non poſſet Sol gyros conficere, quia cogeretur repedare, niſi cœlum eſſet globoſum:nam peracto circulo ſpatio viginti & quatuor horarum, rediret ad orientem locum: modo autem cum cœlum ſit globoſum, peragit circulum Sol ab oriente in occidentem ſine remeatione.

§. 33. Deinde, cœlum eſſe globoſum oſtẽdunt ſolares circumuectiones,& fatalis neceſſitas,qua cogimur vbiuis gentium cœlum intueri: ſicut qui continetur incluſus dolio non poteſt non videre dolium, quo vndique circumſcribitur: ita nos tenemur intra cauitatem huius globi:quod etiam demõſtrant & aſtrolabium, & circulares ſphæræ, quas efformamus ad demonſtrandos cœlorum motus.Quod ſi hæc inſtrumenta non referrent cœlicam figuram, ſuo muneri eſſent inepta. Hæc ſententia eſt S.Baſilij homil. 1. in Exameron, & communis Aſtronomorum.

SECTIO III.

Vtrum cœlum ſimul moueatur ab ortu in occaſum,& ab occaſu in ortum?

Aſtrologi quos referunt P.Conimb.lib.2.c.5. q.4. artic.1. concluſione 2. & Ariſtoteles ibi cap.10. tex.58. affirmant, orbes cœleſtes infra primum mobile duos motus ſimul habere: primum, quem vocant *raptum* ſiue *diurnum*,ab ortu in occaſum, qui per ſe cõuenit primo mobili:cœlis autem inferioribus conuenit per accidens propter impetum primi mobilis. Secundus motus eſt ab occaſu in ortum,qui per ſe conuenit firmamẽto,& cœlis planetarum. Hic vocatur *naturalis*, quo ſphæræ inferiores remeant ab occaſu in ortum;quo dicuntur retardare impetum primi mobilis. Tertius eſt *trepidationis*, qui conuenit per ſe cœlo glaciali, quod cæteros cœlos cogit titubare. §. 34.

Vnicum fundamentum huius ſententiæ eſt diuerſæ ſtellarum poſitiones, nam ſtellæ fixæ firmamenti,modo habent altitudines meridianas,diuerſas ab his,quas antiqui Aſtrologi notarunt: neque modo oriuntur reſpondentes ſpatio, cui antea, ergo firmamentum præter motum diurnum habet alium. Antecedens Aſtrologis credo: conſequentia probatur, quia ſi ſtellæ fixæ cierentur ſolum motu diurno, ſingulis diebus retinerent eamdem poſitionem, quia per eumdem circulum gyrarent. Confirmatur, Sol præter motum diurnum, habet alium proprium,quo ita mouetur,vt habeat diuerſas diſtantias ab ſtellis fixis: ergo præter motum communem cum illis, habet alium ſibi proprium, & erraticum. §. 35.

Hæc ſententia indiget explicatione:alioqui alicuius abſurdi incurret inuidiam. Quia cœli non poſſunt moueri per eamdem lineam duobus motibus,quorum alter habeat pro termino *à quo* terminum *ad quem* alterius, ergo non poteſt cœlum ſimul moueri ab ortu in occaſum, & ab occaſu in ortum: probatur antecedens, quia non poteſt corpus ſimul moueri lationibus contrariis, ſunt enim naturaliter incompoſſibiles in eodem ſubiecto, tum etiam, quia ſimul corpus accederet ad vnam partem, & recederet ab eadem, quod & experientiæ,& ſenſui repugnat. §. 36.

Ad hæc, non poſſe idem corpus habere ſimul duas vbicationes in eodem loco, ſicut non poteſt idem locus habere ſimul duo corpora, ſed ſi corpus haberet duos motus,haberet duas vbicationes, quia vbicatio eſt terminus motus. Dicunt P. Conimb. duos iſtos motus non fieri per eoſdem polos, quia motus diurnus fit per polos Arcticum, & Antarcticum, motum verò retrogradũ fieri ſuper polos Zodiaci,& per circulum Zodiacũ.Contra;ſignemus partem cœli *A*.quę feratur ab ortu in occaſum, rogo, vtrum iſta pars, quæ modò tranſmouetur ſuper polos Arcticum & Antarcticum, ſimul moueatur per polos Zodiaci vel non? Si primum, ergo ſimul eſt in duobus locis, quia per duo loca diuerſa diuerſas efficit gyrationes,quod eſt in Philoſophia abſurdũ:ſi verò non mouetur niſi per Arcticum & Antarcticum, ergo per eamdem lineã habet duos motus contrarios:ſi verò illa pars non moueatur niſi motu diurno,vel naturali,idem erit de qualibet parte in ſingulari, atque ita nulla pars ſimul mouebitur duobus motibus. §. 37.

Dicunt primò, cœlum ſimpliciter moueri motu rapto, retrogrado autem ſecundum quid, quia ille non eſt ſimpliciter motus,ſed ſecundum quid. Contra: §. 38.

Contra: motus retrogradus aut habet naturam, & eſſentiam motus,vel non:ſi primum,ergo quod illo mouetur, ſimpliciter mouetur: ſi verò ſimpliciter non eſt motus, ergo cœli non mouentur duobus motibus. Deinde quo pacto dicitur motus ſecundum quid ille,per quem acquiritur diuerſus locus,& diuerſa diſtantia? Aſtrorum enim diſtãtia coegit Aſtrologos in eos motus:ſi verò motum ſecundum quid intelligas motum conuenientem tantum exiguæ parti cœli,ſicut dicitur album ſecundum quid corpus, quod cum habeat nigredinem in omnibus ferè ſuis partibus, habet tamen albedinem in aliqua exigua, ſicut Æthiops dicitur albus ſecundum quid, at hoc motu non moueri orbes cœleſtes perſpicuum eſt, tum quia in tua ſententia mouentur ſecundum ſe totos, tum quia cum ſint ſolidi; non poſſunt diuerſæ partes diuersè trahi.

§. 39. Dicunt ſecũdò,corpus poſſe ſimul habere duos motus, alterum ab vno principio, alterum ab alio, verbi gratia,nauta,qui vehitur naui ab Oriente in Occidentem, ſe poteſt mouere à prora in puppim verſus Orientem,& portum,vnde ſoluit, ecce duo motus, alter ab Oriente in Occidentem, alter ab Occidente in Orientem (& per eamdem lineam.) Item eques fertur motu equi,verbi gratia,Medinã, totumque corpus equitis mouetur eo motu, & tamen ipſe eques poteſt mouere brachium Medina Valliſoletum: Item muſca circum agitur rota, per quam ipſa graditur motu contrario.

§. 40. Verum ibi non eſſe duos motus diſtinctos,probatur in primo exemplo, quia ſi ſunt duo motus, debent habere diſtinctos terminos *ad quos* & alios *à quibus*. Nam vt diximus diſput.11. Phy. latio *eſt è loco in locum tranſlatio:* ibique probauimus quemlibet motum habere terminos *à quo* & *ad quem*; ſed nauta ille non haberet duos terminos *ad quos*, & duos *à quibus*,ergo non habet duos motus.Probatur minor, ſupponendo nautam habere pedem ſupra funem, & funẽ protrahi ſupra nauim è duobus ſaxis fixis,portum claudentibus: incipiat tunc nauta moueri:rogo, vtrũ pes recedat à fune versùs Occidentem? An verò accedat ad portum versùs Orientem, recedens à fune? An verò pes remaneat ſupra eumdem funem? An autem ſimul recedat à fune versùs Orientem,& Occidentem?Hoc quartũ fieri nõ poteſt,quia pes ſimul eſſet duobus in locis: quia ſimul recederet à fune versùs Orientem,item & versùs Occidentem;quod fieri non poteſt,quin pes duobus in locis ſimul exiſtat,quod fieri nequit, eſſetque neceſſario à corpore auulſus:itemq; ſimul accederet ad eumdem locum,& ab eodem recederet ſimul:neque fieri poteſt tertium, tum quia non moueretur, ſi ſemper eſſet in eodem ſpatio; tum experientia, quia cum corpus feratur naui & hæc receſſerit à fune,fieri non poteſt quin etiam corpus receſſerit. Si autem ſecundum admittas, videlicet incipiente motu pedem eſſe porrectum vltra funem versùs portum, ergo ſolum habuit motum verſus portum, & non habuit motum nauis: quia nauis habet pro termino à *quo* funem,à quo receſſit versùs Occidẽtem;at verò ille pes non fuit motus à fune versùs Occidentem,ſed versùs Orientẽ, & portum, ergo ille pes non habuit motum nauis, quia cum hæc recedat à portu,& accedat ad Occidentem, non poteſt efficere ſuo motu, vt pes accedat ad portum,& recedat ab Occidente:ſi verò primum contingit,ſcilicet,pedem receſſiſſe à fune, & portu versùs Occidẽtem, tunc non fuit niſi motus nauis, nam motus proprius pedis deberet habere pro termino *à quo* funem & Occidentem, & pro termino *ad quem* portum,& Orientem.Igitur vnus tantum fit motus, ſcilicet ille, cuius impulſus fuit vehementior.

Sed obiicis,dum pes mouebatur motu proprio versùs portũ,etiam mouebatur motu proprio nauis,nam alter pes, figebatur naui, & totum corpus mouebatur motu nauis:ergo etiam mouebatur pes alter,quia *motis nobis,mouẽtur omnia,quæ sũt in nobis*. §. 41. Reſpondeo, quando mobilia habẽt partes flexibiles,rectè poſſe vnã moueri vno motu,& aliam alio, & mota vna,alteram quieſcere,ſępe enim mouetur vnus pes quin moueatur alter. Ad adagium reſpondetur,*motis nobis moueri omnia,quæ sũt in nobis*,ſecũdum eam partẽ, quæ mouetur, vt mota manu mouentur omnia,quæ ſunt in eadem manu, non verò quæ ſunt in altera, & motis nobis ſecundum nos totos,mouentur omnia quæ ſunt in nobis.

Porrò pedem in eo caſu vnum tantum habere motum,præter argumentum factum,probat experientia:nam pes dexter(quem ſuppono moueri)qui antea tantum diſtabat à puppi quantum ſiniſter, tranſacto motu, minus diſtat:ergo ſolum fuit motus motu proprio. Patet conſequentia,quia ſi moueretur motu nauis, ſeruaret eamdem diſtantiam à puppi, quam ſiniſter: nam motus nauis eadem celeritate rapit puppim,prorã, & vtrumq; pedem, & pes ſiniſter eamdem habet diſtantiam ante, & poſt motum. Quod ſi dexter diſtantiam mutauit, fuit in cauſa proprius illius motus, quo ſuperauit impetum nauis. Sitque nobis argumento, pedem dextrum ceſſantẽ à motu retrahi poſtea motu nauis ad funẽ,vnde fuit ipſa profecta. Quod ſi pedes non ceſſaſſent à motu proprio, eleuarentur, nauta verò è puppi in terram, aut aquam deſiliret. Confirmatur, quando naues rapidiſſimè feruntur procellis exagitatæ,vix poſſunt nautę in illis ſtare,quia impulſu proprio non poſſunt reſiſtere impulſui nauis:quapropter ad latera nauis quaſi ebrij coniiciuntur. Nam dum conantur pedem mouere, alio innitentes naui, non poſſunt moueri, vnde decidunt in tabulatum: quando verò naues quieſcunt facillimè nautæ in eis obambulant. §. 42.

Ad reliquos caſus reſpondetur,brachium ſi mouetur per eamdem lineam, aut moueri motu ſolo proprio,aut ſolo motu equi,vt de nauta dixi;at verò per lineam aliquantulum obliquam poteſt moueri brachium, & tunc efficitur vnus motus, & ab impulſu equi, & ab impulſu brachij, rectè enim poſſumus facere motum ſemicircularem. §. 43.

Exemplum de muſca non eſt ad rem, poteſt quidem muſca ſe ad latera mouere,tunc autem nõ efficitur gyrus perfectus, vnde licet eſſent plures orbes cœleſtes, non poſſent ſimul moueri ab ortu in occaſum, & è contra, quia per eamdem lineam haberent illos duos motus, quod eſt impoſſibile probatu. §. 44.

Ad argumentum ex Aſtrologia petitum reſpondeo, diuerſas ſtellarum fixarum altitudines, atque diſtantias hinc oriri:Intelligẽtia cœlum voluente, prima die illius circumuectionis linea cœli, *A.* & ſtella illi reſpondens ita fuerunt circumuectæ ab ortu in occaſum, vt reſponderent illa die lineæ imaginariæ *A.* Secunda verò die ſtella & linea, *A.* non reſponderunt lineæ imaginariæ, *A.* ſed *B.* quia ſecunda die intelligẽtia impulit quaſi in latus verſus polos Zodiaci ipſum cœlum,& effecit illo motu vt ſingulæ partes cœli ſingulis diebus reſpondeant diuerſis ſpatiis,& conficiuntur multa annorum millia, ante quam linea cœli, & ſtella *A.* remeent ad lineam imaginariam *A.* quod eſt in cauſa diuerſitatis altitudinum ſtellarum:& iſti vocantur §. 45.

ab

ab Aſtrologis duo motus,qui,ſi ſunt duo,non ſimul exercentur, ſed dum intelligentia mouet cœlum verſùs polos Zodiaci, tunc non mouetur ab ortu in occaſum, quia tamen ille motus in latus fit in ictu oculi, non dicitur cœlum ceſſare à motu diurno,vel poteſt ille motus eſſe idem cum diuerſo impetu, ſed non per gyrationem omnino perfectam.

§.46. Vocantur autem duo motus modo vulgari, vel quia ad ſenſum apparere videntur duo, vel quia quaſi intermiſcentur alterna viciſſitudine: vt motus, nauis, & nautæ. Aliquando enim nauta ceſſat à motu proprio, tunc autem trahitur motu nauis, quod contingit, quando poſt motum firmat pedem,vt leuet alterum: cum autem alterum leuat,& mouet, tunc ſuo motu mouetur. Hæc viciſſitudo motuum vix percipitur ſenſu,& eſt in cauſa vt plus temporis impendat nauta toti naui nauiganti peragendæ, quàm quieſcenti. Aſtrologi autem nihil aliud poſſunt petere, niſi rationem diuerſæ diſtantiæ ſtellarum fixarum. Itaque nunquam ſunt duo motus ſimul: ſed aut vnus à duplici impulſu, aut duo mixti alterna viciſſitudine.

§.47. Planetæ verò non efficiunt perfectos circulos (vt aiunt P. Conimbricenſes) ſed ex impulſu ſibi proprio, & ex impulſu totius cœli, fit vnus motus, quemadmodum de equite,& brachio diximus. Hinc oritur Solem reſpectu noſtri, modò altiorem, modò maiorem, modò minorem arcum perficere; ſiue magis in meridie eleuari; quia circuli per quos gyrat, non ſunt perfectè orbiculares, ſed ad modum, quo nos in hortis efficimus lineas herbarum, per quas peragimus circulos imperfectos: ſi enim eſſent perfecti, vt ſunt intra quos exercentur equi, dies eſſent omnino æquales: quia Sol nunquam egrederetur ex eodem circulo: egreditur autem quotidie: qui ſequenti die incipit alium maiorem,aut minorem comparatione noſtri:quod eſt in cauſa vt Sol modo plus, modo minus videatur diſtare ab ſtellis fixis. Neque modò diſputo (ne Aſtrologum agam) vtrum Sol diuerſis annis repetat eundem gyrum, per quem efficiat dies hoc anno, omnino æquales alius anni diebus? ſi enim repetit, efficiet quidem æquales dies: (pono enim æquo raptu, & expeditione Solem circumagi ab intelligentia:) nec tunc apparebit diſtantias habere inæquales ab ſtellis fixis.

SECTIO IV.

De motu cœli difficultates nonnullæ.

§.48. PRima eſt, vtrùm *motus ſit cœlo naturalis?* Naturale vſurpo in præſenti (vt cum Ariſtot. dixi diſput.7.Phyſic.ſect.1.) pro ea re, quæ eſt iuxta naturam, ſiue ex inclinatione illius. Scotus, Auicenna,& alij relati à P.Conimbr.1.de cœlo cap.2.q.3. art.1. negant cœli conuerſiones eſſe naturales: & quidem merito, nam cætera corpora habent motum naturalem, per quem propria loca petunt, vt grauia,& leuia; vel quærunt res ſibi neceſſarias, vt viuentia: ſed cœlum nullum emolumentum capit è motu, neque in proprium centrum tendit, ergo cœlo non eſt motus naturalis.

§.49. Confirmatur, quia natura inclinat in rem ſibi aliquo modo vtilem,& res ad quas ſic inclinat,vocantur naturales,vt alimentum viuenti,& actus ſecundus potentiæ vitali,calor animali,&c. Sed motus cœli illi non eſt vtilis, ergo non eſt ex inclinatione naturæ. Probatur minor: quia motus localis per ſe tantum perficit tanquam modus determinans ad ſpatium, quam perfectionem æqualem habet cœlum cum quieſcit,quia ibi etiam habet modum determinantem ad locum: grauia autem, & leuia perficiuntur per motum, quatenus per illum tendunt in centrum: at cœlum ſemper eſt in centro, ſiue motum, ſiue quieſcens: neque item accipit plus lucis per motum, quia ſi Sol quieſceret in medio cœlo, ſingulis illius partibus lucem diſpertiretur neceſſario, ergo cœlum nullam vtilitatem capit ex motu. Tandem, quia ſi cœlo eſt latio tam naturalis quàm calor igni; & deſcenſus aquæ: cœlum eſſet violentum poſt diem iudicij; non aliter ac ignis calore carens; & terra impedito deſcenſu. Abſurdum autem eſt perfectiſſimum corpus abſque vtilitate æternum fore violentum.

At (inquiunt P.Conimbric. artic. 2. ſequentes S.Thom. & alios) cuilibet corpori motum eſſe naturalem. Contra: quia id non intelligitur de latione: eſt quidem cœlis connaturalis motus alterationis, quo perficiuntur: at verò latio illi corpori eſt naturalis,quod illa perficitur, vel cui eſt vtilis. Dices lationem eſſe perfectionem cœlorum. Contra: quia quando duæ res contrariæ æquè perficiunt ſubiectum, neutra dicitur naturalis: quia natura non inclinat in contraria, ſed per motum non magis perficitur cœlum quàm per quietem, immò quies eſt perfectior quodammodo, & cœlo connaturalior,quàm ipſum ſibi vendicat, niſi accedat extrinſecus motor. Vnde poſt vniuerſale iudicium cœli natura ſua ab omni latione ceſſabunt. Neque item motus eſt cœlo violentus, quia ad vim requiritur reſiſtentia ſubiecti per motum contrarium,vt lapidi eſt violentum aſcendere: eſt igitur cœlum natura ſua indifferens ad motum, & quietem, quæ illi poſſunt dici quodammodo naturalia,quia ei neque auferũt,neque addunt perfectionem:eſt autem naturalis ratione materiæ, quia eſt principium paſſiuum illius; non tamen ex vi, & inclinatione formæ: quo modo tam naturalis eſt quies, quàm motus. Si autem cœli quieſcant,illud *vbi* ab ipſis conſeruabitur in genere cauſæ efficientis: vt conſeruatur à lapide in centro: in quo tamen non mouetur à ſeipſo, ſed ſi moueatur, eſt ab alio. §.50.

Secunda difficultas eſt vtrum *cœli moueantur ab aliquo principio intrinſeco? An verò ab extrinſeco motore?* Et quidem illud ab extrinſeco moueri, adeo conſtans eſt philoſophorum opinio, vt ex motu cœli intelligentias ſeparatas inueſtigarint. Ego verò nullam video pro hac parte demonſtrationem, quia licet cœlum non poſſit niſi ab extrinſeco moueri, poterat tamen à Deo ſolo moueri, neque in hoc vllum apparet abſurdum. Multa enim munia ſolus exercet Deus minoris momenti,quàm hoc,vt ſupplere defectus cauſarum particularium, neque Deum dedecet, ſed maximè decet, immo primum mobile à ſolo Deo cieri, opinati ſunt nonnulli. §.51.

At licet hoc non demonſtretur, qui illud negabit, temere negauerit. Philoſophorum enim aſſenſui adſtipulantur Patres ferè vniuerſi, ac Theologi: quos referunt P.Conimbr. 2. de cœlo cap. 5. quæſt.5. & probatur: quia cœlum mouetur ab extrinſeco, ſed illud extrinſecum eſt Angelus; ergo mouetur ab Angelo. Probatur maior, quia motus non eſt connaturalis cœlo, neque vtilis, vt probatum eſt, ergo non mouetur ab intrinſeco, ſed extrinſeco principio: patet conſequentia,quia natura tantum mouet, & inclinat vt principium actiuum, vel ad perfectionem naturalem, vel ad tendendum in centrum, vt diſcurrenti patebit: minor probatur, quia res corporea non poteſt cœlos mouere. §.52.

Nam ſi quod eſſet, maxime viuens, at hoc non: quia defatigaretur agendo, neque item mouetur à ſolo Deo, qui mundi adminiſtrationem creaturis partitur; neque ab animo rationali, tum quia hic nihil poteſt mouere, niſi corpori vnitus, tum quia non habet tantam virtutem impulſiuam. Tandem, quia prius cœli moti, quàm animus vllus migraſſet è corpore; at verò ante informationem corporis nullus animus poteſt creari, ergo cœlum mouetur ab Angelo. Et hoc quidem liberè, & ſponte, imperio Dei obtemperante; cuius adſpectu perpetuo fruitur. Totum cœlum ab vno mouetur, & ſingulis planetis ſingulos attribuit Deus: namque vnus non poteſt in tanta diſtantia operari.

§.53. Tertia difficultas eſt; vtrum *ceſſante motu cœli ceſſarent omnes motus ſublunares?* P. Conimbr. 2. de cœlo cap. 3. q. 4. art. 2. referunt Thomiſtas affirmantem partem tuentes, prementes veſtigia S. Thom. in 2. d. 2. quæſt. 2. art. 3. & de potentia. q. 5. art. 8. ſed S. Thom. 1. part. q. 66. art. 3. ad 2. affirmat longè eſſe probabilius cœlum empyreum, licet non moueatur, influere in alios orbes, idémque iudicium ferri poteſt de cœlo ſtellato reſpectu inferiorum. Thomiſtæ nituntur primo, quia motus cœli eſt cauſa cæterorum motuum, ergo illo ceſſante, ceſſabunt motus inferiores, quia ceſſante cauſa, effectus neceſſariò interimitur. Verum antecedens eſt falſum: motus enim cœli formaliter eſt actio, per quam producitur vbicatio cœli, ſed actio non poteſt eſſe cauſa in actu primo influens in aliud: habet enim tantum eſſe productionem ſui termini, ergo cœli motus non poteſt eſſe cauſa motuum inferiorum. Vnde argumentum retorqueo; cœli non influunt per motum in hæc inferiora, nec tanquam per principium actiuum, nec tanquam per formalem rationem producendi, ergo licet ceſſet motus cœli, non ceſſabunt motus inferiores. Vnde colliges agentia inferiora non ſubordinari motui cœli, neque hunc eſſe primum in aliquo genere cauſæ, ſed inter lationes eſſe primam dignitate, & velocitate.

§.54. Secundò afferunt Ariſtot. aſſerentem, mundi gubernationem dependere à coniunctione rerum inferiorum cum motibus cœli. Sed Ariſtoteles tantum vult non poſſe mundum inferiorem rectè adminiſtrari ſine motibus cœli, non tanquam cauſis influentibus, ſed tanquam conditione neceſſaria ad variam luminis diſpenſationem, per quam adminiſtratur perpetua temporum viciſſitudo.

§.55. Igitur cœlo immoto non ceſſarent actiones inferiores, ita P. Conimb. ſupr. art. 3. adducunt articulum Pariſienſem oppoſitam ſententiã damnantem erroris. Sed ille articulus non tranſit vltra Sequanam: neque ea ſententia eſt digna erroris nota. Hæc ſententia eſt S. Thom. ſupr. vbi expreſsè affirmat cœlum empyreum influere ſine motu. Probatur primo, quia lux nõ habet virtutem actiuam à motu, motus enim nullam ei virtutem communicat, videmus enim quieſcentem alias producere, ſed ceſſante latione cœli, cœlum diffunderet lucem in hæc inferiora, ergo lux operaretur ceſſante latione cœli.

§.56. Secundo, motus cœli nullum habet influxum in combuſtionem ignis, quia hic cum generali concurſu habet ſufficientem virtutem ad comburendum, ergo licet ceſſet motus cœli, nõ ceſſabit combuſtio ignis, quia nullum principium ceſſat ex requiſitis ad combuſtionem. Mirum quidem eſſet ſtupam coniectã in rogum vehementem non combuſtum iri, niſi cœli mouerentur, & ſaxum è turri deiectum manere in aëre ſuſpenſum, & hominem apertis oculis non videre præſentem lucem, & brutum eſuriens non poſſe alimentum appetere.

Verum eſt, ceſſante latione cœli, non eſſe futuras annuas generationes frugum, & animantium, quales modo ſunt: quia dependent ex tali qualitatum temperie, qualis reſultat ex Aſtrorum circumuectione: at verò fruges ſi tantum expectarent caloris ardorem, producerentur quidem ſole præſente, licèt immoto, ſicque dicitur, *Sol, & homo generant hominem.* §.57.

Quarta difficultas eſt; *de velocitate motus cœli*, quæ vix poteſt explicari: cum ſpatio vigintiquatuor horarum integram circumuectionem conficiat per ſpatium pene immenſum. Sol, cæteríque errones ſi conferantur cum vltima ſuperficie firmamenti, gradiuntur greſſu teſtudineo, cum tamen Sol quarta horæ parte curſum conficiat tam velocem, vt illo poſſet eadem horæ parte centies, & ſexagies terram circuire, quia cum in ſententia Aſtrologorum eadem proportione ſuperet terram magnitudine, & vna parte horæ ſe totum oſtendat: vltima ſuperficies peruenit ad locum primæ, à qua diſtat tanto interuallo, quantum ſufficit ad capiendos 160. orbes terræ, tantos, quantus noſter. Communior Aſtrologorum opinio fert, ſolem ſingulis diebus peragere nonagies centum mille, centum & viginti mille, ſexcentas & viginti quinque leucas. Rogo nunc eos philoſophos, qui in omni motu morulas adſtruunt, quas reperiant in hoc ſolari: quod ſi in hoc nullas reperiunt, multo minus eas reperient in motu firmamenti, qui eſt ſolari velocior, cum eodem ſpatio circulum agat bis octuplo maiorem, quàm ſolarem: at vero in eorum ſententia inter duos motus continuos non poteſt eſſe maior velocitas: quod ſi in his motibus morulas reperiunt, vah quas reperient in motu lapidis, in quo melius dicerent motus eſſe imperceptibiles, morulas vero adeo perceptibiles, vt ab ipſis cæcis viderentur! §.58.

SECTIO V.

De Cœlorum luce.

Lvcem non eſſe ſubſtantiam patet, quia non eſt forma ſubſtantialis, alioquin in aëre eſſent duæ formæ ſubſtantiales, & ſubiectaretur in vltima ſuperficie corporis opaci: neque eſt corpus, quia non poſſet cum aëre, vitro, & cryſtallo penetrari. Item neque eſt diſtinctæ ſpeciei ab inferiori luce, ſed eſt intenſior; quod ſi aliquando videtur noſtrate luce fuluior, eſt propter corpora, quæ affundit, cum quibus propter illorum ſubtilitatem diuerſos colores effingit. §.59.

Inter corpora cœleſtia lucidiſſimum eſt Empyreum, ita vocatum non ab ardore, ſed à fulgore, teſte S. Thoma 1. part. quæſt. 66. art. 3. Ita expreſſe refert S. Clemens, ex S. Petro 2. recognitionũ. Obiicis, cur non videatur, & cur aërem non illuminet, ita vt nulla ſit noctium viciſſitudo? præſertim cum Geneſis primo creato iam cœlo empyreo dicatur, *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Ergo cœlum empyreum nullam habet lucem, alioquin abyſſum illuminaret in mundi natalitiis. §.60.

P. Conimbr. 2. de cœlo cap. 5. quæſt. 1. art. 2. referunt Richardum aſſerentem non eſſe proportionatam noſtris oculis lucem Empyrei: vel à Deo ſubtrahi concurſum generalem, ne lucem eiaculetur. Prima pars ſolutionis non placet, quia lux quæuis proportionata eſt noſtro viſui, ſaltem in aliquo gradu: immo totam lucis intenſionem intueremur, quod ſi oculi præſtringuntur, eſt ob caloris vehementiam, at cœlum empyreum, aut perpetuo oculos §.61.

oculos præſtringeret, aut clarè videretur. Secunda pars non placet, tum quia Auguſtino diſplicet ad miracula recurrere in primæua mundi productione; tum etiam quia Deus non ſubſtrahit concurſum cauſis particularibus, niſi rariſſime, quod inter portendentia Dei miracula numeratur, vt cùm Babylonica fornax trium puerorum caſtitatem venerata, eos non exuſſit: Item cum Imperio Ioſue Phœbus contraxit habenas, ſpectator Iſraëliticæ pugnæ: cum mare Rubrum fractis illius legibus aquas cohibuit, ne defluerent, at nullibi fit mentio huius miraculi, ergo.

§.62. Alij aiunt, cœlum Empyreum eſſe rariſſimum, & propter defectum quantitatis non poſſe viſum terminare; ſicut aër, licet in ſe lumen cohibeat, ſpectari non poteſt. Sed neque hoc placet, tum quia Iob affirmat cœlos eſſe quaſi fuſiles ex ære, ad ſignificandam illorum corporum craſſitiem: & quamuis corpora ſublunaria propter ſuam perfectionem aliquando parum habeant materiæ, ideo eſt, ne nimia materiæ fæce contracta nobiles operationes exercere nequeant, hoc autem non reperitur in cœlis, immo corpora inferiora vt nobiliora, ita plerunque denſiora reperies, vt metalla, lapides, & plures viuentium partes: tum etiam, quia licet cœlum non poſſit videri, tamen illuminaret, & totas inferiores ſphæras redderet conſpicuas, ſicut illuminat aër.

§.63. Reſpondeo igitur cum Patr. Conimbricenſibus, & aliis ſupra cœlum Empyreum eſſe quadam quaſi cortina opoca contectum: ſicut arca fœderis pellibus caprinis tegebatur, & ſancta ſanctorum ſerico velo. Et colligitur ex diſputatione S.Petri cum Simone Mago, cui dixit cœlum Empyreum non videri, ne ab indignis videatur, vbi ait Petrus firmamentum viſibile factum fuiſſe à Deo, vt occultaret cœlum Empyreum. Vnde colligo ſuperficiem conuexam firmamenti eſſe circumuolutam corpore opaco, & velo: quod velum ait Pater Molina combuſtum iri cum cæteris mobilibus ſphæris extrema iudicij die, de quo diſputat. 3. nec mirum hoc accidit, illa enim beatorum curia adeo eſt excellens, vt indignum iudicet Deus, eam videri à damnandis. Huius cœli pulchritudinem deſcripſit Ioannes in viſione illa prophetica, qua vidit Hieruſalem gemmis, margaritis, auro, & argento colluſtratam, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo.

§.64. Cœlum Sydereum nullam aut exiguam habere natiuam lucem, colligitur ex eodem 1. Geneſis, vbi cum iam narretur factum firmamentum, dixit Deus, *fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, vt luceant in firmamento cœli.* Quod ſi cœlum eſſet conſpicuum, iam fuiſſet tunc producta lux in eo, quæ luceret in ipſo firmamento. Immo verò exiſtimo omnia Sydera non tam natiuo lumine, quam à Sole mutuatiuo ſplendeſcere, tum quia quo Sydera ſunt Soli propiora, ſunt etiam micantiora: ergo accipiunt aliquid lucis à Sole; tum etiam, quia de Luna dicitur in officio Apoſtolorum. *Quorum doctrina fulget Eccleſia ſicut Sole Luna*, idque demonſtrant Lunæ deliquia. Aduerte, Solem eiaculari in Sydera plus lucis, quo minus ab illis diſtat, nunquam tamen diſtare tantum, quin illis plurimum diſpertiatur. Non propterea, nego aliquid natiuæ lucis Syderibus, ſed illud dico eſſe perexiguum collatum cum lumine, quod à Sole mutuantur. De luce vide P.Conimbr.lib.2. cap.3. quæſt. 5. vbi plura adducunt lucis encomia, non tam noſtro, quàm concionatorum vſui neceſſaria.

SECTIO VI.

Cœlorum influxus in inferiora.

Coelum in hæc inferiora phyſicè influere experientia teſtatur, tum quia magnes trahitur à polo Arctico, & acus quæ ſemel tetigit magnetem, perpetua vertigine circumagitur, donec fixa ſe polo ſiſtat: item ligna exciſa plenilunio, carie corroduntur: quia cum Luna eſt plena, arbores replet humore, quo exſiccato, illæ contrahuntur, & gignitur caries. Item Luna cerebro dominatur, quapropter Dæmones plenilunio magis vexant arreptitios, & qui ſe Lunæ exponunt, & capite laborant, & pituita, Luna enim habet præcipuum influxum in humiditatem; quapropter Diana (quæ Lunam ſignificat) vocatur Dea nemorum, & ſtagnorum. Item ſolaris influxus eſt tam manifeſtus, vt non egeat probatione. Vnde colliges, cœlum non ſolum per lucem, ſed per alias qualitates influere, magnetis enim attractio, aliique effectus luci non poſſunt adſcribi. §.65.

Cœlum Empyreum cenſet S.Thom. & alij, influere in cœleſtes orbes. Sed non capio id quo modo cohæreat cum eorum ſententia, qui cenſent tale cœlum præ raritate non poſſe lucem eiaculari. Ego exiſtimo illud cœlum non influere in alios, non lucem vt probatum eſt, neque calorem, aut quatuor primas qualitates, quarum ſunt incapaces, neque virtutem influendi in hæc inferiora, hanc enim habent cœli ex ſe: ergo nihil influit. Quam opinionem probabilem cenſet S.Thom. 1. part. quæſt.66. art.3. ad 2. Deſeruit autem cœlum Empyreum in Sanctorum Ciuium curiam, item potentiam ſuam actiuam exercebit circa velum illud, quo obtegitur, aut fortaſſe circa aquas elementares in cœlo poſitas. §.66.

Plantas & mineralia à Sole produci oſtendi, diſput.9.Phyſic.ſect.4. animantia verò etiam ex putrefactione genita non fiunt à Sole, qui eſt illis imperfectior, perfectio enim obiecti arguit maiorem perfectionem, quam quælibet actio ſolaris. Neque aſſentior Durando, & P.Conimb aſſerentibus cœlum eſſe reſperſum quaſi ſeminaria virtute gignendi hæc animalia, tum quia ſine fundamento ponitur, tum quia ſi intelligatur de proprio ſemine eſt improbabilis, obſcænáque ſententia; ſi verò intelligatur de aliqua qualitate ſuperiori, Sol influeret per illam, non tanquam per ſemen (hoc enim ſolis conuenit viuentibus) ſed ſicut influit per lucem. Etiam dicere poſſent eodem fundamento Solem habere ſemen ad generationem perfectorum viuentium, præſertim ouiparorum, quæ ſepe gignuntur abſente vtroque parente. §.67.

Negari non poteſt cœleſtes influxus vehementer inclinare hominum voluntatem in hæc, aut in illa obiecta; ſic qui naſcuntur ſub Ioue ſunt alacres propter ſanguinem, quem abunde communicat illud ſydus: qui ſub Saturno ſunt melancolici, propter ſiccitatem & frigus defluentia ab illo planeta: qui verò ſub Marte ſunt habiles ferro, armíſque tractandis: amentes autem vocantur lunatici, quia illi aſtro ſubſunt. At verò exiſtimare liberum arbitriū aliquid facturū per impulſum aſtrorum fatali virtute, aut illius euentus prædicere ſacrilegum eſt, hæreticum, atque blaſphemum. Item temere loquuntur Aſtrologi, dum aiunt hominem ſub tali ſigno natum, eſſe futurum aut Regem, aut præſidem, cum id dependeat ex libera hominum voluntate. Vbi non poſſum reticere cuiuſdam §.68.

Aſtrologi fatuitatem, qui hero ſuo prædixit eum creatum in Archiepiſcopum Toletanum, cuius delyrium probauit euentus hero mortuo antequam crearetur. Vtrum autem eſſet creandus, ſi vixiſſet, ſcit Deus.

§.69. Gregorius homil. 10. acriter inſectatur Aſtrologos, aſſerentes quotquot naſcuntur ſub Aquario fore piſcatores, & refert in Getulia nullum vnquam fuiſſe piſcatorem; cum tamen multi nati fuerint ſub Aquario. Item exiſtimo poſſe Aſtrologos multa probabiliter affirmare de hominum ægritudinibus, licet enim multæ oriuntur occaſione arrepta ex aliqua libera actione, complexionéſque ac temperamenta mutantur ex libera hominum exercitatione; Scholaſtici enim aſſiduo ſtudio ſtomacho deficiente, fiunt phlegmatici, qui ſi arma exercuiſſent, illis morbis carerent. Aſtrologi tamen ſub quadam vniuerſalitate affirmant, homines natos tali, aut tali ſigno, ex vi ſyderis habituros talem naturam, aut complexionem: tamen tam multa liberè poſſunt occurrere, quæ deludant illius ſigni influxus, vt nihil omnino poſſint coniectare de actu libero: nam qui oritur ſub Venere poteſt abſtinentia ita mitigare ſanguinis abundantiam (ex qua abundantia colligit Aſtrologus temperaturam illius) vt perpetuum bellum Veneri indicat. Vnde Aſtrologi, qui tales euentus pro certo affirmant, ſunt inepti; & qui eis fidem præſtant ineptiores.

§.70. Poſſunt quidem Aſtrologi ex varia aſtrorum coniugatione bellum mortalibus exitiale inferentium, coniicere hominem in tali coniugio natum, neceſſario interiturum certa die, quia vires, aut induſtria humana reſiſtere non poſſunt tam contrariis aſtrorum influxibus: at verò non poſſunt Aſtrologi prædicere eum hominem ad illum diem victurum; poteſt enim illi dici dies multo ante variis de cauſis. Atque ita prudentes cautè loquuntur, nonnulli autem, vt vulgo imponant, ſolent incautè, & temere multa prædicere, quæ viros doctos offendunt, & inuidiam concitant in Aſtrologiam. Poſſe Aſtrologos certo ſcire diem, vltra quem aliquis viuere non poſſit, confirmat exemplum cuiuſdam Aſtrologi celeberrimi; qui Magiſtro Hieronymo Muñoz Mathematicas ſtipendio publico Salmanticæ docenti, prædixit diem; quem Aſtra dicebant: quem diem obiit. Item cuidam meo diſcipulo dixit grauem ægritudinem, illi certo anno imminentem, quam paſſus fuit, haud ſine periculo.

DISPVTATIO III.

De Cœlorum & mundi productione, ſiue de Opere ſex dierum.

§. 1. ARISTOT. libr. de cœlo egit de mundo, de cuius, & cœli creatione, & gubernatione multos adſtruxit errores: præſertim lib. 2. cap. 1. vbi docet cœlum eſſe æternum, & à nemine factum, & 12. Metaphyſicæ cap. 7. cœlum, & eius motum fecit æternos, & cap. 6. probat Deum ex neceſſitate mouere cœlum, quos oportet errores confutare ex ſacris litteris, vnde colligemus mundi ſtructuram. Et quicquid Ariſtot. bene docuit, melius ex ſacris litteris deprehendetur, Philoſophi autem errata, Dei teſtimonio corrigentur. Vnde explicandum erit caput primum Geneſ. vbi minutatim recenſentur mundi natales dies; quos Ariſtoteles ignorauit.

SECTIO I.

Vtrum Mundus productus fuerit ſimul totus? An verò ſex diebus naturalibus?

ARiſtoteles de Deo, & mundi creatione errauit turpiter; in Phyſicis enim oſtendit cauſam primam ex repugnantia infinitudinis cauſarum ſucceſſiuarum; at verò in lib. de cœlo, & mundo arbitratus eſt, mundum ab æterno fuiſſe cum ſucceſſione motuum. Quam ſententiam impugnare poſſumus, quo ad ſucceſſionem ex dictis diſp. 8. Phyſ. ſect. 1. & ex diſput. 18. at verò quoad res permanentes impugnari poteſt ex multis ſacræ paginæ teſtimoniis, Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*: ly, *in principio*, eſt idem quod *temporis initio*, namque in æternitate non eſt principium durationis: & Dauid, *initio Domine tu terram fundaſti: initium* autem notat rei inceptionem, cum ante non fuerit, vt dixi diſput. 2. Phyſic. ſect. 2. Ex ipſo contextu Geneſ. 1. colligitur, Deum totum hunc mundum ſex diebus fuiſſe molitum, éſtque dogma fidei in Concilio Lateranenſ. 2. cap. *Firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, his verbis: *Deus ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo creauit ſubſtantiam, &c.* Quod verò Ariſtoteles aſſeruit, cœlum non fuiſſe factum, eſt tam celebris inſania, vt non egeat confutatione: ac multo minus, quod dixit, Deum fatali neceſſitate ita mouere cœlum, vt non poſſit à motu ceſſare. §. 2.

Difficultas eſt, vtrum Deus ſex diebus totum hoc opus fuerit molitus? an verò ſubito? Nonnulli arbitrantur, Deum ſubitò creaſſe totum mundum; ſex autem illos dies, de quibus Geneſ. 1. allegoricè interpretantur. Auguſtinus pluribus in locis, quos adducit Pat. Molin. 1. part. tractat. de opere ſex dierum, diſput. 1. affirmat, ſex dies eſſe duas cognitiones Angelorum, alteram qua videntes intuitiuè Deum, in ipſo cognoſcunt creaturas, quam cognitionem vocat *matutinam*: alteram quam vocat *veſpertinam*, qua cognoſcunt Angeli creaturas in ipſis creaturis, & ſicut ex *mane*, & *veſpere*, fit vnus dies, ita ex cognitione matutina, & veſpertina fit integra cognitio Angeli, quæ propter ſuam claritatem poteſt vocari dies. §. 3.

Hanc ſententiam vt omnino ſingularem reiicit P. Molina ſupr. Primò, quia Angeli, quando productum fuit cœlum, & terra, non habebant illam cognitionem matutinam, quia nondum erant beati, ergo ex tali cognitione non poteſt connumerari dies ille, quo cœlum factum eſſe narratur. Confirmatur in ſententia Auguſtini, totus mundus fuit productus vnico inſtanti, in quo Angeli non habuerunt cognitionem beatam; quia tunc erant in via: ergo tunc Angeli non habuerunt cognitionem matutinam; quæ eſt rerum in Verbo, ſed veſpertinam, quæ eſt rerum in ſe: ergo mane illud de quo loquitur Moſes, & quod eſt prius quàm veſpere, non eſt mane Auguſtinianum; quia hoc fuit poſt veſpere; id eſt cognitio creaturarum in Verbo fuit poſt cognitionem creaturarum in ſe. §. 4.

Deinde, quia detorquetur ſenſus litteralis in alium tam peregrinum ſenſum, tam longéque abhorrentem ab hiſtorica narratione, vt vix poſſit credi, aut mente percipi; dicere enim Deum condidiſſe mundum ſex diebus, id eſt Angelos habere cognitionem ſex obiectorum, quam habet conuenientiam? Tandem: quia beati cognitione intuitiua Dei vident non ſolùm cœlos, ſed etiam elementa, §. 5.

cæteráque

cæteráque obiecta, quæ ſex diebus facta eſſe narrantur; ergo ex tali cognitione non poſſunt conflari ſex integri dies, ſed vnus. Item Angeli in primo inſtanti cognouerunt vniuerſas creaturas exiſtentes, in ſeipſis.

§. 6. Procopius opinatur,totum mundum ſimul fuiſſe productum, dici autem productum ſex diebus ob imbecillitatem noſtri intellectus, qui non poteſt ſimul tam multa capere. Sed inefficax ratio ad detorquendum tam apertum ſcripturarum ſenſum, rectè enim capimus poſſe à Deo totum mundum ſubito produci, ſicut ipſe Procopius capit re ita fuiſſe: deinde poſſet etiam dicere aues vna die, piſces vero alia eſſe productos, quia non poſſumus capere vna die ſimul eſſe productam tantam viuentium infinitudinem. Tandem alia narrantur effecta, quæ difficilius percipiuntur, quàm quod totus mundus ſimul fuerit productus.

§. 7. Caietanus dicit,ſex illos dies eſſe naturales, ſed omnes illos eſſe eumdem diem, ſexies repetitum, ita vt idem dies dicatur primus comparatione rerum,quæ prima die dicuntur factæ, idémque ſit ſecundus comparatione eorum, quæ ſecundo die factæ dicuntur, hoc autem Deum feciſſe propter Sabbati ſanctificationem.

§. 8. Sed hoc eſt etiam inefficax argumentum: poterat enim Deus præcipere Sabbati ſanctificationem, quin tanta vteretur ambiguitate, quanta ſat eſt ad illudendos non modò rudes,ſed peritiſſimos quoſque viros. Deinde vt rectè argumentatur Pater Molina, quam habet comparationem terræ inanitas,obſcuritas abyſſi, Spiritus Domini ſuper aquas latio, cum prima die potius, quàm cum ſecunda vel tertia?Dices quia Deus ita voluit connumerare. Sed meliùs diceret Caietanus, Deum voluiſſe ita producere ſex diebus,cum ipſe affirmet ita factum; meliúſque ſic præcipiatur ſabbati ſanctificatio Dominico exemplo; vide autem apud Pat. Molinam quid ipſe ſentiat de tota hac opinione,& qua ratione interpretetur Auguſtinum.

§. 9. Canus relatus à Pat. Molina affirmauit, Deum eodem momento produxiſſe ſimul omnia corpora ſimplicia; deinde mixta ex illis, eodem tamen die. Quando verò Moſes dicit, mundum fuiſſe productum ſex diebus, affirmat Canus, illic vſum fuiſſe Moſen loquutione conditionata pro abſoluta, id eſt, ſi Deus produxiſſet mundum ſucceſſiuè, illum produxiſſet ſex diebus: vel more humano ſumi, feciſſe Deum ſex diebus, opus quod homines feciſſent ſex diebus. Hiſpanè,*Tarea de ſeis dias.*Confirmat hanc ſententiam Canus, quia in ſcriptura frequens eſt hic vſus, 1. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, quod exponit per conditionalem, *ſi ipſi cooperentur*; & Matth.24. *Cœlum,& terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*, id eſt, ſi cœlum eſſet corrumpendum, prius corrumperetur,quàm mea verba fides deficeret,Pſalm.101. *Opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes.* Idem Ariſtoteles 2. de cœlo cap. 2. affirmat, motum primi mobilis incipere ab oriente,cum tamen in eiuſdem ſententia nunquam motus inceperit.

§.10. Neque hæc ſententia placet, tum quia ipſe Canus ſe obtruncat, cum ex vna parte affirmet mundum producendum fore ſex diebus, ſi ſucceſſiuè produceretur; ex alia verò fatetur, mundum productum fuiſſe ſucceſſiuè vna tantum die: tum quia nullo nititur fundamento,quia licet aliquando ponatur ſenſus abſolutus pro conditionato,id tamen colligitur ex toto contextu,vt ex Ariſtotele, qui ad ſignificandum motum eſſe præſtantiorem ab ortu in occaſum, quam è contra; vſus eſt ea loquutione, nam ſi incepiſſet cœlum moueri, incepiſſet perfectiori motu: illud autem Pauli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, eſt ſenſus abſolutus, id eſt, Deus ex ſe abſolute habet voluntatem omnes homines beandi; licet enim ea voluntas non ſit abſoluta,quia exequutio dependet à noſtro libero arbitrio; Deus tamen abſolutè habet eam voluntatem conditionatam homines ſaluandi.

§. 11. Illud autem, *cœlum & terra tranſibunt, ipſi peribunt, &c.* Ita erit ſicut ſonat. Sed eſto, non corrumpantur cœli,ea loquutio ibi eſt aperta,eſt enim rethorica commenda veracitatis, & æternitatis Dei,quod Hiſpane explicamus, *eſto ha de ſer aunque el mundo ſe hunda.* Ouidius 1. de Ponto, Eleg.7. ad commendandam firmitatem beneuolentiæ Græcini in ſe, ſic ait:

Nam priùs incipient turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, Mergus aquas:
Quàm malè ſe præſtet veteri Græcinus amico:
Non ita ſunt fatis omnia verſa meis.

Et 1.de triſtibus Elegia 7. inuectus in amicum, qui turpiter fidem fregerat, quod ipſe ſibi nullo modo perſuaſerat fieri poſſe, hæc ſubiicit:

In caput alta ſuum labentur ab æquore retro
Flumina: conuerſis ſolq; recurret equis.
Terra feret ſtellas, cœlum ſindetur aratro;
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas.

Vnde non bene Canus colligit iſtam loquutionem Geneſ.eſſe abſolutam pro conditionata ex eo,quod alibi ſit talis vſus: hiſtorica enim narratio aliena eſt ab ea loquutione.

§.12. Dicendum igitur eſt,Deum ſucceſſiuè mundum produxiſſe ſex diebus naturalibus. Prima concluſionis pars, patet ex cap.1. Geneſ. *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Ergo non erat lux; nam in eodem inſtanti reali non poſſunt componi lux & tenebræ. ergo nec erant alia corpora,quæ poſt lucem facta narrantur. De omnibus enim eodem modo loquutus eſt Moſes.

§.13. Item aſſerta eſt in Concilio Lateran. 2.cap. *Firmiter* de ſumma Trinitate, & fide Catholica, his verbis. *Deus ſua omnipotenti virtute, ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem,& corporalem: Angelicam videlicet,& mundanam: ac deinde humanam, quaſi communem ex Spiritu, & corpore conſtitutam.* Vnde patet primum Angelos creatos fuiſſe ipſo temporis initio, quando *in principio creauit Deus cœlum & terram,*quod Moſes prudens omiſit propter populi Iudaici ruditatem, & propenſionem ad diuerſos Deos colendos; deinde patet hominem non fuiſſe creatum ſimul cum Angelis, ſed poſt; quod colligitur ex illis duobus aduerbiis *ſimul* ac *deinde.* Quæ ſemper ſignificant prioritatem, & poſterioritatem temporis.

§.14. Dicunt nonnulli, hinc tantum colligi creaturas corporeas, & incorporeas productas eſſe ſimul, id eſt, ſimili intentione & fine, non verò ſimul tempore: aiunt enim Concilium fuiſſe coactum ad damnandum errorem aſſerentium creaturas ſpirituales per ſe factas fuiſſe à Deo, materiales verò per accidens: ſimiliter aiunt dictum fuiſſe à Chriſto,*niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*: at non ſimul tempore, quia iam perierant illi, è quorum interitu occaſionem ſumpſerat Chriſtus: ergo ſimul intentione, & fine.

§.15. Sed diſplicet expoſitio;niſi enim ly,*ſimul*, ſignificet eiuſdem temporis comitantiam, reddit ſenſum abſurdum,quia ſignificaret,Deum *ſimul*, id eſt, *ſimul intentione, & fine* produxiſſe mundum, & Angelos:hominem verò ab ſimili. Nam illa vox, *ſimul*,

dicit ſubſtantiam Angelicam, & mundum factum ſimili intentione: vox autem, *Deinde*, cum ſignificet factum aliquid non ſimul, denotaret Deum per accidens condidiſſe hominem. Senſus ergo eſt. Deus vno inſtanti creauit cœlum, & Angelos: tempore autem ſequenti creauit hominem. Chriſtus verò cap. 13. Luc. num. 3. & 5. non dixit, *omnes ſimul peribitis*, ſed *omnes ſimiliter peribitis*: quod ſi dixiſſet, *ſimul*, tunc ex ipſo textu ſenſus coniiceretur. Item omnes peccatores ſimul pereunt, quia licet diuerſis temporibus intereant, pereunt tamen per totam æternitatem.

§.16. Hinc obiiciunt alij, totum mundum ſimul fuiſſe creatum vno homine excepto: ſed male, quia ibi *ſubſtantia mundana* ſignificat mundum eo ſtatu, & ratione, quo fuit primo conſtitutus, id eſt, cum ſolo cœlo, abyſſo, & terra inani: éſtque mundus, quia eius principes partes ſunt, & materia cæterarum.

§.17. Deinde Concilium ex ſcriptura colligit hominem non eſſe productum ſimul cum Angelis: ſed eadem ſcriptura docet nonnullas principes partes mundi, non fuiſſe ſimul productas eodem modo, quo id docet de homine, ergo principes nonnullæ mundi partes ſucceſſiuè fuerunt productæ.

§.18. Tertiò arguitur efficaciter, Deus potuit mundum creare ſucceſſiuè ſex diebus naturalibus, quod nullam affert, aut repugnantiam, aut aliquod incommodum, cum eam productionem poſſet Deus mille rationibus honeſtare, idque ſolum pendet ex Dei voluntate, de qua nobis conſtare debet ex ſcriptura: ſed ſi Deus voluiſſet ſucceſſiuè producere, idque nobis dicere, clarioribus verbis aut ſimplicioribus dicere non potuiſſet, Geneſ. 2. *Igitur perfecti ſunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum, compleuitq́, Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, & requieuit die ſeptimo, ab vniuerſo opere quod patrarat, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illum, quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere, quod creauit.* & Exod. 20. *Sex enim diebus, operatus eſt Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit die ſeptimo, &c.* voluit igitur Deus ſuo exemplo ſabbatum honore haberi præ cæteris diebus, quia ipſo ſabbato Deus ab opere ceſſauit: quod ſi ſex diebus non fuiſſet operatus, nec ſabbato ceſſaſſet, non tam homines hortaretur exemplo, quàm fabulis confictis. Præterea totus contextus primi capitis Geneſ. id exprimit apertè. Videantur P. Molina d. 1. Pererius & Rio in cap. 1. Geneſ.

§.19. Obiicio primò, ex Eccleſiaſtici 16. *qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Reſpondeo ly *ſimul* non ſumi mathematicè, ſed pro breui mora, vulgo enim maxima opera, licet inter illa aliqua pars temporis interiiciatur, *ſimul* dicuntur fieri, vt cum è portu ſoluitur magna claſſis, licet aliquot naues prius, deinde aliæ ſoluantur, tamen tota claſſis dicitur *ſimul ſoluta*, & *ſimul portum appellere.* Immo tota ſimul dicitur per mare vehi, quando inter naues non eſt longum interuallum, licet ſit aliquod. Hiſpanè, *partir à vna, nauegar junta*; quia inter tam ingentia corpora, illa ſpatia nulla cenſentur, quod non quadrat in res minutas, quæ ſubito fieri ſolent.

§.20. Obiicis ſecundò, ex ſecundo Geneſis, *iſta ſunt generationes cœli, & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri, &c.* ergo eodem die facta ſunt omnia. Reſpondeo primum ly *in die* ſignificare totum tempus, quo Deus per ſex dies mundum conſtituit, vt Ioan. 8. *Abraham exultauit, vt videret diem meum*, id eſt, tempus. Reſpondeo ſecundo, ly *in die* diſtribuendum eſſe per ſingula verba ſequentia, vt placet P. Molinæ, hoc modo: *iſta ſunt generationes cœli, & terræ, quando creata ſunt in die, quo fecit Dominus cœlum & terram, & in die quo fecit Dominus omne virgultum agri, &c.* quod eleganter dixit Moſes, ſuppoſita diſtributione dierum, quibus Deus fabricatus eſt orbem vtrumque. Tandem obſerua diem ſumi pro ſpatio vigintiquatuor horarum, quibus Sol peragerет ſuum curſum, licet primis tribus diebus non fuerit Sol.

SECTIO II.

Opus primæ diei.

IN principio creauit Deus cœlum & terram, terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas: & dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux: & vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diuiſit lucem à tenebris: appellauitq́, lucem diem, & tenebras noctem, factumq́, eſt veſpere & manè dies vnus. Geneſis cap. 1. §.21.

Certi ſumus tria corpora fuiſſe primo die producta, cœlum, terram, aquam, nam vt dicitur *terra erat inanis*, ita dicitur *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Exprimit enim Moſes & terræ nuditatem, & obſcuritatem aquæ: quibus erant affectæ cum primum eſſe acceperunt. Quæ tria corpora, inquit Pat. Molina diſputat. 2. fuiſſe à Deo propriè creata; verum latè oſtendi diſputat. 6. Phyſic. compoſitum ex natura rei non poſſe creari, & diſputat. 4. nullam formam materialem creari: dicuntur autem à Patr. Molina creata, id eſt facta ſine tranſmutatione: nam ſimul tempore, producta ſunt materia, forma & vnio: aliæ verò generationes non ſolum fiunt dependenter à materia: ſed etiam ex eadem materia realiter carente forma producta, atque adeo ex præiacente ſubiecto. §.22.

Hic poteſt inquiri: quid intelligatur ratione cœli? Volunt nonnulli omnes cœlos ſimul eſſe productos: quia in Hebræo dicitur *in principio creauit Deus cœlos & terram.* Leue argumentum, quia, teſte Chryſoſtomo homil. 4. in Geneſ. nomen Hebræum reſpondens Latino caret ſingulari, vt *Burgi, Athenæ*, & tamen ſignificat rem ſingularem, éſtque hæc opinió contra apertam, & ſinceram narrationem. Deus enim ſecunda die fecit firmamentum, & quarta die poſuit in eo Solem, & Lunam: quæ ſunt in ipſis cœlis incorruptibilibus. ergo nomine *cœli* non intelliguntur omnes cœli, ſed tantum Empyreum, quod Deus prima die creauit cum Angelis, quadratum, vt ſit aptior beatorum curia, de quo dixi diſput. 2. ſect. vltima. §.23.

Obiicis, cur tenebreſcebat abyſſus coniuncta cœlo Empyreo: quod ita dicitur à luce, qua flammeſcit? Reſpondet S. Thomas quia eſt rariſſimum. Contra: nam agens intenſum intenſione vincit difficultatem raritatis. Et quidem illud ex ſe eſſe conſpicuum patet ex S. Petro apud Clementem Romanum, è quo retuli, Petrum dixiſſe Mago, cœlum illud nunc non apparere, ne videatur ab indignis: quod ſi videri poteſt, multo melius illuminare abyſſum. Iam dixi creatum à Deo quadam cortina obuolutum parte nobis viciniore, nam cum illa ſit beatorum curia, nihil habet commune cum his inferioribus, quæ nobis donantur, dum peregrinamur ab illa patria. §.24.

P. Pereira cenſet hoc loco nomine *cœli* intelligi non ſolum Empyreum, ſed cæteros etiam, alludens enim Dauid huic loco ait, *Initio Domine tu* §.25.

terram

terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, &c. At non peribit cœlum Empyreum, ergo. Sed non vrget: quia non ait Dauid, perituros cœlos initio conditos cum terra, ſed terram initio eſſe conditam; & cœlos eſſe opera manuum Dominicarum: ſunt etenim; licet ſecunda die ſint facti. Secundo mouetur, quia non fuit conueniens rudi populo proponere cœlum, cuius nullum cernimus veſtigium. Sed quidem, cum ille populus crederet, & ſperaret vitam æternam, æquum fuit illis ſimul proponere leuandæ moleſtiæ gratia, & terram, in qua tam multas ærumnas ab Ægyptiis patiebantur, & cœlum in quo ſumma fœlicitate erant eorum ærumnæ compenſandæ; nec prius Deus voluit labores, quàm eorumdem laborum præmia indicare.

§. 26. Per *terram* aliqui intelligunt ſolam materiam primam, aliqui eamdem cum aliqua generica forma. Sed diſplicet vtrumque; neque enim materia ex natura ſua eſſe poteſt ſine forma: & omnis forma eſt ſpecifica, & numerica, vt patet ex Phyſicis: præterea non eſſet ſub aquis, & cap. 1. Gen. dicitur, *appareat arida*, ita vt ipſamet terra, quæ creata eſt ſub aquis, iubeatur diſcooperiri, & germinare, quod noſtræ terræ conuenit. Nec cum terra intelligo ignem, & aërem, quos ſect. 3. probabo ſecunda die fuiſſe productos.

§. 27. *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Hinc conſtat, Solem & Lunam non fuiſſe producta cum terra: alioqui falſa eſſet hæc Moſaica propoſitio; ſi enim ſemper fuiſſet lux ſuper faciem abyſſi, quî verum eſſet, abyſſum fuiſſe obtenebratam? Dicunt nonnulli non tam ea propoſitione ſignificari, quod abyſſus habuit, quàm quod eſſet habitura, ſi ſuæ naturæ relinqueretur. Sed immerito, multæ enim propoſitiones hæreticæ, eſſent veræ, vt ſi quis diceret nullum hominem beatum iri, Adamum fuiſſe ſine gratia conditum quia id ita eueniret hominibus ſuæ naturæ relictis. Fuerunt igitur veræ tenebræ, ortæ ex velo, ſeu cortina, qua obtegitur cœlum Empyreum; aqua verò, licet diaphana eſt, nullam tamen habet natiuam lucem. Indicant nonnulli, tunc fuiſſe Solem & Lunam, ſed informes abſque luce. Contra, lux tam eſt proprietas Solis, quàm intellectus hominis, ergo eſſet violentus Sol carens pulcherrima qualitate. At ſi ea tunc gauderet, eamdem communicaret abyſſo eamdem ob cauſam.

§. 28. *Et Spiritus Domini ferabatur ſuper aquas.* Hic *Spiritus* non capitur pro Angelo, vt opinatus eſt Caietanus apud Patr. Pereiram, neque intelligitur ventus vehemens, nondum enim aër fuerat creatus, neque hic tunc agitabatur: neque opus erat tunc tali agitatione, mundus enim non in tempeſtate, ſed in pace conditus eſt, bellum autem à malo Dæmone originem traxit. Significat autem *Spiritus*, vel virtutem aliquam aquis adhibitam, qua aptabantur ad agendum, cenſeo enim cum Patr. Pereira & aliis, Deum vſum aquis, vt inſtrumento ad multarum rerum procreationem per virtutem actiuam obedientialem, quæ ſignificatur per *Spiritum Domini*, ſicut dicitur *Spiritus Domini irruiſſe in Samſonem*; id eſt, Deum voluiſſe per Samſonem mira præſtare.

§. 29. Itaque *Spiritus Domini*, ſignificat voluntatem Dei aquam ad operandum eleuantem per potentiam obedientialem actiuam, de qua in Phyſicis. Vult etiam Pater Rio (neque immerito) non ſolùm in ſenſu myſtico, ſed etiam in litterali *Spiritum Domini*, ſignificare tertiam Trinitatis perſonam, cui adſcribitur ſanctificatio, cui videntur aquæ conſecratæ, vt inſtrumentum regenerationis ſpiritualis, & baptiſmi: quibus aquis ab earum incunabulis Spiritus ſanctus dicitur incubare, vt non prius fuerit mundus conditus, quam habuerit ſpem melioris, ac præſtantioris generationis, ſcilicet gratiæ per Chriſtum. Vtramque ſolutionem vt litteralem admittit Pater Molina diſputat. 6. de opere ſex dierum, cum multis Eccleſiæ Patribus.

Dixitque Deus, fiat lux. Hanc lucem eſſe corpoream patet, tum ex communiori ſenſu ſacrorum interpretum, tum quia lux hæc expulit tenebras abyſſi; ſed abyſſus non capit lucem ſpiritualem: ergo illa lux non fuit ſpiritualis: tum tertio, quia illa lux diuiſit lucem à tenebris, effecitque diem, dies autem efficitur luce corporea per hemiſphærium diffuſa. §. 30.

Volunt nonnulli, hanc lucem fuiſſe corpus lucidum tantæ magnitudinis, quanta ſufficeret ad illuminandum hemiſphærium, cuius opinionis meminere Patr. Pereira, & Molina diſput. 7. quam impugnant, quia corpus illud non potuit eſſe ſecunda & tertia die in ſphæra ſolis, vnde illuminaret mundum vniuerſum, quia relinqueretur foramen in cœlo, quo circumageretur illud corpus triduo ante ſolis creationem. Sed non vrget, tum quia poſſent admitti in cœlo canales, quibus vehantur errantia ſydera: tum etiam quia cœlum creatum fuit cum illis foraminibus, quæ refugit P. Molina; nam quarta die, quando Deus aſtra creauit, illa cœlis infixit, at non corrupit Deus illas cœlorum partes, quæ occuparent loca, quæ modo habent aſtra: neque verò ex illis Deus ſydera fecit; tũ quia cœli in prima ſui origine contra propriam eorum naturam paſſi eſſent corruptionem; tum quia Sol, & aſtra ſunt cœlis denſiora: ergo, addenda fuiſſet alia portio materiæ, de qua rogo vbinam fuerit depoſita? Equidem non penetratur cum materia cœli; neque cœlum contractum fuit, aut condenſatum, cum ſit incapax earum mutationum, ergo in ipſo cœlo relictum eſt foramen, in quo includerentur Sol, & aſtra. §. 31.

Deinde impugnant hoc corpus; quia non eſt annihilatum: neque conuerſum in corpus vicinius; quia cũ duobus ſequẽtibus diebus fuerit in quarta ſphæra, non potuit in cœlum conuerti, neque item in ſolem? Sed certè poſſet in ſolem conuerti, ita vt corrupta prima forma in eius materiam ſit inducta forma ſolaris: quod ſi eius materia non ſuffecit, Deus addidit portionem neceſſariam: vel ſi materia ſuperfuit, eam cæteris ſyderibus partitus eſt. §. 32.

Impugnatur autem ea ſententia, quia eodem Geneſ. 1. diſtinguitur lux à corpore luminoſo, cum ergo de ſole dicatur, *fiat luminare*, & nunc dicatur *fiat lux*, de ſola qualitate lucis cenſeo accipiendum cum P. Rio, Pereira, & Molina. Confirmatur; quia Deus 1. Gen. ver. 4. *Appllauit lucem diem, & tenebras noctem.* At corpus lucidum non eſt dies, ſed illum efficit. Vt ergo tenebræ appellatæ *nox*, ſunt ipſa priuatio lucis, ita lux appellata *dies*, eſt ipſa qualitas; *nox, & dies* opponuntur priuatiuè, quam priuationem explicuit Deus per lucem, & tenebras, quæ priuatiuè opponuntur. §. 33.

Pater Molina non vult, hanc lucem eſſe Solis, Pater Pereira vult; & quidem illam non fuiſſe productam à Sole, & in Sole, eſt clarum in ſententias Patris Molinæ, opinantis, tunc non extitiſſe Solem: exiſtimo autem illam eſſe Solis, id eſt, quæ fieret à Sole, ſi exiſteret, & quam poſtea Sol conſeruarit. Quemadmodum enim calor diſponens §. 34.

ad ignem producitur ab igne generante, & conſeruatur à genito, ita illa lux producta fuit à ſolo Deo, & conſeruata à Sole, & Deo. Nec tamen fuit producta ſubſiſtens, ſed aquis inhærens, tum quia expulit tenebras abyſſi: quod fit per inhæſionem; tum quia nunquam accidens ſubſiſtit, niſi in Euchariſtia; illa lux effecit diem non propriè per motum localem, ita vt eadem lux moueretur ex hac parte in illam, accidens enim non migrat in varia ſubiecta, ſed tunc Deus geſſit vices Solis, & ſicut Sol continuo motu illuminat nouas partes & obtenebrat quas antea illuminabat: ita Deus producebat lucem in nouis partibus, & in aliis corrumpebat, ſicut efficit Sol. Qui cum primum creatus eſt, produxit in ſe lucem per naturalem emanationem, quam perpetuo conſeruat, & per eam conſeruauit lucem à Deo productam in abyſſo, eodem modo, quo ſi à principio eam produxiſſet. Lux autem producta fuit in Palæſtina in ipſo Solis ortu Palæſtinorum: ante quam præceſſere tenebræ duodecim horarum, è quibus horis tenebrarum, & ex duodecim horis lucis factus eſt dies vnus more noſtro, id eſt, primus, qui fuit Dominicus. Iudæi ſupputabant dies à veſpere in mane, quia ſic ſupputantur in ſcriptura, vide P. Molinam, diſput. 7. peracutè, & eleganter (vt aſſolet) hac de re diſputantem.

§. 35. Dixi *more noſtro*, quia cum primo Geneſis, verſicul. 5. dicitur, *factumque eſt veſpere, & manè dies vnus*: per *veſpere* non intelligitur *nox*: ſed vltima, aut veſpertina diei pars: diem namque diuidit Moſes in horas veſpertinas, & matutinas, nocturnas vero diuiſit à diurnis verſu 4. *& diuiſit lucem à tenebris, appellauitq́; lucem diem, & tenebras noctem.* Illum ergo diem partitur Moſes in veſperum & manè. Hiſpanè, *tarde y mañana.*

§. 36. Obiicis: ergo Deus non creauit cœlum & terram prima die, ſed ante illam, contra Geneſis ſecundum caput, *iſta ſunt generationes cæli & terræ, in die, qua fecit Dominus cœlum & terram.* Exodi ſecundo, *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram, &c.* Omiſſa ſententia B. Bonauenturæ, & aliorum reſpondeo, *diem* vſurpari & pro die, quem vocant naturalem complectentem horas viginti quatuor, partim nocturnas, diurnas ſiue lucidas partim: ita fecit Deus cœlum & terram prima die, id eſt, intra viginti quatuor horas primas, quas amplectitur dies naturalis. Secundo dies vſurpatur pro artificiali, ſiue ſpatio, quo diffunditur lux per noſtrum hemiſphærium, hoc die non fecit Deus cœlum & terram, ſed ante illum, cum tenebræ nondum erant expulſæ: ſed erant ſuper faciem abyſſi: ſic expone teſtimonia adducta. Cum autem Moſes diuiſiſſet diem à nocte; non rectè tunc ea dictione componeret diem ex nocte & die, nec nos vocamus *veſpere*, horas nocturnas, ſed eas, quæ interiiciuntur inter meridiem & occaſum: matutinas autem vocamus interiectas inter ortum Solis & meridiem. Igitur Moſes hic compoſuit diem artificialem, vt diſtinctum à nocte; quia explicabat diuiſionem illius à nocte, cæteris autem in locis loquitur more vulgato de die naturali, quia tunc non enucleabat diſtinctionem noctis à die artificiali.

§. 37. Rogas cur dixerit. *Factum eſt veſpere & manè dies vnus*: & non potius *factum eſt manè & veſpere dies vnus?* Reſpondeo, commune eſſe recenſitis aliquibus rebus, ſpectantibus ad conſtitutionem vnius, eam conſtitutionem incipere à parte vltima: vt ſiquis numeret Petrum, Ioannem, & Antonium, poſtea ſubdat: *hi Antonius, Ioannes & Petrus hoc fecerunt*: quia vltimus magis præſto eſt memoriæ: ita Moſes oſtenſa luce, quæ diem componit, ſupputauit diem artificialem ab vltima lucis parte.

Obiicis, Hebræos ſupputantes diem ab Occaſu. Reſpondeo; illum diem eſſe naturalem, eaque in parte eos imitari Moſem, aſſignantem nocturnas horas pro principio diei naturalis: ego verò loquor de die artificiali, de quo & Moſes in præſenti. §. 38.

SECTIO III.

Opus ſecundæ diei. Quid ſit firmamentum? & vtrum aqua elementaris ſit ſupra cœlum ſydereum?

Dixit quoque Deus, *fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Fecitq́; Deus firmamentum, diuiſitq́; aquas, quæ erant ſub firmamento ab his, quæ erant ſuper firmamentum.* §. 39.

Acriter Doctores contendunt de firmamento ſecunda die facto, quidnam ſit? P. Benedictus Pererius recenſitis, & impugnatis variis opinionibus, cenſet firmamentum ſignificare *expanſionem*, ſiue *extenſionem*, & hac ſecunda die extenſum eſſe aërem, & expanſum in vltima ſuperficie terram verſus, qua diuiditur aqua elementaris ab aquis pluuialibus. Depuratur enim hac ſecunda die locus nubibus ad irrigandam terram, cenſet enim P. Pererius, mare creatum eſſe obtectum nubibus, probatque Eccleſiaſt. 22. *ego feci in cœlis vt oriretur lumen indeficiens, & ſicut nebula texi omnem terram*, & Iob. 38. *Quis cōcluſit oſtiis mare, quando erūpebat quaſi de vulua procedens, cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem?*

Sed vt incipiam ab his teſtimoniis, vix percipio quorſum afferantur. Primum namq; tantum alludit operi primæ diei, quando Deus producens terram ſine luce illam ſicut nebula obtexit, nō dixit *nebula texi*, ſed *ſicut nebula*, id eſt, terra non habebat plus lucis, quàm ſi obſcura, atra, caliginoſaque nebula ſuper eam eſſet obducta, cumque ſic in tenebris iaceret, effecit ſapientia Dei oriri lumen indeficiens, quod nunquam extinctum eſt. Hinc autem quî probatur hæc ſententia? Neque plus facit teſtimonium ex Iob, ibi enim commemorat Deus, quod præſtitit tertia die in mundi opificio, quando terram diſcooperiens mari præceptum poſuit, quod non præteribit, ſubdit enim Iob. *Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, & dixi, vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* At quando Deus limites mari defixit, tunc illud obuoluit caligine, ſed limites defixit Deus tertia die, quando terra detecta iuſſit aquas in vnum coire locum: ergo ſecunda die, qua factum fuit firmamentum, non erat illa caligo, & nubes, quam aër à mari diuideret: fuit autem illa nubes tertia die, quia tunc præceptum eſt terræ, vt produceret herbam virentem, quam primis quatuor diebus pluuia irrigare non potuit: huius defectum ſuppleuit Deus rore quodam effecto ex vaporibus maris, qui vapores fuerunt panni infantiæ marinæ, de qua Iob, cui alludit Geneſis ſecundum. *Fons aſcendebat de terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ*: vapores enim etiam ab Ariſtotele vocantur *fontes*, qui cum è terra leuentur, ad eam humectandam redeunt, ex hoc autem teſtimonio quid obſecro colligit P. Pereira? §. 40.

Præterea

§. 41. Præterea impugnatur primò, quia aër in eius ſententia iam erat productus, & expanſus: quia illum non produxit Deus contractum, & quaſi complicatum, ſed cum naturali ſua expanſione, quid ergo fuit factum hac ſecunda die? Dices, deſignari locum nubibus. Contra, quia hoc non eſt facere firmamentum, ſicut eodem Geneſis 1. non dicitur tertia die facta aqua, aut terra, licet vtrique fuerit præſcriptus proprius locus. Item ſemel aëre producto, non eſt opus ſignare locum pluuiis, quæ ſibi vindicant vſque mediam regionem aeream.

§. 42. Secundo: quia tunc, neque erant pluuiæ, neque nubes, vt docet Moſes, cap. 2. ergo tunc non potuerunt diuidi, at ſcriptura teſtatur aquas hac ſecunda die actu eſſe diuiſas, immo & tunc fuiſſe aquas, in quarum medio factum fuit firmamentum, *diuiſitq́ aquas, quæ erant ſub firmamento ab aquis, quæ erant ſupra firmamentum:* ergo tunc fuerũt aquæ: & fuerunt diuiſæ. Confirmatur, quia firmamentum factum eſt in medio aquarum, è quibus aliæ remanſerunt ſupra firmamentum, aliæ infra, vt teſtatur *Moſes.* Item ly *erant* ſignificat totum interſtitium inter cœlum prima die productum, & terram eſſe plenum aquis, & firmamentum effectum fuiſſe in earum meditulio: quem enim alium ſenſum habent hæc verba? *fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, diuiſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his, quæ erant ſupra firmamentum.*

§. 43. Deinde optimo iure refugit P. Pereira idem nomen in eadem dictione ambiguè vſurpari, at aquæ diuidendæ ſub firmamento ſunt elementares, cum ergo dicat Moſes, *diuidat aquas ab aquis*. in eadem ſignificatione accipitur aqua. Confirmatur, quando poſtea narrat Moſes aquarum congregationem, vt ſignificet aquas ſub firmamento relictas in vnum coiuiſſe mare, in quod non fuerunt congregatæ aquæ ſupra firmamentum relictæ, ait, *congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum.* Quorſum autem illas tam accuratè diſtingueret à pluuiis, quæ nondum erant? Igitur nomine *aquarum* intellige, quod ſcriptura ſonat apertè, aquas ſcilicet elementares in, & ſub cœlo.

§. 44. Cum aquæ elementares ſint ſupra firmamentum, non poteſt nomine *firmamenti* aër intelligi ſupra quem nullæ ſunt aquæ. Alij apud P. Pererium, & Molinam per firmamentum intelligunt octauam cœli ſphæram, quæ diuidit nonum cœlum quod glaciale vocatur, & aqueum ab aquis elementaribus. Verius ait P. Pererius, per *aquas* cœlos intelligere eſſe nimis inſolens, & ab ſcriptura abhorrens: neque credibile eſt aquam tam ambiguè ſumi in eadem dictione, & narratione: item ait P. Molina nulli antiquorum hoc cœlum cognitum eſſe, neque ipſi Ariſtoteli, ſed eſſe quorundam Catholicorum commentum, quo reſpondeant argumento hinc deſumpto ad probandum aquas eſſe ſupra cœlum. Tertio, quia in hoc firmamento poſuit Deus ſolem, & lunam quarta die, cum tamen hæc Aſtra non ſint in octaua illa ſphæra. Quartò, quia eodem capite primo dicuntur aues volare ſub firmamento, id eſt, in aëre, vt exponit Beda iuxta verſionem 70. interpretum, quem P. Pererius adducit. Quintò, quia octaua ſphæra non diuidit aquas ab aquis, illud enim diuidit vnam rem ab alia, quod eſt in vtriuſque confinio, non enim diuidit Toletum Nauarram à Bætica. At verò Ebrus diuidit Nauarram à Caſtella, quia eſt vtrique confinis. At octaua ſphæra non eſt confinis aquis inferioribus, cum tam multa corpora interiiciantur inter eam & aquas: ergo octaua ſphæra non diuidit nonam ab aquis elementaribus.

§. 45. Eſt ergo firmamentum aggregatio corporum interiectorum inter aquas terreſtres & cœleſtes, quæ ſunt attiguæ cœlo Empyreo. Quæ aggregatio includit omnes cœlos mobiles, ignẽ, & aërem. Communior eſt hæc expoſitio, quam acriter tuetur P. Molina, & ipſe P. Pererius admittit, quam nouiſſime tuetur noſter Martinus del Rio celebris ſacrorum Bibliorum interpres. Probatur, quia in ſolum cœlum, & aërem ſolum, non quadrant, quæ hoc capite primo de firmamento dicuntur: aues enim non volant in cœlo, ſed in aere: neque cœlum diuidit aquas ſublunares, ſed aër: Sydera autem, & Planetæ non ſunt in aëre, ſed in octo partibus ſtellati cœli. Item firmamentum ſecundum vltimam ſuperficiem aëris contiguam mari, & ſecundum vltimam ſuperficiem conuexam cœli ſtellati attiguam aquis ſuperioribus, interſecat vtraſque, ac diuidit. Illudque optimè hanc expoſitionem commendat, quod planè, ac liquido, & ſine chymærarum molitione Sacrum Textum exponit.

§. 46. Itaque prima die creatum eſt cœlum Empyreum, & terra, inter quæ duo corpora creata fuit abyſſus, complens totam intercapedinem cœli, & terræ: non enim erat locus vacuus. Secunda verò die creauit Deus cœlum ſtellatum diſtans ab Empyreo: inter quos duos cœlos reliquit bonam aquarum partem: item creauit ignem, & aërem, infra quem erant illa ſecunda die aquæ ſublunares, & ſub his terra: aquæ verò quæ occupabant ſpatium firmamenti, non fuere annihilatæ. Deus enim adhuc annihilauit nihil, ſed conuerſę fuerunt in firmamentum, quod factum fuit ex aquis. itaque materia cœli, ignis, & aeris prius fuit materia aquæ, & cœlum ſtellatum fuit productum ex priuatione ſui, & generatum, non quidem generatione requirente diſpoſitiones corruptiuas: ſic enim cœlum eſt ingenerabile, ſicut & incorruptibile: ſed generatione producente compoſitum dependenter à ſubiecto. Itaque materia cœli ſtellati, & ſublunaris ſunt eiuſdem ſpeciei: ita P. Molina, & Rio, qui ait cœlos mobiles eſſe ſuopte ingenio corruptibiles, cui hac in parte non aſſentior.

§. 47. Rogas, cur hæc corpora dicantur *firmamentum* potius quàm terra, aut cœlum empyreum? Aduerte, firmamentum dupliciter ſumi in ſcriptura. Primùm pro firmitate, Pſalm. 183. *Dominus firmamentum meum, & refugium meum.* Pſalm. 24. 14. *firmamentum eſt Dominus timentibus eum.* Secundò, pro expanſione, vel vt exponit Rio noſter pro malleatione, reſpondet enim verbum Hebræum, quod ſignificat *malleare*, & quia malleator iam ſupponit materiam, quam malleat, & in quam inducit formam artis, ſic Deus in conficiendis iſtis corporibus imitari quodammodo viſus eſt malleatores, quia materiam aquæ malleauit, & aptauit variis formis: cœlum autem Empyreum, terram, & aquas non malleauit, quia nulla præceſſit eorum materia.

§. 48. Porrò ſupra cœlos eſſe aquas, præter hæc teſtimonia, ſunt alia plura: ac primum ſit, quia cum id toties repetant ſcriptores ſacri, nuſquam aliquis eorum eam propoſitionem exponit, ſed, vt ſonat, relinquunt omnes. Item Deus potuit eas ibi conſtituere; an verò ita fecerit, pendet ex ſola voluntate eiuſdem, quam ex eius teſtimonio debemus veſtigare: ſed ſi Deus id feciſſet, & voluiſſet atteſtari, quo ſermone ſincerius & clarius poſſet? Adde Pſalm. 103. 3. *Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſuperiora eius*, vbi *cœlum* non ſumitur pro aëre, cuius pars ſuperior non tegitur aqua, etiam

etiam pluuiali, quia nubes non in vltima aëris ſuperficie, ſed in media regione aërea continentur, ſuperiora autem aëreis teguntur non aquis, ſed igne, cui eſt aër attiguus: item Pſalm. 148. 4. *Et aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt.* Neque hic ſumuntur *cœli* pro aëre, tum quia vt contra P. Pereriū obſeruat Rio cœlum in plurali rariſſimè ſumitur pro aëre, ſæpiſſime autem dicitur in ſcriptura aquas eſſe ſupra cœlos in plurali, tum quia Dauid inuitat cœlos, & omnia, quæ in eis ſunt ad diuinas laudes, *Laudate Dominum de cœlis: Laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes angeli eius: Laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum Sol, & luna: Laudate eum omnes ſtellæ; & lumen. Laudate eum cœli cœlorum: & aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini.* Cum ergo Pſaltes ſemper verba, fecerit de ipſis cœlis incorruptibilibus, deque eorum ornatu, & incolis, quorſum in eadem oratione ad nubes deſcenderet? Maximè cum poſtea creaturas ſublunares percurrens meminerit aquarum pluuialium in aëre reſidentium, *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum*, ergo primæ aquæ ſunt, quas dicimus eſſe ſupra cœlos.

§. 49. Quod confirmo ex cantico trium puerorum, quod videtur huius Pſalmi gloſſa, Danielis 3. vbi tres illi pueri ſuo ordine inuitant creaturarum vniuerſitatem ad benedicendum Deo, *Benedicite omnia opera Domini Domino: Laudate & ſuperexaltate eum in ſecula. Benedicite, &c.* Deinde ad ſingulas diſcurrentes, incipiunt à capite, & eius habitatione, *Benedicite Angeli Domini Domino, Benedicite cœli Domino:* deinde ſuo ordine cæteras proſequentes, *Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt Domino, Benedicite omnes virtutes Domini Domino,* poſtea addunt, *Benedicite Sol & luna Domino.* Cum ergo adhuc perſiſtant in cœlorum ornatu, & partibus: quorſum meminiſſent aëris, & illum ſoli & lunæ præpoſuiſſent? maximè, cum perpetuum ordinem ſeruent in inuitandis nubibus, aliiſque meteoris, & in terra incipiant à montibus.

§. 50. Quod ſi non meminere ignis, ea ratione fecere, quia ſub lite eſt etiam nunc, vtrum propriam habeat ſedem? quam ob cauſam ait P. Pereira prætermiſſum etiam eſſe à Moſe hoc capite primo. Sed rogas cui fini aquæ ibi obſeruiant? Sed quid me rogas? Roga eum, qui eas illic voluit eſſe: qui ſi voluiſſet, an ne honeſto, & optimo fine careret? equidem conſiliarius eius non fui, neque noui ſenſum Domini. At inquis, neſcimus, quonam pacto ibi ſint. Sed ſcit is, qui eas ibi repoſuit. Neque enim ſcripturam noſtro capite metiri, ſed noſtram mentem ſcriptura debet captiuare, & redigere in obſequium. Qui corpora conſeruat ſine cibo in cœlis, & qui membra ambuſta æternis ignibus non ſinit conſumi, non poterit aquas à calore illæſas tueri? Vel negando concurſum ad earum calefactionem, vel præbendo reſiſtentiam nimio frigori. Neque tunc erunt violentæ, quia ſub luna tantum habent centrum; non autem extra. Vide P. Molinam, & Rio afferentes infinitam authorum multitudinem pro hac ſententia; & alios, & quidem grauiſſimos, refragantes.

SECTIO IV.

Vtrum Ignis ſit Lunæ vicinus?

§. 51. PYthagorici ignem conſtituere in terræ meditulio, quos impugnat Ariſtoteles, 4. de cœlo: pro quibus tamen primum argumentum eſt, crebra aliquorum montium eructatio, & quaſi vomitus ignitorum lapidum: quorum tantam multitudinem Arequipenſis quidam mons, noſtra tempeſtate diſpulit, vt ingentem fluuium fecerint efferueſcere, coxerintque piſces, atque hoc non eueniret, niſi ſub terra eſſet elementum ignis. ergo. Quod poteſt confirmari ex antiquorum fabulis, quibus Gigantes fingebantur fabrilem artem exercere in Vulcania; fundamentum autem erat ignis in Æthna, aliiſque montibus non ſemel viſus, autumabantque antiqui ſempiternos ignes ad excruciandos improbos homines, & dæmones in ipſo terræ centro, neque verò credendum eſt tandiu ignem eſſe violentum.

Alij opinantur ignem non habere propriam ſedem, ſed ibi eſſe vbi ſemel excitatur donec pabulum deſit, probarique poteſt primò, quia ſi eſſet ſub terra, illam totam abſumpſiſſet inſatiabili voracitate, ſicut pene Æthnam abſumpſit, idque multo facilius præſtaret in aëre, cui minus eſt reſiſtentiæ, quàm terræ; ergo nullibi datur propria ſedes ignis. Secundo, quia nulli vſui eſt alicubi ignis neceſſarius, ſicut ſunt terra, aqua & aër, quicquid autem Deus effecit, in noſtros vſus effecit. §. 52.

Duplicem quæſtionem inuenio: alteram de facto, alteram ex natura rei. Et quidem non dubito, quin ſit ignis natura ſuo cœlo vicinus. Probatur apertè, quia corpora, quo calidiora, eo habent altiorem ſedem, tum quia raritate ſequuta calorem, ſibi vindicant plus ſpatij, tum quia denſitatem comitatur grauitas: leuitas autem raritatem, locus autem quo ſublimior, eo eſt amplior, ſed omnium elementorum rariſſimum, & leuiſſimum eſt ignis, ergo inter illa petit altiſſimum, ampliſſimumque locum. §. 53.

Confirmatur aperta experientia: quia flamma ſurſum tendit, verſus quam partem vrit efficaciſſimè, deorſum autem exiguas oſtendit vires, ergo ſignum eſt naturalem locum eſſe ſupra aërem: & ſicut terra, & aqua ægrè feruntur ſupra aerem: feruntur autem deorſum tanto impetu, vt nullis obiectis repagulis contineantur: eſtque nobis hoc argumento, aquarum & terræ naturalem ſedem eſſe infra aerem: ſicut ergo terra infra deſcendens obuia quæque diſrumpit, atque comminuit, ita ignis ſupra aſcendēs omnia comburit, & demolitur. Hinc tormēnta ſulphurea igne concepto cœlum imitantur tonitruis emiſſis, coniectiſque fulminibus, quia ignis tormenti carcerum impatiens euolat in ſublimem, natiuumque locum. §. 54.

Item exiſtimo, elementum ignis eſſe in concauo lunæ. Primò, quia Deus vniuerſum hoc perfecit, neque mancum reliquit: ergo illud non obtruncauit præcipua parte; deinde communis eſt ferè omnium hominum conſenſus, ignem eſſe lunæ attiguum, ratioque euincit, nam ignis efficaciſſimo calore aerem calefacit, illúmque tuetur ab influxibus lunæ, atque Saturni, quæ aerem vehementer infrigidant, frigeſceretque totus aër niſi igne foueretur. Ex qua contentione inter ignem, lunam, & Saturnum, oritur aëris temperies, ita vt neque abſumatur ab igne, neque omnino infrigidetur à Planetis. Quod verò ignem non videamus, nihil obeſt, tum quia non habet lucem admodum vehementem, qua poſſit in tanta diſtantia terras illuſtrare; tum etiam, quia illius raritas (ſicut aërea) non poteſt viſionem terminare. Neque vero in propria regione indiget nouo pabulo: nam apud nos facile corrumpitur ignis, quia raritate materiam extenuat, in qua cum non poſſit reſiſtere §. 55.

reſiſtere contrariis, quibus circumcingitur, dat manus. In propria autem patria pacata ſunt omnia, ab aëre autem ſe facile tuetur, à quo inuaditur per vnam ſolàm partem.

§. 56. Ad argumenta: probant quidem pluribus in locis reperiri ignes propter capacitatem lapidum, è quibus gignuntur, ſunt enim ſulphurei: quod decem Caſtellani teſtatum apud Indos fecere, vbi ſe coniecerunt in fornacem accenſi montis, & ex mediis flammis extraxere lapides ignitos, è quibus ſulphureum puluerem effecere ad bombardarum, & ſclopetorum vſum: in inferno autem diuina prouidentia reconditus eſt ignis, & ad defunctorum cruciatus, & ad viuentium terrorem: reliqua argumenta facilem habent explicatum.


SECTIO V.

Opus tertiæ diei.

SVBSECTIO I.

Elementorum ſitus, figura; grauitas, & leuitas.

§. 57. ITaque ſecunda die creauit Deus cœlum ſtellatum, ignem, & aërem. Perſequamur quid factum fuerit hac tertia die, dixit vero Deus; *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida, & factum eſt ita, & vocauit Deus aridam terram, congregationeſque aquarum appellauit maria.* vnde patet vniuerſam terram fuiſſe aquis contectam, & ſpeciali Dei beneficio diſcoopertam hac tertia die: & quidem ita exigebat elementorum natura, quæ hunc poſtulat ordinem. Cœlum ſtellatum eſt vndique rotundum, eſtque globus excauatus, vt ſi quis habeat globum æneum cauitate affectum Hiſpanè *hueco*: ſuperficies extima, ſiue vltima verſus partem ſuperiorem, eſt & vocatur *conuexa*; ſuperficies autem vltima verſus partem inferiorem vocatur *concaua* propter cauitatem, quam habet, in qua cauitate cõtinetur mundus inferior, ſicut vinum continetur in dolio; cum ergo in tota iſta cauitate nihil poſſit eſſe vacuum, oportuit leuiſſimum, perfectiſſimúmque elementum illi eſſe attiguum, qua propter ignis eſt circumfuſus, ita vt contingat totam cauitatem lunæ, ſitque ſphæricus ſicut ipſa cauitas: cum verò ignis non poſſit replere totam lunæ cauitatem, oportuit circa vltimam eius ſuperficiem concauam aliud corpus apponi, quo repleretur tota cauitas: hoc corpus eſt aër; qui effuſus eſt toti igni, & propter eamdem rationem ſphæricus, quia ſicut ignis ſuperficie ſua conuexa tangit totam ſuperficiem concauam lunæ; ita aër ſua ſuperficie conuexa tangit totam ſuperficiem concauam ignis: quia verò aër non poteſt replere totum ſpatium, illi apponitur aqua ſuperficie ſua conuexa attingens totam ſuperficiem concauam aëris, & quia ſola aqua non potuit complere cauitatem; intra eius ſuperficiem concauam, producta fuit terra: qua repleta fuit vniuerſa intercapedo, ita vt terra ſit circumtecta aquis, aquæ verò aëre, hic igne, ignis cælo, qua diſpoſitione produxit Deus Mundum ſecunda die, tunc enim ſiuit elementa ſuis naturis. Itaque finge tibi totum hunc mũdum inferiorem, quaſi quatuor circulos, vnumquemque autem circulum compleri corpore: primum quidem igne, ſecundum aëre, tertium aqua, terra quartum.



Hanc eſſe naturam elementorum patet ex definitione leuitatis, & grauitatis, quam tradit Ariſtoteles 4. de cœlo, *leue eſt, quod à medio tendit in ſuperum: graue eſt, quod tendit in medium,* id eſt leuia è terra (quæ cum centrum ſit vocatur medium) tendunt in cœlum, (quod eſt ſuperum) grauia autem è cœlo deſcendunt in terram, eſtque hoc ſenſui perſpicuum, & communi omnium conſenſione receptum. Ignis enim in terra incluſus magno impetu erumpens tendit in cœlum, terra vero aëre ſuſpenſa confractis furculis, quibus fulciebatur, magno impetu fertur deorſum: illæ ergo facultates, quibus talia elementa impelluntur, vocantur in igne *leuitas*, *grauitas* in terra, vocanturque *ſumma grauitas*, & *ſumma leuitas*, quia petunt extrema loca, ſumméque diſtantia intra concauum lunæ. §. 58.

Aqua autem & aër habent grauitatem, & leuitatem propè ſummam: quæ aqua tendit in medium, ideſt in terram; aër verò à medio in ignem. Quæ qualitates non ſunt eiuſdem ſpeciei cum ſumma grauitate, & leuitate: quia habent centra, terminoſque diuerſos. Non enim differunt penes maius aut minus pondus, nam lapis vnius libræ non habet tantum pondus, quantum lignum centum librarum, & tamen lapis demergitur in aquam, lignum verò adnatat vndis. §. 59.

Dices lignum per poros aëre repleri, cuius leuitas reſiſtit grauitati ligni. Contra: quia ſi trutina vtrumque perpendas, lignum quantumuis repletum aëre, grauius apparet lapide, ergo lapis non demergitur propter maius pondus, ſed quia habet grauitatem ſummam, ideſt terream, cuius natura eſt deferre corpus infra aquas; lignum autem habet leuitatem propè ſummam, ideſt aëream, quæ corpus fert ſupra aquas, habetque admixtam grauitatem prope ſummum, ideſt aqueam: ligna enim plus participant ex aqua, quàm ex terra. Quod patet in lignis, quæ in rupibus naſcuntur, & ex lunæ influxu, quæ quia dominatur in aquas, ita & in nemora. §. 60.

Itaque ſunt diſtinctæ ſpecie iſtæ qualitates. Neque verò ſunt ſicut calor in diuerſis elementis, qui in eis differt penes magis, aut minus. Iſtæ autem qualitates diuerſa habent munera ſcilicet corpora deferre in loca ſummè, aut propè ſummè à cœlo diſtantia. Has qualitates non vocat Ariſtoteles, *grauitatem*, aut *leuitatem ſimpliciter*, ſed *ſecundum quid*, & *relatiuè*, ideſt, aër comparatus igni, eſt grauis, aquæ vero collatus, eſt leuis: quapropter P. Conim. 4. de cœlo, aiunt iſtas duas qualitates eſſe ſicut colores medios, qui ſpecie differunt §. 61.

ab

ab extremis, à quibus aliquid participant, rubeus enim color atro comparatus videtur albus, albo verò comparatus; niger: ſic leuitas aëris comparata terræ, videtur leuitas, comparata verò igni, videtur grauitas.

§. 62. Aduerte, has qualitates in magna extenſione efficere maius pondus: nam quælibet pars grauis propendet in centrum: qua propenſione quaſi diſrumpit corpus reſiſtens, & tam multæ poſſunt eſſe partes, vt illis non poſſit reſiſti. Hinc oritur quatuor equos poſſe trahere currum, qui non poteſt trahi à duobus, quia augetur impetus, quo ſinguli equi adquirunt nouum locum. Quo differunt hæ qualitates à primis, nam duo calores vt vnum non poſſunt producere calorem vt duo, neque mille calores plus quam vnus; at vero iſta agentia multitudine iuuantur: nam ſicut ipſæ qualitates iuuantur multitudine ad reſiſtendum: vnde plus reſiſtunt duæ trabes, quàm vna, ita etiam iuuantur agentia multitudine.

§. 63. Hinc colliges, ſingula elementa eſſe natura ſua rotunda, & ſphærica. Nam quælibet pars eorum tendit in proprium centrum, ita vt quælibet pars ignis tendat immediatè in concauum lunæ: quapropter ſuperficies conuexa ignis cingitur tota à concauo lunæ, vnde quælibet pars ignis tendens in concauum lunæ ſe coaptat in ſphæram, & relinquit ſuperficiem concauam, etiam ſphæricam, in qua includitur aër, præſtans circa ignem, quod ignis circa concauum lunæ, idemque præſtat aqua circa aërem, & terra circa aquam ſuo modo: ſicque totus mundus eſt ſphæricus, & quælibet eius pars. At verò ignis aliquando habet ſuperficiem concauam, non tamen omnino, & ad amuſſim circularem: nam ſub æquatore, cum plurimum ignis gignatur, ſe porrigit ibi, tranſiliens limites ſphæræ: aër etiam ſe extendit ad replendas cauitates terræ, quapropter non efficit circulum omnino perfectum, neque terra, & aqua propter montium aliarumque partium altitudines, & vallium profunditates, quas Deus hac tertia die effecit (vt mox dico:) terra enim prima die producta fuit ſine montibus, quam Deus tertia die diſcooperuit.

§. 64. Rogas: vtrum elementa in propria regione leuitent? aut grauitent? Pro parte affirmatiua hæc videntur: Primum, quia vter inflatus plus habet ponderis, quam cum eſt vacuus, quia aër ibi grauitat. Secundum, aurum ſtamno mixtum deſcendit inferius, quam ſtamnum partem oppoſitam euincit ratio. Nam leuitas, & grauitas ſunt ad comparandum naturalem locum, centrum autem eſt naturalis locus elementorum, ergo elementa in proprio centro, neque leuitant, neque grauitant. Deinde cum grauitas ſit ad depellendum corpus obſiſtens, ſi elementa grauitarent, aut leuitarent, partes mutuo corrixarentur quum altera alteram è loco pelleret, ſicque nō ſeruaretur concordia inter eiuſdem corporis membra, quæ omnia ſunt in centro: quando ſunt vnita toti orbi exiſtenti in centro. Quod non eſt indiuiſibile: ſed tota intercapedo aquæ eſt terræ centrum, quod occupat per omnes ſui partes. Quod obſerua in §. *69*. Item probatur à poſteriori, quia aër noſtra capita degrauaret ſicut grauat onus illi impoſitum.

§. 65. Item natator, non poſſet ferre aquarum pondus, quas tamen neque leuiſſimè ſentit. Dices hominem conſugentem terga alicui fornici, non ſentire grauitatem lapidum, cum tamen illic grauitent, ergo idem erit de aqua & aëre. Nego conſequentiam, lapides enim in fornice impetum ſuæ grauitatis imprimunt corpori, à quo fulciuntur: ſi autem aqua grauitaret ſicut lapis in fornice, imprimeret quidem impetum natatori: quia non haberet aliud corpus, cui imniteretur.

Ad primum reſpondetur, vtrem inflatum plus habere ponderis, quia quem continet aër, eſt impurus, & terræ exhalationibus infectus, ſi autem eſſet purus, leuior eſſet vter. Vt papyrus non contuſa malleo, leuior eſt quam contuſa, quia per contuſionem pellitur è poris aër liquidus. Ad ſecundum reſpondetur omnes partes terræ puræ, vt argilla, eſſe ponderis æqualis, mixta verò vt lignum, & aurum propter varia temperamenta, eſſe grauiora, aut leuiora, & quia ſtamnum habet diuerſum temperamentum ab auro, eſt illo leuius, & illi innatat. Terram autem non grauitare patet: quia ſiquis pedem figat ſub terra humectata, non ſentit pes vllum impetum luteæ terræ; quemadmodum nec natator in aqua, & tamen ſi pedem leuet & ſuper eum lutum, tunc ſentit impetum terræ propendentis in centrum; quando verò terra grauitat, eſt, quia corpore interiecto leuatur aliqua eius pars, aut interponitur aër, infra quem tendit vicinior terræ pars: quemadmodum ſentitur grauitas aquæ quando ex fundo leuatur amphora ænea, eius enim tractioni ad locum ſuperiorem renititur aqua. §. 66.

Hinc Reſpondetur vulgari quæſtioni, cur terra non prolabatur, Hiſpanè *ſe hunda*, aut quibus columnis fulciatur? Reſpondeo cum ſcriptura, Dominus fundauit terram ſuper ſtabilitatē ſuam, non inclinabitur in ſæculum ſæculi, quia ipſius pondus eam firmat: cum ſit vndequaque aër circumfuſus, qui neceſſario interponendus eſt inter cœlum & terram. hinc oritur illam non poſſe moueri: neceſſario enim deberet ſupra aërem aſcendere; quod nequaquam poteſt. Quapropter noſtri antipodes non ſunt pendentes, neque incedunt inuerſis capitibus, ſed in cœlum erectis, nam aſcendere eſt à loco terræ ad cœlum approximari. At vero antipodes non ſunt cœlo proximiores (niſi forte ob terræ inæqualitatem & montium altitudinem) vnde ſi terra perfodiatur vſque ad antipodes, lapis perforamen proiectus non feretur niſi ad meditulium terræ, ſi autem ex parte aduerſa lapis alius deſcenderet, ſe contingerent in eodem meditulio. Nam vſque ad illud fertur inſita grauitate: quæ illam rapit ad locum diſtantiſſimum à cœlo: qui eſt meditulium terræ: ſi autem vltra illud ferretur lapis, iam nō deſcenderet, ſed adſcenderet: quia cœlo eſſet proximior. Quod illi repugnat, non ſecus ac remeare ex centro ad nos. §. 67.

SVBSECTIO II.

Vtrum terra trepidet motu aliarum rerum.

EXempli gratia: proiicit aliquis lapidem, qui vi in terram decidens, illi imprimit impulſum; quæritur vtrum eo impulſu ita quatiatur terra, vt trepidet? Nonnulli arbitrati eam trepidare; quia eſt perfectè ſphærica, æquis librata ponderibus: globus autem quouis cietur impetu: cui ſi corpus appingas, illo trahitur ad centrum ea pars cui appingitur, e.g. ſi globi parti B. exiſtenti in loco ſuperiori figas clauum, è quo pendeat ferrum; totus globus mouetur, & pars B. è loco ſuperiori mouetur in inferiorem. §. 68.

Verùm ſi tota difficultas penderet ex ſola rotunditate terræ, facilè ſolueretur: quia oculis cernitur eius inæqualitas: nam & vallium profunditas, & montium celſitudo monſtrant eam non eſſe §. 69.

Digitized by Google

eſſe perfectè rotundam. Deinde vt globi pars ſupera ferro trahitur ad imum, ita ibi ſiſtit donec aut ferrum auferatur,& maior imprimatur impulſus: ergo terra non remearet in priſtinum locum donec ex oppoſita parte tantundem,aut plus ponderis, aut impulſus imprimeretur. Quod ſi quis vellet turrim demoliri, id præſtaret lapidum aggeribus ex alia appenſis parte: quia illuc inclinaretur terra, quemadmodum globus appenſo ferro. Huius autem ſententiæ fundamenta commodius librantur examine ſententię ſequentis;quæ grauibus eſt innixa & rationibus,& authoritatibus.

§. 70. P.Vaſquez in 1.2.d.81. à numero 20. Probat ex Archimede omnes partes eiuſdem corporis tendere natura ſua in ſuum centrum indiuiduum: ita conſiderandus eſt totus orbis terreus habens indiuiſibile centrum grauitatis; id eſt, punctum, ex quo ad omnes vltimas terræ partes æquale ſit pondus: quod punctum tam auidè appetitur ab omnibus partibus vt non ſolum terra pugnet cum aëre, & aqua, ſed etiam cùm ſui ipſius partibus; quarum aliæ alias impellunt,vt eas loco pellant,& ipſæ centro potiantur. quod probat ex aquæ guttis,quæ puluerem tangentes ſe in orbem agglomerant,& comprimunt.

§. 71. Secundò obſeruat, centrum grauitatis terræ eſſe centrum magnitudinis totius orbis;ita vt hæc duo centra ſint penetrata: ita conſiderandum eſt punctum, ex quo ad totam periphæriam, ſiue circumferentiam omnium corporum ſublunarium, ducantur lineæ æquales: ita vt linea tangens punctum illum & cauitatem cæli lunæ ex hac parte; & linea ex eodem puncto tangens eiuſdem cæli cauitatem ex aduerſa parte, ſint omnino æquales: item & lineæ ductæ ex duobus lateribus: itaque expanſo circino ex illo centro ad totam periphæriam orbis omnes lineæ ſint vndique æquales ex prima ſuperficie caua cæli ad illud punctum: ita vt diameter ſecans eum circulum, illum partiatur in duos ſemicirculos æquales. Cum ergo cētrum grauitatis terræ penetratur cum hoc centro magnitudinis orbis, tunc terra quieſcit,nec mouetur: ſi autem ab hoc centro dimoueatur, eſt per motum violentum: cuius impulſum abſumit inſita grauitate,qua centrum repetit idem.

§. 72. Hinc deducit terram motum iri trepidatione ſi ex aliqua parte ei appingatur noua pars grauis:quia tunc cæteræ partes erant æqualis grauitatis; at verò corporis adiectione eſt plus ponderis in illa parte:ergo hoc nouum pondus cum pondere cæterarum partium, vincet grauitatē aliarum partium, è diametro reſpondentium. Deinde cæteræ partes quæ longius diſceſſerunt à centro magnitudinis mundi, quia ſunt ſurſum, repetent idem centrum, terráque quieſcet.

§. 73. Ex qua doctrina infert,impulſum, quo lapis iactus eſt à proijciente in centrum, vinci, & euaneſcere impetu contrario, accepto à partibus terræ redeuntibus in centrum. Secundò infert, perire etiam impetum parieti, aut muro impreſſum manu, aut alia vi: quia illi impetui reſiſtit murus, & terra tota,quando poſtquam trepidare cæpit, redit in centrum.

§. 74. Hæc ſententia non placet. Primùm, quia falſo nititur fundamento; nempe terram grauitare ſecundùm partes; ita vt vna pars impetum imprimat parti inferiori, conata illam loco pellere, vt ſe penetret puncto magnitudinis orbis. oſtendi §. 64. centrum terræ non eſſe indiuiſibile; licet enim ſit aliquod punctum, ex quo ſint æqua pondera terræ in omnes eius partes; tamen centrum hic accipitur pro loco alicui elemento aptiſſimo ſuæ temperaturæ, & influxibus cœli tuendis. Hic autem locus nō poteſt eſſe indiuiſibilis corpori quāto: quia impoſſibile eſt corpus ex natura rei eſſe in vno ſolo puncto: ergo centrum terræ non eſt inſectile; ſed tota illa cauitas relicta intra vltimas aëris ſuperficies.

Confirmatur: centrum inſectile nulli vſui eſt parti diuiſibili terræ: ergo hæc non eſt cur in illud grauitet: conſequentia patet; quia motus illi naturales ſunt corporibus, vt per illos aliquod comparent emolumentum;alioquin cur inanimata appeterent centrum? Antecedens probatur:quia nulla pars diuiſibilis certa, & determinata poteſt eſſe in loco inſectili. Cum ergo totus globus terreus habeat centrum adæquatum; quo capiatur totus, & in quo melius inſitam conſeruet qualitatū temperiem; hoc centrum eſt tota cauitas relicta ab aqua in prima molitione mūdi.Quia verò ex aqua & terra compingitur alius globus, complens aëris cauitatem; hæc eſt centrum aquæ & terræ: cum autem coëunt hæc duo elementa, terra occupat locum inferiorem. §. 75.

Hinc probo terram non trepidare: quia motui, & impulſiui corporis in terram illidentis reſiſtunt omnes partes terrę oppoſitæ ex diametro:ſed hanc reſiſtentiam non poteſt vincere corpus illidens: ergo nec mouet terram:maior probatur: quia omnes illæ partes tendunt ex natura ſua ad centrum, & reſiſtunt eleuationi terræ ſupra aërem. Etenim omnes partes extimę terrę eſſent trepidatione cōſcenſuræ ſupra aërem, vt admittit P. Vazquez & eſt manifeſtum; quia omnes illæ quæ corpori illidenti opponuntur ex diametro, recedent à primo centro, & tendent in aëris centrum: At ille receſſus eſt violentus ijs partibus; ac propterea dicuntur à P. Vazq. redire vltro in prius centrum, & corrumpere impetum corporis illidentis: ceteræ item partes illius ſemicirculi etiam reſiſtunt; quia tota terra reſiſtit elationi in locum ſuperiorem eo qui terræ debetur. Immo eadem ratione tota terra reſiſtit; quia ſingulæ eius partes habent inclinationem ad centrum totius orbis terrei, quia in eo omnes in naturali perfectione conſeruantur. Minor autem eſt clara: quia partes vicinæ corpori illidenti non imprimunt impetum oppoſitis ex diametro;immo omnes illæ ſunt immotæ,& reſiſtunt impulſui corporis illidentis,ne totus globus terræ ſit extra adæquatum centrum. §. 76.

Confirmatur: terra quieſceret in centro grauitatis non penetrato cum centro magnitudinis orbis; quod merito negat P.Vazquez:ergo non trepidat.Probo antecedens: quia æqualia eſſent pondera vtrimque, nempe ex parte corporis illidentis, & ex parte oppoſita ex diametro: ſed cum ſunt æqualia pondera ex omni parte,quieſcit terra:quia nullæ partes ſuperant alias: ergo. Probo maiorem: quia corpus illidens effecit vt partes oppoſitæ abſcederent è centro; eaſque impulit; ergo habuit vim ad eum motum: ſed deinceps habet eamdem vim, nec oppoſitis partibus additæ ſunt vires, aut reſiſtentia; ergo manet eadem vis vtrinque,ac propterea non redibit centrum grauitatis ad centrum magnitudinis. §. 77.

Obijcies, terram fore violentam. Reſpondeo, eam vim oriri ex maiori grauitate accreſcente terræ ex impulſu corporis illidentis; atque vt hic cum impulſu aliarum partium terræ potuit illam pellere ex centro magnitudinis, ita potuit illam tenere: quia non eſt vnde pereat impulſus: terræ namque reſiſtentia non potuit impetum retardare. §. 78.

Quod ſi obijcias, iam aliquas partes terræ eſſe extra centrum illud magnitudinis quæ in illud grauitant: Reſpondeo, eas partes non potuiſſe reſiſtere impulſui: quapropter pondus omnium partium reſiſtentium & omnium impellentium fuit æquale in ipſa trepidationis inceptione: deinceps autem neutri parti accreuerunt, aut decreuerunt vires: ergo deinceps manebunt eodem in loco.

§. 79. Secundò argumentor; quia toties, ac tam vehementer terra quateretur, vt eas trepidationes perciperemus ſenſu: nec in illa poſſemus conſiſtere, quemadmodum nauta non poteſt pedem figere naui iactatæ procellis. Probo id ſequi: quia cum duo maximi exercitus cõcurrunt; accedit illi terræ parti ingens corporum pondus; & impulſus præliantium, bombardarum impetus, ac tormentorum; vt terra concuteretur. Etenim ſi ex tua ſententia exiguo paleæ iactu tota terra mouetur, ſupputa obſecro vires duorum exercituum, & expende quantum excedant paleæ.

§. 80. Ad primum fundamentum ex §. 70. reſpondeo non grauitare partes in centro: quo corruit tota illa moles. Ad probationem ex guttis reſpondeo, guttæ partes non grauitare niſi inter illas interijciatur aër: quapropter circulus ille aqueus conſeruatur, donec vincatur ab extrinſeco: verbi gratia, quia ſiccitate abſumitur à ſubiecto corpore; vnde in tabula plus durant illi globuli quàm in puluere; quia minorem vim patiuntur ab extrinſeco. Parietes autem non grauitarent niſi aër, aut aqua in lapide tenerentur. Videmus enim lapides nonnunquam herbeſcere, ac viridi humore manare. quod eſt in cauſa ruinæ ædificiorum. Vbi autem terra eſt argilloſa, & denſa, fundamenta ſunt ſecura: quia vix habet aquam, niſi neceſſarium humorem ne terra cinereſcat.

§. 81. Eſto tamen; grauitent omnes partes terræ, adhuc non ſequitur trepidatio: quia omnes illæ grauitant in centrum magnitudinis, cum autem partes ſemicirculi in quo eſt corpus illidens, dimouendæ eſſent ab eo centro, & conſcenſuræ in aërẽ, omnes illæ cum partibus ſemicirculi ex diametro oppoſiti reſiſtũt reliquis partibus & impulſui: itaque non iuuat impulſum totus ſemicirculus cui imprimitur; ſed potius illius ſemicirculi partes quæ receſſuræ eſſent à centro, reſiſtunt ſimul cum toto oppoſito ſemicirculo: qua reſiſtentia ſuperant quemcumque impulſum ſiue ingenti, ſiue exiguo: quia vehemens impulſus plures partes ſui ſemicirculi eſſet amoturus à centro magnitudinis, vnde omnes illæ obſiſtunt.

§. 82. Ad argumentum ex §. 72. nego illam trepidationem terræ: quia quamuis duo ſemicirculi eſſent æqualium ponderum, tamen totus alter reſiſtit; item & pars alterius; nempe illæ partes quæ trepidatione eſſent amouendæ à centro. vnde impulſum iuuantes partes nõ ſunt æquales reſiſtentibus.

§. 83. Ad corrollaria ex §. 73. reſpondeo immotis partibus imprimi impulſum corpori illidenti; quo reijcitur corpus ipſum; & impreſſus impulſus reſtinguitur. vt enim terra impetum imprimat, non eget antecedenti motu; ſed grauitate ſua illum imprimit corpori conanti illam loco pellere. Quo autem eſt vehementior impulſus proiectorum, vehementius terra reſiſtit, & impetu vehementiori à ſe proiecta propulſat. eſtque hæc reſiſtentia, & corporum propulſatio inſita; vt quo plus eſt periculi, vehementius ſe tueatur, impetus autem impreſſus parieti eadem ratione perit. vnde fatigatur manus illum imprimens; quia à muro patitur contrarium impetum. Quia tamen hæc doctrina plena eſt difficultate, reſpondeo; corpora reſiſtere per primum impulſum; qui eſt loco motiuus; & reflexo motu retrahit corpus cum impeditur, itéque iuuatur à corpore reſiſtẽte nouo impetu impreſſo. Primum impulſum non perire patet; quia ſi pila ex obliquo tangat parietem, pergit eadem vi, ſed non linea recta, ſed obliqua. Tandem aëris reſiſtentia, & terræ extinguitur impetus.

SVBSECTIO III.

Cætera eius diei.

CVm ergo Deus elementa hoc ordine produxiſſet, eſſétque terra inepta ad habitationem hominis, iuſſit hac tertia die aquas in vnum coire locum, id eſt, omnes aquas ſuper terram effuſas iuſſit terram relinquere, ſéque recipere in ingentes alueos, quam congregationem Deus vocauit *maria*, terram verò exſiccatam reliquit, & quæ antea erat perfectè rotunda, fuit poſtea diuino imperio in montes, valléſque compacta. Hac enim die (teſte Damaſceno) Deus montes effecit, tum ad communem omnium vtilitatem propter paſtum, arborúmque multitudinem, tum vt ex illorum cauernis perennes ſcaturirẽt fontes, tandém ne venti per planities graſſantes, terram verterent per auras, vt diximus cum P. Conimbr. in explicatione problematum. Item hac die diuino imperio ingentes cauernoſæq; valles ſubſidunt, quibus quaſi carceribus tumentes fluctus ſuperbientis maris coercentur. §. 84.

Congregentur aquæ omnes: ly, *omnes*, non excludit humorem neceſſarium ad compingendam terram, §. 85. ſine quo illa in minutiſſimos cineres ſolueretur. Poteſt eſſe quæſtio, vtrum hac die congregauerit Deus in locum vnũ aquas fluminum? Partem enim affirmantem indicat textus, *congregentur aquæ omnes, quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum.* Dices, locum illum eſſe vnum continuatione, & ſatis indicare textum aquas non eſſe coniunctas in locum eumdem mathematicè, ait enim, *congregationéſque aquarum appellauit maria*, ac ſi dicat, aquas eſſe coactas in diuerſa loca, quæ continuatione faciunt vnum; at verò flumina mari continuari, videtur apertè dicere ſcriptura, *vnde exeunt flumina reuertuntur*; ſed certè flumina formaliter non exeunt è mari, aqua tranſmiſſa per terræ poros, tum quia fontes oriuntur è locis altioribus, quàm mare; à quo non poſſunt conſcendere vltra altitudinem ſuæ originis.

Deinde ſaperent ſalſedinem, neq; enim per poros §. 86. terræ poſſent tota ſale purgari, quod maximè patet in fontibus ſcaturientibus iuxta mare; qui proculdubio vicini parentis mores referrent. Deinde flumina nunquam exſiccarentur cum perennem haberent originem, at conſtat ex Hiſpanica Chronologia, in ea prouincia nullum flumen non eſſe exſiccatum præter Durium, Ebrum, Tagum, & Minium. Flumina igitur oriũtur præcipuè ex aëre, qui in cauernas concluſus, in aquam abit; dicuntur autem è mari exire virtualiter, quia venti ex illo prorumpentes prę humiditate facilius ſoluuntur in aquam, & nubes è mari abreptas conuertunt in pluuias, quibus flumina augeſcunt, vt exponit Nicolaus de Lyra. Itaque illa congregatio aquarum intelligitur de ſolo mari, flumina autem non ſunt maria, ſed illa Deus tertia die produxit ex aëre, tum quia eodem die productæ ſunt aquæ, quæ pendent à fluminum irrigatione, vt de paradiſo apertè teſtatur ſcriptura Gen. 2. num. 10. tum etiam, quia continuo defluxu continuantur mari,

& in

& in illius locum congregantur.

§. 87. Hic quærendum videtur; cur mare non redundet fluminum confluxu? ſi enim Piſuerga per annum reſtagnaret, totam Caſtellam obrueret. Quod Salomon quæſiuit 1. Eccleſiaſt. 7. vide ibi P. Lorinum, quia ſolet eruditione. Reſpondeo primo: mare non redundare vltra alueum, vt ait Salomon: non quod aliquando non habeat plus aquæ: ſed quia eius margines ſunt ſine termino. Cum pluit, plus habet aquæ, quam ante pluuiam immediatè: ſed non conſpicitur exceſſus magis quàm in fluuio aqua lebetis. Quia vero tandem marginem prætergrederetur, continuo eiaculatur vapores aqueos, & humidos, quos ſol & cæteræ cauſæ ſoluunt in aquas fluuiales: itaque decreſcit per exhalationes, quod per flumina creſcit, ac propterea, vnde exeũt flumina reuertuntur, id eſt, in vapores aqueos, & aëreos: idque præcipuè in mari.

§. 88. Hic ſolet inquiri vtrum mare ſit altius terra? Vide P. Molinam diſput. 11. & Pererium hæc latè diſputantes. Certum eſt autem, mare non eſſe ſuperius terra, tum quia prærupti montes illi eminent, vt conſpicitur in littoribus, tum etiam, qui cum è mari in portum ſit aër, proculdubio aqua deſcenderet in locum aëris, terrámque obrueret: deinde, qui è portu ſoluerent, difficilius remigrarēt, quàm qui portui appellunt: tandem mare multas prouincias obruit, quia continua excauatione illis factum fuit ſuperius, & in Gellandia multis repagulis obſiſtitur mari ne illam obruat, quæ prouincia habet inſignes parietes mari obiectos, quos vulgo *Diques* appellant.

§. 89. Rogas, cum aqua petat eſſe ſuper terram, cur non ſit? Reſpondeo, aquam non poſſe aſcendere ſupra aërem, quia cum contineatur in terræ cauitatibus, ſupra quas eſt aër; non poteſt ſuperius aſcendere: præſertim cum elementa pugnent loco, quando quaſi permiſcentur, ita lapis deiectus in aquam mergitur.

§. 90. Terra & mare vnum faciunt globum, licet non perfectè ſphæricum, nam terra circum circa fuit excauata: circa quam diffuſa eſt aqua, terram autem maiorem eſſe aqua, probant P. Pererius & Molina ſupra, cum tamen totum aquarum corpus deberet eſſe maius terra.

§. 91. Hac tertia die productæ fuerunt plantæ, fructibus plenæ: de quibus nunc diſputare alienum eſſet à noſtro inſtituto, quod eſt indagare principes mundi partes.

SECTIO VI.

Opera cæterorum dierum.

§. 92. QVarta die *dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, in tempora, & dies, & annos.* P. Pererius exiſtimat, hac die nō fuiſſe productum ſolem, & lunam, & ſtellas quoad ſubſtantiam, ſed illis eſſe lucem diſtributam: exiſtimat enim prima die lucem habuiſſe exiguam, quarta verò intenſam. Sed non placet. Primò, quia non dixit Deus ſicut prima die, *fiat lux,* ſed *fiant luminaria:* deinde, quia de luce facta prima die dicitur diuiſiſſe lucem à tenebris, ſi ergo illa lux erat ſolis, vt tu dicis, iam erat Sol, & quoad ſubſtãtiam, & quoad lucem, & quoad munus, *diuidendi lucem à tenebris,* quid ergo factum fuit quarta die?

§. 93. Adde, ſi Sol quoad ſubſtantiam productus fuit prima die: ergo tunc tantam habuit lucem quantam modo: nam lux non eſt minus proprietas ſolis, quàm intellectus animæ, at proprietas dimanat ab eſſentia eodem inſtanti, quo producitur eſſentia, in prima autem rerum molitione ſineret Deus ſolem ſuæ naturæ, ſicut elementa, eſſétque inutile miraculum, immo & pernicioſum priuare triduo ſolem natiuo ſuo ſplendore, & orbē vtrumque tam præclaro ornamento.

§. 94. Confirmatur ex hymno veſperarum feriæ quartæ, vbi affirmat Eccleſia eadem feria quarta creatum eſſe ſolem.

Quarto die, qui flammeam
Solis rotam conſtituens;
Lunæ miniſtras ordinem
Vagóſque curſus ſyderum.

Fecit ergo Deus ſolem, & ſtellas ex aqua, quæ erat in eodem loco, in quo productæ fuerunt ſtellæ, quia Deus illam non voluit deſcendere in terram, ſed eam miraculo retinere in cœlo, vt ex illa aſtra conficerentur.

§. 95. Quinta die *dixit etiam Deus, producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram.* Hac die fecit Deus ex aqua tanquam ex materia, & principio obedientiali actiuo piſces, & aues. Aliqui volunt piſces productos ex aqua, aues autem ex aëre humido, aquis vicino. Contra, quia ſcriptura aues dicit productas ex aqua etiam & piſces, aqua autem non debet ſumi tam ambiguè in dictione eadem. Quod apertè teſtatur Eccleſia in veſperis quintæ feriæ.

Magnæ Deus potentiæ,
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim leuas in aëra.
Demerſa lymphis imprimens:
Subuecta cœlis irrigans:
Vt ſtirpe vna prodita
Diuerſa rapiant loca.

§. 96. Sexta die *dixit quoque Deus, producat terra animam viuentem in genere ſuo iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas.* Sola terra ſupererat ſine incolis, quibus modo donatur. Productæ enim fuerunt omnes beſtiæ perfectæ, tam vtiles, quàm nociuæ: tum vt omnes ſeruirent homini in ſtatu innocentiæ, tum etiam, vt nociuæ illum exercerent in ſtatu peccati: tum tertio, quia nulla eſt res, quæ non ſit apta alicui vſui.

§. 97. Hac etiam die fecit Deus hominem, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Fecit illum Deus ex limo terræ, id eſt, ex cænoſo luto, illúmque produxit virum annorum quaſi triginta, plenum ſcientiæ, & ſanctitatis, ex cuius coſta fuit Eua producta, Adamo dormiente, paulò poſt eadem die. Ait enim Moſes Deum creaſſe hominem maſculum & fœminam, etiam quia Sabbato ceſſauit Deus ab omni opere quod patrarat. De primis parentibus nihil nobis eſt diſputandum, nam de gratia & peccato Theologi abripiunt diſputationem: de natura autem hominis ſatis dicemus libris de anima.

§. 98. Rogas vtrum Eua filia ſit Adæ? Reſpondeo negatiuè, quæ enim requirantur ad rationem filij dicemus libris de generatione.

§. 99. Creauit Deus mundum verno æquinoctio, id eſt die 20. Martij, illúmque abſoluit die veneris, qui erat 25. quo die Deus crucem ſubijt, vt hominem reformaret, quem eadem die formauerat. Rogas, id quî ſciatur cum nullus dies præceſſerit? Reſpondeo id fieri notum ex ipſo æquinoctio: cum enim hoc nobis contingat verè 20. die Martij, & tunc fuerit nobis æquinoctium, & inde ſecutum

ver, non dubium quin fuerit die 20 Martij.

§.100. Confirmatur, quia ſupputatis circulis diurnis; quos Sol peragit vno anno; omnes illi finiti ſunt primo anno die 19. Martij, & ſecundus annus cœptus à die 20. ergo & primus cœptus eſt die eadem. Ago autem de æquinoctio comparato noſtro hemiſphærio, nam idem punctus Solis nobis eſt oriens, aliis occidens, meridies aliis, aliis verò media nox pro diuerſitate regionum: comparatione quarum Sol ſtans in eodem puncto, traijcit lucem, aut ſubtrahit. Quapropter creatus eſt mundus eo die & hora, quibus, ſi ſol creatus fuiſſet, motúmq; perageret, faceret nobis initium æquinoctij verni.

§.101. Hæc ſunt mũdi primordia, & natales dies, quem eſſe valde perfectum ipſa teſtatur ſcriptura, ipſéq; pandit, & oſtentat, vel inuitis.

SECTIO VII.

Vtrum cœli ſint corrumpendi.

§.102. EGimus de cœli natali die, agendum nunc de exitiali: Cœlos natura ſua eſſe incorruptibiles, probatum eſt ſupra, mundi autem perpetuitas inde patet: quia licet multa indiuidua corrumpantur, tamen perpetua generatione conſeruatur ſpecies, vtrum verò aliquando ſit corrumpendus, conſtare poteſt ex ſola Dei voluntate. Videantur in primis plurimi Patres, & authores, quos pro parte affirmatiua adducit, & ſequitur P. Molina diſput. 3. de opere ſex dierum, ipſéq; & Alphonſus noſter Salmeron in caput vltimum epiſtolæ ſecundæ Petri diſput. 3. & 4. innituntur teſtimonio S. Clementis lib. 3. recognitionum, referentis S. Petrum affirmaſſe viſibile firmamentum (id eſt ſydereos cœlos) eſſe periturum, cui obijcit Magus:

§.103. *Si viſibile iſtud (vt ais) cœlum reſoluitur, cur ex initio factum eſt?* Cui Petrus reſpondit, *cœlum iſtud, quod viſibile eſt, pertranſit, ſiquidem propter ſemetipſum factum eſſet, haberet fortaſſe quod dicis, aliquid rationis, quia reſolui minimè deberet: ſi verò propter aliud quid factum eſt, & non per ſe, neceſſario ſoluitur, vt illud, propter quod factum videtur, appareat, ſicut verbi gratia dixerim teſta ouorum quàmuis pulchrè facta, & diligenter formata videatur, neceſſe eſt tamen eam frangi, & reſolui, vt inde pullus procedat, &c.* Itaque S. Petrus cœlũ viſibile eſſe velum cœli Empyrei, & vt iſtud poſt diem iudicij appareat, affirmat hos cœlos eſſe corrũpendos. S. Hieronymus primo in Matthæum in illa verba cap. 5. *Nolite putare quoniam veni ſoluere legem*, ait, *promittuntur nobis cœli noui, & terra noua, quæ facturus eſt Dominus Deus; ſi ergo noua creanda ſunt, conſequenter vetera tranſitura.* Del Rio, 1. Geneſ. idem cenſet, & eſſe communem Eccleſiæ ſenſum, à quo non ſinit ſe abripi. Lege P. Salmeronem ſupra; qui non ſolum ex patribus, ſed etiam ex Poëtis, Hiſtoricis, & Sybillis eam ſententiam confirmat, cuius mirabilem eruditionem nullus non mirabitur.

§.104. S. Petrus Epiſt. 2. cap. vltimo id teſtatur apertè: *Cœli autem* (inquit) *qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorũ hominum.* At ne quis exiſtimet cum P. Conimbr. & aliis, agere ſanctum Petrum de cœlo aëreo, audiat eundem Petrum diſtinguẽntem cœlos ab elementis, id eſt, ab aëre, & terra, *adueniet autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur.* Itaque tranſitus cœlorum, & elementorum ſolutio, & exuſtio terræ enucleatim exponuntur à S. Petro: atque vt oſtendat Apoſtolus quanta cum animi ſanctitate exhorreſcere debeamus diem illum, inquit; *Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes ſoluentur, & elementa ignis ardore tabeſcent, nouos verò cœlos, & nouam terram ſecundum promiſſa ipſius expectamus.*

Dicunt multi Patres, & authores graues: cœlos, & terram immutatum iri, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad accidentia. Contra, nam illa verba, *diſſolui, tabeſcere, exuri, & ardere*, ſignificant ſubſtantialem mutationem. Deinde ſi cœli ſunt arſuri, ergo in illorũ materiam introducetur ignis, quia calor diſponit ad ignem, ergo corrumpetur hæc forma cœli: maximè cum cœlorum materia ex ſe ſit capax caloris, & ignis concipiendi, quia eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtrate materia. §.105.

Deinde cœli dicuntur habituri lucem ſeptuplo maiorem, eum autem illa lux (vt argumentatur P. Molina) oriatur tanquã paſſio ab ipſa forma cœli, & cum ea lux non ſit paſſio huius formæ, ergo erit alterius; alioquin duraret perpetuum miraculum. Adde Pſal. 101. 26. *Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur.* vbi comparat Dauid cœlos veſti tinea corroſæ, & culcitræ ſenio laceratæ, quæ in ſtercora conuertuntur, aut reſoluuntur in cineres; neque hic locus patitur expoſitionem comparatiuam, vt diximus alibi, in illa verba, *cœlum, & terra tranſibunt, &c.* Nam hoc loco Dauid commendat Dei æternitatem, ſupponens cœlorum perditionem. §.106.

Tandem Deus poteſt, ſi vult, miraculosè cœlos corrumpere, ſicut corrumpet mundum: ſi autem id velit facere, & teſtatum facere, quibus verbis aut clarius, aut ſyncerius id poſſet præſtare? Obijciet aliquis pondus authoritatis aliquorum Patrum: quod reſpondemus rependi, tum apertiſſimis ſcripturæ teſtimoniis, tum S. Petri diſputatione, aliorúmque Doctorum authoritate. §.107.

Igitur terra, & elementa, & cœli erunt diuerſæ ſpeciei ab his, multóque pulchriora, magíſq; conſpicua, Sol autem relinquetur in hoc noſtro hæmiſphærio, vbi Chriſtus natus eſt, & mortuus, Synagogáque, & Eccleſia ædificata. Vtinam vt prudentes Virgines paratis lucernis, & accenſis, occurramus ſponſo, vt fur venturo, *vt non cum hoc mundo damnemur.* §.108.

DISPV

DISPVTATIONES
DE SVBSTANTIA CORPOREA GENERABILI ET CORRVPTIBILI: ſiue de generatione & corruptione.

OBIECTVM horum librorũ eſt corpus generabile & corruptibile, dependens à diſpoſitionibus contrariis. De corpore incorruptibili egimus libris de cœlo, quod nõ eſt generabile per contrarias diſpoſitiones, & conſequenter nec corruptibile ex natura rei.

DISPVTATIO I.

De generatione ſubſtantiali.

NON accipitur *generatio* pro quacumque actione à materia pendente, ſed pro actione ſubſtantiali, qua producitur forma ſubſtantialis dependenter à materia per qualitates contrarium habentes, illíve vnitur.

SECTIO I.

Definitio generationis ſubſtantialis?

§. 1. VAriè generatio ſolet definiri. Ariſtot. hic cap. 4. text. 23. *Cum* verò (inquit) *totum immutatur, & nihil ſenſibile vt eiuſdem ſubiectum remanet, generatio eſt.* Vnde hanc collige definitionem, *generatio eſt mutatio totius in totum, nullo ſenſibili manente vt ſubiecto eodem.* Generationem eſſe mutationem, quando oritur ab agente creato, quia tunc in materia prima præceſſit illius priuatio, at verò id non eſſe in prima mundi creatione, oſtendi diſput. 3. Phyſic. ſect. 2. & diſput. 3. de cœlo, oſtendi cœlum empyreum, terram, & aquam genita fuiſſe ſine transmutatione; cætera verò corpora cum transmutatione, quia facta fuerunt ex aqua prius tempore exiſtente. Ratio eſt, quia motus, aut mutatio ſupra actionem eductiuam connotat in ſubiecto extrinſecam denominationem prius tempore exiſtentem in ſubiecto à carentia formæ productæ.

§. 2. Rogas, in prima productione mundi quo differat *generatio* à creatione? cum vtraque ſit ex nihilo, mundus enim ex nihilo fuit factus. Reſpondeo latum eſſe diſcrimen, quia ly, *ex nihilo*, in definitione creationis non ſignificat ex priuatione termini *ad quem*, ſed negationem ſubiecti, ex quo terminus educatur, vt dixi diſput. 4. Phyſic. ſect. 2. & diſput. 12. ſect. 1. At productio cœli & terræ ſubiectum habuit. Igitur hæc definitio non conuenit primæ mundi productioni, quæ dicitur facta ex nihilo, id eſt, nullum ſubiectum tempore præijſſe illi productioni. Quapropter dicitur *ex nihilo*; id eſt ex non eſſe totius termini producti, tota enim æternitate præceſſit carentia mundi, ex qua vt ex termino *à quo* factus eſt mundus. Vnde illa actio non fuit tranſmutatio, quia hæc exigit ſubiectum prius tempore exiſtens ſine forma producta. Conuenit autem generationi ab agente naturali operante in ſubiecto prius tempore exiſtente, quam ſolam cognouit Ariſtoteles. Quia vt commentus eſt infinitum proceſſum in duratione mundi, quem ſomniauit æternũ, ſic nullam agnouit generationem, quam non præcederet priuatio formæ productæ.

Dicitur *mutatio totius*, quia non mutatur totum ſecundum aliquod accidens, ſed ſecundum ipſam ſubſtãtiam. Hæc autem mutatio propriè eſt actio, per quam producitur vnio, quia per illam fit totum (vt ſæpè dixi) & corruptio vnionis eſt corruptio totius, quia per illam deſinit eſſe compoſitum: in homine patet apertè, in cuius ortu tantum gignitur vnio, & in interitu ſola diſſoluitur vnio, cum verè homo generetur & corrumpatur, to úſque mutetur. §. 3.

Rogas vtrum hæc definitio conueniat productioni formæ? P. Suarez tom. 3. 3. p. diſput. 9. ſect. 1. §. *& per hæc reſponſum eſt*, aſſerit formam dependentem à ſubiecto eadem actione fieri & vniri. Vnde tota definitio conuenit productioni formæ, quia eductio formæ illam facit à ſubiecto pendere, at forma pendet formaliter per vnionem: ergo tota definitio generationis conuenit productioni formæ. Verum latè probaui diſput. 5. Phyſic. ſect. 2. vnionem eſſe diſtinctã ab actione qua forma producitur; quia ſectione 3. probaui, formam non pendere à materia per vnionem, ſed per actionem eductiuam. Vnde impugnatur primò hæc ſententia euertendo eius fundamentum. Secundò, quia diuerſus realiter eſt conceptus vnionis à conceptu productionis formæ, vt patet in animo rationali. §. 4.

Dices animum fieri independenter à materia, ſecus cæteras formas. Contra; quia etiam in illis eſt realiter diſtinctus conceptus vnionis & actionis, vt patet in ipſa vnione, quæ non dependet à materia per ſe tamquam per formalem rationem dependendi, ſed per actionẽ, & tamen per ſe ipſam vnitur: ergo vnionis conceptus, & dependentiæ conceptus à materia, ſunt realiter diſtincti etiam in ipſa vnione. §. 5.

Igitur hæc definitio non conuenit generationi formæ formaliter, ſed generationi vnionis. Conuenit autem generationi formæ radicaliter, quia eſt mutatio, in cuius virtute & radice continetur vnionis productio, quia ideo forma vnitur, quia eſt producta. Item hæc definitio non conuenit creationi vnionis, quia non eſt propriè mutatio, licet §. 6.

licet enim compoſitum,quod creatur,dicatur mutari, quia eſt, cum antea non eſſet, ſicut Angelus; tamen ad rationem mutationis propriæ requiritur commune ſubiectum recipiens actionem; ſi autem forma equi educeretur ex ſubiecto; vnio autem crearetur; non eſſet equus formaliter genitus, ſed creatus formaliter: & genitus radicaliter: quia formalis denominatio totius conuenit illi ratione vnionis: eductio formæ eſt formaliter illius generatio; radicalis autem totius compoſiti: creatio materiæ poteſt etiam dici radicalis compoſiti generatio; ſed non tam benè; quia hæc vox imponitur generationi formali vnius rei, quæ radix eſt generationis alius.

§. 7. Generationi autem formæ, & vnionis hâc apta definitionem. *Mutatio ſubſtantialis materiæ.* Item aduerte etiam poſſe de potentia abſoluta produci vnionem ſine corruptione compoſiti præcedentis, ſi Deus producat formã non corrupta præcedenti, tunc enim non eſt mutatio totius in totum, ſed materiæ in aliam formam; hæc autem Ariſtotelica definitio cõuenit generationi ex natura rei, qua duæ formæ ſubſtantiales non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto; itaque in eo caſu illa actio eſſet mutatio totius, non tamen actu: ad quam requiritur actualis corruptio alterius formæ, vel vnionis, ſed eſſet mutatio quaſi in actu primo, quia ex ſe vim habet expellendi aliam formam, per quam expulſionem eſſet actu mutatio totius in totum. Quod etiam conuenit primæ generationi terræ,& aquæ.

§. 8. Explicanda ſupereſt illa particula *nullo ſenſibili manente vt ſubiecto eodem.* Opinantur Thomiſtæ expungendum eſſe ly, *vt ſubiecto eodem.* Quia exiſtimant nullum accidens (quod communiter *ſenſibile* vocatur) manere in genito,quod probant hoc Ariſtotelis teſtimonio. Sed immeritò retorquent Philoſophi mentem ad eam opinionem ipſis oculis repugnantem, vt patebit ſect. 4. Ariſtoteles enim *per ſenſibile*, expreſsè intelligit ſubſtantiale ſubiectum ſenſibile, in quo recipiatur terminus generationis,& corruptionis: quod patet tum ex primis capitibus huius primi libri, vbi diſputat contra antiquos Philoſophos ſtultè opinantes, tãtum eſſe vnum principium ſubſtantiale rerum omnium, & nullam eſſe tranſmutationem ſubſtantialem, ſed tantum accidentalem, cuius ſubiectum eſſet illud vnicum principium ſubſtantiale ſenſibile; quibus opponit Ariſtoteles nõ remanere in aqua formam ſubſtantialem aquæ, ſed ex tota aqua fieri totum aërem,& lib.2.cap.5.initio, id probat ex inſtituto, & lib.1.cap.4.text.23. ſic ait. *Alteratio eſt, cum ſubiectum ſenſibile remanet*, & infra eodem textu. Sic ait. *Cum verò totum immutatur, & nihil ſenſibile, vt eiuſdem ſubiectum remanet, ſed ex vniuerſa genitura* (id eſt ſemine) *ſanguis promitur vniuerſus, hæc mutatio generatio eſt.* Vbi ipſe explicat, quid intelligat per *ſenſibile*, & addit particulam hanc, neque ei vnquam venit in mentem,quod Thomiſtæ dicunt.

§. 9. Dices remanere materiam primam in generatione,vt ſubiectum idem,quæ quidem eſt ſenſibile ſubſtantiale, quia in noſtra ſententia quantitas recipitur in materia,quam ſentimus per tactum, ergo non benè explicamus Ariſtotelem. Reſpondeo primò, communi loquendi modo non dici videri materiam, aut ſentiri: ſed compoſitum, ſicut non dicitur materia alba: ſed lapis albus. Et de hoc ſenſibili loquitur Ariſtoteles, nam quando lapis mutatur de albo in nigrum, remanet idem compoſitum ſenſibile, ſecus autem cùm mutatur in calcem. Reſpondeo ſecundò, quantitatem tangi, ſed determinatam per aliquam figuram, & alia accidentia, quæ oriuntur ex compoſito ratione formæ, vnde meritò totum compoſitum vocatur *ſenſibile.*

SECTIO II.

Explicatur generatio viuentium.

EXplicata generatione in communi, oportet §. 10.
explicare generationem viuentium, tum quia vtilis Philoſopho,tum quia Theologo maximè neceſſaria. Sic autem communiter definitur. *Proceſſio viuentis à viuente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ.* Cuius explicationem vide apud P. Vazquez tom.2.1.par.diſput.113.cap.1. Per ly *viuentis à viuente*, differt hæc definitio à definitione nõ viuentium,per ly *à principio*, excluduntur à generatione viuentium actiones,quibus ex vno viuente producitur aliud, ſine vllo concurſu actiuo, exempli gratia, cũ Eua producta fuit ex Adami coſta, illa productio non fuit generatio ab Adamo, quia Adam non fuit principium actiuum Euæ, ſed ex eius materia formata fuit à ſolo Deo. *Origo* enim *viuentis à viuenti* id ſonat: imo coniunctio illa generantis,& geniti eſt per ſemen, quod actionem exercet in aptanda materia: fœmina autem ſanguine, & ſemine multum efficit. Si autem Deus ex carne iumenti hominem formaret, an ne homo filius eſſet iumenti? Dicunt aliqui requiri cognitionem per quam viuens velit influere in aliud viuens. Verum hanc conditionem nõ eſſe neceſſariam,mox oſtendo. Deinde demus, Adamo reuelatam voluntatem Dei, & ipſum porrexiſſe Deo coſtam ex qua fieret fœmina, an ne tunc Eua eſſet filia Adæ?

Coniunctio. Hæc vox non ſignificat coniunctio- §. 11.
nem in loco neceſſariam cuiuis cauſæ, & effectui; ſignificat autem coniunctionem generantis,& geniti per virtutẽ ſementinam: filius enim compingitur ex ſemine paterno, & ex ſemine, & ſanguine maternis. Itaq; vterque pater videt in filio aliquid ſui; quia ſanguis informatus fuerat anima matris, ſemen autem, aut eſt animatum, aut fit ex ſpiritu vitali,eſtque vtile parenti propter alimẽtum quod præbet partibus,quibus ineſt. Igitur quia hæc virtus vtriuſque parentis reperitur in filio, ideo ſunt cum illo coniuncti, ratione cuius filius naturalis non eſt alienus à parentibus, alienus enim eſt qui in ſe nihil habet parentum, vt patet in adoptiuo. Quo pacto Verbum eſt Filius Patris Æterni, quia oritur à Patre,& illi coniungitur media natura Patris, quam in ſe habet Verbum. Item Chriſtus, vt homo,eſt Filius naturalis Dei,quia componitur ex perſona Diuina, quæ eſt aliquid ipſius Dei, vt dixi diſp.63.in 3.par. Nec verò hæc coniunctio in creaturis efficit vnionem inter Filium & Patrem: ſed tantum dat Filio, vt partem ex qua cõſtet,aliquid, quod in parentibus erat vtile,aut illorum pars.

Excluduntur omnes productiones, quæ non §. 12.
fiunt media aliqua virtute intrinſeca,quæ coniungatur cum termino genito, vel per ſemen, vel per aliquã aliam rationem, vt creatio, cuius terminus non habet talem coniunctionem cum creante. Excluditur etiam generatio capillorum, & vnguium, quia licet ſint animati, ſunt tamen partes eiuſdem viuentis. At verò hæc definitio conuenit viuentibus diſtinctis. Item excluditur à ratione generantis Dæmon incubus,qui ſolet ſemen in fœminam immittere, homo autem hac ratione genitus non eſt filius Dæmonis, ſed eius viri,cuius erat ſemen, quia Dæmon nihil ſui videt in homine ita producto:

ducto: at homo, cuius erat ſemen, videt in homine genito vt partem illius, materiam ſui ſeminis, non ſecus ac ſi ipſe eam miniſtraſſet, illis autem conuenit tota definitio generationis: quia vir medio ſemine eſt principium actiuum & coniunctum. Cognitionem non eſſe neceſſariam ad filiationem patet, quia ſine illa ſtat tota definitio, tum quia cognitio eſt valde extrinſeca, & non requiritur ad actualem conceptionem, ſed ad coitum; qui eſt extra conceptum generationis. Propriè autem conuenit hæc definitio arboribus, quando fiunt ex ſemine aliarum,(ſi modo viuunt) licet non denominentur *pater* aut *filius*, quia hæ denominationes ſumuntur à generatione, quæ fit à viuentibus cognoſcitiuis, vt P. Conimb. oſtendunt hic cap.4.quæſt.10.

§. 13. *In ſimilitudinem naturæ.* Quod non intelligo de vera, & rigoroſa ſimilitudine, quæ conſiſtit in vnitate ſpecifica; generatio enim muli vera generatio eſt, licet enim dicitur *monſtroſa*, & *monſtroſus filius*, non eſt propter defectum ſimilitudinis: ſed quia monſtrum eſt coitus animantium diuerſarum ſpecierum. Natura enim ad eum non dirigit per ſe, ſed ad commixtionem maris & fœminæ eiuſdem ſpeciei, ad eamdem conſeruandam. Poſito tamen coitu, naturalis filius gignitur, ac tam proprius quàm ſi eſſent eiuſdem ſpeciei.

§. 14. Ratio à priori: tum quia ſimilitudo æquiuoca, ſimilitudo eſt; & in eam quadrat vox huius diffinitionis: tum quia illa ſimilitudo ſufficit, quæ facit filium participem bonorum paternorum. Vt Mulus particeps eſt lactis equæ & blanditiarum, quibus & feræ filiis indulgent. In rationalibus autem ea ſimilitudo ſufficit, quæ eſt principium mutuæ beneuolentiæ & hæreditatis. Vnde, ſi Petrus gigneret hominem alterius ſpeciei, tam propriè eſſet eius pater, & alius eſſet filius & hæres Petri, quam eſt nunc Paulus ab eodem genitus. Nec ly, *In ſimilitudinem naturæ*, ſignificat ipſam naturam eſſe ratione ſui rationem fundandi ſimilitudinem, ſufficit enim ſimilitudo naturarum fundata in conceptibus, qui ab illis oriuntur. Hac ratione oſtendi diſput. 63. in 3. p. humanitatem Chriſti habere ſufficientem ſimilitudinem ad fundandam filiationem.

§. 15. Aduerte cum Vazquez ſupra cap. 7. §. illam vocem, *in ſimilitudinem*, intelligi de imagine producta ad repræſentandum patrem. Eſt enim hæc differentia inter *ſimile*, & *imaginem*, quod ſimile non eſt factum ad repreſentandum aliud, ſecus imago. Duo enim oua ſunt ſimilia, & neutrum eſt imago alterius. Item pater eſt ſimilis filio, & non eſt imago illius. At vero filius eſt imago patris, quia ex ipſa intentione naturæ eſt effectus ad repræſentandum patrem. Vnde quando filius expreſſe refert Patrem, aut matrem, tunc dicitur abſolutè illorum imago, Hiſpanè autem dicimus. *Es la cabeça cortada de ſu Padre, ò vn retrato de ſu Padre.* Quando magis refert vnum, quàm alium, dicimus illum eſſe magis filium vnius, quam alterius, Hiſpane. *Mas ſalio al Padre.* Vide hanc explicationem cōfirmatam ex Patribus apud P. Vazquez illo cap.7. Itaque eſt ſimilitudo producta ad repræſentandum principium, à quo producitur.

§. 16. Hinc colligetur, cur proceſſio Verbi diuini ſit propriè generatio, tum quia eſt à principio coniuncto, eſt enim principium generandi fœcunditas intellectus diuini, Patri, & Filio intrinſeci; tum quia procedit, vt ſimile in natura, quæ natura diuina conſiſtit in actuali intellectione, quam includit Verbum formaliter. Item Verbum eſt imago Patris, quia Verbum vt Verbum repræſentat duo: & obiectum cuius eſt Verbum, & principium, à quo procedit; obiectum autem Verbi Diuini, eiuſque principium eſt Pater æternus, aut Verbum oritur in ſimilitudinem naturæ, quia accipit eſſentiam cum potentia producendi Spiritum Sanctum; natura enim eſt in ordine ad productionem in eo, in quo eſt: ita nonnulli à quibus nunc abſtineo.

Rogas an proceſſio Spiritus Sancti ſit etiam generatio? Quia licet ex vi ſuæ proceſſionis non ſit formaliter ſimilis, attamen idemticè eſt ſimilis, atque adeo idemticè erit filius, licet non reduplicatiuè. Pars negatiua eſt Fide ſancta, rationem adducit P. Vazquez illo cap.7. ex Canarienſi quia licet Spiritus ſanctus procedat ſimilis, non tamen procedit imago. Certum eſt enim ſolum Verbum eſſe imaginem Patris. Idque probat, quia Spiritus ſanctus non repræſentat aliquid Patri tamquam terminus cognitionis, vt Verbum, nec tamquam imago prius cognita: Item nec repræſentat aliquid creaturis, tamquam illarum Verbum, quia non eſt illarum Verbum, neque tamquam ratio prius cognita, tum quia intellectus viatoris per creaturas ex æquo cognoſcit totam Trinitatem, at verò comprehenſores illam immediatè intuentur, atque ita nulla perſona diuina eſt ratio, per quam creaturæ cognoſcant aliam. Hæc animaduerte in 1. partem, quæſt.27. artic.4. Alij autem aiunt, Spiritum ſanctum non eſſe Filium, quia natura, vt eſt in illo, non poteſt producere aliam perſonam, ac proinde deficere hanc ſimilitudinem: de quibus nullum eſt nunc ferendum iudicium. §. 17.

SECTIO III.

Vtrum anomalæ generationes ſint vniuocè generationes cum analogis?

Generationes *analogas* voco, quæ ſeruant proportionem, & æqualitatem à natura inſitam; *anomalas* verò, quæ non ſeruant æquabilem naturæ tenorem. De his veſtigatur, quo diſferant aut conueniant cum illis? Ac primùm generatio viuentium perfectorum facta à ſolo Deo, non conuenit vniuocè cum generatione eorumdem in conceptu originis à principio coniuncto. Nam ea generatio eſt à principio non coniuncto, ſiue extraneo. Adamus enim ea ratione non fuit Filius naturalis Dei, quia Deus non fuit perſona coniuncta cum Adamo, vt explicui §. 11. Quia verò ſubſtantia illius actionis fuit mutatio totius in totum, nullo ſenſibili remanente vt ſubiecto eodem, ideo vniuocè conuenit cum generatione aliorum viuentium in ratione generationis. Quod ſi ex parte agentium non ſumitur ſpecifica differentia actionum, vtraque generatio ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ. Idem dixerim de generatione Euæ ex Adami coſta, per quam compoſitum illud coſtæ deſtructum fuit & productum integrum indiuiduum ſpeciei humanæ. §. 18.

Tertium generationis genus eſt ex fœmina ſine viro, qualis generatio Chriſti, quæ vniuocè fuit generatio etiam in ratione generationis viuentium, quia fuit à principio coniuncto. Virgo enim fuit principium actiuum illius actionis, & præbuit materiam ad coagmentandum Chriſti corpus, non ſecus ac cæteræ fœminæ ad ſuas proles. §. 19.

Digitized by Google

Eam verò ſubito & vno momento id feciſſe diuinitus, non minuit ſimilitudinem eius generationis cum illis; ſed conſtituit extrinſecum diſcrimen temporis, & aliarum circunſtantiarum.

§. 20. Dices, eam generationem non eſſe à viro. Quid inde? ego non dixi conuenire vniuocè in connotato viri, & virilis ſeminis ſed in ratione originis viuentium; cui ſat eſt oriri ab aliquo principio coniuncto. Defectui autem diſpoſitionis actiuæ per ſemen diuinitus prouiſum fuit in genere cauſæ efficientis. Pro parte autem ſeminis, quæ futura erat in prole, ſubrogata eſt materia ſufficiens ex virgineo ſanguine. Eam verò generationem, vt eſt à Deo, fuiſſe vniuocam cum noſtris probaui in 3. parte diſputatiõne 63.

§. 21. Quartum genus eſt generationis per reſurrectionem, illam enim vocat Dauid Pſalm. 2. *ego hodie genui te*, quæ non eſt generatio viuentium, vt definitur ſect. 2. ſed eſt à principio extrinſeco. Hanc eſſe verè generationem inde patet: quia in eam quadrat tota definitio generationis, quia per eam totum vnum compoſitum mutatur in aliud. Nam forma cadauerica, aut cinerea depulſa inducitur in materiam rationalis animus. Dices eam actionem eſſe ſupernaturalem. Quid tum, poſtea? Non-ne productio gratiæ, & caloris, item & ens naturale & ſupernaturale erunt vniuoca in genere vllo? Deinde illa actio in ſe non eſt ſupernaturalis, ſed in modo, qui non aufert vniuocationem, ſicut nec ſubſtantiam immutat. Ad illam datur potentia naturalis & actiua, & paſſiua, admodum verò obedientialis, vt explicui diſp. 9. phyſic.

§. 22. Quintum genus eſt generationum, quas Dæmones incubi moliuntur. Hac ætate experti ſunt nonnulli perditi adoleſcentes Dæmones ſuccubos, qui cum ſuis ſimulatis amplexibus miſeros deluſiſſent, tentarunt ſimulatione detecta eos in vltimam deſperationem impellere. Eadem ratione poſſunt eſſe & incubi, qui arrepto aliunde virili ſemine, poſſunt fœminis imponere, non ſecus ac maribus. Et quidem poſſe Dæmonem ſemen virile traiicere in matricem fœminæ, eadem ratione, qua aquam hinc illuc, non eſt dubium, at ſemen in matrice conceptum, & fotum vim habet diſponendi ad prolem, & eam efficiendi diſpoſitiuè. Ergo à quocumque agente illud traiiciatur, diſponet ad fœtum. Nec enim mas quid efficit congreſſu cum fœmina, niſi ſemen iacere in matricem, quæ eſt applicatio agentis cum paſſo; applicationis autem quid intereſt, ſi ab hoc aut illo oriatur agente, cum ipſa nullam conferat vim agendi?

§. 23. Dicunt medici ſemen agere per ſpiritus tenuiſſimos, quos ſtatim exhalat, ſi extra corpus ſit. Verum memoria proditum eſt ab Auerroë, fœminam concepiſſe attracto ſemine ex aqua balnei, in quam diffuſum fuerat à viro. Abulenſis refert nonnullos opinatos Merlinum, Nigromanticum Anglorum ex congreſſu Dæmonum ortum, quod de Homero ex Ariſtotele refert Plutarchus. Deinde contingit non multis ab hinc annis vim inferente equite honeſtæ puellæ, nec potente eam opprimere, eam tamen concepiſſe ex effuſi ſeminis tractione, partu autem vrgente, vi inſtrumentorum diſrupta fuit vt prolem ederet in lucem. Hæc facile negari poterunt, at cur negabitur poſſe à Dæmone impediri ſpiritus illos tenues, ne moueantur? aut ne diſſipentur fomentis, & aliis corporibus applicatis, maximè tam exiguo & pene nullo tempore? licet enim non poſſint corpus aptare, quin appareat effictum, ſi conſideratè attrectetur, at cur non poterunt impedire exhalationem illam ſpirituum? Vide P. Conimbr. 1. de generat. cap. 4. quæſt. 11. artic. 3.

SECTIO IV.

Vtrùm generatio ſit conuerſio?

DE conuerſione Theologis eſt ſermo, 3. parte, quæſt. 75. Eſt autem conuerſio *tranſitus vnius rei in alteram*, quæ definitio recidit in definitionem generationis paucis mutatis ſi dicatur. *Tranſitus totius in totum nullo ſenſibili manente, &c.* & ſicut ad generationem, quam Ariſtoteles definiit, requiritur priuatio formæ productæ, & terminus *à quo* poſitiuus, ſimiliter in conuerſione, in qua duæ actiones reperiuntur, altera poſitiua in terminum *ad quem*, altera corruptiua termini *à quo*. Quod ſi diuinitus non deſtrueretur terminus *à quo*, nihilo tamen minus actio eſſet conuerſiua, quia ex natura ſua petit illius termini deſitionem, non tamen eſſet actualis conuerſio, quia ad hoc exigit extrinſecam denominationem ab actuali deſitione termini *à quo*, vt de generatione dixi ſectione 1. §. 3. & quamuis omnis generatio ab agente naturali ſit conuerſio, non tamen è conuerſo, omnis conuerſio eſt generatio, neque motus; conuerſio enim panis in Chriſti corpus neque eſt generatio, neque motus propriè. §. 24.

Sicut ergo generatio eſt pugna duarum formarum in eodem ſubiecto, ita conuerſio eſt pugna duarum rerum circa vnum tertium, & ſicut per generationem naturaliter expellitur terminus *à quo* poſitiuus, ita & per conuerſionem: inter illa ergo erit propria conuerſio, inter quæ eſt pugna formaliter. §. 25.

In compoſitis merè materialibus ſicut agnoſco duas generationes, ita & conuerſiones duas. Prima eſt conuerſio formalis, per quam forma producitur, quam eſſe verè & propriè conuerſionem, probo; quia eſt vera mutatio inter terminos poſitiuos; diximus autem huiuſmodi mutationem eſſe conuerſionem, quia eſt tranſitus vnius rei in aliam. Eſſe veram mutationem, inde patet: quia per eam de nouo producitur forma cum dependentia à ſubiecto: eſſe inter terminos poſitiuos probatur, quia illi actioni adiungitur naturaliter expulſio alterius formæ, quia *generatio vnius eſt corruptio alterius:* duæ namque formæ ſimul eſſe non poſſunt in ſubiecto eodem. §. 26.

Dices expulſionem formæ prouenire à productione vnionis, animus enim rationalis corrumpit formam embrionis per ſolam vnionem: ergo productio formæ non opponitur immediatè corruptioni alterius formæ, ſed corruptioni vnionis. Reſpondeo, formam immediatè corrumpi per generationem alterius, & quia ex generatione formæ oritur vnitio, & non poteſt illa corrumpi, quin & illius vnio corrumpatur, ea ratione ex corruptione formæ oritur corruptio vnionis. Item forma embrionis corrumpitur per vnionem animi, non quidem proximè & immediatè, ſed conſequenter, quia per vnionem animi corrumpitur præcedentis vnio, forma autem materialis non poteſt manere ſine vnione; itaque immediata oppoſitio verſatur inter vniones; at inter vnionem noſtri animi, & formam materialem, non eſt oppoſitio immediata, ſed mediata, & ex cõſequẽti; §. 27.

quia

quia corruptionem vnionis materialis formæ conſequitur eiuſdem formæ corruptio, ſicut calor opponitur mediatè aquæ, immediatè verò frigiditati, quia corrumpendo frigiditatem conſequenter corrumpit aquam.

§. 28. Altera conuerſio eſt totius in totum, quæ formaliter conſiſtit in productione vnius vnionis, & corruptione alterius. Prima igitur conuerſio ſunt actiones formarum per ſe incompoſſibilium, ſecunda verò ſunt earundem formarum vnitiones. Ita vt ſi diuinitus crearentur duæ formæ materiales, & vna expelleretur tantum quoad vnionem, & altera vniretur tantùm, tunc non eſſet niſi vna conuerſio. Vt ſi Deus conſeruaret formam aquæ ſine vnione ad materiam, & introduceret formam aëris ſine dependentia à materia, ſed cum vnione, ibi tantum reperiretur conuerſio aquæ in aërem, non verò conuerſio formæ aquę in formam aëris.

§. 29. At verò in hominis productione, aut corruptione tantùm inuenitur vna conuerſio, quia tantum reperitur vna mutatio inter terminos poſitiuos, quia animus rationalis non fit ex materia habente formam oppoſitam, neque cadauerica fit ex animo rationali, tanquam ex termino *à quo*, ſed tantùm ex homine fit cadauer, & ex embrione homo. Hæc autem conuerſio non eſt formalis, quia per illam non repugnant formæ ſecundum ſe, niſi tantum ſecundum vniones, neque ipſæ formæ ſunt terminus formalis illarum actionum, ſed terminus formalis vt *quo* eſt vnio, vt *quod* verò compoſitum. Ipſa autem anima rationalis poteſt vocari terminus formalis vt *quod*, quia per illam vnionem vnitur tanquam forma.

§. 30. Confirmatur, quia conuerſio eſt mutatio vnius rei in aliam, id enim ſonat *tranſitus*. Vt enim qui ex vno loco tranſit in alium, deſerit terminum præcedentem, & acquirit nouum, ita tranſitus eſt deſitio vnius rei in aliam, at per illam conuerſionem non mutatur forma in formam, quia animus non deſinit eſſe, ſed vnio in vnionem, ergo non eſt formarum conuerſio, ſed vnionum, & eadem de cauſa eſt conuerſio totalis, non quia totum ſecundum omnes ſuas partes conuertatur in aliud, ſed quia conuertuntur vniones, à quibus totum dicitur mutari, vel corrumpi.

§. 31. Dices animam rationalem eſſe terminum formalem generationis, ergo in illam conuertitur alia forma. Diſtinguo antecedens, anima ſecundùm ſe tantum, negatur, vt vnita, conceditur; ideſt, vnio eſt terminus formalis illius vt *quo*, animus autem non niſi vt *quod*, modo explicato, in quantum eſt terminus formaliter communicatus per generationem vnionis: non verò quia ſit productus etiam vt *quod* per illam actionem. Ita corruptio compoſiti eſt *non communicatio* animi; at nullus dicet animum eſſe terminum à *quo* corruptionis. Quis autem auſit dicere ex animo rationali fieri cadauer eo quod corruptio ſit in animam vt vnitam, ideſt, in non vnionem animæ, cum integer maneat ipſe animus?

§. 32. Dices, vt dicatur anima conuerti in cadaυericam formam, non requiri deſitionem ipſius animæ, ſed tantum compoſiti reſultantis ex anima. Contra, quia id probat compoſitum verè conuerti, quia corrumpitur in aliud, & conſequenter ipſam vnionem eſſe quod conuertitur vt *quo*, & quod conuertitur neceſſariò debet corrumpi; at non corrumpitur animus ſecundùm ſe, ſed tantum illius vnio, & compoſitum, ergo non conuertitur animus, ſed tantum vnio & compoſitum.

Hinc occaſionem ſumo ad impugnandam eorum ſententiam, qui dicunt ad conuerſionem ſubſtantialem non requiri productionem, & corruptionem duarum ſubſtantiarum, ſed ſufficere ſi ex illis repugnātibus vni tertio, fiant diuerſa compoſita, verbi gratia in Euchariſtia ex Chriſti corpore, & ex ſpeciebus fit diuerſum compoſitum à compoſito ex eiſdem ſpeciebus, & pane. Quam ſententiam impugno primò, quia conuerſio ſubſtantialis eſt vera productio, in Euchariſtia autem quid producitur? Non Chriſti corpus, vt tu ais, neque ipſa accidentia, quæ potius creantur conſequenter ex tranſubſtantiatione, quid ergo producitur? Dices præſentiā corporis Chriſti, vt incompoſſibilis cum ſubſtantia panis. Contra, quia illa actio tantū eſt productiua vbicationis, quæ eſt valde accidentalis, & non terminatur ad ſubſtantiam, qua igitur ratione eſt conuerſio ſubſtantialis. §. 33.

Secundò, quia compoſitum illud ex Chriſti corpore & accidentibus, eſt vnum per accidens, & nō per ſe: ergo actio per quam fit non eſt ſubſtātialis, ſed accidentalis: patet conſequentia, quia compoſitū per accidens vt ſic fit actione accidentali. Confirmatur primò, quia actio, per quam homo ex albo fit niger, terminatur etiam ad compoſitum ex humano corpore & albedine, & illa actio nō poteſt dici conuerſio ſubſtantialis, licet ſint diuerſa compoſita ex albedine & corpore, & ex eodem corpore & nigredine, & licet albedo & nigredo repugnent corpori ſimul; ergo ſimiliter actio Euchariſtiæ non poteſt dici tranſubſtantiatio, nec conuerſio ſubſtantialis. §. 34.

Confirmatur ſecundò; ſi Deus mihi vniat quantitatē, quam habet Petrus, non poteſt dici illa actio ſubſtātialis, alioqui nulla eſſet naturaliter actio accidentalis, nec poteſt dici illa actio tranſubſtantiatio Petri in me, alioqui homo albus tranſubſtantiaretur in ſeipſum quando fit niger. Tertio, quia cōuerſione Euchariſtiæ ſimpliciter fit Chriſti corpus, vt canit Eccleſia, *fitque ſanguis Chriſti merum:* at hæc propoſitio eſſet falſa, & inepta ſi tantum fieret corpus Chriſti præſens, nam quando fit homo, non dicitur fieri materia, nec quando miraculosè reunitur animus, dicitur produci, ſed tantùm vniri: nec quando homo alteratur, dicitur fieri ſimpliciter, ſed dicitur fieri albus, aut niger. Ergo ſi Chriſti corpus tantum fit ſub ſpeciebus, ineptè dicitur fieri. §. 35.

Igitur ad veram conuerſionem requiritur, vt terminus ad *quem* producatur, & ex vi eius productionis corrumpatur terminus à *quo*, ita in Euchariſtia corrumpitur (latè ſumpta corruptione) ſubſtantia panis, & verè producitur Chriſti corpus, ex cuius productione ſequitur deſitio panis, quia fit corpus vt ſuſtentatiuum accidentium per creationem, cum qua non poteſt eſſe illorum vnio ad panem, & ſine tali vnione panis eſſe non poteſt. Videatur P. Suarez tom. 3. p. diſput. 50. præſertim ſect. 4. hæc myſteria, vt cætera omnia, profundè diſquirens. Quæ hic ſatis ſit indicaſſe. §. 36.

SECTIO V.

Vtrum in generatione maneant accidentia corrupti?

OCcaſione eius particulæ, *nullo ſenſibili manēte*, diſquiri ſolet, vtrum generatio fiat, quin maneat vllū accidens cōpoſiti corrupti? Quod ab aliis quæritur; *fiat ne reſolutio vſque ad materiam primam?* §. 37.

In

§. 38. In homine v.g. ſunt accidentia communia omnibus compoſitis,quia illa,vel illis ſimilia reperiũtur in pluribus alijs,vt *quantitas,figura &c.* Alia accidentia ſunt peculiaria, quæ in ſolo homine poſſunt reperiri ex natura rei. Non de his,ſed de illis quæritur, maneant ne eadem numero in genito & corrupto? Capreolus,Caietanus,Iauellus,Heruęus, & fere vniuerſa Thomiſtarum familia,(quibus fauent P.Con.1.de Gener. c.4.q.18.c.2. P.Vazquez, t.3.in 3.p.diſp.87.n.22.& Rubius in præſenti)partem tuentur negantem : arbitrati ſibi hac in parte præcedere Ariſtot. & S. Thom. Affirmat namque Ariſtot. generationem fieri *nullo ſenſibili manente*, ſed ſi remanent accidentia, remanet aliquod ſenſibile:ergo. Verum à §.4.oſtendi, quàm ſit Ariſtoteles alienus ab hac ſententia , B. autem Thomam à nobis eſſe conſtabit inferius.

§. 39. Secundò accidentia , cum recipiantur in toto compoſito,recipiũtur etiam in forma:ergo abiuncta forma à materia,pereunt accidentia neceſſariò; tum quia corruptis nobis , corrumpuntur omnia, quæ ſunt in nobis;tum quia pereũte cauſa intrinſeca neceſſario perit effectus , vt eſt in veteri prouerbio,*accidentia non migrãt de ſubiecto in ſubiectum.*

§. 40. Huic ſententiæ nec ratio ſuffragatur, & refragatur experiẽtia. Primùm enim innixa fundamento imbecillo:oſtendi enim diſ.6. phyſ.ſect.4. accidentia non recipi in vtraque ſed in altera parte cõpoſiti. Deinde eſto,recepta ſint in vtraque, probo non ſequi inde,accidentia corruptum iri. Nam ea accidentia ſunt via, & diſpoſitio ad formã productam,ergo ſimul ſunt in eodem inſtanti cum ea forma ; quam conſequentiam perſpicuè docet S. Thom.3.p.q.9.art.3.ad 2.& probabo diſp.2.ſect.1. antecedens autem ibidem probandum.

§. 41. Dicis non poſſe ea accidentia eſſe in eo inſtanti diſpoſitiones antecedentes, quia eſſet mutua cauſalitas inter illa & formam. Bene:ergo vel nunquã ſunt antecedentes,quia ſi eſſent aliquo inſtanti,eodem exerceretur cauſalitas mutua;vel ea non recipiuntur in forma;ſic autem diruis fundamenta huius ſentẽtiæ.Nec eſt maior difficultas in primo inſtanti generationis, quã in ſequẽtibus;quia forma, cum primum exiſtit, poteſt operari, & in eo poteſt habere naturæ prioritatem comparatione effectus.

§. 42. Dicis non poſſe eſſe mutuam cauſalitatem in eodem genere. Contra, ergo vel accidẽtia non diſponunt,vel non recipiũtur in forma. Nec verò eſt ea cauſalitas in eodẽ genere:quia forma eſſet verè ſubiectum accidentium ; hæc verò non ſubiectum illius,ſed aliquid pertinens ad ſubiectum. Itaq; qui dixerit accidẽtia corrupti eſſe diſpoſitiones ad formam geniti,neceſſariò admittit mutuam cauſalitatem:vt eã admittit cæteris inſtantibus,quibus forma conſeruatur per ſuas diſpoſitiones. Hæ namq; ſunt priores forma in genere cauſæ diſponentis,& poſteriores in genere cauſæ ſubiectiuę,quia in forma recipiuntur. Alioquin alterũ è duobus negabit, aut formam non eſſe ſubiectum accidentium ; aut hæc non eſſe priora forma in vllo genere cauſæ. Ex ea autem mutua cauſalitate clarè patet accidentia poſſe conſeruari à forma recẽter producta, quemadmodum conſeruantur cæteris inſtantibus.

§. 33. Quod ſi quis velit, accidentia non eſſe tunc diſpoſitiones antecedentes : melius impugnatur hæc ſententia : quia forma geniti non habet vllam dependentiam à priori,ab illis accidentibus;& aliunde ſufficientem habet virtutem ad ea recipienda; ergo ea recipit eo inſtanti : probatur minor : quia cauſa in primo inſtanti ſuæ productionis poteſt cauſare ſuos effectus , vt patet , tum in trecentis exemplis, tum à priori ; quia tunc habet quidquid habebit reliquo tempore. Vnde in vtraque ſententia admittente, aut reiiciente, præuiam diſpoſitionem accidentalem ad formam, ſic arguitur. Idem effectus conſeruatur, quando abſcedente vna cauſa ſuccedit ibidem alia eiuſdẽ virtutis ad effectum. Vt patet in calore producto ab igne, & conſeruato a ſole : ſed abſcedente forma corrupti ſuccedit ibidem forma geniti , æque potens ad eos effectus, vt patet : ergo abſcedente forma geniti non propterea peribit accidens.

Dices:maiorem eſſe veram in cauſa efficienti:nõ verò in materiali ; tum quia abſcedente cauſa adæquata actiua poteſt pro illa ſubrogari alia,non verò in paſſiuis : ergo ab vna ad aliam non eſt conſequentia:tum quia accidentia indiuiduãtur à ſubiecto,quo abſcedente non poteſt manere idem accidens numero. Contra:quia effectus non minus pẽdet ab efficienti principio quàm à materiali : licet enim cauſa altera ſit extrinſeca , altera intrinſeca, tamen effectus ſecundum ſuum cõceptum intrinſecum refertur ad vtramq;. Immo ex genere magis pendent effectus ab agente,quam à ſubiecto : quia cauſalitas agentis vt ſic ſuppleri non poteſt per aliud genus cauſæ;poteſt tamen ſubiectum. §. 44.

Ad primam probationem reſpondeo,non poſſe ſuppleri cauſam adæquatam ſubiectiuam , quia in eius loco,ac munere non poteſt applicari alia;quia nequit vna materia pro alia ſubrogari, maxime cũ materia nunquam pereat : poteſt autem hoc facile fieri in efficienti:at abſcedente forma ſuccedit alia in eadem materia : itaque ex defectu applicationis, non verò ex diſcrimine cauſæ id oritur. Vbi ergo non deficit applicatio, bona eſt conſequentia. Ad ſecundam probationem reſpondeo primò , accidentia non indiuiduari intrinſecè per ſubiectum, ſed illud connotando vt terminum ſuæ relationis tranſcendentalis : ſic autem etiam indiuiduari ab agente:& quemadmodũ idem accidens ſit ab vno agente,& conſeruatur ab alio,ita & à duobus ſubiectis,quia neutrum determinatè connotat , vt dicam diſput.4.meta. ſect.5. Aduerte hoc reſponſum locum habere , tametſi accidentia non recipiantur in forma : quia hæc accidentia ad hanc formam dici poſſent diſponere , non ad aliam : vnde non eſt recurrendum ad receptionem accidentium in forma. §. 45.

Obiicies , poſſe etiam cauſam materialem adæquatam applicari loco alius etiam materialis ; ergo accidentia poterunt mutare ſubiectum adæquatum. Probo antecedens : quia aër exiſtens in aliqua parte , in qua lux eſt vehementior , poteſt inde depelli alio aëre , qui occupat locum prioris ; nulla enim temporis parte locus ille vacat aëre ; ergo ſol poteſt in aëre ſecundo conſeruare eamdem numero lucem quæ in priori. Iam dixi nullum eſſe diſcrimen inter cauſam materialem & efficientem , niſi quia materialis adæquata applicari denuo non poteſt : quod in generationibus eſt certum : quia diſponitur hæc numero materia per accidentia contraria ; cuius loco ſi alia noua applicetur igni diſponenti verbi gratia non poterit ſubito recipere intenſionem. Vnde aër frigidus loco pellens calidum aërem non poteſt ſubito calefieri propter frigoris reſiſtentiam. In his caſibus accipitur adagium commune , *Accidentia non migrãt de ſubiecto in ſubiectum:*in caſu autem antecedentis propoſitionis,nihil intereſt ea migratio. Eſt autem antecedens dubium , quia applicatio aëris noui fit per partes proportionales , per quas non eſt tam applicatum agens quàm ante. Admiſſo autem §. 46.

autem antecedente, nullum ex eo caſu ſequitur abſurdum.

§. 47. Obiicies ſecũdo diſparem eſſe rationem in cauſa efficiente & materiali; quia cauſa efficiens de nuo accedens inuenit in accidente aliquid quod conſeruet, nempe vnionem accidentis cum ſubiecto quam conſeruare poteſt cauſa efficiens: at amoto ſubiecto priori nihil conſeruandum inuenit ſubiectum ſecundum. Reſpondeo, ſecundum ſubiectum inuenire accidentia ipſa quæ poſſint conſeruari. Nam quemadmodum agens nouum inuenit vnionem; licet non inueniat actionem prioris agentis qua pendebat illa vnio; ita nouum ſubiectum inuenit qualitatem, licet non inueniat priorem vnionem, qua prius conſeruabatur: cur ergo nouum ſubiectum non conſeruat veterem qualitatem; ſicut nouum agens conſeruat vnionem veterem?

§. 48. Præterea ſi accidens vnitur vtrique parti, dicere poſſumus illud vniri vtrique duabus vnionibus; vna cum materia; altera cum forma: abſcedente autem forma priori, inuenit noua vnionem accidentis cum materia; quam conſeruat agens; & nouam producit cum forma; vnde licet non poſſet accidẽs mutare adæquatum ſubiectum; quia agens nihil inuenit conſeruandum; poterit inadæquatum mutare: quia forma noua inuenit vnionem veterem cum materia. Accidentia autem eſſe intrinſeca ſubiecto, agenti autem extrinſeca, quid intereſt? quia tã eſſentialiter pendet actio ab agente quàm à ſubiecto: & tam ſubſtantialiter terminus pendet à cauſa actiua quàm à paſſiua: & pro vna cauſa intrinſeca præcedit alia intrinſeca, ſicut extrinſeca pro extrinſeca.

§. 49. Confirmatur euidenter ad hominem, primò, quia ipſi dicunt materiam primam ita pendere à forma, vt nec diuina potentia poſſit exiſtere ſine illa, & tamen in confeſſo eſt apud omnes, pereunte vna forma, & ſuccedente alia non perire materiam primam: non alia ratione, niſi quia forma ſuccedens habet ſufficientem virtutem ad tribuendam exiſtentiam materiæ: ergo à fortiori, ſuccedens vna forma cauſabit eadem accidentia: patet, quia per te magis dependet materia à forma quam accidens à ſubiecto.

§. 50. Dices, materiam non indiuiduari à forma, vnde manere poteſt eadem numero cum diuerſis formis. Contra: quia in eorum ſententia (vt ex Capreolo patebit ea diſputat. 4.) materia indiuiduatur à quantitate: & tamen aiunt quantitatem perire in generatione, & manere eamdem materiam: ergo eadem ratione manebit quantitas abſcedente forma à qua indiuiduatur. Maiorem autem dependentiam habet materia à ſua exiſtentia, quàm accidens à ſubiecto: cum hoc poſſit eſſe abſque ſubiecto; at materia non poteſt abſque forma, immò melius indiuiduaretur per formam, quia eſt actus quem per ſe primò reſpicit potentia materiæ. Secundo, quia ipſi dicunt qualitatem non exiſtentem poſſe efficere aliam: ergo ſimiliter forma non exiſtens poterit cauſare accidentia materialiter, nam ad veram cauſalitatem phyſicam non minus requiritur exiſtentia principij actiui, quàm paſſiui. Quem conſequentiæ defectum notaui diſput. 6. Phyſic. ſect. 4. & diſput. 8. ſect. 3.

§. 51. Item confirmatur ad hominem: Forma equi, in eorum ſententia, eſt indiuiſibilis; & indiuiduatur à materia ſignata, aut ſigillata: & tamen per nutritionem acquiruntur nouæ partes materiæ, & deperduntur veteres, à quibus prius ſubiectiuè pendebat; perſeuerante eadem forma in nouis, cum noua dependentia ab illis: ergo licet accidens indiuiduetur à forma, non perit abſceſſu formæ; quando pro illa ſubrogatur æque potens ad illud excipiendum.

§. 52. Secundo impugnatur hæc opinio manifeſta experientia: qua videmus hominem mortuum & viuum eaſdem habere cicatrices; eamdem figuram, eumdem calorem, & colorem, adeo vt indigeamus ſpeculo ad dignoſcendum, viuat ne, atque reſpiret? Ergo manent eadem accidẽtia in genito, & corrupto. Dices; ſenſum eſſe corrigendum, qui non ſentit eadem numero accidentia, ſed ſpecie. Contra, quia ſenſus eſt corrigendus vel per Theologicam rationẽ, vt in Euchariſtia, aut ratione philoſophica euidenti: vt quando virga integra apparet fracta, at vbi hæc deſunt non eſt corrigendus ſenſus, ſed ſequendus, eſt enim experientia Philoſophiæ mater, quam comparamus per ſenſus.

§. 53. Deinde efficaciter probatur eſſe eadem numero accidentia, quia non eſt à quo alia producantur; non à circunſtanti aëre, quia hic cum frigidior ſit quàm cadauer, non poteſt illud calefacere: non à forma producta, tum quia hæc forma non habet virtutem productiuam talium accidentium, cum non poſſit illa conſeruare: videmus enim paruo tẽpore interiecto omnia illa accidẽtia corrumpi, atque alia omnino cõtraria à cadauerica forma produci. Pulchritudini enim ſuccedit fœditas, fœtor odori, flexibilitati rigor, miræ deniq; organizationi totius corporis diſſolutio: cur ergo dicemus tã oppoſita accidẽtia ab vna forma manare? Tum etiam, quia forma geniti abhorret omnino ab illis accidẽtibus, neque ea continet in virtute: quando enim ignis, v.g. generatur ex ligno humido non bene diſpoſito, in quo multum remanet humiditatis, non poteſt humiditas ab igne manare: hic enim cum ſit ſiccus prope ſummum, non poteſt humectare magis, quam aqua exſiccare. Neque eſt cur reproducãtur à Deo, ad quem non eſt recurrẽdum, niſi in his caſibus, in quibus deeſt cauſa ſecũda ad aliquẽ finẽ à natura intentum, hic autem nullus eſt: aquę enim corruptæ quid deſeruit humiditas, igni autem, cui rei eſt neceſſaria? cum potius ignis perpetuum bellum gerat cum humiditate. Quid autem deſeruit flexibilitas cadaueri? quid orginizatio formæ ineptæ illa vti? Quid cicatrices mortuo? Quid animali noxiæ qualitates alimentitiæ? Cum alimentum per illas enecet animal. Corruptis enim prioribus alimenti accidentibus, diutius valeret animal. Equidem illa accidentia non ſeruiunt alimento corrupto: vt patet: animali autem ſunt noxia. Quem ergo ob finem corrigendus eſt ſenſus?

§. 54. Adde ex parte materiæ nullam eſſe rationem, ob quam eadem figura in ſpecie, eędem cicatrices producantur. Dicunt primò in cadauere relinqui ſanguinem, qui cum informatur alia forma, manet aliquãdiu calidus. Contra; quia eadẽ anima actuatur, aut certè adeo ab ea pendet, vt vix perſeueret calidus ab ea abiunctus, vt patet in phlebotomia: ſanguis enim ſtatim conglaciatur ac è venis eiicitur: tum quia ſpiritus vitales emoriuntur, niſi à corde foueantur. Denique dentium durities, oculorum tunicæ, auriũ tympana, naſi carunculæ mamillares, à quo fiunt? Dicunt ſecũdò fieri à Deo ne ſit in natura tranſitus ab vno extremo in aliud ſine medio. O Bene! nonne aqua immediatè abit in ignẽ? Quæ autem extrema oppoſita magis extremè? quæ mutuo per vtramq; qualitatem aſſymbolã digladiãtur. Conſidera ligni magnitudinẽ, denſitatẽ, duritiem, &c. Item cinerũ minutias, nonne ſatis opponuntur extremè?

extremè?Et immediatè lignum ſoluitur in cineres.
§. 55. Dicũt tertiò Thomiſ. id prouenire ex ſigillatione materiæ.Rogo,quid ſit hęc ſigillatio?Si non diſtinguitur à materia: ergo non eſt cur ex illa reſultent hæc accidentia magis, quàm ex ipſa materia: ſi autem eſt diſtincta, ergo non fuit facta reſolutio vſque ad materiam primam, cum remanſerit ea ſigillatio, quæ neceſſariò foret accidentalis: eam autem eſſe non poſſe ſubſtantialem patet ex terminis.

§. 56. Dices ſigillationem eſſe, præceſſiſſe accidentia ſimilia, quibus fuit ſigillata materia. Contra, quia hæc tantum eſt extrinſeca denominatio,inutilis ad reproducenda accidentia, neque enim accidens præcedens, eò præcisè quia præceſſit, poteſt producere ſibi ſimile in materia affecta forma contraria. Dices, cur ea accidentia conſeruantur à Deo, ſi ſunt inepta omni fini? Accidentia, quæ contrarium habent, non corrumpuntur præcisè ob remotionem agentis, ſed per contraria. Quod patet in homine infrigidato à niue: qui, amota niue, retinet frigus idem, donec calore innato, aut aliunde mutuatitio vincat frigoris reſiſtentiam: ita forma cadaueris non poteſt ſubito ſoluere cuncta organa, & qualitatum temperiem, donec aliunde iuuetur ad ea debellanda. At verò, ſi ſimul inuenit priora accidentia corrupta, quorſum alia eiuſdem ſpeciei eſſent iterum producenda? Si enim homine abſcedente à niue tota frigiditas periiſſet, cur præſente igne eſſet reproducenda, cum iam haberet interitum, ſine inductione contrariorum?

§. 57. Tertio probatur de quantitate, quæ non recipitur in vtraque parte compoſiti, vt probaui diſput.6. phyſic.ſect.6. ergo non perit pereunte forma. Conſequentia patet, tum ad hominem, quia Thomiſtæ probant quantitatis interitum, quia interit pars ſubiecti, cui inerat; tum à priori, quia deficiente forma nulla deficit, nec amouetur cauſa per ſe influens phyſicè in quantitatem, cur ergo interibit? Dices primò, formam eſſe principium actiuum quantitatis. Contra,deficiente agente, & ſuccedente alio æquè potente, non interit effectus;vt probaui §.43.

§. 58. Dices ſecundò, deficere finem, quo intereunte, intereunt omnia, quæ ſunt ad illum. Contra primò, finis quantitatis non eſt vna ſola forma, ſed omnes, quemadmodum & materiæ finis, quia enim quantitas materiam extendit ad magnitudines quas ſibi formæ vendicant, ea propter omnibus formis ſeruit. Maximè cum forma ſequens eamdem exigit extenſionem, quam præcedens, vt ſæpe contingit. Contra ſecundò, quia ſæpe intereunte fine, conſeruantur aliqua, quæ ſunt ad illum finem, vt patet in cadauere, in quo conſeruantur nonnulla accidentia, quæ ex ſua ſpecie, & indiuiduatione referuntur ad animam. Illa enim ſpecies organorum naſi,dentium,&c. cui fini ſunt cadaueri?quantitas autem non modo eſt vtilis formæ præcedenti,ſed & ſuccedenti.

§. 59. Vnde concludo extenſionem quantitatis, varietatem, & alia accidentia illius manere. Mitto argumentum de cauſalitate accidentium in formam geniti. Exigit enim enucleatam diſquiſitionem: quod præſtabitur diſput.1. ſect.1. & 2. immo manet tota diſpoſitio, per quã paulatim agens moliebatur interitum compoſito priori, vt dicam diſput. 2. ſect. 1. Quod in organizatione viuentium cernitur apertè: ſi enim tota diſpoſitio præcedens erat corrumpenda cur laboratum eſt, niſi quod ſat erat ad depellendam formam oppoſitam? Cur naſus tam accuratè formatus cum ipſa forma abſque vllo vſu interiturus? cur aures effictæ? cur oculi inciſi? cur manus, & cætera membra compacta? locus eſſet ille naturæ luſitantis, non feriæ opus.

Dices,vt poſtea ſimilia membra formentur: anne eget natura exemplari, aut forma, in quam ſua opera fundat cum in inſtanti generationis nihil remanſerit in materia: ſed nuda ſiſtatur formæ? Hæc nullo negotio compinget ſibi corpus ſubito: quia non eſt reſiſtentia: ſicut per te illud compingit deſtructa priori organizatione: cur ergo opus fuit expectare ad totam illam producendam? ſufficeret intendere qualitates contrarias ad gradum incompoſſibilem cum forma oppoſita: deinde ſubito aptare organa. §. 60.

Hanc ſententiam tuentur omnes ſcholæ à Thomiſtica diſtinctæ, & recentiores ferè omnes, maximè P. Suarez diſput.14. metaph.ſect.3. num.20. & 37. Ex antiquis verò Auerroës, Auicenna, Henricus, Gregor. Gabriel, Okamus, apud P. Conimb. art.1. quibus ipſi fauent art. 5. quam expreſsè docent S.Tho. & Caiet.3.p.quæſt 9.art.3.ad 2. titul. articuli eſt, *vtrum Chriſtus habuerit ſcientiam inditam*?Concluſio affirmatiua.Secundo argumento obiecerat S.Thom. ſcientiam inditam eſſe diſpoſitionem ad beatam,ac proinde non poſſe cum illa componi. Reſpondet autem, *per calorem diſponitur materia ad formam ignis, qua tamen adueniente calor non ceſſat, ſed remanet quaſi quidam effectus talis formæ.* infert;*& ſimiliter in Chriſto ſimul cum ſcientia beatitudinis manet ſcientia indita &c.* Itaque cenſet B. Thom. manere diſpoſitionem, quæ eſt via ad formam cum ipſa forma, & eodem modo manere ſcientiam inditam cum beata. Si autem loqueretur B. Thomas de alio accidente numero diſtincto, nec apto, exemplo eſſet vſus ad perſeuerantiam eiuſdem numero ſcientiæ, nec argumento ſatisfeciſſet,immo dediſſet manus:argumentum enim eo tendebat,vt probaret, non manere viã diſponẽtem cum ſuo termino, ac proinde nec ſcientiam inditam cum beata.Reſpondet autem,vtramque ſimiliter manere, quod ſi calor non maneret idem numero, iam ille calor, qui fuerat via, non maneret, aliáq; ratione reſpondendum foret conſequentiæ. Idem docet 1. 2. q. 74.art. 4. ad 3. & de veritate quæſt.25.(quæ eſt de ſenſualitate)art.5. ad 13. iis verbis: *diſpoſitio qua patiens diſponitur ad recipiendam formam eſt in eodem cum forma*; agit autem de præparante ſubiectum, non verò de ſequente, quia hæc non diſponit. Vide alia S. Tho. teſtimonia diſputat. 2. ſect. 1. §. 3. item & hanc difficultatem. §. 61.

Obiicis eumdem S. Thom. 1.p. quæſt.76. art.6. corpore, aſſerentem impoſſibile eſſe aliquam diſpoſitionem accidẽtalem eſſe in corpore ante animam, aut vllam formam ſubſtantialem. Reſpondeo à Beat. Thoma ibi non negari accidentia corrupti manere in genito, ſed nullum accidens eſſe diſpoſitionem, media qua vniatur forma ſubſtantialis: quia talis diſpoſitio neceſſariò eſt poſterior quam forma, à qua oritur eſſe completum. Ex eo autem quod accidentia ſint natura poſteriora quã forma, non modo ſequitur ea corruptum iri, ſed multo facilius intelligi, quo pacto conſeruentur à forma geniti, vt dixi. §.53. immo S. Thom.3. p. ſupr. ait diſpoſitionem manere vt effectum formæ. Caiet. autem ea q. 9. cum dixiſſet, habita ſcientia manere cognitionem habitam prius per medium probabile, non tamen cum fortitudine præcedenti, nihil agit de perſeuerantia diſpoſitionis; §. 62.

ſed

ſed ſupponit totam doctrinam articuli, & 1. p. ca quæſt.76. admittit perſeuerare diſpoſitiones priores,& eſſe ſimul cum forma, nõ quidem prioritate naturæ reali, ſed prioritate naturæ ratione noſtra. Et quamuis initio commentarij aſſerit doctrinam S. Thomæ eſſe contra omnes aſſerentes manere eadem accidentia,non intelligitur eſſe contra illos in perſeuerantia, ſed in prioritate accidentium: quam illi adſtruunt.

§. 63. Quando verò dicimus *corruptis nobis, corrumpi omnia, quæ ſunt in nobis*, intellige corruptis nobis ſecundum nos totos,corrumpi omnia,quæ ſunt in nobis: at verò corruptis nobis ſecundum vnã partem,non corrũpuntur, quæ ſunt in alia parte;quia non dependent à parte corrupta, corrupto enim homine non corrũpuntur proprietates ipſius animi. Item corruptis nobis, corrumpuntur omnia, quæ ſunt in nobis, niſi ſuccedat alia cauſa, æquè potens ad illa conſeruanda. Ad probationem de migratione accidentium reſpondeo,in noſtra ſententia nullam contingere tranſmigrationem, cum accidentia ſint ſemper in ſola materia:admiſſo verò ea eſſe in toto compoſito, adagium intelligeretur de migratione de ſubiecto adæquato ad aliud adæquatum; non verò de inadæquato ad aliud inadæquatum: vt ipſi dicunt de formis perfectorum brutorũ,quæ adæquatè migrant in ſubiectum aliud: diſcrimen eſt, quia pereunte ſubiecto adæquato non poteſt ſuccedere aliud,quod ſubſtet accidentibus:at pereunte inadæquato, eius loco ſubrogatur aliud. Quod intellige ex natura rei, diuinitus enim pereunte ſubiecto adæquato, poteſt alia cauſa illius loco accidentia cõſeruare,vt Chriſtus in Euchariſtia in genere cauſæ efficientis inſtrumentaliter concurrentis ad eorum creationem: hæc intelligentur ex doctrina §.46.

§. 64. Rogas, quæ ſit cauſa efficiens illorum accidentium,quæ remanent? Nunc reſpondeo,ibi manere aliqua accidentia, illorum autem cauſam inquiremus in Metaphyſ.in prædicamento qualitatis, vbi (fauente numine)inueſtigabimus diſcrimen corruptionum qualitatis contrarium habentis, & non habentis. Recognoſce interim,quæ ſupra dixi.

SECTIO VI.

Vtrum generatio ſit ab alteratione diſtincta?

§. 65. CAietan. 1.p.q.54. art.3.§. *ad id tamen*, & cum eo Thomiſtæ nonnulli apud P. Conimb. lib. 1.c.4.q.12.art.1.opinantur generationem ſubſtantiæ non eſſe operationem, ſed terminum generationis tranſmutantis materiam.Mouentur Ariſt.& S.Thom. verum ij non negant generationem eſſe ſpeciem motus diſtinctam ab alteratione, ſed docent eam eſſe terminum extrinſecum alterationis: quia hæc eſt via ad generationem.

§. 66. Secundò mouentur:quia ſequeretur ſubſtãtiam eſſe immediatè principium illius actionis, vel eam oriri ab accidentibus non exiſtentibus. Reſpondeo, nullum abſurdum contineri in immediata actione à ſubſtantia:nec in Thomiſtarum opinione in actione ab accidente non exiſtente:neutrum tamen ſequitur; quia accidẽtia,per quæ agens materiam diſpoſuit, poterunt ad generationem concurrere, adeſt enim applicatum agens principale cum tota virtute actiua.

§. 67. Tertiò mouentur,quia actio reciperetur in ſingulari ſuppoſito diſtincto à ſuppoſito totali. Diſtinguo: reciperetur in ſuppoſito ſingulari, totali, & adæquatè diſtincto à totali, quod generatur:nego: concedo autem, eam recipi in ſuppoſito partiali, ſiue in materia ſingulari partialiter ſubſiſtente: & ratione eius reciperetur in nouo compoſito.

Generationem eſſe motum diſtinctum ab alteratione ſæpe docent Ariſtoteles,S.Thomas,& alij. §. 68. Probatur primò, quia calor v.g. non eſt ipſa ignis generatio, quia eſt qualitas abſoluta, & non eſt in prædicamento actionis:qui eſt modus: nec productio caloris eſt productio ignis; tum ad hominem; quia calor productus non exiſtit, nec eius productio; cum exiſtit generatio ignis: tũ quia tota productio caloris ſiſtit immediatè in ipſo calore, ex quo oritur generatio ignis.

Secundò probatur: quia producto calore in vltimo gradu neceſſariò ad generationẽ, poteſt non eſſe generatio ignis; ergo hæc non eſt calor, nec caloris productio:conſequentiam probaui trecenties: antecedens patet primò; quia Deus producto calore, poteſt non producere ignem: quia calor productus non habet eſſentialẽ connexionem cum exiſtentia ignis. Quæ enim contradictio ſequeretur ex caloris exiſtentia,& non exiſtentia ignis?Secundò probatur,quia Deus conſeruat omnia panis accidentia ſine pane. §. 69.

Dices primò,exiſtere generationẽ ignis, quamuis ignis non exiſtat. Contra; quia ſi exiſtit generatio in actu, ergo actu denominat genitum, ſicut vnio vnitum; quia eius eſſentia eſt actu generare: at non poteſt res actu eſſe genita;quin exiſtat,ergo non poteſt eſſe generatio, quin actu exiſtat eius terminus. Dices ſecundò; eam actionem in accidentia eſſe eorum creationem; at verò eorumdem productio ex ſubiecto eſt generatio formæ ſubſtãtialis. Contra primò: quia poſſet Deus conſeruare formam aquæ cum calore vt octo ſine vllo gradu frigoris: tunc autem fieret calor ex ſubiecto, quin fieret ignis. §. 70.

Tertiò à priori ad hominem opinantem calorem fieri ex tota aqua tanquam ex ſubiecto; ergo eius caloris generatio habet pro ſubiecto formam aquæ, quia idem eſt ſubiectum caloris, & productionis eiuſdem caloris;ſed ignis generatio non fit ex forma aquæ tãquam è ſubiecto; ergo generatio ignis non eſt caloris productio. Probo minorem; generatio, & terminus productus *vt quo* per illam, ſunt in eodem ſubiecto,vt alibi oſtendo; ſed ignis forma non eſt in forma aquæ; ergo nec ignis generatio. Vnde nec conſeruatio caloris,erit conſeruatio formæ ignis; quia calor per te conſeruatur in forma ignis, eductus ex illa tamquam ex ſubiecto; ex qua etiam educitur conſeruatio caloris: ſed conſeruatio formæ ignis non educitur ex forma ignis; quia forma educeretur ex ſe ipſa *vt quod* vt probo diſput.11.Phyſic.ſect.7.ergo conſeruatio caloris non eſt conſeruatio formæ igneæ. Mitto argumentum ſumptum ex terminorum diuerſitate, qui ſunt diuerſi genere; nec conueniunt vniuocè,ſed analogicè. §. 71.

Tandem argumentor,quia forma aquæ v.g.non generatur per productionem frigoris remiſſi, quia hoc exiſtit,quin exiſtat aquæ generatio; hæc enim non exiſtit ante vltimam diſpoſitionem, & conſequenter nec generatio aquæ; nec item productio frigoris intenſi eſt aquæ generatio; quia manere poteſt aqua & eius generatio, quin maneat frigus intenſum, nec eius productio: cum enim calefit aqua, pellitur ex ea frigus, & eius frigoris productio: ergo nulla productio frigoris,nec intenſi,nec remiſſi eſt aquæ generatio. §. 72.

Dices primò, tunc non manere generationem §. 73.

aquæ, ſed conſeruationem. Contra; quia conſeruatio eſt idē realiter cum prima productione. Deinde, ſi cum conſeruatur aqua, terminat actionem diſtinctā ab actione caloris; quidni & in prima productione? Dices ſecundò, omnes productiones frigoris ſimul ſumptas eſſe generationem aquæ. Contra; quia productio frigoris, qua conſeruatur aqua, non eſt productio ipſius aquæ, quia hoc præextitit in materia in gradu illo, quin tunc eſſet aqua: quæ ad ſui cōſeruationem non eget frigore tam intenſo, quàm ad primam generationem. Deinde corrupto frigore intenſo non manent ſimul omnes frigoris productiones. Adde in ſententia aduerſariorum, intenſionem frigoris nihil eſſe præter maiorem radicationem: at aqua non generatur maiori radicatione. Hæc ſat, ne videamur leoni mortuo inſultare. Recognoſce §.76.

SECTIO VII.

Nonnulla expediuntur.

§.74. PRimum reuocandum eſt in memoriam, generationem, quæ formaliter definitur ab Ariſtotele, eſſe actionem illam per quam forma vnitur materiæ; quia illa eſt productio compoſiti geniti, & præcedentis corruptio; cuius exemplum eſt humana generatio: quæ tantum terminatur ad producendam vnionem, non verò ad formam producendam. Productio autem formæ materialis non eſt formaliter generatio compoſiti: eſt tamen radicalis generatio, quia generationi formæ ſuccedit eius vnio cum materia.

§.75. Secundo diſquirendū eſt, vtrum generatio compoſiti ſit mutatio inſtantanea? An verò motus ſucceſſiuus? Succeſſio motui contingit vel in eodem ſubiecto indiuiſibiliter ſumpto, vel in diuerſis eius partibus; & actio, quæ in vna parte ſubiecti eſt momentanea, poteſt eſſe ſucceſſiua in diuerſis, exempli ergo, cum primum Deus creauit ſolem, ſubito illuminauit ſol totum hemiſphæriū noſtrum; quia erat illi ſufficienter applicatus, & operatus fuit totam lucem, cuius aër erat capax: qualitates enim contrario carentes, ſubito producuntur ab agente debitè applicato; Sol autem eam aëris illuſtrationem ſucceſſiuè peregit in partibus remotioribus; quia illis ſucceſſiuè applicabatur. Nunc ergo non inquiritur, vtrū generatio formæ, aut vnionis materialis ſit ſucceſſiua in diuerſis partibus? id enim quæretur, cum agetur de augmentatione. Item poſita ſententia admittente minima naturalia in viuentibus, non dubium, quin in totam materiam, quam exigit viuens, inducatur ſimul tota forma. Eſt igitur quæſtio, vtrum generatio ſit ſucceſſiua in eadem parte? An verò momentanea?

§.76. Et quidem eam eſſe momentaneam probatur euidenter. Quia tunc generatio eſt momentanea, quando eius terminus inducitur in ſubiectū totus ſimul; quia actio non durat plus, quàm eius terminus; qui ſi vnico momento eſt totus productus, ergo eo momento eſt tota eius productio: cum nihil reſtet producendum: ſed forma ſubſtātialis, & eius vnio, vnico momento producuntur totæ, ergo & earum productiones finiuntur vno mometō. Probatur minor; quia forma ſubſtantialis (idem eſt de vnione) non habet partes intenſiuas; ſed omne, quod ſit ſucceſſiuè in eadem parte ſubiecti, eſt intenſionis capax, ergo. Probo minorem: quia ſucceſſio eſt inter diuerſas partes eiuſdem termini, aut diuerſos gradus: ſi eſt illa diuerſitas in diuerſis partibus ſubiecti, vocatur *extenſio*; ſi in eadem, vocatur *intenſio*. Denique in vna parte ſubiecti non ſunt diuerſi gradus formæ ſubſtantialis, vt ſunt diuerſi gradus caloris; nec ſunt diuerſæ partes penetratæ, aut cōtinuæ, vt ſunt in diuerſis partibus eiuſdem ſubiecti: quo argumento euidenter probatur productionem accidentiū differre à productione ſubſtantiæ; quia hæc eſt momentanea; illa verò ſucceſſiua.

Obijcis, generatio fit, quando vltimo perficitur diſpoſitio; ſed hæc perficitur ſucceſſiuè, & non in momento; ergo generatio fit ſucceſſiuè, & non in momento. Maior patet; quia vltimam diſpoſitionem expectat agens ad inducendam formam, qua poſita, ſimul eodem tempore habet virtutem generandi quin expectet aliud inſtans. Minor probatur; quia diſpoſitio habet contrarium, quapropter illud paulatim expellit, atque per partes. Diſtinguo maiorem; generatio fit, quando diſpoſitio perficitur vltima indiuiſibili terminante qualitatem: concedo maiorem: fit generatio, quando perficitur diſpoſitio per acceſſionem nouæ partis qualitatis: nego maiorem. Item diſtinguo minorem: perficitur ſucceſſiuè acceſſione partium intenſiuarum, concedo minorem; perficitur ſucceſſiuè per indiuiſibile terminatiuum, nego minorem, & conſequentiam. §.77.

Oſtendi diſput. 15. Phyſic. ſect 8. omnes res ſucceſſiuas incipere extrinſecè, atque deſinere: ly tamen, *extrinſecè*, non ſignificare omnem negationem puncti indiuiſibilis, ſed negationem partis ſucceſſiuæ, ac determinatæ: vnde cum deſinit eſſe motus per primum ſui non eſſe, quo verè dicitur. *Nunc non eſt motus & immediatè ante fuit*; tunc eſt vltimum mutatum eſſe, ſiue terminus poſitiuus motus. Ita dicitur. *Nunc perfecta eſt vltima diſpoſitio, & immediatè ante non*: tunc fit aliquid indiuiſibile illius: & tunc eſt verum: *Nunc eſt generatio, & immediatè ante non* Quod ſi hæc non placent, dic generationem fieri in illo primo non eſſe motus ſucceſſiui, nec ante potuiſſe: qui ante non fuerat finita diſpoſitio: vnde primum eſſe generationis eſt primum nō eſſe alterationis. Dixi *primum non eſſe*, non quod pereat alteratio: hæc enim cum forma manet: ſed quia tunc finitur motus in ratione motus, vt connotat carentiam ſui præceſſiſſe, & connotat depulſionem contrarij. Nam ſub hac denominatione deſinit eſſe, & non ſub alia, vt iam dixi. §.78.

SECTIO VIII.

De Corruptione.

COrruptibile & generabile cōuertuntur, quia generabile ſumitur pro corpore habēte qualitates contrarium habentes. Cœlum non eſt corruptibile, neque eius forma hoc modo generabilis Quæ ex natura ſua potuiſſet produci cum dependentia à materia ſublunari, quia hæc materia eſt eiuſdem ſpeciei cum materia cœlorum mobilium. Quod ſi materia cœli Empyrei ſit diuerſæ ſpeciei à noſtrate, eius forma ex natura ſua non poſſet educi ex materia ſublunari; diuinitus tamen poſſet educi de potentia obedientiali paſſiua materiæ ſublunaris, cum qua efficeret vnum compoſitum per ſe diſtinctæ ſpeciei à quolibet ſublunari, & Empyreo cœlo. §.79.

Dixi *per ſe*, quia poſſunt vniri vnione ſubſtantiali, cum qua materia, & forma per ſe, id eſt per ſuas entitates componerent ſubſtantiam, nō tamen eſſet §.80.

eſſet *per ſe*, id eſt, neque materia, neque forma per ſe peterent talem vnionem,& compoſitionem. Poſita autem ea generatione in materia ſublunari, ex ea ſequeretur expulſio alterius formæ, quia duæ formæ repugnant eſſe in eodem ſubiecto ſimul, & conſequenter expellerentur diſpoſitiones, quia licet qualitas contrarium habens ex natura ſua non expellatur è ſubiecto, niſi per introductionem cõtrarij, id quod verum eſt, quando ſubiectum non redditur incapax proximè ſuæ formæ, at forma cœli Empyrei ſecum afferret diſpoſitiones impedientes huiuſmodi proximam capacitatem. Quod ſi Deus permitteret agentia naturalia introducere ſuas qualitates in eam materiam, poſita vltima diſpoſitione corrumperetur forma cœli, & introduceretur alia.

§. 81. Corruptio, ſi propriè ſumatur, formaliter eſt *ſuſpenſio generationis*, id eſt, *carentia generationis in eo inſtanti, in quo verum eſt dicere nunc non eſt generatio, & immediatè ante fuit.* in cæteris autem inſtantibus licet ſit carentia generationis non dicitur eſſe corruptio, modo enim falſum eſt dicere, Adamum corrumpi, licet modò in materia ſit priuatio generationis Adami. Vnde quamuis Deus deſtrueret formam ignis nulla alia introducta adhuc illa eſſet vera corruptio, & non annihilatio, eſt enim annihilatio, *deſitio entis in nihilum*, id eſt, vt nihil remaneat talis entis; ſicut creatio *eſt productio entis ex nihilo*; id eſt, ex nulla parte cõpoſiti præſuppoſita, ita ei reſpondet annihilatio, vt ex vi illius non remaneat vlla pars annihilati; at verò ex præciſa priuatione generationis, non manet nihilũ, ſed potius materia carens forma, ſicut quando forma generatur, non fit compoſitum ex nihilo, ſed ex ipſa materia, cui inhæret generatio, & terminus genitus.

§. 82. Confirmatur primò: quia deſitio lucis eſt vera corruptio, & nõ annihilatio, licet nullus terminus poſitiuus ſequatur. Idem contingit in corruptione gratiæ, & actuum vitalium, quæ, cum ſæpe non habeant contrarium Phyſicum, ita pereunt, vt non mutentur in terminũ poſitiuum, ſicut album mutatur in nigrum, nullus autem dicet, eas qualitates annihilari. Confirmatur ſecundo ex animo rationali, qui ſi deſtrueretur à Deo, eius deſtructio eſſet formaliter annihilatio, ſicut eius productio eſt creatio, quia ſicut non fit ex materia, ita neque eius deſitio eſt deſitio eiuſdem in materia; tota ergo ratio annihilationis conſiſtit in eo quod ſit deſitio termini independenter à ſubiecto. E contra verò vnio animi, & formæ materialis, ſicut fiunt ex materia, ita deſinunt in materia, & corrumpũtur, ſicut enim quando fiunt, non fiunt ex non ente, ſed ex tali non ente fit tale ens, ſcilicet, ex re, quæ non eſt equus, fit equus, ita non annihilantur, quando corrumpuntur, quia ſimpliciter non deſinit eſſe ens, ſed tale ens, vt equus deſinit eſſe in cadauere.

§. 83. Quando verò deſtrueretur animus, ex vi eius deſtructionis deſineret eſſe ens, quia anima non fit ex ente, ſed ex non ente, atque ita non deſinit eſſe in aliud ens, ſed in non ens. Quo in ſenſu explicui S.Thom. diſput. 12. Phyſicorum, ſect. 4. aſſerentem terminum creationis eſſe ens in quantum ens. Nec ad hoc intereſt aliquid, quod aliquis terminus *à quo* poſitiuus deſinat, aut incipiat, quia tota ratio deſitionis ſumitur ex modo, quo terminus *ad quem* deſtruitur, ſicut creatio ſumitur ex modo, quo producitur terminus, vt in tranſſubſtantiatione, Chriſti corpus verè creatur in Euchariſtia, & fit ex nihilo, id eſt, ex nullo concurrente ſubiecto, quamuis terminus *à quo* ſit poſitiuus, ſcilicet ſubſtantia panis, ſicut parum refert ad rationem generationis, eius terminum *à quo* eſſe poſitiuum aut negatiuum.

Dices, ergo deſitio panis, quãtum ad materiam, eſt annihilatio, hoc autem eſt falſum. ergo. Diſtinguo conſequens, eſt annihilatio Metaphyſicè loquendo, & in rigore; concedo conſequentiã, nego tamen de annihilatione latiùs ſumpta, pro deſitione rei, & omnium illius accidẽtium, & ſine termino *ad quem* poſitiuo; de qua annihilatione loquuntur Theologi, quãdo dicunt panem nõ annihilari: quia remanent eius accidentia, & quia conuertitur in aliud: at verò deſitio materiæ formaliter, verè eſt deſitio entis in nihilum, id eſt in nullum ſubiectum, non tamen in nihilum, id eſt in nullũ terminũ poſitiuũ, propter quod nõ vocatur annihilatio. §. 84.

Differunt ergo generatio, & corruptio, tãquam forma, & priuatio ei oppoſita; creatio autem, & annihilatio opponuntur ſicut eſſe Angeli, & non eſſe Angeli.

Corruptionem per ſe à natura non intendi, eſt clarum, quia natura per ſe nihil molitur mali; at verò per accidens intenditur, quia, cum ignis producit ignem, corrumpit quidem lignum, non quia per ſe illius corruptionem intendat; ſed vt remoueat formam oppoſitam, tamquam impedimentum officiens productioni ignis: vnde non malè loquuntur, qui dicunt eam intendi per ſe à natura, non vt finem, ſed vt medium neceſſarium ad ſuum finem: non quidem vt medium prius poſitum in exequutione, ſed latiori vocabulo, ſumpto medio pro quacũque re neceſſaria ad generationem. Itaque ignis verbi gratia quod per ſe primò intendit, eſt inducere formam in materiam; quia verò aqua impedit eam generationem, ideo intendit aquæ corruptionem, eam non conaturus, ſi nihil officeret. §. 85.

Solet inquiri; ſitne corruptio naturalis? Sed eſt diſtinguendum: ſi ſumatur *naturalis*, id eſt ex inclinatione naturæ, non eſt naturalis rei corruptæ; nulla enim res habet inclinationem in ſuum interitum; eſt autem hoc modo connaturalis, tum vniuerſæ naturæ, quæ per ſe inclinat in varias rerum generationes, & cõſequenter in varias corruptiones conſequutas ex his generationibus, ſine quibus non poteſt eſſe noua generatio; intenditur autem per ſe, non primariò, ſed ſecundariò; quia nullam corruptionem moliretur natura, niſi officeretur nouis generationibus? Tum etiam illi rei eſt naturalis, ad cuius generationem ſequitur corruptio; eſt enim ex inclinatione ſecundaria ignis, corruptio formæ præexiſtentis in ſubiecto, in quo ipſe agit. Item corruptio eſt *naturalis*, ideſt connaturalis, ſcilicet iuxta leges cuiuſque rei corruptibilis naturæ; vt homini eſt connaturale eſſe paſſibilem frigoris, & famis, ita corruptio eſt naturalis homini, licet ſit contra bonum ipſius hominis, & licet illi ſit violenta, non tamen eſt contra, ſed potius iuxta eius naturam: non quia id natura petat: ſed quia ex ſe eſt obnoxia legibus moriendi, quibus reſiſtere non poteſt: at verò neque corruptio cœli, neque alicuius rei annihilatio eſt naturalis, cum ſit contra omnes naturæ leges. §. 86.

Rogas cauſas corruptionis. Finalis eſt forma geniti facta ex materia corrupti, ſi eſt materialis, vel ſaltem vt vnita: materialis cauſa eadem, quæ generationis, quia priuatio, & habitus ſunt circa idem ſubiectum: efficiens eſt illa, à qua conſeruatur generatio: illa enim tantum cauſa poteſt corrumpere efficienter, quæ efficienter influit in generationem, quia corruptio formæ eſt ſuſpẽſio, & ceſſatio generationis, ceſſare autem à generatione tantum poteſt §. 87.

poteſt res, quæ generat. Vnde propriè loquendo, ignis non corrumpit aquam efficienter, ſed tantum diſpoſitiuè; corrumpitur autem aqua à Deo, qui eam generabat; dicitur autem ab igne effectiuè corrumpi, quia efficit ignis formam, ex qua ſequitur corruptio aquæ à Deo.

§. 89. Cauſa formalis corruptionis eſt introductio formæ oppoſitæ: eſt diſcrimen inter cauſam formalem, & rationem formalem. Ratio formalis eſt *conceptus quicumque, ſeipſo denominationem tribuens*, ſiue conceptus ille ſit poſitiuus, ſiue priuatiuus, verbi gratia: cæcitas eſt ratio formalis, qua cæcus conſtituitur; & tenebræ quibus tenebricum; & corruptio, qua corruptum. Vocatur *ratio*, quia eſt id, ob quod, ſiue ratione cuius cæcus dicitur cæcus. *Formalis* autem dicitur, quia ſeipſo abſque effectu alio præſtat illam denominationem. Cauſa formalis eſt *forma poſitiua, ex qua ſine productione alicuius effectus, ſequitur denominatio*, vt albedo, eſt cauſa formalis albi. *Cauſa* dicitur, quia eſt principium per ſe influens in eum effectum: quod non conuenit priuationi; hæc enim nõ influit. *Formalis* dicitur, quia ſe ipſa abſque alio conceptu à ſe diſtincto præſtat effectum illum. Cauſa enim efficiens præſtat ſuos effectus producendo aliquid à ſe diſtinctum.

§. 90. Cauſa formalis duos interdum habet formales effectus: alterum primarium; ſecundarium alterum. Ille eſt ipſamet forma vnita ſubiecto, vt calidum, eſt ſubiectum, & calor mutuò vnita; hic effectus nequit à forma vnita ſeparari. Secundarius effectus eſt diſtinctus aliquo modo à forma, ab illa tamen, vt vnita ſequutus, maximè ſi ſit priuatiuus, verbi gratia, ex inductione caloris in ſubiectum, ſequitur expulſio frigoris è ſubiecto eodem: hæc frigoris carentia, eſt effectus formalis caloris. *Effectus* quidẽ, quia calor eſt cauſa, ob quam corrumpitur frigus. *Formalis* verò; quia calor depulit frigus ſua vnione cum ſubiecto frigido abſque alio effectu, aut cauſalitate. Quo differt ab igne calefaciente: hic enim pepulit frigus, agendo calorem à ſe diſtinctum in ſubiecto: hic autem calor abegit frigus ſe ſolo vnito. Itaque frigoris corruptio eſt effectus formalis caloris; qui eſt vnica cauſa formalis huius complexi, *calidum ſine frigore*.

§. 91. Hinc ortum traxit commune Adagium ex Ariſtot. 1. de Generat. cap. 3. & 3. Phyſic. cap. 8. *Generatio vnius eſt corruptio alterius*: id eſt per generationem vnius compoſiti, corrumpitur aliud compoſitum (nam forma aliquando non corrumpitur, ſed abiungitur à materia) non quod generatio hominis, verbi gratia, ſit ipſa corruptio embrionis; ſed quia eſt cauſa formalis, ex qua neceſſariò ſequitur illa corruptio. Cenſetúrque eadem actio, nõ quod ita ſit; ſed quia naturæ legibus generationi vnius compoſiti annectitur corruptio alterius. Sic defendo diſputat. 11. de iuſtificatione, remiſſionem peccati eſſe diſtinctam ab infuſione gratiæ: & hanc eſſe vnicam cauſam formalem iuſti: quamuis hic includit & gratiam & carentiam peccati: & hanc non cenſeri nouum beneficium ab infuſione gratiæ diſtinctum.

SECTIO IX.

Quo pacto ſe habeant generatio vnius & corruptio alterius?

§. 92. Hinc oritur difficultas, quo modo forma geniti expellat corrupti formam? Aliqui dicũt, vtramque eſſe ſimul in eodem inſtanti reali: ſed mali Philoſophi, ac peiores Theologi, tum quia ſi in primo inſtanti poſſunt eſſe ſimul, quid ni & in ſecundo? Contra quos eadem procedũt argumenta, quæ diſput. 4. Phyſic. ſect. 3. confecimus contra conſtituentes plures formas in eadem materia ſimul: tum quia peccatum & gratia: odium & amor: fides & error ſimul poſſent eſſe in eodem ſubiecto, à quo ſe expellunt, ſicut ſe expellunt formæ ſubſtantiales. Vide quæ latè diſſerui diſput. 8. Phyſ. ſect. 7. contra Petrum Lorcam, admittentem peccatum & gratiam ſimul in eadem anima.

Rem ſic explico: in inſtanti *A*, introducitur forma ignis, & toto tempore præcedente illud inſtans, fuit forma aquæ in ea materia, & in illo inſtanti *A*, concurrit Deus cum igne ad producendam formam ignis, & ſimul in illo inſtanti ſuſpendit concurſum actiuum, quo conſeruabat aquam: & ſicut poſita generatione ponitur forma geniti, ita poſita priuatione generationis ponitur priuatio formæ corrupti, vnde in illo inſtanti tantum eſt forma geniti, at ante illud tantum fuit forma corrupti. Itaque nullum dabitur inſtans, in quo ſubiectum ſit ſine aliqua forma ſubſtantiali, vel cum duabus. §. 93.

Suſpenſio illa ex parte Dei, eſt voluntas nolendi conſeruare aquam in eo inſtanti: & ex parte materiæ eſt priuatio illius cõſeruationis. Quapropter *primum eſſe* formæ geniti eſt *primum non eſſe* formæ corrupti. Ex his duabus actionibus, quæ ſimul ſunt tempore, prior natura eſt generatio geniti, quam corrupti corruptio, quia *ideo Deus corrumpit aquam, quia generatur ignis, & ideo materia abijcit formam aquæ, quia recipit igneam*, non è cõtra: eſt enim hæc cauſalis falſa, *ideo ignis producitur, quia corrumpitur aqua*, eſt enim in prouerbio: *Generatio vnius eſt corruptio alterius*: niſi enim accederet ignis ad producendum ignem, non corrumperetur lignum: ergo prius accedit ignis, & intelligitur operari, quàm aquam corrumpi. §. 94.

Dices generationem ignis eſſe finem: ergo ponitur poſterius in exequutione. Nego conſequentiam, quia nõ eſt iſte finis dependens à corruptione, tamquam à medio propriè, & in rigore ſumpto, ſed tamquam ab impedimento ſequuto ex ipſa generatione ignis: ſicut etiam dependet à diſpoſitionibus conſequentibus, quarum eſt finis, & tamen fit prius natura, quàm illæ. Finis ergo ſolum eſt poſterior mediis per ſe concurrentibus aut effectiuè, aut diſpoſitiuè antecedenter, non tamen conſequenter. §. 95.

Dices, antequam producatur ignis, non pugnat cum aqua: quando verò producitur ignis, iam corrumpitur aqua: quomodo ergo pugnat in illo inſtanti cum illa? Hæc pugna non eſt intelligenda quaſi ſingulare certamen militare, quod Lorcam decepit: ſed in eo conſiſtit, quod quando producitur forma ignis, corrumpatur forma aquæ: quando verò pugna fit ſucceſſiuè, tunc qua celeritate introducitur forma caloris, eadem celeritate corrumpitur forma frigoris. exemplo intelliges craſſiori. Cum quis manu habet trutinam æquali lance, ſi quis alteram lancem deprimat, eodem tempore leuat alteram: & depreſſio vnius eſt leuatio alterius: ſi autem altera lanx multum habet ponderis, non poteſt niſi magno impetu leuari, neque alia deprimi: ita cum calidum applicatur frigido, quo tempore introducit calorem, corrumpitur frigus cum illo incompoſſibile. Si autem frigus ſit aut valde intenſum, aut in ſubiecto denſo, non poteſt corrumpi niſi à vehementi calido: tum quia per ſuam intenſionem, aut denſitatem impedit §. 96.

actionem

actionem calidi: & dum calidum non agit, non corrumpitur frigidum: tum etiam quia reactione infringit aduerſario vires. Itaque calidum non poteſt operari in frigido, niſi in eo gradu, in quo ſit ſuperius. Verum eſt, calidum vt tria poſſe operari aliquem gradum in frigido vt octo, ſed vel opprimitur reactione frigidi, vel dicitur non operari, quia non percipitur ſenſu propter vehementiam contrarij.

§. 97. Generatio non poteſt eſſe etiam diuinitus ſine termino actuali, quia eſt actualis illius productio, & affectio: modus autem neque diuinitus poteſt eſſe ſine eo, cuius eſt: at verò corruptionem poſſe eſſe ſine termino corrupto, patet, tum quia homo generatur ab homine & Deo: & conſeruatur à ſolo Deo: ergo prima generatio perijt, ergo tunc fuit corruptio, quæ conſiſtit in deſitione generationis: tum quia defectus vnius generationis ſuppletur, vel per aliam generationem, vt in caſu poſito; vel per creationem, vt in accidentibus Euchariſtiæ: ex corruptione enim tantum ſequitur deſtructio termini, quando non ſuccedit alia actio conſeruans talem terminum. Itaque tunc eſt corruptio termini, & non corrumpitur terminus, quia terminum corrumpi eſt omnino deſtrui per corruptionem: quando verò conſeruatur per aliam actionem non deſtruitur. At verò exiſtente generatione non poteſt impediri effectus, quia ſimul eſſet, & non eſſet, quod implicat. Verum eſt non dici terminum abſolutè genitum, quando ſupponitur genitus per vnam actionem, deinde per aliam ſimilem generatur. Per primam enim dicitur genitus abſolutè: per ſecundam autem ſolum ſecundum quid: ita non dicitur corruptum per corruptionem, quando conſeruatur aliunde: ſed dicitur deſinere eſſe genitum per primam generationem.

SECTIO X.

Quo pacto ſit neceſſaria rerum ſublunarium corruptio?

§. 98. MVltiplicem difficultatem amplexa quæſtio: quam placet claritatis ergo diſſecare.

SVBSECTIO I.

Quid ſufficiat vt res aliqua ſit abſolutè corruptibilis?

§. 99. RES incorruptibilis eſt, *quæ natura ſua ita ſubſiſtit: vt ex vi nullius agentis creati poſſit deſtrui nec mediatè, nec immediatè*: Corruptibilis autem eſt: *quæ ex vi alicuius agentis naturalis deſtrui poteſt*. Reſpectu Dei nulla res eſt incorruptibilis comparatione potētiæ abſolutæ: vt enim Deus liberè creaturas omnes produxit, atque conſeruat: ita ſolo ſuo arbitratu poteſt ab ea conſeruatione ceſſare: & deſtruere totam creaturarum vniuerſitatem. Nec inde bene inferunt nōnulli, nullam creaturam eſſe abſolutè incorruptibilem. Eſt enim animus abſolutè immortalis: & quantitas abſolutè impenetrabilis: quia ly *abſolutè* non dicit negationem corruptionis per abſolutam potentiam: ſed per abſolutos cuiuſque naturæ conceptus, & leges. Quod enim alicui conuenit ex lege ſuæ naturæ, illi conuenit abſolutè, & ſimpliciter.

§. 100. Quando autem res, vi agentis naturalis deſtrui poteſt: dicitur corruptibilis abſolutè: quia ipſa non poteſt propulſare vim ab eo agente illatam. Nam agens ex ſe viribus naturæ poteſt deſtruere talem rem, ergo viribus naturæ poteſt res deſtrui ab illo agente: patet conſequentia: quia ab ea virtute, qua agens poteſt deſtruere rem, res poteſt deſtrui: quia quod deſtruit, aliquid deſtruit: ergo aliquid deſtruitur, quod non eget probatione.

Vnde deduco primò, vt res ſit corruptibilis, non eſſe opus vt ab intrinſeco habeat partes, aut qualitates mutuo pugnantes: ex qua pugna ei rei ſit intereundum: ſed ſufficere talem rem poſſe ab extrinſeco agente naturali deſtrui. Probatur: quod abſolutè eſt corruptibile naturaliter, non eſt abſolutè incorruptibile naturaliter: quia abſoluta incorruptio dicit negationē corruptionis: ſed, quod ab extrinſeco agente eſt corruptibile naturaliter, eſt abſolutè corruptibile naturaliter, etiam ſi pugna non ſit ab intrinſecis principiis: ergo ea res non eſt abſolutè incorruptibilis naturaliter: minor iam eſt probata. Dices eſſe corruptibile ab extrinſeco: non verò ab intrinſeco. Contra; corruptibile ab extrinſeco, eſt abſolutè corruptibile: quia illi conuenit potentia intereundi: at incorruptio à principio intrinſeco præciſè, non facit rem abſolutè incorruptibilem, quia illi non aufert potentiam intereundi: eſt tamen ſecundum quid: id eſt, non poteſt per illud medium interire. Vt quando homo moritur ex vulnere, moritur abſolutè; quamuis non moriatur ex febri. §. 101.

Secundò deduco, non eſſe contra conceptum rei corruptibilis nunquam corrumpi: quando id contingit ex accidenti, quia non applicatur agens contrarium. Patet: licet ego non morior modò, tamen ſum mortalis etiam pro hoc inſtanti; ergo carentia mortis pro vno inſtanti componitur cum potentia moriendi eodem inſtanti; ergo & nunquam mori componi poteſt cum potētia aliquando moriendi, ob eamdem rationem. §. 102.

Dices ab Ariſtotele affirmari, quod eſt corruptibile, aliquando corruptum iri; alioquin habebit virtutem infinitam ad durandum. Reſpondeo Ariſtotelem malè collegiſſe intelligētiarum virtutem infinitam in mouendo: quia infinito tempore mouent: & infinitam potentiam durandi, quia infinitè duratur. Angeli enim habent potentiam motricem ſimpliciter finitam: infinitam autem ſecundum quid in ordine ad infinitam extēſionem motus: & vt ex virtute producendi quatuor gradus extenſos caloris nō colligitur virtus actiua vt quatuor: quia hæc ex intenſione colligitur, non verò ex extenſione, ita nec ex effectu extenſo infinitè colligitur infinita potentiæ virtus. Durare autem extenſionem dicit comparatam tempori. Item terra in opinione Ariſtotelis, & elementa ab æterno durant, & infinitos attigere effectus, cum tamen non ſint infinita. Item aliquæ partes elementorum conſeruantur à natalitiis mundi; quæ tamen ſecundum ſe ſunt corruptibiles: ergo ſi per accidens ſeruentur ab applicatione agentis contrarij, non corrumpentur; quia non habent vnde oriatur corruptio. Pone terram conſeruari ſolam abſque vllo agente creato. Terra vnde corrumpetur? Cum ipſa non conſtet qualitatibus contrariis; nec aliunde eas poſſit accipere. §. 103.

SVBSECTIO II.

Homo eſt natura ſua mortalis.

TErtiò deduco; hominem eſſe natura ſua abſolutè mortalem. Patet; eſt vis naturalium agen- §. 104.

tium, qua homo ita necatur, vt illi reſiſtere non poſſit:vt quotidiano experimento eſt certum. Nec enim homo, quantumcumque perfecta & ſupernaturali cognitione polleat, reſiſtere poteſt vulneri in corde, aut cerebro accepto: ergo eſt abſolutè mortalis.

§.105. Dices, per peccatum intraſſe mortem in terrarum orbem:& exterminium eſſe à nobis; ergo homo per accidens, & non per ſe eſt mortalis. Aduerte,aliud eſſe mortem:aliud mortalitatem. Mortalitas autem alia proxima; alia remota. Hæc eſt aptitudo, qua humana temperatura ex ſe conſiderata abſque vllo ſupernaturali dono aut prouidentia,poteſt diſſolui.Illa eſt eademmet aptitudo temperaturæ nõ impedita ſpeciali dono; ſed permiſſa legibus naturæ.Vnde cõceſſo antecedenti de morte actuali; quæ inflicta fuit in pœnam peccati; diſtinguo conſequens; eſt mortalis per accidens ratione peccati, quia ob illud amouit Deus ſpecialem prouidentiam,ne moreretur,quam promiſerat niſi peccaret homo, concedo conſequentiam: eſt mortalis per accidens abſolutè, nego conſequentiam.Quia illa ſpecialis prouidentia eſt homini ex ſpeciali dono Dei,nec debita ex natura ſua;ac propterea homo eſt abſolutè mortalis natura ſua.

§.106. Confirmatur: homo,ſecluſa ſpeciali prouidentia Dei, conſtat partibus, quæ viribus naturæ diuelli poſſunt: ſed illarum ſectio necem infert neceſſariò, ergo homo viribus naturæ necari poteſt. Maior eſt certa: nam homo eſt mixtum, vt leo, equus & alia: cuius partes humiditate compactæ neruis, & aliis vinculis colligantur: ſed illi nerui tam facilè, immo facilius diſſecari poſſunt, quàm nerui leonis, aut tauri: prouidentia autem extrinſeca Dei non auferret hoc temperamentum.

§.107. Confirmatur ſecũdò: niſi homo veſceretur fructu ligni vitæ, moreretur naturaliter: ſed potuit naturaliter non veſci; vel quia potuit nolle; vel quia naturaliter ignoraret ligni effectus: vel quia potuit à dæmone, aut fera impediri, ne ad lignum accederet; ergo potuit homo viribus naturæ mori.

§.108. Immo lignum illud viribus naturæ non poterat hominem reddere immunem morte. Nam, qui ei adſcribunt vim naturalem ſeruandi à morte, non accipiunt mortem ab omni cauſa illatam, etiam extrinſeca:ſed illatam ex alimento,& calore inſito depaſcente humidum:quia cenſent fructu eius arboris compenſari potuiſſe quidquid alimento, & calore perditur: ergo ille fructus tantum poterat reſarcire damna cibi, & non alia; ſi enim caput amputaretur,eſſet moriendum.

§.109. Secundò probatur hominem eſſe mortalem ex natura ſua: Nam pendet ab influxu Aſtrorum, qui dominantur in humores naturales omnium animalium: at tanta poteſt eſſe aſtrorum inclementia,vt aërem inficiant peſte,& ſoluant neceſſariam homini temperaturam,cui influxui viribus naturæ non poſſit occurri: ergo. Dices poſſe hominem fugere prouincias, in quas illa aſtra dominentur. Verum incidet in Scyllam: nam poſſunt in alias prouincias dominari alij aſtrorum aſpectus; quibus ibidem interimatur.

§.110. Deinde eſto,ne moriatur ibi aſtrorum vi:at potuit impediri fuga, & non vitari nex:ergo abſolutè homo eſt mortalis. Nam ad hoc ſufficit, viribus naturæ res ita poſſe componi, vt nequeat vitari nex. Idem dixerim de fructu ligni: qui quamuis natura ſua poſſet hominem tueri ab influxu aſtrorum; potuit tamen viribus naturæ non applicari. Ratio à priori; quia homo componitur ex qualitatibus contrarium habentibus ex natura ſua:contraria autem ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt:poſſunt ergo humanæ qualitates expelli.Nam materia hominis capax eſt ignis: & eius accidentia poſſunt vinci virtute ignis; illis autem expulſis,anima auolat,& ignis inducitur.

Vnde miror medicos nonnullos adeo hebetes §.111.
fuiſſe,vt non inuenerint rationem à priori,cur homo intereat, ſed recurrerint ad vnã experientiam & vt rectè contra illos arguunt Peramatus, Valleſius,& Garſia; quæ ſemper eueniunt infallibiliter, naturaliter eueniunt, & non caſu: Nam ſi caſu, poſſet aliquando caſus ille vitari, & vitaretur: ſi enim tot ſæculis non vitaretur, ſignum eſt eum non poſſe vitari, ac propterea non eſſet caſus: ſed lex certa: at nunquam homo immunis eſt morte: ergo illi obnoxius natura ſua; quin effugiat. Rationem ergo pete à certa magnitudine, quam petit, quaque priuari poteſt à qualitatibus contrarium naturale habentibus;quæ remitti vel intendi poſſunt plus iuſto.

SVBSECTIO III.

Nonnulla impugnata de morte hominis ab intrinſeco principio.

PRoclus arbitratus eſt homines emori à princi- §.112.
pio intrinſeco, quia ignorabant, quæ eſſent vtilia, quæ inutilia: ſi autem ea ſcirent, eos putabat immortales fore. Nam Deus illos creauit in optima temperatura; in qua poſſunt tueri: alioquin eſſet improbus Deus, qui fineret deſtrui, quos ipſe feciſſet.Si enim boni ſunt,cur deſtruuntur? Si mali; cur creantur? Simili argumento vſus eſt Simon Magus cõtra B. Petrum aſſerentem cœlum corruptum iri. Eſt tamen ſtultum:tum ad hominem; cur Deus permiſit hominibus ignorantiam, ob quam intereunt? Deinde cum Deus liberè producat creaturas, potens ſine crimine non producere: ita poteſt deſtruere ſine crimine: quia ab illis nihil pendet Deus. Item vnas producit ob alias: finem autem aſſecutus ceſſat à mediis. Tandem ſingula ſapienter produxit ex cuiuſque lege: qua multa ſubijciuntur morti, quia petunt accidentia,& ſubiecta,quibus à perfectiori agenti priuantur: vt quotidie cernitur in plantis, an Deus malus,quia lactucam ſinit æſtate corrumpi?Eſt ergo in homine inſitum principium moriendi.Vnde autem, aut quam ob cauſam mors inferatur; *Hic Rhodus, hic ſaltus.*

Peramatus libr. de temperamentis cap. 15. tres §.113.
ſubijcit cauſas. Prima eſt ignis internus permixtus ſemini, cum quo fœtui communicatur abundè. Semen ergo calore ſuo exſiccat humidum primigenium: quo abſumpto interit animal niſi humido alimentitio reparetur: ſecundam cauſam ait eſſe natiuum calorem exſiccãtem corpus. Tertiam ait eſſe partem terream,quæ nunquam eijcitur,ſed permanet,ac reddit corpus ineptum.

Secunda & tertia ratio nixæ imbecillo ſcipio- §.114.
ni, nempe elementa formaliter in mixto manere: quod impugnandum diſputat. 6. eo tamen admiſſo impugnatur ea ratio: quia ſemen eſt ſubſtantia humida, & calida, licet enim in eam dominetur calor, tamen ſiccitas non dominatur, ſed humiditas, (vt patebit diſput. 2.) ergo non habet virtutem exſiccandi humidum primigenium: patet conſequentia: quia vel exſiccat per ſiccitatem; vel per calorem; non per ſiccitatem, quia in ſemine non viget ea qualitas: nec per calorem, quia calor non eſt principium exſiccandi. Nam humiditas non

non eſt contraria calori: ſed recte componuntur ſumma humiditas & prope ſummus calor, vt patet in aëre ſummè humido, & calido prope ſummè. Quod ſi calorem ſummum non habet aër, non eſt, quia opponitur humiditati: ſed quia nullum elementum habet duas qualitates in gradu ſupremo. Si autem humor & calor opponerentur, non poſſet eſſe ſummus humor cum primo gradu caloris: quid dicam cum tam intenſo?

§. 115. Dices primo; ſemen plus habere ſiccitatis, quàm humiditatis: quia ex illo compinguntur oſſa; quæ ſunt maximè ſicca: per ſiccitatem autem agere in humidum radicale. Contra: ſi ſemen eſſet magis ſiccum quam humidum, eſſet materia inepta ad formationem fœtus: eſt enim genitura ſeptimanis adeo fluxa, vt videatur palpitare huc illuc fluctuās; nec eſt in vno loco conſtans. Cui conuenit definitio humidi: *quod proprijs terminis continetur difficile: alienis verò facile*: vt patet in aqua, & aëre; quæ papyro frænantur: ſe autem difficile. Siccum autem eſt, *quod proprijs terminis continetur facile, alienis verò difficile*. Itaque ſemen facile continetur terminis alienis, quamuis difficile propriis. Cuius argumento eſt, ipſa oſſa non modo in primæua conſtitutione, ſed etiam in pueritia eſſe tam humida, vt ſi frangantur, facillimè ſarciantur: ſecus in viris: ergo ſiccitas eſt illis aduentitia, non inſita à ſemine: alioquin vt in pueris viget calor, ita vigeret ſiccitas: viget autem humiditas.

§. 116. Dices; ſemen eſſe humidum actu, & ſiccum in potentia vt vinum. Contra: quia illa ſiccitas in potentia repugnat cum temperamento ſeminis: quod eſt naturæ præhumidæ, cui humiditas eſt inſita; ergo non poteſt ab illo oriri ſiccitas actualis repugnans cum gradu humiditatis ſemini connaturali: ſed partes ipſæ ex ſemine compactæ, & ipſa materia ſeminis plus exſiccantur actu, quàm humectant temporis decurſu; ergo illa ſiccitas non poteſt oriri à ſemine: quia haberet inſitas duas qualitates, eaſque produceret, per quas interimeretur. Vina ſunt ſicca reſpectiuè: quia per calorem conſumunt humores frigidos, qui communiter ſunt humidi. Ipſa autem non ſunt plus ſicca, quàm componi poſſit cum humiditate inſita. Item vina pugnant etiam cum aliis rebus ſiccis, à quibus vincitur humiditas vinorum: & manet illorum actualis ſiccitas, quæ cum aliarum rerum ſiccitate iuuat ad corpus exſiccandum: at ſemen ipſum exſiccatur plus iuſto; qua ſiccitate ſemen ipſum interit; ergo non oritur ab ipſo, ſed aliunde (vt infra probo.) Ratio à priori; quia ſemen habet alteram partem ſpumoſam & albam: alteram ſpirituoſam. Spumoſa eſt ſanguinea: ſanguis autem humiditate pollet, non ſiccitate actuali, aut potentiali; membra autem compinguntur ex parte ſpumoſa, non verò ex ſpirituoſa; quæ concurrit actiuè, non paſſiuè ad fœtum.

§. 117. Dices ſecundò cum Peramato, calore diſſipari humidum; quia rareſcit, & auolat: non ſecus, ac aqua ſoluitur in vapores aëra petentes, dum ſubiicitur calor. Contra, calor per ſe, & directè non eſt cauſa exſiccationis: nec enecat corpus exſiccando materiam in ſe manentem; ſed per ſe auferendo pabulum: & abigendo materiam. At conſtat mortem naturalem obiri non ob diſſipationem, & defectum materiæ; ſed per exſiccationem; ergo mors non oritur à calore natiuo depaſcente humidum: ſed à principio exſiccante. Probatur minor: quia mors naturalis eſſet fame; hæc autem violenta eſt; quia eſt cum ſtomachi dolore: potius autem contingit mors naturalis: quia membra ſicca non poſſunt cibos coquere, ac diſpenſare. Deinde falſa eſt ea doctrina. Nec enim calor quamcumque materiam leuat in aëra: ſed materiam aqueam, quæ concepto calore in parte minus craſſa, rareſcit, & in aërem facilè commutatur: at in animali longe aliter ſe habet, nam humidum primigenium non leuatur adeo facile: eſt enim ſubſtantia craſſior. Quod hac ratione monſtratur. Si ſemen eſt igneum (vt ais) erit ex ſe rarius & ſubtilius quàm ſanguis: id enim conuenit rebus igneis: quæcumque ergo ſit ea pars calida, neceſſariò eſt ſubtilior partibus humidioribus: ſed adhuc ea pars non auolat, ſed fixa tenetur in corpore; ergo licet in alia materia ſit tantus calor, quantus in ipſa, non propterea eam leuabit. Ignis autem exiſtens in materia tenui eam leuat, & concipit flammam; ſi verò non leuat, eſt per accidens ob denſitatem materiæ: ergo illa pars ignea, eſt quæ abit, & non partes humidæ.

Ait Valleſius, 6. controuerſiarum, cap. 1. calorem non eſſe per ſe cauſam mortis, ſed per accidens, quia pro ſubſtantia humida deperdita ſubrogat aliam minus humidam. Contra: ergo calor, nec per ſe, nec per accidens eſt cauſa mortis: ſed per ſe cauſa vitæ: patet conſequetia: quia defectus humiditatis non oritur ex actione caloris, ſed ex natura alimenti: ergo cauſa mortis aduentitia eſt, non inſita. Patet conſequentia, quia defectus humidi eſt per ſe cauſa mortis; at ille nullo modo eſt effectus caloris: quia hic nec per ſe, nec per accidens exſiccat, vt probaui: ergo ex illo nec per ſe, nec per accidens oritur mors. Calor autem totus negotiatur in acquirenda noua ſubſtantia qualiſcumque occurat: ſi autem occurreret ſatis humida, eam conuerteret in alitum cum tota ſua humiditate. §. 118.

Secundo efficaciter argumentor: à nullo principio intrinſeco oriri mortem. Nam nulla pars corporis natura ſua ad illud per ſe ſpectans, habet accidentia, quibus mortem paret animali: ergo à nullo principio intrinſeco oritur mors: conſequentia non eget probatione. Antecedens patet: omnis pars corporis natiuis qualitatibus per ſe ordinatur ad conſeruationem corporis, & ſui ipſius in ipſo corpore: ergo natiuis qualitatibus non poteſt parare mortem corpori. Patet conſequentia: tum quia intereunte animali interiret neceſſariò ea pars: nihil autem interit natiuis ſuis qualitatibus: ſed potius, quia per exteras amittit ſuas. Qualitas enim potius conſeruat formam, à qua naturaliter dimanat, quam deſtruit: item qualitas, quæ ex natura ſua conſeruat animal, illud non occidit natura ſua, ſed accepto ab extrinſecis principio necis: antecedens autem eſt per ſe notum: pars enim per ſe ex ſua natura petit totum, cum quo perficitur, quæ cum ſit ens incompletum, in toto completur: ergo ex natura ſua refertur ad componendum totum, & illi conferendum eſſe. Ergo ex natiuis principiis partium per ſe, non poteſt oriri nex animalis. Alioquin mors eſſet per ſe intenta ab ipſo animali, quia quod conuenit parti, conuenit compoſito: item quod per ſe oritur, & non per accidens ex principiis innatis, naturale eſt; & non præternaturale, aut violentum. Nam quod per ſe oritur, oritur ex virtute talis rei, vnde eſt maximè à natura, vt natura eſt, ergo nō eſt vi, aut coactè, ſed ſponte: at quis dicat ſponte naturæ, & ex illius inclinatione mortem oriri? cum nihil adeo ſolicitè natura fugiat. §. 119.

Dices primo, compoſitum heterogeneum conſtare partibus abſimilium temperamentorū; quod §. 120.

ſi vna non temperet aliam, orietur mors ex inſita natura cuiuſque partis. Verum communius negatur partem vnam ex ſe habere gradum qualitatis redundantem: ſed ſingulas potiri neceſſario ad ſalutem animalis: alioquin ex inſita natura cordis oriretur mors ſingulis partibus. Itaque ob vim huius ſecundi argumenti, negant medici, & philoſophi intéperiem vllam inſitam partibus. Quod ſi ea ex intemperie ſequeretur per ſe mors, eſſet omnino ab ſcholis ableganda.

§.121. At vero eſt latum diſcrimen. Pars enim debet conſiderari in ordine ad temperamentum, quod exigit ad conſeruationem ſui & animalis, item & in ordine ad compoſitionem,& pugnam cum aliis partibus. Quia enim partes ſunt abſimilis temperaturæ, ideo mutuò pendent, & calida calefacit frigidam:hæc verò infrigidat calidam: omne enim agens agendo repatitur; quia igitur hæc actio reciproca neceſſaria eſt inter partes heterogeneas, vnaquæque poſtulat per ſe gradum aliquem exuberantem, quem amittat in reciproca pugna, quo amiſſo manet cum debito temperamento. Itaque quia ille gradus oritur per ſe ex ſingulis partibus, non ad permanendum cum eo, ſed ad reſiſtendum in mutua pugna: ideo eſt illi innatus ad pugnandum: ac propterea ex inſita natura totius aufertur ille gradus, & ex inſita vnione omnium partium, ſingulæ retinent debitum temperamentum,& totum animal eſt incolume. Si autem non tolleretur ille gradus redundans, eſſet per violentiam quia ex ſe petit ab aliis partibus temperari. Quod ſi non fieret, eſſet per accidens. At verò eſt vis in ſingulis partibus ad conſeruandum debitum temperamentum. Nihil ſimile cernitur in ſententia, quam impugno; adeo enim in illa deſæuit ſemen, aut pars illa ignea, vt ex natura ſua vires acquirat eundo, & ita frangit cæteras partes, vt nulla vi naturali poſſit animal effugere. Ergo ex intrinſecis principiis animalis oritur & vis necans, & imbecillitas reſiſtendi. Ergo tam connaturale & ex inſita natura eſt mors viuẽtium,quàm ipſa vita.Vnde liquido conſtat partem illã igneam à ſe interimi; quia illa per ſe necat animal, à quo pendet: & in ſe recipit immodicam ſiccitatem, qua perit. Quod non minus repugnat quàm ex igne oriri in ipſo frigus, aut humorem: quia natura principium eſt amicarum qualitatum.

§.122. Dices ſecundò, calore innato paulatim abſumi corpus: vt ignis paulatim oleum abſumit, & perit pabulum depaſtus. Reſpondeo primùm, innatum calorem tantum abeſſe ab abigendo pabulo, vt potius ſit principium compingendi carnes, oſſa, & cætera corporis membra: nam ab ipſo fit nutritio: & quo minus eſt caloris, minus corpora augeſcunt. Vt patet in pueris multum augeſcentibus vi multi caloris:& tunc abſumenda erat materia multo facilius, vt patet in flammis ardentioribus,quantumuis pabulum adſit: eſt enim animalis calor in hoc valde abſimilis igneo: hic enim vt purè elementaris, corpus extenuat, vt repetat concauum lunæ, ignis centrum. Animalis autem calor non eſt purè elementaris, nec eius ſubſtantia petit centrum concauum lunæ:nec ita petit extenuari: ſed potius compingi. Alioquin haberet inſitum calorem contra naturam: quia haberet calorem eam rapientem ad locum minimè ipſi naturalem: & mors illi eſſet tam naturalis, quàm ferri in centrum ignis.

§.123. Deinde; ignis non extinguitur ex defectu pabuli: ſed ex vi contrarij ambientis. Etenim ignis in proprio centro non abſumit materiam: nec nouam depaſcitur. Nam ignis calore, & ſiccitate ſibi inſtruit materiam: nec eam conſumit; ſed illi dat raritatem inſitam igni: cum qua raritate ignis non perit natura ſua, ſed maximè conſeruatur. Alioquin eſſet natura ſua ſucceſſiuus, & non permanens: per accidens autem extinguitur ab ambiente, cuius actioni ignea reſiſtentia, quia exigua, ſuccumbit Itaque ignis ab extrinſeco perit, non à ſe. Si enim contraria abeſſent,conſeruaretur ſine nouo pabulo: vt conſeruantur terra, & aqua. Ergo ſimiliter mors non oritur per ſe à calore innato abſumente materiam: ſed à contrario. Nam calor innatus per ſe dat corpori raritatem innatam, & non aliam: quod ſi in illa perit ab ambiente, non eſt ab intrinſeco calore; ſed ab externo frigore. Vt ſi ignem applices aëri; aër non corrumpitur ab innata qualitate;ſed ab extera ignea.

Quo argumento refellitur tertia cauſa à Peramato aſſignata: quia pars terrea natura ſua eſt vtilis: alioquin non eſſet per ſe pars animalis: quid ergo refert illam non expelli? Immo pernicioſa eſſet expulſio,quia auferret partem innatam.Quod ſi accreſcunt partes terræ,& animal exſiccant; iam non eſt mors ab inſita parte; ſed ab aduentitiis excrementis,extrinſeciſque principiis. §.124.

Dices tertio: elementa non eſſe ex ſe partes viuentium:ſed in illas agere, eáſque abſumi ab igne. O Bene! ergo animal non moritur ab intrinſeco principio, ſed ab extrinſeco: quia per te mors obuenit ab elemento ignis: qui per te non eſt pars viuentis: cur autem diuturnitate non vincitur ignis? Nam & in minori copia communicatur quàm aër, & aqua; eſt enim copioſior humiditas: ignis autem facilius vincitur; quia minus reſiſtit: omnino diuinant, qui ita in animali elementa partiuntur. Nam ignis cum aqua immediatè digladians facillimè perimitur: aqua verò non tam facile. Quod ſi animal interit à ciuili elementorum diſſidio: cur lapis non ita interit? Cur eſt homine diuturnior? Nam, quia non reſarcit per alimentum damna illata ab elementis, ideo citius interiret. §.125.

Quod ait Peramatus calorem obiecto pabulo remittere vim circa priorem materiam, & auidius inhiare in pabulum; magis è vulgo aſſeritur, quàm è Philoſophia.Calor enim vehementius agit in materiam proximiorem, magiſq; diſpoſitam, vt aliæ cauſæ; ſed humidum primigenium coniunctius eſt inſito calori, quàm pabulum; quia illud eſt immediatè vnitum, & erat prius in loco propinquo: pabulum autem non eſt vnitum, & ſuperuenit occupato iam loco ab humido, ergo prius aget in humidum, illudque abſumet, quàm in pabulum. Deinde calor æquè agit in plura ſubiecta ac in vnum; ſi applicentur: nam ad focum æquè calefiunt octo homines, ac vnus: ſi quando autem abundantiori materia retunditur eius vis, non eſt, quia eſt multa: ſed quia illi nimium coniuncta, illum opprimit, & interdicit ventilatione. Ergo obiectum pabulum non retardat impetus caloris in materiam priorem. §.126.

SVBSECTIO IV.

Cauſa necis humanæ.

CAlor conſideratur vt eſt naturalis; item vt præternaturalis: quia conſtituitur à principio extrinſeco in aliquo gradu repugnante ſaluti animalis. Opinor ergo à calore inſito, & naturali non eſſe animalium necem, ſed à calore extero, §.127.

aut

aut aliis qualitatibus: nempe ab alimentis, & ambiētibus. Quam doctrinam ex Galeno docet Franciſcus Valleſius lib. 6. controuerſiarum cap. 1. calorem non agere in humidum. ita ſequitur Petrus Garſia, vt oppoſitam dicat improbabilem: in fen. 1. diſput. 18. cap. 6. num. 7. cap. autem 9. §. *Sed oportet*, docet animal non corrumpi à contrariis quibus conſtat in gradu innato, & naturali. Nam hæc potius conſeruant naturam: in quo ſenſu bene explicat nonnulla teſtimonia Ariſtotelis, & S. Thomæ, aſſerentium hominem corrumpi à principiis quibus conſtat: nempe ab illis principiis in gradu non connaturali. Homo enim frigida, & calida parte componitur: cum perit frigore, perit à qualitate indiuidua, quam habet: ſed ratione gradus præternaturalis. In quo ſenſu accipio authores oppoſitos. Nam gradus naturales non deſtruunt alios etiam naturales, quia ſunt maximè amici, & conſpirant ad tuendam vitam animalis.

§. 128. Præmitto doctrinam S. Thomæ, 1. p. quæſt. 119. art. 1. ad tertium, humidum radicale eſſe partes, quas in prima conſtitutione parentes dant fætui: quæ neceſſariȩ ſunt ad hominis animam excipiendam: vt caput, manus, &c. Humidum ergo radicale non eſt aliquid non informatum anima rationali: ſed eſt vera hominis pars: nec item eſt certa aliqua pars humida, quam depaſcatur innatus calor exiſtens in alia: ſed eſt tota materia fætus, quæ in prima formatione compingitur. *Radicale* vocatur: quia eſt radix, à qua incipit arbor: fundamentum, & baſis, cui innixa corporis humani ſtructura: inde enim per nutritionem attollitur ȩdificij moles. Nam partes ipſæ inſitis qualitatibus cum ope vteri ſe augent, & excreſcunt. *Humidum* autem dicitur: quia humiditas in totum corpuſculum dominatur. Quod totum conſtruitur ſpumoſa, ſiue ſanguinea materia ſeminis, item ſanguine materno: ſanguis autem in paruo mundo reſpondet aëri mundiali: Quod elementum eſt natura ſua calidum prope ſummum, humidum autem ſummè. Pueri autem nō ſunt tam calidi, quàm humidi: at valde calidi, & humidiſſimi. Non enim modo è ſanguine compacti, verum & in vtero aliti ipſo materno ſanguine paululum alterato. Quam ob rem eorum carnes cereæ: oſſa verò faciliora fractu, raphano. Et quidem expedit illa temperatura formandis, & augendis corporibus: etenim materia ſicca & dura plurimum reſiſtit actioni, nec ſe flectit, nec cedit niſi vi mallei, & incudis. Item pueri aluntur cibo humido, lacte, pulmento, & ſimilibus: ſunt enim inepti duro, aut ſolidiori cibo. Dum ergo durat humiditas iſta corporis dicitur durare humidum radicale: cum verò corpus ſenſim ſiccatur, tunc redditur durius, & acrius: tandiu autem ſiccatur, vt membra ſint inepta ſuo muneri: nec enim ſanguis tam abunde conficitur: nec pulmones tam facilè cientur nec materia cedit vt ſpiritus fiant, tandem aliquando ſiccitate & frigore ſoluitur animal: & perit nobile illud naturæ opus: ob quod corpora effecta.

§. 129. Duplex humiditas ręperitur: altera aquea: hæc eſt flaccida, putredinis mater. Nulla enim corpora putreſcunt niſi per humiditatem. Aër ſæpe inficitur, & indiget ventilabro. Aqua in paludibus fætore torquet nares; excrementa humida cruciant pædore, præſertim vrina diuturna. E contra verò corpora ſicca ſunt immunia putredine: ſal ipſe, dum ſiccitate viget, non modo incorruptus, verum nec carnes patitur corrumpi: terra numquam nares offendit dum non combibit humorem: ignis autem numquam illis negotium faceſſiuit. Hinc oritur recrementitia intra corpus putredo: quia calor in excrementa humida inuectus, ea facit inuiſa naribus. Vnde ortum prouerbium, *calorem, & humiditatem eſſe principa corruptionis.* Alia autem eſt humiditas craſſa, pinguis, ſubſtantialis (vt ita dicam) hæc tantum abeſt à corporibus putrefaciendis, vt illa cum calore corpora foueat, ac nutriat. Exemplo ſunt ignis, aqua, & oleum. Quantum ignis ab aqua abhorret! At quam ſuauiter lambit oleum, ſugit, & in ſe conuertit! nonne humida aqua? & oleum humidum? fateor, aqua verò humiditate flaccida, inepta nutritioni, inimica vitæ animalium: nam quæ veſcuntur oleribus, & humido paſtu, fungus ſunt non viuentia. At oleum craſſum, ac pingue. Talis eſt humiditas humana.

Animal ita conſtitutum indiget cremento per additionem materiæ, quam ſibi vniat, & informet: illi ſuppetunt vires nutrices, quibus alimentum trahat, mandat, ſugat, diſpenſet, & vniat. Quo alimento auctum corpus robuſtius eſt ad fungendam vitam. Prouidit ergo natura tantam humiditatis copiam, quanta opus eſſet huic augmento. Hinc autem oritur animali nex. Nam, vt docet Beatus Thomas 1. part. quæſtione 119. art. 1. ad 4. Vis actiua hominis agendo debilitatur, quia repatitur ab alimento. Cum ergo alimentum ſit abſimilium qualitatum, reciprocè pugnat cum temperamento animalis: in qua pugna vincitur alimentum primis ætatibus: at quotidie frangit animal. Nam in illud iaculatur qualitates, quibus ſenſim illud occidit. Nam alimenta præcalida inflammant corpus plus iuſto: ſiti autem excitata potatur aqua, cuius flaccida humiditas corpus permeans, & in medullas ſe inſinuans, illud putrefacit, flegmata gignit, frigeſacit vires. Humida alimenta non ſunt adeo craſſa, & pinguia vt ſubrogent tam bonam ſubſtantiam, quàm abripiunt. Sicca verò nos enecant. Eſtque aër ambiens perpetuo ſicarius, in nos deſæuiens; artus deſiccans. §. 130.

Adde ab expultrice non abigi recrementa, quin partes linquant oblitas: Nam flegmata tenaciter hærent ſtomacho: ſubſtantia mucoſa non deiicitur: nec aër ita verrit cor, & arterias, quin puluis fauillarum, fumi, & fuliginum effugiat ventum. Immo cum multa recrementa ſint mucoſa, viſcoſa, & humida, non poſſunt ita auelli: præſertim cum ſunt materiæ tenuis, cui non poteſt impetus imprimi ab aëre. Hæc autem excrementa non ſecus extinguũt animal, ac ignem aqua. Quod comperimus in igne, qui ſuffocatur fauillis, cinere, & fuligine. Item fæces inteſtinaceæ fœtidis humoribus, ac putridis totum corpus inficiunt, quibus cauſis neceſſario intereundum. §. 131.

Obiicis primo: ergo conſtitutum animal in ætate ſubſiſtenti, in qua non egeat augmento, conſeruabitur perpetuo: quia non eget alimento. Nego conſequentiam: quia nec in illo ſtatu tuebitur valetudinem, quam ambiens demolitur. Eget ergo pabulo humectante, & calefaciente, alioquin paulatim abſumetur. Deinde, inter alimentum & alitum eſt aſſidua pugna: in qua reſoluuntur partes alimenti, & animalis: vt inter ignem & aquam reſoluuntur aliquæ partes prius quàm alterum conuertat in ſe alterum: Nam antequam alterum perfectè inſtruat ſuis accidentibus materiam alterius, cuiuſque partes extenuantur, diuelluntur facile, & concipiunt formam aliorum mixtorum, vt ignis prius efficit fumum, & alios vapores excitat §. 132.

excitat: ita ſenſim mutua actione reſoluuntur partes corporis in ſudorem, & alia recrementa: quæ non abiguntur è corpore: eorumque defectus oportet ſuppleri partibus alimenti in animal conuerſis. Item egetur ſpiritibus vitalibus, quibus foueatur totum corpus ad ſe nutriendum. Hi autem facile diſſipantur ab ambiente, nec ſine nouo alimento poſſunt alij ſuppetere. Vnde immerito Valleſius dixit ſupra, per alimentum non ſatis mutari inſitum temperamentum, & accipere diſpoſitiones facile reparabiles.

§. 133. Obiicis ſecundo, totum alimentum poſſe conuerti in alitum: tunc autem nulla erunt recrementa. Primum ita non contingere patet ex teſtimonio Chriſti, aſſerentis cibo intrante per os non coinquinari hominem, quia in ventrem vadit, & per ſeceſſum emittitur. At non emittitur totum, ſed pars materiæ alimenti, quæ non potuit ſatis coqui: ſi vero aliquod alimentum conuerteretur omnino in hominem, non emitteretur per ſeceſſum omne quod per os intrat, eſſetque vera hæc propoſitio. *Aliquid quod per os intrat, non emittitur per ſeceſſum:* quod contradicit huic Chriſtianæ ex Matth. 15. 16. *Omne, quod per os intrat, in ventrem vadit, & per ſeceſſum emittitur.*

§. 134. Secundò. Reſpondeo omne alimentum habere etiam in ſe qualitates contrarias, quia eſt mixtum; illæ autem non ſunt ſemper in eodem gradu in ſingulis partibus. Si autem partes eſſent ſimiles: anne conuerterentur omnes? Affirmat Petrus Garſia diſput. 18. cap. 10. quia ab agente ſimile paſſum cur obueniet defectus conuerſionis? debet enim eſſe ex alterutro capite defectus. Non placet, tum quia non ſatis oſtenditur diſſimilitudo in quauis alimenti parte. Eſt enim admodum veriſimile minutula æquè eſſe temperata in ſingulis partibus: at non eſt veriſimile aliquid intrare per os, quod non emittatur per ſeceſſum, quia non eſt veriſimile, Chriſtum fuiſſe deceptum: ergo ex quouis alimento ſuperflua eiiciuntur.

§. 135. Ratione item impugno Garſiam: primò, quia quoduis alimentum habet poros, intra quos continentur aërei, terrei, aqueique vapores: qui ſunt abſimilium qualitatum ab alimentitiis. Hi vapores, & corpuſcula poros replentia impediunt alimentum diſponi: tum quia inter animalis partem & partes alimenti interiiciuntur, & per ea corpuſcula non continuatur diſpoſitio tam perfectè quàm per cibi partes, facta ergo vltima diſpoſitione in parte propinqua, non fit tam cito in remotiori, interim vapores interiecti minuunt ſubſtantiam animalis, & impediunt aliquas partes conuerti: ex quibus & ipſis vaporibus fiunt excrementa. Secundò, quia tametſi nulli eſſent pori; adhuc pars aliqua diſtat plus à parte animalis, quàm alia: & quamuis animal vltimo diſponat aliquas, tamen aliæ cum iiſdem qualitatibus reſiſtunt magis quàm coniunctiores: quia verò animal ab ipſo alimento aliquid repatitur, non diſponit partes remotiores, in quas circumſtantias agentia inducunt ſuas formas. Et quod quotidie cernitur in repletione, ſenſim fit in continua nutritione.

§. 136. Tertiò. Reſpondeo, tametſi nulla fierent recrementa, adhuc alimento necaretur animal: non enim poſt pugnam manet tam robuſtum, quia etiam in alimento conuerſo manent multæ qualitates ipſius alimenti, contrariæ temperamento animalis: qui enim lactucis veſcitur, humidior eſt, quam qui amygdalis.

§. 137. Obiicis tertiò, ergo ſi pro ſubſtantia deperdita ſubrogaretur alia tam bona, non fieret corruptio ab alimento: hoc autem non repugnat. Namque Beatus Thomas, Strabus, & nonnulli alij patres, quibus ſubſcribunt Patres Conimbricenſes, & Pereira cenſent fructum ligni vitæ inſita & naturali virtute habuiſſe vim conſeruandi ſalutem: quia tam perfectæ qualitates ſubrogarentur, quàm amitterentur. Probatque Pater Pereira, quia poſt peccatum eiectus fuit Adam de Paradiſo, ne veſceretur de ligno vitæ; quod ſi lignum eam virtutem non haberet niſi miraculosè, quid referret Adamum veſci eius fructibus? non enim aſſequeretur immortalitatem, ſubtrahente Deo miracula.

Hæc ratio non vrget. Nam Deus potuit eſſe paratus ad miraculum illud in quocumque veſcente de arbore vitæ, quamuis eſſet in peccato: vt decreuit ſupernaturalem characterem imprimere in baptizato cum obice: & ſupernaturalem transſubſtantiationem per Sacerdotem peccatorem. Illi enim effectus non pugnant ex natura ſua cum peccato, vt pugnat iuſtificatio. Item, licet nihil profecturus fuiſſet fructus miraculosè, at eſſet ex natura ſua optimus, quem interdixit Adamo in pœnam peccati. Quia verò homo multum allicitur ſenſibus, voluit etiam Deus ſenſenſibili exilio, & priuatione ligni illi explicare carentiam ſupernaturalis prouidentiæ, qua erat à morte vendicandus niſi peccaſſet: vt per ſenſilia ſigna oſtendit Deus gratiam, qua iuſtificat homines. §. 138.

Opinor nulla naturali ſubſtantia poſſe hominem ali, quin ab ipſa paulatim necetur: Nam illa ſubſtantia erat conuertenda in animal, ergo erat corrumpenda virtute animalis: ergo habet qualitates, à quibus in conſeruatione pendet, contrarias qualitatibus animalis: ergo ſicut ſubſtantia illa potuit corrumpi ab animali per qualitates, ita eadem poteſt corrumpere animal, in illud immittens ſuas qualitates. Duo enim contraria mutuo pugnantia, ſe mutuo obtruncant, atque è ſubiecto depellunt. Nam à ſubſtantia maneret in animali qualitas contraria, quæ iuuaretur, cum poſtea cibus iterum ſumeretur: quod ſi multum cibi adhiberetur, vires opprimerentur, non reficerentur: vt modo in conſuetis alimentis cernitur. Nec illa qualitas abigeretur per illas qualitates à cibo acceptas: nulla enim innata illi cibo poteſt eſſe repugnans cum aliis in gradu connaturali: & quémadmodum pharmaca, licet corpus reficiant, tamen in illud agunt & ſenſim corrumpunt, ita & cibus alius. §. 139.

Video ciborum temperiem multum iuuare ad longiorem valetudinem; è quibus fuit ille paradiſi: at verò æternam nullus præſtat. Adde cibum illum poroſum fore, & vapores interiectos impedituros totalem conuerſionem. Illo non potuiſſe hominem vitare mortem, ſed diu trahere vitam, docet Scotus: eius virtutem non fuiſſe naturalem, ſed ſupernaturalem, docent Beatus Bonauent. Caietanus, Beda, & alij, maximè B. Auguſtinus, libro 13. de ciuitate capite 20. agens enim de effectu eius ligni ait. *Mirabili Dei gratia præſtabatur.* Agens autem de eo cibo & cæteris alimentis ait: *cætera eſſent alimento, illud Sacramento.* Itaque conſeruaret vitam lignum illud vſque ad tranſlationem in futuram: non tamen natura ſua ſed Dei gratia, vt eſſet Sacramentum aliquid ſupernaturale ſignificans. Sanctus Thomas nuſquam docuit oppoſitum. Miror Patrem Molinam de opere ſex dierum diſput. 26. prope finem, huic opinioni inuſſiſſe notam improbabilitatis. §. 140.

SVB

SVBSECTIO V.

An ſit mors naturalis abſque morbo?

§.141. IAm dixi ſect.8. §.87. corruptionem, tametſi ſit violenta termino corrupto, quia eſt contra innatum appetitum eſſendi, quem habent res exiſtentes: multis tamen modis eſſe naturalem. Ita quæuis mors eſt violenta animali: quod natura ſua eſt viuens: vitæ autem violenta eſt mors: nempe *à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim*, id eſt, reluctante per appetitum viuendi, ad quem finem perpetuo operatur, dum eſt. In hoc ſenſu nulla eſt mors naturalis. Tamen Ariſtoteles, & cum eo medici diſtinguunt mortem naturalem à violenta. Hæc infertur *ex aliquo accidenti, non ſecuto per ſe ex curſu rerum, & conſtitutione animalis:* vt mors ex vulnere, aut ex cibo ignorato, aut veneno. Sine quibus caſibus intelligeretur lex naturalis animalium. Naturalem intelligo, *quæ per ſe oritur ex communi lege animalis: quod paulatim ſeneſcit, & interit, deficiente intrinſeco principio vitæ ex reciproca alimenti actione*, & quemadmodum alimentum eſt naturaliter neceſſarium ex conſtitutione animalis: & hoc alimentum naturaliter reagit in animal: ita hæc mors vocatur *naturalis*.

§.142. Opinor poſſe ex ſe hominem obire diem naturalem abſque morbo, vt à medicis definitur morbus, equidem *ſenectus ipſa eſt morbus*, quia eſt temperamentum ſiccum, & frigidum: quæ duæ qualitates iugulant hominem. At præter defectum hunc, non eſſe neceſſarium morbum, qui homini appingat qualitatem intemperatam non connaturalem illi ætati, ſed accidentariam, & noxiam: inde probo. Si abſit omne per accidens male temperans ſenectutem, tandem extinguetur naturalis calor, tunc autem neceſſario moritur homo: ergo ad mortem naturalem non eſt neceſſarius morbus. Minor eſt certa. Probatur maior: tametſi abſint agentia per accidens, tamen alimentum ſuis qualitatibus agit in hominem, quibus ſenſim remittit vires: ergo tandiu alimentum franget hominem, vt non poſſit illud coquere: ſed cedat virtuti alimenti. Nam ſi vires robuſtas frangunt alimentum & ambiens ſine agente alio, aut caſu per accidens: ergo vires iam ſeniles, & fractæ, multo melius frangentur ab iiſdem principiis, ſine caſu per accidens. Doctrinam hanc docet P. Suarez tom. 1. in 3. p. diſputat. 32. ſect. 2. paulo ante finem.

§.143. Cui ſit obuius Petrus Garſia diſput. 18. cap. 2. num.7. Nam morbus eſt *à principio extrinſeco diſponente materiam ad corruptionem*, ſed illa diſpoſitio non eſt à natura: quia hæc non diſponit ad corruptionem ſui; ergo eſt præter naturam, ætas autem non eſt præter naturam, ſed iuxta illam: ergo ex ſola natura ætatis non poteſt materia diſponi ad corruptionem animalis. Diſtinguo maiorem, à principio extrinſeco agente per accidens in ætate, concedo maiorem; agente non per accidens, ſed iuxta leges ætatis, nego maiorem: talis enim læſio non eſt morbus medicus: quamuis in rigore omnis intemperies eſt morbus, ſed quia hæc oritur ex lege ætatum, non vocatur ſpecialiter morbus: at, vt dixi ex Tullio, *ſenectus ipſa eſt morbus.* Diſtinguo item minorem, non eſt effectiuè ab ipſa natura animalis, vt conſtituta cum debito temperamento, concedo minorem: iam enim probaui nihil interire ſuo temperamento: non eſt à natura paſſiuè, & actiuè ex lege communi naturę ſine euentu per accidens, nego minorem: id enim in præſenti voco *naturale*. Ad probationem diſtinguo de ætatibus: ætas perfecta & ſubſiſtens eſt ex natura animalis, concedo: quia tota propenſio animalis eſt ad ſubſiſtentem ætatem, in qua viget, floret, ac tripudiat: ætas ægra frigore & ſiccitate eſt à natura ex inclinatione animalis, & eius principiis, nego: nam ſenectus tam eſt illi violenta, quam cæteri morbi, vt præmiſi: eſt iuxta naturam, id eſt, non per accidens, ſed iuxta leges agentium & reagentium, qualia ſunt animal, & alimentum, concedo. In quo ſenſu diſpoſitio ad corruptionem eſt naturalis, nec eſt morbus medicus.

§.144. Addit Garſia, hunc morbum contingere: quia cor non poteſt abigere calidas fuligines, propter imbecillam reſpirationem: & eo calore ſuffocari cor. Duo diſplicent: alterum, hoc vocari morbum. Nam tam id ſequitur per ſe ex ætate decrepita, quàm calorem eſſe remiſſum. Nam defectus virium in ea ætate eſt connaturalis: ex hoc defectu naturaliter ſequitur per ſe, & non per accidens imbecilla reſpiratio: ex hac ſequitur per ſe ſuffocatio, & mors: ergo mors tam eſt à natura, quàm decrepita. Alterum, quod diſplicet, eſt, cor ſuffocari calore fuliginum: nam cor eſt ſenex ob defectum caloris, ſi ergo foueretur fuliginibus, & incaleſceret, vires acciperet, & reuiuiſceret. Nam emoritur frigore: quia ipſum eſt à natura præcalidum. Ventilatio autem fuliginum exigitur à corde: qua ætate ab illis incaleſceret vltra iuſtum gradum: cum ergo illum amiſerit ſenio, in illum reſtitueretur per fuligines: quæ ſi calore nocent, eſt in ætate calidiſſima, non verò in frigidiſſima.

§.145. Ad hæc, ſi fuligines cor occidunt, frigore occidunt, non calore. Ait enim Galenus, lib. de vtilitate reſpirationis cap. 3. *Fauilla enim, fumus, & fuligo, & omnis eiuſmodi vſtæ materiæ ſuperfluitas, nihilo minus quàm aqua ignem, extinguere conſueuit.* Fuligo enim comparatur cordi vt aqua igni: & eadem ratione illud extinguit. Ne autem ſit explicationi locus, audi Galenum lib. 1. de difficultate reſpirationis, cap. 20. *Quæ enim fumoſa, & fuliginoſa, & fauilloſa recrementa appellamus in caliditatis genere, omnia terrea ſunt, & velut ſemicocta cum naturali calore.*

§.146. Vnde argumentor: illa recrementa ſunt terrea comparata cordi igneo: ergo comparata illi ſunt frigida: ergo etiam in ſenio ſunt frigida comparata cordi. Rationem ex Galeno ſumo: quia ea recrementa ſunt ſemicocta, id eſt, non perfectè: nam ſi perfectè coquerentur, flammas conciperent, vt ait Galenus ſupra, ergo non aſſequuntur gradum caloris perfectè coquentem, quem tamen aſſequitur cor. Ergo ob defectum caloris fiunt, ergo ex frigiditate: quia gradus caloris non potuit pellere frigiditatem. Cor itaque tam in iuuenta, quàm in ſenecta fuligines optat ventilari, quia ab illis friget.

DISPVTATIO II.

De cauſis, & ordine generationis.

§. 1. DE ſubiecto generationis egi diſputatione 11. Phyſicorum acturus etiam diſput. 16. Metaphyſic. De cauſa efficiente actum eſt diſputat. 9. Phyſicorum. De exemplari agitur diſputatione 11. de anima, ſectione 3. De finali ibidem diſputat. 13. Expedienda ergo, quæ ſunt huic inſtituto propria.

SECTIO

SECTIO I.

Vtrum accidentia ſint cauſa diſponens ad generationem?

§. 2. SErmo eſt de accidentibus, quæ exiſtunt in materia, & de diſpoſitione materiali: qua materia inſtruitur ad excipiendam formam. Redeundum ad perſeuerantiam eiuſdem numero accidentis in genito & corrupto. Doctrina enim poſita diſputat. 1. ſect. 5. ex doctrina huius ſectionis vires acquirit. Nam oſtendi diſputat. 8. Phyſic. ſect. 7. ea quæ ſunt prius natura in aliquo inſtanti reali, ſimul eſſe realiter in eodem inſtanti, hic autem probandum eſt accidentia præeuntia in corrupto, eſſe priora natura in inſtanti reali generationis, ergo rectè concludetur manere in genito eadem accidentia corrupti.

SVBSECTIO I.

Oſtenditur prioritas accidentium in commune.

§. 3. SAnctus Thom. Opuſc. 32. cap. 2. & 7. & 1. de Gen. lect. 10. docuit non manere actu in genito accidentia, quæ fuerant in corrupto, quia verò animaduertit oppoſitam ſententiam aptiorem eſſe difficultatibus Theologicis expediendis, mutauit priorem locis adductis diſput. 1. §. 61. quibus adde teſtimonium in 4. diſt. 49. quæſt. 2. art. 6. corp. iis verbis: *Forma non coniungitur perfectibili, niſi quando perfectibile habet diſpoſitiones, quibus efficitur ſuſceptiuum talis formæ, ſicut corpus non vnitur animæ, niſi quando in corpore ſunt diſpoſitiones conuenientes ad animam ſuſcipiendam:* vbi obſerua ex S. Thoma, non vniri formam, niſi in inſtanti, in quo ſunt accidentia diſponentia ad formam: vt indicant illa verba, *niſi quando*; ſed ſi tunc non ſunt accidentia, falſa eſſet illa propoſitio. *Non vnitur niſi quando:* quia, quando vniretur, non eſſent accidentia, ergo. Confirmatur: S. Thomas eo exemplo probat diuinam eſſentiam non vniri cum intellectu creato per modum formæ intelligibilis, niſi illè ſit eleuatus, & diſpoſitus per lumen gloriæ, ſed illa coniunctio eſſentiæ requirit lumen eodem inſtanti reali, quo vnitur per modum formæ intelligibilis, cuius parum refert toto tempore præcedenti præiuiſſe lumen, niſi in eo inſtanti perſeueraſſet, ergo S. Thomas cenſet perſeuerare diſpoſitiones in inſtanti generationis, alioquin adduxiſſet è phyſicis exemplum ineptum. Nam ad probandam vnionem eſſentiæ diuinæ per modum formæ intelligibilis nõ niſi in eodem inſtanti, in quo eſt eleuata per lumen, adduxiſſet vnionem formæ phyſicæ, quæ non vnitur niſi corruptis diſpoſitionibus eodem inſtanti, quo vnitur: quid magis abſimile ſuo ſcopo poſſet adducere?

§. 4. Dices, à S. Thom. agi de diſpoſitionibus conſequentibus formam. Contra primò, quia S. Thom. pluribus in locis à me adductis, & indicatis à Bergomenſi, verbo, *Diſpoſitio*, ait diſpoſitionem præcedere formam, & eam ait manere, ergo de præcedente loquitur, non de ſequente. Secundo, exemplum eſſet etiam abs re. Eo enim confirmat S. Thomas debere eſſe prius lumen quàm vnionem eſſentiæ, non verò è contra vnionem priorem lumine. Subiicit enim. *Vnde oportet ad hoc, quod intellectus vniatur eſſentiæ diuinæ modo prædicto, quod ſit in eo aliquid per modum diſpoſitionis præparans ipſum ad vnionem prædictam. Præparare* autem eſt *antecedenter parare:* nam quæ ſequuntur formam, non præparant ad illam, ſed potius forma ad ipſa. Probat autem eam præparationem ex præparatione formæ phyſicæ, cum enim de illa egiſſet, concludit, *vnde, &c.* Ideſt, hinc colligitur ſimilis præparatio. Nec intelligitur de mutua cauſalitate, quia etiam exemplum eſſet abs re: quia illa non admittitur inter lumen & vnionem: nec de illa cogitauit S. Thom. locis adductis. Fateantur ergo aduerſarij cum S. Thom. manere eadem accidentia in genito, & corrupto.

Ex hac doctrina S. Thom. probo, accidentia, quæ præparant ſubiectum ad generationem, eſſe diſpoſitiones antecedentes ad generationem in eodem inſtanti, quo fit. Hæc concluſio adeo eſt manifeſta, vt iidem qui vel negant manere accidentia corrupti, vel negant eorum prioritatem realem, fateantur accidentia eſſe aliquo modo priora generatione, vt P. Conimb. cap. 4. q. 18. art. 3. concluſione 2. & Caiet. 1. p. quæſt. 76. art. 6. §. *in reſponſione ad primum.* Id colligi ex hac S. Tho. doctrina patet: tum, quia ait; per diſpoſitiones fieri ſubiectum ſuſceptiuum formæ in eo inſtanti, in quo vnitur forma: ſed prius natura eſt ſubiectum eſſe ſuceptiuum formæ, quàm eam actu ſuſcipere. ergo illæ diſpoſitiones ſunt priores natura, quàm generatio. Probatur minor, quia prius natura eſt potentia in actu proximo, quàm actualis cauſalitas, nam ea quæ pertinent ad rationem potentiæ tam remotæ quàm proximæ, ſunt ratio, ob quam illa potentia exercetur: vt patet in igne, qui prius, quàm operetur in ligno, intelligitur habere calorem, per quem eſt proximè actiuus: & applicationem ad lignum, quod explicatur hac propoſitione cauſali: *quia materia eſt apta ad ſuſceptionem formæ, eam ſuſcipit:* vt in hac, *quia ignis habet applicatum calorem ligno, illud calefacit.* Hæc autem ſunt falſæ: *quia materia ſuſcipit formam, ideo eſt apta ad illam ſuſcipiendam. Quia ignis calefacit, ideo eſt applicatus.* Nam ſicut calefactio nõ applicat ignem, ſed oritur ab igne iam applicato, ita ſuſceptio actualis non dat materiæ aptitudinem, ſed fit ex materia iam apta. Secundo probatur ex eodem S. Thom. qui ait, lumine præparari intellectum ad vnionem diuinæ eſſentiæ per modum formæ intelligibilis, ſicut diſpoſitionibus præparatur corpus ad animam: ſed lumen eſt præparatio natura prior quàm vnio eſſentiæ: quia eſſentia vnitur in ratione ſpeciei intelligibilis; vnio autem hæc eſt inter obiectum, & potentiam; vnde prior eſt potentia, quàm talis vnio: ergo in ſententia S. Thomæ diſpoſitio ad formam prior eſt natura, quàm ipſa forma. §. 5.

Caieta. eo artic. 6. ait, accidentia eſſe priora, quàm formam, ordine naturæ non reali, ſed per intellectum: hoc autem in ordine ad conceptus formæ ſpecificos, non verò ad conceptum formæ vt ſic; quia materia non eget diſpoſitione ad formam: ſed ad talem. Confirmari poteſt ex eodem S. Thoma eo art. 6. aſſerente, *impoſſibile eſt intelligere materiam prius eſſe calidam, vel quantam, quam eſſe in actu, eſſe autem in actu habet per formam ſubſtantialem, quæ facit eſſe ſimpliciter, vnde impoſſibile eſt, quod quæcumque diſpoſitiones accidentales præexiſtant in materia ante formam ſubſtantialem.* §. 6.

Reſpondeo à S. Thoma agi de exiſtentia materiæ, non ſimpliciter in ſuo eſſe, ſed in compoſito. Vnde eius ratio probat diſpoſitiones accidentales non poſſe eſſe prius intentas, ſiue priores ordine intentionis, quam eſſe compoſiti, nec eſſe formæ: qua conſtituitur illud eſſe. Ait enim §. 7.

illud,

illud, quod eſt primum in ordine actuum intelligi prius eſſe, quod falſum eſt de prioritate executionis. Nam diſpoſitio præcedens in gradu remiſſo eſt actus materiæ, & tamē prius intelligitur, etiam tempore, quàm actus principalis, ad quem diſponit: Item primum in intentione eſt vltimum in executione, quia per media, via munitur ad illud. Eſt autem ea propoſitio vera de prioritate intentionis, quia finis agenti eſt forma ſubſtantialis, ad quam prius mittit accidentarias diſpoſitiones, quia per eas itur ad finem. Quod contingit in omni fine, quem adipiſcimur per media.

§. 8. Redeo in Caietanum diſtinguentem prioritatem naturæ realem à prioritate naturæ per Intellectum. Diſput.8.Phyſ.ſect.*6.* oſtendi ex B.Baſilio, in prioritate naturæ duo reperiri, alterum reale: nempe vim cauſandi, quæ verè eſt in re, quæ eſt prior: alterum rationis, nempe cōceptum exiſtentis cauſæ, quin concipiatur effectus exiſtens. Quod ſolum eſt per intellectum. Si igitur Caiet. admittit accidentia eſſe cauſam, ob quam, ſiue ex qua ſequitur forma, & concipitur illa cauſa exiſtens, quin concipiatur forma: dat totā prioritatem naturæ, quam intendimus. Si autem negat generationem ſequi ex illis diſpoſitionibus, & concedit illas concipi prius, quàm formam, nullam dat prioritatem naturæ, ſed tantum rationis. Nec huic eſt fundamentum, niſi admittatur cauſalitas accidentium in formam. Nam illa prioritas eſt cum fundamento in re: eſt enim rationis ratiocinatæ: ſed fundamentum eſt dependentia quam habet forma, vt ſequatur ex accidentibus. Alioquin, cum forma ſit cauſa accidentium, & nullo modo effectus ab illis pendens niſi à poſteriori, non poſſunt accidentia concipi, vt priora, ſed vt poſteriora: vt dixit B. Thom. eo art. *6.* cum enim admittat prius ratione gradum ſubſtantiæ, quàm gradum corporis (quia gradus inferior pendet in cognitione à cognitione ſuperioris & non è contra, vt dixi diſp.8.Phyſ. ſect. *6.* & *7.*) admittit accidentia propria ſubſtantiæ priora conceptu corporis: accidentia verò corporis poſteriora ipſo corpore.

§. 9. Et quidem Caietanus non negat dependentiam formæ ab accidentibus, ait enim formam illis indigere, non ad conceptum formæ vt ſic, ſed ad conceptum ſpecificum, indigentia autem ad illum eſt dependentia à priori, nam à poſteriori, nec fundat prioritatem, ſed poſterioritatem rationis, & omnis gradus formæ habet accidentia ſibi conſequentia, vt retuli ex B. Thom. Hinc autem Caietanum impugno: quia conceptus ſpecificus formæ & genericus habent realiter eamdem dependentiam & independentiam; quia illi ſunt idem à parte rei, & quod vni conuenit realiter, conuenit realiter alteri (licet formaliter non conueniat, & reduplicatiuè) quidquid enim eſt in actu vitali, pendet re ipſa ab intellectu, licet non reduplicatiuè: ſed per te gradus ſpecificus indiget re ipſa diſpoſitione, ergo & genericus.

§. 10. Adde chymæricam eſſe eam neceſſitatem ad vnum gradum, & non ad alium. Nam ad formam vt ſic eget materia diſpoſitionibus in communi: ad hanc autem formam iis diſpoſitionibus: tum quia omnis forma conuenit cum aliis in diſpoſitionum indigentia, ergo ille conceptus *indigentis* communis omnibus poteſt ab illis abſtrahi: ſed ille conceptus eſt forma vt ſic conſiderata ſub ratione indigentis diſpoſitione, ergo formæ vt ſic conuenit indigere: tum quia diſpoſitio vt ſic, non dicit ordinem ad hanc, aut illam formam: Nam ad formam ignis refertur calor, ad animam refertur organum; ad animum rationalem refertur hoc organorum genus: ergo diſpoſitio vt ſic refertur ad formam vt ſic; tandem, quia forma vt ſic habet ſua accidentia, & indiget requiſitis ex parte agentis vt ſic; at ea requiſita ſunt diſpoſitiones, & conditiones ad agendum, ergo eadem eſt neceſſitas in gradu generico & ſpecifico.

SVBSECTIO II.

Oſtenditur prioritas accidentium in particulari.

Percurramus ſingula accidentia, ac primum dico: quantitatem eſſe natura priorem generatione. Nam applicatio agentis ad paſſum eſt natura prior, quàm generatio, illud enim eſt prius natura alio, quod ab illo diſtinguitur, & eſt neceſſarium ad illius exiſtentiam; at verò eius exiſtentia non pendet ab eo: applicatio autem diſtincta eſt à generatione, & eſt neceſſaria ad eius exiſtentiam, nec pendet à generatione, poteſt enim agens eſſe applicatum quin generet, non poteſt autem gignere, quin ſit applicatum; ergo applicatio eſt ſimpliciter prior natura, quàm generatio. Sed applicatio agentis & paſſi ſit per quātitatem formaliter, ergo quantitas eſt prior natura, quàm generatio. Conſequentia patet, quia cauſa applicationis, vt minimum eſt ſimul cum illa, nec effectus formalis eſt, aut intelligitur ſine forma; quæ verò ſunt ſimul natura cum cauſa, ſunt priora natura, quàm ea, quibus cauſa eſt prior. Minor probatur: quia applicatio agentis ad paſſum ſit per vbicationem circumſcriptiuam, & impenetrabilem, ſed hæc eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis, à qua oritur impenetrabilitas, ergo applicatio agentis & paſſi ſit formaliter per quantitatem. Probatur maior, quia illa applicatio eſt in ordine ad locum, vt agens & patiens ſic immediata, ſe contingant, & ſint contigua, contigua enim ſunt *quorum extrema ſunt ſimul*, id eſt, immediata, hoc autem ſit formaliter per vbicationem. §. 11.

Aduerte, duobus modis poſſe applicari ſubiectum agenti, primò ita vt ſint penetrata in eodem loco: verbi gratia, ſi totus ignis eſſet cum ligno penetratus. Hæc autem penetratio quantitate impeditur. Hoc impedimentum nō eſt conditio, nec applicatio, nam abſq; illo multo melius eſſent applicata agēs & patiens. Alio modo applicatur ſubiectum ſecundum diuerſas partes extenſionis, diuerſis etiam partibus extēſionis agentis. verbi gratia ignis nō calefacit per puncta inſectilia, ſed per partes: hæ ſunt extenſæ in diuerſis partibus ſpatij: vnde egent, vt lignum ipſis applicetur, extenſum per idem ſpatium, per quod ignis extenditur, quia non traijcit calorem in punctum ligni, ſed in partem aliquam: quam oportet eſſe indiſtantem; ad quam indiſtantiam requiritur applicatio. Hæc autem extenſio partium, quæ applicantur, oritur à quantitate, ergo tota applicatio actiua requiritur ad hanc formalem per quantitatem. §. 12.

Dices, tranſacto motu locali non remanere aliquam vbicationem, ſed ſolum agens cum patiente. Vnde nec manet quantitas. Verùm ſatis oſtendi diſput.13.phyſ. eſſe vbicationes permanentes poſt motum, & diſp.16. metaph. nullam eſſe phyſicam actionem ſine termino producto per illam. Eſto tamen, ita ſit: adhuc probo manere quantitatem natura priorem. Nam tranſacto motu locali manent applicata agens, & patiens extenſa neceſſariò per diuerſas partes ſpatij, in quo non poſſunt pene §. 13.

penetrari. Ita manet Angelus applicatus in eodem ſpatio diuerſo tamen modo. Angelus enim manet totus in toto, & in qualibet partę ſpatij: lignum verò manet parte in parte: non verò totum in qualibet parte: & quidem hæc permanentia in eodem ſpatio, in quo applicata fuerunt actiuè per motum, eſt omnino neceſſaria: alioquin non intelligeretur permanere applicatio: ſed effectus ille formalis ſic exiſtendi in loco oritur à quantitate: immo à ſola illa per te excludentē vbicationem, quia corpus per quantitatem menſuratur ſpatio, ergo ſemper manet quantitas efficiens formaliter applicationem. Hac autē ſolutione multo clarius oſtenditur permanentia quantitatis.

§. 14. Confirmatur ad hominem opinantem diſtinctionem partium materiæ oriri formaliter à quantitate: ſed ante quam ignis gignat ignem, intelligitur materia diſtincta in partes: ergo intelligitur etiam prius quantitas, à qua oritur. Probatur minor, tū quia ignis producit ignem in diuerſis materiæ partibus: tum quia viuentia habent determinatam quantitatem, nec in minori generantur: ergo vt materia ſuſcipiat generationem illam, requirit ex parte ſui diſtinctionem partium. Nam quantitas, quæ oritur à forma geniti, ſerò veniret: nam illa nō conduxiſſet ad diſtinctionem partium: quia prius natura, quàm illa oriretur à forma, hæc intelligetur inducta in ſubiectum diſtinctum partibus: quia intelligeretur minimum naturale viuentis. At à qua forma intelligitur per te illa diſtinctio, niſi à quantitate? ergo hæc eſt prior natura, quàm generatio.

§. 15. Secundò probatur, in qualitatibus maximè diſponentibus ad formam viuentem. Nam materia per illas de proximè impotente ad formā redditur proximè potēs: ergo illæ ſunt natura priores, quàm forma. Antecedens eſt B. Tho. §. 3 & certum: quia accidentia formę corrupti reddebant materiā proximè impotem formæ geniti: frigus enim & humor aquæ non ſinunt induci formam ignis: hæc autem proxima impotētia tollitur per calorem, & ſiccitatem, quæ abigūt è ſubiecto frigus, & humorem: ergo accidentia reddunt materiam ex impote proximè, proximè compotem formæ. Prima conſequentia probatur: nempe ea accidētia eſſe priora natura, quàm formam; quia prius quàm materia recipiat formam, debet deponere impotētiam proximam eam recipiendi, & habere ea, quæ requiruntur ad proximam potentiam.

§. 16. Dices, accidentia præeuntia, & quæ in inſtanti generationis iam ſunt corrupta, reddidiſſe materiam proximè aptam ad formam: quia depulēre qualitates contrarias, quibus materia erat proximè impos formæ: materiam autem liberā ab illis qualitatibus eſſe proximè potētem ad formam geniti. Contra primò, quia per illam depulſionem contrariorum, ſi calor, per quē ſunt depulſa, perit; materia non redditur magis apta igni, quam alij formæ: ſed per qualitates illas deſtructiuas cōtrariarū redditur materia proximè apta formę ignis, & non alij formæ: ergo illa accidentia manent aptando, & determinando materiam ad formam ignis, & non ad aliam. Probatur minor quotidiana experiētia; quoties enim ignis diſponit ad formā ignis, reſultat alius ignis: non verò aqua, aut aër; tum ratione: quia agentis finis eſt forma ſubſtantialis ſuæ ſpeciei, per quam in ſpecie, ſi minus in indiuiduo, conſeruetur: at natura non eludit eos conatus agentis; quos illi indidit. Maior autem probatur: quia materia prima ex ſe eſt indifferens ad quamuis formam: quia per te nihil habet in eo inſtanti, quo determinetur ad vllam: quia per te nihil habet præter ſuam entitatem: quæ non determinatur, niſi per aliquod accidens, quo tunc caret: ergo pro illo priori intelligitur materia indifferens proximè ad omnes formas. Tum ſic, ergo ſi adſint duo agentia eo inſtanti proximè applicata, non erit cur vnum inducat ſuam formam, potius quam aliud. Immo agens cōſeruans priorem formam, producit aliam eiuſdem ſpeciei cum præcedente.

§. 17. Dices, materiam in illo priori manere ſigillatam per accidentia corrupta: per quam ſigillationem determinantur ad formam agentis diſpoſitiones præeuntes. Contra; illa ſigillatio manet pro illo priori: ſed ſigillatio eſt accidens: ergo pro illo priori manet accidens. Maiorem à te ſumo: minor probatur: quia illa ſigillatio non eſt entitas materiæ nudè conſiderata, nec eſt forma, nec vnio, nec ſubſiſtentia, nec aliquid pertinens per ſe ad compoſitum ſubſtantiale: ergo eſt accidens. Dices ſigillationem eſſe materiam ipſam, prout connotat diſpoſitiones immediatè ante præceſſiſſe. Contra, ergo ſigillatio nihil eſt præter extrinſecam denominationem à qualitatibus corruptis: ergo ſigillatio non tollit, quin in inſtanti generationis ſit materia pro illo priori ſecundum propriam ſuam entitatem cōſideratam abſque alia entitate illi addita: ſed per illam entitatem eſt indifferens ad omnes formas, & ad nullam determinata; ergo materia ſigillata eſt indifferens ad omnes formas.

§. 18. Dices, hunc eſſe naturæ ordinem, vt ſequatur forma agentis diſpoſitiones ipſius agentis: quia *qui attingit forma diſpoſitionem vltimam, attingit formam ipſam?* contra: Adagium eſt verum in mea ſententia: quia vltima diſpoſitio exiſtens in materia habet naturalem connexionem cum forma: quam trahit ad ſubiectum, in quo ipſa eſt. Ideo enim introducitur forma: quia ibi eſt vltima diſpoſitio eius. Vnde hæc eſt cauſa, vt forma vniatur, at ſi ibi non exiſtit, non eſt cur eam ſequatur forma magis, quàm ſi nunquam extitiſſet. Quod autem reſpondetur, rectè ait Pater Suarez, non eſſe philoſophicum, nec poſſe de illo philoſophicā rationē reddi, ſed eſſe latibulum, in quo aduerſarij deliteſcant. Nam immediatè ante fuerunt in materia accidentia ignis, & aliqua accidentia aquæ, item præceſſit forma aquæ, & toto tempore præcedente fuerunt omnia aquæ accidentia: in inſtanti autem generationis nec manent accidentia ignis, nec forma, aut accidentia aquæ: itaque materia in illo priori habet extrinſecam denominationem ab omnibus iis formis, quæ in ipſa fuerunt: ergo tam ſigillata manet ab accidentibus, & forma aquæ, quàm ab accidentibus ignis. Immo ab aqua multo magis: quia manet ſigillata ab ipſa forma ſubſtantiali. Dices aquam præceſſiſſe via corruptionis. Contra, etiam accidentia ignis præceſſerūt via corruptionis: quia verè corrupta fuere: & cum diſponerent ad interitum aquæ: ſibi quoq; molita ſunt necem: vt ſi quis demolitur parietem, cui innititur, ſibi quoque parat interitum: nec dici poſſunt diſponere ad generationem ignis: quia cum tota diſpoſitio pereat in illo inſtanti, non referebatur ad ignem. Non eſt ergo cur ignis generetur potiùs quàm aqua. Quia agentia vtriuſque ſunt applicata æqualiter: & materia æque ſigillata. Quod ſi ignis erat corrumpendus, & aqua generanda; reproducetur alia forma ignis: quia actuoſior eſt ignis, quàm aqua.

§. 19. Secundò in viuentibus impugnatur ſolutio. §. 16. reddita. Nam ſi prior diſpoſitio accidentium perijt: ergo in inſtāti generationis non ſunt organa neceſſaria vitæ, contra definitionem animæ. Probo

conſe

conſequentiam: illa accidentia non poſſunt in inſtanti produci: multa enim exigunt ſucceſſionem, vt patet in variis figuris, in quas efformatur corpus. Dices, materiam relinqui aptam, vt inſtanti ſequenti ſuccedat ſimilis figura. Contra. Materia aut manet in loco priori: aut manet abſtracta à loco pro illo priori naturæ? Si primum; ergo habet aliquod accidens, per quod ſit in tali loco: nam per ſolam ſuam eſſentiam non poteſt eſſe in hoc loco: poteſt enim materia exiſtere, quin in hoc loco: ſi verò abſtrahit à loco, figura, &c. Ergo non intelligitur coniuncta & applicata paſſo inducenti animam, patet conſequentia, quia applicatio actiua conſiſtit in motu locali, paſſiua autem, ſiue formalis conſiſtit in immediata exiſtentia in loco, materia autem viuentium in immediata exiſtentia in loco cum tali figura, organo, &c.

SVBSECTIO III.

Impugnata mutua cauſalitas inter accidentia & formam.

§. 20. Dicet aliquis, his argumentis euinci accidentia eſſe diſpoſitiones antecedẽtes generationem in inſtanti, quo fit compoſitum: at non euinci accidentia manere eadem numero: quia corruptis prioribus, emanant è forma alia numero diſtincta, quæ ſunt priora forma in genere cauſæ diſpoſitiuæ: poſteriora verò in genere cauſæ efficientis, & materialis. Contra primò, quia mutua cauſalitas probata eſt repugnare diſp. 8. Phyſ. ſect. 8. & confirmatur ad præſens inſtitutum: quia accidentia intelliguntur pro aliquo priori aptare materiam: ergo pro illo priori intelliguntur exiſtere tam materiam, quàm formam geniti. Probo conſequentiam: quia in illo priori intelligitur materia, quam aptant: alioquin non præcederent in conceptu diponendi ſubiectum: ergo etiam intelligitur forma pro illo priori: quia per te non poſſunt accidentia eſſe in materia niſi media forma: quia prius eſt compoſitum per ſe, quàm per accidens: & quia materia prius intelligitur eſſe in actu, quod habet per te à forma. Vnde & forma intelligitur, vt ſubiectum partiale accidentium, & diſponens, aut aptans materiam ad excipienda accidentia: nec accidentia aptant ad vnionẽ formæ, & materiæ: quia iam intelligitur talis vnio ante diſpoſitionem. Vnde in eodem genere diſponendi materiam eſſent mutuò priora. Nec actio in terminum intelligitur eſſe, niſi in toto ſubiecto adæquato. Quod ſi dicas formam non eſſe ſubiectum accidentium: non eſt cur pereant accidentia priora.

§. 21. Secundò: non eſt cur materia determinetur ad hanc formam potius quàm ad aliam. Nam corrupta forma ignis, & diſpoſitionibus aquæ, ſunt applicata eidem materiæ agentia ignis, & aquæ: tunc cauſa ignis corrupti producit alium ignem: ex cuius forma reſultabunt alia accidentia priora forma in genere cauſæ diſponentis, ſicut reſultarent ex aqua. Cum igitur materia æquè ſit indifferens, & nuda omni accidente: & adſint agentia efficaciora quàm aqua (pono enim ab aqua, exẽpli ergo, ortas diſpoſitiones priores) cur non orietur forma alius agentis, quæ ſecum afferat diſpoſitiones proprias? Item argumentum à viuentibus poſitum §. 19. hic habet vim eamdem. Vide patrem Suarez diſp. 14. Metaph. ſect. 2. num. 28.

§. 22. Dices: in conſeruatione formæ reperiri eam prioritatem mutuam, quia in quouis inſtanti materia eſt prius natura potens proximè conſeruare formam, quàm illam conſeruare; eſt autem proximè potens eam cõſeruare per accidentia: & tamen hæc pendent à forma: ergo. Præmitto ex parte materiæ ea eſſe neceſſaria in actu primo, quæ requiruntur ad coniunctionem ſubiecti cum agente: ſi agens eſt extenſum, requiri quantitatem, & vbicationem circumſcriptiuam. At verò, quæ in primo inſtanti fuerũt diſpoſitio trahens formã per vnionem cum ſubiecto; non ſunt priora in cõſeruatione: tum quia forma cõſeruatur cum qualitate multo remiſſiori, quàm generatur compoſitum, vt cernitur experimento, quia pauciora requiruntur ad cõſeruationem formæ, quàm ad primam vnionem. Quia nec requiritur expulſio contrariorũ, nec tam intenſa qualitas, nec tam perfecta figura, &c. Vnde nec requiruntur illa accidentia vt priora; ſed vt poſteriora: etenim ſi abſque illis conſeruatur, ergo pendet ab eis conſeruatio.

Rem totam explano: ante primam generationem materia erat cum forma oppoſita, quæ erat inde abigenda per accidẽtia agentis cõtrarij: quod paulatim ea intendit ad gradum incompoſſibilem cum gradu qualitatũ, quem exigit forma corrupti. Ex hoc gradu qualitatum producto ab agente ſequuntur duo, & vnio formæ ad quam diſponit, & corruptio qualitatis contrariæ. Ex vnione autem formæ ſubſtãtialis oritur corruptio vnionis compoſiti præcedentis: quæ etiam ſequitur ex corruptione ſuarum qualitatum. In hoc inſtanti conſideratur in primo naturæ priori eſſentia materiæ applicatæ agenti per quantitatem & vbicationem: in ſecundo priori cõſideratur eadem materia cum qualitate recẽns producta, poſtea cõſideratur forma geniti ſequuta illam qualitatem. Quod explicatur iis propoſitionibus cauſalibus. *Quia materia prima eſt applicata agenti, ideo agens inducit in eã ſuas qualitates.* Item, *quia qualitates in gradu intenſo ſunt in materia, ideo agens in eam inducit formam.* Ecce ex parte materiæ ratio redditur cur ab hoc agẽte potius, quàm ab alio producatur forma. Nempe, quia id exigunt accidentia, quæ tunc ſunt in forma. Agens verò ideo produxit ea accidentia, quia ſuperauit reſiſtentiam contrarij. Quod ſi tunc nulla manſiſſent accidentia in materia, & plura agentia adeſſent; nihil eſſet, quod determinaret ad formam, quam peterent accidentia, quæ corruperunt compoſitum prius. Quia materia ſecundum ſe non determinatur ad vllam; agentia autem eſſent æquè applicata. §. 23.

§. 24. At in conſeruatione aliter ſe res habet. Nam priùs cõſideratur materia applicata agenti. Deinde forma vnita materiæ. Tertiò accidentia efficienter producta à forma. Tunc autem ideo in ſecũdo inſtanti conſideratur forma: quia cum prius fuerit producta, & nullũ aliud agens vicerit reſiſtentiam, quam habet per ſuas qualitates, ideo perſeuerat. Quemadmodum contingeret, tametſi qualitates eſſent priores in conſeruatione. Nam in primo inſtãti naturæ cõſideraretur materia applicata agẽti calefactiuo: in ſecundo verò, conſideraretur calor intenſus: in tertio autem inſtanti naturæ cõſideraretur forma. Cur ergo cõſideraretur calor ſecundo loco? niſi quia perſeuerat applicatum eius principium efficiens: & eius reſiſtentia à nullo alio ſuperatur: idem dico cõtingere in forma eo ſecundo loco conſiderata. Quæ tandiu conſeruatur, quandiu eius accidentia durant. At iis corruptis, & ipſa corrumpitur. Quamobrem ſæpe dixi formam pendere à poſteriori à ſuis accidentibus, quia illi non debetur eſſe, vbi non poteſt operari, & quia qualitates oppoſitas ſequitur alia forma, per quam

ipſa depellitur. Conſeruantur autem ea accidentia efficienter ab ipſa forma,tum quia ſunt proprietates illius,tum quia ipſa forma eſt cauſa particularis eorum: calor enim in igne cauſam habet creatam. Vide quæ dixi contra Iauellum diſput. 9. Phyſic. ſect.3.

SECTIO II.

Vtrum accidentia, quæ ſunt in paſſo concurrant actiuè ad generationem? an verò quæ ſunt in agente?

§. 25. DIſput.9.Phyſ.ſect.5.negaui concurſum ex natura rei accidentis in ſubſtãtiam,in qua opinione non eſt locus huic quæſtioni: quia actiuè neutra accidentia concurrunt. Eſt igitur quæſtio in ſententia admittente concurſum aliquem immediatum accidentis in ſubſtantiam, quæ nobis etiam erit vtilis, vt patebit in fine ſectionis. Vniuerſim concio Thomiſtica opinatur, accidentia, quæ in paſſo recipiuntur,cõcurrere actiuè ad vnionem formæ,& eius productionem (quãdo eſt materialis.) Quos ſequuntur P.Toletus 1.de Generatione c.4.q.7.in probatione 3.concluſionis,& Conimbr.ibid.q.18. artic.3. éſtque communior inter adſcribentes accidentibus totum influxum in ſubſtantiam.

§. 26. Vnicum fundamentum huius ſententiæ eſt;ponendo tam accidentia,quæ ſunt in generãte,quàm quæ in patiente habere virtutem productiuã ſubſtantiæ; ſunt enim illa accidentia eiuſdem ſpeciei: ſic igitur arguo, accidentia patientis ſunt magis coniuncta toti ſubiecto, ex quo generatur, vel cui vnitur forma; ergo illa accidentia ſunt aptiora ad agendum. Conſequentia probatur: quia maior coniunctio agentis & patientis eſt aptior ad effectum producendum. Antecedens verò probatur: quia accidentia agentis tantum applicantur ſubiecto ſecundum vltimam ſuperficiem: nec cum illo penetrantur, at verò accidentia ſubiecti cum toto illo ſecundum omnes eius partes penetrãtur: ergo accidentia materiæ concurrunt ad generationem. Quo argumento vitantur difficultates de actione agentis in partes remotiores, cum ipſum vnã tantum contingat. Confirmatur, quando abeſt ignis; exempli gratia,nec habet accidentia cõiuncta paſſo,tunc accidentia materiæ producunt ignem:quia non ſunt alia, à quibus producatur:ergo id ſemper contingit: antecedens patet,quia tunc non eſt recurrendum ad cauſam primam, dum adeſt ſecunda potens effectum attingere.

§. 27. Hoc argumento vti non poſſunt,qui opinantur vltimam diſpoſitionem ad formam iam eſſe corruptam in inſtanti generationis. Tunc enim accidentia non ſunt penetrata cum toto ſubiecto,quia nec in illo, nec alibi exiſtunt. Vnde hos authores nunquã ſatis miror:nullo enim fundamento compulſi admittũt influxum phyſicum à cauſa phyſicè tunc non exiſtente. Si enim arbitrantur priora accidentia periiſſe: cur cenſent ab illis produci formam? inquiunt,quia ſunt magis applicata. Cõtra: multo facilius intelligitur poſſe agens coniũctum vni parti patientis agere ſimul in partes remotiores, quàm agens corruptum operari. Tunc enim nec coniungitur vni parti patientis, nec eſt. Præterea,cur non dicunt in inſtanti generationis produci ab eodem agente alia accidentia, quæ tunc generent formam?Dicent: quia in inſtanti nõ poſſunt produci. Contra:quia ex illis in inſtanti producuntur à forma: quia nulla eſt reſiſtentia contrarij. Dicent accidentia recipi in formam. Bene, illi admittunt mutuam cauſalitatem.Quandoq ergo illa melius vtentur,quàm nunc?ne ſententiam tam abhorrentem à lumine rationis affirment.

Nec item hoc argumẽto vtentur,qui ſimul cum concurſu accidentium ponunt immediatum influxum ſubſtantiæ.Nam tota ratio diſtantiæ accidentium agentis à remotioribus partibus materiæ habet vim eamdem in forma agentis,quæ non penetratur cum tota materia. Ad confirmationem autem argumenti reſpõdebunt, tũc ab aliquo agente creato produci calorem illum abſente igne. Concurſus ergo actiuus ſaltem partialis orietur immediatè à principio eiuſdem caloris. §. 28.

Argumentum autem non vrget: illa enim accidentia ſunt quidem coniunctiora paſſo: negatur tamen illa maiore coniunctione reddi accidentia aptiora actioni. Nam intra ſphæram ſuæ actiuitatis tam aptum eſt accidens coniunctum vni parti ſphæræ,quàm ſi immediatè toti adeſſet,verbi gratia,calor coniunctus ſphæræ ſecundum vnam partem, poteſt in tota illa operari ſex gradus: ad hos tam applicatus eſt in illa parte, quàm ſi applicaretur toti: non verò ad gradus intenſiores: quia agit vniformiter. Vnde ad gradus vlteriores nõ eſt magis applicatus,cũ penetratur cum ſphæra, ſed ſimpliciter eſt applicatus. Item & ad velocius abigendum contraria: at verò ad omnes gradus requiſitos generationi in parte aliqua determinata, ſufficienter eſt applicatus, exempli gratia, ignis cõiunctus ligno ſufficienter applicatur ad generationem ignis in ſemipalmo: hic autem generat alium in alio ſemipalmo. Illa autem maior coniunctio ad velocius agendũ nihil iuuat. Nam generatio ignis fit inſtanti, à quocumque fiat. Diſpoſitio autem fit ab agente paulatim, & ſucceſſiuè: vnde cum agens poſſit per ſua accidentia attingere productionem ignis in vno inſtanti, tam applicatum eſt, ac ſi eſſet penetratum cum materia. Nec vitantur difficultates illæ de actione immediata in parte remotiori, quia ſæpe in eas reciditur ab aduerſariis etiam inuitis, vt probaui diſputatione 9. Phyſic. ſect.6. §. 29.

Ergo accidentia, quæ ſunt in agente,cõcurrunt immediatè ad generationem,non verò quæ ſunt in materia.Hanc concluſionem docent Pater Suarez, 1.Metaph.diſp.14.ſect.2.nu.29. & P.Rubius, 1. dè Generatione, cap.4. tractatu 3.q.11. Quam docet B. Thomas pluribus in locis 1.2.quæſt.112. art.3. ad 3. cum quæſiſſet. *Vtrum neceſſariò detur gratia ſe præparanti, vel facienti quod in ſe eſt?* Dirimit quæſtionem, gratiam nõ dari ex virtute præparationis humanæ: ſed ex virtute Dei mouentis hominem ad gratiam. Cum autem tertio argumento obijceretur, formam naturalem ex neceſſitate aduenire materiæ vltimò diſpoſitæ, & inde probaretur gratiam neceſſariò dari per vltimam diſpoſitionem, negat B.Thom.antecedens, & ait formam non ſequi ex vi diſpoſitionis, ſed ex vi agentis, qui vltimam diſpoſitionem produxit; ita & gratiam dari. Verba B. Thomæ: *ad tertium dicendum, quod etiam in naturalibus dicendum,quod diſpoſitio materiæ non neceſſario conſequitur formam* (id eſt,aſſequitur) *niſi per virtutem agentis, qui diſpoſitionem cauſat.* Cum ergo diſpoſitio ad gratiam non efficiat gratiam, ſed Deus: & eodem modo dicat B.Tho. fieri formam; non fit à diſpoſitione, ſed ab agente cauſante diſpoſitionem,& in 4.diſt.24. q.2.art.2. ad 1. ait diſpoſitionem remotam Sacramẽti pertinere ad miniſtros, proximam autem perfici à Sacerdotibus, §. 30.

à quibus

à quibus etiam ait confici Sacramentum : quod quidem non efficitur à pœnitente, aut baptizato, ſed à Sacerdote : ſimili ratione ait B. Thom. contingere diſpoſitionem vltimam & formam, quia vtraque fit ab eodem agente, neutra verò à patiente, nec ab eius diſpoſitione. *Quadam* (inquit) ſcilicet diſpoſitio *proxima, qua ſtatim efficiuntur idonei ad Sacramentorum ſuſceptionem, & hoc pertinet ad Sacerdotes; quia etiam in naturalibus ab eodem agente ſit materia ſub vltima diſpoſitione ad formam, & recipit formam.* At ſi à diſpoſitione orirerur forma, non vteretur B.Thom. exemplo apto, quia Sacramentum non fit in virtute diſpoſitionis; ſed à Sacerdote. Clarius autem id aſſerit artic.3. corpore. *Reſpondeo dicendum, quod (ſicut dictum eſt) eiuſdem eſt formam aliquam inducere, & materiam de proximo præparare ad formam. Vnde Epiſcopus in collatione ordinum duo facit : præparat enim ordinãdos ad ordinis ſuſceptionem, & ordinis poteſtatem tradit.* At poteſtas ordinis non confertur præciſè per præparationem; nec ab illa fit, ſed ab eodem Epiſcopo per aliam actionem: ergo agens poſtquam materiam vltimò diſpoſuit; noua actione, ab eodem, & nō à diſpoſitione orta, producit formam. Alioqui abſimili exemplo vteretur B.Thom. probans in ſupernaturalibus ſeruari proportionem naturalium: cum tamen eſſet oppoſitus ordo, ſi in naturalibus ex ipſa diſpoſitione orietur forma ſine noua actione principalis agentis; id enim non contingit in ſupernaturalibus. Clarè autem 1.2.q.85.art.1. ad 4. *Dicendum, quod accidens non agit effectiuè in ſubiectum, &c.* Quæ ſententia conſtans eſt S.Thomæ.

§. 31. Concluſionem hanc probat P. Rubius, quia licet accidentia maneant, tantum concurrunt ad generationem in genere cauſæ diſpoſitiuæ : non verò efficientis; quia accidens non concurrit efficienter niſi in ratione inſtrumenti præuiè aliquid operantis : ſed calor in ſuo ſubiecto nihil præuiè operatur; ergo. Patet minor, quia ſe ipſum intenderet. Hoc argumentum rectè concludit, poſita ſententia negante accidẽtibus immediatum influxum in ſubſtantiam. Nam in ea optimè tota inſtrumentaria actio conſiſtit in producenda diſpoſitione: at accidens exiſtens in materia nullam aliam diſpoſitionem producit; ſed ipſum eſt diſpoſitio; ergo. Verùm admiſſo cõcurſu immediato nihil euincit: tum quia ratio inſtrumenti conſiſtit in productione effectus, cuius nulla formalitas reſpõdet agenti: vel in actione effectus nobilioris agente: vel, ſi placet, conſiſtat in præuia etiam actione, poſſunt conſiderari agentis, & patientis accidentia, & ex vtriſque conflari integrum inſtrumentum. Hoc complexum diſponit actiuè per accidẽtia agentis producendo ſimilia in paſſo; item cõcurrit immediatè per accidentia paſſi : neutrorũ autem cauſalitas eſt adæquata inſtrumenti: ſed vtrorumque. Quemadmodum Sol illuminat aërem totum, nõ adæquatè per lucem ab ipſo immediatè productã, ſed & per mediatas. Item, vt in ſententia P. Rubij, ignis per calorem aëris coniũgitur paſſo: & tamen totus ille calor componit adæquatum inſtrumentum generationis : idem dicito de cæteris accidentibus.

§. 32. Probari poteſt, primò ad hominem, quia in aduerſariorũ ſententia nõ exiſtunt ea accidentia momento generationis. Secundò, quia non admittunt generationem diſtinctam ab alteratione: ſed alteratio non oritur efficienter ab illis accidentibus, cum ſint terminus ipſius alterationis, ergo non attingunt efficienter generationem ignis : ſed ſunt terminus illius minùs principalis, & immediatior.

§. 33. Tertiò probatur abſolutè: quia ignis, verbi gratia, producit alium ignem : ergo per accidentia ſibi vnita phyſicè, & non per abiuncta. Probo conſequentiam, quia ab accidentibus abiunctis verè & propriè non eſt agens. Primum, quia licet ignis calefaciat aquam, ſi quis manu tractans aquam, incaleſcat, non dicitur calefactus ab igne, ſed ab aqua, aqua enim dicitur calefacere manum, tum quia agens denominatur ab vnione, per quam coniungitur cum principio agente immediatè : quæ enim non vniuntur, non tribuunt propriè eam denominationem : vt patet in vnione qualitatum ex communi ſententia: corpus enim nõ dicitur album per albedinẽ quantitatis, niſi hæc phyſicè vniatur corpori, quantumuis quantitas à corpore conſeruetur actiuè, vt multi cenſent fieri in Euchariſtia. Dices, illam denominationem albi eſſe intrinſecam. Diſtinguo, intrinſecam immediatam quantitati, concedo; corpori, nego: cui tãtum eſt intrinſeca remotè, & media quãtitate; & quia hæc non vnitur corpori, ideo ei non tribuit ſuam intrinſecam denominationem : ſicut nec extrinſecam. Non enim dicitur Chriſtus calefacere per ſpecies ſacramẽtales: nec dicitur proprie videri: quia viſu potius duceremur in cognitionem panis, quàm Chriſti. Magis autem è vulgo dicitur videri, lata & non propria ſignificatione, qua dicitur videri aliquis, dum videmus aliquem eius effectum illi adſcriptum ſpeciali ratione, vt dicimur Angelum videre : quia videmus corpus ab eo aſſumptum. Ergo vt ignis, verè ac propriè, & non per accidens generet ignem, oportet vt igni ſit verè vnitum principium immediatum.

Dices, totum hemiſphærium à Sole illuminari, cum tamen remotiores partes non illuminentur effectiuè à luce Solis. Reſpondeo primo, id dici è vulgo potiùs, & pingui Minerua, quàm examine philoſophico : patet autem nos dici videre Solem, cum intenſos eius radios videmus : non quia propriè Solem videamus: ſed quia eius effectum. Sæpè enim cauſæ tribuimus effectus ſuorum effectuum. Ita pater demortuus dicitur generare filium per actionem ſeminis. Reſpondeo ſecundò, totam lucem vniri Soli non adæquatè, ſed ſecundùm vltimam partem: éſtque lux hemiſphærij vna per continuationem: & quod efficit vna pars, tribuitur toti, & cum vna pars ſit vnita, tota dicitur vnita mediatè; ratione cuius vnionis Sol dicitur illuminare. At verò accidentia aquæ, verbi gratia, non continuantur cum accidentibus ignis, quia ſuperficies vtriuſque non ſunt continuæ; vnde efficiunt duos calores omnino diſtinctos, atque diuerſos. Hæc vim habent in communi ſententia (quam nunc diſputandi ergo pono) aſſerente cauſam remotam agentem per accidentia ſibi vnita eſſe verè & propriè cauſam. Quod impugnaui diſp.8. phyſ.ſect.4. & oſtendi tam propriè fore dicendam cauſam, quę non vnitur accidenti operanti immediatè, ſi illud conſeruat efficienter. §. 34.

Quartò probatur, quia materia prima diceretur verè, ac propriè principium actiuum ignis, quem componit: ergo. Probo antecedẽs, omnia attributa, quæ conueniunt accidentibus materiæ, cõueniunt denominatiuè ipſi materiæ: vt corpus dicitur *albũ*, aqua *calida*, & *calefaciens*. Et quamuis materia eſt purè paſſiua caloris, tamen verè ab illo denominatur: vt dicitur eſſe *alba, longa*, &c. Dices idem abſurdum ſequi in oppoſita ſentẽtia, quia materia agentis dicitur generare ignem per ſua accidentia. Reſpondeo, agens dici generare ignem per calorẽ exiſtentem in ipſo per materiam: Materia autẽ vt plurimum dicitur agere vt *quo* medio calore accepto §. 35.

à forma:ignis verò aget vt *quod*: at in igne producto materia erit *quo, & quod*; quia ignis non ſe generat,cum ſit poſt generationem formæ, immo & vnionis.Hæc & alia non ſunt difficilia ſolutu.

§. 36. Aduerte,à nonnullis dici agens nō contiguum materiæ, illi coniungi mediis diſpoſitionibus per aërem traiectis, quod intellige de coniūctione per totam ſphæram requiſita, ne dicatur agere in diſtans,non agendo aliquid per medium; falſum eſt autem accidentia aëri infixa immediatè concurrere ad generationem ignis; quia calor aëri non eſt tam intenſus,quàm vltima diſpoſitio ad ignem;ergo non poteſt concurrere actiuè ad ignem.Conſequentia patet; quia calor vehemens, & qui vltimò diſponit, concurrit ad generationem; vltima autem diſpoſitio non oritur à calore remiſſo:antecedens liquet: tum quia flammeſceret aër,ſi eam diſpoſitionem conciperet, vt contingit aëri vicino igni;tum experientia; aër enim non vrit tam vehementer, nec in tam intenſo gradu, quàm materia concipiens ignem. Accidentia ergo agentis, quæ potuerunt ſtupam diſponere, concurrunt immediatè ad ignem,hæc autem non ſunt in aëre.

SECTIO III.

De principio actiuo vnionis humanæ.

§. 37. NOn eſt parua diſſenſio inter authores de principio efficiente vnionem animi rationalis: quam iis concluſionibus componam. Dico primo. Vnio animi rationalis non oritur ab ipſo,naturali emanatione; nec libera actione. Secunda pars eſt certa: quia anima in primo inſtanti generationis humanæ nullum habet actum liberum. Prima verò pars eſt contra Henricum quod lib. 11. quæſt. 14.qui loquens de ſola reunione, argumenta proponit eiuſdem roboris in generatione. Probatur, quia anima nihil agit in corpore niſi per vnionem tamquam per conditionem agendi; ſed vnio non eſt conditio ante ſe ipſam: ergo anima non agit vnionem in corpore. Maior probatur: tum quia anima non eſt actus aſſiſtens corpori; ſed illud informans. Vnde agit in illo vt actus illius: ergo prius quam habeat actum ſecundum intelligitur in actu primo, vt actus informans; quod fit per vnionem. Nec agendo vnionem ageret vt actus informans, ſed vt aſſiſtens: nam faceret ſe ipſam actum informantem, non tamen ageret vt actus informans; quia eam agere vt actum informantem, dicit informationem ſe tenere ex parte principij, ſicut ignem agere vt calidum, & vt applicatum, dicit tam calorem, quàm applicationem ſe tenere ex parte principij. At ſi informatio non præcedat, anima conſideraretur in actu primo, præciſe cum iis, quæ conueniunt actui aſſiſtenti; nempe cum propria virtute, & applicatione locali;tum etiam;quia nullam aliam actionem poteſt exercere niſi præcedat vnio: nec enim poteſt mouere corpus, nec calefacere, nec vitalem actionem producere. Hæ enim actiones non penderent ab vnione, ſi anima hac non egeret.

§. 38. Dices:animam habere virtutem ad efficiendam vnionem in partibus acquiſitis per aggenerationem: ergo poteſt & primam vnionem. Nego conſequentiam: quia vnionem aggenerationis efficit vt actus iam informans: primam verò non ita faceret. Argumentum autem trecenties impugnatur pèr inſtantiam. Anima poteſt diſponere ad aggenerationem, ergo & ad primam generationem. Item anima vnita poteſt generare hominem: ergo & prius natura quam vniatur. Item anima poteſt producere calorem vitalem, & actiones vitales, poſtquam eſt vnita, ergo & quin vniatur. En conſequentias è tuo antecedenti. Immo hinc argumentor: licet anima applicaretur corpori vltimo diſpoſito, non poſſet in illo producere calorem, actiones, & potentias vitales: ergo ſignum eſt vnionem eſſe conditionem vt agat. Alioquin cum & ipſa habeat virtutem actiuam, & ſit applicata ſubiecto apto, cur non operaretur? multo ergo minus operabitur vnionem.

Dico ſecundo, vnionem animæ non fieri à ſolo Deo. Hæc eſt contra graues nonnullos Doctores, quibus in parte conſenſit Pater Suarez 1.Met. diſput. 18. ſect. 2. num. 20. & P. Conimb. 1. Phyſ. qui tamen ſententiam mutarunt 1. de generat. cap. 4. quæſt. 13. art. 2. Probatur; quia ea ratione confugitur ad cauſam primam; quia non inuenitur ſecunda apta effectui; atqui eſt cauſa ſecunda huic, vt patebit concluſione tertia, ergo non eſt recurrendum ad cauſam primam. §. 39.

Dico tertio. Eſt cauſa ſecunda apta illi vnioni efficiendæ. Hæc opinio plus percrebuit hac ætate: quam inſinuant Patres Suarez, & Conimb. adducti, §. 39. Probatur. Anima rationalis concurrit immediatè ad efficiendum fætum, probaui enim diſput. 9. Phyſ. ſect. 8. ſubſtantias eſſe immediatè operatiuas; ſed vnio illa non excedit virtutem animi, nec in ſubſtantia, vt patet, nec in modo productionis, quia eſt dependenter à ſubiecto: item res ſpiritualis rectè poteſt immediatè agere in aliam eiuſdem ordinis:ergo. Confirmatur. Vnio animi ad nouas partes per aggenerationem comparatas fit à cauſa ſecunda, tota enim nutritio, & quæ illam comitantur cum ſit vitalis, fit à principio creato ſe mouente ab intrinſeco: ergo & prima vnio poteſt fieri. Deinde ſi vnio eſt materialis poterit produci mediis accidentibus in virtute ſubſtantiæ: ſi verò ſit ſpiritualis, cenſeo ab accidentibus materialibus non poſſe immediatè produci. Tum quia hæc ſunt extenſa, nec operantur niſi in ſubiecto extenſo: tum quia ſunt ordinis inferioris. Dices à re corporea oriri in animam motum ſpiritualem; vt cum equus mouet hominem. Reſpondeo, directè non oriri eum motum, ſed per accidens:quia moto corpore mouetur animus, cuius motus non oritur immediatè à corpore, ſed à cauſa prima mouente animam ad motum corporis. Certum eſt enim rem ſpiritualem non contineri adæquatè in virtute omnino materiali. §. 40.

SECTIO IV.

De ſemine virili.

PRæcipua generationis ſpecies eſt humana, cuius præcipuum inſtrumentum eſt ſemen, quod à viro traiicitur in fœminæ matricem; quod hîc oportet explanare. Lege Andream Laurentium lib. 1. de Hiſtoria Anatomica cap. 12. Hac in parte Ariſtoteli,eiuſque diſcipulis medicos,præſertim Galenum præferam. §. 41.

Petrus Peramatus lib.de Semine, de eo latè diſputat. Laurentius Andreas lib. 8. quæſt. 3. Controuerſiæ Anatomicæ, varias adducit ſeminis definitiones. Hippocrates ait, *eſſe portionem optimam, & validiſſimam illius humoris, qui in toto corpore continetur*. Pythagoras. *Spumam optimi, & laudabilis ſanguinis*, Plato *defluxum medullæ ſpinalis*; ipſe tamen hanc §. 42.

hanc ſubiicit: *ſemen eſt corpus humidum, ſpumoſum, & album, ex reliquiis alimenti vltimi, & ſpirituum vbique oberrantium permixtione vi, ſola teſtium elaboratum ad perfectam animalis generationem.* Semen eſſe humidum adeo certum, vt plures relati ab Ariſtotele,& impugnati:arbitrati,illud eſſe aqueũ. Nec poſſet eſſe aptum ſuis functionibus ſine humiditate. Illud autem eſſe ſpumoſum, patet, tum quia craſſeſcit, cuius materia ſpiritibus tota, ſpumat, vt mare feruens, & cætera corpora craſſa, cum motu agitantur, & incaleſcunt: albicat autem ſemen, item & ſpumat, quia circumagitur duabus venis & totidem arteriis in mille flexus, & anfractus contortis, per quas hinc illuc traiicitur: non aliter ac lac, cum intra corium agitatur, vt actum in ſpumam craſſeſcat in butyrum. Colore denique differt à ſanguine: & partes, quæ illud elaborant,continent,aut eo nutriũtur,ſunt admodum albæ:vt rubent,quæ ſanguine nutriuntur.

§. 43. Illud effici ex reliquiis ſanguinis fere docent omnes aſſerentes,ſemen eſſe excrementum, at non inutile: quæ enim gignuntur ex inutili excremento non dicuntur *filij* animalis; vt patet in pediculis, & vermibus,quos non recognoſcimus filios. Eſt igitur vtile excrementum redundans quidem vni parti, vtile autem aliis. Cuius ſignum eſt homines libidinoſos ſtatim luere pœnas ſuæ intemperantiæ, quia deficit multis corporis partibus alimentum ſeminis: ad quod celerius conficiendum impellit corpus immoderata Venus, tractoque ſanguine, & ſpiritibus à partibus illis indigentibus, marceſcit, & clanguet corpus: oculi autem fere caligant, quia ſpiritibus minuuntur. Vnde conſtat ſemen, licet non ſit corporis pars (vt dicam diſput. 3. de anima) eſſe tamen toti corpori maximè vtile. Ex cuius defectu videmus ſpadones à virorum generoſitate deficere, eoſque inutiles omni robuſtæ actioni, in fœminas ferè reuocatos.

§. 44. Illud autem eſſe ſanguinis excrementum patet ex authoribus. Hippocrates ait eſſe humoris portionem, qui in toto corpore continetur: at ille humor eſt ſanguis, quo nutriuntur omnes fere corporis partes: Pythagoras eſſe ſpumam ſanguinis optimi: Ariſtoteles autem fere ait, illud eſſe ſanguinem. Beda infra adducendus ait ex Phyſicorum opinione ſemen & lac eſſe ab eadem origine, nempe ſanguine, ex quo oritur lac. Hoc probatur primo, quia homines obeſi parum ſeminis efficiunt, illa enim craſſities liquatur potius, quàm abeat in ſemen. Homines autem temperatura ſanguinea & plurimum conficiunt ſemen, & immoderatiſſimè indulgent Veneri. Secundo medici aiunt huiuſcemodi homines frequenter habenas Veneri laxantes, emittere ſemen rubrum: quia ſanguis non eſt perfectè defæcatus, & actus in ſemen. Et quia pueris, & ſenibus nihil ſupereſt ſanguinis, ideo nec eſt ſemen. Illud fieri ex reliquiis alimenti vltimi, ita probat Laurentius. Sanguis dicitur redundare, & excrementum, non qualitate, vt excrementum inutile, ſed quantitate. Sanguinem enim natura prouidit abundè ad enutriẽdas corporis partes. Qui autem vni parti eſt ſuperfluus, aliis eſt neceſſarius. chylus in ventriculo effectus, ipſi eſt ventriculo gratus. Qui tamen redundat, tranſmittitur in hepar, ſiue iecur, quod eſt primum inſtrumentum ſanguinis efficiendi. Itaque iecur alitur excremento ventriculi: at vt iecur abunde accipit ſanguinem, reſiduum traiicit in venas: quo nutriuntur partes carnoſæ, & ſolidæ: quod autem ab eis omittitur, trahitur, & ſugitur à teſtibus, in quibus abit in ſemen: quod autem hinc ſupereſt, reiicitur ad quoſdam ventriculos, ſeu burſas: in quibus reponitur ad generationem. Hinc dignoſces, cur immoderata venus ſit ipſi etiam corpori perniencioſa, in cuius voluptatem acceſſitur: nam illi ventriculi diffuſo ſemine, aliud euocant è teſtibus, qui, ne careant alimento, ſanguinem acceſſunt è venis. Vnde & hæ hauriunt hepati ſanguinem neceſſarium, nec abunde miniſtrant cæteris partibus, maximè autem motricibus, vnde luxurioſi, fœtidi ſunt potius, quàm viri: quia totum corpus inedia, & crudo alimento putreſcit.

§. 45. Dixi in definitione, *ſemen fieri ex oberrantibus ſpiritibus:* probant id medici: quia hi ſpiritus curſitant per arterias ad totius corporis actiones, vitam, & fomentum. Vaſa autem materiam ſemini deferentia compinguntur è duabus venis, & arteriis duabus, ita mutuo implexis, vt ex vtriſque conflerur integrum vas: vnde colligunt non inepte, materias vtriſque vaſis delatas fieri vnam, alioquin quorſum venæ innecterentur arteriis, & è conuerſo, niſi vt materiæ per vtraſque delatæ miſceantur, & confluant in teſtes? ea ratione ab Ariſtotele, & medicis ſemini adſcribitur duplex materia: altera aquea, humida videlicet & alba: altera aërea, quæ iis ſpiritibus reſpondet, & quidem, cum ſemen ſit maximè actuoſum: non videtur è ſanguine ſolo potuiſſe mutuari tam mirabilem potentiam corporis formatricem quam adeo miratur Galenus, vt arbitretur aliquid diuinæ intelligentiæ, & miraculoſæ fœmineæ formatrici incubare. Hanc autem virtutem accipit ab ſpiritibus, qui ſunt præcalidi, actuoſi: & in corpore fons viuidarum actionum; ſuntque viuaciſſimi qui illis abundant, vt colerici.

§. 46. Denique eſt ad perfectam animalis generationem. Nam alij ſpiritus illi ſunt inepti, qui enim ſunt in cerebro, ſoli ſeruiunt nutritioni, & imaginatrici: at verò, qui in teſtibus excipiuntur, ad generationem limantur, ac perficiuntur: cuius ſignum eſt eunuchos eſſe generationis impotes, non aliam ob cauſam niſi quia carent virtute formatrice ſeminis neceſſarij generationi. Quod ſi in corpore maneret virtus formatrix ſeminis, cur non poſſent filios ſuſcipere? Denique ex ipſa nominis etymologia hæc definitionis pars vltima conſtat.

§. 47. Huic definitioni obiicitur, ſemen trahi ex omnibus ferè corporis partibus. De cerebro colligitur ex Ariſtotele aſſerente neminem ante veneris vſum caluеſcere:calueſcit autem caput ob inopiam humoris. Libidinoſi autem in ſtupiditatem aguntur. Eccleſiaſtici. 19. n. 2. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Immo *Venus* ſignificat amẽtiam. Eſt enim à *ve.* & *Nus*, vltima dictio ſonat *mentem*, prima verò eſt diminuens. Eſt ergo *Venus* amentia: ſicut *Vecordia*, ſignificat quaſi parum cordis. Item oculi caligant immoderata venere. In lumbis autem contineri humorem libidinem laceſſentem videtur inſinuaſſe Chriſtus, Luc. 12. iubens lumbos præcingi, vbi B. Greg. hom. 13. ait *Lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus:* cum verò Sacerdotes ſacra facturi ſe præcingunt, iubentur orare Deum, vt in eorum lumbis extinguat humorẽ libidinis, è renibus autem ſemen fugi præceptis medicis comprobatur.

§. 48. Reſpondeo, ſemen iam decoctum, & aptum generationi proximè non trahi niſi à ſolis teſtibus, vt probatum eſt:materiam autem,quæ ſemini aptatur,bipartiuntur medici, alteram ſanguineam:

quam per ſolas venas ſugunt teſtes. Nec enim ab illis ad cerebrum, oculos, &c. ducuntur tam cauernoſa corpora, vt per illa craſſus ſanguis poſſit deferri; alteram ſpiritalem, tenuem quidem, & exiguis vaſis egentem. Hæc trahitur ex illis partibus, maximè autem è lumbis: quibus continetur tota vis corporis, eaque propter illis ſpiritibus abundant. Hunc humorem ſpirituum petimus à Deo temperari. Hæc eſt cauſa cur oculi, & cerebrum laborent. Item qui diu equitant, fiunt generationi inepti, quia agitatione excitatur dolor lumborum, & renum, dolore autem conficiuntur ſpiritus. Quam ob cauſam nobiles Scythæ erant ſteriles:quia cum ſine ſtapedibus equitarent, dolebant renibus: ad quem dolorem leniendum præcidebant venas pone aures. Quo ſanguinis effluxu nouam cauſam dabant ſterilitati. Ariſtoteles autem egregiè mentitus eſt, multi enim capillitium amittunt, qui nunquam venerem ſalutarunt. Poteſt enim ex nimio ſtudio, & aliis cauſis deficere humor cerebro, & contingere decapillatio. Immo hiſce oculis vidi puerum triennem penè caluum; qui in toto ſyncipite habebat capillos præraros, & productos, qui in exiguo illo capillamento vix duraret duobus annis. Quia vero ij ſpiritus trahuntur è toto corpore, ideo filij, genitoris oriuntur ſimiles. Illi enim dicuntur continere ideam partium, è quibus trahuntur. Vidi hominem altero oculo maculatum, qui genuit filium ſimili macula in eodem oculo.

SECTIO V.

Vtrum Fœminæ ſemen emittant?

SVBSECTIO I.

Concluditur pars affirmatiua.

§. 49. A Parte affirmante ſto fixo pede, cum denſo agmine medicorum, ac grauium Theologorum, E medicis eam propugnant eorum princeps Hippocrates libro de Genitura, & libris de diæta, immò ſtultos appellat negantes vtriuſque ſeminis mixtionem in conceptione, Galenus verò omnium efficaciſſimè,libris de vſu partium. Franciſcus Valleſius lib. 1. controuerſiarum cap. 6. Peramatus lib. de Semine ait hac in parte Ariſtotelem ferri non poſſe, & plures alij, quos refert, & ſequitur Andreas lib. 8. quaſt. 5. ex Theologis autem plures referam. §. 70. Item ex philoſophis adſtipulatur Collegium Conimbricenſe primo de generatione cap. 4. quæſt. 27. art. 2. Retulerat autem art. 1. multos pro ſententia eadem.

§. 50. Primum argumentum ſumitur ex anatome,quia fœminæ habent eadem vaſa ſemen deferentia, coquentia, & ſeruantia, non ſecus ac viri. Primùm enim ex vena caua ducitur vna vena ad teſtes, per quam defertur ſanguis, item & alia emulgens ad eundem finem, his venis plectuntur duæ arteriæ, quibus vehuntur ſpiritus vitales; hæc quatuor vaſa confluunt in teſtes, quos habent fœminæ, qui aluntur eo ſanguine, & ſpiritibus, illumque dealbant, & quod illis ſupereſt, refundunt in alia vaſa in quibus ſeruatur. Hic autem humor eſt albus, ſpumoſus, ex vtili recremento, & generationi ſeruit: ergo eſt verum ſemen: conſequentia patet ex definitione ſeminis poſita ſect. 4. antecedens patet ipſis oculis ſecantium corpora. Illud generationi ſeruire patet, quia tunc maximè ſentitur, immo ad eum finem in ventriculis reconditur. Humor autem, quo teſtes aluntur, generationi eſt aptus, eaque propter illi *genitalia* dicuntur. Tum etiam conſtat ex anatome, fœminas quæ diu ſe à venere abſtinuere, multo ſemine redundare, ſecus verò, quibus familiaris eſt venus. Non videtur id poſſe negari, niſi ab aliquo, qui nunquam interfuit anatomæ alicuius fœminæ: at teſtibus oculatis, qui quotidie inſpiciunt corpora ſecta, non poſſumus negare fidem.

Secundo, patet mille experimentis inſinuandis §. 51.
quidem tantum. Nam ſæpe fœminæ ardent viros, ac polluuntur. Sæpe poſt congreſſum cum illis, ſentiunt nouam voluptatem,quia ſemen traiiciunt in matricem. Quam ob cauſam quæritur inter Theologos, vtrum maritatæ poſt congreſſum maritalem poſſint ſe prouocare ad emittendum ſemen, cum ſciunt ſe id non emiſiſſe in congreſſu? qui verò partem tuentur affirmatiuam, ideo mouentur, quia arbitrantur humorem illum eſſe vtilem generationi, ad quam dirigitur maritalis congreſſus. Tertium argumentum ſumitur ex mulierum ardore ac rabie, qua diſcerpuntur, ſeminis, quo turgent,ſtimulis,ac flammis:manſueſcunt autem igne extincto,foraſque proiecto.Item nonnullarum ferarum fœminæ caſtrantur, in quibus reſtinguitur omne libidinis incendium. Signum eſt ergo, fœminas verum ſemen conficere.

His argumentis reſpondent Peripatetici cum §. 52.
Ariſtotele, primo de generatione animalium, cap. 20. concipi à fœminis aqueum humorem, flaccidum, & inefficacem generationi, quo tamen perculſæ fœminæ titillantur, ac voluptate feruent, ardentque viros: ſimile cernitur in ſpadonibus quorum eſt rabies, non luxuria. Eccleſiaſtici. 20. num. 3. *Concupiſcentia ſpadonis deuirginauit iuuenculam*; in Græco, *vitiare iuuenculam*, ideſt, eam polluere humore aqueo, quem ſpadones efficiunt: cámque deintegrant: at non propterea verum ſemen efficiunt ſpadones: ergo idem erit de fœminis viros ardentibus. Nonnulli arbitrati, Ariſtotelem parum ſibi conſtitiſſe, quia primo lib. de generatione animalium ſemen negauit fœminis: illud autem videtur admiſiſſe in problematis. Cum enim rogaſſet, cur fœminæ ſint magis libidinoſæ, quàm mares? Item & aues, quàm animantes terreſtres? Reſpondet; quia teſtes habent intra corpus; quibus corpus crebrius, ac vehementius ſentit ſtimulos veneris. At verò Ariſtoteles non propterea eſt inconſtans. Nam per verum ſemen intelligit vim effectricem, quam fœminis negat, concedit autem aqueum illum humorem, quo fœminæ titillantur. Nec videtur hoc à medicis alienum, Galenus enim lib. 14. de vſu partium cap. 1. ait, fœminam habere tenuem humorem in paraſtatis, qui nihil confert ad prolis generationem: quapropter functus ſuo munere eiicitur ex viro. Munus autem illius videtur fuiſſe ſola titillatio.

Verum Galenus perpetuo adſcribit ſemen fœ- §. 53.
minis, ibi autem præter illud, eiſdem adſcribit aqueum illum humorem, qui in congreſſu ob maiorem copiam ſentitur; deinceps autem pellitur paulatim abſque ſui ſenſu. Verba Galeni ſunt. *Verum in coitu repente, ac ſimul, vna cum ſemine is elabitur, &c.* Ad reſponſum Peripateticorum reſpondetur primò cum ſemen fœmineum iiſdem vaſis trahatur,ex eadem materia fiat, quibus virile, eodemque ardore fœminas amburat, inde concludunt,illud non eſſe verum ſemen.

Secundò reſpondetur, ſemen fœmineum eſſe §. 54.
valde

valde actuoſum, conficitur enim ex materia ſpirituoſa, quæ efficaciſſima eſt. Spiritus enim ad agendum inſtruuntur, ſunt enim calidiſſimi, fiuntque ex ſanguine puriſſimo, ac defœcatiſſimo. Tertiò, argumento Galeni. Niſi enim fœmina per ſemen concurreret actiuè, quemadmodum mas, cur filij matres referrent? cur multis in partibus illis eſſent ſimillimi? cur bilioſa bilioſum generat? cur rubra rubrum, aut tenibus dolens claudum? cur aries cum oue congrediens generat caprum lana mollem? cur equus ex aſina, & aſinus ex equa generant mulum? equidem, ſi ſolum paſſiuè fœminæ concurrerent per ſanguinem menſtruum: non generarent ſibi ſimiles in accidentibus, immo nec in ſubſtantia, ſed quilibet mas ex qualibet fœmina generaret ſibi ſimile in ſpecie: ergo illa ſimilitudo aliunde oritur. Nam principium paſſiuum, vt paſſiuum, non eſt principium diſtinguendi, nec aſſimilandi. Ratio igitur eſt, quia licet ſanguis ſit idem, at ſpiritus vitales, qui ex omnibus partibus confluunt, ſunt diuerſi, qui dicuntur à medicis continere ideas partium, à quibus dantur. Ab iis ergo ſpiritibus oritur illa ſimilitudo. Caiet. 3. p. quæſt. 32. art. 4. §. *& ex hoc patet*. Reſpondet filium eſſe ſimilem matri, quia ſanguis fit à matre, ex quo filius compingitur. Contra, etiam materia, ex qua pediculus compingitur, fit ab homine, cui tamen non eſt ſimilis. Nec item ſanguis menſtruus fit à partibus, in quibus filius euadit ſimilis matri, ſed à ſolo hepate. Quod ſi materia, ex qua fit filius, non eſt actiua, nec deriuata à partibus, non poteſt filius eſſe ſimilis matri in illis partibus. Demus autem quantitatem fieri à materia prima, anne propterea compoſitum redditur qualitate ſimilis materiæ? minimè gentium: ergo non ſufficit efficere materiam, ſed concurrere immediatè ad eam organizationem per principium actiuum.

§. 55. Ad rationem ſumptam ex ſpadonibus primum reſponderi poteſt, ibi non eſſe ſermonem de hominibus caſtratis: ſed de propriis ſpadonibus, qui teſtes habent, ſed nerui, quibus tenentur, ſunt diuulſi. Vnde ſemine titillantur, ſed illud non poſſunt eiaculari propter neruorum diuulſionem. Iis ait Plinius non contingere defluuium capillorum, vt eunuchis. Vnde non vrgetur argumentum factum ex ardore fœminarum qui in vtriſque oritur ex vero ſemine. At vero rectè obſeruat Ianſenius ſermonem eſſe de eunuchis caſtratis, quibus committebantur Virgines cuſtodiendæ. Illis enim comparat iudices corruptos, qui iuſtitiæ illis commiſſæ integritatem imminuunt, non ſecus ac caſtrati, cum commiſſas Virgines violant. Conſtat item eunuchos quandoque eſſe ardentiſſimos Veneris amatores: de iis igitur reſponderi poteſt, eos titillari imperfecto humore, qui loco ſeminis in eis conficitur, flaccido, inerti, & generationi inepto. Fœminas verò titillari vero ſemine generationibus vtili, cuius diſcrimen acute Caietanus obſeruat. 2. 2. quæſt. 154. artic. 12. quia fœminæ emiſſo ſemine, ſedantur, atque reſtinguunt ardentes cupidinis faces. Spadones autem cæco carpuntur igne nec ſedantur, aut ſatiantur venere. Vnde colligitur fœminarum ſemen eſſe ad generationem; quia natura cum finem aſſequuta quieſcit: ſpadonicus autem humor, & eius titillatio non eſt ad generationem, quia ſpadones non quieſcunt, nec ſatiantur coitu, ſed in illum inhiant auidius vt patet ex Eccleſiaſtici cap. 30. num. 21. *ſicut ſpado complectens Virginem, & ſuſpirans*. Vbi auarum videntem diuitias ſuas, nec eis fruentem, ſed potius mærore tabeſcentem comparat ſpadoni gemebũdo in ipſa occaſione voluptatum. Quia eas nec ſentit; nec Venere ſedatur. Cur ita? Quia nihil habet cuius finis ſit venus, quo obtento quieſceret. Nec deſunt exempla. Verus enim, & naturalis ſomnus ceſſat coctione iam effecta; quia ſomni finis eſt coctio: at lethargus non ceſſat: quia non dirigitur ad ſalutem. Item vera ſitis expletur neceſſario potu, ſitis autem non naturalis, augeſcit ipſa aqua; & in hydropem vergit: ita fœminæ, & viri integri ſedantur emiſſo ſemine: quia illius finem aſſequuntur: ſecus ſpadones; quibus natura nullum præſcripſit finem illius actionis venereæ.

Qua ratione ſatis præcluditur effugium Petri Garſiæ, aſſerentis fœminis datum humorem illum, vt illo titillatæ congreſſum expetant. Nec enim omnia, quæ ad id inclinant, neceſſario concurrunt ad fœtum, in cuius formatione nulla ſentitur voluptas: vt guſtus inſitus eſt à natura ad appetendos & traiiciendos cibos; in quorum coctionem quid agit guſtus? Hæc (inquam) ſunt præcluſa, quia ſi finis illius humoris tantum eſſet titillatio: ergo ſicut ſpado & puellulæ ſuo titillati humore nunquam ſedantur; ita nec fœmina ſedaretur: quia ad voluptatem titillaretur, vt ſpado: alius ergo finis eſt, quo obtento quieſcit Venus. Nempe ſeminum mixtio, & conceptio. Quod affertur è guſtu eſt abs re. Nec enim contendo, omnia, quæ excitant ad congreſſum, per ſe influere in fœtum; ſed illa eſſe illi neceſſaria, quibus excitata Venus, ſedatur poſt congreſſum: quia finem aſſecuta. Quæ enim præcisè ſeruiunt voluptati, nec alium illis immediatum finem natura præſcripſit; tam longe abſunt à quiete, vt potius in voluptatem inhient inſatiabili appetitu; vt de ſpadonibus dixit Spiritus Sanctus. Quod in guſtu patet, qui excitatus ciborum ſapore, & condimento lambit catinos, nec cibos abiicit niſi ægrè: ſtomachus autem illis nauſeat. Quid ita? quia guſtus ſoli ſeruit voluptati: ſtomachus autem coctioni, & bono communi. Ergo ſemen fœminæ aliò quàm ad voluptatem dirigitur. Adde otium fore, ad ſolam voluptatem ſemen conficere: Nam fœminæ ſatis multis pellicerentur. §. 56.

SVBSECTIO II.

Opinio negatiua propoſita, ac impugnata.

FOeminas nullum verum ſemen efficere, ſentiunt multi, ac graues authores. Eorum antesignanus eſt Ariſtoteles libro quinto de generatione animalium cap. 19. & 20. Auerroës, & antiqui Ariſtotelici. Ex Theologis autem S. Thomas 3. p. quæſt. 32. art. 4. perſpicuè negat fœminis verum ſemen vt colligitur ex argumento, *ſed contra*, vbi aſſerit Chriſtum non eſſe conceptum de Virgine ſecundum aliquam rationem ſeminalem, & in corpore articuli concludit B. Virginem ſolam materiam miniſtraſſe, quam dixerat eſſe ſanguinem menſtruum. Idque probat ex communi conceptu fœminæ. Quam ſententiam cateruatim Thomiſtæ ſequuntur (Caietano excepto, vt §. 70. patebit.) Eſtque hæc ſententia multis Theologis familiaris, quos Conimbrica refert lib. 1. de generatione, cap. 4. quæſt. 27. art. 1. & ſequitur P. Pineda lib. 1. de rebus Salomonis cap. 11. num. 6. §. 57.

Mouentur primò, quia fœminæ ſunt pueris ſimiles, & voce, & impubertate, pueri autem ſemen non efficiunt: ergo nec fœminæ. Contra, §. 58.

etiam

etiam ſunt ſimiles puellis exiguæ ætatulę,ſed puellæ non poſſunt concipere:ergo nec fœminæ. Item fœminæ ſunt ſimiles ſpadonibus voce, & pilis: ergo ſunt infœcundæ ſicut illi. Ad hæc, nonnullæ fœminæ ſunt ſimiles viris barba, voce, ac robore, ergo habent ſemen, ſicut viri. Negatur igitur conſequentia, quia illa ſimilitudo non oritur ex defectu ſeminis, ſicut non oritur ex infæcunditate.

§. 59. Secundò mouentur, quia fœminæ ſæpe congrediuntur cum viris ſine voluptate, ergo non emittunt ſemen. Contra, ſæpius cum voluptate venere vtuntur, ergo tunc ſemen emittent. Reſpondeo ergo, ſæpe illas coire ſine voluptate orta ex emiſſione ſeminis proprij, quia ſæpe illud non eiaculantur. Nec enim contendo eas in omni congreſſu ſeminare. Item nullam omnino interdum ſentiunt voluptatem, quia vel ſunt ægræ, vel immoderata venere amittunt ſentiendi temperamentum, vt quæ pellicatum agunt: vt ergo tunc non concluditur virum non habere ſemen, quia fœminæ illud non ſentiunt,ita nec eas proprio carere.

§. 60. Tertiò poſſunt argumentari, quia fœminæ non macreſcunt vſu veneris, nec elanguent, vt viri: quod neceſſariò eueniret, ſi ſemen conficerent. Nam illud fieret ex ſanguine puro, & ſpiritibus, & quemadmodum §. 44. dixi, virum deficere vires per venerem intemperatam; eadem omnino ratione contingeret fœminis:cuius oppoſitum experientia docet, & ſcriptura Prouerb. 30. 15. 16. *Tria ſunt inſaturabilia, infernus, & os vulua, & terra, quæ non ſatiatur aqua.* Reſpondeo primùm, fœminas etiam langueſcere venere immoderata. Secundò reſpondeo, non eſſe fœminis, ac maribus eamdem macreſcendi rationem. Mares enim,quia calidiores ac magis actuoſi, celerius ſemen conficiunt, illudque eiaculantur, quoties cum fœminis congrediuntur, at fœminæ non item. Adde fœminas eſſe humidiores, ac poſſe facilius reſarcire damna, quàm mares natura ſua ſicciores. Vnde ex ſanguine abundantiore facilius poterunt vitales ſpiritus refici. Tandem,quia viri extra ſe proiiciunt ſemen;fœminæ verò intra ſe id concipiunt, cuius calore ab vtero bona pars corporis incaleſcit, ac vitales ſpiritus recuperat.

§. 61. Ad teſtimonium ex prouerb. Reſpondetur: illo euinci inſatiabilem eſſe concupiſcentiam carnis, non quod non defatigetur ipſo vſu, ſed quia voluptas vſu capta, excitat ad nouum concubitum: in quem inhiant, etiam cum illius ſunt impotes, *laſſata enim non ſaturata receſſit.* Cui adſonat Pſalmus 35. num.3. *Vt inueniatur iniquitas eius ad odium:* ideſt,vt ex Kimhi ait Genebrardus,ipſum peccatorem tædet ſuæ iniquitatis. Numero autem 5. *Aſtitit omni via non bonæ,malitiam autem non odiuit*, ideſt, tametſi fatigatur iniquitate, adhuc eam amat. Eſt enim *ignis vſque ad perditionem deuorans,& omnia eradicans genimina:* nec verò de ſolis fœminis eſt ſermo Salomoni, ſed etiam de viris,teſte Ianſenio: *vulua* enim ibi ſumitur pro carnis illecebra. gloſſa ordinaria id intelligit de meretriculis. Immo ex Hebræo colligit Ianſenius ibi eſſe ſermonem de ſterilibus, quæ auidiores ſunt veneris, quàm fœcundæ.

§. 62. Quartò arguitur ex S. Thoma 3. p. quæſt. 32. art. 4. fœminæ non habent concurſum actiuum in prolem, ergo non efficiunt verum ſemen. Conſequentia certa eſt Peripateticis, probanda ſectione ſequenti contra Caietanum. Antecedens probat S.Thomas: quia in omni actione reperiuntur agens,& patiens;in generatione autem animalium, mas eſt principium actiuum: fœmina verò paſſiuum, ergo ſolus agit mas, & non fœmina. Minor probatur ex diſtinctione ſexuum: qui in fœmina totus eſt ad patiendum, in mare autem ad agendum. Nec ita eſſent,niſi propter diuerſas operationes. Confirmatur: quia aliunde confunderentur munera parentis vtriuſque: ſi enim vterque ageret, eſſet vterque pater: ſi verò pateretur vterque, eſſet vterque mater: ita in arboribus, in quibus nulla eſt ſexuum diſtinctio, non eſt diuerſitas patris, ac matris. Item in nonnullis piſcibus, rubeliones enim omnes reperiuntur pleni ouis.

Negatur antecedens: immo ſolæ fœminæ concurrunt ad generationem ſubſtantialem prolis, vt docent Gabriel in 3. diſt.4. quæſt. vnica, & OKamus in 3. quæſt.3. Item conſequenter dicent Scotici omnes negantes concurſum accidentis in ſubſtantiam. Ad probationem diſtinguo minorem. Mas agit præciſè, & fæmina præciſè patitur, nego minorem. Nam vtriuſque ſemen eſſe actiuum, & paſſiuum patebit ſectione ſequenti:Mas agit ſui ſeminis traiectionem in vterum, & reſpectu illius actionis fœmina patitur,tráſeat minor.Immò medici aiunt vterum concurrere actiuè ad ponendum ſemen in loco generationi apto. Quia mares illud iaciunt in ceruicem vteri,qui ſemine pulſatus,aperit oſculum, (quo clauditur intrinſecus;) & quaſi manu attrahit ſemen. Ad probationem reſpondeo, ſexuum diſtinctionem eſſe, vt mares ſemen eiaculentur intra corpus fœminarum; ad quod opus fuit, vt fœminea corpora poſſent facile dilatari ad capienda virorum ſemina, & inſtrumenta illarum actionum: oportuit item, vt ſemen titillans viros, illos efficeret compotes rumpendi corpora fœminea. Hoc tantum probat argumentum S. Thom. at non probat fœminas, poſt ſeminis conceptionem nihil omnino agere: cum & illa ſemina, fætuſque foueant inſito calore. Ad confirmationem reſpondetur,haud quaquam confundi munera parentum: licet enim fœmina agat, & virile ſemen paſſiuè concurrat, multis tamen legibus diſcriminantur. Pater enim dato ſemine, nihil agit. Mater verò illo concepto, illud fouet, ſanguinem præſtat, officinam dat efficiendi nobiliſſimum naturæ opus, illud alit in vtero, ac promit. En quam multis fœmineum munus longe abeſt à maſculino. In arboribus fœcundis ex duarum congreſſu id etiam cernitur: è palmis enim, quæ mares vocantur, debent ita conſtitui, vt aër ex illis virtutem deferat ad palmas fœminas; quæ illam in ſe admittunt; niſi enim tempeſtiue perflet ventus à maribus in fœminas fiunt illo anno infœcundæ: arbores autem mares non producunt in ſe fructus. §. 63.

Hæc communiter dicta ab iis, qui in Africa, aut calidis regionibus aliquandiu degere: fides ſit penes illos: id ego nunquam vidi. Ad argumentum de piſcibus. Reſpondeo, caſu admiſſo, omnes rubeliones eſſe fœminas: qui ouis incubant fœminarum in morem, qui in ſe concipiunt ſine alius piſcis actione. Caſus autem eſt admodum difficilis. Nec enim Rondeletius, & alij rectè colligunt, omnes piſces aliquarum ſpecierum eſſe fœminas; quia habent oua: nec enim illa in omnibus ſunt ad generandos ex illis alios piſces. Sed in aliquibus erunt oua maſculina; aliquibus fœminea, vt contingit in ſeminibus: Item gallus nonnunquam habet oua, inepta tamen excutiendis pullis. In animantibus terreſtribus, licet mares ouis incubent, vt columbi: at oua efficiuntur per effuſionem ſeminis vnius in corpus alterius. §. 64.

Cum

Cùm autem fœtus conſtet partibus tenuiſſimis, ac maximè ſanguineis, item & aliis ſolidioribus, reſpondent ex fœmina ſanguis ad primas, ſemen verò ad ſecundas.

SVBSECTIO III.

Difficultas ex myſterio Incarnationis.

§. 65. QVintum argumentum, idque grauiſſimum ſumitur ex myſterio Incarnationis. Videtur enim inferri Chriſtum conceptum ex ſemine Virginis. Etenim B. Virgo concurrit ad generationem Domini Ieſu tota perfectione, qua cæteræ mulieres ad generationem ſuorum filiorum: nec apex perfectionis illi eſt adimendus, ſed cæteræ mulieres, per nos, concurrunt medio ſemine, ergo & Domina Virgo. Conſequens autem eſt perabſurdum negatum à S. Thoma, tota eius ſchola, plurimis Theologis, ac Patribus, quos Pater Suarez adducit tom. 2. in 3. p. diſput. 10. ſect. 2. §. *de qua*. Quam ſententiam impugnat B. Aug. tom. 3. lib. 10. de Geneſi ad litteram cap. 20. vbi aſſerit Chriſtum non contentum in Abraham ſecundùm rationem ſeminis, ſed ſecundùm ſubſtantiam corporis. Deinde eſt hæc ſententia contra ſenſum Eccleſiæ aſſerentis in officio circumciſionis, *& procedens homo ſine ſemine*, vbi illa vox *ſine*, cum ſit negatiua, eſt vniuerſalis, negans omne ſemen. Tandem, quia Domina Maria non fuiſſet perfectè virgo: quia conceptio cuiuſque ſeminis in vtero, & eius reſolutio minuit virginitatem: licet non ſit ex coitu cum viro, vt vir virginitatem amittit ſeminis effuſione, licet non ſit cum fœmina.

§. 66. Hæc parum vrgent. Auguſtinus ſupra totus eſt in probando Sacerdotium Chriſti eſſe perfectius Leuitico, quia Leui decimatus eſt cum Abraham, in cuius lumbis continebatur per virtutem generatricem Abrahæ, Chriſtus autem nequaquam. Itaque ſeminis virilis concurſum negat Auguſtinus in conceptione Chriſti, fœminei autem nec meminit. En Auguſtini verba. *Ratio vera conceptionis eius non à ſemine virili, ſed longè aliter, ac deſuper venit.* Nec aliud erat opus Auguſtino ad probandam excellentiam Sacerdotij Chriſti. Ad teſtimonium Eccleſiæ reſpondetur, illius mentem eſſe negare omnem concurſum ſeminis virilis: de fœmineo autem, cum res ſit dubia, nec inter Theologos, & Philoſophos certa nihil curat Eccleſia, quæ ſe ſatis explicat in eodem officio. *Magnum hæreditatis myſterium. Templum Dei factus eſt vterus neſciens virum.*

§. 67. Ad argumentum. Reſpondetur, Virginem integerrimam ſemper fuiſſe. Nam habitus virtutis Virginitatis ſemper in illa fuit: quia nunquam appetiit, nec honeſtos viri congreſſus, ſed potius illos voto recuſauit, vt colligitur ex eius reſponſo ad Angelum. *Quo modo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco.* Ideſt, certa ſum non cognoſcere. Alioquin præſto eſſet ſolutio dubij, nempe, vt cognoſceret virum ſuum. Angelus autem reſpondit, myſterium fore perſeuerante eius voluntate de non cognoſcendo viro. Item nullam vnquam habuit aut delectationem veneream, aut conſenſum vllum. Vnde nullum elicuit actum, quo Virginitatis virtutem amitteret. Virginitas autem corporea illi fuit integerrima, quia nullo virili ſemine tacta fuit, nec congreſſu, nec eius genitalia aperta fuere. Sed Chriſtus penetratus cum corpore virgineo erupit, quo pacto & in cœlos penetrauit, & intrauit cœnaculum clauſis foribus. Semen autem virginis ſine vlla eius titillatione, voluptate, aut veſtigio ſenſus conſtitutum eſt miraculosè, & ſubitò in vtero Virginis, quin deferretur per conſuetos naturæ meatus. Nec ſeminis concurſus Virginitatem minuit, cum ſine vllo ſenſu; item ſine ruptione vlla, & non per conſuetas vias ſit conſtitutum. Virginitas enim in conceptione (vt ait Scotus) non violatur, niſi per actionem viri rumpentis genitalia: violaretur etiam per ſemen viri in matrice receptum, quia illo tangeretur vterus, vnde fœmina non eſſet intacta. Quod ſi virginitas minueretur per traiectionem ſeminis fœminei in matricem aperiendo vterū, id non contigit in conceptione Chriſti. In partu autem tollitur Virginitas per vteri, & genitalium ruptionem; quæ nulla omnino fuit in Virgine. Hæc contendit Eccleſia contra hæreticos, in iis Dominæ Mariæ Virginitatem conſtituit, hæc prædicat, in iis miracula recognoſcit. Vtrum autem ſemen ipſæ fœminæ efficiant? quid pertinet ad Eccleſiam? Ad argumentum ex viris reſpondeo, ſeminis effuſionem inuoluntariam illis, non adimere Virginitatem, at ſi voluntaria eſt, iam non ſunt Virgines, quia ipſi ſponte ſe deintegrarunt.

Nonnulli arbitrati integriorem eſſe Virginem, ſi abſque proprio ſemine conciperet, aſſeruere mulieres quidem ſemen efficere, idque non eſſe neceſſarium, vnde abſque illius concurſu B. Virginem potuiſſe eſſe Matrem Chriſti. Verùm ſectione ſequenti oſtendam neceſſitatem ſeminis ad efficiendam prolem. Deinde eſto, ne ſit neceſſarium ad concurſum actiuum immediatum, at eſt ad materiam, ex qua formetur fœtus. Nam vt refert Andreas Laurentius libro 8. cap. 3. hiſtoriæ anatomicæ, ſanguis menſtruus non eſt materia totius primæ formationis, ſed in parte viſcerum, & carnium: partes autem ſolidiores & actuoſiores, & ſpermaticæ omnes, quamuis aluntur, & augeſcunt menſtruo, non tamen formantur. Itaque omnes partes habent aliquam partem ſeminis: aliquæ verò totæ ſunt ex ſemine. Tunc ſic: ergo vt Domina Maria ſit perfectè Mater Domini Ieſu, debuere ex eius ſemine Chriſtiani corporis partes efformari: patet conſequentia, niſi enim proles componatur ex partibus natura ſua inſtitutis ad eius formationem, non erit filius eius perſonæ, cuius ſunt illæ partes: vt diſput. 1. ſect. 3. oſtendi de formatione Euæ ex coſta viri, quæ non fuit filia Adæ, quia coſta ex ſua natura non refertur ad formationem alterius viuentis, ſed ſolum ſemen eſt materia ex natura ſua inſtituta, vt ex ea compingantur totæ aliquæ & principes partes, aliæ verò ſaltem partialiter: ergo niſi Chriſti corpus coagmentatum ſit ex ſemine Virginis, non erit Virgo perfectè Mater Chriſti. §. 68.

Dices, vt ſit Mater Chriſti, ſufficit, ſi ex ſanguine menſtruo formata ſint viſcera, tunc enim eſſet in Chriſto aliquid Virginis natura ſua inſtitutum ad generationem. Contra: ergo diminuta eſſet Mater, ſi minus præbuiſſet, quàm cæteræ. Anne dicemus, Virginem non eſſe Matrem Chriſti ratione omnium, & præcipuarum partium, ſed tantum ratione aliquarum, omniumque imperfectiſſimarum? §. 69.

Hæc autem ſententia de conceptione Chriſti ex materno ſemine, & ſequitur per conſequentias legitimas ex medicorum philoſophia, & docetur expreſſe à multis Theologis, & Patribus. Anteſignanus eſt B. Bonauentura in 3. diſt. 4. artic. 3. quæſt. 1. in concluſione, & reſponſo ad §. 70.

B. Dama

B.Damaſcenum, Scotus ibidem q. vnica §. *ſed contra iſtud arguitur:* & cum his cateruatim omnes Franciſciades, Gabriel ibidem quæſt. vnica art. 1. adducens Bonauenturam, Scotum, Okamum, & alios: Okam. in 3. quæſt. 3. art. 3. accidentali. Maior ibidem, quæſt. 3. quam ſententiam valde probabilem cenſet Pat. Suarez tom. 2. in 3. part. diſp.10. ſect.2. §. *Hæ rationes.* Immo Caietan. 2 2. quæſt.154. artic. 12. Latè docet contra Ariſtotelem fœminas edere verum ſemen factum non ex ſuperfluitate inutili, vt putarat Ariſtoteles, ſed ex ſanguine, & 3.p. quæſt.32. art.4. ait potentias viri, & fœminæ eſſe ſimiles, differre tamen in re facta. Nam quod à viro fit, eſt ſemen actiuum; quod à fœmina, paſſiuum, ſiue ſit menſtruum, ſiuè ſemen. Itaque hæc ſententia non eſt inſolens ſcholaſticis.

§.71. E Patribus eam indicat Damaſcen. docet expreſſe Anſelmus lib. de conceptione Virgin & peccato originali, cap.8. agens de conceptione Chriſti iis verbis. *Quapropter, ſi ab his neceſſitatibus* (nempe ſubiacendi peccato originali) *ſemen aſſumptum de Virgine liberum oſtendi poterit, &c.* vbi comparat ſemen virile, & fœmineum, & oſtendit à virili contrahi peccatum originale, & cap.13. ait. *Per illud ſemen* (paucis interiectis) *quod noua virtute à peccato de Virgine ſegregat, &c.* & clarius capite 14. exponens Iobum, *quis poteſt mundum facere de immundo conceptum ſemine?* ait. *At, ſi de omni hoc ſenſerunt, ergo ſemen de ſola Virgine ſumptum immundum tami viri aſſerunt, quod impium eſt:* & infra ſemen de Virgine ſumptum aſſerit eſſe mundum Rupertus in cap.3. Ioan. aſſerens Chriſtum conceptum ex carne, vel ſemine virginis. Beda in caput 11. Lucæ, lib.4. cap.49. aſſerens illa verba B. Marcellæ, *Beatus venter, qui te portauit*, ex iiſdem refellit errorem Marcionis ſomniantis, Chriſti corpus non eſſe humanum iis verbis. *Qua enim conſequentia eius lacte credatur nutritus, cuius ſemine negatur eſſe conceptus? cum ex vnius, eiuſdémque fontis origine ſecundum phyſicos vterque liquor emanare probetur.* At fons, è quo lac emanat, eſt ſanguis; iſque menſtruus, vt opinantur medici, ex quo opinantur multi fieri etiam ſemen. E quibus eſt Caiet. 2.2. quæſt.54. art.12. Et quidem cum ſanguis menſtruus ſit eiuſdem rationis cum ſanguine venæ cauæ, ex quo fit ſemen; concluditur in omni ſententia, ſemen fœminæ fieri ex ſanguine, qui eſt menſtruus, & redundat in fœminis: vel eſt eiuſdem rationis cum menſtruo. Itaque Beda diſtinguit ſanguinem à lacte & ſemine, quia hæc ex illo, vt è fonte dimanant. *Niſi forte putanda eſt Virgo* (ait Beda) *ſementiuam ſuæ carnis materiam, &c.* Vbi ſanguinem coctum in lac, ſuggeſtumque per mammas vocat ſementiuam materiam, quia ſanguis idem poterat in ſemen coqui. Quando verò Patres aiunt Chriſtum conceptum ex puriſſimo ſanguine Virginis, verum eſt, tum de ſanguine, ex quo fiunt viſcerum parenchymata, & partes carnoſæ: tum de ipſo ſemine, qui eſt puriſſimus ſanguis defæcatus.

SECTIO VI.

De concurſu viri & fœminæ ad prolis formationem.

§.72. DIco primò: in generationem actualem filij ſola fœmina concurrit actiuè immediatè. Hæc concluſio ſequitur apertè ex diſput. 9. phyſ. à ſectione 3. vbi oſtendi accidentia, nec res imperfectiores non poſſe eſſe cauſam adæquatam immediatam rerum nobiliorum; ſed ad earum concurſum exigi cauſam immediatam æquè nobilem, cui reſpondeant omnes formalitates effectus. Cum ergo ſemina ſint ignobiliora fœtu, egent concurſu immediato agentis principalis, quod cum ſit eiuſdem ſpeciei cum prole, adæquatè illam producit. Hanc concluſionem docent Okamus in 3. quæſt. 3. & Gabri. ibidem diſt. 4. q. vnica: quàm neceſſariò tuebitur Scotus, iiſdem rationibus, quibus calori negat concurſum in ignem. Et quidem, cum fœmina verum ſemen actiuum efficiat, habet virtutem generatiuam, quæ applicata fœtui illum generabit. Deinde eiuſdem ſpeciei ſunt mas & fœmina, vnde vterque habet eamdem ſpecie potentiam generandi, & quæ fuerit proximior, concurret. Vide argumenta, quibus diſputat. 9. phyſ. ſect. 3. dedi ſubſtantiæ totam virtutem efficiendi aliam.

Obiicis primo, hinc negari maribus virtutem actiuam: quia nũquam poſſunt illam exercere, quia diſtant à matrice: potentia autem, quæ non poteſt exire in actum, non eſt potentia, & eſſet otioſa. Nego ſequelam. Probationi reſpondeo, animam maris & fœminæ eſſe eiuſdem ſpeciei, & omnino ſimiles in ſubſtantia, nec ex ſe petere corpus maſculinum potiùs quàm fœmineum, aut è contra: ſed eſſe indifferentes ad vtrumque. Quod ſi anima maris eſſet applicata fœtui in corpore fœmineo illum efficeret. Itaque ex ſe virtutem habet: ſed per accidens impeditur corpore impote applicationis. Quod ſi hæc doctrina non placet, dic marem habere virtutem actiuam, eam tamen non poſſe exerceri ſecundùm omnes ſuos effectus, ſed ſecundùm aliquos, nempe ſeminis efformationem. Quod ſi diuinitus applicaretur, poſſet gignere filium. Ad probationem reſpondetur, non eſſe opus exerceri potentiam in omnibus actibus, & in omnibus indiuiduis: ſed ſufficere, vt in aliquibus poſſit exerceri. Nec item otiatur potentia: quia & aliqua efficit, & in aliis indiuiduis exercet omnes actus. At eſſe potentiam in vtroque ſexu patet, quia vterque eſt eiuſdem ſpeciei. Impotentia autem, vt in maribus exerceatur, oritur per accidens ex conceptu indiuiduo, quo non mutatur ſpecificus. Alij volunt poſſe ex natura rei marem applicari in inſtanti generationis. Sed non bene: conſtat enim ex Galeno vterum concipientem ita concludi, vt non capiat aciem acu. Deinde, mas non attingit cauitatem vteri, ſed tantum ceruicem: vnde vterus trahit ſemen ad matricem. §.73.

Obiicis ſecundò, mulum ex aſina non habere cauſam ſecundam principalem. Quia nobilior eſt quàm aſina. Reſpondeo, dubium eſſe, vtrum mulus ſit nobilior aſino? Nam cum ſemen efficiat mulus, eſt impos generationis. Eum autem eſſe robuſtiorem & grandiorem oritur ex accidentibus acceptis ab equo, ex cuius ſemine fit. Perfectio autem eſſentialis ſumitur ex nobiliori actione. Quamuis enim aquila perſpicacior ſit homine, tamen quia nulla aquilæ operatio cõferri poteſt cũ intellectione humana, ideo homo eſt nobilior aquila. Ita nulla operatio muli conferri poteſt cum generatione ſubſtantiali, quam poteſt exercere aſinus: quia inter motus materiales, generatio eſt admodum nobilis. Dices, mulũ ſe nutrire & producere ſubſtantialem animam, & vnionem. Contra, nam plus exigitur virtutis ad generationem alius viuentis, quàm ad nutritionem: ſpado enim ſe nutrit; nec tamen poteſt hominem gignere. Itaque & iumenta nutriuntur, in quo non ſuperantur à mulo, §.74.

in

inſuper & generant alia iumenta,& mulos, in quo ſunt mulis ſuperiores. Quamuis enim mula Zopyri,& alia aui Galbæ pepererint, portentum fuit: & quamuis Ariſtoteles, & Theophraſtus aſſerant mulas in Cappadocia & Syria parere, Plinius tamen lib.8.c.44.id negat,& vetus prouerbium *cum mula pepererit*: quo ſignificatur euentum aliquem deſperari, & fore *Ad Kalendas Græcas*.

§.75. Secundò reſpondeo, quemlibet mulum poſſe produci ex equa & aſino; in equa verò erit virtus actiua muli;quia illa nobilior eſt mulo. Tertiò reſpondetur,in vtroque parente eſſe virtutem ad generandũ mulum, inſufficientem quidem in alterutro;quia licet mulus ſit nobilior aſino, & ignobilior equo, tamen eſt vtrique ſimilis, & vt ſimilis aſino non poteſt oriri ab equo. Defectus autem equi ſuppletur à cauſa prima. Nec mirũ ſi in iis ad eam recurrendum;ſunt enim monſtroſa:nec per ſe intenta à natura.

§.76. Dico ſecundò. Semen fœmineum eſt ſimpliciter neceſſarium ad generationem prolis.Hæc concluſio eſt omnium medicorũ,excepto Petro Garſia diſput.36. cap.5.§. *Mihi autem videtur.* Hippocrates primo de Diæta, *ſi quis* (inquit) *animam animæ* (id eſt ſemen ſemini) *miſceri neget,amens eſto.* Videatur Andreas Laurentius lib.8. cap.4. Hiſtoriæ:& in controuerſiis quæſt.11. Peramatus lib. de ſemine, & Valleſius infra referendus. Probatur primò; quia fœminæ verum ſemen efficiunt, quod ex natura ſua dirigitur ad generationem, ergo ſemen illud per ſe eſt neceſſarium ad generationem: antecedens probatum eſt ſectione præcedenti: conſequentia patet: quia natura nihil per ſe efficit ad aliquem finem, quin ſit neceſſarium ad eumdem finem; alioquin ſuperfluum eſſet medium ad eum finem. Obijcis primò, habitus naturales eſſe ad producendos actus, ad quos non ſunt ſimpliciter neceſſarij, ergo licet ſemen fœmineum nõ ſit ſimpliciter neceſſarium, poteſt ex natura ſua eſſe ad generationem. Primum antecedens eſt falſum vel propter hanc rationem: quia enim potentia ſe ſola eſt productiua actus, ideo habitus non eſt productiuus actuum. Deinde nego conſequentiam: quia præſtat habitus facilitatem, ad quam ſit, quæ niſi ab illo non eſt. Aliquid ergo eſt à ſemine fœminæ,quod non eſt à ſemine viri.

§.77. Obijcis ſecundò, ſemine fœmineo iuuari virile ad celerius generandum,& facilius. Contra: quia facilitas non reperitur niſi in potentiis apprehenſiuis,& appetitiuis. Celeritas autem poteſt reperiri: ſed principium illud,à quo oritur celeritas,cõcurrit actiuè ad ſubſtantiam effectus, vt ignis exiguus iuuatur alio ad breuius producẽdum ignem. Vnde vterque eſt neceſſarius ad producendũ ignem:non quidem determinatè neceſſarius,ſed indeterminatè, vt quilibet oculus ad videndum.

§.78. Obijcis tertiò,ſemen fœminæ eſſe neceſſarium, non tamen ita determinatè, quin ſine illo generatio contingat,vt potentia generatiua viri eſt per ſe neceſſaria,& à natura ad id directa;at præſente fœmina,& applicata fætui, nõ egetur potentia virili. Contra, ergo etiam ſine concurſu virilis ſeminis continget generatio:quia etiam contingit ſine immediata actione viri:& quod tu reſponderis, arbitrare à me etiam reſponſum. Igitur ſicut congreſſus vtriuſque parentis eſt neceſſarius ex natura rei, ita & mixtio ſeminis vtriuſque. Vt enim natura cõgreſſum illum neceſſarium prouidit,itidem prouidit ad generationem omnia,quæ per ſe diriguntur ad eum congreſſum,aut ſequuntur.

§.79. Confirmatur: Aduerſarij negant ſeminis neceſſitatem, quia ſemen viri, & fœminæ ſunt cauſæ eiuſdem rationis, & in vna poteſt eſſe tanta vis, vt non egeat ope alterius: vt homo imbecillus non poteſt ſine alio ferre lapidem: alius autem robuſtior poterit:contra hoc fundamentum arguo. Aut enim illa ſemina ſunt diuerſarũ, vel vnius ſpeciei: ſi primum, ergo defectus vnius non ſuppletur ab alio quantumuis perfecto.Nam concurſus intellectus non poteſt ſuppleri ab habitu luminis gloriæ, nec ab intellectu ſuppleri poteſt concurſus ſpeciei impreſſæ. Ratio à priori, quia cauſæ diuerſarum ſpecierum particularium ſunt ad diuerſas formalitates effectuum: quarũ vna ita reſpondet vni cauſæ;vt non poſſit alij. Si verò ſunt eiuſdem ſpeciei, ergo tantum differunt ſecundum magis & minùs in qualitatibus: ergo poterit in ſemine fœminæ creſcere qualitas actiua quantum ſufficit ad agendum. Nam ſunt multæ fœminæ calidiores viris, à quibus prægnant: cum igitur vtrumque ſemen ſit eiuſdem ſpeciei, vtrumque eſt capax earum qualitatum: creſcent ergo qualitates in ſemine fœmineo: ergo non erit opus ſemine virili.

Dicũt,fœminas calidiores habere ſemen actuoſum; id tamen non poteſt generare, quia calidis §. 80. deeſt ſanguis neceſſarius ad coagmentandum fœtum. Contra, eſt euidens argumentum: arripiat Dæmon ſemen calidũ viraginis, illúdque traijciat in vterum temperatæ, hæc prægnabit, & pariet, nam ſemen virtutem habet actiuam, & fœmina,in quam immittitur, eſt temperata: vnde tam bene concipiet, quàm ſi cum viro calido coijſſet. Hoc autem eſt in philoſophia inauditum, & in fide abſurdum: quia conceptio Chriſti ſine ſemine viri non eſſet quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, cum virtute Dæmonis applicantis actiua paſſiuis poſſet fieri. Immo ſi fœmina immittat ſemen in os pudendi,poterit trahi à matrice,& cõcipiet: vel Dæmon inde illud iaciet celerius quàm vir actione propria. Deinde diuinat hæc ſolutio:Nam ad conceptionem non requiritur tantum ſanguinis, quin ſuppleri poſſet copioſo ſemine; poſſétque formari fætus,& animari aliquandiu. Item pone fœminam aliquantulum calidiorem, ſed non intemperatè, quæ ſatis efficiet ſanguinis, & ſemen robuſtum habebit, non ſecus ac ſi coiret cum mare; tantum vel minus calido. Vt ergo hæc ab illo viro prægnaret: quidni & à ſe? Affert Garſia S.Thomam. Sed ſanctus Doctor dicit non eſſe neceſſarium ſemen; quia illud non conficiunt fœminæ,at ſi conficerent,non fore neceſſarium non docet S.Thom. Caiet. illud negat ad agendum, ſecus ad patiendum. Idem dixerim de Ariſtotele: qui non adducuntur è re.

Secundò,probatur ex medicis, maximè Hippocrate, aſſerentibus conceptionem celerius, & per- §. 81. fectius fieri; ſi ſemina ſimul ab vtroque parente fundantur. Quod ſi fœmina non multo ante, aut poſt coitum ſeminet,etiam contingere conceptionem:non tamen adeo perfectam. Quod ſi ſeminatio fœminæ diu diſtet à coitu, aiunt nullam contingere conceptionem. Quia ſpiritus ſeminis virilis diſſipati euaneſcunt abſque fructu. Hæc medici: quæ haud facilè probabunt.

Tertiò, probatur euertendo fundamenta oppo- §. 82. ſitæ ſententiæ: aiunt enim, ſemen requiri ad concurſum actiuum in prolem:ſed ille concurſus non eſt neceſſarius: quia generatio poteſt oriri à ſemine viri: ergo. Probatur minor: quia ſemen fœminæ eſt frigidum,& imbecillum,cuius concurſus ſuppleri poteſt per ſemen viri,quando eſt præcalidum, & valde actuoſum, vt ſæpe contingit; ergo.

Verum hoc fundamento non poſſunt niti, niſi qui totum concurſum tribuunt accidentibus. Nam ſi ſubſtantia concurrit immediatè: quid refert, eam intenſiora,aut remiſſiora habere accidētia? Diſpoſita enim materia,ipſa ſubſtantia cōcurret,vt ignis exiguus ad generandum alium ex materia ab alio agēte diſpoſita.Deinde ſuppleatur concurſus actiuus: at paſſiuus quomodo ſupplebitur? Dices magnitudine ſeminis. Contra, maior eſt fœtus, quam materia ſeminis. Deinde cum vtrumque ſemen ſit abſimilium qualitatum, aliquæ partes, quæ inclinant in ſemen fœmineum, non coaleſcent ex ſolo virili. Præterea, cum ſanguis ſolum præbeat materiam ad viſcerum parenchymata,& carnes, anne mater naturaliter poterit eſſe mater filij ſecundum eas partes, & non ſecundùm omnes?

§. 83. Ad hæc (quod preſſiùs vrget) ſemen fœminæ potius requiritur ad exactam mixtionem,quàm ad concurſum actiuum in fœtum. Quod inde patet: quia niſi temperetur calor ſeminis emiſſi ab homine calidiſſimo,non contingit generatio. Vnde ſunt valde ſteriles congreſſus vtriuſque parentis, niſi ſint abſimilis temperaturæ.Calidus enim eget fœmina temperatè frigida, frigidus temperatè calida,ſiccus humida,&c.Quamobrem viragines,virum referentes robore,ac vocis aſperitate,ſunt ſteriles: quia carent frigiditate exacta ad temperandum ſemen viri. Quamobrem aiunt multi,mulos, ac mulas eſſe ſteriles; quia ſunt calidiſſimi. Quam longè aberrat ab ſcopo illa ratio de calore viri, & frigiditate fœminæ; cum potius ad temperandum virum ſit fœmina neceſſaria. Sunt enim viri calidi & ſicci, fœminæ autem humidæ & frigidæ. Viri robuſti,acres, impigri, flammei: fœminæ delicatæ ſuaues,inertes,aqueæ,ſedentoſæ:vt ex vtrorumque corporum temperatura cōſpiciantur vtrorumque genituræ diſcrimina. Quod ſi ob calorem acriorem ſolius viri ſemen compos eſt generationis;ergo viragines calidiſſimæ ſe ſolis abſque viris concipient, quia multos viros ſuperant calore. Quod oſtendam,quam ſit abſurdum.

§. 84. Obijcies, à multis Theologis affirmari, fœminas, cum ſentiunt ſe non ſeminaſſe in coitu maritali,nō teneri ſe prouocare ad ſeminandum extra coitum: quia illarum ſemen non eſt neceſſarium. Verum iſti Theologi etiam dicunt, eaſdem poſſe poſt coitum ſe prouocare ad ſeminandum, quia illarum ſemen eſt neceſſarium. Magis neceſſarium eſt quærere rationes, quibus illa prouocatio honeſtetur,quam quibus excuſetur.Excuſantur enim maritatæ, vel quia ſemen ſæpe funditur à fœminis quin illas titillet: vel quia ſæpe non diſtinguunt vtriuſque ſeminis titillationem: vel quia, etiam ſcientes, poſſunt honeſtè ſe abſtinere à noua illa delectatione ex affectu temperantiæ circa tactum, quemadmodum poſſunt (niſi vir recuſet) abſtinere à congreſſu.Nec enim ipſæ tenentur adhibere omnia media neceſſaria ad generationem; ſed tenentur non efficere aliquid contra illam:vel aliis multis rationibus honeſtabitur illa actio.

§. 85. Dico tertiò. Semen viri eſt neceſſarium, ex natura rei ad generationem. Hæc concluſio adeo eſt certa, vt non egeat probatione. Nuſquam enim contigit mulieri partus abſque mare.Eſtque maximum noſtræ fidei myſteriū partus virginis abſque viro. Quæ ſanctiſſima, ac doctiſſima Virgo, certa non cognoſcere virum, id Angelo obiecit. Videmus item animātes perfectas nunquam parere ſine mare. Immo oua ſubuentanea gallinarum ſunt inepta ad excutiendos pullos. Andreas Laurentius lib.8.q.5.fine,ait, à Valleſio affirmari fœminas calidas generare poſſe,ſed non poſſe id,quod conceperint, ad perfectionem perducere: quia deſunt alimenti reliquiæ. Andreas non refert Valleſij locum.Fortè huius impoſturæ anſam arripuit ex cōtrouerſ. lib. 1. c.6. fine, vbi ait fœminam ex ſe ſola ſolere vtero concipere. Verum Valleſius non ait eas conceptiones eſſe verè conceptiones ex natura directas ad generandū animal: dixerat enim prius, *Alia quærenda ratio videtur, quæ clarius doceat fœminam non poſſe ſine viro concipere. Eſt autem hæc vnica ratio.* Cum vero dicit contingere abſque viro imperfectas conceptiones, loquitur de concretione ſeminis fœminei, & eius coagulatione in quædam fruſta carnis informis,è quibus contingunt molæ matrices, vt gallinæ concipiunt oua ſubuentanea. Vindico Valleſium ab hac calumnia: eſſet enim in fide parum tutum veram cōceptionem ſine viro fateri, cum in Chriſti conceptione id fuerit mirabile. Item quia poſſet quis vlterius addere, fœminis iiſdem abundè ſuppetere ſanguinem ad perficiendum fœtum. Et quidem S. Ambroſ. in Epiſt. 81. ad Siricium Papam refellit quorundam errorem, aſſerentium Virginem concepiſſe manente Virginitate,ſed non generaſſe,ait Ambroſius. *Quæ potuit ergo virgo concipere, potuit etiam virgo generare:* igitur neganda eſt vera conceptio abſque viro, ne concedatur vera generatio abſque viro ex natura rei. Probatio huius concluſionis confirmari poteſt ex probatione quartæ.

Dico quartò, vtrumque ſemen concurrere actiuè ad efformanda organa. Eſt communis medicorum, item & eorum, qui fœminis negant verum ſemen, quia omnes (vno excepto Caietano) cenſent, non eſſe verum ſemen abſque virtute actiua, qua carere cenſent fœminas, vt ex B. Thoma dixi §.77. cuius argumentum ſolui. Solus Fauius Pacij aduerſatur,vt refert Petrus Garſia in primam Fen, diſput. 36. cap.1.) vbi rectè probat actionem ſeminis in organa: quam verò contendit inſtrumentariam & immediatam, non aſſequitur: de qua egi diſput.9. Phyſ. Probatur ex materia ſeminis, quæ eſt partim ſanguinea,partim ſpirituoſa:ſed materia ſpirituoſa habet vim actiuam in illum effectum,ad quem ex natura ſua dirigitur, ergo & ſemen fœminæ habet actionem in organa,ad quæ immediatè dirigitur:probatur minor,tum quia ſpiritus ſunt ignei,vnde medici colligunt eorum actionem,tum quia illi diriguntur ad organa,nō vt materia, quia præ tenuitate non poſſunt coagulari, ergo vt efficiens: immo & vterus multum agit in organa,tum fouendo ſemina, tum præſtando influxum in organa delicatiora. Galenus enim miratus humani corporis admirandam ſtructuram, cenſuit præter vim formatricem ſeminis,aliquid diuinum ſemini incubare, ratus tam mirandum effectum non potuiſſe à tam imperfecto principio prodire: vim illam diuinam,quam exigit Galenus, cēſeo eſſe animam rationalem applicatā fœtui per vterum.Quæ ſicut omnes ſenſus moderatur, ita eos limat,& expolit,poſitis autem primis filamētis à ſemine, ipſa texit tunicam,quam induat filij animus:ſemen viri actiuè concurrere probatione non eget.Vide concluſionem primam, vbi tribui fœminis immediatam actionem in fœtum, vide etiam §. 54. Vbi ex ſimilitudine probaui actionem fœminæ. §. 86.

Dico quintò. Semen virile paſſiuè concurrit ad fœtum,ita,vt in eius materiam inducatur rationalis animus. Hæc eſt omnium medicorū cum Hippocrate, & Galeno, Laurentij Andreæ, Peramati, Petri Garſiæ, & aliorum multorum philoſophorum,quos ſequuntur Patres Conimbr.lib.1.cap.4. §. 87.

quæſt. 28. artic. 1. Immo cum Fernelio opinantur Ariſtotelem ita opinatum de materia craſſiori, & ſanguinea ſeminis, actuoſam autem, aut in flatus conuerti, aut ex vtero ſecerni. E contra Valleſius 1. lib. controuerſiarum cap. 6. ſub initium, acriter impugnat hanc Ariſtotelis interpretandi rationem. Hanc ſententiam probant medici primò; quia ſi ſemen viri non concurrit paſſiuè debet ex vtero ſecerni facta conceptione, vel in flatus abire; at id nequaquam contingit; ergo. Maior probatur, tum quia vterus totus corrugatur ad conceptionem, nec admittit niſi fœtus principia neceſſaria. Facta autem generatione, ſemen non eſſet neceſſarium; tum quia corrumperetur in vtero, ac morbo graui fœminas læderet. Minor probatur, quia ſi ſolueretur in flatus, nimis intumeſceret vterus, & eſſet prægnantibus moleſtiſſimum. Secerni autem non poteſt, tum quia vterus ita clauditur, vt vix capiat cuſpidem acus, tum quia fœminæ non ſentiunt ſeminis ſecretionem, quando concipiunt. Immo Hippocrates ait, partus peritas facilè percipere, quando conceperint, nec ne.

§. 88. Hoc argumentum non vrget. Ad maiorem propoſitionem reſpondeo: ſemen vtroque modo reſolui, & interdum partem eius in vtero manere inter tunicas cum aliis humoribus abſq; veneni periculo, vt tradit Garſia diſput. 36. cap. 4. §. *multo autem facilius.* Quamobrem nego minorem, ad probationem maioris, & minoris reſpondeo, vterum non ita corrugari, quin intra ſe aliquid capiat præter ſemina. Oſtedi enim ex Galeno, fœminas, præter ſemen, emittere aqueum humorem, quem poſtea ſecernunt ex vtero. Sæpe etiam contingit tempore cōceptionis plus menſtrui ad vterum affluere, quam ſit opus, illúdque eijciunt. Vnde non ita obſtruitur vterus cæmēto, quin poſſit aperiri: cum aperiatur ad excludendum menſtruum, humorem aqueum, & ad excipiendum nouum ſemen, ex quo contingit ſuperfœtatio. Natura enim, quæ claudit oſtia, eadem aperit, cum expedit, licet ea iterum obſeret. Ad cæteras probationes reſpondeo, ſæpe & frequenter ignorare fœminas quid ſecernant; quid non: nec ab illis poſſe hac in parte argumenta deſumi. Item nonnullis moleſtæ ſunt conceptiones, tum quia ſemine in vtero retento, fætidis ſpiritibus grauantur, tum, quia ex illo multum aëris efficitur; aliis autē non eſt tam moleſta conceptio, quia facilius ſemen abigunt. Et quidem ſpiritus vitales aliquo modo reſolui neceſſe eſt: qua ergo parte illi diffluunt, diffluet pars ſanguinea, quæ tunc alendis ſpiritibus, & reactione vterina erit valde attenuata.

§. 89. Secundò, mouentur medici; quia nutritio partium eſt valde ſimilis primæ generationi: at nutritio oſſium fit immediatè ex medulla, quæ eſt ſimillima ſemini: ergo illæ partes coagmentãtur ex ſemine. Nec hoc vrget; tum quia ſemen habet vim formatricem omnium membrorum, & quemadmodum ex eadem materia chyli fit ſanguis in hepate, & ex ſanguine fit medulla in oſſibus, & ſemen in teſtibus: ita ex ſanguine menſtruo idem ſemen ſimul cum vtero, aut ſe ſolo efficiet materiam ſingulis partibus aptam. Et quemadmodum oſſa non nutriuntur ſemine, ſed ſanguine coägulato in medullam; ita non compinguntur ex ſemine, ſed ex ſanguine medullam referente. Præterea dicet aliquis cum Caietano, eas partes compingi ex ſemine fœmineo; non ex virili, quia vtrumque habet munia diuerſa, alterum agendi, patiendi alterum. De tritico ſumunt argumentum; quia granum eſt materia ex qua fit triticum. Verum cum arbores generentur abſque congreſſu diuerſorum ſexuum, non poteſt ex illis ad alia argumētum educi. Forte granum nō habet virtutem actiuam, vel intra illud erunt diuerſæ partes, altera paſſiua reſpondens fœmineo ſemini, altera actiua reſpondens virili: quæ munia natura partitur fœminæ, & viro.

Ratio à priori ſumitur ex definitione generationis viuentium: nempe filium oriri à patre, vt à §. 90.
principio coniuncto. Explicui autem diſp. 1. ſect. 2. Principium coniunctum non ſumi pro loci propinquitate inter effectū & cauſam, ſed quia pater per ſemen eſt principium coniunctum filij, quia aliquid patris reperitur in filio: eáq; propter filius eſt perſona coniuncta patri; ſed, ſi ſemen non concurrit paſſiuè, filius non oritur à patre, vt à principio coniuncto, ſed extraneo, ergo. Probatur minor; quia ſi ſemen non manet in filio, nihil patris in illo remaneret, quia pater per ſolum ſemen concurrit. Nec ſufficit ſemen eſſe deciduum à patre, quia tam ſemen, quàm pater manerent adæquatè extra filium: ergo filius eſſet extraneus. Confirmatur, quia ſemên in oppoſita ſententia tantum conſtitueretur, vt pater ageret per illud, ſed agere per virtutem à ſe emiſſam nō facit effectū cum agente coniungi: ergo. Probatur minor, quia agere immediatè per ipſam ſubſtantiam coniunctius eſt, quàm agere per aliquid à ſe diſtinctum, ſed agere per ſubſtantiam propriam non facit effectum coniunctum agentis, nec eius filium, vt pater in Deo creante Angelos: ergo ad producendum filium requiritur, vt aliquid agentis in illo maneat: ergo requiritur pluſquam agere. Equidem argumēto omnino phyſico non poteſt probari cōcurſus paſſiuus viri, eáque propter Petrus Garſia aſſeruit partem ſanguineam ſeminis non eſſe ita neceſſariam, quin ſine illa fieri poſſet generatio. Hæc autem ratio ex definitione videtur admodum efficax.

Obijcis, non poſſe ſemen virile agere in ſe ipſo; §. 91.
quia agens à patiente diſtinguitur, maximè cum ex illa actione ſemen corrumpatur in ipſa formatione fœtus: at ſe nihil corrumpit: ergo vel ſolum concurrit actiuè, vel paſſiuè ſolum: at concurrit actiuè: ergo non paſſiuè. Item ſemen fœmineum concurrit paſſiuè: ergo non actiuè. Iam oſtendi diſput. 9. Phyſic. ſect. 8. idem poſſe agere in ſe ipſo actione diuerſæ rationis à principio, per quod agit: vt anima agit in ſe, ſubſiſtentiam, potentias (ſi ab illa diſtinguuntur) vel actus (ſi potentiæ nō diſtinguuntur ab anima.) Deinde vtrumque ſemen aget, & reaget reciprocè. Quia verò argumentum ſumptum è corruptione ſeminis vrget. Reſpondeo, ſemen includere partem ſanguineam, craſſam & partem ſpirituoſam ac ſubtilem: hæc agit, & corrumpit aliam diſpoſitiuè. Illa verò ſanguinea patitur, & recipit formam fœtus, quo peracto ſpirituoſa ſuo iam functa munere, abigitur ex vtero. Quam doctrinam cum reddidiſſem, poſtea vidi eruditè traditam à Petro Garſia, diſput. 36. cap. 3. à n. 8. vbi obſeruat eas duas partes non dici partes, quia verè vniantur, ſed quia vtraque mixtim traijcitur ab animali ad generandum. Nam & pedites, & equites dicuntur partes exercitus, licet non vniantur phyſicè.

SECTIO VII.

Quæ partes efformentur prius?

GAlenus ſecutus (vt opinatus) Hippocratem, ait hepar primùm gigni in conceptione ani- §. 92.

malis: ſecundo, cor: tertio cerebrum; deinde totum corpus. Huic opinioni conſentiunt medici, iurati in verba Galeni. Valleſius lib. 2. controuerſiarum cap. 5. prope finem: & alij, quam opinionem probabilem cenſet Conimbrica lib. 1. cap. 4. q. 29. artic. 3. Mouentur primò, quia Hippocrates conſpexit genituram interlitam rubris venulis hepatis ſtamina referentibus, nihil enim aliud adumbrabatur. Verum Ariſtoteles teſtatur ſe conſpexiſſe in alia genitura veſtigium cordis abſque vllo aliarum partium indice. Vtri autem credendum? arbitror vtrumque ſibi viſum videre partem, quam primam eſſe volebat. Et quidem cum illa genitura Hippocratis vix eſſet hebdomadaria, nihil potuit adumbrare. Venulæ autem illæ, ſiue fibræ erant totius telæ prima filamenta, quibus initium dabatur integro operi: quamuis oculos ſugerent cuiuſque partis fila propria, nam & Hippocrates fatetur nihil præter hepar conſpicuè cerni. Præterea cum hepar ſit raræ, ac præhumidæ ſubſtantiæ, potuit facilius adumbrari, vltima autem manus non imponi ante cæteras partes principes.

§. 93. Secundò mouetur: quia hepar præbet toti corpori alimentum, natura autẽ maturè prouidit horreum, è quo abũde ſuppeteret annona cæteris partibus. Nam homo prius degit vitam plantæ, ſugens ſanguinem ab hepate. Confirmant; quia plantæ prius radices agunt, quibus terræ innixæ fulciunt truncum; & per fibrulas trahunt ſuccum, quo cæteræ partes coagmentantur. Nec vrget, quando enim anima inducitur in corpus, illud auget per veram nutritionem, tunc autem & ſunt iam partes nutriendæ, & partes vnde nutriantur. Cum autem nutritio plurimum pendeat ab inſito calore neceſſum eſt, adſint animalis caloris ſcaturigines aliquæ, quibus hepar iuuetur ad ſe, & cæteras partes alendum. Deinde, hepar ſanguinem gignit, vel ex chylo, quem abripit ab ſtomacho, vel ex ſanguine materno, quem ſugit per vmbilicalia vaſa; vt ergo medici ponũt primum hepar, quia ex illo nutriuntur partes; cur prius non ponunt, aut ſtomachum, aut vaſa vmbilicalia, quæ alant hepar? cum autem hepar reſiduum alimenti per venarum cauitates traijciat ad totum corpus: cur non ponunt eas venas, ne iecur obruatur ſuperfluẽte ſanguine? Quod afferunt de arboribus, non eſt è re. Nam & poſt primam formationem radicum, formantur truncus, nodi, rami, & fructus: itẽ abſciſſis ramis prioribus, renaſcuntur alij: at ſi hominem digito mutiles, non prodibit alius: nõ eſt ergo eadem vtriuſque ratio: Nam forma rationalis perfectior actus eſt, ac petit corpus exquiſitius aptum. Habet autem ſimilitudinem cum arbore in dentium, ac molarium formatione.

§. 94. Tertiò mouentur, quia illa pars formatur prior, qua primum indiget totum corpus; hoc autem eſt hepar: ergo.

Quartò, quia hepar fit abſque magna commutatione. Verum & hepar eget aut ſtomacho, aut vaſis vmbilicalibus: ergo illa erunt prima. Mutuo ergo pendent partes principes, ac propterea nulla prior. Ad quartum reſpondetur, rudia nonnulla ſtamina, & impoſita fortè prius duci; ſubtegumen autem non intexi, nec manum vltimam imponi ante partes cæteras. Immo & filamenta tota arbitror ſimul ducta.

§. 95. Quintò mouentur, quia in pueris recenter natis vegetior eſt vis altrix, quam alit hepar: deinde ſenſitiua; quam nutrit cor: tertio rationalis cerebro inſidens: ergo illæ partes eo formantur ordine. Imbellis conſequentia: nam robur illud non potuit eſſe in tam breui ſpatio. Immo poſſes dicere pueros carere tunc mente, quia tunc expertes eiuſdem vſus. Reſpondeo ergo: vim altricem eſſe robuſtiorem propter calorem & alias qualitates; quæ facilius exequuntur nutritionem, quàm ſenſus ſenſionem: quia hi pendent ab ſpiritibus animalibus, qui fiunt poſt coctum alimentum. Tum autem parum ſuperfluit: quia natura præcipuè negotiatur circa augendum corpus, & perficiendum.

E contra verò Peripatetici cum Ariſtotele ſentiunt primum efformari cor; quos ſequitur Peramatus Galeni hac in parte deſertor, lib. de hominis procreatione c. 4. tum quia id comperit Ariſtotelis oculata experientia. Tum quia cor eſt caloris origo, quo totũ corpus fouetur. Tertiò, quia quod vltimò emoritur prius viuit: cor autem moritur vltimo; ergo primò viuit. Non vrgent, ad primum reſpondi. §. 92. Ad ſecundum reſpondeo; calorem fouere corpus per ſpiritus vitales, qui fiunt ex ſanguine: ſanguis autem ab hepate elaboratur; à quo pendet cor in ſuo munere obeundo; de quo infra. Ad tertium, antecedens eſt dubium; & conſequentia nulla. Vnde enim cõſtat cor vltimò emori? Refert Pater Ioſephus Acoſta lib. 5. Hiſtoriæ indicæ cap. 22. iuuenem Hiſpanum locutũ poſt extractum cor: & Galenus ſe vidiſſe teſtatur victimas ambulantes extis iam extractis. Immo cum cerebrum ſit vitæ principium; illud erat prius formandum, & vltimo emoriturum. Conſequentia autem eſt nulla: nam quod vltimò viuit, non emoritur prius: ergo cæteris partibus non eſt obeundum neceſſario prius, quia poſterius ſint effectæ: ergo poteſt prius mori pars, quæ vixit prius: ergo id potuit cõtingere cordi. Primum antecedens patet in dentibus; quos poſt totum corpus incidit natura, & ante omnes partes euellit. Argumenta Galeni contra Ariſtotelem omitto, quia leuia; quæ ſatis diluit Laurentius Andreas lib. 8. q. 15. §. 96.

Omiſſis opinionibus, quibus alij cenſent ſpinam prius formari, vt carinam in naui, alij oſſa, vt fundamentum domus; alij pollicem, & minimum pedis digitum, & ſimilibus non egentibus impugnatione. Cenſeo omnes principes partes, quæ virtute ſpermatis fiunt, ſimul effici; nec vnam prius cæteris. Hæc eſt communis Stoicorum opinio; & plurium ex antiquis: quam amplectuntur è neotericis multi docti, inter quos Laurentius Andreas lib. 8 quæſt. 5. è noſtratibus eam ait valde probabilem Franciſcus Valleſius lib. 2. controuerſ. cap. 5. eam ſequitur Ludouicus Mercatus, & in parte Petrus Garſia diſput. 38. cap. 1. & ante hos Fernelius. Quã disertè docuit Hippocrates 1. de Diæta hiſce verbis. *Delineantur partes ſimul omnes, & augentur, nec prius alia alijs, nec poſterius, ſed maiores natura priores apparent minoribus.* Dices, ergo Hippocrates inconſequenter contraria aſſeruit. Quid tunc poſtea? nõnne homo? deinde, cum dixit hepar primum effingi, intellige ad ſenſum, quia magis conſpicuè patet: vt ipſe ait loco à me adducto, re tamen ipſa nullam partem cenſuit eſſe priorem. Idem docet lib. de locis. *Mihi quidem principium corporis videtur nullum eſſe, ſed omnia ſimiliter principium, & omnia finis.* Hæc produxi; quia Patres Conimbricenſes hanc exſibilant opinionem ea quæſtione 29. artic. 1. §. 97.

Probatur primũm, euerſione fundamẽti vtriuſque opinionis. Cor conſtituitur ab Ariſtotele, vt foueat totum corpus: ſed id præſtare non poteſt, quin ſimul ſint aliæ partes: ergo. Probatur minor: quia cor nec ſe alit, nec corpus fouet niſi ſanguine, & ſpiritibus, ſed nec ſanguinem, nec ſpiritus habere §. 98.

habere poteſt abſque aliis partibus: ergo ſine illis nec ali, nec fouere poteſt. Minor eſt certa, quia ſanguinem cordi partitur hepar. Dices, cor eſſe ſanguinis principium. Idem cenſuit Ariſtoteles ratiocinatione ductus: & fortè, quia vidit cordi adeſſe quaſi duo ſanguinis ſtagna. Verum deceptus fuit apertè, conſtat enim per venam cauam ab hepate ductam, ſanguinem affluere toti corpori, & ex anatome patet à ventriculo in hepar duci chylum, ex quo ſanguis fit. Deinde eſto cor ſanguinis fons: equidem cor non effingit ſanguinem niſi vel è chylo, vel illum ſugit à matre per vaſa vmbilicalia: ergo non eſt cor ante illa vaſa. Dices ſecundo, primum illum ſanguinem non fieri ex chylo, ſed ex ſanguine fœminæ. Hæc negantur à multis, qui opinantur per venam vmbilicalem deferri alimentum ad portæ ramos: ab his autem in ventriculum: vnde tranſmutatus, traijcitur in hepar per venas meſſenterij. Ex hepate autem affluit ſanguis toti corpori alendo. Nam cor, aut hepar non aluntur immediatè ſanguine alterius viuentis, ſed immediatè aluntur ex reſiduo chyli: illud conuertentia in ſanguinem. At ſanguis maternus eſt iam totus coctus, vt non modo inutilis ſit cordi alendo, verum & perniciofus: vt enim proprium ſanguinem toties iam coctum, nō recoquit in alimentum, ſed potius illo grauatur: ita nec alienum multa iam fæce vitiatum. Quod ſi conſentias medicis nonnullis cenſentibus ſanguinem maternum eſſe alimentum fœtus per vmbilicum: adhuc illi aiunt, illum ſanguinem defæcari in vaſis vmbilicalibus & aliis, vt congruè alteratus traijciatur in hepar: ergo ſiue hepar, ſiue cor ſit ſanguinis ſcaturigo, adhuc neutrum illorum cōſiſtere poteſt ſine vaſis vmbilicalibus, quibus ſugatur maternus ſanguis, & congruè alteretur. Hoc autem in præſenti intendo.

§. 99. Secundæ probationi præmitto: partes heterogeneas mutuo pendere à reciproca actione. Nam cor pendet à cerebri refrigeratione, cerebrum autem à calefactione cordis. Quod ita confirmo: cerebrum eſt naturæ frigidæ, quæ, niſi iuuaretur à corde per ſpiritus vitales, qui ſunt calidi, nō poſſet rectè ſuo munere fungi. Nec enim poſſet alimentum ſatis elaborare, quia ad alterationem perfectā requiritur calor, qui ſua actione vincat alimenti reſiſtentiam, & illud ſubiuget. Deinde, ſpiritus animales ſi frigeſcant, fiunt eneru es ſenſioni, & diſcurſui. Experimur enim cerebrum præ frigore, nimia pituita laborare: nec ingenij aliquid elaborare, niſi poſt coctos cibos. Si enim mens ſe poſt cibum operi adiungat, ſtomachus laſſeſcit, & pro vtili ac ſalubri chylo flegmata conficit pernicioſa. Quid ita? quia animalis operatio auellit calorem ab ſtomacho: ergo cerebrum eget calore aduentitio, nec ſibi inſito. Item cor prę calore ſuffocaretur, niſi per cerebri refrigerationem abigeretur aliquis caloris gradus, & pulmones adeſſent flantes, atque reflantes, temperatum aërem attrahentes, ac iam calidum abigēres. Quando verò cordi interdicitur vſus ille pulmonum, illi interdicitur vita vt apertè docet Galenus de locis affectis *ſi cor (inquit) reſpiratione priuetur, hominem illico interire, neceſſe eſt.* Cor ergo, vt viuat, pendet à partibus aliis. Dices: ergo morbus oritur ex inſita animalis natura. Diſtinguo conſequens, ex inſita vnius partis natura niſi aliarum beneficio fruatur, concedo conſequentiam: ſuffocatio enim oritur ex nimio calore cordis. Nego tamen oriri morbum ex inſita natura totius animalis, quia vna pars natura ſua temperat aliam. Immo abſolutè morbus non oritur à principiis intrinſecis etiam partialibus, quia pars per ſe vnius rei, per ſe petit cum alia parte in toto coniungi: ac proinde petit beneficium aliarum partium, à quibus perficitur. Si quando verò abiungitur ab aliis, & emoritur, aut langueſcit inſita qualitate, eſt per accidens, & contra illius naturam. Vnde per accidens, non per ſe poteſt morbus ab intrinſeco oriri. Quamobrem pars non petit exuberantem gradum, vt cum illo perſeueret, ſed vt in reciproca actione illū amittat pro alio oppoſitæ qualitatis. In quo manifeſtè falluntur nonnulli medici, quos ego audiui contra hanc philoſophandi rationem diſputantes, arbitrati inde ſequi per ſe morbum ab intrinſeco. Non enim expendunt naturam partium reciprocè agentium, & reagentium. Prouidit autem natura ſingulis partibus inſitæ qualitatis gradum exuberantem, vt per actionem aliarum, in illas agentium per contrarias qualitates, non amitterent temperamentum debitum toti corpori, ſed gradum redundantem, Atque ita reſiſterent vlteriori aliarum actioni. Eſt autem proprium qualitatis corruptiuæ in ſubiectum induci ab illo depellendo gradum aliquem qualitatis contrariæ. Ex cuius reſiſtentia oritur ſucceſſio. Recognoſce diſput. 1. à §. 73.

Hinc promitur ſecunda ratio cōcluſionis: quia cor tabeſceret, niſi beneficio cerebri frueretur: Item niſi temperaretur à pulmonibus. Dices in prima generatione non eſſe ciuilem illam partium cōſenſionem, ſed poſt perfectè formatum fœtum. Contra, illa cōſenſio oritur ex inſita cuiuſque partis natura, quem habent cor, hepar, & cerebrum. Immo ea ratione ponuntur illæ partes ab aduerſariis, vt tunc ſuo munere fungantur, nempe vt cor totum corpus calefaciat. Quod ſi hoc non admittunt, nullo fundamento mouentur: ergo niſi tunc haberet cor pulmonum folles, ſuffocaretur. Porro fœtum reſpirare in vtero docet Roſetus cum aliis multis: nec obſcurè Galenus adductus §. 99. & Hippocrates libro de natura pueri. Quod ſi velis cum aliis tunc non eſſe reſpirationem per os, & dilatationem thoracis: at eſt quidem tranſpiratio, quia per venam vmbilicalem cum ſanguine defertur aër: ergo ſine iis inſtrumentis cor non conſiſtet. Adde hæc ad hominem obijci. Cenſet enim Ariſtoteles cor primò viuere, vt ab illo partes cæteræ viuant: ergo tūc fungitur munere cordis: quo fungi nō poteſt ſine ſanguine, & ſpiritu vitali: quo adeo incaleſcit, vt ſtatim ſuffocetur, niſi adſit refrigeratio à pulmonum follibus. Hoc autem fundamentū Ariſtotelis medici reijciunt ex anatome. Cor enim primo ſuo natalitio non fungitur munere cordis, ſed alitur more carnis per ſanguinis ab hepate diſpenſationem. Tunc enim nō aperitur via ad traijciendum ſanguinem ad dextrū ventriculum, & ſpiritus ad ſiniſtrum: poſtea verò fœtu robuſtiori aperitur cor, & inhians venæ ſibi obiectæ trahit ſanguinem ad ventriculum dextrum; & iam elaboratum, & actum in ſpiritus vitales, ipſum traijcit in ſtagnum ſiniſtrum: tunc autem illi ſpiritus per arteriam toti communicantur corpori, iam mediatè, iam immediatè. Item tunc incipit reſpiratio per pulmones. Innixus ergo Ariſtoteles falſo fundamento de vitæ principio. §. 100.

Contra hanc concluſionem nonnulla obijciunt aduerſarij, nec pugnantia, nec velitantia. Aiunt, artem eſſe imitatricem naturæ: nec ſtatuam ſimul incidi, ſed per partes. Verum ars fuſoria ſimul excudit totū opus: nec maior eſt mora, quàm latio æris ad proprium locum. Cum autem principia fœtus adſint illi toti, non egent ea mora. Deinde ſculptor iā incipit à brachio, iam à pede, iam à capite: & §. 101.

& hoc imperfecto redit ad pedem: an ne hinc rectè ratiocinabitur philoſophus ad efformationem fœtus? Igitur faber non poteſt ſimul aſciam mouere, ſerram, & dolabrum, & cætera inſtrumenta. Semina autem iis non egent. Objiciunt naturam non ſimul perficere fœtum, quem poſtea erudit, polit,& dat elegantiam. Quid inde? Id præſtat ſimul in omnes partes,quas item ſimul produxit.

SECTIO VIII.

Vtrum homo fiat ex embryone.

§.102. B.Thomas 1.p.q.76.art.3.ad tertium, & q.118. art.2.ad ſecundum & 2. contra Gent.c.89. & nõnulli ex eius diſcipulis cenſent tres animas realiter diſtinctas ſucceſſiuè produci in formatione cuiuſuis animalis perfecti. Primam aiunt eſſe vegetatricem:ſecundam ſentientem:tertiam perfectam cuiuſque viuentis. Mouentur teſtimoniis Ariſtotelis. Quem tamen poſſumus interpretari non de multiplici anima, ſed de eadem prius exercente nutritionem,ſecundò ſenſionem.

§.103. Mouentur primò,quia natura paulatim promouet ſua opera, & prius materia fœtus diſponitur ad vegetationem, deinde ad ſenſionem, tertiò ad diſcurſum. Verum, licet id admittatur in homine, cur & in equo?Nam eius forma non eſt diſcurſiua, ſed ſenſitiua præcisè: cur ergo eius ſenſioni non erunt apta organa:quæ embryoni apta? Aut è quo veſtigio olfaciunt hi authores eam diuerſitatem embryonis & equi? ſecũdo mouentur,quia amygdala prius habent aqueum humorem:deinde aliam formam. Reſpõdeo, vel eſſe eamdem formam duriorem,aut teneriorem,vel illũ humorem non eſſe animatum, ſed coagulum ad compingenda amygdala. Illa autem promotio argumenti primi eſt ad organa:non verò ad animas diuerſas.

§.104. Hanc opinionem impugnat Petrus Garſia diſp. 38. cap.2. §. *Sed licet videantur.* Nihil enim cernimus in genituris,vnde illa animarum diuerſitas dignoſcatur. Nam hebdomadaria genitura, quam conſpexit Hippocrates, nulli debet eſſe argumento,eam fuiſſe animatam. Etenim virtute ſeminum poteſt materia coagulari, vt ex illa compingatur carnea illa genitura. Cum enim materia præ humiditate ſit tenerrima, & ſemina virtutem contineant effectricem organorum:ea poſſunt effingere in materia carente anima,non ſecus ac lac coagulo coagmentatur. Cõfirmatur:quia virtute ſeminum compacta fuit materia ad eam quantitatem, quam exigit forma plantæ: ergo itidem eadem virtute compingetur totum corpuſculum fœtus:cum materia ſit facillima coagulatu, nec amittetur forma ſeminis ante aduentum rationalis formæ.

§.105. Secundò, forma illa vegetatrix non expelletur per formam embryonis,quia diſpoſitiones ad embryonem non pugnant cum vegetatrice.Nam materia plantæ retinet ſemper inſtrumẽta nutriendi, quibus augeatur planta: immò ea inſtrumenta paulatim perficiuntur.Cur igitur corrumpetur illa forma? Dices, quia ille organorum apparatus petit aliam formam Contra, aduematur alia,quæ ſentiat in partibus participibus ſenſionis,at in oſſe,& aliis partibus inſenſibilibus, cur non manebit forma prior?Dices,quia eſt in maiori quãtitate,quam petit. Multum in hac ſolutione diuinatur. Vnde enim,aut ex quo effectu illius formæ colligũt,eam pendere à tam exigua materia?Si enim plantæ non ſe porrigunt,eſt,quia illis deficit calor,humor, aut alius influxus. Vbi autem hæc illis ſuppetũt abundè, plurimum creſcunt. Lactucæ enim multo maiores feruntur in Caſtella,quàm in Cantabria, aut Nauarra.Et equi corpulentiores in Hiſpania quam in Africa. Vnde ergo colligunt eam formam tam exiguis concludi tramitibus, vt non poſſit attingere quantitatem embryonis? Maximè cum ibi, vtero, ſpiritibus, & ſemine iuuetur ad augmentationis opera.In animantibus idem cernes:nõ enim excreſcunt: quia cor, & hepar non poſſunt miniſtrare tam abunde ſanguinem, & calorem, vt foueantur partes adeo diſtantes. Sic homines prælongi facilè frigent, ac ſoluuntur. Embryo autem in vtero calore abundat. Vnde ergo colligunt, illi non eſſe aptam materiam,quæ equo?

Deinde forma embryonis eſt incapax ſenſus: ergo non eſt ſenſitiua:probo antecedens: quia forma ſenſitiua petit ex ſe materiã in qua poſſit exercere ſenſum: ſed forma embryonis id nõ petit,ſed illi id repugnat:ergo nõ eſt ſenſitiua.Patet minor: quia toto tempore embryoniſmi eſt materia incapax,vt in illa exerceatur ſenſus:nec enim exercetur viſus, olfactus, aut auditus, quia carent obiectis: nec item guſtus. Nam & diu poſt embryoniſmum alitur homo per vmbilicum,& non per os: tactum autem exerceri tunc vnde conſtat in materia tam humida? Nam hic in vtero exercetur,vel in vltima ſuperficie,vbi ſentiuntur calor,frigus,durities,&c. Vel exercetur in ſtomacho ſentiente famis dolores. Primo modo exerceri tunc non poteſt tempore embryoniſmi,tum quia materia eſt valde humida, quæ non patitur imprimi actionis vitalis initia, tum quia non ſentimus qualitates temperatas, niſi aliunde applicetur nobis aliud corpus. Immo illis aſſueti non ea ſentimus: At embryo eſſet ibi in naturaliſſima conſtitutione: vnde non pateretur impreſſionem peregrinam.Tandem,quia vſus ſenſus datur à natura ad profectum animalis, oculi ad videndum,quæ expediunt,vt appetantur, &c. Tactui nullus tunc eſt vſus,nec finis,quia embryo tactus qualitate nullum ſibi poteſt emolumentum quærere. Fames autem tunc non ſentitur,quia non nutritur per ſtomachum, qui famem ſentit; nec ille ſenſus tunc prodeſſet quicquã; quia embryo tactus fame non poſſet cibũ quærere:quia illi miniſtratur per vmbilicum, & nõ per os:immo fames fauces pulſat ad cibum: quarum vſus tunc eſt interdictus. Nullũ ergo relinquitur veſtigium, quo poſſimus colligere ſenſum illum poſſe tunc exerceri: ergo forma embryonis non eſt ſenſitiua, quia ex ſe nihil ſentire poteſt. Deinde eſto tactus, an propter ſolum tactum vnam formam cõſtituemus? talpa quatuor habet ſenſus, illa forma ſolum vnum. Immo verò nec pueri multis poſt formationem diebus ſignum dant tactus, quod ſi tunc hic ſenſus exercetur, exerceatur ab animo rationali, qui in vtero eum tantum exercet, & forte guſtum. §.106.

Tandem abſceſſu formæ embryonis moreretur embryo:at animal moritur per formam cadaueris, non verò per aliam viuentem. Quod autem dicitur ab authoribus hominem prius viuere vitam plantæ,deinde animalis,tandem hominis,ne intelligas pingue ſonans de triplici vitali forma, ſed de triplici operatione: primum enim alimur; deinde paulatim ſentimus, tertio ratiocinamur: hæc autem duo vltima nobis contingunt in lucem iam ſuſceptis. §.107.

Non omittam hominem fore parentem bruti. Embryo enim eſſet animal irrationale: careret enim diſcurrendi principio:& oriretur ab homine §.108.

viuens

viuens à viuente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ: ſufficeret enim illi ſimilitudo imperfecta ad imperfectam & impropriam filiationem. Nec eſt monſtroſa filiatio, vt muli, ſed admodum naturalis. Quod ſi Deus conſeruaret embryonem, vt ederetur in lucem, eſſet filius hominis aliquo modo, ergo & in vtero. E quidem non perſuadebor brutum ab homine generari. Exerceat ergo animus rationalis omnes actiones embryonis. Nec enim petit in vtero omnes ſenſus, & actiones exercere: ſed illas, quas per te exercent formæ vegetatrix & ſentiens: item & ſi qua eſt, quam illæ non poſſunt: eo ergo tempore, quo ſenſus apti ſunt ſenſioni, aut carnea maſſa vltimo diſponitur; infunditur animus.

§.109. Videtur ergo definitioni animæ cōſentaneum, eam induci in corpus proximè aptum ad fungendam vitam. Tunc enim omnes partes ſpermaticæ ſunt vltimo diſpoſitæ & cum primum animus inducitur, fugit per vmbilicalia vaſa alimentum, quod illi prouidit natura: quem vel traiicit in ventriculum: cuius reſiduum trahitur ab hepate, vel per venam vmbilicalem directe mittit in hepar: hinc autem à corde, & cæteris partibus trahitur: cor autem cum primum incaleſcit, refrigeratur pulmonum follibus, aut per venam vmbilicalem, quibus aërem ſpirat, atque reſpirat, vel tranſpirat. Hæc actio pulmonum non incipit ipſo inſtanti generationis, ſed poſt traiectionem ſanguinis ab hepate in cor; quod tunc non adeo flammeſcit antequam alatur ſanguine, & ſpiritibus ab ipſo decoctis. Animus autem breuiſſimè coquit chylum, aut alterat ſanguinem maternum, aliꝗue proprium, ac partitur toti corpori. Vnde nunquam otiatur: quia ſtatim incipit cibum ſugere ac quam citiſſimè totum corpus alit. Partes autem, ad quas vltimò defertur ſanguis, tunc non viuunt formaliter in actu ſecundo, quod pro tam breui mora non eſt mirum. Dices, in ſubſtantiis ipſum viuere, eſt illarum eſſe. Reſpondeo intelligi de vita in actu primo, non in ſecundo, quia actio vitalis eſt extra eſſentiam hominis.

SECTIO IX.

Formatio fœtus, atque geſtatio.

§.110. THeologi nonnulli opinati, animam rationalem in viris infundi die quadrageſimo à conceptione, in fœminis autem die octuageſimo: de viris idem ſentiunt Patres Conimbricenſes, de vtriſque autem conſentire videtur Pater Suarez tom.2. in 3. part. diſp.10. ſect.2. §. *Suppono quartò.* Fundamentum eſt lex purgationis, quam tulit Moſes Leuit. 12. 3. vt purificaretur die quadrageſimo quæ virum peperiſſet, quæ fœminam autem die octuageſimo: gloſſa ordinaria, Lyrana, Procopius, P. Maldonatus in cap.2. Luc. Toletus ibidem annot.34. cum aliis multis rationem duplicatorum dierum purgationis ſumunt ex diebus, quibus fœtus animatur: mas diebus quadraginta, fœmina verò octuaginta. Immo Ariſtoteles cenſet marem gigni die quadrageſimo, fœminam circum circa nonageſimum.

§.111. Præmoneo, Patres, & Doctores huius ſententiæ non conari ex ea lege Leuitici oſtendi dies formationis: ſed ſupponunt ex Ariſtotele, & aliis philoſophis eam opinionem, qua poſita reddunt diſcrimen inter purificationem parientis filium, ac filiam. Quod clarè patet ex gloſſa ordinaria, quæ ait (*vt dicitur*) ac ſi dicat, ita fertur à philoſophis. Hinc autem non efficitur, contra hos patres pugnare, qui in philoſophia aliter cenſeat. Immo Beat. Aldefonſus Archiepiſcopus Toletanus ait purgationem puerperæ factam die quadrageſimo ſexto, quia tunc infantis membra perficiebantur. In quo ſenſu cæteros Patres accipio, non locutos de ſola animatione, & conformatione membrorum, ſed de perfectione, & formatione perfecta, quæ tunc finitur. Deinde fœtus non formatur, ſed vires accipit, & ſolidatur, aut ſtabilitur. Nec deſunt aliæ rationes illarum legum. Theodoretus quæſt.14. & alij volunt eas leges ita ſanctas, vt enixè liberarentur ab intemperatis maritis, ne eis tam cito vterentur, donec vires recuperaſſent, & reſpiraſſent ab acerbiſſimis partus doloribus: fœminarum autem dies duplicabantur forte, quia geſtatio puellæ eſt moleſtior, fit enim ex frigidiore ſemine, & cum ſit humidior viro, plus ſanguinis abſumit: eſtque moleſtior mare, etiam ab ipſo inuitam primo limine. Item nata non minuit triſtitiam matris, ſed auget. Beatus enim Auguſtinus, & Beda, quos ſequitur P. Toletus in cap.16. Ioan. Anot. 26. exponentes Chriſti Domini verba Ioan. 16. 21. *Mulier cum parit &c.* aiunt data opera dictum, *cum autem peperit puerum*, quia maiori lætitia afficitur mater puerum, quàm puellam enixa. Cum igitur ea lex fuerit ad leniendos partus dolores, & maiores ſint in puella parturienda, & minus leuentur, ea ratione lex illa lata eo cum diſcrimine.

Medici aliter ſentiunt de formatione fœtus. §.112.
Valleſius lib.2. controu. cap. 9. ad finem ait, fœminas nunquam formari ante diem quadrageſimum; mares verò formari diebus triginta, aut triginta quinque: Laurentius Andreas lib.8. q.19. docet ex Hippocrate, longiſſimum terminum fœminis eſſe duos & quadraginta dies, maribus autem triginta. Quam ſententiam latè, doctè, & eruditè confirmat Peramatus lib. de hominis procreatione cap.5. equidem ex anatome aliquid conììci poteſt: quæ autem ſit embryoniſmi periodus, & quod animationis initium, nec Hippocrates, nec Galenus, nec Ariſtoteles ſciunt: nouit autem, qui omnia nouit. Fœminæ tardius formantur: quia fiunt ex ſemine frigidiori, & imbecilliore: mares autem ex calidiore, magiſque robuſto. At fœminæ celerius ſe nutriunt, & augent quàm mares, quia licet ſint frigidiores, tamen ſunt humidiores, quod iuuat, vt facilius in ſe conuertant alimentum, item corpus fœmineum eſt rarius, delicatius, ac mollius, ad quod non exiguntur tam multæ vires: eaque propter fœminæ facilius, ac breuius veteraſcunt: viri autem ſunt ſicciores, ſiccitas autem eſt minus actiua. Item egent diuturniori tempore ad exſiccandum alimentum, illudque conuertunt in corpus robuſtius. Quam ob rem mares ſunt vitæ longioris.

Tempus geſtationis non omnibus præſcriptum §.113.
idem. Sextimeſtres partus in Hiſpania eſſe ſuperſtites refert Laurentius libro 8. quæſt. 30. Quid olim fuerit haud ſcio, nunc autem eos partus fœliciter euenire, nunquam audiui: nonnullos, immo & maturiores refert Peramatus ſupra cap. 6. ſeptimeſtres naturales vocat Hippocrates, & cum eo medici, & fatur experientia philoſophiæ doctrix. Contingunt partus octimeſtres, ſed non ſecundè. Menſis enim octauus eſt criticus. Rationem reddit Valleſius: quia infantes ſeptimo mouentur ad exitum: qui niſi exeant, laborant: à quo labore recreantur benignis vteri influxibus;

cui labori ſi addatur octauo menſe nouus parturitionis labor, deficiunt viribus, ac pereunt. Peramatus verò (ex quo hæc vt alia ſumpſit Laurẽtius) ſupra c 9. refert nonnullos partus octimeſtres, & ſuperſtites. Nonus autem menſis naturaliſſimus eſt omnium, præſertim ſi poſt vergentem medietatem noni eueniat partus, quia diutius diſtat ab octauo, & labore, quo afficitur fœtus motu ſeptimeſtris. Hũc menſem ſtatuit Hippocrates: ac deſignauit Virago Machabęa ſeptem filiorum ad immane martyrium hortatrix 2.Mach.c.7. nu.27. *Fili mi miſerere mei quæ te in vtero nouem menſibus portaui.*

§.114. Supereſt difficultas ex cap. 7. ſap. numero 2. *In ventre matris figuratus ſui caro decem menſium tempore.* Lyra. *Aliqui pueri naſcuntur menſe ſeptimo, & aliqui in nono, & aliqui in decimo, & iſti ſunt magis vitales, de quibus fuit Salomon.* Cum verò Chriſtus Dominus ortus ſit nono menſe à conceptione, ille partus fuit omnium vitaliſſimus. Aduerte menſes ſupputari à nonnullis (inter quos Valleſius) per dies nouem & viginti cum dimidio: at verò Laurentius Andreas ea quæſt. 30. ex Hippocrate, & Peramatus ſupra cap. 13. ſupputant menſem per dies triginta: atque ita componuntur à P. Lorino, Pineda, & aliis ſacræ paginæ interpretibus. Hoc numero dierum arbitror componi menſes ſolares à Salomone ſupra. Nam ſi lunares eſſent menſes, cum hi ſint breuiores ſolaribus, ille Machabææ filius natus eſſet menſe octauo ſolari, vel ſaltem non expleſſet dimidium noni. Numeratis ergo menſibus (non more Kalendarij) ſed magis aſtronomicè ex diebus triginta, nouem menſes includunt ducentos & Septuaginta. Chriſtus autem fuit in vtero Virginis dies ducentos & ſeptuaginta ſex, ſupputatis die vigeſima quinta Martij, qua fuit conceptus, & die vigeſima quinta Decembris, in cuius initio fuit editus. Expleuit ergo menſes ſolares nouem, & ex decimo attigit ſextum diem. Natus ergo fuit decimo menſe ſolari in eiuſdem ſexta die. Vt expreſſit Rabanus iis verbis. *Decimo verò menſe poſt conceptionem natiuitas ipſius à Chriſtianis celebratur, &c.* Qui menſis ab Hippocrate maximè commendatur, & ex eodem probat Peramatus ſupra cap. 9. (vbi doctè agit de partu vndecimeſtri.) Et ab antiquis tribuebatur heroibus. Vide Patres Conimb. Pinedam ſupra, & Suarez tom. 2. in 3. p. diſp. 13. ſect. 3. initio.

§.115. Dicitur autem Chriſtus natus nono menſe, vulgari quidem, & Kalendarij: ſupputamus enim ad vnum menſem à primo vnius ad primum alterius. Sic à 25. Martij ſupputatur ad 25. Decembris. Dies autem ſunt omnino iidem in vtraque ſupputatione. Sic intellige Machabeæam: & forte eius filius non attigit menſem decimum, nec expleuit nonum. Et quamuis Chriſtus vnico inſtanti fuit compactus, expectauit menſes heroum, accipies in vtero robur. Supputantur autem dies à mixtione ſeminum, quæ debet eſſe paulo poſt coitum, vt ſit fœcunda, vt iam dixi.

DISPVTATIO III.

De augmentatione.

SECTIO I.

Quid ſit augmentatio ſubſtantialis?

§. 1. AVgmentatio *eſt motus à minori ad maiorem ſubſtantiam.* *Motus* ſortitur rationem generis. Per ly, *à minori ad maiorem*, differt à diminutione, *quæ eſt à maiori ad minorem ſubſtantiam.* A generatione verò differt, quia hæc terminatur ad ſubſtantiam, augmentatio verò ad maiorem ſubſtantiam, hoc autem diſcrimen quantum ſit patebit inferius. Per ly, *ſubſtantiam*, differt ab accretione, quæ terminatur ad quantitatem, & ab intenſione, quæ terminatur ad qualitatem.

Contra primò, quando viuens alitur, & plus ſubſtantiæ deperdit, quàm comparat, (vt contingit ægris, & ſenibus) tunc eſt motus à minori ad maiorem ſubſtantiam, & tunc non eſt augmentatio, quia potius diminuitur viuens, quàm excreſcit, ergo hæc diffinitio non conuenit augmentationi. Reſpondetur diſtinguendo minorem: non fit augmentatio, ſi conſiderentur termini *à quo* & *ad quem* illius motus; nego minorem: non fit augmentatio, per quam ſuperentur partes quæ deperduntur per actionem contrarij, concedo minorem, nego tamen conſequentiam: quia non eſt attendendum vtrum per alios motus viuens diminuatur, ſed vtrum ex illo termino, *à quo*, oriatur motus, & ex termino *ad quem*, fiat maior ſubſtantia, quam ex ſolo termino *ad quem*: hanc autem maiorem fieri ex vtroque termino, patet ex terminis. Cui motui augmentationis valde extrinſecum eſt, viuens ab aliis contrariis varios pati motus, ſicut ſi eidem ſubiecto applicetur ignis à quo calefiat remiſsè propter coniunctionem contrarij, ſi ignis producit vnum gradum caloris, ſimpliciter calefacit ſubiectum, licet hoc ab intenſiori frigore dicatur frigidum. §. 2.

Contra ſecundò: augmentatio eſſentialiter differt à diminutione, ſed hæc differentia non explicatur in definitione, ergo. Probatur minor, maior ſubſtantia non differt eſſentialiter à minori ſubſtantia; ergo neque actiones tendentes ad illas. Nego minorem, quia quando augmentatio dicitur tendere *à minori ad maiorem ſubſtantiam*, ſubintelligitur, à priuatione maioris ſubſtantiæ ad ipſam ſubſtantiam, & quando diminutio dicitur tendere *à maiori ad minorem ſubſtantiam*, ſubintelligitur ad priuationem maioris ſubſtantiæ, quæ explicatur per illam vocem *minorem*, ſicut quando dicitur remiſſio eſſe ab intẽſa ad remiſſam qualitatem, intelligitur ad priuationem intenſioris. Itaque augmentatio habet terminum *ad quem* ſubſtantiam, & *à quo* eius carentiam: diminutio verò habet terminum *ad quem* carentiam ſubſtantiæ, *à quo* autem ſubſtantiam. Quapropter augmentatio eſt motus poſitiuus, diminutio priuatiuus. Ratio à priori eſt, quia ſicut generatio, & corruptio opponuntur priuatiuè: Ita & augmentatio & diminutio: & intenſio & remiſſio; quapropter habent terminos priuatiuos: & ſicut generatio terminatur ad ſubſtantiam, corruptio verò ad non eſſe ſubſtantiæ: ita augmentatio terminatur ad vniendam vnam partem ſubſtantiæ alij parti, diminutio verò terminatur ad priuationem talis vnionis; ita etiam intenſio terminatur ad intenſiorem qualitatem, remiſſio verò ad priuationem talis intenſionis. §. 3.

Inquiris: verùm augmentatio differat ab aggeneratione? Augmentatio eſt quaſi addita generatio. Dicam primùm quid ſit in re. Sæpe fit augmentatio quin tunc fiat noua generatio partialis, vt quando duæ aquæ coniunguntur, illa actio tantum habet pro termino *à quo* priuationem vnionis illarũ aquarum, & pro termino *ad quem* ipſam vnionem; aggeneratio autem partialis terminatur ad nouam partem formæ, vel vnionis eſſen- §. 4.

tialis:

Digitized by Google

tialis : qualis non eſt vnio continua. Deinde ſæpe fit vnio duarum partium materiæ, & fit partialis generatio vnionis, quin de nouo fiat pars formæ, vt contingit in hominis nutritione, cuius forma non habet partes, & vnio extenditur ad materiam alimenti. Tertiò contingit materiam de nouo vniri, & formam, & vnionem de nouo produci ſecundùm partes, & vniri partibus præexiſtentibus, vt contingit in nutritione cæterorum viuentium. Aliqui volunt omnes eſſe aggenerationes, quia, licet tunc nulla pars formæ, aut vnionis producatur, præſupponitur tamen iam producta: alij id recuſant, quia aggeneratio denotat nouam generationem formæ, aut vnionis. Loquere vt libuerit, ſed maioris claritatis gratia, ego cum vltimis loquar; itaque aggeneratio terminatur ad nouam partem formæ, aut vnionis, aut vtriuſque: augmentatio verò ad earum aut materiæ vnionem cum partibus præcedentibus. Video productionem vnionis continuatis eſſe generationem illius; ſumpta ergo aggeneratione latius, omnis augmentatio eſt formaliter aggeneratio.

SECTIO II.

De termino, & conditionibus augmentationis.

§. 5. NOnnulli opinantes in cõtinuo non eſſe vnionem phyſicè diſtinctam à partibus, conſequenter docebunt terminum augmentationis eſſe ſubſtantiam, vt indiſtantem ab alia parte: contra quos egi diſput. 15. Phyſ. ſect. 2. & ſic arguo: quia augmentatio eſt motus realis ſubſtantialis: ergo habet terminum ſubſtantialem. Antecedens negari non poteſt, quia homo nutritus, & iam factus vir, aliter ſe habet in ſubſtantia materiæ, & vnionis, ac quando erat puer: ſed hoc fit per augmentationem, ergo augmentatio eſt motus ſubſtantialis, neq; hoc credo ab vllo negari: conſequentiam probo. Quia motus poſitiuus habet terminum poſitiuum, cum ſit productio alicuius rei, ſed terminus poſitiuus augmentationis non poteſt eſſe indiſtantia partium, ergo eſt alius. Probatur minor, tum quia ſæpe fit diminutio ſine diſtantia partium, quia excrementa non diſtant à partibus, vt patet, in extremis vnguibus, qui non poſſunt ſine ferro abiungi à partibus informatis animo: ergo augmentatio, quæ priuatiuè opponitur diminutioni, non habet pro termino indiſtantiam partium: tum etiam ſuppono duas partes aquæ iam præexiſtentes, tunc vniantur, ecce iam habent augmentationem: rogo quid habeant de nouo per illam augmentationem, quod ante non haberent? Dices habere nouam vbicationem, per quam ſunt indiſtantes. Bene quidem: at vbicatio non eſt terminus augmentationis, hanc enim non eſſe motum localem eſt luce clarius, quid ergo haberent per augmentationem, quod non habebant, & per quod ex illis reſultet vnum per ſe ſubſtantiale? Certe illud neceſſario eſt terminus ſubſtantialis productus per augmentationem. Vide quæ dixi diſput. 15. Phyſ. ſect. 2.

§. 6. Qui dicunt puncta indiuiſibilia eſſe res, & non modos, conſequenter dicent terminum totalem augmentationis eſſe maiorem ſubſtantiam, formalem vero, & vt *quo* eſſe vnionem ſubſtantialem diſtinctam ex natura rei à partibus, & punctis. Ego verò conſequenter ad ea quæ dixi diſput. 15. Phyſic. ſect. 3. dico terminos productos per hanc actionem eſſe indiuiſibilia continui: quando fit maior linea, tunc producitur punctum continuatiuum, quando verò fit maior ſuperficies, tunc producitur linea continuans: quando autem fit maior profunditas, tunc producitur ſuperficies. Denique quando ſimul aggeneratur forma, diſtincta actio eſt ea per quam continuatur forma, ab ea, per quam continuatur vnio, & vtriuſque continuatio à continuatione materiæ.

Conditiones ad augmentationẽ ſunt quæ communiter requiruntur ad quamcumque actionem agentis naturalis; indiſtantia videlicet, & alia id genus; ad aggenerationem verò plures requiruntur ex his, quæ ad generationem, ſcilicet diſſimilitudo agentis, diſpoſitio materiæ, ſimilitudo formarum, quæ continuantur, &c. §. 7.

SECTIO III.

Vtrum augmentatio fiat tota ſimul, an ſucceſſiuè?

PОno realem diſtinctionem inter augmẽtationem & accretionem; quod hæc ſit ad maiorem quantitatem: illa ad ſubſtantiam maiorem. §. 8. De vtraque iiſdem rationibus diſceptata quæſtio. Pono item, poſſe eſſe duos quæſtionis ſenſus: alterum vtrum in totam materiam, in qua fit aggeneratio, ſubito inducatur forma ſubſtantialis ignis, aut hominis? Alterum vtrum in quamuis partem proportionalẽ prius inducatur, quàm in alias maiores: ita vt totam materiam pabuli occupet ſucceſſiuè, quamlibet verò partem ſubito, & in inſtanti?

SVBSECTIO I.

Impugnati, qui docent augmentationem eſſe motum continuum.

GRegor. in 1. diſt. 17. quæſt. 2. art. 1. Burlæus lib. 3. Phyſ ad textum 6. Sotus ibidem q. 3. art. 2. Iandunus & alij, quos referunt, & ſequuntur P. Conimbricenſes, 1. de Gener. cap. 5. q. 16 art. 2. & P. Antonius Rubius ibidem tract. de augmentatione quæſt. 3. num. 27. docent augmentationem fieri ſucceſſiue, & non in inſtanti. §. 9. Quam P. Rubius imponit S. Thom. 3. p. quæſt. 33. art. 1. corp. & ad 4. vbi ait. *Tertium oportet eſſe ſucceſſiuum, tum quia augmẽtum non poteſt eſſe ſine motu locali; tum etiam quia procedit ex virtute animæ iam in corpore formato operantis, quæ non operatur niſi in tempore.* Verum parum illis fauet S. Thomas eo loci. Quia non diſputat: *vtrum, quodlibet augmentum, vt præciſe includit aggenerationem partialem, ſit inſtantaneum?* Sed ait corporis augmentum eſſe ſucceſſiuum, id eſt, factum tempore; quod verum eſt de toto augmento, cuius vna, pars fit poſt aliam; nec enim totum corpus ſubito in totam ſuam molem augeſcit. Quod colliges primò ex mente Sancti Doctoris. Ait enim conceptionem Chriſti, & formationem Corporis factam fuiſſe in inſtanti: augmentationem verò in tempore: At conceptio cæterorum hominum, vt præciſè includit generationem hominis, fit etiam in inſtanti. Quæ verò ſucceſſiuè fiunt, ſunt membrorum delineatio, & diſpoſitio, quæ in Chriſto ſubito perfecit Spiritus Sanctus: ergo ſimiliter non accipit augmentum pro præciſa actione augendi, ſed etiam pro diſpoſitionibus antecedenter requiſitis, quæ ſucceſſiuè fiunt ab anima, & pro toto corporis augmento.

mento. Debet enim attendi diſcrimen à S.Thoma redditum inter Chriſti corpus,& noſtra.

§. 10. Secundo colliges: quia ait animam corpori vnitam non operari niſi ſucceſſiuè: quod falſum eſt de omni operatione: quia actus vitales ſubito fiunt: eſt tamen verum ſumpta operatione pro omnibus requiſitis etiam ad actiones momentaneas. Si ergo S.Thomas ad probandum augmentationem in ſe non eſſe inſtantaneam, poneret animam nullam habere operationem, niſi ſucceſſiuam, ſumeret principium Philoſopho indignum. Quid dicam tanto Doctore? Eſt autem eius ratio manifeſta in ſenſu à me adducto, ergo in illo, & non in alio locutus eſt S.Thomas. Nam ex rationum, quas adducit, robore eſt eius mens enucleanda: quando de ea eſt controuerſia. Nec enim credendus eſt B.Thomas rationes adducere à propoſito ſibi ſcopo aberrantes. Quod ait augmentum fieri cum motu locali, exponitur à Caietano non de motu formali, ſed virtuali: quia corpus auctum plus occupat loci, quod ſubito fieri poſſe infra patebit. Clarius autem exponitur, dicit enim. *Augmentum non eſt ſine motu locali*: & quidem verè, nam aut pabulum ſucceſſiuè applicatur homini, aut homo pabulo, illudque ſugit per vmbilicum in vtero, aut per os extra illum, quæ coniunctio non eſt ſine motu locali. Item non eſt augmentum ſine ſucceſſiua diſpoſitione qualitatum. Nec ſine aliis multis, quæ cum ſucceſſione fiunt: ipſa tamen actio in ſe ſine motu fit: hinc autem non infertur à S.Thoma ſentiri nutritionem ipſam immediate pendere à motu locali, patebit autem ſubſectione ſecunda, eum à nobis eſſe. Adducunt etiam Ariſtotelem connumerantem augmentationem inter motus: motus autem ſucceſſiuus eſt. Quaſi verò motus non abſtrahat à momentaneo & ſucceſſiuo, & generatio non ſit vna è motus ſpeciebus: quamuis momentanea?

§. 11. Vt ſuam ſententiam probent, ponunt primùm, formas ſubſtantiales, quamuis in prima generatione pendeant à certa magnitudine, in quam totam ſimul, & non ſucceſſiuè inducuntur: tamen eas non pendere à certa magnitudine in augmentatione: ſed poſſe hanc fieri in minori, ac minori parte materiæ. Et quidem bene: etenim formæ nequeunt eſſe, niſi vbi ſuis facultatibus fungantur: quod niſi in magnitudine certa non præſtatur. Aggeneratio autem iam ſupponit totam magnitudinem, quam exigit forma: & cum hæc præexiſtat in magnitudine neceſſaria: quæcumque magnitudo, quantumuis parua, accreſcat, auget magnitudinem priorem, & neceſſariam. Vnde ex minimo naturali non colligitur neceſſitas certæ magnitudinis ad nutritionem.

§. 12. Secundo ponunt omnia agentia naturalia agere vniformiter difformiter, vehementius, & citius in materiam proximiorem, in remotiorem verò remiſſius, & tardius. Item quælibet pars alimenti ita coniungitur corpori alendo, vt nõnullæ partes ſint proximiores; nonnullæ remotiores. Quia alimentum quantumcumque paruum, habet trinam dimenſionem, & quamuis ab ſtomacho, aut alio vaſe coquente contingatur ſecundum vltimas ſuperficies., non tamen ſecundum profunditatem; quia non penetrantur corpora: vnde videtur inferri totum alimentum ſecundum omnes partes non eſſe æquè applicatum agenti.

§. 13. Ex iis duobus principiis ita argumentantur. Ad nutritionem non eſt opus expectare vltimam diſpoſitionem in tota aliqua parte materiæ certa & determinata: ſed in quacumque parte prius diſpoſita poteſt fieri, quin expectentur aliæ: ſed partes alimenti non diſponuntur omnes ſimul, ſed prius vna, quàm alia, ergo aggeneratio prius fit in vna parte, quàm in alia: item in ea parte non fit tota ſimul, ſed prius in medietate, quàm in tota: & prius in quarta parte, quam in medietate. Hoc autem eſt fieri ſucceſſiuè & non in inſtanti: ſicut materia ſequitur ex ſuperficie ſecundum partem proportionalem, & non ſecundum aliquid diuiſibile; ergo nutritio fit ſucceſſiuè per partes proportionales, & non in inſtanti in aliqua parte determinata. Quo argumento miratus P.Rubius Iuniores nonnullos, arbitratur eos fuiſſe deceptos, dum opinati aliquando nutritionem contingere in inſtanti: licet frequenter ſucceſſiuè.

Verum eo argumento non multum efficitur. Negatur enim omnia agentia naturalia agere vniformiter difformiter ſemper, & in qualibet parte ſuæ ſphæræ. Probaui enim diſp. 9. phyſ. ſect. 6. aliquando agentia vehementius agere in diſtans, quàm in partem interiectam: vt Sol per Chryſtallum amburit lanam remotiorem, immo & manum, quin aërem propiorem: ergo aliquando erit alimentum ita diſpoſitum in parte remotiori, vt ſimul tota vna pars diſponatur, & recipiat formam aliti. Et quidem placet Achillem hunc à planta deiicere. Primum fatentur P. Conimbricenſes, alimentum ita paulatim conuerti in alitum, vt veniatur ad aliquam partem tam exiguam, in qua iam non poſſit conſeruari forma alimẽti: tunc ſic, ergo quando venitur ad partem illam, in totam illam inducitur forma aliti ſimul, & non ſucceſſiuè. Fatentur conſequentiam: Deinde, ergo non ſemper agitur vniformiter difformiter; quia in totam illam particulam actum eſt ſimul. §. 14.

Dices primo, inductam fuiſſe formam aliti ſine diſpoſitionibus: per accidens enim facta fuit illa nutritio: per ſe autem id non poteſt: contra, ergo aliquando contingit nutritio ſubita, & non ſunt adeo decepti Iuniores illi. Deinde parum philoſophicè admittitur forma in ſubiecto non diſpoſito. Nam, vt forma alimenti perſeuerare non potuit, ita nec eius qualitates. Vnde non fuit reſiſtentia alimenti: at ſine reſiſtentia contrarij rectè poſſunt qualitates ſubito traiici in totam materiam non reſiſtentem: vt ſol ſubito illuminat, & color eiaculatur ſpecies in partes remotas, ſiue immediatè, ſiue aliquas mediis aliis: quod in præſenti continget. Nec item eſt per accidens; ſed ex intrinſeca virtute agentis, qua poteſt totum alimentum abſumere; ex qua virtute directè ſequitur, *minimum naturale* alimenti. §. 15.

Dices ſecundò, tunc induci in illud minimum aliam formam diſtinctam à nutriente. Contra, tandem venietur ad partem tam exiguam, vt nullam aliam capiat: tunc autem redit argumentum. Dices tertiò, non pendere conſeruationem alimenti ab illo minimo. Contra: dependet in prima generatione, quia non poteſt eſſe, vbi non poteſt operari; ſed in illa exigua materia non poteſt operari: ergo neque eſſe. Eſt ergo ratio eadem in prima generatione & conſeruatione. Nam ſicut forma non inducitur primùm in vnam partem proportionalem, deinde in aliam; quia in priori parte tunc nequit operari: vel alias ob cauſas: ita nec in corruptione alimenti poteſt perſeuerare in parte proportionali minori, ac minori. Quod ſi hoc poſſit, quia tunc parum deeſt ad totam corruptionem, itidem poſſet in prima generatione, quia parum deeſſet ad totam generationem in tota parte determinata. Immo formæ facilius primùm inducuntur §.16.

inducuntur in materiam exiguam, & imperfectius diſpoſitam, quam conſeruantur, vt patet in prima animantium fictione. Quod ſi minima naturalia negantur in conſeruatione, eadem facilitate negabuntur in prima generatione. Stet ergo aliquando contingere nutritionem momẽtaneam in tota aliqua materiæ parte certa, & determinata. Vbi infringuntur aduerſantium vires.

§. 17. Deinde poſſe ſimul totam partem alimenti diſponi: & formam in totam illam induci probatur exemplo primæ generationis. Cuius materiam eſſe vel ſemina vtriuſque parentis, vel ſanguinem matris, vel omnia illa (ex natura rei) nemini dubium. Tunc ſic: illa materia diſponitur vltimò in vno ſolo inſtanti ſecundùm ſe totam, & tamen ſecundum ſe totam non eſt æquè coniuncta cum principiis diſponentibus; ergo materia inæqualiter coniuncta cum principiis diſponentibus poteſt tota ſimul vltimò diſponi, & accipere ſimul in ſe totam formam. Minor propoſitio eſt certa: nam principia diſponentia non penetrantur cum materia, quæ diſponitur. Quia ſemen, ſpiritus vitales, vterus, & ſi quæ ſunt aliæ cauſæ, non penetrantur cum ſanguine, aut ſpumoſa ſeminis portione: ab his autem oritur primò diſpoſitio; deinde à calore, & aliis qualitatibus ab illis deriuatis: deriuantur autem mediatè, vel immediatè totæ ſimul in totam materiam neceſſariam ad primam generationem. Vnde eodem modo poterunt deriuari à principio nutriente. Maior autem patet quia tota illa materia recipit in ſe totam generationem, nec prius in vna parte, quàm in alia, vt pono ex minimo naturali viuẽtium perfectorum, quod & aduerſarij admittunt: ergo in vno inſtanti vltimo diſponitur tota materia. Probo conſequentiam: quia generatio fit in eodem inſtanti, in quo terminatur vltima diſpoſitio: ſi enim fieret in tempore, non eſſet momentanea, nec tota ſimul in vna parte.

§. 18. Conſidera ergo quo inſtanti fiat generatio, in in illo ſunt omnia neceſſaria generationi, & vltima diſpoſitio. Siue enim maneant eadem accidentia geniti & corrupti, ſiue ſint diuerſa in genito: certum eſt generationem non fieri antequam præcedant omnia neceſſaria vt fiat. Nam quæ ſequuntur non ſunt neceſſaria, vt fiat. Ergo in illo primo inſtanti generationis fuerunt omnia neceſſaria, & non prius. Nam, ſi in aliqua parte priori fuiſſent priùs, quàm in toto minimo naturali; contingeret materiam in aliqua parte eſſe vltimò diſpoſitam, & carere forma: vel generationem non eſſe momentaneam. Hoc ſecundum aduerſarij fugiunt. primum autem refugit philoſophia: quia tunc non ſunt qualitates formæ abigendæ: quia vltima diſpoſitio ad nouam formam eas depulit, nec item eſt forma oppoſita, quia ſine qualitatibus non poteſt operari: ſicut nec eſſe poteſt in minori materia *minimo*: erit ergo vel forma ſine qualitatibus, vel materia ſine forma: vel qualitates contrariæ in gradibus incompoſſibilibus: quia iam non expectatur nouus gradus qualitatis in materia proximiori: ſed in remotiori.

§. 19. Adde, eadem ratione non poſſe organa vitæ vltimò diſponi niſi tota parte materiæ ſimul; quia niſi in parte certa non poſſunt operari. Nam anima per ea operatur: ergo ſi anima operari non poteſt niſi in materia certa, & operatio animæ per organa exercetur: hæc non poterunt operari niſi in materia certa; & conſequenter nec eſſe. Quod ſi dicas, cum primùm diſponitur pars propinquior, tunc in totam materiam induci formam. Contra, ergo inducitur ante diſpoſitionem vltimam; contra omnem philoſophandi rationem, & forma ex ſua natura & per ſe petit eſſe, & induci in ſubiectum non diſpoſitum. Immo illa erit diſpoſitio, quia ex natura rei petit forma illam materiam, & illa ex natura agentium non petit aliam diſpoſitionem: ergo. Quod idem ergo dicam de nutritione: cuius naturalis diſpoſitio erit qualitas intenſa in parte propinquiori, & magis remiſſa in remotiori. Iiſdem ergo rationibus habebit facultas nutrix virtutem diſponendi alimenti. Immo & facilius; quia nutritio facilius exercetur prima generatione. Nam rationes de propinquitate maiori, vel minori in prima generatione franguntur. Nec ob id admitto minimum in augmentatione ſed quamlibet partem minorem, & minorem poſſe conuerti in alitum: dico tamen non oſtendi repugnantiam, cur non poſſit exigua pars ſimul diſponi. Ad primum reſpondetur, partes remotiores æquè applicari ad influxum nutrientis: ſicut materia fœtus ſecundum omnes partes æquè applicatur diſponentibus ad generationem. Quia omnes illæ ſunt intra ſphæram, in qua poteſt agens æqualiter agere.

Age iam: Da aduerſariis nullam partem materiæ certam, & determinatam poſſe ſimul ſecundum omnes ſuas partes vltimò diſponi in vno inſtanti: ſed partem propinquam priùs: & ex hac priùs medietatem propinquiorem: ex hac autem priùs octauam partem, &c. Probatur inde nutritionem non fieri ſimul in tota parte materiæ certa, & determinata: ſed prius in parte propinquiori, & in alia minori propinquiori: At in tota materia fieri ſucceſſiuè, & continuè, non probatur. Hoc ergo probo. Nam vltimum indiuiſibile, quo terminatur quilibet gradus qualitatis, & in quo verum eſt dicere: *Nunc non eſt motus alterationis, ſed immediate ante fuit, & immediate poſt erit:* hoc (inquam) indiuiſibile fit in vno inſtanti, vt ex terminis patet: hoc autem indiuiſibile non incipit immediatè poſt aliud, quo in parte propinquiori priùs fuit productum aliud terminatiuum ſimilis gradus. Quia in ſententia, quam pono nunc de compoſitione continui ex punctis & partibus, immediatè poſt vnum indiuiſibile non ſequitur aliud. Explico. Applicetur hepati alimentum; cuius pars propior ſit A. remotior C. media inter vtraque B. prius tempore accipit A octauum gradum caloris, exempli gratia, & vltimum eius terminatiuum quàm B. & B priùs quàm C. indiuiſibile ergo partis A. non eſt immediatum indiuiſibili B. & hoc indiuiſibili C. Sed inter illa interiiciuntur partes qualitatis ſucceſſiuè productæ: ac propter rationem eamdem prius eſt indiuiſibile illud in quauis parte propinquiori, & proportionali. §. 20.

§. 21. Vnde ſic impugno aduerſarios; iſta indiuiſibilia fiunt ſingula ſubito & vnico momẽto, quamuis non omnia ſimul in toto alimento; ergo nutritiones partiales fiunt ſingulæ ſingulis momentis, & ſubito; quamuis non fiunt ſimul omnes in toto alimento. Probo conſequentiam: quia nutritio partialis non fit niſi in eo inſtanti in quo fit vltimum terminatiuum (vt mox probo.) Vnde concludo non fieri continuè vnam partem nutritionis immediatè poſt aliam; ſed inter vtramque interiici, totum tempus, quod abſumunt partes qualitatis interiectæ inter duo illarum terminatiua. Et quamuis illa puncta continuò fiant, quia ipſa continuant totam qualitatem: tamen nutritiones fiunt diſcretè; quia nihil illarum fit, quando fiunt

fiunt partes qualitatis: poſtea verò omnes nutritiones manent continuæ: vt cum aquæ ſucceſſiuè confluunt in ſtagnum, priùs vna quàm alia, hodie partes nonnullæ, cras verò aliæ: at confluxu peracto omnes manent continuæ.

§. 22. Argumentum ex §. 13. in forma ſoluitur, omiſſis præmiſſis, & conceſſa conſequentia. Ad cætera reſpondetur, incipere ſucceſſiuè eſſe incipere in parte minori, & minori continuè & immediatè poſt vltimum indiuiſibile, non vero quando non immediatè: vt patet in vltimis terminatiuis; quæ incipiunt in minori, & minori parte proportionali, non tamen ſucceſſiuè; quia inter vltimum indiuiſibile exiſtens in alito, & inter quodlibet exiſtens in materia alimenti interceſſit ſucceſſio partium terminatarum. Et ſicut hæc terminatiua ſunt ſimpliciter finita, & infinita ſecundum quid; eaque propter finito tempore finiuntur; idem eſt aggenerationibus partialibus; quia fiunt per partes proportionales materiæ, quæ ſunt ſimpliciter finitæ. Et ſicut nullum eſt primum terminatiuum, quin priùs fuerit aliud, ita nec vlla pars nutritionis. Denique illorum doctrina de inceptione, & deſitione indiuiſibilium vltimò terminantium erit tibi Theſæo filo ad repedandum proportionalium partium inuios anfractus, atque mæandros.

§. 23. Itaque in ſingulis momentis, quibus in parte proportionali finitur vltima diſpoſitio per indiuiſibile terminatiuum illius: fit etiam augmentum ſubſtantiæ: & in momento quo per indiuiſibile qualitatem terminans intrinſecè, diſponitur vltimo certa pars materiæ, fit etiam augmentum vltimum ſubſtantiæ: & ſicut quoduis indiuiſibile vltimò terminans qualitatem, fit in inſtanti; ita & quoduis augmentum ſubſtantiæ fit mométo: quia ſemper fit neceſſariò cum ipſo indiuiſibili: & ſicut duo indiuiſibilia vltimò terminantia qualitatem, non fiunt immediatè & ſimul: ſed C. prius tempore quàm B. & inter vtrumque producitur qualitas in parte materiæ, & in tempore: ita augmentum C. non fit immediatè cum augmento B. ſed prius tempore C. deinde B. tempore autem interiecto inter indiuiſibile C. qualitatis, & indiuiſibile B quieuit augmentum; quia tunc non erat ad illud vltima diſpoſitio quæ ſemper fit in inſtanti: & ſicut illa inſtantia non ſunt immediata, ita nec augmenta in illis. Et hæc non ſunt continua, quia poſt vnum ceſſat omnino aliud.

§. 24. Hinc oritur ſecundum aduerſariorum argumentum: quia repugnat nutritionem fieri in illis inſtantibus, quia licet indiuiſibilia terminantia ita fiant, at non poteſt nutritio: quia nutritio & accretio, ſiue vnio ad quantitatem fiunt in eadem temporis duratione (vt ego ipſe probabo infra:) accretio autem non poteſt fieri niſi cum motu locali, qui eſt ſucceſſiuus; ergo nec nutritio fit niſi ſucceſſiuè. Probatur minor primò, quia accretio eſt extenſio ad maiorem locum: quod fit cum motu ſucceſſiuo. Secundò, quia anima hominis occuparet maiorem locum, quam antea: & ſimul fieret præſens toti ſpatio, in quo eſt materia alimenti; quod experientiæ repugnat: quia anima nequit nouum locum petere niſi ſucceſſiua latione.

§. 25. Hoc argumentum non vrget (quin illud contra eos retorquebo;) nam in augmento rerum diuiſibilium tam ex parte materiæ, quam formæ, nihil inde ſequitur. Nam ignis, verbi gratia, quando augeſcit, non traiicit per medium partem præexiſtentem: ſed nouam producit. At noua non mouetur hinc illuc, ſed in tota parte materiæ producitur: tunc autem fit accretio, quia in tua opinione reſultat noua quantitas in ipſa forma ignis, quæ coniuncta quantitati priori auget molem; nec enim omnis accretio fit cum latione: in mea autem ſententia formæ pars recens producta eſt cauſa, vt quantitas alimenti & aliti vniantur; fitque ignis porrectior non ratione partium priorum, ſed recens productarum: noua autem pars ignis producatur à priori, vel ab accidentibus, vel à quo libuerit. Idem dixerim de nutritione imperfectorum viuentium, immo & perfectorum omnino materialium, quorum formæ ſunt ſectiles. Ergo in iis non eſt cur nutritio non fiat in inſtanti.

Deinde in homine nihil ſequitur abſurdi. Anima enim ſine latione formali poteſt nutrire corpus primum in ſententia aſſerentium eam non concurrere immediatè niſi per accidentia exiſtentia in paſſo: quæ tunc non trahunt animum, ſed producunt eius vnionem: eodem autem inſtanti eam producunt in animo. Nec enim opus eſt, vt animus prius intelligatur propinquare toti materiæ alimenti: iam enim eſt coniunctus illi ſecundum vltimas ſuperficies hominis & alimenti, & eodem inſtanti quo producitur vnio, eodem eſt anima in illa parte materiæ. Quod patet ex prima hominis generatione: Nam agens vnit animam efficienter ſimul in toto minimo naturali, & tamen non illam mouet per totam materiam minimi. Ratio à priori eſt, quia dum anima corpori catenatur vnione, nullum habet motum localem niſi mouendo partem aliquam corporis, vt oculis cernitur, & mente ipſa: quia per motum illum abiungeretur à parte, quam informat, vel manens in priori loco nouum acquiret, & conſequenter latio illa non eſſet à termino, *à quo*, nec animus moueretur vt actus informans, ſed vt ſeparatus: at in nutritione non mouet partem corporis præexiſtentem, nec materiam alimenti, ergo non ſe mouet. §. 26.

Dices, prius natura quàm animus vniatur parti alimenti, neceſſario eſt illi præſens: ergo per motum localem, & ſucceſſiuè. Antecedens dubium: mala conſequentia. Eſt enim dubium, vtrum animus prius natura corpori vniatur, quam ſit formaliter in loco: immo Caie. dixit nutritioné eſſe virtualem motũ, quia ex ea ſequitur maior occupatio loci, complementum autem ſubſtantiale prius eſt natura; quam accidétale. Omiſſo ergo antecedenti, conſequentiam inficior. Ad quod aduerte ſubſtantias indiuiſibiles habere virtualé extenſionem, ſunt enim in toto ſpatio diuiſibili per eamdem entitatem, ac ſi eſſent ſectiles. Intra totum ſpatium, cui ſimul poſſunt adeſſe, poſſunt totam vnam partem occupare ſimul. Angelus, verbi gratia, poteſt eſſe in toto hoc gymnaſio, & ipſe pro ſuo arbitratu poteſt eſſe in ſola medietate: ſi vult, poteſt adeſſe ſubito toti ſecundæ medietati, (vt oſtendo diſp. 12. Met. ſect. 6.) ita animus poteſt eſſe in toto ſpatio, quod occupat materia alimenti: hoc vltimo diſpoſito illi debetur vbicatio ſpiritualis, qua poſſit adeſſe toti materiæ: illa autem ſubito datur ad totum locum: quia continetur intra locum, cuius anima eſt capax. Tunc enim non mouet corpus, quod ratione ſuæ diuiſibilitatis non eſt totum in in qualibet parte loci; ac proinde non ponitur totum ſimul in vno loco, ſed partiatim. Nec illa vbicatio datur animo vt ſeparato, ſed vt vnito, quia datur vt nutrienti, & vt nouas partes informet. Et quidem aduerſarij ſibi aduerſantur hoc ſecundo argumento: quando fit nutritio ſubita in minima §. 27.

parte

parte alimenti, in qua alimentum conſeruari non poteſt:rogo vtrum fiat tunc motus localis?& quod ipſi reſponderint in eo euentu, reſpondeo ego in mea opinione.

SVBSECTIO II.

Vera Sententia.

§. 28. OPinor quamlibet nutritionē partialem fieri momento:nullam autē ſucceſſiuè.Item inter partiales aggenerationes interijci nonnunquam tempus reale:vnde illæ diſcretè fiunt.Ita Scotus in 4.diſt.44.q.5.verſi. *Per hoc ad fundamentum* in fine. Capreol.in 1.diſt.17.q.2.art.2 fine,aſſerēs formam inſtantaneè induci in ſubiectū vltimò diſpoſitum, non vero ſucceſſiuè, quamuis ſubiectū ſucceſſiuè diſponatur: Auerroes,Albertus,Pōponatius,Thomas Garuius. Ferrarienſis, Soncinas P. Toletus & alij apud Patres Conimbricenſes: éſtque communior recentioribus;quam verbum pro verbo ſumo ex S.Tho.2.2.q.24.art.6.corp.iis verbis. *Augmentum corporale in animalibus, & plantis non eſt motus continuus, ita, ſcilicet, quod ſi aliquid tantum augetur tanto tempore, neceſſe ſit, quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis aliquid augeatur, ſicut contingit in motu locali: ſed per aliquod tempus natura operatur diſponens ad augmentum,& nihil augens actu: & poſtmodum producit in effectum id,ad quod diſpoſuerat, augendo ipſum animal, vel plantam in actu.* Vbi obſerua, negari à B.Thoma ſucceſſionem illam continuam per partes proportionales: & aſſeri augmentum in hoc eſſe diſſimile motui. Item ceſſare augmentum toto tempore, quo durat ſucceſſiua diſpoſitio, & tunc non fieri augmentum in actu, fieri autem qualitatem diſponentem:item poſt diſpoſitionem fieri augmentum, nempe peracta diſpoſitione. Vnde concludit augmentum non eſſe motum continuum, ſed diſcretum. Ecce noſtra concluſio, & eius probatio expreſsè tradita à S. Thoma, cui verbum pro verbo refragantur aduerſarij.

§. 29. Probatur vnica ratione à priori. Vltima diſpoſitio ad quamlibet aggenerationem partialem, aut augmentationem ſubſtantialem (vtramque indiſcriminatim accipio) fit in inſtanti,& non ſucceſſiuè: ſed quælibet augmentatio fit ſimul cum vltima diſpoſitione, ita vt nec prius, nec poſterius tempore fiat: ergo augmentatio quælibet fit in inſtanti;& non ſucceſſiuè. Probata vtraque præmiſſa,conſequentia haud dubia. Maiorem propoſitionem probo, quia in continuis non datur primum, neque vltimum,niſi ratione indiuiſibilium. Nam partes proportionales excluſis punctis non habent primum, neque vltimum (vt patet:) ergo primum & vltimum eſt ratione indiuiſibilium:ergo vltima diſpoſitio in quantum vltima non poteſt compleri,niſi in inſtanti.

§. 30. Dices primò,diſpoſitionem, quæ petit primum & vltimum non compleri,niſi in inſtanti: eſſe autem aliquas diſpoſitiones,quæ non habent vltimū. v.g.diſpoſitio ad formam cordis primo producendam depēdet à ſexto gradu caloris completo, quæ diſpoſitio habet vltimum, nempe indiuiſibile terminatiuum ſexti gradus, hæc diſpoſitio non completur niſi in inſtanti at verò ad augmentationem cordis nō requiritur ſextus gradus caloris completus, ſed ſufficit quintus completus, & ſextus inceptus in quacumque parte. Hæc diſpoſitio non habet vltimū, ac propterea nec completur in inſtāti, ſed ſucceſſiuè. Cum igitur augmentatio fiat ſimul cum diſpoſitione,& diſpoſitio fiat ſucceſſiuè,idem erit in augmentatione.Confirmatur,ſunt nonnullæ formæ terminatæ ad *minimum quod ſic* in quo poſſunt conſeruari, at non poſſunt conſeruari in parte minori. Quamobrem ſublata quacumque parte interit forma. Hæc autem conditio *minimi* non deſtruitur in parte aliqua determinata minori,ſed in quacumque indeterminata.

Incipio ab hac cōfirmatione:res natura ſua terminatè intrinſecè ad minimum naturale corrumpuntur in inſtāti,quin ſit locus ſucceſſiuæ ſectioni minimi; ſi ergo in diſpoſitione augmentationis idem ſeruatur ordo, augmentatio fiet in inſtanti. Quod ſi ordo præpoſterus ſeruatur, præpoſterè affertur exemplum. Antecedens probo. Tunc corrumpuntur res eiuſmodi, ex præciſa ratione minimi,quādo illis detrahitur pars aliqua minimi;quia enim in minimo poſſunt eſſe, & non in minori quātitate; ideo quæcumque pars auferatur à minimo,corrumpit formam:alioquin poſſet eſſe in minori quantitate minimo:ſed pars detrahitur in inſtanti,& non ſucceſſiuè:ergo earum rerum corruptio eſt in inſtanti,& non ſucceſſiuè.Probo minorem: pars detrahitur formaliter, quando abiungitur ab alia,ſiue redditur non continua(vt ex terminis patet.) Hæc autem abiunctio fit in inſtāti,quia eſt corruptio indiuiſibilis vnionis copulantis partes continui.Vt enim cōtinui vnio eſt indiuiſibilis ſecundum conceptū in quo eſt continuitas,ſitq; in inſtanti ſecundum illū conceptum; ita eius corruptio fit in inſtanti.Quamobrem P.Conimb.fatentur totum minimum naturale alimenti ſubitò deſeri à forma alimenti,& occupari à forma aliti. §. 31.

Solutionem impugnat P. Rubius num.33. quia impoſſibile eſt formam induci ante completam diſpoſitionem,ſed immediatà poſt quintum gradum vltimò completum non completur diſpoſitio: ergo nec forma inducitur. Probat minorem: immediatè poſt completur diſpoſitio ſucceſſiuè: ergo immediatè poſt non eſt completa:patet cōſequentia, quia non poteſt res ſucceſſiua ſimul compleri & eſſe completa, ſimul fieri & eſſe facta: nam indiuiſibilia ſunt,in quibus res eſt facta:ac propterea in motu vocantur *mutata eſſe*,quia in illis ſolis dicitur res eſſe mutata. §. 32.

Non vrget. Diſtinguo enim minorem:nō completur diſpoſitio vltimò in ſuo eſſe, concedo minorem: non completur in ratione diſpoſitionis, nego minorem:quia vt ſic tota diſpoſitio non eget toto ſuo complemento, ſed qualibet parte vltra quintum gradum. Ad probationem diſtinguo minorem: completur vltimò ſucceſſiuè,acquirēs ſucceſſiuè integram ſuam perfectionem,nego antecedens: completur ſucceſſiuè ad habendū quod exigitur ad ſufficientem diſpoſitionem, concedo antecedens;quia tantum exigitur quælibet pars indeterminata ſexti gradus. Diſtinguo itē conſequens, immediatè poſt non eſt completa in toto ſuo eſſe, concedo conſequentiam: in gradu neceſſario ad diſponendum,nego. Ad probationem reſpondeo, rem ſimul poſſe compleri inadæquatè in ſuo eſſe, & in illo eſſe completa, non tamen ſimul compleri ſucceſſiuè & eſſe vltimò, & adæquatè completa. Item ſimul fit & facta eſt. Nam,cum fit,verè exiſtit extra cauſas, antequā exiſtat vltimum complementum: ergo tunc eſt facta in eſſe ſucceſſiuo, quia omne exiſtens creatum, vt exiſtens, factum eſt. Indiuiſibilia vocantur *mutata eſſe*,quia illis terminatur totus motus præcedens,& tunc eſt verum dicere. *Iam eſt factus motus*.quod intellige de toto motu vltimo terminato, at verò incompletè prius §. 33.

fuit factus ſecundum partem proportionalem, & hæc pars dicitur ab aduerſariis vltima diſpoſitio, non quod in illa ſit primum & vltimum, ſed quia vltra illam nulla requiritur alia.

§. 34. Eſt autem ea ſolutio difficilis impugnatu: non quod præſeferat vero ſimilitudinem: ſed quia delitescit in tenebris Cimmeriis partium proportionalium. Impugnatur autẽ in augmentatione ignis. Qui in parte præexiſtente ſibi vindicauit certum gradum qualitatis completum, ac determinatum: ergo eumdem ſibi vendicat in quauis alia parte. Antecedens eſt certum, tum quia ignis ſuos habet limites, qui niſi certi ſint, non poſſunt illi defigi: tum quia generatur in inſtanti, quando vltimus gradus diſpoſitionis perficitur: alioquin ſucceſſiuè produceretur,& inciperent ſubſtantiæ per *vltimum ſui non eſſe*, ac deſtruerentur per *vltimum ſui eſſe*. Nec hac in re longiori diſputatione egetur. Conſequentiam probo, quia in quacumque parte ſit forma ignis, retinet eumdem conceptum ſpecificum, & eſt cum eadem dependentia à diſpoſitionibus: ergo in quacumque petit diſpoſitiones eodem modo terminatas:probo conſequentiam,quia partes eiuſdem formæ homogeneæ eadem ratione perficiuntur. Nam,ſi vna pars ex ſuo conceptu peteret aliquem gradum caloris, quem ex natura ſua non peteret alia pars, ergo illæ partes non eſſent homogeneæ: quia ex hetherogeneis accidentibus, colligitur ſubſtantiæ diuerſitas: at petere complementum gradus certi, & determinati in intenſione valde diuerſum eſt,ac illum non petere.Maximè cum puncta indiuiſibilia ſint ſpecie diuerſa à gradibus. Et quemadmodum forma vendicans quintum gradum caloris, eſt abſimilis formæ petenti ſextum: ita pars petens ſextum gradum completum eſt abſimilis parti petenti quintum completum,& non ſextum.

§. 35. Confirmatur autem, ſolutionem hanc multum diuinare, præciſè vt defendat ſucceſſionem nutritionis,quia nõ habet poſitiuum argumentũ oſtendens diuerſitatem illã.Nam formæ diuiſibiles,licet ſint in partibus proportionalibus extenſiuis, & ſic non petunt vt ſunt in illis determinatam extenſionem qualitatum: at in ipſis proportionalibus retinent certam intenſionem,ſine qua exiſtere nõ poſſent. Item, formæ ſubſtantiales petunt materiam determinatam, ita vt ſit certa & determinata: nec enim in indeterminata produci poſſunt: ſed tam pẽdet noua cuiuſque formæ inductio in noua parte ſubiecti ab intenſione ſuarum diſpoſitionum, quam productio formæ à certa materia: ergo.

§. 36. Dices,formas à *minimo* pendere: quia non poſſunt eſſe,niſi vbi poſſunt operari: at in exigua materia operari nõ poſſunt.Contra:nec forma poteſt eſſe, niſi in parte in qua poſſit operationem exercere certam,& determinatam, nam indeterminata non ſufficit: ſed certam non poteſt habere, niſi à gradu certo,ergo.Maior patet ex prima generatione,in qua ſibi vendicat certos gradus qualitatis:& quemadmodum tunc non potuit informare materiam ſine gradu ſexto cõpleto, ita nec in augmentatione eaſdem ob cauſas: quod ſi oppoſitum negas in augmentatione, idem dicam ego cõtra te in prima generatione. Deinde forma conſeruari non poteſt ſine gradu certo, completo: quia eas qualitates petit ad operandum, & reſiſtendum: at operantur formæ in certo gradu: item & reſiſtunt.

§. 37. Dices in augmentatione nõ requiri certam materiam,ſecus in prima generatione, ergo idem erit in intenſione qualitatum.Primum aio,non requiri aliquam certã magnitudinem,ita vt in minori non poſſit fieri nutritio: at ſemper fit in aliqua parte certa, id eſt, in tota parte materiæ ſimul: ſicut fit complementum qualitatis.Vnde etiam fit nutritio cum illo cõplemento etiamſi in minori & minori gradu prius ſit completa,nec ante complementum fit. Secundò, nego conſequentiam: quia materia præcedens, ſine additione nouæ eſt ſufficiens ad conſeruãdam formam,nec eget noua parte. Quod ſi ea non eget,nec eget hac,aut illa: at eget forma nouis diſpoſitionibus in noua parte: & quãuis in extenſione pendeat ab antiquis,quia cum illis continuantur:at intenſio nouarũ qualitatum nõ componitur ex intẽſione priorum.Vnde in noua parte materiæ,nouas qualitates in nouo gradu intẽſionis exigit forma: quia intenſio aliarum partium nihil confert ad intenſionẽ nouarum.Confirmatur.Anima informans manum, poteſt non informare extremum digiti,quia in illo deficit intenſio diſpoſitionum, quamuis non deficit in partibus vicinis: ergo ſimiliter deficiẽte in parte noua debita intenſione,deficit informatio,quantumuis in aliis partibus ſit intenſiſſima. Stet ergo, diſpoſitiones vnius partis non conferre ad conſeruandam formam in aliis: ſed formam agere certis gradibus in ſingulis partibus.Hæc pro maiori propoſitione ſyllogiſmi, quo probatur noſtra concluſio.

Cõtra propoſitionem minorem, qua dixi nutritionem fieri ſimul cum vltima diſpoſitione, nec prius,nec poſterius,ait P.Rubius num.40.dari aliquãdo vltimam diſpoſitionem ſine introductione formæ, nõ quidem in menſura adæquata nutritionis, ſed in menſura inadæquata: in qua repugnat naturaliter fieri, ſicut repugnat ſimul nutritionem fieri in tota parte materiæ, eſſet autem abſurdum, ſi diſpoſitio eſſet ſine forma in menſura adæquata illius. Item ait eſſe diſpoſitionem vltimam ſed non eſſe minimum eiuſdem materiæ, in quo ſimul fiat nutritio, ſed diſpoſitionem eſſe nec in prima, nec in vltima parte,ſed in indeterminata. §. 38.

Primùm, petitur apertè principium. Ego enim ex vltima diſpoſitione probo,non modo poſſe,ſed neceſſariò fieri nutritionem per inſtantia, & hæc inſtantia eſſe adæquatam illius menſuram. Idem nãque eſt nutritionem fieri in inſtantibus,& menſuram adæquatam illius eſſe inſtantia.Reſpondere autem eſſe vltimam diſpoſitionem ſine forma,quia menſura diſpoſitionis vt vltima non eſt adæquata menſura nutritionis,eſt reſpondere non poſſe fieri ſimul, quia non poſſunt eſſe ſimul. Ego ex diſpoſitione vltima probo poſſe, quia eſt eadem vtriuſque menſura, ne detur vltima diſpoſitio ſine forma, tu reſpondes dari talem diſpoſitionem, quia non poteſt forma produci.Itaque reſpõdetur concluſione ipſa. At tenetur quis & ſententiam ſuam probare,& reſpondere argumentis, quibus non ſit ſatis probatione concluſionis, quando directè pugnant cum ſententia,& eius fundamentis.Hoc autem argumentum & cõcluſionem aduerſariorum, & rationes oppugnat.Nec debent nobis obijci oppoſita fundamentis contrariorum,vt abſurda:quia ipſa fundamenta cenſemus abſurda, maximè, quia ex aduerſariis accidentia attingunt ſubſtantiam:& quemadmodum ſingulis inſtãtibus applicata ſunt accidentia efficientia vltimam diſpoſitionem, illa tunc abſque vllo incommodo attingent nutritionem, vel alitum illam attinget in parte ſibi immediata, in remotis verò mediis partibus propinquis: vt à te ponitur ſucceſſiuè.Nam in vno inſtanti per partes proximas operãtur agentia naturalia in ſubiecto diſpoſito, vt color eiaculatur ſpecies ad viſum. Aliunde eſt ergo eruenda ſolutio. §. 39.

Secundò,

§. 40. Secundò, eadem facilitate dici poterit, materiam primam, tūc carere omni forma ſubſtantiali, quia nō potuit tunc produci forma oppoſita. Nam in illa parte vltimò diſpoſita non ſunt accidentia formæ alimenti in gradu neceſſario, alioquin non eſſet materia vltimò diſpoſita, ad cuius vltimam diſpoſitionem exigitur carentia accidentium potentium conſeruare oppoſitam: at ſine accidentibus requiſitis non poteſt forma conſeruari: ergo tunc pellitur forma alimenti, & tunc per te non eſt forma aliti: ergo eſt materia ſine vlla forma. Nam ſi aliam fingis redit eadem argumentatio, quia illa non eſt cum diſpoſitionibus requiſitis, quod ſi eſt, materia non eſt vltimo diſpoſita. Quod ſi tunc conſeruatur forma alimenti ſine diſpoſitionibus, reciditur in abſurdū, quia forma naturaliter pendet à diſpoſitionibus: quod ſi hæ manent, ergo componuntur duæ qualitates in gradu contrario: nam diſpoſitio ad nutritionem eſt ſufficiens, at diſpoſitio ſufficiens ad vnam formam, eſt in gradu contrario cum alia diſpoſitione ad aliam formam in eodem ſubiecto. Nec poſtea expectatur noua qualitas, ſed cum præexiſtente inducitur nutritio. Nec erit abſurdū materiam eſſe abſque omni forma pro menſura inadæquata formæ nouæ: eſſet autem abſurdum pro menſura adæquata. At in philoſophia æquè certum eſt vltimam diſpoſitionem & formam ſimul eſſe: nec contraria poſſe componi: nec formam poſſe ſine accidentibus conſeruari, quam eſt certum materiam non poſſe eſſe ſine forma: vt ergo tu admittis vnum ex iis abſurdis: eadem ratione potes & cætera.

§. 41. Quod autem obijcitur de *minimo* naturali, eſt contra aſſertores *minimi* in augmentatione: ego verò dico non eſſe opus certa, & determinata materia ad augmētum, in qua fieri oporteat nutritio, & nō in minori: aſſero tamē, in qualibet parte materiæ fieri nutritionem ſimul cum vltima diſpoſitione. Et quemadmodum vltima diſpoſitio fit in vna parte materiæ, ita vt in alia minori ſit priùs facta, nec fit ſimul in tota vna parte determinata: ita dico contingere nutritionem: & quemadmodum vltimæ diſpoſitiones nō fiunt immediatè vna poſt aliam, ſed inter illas interijcitur aliquod tempus, in quo nulla diſpoſitio perficitur vltimò; ita vna nutritio nō fit poſt aliam immediatè, quia illo medio tempore nulla fit nutritio, quia nulla fit vltima diſpoſitio. Et quemadmodum inter vnam vltimam diſpoſitionem & aliā interijcitur aliqua pars proportionalis qualitatis extenſæ, quæ priùs producta fuit, quam vltimò completa; ita dico in tota materia illius extenſionis fieri nutritionem, quando illa qualitas vltimò perficitur, & completur. Et quemadmodū datur vltima diſpoſitio in parte materiæ & temporis determinata, in quo verum eſt dicere. *Nūc tota hac materia eſt vltimò completa & immediatè ante non fuit*: ita cum fit nutritio, eſt verum. *Nunc eſt nutritio in tota hac materia, & immediatè ante non fuit.* Igitur ſequor ego veſtigia vltimæ diſpoſitionis, inquantum vltima eſt, & quod tu de illa aſſeris, aſſero ego de nutritione. Cur ergo mihi obijcitur minimum naturale? Quo ego nō magis egeo ad partiales nutritiones, quam tu ad partialia complementa, & vltimas diſpoſitiones qualitatum in ratione vltimi complementi.

§. 42. Secundum argumentum ſumitur à ſigno: Iam probaui, & aduerſarij fatentur, ſimul contingere accretionem, & augmentationem; ſed accretio fit formaliter per inſtantia diſcreta, & non ſucceſſiuè in tempore, ergo & nutritio. Probo minorem: accretio formaliter eſt motus à minori ad maiorem quantitatem: ſed motus ad maiorem quātitatem fit in inſtanti, & non ſucceſſiuè; ergo & accretio. Probatur minor: quia maior quantitas fit formaliter continuatione vnius quantitatis cum alia, vt continuatio eſt: ſed continuatio, vt continuatio, fit in inſtanti, & non ſucceſſiuè; ergo maior quantitas fit in inſtanti, & non ſucceſſiuè. Maior eſt certa: pone duas partes aquæ diuulſas: ante vnionem aqua *B*, exempli gratia, eſt vnius palmi: per ſolā vnionem, cum aqua *C*. fit maior prior aqua: vt Durius per ſolum confluxum Piſuergæ fit maior: & animal per additionem corporis: itaque ſi materiæ animalis coniungitur noua pars materiæ alimenti; animal erit maius: hæc autem acceſſio nouæ quantitatis fit formaliter cōtinuatione vnius partis cum alia: nec enim partes continuæ, vt continuæ, alia ratione vniuntur, nec ad hoc exigitur noua productio materiæ, aut quantitatis; flumen enim retinet quantitates, & aquas duorū riuorum in ipſum confluentium: quod oculis cernimus ſingulis momētis. Minor autem probatur; nempe continuationem, vt continuationem fieri ſubitò, & nō ſucceſſiuè. Nam continuatio, vt continuatio eſt indiuiſibilis: ergo vt continuatio fit ſubitò; ſucceſſiuè enim fiunt ea, quę partes habent; fiúntque vna poſt aliam. Vbi autem non ſunt partes, nō poteſt eſſe vna poſt aliam. Antecedens patet: quia continuatio lineæ, vt linea eſt, eſt punctum: quod vndique eſt inſectibile. Continuatio ſuperficiei eſt linea; ſuperficies autem cōtinuatur verſus latitudinem lineę: nam versùs longitudinem ſolum punctum eſt continuatio; nec enim longitudinem continuat linea; ſed conſtituit; quia habet ipſa partes verſus eam dimenſionem: eſt ergo linea continuatio ſuperficiei verſùs latitudinem; ſed versùs eā dimenſionem linea eſt indiuiſibilis (vt patet:) ergo linea, vt eſt continuatio ſuperficiei, eſt indiuiſibilis: ſuperficies autem eſt continuatio profunditatis, versùs quàm dimenſionem eſt indiuiſibilis: ergo ſuperficies, vt eſt continuatio, eſt indiuiſibilis.

Dices in augmentatione reperiri, & productionem quātitatis, & illius partium continuationem: hæc ſecunda ſemper eſt ſubita, ſicut augmentatio materiæ, capta pro continuatione: productio autem quantitatis eſt ſucceſſiua; quæ cum fiat ſimul cum nutritione, vtraque fit ſucceſſiuè. In mea opinione manet eadem quantitas numero in genito & corrupto: in qua non eſt locus productioni nouæ quantitatis; ſed tantum continuationi quantitatis animalis cum quantitate alimenti; ſed continuatio illa fit ſubitò: ergo in ea ſentētia de eadem quantitate geniti & corrupti, augmentatio fit ſine ſucceſſione. Nec enim penetratur, aut imponitur quantitas quātitati, ſed mediis indiuiſibilibus continguntur, & vniuntur quantitas animalis & alimenti. Cum ergo nutritio non fiat in materia, antequam continuetur quātitas, & materia ipſa; alioquin eſſet in duabus partibus minimè vnitis; nec priùs materiæ, aut quantitates continuentur, ne ſit continua materia in diuerſis ſpeciebus completis: apertè concludo nutritionem fieri iiſdem inſtantibus, quibus accretio. §. 43.

In ſententia opinante eſſe diuerſam quātitatem in genito & corrupto eſt eadem ratio. Quia quantitas producitur in inſtanti: vt enim in prima rerum molitione quantitas producta fuit ſubitò: & in generatione animalium eodem inſtanti generationis producitur tota quantitas corporis: ita & in augmentatione. Ergo ex hoc capite augmentatio non erit ſucceſſiua. Dices non poſſe quantitatem produci ſubitò in nutritione: quia non fit ante, nec §. 44.

poſt vnionem formæ: hæc autē fit ſucceſſiuè. Bene. Hîc circumaguntur circulo Nam ipſi probant nutritionem fieri ſucceſſiuè; quia fit cum accretione: & accretionem fieri ſucceſſiuè. At nunc probo ego nutritionem fieri ſubitò, quia ſubitò fit accretio, cum qua fit nutritio: reſpondent autem, accretionem non fieri ſubitò, quia nutritio non fit ſubitò. Itaque ex ſucceſſione accretionis colligunt ſucceſſionem nutritionis; & ex hac defendunt illius ſucceſſionem.

SECTIO IV.

De Potentia nutritiua, & generatiua.

§. 45. POtentias has ego non diſtinguo ab animi ſubſtantia, vt patet ex diſput. 9. Phyſ. ſect. 3. 4. & 5. Si tamen diſtinguuntur: dico vtramque eſſe ſpecie diſtinctam; quia termini differunt ſpecie, non quidem in ſubſtantia, ſed in modo: quia terminus genitus fit per actionem tranſeuntem, nutritus verò per immanentem. Nutritiua eſt toto corpore fuſa: generatiua autem reſidet in ſemine tamquam inſtrumento: in teſtibus autem, vt in cauſa principe, & anima vt informat teſtes, eſt principium generationis. Quia verò in teſtibus eſt diſpoſitio ad generatiuam potentiam: ideo caſtrati ſunt ſimpliciter impotentes generandi: ſicut homo eſt cæcus: quia licet viſus non diſtinguitur ab anima & corpore: tamen in oculis ſunt diſpoſitiones ad videndum, eáque propter anima & alia pars corporis, vt ſubſunt illis inſtrumentis, ſunt potentia viſiua: ſi hæc accidentia deſint, obuenit cæcitas. Idem dixerim de potentia generante.

SECTIO V.

De Nutritione.

§. 46. PRimò ſuppono aggenerationem rerum inanimatarum eſſe eiuſdem omnino rationis cum prima generatione, verbi gratia, in igne, quia terminus ad quem & potentia actiua, & paſſiua, & modus procedendi vtriuſque ſunt omnino eiuſdem rationis.

§. 47. De nutritione, quæ eſt aggeneratio formæ, vel vnionis vitalis maior eſt difficultas. Et quidē non differre ſpecie, probatur primo, quia potentia nutritiua, & generatiua nō diſtinguuntur ſpecie. Item terminus ad quem eſt eiuſdem rationis, ſcilicet viuentis caro, ſanguis, aut nerui; modus item procedendi; quia neutra actio eſt vitalis, quia terminus non eſt vitalis in actu ſecundo, ſed in actu primo. Secundò, quia ſine fundamento multiplicarentur actionum ſpecies.

§. 48. Cenſeo tamen nutritionem eſſentialiter differre à prima generatione. Primò, quia nutritio eſt actio vitalis, vt patebit diſp. 2. de Anima Generatio verò non eſt vitalis, ſed actio vitalis ſpecie differt à non vitali, ergo. Secundò diſtinctio eſſentialis colligitur ex collectione omnium accidentiū, & proprietatum duarum rerū, at collectio proprietatum nutritionis eſt valde diuerſa à collectione proprietatum generationis: ergo diſtinguuntur ſpecie. Probatur minor, quia nutritio petit eſſe ab eodem ſubiecto, quod nutritur, & poteſt fieri ab ſpadone, éſtque ſine congreſſu diuerſorum ſexuum ſine ſemine, ſine longa calefactione, & diſpoſitione in matrice: at verò generatio fit ex congreſſu fœminæ & viri, cum ſemine vtriuſque, longa calefactione, & diſpoſitione, & alia innumera.

Ad primum reſpondetur, licet admittatur identitas inter potentiam nutritiuam, & generatiuam, modum vtriuſque actionis eſſe diuerſum, ratione cuius tam varias habent proprietates. Eadem enim potentia poteſt exercere duas actiones ſpecie diſtinctas. Ad ſecundum negatur antecedens. §. 49.

Nutritio, & diminutio fiunt circa omnes partes viuentis; ita vt nulla ſit expers eorum motuum: De nutritione probatur, quia omnes partes hominis, verbi gratia, in prima generatione ſunt paruæ, quia totum corpus eſt perexiguum; ergo omnes eius partes creſcunt; nulla enim pars in viro eſt tam exigua, quàm in ipſo puero. Vnde oſſa, nerui, & cæteræ partes duriores augeſcunt. De diminutione probatur. quia in prima ætate partes illæ augeſcunt, quia plus alimenti conuertitur in materiam aliti, quàm ex ipſo alito deperditur; ſed in decrepita plus aliti deperditur in omni parte, quàm alimenti acquiritur: ergo in decrepita omnes illæ partes decreſcunt. Secundò à priori, quia quæuis pars aliti habet aliquā qualitatem contrariam qualitatibus alimenti, & aliarum partium, ergo patitur ab alimento, & aliis partibus; ſed hæc paſſio eſt cauſa decretionis: ergo. Confirmatur, quia diuturni languores reddunt homines macros, exiles, non modò in facie, verum & toto corpore. Recognoſce diſput. 1 ſect. 10. §. 50.

Dices, ergo poſt longum tempus non remanet idem viuens. Huic obiectioni, reſpondi diſput. 6. Phyſic. ſect. 3 Et quamuis longo tempore omnes partes mutentur, non tamen ſimul; quia vna agit in aliam, vel in alimentum, illud in ſe conuertens, ac ſibi vniens: ita deperditur vna pars, & acquiritur alia. §. 51.

Nutritionis cauſa primùm eſt ipſa ſubſtantia viuentis: deinde vis actiua caloris cōſumentis alimentum, & eius humorem cōuertentis in formam aliti, tunc per corporis cauitates cibus digeſtus commeat in iecur, ibique in ſanguinem vertitur: hinc emigrat in cor, ac cæteras partes, eáſque auget, & ab illis proprias ipſarum actiones patitur. E corde purus, & viuax ſanguis conſcendit in cerebrum, quem vocamus *ſpiritus vitales.* Hic ſanguis ſubtilior redditur in cerebro, quem vocamus *ſpiritus animales*, qui immediatè deſeruiunt actionibus vitalibus ſenſitiuis. Hinc eſt, homines agreſtes, & qui veſcuntur cibo duro, & craſſo, vt porcina carne, & caſeo, cæpis, & aliis, eſſe hebetes ingenio: ſimiliter, qui ſunt complexione aſpera, qui habent ſpiritus vitales quaſi ferreos, quos non poſſunt conuertere in ſubtiliores, vnde ingenium iuuatur ſubtili cibo, ac bene condito, parco, & facili digeſtu. §. 52.

Nonnunquam dico vnā partem agere in aliam; alibi etiam dico, calorem naturalem non agere in humidum radicale: quæ facilè cōponuntur: vna pars agere poteſt in aliam vicinam, eámque in ſe conuertere; vt oſſa in ſanguinem, aut medullam; item cor calefacit cerebrum, à quo etiam infrigidatur. Calor autem non agit in humidum radicale eius partis in qua eſt: vnde calor ſtomachi non amburit ſtomachum ipſum loco pabuli; quia eſſet cauſa ſuæ ruinæ; deficiente enim ſtomacho deficeret ipſe calor. in partes autem vicinas efficacius ageret calor præſente ciboquia tunc eſt robuſtior: ipſæ ergo partes ſe tuentur; nec vna perit ab aliis iam conſtitutis naturali temperamento. Recognoſce diſp. 1. §. 119. §. 53.

SECTIO

SECTIO VI.

De Accretione, & Decretione.

§. 54. ACcretio *eſt motus à minori ad maiorem quantitatem.* Decretio autem *à maiori ad minorem.* Omnia quæ de augmẽtatione diximus, proportione conueniunt accretioni. Solum differt, quod accretio eſt augmẽtatio accidẽtalis, tendens in quantitatem. Cuius terminus *qui*, eſt maior quantitas; terminus autem *à quo*, eſt vnio partium quantitatis, quæ eſt aut indiuiſibile punctum, aut linea, vel ſuperficies. Quod ſi quis obijciat Ariſt. aſſerentem ad quantitatem nõ eſſe per ſe motum. Reſpondeo, non eſſe motum per ſe, id eſt, per ſe primò intentum, quia quod primò intenditur, eſt auctio ſubſtantiæ, quantitatis verò ſecundariò; ſed hic ſecundarius motus per ſe, id eſt, per ſuã eſſentiam, & entitatem tendit in quãtitatem. Datur autem alia extenſio qualitatis, quã potes definire eodem modo.

DISPVTATIO IV.

De Raro, & Denſo.

SECTIO I.

Quid ſit Rarum, & Denſum?

§. 1. RARVM definiit Ariſtoteles: *Quod ſub magnis dimenſionibus parum habet materiæ.* Denſum verò: *Quod ſub paruis dimenſionibus multum habet materiæ.* Eſſe rarum, & denſum oculis cernitur in lacte incaleſcente & frigido. Quod ante calorem parum occupat loci, idem verò nullo addito, lacte incaleſcens totum craterem implet. Nonnulli rudes Philoſophi corpus rarum arbitrati, quia inter eius partes erant nonnullæ inanitates: ob quas exigua materia erat in magnis dimenſionibus, condenſatione autem arbitrati corpus comprimi, & occupare inanitates illas, inter eius partes interiectas: eáque propter magna materia erat in loco exiguo. Hi impugnantur, primò ex repugnantia vacui. Secundò, quia verè multa materia non erat in paruis dimenſionibus: nec parua materia in magnis, ſed ſemper eſſet eadem materia in dimenſionibus iiſdem. Si quis enim diuidat trabem in duas partes, eáſque abiungat, trabs tantundem loci occupat poſt ſectionem, quantum ante: quia octo palmos occupat, nunc diſſitos; ante coniunctos. Percurramus ſententias ſimiliores vero.

SECTIO II.

Vtrum raritas ſit motus ad nouam quantitatem?

§. 2. SCotus in 4. diſt. 12. q. 4. cum Goſredo, & aliis, quos referunt P. Conimbricenſes lib. 1. c. 5. q. 17. art. 2. opinatus raritate nouam quantitatem acquiri, ac deperdi denſitate. Hi bipartiti; Scotus, cui conſentit. Caiet. 3. p. q. 77. art. 5. §. *Circa prædicta*; non vult amitti priorem quantitatem, ſed aliquam nouam partem illi accedere. Marſilius verò in 4. q. 9. artic. 2. vult totam priorem amitti, & pro illa nouam, ac maiorem ſubrogari. Mouentur primo definitione rari, & denſi. Nam dimenſio corporis eſt quantitas; ſed rarum eſt corpus exiguum ſub magnis dimenſionibus, ergo rarum eſt corpus ſub magna quantitate; at ſola prior quantitas nec erat magna, nec magna dimenſio, quia ſe ipſa parum occupabat loci; ergo additur noua, magnum in locum porrecta. Secundò mouentur, quia intenſione noua acquiritur qualitas: ergo raritate noua quantitas: quia vt ille motus eſt ad qualitatẽ, hic eſt ad quantitatem. Alia argumẽta ſunt ex impugnatione veræ ſententiæ: quæ proponam, & abigam ſect. 4.

Hæc duo argumenta non vrgent. Ad primum diſtinguo maiorem: quantitas eſt dimenſio in actu primo & remoto, vel quoad effectum formalem primarium dimenſionis, concedo maiorem. Nam illa dimẽſio eſt formaliter linea, ſuperficies, & profunditas impenetrabiles. Nam quia vna pars quantitatis non poteſt cum alia penetrari, fundat menſuras, quæ ſunt certæ, ac ſtatæ magnitudines in locum porrectæ; *vt palmus, cubitus, modius, amphora:* nego autem quantitatem ſolã eſſe dimenſionem in actu ſecundo, vt includit formalem effectũ ſecundarium: hic enim addit quantitati actualem extenſionem ad certum locum: quæ eſt *vbi circumſcriptiuum.* Eſſe autem cum hoc, aut illo *vbi* accipit quantitas à qualitatibus: quibus corpora rareſcunt. Ad minorem reſpõdeo: corpus rarum eſſe paruã etiam quantitatem ſub magnis dimenſionibus, id eſt, ſub qualitatibus actu determinantibus quãtitatem ad magnũ ſpatium. Itaque prior quantitas noua qualitate porrigitur ad maiorem locum, & eſt magna dimenſio. Ad ſecundum negatur conſequentia, & eius probatio: raritas enim nõ eſt motus ad quantitatem, ſed ad qualitatem, & *vbi*. Accretio eſt motus ad quantitatem, item atque decretio. Cur autem non producatur noua quantitas, vt qualitas noua, defluxu diſputationis patebit. §. 3.

Vtramque ſententiã impugnat P. Rubius, tract. de Rarefactione q. 1. Scoticã quidem; quia in Euchariſtiç raritate eſſet noua quantitas, ſub qua non eſſet corpus Chriſti: quia hoc tantum eſt ſub accidentibus cõſecratis. Marſilianam verò: primò, quia qualitates inſunt quãtitati; qua deſtructa qualitates perirent, contra oculatam experientiam, qua videmus in cera rara eumdem colorem & ſimilia accidentia. Secundò, quia quantitas eſt coæua materiæ. §. 4.

Scotici reſpondebunt, Chriſtum poſt conſecrationem eſſe ſub multis accidentibus, quæ non fuerunt cõſecrata: id eſt, quæ aberant à pane tempore conſecrationis. Nam & poteſt in illis iam ſeparatis à pane produci nouus calor, aut frigus: & remitti prior qualitas. Quia per ſe primò ſubeſt accidentibus demonſtrantibus natura ſua panem, & vinum; & dum hæc non corrumpuntur: licet cum illis alia noua adſint, nõ abit Chriſti corpus. Nam ipſe Rubius ponit raritatem terminatã ad noua accidẽtia, ſub quibus eſt Chriſtus Dominus. Marſilius autem reſponderet P. Rubio: ad primum, quod ipſe nobis in reſolutione accidẽtium, experientiam illam deludi ſimilitudine accidentium de nouo productorum: & philoſophica ratione ſenſus corrigendos. Quapropter vel fateatur hoc argumento probari manere eadem numero accidẽtia in genito & corrupto; vel in præſenti nihil effici cõtra Marſilium. Et quidem cum qualitates à me non ponantur in quantitate, nihil ſequitur ex ſententia Marſilij: vel etiam ponantur: deficiente cauſa intrinſeca, ſi alia æquè potens ſit proxima, & pro prima ſubrogetur, cõſeruabit effectum. Ad ſecundum ipſe P. Rubius ait corrumpi quãtitatem in generatione ſubſtantiali; in qua manet materia ſine ſua coætanea: eſt ergo coæua ſecundum ſpeciem: non verò §. 5.

ſecundum indiuiduum, & ſicut per te perit abiunctione formæ à materia; ita perit raritate, per quam corpus porrigitur ad maius ſpatium: ac propterea danda illi noua & maior quantitas, qua talem occupet locum.

§. 6. Aduerte ex ſententia Scoti, ſub omni parte quantitatis eſſe Chriſti corpus, quia naturaliter per illam eſſet materia extendenda; & cum materia qualitates. In Euchariſtia, licet non eſt materia, at qualitates extenduntur, Deo tegente myſterium: eſt autem Chriſti corpus ſub accidentibus panis, & vini: vt ex omnium ſententia quando accidentia rareſcunt, eſt Chriſtus in toto illorum ſpatio; in quo toto non eſt, quando denſantur; quia nec ipſa ſunt. Item aduerte ex eodem Scoto contra Caietanum, nouam quãtitatem in Euchariſtia creari: quia illa non fit ex ſubiecto vllo. Reſpondet Caiet. productionem quantitatis non eſſe nouam à rarefactione, ſed ex illa ſequi. Contra: rarefactio terminatur ad raritatem; rogo, vtrũ raritas ſit qualitas à quantitate diſtincta? An ſit reipſa quantitas? Hoc ſecundum non concedit Caiet. conſtituens raritatem in priori quantitate: ac noua pars quantitatis non habet pro ſubiecto priorem quantitatem: tum quia vna quãtitas non eſt ſubiectum alterius: quia non poteſt ab illa accipere denominationem: eſt enim ſe ipſa *quanta*, & non ab alia; ſicut albedo non dicitur *alba* ab alia: tum quia penetrarentur duæ partes quantitatis; ſubiectum enim & forma ſimul ſunt in eodem loco: ſi enim pars *B* ſit in loco *B*, & non in *F*. pars autem *F* non ſit in loco *B*, ſed in loco *F*. male vnietur parti *F*. vt ſi quis dicat formam exiſtentem Toleti & non Madridij, vniri materiæ exiſtenti Madridij & non Toleti. Eſt ergo raritas diſtincta à quantitate: ergo & actiones; probo conſequentiam; quia productio raritatis vt raritatis, eſt illius eductio ex quantitate vt ex ſubiecto; at productio quantitatis vt quantitatis, nõ eſt eductio illius ex quantitate; quia, cum quantitas ex alia non educatur, nõ habet ex illa educi, nec eductionem. Immo licet re ſit eadem actio; eadem erit eductio raritatis ex quantitate, & productio quantitatis ex nullo ſubiecto; ac propterea creatio; quin erit etiam creatio licet ſit conſequenter: quia raritatem conſequitur noua quantitas facta de nouo abſque ſubiecto. Nam eo modo, quo de nouo eſt, eſt facta de nouo, & creatur.

§. 7. Impugnantur ergo vtrique. Primum: quia relabuntur in difficultates noſtræ ſententiæ: è quibus conantur elabi. Nam eadem omnino materia, cum iiſdem partibus, rarefacta eſt in ſpatio duplo maiori, ſine additione ipſius materiæ, ſed præciſè per additionem quantitatis; hoc autem vix percipitur; quia pars materiæ eſſet in duobus locis: & cum denſantur, penetrabuntur multæ partes (de quo ſect. 4.) id autẽ ſequi patet: quia materia, quæ cum priori quantitate erat in vno palmo loci; eadem omnino cum noua quantitate eſt in duobus: denſitate autem, ea, quæ erat in tribus, eſt in vno.

§. 8. Dices primò: raritate produci nouam partem materiæ. Verum hoc eſt rude, ac pingue ſonare; primùm, quia non diſtinguit augmentationem à raritate: ſecundò, quia raritas non eſt creatio; at noua materia creatione produceretur. Nec verò eſſet opus raritate, immo nec locus: ignis enim nõ rarefaceret lac, ſi noua materia eſſet opus: rareſit autem, quia in priori materia producuntur qualitates, quæ petunt extendere materiam priorem: extenditur autem per quantitatem, vel alio modo: at per additionem materiæ non extenditur, ſed augetur. Ignis autẽ quorſum produceret qualitates petentes nouã materiam? Cum nec ratione minimi, nec alius rei ea egeatur. Tertiò, quia neceſſariò eſſet producenda forma noua ſecundum partes, vel vnionem. Hoc autem eſt ridiculũ: quis enim dicat rareſcẽte homine, aut equo per ægritudinem, tunc fieri nutritionem hominis, & produci formã equi? Aut è quibus mammis crater ſugit lac, cum hoc rareſcit igne? Eodem modo probatur non continuari cum materia ambientis corporis. Tandem illa non eſſet rarefactio: nam magna materia eſſet ſub magnis dimenſionibus contra definitionem.

Dices ſecundò, non ſequi idem abſurdum: quia materia non exiſtit in loco, niſi per quantitatem; & cum hæc nec penetretur, nec ſit duobus in locis, ita nec materia. Contra primò, in noſtra ſententia quantitas occupat plus, minúsve loci per qualitates id petentes: ſicut ex materia per quantitatem: ergo ſicut tu arbitraris eamdem quantitatem eſſe in duobus locis, aut penetrari, licet qualitatibus extendatur: ita erit materia, licet quantitate extendatur. Deinde *vbi* eſt ratio exiſtendi in loco; ſi autem corpori detur *vbi* Toleti ſimul & Madridij, erit duobus in locis ſimul: vel ſi duobus corporibus detur *vbi* ad idem ſpatiũ, penetrabitur vtrumque: ergo materia erit duobus in locis, ſi detur illi quantitas magna petens duos locos, licet quantitas ſit ratio exiſtendi in loco. §. 9.

Dices tertiò, Materiam ex ſe non habere partes, ſed à quantitate formaliter: ac propterea nõ ſequi abſurdum: quod in quantitate rara per qualitates. Verum, quàm ſit parum probanda hæc ſolutio primo ſyllabarum ſono accepta, oſtendam in Metaphyſica in prædicamento quantitatis diſp. 13. Admiſſa tamen nunc, diſputationis gratia: probo raritatem fieri, quia parua quantitas porrigitur ad magnas dimenſiones. *Nam rarum, parum habet materiæ ſub magnis dimenſionibus.* Vel ergo nomine *materiæ* intelligis veram materiam primam. *Per dimenſiones autem* quãtitatem magnam: tunc ſic: vel ergo materia, vt diſtincta à dimẽſionibus habet partes, per quas ſit parua: quod negas hac ſolutione: vel materia exſiſtens ſub magnis dimenſionibus, non eſt parua. Hæc vltima pars probatur: quia per te habet materia partes formaliter à quantitate: ergo & eſſe magnam, & paruam habet formaliter à quantitate: quia *paruum, & magnum* non eſt niſi ratione partium: ſed magna quantitas nõ facit materiam paruam formaliter, vt patet: ergo materia vt exſiſtens ſub magna dimenſione nõ eſt parua. Ergo nomine *dimenſionis* intelligitur actualis extẽſio ad magnum locum: nomine autem *materiæ* intelligitur materia vt ſubeſt priori exiguæ quantitati quæ raritate eſt in magnis dimenſionibus: ſic autem reciditur in difficultates communes: ſiue materia habeat formaliter partes à quantitate, ſiue à ſe. §. 10.

Secundò impugnatur ſentẽtia Scoti: quia quantitas recens producta eſt in eodem ſubiecto indiuiſibiliter ſumpto: in quo præcedẽs: vel in diuerſo. Hoc ſecundum eſſe non poteſt; quia nec quantitas producitur ſeparata, nec in materia carente quantitate: ſed illam prius habente. Item nihil areſceret. Nam prior materia, niſi afficiatur noua quantitate, non occupat plus loci quàm ante raritatem: quia ratio illũ occupandi, illam non afficeret: ſed quantitas prior augeretur per continuationẽ cum noua: vt cum vniuntur duæ aquæ, & illarum quantitates: ergo recens quantitas recipitur in eadem materia cum præcedente. Hoc autem repugnat ex natura rei: primò: quia illæ duæ quantitates penetrantur in eodem loco: nam ſubiectum & accidẽs, quo informatur actu, ſunt ſimul in eodẽ loco, (vt ex terminis patet:) §. 11.

patet:) ſed materia informatur quantitate priori, & poſteriori: ergo eſt ſimul in eodẽ loco cum illis: at materia cum duabus quantitatibus non eſt ſimul duobus in locis (vt patet:) ergo eſt in vno loco: ergo illæ duæ quantitates ſunt in vno loco penetratæ: quia ſunt in eodem loco materiæ: hoc autem eſt abſurdum: quia ea ratione duæ materiæ ſunt impenetrabiles; quia habent duas quantitates diſtinctas: & quia quantitates ſunt impenetrabiles inter ſe, ideo faciunt materiam impenetrabilem. Quod ſi quantitates inter ſe ſunt penetrabiles: ergo penetrari poterunt duo corpora quanta.

§. 12. Dices: nouam quantitatem aduenire materiæ priori: quæ ab illa accipit nouas partes. Contra: ergo materia, quæ prius erat in vno palmo cum prima quantitate, eſt in duobus cum ſecunda illi recens adueniente: ac recidis in difficultates communes. Deinde, illa prior materia eſt in duobus palmis continuis ſicut anima in corpore: vel ergo eſt tota in vtroque palmo,& tota in ſingulis: quod non conuenit rei diuiſibili: vel eſt pars in parte loci: & tota in toto. Vnde ſic argumentor: pars exiſtens ſub noua quantitate eſt realiter diſtincta à parte exiſtente ſub antiqua quantitate; ergo ſunt realiter diſtinctæ. Probo conſequentiam, quia materia eſt idem cum ſuis partibus. Quis autem dicat materiam capitis eſſe realiter eamdem cum materia pedis? Diſtinguuntur itaque indiuidua partialia materiæ. Alioquin eadem numero eſſet materia aquæ & terræ. Sed noua materia accedens priori, illam non rarefacit, ſed auget, Quia non eſt parua materia ſub magnis dimenſionibus; ſed magna: ergo.

§. 13. Deinde Marſilium impugno: quia quantitas nouè producta, vel eſt eiuſdem rationis cum corrupta, differtque ab ea: quia affert duplo plures partes determinatas? Vt ſi prior erat bicubita, hæc ſit quadricubita. Vel eſt diuerſæ rationis? Quia ipſa in ſe eſt priori extenſior, & rarior: ita vt eius partes ſint inter ſe diſtantiores. Primum eſſe non poteſt: quia non eſſet opus prioris corruptione, ſed tantum acceſſione nouæ (vt opinatur Scotus.) Nam contra Marſilium & Scotum eſt idem argumentum: quia illæ duæ partes penetrarentur. Nec eſſet cur prior deſtrueretur: quia nec inducitur contrarium, nec aufertur ſubiectum, nec pendet à certa magnitudine: quod ſi penderet, iam illi accreſceret. Secundum autem eſt ſine fundamento: quia quantitas ſemper eſt eiuſdem rationis. Deinde recidit Marſilius in cõmunes difficultates: quia continuatiua ſunt indiuiſibilia: & partes illis vnitæ, ſemper diſtant mutuo eadem ratione; nempe per indiuiſibile. Omnes denique difficultates ſententiæ communis, hæc amplectitur: & nouam de corruptione quantitatis.

SECTIO III.

Impugnantur aliorum corpuſcula: & extenſio punctorum.

§. 14. ALij Doctores cum hinc non poſſint defendere ſententiam communem, quam ſect. 4. ſubiiciemus: illinc verò non audeant defendere ſententiam Scoti, tertiam ſunt commenti, quæ aſſerit duo: primum, in rarefactione non produci nouam quantitatem: ſecundum, quantitatem neque per ſe, neque informatam qualitate occupare maius ſpatium, quàm antea: ſed inter partes raras interiici quędam corpuſcula imperceptibilia: quorum appulſu tumeſcat corpus, atque rareſcat: eorumdemque depulſu corpus contrahatur, & denſetur. Sententiam hanc tuentur nonnulli relati à M. Vañez 1. de Gene. quam refert & non refellit Gabriel in Canonem lect. 45. referunt Ocham opuſculo de Euchariſtia, Valleſ. 4. Phyſ. text. 84. in quam conſpirant aſſertores continuum componi ex ſolis indiuiſibilibus: quia vnum indiuiſibile non poteſt occupare locum diuiſibilem niſi exiſtendo totum in toto, & totum in qualibet parte loci: item exiſteret duobus in locis adæquatis, & quando denſaretur corpus, indiuiſibile vnum penetraretur cum alio: ergo in iſta ſententia neceſſariò recurritur ad corpuſcula imperceptibilia: Itaque hæc opinio nullo nititur fundamento proprio; ſed eſt inuenta conſequenter ad compoſitionem continui ex ſolis punctis: quæ compoſitio hos authores impellit in multa imperceptibilia.

Impugnatur autem primo: quia ſequeretur rem toties denſari, & rareſcere, quoties aërem attrahit, & expellit: conſequens eſt ridiculum; ergo. Minor ex ſe patet, quia quis dicat hominis os rareſieri, eo quod inflatur, aut non inflatur? & vtrem eo quod euacuetur aëre? Et folles quoties à fabro mouentur? Maior patet, quia per attractionẽ aëris interiicitur ipſe aër inter partes vtris, aut oris, & per eiuſdem expulſionem eiicitur corpus intermedium; ergo interuenit tota ratio raritatis, & denſitatis. §. 15.

Dices rarefactionem conſiſtere in productione, aut temperamento vnius, aut plurium qualitatum, ex quo ſequatur motus ille localis; at verò in caſu poſito illa corporis expulſio non oritur ex tali temperamento. Contra primo quia rarum eſt, *quod ſub magna dimenſione parum habet materiæ,* ſed vter inflatus in magna dimenſione parum habet materiæ; ergo eſt rarus. Probatur minor in tua ſententia, qua affirmas ea ratione lac rareſcere, & in magna dimenſione habere parum materiæ, quia inter illius partes interiicitur corpus. Vnde ſicut in ſententia Ariſt. illa dicitur raritas, quæ eſt radix conſtituendi in magnis dimenſionibus paruam materiam, ita in tua ſententia iſta aëris attractio erit raritas, quia præſtat eumdem effectum. Contra ſecundo, quia in aliquo caſu corpus interiectum poterit eiici è partibus corporis rari propter temperamentum qualitatis receptæ in ipſo copore raro: ergo tunc erit condenſatio: probatur antecedens: quia vter poteſt calefieri, & aër incluſus, vel aqua euaneſcere, quin partes ipſius vtris inter ſe diſiungantur, ſed coniunguntur: tunc autem quis dicat vtrem condenſari? Quod ſi partes abiungantur aliquo caſu, tunc rareſcet. §. 16.

Secundo arguitur, quia nimio frigore diſrumpitur vas plenum aqua; quia hæc glaciat; at id non fieret ſi corpuſcula eſſent interiecta intra ipſam aquam: ergo non ſunt. Maior experientia patet: minor probatur, quia cum aqua denſatur, omnia illa corpuſcula ſurſum aſcenderent, occuparentque locum ab aqua deſertum. Cumque intra idem vas eſſent ſufficientia corpuſcula ad eius capacitatem complendam, non eſſet cur diſrumperetur vas ad attrahenda alia corpora, quibus repleatur, fugiátque vacuum. §. 17.

Dices primo, ideo vas diſrumpi, quia nimio frigore eius partes diuelluntur, & non propter vacuitatem replendam. Contra: quia hoc euidentis falſitatis conuincitur experientia, qua videmus vrceum teſtaceum plenum aqua ſumma §. 18.

 hyeme

hyeme diſrumpi aqua glaciante, qui ſi vacuus ſit, aut plenus liquore non glaciante, nequaquam diſrumpitur: ergo non propter frigiditatem, ſed propter vacuitatem diſrumpitur. Confirmatur hæc experientia, quia olla terrea applicata igni diſrumpitur, ſi ſit vacua: ſecus verò ſi ſit plena aqua. Ratio eſt, quia per nimium calorem diſſoluuntur partes, quia diſſoluitur earum temperamentum, neque adeſt vllum corpus, per quod conſeruetur; ergo eadem ratione diſrumperetur olla terrea nimio frigore, ſi eſſet vacua, cum tantum frigoris habeat quam cum eſt plena: ergo non diſrumpitur propter diſſolutionem temperamenti, ſed propter vacuitatem. Verum eſt aliquādo quoddam rupium genus diſſolui nimio frigore, quo exſiccatur illarum humiditas, tunc autem non diſſoluuntur vaſa teſtea; niſi ſint plena humore glaciante.

§. 19. Dices ſecundò, vas ideo diſrumpi, quia aqua conglaciat verſus partem ſuperiorem, & illac non poſſe corpuſcula egredi, cumque neceſſario ſint egreſſura, efficitur ruptio qua parte illis via munitur, ne detur duorum corporum penetratio. Contra, quia aqua non glaciat ſubito, ſed paulatim prius efficiendo tenuiſſimam telam in parte ſuperiori: ergo corpuſcula immediata illi telæ illam facilius rumperent, quàm totum vas. Adde aquam glaciantem non tendere ad ima, donec ita figatur partibus vaſis, vt illis teneatur fixa: ſi enim id non efficeret, non rumperetur vas, quia inter eius partes & gelu eſſet locus aëris attrahendi: ergo deſcendente aqua, aſcenderent corpuſcula; quando enim duo corpora ſunt intra idem vas, altero aſcendente deſcendit alterum, vt patet in vaſe ſemipleno aqua: ergo non eſſent corpuſcula egreſſura, ſed occuparent locum ab aqua deſertum: vnde illis & aqua ſemper eſſet plenum vas, neque eſſet rumpendum. Adde raritate incipiente, neceſſario depulſum iri corpuſcula interiecta inter partes incipientes rareſieri: ergo illa corpuſcula occuparent locum tunc ab aqua rareſcente deſertum: ergo hoc corpus, & illa aqua tantum loci occuparent, quantum antea: ergo non rumperetur vas; ſed aqua & corpuſcula mutuo darent loca. Item corpuſcula non abirent ad locum iam occupatum; ſed ad inanitatem relictam ab aqua. Et cum hæc inanitas paulatim repleretur corpuſculis, non eſſet cur vas rumperetur.

§. 20 Argumentor tertiò: hæc corpuſcula neceſſariò eſſent capacia raritatis, & denſitatis. Rogo, vtrum in illorum rarefactione alia corpuſcula interiiciātur? An non? Si primum; abibitur in infinitum, quia de ſingulis eamdem quæſtionem inſtituam; ſi verò rareſcunt ſine aliis, recidis in eaſdem difficultates; illa autem poſſe rarefieri ſic probo, quia ſunt corruptibilia, & extenſa; habéntque temperamentum ſuarum qualitatum, ſed illud temperamentum poteſt diſſolui: ergo poſſunt rareſcere. Dices corpuſcula eiuſdem ſpeciei interiici quando rareſcunt alia corpuſcula eiuſdem: ſed certè ſicut tunc rarefiunt vna, eamdem ob cauſam rarefient & alia: ſi enim in craterem ſemiplenum lacte, coniicias aliud lac, vtrumque rareſcet, immo verò hoc non eſſe rarefactionem inde patet: quia aër non rarefit per additionem alterius aëris, neque aqua per commixtionem alterius aquæ.

§. 21. Quartò: quando homini applicatur vitrea ampulla, apud noſtros *ventoſa*, & quando ſtupa in illa incluſa concipit ignem: tunc rareſcit materia ſtupæ & aëris, conſumpto autem igne eadem materia denſatur, cuius argumentum eſt ampullæ fractio, quando multum ſtupæ continet; quia tunc ampulla non capit tantam raritatem materiæ, extincto autem igne, locus, quem eius materia occupabat, occupatur carne tumeſcente, & aſcendente ad replendam inanitatem ex igne relictam: ſed hoc non fieret, ſi in igne eſſent corpuſcula, per quæ repleretur ſpatium ampullæ: ergo.

Dicunt, igne contineri ſubtilia corpuſcula, quæ illo extincto diffugiunt per poros vitri, & ad replendam inanitatem ex corpuſculorum fuga relictam, carnem tumeſcere, & aſcendere. Velim audire vtrum ipſi viderint corpuſcula diffugientia, & quo fundamento moueātur ad adſtruēdos tam capaces poros in vitro, cum conſtet experientia, nulla re adeo impediri auditum, quam vitro interiecto inter corpus ſonans & aures: quia cum habeat poros perexiguos, non poteſt aër cum ſpecie impreſſa per illud commeare. Secundò: cur potius corpuſcula non diffugiunt per poros carneos, qui ſunt capaciores vitreis? Maximè cum illa corpuſcula ignea naturaliter petant locum calidum, & non frigidum: ſic autem caro non tumeſceret ad replendum ampullæ locum: ſed aër extraheretur è corporis poris ad ampullam: vel intraret per poros vitreos vel ſaltem aërea corpuſcula illum replerent, & ſicut dicis frangi ollam, vt ex illa egrediantur aquea corpuſcula, cur etiam non frangitur vitrum eamdem ob cauſam? § 22.

Hinc quintò te impugno, quia in raritate non attrahuntur ad corpus rarum corpuſcula corporis vicinioris ad replendum vacuum; ergo maniter effinguntur. Patet antecedens, quia in caſu argumenti attrahitur caro ad replendum ſpatium corpuſculorum igneorum; at certum eſt carnem habere poros plenos corpore: ergo ad replendum vacuum attrahitur corpus poroſum, & non corpora, quæ includuntur in poris. Deinde rogo, cur illa corpuſcula extincto igne diffugiant? Cur non remanent intra ampullam in illa materia, quæ calida relinquitur? Quæ aptior eſt ad ea conſeruanda, & ſi tendunt in aëra, quem locum occupant? Anne totus aëreus orbis mouetur loco ad illa corpuſcula excipienda? Certè hæc ſententia, vt oritur neceſſariò ex continui compoſitione ex ſolis indiuiſibilibus, ita eſt latibulum in quod ſe abdant illius authores diuinantes potius, quàm philoſophantes. Quod ait Gabriel noua corpuſcula generari eſt abs re: tum quia ſine fundamento aſſeritur; tum quia cauitas cœlorum ea non caperet. Quia ante raritatem erat tota plena corpore: poſt raritatem accedunt noua corpora locum occupantia: hic locus à quo datur? Non ab aliis corporibus: quæ nec rareſcunt, nec denſantur: ſed retinent priora ſua corpuſcula: opus eſt ergo vt tantum materiæ alibi denſetur; & ſic totus orbis mutet locum. Melius eſt, ea corpuſcula præcedere ab origine, & raritate trahi ad locum deſertum à parte rara à loco, in quem ipſa porrigitur: idem eſt in denſitate. §. 23.

Sextò, quia ſequitur lacte rareſcente illud in omnes ſuas partes diuidi: conſequens eſt, cum contra experientiam, tum contra rationem; quia in vno ſolo indiuiſibili nulla forma ſubſtantialis ſe poteſt tueri: ſequela probatur: tum quia omnes partes lactis ebulliunt, incaleſcunt, & recipiunt temperamentum raritatis; ergo omnes illæ rareſcunt; patet, quia non eſt cur vna potius, quàm alia rareſcat, cum omnes æqualiter afficiantur: at per te inter quaſlibet duas partes rareſcentes interiicitur aliquod corpus: ergo eo interiecto omnes partes abiunguntur, tum etiam, quia paruum lac applicatum igni, calore ebulliens occupat totum §. 24.

tum

tum craterem, ita vt occupet ſpatium octuplo maius, quàm antea: ergo vel omnes eius partes diſcontinuantur, cum inter ſingula binaria earum interponantur octo corpuſcula (quod intendo) vel ſaltem inter aliquas partes interiiciuntur plura corpora, quæ illas faciant inter ſe longè diſtare, quod eſt contra experientiam, qua videmus totum lac continuum; neque ita poſſent oculi decipi, ſi aliquæ partes nimium diſtarent. Tandem iuxta hanc ſententiam propriè nulla fit raritas, ſed quædam partium abiunctio, quia materia ſemper habet eamdem dimenſionem, & eumdem locum, ſed cum hoc diſcrimine, quod raritate occupat tantundem loci in pluribus partibus diſſitis, & diſtantibus; vnde ſi hoc lignum præcidas, eius partibus huc illucque proiectis, erit rarum: quod mihi rarum contingit.

§. 25. Diſputatione 15. phyſic. §. 94. retuli opinantes, punctum indiuiſibile quantitatis occupare locum diuiſibilem, & eſſe totum in qualibet parte loci, & totum in toto. Hi dicunt raritatem fieri, quia ſingula puncta tumeſcunt versùs omnem dimenſionem; materia autem eſt parua ſub magnis dimenſionibus. Nec hoc mirum, tum quia rei materiali conuenit hic modus exiſtendi in loco, vt formis brutorum in ſententia B. Thomæ: item in ſententia communi eademmet materia modò occupat plus loci, modò minus. Verum qui ponunt formas materiales inſectiles, illis dant ſectiles vbicationes: indiuiſibilem quidem ad indiuiſibile loci: diuiſibilem autem ad locum diuiſibilem. Vel certè vt in ratione formæ viuentis perfecti conueniunt cum rationali, ita & in virtuali extenſione: at quantitas caret ea virtute; quia comparatione illius dicuntur alia virtute extenſa: quia in entitate indiuiſibili continent modum exiſtendi in loco: quem quantitas ſua diuiſibilitate. Quod affertur de ſententia communi, eſt abs re; nam in illa ſemper eſt pars materiæ in parte loci; & indiuiſibile in indiuiſibili: vt patebit ſect. 4.

§. 26. Contra hanc ſententiã arguo primo: quia punctum indiuiſibile ſolum ſua entitate porrigitur verſus omnem dimenſionem; & efficit impenetrabilitatem lineæ, ſuperficiei, & profunditatis: & qui vident corpus ita extenſum, non vident niſi vnum indiuiſibile: & qui manu tangunt lac rariſſimum, non tangunt niſi punctum: immo nec poſſet diuidi id quod tangitur pone ignem, cuius ſingula puncta occupant palmum loci, nec ſecabitur ſerra quamtumuis geminentur ictus: nec eſſet opus alia parma ad excipienda vulnera niſi arripere vnum indiuiſibile ignis. Dices facile diuidi ignem. Contra, diuidetur vnum punctum ab alio; at nullum diuidi poteſt; & ſingula occupant plurimum loci. Cum verò in partes diſſecatur corpus rarum, non diuiditur, ſed videtur diuidi: quia quod punctum erat in vno palmo continuo, manet in duobus ſemipalmis non continuis.

§. 27. Secundò argumentor: quia non poteſt idem corpus eſſe æque denſum; ſed in centro minus, at in exterioribus multo minus. Demus enim lac frigidum; rareſcat: non rareſcit tantum in centro, quantum in circumferentia. Nam puncta exteriora occupant octuplo maius ſpatium, quàm interiora. Dices non eſſe æqualia. Contra, oſtendi in diſp. 15. phyſi. à §. 80. tot eſſe puncta in circulo exteriori in hac ſententia, quot in interiori; ſed exteriora occupant plus loci: ergo ſunt rariora. Quapropter Sol erit in peripheria rarior quàm in centro, multo magis quàm ignis aëri comparatus: quod vel ipſis oculis repugnat.

§. 28. Contra ſecundo: à puncto exteriori ad interiorem duci poſſunt per circulum tot lineæ: quot ſpatia indiuiſibilia Ariſtotelica occupat punctum exterius: ergo vel in circulo minori ſunt tot puncta, quot in maiori; & ſic Sol eſt inuiſe rarum: vel lineæ illæ penetrantur multæ in ſingulis interioribus: ex quo etiam erunt inæqualiter raræ. Probo hanc ſecundam partem conſequentiæ: quia exterius capit quatuor indiuiſibilia loci, interius autem duo: ergo quatuor lineæ ducendæ ſunt per duo indiuiſibilia loci, ac penetrabuntur binæ. Primum antecedens probo: quia ex quatuor locis indiuiſibilibus (quales Ariſtotelici, & Stoici admittunt) duci poſſunt quatuor lineæ; quarum ſingulæ tantum occupant ſingula loci idiuiſibilia: hæ in interiore non habent quatuor indiuiſibilia loci: quia interius tantum habet duo; ergo binæ lineæ ſe tangunt adæquate in vno loco indiuiſibili: ergo penetrantur: & ſunt in interiori denſiores, quàm in exteriori. Quod ſi dicas eas lineas traiici non poſſe; quia penetrarentur. Contra: ergo iam ex conceptu cuiuſque compoſiti eſt, vt habeat versùs centrum lineas denſiores, quam in peripheria. Nam Mathematici demonſtrant à puncto in centrum duci lineam: aliunde tu admittis tactum duorum punctorum ſecundum ipſa tota, & ea penetrari in aliquo loco indiuiſibili; ergo poterunt penetrari & eſſe adæquatè in eodem loco. Nam exiſtere punctum *A.* in aliquo loco, in quo non ſit *B.* non tollit eorum penetrationem in loco *C.* in quo eſt vtrumque: vt ſi anima ſit Romæ informans corpus, cum illo penetratur, licet miraculoſè ponatur alibi: ergo non repugnat penetratio in loco adæquato magis quam in inadæquato: quia penetratio nihil eſt quàm *Tactus duarum partium ſecundum ipſas totas in aliquo loco.*

SECTIO IV.

Raritas fit noua qualitate.

§. 29. SI quam viam Philoſophicam inuenirem ad hanc difficultatem effugiendam, illam lubens inirem; ſed cum cæteræ omnes ſint, & inuiæ, & aſperæ, malo tritam. Dicendum igitur eſt, in raritate neque acquiri maiorem quantitatem, neque in denſitate deperdi, nec etiam noua corpora attrahi, aut depelli. Hoc eſt commune omnibus Ariſtotelicis, & cæteris ferè Scholis. Cuius probatio ſumitur ex impugnatione cæterarum opinionum, quæ ſunt parum philoſophicę; tum etiam, quia ratione nouæ qualitatis aut modi poſſunt omnia intelligi. Deinde; quia materiam eſſe raram aut denſam oritur à frigore, & calore. Lac enim frigidum, & aqua glaciant: calore verò ſoluuntur, ac dilatantur: ergo radix raritatis ſunt illæ qualitates, quæ habent pro effectu formali ſecundario extendere materiam ad latiorem locum.

§. 30. Obiicis primò, quia ſine noua quantitate, vel nouo corpore non poteſt intelligi rarefactio: ergo. Probatur antecedens; quia rareſcente corpore vna pars diſtat ab alia plus, quam antea, ſed non poteſt diſtare ſine interiectu alterius corporis: ergo. Probatur minor, quia ſemper vna pars immediatè vnitur alteri per punctum; punctum autem ſemper eſt indiuiſibile: ergo, niſi inter partem, & partem interiiciatur corpus, numquam vna pars diſtabit ab alia, niſi per punctum.

§. 31. Nego antecedens, ad probationem reſpondetur, partes proportionales nunquam diſtare magis, aut

aut minus; quia non vniuntur ſecundum partem determinatam, ſed ſecundum indeterminatam per punctum: magis autem, aut minus diſtare, eſt affectio partis determinatæ, nihil enim eſt maius aut minus alio niſi vtrumque ſit in quantitate certa: quia maius aut minus eſt comparatio menſuræ: quæ certa eſt, ac determinata; partes verò determinatas inter ſe plus diſtare, oculis cernitur, quod prouenit ex noua qualitate, quæ habet virtutem extendendi ipſas partes. Si verò id fieret interiectu alterius corporis, non tam eſſet rarefactio, quàm diſcontinuatio partium: nec eſſet effectus formalis qualitatis: quorſum enim ignis peteret vnam partem ſui ſubiecti ab alia diſiungi? Aut cui emolumento id eſſet igni? cui melius eſt eſſe continuas: ergo à qualitate connaturali non orietur ille effectus, cum re ipſa materia ignis non redderetur ſubtilior.

§. 32. Sed hinc oritur ſecundum argumentum, quia ſequitur in raritate vnam partem occupare duos locos, & in denſitate duas partes in eodem loco penetrari, conſequens eſt in philoſophia abſurdum: ergo. Probatur maior, conſtituantur duæ partes ceræ occupantes medietatem palmi, rareſcant illæ duæ per ſpatium alterius medietatis, tunc ſic: illæ duæ partes retinent medietatem palmi, quam antea, & per te nulla facta additione, neque corpore interiecto, occupant aliam medietatem: ergo vna pars eſt in duobus locis; patet conſequentia, nam pars, quæ ante occupabat quartam palmi partem, nunc occupat duas quartas partes, & quæ occupat dimidium palmum, nunc occupat integrum. In condenſitate autem partes penetrari ſic probo, ſit corpus rarum in vno palmo, denſetur ad medietatem palmi, tunc ſic: illæ partes ſunt in loco duplo minori, quàm antea: ergo duæ partes penetrantur in eodem loco, quia antea medietas illius corporis occupabat totum ſpatium, quod modò occupat totum corpus: ergo medietas altera illius corporis exiſtit in eodem loco cum altera medietate.

§. 33. Confirmatur primò: ante denſationem medietas illius corporis ita replebat totum locum, vt cuilibet parti loci reſponderet pars ceræ, modo iiſdem met partibus exiſtentibus in eodem copulantur aliæ partes in eodem loco: ergo eæ, quæ adduntur, occupant eumdem locum, quem præcedentes. Patet conſequentia, quia totus locus antea erat repletus medietate ceræ: ergo etiã nunc eſt repletus eadem medietate: ergo medietas ſuperaddita occupat eumdem locum medietatis præcedentis. Confirmatur ſecundò: eadem pars non poteſt habere ſimul duas vbicationes, neque eadem vbicatio poteſt eſſe in duabus partibus, at hæc abſurda ſequuntur in noſtra ſententia: ergo. Probatur minor; quia pars, quæ rareſcit, occupat locum præcedentem: ergo retinet ſemper præcedentem vbicationem: item extenditur ad nouum locum; ergo etiam habet nouam vbicationem, habet ergo duas.

§. 34. De condenſatione probatur. Nam tunc contrahuntur partes, & deſerunt præcedentem locum, & duæ partes reducuntur ad locum vnius; ergo vna vbicatio ponitur in duabus partibus. Confirmatur tertiò, quia eadem pars quantitatis non poteſt habere duas partes raritatis, ſed eas haberet niſi addatur noua quantitas: ergo. Probatur minor, ponamus duo corpora æqualiter rara, ecce ſingulæ illorum partes habent ſingulas partes raritatis, tunc rareſcat magis alterum, illa noua raritas in quo reciperetur? Nõ in noua quantitate per nos: ergo in præcedenti: ergo eadem pars quantitatis haberet duas partes raritatis.

Fateor ingenuè hoc, & præcedens argumentum continere difficultatem ferè inexplicabilem communem huic, & Scoticæ, & Marſilianæ ſententiæ; non verò ſententiæ de corpuſculis. Nego tamen ſequelam, ad probationem reſpondetur, licet totum corpus retineat totum locum præcedentem, nullam tamen partem illis manere in loco, in quo antea erat, vt quando cœlum mouetur, totum cœlum eſt in eodem loco, & nulla illius pars retinet præcedentem: atque ita nulla pars rarefacta retinens primum locum, occupat nouum; ſed relicto primo occupat nouum: hinc verò non ſequitur eamdem partem eſſe in duobus locis, ſed occupare maiorem locum, quod prouenit ab ipſa raritate tamquam à cauſa formali primaria, & ab vbicatione tamquam à ſecundaria. §. 35.

Rogas, quo pacto partes magis diſtent inter ſe? Reſpondeo id prouenire tum ex compoſitione continui ex partibus diuiſibilibus, quæ propter infinitam diuiſibilitatem poſſunt magis protendi, quod non reperitur in compoſitione ex ſolis indiuiſibilibus, quia duo, nec tria, nec quatuor indiuiſibilia non poſſunt extendi per qualitates, magis quàm ſine illis, quia ſemper petunt determinata quatuor indiuiſibilia loci; quapropter in ea opinione neceſſariò recurritur ad corpuſcula. At vero partes diuiſibiles, ex ſe non ſibi vendicant certum, & determinatum locum, ſed ſunt indifferentes ad magnum vel paruum, quæ indifferentia tollitur per temperamentum qualitatum, tum etiam prouenit à qualitate tamquam à ratione formali determinante indifferẽtiam partium: eodem modo reſpondetur partes non penetrari, quia nulla retinet priorem locum, quia in rarefactione, & condenſatione includitur motus localis, per quem partes raræ, & denſæ lococientur, & ſicut per qualitates partes tumeſcunt & diſtrahuntur, quin ſit vna duobus in locis, ita & per alias qualitates contrahuntur ſine penetratione, accipiendò aut maiorem aut minorem vbicationem, per quam reſpondeant maiori, aut minori ſpatio. §. 36.

Ad primam confirmationem reſpondetur, ante denſationem cuilibet parti loci reſpondiſſe partem corporis, ſed magis diſtantem ab aliis: at verò per denſationem reſpondere partes minus diſtantes; tunc non repletur ſpatium vna medietate corporis ſicut antea; quia quæuis medietas contracta eſt ad minus ſpatium; ſed quod antea occupabatur altera medietate, nunc occupatur toto corpore. §. 37.

Ad ſecundam confirmationem patet ex dictis, nullam partem habere duas vbicationes; ſed totum habere maiorem vbicationem prouenientem à raritate: & in denſitate totum, & quamlibet partem determinatam habere maiorem vbicationem. Ad tertiam confirmationem reſpondetur, quamlibet partem materiæ habere poſſe duas partes intenſiuas, raritatis, aut denſitatis, conſtantes vnam integram. §. 38.

Aduerte, vnum palmum corporis occupare ſemper alium loci, neque vnquam occupare duos; at verò in raritate ex vno palmo materiæ fiunt duo occupantes duos palmos loci; palmus autem dicit extenſionem ad locum, & cum extenſione vnius palmi tantum nõ poſſunt occupari duo palmi loci, idem dicitur proportione de denſitate. Spatium imaginarium non apprehenditur capax raritatis, aut denſitatis; quia ſpatium hoc nihil eſt §. 39.

præter

præter vbicationes, explicandas in ordine ad diſtantiam, & vacuitatem. Quæ vbicationes ſunt incapaces raritatis, aut denſitatis, quia quælibet ex illis eſſentialiter eſt determinata ad certam, & determinatam partem ſpatij, certáſque diſtantias. Itaque materia eſt indifferens ad vnum, aut duos cubitos: determinatur autem ad duos per raritatem; ad vnum per denſitatem: quia calor petit parum materiæ, & multum loci; frigus verò multum materiæ, & parum loci: & vt multæ indifferentiæ tolluntur per aliquas res aut modos, ita indifferentia ad locum, in actu primo tollitur qualitate; in actu ſecundo vbicatione. Itaque palmus vt palmus dicit quantitatem affectam qualitate petente vbicationem palmi; & hic non occupat duos palmos: at verò materia illius palmi cum alio gradu qualitatis, aut qualitate alia efficitur bipalmis, ſublata priori menſura. Vnde nec eſt in duobus locis, nec penetratur.

§. 40. Nonnulli ſe nobis obiiciunt ad probandum penetrationem corporum in denſatione, & occupationem duorum locorum ab eodem corpore raro: ponunt lac rarum in duobus palmis: in lacte ſunt tot puncta quot in ſpatio: ergo quando denſatur lac, duo eius puncta ſunt in eodem loco: & conſequenter duæ partes illis vnitæ ſunt in eodem etiam loco. Probant conſequentiam, quia puncta lactis ſunt duplo plura quàm puncta ſpatij denſitate occupati; ergo duo puncta lactis ſunt in eodem puncto loci: quia ſingula puncta erant prius in ſpatio duplo maiori ſingula ſingulis indiuiſibilibus loci reſpondentia: antecedens patet: quia puncta vtriuſq; palmi ſunt duplo plura quàm vnius: ſed hæc habet tot puncta quot bipalmus: ergo plura duplo quàm palmus.

§. 41. Reſpondeo neutrum deduci. Ad argumentum concedo antecedens; & nego conſequentiam. Ad probationem eius, reſpondeo puncta proportionalia non eſſe plura in toto orbe quam in vngue, quia hæc ſunt aptitudines ad ſectionem: tot autem ſectiones poſſunt eſſe in vngue quot in orbe: quia ſunt infinitæ ſyncathegorematicè. Item vbi nihil eſt determinatum, non eſt *maius* aut *minus*: determinata autem puncta tot ſunt in palmo quot in bipalmo; ſed in bipalmo ſunt partis maioris. v.g. ſint in bipalmo centum partes mutuo æquales; totidem ſunt in palmo mutuo etiam æquales: minores tamen quàm in bipalmo. Reſpondeo ergo: punctum lactis eſſe ſemper in vno loco indiuiſibili; partes autem lactis eſſe minus diſtantes: vnde lac bipalmi efficitur vnius palmi: quia eius partes minus diſtant inter ſe: non verò quia punctum, aut certa aliqua magnitudo replicetur duobus in locis; ſed quia minus diſtat vna pars certa ab aliis.

SECTIO V.

De radice rareſactionis.

§. 42. IN omni corpore raro reperiuntur qualitates, quæ illius indifferentiam determinent ad hanc vel illam magnitudinem, & locum: item reperitur motus localis, quem ſequitur vbicatio. Effectus formalis primarius rari conſiſtit in illa qualitate vnita corpori, effectus autem formalis ſecundarius eſt ipſe motus localis, & vbicatio.

§. 43. Inquiri poteſt in quo conſiſtat ratio formalis rari? Reſpondeo effectum formalem primarium non poſſe conſiſtere in aliquo modo, quia de eſſentia modi eſt dare actu ſuum effectum formalem, vt de vnionis eſſentia actu vnire, ſed datur rarum ſine actuali affectione, vt in Euchariſtia Chriſti corpus eodem modo eſt rarum ac denſum, quo in cœlo; & tamen non habet actualem dimenſionem ibi, neque extenſionem ad locum ergo ibi raritas non conſiſtit in actuali, ſed in aptitudinali extenſione, hæc autem aptitudo non poteſt eſſe modus, ſed res (vt patebit diſput. 2. met. ſect. 5.)

Poteſt inquiri, vtrum huiuſmodi qualitas ſit diſtincta à temperamento quatuor primarum? Primum reſpondeo raritatem, aut denſitatem cœli non conſiſtere in temperamento primarum qualitatum, ſed aliarum contrario carentium. Secundò quæſtioni reſpondeo negatiuè, quia calor ex natura ſua per ſe ipſum eſt extenſiuus ſubiecti, quia ex natura ſua petit corpus rarum, è contra verò frigus contrahit. Itaque vt per te ex quatuor primis qualitatibus, vel aliqua ex illis in tali, vel tali gradu oritur alia, quæ eſt raritas, & ex hac oritur actualis extenſio; ita ego aio ex primis qualitatibus immediatè oriri actualem extenſionem. §. 44.

Motus localis partium, & vbicatio complent raritatem, aut denſitatem quoad effectus formales ſecundarios: at in illis non conſiſtit formaliter raritas, aut denſitas, vt patet in Euchariſtia. Dices poteſt diuinitus corpus rareſcere ſolo motu locali: ergo in hoc conſiſtit eſſentia raritatis. Patet antecedens, quia ſi diuinitus extendantur per locum partes corporis, tunc erit parum materiæ ſub magnis dimenſionibus: ergo. Timeo quæſtionem de nomine, in eo caſu eſſet effectus formalis ſecundarius raritatis, qui ex natura ſua peteret oriri à raritate, non tamen eſſet effectus formalis primarius, abſoluteque non eſſet rarum. Quando enim definitur, non ſubintelligitur de actuali extenſione, ſed de aptitudinali, quando enim dicimus, *rarum habet ſub magnis dimenſionibus parum materiæ*, intellige, habet qualitatem petentem parum materiæ ſub magnis dimenſionibus. Quapropter dixi ſect. 3. raritatem conſiſtere in attractione aëris in ſententia ibidem impugnata: quia verò effectus formalis ſecundarius notior eſt, per ordinem ad illum definitur rarum, vt ſæpe contingit. §. 45.

Confirmatur: conſtituat Deus eamdem partem quantitatis pluribus in locis continuis, eam in ſingulis replicans: tunc parum materiæ eſſet ſub dimenſionibus magnis, & multum occuparet ſpatium: nec tamen eſſet rara, quia non haberet eás vbicationes ab inhærente qualitate. Hinc componuntur nonnullorum diſſidia de raritate: nonnulli enim eam conſtituunt in qualitate nonnulli in motu locali. Immo Ariſtoteles, & B. Auguſtinus pro vtroque eam vſurpant. Qui aiunt eam eſſe poſſe diuinitus ſine qualitate, eam vſurpant pro motu: qui ſecus; eam vſurpant pro effectu formali primario qualitatum, qui ſine illis nequit concipi. Videantur Patres Conimbr. 1. de generatione cap. 5. quæſt. 17. art. 1. & Pater Rubius quæſt. 2. & 3. Hæc certa ſunt, rareſcere corpus acceſſu qualitatum, vt lac calore: nec illam partium dilatationem oriri poſſe ex natura rei, niſi à qualitatibus. Nam agentia poſſunt corpus rarum hinc illuc traiicere, ſed ſeruata earumdem partium diſpoſitione (niſi diſrumpatur.) At motu illo raritatis nunquam mouentur, niſi per qualitatem nouam, ex hac datur motus localis, ſiue extenſio ad maius ſpatium. Vter autem ſit rareſactio? quæſtio eſt de nomine. Ego dico vtrumque, alterum §.46.

alterum de primo conceptu, alterum de ſecundo. Vnde pro primo modo rarefactio eſt motus per ſe ad qualitatem extendentem ſubiectum. Secundo modo eſt motus per ſe ad maius ſpatium. At rarefactio non eſt augmentatio, nec per illum fiunt partes, aut indiuiſibilia quantitatis, aut materiæ, ſed eædemmet cum noua qualitate plus occupant loci.

§. 47. Aduerte, id quod eſt rarum reſpectu vnius rei, eſſe denſum reſpectu alterius, vt aër comparatione ignis, & terræ. Cognoſcere autem quæ materia ſit rara ſimpliciter, quæ denſa poſſumus; quia illa materia quæ cum qualitate rarefactiua in eodem gradu, poteſt plus loci occupare quàm alia eſt denſior; quæ autem minus, eſt rara. e. g. in ligno & ferro eiuſdem longitudinis, latudinis, & profunditatis: ponamus raritatis qualitatem æqualiter extenſam: ferrum occupabit plus loci quam lignum; ſunt ergo in ferro plures partes determinatæ æqualis certitudinis quàm in ligno.

DISPVTATIO V.

De Alteratione, & eius termino.

§. 1. ALTERATIO eſt *motus ad qualitatem.* Si propriè ſumatur, ſe extendit ad omnes qualitates tam corruptiuas, quàm non corruptiuas: apud Philoſophos autem ſumitur pro motu ad ſolam qualitatem corruptiuam, vel ex hac ortam, diſponentem ad generationem: in ordine ad quam de ea agitur in præſenti. Aduerte alterationem connotare in ſubiecto priuationem formæ inductæ: quia alterare ſignificat facere rem aliter ſe habere, quàm antea, illámque diſponere ad nouam formam; quod fit exiſtente materia cum alia; & ſucceſſiuè. Quod ſi in ſubiecto non præſupponatur talis priuatio, non eſt propriè alteratio, ſic neque motus propriè. Neque verò ideo mutatur illamet entitas motus, ſed tantum illi deficit extrinſeca quædam denominatio ſumpta à præcedente priuatione ſui termini. Conuenit alteratio in ratione motus cum cæteris; differt autem per *qualitatem.* De hoc motu nunc nihil occurrit dicendum præter communia omnibus motibus, peculiaria verò huius, partim dicemus hac diſputatione, partim in lib. de Anima, partim in Metaphyſica ad prædicamentum qualitatis, quia terminus huius motus fusè latéque vagatur.

SECTIO I.

Per intenſionem nulla qualitas remiſſa corrumpitur.

§. 2. INtenſio & extenſio ſunt affectiones qualitatis: extenſio fit quando qualitas extenditur per ſubiectum: includítque diuerſas partes qualitatis in diuerſis ſubiecti partibus exiſtentes, vnione integrali vnitas: vt calor manus & brachij: intenſio fit in eodem indiuiſibiliter ſubiecto, vt quando tota manus eſt calida, deinde eadem manus amplius incaleſcit.

Intenſio eſt *actio, per quam perficitur qualitas circa idem indiuiſibiliter ſubiectum*; eſſe actionem videtur clarum; quia cernimus experientia calorem ab igne intendi, quæ intenſio non poteſt eſſe niſi efficienter ab igne, qui influit in calorem alterius ſubiecti phyſicè ſine mutatione ſui; per eam actionem perfici qualitatem patet apertè ab effectu; quia calor remiſſus imperfectè operatur, & ſentitur; at verò intenſus operatur, & ſentitur perfectè: quod clarius patet in luce meridiana, & veſpertina; ſed illa perfectior operatio oritur ex maiori perfectione caloris intenſi: ergo per intenſionem perficitur qualitas. Item calor intenſus vehementius reſiſtit contrariis, & conſeruat formam ignis; quæ ſiue maiori perfectione eſſe non poſſunt.

§. 3. Duran. 1. diſt. 17. quæſt. 7. Gofredus, Magnus Albertus, Niſus, & alij relati à Pat. Suarez 2. Metaphyſic. diſt. 46. ſect. 1. num. 2. opinantur in intenſione mutari vnam qualitatem in aliam. Ex quorum ſententia ſequitur in quauis intenſione perire vnum indiuiduum, & produci aliud eiuſdem ſpeciei, vel diuerſæ: ea ſententiæ probantur, tum ex impugnatione cæterarum, tum quia duæ qualitates eiuſdem ſpeciei non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Verùm ex hac vltima ratione impugno hanc ſecundam ſententiam, quia non eſt cur corrumpatur qualitas remiſſa, quia qualitas intenſa per te eſt diuerſæ ſpeciei, ſed duæ qualitates diuerſæ ſpeciei rectè poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto: ergo propter hanc rationem non eſt corrumpenda remiſſa.

§. 4. Deinde vtraque ſententia impoſſibilis viſa eſt Greg. in 1. diſt. 17. quæſt. 4. art. 1. Quam omnes, præſertim recentiores, meritò impugnant: habétque parum probabilitatis. Primò, quia (vt ſect. 3. patebit) intenſio ſæpe fit continuè: ergo eius terminus habet partes cótinuas, non enim poteſt eſſe actio continua ſine continuo termino, ſed non poſſet eſſe continuus terminus, niſi conſeruaretur qualitas remiſſior: ergo conſeruatur. Probatur minor, quia quando accidit intenſio perfectior, rogo an ſimul maneat terminus intenſionis remiſſioris? ſi manet, habeo intentum, nempe adueniente forma intenſiori non perire remiſſiorem. Si non manet, rogo qui continuetur qualitas intenſior cum qualitate remiſſa non exiſtenti?

§. 5. Confirmatur, demus calorem intendi à primo gradu vſque ad tertium per ſemihoram, quando introducitur ſecundus gradus, rogo vtrum introducatur totus ſimul? an verò per partes ſucceſſiuè? Si primum: ergo tertius gradus producitur in tempore, quia poſt inſtans ſequitur tempus, cum igitur ſucceſſiuè intenditur tertius gradus, augetur quidem per partes: ergo partibus præexiſtentibus additæ ſunt aliæ partes eiuſdem gradus: ergo per additionem partis intenſioris remiſſa non corrumpitur.

§. 6. Dices partes temporis continuari, cum tamen non coëxiſtant determinatè: ergo idem erit in intenſione. Concedo res ſucceſſiuas coëxiſtentes per ſolas partes proportionales poſſe continuari, admiſſo tamen qualitates intenſam & remiſſam coëxiſtere per partes proportionales, etiam debet admitti eaſdem coëxiſtere per partes determinatas, quia partes temporis ea præciſè ratione non coëxiſtunt per partes determinatas, quia tempus eſt natura ſua ſucceſſiuum, ſed qualitates intenſæ, & remiſſæ non ſunt contrariæ, ſi quidem continuantur; neque item ſunt ſucceſſiuæ, ſed natura ſua permanentes, quia ante intenſionem permanebat remiſſa: deinde permanet intenſa: ergo ſi coëxiſtunt per partes proportionales, etiam coëxiſtent per determinatas.

§. 7. Tertiò, quia non eſt à quo corrumpatur primus gradus qualitatis, quia agens naturale non corrumpit

corrumpit ſibi ſimile, neque ibi eſt aliqua diſpoſitio contraria. Si dicas illas duas qualitates eſſe incompoſſibiles, eáque propter remiſſam corrumpi, vt producatur intenſa. Cõtra primò, quia ſine fundamento aſſeritur talis incõpoſſibilitas, quam ego impugno, quia duo calores eiuſdem ſpeciei non ſunt mutuo contrarij (vt ex terminis patet:) quia illi extenſiuè continuantur, quod non euenit contrariis, & quia ſunt ad formas non cõtrarias, nec à contrariis agentibus: ſi autem ſunt diuerſæ ſpeciei, non ſunt contrarij, quia non habent effectus repugnantes. Nam eſſe minùs calidum non dicit repugnantiam cum calido magis, ſed carẽtiam vnionis cum illo: vt paruum dicit carentiam magnitudinis.

§. 8. Item quia charitas, ex Durando, conſeruatur ſecundum diuerſos gradus intẽſionis. Deinde agens non corrumpit formam ſibi ſimilem, vnde vel non introducet aliam ſimilem, vel illã introducet præexiſtenti conſeruata, quia illæ duæ non opponuntur cum non ſint contrariæ. Secundò, quia quando duæ formæ ſimiles ſunt incompoſſibiles in eodem ſubiecto nulla deſtruit alteram, ſed mutuò ſe iuuant in conſeruatione, vt ignis non corrumpit alium ignem ad productionem alius: ergo ſi formæ intenſa & remiſſa ſunt inter ſe tam ſimiles, quàm duæ formæ ignis, non eſt cur præcedens interimatur ab agente ſimili, magis quàm vnus ignis ab alio; ſi verò illæ duæ qualitates ſunt diſſimiles, rectè poterunt cohærere.

§. 9. Quartò, quia ſi in intenſione corrumpitur forma remiſſa ad productionem intenſioris: ergo è contra in remiſſione ad corruptionem formæ intenſioris producetur forma remiſſior. Sentimus enim experientia remiſſionem fieri ſucceſſiuè, & per partes, quod fieri nõ poſſet ſi forma perfectior periret ſine productione remiſſioris, huius autem falſitas probatur, quia cum aqua ab igne ſemota ſe infrigidat expellendo ſextum gradum caloris, non habet virtutem producendi quintum gradũ, quia neque in aqua, neque in aliqua eius virtute calor continetur eminenter: neque item ille quintus gradus oritur ab aëre ambiente, quem ſuppono eſſe frigidum: neque eſt cur confugiatur ad cauſam primam, quia aqua non petit ad aliquem effectum quintum gradum caloris: eſſet autem perabſurdum recurrere ad Deum, vt producat habitum vitioſum in gradu remiſſo, quando minuitur per honeſtum. Immo nec potentia illum produceret, quia habitus acquiſiti per actus producuntur: ergo non eſt à quo producatur.

§. 10. Tandem probatur, intenſione perfecta manet qualitas intenſa. Rogo, vtrum illa ſit indiuiſibilis? an conſtans partibus? ſi eſt indiuiſibilis, vt intellectus in ſententia communi: ergo illa non fuit acquiſita continuè, ſed ſubitò: quia res indiuiſibilis, non poteſt fieri ſucceſſiuè, quia ſucceſſio petit partes priores & poſteriores: ergo intenſio nõ eſt motus continuus: quia tota intenſio verſatur circa indiuiſibilem illam qualitatem. Quod negat Durandus ipſe dans qualitati intenſæ vnitatem à continuatione motus. Deinde, quidquid productum fuit continuè, fuit inutile: quia non perſeuerat per te, vt ſit diſpoſitio, à qua penderet illa intenſio: nec item fuit ad expellendum impedimentum è ſubiecto; quia nullum erat: nam formæ intenſæ reſiſtit ex parte ſubiecti qualitas contraria: quæ formaliter expellitur per aliam, & non per aliquid præuium. Tandem alteratio illa continua aliquid qualitatis agebat: quorſum ergo eam agit? Nullus itaque ait, gradum intenſum eſſe indiuiſibilem ſecundum intenſionem (non ago de maioris radicationis opinione.) Ergo gradus ille eſt diuiſibilis in partes; ſed duæ partes ſolæ, remiſſiores ſunt quam totus gradus: ergo cum gradu remiſſo retinetur intenſus: probatur minor; quia ſi gradus ſunt ſimiles (vt volunt aduerſarij) quatuor partes conſtituunt maiorem intẽſionem duabus: ſi verò ſunt diſſimiles, tertius conſtituit maiorem intenſionem duobus. Vt ergo illi gradus de nouo producti, ſunt ſimul, retineantur gradus præcedentes: qui ſunt eiuſdem rationis cum remiſſis nouis. Quorſum ergo abigis priores?

Confirmatur in habitibus ſupernaturalibus. §. 11. Actus charitatis in iuſto oritur ab habitu charitatis: ergo habitus & actus ſunt ſimul in eodem inſtanti; quia actus non poteſt exiſtere, quin tunc exiſtat principium ſupernaturale: ſed in eodem inſtanti intenditur habitus charitatis; ergo in eodem inſtanti ſunt gradus intenſus & remiſſus. Idem dixerim de Gratia: quæ tunc dignificat actum illum, tunc exiſtens, & tunc augetur meritoriè. Item actus continuatione continuè augetur gratia, quin corrumpãtur gradus remiſſiores, propter eamdem rationem: ergo gradus remiſſus non opponitur cum intenſo: ſed ante intenſionem dicit carentiam illius: quæ tollitur intenſione, vt in magnitudine patet. Item radicatio remiſſior non tollitur per intenſiorem.

SECTIO II.

Intenſio non fit per nouam exiſtentiam, aut vnionem præcedentis qualitatis.

Ægidius, & Aſtudillo relati à P. Suarez 2. Metaphy. diſput. 46. ſect. 1. num. 5. vt defendant §. 12. intenſionem fieri per maiorem radicationem ad ſubiectum, aiunt per intenſionem ſolum produci nouam exiſtentiam qualitatis. Hæc ſententia nulli innixa ſcipioni, niſi præciſè, vt effugiat argumenta contra radicationem qualitatis in eodem ſubiecto. Impugnatur; tum quia diſtinguit exiſtentiam ab eſſentia, cuius oppoſitum in Metaphyſ. monſtrabitur, tum, quia toties produceretur qualitas de nouo, quoties producitur eius exiſtentia, tunc enim res producitur quando accipit exiſtentiam: vide, quæ dixi d. 2. Phyſic. ſect. 6.

Tum tertiò, quia admiſſa diſtinctione reali in- §. 13. ter eſſentiam & exiſtentiam, nõ poſſet qualitas intenſa perfectius operari, quàm remiſſa: at experientia patet qualitatem intenſam perfectius operari remiſſa: ergo. Probatur maior: quia tota ratio agendi eſt eſſentia: exiſtentia autem (ſi ab ea diſtinguitur) tantum eſt conditio ſine qua non: ſed per quamcumque exiſtentiam ſit, eſt exiſtens tota ratio agendi; ergo quacumque exiſtentia æquè operabitur. Nec enim redditur ratio cur illa exiſtentia ſit perfectior: nam eſſentia per illam exiſtens eſt eadem numero; ſubiectum idem; agentia eadem: & licet hæc ſint diuerſa, tamen ab aliis non variatur exiſtentia: nam homo genitus ab alio, & conſeruatus à ſolo Deo eamdem retinet exiſtentiam. Denique per quamlibet exiſtentiam eſt res extra potentiam logicam.

Adde in ſententia Thomiſtarum adſcribi huma- §. 14. nitati Chriſti exiſtentiam Dei; per quam anima non eſt phyſicè potentior ad ſuos actus. Ratio à priori; quia exiſtẽtia nihil auget virtutem actiuam eſſentiæ: ſed illam ponit extra cauſas. Poſita autem operatur quantum poteſt. Quartò, quia exiſtentia in eo caſu tantũ, deſeruit ad conſtituendam

rem extra cauſas; ſed tam perfectè conſtituitur per vnam, atque per aliam; ergo tam perfecta eſt exiſtentia formæ remiſſæ, quàm intenſæ. Deinde vel perſeuerat prima exiſtẽtia formæ remiſſæ, vel corrumpitur: ſi perſeuerat, ergo eadem forma habet ſimul plures exiſtentias, quod videtur abſurdum: ſi verò nõ perſeuerat, recidit hæc opinio in primam opinionem Gofredi, & Durandi, eritque iiſdem rationibus impugnanda.

§. 14. Tandem impugnatur hæc ſentẽtia, quia fugiens difficultates ſententiæ admittentis partes diuiſibiles intenſiuas, eas non effugit. Nam ipſa admittit partes intenſiuas accidentis: quia totam intenſionem conſtituit in diuerſis partibus exiſtentiæ; de quibus recidunt omnia argumenta: aut enim ſunt eiuſdem rationis, ſicque nequeunt eſſe ſimul; aut ſunt diuerſæ, ac propterea nequeunt continuari. Fateantur ergo ipſam exiſtentiam intendi per maiorem radicationem ad ſubiectum: vel qualitatem intendi per nouas partes eſſentiæ: ac ne ſequantur ſententiam cæterarum omnium difficultatibus plenam.

§. 15. Capreolus, aliique Thomiſtæ adducti ſupra à P. Suarez num. 6. dicunt intenſionem fieri per maiorem radicationem ad ſubiectum: hanc vero radicationem videntur inſinuare conſiſtere in maiore perfectione vnionis, atque inde totam intenſionem qualitatis verſari in perficiẽda vnione. Huius ſententiæ nullum eſt fundamentum, ſed eſt latibulum è difficultatibus, quæ vrgent maiorem radicationem. Impugnatur primò, quia per intenſionem, aut adduntur partes nouæ vnionis, aut non: ſi ſecundum, recidit hęc ſententia in eaſdem difficultates, quibus illa de maiori radicatione. Si verò adduntur nouæ partes, ipſi relabuntur inuiti in incõuenientia, quæ conantur effugere: nam ea ratione negant intenſionem fieri per adiectionem nouæ qualitatis, quia ſequeretur duo accidentia numero diſtincta eſſe ſimul in eodem ſubiecto, ſed ſimiliter eſſent ſimul in eodem ſubiecto duæ vniones eiuſdem rationis: ergo. Neque vero poſſunt afferre aliquam rationem pro illa ſententia de maiori radicatione, quæ non contorqueatur contra hanc.

§. 16. Secundò, quia ſicut non repugnat iſta diſtinctio partium intenſiuarum in vnione, cur repugnat in ipſa qualitate? Tertiò, quia vbi nõ ponitur aliqua extenſio extremorum vnibilium, non eſt cur ponatur noua vnio. Nam per primam vnionem ſunt intime vnita, & ſe communicant ſecundum omnes perfectiones: ſed in intenſione nulla fit additio extremorum vnibilium, quia tota qualitas eſt communicata toti ſubiecto, quia nullam habet partem actu, nec potentia, quam non habeat vnitam ſubiecto: ergo in intenſione non additur noua vnio.

§. 17. Dices, non intelligi nouam vnionem circa eadem extrema, niſi quãdo perfectius communicantur, vt contingit in intenſione. Contra, quia non eſt vnde ſumatur iſta maior perfectio vnionis, quia illius perfectio ſumitur ex extremis, at extrema non poſſunt magis cõmunicari, quia iam ſunt communicata ſecundum omnes partes actuales, ac potentiales: ergo non eſt vnde ſumatur iſta maior perfectio vnionis.

§. 18. Quartò, quia ſequitur eamdem numero qualitatem habere plures vniones diſtinctas ad idẽ ſubiectum. Hoc autem eſt abſurdum: ergo. Dices adueniente perfectiori vnione corrumpi imperfectiorem. Contra, hoc eſt impugnandum iiſdem rationibus, quibus ſententia Gofredana. Nam vnio primæ gratiæ iuſtificantis, dignificat opus ſupernaturale ad meritum eo inſtanti, quo fit, quià meritum oritur ab homine grato, vt grato: ergo eodem inſtanti eſt vnio per quam fit homo gratus: ſed eodem inſtanti datur augmentum gratiæ. ergo ſimul ſunt vnio primæ gratiæ & eius augmentum, quod per te eſt noua vnio. Nec poteſt dici tunc non eſſe primam vnionem, quia illa complet meritum, tunc dignificans perſonam. Nam ea ratione in primo inſtanti iuſtificationis homo non meretur gratiam, etiam per cõtritionem ab ea elicitam, quia principium meriti debet eſſe abſolutè prius & dignificare perſonam, quod facit per vnionem: ergo per ſequentẽ vnionem non dignificat actum, ex quo ſequitur ſed per præcedentem: ergo debet præcedere, item permanere, quia præceſſiſſe parum referret. Quod verò dicunt de exiſtentia, & vnione, cur non dicunt de qualitate? Nam eadem argumenta ſunt in vtraque, maximè de indiuiduatione, & eſſentiæ indiuiſibilitate.

Quintò, vnio non eſt operatiua: ergo neq; maior vnio eſt magis operatiua: at qualitas intenſa eſt magis operatiua, quàm remiſſa: ergo ſignum eſt intenſionem factam fuiſſe in ipſa qualitate. Nec valet, ſi dicas per vnionem perfici qualitatem, nam perficitur quidem, ſed non ad operandum, quia vnio non confert vires actiuas, ſed illas vnit ſubiecto. Quod confirmatur apertè in Euchariſtia, vbi accidentia intenſiora perfectius operantur remiſſis. Si tamen dicis qualitates inhærere quantitati, ſuppone eas diuinitus ſeparari, tunc certè & intenſiores erunt, & perfectius operabũtur ſine vnione. Item perfectior eſt vnio humanitatis Chriſtianæ ad Verbum, quàm vnio ad naturale ſuppoſitum: ſed per vnionem ad Verbum anima non redditur phyſicè potentior: ergo vnio nõ dat perfectionem agendi. Ratio eſt, quia tota ratio agendi eſt eſſentia qualitatis, quæ per quamlibet vnionem perfectè eſt in ſubiecto, & in illo operatur. Nec apparet cui ſeruiat illa vnio. §. 19.

Dices, qualitatem eſſe virtute multipliciter operatiuam: vna autem vnione eam vniri vt operatiuam vt vnum; alia vt duo, &c. Vt anima rationalis vnitur oſſi ſecundùm gradum vegetandi, neruo ſecundùm ſentiendi, cerebro ſecundùm ratiocinãdi, cum tamen animus ſit indiuiſibilis. Contra: ergo iam ſunt duo accidentia ſimul in eodem ſubiecto, ac recidis in tua argumenta: vel ſucceſſiuè pereunt illæ vniones; & totum quod fit ſucceſſiuè, euaneſcit; alioquin manerent aliquæ partes accidentis; ſolúmque manet vnio indiuiſibilis; quod impugnaui Durando; & tibi ex augmento gratiæ. Deinde, qualitas vnita erat per primam vnionem ſecundùm omnes ſuas partes realiter? An non? Si non erat: ergo habet partes accidentales, de quibus redeunt argumenta: item exiſtere partem aliquã accidentis, quin vniatur realiter. Si autẽ omnes erant vnitæ realiter ſecũdum omnes gradus realiter vnitos: ergo nullus erat gradus non vnitus: ergo ex parte illorum erãt vniti formaliter ſecundum omnem virtutem operandi. Patet conſequentia, quia à parte rei vnio phyſica attingit omnes formalitates extremorum. Quod verò dicitur aliquando actum oriri à potentia ſecundùm vitalitatem, non verò ſecundum ſupernaturalitatem; iam explicui diſp. 9. phyſic. ſect. 5. non intelligi ex parte obiecti attingi vnam formalitatem à potentia, quin ab illa attingatur alia: ſed illa locutione explicari modũ, quo totus actus oritur à ſuis cauſis, & cur vni attribuatur vna formalitas, & non alia. §. 20.

At verò tu ais vna vnione attingi formaliter vnum gradum & non alium: quod explicari debet: quia §. 21.

quia per illam vnionem non poteſt produci vnus effectus; poteſt tamen alius: vt animus vnitus oſſi ſecundum gradum vegetandi præcisè: quia cum ea vnione non poteſt exerceri alia vitalis actio; ſed vniones non poſſunt ita attingere virtutem actiuam, quando illa eſt phyſicè indiuiſibilis, & ſubiectum phyſicè ſe habet eodem modo: ergo. Probo minorem; quia vnio animi ea ratione id præſtat; quia materia oſſis eſt cum diſpoſitionibus ineptis ſenſioni: quia cum illis tantum poteſt exerceri altrix facultas: nec poteſt eſſe vlla vnio, qua in oſſe cum illis accidētibus exerceatur ſenſus vllus: quod non tam oritur ab vnione, quàm à proxima incapacitate ſubiecti: ſed in tua vnione nihil ſimile reperies: quia extrema & ſubiectum ſe habent eodem modo. Vnde ergo ex parte vnionis oritur diſcrimen? Secundò: quia vnio attingens phyſicè omnes gradus actiuos in ſubiecto apto, vt ſe exerceant, eos attinget vt operatiuos. Nam eos applicat ſubiecto apto, & proximè potenti recipere illorum operationes, aut cum illis concurrere. Etenim ex parte qualitatis reperitur tota virtus actiua: ex parte ſubiecti tota receptiua: vnio autem tantum eſt applicatio actiuorum paſſiuis. Vnde ergo pendent ab alia vnione? Etiam dices pendere eos à diuerſis applicationibus; & ignem ſic applicatum poſſe producere ignem, ſecus ſi alio modo applicetur.

§. 22. Tandem, etiam ſubſtantiæ erunt intenſionis capaces. Nam anima in neruo ſentit, ſecus in oſſe; ergo fit ex diuerſitate vnionis: ſed hoc præcisè ſufficit per te ad intenſionem; quia qualitas eo præcisè intenditur, quia vnitur vt perfectius operatiua; vel alio genere vnionis: ſed etiam anima ita vnitur, & eſt capax diuerſarum vnionum; ergo. Dices animam non ſuſcipere magis & minus. Contra, nec qualitas per te ſuſcipit in ſe, magis, aut minus: ſed tantùm in vnione: at in vnióne etiam anima poteſt eſſe magis, aut minùs vnita; quia in oſſe nō eſt vnita vt ſenſitiua, ſecus in neruo. Dices vnionē qualitatis ſuſcipere magis & minus, & omnes eius partes cōſeruari ſimul: at duæ partes vnionis non poſſunt. Contra primò: vt duæ partes accidentis conſeruantur, quid ni & duæ partes qualitatis? Iam enim oſtendi eſſe vtriuſque rationem eamdem. Secundo; etiam erunt in anima duæ partes vnionis. Modi enim poſſunt multiplicari: nam & duos ego admiſi. Item partes habent vnionem, ſubſiſtentiam, & per te exiſtentiam diſtinctam. Quid ergo refugis plures alios modos neceſſarios ad vniendam animam ſecundum diuerſos gradus formaliter? Vel ſi perit prior vnio intēſionis, peribit etiam & formæ. Quod argumentum eſt contra opiniones de exiſtentia noua, de noua vnione, aut nouo modo.

§. 23. Ægidius apud P. Suarez ſupra num. 26. videtur inſinuare intēſionem fieri per ſolam abiectionem contrarij. Sed immerito, quia contrariúm eſt omnino indiuiſibile quoad intenſionem, ſicut per te qualitas intenſa: ergo cum primùm eijcitur contrarium, totum eijcitur; vel ſi eijcitur ſecundum partes, etiam qualitas intenditur ſecundum partes. Dices contrarium eijci per maiorem eradicationem è ſubiecto, ſicut intenditur qualitas per maiorem radicationem; ſed hæc friuola eſt petitio principij, nam vt defendatur maior radicatio ad ſubiectum, confugit Ægidius ad abiectionem contrarij: quorſum ergo affertur maior eradicatio, cum ſit eadem vtriuſque difficultas?

§. 24. Secundò, quia vnum contrarium non expellitur niſi per actionem poſitiuā alterius: nam agens producendo aliquid, corrumpit contrarium, vt dixi diſput. 1. ſect. 5. ergo intenſio terminatur ad aliquid poſitiuum. Tertiò, quia multæ qualitates intenduntur carentes contrario, vt lux, ſpecies impreſſa: ergo illarum intenſio non fit per abiectionem contrarij.

Quartò, ſæpe expellitur cōtrarium ſimul totum ad primam introductionem alterius contrarij, & deinceps hoc introductum intenditur: ergo tunc non fit intenſio per abiectionem contrarij, quia tunc non abijcitur. Patet antecedens in actu erroris, & odij, qui totus expellitur per ſcientiam, & amorem, quæ deinceps intenduntur. Confirmatur, gratia habitualis intenditur ſine abiectione contrarij, quia peccatū mortale expellitur per primam infuſionem gratiæ: ergo intenſio non conſiſtit in abiectione cōtrarij. Dices per intenſionem gratiæ expelli peccatū veniale, vel aliquem reatum. Contra, nam B. Virgo intendit gratiam per continuum meritum, quam accepit in ipſo inſtanti ſuæ conceptionis, neque vnquam expulit peccatum veniale, aut reatum vllum, quia eo perpetuo caruit. §. 25.

SECTIO III.

Nec per maiorem radicationem.

CElebris eſt Thomiſtarum opinio, aſſerentium intenſionem fieri per maiorem radicationem ad ſubiectum, ſine adiectione alterius partis qualitatis. Primò, quia Ariſtot. 4. Phyſic. text. 85. ait calorem intendi nullo calido de nouo adueniente; id eſt nullo calore, qualitates enim communiter ſignificātur ab Ariſtotele nominibus concretis. Secundò, quia illæ partes qualitatis, vel ſunt eiuſdem rationis, vel diuerſæ: ſi eiuſdem, non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, quia accidens indiuiduatur à ſubiecto: ſi diuerſæ, ergo non poſſunt componere vnam qualitatem: ergo intenſio fit ſine vlla additione partis. Tertiò, quia ſi ad intenſionem additur accidens, illud non eſt exiſtentia, nec vnio, ſed eſt pars eſſentiæ. Atqui hoc fieri non poteſt, quia eſſentiæ cōſiſtunt in indiuiſibili, & ſunt ſicut numeri, & pro quacumque varietate fit diſtinctio ſpecierum: ergo. §. 26.

Hæc ſententia nunquam mihi placere potuit, tum quia difficilè explicatur, tum quia falſo innititur fundamento: oſtendi enim diſp. 9. Phyſ. ſect. 8. aliquando duo accidētia vnius ſpeciei poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto, quando munera præſtant diuerſa. Deinde illud de indiuiduatione ſubiecti eſt grano ſalis reſpergendum, quia non ita indiuiduantur accidētia à ſubiecto, vt indiuiduatio ipſius ſubiecti ſit intrinſeca indiuiduatio accidentis: nam ſubiecti indiuiduatio eſt ſubſtantialis, & idem à parte rei cum ratione ſpecifica illius: at verò indiuiduatio accidentis eſt accidentalis, & idem realiter cum ſpecifico conceptu illius: ergo indiuiduatio vnius non eſt indiuiduatio alterius. Indiuiduatur autem accidens per ſubiectum, tanquam per terminum illi extrinſecum, id eſt, extra illius eſſentiam, vt viſio ſumit eſſentiam à colore, & indiuiduationem ab hoc colore: at verò plura numero accidentia poſſunt indiuiduari ab eodem numero ſubiecto, vt ab hac manu omnes ſingulares calores, quos habuit, habitura eſt, vel poteſt habere, admiſſa etiam Thomiſtarum opinione, affirmantium hunc effectum ab hac cauſa indiuiduari: vnde ergo inferunt ex hac indiuiduatione non poſſe duo accidentia numero diſtincta eſſe ſimul in eodem ſubiecto? nónne poſſunt eſſe duæ ſpecies impreſſæ eiuſdem obiecti, & duæ viſiones §. 27.

duarum albedinum? de quo egi diſput. 9. Phyſic. ſectione 4.

§. 28. Præterea ſic argumentor: Intenſio eſt actio, qua perficitur qualitas præcedens: quod nec aduerſarij negant, & probatur apertè: quia applicato igne manui hæc habet calorem intenſum: ergo illa intenſio eſt ab igne; alioquin non reſultaret ex eius applicatione. Nam vt ex calore manus colligimus illum eſſe ab igne; ita & intenſus calor colligitur eſſe ab eodem igne. Sed non eſt ab igne in genere cauſæ materialis, quia manus eſt ſubiectum eius caloris: nec in genere cauſæ formalis, quia ignis non eſt forma manus: ergo in genere cauſæ efficientis: ergo intenſio eſt actio. Confirmatur. Gratia à ſolo Deo intenditur efficienter; vel (ſi placet fit etiam ab actibus diſputandi gratia:) ergo poſt actum meritorium aliquid eſt factum: hoc autem eſt intenſio: ergo in intenſione reperitur actio.

§. 29. Ergo aliquid producitur per actionem, quod antea non erat. Tum quia illa actio non producit qualitaté priorem: quia hęc conſeruatur per aliam: nec hoc eſſet perficere qualitatem: tum quia qualitas diuerſo modo eſt poſt intéſionem: ergo aliquid habet de nouo, alioquin merita nihil nobis prodeſſent. Dicunt, de nouo eſſe maiorem radicationem formalem. Bene: ergo qualitas intenſa habet realiter de nouo aliquid, quod antea non habebat realiter: quia de nouo habet realiter maiorem radicationem, quam antea realiter nō habebat. Alioquin non eſſet realiter intenſa nouè; ſi prius fuiſſet realiter cum maiori radicatione, quæ eſt formalis intenſio: ergo de nouo eſt realiter aliquod accidens, quod antea realiter non erat. Patet conſequentia, quia maior radicatio eſt accidens; ſed ante intenſionem non erat realiter maior radicatio; eſt autem realiter poſt intenſionem; ergo poſt intenſionem eſt realiter aliquod accidens, quod realiter non erat ante. Recognoſce diſputationem quintam Phyſic. ſect. 1. Vbi probaui vnionem eſſe aliquid realiter diſtinctum ab extremis. Eadem enim ratione probatur maiorem radicationem eſſe accidens diſtinctum à qualitate remiſſa.

§. 30. Confirmatur, primò in gratia, quæ realiter augetur per merita: ergo augmétum illud eſt realiter aliquid, quod Deus iuſtum liberè donat ob eius merita: quia pręmium liberè donatur merenti. Hoc autem eſſe diſtinctum realiter à prima gratia, patet: quia prima gratia non cadit ſub humana merita; cadit autem eius augmentum: ergo augmétum gratiæ diſtinctum eſt à prima gratia.

§. 31. Confirmatur ſecúdò: qualitas inteſa eſt realiter actiua perfectius quā ſeipſa remiſſa: (vt experientia mōſtrat.) Item qualitas remiſſa nō poteſt eſſe ſufficiés diſpoſitio ad introductionem formæ, niſi ſucceſſiuè perficiatur intenſione: cum intenſione auté eſt ſufficiés: ergo intéſio aliquid eſt ſucceſſiuè productum, ſine quo qualitas remiſſa erat inſufficiens realiter ad formam. Quin in opinione aliquorum Thomiſtarum generatio formæ materialis oritur à qualitate intenſa, nec poteſt à remiſſa.

§. 32. Vlterius: illud accidens cur eſt eiuſdem rationis cum qualitate præcedente? Aut diuerſæ? Item partes illius accidentis ſunt ſimiles reciprocè? An abſimiles? Si primum, ergo qualitas intenſa vt intenſa, & remiſſa ſunt duo accidentia ſolo numero diſtincta in eodem ſubiecto ſimul: quod tu arbitraris abſurdum. Si ſecundum; ergo qualitas vt intenſa, & vt remiſſa, includunt duo accidentia ſpecie diſtincta: à quo abhorres: idem dixerim de partibus maioris radicationis. Illas perſeuerare ſimul, probatur, vt contra Durandum probaui, manere partes intenſionis: ergo aliquid additur de eſſentia intenſionis: at eſſentiæ ſunt indiuiſibiles. En tua argumenta contorta in tuam maiorem radicationem.

Dices, maiorem radicationem eſſe accidés reale diſtinctum à qualitate non realiter abſolutè: ſed formaliter. Contra hanc doctrinam abundè egi diſput. 5. Phyſic. ſect. 1. & impugnatur nunc primo; quia in forma remiſſa non erat realiter potentia cōſeruandi formam, nec producendi: ſi enim realiter eſſet, poſſet realiter formam producere, & conſeruare: quia potentia realiter exiſtens & neceſſaria, operatur neceſſario poſitis requiſitis ex parte aliorum: at per intenſionem realiter fit potens qualitas: ergo intenſio dat aliquid quod non erat realiter. §. 33.

Secundò, in homine iuſto intenſe Deus ſibi realiter complacet magis, quàm in ipſo remiſſè iuſto; ergo realiter videt Deus in illo exiſtere aliquid, quod realiter videbat non exiſtere ante intenſionem: at ſi intenſio realiter abſolutè præceſſiſſet, realiter eſſet viſa à Deo, eique placuiſſet magis. Nam maior complacentia nō eſt maior, quia actus Dei in ſe ſit maior: ſed quia ex parte obiecti connotatur maior bonitas. Denique formalitas illa vt formalitas eſt aliquid realiter formaliter diſtinctū à qualitate: quia realiter formaliter aduenit de nouo: non enim aduenit formaliter ſola ratione noſtra: ergo intenſio includit plura accidentia realiter formaliter diſtincta: aut ergo illa ſunt realiter formaliter ſimilia inter ſe, & cum qualitate remiſſa? Aut ſunt realiter formaliter abſimilia? Ac de iis formalitatibus recidunt eadem argumenta: quia non ſunt formalitates ratione noſtra præciſè, ſed realiter; quia realiter adueniunt de nouo: has autem formalitates eſſe partes eiuſdem qualitatis patebit ſectione ſequenti. §. 34.

Solum ſupereſt occludendum vnum effugium, ſcilicet per intenſionem produci nouum quemdam modum qualitatis, à quo denominatur intenſa, ſicut quantitas rara denominatur à raritate. Verum diſp. 2. Metaphyſ. ſect. 5. oſtendetur, intenſionem non poſſe ſortiri rationem modi, quia modus debet eſſe determinatio rei ad aliud. Deinde hic modus fingitur omnino, quia oſtédi diſp. 4. ſect. 5. raritatem non eſſe modum. Præterea ſi vis eam eſſe modum, at ſequitur ex diuerſo temperaméto qualitatum id exigentium, iſte autem tuus modus vnde oritur? §. 35.

Secundò, quia vel iſte modus habet partes intenſiuas? vel non? ſi ſecundum, quo modo eſt intenſior nunc, quam antea? de quo occurrũt eædem difficultates, quæ de qualitate, ſi verò eſt diuiſibilis, illaqueraris eodem rete, quod fugis. Nam vel partes ſunt diuerſæ ſpeciei, vel eiuſdem: ſi diuerſæ, non poſſunt in tua ſententia efficere vnam intenſionem: ſi verò eiuſdem, ſtatim offendis in indiuiduationem ſubiecti, qua negas accidentia eiuſdem ſpeciei ſimul eſſe poſſe in eodem ſubiecto: item in ſpecierũ indiuiſibilitatem: deinde cum omnes tuas difficultates admittas, nullum potes reddere diſcrimen, ob quod modus tuus iſte ſit diuiſibilis, quoad intenſionem, qualitas verò indiuiſibilis. §. 36.

Tertiò, quia nullus modus confert rei virtutem actiuam, vt alibi dicam: ergo neque iſte: at qualitas intenſa habet maiorem virtutem operatiuam: ergo. Immo qualitas vt inteſa habet virtutem producendi formam materialem, qua caret, vt remiſſa: ſed potentia productiua formæ nō eſt modus: ergo intenſio non eſt modus. Nec enim modi tribuunt denominationé in actu primo, ſed in actu ſecúdo: nam §. 37.

nam vnio non tribuit niſi denominationem *vniti*, actio *agentis*, ſeſſio *ſedentis*: ergo hic modus non dat denominationem *potentis*. Quartò, quia non poteſt intelligi iſtum modum variari inuariatis extremis. Nam raritas variatur ex diuerſis temperamentis, quibus extenditur, & quaſi extenuatur materia. Vnio autem variatur propter diuerſas qualitates: vbicatio verò propter corporis traiectionem ex vno loco in alium. Hic autem modus, à quo exigitur? nam cauſæ efficientes non præſtant modos niſi propter neceſſitatem rerum, quarum ſunt modi, vide quæ dixi à §. 2. quæ hanc opinionem æquè impugnant.

§. 38. Ad Ariſtot. Reſpondetur illum nõ intelligi ibi de calore, ſed de calido, vt ſignificet multitudinem agentium nihil per ſe conferre ad intenſionem: vel cum Ariſtot. acriter inſectatus fuerit veteres Philoſophos, affirmantes vnũ tantum eſſe rerum principium, nullámque eſſe nouam actionem, ſed tantum diuerſam collocationem corpuſculorum, ait calorem intẽdi nullo corpuſculo calido adueniente, ſed noua actione terminata ad nouum calorem eductum ex potentia materiæ: non verò inuentum in alio corpore calido. Ad ſecũdum patebit ſect. 6. vbi agetur de diſſimilitudine partium intenſionis.

§. 39. Ad tertium ipſi tenentur reſpondere: nam in extenſione additur noua pars qualitatis prioris, & eſſentia lucis eſt diuiſibilis per diuerſas partes aëris: & in augmentatione viuentium imperfectorum adduntur nouæ partes formæ. Reſpondeo ergo: aliud eſt eſſentiam eſſe *indiuiſibilem*, aliud conſiſtere *in indiuiſibili*. Primum non conuenit niſi rebus indiuiſibilibus. Diuiſibilibus autem nequaquam. Secundum omnibus conuenit: omnes enim partes vnius eſſentiæ indiuiduæ, vt huius lacertæ: & ſpecificæ, vt equi vt ſic, conueniunt in vno prædicato quidditatiuo: cui ſi aliquid detrahas, aut adijcias, varias totam eſſentiam; vt ſi à luce detrahas prædicatum *illuminandi*, efficis aliam lucem: item ſi illi adijcias prædicatum *habendi contrarium*: quando ergo partes eſſentiæ conueniunt in iiſdem omnibus prædicatis quidditatiuis, omnes illæ conſiſtunt in indiuiſibili eſſentiæ, quia ſi in aliquo non cõuenirent, non eſſent eiuſdem ſpeciei: itaque omnes partes huius lucis conueniunt in prædicatis quidditatiuis lucis: & concurrunt ad hanc lucem componendam, & conueniunt cum alia luce in iiſdem prædicatis: quia igitur partes intenſiuæ ſunt eiuſdem ſpeciei completæ, conueniunt in prædicatis quidditatiuis lucis completæ: ſi ſunt eiuſdem rationis illi gradus, res eſt clara, non ſecus ac in extenſione: ſi verò differunt ſolo numero intra eamdem ſpeciem, cõueniunt in ſpecificis, non verò in indiuiduis; ſi autem differunt ſpecie incompleta, different in quidditatiuis incompletis: & conuenient in quidditatiuis communibus ſingulis ſpeciebus incompletis. De mente ſancti Thomæ agetur ſect. 5.

§. 40. Diſput. 5. Phyſic. ſect. 1. & alibi memini ſententiæ conſtituentis relationem in ſolo fundamento; poſito autem termino oriri in fundamẽto nouam denominationem ſine entitate noua. Idem poſſet his omnibus argumentis reſponderi; intenſionem qualitatis eſſe aliquid nouum in ſola denominatione, nõ verò in entitate: poſito enim agente cum applicatione ad ſubiectum noua voluntas Dei intelligitur terminari ad qualitatẽ veterẽ; per quam eſt vehementius actiua: & quamuis ipſi diſcrimen aliquod reddant, tamen omnia ipſorum argumenta iiſdem ipſorum verbis poſſunt eludi; quo abſurdo non ſemel eam opinionem impugno.

SECTIO IV.

Additione noui gradus fit intenſio.

Qvapropter communiter aſſeritur intenſionem fieri per additionem gradus ad gradum. §. 41.
Hanc ſequuntur grauiores quique Theologi in primum ſentent. diſt. 17. Albertus art. 10. Greg. q. 4. Durand. q. 7. Bonauent. in ſecundo. Richardus de Media Villa, Ioannes Scotus, Guillelmus Ocham. Gabriel, Marſilius, & alij quos refert P. Suarez 2. Metaphyſicæ diſput. 46. ſect. 1. num. 29. quos ſequitur num. 34. & P. Vazquez, tom. 1. in primam 2. diſput. 82. cap. 3. & P. Antonius Rubius ea q. 5. in quam cõſpirarunt hac tempeſtate vniuerſi Philoſophi, ac Theologi (ſi à paucis Thomiſtis diſcedas.)

Probatur primò, euertendo fundamenta aduerſariorum, qui reijciunt diſtinctas partes eiuſdem §. 42.
qualitatis; quia nec poſſunt duæ ſimul indiuiduari ab eodem ſubiecto: nec poſſunt eſſe diuerſæ, quæ idem probant de quocumque accidente abſoluto, vel modali producto per intenſionem ſucceſſiuè: ſi enim permanent eius partes, idem erit de partibus qualitatis: ſi autem ſucceſſiuè pereunt, peribunt etiam partes qualitatis. Aliquid autem accidentarium continuè, & ſucceſſiuè produci ſatis oſtendi. Illud ergo ſub ea ratione, quæ de nouo aduenit, habet diſtinctas partes; vel fluunt, &c.

Secundò probatur: quia oſtendam in Metaphyſ. §. 43.
qualitates intenſas ſeparari poſſe, & conſeruari extra ſubiectum: ergo ibi non retinebunt maiorem radicationem ad ſubiectum: ſed nouas partes.

Tertiò probatur: quia eadem ratione poſſet dici §. 44.
extenſionem qualitatis fieri ſine noua illius parte: ſed per ſolam vnionem ad diſtinctum ſubiectum. Immo hîc melius percipitur noua vnio; quia fit ad ſubiectum nouum. Ita poſſe dici patet: quia per te formæ viuentium perfectorum ſunt totæ in tota materia, & totæ in qualibet parte; per nutritionem autem non fit noua formæ pars ſed noua vnio; ergo idem erit in qualitatibus.

Dices, diuiſo ligno calido vtramque partem calidam manere; ergo ſunt diuerſæ caloris partes; ergo prior calor partes habebat. Negari poteſt ſecunda conſequentia, quia per te non manent eadem numero accidẽtia in genito & corrupto, quia deficit ſubiectum: ita per diuiſionem deficit conditio ſubiecti; eáque propter poſt ſectionem conſeruatur prior calor in parte, in qua prius erat, & in alia reſultat alius: vel cauſa prima determinat partem, in qua prior cõſeruetur, & in alia producatur nouus alius calor: vel ſi in vtraque per te perit, producetur nouus in vtraque; vt tu ais in generatione. Cum ergo id non admittas in extenſione, & in ea ſit eadem ratio, quæ in intenſione, dic etiam in hac nouam accedere qualitatis partem. §. 45.

Dices qualitates multiplicari numero ex ſubiectis. Contra, multiplicantur ex ſubiectis adæquatis, §. 46.
non vero ex inadæquatis: poſitæ verò in vno, poſſunt poſtea informare aliud, vt per te forma equi indiuiduatur à materia, & tamen non ponis diuerſas partes formæ in diuerſis partibus materiæ, ſed eadem indiuiſibilis informat iam exiguam, iam magnam materiam.

Quartò argumentor. Gratia gratũ faciens (idem §. 47.
eſt de qualitate quauis intenſibili) per intenſionem augetur, & fit maior: ergo ei additur aliquid pertinens ad gratiam, vt pars illius; antecedens nec negatur ab aduerſariis, nec poteſt, quia Concilium

Tridentinum eo vtitur termino, definiens hominem mereri augmentum gratiæ; & gratiam bonis operibus in Chriſto factis augeri. Conſequentiam probo: quia augmentum fit addendo aliquid rei, quæ augetur, per quod maior euadat. Niſi enim aliquid addatur nouum, non poteſt eſſe augmentum. Illud eſſe partē probo:quia ex re præexiſtente,& ex re addita reſultat compoſitū maius, quam ſola res præexiſtens: ergo vtraque eſt pars illius compoſiti: ſed compoſitum eſt gratia;ergo res addita eſt pars gratiæ:probo minorem: compoſitum & res quæ eſt maior ſunt idem;ſed res,quæ eſt maior,eſt gratia: ergo compoſitum eſt gratia.

§. 48. Reſpondebis cum B.Thoma, augmētum quantitatis molis fieri additione nouę partis:ſecus augmentum quantitatis virtutis,quæ non augetur niſi quia magis poſſidet ſubiectum. Ne mihi bellum inferas cum B.Thoma:quem & Caietanum ab hac eſſe ſententia,polliceor me demōſtraturum ſectio- ctione ſequenti. Obiectioni reſpondeo, augmentum transferri à quantitate molis ad quantitatem virtutis. Verum negari non poteſt in qualitatibus fieri additionem aliquā rei præexiſtenti; cum qua facit compoſitum maius. Nam calor productus in ſola manu minor eſt quam calor complectens calorem manus & brachij. Nam totus ille calor eſt vnus continuatione, vt ſunt manus & brachium: quod ſi ſecentur partes, non erit pars tam magna quam compoſitum ex vtraque: ergo tunc qualitas illa verè augetur. Ergo ſi per poſſibile, vel impoſſibile, intelligas intenſionem fieri additione nouæ partis in eodem ſubiecto, intelliges qualitatem maiorem.

§. 49. Probo igitur augmentum illud fieri additione nouæ partis. Nam augmentum quantitatis molis fit addendo partem quātitatis molis aliis partibus ſimilibus, ergo augmentum quantitatis virtutis fit addendo partem quantitatis virtutis ſimilibus partibus. Probo conſequentiam: quia vtriuſque augmentum ſeruat eamdem proportionem in additione partis ad partem: differūt tamen:quia quantitati molis additur alia molis: quantitati autem virtutis additur alia pars virtutis. Cúmque in hoc ſit diſcrimen vtriuſque quantitatis, dicant aduerſarij,in quo conueniant vtriuſque augmenta?

§. 50. Dicent, quia ſicut quantitas extenditur & poſſidet plus loci, ita qualitas plus radicatur in ſubiecto, & ex illo educitur. Contra: radicari in ſubcto eſt augeri virtutem qualitatis: item educi magis, eſt terminare maiorem eductionem: ergo illa maior eductio producit nouas partes qualitatis per quas augetur virtus actiua, & radicatur. Probo conſeqentiam: quia rectè dixit B. Thomas, virtutem qualitatis, & eius eſſentiam eſſe idem: ergo idem eſt augeri virtutem & eſſentiam qualitatis: eductione fieri nouas partes virtutis probatur: tum quia accidens educi ſimpliciter, eſt fieri ſimpliciter ex ſubiecto: quia *Accidentis eſſe eſt ineſſe*, quod *eſſe* terminat eductionem: ergo magis educi, & augeri ſecundum virtutem, eſt magis ineſſe ſecundum virtutem; ergo eſt habere magis eſſe in ſubiecto. Conſequentia patet; quia *Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis:* ergo ſicut ſimpliciter educi, eſt ſimpliciter fieri, ita magis educi, eſt magis fieri: tum quia illa magis eductio non terminatur ad priorem qualitatem educendam ſecundum quod erat in actu,quia iam erat eductum quidquid erat in actu:licet enim duabus productionibus adæquatis producatur ſimul,non producitur magis; nec enim intenſio facit,quod fuerat prius factum,alioquin formæ ſubſtantiales intendi poſſent, quia poſſunt diuinitus multis productionibus attingi: ergo eductio attingit qualitatem ſecundum aliquid quod erat in potentia, & non in actu: ſed id quod erat in potentia aliquid eſt realiter diſtinctum ab eo quod erat in actu: quia idem indiuiſibiliter captum non poteſt eſſe ſimul in actu & in potentia: ergo maior eductio attingit nouam partem qualitatis: per quam qualitas augeſcit: vt augeſcit ipſa intenſio additione nouæ partis:quælibet autem pars ad aliquem terminum nouum terminatur.

Dices tertiò, ſufficere terminari ad modum aliquem, qui augetur per nouas partes illi aduenientes: ſicut quantitas augeſcit raritate ſine additione quantitatis. Contra; ergo das manus admittens diuerſas partes eiuſdem accidentis in eodem ſubiecto ſimul: quid ergo habent abſurdi in ipſa qualitate? Deinde eductio terminatur ad qualitatem in ſubiecto, ergo maior eductio ad maiorem qualitatem exiſtentem magis in ſubiecto: ergo vel ad maiorem exiſtētiam(quod impugnaui:)vel ad qualitatem in ſe maiorem. Etenim cum augeatur virtus actiua qualitatis non poteſt eſſe augmentum niſi in ipſa ratione agendi,quæ eſt qualitas. Exemplum de raritate non eſt è re: quia raritas non eſt propriè motus ad maiorē quantitatem: ſed ad maiorem locum(ſumpta pro motu ſecūdario orto ex primo;qui primus eſt ad diſtinctum gradū qualitatis)differūt enim augmētatio & accretio à raritate: quod illæ ſunt à priuatione maioris ſubſtantiæ & quantitatis ad ſubſtantiam maiorem & quantitatem: nec enim lac augetur raritate, nec animal:raritas autem eſt à minori ſpatio ad maius: & quia quantitas porrigitur ad plures partes ſpatij, quam antea, & illi extenditur, ideo dicitur fieri maior dimenſiuè. Itaque in ea ratione in qua fit maior, habet nouas partes additas prioribus, nempe in ſpatio. §. 51.

Confirmatur primò, ſi intenſione producitur nouus modus, & non qualitatis noua pars: prima productio qualitatis differt ſpecie ab intenſione: quia ille modus ſpecie differt ab ipſa qualitate:nec intenſio verſatur in qualitate, ſed in modo. Vnde duo concludo: alterum intenſionem fieri additione nouæ partis rei, quæ intenditur: quæ per te eſt modus ille:alterum qualitates ſecundum ſe nō eſſe contrarias, ſed tantùm modos illos: qualitates verò ratione illorum: quia modi non poſſunt exiſtere ſine qualitate, cuius ſunt:& duo modi contrarij non poſſunt eſſe,eáque propter nec duæ qualitates cum illis. §. 52.

Confirmatur ſecundò; id quod aduenit homini grato per augmētum gratiæ, facit illum obiectum congruum maiori dilectioni diuinæ:ſed maior dilectio terminatur ad nouam partem gratiæ: ergo hæc additur. Probatur minor:quia ſola gratia eſt, quæ nos facit gratos: nec enim ſumus grati & amici niſi per gratiam gratum facientem; ergo nihil præter illam poteſt mouere Dei voluntatem ad amorem, nec ad maiorem amorem. Patet conſequentia; quia in nulla alia re reperitur tanta bonitas, quanta in gratia. Nam vnio ipſius gratiæ non facit nos amabiles vt ratio terminandi amorem: ſed tantum,quia nobis vnit rationem amorem terminandi; ergo nec vllus alius modus erit ratio terminandi amorem. Nec gratia cum alio modo erit ratio terminandi maiorem; quia per intenſionem nihil per te accipit ſui:illa autem ſecundum eſſentiam eſt ratio terminandi amorem. §. 53.

Confirmatur tertiò in viſione beata: viſio intenſa videt Deum perfectius quàm remiſſa: ergo intenſa §. 54.

intenſa habet in ſe nouam partem viſionis, qua remiſſa caret. Probo conſequentiam: videre Deum perfectius, eſt ipſum repræſentare perfectius: ergo niſi viſio remiſſa immutetur, vt eſt repræſentatiua Dei, illum non repræſentabit perfectius: quia perfectius repræſentare eſt immutari in ratione repræſentationis: ſed in ratione repræſentationis non immutatur niſi per aliquam meliorem repræſentationem, quæ habeat Deum pro obiecto melius attactum ex parte ſui: ergo quod aduenit eſt melior repræſentatio. Nec enim intereſt, eſſe nouum modum, quo afficitur repræſentatio, niſi ille modus tendat in Deum, vt in obiectum: alioquin non eſt nouus modus tendendi in obiectum; ſed nouus modus rei in illud tendentis: non verò vt tendentis. Nam ſi viſioni naturali albedinis appingas perfectionem aliquam etiam ſupernaturalem, niſi hæc ſit in obiectum ipſum, non repræſentabitur albedo melius, quàm antea. Repræſentatio quidem erit melior affecta illa perfectione; at non repræſentabit melius: vt ſi calori aliquid addas, erit perfectior, non tamen calefaciet melius, niſi quod additur pertineat de nouo ad rationem formalem agendi vt agendi. Nam quantitas habet ſeparata meliorem modum exiſtendi quàm in ſubiecto: & perfectio receptiua quantitatis eſt cum perfectiori modo: & tamen nec melius recipit qualitates, nec perficitur eius vis receptiua vt receptiua: quamuis ſpecificatiuè perficiatur. Denique quæ dicuntur de maiori radicatione, eductione, actualitate, poſſeſſione, & victoria ſubiecti; impugnanda ſunt eodem modo: item petendo ſint ne aliquid realiter diſtinctum à priori qualitate? Si dicunt nihil eſſe diſtinctum; vrgeantur, quo modo ſit noua victoria, noua eductio, noua poſſeſſio, cum hæc nihil ſint, quod prius non fuerit? Si dicunt eſſe diſtinctum, recurrunt in eaſdem anguſtias, quas fugiunt.

SECTIO V.

Explicatur B. Thomas.

§. 55. QVi ſe Beati Thomæ doctrinæ nomen dare præ cæteris arbitrantur: ita maiori radicationi inhæreſcunt, vt opinentur ſe apertè defecturos à Beati Thomæ profeſſione, ſi admittant partem aliquam qualitatis intenſione produci. Quos hac ſectione arguendos curabo.

§. 56. Pro ſe afferunt teſtimonium ex 1. ſent. diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. cuius epigraphe eſt. *Vtrum charitas augeatur per additionem?* Cum autem retuliſſet hanc noſtram ſententiam de additione qualitatis ad qualitatem ait. *Primam poſitionem non poſſum intelligere; quia in omni additione oportet intelligere duo diuerſa, quorum vnum alteri additur. Si autem intelligantur dua charitates, aut intelligentur diuerſa ſecundum ſpeciem, aut ſecundum numerum. Conſtat, quod non ſecundum ſpeciem. Diuerſitas autem ſecundum numerum eſt ex diuerſitate materiæ: ſicut hæc albedo differt ab illa numero, quia eſt in diuerſo ſubiecto. Vnde non poteſt qualitas addi qualitati, niſi per hoc quod ſubiectum ſubiecto additur.* & infra. *Vbi nullo modo eſt intelligere ibi additionem.* En tam aperta verba, vt non poſſint exponi ſine ſuſpicione irridendi potius, quam explicandi tantum Doctorem. Qui præ modeſtia dixit, *ſe non poſſe intelligere eam ſententiam.* Caietanus autem, qui non carceratur tam anguſtis tramitibus, ait erubeſcere Peripateticos audire nouas partes intenſione acquiſitas: idque vocat imaginationem, & phantaſiam aduerſariorum.

In eadem doctrina conſtantiſſimus eſt B. Thomas 1. 2. quæſt. 52. art. 2. Vbi non admittit augmentum per aliquid ex parte formæ quia mutaretur ſpecie; nec ex parte ſubiecti, quia eſt idem: ſed tantum ex parte modi, quo ſubiectum perfectius participat eamdem formam. Et 2. 2. quæſt. 24. artic. 5. clariſſimè docet augmentum fieri quia eadem qualitas perfectius inhæret eidem perfectibili: quia non poteſt intelligi vlla additio, nec ſecundum ſpeciem, nec ſecundum numerum; quia non præintelligitur nouum ſubiectum. Quia verò Caiet. per ſcrupulum cenſuit, aliquem poſſe eſſe dubium de mente B. Thom. nos reiicit in 3. p. vbi ſe doctor explanat. Nam quæſt. 7. artic. 12. ait gratiam augeri ſecundum diuerſos gradus. Caietanus autem vbique carpit addentes nouum gradum per intenſionem diſtinctum numero, vel ſpecie; licet ponatur vnitus cum aliis: ſed ait eamdem qualitatem eſſe intenſam: quia nouo, & perfectiori modo ſe habet. §. 57.

Ne tamen temere videamur & vi in noſtram ſententiam trahere vtrumque Thomam: oportet ſtare modo, quo loquitur vterque de diſtinctione numerica; nam dum eam expungunt à qualitate, non expungunt aliquid qualitatis additum priori; quod ſit aliquid ab ipſo diſtinctum; ſed negant id eſſe diſtinctum ſecundum numerum. Quod patet ex 1. p. quæſt. 50. artic. 4. corp. vbi ait: *Impoſſibile eſſet dicere, quod eſſent plures albedines ſeparatæ, aut plures humanitates, cum albedines non ſint plures, niſi ſecundum quod ſunt in pluribus ſubſtantiis.* Itaque ex ſuppoſitione, quod albedo Petri & Pauli ſeparentur à ſubſtantiis; illæ ita ſeparatæ non erunt duæ albedines numero, ſed vna ſpecie: At in eo caſu illa albedo non eſſet ſimplex actu, ſed compoſita ex pluribus partibus albedinis; quæ omnes facerent tunc albedinem vnam, & non plures numero, ergo excluſio plurium rerum numero differentium, non excludit multitudinem partium, quibus vna res actu componatur. Probo minorem: demus abſtrahi albedinem Petri, & non Pauli: vtraque albedo eſt diſtincta (vt patet:) deinde abſtrahatur etiam albedo Pauli: hæc ita abſtracta diſtinguitur ab alia. Quia ante abſtractionem diſtinguebantur; poſt abſtractionem ſunt eædem, ergo ſunt diſtinctæ. Nam in metaphyſica probo, res, quæ ſimul ſunt diſtinctæ realiter: quarum vna realiter non eſt alia, implicare eſſe idem, & amittere negationem identitatis. Ergo in illa albedine abſtracta eſſent plures partes eiuſdem albedinis, & eadem augeretur per partes, ſi ſucceſſiuè abſtraheretur à ſubiectis: quia albedini abſtractæ à Petro adderetur albedo abſtracta à Paulo: ergo cum in intenſione negat B. Thomas addi partem diſtinctam numero, non negat addi aliquid qualitatis, & veram eius partem: ſed negat addi aliquam qualitatem numero diſtinctam: quæ cum priori faciat duas qualitates numero diſtinctas, licet inter ſe ſint vnitæ, ſicut duæ vnitates etiam vnitæ faciunt duas numero. In quo ſenſu ait Caietanus eam eſſe phantaſiam aduerſariorum: quia vt ipſe ait 1. p. q. 50. artic. 4. in ſententia B. Thomæ qualitates materiales ſumunt numericam diſtinctionem à diuerſitate quantitatis: in ſpiritualibus verò à diuerſitate ſubiectorum: & quia intenſio nec ſit in diuerſis quantitatibus, aut in diuerſis ſubiectis, non poſsũt eſſe plures qualitates numero diſtinctę. Hoc tamen non tollit eſſe plures partes non diſtinctas §. 58.

numero, ſed conſtituentes & componentes vnam numero qualitatem: vt in exemplo B. Thomæ, ſi albedo Petri & Pauli ſint in vno ſubiecto, erunt vna numero albedo; quia non habent, vnde numero ſint multæ. At illa componeretur vna numero ex duabus partibus; quia non eſſet ſimplex; ergo in doctrina B. Thomæ cum vnitate numerica qualitatis ſtare poteſt diſtinctio eiuſdem qualitatis in diuerſis partibus.

§. 59. Nec opus eſt niſi legere eadem teſtimonia ab aduerſariis adducta. Nam in ea diſt. 17. ait. *Et ideo dico, quod quando charitas augetur, nihil ibi additur, ſicut Philoſophus etiam dicit, quod aliquid efficitur magis album, non per additionem alicuius albedinis.* At loquitur de albedine numero diſtincta ab alia. Nam ſententia, quam impugnat, relata eſt ab ipſo de additione charitatis ad charitatem, quod ſonat numericam diſtinctionem. Eaque propter eam impugnat; quia non eſt ſubiectum in quo aliquando exciterit charitas addita, vt ex illo ſumeret diſtinctionem. Aitque oriri ex falſa imaginatione, qua concipitur augmentum qualitatis ex augmento quantitatis: quia quantitas in ſententia B. Thomæ ex ſe habet diſtinctionem numericam, ſecus qualitas: eaque propter 2.2. q. 24. art. 5. conſtituit diſcrimen inter augmentum quantitatis, & charitatis: quod quantitas poteſt augeri per aliam numero diſtinctam præſuppoſitam ad augmentum ſola ratione noſtra: ſecus charitas: quia nec prius ratione poteſt præintelligi diſtincta numero: quia non præintelligitur ratione in alio ſubiecto, ſed ſemper in eodem cum charitate præcedente: at quantitas intelligitur diſtincta numero etiam ſi non concipiatur in ſubiecto: quia ſe ipſa habet diſtinctionem numericam, & cum ea concipitur. In hoc igitur eſt falſa imaginatio, non verò in admittendis partibus diuerſis componentibus vnam numero charitatem.

§. 60. Vnde ad obiectum ex §. 56. Reſpondeo, intelligi B. Thomam de additione qualitatis numero diſtinctę, quam non intelligit niſi ex diuerſa quantitate, aut ſubiecto, quæ ibi non ſunt: immo cum dicit, non poſſe addi qualitatem qualitati niſi ſubiectum ſubiecto addatur; id exprimit, quia niſi in ſubiectis diuerſis illæ non ſunt numero diſtinctæ, vt ibidem dicit albedinem non eſſe numero diſtinctam niſi in ſubiectis: ſi autem ſeparentur albedines à duobus ſubiectis, erunt vna: at partes habebit. Quam ob rem quæſt. 24. art. 5. ait non poſſe charitatem addi charitati niſi mens menti addatur: quia mens eſt ſubiectum charitatis. Pater Rubius diſcipulus B. Thomæ minimè ſuſpectus inuehitur in alios Thomiſtas, quia propriam vocem intenſionis ignorantes, tam ſiniſtre B. Thomam exponunt. Iurgium ſit inter illos. Mihi ſat me cum B. Thoma componi: immo ſequi, vt probo.

§. 61. Nam eodem art. 2. ait ex non calido fieri calidum, non quod ponatur aliquis calor: ſed quia calor, qui eſt in potentia, educitur in actum: ita etiam efficitur magis calidum, &c. At verè producitur calor cum fit calidum: licet non ponitur calor, id eſt, aliunde aduectus non ponitur: vnde cum fit magis calidum, non aduehitur diſtinctus calor: ſed qui erat in actu imperfecto, perficitur, quia magis educitur: educitur autem magis ſecundum quod eſt in actu nouus terminus eductionis, qui ante non erat in actu. Et 3. p. quæſt. 7. art. 12. apertè admittit plures gradus intenſionis, & qualitatem intendi donec perueniat ad vltimum: ergo caret gradu aliquo, ad quem eſt in potentia, & 2.2. q. 24. art. 4. ad 3. ait: *Augetur ergo eſſentialiter non quidem ita quod eſſe incipiat, vel eſſe deſinat in ſubiecto: ſed ita quod magis, ac magis in ſubiecto eſſe incipiat:* at incipere magis eſſe, eſt incipere ſecundum aliquid, quod antea non erat: ergo incipit eſſe ſecundum diuerſas partes. Immo ſic explicat maiorem radicationem in ſubiecto, aſſerens propriam vocem ignorari ab opinantibus fieri augmentum in virtute actiua, aut in radicatione, quin fiat in eſſentia: quia eſſentia eſt virtus actiua: & eius eſſe eſt ineſſe.

§. 62. Caietanus autem eſt apertè ab hac ſententia, ſolumque negat diſtinctionem numericam qualitatum; & in eo ſenſu ait qualitatem intenſam eſſe eamdem cum nouo modo; eamdem (inquam) numero, ſed cum noua aliqua re ſui, ad ipſius eſſentiam de nouo ſpectante. Nam artic. 4. ait. *Si ab importunis, aut nouitiis inquiratur, quid eſt illa terminatio, qua abiicitur? dicito quod nihil addit ſupra rem, niſi actualitatem tertij gradus.* Vbi ponit actualitatem nouam vnius gradus additam actualitati veteri veteris qualitatis; vt autem Thomiſtis ſcrupulum euellamus, audiant Caietanum 1.2. quæſt. 52. art. 2. §. *Circa eamdem. Ipſe ſiquidem* (Scotus) *non ſolus, vt opinor, ſenſum non intentum à D. Thoma ſic impugnauit: vt in aliquo diſſentiat ſecundum rem. Duo enim creduntur affirmari* (à B. Thoma) *primum eſt, quod formæ intendantur propriè, & remittantur tantum ſecundum habitudinem ad ſubiectum: ſecundum eſt, quod res illa, quæ eſt forma: quando intenditur, & remittitur, nihil ſui reale abſolutum acquirit, aut perdit; ſed ſolum aliquid in ordine ad ſubiectum; & vtrumque Scotus impugnat. Secundum veritatem autem, ſecundum dictum non eſt S. Thomæ: ſed contra ipſum, vt ex ſupra dictis patet. Vnde non oportet reſpondere obiectis contra illud.* Vbi Caietanus non ſolum Scotum, ſed nonnullos Thomiſtas præſtringit: quod B. Thomæ imponant ſententiam, cum ipſo pugnantem. At Scotus apertè cenſet intenſionem fieri additione alicuius rei abſolutæ, pertinentis ad ſpeciem qualitatis: in quo opinatur ſe aduerſari B. Thomæ: Caietanus autem ei exprobrat ab ipſo non tentam mentem B. Thomæ: quia cenſet aliquid abſolutum acquiri, ac deperdi: ergo B. Thomas in opinione Caietani admittit intenſionem per aliquid qualitatis recens productum. Hoc autem eſt gradus, & virtus actiua qualitatis actiuæ. Quid autem ſit gradus ſic Caietanus exponit. §. *Ad euidentiam Et propterea author* (S. Thomas) *loquens de additione formæ ad formam eiuſdem ſpeciei, loquitur etiam de additione graduum: gradus enim caloris vt duo, calor quidam eſt, & ſic de aliis.* Negat ergo S. Thom. in intenſione additionem gradus ad gradum ſicut qualitatis ad qualitatem, quia ſunt idem: ſed non negat nouam eductionem nouæ qualitatis eductæ cum priori, quia fatetur nouos gradus eductos 3. p. Nam additionem intelligit inter numero diſtincta; non verò eductionem nouam & maiorem.

§. 63. Cum autem videret Caiet. multos B. Thom. aduerſari non tam in re, quia in voce. *Additio gradus ad gradum, & tu,* (inquit) *qui graduum additione veteris diſputando, ſi hanc expreſſurus dicis ſententiam, à lapſu ſolo linguæ cohibendus reſtas.* Vnde argumentor: qui vtitur additione gradus ad gradum duo facit: & conſtituit diuerſas partes qualitatis intenſæ in eodem ſubiecto: & eas dicit eſſe vnum gradum additum alteri: Caietanus autem putat hic poſſe eſſe quæſtionem de ſolo nomine: ergo in voce, *additio*, non verò in re, quod aliquæ partes eiuſdem qualitatis addantur. Si enim in hoc

in hoc non conſentit Caietanus, quo modo cenſet nos ab illo ſola voce differre, qui vtimur *additione gradus ad gradum?* Quod aiunt nonnulli fieri additionem, ſed ſola ratione qualitatis partes diſtingui, primùm aduerſantur B. Thomæ, neganti additionem etiam per intellectum: tum quia intenſio à parte rei exercetur, & gratia re ipſa augetur. Si autem dicunt *eſſe plures partes qualitatis diſtinctas numero non re, ſed ratione*; rem teneo, phraſim fugio.

§. 64. Itaque radicatio maior, maior eductio, victoria, & poſſeſſio eſt quia adduntur, ſiue de nouo educuntur diuerſi gradus & partes qualitatis. Hæc fusè explicui, vt ſtudioſi B. Thomæ diſcernant, quæ illi opiniones imponantur, quæque ſint illius legitimæ, & ne ſiſtatur in ſola ſuperficie verborum, quam primo ſonitu ſyllabæ ſonant. Nos autem, qui non vtimur illa locutione de diſtinctione numerica, abſolutè dicimus intenſionem fieri additione gradus ad gradum, & qualitatis partialis ad aliam partialem.

SECTIO VI.

Vtrum gradus ſint ſimiles?

§. 65. POſita qualitatis intenſæ partium multitudine, earum ſimilitudo, aut diſſimilitudo diſquirenda. Inquiro ergo: vtrum illæ duæ partes tam ſint inter ſe ſimiles, quàm duæ partes eiuſdem qualitatis exiſtentes in diuerſis ſubiecti partibus? Vtrum autem plus inter ſe diſtent? Item vtrum illæ partes accidentario ſint vna prima, alia ſecunda? &c. An verò vna ex ſua natura ſit prima, alia ſecunda? quia prima poteſt eſſe ſine ſecunda: ſecunda verò non ſine prima. Qua in parte parum fuit antiquis diſſidij, qui quæſtionem hanc prætermiſere. Inter recentiores Philoſophos, ac Theologos acriùs, & magis ad amuſſim ea quæſtio verſatur, quæ eos in varias factiones impulit.

SVBSECTIO I.

Partis affirmantis argumenta diſſoluo.

§. 66. GRegorius in 1. diſt. 17. quæſt. 4. Gabriel in 3. diſt. 13. quæſt. vnica art. 1 notab. 1. Okam. in 3. q 6. quos ſequuntur Patres, Vazquez tom. 1. in 1. 2. diſput. 82. capit. 6. Conimbricenſes 1. de gener. cap. 4. quæſt. 2. artic. 3. §. *ad vltimum*. Rubius eodem libro & c. tractatu 3. quæſt. 5. & ex recentioribus non pauci, opinantur omnes gradus intenſionis eſſe eiuſdem rationis: & qui modò eſt primus, potuiſſet eſſe ſecundus, ſi iam ſubiectum habuiſſet alium gradum. Huic opinioni fauere videtur Sanct. Thomas in 1. diſt. 17. quæſt. 2. art. 2. & 2. 2. quæſt. 24. art. 5. & 1. 2. quæſt. 52. art. 2. & eius diſcipuli negantes additionem nouę partis, quia illa eſſet diuerſæ ſpeciei, Charitas autem vna eſt ſpecie. Verum, qui admittunt diſſimilitudinem indiuiduorum intra eamdem ſpeciem: Reſpondebunt eam diſſimilitudinem non eſſe in ſpecifico conceptu, ſed in indiuiduis. Qui verò negant eam diſſimilitudinem indiuiduorum, dicent charitatem eſſe vnam virtutem ſpecie completa compoſita ex pluribus gradibus diſtinctis ſpecie incompleta: vt homo eſt vnus ſpecie completa, conſtans duabus partibus ſpecie incompleta diuerſis.

§. 67. Probationi propriæ præmittit Pat. Rubius numero 161. intenſionem & extenſionem non differre niſi ex diuerſitate ſubiectorum: quia per extenſionem fit vna forma continua per ſubiectum extenſum, per intenſionem verò illa continuatio fit in eodem indiuiſibiliter ſubiecto. Forma autem extenſa perfectior eſt in multis ſubiectis, quam in vno ſolo, quia in duobus præter perfectionem quam in vno habet, includit aliam: habetque duas differentias indiuiduas, quæ, cum ſint diſtinctæ perfectiones, componunt vnam maiorem: intenſiuè quidem in vno ſubiecto, ſicut extenſiuè in duobus.

Hinc argumentatur: ſi intelliguntur in eodem ſubiecto partes, quæ ſunt in duobus, intelligetur forma perfectius eſſe, & perfectius operari, & magis radicata: ergo ad intenſionem non exigitur diſſimilitudo graduum. Conſequentia patet, quia ad ea ſolum munera requiruntur. Antecedens probo ex dictis, quia habet plures perfectiones indiuiduas, & per modum vnius: quod eſt eſſe perfectiori modo, quàm in diuerſis ſubiectis. Secundò, virtus vnita fortior eſt ſe ipſa diſperſa, ſed per intenſionem vnitur in eodem ſubiecto: ergo in eodem eſt fortior: ergo perfectior: quia fortitudo agendi oritur à perfectione. §. 68.

Verum hoc ſecundum argumentum non admodum conſtat cum fundamento: Rogo enim vtrum ſubiectum affectum duobus gradibus ſit abſolutè fortius, quàm ſubiectum continuum affectum illis duobus gradibus? An non ſit abſolutè fortius? Si ſecundum, nihil concluditur hoc ſecundo argumento: non eſt enim fortius ſimpliciter, ac proinde nec ſimpliciter perfectius: & quidquid fit ab illo ſubiecto cum illa forma, fiet à duobus cum eadem, ſi applicentur: quod ſi non efficient, eſt per accidens ex defectu applicationis. Immo cum P. Rubius aſſerat partes eiuſdem agentis immediatè concurrere ad effectum: tantum poterunt duæ vnitæ, ſingulæ affectæ vno gradu caloris; quantum vna cum vtroque gradu. Quia virtus eſt æqualis, & applicatio ſufficiens. Si verò vnio in eodem ſubiecto eſt ſimpliciter perfectior, quàm in duobus; ergo in illa aliquid eſt diſſimile abſolutè aliarum; quæ abſolutè carent ea perfectione, in qua ſunt diſſimiles illi: habeo ergo intentum in intenſione reperiri aliquid abſolutè diſſimile extenſioni, & non abſolutè ſimile. Nec hoc oritur ex ſubiecto: quod pono eſſe eiuſdem rationis: nam vnio ad ſubiectum idem, eadem eſt. Item cum vnio non ſit operatiua, ſed qualitas: hæc eſt abſolutè perfectior, & diſſimilis qualitatis extenſæ: nec maiorem virtutem habet à ſubiecto, quod eſt materia, aut quantitas, ſed ex ſe: ergo qualitas intenſa ex ſe habet aliquid perfectius, & diſſimile, quo caret extenſa. §. 69.

Ad argumentum & eius fundamentum, qualitatem extenſam non eſſe ſimpliciter perfectiorem in vno, quàm in duobus indiuiduis, ſed valde per accidens & ſecundum quid. Sicut duo Angeli eiuſdem ſpeciei non ſunt ſimpliciter perfectiores vno: quia tam vnum, quàm duo habent totam perfectionem ſpeciei, & indiuidui. Illa autem multiplicatio numerica eſt valde materialis, & per accidens. Quæ vocatur *extenſiuè maior*: vnde ſi illi gradus vnirentur eidem ſubiecto, nihil poſſent vterque ſimul, quod abſolutè non poſſet vnus, vt patet in ſpecie impreſſa directa, quæ eſt eiuſdem ſpeciei cum reflexa: ſuntque in eodem aëre; & tamen aër vtraque informatus, immo nec pupilla, non efficiunt viſionem intenſiorem, quàm vna ſola: ad breuius autem operandum conferrent, §. 70.

conferrent, vt cum ſunt in ſubiectis diſtinctis; æs enim breuius calefacit aqua, quia coniunctiores habet partes. Intenſio autem eſt virtus, quæ ſimpliciter poteſt quod non poteſt extenſio: vnde requiritur virtus abſolutè maior in aliquo genere, quàm virtus extenſa, & radicatio diſſimilis radicationi extenſiuæ.

§. 71. Secundo, argumentatur Pater Vazquez: in rebus per ſe ordinatis datur vna, quæ ſit prima ſimpliciter reſpectu cæterarum, alioquin ibitur ſine fine: ſed partes intenſionis non habent vltimam cum ſint continuæ, ergo. Verum idem eſt in oppoſita ſententia. Nam maior intenſio pendet ab aliqua parte, quæ ſe ſola eſt remiſſior, ergo deuenietur ad vnam determinatam, quæ ſit prima vnde incipiat intenſio; nulla conſequentia: ita & tua. Ac propterea nego maiorem comparatione omnium partium proportionalium, in quibus non eſt prima nec vltima, ſicut in tua ſententia: concedo autem de tota vna parte determinata cõparatione aliarum determinatarum. Nam primus gradus adæquatè acceptus certam habet perfectionem, à qua pendent ſecundus & alij: vt tu ais prius fieri partem indeterminatam qualitatis nec primam nec vltimam: determinatè autem priùs fieri *A*, quàm *B*. &c. Ad probationem reſpondeo eſſe progreſſum infinitum ſecundum quid in partibus proportionalibus: finitum autem ſimpliciter in determinatis, vt in tua ſententia: primum autem fundamentum reperitur in rebus non continuis: determinatum autem etiam in continuis, vt primus palmus eſt determinatè prima pars eiuſdem menſuræ in virga. Verum eſt poſſe tam exiguam eſſe intenſionem, vt conſeruari non poſſit.

§. 72. Vrgebis adhuc recurrendum eſſe ad compoſitionem continuj ex ſolis punctis; vel admittendam infinitam ſimpliciter perfectionem in qualitate: quia quantitas ideo non eſt ſimpliciter infinita, quia habet infinitas partes communicantes inter ſe: quæ, ſi non eſſent communicantes, efficerent quantitatem infinitam, ſed partes intenſiuæ ſunt non communicantes: ergo. Probatur minor, primùm, quia omnes partes incluſæ in primo gradu ſunt omnino inter ſe diſſimiles: ſecundò, quia ſunt vna maior, aliæ minores.

§. 73. Reſpondeo eamdem eſſe rationem in oppoſita ſententia de ſimilitudine partium. Præmitto enim in vtraque ſententia eſſe æqualem multitudinem partium; nam intenſio vt octo habet in quauis opinione octo partes *determinatas incommunicantes*. Secundò præmoneo, non poſſe eſſe intenſionem infinitam in neutra ſententia niſi partes *determinatæ & incommunicantes* ſint infinitæ: etenim infinitudo partium *communicantium* non auget infinitè compoſitum; tunc ſic, omnes partes *certæ incommunicantes* ſimiles efficiunt in tua ſentẽtia tantam intenſionem, quantam in mea efficiunt diſſimiles: ſed in tua non ſunt infinitæ partes incommunicantes ſimiles, nec deſunt eſſe infinitæ *proportionales*, vt in mea; ergo vel in mea opinione non eſt infinita intenſio; vel eſt eadem in tua. Item eſt diſſimilitudo in tua ſententia; quia octauus gradus habet diſſimilem multitudinem ac ſeptimus: & ſemper eſt vna magnitudo aliis maior.

§. 74. Ad argumentum ex §. 72. Reſpondeo partes diſſimiles eſſe etiam *communicantes* ſicut ſimiles extenſiuas, & intenſiuas, in tua ſententia; & ſicut partes quantitatis. Vnde nego minorem. Ad primam probationem reſpondeo, omnes partes eſſe inter ſe diſſimiles, ſicut per te ſunt ſimiles: & ſicut per te ſimiles ſunt infinitæ ſecundùm quid, & ſimpliciter finitæ: ita & diſſimiles: quia nec ſunt plures nec pauciores in alterutra ſentẽtia: & illa ſimilitudo non valet minus in tua ſententia, quàm diſſimilitudo in mea: eſt ergo diſſimilitudo finita ſimpliciter, quia partes ſunt multitudine ſimpliciter finitâ. Ad ſecundam probationem reſpõdeo exceſſum determinatũ ſemper eſſe certum; indeterminatum autem incertum. Octauus gradus eſt certo exceſſu comparatus ſeptimo: at inter partes octaui eſt exceſſus indeterminatus, quia partes ipſæ ſunt *communicantes*: ac propterea & exceſſus ipſi ſunt *indeterminati & communicantes*: quia hi exceſſus ſunt partes ipſæ.

Immo & omnis exceſſus eſt determinatè in ordine ad gradum certum: quia *maius & minus: melius & peius* eſt affectio rei certæ: quia igitur partes omnes octaui gradus ſunt nobiliores omnibus partibus gradus ſeptimi; ideo partes proportionales, quia determinatæ ſunt in illis gradibus exceduntur & excedunt: quia verò intra ſingulos gradus non determinatur exceſſus proportionalium partium; ideo neſcitur quantus ſit exceſſus intra latitudinem illorum graduum. Quam ob cauſam, qui calluerunt Ariſtotelicam compoſitionem continui, abſtinent ab hoc argumento; quia eſt commune hac in parte vtrique ſententiæ de ſimilitudine & diſſimilitudine partium. Hic autem quæritur vtrum diſſimilitudinem vrgeat aliquod argumentum non commune ſimilitudini. §. 75.

Tertiò arguit P. Rubius: ſi ſecundus gradus eſt perfectior primo, ergo adueniente ſecundo corrumpitur primus ex opinione Durandi: probo conſequentiam; quia primus eſſet ſuperfluus: nam ſecundus continet primum formaliter & eminenter: eminenter, quia eſt illo perfectior; formaliter, quia in illo continetur vt in forma. Multis peccat argumentum. Negatur conſequentia: & prima probatio. Secunda verò lata peccat æquiuocatione. Primum; quia ſecundus gradus non continet primum eminenter: quia non eſt principium actiuum illius quod requiri ad eminenter continendum oſtendi diſput. 8. phyſi. ſect. 9. Nec enim quod res ſit perfectior, ideo poteſt producere alias ſe imperfectiores. Nec enim ſenſus communis poteſt elicere viſionem, nec Angelus generare hominem, nec homo leonem; ſingulis enim potentiis fines præfixit Deus: & quamuis qualitas producit gradum ſe remiſſiorem, non tamen quemcumque. §. 76.

Obiiciunt aliqui à gradu intenſo produci gradum remiſſum: alioquin exigua luce illuminaretur totus aër æquè intenſè: ergo remiſſus gradus continetur eminenter actiuè in intenſo, & non ſolum eminentia excellentiæ. Cui argumento paucis reſpondi in fine §. ſuperioris: produci quidem aliquem gradum remiſſum ab intenſo: quod latè probaui diſp. 9. phyſ. §. 98. oſtendens ſectione ſeptima ſphæram creatorum agentium. Itaque totus octauus gradus vim habet ad producendum ſeptimum; non tamen ſextum, neque quintum: oppoſitum autem, nempe omnes remiſſos poſſe ab intenſiori produci, nec probatur ex actiuitatis ſphæra; nec alia ratione vt intellectus producit imperfectas aliquas apprehenſiones ſpiritales, non tamen omnes: nullam enim materialem producit: non enim ſufficit exceſſus in entitate: ſæpe enim ens nobilius non poteſt ignobiles effectus. §. 77.

Secundò: probo contra P. Rubium, gradum remiſſum nullo modo contineri formaliter in intenſo. Nulla enim res continetur in alia formaliter, ſed virtualiter, id eſt, in alia eſt virtus producendi illam. Nam *formaliter* eſſe alicubi, eſt eſſe ibi per ſuum §. 78.

ſuum conceptum proprium & realem: ſic nihil eſt in alio, niſi in materia: vt cum forma illam actuat, eſt ibi formaliter, ideſt, ſe ipſa per ſuum conceptum: item materia eſt formaliter in compoſito, quia inibi eſt per ſuum conceptum realem. At primus gradus, ſi corrumperetur, non maneret formaliter in ſecundo, quia ſecundum ſuam entitatem non maneret: maneret autem virtualiter (ſi ſecundus eſſet cauſa primi) quia in ſecundo maneret virtus productiua illius.

§. 79. Vide explanationem aliquarum vocum in capite logicæ. Porro formaliter contineri in alio non eſſe contineri in forma, eſt certum, quia calor continetur in luce tamquam in forma: quia continetur in ea vt in accidente, cuius eſſe eſt ineſſe. Item ſpecies impreſſa forma eſt intellectus, qui etiam eſt forma: animus item eſt forma corporis: & præmiſſæ forma intellectus: & tamen intellectio non continetur formaliter in ſpecie & intellectu, quia per illa præciſè anima non eſt intelligens formaliter, ſed virtualiter in actu primo: nec motus continetur formaliter in anima: quæ poteſt informare corpus, quin illud latione moueat: nec concluſio continetur formaliter in præmiſſis: cum tamen hæc omnia in illis rebus contineantur, vt in formis: ergo contineri formaliter in alio non eſt contineri in forma. Quod ſi hoc vocas contineri formaliter: non propterea primus gradus erit ſuperfluus.

§. 80. Itaque compoſitum ex primo & ſecundo gradu eſt abſolutè integrius & perfectius quam ſolus primus gradus. Nam homo eſt ſimpliciter perfectior ſolo animo: quamuis animus eſt perfectior corpore: immo animus ipſe eſt perfectior per vnionem ad corpus. Item anima affecta intellectu & ſpecie impreſſa ſolis, non eſt tam perfecta, quam cum habet intellectionem additam intellectui & ſpeciei. Nec corpus eſt tam pulchrum cum ſola luce, quam cum luce & colore: nec tam bene qualificatum cum ſola luce, quam cum illa & primis qualitatibus; nec cum iis ſolum, quam cum iiſdem & ſecundis ſimul. Lux me deficiet prius quam exempla. Ratio à priori: quia quantumcunque vna creatura ſit alia perfectior, adhuc eſt multis imperfectionibus mutila: quas foris aduehit ex aliis. Deus eſt, qui ex aliis rebus non perficitur: quia continet omnium perfectiones, illarum imperfectionibus omnibus ſublatis. Creaturæ verò ob ſuam imperfectionem multis indigent. Immo ex aduerſariorum ſentétia vnum indiuiduum formalius continetur in alio: quia vtrumque eſt productiuum alterius: & aliunde ſimilius.

§. 81. Ergo ſecundus gradus perficitur vnione ad primum, & ab illo pendet in integra perfectione intenſiua: item pendet eius operatio ab operatione prioris: & in remiſſione manet primus abſcedente ſecundo. Et quidem à ſecundo gradu dicitur qualitas *magis intenſa*: quia hæc vox ſumitur pro gradu perfectiori, quia hic iam ſupponit cæteros. Si autem conſeruaretur ſine remiſſis, haberet quidem qualitas formam à qua dicitur *intenſior*, non tamen haberet integram intenſionem, nec eſſet tam perfecta: ſicut anima eſt forma, qua homo eſt perfectior quam ſola materia; ſed ſine materia nec eſſet homo, nec anima haberet ſuum complementum. Item abſolutè non eſſet qualitas tam intenſa cum ſecundo gradu ſolo, quam cum primo & ſecundo; quia intenſio includit partes: & quo pauciores habet, minor eſt, ac magis mutila, ſiue manca. Quod ſi vltimus gradus dicitur *maior intenſio*, non eſt propter ipſum ſolum: ſed quia cum illo ponuntur cæteri: & quemadmodum ſibi magis complacet Deus amore naturali in intellectu intelligente, quam in non intelligente: ita magis ſibi complacet in integra qualitate, quam in ſolo gradu intenſiori.

Eſt autem res illuſtris tum exemplis adductis; tum ratione: quia formæ diſſimiles præſtant abſimiles effectus formales mutuo compoſſibiles: vt cognitio naturalis de homine componitur cum viſione Dei repræſentante hominem. vnde in qualitatibus non actiuis fit intenſio vt per diuerſos formales effectus perficiatur ſubiectum multiplici ratione, in oppoſita autem ſententia res eſt difficilior; quia tantum poteſt vnus gradus quantum duo: nec enim duo homines ſunt intensè nobiliores vno. §. 82.

Quod verò aſſertur, animam rationalem eſſe formaliter ſenſitiuam, quia vt forma continet gradum ſentiendi; eaque propter non egere alia forma ſenſitiua, eſt abs re. Etenim ſi non patitur aliam ſenſitiuam, non eſt quia gradus ſentiendi aliarum formarum contineatur formaliter in anima: ſed quia ipſa per ſuum conceptum vnitum materiæ eſt principium ſenſionis, in quo conſiſtit, eam eſſe formaliter ſenſitiuam, ideſt, ſe ipſa. Quia verò ipſa eſt forma ſubſtantialis, ideo non patitur aliam, quia fieret vnum per accidens: at multa accidentia poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto. §. 83.

Quartò argumentantur: quia gratia non augetur per gradus abſimiles, ergo nec cæteræ qualitates: conſequentia patet, quia omnes rationes quæ gratiæ augmentum probant per gradus ſimiles, idem euincunt in cæteris formis. Antecedens probatur: Demus hominem per actum intenſum charitatis auxiſſe gratiam merendo octauum gradum: hic efficiat remiſſum gradum eleemoſynæ: per illum merebitur partem noui gradus: ſi illa pars eſt eiuſdem rationis cum cæteris, nihil eſt abſurdi: ſi eſt diuerſæ, ſequitur actu remiſſo eleemoſynæ mereri hominem de condigno plus quam actu charitatis intenſo. Nam augmentum illud eſt ſimpliciter perfectius cæteris gradibus: ergo actus remiſſus meretur plus quàm intenſus. Immo quilibet actus nouus meretur plus quàm cæteri priores ſimul. §. 84.

Confirmatur primò, qui accedit ad Sacramentum cum diſpoſitione vt vnum, accipit gratiam vt vnum: accedat ſecunda vice cum ſimili diſpoſitione, nihil accipiet: quia illi non eſt promiſſus niſi vnus gradus: at iam ille eſt datus: ergo. Confirmatur ſecundò: homo redditur ſanctior per opera: ſi ergo habet tres actus bonos ſiue illos efficiat primò remiſſum, ſecundò intenſum, tertiò medium, vel è conuerſo, æque ſanctus diſcedet: ergo gratia quæ pro illis rependitur, ſemper eſt iuſdem rationis. Hic Achilles plures raptauit Hectores. Aliquorum in conſequentiã vide §. 109. §. 85.

Ac primum, nego antecedens: ad probationem reſpondeo, augmentum eſſe abſimile, & perfectius: item opus remiſſum in homine grato vt octo eſſe dignum toto illo præmio, & ex ſe cum illa gratia eſſe dignum maiori præmio quàm actus charitatis intenſus cum minori gratia (ſi modo ille non ſanctificat.) Oſtendi enim in 3. part. diſput. 7. & in 1. 2. quæſt. 114. maiorem gratiam eſſe potiorem rationem, vt ex illa creſcat meritum, quàm opus intenſius. Quam doctrinam ibi latè probaui ex Caietano, Franciſco Victoria, Patre Franciſco Suarez, ac Patre Gregorio de Valentia, quam hic non oportet probare: ſed aliunde ponere. §. 86.

Ad

§. 87. Ad primam confirmationem reſpondetur, in ſecundo caſu deberi plus gratiæ homini diſpoſito per actum vt vnum, quam eidem in primo caſu: quia actus vt vnum cum gratia vt duo maior diſpoſitio eſt quàm actus vt vnum cum gratia vt vnum: & pro maiori diſpoſitione omnibus penſatis (vt aiunt) datur maior gratia in Sacramento. Ad ſecundam confirmationem reſpondetur: gratiam dari pro operibus conſiderata circumſtantia perſonæ, quando illa exercet: non verò pro ſolis operibus excluſa gratia gratum faciente: ſi ergo facto opere ordine inuerſo, aliquid accreſcit gratiæ, quæ plus dignificet perſonam, multum refert ille ordo, at verò parum videtur referre. Nam ſi intenſum fiat prius, multum auget gratiam ſua intenſione: deinceps remiſſius adiutum maiori gratia eàdem auget. Si autem remiſſum fiat prius, non merebitur tantum; at verò quod illi deeſt, compenſatur poſtea per intenſum adiutum gratia acquiſita per primum. Itaque iuuantur per intenſionem propriam, & gratiæ: ac propterea fine vitæ in gratia æquali decedetur quocumque ordine fiat actus. Si placet, ſupputa rationes circunſtantiarum. Stet autem ex maiori gratia merita creſcere.

§. 88. Ne verò opinionem in philoſophia ſimiliorem vero illigemus ad vnam theologizandi rationem: placet latiorem viam oſtendere; oſtendi 1. 2. quæſt. 114. ex multorum Theologorum, & Patris Vazquez ſententia; Deum noſtra bona opera donare præmio cumulatiori, quàm ipſis condignè debeatur. Item gratiam non augeri phyſicè per bona opera (ſic enim nullam difficultatem contineret argumentum) ſed moraliter, cum dignitate tamen orta ex eorum bonitate, & gratia gratum faciente. His poſitis: quodlibet bonum opus ex Chriſti gratia, & in gratia factum ex ſe eſt condignum augmento gratiæ: eſtque aliquis gradus illi condignè reſpondens. Quando verò ante opus remiſſum præceſſit intenſum: datus eſt ob intenſum gradus condignè reſpondens operi remiſſo. Hoc autem eſt per accidens; nec tollit quo minus per ſe ſit dignum augmento gratiæ. Quia verò Deus decreuit nullum opus abſque præmio, item & cuiuis operi decreuit præmium cumulatius: hinc oritur, vt *præmians ſemper vltra condignum, & puniens citra*, det iuſto plus gratiæ, quam ipſe meretur. Si Princeps teneretur pecunia donare leue opus ſerui, nec eſſet niſi aureus biformis, quamuis hic excederet valorem operis, ſpectaret ad Principem, liberaliter donare aureum biformem potius, quàm parcè retinere præmium. Ita Deus ſoluit quod ex condigno promiſit, & addit quod nõ tenetur. In quo & cernitur valor operum bonorum, & liberalitas Dei. Quod ſi hoc in cæteris actibus ſeruat: quid mirum, ſi & in iis?

§. 89. Ad argumentum reſpondetur: per eum actum eleemoſynæ mereri hominẽ determinatè nouum gradum gratiæ, nempe augmentũ alicuius gradus, qui illi reſponderet, ſi fieret ante actum intenſum: Deus autem, ne ille actus ſine præmio maneat, dat tunc nouum gradum, vt cumulatius ſoluat debitum: quia quod illi debetur per ſe, iam nihil conferret ad maiorem intenſionem gratiæ. Ad primam confirmationem eodem modo reſpondetur: per accidens non poſſe dari gradum reſpondentem dignitati eius diſpoſitionis; Deus autẽ decreuit in iis caſibus dare altiorem gradum gratiæ, ne opus maneat ſine præmio. Ad ſecundam confirmationẽ reſpondetur, hominem tunc cum gratia æquali diſceſſurum: quia præmia maiora condigno, ita diſtribuet, vt poſt vltimum meritum detur tota gratia: vel ſi propter ordinem mutatum ita non poſſunt componi, id erit per accidens.

Tertiò reſponderi poteſt nec ex maiori gratia merita creſcere, nec augmentum intẽſius eſſe vltra condignum; etenim conſideranda eſt perſona benemerens: quæ eſſentialiter includit & gratiam facientem gratum, & operis honeſtatem: ſic autem meretur augmentum gratiæ: quia Deo placet perſona illa; ex qua complacentia oritur præmium. eſt ergo de conceptu iuſti bene operantis placere Deo, illumque mouere ad præmium. Hinc fit, ex conceptu benemerentis Deum moueri ad augendam gratiam: iuſtus ergo vt octo, meretur condignè quoties actu facto ex gratia per Chriſtum augeri eius gratiam ad nouum gradum. §. 90.

Dices: ergo ex maiori gratia creſcit meritum, quia ille actus cum minori gratia acquireret gradum imperfectiorem: quod ſi nunc perfectiorem acquirit, eſt ob maiorem gratiam. Nego conſequentiam; quia creſcere meritum ex maiori gratia, non eſt gratiam perfectiorem dari in intenſione; ſed eſt tot gradus augmenti reſpondere gradibus gratiæ, quot reſpondent gradibus operis. Exempli gratia; iuſtus vt octo exercens charitatem vt quatuor, meretur augeri gratiam ad duodecim, & non ad tredecim: at in ſententia conſtituente maius meritum ex maiori gratia; iuſtus vt octo cum charitate vt quatuor, augeret meritoriè gratiam ad ſedecim: quia pro gradibus prioris gratiæ, conferrentur plures gratiæ nouæ. in hoc ſenſu eſt controuerſia *vtrùm ex maiori gratia merita creſcant*: at gratiam intenſiorem deberi iuſto bene operanti, nullus dubitat iure. Debetur ergo condignè augeri gratia ex qua oritur bonum opus: idque ex conceptu iuſti bene operantis ex gratia per Chriſtum, omni ergo gratiæ conuenit vt non dentur tot gradus præmij: quot ſunt in ipſa; conuenit item vt ſemper detur augmentum: quod non eſt creſcere meritum ex maiori gratia, quia actus vt vnum non meretur niſi vnum gradum gratiæ, quo ea augeatur, à qua ipſe oritur; & actus vt duo petit duos gradus: hos autem gradus eſſe quintum, aut quartum non oritur ex ipſis actibus; qui reſpiciunt vnum aut duos actus vagè, & indifferenter: eos autem gradus eſſe quartum, aut quintum oritur à gratia vt dignificante opus. §. 91.

Quinto arguitur ex Aureolo: quia non poſſunt continuari res diuerſarum ſpecierum, quia non poſſunt habere vnum extremum commune: extremum enim ſiue indiuiſibile continuatiuum debet eſſe idem cum vtroque extremo: at non poteſt eſſe idem cum vtroque extremo diuerſarum ſpecierum: ergo non poſſunt continuari partes diuerſarum ſpecierum. Confirmatur, quando vniuntur duæ res eſſentialiter diſtinctæ, altera vnitur vt ſubiectum, altera vt forma, ſed neuter gradus eſt ſubiectum alterius: aliquin primus gradus caloris denominaretur calidus à ſecundo. §. 92.

Reſpondeo, res diuerſarum ſpecierum completarum non poſſe continuari, quia cõtinuatio connotat partes non omnino integras, niſi vniantur: at verò duę ſpecies incompletę ex natura ſua ordinatæ ad efficiẽdam vnam rectè poſſunt vniri, vt contingit in cõpoſitione eſſentiali; licet enim ex equo & homine nõ reſultet tertia ſpecies, reſultat tamẽ ex materia & forma: vnio autem non idẽtificatur poſitiuè cum extremis, à quibus diſtinguitur realiter modaliter, at idẽ modus rectè poteſt eſſe modus diuerſarum rerũ, vt materializatio & informatio, actio §. 93.

actio & paſſio. Ad confirmationem, reſpondeo, de ratione partis integralis eſſe, ne vna denominet aliam tamquam forma, & ne auferatur tota eſſentia ſublata vna parte integrali: eas verò partes eſſe diſtinctæ ſpeciei, vel eiuſdem parum refert. Quamuis partes integrales non ſoleant appellari diſtinctæ eſſentialiter, ſicut nec denominantur partes eſſentiales, quia ea loquutione ſignificamus ablata vna parte integrali nō auferri totam eſſentiam, ita non aufertur tota eſſentia equi pede obtruncato, neque tota eſſentia caloris ablato octauo gradu, ſicut aufertur tota eſſentia equi ablata anima.

§. 94. Sextum argumentum eſt, quia ſequitur, nullam partem eſſe ſimilem alij, ſed omnes diſſimiles inter ſe, ita vt ſignata quacumque in tota illa collectione intenſiua non poſſit aſſignari illi alia ſimilis: quod licet non poſſit apertè improbari, præ ſe tamen videtur afferre neſcio quam abſurditatem. Sed id nullum eſt inconueniens, quia vnaquæque pars facit cum alia maiorem intenſionem, quod fieri non poſſet niſi eſſent inter ſe diſſimiles.

§. 95. Aduerte, ſicut in continuo quantitatis nulla datur pars ita parua, quin ſit alia minor, quia partes illius partis ſunt illa minores, ita neque in intenſione datur pars adeo remiſſa, quin ſit alia remiſſior, quia vnus gradus, verbi gratia, includit plures partes, è quibus vna eſt perfectior alia, & ſicut in quolibet cōtinuo poteſt aſſignari aliqua pars tam magna, vt alia maior aſſignari non poſſit, vt in homine: Ita in intenſione poteſt aſſignari aliquis gradus tam perfectus, vt alius perfectior eſſe non poſſit ex natura rei, quin vnus gradus includit totam perfectionem ſuarum ſpecierum, quibus nulla eſt alia perfectior. Poſſunt item fieri mille combinationes illorum graduum, per illorum partes proportionales.

§. 96. Septimum argumentum: quia ſequeretur albedinem, exempli gratia, non eſſe ſpeciem infimam accidentis. Reſpondeo albedinem completam eſſe ſpeciem infimam, compoſitā ex pluribus partibus ſpecie incompleta diſtinctis: albedinem autem incompletam eſſe ſpeciem ſubalternā: vt pars hominis eſt genus ad materiam & formam: abſolutè autem albedo eſt ſpecies infima: quia ea vox accipitur pro albedine completa. Vtentium hoc argumento malam conſequentiam obſeruabis §. 104.

§. 97. Octauum argumentum; quia ſi manui imprimerentur plures gradus caloris ſimilis, ſentiretur vehementius calor: ergo. Confirmatur primùm, quia vinum intenſè rubrum, nō mixtum aquæ, vehementius mouet viſum: mixtum autem remiſſius. Confirmatur ſecundò, quia plura corpora grauia ſentiuntur moleſtius quàm vnum. Reſpōdeo; plures illos gradus citius poſſe ſecūdum ſe totos ſentiri quàm vnum; nō tamen vehementius abſolutè: quia cōiunctiores iuuant ad celerius efficiendum; non tamen ad intenſius: cui exemplo ſunt metalla, citius vrentia propter denſitatem. Ad primam confirmationem reſpondeo, ea probari intenſionem fieri in diuerſis partibus ſubiecti; quia per te nihil ruboris vinum amittit in ſubiecto in quo eſt: & eſt remiſſius ob ſolam mixtionem: ergo remiſſio contingit ſola abiunctione ſubiectorum. Reſpondeo ergo vel colorem remitti aqueo colore; vel diuidi partes vini adeo vt propter diſtantiam, remiſſius moueant viſum Secunda confirmatio probat intēſionem poſſe fieri in partibus diuerſis: quia per te plures lapides efficiunt intenſiorem grauitatem vno. Reſpondeo; ſingula corpora impellere reſiſtens ad centrū; ac propterea plures imprimunt impulſus; quia omnes lapides, exempli gratia, per plures impetus repetunt centrum: pluribus autem impulſibus minus reſiſtitur quam vni.

SECTIO II.

Pars affirmatiua.

Opinor ergo, gradus intenſione additos eſſe abſimiles prioribus: ac primum eſſe natura priorem ſecundò, quia intēſior ſupponit remiſſum. Vnde primus non poteſt eſſe ſecundus: nec ſecundus primus. Hæ enim voces ſignificant graduum perfectiones: primus enim ſignificat minorem, ſecundus verò maiorem. Hæc opinio expreſsè traditur à Durando in 1. diſt. 17. quæſt. 7. vbi ait, impoſſibile eſſe eamdem formam ſpecie eſſe in eodem ſubiecto remiſſam ſecundum vnam partem, & intenſam ſecundum aliam, quin num. 26. eas conſtituit oppoſitas in ſubſtantia, non modo in priuatione: & remiſſam ait eſſe terminum *à quo* intenſionis, eáque propter negat manere gradum remiſſum cum intenſo. Eadem ratione mouentur quot quot negant manere gradū remiſſum cum intenſo. Eam ſequitur P. Suarez 2. Metaphyſ. diſp. 46. ſect. 1. num. 30. Quam amplexi recentiores nec pauci, nec indocti. §. 98.

SVBSECTIO I.

Primum argumentum.

Probatur primò hæc ſententia; quia in communi omnium opinione qualitas plus perficitur intenſione, quàm extenſione: quia qualitas intenſa plus operatur, quàm extenſa: ſed non eſſet magis perfecta intenſa quam extenſa, ſi intenſio fieret additione gradus ſimilis, ergo non fit. Minor probatur, quia qualitas perficitur vnione ad aliam partem, ſed ſi intenſio fiat additione gradus ſimilis tam perfecta erit vnio extenſiua, quàm intenſiua, ergo tam perfecta erit qualitas extenſa, quàm intenſa. Probatur minor, quia per te vtraque vnio ſunt ſimiles, eiuſdémque rationis. §. 99.

Dices intenſionem fieri circa idem ſubiectum, extenſionem verò circa aliud. Contra; quia fieri circa idem vel aliud ſubiectum nullam addit perfectionē qualitati, quia per te qualitas, & illius vnio ſunt eiuſdem rationis, & omnino ſimiles, tam in eodem, quàm in diuerſo, ergo eſſe in eodem, vel in diuerſo nullam addit perfectionem qualitati. Deinde qualitas non perficitur formaliter per vnionem alterius ad ſubiectum, ſed per vnionem alterius ad ſe. At per te hæc vnio tam perfecta eſt in extenſione, quàm in intenſione, ergo tam perficitur qualitas extenſione, quàm intenſione. §. 100.

Qualitatem intenſam perfectiorem eſſe ſimpliciter, quàm extenſam: probo primo ex communi locutione de perfectione intenſiua, & extenſiua: hæc cenſetur valde materialis, & per accidens, & conceditur huic complexo. *Deus & creatura* comparatione ſolius Dei: nam complexum illud eſt extenſiuè perfectius ſolo Deo, intenſiuè autem nequaquam: perfectio ergo maior extenſiuè parui fit; maximi autem maior intenſiuè: tum etiam quia qualitas intenſa multa poteſt, quæ non poteſt extenſa, vt diſponere vltimò, perfectius operari & alia: ergo qualitas intenſa perfectior eſt, quàm extenſa. Ergo habet aliquid perfectius quàm extenſa. Non ſubiectum, quia eſt idem vtrique: Nec vnionem, quia eſt ſimilis: Nec gradum per te; vnde ergo habet §. 101.

habet maiorem perfectionem? Dices, quia eſt in eodem ſubiecto. Contra; inde quid habet perfectius quàm extenſa? cum tam ipſa, quàm vnio, & ſubiectum ſint æqualia in extenſa, & in intenſa? Ergo non erit perfectior, niſi ex eo, quod ſit in eodem ſubiecto, aliquid accipiat, cuius perfectionem non attingat extenſio. Alioquin nullum afferetur diſcrimen.

§.102. Hoc argumento preſſi nonnulli cenſent vnionem intenſiuam eſſe perfectiorem intrinſecè extenſiua; ab eáque diſſimilem in ſpecie: à qua vnione qualitas intenſa eſt intrinſecè perfectior quàm remiſſa, nō quidem quidditatiuè & in ratione qualitatis, ſed per denominationem intrinſecam ab vnione: hæc autē maior perfectio ſumitur ex ſolo modo vniendi; quia vnio extenſiua eſt in vna parte qualitatis ſubiectiuè tantum, in altera verò terminatiuè tantum, eáque propter partes extenſiuæ vniuntur duabus vnionibus: quia cōtinuum componitur ab his ex ſolis indiuiſibilibus; & hæc ſunt, ex eorum ſententia, in duobus locis; vnio autem eſt adæquatè penetrata cum ſubiecto: ac propterea vna vnio eſt in vno indiuiſibili ſubiectiuè, altera verò in altero. Vnio autem intenſiua eſt in vtroque puncto ſubiectiuè; eſtque vna ſimplex & non duæ. Quæ magis intimè vnit extrema: eſtque ſimplicior, & perfectior, quia pendet ab vtroq; ſubiecto.

§.103. Primùm hi authores dant non poſſe defendi ſimilitudinem partium intēſionis niſi componatur continuum ex ſolis punctis: ſi enim componitur ex punctis & partibus, vnio extenſiua erit etiam ſimplex, & ſubijcietur in vtroq; extremo. Hoc autem non caret ſpecie imbecillitatis: eſt enim communiſſima ſentētia de partium ſimilitudine etiam inter componentes continuum ex punctis & partibus. Quo argumēto ipſi conantur & nos vrgere; quia non poſſe defendi arbitrantur partium diſſimilitudinem, niſi admittatur ex maiori gratia merita creſcere. Et quidem maius meritum ex maiori gratia, eſt mihi probabilius; tamen abſurdum cenſui hanc philoſophicam ſententiam illi theologicæ, minúſque communi illigare.

§.104. Secundò, ex hac ſententia ſequitur alteram manum remiſſe albam nō eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ cum altera intenſius alba: hoc autem ipſi cenſent abſurdum, vt conſtat ex §.96. illud enim argumentum eſt horum authorum: ergo. Maior conſtat: quia de eſſentia albi eſt vnio: ergo pro ſola vnionum ſpecifica diſtinctione *alba* different ſpecie.

§.105. Tertiò, non ſatis probant hi authores eſſentialem diſtinctionē vnionis vtriuſque. Etenim ſubijci in vno ſubiecto, & in duobus eiuſdem ſpeciei non arguit ſpecificam diſtinctionem. Primùm; quia calefactio ab vno calore non differt ſpecie à calefactione à duobus caloribus: vt omnes videntur admittere; ergo nec caloris vnionem eſſe in vno non eſt diſcrimen ab vnione exiſtente in duobus: probo conſequentiam; quia, quamuis agens eſt extrinſecum, ordo tamen actionis ad illud eſt ipſi tam eſſentialis actioni, quàm vnioni ordo ad ſubiectum. Ecquis vnquam dixit productionem ignis ab vna parte ignis ſpecie differre à productione à duabus? tum quia infrigidatio vt octo quam aqua exercet in ſe non diſtincta à ſimili infrigidatione in aliud ſubiectum. Tertiò, quia illa diuerſitas eſt inter modos verſantes circa indiuidua omnino ſimilia.

§.106. Obijcis, cognitionem duorum hominum eſſe diſtinctam ſpecie à cognitione vnius hominis tantùm: ergo & vnio duorum ſubiectorum differet ab vnione vnius. Omiſſo antecedenti, nulla eſt conſequentia: alioquin actio duorum calorum differret ſpecie ab actione vnius. Ratio eſt: quia duo homines ſunt intrinſecè perfectiores perfectione extēſiua, quàm vnus: vnde vtriuſque repræſentatio eſt etiā intrinſecè perfectior vnius repræſentatione. Cum autem cognitio ſit indiuiſibilis, non poteſt eſſe perfectior extenſiuè quàm alia: & accidentale diſcrimen obiecti efficit eſſentialem differentiam in cognitione: cuius perfectio eſt repræſentare; & quo plura repræſentat, magis eſt perfecta.

Hinc obijcies, vnionem eſſe magis perfectā quo plura vnit ſubiecta. Contra, ergo & actio, quo plurium eſt agentium. Eſt ergo diſcrimen; quod agens & ſubiectum eiuſdem ſpeciei nihil omnino differunt ſiue vnum ſit, ſiue plura eiuſdem ſpeciei, propter mortuū tēdendi modum. Quod ita confirmo: dependentia à ſubiecto eſt formaliter imperfectio; quia eſt in infimo genere cauſæ; & quo res ſunt minus dependentes à ſubiecto ſunt nobiliores: vt forma ſubſtantialis accidente; animus forma materiali; Angelus animo; quia nec in fieri, nec in conſeruari pendet à corpore à priori, aut à poſteriori; ergo, ſi quod eſt diſcrimen; vnio intenſiua eſt ignobilior extenſiuis: quia magis pendet à ſubiecto; quia pendet à duobus eiuſdem rationis; aliæ verò pendent ab vno: pendere autem ab aliqua re vt à purè termino, ſignum eſt maioris perfectionis quàm vt à ſubiecto: creatio enim eſt perfectior eductione, quamuis pendet à termino: & vnio hypoſtatica nobilior eſt, quia verbum attingit, vt purè terminum: & cognitio ſpiritalis pendet ab obiecto materiali vt à termino. §.107.

Quartò, eodem fundamēto poſſent dicere gradus intenſiuos eſſe ab extenſiuis diſtinctos; quia petunt eſſe penetrati in eodem ſubiecto; & petunt vnionem receptam in vtroque: at verò intenſiuos eſſe mutuo ſimiles vt dicunt de vnionibus eorumdem graduum: eadem enim & plura argumēta illis ſuppeterent: quo vitarent infinitudinem perfectionum obiectam §.. & omnia ipſorū argumēta quam facillimè diluentur: quia argumentum de corruptione inferiorum graduum, quia continentur in ſuperiori; & cætera alia, hic locum nō habent, ſicut nec in vnione: quia omnes gradus intenſiui ſunt inter ſe ſimiles, diſſimiles autem extenſiuorum. §.108.

Dicunt ſe vrgeri argumento Theologico, nempe ex maiori gratia meritum creſcere. Contra: quia eamdem vim habet in hac ipſorum vnione. Quia in compoſitione continui ex partibus & punctis, nō poteſt augeri gratia quin ſupponatur neceſſariò cum aliquo gradu intenſionis; cæteri autem illi accreſcentes, ſunt eiuſdem rationis; ac propterea meretur ſemper iuſtus gradus ſimiles per actus intēnſos atque remiſſos; quemadmodum in tua ſentētia meretur vniones ſimiles. Si autem in cōpoſitione cōtinui ex ſolis punctis, ſupponi poteſt gratia ſine vlla intenſione; eſt eadem difficultas in hac vnione: quia in primo merito eſt comparanda vnio eſſentialiter perfectior priore; quæ etiā eſt præmium, cum pertineat ad augmentum gratiæ: vide ergo an aliquod ſequatur incommodum hanc vnionem; idem enim ſequetur & gradum abſimilem; ac propterea negabis vtrumque: ſi autem nullum incommodum eam ſequitur vnionem, nec ſequetur gradum abſimilem: quia vt hic gradus eſt abſimilis priori; ita & vnio tua; ac præmium eſt eſſentialiter nobilius gratia exiſtente prius. Itaque ſi conſtituerentur omnes gradus; aut eorum vniones abſimiles, vim haberet argumentum de maiori augmento præmij ex gratia maiori: ſi autem omnes gradus aut §.109.

aut vniones intenſiuæ ſunt mutuo ſimiles & diſſimiles extenſiuis,aut nullibi argumentũ vim habet, aut eamdem vtrobique. Adde à nonnullis cenſeri qualitatis naturalis augmentum intentiuum eſſe diſſimile; in ſupernaturali autem non eſſe.

§.110. Quintò,admittamus hãc vnionem;probat quidem obiectio gradum intenſum habere aliquã intrinſecam perfectionem qua caret extenſio; nõ tamen tantam quantã indicat qualitas intenſa.Quia hæc intẽſius operatur quàm extenſa;ergò eius perfectio non oritur ab vnione ſola: Antecedens negari nequit; quia calor vt octo producit vltimam diſpoſitionem ad ignem, quam non producit qualitas remiſſa quantumuis extenſa;& licet mille calida remiſſa ſatis applicẽtur ligno.Conſequentiam probo: quia vnio non pertinet ad rationem formalem agendi; hæc enim adæquatè cõſiſtit in ſola caloris eſſentia:ergo ex perfectiori vnione non ſequitur perfectior effectus: quia non creſcente ratione formali agẽdi,cætera ſunt per accidens. Nec enim humanitas Chriſti ſola vnione ad Verbum robuſtior eſt ad agẽdum, niſi aliæ illi vires addantur debitæ illi vnioni. Applicatio autem ſatis eſt apta ad agendum per continuationem extenſiuam, vt ignis applicatus eſt ligno: ergo hac vnione non fit argumento ſatis.

§.111. Ad hæc, nec neceſſaria eſt hæc vnio: quia eius authores cenſent qualitatem poſſe intenſam reddi acceſſu alius qualitatis minus perfectæ: vt oſtendam ex ipſis §.132.vnde inferũt fieri multo melius intenſionem acceſſu qualitatis æquè perfectæ: ſic arguo: ergo acceſſu vnionis æquè perfectæ ac eſt prior,fiet intẽſio:quia per te acceſſu vnionis minus perfectæ fiet intenſio: quia eadem eſt ratio vnionis ac qualitatis. Recognoſce item argumentum octauum ex §.97. quod eſt horum authorum; habet enim vim eamdem contra ſuam vnionem.

SVBSECTIO II.

Argumentum ſecundum.

§.112. SEcundò, quia ſequeretur agens remiſſum poſſe intendere ſubiectum intenſius:conſequens experientiæ repugnat, ergo. Probatur maior, ponatur calidum vt vnum applicatum calido vt duo, poterit in illud producere vnum gradum caloris, at per te productione illius gradus calidũ vt vnum euadet intenſum vt tria, ergo ſubiectum intenſius poterit intendi ab agenti remiſſiori. Probatur antecedens, quia calidum vt vnum habet virtutem productiuam caloris vt vnum:& calidum vt duo habet virtutem caloris vt vnum; ergo ſi applicentur illa duo calida alterum efficiet, & alterum patietur calorem vt vnum.

§.113. Dicunt, illud agens non poſſe operari in ſubiecto: quia *agens non agit in ſibi ſimile:* vnde requiritur aliqua diſſimilitudo in multitudine graduum qualitatis, & vt calidum agat in aliud calidum, opus eſt vt illud excedat multitudine graduum qualitatis, vnde calidum vt tria poterit operari in calido vt vnum, vel vt duo: at verò calidum vt vnum non poterit operari in calido vt duo, neque vt vnum. Contra, quia hoc pronuntiatum commune ex hac ſententia defendi non poteſt, quia nulla affertur eius ratio. Ad quod aduerte,quando aliqua cauſa nõ operatur, prouenire vel ex defectu potentiæ actiuæ,vel paſſiuæ, vel applicationis, vel ex repugnantia formæ producendæ, cum forma producta in ſubiecto patiente. Ea ratione diximus diſput. 1. de cœlo, ignem non operari in lunam, quia potentia remota materiæ primæ impeditur forma, & diſpoſitionibus lunæ per ſe repugnantibus cum forma,& calore ignis: hic autẽ nihil tale reperies,nam calidum vt vnũ habet virtutem producendi calorem,vt vnum,cum illum producat in frigido: item calidum vt duo habet virtutem paſſiuam caloris vt vnum cum illud patiatur à calido vt tria: item ſunt ſufficienter applicata,neque forma producta & producenda ſunt incompoſſibiles, quia per te duo gradus caloris omnino ſimiles, poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto. Vnde ergo oritur hæc repugnantia?

Immo hinc retorqueo argumentum;quia per te §.114.
duæ formæ ſimiles omnino, poſſunt eſſe ſimul in eodẽ ſubiecto, & forma ſimilis afficere ſubiectum affectum forma ſimili:ergo etiam agens ſimile poterit operari in ſubiectum ſimile, quia effectus ſimilis non dicit maiorem repugnãtiam in ſubiecto à ſimili agente,quam à diſſimili. At in mea ſententia adagij ratio eſt clara,quia cum intenſio fiat additione gradus perfectioris,non poteſt calidum vt vnum intendere calidum vt vnum,vel vt duo,quia ſe ſolo efficeret effectum ſe nobiliorem,neq; item ſimile agit in ſimile, quia duæ formæ omnino ſimiles ex ſe ſunt repugnantes in eodem ſubiecto. Quod ſi non eſſent, ſimile poſſet agere in ſimile. Quando enim duo accidentia eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe in eodem ſubiecto ſimul, etiam poſſunt produci ab agentibus ſimilibus. Vnde duæ ſpecies intentionales, altera directa & altera reflexa, altera huius obiecti, altera illius, fiunt ab aëre & ſpeculo, quæ ſunt affecta ſpeciebus eiuſdem ſpeciei, & ab hoc, & illo obiecto, quæ ſunt eiuſdem rationis, & ea ratione ab his agentibus producuntur, quia tales ſpecies ex ſe non ſunt repugnantes;at vnus ignis non poteſt agere in alium ignem, quia duæ formæ ignis ſunt incompoſſibiles; ergo ſi duo calores ſimiles ex ſe ſunt compoſſibiles, poterunt produci à quouis agente ſimili. Quod ſi non poſſunt produci, ideo non poſſunt; quia ſunt incompoſſibiles. Vnde etiam ſequeretur duo calida vt vnum ſe poſſe intendere vſque ad octo.

Dices, agentia pendere à certis conditionibus §.115.
& diſpoſitionibus:quarum vna eſt agentium multitudo,& diſſimilitudo paſſi. Verùm nulla eſt conditio, cuius non poſſit reddi ratio: nam de propinquitate conſtat diſput.9. Phyſic. Item de multitudine agentium.Nam res diffiniuntur certa magnitudine, quia ad tam exiguam poſſunt deduci, vt non poſſint in ea ſe tueri: quia à corpore ambiente perimuntur; aut impediuntur, verbi gratia, calor non poteſt aliquid operari, niſi intenſione certa:quia non poteſt vincere reſiſtentiam ſubiecti: vel alia de cauſa. In præſenti autem nihil ſimile cernitur: pono enim ex parte agentis omnia neceſſaria ad producendum calorem *A.* item pono ex parte paſſi omnia neceſſaria ad eum calorem excipiendum. Nam & agens poteſt illum producere in ſubiecto frigido: & paſſum recipere ab agente vt duo: pono item applicationem: item compoſſibilitatem formæ producendæ cum forma exiſtente in paſſo. Quæ ratio reddi poteſt,ob quam ſit neceſſaria maior agentium multitudo, cum ſit tota per ſe requiſita ad eum calorem? Ab agente ſimili non patitur patiens; quia effectus ab eo producendus eſt natura ſua incõpoſſibilis cum forma paſſi: at quando formæ ſunt compoſſibiles, cur non accipietur forma noua ab agente potente illam producere: licet ſit remiſſius? Aut quid habet forma repugnans cum alia eo quod ſit ab hoc agente? Inde enim diſquiritur repugnantia ex

formarum incompoſſibilitate. Quando autem formæ non ſunt incompoſſibiles, à quocũque agente fiunt; vt idem aër affectus ſpecie impreſſa à duplici albedine æquali accepta, producit in pupilla duas ſpecies ſimiles in gradu, & eſſentia. At verò diuerſas eiuſdem obiecti non producit in pupilla: quia hæ ex ſe habent incompoſſibilitatem, ſecus illæ. Ergo ex repugnantia effectuum ſimile non agit in ſimile, non verò ex repugnantia agentis & paſſi: alioquin poſſet quis pro arbitratu conditiones comminiſci quæ non probentur: ſed ex cerebro ponantur.

§.116. Reſpondet Pater Rubius, intenſiorem formam eſſe magis perfectam remiſſa: ac propterea non poſſe ab ea intendi. Opinor aduerſarios manus dare. Si forma intenſa eſt perfectior remiſſa: eaque propter intendi poteſt à forma intenſiori, & non remiſſiori: ergo gratia intenſa non poterit augeri ab opere remiſſo, quod tu negas, Probo conſequentiam: opus remiſſum efficeret gratiam perfectiorem, quàm opus intenſum, ergo mereretur plus: quia eo, quod mereretur, faceret gratiam perfectiorem. Dices per ſolum vnum gradum additum euadere gratiam maiorem: poſſeque oriri illum gradum ab opere remiſſo, quamuis non tota gratia. Bene: ſimiliter additione vnius gradus euadit calor intenſior: vnus autem gradus fieri poteſt à calido vt vnum, quamuis non tota intenſio.

§.117. Deinde ait Pater Rubius, qualitatem extenſam eſſe perfectiorem, quàm ſi non eſſet extenſa: vel ergo agens remiſſum non poteſt illam extendere vltra ſuam extenſionem, quod experientia confutat: quia idem agens in multa ſubiecta agit: vel etiam poteſt intendere ſubiectum affectum calore vt duo. Ratio à priori: quia ratio ob quam forma intenſa euadit perfectior ex aduerſariis: eſt, quia additur calor *A*. ſed calor *A*, poteſt fieri à calido vt vnum, ergo poteſt fieri ratiò, ob quam forma eſt perfectior: eſto cæteri gradus quibus eſt magis perfecta, fiant ab aliis. Immo ab vno ſolo fient: quia tota illa perfectio conſiſtit in gradibus ſimilibus replicatis: replicari autem poſſunt ab eodem in intenſione, ſicut in extenſione, cum ſint eiuſdem rationis. Nam ad hoc abſurdum aduerſarios deduco: vt tota illa perfectio intenſiua fiat ab vno gradu, ſicut extenſiua. Vnde ne reſpondeant ipſo abſurdo: ſed ratione.

§.118. Huic argumento affine eſt aliud: Qualitas intenſa poteſt producere vltimam diſpoſitionem ad ignem, verbi gratia: at id non poteſt remiſſa, ergo remiſſa aliqua perfectione caret, & ratione agendi, quam habet intenſa. Dices, intenſam eſſe in eodem ſubiecto. Contra: tanta virtus actiua eſt in qualitate extenſa vt octo, quanta in intenſa vt octo; ſunt enim in vtraque octo partes qualitatis: immo æquales in vtraque, ergo vis actiua non eſt maior in altera, quam in altera. Deinde qualitas extenſa tam applicata poteſt eſſe ſecundum omnes ſuos gradus, quàm intenſa: ergo vtraque aget æquè perfectè. Minor probata eſt ſupra contra P. Rubium; & diſp.9. Phyſ. ſect.7. cum ageretur de agentium ſphæris: vt enim applicatur vna pars diuiſibilis ſubiecto extenſo, & per illam agitur; ita & poſſunt duæ.

§.119. Dices, ſingula agentia eſſe remiſſa. Contra. Inde probo abſurdum, nempe ab agente remiſſo fieri qualitatem intenſam. Nec hic recurri poteſt ad ſimilitudinem agentium. Nam tota qualitas extenſa, tot partes continet, quot intenſa: ergo ſicut intenſa poſſet, ita & extenſa. Totum igitur agens habet omnes gradus requiſitos ad intenſionem: quia habet eoſdem, quos intenſum agens: item eoſdem habet tam actiuos, & tam applicatos paſſo: ex eo autem quod ſint in vno vel duobus non accipiunt plus virtutis: quia eam ex ſe habent, non ex ſubiecto. Vnde non poſſunt reſpondere, quod præcedenti argumento: quia etſi vnum agens cum vno gradu non poteſt attingere octauum, poſſet autem ſi haberet octo: at agens extenſum habet eos octo gradus applicatos: qui numerus à te requiritur, ergo attinget octo gradus. Arbitror huic argumento non tam ratione, quam adhæſione reſponderi.

Authores adducti §.102. arbitrati ſe argumento reſpondere illa vnione diſſimili: dicunt qualitatem extenſam habere virtutem remotam ad intenſionem; non tamen proximam & expeditam: remotam, quia ſi iungatur cum duobus gradibus in eodem ſubiecto, poterit efficere intenſionem vt tria: expeditam autem non habet, ea qualitas: quia deeſt illi vnio penetratiua cũ aliis gradibus in eodem ſubiecto. Hæc autem vnio, quamuis non eſt ratio agendi, eſt tamen conditio neceſſaria. Ratio eſt, quia cum hac vnione ſunt gradus magis coniuncti & magis intimi, & ſtrictè: virtus autem eſt magis actiua quo ſtrictius habet cõiunctas partes. §.120.

Iidem authores rogati cur ſimile non agat in ſimile, cum habeat virtutem actiuam ad maiorem intenſionem; & ſubiectum ſit aptum illi recipiendæ? reſpondent, quia finis agentium eſt ſibi reddere ſimile paſſum: cúmque hoc habens calorem, vt quatuor ſit ſimile agenti vt quatuor, ceſſat finis actionis nouæ. Contra quos arguo: ergo non eſt opus recurrere ad eam ſtrictiorem vnionem. Probo conſequentiam; quia agens extenſum ageret in ſibi ſimile: v. g. ſint hic duæ partes extenſi ſubiecti, aut duo ſubiecta calida vt duo; applicentur eidem ſubiecto aptè ad agendum in illud: non efficient calidum vt tria: quia illa actio oritur ab vno agente adæquato, vel à duobus partialibus calidis vt duo; quæ inducto calore vt duo in ſubiectum, illud redderent ſibi perfectè ſimile: ergo ceſſaret finis ad nouam actionem; quia eſſet effecta perfecta ſimilitudine: ergo carentia illius vnionis parum intereſt huius inſtituti: quia eadem eſt ratio impediens actionem gradibus ſtrictius vnitis: qui nec ſic poſſunt agere in ſibi ſimile. Hæc autem ſecunda ratio magis eſt philoſophica, quàm quæ redditur §.120. §.121.

Quam ſic impugno: vnio exigitur ad duo; & vt per illam agens exiſtat in ſubiecto, & vt ſit ſatis applicata eius virtus ſubiecto, in quo eſt agendum: primum exigitur, vt virtus actiua agentis accidentarij exiſtat; ſecundum autem, quia virtus à ſe & à ſubiecto diſſita, parum poteſt, aut nihil: ſed hæc duo tã benè præſtantur vnione extenſiua quàm intenſiua. ergo. Minor probatur de applicatione (de exiſtentia enim res eſt aperta:) quia vt agant duo agentia, non eſt opus ipſorum penetratione: ergo illa vnio ſtrictior non eſt neceſſaria. Probo antecedens: tum quia duæ partes ignis cõcurrunt ad efficiendum ignem; hic enim non oritur ab vno ſolo, indiuiſibili ignis: tum quia duo agentia citius atq; celerius aliquid efficiunt quàm vnum ſolum: duæ enim partes ignis citius amburunt faciem quàm vnũ: ergo quod illa agentia non efficiant maiorem intenſionem, non oritur ex applicationis defectu, ſed aliunde: cum videamus ea eſſe ſatis applicata ad agendũ in idem ſubiectum. Manet ergo argumentum illud, integrum: ob quod nõnulli eius vnionis authores cenſuerunt qualitates actiuas intendi gradibus abſimilibus, ſecus verò non actiuas. §.122.

Expe-

§.123. Expendamus autem,quæ dicunt de repugnantia vt ſimile agat in ſimile; & cur agens vt duo non intendat paſſum vltra duos gradus. Cenſent finem agentium eſſe efficere ſubiecta ſibi ſimilia: & quia ſubiectum eſt ſimile agenti in ſpecie & gradu;non eſt cur vlterius agat: tum quia non implicat virtus actiua ſiſtens in ea ſimilitudine;tum quia de facto ita contingit. Multum diuinatur:dico enim repugnare eam virtutem; quia cum ſemel potuerit efficere vnum gradum,poterit & alium repetere: quo paſſum euadet inteſius.Experientiæ autem eſt reddenda ratio. Vtriuſque autem ego reddo:quia agēs non poteſt agere niſi extenſiuè,& intenſiuè:extenſiuè nequit in codē indiuiſibiliter ſubiecto, vt cōſtat;intenſiuè non poteſt niſi efficiat gradū ſe ipſo nobiliorem; quod etiam repugnat: ipſi autem eas rationes ſine ratione confingunt.

§.124. Adde; finem caloris exempli gratia, non ſolum eſſe ſibi reddere ſubiectū ſimile; ſed etiam diſponere ad ignem: ergo nō ceſſat finis actionis nouæ. Conſequentia ſatis eſt clara; quia ſtatuimus præcipuum finē actionum,quem maximè natura procurat: Antecedens liquet;quia finis alterationis vltimus atque præcipuus eſt ſubſtantia;hæc enim eſt accidentium finis: huc tendit ignis calefactione & exſiccatione ligni.

§.125. Adhæc: *agens conatur ſibi aſſimilare paſſum*, perinde eſt ac conatur in illo agere quod poteſt: nec enim ſemper effectus ſimilis euadit cauſæ, nec poteſt. item ſimilitudinem maiorem efficeret ſi nouos gradus induceret:quia ſinguli gradus fundant ſimilitudinem nouam, ſuntque fundamentum & terminus nouæ relationes.vnde agēs vt duo inſeret calorem vt octo;quia haberet octo ſimilitudines.

§.126. Aiūt paſſum fore diſſimile in multitudine graduum & intenſione. Contra; immo eſſet ſimilius agenti: quia qui plures habet cum alio ſimilitudines,cum alio eſt illi ſimilior,vt cōſtat ex terminis: ſed calidum vt octo habet cum calido vt duo plures rationes ſimilitudinis, ergo eſt ſimilius. minor liquet: quia octo gradus fundant octo ſimilitudines. Diſſimilitudo in numero & intenſione maximè intenditur à natura agentium; quia ea diſſimilitudine creſcit ſimilitudo in eſſentia: vt patet in extenſione: calidum enim extenſum vt quatuor, producit viginti gradus extenſiuos in manu: quæ diſſimilis eſt agenti in multitudine:quia verò inde multiplicatur ſimilitudo in eſſentia,ideo non officitur actioni.

§.127. Dicunt tandem eſſe primum principium *ſimile non agere in ſimile*: cuius ratio neſcitur: vt neſcitur ratio cur lux vt octo non producat aliam. Mala reſponſio: fugit enim euidentem rationem eius adagij quam reddidi §.23. & ignorantia ſe tegunt, exempli lucis rationem habemus experimentum: cuius non inuenimus aliam:niſi ex limitata actiuitatis ſphæra: huius autem nulla redditur ab his authoribus nec à ſigno, nec à priori. Quapropter ex iis nonnulli cenſuere non poſſe reſponderi huic argumento: & qualitates actiuas intendi gradibus abſimilibus; ſecus non actiuas.

SVBSECTIO III.

Argumenta cætera.

§.128. TAndem argumentor. Qui habet intenſiorem beatitudinē, perfectiùs videt Deum, ergo intenſio illius viſionis eſt diſſimilis gradui remiſſo. Probo conſequentiam:quia ſi eſſet ſimilis, non videretur Deus perfectiùs. Demus enim ſex beatos, ſingulos viſione vt tria. Demus alium viſione vt octodecim: hic perfectiùs videt Deum, quàm alij ſex, cum tamen illi tot habeant gradus viſionis quàm hic: ergo hic habet viſionem perfectiùs repræſentantem Deum,quàm alij ſex.

Dices in illo eſſe omnes viſiones, quæ in aliis, eáque propter illum perfectius videre Deum. Contra: ſi viſiones cæterorum eſſent in ſolo illo, non videret Deum perfectius,quàm illi ſex:ergo aliunde oritur melior viſio.Probo antecedens:quia omnes viſiones repræſentarent Deum eodem modo, quo cæteræ: nec ex vnitate ſubiecti acciperent diuerſum modum repræſentandi: eſſet quidem magis videns Deum, ſicut ſex beati ſunt magis, ſiue plures videntes vno: at illi ſex non viderent perfectiùs; quia modus videndi eſt idem. §.129.

Confirmatur. In oculo eſt vna, aut multiplex viſio obiecti è regione exiſtentis, & refracta ex ſpeculo: item in aëre ſunt plures ſpecies eiuſdem obiecti, alia reflexa,& alia directa: quæ ſunt eiuſnem ſpeciei: & tamen nec viſio eſt intenſior, aut melior:nec ſpecies ſic vnita eſt principium, vt melius aut intenſius videatur obiectum: ergo melior viſio, aut intenſior ſpecies impreſſa non pendet à multis partibus ſimilibus in eodem ſubiecto. Antecedens cernitur quotidie: conſequentiam probo:quia illæ ſpecies & viſiones repræſentant eamdem ſubſtantiam obiecti:licet enim appareat è diuerſis locis: vt cum recinit echo: at idem obiectum videtur: ſi ergo viſio eiuſdem obiecti eſt intenſior,& perfectior in vno ſubiecto,quàm eadem in pluribus: cur non videtur melius obiectum illud, & audiuntur voces directè & per echo quàm directè ſolum? Huc denique ſpectat duo indiuidua eiuſdem ſpeciei non poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto. §.130.

Dicit quidam (quod mihi contingit mirum) omnes gradus eſſe eiuſdem rationis, & tamen primum ex natura ſua ſupponi ad ſecundum. Rogatus verò cauſam, recurrit ad naturam, & indiuiduationem illorum graduum. Contra quem eamdem vim habet ſecundum argumentum,quia calidum vt vnum poteſt producere quoſlibet calores vt vnum, vel ſaltem in eadem parte ſubiecti diuerſis temporibus poteſt producere diuerſos calores. Ait etiam duos gradus ſimiles exiſtentes in diuerſis ſubiectis nō efficere intenſum vt duo, etiam ſi vniantur in eodem ſubiecto, quia neuter ſupponit alterum, & quia gradus intenſionis debent indiuiduari ex eodem ſubiecto, & non ex diuerſis. Verùm diſput. 10. Phyſic. ſect. 5. probaui indiuiduationem determinari à ſola cauſa prima & non ab hoc agente, & ab hac materia. Deinde admiſſa hac ſententia, cur gradus, & indiuiduatio *A*. ſupponitur ad gradū & indiuiduationem *B*. cum ſint omnino ſimiles? Et cur ex his duobus reſultat intenſio,magis quàm ex aliis duobus,cum ſint etiam ſimiles? Dices id prouenire ex natura eorum graduum; ſed vnde hoc colligis, cum illæ natura ſint eiuſdem rationis? Contra hunc ſunt omnia argumenta à §.99. §.131.

SVBSECTIO IV.

Nonnullæ difficultates.

CEnſent aliqui intenſionem maiorem fieri additione qualitatis minus perfectæ:idq;in omni ſententia: in mea quidem; quia octauus gradus maiorem intenſionem facit cum aliis ſeptem quàm ipſe ſolus. item indiuiſibile caloris cum alio facit §.132.

intenſionem, cum ipſum non ſit intenſum. vnde inferunt nõ eſſe neceſſariam additionem graduum perfectiorum. Bene: ergo nec eſt neceſſaria vnio eſſentialiter perfectior extenſiuis. Probo vt tu contra me de ipſa qualitate. Oſtendi §.80. & 81. octo gradus eſſe intenſiores quàm ſolum octauum: non quod cum illo faciant intẽſionem vt nouam; ſed quia tota perfectio & integritas caloris vt octo continetur in collectione omnium octo graduum: argumẽtum autem haberet vim, ſi cum ſeptem remiſſis gradus octauus faceret intenſionem vt nouem. Sumitur ergo intenſio ordine inuerſo, atque præpoſtero. Quod affertur de punctis, nõ eſt de re: quia in compoſitione continui ex punctis & partibus, puncta nec ſunt qualitas, nec eam formaliter intendunt, ſed terminant, atque perficiunt: & ſunt tam abſimilia quàm ipſæ qualitates. Si autem componatur qualitas ex ſolis punctis; non fit intenſio niſi per abſimilia puncta.

§.133. Quod dicunt qualitates non actiuas intendi abſq; diſſimilitudine, eſt falſum: tum quia non redditur diſcrimen; tum quia albedo intenſa eſt productiua ſpeciei intenſioris: in ſe etiam eſt perfectior: tandem quia è ſupernaturalibus habitus ſunt actiui; item & gratia. Hæc etiam intenſa terminat maiorem amorem Dei conferentem intenſius lumen. Denique, cum ſine ratione diſcriminis loquuntur, non ſunt arguendi niſi interrogatione diſcriminis.

SVBSECTIO V.

De compoſitione intenſionis.

§.134. PAter Vazquez 1.2. tom. 1. diſputatione 82. nu. 27. affirmat, dici ſine fundamento in compoſitione intenſiua reperiri puncta indiuiſibilia. Oppoſitam ſententiam veriorem cenſeo cum P. Suarez 2. Metaphyſicæ diſputatione 46. ſectione 4. num. 8. Probatur: quia actio intenſiua habet partes, & indiuiſibilia, vt ipſe Pater Vazques admittit, éſtque expreſſa ſententia Ariſtotelis: ergo etiam in ipſa qualitate ſunt partes, & indiuiſibilia: patet conſequentia, quia ponuntur indiuiſibilia in actione continua propter cõtinuationem & compoſitionem actionis: ſed etiam qualitas eſt continua in intenſione, ergo debet habere puncta continuatiua. Secundò, quia partes qualitatis verè vniuntur: alioquin non efficerent vnam qualitatem per ſe, ac proinde ſe haberent vt albedo & dulcedo in eodem ſubiecto, ergo habent aliquam vnionem: ſed illa vnio debet eſſe diſtincta ab ipſis, quia gradus remiſſus conſeruatur ſine tali vnione, & intenſus poteſt conſeruari de potentia abſoluta ſine illa, ergo diſtinguitur vnio ab ipſis. Conſequentia patet ex diſputatione 5. Phyſic. ſect. 1. Itaque illa vnio eſt indiuiſibilis afficiens immediatè duas partes proportionales, vt in ſimili dixi diſp. 15. Phyſic.

§.135. Confirmatur ad hominem: intenſio fit additione partis ſimilis: hæc eſt vnita immediatè cum alia parte, & non ſolum cum ſubiecto; ergo per aliquam vnionem ab vtraque diſtinctam. Nam ſi ſeparẽtur illæ qualitates, retinebunt intenſionem, quin vnionem ad ſubiectum: item conſeruari mutuo poſſunt, quin vniantur: ergo vnio inter illas tam diſtinguitur ab ipſis, quàm vnio illarum cum ſubiecto: quod ſi diſtinctio vnionis negatur; negetur vnio extenſiua qualitatis, & vnio ad ſubiectum; nam ſe ipſis vnientur. Ad hæc: Deus miraculoſè transferat calorem ignis in lignum remiſsè calidum: ille calor erit intenſior; ergo intenſio aliquid produxit: non qualitatem; ergo vnionem. Vt diſput. 2. oſtendi in augmentatione contra negantes vniones indiuiſibiles, qui non inuenere terminum augmentatione productum. Illam vnionem eſſe indiuiſibilem patet: quia eſt continuatio partis diuiſibilis cum alia. Nec propterea indiuiſibilia ſpeciei, aut cognitionis repræſentant indiuiſibilia obiecti: non enim ſunt niſi ad vniendas partes ſpeciei impreſſæ, & viſionis.

Dubitari poſſet; vtrùm qualitatis intenſio componatur ex indiuiſibilibus & partibus infinitis ſyncategorematicè? Reſpondeo primùm; qualitates materiales non aliter componi ac quantitatem: quia omnis intenſio eſt etiã extenſa; omnes enim partes ignis ſunt intenſæ vt octo; quarum calor eſt continuus per totũ ignem ſecundùm omnes gradus: indiuiſibilia autem aut eſſent in diuerſis locis ſimul; aut non facerent extenſionem. Secundò reſpondeo, gratiam & habitus infuſos ita componi: quia meritum continuum vnius horæ non poteſt intelligi abſque partibus proportionalibus. Idem autem iudicium eſt de cæteris. Compoſitio extenſiua repugnat rei ſpirituali; non verò intenſiua. §.136.

SECTIO VII.

De terminis qualitatis.

DE terminis intenſionis & extenſionis ſupereſt diſputatio, detur ne aliquis gradus ita perfectus, vel imperfectus, vt ex natura rei nullus perfectior, vel imperfectior eſſe poſſit? Ad quod aduerte, quatuor aſſignari ab authoribus terminos magnitudinis, aut paruitatis, quos proportione applica intenſioni & extenſioni. In magnitudine alius terminus eſt *intrinſecus*, alter *extrinſecus*, idem eſt in paruitate. Terminus poſitiuus & intrinſecus magnitudinis dicitur *maximum quod ſic*, id eſt, magnitudo, aut intenſio maxima, quam res poteſt habere, & non aliam maiorem. Vt homo poteſt excreſcere in ſex cubitos, & non vltra illos, & lux intendi vſque ad octo gradus, & non vltra: terminus extrinſecus magnitudinis eſt *minimum quod non*. Verbi gratia, homo non poteſt eſſe in quantitate vnius palmi, poteſt autem in qualibet maiori: ecce quomodo circumſcribatur hominis magnitudo, vt nec ſit tam exigua, quàm palmus, nec maior quàm ſex cubiti; at intra iſtos duos terminos poteſt eſſe. Ita *minimum quod non* intenſionis lucis, poteſt eſſe octaua pars primi gradus: quia in illa non poteſt conſeruari: poteſt autem in quauis maiori, & *maximum quod ſic*, id eſt, maxima intenſio, aut magnitudo, quam res poteſt habere, eſt vltima pars octaui gradus. Terminus extrinſecus paruitatis eſt *maximum quod non*, id eſt, ad quod non poteſt res excreſcere, poteſt tamẽ ad quamlibet minorem, vt Elephas non poteſt creſcere ad triginta cubitos, poteſt tamen creſcere ad quamlibet magnitudinem, quæ non impleat illos triginta cubitos, & calor non poteſt creſcere ad octo gradus, & medietatem noni, poteſt tamen attingere quamlibet intenſionem, quæ non accedat ad illam partem noni. §.137.

Dico primo. Qualitas habet terminos intenſionis. Probatur, tum experientia, quia videmus ſolem habere limitatam lucem, eámque eſſe maximam, quam ex natura rei poteſt habere, quia cum eius forma careat contrario reſiſtente, & à nullo poſſit impediri, neque dependeat niſi à ſolo Deo, §.138.

operatur

operatur tantam lucem, quantam poteſt. Videmus etiam ſoli nullum corpus luce conferri: eamdem experientiam teſtantur omnia elementa, atque mixta: tum etiam, quia qualitates ſunt perfectiones formarum, ſed formæ habent terminos perfectionis, ergo & qualitates intenſionis.

§.139. Dico ſecundò. Licet corpora creata, neque ea, quæ ex illis poſſunt oriri, non poſſint habere calorem, aut lucem intenſiorem ea quam habent ignis, aut ſol: poſſunt tamen à Deo creari alia corpora, quæ habeant intenſiores iſtas qualitates. Namque Deus creabit poſt vltimum Iudicij diem ſolem ſeptuplo lucidiorem noſtro, vt diximus diſput. 3. de cœlo. Sed hæc intenſio non eſt vocanda naturalis, ideſt, ex viribus totius naturæ creatæ, quamuis ſit à natura, ideſt, à forma ſubſtantiali, & hoc modo eſt naturalis.

§.140. Dico tertiò. Nulla datur pars adeo remiſſa, quin in illa poſſit aſſignari alia remiſſior. Patet ex compoſitione continui ex punctis, & partibus proportionalibus.

§.141. Dico quartò, qualitates, à quibus diſponentibus dependent formæ, habere determinatum gradum remiſſionis, ita vt in alio remiſſiori non poſſint tales formas conſeruare. Probatur; tum inductione, quia ignis non poteſt conſeruari cum calore admodum remiſſo, neque aqua ſine certo gradu frigiditatis: tum etiam, quia non poſſunt huiuſmodi formę introduci in ſubiectum affectum diſpoſitione remiſſa, vt ignis in lignum admodum humidum, & frigidum.

§.142. Dices qualitates habentes contrarium induci ſucceſſiuè, ergo nõ datur prima pars determinata: diſtinguo antecedens; inducuntur ſucceſſiuè in tota latitudine, concedo antecedens; ſecundum omnes partes, nego antecedens: quia ſicut non poſſunt operari niſi in gradu certo, ita nec eſſe, aut produci. Nam ob eam rationẽ formæ non poſſunt conſeruari, quia non habent principia operandi. Motus localis non poteſt incipere totus ſimul in parte determinata; quia ſucceſſiuè locum acquirit: at terminus alterationis eſt natura ſua permanens, poteſtque fieri ſecundum partem determinatam. Cum verò dicitur alteratio incipere per vltimum ſui non eſſe, intellige in ratione intenſionis, non verò in prima productione qualitatis. Ita etiam expellitur contraria ſecundum primam partem determinatam incompoſſibilem cum parte producta: vt in prima generatione expellitur forma è certa parte ſubiecti ſimul: at in augmentatione per morulas diſcretas.

§.143. Dico quinto. Qualitas propter ſui remiſſionem impotens conſeruare vnam formam, poteſt eſſe capax ad conſeruandam aliam. Probatur, quia ſicut omnes formę non ſunt perfectionis, ita neque ſibi vendicant eumdem gradum intenſionis: & calor, qui non poteſt conſeruare ignem, poteſt conſeruare aliquod mixtum cum aliis qualitatibus remiſſis.

§.144. Dico ſexto, qualitatem verſus extenſionem, tantùm poſſe protendi, quantum eius ſubiectum, vt calor tantum, quantum ignis: ſecus verò in paruitate; quia deuenietur ad tam exiguam vt nõ poſſit eſſe in minori, quia implicat naturaliter introduci qualitatem niſi in parte determinata, in quã poſſit forma introduci: alioquin poſſet in alia parte adeo intendi, vt vel forma eſſet in minori parte minimo, vel eſſet vltima diſpoſitio ſine forma: vel hæc introduceretur in ſubiectum non diſpoſitum ſecundum aliquam partem: quod cõtra Patres Conimbricenſes impugnaui diſp. 3. Nec eſt opus recurrere ad ſingulares prouidẽtias authoris naturæ, cum rationes ſuppetunt ad communiter prouidendum. Difficultates verò contra minima rerum inanimatarum communes ſunt minimis animatorum: nempe actio à proportione maioris inæqualitatis, & alia: de quibus egi pluribus in locis.

Dices, ergo calor inducitur totus in tota parte §.145.
rei animatæ ad quam diſponit. Nego conſequentiam; quia ille ex ſe non eſt determinatè diſpoſitio viuentis; ſed formæ, quæ ex ſe in minutilis partibus poteſt eſſe, cum autem incipiunt organa viuentium: incipiunt ſimul in tota parte. Ita calor in tota parte, quam vendicat ſibi ignis.

Hinc colliges, quantum eſt ex parte qualitatis, §.146.
non repugnare qualitatem intendi per partes proportionales, quantum eſt ex parte qualitatis ſecundum ſe conſideratæ. Dixi *ex parte qualitatis*, nam aliunde rectè poteſt qualitas tota ſimul produci, & intendi; nam ſol in eodem inſtanti, in quo ſimul productus fuit, ſubito ſe totum, & totum ſpatium, cui erat applicatus, illuminauit, luce intenſa vt octo, vel certè tanta luce, quantam corpora illi applicata capiunt, ſine vlla ſucceſſione intenſiua, aut extenſiua. Neque eſt cur Soncinas timeat infinitudinem in intenſione, ſi fiat continuè, tum quia eamdem habet difficultatem ſententia negans eam continuationem, ſi aliunde affirmet qualitatem intenſam componi ex partibus proportionalibus, vt tenetur fateri continuum non componi ex ſolis punctis. Nam ſicut quantitas non eſt infinita additione infinitarum partium proportionalium; quia determinatæ ſunt ſimpliciter finitæ, nec motus vnius horæ eſt ſimpliciter infinitus; quia fit per partes minores: ita neque qualitas; quia partes determinatæ intenſionis ſunt finitæ, infinitæ autem ſecundùm quid per partes proportionales minores. Idem inconueniens ſequi probatur, quia ſi qualitas intenſa continet infinitas partes proportionales, quid refert ſi illæ partes ſimul, aut ſucceſſiuè fiant, continuè, vel diſcretè? Tum etiam, quia ſicut ex partibus proportionalibus extenſiuis non reſultat linea infinita, ita neque intenſio infinita ex intenſiuis, quia proportio non ſumitur à minori ad maiorem partem, ſed è contra à maiori ad minorem. Porrò intenſionem fieri continuè ſucceſſiuè patet in augmento gratiæ, quod datur continuè dum actus continuè durat. Qui componunt continuum ex ſolis punctis admittunt morulas in intenſione ſicut in motu, & extenſione: quando verò non ſunt morulæ vt in augmento gratiæ; dicent omnes intenſiones fieri æquè velociter additis indiuiſibilibus qualitatis ſingulis temporis momentis: vt dicunt de motu.

DISPVTATIO VI.

De Elementis, eorúmque mixtione.

ARIST. 2. de Gen. egit de Elementis & mixtione. Quæ pars philoſophiæ plus habet oblectamenti, quàm commodi. Quæ ſunt diſputatu digna, vocabo in controuerſiam: ad cætera reiiciam lectorem ad P. Conim. in hunc ſecundum librum; ea elegantur, & acute diſquirentes; & ad doct. Petrum Garſiam Medicum illuſtrem nec ignobilem philoſophum iis de rebus doctè, & eruditè diſputantem in Fen. primam primi à diſputatione tertia: me enim vrgent grauio

grauiora: nec enim minutis tantum temporis impendendum.

SECTIO I.

Quid? & quot ſint Elementa?

§. 1. Elemẽtum accipi ſolet pro primis cuiuſque rei principiis, vt litteræ ſunt elementa orationis, & primæ demonſtrationes elementa facultatis. Itẽ ſolet accipi pro primis principiis generationis naturalis, materia prima, & forma ſubſtantiali. Tertio pro ſola materia prima. Quarto pro terra, aëre, aqua, & igne: de quibus diſputandum nunc. Ariſtoteles 5. Metaph. c. 3. text. 4. definiit, elementum *eſt id ex quo primum inſito, ac indiuiſibili ſpecie in aliam ſpeciem aliquid componitur:* ideſt elementum non cõponitur ex aliis ſpecie diſtinctis, ſed ipſum componit alia. Quæ definitio potius couenit materiæ, & formæ, & cuiuis parti phyſicæ dummodo ſit eſſentialis; nam ex ſolis integralibus non reſultat tertia ſpecies completa, quamuis partibus hetherogeneis ſuo modo accommodetur. Vulgo autem, & accommodatitiè aptatur quatuor vulgatis elementis. Dicuntur autem elementa venire prima in compoſitionem mixtorum, non quia ipſa prius non componantur ex materia & forma, ſed quia licet componantur ex elementis ſimplicibus, nempe materia & forma, ipſa tamen ſunt elementa compoſita, quæ primùm conueniunt in coagmentationem mixtorum; quæ ex illis accipiunt temperamenta. Itaque in ſuo genere ſunt prima: vt in ſimili dixi diſp. prima Phyſic.

§. 2. Idem Ariſtot. 3. de cœlo c. 3. text. 31. *Elementum eſt* (inquit) *in quod cætera corpora diuiduntur, in quibus ineſt, aut potentia, aut actu; ipſum autem eſt indiuiſibile in diuerſa, ſecundum ſpeciem.* Quæ definitio recidit in priorem, ſi expungas ly *cætera corpora*, quæ particula retraxit definitionem ad ſola quatuor vulgata elementa, materia enim aut forma non eſt corpus prædicamenti ſubſtantiæ, de quo loquitur Ariſtoteles. Vtrum autem elementum ſit actu in mixto, aut in potentia infra diſquiram. Materia autem eſt in compoſito potentia, forma verò actu: ideſt, illa eſt recipiendo, hæc actuando. Ad elementa verò transfertur, quia actu, vel virtute ſunt in mixtis.

§. 3. Nonnulli opinati ſunt elementa carere forma ſubſtantiali, tantúmque gaudere accidentibus. Cuius opinionis meminere P. Conim. hic c. 5. q. 1. art. 2. nullúmque eſt fundamentum præter Ariſtotelis loquendi modum, quo ſolet appellare elementorum formas calorem, ſiccitatem, &c. ſed conſuetum eſt philoſophis ſubſtantias accidentibus indicare: oſtendimus autem diſputatione. 2. phyſic. materiam primam non poſſe eſſe ſine forma ſubſtantiali. Secundò, elemẽta eſſent eiuſdem ſpeciei, & entia per accidens. Tertiò, accidentia ſunt conceptus ſecundarij à primariis orti, deſeruiunt enim, vel ad operationem, & ornatum: quis eſt ergo primarius conceptus elementorum? non materia prima ſola, quia hæc eſt indifferens ad omnes qualitates: nec eſſet cur haberet calorem potiùs, quàm frigus, niſi inſitum eſſet principium, à quo in particulari orirentur: ergo eſt in elementis alius primarius conceptus à quo oriantur qualitates: hunc ergo conceptum vocamus formam ſubſtantialem.

§. 4. Elementa eſſe numero quatuor, oſtẽdit Ariſtoteles 3. de cœlo, vbi ego diſp. 3. eorum memini. Hic numerus probatur: tum quia nullum eſt veſtigium alterius elemẽti: tum quia quatuor ſunt qualitates, quæ corporum interitum, & ortum moliuntur, vt radices primæ nempe calor, frigus, humor, ſiccitas. Corpora enim mixta ea ſunt natura, vt ſi qua ex his exuberet plurimum, aut plus debito minuatur: ſtatim pereant, vt paſſim cernimus & in viuentibus, & in ipſis lapidibus, qui nimio calore ſoluũtur in calcem, aut nimio humore contabeſcunt in aquam: igitur eæ qualitates exigunt aliquod corpus, cui inſideãt in gradu ſummo: ſed non poſſunt omnes eidem eſſe, alioquin contraria reperirentur in eodem ſubiecto, in gradu ſummo. Neque item poſſunt duæ eſſe in eodem, quia tam excellens operatio non congruit corpori ſimplici, neque poſſet conſeruari diſcors elementaris mũdi concordia. Si enim ignis eſſet in eodem gradu ſiccus & calidus, & aër humidus & frigidus, non poſſent ſe ſociare, cum per vtramque qualitatem pugnarent: ergo iſtę qualitates diuidendæ fuerunt in quatuor corpora. Secundò, id probat experientia in igne ſumme calido, aqua ſumme frigida, aëre ſumme humido, terra vero ſumme ſicca; de quo ſect. 4. recidit ſermo. Alia elementa ſpecie diſtincta à noſtratibus, quibus compacti eſſent cœli, commenti ſunt nonnulli: quia cœlum eſt ſolidum, quod eſt proprium terræ. Verum cœlum nõ eſt duritie terrea, orta ex frigore & ſiccitate, ſed nobiliori alia ſoliditate: de qua egi libris de cœlo.

SECTIO II.

Vtrum Elementa maneant formaliter in mixto?

Dixi ſect. 1. elementa in mixtis inueniri: nunc explicanda definitionis pars, qua aſſeruntur manere in mixti potentia, vel actu, ideſt, formaliter ſecundum ſingulorum formas, aut virtute ſecundum accidens. Item eſt explicanda mixtio, & quo pacto elementa coëant in mixtum? *Mixtio* primùm ſumitur pro variorum coaceruatione, confuse coëũtium. Sic dicitur vulgus miſceri, cum aliquò confusè confluit, & triticum miſcetur hordeo. Etiam ſumitur pro coniunctione variarum rerum, qua neutra ab altera ſeparari poteſt, vt vinũ miſcetur aquę. De mixtione in hoc ſenſu nulla oritur concertatio. Solet autem ſumi pro vnione diuerſarum rerum, è quibus tertium quoddam reſultat, quod genus mixtionis optimè deprehenditur quotidie, eſtque maximè vtile rerum vniuerſalitati. Nam ex congreſſu plurium elementorum mutuo depugnantium oriuntur diuerſa qualitatum temperamẽta, apta ad mixtorum formas, vt in animalis ſtomacho, ex cibi, potus, & ipſius animalis virtute diſponitur materia ad animam excipiendã: & ex aqua & terra ad plantam: hoc autẽ contingit quando nullum elementum euincit aliud, nam ſi vincit omnino, non fit mixtũ, ſed ignis, verbi gratia, aut aër, quia tunc perfectè gignit ſibi ſimile. §. 5.

Ariſtoteles primò de generatione c. 10. *Mixtio* (inquit) *eſt mixtilium alteratorum vnio.* Quam definitionem tuentur P. Conim. ibi, quæſt. 2. art. 2. quam fatentur eſſe ſubobſcuram. Li *vnio* capitur pro generatione tertij corporis reſultantis ex mixtilibus alteratis, quæ dicuntur vniri in mixto. Nam cum omnia mixtilia pugnauerint, & ſint imminutæ eorum vires, & defatigatæ, poſitis armis coëunt, & vniũtur in tertio. *Vnio* igitur eſt generatio, non quia ſit formalis vniẽdi ratio, ſed radicalis, quia generatio cum tẽdat ad vnionem, eſt radix illius. Poſſet autem ſic definiri. *Mixtio eſt generatio* §. 6.

corporis

corporis ex aliis contrarijs reſultantis. Ly, *generatio corporis*, eſt genus ad omnium corporum generationem; ly, *ex aliis, &c.* ſolum conuenit mixtis: cum elementa non reſultent ex aliis, quia licet vnum fiat ex alio, non tamen reſultat, quia non petit in ſe aliud habere.

§. 7. Controuerſia eſt, vtrùm Elementa (quæ ſunt mixtilia) maneāt formaliter in mixtis? An verò virtute tantum? Multi præſertim è Medica Schola defendunt elementa formaliter in mixto manere, tanto ſtomacho, vt noſtrum Collegium Conimbricenſe, non immemor ſui inſtituti, & Chriſtiana pietate motum eis conſulat, vt rhubarbaro coleram purgent ſupra quæſt. 3. art. 2. Huius ſententiæ primum fundamentum eſt definitio mixtionis: *eſt enim mixtio mixtilium alteratorum vnio:* ergo mixta formaliter ſunt omnia mixtilia alterata vnita. *Vnio* enim pro arbitratu explicatur per generationem. Nam mixtilia alterantur præcisè, non corrumpuntur: & ſic alterata vniuntur. Leue fundamentum: nec enim negari poteſt noua generatio mixti. Ceteroquin omnia mixta eſſent eiuſdem ſpeciei, tantúmque differrent per accidentia: at in generationis termino, (quod eſt mixtum,) reperiuntur vnita mixtilia alterata: ſed in illo, vt de nouo generato non vniuntur formaliter ſecundum ſuas formas: nam forma mixti non eſt idem formaliter cum formis quatuor elementorum; quia omnia mixta differunt ſpecie; ergo in illa noua forma, vt noua, non ſunt formaliter mixta, & in illa ſunt vnita; ergo eſſe vnita mixtilia non eſt formaliter eſſe. Sed illa alterata ad corruptionē, vniuntur in mixto; non formaliter; ſed quia in illo manent aliqua illorum accidentia. Porro eam vnionē non eſſe ſubſtantialem inter elementa eſt certum; nulla enim forma ſubſtantialis vnitur aliis diuerſarum ſpecierum, nec continuatiuè, nec eſſentialiter: maximè hæ mutuis, ac perpetuis odiis iurgantes. Quando verò Ariſtoteles dixit elementa manere actu, vel potentia, abſtraxit ab hac opinione, & illa: alibi autem ſatis ſe explanat. Vel certè cum illa prima definitionis parte voluit elementa cum materia & forma conuenire, & per alias differre.

§. 8. Secundum fundamentum, quia in mixtis repeꝛiuntur elementorum proprietates, ergo & formæ, quas numquam deſerunt proprietates. Reſpondetur, in mixtis reperiri qualitates eiuſdem ſpeciei cum elementaribus, non tamen in eo gradu, quem vendicant formæ elementares. Vnde retorque argumentum: in ſanguine v. g. non reperitur tanta vis caloris, quantam requirit forma ignis, ergo ſanguis non habet formaliter ignem. Et quidem in rebus ſpecie diuerſis reperiuntur accidentia ſimilia, vt in homine, & leone calor, & color.

§. 9. Secundo, quia in congreſſu elementorum, aut vincit frigidum, aut vincitur, aut neutrum: ſi vincit frigidum, illud manet, & non calidum, ſi vincitur, manet calidum, & non frigidum; ſi verò nec vincit nec vincitur, manent tam calidum quam frigidum, quia neutrum corrumpitur, ergo. Reſpondeo, omnia vinci, & nullum vincere, quia reactione omnium vires ita infringuntur, vt corruptis elementorum formis, mixti forma introducatur, non virtute elemētorum, ſed vel influxu aſtrorum, vel cauſæ vniuerſalis, vel aliarum particulariū operantium per facultates nobiliores, vt animantia operantur per potentias altrices, & generatrices: ex qua elemētorum corruptione reſultat mixtum, habens quidem vnam ſimplicem formam, in quo tam ſimplex eſt homo, quam ignis; vocatur autem homo *mixtum*, quia exigit tēperiem quatuor primarum qualitatum, relictam ex congreſſu elementorum, elementa verò *ſimplicia* dicuntur: quia non exigunt: ſed ſunt exoſa talem temperiem, quippe quæ eorum perniciem moliatur, ob quod corpus diuiditur in *ſimplex, & mixtum.*

Tertio arguunt, quia ſi elementa ea dumtaxat ratione continentur in mixtis, quia hæc habent illorum qualitates, ſimiliter vnum elementum continetur in alio, vt ignis in terra propter ſiccitatem, quod eſt abſurdum. Reſpondeo, nullum elementū ſibi vendicare omnes primas qualitates. Deinde reſpondetur nullum elementum ab alio mutuari ſuas qualites: mixta vero eas habere ex congreſſu elementorum: item vt ſit mixtum, debet carere forma elementari, & ſibi vendicare tertiam, reſultantem ex temperie elementorum. In hoc multum pugnatur de nomine. §. 10.

Quarto omnia corpora reſoluuntur in elementa, ergo componuntur ex elementis. Reſpondeo primum; non omnia corpora immediatè ſolui in elementa, ſed hominem in cadauer. Quando verò fit immediata ſolutio in elementum, non ideo fit; quia illud formaliter ineſſet mixto, ſed quia inductæ fuere diſpoſitiones elementares, quas elementaris forma conſequitur. Ariſtoteles verò quando dicit elementa contineri in mixtis, de virtuali continentia ſe vult eſſe intelligendum. §. 11.

Confirmant aliqui: quia in coniunctione ligni, aliquæ partes abeunt in aërem: aliquæ in aquam: aliæ in terram, vt cineres, aliæ in flammas: ergo in ligno ea omnia elemēta erant formaliter. Reſpondeo, aquam non ſemper effluere è ligno incipiente comburi, ſed tantum è viridi, aut humectato. Si enim lignis ſiccis ignem ſubiicias: protinus corripiuntur flammis ſine vapore, ſine ſucco, ſine fumo: vt patet in carbonibus: qui bene cocti nec veſtigium fumi habent: ſed toti in cineres abeunt. At verò ligna viridia plurimum aquæ diffundunt, quam ſuxerant per poros atque radices: vel quia humida alimenta in illis erant. Signum eſt ergo eos aqueos vapores eſſe incluſos intra poros ligni: non verò eſſe illius partes: & vt lignum eſt illis argumento, cur carbo non eſt ad oppoſitam ſententiam? Itaque, cum ignis potitur toto ligno, illud ſoluit in cineres, quia ſuxit eius humorem: at fumea materia non fuit ſatis cocta, vt ex Galeno dixi diſput. 1. ſectione vltima. Cum autem cinis, & fumus ſint etiam mixta imperfecta, & non elementa pura: rogo quæ aqua contineatur in cinere? & quidem ſine vlla corruptione ligni exhalantur ex illo vapores humidi, quos conceperat intra poros: inde ergo leue ſumitur argumentum. §. 12.

Igitur in homine, verbi gratia, non reperitur præter animam rationalem. Vide diſputationē 4. phyſ. ſectione 3. & omiſſis ibidem diſputatis, Probatur primùm, quia medici mouentur propter primas qualitates in homine repertas, ſed hæ poſſunt prouenire à ſola anima: ergo. Probatur minor, quia quæuis forma habet ſua accidentia: ſed accidentia eiuſdem ſpeciei poſſunt à diuerſis formis oriri, vt calor vitalis ab humana, & leonina forma. Confirmatur, idē effectus efficitur à diuerſis agentibus, vt ignis, lux, & calor, à ſole, Deo, & igne, ergo & eadem accidentia à formis diuerſis. §. 13.

Secundo probatur: quia in eadem indiuiſibiliter parte materię non ſunt quatuor elementa ſimul cum forma mixti: nam mixtum non eſt vnum per accidens: nec item eſt vna forma elemēti cum forma mixti in vna parte, & cum alia in alia: tum ob eamdem rationem: tum etiam, quia illa pars materiæ cum forma mixti, & vnius elementi forma, §. 14.

efficis

efficit mixtum: nam compoſitum ex forma vnius elementi & forma geniti, non eſt ſimplex & elementare corpus: ergo eſt mixtum: ergo habet vnionem alteratorum mixtilium: ergo habet plus quàm vnum mixtile: mixtile autem eſt elementum: ergo habet plus quàm vnum elementum: hoc autem eſſe non poteſt: ergo mixtum non componitur ex diuerſis elementis.

§. 15. Dices, in alia parte eſſe aliam formam elementi cum eadem forma mixti. Contra, licet in viuentibus id poſſit ferri: at in homogeneis, eſt omnino falſum: ſunt enim homogenea, quæ habent partes eiuſdem rationis. Pone ergo lapidi vnam partem igneã, aliam aqueam: anne illæ partes erunt homogeneæ? & non potius heterogeneæ? ridiculum eſt vnam partem eſſe ignẽ, aliam aquam. Separet Deus ſingulas illa partes, ita ſeparatæ, ſunt ſimplices? an mixtæ? Non primum, quia non ſunt plura elementa. Non ſecundum, quia non ſunt vnita mixtilia. Quid ergo erunt? & quod tu dixeris de illis partibus, dico ego de toto compoſito ex illis partibus, nempe igneis cum forma mixti: cæteras verò partes heterogeneas dico non pertinere ad eſſentiam lapidis: quia totus hic eſt homogeneus.

§. 16. Supereſt ergo, vt quæuis pars compingatur ex forma mixti & aliquibus mixtilibus alteratis: at hoc repugnat: tum quia materia non capit tam multas formas: tum quia euidenter patet elementorum formas eſſe mutuo contrarias: ignis & aqua exigunt diſpoſitiones omnino incõpoſſibiles: nam aqua non poteſt conſeruari ſine multo frigore, & humore: ignis ſine multo calore & ſiccitate: ſed multus calor non poteſt cõponi cum multo frigore, nec multa ſiccitas cum humiditate multa: ergo elementa non poſſunt componi ſecundum formas in eadem parte materiæ. Confirmatur: quæuis forma elemẽti habet certas diſpoſitiones, ſine quibus eſſe non poteſt: hæ diſpoſitiones pugnant cum illis ſine quibus non conſiſtit aliud elementum: alioquin cum pugnant ignis & aqua, in eadem parte eſſent vtriuſque formæ, quin mixtum reſultet: quia per te materia eſt capax vtriuſque formæ ſimul: & per te diſpoſitiones vnius non pugnant cum diſpoſitionibus alterius: ergo erunt ſimul. Equidem pudet tam ſtulta multis inſequi.

§. 17. Dices, in eadem parte materiæ non eſſe niſi formam mixti, in alia illi proxima formam ignis, in alia aquam &c. Dicuntur autem manere in mixto; quia ſine illis mixtum non conſeruatur. Opinor, hic vnus modus, & vna ratio eſt huius ſententiæ ſine ſpecie dementiæ defendendæ: ſic enim non pugnat tam aperte cum lumine rationis. Impugnatur tamen primo, quia iam elementa non manent formaliter in mixto: nam mixtum eſſentialiter nihil eſt præter materiam & ſuam formam vnitas mutuo: cætera verò, quæ illis adſunt, & quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, non ſunt de eius eſſentia, ſed extra illam; vt aër, quem ſpiramus & reſpiramus, licet admodum neceſſarius: item & alimentũ ante coctionem exactam. Secũdò, quia ſunt diſpoſitiones ineptæ conſeruandis illis formis. Lapis enim ſiccior eſt, quàm patitur forma aquæ, & aëris; frigidior autem, quàm patitur ignis. Item vnum elementum obrueret aliud. Humiditas enim ſanguinis vicinum ignem extingueret: item ignis carnes ſolueret in cineres: & per nares effluens illas amburerct, non ſecus ac riuulus igneus: nec enim conſeruari poteſt cum tam remiſſo calore, qui non vreret teneras hominis partes. Vtrum autem in qualibet parte ſint temperamenta reſpondentia diuerſis elementis, etiam ſi partes ſint homogeneæ? Medicos pulſat ad quæſtionem, non me; qui in præſenti tantum volo non manere formaliter elementa in mixto. Quod perſpicue docet Ariſtot. 3. de cœlo capit. 3. & cum illo Philoſophi omnes; & medici acutiores, vt Valleſius primo controuerſiarum cap. 1. Petrus Garſia diſpu. 7. cap. 3. oppoſitam cenſet improbabilem: doletque vicem aliquorum medicorum pro ſe aſſerentium Galenum & alios, nec aſſerentium expoſitiones aliquorum: quo videtur obiurgare Peramatum lib. de elementis cap. 9. & 10.

SECTIO III.

Vtrum & quid ſint quatuor primæ qualitates?

PRimas qualitates vocamus, *quæ per ſe primo inſunt corporibus ſublunaribus: ſuntque radices cæterarum qualitatum materialium.* Et quidem probatum eſt quatuor eſſe corpora, quæ ſunt prima generationis principia, quia ex mutuo eorum congreſſu reſultant mixta, ergo hæc efficiunt per aliqua actiua principia. Non enim alio modo probamus quatuor eſſe elementa, quam ex actione harum qualitatum. Siccitas enim, humor, frigus, & calor, ſicut in gradu temperato corpora compingunt, ita alicuius exuberantia diſſoluunt, & ſicut elemẽta ſunt prima corpora, è quibus mixta coaleſcunt, ita qualitates elementorum ſunt primæ: quia ſicut ex corporibus alteratis mixta fiunt, ita ex qualitatibus alterantibus oriuntur qualitates mixtorum, vt calor, odor, &c. Quas propterea *ſecundas* vocamus; quia ſupponunt primas: nec verò intelligas ſecundas qualitates, odorem, ſaporem, & pulchritudinem efficienter prodire à primis, ſed ſicut ex pugna elementorum cauſæ principaliores producunt mixta, vt dixi ſec. 2. ita ipſa mixta affecta primis qualitatibus ſecundas producunt, itaque primæ ſunt velut diſpoſitiones ad ſecundas. §. 18.

Neq; obeſt, calorem, & cæteras affectiones oriri à luce, quia hæc non eſt qualitas propria corporum inferiorum, conferimus enim (vt ex progreſſu patet) qualitates mixtorum cum elementaribus; & inquirimus vtræ ſint vtrarum radices? Deinde: licet eæ qualitates oriantur à luce, oriuntur etiam per ſe immediatè ab elementis, quod ſufficit: neq; item volo omnes qualitates corporum inferiorum oriri neceſſariò à primis: magnetis enim virtus attractiua ferri, non videtur oriri à primis, ſed ab influxu vrſæ minoris, vulgo *el norte*, quamuis poteſt dici multum iuuare primas qualitates, vt magnes probè afficiatur ad eam virtutem excipiendam. §. 19.

Hinc collige contra Iauellum, quem impugnaui diſput. 9. Phyſ. ſect. 3. non ineſſe elementis occultas qualitates, quibus reducantur ad natiuum frigus vel calorem, (quas poſſumus vocare calorem virtualem,) nam illæ qualitates occultæ eſſent primæ, non verò calor, frigus, &c. §. 20.

Quod verò ex varia qualitatum primarum temperie aliæ qualitates oriantur, patet, quia colores variantur ex ignis, aut ſolis ardore. Qui cum pallore accedit ad ignem, cum rubore diſcedit: atramentum ad ſolem nigreſcit, albeſcit cera, quæ liqueſit calore ſolis, eodem calore dureſcente luto: ex calore, & humiditate enaſcuntur odores; res frigidæ diuersè ſapiunt, ac calidæ: viri humidi facile laſſeſcunt, vigent calidi: ſicci, & calidi ſunt robuſti, quia ſiccitate reſiſtunt, calore agunt: humidi autem & frigidi, ita ſunt deſides, & phlegmatici, vt in rheugmata conglacientur. Quid te morer? Dies me deficiet,

deficiet, priuſquam exépla ad huius veritatis conteſtationem. Vide P. Conim. hoc lib. 2. cap. 3. q. 2.

§. 21. Iidem ibidem q. 5. afferunt definitiones Ariſt. in primas qualitates, *calor* (inquit) *eſt, quod ea congregat, quæ ſunt eiuſdem generis*. Certæ nihil eſt difficilius definitione eorum, quæ ſenſibus ſunt familiaria, quia de eis nullam aliam cognitionem habemus prioré; vnde neceſſe eſt primas qualitates (quę maximè ſunt ſenſiles) in ordine ad aliquam actionem definire, ſic Ariſtot. calorem definiit in ordine ad congreganda metalla eiuſdem generis: nam de his loquitur Ariſtoteles: ſumiturque ratio, quia calor ſoluit corpora ea rarefaciendo, quod contingit eadem corpora extenuando, quo fit vt metallis liqueſcentibus, grauius deſcendat inferius, leuius autem ſupra aſcendat, vniantur que partes eiuſdem ſpeciei propter congenitam inclinationé cuiuſque rei ad ſui conſeruationem, quæ ex plurium partium vnione dependet. Et quidem Ariſtot. loquitur de congregatione rerum, cuiuſque forma retenta, alioquin eſſet vitioſa definitio, nam in generatione mixtorum, calor vnit diuerſa genera, ſed depoſita ſingulorum forma, inducendo formam mixti, quod conuenit cuiuis primæ qualitati: at verò nulla congregat res generum eorumdem retenta cuiuſque forma præter calorem.

§. 22. Dices, calorem etiam congregare ea quæ ſunt diuerſi generis, vt ſi aqua gelida, & vinum gelidum applicentur igni in eodem vaſe, miſcentur, & cum lac coagmentatur in caſeum in illo includuntur paleæ. Reſpondetur id oriri ex aliquo impedimento, non per ſe ex virtute caloris, nam ex rarefactione ſequitur per ſe continuatio partium: per accidens autem aliquãdo non ſequitur, vt in vino & aqua: cera, & pice, quæ, quia fluida ſunt, facile permiſcentur, & côciduntur in tam minutas partes, vt non ſe poſſint explicare: metalla verò è contra quęcumque effringunt vincula, & coëunt in vnionem: item aliquãdo calor diſgregat res generis eiuſdem, ſed etiam per accidens corrumpendo cuiuſque temperaturam, vt vas cum rumpitur calore nimio, quem ferre non poteſt, quod ſi poſſet liquari vas, omnes eius partes euaderent continuæ.

§. 23. *Frigidum eſt, quod congregat ea, quæ ſunt diuerſi generis*, vt patet cum aqua glaciatur, quæ ſecum trahit ſtupam, terram, paleas, ligna. Huius ratio à priori eſt, quia frigus conſumit humorem, & res, quæ erant attiguæ per humorem ſe quaſi peruadunt: cum verò exhalatur humiditas, eædem res manent conſtipatæ, atque compreſſæ, nec facile auelluntur, vt cum quis tunicam applicat corpori recenti ſanguine imbuto, poſtea non poteſt ſine vehementi dolore eam detrahere, niſi eam humectando: ſic cum frigus congelat aquam ſuperficiem exſiccando, aqua ſecũm trahit corpora, quibus erat agglutinata. Dices etiam calorem id præſtare. Côtra, quia calor id præſtat in aliquo gradu, ſicut in aliquo gradu diſgregat ea, quæ ſunt eiuſdem generis, vt vitrum; at vero calor per ſe nô præſtat illũ effectũ, niſi diſponendo ad combuſtionem, vel procurando congregare res eiuſdem generis eas rarefaciendo: vnde ſi tunica illa nimium incaleſcat, ſtatim proſiliet: at quo plus frigeſcit plus adhæreſcit: calor enim dilatando, corpora ſoluit; frigus autẽ conſtringendo, corpora conſtipat. Item quando aqua glaciat, ſic adhæreſcit veſtibus, vt non poſſit ab illis ſeparari niſi liquata: ita ſtupæ manent intra cryſtallos, vt ego vidi Valliſoleti in blibiotheca excellentiſſimi Principis Ioãnis de Velaſco, Comitis Stabilis Caſtellæ. Dices, frigus diſgregare, ea quæ ſunt generis eiuſdem: vt cũ ſaxa diſſoluit. Reſpondeo, id eſſe per accidens diſſoluendo téperaturam humoris, quo ſaxum coagmẽtatur, trahit enim frigus ſaxeas partes, & dum reſiſtunt remotiores, & humor exſiccatur, diuiditur ſaxum, item cum vas frangitur, fit etiam per accidens, ne detur vacuum.

Humidum eſt, quod ſuo termino difficile continetur, alieno verò facile. Aër enim, cum ſit fluidus, ſe totũ diffundit, & facile coërcetur. Item & aqua, huius ratio eſt, quia humiditas eſt parũ actiua, quapropter non conuertit in ſe tam facile corpora, quæ illi obiiciuntur, & cum ſubſtantias liquidas efficiat, facile illæ laxantur, nec conſiſtunt, ſed ſe ſe protinus diffundunt. Dices, aërem, & aquam aliquando difficile alieno termino côtineri, vt in fluminibus, & ventis. Reſpondeo, id eſſe per accidens propter impetum, quo venti cientur, qui impetus non eſt aëri naturalis: per ſe autem aër, & aqua facile coërcentur, vt in tenui, exiguoque vaſe: flumina autem facile manſueſcunt, tumentes deprimentia fluctus. Quando vero impediuntur ne tendant in centrum, tunc ira quaſi ardentia repagula quæq; confringunt, non propter humiditatem, ſed propter grauitatem, qua rapiuntur in centrum. §. 24.

Siccum eſt quod facile proprijs continetur terminis, alienis verò difficile, vt terra, quæ non ſe diffundit; ratio eſt, quia ſiccitas partes côprimit, eaſque coniungit, nec ſinit effluere, ſicut humiditas: vnde non egent extrinſeco termino, quo detineãtur. Si quando verò facilè fluit ſiccum, & facilè continetur, vt arenulæ, ideſt per accidens, propter materiæ exiguitatem: nec tam illud eſt fluere, quàm labi è manibus. Nunquã enim arena ſic diffunditur, vt aqua: licet facilè labatur: quia non tenetur propter materiæ exiguitatem, & rotunditatem figuræ. Dices, lapides terminis facilè alienis contineri, vt ſi papyro obuoluantur. Contra, quia lapis tunc non continetur propter papyrum, ſed quia ſe cohibet propria ſiccitate: ſi verò lapis ab alio moueretur, facilè rumperet papyrũ: quo ſicca differunt ab humidis, quia hæc conantur diffluere, eiſque facilè reſiſtit quoduis corpus: ſicca verò non conantur effluere. Dices, ignem eſſe ſiccum, & difficilè ſe cohibere. Reſpôdeo, ignem facilè cohibitum iri, niſi impediretur voracitate caloris, obuia quæque depaſcentis, ſeque in materiam vicinam porrigentis; itaque moderatio ſiccitatis vincitur auiditate caloris in igne regnantis, depopulantiſque omnia: ſi verò ſiccitas igni dominaretur, illum cohiberet. Hæc pro Ariſtotele propugnando. §. 25.

SECTIO IV.

Qualitatum per ſingula Elementa partitio.

CVIuis Elemento ineſſe qualitatem vnam in ſummo eſt clarum, tum experientia: tum quia illæ qualitates alicui corpori inſũt. *Qualitas in ſummo* vocatur ea, quæ eſt in maximo gradu intenſionis, quem poteſt ex natura rei habere: *qualitas prope ſumma* vocatur ea, quæ eſt in gradu quidem excellenti; ſed non tam intenſo, quàm reperitur in alio corpore. Igitur ignem eſſe calidum in ſummo eſt ſenſu notum, quia nullum aliud corpus ſublunare eſt tam calidum, neque tam actuoſum: terram autem habere ſummam ſiccitatem eſt etiam apertum, tũ quia vt dixi diſp. 3. de cœlo, in ſcriptura vocatur *arida* per Antonomaſiam, tum quia aqua deficiente, in rimas abit puluereq; diſſoluitur. De humiditate, & frigore in ſummo poteſt eſſe controuerſia: vtrũ aëri conueniant? An aquę? Ego exiſtimo cum §. 26.

cum Ariſto. & communi Philoſophorum, quos referunt, & ſequuntur P.Conimb.cap.3. quæſt.4. art.1.aërem ſibi vendicare ſummam humiditatem: aquam verò frigiditatem ſummam: primò: quia ignis, & aër ſunt Elementa ſymbola, & diſſymbola; id eſt, conueniunt in vna qualitate, & ſibi aduerſantur in alia; alioquin non eſſet inter illa concors diſcordia, neque efficerent mundi concentum: ſed ignis habet duas qualitates, inter quas ſit illa concordia, & diſcordia; calorem ſcilicet, & ſiccitatem: ergo aër habet alias duas, quibus conueniat, & differat cum igne: at non conuenit per ſiccitatem, quia hæc non conuenit aëri, ſed terræ, & igni, ergo conuenit per calorem, ergo aër eſt calidus, ergo pugna aëris & ignis non eſt in calore, ergo eſt in ſiccitate: ſed ſiccitati opponitur ſola humiditas; quia frigus & calor compoſſibiles ſunt cum ſiccitate, vt patet in terra, & igne: ergo aër bellum gerit cum igne per humiditatem; ergo aër habet calorem, & humiditatem: ergo alteram qualitatem in ſummo, alteram prope ſummum: ſed non habet calorem in ſummo, quia hunc ſortitur ignis, ergo habet humorem in ſummo.

§.27. Immo, quamuis habeat calorem in ſummo, habebit etiam humiditatem in ſummo: nam qui aëri adſcribunt calorem ſummum, eſt, quia cenſent ſingula elementa habere binas qualitates ſummas: vt ignis habet calorem, & ſiccitatem: quia tres qualitates negant elemento vni; & ex iis duabus aiunt alteram eſſe illis magis inſitam & priorem: & igni prior & potior eſt calor, quàm ſiccitas. Cum ergo aër habeat humiditatem inſitam; illa erit ſumma, & potior, & connaturalior; quia calorem vendicat ignis: ergo ſicut ignis pollet calore; ita aër humiditate; quia altera illarum qualitatum pollet, quæ non ſit ignea: hæc autem ſola eſt humiditas. Aërem eſſe calidum nemo inficiatur; nec item humidum: videant ergo vtram qualitatem vigentem illi adſcribant?

§.28. Confirmatur. Ea elementa acrius pugnant inter ſe, & ſe citius interimunt, quæ per vtramque qualitatem opponuntur, quia ſe oppugnant per vtramque: ſed ignis nulli elemento ita aduerſatur vt aquæ; & igni hæc exitiale indicit bellum, quem facile reſtinguit; ergo aqua habet duas qualitates, contrarias qualitatibus ignis: ergo habet frigus & humorem; ſed frigus habet in ſummo, quia hoc non reperitur in igne, neque in aëre, ergo aqua habet frigus in ſummo, ergo non habet humiditatem in ſummo, quia eſt incapax duarum qualitatum in ſummo, vel ſi habet vtramque ſummam; alterutra tantum vigebit; vt de igne dixi: ergo frigiditas erit illi potior, ſicut calor igni: at humiditas potior eſt aëri: ergo non eſt potior aquæ. Quia vna qualitas non eſt potior duobus: quia ſingula ſingulis pollent: ergo frigus ſpectat ad aquam vt potior qualitas. Itaque ignis & aqua, aër & terra ſunt extremè oppoſita, quod ſi non facile ſe interimunt aër & terra, eſt propter vehementem reſiſtentiam vnius, & exiguam alterius actiuitatem.

§.29. Secundò probatur, quia proprius effectus humiditatis eſt ſubiectum redderre fluidum, & liquidum: res enim humidæ ita prolabuntur è manibus, vt vix poſſimus eas tenere, vt anguillas, ſed aër eſt magis fluidus, quàm aqua, cum vndequaque labatur, & commeet vel tenuiſſimos poros, ergo aër eſt humidior aqua. Item humidum facilè continetur alieno termino, ſuo verò difficile, at id potius conuenit aëri, quàm aquæ: ergo aqua non eſt tam humida quàm aër. Dices humore corpora pingueſcere, quapropter Belgium, & Germania homines edunt proceriores & craſſiores, quam Hiſpania; ſed aqua eſt craſſior aëre: ergo & humidior. Reſpondeo corpora mixta humore pingueſcere; quia præbet faciliorem materiam ad corporum coagmentationem, idque præcipuè conuenire propter aëreos ſpiritus, qui terreis admiſcentur: aqua verò eſt craſſior, quia cum ſit frigidior aëre, eſt denſior; nec iuuat ſola humiditas; nam aqua flaccida eſt & generat homines inertes, impatientes laborum, maxime ſitis, & famis: Hiſpani autem, teſte Salluſtio, ſunt inediæ patientiſſimi: oportet ergo humiditatem eſſe aëream, & pinguem, vt olei, & mellis.

§. 30. Item aquam eſſe ſummè frigidam probatur, quia frigus exigit corpus denſum: eſt enim principium condenſationis: ſed aqua eſt denſior aëre; ergo & frigidior. Dices, terram eſſe denſiorem aqua; id nego ſi intelligatur de terra pura, quæ ſolueretur in minutiſſimos pulueres, quæque in ſuo natiuo ſtatu eſt denſior igne, & aëre propter frigus quod habet, ſed rarior quàm aqua: nunc autem eſt craſſior, propter mixtionem tum ipſius aquæ, tum rerum aliarum. Itaque ſingula elementa pollent vna qualitate qua non pollent alia. Clarè autem patet calore ſolum ignem pollere: ſiccitate ſolam terram: ergo terra non pollet frigore, quia duplici qualitate polleret contra naturam aliorum elementorum: ergo aqua pollet frigore: quia eo non pollent aër, aut ignis: ergo non pollet humiditate, quia duplici polleret: ergo humiditate pollet aër, quia nullum reſtat aliud. Igitur ignis eſt ſumme calidus & ſiccus prope ſummè: aër verò humidus ſummè & calidus prope ſummè: aqua frigida ſummè & humida prope ſummè: terra autem ſicca ſummè & frigida prope ſummè.

§. 31. Sed ſe ſe opponunt S Thom. Galenus, & alij apud P.Con. ſupr. Primò, quia aqua plus humectat, quàm aër, qui exſiccat humorem aquæ: ergo aër non eſt tam humidus, quàm aqua. Nulla eſt hæc conſequentia, nam maior humectatio prouenit non ex maiori humiditate, ſed ex maiori denſitate ſubiecti: nam ferrum candens, in quo non ſit ignis, acrius vrit, quam ignis in ſtupa: *ergo ferrum habet plus caloris quàm ignis:* ſicut hæc conſequentia non valet ita neque illa: aër autem exſiccat humorem non immediatè, & formaliter: ſed abigendo vapores aqueos, & quo vehementius flat aër, eo citius exſiccat. Quia flatu vehementiori citius abigit vapores aqueos; & terreos, qui propter denſitatem, & magis ſentiuntur, & operantur, & reſiſtunt contrariis, quapropter facilius remittitur humor aëris, quàm aquæ. Item aër frigore aduentitio conſtringit partes veſtis humidæ, & pellit earum humorem, & vt rectè P.Conim. aër non poteſt per ſe exſiccare, quia caret ſiccitate, ſed exſiccat aliquo ex his modis, ſicut balneæ exſiccant licet ſint ex aqua.

§. 32. Secundo arguunt, quia pluuia humectat aërem; ergo. Nego antecedens ſi ſumatur de propria humectatione, dicitur autem illum humectare: quia in eum coniicit aqueos vapores, quos propter denſitatem ſentimus, cumque viſu non diſcernamus eos ab aëre, illum dicimus humectare. Luna verò dominatur aquæ propter miros effectus in mari; at vero ratione humiditatis etiam dominatur in aëre, vnde influxus Lunæ generat pituitam, mucoſamque ſubſtantiam.

§. 33. Obiicit Magiſter Vañes: terram eſſe frigidiorē

aqua:

aqua: ergo aqua ſibi non vendicat frigus, ſed humorem. Probat antecedens: quia terra petit centrum orbis: id eſt, locum diſtantiorem à cœlo: ne incaleſcat à luce, & aſtris. Si autem aqua eſſet ſummè frigida non enataret terræ natura ſua. Nego antecedens: ad probationem reſpondeo, terram non ire in centrum fugiendi frigoris ergo: Nam multi ſunt cœli influxus frigidi, quibus temperarentur influxus calidi. Nam vrſa minor eſt frigidiſſima: & in Piruana Prouincia ſunt regiones nonnullæ adeo frigidæ, vt homines necentur rigore. Nec item fugit ob tuendam ſiccitatem, nam ignis attiguus eſt lunæ, & eſt admodum ſiccus. Petit ergo eum locum præcipuè ob totius orbis prudentem adminiſtrationem, ad quam ipſa propendet, vt pars vniuerſi, ex cuius conſeruatione ipſa pendet. Nam cum ipſa ſit admodum ſicca, & opaca, impediret ne cœleſtes influxus traiiceret cœlum mediante luce: & reſiſteret humectationi aliorum elementorum: quæ influxibus terræ neceſſariis non admodum reſiſtunt. Ipſa autem in centro ſatis commodè conſeruatur: habet enim neceſſarium frigus, tum ex ſe, tum ab aqua, item & ſiccitatem, qua potitur diſtans à cœlo.

§.34. Dices, aquam non eſſe tam frigidam, quàm eſt terra, quia nix, & alia meteora glaciant nimio frigore: at ſi aqua eſſet omnium frigidiſſima natura ſua glaciaret. Item piſcibus eſſet noxia. Reſpondeo niuem, & alia meteora ſpecie differre ab aqua. Grando enim eſt dura, aqua verò facilis, & fluxa. Item nix & grando enecant hominem, qui eis veſcitur: ſecus aqua ipſa niue, aut grandine infrigidata, quia ea meteora habent præter frigus alias qualitates inimicas homini, quas non traiiciunt in aquam ab ipſis infrigidatam. Quamuis aqua frigens à grandine eſt etiam minus ſalubris, quàm quæ à niue: item ſum expertus aquam intra æreum vas frigidiorem eſſe quam gelu, quod illam non attingebat. Et quidem ſi ſolũ frigus glaciaret aquam, etiam eam glaciaret nix, cum eam infrigidat. Ergo glacies ex aliis oritur qualitatibus. Piſces non poſſent eſſe in aqua, ſi hæc in ſuo natiuo temperamento relinqueretur. Nam mare ſalſedine alit piſces: item terra ſibi relicta eſſet inutilis plantis, & animantibus: mutuo autem & à cœlo temperantur. Nec item ſcitur, vtrum aqua eſſet quaſi glaciata, ſi ſuo genio permitteretur.

§.35. Præter has qualitates, habent elementa alias in gradu propè ſummo: ignis ſiccitatem; terra frigus: calorem aër, aqua humiditatem, de terra & igne teſtatur experientia, ſimiliter de aqua, quæ remotis agentibus contrarij ſe infrigidat: & conſequenter aër erit calidus, nam frigidus eſſe non poteſt, tum propter dicta. §.26. tum quia nulla qualitas reperitur in tribus elementis in gradu excellenti, vt refert omnium conſenſus Philoſophorum, ſed frigus reperitur in terra, & aqua: ergo non in aëre: itẽ nulla qualitas reperitur natura ſua niſi in corpore exigente conditiones illius qualitatis, alioquin propria paſſio ſuo repugnaret ſubiecto, ſed aër non habet denſitatem, quam frigus ex natura ſua requirit, cum ſit denſitatis parens: ergo. Immo vero, quia aër eſt elementum natura ſua rarum, ita vt poſt ignem nihil ſit illo rarius, exigit calorem plus, quam cætera elementa, præter ignem, quo rareſcat. Adde aërem eſſe vitæ miniſtrum, & omnes corporis animati partes permeare, at ſi eſſet natura ſua frigidus, extingueret calorem, & ſpiritus vitales, frigus enim eſt vitæ pernicies. Quod ſi aër, quem reſpiramus, eſſet frigidus, continuo nos opprimeret, vt patet cum quis nimium incaleſcens aquam frigidam haurit, vel ſe exponit intemperato aëri, à quo ſtatim laterum dolore corripitur. Præterea aër generatur excedente calore prope ſummo, vt cum ex aqua incaleſcente excitantur vapores, & in aërem reſoluuntur. Et leuitas eſt comes caloris, & aër nimium frigidus in abditis cauernis reſoluitur in aquam, & omnia aërea ſunt calida, vt mel, & oleum: ergo aër eſt natura calidus.

Sed ſe opponunt Stoici, & Galenus Ariſtotelem obiurgans, quod aërem calidum eſſe adſtruxerit: primo, quia aër abſcedente ſole, à quo caleſit, infrigidatur noctu, & hyeme, & reducitur in natiuum ſtatum, eſt ergo illi frigus connaturale. Secundo, in media regione, in qua congruentiùs eſt ſuo ſtatui, nimium alget, cum ibi grandinem gignat, & pluuiam. Tertio, oleum eſt aëreæ naturæ, & frigidum, quia cito glaciatur: ergo. §.36.

Ad primum reſpondetur, aërem tunc non ſe infrigidare, ſed id pati à vaporibus, & exhalationibus terreis, & aquis, quæ ſe reducunt ad natiuum frigus, cúmque eæ exhalationes ſint in ipſo aëre, & craſſæ, aër autem tenuis, eſt illarum actioni maximè obnoxius. At verò ineunte vere, & aër eſt temperatus: quia facile retinet natiuum ſtatum. Ad ſecundum dicendum, aërem in ſumma regione ob innatum calorem, & ignis vicinitatem eſſe valde calidum, in regione verò infima, etiam calidum eſſe; tum propter ſolis repercuſſionem, tum propter calidas exhalationes: in media verò regione eſt frigidus, quia terræ, & aquæ exhalationes per antiperiſtaſim redeunt in ſuum ſtatum, & comprimuntur, calorem fugientes, concreſcúntque in pluuias, & aërem infrigidant. Ad tertium, oleum glaciari ob pinguedinem, licet natura ſit calidum; medici autem oleo curant morbos è frigore, non verò è calore: nos autem refrigerat aër, tum quia ſumus eo calidiores, tum ob peregrinum frigus, quo etiam aquãm tepidam infrigidat. Vide Pat. Conimbric. quæſt. 5. art. 3. §.37.

SECTIO V.

Vtrum ſingula Elementa potiantur binis qualitatibus ſummis?

PEramatus lib. de Elementis c. 8. opinatur ſingula elementa potiri binis qualitatibus ſummis: non verò altera ſumma; altera propè ſumma. Oppoſitæ autem ſententiæ adſertores ait nullo argumento moueri niſi authoritate Ariſtotelis. Verum alia ſuppetunt. Primum: quia ſingula elementa vna tantum vigent qualitate: cuius imminutionem ferunt ægrè: ſed ſi binas haberent ſummas, vtraque vigerent, & vtriuſque damna ferrent iniquè; ergo. Maior eſt certa, & data à Peramato: aër enim non ſoluitur frigore depellente calorem: at ſiccitate perit: ergo aër non pendet à calore tantum, quantum ab humiditate. Item ignis calore excedit alia elementa: non ſiccitate. Minor probatur: quia à qualitate innata pendet forma: quæ enim ſunt illi connaturales in eodem gradu, æquè eam conſeruant. Quod ſi ab vtraque non pendet eodem modo, eſt quia vtraque non eſt connaturalis in eodem gradu: idque eſt in cauſa, cur ab altera minus pendeat. §.38.

Reſpondet Peramatus, ſingula elementa ſingulis qualitatibus conſignari. Nam calor adſcribitur igni, non ſiccitas: quia ille eſt quaſi prima & propria illius qualitas; ſiccitas verò ſecundaria. Vt homo in eodem gradu eſt admiratiuus, & riſibilis: at per ſe primò admiratiuus: riſibilis autem ſecundariò. §.39.

Contra: homo æquè pollet vtroque illo attributo: ac periret ex natura ſua, alterutro deficiente. Eſt autem primariò admiratiuus; & ſecundariò riſibilis: quia alterum attributum eſt alterius radix: at in igneo calore,& ſiccitate non reperitur illa ratio. Nec enim calor eſt origo ſiccitatis; aër enim eſt per ſe calidus ſummè,& humidus ſummè; nec ſiccitas eſt origo caloris, vt patet in terra per ſe ſummè frigida, & ſicca; ergo non eſt vnde colligas diſcrimen. Nam in proprietatibus per ſe immediatè ſequentibus eſſentiam in eodem gradu, nullum diſcrimen ſeruat natura: quamuis ſeruet in iis, quarum aliæ oriuntur ex aliis. Cur ergo ignis ſibi vendicat calorem, niſi quia hic ſolus in ſummo gradu eſt comes ignis?

§.40. Secundò argumentor; aër non eſt natura tam calidus, quam ignis: & tamen eſt natura calidus; ergo aër non habet natura calorem ſummum: alioquin eſſet tam calidus quam ignis;quia hic non eſt calidior ſummo. Maior videtur certa: tum experientia: aliquando enim ſolus aër inflammaret materiam diſpoſitam, & corriperet pulueres ſulphureos, nec opus eſſet ad excitandum ignem quærere titiones; ſed aër ipſe obuia quæque depopularetur, vt ignis: maximè æſtate, in qua aër plus iuſto conflagrat. Nec eſſent agentia vlla, quibus reſtingueretur aëreus ardor: immo perpetuo flagraret, & flammeſceret in propria regione. Haberet enim innatum tantum calorem, quantum ignis, & plus reſiſtentiæ,quia eſt craſſior: nec haberet minorem leuitatem igne. Nec redderetur diſcrimen vllum: cur tantopere remittatur ardor aëris, & non ignis? Cum potius igneus eſſet remittendus, quia minus reſiſtit.

§.41. Ait Peramatus;ſingula Elementa habere vim ad binas qualitates;ergo illas habent in ſummo. Alioquin ſingula haberent ternas,quia gradus intenſionis vnius, rependendi ſunt gradibus alterius: ac propterea non eſſent elementa ſimplicia,ſed mixta. Hanc vltimam propoſitionem haud aptè colligit Peramatus:cenſet enim mixta componi ex Elementis: ſed licet ignis habeat gradum aliquem humiditatis non componitur ex aqua,ergo ignis ſimplex erit, & non mixtum. Deinde; licet materia ignis de ſe ſit capax alicuius gradus humoris: at ignis non eſt principium actiuum illius. Nec opus eſt materiam imbui omni qualitate,cuius eſt de ſe capax, ſed illis quas forma vendicat ex natura ſua: ſi verò adſint agentia, inducent in materiam gradus reſiduos. Hæc doctrina eſt Ariſtotelis hoc lib. 2. cap.3.& omnium ferè Philoſophorum: inter quos diſſidetur de tertia qualitate; ſit ne ex natura ipſius Elementi? An inuectitia?

§.42. Alexander, & Saxonia apud P.Conimbricenſes ſupra, opinantur ignem (idem eſt proportione in cæteris Elementis) ſibi vendicare octo gradus caloris,& ſex ſiccitatis;humiditatis autem nullum:Mouentur primò, quia elementa non tam eſſent ſimplicia, quam mixta:ſecundo quia non eſſent aſſymbola, ſed ſymbola omnia; ignis enim eſſet ſymbolus aëri per calorem, & terræ per ſiccitatem, & aquæ per humorem, & ſic ſingulis ſingula conferendo. Tertiò: quia ignis abſumeret humorem per calorem, vt facit in cæteris corporibus, & ridiculum videtur aërem eſſe ſiccum, & aquam calidam. Tandem,quia Ariſtot.ſingulis elementis binas tantum attribuit qualitates. Sed his argumentis facile P.Conimbric. faciunt ſatis. Primo negando antecedens, quia mixta dicuntur, quæ habent temperiem quatuor primarum qualitatum,qua elementa carent. Item requiritur elementorum congreſſio, ſine qua ſingula elementa obtinent ſuas qualitates. Secundò, item negando antecedens,quia aſſymbola ſunt propter repugnantiam qualitatum in gradu excellenti, à remiſſo autem non denominantur, quia ſenſu non percipitur propter vehementiam actionum contrarij; quapropter ignis non eſt dicendus ſimpliciter humidus, ſicut non dicitur frigidus, etiam quando cum niue pugnans frigus admiſit inuitus, quia illæ denominationes ſumuntur à qualitate, quæ ſenſui dominatur. Tertio negando antecedens,nam aliorum humiditatem non abſumit formaliter per calorem, ſed per ſiccitatem, quæ in eodem gradu non eſt contraria humori. Ariſtot.autem partitus eſt qualitates per gradus excellentes, remiſſorum vero non meminit.

Pat.Conimbr.è contra opinantur,ignem habere ſex gradus ſiccitatis, duos verò humoris. Primò, quia corpora habent aptitudinem ad octo gradus qualitatis, quod vero deficit ex vna, rependitur ex contraria. Sed hoc fundamentum non placet, quia ſimplicia corpora, ſicut ex ſe non petunt omnes primas qualitates, ita nec petunt omnes gradus qualitatis prope ſummæ: mixta verò omnes exigunt,in quibus fit ea repenſio.Secundo mouentur: quia cum ignis congreditur cum aëre ſubitò acciperet & in inſtanti eos duos gradus humoris: verum, qui opinantur ſucceſſionem à ſola oriri reſiſtentia paſſi, id nullum cenſebunt abſurdum. Tertiò, quia cum ex aqua & igne generatur aër, cum tunc expellatur frigus, & non inducatur ſummus calor, generatur aër cum aliquantulo frigore: & poſtea conſeruabitur. Sed reſponderi poteſt tunc frigus conſeruari; quia non fuit à quo pelleretur è ſubiecto,non verò in prima aëris cōſtitutione,quia aër non habet inclinationem ad frigus: vel melius dices,tūc corrupta forma aquæ omne frigus perire. §.43.

Neutra igitur opinio nititur ſatis firmis fundamentis: ſed inclinor in primam; quia elementa habent ſuas proprietates ad agendum,& reſiſtendum, ſed ad hoc non confert qualitas in eo gradu, quia non ſinitur operari, nec ſeruit inclinationi ignis. Duo enim gradus humoris quorſum igni ſint vtiles? Itaque nullum elementum habet ex ſe vllum gradum qualitatis innatæ elemento ſibi omnino oppoſito. Aqua & ignis opponuntur extremè: ac propterea nullo gradu conueniunt: ergo elementa non exigunt talem gradum: verum eſt nec illum admodum auerſari: quia ille gradus nullum tollit ex natiuis calori: quia per eum cum illis non iurgatur. Verum eſt eum eſſe inimicum ſecundum ſpeciem, ac propterea non habet in igne principium actiuum: hoc enim mixta differunt ab elementis. Vnde ignis merè paſſiuè concurrit ad illum gradum. §.44.

SECTIO VI.

Vtrùm qualitates ſymbolicæ elementorum, inter ſe, & à qualitatibus mixti differant ſpecie?

Symbolicæ qualitates dicuntur, quæ nomine conueniunt,vt calor ignis,& aëris:P.Conimbr. lib.2.c.3.quæſt.6.art.1.referunt nonnullos opinantes calorem ignis ſpecie differre ab aëreo, eſſeque contrarios. Primum probant, quia ſubiecta ſpecie diuerſa debent habere proprietates ſpecie etiam diuerſas, ex quibus colligimus ſpecificam varietatem; ergo. Negatur antecedens: ſufficit enim habere eaſdem qualitates ſpecie in diuerſo gradu: licet §.45.

licet enim omnia quatuor elementa habeant eaſdem qualitates; ſingula tamen ſingulas habent in gradu tam intenſo, vt non poſſint in eodem gradu in alio reperiri, quod ſufficere ad diſtinctionem ſpecificam ſubiectorum in Metaphyſica oſtendetur. Secundo argumentantur, quia ſiccitas ignis coniuncta eſt raritati: & ſiccitas terræ denſitati: ergo differunt ſpecie. Nego conſequentiam, quia eadem ſpecie qualitas poteſt coniungi aliis mutuo contrariis, vt candor reperitur in pomo dulci, & acri: raritas ergo ignis oritur à calore, cum ſiccitate, quæ complicatio non reperitur in terra, ſed frigus & ſiccitas, à quibus oritur denſitas.

§.46. Tertiò, quia humiditas aquæ extinguit ignem, & aëris nõ extinguit, ſed ſpecifica diuerſitas actionum argumento eſt diuerſitatis agentium, ergo. Reſpondeo vtramque humiditatem habere per ſe eamdem actionem ſpecie, quare humiditas aëris tam contraria eſt ſiccitati ignis, quàm aquea: extinguitur autem ignis tum ob innatam aquæ frigiditatem, licet enim aqua ſit præcalida, retinet tamen multos gradus frigoris, quibus ignis reſiſtere non poteſt: aër autem calore conuenit cum igne, quapropter non facile ab eo extinguitur: tum etiam quia humiditas aquæ eſt in craſſiori materia: Tandem quia aqua impedit aëris appulſum, ſine quo ignis non valet conſeruari. Vide Pat. Conimbr. artic. 2. ſed cur ignis oleo humido fouetur, & non aqua? Quia oleum eſt calidum, ſicque locum præbet calefactioni ignis: humiditas autem olei non eſt tanta, quanta ſufficit ad extinguendum ignem; nec tantum reſiſtit oleum: aqua verò extremè opponitur igni, nec liquores frigidi ſunt aptum ignibus pabulum, vt acetum: quia carent pinguedine, quam ignis ſugat. Ignis autem comparatur viuentibus, ac dicitur nutriri, & fameſcere: eſt autem fames appetitus humidi & calidi. Ignis autem nunquam ſitit: quia ſitis eſt appetitus humidi & frigidi: hoc autem refugit ignis. Ergo per ſiccitatem exſiccat alimentum, & diſponit: calore autem in illud dominatur. Frigida autem & humida, cum magis opponantur, magis reſiſtunt igni, & necem moliuntur; qui tamen, ſi ingens ſit, ipſam aquam abſumit. Nonnulli autem adeo ſæuiunt, vt aqua ſit illis pabulum, nec niſi vehementiſſimo aceto reſtinguuntur.

§.47. Secundò poteſt argui: quia ignis vehemens extinguit alios exiguos; ergo ſunt contrarij. Vt hæc conſequentia eſſet legitima, deberet ponere, flamma ignis exigui extincta induci in eius materiam formam ignis maioris: vt in illas quadraret definitio contrariorum: at exigua lucerna ita extinguitur, vt in eius materiam non inducatur ignis. Id non oriri ex contrarietate calorum patet: quia illa extinctio exigui ignis eſt ab igne eiuſdem ſpeciei. Fax enim extinguit exiguam candelam ceream: ignis autem facis non differt ab igne candelæ niſi in magnitudine. Ariſtoteles lib. de morte & vita cenſet ignem vehementem ſecum trahere exiguum. Verum id non ſatis oſtenditur; quia ab igne vehemente diffunduntur flammæ ad materiam peruiam quantumcumque paruam: ergo iam ibi exiſtentem non traheret, nec eſſet, cur id faceret. Licet enim metalla calore ſoluta ſe continuent: at nulla pars ſeparat formam à ſua materia; ſed cum illa continuatur. Ita facit ingens ignis, qui conſeruat exiguum, quando cum eius materia coniungitur: at antequam coniungatur, ſolet minorem extinguere. Rationem arbitror eſſe: quia vehemens flamma aërem commouet, cuius flatu, atque reflatu extinguitur paruus ignis. Item vehementia maioris ignis citius abſumitur pabulum minoris, & extinguitur. Itaque ignis grandis per accidens extinguit paruum.

Sunt ergo eiuſdem ſpeciei huiuſmodi qualitates, ita Pat. Conimbr. ſupra cum S. Thom. & aliis: §.48.
Probatur primò, quia calor ignis intendit aëreum; ergo ſunt eiuſdem ſpeciei; probatur antecedens, nam ſi aëri applicetur ignis, ab igne calefiet, at non corrumpit calorem aëris; calori enim ſolum opponitur frigus, cuius argumentum eſt homines eodem modo ſentire calorem in manu productum ab aëre, quo ſentiunt eum, quem producit ignis: ſecundò, ex calore ab igne producto in aquam, generatur aër, ergo calor productus ab igne eſt diſpoſitio ad generationem aëris, cum ergo res iiſdem accidentibus generentur, & conſeruentur; etiam aër conſeruabitur eo calore, præſertim cum ex diſputatione prima conſtet eadem numero accidentia eſſe in genito & corrupto.

Calorem vitalem ſpecie differre ab elementari §.49.
opinantur non pauci, diſtinguentes duos calores, elementarem alterum, alterum cœleſtem, vel ab influxu cœli. Hos dicunt ſpecie differre: primò quia ſunt contrarij; ignis enim ad ſolem extinguitur. Verum id non præſtat calor immediatè pugnans cum altero, ſed per accidens aërem calefaciens, neque cum ſinens fuligines ab igne pellere: indiget enim ignis aëris appulſu, atque depulſu: vel id oritur ex aliquo cœli influxu occulto, vt multa quotidie videmus; immo & ipſe ignis ſeſe extinguit calefaciens cubile; tunc enim minus flat aër, & ſuis cineribus ſepelitur: dum autem eſt aura, ignis viget, & in furno vndique obturato extinguitur. Secundò mouentur, quia calor elementaris eſt peſtis tam plantarum quàm animalium, quæ æthereo viuunt calore, recreantúrque. At ſi rectè attendas, calor cœleſtis, cum eſt vehemens, etiam ſuffocat homines, & elementaris moderatus eos fouet, vt patet in ſenibus ad titiones non ſine oblectamento confabulantibus.

Oppoſita ſententia eſt vera, quam ſequuntur §.50.
Pat. Conimbricenſ. artic. 2. cum S. Thoma, Bonauentura, Alexand. & aliis: Probatur primò, quia calor productus à ſole ignem concitat, ſicut productus ab igne. Item calor ſolis eſt contrarius frigori aquæ, ergo ſunt eiuſdem ſpeciei calor igneus, & elementaris: nam ignis non habet duos calores ſpecie diſtinctos, nec frigus duos contrarios. Secundò, quia calor igneus & vitalis intenduntur à calore ſolari, ergo ſunt eiuſdem ſpeciei: antecedens patet, quia ſi quis algens ſoli applicetur, ſtatim incipit incaleſcere, & expellitur frigus è manu, verbi gratia, & ille calor adiuuat calorem vitalem manus, & eam conſeruat in ſtatu debiti temperamenti, quo poſſit operari. Item ſi hæc manus poſtea applicetur igni, conſeruabit calorem acceptum, & intendet, ergo. Hoc demonſtrat quotidiana experientia: cum enim quis inteſtinorum dolore laborat, eum pellit calore vel igneo, vel ſolari; & ſi lintea calida applicantur, igneus calor iuuat naturalem. Quapropter veſcimur carnibus calidis, vt earum calor iuuet calorem ſtomachi, & ſenes laterem calidum pedibus ſupponunt, vt eius beneficio calor vitalis iuuetur: & ex cineribus calidis, vel clibano temperato pulli excutiuntur, non aliter quam ſi illis gallina incubaret. Quapropter noſtra ætate fœmina quædam Melitenſis, in Melita quæſtum fecit non mediocrem hoc pacto ſingulis diebus pullos excutiens. Ergo calor gallinæ, & furni ſunt eiuſdem ſpeciei.

SECTIO VII.

Aliquas difficultates expedio.

§. 51. QVæ ſuperſunt in his libris explicanda, & per ſe ſunt facillima, & plus habent oblectamenti, quàm commodi. Videantur Pat. Conimbr. lib. 2. à cap. 4. qui nihil non concinnè, nihil non eleganter, nihil non ſumma cum voluptate legentis pertractant. Videatur item Doctor Petrus Garſia. Prima difficultas eſt vtrum quoduis elementum è quouis gignatur elemento? Partem affirmatiuam meritò docet Ariſtoteles, quem ſequuntur Pat. Conimbr. & probatur inductione: aër enim igni cedit immediatè in pabulum, aqua in ignem coniecta conuertitur in flammam; terra verò igni applicata igneſcit. Item aër in ſe conuertit immediatè ignem in illius materiam, humiditatem immittendo: item in ſe conuertit aquam, illam vltra debitum humectando, & calefaciendo: ſimiliter & terram, quæ humiditate affecta ſtatim laxatur: & accepto calore amittit formam terræ per aëreæ introductionem: idémque argumentum poteſt fieri de cæteris elementis. Aduerte quandoque ex congreſſu duorum elementorum reſultare temperamentum aptum formæ alterius elementi: verbi gratia, ignis, & aqua congrediuntur, vincit ignis aquam extenuans, illa ſic rarefacta habens aliquos gradus humiditatis, & alios caloris conuertitur in aërem, priuſquam in ignem; aliquando verò immediata fit tranſmutatio, vt cum aqua coniicitur in rogum; tunc enim vehementem calorem accipit, & ſiccitatem, quæ ſunt diſpoſitiones ad ignem. Item elementa ſymbola facilius ſe mutuo tranſmutant, quàm aſſymbola: quia fit congreſſio per vnam tantum qualitatem. Item aduerte aliquando ex congreſſu duorum elementorum vtroque extincto reſultare tertium: verbi gratia, congrediuntur ignis & aqua: refrigeratur ignis, & humectatur: aqua verò incaleſcit, illæ diſpoſitiones ſunt ineptæ ad ignem, & aquam: aptæ verò aëri, qui tunc fit, vel immediatè à Deo, vel ab aëre circumſtante, ſi forte cum aliis deſcenderat in arenam.

§. 52. Temperamentum eſt ſtatus cuiuſque rei, ſiue complexio. Conſiſtit formaliter in quatuor primis qualitatibus, in eo gradu, quem exigit ſubſtantia. Nec admittenda eſt ſimplex qualitas à primis diſtincta. Tolle enim è manu calorem, & pone frigus: tametſi manus habeat alias qualitates, rigeſcet frigore. Nec poterit arma mouere. Sit autem cum temperato calore & frigore: & careat omni alia qualitate: eſt quidem apta tractandis armis, & calamo: Pone, per locum intrinſecum, calorem exuberare in corde plus iuſto: ſolus ille exceſſus caloris ſuffocabit cor.

§. 53. Temperamentum *ad pondus* dicitur, quando quatuor qualitates æqualibus ponderibus librantur, ita vt nulla aliam excedat in intenſione. Temperamentum *ad iuſtitiam* dicitur, quod datur vnicuique corpori iuxta ſuam exigentiam. Quemadmodum per iuſtitiam diſtributiuam diſpenſantur præmia pro cuiuſque meritis. In quo temperamento aliqua qualitas eſt intenſior aliis. Rurſus temperamentum *ad iuſtitiam* aliud eſt ſimplex: quando ſolum vna qualitas excedit, & prædominatur; aliud dicitur compoſitum: quando duæ qualitates prædominantur, & excedunt, vt temperatura colerica, in qua prædominantur calor & ſiccitas; & pro varia coniugatione qualitatum, oriuntur varia temperamenta. Aduerte ſalutem animalis conſiſtere formaliter in hoc temperamento; quando verò aliqua qualitas, aut exuberat, aut minuitur plus debito, tunc, ſi Metaphyſicè loquamur, dicitur animal ægrotare. Rudi tamen Minerua non dicitur animal ægrum, niſi quando qualitas à iuſto decedit in eo gradu, quo impediantur vitæ functiones, & quaſi animal labefactetur; neque enim vulgo dicitur ægrotare, qui laborat exiguo dolore capitis.

Finis Lib. de ortu & interitu.

DISPV

DISPVTATIONES DE SVBSTANTIA CORPOREA ANIMATA,

A PETRO HVRTADO DE MENDOZA, *de Societate* IESV.

Proœmium.

§. 1. E Subſtantiis corporeis corruptibilibus, diſputanda occurrit animata. Quam contemplari poſſumus in genere; & in ſpecie: quẽadmodum corpus vt ſic. Corpus in genere cognitione referri ad cognitionem corporis in ſpecie conſtat ex diſp. 1. Logicæ ſect. 5. & ex procemio Phyſicorum & Metaphyſicæ ſect. 4. quia pars vt pars cognitione refertur ad totum: maximè quando vtrumque ſub eamdem abſtractionem cadunt. Itaque conſideratis libris paruorum naturalium: his de anima, & aliis de animalibus, & de homine: ſubiectum adæquatum attributionis facultatis de anima, eſt corpus animatum, vt aggregat omnia corpora viuentia; vt in ſimili dixi de obiecto adæquato totius phyſicæ diſciplinæ. Quod fatentur Patr. Conimbr. in procemio in libros de Anima. Ratio à priori, quia aliqua diſciplina quæruntur eſſentia & attributa corporis animati, ſed in ea igitur de anima vt parte corporis animati: ergo in aliqua diſciplina agitur de anima vt parte. Maior eſt certa: minor certior, quia in eadem facultate agitur de toto & de parte vt parte eiuſdem. Sed hi libri agunt de anima vt parte, quia agunt de anima ſecundum quod eſt actus corporis, in quo conſiſtit ratio partis: ergo hi libri habent pro obiecto vltimo adæquato corpus animatum. Et quidem hãc noſtram ſententiam tradit perſpicuè S. Thomas initio huius operis lect. 1. docens, ſcopum Ariſtot. eſſe agere de rebus animatis in communi, quibus communis eſt anima. Difficultas autem eſt, vtrum in iis libris agatur immediatè de corpore animato tamquam de obiecto proprio, ſicut agitur de anima? Et ſicut in diſput. de materia prima, ipſa eſt obiectum proprium, non verò compoſitum: quamuis compoſitum ſit finis vltimus tam materiæ, quàm diſputationis de illa.

§. 2. Mihi arridet opinio Pauli Veneti & aliorum apud Patr. Toletum quæſt. 4. procemij. item & recentium; in his libris agi de toto compoſito animato. Quam colligo ex S. Thom. modò adducto, qui etiam, lib. 2. lectione 1. initio dicit, intentionem Ariſtotelis eſſe agere de anima, continuantis ſe ad præcedentia, id eſt in ordine ad totum. Moueor, quia nullibi agitur pro dignitate de corpore animato, vt patet ex tenuitate paruorum naturalium. Secundò quia totus ferè ſecundus liber eſt de potentiis animæ ſenſitiuæ, quas Ariſt. lib. 1. præmiſerat non eſſe ſine corpore. Quaſque S. Thomas vocat proprietates totius coniuncti, id eſt totius compoſiti. Nam potentiæ ſenſitiuæ nõ modò ſunt ab anima, ſed etiam in corpus recipiuntur; vel ſaltem illud includunt vt partem: ergo agit de proprietatibus conuenientibus toti viuenti. Deinde explicat corpus organicum: agit de modo, quo potentiæ mouentur ab obiectis. Quæ ab anima ſola non exercentur, id quod Ariſtot. dixit; animam nec flere, nec nere.

§. 3. Patr. Conimbr. opinantur hos libros eſſe de ſola anima; non verò de corpore animato; quamuis oppoſitam ſententiam probabilem cenſent, ac diluunt argumenta ſuæ. Primò mouentur: quia illud eſt ſubiectum, quod definitur: definitur anima, & non corpus animatum: ergo illa, & non hoc eſt ſubiectum. Secundò, hæc ſcientia dicitur nobiliſſima cæterarum propter animam rationalem. Quod ſi hîc ageretur de corpore animato, nobilior eſſet ſcientia de animali, quia eſt inferius corpore animato: ergo. Tertiò, ex operis inſcriptione *de Anima*. Quartò autoritate S. Thomæ.

§. 4. Ad primum concedo maiorem; & diſtinguo minòrem; non definitur corpus animatum virtualiter; ita vt ex definitione animæ non penetretur totum animatum, nego minorem; non definitur expreſsè definitione propriis terminis in illud quadrante, concedo minorem, & nego cõſequentiam. Quia ſufficit ille modus definiendi; nam ex octo libris phyſicorũ habemus definitionem tum materiæ, tum compoſiti: quæ non erat repetenda: hic autem ſolum oportuit adhiberi proprium vtriuſque; ac proinde corpori aſſignantur organa: animæ verò eſſe actum talis corporis. Quod ſi anima definitur *Actus corporis phyſici organici, &c.* Benè poteſt inferri animatum eſſe compoſitum ex corpore organico & illius actu, &c. Nec enim omnia ſunt paruulis maſticanda.

§. 5. Ad ſecundum, libri de animato vt ſic, ſunt perfectiores libris de inanimatis; proportione, qua viuens non viuentibus. At libri de animali perfectiores ſunt libris de animato vt ſic; libri autem de homine perfectiſſimi sũt inter phyſicos: & hi libri, qua parte de homine & eius animo agunt. Tertium argumentũ leue eſt: nam libri de corpore corruptibili & generabili, inſcribũtur *de ortu, & interitu ſiue de generatione, & corruptione* cum tamen ibidem de corpore ipſo ſit ſermo. Inſcripti fuere libri *de Anima* à parte præcipua, vel etiam quia multoties anima ſumitur pro toto animali. S. Thom. intelligitur vt expoſui. §. 1. cum attributione ad totum.

§. 6. Animam ſeparatam cenſent Pat. Conimbricenſ. & Suarez ad Metaphyſicum ſpectare. Quod impugnaui in procœmio Metaphyſicæ. A me ſtat Pat. Toletus quæſt.2.procœmial. concluſione 3. quamuis claudicet interdum. Probatur, quia anima ſeparata eſt ex ſuo conceptu pars compoſiti naturalis, immo retinet totam naturæ definitionem: ergo pertinet ad phyſicum; conſequentia patet, quia ad phyſicum ſpectat omnis conſideratio naturæ: antecedens probo; quia anima ſeparata eſſentialiter eſt ens incompletum: & eſt principium motus eius, in quo eſt, non actu, ſed aptitudine: ſicut materia prima ſeparata à forma retinet definitionem naturæ, quia licet actu non ſit in toto, eſt tamen aptitudine. Secundò totus ſtatus ſeparationis conuenit animo ab intrinſeco ſuo conceptu: ergo pertinet ad phyſicum; antecedens patet, quia animo venit ob immortalitatem, quæ illi conuenit eſſentialiter: conſequentiam probo: quia affectiones ex animi eſſentia ſecutas demonſtrat eadem facultas, quæ cognoſcit eſſentiam: pertinere enim ad eamdem facultatem cognitionem eſſentiæ & proprietatum oſtendi ſæpius, quia ſicut eſſentia, & proprietas ſunt in vno ente, ita & ſciētia vna de vtriſque. Ratio à priori, quia eſſentia eſt ratio formalis obiectiua, propritas autem eſt obiectum materiale: at obiectum formale & materiale pertinent ad eamdem ſcientiam.

§. 7. Denique Phyſicus ex propriis principiis diſquirit formarum mortalitatem: & oſtendit formas cœleſtes, & animũ rationalem eſſe natura ſua mortis expertes, ſed diuerſimodè; nam cœleſtes, quia non poſſunt ab materia abiungi: rationalis, quia licet abiungatur, adhuc eſt rationis capax, & habet operationes nō pendentes à materia directè. Cum ergo euidenter oſtēdat animum eſſe immortalem, item & ſeparari, infert euidenter illi debere ſtatum ſeparationis, in quo quid operetur? aut quo pacto? diſquirit.

§. 8. Aiunt Pat. Conimbr. artic.2. concluſ.3. animam, tunc operari independenter à corpore ex influxione luminis diuini: ergo non pertinet ad phyſicum. Reſpondeo, phyſici negotij nō ſolum eſſe corpus, alteram partem compoſiti: ſed etiam formam, præcipuam partem, & omnia quæ natura ſua illi obueniunt. Quæ verò facit Deus vltra vires animæ, non pertinent ad phyſicum, ſed ad theologum ſupernaturalem: non verò ea quæ ſunt ex debito animæ. Vnde nego conſequentiam.

§. 9. Obijcies ab Ariſtot. 1. de partibus, animalium, cap.1. ad medium aſſeri non pertinere ad philoſophum agere de omni anima, quia non agit de intellectuali & ſeparata à materia. Verum Ariſt. hoc opere egit de anima intellectuali: at eo lib. de partibus, loquitur de anima, id eſt, intelligentia completa: nam dicit ab ea factum cœlum ſi factum eſt, at verò de omni anima, quæ eſt pars animalis, ibidem ait agi à Phyſico. Separata autem anima eſt, quæ ab eodem ſæpe vocatur intelligentia ſeparata, quæ in ſuo conceptu numquam reſpicit corpus.

§. 10. Hæc ſciētia eſt ſpeculatiua quo ad habitus præcipuos, & ferè plures. Eſt tamen practica quo ad perpaucos. Nam cum dicimus obiectum à tergo poſitũ videri poſſe per ſpecula mutuò ſe aſpicientia, ita vt vnum eiaculetur ſpecies in aliud, è quo refrangantur in viſum, illa notitia practica eſt, quia per eam dirigi poſſumus ad videnda talia obiecta: dicitur autem abſolutè ſpeculatiua & non practica, eius vnitas, ſicut & cæterarum. De qua latè agam in procœmio Metaphyſicæ.

§. 11. Ordinem hunc tenebo. Primùm, agam de animi eſſentia, compoſitione, & ratione vitæ. Secundò, de eius potentiis in communi. Tertiò, de obiecto & actibus intellectus in genere & ſpecie, de eorum diuiſione & oppoſitione, veritate, falſitate, euidentia, certitudine, & de ſpeciebus ad illud neceſſariis. Dein de volūtatis obiecto, actibus, libertate, & habitibus: poſtea de potētiis materialibus vniuerſim, & ſingillatim; tandem nonnulla de anima ſeparata.

DISPVTATIO I.

De eſſentia & informatione animæ.

SECTIO I.

Animus definitur.

EX ſecundo libro de anima, cap. 1. hæc colligitur definitio animæ: *Anima eſt actus corporis phyſici, organici, potentia vitam habentis. Actus* dicitur, quia in vnoquoque compoſito naturali reperiuntur materia & forma, quorum prima eſt potentia, ſecunda verò actus, vt patet ex primo phyſic. Controuertitur inter interpretes (quod videri poteſt apud noſtros Conimb. lib.2. cap.1.) quid intelligat Ariſtotel. nomine *corporis*. Nonnulli enim intelligunt corpus metaphyſicum, id eſt, ſubſtantiam completam materialem, quæ conſtituit corpus de prædicamento ſubſtantiæ quia anima eſt actus compoſiti naturalis, illud conſtituens: at verò ſola materia prima non poteſt dici potentia vitam habere, quia vitam ſubſtantialem non habet abſque anima, accidentalem verò non niſi media anima: ergo in illa definitione nō poteſt intelligi ſola materia primo organizata: ergo intelligitur totum compoſitum. Vnde ſic poteſt explicari definitio. *Anima eſt actus ſubſtantialis conſtituens corpus viuens*, ly *actus ſubſtantialis conſtituens corpus*, eſt genus, eſt enim illa ratio communis cuiuis formæ ſubſtantiali; ly *viuens*, differentia, per quam animus differt à formis non viuentium. Non eſt inepta hæc explicatio. Neque falſa hæc ſententia: qua parte affirmat animo conſtitui corpus viuens prædicamenti ſubſtantiæ: eſt tamen falſa dum ait ly, *corpus*, non ſignificare, nec poſſe ſolam materiam primam. §. 1.

Probatur tum ex ipſo Ariſt. lib.2. cap.1. text.12. vbi corpus intelligit ſolam materiam primam; de illa dicit habere animam, idque conſtabit textum legenti, & primo Polit. cap.3. ad medium hæc ait; *Prauorum quidem, aut prauè diſpoſitorum ſæpe inuenitur corpus imperare animo.* & 7. Ethic. fere in medio, *corpus* (inquit) *inſtrumentum eſt congenitum* (ſcilicet animæ.) & clariſſimè hoc lib.2. c.4. text.37. ſic ait; *anima eſt actus eius, quod eſt potentia: at anima viuentis, eſt corporis actus.* Vbi Ariſtot. ſe explanat apertè nullum relinquens interpretationi locum, nam id, quod eſt potentia, eſt materia prima, cuius actus vocatur animus: nec quid eſt frequentius apud Ariſtot. quàm materiam primam viuentium vocare corpus, & illorum formam differentiam, è quibus ait animal componi, ſicut oculum ex viſu atque pupilla. Igitur materia prima organizata eſt corpus potentia vitam habens. §. 2.

Adde contra aduerſarios, non alio modo animam conſtituere compoſitum ſubſtantiale viuens, quàm exercendo rationem actus circa ipſam materiam: quia per vnionem ad illam forma exercet ſuam circa materiam actualitatem, & per eamdemmet §. 3.

demmet vnionem conſtituit compoſitum, quod conſtituit formaliter per compoſitionem, actualis autem vnio eſt compoſitio, vt dixi diſp. 6. Phyſi. ſect. 1. Ergo eadem eſt ratio formalis, per quam animus conſtituit compoſitum, & actuat materiā primam: ergo non poteſt vna ratio ſine alia conſiderari: ergo quando dicit Ariſt. animum eſſe actum corporis, non poteſt intelligi eſſe actum conſtituentem viuens, niſi inquantū actuat ipſam materiam; quæ à forma vocatur *corpus viuens.* Ex his poteris intelligere quæ dixi diſput. 2. Phyſic. ſect. 2. eam dici formam, & actum quæ ſuam denominationem tribuit alteri: ſubiectum verò dici, quod ſortitur talem denominationem; ad quod non requiritur ad vnguem exacta informatio. Viſio enim denominat parietem, ſed vt extrinſeca forma: vnio verò hypoſtatica Verbum, non vt forma propriè: ſed vt quædam ratio formalis, cui comparatur Verbum non vt ſubiectum phyſicè, ſed vt ſubiectum denominatiuè.

§. 4. Rogas, quam vitam habeat materia? Subſtantialem ne? An accidentalem? Exiſtimo vtramque, ſubſtantialem quidem, quia materia ſic diſpoſita eſt proximè capax formæ ſubſtantialis viuentis. Nec propterea vitium vllum committitur in definitione: redditur enim hic ſenſus; animus eſt actus primus materiæ primæ diſpoſitæ ad recipiendam formam ſubſtantialem viuentem. Qua definitione, & eius explicatione proponitur genus illis verbis, *Anima eſt actus corporis phyſici,* item proponitur eſſentialis illius differentia, quæ conſiſtit in ratione vitæ verbis illis, *potentia vitam habentis,* nam eſt actus corporis aptè diſpoſiti ad habendam vitam, ſed id quod debet habere eſt forma, ergo forma eſt vita ſubſtantialis.

De vita verò accidentali idem patet: quia organa, quibus aptatur materia prima, ſunt ad ſuſcipiendas vitæ functiones, quas immediatè recipi in materiam primam conſtabit diſp. 4. Præterea animus recipitur in materiam, vt illa vtatur in vitæ functionibus.

§. 5. Ad rationem aduerſariorum reſpondetur, materiam primam ſecundum ſe conſideratam cum organizatione requiſita eſſe capacem recipiendi ab anima operationes vitales: hęc enim definitio non eſt intelligēda de materia ſeparata ab animo, & de animo ſeparato à materia; nam, vt rectè Ariſt. *neque corpus ſine anima: neque anima ſine corpore,* ideſt neq; corpus poteſt aptari, neque accidētalem vitam recipere ſine animo, neque hic illam efficere ſine corpore. Igitur materia informata forma ſubſtantiali habet potentiam proximam paſſiuam vitæ accidentalis. De vita autem ſubſtantiali etiam intelligo definitionem, quia materia prima organizata eſt iam vltimò diſpoſita ad recipiendam formam ſubſtantialem, ad quam habet potentiam proximam paſſiuam. Igitur *actus,* & *corpus* organicum intelliguntur in hac definitione ſecundū ſe, præciſo quocumque ordine ad aliud, cum mutua relatione, qua tale corpus reſpicit animum, & animus corpus. Quod confirmo, quia quando definitur materia ſecundum ſe, ſemper eſt cum ordine ad formam, & hæc cum ordine ad materiam: ergo quando definitur forma viuens, definitur cum ordine ad materiam, vt aptam illam recipere. Quapropter hæc definitio eſt eſſentialis, quia ſicut eſt de eſſentia animæ eſſe primum principium operationum vitalium, ita eſt de eiuſdem eſſentia reſpicere corpus organicum: quia ſine organorum apparatu non poteſt anima vitalia munera obire.

§. 6. Addit autem Ariſt. *potentia vitam habentis,* vt diſtinguat animam à forma cadauerica, & aliis pręſe ferentibus neſcio quam organorum ſpeciem: quæ licet habeant ea organa, ſunt tamen inepta ad quemuis vitalem vſum. Aduerte diſcrimen inter formam viuentis, & cadauericam, quarum prima ad ſui productionem requirit organa ita diſpoſita, vt eis poſſit vti ad vitæ functiones. Eſt enim organum inſtrumentum vitæ, quando verò hæc organa diſſoluuntur, vt non poſſint vitæ ſeruire, animus abiungitur à corpore: at verò cadauerica forma ad ſui productionem requirit eam organorum ſolutionem, & quando introducitur caſu aliquo repentino, vt cum ex vulnere concidit homo, tunc forma cadaueris paulatim diſſoluit totum illum organicum apparatum. Vnde hæc non reſpicit ex natura ſua corpus organicum, ſed potius non organicum; ex accidenti autem durat aliquādiu cum veſtigiis organorum, donec illa paulatim abſumat, vt forma ignis manet interdiu cum humiditate ligni: eis autem id euenit accidentariè. Quare cenſeo formam cadaueris, oſſis, & formam pulueris, in quem caro reſoluitur, eſſe eiuſdem ſpeciei, immo verò totam formam cadaueris manere corpore in puluerē reſoluto: donec ab alio agente in eam materiam alia forma inducatur, hæc autem inductio non oritur ex ſolutione organorum, cum potius hæc oriatur ab ipſo cadauere. Rogas, quare corpus ante reſolutionem in puluerem vocetur *cadauer,* non verò poſt reſolutionem? id prouenit ex ſenſibus: cernimus in demortuo accidentia quæ in viuenti, illudque compoſitum retinet idem vocabulum, quandiu retinet priora accidentia: quibus amiſſis vocabulum amittit, re tamen ipſa idem compoſitum manet.

Hanc definitionem alia explicat Ariſt. *Anima eſt qua primo viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus.* Circa quam variæ exoriuntur quæſtiones: videantur P. Conimb. ſupra. Volunt nonnulli hanc definitionem eſſe per cauſam finalem, quia, operatio eſt finis potentiæ. Sed immerito, quia Ariſt. lib. 2. c. 4. à. text. 35. docet animum eſſe finem & organorum, & operationum: tum quia accidens materiale, non poteſt eſſe finis ſubſtantiæ, quæ eſt illo perfectior, ſed è contra ſubſtātia eſt finis accidentis, quod ad illius perfectionem refertur. §. 7.

Alij dicunt definitionem eſſe deſcriptiuam, quia *viuere, intelligere, &c.* oritur efficiēter ab accidentibus animæ. Sed non placet, tum quia diſp. 1. patebit potentias animæ eſſe ipſam animam, tum quia eo admiſſo non tollitur quin ſit animus primum principium, radixque viuendi: immo verò conceptus eſſentiales, per quos res diſtinguimus, ſumuntur per connotationem ad operationes, quia cum res non intueamur immediatè, eas explicamus per connotationem actionum. Ita rationale diſtinguimus ab animali, quod hoc reſpicit ſolas ſenſiones, illud verò intellectiones. Eſt igitur hæc definitio eſſentialis, primæque explicatio, non quod prima demonſtratur à priori, aut à poſteriori per ſecundam: ſed quia explicatur verbis clarioribus. Idem namque eſt eſſe actum primum corporis apti ad accipiendam vitam, ac eſſe primum principium talis vitæ; quia ea ratione exigit corpus organis inſtructum, vt in illud vitam exerceat. Quin hæc definitio continet finem organorum: licet enim vita non ſit finis animæ, eſt tamen organorū finis. Hæc definitio conuenit triplici animarum generi, vegetatiuæ quidem prima pars, quia apud Ariſt. ſæpe eſt idem *viuere* & *nutriri,* hoc libro. 2. cap. 1. text. 3. *vitam autem dicimus nutritionem, accretionem, &c.* ſecunda pars, *ſentimus, & mouemur,* conuenit §. 8.

 ſingulis

ſingulis animantibus: tertia verò ſimul cum duabus prioribus ſoli conuenit animo rationali, quare commoda diſtributione erit definitio exponenda,

SECTIO II.

Vtrum ſit proprium viuentium corpus habere organicum?

§. 9. NOnnulli opinantur, *corpus organicum* non eſſe proprium viuentium, neque per illam particulam *organici* diſtingui animam ab Ariſt. à cæteris formis, ſed per illam *potentia vitam habentis*. Probant primò, quia non repugnat corpus aliquod ſimplex, aut compoſitum exigens ad varias operationes tranſeuntes diuerſas figuras, & qualitatum temperies.

Secundò cœlum eſſe inanimatum probatum eſt diſput. 1. de cœlo, & habet corpus organicum: ergo corpus organicum conuenit inanimato. Probatur minor, quia ſtellæ, planetæ aliæque ipſius partes ſunt diſſimiles in figura, magnitudine, & temperatura qualitatum, vnde oritur tanta diſſimilitudo effectuum, & influxuum, ſed hoc eſt habere corpus organicum, ergo.

Tertiò nonnulli lapides habent organizationem. Iaſpis enim diuerſos habet calores, & conſequenter diuerſa temperamenta primarum, & ſecundarum qualitatum.

Quartò, ſi vera eſt ſententia negans vitam auiũ plumis, id probatur: nam tanta diſſimilitudo colorum, quanta in plumis pauonum paſcit oculos, vera eſt organizatio, cum ea pulchritudo non poſſit oriri niſi ex varia primarum qualitatum permixtione, ergo gaudet organis corpus inanime.

§. 10. Alij vt P. Conimb. 2. de anima cap. 1. aſſerunt illam particulam *organici*, æquiualere alteri, *potentia vitam habentis*, & hanc eſſe explicationem illius; cum autem ſola viuentia potentia vitam habeant, illa ſola erunt organica. Hanc ſententiam ego vellem aliquo ipſi fundamento firmaſſent, quam ſupponunt vt communem: verum etiam vellem, ne de vocibus contendamus: certum eſt enim multa corpora inanimata eſſe in diuerſis partibus affecta diuersè, vt probat apertè prima ſententia: certum eſt item in ſolis viuentibus reperiri diuerſas affectiones, aptas ad vitæ exercitium. Quapropter res inanimatæ non habent illa organa, quæ requiruntur ad ſe ipſa perficienda vltra eam perfectionem, quam habent in primo inſtanti ſuæ generationis: at verò viuentia habent organa apta vt ſe quotidie perficiant, & conſequenter habent qualitates altioris ordinis, quales exiguntur ad vitales functiones. Sic communiter vocantur organa inſtrumẽta vitæ. Quapropter organa, quæ ſunt in cadauere, non ſunt abſolutè organa: ſed quædam illorum ſimulacra, vt Ariſtoteles ait digitum mortuũ & viuum æquiuocè eſſe digitos, quia illis deficiũt qualitates ſuperioris ordinis, quas ſemen, & fœmina in vtero produxere, quaſque contineat anima dum in corpore viuit. Vnde abſolutè dicendum eſt ſolis viuentibus organa ineſſe.

§. 11. Ad primum reſpondetur repugnare tale corpus cum diſpoſitionibus requiſitis ad vitam, quas organa nuncupamus. Quod ſi illud corpus ita ſit variè affectum, dicatur (ſi velis) organicum, minus tamen propriè.

Ad ſecundum reſpondetur, ſtellas & planetas non eſſe partes cœli, ſicut arbores, & herba non ſunt partes terræ. Præterea licet ſint partes cœli, carent tamen diſpoſitionibus aptis ad vitam, propter defectum excellentiorum qualitatum. Quapropter organica non ſunt. Hanc ſecũdam reſponſionem duobus vltimis argumentis accommoda.

SECTIO III.

Vtrum omnis animus ſit actus informans?

DIximus animum eſſe corporis actum, nunc inquirendum, an ſit aſſiſtens? an informans? *Aſſiſtens* dicitur ille, qui nullam habet vnionem phyſicam, cum re, cui aſſiſtit, ſed tantum propinquitatem ad illam mouendam, vt nauarchus ad nauim, ad cœlum intelligentia. *Informans* eſt qui vnione phyſica coniungitur ſubiecto, vt albedo parieti. His poſitis, non dubium, quin omnis actus materialis ſit informans: omiſſis enim rationibus, illi cum immateriali communibus, non poteſt ille ſine materia cohærere, ergo non eſt actus materiæ aſſiſtens. Patet conſequentia, quia actus aſſiſtens eſt ſeparabilis à ſubiecto; nec ab illo dependet, vt nauarchus à naui, à cœlo intelligentia: aſſiſtens enim neceſſariò ſubſiſtit. Secundo, quia animus materialis non fit per ſe: ſed, educitur de potentia materiæ: at eductio habet neceſſariam connexionem cum vnione: ergo animus materialis vnitur ſubiecto. Quod patet ex Phyſicis, vbi probaui vnione perfici entia incompleta, qualia ſunt corpus & animus. §. 12.

De animo rationali nonnulli ſomniarunt illum non eſſe actum informantem corpus: ſed illi aſſiſtentem. Primum, quia animus rationalis eſt ſpiritalis, corpus verò materiale: at inter ſpirituale & materiale nulla poteſt eſſe vnio per ſe, ergo animus rationalis non vnitur corpori. Secundo; animus rationalis eſt actus ſubſiſtens, & ſeparabilis à materia. ergo non eſt actus informans: patet conſequentia: quia de ratione actus informantis eſt inhærere; & quia actus ſubſiſtens & informans habent oppoſitas exiſtendi rationes: ſed actus ſubſiſtens eſt ſeparabilis, & independens à materia, ergo actus informans eſt inſeparabilis, & dependens ab eadem: animus ergo rationalis, ſeparabilis cum ſit, non erit informans. Tertio, actus informans corpus debet eſſe diuiduus, quia *omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur*, ſed animus rationalis eſt indiuiduus, ergo non informat corpus. §. 13.

Hunc errorem oppugnant apertè & diuina Fides, lumenque naturæ: illa in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. definit animum rationalem eſſe veram corporis formam, ſicut reliquas ſubſtantiales. Clementina de ſuma Trin. c. 5. hoc verò rationes præbet, quibus hoc dogma monſtratur apertè. §. 14.

Primo, quia animus rationalis aut eſt idem realiter cum ſenſitiuo, vel non; ſi eſt idem, ergo vere corpori vnitur: quia animus ſenſitiuus illi vere vnitur. Quod ſic probo, quia corpus habet organa ſenſionibus apta, vt ex oculis ipſis patet oculis: ergo corpus habet aliquam formam ſibi vnitam, cui illa organa ſint adminiſtra: patet conſequentia, quia ea organa non poſſunt miniſtrare niſi formæ corpori vnitæ: tum etiam, quia nauis nihil deſeruit nauarcho ad ſentiendum, neque cælum intelligentiæ ad intelligendum, licet vterque illis aſſiſtant, tum etiam, quia niſi forma vniatur corpori non poterit in illud immanenter operari, neque poterit vti ſpeciebus intentionalibus receptis §. 15.

receptis in organo, ergo animus ſenſitiuus neceſſariò vnitur corpori. Neque video, cur hoc illi magis repugnet quàm vegetatiuo.

§.16. Si verò animus rationalis realiter diſtinguitur à ſenſitiuo, ſequitur primò, hominem non eſſe magis vnum per ſe, quàm nauis cum nauarcho, quia compoſitum ex corpore & animo ſenſitiuo tam eſt vnum per ſe completum, quàm cœlum aut nauis, ergo forma illi aſſiſtens non magis facit vnum per ſe, quàm Angelus cum cœlo, & cum naui nauarchus.

§.17. Dices, nauarchum, & intelligentiam eſſe entia completa, ſecus verò animum, quare rectè poteſt ex illo & corpore fieri vnum per ſe. Contra primò, ergo animus rationalis debet compleri ſubſtantialiter per ordinem ad corpus, vt de omni forma ſubſtantiali probaui diſp.5. Phyſ. & conſequenter diuerſo modo adeſt animus corpori, ac cœlo intelligentia, ſed hæc cœlo aſſiſtit ſine vnione vlla ergo animus non aſſiſtit corpori: ſed vnitur. Contra ſecundò, quia licet animus ſit ens incompletum, compoſitum tamen ex corpore & animo ſenſitiuo eſt completum, vt patet in brutis, ergo ex animo & illo compoſitó non poteſt fieri vnum per ſe. Contra tertiò, ergo ſimiliter poſſet animus rationalis aſſiſtere equo, quod enim eſt diſcrimen inter equum, & compoſitum illud ſenſitiuum, cui tu ſentis aſſiſtere animum? Vnde arguitur ſecundò, quia animus rationalis non faceret animal rationale, quia ſola aſſiſtentia ſine phyſica vnione non ſufficit, ſicut non ſufficit, vt nauis ſit homo, aſſiſtentia nauarchi; neque cœlum intelligentia, illius aſſiſtentia.

§.18. Tertiò arguo, quia in generatione hominis aliquid verè producitur ratione cuius homo dicatur generari: ſed hoc neque eſt corpus, neque animus rationalis quæ creantur, neque aſſiſtentia, aut præſentia localis, quia hæc non ſufficit ad componendum vnum per ſe, ergo eſt vnio ſubſtantialis: nil enim aliud ſupereſt producendum. Confirmatur, quando demoritur homo, aliquid ſubſtantiale amittitur, ob quod dicatur emori, hoc autem nihil poteſt eſſe præter vnionem, ergo. Dices mutari præſentiam localem. Contra, quia ex mutatione præſentiæ Angeli, aut nauarchi, neque cœlum interit, neque nauis, neque fit ſubſtantialis corruptio: ergo neque interiret compoſitum illud viuens ex mutatione aſſiſtentiæ animi. Confirmatur, quia vbicumque inuenitur animus pręſens corpori, faceret hominem cum illo, & conſequenter quando duo homines ſe tangunt, vnius animus faceret hominem cum corpore alterius.

§.19. Quartò, ex dependentia quam habet animus ab organo corporeo in ſua operatione. Illo enim diſſoluto animus auolat, aut ſaltem nihil, aut prauè operatur; at hoc non fieret ſi tantum illi aſſiſteret, quia nullam haberet dependentiam, à corpore: ſicut neque Angelus à cœlo, nec nauarchus à naui.

§.20. Ad primum ex §.12. reſpondeo, rem ſpiritualem poſſe perfici modo ſibi intrinſecè inhærente ſpirituali, qui reſpiciat tanquã terminũ rem corpoream, vt patet in intellectu, ſe perficiente per ordinem ad corpus media intellectione illud repręſentãte. Vide quæ dixi diſp.5. Phyſ. è quibus apparet proportio inter ſpiritum & corpus.

§.21. Ad ſecundum reſpondetur, ſubſiſtentiæ partiali & incompletæ nõ repugnare informationẽ, actũmque aſſiſtentem differre ab informante, non in independentia, aut dependentia: ſed in modo actuandi, vel vt melius dicam, *adſendi*, nam informans adeſt ſe perficiendo, ſubſtantialiter, ſecus aſſiſtens, & quamuis omnis actus dependens ſit informans, non tamen omnis informans eſt dependens.

§.22. Ad tertium reſpondetur, adagium intelligi de vera receptione cauſatiua: qua quidquid recipitur in ſubiecto extenſo, debet eſſe extenſum, vt probabitur diſp.4. animus autem non recipitur cauſatiuè, vnio autem materialis, quæ cauſatur in corpore, eſt formaliter extenſa: animus autem, & vnio ſpiritualis illius eſt virtualiter extenſa, quia ita adeſt ſubiecto extenſo, ac ſi eſſet extenſa formaliter, ſicut Angelus ita totus adeſt toti gymnaſio, ſicut adeſt totus aër in illo incluſus.

SECTIO IV.

Vtrum anima vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, realiter diſtinguantur?

§.23. QVæſtio eſt in eodem compoſito, nam in diuerſis eſſet inepta: forma enim rationalis hominis realiter diſtinguitur à ſenſitiua leonis: itẽ neque eſt quæſtio vtrum in homine ſint duę animæ rationales, eſt enim Fide ſanctum vnicuique homini vnicum eſſe rationalem animum, ita Concilium VIII. Conſtantinopolitanum, Canon. XI. eſtque euidentius meridiana luce.

§.24. Pro affirmatiua parte argumentum eſt nullum, niſi quia operationes vegetandi ſunt à ſenſionibus valde diuerſæ, multo magis & à diſcurſu, ergo exiſtunt principia realiter diſtincta. Verum hæc ſententia ex ſe apparet improbabilis, tum ex dictis in Phyſ. d.4. ſect.3. tum etiam quia forma ſenſitiua eſt formaliter vegetabilis, ergo non eſt ponenda alia vegetabilis in bruto animante, quia omnes effectus vegetatiuæ formæ à ſenſitiua præſtantur. Antecedens patet, quia formæ brutorum ſunt in ſua entitate diuiſibiles, vt probabo diſp.2. vel ſaltem ſunt diuiſibiles quoad vnionem, ita vt forma, vel vnio quæ in primo inſtanti generationis erat exigua, ſit poſt multos annos vegetior effecta, ac ſe in maiorem materiam porrexerit, ergo illa forma eſt vegetabilis.

§.25. Dices, vegetari non per ſe primò, ſed per accidens ad vegetationem alterius formæ. Contra, vnde colligis non vegetari per ſe primò? præſertim cum vegetatio, & extenſio ad maiorem materiam adeo ſit requiſita ad operationes ſenſitiuas, vt nequeant ſine illa commodè exerceri. Deinde vegetetur, ſiue per ſe, ſiue ſecundariò, ergo iam forma ſenſitiua eſt vegetabilis. Adde, formam ſenſitiuam habere ſufficientem calorem, & humiditatem ad alterandum alimentum, quia illæ qualitates ſunt per ſe neceſſariæ ad ſenſiones obeundas, ergo ipſa virtute propria conuertit alimentum in ſubſtantiam aliti, & illud ſibi vnit, quod eſt per ſe eſſe vegetabilem.

§.26. Secundò probatur, formam ſenſitiuam non diſtingui à rationali in homine, quia homo non eſſet vnus per ſe, ſed per accidens, quia compoſitum ex corpore organico & forma ſenſitiua, eſt vnum per ſe, ergo forma illi adueniens conſtituit cum illo vnum per accidens. Antecedens patet in bruto, quod eſt ens completum, conſtans ex ſolo corpore & animo ſenſitiuo. Dices, brutorum formam non comparari tanquam ſubiectum ad animam rationalem, ſicut comparatur forma ſenſitiua hominis. Contra, qui forma ſubſtantialis non eſt ſubiectum alterius ſubſtantialis, ille enim eſt eſſentialis conceptus materiæ primæ: præterea cum forma ſenſitiua

tiua

tiua hominis ſit tam perfecta in ſuis actionibus, quàm forma bruti, cur non conſtituet vnum per ſe completum, ſicut illud? Adde, rectè poſſe illam formam ſenſitiuam hominis manere in ſubiecto organizato, animo rationali diſcedente, cum ibi maneat ſubiectum aptum ad illam conſeruandam, & exercendas vitales actiones, quia ipſa tantum dependet ab organizatione ſubiecti, quæ integra poteſt conſeruari abſente animo rationali, quia quæuis forma ſenſitiua ſecum affert accidentia, quibus foueat materiã, & abſcedente animo rationali interit totũ compoſitũ ſenſitiuum, ſignum eſt ergo ibi nõ eſſe duas animas. Hac de re lege S. Tho. in diſputatis q. vnica de anim. art. 11. & 1. p. q. 76. art. 3 & 4.

§. 27. Tertiò ex operationibus: animus enim rationalis operatur cum dependentia ab organo corporeo, quia eo læſo, non bene operatur: at id non contingeret ſi eſſet alia anima ſenſitiua, ergo. Probatur minor, quia diſpoſitiones & actiones animæ ſenſitiuæ non poſſent iuuare rationalem in ſuis actibus. Nam ex eo quod vnus animus appeteret obiectum, cur ſecum traheret rationalem in eiuſdem appetitum? Confirmatur, quia eo admiſſo poſſet etiam animus rationalis, ſi vniretur materiæ equi, ab equina forma in operatione pendere, cum vtraque eſſet vnita corpori organizato. Tandem, quia animus rationalis ratione ſuæ vnionis eſt vegetabilis, non quod ipſe vegetetur, ſed quod hominem vegetet, & ſecum adferat omnia accidentia ad vegetationes, & ſenſiones neceſſaria.

§. 28. Igitur animus rationalis eſt ſenſitiuus, & vegetatiuus. Rogas vtrum formaliter? An eminenter? Nonnulli è Thomiſtica ſchola cenſent animum rationalem non formaliter, ſed eminenter eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum. Et quidem ſi *vegetatiuum formaliter* ſumatur pro vegetabili, id eſt pro re, quæ poteſt creſcere, aut nutriri, noſter animus non eſt vegetatiuus formaliter, quia caret partibus, per quas vegetetur. Abſolutè tamen eſt vegetatiuus formaliter, quia in ſuo conceptu formali includit principium hominis modo vitali vegetandi, ſicut ignis formaliter eſt combuſtiuus. Deinde formaliter eſt ſenſitiuus, quia ſenſiones eodem modo exercet, quo formæ brutorum. Sicut ergo illæ ſunt formaliter ſenſitiuæ, ita & hic. Tandem, quia homo eſt formaliter ſenſibilis, ſicut leo, cum quo conuenit in ratione animalis, ergo ab aliqua forma id habet, ergo à rationali. Igitur homo formaliter eſt animal rationale, ideſt conceptus formalis hominis eſt conceptus animalis rationalis, cum ergo animal ſit formaliter viuens ſenſibile, vt ex eius patet definitione, erit formaliter homo ſenſibilis: cumque homo ſit ſenſibilis, vt *quod*, ab aliqua forma, denominatur talis, quæ ſenſibilis ſit vt *quo*, quæ eſt anima rationalis. Neque verò reliquæ formæ ſunt ſenſibiles, vt *quo*, niſi quia ſunt principium, quo animal ſentit. Quæ verò ſunt ſenſibilia eminenter, ſimpliciter non ſunt ſenſibilia: alioquin Deus eſſet ſimpliciter ſenſibilis, nam ſenſibile eminenter dicit principium cognoſcendi, ſublatis imperfectionibus ſenſibilium, vt de cauſis æquiuocis diſp. 9. Phyſicorum oſtendi.

SECTIO V.

Vtrum animus rationalis, vt rationalis, corpus informet?

§. 29. His poſitis Caietan. 1. part. quæſt. 76. artic. 1. §. *in reſponſione ad primum*, opinatur animum rationalem informare corpus ſecundum gradum ſentiendi & vegetandi tantum, non verò ſecundum gradum rationalem, nulli quidem ſubnixus ſcipioni. Cuius ſententia, vt aliquem habeat probabilem ſenſum, erit explicanda: ac primum non eſt dubium vnionem phyſicam non eſſe præciſiuam vnius gradus ab alio. Nam id prouenit formaliter ab actu intellectus, qui vnam ſimplicem entitatem, vel diuidit in duas formalitates obiectiuas, vel denominat duobus actibus confuſis, quam rationis præciſionem nuncupamus, vt oſtendam diſp. 6. meta. ſect. 4. vnde infertur apertè, vnionem phyſicam animæ & corporis eſſe vnionem omnium graduum, realiter identificatorum cum gradu vegetatiuo, & ſenſitiuo, ac proinde reſpectu vnionis non aptè dici vnam formalitatem vniri & alteram non; nam vnio phyſica non tendit in formalitates, ſed in totam entitatem materialiter: ergo ſumendo rationale à parte rei prout rationale, vnitur corpori, quia vnitur ſenſitiuum, & à parte rei ſenſitiuum eſt rationale vt rationale: ergo à parte rei vnitur rationale vt rationale, quia vt rationale reduplicat noſtrum modum concipiendi: cum ergo ante noſtram cognitionem ex parte animi ſint idem formaliter ſenſitiuus gradus & rationalis, vnio terminata realiter formaliter ad vnum, ſimiliter terminatur realiter formaliter ad alium. De quo latè diſp. 6. met. ſect. 4.

Secundò rationale vt rationale poteſt intelligi non per ordinem ad ipſam vnionem, ſed ad noſtrum intellectum, an ſcilicet concipiamus animum rationalem vt tribuentem compoſito iſtam denominationem, ſicut dicitur oſſi tantum communicari animum ſecundum gradum vegetandi, & non ſentiendi, quia in oſſe vegetationem exercet, & non ſenſionem, vt dixi diſput. 9. Phyſic. ſect. 5. deſcribens modum, quo formalitas effectus reſpondet cauſis diuerſis. In quo ſenſu hos authores crediderim eſſe locutos: eorúmque ſententiam impugno, quia animus rationalis communicatur corpori vt ſenſitiuus, qua in parte corpore vtitur ad ſentiendum, ab eóque dependet: ſed animus rationalis corpore vtitur ad intelligendum, ab illóque dependet: ergo animus rationalis vt rationalis vnitur corpori. Probatur minor, quia animus rationalis in ſolo cerebro exercet operationes rationales, ad quas dependet à cerebri diſpoſitionibus, & actibus phantaſiæ, qua læſa, aut animus retunditur, & hebetatur, aut delyrat: ergo animus rationalis dependet à corpore in operationibus rationalibus: ergo vt rationalis, vnitur cerebro, ſicut neruo vt ſenſibilis: quia vt vnitus cerebro exercet actus intellectus cum dependentia à corpore: ſicut exercet ſenſionem in neruo: quamuis hæc pendet à neruo vt à ſubiecto, ſecus illi. §. 30.

Confirmatur: animus rationalis in quantum eſt forma corporis, eſſentialiter differt ab animo ſenſitiuo; ſed hæc differentia in eo eſt ſita, quod animus rationalis in quantum forma corporis habet differentiam rationalitatis, non verò quod animus rationalis entitatiuè ſit rationalis: hoc enim non eſſet differre in quantum forma: ergo animus rationalis in quantum rationalis eſt forma corporis. Quod patet apertè, quia homo inquantum homo eſt formaliter animal rationale, & rationalitate contrahitur animal ad hominem: ſed hoc non fieret niſi noſter animus vt rationalis communicaretur corpori: ergo. Probatur minor, quia rationale vt rationale prædicatur de toto homine, quia non eſt differentia ſolius animi, ſed totius compoſiti, animus enim non contrahitur ſolus rationalitate, §. 31.

ſed

ſed contrahitur totus conceptus animalis, cuius differentia eſt rationalitas: ſed iſtæ denominationes non poſſunt communicari animali, niſi media vnione animæ, inquantum rationalis, ergo anima vnitur inquantum rationalis. Tandem ſi diſtinguerentur ex natura rei illi gradus iuxta Scoticam opinionem, adhuc rationale vniretur corpori, quia eſſet ens incompletum, & dependens à corpore in ſuis actionibus, ergo etiam modo vnitur formaliter, quia etiam modo concipitur vt ens incompletum, & dependens à corpore in ſuis actionibus. Denique (vt rectè P. Vazquez tom. 1. in 3. p. diſp. 113. num. 2. & 3.) anima communicat corpori omnes ſuos gradus, totoſque cuilibet parti corporis, qui à parte rei ſunt omnes illi vna indiuiſibilis entitas. At vero non communicat cuilibet parti omnes ſuas operationes: ſed vegetatiuas omnibus, ſenſitiuas carni & neruis, rationales vero ei parti, à qua ad illas exercendas dependet, non tanquam à principio immediatè influente in eaſdem, ſed diſponente. Hæc doctrina expreſsè traditur à S. Tho. 1. p. q. 76. art. 1. & in diſputatis, q. vnica de anima art. 9. corpore ad medium. Vide P. Conimb. 1. de anima c. 1. q. 6.

SECTIO VI.

Quas partes animus actuet?

§. 33. PAtres Conimbr. & alij apud illos 1. de gener. cap. 4. q. 14. aliique quamplurimi apud P. Suarez tom. 1. 3. p. diſp. 15. ſect. 6 opinantur ſanguinem non informari animo rationali, idque opinantur de ſanguine cæterorum viuentium. Primo, quia ſanguis eſt alimentum corporis; alimentum autem neceſſariò debet eſſe mortuum, eſt enim *nutritio conuerſio ſubſtantiæ mortuæ in ſubſtantiam viuentem*, ergo ſanguis non viuit: maior patet, tum ex communi medicorum, & Ariſt. tum ratione, quia diffunditur à iecore per totum corpus, in quem agunt omnes illius partes, illum in ſe conuertentes. Sed hoc argumentum non me vrget, quia ſi pomum retenta forma vegetatiua comedatur, non minus alterabitur ab ſtomacho, & conuertetur in ſubſtantiam animalis. quam ſi amiſiſſet talem formam: idémque dixerim de animante quod veſcatur aliis animantibus, nam diſpoſitiones vnius viuentis vincunt alterius reſiſtentiam, & diſponunt illius materiam ad introductionem ſuæ formæ: quod ſi conuerſio non fit immediatè, eſt, quia antequam introducatur vltima diſpoſitio comedentis periit forma vitalis alimenti diſſoluto temperamento illi neceſſario: quod ſi vel ſubito, vel antequam introduceretur alia forma, diſponeretur ad formam comedentis, fieret immediata conuerſio inter ea viuentia. Ad argumentum reſpondetur, nutritionem eſſe motum à minori ad maiorem ſubſtantiam viuentem, cui parum refert eſſe ex alimento viuo, aut mortuò.

§. 34. Deinde admittamus rem animatam non poſſe eſſe primum viuentis alimentum: at vero facta decoctione, vna pars poteſt ali ex alia, quia partes fluidæ, & humidæ patiuntur alterationem à duris, & ſiccis, & frigidæ à calidis, ergo calida poteſt inducere ſuas diſpoſitiones in frigidam. Immo vero hac de cauſa cibo deficiente, fame torquemur, quia (vt aiunt medici) ſtomachus ſuo calore vicinas partes amburit, item cerebrum in ſuam ſubſtantiam vertit ſpiritus vitales, qui ſunt calidiſſimi, illud autem præfrigidum; & oſſa carne nutriuntur, è qua coagmentant medullam, quia diuerſæ partes habent contrarias inter ſe diſpoſitiones, quibus expulſis expelluntur etiam partes formæ, vel vnionis, quæ ab illis dependebant.

Dices, ergo partes formæ ſunt inter ſe contrariæ. Reſpondeo, ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium propriè: at vero in communi ſententia eſt luce clarius temperaturam vnius partis eſſe contrariam temperaturæ alterius, quia ſanguis eſt calidus & humidus: oſſa frigida & ſicca. Quod ſi omnes partes ſint homogeneæ ſubſtantialiter, vna non corrumpit aliam quoad ſubſtantiam: ſed calor verbi gratia carnis in ſe conuertit ſanguinem, inducta in illum aliqua duritie: ſi vero partes ſint hetherogeneæ vna corrumpit aliam, idque eſt neceſſarium ad conſeruationem viuentis. Nam per mutuum paſtum partes omnes reficiuntur; ſanguis autem vincitur ab omnibus, quapropter illum abunde iecur impertit, ſicque concors diſcordia viuentium conſeruatur. Immo ea ratione viuentia ſunt hetherogenea, quorum partes mutuis ſubſidiis iuuantur inuicem, & diſſidiis abſumuntur. Cor enim eſt præcalidum; cerebrum autem frigidum, & cor refrigeratur à cerebro, cerebrum autem incaleſcit à corde, quod ſi cerebrum ceſſet ab infrigidatione, ſtatim cor ardore innato conſumeretur & ſuffocaretur: ſi autem cor non temperatur, inflammat cerebrum, eáque de cauſa ingenioſi medici aiunt ſingulas partes habere gradum ſuæ qualitatis exuberantem, quo ſublato per actionem alterius partis, omnes temperantur, vnde conſtat partes eſſe contrarias & ſe inuicem abſumere in formis diuiſibilibus: in rationali vero ab vna parte abſumi temperaturam aliarum: ſed ex natura ipſius animalis prouidetur toti tale temperamentum, vt omnes partes habeant vnionem, & nulla in ſtatu connaturali enecet animal, aut labefactet: cum enim id contingit, eſt præter naturam partium, vide diſput. 1. de generat. à §. 113. ex quibus hæc compone. §. 35.

Secundò mouentur, quia ſanguis nullam habet vitalem actionem, ergo non animatur. Sed falſum antecedens, quia ſanguis creſcit & decreſcit: ſicut caro. Deinde in ſententia conſtituente partes homogeneas conſequentia eſt nulla: quia ſicut oſſi communicatur animus quin communicet ei ſenſionem, ita poteſt communicari ſanguini ſine vlla actione vitali, vt cum eius materia conſtituat corpus: quia ſic requirit tota animalis diſpoſitio. §. 36.

Tertiò, quia ſanguis non eſt continuus cæteris partibus, ergo non eſt animatus. Nego antecedens: ſanguis continuatur iecori, totuſque corporis ſanguis eſt continuus. Item continuatur vicinis partibus magis fluidis, immo verò propter hoc argumentum dicendum eſſet potius, oſſa non animari, quorum difficilior apparet continuatio. §. 37.

Quartò, quia ſanguis emiſſus retinet formam priorem: ſed ſanguis emiſſus non animatur, ergo neque incluſus in venis. Negatur maior, ſicut enim cadauer non retinet formam priorem, licet eam videatur habere, ita nec ſanguis, quod idem patet in eſſe. Rogas, quo tempore animam amittat ſanguis emiſſus? Reſpondeo quando amittit calorem neceſſarium, & reliquas diſpoſitiones; exiſtimo tunc cum primum è corpore decedit. Quia tunc redditur inutilis ad vitæ functiones. §. 38.

Quintò mouentur, quia ſi ſanguis informatur animo, ergo eſt pars corporis, ergo ſub ſpeciebus panis conſtituitur ex vi verborum conſecrationis panis, & non per concomitantiam: patet conſequentia; quia ex vi verborum ponuntur omnes corporis §. 39.

corporis partes. Leue argumentum eiuſdem difficultatis in oppoſita ſententia; nam dentes,capilli, vngues humores etiam ponuntur ex vi verborum; licet enim non informarentur animo, adhuc integrant corpus, ſicut etiam ponitur quantitas, quia corpus ſumitur integrum, & non mancum, ergo etiam ſanguis ponetur ex vi verborum. Igitur in vtraque ſententia reſpondeo; carnem, & ſanguinem, ſæpe diſtingui in ſcriptura: hic autem *corpus* ſumitur pro corporis partibus ſolidis, è quibus corpus coagmentatur, quia ſignificatur per modum cibi; cui aptæ ſunt partes ſolidæ, ſanguis autem datus in imitationem potus,cui non ſunt aptæ partes duræ, ſed fluidæ.Vnde nego ſecundam conſequentiam, & diſtinguo eius probationem; ponuntur partes corporis aptæ ad ſignificandum cibum, concedo; ineptæ, nego: colera autem, & melancholia coagmentant corpus, nec ſunt aptæ ad potum, ſicut eſt ſanguis.

§.40. Dico primò, *ſanguinem humanum informari animo rationali (idem dico de ſanguine animantium.)* Ita Caiet.3.p.q.5. art.2. adducens B. Thom. ait enim Caiet. ſanguinem eſſe actu partem hominis. Item & potentia, dum eo aliæ partes aluntur. Probatur primo ex Leuit.17. vbi dicitur animam omnis carnis in ſanguine eſſe, id eſt, vitam in ſanguine eſſe, vbi oſtenditur apertè præcipua animarum ſedes. Quod non poteſt exponi de alimento, quia idem poſſet dici de vino, aut herba; vnde S. Auguſt. gloſſa, & alij interpretes dicunt animum ſanguini ineſſe, & ex aliis locis, verbi gratia, *caro & ſanguis non reuelauit tibi.* item, *continuo non acquieui carni, & ſanguini.* Vbi inferior hominis portio diuiditur in carnem, & ſanguinem tanquam in principes hominis partes. Quare Auguſt. q.57. in Leuit. ait. *Aliquid vitale eſt in ſanguine, quia per ipſum maximè in hac carne viuitur. Ipſam vitam corporis vocauit animam.* Hæc ille. Cum ergo anima ſit vita, & ſit in ſanguine, equidem ſanguis viuit & animatur.

§.41. Secundò probatur, quia ſanguis eſt vera hominis pars, ergo informatur animo rationali: conſequentia patet, quia omnes partes ſunt continuæ, tum quia non eſt alia forma totius, & alia partium,tum quia homo non eſſet vnus per ſe, ſed per accidens, cum igitur animus rationalis ſit vnus indiuiſibilis, neceſſario informat omnes hominis, partes, antecedens probatur primo ex Innoc. III. *in quadam extrauag. de celebratione miſſarum,* vbi docet aquam, & ſanguinem fluxiſſe è latere Chriſti, vt oſtenderetur Chriſti corpus habuiſſe quatuor humores, qui pertinent ad veram hominis conſtitutionem; cum ergo homo vere conſtituatur ſolis ſuis partibus, quatuor humores erunt veræ partes hominis: quæ ſententia communiter tribuitur S. Auguſt. Damaſceno, & Tho. aliiſque inſignibus Philoſophis, & Theologis, quibus haud parum patrocinantur hæc verba Conc. Trident. ſeſſ. 13. cap.3. *Semper hæc fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem, Domini noſtri corpus verumq́ eius ſanguinem ſub panis, & vni ſpecie vna cum ipſius anima, & diuinitate exiſtere. Sed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub vini ſpecie ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguis ſub ſpecie panis, animaq́ ſub vtraq́, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur.* Vnde conſtat apertè animam rationalem Chriſti ſanguini copulari in calice, quia cum ſit pars ipſius ſanguinis, illum comitatur vbique & propter eandem rationem animam Chriſti viuentis reperiri in hoſtia conſecrata, quia eſt corporis pars, igitur ſanguis & caro ſunt compartes Chriſti: & cum illis anima per quam viuunt, & propter connexionem quam habent partes viuentis inter ſe, omnes reperiuntur ſub vtraque ſpecie.

Tertio probatur idem antecedens, quia illa eſt pars integralis hominis, ſine qua homo eſſet mutilus: ſed ſine ſanguine talis relinqueretur homo, ergo ſanguis eſt pars integralis hominis. Maior patet, quia ſi homini nulla deeſt pars integralis, ergo eſt integer: ergo non eſt mancus: quod ſi aliqua deeſt, ergo iam eſt mutilus, ergò illa eſt pars integralis hominis, ſine qua homo eſt mancus. Prima minor patet, quia ſanguine effuſo, homo redditur ferè inutilis ad vitæ functiones, & continuo exanimatur,multo magis,quam ſi abſcinderentur manus, aut brachia, quod non oritur, quia deficit alimentum, nam in tam breui ſpatio non ſunt partes adeo voraces, vt ſentiant defectum pabuli, ſed id contingit, quia deficit vna è præcipuis hominis partibus, à qua cæteræ omnes dependent. §.42.

Tertiò probatur eadem concluſio, quia Chriſtus Dominus verè aſſumpſit ſanguinem, ergo ſanguis eſt animatus. Maior ſine nota negari non poteſt, & confirmatur,quia in calice, ex vi verborum eſt Verbum diuinum,ſicut eſt ſub ſpeciebus panis, & non alia ratione: ita vt ſi quis in triduo conſecraret calicem, ex vi verborum tantum conſtitueretur ibi materia ſanguinis cum ſubſiſtentia Verbi, alioquin in illo Sacramento nullum eſſet ſuppoſitum diuinum: quod valde minueret huius Sacramenti dignitatem. Minor verò expreſsè aſſeritur à Durando, Mairone, Gabriele, Ricardo, & Alfonſo Toſtato apud P.Suar. t.1.1.3. p.diſp.15.ſect. 6. §. *propter hæc eſt*, aſſerentibus ſanguinem non fuiſſe aſſumptum à Chriſto,quia non eſt animatus: in quam opinionem Caiet. inclinat, & non ſine fundamento in S.Tho. & probatur: quia Chriſtus non aſſumpſit naturam irrationalem, ergo non aſſumeret ſanguinem niſi eſſet animatus. §.43.

Dices Chriſtum non aſſumpſiſſe naturam irrationalem ſolam, ſed illam quæ pertinet ad complementum rationalis. Contra, quia non fuit opus tali aſſumptione: ſufficeret enim aſſumptio corporis & animi, vt eſſet Deus verus homo abſque eo quod aſſumpſiſſet ſanguinem, vt homo eſt verus homo, ſine illius animatione; & præſefert indignitatem quandam, vt Deus verè eſſet, & denominaretur perſona irrationalis, verbi gratia, vt Deus eſſet ſanguis, colera, aut flegma, & quod flegma eſſet Deus, quæ denominationes Deo conuenirent ſicut denominatio homini cõuenit. Quia ſanguis in rigore iuxta hanc ſententiam, eſt quædam natura completa irrationalis, ſicut lignum, lapis, aut aqua. §.44.

Nam quod ſanguis pertineat ad complementum hominis,non tollit quin ſit natura integra,& completa, cum componatur ex materia & forma ſubſtantiali, ſicut aqua: licet pertineat ad complementum vniuerſi, quia non complet vnum ens per ſe: ſed per accidens quale reſultaret ex homine & ſanguine. Tandem oppoſita ſententia pro ſe imbecilla habet argumenta, noſtra verò affinior eſt ſenſui ſacræ paginæ, Concilij Tridentini, & myſterij Incarnationis. Quid autem ſi ei refragetur Ariſtoteles? §.45.

Dicis, formam irrationalem in triduo vnitam fuiſſe hypoſtaticè Verbo, & tunc Deus erat cadauer. Sed id nego: nam teſte S. Tho. vbique Verbum aſſumpſit corpus mediante anima,neque operi redemptionis neceſſaria fuit talis aſſumptio, ſed corpus ſemper retinuit hypoſtaſim diuinam, cadaueris §.46.

ueris autem forma propria caruit ſubſiſtentia. Quin verò latè oſtendi d.24. in 3. p. ſect. 2. non poſſe aſſumi à Verbo formam irrationalem: quod confirmaui authoritate Orig. Tertull. Auguſt. Thom. Bonau. Carthuſ. Henrici, & aliorum.

§. 47. Dico ſecundò: *Hominis dentes vere informantur animo rationali.* Probatur primò, quia habent diſpoſitionem, figuram, & accidentia communia corpori vegetabili, ſúntque ſimiles oſſibus, & quædam illorum ſpecies, qui carni continuantur per quaſdam fibras, quibus quaſi radicibus creſcunt, & carni infiguntur; tum etiam quia dentes ſunt partes Integrales hominis; ſine quibus eſt mancus, & impeditur vſus plurium actionum, vt loquutionis, comeſtionis, &c. Denique iiſdem rationibus quibus probatur oſſa animari, probatur & dentes.

§. 48. Dico tertiò. *Semen iam elaboratè perfectum non animatur.* Probatur, tum quia non eſt pars integralis hominis, qui ſine illo eſt integer, & perfectus, vt patet in adoleſcente adhuc carente ſemine; & admittere tenentur quotquot negant fœminis verum ſemen: tum etiam quia ſemen fit ex ſanguine defæcato redundante, ita vt ſemen iam ſit excrementum licet vtile. Tertiò, quia nulla pars integralis corporis, ſponte effluit è corpore, eſt enim contra partis inclinationem totum deſerere. Quapropter ſanguinis profluxus ſpontaneus arguit eum ſanguinem iam eſſe corruptum, vel tantum poteſt creſcere, & rarefieri, vt non capiatur venis. Hæc concluſio cum ſua probatione eſt Ariſtot. 2. de generatione animalium, c. 3. ante finem, de ſemine ſic aſſerentis; *nam illud quoque excrementum eſt, habetq́; omnes partes potentia, actu nullam.* Deinde probatur, quia partes viuentis, & earum organa per ſe primò ſunt ad perfectionem ipſius viuentis: ſemen autem iam elaboratum non eſt niſi ad efficiendum aliud viuens: ergo non eſt pars viuentis.

§. 49. Dices primò, luxurioſos, vt plurimũ eſſe macros & exiles: id autem prouenit, quia ſemen animatur: ergo. Nego minorẽ, ſed quia ex ſanguine neceſſario & ex ſpiritibus vitalibus continuo fit aliud ſemen, & quo plus ſeminis decoquitur, plus alimẽti corpus amittit. De quo egi diſp. 2. de generatione. Dices ſecundò, ſpadones cenſeri homines mancos. Reſpondeo, id non oriri præcisè ex defectu ſeminis, ſed quia eis præciduntur nerui, qui ſunt ſeminis fabri.

§. 50. Dico quartò. *Capilli non informantur animo.* Probatur iiſdem rationibus, quibus præcedens concluſio. Adde, capillos per ſe nullam ſibi determinare magnitudinem, neque vnquam facere creſcendi finem, vt patet tum in homine, tum in crinibus equinis, qui ſolent ad ſolum defluere. Quod ſi aliquando finem imponunt incremento, eſt per accidens, quia alio elabuntur excrementa.

§. 51. Dico quintò. *Vngues animantur.* Tum quia ſibi determinant figuram, & quantitatem: tum quia deſeruiunt digitis tegendis: tandem quia partes ſunt manus, illam ad ſuas actiones iuuantes, ſine quibus eſt manca: at vero extremi vngues non animantur, quia ſunt excrementa manus, neque etiam lac ob rationes quas habet cõmunes cum ſemine, at verò colera, melancolia, & phlegma animantur, propter primas rationes, quas de ſanguine confeci.

SECTIO VII.

Vtrum animus producatur antequam corpus informet?

§. 52. DE animo materiali nulli poteſt eſſe dubium, quin tunc producatur quando corpori vniatur, quia, cum educatur ex poteſtate materiæ, non poteſt fieri ex natura ſua niſi dependenter ab illa: vnio enim connectitur neceſſario cum dependentia formæ à materia.

Animum rationalem cenſuit Origenes (vt aiunt) fuiſſe productum antequam corpori vniretur. Cuius delyramenti nulla eſt ratio, eſtque error Theologicus, & philoſophicus, damnatus à Leone, primo epiſt. 31. contra errores Priſcillianiſtarum, & in Concilio Conſtantinop. V. act. 11. in Epiſt. Sophronij. Probatur, quia animus rationalis eſt ex natura ſua forma corporis, cuius vnione ſubſtantialiter perficitur, cuius naturalis finis eſt compoſitum: ſed animus rationalis non debet produci ſine ſua intrinſeca perfectione ſubſtantiali, neque carere ſine ſubiecti connaturalis: ergo non debet produci antequam corpus informet. Maior patet ex dictis: minor probatur, tum ex comparatione materiæ primæ, quæ eaſdem ob cauſas nunquam fuit producta ſine aliqua forma ſubſtantiali; tum etiam quia *natura opus habet perfectum*, nec quid mancum molitur, niſi ex defectu alicuius cauſæ ſecundæ. §. 53.

Dices, homine intereunte eius animum conſiſtere ſeparatum à materia, ergo idem fuit ante productionem. Nego conſequentiam: diſcrimen eſt clarum, quia anima ſubſiſtit ſeparata propter ſuam independentiam à materia, illéque defectus vnionis, & violentus ſtatus, quem habet animus ſeparatus, oriuntur à cauſis ſecundis, non valentibus conſeruare vnionem corporis, & animi: ſi vero id contigiſſet in prima animi productione, defectus ille in ſolum Deum, & naturam eſſet referendus. §. 54.

Secundò, quia animus rationalis ante corporis vnionem nullam exercuit operationem vitalem, neque illam potuit exercere: ſed nulla res ſubſtantialis, præſertim tam nobilis, quàm animus, poteſt ex natura ſua produci in eo ſtatu, in quo longo tempore nihil valeat operari: ergo animus rationalis non poteſt produci ante corporis vnionem. Maior patet, quia ſi quam operationem anima tunc exercuiſſet, ea eſſet intellectualis: huius autem in eo ſtatu nullum reperitur veſtigium, quia nihil recordamur eorum, quæ in tali tempore cogitarimus. Nec eſſet cur eorum non recordemur: homines enim ab infernis reuocati meminere ea, quæ ipſis contigere extra corpus: nam ſi illæ operationes ex natura ſua, non pendent à materia, cur in materia non conſeruarentur earum ſpecies impreſſæ, & cætera intellectionis principia? vt Chriſtus Dominus, qui in corpore exercuit ſcientiam infuſam. Imo verò pueri in vtero poſſent ratiocinari, quia ſi ante infuſionem animi in corpus id præſtabant, quid ni præſtarẽt in ipſo corpore? Quapropter in ipſo progreſſu animæ in ſuis actionibus exercendis clare colligitur, illam non fuiſſe productam ante infuſionem in corpus. Nam primũm vegetat corpus, atque aptat ad ſenſionẽ. Deinde paulatim moderatur donec efficiat ſpiritus animales, ſine quibus non poteſt intelligere: at vero poſtquam à corpore ſeparatur facto iam primo quaſi gradu, illi tribuuntur ſpecies, quibus extra corpus intelligat. §. 55.

Hinc refellitur Pythagoricus error, damnatus in Eccleſia: vnum animum in varia emigrare corpora; prauos quidem vel in bruta, vel in lapides in pœnam ſuorum ſcelerum; honeſtos autem atque ſapientes in humana corpora rectè efficta. Ac quidem animum non poſſe informare corpus equinum, aut alterius bruti, aut rei inſenſibilis, patet apertè: tum quia vnus animus non petit corpora tã diſſimiliter diſpoſita: tum etiam, quia noſter animus eſt forma natura ſua diſcurſiua: at in huiuſmodi corporibus §. 56.

propter eorum ineptitudinem nō poſſet eas actiones exercere:ergo nō poteſt in ea corpora infundi. Præterea. Quia homo & brutum, non differrent ſpecie; ſicut non videtur differre huius erroris inuentor. Adde; nos poſſe recordari eorum quæ geſſimus in alio corpore,vel ſi non poſſumus propter diuerſam organizationem, certè huiuſmodi ſupplicium,aut præmium eſſet imprudens:quia pœna, & præmiū debet ſentiri,& torquere, vel delectare probum,& prauum:indignum eſt ſanè hunc errorem inſequi,cum ipſe ſuamet corruat fatuitate.

DISPVTATIO II.

De compoſitione viuentium.

NON ago de eſſentiali (de qua ſatis lib. 1. Phyſicorum) ſed de integrali: quæ conſequitur eſſentiam, quia eſſentia aut ſimplex eſt,aut compoſita intrinſecè.

SECTIO I.

Vtrum animus rationalis ſit ſpiritualis & ſimplex?

§. 1. SPiritus multifariam capitur in ſcriptura.Primò pro aëre, Geneſ.8.1. *Adduxit ſpiritum ſuper terrā,& imminutæ ſunt aquæ.* Id eſt,aëre ſiccauit Deus terram. Secundò pro anima ſenſitiua,ſiue rationali: ſiue irrationali, Eccl. 3. 21. *Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? & ſi ſpiritus iumentorū deſcendat deorſum?* Tertiò pro humore animalis. Prou. 17.22. *Spiritus triſtis exſiccat oſſa.* Id eſt, humor melancholicus. Quartò, ſumitur pro ea hominis parte,quę ratione ducitur,vt opponitur tam corpori, quam brutis: à qua parte homo dicitur *ſpiritualis* in parte. Quæ vox in ſacris litteris ſolis rebus intellectu gaudentibus aptatur. Pſal.30. 6. *in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Sed clarius in nouo teſtamento. Matth.26.42. *Spiritus quidē promptus eſt; caro autem infirma.* Vbi non opponuntur corpus & anima: corpus enim vt abiunctū ab animo non ſentit: ſed vt animo informatur. Diſtinguūtur ergo ibi duo genera actuum humanorum: alterum eorum,qui oriuntur ex ſenſibus,qui actus vocantur *carnales*, quia per illos tantum prouidemus bona corporis, nulla habita ratione rectæ rationis; atque homo vt eſt principiū horū actuum vocatur *caro*,& *portio inferior*, quia infra ad humilia tendit abiecta. Alterum genus eſt eorum actuum, quos elicimus ex præſcripto rationis, nulla habita ratione commodi aut incommodi corporis:homo autem, vt eſt principium eorum, vocatur *ſpiritus ſpiritualis*, & *mens*, ſeu *ratio*. & *portio ſuperior*, quia euolat ad ſuperiora: ita de ſe dixit Chriſtus, *ſpiritus quidem promptus eſt*, id eſt actibus elicitis ab animo vt conſiderat rationis normam & leges, alacer eſt animus ad pugnam,& mortem. *Caro autem infirma*, id eſt, reluctatur animus idem allectus bono corporis: totus enim homo ſenſibilis mortem exhorret. Rom 8.4. *Non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum*, id eſt, non ſequimur blanditias, ad quas nos trahunt carnales ſenſus, ſed ſequimur rationis leges, ad quas ſpiritus inclinat adiutus gratia Dei; item Rom.7.22. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 1. Corinth. 1. n. 14. *animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei*: qui autem ſpiritu ducuntur vocantur *ſpirituales*. Galat. 6. 1. *vos qui ſpirituales eſtis*: homines autem pios vocamus *ſpirituales*. Angeli tam boni, quam mali, item Deus *ſpiritus* vocantur. Inclinationes autem ad bonum vocantur etiam *ſpiritus boni*, quia ſunt à bono Deo; inclinationes autem ad malum vocantur *mali ſpiritus*, quia ſunt à malo dæmone: vnde monemur ne credamus omni ſpiritui, ſed vt eos attentè diiudicemus. Hæc autem nomina, *mens, ratio, ſpiritu duci*, & *ſpiritus*, abſolutè non tribuuntur aliis rebus: à philoſophis autem *ſpiritus* vocantur, ſanguineæ particulæ, quibus animalia reficiuntur ad nutritionem, & ſenſum.

Vnde liquidò conſtat, rationalem animam eſſe ſpiritum,& ſpiritualem,Fide credendum eſſe.Nam in homine eſt aliquod principium,quo ducitur ſecundum regulas rectæ rationis, vt ex ſcriptura patet: indidem etiam patet, hoc principium non eſſe corpus; quia hoc potiùs rationi opponitur: ergo animus. Quod expreſſit Matth.cap.27. quinto, *clamans voce magna emiſit ſpiritum*, ideſt, animam Ieſus efflauit. Quod definiit Eccleſia in decretalibus titu. 1. de ſumma Trinit. & fide Catholica, c. Firmiter; quod eſt primum, *ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit* (ideſt Deus) *creaturam, corporalem, & ſpiritualem; Angelicam videlicet, & mundanam: ac deinde humanam quaſi communem, ſpiritu & corpore conſtitutam.* Itaque de hac veritate nulli catholico dubium. §. 2.

SVBSECTIO I.

Primum argumentum.

RAtione probatur primò: Omnis res omnino indiuiſibilis, & independens à materia, vel quouis alio corpore, eſt ſpiritualis: ſed animus rationalis eſt independens ab omni corpore, & eſt omnino indiuiſibilis, ergo animus rationalis eſt ſpiritualis. Maior poni videtur ab omnibus ex ſignificatione *rei ſpiritualis*, quæ omnino opponitur *rei corporeæ*, quæ vel eſt corpus, vel ab eo pendens. Eſt enim conueniendum in ſignificatione vocum, ne illarum æquiuoca acceptione deluſi diffidamus, Babelicæ turris ſtructorum more clamantes. Dixi *omnino indiuiſibilis*, quia punctum, licet in ſe careat partibus,eſt tamen diuiſibile vt *quo*: quia eſt *quo* corpus diuiditur. Item pendet à corpore: item formæ brutorum, licet admitterentur inſectiles; adhuc à materia pendent. §. 3.

Dices, animum eſſe independentem à corpore, & indiuiſibilem: tamen eſſe corporeum: quia eſt pars eſſentialis corporis completi: & reſpicit corpus. Verum id iam primò reuocatur ad quæſtionem de nomine: ſed tamen nomen illud inueheretur cum ſuſpicione in Fide; & contra communem philoſophorum acceptionem. Deinde cognitiones Angelicæ de materia prima ſunt ſpirituales, licet reſpiciant corpus, & hypoſtaſis in Chriſto eſt intrinſecus terminus naturæ humanæ,quæ eſt corpus completum; eſt ergo rationem ſpiritus reperiri in indiuiſibilitate, & independentia à corpore, quæ eſt maior propoſitio. §. 4.

Probo minorem. Nam independentia animi à corpore ponitur, infra probanda diſput.18. ſect.1. Indiuiſibilitas ſic oſtenditur. Si animus haberet partes,eſſet corruptibilis,ergo non habet;nam eius incorruptibilitas oſtendetur diſput.18.Antecedens probo: nam continua decretione, & imminutione hominis, §. 5.

hominis, partes animi informantes partes corporis deperditas omnino corrumperentur, ergo totus animus eſſet corruptibilis; quia quælibet pars informat corpus, à quo poſſit abiungi manentibus in corpore partibus aliis: & omnes ſunt partes vnius animi, qui non poteſt non eſſe corruptibilis, ſi tales ſunt ſingulæ partes: neque eſt vnde arguatur aliquarum incorruptio, ſi admittitur corruptio aliarum.

§.6. Dices primò, eas partes non fore corrumpendas, quia regrederentur ad informandas corporis partes, quæ ſupereſſent. Contra, ergo animus eſſet capax intenſionis, & remiſſionis: quia plures partes eiuſdem formæ numero exiſtentes, ex natura ſua, in eadem parte ſubiecti efficiunt intenſionem. Contra ſecundo illæ ſecundæ partes eſſent otioſæ, quia totum munus ab illis exercendum, exercebatur ab aliis. Quorſum ergo natura non vitauit hæc monſtra? Immo efficerent vnum per accidens: quia partes præexiſtentes in brachio efficiebant vnum per ſe, cui accederent nouæ partes eſſentiales. O quam rideo conſiderans animam longam in corpuſculo infantili contractam, ac ſe paulatim porrigentem puerili cremento: & iterum in ſenecta aut mutilatione contrahentem ſe, & quaſi rugantem. Timendum eſſet ne procerorum animæ euaderent mancæ & claudæ tam longa crurium complicatione. Adde ſi partes animi eſſent hetherogeneæ, pars exiſtens in oculis, ſi eis erutis, quo recurret? Non ad aures, quia ſunt abſimiles, & aurium temperatura eſt inepta oculis. Deinde rixarentur & ſe mutuo pellerent. Si autem eſſent homogeneæ otiarentur proculdubio tanto tempore.

§.7. Dices ſecundo, eas partes conſiſtere ſeparatas. Bene: expectarent ne alias partes, quibus copulatæ lethæum tranarent? An auté eſſent anima integra? nam quæuis continui pars efficit totum, ſi ſepararetur, vt oculis patet in aqua: deinde ſic ſeparatæ intelligerent ne?an dormirent? quid facerent? item ſi pars carnis abſciſſa inſtauretur per medicinam, vt ſæpe naſus, informabitur alia parte animi: ergo poſt obitum erunt duæ partes carneæ: ridicula ſunt hæc digna Empedocle, aut Cratylo. E quibus liquido conſtat animum non poſſe eſſe immortalem, quin partibus careat.

§.8. Dices tertio; eas partes eſſe in prima creatione vnitas minimo naturali corporis; cui coëxtenſæ ſunt formaliter; eædem autem virtuali extenſione occupant nouas corporis partes: itaque habet animus partes neceſſarias ad informandum corpus tot numero quot ſunt organa minimi naturalis: illæ autem occupant locum maiorem maiore in corpore: cum autem ſecatur corpus, aut decreſcit; nec partes penetrantur; nec ſunt duæ in eadem parte materiæ; nec corrumpuntur; ſed amittunt priorem vnionem ad corpus: quemadmodum nunc totus animus nõ abiũgitur à corpore nec interit; ſed præciſè amittit vnionem ad partes corporis auulſas.

§.9. Qui ſic ratiocinaretur, non ageret tam inſanè: nec tamẽ admodum ſanè. Cum enim forma partes habet diuerſis corporis partibus reſpondentes; eas habet crementi capaces ac decrementi. Vt enim vna pars exiſtit tota in vna corporis parte, & tota in aliis; cur animus idem non efficiet idem? tota enim difficultas concipiendi formam ſimplicem oritur ex eius exiſtẽtia in diuerſis corporis partibus. hæc autem ſolutio id iam admittit, inſuper & nouas difficultates de partibus.

§.10. Adhæc non vitatur animi obitus: quia illud naturale minimũ poteſt ab Angelo in vtero diſſecari: cuius ſectione & animus partiri poteſt: quia cum habeat partes extenſas cum corpore, cum eodem diuidetur. Nec enim redditur ratio cur ille animus non ſit diuiduus ad corporis diuiſionem: quemadmodum forma cœli diuideretur cum materia, ſi diuideretur hæc. Quod ſi dicas eas partes omnes coniunctas auolaturas minimi ſectione; Reſpondeo; ipſas partes eſſe poſſe in ſe maiores minimo naturali. cum enim illæ certam magnitudinem habeant paruitatis, ita & magnitudinis: intra quos duos terminos poterunt creſcere, aut decreſcere: quid ergo fieret partibus auulſis? vt enim illa ſolutio diuinat, ita eſt vrgenda, quia eodem fundamento poſſent & alia multa abſurda confingi.

SVBSECTIO II.

Argumentum ſecundum.

Secundò probatur animum eſſe ſpiritualem, quia percipit obiecta ſpiritualia: ergo habet cognitionem & potẽtiã ſpirituales: ergo ipſe eſt ſpiritualis. Secunda conſequentia eſt certa, quia nihil eſt adæquatum principium actus, aut potentiæ ſpiritualis, quin ſit ſpirituale: nam res corporea, quia eſt inferior, non poteſt eſſe principium actiuum adæquatũ rei ſpiritualis, nec proprietates, & actiones ſunt in nobiliori ordine aut gradu, quam eſſentia, à qua dimanant. Primum antecedens eſt certum experientia quotidiana, qua percipimus Deum & Angelos. Quod ſi quis neget ſe cognoſcere res ſpirituales, ipſius verbis reuincitur: quo enim pacto negat ſe apprehendere ſpiritualia, cum id negare non poſſet, niſi ea apprehenderet? Prima conſequentia probatur: quia omnis cognitio materialis tendit in obiectum ſub aliqua ratione accidentali materiali, quia ipſum obiectum afficitur intrinſecè: ſed obiectum ſpirituale non afficitur intrinſecè aliquo accidenti materiali: ergo obiectum ſpirituale non poteſt concipi cognitione materiali. Probatur maior, tum diſcurrendo per ſenſus externos percipientes ſolas materiales qualitates, lucem, colorem, ſonum, odorem, ſaporem, calorem & frigus, durum & lene: tum etiam, quia ſenſus communis non percipit niſi obiecta externo ſenſu percepta, idémque dico de phantaſia, & cæteris ſenſibus internis (ſi forte realiter diſtinguuntur à ſenſu communi) ſed nulla eſt alia cognitio materialis, præter cognitiones horum ſenſuum: ergo omnis cognitio materialis tendit in obiectum ſub ratione accidentali. Probatur antecedens, quo ad ſenſum communem, quia hic non percipit obiectum niſi cum dependentia à ſenſu externo, & per ſpecies ab illo dependentes, vel dependentes ab ipſius ſenſus externi ſpeciebus: ergo non poteſt percipere obiecta niſi externo ſenſu percepta: probo conſequentiam, quia obiecta ſpiritualia nullo modo dependent immediatè à ſenſu externo, quia per illum non percipiuntur: ergo illa obiecta ſunt materialia. Cui probationi nullum argumentum eſt aptius, quam experientia, qua deprehendimus nihil à nobis percipi per ſenſus præter corporea: Immo vix formamus conceptum de re corporea, niſi eam ſenſu capiamus. §.11.

Dices, ſenſum communem percipere obiecta ſpiritualia, qui per ſpeciem ſenſuum exteriorum diſponitur ad efficiendas ſpecies impreſſas magis perfectas, per quas cognoſcat ſpiritualia: ſicut communiter dicitur intellectus agens illas efficere excitatus per phantaſiam. Verum hoc dici ſine fundamento patet ex diſcrimine comparationis adductæ: nam cum intellectus agens ſit ſpiritualis, diſpoſitus §.12.

per ſpecies phantaſiæ efficit in ſe ſpecies ſpirituales repræſentantes idem obiectum phantaſiæ ſub eadem ratione formali: ſed diuerſo modo ex parte potentiæ, atque ipſe intellectus ex cognitione illius obiecti materialis diſcurrit in cognitionem obiecti ſpiritualis: at verò ſenſus communis, cum ſit omnino materialis, non poteſt habere ſpecies niſi omnino tendentes in rem materialem, quia ille ſenſus non eſt diſcurſiuus: alioquin brutum eſſet diſcurſiuum, atque ita quid ni erit liberum? quod patebit inferius, cum agemus de dependentia vnius potentiæ ab alia.

§. 13. Confirmatur ex duplici perfectione intellectus & voluntatis: prima eſt ipſe diſcurſus quo homo cognoſcendo ita diſcurrit, vt ex vno principio plures deducat concluſiones: in quo mirus eſt in reddenda ratione omnium, in confutandis argumentis, in mirabili conſequentia, qua rerum omnium infinitudinem connectit. Adde reflexionem intellectus in ſuos actus, quibus ſe dirigit ex præſcripto rationis naturalis & moralis. Non omittam, non entium cognitionem, præſagium æternitatis, Dei indagationem, rerumque omnium vniuerſalitatem, qua in ſe cuiuſque rei pulchrè effingit ſimulachra. Quapropter rectè Ariſt. 2. de generatione animalium cap. 3. animum rationalem vocat *mentem*. Secunda perfectio eſt ipſius voluntatis quæ liberè ſe exercet circa ſua obiecta, non trahitur in illa more belluino: ſed in ſingulis illis exercendis poteſtatem ſuam dominiúmque oſtentat. Quas perfectiones rei materialis limites tranſilire quis adeo barbarus inficietur?

§. 14. Confirmatur: quia bruta huiuſmodi cognitiones non habent: ergo neque noſtri ſenſus communes. Conſequentia patet, quia bruta tam perfectos, immo verò multo perfectiores habent ſenſus quàm nos: antecedens probatur: tum quia bruta nullo ſigno indicant huiuſmodi cognitiones: quod ſi eas haberent, eas quidem indicarent. Nullum enim brutum internè operatur, quin poſſit illam operationem externo ſigno manifeſtare, vt patet ex variis gemitibus, externíſq; ſignis: quibus ſe animantia pandunt: tum etiam; quia illæ operationes eſſent inutiles animanti. Cui enim rei illi inſeruiret æternitatis præſagium? regularum rationis inquiſitio? Cum ſit incapax æternitatis, libertatis, præmij aut ſupplicij, boni aut mali operis. Immo verò eadem ratione euidenter probatur, animum rationalem eſſe ſpiritualem: quia ſi eſſet materialis: hominis interitu interiret. Cui igitur rei illi deſeruiret cognitio rerum ſpiritualium, & directio ex præſcripto rationis? Eſſent enim melioris conditionis bruta animantia; quæ tantum meditantur herbam. Hic poſſet inquiri vtrum potentia abſoluta poſſit eſſe potentia corporea: quæ attingat ſpirituale obiectum? Sed eſt abs noſtro inſtituto: cui ſufficit probare noſtros & belluinos ſenſus nihil percipere niſi materiale. Altera quæſtio eſt propria primæ partis quæſt. 12. de qua pauca præſtringam diſp. 17. ſect. 1. Dixi belluinos ſenſus eſſe nonnunquam nobiliores noſtris; non quidem in ſubſtantia, qui eſt animus ipſe; ſed in aliqua perfectione actionis: Aquila enim perſpicacior eſt homine. Item hic non diſquiro vtrùm omnis res ſpiritualis partibus careat: de quo ſectione 3. ſed omnem rem indiuiſibilem, & independentem à materia eſſe ſpiritalem.

SECTIO II.

Vtrum animus rationalis componatur ex potentia paſſiua & actu?

HAc de re diſputant S. Thom. de ſpiritualibus creaturis art. 1. 1. part. q. 50. art. 2. & P. Suarez diſput. 13. met. ſect. 14. non eſt quæſtio de potentia paſſiua materiali; hæc enim ex terminis repugnat compoſitioni rei ſpiritualis. Nec item eſt quæſtio de potentia paſſiua & receptiua accidentium & ſuppoſiti: nam omnis actus ſpiritualis creatus, etiam Angelicus, eſt ſubiectum receptiuum propriorum accidentium: ſed quæro vtrum animus ſit compoſitus è duabus partibus ſubſtantialibus; informante altera, altera recipiente? Sicut homo componitur ex materia & forma. Obiter autem quæſtionem deducemus ad omnem creaturam ſpiritualem. §. 15.

Dico primò: *Animus rationalis eſt ſimplex, carens compoſitione eſſentiali, ac ſolum ipſe eſt ſui ſuppoſiti, vnionis, & accidentium ſubiectum.* Sic S. Thom. P. Suarez ſupra & alij: eſt adeo communis vt oppoſita ſententia ſit improbabilis. Probatur: animus rationalis eſt ens incompletum conſtituens vnum per ſe hominem cum corpore: ſed neutrum haberet, ſi eſſet eſſentialiter compoſitus: ergo. Probo minorem, quia compoſitum ex materia & forma materiali eſt ens completum, & non refertur ad compoſitionem eſſentialem alterius: ſed potentia paſſiua & forma animæ eſſent tam completa, quàm materia, & forma materialis, vt per ſe patet, ergo. §. 16.

Dices ab Scoto admitti duas formas in viuentibus. Contra primò, abunde oſtendi diſp. 4. phyſicorum, quam ſit falſa ea ſententia. Secundò ea admiſſa, nihil contra me infertur. Quia Scotus arbitratur effectum corporeitatis non oriri à ſola materia, quæ eſt indifferens, nec à forma viuenti, quia iam ſupponit corpus organicum: at nullus eſt effectus, qui præſtetur ab illa potentia paſſiua in ordine ad hominem. Nam concurrere actiuè ad ſenſionem ipſa forma poterit, ſi organa ſint inſtructa: ſimiliter elicere intellectionem: etiam recipere. Adde formas materiales, cum ſint imperfectiores, carere ea compoſitione. Immo ei repugnare ex intrinſeco conceptu principij. *Quod neque ex ſeſe, nec ex aliis: ſed omnia ex ipſis.* Item anima non crearetur, quia vnio formæ & potentiæ paſſiuæ generaretur: ſicut homo generatur ratione vnionis. Adde in eo compoſito deueniendum ad aliquam formam ſimplicem non compoſitam ex alia potentia & alio actu: alioquin in infinitum iretur: ſed hanc formam dicimus eſſe animam: ergo. §. 17.

Dico ſecundò: *Repugnat eſſentialis compoſitio rei ſpiritualis ex potentia paſſiua & forma ſpiritualibus.* Ita S. Thom. P. Suar. & alij ſupra: ac videtur adeo clara ex conceptu potentiæ paſſiuæ, vt præ claritate ſit probatu difficilis: nam illa pars, quæ eſſet potentia paſſiua, eſſet tam perfecta, quam noſter animus rationalis; qui videtur eſſe imperfectiſſima ſubſtantiarum ſpiritualium: quia eſt actus corporis: ergo illa potentia paſſiua ſe ipſa eſſet principium intelligendi, quia eſt perfectiori gradu, quam animus rationalis. ergo eſſet actus, quia principium intelligendi eſt actus primus intelligendi. Deinde illa forma ad nullum munus egeret ea potentia paſſiua: quia ab ea non penderet intrinſecè, ſicut materialis pendet à materia: nam eſſet perfectior, quàm animus: quia hic corpus, illa ſpiritum informaret: at noſter animus eſt ſubſiſtens, ac proinde & illa forma ſubſiſteret; nec item egeret ad operandum: §. 18.

quia

quia animus noſter eget corpore ad obeundas materiales functiones: at omnes actiones illius formæ eſſent ſpirituales, quas ipſa & agere, & pati poſſet, ſicut anima: quia tantum haberet intellectum, voluntatem, & potentiam loco motricem, quæ actiones non requirunt potentiam paſſiuam ſubſtantialem diſtinctam ab actiua. Argumenta contra hanc concluſionem nulla ſunt difficilia, quamuis congerunt nonnulla, S.Thom. Pat.Suarez, & recentes aliqui.

SECTIO III.

Vtrùm omnis res ſpiritualis ſit indiuiſibilis?

§.19. HAnc quæſtionem difficilem reddit P. Suarez, 2.met.diſput.4. ſect.1. num.11. aſſerens præſentiam localem Angeli eſſe ſpiritualem, & diuiſibilem in partes loco diſtantes, diuiſibiles, & continuas, quamuis ex parte ſubiecti (id eſt ipſius Angeli) ſint indiuiſibiles. Item ait animum rationalem vniri corpori vnione ſpirituali, ſectili tamen in partes integrantes. Itaque iuxta hanc ſententiam Angelus exiſtens in toto gymnaſio habet diuerſam vbicationem partialem in illo angulo ab vbicatione, quam habet in alio, quæ duæ vbicationes continuantur: etiam vnio ſpiritualis, quam habet anima in capite, eſt partialiter diſtincta ab vnione, quam habet in collo: quæ duæ vniones continuantur indiuiſibili puncto, ſicut collum & caput.

§.20. Cuius ſententiæ vnicum fundamentum eſt, quia Angelus poteſt loco moueri latione continua, ſed non poteſt intelligi hæc continuitas motus ſine continuatione termini: ergo terminus huius motus, qui eſt vbicatio, eſt diuiſibilis in partes continuas: maior admittitur ferè ab omnibus Theologis cum S.Thom.1.p.q.53.art.1.quos refert & ſequitur noſter Vazquez ibi diſp.195.c.6.à qua ſententia ſolus diſceſſit Hibernus quidam. Minor probatur, quia ſi præſentia Angeli eſt indiuiſibilis: ergo quando Angelus mouetur, tota ſimul deperditur: ergo non continuatur vna præſentia cum alia, neque vnus motus cum alio, & cum Angelus moueatur per partes proportionales, in qualibet illarum mutat vnam integram præſentiam, non continuam cum aliis, ergo cum partes proportionales ſint infinitæ, etiam præſentiæ totales erunt infinitæ: ſed non poteſt dari infinitudo rerum inter ſe non communicantium: ergo non poteſt dari tale genus præſentiæ indiuiſibilis. Idem argumentum conficitur in animo, cuius vnionem poteſt Deus cõtinuè augere, aut corrumpere. Nec probabile videtur eſſe, totam hominis vnionem mutari ad quamuis illius accretionem, & decretionem. Confirmatur, quia non eſt contra rationem rei ſpiritualis partes habere, quia actus intellectus, & voluntatis, & habitus ſint intenſibiles, intenſio autem partibus conſtat.

§.21. Ecce vnde oritur difficultas, quia ex hac ſententia de conceptu rei ſpiritualis tantum eſt, neque eſſe materiam, neque ab illa pendere tanquam à ſubiecto: ſed animus rationalis, licet habeat partes, non eſt materia, neque ab illa dependet tanquam à ſubiecto: ergo licet habeat partes, erit ſpiritualis.

SVBSECTIO I.

Aliquorum ſententia de ſpiritalitate rerum.

§.22. NOnnulli Philoſophi recentes arbitrati conceptum rei ſpiritalis eſſe entitatem non pendentem intrinſecè & commenſuratiuè à quantitate formali, aut radicali: rem autem eſſe corpoream eſſe pendere intrinſecè & commenſuratiuè à quantitate formali aut radicali. Quantitatem formalem appellant accidens phyſicum conſtituens prædicamentum quantitatis: qua corporis partes habent impenetrabilitatem: radicalem autem quantitatem appellant materiam primam; quia eſt radix germinans quantitatem.

Dicunt ergo, quantitatem eſſe corpoream, quia pendet intrinſecè à materia prima: hanc item eſſe corpoream, quia viciſſim à quantitate dependet à poſteriori. Hos non poſſum primo in limine non impugnare à circuli vitio. Quantitas enim eſt corporea, quia pendet à materia; & materia quia pendet à quantitate: ergo quantitas eſt corporea, quia in materia ſecundum ſe eſt prima ratio corporis; à qua ipſa quantitas eſt corporea: ergo non eſt opus vt materia ſit corporea à quantitate: quia iam in ipſa quantitate eſſet per ſe primò ratio corporis. §.23.

Secundò, nolunt authores ij, vnionem receptam in animo eſſe corpoream, quia à materia pendet non vt à ſubiecto inhæſionis, ſed vt à termino intrinſeco: at materia multo minus à quantitate pendet: ergo hæc dependentia non ſufficit ad tribuendam rationem corporis quantitati. §.24.

Quapropter melius conſtituetur ratio corporis in ipſa eſſentia ſubſtantiæ impenetrabilis cum alia; rem autem eſſe corpoream erit eam eſſe intrinſecè dependentem vt à ſubiecto inhæſionis ab ea ſubſtantia, exempli gratia. Materia prima eſt corpus: quia partes habet petentes natura ſua non penetrari cum aliis materiæ partibus: quantitas autem erit corporea; quia eſt ipſa impenetrabilitas, cui repugnat habere duas partes in eodem loco ex natura rei, reliqua accidentia ſunt eadem ratione corporea, quia pendent natura ſua à materia: formæ item, materiales ſunt ob rationem eandem. §.25.

Vnde deducunt primùm; ſubſtantiam completam carentem compoſitione eſſentiali materiæ & formæ, fore materialem, ſiue corpus ſimplex, quia conſtaret partibus impenetrabilibus: ſiue enim eſſet radix phyſica quantitatis; ſiue ſeipſa eſſet impenetrabilis; haberet rationem corporis communem cum materia prima: quia ex natura rei non poſſent eius partes exiſtere penetratæ. §.26.

Secundò deducunt, fore immateriale quodcumque ens, ſi haberet partes ſubſtantiales natura ſua penetrabiles, e. g. producat Deus ſubſtantiam conflatam ex partibus integralibus penetrabilibus natura ſua: illud ens erit ſpiritale, & non corporeum: quia tota ratio corporis conſiſtit in impenetrabilitate naturali, & abſque miraculo. Huius doctrinæ falſitas liquebit à §.61. ad 65. §.27.

Inferunt tertiò; ſubſtantiam aliquam, aut ens carens compoſitione integrali fore corpus, aut corporeum ſi ex natura ſua & abſque miraculo non poſſit eſſe in eodem loco adæquato cum alio ente eiuſdem ſpeciei, e. g. poducat Deus ſubſtantiam indiuiſibilem *A*, cui repugnet eſſe in eodem loco ex natura rei cum ſubſtantia *B*: à qua differt ſolo numero; dicunt eas duas ſubſtantias eſſe duo corpora: quia in impenetrabilitate conueniunt cum materia prima; eáque propter & in communi ratione corporis. Huius doctrinæ falſitas cernetur à §.50. ad 59. §.28.

Quartò deducunt ad rationem corporis, aut ſpiritus: rei corporeæ, aut ſpiritalis per accidens eſſe carere partibus, aut gaudere. Nam & res ſpiritalis §.29.

poteſt componi ex partibus integrantibus, vt *vbi* Angelicum; & vnio animi rationalis: item & res materialis poteſt partibus carere integrantibus; vt punctum materiæ; & quantitatis: & in ſententia S.Thomæ, animę brutorum ſunt materiales & ſimplices: ſed quia natura ſua & abſque miraculo non poſſunt exiſtere niſi dependenter à corpore impenetrabili, ideo ſunt corporeæ. Animum autem rationalem dicunt ſpiritalem, quia ex natura ſua & abſque miraculo poteſt exiſtere independenter à corpore.

SVBSECTIO II.

Eius ſententiæ fundamenta.

§.30. EAm opinionem adſcribunt P. Suar. diſput. 40. Met. ſect. 1. num. 11. qui ei nec ſuffragatur verbo: negat enim corpus ſimplex, nec aliud admittit niſi materiam primam, aut compoſitum ex illa & forma; vnde corollaria deducta §. 27. & 28. apud ipſum, locum non habent. Solum igitur admittit aliquam extenſionem partium in *vbi* Angelico, & animaſtica vnione: quia pendent ab ſpatio, & corpore diuiſibili: at verò ipſas partes non admittit propriè extenſas; quia ſunt in ſubiecto inextenſo: rem autem ſpiritalem cum propria extenſione partium nullibi admittit. Quin diſp. 35. ſect. 3. num. 33. oſtendit, Angelos eſſe ſimplices; quæ ſimplicitas eſt carere materia, & partibus integrantibus, quæ nullæ ſunt abſque quantitate.

§.31. Eandem adſcribunt P. Molinæ 1.p.q.50. artic.1. verſu, *Noſtra ergo.* vbi aſſerit animum rationalem eſſe ſpiritalem, quia eſt quantitatis expers. Vnde deducunt à quantitate & impenetrabilitate ſumi rationem corporis. Animaduerte, à Doctoribus ſpiritum conſtitui in carentia quantitatis & impenetrationis; quia nullum corpus admittunt niſi quantum & extenſum, conſtans partibus integrantibus: ſubſtantiam autem indiuiſibilem, ſiue carentem partibus integrantibus, quæ penetrari non poſſit cum alia eiuſdem ſpeciei, nec per ſomnum cogitarunt: ſicut nec ſubſtantiam ſpiritalem compoſitam partibus integralibus. Itaque omnem ſubſtantiam indiuiſibilem cenſent ſpiritalem, niſi à corpore pendeat, vt dicunt nonnulli de formis brutorum: item omnem ſpiritum ſubſtantialem cenſent carere partibus integrantibus, niſi P. Suar. de vnione animi; quia reſpicit corpus. Ita P. Mol. ſpiritum vocat carentem quantitate, quia corpus non agnoſcit niſi quantum, & conflatum ex partibus integrantibus. Quapropter initio eius diſputationis præmiſit, *corporeum* ab ipſo accipi vt diſtinguitur contra *extenſum tam per ſe quàm per accidens.* Cum ergo ſubſtantia illa, de qua §.28. non ſit extenſa, non eſt corporea, ſed incorporea. In eodem ſenſu loquuntur P. Valentia t.1.d.4.q.1.p.2. & P. Vazq. t.2. in 1. part. d.168.c.1. & alij interpretes S.Thomæ. Vnde autem ij recentes hauſerint hoc rei ſpiritalis & materialis genus, viderint ipſi.

§.32. Primum fundamentum eſt; quia conceptus rei materialis non poteſt cõuenire ſpiritali; nec è contra conceptus rei ſpiritalis non poteſt materiali conuenire: ſed ſola dependentia commenſuratiua à quantitate conuenit rei materiali, & repugnat ſpiritali: ergo. Minor probatur diluendo argumenta oppoſita. Confirmatur: quia ex communi conceptione res materialis eſt, quæ molem hanc corpoream habet: hæc autem moles oritur à quantitate: ergo. Explicari poterit; quia conuenire tenemur in communem ſignificationem vocum: ſed vox *materialis* communiter ſignificat rem à quantitate pendentem: ergo.

Leue eſt hoc argumentum: negatur enim minor: tum quia creatio albedinis, quæ poſſibilis eſt diuinitus, eſt materialis; nec dependet commenſuratiuè à quantitate; quia nec in illam, nec in materiam primam recipitur: materia item eſt corporea, nec à quantitate pendet. Item reſpondetur indiuiſibilitatem eſſe propriam rei ſpiritalis, & repugnare materiali. Tertiò reſpondeo; conceſſo toto ſyllogiſmo nihil inferri: quia non poteſt eſſe indiuiſibilis ſubſtantia in partes integrales, quin ſit penetrabilis cum alia eiuſdem ſpeciei: nec poteſt eſſe ſubſtantia compoſita integraliter quin ſit impenetrabilis. Vnde quantitas & impenetratio ſoli conuenit ſubſtantiæ compoſitæ integranter; penetratio autem ſoli conuenit ſubſtantiæ ſimplici. Vnde res ſpiritalis eſt, quæ caret mole & partibus impenetrabilibus; materialis autem non item. §.33.

Ad confirmationem ex §. 32. reſpondeo ex dictis, non eſſe molem & impenetrabilitatem inter res ſimplices: nec penetrabilitatem in ſubſtantia compoſita integraliter; ac propterea corpus ſubſtantiale eſt ſola materia, aut quoduis ens ſubſtantiale integrale: materiale autem ens erit omne accidens, & modus ab hoc corpore pendens ſubiectiuè, aut quod ſit modus rei ab ipſo corpore natura ſua pendentis. §.34.

Ad explicationem ex §. 32. reſpondeo, nomine *corpus* intelligi ab omnibus ſubſtantiam compoſitam partibus integrantibus; ratione quarum eſt impenetrabile. At eo nomine non ſignificari ſubſtantiam carentem partibus integralibus: ſicut *ſpiritus* non ſignificat ſubſtantiam compoſitam integranter, immo ipſi exorbitãt à communi ſignificatione. §.35.

Secundum argumentum eſt: quia res multæ ſpiritales conſtant ex partibus integrantibus: item & materiales ſunt indiuiſibiles: exempli gratia: *vbi* Angelicum, de quo recidet ſermo §. 81. & vnio animi rationalis, de qua §. 78. quæ partibus conſtant: punctum item quantitatis eſt ſimplex & materiale: ergo nec corporea, nec ſpiritalia explicantur ſatis per ſimplicitatem, & compoſitionem. Confirmatur, quia albedinis creatio poteſt eſſe ſimplex, id enim quid repugnat? ſed tunc eſſet materialis: ergo. Itaque per ordinem ad penetrabile, & impenetrabile explicanda eſt ratio corporis, & ſpiritus. §.36.

Prætermiſſo antecedenti, & conſequenti primo; reſpondeo, tantum probari rationem adæquatam corporei entis eſſe in ordine ad dependentiam à materia prima, aut alia ſubſtantia compoſita integranter impenetrabili; ſpiritalis autem rei conceptum eſſe comparatione ſubſtantiæ ſimplicis: at poſſe eſſe corpus etiam metaphyſice inſectile in partes phyſicas, nec probatur, nec poteſt. §.37.

SVBSECTIO III.

Impugnatur ea ſententia.

COnceptum rei corporeæ non poſſe ſumi per dependentiam à quantitate, oſtendi §.23. tum propter circulum; tum quia magis pendet vnio animi à materia, quàm à quantitate materia: quia materia poteſt diuinitus eſſe abſque quantitate; nec ab illa accipit eſſe: vnio autem eſſe nequit abſque corpore, illius termino intrinſeco: nec tamẽ propterea vnio eſt materialis: ergo nec materia erit corporea propter dependentiã à quantitate: ſed potius quantitas eſt materialis propter dependẽtiam à materia. §.38.

Dico

§.39. Dico ſecundò. *Conceptus rei corporeæ non explicatur adæquatè per dependentiã à materia prima.* Probatur: creatio albedinis eſt corporea; & non pendet à materia prima: ergò. Maior datur ab aduerſariis, diſtinguentibus creationem illam ab agente & termino; vel ſaltem eam diſtinctionem admittentibus ad diſputandum. Minor probatur: quia creatio eſt productio albedinis nullo concurrente ſubiecto: poteſtque conſiſtere abſque materia & quantitate.

§.40. Reſpondent, eam creationem pendere radicaliter à materia prima: quia pendet ab albedine à materia pendente ex natura ſua. Contra: ea creatio in actuali exiſtentia nec proximè, nec remotè pendet à materia exiſtente: quia poteſt eſſe abſque materia: eam autem creationem non fore poſſibilem, ſi materia non eſſet poſſibilis, quia nec albedo poſſibilis eſſet, non facit creationem materialem: quia animi creatio ſpiritalis eſt,& animus ipſi: qui poſſibilis non eſſet ſi materia eſſet impoſſibilis: ergo res corporea poteſt eſſe abſque dependentia naturali à materia exiſtente. Secundò probatur in *vbi* qualitatum materialium;quod cõſeruari poteſt abſque materia, & quantitate.

§.41. Dico tertiò. *Conceptus adæquatus rei corporeæ non eſt impenetrabilitas naturalis.* Probatur primùm ad hominem, exiſtimant enim nonnulli ex iis authoribus animas perfectorum viuentium eſſe indiuiſibiles: quibus nulla eſt impenetrabilitas: & ſunt materiales: ergo. Dicunt animam non poſſe eſſe naturaliter in eodem loco cum alia informante diſtinctam materiæ partem. Contra: nec animus rationalis poteſt eſſe in eodem loco cum alio informante diſtinctum corpus: & eſt ſpiritalis:ergo illa impenetrabilitas non officit ſpiritalitati. Præſto eſt ratio: quia illa oritur non ex conceptu animorum,qui ſecundum ſe ſunt penetrabiles; ſed ex repugnantia corporum quantorum.

§.42. Dicent ſecundò,animam rationalem eſſe natura ſua penetrabilem cum alia; quia poſſunt conſiſtere extra corpus abſque miraculo; tunc autem penetrari poſſunt: at verò formæ brutorum nequeunt eſſe abſque miraculo niſi in diuerſis corporibus; ac propterea ſunt abſolutè impenetrabiles.Contra: illa impenetrabilitas non oritur ex ipſis animis:qui ſemel miraculo à materia abiuncti poſſunt eſſe in eodem loco abſque nouo miraculo: vt poſſunt accidentia videri ſeparata: totum ergo miraculum verſatur in ſeparatione: vnde formæ ipſæ ſunt penetrabiles ſecundum ſe; vt ſunt viſibiles.

§.43. Secundò probatur; ij admittunt intenſionem per gradus ſimiles: ſed illi gradus ſunt penetrabiles inuicem; & multi ſunt materiales: ergo rei corporeæ conuenit penetrabilitas. Dicent quamlibet qualitatem eſſe extenſam ſeipſa, & petere eſſe in diuerſo loco. Id reſpondere poſſunt, qui gradus intenſiuos diſſimiles eſſe fatentur; non verò qui ſimiles: ſi enim intenſio neceſſariò fit in eodem ſubiecto,fit etiam eodem in loco; & fit per gradus ſimiles: ergo duæ qualitates ſimiles poſſunt eſſe in eodem loco.

§.44. Ne autem recurratur ad ſolutionem impugnatam §.43. arguo tertiò in creatione albedinis: quæ natura ſua abſque miraculo poteſt penetrari, & eſt corporea: ergo. Probo maiorem: quia creatio poteſt conſtituere albedinem extra omne ſubiectum quia eſt eius productio nullo concurrente ſubiecto. Ergo non eſt impenetrabilitas character rei ſpiritalis.

§.45. Dicent, albedinis creationem non poſſe ex natura ſua exiſtere penetratam abſque nouo miraculo: quia ipſa petit connaturaliter vnionem albedinis cum ſubiecto: quia ipſa ſupplet vices ſolius eductionis: & quemadmodum ex conceptu albedinis, vnio ſequitur eductionem; ita & creationem ſequitur eadem vnio. Contra: creatio eſt de ſe indifferens ad vnionem: tum quia animum rationalem conſtituit indifferentem ad vnionem; tum quia creatio eſt ratio formalis conſtituendi terminum ſubſiſtentem: ſed res ſubſiſtens eſt indifferens ad vnionem cum ſubiecto: ergo. Maior eſt certa: quia per creationem eſt res per ſe, & independens ab alio, niſi à ſolo agente: minor probatur: quia animus ideo eſt abſque corpore; quia eſt ſubſiſtens & independens ab illo. Ad obiectionem reſpondeo; creationem formaliter ſubrogari pro ſola eductione: modus autem creationis eſt oppoſitus eductioni: vnde non ſequitur creationem vnio tam neceſſariò quàm eductionem. Nec ex ſolo conceptu albedinis ſequitur vnio; ſed ex albedine educta: quapropter eductio vocatur *vnio radicalis:* albedinem autem creatam non ſequitur neceſſariò vnio: quia albedo creata ſubſiſtit: vnio autem non ſequitur neceſſariò rem ſubſiſtentem. Vnde creatio albedinis non eſt natura ſua impenetrabilis.

Tertiò probatur concluſio tertia:quia *vbi* quantitatis, & corporis Chriſti in Euchariſtia eſt mate- §.46.
riale: & non eſt impenetrabile cum alio *vbi* eiuſdem ſpeciei: ergo. Probo minorem: quia *vbi* capitis eſt eiuſdem ſpeciei cum *vbi* manus: ſed illa duo vbi penetrantur: ergo. Minor patet: quia manus & caput in eodem loco ſunt. *Vbi* autem illud non eſſe naturale quoad ſubſtantiam, ſaltem adæquatè, eſt clarum: quia nullo *vbi* naturali poſſunt conſtitui duæ partes in loco vno indiuiſibili. vnde illud *vbi* eſt natura ſua penetrabile.

Confirmari hæc poſſunt ex multorum opinione §.47.
conſtituentium in corpore beatorum ſubtilitates dotem qualitatem eſſe corpoream: quæ eſt corporea; & tamen eſt natura ſua penetrabilis; quia facit corpus penetrabile cum alio. Quæ doctrina §.50. probabitur ex S.Auguſtino.

SVBSECTIO IV.

Quid ſit corpus, & ſpiritus?

CORpus bipartiuntur Philoſophi in Phyſicum, §.48.
& Mathematicum. Hoc quantitas eſt; quam Mathematici contemplantur abſtractam ab omni materia ſenſili: quia contemplantur lineas, figuras, magnitudines; & alia. Phyſicum corpus aliud eſt totale: qualia ſunt omnia compoſita ex materia prima & forma ſubſtantiali; quæ conſtituuntur directè in prædicamento ſubſtantiæ: aliud autem incompletum; qualis eſt omnis materia prima: à qua vt à prima radice quidquid corporeum eſt, & materiale, dicitur tale proximè vel remotè. Itaque materia prima eſt ſimpliciter *corpus*.

Diſputant nonnulli, vtrum diuinitus poſſit eſſe §.49.
corpus ſimplex completum: ideſt, quod careat compoſitione eſſentiali ex materia & forma: componatur autem ex partibus integrantibus. Nonnulli difficilem perceptu faciunt eam quæſtionem; qui vix volunt explicari eius ſenſum. Dicunt enim perinde eſſe quærere corpus ſimplex, ac ſubſtantiam impenetrabilem cum alia eiuſdem ſpeciei ſiue ſit compoſita ex partibus integrantibus; ſiue illis careat.Itaque ſubſtantiã non compoſitã eſſentialiter impenetrabilem cum alia eiuſdem rationis volunt eſſe corpus: compoſitio autem, aut ſimplicitas

tas partium integrantium non eſt de conceptu, aut repugnantia corporis vt ſic. Si autem ea ſubſtantia ſit penetrabilis cum alia eiuſdem rationis, eſt ſpiritus, cum integralibus conſtet partibus.

§.50. Cenſeo nomine *corpus* ab omnibus bonæ notæ Philoſophis accipi ſubſtantiam abſolutam, ideſt, non modalem, compoſitam ex partibus integrantibus: nec ab illis cenſeri incorporeum quod partibus integrantibus conſtat, quantumuis id credant eſſe penetrabile cum alio eiuſdem rationis. Quam doctrinam perſpicuè colligo ex S. Auguſtino tom. 8. in Pſalm. 95. vbi ait corpus nobis futurum eſſe quale Angelicum.

Duo obſerua; alterum, B. Auguſtinum pluribus
§.51. in locis dubitaſſe vtrum Angeli ſint corporei; & interdum in affirmationem inclinatum; vt doctè obſeruat P. Mol. 1. p. q. 50. art. 1. diſput. 1. Alterum ab omnibus cenſeri Angelos eſſe mutuò & nobiſcum penetrabiles: vt conſtat ex Dæmonum legione caſtra figente in illo miſero ænergumeno. iis conſtitutis ait Auguſt. *Adhuc habet vitam vtiq; corpus noſtrum; & tamen comparatum illi quod futurum eſt, qualia ſunt Angelorum corpora, inuenitur corpus hominis mortuum, quamuis adhuc habens animam.* & pſalm. 145. noſtrum corpus beatum, vocat corpus ſpiritale, & Angelicum, quia ſapit ſpirituum, & Angelorum ſubtilitatem, & impoſſibilitatem.

§.52. S. Thomas omne corpus cenſet eſſe continuum, ideſt, compoſitum ex partibus integrantibus. 1. p. q. 3. art. 1. in ſecunda probatione concluſionis: *Omne autem corpus* (inquit) *eſt in potentia: quia continuum inquantum huiuſmodi diuiſibile eſt in infinitum.* eſt articuli epigraphe, *vtrum Deus ſit corpus?* Vt autem à Deo excludat omnem corporis conceptum, ait in Deo nihil eſſe in potentia; omne autem corpus eſt in potentia: quia omne corpus eſt continuum, ac propterea in potentia ad diuiſionem. Hæc autem probatio eſſet mutila ſi corpus aliquod eſſet ſimplex; vnde non eſſet continuum omne corpus, nec in potentia. ergo. S. Thomas per *corpus vt ſic* intelligit continuum ex partibus integrantibus; nec agnoſcit corpus inſectile. ergo in ſubſtantiali compoſitione partium integralium eſt ratio corporis vt ſic.

§.53. Et art. 7. ait Deum non habere compoſitionem partium quantitatiuarum, quia corpus non eſt: ergo eſt de ratione corporis habere partes quantitatiuas: ſed ſubſtantia omnino ſimplex non habet partes quantitatiuas; ergo non eſt corpus. Hinc autem infert Deum carere compoſitione integrali: & eſſe ſimplicem in hoc genere: quæ probatio eſſet etiam mutila, ſi aliqua ſubſtantia incorporea eam compoſitionem iniret. Vt ergo probaret omnimodam ſimplicitatem Dei, excluſit diſtinctionem naturæ à ſuppoſito; actus à potentia; & vnius partis integrantis ab alia: hoc autem non aliunde, niſi quia Deus corpus non eſt. At ſi ſpiritus poſſet componi ex partibus, non bene inferret Deum eſſe omnino ſimplicem; quia tametſi non eſſet corpus, habere poſſet partes integrales: ergo mutila fuiſſet S. Thomæ probatio. ergo ex S. Thoma idem ſunt *corpus & ſubſtantia conſtans partibus integralibus, & continuum potentia diuiduum*: item *incorporeum & carens compoſitione partium.*

§.54. Recognoſce omnes authores adductos diſput. 1. de Cœlo §. 1. qui corpus ſimplex volunt eſſe compoſitum ex partibus integrantibus. Dices eos eſſe locutos de *corpore quanto*: quod ij fatentur eſſe diuiduum: non tamen de corpore vt ſic. Fateor eos egiſſe de *corpore quanto*: & de *corpore vt ſic*: quod patet ex S. Thom. aſſerente omne corpus eſſe in potentia, quia omne corpus eſt continuum: item & reliqui quærentes vtrum repugnet corpus ſimplex, carens compoſitione eſſentiali, ponunt illud corpus futurum *quantum*: nec enim illis incidit in mentem, *vtrum eſſet poſſibile corpus ſimplex integraliter & non quantum?* magis quàm quærere, *vtrum ſit poſſibilis homo irrationalis?* eſt igitur communis omnibus conceptus, corpus partibus & quantitate conſtare: ſpiritum autem illis carere. S. Auguſtinus admiſiſſe videtur corpus abſque quantitate: vel hanc abſque impenetratione.

Vnde concludo corpus ſubſtantiale eſſe ſolam §.55.
materiam primam; quia in mea ſententia non eſt poſſibilis aliqua ſubſtantia compoſita integraliter carens compoſitione eſſentiali: ſi tamen quis opinetur poſſe eſſe ſubſtantiam completam compoſitam integraliter & non eſſentialiter penetrabilem, aut impenetrabilem: ratio corporis vt ſic erit *ſubſtantia abſoluta per ſe ſubſiſtens compoſita integraliter.* Conceptu *ſubſtantiæ abſolutæ* differt corpus à modo; qui non eſt corpus; ſed corporeus: & conuenit cum forma ſubſtantiali: à qua differt per *ſubſiſtentiam per ſe*: quæ eſt perfecta ſine dependentia ab alio à priori niſi ab efficiente: quod non conuenit formæ materiali: vnde hæc non eſt corpus, ſed corporea compoſitione integrali differt corpus ab animo rationali, & quauis ſubſtantia ſpirituali.

Probatur primùm argumento, quo ipſi quoque §.56.
mouentur: quia omne corpus quod nunc cernimus, eſt quantum, compoſitum ex partibus integrantibus: ſiue enim ſit prima materia in ſublunaribus: ſiue ſit ſubſtantia eſſentialiter ſimplex & compoſita integranter; vt de cœlo aliqui volunt; ergo cum ex his corporibus veſtiganda ſit ratio corporis vt ſic, omne corpus intrinſecè includit compoſitionem integralem. Confirmatur, quia ideo homo vt ſic eſt rationalis; quia conceptum hominis colligimus ex hominibus omnibus quos nouimus: qui ſunt rationales. Si autem conceptum abſtrahamus ab his hominibus, & aliis ſubſtantiis non vtentibus diſcurſu, quamuis ſint intellectrices; iam non concipitur homo vt ſic: ſed ſubſtantia intellectualis abſtracta ab homine & aliis. Ita ſi concipimus ſubſtantiam impenetrabilem cum alia eiuſdem rationis; abſtractam à compoſitione integrali, & ſimplicitate, non concipimus corpus; ſed rationem aliam vniuerſaliorem.

Dices primùm poſſe eſſe ſubſtantiam ſimplicem §.57.
integranter, quæ loco pugnet cum alia eiuſdem ſpeciei: hæc autem erit corpus: ergo non eſt de ratione corporis compoſitio. Probo minorem, quia impenetrabilitas eſt propria corporis. Nego maiorem: quia res vndique inuiſibilis eſt penetrabilis cum alia; vt duæ ſuperficies; quia tanguntur adæquatè: vt latè dixi diſp. 15. phyſ. Nec enim apparet, cui rei ſeruiat earum rerum impenetratio. Demus autem iis authoribus duo puncta non ſe penetrare: id oritur, quia ſunt natura ſua entia incompleta, potentia componere extenſionem; quæ non poſſet eſſe ex partibus penetratis: at ſubſtantia illa eſſet completa, repugnans compoſitioni integrali: cur ergo erit impenetrabilis?

Secundo nego minorem: impenetrabilitas enim §.58.
propria corporis eſt quæ oritur à quantitate formali, aut virtuali; ratione partium; non vero quæ oritur ex alio capite. Vnde rectè poſſet ea ſubſtantia intelligere, videre Deum, amare, & beari: quia omnis ſubſtantia completa ſimplex eſt in gradu eſſentialiter perfectiori animo: impenetrabilitas autem quid obeſt, cum oriatur à virtuali extẽſione?

immo

immo in ſententia conſtituente Angelum in loco per ſolam operationem, duo ſunt impenetrabiles: quia non poſſunt exercere duas actiones adæquatas in idem mobile. Cum ergo nõ repugnent duæ ſubſtantiæ intellectrices ſolo numero diſtinctæ, & mutuo impenetrabiles; erunt ſpiritales: quia intellectus ſoli conuenit ſpiritui. impenetrabilitas autem cur intellectui repugnet? Vt ergo *vbi* euchariſticum eſt corporeum & penetrabile; quia penetrabilitas non oritur ex ſubſtantia cuius eſt modus: ita impenetrabilitas non orta à quantitate non officit ſpiritui. Sin aſſignent mihi cur implicentur termini in ſubſtantia ſimplici intellectrici impenetrabili? vt ipſi dicunt eos non implicari in ſubſtantia inſectili corporea.

§.59. Dicent ſecundò, punctum materiæ eſſe corporeum; & non eſt compoſitum: eſtque materiale, quia eſt impenetrabile cum alio. Bene certè: quærunt rationem rei corporeæ ab omnibus conceſſam; & adducunt exemplum ab omnibus ferè, niſi ab ipſis, negatum. Iam oſtendi diſp.15. Phyſ. ex Mathematicis, & Philoſophis indiuiſibilia mutuo penetrari. eſto tamen; nullum punctum eſt corpus, nec materia; ſed pars corporis atque materiæ. Stet ergo omne corpus eſſe continuum. Punctum autem eſt corporeum, quia formaliter componit corpus; vt vnio in mea opinione; vt pars in tua. At illa ſubſtantia nec corpus eſſet, neque corporea; recognoſce §.57. è quibus deduces falſitatem doctrinæ deductæ §.28. de corpore ſimplici impenetrabili: vt autem conſpiciant ij authores quantum in eo corpore deflectant, audiant S.Aug. t.1. lib. de quantitate animæ, cap.4. iis verbis. *Nam prius abs te quæro vtrum corpus vllum putas eſſe; quod non pro modo ſuo habeat aliquam longitudinem, & latitudinem, & altitudinem? illam dico qua efficitur vt interiora corporis cogitentur: aut etiam ſentiantur, ſi perlucent, vt vitrum: quamquam ſi hoc demas corporibus, quantum mea opinio eſt, neq; ſentiri poſſunt: nec omnino corpora eſſe, rectè exiſtimari.*

§.60. Quod ſi vrgeant, non repugnare ſubſtantiam ſimplicem impenetrabilem, non intellectricem: quæ ſpiritus non ſit. Reſpondeo id centum ex capitibus repugnare oſtenſum eſſe: deinde nec repugnat ſubſtantia intellectrix impenetrabilis' vtra erit ſpiritus? arbitror vtramque: maximè cum ipſi admittant eſſe poſſibilem compoſitionem eſſentialem ex forma & ſubiecto ſpiritalibus: ſubiectum autem illud non intelliget: ergo ex ipſis non eſt de conceptu ſpiritus intelligere.

§.61. Secundo cenſeo ſpiritum eſſe *ſubſtantiam ſubſiſtentem perfectè carentem partibus integrantibus.* Hæc concluſio ſatis colligitur ex authoribus adductis pro prima. S.Thom. adductus §.53. probat Deum eſſe ſimplicem integranter, quia non eſt corpus: At hæc probatio eſſet mutila ſi poſſibilis eſſet ſpiritus compoſitus integranter: qui ſpiritus ſimplex omnino non eſſet: arbitratus ergo S.Thomas ſatis excluſam à Deo compoſitionem integralem ſi corpus excludat; cuius attributum eſt ea compoſitio. 1.p. quæſt.8. art.2. ad 2. hæc ait. *Aliud autem indiuiſibile eſt, quod eſt extra totum genus continui, & hoc modo ſubſtantia incorporea, vt Deus, Angelus, & anima dicuntur eſſe indiuiſibiles.* itaque ſubſtantiam incorpoream vt ſic voluit eſſe expertem compoſitionis integralis: idque probauit ab inductis omnibus ſpiritibus, quos nouimus poſſibiles; nempe completos vt Deum, & Angelos: & incompletos vt animum. S.Auguſt. tom.1. de quantitate animæ c.3. cum egiſſet de magnitudine minorũ partium, ait; *Non enim vllo modo aut longa, aut lata, aut quaſi valida ſuſpicanda eſt anima: corporea iſta ſunt, vt mihi videtur & de conſuetudine corporum ſic animam quærimus.* Mens Auguſtino eſt oſtendere animam eſſe indiuiſibilem in partes: nec eam eſſe paruam, aut magnam: quia hæc ſpectant ad corpus; non vero ad ſpiritum. Itaque corpus dixit non poſſe rectè exiſtimari ſine partibus: animam autem non poſſe cum illis; quia corporea non eſt.

Dicent, intelligi ab Auguſtino animam, aut ſpiritum non poſſe conſtare partibus impenetrabilibus. Fateor nec ab Auguſtino, nec ab alio probato authore vnquam actum de corporis partibus niſi impenetrabilibus: quia compoſitionem partium integralium ſubſtantialium, à quantitate ſunt aliquo modo, aut pendent. At accidentia, formæque corporeæ concipiuntur compoſita ex partibus: quibus fiunt lata, profunda, magna, & parua: vt forma ignis: hoc tamen genus partium reiicitur ab anima: quia quamuis partes albedinis, & igneæ formę non ſunt *quantæ* vt ſubiectum quantitatis; ſunt tamen extenſæ: ſi autem Auguſtinus tantum diceret animum non eſſe *quantum* eſſentialiter, nec ſubiectum quantitatis; nihil diceret non commune igneæ formæ, atque calori. Omne ergo genus compoſitionis integrantis Auguſtinus excluſit: quia hæc compoſitio corporea eſt: ideſt propria rei corporeæ. Quapropter t.4. lib.1. de incarnatione ad medium ait idem Auguſtinus (ſi eius operis author eſt non S.Anſelmus) *impoſſibile namque eſt de incorporeò diuiſionem aliquam fieri,* quibus probat Deum non poſſe diuidi, nec partibus componi, quia eſt incorporeus. §.62.

Præcipuum argumentum eſt; quia niſi ſemel ſtatuamus ex communi doctorum conſenſione, quid ſpiritus ſit; nihil de illo poſſumus definire. Cum ergo Auguſtinus, Thomas, & vniuerſi doctores conſtituant ſpiritum eſſe ſubſtantiam ſimplicem: quæcumque ſubſtantia ea ſimplicitate careat, non erit ſpiritus. idque poteſt oſtendi; quia omnis ſpiritus quem cognouimus, caret compoſitione integranti: Deus, Angelus, Animus: qui propterea à Doctoribus, & Patribus ſtatuitur ſimplex, quia eſt ſpiritus. Spiritus autem colligitur eſſe tum ex ſcriptura, tum ratione. Spiritalitas ergo ſubſtantialis eſt ratio qua mouentur authores ad eius ſimplicitatem: cum ergo de ſpiritu poſſibili ſit ratiocinandum comparatione exiſtentium; non vocabitur ſpiritus ſubſtantia niſi partibus careat. §.63.

Confirmatur; quia non eſſet vlla ratio; vnde colligeremus animi ſimplicitatem: rectè enim, ex horum opinione, componitur ſpiritus cum partibus integrantibus. Eas autem partes eſſe mutuo penetrabiles nõ eſt vnde rectè hi probent: quia illæ in prima productione non ſunt penetratæ; cum occupent *minimum naturale* corporis: & petant materiam & extenſam, & aptã organis ſenſuũ corpore fuſorum. Vnde ergo colligunt eas eſſe penetrabiles? §.64.

Dicent, id colligi ex communi ratione ſpiritus. Reſpondeo ſpiritum vt ſic propriè nec eſſe penetrabilem nec impenetrabilem mutuo, quia non tangitur ſecundum partes: comparatione quarum eſt aut penetratio, aut impenetratio. Eſt tamen ſpiritus penetrabilis impropriè; quia cum re nulla iurgatur de loco, ſed in quouis ſe componit cum aliis: id autem communiter, veréque cenſetur oriri à ſimplicitate: ſi tamen hanc illi detrahas, detrahere quoque poteris penetrationem: & conſiſtet ratio ſpiritus in conceptu ſubſtantiæ ſubſiſtentis perfectè, independentis à corpore; vel in ſubſtantia intellectrice; vel alio conceptu, quem pro libito fingere poteris. Eſt ergo ſpiritus indiuiſibilis ſubſtantia: quæ neceſſario intellectu pollet, & capacitate ad beatitatem, §.65.

beatitatem. Quæ rei corporeæ, & partibus conſtanti nequeunt euenire. Vnde conſtat falſitas doctrinæ propoſitæ §. 28.

SVBSECTIO V.

Quid ſit rem eſſe corpoream, & ſpiritalem?

§. 66. CORPOREVM, *Orporeum, & ſpiritale* poſſunt vſurpari denominatiuè grammaticè: e. g. *Materia prima eſt ſubſtantia corporea*; ideſt, *corpus: anima eſt ſubſtantia ſpiritalis*; ideſt, *ſubſtantia ſpiritus*. Similes voces ſunt permultæ: vt *Petrus eſt perſona humana: Ens à ſe eſſe eſt ſubſtantia diuina*. Secundò vſurpatur *corporeũ* pro re quouis modo reſpectante corpus vt forma, aut modo: ſic animus rationalis dicitur *corporeus*, tum quia illud perficit intrinſecè, tum quia ab eo pendet in aliquibus operationibus: vt obſeruat P. Valen. t. 1. diſp. 4 q. 1. p. 2. Tertiò res dicitur *corporea*: quia eſt forma dans eſſe corpori completo prædicamenti ſubſtantiæ; vt omnes formæ ſubſtantiales. Quia vero hæc cõponi poſſunt cum ſpiritalitate: opus eſt enucleare conceptum proprium rei corporeæ diſtinctum à conceptu rei ſpiritalis vt ſic.

§. 67. Dico primo. *Omne ens intrinſecè ſpectans ad compoſitionem integrantem ſubſtantia, aut quantitatis; eſt intrinſecè corporeum.* e.g. quælibet pars corporis, aut vnio, aut complemẽtum. Qui enim continuũ componunt ex ſolis punctis; hæc & vnionem faciunt corporea; quia ſpectant ad compoſitionem rei impenetrabilis in ſententia admittẽre infinitas partes & pũcta: omnia hæc ſunt materialia: partes quidem materia ſunt: puncta verò ſunt ipſa partium vnio; vltima autem ſuperficies eſt integritas eius compoſitionis: omnia ergo hæc ſunt corporea. item quia hæc pendent intrinſecè à ſubiecto.

§. 68. Obiicis animum rationalem eſſe ſpiritalem, cum ſit pars corporis prædicamẽti: ergo. Diſtinguo minorem, eſt pars integralis corporis, aut pertinet ad eam compoſitionem, nego min. eſt pars eſſentialis, concedo, & nego conſequentiam: corpus enim formaliter conſtituitur partibus integralibus; omnia ergo ad eas ſpectantia ſunt formaliter corporea diſtincta adæquatè ab ſpiritalibus.

§. 69. Dico ſecundò. *Omne ens pendens à materia ſubiectiuè proximè, aut remotè, eſt materiale: proximè vt formæ ſubſtantiales, & quantitas: remotè, vt* vbi *accidentium materialium*: & in multorum ſententia *qualitates pendent à materia remotè*. Ab hac concluſione nulus diſceſſit vnquam: rem enim corporeã definiunt per ſubiectiuam dependẽtiam à corpore. Cuius rei aliam commodiorẽ rationẽ reddere nõ poſſumus. Sunt enim nonnulla entia, quæ pendẽt à corpore ſubiectiuè; alia quæ minimè pendent: illa dicuntur corporea. Quia dependentia à ſubiecto eſt magna imperfectio; & quo ſubiectũ eſt vilius, eo ſunt imperfectiora, quæ ab ipſo pendent. Cum ergo ſubiectum materia ſit; res ab ipſo pẽdentes picẽ ſapiunt: *omne* enim *quod recipitur, ad modũ recipientis recipitur.*

§. 70. Obiicies, in materia poſſe recipi entia ſupernaturalia: ergo & ſpiritalia. Diſtinguo antecedẽs; poſſunt recipi per potentiam naturalem, nego antecedens; per obedientialem, concedo; & nego conſequentiam: quia ſubiectum & accidens connaturalia, debent habere conuenientiam: qualis non eſt ex natura rei inter ſubiectum corporeum; & accidens ſpiritale. itaque à qualitate ſubiecti recipientis colligimus materialia, & ſpiritalia.

§. 71. Dico tertiò. *Omne ens quod adæquatè eſt modus rei corporeæ eſt corporeus.* e.g. vbi *ſupernaturale quantitatis: creatio albedinis, huius* vbi, *& ſi quæ ſunt alia; ſunt corporea.* Ratio à priori; quia ſunt in eo ordine, in quo ſunt eorum ſubiecta. Fateor hanc non eſſe ſatis firmam rationem: quia ea accidentia ſunt in ordine ſupernaturali; ſecus eorũ ſubiecta: ergo erũt incorporea, quamuis ſubiecta ſint corporea. Ad hæc; vnio ſe tenens ex parte animi eſt incorporea, in opinione aliquorum ex oppoſitis; & intrinſecè eſt modus corporis: quid ergo refert eam eſſe quoque modum animi, cum conſtet accidens pendens à ſubiecto corporeo, & incorporeo, eſſe corporeũ? ergo modus corporis & ſpiritus, erit corporeus; aut erit corporeus ſimul & incorporeus. Huius autem tertiæ concluſionis probatio pendet ex quarta.

§. 72. Dico quarto: *Omnis res corporea aut eſt compoſita ex partibus integrantibus: aut pertinet intrinſecè ad eam compoſitionem.* Hæc eſt omnium authorum quos §. adducam, probantium formas brutorum eſſe ſectiles, quia ſunt corporeæ. Non diſputo nunc vtrum omne ſpiritale vacet compoſitione integrali; ſed aſſero omne corporeum ea conſtare. Quod ita confirmo: omnia entia corporea ſunt huiuſmodi: puncta enim ſunt vnionis compoſitionis integrantis: punctum autem terminatiuum (ſi quod eſt,) ſpectat ad integrum extenſionis conceptum: quantitas diuiſibilis eſt in partes: albedo item, eius *vbi* & eductio ex ſubiecto. item eius creatio; quia vt poteſt albedo creata diuidi; ita poteſt & creatio.

§. 73. Quod ſi quis dicat poſſe creatione indiuiſibili creari albedinem, dico eam fore immaterialem: & quia repugnat extenſi termini creatio eſſe ſpiritalis, ideo repugnat eius creatio indiuiſibilis. itaque omiſſo antecedenti, nego ens corporeum eſſe indiuiſibile, aut non pertinere ad intrinſecum conceptum compoſitionis integrantis. Negatis autem punctis purè terminatiuis (vt à me negari videntur diſp. 15. Phyſ. §. 20.) omne ens corporeum eſt diuiſibile integranter vt *quod*, vt materiæ partes: aut vt *quo*, vt puncta; vt enim dixit S. Auguſtinus adductus diſp. 15. Phyſ. §. 24. per punctum fit omnis ſectio: eſt ergo diuiſibile vt *quo*. linea autem, & ſuperficies diuiſibilis eſt. Ratio à priori ſumitur ex dependentia à ſubiecto extenſo; quam expendamus ſect. ſequenti. Tandem non videtur aliud aptum diſcrimen rei corporeæ ab incorporea.

§. 74. Dico quintò. *Res ſpiritualis vt ſic eſt, quæ caret compoſitione integranti.* itaque vnicum adæquatúmque diſcrimen corporei & incorporei entis, eſt compoſitio integrans, & eius carentia. Hinc oritur repugnare rem eandem eſſe ſimul ſpiritalem & materialem: quia non poteſt ſimul partibus conſtare atque carerè. Per dependentiam autem à ſubiecto non poſſunt adæquatè differre: tum quia creatio albedinis eſt materialis, nec ab ſubiecto pẽdet vt oſtendi §. 39. item nec per materiam primam; tum quia corpus ſimplex non eſſet materia: nec per impenetrationem; quia albedinis creatio, & *vbi* ſupernaturale Chriſti ſunt corporea, & penetrabilia: item penetrationem & impenetrationem parum referre corporis, & ſpiritus oſtendi: quia etiam ſuperficies ſunt penetrabiles: ergo hoc vnico diſcrimine diſparantur corporea ab incorporeis.

§. 75. Quæ ſententia tam aperta viſa fuit P. Gabrieli Vazq. 1. p. t. 2. diſp. 188. num. 30. vt miretur à Patre Suarez admitti compoſitionem partium in *vbi* Angelico. *Hos igitur Doctores* (inquit) *ego vehementer miror, quod de Angelis ſpiritualibus differentes, nondum corporea hæc, & materialia obliuiſcantur: & in ſubiecto ſpirituali, & omnino indiuiſo conſtituant aliquod accidens, formaliter loco extenſum.* & quidem B. Aug. t. 4. lib. 2. de incarnat. ad medium, probat Deum non poſſe diuidi, quia eſt ſpiritualis; *impoſſibile* (ait)

namque

namque eſt de incorporeo diuiſionem aliquam fieri: ſed de *vbi* Angelico poſſet diuiſio aliqua fieri: quia eius vna pars conſiſtere poſſet aliis intereuntibus: ergo non eſſet incorporeum.

§.75. E quibus deduco, cognitionem intellectiuam de obiecto materiali vnito ipſi animo, non eſſe corpoream, quamuis eſſentialiter pendeat à termino corporeo: quia eſt actus carens integrali compoſitione. Intellectus autem eſt potentia cognoſcitiua carens compoſitione integrali: qui propter eam rationem capax eſt Dei. At niſi ex hoc capite non poſſemus colligere indiuiſionem intellectionis: quia per diuerſas partes repræſentaret diuerſas etiam partes obiecti.

§.76. Secundò deduco, vnionem ſe tenẽtem ex parte animi eſſe ſpiritalem; quia caret compoſitione integrali: id autem habet, quia eius adæquatum ſubiectum eſt ſpiritale; & actus eſt in eodem ordine cum ſuo ſubiecto adæquato: quando actus & potentia ſunt naturales.

SVBSECTIO VI.

Diluuntur obiecta.

§.77. PRimum argumentum contra hanc doctrinam eſt; quia res ſpiritalis capit compoſitionem intenſiuam; ergo & extenſiuam. Cõſequentia probatur; quia vtraq; compoſitio repugnat ſimplicitati: cur ergo exigitur ſimplicitas extenſiua potius quã intenſiua? Nego conſequentiam. Ad probationem reſpondeo, accidentia tam corporea quàm incorporea eſſe ad perficiendam ſubſtantiam: poteſtq; eſſe maior minórque perfectio. Item cõpoſitio extenſiua eſt admodum imperfecta; intenſiua autem eſt perfectior: propterea altera eſt propria generis imperfectioris: altera autem quadrare poteſt in perfectius.

§.78. Secundum argumentum; quia vnio animi ad corpus eſt ſpiritalis: & compoſita integrãter: ergo. Probatur min. quia quauis augmentatione hominis, & imminutione mutaretur vnio tota: hoc autẽ eſt falſum: ergo. Maior probatur; quia vnio afficiẽs duas partes, non poteſt de nouo afficere tertiam; & quæ ſemel afficit tres, nõ poteſt in ſolis manere duabus. Min. probatur; primò, nunquam maneret homo idem. Secundò, quia animus vt præciſus ab vnione ageret; tertiò, quia illa nutritio non eſſet vitalis.

§.79. Nego minorem. Ad primam probationem reſponderi poteſt primùm, nunquam manere hominem eumdem ſimpliciter & adæquatè; quia non maneret adæquatè tota vnio: manet autem idem homo quo ad animum, & præcipuas corporis partes. Ad ſecundum probationem nego animum ab vnione præciſum operaturum: quia maneret vnitus vnione ſe tenente ex corpore: quo differt à prima informatione: tunc enim non efficit vnionem, quia in nullo priori eſt vnitus. Quod ſi velis materializationem produci à generante priùs natura, informationem autem ab ipſo animo; non eſſet multum abſurdi: tamen tunc totum viuens fit ab alio ſuppoſito. Ad tertiam probationem, nutritio eſſet vitalis: quia fieret ab animo terminante materializationẽ, & reciperetur in ipſo animo: actiones autem exercitæ ab vna parte vt vnita, toti ſuppoſito adſcribuntur.

§.80. Secundò facilius reſpondetur, negata minori è §.78. Ad primam probationem reſpondeo, non mutari totam vnionem, nec hominẽ totum ex parte ipſius vnionis. Quia animus ad informandum corpus pendet à certis partibus, quibus neceſſario componitur *minimum naturale*: deinde appulſu nouarum partium non amittitur ſubito ea vnio: ſed animus illa affectus acquirit nouas partes, quibus corpus augeſcat. Has partes informat animus diſtincta vnione ac minimi naturalis, quæ duæ vniones minimè vniuntur inter ſe: itaque per vnionem vnius partis completur animus ad agendas alias. Deinde nouis vnionibus ſuccedẽtibus amittuntur veteres: & per partes certas, ac determinatas ſunt in animo quatuor, ſex, aut octo vniones extenſæ virtualiter. Ad ſecundam probationem patet, animum non acturũ niſi vt vnitum. Ad tertiam conſtat eam actionem fore vitalem, quia oritur à partibus vt vnitis; in eaſdémque recipitur. In prima autem informatione vnio *ad minimum naturale* fit neceſſario ab extrinſeco principio.

Tertium argumentũ: quia Angelus poteſt continua latione moueri; ſed niſi *vbi* Angelicum partibus conſtet, non poteſt latio eſſe continua: ergo *vbi* Angelicum partibus conſtat. Maior cum S.Th. 1.p.q.53.art.1. docetur à Theologis, quos refert, & ſequitur P.Vazq.diſp.195.c.6. à qua ſentẽtia ſolus diſceſſit Hibernus quidam. Minor probatur primùm: quia ſi præſentia Angeli eſt indiuiſibilis, amittitur tota ſimul; nec poteſt cum alia vniri ſecundùm aliquam partem; nec ſecundùm ſe totam: quia compoſitũ ex vtroque extremo eſſet ſpiritale, & compoſitũ integranter: nec præſentiæ illæ ſimul exiſtunt. Secundò, quia in latione cõtinua per hoc gymnaſium eſſent infinitæ vbicationes determinatæ, & non cõmunicantes: hoc autem eſt impoſſibile: ergo. Minor eſt certa; quia non poſſent ſucceſſiuè finiri. Maior probatur: quia in continuo ſpatio ſunt infinitæ partes proportionales: quibus Angelus reſpõdet per infinita *vbi*: ſed illa ſunt certa, & determinata: ergo ſunt infinitæ vbicationes certæ & determinatæ. Maior conſtat: quia cuiuis parti proportionali, & determinatæ ſpatij reſpondet Angelus ſucceſſiuè: & non per idem *vbi*; quia cum ſit indiuiſibile, fit totũ ſimul. Minor probatur: quia illa *vbi* non habent partes proportionales: hæ enim in ſolis cõtinuis reperiuntur: eſt ergo vnumquodque *vbi* certum, determinatum, & non communicans cum alio. §.81.

Reſpondeo primùm, hoc argumentũ eſſe eneruẽ in ſententia plurium ex aduerſariis; componente continuum ex ſolis punctis, & negante motui ſucceſſiuo vnionem. Ad argumẽtum diſtinguo maiorem; poteſt moueri continuè per motus vnitas partes, nego maiorem; per partes immediatas, & ſine intermiſſione ſuccedẽtes, concedo maiorẽ. Diſtinguo item minorem; non poteſt latio eſſe continua per partes vnitas, concedo minorem: per partes immediatas ſine interuallo inter duas, aut plures, nego minorem; & conſequentiam. Ad primam probationem minoris, fateor in ipſorũ ſententia non poſſe eas vbicationes vniri; ſed tantum eſſe immediatas; vt eſt ipſe motus Angelicus. Ad ſecundam probationem; in ipſorum ſententia non ſunt partes proportionales; ſed ſolum determinatæ, atque finitæ; ac propterea finitæ quoque ſunt vbicationes. §.82.

Quia verò ego compono continuum ex partibus infinitè diuiduis: Reſponderi ſecundò poteſt: in motu continuo Angelorum non omnium eſſe ſentẽtiam eamdem. Durandus enim in 1.d.37.p.2. q.1. vehementer inclinat in negãdum motum Angelis. S.Tho.1.par.q.53.art.1. illis adſcribit locum æquiuocè nobiſcum: quia eos præſentes conſtituit loco per operationẽ in locũ ipſum. Vnde diſtinguo duas rationes, per quas Angeli exiſtunt in loco: alteram §.83.

teram propriam & vniuocam cum noſtra: alteram metaphoricã & æquiuocam. prima eſt *vbi* intrinſecum Angelo;alia operatio extrinſeca.

§.84. Ad argumentum ergo ex §.81. diſtinguo maiorem:Angelus poteſt continuè moueri motu locali proprio, & vniuoco cum noſtro, nego maiorem; hoc enim motus genus negatur ab innumeris:motu improprio & ęquiuoco,concedo: actione enim extrinſeca corporea poteſt Angelus ſucceſſiuè, & continuè moueri. Quo illa argumentationis de parte proportionali machina labefactatur. Angelus enim diſcretè mouetur amiſſa vna indiuiſibili vbicatione,& admiſſa alia etiam indiuiſibili: quibus deſerit, & occupat quod vult ſpatium. vnde vno *vbi*, duobus, aut tribus reſpondet huic ſpatio, & deſerit quam vult partem, occupátque quam vult. Greg. in 2. d.6. q.2. refert opinionem negantem Angelo motum continuum.

§.85. Tandem reſpondeo, Angelum poſſe continuè moueri non continuatione propria ex parte ſubiecti, & vbicationis, ſed ex parte ſpatij: ideſt; ſine intermiſſione deſerit locum, & acquirit: multis vbicationibus reſpondentibus toti ſpatio; non tamen vnitis. & quemadmodum P. Suar. admittit infinita puncta componentia quantitatem finitam; ita poteſt admittere infinitas vbicationes aggregatas in vnam finitam, reſpondentem finito ſpatio.Reſpondeo igitur diſtincta maiori: Angelus mouetur continuè formaliter, nego maiorem: continuè virtualiter, concedo. nego autem minorem. Ad primam probationem reſpondeo, nullam eſſe vnionem vbicationum Angeli; quia nec continuitas illorum. Ad ſecundam reſpondeo, eſſe infinitas vbicationes proportionales,non formaliter ſed virtualiter; quia ſunt multæ reſpondentes loci proportionalibus partibus. illæ autem ſunt finitæ ſimpliciter; & infinitæ ſecundum quid: quia vt in corpore ſunt infinitæ & finitæ, ſic ſunt in *vbi*: in quo nulla eſt vnio partium; ſed aggregatio. In quo aggregato ſunt certæ partes finitæ, quibus certis reſpondetur ſpatiis: & minores, quibus minoribus reſpondetur:& ſignata alia parte minori ſpatij ſignatur minor vbicatio: quæ proximior eſt verſus eam partem vnde motus incipit. Ratio eſt, quia vbicationum menſura ſumitur ex ſpatio cui mobile affigit.

§.86. Ad quod aduerte: locum vnum poſſe deſeri,aut occupari continuè totum ſimul, vt cum Deus primùm elementa produxit: vel ſucceſſiuè per partes proportionales, ita vt nulla tam parua poſſit aſſignari, quin alia minor prius ſit deſerta, aut occupata. Tot igitur erunt vbicationes partiales determinatæ,quot ſunt partes determinatæ loci: & tot erunt partes proportionales vbicationis, quot partes proportionales loci. Itaque partium vbicationis multitudo reſpondet multitudini partium loci, quia vbicatio eſt modus determinans ad locum. Hinc eſt vbicationes Angelicas eſſe ſimpliciter finitas, quia partes ſpatij, quibus reſpondent ſucceſſiuè,, ſunt ſimpliciter finitæ:& quia partes proportionales ſpatij ſunt infinitæ ſecundum quid,ita illæ vbicationes ſecundum quid ſunt infinitæ: & ſicut nulla datur prima pars proportionalis loci, ita nec prima vbicatio illi reſpondens: & ſicut in vbicatione materiali partes proportionales reſpondentes partibus proportionalibus ſpatij coëxiſtunt,& continuantur ſicut dixi diſp.15.Phyſ.ſect. 3. ita vbicationes Angelicæ coëxiſtunt, & quaſi contiguantur, ad eum modum quo partes proportionales ſimul tranſeuntur, & ſe contingunt.

§.87. Inter has vbicationes Angelicas, & materiales quantum ad infinitudinem ſolum eſt diſcrimen; quod materiales continuantur,& vniuntur, & efficiunt vnam; ſecus ſpirituales. Et ſicut locus vnius palmi acquiſitus eſt habendo prius vnam partem proportionalem vbicationis, deinde illam deperdendo & acquirendo aliam,& quando mobile extenſum quieſcit retinet vnam vbicationem continuam reſpondentem toti loco, ita vbicationum ſpiritualium prius fuit vna quam alia; & perdita fuit vna, & acquiſita alia: deinde cum Angelus quieſcit, retinet vnam ſimplicem reſpondentem toti loco. Tandem de hac partium productione, & infinitudine, quomodo continuentur ſucceſſiuè philoſophandum eſt in ordine ad partes ſpatij, ſicut de punctis in ordine ad partes philoſophatus ſum ea diſputatio.15. qui, cum ſint indiuiſibiles, tangunt partem indiuiſibilem,& temporis momenta coëxiſtunt partibus temporis diuiſibilibus per partes proportionales.

SECTIO IV.

Vtrum omnes animæ materiales componantur ex partibus integrantibus?

ANimas plantę,& animalium imperfectorum, nullus aſſeruit eſſe ſimplices, & indiuiſibiles: at verò formas perfectorum animalium eſſe indiuiſibiles ſicut animam rationalem aſſerunt è Thomiſtis non pauci cum S.Thom.2.contra gent. cap.72. & 1. part. quæſt.76. art.8. corpore ad medium, & in diſputatis q.vnica de anima artic.10. corpore ad medium. Caiet. & Ferrarienſis ibi, & alij apud Patr. Conimbricen. hoc lib. 2. cap.1. quæſt.8.art.2.Quorum ſententia probatur primò, quia non repugnat rem materialem eſſe indiuiſibilem, ſi qua autem poteſt eſſe forma, maximè brutorum perfectorum.Ergo. §.88.

Verùm hoc fundamentum eſt nullum, nam probaui ſect.3.proprium conceptum rei ſpiritualis eſſe carere partibus extenſiuis, ergo ille conceptus non poteſt rei conuenire materiali. §.89.

Dices,rem materialem ſufficienter conſtitui per dependentiam à materia,licet ſit indiuiſibilis.Contra primò, quia ille conceptus non eſt communis materiæ & formæ, quæ debent habere vnum conceptum communem, quo conueniant in ratione rei materialis. Hic conceptus non poteſt eſſe conceptus materiæ primæ, quia forma non eſt materia: neque conceptus dependentiæ à materia,quia materia non dependet à ſe, ergo debet dari alius conceptus, qui eſt compoſitio partium extenſiuarum, vt conceptus communis rei ſpiritualis eſt carentia talium partium. §.90.

Contra ſecundò,quia eo ipſo,quod res educatur de potentia materiæ,educitur extenſa; quia forma materialis nõ poteſt tota educi ex vna parte materiæ, & tota ex tota materia, ergo educitur pars ex parte;& tota ex tota materia:patet antecedens:demus, verbi gratia, formam equi educi totã ex tota illa materia, quę fuit diſpoſita in primo inſtanti generationis,ergo illa materia eſt cauſa adæquata illius formæ; ergo quando per nutritionem materia creſcit,pars noua nõ cauſat materialiter illam formam.Patet conſequẽtia,quia poſita vna cauſa adæquata,quæ iam ſemel cauſauit effectum,non poteſt ex natura rei cũ illa cauſa in illo genere alia ſimul concurrere, ergo cum materia,quæ primo ſuſcepit formam equi, non poteſt concurrere alia ad illius receptionem. Probatur antecedens: tum quia illa cauſa §.91.

cauſa tam in actu primo, quàm in ſecundo habet virtutem adæquatam cauſandi effectum, cum qua virtute non poteſt ex natura rei alia concurrere, vt probaui diſput.8. Phyſic.ſect.7. & diſput.9. ſect.5. tum etiam in igne producto, ad cuius productionem poſtquam ſemel eſt productus, non concurrit alius ignis. Vnde ſequitur toties formam generari noua generatione, quoties accreſcit materia, nam ex potentia partis adiunctæ de nouo, educeretur etiam forma.

§. 92. Dices primò, ad productionem vnius ignis concurrere alium ignem, ita vt quælibet pars producatur à toto igne & qualibet illius parte: ergo ſimiliter poterit forma cauſari à tota materia & qualibet illius parte. Verum ego non loquor de prima productione, ſed iam ſuppono formam cauſatam à tota materia exiſtente in prima generatione equi: at verò accedente iam noua materia non eſt cur cauſet formam iam cauſatam, ſicut producto iam igne, non eſt cur producatur ab alio igne de nouo adueniente, licet vniatur igni producenti.

§. 93. Dices ſecundò, formam non pendere ab aliqua parte materiæ determinata, ſed ab indeterminata, ſicut punctū indiuiſibile. Contra, quia forma vnitur toti materiæ, ergo à tota illa dependet: patet conſequentia, tum quia nō eſt, cur pendeat ab vna parte potius quàm ab alia: immo deberet dependere vel à cerebro, vel à corde, quia ſunt principes partes animantis: tum etiam, quia nullus negabit vnionem formæ materialis vel eſſe idem cum dependētia formæ à materia, vel ſecum afferre talem dependentiam: quod eſt præcipuum argumentum contra hanc ſententiam, quia vnio comitatur dependentiam formæ materialis à materia: ſed vnitur toti materiæ, ergo à tota materia dependet; ſed vna pars formæ non poteſt dependere à tota materia, quia darentur plures cauſæ adæquatæ illius, ergo à diuerſis partibus materiæ dependent diuerſæ partes formarum.

§. 94. Contra ſecundò, quia punctum indiuiſibile non vnitur parti ſecūdum ſe totam. Præterea quo fundamento poteſt affirmari nō poſſe aſſignari vnam partem materiæ, quin aliæ minores, ac minores aſſignentur, à quibus forma dependeat? Cum ſit certum formas viuentium ſibi determinare certam quantitatem materiæ, ita vt in alia minori conſeruari non poſſint.

§. 95. Dices tertiò, formas brutorum non pendere intrinſecè à materia; ſed dici materiales, quia ſicut non poſſunt operari ſine materia, ita neque eſſe, quia ab ea dependent tamquam à comitante. Verum hunc exiſtimo eſſe temerarium in philoſophia errorem: quia ſi formæ materiales non pendent intrinſecè à materia tāquam à ſubiecto, ergo non educuntur ex potētia illius, ergo non generantur, ergo creantur. Patet vltima conſequentia, quia quod non fit cum dependentia à ſubiecto, vel alia cauſa intrinſeca, fit independenter ab illa, & creatur: quia *creatio* eſt *productio entis ex nihilo*, id eſt ex nulla cauſa intrinſeca, vt dixi diſp.12.Phyſ. ſect.1. ſed forma per te non dependet ab alia forma, ergo creatur; hoc autem ſuſpicionem parit in fide, tum, quia apud Patres, & Concilia è ſubſtātialibus formis ſola rationalis dicitur creari: tum etiam, quia ſequitur tales formas eſſe natura ſua incorruptibiles, quia creantur, creatio autem eſt rerū ſubſiſtentium, cum ſubſiſtentia ſit modus conſequutus exiſtentiam independentem ab alio. Quod ſi non dependent à materia in ſuo eſſe, ergo habent aliquam operationem independentem à materia, quia vnaquæque res operatur eo modo, quo habet eſſe, & ideo probamus à priori animum rationalem habere aliquam operationem independentem à materia, quia animus ab illa non dependet, vnde deducimus euidenter corrupta vnione animum rationalem non corrumpi, quia neque dependet à materia, neque ab eius vnione.

Poſſet dici, illas formas eſſe corruptibiles, quia certis temporibus petunt corrumpi. Sed hoc primum aſſeritur ſine fundamento: quia idem poſſet dici de animo rationali, cuius immortalitas colligitur ex eius ſubſiſtentia: quam etiam haberēt illæ formæ. Secundò, quia ex abiunctione à materia non perirent, quia ab illa non dependent intrinſecè per te, neque dependerent in omni ſua operatione, vt probatum eſt: vnde ergo peterent corrumpi?

§. 96. Secundum fundamētum Thom. eſt quia ſi brutum perfectum dolore afficiatur in vna parte, totum corpus condolet, & in vna parte remiſſiùs operatur, quàm in alia; & quia cum primum imaginatio apprehendit, appetitus etiam appetit, atque imperat motum membris externis: item diiudicat inter duo obiecta cognita per diuerſos ſenſus; hæc autem fieri non poſſent ſi animus eſſet diuiſibilis, ergo.

§. 97. Verùm hæc argumēta ad hominem retorqueo: quia per te animus imperfecti animantis eſt diuiſibilis in partes, & tamen ſi cauda lacertæ dolet, condolet totum corpus: ſi enim pede premas caudam colubri, totus coluber erigitur, venenum minans propter iniuriam in cauda acceptam. Item ſi diuertitur coluber per intenſam operationem in vna parte, remittit operationes aliarū: item quando coluber apprehendit obiectum, illud etiam appetit, ſæpè enim cauda diuerberat homines: etiam diiudicat inter duo obiecta per ſenſus apprehenſa diuerſos.

§. 98. Ergo illi effectus non proueniunt ex formæ indiuiſibilitate: ſed exequutio membrorum prouenit ex ſubiectione totius corporis ad appetitum ſenſitiuum, qui per ſpiritus vitales, & naturalem ſympathiam motum imperant omnibus partibus, quibus eſt naturalis inſita obedientia, qua totum corpus benè adminiſtratur, atque defenditur; reliqui verò effectus oriuntur, quia ſenſus per totum animal diffuſi cum percipiunt aliquod obiectum, ſubito illius ſpeciem traijciunt in imaginationem per neruos ſenſorios, qui è toto corpore tenduntur in cerebrum.

§. 99. Igitur infirmo ſcipioni innixa hæc ſententia conatur adſtruere animi brutorum ſimplicitatem. Contra cuius autores ad hominem ſic argumentor: quia ipſi aiunt non poſſe accidens mutare ſubiectum etiam partiale, vt vidimus diſp.1. de generat. ſect.4. ergo non poterit forma materialis mutare ſubiectum totale: at illud mutaret in eorumdem ſententia, quia diſcedente per continuā actionem caloris naturalis tota illa materia, quæ diſpoſita fuit in primo inſtanti generationis, non perit forma; ſed recipitur in materiam ſuccedentem: ergo mutat ſubiectum totale. Patet conſequentia, quia diſcedente prima materia, forma nō ſubſiſtit, ſed neceſſario dependet à ſuccedente materia. Miror hos authores tam acriter inſecutos conſeruationem accidentium, quia deficit ſubiectum, & hîc nulla neceſſitate compulſos admittere mutationem totalem ſubiecti.

§. 100. Nec verò dicent totam formam corrumpi ad accretionem, aut decretionē animalis, quia videtur impoſſibile: neque eſt aliud principium à quo fiat tota alia forma de nouo, immo quoties aliqua pars

materiæ deperditur; etiam perit forma, quia deficit ſubiectum, à quo pendebat: niſi dicant eam pendere à partibus remanentibus. Contra quia illæ eſſent adæquatum ſubiectum, cum quibus non concurrerent partes deinceps acquirendæ.

§.101. Tandem ſic argumentum efformo: forma leonis pendet à quauis parte materiæ cui vnitur: ergo diuerſa eſt formæ pars in ſubiectis diuerſis; antecedens videtur certum; quia vnio rei materialis ad materiam eſt in ſententia aduerſariorum dependentia formæ à materia: abſolutè autem oritur à dependentia ipſius formæ. Video reſponderi poſſe; animam leonis pendere à minimo naturali corporis quod exigit in prima generatione; ex qua dependentia oritur vnio ad nouas partes. Contra tamen: quia partes illius minimi decretione mutantur: quia omnis pars animalis nutritur, atque decreſcit: tunc, ſi tota forma penderet à qualibet parte minimi, tota illa periret; vel ſaltem ſubiectum mutaret.

§.102. Confirmatur: tota cauſſalitas materiæ periret ad quamuis accretionem, aut diminutionem; quia dependentia formæ eſt modus pendens eſſentialiter à ſingulis partibus, in quibus ſemel exiſtit, & non potens nouas de nouo accipere: ſed non eſſet tunc principium, à quo iterum efficeretur ea cauſalitas materiæ: ergo forma periret. Probo antecedens; quia leonem augeſcentem nulla creata cauſa conſeruat: at illum conſeruaret, ſi eius formæ dependentiam à materia efficeret: quia illa cauſalitas eſt formæ conſeruatio: eadémque ratione forma leonis illam non efficeret; quia nec poteſt efficere ſeipſam. Sæpius autem oſtendi ab eo principio terminum cauſari, à quo cauſatur eiuſdem termini cauſatio: tum etiam; quia forma leonis debet exiſtere dependenter à ſubiecto prius natura, quàm cauſet. Sed non poteſt habere illam prioritatem in dependentiam ſui à materia, quia per illam exiſtit.

§.103. Dices formam cõſeruari à Deo per nouam cauſalitatem; quia id petit conceptus formæ corruptibilis dependentis à ſubiecto extenſo. Contra: eadem diuinatione poſſet dici corrumpi totã formam priorem, quia corrumpitur tota eius à ſubiecto dependentia; & à Deo produci aliam nouam, id exigente natura corporis animalis, dum perſeuerant in eo diſpoſitiones ad formam. Quod confirmari poteſt; quia iidem cenſent ſecta lacerta, produci à Deo duas lacertæ formas, ſingulas in ſingulis partibus diuiſis; quam ob cauſam cenſent poſſe defendi ſimplicitatem animi cuiuſque beſtiæ: quod ſi ſolum diuinant quid reſponderi poſſit, poſſemus etiam dicere lactucæ, & lapidis formas eſſe inſectibiles; & ad cuiuſque diuiſionem produci aliam à Deo. Secundò: prior dependentia formæ à ſubiecto, fuit vnum ex principiis per ſe ad nutritionem; ſed nullum principium phyſicum per ſe, eſt principium per ſe ad effectũ, à quo ipſum principium ſit corrumpendum; quia haberet naturalem appetitum ad interitum: ergo adueniẽte nutritione non eſt peritura prior cauſalitas. Minus diceretur ineptè eſſe duas cauſalitates totales. Tertiò, quia nutritio eſſe non poſſet vitalis, quia eſſet à principio extrinſeco adæquatè.

§.104. Obijciunt, duas eſſe productiones, alteram formæ; quæ in nutritione fit à ſolo Deo: & eſt prior natura quàm productio vnionis: altera eſt vnionis productio, quæ eſt vitalis, quia oritur ab ipſa forma. Contra: vt forma potuit efficere nutritionem propter exiſtentiam cum dependentia à materia, priorem natura quàm exiſtentiam vniones: eadem ratione, potuit in prima generatione eſſe cauſa vnionis. Vnde leo ſeipſum generaret, & non generaretur ab alio: eſſétque vitalis generatio compoſiti, ſicut eſt nutritio.

Secundò argumentor, quia omnes actiones formæ materialis ſunt extenſæ, vt patet in ſenſatione externa, quæ dependet à potentia formaliter extenſa; ex qua argumentũ ſumitur ad internas: quia omnes recipiuntur in ſubiecto extenſo, & pendent ab ſpeciebus impreſſis extenſis: ergo & forma eſt extenſa. Patet conſequentia, quia ex qualitate omnium operationum colligitur qualitas principij, à quo fluunt. §.105.

Tertiò, quia formæ imperfectorum animãtium ſunt diuiſibiles, ergo & perfectiorum: patet conſequentia, quia aliqua bruta, quæ vocamus imperfecta, ſunt perfectiora, quàm aliqua bruta perfecta; ſerpens, verbi gratia, perfectior eſt talpa, muſca, & aliis, & tamen ſerpens habet formam diuiſibilem, ergo etiam talpa. Nam indiuiſibilitas, eſt argumentum magnæ perfectionis. Vnde ſumitur argumentum à priori; forma ſerpẽtina eſt perfectior, quàm forma talpæ, & eſt diuiſibilis; ergo diuiſibilitas non oritur ex imperfectione formæ, ſed ex conceptu materialis: alioquin indica inter has formas inæqualiter perfectas, cur perfectior ſit diuiſibilis? Alia vero non? Tandem cum indiuiſibilitas difficile percipiatur in animo rationali, non eſt cur ſine vrgenti fundamento ignobiliores formas eodem priuilegio donemus. Immo rationes S.Thom. vim habent eamdem in qualibet anima. §.106.

Sed cur formæ perfectorum viuentium, ſi diuidantur non conſeruantur, ſicut forma brutorum imperfectorum? Reſpondeo primò, id non oriri ex maiori, vel minori perfectione. Nã forma colubri perfectior eſt, quàm forma muris, & diuiſa conſeruatur forma colubri, ſecus verò forma muris. Cuius rei ratio poteſt eſſe ipſa animãtium figura, quæ magis dependet à conſenſione omnium partium. §.107.

Secundò reſpondeo, admiſſa maiori perfectione perfectorum brutorum, omnes formas, quò perfectiores, maiorem habere dependentiam vnius partis ab alia propter maiorem cõſenſionem, & communicationem ſpirituum vitalium, ſanguinis, &c. quæ fiunt à principibus partibus: ſic corrupto corde, aut cerebro pereunt omnes partes. Quapropter mirum non eſt, quod quæritur in argumento. §.108.

Tertiò reſpondeo incertum eſſe in bruto imperfecto manere partes formæ: quia motus caudæ lacertæ poteſt oriri à ſpiritibus vitalibus, qui cum percuſſione lacerti alterãtur; caudamque mouent, ea celeritate, vt videmus carnes arietinas recenter mortuas palpitare, quod dixit Poëta primo Æneid. de ceruis, quos venatus fuerat Æneas. §.109.

Pars in fruſta ſecant, verubuſq; trementia figunt.

Et caput hominis recenter abſciſſum ſaltare ſolet, frequentérque mouet oculos, totam pellem, atque capillos: quod prodit à ſpiritibus vitalibus.

Denique incertum eſt, an in bruto perfecto per breue tempus remaneant partes formæ, quas non mouent vel propter figuræ difficultatẽ, aliiſve cauſis: imo Ariſtot. teſtatur ſe vidiſſe arietem ambulantem abſciſſo capite. Galenus ſe vidiſſe teſtatur victimas ambulare extis extractis, & P.Ioſeph. Acoſta 5. de hiſtoria Indica, c.22. refert Hiſpanum extracto corde dixiſſe. *Caualleros muerto meha.* §.110.

Sententiam hanc ſequuntur, Durand. Egidius, Argentinas, Gabr. Marcellus, Auerroës, & alij apud Conimb li.2.cap.1.q.8.art.2. quam ipſi in vtráque partem tuentur art.3. eſt recentibus communitiſſima, fuitque tempore Caiet. quam etiam defendit §.111

Toletus

Toletus lib.2.de anima,cap.2.q.5.concl.2.eámque probat, quia quidquid educitur ex ſubiecto extenſo,eſt etiam extenſum.

SECTIO V.

Vtrum partes viuentium ſint ſubſtantialiter ſimiles?

§.112. IN compoſitione viuentium videmus organa;atque inſtrumenta apta diuerſis actionibus vitalibus: inquirimus nunc vtrum huiuſmodi diuerſitas accidentalis arguat in partibus viuentis ſubſtantialem aliquam diuerſitatem?

SVBSECTIO I.

Nonnulla argumenta pro prima ſententia.

§.113. PRima ſententia eſt plurium Thomiſtarum aſſerentium,formam ſubſtantialem eſſe eiuſdem rationis, & omnino ſimilem in omnibus partibus, ſicut forma ignis eſt eiuſdem rationis in qualibet parte. Probatur primò, quia non ſufficit quælibet diuerſitas operationum ad colligendum diuerſitatem ſubſtantialem principij: tum quia ab eodem principio oriuntur operationes valdè diuerſæ, vt ab eodem animo, & ſole: tum etiam, quia multæ res inanimatæ habent aliquam diuerſitatem accidentium,vt patet in iaſpide,& pluma pauonis.

Verum hoc argumentum nihil concludit: tum ad hominem; quia ipſi Thomiſtæ ex diuerſitate actuum intellectus & voluntatis arguunt diſtinctionem eſſentialem inter intellectum & voluntatem; tum etiam,quia quando aliqua forma eſt indiuiſibilis,& ordinis ſuperioris,minus habet compoſitionis: quia verò animus rationalis conſtituitur in altiori gradu entis,ideo per ſuam ſimplicem entitatem præſtat effectus, quos formæ materiales præſtãt per diuerſas partes. Item aliquod principium poteſt præſtare plures effectus in genere cauſæ efficientis,vt Sol; at verò actus vitales propter modum vitalem, quem habent, exigunt varia organa, & inſtrumenta apta ad ſpecies impreſſas obiectorum.

§.114. Ad exempla adducta reſpondetur: eſſe aliquam diuerſitatem accidentium,quæ oritur ex ſola aſtrorum conſtellatione,aliiſque circumſtantiis extrinſecis: homo enim aliquando albicat, aliquando nigreſcit,quod reperitur in metallis,atque lapillis: vt enim nõnullæ regiones ferunt homines nigros, nonnullæ albos,ita quarumdam regionum lapides ſunt nigri, aliarum verò rubri. Neque verò inter ipſas partes iaſpidis arguitur diſſimilitudo eſſentialis,ſicut neque inter duas hominis manus; licet altera ſit nigra, altera alba: quia illa varietas colorum eſt valde accidentalis. At verò plumæ pauonum ſunt animatæ,quia ſine illis auis eſſet manca, & mutila: quod ſi hoc minus placet: reſpondeo illam diuerſitatem tantùm eſſe in colore, aliiſque accidentibus inutilibus ad colligẽdam ſpecificam diſtinctionem:vel eſſe illarum formas diſtinctas.

§.115. Secundò mouentur,quia res diuerſarum ſpecierum non poſſunt continuari, ergo illæ partes non ſunt ſubſtantialiter diſſimiles. Antecedens patet: quia continua ſunt, quorum extrema ſunt vnum: at extrema ſpecierum diuerſarum non poſſunt eſſe vnum,quia ſunt rationis diuerſæ:ergo. Neque hoc vrget: ſolutum eſt enim diſput. 5. de generat. res enim diuerſarum ſpecierum incompletarũ poſſunt continuari ad integrandam tertiam ſpeciem, ſicut materia & forma concurrunt ad componendum eſſentialiter hominem.

Dices, eas partes differre ſpecie completa, quia os,verbi gratia, eſt vegetabile tantùm, caro autem ſenſibilis; vegetabile autem tantùm, & ſenſibile differunt ſpecie completa: ergo. Vnde argumentor tertiò, quia planta non poteſt efficere vnum per ſe cum carne, ergo neque os:patet conſequentia, quia os tantùm eſt planta. Ridiculum argumentum: ſic enim dici poſſet animam & corpus differre ſpecie completa propter materialitatem vnius, & alterius ſpiritualitatem. Deinde non dicuntur differre ſpecie completa,quia abſolutè non ſint diuerſarum ſpecierum: non enim minus differunt inter ſe,quàm equus & leo: ſed dicuntur differre ſpecie incompleta,quia ſunt entia incompleta & partialia, ex natura ſua relata ad componendam tertiam ſpeciem,ſicut materia & forma. §.116.

Quia igitur os,licet tantum ſit planta,per ſe refertur ad componendum animal, dicitur differre ſpecie incompleta à carne, quia ſimul cum illa integrat totum equum: quia tam os,quàm caro ſunt partes neceſſariæ equo mutuò dependentes, quia os alimentum capit à corde,& iecore,& appetitus pendet ab oſſe in executione motuum; ſicut animus pendet à corpore in operatione materiali.Neque video,cur os non poſſit continuari cum carne ex eo quod planta non poſſit cum illa continuari: nam eodem modo diceretur duas partes eiuſdem raphani non poſſe continuari, quia cum raphano non poteſt continuari lactuca. Reſpondeo igitur quædam eſſe vegetatiua completa, quæ non poſſunt continuari cum carne, nec cum quauis alia ſpecie: quia neque mutuò pendent à carne,neque illam in operando iuuant: quædam verò vegetabilia eſſe incompleta, quæ poſſunt ſeruire ſenſitiuis,illiſque vniri: & cum illis tertiam ſpeciem integrare. §.117.

Deinde mouentur, quia communiter reijcitur multitudo formarum ſubſtantialium, quia nulla pars relinquit incompletam ſuam materiam,atque adeo neceſſaria non eſt alia forma per quam compleatur illa pars. Fateor in qualibet parte materiæ non reperiri duas formas incompletas, ſed vnam completã eſſentialiter: integraliter tamen incompletam: quia quælibet pars corporis cum ſua forma habet dependentiam à cæteris partibus, quibus integratur compoſitum. Atqui in priori ſenſu ſæpe reiecimus pluralitatem formarũ diſſimilium cum Pat. Suarez diſput.15. metaphyſicæ, ſectio.8. num.31. §.118.

SVBSECTIO II.

Alia argumenta.

PRæterea arguitur: quia vna forma totalis non vnitur aliis; ſed forma brachij eſſet totalis, atque diſtincta à forma pectoris; ergo non poſſunt vniri. Quod ſi dicas,eas formas eſſe partiales,petis principium. Reſpondeo, eodem argumento probari formas omnes eſſe ſimplices etiam in lapide: quia quælibet eſt forma totalis; quæ non poterit continuari cum aliis. Iam inſinuaui §.119. formas poſſe eſſe completas eſſentialiter in ratione formæ; non verò integranter: quia in ea parte ſubiecti cui inſunt,non poteſt eſſe alia forma ſubſtantialis. At ſicut pars materiæ eſt integrè completa continuatione cum aliis; ita & pars formæ. §.119.

Mirum autem eſt,hanc videri petitionem principij; §.120.

cipiis : iam enim conuenimus in hac difficultate, formas eſſe diuiduas ſaltem in imperfectis belluis: illarum autem partes, ſunt quidem non tota forma colubri, ſed pars : quæ vt compleat debitam colubro magnitudinem , eget vnione ad alias partes. hæc partialitas eſt per ſe nota. Cauda enim lacertæ , aut folium lactucæ, & raphani egent vnione cum cauda , aut trunco. item os eget vnione ad carnem, & hæc ad neruos; oculi egent neruis , & pendent à cerebro. hæc euidenter oſtendunt non eſſe totam formam eam , quæ eſt in folio lactucæ, aut cauda colubri. Has partes rogo ſint ne ſimiles, aut diſſimiles? proba ergo aliūde diſſimilitudinem.

§.122. Quintum argumentū: quia in leonibus & equis mas & fœmina ſpecie differrēt : hoc eſt abſurdum: ergo. Maior probatur, quia tanta diuerſitas accidentium eſt inter marē & fœminam, quanta inter brachium & manus. Minor patet : quia fœmina non poſſet producere marē;& vt ex aſino & equa oritur mulus; ita oriretur proles tertiæ ſpeciei. Reſpondeo primùm, hoc argumentum, & illud, quod propoſui §.116. non habere vim in ſententia admittente hanc partium diſſimilitudinem , diſtinctarum ſolo numero, & non ſpecie: de quo agendum ſect. ſequenti.

§.123. Secundò reſpondebit aliquis, minorem eſſe falſam : ad primam probationem reſpōdetur, marem à fœmina generari, ſupplente Deo defectum influxus; qui præſtandus eſſet à mare, ſi eſſet applicatus. Ad ſecundam probationem; ſemina aſini & equæ eſſe valde diſſimilia; ſecus leonum: quæ ob inſignem ſimilitudinem cēſentur eiuſdem ſpeciei. Nec hinc infertur in ſpecie hominis, fœminam & marem ſpecie differre; tum quia vniones poſſunt dici homogeneæ in toto compoſito : tū quia animæ ſunt eiuſdem rationis , & indifferens vnaquæque ad diſpoſitiones maſculinas, & fœmininas: de vnionibus autem vix Patres loquuntur; nec illæ referunt. Hæc tamen ſine fundamento dicuntur, ac propterea ſunt reijcienda.

§.124. Igitur mas & fœmina ſunt eiuſdē ſpeciei. vnde nego mai.è §.122. Ad probationem reſpondeo, nō eſſe tātam diuerſitatem inter marem & fœminam, quantam inter carnem & oſſa;& inter partes, quæ multū differunt: fortè enim manus & brachia ſunt eiuſdem rationis. inter marem & fœminam, nō eſt diſcrimen vllum ſubſtantiale, ſed accidentarium: quia in ſola figura,& in maiori, aut minori intenſione , aut quantitate eſt diſcrimen. vterque enim habet vim ſeminis formatricem, vim generatiuam, & alia accidentia. Eſt autem diſcrimen in figura, & aliis accidentibus , ad quæ animus vtriuſque eſt indifferens. vnde ſæpe cernuntur Hermaphrodyti; & aliquādo fœmina conuerſa eſt in marem. Itaque diſpoſito corpore fœminæ, & maris : anima æquè peteret alterutrum. At forma viſiua non appeteret corpus aptum ad aures.

§.125. Quæ patent, quia anima maris, & fœminæ poſſunt generare filiū:& quod facit vna, poteſt & alia ſecundùm ſe conſiderata : alioquin ſpecie differrent : ergo anima maris eſt indifferens ad fœminæ corpus, alioquin non poſſet idem quod anima fœminæ: idémque eſt de anima fœminæ, quæ indifferens eſt ad corpus maris. Siue ergo accidentia maris & fœminæ ſint eiuſdem , ſiue diuerſæ rationis, dicendum eſt animū maris conſideratū ſecundum ſe eſſe aptum corpori fœmineo:& animā fœminæ corpori maſculino: videndū nūc vtrum idem contingat parti oculorū,& aurium. vide §.159.& 160.

§.126. Vltimum argumentum : quia nō ſunt multiplicādæ formæ abſimiles abſq; neceſſitate. Quid inde?

SVBSECTIO III.

Concluſio.

Cenſeo partes viuentis eſſe ſubſtantialiter abſimiles: e g. in equo formā exiſtentem in oculo eſſe abſimilem parti eiuſdem formæ exiſtenti in auribus. Quam doctrinam tradit Magnus Suarez diſp.15. metaph. ſect.6. num.31. & 2. met. diſp.46. ſect.1. nu.41. eſt multorum opinio. Antonij Andr. 7. metaphyſ. q.17. Pauli Veneti de Anima, cap.5. Niphi.1. de generatio. text.26. éſtque apud recentiores communis. Quam tradit expreſsè S.Thom. quæſt. vnica de ſpiritualibus creaturis, art.4. ad 14. adducendus ſect. ſequenti. §.127.

Quam nonnulli ſic probant: conſideremus duas formas equi ſecundum ſe, quæ informant materiam; atque fingamus vtramque à ſubiecto ſeparatam,& quantitate; & alteri illarum præcidi eam partem, quæ capiti reſpondebat : rogo an vtraque forma maneat æquè integra? Nec ne? Non poteſt dici vtramque manere æqualiter integram : cum altera ſit capite mutilata , ergo non manet æquè integra: ergo deeſt illi formæ aliqua pars, quæ petat eſſe caput, aut pedes. §.128.

Verum in oppoſita ſententia poteſt reſponderi: omnes partes formæ ſecundum ſe cōſideratas eſſe indifferentes ad caput, pedes, &c. Eáque propter in tali caſu vtramque formam manere æqualiter integram ſubſtantialiter , ſi maneant tot partes formæ, quot ſunt neceſſariæ ad integritatem equi. nam tam magna pars poteſt abſcidi ab illa forma, vt veniretur ad minimum naturale equi, eáque de cauſa maneret manca illa forma : quia non poſſet informare ſufficientem materiam: ſi verò hoc non contingeret, illæ duæ formæ eſſent integræ, ſicut tam eſt integer equus paruus, quàm magnus. §.129.

Probatur igitur concluſio. Forma exiſtens in capite petit determinatè diſpoſitiones capitis , & illi repugnant diſpoſitiones pedis: (idque dico de forma oculi, guſtus, & cæterorum ſenſuum , partiúmque diſſimilium ,) ergo forma capitis diſtinguitur ſubſtantialiter à forma pedis. Conſequentia patet, quia indiuidua ſubſtantialiter ſimilia, ita habent diſpoſitiones , & accidentia , vt quantum eſt ex ſe , poſſint habere diſpoſitiones , & accidentia alterius indiuidui ſubſtantialiter ſimilis: verbi gratia, Æthiops quantum eſt ex ſe poteſt habere albedinem , quod ſi eam non habet , eſt per accidens, propter maiorem ſolis vicinitatem: quo torrentur. Quod ſi nos ipſi eo climate eſſemus nati , eodem macularemur nigrore. §.130.

Ad quod aduerte diſcrimen, quo aliqua indiuidua dependent à concurſu plurium cauſarum, pro quarū varia coniugatione , varia in nobis naſcuntur accidentia , pro quorum varietate non arguimus ſubſtantialem diſtinctionem indiuiduorum: alia verò ſunt accidentia quæ non poſſunt variari, licet cauſæ ſecundæ inter ſe alterentur , vt equus non poteſt non eſſe quadrupes , nec talpa cæcus: quæ diſtinctio accidentium arguit diſtinctionem ſubſtantialem in indiuiduo. Vnde quoduis animal videns diſtinguitur ſpecie à talpa , & omne animal bipes diſtinguimus ab equo. vnde diſputat.1. de cœlo probaui Solem, & Lunam differre ſpecie, quia Sol plus habet lucis , quàm Luna : quod ſi Luna eſſet eiuſdem ſpecie cum Sole, tantam haberet , quantam ille : quia nullo congreſſu cauſarum ſecundarum poterat impediri : ſicut Sol nullo impeditur. §.131.

Hinc eſt duo capita duorum equorum, non eſſe §.132.
ſubſtan

ſubſtantialiter diſſimilia: licet alterum ſit oblongum,alterum rotundum,alterum calidum,alterum frigidum;nam hæc accidentia non oriuntur ex intrinſeca indiuiduatione illorum; ſed ex vario cauſarum ſecundarum congreſſu. At vero caput & pedes eiuſdem equi differunt ſubſtantialiter, quia tanta organorũ diuerſitas oritur non ex congreſſu cauſarum ſecundarum:ſed ex intrinſeco conceptu formæ ſubſtantialis, ibidem reſidentis. Hæc pro prima conſequentia, quam latius proſequemur, ſect.6.

§.133. Antecedens autẽ probatur,quia caput in quantum caput petit ea organa, quæ tantum differunt ab organis pedis: ergo eſt aliquod principiũ,quod determinatè petat ea organa in capite: nam accidentia determinata, quæ oriuntur ex intrinſeco principio,non ex ſolo cauſarum congreſſu, petunt aliquod principium determinatum, à quo oriantur, & cui deſeruiant: ſed illud principium in capite non eſt materia, quia hæc de ſe eſt indifferens ad caput,pedes,& compoſita inanimata; ergo hoc principium determinatum eſt forma: ergo forma exiſtens in capite petit determinatè diſpoſitiones capitis,& non pedis.

§.134. Dices primò,id prouenire à tota forma viuentis. Non verò ab iſta parte in particulari:nam tota forma petit habere diſpoſitiones capitis, cordis, &c. Singulæ verò partes ſunt indifferentes ad caput,cor,&c. Contra,quia hæc eſt repugnantia terminorum: affirmare formam petere diſpoſitiones capitis, & ſingulas partes formæ eſſe indifferentes ad tales diſpoſitiones. Nam tota forma nihil eſt formaliter præter omnes ſuas partes vnitas, ſed per te omnes partes vnitæ ſunt indifferentes ad diſpoſitiones capitis: ergo tota forma eſt indifferens ad tales diſpoſitiones. Confirmatur, per te ſingulæ partes tam proportionales, quàm determinatæ, ſunt indifferentes ad caput, & pedes, ergo omnes illæ partes etiam vnitæ retinent eamdem indifferentiam; alioquin & naturam mutarent per vnionem:& iam non eſſent indifferentes, ſed determinatæ ad eas diſpoſitiones, quod intendimus: ergo tota forma ſimul eſt indifferens ad omnes illas diſpoſitiones:patet conſequentia:quia tota forma nihil eſt præter omnes partes proportionales, & determinatas, vnitas; compoſitio enim formæ nihil addit ſupra partes præter earum vnionem.

§.135. Quod conſtabit apertè recenſendo proprietates cæterorum compoſitorum: homo enim, verbi gratia, eſt rationalis,& materialis: quia altera eius pars eſt eſſentialiter principium ratiocinandi; altera verò eſt materia: item animal eſt ſenſitiuum, quia ſenſitiuum dicit duo principia, alterum actiuum, alterum paſſiuum ſenſionis principium actiuum illi cõuenit ratione formæ determinatæ, paſſiuum verò ratione materiæ. Item album eſt diſgregatiuum viſus; quia altera pars illius eſt principium diſgregandi: igitur nullum eſt compoſitum, cui aliqua proprietas conueniat,niſi ratione alicuius partis: ſed per te in forma viuentis nulli parti conuenit petere determinatè diſpoſitiones capitis, quia per te omnes partes ſunt indifferẽtes ad illas, ergo toti formæ non conuenit petere determinatè eas diſpoſitiones. Vrgeo argumentum: per te forma oſſis eſt indifferẽs ad diſpoſitiones carnis:etiam forma nerui: & forma capitis: demus igitur omnes illas partes habere diſpoſitiones carnis, totum animal eſſet caro,& quidem ſine vlla violẽtia,quia omnes illæ partes haberent diſpoſitiones ſibi connaturales.

Dices ſecundò,toti formæ viuentis vim inferri, quia illa petit diuerſam organizationem, quo differt à forma non viuenti. Contra: quia petitur intentum: ſi enim ſingulis partibus non repugnat ea diſpoſitio,neque repugnabit toti formę(vt dictum eſt)quod ſi differt forma vitalis à non vitali,eo eſt, quia vitalis habet diuerſas partes diſſimiles, quibus petit organa diuerſa: at verò non vitalis, cum habeat partes omnino ſimiles,non petit ex ſe accidentia diſſimilia. Vnde ſi forma equi eſſet omnino ſimilis, vt forma ignis; haberet corpus ſimilibus accidentibus aptum,ſicut forma ignis. §.136.

Dices tertiò,animũ rationalem eſſe ſimplicem, & eundem numero in capite & corde: ergo etiam duæ partes diſtinctæ numero poterunt eſſe in pede,& in capite. Nego conſequentiam:quia animus per ſuam ſimplicem entitatem eſt determinatus ad totam corporis organizationem, ita vt vis inferatur, ſi priuetur vel minima organizatione:at per te pars, quæ eſt in capite,nõ petit determinatè illam diſpoſitionem: ergo ſicut animus rationalis per virtualem extenſionem informat duas partes carnis, quas in equo informant duæ partes formæ ſolo numero diſtinctæ: ita idem animus informat carnem & oſſa quæ in equo informantur duabus partibus formæ ſubſtantialiter diſſimilibus, quia animus eminenter continet quidquid formæ extenſæ præſtare poſſunt. §.137.

Dices quartò, totam formam petere diuerſitatem organorum in capite ratione ſingularum partium,non determinatè, ſed indeterminatè,& confusè; ſicut ſpecies equi eſt neceſſaria ad equitandum,non tamen ratione huius indiuidui,in particulari,nec illius. §.138.

Contra, quia ſi nulla pars formæ dicit ordinem determinatum ad organa capitis:ergo nec tota hęc forma dicit talem ordinem. Patet conſequentia, quia talis ordo eſt de eſſentia formæ:ergo illi conuenit determinatè ratione alicuius partis. Quia quidquid eſt de eſſentia compoſiti,illi cõuenit determinatè ratione partium determinatè: vel ergo ratione vnius tantum, vel ratione omnium. Quod affertur de equo eſt abs re:tum quia ſinguli equi in particulari dicunt determinatũ ordinem ad equitationem, & determinatè habent potentiam ſufficientem ad equitandum: ſicut ſinguli oculi ad viſionem:nullum autem requiri in particulari, idem eſt,ac equitationẽ ita ab vno poſſe prodire,vt non ab illo ſolo, ſed etiam poſſit ab aliis. Eſſet autem ad rem ſi diceretur ſingulas partes formæ petere tales diſpoſitiones, ſed nõ eſſe neceſſarium vt dentur huic parti determinatè, ſed alicui vagè atque confusè. Contra, quia ſi nulla pars petit determinatè has:ſed confusè has, vel illas: ergo quæcũque dentur cuiuis parti ſufficient:quod ſi ſingulis dentur diſpoſitiones capitis, tam bene erunt, ac benè eſt quilibet oculus ad videndum, totúſque equus erit caput, vel poteſt eſſe ex natura ſua: vt quilibet oculus poteſt natura ſua videre. §.139.

Dices quintò,omnes partes vnitas petere diuerſa organa,& temperamẽta,ita vt ſi vna pars ſit determinata ad caput, altera determinetur ad pedes. Contra,vnio eſt eiuſdem rationis in omnibus? an diuerſæ? ſi eiuſdem,non determinat vnã partem ad vnã diſpoſitionem magis,quam ad aliam: eſt enim tam indifferẽs ad eas diſpoſitiones,quàm ipſæ partes:ſi verò vnio eſt diuerſæ rationis,ergo iam habet compoſitum aliquid ſubſtãtiale determinatum ad caput,diuerſum ab eo ſubſtantiali determinato ad pedes:ſicut ergo in vnione admittis,quidni admittes & in partibus?præſertim cum ſit obſeruandum, §.140.

extrema eiuſdem ſpeciei non habere vniones diuerſarum. Deinde, vnio integralis tantum habet efficere rem maiorem, partéſque terminare, neque poteſt intelligi in tali vnione determinatio ad aliquas diſpoſitiones, niſi ratione partium. Adi §. 153.& 154.

§.141. Sextò dici poteſt,in tota forma eſſe principium ad omnia illa organa: determinari autem à cauſa prima, vt huic parti dentur organa capitis: illi oſſis, &c. Quod eſt huic parti naturale ſuppoſita priori determinatione. Verum hæc ſolutio eſt parum philoſophica, tum, quia non reddit rationem diuerſitatis organorum,niſi voluntatem cauſæ primæ: tum etiam, quia ſi pars capitis eſt indifferens ad pedes,quid illi præſtat ſi alia pars determinetur ad pedes, vt illi ſit connaturalis determinatio ad caput? equidem ſicut illi accidit quidquid contingat parti pedis, cum ſit ab illa realiter diſtincta,ita illi eſt valde accidentarium alias partes determinari ad pedes, vel cor. Nam ipſa ex conceptu ſuo ſemper manet indifferens ad quamlibet diſpoſitionem. Quapropter omnes partes eiuſdem animantis eſſent (vt ita dicam) contentæ,ſi omnes informarent aut pedes,aut carnem,&c.

§.142. Confirmatur, quia vt probaui in phyſicis concurſus generalis cauſæ primæ determinatur,quoad ſpeciem effectus à cauſis ſecundis, vt à calore ad calefaciendum,& à frigore ad infrigidandum:cauſa verò prima determinat ſecundas quoad indiuiduationem effectus: cum ergo diſpoſitiones cordis,& capitis ſint ſpecie diuerſæ,cauſa prima debet determinari à forma viuentis ad illas, non verò è contra: at vero quod forma capitis determinetur ad hoc caput potius, quàm ad illud,oritur à cauſa prima, cui in ratione cauſæ primæ tantum eſt tribuenda illa determinatio effectus, quæ in oppoſita ſententia tribuitur tempori & aliis circumſtantiis, quibus non tribuitur determinatio ſpeciei.

§.143. Adde à cauſa prima præſtari eos effectus, quos non præſtat ſecunda, cum deberet illos præſtare: alioquin nõ recurrendum ad primam vt primam: ſed illa determinatio diſpoſitionũ non debet præſtari à cauſa ſecunda: quia non poteſt: ergo.

§.144. Probo minorem: quia forma ex ſe nullas petit diſpoſitiones præ aliis:ſed ad omnes eſt indifferẽs: ergo ex ſe nullas petit:ergo nõ poteſt determinari ex ſe ad illas: ergo ad eam nec ſpectat ea determinatio,nec petit vt à Deo fiat:quia nullam habet partem id petentem,aut potentem. Igitur tota hæc animalis diſſimilitudo oritur ex intrinſeca ratione formæ,eam petentis, vel per ſuam ſimplicem entitatem,vel per partes ſubſtantialiter diſſimiles.

SVBSECTIO IV.

Alia reſponſa diluuntur.

§.145. Septimò reſponderi poteſt; nullam partem eſſe determinatè ordinem ad oculos; totum autem compoſitum eſſe determinatum ordinem ad illas; nec mirum, quia nulla pars eſt totũ compoſitum; omnes autem illæ ſunt cõpoſitum; vt nullus Apoſtolus eſt duodecim, nec collegium Apoſtolicum; at omnes ſimul & ſunt duodecim, & collegium totum. itaque nulla pars diuiſiuè ſumpta eſt ordo determinatus ad oculos; at omnes partes collectiuè ſumptæ ſunt ille ordo; forma autem equi non eſt vna pars diuiſiuè ſumpta,eſt tamen omnes collectiuè.

§.146. Contra; forma equi habet ordinem determinatum ad oculos ratione partium collectiuè ſumptarum: ergo ab aliqua determinatè habet talem ordinem, ſiue aliqua diuiſiuè eſt determinatus ordo aut totalis, aut partialis. Probo conſequentiam: quia quidquid habet compoſitũ ab omnibus partibus ſimul; habet à ſingulis diuiſiuè,totaliter, aut partialiter. Quod primum inductione probo:quia homo eſt adæquatus ordo ad videndum ratione vtriuſq; partis collectiuè;quia niſi partes ſint vnitæ, non poteſt exerceri viſus: ſed id habet ab anima diuiſiuè partialiter, quia eſt determinatè principium actiuum viſus; item & à materia determinatè, etiam diuiſiuè; quia organis apta, eſt principium determinatum ad recipiendum viſum. item generatur homo,ratione vnionis,quæ generatur vt *quo*: moritur item, quia determinatè moritur vnio: ergo quod compoſitum habet ratione omnium partium,habet partialiter à ſingulis determinatè.

Explico: compoſitum habet interdum prædicatum adæquatè ab vna parte diuiſiuè ſumpta: quæ licet nõ niſi vnita illud prædicatum communicat; illa tamen ſola eſt totalis cauſa illius: e. g. homo eſt rationalis; & eſt corporeus: primum prædicatum habet ab anima ſola; à ſolo corpore ſecũdum. Habet item compoſitũ alia prædicata ab vtraque parte collectiuè:quia niſi ab vtraque vnita nõ oritur: vt homo eſt animal, eſt videns; non quidem ab anima ſola,nec à ſolo corpore; ſed ab vtroque. At ab alterutro habet prædicatũ partiale hominis, animalis,& videntis: nempe ab anima habet principium actiuum; paſſiuum à corpore. §.147.

Ergo vel eſſe ordinem determinatum ad oculos, eſt prædicatum ortũ ab vna ſola parte; aut ab omnibus.Si ab vna ſola; id peto: quia illa ſola eſt ordo ad oculos, & non alia. Si autem eſt ab omnibus; ergo à ſingulis oritur partialiter: aſſigna ergo aliquam habentem determinatè ordinem ad oculos. illa non erit ordo partialis, ſed totalis: quia oculi non habent niſi vnam formam extenſam. §.148.

Huius doctrinæ duplex eſt à priori ratio:altera; quia omne prædicatum compoſiti illi conuenit vt *quod*: ſic homo eſt rationale vt *quod*:viuẽs vt *quod*: hoc autem idem prædicatum cõuenit vni, aut pluribus partibus vt *quo*: vnio enim eſt genita vt *quo*: anima eſt rationalis, & viuens vt *quo*: corpus eſt materiale vt *quo*: idque conuenit partibus vt *quo*, tam determinatè ac cõpoſito vt *quod*. Hinc aſſigna à qua parte forma equi ſit determinatus ordo vt *quod*:illa enim pars erit determinata vt *quo*,& non indifferens ad aures: eaque ratione erit ſubſtantialiter abſimilis parti determinatæ vt *quo* ad aures. §.149.

Altera ratio à priori; quia compoſitum nihil eſt præter partes & vnionem:vnde omne prædicatum reale compoſiti,oritur ſaltem partialiter à ſingulis partibus. Homo enim partialiter habet id prædicatum à corpore: & numerus duodenarius, habet illud à ſingulis vnitatibus partialiter;& collegium Apoſtolicũ habet rationem talis collegij à S. Petro partialiter, & determinatè. Quia ſi cõpoſitum eſt quædam collectio partium & vnionis: vt non habet eſſe intrinſecum niſi à ſingulis partibus & vnione:ita non habet prædicatum eſſentiale,quod non habeat à ſingulis partibus & vnione:ergo ſingulæ partes formę equi dant illi partialiter eſſe ordinem determinatum ad oculos;ſicut eſſe formam equi. Vnde arguo: ab eo à quo forma eſt eſſentialiter forma equi, eſt ordo determinatus ad oculos: ſed à ſingulis partibus determinatè habet partialiter eſſe formam equi; ergo à ſingulis habet eſſe determinatum ordinem ad oculos. Quæ eſt aperta demonſtratio. Vnde concludo, vel totam formam equi non eſſe ordinem determinatum ad oculos: §.150.

ſed

ſed totam illam fore cõtentam abſque illis;vel aliquam partem formæ eſſe ordinem determinatum ad oculos, & non ad aures.

§.151. Ad argumentum ex §. 145. liquet, collegium Apoſtolicum tale eſſe partialiter à ſingulis diuiſiuè & determinatè: idemque eſt de cæteris compoſitis: eademque ratione forma equi eſſet ordo determinatus ab vna parte diuiſiuè & determinatè: ordo (inquam) aut partialis, aut totalis. partialis nulla pars eſt ordo: quia in ſua ſubiecti parte non patitur aliam formam: eſt ergo aliqua pars ordo totalis vt *quo* ad oculos: & ob illam forma eſt ad eoſdem totalis ordo vt *quod*.

§.152. Hæc ita confirmo; vniantur duæ partes equinæ formę;neutra per ſe eſt determinatus ordo ad oculos: per vnionem neutra fit ordo determinatus ad oculos: quia vnio non immutat eſſentiam alicuius partis: ſed eſt integritas vtriuſque. Ergo ex vtraque vnita non eſt ordo determinatus ad oculos. Probo conſequentiam: quia compoſitum illud nihil eſt præter eſſentias partium, & vnionis; ſed illæ eſſentię ſecundum ſe conſideratæ non ſunt talis ordo: vnitæ autem non immutantur illæ eſſentiæ: ergo. Itaque ſingulæ diuiſiuæ ſunt vna eſſentia abſque ordine determinato ad oculos:ſimul ſumptæ ſunt duæ eſſentiæ abſque tali ordine. vnde ergo compoſitum illud mutuatur eſſentiale prædicatum ordinis determinati ad oculos?

§.153. Octauò reſponderi poteſt; formam equi eſſe determinatam ad oculorum diſpoſitiones per partem indeterminatam; quia licet id non petat determinatè per eam partem, quæ reipſa eſt in oculis; tamen id petit per illam, vel per aliam. petit enim vt vni parti tribuantur diſpoſitiones oculorum: alij aurium; ita tamen vt quæ nunc eſt in auribus, potuerit eſſe in oculis. Hoc autem prædicatum ſingulis partibus conuenit: quia parş exiſtens in oculis petit determinatè diſpoſitionem oculorum, & aurium; non tamen vt ipſi ſoli dentur oculi; & alij ſoli aures; ſed alteri dentur oculi, alteri aures. Hæc ſolutio parum, aut nihil differt à propoſita §. 138. maximè autem § 140. quam impugnaui §.141.me huc ex parte reiiciens.

§.154. Impugno igitur eam doctrinam: quia ſingulæ partes ſunt indifferentes ad oculos & aures; ita vt ſingulæ contentæ ſint oculis, oſſe aut carne: ergo in tota forma non eſt ordo determinatus ad oculos; ſed totus ordo erit indifferens ad oculos, & carnem. Probo conſequentiam; quia ille totalis ordo formæ nihil eſt præter ordines partiales vnitos; ſed hi ordines omnes ſunt indifferentes ad oculos & carnem; ergo totus ordo eſt indifferens ad oculos, & carnem. Si forma haberet multas partes determinatas ad oculos; poſſet dici ordo determinatus ad oculos per partem indeterminatam: quia ad videndum non egeret hac parte potius quàm illa: ſicut ad videndum non egeret his oculis præ aliis; ſed quolibet videri poteſt: at in quolibet eſt determinatus ordo ad vidẽdum:quod nulli oculi eſſent determinati ad videndum magis quàm ad audiendum; non poſſemus dicere illos determinatè eſſe ordinem ad videndum: ergo vt forma equi ſit determinatus ordo ad oculos per partem determinatam, debet habere vnam ſolam determinatam ad oculos: vt ratione illius ſit forma determinata: vt autem ſit determinata per partem indeterminatam, debet habere plures partes determinatas ex ſe; ita vt nulla determinatè, ſed vagè atque confusè ſit neceſſaria.

§.155. Dices, nec hunc eſſe ſenſum reſponſi in §. 153.. ſed hunc: conſidera partem exiſtentem in oculis; illa potuit eſſe in auribus; ita tamen vt ex ſuppoſitione quod ipſa ſit in oculis; alia pars ſit in auribus, alia in oſſibus &c. idque conuenit ſingulis partibus: tota autem forma petit oculos determinatè, aures, & oſſa; quia ex ſuppoſitione quod vni parti dentur oculi, iam petit aures in alia.

Contra; pars exiſtens in oculis dicit ordinem ad diſpoſitiones ſuas in corpore, à quibus pendet tum in exiſtentia, tum ad videndum: quæ tam connaturaliter eſt in oculis, ac in auribus; ad cæteras partes non dicit ordinem niſi continuationis quia ab illis nihil mutuatur præter vnionem integranter: ergo dum hanc vnionem aut habeat actu, aut poſſit habere, nihil aliud exigit: quæ clara videntur. Sed eam vnionem poſſet habere, etiam ſi non peteret aliis partibus diſpoſitiones ad aures, etiam ex tali tua ſuppoſitione: ergo forma oculorum non petit aures aliis partibus formæ. Probo minorem: pone formæ carni adiungi partem oſſeam; & à Deo oſſa in carnem conuerti; tunc forma carnea eſſet tam continua cum oſſea ac nunc eſt, & melius continua; quia tam ſubſtantia quàm accidentia eſſent continua: ac propterea ſi totum equum vellet Deus conuertere in carnem, aut totum in oſſa, nulli parti formæ contingeret aliquid præter ſuam naturam: quia forma equi eſt omnes eius partes: & quælibet pars eſt æquè bene in oſſe ac in carne: & eſſet integra pars per continuationem cum aliis, ſiue ſint in carne, ſiue in oſſe. §.156.

Ratio à priori; quia petere aliis partibus aliquod genus diſpoſitionum, eſt per appetitum elicitum, non verò per innatum: Hic enim non eſt niſi propenſio formæ (de hac enim agitur in præſenti) ad ſubiectum, & diſpoſitiones ad id neceſſarias; item & ad continuationem cum aliis partibus: Hæc determinatè petuntur appetitu innato; quia eſt ordo tranſcendentalis ad bonum; at verò, quia aliæ partes formæ, ſunt diſtinctæ ab ipſa; non dicit appetitum ad illarum ſubiectum, aut diſpoſitiones, niſi vt ſunt neceſſariæ ad continuationem. Appetitus autem elicitus poteſt tendere in bonum repræſentatum cognitione. §.157.

Vnde concludo; formam indiuiſibilem ſua intrinſeca eſſentia eſſe determinatum ordinem ad oculos, carnem, oſſa &c. quia niſi cum toto illo organorum apparatu eſſe non poteſt; eaque propter eſt determinatus ordo ad omnia illa collectiuè. Forma verò diuiſibilis, eſt ordo determinatus ad oculos, carnem, & oſſa; quia per vnam partem petit oculos, & non aures: per aliam carnem & non oſſa. eaque propter conſeruari non poteſt abſque hoc apparatu: quia compoſitum pendet à partibus: partes autem formæ pẽdent ab hac multiplici diſpoſitione. Quæ in hac mea ſententia bellè explicantur: in oppoſita ne vix quidem. §.158.

Tandem obiiciunt, eamdem eſſe rationem in noſtra ſententia: quia forma pedis dextri eſt indifferens ad ſiniſtrum. Addo animam maris eſſe indifferentem ad fœminam. Reſpondeo primùm; ſi pes dexter habet diſpoſitiones diſtinctas ſpecie à ſiniſtri pedis; partes dextri, atque ſiniſtri ſpecie differre: quia anima dicit ordinem determinatum ad pedem dextrum. Si autem diſpoſitiones ſunt eiuſdem rationis, nec partes ſubſtantiæ differunt: formaque petit duos pedes; & duas partes ſubſtantiæ pedes petentis:alteram huic pedi, alteram illi defigi, pendet ex arbitrio Dei. §.159.

Idem dico de corpore maris & fœminæ: pono diſputandi gratia, accidentia vtriuſque ſpecie differre: dico animam ſecundùm ſe eſſe determinatũ §.160.

ordinem ad corpus leonis, e. g. indifferentem verò ad corpus fœmineum. Pone enim virtutem generatricem, quæ eſt in quauis anima: illa petit organa formatricia ſeminis quæ ſunt in vtroque ſexu: item & inſtrumenta quibus illa ſemina miſceri poſſint: eas autem animas indi huic corpori præ alio ad ſolam cauſam primam ſpectat: vt patet in anima rationali. Simile non reperies in oculis. illa enim pars formæ oculos petit, & non aures, ſiue illi oculi ſint maris, ſiue fœminæ: at non eſt indifferens ad aures, alioquin, vt anima ſine vi eſt in fœmina, aut in mare; ſic tota anima ſine vi eſſet in carne, aut in oſſe tota. Recognoſce §.124. & 125.

SVBSECTIO V.

Secundum argumentum.

§.161. SEcundum argumentum pro mea ſententia ſit: niſi oculi & aures habeant formas ſubſtantialiter abſimiles, non eſt fundamentum ad conſtituendum diſcrimen inter leonem & equum: ergo. Probo antecedens: quia in equo ex diſſimilitudine accidentium ortorum per ſe ex forma, (& non ex aliquo accidente cauſarum vt dixi §. 115.) colligimus eius diſcrimen ſubſtantiale à leone: ſed tantum diſcrimen accidentium eſt in oculis & oſſe equi, quantum in equo & leone: ergo dicunt in diſtinctis ſuppoſitis colligi rectè diuerſitatẽ formarum. Contra: quia diſtinctio ſuppoſitorum parum intereſt: etenim oculi habent temperaturam tam abſimilem ab oſſea; vt non ſit minus diſcrimen quàm ſi oculi & oſſa eſſent abſque continuatione.

§.162. Deinde eadem numero anima equi eſt ſecundum ſe indifferens ad marem & fœminam: quorum corpora ſunt etiam, ex te, abſimiliter temperata. vt ergo eadem forma ſecundùm ſe eſt indifferens ad oculos, & oſſa; item & ad corpora ſexuum abſimilium: quidni & ad temperaturam leonis, & equi? eſt ergo fundamentum diſtinguendi formas ſubſtantialiter, diuerſitas accidentium, quæ per ſe oriuntur ex partibus ipſis.

§.163. Dices ex tota collectione accidentium diſcrimen eſſe veſtigandum. Bene: idem dico de equo & leone: formarum ergo diuerſitas non eſt colligenda ex accidentibus ſolius equi, aut leonis ſolius, ſed vtriuſque. vt ergo ex ſolis leoninis colligo diſcrimen à forma equina; ita ex ſolis ocularibus colligo diſcrimen à forma oſſea: & vt ex vno toto abſimiliter tẽperato colligo diuerſitatem formæ totalis; ita & ex vna parte abſimilis temperaturæ colligo diſtinctionem formæ partialis. Quæ per diuerſas ſubſtantialiter partes petit oculos, per alias aures, oſſa per alias: abſtractè quidem à corpore maris & fœminæ; ſed præciſè ad corpus leoninum, aut equinum; vtrumque enim petit indifferenter, & diſiunctiuè. Vnde à tota collectione accidentium ſpeciei leoninæ colligitur diſcrimen eius formæ ab aliis; non verò ex accidentibus maris, aut fœminæ.

SECTIO VI.

Vtrum partes heterogeneæ ſint diuerſarum ſpecierum?

§.164. NOnnulli qui affirmãt partes viuentis eſſe determinatas ad hanc organizationem, & non ad illam, autumant eas omnes eſſe vegetatiuas, & ſenſitiuas: atque adeo formam oſſis, licet determinet accidentia oſſis, eſſe formaliter ſenſitiuam, & omnia prædicata communia cæteris partibus illi etiam eſſe communia. Hi (ni fallor) ſibimetipſis contradicunt: nam ſi forma oſſis ex natura ſua eſt ſenſitiua in actu primo, ergo illi non repugnant diſpoſitiones ad ſentiendum. Qua enim ratione cohærere poteſt vt principio ſenſitiuo repugnet ſenſio? Aut quis dicat viſui repugnare viſionem, & auditionem auditui? At per te formæ oſſis repugnant diſpoſitiones ſenſoriæ, ergo illis etiam repugnat ſenſio: quia hæc ſine illis eſſe non poteſt: ergo non eſt illa forma ſenſitiua. Quod ſi eſt, cur ſibi determinet oſſis diſpoſitiones, cum quibus repugnat ſentire?

Melius igitur dices illam eſſe indifferentem ad eas diſpoſitiones. Sed iam exclamãt, quia ex forma ſenſitiua, & non ſenſitiua non poteſt componi vna integra forma, quia ſequeretur eamdem eſſe viuentem ſenſibilem, & non ſenſibilem. Sed ſi hoc tibi videtur abſurdum, ſectare primam ſententiã. Sed mihi adeſto animo, & in tua ſententia aduerte idem abſurdum. Nam ſicut per te non poteſt componi forma ex vna parte ſenſitiua, & alia non ſenſitiua, ita nec poterit componi ex vna parte petente diſpoſitiones oſſis, & ex alia non petente: nã tota forma eſſet petens, & non petens eas diſpoſitiones: ſicut ergo homo componitur ex vna parte rationali, & altera irrationali, & tamen homo ſimpliciter eſt rationalis; & non irrationalis: ſimiliter forma ſimpliciter erit ſenſitiua, & non inſenſilis: quia inſenſile, & irrationale æquiualent propoſitioni vniuerſali negatiuæ, cuius falſitas deprehenditur in altera parte, à qua homo denominatur rationalis, & forma ſenſitiua. Neq; verò opus eſt eadem prædicata eſſentialia conuenire ſingulis partibus, ſicut non conueniunt corpori, & animo eadẽ. §.165.

His conſtitutis, diſquirendum eſt: vtrum hę formæ partiales differant ſpecie? An non? Qui putant gradus intenſionis eſſe eiuſdem ſpeciei, licet differant indiuiduatione: poterunt etiam idem affirmare de partibus heterogeneis. Quod præſtant recentiores nonnulli, rati ſe premere veſtigia noſtri Suarez. Quem vel non legere, vel non intellexere, nam ea diſput. 46. tantum conatur probare diſſimilitudinem graduum intenſionis, quos inquit differre indiuiduatione partiali. Quod ego affirmo: quia ſunt duæ partes indiuiduæ, incompletæ, componentes indiuiduum integrũ & perfectum, ſicut materia, & forma. Hinc autem vnde colligunt ea indiuidua non differre ſpecie in completa? Cum ibidem eà de re nullum verbum fecerit. In eius ſententia nihil eſt communius, quam negare diſſimilitudinem indiuiduorum intra eãdem ſpeciem (vt mox dicam.) Item hæc ſententia poteſt adſcribi Magno Alberto, Capreolo. Ferrarienſi, & aliis apud Par. Conimb. lib. 2. cap. 1. quæſt. 5. art. 1. aſſerentibus hominum animas eſſe inæquales in indiuiduatione, cum ſint eiuſdem ſpeciei. §.166.

Probant primò, quia genus contrahitur per ſpecies inæquales, ergo & ſpecies per indiuidua inæqualia. Inefficax argumentum; nam *genus* prædicatur *in quid incompletè:* ſub quo (teſte Ariſtot.) latent æquiuocationes, id eſt; inæquales differentiæ, quæ tamquam partes eſſentiales metaphyſicæ, complent rerum eſſentias, quas propterea vocat Ariſt. ſicut numeros, vt patet etiam in compoſitione phyſica: cuius materia (à qua ſumitur genus) cum ſit eadem in omnibus cõpoſitis, contrahitur per formas, inæqualiter perfectas, conſtituẽtes compoſita inæqualiter imperfecta: per quarum formarum analogiam ſumitur differentia: at §.167.

verò

verò *ſpecies* prædicatur *in quid complete*, vnde continet totam perfectionem indiuiduorum. Quapropter affirmatur à Logicis, indiuiduationem eſſe extra eſſentiam rei, ideſt, nullam addere perfectionē ſubſtantialem ſupra ſpeciem, vt in Logica explicui, quod eſſet falſum, in ſententia quam impugnamus. Recognoſce §.215. Ariſtotelem, & S. Thomā.

§.168. Secundo mouentur, quia ſi indiuidua ſunt ſimilia; procederetur in infinitum in abſtrahēdis conceptibus: quia non daretur vltima differentia, qua vltimò differrent. Verum oſtendi in Logica ab indiuiduis confuſè cognitis poſſe abſtrahi rationem communem, non tamen ab indiuiduis cognitis clarè, & in indiuiduo.

§.169. Tertio mouentur: quia homines ſunt ingenio inæquali: quod oritur ex animorum inæqualitate. Immo Salomon Sap. 8. 19. ait ſe ſortitum animam bonam: ideſt animam doctrinæ aptam. Reſpondetur, inde fieri eſſe animos ſtultos, alios amētes: alios moroſos: alios deſides: nam id reperitur paſſim in hominibus. Organorum & qualitatum temperies eſt in cauſa eius diſcriminis. Vt patet in eodē vno homine: qui vna die eſt ſolertiſſimus & eadem die ſtolidiſſimus. Ante febrim vtitur lumine rationis: febri autem delyrat. Anne eadem die duas habet animas? Salomon autem hanc animam ſortitus eſt: adiutam bona corporis temperatura. S. Auguſtinus t. 3. lib. 10. de geneſi ad litteram cap. 17. explanat hunc locum iis verbis. *Vnde enim bona, aut magis bona, ſeu non bona, aut minus bona anima, niſi vel maribus ſecundùm liberum voluntatis arbitrium: vel differentia temperaturæ corporum, dum aliæ magis, aliæ minus grauantur corpore: quod corrumpitur, & aggrauat animam.* Cum ergo S. Auguſtinus nullam agnoſcat diſcriminis cauſam inter animas niſi libertatem arbitrij, & corporis temperaturam; cenſet illas eſſe in ſe æquales. cui accenſe Ariſtotelem & S. Thomam adducendos §.215.

§.170. Scotus, Durandus, Gandauenſis, Scoto, & alij apud Pat. Conimb ſupra art. 2. quos iidem ſequuntur, art. 3. opinantur hominum animas eſſe æquales, quia exiſtimant repugnare intra eamdem ſpeciem, ſubſtantialem indiuiduorum diſſimilitudinem. Quæ ſententia eſt expreſſa Pat. Suarez, qui adductus ſupra opinatur partes viuentis, & gradus intenſiuos eſſe ſubſtantialiter diſſimiles, & diſput. 5. metaph. ſect. 2. num. 35. ait indiuidua eiuſdem ſpeciei, cum reali diſtinctione habere integram, & perfectam ſimilitudinē in natura, in quo differunt ab indiuiduis alterius ſpeciei ſub eodem genere. Item ait conceptum differentiæ (nempe ſpecificæ) abſtrahi ab eo gradu, in quo indiuidua formaliter conueniunt, ſeu aſſimilantur. Vnde ſententia Pat. Suarez, duo capita equorum cōueniunt in ratione capitis: ratio igitur capitis eſt differentia ſpecifica, conueniens vtrique capiti: etiam calor vt vnum vt ſic eſt differentia ſpecifica prædicabilis de hoc & illo calore vt vnum. Quam ſententiam docet apertè Sanct. Thom. quæſt. vnica de ſpiritualibus creaturis, artic. 4. ad 14. aſſerens, carnē meam magis conuenire ſecundum rationem ſpeciei cum carne tua, quàm cum oſſibus meis: ſed per analogiam ad totum magis cōuenire cum oſſibus meis: quia cum illis ordinatur ad vnum compoſitum, & 3. part. quæſt. 47. art. 2. corpore, ait, diſtinctionem numeralem eſſe materialem, formalem verò, eſſe ſpecificam, & ad hanc requiri formarum inæqualitatem, quia ex additione perfectionis formæ variatur ſpecies, quia formæ ſunt ſicut numeri, ex 8. met. text. 10. & ex varietate ſpecifica colligitur varios eſſe perfectionis gradus. Expende ea verba *ex additione perfectionis forma variatur ſpecies.*

Hæc ſententia mihi probatur primò, quia vt §.171.
probaui ſect. 5. forma oſſis non eſt ſenſitiua, forma verò nerui eſt ſenſitiua: ſed indiuiduum ſenſitiuum, & non ſenſitiuum differunt ſpecie, vt patet in planta & bruto: ergo forma oſſis & forma nerui, differunt ſpecie. Confirmatur, forma cordis requirit diſpoſitiones tā diuerſas à diſpoſitionibus dentis, quàm forma equi à diſpoſitionibus Leonis, ſed ex his diſpoſitionibus arguimus diſtinctionem ſpecificam inter equum & leonem: ergo eadem arguitur inter dentes & cor.

SECTIO VII.

Partes abſimiles eſſe diuerſarum ſpecierum probatur à priori.

OPinio igitur Scoti propoſita §. 170. aſſerens §.172.
indiuidua eiuſdem ſpeciei non poſſe eſſe ſubſtantialiter inæqualia, probanda eſt à priori: quod præſtari non poteſt niſi explicatis ſimilitudine & diſſimilitudine; æqualitate & inæqualitate. Frequenter enim illæ voces pro re capiuntur eadem. Quod verum eſt in quantitatibus: duæ enim magnitudinis æqualis dicūtur *ſimiles*, abſimiles autem vocantur *inæquales*. in qua ſignificatione eas voces accipiens, negaui ſæpe non poſſe duas res eſſe reciproce ſimiles, & abſimiles.

SVBSECTIO I.

Diſcrimen ſimilitudinis ab æqualitate.

ARbitror autem non eſſe reciprocas æqualita- §.173.
tem & ſimilitudinem. Si enim per poſſibile vel impoſſibile ſint duę ſpecies rerum æqualium in perfectione, & diſſimilium: illæ ſpecies non eſſent ſimiles in conceptu ſpecifico, quia conceptus alterius non eſſet idem ſpecie cum altero: vterque tamen eſſet æqualis. Quod arbitror ita contingere in relationibus, perſoniſque diuinis. Quæ in eſſentia ſimillimę ſunt, quia eſt omnibus vna perfectiſſima: ſunt tamē abſimiles in relationibus, in quibus ſunt etiā æquales: ergo diſſimilitudo nō eſt inæqualitas.

Quod è 1. part. ponendū eſt potius quàm pro- §.174.
bandum. Perſona enim Patris habet conceptum generantis: Perſona autem Filij conceptum geniti: Hi autem conceptus non ſunt vnus, quia nec à parte rei ſunt magis vnus quàm ipſæ perſonæ: nec per intellectum ſunt vnus: quia non præbent fundamentum, vt ab vtroque abſtrahatur ratio generantis, aut geniti: quia neuter reperitur in vtroque. At Paternitas in ratione Paternitatis æqualis eſt Filiationi in ratione Filiationis: tum quia in diuinis *nihil eſt maius, aut minus*, ſed *totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.*

Dices eas eſſe vnam vnitate rationis ſimilitudi- §.175.
ni innixa. Contra, ego probo non poſſe abſtrahi vnum conceptum, quia in relationibus nulla eſt conuenientia ſecundùm vltimas differentias. Pater enim non conuenit cum Filio in ratione generantis: nec in ratione geniti: quia nec generat Filius, nec Pater generatur; at in illis conceptibus vt vltimis sūt æquales: quia *nihil eſt in illis maius, aut minus:* ſed tantæ perfectionis eſt generari quàm generare.

Ratio à priori ſumitur ex diſcrimine vtriuſque: §.176.
æqualitas dicit duabus rebus ita conuenire duas perfectiones, aut imperfectiones: vt neutra ſit maior quàm altera: ſed in altera eſſe tantum perfe-

ctionis

ctionis quantũ in altera. Quod ipſa vox præ ſe fert: æquale enim eſt iuſtum: iuſtum autem eſt, quod cum altero comparatum nec eſt maius nec minus; nec habet plus nec minus in ea ratione: hiſpanè. *Iuſtamente.* Æquare autem eſt *ajuſtar.* Inæquale autem eſt quod caret ea æqualitate; vt iniuſtũ quod iuſtitia caret. Quapropter inæqualitas dicit in vno extremo plus, in alio minus illius rationis quæ fundat inæqualitatem. Vt enim dixit Athanaſius. *Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius: nihil maius aut minus*; ſubiecit: *ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales: Priori & poſteriori* oppoſuit *coæternum: maiori & minori, coæquale.* Nam quod nec eſt maius nec minus altero, eſt illi æquale. Ita creaturæ, licet in parte ſunt ſimiles Deo, nullo modo ſunt æquales. Omnis enim formalitas creata eſt infinitè inæqualis Deo. At verò ſimilitudo & diſſimilitudo non opponuntur contradictoriè in eadem entitate.

§. 177. Æqualitas ergo & inæqualitas vnius rei cum alia opponuntur priuatiuè: quia æqualitas dicit adæquationem in perfectione vnius rei cum alia: inæqualitas autem dicit carentiam eius adæquationis. e. g. duæ virgæ ſunt æquales; quia altera ſic adæquatur alteri, vt neutra plus quantitatis habeat quàm altera: duo binaria ſunt etiam æqualia, quia vtrumque habet eaſdem vnitates, nec plures, nec pauciores. Verbũ & Spiritus ſanctus ſunt æquales in perfectione relatiua, quia neuter habet plus, minuſue perfectionis altero: inæqualia autem dicuntur, ſi aliquid addatur alteri, aut alteri detrahatur. Quod ex terminis ipſis patere videtur. Similitudinem autem & diſſimilitudinem vnius rei cum alia non opponi priuatiuè, probandum nunc.

SVBSECTIO II.

Quid ſit ſimilitudo & diſſimilitudo?

§. 178. Similitudo ab Ariſtotele capitur pro cõuenientia duarum rerum in aliqua qualitate: vt *æqualia* cenſuit eſſe *quæ in quantitate conueniunt.* In qua ſignificatione nulla eſt ſimilitudo niſi inter creaturas dumtaxat: quia perſonæ diuinæ nulla qualitate delibuuntur; nec creaturæ erunt duo ſimiles. At ſimilitudo vſurpatur etiam à Philoſophis pro idẽtitate, quæ eſt conuenientia duarum rerum in ſubſtantia. Ea ratione definitur generatio, *Origo viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ*: id eſt, in ſubſtãtiæ, ſeu eſſentiæ identitate: apud ſacros Verbũ Dei eſt ſimile Patri; & homo eſt in ſimilitudinem Dei: ergo ſimilitudo vt ſic abſtrahit à qualitate: vt enim perſonæ diuinæ ſunt æquales, licet carent quantitate; ſic aliquæ ſunt ſimiles ex vi proceſſionis vnius perſonæ; quamuis carent qualitate? in quo ſenſu iam frequentiori, ea voce vtar frequentius.

§. 179. Similia definit Ariſtoteles: *Quorum qualitas eſt vna*: eadem verò, *quorum ſubſtantia eſt vna.* Hæc vnitas ſubſtantiæ in diuinis eſt vna realiter; perſonæ verò, quæ ea conſtituuntur, ſunt realiter diſtinctæ: vnde ſunt ſimiles perfectiſſimè: quia ſunt plura; de quibus vere dicitur *quorum eſt*: ratio verò fundans ſimilitudinẽ eſt perfectiſſimè vna. In rebus creatis non eſt poſſibilis hæc vnitas ſubſtantiæ: nec idemnitas, ſiue ſimilitudo ſubſtantialis Eſt autẽ alia vnitas: per quam conſtituitur ſimilitudo. Vnitas, alia fundamentalis: alia formalis & per intellectum. Illa eſt fundamentum præbitũ intellectui à rebus ipſis, vt vno actu concipiat plura: quo non diſtinguãtur clara cognitione res cognitæ; ſed quaſi aduneutur. Vnitas formalis eſt cognitio intellectus nõ diſtinguens clarè obiecta; ſed illa confundẽs. Hæc vnitas non cõſtituit res ſimiles, ſed ſupponit. Similitudo enim non eſt denominatio intentionalis: ſed phyſica. Item quia res ſunt à parte rei ſimiles, ideo cognoſcuntur vno actu: non verò ideo ſunt ſimiles, quia cognoſcuntur. De hac ergo vnitate non egit Ariſtot. ſed de fundamentali: quam diſquiro.

Quandò nomen & conceptus ſubſtantialis, vel accidentalis de aliqua re, aut prædicato, ex ſe non terminatur ad vnã rem potius quàm ad aliam; ſed plures ex illis, continentur ſub eo nomine & conceptu, & totum obiectum illius eſt prædicabile de illis rebus, nec ſignificat vnam magis quàm alias: omnes illæ res ſunt mutuo ſimiles in re ſignificata per conceptum. Exempli gratia: Formo ego confuſum conceptum animalis, & hominis; quo in particulari nõ cognoſco equum aut leonem; Petrum aut Paulum: ſub illo conceptu animalis continentur indiſcriminatim cuncta animalia, nec magis equus quàm leo. Animal enim non capitur pro alterutro illorum, ſed pro vtroque ſine diſcrimine: equus ergo, leo, homo & cuncta alia animalia ſunt ſimilia in ratione animalis: non aliam ob cauſam niſi quia ſunt animalia. Animalitas enim eſt ratio fundandi eam ſimilitudinem: quæ animalitas eſt vna per intellectum formaliter: fundamentaliter autem eſt vna: quia ratione ſuæ entitatis præbet fundamentũ vt eo conceptu apprehendatur. Idem dixerim de homine comparatione Petri & Pauli. Nec ſufficit nomen eſſe commune: Gallus enim commune eſt aui & incolæ Galliæ: nec illa vox ſignificat conceptum vllum ſubſtantialem, ſed tantùm eſt extrinſeca impoſitio ſignificationis: quæ potuit ſignificare lapidem. Debet ergo ſignificari per conceptum aliquid commune illis, & non aliis: vt animal eſt commune cunctis animalibus: cæteris non poteſt. §. 180.

Obiicis: ſi non poſſent eſſe conceptus communes, ſed omnes neceſſariò eſſent clari, atque diſtincti: adhuc eſſent ſimiles equus & leo & cognoſcerentur à Deo vt ſimiles: nec tunc haberent vnitatẽ fundamentalem: quia hæc ita dicitur cõparatione actus confuſi: ergo ſimilitudo non eſt vnitas fundamentalis. Nego conſequentiam: quia ſimilitudo fundatur in animalitate equi & leonis: & quia hæc ratione ſui præbet fundamentum ad vnitatem per intellectum, rectè ab Ariſtotele definitur: vt calor definitur, quia congregat ea quæ ſunt eiuſdem generis: cum tamen eſſet calor, licet non eſſent metalla generis eiuſdem, quæ congregarentur. Igitur comparatione effectus noti definitur ſimilitudo. Si autem non eſſent actus vniuerſales, non eſſet ſimilitudo in communi; ſed omnes in ſingulari. Vnde intuens Deus Petrum & Paulum, videt eos eſſe ſimiles, quia vterque eſt homo: item equum & leonem, quia vterque eſt anima. Cum igitur formatur conceptus, qui de vtroque dicitur ſub eo nomine & denominatione, vterque eſt ſimilis, quia vterque habet prædicatum illud. §. 181.

Itaque ſimilitudo formaliter eſt in eo quod duę res habeant vel vnum prædicatum realiter: vt perſonæ diuinæ, quia habent eamdem numero naturã Dei; ea ratione ſunt ſimiles in Deitate: vel quod habeant duo prædicata quorum alterum ſit tale, quale eſt aliud. vt Petrus & Paulus ſunt ſimiles; quia Petrus eſt realiter homo; & Paulus eſt realiter homo non minus, nec aliter, quàm Petrus. Et quia Deus videt humanitatem in Petro; & aliam humanitatẽ in Paulo; ideo videt eos eſſe ſimiles. Et quia quæ ita ſunt ſimilia, concipere conſueuimus vno actu confuſo, ſiue vniuerſali, non penetrante ſingulorum §. 182.

gulorum diſcrimina, ideo ea dicimus eſſe vnum: vt explicui ex S. Auguſt. diſp. 3. Logicæ §. 4.

§. 183. Hinc poſſumus definire diſſimilitudinem: *quorum ſubſtantiæ ſunt plures*, ideſt, quando habent ſubſtantias & in ſe plures realiter, & fundamentaliter: quia præbent fundamentum, vt cognoſcantur vt plures & diuerſæ per actum clarum: cuius prædicatum obiectiuum dicatur de vno, & non de vtroque ſimul. Ego concipio hominẽ per conceptum de rationali, obiectum huius actus non reperitur in equo, ac proinde nec poteſt de vtroque prædicari. Item concipio equum eſſe brutum, obiectum illud nõ poteſt prædicari de homine: quia non eſt brutum. En quo pacto ſubſtantiæ hominis & bruti ſunt plures realiter, & fundamentaliter. Vt ergo ſimilia ſunt, quorum conceptus de vtroque prædicatur; ita diſſimilia ſunt, quorum conceptus non prædicatur de vtroque.

§. 184. Conſtat ergo; ſimilitudinem conſiſtere in eo quod duæ res habeant idem prędicatum: diſſimilitudinem autem in eo quod duæ res non habeant prædicatum idem; ſed diuerſa non gaudentia eodẽ conceptu communi: ſiue vt alterũ nõ ſit tale quale alterũ eſt. e.g. Petus & Paulus ſunt ſimiles & diſſimiles. Similes, quia vterque eſt homo; diſſimiles, quia nec vterque eſt Petrus, nec vterq; Paulus. Itaque quia Petrus eſt homo & Petrus; eſt ſimilis & diſſimilis Paulo, quia eſt homo & Paulus. Vnde ratio hominis vtriuſque, eſt illorum ſimilitudo: & ratio Petri & Pauli eſt illorum diſſimilitudo: quia eſt homo vterque, non tamen vterq; eſt Petrus, nec vterque Paulus; ſed alter Petrus, Paulus alter.

§. 185. Dices, hinc ſequi omnem diſtinctionẽ realem, realem eſſe ſimilitudinẽ: hoc eſt falſum, ergo. Probo minorem; quia duæ vbicationes Petri ad eumdem locum ſunt mutuo diſtinctæ, non verò diſſimiles. Concedo maiorem; nempe à parte rei non eſſe diſtinctionem abſq; diſſimilitudine: quia extrema habẽt duo prædicata, quorum alterum non eſt niſi in vno extremo, in altero alterũ. Quod apertè colligo ex §. 183. & 184. quia in hac voce Petrus, nec in obiecto eius non cõueniunt Petrus & Paulus. & quemadmodum diſtincta ſunt, quorum ſubſtantia non eſt vna; & inæqualia, quorũ quantitas non eſt vna; ita & diſſimilia quorũ qualitas nõ eſt vna: ſed Petri cõceptus & Pauli nõ ſunt vnus; ergo in illis ſunt diſſimiles. Ad argumentum nego minorem. Ad probationem reſpondeo illas duas vbicationes eſſe diſſimiles ſicut Petrus & Paulus.

§. 186. Dices, illas futuras diſſimiles ſi altera eſſet Petri, altera Pauli; vel altera ad vnum locum, ad alium altera: at vtraque eſt eiuſdem Petri, & ad locum eumdem. Reſpondeo diuerſitatem illam ſubiectorum, aut locorum parum intereſſe, niſi quia ex illis colligitur eas vbicationes habere prædicatum non commune vtrique: cum autem illud etiam habeant in vno ſubiecto, & ad locum eumdem; habent eamdem diſſimilitudinem. Et quamuis multum de nomine contendimus; ratiocinari tamen oportet ex definitione communi.

SVBSECTIO III.

Duæ res poſſunt eſſe reciprocè ſimiles, atque diſſimiles.

§. 187. HInc deduco duas res poſſe eſſe mutuo ſimiles & diſſimiles. Nam habent aliquod prædicatũ repertum in vtraque ſub conceptu vno, quod non cõuenit magis vni quam alj: ergo in illo ſunt ſimiles: quia fundant vnitatem per intellectum. Item habent aliud prædicatum nõ repertum in vtraque ſed in alterutra tantum: ergo in illo ſunt diſſimiles: quia fundant pluralitatem conceptuum, nec obiectum poteſt de vtraque prædicari. Etenim equus animal eſt: item & homo eſt animal. Quare neuter in ſingulari ſibi vendicat conceptum & definitionem animalis: vnde ſunt ſimiles in ratione animalis. Item equus non eſt rationale, ſecus homo, ac propterea rationale dicitur de ſolo homine: ergo in conceptu rationalis non conueniunt, ſed differunt. At à parte rei equus eſt animal, & à parte rei non eſt rationale: item homo à parte rei eſt animal, & rationale: ergo à parte rei ſunt ſimiles in animali, & diſſimiles in rationali. Nec hoc eſt magis difficile, quam equum eſſe animal irrationale, hominem vero animal rationale.

Dices: ergo animal & rationale diſtinguuntur à parte ſiue ex natura rei: quia habent à parte rei prædicata realiter diuerſa. Nam in ratione animalis ſunt realiter ſimiles homo & equus, & in ratione rationalis ſunt realiter diſſimiles, & nõ ſimiles. Quia diſſimilitudo fundat negationem ſimilitudinis. Nego conſequentiam, vt euidenter patet poſita diſtinctione reali, ſiue ex natura rei. Nam in homine eſſent duo prædicata realia realiter, aut natura rei diſtincta, è quibus neutrum reperitur in equo. Animalitas equi eſſet ſimilis animalitati hominis: itẽ ipſæmet eſſent mutuo diſſimiles: ergo ſine diſtinctione reali, aut ex natura rei poſſunt duæ res eſſe reciprocè ſimiles & diſſimiles. Probo antecedens, quia animalitas equi eſſet ſimilis humanæ in principio ſentiendi; item eſſet diſſimilis, quia equinæ repugnat eſſe partem hominis, & illũ componere cum rationalitate, quod non conuenit animalitati humanæ. Item ens creatum conuenit cũ Deo in ratione entis, & differt in ratione creati: cum tamen creatum, vt creatum ſit ens. §. 188.

Ratio à priori: quia in eo nõ eſt maior difficultas quàm equũ eſſe animal, & nõ rationale, & hominẽ eſſe animal, & rationale: quia eſſe eos ſimiles eſt vtrumque eſſe animal; & eos eſſe diſſimiles eſt vnũ eſſe rationale, & alium non eſſe rationale: ad quod nulla diſtinctio exigitur ex natura rei, ſed ſola diſtinctio rationis. immo Deus nihil ratione diſtinguens videt eos eſſe ſimiles & diſſimiles: quia videt vtrumque eſſe animal; & vnum dumtaxat eſſe rationale: quod videt ſine vlla diſtinctione rationis. §. 189.

Ad probationem ex §. 188. reſpondetur, ſimilitudinem & diſſimilitudinem in rebus ſimilibus & diſſimilibus à parte rei eſſe idem omnino. Entitas enim eadem hominis eſt ſimilitudo & diſſimilitudo realiter cum entitate equi: quia altera eſt realiter animal & irrationale, altera verò animal & rationale. Item ſimilitudo, quæ conuenit animali, conuenit realiter rationali, & diſſimilitudo rationalis eſt diſſimilitudo animalis. Etenim à parte rei rationale eſt principium ſentiẽdi, in quo conuenit cum irrationali equi, quod eſt principium ſentiendi, & animal hominis eſt principium ratiocinandi, quo differt ab animali equi: quod non eſt principium ratiocinandi. Quod ſufficit ad ſimilitudinem & diſſimilitudinem. §. 190.

Ad cætera reſpondetur, diſſimilitudine non negari ſimilitudinem eiuſdem rei: ſicut rationale non negat animal hominis, nec irrationale negat animal equi: ac propterea in homine idem eſt ex parte obiecti ratio fundandi ſimilitudinem, & diſſimilitudinẽ: ſicut à parte rei ſunt idem animal & rationale. Quia eſſe ſimile & diſſimile nihil eſt ex parte hominis quàm eſſe animal & rationale, ex parte verò equi eſſe animal & irrationale. Eſt ergo ſimilitudo §. 191.

litudo & diſſimilitudo hominis & equi, eos eſſe animal, equum irrationale, hominem rationale. Nã per ſimilitudinem dicitur vtriuſque animalitas, per diſſimilitudinem dicitur alterius rationalitas & irrationalitas alterius. Vnde patet ex eo quod homo ſit diſſimilis equo in rationalitate, non ſequi eum non eſſe illi ſimilem in illa. Verum eſt in animali formaliter eſſe ſimilitudinem, diſſimilitudinem autem in irrationali formaliter, ſicut & conuenientia. Quia animal vt animal reduplicat modum cõcipiendi; quo cognoſcitur homo ſub conceptu animalis abſtracto à rationali: vt ſic autem apparet ratio conueniendi latente differentia: At per conceptum rationalis formaliter cognoſcitur diſſimilitudo. Et vt non dicitur animal formaliter eſſe rationale formaliter: ſed tantum idemticè: ita nec ſimilitudo eſſe diſſimilitudo.

§.192. Igitur ſimilitudo & diſſimilitudo ſola ratione diſtinguuntur. Nam debent in illis reperiri tũ vnus conceptus obiectiuus fundamentalis & vnus formalis per intellectum: tum quia debet reperiri varius conceptus intellectus diſcernens vtriuſq; obiecti differentiam. Quod ſine diſtinctione rationis nequit eſſe. Nam conceptus communis diuerſo modo terminatur ad obiectum, illud vniens, quàm ſingularis, illud diuidens. Hæc autem diuiſio vel habet pro obiecto diuerſas formalitates: vel eamdem denominatam extrinſecè diſtinctam, pro varietate opinionum. Immo ſi ipſam animalitatem hominis conſideres vt potentem idemtificari cum rationalitate; adhuc ſub iſto conceptu habet vel diſtinctam formalitatem: vel denominationem diuerſam, ac ſub conceptu animalitatis. Vt ergo differunt rationes communes obiectiuæ à ſingularibus: vel duæ ſingulares inter ſe; ſic diſtinguuntur ſimilitudo & diſſimilitudo.

§.193. Obiicis hominem & equum eſſe ſimiles extrinſecè, ſeu non quidditatiuè: quia tota ratio fundãdi ſimilitudinem ſunt accidentia vtriuſque: nempe ſenſiones. Si accipias ſimilitudinẽ pro æqualitate: non dubium, non eſſe aliam ſimilitudinem inter diuerſas ſpecies niſi accidentariam: quia ratio eam fundans ſunt accidentia æqualia. Nec item inter indiuidua eiuſdẽ ſpeciei eſt alia diſſimiltiudo præter accidentalẽ: quia ſubſtantiæ interſe ſunt æquales: inæquales verò ſolum ratione accidẽtium inæqualium. At verò ſumpta ſimilitudine pro fundamento cognitionis vnius: ipſa principia ſentiendi ſunt ratio fundandi ſimilitudinẽ: tum ratione reddita à §.179. Tum etiam: quia homo nó eſſet ſimilis Deo, quia ſubſtantiæ ſunt inæquales: Deus autem nullum habet accidens, quo poſſit nobis eſſe æqualis extrinſecè. Cum ergo negari non poſſit ſimilitudo cum ſubſtantia Dei: & non poſſit accidens in Deo admitti: ſimilitudo & æqualitas non ſunt reciproca. Item duo homines ſunt intrinſecè diſſimiles in indiuiduatione. Quia Petrus ſubſtantialiter eſt Petrus: qui conceptus non eſt in Paulo, nec de illo prædicabilis: ergo ſubſtantia indiuidua vt indiuidua nó eſt vna in vtroque; ſed plures: ergo eſt in illa diſſimilitudo. Aduerte ſimilia poſſe eſſe æqualia: quia illa habent vnitatem; & ſub illo conceptu retinent tantam perfectionem vna, quantam altera. Si igitur ſtetur definitioni, facilè deprehendetur cuiuſq; conceptus. Quod à priori patet ex dictis: Homini & equo eſt animalitas intrinſeca vna; quia nomen *Animal* ſecundum eſſentiam animalis illo ſignificatam, eſt vtrique cõmune; & ratio illo ſignificata eſt eadẽ; genus enim non habet minùs vnitatem quàm ſpecies: ſed ratio ſignificata eſt ſubſtãtia & eſſentia animalis: ergo in hac ſunt ſimiles.

SVBSECTIO IV.

Non poſſunt duo indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe inæqualia ſubſtantialiter.

§.194. OSTẽdi indiuidua eiuſdem ſpeciei eſſe mutuo ſimilia & diſſimilia ſubſtantialiter; item & inæqualia accidentaliter, vt conſtat ex §.193. Nunc aſſero, nó poſſe eſſe duo indiuidua æqualia in conceptu ſpecifico, & inæqualia in indiuiduo. Probatur; quia indiuiduatio & ſpecificus conceptus ſunt à parte rei idem; ergo æqualitas non conuenit ſpeciei quin & indiuiduo. Probo conſequentiam. Nã vni enti reali creato non poſſunt ſimul conuenire forma & eius priuatio: ſed inæqualitas eſt priuatio æqualitatis; ergo æqualitas & inæqualitas non poſſunt ſimul conuenire vni rei cõparatione alius. De quo agitur: nam comparatione diuerſarum rectè poteſt. Maior eſt ex terminis nota: quia ſimul eſſent res & eius priuatio: item poſſibile eſſet aliquid ſimul eſſe & non eſſe. Nec ad hoc ſufficiunt diuerſæ formalitates. Nam vni formalitati conueniunt à parte rei & materialiter omnia prædicata, quæ reduplicatiuè alteri. Nam vitalitati actus conuenit à parte rei, quod reduplicatiuè illius ſupernaturalitati: & animali omnia quæ rationali: de quo nemini dubiũ: ergo vitalitati non poteſt conuenire nec reduplicatiuè nec ſpecificatiuè carentia illorum prædicatorum, alioquin idemtice haberet formam & carẽtiam illius. Poſſunt quidem in formalitatibus præſcindi diuerſa prædicata, & reduplicatiuè alia adſcribi vni, & non adſcribi alia. Vt Animali reduplicatiuè adſcribitur principium ſentiendi: & non adſcribitur diſcurſus. At diſcurſus illi negari non poteſt. Animal enim hominis eſt principium diſcurrendi: ac propterea illi non conuenit carentia diſcurrendi. Vnde homo non eſt rationale per ſuam differẽtiam: & irrationale per genus. Stet ergo carentiam formæ & formam ipſam non poſſe cõponi in eadem entitate etiam per diuerſas formalitates. Minor probatur, quia æqualitas dicit carentiã exceſſus in perfectione inter duas res, inæqualitas dicit exceſſum perfectionis inter eaſdem: exceſſus & carentia exceſſus opponuntur: ergo & æqualitas & inæqualitas mutua.

§.195. Dices primò rationem communem æqualiter reperiri in ſingulis inferioribus: quia equus tam eſt animal quàm homo: & homo tam eſt ens quàm Deus. Fuge æquiuocationem. Aliud eſt rationem communẽ æqualiter reperiri in ſingularibus, aliud æqualem reperiri. Primum eſt verũ: quia ſignificat rationem communem æquè, & tam ſimpliciter contrahi ad ſingularia: nec enim contrahitur ſimpliciter ad vnum, & ſecundum quid ad alia: ſed plenis buccis de omnibus eodem modo prædicari. Secundum eſt falſum, quia ſignificat gradum communem tam perfectum eſſe in vno, quàm in alio. Hoc enim ſoli conuenit ſpeciei. Nam totus gradus communis eſt realiter ſingularis: & habet realiter prædicata ſingularia, quæ ſunt inæqualiter perfecta. Equidem gradus communis in ſtatu præciſionis abſtrahit ab æquali & inæquali: quia hæc eſt cõparatio inter ipſa inferiora. Quando contrahitur ad genus, contrahitur per differentias inæquales. Quando verò cõtrahitur ad ſpeciem vltimam, habet totam perfectionem, quæ non eſt maior in vno indiuiduo, quã in alio. Adde hominẽ, in quantum eſt homo, eſſe ſimilem Deo: quia in quantum homo factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei: ergo ſimilitudo non ſumitur in conceptu communi: ſed potius hic oritur ex ſingularibus,

vt ſimilibus: at in eo conceptu eſt homo inæqualis Deo. Ergo æqualitas & inæqualitas, & ſimilitudo & diſſimilitudo non ſumitur in conceptu abſtracto, ſed in ſingularibus. Comparatio enim fit inter plura, vt plura, non verò abſtractè.

§.196. Dices ſecundò, vni formalitati conuenire poſſe aliquid realiter, quod non conuenit alij, vt peccatum, quà peccatum, non oritur à Deo, licet eius entitas materialis procedat. Reſpondeo, id repugnare apertè in rebus creatis. Ad exemplum reſpondetur, id minimè mirum, ſi malitia ſit diſtincta ab actu ipſo: ſi minus, reſpondeo tam malitiam quàm actum oriri à Deo materialiter, ſpecificatiuè, & per concurſum generalem & ex ſe indifferentem: reduplicatiuè autem nec malitiam, nec actum oriri: quia id eſſet oriri modo vitioſo: de quo Theologi. Porrò quod obiicitur, repugnare probo; quia animalitas hominis eſſet reipſa nec minoris, nec maioris perfectionis quàm animalitas equi, quia per te eſt æqualis: ſed rationalitas eſt animalitas hominis: ergo rationalitas eſt nec maioris, nec minoris perfectionis, &c. ergo rationalitas non poſſet eſſe maioris perfectionis equinitate, quia ſimul eſſet & non eſſet maioris.

§.197. Dices tertiò, æqualitatem aliquam imperfectam reperiri inter res inæquales: vt inter æquales reperitur aliqua inæqualitas ſaltem indiuidualis. Vellem non eſſe quæſtionem de nomine. Si illa æqualitas conſtituit in vno extremo tantam perfectionem, quantam in alio, ita vt in neutro ſit maior aut minor, quàm in altero, repugnat eiuſmodi æqualitas, quia inæqualitas conſtituit in altero plus, in altero minus perfectionis, quod repugnat cum carentia pluris & minoris. Si verò non conſtituit tantam perfectionem, non eſt æqualitas, ſed ſimilitudo.

§.198. Vnde argumentum efformo: pars ſenſitiua plus perfectionis habet in conceptu indiuiduo, quàm non ſenſitiua: ergo in conceptu ſpecifico retinet realiter illud plus: alioquin illud plus & eius carentia ſimul eſſent in eadem entitate reali capitis aut cordis. Si autem in conceptu ſpecifico ſunt inæquales, ergo non ſunt eiuſdem ſpeciei infimæ, ſed diuerſarum, quia variata ratione ſpecifica variatur ſpecies. Vel ergo ſunt omnino æquales etiam indiuiduè, vel non ſunt eiuſdem ſpeciei. At diſſimilitudo & inæqualitas organorum eſt index inæqualitatis indiuiduæ, vt patet ex ſectione 5. ergo eas & ſpecificè differre eſt ſignum.

§.199. Tertiò probatur concluſio, nempe duo indiuidua eiuſdem ſpeciei non eſſe inæqualia. Nam conceptus capitis, verbi gratia, abſtractus à capitibus equinis prædicatur in quid de omnibus illis capitibus: ergo eſt ſpecies reſpectu eorum: patet conſequentia, quia ſpecies eſt quæ prædicatur in quid completè de pluribus, & ille conceptus capitis non poteſt prædicari de cordibus, quia de his prædicatur in quid conceptus cordis in communi: ergo conceptus partis equinæ vt ſic non prædicatur de capite & corde in quid completè: ergo prædicatur vt genus. Probatur prima conſequentia, quia ſi pars equina prædicaretur in quid completè, ratio capitis, & ratio cordis non prædicarentur in quid completè, quia duo prædicata alterum vniuerſalius, & alterum particularius ſubordinata, non prædicantur in quid completè, quia prædicatū particularius addit aliquid ſubſtantiale, quod non addit vniuerſalius, v.g. homo & animal. Sicut ergo animal eſt genus, quia prædicatur in quid de homine, & leone, ita pars equi vt ſic erit genus, quia prædicatur in quid de capite & corde; & ſicut homo, & leo ſunt ſpecies animalis, quia illud contrahunt per oppoſitas differentias, ita caput, & cor erunt ſpecies partis vt ſic, propter eamdem rationem. Quod argumentum (ſicut & præcedentia) poteſt applicari gradibus intenſionis; quia calor vt vnum, verbi gratia, prædicatur de omni calore vt vnum, & calor vt duo de omni calore vt duo: calor autem vt ſic, prædicatur de calore vt duo, & vt vnum.

Dices primò, caput equinum non prædicari in quid de hoc, & illo capite, ſed prædicari tanquam indiuiduum, quia ratio capitis nihil eſſentiale addit ſupra partem vt ſic, ſed tantum conceptum indiuidualem, ſicut Petrus nihil addit ſupra hominem. Vt hanc ſolutionem impugnemus, aduertendum eſt hanc quæſtionem ſupponere iam ſubſtantialem inæqualitatem inter caput & cor equinum: qua ſuppoſita impugnatur ſolutio: quia ſubſtantialis inæqualitas inter caput & cor, addit aliquid eſſentiale ſupra partem equinam, ſicut ratio rugibilis, & hinnibilis addit eſſentiale ſupra animam: nam caput equinum dicit intrinſecū ordinem ad audiendum, & videndum: ſicut rugibile dicit intrinſecum ordinem ad rugiendum, cor autem equinum dicit intrinſecum ordinem ad vegetandum & ad efficiendum calorem vitæ neceſſarium, ſicut hinnibile dicit eſſentialem ordinem ad hinniendum: ſed operationes capitis, & operationes cordis non minus differunt inter ſe quàm propriæ ſenſiones leonis à propriis ſenſionibus equi: ſed ex ſenſionibus leonis, & equi arguimus hinnibile, & rugibile addere aliquid ſupra animam; ergo ex operationibus capitis, & cordis equini poſſumus arguere cor, & caput equinum addere aliquid eſſentiale ſupra partem equinam. Sin aſſigna mihi differentiam inter vtrumque conceptum, dummodo ne aſſignes rationem indiuiduationis: hanc enim ego impugno hoc argumento. In mea autem ſententia facilis eſt explicatus indiuiduationis; cum enim indiuiduatio nihil ſubſtantiale addat ſupra ſpeciem, totus conceptus eſſentialis continetur in ſpecie, vnde indiuiduatio eſt logicè accidentalis: at verò in tua ſententia ſi indiuidua addunt aliquid ſubſtantialiter inæquale, iam non continetur in ſpecie tota perfectio ſubſtantialis indiuiduorum; & conſequenter non erit ſpecies: quia extra hanc nihil eſt ſubſtantialiter inæquale. Alioquin poſſemus dicere, animal eſſe ſpeciem equi, & leonis, quia illorum differentiæ erunt tantum indiuiduales. §.200.

Dices ſecundò, vnionem Petri prædicari in quid de hac, & illa vnione Petri, & vnionem Pauli prædicari in quid de hac & illa vnione Pauli, & tamen vnio humana non eſt genus, quia vnio capitis Petri, & vnio capitis Pauli, non differunt ſpecie, ſed numero; ergo idem erit de parte equina vt ſic, reſpectu capitis, & cordis equini. Quod argumentum efformari poteſt de omni reali modo, quia vt dixi diſput. 5. phyſic. ſectio. 1. iterum dicturus diſput. 2. metaphyſ. modus qui eſt vnius rei, poſtea non poteſt eſſe aliarum; vt ſeſſio, qua ego modo ſedeo, nullo modo poteſt eſſe Pauli. Verùm ſi vnio Petri eſſentialiter prædicaretur de omni vnione Petri, differret quidem eſſentialiter ab vnione Pauli, vt euincit hoc argumentum: at vnio Petri vt ſic non prædicatur in quid de hac, & illa vnione Petri, ſed prædicatur vt indiuiduum, logicè accidentale, vt hoc animal rationale de Petro. §.201.

Ad quod aduerte vniones duorum hominum eſſe eſſentialiter æquales, quia eſſentia modi ſumitur ex extremis, & modo illa afficiendi, ſed extrema Petri, & Pauli, & modus, quo afficiuntur ab vnione, ſunt omnino æqualia, & eiuſdem ſpeciei, & rationis; ergo vnio Petri, & Pauli eſt omnino æqualis, §.202.

eiuſdem ſpeciei,& rationis: nam eſſe vnionem Petri nihil addit ſubſtantialiter inæquale ſupra vnionem humanam: ſicut Petrus nihil addit ſupra hominem, ita eſſe vnionem Petri non pertinet ad conceptum eſſentialem illius, ſed ad conceptum indiuidualem:tota enim eſſentia illius vnionis conſiſtit in eo, quod ſit vnio humana.

§.203. Dixi pertinere ad conceptum indiuidualem,quia ſinguli modi indiuiduantur per ordinem ad res ſingulares,quas modificant,ita vt nec potentia abſoluta poſſint modificare alias res ſingulares propter communem imperfectionem modi, in quo ſenſu dicimus eſſe de eſſentia vnionis Petri dicere ordinem ad Petrum, id eſt, de eſſentia ſingulari vnionis in quantum ſingularis, ſicut Petreitas eſt de eſſentia Petri, in quantum ſingularis: quia verò tota hæc ſingularitas, nihil addit ſubſtantiale ſupra ſpeciem, ideo dicitur accidens logicum, quia ſicut in Phyſicis quicquid conuenit enti ſubſtantialiter perfecto, conuenit illi per accidens. Ita quidquid conuenit eſſentiæ logicè completæ,dicitur illi conuenire accidentaliter logicè.

§.204. Quod verò hæc,& illa vnio Petri conueniant in ratione vnionis Petri, & differant in hoc ab vnionibus Pauli, totum eſt accidentale logicè, quia propriè nullam fundăt inæqualitatem, & quamuis indiuiduũ determinatè de vna tantum prædicatur: at verò ratio indiuidui vagè ſumpti de pluribus dicitur. Vnio Petri eſt indiuiduatio vnionum Petri in commune; non in ſenſu,quo in logica dixi indiuiduum vagum pertinere ad ſpeciem:ſed quia vnio Petri eſt communis, non tamen addit ſubſtantialem inæqualitatem ſupra vnionem humanam.Quo ictu multi nodi præciduntur argumentorum.

SVBSECTIO V.

Partes animorum ſunt diuerſarum ſpecierum.

§.205. EQuibus apertè concludo, in equo,e. g. partem formæ eſſe ſpecie diſtinctam à parte formæ cordis. Quia illæ partes ſunt inæquales perfectione ſubſtantiali indiuidua: ſed omnia indiuidua ſubſtantialiter inæqualia differunt ſpecie: ergo illæ partes differunt ſpecie. Maior probata eſt:quia pars capitis eſt natura ſua determinata ad accidentia, & operationes perfectiores quàm pars cordis. Vnde colligimus diſcrimen ſubſtantiarum: vt ignem eſſe nobiliorem aqua: & leonem cane. Minor probatur ex dictis: quia omnia inæqualia in eſſentia,ſunt diuerſarum ſpecierum; quia quæ ſunt inæquales ſpecies, non conſtituunt vnam, ſed plures. At omnia indiuidua inæqualia in ſubſtantiali indiuiduatione, ſunt inæqualia in eſſentia: quia ſubſtantialis indiuiduatio eſt idem realiter cum eſſentia: ergo omnia indiuidua ſubſtantialiter inæqualia differunt ſpecie.

§.206. Dices: indiuidua eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe ſubſtantialiter diſſimilia; ergo & inæqualiter ſubſtantialia. Nego conſequentiam ob dicta §.190. & 194. Quia ſimilitudo & diſſimilitudo non opponuntur:quia tantum ſunt duo prædicata exiſtentia in duobus extremis, habentia eamdem denominationem, & ſignificationem obiectiuam: quod pertinet ad ſimilitudinem:item diſſimilitudo eſt vnum prædicatum exiſtens in vno extremo tantùm; at cum Petrus habeat multa prædicata, poteſt Paulus habere vnum, & carere alio eorum, quæ ſunt in Petro inæqualitas autem & æqualitas opponuntur phyſicè,ac propterea non poſſunt conuenire eidem enti reali comparatione alius.

SVBSECTIO VI.

Recentiorum obiecta.

OPpreſſi hoc argumento recentes, aliam iniecrunt, ad fugiendum,viam. Fatentur ingenuè §.207.
non poſſe eſſe ſubſtantialem inæqualitatem in conceptu indiuiduo, quin ſit etiam in ſpecifico; quia ſunt idem à parte rei. Dicunt tamen non ſufficere ad ſpecificam diſtinctionem inæqualitatem in eſſentia, niſi ſit primaria, aut notabilis. Reſpondeo primum; huic inſtituto id ſufficere: quia inter partes capitis & oſſis eſt primaria diſtinctio, & notabilis: ergo differunt ſpecie. Probo antecedens;tum quia potentia operatiua tendit per ſe primo in operationes: capitis autem actiones ſunt videre, & audire: oſſis autem operationes ſolum eſt vegetari: hoc autem obiectum valde eſt diuerſum à primo: tum etiam, quia notabile diſcrimen eſt inter vegetationem & ſenſionem; quis enim æquus rerum æſtimator non cenſeat magnum eſſe diſcrimen inter ſenſilem & inſenſilem actionem?

Reſpondeo ſecundò, eos hac in parte diuinare, §.208.
nec fundamento conſtituere conuenientiam & diſtinctionem ſpecificam in morali æſtimatione; ſed eam conſtitui in aliquo conceptu metaphyſicè,aut logicè indiuiſibili; vt vno puncto fixo conſtet apud omnes de conuenientia, aut diſtinctione rerum: alioquin non poterit conueniri, quæ, aut qualia differant ſpecie. Dicit enim hic à ſe prudenter æſtimari hanc eſſe diſtinctionem ſpecificam, nempe inter cor & caput: alius, à ſe cenſeri eam non eſſe.

Quod primùm probo: quia poſſet aliquis dicere §.209.
inter lupum & canem non eſſe notabile diſcrimen: quia non eſt in ordine ad terminum primarium, qui eſt ſentire & appetere, & vegetari: immo eadem ratione nulla bruta quadrupedia different ſpecie; quia conſtituuntur per ſe primò ad vegetationem,ſenſum,& appetitum:quæ in omnibus ſunt eiuſdem per ſe rationis: corpore autem valere vt leones,& equos;aut eſſe infirmo vt oues:ſunt differentiæ ſecundariæ: vt hominem eſſe procerum,aut nanum; robuſtum, aut imbecillum.

Secundò probo ipſorum fundamento: aſſerunt §.210.
viſionem,qua Petrus videt in Deo quatuor creaturas, eſſe eiuſdem ſpeciei cum viſione Pauli videntc illas quatuor, inſuper & alias ſpecie diſtinctas:cum tamen hæc poſterior ſit in ſubſtantia nobilior priore. ergo res eiuſdem ſpeciei poſſunt eſſe ſubſtantialiter inæquales. Hinc argumentor: ergo nullus actus fidei diſtinguitur ſpecie ab alio. Probo conſequentiam: quia credere Trinitatem, aut creationem mundi, eſt diſcrimen inter obiecta ſecundaria, & non inter primaria, quæ ſunt authoritas & reuelatio Dei. Item nec centum concluſiones deducentes plura obiecta ſecundaria diſtinguentur ſpecie; quia omnes pendent ab obiecto primario. Nec item electiones multorum mediorum ob eumdem finem. Nec in vna ſcientia erunt multi actus ſpecie; ſed vnus aut duo; qui verſantur circa obiecta formalia.

Ad hæc,nec viſio albi differet ſpecie à nigri;quia §.211.
eſt parua inæqualitas,quia vterque color conſpiceretur cum luce.Colores item non differrent ſpecie. Quia gradus intenſionis non differunt:cum tamen inter primum & vltimum maius interuallum ſit quàm inter colorem atrum & nigrum. Denique nihil certum hac in quæſtione ſanciri poſſet.

Ad argumentum ex §. 210. reſpondeo, quod in §.212.
diſputationibus de peccatis probaui, ſpeciem ſumi

nonnun

nonnunquam pro obiectiua,id eſt,pro obiecto formali per ſe primò actum terminante: ſumitur item pro ſpecie formali intrinſeca ipſis actibus. Non eſt mihi dubium poſſe viſiones ſpecie intrinſeca diſtingui:quid autem fit de facto,non eſt tam clarum. Sunt ergo omnes viſiones eiuſdem ſpeciei obiectiuæ; non tamen eiuſdem ſpeciei intrinſecæ: quales eſſent illæ, de quibus mentio eſt in argumento. Eadem ratione reſpondeo, ſi ponamus vno actu repræſentari duos homines; alio tres. Hi actus differunt ſpecie intrinſeca,non verò extrinſeca: quia ex parte obiecti non fit niſi extenſio eiuſdem rationis:at illa extenſio repræſentatur intrinſecè:& facit diſcrimen in intrinſeca repræſentatione.

§.213. Secundum eorum argumentum eſt: quia duæ vniones corporis & animi Petri ſunt diſſimiles & inæquales duabus vnionibus corporis & animi Pauli:& omnes ſunt eiuſdem ſpeciei: alioquin Petrus & Paulus eſſent diuerſæ ſpeciei:ergo. Reſpondeo eo argumento probari eos non eſſe æquales, nec ſimiles: quia eorum vniones ſunt abſimiles,& inæquales. Diſtinguo maiorem: ſunt diſſimiles, concedo maiorem, vt ſæpe dixi: ſunt inæquales, nego. Vniones Petri habent inter ſe vnum prædicatum indiuiduum commune, quod non habent vniones Pauli: quia illæ omnes ſunt determinatæ ad Petrum. Hoc autem nullam conſtituit inæqualitatem, quia vt corpora & animæ Petri & Pauli ſunt æquales, ita & illorum modi, nec enim perfectior eſt vnio Petri quàm Pauli.

§.214. Tertium argumentum: quia intra genus ſunt multæ ſpecies inæquales: ergo & intra ſpeciem. Nego conſequentiam: quia differentia ſpecifica conſtituitur per entitates inæquales: at in inæqualitate eſt magis & minus, vt diuerſæ quantitates ſunt magis inæquales, id eſt, carent pluribus partibus neceſſariis ad æqualitatem, vt digitus magis inæqualis eſt vlnæ quàm palmus. æqualitas autem conſiſtit in indiuiſibili.

SVBSECTIO VI.

Quid ſit ſpecie, & genere differre.

§.215. EX hac tota quæſtione colligi poteſt quid ſit genere, & ſpecie conuenire. Generica conuenientia eſt, quando in multis reperitur aliquod prædicatum:quod tamen contrahitur per differentias inæquales perfectione. vt animal reperitur in homine & leone: at ſpecies hominis multo nobilior eſt leone. Specifica conuenientia eſt, quando in multis reperitur prædicatum commune: quod contrahitur per differentias æquales. vt homo reperitur in Petro & Paulo: neuter autem eſt ſubſtantiæ perfectioris altero. Quam doctrinam, totámque ſententiam dixit Ariſtot. 3.Metaph. cap.3. text.11. conſtituit enim diſcrimen inter indiuidua eiuſdem generis, & eiuſdem ſpeciei: quod in iis non eſt prius & poſterius, ſecus in illis, id eſt, non eſt perfectius & imperfectius, iis verbis. *Præterea vbi eſt prius,& poſterius, ſemper illud eſt prius quod melius.* Quæ verba mutuatus eſt S.Thom. quodlib.3. art.6. *In eadem*(inquit)*ſpecie non poteſt vnum eſſe prius altero,propriè loquendo,ordine naturæ: quia ſpecies prædicatur æqualiter de omnibus indiuiduis: in generibus autem non eſt ſic: nam inter ſpecies vnius generis vna eſt naturaliter prior, & perfectior altera.*

§.216. Obiicis, duo indiuidua diuerſarum ſpecierum poſſe eſſe æqualia: ergo non eſt ſpecifica conuenientia coniuncta neceſſariò æqualitati indiuiduorum. Antecedens probatur primùm: quia non eſt idem rem eſſe diſſimilem & inæqualem: ſecundò, quia perſonæ diuinæ vt virtualiter diſtinguuntur à natura,ſunt omnino æquales, & non ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo.

Reſpondeo primùm, meo inſtituto nihil officere poſſe eſſe duas ſpecies æquales; dum non dentur intra eamdem ſpeciem inæqualia indiuidua: quia omnis inæqualitas in eſſentia, facit eſſe eſſentias multas, & multas ſpecies. Secundò reſpondeo negando antecedens in rebus creatis. Prima probatio non eſt è re: ſæpius enim admiſi intrinſecam diſſimilitudinem cum æqualitate. Ad ſecundam probationem reſpondeo,myſterium Trinitatis non teneri legibus quibus nos. Ibi reperitur Filius ſimilis omnino Patri: qui non poteſt alium generare: cum tamen omne indiuiduum ſpeciei humanæ poſſit generare alium filium. Ibi eſt Spiritus ſanctus infinitæ virtutis; ad cuius perfectionem ſpectat, non poſſe producere aliam perſonam diuinam. Quid igitur mirum ibi reperiri quaſi duas ſpecies æquales? Quæ ſpecies formaliſſimè conſtituuntur; quia Paternitas eſt generatiua & ingenerabilis: Filiatio eſt generabilis & ingeneratiua: & vtraque eſt idem cum natura; & ens à ſe,id eſt,non pendens,nec factum.At in rebus creatis,ſicut vnum indiuiduum generatur, ita poteſt aliud generare. Quid ſi dicerem relationes diuinas eſſe eiuſdem ſpeciei? ſed huic quæſtioni non ſunt plura neceſſaria: hæc ſatis multa, atque prolixa. §.217.

SECTIO VIII.

Vtrum in vnione animi rationalis ſit inæqualitas?

NOn eſt quæſtio de vnione ſpirituali,nam hanc probaui ſect. 3. eſſe indiuiſibilem: ago igitur de vnione corporea. Pars affirmatiua ſic videtur ſuaderi: primò, nam vnio capitis, & cordis equini differunt ſpecie, ergo & vnio capitis, & cordis humani: ſecundò,quia vnio capitis ex natura ſua exigit diſpoſitiones,quas non exigit vnio cordis, ergo differunt ſpecie: conſequentia ad me eſt euidens: antecedens patet, quia vnio dependet à diſpoſitionibus formæ, quia forma nequit vniri ſine his diſpoſitionibus, ſed vnio capitis non dependet à diſpoſitione cordis ex natura ſua,quia poteſt perire aliqua capitis vnio,quin pereat vnio cordis,ergo vnio capitis dependet à diſpoſitione capitis,& non cordis,ergo petit diſpoſitiones capitis, & non cordis. Nam res id petit ex ſe, à quo ex ſe dependet. Confirmatur, caput vt caput differt eſſentialiter à corde, & non accidentaliter, ergo habet aliquid eſſentiale, per quod differat, hoc autem neque eſt materia, neque forma, ergo eſt vnio, ergo vnio capitis eſſentialiter differt ab vnione cordis. §.218.

Cenſeo tamen humanas vniones partiũ diſſimilium eſſe æquales inter ſe. Probatur primò,diuerſitas vnionis ſumitur ex diuerſitate extremorum, ſed extrema quę vniuntur per vnionem humanam,ſunt eiuſdem rationis in omnibus partibus:minor patet, quia anima eſt eadem numero in capite & corde, materia autẽ eſt eiuſdem ſpeciei,in omnibus compoſitis ſublunaribus. Maior patet,tum quia modus eſſentialiter reſpicit rem, cuius eſt: omníſque modus intrinſecus accõmodatur ſuæ rei, vt modus rei ſpiritualis,eſt ſpiritualis:tum etiam,quia totus finis modi eſt rem afficere in ordine ad munus, ad quod inſtituitur modus,vt vnio ad vniendum, ergo tota eius eſſentia ſumitur per ordinẽ ad extrema vnita. §.219.

§.220. Secundo probatur, quia modus nunquam variatur in eſſentia niſi pro varietate alicuius rei, quam modificat, vel pro varietate modi in illam tendendi, verbi gratia, ab eodem agente in eumdem terminum ſemper oritur eadem actio. Quod ſi aliquando variatur actio, eſt, quia variatur modus producendi: vt cum Deus creat rem, quam antea generabat, ſed in vnione humana neque variantur extrema vnita, neque vniendi modus, quia vnio ſpiritalis ſemper à materia pendet vt pure termino; ab anima autem vt à ſubiecto; quem modum tenet in capite, corde, & oſſe. è contra vnio corporea vbique pendet à corpore vt à ſubiecto: ab anima autem vt à puro termino. Denique vbique habet idem ſubiectum, & terminum eumdem. eſſet autem in capite diſtincta ſpecie ac in corde, ſi vtrobique non afficeret eadem extrema eodem modo. At vtrobique habet eadem extrema, & ſubiectum, terminúmque eumdem: ergo vtrobique retinet eumdem modum afficiendi extrema eadem: ergo eſt eiuſdem rationis. Probo conſequentiam: quia vnio ſemper eſt eadem dum verſatur circa eadem extrema modo eodem.

§.221. Dices vnionem oſſis eſſe vnionem animæ, in quantum eſt vegetatiua tantum, in carne verò in quantum eſt ſenſitiua: ſed vnio vegetatiua tantum, & ſenſitiua differunt ſpecie, ergo. Nego maiorem: quia vnio oſſis vnit animam ſecundum quod eſt rationalis etiam, nam vt dixi diſput. 1. anima vnitur ſecundum omnes ſuos gradus cuilibet parti, licet non communicet parti omnes operationes: quod verò in oſſe non ſentiat animus, non oritur ex vnione, quia hæc non ſpectat ad principium ſentiendi, cùm tantum ſit copulatio & quaſi applicatio principij actiui & paſſiui: oritur autem ex ipſa forma poſtulante in oſſe diſpoſitiones repugnantes ſenſioni, vt conſtabit ex §.223.

§.222. Ad primum negatur conſequentia: diſcrimen eſt clarum: extrema enim vnionis equinæ ſunt diuerſarum ſpecierum in capite, & corde, pro quorum varietate variatur vnio, in homine autem ſunt eiuſdem rationis.

§.223. Ad ſecundum reſpondetur, vnionem humanam per ſe exigere eas diſpoſitiones, quæ ſunt neceſſariæ vt anima ſit in materia, & niſi pereant huiuſmodi diſpoſitiones, non peribit vnio: verbi gratia, ſanguis humanus conuertitur in carnem humanam, facta ea conuerſione, adhuc animus manet in eadem materia, qua antea; in eo caſu non perit vnio, quam antea habebat ad ſanguinem, quia in ea materia manent diſpoſitiones ſufficientes vt animus vniatur corpori, & hoc eſt de ratione vnionis. Quod verò in illa materia alterata, modo exerceatur ſenſio, & antea non, non oritur ex vnione, quia vnio neque eſt principium actiuum, neque paſſiuum, ſenſionis, ac proinde inſtrumenta ſentiendi illi non deſeruiunt, neque ab illis pendet vnio, niſi in quantum forma poteſt vniri cum corpore ſic organizato. Ratio autem ob quam periit vnio capitis, eſt, quia diſſoluitur temperamentum, quod animus per ſe requirit vt ſit in corpore: ſi verò illo diſſoluto ſuccederet aliud ſufficiens ad animam rationalem, vt quando ſanguis conuertitur in carnem, eadem vnio maneret, quia hæc eſt indifferens ad omnia temperamenta, quæ animus requirit. Ad confirmationem negatur maior, tota enim differentia capitis, & cordis humani eſt accidentalis, orta ex ipſius animi eſſentia, quæ per ſuam ſimplicem entitatem petit determinatè tam mirabilem organorum diſtinctionem, & varietatem.

DISPVTATIO III.

Quid ſit viuens?

SECTIO I.

Vtrum vegetabile ſit viuens.

§. 1. ARISTOTELES pluribus in locis præſertim ſecundo de anima, cap. 1. text. 3. aſſerit plantas viuere his terminis, *vitam autem dicimus nutritionem, accretionem, atque decretionẽ. quod quidem per ipſum ſit quod viuere dicitur.* D. Auguſtin. tomo 1. lib. 8. de ciuitate, c. 6. ait, *illorum vita, vel quæ nutritionem continet, &c.* & tomo 10. ſerm. 17. *ſic viuunt* (inquit) *ligna, & lapides, nos autem viuimus; ſed adhuc nobis id ipſum viuere cum arboribus, frutetiſq́ commune eſt.* Adde S. Dionyſium c. 6. de diuinis nominibus, quẽ refert & ſequitur S Thom. 1. p. q. 18. art. 1. in quam ſententiam conſpirant vniuerſi ferè Philoſophi, atque Theologi, à quibus ſine nouitatis ſtudio diſcedi non poteſt. Quam ſententiam confirmabimus diluendo aduerſariorum obiecta.

SVBSECTIO I.

Partis negantis primum Argumentum.

§. 2. Recentes nonnulli Stoicos imitati rationem vitæ ſolum agnoſcunt in natura cognoſcente, & appetente: non verò in plantis, nec in aliis naturis carentibus cognitione. Quod probant primò, quia debet dari ratio communis vitæ Deo & creaturis, ſed nulla poteſt dari communis Deo, & plantis in ratione vitæ: nam plantæ non poſſunt habere rationem vitæ niſi in motu ab intrinſeco, Deus autem moueri non poteſt: ergo ratio vitæ non conſiſtit in motu ab intrinſeco.

§. 3. Hoc argumentum confirmari poteſt: quia planta non habet in Deo aliquod prædicatum ſibi reſpondens: quemadmodum illud habent intellectus & voluntas: Deus enim non nutritur vt planta: cognoſcit autem vt homo: ergo planta non conuenit cum Deo in ratione vitæ.

§. 4. Aliqui reſpondent, plantam in nullo conuenire cum Deo in ratione vitæ. Quam bipartiuntur in Phyſicam & intentionalem. Phyſica eſt motus phyſicus ab intrinſeco: intentionalis autem eſt cognitio & affectus. Dicunt intellectum creatum & diuinum vniuocè, vel analogicè, intrinſecè conuenire in ratione vitæ intentionalis: plantas autem in nullo conuenire cum Deo niſi in ſolo nomine: cum intellectu autem creato conueniunt, quia intellectus cum vita intentionali componit etiam phyſicam per verum motum ab intrinſeco.

§. 5. Contra: cum Deus realiter viuat: item & planta; non eſt illis commune ſolum nomen: *viuens* enim vt ſignificat rationem cõmunem vitæ, magis commune eſt quàm *Gallus* homini incolenti Galliam, & gallinaceo. Quod enim ea voce ſignificatur, non eſt diuiſibile logicè; quia immediate amplectitur hominẽ & gallum in nulla ratione conuenientes. At *viuens* eſt logicè diuiſibile in Deum & plantã; quia planta & Deus cõueniunt ex parte obiecti in ratione viuentis: ergo *viuens* non eſt æquiuocum. Probo antecedens. Primùm, quia planta habet prædicatum vitæ ſimilius vitæ Dei quàm lapis. Hic enim tãtum conuenit cum Deo in ratione ſubſtantiæ. Vltra hoc planta eſt ſubſtãtia viuens; & Deus eſt ſubſtãtia viuẽs: ergo in hoc cõceptu conueniũt, & ſunt ſimiles.

Secundò,

Digitized by Google

Secundo,quia ex parte obiecti planta non eſt mortua (vt ita dicam) ſed habet diſcrimen à ſubſtantia non viuente: quod diſcrimen habet etiam Deus: ergo Deus & creatura ſunt ſimiles in diſſimilitudine à ſubſtantia mortua:ſed illa diſſimilitudo fundatur in ſimilitudine vitæ communis Deo & plantæ: ergo Deo & plantæ *viuens* non eſt æquiuocum. Vide §.13.

§.6. Alij reſpondent;rationem vitæ eſſe communem plantæ & creaturæ: quia vita vt ſic eſt principium ſe ab intrinſeco mouendi; abſtracto motu à phyſico & intentionali. Dicunt Deum ſe ab intrinſeco mouere motu intentionali:quia Deus percipit obiectũ realiter, quod eſt ſe ab intrinſeco mouere intentionaliter; idque realiter;quia realiter intelligit.

§.7. Nonnulla diſplicent in hac ſententia. Primum, phraſis, quæ eſt parum cauta; nulla enim ratione admittendus eſt in Deo motus, niſi metaphoricè, vt admittitur dolor: quia motus propriè eſt actus entis in potentia;quod in Deo non eſt admittendum. Secundum diſplicet; quia Deus comparatione cognitionis de ſe ipſo, non eſt principium ſe intentionaliter mouendi;quia intellectio nõ oritur realiter ab aliquo principio:nec aliquid mouetur in ſeipſum; illa autem cognitio ſeipſam cognoſcit. Immo nec ratione cognitio illa Dei oritur ab alio conceptu Dei; quia ipſa conſtituitur natura Dei. Adhæc, eſto oriatur ratione noſtra: at principium ratione noſtra non conuenit nec vniuocè, nec per intrinſecam analogiam cum principio realiter influente: ſicut diſtinctio rationis, & rationis compoſitio non conueniunt cum compoſitione & diſtinctione reali: quia diſtinctio rationis eſt ſimpliciter identitas; quæ non conuenit cum diſtinctione. Hæc ergo ſententia tam æquiuocum admittit viuens quàm ſuperior.

§.8. Tertium diſplicet; quia Deus & creatura non conueniunt ſimpliciter in ratione motus: ergo nec in ratione vitæ: quia cum hæc ſit idem cum motu, vbi non eſt conuenientia in motu, nec erit in vita: vt ſi non eſt conuenientia in animali rationali non eſt conuenientia in homine: ſic definitio vitæ eſt motus ab intrinſeco. Antecedens probo: quia in Deo nullus eſt motus ſimpliciter ab intrinſeco:quia motus ab intrinſeco ſimpliciter, *eſt actus entis in potentia prout in potentia*: in Deo autem nulla eſt ſimpliciter potentia paſſiua: ergo nec ſimpliciter eſt eius actus: ergo nec motus ſimpliciter. Motus autem intentionalis eſt nõ motus ſimpliciter,quia eſt ſimpliciter non actus potentiæ alicuius paſſiuæ.

§.9. Ad argumentum in §. 2. nego minorem: quia planta & cognitio Dei conueniunt; quod vtraque habet perfectionem ab intrinſeco: planta enim ita habet perfectionem nutritionis à ſe, vt eam ex natura rei non poſſit habere adæquatè ab extrinſeco principio; actionem autẽ nutritionis nec diuinitus poteſt habere niſi ipſa cõcurrat actiuè:itaque actionem vitalẽ habet à ſe: quæ actio eſt perfectio plantæ: ergo planta habet ab intrinſeco perfectionem aliquam ita vt eam non poſſit habere ab extrinſeco principio. Cognitio Dei ita eſt perfectio ipſi Deo intrinſeca vt ab extrinſeco principio eam nõ poſſit habere.Lapis non conuenit cum Deo in hoc prædicato; quia lapidi non repugnat ſuam perfectionem habere à principio omnino extrinſeco. In quo cernitur apertum diſcrimen lapidis & plantæ: ille enim non conuenit cum Deo in hoc prædicato,ſecus hæc. Planta autem habet ſuam perfectionem cum motu abſolutè & propriè; quo diſparatur à Deo carente motu ſimpliciter.

§.10. Confirmatur ad hominem, nam viuentia creata ita percipiunt obiectum vt ſe ſimul ab intrinſeco moueãt actione phyſica:Deus autẽ percipit ſine illa actione:& tamẽ per te datur vna ratio perceptionis obiecti communis Deo & creaturis, ergo ſimiliter ratio perfectionis ab intrinſeco,Deo & plantis poterit eſſe communis: itaque ratio vitæ in communi eſt habere perfectionem ab intrinſeco: ratio autem vitæ increatæ eſt habere perfectionem ſine motu; vita autem creata in communi erit perfectio ab intrinſeco per motum: vita autem cognoſcitiua erit perfectio ab intrinſeco per motum in obiectum.

§.11. Obiiciunt hinc ſequi Deum viuere non ſolùm per intellectum, & voluntatem, ſed etiam per omnia attributa; quia omnia ſunt perfectio ab intrinſeco. Reſpondeo difficultatem eſſe communem omni ſententiæ. Qui enim dicũt vitam plantæ eſſe motum phyſicum ab intrinſeco; ideo id dicunt; quia planta habet phyſicè intrinſecum motum,quo carent inanimata; alioquin tota quæſtio eſt de voce:ſed ille motus & eius terminus reipſa ſunt ſimiles omnipotentiæ Dei,quod neuter conceptus poteſt eſſe à principio extrinſeco: ergo aſſignandus eſt aliquis gradus communis Deo & creaturæ in ratione non habendi perfectionem omnino ab extrinſeco. Hic autem gradus nõ poteſt eſſe communis inanimatis:quia hæc non habent neceſſariò perfectionem ab intrinſeco. Quod ſi hic in Deo nõ eſt motus phyſicus nec intentionalis; probat quidem ab illis inutile vitam diuidi: cum Deus præter motum intentionalem habeat alias perfectiones ab intrinſeco;in quo abſimilis eſt lapidi,& planta eſt illi ſimilis in aliquo prædicato communi omni viuenti creato, & imbibito in motu vitali;& non communi lapidibus: ergo certos vitæ fixere terminos.

§.12. Qui negant plantis vitam, dicunt eas non viuere, quia nullum habent motum ex ſpecie ſua ab intrinſeco: quod ſi hunc motum agnoſcerent,eas dicerent eſſe viuentes: cũ ergo omnipotentia ſit perfectio ab intrinſeco, eſt abſimilis omni creaturæ non viuenti, & ſimilis intelligenti creato, habenti cognitionem ab intrinſeco:ergo omnipotentia Dei habet rationem vitæ, quam habet productio intellectionis creatæ. Et cum habere perfectionem ab intrinſeco non conueniat creaturæ non viuenti; conueniat autem omni viuenti vt viuens creatum eſt; non dubium omnipotentiam formaliſſimè eſſe vitalem in ſuo conceptu.

§.13. Qui autem dicunt, principium vitale eſſe quod in ſe poteſt operari & non alieno ſuppoſito (quos referam §.37.) id tenentur admittere:quia omnipotentia Dei ita eſt in ipſo Deo, vt non poſſit illam alibi producere;non aliter ac cognitio Dei ita eſt in natura diuina,vt nõ poſſit eſſe extra illam.Authores autem adducti §.4. negantes conceptum vitæ communem Deo & creaturis, hinc impugnantur: quia cognitio Dei nõ eſt minus ab extrinſeco quàm perfectio nutritionis plantæ:ſed omnipotentia eſt tam ab intrinſeco quàm cognitio Dei,& nutritio plantæ: ergo conueniunt in hoc prædicato,in quo non cõuenit lapis.En ratio à priori cur Deo & plantæ ſit vitæ ratio cõmunis.Ergo Deus viuit formaliter per omne prædicatum ſibi intrinſecũ;vnde totus Deus eſt ratione noſtra,vita.Quod ſi potẽtia loco motiua ponitur vitalis à multis, quid ni & omnipotentia? Abſolutè itẽ tria ſunt genera viuentiũ: vegetabile, ſenſibile, & intellectiuum:in quo cõtinentur attributa Dei;quia à parte rei nõ ſunt diſtincta ab intellectu:& hæc diuiſio fertur per partes diuidẽtes realiter diſtinctas:nẽpe vegetabile tãtùm:vegetabile & ſenſibile tantùm;intellectiuũ tantùm;vegetabile ſimul & intellectiuũ & ſenſitiuũ,vt homo. Adi §.70.

§.14. Ad confirmationem ex §. 3. diſtinguo conſequens: ergo planta non conuenit cum Deo in ratione vitæ nutritiuæ vt nutritiua eſt,concedo conſequentiam; in conceptu communi vitæ imbibito in nutritione vt conceptu generico, nego conſequentiam. Alioquin eodem genere argumentandi concluderetur dolorem non conuenire cum affectibus Dei in ratione vitæ: quia in Deo nullus eſt dolor: item nec diſcurſus conueniret cum intellectione Dei, qui non diſcurrit. Te breuiter moneo doctrinam fuſius à me probatam diſputante de voluntate Dei: vt res creata conueniat cum Deo;habet in ſe aliquod prædicatum, quod non conuenit aliis rebus creatis; amor exempli gratia conuenit cum Deo in ratione amoris: quia vt diſtinguitur ab omni non amore, reperit in Deo prædicatum ſimile: Deus enim amor eſt vt noſtra qualitas eſt amor. Dolor autem in ratione doloris non conuenit cum Deo,in quo non eſt ratio doloris: conuenit autem in ratione affectus: hæc autem conuenientia non eſt propria doloris; eſt enim communis omni affectui creato: at abſolutè dolor conuenit cum Deo,licet non in ratione ſibi propria;bene tamen in communi.Ita planta vt diſtinguitur à non plantis,non conuenit cum Deo:conuenit tamen in ratione communi vitæ quam includit planta.

SVBSECTIO II.

Secundum partis eiuſdem argumentum.

§.15. SEcundum fundamentum eſt: quia nihil reperitur in planta non commune rebus inanimatis: ergo plantæ non viuunt.Probatur antecedens,nam cibum trahere reperitur in magnete ferrum trahente,& in igne ſugente oleum; diſpoſitio autem, & alteratio reperitur in eodem igne pabulum ſibi accommodante, excrementorum autem deiectio communis eſt igni fumum expellenti, augeſcere autem ab intrinſeco reperitur in eodem igne ſibi vniente partem formæ quam produxit: quæ augmentatio nullo modo eſt vitalis,quia non eſt actio immanens,nam tranſit in aliquam partem ab agente diſtinctam.

§.16. Huic argumento reſpondendum eſt, oſtendendo ad rationem actus immanentis non requiri vt eadem pars agat in ſe ipſam, ſed ſufficere vt eadem pars eiuſdem ſuppoſiti, aut naturæ agat in aliam eiuſdem: nam actus vitales materiales fiunt ab anima,& recipiuntur in materia:ergo ad ratioñe actus immanentis ſufficit vt fiant ab vna parte, & recipiantur in aliam eiuſdem ſuppoſiti, ſeu naturæ.

§.17. Dices primò, actus vitales recipi, & fieri ab eodem indiuiſibili principio, ſcilicet à potentia materiali accidentali. Cæterum hanc diſtinctionem potentiarum fuſè reiiciam diſput.4. ſed ea admiſſa probatur intentum: nam illa potentia accidentalis concurrit ad illos actus in genere cauſæ materialis, & efficientis vt *quo*,at verò ipſa ſubſtantia vt *quod*, quod genus cauſandi dicis eſſe verum,ac proprium: ergo non ſolum potentia accidentalis concurrit vitaliter ad illum actum, ſed etiam ipſamet animæ ſubſtantia:at anima non recipit illum actum etiam vt *quod*: ergo rectè poteſt actus vitalis procedere vitaliter ab ea parte, à qua non recipitur: probatur minor,quia illæ potentiæ materiales, tantum recipiuntur in materiam primam,quia per te recipiuntur in quantitatem vt *quo*,quam oſtendi in phyſicis ſoli ineſſe materiæ, & alibi probabo nullum accidens materiale poſſe naturaliter recipi in ſubiectum ſpiritale: ergo illæ potentiæ ſolum denominant materiam recipientem, vt *quod*, & non animum: ergo principium, quod recipit illas actiones non eſt principium, quod facit eaſdem.

Dices ſecundo, actus vitales etiam fieri à materia prima, atque adeo eſſe immanentes. Improbatur primo, quia nullum principium poteſt concurrere vitaliter ad actum ſecundum, niſi ipſum ſit actus primus vitalis:omnis enim actus ſecundus in aliquo genere,ſupponit primum in eodem:ſed materia prima non eſt actus primus vitalis: ergo non poteſt habere actum ſecundum vitalem. Probatur minor, tum quia materia prima eſt imperfectior omni forma ſubſtantiali,id autem non eſſet,ſi eſſet ſubſtantia vitalis: tum quia ſequeretur materiam eſſe tam perfectè viuentem, quàm animum. Tandem, quia omne compoſitum phyſicum eſſet viuens in actu primo,nam homo à ſola anima rationali vocatur,& eſt rationalis:ego ſi lapis habet materiam viuentẽ,erit, & denominabitur viuens. Secundo impugnatur, quia adhuc nullus ſic delyrauit: perpauci enim authores auſi ſunt tribuere materiæ primæ productionem ſuarum paſſionum, nullúſque materiam vocauit actum ſimpliciter, & in compoſito volunt reperiri alterum principium paſſiuum operationum, actiuum alterum. §.18.

Dices tertiò, actus vitales recipi immediatè in materiam,& formam; & quia recipiuntur,& fiunt à forma,ea ratione eſſe immanentes, non enim requiritur ad rationem actus immanentis vt recipiatur in omni principio à quo fit: intellectio enim creata fit à Deo, & in illum non recipitur. §.19.

Contra, quia hæc ſolutio noſtrum confirmat propoſitum, quia nutritio ea ratione erit immanens, quia vnio continuatiua duarum partium viuentis fit ab vna parte,& recipitur in eandem:quia continuatio recipitur in vtroque extremo continuo, quapropter pars viuentis prius exiſtens efficiénſque aggenerationem alterius partis, eſto aggenerationem non efficiat vitaliter,quia aggeneratio tranſit in aliam partem,continuationem tamen partis aggeneratæ,& præexiſtentis efficiet vitaliter, quia licet hæc actio etiam tranſeat in aliam partem,manet tamen in eadem, à qua fit. Argumento autem ab igne deſumpto inferius ſatisfiet. §.20.

Ratio à priori huius concluſionis eſt, quia omnes partes eſſentiales, & integrales ſimpliciter ſunt idem ſuppoſitum,& totum compoſitum eſt principium adæquatum omnium actionum, & quod fit ab vna parte,fit verè, & propriè à toto compoſito, vt homo mouet lapidem per motum manus: & quando aliquid recipitur in vnam partem, verè recipitur in totum compoſitum, vt homo eſt albus per albedinem corporis. Sed actus vitalis fit ab vna parte ſuppoſiti,& recipitur in aliam eiuſdem: ergo actus vitalis fit,& recipitur ab eodem ſuppoſito. §.21.

SVBSECTIO III.

Tertium argumentum, Thomiſtarumq́; reſponſum.

TErtium fundamentum aduerſariorum eſt,quia multæ res inanimatæ habent operationes immanentes: ergo operari immanenter non eſt viuere:probatur antecedens,tum in materia prima producente quantitatem, tum in forma ignis, quæ in ſe ſuas operatur actiones.Tum tertiò in anima rationali in ſe producente potẽtias vitales:tandem in motu grauiũ, & leuium propria loca repetentium. §.22.

Authores quos diſputat.9. Phyſic. ſect.3. retuli, atque refelli, aſſerentes proprias paſſiones non §.23.

ab

ab eſſentia, ſed à generante manare, exiſtimant ſe hic de nobis reportare triumphum: quos tamen vel inuitos reuinciam eodem abſurdo; quia etiamſi proprietates non manent ab eſſentia, tamen negare non poſſunt accretionem ignis ab ipſo igne procedere tanquam à cauſa principali, & ignem productum à ſolo calore adſcribendum eſſe igni illi, cuius erat ille calor: quia in eorum ſententia calor in virtute ignis, alterius ignis productionem attingit: tunc argumentor ſic. Subſtantialis augmentatio ignis, qua vna pars ignis ſibi vnit aliam, & per quam ignis augeſcit, fit & recipitur ab eadem parte ignis vt §.20. probaui: ergo vel ignis eſt ſubſtantia immanenter operans, vel nihil concludit contra nos hoc argumentum, quod non concludet contra illorum ſententiam: immo ipſos ad hominem preſſiùs vrget, quia fatentur motum localem immanentem, quo vna pars ſe mouet, eſſe vitalem, licet vbicatio non ſit vitalis, quia ille motus ab alia parte fieri repugnat: ſed ſimiliter augmentatio ignis fit, & recipitur ab hac parte; & oppoſitum repugnat, ergo etiam erit vitalis.

§.24. Thomiſtæ reſpondent argumento facto, illas actiones adſcribi generanti, in cuius virtute illas ſubſtantia producit, atque adeo non eſſe immanentes. Hanc opinionem in Phyſicis confutaui, atque oſtendi eas eſſe veras actiones, atque adſcribendas ſubſtantiæ, à qua fluunt immediatè; ſed age, tribuantur generanti: adhuc ſequitur vel illas eſſe immanentes; vel nutritionem arboris non eſſe immanentem; nam ſicut tu dicis à generante in lapide relinqui grauitatem, per quam tendat in proprium locum; ita ego dico plantæ relinqui à generante virtutem, per quam ſe porrigat in debitam magnitudinem, illámque tueatur.

§.25. Præterea: primus motus liberi arbitrij Angelici eſt vitalis, quis enim neget actum voluntatis eſſe vitalem? Sed S. Thom. 1. part. quæſt. 66. artic. 5. in fine corporis, & cum eo, è Thomiſtis complurimi aſſerunt illum primum motum tribui Creatori, eáque propter non potuiſſe Angelum in primo inſtanti peccare, quia cum primus ille actus tribuatur Deo, Deus eſſet author peccati, ergo actionem tribui generanti, vel creanti non tollit eius vitalitatem. Adde, accretionem ignis fieri, & recipi ab eadem parte, ergo vel illa eſt vitalis, quia non tribuitur generanti, vel nutritio plantæ non eſt vitalis.

§.26. Confirmatur, per te motus lapidis in centrum non eſt vitalis, quia tribuitur generanti lapidem; quia licet lapis ſit extra cẽtrum & naturalem conſtitutionem; tamen grauitas eſt nomine generantis, per quam ſe reſtituat in ſtatum naturalem, debitum lapidi ob naturalem ſuam conſtitutionem: ergo aliqua nutritio viuentis adſcribetur generanti, nec erit vitalis. Probo conſequentiam: quia aliqua nutritio eſt neceſſaria ſimpliciter ad reſtituendum animal in ſtatum ipſi debitum in prima generatione, ob naturalem conſtitutionem: ſed ob hanc cauſam aſſeris repetitionem lapidis in centrum, & infrigidationem aquæ adſcribi generanti; & non eſſe vitales: ergo aliqua nutritio eſt adſcribenda generanti, & non eſt vitalis. Maior probatur: quia animali in prima generatione debetur certa materiæ pars, qua minor eſſe non poteſt, quam vocamus *minimum naturale*: quæ pars corporis continua actione ſoluitur vt cæteræ partes: ſed ad reparandam hanc minimi decretionem, & minimum conſeruandum, eſt nutritio aliqua ſimpliciter neceſſaria: ergo & ad conſtituendum animal in ſtatu naturali.

§.27. Quæ vrgeo: cognitio Angeli de ſe ipſo & Deo eſt tam neceſſaria ad conſtitutionem Angeli naturalem, quàm eſſe in centro eſt neceſſarium lapidi: ſed adhuc illa cognitio eſt vitalis; & per te adſcribitur authori Deo, vt adſcribitur primus actus voluntatis: ergo actionem eſſe debitam conſtitutioni naturali, & adſcribi creanti non officit vitalitati: Antecedens probo: quia Angelus minus poteſt carere illa cognitione, & minus eſt indifferens vt componatur cum illa & eius carentia, quàm lapis vt careat centro. Hic enim paſſim à centro diuellitur, & aqua incaleſcit, & ignis perpetuo exulat à centro ſecundum aliquas partes. & tam eſt neceſſaria illa actus perfectio Angelis, quàm lapidi vbicatio centrica. Nec poteſt Angelus ab ea cognitione ceſſare; vel ſaltem diu non poteſt. Quod ſi poteſt ceſſare ab alia cognitione eiuſdem ſpeciei, nempe à cognitione alius Angeli eiuſdem ſpeciei: Reſpondeo primùm in horum auctorum ſententia non eſſe poſſibiles duos Angelos diſtinctos ſolo numero. Reſpondeo ſecundò ad rationem perfectionis debitæ ſtatui connaturali, ſufficere ſi vna perfectio vnius ſpeciei debeatur, quamuis non omnes: vt aquæ debetur vna frigiditas. Quod per ſe primò Angelo debetur, eſt cognitio Dei per eſſentiam Angeli deducta, ſiue illa eſſentia ſit ſua, ſiue alia numero.

§.28. Dices, cognitionem Angeli non eſſe proprietatem debitam ipſius naturali conſtitutioni; cui debentur potentiæ vitales, non verò vllus illarum actus. Contra non poſſunt ſic reſpondere Thomiſtici, aſſerentes primum actum voluntatis Angelicæ non poſſe eſſe malum, quia adſcribitur authori Angeli; ad quẽ ſpectat dare naturam, & primam actionem. Secundo arguo: lapidi per te non ſolum debetur grauitas; ſed etiam *vbi* centricum: ad quod à generante relinquitur grauitas, vt nomine generantis centrum repetat: ergo Angelo non ſolum potentiæ debentur, ſed etiam actus, quem potentia tribuit nomine creantis: ergo actum fieri nomine alius non officit vitalitati, dum fiat à principio intrinſeco.

§.29. Vt res clareſcat, finge per poſſibile vel impoſſibile ſubſtantiam ſupernaturalem: Hæc neceſſariam connexionem habet cum viſione & amore Dei tantam quantam cum potentiis: vnde eius proprietates pertinentes ad ſtatum illi debitum in prima creatione ſunt viſio & amor: & actus vterque eſt vitalis: ergo eſſe aliquid neceſſarium ad conſtitutionem naturalem non officit vitalitati. Dices repugnare eiuſmodi ſubſtantiam. Contra; eſto repugnet (quod eſt ſub iudice) at non repugnat ex hoc capite quod neceſſariò videret amarétque Deum. Nam Beatus inſtructus lumine & charitate Deum diligit neceſſariò: ergo per locum intrinſecum poteſt actus vitalis pertinere ad conſtitutionem naturalem alicuius rei.

§.30. Et quidem nunquam extricant cur aquæ detur frigiditas nomine generantis, & non proprium ob martem: tum quia potentia nutritiua, & alia, vitales poſſent ita dici; vt per illas natura viuẽs compararet ſibi perfectionem magnitudinis quam agens illi erat præſtiturum: tum ponamus aquam ab aqua genitam; cur generans habet connexionem nomine proprio cum frigiditate aliena, & non cum ſua? item aqua ſua frigiditate infrigidat manum nomine & virtute propria; cur non ſe ipſam? cum ſubſtantia aquea tam ſit cauſa per ſe ſuæ frigiditatis, quàm vna frigiditas eſt cauſa alius? Denique aliquod agens dicitur agere in virtute & nomine alterius; quando illud non poteſt per

abſentiam, aut improportionem operari; & loco illius ſubrogatur aliud: vt ſpecies impreſſa pro obiecto: ſed Deus creans Angelum, & aqua generans aquam, non habent impotentiam ad dandas Angelo ſubſiſtentiam, potentias vitales, & aquæ frigiditatem:& animæ bruti ſenſus. Qui enim potuit animam facere,præſens fuit ad potentias quoque faciendas: ergo potentiæ, & ſubſiſtentia, & ſenſus, & frigus non fiunt nomine creantis, aut generantis, ſed nomine proprio.

§.31. Alio modo reſpondent etiam Thomiſtæ, ſupponentes ſententiam affirmantem res inanimatas non poſſe ſe perficere vltra ſtatum ſibi debitum in prima generatione: at vero res viuentes ſe poſſe perficere vltra illum ſtatum: omnes igitur actiones, quæ tendunt ad perfectionem connaturalem, debitam primæ generationi,non ſunt vitales: quæ verò progrediuntur vltra perfectionem illius ſtatus, eſſe vitales.

§.32. Verùm quod actio ſit debita primæ generationi, vel non, parum refert ad eius vitalitatem, niſi in modo tendendi in terminum ſit aliqua diuerſitas inter actionem vtramque: nam ſi modus eſt idem, vel vtraque erit immanens, vel tranſiens vtraque: oportet igitur oſtendere diuerſitatem modi ex eo quod actio ſit debita primæ generationi, vel non. Deinde, poſſet dici ſtatum debitum homini, non eſſe quem habet in prima generatione: nam ſtatus connaturalis cuiuſcumque rei eſt, in quo habet totam ſuam perfectionem, & aptitudinem ad vſum ſuarum potentiarum: ſed in primo inſtanti ſuæ generationis homo non habet totam ſuam perfectionem, neque aptitudinem ad vſum ſuarum potentiarum: ergo ille ſtatus non eſt illi connaturalis: ergo iuxta hanc ſententiam omnes actiones,quas exercet homo, donec ſe conſtituat in ſtatu ſibi connaturali ſunt tranſeuntes: quid enim refert quod ſtatus non ſit debitus primæ generationi, ſi eſt ſimpliciter debitus rei genitæ? Adde, ignem ſe perficere vltra ſtatum ſibi debitum in prima generatione; cum enim excreſcit in magnam molem, protenditur in ſtatum indebitum primæ generationi.

§.33. Hæc explicantur: igni aut debetur minimum naturale; aut nulla pars ita certa debetur vt non poſſit in alia minori produci. Si debetur,tunc ſic: ergo ignis viuit non minus quàm planta. Probo conſequentiam: quia ignis poteſt ſe perficere per augmentum ſui vltra illam certam magnitudinem debitam in prima generatione,vt planta ſe perficit augmento. Si autem nulla pars certa debetur; eſt argumentum efficacius;quia quoduis augmentum ignis eſt vltra ſtatum illi debitum. Hoc augmentum fit ab ipſo igne in virtute propria & non aliena; ergo aut ignis viuit, aut non viuit planta.

§.34. Nihil intereſſe vitæ, vt debeatur perfectio primæ generationi, vel non debeatur, oſtendo: quia viuens poteſt vitaliter ſe conſtituere in ſtatu debito primæ generationi: ergo ignis efficiens in ſe calorem, & lapis efficiens motum, id præſtant vitaliter. Probo antecedens: quia minimum naturale conſeruat animal nutritione: illud enim paulatim atteritur contrariis, reficitur autem ab animali cum alimento; non minus quam aqua ſe infrigidat abigendo calorem immiſſum à contrario.

§.35. Adde cognitionem Angeli de Deo, illi eſſe debitam in prima eius conſtitutione vt conſtat ex §.27. & 28. item ſubſtantiæ ſupernaturali debetur cognitio intuitiua & amor Dei, vt probaui §.29. & hæc omnia ſunt vitalia: ergo conſtitutio in ſtatu debito poteſt eſſe vitalis. Ratio à priori:quia poteſt Deus vt author alicuius rei illi prouidere eius proprietatem vel ſe ſolo in genere cauſæ efficientis; vel ſimul cum ipſa cauſa ſecunda: pro qualitate rei quæ tribuitur. Conſidera ergo, vtrum modus quo res ſe reducit ad connaturalem ſtatum ſit neceſſariò à principio intrinſeco? an ab extrinſeco? ſi ab intrinſeco, ſemper actio eſt vitalis; ſi ab extrinſeco, ſemper eſt tranſiens. Quærendum ergo diſcrimen aliud inter ignem & plantam.

Confirmatur: Deus eſt perfectè viuens; & non poteſt ſe perficere vltra ſtatum ſibi debitum in ſua conſtitutione naturali: ergo ratio vitæ in eo non eſt ſita. Minor probatur: quia Deo nulla perfectio poteſt accreſcere. Dices, Deum conſtitui conceptu diſtincto ratione noſtra à cognitione & amore ſui: Deinde ratione noſtra intelligitur perfici. Contra: Deus ratione noſtra conſtituitur intellectione ſui. Deinde ſtatus debitus rei non ſolum eſt quidditas ipſius rei, ſed etiam alij conceptus: vt calor igni, lapidi centrum, animali certa magnitudo: alioquin repetitio centri, & infrigidatio eſſent vitales, quia ſunt extra ſtatum naturalem. ergo ad ſtatum naturalem Dei ſpectant attributa. Quod ſi ideo amor eſſet vitalis, quia oritur ab eſſentia ratione noſtra; etiam oritur omnipotentia; quæ per te non eſt formaliter vitalis. Ratio à priori: quia viuere eſt perfici vltra ſtatum: ſed Deus non perficitur realiter; ergo nec realiter viueret. §.36.

SVBSECTIO IV.

Aliorum Doctrina.

ALij nouam noui viam inierunt. Dicunt viuens à non viuente differre; quòd viuens non poteſt per potentiam vitalem operari in alio ſuppoſito, ſed in ſe formaliter. Conſidera facultatem nutrientem cum tam copioſa inſtrumentorum ſupellectili; ea facultas toto illo apparatu eſt determinata ad agendum in ſe; non verò in alio. At verò ignis cum tota ſua facultate actiua eſt indifferens ad agendum & in ſe, & in alio. Actio autem, quæ neceſſario eſt componenda in eodem ſuppoſito eſt vitalis; per extrinſecam quidem denominationem à determinatione principij: quemadmodum actio eſt neceſſaria & non libera quando oritur à principio determinato ad illam: igitur à determinatione agentis ad operandum in ſe,oritur vitalitas actionis. Huius ſententiæ fundamentum eſt; quia ab his quæ manifeſtum eſt viuere, veſtigare debemus vtrum viuant quorum vita non eſt tam conſpicua: ſed quæ manifeſtè viuunt,ſunt determinata ad operandum in ſe, & non in alio: quę autem non viuunt,ſunt indifferentia ad actionem in ſe & in alio: ergo hoc diſcrimine conſtituitur vita. §.37.

Hæc ſententia primum diſplicet; quòd gradum viuentem conſtituit imperfectiorem non viuente: cum tamen per ſe notum ſit viuens ex genere ſuo nobilius eſſe non viuente.Id ſequi probatur:quando actio, & eius terminus ſunt producibiles in ſuppoſito proprio & alieno; maior perfectio eſt poſſe eos producere in ſuppoſito proprio & alieno, quàm in ſolo proprio: ſed nutritio & eius terminus ſunt producibiles in proprio ſuppoſito & alieno: ergo maior perfectio eſt eos poſſe producere in proprio ſuppoſito & alieno, quàm in ſolo proprio. Minor datur ab aduerſariis,conſtituentibus vitalitatem actionum in ſola extrinſeca denominatione §.38.

minatione

minatione à determinatione principij ad operandum in ſe ſolo; & vtuntur exemplo actionis liberæ, cui cenſent extrinſecam eſſe libertatem; nec diſtinguunt ſpecie nutritionem à prima generatione: quia nec ratione agentis, nec termini; nec modi petit diſtinctionem. Quod ſi nutritio ex conceptu ſpecifico eſſet determinata ad receptionem in eodem ſuppoſito à quo fit: iam determinatio non oriretur ab agente, ſed ab actione; quod ego probabo.

§.39. Maior autem propoſitio eſt per ſe nota: tum exemplo Dei, ad cuius perfectionem ſpectat poſſe in ligno producere ignem, illúmque augere: quia ignis eſt de ſe indifferens vt poſſit adæquatè produci, & augeri à ſuppoſito alieno. Quod ſi ignis eſſet ita producibilis, & Deus illum non poſſet producere, defectus oriretur ex parte Dei, non verò ex parte ignis. Vnde agens creatum non valens producere & augere ignem, caret ea perfectione actiua: tum etiam, quia quo virtus actiua plures actiones, terminóſque continet, eſt maior; & quo in plura ſubiecta dominatur, eſt perfectior: tandem, quia eſt argumentum impotentiæ non poſſe producere id quod eſt adæquatè producibile ab alio. Nam id non pertinet ad perfectionem, vt eſt conſpicuum: ergo ad imperfectionem: ergo poſſe operari in ſe & in alio actionem & terminum aptos in alio produci, maioris perfectionis eſt, quàm poſſe operari in ſe ſolo.

§.40. Obiicis. Actionem eſſe vitalem eſt magna perfectio; quia non continetur in pluribus potentiis: ergo poſſe operari illam eſt magna perfectio. Diſtinguo antecedens: vitalitas eſt perfectio actionis in mea ſententia eam conſtituente repugnantem ex conceptu ſuo vt fiat ab extrinſeco; concedo antecedens: in hac ſententia illam conſtituente indifferentem ex conceptu ſpecifico vt fiat ab extrinſeco, nego antecedens. ex ſe enim nihil habet non commune actioni non vitali. Hinc diſtinguo conſequens; eſt perfectio agentis operari vitaliter in mea ſententia, concedo conſequentiam; in hac nego. Præſto eſt diſcrimen: quia in mea ſententia actio vitalis eſt intrinſecè nobilior non vitali; ac propterea principium illius nobilius eſt. Actio autem vitalis eſt nobilior; quia productio paſſiua eſt imperfectio propter dependentiam; & quo à paucioribus res eſt dependens, minus ceteris paribus eſt imperfecta: productio autem actiua eſt perfectio; & cum res eſt indifferens vt ab extrinſeco producatur, eſt imperfectio, non poſſe eam producere. Si autem repugnantia oriatur ex termino producibili, non arguitur imperfectio in principio producente: ſed arguitur perfectio producendi in ſe ſuam perfectionem; quam ſi in alio non producit, non eſt ob defectum agentis, ſed termini perfectionem. ſecus contingit in ſententia quam impugno.

§.41. Vnde argumentor. Ignis, quia eſt principium actiuum non viuens eſt nobilior in genere principij actiui quàm planta, quia eſt principium actiuum non viuens: ergo agentia viuentia ſunt formaliter imperfectiora in ratione viuentis non viuentibus. Conſequentia patet: quia agentia conſtituuntur formaliter viuentia in actu primo per virtutem actiuam vt eſt actiua: vnde perfectio illorum in ratione agendi, eſt in ratione viuentis. Antecedens probo: quia ignis in ratione agentis non viuentis conſtituitur, quia poteſt in ſe & in alio operari: ſi autem ignis eſſet agens vitale conſtitueretur, quia poſſet in ſe ſolo operari; vt nunc conſtituitur planta: ſed poſſe operari in ſe & in alio actionem & terminum ea ratione producibiles, perfectius eſt quàm poſſe in ſe ſolo; ergo ignis nunc eſt perfectior quàm ſi eſſet viuens, & quàm planta.

Confirmatur primò. Eſſe voluntatem determinatam ad actum abſque libertate circa obiectum finitum, aut circa infinitum cognitum abſtractiuè, eſt minoris perfectionis quàm eſſe indifferentem: quia voluntarium magis perfectum eſt liberum, quàm non liberum ex communi Theologorum conſenſu; quos in hoc ſenſu explicui diſputans de voluntario & inuoluntario. Libertas enim dicit maiorem perfectionem quàm neceſſitas circa hæc obiecta, vt pono: ergo eſſe determinatum agens ad operandum in ſe, & non in alio minus perfectum eſt, quàm non eſſe determinatum, quando terminus eſt indifferens vt producatur in proprio & alieno ſubiecto. Probo conſequentiam ad hominem vtentem hoc eodem exemplo. §.42.

Confirmatur ſecundò: ignis non poteſt in alio igne producere actionem *A*: quam ſemel producit in ſe & non in alio: ita vt ad illam in ſe producendam ſit determinatus, nec poſſit componi cum illa numero actione in alio ſubiecto: planta eſt item determinata ad nutritionem *A*, in ſe efficiendam, & non poteſt componi cum illa actione in alio ſuppoſito: ignis non viuit per actionem *A*: quia omnia illa principia actiua, à quibus effluit actio *A*, poſſunt in alio ſuppoſito producere actionem *B*, quæ eſt eiuſdem ſpeciei cuius *A*: planta autem viuit; quia ab omnibus illis cauſis, à quibus effluxit nutritio *A*, non poteſt oriri actio *B*, in alio ſuppoſito; cum ſit eiuſdem ſpeciei ac nutritio *A*: ſed quod eadem principia poſſint efficere plures actiones eiuſdem ſpeciei, maioris perfectionis eſt quàm non poſſe: ergo ignis in ratione non viuentis conſtituitur formali ratione perfectiori quàm planta in ratione viuentis. §.43.

Immò viuens à non viuente diſcriminatur formaliter imperfectione, qua carent agentia non viuentia. Pono enim ignem vnum agentem in ſeipſo tãtum, & alium actiuum in ſe & in alio: vterque eſt actiuus. Alter differt ab altero; quod eſt actiuus in ſe & in alio: alter verò eſt actiuus in ſe & non in alio: in vtriuſque perfectione conuenitur; nempe quod illa virtus actiua eſt in ſuo ſuppoſito: in quo æquè conueniunt viuentia & non viuentia: diſcrimen eſt, quod viuens per eamdem omnino virtutem non poteſt operari in alio, quod eſt imperfectio quando terminus eſt de ſe indifferens; viuens autẽ poteſt per eadem omnino principia operari in alio: ergo diſcrimen viuentis eſt impotentia operandi in alio, non autem viuentis eſt potentia operãdi in alio: impotentia (inquam) orta ex ſolis principiis actiuis, & non aliunde. Quemadmodum impotentia amentis ad amoris libertatem, & ad alium actum, oritur ex ipſis principiis, verbi gratia, cognitione indeliberatiua. ergo viuens agens diſcriminatur ab agente non viuente ob imperfectionem quam includit viuens vt viuens, & qua caret agens non viuens vt non viuens. §.44.

Multa poſſunt obijci contra eamdem ſententiam. Nam in illa nutritio & prima generatio non differunt ſpecie; prima autem generatio oritur à potentia nutritiua, quæ non diſtinguitur à generatiua. itẽ potentia nutritiua per omnia ſua comprincipia agit in alio, nempe in chylum, & recrementa. item ſi diuinitus penetrarentur duæ partes vnius aut diuerſorum viuentium, poſſet vna nutrire aliam: quia eadem ratione omnia nutrientia poſſunt §.45.

poſſunt diſponere aliam partem, ſi illi eſſent intimè præſentia: ergo principia actiua nutrientis non ſunt ex conceptu agendi, ſiue ex conceptu virtutis actiuæ determinata ad agendum in proprio ſuppoſito tantum, ſed ita determinantur ex defectu applicationis alius ſubiecti. Quemadmodum ignis non eſt determinatus ad agendam in ſe actionem *A*: ſed ex impotentia ipſius actionis, & ex diſtinctione ſubiecti illius actionis à ſubiecto aliarum; quæ non ſpectant ad virtutem actiuam, per quam conſtituitur agens. Adhæc, omnipotentia eſſet formaliter vitalis, vt oſtendi §.13. quod negant hi authores.

§.46. Argumentum factum §.37. nullius eſt momẽti. Reſpondeo diſcrimen agentis vitalis & non vitalis illud quidem eſſe: nempe vitalia eſſe determinata ad agendum in ſe, non vitalia non ſunt ita determinata: quia vitalia ita ſunt determinata ratione conceptus ſpecifici actionis & termini; qui habent intrinſecam repugnantiam vt fiant niſi concurrente actiuè viuente ipſo: actio autem & terminus non viuentes, ſunt natura ſua ſpecifica indifferentia vt fiant à principio adæquatè extrinſeco. At hæc determinatio & indifferentia non oritur per ſe ex principiis, cum indifferentia terminorum vt fiat ab hoc, aut alio. id enim eſſet imperfectio. itaque agens viuens eſt eſſentialiter ordo ad actionem natura ſua ſpecifica immanentem; & vt viuens non eſt ordo ad tranſeuntem; licet multas poſſit efficere, ſed per illas non viuit: agens non viuum non dicit ordinem ad actionem vllam immanentem in ipſo, ſed omnes ſunt ex conceptu ſpecifico tranſeuntes natura ſua.

§.47. Ad exemplum de libertate, reſpondeo primùm, libertatem eſſe eſſentialem actibus. Secundò reſpondeo admiſſa extrinſeca libertate; principium determinatum ad amorem ſine indifferentia, eſſe imperfectum in actu primo: quia cognitio eſt imperfecta; viuens autem eſt perfectum. vnde non aptè ducitur argumentum. Quod ſi in cognitione non eſt imperfectio, ſed eſt determinatione à prædeterminatione: tunc principium eſt neceſſarium per accidens: at viuens eſt viuens per ſe. vnde duceretur argumentum à non imperfecto per ſe ad perfectum per ſe. Vno verbo: libertas aut neceſſitas oritur à principiis: vitalitas oritur ab actionibus: alioquin eſſe vitale eſſet imperfectum, ſicut carere libertate in actu primo.

SVBSECTIO V.

Reſpondetur argumento, ab ignis augmentatione petito.

§.48. PRæmitto ſolutioni, actionem immanentem illam eſſe, cuius terminus eſt natura ſua immanens: & illam eſſe tranſeuntem ex conceptu ſpecifico; cuius terminus eſt tranſiens. Hoc pronunciatum probandum eſt contra nonnullos aſſerentes motum localem animalium eſſe vitalem, etſi eorumdem vbicatio non eſt vitalis: primum ad hominem, quia ſequitur augmentationem ignis eſſe vitalem, quia fit, & recipitur ab eadem parte: nam illa actio, cum ſit modus vnius rei, petit illam ex natura ſua, & non aliam, non minus; quàm in tua ſententia latio animalis licet procedat à ſubſtantia per accidentalem potentiam motricem, petit illam partem animalis: etiam motus, per quem grauitas ſe deorſum mouet, fit ab ipſa grauitate, & recipitur; ſicut in tua ſententia viſio fit, & recipitur à potentia accidentali viſiua: eas tamen actiones merito inficiantur omnes eſſe vitales. Quod nulla alia ratione probatur, niſi quia terminus earum actionum neque eſt immanens, neque vitalis: ergo vitalitas actionis deſumitur ex termini vitalitate.

Secundò ſimpliciter probatur, quia actio ex natura ſua petit eſſe in eo ſubiecto, in quo eſt terminus, & non alibi, vt probatur diſput. 11. phyſicorum ſectio. 4. ſed terminus tranſiens non petit eſſe in eodem principio, à quo fit, ergo actio productiua illius termini non petit ex ſuo conceptu eſſentiali eſſe in eodem principio, à quo fit. Confirmatur primò, quia ex natura rei terminus dependens à ſubiecto, petit actionem dependentem à ſubiecto vt *quo*, terminus autem independens petit actionem independentem vt *quo*, & niſi diuinitus, aliter contingere nequit: ergo eodem modo terminus tranſiens petit actionem tranſeuntem vt *quo*, neque oppoſitum contingere poterit naturaliter. §.49.

Ratio à priori vtriuſque: quia terminus habet vt *quod*, id quod actio habet vt *quo*, in ratione producendi, & reſpicit ſuas cauſas mediis actionibus; vnde eius vitalitas, aut non vitalitas, ſemper eſt in ordine ad actionem, quam petit, neque poteſt petere aliquam actionem, habentem diuerſum modum ab eo, quem ipſe petit. Confirmatur ſecundò, quia nulla actio poteſt eſſe perfectior ex natura rei ſuo termino; ſed illa latio eſſet perfectior ſuo termino, nam vtrumque eſſet accidens materiale modale, terminus autem eſſet mortuus, & actio viua, ergo actio vitalis non poteſt ex natura rei tendere in terminum non vitalem. §.50.

Dixi actionem ex conceptu eſſentiali non poſſe eſſe immanentem, quia actiones nonnullæ neceſſariò inhærent principio, à quo fiunt; ſed hoc, non quod ſint immanentes, ſed propter indiuiduationem modi, & communem illius imperfectionẽ, quia, nec diuinitus poteſt ſeparari à ſua re, vt calefactio ignis *A*, non poteſt eſſe ab igne *B*, & tamen vtriuſque calefactiones ſunt eiuſdem ſpeciei: ita omnes lationes, quibus potentiæ motiuæ eiuſdem ſpeciei ſe & alias res eiuſdem ſpeciei mouent, ſunt eiuſdem ſpeciei, omnéſque eſſentialiter tranſeuntes: item actio qua grauitas ſe mouet, manet in illa. Huc applica quæ de modis dixi ſupra diſp. 2. ſectio. 8. & quæ dicentur diſp. 2. Metaph. §.51.

Ad argumentum, è §.22. reſpondeo, augmentationem ignis eſſe tranſeuntem, quia terminus per illam productus eſt tranſiens, qui poteſt produci, & reipſa producitur ab alio extrinſeco agente: at verò nutritio plantæ eſt immanens, cuius terminus à ſola planta & Deo poteſt prodire: neque enim plantæ, aut cætera viuentia poſſunt digitum creſcere, niſi ipſa diſponant alimentum, & in ſe conuertant; ignis autem poteſt ab extrinſeco augeri, quia ſicut extrinſecum agens poteſt producere aggenerationem partialem ignis, ita poteſt partes aggeneratas vnire: quia neque ex parte termini, neque ex parte modi cernitur in eo maior difficultas, quam in producenda aliqua parte ignis, in qua producuntur multæ illarum vniones: quod longè aliter contingit in plantis: quæ vltra magnitudinem in prima generatione acquiſitam non poſſunt ab extrinſeco augeri propter modum peculiarem talis augmenti. §.52.

Quod patet tum experientia, quis enim vidit hominem nutriri aut ab extrinſeco principio? aut per ſolam iuxta poſitionem cibi? Et ipſa organorum, atque inſtrumentorum varietas, id monſtrat apertè, quæ eo tendit, vt alimenta diſponat, atque coaptet, §.53.

coaptet, vt immediatè conuertantur à viuente in ipſius ſubſtantiam. Quod ſi id fieri poſſet ab extrinſeco principio, otioſus eſſet tantus organorum ſumptus. Sic interpretor ſententiam S. Thom. aſſerentis viuentia ſe poſſe perficere vltra magnitudinem acquiſitam in primo inſtanti generationis, id eſt, ſe poſſe ita ab intrinſeco perficere, vt id ab extrinſeco repugnet: inanimata autem etſi ſe poſſunt perficere, poſſunt etiam & ab extrinſeco.

§.54. Obiicies actionem nutritiuam eſſe eiuſdem ſpeciei ac generatiuam: ſed generatiua eſt non vitalis, ergo & nutritiua. Maior eſt clara: quia agens, terminus, & vnio ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo & actiones. Nego Maiorem: ad probationem nego conſequentiam: quia actiones ſæpè diſtinguuntur ſpecie ex ſolo modo tendendi ab eodem agente in terminum eumdem: vt creatio quantitatis Euchariſticæ diſtinguitur ex ſolo modo. Quia ergo nutritio ex conceptu ſuo ſpecifico petit eſſe ab eodem ſuppoſito in quod recipitur; & produci adæquatè ab extrinſeco illi repugnat, ideo differt à prima generatione.

§.55. Argues, hoc dici abſque fundamento. O Bene ſit tibi: vidiſtin' animal augeri ab extrinſeco? Dices, quî ſciri vtrùm ignis, aut aliud agens ſit principium nutritionis? Reſpondeo quî à te ſciri id eſſe poſſe? Ratio eſt præſto: quando aliqua actio eſt ex ſpecie ſua indifferens vt producatur intra proprium aut alienum ſuppoſitum, non eget ad proprium pluribus inſtrumentis quàm ad alienum: vt patet in igne eadem facilitate ſe augēte & ignes alios. Tantus autem organorum apparatus argumento eſt, actionem illam ex ſe petere manere in eo principio & fieri ab eodem: alioquin quorſum ad agendum in ſe egeret animal pluribus inſtrumentis quam ad agendum extra ſe: cum è contra contingat: paucioribus enim egemus ad agendum in nobis, quàm extra? Hac de re ſermo radibit §.68. vbi oſtendam qua ratione partes nutrientes petant ab intrinſeco vniri. Tandem ignis quælibet pars efficere poteſt continuationem: ſiue enim pars præxiſtens, ſiue noua, poteſt abſque diſcrimine agere: at alimentum non poteſt vniri à ſe ipſo, ſed à viuente. ſunt ergo multa diſcriminis argumenta.

SVBSECTIO VI.

Reſpondetur argumento facto à naturali emanatione paſſionum ab eſſentia.

§.56. AD illud ex §.12. de naturali emanatione paſſionum ab eſſentia reſpondeo, eodem modo illas proprietates natura ſua eſſe tranſeuntes, quod omnes admittere tenentur. Nam qui dicunt fieri eas à generante, id teſtantur apertè, idque videntur ſignificare Thomiſtæ, cum dicunt eas fieri ab eſſentia in virtute generantis. Quod etiam apertè fateor, nempe eas eſſe tranſeuntes: quod à poſteriori colligitur in aqua calida: quæ ab igne ſemota, ſe reducit ad priſtinam frigiditatem, & ad eamdem reducitur aëris miniſterio, qui ſi frigidus ſit, citiùs aquam infrigidat: item vna pars ignis calefacit aliam infrigidatam à niue, atque iſtæ proprietates ignis, & aquæ ex ſe ſunt indifferentes vt fiant ab ipſis eſſentiis, vel ab alio extrinſeco agente. Quod idem dico de proprietatibus aliarum rerum. Nam tota lux aſtrorum à ſolo ſole poteſt oriri: qui ſicut eam lucem intendit, poſſet eam à primo gradu producere.

§.57. Dicent, eſſe nonnullas paſſiones producibiles ab extrinſeco principio adæquatè, quales ſunt quatuor primæ qualitates, quia illæ ſunt actiuæ, & reperiuntur in aliis ſubſtantiis. At ſunt aliæ improducibiles ab aliis: qualis eſt quantitas, ſubſiſtentia, & potentiæ vitales, colórque pauonum: quæ non poſſunt ab extrinſeco principio adæquato produci. Reſpondeo in argumento propoſito §.12. recenſas eſſe has qualitates: quas euidenter oſtendo eſſe tranſeuntes, quia aqua tam bene infrigidatur à niue quàm à ſe. Vnde etiam euidenter oſtendo, non eſſe de conceptu propriæ paſſionis vt ſic, fieri neceſſariò à principio extrinſeco adæquato. Videamus nunc an ceteræ proprietates ſint tranſeuntes, aut immanentes ob ſpecialem aliquam rationem.

Igitur quantitas, & ſubſiſtentia materiæ (quas in phyſicis dixi à ſolo Deo produci) etſi producerentur à materia, adhuc ex natura ſua non perunt magis ab eſſentia rei, cui inſunt, oriri quàm ab ipſo creatore. Nam in illo ad productionem quantitatis eſt virtus, ſicut ad productionem materiæ: & quamuis quantitas non poſſit fieri ab alia cauſa creata, præter quam à materia prima; tamen ex natura ſua æquè petit fieri à Deo, quàm ab ipſa materia, propter communem rationem paſſionis. §.58.

Quod colligitur à poſteriori ex inductione aliarum, tum etiam, quia, *qui dat formam, dat conſequentia ad formam*, id eſt, ad agens ſpectat complere formam in ſuo eſſe naturali: eáque propter ſi in forma non eſſet virtus ad conſequentia, ſpectat ad generans, conſequentia dare: at non ſpectat nutrire, aut efficere actus vitales. Ratio autem ob quam potius proprietas manat ab eſſentia, quàm à generante, ea videtur eſſe, quia eſſentia continet in virtute actiua paſſionem, & videtur eſſe cauſa particularior illius, & (vt ſic dicam) magis applicata: ſicut ignis poteſt produci à ſole, & ab alio igne, ſed ſi applicetur ignis, ille videtur commodius poſſe concurrere. Quod confirmatur ex augmentatione ignis, quæ communiter fit ab ipſis partibus vnitis, quia cum illæ ſint viciniores, commodiùs fit augmentatio ab illis, quàm ab alio agente, non quia in illo non ſit virtus ad talem augmentationem, neque quod augmentatio in ſe non ſit indifferens vt oriatur ab alio. §.59.

Huic doctrinæ obiiciunt, eas paſſiones non poſſe natura ſua fieri à generante, vel creante: quia eſſentia eſt cauſa particularior, & ſemper eſt magis approximata effectui: ſed cauſæ particulariori, & magis determinatæ debetur concurſus: ergo. Reſpondeo primùm; inde concludi contra ipſos ignem viuere; quia eſt magis applicatus ad vnionem ſui cum alio igne. §.60.

Secundò reſpondeo, aliud eſſe effectum eſſe natura ſua determinatum, aut indifferentem vt oriatur ab vna, aut ab alia cauſa; aliud eſſe conuenientius, vt huic cauſæ potius quàm illi paretur concurſus. Rectè poteſt vtrumque coniungi. Lux enim, & ignis, & calor, ſunt indifferentes vt fiant, aut conſeruentur ab agentibus diuerſis. Præſente enim agente, à quo productus fuit calor, aut ignis, debetur conſeruatio ipſi agenti quantumuis aliud agens applicetur: abſente autem illo, poteſt aliud conſeruare calorem. Quod ſi Deus ſuo arbitratu pararet concurſum ſecundo ad conſeruandum calorem, præſente etiam agente, à quo fuit primò productus: quid intereſſet caloris? aut ignis quid refert produci à ſole, vel igne? §.61.

Ad argumentum ex §.60. nego primam propoſitionem. Ad probationem diſtinguo minorem; debetur influxus ob exigentiam, aut petitionem effectus, §.62.

effectus, nego maiorem; ob exigentiam cauſæ, omitto minorem: & nego conſequentiam. Eſt enim hoc diſcrimen: nutritioni repugnat ex conceptu ſuo fieri adæquatè ab extrinſeco, quantumuis multæ cauſæ applicentur; & ex conceptu ſpecifico nutritionis repugnat fieri ab extrinſeco eam actionem etiam diuinitus. At præſente cauſa particulariori, & magis applicata, non repugnat nec naturaliter actionem illam in ſpecie fieri adæquatè ab extrinſeco. Eſt enim quædam congruentia dare concurſum huic cauſæ præ illa; at non eſt neceſſitas etiam naturalis: & ſi eſſet, non eſſet ob effectum: qui concurſu parato cauſæ vniuerſaliori tam bene oritur ab illa quàm à magis particulari.

§.63. Si roges vnde colligam quãtitatem & alias paſſiones poſſe fieri connaturaliter à creante? Reſpondeo ex conceptu communi paſſionis: quam creans tenetur, & poteſt dare, etiamſi paſſio ſit actus intellectus, aut voluntatis: quia tunc tenetur creans efficaciter mouere intellectum vt cognoſcat. Hoc autem genus paſſionis eſt vitale: quia cognitio non poteſt eſſe omnino ab extrinſeco, vt eſt per ſe notum. At quantitas, & ſubſiſtentia quid ni?

SVBSECTIO VII.

Alia duo reſponſa.

§.64. Aliter poſſet reſponderi, ſi inclinemus in ſententiam negantem quantitatem à materia produci: tunc enim quantitas eſt à principio extrinſeco. deinde ſubſiſtentiam poſſemus dicere non produci à natura, ſed à generante, vel creante, ad quod ſpectat rem producere ſubſtantialiter completam: item paſſiones tranſeuntes rerum omnium inanimatarum eſſe producibiles ab indiuiduis eiuſdem ſpeciei, omnes enim proprietates ſolis poſſunt ab alio ſole produci: at vero proprietates vitales non eſſe diſtinctas à ſubſtantia vitali, vel ſi ſunt diſtinctæ, anima, & Angelus viuent per illas: quemadmodum dicunt aduerſarij intellectum agentem concurrere vitaliter ad ſpeciem impreſſam, vel ſpeciem eiuſmodi fieri à ſolo Deo ſupplente abſentiam, aut vices obiecti; ad quod ſpectat ſpeciem immittere. Quo totum elumbatur argumentum.

§.65. Poſſet tertiò, (ſed magis paradoxè) reſponderi: materiam primam *A*, quantum eſt ex ſe, poſſe producere quantitatem, & ſubſiſtentiam in materiam *B*: & animam Petri poſſe producere intellectum, & voluntatem in animam Pauli: quod ſi id non faciunt, eſt quia alia habent iam productas ſuas paſſiones: item formam vnius equi poſſe producere ſenſus alterius, ſi illi applicatur cum debita rerum aliarum diſpoſitione. Id poſſet probari, quia non requiritur maior virtus ad producendam rem in ſe, quàm in alio, niſi ex parte modi ſit aliqua repugnantia, quæ repugnantia non reperitur in his rebus, ſicut reperitur in actu vitali, & in nutritione; quæ ex ſe non petunt oriri niſi ab eodem principio, in quod recipiuntur, quia ſunt vitales.

§.66. Huic argumento reſpondent, non poſſe huic numero eſſentiæ conuenire paſſiones alius: quia eſſentiæ ſunt diſſimiles, quibus inſunt abſimiles paſſiones. Reſpondeo primùm; à me id non negari. aſſero enim hanc numero quantitatem produci poſſe à materia, cui ineſt, & ab alia: vt hoc numero frigus poſſe ex ſe produci ab aqua, & niue, eſto non poſſit eſſe niſi in hoc numero ſubiecto cuius eſt paſſio. Reſpondeo ſecundò; eamdem numero paſſionem poſſe conuenire diuerſis numero eſſentiis: quia illa diſſimilitudo non eſt niſi diſtinctio. At idem numero effectus abſolutus poteſt oriri à diuerſis cauſis efficientibus, & materialibus: determinationem enim indiuiduorum oriri à ſola voluntate Dei oſtendi diſp 10. Phyſic. Hi autem impugnatores mecum ſenſere in hac determinatione indiuiduorum à cauſa prima: quid ergo nunc turbant, atque turbantur? ergo eiuſmodi paſſiones ſunt ex conceptu ſuo indifferentes vt fiant ab alia ſubſtantia eiuſdem ſpeciei.

At verò nutritio plantarum, & cæterorum viuentium, non poteſt eſſe ab extrinſeco agente. Et quando tale viuens impeditur à nutritione, ſtatim perit. Cuius exemplum euidens eſt; quod licet adſit alimentum, niſi ab eodem viuenti diſponatur, nunquam nutritur, neque illi prodeſt talis cibus, neque eſt virtus in agentibus creatis, aut creabilibus ad augendum tale viuens, niſi ipſum ſe augeat actiuè. §.67.

Dices, partes per nutritionem acquiſitas, potuiſſe ab extrinſeco agente in prima generatione produci: ergo illæ non ſunt natura ſua immanentes. Aduerte ſubſtantiales partes viuentis altero è duobus modis poſſe produci: vel primo inſtanti, in quo generatur viuens; ſic autem petunt ſimul produci omnes illæ, quæ requiruntur ad integritatem viuentis, ad quam productionem exiguntur ea omnia, quæ expendimus diſp.2. de generatione: cumque opus ſit vt res producatur à principio à ſe diſtincto, non poteſt viuens ſe producere: vnde ex ſua natura petit hunc productionis modum in prima generatione. Quia verò non poſſunt ſimul produci omnes partes viuentis, ideo petunt, ſecundum modum productionis, per nutritionem. Vnde ſuppoſito quod in primo inſtanti pars *A*, non fuerit producta, implicat naturaliter illam produci niſi ab eodem ſuppoſito, in quo eſt. Ad quod genus productionis requiruntur tam varia inſtrumenta, vt ſufficiant ad arguendam diſtinctionem eſſentialem in modo. §.68.

Hinc patet diſcrimen inter viuentia, & non viuentia, nam etiam ſi pars *B*. ignis non fuerit producta cum parte *A*, poſtea non petit produci magis à parte *A*, neque illi vniri, quàm ab alio extrinſeco agente: at verò partes viuentis non productæ in primo inſtanti generationis, non poſſunt produci niſi à partibus præexiſtentibus, & illis neceſſariò vniuntur. Quare dicendum eſt ſimpliciter partes acquiſitas per nutritionem eſſe immanentes: quia natura ſua petunt produci per augmentum factum ab ipſo viuente. Item quæuis pars ignis poteſt efficere augmentationem; nutritio verò non poteſt fieri ab alimento; ſed à viuente. Nec viuens additur alteri viuenti: quia viuens corrumpit formam exiſtentem in materia ad quam extenditur: ſecus ignis qui adiungitur alij. §.69.

SVBSECTIO VIII.

Dirimitur tota quæſtio.

Vnde colligo, quatuor eſſe rerum gradus: primus eſt earum, quæ tantum poſſunt in ſe producere terminum, ab extrinſeco natura ſua producibilem, & quem in quolibet ſtatu poſſunt ab alio accipere: qui gradus vocatur rerum inanimatarum, & contrahit corpus in communi ad inanimatum. Secundus eſt earum, quæ præter has actiones habent alias, quarum terminos in eo ſtatu §.70.

non

non poſſunt accipere ab alio fine ſuo concurſu actiuo,& paſſiuo: qui gradus conſtituit genus corporis animati, id eſt, viuens. Obiter adnota ex communi omnium ſenſu, viuens vt ſic creatum conſtitui per principium ſe ab intrinſeco mouendi, nam viuens vt ſic prædicamenti ſubſtantiæ diuiditur in inſenſibile, vt plantam, & ſenſibile, quod eſt animal. Tertius eſt earum, quæ addunt cognitionem,& appetitionem materialem,& conſtituunt viuens ſenſibile. Vbi aduerte multum poſſe contendi de nomine vtrum ſecundus gradus ſit vitalis: nec ne? oſtenſum eſt diſcrimen reale inter illum & primum, quod negari non poteſt. Et conuenit cum Deo in habenda perfectione ab intrinſeco. Quo diſcrimine moueor ad eum vocandum vitalem, quia in categoria ſubſtantiæ corpus animatum diuiditur in inſenſibile, vt planta, & ſenſibile,vt animal:quæ eſt communiſſima vſurpatio inter Theologos, atque Philoſophos.

SECTIO II.

Quæ ſint viuentia in actu primo?

§.71. DIco primò. *Forma ſubſtantialis vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, ſunt viuentes in actu primo.* Ita Ariſtotel. & S.Thom. aſſerentes,in ſubſtantiis *ipſum viuere eſt eſſe.* Probatur, nam actualis vegetatio, ſenſio, & intellectio ſunt vita in actu ſecundo: ergo habent aliquam vitam in actu primo. Nam omnis actus ſecundus ſupponit primum: ſed hæc vita in actu primo non poteſt eſſe materia prima, ſaltem adæquate, ergo debet eſſe forma. Secundò, quia huiuſmodi formæ intrinſecè, & eſſentialiter ſunt principium principale actionum vitalium: ergo ipſæ ſunt vitales in actu primo.

§.72. Dices, materia prima eſt principium paſſiuum actionum vitalium, & non eſt vitalis in actu primo: ergo licet forma ſubſtantialis ſit principium actionum vitalium, non erit vitalis. Nego conſequentiam, quia eſſe principium paſſiuum non dicit actualitatem, ſed potentialitatem paſſiuam: at verò eſſe principium principale actiuum, dicit actualitatem, quæ formaliter, vel eminenter contineat effectus, vt patet in anima rationali, quæ ſola in genere cauſæ materialis eſt cauſa habituum, & actuum ſupernaturalium, & tamen in genere cauſæ efficientis indiget comprincipio ſupernaturali ad actus ſupernaturales: ratio à priori eſt: quia cauſalitas materialis eſt valde imperfecta, ad quam non requiritur tanta perfectio, quanta reperitur in effectu. Adde materiam primam eſſe indifferentem ad actus vitales, & non vitales, formam verò eſſe ad illos determinatam.

§.73. Dices, habitum charitatis eſſe principium actiuum determinatum amoris ſupernaturalis, & non eſſe vitalem: ergo non ſequitur formam eſſe vitalem ex eo quod ſit principium actiuum determinatum actus vitalis. Sed adhuc ſub lite eſt, ſitne vitalis habitus ſupernaturalis? Reſpondeo tamen ad vitalitatem actus non requiri vt omnia principia actiua determinata ſint vitalia: ſed vt aliquod ſit vitale; nullum autem eſt in compoſitis naturalibus præter formam: ergo illa neceſſario erit vitalis,habitus autem charitatis confert formaliter ſupernaturalitatem actui, anima verò vitalitatem.

§.74. Dixi principium principale actiuum debere continere eminenter, vel formaliter effectum, quod intellige de principio adæquato,nam aliquod principium partiale principale poteſt eſſe imperfectius ſuo effectu, vt ex phyſicis patet. Quia igitur anima ſeipſa formaliter eſt principium actiuum & paſſiuum actuum ſpiritualium, ſe ipſa & formaliter eſt viuens in actu primo: ſenſitiuæ autem animæ,quia ſe ipſis ſunt pars compoſiti totius,& cauſa actiua ſenſionum, ſunt etiam formaliter viuens in actu primo. Quia actio & paſſio & terminus in illis continentur; & ab illis deriuantur in compoſitum.

Dico ſecundò: *Potentia vitalis accidentalis* (ſi forte datur) *eſt vita in actu primo accidentali.* Patet ex terminis, quia eſt potentia vitalis, id eſt, habet potentiam ad viuendum: ſecundò, quia potentia vitalis vitaliter operatur,& modo vitali cōtinet eminenter actum ſecundum vitalem,ergo ipſa eſt actus primus vitalis. Niſi dicas eam non eſſe paſſiuam. §.75.

Dico tertiò. *Species impreſſa ſenſus externi non eſt vitalis in actu primo.* Probatur, quia talis ſpecies ſubrogatur loco obiecti, vt ad effectum determinet potentiam: ſed obiectum non habet rationem vitæ in actu primo, ergo neque ſpecies illius. Confirmatur primò, nam probabile eſt guſtum, & tactum non moueri per ſpecies impreſſas, ſed immediatè ab ipſis obiectis; at concurſus ille obiectorum, vt ab ipſis procedit, non poteſt eſſe vitalis, quia eſt à principio extrinſeco, ergo neque ſpeciei concurſus vt ab illa procedit, poteſt eſſe vitalis, ergo vita non reperitur in ſpecie impreſſa. Confirmatur ſecundò, nam ſi ſpecies impreſſa eſt vita in actu primo, ergo eſt eſſentialiter perfectior ſuo obiecto: hoc autem eſt falſum, quia obiectum, candor, verbi gratia, eſt cauſa principalis adæquatà ſpeciei impreſſæ: maior autem patet, quia qualitas vitalis materialis perfectior eſt qualitate materiali non vitali. §.76.

De habitibus naturalibus aliqua poteſt eſſe controuerſia inter authores adfirmantes habitum concurrere phyſicè in actum. Nam inter id negantes nulla poteſt eſſe concertatio. Sed prima ſententia ſuppoſita, dicet aliquis eos eſſe vitales, quia ſunt principia intrinſeca propria, & connaturalia potentiæ vitalis, & ex natura ſua conſtituuntur ad illam iuuandam: quod verò ipſi non concurrant vitaliter, nihil refert, nam ad hoc genus ſufficit, vt totum ſuppoſitum ſe moueat per illos tanquam per connaturalia, & propria principia: nam forma vitalis eſt vitalis, quia licet ipſa non operetur vitaliter, id eſt in ſe ſenſiones recipiens, tamen ſimpliciter eſt vitalis, quia per illam mouetur vitaliter totum ſuppoſitum. §.77.

Dico quartò. *Huiuſmodi habitus non ſunt vitales in actu primo.* Quia ipſi non ſe mouent vitaliter,neque ſuppoſitum per illorum actionem vt ab illis procedit. Ipſos non moueri vitaliter in confeſſo eſt apud omnes: ſuppoſitum non moueri vitaliter per illos, probatur: quia moueri vitaliter eſt ſe mouere propriè, ſed ſuppoſitum non ſe mouet propriè, per habitus, quia illa cauſalitas formaliter eſt remota, quam non eſſe propriam cauſalitatem, neque veram probaui diſput.8. phyſic. ſect.4. ergo per illos habitus ſuppoſitum non mouetur vitaliter. §.78.

Vnde patet diſcrimen inter habitum,& formam ſubſtantialem, nam per formam verè, & propriè mouetur ſuppoſitum, quia quicquid illi conuenit ratione vnius partis, conuenit propriè, & immediatè: ſic homo ſimpliciter dicitur videre,licet tantum videant oculi: & peccare, licet in ſola anima ſit peccatum: & ægrotare, licet ſola ægrotet manus,& hinc patet ad argumentum,& ſimul conſtat §.79.

nullam ſpeciem eſſe vitalem in actu primo, tum propter rationem communem habitui, tum quia ſemper gerit vices obiecti, quod in ratione obiecti non eſt intrinſecum principium; licet hæc ratio non multum concludat contra ſpecies repræſentantes ipſam animam, vel potentiam.

§.80. De habitibus ſupernaturalibus maior eſt controuerſia. Nonnulli enim videntur inſinuare huiuſmodi habitus concurrere ad actus ſupernaturales modo vitali, id eſt, in genere cauſæ efficientis, & materialis. Verum hanc cauſalitatem materialem ſemper cenſui ſine fundamento vrgenti adhiberi: tum, quia ſequeretur illos habitus verè, & propriè amare, & intelligere, eſſéque veram voluntatem, & intellectum. Vnde in homine iuſto eſſent duo intellectus, & voluntates duæ. Immo verò in Chriſto tres eſſent intellectus. Primus naturalis. Secundus luminis gloriæ. Tertius, ſcientiæ per ſe infuſæ: eſſéque voluntatem naturalem, & ſupernaturalem charitatis. Denique tot eſſent voluntates, quot ſunt habitus voluntatis per ſe infuſi, contra communem. Vide quæ dixi diſputat. 9. Phyſic. ſect. 13. Probatur autem ſequela, nam intellectus, & voluntas naturalis ea præciſè ratione dicuntur intelligere, & amare, quia ſunt principia vitalia actiua, & paſſiua intellectionis, & amoris naturalis, ſed per te habitus ſupernaturalis eſt principium vitale actiuum, & paſſiuum intellectionis, & amoris ſupernaturalis, ergo habitus ſupernaturalis verè intelligit, & amat.

§.81. Secundo, quia ex eo quod actus ſit ſupernaturalis non petit recipi in principium ſupernaturale, nam Gratia habitualis recipitur in ſolam ſubſtantiam animæ. Neque verò ex eo quod ſit vitalis; tum, quia infra probabimus, ſenſiones recipi in ſolam materiam primam, tum etiam, quia ad actum vitalem ſufficit vt recipiatur in vnum principium ſolum: nam etiamſi procedant à Deo, & ab ſpecie, & habitu naturali, tamen in nullum ex his recipitur, quia, vt dixi ſupra, cauſalitas materialis dicit imperfectionem, & non requirit in cauſa tantam perfectionem, quantam in effectu. Vnde ſolus animus eſt cauſa adæquata materialis actuum ſupernaturalium; item huiuſmodi habitus non eſſe totam rationem agendi, oſtendi diſputat. 9. Phyſic. ſect. 13. Quod verò talis habitus comparetur ad actus tanquam potentia, non arguit eos actus recipi in habitum, ſed tantum habitum eſſe neceſſarium ad complendam potentiam in actu primo actiuo ad efficiendos actus ſupernaturales.

§.82. Dico quintò. *Habitus ſupernaturalis non eſt vitalis in actu primo.* In hanc concluſionem neceſſario conueniunt quotquot affirmant vitalitatem actus ſupernaturalis reſpondere formaliter potentiæ vitali, & non habitui. Nam ſi habitus eſſet vita in actu primo, id eſſet reſpectu actus. Vnde non eſſet cur non tribueretur illi vitalitas, cum actus ſecundus formaliter reſpondeat primo. Item qui affirmant duas cauſas efficientes concurrere per diuerſas actiones. Actio enim reſpondens habitui ſupernaturali, eſſet ſupernaturalis tantum, & nō vitalis. Probatur concluſio, quia habitus ille non ſe mouet vitaliter, neque anima per illū formaliter, vt dixi nuper de habitu naturali. Ad quod obſerua, animum à parte rei ſe mouere intrinſecè per habitus, & actiones: quia eadem actione cōcurrit potentia, & habitus, & potentia vtitur ipſo habitu, ad eum modū, quo ſe mouet per actionē Dei, reduplicatiuè autē intelligitur probatio. Confirmatur, ſi actus concurreret modo vitali, non egeret concurſu potentiæ: nam tam vitalitas quàm ſupernaturalitas eſſet ab illo formaliter.

Alij concluſionem probant, quia anima non ſe mouet per habitum ſupernaturalem, tanquam per principia propria, ſed cum habitum eſſe virtutem agentis extrinſeci, ſcilicet Dei, ſicut motus grauitatis tribuitur generanti. Sed poſſet reſponderi, habitum ſupernaturalem dari animæ vt ſe moueat per illum, tanquam per virtutem propriam, id eſt, inhærentem; nam tantum requireretur ad rationem actus vitalis, vt poſſet tribui animæ, tanquam principio principali, ſicut attribuuntur omnes actus voluntatis ſupernaturales, pro quibus præmio donatur. Quod ſi cauſalitas remota formaliter eſſet propriè cauſalitas, non inficiarer habitus tam naturales, quàm ſupernaturales eſſe vitales, quia per illos ſe potentia moueret. §.83.

DISPVTATIO IV.

De potentijs animæ.

EXPLICATA rei quidditate eius potentiæ occurrunt diſquirendæ.

SECTIO I.

Qui negent concurſum actiuum animi in actus intellectus?

SVpponendum eſt in opinione diſtinguente potentias non poſſe affirmari vnam concurrere ad actus alterius: nam neque voluntas intelligit, neque intellectus amat: ſicut neque audit oculus, neque videt tactus, alioquin potentiæ confunderentur, & vna ſola ſufficeret ad omnes actus exercendos. §. 1.

Hoc conſtituto S. Thom. 1. part. quæſt. 77. art. 1. & in diſputatis quæſt. vnica de ſpiritualibus creaturis, art. 11. & quæſt. vnica de anima art. 12. apertè affirmat impoſſibile eſſe animam immediatè concurrere ad actus vitales. Quem profusè ſequuntur Thomiſtæ vniuerſi. Caietanus eam propoſitionem conatur late defendere contra Scotum. §. 2.

Primum fundamentum eſt, quia potentia, & actus ſunt in eodem genere, ſed actus animæ non eſt in genere ſubſtantiæ, anima verò eſt ſubſtantia, ergo anima non poteſt eſſe potentia immediata actus vitalis. Verum ferreus noſter hæreticorum domitor Gregor. de Valentia, tom. 1. diſputat. 6. quæſt. 3. puncto 2. ait hanc rationem facile ſolui poſſe inficiatione maioris, & quidem diſputat. 9. Phyſic. ſect. 3. latè eam propoſitionem impugnaui, nam in ſententia S. Thom. & Thomiſtarum calor eſt potentia ad producendum ignem, ſicut intellectus ad producendam intellectionem: nam vtraque potentia confertur ſubſtantiæ, vt per illam operetur. Et S. Thom. ſup. ad 4. admittit intellectum habere ab anima vim intelligendi: quo pacto dicitur à Thomiſtis calorem habere ab igne vim productiuam ignis: ſed calor non eſt in eodem genere, in quo eſt ignis: ergo aliqua potentia non eſt in eodem genere cum ſuo actu. §. 3.

Reſpondet Caietan. potentiam & actum eſſe in eodem genere, quando potentia eſſentialiter ordinatur ad actum. Contra, vel calor ordinatur eſſentialiter ad faciendum ignem? vel non? ſi ordinatur, habemus intentum; ſi non, ergo calor eſſentialiter non eſt inſtrumentum ignis ad producendum ignem: nam inſtrumentum eſſentialiter reſpicit rem, ad quam eſt inſtrumentum: eodemque pacto dici §. 4.

dici poſſet, intellectum non eſſe inſtrumentum animæ, eſſentialiter ordinatum ad intelligendum; & ſic ſolueretur argumentum. Quod ſi eſt abſurdum intellectum non ordinari ad faciendam intellectionem: etiam eſt abſurdum calorem non ordinari eſſentialiter ad productionem ignis.

§. 5. Deinde; neceſſario conſtituenda eſt cauſa aliqua creata, quæ eſſentialiter ordinetur ad producendum calorem & ignem: non ſecus ac conſtituitur ad producendos actus vitales. Nam calor eſt proprietas ignis, ſicut lux ſolis. Calor enim non eſt à cauſa per accidens: & elementa definiuntur in ordine ad mixtum quod cauſant. Vel ſaltem aggeneratio & nutritio vitalis habent cauſam ad illas eſſentialiter ordinatam: quia vegetabile eſſentialiter eſt viuens, & principium actionis immanentis: & quod de hoc effectu dico, dico de igne: ergo rogo, quæ ſit cauſa eſſentialiter ordinata ad producendum ignem, aut partem ſubſtantiæ viuentis: Nam in ſententia Caietani ſubſtantia viuens non eſt operatiua immediatè, nulla ergo erit cauſa eſſentialiter ordinata ad producendam partem viuam, & conſequenter forma viuens eſſentialiter non eſt actus primus, quod per ſe apparet abſurdum.

§. 6. Deinde in ſententia Caietani qualitates materiales recipiuntur in quantitatem, quæ non eſt in eodem genere cum illis, & tamen quantitas in ea ſententia eſſentialiter reſpicit qualitates: nam aliquod principium debet eas reſpicere eſſentialiter. Quod ſi ſubſtantia eas reſpicit, acrius vrget argumentum. Porrò ab aliquo principio eas reſpici eſſentialiter, patet: quia de eſſentia ſubſtantiæ creatæ eſt accidentibus ſubſtare, à quibus dependet, tam in eſſendo; quam in operando, à quibus non poteſt præſcindi actu abſtractiuo, & multo minus intuitiuo: maximè quia materia prima eſſentialiter reſpicit formam: & omnia neceſſaria ex parte ſui ad illud munus, inter quæ eſt extenſio requiſita ad generationes formarum, & compoſitorum, ergo ſubſtantia eſſentialiter reſpicit accidentia, vel per ſe, vel media quantitate, cum tamen quantitas, & ſubſtantia ſint in diuerſo genere, quo qualitates. Item quantitas recipitur in ſubſtantiam tanquam in potentiam paſſiuam, ad quam eſſentialiter ordinatur ſubſtantia: nam omnis ſubſtantia creata materialis dicit eſſentialem ordinem ad quantitatem, vel quia eſt diſpoſitio ad compoſitum, vel quia eſt medium ad conſeruationem formæ, res autem quæ eſſentialiter reſpicit finem, reſpicit eſſentialiter media ad talem finem, nam finem conſequimur per media.

§. 7. Denique S. Thom. 1. 2. quæſt. 2. art. 7. dicit beatitudinem eſſe aliquid animæ, & quæſt. 3. art. 2. docet beatitudinem conſiſtere in operatione animæ, eámque pertinere ad vltimum finem: item ait ibidem animam ſine ea operatione eſſe imperfectam, item vnamquamque rem eſſe propter ſuam operationem. Vnde argumentor ſic, id quod eſt ad finem, eſſentialiter reſpicit finem, & id quod eſt imperfectum, eſſentialiter reſpicit perfectionem; ſed ſubſtantia animæ eſt propter finem, & eſt imperfecta ſine operatione, ergo ſubſtantia animæ reſpicit eſſentialiter ſuum finem, & ſuam perfectionem: hæc autem ſunt accidentia, ergo ſubſtantia eſſentialiter reſpicit accidens, ergo id quod reſpicit, & reſpicitur, non habent eſſe in eodem genere. Quod verò reſpiciatur remotè, quid refert? Nam etiam reſpicit potentias vitales accidentales, à quibus non dicit minorem dependentiam, quàm ab actionibus: quia ſicut ſine intellectione non conſequitur ſuum finem, ita nec ſine intellectu.

Actus autem & potentia habent eſſe in eodem genere, ſi comparentur actus entitatiuus & potentia logica: id eſt, res quæ in eſſe poſſibili, & à potentia logica eſt ſubſtantia, actu exiſtens eſt ſubſtantia: & res quæ in eſſe poſſibili, eſt accidens, etiam in eſſe actuali eſt accidens. Item actus, & potentia phyſica, quæ per ſe ſpectant ad compoſitionem phyſicam, ſunt etiam in eodem genere ſubſtantiæ, vt materia & forma ſubſtantialis: omnis autem potentia receptiua, aut actiua non requirit identitatem generis cum ſuo actu, vt omnipotentia Dei cum creatura, & ſubſtantia creata cum accidenti, quod reſpicit. §. 8.

Secundum fundamentum eſt, quia anima eſſentialiter, tantum eſt actus corporis, & vita illius, non verò eſſentialiter eſt operatiua. Nam ſi per ſuam eſſentiam eſſet operatiua ſemper operaretur, ſicut ſemper denominat corpus viuens. §. 9.

Nego primum antecedens: anima enim eſſentialiter eſt actus corporis organici, id eſt, apti ad illius operationes. Si enim adæquatè concipiatur forma, non poteſt concipi vt forma ſubſtantialis, niſi in quantum eſt principium actiuum, eſt enim actus primus, à quo effluunt omnes actus ſecundi, & vnitur corpori in quantum actus, id eſt, in quantum principium actiuum. Quapropter diſp. 1. ſectio. 1. dixi animam eſſentialiter differre à forma inanimata, quia hæc non petit organa ad operationes vitales: ſecus illa. Ad probationem reſpondeo, illam denominationem viuentis eſſe formalem, id eſt conſiſtere in entitate formæ vnitæ, & in eo ſenſu ſemper eſt forma operatiua: nam id habet à ſua propria entitate vnita: at verò ad operandum actu plus requiri. Vnde cum realiter diſtinguatur entitas formæ ab entitate operationis, & hæc non ſit neceſſaria ad conſeruationem illius, rectè poteſt eſſe vna ſine alia, ſicut in ſententia S. Thom. potentiæ vitales accidentales ſunt eſſentialiter operatiuæ, & tamen non ſemper operantur. §. 10.

Secundo reſpondetur diſtinguendo antecedens: anima eſſentialiter tantum eſt actus corporis: id eſt primus & quidditatiuus conceptus tantum eſt informare, tranſeat antecedens: quidditatiuus à parte rei adæquatè: nego antecedens. Nam à parte rei poteſt eſſe potentia intelligendi, quin id ſit de primo & quidditatiuo conceptu. Vt Deus eſt primò & quidditatiuè intelligens; attributa autem ſunt ratione noſtra extra eſſentiam. Item anima eſt radix potentiarum; licet quidditatiuè non ſit niſi actus corporis. Vnde nego potentias realiter ab anima diſtingui: ſed plurimùm ratione. §. 11.

Hinc Caietanum interrogo: vtrum anima ſit eſſentialiter actiua? vel non? ſi non: ergo rectè poterit reſpicere actus accidentales in ſententia Caietani: ſi verò eſt actiua eſſentialiter immediatè, habemus intentum: ſi verò remotè, ergo petit eſſentialiter inſtrumentum proximum, quod recipit immediatè, ſi eſt ſpirituale; hoc autem inſtrumentum eſt accidens: ergo ſubſtantia animæ eſſentialiter reſpicit tanquam potentia paſſiua actum accidentalem: ergo aliqua potentia & actus ſunt in diuerſo genere. §. 12.

Tertium fundamentum eſt, quia diuerſi actus ſunt diuerſarum rerum: ſed operationes vitales ſunt diuerſi actus: ergo ſunt diuerſarum rerum. Confirmatur primò, quia potentiæ ſpeciem ſumunt & diſtinctionem ab obiectis, ſed obiecta ſunt diuerſa: ergo & potentiæ. Confirmatur ſecundò, nulla ſubſtantia creata eſt ſua operatio: ergo nec ſua potentia operatiua. §. 13.

§.14. Nego maiorem, tum quia potentiæ ipſæ vitales ſunt multi actus primi,& tamen ſunt eiuſdem animi:tum quia ſimplex apprehenſio & iudicium ſunt etiam multi actus, & ſunt eiuſdem intellectus:item lux, & calor ſunt effectus vnius lucis.

§.15. Ad primam confirmationem, oſtendam diſputatione 5. intellectum & voluntatem tendere in idem obiectum, ſicut etiam ſenſus communis & quinque externi.Potentiæ ergo realiter diſtinguuntur per obiecta, quando actus vnius non attingunt obiectum alterius: at verò & potentiæ diuerſæ poſſunt attingere obiectum idem, & eadem potentia obiecta diuerſa. Ad ſecundam: nego conſequentiam:tum quia nulla anima eſt productio ſuarum potentiarum, & tamen eſt productiua earumdem, etiam in ſententia S. Thom. tum quia identificari cum operatione eſt maxima actualitas non conueniens creaturis: at ratio potentiæ multum habet potentialitatis in creaturis, quod cernitur in ipſis potentiis: quæ ſunt idem ſecum ipſis, ſecus cum ſuis actionibus.

§.16. Quartum fundamentum ex potentiis ſenſitiuis, quæ ſunt diſtinctæ, quia ſunt in diuerſis corporis partibus. Verùm potentiæ materiales realiter diſtinguuntur ab anima, quia includunt etiam corpus, vt oſtendam ſectione 4. Et quidem P.Toletus lib.2.de anima,cap.4.quæſt.9.concluſ.1.defendens S.Thom.ſententiam, has rationes inſequitur vt inefficaces: ſed, quas ipſe adducit, haud ſunt efficaciores. Mitto illam de ſubſtantia non operatiua immediatè, quam impugnaui diſp.9. Phyſ.ſect 3.

SECTIO II.

Anima immediatè concurrit ad actus.

§.17. DIco primò. *Anima rationalis immediatè concurrit in genere cauſæ materialis, ad actus intelligendi, & amandi.* In hanc ſententiam conſpirant omnes, qui negant diſtinctionem potentiarum ab anima ſectione 4. referendi, & plurimi eorum qui talem diſtinctionem admittunt, vt Pater Suarez, 1.metaphyſicæ,diſputatione 18. ſectione 5.num.2. P.Vazquez in 1.2.diſputat.9.num.27.& 28.eſtque noſtris communiſſima ſententia. Probatur primò, quia anima rationalis eſt vera cauſa actiua & paſſiua actuum intelligendi,& amandi: ergo illos agit, & patitur immediatè: antecedens à nullo poteſt negari: conſequentia patet ex diſput. 8. phyſicorum ſect.4.

§.18. Secundò probatur, intellectio debet recipi in id principium, quod immediatè vult: ſed vt patet ex §. 1. intellectio non eſt in voluntate, ſi hæ potentiæ realiter diſtinguantur: ergo eſt immediatè in anima. Probo maiorem, quia intellectio mouet principium volendi ad amorem, ſed hæc motio neceſſario fit per immediatam vnionem intellectionis cum tali principio: ergo intellectio immediatè vnitur principio volenti: probatur minor, quia intellectio mouet voluntatem per ſeipſam formaliter: ſed hic motus neceſſario fit per immediatam vnionem intellectionis cum principio volente: ergo intellectio immediatè vnitur principio volenti. Probatur minor, quia mouere formaliter eſt vniri, quia eſt mouere per ſuam entitatem immediatè,ſicut efficere formaliter album, eſt immediate vniri albedinem ſubiecto. Confirmatur, anima mouetur per actualem repræſentationem obiecti, ſed cognitio (quæ eſt actualis repræſentatio) non præſentat obiectum; niſi illi potentiæ cui vnitur immediatè: ergo illa potentia mouetur immediatè per actualem repræſentationem, cui immediate fit præſens obiectum.

§.19. Dices intellectionem eſſe perceptionem obiecti, & per illam voluntatem moueri: non quod ipſa voluntas percipiat obiectum, ſed quia amat quod percepit intellectus, quod prouenit ex radicatione potentiarum in eodem ſubiecto: ſicut manus ad imperium voluntatis mouetur. Contra, quia voluntas per ſolam cognitionem intellectus non magis percipit obiectum, quam ſi intellectus non intelligeret: ergo niſi illi vniatur intellectio, per illam non poterit moueri. Conſequentia liquet, quia voluntas ſine cognitione in intellectu non poteſt moueri. Antecedens probatur,quia per te cognitio ſoli vnitur intellectui, ergo illa cognitio non repræſentat obiectum voluntati, magis, quam ſi non exiſteret: patet conſequentia, quia cognitio tantum repræſentat obiectum illi cui vnitur, ſicut albedo tantum denominat album ſubiectum, cui ineſt, quo ergo modo illa cognitio obiectum voluntati proponit?

§.20. Explico: in eadem ſubſtantia radicantur multa accidentia; quorum aliqua accipiunt denominationem ab aliis, quin ea denominatio tribuatur aliis accidentibus magis quam ſi non eſſent: e. g. quantitas eſt in loco per *vbi* diſtinctum ab *vbi* qualitatum; quod qualitatibus non tribuit eſſe in loco magis quàm ſi non eſſet. Item productione quantitatis non producitur albedo. Ratio à priori;quia illa effectuum formalium communicatio non præſtatur niſi per vnionem inter formam denominantem & ſubiectum denominatum. Sed non eſt vnio inter potentiam voluntatis & cognitionem (ſi potentiæ diſtinguuntur) ergo non magis illi communicat ſuum formalem effectum quam ſi non eſſet.

§.21. Confirmatur: voluntas libere fertur in obiectum creatum, ita vt poſſit in actionem prodire, vel illam cohibere: quod prouenit, quia obiectum illi propoſitum non habet infinitam bonitatem: ergo ipſa voluntas cernit rationem boni, aut mali. Patet conſequentia quia ipſa voluntas liberè vnum obiectum præfert alij, & idem obiectum iam vult, iámque recuſat. Quod fieri non poteſt niſi eadem voluntas cognoſceret vtrumque obiectum. Vbi aduerte; intellectum non eligere vnum præ alio, quia electio eſt formaliter actus voluntatis: ſed ipſa voluntas quæ allicitur bonitate obiecti: quod fieri non poſſet niſi ipſa videret talem bonitatem, nam quod intellectus illam videat: quid eius refert? Exemplum verò de manu non eſt ad rem, nam potentia loco motiua mouetur per naturalem ſympathiam per ſolum extrinſecum imperium voluntatis: ſicut baculus mouetur manu ſine cognitione boni aut mali: at verò voluntas non ita, ſed mouetur bonitate ipſius obiecti: præferendo vnum alij, quod facere non poteſt niſi vtrumque cognoſcat.

§.22. Confirmatur;motus per naturalem ſympathiam eſt indeliberatus; nec habet aliquid de arbitrario; at voluntas arbitrariè mouetur per cognitionem; ergo non per naturalem ſympathiam. Maior probatur; tum in oſcitante ſolum,quia oſcitatur alius: tum quando mouetur manus ſiniſtra ſolum, quia dextram mouemus: tum tertiò, quando mouetur potentia exterior ad imperium appetitus.

§.23. Argumentor tertiò, quia ex eo quod plures potentiæ ſint in eodem ſubiecto, non efficitur vt actus vnius alij præſentet obiectum: cuius rei ratio eſt,quia dum actus non vnitur alicui potentiæ,non communicat illi ſuum formalem effectum, atque

ita

ita licet tactus ſit toto corpore fuſus, non percipit obiectum viſus, ergo ſimiliter licet intellectus, & voluntas ſint in eadem anima,non propterea actus intellectus voluntati præſentabunt obiecta, niſi illi vniantur.

§.24. Dices primò, duas potentias cognoſcitiuas non ſubordinari, & vnam non pendere ab alia; at verò voluntatem ſubordinari intellectui,ab illóque pendere. Contra primò, quia hoc probat meum intentum: nam ex eo quod idemmet principium recipiat actus intelligendi, & amandi, fit vt amor ex intellectione ſequatur,& ab illa pendeat, tanquam à formali obiecti repræſentatione, quæ dependentia explicari non poteſt in Thomiſtarum ſententia: quia actus ſoli intellectui vnitus, non repræſentat obiectum voluntati. Contra ſecundò, quia potentiæ ſenſitiuæ etiam ſubordinantur: ſenſus enim communis non poteſt operari niſi per ſpeciem illi inhærentem,à ſenſu externo receptam;ergo ſicut hæc dependentia non exercetur, quin ſenſus dependens immutetur per ſpeciem & illius vnionem, ita nec voluntas exercebit ſuam dependentiam ab intellectu, quin immutetur per intellectionem, & illius vnionem.

§.25. Vnde retorqueo argumentum;quia ſenſus communis, licet dependeat ab externo,non poteſt operari per qualitatem inhærentem ſoli ſenſui externo: ergo neque voluntas poteſt operari per qualitatem ſoli intellectui inhærentem. Immo ſubordinatio ſenſus communis ab externo oritur ex immutatione interioris per aliquid acceptum ab externo vt principium ad exercitium interni: ergo voluntas ideo ſubordinatur intellectui: quia phyſicè immutatur per aliquid acceptum ab intellectu vt principium amandi,quod non poteſt eſſe niſi intellectio. Ergo hæc vnione ſui immutat intrinſecè voluntatem, illique vnitur.

§.26. Dices ſecundò, licet voluntas non cognoſcat, poſſe tamen moueri, quia principale quod mouetur,eſt anima; quæ cognoſcit obiectum per potentiam à voluntate diſtinctam. Contra primò, quia conſtat ex diſput.8. Phyſ.ſect.4. animum non magis intelligere per actum inhærentem ſoli intellectui, quàm ſi animus non exiſteret,quod etiam inferius conſtabit. Contra ſecundò, quia potentiæ vitales per te non mouentur aliquo motu immediatè orto à ſubſtantia, ſed potius ſubſtantia mouetur per motus, quos ipſæ potentiæ exercent: ſed anima non poteſt velle, niſi quod voluntas vult, vt *quo*: at verò voluntas non poteſt velle, niſi in ſe habeat cognitionem, ergo anima non poteſt mouere voluntatem, niſi voluntas habeat cognitionem.

§.27. Non prætermittam petitionem principij huius reſponſionis, & circulum, quem committit. Ecce petitionem principij: quia in ſententia quam impugno, idem eſt formaliter voluntatem moueri, vt *quo*, & animum moueri vt *quod*: cum igitur ego impugno motum voluntatis vt *quo*, tu recurris ad motum animi,vt *quod*; cúmque hi motus ſint idem formaliter, mihi reſpondes concluſione, quam impugno, & (vt eſt in prouerbio,) *reſpondes idem per idem*. Circulum autem aduerte, quando impugno ſententiam negantem animæ immediatum concurſum in actus vitales, quia anima verè non moueretur: reſpondes animam moueri vt *quod* per actus ſuarum potentiarum; quando verò impugno ſententiam adfirmantem poſſe vnam potentiam moueri per actus alterius,recurris ad motum ipſius animæ, vt *quod*; itaque motum vt *quod* animæ defendis per motum vt *quo* potentiarum, hunc autem defendis per motum vt *quod* animæ.

§.28. Quod confirmatur: de potentia abſoluta poſſunt potentiæ vitales conſeruari in corpore anima annihilata; in tali caſu illæ operarentur vitaliter, ſicut modo: ponamus enim ſimul conſeruari ſenſus internos, & externos:tunc externi operarentur, quia haberent ſufficientem virtutem actiuam,& illis applicaretur obiectum, & ſpecies acceptas ab his ſenſibus Deus poſſet traiicere in ſenſum communem; quo operante ſtatim intellectus agens acciperet ſpecies ſpirituales, per quas intellectui repræſentaret obiectum, illúdque voluntas appeteret. In his omnibus nullam reperiri repugnantiam in ſententia, quam impugnamus, inde patet, quia anima tantum requiritur vt ſubiectum conſeruans potentias accidétales:quod genus cauſalitatis poſſe à Deo ſuppleri in genere cauſæ efficientis Euchariſtia teſtatur: at verò tales potentiæ ſic exiſtentes cur non poterunt operari,cum habeant totam virtutem actiuam? nam ab anima non accipiunt niſi eſſe,quod retinent in tali caſu: vt patet in accidentibus Euchariſtiæ: quæ ibi eamdem exercent cauſalitatem, quam in ſubſtantia panis, & vini.

§.29. Tunc ſic,in eo caſu voluntas non poſſet moueri niſi ipſa perciperet rationem obiecti, ergo neque modo poteſt moueri, quia ab anima modo tantum habet in genere cauſæ materialis, & efficientis dependentiam, à qua dependentia non habet percipere obiectum, quia hic eſt effectus formalis ipſius cognitionis, non verò dependentiæ potentiarum ab anima. Immo animam modo neque amare neque intelligere propriè ex hoc caſu probatur, quia facta illa ſeparatione, potentiæ verè intelligerent, & amarent: & animus tunc neque amaret, neque intelligeret, quia tunc non exiſteret, ergo neque modo,quia modo non vnitur intellectioni,& amori,ſed tantum potentiæ intelligenti, & amanti:quæ vnio non poteſt denominare animam amantem, aut intelligentem,quia illa vnio poteſt produci, & corrumpi conſeruatis intellectione & amore,& eadem vnione permanente intellectus operatur,& ab operatione ceſſat.

§.30. Vnde argumentor vlterius, quia in caſu poſito. §.28. voluntas liberè operaretur,rogo ſi illa operatio eſt peccatum,quis peccat per illam?Non anima, quæ tunc non exiſtit, neque voluntas,quia hæc ſola cum accidens ſit, non poteſt peccare, alioquin facta ea ſeparatione Deum offenderet, neque credibile videtur peccatum vllo modo poſſe inter accidentia ſola verſari. Quod ſi dicas hos caſus repugnare: ſic arguo. Repugnantia non oritur ex eo quod potentiæ tunc non poſſent operari: & tota cauſalitas actuum verſaretur propriè,ab accidentalibus potentiis: ſed aliunde. Quare per locum intrinſecum argumentor: in eo caſu ſola accidentia operarentur, & non ſubſtantia: vt nunc in Euchariſtia contingit: ergo nunc nec anima propriè intelligit, nec amat. Patet conſequentia: quia nunc non habet niſi vnionem ad potentias: quæ vnio nec eſt ratio intelligendi,nec amandi. Recognoſce diſputationem 9. Phyſic.§.144.

§.31. Atque hinc arguo, quia gratia habitualis (vt ex Theologia ſuppono) immediatè recipitur in animam rationalem, ergo & peccatum in eamdem recipitur: at peccatum eſt actus voluntatis phyſicè vel moraliter manens, ergo actus voluntatis immediatè recipitur in animam. Prima conſequentia patet, quia contraria ſunt in eodem ſubiecto, à quo ſe mutuò deturbant: ſecunda verò probatur, quia actus voluntatis, quando phyſicè manet, denominat ſubiectum peccans phyſicè, & obiectum

inimicitiæ Dei: expellítque ſe ipſo gratiam, quæ eſt obiectum amicitiæ Dei: ergo peccatum actuale & gratia ſunt in eodem ſubiecto.

§.32. Dices, gratiam recipi in animam, quia eſt pulchritudo totius animæ, & peccatum, licet in ſolam voluntatem recipiatur, inficere totam animam, & denominare peccatricem, quod ſufficit vt dicatur eſſe in eodem ſubiecto. Contra, quia ſi peccatum exiſtens in ſola voluntate totam inficit animam, ergo gratia in eadem voluntate exiſtens totam animam decoraret; cur igitur gratia ponitur in anima ad illam ex ornandum, & non in voluntate, in quam per te recipitur peccatum à quo gratia mundamur?

§.33. Confirmatur, ponamus animam peccatricem ſeparari à ſuis potentiis, tunc rogo vbi remanebit peccatum? Non in anima, quia non eſt vnita potentiæ, per quam peccauit: ergo erit in ipſa voluntate, ergo iam accidens denominabitur peccans.

§.34. Atqui vt preſſius vrgeamus opinionem hanc, ſupponamus ſeparata anima à potentiis voluntatem eligere actum vitioſum, tunc certum eſt animam ſeparatam non peccare, quia ſeparata exiſtens nihil magis efficit, quàm ſi eſſet annihilata: neque in illo ſtatu fuit in eius poteſtate actionem cohibere, aut imperare. Quod ſi anima ſeparata eſſet in gratia, cur eam amitteret in eo ſtatu? An quia eius potentiæ peccauerunt? ergo ſimiliter ſi eſſet annihilata, eſſet digna ſupplicio; ergo anima ſeparata à ſuis potentiis non peccaret: tunc ſic, reuniatur anima potentiis, ſic prauè operantibus, rogo vtrum anima vocaretur peccatrix, & amitteret gratiam, quam habebat ſeparata? ſi non amitteret, ergo peccatum, & gratia eſſent ſimul in eodem ſubiecto: ſi verò dicas animam amiſſuram gratiam, ergo iam anima ſine libertate ſua amitteret gratiam, & haberet peccatum, quia illud peccatum abſente anima commiſſum eſt, circa quod nullam ipſa potuit libertatem exercere, neque verò vnio ad potentias in illius vnquam fuit poteſtate. Saltem per impoſſibile admiſſo caſu: anima ſeparata eſſet in gratia: & voluntas eſſet cum peccato: ergo & modò poſſunt eſſe: quia vnio eſſentiæ cum potentiis non eſt ratio peccandi; magis quàm ſi potentiis ſeparatis & peccantibus anima reuniretur. Ergo ex conceptu peccati in voluntate; & vnionis voluntatis cum anima non expellitur gratia per peccatum voluntatis. Licet argumentari per locum intrinſecum ex caſu impoſſibili, vt in materia de Trinitate: vt deducatur conceptus formalis rerum.

§.35. Dico ſecundò. *Anima immediatè concurrit in genere cauſæ efficientis ad intellectionem, & amorem.* Probatur ex dictis pro prima concluſione. Confirmatur, quia anima per actus intellectus verè mouetur ad eliciendos actus voluntatis, ergo etiam elicit actus intellectus: conſequentia patet, ab æquitate rationis: probatur antecedens, quia ea de cauſa conſtituimus vnum principium, quod intelligat, & quod amet: hoc autem eſſe animam, & non potentiam aliquam accidentalem contra Durandum ſectio.4. probabo.

§.36. Duo aduerte, intellectionem à ſola anima, & ſuis potentiis pendere: non verò ab vtraque parte compoſiti, tota ergo ratio intellectionis, & amoris eſt in anima. Alterum, ſenſionem ab anima pendere efficienter, & paſſiuè à materia, vnde totum compoſitum ſentit, & mouetur ad appetitum, quod diſput.6. conſtabit apertius.

SECTIO III.

Vtrum anima immediatè efficiat, & recipiat actus materiales vitales?

Ex dictis ſect. 1. conſtat, neceſſariò eſſe idem principium, quod intelligit, & quod amat: vnde infertur apertè, debere eſſe idem indiuiſibiliter principium, quod appetit, & quod ſentit, applicando primum, & ſecundum argumentum ex §.17. & 18. §.37.

Qui dicunt actum vitalem conſiſtere in ſola qualitate, neceſſariò affirmabunt, ſenſionem recipi in animum rationalem, quia vel totum compoſitum, vel animus mouetur ad appetendum, ergo idem debet percipere obiectum: ſed illud non poteſt percipere ratione materiæ ſolius, quia materia non eſt principium ſentiendi vt *quo*, ergo illud debet percipere per animum: ſed animus non poteſt percipere, vt *quo*, niſi vniatur ſenſioni: non poteſt autem ſenſio vniri animo, quin ab illo pendeat materialiter, ergo in ea ſententia ſenſio immediatè pendet ab anima. §.38.

Qui verò aiunt ſenſus materiales eſſe qualitates, & actiones vitales ab illis ſolum oriri, tenentur fateri potentias materiales animo ineſſe, quia ab illis potentiis animus denominatur cognoſcens, & appetens, ſed hoc fieri non poſſet niſi ſenſio, & appetitio animo vnirentur mediis potentiis: ergo: probatur minor, nam licet ad denominandum aliquod principium agens remotè, non ſit neceſſaria immediata vnio inter cauſam immediatam, & remotam, vt indicaui diſput.10.Phyſ.ſect.1.tamen ad denominandum cognoſcens & appetens requiritur talis vnio, quia hæc eſt intrinſeca denominatio. §.39.

Dico primò. *Neque ſenſus materiales poſſunt adæquatè ineſſe animo rationali*; quia ſenſio, & ſenſus materiales dependet in ſuo eſſe à materia, magis quàm potentia, & actus ſpirituales; ſed actus ſpirituales dependent à materia indirectè, quia non poſſunt exerceri ſine miniſterio phantaſiæ: ergo actus materiales dependebunt in genere cauſæ materialis; ſin aſſigna, quo alio modo dependeant à materia. §.40.

Secundò, quia ſenſio eſt omnino materialis: ergo dependet à materia, tanquam à ſubiecto: conſequentia patet, quia omnis res materialis dependet à materia, tanquam à primo ſubiecto, & radice. Quod ita confirmo: quia ſi ſenſio, & ſenſus tantum dependent ab anima in genere cauſæ materialis, & efficientis: ergo anima, cum ſeparatur à corpore, fert ſecum ſenſus, atque ſenſiones ſicut fert intellectum, & intellectionem. Confirmatur, quia non habet ſenſio vnde ſit materialis, niſi recipiatur in materiam: nam animus rationalis eſt omnino ſpiritualis, ob cuius receptionem nullam extenſionem, aut materialitatem accipit ſenſio: neque item ab obiecto. Nam circa colorem exercetur actus ſpiritualis; neque etiam ab ſpecie impreſſa materiali, nam ab actu phantaſiæ determinatur intellectus ad efficiendam ſpeciem impreſſam ſpiritualem; ſimiliter etiam determinaretur ſenſus per ſpeciem materialem, immo verò ex hac dependentia ſenſionis à materia mediis ſpeciebus, & organis apertè colligitur ſenſionem directè, & per ſe à materia pendere. Vel ſaltem ſpeciem concurrere ad actum ſpiritualem vna cum potentia ſpirituali.

Dico ſecundò: *Authores earum opinionum, quas adduxi, §.37. non poſſunt conſtituere potentias, aut ſenſiones in materia prima, tanquam in ſubiecto*; quia per illos, ſenſio vnita animo per ſe, vel per ſenſus illum §.41.

illum reddit ſentientem: ergo etiam reddit materiam ſentientem, quia ex natura ſua illi vnitur ſenſio, ſicut animæ. Dices materiam primam non eſſe capacem effectus formalis ſentiendi. Contra, iam oſtendi diſputatione 6. Phyſic. ſectione 4. nullam formam naturaliter ineſſe poſſe ſubiecto, cui repugnet effectus formalis illius: nam ſubiectum, quod natura ſua eſt capax formæ, ordinatur ex natura ſua ad effectum reſultantem ex ipſo & forma. Quare vel dicant ſenſionem, & ſenſum ſoli ineſſe animo rationali, vel actum vitalem non conſiſtere in ſola qualitate.

§.43. Dices; etiam mihi difficultatem eſſe communem; quia munus illius qualitatis eſt repræſentare obiectum; ſed non repræſentatur materiæ primæ: ergo. Nego communem eſſe difficultatem. Ad probationem diſtinguo maiorem; munus eſt repræſentare actiuè, nego maiorem; eſſe imaginem formalem, concedo: & diſtinguo minorem; materia non repræſentat actiuè, concedo minorem; non repræſentat vt imago, nego: quia hoc tantum eſt, materiam eſſe imaginatam, aut imagine affectam.

§.44. Dico tertiò: *Actus vitalis materialis non recipitur etiam partialiter in animum rationalem.* Hanc concluſionem tradit apertè S. Thom. q. vnica de ſpiritualibus creaturis art.4. ad 3. vbi docet in anima eſſe ſubiectiuè eas potentias tantum, quarum operatio non pendet ex corpore: at potentias materiales eſſe ſubiectiuè in organo: in anima autem in radice tantum, eadem autem eſt ratio de potentia, & operatione: quia operatio eſt vbi eſt potentia tantum. Et ſecundo contra gent. cap.72. ait; formas per accidens habere partes à quantitate, quia diuiduntur ad diuiſionem ſubiecti habentis quantitatem. Vnde quantitatem ponit in ſola materia & vniuerſim negat Sanct. Thom. rem corpoream recipi in ſubiecto incorporeo. Video à Sanct. Thom. 1. part. quæſt 77. art.5. vehementer inſinuari potentias vitales materiales recipi etiam in anima, ait enim eas recipi in toto coniuncto, & non in anima ſola, quæ teſtimonia mutuò pugnant, atque repugnant. Niſi dicam eo art.5. voluiſſe oſtendere S. Thom. diſcrimen potentiarum ſpiritualium quæ non recipiuntur, vt recipiuntur ſenſus: non verò ibi diſquiſiſſe vtrum etiam recipiantur in animam? Nonnulli in Phyſicis probant contra Thomiſtas nullum accidens materiale poſſe recipi in ſubiectum ſpirituale, obliti actuum vitalium: poſtea verò conſtituentes ſenſionem in ſola qualitate materiali, illam vniuerunt eidem animo.

§.45. Probatur autem concluſio: quia ſenſio habet aliquos effectus formales, quos non poteſt communicare rei ſpirituali: ergo non poteſt illi vniri. Probatur antecedens, quia ſenſio habet aliquam extenſionem, quia eſt res materialis à qua non minus animus diceretur extenſus, quàm dicitur ſentiens, ſicut corpus dicitur extenſum extenſione quantitatis, ſed res ſpiritualis non poteſt denominari extenſa propter partium negationem, ergo ſenſio habet aliquem effectum formalem incommunicabilem animo. Confirmatur, ſi ſenſio recipiatur in animum, ergo animus eſt tota ratio ſentiendi vt *quo*, quia ipſe agit, & recipit actum vitalem: ergo animus ſolus phyſicè torquetur actu materiali, & ſolus ſentit oblectationem: quod eſſe contra Auguſtinum probabo diſp. 6. quin præ ſe fert abſurditatem compoſitum torqueri ratione animi, & non ratione corporis, ſicut idem compoſitum diſcurrit ratione ſolius animi.

Secundò argumentor, quia ſenſio recipitur in materiam primam, ergo non in animam. Patet conſequentia, quia materia prima eſt cauſa adæquata, ergo cum illa non concurrit alia in eodem genere: conſequenta patet ex dictis diſp. 9. Phyſi. ſect. 5. Probatur antecedens: quia ſi materia eſt ſubiectum adæquatum formæ equinæ, quid ni & ſenſionis equinæ? Vide diſp.6. Phyſi.ſect.6. §.46.

Dices ad ſenſionem requiri concurſum materialem animæ, vt ipſa reddatur ſentiens & ad appetendum excitetur. Contra primò, quia etiam materia prima ſentiret. Contra ſecundò, quia diſp. 6. probabo animam non ſentire, ſed totum animal ratione vtriuſque partis. Quapropter cum ſenſio conſiſtat in actione, paſſione, & qualitate, totum animal ſentit, agendo per animam, & qualitatem patiendo per materiam. Quare ad hoc non requiritur concurſus materialis animi in ſenſionem, requiritur autem vt eadem pars, in qua reſidet appetitus, habeat etiam ſenſum, vt per illum moueatur ad appetitum, ſicut diximus in anima idem eſſe principium volitiuum, & intellectiuum. Vnde fit non eſſe neceſſarium conſtituere ſenſionem, aut ſenſum in anima, vt volebant authores adducti §.37. & 38. §.47.

Vrges; principium cognoſcens conſtituitur etiam appetens; quia opus eſt vt idem principium excitetur ad efficiendam appetitionem & cognitionem: ſed excitari non poteſt niſi percipiat rationem obiecti: ergo anima debet percipere bonitatem obiecti ſenſilis. quod fieri nequit niſi recipiatur in anima ſenſio. Reſpódeo idem eſſe principium actiuum & paſſiuum cognitionis, & appetitionis: quia idem quod cognoſcit amat. Ita conſtituo in eadẽ parte indiuiſibiliter ſumpta ſenſionem & appetitionem: nec conſtituo ſenſionem in vna, & appetitionem in alia. Ac propterea idem ſenſus eſt etiam appetitus. Vt autem ſenſus per animam ibi inſidentem agat, non eſt opus vt anima ipſa ſentiat: ſed ſufficit ſenſum ipſum ſentire; quia includit animam agentem, & materiam patientem. vnde ſenſu percipiente obiectum ſenſile; anima; quæ eſt eius pars, excitatur ad agendum: quia totus ſenſus cognoſcit, & excitatur ad agendum per partem agentem, & ad recipiendum per patientem. §.48.

Tertiò ſic argumentor, nulla res ſpiritualis recipitur in materiam, ergo nec res vlla materialis recipitur in animum ſpiritualem: patet conſequentia: quia tantam improportionem dicit ſpiritus ad materiam quantam ad ſpiritum materia: item, *omne, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur.* Adde vnamquamque rem habere propria accidentia ſui generis, quibus perficiatur. §.49.

Dices primò, eo præciſè quod res aliqua dependeat à materia eſſe materialem, non verò è contra eo quod recipiatur in ſpiritum eſſe ſpiritualem: quia cum ſimul recipiatur in materiam, ſequitur debiliorem ipſius partem, vt concluſioni contingit, & ſubſtantiæ quando vnitur accidenti; cuius vnio eſt accidentalis. Contra, quia quando congrediuntur duæ cauſæ, effectus ſequitur partem principaliorem, vt ex ſpecie impreſſa & potentia vitali ſequitur effectus nobilior ſpecie impreſſa, & ex potentia vitali & habitu ſupernaturali oritur actus ſupernaturalis: ergo ſi congrediantur cauſa ſpiritualis, & materialis ad recipiendum eumdem effectum, effectus euadet ſpiritualis: non eſt ergo cur magis accidens materiale dependeat à materia, & ſpiritu, quàm accidens ſpirituale. §.50.

Quod adfertur de concluſione claudicante in §.51.

 præmiſſam

præmiſſam debiliorem, multos decipit, cum ſit omnino abs re. Nam concluſio eſt idem realiter cum vtraque præmiſſa, & vnitas extremorum inter ſe, eſt realiter idem cum vnitate eorumdem cum medio. Vnde in concluſione illa vnitas non poteſt eſſe certior, quam in præmiſſis, quia eſt eadem. At in cauſis phyſicis eſt diuerſum, quia cum effectus ſit diſtinctus realiter à cauſis, influit vnaquæque, ſupplente perfectiore imperfectioris mendicitatem. Vt habitus ſupernaturalis dat ſupernaturalitatem, quam dare ſola potentia non poterat.

§. 52. Dices ſecundò, rem ſuperioris ordinis poſſe quaſi humiliari ad cauſandum rem ordinis inferioris: inferiorem autem non poſſe erigi ad cauſandam ſuperiorem. Contra, materia prima eſt capax animi rationalis, & cauſat materialiter alias formas viuentes; cur non erigetur ad cauſandum accidens ſpirituale? præſertim vnionem ſpiritualem, quæ eſſentialiter eſt modus illius. Neque verò eſt aptior ſecunda inſtantia de vnione accidentali, nã quidquid non ſpectat ad primũ conceptum rei, eſt accidens. Cum igitur vnio ſubſtantiæ ad accidens, ſpectet ad conceptum ſecundarium, neceſſariò eſt accidentalis.

§. 53. Quidam, cum mecum ſentiant de concurſu animæ in actus rationales, diſſentiunt in ſenſitiuos: mouentur enim eo argumento, quo §. 28. oſtendi potentias ab animo abiunctas poſſe peccare, quod meritò cenſent abſurdum: quod non arbitrantur in potentiis ſenſitiuis, quia cum non operentur liberè; quid refert eas ſeparatas operari? Hos authores non poſſum non mirari: primum mihi videntur ſuam deſerere conſequentiam; cenſent enim calorem ab igne corrupto, relictum, concurrere ad generationem alterius ignis ita, vt per eum calorem corruptus ignis tam verè generet ignem, quam ſi non eſſet corruptus: quia calor eſt natura ſua illius ignis inſtrumentum: ergo ſimiliter animus ſeparatus à potentiis, verè per potentias peccaret: quia ſunt illius potentiæ: ergo ſicut ignis generatur ab igne corrupto, ita Deus verè offenderetur ab eo animo, & ſic inimicitia eſſet nõ inter potentias, & Deum, ſed inter Deum & animam annihilatam. Nec apparet diſcrimen.

§. 54. Secundò, ſi eſt abſurdum à potentia voluntatis produci appetitionem liberam, etiam erit abſurdum produci appetitiones neceſſarias: nam omnes iſtæ actiones vitales æqualiter aſpiciunt ſubſtantialem vitam. Demus à Deo conſeruari in cane potentias anima corrupta, ſimiliter, & in eius catulo: in horum ſententia illæ potentiæ ſe diligerent, & potentiæ catuli admouerent os mammis ſugendis, quas etiam conarentur præbere potentiæ exiſtentes in corpore canis: & tota vita ſenſitiua acta inter ſola accidentia, quod non minus abſonat, quàm rationalis. Solúmque differt quod rationalis propter potentiarum nobilitatem ageretur liberè. Hoc autem genus operandi non tam abſonat in inanimatis, nam ignem produci à ſolo calore, non affert incommoda, quæ afferrent amicitiæ, & inimicitiæ exercitæ inter ſola accidentia; quod genus operandi magis exigit ſubſtantiæ exiſtentiam, quàm productio ignis à calore.

SECTIO IV.

Vtrum potentiæ vitales realiter diſtinguantur ab animo?

§. 55. Sanctus Thom. 1. part. q. 77. artic. 1. & alibi adductus. §. 2. eas apertè diſtinguit, tenentúrque eas diſtinguere quotquot arbitrantur ſubſtantiam non eſſe immediatè operatiuam. Alij verò admittunt ſubſtantiam immediatè operari, & animum immediatè influere in actus vitales; diſtinguunt tamen potentias ab anima (vt dicunt) propter authoritatem S. Thom. Sed certè non video quo pacto hac in parte S. Thomam obſeruent cuius concluſionem ſequuntur, eiuſdem probationem impugnantes. S. enim Thom. ea ratione potentias diſtinguit, quia cenſet nullam ſubſtantiam creatam poſſe immediatè operari: iſti cenſent ſubſtantiam operari immediatè, & ſe reconciliare volunt S. Thomæ, cum illis aperto Marte pugnanti.

Secundum fundamentum eſt, quia ſubſtantiæ operantur mediis inſtrumentis accidentalibus, vt patebit diſcurrenti per quatuor vulgata elementa: ergo ita anima operabitur. Quam inductionem elegantem cenſet eſſe Pater Suarez, nulláque alia ratione probari ſententiam S. Thomæ. Reſpondeo tamen primò ad hominem ex ipſo P. Suarez diſp. 18. metaphyſicæ ſect. 5. num. 2. conſtituente diſcrimen inter vitales, & tranſeuntes actiones: ad primas opinatur requiri immediatum concurſum ſubſtantiæ: ad ſecundas verò minimè: ita etiam reſpondeo non requiri potentias accidentales diſtinctas ab anima ad actiones vitales: quia idem principium debet amare, & intelligere: quo poſito non requiritur aliud inſtrumentum ex parte potentiæ: actiones verò tranſeuntes non exigunt hunc modum productionis: quæ reſponſio, & ad hominem, & ſimpliciter ſatisfacit argumento. §. 56.

Tertio argumentantur, quia animus eſt indifferens ad amandum, & volendum: ergo indiget aliquo determinatiuo accidentali: ergo indiget potentiis. Conceſſa prima conſequentia, nego ſecundam: nam indifferentia animi tollitur per ſpecies impreſſam, & expreſſam. Nam poſito animo cum potentiis adhuc eſt indifferens ad plures actus: ipſæque potentiæ ſunt tam indifferentes, quàm ſolus animus. Determinatur autem intellectus per ſpeciem impreſſam ſpiritualem repræſentantem obiectum, & ad diuerſa obiecta determinatur per diuerſas ſpecies, item ad iudicium determinatur per apprehenſionem, & per iudicium ad diſcurſum, voluntas autem determinatur per ſpeciem expreſſam, id eſt, per cognitionem intellectus; ſicut ergo hæ ſpecies ſufficiunt ad determinandas potentias, ita ſufficient ad determinandum ipſum animum ſine potentiis. §. 57.

Obiicies, iam à nobis admitti potentias accidentales: quia admittimus qualitates, quibus anima determinatur ad intelligendum. Reſpondeo, latum eſſe diſcrimen. S. enim Thomas conſtituit duo accidentia; alterum eſt vna ſimplex qualitas concurrens ad omnem intellectionem; alterum ſunt multæ qualitates determinantes intellectum ad certa obiecta. ego è medio tollo primam illam qualitatem; & admitto has vltimas; quæ ſimul cum anima faciant quod in oppoſita ſententia faciunt cum intellectu. Qui ſemper ſe tenet ex parte animæ: ſpecies autem ex parte obiecti. §. 58.

Quartò argumentantur; ſenſus materiales diſtinguuntur realiter tam ab anima, quàm à compoſito: ergo etiam intellectus, & voluntas. Hanc conſequentiam nonnulli negant, neſcio quo fundamento, niſi ingenij oſtentandi ergo in defendendis difficillimis opinionibus: ſi enim ſemel admittunt indigentiam ſenſuum externorum, cur non admittent & potentiarum ſpiritualium? Dicunt quia non repugnat dari ſubſtantiam, quæ per ſe ipſam operetur immediatè: quod ſi hæc non repugnat, §. 59.

repugnat, cur hæc non erit anima rationalis?Bene, cur etiam repugnabit viuens aliquod materiale, quod ſenſiones operaretur per ſe ipſum, ſine ſenſibus accidentalibus? at ſi quod poteſt eſſe, maximè homo, qui eſt viuentium nobiliſſimum.

§.60. Dices, bruta operari per ſenſus accidentales, quia operari immediatè eſt magna perfectio illis repugnans.Contra primò: quia non eſt tanta perfectio, quæ non poſſit in bruta cadere. Secundò, eſto illis repugnet; cur homini repugnabit illis nobiliori? Tertiò poſſes dicere, Angelum operari ſine potentiis, ſecus animum illo imperfectiorem. Tandem in tua ſententia plantæ operantur immediatè actiones ſubſtantiales, quid ni & anima accidentales?

§.61. Negatur igitur antecedens: ſenſus enim interni, & externi ſunt idem adæquatè cum toto compoſito ſecundum eam partem, in qua reſident: hoc enim differt intellectus à ſenſu, quod intellectus eſt vnum ſimplex principium actiuum & receptiuum intellectionis: ſenſus verò eſt principium compoſitum, includens vnam partem actiuam, (quæ eſt anima) & alteram paſſiuam (quod eſt corpus.) Hanc ſolutionem indicat noſter Valentia tom. 1. diſp. 6. quæſt. 3. puncto. 2. §. *nihilominus*. Quapropter in brutis vnus ſenſus diſtinguitur ab alio, quia pars, quæ audit, diſtinguitur à parte quæ videt. Verum eſt, tactum non diſtingui à ſenſibus externis, quia in omnibus eſt tactus: nec item appetitus diſtinguitur à ſenſu per quem mouetur. At verò omnis potentia ſenſitiua diſtinguitur à rationali: quia ſenſitiua corpus vt partem includit.

§.62. Quintò arguunt: quia Gratia recipitur in ſubſtantiam animæ: Fides in intellectum, & Charitas in voluntatem. Oſtendi diſput. 11. de iuſtificatione ſect. 6. Gratiam imitari conceptus naturæ: ac propterea eſt in ſubſtantia animæ: Fides eſt in intellectu, ideſt, in anima ad efficiendos actus intelligendi: ſub quo conceptu anima eſt intellectus. Charitas autem eſt in eadem anima ad actus amoris.

§.63. Quapropter Pat. Suarez ſupra, & Vazquez, licet aiunt potentias ab anima diſtingui, fatentur tamen ingenuè id haud facilè poſſe probari. Ego verò exiſtimo nullam potentiam vitalem eſſe accidentalem: ſed eſſe adæquatè idem, vel cum animo, ſi eſt ſpiritualis, vel cum toto compoſito ſi eſt materialis. Ita Gregor. Arim. Henricus Gandauenſis, Okamus, Gabriel Biel, & vniuerſa Nominalium ſchola, & alij apud Pat. Conimbriſ. 2. de anima, cap. 3. quæſt 4. artic. 1. quibus conſentiunt non pauci. De Angelis id docet Durandus, 2. diſtinct. 3. quæſt. 5. quam probabilem cenſet eſſe Pat. Valentia ſupra diluens rationes S. Thomæ: vbi pro noſtra ſententia adducit Beatum Iſidorum & Auguſtin. qui ait lib. de ſpiritu, & anima, cap. 2. & 8. potentias eſſe eamdem animam in diuerſis partibus exiſtentem, & in illis diuerſimodè operantem (quod intellige de potentiis materialibus:) & clarius in ſerm. de imagine (vt refert Gregorius) ait: *Anima eſt intellectus, anima eſt memoria, & anima eſt voluntas.* Quæ teſtimonia nullam admittunt interpretationem, ſed noſtram ſententiam proponunt, & exponunt iiſdem verbis, quibus ego & Nominales.

§.64. Omiſſis autem teſtimoniis ab aliis adductis, id expreſsè docet tom. 3. lib. de ſpiritu, & anima, ait enim cap. 4. *Senſus verò vnus eſt in anima, & quidem ipſa, vnde ob numerum inſtrumentorum quinque partitus, cum intus non ſit niſi vnus. Verum tamen propter varia exteriora variatur, & variè nuncupatur. Dicitur namque ſenſus, imaginatio, ratio, intellectus, intelligentia, & hæc omnia in anima nihil aliud ſunt quam ipſa. Aliæ, & aliæ proprietates inter ſe propter varia exercitia. Sed vna eſſentia rationalis, & vna anima: proprietates quidem multæ ſunt, ſed eſſentia vna: ſecundum exercitia multa ſunt. Secundum eſſentiam verò vnum ſunt in anima, & idem quod ipſa.* Auguſtinum dicere eſſe ſecundum proprietates plura, non refert, quia tantum vult munera eſſe plura, & ab illis dici ſenſus plures, non verò in ſe; vt patet ex initio huius teſtimonij. & ex cap. 13. *Secundum ſui operis officium varijs nuncupatur nominibus; dicitur namque talis anima dum vegetat, ſpiritus dum contemplatur, ſenſus dum ſentit: animus dum ſapit. Iſta tamen non differunt in ſubſtantia ſicut in nominibus, quoniam omnia iſta vna anima eſt. Proprietates quidem diuerſa: ſed eſſentia vna.* Dicit autem proprietates diuerſas propter organa, & munera externa, in quo ſenſu alibi dicit animam non eſſe idem quod ſuæ potentiæ, neque vnum ſenſum eſſe alium; vt autem euellantur explicationum fibræ, ſubiicit. *Simplex ſubſtantia eſt anima, nec aliud, nec minus eſt ratio in ſubſtantia quàm anima: nec aliud, nec minus iraſcibilitas, & concupiſcibilitas quàm anima, ſed vna, eademq́; ſubſtantia ſecundum diuerſas potentias diuerſa ſortitur vocabula, naturales ſiquidem ſunt ei, nec aliud ſunt quàm ipſa.* Clariſſimè autem ait has potentias non eſſe accidens, iis verbis: *Habet ſiquidem naturalia, & ipſa anima eſt. Potentiæ namque & vires eius, idem ſunt quod ipſa. Habet accidentalia, & ipſa non eſt, non enim eſt ſua prudentia, ſua temperantia.* Cum autem tam accuratè diſtinguat animam à facultatibus accidentariis, & dicat animam eſſe ſuas vires, & non ſuas virtutes, videamus quid intelligat per vires. *Vires* (inquit) *ſunt ſenſus, imaginatio, ratio, memoria, intellectus, intelligentia:* nec potuit clarius à nobis eſſe Auguſtinus. Prudentiam enim ait non eſſe animam, intellectum ait eſſe animam. At ſi intellectus eſt accidens vt prudentia; qua ratione anima eſt idem cum intellectu, nec magis nec minus: prudentia autem non eſt idem? Anne quia prudentia non eſt inſita; ſed acquiſita? Dices ne lucem eſſe ſolem, nec minus, nec magis, quàm illum? & non differre à ſole in ſe ſicut differt in nomine? equidem non tam eſt explicare quàm eludere & irridere.

Nihil deeſſet huic ſententiæ ſi liber ille eſſe Auguſtinianus: Non eſt tamen; eius enim author allegat Boëtium multo poſteriorem ſancto Auguſtino. Cardinalis Bellarminus ait librum eſſe doctum, & eruditum: P. Cornelius in epiſtolam ad Rom. ait eius authorem eſſe Hugonem Victorinum; cuius authoritas magni ſemper eſt facta à S. Thoma, & S. Bonauentura opuſculo de ſeptem itineribus æternitatis aliíſque doctoribus. S. tamen Auguſt. ſæpius idem aſſerit t. 9. tract. 15. in Ioan. ait de intellectu: *Non enim aliquid aliud eſt quàm anima; ſed aliquid animæ eſt intellectus: quomodo non aliquid aliud quàm caro eſt oculus, ſed aliquid carnis eſt oculus.* t. 1. lib. 10. confeſſ. cap. 14. *cum animus ſit etiam ipſa memoria.* & t. 10. ſerm. 3. de tempore recenſens diuerſa officia potentiarum ait, *& cum vnum ſint*, &c. §.65.

Ab Auguſtino eadem verba ſumpſiſſe videtur Bernardus, ſerm. 11. ſupra Cantica inquiens: *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hæc tria eamdem eſſe animam.* Quod ſi diſtinguerentur ab anima non eſſent anima, ſicut lux non eſt Sol. Nec diſſentit Scotus cum ſua ſchola. Quem adducit Pat. Valentia pro eadem ſententia: §.66.

diſtinguit

diſtinguit enim Scotus formaliter potentias ab anima,quam diſtinctionem eſſe rationis ratiocinatæ diſp.5. metaphyſi.ſect.3. ante finem probabo.

§.67. Probatur primò, quia animus immediatè concurrit in genere cauſæ efficientis, & materialis ad actus ſpirituales: ergo in eo genere cauſæ non indiget potentiis ad eos actus. Conſequentia patet ex diſput.9. Phyſi. vbi probaui quid ſit cauſa adæquata,& talem eſſe ſubſtantiam in productione alterius, quod in præſenti confirmo, quia illa eſt cauſa adæquata, cui attribuuntur omnes formalitates in effectu repertæ, ſed animæ & ſpeciei impreſſæ poſſunt attribui omnes formalitates intellectionis: ergo anima & ſpecies impreſſa ſunt cauſa adæquata intellectionis. Probatur minor, quia vitalitas tribuitur animæ, quæ modo vitali operatur. Etiam tribuitur ratio intellectionis vt ſic; quia anima ex natura ſua eſt determinata ad intelligendum, ratio verò talis intellectionis tribuitur ſpeciei impreſſæ.

§.68. Dices, vitalitatem vt ſic tantum tribui animæ: intellectui autem tribui talem vitalitatem, id eſt, differentiam intellectionis: ſpeciei autem impreſſæ adſcribi, quod intellectio ſit de hoc, aut illo obiecto. Contra, quia ſi ad id requiritur intellectus, non eſt neceſſarium vt determinet animum in genere cauſæ materialis: nam ſublata indifferentia cauſæ efficientis, ipſa anima determinatur ad recipiendum actum intellectus;quia illud principium determinatiuum efficiens determinaret animam vt in ſe operaretur: ſicut ſpecies impreſſa per te determinat intellectum. Vnde vitalitas ſoli reſpondebit animæ: ergo non indiget anima intellectu à ſe diſtincto. Patet conſequentia; intellectus eſt potentia actiua & paſſiua intellectionis: at illa qualitas non eſſet principium paſſiuum intellectionis: quia ſine eo concurſu per ſolum actiuum poſſet determinare animã ad intellectionem.

§.69. Confirmatur, anima verè, & propriè intelligit immediatè, & ipſa ſe, & voluntatem mouet ad amorem. Quorſum igitur requiritur alia potentia accidentalis, quæ verè intelligat, atque amet? Contra ſecundò, etiam poterunt eſſe tres intellectus, & voluntates duæ. Vnus ad apprehendendum, ſecundus ad iudicandum, tertius ad diſcurrendum; quibus in actu reſpondeant formalitates apprehenſionis, iudicij, & diſcurſus: ergo animæ reſpondet vitalitas; item intellectionis conceptus ſimul cum ſpecie: eam verò eſſe circa hoc obiectum oritur ex hac ſpecie. Nam *ab obiecto & potentia paritur notitia.*

§.70. Secundò ſic argumentor, anima eſt adæquatum principium ſuarum potentiarum in tua ſententia,quas efficit,& patitur,vt ex verbis S.Thom. illa quæſt.77. art.6. clarè oſtendi diſput.9. Phyſi. ſect.3.conclu.1.ergo anima adæquatè efficiet ſuos actus. Conſequentiam neſcio quo pacto poſſis negare, quia potentiæ ſunt perfectiores ſuis actibus, & ſicut anima eſt determinata ad ſuas potentias, licet ſint plures, ita eſt determinata ad actus, ſi ex parte obiecti ſint cætera neceſſaria, vt ſpecies impreſſa. Confirmatur, licet admittamus, immediatum concurſum accidentis in ſubſtantiam,non debet admitti concurſus potentiarum in actus, quia cum accidens attingat vltimam diſpoſitionem ad formam, poſſet dici attingere ipſam formam, at verò potentiæ non habent eam concurrendi rationem. Ad hæc in ſententia S.Thom. ſufficit concurſus potentiæ accidentalis, & ſpeciei impreſſæ ad intellectionem: ergo in noſtra ſententia ſufficit concurſus animæ, & eiuſdem ſpeciei ad eamdem intellectionem.Dicunt eſſe magnam perfectionem, ſubſtantiam operari ſine inſtrumentis. Rogo primò, quomodo non ſit magna perfectio animam operari ſuas potentias ſine aliis inſtrumentis? Secundò obſecro te, ne ſis de inſtrumentis ſolicitus, en tibi ſpecies impreſſas, quarum miniſterio vtitur animus.Quid igitur exigis tam multa inſtrumenta? & quidem magnum eſt diſcrimen inter noſtram ſententiam, & Ariſtotelicam, aſſerenté Angeli intellectionem eſſe eiuſdem ſubſtantiam: hoc enim eſt maxima actualitas, operari autem actus à ſe diſtinctos non dicit tantam perfectionem. Denique *Fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora.*

§.71. Dices primò à Concilio voluntatem ab appetitu ſenſitiuo diſtingui. Quid inde? nam appetitus ſenſitiuus includit corpus, (à quo eſt corporeus) quo realiter diſtinguitur à voluntate, quæ eſt ſola anima.

§.72. Dices ſecundò, voluntatem vocari potentiam cæcam: ergo voluntas non percipit obiectum. Diſtinguo conſequens: materialiter nego, formaliter concedo. Nam actus voluntatis, à quo anima denominatur voluntas formaliter, non eſt perceptio obiecti. Deinde cæca vocatur, quia cæcorum in morem à recto tramite deflectens ſuis ſe flagitiis præcipitem agit.

§.73. Durandus in primum diſt.3. quæſt.4. n.8. cum opinetur, potentias vitales Angelorum, item nutritiuas, & vegetatiuas animalium ab eorumdem ſubſtantia non eſſe diſtinctas, cenſet in anima rationali intellectum, & voluntatem non diſtingui realiter, diſtingui tamen ab anima, quia intellectus non poteſt eſſe forma corporis. Leue argumentum ad tam ſingularem opinionem:nam ſicut animus intellectiuus eſt forma corporis, ita etiam intellectus: & quamuis Durandum vrgere non poſſim primo argumento facto pro mea ſententia ſect.1. poteſt tamen cæteris argumentis vrgeri.

§.74. Rogas vtrum intellectus ſaltem ratione diſtinguatur ab anima? opinor animum non poſſe eſſentialiter concipi adæquatè, niſi ſub ratione intellectus, nam differentia eſſentialis animæ eſt eſſe rationalem, ſed non poteſt concipi vt rationalis ſine intellectu: ergo non poteſt concipi eſſentialiter adæquatè, niſi ſub ratione intellectus. Probo minorem; nam rationale formaliter dicit principium diſcurrendi, principium autem diſcurrendi eſt intellectus formaliter: ergo rationale non poteſt concipi formaliter ſine intellectu. Quapropter Durandũ non ſatis demiror, cum animus rationalis in quantum eſt rationalis; ſit corporis forma, vt alibi probaui: in omnium autem ſententia dicendum eſt eſſentiam animi conſiſtere in principio intellectiuo, ſiue proximo, ſiue remoto, ſicut etiam eſt de eiuſdem eſſentia eſſe vegetatiuum, & ſenſitiuum, quia in ea ratione conuenit cum cæteris formis viuentibus. Non eſt autem de eius eſſentia eſſe voluntatem, aut appetitum etiam in radice, quia iſte conceptus eſt ſecundarius ratione noſtra ſupponens intellectiuum gradum, de quo in metaphyſica longè, ac latè diſſeretur.

SECTIO V.

De ſpecificatiuis potentiarum.

§.75. Rem ſpecificari eſt ſuam eſſentiam habere in ordine ad aliud, vt materia in ordine ad formam, & hæc ad illam. Vnaquæque potentia ſumit ſpeciem

ſpeciem in ordine ad ſuos actus immediatè; & remotè in ordine ad obiecta. Anima rationalis ſummit ſpeciem ſuam in ordine ad vegetationem, & obiecta quinque ſenſuum, item per ordinē ad obiecta intellectus, & voluntatis. Potentia viſiua brutorum ſumit ſpeciem à lucido & colorato, guſtus verò à ſapore, tactus à quantitate affecta primis qualitatibus cum mollitie, duritie, & aſperitate, &c. Auditus verò à ſonoro, olfactus ab odore, ſenſus communis ab omnibus obiectis ſenſuum externorum, intellectus autem ab omni ente, voluntas etiam ab eodem. De quo in præſenti plura non licet diſputare, quæ decurſu diſputationum erunt explanata: nam diſp. 8. phyſic ſect. 3. oſtendi potentias reſpicere ſuos terminos in particulari, & non ſecundum rationes communes: item, quod & infra probabo, non tendere potētias in plura obiecta, in quantum ſunt vnum, cum potius obiecta habeant vnitatem ab actu intellectus.

DISPVTATIO V.

De intellectu, & eius obiecto.

PRIMA potentiarum nobilitate, & origine eſt intellectus.

SECTIO I.

De intellectu agente.

§. 1. DE intellectu agente frequens eſt ſermo S. Thom. 1. p. q. 76. art. 2. & in diſputatis, q. vnica de Anima art. 3. & 5. hic perſtringemus quæ oportet. Ac primum per intellectum agentem intelligo cum S. Thom. de ſpirit. creat. art. 6. corpore, virtutem efficientem ſpecies impreſſas ſpirituales, abſtractas à ſenſibilibus.

§. 2. Beatus Thomas, quæſt. de Anima, art. 4. & alibi eius diſcipuli, & alij conſtituunt intellectum agentem: quia opus eſt animæ eſſe virtutem ſpecierum ſpiritualium effectricem, eas abſtrahentem à phantaſmatibus. Admitto lubens intellectum agentem, & paſſibilem comparatione ſpeciei expreſſæ; quam ille agat & patiatur, quamque abſtrahat à phantaſmate; id eſt, melius & abſtractius cognoſcat obiectum, quam cognoſcitur per phantaſma. Species autem fieri ab intellectu mihi eſt difficile. Nam ſpecies pertinet ad obiectum; quod concurrit ad cognitionem vel per ſe immediatè, quando adeſt proportionatum: vel per aliquid ſubrogatum vice illius, quando ipſum per ſe non poteſt: ac propterea ſpecies vocatur vicaria obiecti. Sed hæc vicaria eſt producenda ab obiecto ipſo; vel à cauſa, ad quam ſpectat ſupplere defectus cauſarum ſecundarum: Hoc autem non ſpectat ad intellectum humanum: ergo ſpecies producuntur in anima, vel ab obiecto, vel à ſupplente huius defectum.

§. 3. Non pertinere id munus ad intellectum patet. Quia ad cauſam primam ſpectat ſupplere defectus ſecundarum: quia ad illam ſpectat connaturalis adminiſtratio vniuerſi; & eius leges ſancire: quæ paſſim infringerētur, niſi adeſſet authoris prouidentia. Cauſę autem particulares habent quidem ſuas priuatas facultates ad ſua munera: non verò facultates ſubrogatas pro aliis; ſed pro ſe. Si enim abſente igne, à quo incipit diſponi materia, Sol aut alius ignis perficiat diſpoſitionē, & generet ignem, ignis productus reſpondet cauſæ producenti: non verò igni abſenti: nec pro abſenti ſubrogatur alius: quia vterque innata ſibi virtute operatur, nec alter pro altero: ita contingeret in præſenti.

Secundò: obiectum dat cognitioni formalitatem, quæ formaliter non reſpondet potentiæ, ſed obiecto ipſi: ergo potentia, aut anima non efficiunt ſpecies. Antecedens datur ab omnibus: Conſequentiam probo: quia illa formalitas reſpondet immediatè ſpeciei impreſſæ; remotè verò, & vt *quod* principio actiuo illius ſpeciei: ergo reſponderet animo, aut intellectui agenti, ſi ab illis fieret; non verò obiecto. Quia per te obiectum nec per ſe nec per ſpeciem concurreret. Antecedens probo: quia formalitas reſpondet principio actiuo: quod vel eſt proximum & immediatum, qualis eſt ſpecies: vel eſt remotum quod agit per immediatum: hoc autem aut eſt ſubiectum, cui ineſt remotum, vt aqua & ignis calefaciunt per calorem; aut eſt illud à quo effluxit immediatum, vt Sol illuminat per lucem ab ipſo effluentem in inferiora, nec eſt aliud genus principij remoti. At ſpecies per te, nec fit ab obiecto, nec in illo eſt: ergo formalitas non reſpondet obiecto per illam; ſed animæ. §. 4.

Confirmatur; Anima ex ſe habet virtutem effectricem ſpecierum: ergo vt omnis formalitas reſpondens potentiis reſpōdet animo per illas, ita & formalitas ſpeciei eidem reſpondet: quia tā ſpecies quam potentia oriuntur ab inſita animi virtute. Dices animam efficere loco obiecti. Iam reſpondi, id non pertinere ad cauſas particulares. Confirmatur: quando duæ cauſæ particulares concurrunt ad effectum per diuerſas formalitates, neutra poteſt ſupplere vicem alterius. Nec enim intellectus ſine ſpecie impreſſa poteſt cognoſcere, aut ſupplere huius defectum, nec pro ſe, nec pro obiecto: nec habitus ſupernaturalis poteſt ſupplere vitalitatem pro intellectu: ergo nec anima poteſt ſupplere defectum, aut attingere eius formalitatem. §. 5.

Præterea, ſpecies eſt coniunctiua obiecti cum potentia: ergo ab ipſo oritur ſpecies, & non à potentia. Alioquin totam virtutem agendi, & coniungendi cum obiecto haberet potentia. Deo autem non tribuitur formalitas obiecti; quia concurrit vt cauſa generalis ſupplens particularium defectus. Atque hic modus vicinior eſt cęteris omnibus. Senſus externi accipiunt ab obiectis ſpecies, item interni per ſpecies, aut notitiam externorum. Angeli eas accipiunt immediatè ab obiectis præſentibus & proportionatis, vel à Deo donantur ſpeciebus loco obiecti. Ita intellectus noſter tactus phantaſmate accipit ſpecies à Deo ſupplente abſentiam obiectorum; phantaſmate concurrente, vel diſpoſitiuè, vel inſtrumentaliter etiam loco obiecti. Item apprehenſio, quia eſt repræſentatio obiecti, loco illius concurrit ad iudicium; hoc autem ad actus voluntatis. Nunc non dico actiuè: ſed in genere per illos actus concurrere obiectum. §. 6.

Dices, ex intellectu agente; & phantaſmate conflari integrum principium ſpeciei impreſſæ, in qua reperiuntur, & conceptus qualitatis ſpiritualis, & conceptus ſpeciei impreſſæ. Ad primum concurrit intellectus agens formaliter: ad ſecundum verò phantaſma: vt patet in intellectu poſſibili & habitu Fidei comparatione actus ſupernaturalis. Contra primo, intellectus agens vt agens, ſi eſſet, ex ſuo conceptu quidditatiuo, & primario eſſet determinatus ad formalitatem ſpeciei impreſſæ, vt ſpecies eſt. Nam ex ſuo conceptu primario diſtingueretur à poſſibili, quia poſſibilis eſt determinatus ex ſuo conceptu ad intellectionem ſub §. 7.

conceptu intellectionis: agens verò ad ſpeciem ſub conceptu ſpeciei. Neque enim differrent per ordinem ad formalitates qualitatis ſpiritualis, quia tam illi, quàm voluntas conueniunt ſub iſto conceptu. Quidditatiuè conſtituuntur per differentias ſpecificas volitionis, intellectionis, & ſpeciei impreſſæ. Et quemadmodum intellectus poſſibilis ex ſe determinatur ad cognitionem in commune, & per ſpecies determinatur ad hanc ſpeciem, aut indiuiduum intellectionis, neque per illam determinatur ad intellectionem vt ſic: Ita phantaſma ſupponeret intellectum agentem determinatum ad ſpecies vt ſic. Ipſum autem determinaret non ad ſpeciem vt ſic, ſed ad ſpeciem circa tale obiectum. In quo ſimile eſſet intellectui, & Fidei. Neque verò ad ſpiritualitatem qualitatis vt ſic eſſet conſtituenda vna potentia, ſicut non ponitur ad ſpiritualitatem intellectionis, aut volitionis, niſi determinatè ſub aliquo genere intellectionis, volitionis, aut ſpeciei, quia ille conceptus eſt vniuerſaliſſimus reſpondens cauſis ſub conceptu etiam vniuerſaliſſimo: ergo ſi daretur intellectus agens, reſpiceret ex ſuo conceptu formali ſpecies impreſſas in quantum ſpecies ſunt. Quod oſtendi ſpectare ad obiecta: illorum autem vice ad Deum. In hanc ſententiam inclinat Ochamus in 2. quæſt. 25. fine. Eamdem docet Duran. in 1. diſtinct. 3. quæſt. 5. & ab oppoſita vindicat beatum Auguſtinum.

SECTIO II.

De intellectu poſſibili.

§. 8. INtellectus poſſibilis vocatur à S.Thom. intellectus noſter cognoſcens, qui obiecta in illo poſſunt eſſe obiectiuè, quamuis re non ſunt, quod S. Doctor intelligit de obiectis ſenſibilibus. Itémque vocat ſenſum poſſibilem S.Thom. Iſtam poſſibilitatem conſtituit in ordine ad habendas ſpecies; non verò in ordine ad cognitionem. Quapropter Angelus non habebit intellectum poſſibilem, ſi ei congignuntur ſpecies: ſecus ſi ei dantur temporum ſucceſſu: item eſt poſſibilis comparatione ſpecierum, quas non habet. Deo autem repugnat omnino iſta potentialitas intellectus. Poteſt etiam dici poſſibilis, comparatione intellectionis, quàm non habet actu, ſed potentia tantum, ſolet & ab aliis vocari, *Paſſibilis*, quia patitur cognitionem: fortè quia dixit Ariſt. *intelligere eſt quoddam pati.* Sed hæc ſunt nomina, de quibus non multum curandum: Aduertendum tamen, intellectum ſimpliciter ſtare pro hoc poſſibili: agens enim intellectus ſub conceptu agentis non eſt intellectus ſimpliciter, ſed ſecundum quid, quia huic miniſtrat ſpecies: ſicut alia principia actiua ſpecierum impreſſarum non ſunt intellectus.

§. 9. Dico primò: *Intellectus* vt ſic *eſt virtus cognoſcitiua ſpiritualis.* Hac definitione comprehenduntur intellectus Dei, & creaturarum: omnes enim ſunt virtus cognoſcitiua, ſed cum diſcrimine. Nam Dei intellectus non eſt virtus actiua, aut paſſiua ſuæ cognitionis (vt oſtendam diſp. vltima Metaphyſicæ) creatus autem eſt virtus, & actiua, & paſſiua ſuarum cognitionum. Humanus intellectus *eſt virtus cognoſcitiua ſpiritualis per diſcurſum.* Item ea voce, *cognoſcitiua*, excluditur voluntas: quæ ſub conceptu voluntatis non eſt cognoſcitiua, ſed ſupponit potentiam cognoſcentem. Ea voce, *ſpiritualis* reiiciuntur ſenſus, tam interni quàm externi qui non ſunt ſpirituales, ſed corporei: itaque nullus ſenſus eſt intellectus, neque intellectus vllus eſt corporeus: & potentia ſpiritualis cognoſcitiua neceſſariò eſt intellectus: quia proprium eſt rerum ſpiritualium perfectarum intellectu gaudere.

Dico ſecundò: *Intellectus non eſt idem numero in omnibus hominibus, ſed ſinguli ſingulos habent intellectus.* Eſt de Fide. Contra auerroem, quem refert, & refellit S.Thom. oppoſitum delyrantem. Monſtratur primò, quia ſi eſſet vnus numero intellectus, vel eſſet vnitus corpori ſaltem medio animo, vel non: ſi ſecundum, ergo non poſſet homo per illum intelligere, quia organa ſenſoria nihil prodeſſent ad intelligendum: denique recognoſce ſect. 3. diſput. 1. Si verò intellectus eſt vnitus ſingulis: ergo idem met intellectus ſimul exiſtit in locis innumeris, quod præſefert irriſionem. §. 10.

Secundò: ergo idem intellectus ſimul haberet aſſenſum, atque diſſenſum de eodem obiecto: & ſibi ſimul perſuaderet duo prædicata contradictoria. Tertiò, quia ego intelligerem per eumdem actum, per quem Aldephonſus. Nam omnes actus mei intellectus me reddunt cognoſcentem. Quartò, quia ſimiliter vna tantum eſſet omnium voluntas, & non poſſent duo homines iurgari, quia vna voluntas non rixatur ſecum, ſed cum alia. Quintò à priori, quia ſinguli homines habent ſingulas animas rationales, quia in ratione hominis diſtinguuntur numero: ergo & ſingulos intellectus, quia intellectus eſt idem animus (vt oſtendi diſp. 4.) vel eſt eius affectio: ſingulæ autem formæ ſingulas habent proprietates, vt duo ignes duos calores; & duo equi duas potentias viſiuas, &c. Nec expedit harum impugnationi ineptiarum tempus impendere. §. 11.

Dico tertiò: *Noſter intellectus exiſtit in toto corpore cum animo.* Probatur, quia ſi eſt idem cum animo, res eſt clara; ſi verò diſtinguitur, patet, quia animus vbicumque ſit, eſt intellectiuus, & rationalis, non ſolum remotè, ſed etiam proximè: ergo vbicumque ſit, habet intellectum; quia per illum conſtituitur proximè rationalis. Antecedens eſt certum, quia ſubſtantia animi eſt radicaliter rationalis, à qua effluit naturali emanatione propria paſſio ratiocinandi; ſicut Sol, vbicumque ſit, eſt illuminatiuus. Dices, animum non intelligere in toto corpore: ergo non habet intellectum, quia ſuperflueret. Mala conſequentia, à negatione actus ad negationem potentiæ. Nec enim opus eſt exercere omnes actus potentiæ, vbicumque eſt: poteſt enim aliunde impediri; vt diuiſio quantitatis in cælo, ſat enim eſt potentiam alicubi exerceri. Confirmatur, intellectus prius natura eſt in animo, quàm animus in corpore: quia eſt proprietas ſolius animi: ergo non dependet ab his organis corporeis, ſed comitatur animum ſine dependentia à corpore. §. 12.

Dico quartò: *Intellectio non eſt in toto corpore; ſed habet eam animus in ſolo cerebro.* Probatur, quia commune eſt omnibus ſcholis animum non vniri toti corpori ſecundum gradum intelligendi (vt volunt Caietan. & Ferrara) vel ſaltem non communicare corpori actiones omnes vt ex P.Vazquez retuli diſp. 1.) Item ſicut in oſſe non ſentitur, ita nec intelligitur. Ratio à priori, quia intellectio ſaltem indirectè pendet ab organo: ergo ibi eſt vbi eſt organum: ergo non alibi. Quorſum enim? Nec habet tantam extenſionem virtualem, quantam animus. §. 13.

Dices intellectionem eſſe in animo: ergo eſt vbi animus adæquatè. Erronea conſequentia, recidens §. 14.

in

in Vbiquetarios. Nam etiam humanitas intimè vnitur Verbo, ſed Verbum eſt vbique: ergo humanitas eſt vbique. Item vnio capitis eſt in anima terminatiuè: ergo etiam eſt in pede, immo nec eſſet in pede, tametſi in capite ſubiectaretur in animum. Ratio eſt, quia poteſt ſubiectum, aut terminus ſua excellentia vendicare ſibi plus loci, quàm aliquis eius actus, vel quid ſimile.

SECTIO III.

De obiecto adæquato noſtri intellectus.

§.15. Ex diſput.1. Logicæ patet, obiectum adæquatum intellectus eſſe quod attingitur omnibus eiuſdem actibus. Ac primùm accidentia à nobis cognoſci nullus poteſt ambigere, nam cum hæc ſenſu percipiantur externo, in intellectum ſui ſimulacrum immittunt.

§.16. Deinde ſubſtantias corporeas cognoſci à nobis, inde patet, quia de illis ſermonem inſtituimus, & non poſſumus loqui, niſi quod cognoſcimus. Deinde cognoſcimus eſſe materiam primam, & de illa prædicamus aliqua, quæ in accidentia quadrare non poſſunt. Item cognoſcimus formas ſubſtantiales, quas probamus ab accidentibus diſtingui. Denique ſi quis neget à nobis ſubſtantias cognoſci, ſibi contradicit ipſi, qui eas non negaret, niſi de eis aliquo efformato conceptu.

§.17. Præterea quis neget rem immaterialem à nobis cognoſci? Deus enim à nobis per diſcurſum agnoſcitur, quem ſi non cognoſceremus, haud coleremus. Ratio eſt, quia noſter intellectus eſt diſcurſiuus, & ex ſenſibilibus cognitis, ad inſenſibilia inueſtiganda percurrit.

§.18. Cognoſcimus etiam res poſſibiles: nam & præteriat meminimus, & futura expectamus, & ſumus certi potuiſſe à Deo creaturas alias produci. Item impoſſibilia cognoſcimus, vt impoſſibilia, & ea negamus, vt Deum poſſe peccare.

§.19. Item cognoſcimus chymæras, tum eas fingendo, vt cum falſum adfirmamus, tum recognoſcendo mendacia ab aliis dicta. Sed eſt hoc diſcrimen, nam chymæras effingimus non ex inſtituto naturæ, quæ tribuit intellectum ad verum, & non ad falſum; quod verò declinet in mendacium, eſt præter intentum naturæ. Itaque obiectum adæquatum intellectus eſt omne ens, tam reale, quàm rationis: obiectum autem adæquatum per ſe eſt ens reale: rationis autem obiectum per accidens. Obiicis ab Ariſt. dictum. *Quod non eſt non ſcitur.* Reſpondeo, non ſciri eſſe, quia eſſet actus falſus, & non ſcientiæ: at ſcitur non eſſe: vnde chymæra non eſt cognoſcibilis eſſe, ſed cognoſcibilis non eſſe.

§.20. Obiectum formale conſtat ex eadem diſpur.1. ſectio.1. Logicæ, eſſe id, quod cognitum ducit in cognitionem aliorum, ſiue quod ratione ſui cognoſcitur, & alia ratione eiuſdem. Si quando verò immediatè cognoſcitur aliquod obiectum, & ex illo non infertur alterius cognitio, non dicitur formale propriè: quia ſicut forma reſpicit materiam, ita formale connotat materiale, quia ex materia & forma ſumitur hæc analogia, illud tamen obiectum dicetur immediatum.

§.21. Eſt alia ratio formalis intellectus, quæ vocatur *verum*, vnde dicitur intellectus tendere in obiectum ſub ratione veri, ſicut voluntas ſub ratione boni; hæc autem veritas explicanda erit diſput.7. Metaphyſic. ſectio.2. quia eſt attributum entis. Solum aduerte, intellectum non tendere ſemper in verum realiter, ſed in verum realiter, vel apparenter, alioquin nunquam deciperetur: decipitur autem, quia præſtat aſſenſum obiecto, quod apparet eſſe quod non eſt: nam ſi falſitas appareret, non poſſet illi aſſentiri: ſicut enim euidentia obiecti neceſſitat intellectum ad illius aſſenſum, ita euidentia falſitatis illum ad non aſſentiendum neceſſitat. Nulla enim potentia poteſt prodire in actum, niſi circa ſuum obiectum; ita voluntas non poteſt amare, niſi quod illi præſentatur, vt bonum, neque videre viſus, niſi colorem, aut lucem.

Habet etiam intellectus aliud obiectum formaliſſimum, ſcilicet intelligibilitatem: ea enim ratione intelligit, quia obiectum eſt intelligibile, & quæuis potentia tendit in obiectum ſub eadem formali ratione: vt voluntas ſub ratione amabilis: viſio ſub ratione viſibilis. Hæc intelligibilitas ex parte obiecti nihil eſt præter veritatem. Nam ſicut viſibilitas coloris in ipſo nihil eſt præter eius entitatem, quæ ex ſe eſt viſibilis, ita intelligibilitas nihil aliud eſt præter entitatem obiecti aptam intelligi. Quare idem eſt tendere in obiectum ſub ratione intelligibilis, ac tendere ſub ratione veri. §.22.

Si verò intelligibilitas ſumatur ex parte intellectus, nihil eſt præter ipſos actus. Quare cum dicimus intellectus tendit in obiectum ſub ratione intelligibilis, idem eſt ac dicere, tendit in obiectum eliciendo intellectiones. Quare ſimpliciter intelligibilitas eſt extrinſeca denominatio obiecto, formaliter proueniens ab actibus intellectus: nam ſicut eſſe cognitum dicit extrinſecam denominationem à cognitione actuali, ita eſſe cognoſcibile à cognitione poſſibili. Quod cuiuis obiecto contingit reſpectu potentiæ vitalis, per quam attingitur. §.23.

Obſerua ex ea diſp.7. Metaphyſicæ, à S.Thoma diſtingui verum formaliter à vero fundamentaliter. Verum formaliter eſt denominatio extrinſeca ab actu intellectus: verum fundamentaliter, eſt ipſa obiecti natura. Quando ergo dicimus intellectum tendere ſub ratione veri formaliter, & non ſub ratione falſi: iam reduplicamus actus ipſos, & perinde eſt, ac intellectum tendere actibus veris, ideſt, conando ex naturæ impetu actus elicere conformes obiectis: quod ſi ſunt falſi, eſt per accidens contra naturæ intentum. Qui ſimplici apprehenſioni negant veritatem, & falſitatem, dicent hoc eſſe verum in ſolo iudicio: at in omnibus eſſe verum, qui etiam apprehenſioni veritatem adſcribunt. Quod contingit aſſenſui atque diſſenſui. Vtrumque enim præſtamus conando eos eſſe veros. Aſſentimur enim volentes verè cognoſcere, diſſentimus autem quærendo in diſſenſu veritatem, quam putamus non fore in aſſenſu: implicaret autem diſſentiri, aut aſſentiri, ſi arbitraremur aliquem actum fore falſum. Itaque in hoc ſenſu idem eſt, intellectum tendere in obiectum ſub ratione veri, ac ſub ratione cognoſcibilis verè: quia obiectum non eſt intelligibile, niſi per actus veros ex inſtituto naturæ. §.24.

Arbitror autem in ſecundo ſenſu frequentius eam propoſitionem vſurpari, id eſt, intellectum tendere in verum fundamentaliter, ideſt, in ens. verbi gratia, ego iudico *hoc eſſe aurum*: ille actus ex intentione naturæ terminatur ad aurum: quod fundamentaliter eſt verum aurum, ac perinde eſt iudicium terminari ad verum aurum, ac terminari ad eſſentiam auri. In quo ſenſu verum §.25.

verum eſt obiectum intellectus per ſolos aſſenſus: at per diſſenſus non tendit in verum; quia quando ego dico *lapis non eſt aurum:* non fertur iudicium ad eſſentiam auri, ſed potius ad negationem eſſentiæ auri. Verum eſt illum diſſenſum terminari etiam ad verum fundamentaliter ſuo modo, ideſt, ad eſſentiam carentiæ auri: item terminari ad carentiam auri per diſſenſum, æquiualenter eſt terminari ad aurum: ſicut odium mali amicorum æquiualet dilectioni boni eorumdem amicorum. Ex hoc ſecundo modo oritur primus: nam quando obiectum cognoſcitur vt eſt, tenditur in illud actibus veris: ſic autem tendimus in obiectum verum fundamentaliter, aut re ipſa, aut apparenter. Implicat enim me aſſentiri aurichalcum eſſe aurum, niſi tale appareat. Sufficit autem apparentia, è qua oritur noſtra deceptio; Deus autem, & Fides ſunt infallibiles, quia tendunt in obiectum re ipſa exiſtens, ſicut ab illis enuntiatur.

SECTIO IV.

De ſpecificatione intellectus.

§.26. PAt. Vazquez 1. part. diſputatione 7. num. 12. affirmat, potentias inter ſe ſpecie diſtingui per obiecta adæquata: ita vt obiectum adæquatum vnius potentiæ non ſit obiectum adæquatum alterius. Hæc ſententia videtur eſſe communis, & probatur: quia potentiæ diſtinguuntur per obiecta, ad quæ dicunt tranſcendentalem ordinem: ergo pro diuerſitate obiectorum erit diuerſitas potentiarum: ergo obiectum vnius non poteſt eſſe alterius.

§.27. Suppoſita diſtinctione reali potentiarum à ſubſtantia, hæc ratio concludit, duas potentias ſpecie diſtingui, quarum altera non reſpicit obiectum alterius, vt viſus, & olfactus: non tamen probat, non poſſe duas potentias ſpecie diſtinctas tendere in idem obiectum adæquatum. Primò, quia potentiæ Angelorum inter ſe differunt ſpecie; quis enim dicat intellectum ſupremi Cherubini non eſſe eſſentialiter perfectiorem intellectu infimi Angeli? ſed illi duo intellectus habent idem adæquatum obiectum: ergo circa idem obiectum adæquatum verſantur potentiæ diſtinctæ. Confirmatur in potentiis externis animalium, diſtinctis quidem ſpecie: cum tamen ſint circa idem omnino obiectum.

§.28. Secundò intellectus, & voluntas humana habent idem obiectum adæquatum, & tamen illa diſtinguuntur in ratione potentiæ: ergo. Probatur maior; quidquid intellectus cognoſcere poteſt, poteſt voluntas odio proſequi, vel amore. Dices, obiectum materiale eſſe idem: non verò formale. Contra: Quia obiectũ formale ſiue ratio obiectiua eſt omnino eadem: ergo habẽt idem obiectum formale. Probatur antecedens, quia intellectus intelligit ſubſtantias ipſas rerum, & illarũ proprietates, vel per diſcurſum, vel immediatè. Item voluntas amat ſubſtantias rerum, & illarũ proprietates: ergo habent eamdem rationem formalem obiectiuam.

§.29. Caiet. 1. p. q. 1. art. 3. ait poſſe conſiderari entitatem obiecti ſecundum ſe, & vt habet rationem ſcibilis, aut amabilis, à qua ſcibilitate, & amabilitate diſtinguuntur potentiæ. Probat Thomas ex Thom. ibidem aſſerente ſcientias non ſpecificari ab obiecto materiali, ſed formali. Sed S. Tho. parũ illi ſuffragatur, ait enim non ſpecificari ſcientias ab obiecto materiali remoto, ſed formali: quod verè, & propriè attingitur à potentia, dixit enim viſionem non ſpecificari à leone, aſino, aut equo albis, ſed ab albedine: quibus confirmantur, quæ ego dixi diſput. 1. Logicæ ſectio 1. Falſitas autem Caietanicæ propoſitionis inde patet: quia vt dixi ſect. 3. probaturus diſp. 7. Met. intelligibilitas, & bonitas ex parte obiectorum nihil ſunt præter ſubſtantias ipſas obiectorum, quæ ſecundum ſe ſunt intelligibiles, & amabiles: illæ verò denominationes formaliter ſunt ab actibus ipſius potentiæ, vt rectè probat Pat. Vazquez contra Caiet. illa diſp. 7. cap. 3. immo & idem Caietanus admittit, vt ex eo probabo diſp. 7. Met. Itaque voluntatem ſpecificari ab obiecto, vt amabili, & intellectum vt ab intelligibili, eſt eas potentias ſpecificari à ſuis actibus. Cum igitur hi actus ſint diuerſarum ſpecierum, & ſint circa idem obiectum: non poteſt illorum diuerſitas oriri ex diuerſitate obiectorum. Hic autem non inquirimus quomodo potentiæ diſtinguantur per actus? Idémque quærimus de actibus. Item, quia ſequeretur omnes actus eiuſdem potentiæ viſiuæ eſſe eiuſdem ſpeciei infimæ: quia tendũt in colorem ſub ratione viſibilis: immò verò omnes intellectiones humanæ, & Angelicæ, & diuinæ eſſent eiuſdem ſpeciei infimæ, quia omnes tendunt in obiectum ſub ratione intelligibilis.

Dices, intellectum tendere in obiectum ſub ratione veri: at verò voluntatem ſub ratione boni: §.30.
quæ rationes ſunt eſſentialiter diuerſæ. Contra: quia bonitas, & veritas ſunt eadem ratio in obiecto, quia non diſtinguuntur ab ente, ſoláque ratione diſtinguuntur per ordinem ad actus intellectus, & voluntatis: etenim eadem entitas in quantum eſt cognoſcibilis, eſt vera: & eadem eſt bona in quantum eſt amabilis: quia non eſt vna ratio bona, & alia vera: ſed eadem vera, & bona. At ea diſtinctio rationis non conſtituit in obiectis formalibus illam diuerſitatem: ſed tantum connotant actus diuerſos, & diuerſarum potentiarum: de his igitur rogo; vnde ſumant diuerſitatem; vt ex ipſis ſumatur diſtinctio rationis in obiectis?

Præterea viſio beata tendit in Deum ſecundum ſe, ſimiliter & charitas: quarum obiectum §.31.
formale eſt ipſe Deus ſecundum ſe: ergo habitus ſpecie diſtincti, vt lumen gloriæ, & charitas, tendunt in eamdem rationem formalem obiectiuam. Quod inde confirmo, quod Fides differt à lumine, quod lumen habet pro obiecto formali Deum ſecundum ſe, Fides autem Deum vt reuelantem. Ratio à priori, quia obiectum formale habitus eſt, quod immediatè & ratione ſui attingitur actu: vnde Deus eſt obiectũ formale tam viſionis, quàm charitatis: creaturæ autem obiectum materiale. Item reuelatio eſt obiectum formale Fidei: materiale autem myſterium reuelatum. Neſcio cur hîc negant, quod alibi admittunt neceſſariò. Itaque obiectum formale, ſeu ratio formalis obiectiua duorum habituum poteſt eſſe eadem omnino ex parte obiecti. Confirmatur, quia ſenſus communis diſtinguitur à quinque ſenſibus, cum illius obiectum adæquatum, ſit obiectum adæquatum quinque ſenſuum.

Ad Pat. Vazquez adductum §. 26. reſpondetur, §.32.
eius argumentum probare eas potentias ſpecie diſtingui, quæ habent diſtincta obiecta; vt in bruto per lucem, & colorem, viſus ab auditu diſtinguitur: at verò non probat, potentias diſtinctas non poſſe verſari circa idem obiectum materiale, & formale: nam licet potentiæ ſpecificentur ab obiecto, ab eodem tamẽ extrinſeco termino ſpecificari poſſunt

poſſunt plures res, vt ab eadem materia prima plures formæ.

§. 33. Dicendum igitur eſt cum S. Thom. 1. part. q. 77. art. 3. in corpore, potentias vitales ſpecificari propriè, & formaliter à ſuis actibus, remotè verò ab obiectis. Hanc vltimam partem negauit nullus, quia cum potentia ſit perceptiua, aut appetitiua obiecti, ab illo ſumere aliquo modo ſpecificationem, eſt certum. Probo primam partem, quia potentia vitalis creata, eſt actiua, & paſſiua eſſentialiter, & eius actus eſt terminus, quem agit, & patitur: ſed potentia actiua, & paſſiua formaliter ſpecificatur à termino quem agit, & patitur: ergo & potentia vitalis à ſuo actu. Confirmatur, potentia reſpicit actum, ergo ab illo ſumitur, quia reſpectus tranſcendentalis à termino ſumit ſpeciem. Confirmatur ſecundò, potentia perceptiua ſpecificatur à perceptione, ſicut locomotiua à motu, ſed intellectus eſt potentia perceptiua, & eius actus eſt perceptio. Itaque non immediatè ab obiecto, ſed à tendentia in obiectum ſpecificatur potentia. Vnde verum eſt, quod communiter dicitur, ab intelligibilitate diſtingui intellectum, & à viſibilitate viſum, quia, vt dixi ſupra, intellectum tendere in obiectum ſub ratione intelligibilis, idem eſt ac tendere eliciendo intellectionem: non verò iuxta acceptionem Caietani, quod intelligibilitas ſit aliquid ex parte obiecti ab amabilitate diſtinctum. Igitur ab omnibus actibus, quos vna potentia poteſt elicere, ſumit ſpeciem.

SECTIO V.

De ſpecificatione intellectionum.

§. 34. DE ſpecificatione intellectionum maior eſt controuerſia. Dico primò. *Ab obiecto materiali & remoto non ſpecificatur actus.* Eſt S. Thom. 1. par. q. 1. art. 3. Probatur apertè, quia obiectum materiale, & remotum, verè & propriè non percipitur per talem actum: ergo ab illo non ſpecificatur. Antecedens probatum diſp. 1. Logicæ ſect. 1. Conſequentia eſt certa.

§. 35. Dico ſecundò. *Ab obiecto formali diuerſo ſpecificantur intellectiones.* Eſt omnium. Probatur apertè, quia diuerſi termini formales non poſſunt cognoſci per intellectiones eiuſdem ſpeciei. Tum, quia quod poteſt cognoſci per hãc numero intellectionem, poteſt quoad ſpeciem cognoſci per intellectiones eiuſdem ſpeciei. Tum etiam, quia illa habent inæqualitatem in perfectione eſſentiali: quia cognitio de eſſentia hominis perfectior eſt, quam cognitio de eſſentia leonis. Secũdò probatur, quia multæ ſcientiæ diſtinguuntur ſpecie, ſed hæc diſtinctio prouenit ex obiecto formali: ergo.

§. 36. Dico tertiò. *Ab eodem obiecto formali poſſunt ſpecificari actus ſpecie diſtincti.* Probatur, quia cognitio diuina, & cognitio beatifica creata habent idẽ obiectũ formale: nempe Deum immediatè. Item cognitio Angeli, & Seraphini; & animi ſeparati, quãdo ad eumdem terminantur animum. Item cognitio ſenſus communis habet idem obiectũ formale, quod externæ ſenſiones, etiam intellectio habet idem obiectum formale, quod communis ſenſio, item actus charitatis idem, quod beata viſio.

§. 37. Vnde colliges, actu naturali poſſe cognoſci obiectum ſupernaturale, vt ſupernaturale reduplicat obiectum. Probatur primò: Qua res ordinis ſuperioris poſſunt cognoſci actu ordinis inferioris, vt Trinitas cognoſcitur intuitiuè accidentali viſione: ergo etiam obiectum ſupernaturale vt ſupernaturale, poterit naturali actu cognoſci. Probatur ſecundò: hæreticus negans vnum Sacramentum, & admittens Trinitatem, credit illud myſterium actu naturali, (nam ſupernaturalem Fidem non habet hæreticus:) ergo actus naturalis poteſt terminari ad obiectum vt ſupernaturale: nihil enim eſt magis ſupra totam naturam, quàm myſterium Trinitatis. Dices, actum illum tendere in obiectum ſupernaturale materialiter: nõ verò formaliter. Contra, quia ſupernaturalitas formaliter, non eſt aliquid in myſterio Trinitatis ab ipſa Trinitate diſtinctum: ergo ſupernaturalitas nihil reduplicat, quod non cognoſcatur per illũ actum. Immo verò reflexè cognoſcit hæreticus ſupernaturalitatẽ formaliter, & clarè: immo credit diuinam reuelationem, & propter illam credit myſterium.

Dices ſecundò: hæreticum non credere reuelationem, vt infallibiliter exiſtentem; ſicut Catholicus. Fateor, ſed hoc nõ tollit, quominus hæreticus feratur in obiectũ ſupernaturale, vt ſupernaturale: nam quod non tendat infallibiliter in reuelationem, non tollit aliquid ex parte obiecti. Sed denotat præcipitem modum, quo hæreticus in reuelationem fertur, expoſitus deceptioni: quæ præcipitatio longè abeſt ab habitu Fidei ſupernaturalis: qui nunquam actum elicit, niſi diuina exiſtente reuelatione, quantumuis appareat exiſtens. §. 38.

Probatur tertiò, quando quis myſteriis adſentitur reuelatis, ſi poſtea Fidem amittat, circa vnum myſterium; experitur facilitatem, & promptitudinem ad credenda alia myſteria: quod in homine peccatore clarius patet, qui diu ſe exercuit in charitate, aut miſericordia, qui poſtea exiſtens in peccato experitur facilitatem circa eleemoſynam, ſed hæc facilitas oritur ex actibus naturalibus circa eadem obiecta, à quibus eliciuntur habitus naturales, qui remanẽt in homine peccatore, aut hæretico: ergo quando aliquis exercet Fidem ſupernaturalem, exercet etiam Fidem naturalem circa idem obiectum. Probatur minor, quia illa facilitas non prouenit ab habitibus ſupernaturalibus, qui non remanent in hæretico, nec dant facilè poſſe, ſed ſimpliciter poſſe. §. 39.

Quartò, actus ſupernaturalis tẽdit in obiectum naturale, vt naturale: quia Deus ſcientia viſionis, & anima Chriſti ſcientia infuſa cognoſcunt omnia futura contingentia: ergo ſimiliter per actum naturalem poteſt obiectũ ſupernaturale cognoſci. Rogas, quorſum requiratur habitus ſupernaturalis? Reſpondeo, vt efficiat actum ſupernaturalem ſubſtantialiter: qui modo ſupernaturali, illum conſtituente in eodem gradu cum gratia tendat in obiectum, quod non poteſt prouenire ab habitu naturali: vnde ſine principio ſupernaturali nemo poteſt credere aut ſperare, prout oportet ad ſalutem; quia actus naturales Fidei, nec alij eliciti ſine ſpeciali gratia Chriſti non ſunt tales, quales oportet ad credendum, & ſperandum prout oportet ad ſalutem. Tandem hinc ſumitur ratio à priori: nempe à diuerſitate principiorum oriri actuum diuerſitatem circa idem obiectum: vt in brutis diſtinguuntur viſiones circa eamdem numero lucem ob diuerſitatem animarum. §. 40.

Dico quartò. *Duæ cognitiones tendentes in duo obiecta materialia ſpecie diſtincta, ſunt diſtincta ſpecie, etiã ſi ſint ſub vna ratione formali.* Ita videtur S. Thom. 1. p. quæſt. 1. art. 3. & queſt. 77. art. 3. corpore, diſtinguens viſiones per colorum diſtinctionem. Obiectum materiale voco, non remotũ, de quo egi concluſione prima; ſed obiectũ materiale proximum, quod §. 41.

quod alij vocant obiectum formale *quod*;quod per ſe propriè attingitur à potentia,vt concluſio. Hác concluſionem (vt exiſtimo) negabit nullus,ac primum eſt Nominalium diſtinguentium ſpecie omnes actus tendentes in concluſiones ſpecie diſtinctas,quos ſequitur P.Molina,1.part.q.1.art.3.diſp. 3.initio,& ibidem tuetur hanc aſſertionẽ in ſcientiis naturalibus, & P.Suarez, 2.metaphyſ. diſp.48. ſect.3. num.16. diſtinguit actiones vitales per obiecta immediata, id eſt, quæ propriè, & per ſe attinguntur à potentia.

§.42. Probatur concluſio primò, quia actus præmiſſarum ſpecie diſtinguitur ab actu concluſionis:ergo duo actus concluſionum ſpecie diſtinctarum, diſtinguuntur ſpecie: probatur antecedens, quia actui præmiſſarum cõuenit eſſe principium; à quo eſſentialiter pendet concluſio in ratione concluſionis: & eſſe cognitionem immediatam, repræſentantem obiectum formale, quæ prædicata non conueniunt cõcluſioni: ſed hæc ſufficiunt ad conſtituendam diſtinctionem ſpecificam:ergo.Probatur minor, quia in phyſicis, id, quod eſt prima radix,& principium cæterorum, ab illis diſtinguitur ſpecie, vt forma ſubſtantialis ab accidentibus:tum etiam, quia ex modo tendendi in obiectum colligitur diſtinctio ſpecifica actuum. Iam verò probo primam cõſequentiam, nempe diſtingui etiã duos actus duarum concluſionum:nam ſi quam ob cauſam non diſtinguerentur,eã præcipuè,quia habent idem obiectum formale: ſed actus præmiſſarum, & concluſionis habent idem obiectum formale,& tamen diſtinguuntur ſpecie:ergo ſimiliter & actus duarum concluſionum.

§.43. Secundò probatur argumento P.Molinæ ſupra, quia ſpecies, quæ concurrunt ad huiuſmodi actus, eſſentialiter diſtinguuntur,ergo & actus quos producunt: antecedens quis auſit inficiari? & affirmare ſpeciem repræſentantem hominem non eſſe eſſentialiter diſtinctã ab ſpecie leonis? & ſpeciem albi ab ſpecie nigri? Probatur conſequentia: quia duo principia particularia eſſentialiter diſtincta,& non ſubordinata, & quæ ordinantur ad complendam aliquam potentiam, ordinantur ad effectus eſſentialiter diſtinctos. Nam licet idẽ effectus poſſit prouenire à duobus agentibus eſſentialiter diſtinctis,id contingit quãdo vel neutrum ſubordinatur alteri, vt ignis; & ſol:vel quando alterum ex illis eſt vniuerſale in agendo, vt potentia vitalis,& ſpecies:quando verò vtrumque principium eſt determinatum ad vnum effectum,ſicut ſunt duæ ſpecies impreſſæ, neceſſariò producunt effectus ſpecie diſtinctos: alioquin eſſent agẽtia eiuſdem ſpeciei,& non diſtinctæ. Quæ dixi de ſpecie impreſſa, intellige etiam de actibus præmiſſarum,ſi fortè illi ſoli determinent ad concluſionem.

§.44. Tertiò, quia cognitio riſibilitatis, verbi gratia, eſſentialiter differt à repræſentatione admirationis; quod patet:quando à poſteriori vtraque ratio cognoſcitur per ſuos effectus:ſed huiuſmodi actus ſunt ſub eadẽ ratione formali: ergo. Probatur minor,quia in ratione repræſentationis vtraq; habet terminum ſpecie diſtinctum: quem tam propriè repræſentat, quàm viſio repræſentat colorem: ad quem tã propriè dicit tranſcendentalem ordinem, quàm actus præmiſſarum ad ſua obiecta:ſed viſiones diſtinguuntur per colores,& præmiſſæ per obiecta: ergo etiam concluſiones per ſua.

§.45. Confirmatur, duo actus immediatè terminati ad obiecta diuerſarum ſpecierum, diſtinguuntur ſpecie: ergo idem erit,licet ſint ſub eadem ratione formali: patet conſequentia, quia eſſe ſub eadem ratione formali non tollit,quin ſint verè repræſentationes talium obiectorum, ſed tantum eſt cauſa obiectiua determinans intellectum ad cõcluſiones eliciendas: at verò cauſa determinans potentiam vniuerſalem, poteſt illam determinare ad effectus ſpecie diſtinctos: vt apprehenſio ad aſſenſum & diſſenſum: iudicium ad odium & amorem:ſpecies impreſſa hominis determinat Angelum ad cognitionem hominis & leonis.

Quartò argumentor, repræſentatio concluſionis *A.* prædicatur in quid completè de hac & illa repræſentatione,&c. Vide hoc argumentum ſupra diſput. 2. à §. 199. & quæ ibi obijciuntur de duobus modis eiuſdem rei: poſſunt hic obijci de duabus repræſentationibus eiuſdem obiecti,& eodem modo diſſoluuntur, quia ſicut modus eſſentialiter eſt adfectio rei,ita cognitio de Petro eſt eſſentialiter repræſentatio illius. §.46.

P. Molina illo artic.3. diſput.3. cum ſit à nobis in hac concluſione de ſcientiis naturalibus: tertia tamẽ cõcluſione adſerit omnes Theologicas concluſiones eſſe eiuſdem ſpeciei, quantum ad actum illum vnionis, quem ipſe diſtinguit ab actibus extremorum. Ratio eſt quia omnes illæ vniones innituntur reuelationi diuinæ, cui fauet S.Tho.2.2. quæſt.25.art.1.adfirmans actum Charitatis terminatum ad proximum eſſe eiuſdem ſpeciei cum actu terminato ad Deum. §.47.

Cæterùm mirum mihi accidit, actum,quo ego adſentior *aſinam Balaam fuiſſe loquutam*, eſſe eiuſdem ſpeciei cũ actu, quo credo *Deum eſſe Trinum.* Hæc ſententia impugnatur omnibus, quibus præcedens. Deinde falſo ponit vnionem propoſitionis diſtingui ab extremis:ſed eo admiſſo impugnatur: quia vnio diſtinguitur ſpecie pro diuerſitate extremorũ,ſed illa extrema per te diſtinguuntur ſpecie: ergo. Falſo enim ponit Theologicũ adſenſum inniti ſola reuelatione diuina. Sic enim eſſet de Fide: innititur autem & reuelatione, & principio naturali, cúmque hoc principium naturale, ſit in multis theologicis demonſtrationibus diuerſæ ſpeciei, non dubium, quin inferat concluſiones ſpecie diſtinctas. §.48.

Vnde argumentor:concluſiones diuerſorũ obiectorum ex diuerſa ratione formali differunt ſpecie: ergo & cõcluſiones Theologicæ.Patet conſequentia: quia pendẽt à rationibus ſpecie diſtinctis,nam hæc concluſio *Chriſtus eſt riſibilis*,ex hac *Chriſtus eſt homo*,eſt diuerſa ab hac,*Omnis generans habet potentiam generandi. Abraham genuit: ergo habuit potentiam.* Vnde hæ duæ concluſiones: *ergo Chriſtus eſt riſibilis;ergo Abraham habuit potentiam generatiuam,* different ſpecie:quia deducuntur ex præmiſſis ſpecie diſtinctis. Quod ſi ſoli reuelationi inniterentur, eſſent per ſe primo de Fide, quod eſt falſum. Aliquorum recentium doctrinam huic repugnantem propoſui & impugnaui diſput.2.à §.207. §.49.

SECTIO VI.

Intellectus quæ prius, & perfectius cognoſcat obiecta?

THomiſtæ apud P. Conimbr. 1. Phyſic. cap.1. quæſt.4.artic.1.adfirmant intellectum humanum primo cognoſcere vniuerſalia: deinde verò ſingularia. Probant primò,quia omnis noſtra cognitio dependet ab ſpecie impreſſa: ſed hæc per ſe primo repræſentat vniuerſalia: ergo. Probatur minor: quia ſpecies impreſſa intellectualis abſtra §.50.

abſtrahitur à phantaſmatis,ſingularia repræſentantibus : ergo ſpecies impreſſa abſtrahit à ſingulari repræſentatione.

§. 51. Sed vt rectè Pat.Suarez 1.Metaphyſic.diſput.6. num.7. nullum eſt hoc fundamentum, quia ſpecies impreſſa etiam repræſentat ſingularia: cognitio enim ſingularis in ſingulari ab ſpecie impreſſa dependet : abſtrahitur autem ſpecies impreſſa à phantaſmatibus, non quia abſtrahitur à ſingulari repræſentatione, ſed quia intellectus efficit ſpecies ſpirituales repræſentantes modo ſpirituali obiectum idem,quod phātaſma modo materiali, à qua materialitate abſtrahuntur ſpecies intellectuales: non verò à repræſentatione in ſingulari. Bene dixit Aureolus intellectum non abſtrahere obiectiuè, ſed in modo. Nam obiectum ſingulare vt ſingulare, & materiale cognoſcit modo & actu ſpirituali. Secundò, admiſſa iſta ſententia, non benè cōcludit, quia rectè poteſt repræſentari ſingulare, quin prius vniuerſale repræſentetur,quia licet ſpecies principaliter ordinetur ad cognitionem vniuerſalem,etiam ordinatur immediatè ad repræſentationem in ſingulari.

§. 52. Secundum argumentum eſt, materialitas impedit intellectionem, ſed ſingularia ſunt quid materiale, quia indiuiduatio correſpondet perfectioni materiali: ergo vniuerſalia cognoſcuntur, & non ſingularia.Hoc argumentum probaret,Deum non cognoſcere ſingularia, neque Deum à nobis poſſe cognoſci propter ſingularitatem. Deinde res ſpirituales ſingulares carent materia, & indiuiduatio metaphoricè tantum dicitur materialis:ergo benè poſſumus concipere per ſe primò ſingularia ſpiritualia. Deinde neque poſſemus concipere naturas materiales, quia verè habent materiam ſicut ſingularia. Tandem quia nec primariò,nec ſecūdariò cognoſceremus ſingularia in ſingulari,quia in illis apparet materia,quæ impedit cognitionem.

Reſpondetur igitur cum Pat. Conimbr.artic.1. materiā ex parte intellectus impedire intellectionem: nulla enim materialis potentia poteſt intelligere: at verò materialitatem obiecti non impedire, quia potentia aſſimilatur obiecto, non phyſicè, ſed intentionaliter. Vnde ſicut naturas communes materiales cognoſcimus per intentionalem illarum ſimilitudinem,& non per phyſicam:ita cognoſcimus ſingularia materialia, per cognitiones ſpirituales,ſicut ſubſtantiā cognoſcimus per actum accidentarium,& Deum per actum creatum. Vide quæ ex Aureolo proximè dixi.

§. 53. Tertiò arguitur ex pueris, in quibus natura videtur ſuos pandere ſenſus: illi ergo quemlibet hominem vocāt *Patrem*, & poſtea veniunt in cognitionem ſui Patris. Reſpondetur, pueros vſurpare frequentius eas voces,quas frequētius audiunt, & quia à nutricibus ſæpè audiunt eas voces,ea ratione ab illis incipiunt loqui; non verò, quia prius concipiant rationem communem Patris: immò noui puerum, qui matrem appellat *ſororem*, quia eam vocem ab auunculis ſæpius audit.

§. 54. Quartò,vniuerſale eſt obiectum intellectus.Reſpondeo, & ſingularia: Quintò ex Ariſtot. & S. Tho. volentibus vniuerſalia cognoſci directè, ſingularia verò reflexè. Verum vt rectè P. Conimbr. art.3. ad 5.Ariſtot. noluit explicare talem reflexionem, ſed docere vniuerſalia cognoſci vt ratione diſtincta à ſingularibus,ſicut virga obliqua cognoſcitur vt ratione diſtincta à ſe ipſa directa.

§. 55. Dico ergo primò, *aliquando ſingularia cognoſci prius quàm vniuerſalia.* Sic Durand.in 2.diſt.3.q.7. num.7. Okamus in 1.diſt.3.quæſt.5.Gabr.quæſt.5. art.2.Greg quæſt.1.ſub initium:& è noſtris recentiores non pauci.Probatur primò,quia ſpecies impreſſa repræſentat obiectum tam clarè, vel cōfuſè, quàm phantaſia, vt pono ex diſput.13. ſect.2. ſed phantaſma repræſentat aliquando ſingulare in ſingulari : ergo & ſpecies impreſſa repræſentat ſingulare,& non vniuerſalia.

Secundò, quando quis ſentit dolorem, illum §. 56.
quidem ſentit in particulari,quin prænoſcat rationem communem doloris : rogatus enim ruſticus quid ſentiat? non reſpondebit ſe ſentire rationem communem qualitatis, ſed in tali parte dolorem. Confirmatur, quando quis videt amicum in tali diſtantia vt illum primo intuitu diſcernat ab aliis, tunc illum cognoſcit in ſingulari,& non prius ſub ratione communi, nam ad hoc opus erat videre prius ſola accidentia illi cum aliis communia, & poſtea illius propria: at in caſu argumenti neutra accidentia videntur prius: quia ſpecies impreſſa in tali diſtantia vtraque ſimul repræſentat: ergo non prius cognouit amicum ſub ratione communi hominis,quam Petri.

Tertiò, quia ſi prius opus eſt cognoſcere ratio- §. 57.
nem communem: rogo prænoſcatur ne generica? an ſpecifica? ſi generica, deueniam vſque ad ens, eritque neceſſe cognoſcere prius omnia prædicata communia,quam indiuiduum: ſi verò dicas ſolam ſpecificam prænoſci,rogo cur hæc præ cæteris? Videantur P.Conimbr.artic.2. & Pererius, 3.Phyſic. cap.14. Itaque aliquando cognoſcitur prius ſingulare quàm vniuerſale; aliquando verò vniuerſale quàm ſingulare.Contingit enim aliquādo primam obiecti notitiam eſſe confuſam, quandoque verò diſtinctam. Immo frequentius ſingularia ſenſilia noſcuntur prius; quia ſenſiones frequentius ſunt diſtinctæ. Quin potius dubitatur ab omnibus, & negatur à pleriſque, per cognitionem intuitiuam fieri vniuerſalia.

Dico ſecundò: *Prius cognoſcitur ſingulare acciden-* §. 58.
tale, quam ſubſtantiale. Ita authores primæ concluſionis. Probatur: quia ſubſtantias non cognoſcimus per ſpecies ab illis immediatè effluentes:accidens verò cognoſcimus per propriam ſpeciem: ſed quod cognoſcitur per propriam ſpeciem,prius noſcitur,quàm quod per alienam:ergo. Probatur minor, quia quod cognoſcitur per propriā ſpeciem, cognoſcitur immediatè ſine diſcurſu: quod verò per alienam,cognoſcitur per diſcurſum: ita vt primum obiectum ſit ratio formalis obiectiua cognoſcendi obiectum per diſcurſum, ſic ex accidentis cognitione deuenimus in cognitionem ſubſtātiæ, & ex creaturis conſcendimus ad Deum.

Hoc intellige de cognitione inquiſitiua:at verò §. 59.
cognitione auſcultatiua, ſiue doctrinali prius cognoſcimus ſubſtantiam quàm accidens,vniuerſalia quam ſingularia, quod voluit Ariſt. quotieſcūque ait accidens non cognoſci prius,quam ſubſtātiam, neque ſingulare prius quā vniuerſale. Eodem modo accipe S. Tho. Aduerte primas rerum omnium notitias eſſe de accidentibus materialibus, omnis enim noſtra cognitio oritur à ſenſu materiali.

Dico tertiò. *Cognitio in ſingulari perfectior eſt co-* §. 60.
gnitione vniuerſali (ſi cætera ſint paria.) Probatur,cognitio in ſingulari eſt clara, diſtincta, & determinata:at verò vniuerſalis eſt obſcura,cōfuſa,& vaga. Confirmatur:Deus non poteſt cognoſcere niſi res in ſingulari propter imperfectionē cognitionis cōfuſæ,& vniuerſalis. Itē cognitio clara, & diſtincta rei ſingularis,eſt etiam cognitio clara, & diſtincta rationum cōmunium. Itaque ſi comparetur ſingulare vt ſingulare naturæ cōmunis,cum cognitione

eiuſdem naturæ communis ſemper eſt perfectior cognitio rei ſingularis. Si verò cum cõceptu communi cognoſcantur plura ſingularia,hæc cognitio perfectior eſt,quam cognitio vnius ſingularis tantum: atque hæc volũt authores,dum aiunt cognitionem vniuerſalis in quantum eſt totum actuale eſſe imperfectiorẽ cognitione ſingularis; inquantum verò eſt poteſtatiuum eſſe perfectiorem, quia ſimul cum illo cognoſcuntur inferiora, quæ continet poteſtate.

§. 61. Hic poteſt inquiri,quo modo cognoſcantur res vniuerſales in ſingularibus:an cognoſcantur clarè, & diſtinctè ſecundũ omnia ſua genera:an verò cõfusè? v. g. quando efformatur hominis conceptus: an ſimul clarè,& diſtinctè cognoſcantur animal,& rationale? an verò confusè?iam dixi in logica diſp. 10.ſect.3. qua ratione differãt cognitio de definito & de definitione. Item cum clarè concipimus inferiora: in iis cognoſcimus clarè,& diſtinctè prædicata cõmunia:quia ſunt de illorũ eſſentia. Quod contingit in actu exercito.Nam qui concipit clarè hominem ſentire,& diſcurrere,clarè cõcipit rationem entis,ſubſtantiæ,corporis,viuẽtis,&c.dixi in actu exercito,& quaſi directè, quia per quamlibet cognitionẽ inferioris nõ reflectimus quaſi in actu ſignato,definiendo ens,ſubſtantiam,&c. hoc enim eſſet moleſtiſſimum, & vix vnquam contigit: eſt tamen in actu exercito, quia cum cognoſcitur homo,cognoſcitur ens,& omnia prædicata cõmunia poſſunt in virtute illius actus cognitionibus quaſi reflexis definiri. Quotidie cõtingit hominem dare operam alicui rei; quin tũc reflexè,& actu ſignato attendat quid faciat? ſi tamen rogetur: protinus virtute actus, quo operabatur, rationem reddit ſui obiecti. Quo differunt actus confuſi à claris: illis enim non poſſumus rationem reddere de toto obiecto. Aliquando cognoſcuntur vniuerſalia prius quam ſingularia: quia cognitio eſt confuſa. Ait Durãdus actum intellectus eſſe poſteriorem obiecto: ergo vt præcedit eſt ſingulare. Hoc probaret nullum vniuerſale cognoſci. Præcedit obiectum à parte rei ſingulare:non tamen cognoſcitur vt tale, ſed confusè: quod eſt cognoſcere vniuerſalia.

SECTIO VII.

Vtrum intellectus ſimul poßit cognoſcere plura vt plura vnico actu?

§. 62. Diuerſis non dubium, quantumuis reclamet Durandus,ratus in intellectu non poſſe ſimul eſſe duos actus.Nam ſunt duæ apprehẽſiones ſimplices:item apprehenſio, & iudicium, ſimiliter & integer diſcurſus.Item cum quis ſimul adeſt pluribus negotiis, nec amittit cognitionem vnius, cum audit,aut loquitur de alio.

Nec dubium quin plura vt ſimilia eodem actu cognoſcantur. Dubium autem, poſſint ne eodem actu plura in particulari dignoſci?vel poſsitne eſſe in mente æquiuocatio?

§. 63. Partem teneo affirmatiuam cum S.Tho. 1.p.q. 35.art.4.& q.58.ar.2.vbi ait poſſe cognoſci eodem actu omnia,quæ per vnam ſpeciem repræſentãtur, vel in quãtum ſunt partes eiuſdem propoſitionis, aut eiuſdem continui:ſed per vnam ſpeciem repręſentãtur plura,vt plura in particulari, omnes enim homines Angelus cognoſcit eadem ſpecie in communi ſententia, & eiuſdem propoſitionis partes poſſunt eſſe plura, vt plura, vt in hac *Petrus non eſt hic lapis*,ergo. Neque ſibi eſt cõtrarius S.Tho.dum adſerit non cognoſci plura niſi in quantum conueniunt in vna ratione. Nam ly *vna* non appellat ſupra vnitatem obiecti, ſed ſupra vnitatem ſpeciei intelligibilis, vel ſupra vnitatem compoſitionis vt ex ipſo textu dignoſces.

Probatur hæc ſententia,quia actus,quo ego adfirmo, *Petrus non eſt lapis*, eſt vnus, vt pono ex diſput. 7. & repræſentat plura vt plura: quia videns intellectus naturam hominis lapidi repugnare, cognoſcit explicitè vtriuſque naturam & vnã de alio negat.Quod fieri non poſſet niſi vtrãque naturam penetraret: ergo eodẽ actu poſſunt cognoſci plura vt plura. Secundò, quando quis cognoſcit hominem definitione phyſica, eodẽ actu cognoſcit materiam & formam,vt res omnino, & adæquatè inter ſe diſtinctas: ergo idẽ actus repræſentat plura, vt plura. Dices illa plura eſſe vnũ hominem. Contra, quia ille vnus homo ſunt plura, id eſt plures partes, & vnio. Tertiò,Angelus cognoſcit cauſam naturalem,& neceſſarios eius effectus:qua propter non diſcurrit. Quartò:quia communiter cenſetur totum ſyllogiſmum vnico actu poſſe cognoſci. §. 64.

Nec vrget quod ait ſup.S.Tho.non poſſe vnum actum plura repræſentare, ſicut non poteſt idem corpus pluribus delineari figuris.Reſpõdeo. Actus diuerſam habet rationem repræſentandi; alioquin cogeremur adſerere Deum à nobis non poſſe cognoſci, quia nulla corporea figura repræſentatur: item nec noſter intellectus, aut potentia viſiua poſſet ſimul habere diſtinctos actus, ſicut neque idem corpus diuerſas figuras, cuius oppoſitum cernes in Chriſto cognoſcente obiecta per ſcientiam beatam, infuſam, & naturalem, & de nobis idem infra probabo. Quod verò Ariſtot. ait, *contingit plura ſimul ſcire, non tamen cogitare.* Intellige in noſtro intellectu eſſe ſimul ſcientiam habitualem plurium rerum, quàm actualium, *ſcire* enim habitum ſignificat ibi: *cogitare* autem actum. Itaque comparat Ariſtot.actus habitibus: non tamen negat plures actus ſimul, neque vnum actum de pluribus obiectis. Sed ait in nobis exiſtere plures habitus,ſimul,& de pluribus obiectis, quàm actus. Diuerſa lineamenta non poſſunt eſſe: quia color colori impoſitus illũ abſcondit:& quia lineamenta ſunt per figuram & vbicationem:quæ non poſſunt diuerſæ ſimul eſſe. Imago autem intentionalis eſt abſimilis conditionis. §. 65.

Obijcis,ergo idem actus poſſet eſſe ſimul verus & falſus, comparatione diuerſorum. Reſpondeo primò, id non fore abſurdum: ſecundo, non ſequi, non enim poſſumus quæcumque obiecta diſparata vno actu iudicare: ſed quæ aliquo modo conueniant. §. 66.

SECTIO VIII.

De Memoria.

De memoria ſermo eſt Ariſtot. lib. de memoria & reminiſcentia. S. Thom. 1.part. q. 79. Scoto in 4.diſt.45.q.8.Durando in 1.diſt.3.q.3.& aliis ibidem. §. 67.

Dico primò. *Memoria ſpiritualis eſt ipſa anima ſubſtantia.* Patet enim ex diſput.4. potentias vitales eſſe ſubſtantiam viuentem.

Dico ſecundò, *Memoriam eſſe intellectum vt eſt principium repetendi quæ ſemel percepit per ſpeciem priorem.* Ita colligo ex Cicer. de inuentione. *Memoria eſt* (inquit) *per quam animus repetit ea quæ fuerunt.* Hac ratione primam cognitionem diſtinguimus §. 68.

guimus à ſecunda, quod hæc eſt quædam repetitio prioris, hominéſque memoriæ fælicis diſcriminamus ab infælicibus: quod hi audito obiecto illius non meminere: illis autem animo hæret infixum. Nec opus eſt hanc cognitionem eſſe reflexam à priori cognitione (vt docet P. Vazquez 1.p.tom.2.diſput.208. num.1.) & docet Ariſt. ſupra: qui ſolis hominibus eam facultatem adſcribit, quam reminiſcentiam vocat; virtutem autem repetendi obiecta tribuit etiam brutis.

§. 69. Dico tertiò. *Intellectus poſſibilis eſt memoria.* Ita Durandus ſupra. Quia actus memorandi eſt cognitio: ſed huius principium vitale eſt intellectus poſſibilis, ergo. Dices memoriam eſſe facultatem ſpecierum conſeruatricē: ſed hæc eſt intellectus agens, ergo. Reſpondet S.Tho. ſupra art.7. conſeruationem ſpecierum pertinere ad intellectum poſſibilē, quia ad illum pertinet eis vti: Verum ſi intellectus agens diſtinguitur à poſſibili, in agente eſſet memoria. Quia agens primò producens effectum, illum conſeruat, dum eſt applicatum: ſed intellectus agens primò producit ſpecies, & eſt applicatus, ergo eaſdem conſeruat. Confirmatur: ſi intellectus poſſibilis efficienter conſeruat ſpecies, ergo habet virtutem earumdem formatricem, ergo non eget intellectu agente: quia vt determinatur agens ad eas efficiendas, ſic determinabitur & poſſibilis, cum habeat virtutem eas operandi. Adde, ſpecies non fieri ab alterutro. Ad argumentum reſpondeo à S.Thom. non ſumi conſeruationem & retentionem actiuè, ſed paſſiuè: vt ferrum dicitur diutius conſeruare figuras impreſſas, quàm lutum. Itaque intellectus vt informatus ſpecie obiecti ſemel cogniti, eſt memoria, quæ perfectiſſima eſt per reminiſcentiam, quando facilis redditur ad cognoſcendum obiectum prius fuiſſe perceptum.

§. 70. Dico quartò. *Intellectus etiam eſt memoria, vt hæc ſumitur pro principio recordandi eorum, quæ prius geſta fuere in ſingulari:* huic concluſioni aduerſatur S. Thom. aſſerens intellectum non repetere cognitione res cum circumſtantiis, quibus accidere hic & nunc; quia intellectus non cognoſcit res in ſingulari, ſed in communi: memoriam autem rerum hic & nunc ſpectare ad ſenſum. Verū oſtendi ſupra ab intellectu percipi obiecta in ſingulari, vnde & eadem poteſt repetere. Deinde, licet intellectus prius cognoſceret vniuerſalia, quàm ſingularia, tamen deinceps & ſingularia cognoſcit; videns ſe rectè meminiſſe ea, de quibus teſtis producitur, animaduertit ſe peccare, niſi ita teſtetur, vt meminit accidiſſe; ergo per intellectum percipit eas rerum circumſtantias: alioquin nec peccaret, nec poſſet voluntas moueri ad verum, & falſum teſtimonium. Itaque vt intellectus percipit obiecta, ſic & repetit memoria, nec opus eſt cognitione ſingulari atq; diſtincta: ſed vt repetantur omnia, quæ fuerunt cognita, poſſunt autem, & ex parte repeti, & integrè.

§. 71. Mirabilis eſt memoriæ theſaurus, ſed illud in primis, quo ſpecies catenatim excitantur quo ordine fuere acquiſitæ: vt finis vnius verbi excitet ad initium ſubſequentis: ſi quis autem hæret; facilè è ſalebra exit, ſi repetat ab initio periodum. Eſt autem portētum quod Muretus refert de quodam, qui auditis nominibus ſupra tria millia, diſſolutis ſine vinculo, velut arena ſine calce: ſtatim ea omnia repetebat & ordine, & promiſcuè, nullo prætermiſſo.

§. 72. Dico quintò. *Anima ſenſitiua memoriam habet*; tum quia retinentur ſpecies rerum præteritarum. Senſus enim cōmunis non eget præſentia obiecti, vt externi: deinde quia bruta agnoſcunt eos à quibus beneficium, aut damnum accepere: repetunt domos, & fugiunt loca, in quibus male vexantur: quod non facerent niſi memoria retinerent, quæ prius percepere. Quapropter Ariſt. muſcis memoriam negat, quia ſi non eſſent oblitæ, in locum è quo abiguntur, non redirent importunæ. Video hanc rationem haud efficacem. Poſſunt enim ſuperari delectatione obiecti ſpreto damno & incommodo. Hęc memoria non recordatur cognitionem obiecti: ſolæ namq; rationales potentiæ ſe flectunt, atque reflectunt in ſuos actus, ſenſitiuæ autem nequaquam: eſt enim illa facultas diſcurrens, quæ ſupra ſe reflectitur: aut nobilior diſcurrente.

Dico tertiò, *Deus non habet memoriam propriè.* §. 73.
Quia numquam ceſſat à cognitione, quam ſemel habuit: ac propterea nec eam repetit. Metaphoricè autem dicitur meminiſſe, & obliuiſci: Angelus autem habet, quia ceſſat; poteſt autem cognitionem intermiſſam repetere.

SECTIO IX.

Ad Lectorem.

HIc diſputandum videbatur, *vtrum omnis intellectus vim habeat ad inferendum voluntatem?* §.74
ideſt, vtrum omnis natura intellectiua ſit neceſſario appetitiua? an autem poſſibilis ſit aliquis intellectus, cui repugnet eſſe principium actus voluntatis. Quod diſputaui diſputat.2. de voluntate Dei; & aſſerui omni intellectui eſſe voluntatem annexam; immo & omni intellectioni amorem, aut odium: eaque propter eam nunc quæſtionem omitto; quia vrgentius contra meam ſententiam è Theologia petiui; nempe vtrum Deus decernens ſe ad nullam volitionem creatam paraturum concurſum; id poſſet reuelare? Cui argumēto nonnulli viri docti & acuti conati ſunt ſatisfacere: contra quos iterum egi: eaque propter ab hac quæſtione abſtineo propter Theologicū illud argumentum.

DISPVTATIO VI.

De intellectione in communi.

EXPLICATO obiecto intellectus, ſtatim eius actus explicandi occurrunt.

SECTIO I.

Vtrum intellectio in ſola qualitate conſiſtat?

PRimò conſtituo *intellectionem* eſſe *cognitionem* §. 1.
ſpiritualem obiecti. In ratione cognitionis conuenit cum ſenſione; differt autem ſpiritualitate. Appetitio autem atque cognitio cōueniunt in ratione actus vitalis tendētis in obiectum, differunt autem, quod cognitio eſt perceptio, ſeu repræſentatio obiecti, per quam potentiæ vitali exprimuntur, repræſentantur, & fiunt quaſi præſentes obiecti rationes: appetitio autem eſt complacentia in obiecto, aut actus efficax illud conſequendi: vocaturque potentiæ pondus in obiectum, quia voluntatem rapit in obiectum: cognitio autem dicitur trahere obiectum ad potentiam, quia illud intentionaliter ponit in potētia: appetitio autem è contra dicitur potentiam trahere ad obiectum.

§. 2. Statuo ſecundò, *Quando potentia vitalis ſe exercet, ibi reperiri veram actionem.* Probatur, tum, quia actus vitalis eſt effectus creatus; ergo dependet ab aliqua efficienti cauſa, ergo dependet per aliquam dependentiam: ſed talis dependentia eſt actio: ergo quando intellectus ſe exercet, reperitur vera actio: tum etiam, quia intellectus in ratione intellectiui conſtituitur in actu primo per principium actiuum, ergo quando ſeſe reducit in actum ſecundum, habet veram actionem: patet conſequentia, quia actus ſecundus principij actiui in quantum actiui, eſt actio.

§. 3. Hanc actionem habere terminum productum per ipſam oſtendam in metaphyſica diſp. 16. ſect. 4. item diſp. 2. ſect. 5. oſtendam intellectionem non fore qualitatem abſolutam, ſi ſe ipſa penderet à potentia. At modus eſſe non poteſt, quia amor producit habitum: quod modis repugnat. Itaq; in intellectione reperiuntur actio, paſſio, & qualitas per illas producta. Ita P. Molina 1. p. q. 12. a. 2. diſp. 1. Suar. pluribus in locis Met. & tom. 1. in 3. part. d. 24. ſect. 2. concluſione 3. Vazq. 1. part. d. 38. cap. 3. Quæro igitur in quo ſit ſita adæquate ratio formalis intelligendi, ſiue intellectio? Vbi primum proponam ſententiam ſimiliorem vero; atque diluam quæ illam labefactare poſſunt; deinceps cæteras perſequar primis tribus ſectionibus; quæ omnes huic faciunt ſcopo.

SVBSECTIO I.

Quid de quæſtione?

§. 4. DIcendum exiſtimo, *actum vitalem creatum formaliter conſiſtere in actione, paſſione, & illarum termino.* Sed in præſenti probatur de intellectione, de qua eſt ſermo. Ita expreſsè Pat. Suarez illa diſputat. 24. 3. partis, ſect. 2. concluſ. 3. quam ibi vt communem ſupponit, & certam, & ex eo principio philoſophico probat, Chriſti humanitatē non potuiſſe intelligere per intellectionem increatam: & 1. part. tractat. de attributis negatiuis, lib. 2. cap. 10. num. 6. & 7. *Verbum* (inquit) *nihil eſt aliud quam internus terminus illius actionis intellectualis, per quam intelligimus.* Pat. Molina, intellectionem conſtituit in actione, vt patet ex ea quæſt. 12. Nonnulli autem rati ſunt à Pat. Molina intellectionem in ſola actione conſtitui: falluntur tamen, vt patet ex ea quæſt. 12. art. 2. d. 1. §. *Ad hoc argumentum,* aſſerente: *Verbum concurrit ad obiectum, tamquam ratio cognoſcendi:* Verbum autem vocat qualitatem actione productam: idem contigit S. Thomæ, cui multi adſcribunt intellectionem conſiſtere in ſola actione, cum à nobis ſtet in 1. diſt. 27. quæſtio. 2. art. 2. §. *Alij dicunt*, ante medium his verbis. *Vnde oportet, quod verbum vel dicatur ipſa operatio intelligendi, vel ipſa ſpecies, quæ eſt ſimilitudo rei intellectæ: & ſine vtroque iſtorum non poteſt quis intelligere, vtrumque enim iſtorum eſt id, quo quis intelligit formaliter, &c.* Itaque ſicut actio eſt ſine qua non poteſt quis intelligere, & ratio formalis cognoſcendi: ita & ſpecies expreſſa. Neque eſt quærendus nodus obſcurarum interpretationum, in ſcirpo tam læui. En accipio à S. Thom. non modo ſenſum, ſed & verba.

§. 5. Volunt nonnulli nos exarmare Sancto Thoma: quia in ſola qualitate conſtituere videtur noſtram cognitionem 1. p. quæſt. 34. art. 1. ad 3. his verbis: *Intelligere importat ſolam habitudinem intelligentis ad rem intellectam; in qua nulla ratio originis importatur, ſed ſolum informatio quædam in intellectu noſtro prout intellectus noſter fit in actu per formam rei intellectæ.* Reſpondeo ex eodem articulo meam ſententiam probari; illa enim habitudo ad obiectum ſine ratione originis non excludit actionem phyſicam qualitatis, ſed productionem alius rei diſtinctæ ab ipſa cognitione. Vnde ſpiritus ſanctus non format verbum; quia ex eius cognitione nulla cognoſcitur origo perſonalis. At ipſe S. Thomas ſignificat noſtram actionem iis verbis: *prout intellectus noſter fit in actu.* Dixerat autem ad ſecundum: *Non enim intelligere ſignificat actionem ab intelligente exeuntem, ſed in intelligente manentem.* En in ipſo intelligere includit actionem. Dicant, ſe deficere à S. Thoma; & ne eius vellicent teſtimonia. Si enim dicit de actione & qualitate; *vtrumque iſtorum eſt quo quis intelligit formaliter*, quid quærunt? Diſtinguit enim qualitatem ab operatione: vtramque autem conſtituit in ratione formali intelligendi.

Eſtque hæc ſententia communior apud Philoſophos, & Theologos. In ſententia non diſtinguente qualitatem ab actione, res eſt clara: quia ibi eſt actio, paſſio, & qualitas: quæ non diſtinguuntur; ergo cognitio conſiſtit in actione, paſſione, & qualitate. In ſententia communiori diſtinguente qualitatem ab actione, probatur. §. 6.

SVBSECTIO II.

Primum argumentum.

PRimò, quia (vt probaui diſput. 3. ſect. 1.) Viuens creatum vt ſic dicit eſſentialiter actionem & paſſionem in actu primo: quia eſt potentia ſe ab intrinſeco mouens: ergo viuens in actu ſecundo dicit eſſentialiter actionem & paſſionem actuales, & terminum. Conſequentia patet, quia viuens in actu ſecundo, eſt exercitium actus primi actiui, & paſſiui, quia eſt potentiam vitalem in actum reduci: ſed exercitium principij actiui, & paſſiui eſt formaliter actio, & paſſio, ergo viuens in actu ſecundo, dicit formaliter actionem & paſſionem. §. 7.

Confirmatur, principium intellectiuum creatum in ratione principij intellectiui, formaliter conſtituitur per principium actiuum in ſeipſo, ergo intelligens in actu ſecundo, in quantum intelligens, formaliter conſtituitur per actionem in ſeipſo: ſicut calefactiuum per calefactionem, & per creationem creatiuum, & paſſiuum per paſſionem: tunc ſic, illud principium actiuum, & paſſiuum in actu primo, conſtituitur per ordinem ad qualitatem productam, quia principium actiuum habet pro actu ſecundo principali terminum ſuæ actionis, & paſſionis, ergo exercitium potentiæ vitalis formaliter conſiſtit in actione, paſſione, & illarum termino. §. 8.

Dices primò, potentiam vitalē formaliter conſiſtere in aptitudine ad percipiendum obiectum, in quo eſſentialiter non includitur ratio principij actiui, aut paſſiui, ſed hoc eſt eſſe conditionem ſine qua non: ad eum modum, quo intellectio in actu ſecundo dicit formaliter perceptionem obiecti, connotat tamen actionem immanentem, tanquam conditionem, ſine qua non. In quam ſententiam vehementer inclinat Okamus, in 2. q. 25. idque dicent qui negant vitam plantis. §. 9.

Quos tamen impugno, tum ex communi Philoſophorum ſenſu vitam creatam conſtituentium in principio ſe ab intrinſeco mouenti, vt diſput. 3. probaui: tum etiam quia nullus negat actionem, per quam producitur verbum, eſſe intrinſecè, & eſſentialiter actionem vitalem: actio enim diuiditur §. 10.

tur in tranſeũtem,& immanentem: ergo illa actio, & paſſio eſt vita in actu ſecundo: ergo habet aliquod principium in actu primo viuens: nullus eſt enim actus ſecundus, quin præſupponat primum: ſed actus primus actionis, & paſſionis formaliter, eſt principium actiuum,& paſſiuum: ergo intellectus in quantum principium actiuum,& paſſiuum eſt formaliter viuens. Nec valet dicere, illas actiones eſſe vitales; quia tendunt in terminum vitalem, ideſt in obiecti perceptionem: nam illa actio vitalis vt procedit à Deo tendit in terminum vitalem,& vt procedit à Deo non eſt vitalis,ergo vitalitas actionis non ſumitur ex termino, ſed ex eo quod ſit exercitium potẽtiæ actiuæ,ſimul,& paſſiuæ.Quod poteſt explicari in ſententia diſtinguente actionem Dei ab actione creaturæ: actio enim Dei à parte rei non eſt vitalis, ſecus intellectus actio: cum vtraque tendat in terminum eumdem.

§. 11. Reſpondent, argumento concludi intellectum eſſe vitalem in actu primo bifariam: primùm vita phyſica, quæ eſt principium motus phyſici ab intrinſeco: cui vitæ in actu primo reſpondent in actu ſecundo actio, & paſſio: quæ ſunt vita phyſica intellectus in actu ſecundo, vt intellectus eſt viuens phyſicum. Secunda vita eſt intentionalis; quæ ſolum eſt perceptiua obiecti;cui reſpondet in actu ſecundo ſola qualitas,quę eſt motus intentionalis, & vita intentionalis;quia eſt imago obiecti.

§. 12. Hinc reſpondent ad argumentum ex §.7.diſtincto antecedente: viuens creatum phyſicum eſt principium actiuum & paſſiuum,concedo antecedens:viuens intentionale,nego. Diſtinguo itẽ conſequens;viuens phyſicum in actu ſecundo includit actionem & paſſionem, concedo conſequentiam: viuens intentionale, nego. Ad confirmationem ex §.8. diſtinguunt antecedens: intellectiuũ vt intellectiuum intẽtionaliter dicit principium actiuum in ſe,nego antecedens;vt eſt phyſicè actiuũ, quod eſt materialiter eſſe intellectiuum, concedo antecedens:& concedo productionẽ vitalem verbi eſſe intellectionem impropriè; ideſt, vitam phyſicam intellectus;non tamen intentionalẽ,nec formaliter intellectionem;quæ ſonat perceptionem obiecti.

§. 13. Nonnulli recẽtes Philoſophi, vt fugere videantur argumentorum vires; illas effringunt vocibus potius quàm rebus. Duas vitas, alteram purè phyſicam; alteram intentionalem lubens agnoſco: quando altera eſt tendentia in obiectum; altera eſt productio & eius terminus, quin denominent obiectum aliquod cognitum, aut amatum. Quia nutritio, exempli gratia, non tendit ad obiectum aliquod. At verò in qualitate intellectionis & in actione, qua fit naturaliter,diſtinguere vitam phyſicam ab intentionali, & conſtituere duos vitæ gradus, eſt abſque fundamento ad illudendum arguentes. Ne autem videar cum illis agere verbis; ſic arguo:

§. 14. Vita intentionalis creata, eſt vita phyſica: ergo non ſatis bene diſtinguitur vita intentionalis à phyſica. Probo antecedens. Qualitas ipſa cognitionis: quam ij vocant vitam intentionalem, eſt vita phyſica in actu ſecundo. Quia eſt terminus motus phyſici: producitur enim phyſicè per motum realem; idque ex natura ſua. Sed terminus intrinſecè productus per motum phyſicum, eſt in eodem ordine phyſico cum ipſo motu: ergo qualitas cognitionis eſt vita phyſica. Minor probatur: tum quia omnis terminus eſt in eodem ordine cum actione ſibi connaturali: nempe in ordine ſpiritali,aut materiali; naturali, aut ſupernaturali; vitali, aut tranſeunte. Tum etiam: quia potentia phyſica vt phyſica eſt, dicit ordinem adæquatum ad actionem minùs præcipuè; & ad terminum. Hunc enim vt finem immediatum actionis, præcipuè reſpicit potentia actiua phyſicè. ergo terminus phyſicè productus eſt in eodem ordine phyſico cum actione phyſica.

§. 15. Explico: potentia intellectus creata, eſt in actu primo actiua,& vitalis vita phyſica: ergo vt eſt vitalis phyſicè, habet actionem,& terminum phyſicè. Quia vt eſt vitalis phyſicè, eſt principium actiuum:quod præter actionem reſpicit terminũ. Terminus autem potentiæ phyſicæ, vt eſt phyſica, eſt phyſicus in actu ſecundo. Probo;quia eſt præcipua pars exercitij & actus,ad quem potentia vt phyſica refertur. Vnde vt eſt res phyſica in actu primo; eſt etiam res phyſica in actu ſecundo.Hic autem actus quid eſt, niſi quod oritur à potentia vt eſt phyſica? Vt enim actio eſt phyſica, quia eſt actus ſecundus agentis phyſici: ita eius terminus eſt phyſicus in actu ſecundo quia eſt præcipuus actus ſecundus agentis phyſici: ergo qualitas noſtræ cognitionis, vt eſt imago expreſſa creata obiecti, eſt vita phyſica;non minus quàm eius productio.

§. 16. Inde deduco; vitam intentionalem creatam,vt eſt intentionalis creata(ſic enim in præſenti diſputo) eſſe formaliter vitam phyſicam. Quia vt eſt verbum huius intellectus, & imago formalis obiecti,eſt vita intentionalis formaliter intẽtione creata:quia ſic denominat,per te obiectũ cognitum:ſed vt verbum huius intellectus, eſt vita phyſica; ergo vt eſt vita intentionalis creata, eſt vita phyſica. Probo minorem; quia vt eſt verbum huius intellectus, petit natura ſua produci per vitam phyſicam eiuſdem intellectus. In quo conſtituitur frequenter ratio vitæ phyſicæ. vel ſaltem intellectus vt eſt completus ad agendum phyſicè illud verbum,non poteſt illud in ſpecie extra ſe operari: in quo alij conſtituunt vitam phyſicam. Sed vita actualis ſiue in actu ſecundo, petens eſſentialiter vitam phyſicam, vt ab illa phyſicè producatur, eſt vita phyſica: ergo verbum huius intellectus, vt eſt verbum illius, eſt vita phyſica in actu ſecundo. Minor liquet:quia actus ſecundus alicuius potentiæ, habet in actu ſecundo quod eius principium in actu primo:ſed principium eius verbi habet in actu primo vitam phyſicam, vt comparatur ad ipſum verbum;quia illud petit producerę; ergo verbum vt verbum creatũ, eſt vita phyſica in actu ſecundo:ergo vita intentionalis creata non diſtinguitur à vita phyſica eiuſdem intellectus.

§. 17. Item vita phyſica intellectus in actu ſecũdo, eſt etiam vita intentionalis. Quia actio phyſica eſt dictio, & loquutio obiecti: ergo eſt vita intentionalis. De antecedente propoſitione nulli dubium. Probo conſequentiam;quia vita intentionalis eſt, quæ tribuit obiecto aliquam denominationem extrinſecam, pertinentem ad denominationes cognoſcitiuas,aut appetitiuas. Sed dictio, atque loquutio tribuũt obiecto eam denominationem extrinſecam; ergo eſt vita intentionalis. Minor probatur: quia dictio tribuit obiecto denominationẽ *dicti*, & vt paſſiuè dicam, *loquuti*: dictio enim tribuit immediatè duas denominationes:alteram intrinſecam verbo; quod dicitur, & producitur intrinſecè;alteram extrinſecam obiecto, quod etiam dicitur,vt oſtendam §.53.& à §.79.& alibi.

§. 18. Obiicies, dictionem tendere in obiectum non immediatè,ſed medio verbo;vt dixit S.Thmas.1.p. q.34.a.1.ad 3.ac propterea cauſaliter tantùm dicũtur obiecta dictione,nõ formaliter. Contra:dictio duas habet denominationes in obiectum; alteram

repræſen

repræſentati: quam tribuit immediatè verbum, & dictio mediatè, & cauſaliter, vt voluit S. Thomas: alteram *dicti*; quæ ſupra primam addit denominationem immediatam à dictione; quia niſi ab hac dictione, nihil dicitur formaliter: vt Spiritus ſanctus non dicit, quamuis habet imaginem formalem obiecti. Denique omnia, quæ ſpectant ad exercitium intellectus, ſunt intentiones.

§. 19. Vnde concludo, integrum ſtare argumentum è §. 7. Quia intellectus vt eſt viuens intentionale in actu primo, conſtituitur in ordine ad qualitatem cognitionis, ad eius actionem, & paſſionem; ergo in actu ſecundo viuentis intentionalis includit formaliter illa tria.

§. 20. Item quia ſequeretur poſſe à Deo produci creaturam aliquam, quæ non eſſet actiua intellectionis, & volitionis; & tamen eſſet intellectiua, & appetitiua: quod eſt ridiculū, tum quia eſſet actus vitalis non immanens: tum quia daretur ratio voluntarij, & non à principio intrinſeco, quod eſt contra definitionem voluntarij.

§. 21. Tandem, quia daretur creatura rationalis, nullo modo libera, & quæ cognoſceret bonū eſſe amandum, & non poſſet ſe in illud mouere, libertas enim in actione conſiſtit. Sequelā probo, quia poteſt Deus facere creaturam intellectiuam, illi tribuendo propriam eius eſſentiam: hæc autem conditio eſt communis viuentibus iam creatis, vnde autem colligis eam eſſe neceſſariam omnibus creabilibus? Vel ſaltem licet ſit omnibus neceſſaria, negari non poteſt in tua ſententia actum voluntatis eſſe accidentaliter voluntarium: quia eius eſſentia non petit eſſe à principio intrinſeco.

SVBSECTIO III.

Alia abſurda reſponſio.

§. 22. HVic argumento facilè dant manus nonnulli; admittentes poſſe eſſe aliquem intellectum, qui cognoſcat obiectum per cognitionem, quam ipſe producere non poſſit; & habere amorem ortum adæquatè ab extrinſeco agente; & cui repugnet fieri ab amante. Quia intellectio creata adæquatè conſiſtit in illa qualitate; intelligens autem creatum in actu primo, eſt quod poteſt ex natura ſua illam imaginem habere.

§. 23. Non eſt leue argumentum, quod hos authores in ea conijcit angiporta. Ac primum id tam ſine authore dicunt, vt nullum poſſint adferre. Quod enim aliqui Nominales, adducti §. 9. cenſuerint viſionem productam à ſolo Deo; non negarunt eam poſſe ab intellectu produci; immo explicatum habent non difficilem; tribuunt enim beatis libertatē in amorem beatificum; quia illum habent ſponte; quod ſine actione eſſe non poteſt. Item illis refragatur definitio volūtarij *à principio intrinſeco cognoſcente ſingula.* Quæ definitio eſſet mutila niſi de ratione voluntarij vt ſic, eſſet à principio intrinſeco: vt hominis definitio eſſet mutila, ſi poſſibilis eſt aliquis homo, qui non ſit *animal rationale*. euertunt ergo omnē philoſophandi rationem; qui non ſtant fixi definitionibus frequenter acceptis.

§. 24. Secundò impugnantur, quia in illorum ſententia materia prima vnitur immediatè qualitati cognitionis ſenſitiuæ, & appetitionis: & in aliorum opinione materia per potentias vitales tam vnitur ſenſioni, quàm albedini per quantitatem: ergo materia in illorum ſententia tam eſt ſentiens nunc ea qualitate, quàm intellectus, quem fingunt, eſſet, cognoſcens per qualitatem aliunde productam. Probo conſequentiam; quia in illorum ſententia, intellectus ille eſſet intelligens, quia ex natura ſua poſſet vniri cognitioni, licet illam non poſſet producere; ſed materia prima ex natura ſua poteſt vniri ſenſioni: ergo tam ſentit nunc quàm intellectus ille tunc cognoſceret. Conſidera enim tum illum intellectum purè paſſiuum; non eſſet magis actiuus, quàm nunc materia prima: nec haberet niſi paſſiuū ordinem ad intellectionē; quem nunc habet materia ad ſenſionem. Cur hęc eſt ineptior ad ſentiendum & amandum, quàm ille eſſet? Ratio ergo à priori eſt; quia viuens creatum conſtituitur per principium actiuum cognitionis: viuens autem vt ſic, vt cōprehendit ſola cognoſcentia, eſt tendentia in obiectum, non habita ab extrinſeco adæquatè: quod etiam conuenit Deo.

Dicent, etiam intellectum illum ſe moturum ab intrinſeco: quia per illam cognitionem nulla res intelligeret; niſi intellectus cui intrinſecè vniretur: & quia cognitio eſt motus intentionalis, ideo intellectus moueretur intentionaliter ab intrinſeco. Ratio autem voluntarij eſſet ab intrinſeco hoc modo. Contra: tunc abſolutè ille intellectus non moueretur ab intrinſeco; quia cognitio tunc non eſſet abſolutè nec motus, nec terminus motus ab intrinſeco: quia mouetur abſolutè; quod habet abſolutè motum; item mouet, quod efficit motum abſolutè: & ſe mouet, quod efficit in ſe abſolutè motum; at tunc intellectus nō efficeret in ſe abſolutè motum; ſed illum acciperet ab extrinſeco: ergo abſolutè non ſe moueret ab intrinſeco, ſed metaphoricè tantùm: vt Deus ſe mouet cognitione: quæ motio eſt metaphorica; abſolutè autem & propriè eſt non motio. Et vt quantitas non ſe mouet accipiens albedinem, ſed mouetur ab alio: & materia nunc habet motum illum intentionalem in obiectum ſenſile; item & appetitionem. Nec tamen ſe mouet; nec percipit, aut amat: ergo illud genus motus non ſufficit ad vitam intentionalem: alioquin materia ſentiret. Voluntarium autem definitur per principium intrinſecum actiuum propriè, in rebus creatis, & non metaphoricum; quod propriè & abſolutè non eſt principium actiuum actus. §. 25.

Reſpondebunt alij, ex argumento facto §. 20. non concludi, poſſe eſſe intellectum non actiuum: quia ſequerentur duo prędicata cōtradicentia mutuo: primum, illum non fore actiuū; quod à nobis inde probatur; quia poteſt eſſe intellectus cum ſola eſſentia intellectiui; quæ eſt poſſe habere perceptionē obiecti. Item & eſſet actiuus; quia eius cognitio, cū ſit ordinis naturalis, poteſt ab illo fieri. §. 26.

Contrà pars prima contradictionis à me bene probatur: quia ſi in cōceptu intellectiui vt ſic, non includitur formaliter actio & paſſio in actu primo; ſed ſola vnio cum cognitione; non implicat intellectus petens in actu primo ſolam vnionem paſſiuam cum cognitione. Secunda vero contradictionis pars, à te haud probatur. Primùm; quia multæ formæ dependentes à ſubiecto ſunt naturales, & petunt fieri à ſolo Deo; quales ſunt cęlicæ; & quantitas in multorum opinione: nam ad conceptum formæ naturalis ſufficit eam deberi alicui naturali potentiæ. Secundò; quia poſſet intellectio illa produci ab alio agente naturali: quia vel ab aliqua qualitate ſupernaturali; vt nunc fit; vel ab aliqua naturali ſubſtantia. §. 27.

Alij forte reſpondebunt; primam partem contradictionis haud probari à me: multæ enim cōditiones poſſunt eſſe inſeparabiles diuinitus: vt intellectus noſter eſt productiuus vnionis ſuę qualitatis ad ſe; nec tamen pertinet ad conceptum formalem intelligentis §. 28.

intelligentis in actu primo, illam poſſe producere. Reſpondeo; conditiones eſſe inſeparabiles ab iis, quorum ſemel ſunt conditiones: quia dicunt ad illas ordinem tranſcendentalem: at verò conceptus quidditatiuus illarum rerum poterit in aliis reperiri ſine tali ordine tranſcendentali; in aliis (inquam) diſtinctis ſpecie, e.g. Animal in equo eſt ordo tranſcendentalis ad quatuor pedes; ſine quo ordine non poteſt eſſe equus: at, quia conceptus quidditatiuus animalis poteſt concipi abſque illo ordine, ſecundum conceptum genericum animalis; poteſt reperiri in alia ſpecie ſine ordine ad quatuor pedes, & ſine ordine ad pedes.

§.29. Ita intellectus creatus vt ſic adæquatè conſiſtit in ordine tranſcendentali ad vnionem cum qualitate illa: omnes intellectus creati nunc exiſtentes dicunt etiam ordinem ad actionem; quia illorum qualitas eſt vita intentionalis & phyſica: alij verò intellectus poſſibiles dicent ordinem ad ſolam vitam intentionalem & non phyſicam. In hoc nulla cernitur repugnantia. Ergo hæc pars ſatis à me probatur.

§.30. Quod affertur de vnione non vrget: primùm, quia de conceptu agentis formam è ſubiecto eſt, illam poſſe vniri eidem ſubiecto: quia eductio aut eſt vnio formaliter, aut radicaliter; id eſt, radix ex qua oritur vnio. Ac propterea ſicut nullum poteſt eſſe agens extrinſecum formam educens, quod non poſſit eamdem vnire, ita nec agens intrinſecum. Itaque virtus ad vniendam formam eſt attributum eamdem formam agentis: illa autem virtus in noſtro intellectu, non eſt formaliter intellectiua; quia hæc eſt formaliter ad motum in qualitatem cognitionis: eſt tamen vitalis, & attributum intellectus, & in hoc ſenſu intellectualis.

§.31. Deinde reſpondeo, nihil ſequi cōtra conceptum intelligentis ex intellectu aliquo poſſibili; qui poſſet ſe ab intrinſeco mouere, & in ſe producere qualitatem vitalem; quam ipſe ſibi vnire non poſſet quia integra definitio vitæ in illo reperiretur; nempe principium ſe ab intrinſeco mouendi in qualitatem & obiectum: qui contineret in actu primo actionem, paſſionem & terminum: quibus connaturaliter deberetur vnio. Et in actibus voluntatis oſtenderetur libertas, quæ formaliter in actione conſiſtit. Vnio autem qualitatis fieret à Deo; vel alio agente; etiam in actu prauo: quia illa vnio eſſet in ſe formaliter bona, bonitate naturali; at de moralitate nec haberet bonitatem, nec malitiam; quia nec eſſet actio ab intrinſeco, nec terminus illius: ſed terminus actionis omnino ab extrinſeco. ergo eadem ratione poſſet eſſe intellectus & voluntas merè paſſiua.

§.32. Nolunt huic conſequentiæ ſuccumbere, ac reſpondent, impoſſibilem eſſe cum intellectum; quia non poteſt denominari intelligens niſi principium actiuum intellectionis: quia materia prima ideo non eſt ſentiens, quia non eſt actiua ſenſionis. Ratio à priori; quia intellectio exigit ſubiectū aptum. Vnde ex lapide & cognitione non oritur *cognoſcens* ob incapacitatem ſubiecti. Reſpondeo maiorem eſſe abſolutè veram; quia in ſententia communi intellectiuum creatum conſtituitur formaliter per principium actiuum cognitionis: & cui repugnat hæc ratio principij eſt ſubiectum ineptum ad intelligendum. Quod probatur exemplo materiæ primæ, & lapidis.

§.33. At in ſententia quam impugno, eſt diuerſa ratio: quia aptitudo ad intelligendum, tantum eſſet aptitudo naturalis ad intellectionem. Eáque ratione dixi diſput. 4. materiam primam eſſe ſentientem in ſententia conſtituente ſenſionem in ſola qualitate; quia eſt ex natura ſua potentia naturalis paſſiua eius qualitatis. exemplum lapidis eſt durum; quia lapis non dicit naturalem ordinem paſſiuum ſenſionis, vt cum dicit materia iam animata.

Tandem eſto, ne materia ſentiat; quia tantum exigitur vt cauſa partialis ſubiectiua, vt ab ipſa ſenſio ſit materialis: adhuc nihil eos iuuat: quia intellectus ille, de quo diſputo, eſſet cauſa determinata, & ex ſe dicens ordinem ſubiecti adæquati, determinatum ad expreſſionem obiecti. Quid illi deeſſet vt intelligeret? aut vnde probant principium actiuum eſſe neceſſarium? Nunc enim forma ſentit, & non corpus: quia forma eſt ſubiectum determinatum ſenſionis, illam petens ex conceptu ſuo, non ad materialitatem, ſed ad formalem effectum. Et quia hic determinatus ordo eſt coniunctus cum virtute actiua, ideo de facto nulla ſubſtantia eſt cognoſcitiua niſi ſit actiua. At in eo caſu determinatus ordo ad intellectionem, & adæquatus ad ipſam & eius effectum, eſſet in ſola potentia actiua: vt materia eſt determinatus ordo ad quantitatem. §.34.

Stat ergo argumentum in §. 7. intellectiuum creatum in actu primo eſſe formaliter ordinem ad actionem, paſſionem, & terminum: intellectionem autem eſſe actionem, paſſionem, & terminum: quia intelligens in actu ſecundo eſt per exercitium adæquatum intelligentis in actu primo. Hoc autem exercitium præcipuum eſt qualitas; minus præcipuum eſt actio, & paſſio. Ergo intellectio præcipuè includit qualitatem; minùs autem præcipuè actionem, & paſſionem. §.35.

SVBSECTIO IV.

Reſponſum aliorum.

Sentiunt alij argumenti vim; cui reſpondent, qualitatem eſſe actum ſecundum, per quem potentia vitalis reducitur in actum per modum termini: neque eſſe neceſſarium ad rationem intelligendi vt ponantur omnia per ordinem, ad quæ viuens conſtituatur in actu primo: vt enim omnipotentia exerceatur, non requiritur productio rerum omnium poſſibilium: ſed ſufficit productio vnius rei. Quapropter ſi ſola qualitas poneretur à Deo in intellectu creato, ille redderetur intelligens. §.36.

Hæc opinio & inuita, & cum nulla conſequentia recidit in eam, quam à §. 9. impugnaui, de viuente in actu primo. Quod inde patet, quia per te intellectus intelligit, & viuit in actu ſecundo adæquatè, per ſolam qualitatem, & non per actionem, & paſſionem: ergo viuens in actu primo, non eſt actiuum, & paſſiuum formaliter in actu primo. Patet conſequentia: quia principium actiuum, & paſſiuum non poteſt formaliter reduci in actum ſecundum, niſi per actionem, & paſſionem; nam actus actiui & paſſiui eſt formaliter actio, & paſſio. §.37.

Confirmatur, non poteſt calefactiuum reduci formaliter in actum per ſolum calorem ſibi vnitum, niſi habeat calefactionem: ſi enim igni ab extrinſeco vniatur calor, exercet quidem calefactibilem potentiam, non tamen calefactiuam. Ergo potentia actiua in quantum actiua non reducitur in actum per ſolum terminum, ſed etiam per actionem. Confirmatur ſecundò, per te intellectio conſiſtit in illo termino, quia eſt exercitium potentiæ actiuæ: ſed etiam actio immanens eſt exercitium principij actiui, & paſſiui: ergo intellectio conſiſtet §.38.

in

in actione immanenti, erúntque duæ intellectiones: altera vt via, altera vt terminus.

§.39. Exemplum de omnipotentia non eſt è re. Nam ad exercitium alicuius potentiæ, non requiruntur omnia exercitia determinatè: ſed aliquod indeterminatè; illud tamen debet includere omnem conceptum eſſentialem exercitij talis potentiæ:etenim ad videndum neque exiguntur omnes luces, neque viſiones omnes:ſed aliqua lux, & viſio aliqua: quæ tamen ſint eſſentialiter lux, & viſio: ita ad agendum & patiendum non requiruntur omnis actio, & paſſio, ſed aliqua: & ad intelligendum non exiguntur omnia exercitia potentiæ intellectiuæ, ſed aliquod,quod ſit eſſentialiter exercitium illius,hoc autem eſt aliqua actio, paſſio, & terminus.

§.40. Confirmatur euidenter. Nam implicat intelligi rem agentem, quin intelligatur actio ab illa dimanans, ergo implicat intelligi potentiam actiuam in actum reduci, quin intelligatur actio: quia potentiam eſſe agentem eſt eſſe reductam in actum. Aduerte ab actione exiſtente potentiam denominari agentem; & ab eadem actione in potentia, denominari actiuam (vt explicui diſputat.8.Phyſic. ſect. 2.) ergo ſicut actiua connotat actionem, per quam poſſit agere, ita & faciens. Si ergo intellectus creatus eſt eſſentialiter actiuus in quantum eſt intellectus: non poteſt intelligi reducibilis in actum intelligendi ſine actione, magis quàm in actum agendi. Vnde ſicut ſola qualitate nec eſt agens, nec actiuus, ita nec viuens actu, nec potentia; ergo nec intelligens: patet conſequentia, quia viuens eſt genus,intelligens autem ſpecies: ſed genus continetur in ſpecie, ergo viuens in intelligente: ſed viuens per te includit formaliter actionem, ergo & intelligens.

§.41. Adhuc vrgent, non eſſe opus ad intellectionem actualem concurrere omnia, quæ intellectus includit in actu primo. Nam in actu primo includit vim ad vnionem: intellectus enim eſt vnitiuus qualitatis: & tamen vnio non eſt intellectio etiam partialiter: ergo nec actio erit pars intellectionis,licet in actu primo intelligatur eam continere. Mirum eſt quantum iſti laborent, vt nullum lapidem non moueant. Primùm, quamuis vnio non eſt de ratione intellectionis, vt dicam §. 89. eſt tamen de conceptu intelligentis in actu ſecundo. Ac propterea intelligens in actu ſecundo includet tanquam conceptus per quos formaliter intelligit; actionem,paſſionem,qualitatem,& eius vnionem: quia hæc omnia continet in ratione intellectiui in actu primo. Vt principium calefactiuum continet actionem,paſſionem,calorem tranſeuntem & vnionem; calefaciens autem ea omnia formaliter includit. Vnio ſpectat ad conceptum intelligentis tam formaliter quàm ad conceptum calidi: quia eſt ratio, per quam forma communicat ſuum formalem effectum.

§.42. Secundo iam oſtendi §. 30. & 31. vim actiuam vnionis non eſſe formaliter vim intellectiuam, ſed eius attributum. Vnde adæquatum exercitium intellectus creati, vt eſt creatus; eſt actio, paſſio, & terminus. quia per hæc formaliter definitur; & ad hæc dicit eſſentialiter ordinem tranſcendentalem. Vnio autem vitalis eſt proprietas intellectionis;vnde oritur ab attributo virtutis intellectiuæ.

§.43. Cum ergo intellectus ſecundum quidditatiuum conceptum intellectus ſe exercet;cõcipimus actionem,paſſionem,& terminum,vt rationes formales intelligendi:cum autem completè exercetur ſecundum conceptus attributorum; concipimus vt eius exercitium vnionem ipſam. Siue ergo eſſe principium vnionis ſit de eſſentia intellectus, ſiue attributum, ſemper ſtat argumentum in §.7. viuens in actu ſecundo conſtitui actione, paſſione, & termino. Siue in hoc termino includatur formaliter vnio; ſiue vt proprietas.

SVBSECTIO V.

Quid tandem reſpondeant alij.

Fatentur tandem alij hoc argumento probari non diſtingui actionem à qualitate; eáque ratione aſſerunt intellectionem adæquatè conſiſtere in actione,paſſione,& qualitate:quia hæc ſunt adæquatum exercitium potentiæ vitalis creatæ. Non poſſe ad intellectionem formaliter pertinere actionem diſtinctam à qualitate, probant argumentis proponendis à §.73. Debere autem intellectionem conſiſtere in qualitate, probant meis argumentis: quibus etiam probant actionem, & paſſionem eſſe de conceptu intellectionis. Vnde deducunt intellectionem creatam eſſe actionem, paſſionem, & qualitatem indiſtinctas realiter. §.44.

Hæc ſententia mecum conuenit in intellectione conſtituenda in actione, paſſione, & qualitate: diſſentit autem in non diſtinguenda actione, & paſſione ab ipſa qualitate. In quo hæc ſententia nec probabilitate caret,nec fundamento in S.Thoma,opuſc.48. tract.de prædicam. cap.1.de actione: immanentem enim ablegat ab eo prædicamento; & retinet in eo tranſeuntem iis verbis. *Similiter intelligere,& ſentire ſunt actiones immanentes; quia dicunt actum intelligendi, & ſentiendi eſſe actu in intelligente, vel ſentiente: hæc autem actio immanens non eſt directè in prædicamento actionis.* Quibus oſtendit apertè, quam contra ipſius mentem conſtituant aliqui Thomiſtæ cognitionem eſſe actionem prædicamentalem abſque termino producto, cum intelligere, & ſentire dicat S. Thomas non ſpectare ad prædicamentum actionis. Conſentit Thomas alter in 1.p.quæſt.54.art.1.prope finem. *Nec obſtat* (inquit) *quod intelligere dicatur actio; tum quia eſt immanens; tum quia ſecundum veritatem magis habet de ſignificari, quam eſſe actionis.* §.45.

Diſplicet tamen ea opinio: primùm,quia nullo fundamento ſoli qualitati vitali adſcribit identitatem cum ſui productione. S. Thomas nihil eis fauet: adductus enim §.4. & alibi adducendus,apertè diſtinguit in intelligente creato actionem ab ſpecie expreſſa, ſeu verbo: & in vtroque conſtituit formalem rationem intelligendi. Adductus autem §. 45. tantum voluit intellectionem non efficere aliquid aliud in ratione actionis; id eſt, totam intellectionem non eſſe rationem agendi aliud: at non negat in ea eſſe veram actionem. Caietanus nobis fauet: quia intelligere ſonat agere: at verò minus habet de actione:quia præcipuè eſt qualitas. Loquitur autem in ſenſu adducto ex S.Thoma. §.46.

Secundo diſplicet; quia qualitas illa non pendet magis à ſubiecto quàm albedo, & cetera accidentia abſoluta; ſed hæc non pendent per ſuas eſſentias, ſed per actiones diſtinctas: ergo. Maior probatur:tum quia omnia entia abſoluta habent communem modum dependendi à cauſis creatis: tum quia diſcrimen qualitatis vitalis à non vitali ſatis oſtenditur, quod vitalis petit ex ſua natura oriri ab eodem principio à quo recipitur; ſecus qualitas non vitalis. Cum hoc enim diſcrimine, ſatis intelligimus quid ſit qualitas vitalis; quid tranſiens. Ergo ob conceptum vitalitatis non eſt identificanda qualitas cum actione. Quod explico:quia accidens §.47.

diſtin

diſtinguitur ſatis à ſubſtantia; quod illud petit natura ſua inhærere. Ergo ſatis diſtinguitur qualitas vitalis; quia natura ſua petit ab eodem principio fieri, & recipi. Cum ergo hoc diſcrimen ſit ſatis; non eſt fundamentum in vitalitate ad idemtificandam actionem cum termino: maximè cum in nutritione eadem ſit ratio. Quod autem in diſtinctione actionis à qualitate ſint nonnullæ difficultates, nihil obeſt: ſunt enim ſuperandæ; vt tu ſuperas quæ in tua ſententia occurrunt. Nec enim comminiſcendæ ſunt ſententiæ ob ſolam difficultatum fugam. Sed quærenda ſunt fundamenta; difficultateſque vincendæ.

§.48. Tertio diſplicet: quia qualitas illa erit modus, & non res abſoluta. Hoc autem eſſe falſum oſtendam diſput.2. Met. ſect.5. & 6.. Maior probatur: quia illa qualitas eſt inſeparabilis à ſubiecto de potentia abſoluta: in quo collocatur natura modi. Item eſſet eſſentialis determinatio intellectus ad obiectum; in quo ego ſtatuo conceptum formalem modi. Dicunt eam eſſe operatiuam; quod eſt contra rationem modi. Contra; eſſentia modi à nullo conſtituitur in negatione virtutis ad agendum; multa enim ea virtute carent, quæ non ſunt modus: vt quantitas; ſubſiſtentia, & alia. Item vt modus poteſt eſſe ſubiectum alius modi, cur non poterit eſſe principium? vnio enim eſt ſubiectum vbicationis, quidni & ſpeciei impreſſæ, per quam cognoſcatur? aut cur in prima generatione, non fiet vbicatio ab vnione? Tandem ipſi dicunt, nullum eſſe habitum acquiſitum; quid ergo producit voluntas? pone vltimam electionem; & gaudium. Hoc quid producit?non habitum per te,non alium actum, nec obiectum: quid ergo? erit ergo modus, & non res abſoluta.

§.49. Denique ex hac ſententia euertuntur aliæ communes: quia non poterit habitus acquiſitus concurrere ad actum eiuſdem ſpeciei cum quo genitus fuit: quia illa qualitas differet ſpecie pro principiorum diuerſitate, (vt nunc pono): nec habitus erit ad facilè,ſed ad ſimpliciter poſſe:quia ille actus, qui ab eo penderet, non poſſet etiam diuinitus abſque illo fieri: item auxilio extrinſeco, & habitu infuſo non poſſet produci idem actus in ſpecie eamdem ob cauſam.

§.50. Dices, mirum eſſe hæc argumẽta à me fieri; in cuius opinione eædem ſententiæ communes euertuntur.Nego: habitus enim acquiſitus in mea ſententia nõ concurrit actiuè ad actum: qui propterea non erit diuerſus. Hi autem authores docent concurſum actiuum habitus acquiſiti in actum,ſi detur eiuſmodi habitus. item admiſſo eo concurſu, non eſt eadem ratio: quia idem numero actus poteſt fieri ab habitu & auxilio extrinſeco:idem dico inadæquatè. Eadem enim qualitas produci poteſt actione mũtata ob mutationem agentium. Et quia præcipua pars actus vitalis eſt qualitas; ideo ea manente cum alia actione; dici poteſt idem actus manere; ſicut eſt idem homo puer & vir, quia licet mutentur partes materiæ, non tamen animus præcipua pars.

§.51. Mitto alia argumenta; quæ ego propoſui atque diſſolui diſp.12. Phyſ.à §.55. quia ſunt communia huic ſententiæ,& meæ quam ibi propoſui. Nec verò opus eſt modo diſtincto ab agente & termino ad relationem agentis: ſufficit enim realis diſtinctio agentis à termino: vt in perſonis diuinis cernitur. Hic obſeruandum; non eſſe diſtinguendam actionem, qua ſpecies, & Deus concurrunt ab ipſa qualitate: quia ea actio haberet pro termino qualitatem,quę eſſet phyſica prædeterminatio,& conſtituerentur duæ actiones partiales realiter diſtinctæ. Satis autem abſurdè ponitur qualitas abſoluta dependens per ſuam eſſentiam ab ſpecie impreſſa; & aliis cauſis operantibus tranſeunter.

SVBSECTIO VI.

Argumenta cetera pro concluſione.

§.52. SEcundò probo concluſionem, quia intelligere creatum eſt dicere, dictio autem includit formaliter & verbum, & illius productionem,quæ eſt illius prolatio, ergo intelligere creatum formaliter includit terminum, qui eſt verbum, & illius productionem. Maior eſt ſine controuerſia, tum quia dictio vocalis, & verba materialia ita vocantur per analogiam ad internam loquutionem: & verba facere prius dicitur de verbo mentis: tum etiam quia prolatio externa vocatur *dictio*,quia per illam profertur verbum obiecta ſignificans, quod formalius reperitur in mente: tum tertiò,ſcriptura Matth.9. *dixerunt intra ſe, hic blaſphemat*, quibus Chriſtus obiecit *vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Itaque dicere intra ſe,& cogitare ſunt idem, vt hinc apertè colligitur, & rectè oſtendit Pat. Vazquez ex Auguſtino, tom.2.1. part. diſput.112. num.7. Probatur minor, tum quia in diuinis ſolus Pater dicit, quia ſolus Pater Verbum producit intelligendo, vt pono ex Theologia vt omnino certum, vt etiam hac in parte noſter aduerſarius P. Vazquez ſupponit ſupra numer.9. & quando Deus dicitur dicere, intelligitur metaphoricè,ſicut dicitur affici dolore: vel dici exterius dando externa ſigna, tum etiam, quia dicere ore, aut ſcribere, formaliter includit verbum, quod eſt qualitas ſoni, & motus per quem fit: item characterem, & actionem ſcribendi: nullus enim negabit ſcribere, actionem includere. Igitur loqui internè includit verbum, & illius prolationem: nam ſicut loquutio externa, & ſcriptio eſt productio imaginis ad libitum repræſentantis, ita interna loquutio eſt productio imaginis ex natura ſua repræſentantis obiectum. Adi S.Thomam. 1. p. quæſt. 34. art.1.

§.53. Pat. Vazquez ſupra diſp.141. num. 122. conatur, internam loquutionem conſiſtere in ſolo verbo: quia per illud exprimitur obiectum,& fit præſens intentionaliter: tum etiam, quia cum Chriſtus conqueſtus eſt de Iudæis, non dixit, *vt quid loquimini verba mentalia? ſed, vt quid cogitatis blaſphemias? ſiue dicitis?* ergo non dicitur verbum interius, ſed exterius per illud, neque ruſticus dicet ſe cogitare verbum mentale, ſed obiecta.

§.54. Non aſſentior: tum, quia ſola obiecti repræſentatio non eſt dicere:Spiritus enim ſanctus obiecta cognoſcit, & habet intentionaliter præſentia, & tamen non dicit intra ſe, ergo ſola formalis obiecti repræſentatio non eſt dictio: neque etiam eſt ſcribere ſolus character. Chriſtus autem dixit, *vt quid cogitatis mala?* quia idem eſt formaliter *obiectum dicere, & verbum dicere: ſicut ſcribere characterem, & obiectum ſcribere:* ruſticus autem ita reſpondet, quia communiter curamus de obiectis, quæ dicuntur vt *quod*, eſtque hoc diſcrimen, quòd verba vocalia, & mentalia, quia conſpectum fugiunt, vix homini ruſtico incidunt in ſermonem. Quod ſi illi dicas à te dici verba, quæ ſunt qualitas ſoni; cenſebit ſe à te irrideri: characteres autem, aut imagines depictæ, quia oculis ſubiiciuntur, frequentius incidunt in ſermonem, & ita dicimus pictorem pingere imaginẽ, & ſcriptorẽ characterem

ſcribere:eodem modo ore loquimur verba vocalia: & mentalia mente. Mihique accidit mirum negari verba dici, atque proferri, cum nullo alio modo obiecta dicantur,niſi dictione verborum: eſt enim formaliſſimè idem, ſcribi characterem, & obiectum: quia ſcribere characterem eſt dare ſignum rei;ita facere verba eſt dare ſigna obiecti: & per ea ſigna dicuntur obiecta: id eſt, exprimuntur.Quod apertè cõſtat ex Trinitate. Pater enim dicit intrinſecè verbum, & extrinſecè obiecta illo repræſentata:eſtque in Patre dictio actiua; & paſſiua in Filio. Verbum ergo internum dicimus;item & eius obiecta. Quod conſtabit apertius ex quinta, ſextáque ſectionibus: & ſect.2.§.81.

§.55. Tertiò ſic argumentor: ſi vitalis actus in ſola qualitate conſiſtat,ſenſio reddet materiam primam ſentientem,vt diſput.4. probaui ſect.2. nam vnitur materiæ primæ, neque enim poſſet illi ex natura ſua vniri, quin illi communicaret ſuum formalem effectum: quod nonnulli ex aduerſariis adeo certum exiſtimant, vt opinentur intellectionem non poſſe diuinitus in lapide collocari, quia illum redderet intelligentem.Recognoſce à §.22.

§.56. Quartò, quia poſſet Deus actum amoris creare, illúmque vnire voluntati; vnde ſequeretur voluntatem poſſe amare quod non cognoſcit, quod patebit ſect.4.

SECTIO II.

Aliorum ſententias, & argumenta inpugno.

§.57. MVltorum opiniones oportet examinare;quarum libratis ponderibus, hæc noſtra arridebit magis: eadémque ratione proponuntur argumenta,quibus à nonnullis hæc inpugnatur.

SVBSECTIO I.

Opinio conſtituens actum vitalem in ſola actione & paſſione, abſque termino.

§.58. PAt. Ludouicus Molina 1. part.quæſt.12. art.2. adfirmare videtur,intellectionem in ſola actione conſiſtere. Verùm ex ipſo oſtendi eum ſentire intellectionem includere actionem & verbum: per quod intelligimus tamquam per terminum. Eam ſententiam Thomiſtæ cateruatim ſequuntur adſerentes intellectionem eſſe actionem ſine termino, alij verò eam quandoque habere terminum intrinſecum, quandoque non, quos videre potes apud Pat. Molin. ſupra, & Conimbricen. 3. de anima cap. 8. quæſt. 3. artic. 1. quam ipſi ſecuti videntur art.3.Probatur primo,ex Ariſto.actionem diuidente in tranſeuntem,& immanentem:& inter immanentes connumerat cognitionem: illúmque agere de vera actione prædicamentali, & non de Grammaticali(vt exponit,Pat.Vazquez 1.2.diſputatio.9. conſtat aperte, quia actio grammaticalis non eſt vera differentia actionis propriæ; at verò Ariſto. diuidens actionem propriam in communi,adſignat tamquam ſpecies oppoſitas actionem tranſeuntem, & immanentem.Item adſtruit Ariſtotel.humanam fœlicitatem in actione conſiſtere, alibi autem in contemplatione,ergo contemplatio eſt actio.

§.59. Hoc argumentum probat noſtram ſententiam, ſcilicet cognitionem conſiſtere partialiter in actione. Ariſtot. autem nunquam excluſit qualitatem, ſed illam ſæpius adſtruxit, vt probat Pat. Vazquez 1.par.diſputat.114.

Secundum argumentum eſt,quia viuere eſt immanenter operari, ergo vita actualis eſt operatio immanens. Confirmatur, ex eo præciſè vegetatiua viuunt, quod immanenter operantur. Secundo, quia intelligere eſt exprimere in ſe obiecti repræſentationem, ſed talis expreſſio eſt actio, ergo. §.60.

Reſpondetur, immanenter operari includere terminum operatum, & actionem immanentem. Ad primam confirmationem reſpondetur, vegetabilia viuere in actu ſecundo per actionem, & terminum. Quorum vita in actu ſecundo non eſt adæquatè accidentaria. Ad ſecundam reſpondetur expreſſionem includere actionem & verbum, ſiue ſpeciem expreſſam. §.61.

Impugnatur autem hæc opinio à priori, quia actio vitalis, & expreſſio imaginis, & obiecti procedit etiam à Deo,& tamen Deus non viuit per illam,ergo intelligere magis eſt,quàm agere:eſt enim actio immanens, quæ formaliter dicit paſſionem in eodem ſubiecto, à quo fit. §.62.

Secundò probo intellectionem includere qualitatem: quia intellectio eſt potiſſima perfectio intellectiuæ potentiæ, qua nullum accidens eſt in homine perfectius: ſed actio non eſt tam perfecta, quàm eius terminus,ergo actio illa ſola non eſt intellectio.Probatur minor,quia terminus perfectior eſt quàm actio: eſt enim actio via,& modus ex natura ſua ad terminum:item actio eſt modus, & terminus eſt res abſoluta. §.63.

Confirmatur, obiectum immediatè denominatur cognitum:ſed ſola actio non denominat cognitum immediatè, ergo in ſola illa non conſiſtit intellectio. Probatur minor: quia actio immediatè verſatur circa ſuum terminum intrinſecum, verſatur autem circa obiectum,in quantum eſt expreſſio imaginis obiecti.Itaque ratione qualitatis verſatur circa obiectum. Quod explicatur à priori, quia intelligere eſt potentiam intellectricem aſſimilari obiecto intentionaliter, ergo includit formaliter qualitatem: quia qualitas eſt ſimilitudo formalis & intentionalis obiecti, quia eſt formalis illius repræſentatio. §.64.

Neque exiſtimo qualitatem excludi à ratione intellectionis ab omnibus authoribus huius ſententiæ, vt patet ex Pat. Molina ſupra, & Conimbricen.3. de anima, capit. 8. quæſt. 3. artic. 2. hac vltima ratione vtentibus: nam illa qualitas eſt intentionalis tendentia in obiectum. Quod poteſt confirmari, quia voluntas mouetur per illam qualitatem: ergo illa habet rationem cognitionis partialiter: conſequentia patet: quia voluntas per cognitionem mouetur: antecedens probatur. Quia voluntas mouetur ſaltem partialiter per formalem repræſentationem boni, aut mali. Hæc autem formalis repræſentatio qualitatem inclúdit. Vide ſectio.8. §.65.

Hæc opinio Thomiſtica eſt bipartienda, vt inſinuaui §.58. Nonnulli enim cenſent actionibus intuitiuis non formari verbum; ſed cognitionem eſſe accidens de prædicamento relationis, neque per illam aliquid produci de alio prædicamento, contra quos agendum diſput.16. Met. Nunc ſufficiant contra eam ſententiam duo Thomæ adducti §.45. conteſtantes intelligere, & ſentire non eſſe de prędicamento actionis.Impugnantur itẽ hic priuatim; quia ea actio non eſt repræſentatio effectiua obiecti;quia non efficit eius repræſentationẽ. Imago enim effectiua, alicuius formalis imaginis eſt effectiua; vt ſpecies impreſſa eſt virtualis imago obiecti;quia eſt virtus ad imaginem formalem: §.66.

actio

actio autem illa non ſolùm eſt effectiua imaginis, ſed effectio: at effectio imaginis formalis conſtituit à parte rei imaginem ipſam formalem; ergo ſi actio eſſet imago effectiua, efficeret imaginem formalem.

§.67. Nec item illa actio eſt imago formalis obiecti: tum quia in beatis refugiunt ij authores eam imaginem; quia eſſet ſimilitudo Dei: tum quia imago formalis eſt qualitas in nobis, & non actio. Quod confirmari poteſt ex Trinitate; vbi Filius eſt imago Patris non per productionem actiuam; quæ vt actiua reſpondet prædicamento actionis; ſed per terminum intrinſecè per illam productum, quod eſt verbum. ergo eadem ratione noſtra actio intellectualis non eſt formalis imago obiecti, ſed verbum illâ intrinſecè productum. Hæc ſententia tam abſona rationi eſt viſa nonnullis, vt cenſuerint eam adſtrui ab authore nullo: immeritò tamen; multi enim in beatis admittũt viſionem de genere actionis abſque termino, & ſimilitudine formali obiecti. Quod ſi dicerent eam eſſe ſimilitudinem formalem obiecti, reciderent in ſententiam propoſitam §.44. & illa actio eſſet verbum, & ſpecies expreſſa.

§.68. Denique, ſi illa actio eſt modus, non poſſet eſſe principium actiuum ſpeciei impreſſæ ſui obiecti: quia modus id præſtare non poteſt: quia ſpecies eſt qualitas abſoluta; quam de alio obiecto à ſe diſtincto non producit. Item nec amor, aut cognitio efficerent habitus ob rationem eamdem. Quamuis enim modus poſſet efficere ſpeciem ſui; quia id cõmune eſt omni obiecto reali; at cur efficiet ſpeciem ſui obiecti, aut habitum? item habitus eſſent ad ſimpliciter, & non facile poſſe: & ad actus ſpecie diſtinctos ab iis, quibus fuerant comparati: recognoſce §.49. Hæc autem abſurda fore inde conſtat; quia intuitio externa producit ſpeciem impreſſam ſui obiecti, quæ defertur ad cerebrum: & in Thomiſtarum ſententia, phantaſma cum intellectu agente producit aliam: item intellectio, & volitio producunt habitus. Vtrum autem cognitio ſit modus? diſputo à §.133.

§.69. Nec apparet, qua ratione illa actio immediatè verſetur circa obiectum. Illud enim non producit phyſicè: beati enim non producunt Deum, nec producit ſimilitudinem obiecti: quia nihil producit. Nec eſt formalis repræſentatio obiecti: quia iam eſſet verbum, & ſpecies expreſſa. Nec dicit obiectum ipſum: quia dicere eſt verbum producere; vt conſtabit ex S.Thom. §.197. & ex Trinitate: in qua Pater dicit generando verbum. Quid ergo præſtat hæc actio circa obiectum? oſtendi ex S.Thom. §.4. idem oſtenſurus à §.97. de conceptu formali intelligentis eſſe actionem & ſpeciem expreſſam. Non miror tam abiectè à pleriſque Doctoribus de hac ſententia ſentiri.

§.70. Alij nullam prædicamentalem actionem admittunt abſque termino intrinſecè producto, ab ipſa actione diſtincto. Cenſent tamen in ſola actione & paſſione conſiſtere intellectionem: tum argumentis factis §.58.59. & 60. tum quia viuens adæquatè conſtituitur per principium actiuum & paſſiuum: ſed exercitium principij actiui, & paſſiui, conſtituitur adæquatè actione, & paſſione: ergo. Nego minorem: quia præcipuum exercitium agentis eſt terminus productus: eſt enim actus ſecundus perfectus. At ſola actio non eſt perfectè actus ſecundus, ſed eſt via ad illum. Actus ergo primus conſtituitur per ordinem ad ſecundum.

§.71. Obiicies Patrem æternum intelligere per actiuam productionem verbi, & non ipſo verbo: ergo & nos. Reſpondeo in paterna dictione actiua eſſe & cognitionem communem: quæ eſt formalis intentionalis ſimilitudo obiecti, & eſſe originem actiuam. quæ ſufficiunt ad intelligendum dicendo. In nobis reperiuntur eadem: nempe origo actiua, & intentionalis imago obiecti: vtroque autem intelligimus & dicimus obiecta vt Pater: cum diſcrimine, quod illa origo actiua non producit aliquid in Patre; ſed in Filio verbum: in nobis autem producit verbum. & vt Filius intelligit & eſt dictus ratione verbi producti, ita & nos. Verbum enim increatum eſt ſapientia genita: quia habet communicatam intellectionem ex vi proceſſionis, addita origine paſſiua.

§.72. Non poſſe intellectionem adæquatè conſiſtere in actione, probatum eſt ſatis ſectione 1. à §.7. Item & hac ſect.2.§.63. & 64. Item confirmari poteſt ex §.67. 68. & 69. Non enim haberet formalem effectum immediatè præſtitum obiecto. Dices, ea dici obiectum, quia per illam producitur intrinſecè verbum. Contra Pater dictione actiua includit & cognitionem, quæ eſt ſimilitudo formalis obiecti, & originem actiuam: ergo & noſtra dictio actiua includit eas duas partes. Quamuis enim verbum noſtrũ adæquatè dicitur ſola actione; tamen & ipſum & actio dicunt *actiuè obiecta*; quæ ab vtroque dicuntur *paſſiuè dicta*: quia dicere eſt repræſentare formaliter obiectum, & facere illius verbum. Nec obiectum dici poteſt, quin dictione formaliter repræſentetur. Eſtque hæc ſententia contra S.Thom. §.4.

SVBSECTIO II.

Qui, & quare conſtituant intellectionem in ſola qualitate, diſtincta realiter ab actione.

§.73. PAt. Vazquez 1. 2. diſputat. 9. cap. 4. & 1. part. diſputat. 141. num. 17. affirmat intellectionem conſiſtere in ſola qualitate, & verbo mentali. Hæc eſt complurium grauiſſimorum authorum aſſerentium beatitatem à ſolo Deo poſſe produci, quos ipſe refert ſupra, cap. 1. adſentire videtur Pat. Valentia, tom. 1. diſput. 6. quæſt. 5. puncto primo, quibus ſubſcribunt è noſtris fere omnes recentiores Philoſophi. Probatur primò, quia intellectio non eſt ens per accidens: ergo non eſt aggregatio qualitatis & actionis: nec item eſt ſola actio; ergo ſola qualitas. Nego antecedens de ente per accidens ſpectante ad duo prædicamenta. Item intelligens creatum eſt ens per accidens: cuius formalis ratio eſt intellectio: at non eſt ens per accidens conflatum ex duabus rebus ſe per accidens connotantibus, ſed eſſentialiter.

§.74. Probatur ſecundò, quia Deus intelligit ſine actione, ergo actio non eſt de conceptu intellectionis vt ſic: ergo neque de intellectione creata. Negatur ſecunda conſequentia: nam (vt dixi diſput. 3.) ratio vitæ vt ſic conſiſtit in principio habendi perfectionem ab intrenſeco. Deus autem illam habet ſine motu: nos autem cum motu: atque inde intellectio diuina eſt vitalis ſine actione, noſtra verò cum illa. Quapropter intellectio diuina vt toti Trinitati communis, non eſt verbum, neque dicit: quia eſt cognitio improducta. Poſſet autem retorqueri argumentum, intellectionem non conſiſtere in qualitate: quia Deus intelligit ſine qualitate, ergo qualitas non eſt de conceptu intellectionis vt ſic, ergo nec de conceptu intellectionis creatæ.

§.75. Confirmatur: quia noſtra cognitio conuenit cum cognitione Dei vt exiſtit in Patre: ergo bene conſtituitur in actione. Probo antecedens, quia

cognitio vt in Patre eſt dictio; quæ includit originem actiuam qua producitur verbum: ſed etiam noſtra cognitio eſt dictio vt includit actionem. Item eſt verbum; ergo intelligimus cõuenienter Filio intelligenti per verbi rationem. Licet ergo noſtra actio vt eſt actio, non conueniat cum tota Trinitate vt communiter intelligente; ſicut non conuenit noſtra qualitas: at ſecundùm conceptum communem perfectionis ab intrinſeco tendentis in obiectum conueniunt.

§.76. Tertio, ſatis acutè argumentatur P. Vazquez illa d.141.num.17. quia ſi cognitio formaliter includit actionem, ergo cognoſcere eſt agere: ergo cognoſci eſt agi, ergo vel obiectum agitur per cognitionem; vel verbum cognoſcitur per ſuam actionem. Probatur prima conſequentia, quia actio debet tribuere ſuum effectum formalem; qui eſt agere, & agi. Diſtinguo antecedens: intelligere eſt agere termini intrinſeci, & repræſentationis obiecti, concedo; eſt agere ipſius obiecti repræſentati, nego. Vnde intelligi eſt agi verbi interni, non verò obiecti. Ad probationem reſpondetur, actionem tribuere termino intrinſeco denominationem acti; non verò cogniti.

§.77. Ad quod aduerte exemplum: pictor per actionem, qua intrinſecè producit imaginem, denominat imaginem productam intrinſecè: obiectum autem denominat extrinſecè pictum: item ſcriptor ſcriptione characterem producit, illúmque denominat intrinſecè ſcriptum: os intrinſecè facit & dicit verba, quæ ſunt ſonus: at obiectum extrinſecè dicitur ſcriptum, & dictum per eamdem ſcriptionem, & dictionem. Idem enim eſt dicere ſonum intrinſecè, & extrinſecè obiectum; ſicut intrinſecè pingere imaginem, & extrinſecè hominem. Aduerte aliqua verba conuenire actioni ſoli, & termino intrinſeco; alia verò conueniunt illis & termino extrinſeco, verbi gratia, *exprimere verbum, ſcribere, dicere, loqui, pingere*, conuenit omnibus, nam actio eſt ratio *pingendi, dicendi, ſcribendi, &c.* Terminus autem intrinſecus, *ſcribitur vt quo, dicitur vt quo, & pingitur vt quo*; terminus autem extrinſecus, *ſcribitur, dicitur, pingitur, vt quod.*

§.78. Aliæ autem voces conueniunt ſolis obiectis, vt *repræſentari, cogitari*; nam per loquutionem non repræſentatur verbum intrinſecè prolatum, &c. ſed obiectum. Itaque dici intrinſecè verbum, eſt produci illud: & obiectũ extrinſecè cognoſci, vel dici. Tandem vno verbo, denominationes phyſicæ ortæ ab actione, conueniunt ſoli termino intrinſeco: vt *produci*: denominationes intentionales conueniunt ſoli obiecto, *vt cognoſci*: denominationes verò mixtæ ex phyſicis intrinſecis, & intentionalibus extrinſecis conueniunt vtrique; *vt dici, pingi*, &c.

§.79. Nec hæc mira: eadem enim res tribuit abſimiles denominationes diuerſis etiam rebus; quia eas abſimili ratione connotat. Actio enim denominat *agens* principium, à quo fit: *patiens* verò ſubiectum, in quod recipitur: terminum autem, quem facit, denominat *productum*: vt cernitur in ipſa cognitione denominatè obiectum *cognitum*: *cognoſcentem* autem potentiam. Non aliter actio vitalis denominat verbum *productum*, & *dictum* intrinſecè: obiectum autem extrinſecè *dictum*.

§.80. Reſpondent actione dici obiectum *dictum* non formaliter, ſed cauſaliter; quia eſt cauſa vt fiat verbum; quod formaliter dicit obiecta. Reſpondeo primùm, ſufficere ad rationem intellectionis illam denominationem cauſalem: quia eſt intentionalis orta formaliter ab actione. Nec opus eſſe vt omnes partes cognitionis immediatè verſentur circa obiectum, ſed ſufficere vnam; alteram verò eſſe neceſſariam, vt tota potentia exerceatur, & dicat: quia in ratione potentiæ creatæ conſtituitur vt formaliter loquutiua obiecti: loquutio autem includit vtrumque. Itaque vt loquendo verſetur potentia circa obiectum, exigitur actio: cognitio autem eſt repræſentare obiectum loquendo: ſicut vnio qualitatis ſpectat ad conceptum formalem *intelligentis*; quamuis immediatè non attingit obiectum.

§.81. Secundo reſpondeo, illam denominationem eſſe cauſalem reſpectu verbi producti, & formalem extrinſecam reſpectu obiecti. Quod probo: quia ſolum verbum non eſt formaliter dictio obiecti: ergo dictio includit etiam formaliter productionem intrinſecam verbi. Antecedens §.54. probaui contra P. Vazq. quod ita confirmo. Si ſolum verbum diceret obiecta, etiam illa diceret Spiritus ſanctus. Quia verbum ea diceret; quia eſt formalis ſimilitudo obiecti: ſed etiam cognitio vt eſt in Spiritu ſancto eſt formalis ſimilitudo obiecti; ergo Spiritus ſanctus diceret etiam obiecta.

§.82. Forte reſpondeant, obiecta non dici quacumque ſimilitudine, ſed ſimilitudine cum relatione producentis. Reſpondeo, id eſſe verum; quia ipſa actiua productio pertinet ad rationem formalem dicendi obiecta: alioquin non eſſet verum. Verbum enim creatum eget productione; quia eſt creatum; at ſicut in genere cauſæ formalis eſt tota ratio ſimilitudinis, & per te, eſt tota cognitio denominans obiectum cognitum: in quo conuenit cum cognitione Spiritus ſanctus; ita conueniret in ratione dictionis formalis; quamuis non in ratione producti. ergo ſi tota ratio dictionis eſt illa ſimilitudo producta; ſicut ratione ſimilitudinis conuenit cum Spiritu ſancto in ratione cognoſcentis, ita & in ratione dicentis. Quod ſi per impoſſibile, hoc verbum eſſet improductum, diceret obiecta vt nunc: quia totam retineret dictionem formalem. Conſtet ergo actionem eſſe partem dictionis formalis, qua obiecta dicimus, & loquimur: quia ea dicere eſt vitaliter facere eorum ſimilitudinem intentionalem.

§.83. Arguitur quartò, quia qualitas eſt tendentia intentionalis, & vitalis in obiectum: ergo eſt actualis repræſentatio illius. Conſequentia patet, quia intentionalis tendentia in obiectum, non poteſt eſſe niſi repræſentatio, vel affectio: ergo illa ſola qualitas eſt cognitio. Patet conſequentia, quia cognitio nihil eſt præter vitalem repræſentationem, & tendentiam in obiectum. Confirmatur primò, ſi ſola qualitas actione tranſeunte producta vniatur intellectui, illum denominabit intelligentem: quia per illam obiectum erit vitaliter repræſentatum, & expreſſum, & illa ſola mouebit voluntatem ad affectum: ergo illa ſola eſt cognitio. Probatur antecedens, quia illa qualitas proponit intellectui modo vitali totam obiecti bonitatem. Confirmatur ſecundò, ab illa qualitate ſola obiectum denominatur cognitum, ergo illa ſola eſt cognitio. Probatur antecedens, quia obiectum dicitur cognitum, & repræſentatum ab expreſſione vitali, & formali repræſentatione illius, quæ verſatur circa illud: ſed ſola qualitas verſatur circa obiectum, illud formaliter denominando: ergo. Probatur minor, quia actio non verſatur immediatè circa obiectum, ſed circa verbum.

§.84. Aduerte (quod diximus) potentiam vitalem creatam formaliter eſſe actiuam, & paſſiuam; & eius actum ſecundum includere formaliter actionem, & paſſionem. Item potentiam intellectricem eſſe formaliter loquutiuam: & eius actum ſecundum, eſſe formaliter loquutionem. Igitur viuere creatum

tum

tum vt ſic eſt ſe ab intrinſeco mouere: intelligere autem creatum, quia eſt ſpecies talis vitæ, erit ſe ab intrinſeco mouere obiectum repræſentando, illúdque dicendo: in quo includitur ipſe motus intrinſecus, & eius terminus.

§.85. Ad argumentum reſpondetur qualitatem quidem eſſe tendentiam in obiectum, illud repræſentando formaliter, eſſéque repræſentationem vitalem: negatur tamen ſecunda conſequentia, quia cognitio præter formalem repræſentationem vitalem, habet etiam eſſe exercitium, actúmque ſecundum potentiæ ab intrinſeco ſe mouentis, & loquutionem obiecti, quod exercitium atque loquutio includit formaliter imaginem, & illius productionem; quod non conſiſtit in ſola illa qualitate, licet ſit vitalis: cum neque ſola ſit dictio, nec exercitium: nam ſi creatione producatur à Deo, per illam non exercetur potentia vitalis, neque dicitur, neque exprimitur illa obiectum vitaliter. Requiritur igitur actio, per quam procedit modo vitali, & eſt exercitium potentiæ actiuæ vitalis, & dicitur tam ipſa intrinſecè, quàm obiectum extrinſecè.

§.86. Ad primam confirmationem negatur antecedens, ad probationem reſpondetur, per ſolam qualitatem obiectum non repræſentari vitaliter, neque exprimi: nam licet ſit repræſentatio vitalis, poteſt repræſentare mortuè: ſicut poteſt produci mortuè: nam repræſentare vitaliter includit vitalem repræſentationem, & modum vitaliter procedendi, qui conſiſtit in actione immanenti, eſt enim vitaliter repræſentare creatum, idem quod dicere, aut loqui internè, quod reſpondet loquutioni ſcriptioni, atque picturæ: repræſentare enim eſt eſſe terminum adæquati exercitij intellectus: ſicut repræſentare vitaliter, eſt intellectum ſe exercere, quod actionem includit. Et ſicut ſola imago, aut ſolus character, aut ſonus, non denominat obiectum dictum, ſcriptum, aut pictum; ita nec verbum internum ſolum: potentia autem affectiua non mouetur, niſi per adæquatum exercitium potentiæ apprehenſiuæ, per quod illi loquitur: nam ſicut intellectus in actu primo, eſt motiuus voluntatis in quantum eſt principium actiuum, & paſſiuum, & loquutiuum, ita in actu ſecundo illam mouet per actualem actionem, paſſionem, & locutionem, ſola autem qualitas mortuè producta eſt inepta ad talem motum, quia non continet adæquatè exercitium potentiæ mouentis, vt non mouetur voluntas humana per intellectionem Angelicam vnitam intellectui humano, quia illa intellectio non eſt exercitium talis potentiæ. Itaque illa qualitas, quia non eſt adæquatum exercitium humani intellectus, non poteſt ſola voluntatem mouere.

§.87. Vrgent, ſi voluntas per impoſſibile, vel poſſibile moueretur ea imagine, non moueretur cæcè: quia moueretur boni repræſentatione: ergo illa ſola eſt cognitio. Nego antecedens: quia illa imago eſt mortuè producta. Voluntas autem noſtra cæcè moueretur, dum non moueretur obiecti bonitate *dicta* ipſi, & expreſſa: quia voluntas mouetur exercitio intellectus vt eſt intellectiuus in actu primo. Idem hic obiiciunt; ſequi ex nobis agens eſſe de conceptu intellectionis; quia eſt ratio, à qua actio eſt extrinſecè vitalis. Reſpondeo primùm, id eſſe falſum; quia vitalitas eſt eſſentialis actui. Secundò vt ipſi id non cenſent abſurdum in actu libero; ita nec in vitali.

§.88. Ad tertiam confirmationem patet ex dictis, obiectum denominari cognitum, & dictum non ſolum ab imagine formali, ſed etiam ab eiuſdem productione: nam qui facit imaginem, obiectum facit imaginatum: vt ſæpe dixi de loquente, ſcribente, & pictore: itaque productio verbi, non ſolum denominat intrinſecè verbum productum, ſed etiam extrinſecè obiectum dictum, & repræſentatum, quia verbum dicit vt *quo*, obiectum autem vt *quod*. Itaque ſicut calefacere includit actionem caloris, & calorem; ita cognoſcere includit repræſentationem formalem, & illius productionem, idem dico de exprimere, & ſignificare: & ſicut faciens imaginem, illa actione obiectum facit imaginatum. De vitalitate qualitatis vide §. 30.

SVBSECTIO III.

De vitalitate vnionis.

VNio qualitatis ad intellectum non ſpectat ad conceptum formalem intellectionis: ſed ad conceptum intelligentis: vt vnio albedinis ad albi conceptum ſpectat, & non albedinis: quia vnio eſt ratio formalis, per quam obiectum, & forma exercent ſuas cauſalitates in compoſitum. Quapropter ex vna parte conſideratur ſubiectum, quod accipit denominationem à forma; ex altera conſideratur tota eſſentia formæ; inter vtrumque interiicitur vnio; per quam forma communicat ſe, ſuúmque formalem effectum. Poteſt dici vnio cauſalitas formalis vtriuſque partis in totum compoſitum; quia eſt ratio formalis componendi. §.89.

Productio vnionis videtur non ſpectare ad conceptum formalem intelligentis, quia dicens includit & principium, quod dicit, & dictionem, atque vnionem vtriuſque, cætera verò ſunt conditiones requiſitæ; neque intellectiuum creatum videtur conſtitui eſſentialiter in ordine ad producendam vnionem qualitatis, ſed in ordine ad dicendum obiectum, & vnionem dictionis, quæ connotat in obliquo productionem ab eodem principio, à quo fit actus quem vnit, quia forma dependens, & eius vnio fiunt ab eodem principio: nam ſi qualitas vitalis facta vitaliter ab intellectu, vniatur illi ab extrinſeco agente, adhuc per illam intelligeret: ſicut homo eſſet albus per albedinem ab alio productam. §.90.

Video eam actionem eſſe vitalem, quia eſſentialiter oritur à principio actiuo vitali: eſt tamen vitalis in actu ſecundo, vt conditio requiſita ad intelligendum ex natura rei: intellectus autem comparatione illius eſt vitalis in actu primo: non vt intellectiuus formaliter, ſed vt principium conditionis ad intelligendum. Quo differt à productiuo qualitatis: quia in actu primo intelligendi eſt formaliter vitalis, & actiuus, & paſſiuus, illius qualitatis. Recognoſce §. 30. & 41. §.91.

Rogas, ſi vnione tranſeunte vniretur qualitas intellectui: vtrùm futurum eſſet intelligens? Non eſſet: quia intelligens dicit tanquã rationem eſſentialem, vnionem congruentem extremis: hæc autem eſt vitalis. Quemadmodum ſi corpus & animus vnirentur vnione accidentaria, non efficeretur homo: quia eius eſſentia petit vnionem ſubſtantialem, qualis congruit illis ſubſtantiis: non minus his extremis congruit vitalis vnio. Actio productiua vnionis nihil referret, ſi eſſet tranſiens, per poſſibile, vel impoſſibile: quia ea actio eſt extra formalem conceptum intellectionis, & intelligentis: vnio autem eſt de eſſentia huius intelligentis, vt eſt actu intelligens. Et quemadmodum ex lapide & cognitione non reſultaret intelligens ob defectum ſubiecti, vt conſtabit §. 125. ita nec ex intellectu & intellectione ſine vnione vitali; quia hæc eſt de eſſentia intelligentis. Reſultaret quidem habens intellectionem; ſed non intelligens: & tunc eſſet §.92.

homo dicens,& loquens actiuè & paſſiuè; non tamen formaliter: quia actio & paſſio ſunt vnitæ congruenter; verbum tamen non eſſet aptè vnitum. Nec tunc moueretur voluntas: nec obiectum eſſet abſolutè dictum: quia intellectus non eſſet abſolutè dicens. Non ſecus ac ſi extrema ſupernaturalia vnirentur vnione naturali, & ſubſtantialia accidentali,& accidentalia ſubſtantiali. Quia vnio eſt compoſito tam eſſentialis quàm ſubiectum ipſum. Si autem eſſet poſſibilis intellectus,qui poſſet facere intellectionem,& non vnire, ille intelligeret vnione tranſeunte: quia eis extremis ea vnio eſſet congruens: vt vnio accidentaria materiæ, & quantitati.

SECTIO III.

Vtrum actus vitalis poſſit produci ſine concurſu potentiæ vitalis?

SVBSECTIO I.

Nonnulla prætermitto.

§.93. PRimò ſtatuendum, non poſſe produci intellectionem,quin in eſſe intellectionis producatur, quia illæ duæ rationes ſunt idem realiter. Videantur quæ dixi diſp.1. ſect.5. probans animum rationalem vniri corpori ſecundum omnes ſuos gradus. Secundò ſtatuendum, actionem de potentia abſoluta non poſſe exiſtere,quin afficiat, & denominet principium,à quo ſemel egreditur.Nam(vt in Phyſicis attigi, in metaphyſica probaturus) repugnat modum exiſtere, quin actu denominet rem, cuius eſt modus: nullus de actione vitali id negat: vnde liquido conſtat intellectionem,& volitionem non poſſe exiſtere, quin in illas influat efficienter, & materialiter potentia vitalis: quia intellectio formaliter includit actionem, & paſſionem, cuius eſt intellectio. Quare licet creetur verbum,& vniatur potentiæ vitali: illam non denominabit intelligentem, quia non continet totam rationem intellectionis.

§.94. Tertiò ſtatuendum, vitalitatem actionis illi eſſe eſſentialem: quia eſſentialiter & ex ſuo conceptu ſpecifico eſt exercitium potentiæ vitalis, in quantum vitalis: ergo ex ſuo conceptu eſſentiali habet eſſe vitam actualem in actu ſecundo:quia actio illa reducit potentiam vitalem in quantum vitalem in actum ſecundum, quia potentia vitalis in actu primo eſt, quæ ſe poteſt ab intrinſeco mouere:in quo connotat actionem, quæ ſit motus ab intrinſeco, & illa actio eſt motus ab intrinſeco connotatus, quod illi conuenit intrinſecè,& eſſentialiter. Nam præciſo quocumque modo ab illa diſtincto, habet eſſe motum eiuſdem principij, à quo egreditur effectiuè, ergo actio illa ex intrinſeco ſuo conceptu eſt exercitium potentiæ vitalis in quantum vitalis. Iam verò probo primam conſequentiam:quia exercitium vitale eſt actus ſecundus illius potentiæ, quæ ſe poteſt ab intrinſeco mouere, nam omnis actio eſt actus ſecundus agentis,& paſſio patientis. Denique actio illa non minus eſt per ſuam eſſentiam exercitium intellectus vt intellectus, quàm viſio eſt repræſentatio lucis: & illuminatio exercitium rei illuminantis vt illuminantis. De quo egi diſp.3.à §.46.

§.95. Quartò ſtatuendum,vitalitatem qualitatis productæ per actionem vitalem illi eſſe intrinſecam,& eſſentialem: diſtinctã quidem à vitalitate actionis. Probatur, quia illa qualitas ex intrinſeco ſuo conceptu eſt terminus, per ordinem ad quem conſtituitur potentia intellectiua: ergo eſſentialiter eſt vitalis: antecedens eſt certum: nam intellectus ex natura ſua differt à voluntate, quia eſt expreſſiuus ſui obiecti:ergo conſtituitur eſſentialiter per ordinem ad verbum, & imaginem expreſſam obiecti: ergo illa qualitas eſt terminus, per ordinem ad quem eſſentialiter conſtituitur potentia intellectiua. Probatur prima conſequentia, quia eſſentialiter eſſe terminum potentiæ vitalis, eſt eſſentialiter eſſe actum ſecundum potentiæ vitalis vt vitalis: nam potentia productiua nõ ſolum reſpicit actionem tanquam actum ſecundum, ſed multo magis præcipuè terminum productum tali actione, eaquidem nobiliorem: ergo illa qualitas eſſentialiter eſt vita in actu ſecundo.

Confirmatur, illa qualitas ex natura ſua petit produci ab intellectu,& non à principiis extrinſecis tantum,vt negabit nullus, ergo eſt eſſentialiter vitalis. Patet conſequentia, quia ille dicitur actus vitalis actu, qui actu procedit vitaliter à potentia vitali, ſicut illa forma dicitur actu inhærere quæ actu inhæret ſubiecto, ergo illa dicetur eſſentialiter vitalis,quæ eſſentialiter petit produci modo vitali,ſicut illa dicitur eſſentialiter inhærens,quæ eſſentialiter petit inhærere. §.96.

Itaque in actu vitali tot reperies vitalitates,quot partes requiſitas ad rationem intellectionis, & intelligentis:videlicet vitalitatem actionis,paſſionis, qualitatis, & vnionis:quæ ſunt vitalitates ſubſtantiales(vt ita dicam:) nam motus localis,comeſtio, & loquutio denominantur vitales extrinſecè: poſſunt tamen quoad ſubſtantiam ab extrinſeco fieri: & ſic non ſunt ſubſtantialiter vitales. §.97.

Quod arbitror etiam verum in ſententia conſtituente vitam in actu primo in principio petente operari in ſe, & non in alio. Quamuis enim in ea ſententia nutritio ſit vitalis per extrinſecam denominationem ab agente; & ex ſe ſit indifferens vt ſecundum ſpeciem ſit ab alio; tamen nec intellectus poteſt ex ſuo conceptu producere verbum extra ſe; nec verbum poteſt produci ex natura ſua ſine concurſu intellectus: eſtque tam determinatum ex ſua natura ad intellectum vt ad principium actiuum,quàm vt ad paſſiuum: & vt nequit eſſe ex ſua natura niſi receptum in intellectu, ita niſi & productum. Et quemadmodum poſſe inhærere eſt de accidentis eſſentia; ita & poſſe produci, & recipi ab intellectu eſt de eſſentia verbi: & eadem ratione petit naturaliter fieri, & recipi ab intellectu, qua accidens inhærere ſubſtantiæ. A quo enim agente poteſt fieri aliquod verbum abſque concurſu intellectus? Quamuis ergo vegetabile & eius actio & terminus,non ſint, in ea ſententia, mutuo determinata in ratione cauſæ & effectus: cognitio & amor habent mutuam connexionem, & naturaliter inſeparabilem cum intellectu & amore. §.98.

SVBSECTIO II.

Concluſio.

COntrouerſia eſt, vtrum illa qualitas diuinitus poſſit produci ſine concurſu potentiæ vitalis? Adfirmo cum P.Suarez diſput.48. ſect.2. num.12. & Molin.1.part.quæſt.12.artic.2. diſput.1. & cum aliis ferè innumeris, aſſerentibus beatitudinem creatam à ſolo Deo poſſe produci: quos refert P.Vazquez 1.2. diſput.9. cap.1. quibus ipſe reclamat, cap.4. § 99.

Mouetur

§.100. Mouetur primò: quia de intrinſeca ratione actus vitalis eſt,vt potentia per illum attendat; ſed non poteſt attendere niſi per actionem vitalem: ergo actus vitalis nō poteſt produci niſi per actionem vitalem. Non me mouet argumentum: aut enim attentio eſt de conceptu eſſentiali intellectionis? aut non? Si primum,ergo illa actio,quam tu dicis attentionem, eſt de conceptu eſſentiali intellectionis, quod negaſti: ſi ſecundum, ergo attentio formaliter non ſpectat ad conceptum eſſentialem intelligentis, ergo intelligere non eſt attendere: quæ ergo implicatio eſt, vt conſtituatur ille conceptus eſſentialis ſine attentione,quam dicis non eſſe de eſſentia intellectionis? Præterea in tua ſententia attendere non erit actio phyſica, ſed ipſa qualitas vitalis, quam tu grammaticalem vocas *actionem*:quod ſi attendere eſt actio phyſica, & attentio eſt de ratione intellectionis:ergo actio phyſica eſt de conceptu intellectionis.

§.101. Nonnulli conantur hanc Patris Vazquez rationem tueri: quia poſſet dici actionem phyſicam exigi non ex parte cognitionis, ſed ſubiecti; quod ſine actione non eſt capax accipiendi denominationem cognoſcentis; vt nec voluntas amantis ſine cognitione, quæ non eſt ratio formalis amandi. Reſpondeo; de cognitione me videro à §. 141. hanc rationem impugno: quia actio exigitur vt attendat intellectus; quia intelligere eſt attendere: ergo actio exigitur ex parte intellectionis ſicut ipſa qualitas. Deinde attentio eſt in ordine ad obiectum; attendere enim eſt adeſſe obiecto;ideſt, diligenter illi operam dare: ſi autem actio, & attentio non ſunt circa obiectum; qua ratione actio eſt attentio? Cognitio exigitur ad amorem; quia appetitus elicitus eſt in bonum apprehenſum:ſimilis ratio hic non reperitur.

§.102. Secundò mouetur, quia ſequeretur actum voluntatis non eſſe voluntarium, quia voluntarium eſt, quod ab intrinſeco principio procedit, ſed ille actus non procederet à principio intrinſeco: ergo non eſſet voluntarius. Si hoc argumentum quid probat, probat quidem meam ſententiam; quia per te de eſſentia actus voluntatis eſt, vt ſit voluntarius: per te etiam ratio formalis, per quam actus conſtituitur in ratione voluntarij, eſt actio illa vitalis: ergo actio vitalis pertinet formaliter ad eſſentiam actus voluntatis. At verò, ſicut ſupra dixi vitalitatem actionis eſſe diſtinctam ex natura rei à vitalitate qualitatis: ita ratio voluntarij in actione reperta diſtinguitur ex natura rei à voluntarij ratione in qualitate reperta, vnde de eſſentia actus voluntatis erit eſſe à principio intrinſeco ex natura ſua, non actu, ſed aptitudine: in opinione enim conſtituente actum vitalem in ſola qualitate, ſic videtur ratiocinandum. Actus autem voluntatis eſſentialiter eſt actualis origo à principio intrinſeco in mea ſententia quia includit actionem.

§.103. Qui non diſtinguunt qualitatem ab actione, dicunt non poſſe qualitatem produci ſine concurſu potentiæ vitalis. Primùm dico, in eorum ſententia poſſe; quia qualitas non eſt modus, ſed res abſoluta: hæc autem differt ab illo: quia hæc poteſt diuinitus ſeparari à rebus, quibus connaturaliter ineſt: ſecus ille. Secundò, ex ipſis dicunt aliqui poſſe actionem vnius agentis diuinitus deſinere eſſe illius agentis, & incipere eſſe alius: ergo idem erit de hac actione vitali. Negant conſequentiam: quia vitalis actio eſt, quæ nec diuinitus poteſt eſſe niſi ab hoc numero principio. Contra: quia inde probatur nullam eſſe actionem vitalem: quia vt aliæ actiones poſſunt ſeparari,ita & hæc; eſt enim eadem ratio, vt probabo diſput. 2. metaphyſ. ſect. 5. Atque hi circulo peraguntur: dicunt enim actionem eſſe inſeparabilem, quia eſt vitalis: & eam eſſe vitalem, quia eſt inſeparabilis: & è proprio Marte comminiſcuntur definitionem rei vitalis.

§.104. Igitur illa qualitas poteſt diuinitus à ſolo Deo produci intra,vel extra potentiam vitalem. Primò, quia nulla oſtenditur repugnantia. Secundò, quia illa qualitas non eſt modus, ſed res: at omnes res poſſunt diuinitus à ſuis ſubiectis ſeparari, vt probabo diſp. 2. metaph. ſect. 5. ergo.

§.105. Tertiò, quia illa qualitas non dependet à potentia vitali per ſe, ſed per actionem ab ipſa diſtinctam: ergo poterit Deus illam actionem ſupplere per concurſum creatiuum, Patet conſequentia, tum in inhærentia accidentium, quam à Deo in Euchariſtia ſuppleri efficaciori concurſu actiuo, eſt Fide ſanctum: ergo idem erit de inhærentia vitali: quia non magis pendet actus vitalis à ſua potentia, quàm accidens à ſubſtantia: quia ratio dependendi neutri eſt eſſentialis:ſed ab vtroque diſtinguitur, & ab vtroque exigitur ex natura ſua: tum etiam, quia quando vna cauſa actiua continet eminentiorem modum producēdi vnum effectum, quam ipſe poſtulat ex natura ſua: non videtur eſſe ratio, propter quam non poſſit talem modum exercere: at Deus continet eminentiorem modum producendi accidentia, quàm ipſa poſtulant ex natura ſua: ergo. Nec iuuat dicere id eſſe verum, quando non implicat ex parte termini. Inde enim probo non implicare, quia dependet terminus per dependentiam à ſe diſtinctam: qua mutata integra manet tota termini eſſentia, vt apparet in aliis accidentibus, & quidem cur illa qualitas eſſentialius dependet ab intellectu, quàm à materia quantitas?

§.106. Dices primò, ceaturam non dependere à Deo per ſe ipſam, & tamen non poteſt eſſe ſine dependentia à Deo: ergo idem erit de actu vitali reſpectu ſuæ potentiæ. Nego conſequentiam: quia cum quæuis creatura ſit eſſentialiter ens ab alio, non poteſt non pendere à Deo ente per eſſentiam; at verò actus vitalis non habet tam eſſentialem dependentiam à potentia vitali, quia tota virtus actiua potentiæ vitalis, eminenter cōntinetur in Deo, qui poterit illi qualitati eſſe communicare, vt patet in Euchariſtia: at verò nullum eſt agens, quod contineat creaturas eminentius Deo: & quod independenter ab ipſo operetur.

§.107. Dices ſecundò, voluntatis actum potentia abſoluta non poſſe produci, niſi etiam à voluntate; quia voluntas fertur in obiectum cognitum: vnde neceſſariò prærequiritur cognitio intellectus, obiectum voluntati repræſentans. Hoc argumentum rectè probat amorem conſiſtere formaliter in actione. Probo autem illam qualitatem voluntatis, etiam ſi illa ſola ſit volitio, poſſe à ſolo Deo produci, tum rationibus ſupra factis: tum euertendo hoc fundamentum: quia ſi propter quam rationem repugnaret, maximè, quia voluntas non poteſt ferri in incognitum, ſed in noſtro caſu non ferretur in incognitum, ergo volitio poteſt fieri extra voluntatem. Probatur minor, quia in eo caſu nec voluntas operaretur, nec pateretur, nec amaret, quia ſuppono anima, & eius potentiis annihilatis conſeruari à ſolo Deo volitionem: tunc quomodo amaret voluntas annihilata?ergo in noſtro caſu voluntas non ferretur in incognitum.

§.108. Dices illam qualitatem habere dependentiam à cognitione,quia non poteſt produci niſi illam ſupponendo,

ponendo. Contra, quia in tantum habet illam dependentiam, in quantum cauſa actiua volitionis non feratur in incognitum: ſed Deus creans illam volitionem non fertur in incognitum: nam ipſe habet alios actus, per quos cognoſcit obiecta: in eo ergo caſu quorſum eſt neceſſaria cognitio creata? Dices hinc ſequi euidenter talem qualitatem poſſe vniri voluntati non præcedenti cognitione: ſed de hoc me videro ſect.4. maximè §.41.

SVBSECTIO III.

De effectu formali intellectionis à Deo producta.

§.109. Dixi §. 104. poſſe eam qualitatem à ſolo Deo produci in noſtro intellectu: examino vtrum illa tunc redderet potentiam intelligentem? In mea ſententia pars negans eſt manifeſta; quia non poteſt eſſe intelligens ſine intellectione: ſed tunc non eſſet intellectio; quia non eſſet actio vitalis, quæ eſt intellectionis pars: ergo non eſſet potentia intelligens. In opinione non diſtinguente qualitatem ab actione, duplex eſt incunda via: primùm: qui dicunt tunc qualitatem per ſuam eſſentiam ita pendere ab intellectu, vt non poſſit abſque illo concurrente produci; dicent quæſtionem hanc in ipſorum ſententia non habere locum, magis quàm in mea locum habet *vtrum actio intellectus poſſit ſine illo concurrente fieri?* ponuntur enim implicati termini: quia actio alicuius agentis, non poteſt intelligi niſi illud denominans: in quo ſenſu egi contra eam ſententiam §.48. & ſic adſtruitur à pleriſque eius authoribus, vt dixi §.103. Secunda via eſt aliorum, quos adduxi eo §. 103. opinãtium qualitatem illam poſſe diuinitus à ſolo Deo produci: quibus communis eſt difficultas cum conſtituentibus intellectionem in ſola qualitate diſtincta ab actione.

§.110. Nunc pono, diſputandi gratia, intellectionem adæquatè conſiſtere in ſola qualitate. Rogo vtrum illa ſola producta à ſolo Deo reddat intellectum cognoſcentem? Item pono ex ſectione ſequenti, intellectionem vnitam lapidi nõ fore rationem vt lapis intelligat ob incapacitatem ſubiecti. nunc ergo pono ſubiectum ex ſuo conceptu capax, & vnionem eamdem, quam ipſum produceret, & qualitatem eamdem. Eſt igitur quæſtio vtrum ille defectus actionis vitalis ſufficiat ad impediendum effectum formalem *cognoſcentis*?

§.111. Cenſeo intellectum cum qualitate, & vnione vitalibus, productis à ſolo Deo, fore intelligentem. Quam ſententiam poſſumus adſcribere P. Vazquez adducto §. 99. cenſenti non poſſe qualitatem à ſolo Deo produci; quia tunc mens intelligeret ſine attentione: eſtque complurium authorum, quos allegaui eo §. 99. item multorum, qui negant qualitatem conſiſtere in ſola actione; quia poſſet intellectus intelligere, & voluntas amare ſine actione vitali. eidem opinioni adſentiuntur omnes fere recentes animaſtici conſtituentes intellectionem in ſola qualitate.

§.112. Probatur apertè: ſubiectum, qualitas, & vnio, ſunt tota eſſentia intelligentis vt intelligens eſt in actu ſecundo: ita vt in conceptu intelligentis nihil aliud formaliter includatur; ſed exiſtente tota eſſentia intelligentis, vt intelligens eſt, exiſtit formaliter intelligens: ergo exiſtente ſubiecto, qualitate, & vnione exiſtit intelligens vt intelligens eſt. De Maiori nullum dubium: quia quæ deſunt, non ſpectant formaliter ad eſſentiam intellectionis, nec ſubiecti, nec vnionis: ſed ſunt conditiones, aut principia extrinſeca. alioquin iam daretur aliquid eſſe de conceptu intelligentis. Minor conſtat; quia intelligens & eius eſſentia cum exiſtentia idem ſunt: & vt non poteſt exiſtere animal rationale abſque homine; quia ſunt idem; ita nec intellectus cum intellectione vnita; quia ſunt idem non minus quam definitio & definitum. Arbitror hanc ratiocinationẽ eſſe ex terminis notã.

Obiicies primùm; exiſtente ſubiecto, qualitate, & vnione exiſtere intelligentem quoad entitatem, non verò quoad denominationem: vt autem denominetur intelligens, opus eſſe aliquo extrinſeco connotato, à quo pendeat ea denominatio: vt exiſtente albedine exiſtit tota relatio quoad entitatem, nota verò quoad denominationem. Nec hoc mirum; primùm; quia ego admitto §. 92. qualitatem vnitam ſubiecto vnione trãſeunte non ſufficere ad denominationem *intelligentis*. Secundò, quia idem multi dicunt in relatione prædicamentali. Tertiò, quia virtus actiua caloris diſtinguitur ab eius applicatione; nec tamen calor producit calorem. Quartò, quia intellectio non eſt de ratione formali amantis, & tamen amor exiſtens in voluntate, illam non reddet amantem niſi intelligat. §.113.

Reſpondeo, eam doctrinam de connotatis à me ſæpius impugnatam diſput.5. Phyſic. & alibi, iterum impugnanda à priori diſp.5. Met. & quidem miri ſunt eius authores: quia ea nunc non vtuntur; ſed ſentiunt nobiſcum, opinantes non poſſe qualitatem vniri ſubiecto apto in ratione entitatis, quin in ratione denominationis: albedinem autem poſſe exiſtere in ratione entitatis, quin in ratione denominationis. At authores huius opinionis id negant in albedine, & in actu vitali admittunt. Hos impugno: quia quamuis ea opinio de connotatis admittatur in relatione prædicamentali; non tamen eſt admittenda in relatione tranſcendentali; quia hæc per ſuam eſſentiam connotat ſuum terminum; illa verò non niſi accidentariè. §.114.

Quod probo; quia etiam poſſemus dicere qualitatem productam vitaliter ab intellectu ſine ſpecie impreſſa, non dare denominationem intelligentis; quia ſpecies impreſſa eſt conditio eſſentialiter requiſita ad illum effectum, quia actio tam eſt extra eſſentiam intellectionis quàm ſpecies: vt ergo defectus illius officit effectui formali *intelligentis*, ita & defectus impreſſæ ſpeciei. item amor productus cũ auxilio extrinſeco non reddet amantem; quia connotat principium intrinſecum intrinſecè completum. item materiam vnitam animo rationali non eſſe viuentem; nec tunc fieri hominem niſi materia ſit affecta quantitate: quia connaturaliter ab illa pendet; & homo dicit actualem extenſionem partium: & Chriſtum vt in Euchariſtia non eſſe hominem: quia ibi caret extenſione actuali ad locum. Quibus, & ſimilibus abſurdis applicari poſſunt omnia verba, & exempla propoſita §.113. vt conſtabit volenti ea applicare. §.115.

Ad argumentum ex §.113. Reſpondeo non requiri plura ad denominationem intelligẽtis quàm ad entitatem: quia non requiritur niſi eſſentia exiſtens cum ſuppoſito, vt ſit intelligens *quod* completum. exemplum de relatione prædicamentali eſt eiuſdem farinæ. Quod tamen porrigi non debet ad relationes tranſcendentales propter abſurda illata; ipſiúſque authores tenentur reddere diſcrimen. Ad primam probationem, diſcrimen eſt latum: quia deficiente vnione vitali deficit aliquid §.116

de

de eſſentia huius intelligentis: vnde tunc non exiſteret tota huius intelligentis eſſentia: oppoſitum autem eſt in tua ſententia. Ad ſecundam probationem iam reſpondi. Tertia eſt abs re: quia applicatio eſt neceſſaria ad exiſtentiam effectus; non verò ad entitatem, aut denominationem virtutis calefactiuæ. Quod ſi calefactio, & calor exiſterent ſine applicatione, eſſet calidum, & calefaciens: eſſet è re ea probatio, ad oſtendendum non poſſe exiſtere qualitatem abſque actione vitali. Ad quartam probationem reſpondeo, amorem vnitum voluntati eam facturum amantem: vt oſtendam à §.142. Eſt autem quæſtio vtrum amor poſſit vniri voluntati abſque cognitione. Et quia ſequitur eum vniri poſſe & voluntatem amare incognitum, ideo vel amor & cognitio ſunt inſeparabiles à ſubiecto; vel conſiſtunt partialiter in actione. Do huic argumento non poſſe vniri amorem voluntati abſque cognitione: ſi tamen vniatur, eam reddet amantem ob argumentum factum §.112. vide inferius à §.142. §. autem 147. vide circulum.

§.117. Secundò argumentantur: quia ſubiectum ob incapacitatem ſolet carere effectu formali, quem forma tribuit aliis ſubiectis; ſed intellectus non agens ſuam intellectionem eſt incapax effectus formalis ab illa orti in intellectu eam agente: ergo. Maior à me conceditur §.125. Minor probatur: primùm quia materia prima non eſt ſentiēs quamuis in ſe habet ſenſionem; nullam ob cauſam niſi quia non agit ſenſionem. item nec voluntas ſine cognitione eſt ſubiectum aptum vt ametur.

§.118. Reſpondeo, minorem eſſe falſam; quia actio non ſpectat ad ſubiecti capacitatem, aut incapacitatem; ſed ad actum ſecundum agendi. Alioquin poſſemus dicere non fieri hominem ex corpore & animo rationali vnitis; niſi corpus ſit extenſum: quia extenſio ſpectat ad capacitatem ſubiecti. Recognoſce quæ dixi §.115. faciunt enim huic ſcopo. Et quidem euidens eſt non poſſe ab iis authoribus probari futurum hominem ſine quantitate, aut mentem intellecturam ſine ſpecie impreſſa, aut voluntatem amaturam ſine habitu infuſo: quia, vt ipſi ponunt actionem ad capacitatem ſubiecti; ita ponetur quantitas, ſpecies, & habitus. Ad primam probationem reſpondeo; materiam primam eſſe incapacem; non quia actu non agit; ſed quia non eſt actiua. Potentia enim vitalis creata conſiſtit in virtute actiua: cuius terminus adæquatus eſt qualitas: quæ eſt actus ſecundus. Vnde ex illa & intellectu conflatur viuens in actu: quia eſt actus primus cum ſecundo. Vt enim per te viuere actu formaliter eſt potentiam exerceri actu ſecundo in ratione termini: intellectus viueret; quia exerceretur actu ſecundo per modum termini. At illa qualitas non eſt actus ſecundus materiæ primæ, nec exercitium actiuum. Ad ſecundam probationem reſpondi §.116.

§.119. Arguunt tertiò. Intelligere eſt viuere, ſed omnis vita creata dicit actionem phyſicam; ergo intelligere creatum includit actionem. Reſpondeo, hoc argumento à me §.7. probari intellectionem componi formaliter ex actione phyſica. Hi autem eo argumento vel inuiti ſuperati, probant ſola qualitate non viui. In ea ſententia, quam diſputandi gratia poſui §.110. diſtinguo minorem; includit actionem vt conditionem neceſſariam ex natura rei, concedo minorem; vt homo dicit quantitatem, & cognitio ſpeciem; includit actionem formaliter, nego minorem: ſed præciſè includit formaliter terminum natura ſua producibilem ab ipſo viuente; vt in parte dixi §.118.

Hinc argumentum abripiunt; illa qualitas reddit viuentem intellectum vt eſt terminus formaliter actionis vitalis; ſic autem connotat eſſentialiter actionem vitalem actu exiſtentem: ergo. Aduerte, aliam eſſe rationem formalem termini ſecundum ſe; aliud denominationem termini actualis. Qualitas ſecundum ſe eſt terminus formaliter: quia ſecundum ſe dicit ordinem eſſentialem ad actionem vitalem; vt accidens ſecundum ſe, eſt terminus inhærentiæ; quia illam petit ſecundùm ſe. Denominatio autem termini, eſt extrinſeca ab ipſa actione; quæ vt eſt actio in potentia logica, denominat qualitatem producibilem, & terminum in potentia: cum autem exiſtit ea actio, denominat qualitatem actu productam, & terminum. vt cernitur in inhærentia; item in viſione comparata colori. §.120.

Argumentum ergo probat, actionem eſſe de conceptu formali cognitionis: recidit enim in factum à me §.7. at in ſententia poſita §.110. diſtinguo maiorem; reddit intellectum viuentem, vt eſt terminus formalis ſecundum ſe, concedo maiorem; ſicut quantitas eſt accidens vt eſt inhærens ſecundum ſe: reddit intelligentem, vt habet denominationem extrinſecam termini ab actione, nego maiorem. Diſtinguo item minorem; vt eſt formaliter terminus petens productionem vitalem, conſtituitur actione ipſa, nego minorem; ſic enim connotat actionem, & non denominatur ab illa; vt accidens connotat inhærentiam: vt eſt terminus denominatus ab actione vitali; eam includit extrinſecè, concedo minorem: at vt ſic eam includens non reddit intellectum cognoſcentem. §.121.

Quod apertè confirmo; aut enim illa denominatio termini actualis pertinet formaliter ad *cognoſcere*: aut non pertinet. Si non pertinet; ergo ſine illa, & ſine ratione & denominatione termini ab actione concipitur eſſentia cognoſcendi: ergo poſita illa qualitate, & reiecta ea denominatione termini actualis orta ab actione; intelligitur *cognoſcere*: ergo *cognoſcere* non includit nec actionem, nec denominationem ab illa in qualitate vitali: Male ergo negas, tunc victurum intellectum; quia viuere dicit illam denominationem; cum illam non dicat. Si autem illa denominatio includitur in intelligere, incluſione formali: ergo actio intrat formaliter conceptum intelligentis: quia illa denominatio eſt ipſa actio. quod eſt recidere in meam opinionem; nempe intellectionem conflari formaliter ex actione & qualitate; quia actio nec eſt ſubiectum viuens, nec eſt vnio, ergo eſt ipſa vita & intellectio partialiter: quia in viuente ſolùm reperiuntur formaliter ſubiectum viuens; vita, & vtriuſque vnio. Vel ſaltem mihi ſatis erit *viuere* in actu ſecundo includere formaliter hos conceptus, ſubiectum, actionem, paſſionem, qualitatem, & vnionem. Nam quod eſt de conceptu formali viuentis, & nō eſt ſubiectū, nec vnio qualitatis, dico ego pertinere formaliter ad intellectionē; quemadmodum ad albedinem pertinet formaliter quidquid eſt de conceptu formali albi, & non eſt vnio, neque ſubiectū, quia hęc compoſita nihil formaliter includūt pręter ſubiectū, formā, & vnionē. §.122.

SECTIO IV.

Vtrum actus vitalis poſsit diuinitus in alieno ſubiecto conſtitui?

EX dictis diſput. 12. Phyſic. ſect. 2. conſtat, rebus ineſſe potentiam obedientialem paſſiuam §.123.

ad

ad recipiendos quoſlibet effectus. Vnde dico primò. *Omnis cognitio creata poteſt conſtitui aut in lapide, aut in alieno ſubiecto.* Ita Gabr. in 3. diſt. 13. q. vnica num. 2. prope initium: & alij tum antiqui, tum noui. Probatur, quia inde nulla ſequitur repugnantia (ſuppono opinionem aſſerentem intellectionem in ſola qualitate conſiſtere, de qua ſola, non verò de actione nunc nobis ſermo.)

SVBSECTIO I.

Nonnullorum argumenta contra primam concluſionem.

§. 124. DIces, ſequi lapidem intelligere, & non intelligere: intelligere quidem, quia habet effectum formalem intelligendi, qui in ſola intellectione conſiſtit: non intelligere, quia lapis non eſt intellectiuus in actu primo, ſine quo non poteſt eſſe ſecundus. Nonnulli reſpondent implicare contradictionem lapidi vniri: qua intelligens dicit in recto intellectionem, & connotat in obliquo ſubiectum: quia effectus formalis non poteſt ſeparari ab ipſa forma vnita ſubiecto, vnde lapis erit intelligens. Probant autem intelligens in recto dicere intellectionem, quia accidentia dicunt in recto formam, & connotant in obliquo ſubiectum: quia in prædicamento quantitatis ponitur quantitas non in abſtracto, ſed in concreto *quantum*: at in prædicamento quantitatis non ponitur in recto ſubſtantia, ſed ipſa quantitas: ergo *quantum* dicit in recto quantitatem.

§. 125. Leue eſt hoc fundamentum: quia effectus formalis non prouenit à ſola forma, ſed etiam prouenit à ſubiecto, & variato ipſo ſubiecto, variatur totum compoſitum; & effectus formalis: effectus verò formalis proueniens à ſola forma non poteſt ab illa ſeparari. Vnde lapis cum intellectione non erit intelligens, quia hoc dicit potentiam ſpiritualem perceptiuam obiecti cum actuali perceptione illius: lapis autem non eſt potentia perceptiua obiecti: & licet habeat illius perceptionem, non eſt intelligens: bene tamen habet effectum formalem cognitionis, à quo poteſt denominari informatus cognitione, ſiue illam habens.

§. 126. Ratio à priori; quia hæc compoſita dicunt eſſentialiter ſubiectum, formam, & vnionem: quod ſi aliqua pars eſſentialis mutatur, neceſſe eſt non manere eamdem eſſentiam in ſpecie; ſed reſultare compoſitum in alia ſpecie. Quod apertè cernitur in homine & leone; diſtinctis ſpecie pro diſtinctione ſolius formæ. Etenim ſi hoc compoſitum includit alteram partem eſſentialiter diuerſam ab aliis partibus; ergo totum hoc compoſitum ſecundum omnes partes non eſt in eadem ſpecie, in qua aliud: vt ſi forma equi vniretur quantitati vt ſubiecto; non efficeret compoſitum eiuſdem ſpeciei cum equo: quia quantitas & materia prima non ſunt eiuſdem ſpeciei. Idem dixerim ſi forma equi vniretur materiæ diuerſæ ſpeciei. At intelligens petit ſubiectum natura ſua præceptiuum obiecti, & ſpiritale: ergo niſi ſubiectum intellectionis ſit eius generis, non fiet intelligens; ſicut nec equus ex forma equina & quantitate, aut materia alius ſpeciei. Immo quamuis noſtra intellectio vniretur Angelo, non eſſet per illam intelligens: quia *intelligens* dicit potentiam ſe ab intrinſeco mouendi & actum ſecundum eius potentiæ. Quamobrem diſputans de ſcientia Chriſti dixi eius animam non poſſe cognoſcere formaliter per ſcientiam increatam.

Ad argumentum illorum auctorum reſpondeo, *intelligens* in recto dicere potentiam, & in obliquo connotare formam: quod probatur: quia ſi compoſitum accidentale diceret in recto formam, non poſſet fieri hæc prædicatio, *album eſt dulce*, quia fieret hic ſenſus, *albedo vnita ſubiecto eſt dulcedo vnita ſubiecto*, qui eſt falſus; eſt autem vera, quia prædicatum, & ſubiectum ſupponunt in recto pro ſubſtantia connotante in obliquo albedinem, & dulcedinem. §. 127.

Dicunt album dupliciter ſumi poſſe; primò, ſignificando in recto ſubiectum, in quo ſenſu fit illa prædicatio. Secundò, ſignificando in recto formam, tunc autem non poſſe defendi illam prædicationem. Contra: forma accidentalis ſemper inhæret ſubiecto, ergo debet ſignificari termino non ſignificante illam per ſe ſtantem, ſed vt inhærentem: ſed ſi ſignificaretur in recto non ſignificaretur vt adiacens, ſed vt per ſe ſtans, quod patet ex declaratione termini adiectiui. Si enim rogas *quid eſt album?* & reſpondeatur, *albedo in ſubiecto*, tunc ſignificatur vt per ſe ſtans: vt enim patet ex ſummulis, termini abſtracti ſignificant rem, quaſi per ſe ſubſiſtentem. §. 128.

Præterea; licet *intelligens* dicat in recto intellectionem, non ſequitur ſtatim quodlibet ſubiectum denominatum iri intelligens, quia ſubiectum eſt de eſſentia intelligentis, licet connotetur in obliquo, & pro illius varietate mutabitur effectus formalis, & erit diuerſus pro diuerſitate ſubiecti. Quod confirmatur, quia intellectio denominat obiectum cognitum, & potentiam cognoſcentem: ergo pro diuerſitate ſubiectorum variatur effectus formalis. §. 129.

Dicunt effectum, quem ſemel tribuit forma, neceſſario eſſe tribuendum, diuerſum quidem pro diuerſitate ſubiectorum. Contra primò: ergo ſi diuinitus conſtituatur in diuerſis ſubiectis, diuerſos tribuet effectus: nam ſi modo tribuit ſolos effectus cognoſcentis, & cogniti, id prouenit, quia ex natura ſua vnitur ſubiectis aptis eis denominationibus: inde autem quo modo probatur repugnare illam alienis ſubiectis vniri? Contra ſecundò, quia ſenſio materialis per te vnitur quantitati media potentia vitali, & non denominat illam, neque materiam primam ſentientem: ergo pro diuerſitate ſubiectorum etiam ex natura rei diuerſos tribuet effectus. §. 130.

Quod clariſſimè patet in vnione hypoſtatica: quæ animum rationalem reddit iuſtum & ſanctum: corpus autem non reddit iuſtum nec ſanctum. Item cum humanitate conſtituit Chriſtum, vt eſt homo, Filium naturalem Dei: quod non faceret cum equinitate. Siue ergo Gratia ponatur in recto, ſiue in obliquo, ſemper mutat formales effectus totales ex diuerſitate ſubiectorum: quia effectus formalis totalis oritur ab vtraque parte: immo eſt idem cum illis, & hoc complexum *lapis & gratia vnita*: eſt diuerſum ab hoc *Homo & gratia illi vnita*: ita & effectus formales. E quibus ſecundus eſt *gratum*, primus nequaquam. Idem dixerim de intellectione. recognoſce §. 125. c. 126. §. 131.

Ad illud de prædicamentis reſpondeo primo, in prædicamento accidentis conſtitui ſubſtantiam non ſecundum ſe, (ſic enim ad ſolum prædicamentum ſubſtantiæ ſpectat) ſed affecta aliquo accidenti. Secundo reſpondeo id, quod ponitur in prædicamentis accidentium, formaliter ſignificari in concreto, non in recto, ſed in obliquo. Tertio ad prædicaměta pertinere accidentia in abſtracto, non enim dicimus *prædicamĕtum quanti*, aut *agentis*, §. 132.
aut

aut *vbicati*, ſed *quantitatis*, *actionis*, aut *vbi*: quod Ariſtotel. illa ſignificet in concreto, eſt quia familiare eſt Ariſtoteli vſurpare terminos adiectiuos pro formis, quæ per illos ſignificantur: quod verò vniones accidentium non ponantur directè in prædicamentis, nihil infert, nam communis eſt opinio, motus, & ſubſtantias incompletas reductiuè tantùm ad prædicamentum ſpectare, item actioni ſubſtantiali nullum dari prædicamentum.

SVBSECTIO II.

Argumenta ſimiliora veri.

§.133. OStendi diſp. 2. Met. ſect. 5. eſſentiam modi vt ſic eſſe relationem vnius extremi ad aliud; qua aufertur aliqua indifferentia ſubiecti ad aliquid diſtinctum: quapropter dixi de ratione modi eſſe, eſſe determinationē actualem; ad quam non ſit ipſe modus indifferens. Item ſect. 6. ieci fundamenta ad aſſerendum intellectionem non eſſe modum. Obieci tamen argumenta non leuia ad oſtendendum eam eſſe modum: quibus nonnulli deinde ſunt moti ad affirmandum eam eſſe modum; inter quos vnus è meis auditoribus ſatis acutè eam opinionem prouexit. Ac primum ſtatuit, eam eſſe modum diſtinctum ab actione vitali: quia tantum eſt modus intrinſecus intellectui, quo ipſe determinatur, & refertur ad obiectum. Hic modus poteſt à ſolo Deo produci; quia producitur per actionem diſtinctam; vt patet in hominis vnione; quæ primùm producitur à Deo & homine; deinde conſeruatur à ſolo Deo. Immo oſtendi diſput. 12. Phyſ. vnionem poſſe creari. Negant autem hi authores poſſe cognitionem extra intellectum, aut in alieno ſubiecto conſtitui.

§.134. Vnicum fundamentum eſt, quia cognitio eſt modus intrinſecus potentiæ cognoſcentis: ergo non poteſt ab ea ſeparari: ergo nec in alieno ſubiecto conſtitui. Prima conſequentia eſt certa ex diſp. 2. Met. ſect. 5. Primam etiam probaui diſp. 11. Met. ſect. 8. Quamuis ibidem dixi non eſſe improbabile modum, qui ſemel eſt affectio alicuius rei ex natura ſua, non poſſe diuinitus ab illa ſeparari: at cur non poterit vniri diuinitus aliis rebus per modum à ſe diſtinctum? quia non eſt illarum determinatio. Quod in hoc modo vitali ſpecialius confirmatur: quia hic nullum habet phyſicum effectum in obiecto, ſed ſolum intentionalem; qui poteſt vniri ſubiecto inepto ad cognoſcendum, vt materiæ primæ: ergo quamuis nec actio, nec vnio non poſſint alienis vniri ſubiectis propter phyſicos effectus; cur non poterit vniri cognitio? Non eſt ergo ſecunda conſequentia tam certa quàm prima: ac propterea hæc mea prima concluſio in §. 123. locum habet, tametſi cognitio ſeparari non poſſit ab intellectu; quia poterit vniri corpori, aut Angelo, aut ſubſiſtentiæ. Quia verò cenſeo poſſe cognitionem ab intellectu ſeparari; probemus huius argumenti vires.

§.135. Probant igitur antecedens, nempe cognitionem eſſe intrinſecum modum intellectus: quia omnis actualis determinatio vnius rei indifferentis ad aliam, eſt modus: vt oſtendi diſput. 2. Met. ſect. 5. ſed intellectio eſt actualis & intrinſeca determinatio intellectus ad obiectum: ergo intellectio eſt modus intrinſecus intellectus. Probo minorem: quia intellectus eſt indifferens ad repræſentandum hoc & illud obiectum; ſed illa indifferentia ad hoc obiectum tollitur per cognitionem hanc, quæ eſt eſſentialis & determinata huius repræſentatio; ergo intellectio eſt actualis, & intrinſeca determinatio intellectus ad obiectum. Probo minorem; quia hæc repræſentatio eſt ita affixa huic obiecto, vt nec diuinitus poſſit repræſentare aliud; vt hæc actio eſt determinata ad hunc terminum: ergo vt actio eſt modus agentis; ita cognitio eſt modus intellectus.

Huic argumento reſpondi ea diſput. 2. ſect. 6. Negata minori: ad probationem nego minorem: ad probationem reſpondeo, cognitionem eſſe eſſentialiter determinatam ad hoc obiectum, ita vt diuinitus nequeat aliud nouum repræſentare, ſicut nec actio producere alium terminum: deeſt tamen illi cognitioni determinatio ad hunc intellectum: quam habet ab vnione. Argumento erat probandum cognitionem eſſe eſſentialiter determinatam ad hunc numero intellectum; tunc concluderet intentum: at id non probat; ſed præciſè eam eſſe determinatam in obiectum; quod ego fateor; quia per ſuam eſſentiam eſt formalis illius cognitio, & non alius: vt anima eſt ſe ipſa determinata ad ſpeciem hominis, & ad vitam humanam communicandam corpori: at non eſt determinata vt hoc corpus per illam viuat. ita intellectio eſt determinata ad communicandam vitam actualem; quia ex ſe eſt actus ſecundus viuentis; tamen non eſt determinata ad id communicandum huic intellectui. Igitur determinatio intellectus ad obiectum dicit duas determinationes; alteram ad obiectum, quam habet cognitio; alteram ad intellectum, quam habet vnio huius cognitionis. Ratio eſt: quia intellectus reſpicit obiectum vt principium actiuū perfectum loquutionis eiuſdem obiecti: hoc autem petit terminum perfectum, & abſolutum: cui vnitur vnione diſtincta. Huc recidunt quæ dixi diſp. 2. Met. ſect. 6. Nec deſunt exempla: lumen gloriæ & ſpecies impreſſa Dei, vel Deus ipſe loco ſpeciei, ſunt determinati ad eſſentiam Dei, ita vt per illa principia non poſſit videri aliud obiectum primarium, nec ſecundarium: At non ſunt determinati ad hunc numero actum. Actio, & vnio phyſica, ſunt determinatæ ſeipſis ad vtrumque extremum ob rationes redditas ea ſect. 6. cognitio autem & vnio ſunt determinatæ ad hunc intellectum, & hoc obiectum. §.136.

Secundò probant actum eſſe modum: quia actus eſt actualis relatio intellectus ad obiectum: ſed omnis relatio actualis eſt modus rei quam refert: ergo cognitio eſt modus. Probant minorem: quia ordo actualis diſtinctus à fundamento tantam habet connexionem cum fundamento quantam cum termino: ſed omnis relatio habens eam connexionem cum fundamento eſt illius modus: ergo. Probo minorem: quia cum termino habet connexionem inſeparabilem. Maior probatur exemplo actionis, & paſſionis. §.137.

Reſpondeo, multos eſſe ordines tranſcendentales eſſentialiter pendentes à termino quin ab immediato fundamento. Lumen gloriæ eſt per eſſentiam determinatum ad Deum vt obiectum; non tamen ad hunc numero intellectum: potentia vitalis eſt ordo animi ad actus vitales; neutri tamen eſt affixa. Sunt ergo aliqui ordines perfecti; alij verò imperfecti. hi non poſſunt ſeparari, ſecus illi. qui imperfecti ſunt ſe ipſis determinati & ad terminum, & ad fundamentum; vt actio & paſſio: quia per alias nec fieri, nec vniri poſſunt: perfecti autem ſunt reſpectus ad terminum, non verò ad hoc fundamentum: ad terminum quidem, quia ſunt formales imagines illius; quem connotant per ſuam eſſentiam; alioquin indigerēt alia ratione §.138.

repræſen-

repræſentandi: non verò ad ſubiectum; quia illud nō exprimunt; ſed ab eo pendent, & recipiuntur. Quod rectè intelligitur contingere per vnionem, quæ non ſit repræſentatio. vt virtus caloris in ratione virtutis non eget modo adiecto, eget autem vt ſit in hoc ſubiecto. Vnde minor propoſita §.137. eſt falſa: item & eius probatio. Actio eſt modus, non quia eſt relatio; ſed quia eſt relatio determinata tollens indifferentiam huius agentis & termini.

§.139. Tertiò probant: quia niſi cognitio ſit modus intellectus; hic non cognoſcet immediatè obiectum, ſicut nec anima producit actum. Nego: quia inter cognitionem & intellectum non interiicitur noua repræſentatio; ſed noua vnio; quæ non tollit immediatam communicationem effectus formalis; vt patet in anima: at inter cauſam remotam & effectum mediat virtus actiua, à qua immediatè oritur effectus. Non eſt ergo eadem ratio.

§.140. Eſt ergo cognitio qualitas abſoluta; quia circa obiectum nullam habet cauſalitatem; ſed puram illius extrinſecam denominationem. Quod non officit quin intellectui illam poſſit intrinſecè communicare per vnionem à ſe diſtinctam. Quo differt ab actione; quia ſiſtendum eſt in vna, quæ ſeipſa ſit ratio agendi actiua, & paſſiua: alioquin erit infinita actionum progreſſio: at cur vna magis quàm alia? item ſiſtendum eſt in vna vnione, quæ ſeipſam vniat, & extrema. Hic autem non ſequitur ea progreſſio; quia qualitas ſeipſa eſt repræſentatio formalis; ad quod non eget alia repræſentatione: ſuum autem formalem effectum intrinſecum communicat per vnionem. Item perfectio intellectus petit terminum perfectiorem calore, & aliis accidentibus, quæ producunt res abſolutas. Item cognitio eſt principium habituum, & ſpeciei impreſſæ, quæ ſunt res abſolutæ; quæ à modo produci non poſſunt, vt dixi §.68. Tandem cum intellectio ob ſui perfectionem ab omnibus cenſeatur de genere qualitatis abſolutæ: & rationes, quibus probari contenditur, eam eſſe modum, nullo modo vrgeant; non eſt aſſerenda modus.

SVBSECTIO III.

Secunda concluſio.

§.141. DIco ſecundò. *Volitio poteſt à ſolo Deo vniri voluntati ſine vlla cognitione creata.* Probatur, quia ſect.3. probaui amorem à ſolo Deo poſſe creari, ſed ille actus ſic creatus poteſt vniri voluntati ſine concurſu actiuo illius, vel poteſt ex illa educi à ſolo Deo: ergo. Probatur antecedens, quia in hoc nulla inuoluitur repugnantia. Nam Deus ad volendum vnionem illius actus non dirigitur per creatam cognitionem, ſed per increatam.

§.142. Dices hinc ſequi abſurdum; voluntatem amare obiectum, quod non cognoſcit. Contra, quia ſect. 1. probaui non conſiſtere amorem in ſola qualitate, quia euidenter probatur poſſe voluntatem amare incognitum: quod inde probo, quia Deus ad producendam illam vnionem non pendet ab humana intellectione, item neque voluntas ad illam recipiendam: quia ad recipiendum formaliter non deſeruit cognitio præcedens: ergo illa qualitas à ſolo Deo poteſt vniri voluntati, quin præcedat talis cognitio.

§ 143. Dicunt neceſſariam eſſe cognitionem, ne ſequatur illud abſurdum. Contra, quia hæc eſt petitio principij. Probauimus enim illam qualitatem vt producatur à Deo extra voluntatem non pendere à cognitione, quia in tali caſu nihil deſeruit cognitio, item neque Deus dependet ab illa cognitione in vnienda illa qualitate, neque voluntas in ea recipienda magis, quàm lapis ſi in eo conſtituatur. Vnde ergo probas illam qualitatem eſſentialiter à cognitione pendere, niſi negando abſurdum, in quod te deduco?

§.144. Vnde exiſtimo. non poſſe defendi amorem in ſola conſiſtere qualitate: ſed etiam in actione, alioquin voluntas ferri poſſet in incognitum. Et quamuis vnio ad voluntatem peteret eſſentialiter cognitionem: tamen eam non peteret vnio ad aliud ſubiectum: eſſet enim diuerſæ rationis, nec ſequeretur abſurdum quod in voluntate: item poſſet creari actus amoris ſine cognitione: quamuis non poſſet vniri voluntati.

§.345. Voluntatem tunc amaturam per eam qualitatem patet: quia eſt ibi tota eſſentia amantis, ſubiectum aptum, amor (qui per te eſt ſola qualitas) & illorum vnio, vt eſt eſſentia hominis in corpore & animo & vnione: cum fieri à voluntate eſt ex natura rei neceſſaria conditio: ſicut eſt vniri: at non de eſſentia per te: & ſicut eſſet vnitus tametſi ab extrinſeco vniretur: ita & amans.

§.146. Nonnulli dicunt, voluntatem tunc non fore amantem; quia non eſt ſubiectum capax amandi ſine cognitione; ſicut intellectus non eſt capax intelligendi ſine actione. Hac de re egi à §. 112. vbi probaui poſita forma & vnione cum ſubiecto apto, non poſſe non eſſe intelligens in actu ſecundo, quoad entitatem, & denominationē. §. autem 114. impugnaui opinionem de connotatis. §. item 115. oſtēdi poſſe dici cognitione exiſtente in intellectu non poſſe hunc eſſe intelligentem, quia eſt ex parte ſubiecti conditio neceſſaria ſpecies impreſſa; & habitus infuſus vt voluntas ſit ſupernaturaliter amans; & quantitas vt ſit homo. eademque facilitate poſſumus comminiſci mille conditiones; quibus ſubiectum ſit incapax.

§.147. Hic aduerte circulum horum authorum: dicunt §.113. cognitione non reddi potentiam intelligentem niſi vitaliter producatur; quod probant; quia amor ſine cognitione non reddit amantem. Hic dicunt non reddi voluntatem amantem ſine cognitione, idque probant, quia intellectus non redditur agnoſcens abſque actione.

§.148. Ratio huius doctrinæ eſt; quia cognitio eſt extra formalem conceptum amantis. vnde ſi ponitur tota eius eſſentia, ponitur totus amans: vt homo eſt corpus & animus cum vnione & ſubſiſtentia; vt ex S. Athanaſio canit Eccleſia in ſymbolo: ſi ergo ponuntur corpus, anima rationalis, vnio, & ſubſiſtentia, ponitur homo; licet non ponatur quantitas. Controuerſia eſſe poteſt; num abſque quantitate anima & corpus poſſint vniri? vt vtrum abſque cognitione poſſit vniri volitio? at ſi ſemel vniantur corpus & anima ſubſiſtentes; quis neget eſſe hominem; quia *corpus & anima vnus eſt homo:* ita voluntas & amor vnus eſt amans. cognitio non pertinet ad capacitatem, aut incapacitatem ſubiecti; ſed ad principia neceſſaria ad agendum: vt quantitas non ſpectat ad capacitatem ſubiecti; ſed ad conditionem ad agendum: ſi autem defectum conditionis, aut agentis Deus ſuperat; reſultat amans, non aliter ac homo abſque quantitate. mirum eſt poſſe aliquem ad hanc lucem conniuere.

§.149. Dicent alij; poſſe tunc voluntatem ferri in incognitum. Quando autem Ariſtoteles voluntarium definiit à principio intrinſeco cognoſcente

ſingula;

ſingula; dicunt definiri volũtarium actionis,quod *cauſale* vocant; non voluntarium amoris. Hi mihi placent,qui conſequentiã euidentem non fugiunt; quamuis pugnet cum toto orbe. Et quidem non ſolum definiri voluntarium actionis,ſed etiã amoris, cõſtat ex dictis diſputationibus de voluntario, & inuoluntario. Primùm; quia perfectionem, & imperfectionem amoris expẽdunt omnes ex principio intrinſeco,& cognitione: ergo omnes intelligunt tunc definiri amorem ipſum. Secundò;quia obiecti circumſtantiæ ſunt nobis voluntariæ formaliter ab amore, quo illas volumus facere: quia obiectum à nobis factum, nobis eſt voluntarium vt obiectum voluntatis, illa imperatum externæ potentiæ: vt ſi ego patrem occido culpatè, ſum homicida, quia volui patrem occidere: ſed per te ab illa ſola qualitate obiectum eſt volitum: ergo ab illa eſt voluntarium: ergo illa definitur. Probo conſequentiam: quia definitur id à quo homicidium eſt voluntarium, ſed eſt per te voluntarium à qualitate: ergo qualitas definitur. At hæc definitio eſt *à principio intrinſeco cognoſcente ſingula:* ergo qualitas definitur à principio intrinſeco cognoſcente. Ea enim ratione quærit Ariſtoteles, an ſit parricida, qui enecat patrem, vſus exemplo Merope: vtrum ſit voluntarium occidere ferro, aut haſta? itaque non eſt dubium ibi definitam eſſe qualitatem. Pone ab eam habente ſine cognitione, oriri parricidium. hoc eſt voluntarium abſque cognitione.

§.150. Concludo non poſſe defendi hominem amare abſque cognitione; & quia hoc ſequitur ex opinione conſtituente cognitionem in ſola qualitate, ideo ponenda eſt etiam in actione. Vel dicendum, voluntarium eſſe à principio intrinſeco,non actu, ſed aptitudine, vt ex natura rei;non tamen diuinitus; vt accidens eſt inhærens.

§.151. Rogas: ſicut Deus poteſt ſe ſolo illam qualitatem producere,& vnire voluntati,cur non poterit voluntatem determinare, vt ipſa velit, quod non cognoſcit? Et quam maiorem dependentiam habeat actio volitiua, à cognitione quam habet ipſa qualitas amoris? Ad primum reſpondeo,implicari contradictionem vt voluntas ſe moueat vitaliter niſi circa bonum, quia moueri à ſe, eſt ſe exercere; voluntas autem tantum ſe exercet circa bonum, ergo ſi Deus vult illam exerceri in ratione voluntatis, debet velle, vt ſe exerceat circa bonum. At voluntas non fertur in bonum ſecundum ſe, ſed in bonum, cuius bonitatem cognouit, vel in bonũ illi applicatum: & ſicut implicat agens materiale immutare paſſum, niſi illi applicetur, ita implicat voluntatem ferri in bonitatem, niſi illi proponatur: ſicut implicat intellectum elicere cognitionem circa obiectũ niſi habeat aliquam ſpeciem,vel quaſi ſpeciem illius. Vnde hoc eſt diſcrimen inter ſententias, quas impugnaui, & meam, quod in mea, voluntas per actionem benè ſe exercet, & mouet: at in oppoſita in caſu argumenti à ſolo Deo exercetur, & mouetur, & non requiruntur tot ex parte voluntatis, vt ab alio exerceatur, quot vt ipſa ſe exerceat.

§.152. Ad ſecundam interrogationem reſpondeo,qualitatem illam,cum non ſit modus,ſed res: nõ pendere eſſentialiter niſi à ſolo Deo; quia hæc eſt diſtinctio inter modum & rem:at verò actio illa voluntatis, cum ſemel dependeat à cognitione, non poteſt ab illa non pendere, hæc enim eſt eſſentia modi,vt nõ poſſit non pendere à principio, à quo ſemel dependet. Quod poteſt cõfirmari ex ſententia P.Molinæ,adſerẽtis intellectionem actiuè concurrere ad amorem: in qua ſententia euidens eſt diſcrimen: quia actio vnius agentis nõ poteſt eſſe alterius,nec poteſt eſſe,quin actu procedat ab illo. Idem ergo quod aſſerit Pat. Molina, aſſero & ego, etiam ſi cognitio phyſicè non producat volitionem: nam modi etiã dependent à principiis phyſicè in illos non influentibus,vt vnio Hypoſtatica eſſentialiter pendet à Verbi perſonalitate in ratione termini, & tamen Verbum non cauſat phyſicè illam vnionem. Item actio eſſentialiter pendet à termino, à quo nullum habet phyſicum influxum. Item vbicatio eſſentialiter pendet ab ſpatio imaginario, à quo nihil phyſicè accipit,& cognitio ab obiecto non modo actiuè per ſpeciem, ſed etiam terminatiuè per ſe; ergo ſimiliter actio voluntatis eſſentialiter pendebit à cognitione, quia cognitio eſt principium mouens voluntatem:vnde, mutato illo principio neceſſario mutatur actio voluntatis, quia eſt dependentia qualitatis à voluntate, & cognitione,ſiue per cognitionem.

Dices primò,cognitionem tantum eſſe applicationem,& ab applicatione non pendere eſſentialiter actionem, ſicut calefactio, non pendet ab hac, vel illa applicatione. Reſpondeo,illam applicationem intellectus eſſe verum principiũ mouens voluntatem, diuerſæ rationis ab applicatione materiali, quæ non eſt principium effectus:at verò phyſica applicatio numquam eſt diuerſa, eſt enim immediata indiſtantia agentis à paſſo: quæ parum refert ſi ſit in hoc,aut illo loco,ſicut parum refert, quod intellectus hìc,aut illic moueat voluntatem, quia à loco nõ pendent illæ actiones. Vnde ſi ſemper ſeruetur eadem indiſtantia, ſemper idem præſtabitur effectus. Quæ poſſunt confirmari,quia cognitio auget aut minuit rationem voluntarij,ergo excellentius munus exercet in voluntatem, quàm phyſica applicatio in effectum. §.153.

Dices ſecundò, eſſe poſſibiles aliquas actiones volũtatis independentes à cognitione naturaliter. Sed hoc ex ſe repugnat: quia omnis actio voluntatis eſt voluntaria:ac petit cognitionem ſingulorum. Benè poteſt Deus cõcurrere cum voluntate ad aliquam creationem, aut aliud genus actionum independentium à cognitione naturaliter, at verò nulla poteſt eſſe actio voluntaria, quin ſit dependens ab intellectu creato.quia ſine cognitione volentis repugnare voluntarium oſtendit eiuſdem voluntarij definitio. Hæc doctrina eſt obſeruanda ad reddendam rationem, cur idemmet actus mutari non poſſit de bono in malum; nam quando mutatur cognitio obiecti,& cognoſcitur eſſe prohibitum id, quod antea ignorabatur: item mutatur voluntas ex tali cognitione dependens. §.154.

SECTIO V.

De ſpecie expreſſa, & verbo Mentis.

Species in diuerſa ſignificatione accipitur hìc ab animaſtico, ac à logico in prædicabilibus. Ille enim nunc intelligit, per ſpeciem ſimilitudinem, vel repræſentationem alicuius rei:ſic dicitur communiter aliquid fieri ſpecie pietatis, id eſt, prætextu pietatis: animum enim abſconditum titulo aliquo pietatis, prætexit, & induit, externa velut repræſentatione pietatis. Sic accidentia panis, & vini in Euchariſtia vocantur ſpecies panis, id eſt, externus panis aſpectus,vel apparentia.Species alia impreſſa,quam obiectum imprimit in potentia(de qua erit ſermo diſput. 12.) Alia expreſſa; quam §.155.

potentia in ſe exprimit & format. Exiſtimo eam ita vocari, quia exprimit obiectum: *exprimo* enim opponitur verbo *adumbro*, hoc ſignificat obumbratam, ſiue vmbra tectam figuram: illud verò claram, & apertam. Cicer. 3. Tuſc. *eſt enim gloria ſolida quædam res & expreſſa; non adumbrata.* Ita ſpecies impreſſa eſt adumbrata imago, quibuſdam tecta inuolucris: adhuc enim per illam ſolam, non apparet prototypus: at ſpecies expreſſa eſt imago, lineis, coloribuſque propriis repræſentās ad viuum. Rectè Plin. in epiſt. *nam ſi eſſe* (inquit) *nobis curæ ſolet vt facies noſtra ab optimo quoq; artifice exprimatur,* id eſt, effingatur ad viuum. Itaque quodcumque obiectum ſpecie impreſſa repræſentatur obſcurè, ſiue virtualiter tantum, & remotè; id per expreſſam formaliter & immediatè depingitur.

§. 156. Verbum communiter ſumunt grammatici pro ea orationis parte quam inflectunt per tempora, & modos: vulgo tamen accipitur pro quacumque voce pro libito aliquid à nobis conceptum exprimente, *verbum, cuiuſque rei ſignum* dixit Auguſt. tom. 1. de principiis dialecticæ, cap. 5. verba facere dicimur cum loquimur, nomináque ipſa vocantur verba caſta aut obſcæna. Grammatici non ſaliunt vltra has crepidas. Philoſophi autem verba interna odorantur ex vocibus; mentiſque conceptus vocant *verba mentis.* Vt enim ſoni, quibus ſenſa pandimus, vocantur verba, quia per illa aliis innoteſcimus, ita & mentis conceptus, quos exprimimus, vocamus verba: quia per illa & nobis loquimur, & obiecta innoteſcunt; quid enim eſt rem aliquam producto ſigno manifeſtare? ſic Auguſtinus ſcripta *verba* vocat: cum ergo nullum ſit ſignum obiecti clarius, & expreſſius cognitione producta, merito hæc vocatur *verbum.* Hac ſignificatione vtitur crebro ſcriptura Pſal. 13. 2. *Dixit inſipiens in corde ſuo.* & Pſal. 9. 11. *dixit enim in corde ſuo.* Eccl. 1. *locutus ſum in corde meo dicens.* Sap. 5. *dicentes intra ſe pœnitentiam agentes*, Matth. 9. 21. *dicebat enim intra ſe.* Eſtque peruulgata phraſis, hominis cogitatus compellare *verba*, quæ corde dicuntur, & loquimur. Eſt igitur verbum, *ſignum, quo loquimur ac dicimus aliquid.* Quæ definitio abſtrahit à verbo producto, & improducto, (ſi admittitur:) preſſius, immo propriè *verbum eſt terminus intrinſecè productus locutione, vel dictione:* ſiue, *id quo producto loquimur, aut dicimus*; reperitur in ſola potentia cognoſcente, & lingua ſonorum pro libito ſignificantium formatrice: in Pſytacis, & aliis beſtiolis non reperiuntur propriè verba, quia nihil ad placitum dicunt, reperitur autem inanis verbi formatio.

§. 157. Quibus conſtitutis, Dico primò. *Quando intellectus verbū efformat; illud eſt idem cum ſpecie expreſſa producta per actionem intelligendi.* Eſt communiſſima ſententia. P. Suarez 1. part. lib. 2. de attributis negatiuis cap. 11. à num. 1. Molin. 1. part. quæſt. 12 artic. 2. diſp. 1. P. Vazquez ea quæſt. 12. & tom. 2. diſp. 141. num. 26. & diſp. 112. n. 13. & 14. S. Tho. in 1. diſt. 27. quæſt. 2. art. 2. §. *Alij dicunt*, ante medium: *oportet* (ait) *quod verbum vel dicatur ipſa operatio intelligendi, vel ipſa ſpecies quæ eſt ſimilitudo rei intellectæ.* S. Auguſt. tom. 3. lib. 15. de Trin. cap. 10. (vt mox patebit) & Thomiſtarum omnium, quibus commune eſt dari aliquas cognitiones ſine verbo, vel ſpecie expreſſa.

§. 158. Probatur primò à priori; verbum eſt, quo aliquid loquimur: ſed præcisè per actionem, & eius terminum loquimur: ergo verbum nihil eſt præter actionem, & eius terminum. Minor probatur, loqui nihil eſt aliud, quàm potentiæ intellectiuæ rem proponere, & indicare, vt patet in locutione vocali quæ nihil eſt præter manifeſtationem conceptuum: ſed actio intellectiua cum ſuo termino rē intellectui manifeſtat: ergo per illam loquitur intellectus. Confirmatur, quia illa qualitas eſt naturalis & expreſſa repræſentatio, & ſignum obiecti: ergo non indiget alio verbo: vt enim voces, quia ſunt ſigna rerū, ſunt verba, ita & illa qualitas perfectius eſt verbum, quia & ſignum perfectius.

Secundò, quia illud verbum diſtinctum non eſt neceſſarium: cui enim muneri ſeruit? nō ad repræſentādum, quia ſpecies expreſſa eſt formalis repræſentatio obiecti: nec ad terminandā cognitionem, nam cognitionem terminat ſpecies impreſſa, quia per eam producitur in ſententia conſtituente intellectionem in ſola actione: vel ſi includit etiam qualitatem, hæc terminatur ad obiecta, & non ad aliud verbum (vt infra probabo.) Confirmatur: illud verbum erit ſpecies expreſſa: ſpecies quidem, quia eſt obiecti ſimilitudo; quia obiectum eſt in mente non phyſicè: expreſſa autem, quia non eſt impreſſa: tertia autem ſpecies non reperitur. Tandem probatur ex Verbo diuino, quod nihil eſt præter diuinam intellectionem cum relatione productiv, quod, quia eſt verbum, dicitur, *ſplendor, imago, & figura Patris:* ſed ſpecies expreſſa eſt imago producta obiecti, ergo eſt verbum obiecti. §. 159.

SECTIO VI.

Vtrum ſit intellectio creata ſine verbo?

Dico ſecundò. *Nulla reperitur intellectio creata ſine verbo.* Ita P. Suarez, Vazquez, Molina ſupra, Conimbricenſ. 3. de anima cap. 8. quæſt. 3 qui ea ratione admittunt verbum, ne detur actio prædicamentalis ſine termino per illam producto. Ferrara verò primo contra gent. cap. 53. §. *quinta eſt de beatis.* id deſcendit in partem vtramque, éſtque hæc ſententia tam perſpicuè S. Thom. vt Zumel. 1. par. quæſt. 12. licet dixerit à beatis nō formari verbum adæquatum beatæ viſioni, tamen non ſit auſus illud omnino negare. Ferrara verò cum conatur exponere de cognitione connaturali homini, non verò de ſupernaturali: at verò eam diſtinctionem eſt ſine fundamento commentus. Nam S. Thom. 1. part. q. 27. art. 1. c. vt probet proceſſionem Verbi per intellectum, hoc vtitur argumento. *Quicumque intelligit, ex hoc ipſo quod intelligit, procedit aliquid intra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, quam quidem conceptionem vox ſignificat, & dicitur verbum cordis, ſignificatum verbo vocis.* Vbi & hanc concluſionem perſpicuè docet, & non loquitur de connaturali intellectione: ſed ex illo vniuerſali principio colligit concluſionem particularizatam in Deo. §. 160.

Si quid autem efficeret expoſitio Ferrarienſis, obtruncaretur B. Tho. argumentatio: poſſet enim illi objici, actibus naturalibus produci verbum, non tamen beatificis, quibus Deum intuemur: repugnat enim intuitione Dei verbum produci. Ac propterea eluditur argumentum. Item eadem ratione poſſet reſponderi nulla intuitione obiecti produci verbum: ſed tantum abſtractiuis: Deus autem ſe intuetur. At B. Thomas ex communi conceptu intellectionis eo quod intellectio ſit, probat Verbum diuinum, ac proinde à Deo produci, cuius viſio eſt in eodem ordine ſupernaturali cum noſtra, licet in gradu infinitè perfectiori. §. 161.

Equidem ſe opponunt S. Thom. eiúſque argumento §. 162.

mentorum vim infringunt: & quarto cōtra Gent. cap.11. ante medium ait. *Vnde & ipſa intentio verbum interius nominatur.* Intentionem autem vocat Thomas ſimilitudinem formatam ab intellectu, vt patet ex eodem cap.iis verbis. *Intentio intellecta non eſt eorum ſubſtantia, quia non eſt idem in eis intelligere, & eſſe.* Legatur totum caput. Atque hæc concluſio liquidius conſtat ex aliis verbis eiuſdem capitis pro concluſione tertia adducendis: clariſſimè autem in 1.d.27.quæſt.2.§. *Alij dicunt*, ante medium iis verbis. *Vnde oportet, quod verbum vel dicatur ipſa operatio intelligendi, vel ipſa ſpecies, quæ eſt ſimilitudo rei intellectæ: & ſine vtroque iſtorum non poteſt quis intelligere: vtrumque enim iſtorum eſt, quo quis intelligit formaliter.* Quære (amabo te) expoſitionem aliquam. Et q.4.de verit.art.1.ad 9.ait: omne intellectum poteſt verbum interius dici, ſiue per ſimilitudinem, ſiue per eſſentiam intelligatur.

§.163. Auguſtini etiam autoritas ſtabilit hanc ſententiam: tom.3.lib.15.de Trinit. cap.10. latè probat omnes noſtras cognitiones, etiā viſiuas ſcientias, eſſe verba, quibus loquimur, & ſimilitudinem aliquam Verbi diuini, & ante finem capitis cōcludit. *Formata quippe cogitatio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt, nec latinum.* Loquitur autem Aug. vniuerſim de omni noſtra cogitatione, & intellectione, & tom.10.ſerm.23.de tempore. *Verbum* (inquit) *quod corde geſtamus, fit vox, cum id ore proferimus*: cum ergo quis poſſit ore proferre viſionem beatam, & quamuis aliā cognitionem, tunc fiet vox, ergo erat verbum. Quod etiam diſcrimen tradit. S. Thom. & lib.15. de Trinit.cap.16.loquens de nobis in patria, & de viſione beata ait. *Tunc verbum noſtrum non erit falſum, quia nec mentimur nec fallimur.* Vide P.Vazq.1. part.diſput.38.num.6.

§.164. Hæc cōcluſio probatur primò, quia omnis qualitas immediatè terminās actionem intellectiuam, & per illā producta, eſt verbū (vt probaui §.168.) ſed omnis actio intellectiua creata producit qualitatem, vt monſtrabo diſp.16.Metaphy. ergo omnis actio intellectiua creata, producit verbum. Porro ea diſp.16.conſtabit apertè, ſentire contra S.Tho. Thomiſtas, dum cenſent actiones vitales eſſe de prædicamento actionis, cum ipſe dicat expreſsè eas eſſe de prædicamento qualitatis, & dicat per eas nihil produci ad extra. Hoc autem euerſo fundamento corruit hæc tota Thomiſtarum opinio. S. Thomæ teſtimonium adduxi §.45.

§.165. Secundæ probationi præmitto doctrinā S.Tho. in 2.d.27.quæſt.2.art.1.§. *Sed tamen ſciendum*, verbum dicere relationem manifeſtandi rem alicui, totámque eius eſſentiam in eo cōſiſtere adæquatè. Nam verba facere, & dicere, ſeu loqui (quæ ſunt ſynonima) eſt rem alicui manifeſtare. Vnde argumentor ſecundò: Verbum nihil aliud dicit, quam quamdam emanationem ab intellectu per modum manifeſtantis: ſed in omni intellectione creata eſt emanatio ab intellectu per modum manifeſtantis: ergo in omni intellectione creata eſt verbum. Maior propoſitio eſt verbum pro verbo, S.Thom. eo artic.1.& probatur ex dictis: quia tota ratio verbi conſiſtit in repræſentatione obiecti, quod loquimur per verbum: at in omni cognitione creata reperitur naturalis repræſentatio obiecti ab intellectu dimanans, ergo verbum. Minor vtriuſque ſyllogiſmi probatur: quia intellectio ſiue ſit actio, ſiue qualitas, ſiue vtrumque; eſt aliquid ab intellectu diminans (vt ex terminis patet) & eſt per modum manifeſtantis ipſi intellectui: nam intellectio facit præſens intentionaliter obiectum: quod, licet ſit phyſicè præſens, non tamen adeſt intentionaliter, dum nō cognoſcitur: vel ſaltem negari nequit tale obiectum manifeſtari potētiæ, v.g. Deum beatis: nam beatis apparet Deus ſicuti eſt, illíſque Naturam, Perſonas, Attributáque pandit, ergo illa cognitio eſt beatis Dei manifeſtatio producta, ergo eſt locutio, quia omnis manifeſtatio mentis, & oris eſt locutio. Ecce quàm aptè in illam quadret Thomiſtica definitio verbi: *aliquid ab intellectu emanans per modum manifeſtantis.*

Dicent, verbum requirere manifeſtationem obiecti per modum ſimilitudinis; at in viſione beata §.166
non reperiri ſimilitudinem formalem Dei: ac proinde ibi non eſſe verbum. Contra primùm, Anſelmus apud Patrem Vazquez ſupra, ait expreſsè intellectu formari, & exprimi ſimilitudinem obiecti, quoties intelligimus. Verba Anſel, in Monol. capit.31. ſunt hæc. *Nulla ratione negari poteſt, cum mens rationalis ſe ipſam cogitando intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione: immo ipſam cogitationem ſui eſſe imaginem, ad ſui ſimilitudinem tāquam ex eius impreſſione formatam. Quamcumque enim rem mens, ſiue per corporis imaginem, ſiue per rationem cupit veraciter cogitare, eius vtique ſimilitudinem, quantum valet, in ipſa ſua cogitatione, conatur exprimere. Quod quanto melius agit, tanto de ſe ipſo melius cogitat.* Quibus B. Anſelmus hanc propoſitionem particularem: *Qui ſe cognoſcit formam ſui imaginem*; probat hoc principio vniuerſali. *Mens format imaginem cuiuſcumque rei quam cogitat.* Quod ex S.Auguſtino & aliis conſtabit §.180.

Secundò ad loquendum non requiritur niſi ea §.167.
ſimilitudo, quæ ſufficiat ad explicandum, & manifeſtandum obiectum: ſed in omni creata intellectione reperitur ſufficiens ſimilitudo ad manifeſtandum intellectui obiectum, ergo & ad loquendum, ergo ad verbum: quia non loquimur niſi verbis. Minor eſt certa, quia omnis cognitio maximè perfecta, & iudicatiua manifeſtat obiectum potentiæ: quæ enim maior manifeſtatio poteſt eſſe, quàm intuitiua cognitio? Maior probatur; tum quia verba vocalia non inſtituuntur, niſi vt manifeſtent, licet non per ſimilitudinem formalem: tum quia ſi mihi obiectum manifeſtatur, ergo illud obiectum mihi dicitur, & repræſentatur, (vt ſæpè dixi.)

Confirmatur primò, cognitio beata voluntati §.168.
repræſentat obiectum, ergo illud manifeſtat voluntati: de antecedente nulli dubium, cum voluntas neceſſariò feratur in Deum clarè viſum: conſequentia liquet: quia manifeſtare obiectum voluntati eſt illi proponere eius bonitatem ad amādum: volūtas enim obiecto benè inſpecto illud aut odit, aut amat: ergo ea cognitio manifeſtat intellectui Deum, non ſecus ac voluntati: quia voluntas nullam habet manifeſtationem obiecti, niſi eam, quæ eſt in intellectu: ergo illa cognitio habet ſufficientem ſimilitudinem, qua repræſentet Deum; patet conſequentia, quia omnis repræſentatio eſt ſimilitudo obiecti in quantum repræſentatio: quia eſt naturale ſignum obiecti: nec verba vocalia alia ratione ſunt verba, niſi quia ſunt ſigna pro libito manifeſtatiua obiecti: ſed illa cognitio habet rationem ſigni naturalis, manifeſtatiuam obiecti, ergo & rationem verbi.

Confirmatur ſecundò, quia Deus talis eſt in ſe, §.169.
qualis repræſentatur per intuitionem ſui, *videbimus enim eum ſicuti eſt*, ergo intuitio Dei eſt intentionalis ſimilitudo Dei: patet cōſequentia; quia tūc duæ res ſunt ſimiles, quando vna eſt talis, qualis altera; ergo quādo vna eſt intētionaliter talis, qualis altera, eſt illi ſimilis intentionaliter; ſed cognitio ita

ita eſt ſimilis Deo, vt ſit ad illum repræſentãdum, ergo habet ſimilitudinẽ repræſentationis, & imaginis, quod teſtatur Ioan. epiſt. 1. cap. 3. *erimus ei ſimiles, quia videbimus eum ſicuti eſt.* Vbi ait Lyra; cognitionem ſecundum omnes prophetantes eſſe aſſimilationem obiecti: quem locum ſic communiter accipiunt interpretes. Immo S.Thom. 1. par. quæſt. 85. art. 8. ad 3. & de veritat. quæſt. 2. art. 3. ad 9. intellectum cognoſcendo obiectum illúdq; repræſentando ait fieri illi ſimilem. Quando verò 1. part. quæſt. 14. art. 2. ad 2. ait intelligere per aſſimilationem cõuenire ſoli intellectui accipienti ſpecies à rebus; loquitur de aſſimilatione per ſpeciem in actu primo, per quam obiectum tamquam per ſui imaginem cõſtituitur intelligibile in actu proximo. Auguſtinus autem nono de Trinit. c. 10. fine ait: *Omnis ſecundum ſpeciem notitia, ſimilis eſt ei rei, quam nouit.*

§. 170. Vt autem hæc liquidiùs conſtent, S.Thom. 1. p. q. 16. art. 1. ait, verum eſſe in intellectu ſecundum quod conformatur rei intellectæ: item domũ eſſe veram vt aſſimilatur formæ exiſtenti in mente artificis: & res creatas eſſe veras, vt aſſimilantur ſimilitudini, quam Deus de illis habet. Affert etiam S.Auguſt. tom. 1. lib. de vera relig. cap. 36. à medio: aſſerentem, veritatem eſſe ſummam ſimilitudinem principij: & eadem. q. 16. art. 2. hæc ait. *Neceſſe eſt quod intellectus quantũ eſt cognoſcens, ſit verus inquantum habet ſimilitudinem rei cognitæ, quæ eſt forma eius inquantum eſt cognoſcens.* Vnde arguo. Beati cognoſcunt verè Deum; ergo per illius ſimilitudinẽ: probo conſequentiam; quia intellectus eſt verus ex S. Tho. inquãtum habet ſimilitudinem obiecti: item Beati cognoſcunt; ſed forma cognoſcentis, vt eſt cognoſcens, eſt obiecti ſimilitudo ex S.Tho. ergo beati habent ſimilitudinem Dei. vide item art. 8. & S.Auguſtinus lib. 9. de Trinit. c. 10. & 11. ait. *In quantum Deum nouimus, ſimiles ei ſumus; ſed non ad æqualitatem ſimiles; quia non tantum ipſum nouimus, quantus ipſe eſt.* vbi cognitionem conſtituit ſimilitudinem Dei inadæquatam: quia non haurit totum Deum.

§. 171. Tertiò argumentor; quia Angeli in cognitione ſui verbum efformant, ergo cognitio intuitiua poteſt eſſe cum verbo. Antecedens cum aliis Thomiſtis Ferrarienſis admittit primo cõtra gent. cap. 53. §. *tertia eſt*, & probat ex S.Thom. quia vt eſſentia Angeli cognoſcatur, opus eſt vt conſtituatur in eſſe termini, & obiecti, quod fit per verbum: quod ſi antecedens Thomiſtæ negent; id facient & conſequentius, & eadem facilitate; nec enim cõſequentia eos vrget, niſi ad hominem; dicéntque ſenſus externos non formare qualitatem per ſenſionem, quia ſemper mòuentur præſente obiecto.

§. 172. Sed fortè dicent, duo eſſe obiectorum genera: alterum, quod poſſit emittere ſpeciem ſui, aut à Deo produci; alterum, cuius ſpecies impreſſa repugnet, qualis eſt Deus: & hoc non poſſe videri per verbum: cætera poſſe; quia ſpecies expreſſa reſpondet impreſſæ. Contra primò, quia Ferrara ſupponit ibi Angelum per ſuam eſſentiam cõcurrentem loco ſpeciei impreſſæ eſſe principiũ cognitionis. Secundò à priori, quia ſpecies impreſſa habet ab obiecto virtutem productiuam ſpeciei expreſſæ: & ea virtus ſubrogatur loco obiecti, vel abſentis, vel improportionati: ergo multo melius producet obiectũ ſpeciem expreſſam: patet conſequentia, quia ſimilitudo intẽtionalis Angeli multo melius fiet ab ipſo Angelo, quàm ab eius vicaria ſpecie: quæ tantùm gerit in productione actus vicem ipſius Angeli, cuius loco ſubrogatur.

Tertiò per inſtantiam, quia Deus cognoſcendo ſe intuitiuè, & cum repugnantia ſpeciei impreſſæ producit verbũ; ergo productio verbi non repugnat nec viſioni intuitiuæ, & comprehenſiuæ, nec cum impoſſibilitate ſpeciei impreſſæ; cur ergo in cæteris repugnabit obiectis? Non ex imperfectione, quia verbum admittis in cognitionibus abſtractiuis: nec ob perfectionem, quia diuina cognitio verbum efformat: nec hoc arguit infinitudinem; quia verbum illud, ſicut non oritur à principio comprehenſiuo Dei, ita neque eſſet eiuſdem comprehenſio. Cur igitur erit impoſſibile apud Deum hoc verbum? Hanc etiam ſolutionem eſſe contra S.Thom. q. 4. de verit. art. 3. ad 9. patet ex eius verbis. *Quantum ad rationem verbi pertinet, non differt vtrum aliquid intelligatur per ſimilitudinem, aut eſſentiam, &c.* §. 173.

Ratio à priori: quia cognitio per ſpeciem non differt à cognitione per eſſentiam obiecti in ratione termini: quia ſpecies impreſſa non eſt terminus cognitionis: ſed differt tantum in ratione principij actiui: nam concurrente ſpecie non concurrit obiectum, aut è conuerſo: hoc autem non facit in vna cognitione eſſe verbum, ſecus in alia. Nam ſpecies facit præcisè in genere cauſę efficientis, quod faceret obiectum: ergo ſi obiectum non erat facturum verbum, nec illud faciet ſpecies: vel ſi id facit ſpecies, iam facit pluſquam obiectum: nec in illo erit vicaria illius. §. 174.

SECTIO VII.

Impugnatæ rationes aduerſantium.

NEc minus ſunt impugnatu dignæ rationes, quibus Thomiſtæ mouentur. Primùm Caietanus autoritate S. Thomæ, ſed quæ notat teſtimonia, partim ſunt contra eum, vt cap. 53. lib. 1. contra gent. & cap. 11. lib. 4. partim nec inſinuant Caietani ſententiam: immo Ferrarienſis eo cap. 5. §. *quinta eſt*, videns ſanctum Thom. repugnare ſententiæ oppoſitæ, quam ipſe Ferrarienſis non abſolutè, ſed problematicè eſt auſus defendere, cum conatur exponere; ſiniſtrè tamen (vt oſtendi §. 170.) immo Sotus vir bonus, veridicus & nequaquam aſſentator in 4. d. 49. quæſt. 2. artic. 3. Capreolum obiurgat, quod oppoſitum & ſentiat, & doctori tribuat Angelico. Eſtque ſanctus Thom. tam apertè à nobis, vt mihi accidat mirum oppoſitam ſentẽtiam tantum apud eius diſcipulos percrebuiſſe; quod hac in parte dilucidius patebit, ſect. 8. Cum verò dicit cognitione nihil produci: tum vniuerſim loquitur, tam de intuitiuis, quam de abſtractiuis, quibus verba fieri non inficiantur aduerſarij; tum de productione extra potentiam, & eas actiones ait eſſe de genere qualitatis, vt ex eius teſtimoniis apertè monſtrabo in met. diſp. 16. & oſtendi §. 45. §. 175.

Secundò probant ex Ariſt. 2. de anima, text. 60. aſſerente obiectum intellectus eſſe intra animam, ſenſus verò extra illam. Sed hoc argumentum probat intellectionem intuitiuam formare verbum, quia obiectum illius debet eſſe intra animam. Sed Ariſtot. trahunt inuitum, ſic enim adſerit. *Intelligere quidem cum quiſpiam voluerit, in ipſo eſt ſitum, ſentire autem non collocatur in ipſo.* Id eſt, liberum eſt, hominem intelligere quoties voluerit, quia intra animam habet ſufficiens principium ad intelligendum vniuerſalia, (de quibus ibi diſputat) non tamen eſt in eius poteſtate ſentire: *neceſſe eſt enim* §. 176.

(inquit)

(inquit) *ipſum ſenſibile adeſſe*. Ratio eſt, quia ſenſatio fieri non poteſt, niſi per ſpeciem impreſſam, quam ſenſus externus non habet in ſe, ſed accipit ab obiecto præſenti.

§.177. Tertiò probant, quia quando obiectum eſt abſens, indiget vt fiat præſens intellectui, & proportionatum: ſed hoc fit per verbum, ergo. Argumentum in te retorqueo, quia vt obiectum abſens & materiale per verbum repræſentetur, indiget vt illi proportionetur, & fiat præſens: à quo ergo id accipit verbum? Sicut ergo in tua ſententia verbum ipſum, obiectum præſentat intellectui, ſimiliter & cognitio, & ſpecies expreſſa. Abſtracta enim à phantaſmate ſpecie impreſſa, obiectum per illam in actu primo repræſentatur, & proportionatur intellectui: obiectũ autem per cognitionem ipſam conſtituitur obiectiuè in intellectu: oſtendi enim ſæpè, idem eſſe cognoſci, & conſtitui formaliter obiectiuè in intellectu: terminare autem cognitionem & eſſe terminum, eſt extrinſeca denominatio à cognitione, ſicut cognoſci, videri, & amari, ad quod non eſt opus alio verbo, quia de illo redibit eadem quæſtio. Adde viſionem lucis eſſe intuitiuam, & cognoſci immediatè: & tamen eius improportionem ſupplet ſpecies impreſſa: nec tamen viſio terminatur ad verbum lucis, ſed ad lucem: ergo verbum non ponitur ad terminandam obiectiuè intellectionem loco obiecti improportionati: cum cognitio intuitiuè terminetur ad obiectum improportionatum: ſed improportio eſt in agendo: quæ ſuppletur per ſpeciem expreſſam.

§.178. Probant quartò, quia Deus non videtur à nobis immediatè, niſi per verbum. Reſpondeo videri immediatè per verbum, non tamquam per imaginem prius cognitam, ſed tamquam per formalem rationem cognoſcendi. Non tamen immediatè, id eſt intuitiuè, & in ſe: quia hoc fit in ſola patria.

§.179. Igitur primò impugnatur hæc opinio, quia ſine fundamento inuehitur, vt patet ex dictis. Secundò, quia non poteſt cognitio terminari ad verbum immediatè, & mediatè ad obiectum, ergo. Antecedens probatur: quia vel terminatur ad verbum tamquam ad rationem formalem repræſentatiuam obiecti, non prius cognitam: ſic autem verbum eſt cognitio: nam omnis formalis, & vitalis repræſentatio obiecti non prius cognita pertinet formaliter ad cognitionem: vel terminatur ad illud tamquam ad imaginem prius cognitam: Sic autem verbum erit immediatè cognitum ab intellectione: hoc autem eſt falſum: nam quando quis ruſticus, verbi gratia, cogitat de meſſe anno ſequenti poſſibili, nullum cognoſcit verbum intellectuale; rogatus enim quid cogitet? Reſpondet de meſſe futura: rogatus autem de verbo interno, nec te percipiet, & opinabitur à te illudi. Quis autem rogatus de obiecto, quod immediatè cognoſcat, neſciat an illud à ſe cognoſcatur, vel non? Quis enim adeo ruſticus erit, qui interrogatus quid videat? Non reſpondeat, lucem.

§.180. Confirmatur, vel cognitio repræſentat ſolum verbum immediatè? Aut verbum ſimul, & obiectum immediatè? Si primum, ergo propriè non cognoſcit obiecta; nam vt probaui diſput. 1. logicæ, ſect. 1. Obiectum remotum non cognoſcitur à potentia verè, & propriè: ſi ſecundum, ergo ſicut obiectũ ſimul cum verbo terminat cognitionem, ita & ſolum. Quid enim prodeſt illa coniunctio verbi & obiecti? Alij dicunt cognitionem intuitiuam eſſe ſpeciem expreſſam, & tentionem obiecti, non verbum; abſtractiuam autem eſſe verbum. Contra: probaui ſupra omnem cognitionem eſſe tentionem obiecti. Secundò, quæſtio eſt de nomine vocare ſpeciem intuitiuam verbum, vel tentionem. Tertiò, Deus ſe intuendo format verbum, ergo & creata intuitio erit verbum.

SECTIO VIII.

Verbum eſt de conceptu formali intellectionis creatæ.

Dico tertiò, *Verbum formaliter eſſe cognitionem.* §.181.
Hæc ſententia eſt omnium quotquot aiunt cognitionem in ſola qualitate conſiſtere, & eorum qui minimum aiunt intellectionem conflari ex actione, & qualitate. Eſt manifeſtiſſimè ſententia Auguſt. tom. 10. ſerm. 20. de ſanctis, & in appendice eſt ſeptuageſimus ſextus, aſſerentis; *Scripturæ ſanctæ verbum eſſe definiunt, quod intra animi ſilentium mente concipimus: verbum eſſe definiunt ipſam cogitationem, quæ adhuc intra conſcientiæ ſecreta retinetur.* Vocem verò per quam verbum profertur in medium, *vox ſonus eſt, index cogitationis, verbum verò ipſa cogitatio.* Itaque quæcumque vox eſt index verbi. Cum ergo quidquid intuemur, etiam Deum, poſſimus voce indicare (vt pono cum P. Vazquez & aliis, prima parte quæſt. 13.) fit omnem cognitionem ſic indicabilem eſſe verbum: quia verò Martinus Lypſius habet ſuſpicionem aliquam ſermonem hunc non eſſe Auguſtini, ſed alius autoris grauis, proferamus teſtimonia ſine ſuſpicione. Ex tom. 3. lib. 15. de Trinit. cap. 10. cum dixiſſet omnes noſtras ſcientias etiam viſiuas eſſe verba, quibus loquimur, & habere in hoc ſimilitudinem aliquam verbi Dei, concludit fine capitis. *Formata quippe cognitio ab ea re, quam ſcimus, verbum eſt, quod in corde dicimus.* Recognoſce ea loca, & de principiis dialecticæ, tom. 1.

Item S. Tho. 4. contra Gent. c. 11. ad medium iis verbis. *Intellectum in intelligente eſt intentio intellecta, & verbum:* & infra, *ſicut verbum lapidis in intellectu eſt lapis intellectus.* Animum aduerte: lapis intellectus eſt intellectio, ſicut lapis viſus eſt viſio: quia appellat formalitatem & denominationem ab intellectione; ait autem S. Tho. lapidem intellectum eſſe verbũ lapidis; id eſt intellectionem lapidis eſſe verbum lapidis, & infra: *Verbum interius conceptum, quod eſt intentio intellecta.* In S. Thom. idem ſunt intentio intellecta, & intellectio, lege illud c. 11. li. 4. contra Gent. agens enim de cognitione, qua ſe Angelus intuetur, ait, eam nõ eſſe idem cum ſubſtantia Angeli, quia in eo non eſt idem intelligere, & eſſe; ac ſi ita argumentetur: intentio intellecta eſt intelligere: ergo eſſe Angeli non eſt intentio intellecta: clarius autẽ inferius id dicit his verbis. *Eſſe intentionis intellectæ in ipſo intellectu* (id eſt intellectione ſiue intelligere) *conſiſtit, non autem eſſe intellectus noſtri, cuius eſſe non eſt ſuum intelligere.* Probat ibi realem diſtinctionem intellectus, ab intentione intellecta: quod hæc conſiſtit in intellectu, intellectus autem non conſiſtit in ſuo intelligere, ſiue in ſuo intellectu, ergo potentia intellectiua non eſt idem cum intentione intellecta. §.182.

Dices vocari intentionem intellectam à S. Tho. quia eſt verbum, quod intelligitur per intellectionem. Verum id abhorret à mente S. Thom. primùm, quia ait eam intentionem eſſe intellectum: per intellectum autem non intelligit facultatem intellectricem, quia eam diſtinguit in nobis ab intentione intellecta, ergo intelligit per intellectum §.183.

intellectionem ipſam ſuo more ſatis frequenti. Secundò, in Deo ait eſſe idem intentionem intellectam, & eſſe Dei, *quia*, inquit, *in Deo idem ſunt intelligere, & eſſe.* Tertiò, quia explicans modum, quo intelligitur hæc intētio intellecta ſic ait. *Aliud eſt intelligere rem, & aliud eſt intelligere ipſam intentionem intellectã: quod intellectus facit, dum ſuper ſuum opus reflectitur, vnde & aliæ ſcientiæ ſunt de rebus, & aliæ de intentionibus intellectis.*

§.184. Vnde conſtat intentionem intellectam non cognoſci directè, ſed reflexè per aliam cognitionem: at Thomiſtæ aiunt terminari directè actionem ad verbum; ſanctus autem Tho. ait aliud eſſe cognoſci rem, quod fit per intentionem intellectam: aliud cognoſcere intentionem ipſam, quia alia reflexa contingit, & logicam ait verſari circa talem intentionem: indéque patet à S. Thom. idem cenſeri, *intellectionem, intentionem intellectam, & verbum*, ait enim. *Dico autem intentionem intellectam, id quod intellectus in ſe ipſo concipit* (id eſt parit) *de re intellecta. Quæ quidem in nobis neque eſt ipſa res quæ intelligitur: neque eſt ipſa ſubſtantia intellectus: ſed eſt quædam ſimilitudo concepta intellectu de re intellecta, quam voces exteriores ſignificant: vnde & ipſa intentio verbum interius nominatur quod eſt exteriori verbo ſignificatum.*

§.185. Tandem cum toto illo cap. agat particulatim de intellectu, obiecto, & modo intelligendi, non meminit intellectionis: quod non feciſſet tametſi tunc oſcitaretur. Relinquitur ergo per intellectionem intellexiſſe intentionem intellectam. Denique hanc ſententiam docet apertè in 1. d. 27. quæſt. 2. artic. 2. §. *Alij dicunt.* Iis verbis. *Si inquiratur quid ſit iſtud verbum, quo aliquis ſibi loquitur, nõ inuenitur eſſe, niſi conceptio intellectus. Conceptio autem intellectus, eſt vel operatio ipſa, quæ eſt intelligere, vel ſpecies intellecta. Vnde oportet quod verbum vel dicatur ipſa operatio intelligendi, vel ipſa ſpecies, quæ eſt ſimilitudo rei intellectæ, & ſine vtroque iſtorum non poteſt quis intelligere, vtrumque enim iſtorum eſt, quo quis intelligit formaliter.*

§.186. Adnota primùm à S. Thom. conſtitui verbum in eo, in quo & cognitio (vt patet ex initio teſtimonij.) Secundò adnota, & actionem & verbum eſſe rationem formalem intelligendi (vt patet ex fine teſtimonij.) Clariſſimè autem quæſt. 4. de veritate (quæ eſt de verbo) artic. 1. corpore ait. *Vnde verbum interius eſt ipſum interius intellectum*, & artic. 2. corp. ait de noſtro verbo, *id eſt, ad quod operatio intellectus noſtri terminatur, ſiue id eſt ipſum intellectum, quod dicitur conceptio intellectus*, & artic. 3. ad 3. *Dicendum quod notitia eſt de ratione verbi quaſi importans eſſentiã verbi.* Me papyrus deficeret prius quàm teſtimonia S. Thomæ. Hæc ſubieci ne quis arbitretur omnes ſententias nomine B. Thomæ iactaras eius eſſe.

§.187. Probatur primò, quia per quamcumque intellectionem perfectam loquimur, & dicimus obiectũ: ergo omnis noſtra cognitio perfecta eſt verbum. Conſequentia patet, quia formaliter nec loquimur, nec dicimus niſi verba, & per verba. Antecedens & eſt Auguſtini adducti ſupra & S. Tho. item quæſt. 4. de veritat. artic. 2. ad 5. his verbis, *Dicendum quod in nobis dicere non ſolum ſignificat intelligere, ſed intelligere cum hoc, quod ex ſe exprimere aliquam conceptionem: nec aliter poſſumus intelligere, niſi huiuſmodi conceptionem exprimendo, & ideo omne intelligere in nobis propriè loquendo eſt dicere.*

§.188. Probatur, quia loqui eſt manifeſtare rem; verbum enim definiit paſſim S. Thom. *emanationem ab intellectu per modum manifeſtantis.* Hinc notanda duplex quæſtio: altera, vtrum per omnem creatam cognitionem producatur ſpecies, & verbum, quod ſit qualitas? cuius affirmationem ſatis probaui: ſecunda, vtrum negata illa qualitate, adhuc cognitio ſit verbum? cuius item affirmationem affirmo. Nam illi conueniunt & definitio Auguſtini & Thomæ, nempe eſſe formatam cognitionem de re; omnis enim cogitatio eſt cognitio, etiam Angelica, cuius ſecreta vocamus cogitationes. Item eſt emanatio per modum manifeſtantis. Deinde illi cõueniunt proprietates ab eiſdem ſanctis adſcriptæ: nempe ſignificari verbo vocis, & eſſe principium extrinſecæ locutionis, quod clariſſimè dixit Auguſtinus tom. 3. 9. de Trinit. cap. 11. agens enim de notitia, & cognitione, ait eam eſſe ſimilitudinem, concludítque: *Ideóque & imago, & verbum eſt.* Legantur cap. 10. & 12. è quibus hauſi totam doctrinam huius ſectionis; cui è regione ſeſe obijciunt aduerſarij. Recognoſce à §. 53. quæ enim ibi dicuntur, & hanc concluſionem firmant.

Non prætermittam, quæ audiui à quodã Thomiſta non ignobili; Deum eſſe velut beatorum verbum. Nam vnitur & eſt intimè præſens beatis terminans illorum viſionem: quæ cuiuis accident mira. Nam verbum in noſtro intellectu vitaliter præſtat ſuum formalem effectum, & accidentaliter: effectus autem formalis nec diuinitus præſtari poteſt per aliud. Deinde Deus immediatè terminat viſionem, à qua verè denominatur cognitus, ſed noſtra verba non cognoſcuntur per actionem qua producuntur (vt iam probaui:) ergo Deus non ſupplet illorum vices. Tertiò, quia imperceptibile videtur ſubſtantiam infinitam poſſe præſtare circa vitalem actionem id, quod circa eam præſtat terminus per illam vitaliter productus. Quartò, quia Thomiſtæ verbum conſtituunt, vt fiat per illud obiectum intentionaliter præſens; ſed Deus ſe ipſo eſt præſens phyſicè, & non intentionaliter: ergo. §.189.

Duo obſerua: alterum verbum communiter ſumi pro termino realiter diſtincto à loquente, vt patet ex S. Thom. in 1. diſ. 27. quæſt. 2. artic. 2. & quæſt. 4. de veritat. artic. 2. & ex 1. part. vnde in Deo ſolus Pater dicit, & habet verbum. Eſtque hoc nomen perſonale. Filius autem nec Spiritus ſanctus non dicunt, nec formant verbum, quia intelligendo nihil producunt. Video ab eodem S. Thom. & aliis adfirmari dici poſſe verbum emanationem ab intellectu ſecundum rationem. Verum licet S. Thom in 1. id latius dixerit ibi; limitari tamen deberet; & 1. part. Id ſtrictius dixit, & hac voce non eſſe vtendum in cognitione abſoluta Dei, ſed in notionali, propter cõmunem vſum. Ne videamur affirmare duas perſonas producere ad intra verbum aliquod increatum. §.190.

Alterum obſeruandum, etiam ſenſus formare ſuo modo verba, ſed imperfecta; quia ea non poſſunt manifeſtare, idem dixerim cum S. Thoma de ſimplici apprehenſione: requirit enim verbum eſſe principium manifeſtationis, ſed eſt quæſtio de nomine. §.191.

Nominales ſola obiecta dicta volunt eſſe verba; quibus fauet Auguſtinus ſupra; ſed illa eſt impropria locutio, per extrinſecam denominationem à verbo, quo dicuntur. §.192.

DISPVTATIO VII.

De triplici intellectus operatione.

SECTIO I.

De ſimplici apprehenſione.

§. 1. OMNIS actus intellectus vocatur *apprehenſio:* hæc tamen vox primæ illius operationi aptatur; vocatur autem *ſimplex apprehenſio*, quia non componit obiectum vnum cum alio, ſed tantum illud repræſentat, nihil affirmando vel negando: vt ſenſio fertur in obiectum, illud repræſentando quin aliquid adfirmet vel neget: quæ cognitio vocatur ab Ariſtot. *ſimplicium apprehenſio.*

§. 2. In nobis oritur apprehenſio hoc modo: percipimus obiectum per ſenſum externum, in quo efficitur ſpecies impreſſa, quam traiicit in ſenſum communem: qui idem obiectum cognoſcit eodem modo, quo ſenſus externus, ibique relinquitur ſpecies impreſſa eiuſdem obiecti: per quam poſſit phantaſia operari ſine cognitione ſenſus externi circa obiectum idem. Per cognitionem ſenſus communis intellectus agens naturali quadam ſympathia excitatus efficit ſpeciem ſpiritualem impreſſam (quod vocant abſtrahere à phantaſmatibus) vel potius (vt dixi diſput. 5.) à Deo accipit eas ſpecies. Per hanc ſpeciem impreſſam ſimilem ſpeciei, quæ eſt in phantaſia, determinatur intellectus poſſibilis ad cognitionem eiuſdem obiecti, ſimilem actui phantaſiæ. Vnde hæc prima cognitio intellectus, licet in ſpiritualitate eſt ſenſione perfectior, tamen non poteſt obiectum magis adfirmare, vel negare, quam ſenſio: quia ſpecies orta immediatè ex ſenſione non poteſt eſſe adfirmatiua, vel negatiua. Intellectus apprehenſis ſubiecto, & prædicato illa coniungit, vel diuidit per iudicium. Quando verò iudicamus de obiectis ſenſu externo perceptibilibus, percipimus vna apprehenſione omnia, quæ vna ſenſione repræſentantur.

§. 3. Dari in nobis ſimplicem apprehenſionem, præter dicta ſic probo: quia ſæpe dubitamus de obiectis, ſint ne, ſicut nobis obiiciuntur? An ſecus? vt cum quis audit Petrum dormire nullaſque habet rationes, quibus in alteram partem ſe flectat, apprehendit quidem Petrum dormire: id tamen neque concedit, neque negat. Denique quoties de aliquo obiecto dubitamus, illud apprehendimus ſimplici apprehenſione.

§. 4. Poſſet inquiri: an idem actus poſſit eſſe ſimplex apprehenſio, & iudicium? Reſpondeo circa idem obiectum implicare, quia ſimplex apprehenſio dicit negationem compoſitionis, quam compoſitionem iudicium includit: at verò idem actus nōn poteſt idem obiectum componere ſimul, & non componere: at verò circa obiecta diuerſa reſpondeo, id non magis implicare, quam eodem actu repræſentari obiecta diſparata de quo alibi.

§. 5. Secundò rogas, vtrum ſimplex apprehenſio terminetur ad vnionem extremorum? Partem negatiuam ſic probant aliqui: primo, ex Ariſt. vocante apprehenſionem, *ſimplicium apprehenſionem.* Sed Ariſt. tantum voluit eam eſſe ſimplicem, & non compoſitam. Secundò, probant, quia illa apprehenſio eſt vnio, ac proinde affirmatio, vel negatio: vnire enim intentionaliter extrema, nihil eſt aliud, quàm illorum identitatem cognoſcere. Sed nihil probant: vnio enim intentionalis non eſt ſola repræſentatio vnionis, ſed repræſentatio cum determinatione ad alteram partem cōtradictionis.

Igitur apprehenſio poteſt vnionem cognoſcere: quia iudicium, & apprehenſio diuerſos habent modos tendendi in obiectum, ergo licet terminentur ad idem obiectum, illud diuerſimodè erit cognitum ab vtraque ac proinde non confundetur vtriuſque munus. Secundò, quia datur ſpecies repræſentans vnionem extremorum, ſicut ipſa extrema, ergo datur illius apprehenſio. Tandem quia ſæpe dubitamus de vnione duorum extremorum, v.g. *An Ioannes ſit ſtudioſus?* & inquirimus rationes ad diiudicandam vnionem ſtudij cum Ioanne, ergo illam apprehendimus, alioquin non poſſemus illam voluntariè inueſtigare: quando enim dubito ſint ne ſtellæ pares? non dubito de ſtellis, nec de numero pari: ſed de vtriuſq; vnione. Vtrum autem poſſit vnus actus totam propoſitionem repræſentare? conſtabit §. 18. §. 6.

Præterea ſimplex apprehenſio non ſemper iudicium præcedit: primò, quia ſuppoſita apprehenſione vnius obiecti, poteſt intellectus de illa iudicare, & ſine noua ſenſione varios efformare diſcurſus: diſcurrit autem intellectus à ſenſili ad inſenſilia, ergo quodlibet iudicium non præcedit diſtincta apprehenſio. Secundo, quia ex iudicio relinquitur in intellectu ſpecies impreſſa, iudicatiua de obiecto: ſed hæc ſæpius poteſt excitari, quin ſenſio præcedat circa idem obiectum, vt experientia probat: modo enim quis cognoſcit Antichriſtum, & fingit ſe eſſe Romæ, quin illa obiecta ſenſu percipiat. Item ſunt aliqua principia ita euidentia, vt, *quodlibet eſt, vel non eſt*, cuius terminis explicatis illi adſentitur intellectus ſine apprehenſione. Verum eſt toties præcedere apprehenſionem, quoties per ſenſus excitatur ſpecies, ad quam ipſi determinarunt intellectum. §. 7.

In Deo non poteſt dari ſimplex apprehenſio: quia oritur ex imperfecta ſpecie: datur autem in Angelis circa ea, quæ non cognoſcunt euidenter. Modo enim apprehendunt diem iudicij, & neſciunt quis ſit ille futurus. Præterea futura contingentia apprehendunt, & ignorant. §. 8.

SECTIO II.

De Iudicio.

APprehenſionem ſequitur iudicium: cuius eſſentia eſt *affirmare aliquid vel negare:* vocatur *iudicium*, quia percipit obiecta, non vt ſimplex apprehenſio illa ſuſpenſa relinquens: ſed more iudicis in alterutram partem ſententiam ferens. Vocatur *compoſitio:* quando affirmat vnum de alio, vel quia vnum obiectū ponit cum alio, vel quia duos actus apprehenſiuos ſubiecti, & prædicati, quaſi in ſe ponit, & includit: item vocatur *diuiſio* quando eſt negatio, quia negando extrema eſſe idem, illa dimouet, atque diſtinguit. Deus autem, licet de obiectis iudicat, non tamen componit illa, quia neque habet apprehenſionem, neque ratione ſubiectum à prædicato diſtinguit. Aſſenſus, atque diſſenſus idem ſunt, quod affirmatio, & negatio. Aſſentire enim eſt ſentire vnū eſſe aliud: hoc autem eſt affirmare, quaſi vnum alteri firmari: diſſentire autem eſt ſentire vnum non eſſe aliud, quod eſt negare. §. 9.

P. Molin. 1. p. q. 1. art. 3. concl. 3. cenſet iudicium §. 10.

cium includere tres actus realiter diſtinctos, rationemque iudicij conſiſtere in cognitione vnionis extremorum, quæ cognitio videtur eſſe vnio cognitionum ſubiecti & prædicati, & videtur colligi ex S.Thom.2.2.quæſt.1.art.2. Verùm S.Thom. vult, nos obiecta quaſi diſtinguere ratione, illaque componere. Hæc ſententia diſplicet omnino cum Pat.Vazquez tom.2. in 1. p. d.223. num.12. Primò, quia illa cognitio vnionis non poteſt eſſe vnio phyſica actuum ſubiecti & prædicati, cùm neque ſit materiæ & formæ, aut partium continui, aut intenſionis. Neque in diſſenſu poteſt eſſe talis vnio, cum potius negetur prædicatum de ſubiecto.

§. 11. Secundò impugnatur, quia non diſtingueretur ſimplex apprehenſio à iudicio: quia in ſimplici apprehenſione reperitur vnus actus ſubiecti, prædicati alius, tertius vnionis, vt probaui ſect.1. ergo actus ille vnionis in apprehenſione vnit eadem extrema, ſicut in iudicio, quia per te ex eo præciſè vnit extrema, quia terminatur ad illorum vnionem. Dices apprehenſionem non terminari ad illa vnienda, ſed tantum ad vnionem. Fateor, ſed neque tuus ille actus terminatur niſi præciſè ad vnionem: eaque propter à te dicitur vnire extrema. Requiritur ergo, vt cognitio vnionis ſit etiam cognitio ſubiecti, & prædicati. Vnde tota eſſentia iudicij conſiſtit, in cognitione circa vnionem, reliquæ verò cognitiones ab illa diſtinctę non ſunt partes iudicij.

§. 12. Tertiò, à priori: vnio extremorum formaliter eſt idem cũ ipſis extremis, ergo actus, qui terminatur ad vnionem formaliter, terminatur ad eadem extrema. Probatur antecedens in hac propoſitione, *Petrus eſt homo*, in qua vniuntur *Petrus* & *homo*: ſed Petrus, & homo non vniuntur per aliquid à ſe diſtinctum: vnio enim non eſt aliquod obiectũm diſtinctum ratione à Petro & homine, ſed intellectus apprehenſo Petro & homine, videns in vno, quæ videt in altero: per illum actum, vel actus, quo confert vnum alteri, determinatur ad iudicandum Petrum eſſe hominem: quin videat obiectum aliud, re vel ratione ab vtroque diſtinctum. Idem fit diſſenſu, viſo enim lapide, & viſo homini repugnare ea quæ ſunt lapidis, ſine alio obiecto negat mens vnum de alio: quando autem iudicium dubitatione cohibet, eſt, quia nondum ſatis penetrat vtriuſque extremi proprietates. Itaque iudicium eſt actus, quo cenſet, & repræſentat intellectus duo extrema eſſe idem, vel diſtincta. Quod non poteſt præſtare, quin repræſentet vtrumque.

§. 13. Confirmatur, illa vnio eſt per idemtitatem, ſed idemtitas eſt idem cum extremis, ergo. Itaque adfirmare nihil eſt aliud, quam cognoſcere ſubiectum & prædicatum eſſe idem; ſed cognoſcere eſſe idem ſubiectum & prædicatum non poteſt eſſe formaliter ſine cognitione ſubiecti & prędicati; ergo cognitio vnionis formaliter, eſt cognitio ſubiecti & prædicati, ergo iudicium non ſunt tres actus, ſed vnus. Rogo enim ad quid terminetur actus ille vniens? Si ad ſubiectum & prædicatum, habeo intentum: ſi verò ad ſolam vnionem, rogo illi actui vnienti quod obiectum reſpondeat? An aliquod diſtinctum à ſubiecto & prædicato? Vel non? ſi ſecundum, habeo intentum; ſi primum, ergo vnio Petri, & hominis non ſunt idem. Vnde apprehenſio vnionis nihil eſt præter apprehenſionẽ ſubiecti & prædicati ſimul. In diſſenſu autem v.g. *Petrus non eſt lapis*, illa diuiſio, ſiue remotio nihil eſt ex parte obiecti præter Petrum, & lapidem, & negationem mutuam vtriuſque, Petrus enim perſe ipſum, non eſt lapis, & è contra: tota igitur ratio iudicij in vno actu conſiſtit.

Quartò, quia per te actus ille terminatus ad vnionem eſt adſenſus, ergo ille ſolus actus eſt iudicium, quia ille ſolus adfirmat, & coniungit ſubiectum cum prædicato, ergo iudicium eſt vna ſola qualitas, quia illæ duæ apprehenſiones ſubiecti, & prædicati, quæ coniunguntur, nihil affirmant, vel negant: ſed illorum obiecta affirmantur, vel negantur per cognitionem vnionis. Confirmatur, actus, qui terminatur ad vnionem, adfirmat extrema eſſe idem, ideſt cognoſcit eſſe idem: ergo cognoſcit extrema, ergo ſolus actus vnionis repræſentat totam propoſitionem obiectiuam. Aduerſariorum argumenta eo tendunt, vt probent plura obiecta non poſſe vnico actu cognoſci, quod eſſe falſum probaui d.5.ſect.vlt. §. 14.

Aſſerunt aliqui propoſitionem eſſe compoſitam; quia conſtat extremis: conſtat enim ſubiecto & prædicato, quæ definiuntur extrema propoſitionis. Bene certè. eadem ratione propoſitio obiectiua erit compoſita realiter, quia habet extrema obiectiua: ergo hæc propoſitio *Deus eſt*: eſt compoſita realiter ex parte obiecti. Item Deus veras propoſitiones efformat; affirmat enim ſe eſſe Deum; & non eſſe mortalem: vbi verè reperitur ſubiectum, & prædicatum; quæ Ariſtoteles dixit eſſe terminos. Reſpondeo in propoſitione mentali eſſe propriè ſubiectum & prædicatum; qua propriè vnum dicitur de alio: ratio verò termini reperitur impropriè & metaphoricè: quia apprehendimus extrema actibus diſtinctis; & quando iudicio affirmantur; dicuntur vniri. Siue eſt virtualiter ratio extremi & termini. Cum autem præcepta dantur de logico artificio, non eſt vt vnus actus vniatur aliis: ſed vt concipientes genera, & differentias obiectiuas, efficiamus actus illas attingentes. Cum autem aliquid negamus; etiam ſunt termini, & extrema; non quidem vnita, ſed remota; ergo non eſt compoſitio; quia hæc eſt vnio. ergo ratio termini non reperitur propriè niſi vt eſt prædicatum, & ſubiectum. Sic autem reperiuntur: quia actus eſt prædicatum, & ſubiectum, *Quo*. §. 15.

P.Vazq.1. p. diſput.223. num.15. Iudicium ſeu compoſitionem conſtituit in duabus apprehenſionibus: poſſumus apprehendere Petrum ſine reſpectu ad hominem; non conſiderata Petri cum homine cõuenientia: item & hominem ſine conuenientia cum Petro. Hæ duæ ſimplices apprehenſiones, non ſunt iudicium de hoc obiecto *Petrus eſt homo*: quia ly, *eſt*, ſignificat habitudinem ſubiecti cum prædicato. At ſi concipimus conuenientiam hominis cum Petro vno actu; alio verò conuenientiam Petri cum homine; iudicamus Petrum eſſe hominem. Quia id iudicare nihil eſt, niſi cognoſcere habitudinem mutuam vtriuſque. Præter has duas apprehenſiones, non exigitur alia, quæ terminetur ad vnionem. §. 16.

Non placet opinio: primùm, quia iudicium conſiſtet adæquatè in vno actu referente ſubiectum ad prædicatum; vel prædicatum ad ſubięctum. Quia ſi affirmare eſt, cognoſcere conuenientiam eorum extremorum, vno actu cognoſcitur: ergo affirmatio eſt vnus actus. Probo antecedens: quia ſi video hominem conuenire Petro, video conuenientiam vtriuſque illomet actu: quia illo video hominem, & Petrum, & conuenientiam hominis cum Petro; quæ eſt etiam conuenientia §. 17.

conuenientia Petri cum homine: quia illa conuenientia eſt identitas: quæ tam eſt identitas Petri cum homine, quam hominis cum Petro. Ratio à priori; quia eodem actu quo video hominem conuenire Petro; video in Petro quod in homine: alioquin non video conuenientiam hominis cum Petro: quia hæc nihil eſt niſi quod in Petro exiſtunt omnia quæ in homine: quid ergo opus eſt recognoſcere vtrum Petrus reſpondeat homini; cum per primum actum id ſit cognitum?

§. 18. Secundò diſplicet, non poſſe terminari actum ad vnionem. Fateor vnionem non diſtingui ab extremis; at rectè poſſumus apertè cognoſcere extrema; quin apertè concipiamus ea eſſe idem inter ſe. Vt ego concipio ſtellas, & numeros parem & imparem: at neſcio vtrum ſtellis conueniat paritas, aut imparitas. Quia obiectum idem poſſumus concipere imperfectè; illud non penetrantes adæquatè: iudicio autem idem indiuiſibiliter obiectum concipimus; diuerſo tamen modo ex parte cognitionis. Vnde cum primum ſucceſſiuè audimus *ſtellæ ſunt pares:* prima noſtra apprehenſio repræſentat ſtellas clarè: ſecunda repræſentat confuſè idemtitatem ſtellarum cum aliquo vagè & confuſè concepto: tertia repræſentat clarè parem numerum. Deinde; ſi termini ſunt euidentes, oritur ſimplex iudicium clarè aſſerens, & cognoſcens determinatè, *ſtellæ ſunt pares.* Si autem audita tota propoſitione, neutram penetrat contradictionis partem; tunc totam propoſitionem vnico actu apprehendens, diſquirit rationes; quibus determinari poſſit intellectus ad alterutram partem: dixi *vno actu:* quia audita integra propoſitione, apprehenſio vnionis mutatur, quia prius erat de vnione confuſè; deinde eſt de vnione in particulari cum paritate ſtellarum.

§. 19. Propoſitionem hypotheticã propriam, vt hanc, *ſi Sol lucet, dies eſt*, eſſe vnum ſimplicem actum, iiſdem rationibus probatur:quia eſt vnio diei cum luce ex ſuppoſitione quod Sol oriatur. Item propoſitionem diſiunctiuam, vt hanc, *Petrus currit vel loquitur*, eſſe eumdem actum probatur eodem modo, & confirmatur. Quia ſi eſſent duæ propoſitiones, etiamſi eſſet alterum ex obiectis vt affirmamatur: adhuc in propoſitione diſiunctiua eſſet falſitas, hoc autem eſt falſum, nam ad illius veritatem ſufficit alterum eſſe ſicut dicitur, ergo. Probatur maior, quia ſi eſt vnus actus terminatus ad hanc propoſitionem, *Petrus loquitur*, reperitur tamen falſitas in propoſitione diſiunctiua, quia altera propoſitio terminata ad locutionem eſſet diſtincta à terminata ad curſum: quæ eſſet falſa priori exiſtente vera. Eſt igitur ea propoſitio vnus actus confuſè affirmans alterum è duobus obiectis, ſicut vnus actus voluntatis poteſt vagè, & confuſè, & indeterminatè velle alterum, è duobus obiectis, vt latè diſputat. 5. metap.

§. 20. Item, hanc propoſitionem complexam, *Ioannes currit, & loquitur*, eſſe eumdem actum patet, quia currentem & loquentem vnit cum Ioanne: item, quia ſi duæ propoſitiones eſſent, ſequeretur in illa propoſitione complexa reperiri veritatem, licet Ioannes non currat, nam ſi actus affirmans, *Ioannes currit*, eſt diſtinctus ab illo, *& loquitur*, primus verus erit currente Ioanne, & ſecundus erit falſus eodem non loquente; ergo in propoſitione vniuerſali, & copulatiua, reperitur veritas etiam ſi non conformetur toti obiecto. Cæterum reſponderi poteſt propoſitionem illam eſſe falſam ſimpliciter, quia includit aliquam partem falſam, licet altera pars ſit vera, *bonũ enim ex integra cauſa, malum ex defectu cuiuſque.* Sed adhuc vrgeo ly *&* ex parte intellectus quid ſit, niſi iudicium, vniens obiectum vtrumque, ergo ille actus terminatur ad totum obiectum. Copulatio *&* denotat coëxiſtentiam obiectorum, & ea ſimul adfirmari.

SECTIO III.

Quid ſit diſcurſus?

§. 21. Diſcurſus eſt *mentalis quidã curſus, ex vno actu, & obiecto in alium actum, & obiectum aliud:* habet terminos *à quo* & *ad quem.* Ille eſt obiectum formale, quod per ſe primo attingitur à potentia, & à quo primum incipit currere. Terminus *ad quem* eſt obiectum materiale, quod cognoſcitur à potentia cum dependentia à formali, vt dixi diſput. 1. logicæ ſect. 1. In diſcurſu reperiri actus realiter diſtinctos communis eſt Philoſophorum & meliorum Theologorum ſenſus: qui ea ratione Deo, & Angelis negant diſcurſum: quia obiectum formale, & materiale eodem actu cognoſcunt. Item S. Thom. ſucceſſionem in diſcurſu requirit: non quidem actualem ſucceſſionem, multoties enim eodem inſtanti apprehenditur totus ſyllogiſmus: ſed ſucceſſionem aptitudine, qua duæ præmiſſæ poſſint ſucceſſiuè cognoſci.

§. 22. Ariſt. diſcurſum vel ſyllogiſmum definit, *in quo quibuſdam poſitis aliud ſequi neceſſe eſt*, ideſt, poſitis quibuſdam actibus, & obiectis, neceſſe eſt, ſequi alium actum, aliudque obiectum, vt dixi diſput. 10. logicæ ſect. 10. idque ſatis indicat nomen *diſcurſus:* vt enim in curſu plures reperiuntur actiones, quibus petimus loca diuerſa; ita in diſcurſu plures reperiuntur actus, quibus diſtincta percipiuntur obiecta. Vnde actus, quo ſimul cognoſcitur eſſentia cum proprietate, non eſt formaliter diſcurſus: ſed virtualiter, aut eminenter. Sic progreſſus Fidei à reuelatione ad reuelatum, ſi quando eſt eadem cognitio præmiſſarum & concluſionis, eſt eminenter diſcurſus: ſi quis verò contendat cum aliquibus Nominalibus diſcurſum eſſe quemlibet actum percipientem ſimul obiectum formale & materiale, de voce contendet, ſed loquitur contra communiorem vſum, vocibus autem vtendum vt nummis.

§. 23. Dicent, tunc reperiri illationem vnius ex alio: maximè ſi præmiſſæ cognoſcantur vno actu, concluſio verò alio. Contra, quia quando vnico actu cognoſcitur totus ſyllogiſmus, non poteſt dici diſcurſus: ſic enim Angelus, Deuſque diſcurrerent. Nec propriè ibi reperitur illatio: licet enim præmiſſæ obiectiuæ ducant in cõcluſionem, id faciunt præciſè in ratione obiecti formalis, ſicut eſſentia Dei ducit Deum ipſum in creaturas: illatio verò eſt extrinſeca denominatio ab actu realiter deducto ex præmiſſis: & vbi deeſt realis illatio, deeſt etiam obiecto illa denominatio. Quando autem ex vno actu ſolo infertur alius, vicinior eſt diſcurſui; non tamen eſt formaliter. Nam ly, *quibuſdam poſitis*, intelligo de præmiſſis formalibus, quibus poſitis ſequitur neceſſariò actus concluſionis: nam poſitio præmiſſarum obiectiuarum non ſufficit: vt patet, quando vnico actu cognoſcitur totus ſyllogiſmus. Enthymema autem eſt ſyllogiſmus truncatus voce, non mente, qua integer retinetur: alioquin nihil concluderet: quod ſi in mente non ſit integer, nec eſt ſyllogiſmus, nec diſcurſus formalis.

§. 24. In nobis oritur diſcurſus ex imperfectione

ſpecierum

ſpecierum impreſſarum: cum enim noſtra cognitio orginem ſumat ex ſenſu, atque hic ſpecies habeat ſolius accidentis materialis, hinc oritur, vt noſtra cognitio de ſubſtantia, aut de obiecto ſpirituali, ſit deducta ex cognitione accidentis materialis, quia non habemus propriam ſpeciem ſubſtantiæ aut obiecti ſpiritualis. Hoc eſt in cauſa, cur quando monſtramus à priori aliquem effectum per ſuam cauſam, habemus imperfectam cognitionem ipſius cauſæ; quia cum illa cognitio ſit dependens ab ſpecie, & cognitione accidentis materialis, ſimpliciter videtur eſſe cognitio à poſteriori: quia nunquam figitur immediatè in ipſam ſubſtantiam, ſed ad illam quibuſdam quaſi gradibus aſcendit vt patet in Deo, cuius æternitatem monſtramus à priori per immutabilitatem: cum tamen tota illa demonſtratio dependeat ex cognitione à poſteriori, & mediata quam per creaturas habemus de exiſtentia Dei. Solum igitur cognoſcimus immediatè obiecta ſenſilia, quorum habemus immediatas ſpecies.

§. 25. Rogas, cur dicamus haberi aliquas propoſitiones per ſe notas? Reſpondeo, quia cognita ſubſtantia per diſcurſum ex accidentibus, relinquitur in nobis ſpecies impreſſa ipſius ſubſtantiæ, per quam ſpeciem ſubſtantiam illam cognoſcimus, ſine actuali diſcurſu: & quia eam cognitionem actu non habemus à poſteriori, neque habemus cognitionem alterius obiecti, quod ſit cauſa talis ſubſtantiæ; ideo ea cognitio dicitur *immediata*, & *per ſe nota*, vt hæc *homo eſt rationale*, quia actu non deducitur ex aliquo medio: ſed fit per ſpeciem relictam ex primo diſcurſu: radicaliter autem eſt mediata, & per aliud nota, quia prima illius radix fuit cognitio ſenſitiua: magnum igitur eſt diſcrimen inter cognitionem Angelicam & humanam: Angelus enim per ſe primò fertur in hominis ſubſtantiam, verbi gratia, ſecundariò verò in hominis accidentia. quem cognoſceret etiam ſi omnibus illis eſſet ſpoliatus: at verò homo per ſe primò fertur in accidentia, ſecundariò verò in ſubſtantiam: quæ, ſi illis careret accidentibus, non poſſet ab homine in hoc ſtatu dignoſci. Hinc oſtendi diſputans de Fide; authoritatem Dei eſſe obiectum immediatum Fidei; quia quamuis veracitatè Dei primùm cognouerimus quaſi à priori per eſſentiam; aut à poſteriori per creaturas: relicta fuit ſpecies immediata de ipſa veracitate: quæ excitari poteſt ad eam immediatè repræſentandum. Vide etiam quæ dicenda ſunt §. 57.

§. 26. Igitur formando hanc propoſitionem, v. g. *homo eſt animal rationale*, poſtea verò cognoſcendo *Petrum eſſe hominem*, infert intellectus, *ergo Petrus eſt animal rationale.* Quibus actibus præmiſſarum obiectum quaſi partimur inadæquata conceptione: adæquantur autem ex vtraque præmiſſa; Angelus autem adæquatur vno actu toti eſſentiæ, & eodem penetrat proprietatem: ac proinde non diſcurrit.

§. 27. Dices maiorem propoſitionem & minorem actus eſſe diſtinctos: at verò minorem & concluſionem eſſe eumdem actum. Reſpondeo minorem propoſitionem fieri per ſpeciem impreſſam obiecti: concluſionem verò per maiorem & minorem propoſitionem: vnde ſpecies impreſſa minoris propoſitionis tantum determinat ad illam: quia obiectum talis ſpeciei non eſt idem adæquatè cum obiecto concluſionis: quapropter ex diuerſis principiis colligitur actuum diuerſitas, principium autem concluſionis ſunt præmiſſæ: at verò præmiſſarũ principia ſunt ſpecies impreſſæ: repugnat ergo concluſionem eſſe cum præmiſſa idem, non minus quam eamdem rem eſſe principium ſui: quia minor præmiſſarum eſt principium concluſionis: ſpecies autem impreſſa eſt principium vtriuſque præmiſſæ. De quibus abunde egi diſput. 10. logicæ: quod attinet ad logicum artificium: phyſicas affectiones hic diſquiro.

Cum diſputarem de voluntate Dei; eidem negaui diſcurſum. Quia hic dicit intrinſecè imperfectionem. Præmiſſæ enim concipiuntur confusè; quibus cognoſcimus imperfectè idemtitatem extremorum inter ſe: quam clarius cognoſcimus. Hoc genus diſcurſus definitur ab Ariſtotele: aſſerente varios modos collocandi ratiocinationem; vt ex idemtitate, aut diſtinctione extremorum cum medio, deducatur diſtinctio, aut idemtitas extremorum inter ſe. At verò; aliæ cognitiones ſcientiæ mediæ, & viſionis alicuius obiecti; licet ratione noſtra inferrent aliquod obiectum; non eſt per diſcurſum quia omnes actus ſunt clari circa totum ſuum obiectum adæquatum: nec diſponuntur in modo, & figura. §. 28.

SECTIO IV.

Neceſſitas adſentiendi concluſioni ex præmiſſis.

Dixi ex Ariſtot. poſitis præmiſſis concluſionem neceſſariò ſequi. *Duplex neceſſitas:* altera quoad ſpeciem: quo ad exercitium altera. Quoad ſpeciem eſt determinatio potentiæ ad aliquam ſpeciem actus, ita vt non poſſit elicere actum ſpeciei contrariæ, verbi gratia, voluntas ita eſt determinata ad bonum in commune vt illud non poſſit odio habere, quapropter eſt determinata quoad ſpeciem boni in commune. Libertas huic neceſſitati oppoſita vocatur *libertas contrarietatis*, ideſt indifferentia ad actus contrarios, vt homo hominem poteſt odio proſequi, & amore. Neceſſitas quoad exercitium eſt determinatio potentiæ ad vnum actum vt non poſſit ab illo ceſſare, vel illum cohibere: ſic voluntas Beatorum eſt determinata ad exercitium Charitatis, vt numquam poſſit à Dei amore ceſſare. Libertas huic neceſſitati oppoſita vocatur *libertas contradictionis:* quia poteſt actum exercere, & non exercere. Aduerte, neceſſitatem quoad ſpeciem includi in neceſſitate quoad exercitium: non tamen è contra: nam ſi beatus non poteſt ceſſare ab amore Dei: non poteſt habere illius odium, & licet non poſſim Patrem odiſſe, non tamen amo neceſſariò: item indifferentiam contradictionis includi in indifferentia contrarietatis: non tamen è contra; Nam ſi mihi liberum eſt & amare, & odiſſe: rectè poſſum nec amare, nec odiſſe: attamen, licet ego poſſim non amare, non propterea poſſum odiſſe. §. 29.

Dico primò. *Intellectus poſitis præmiſſis in modo & figura, & cognita illorum diſpoſitione: neceſſitatur ad concluſionem quoad ſpeciem actus.* Ita expreſsè, ſanctus Thom. infra referendus, & patet ex definitione argumentationis. Probatur apertè, quia vt probaui diſputat. 10. logicæ, ſect. 6. idem eſt obiectum concluſionis & vtriuſque præmiſſæ: ergo, qui animaduertit ſe conceſſiſſe præmiſſas, non poteſt negare concluſionem: quia nullus poteſt idem obiectum ſimul affirmare & negare: ergo conceſſis præmiſſis non poteſt negari concluſio. §. 30.

Confirmatur, qui ſemel determinatur ad præmiſſas §. 31.

miſſas non poteſt habere rationem, quæ illum dimoueat à concluſione, niſi illum etiam dimoueat ab aliqua præmiſſa: ſed ſine aliqua ratione non poteſt quis aliquid affirmare, vel negare, ergo poſitis præmiſſis non poteſt negari concluſio. Probatur maior, quia nulla ratio poteſt perſuadere extrema non eſſe idem inter ſe, niſi perſuadendo eadem non eſſe idem cum medio, eſt enim euidens principium illud. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe.* Sed in præmiſſis perſuadetur extrema eſſe idem cum medio: ergo ſtante vtraque præmiſſa non poteſt quis perſuaderi extrema non eſſe idem cum medio: quia duas contradictorias admitteret. Eaque propter reſpondens deducitur ad impoſſibile negata concluſione: quia cogitur concedere propoſitionem contradictoriam alteri præmiſſarum.

§. 32. Dices, ſyllogiſmum probabilem non poſſe eam neceſſitatem inferre, tum quia eſt obſcurus, tum quia ſæpe opiniones mutamus. Contra, ſyllogiſmus probabilis non cogit intellectum ad adſenſum vtriuſque præmiſſæ propter argumentum factum: at verò ſi ſemel adſentiamur præmiſſis, non poſſumus diſſentire concluſioni, quam videmus eſſe idem cum præmiſſis. Hoc enim commune eſt cuique ſyllogiſmo, atque diſcurſui, in quo quibuſdam poſitis aliud ſequi neceſſe eſt. Mutamus opiniones, quia poſſumus mutare præmiſſas: at verò his conceſſis non poteſt mutari concluſio, vt S.Thom. vniuerſim docet ibidem. Itaque poteſt quis ſimpliciter diſſentire concluſioni probabili, quia poteſt ſimpliciter diſſentire præmiſſis; at verò præmiſſis præſtito aſſenſu non poteſt concluſioni negari, quæ neceſſitas non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid. In demonſtratione autem eſt neceſſitas ſimpliciter, quia intellectus non poteſt non adſentiri præmiſſis.

§. 33. Dico ſecundò. *Intellectus neceſſitatur quoad exercitium per præmiſſas.* Ita colligitur ex S. Thom. in 2.d.25. quæſt.1. art. 1. corp. aſſerente intellectum cogi vi demonſtrationis: demonſtratio autem conſtituitur formaliter concluſione, & agit de neceſſitate exercitij. Quia coactio id ſonat, & patet ex contextu, & quæſt.3. de malo art.3. corp. & q.16. art.7. ad 10. & in primo. Periher. lectio. 14. ante finem: quamuis enim iis terminis non vtitur, at ex collatione intellectus, & voluntatis, & ex ſcopo ſibi præfixo, id dicit apertè.

§. 34. Probatur, quia intellectus informatus præmiſſis habet omnia requiſita ad agendum, ergo neceſſariò operatur concluſionē quoad exercitium. Conſequentia patet, quia intellectus non eſt potentia libera, ſed neceſſaria, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum neceſſariò operatur. Antecedens probatur, quia habet ſufficientem repræſentationem obiecti, & bonitatis conſequentiæ. Dices illi deficere determinationem voluntatis, quæ eſt conditio requiſita ad agendum. Contra, quia determinatio voluntatis non eſt conditio neceſſaria intellectui circa actus euidentes: in quorum adſenſu ille non dependet à voluntate, ergo ſine illa poteſt operari concluſionem. Probatur antecedens, quia ipſæ præmiſſæ ſunt determinatio intellectus ad concluſionem: quæ in illa rapiunt intellectum propter illud principium, *quæ ſunt eadem vni tertio, &c.* Requiritur autem determinatio voluntatis ad probabiles aſſenſus præmiſſarum: quia obiectum tunc propter ſuam obſcuritatem non determinat intellectum. Sic Fides propter ſui obſcuritatem indiget pia affectione. Confirmatur, apertis oculis, & propoſito colore cum ſufficienti luce non poteſt voluntas cohibere viſionem, quia obiectum determinat potentiam viſiuam, ſed non minus determinatur intellectus ab euidentia ſui obiecti, quam à ſuo viſus, ergo.

Dices intellectum magis ſubiici voluntati, quia eſt magis rationalis. Contra, & confirmatur ſecundò, quia intellectus eſt magis rationalis, quia eſt immediatum principium mouens voluntatem iuxta regulas rationis: non verò quod voluntas poſſit intellectui dominari circa obiectum euidens, & mutare illius tendendi modum, non enim poteſt à voluntate cogi, vt adſentiatur obiecto falſo, neque item vt diſſentiatur obiecto, quod apparet verum, ergo non poterit cohibere aſſenſum actualem ad euidentem concluſionem. Confirmatur tertiò, quando vna potentia neceſſaria ſemel operatur ſine aliqua conditione, illa conditio non eſt neceſſaria ad talem actionem: ſed intellectus aliquando præueniens voluntatem per præmiſſas aſſentitur concluſioni ſine illius imperio, ergo tale imperium non eſt conditio ad illum aſſenſum, ergo quoties illo modo repræſentatur obiectum, ei adſentimur neceſſariò: quia potentia neceſſaria poſitis omnibus requiſitis operatur neceſſariò. Quod patet in viſione beata, quæ voluntatis imperio impediri non poteſt, quia intellectus cum lumine gloriæ, & concurſu diuinæ eſſentiæ loco ſpeciei impreſſæ, habet omnia neceſſaria ad agendum. §. 35.

Secundò, quia intellectus videt euidenter præmiſſas eſſe idem cum concluſione, ergo non poteſt cohiberi ab illius aſſenſu, quia eadem vi mouetur ad actum vtrumque. In ſyllogiſmo autem probabili idem patet: quia licet liberè adſentiatur præmiſſis, tamen illis aſſentiens iudicat euidenter concluſionem eſſe idem cum illis: neceſſariò enim aſſentitur illi principio. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe.* §. 36.

Dices primò, voluntatem deſpoticè imperare intellectui, ſicut potentiæ locomotrici. Reſpondeo illud imperium exerceri in rebus obſcuris: ad quarum adſenſum requiritur voluntatis imperium, non tamen in obiectis, à quibus rapitur intellectus: potentia autem locomotiua affertur ineptè: non enim habet proprium obiectum, à quo determinetur ſine voluntatis imperio: ſicut habet potentia apprehenſiua: motrix autem potentia eſt inſtrumentum appetitus ſenſitiui, aut rationalis: cuius imperium eſt conditio ſine qua non operatur. Poteſt autem voluntas intellectum aliis rebus applicare, illumque diuertere à concluſione ſimul cum præmiſſis, non tamen à concluſione ſola. §. 37.

Obiicis ſecundo, non eſſe vtilem habitum ſcientificum, ſi concluſioni neceſſariò adſentimur. Reſpondeo, intellectui non eſſe habitus naturales diſtinctos ab ſpeciebus impreſſis, vt probabo diſputat.15. Secundo, habitum concluſionis diſtingui ab habitu vtriuſque præmiſſæ, ſi ſemel tales habitus admittantur. Obiicis tertiò, ſæpe ex duabus præmiſſis poſſe inferri duas concluſiones alteram directam, indirectam alteram, tunc autem vtram eliciet intellectus? Vtramque ſi attendat vtriuſque illationi, ſin minus eam, quam viderit euidenter: aut cuius ſpecies fuerit efficacior, ſi vtramque non poſſit ſimul; quod ſi vtriuſque illatio, & ſpecies fuerint æquales, & intellectus impotens ad vtriuſque actum, tunc determinabitur à cauſa prima, aut à ſua voluntate, cuius imperium in tali caſu erit requiſita conditio. Cenſeo tamen intellectum poſſe vtrumque elicere actum, §. 38.

actum, vel ſaltem concluſionem directam deductum iri, quia communiter clarius proponitur.

SECTIO V.

Vtrum ad aſſenſum concluſionis requiratur cognitio reflexa de bonitate illationis?

§. 39. Tertius actus in diſcurſu repertus deducitur neceſſario ex duabus præmiſſis: inquirimus nunc, vtrum ad huiuſmodi illationem requiratur reflexa, ſiue logica cognitio: qua videamus concluſionem rectè deduci ex præmiſſis? An verò ſufficiat ipſa obiecti repræſentatio: cui directè aſſentiamur, ſine illa reflexa cognitione? Vt cum quis amat obiectum, directè fertur in eius bonitatem, quin egeat cognitione reflexa, qua iudicet tale obiectum eſſe amandum.

§. 40. Opinantur nonnulli, non poſſe eſſe ſcientiam ſine illa reflexa cognitione: mouentur primò, Ariſtot. aſſerente, *ſcientiam eſſe cognitionem rei per cauſam, & quod illius ſit cauſa, & quod aliter ſe habere non poteſt.* ergo requirit Ariſtotel. cognitionem præmiſſarum, & quod ſint cauſa illatiua concluſionis: hoc antem fit per cognitionem reflexam: ergo. Verum Ariſt. longe eſt in alio ſenſu: definit enim ſcientiam à priori, quæ infertur ex præmiſſis, in quibus diſponitur cauſa, & in concluſione infertur effectus talis cauſæ. Illa autem verba, *& quod illius ſit cauſa*, ſignificant euidentiam, qua perſpicimus effectum eſſe ab illa cauſa: illa autem verba, *& quod aliter ſe habere non poteſt*, ſignificant certitudinem: qua ita adhæremus, & determinamur veritati, vt non poſſimus ab illa diuelli. Nulla igitur fit mentio ab Ariſtotel. de cognitione reflexa.

§. 41. Secundò mouentur, quia intellectus ideo determinatur ad hanc concluſionem ex præmiſſis, quia videt illius illationem, ergo habet cognitionem reflexam. Verum ea ratione determinatur, quia ipſæ præmiſſæ euidenter mouent intellectum ad obiectum concluſionis: quia eſt idem cum ſuo obiecto: non per cognitionem reflexam: ſed per ſe ipſas formaliter: quia repræſentant obiectum concluſionis, ſicut cognitio directa bonitatis obiecti determinat voluntatem ad amorem ſine actu reflexo de illius amabilitate. Nam intellectus formata vtraque præmiſſa, videt obiectum concluſionis habere idem, quod præmiſſarum obiectum: ſtatim illi aſſentitur, præmiſſis impulſus: quin reflexè dicat, *ſequitur, vel non ſequitur*: ſicut præmiſſis adſentitur, quin dicat reflexè, *eſt vniuerſalis, &c.* Nam illatio nihil eſt ex parte obiecti, ac proinde non eget reflexa cognitione, ſed tantum euidenti repræſentatione eſſe præmiſſam, ſicut concluſionem.

§. 42. Tertiò mouentur: quia intellectus determinatur ad ſpeciem actus in concluſione propter illius illationem: ergo opus eſt cognoſcere illationem. Reſpondeo intellectum determinari formaliter ab ipſis præmiſſis: quia præſtito aſſenſu obiecto præmiſſarum, non poteſt concluſioni negari: cum ſit idem realiter cum præmiſſis, ad quod impertinens eſt reflexa cognitio de bonitate illationis. Sat enim eſt directè videre idemtitatem extremitatum inter ſe & cum medio, ſine actu reflexo dialectico.

§. 43. Oppoſita ſententia mihi magis probatur primò, quia (vt patet ex argumentorum dilutione) ſine neceſſitate multiplicantur iſti actus. Secundò, quia præmiſſæ formales tam clarè, & euidenter præſentant concluſionem obiectiuam intellectui, quàm ſpecies impreſſæ præſentant ipſas præmiſſas obiectiuas: ſed ad aſſenſum præmiſſarum non requiritur cognitio aliqua reflexa: ergo neque ad aſſenſum concluſionis. Maior eſt ſine dubio certa: nam formalis repræſentatio ex ſe perfectior eſt, & clarior, quàm virtualis; tum etiam, quia (vt probaui diſputatione 10. logicæ ſect. 3.) tam certa, & euidens eſt concluſio, quàm vtraque præmiſſa. Minor autem patet; tum quia nullus eam negat, tum quia ſpecies impreſſa euidenter repræſentans obiectum, per ſe ipſam habet virtutem ad eliciendum aſſenſum directum, ſicut illatio concluſionis ad reflexum, alioquin nullos haberemus actus directos euidentes, quin præcederent reflexi: conſequentia autem patet, quia æqualis virtus, & repræſentatio obiecti, æqualem habet effectum.

Dices, in præmiſſis nullam eſſe illationem, ſecus verò in concluſione, quæ opus eſt vt cognoſcatur. Contra, quia illatio nihil eſt ex parte obiecti, in quo non reperitur præter vnionem, & extrema: ergo non requiritur repræſentatio illationis: eſt autem illatio actus ipſe concluſionis ſignificatus per illam vocem, *ergo*, ad declarandum, illum deduci ex virtute vtriuſque præmiſſæ; quando autem dubitamus de illatione, idem eſt, ac dubitare habeat ne concluſio, quod vtraque præmiſſa: quo viſo præbemus aſſenſum, & viſo oppoſito diſſenſum: quod ſi clarè repræſentatur, non eſt opus reflexione, ſed directè rapitur intellectus, ad modum quo §. 12. dixi de vnione extremorum. §. 44.

Tertiò, quia per te illatio concluſionis eſt ſufficiens ad terminandam cognitionem reflexam: ergo idemtitas extremorum inter ſe euidenter repræſentata per præmiſſas, erit ſufficiens ad terminandum actum directum: patet conſequentia, quia non minus clarè, & euidenter repræſentatur hæc idemtitas, quàm illatio. Confirmatur, quia daretur infinitus proceſſus cognitionum reflexarum: ergo. Probatur antecedens, quia ad cognoſcendam reflexè bonitatem conſequentiæ opus eſt cognoſcere ſyllogiſmum eſſe in *Darij*, verbi gratia, & ſyllogiſmum in *Darij* rectè concludere; itaque opus eſt efformare hunc ſyllogiſmum, *ſyllogiſmus in Darij rectè concludit: ſed hic ſyllogiſmus eſt in Darij: ergo rectè concludit*: tunc ſic: ad eliciendam hanc concluſionem opus eſt alia cognitione reflexa, per quam cognoſcatur bonitas huius illationis, quod probabo ipſis tuis argumentis. Rurſus cognita euidenter illa illatione, opus erit alio ſyllogiſmo ad eliciendum aſſenſum circa ſecundum ſyllogiſmum. §. 45.

Dices; præmiſſas primi ſyllogiſmi reflexi eſſe ſufficientes ad determinandum intellectum ad cognitionem reflexam, item & ad directam: ſicut lux terminat viſionem circa ſe, & eſt cauſa vt videatur color. Contra: quia illæ præmiſſæ non ſe repræſentant, nec ſuam illationem: ſed illationem ſui obiecti: ergo ſicut illarum obiectum propter illationem eguit ſyllogiſmo reflexo; ita & ſyllogiſmus reflexus propter ſuam illationem indiget alia cognitione reflexa. Quod adfertur de luce non eſt ad rem: nam ſola ſpecies coloris non ſufficit ad eliciendam viſionem: ſufficit tamen euidens repræſentatio obiecti. Lux autem non ſe videt, ſed ab oculis videtur; ita nec ſyllogiſmus reflexus nec eius illatio videtur à ſe, ſed per alios actus: vt ergo illatio directa eguit reflexa cognitione: ita reflexa illatio eget alia reflexiori: vel neutra. §. 46.

Igitur

§. 47. Igitur euidẽs propoſitio, & repræſentatio identitatis extremorũ cum medio eſt ſufficiens repræſentatio, & determinatio intellectus ad aſſenſum concluſionis, quia lumine naturali, & actu exercito determinatur intellectus ad aſſentiendum eſſe idem inter ſe, quę videt eſſe idem vni tertio, & hoc eſt cognoſcere in actu exercito vnũ deduci ex alio: quia ex vno determinatur ad aliud. Immo verò, qui penetrat illud principium, & illud videt exerceri in ſyllogiſmo, videtur prius natura toti ſyllogiſmo aſſentiri. Deinde ſupra ſe reflectens animaduertit concluſionem negari non poſſe, quia illi innititur principio.

§. 48. Verum eſt aliquos modos imperfectè concludentes, interdum egere actu reflexo, verbi gratia, ſyllogiſmus in *Baroco*, ſed hic defectus non tam eſt in concluſione, quàm in ipſis præmiſſis: in quibus imperfectè ponitur medium: quod ſi perſpiceretur identitas extremorum cum medio, non indigeretur cognitione reflexa: quod ſi quis hæſitat aliquando, an rectè concludatur; id oritur, quia non benè calluit præmiſſas, & quia eſt rudis dialecticus.

SECTIO VI.

Vtrum hæc cognitio reflexa aliquid appingat obiecto?

§. 49. NOnnulli (neſcio qua autoritate aut fundamento moti) exiſtimant logicum artificium, ſcilicet diſpoſitionem actuum in recto modo & figura eſſe quendam modũ intrinſecum, ipſis actibus. Hoc poſſet probari primò ex arte factis, domus enim habet artificium architecturæ, quod diſtinguitur à parte rei à partibus: ergo idem erit de artificio logico. Nego conſequentiam, quia partes domus habent diſtinctas vbicationes, & figuras, & ſitus; à quibus oritur artificium. Logicum autem artificiũ nihil eſt præter actus ipſos ſe mutuo connotantes, cognitos per logicam: quæ cognitio cum ſit omnino extrinſeca, tantum denominat cognitos actus directos.

§. 50. Secundò poſſet probari, quia poſſunt inueniri illi actus ſine tali artificio: ergo diſtinguitur ab illis. Negatur antecedens: licet enim actus maioris poſſit eſſe ſine actu minoris, & hic ſine illo: tamen vterque non poſſunt eſſe ſine concluſione: quando vnus additur præexiſtenti, nihil intrinſecum illi additur per alterius coexiſtentiam: à qua exiſtentia vterque denominatur prauè, aut probè diſpoſitus: quia ſunt circa obiectum idem clarè cognitum, ſecundum diuerſas rationes habentes inter ſe connexionem cauſatiuã actuum concluſionis, & identificatam cum eiuſdem concluſionis obiecto. Itaque in toto ſyllogiſmo nõ ſunt niſi tres actus: quorum tertius cauſatur à duobus. Duo non poſſunt ſimul exiſtere, quin habeant virtutem inferendi tertium: actualis illatio nihil intrinſecum illis addit; ſed eſt extrinſeca denominatio ab actu concluſionis. Hæc conſiderat logicus, vt ſciat eos actus ita componere, vt cauſet concluſionem.

§. 51. Primò, quia quãdo quis naturaliter efficit vnum ſyllogiſmum, vt cum ruſticus lumine naturæ ſecum ratiocinatur, vel quãdo primus inuentor dialecticæ primum ſyllogiſmum efformauit; quem nulla reflexa cognitio præceſſit (incepta enim eſt ratiocinatio ab vna prima cognitione) in tali caſu ſyllogiſmus ille fuit rectè diſpoſitus: & tamen nullum habuit artificium: quia ſine arte comparatus eſt: ergo actus logici non producunt tale artificium: patet, quia per actus logicos eodem modo diſponuntur ſyllogiſmi, quo primus ille diſpoſitus eſt. Confirmatur, ſi quis reflexè conſiderat primum illum ſyllogiſmum, & efficeret alium ſimilem, vterque ſyllogiſmus eſſet ſimilis, quia eſſet vterque eodem modo diſpoſitus: ſicut ergo primus rectè diſpoſitus fuit ſine modo illo intrinſeco, quidni & ſecundus?

Confirmatur, quãdo quis definit hominem vno actu, ille actus non eſt capax artificij, quia eſt vna ſimplex qualitas, & ſit directus à logica: ergo. Secundò, quando quis pedes ad numerum refert, ex directione muſicæ, aut artis ſaltandi, tunc illi motus ſunt artificioſi, in quos nihil phyſicum influit muſica; tum quia actus intellectus non agunt immediatè in externam materiam; tum etiam, quia diſtant: muſica enim eſt in intellectu, & in ſolo capite: motus autem in pedibus: ergo neque logica influit in ſua obiecta. Ratio à priori eſt, quia habitus tantum ſunt ad producendos ſuos actus; hi autem formaliter tantùm verſantur circa ſua obiecta, illa denominando cognita: quod ſi ſint practici, tantum habent ſupra ſpeculatiuos, quod poſſint dirigere potentiam ad opus. §. 52.

Tandem impugnatur: quia ille modus artificij omnino videtur impoſſibilis: quia nõ eſt ad vniendos ipſos actus, ſunt enim incapaces talis vnionis: cum nec poſſint continuari intenſiuè, aut extenſiuè; neque vnus ſit alterius forma, neque item eſt ille modus ad illos conſtituendos in loco; vbicatio enim ab ipſa natura rei, & non à logica dimanat: neque item ille modus poteſt illos actus conſtituere vt ſint coniuncti, & diſpoſiti ad modum rei arte factæ, domus enim & alia artificialia materialia, ea ratione per figuras diſponũtur, quia cum faciunt vnum ens per accidens, opus eſt aliqua colligatione calcis, bituminis, clauorum, &c. vt partes graues quaſi in violento loco ſeruentur, at verò illi actus intellectus nihil tale requirunt, cum nec ſint in loco violento, & ex natura ſua ſint illatiui concluſionis. §. 53.

Igitur actus ipſi ex intrinſeca ſua natura inferũt concluſionem: nec quid intrinſecum illis imprimit logica, magis quam muſica motui pedum: ſed philoſophus dialectica inſtructus facit facile, quod ſine illa non poſſet facere, ſcilicet oſtendere paſſionem per eſſentiam: definire copulando genus cum differentia: id ſiue faciat vno actu (qui eſt incapax artificioſæ diſpoſitionis intrinſecæ, quam tu fingis) ſiue faciat actibus pluribus. In vtroque enim caſu ſeruantur eadem artis præcepta. At priori non imprimitur artificium: quia vnus actus, cum ſit indiuiſibilis, eſt incapax diſpoſitionis intrinſecæ: quæ requirit pluralitatem: ergo rectè poteſt quis ratiocinari ex arte, quin ratiocinationi modus aliquis imprimatur. Vide quæ dicam inferius de concurſu actus practici in obiecta. Recognoſce diſputationem 1. logicæ à §. 108. §. 54.

SECTIO VII.

Vtrum concluſio poſſit eſſe ſine præmiſſis.

PRo parte affirmatiua ſic arguitur: quia poſtquam aliquis per ſyllogiſmos deducit hominem, v. g. eſſe riſibilem, poſtea ſine actuali diſcurſu facilis eſt ad illũ aſſenſum, ergo ad actualem concluſionem nõ requiritur actualis præmiſſa. Dicunt aliqui requiri præmiſſam, vel aliquid loco illius, §. 55.

ſcilicet habitum. Contra, quia habitus tãtum conſtituitur ad facilitatem potentiæ, nõ verò ad illam complendam in ratione potẽtiæ. Quare quidquid poteſt potentia cum habitu, poteſt etiam ſine illo: ſed per te ſine actuali præmiſſa cum habitu poteſt intellectus aſſentiri concluſioni, ergo etiam ſine illo & ſine præmiſſa: alioquin iam habitus naturalis in tali caſu eſſet ſimpliciter neceſſarius.

§. 56. Dico primò, *Concluſionem ſemel deductam ex præmiſſis eſſentialiter ab illis pendere.* Patet, quia actus ille concluſionis formaliter includit actionem dependentem à præmiſſis ſicut actus voluntatis ab intellectione: ſed actio; quæ ſemel dependet ab vno principio, non poteſt eſſe ſine illo, ergo concluſio ſemel deducta ex præmiſſis, non poteſt eſſe ſine illis. Confirmatur, illa cognitio terminatur ab obiectum materiale: quod (vt probaui in logica diſp. 1. ſect. 1.) non cognoſcitur immediatè: ſed cum dependentia à formali, ergo actus concluſionis ſemper dependet à præmiſſis actualibus: patet conſequentia, quia obiectum materiale dependet in ſui cognitione à formali.

§. 57. Dico ſecundò. *Sine actualibus præmiſſis poteſt intellectus aſſentiri obiecto concluſionis: ſed non per actum concluſionis.* Patet ratione dubitandi pro prima ſententia: quæ hoc probat, & non plus. Secunda pars probatur ex noſtra ſententia. Rogas id quo pacto fiet? Reſpondeo ex aſſenſu concluſionis in intellectu relinqui ſpeciem impreſſam repræſentantem illud obiectum, ſicut ex primo iudicio relinquitur ſimilis ſpecies per quam intellectus determinatur ad iudicandũ ſine actuali apprehenſione: quæ ſpecies immediatè poteſt excitari, quin excitetur ſpecies præmiſſarum: ille actus formaliter non eſt ſciẽtificus, ſed in virtute, & in radice: fertur autem immediatè in ſuum obiectũ; eſtque diſtinctæ ſpeciei, ab actu concluſionis, qui habet ſpeciem impreſſam: quæ in ratione principij actiui eſſentialiter differt à præmiſſis. Videantur quæ dixi ſect. 1. de excitatione ſpecierum. Hæc tamẽ cognitio non eſt ſimpliciter immediata, quia licet actu deducatur ſine medio, adhuc eius ſpecies dependet à medio: dici tamen poteſt immediata formaliter, & radicaliter mediata: non tamen eſt tã perfecta, quam illa concluſio, quæ reliquit ſpeciem: quia ſpecies non poteſt eſſe principium cognitionis perfectioris ea à qua ſpecies relinquitur. Poteſt autem intellectus excitari, & per præmiſſas, & per illã ſpeciem ad concluſionem duobus quidem actibus diuerſarum ſpecierum, vtrum autem fiat vnum ex vtroque principio? non eſt hinc. Recognoſce §. 25.

SECTIO VIII.

Vtrum præmiſſæ efficiant concluſionem?

§. 58. PAtet ex dictis diſp. 9. Phyſ. ſect. 5. cum vna cauſa adæquata non poſſe concurrere aliam, in eodem genere. Confirmatur, quia præmiſſæ tantum tendunt in obiectum formaliter, & determinãt intellectum in genere cauſæ formalis per obiecti repræſentationẽ, ergo non in genere cauſæ efficientis, nam tota illarũ cauſalitas in primo genere ſeruatur: quod verò cõcluſio ſit aliquo modo ſimilis præmiſſis non arguit illarum effectionem, ſed cum obiectum ſit idem, illas imitatur concluſio.

§. 59. Obijcis primò, in concluſione reperiri aliquam formalitatem quæ tribuitur præmiſſis quin intellectui: nempe illationem: ergo præmiſſæ concurrũt actiuè. Confirmatur, præmiſſæ determinant ad hũc actum, vt ſpecies. Reſpondeo illationem nihil eſſe ex parte concluſionis: ſed ipſummet actum. Qui autem illum comprehenderet, cognoſceret illum deduci ex præmiſſis, non ex illatione diſtincta ab ipſo: ſed ex eius eſſentia: quæ dicit reſpectum ad præmiſſas non vt ad efficientem cauſam; ſed ad determinantem per formalem repræſentationem obiecti. Ad confirmationem reſpondetur, illam formalitatem tribui intellectui in genere cauſæ efficientis: præmiſſis verò in genere cauſæ determinantis formaliter. Species impreſſa non eſt formalis repræſentatio; ſed virtualis: ideo concurrit actiuè. At, licet præmiſſæ non concurrant actiuè: tamen repræſentata idemtitate extremorum cum medio intellectus aſſentitur concluſioni ex communi principio, *quæ ſunt eadem vni tertio:* ergo actiuus influxus non requiritur.

Hinc oritur ſecunda difficultas, intellectus ſine concurſu actiuo ſpeciei impreſſæ non poteſt elicere actum circa obiectum concluſionis abſentibus præmiſſis, ergo nec præſentibus ſine concurſu actiuo earum. Antecedens à me datur: conſequentiam probo: quia actus ille per ſpeciem productus eſt imperfectior actu per præmiſſas producto, ergo ſi non potuit producere actum imperfectiorem, nec poterit perfectiorem. §. 60.

Dices, intellectum habere ſufficientem virtutem actiuam ad producendum actum, ſi haberet, vnde determinaretur. Quod ſi haberet determinatiuum ſine influxu actiuo, ſufficeret concurſus ſolius intellectus: quia verò ſpecies impreſſa non poteſt, niſi actiuè determinare, ideo ſimul cum intellectu concurrit actiuè. Contra, ergo intellectus non indiget ſpecie impreſſa: patet conſequentia, ſpecies impreſſa eſſentialiter eſt actiua, & nullo modo poteſt determinare intellectum niſi agendo: ſed intellectus per te non indiget determinante actiuo, ergo nec ſpecie impreſſa. Quapropter natura prouidiſſet intellectui principium quo determinaretur ſine actione. Qui ſimul cum præmiſſis admittunt ſpeciem impreſſam ad producendum concluſionem, ſe facilè expedient ab hac difficultate, negando ſoli intellectui virtutem adæquatam influendi in actus. §. 61.

Reſpõderi poteſt ſecundo, duo genera actuum in intellectu reperiri: primum qui fiunt per determinatiua formalia: id eſt, quando vna cognitio determinat ad aliam. Secundum, qui fiunt per ſolas ſpecies: ad primos actus habet intellectus adæquatam virtutem actiuam: nam ad determinationem ad actus ſufficit formalis repræſentatio obiectorum, ad quæ terminantur. Nam ſimplex apprehenſio determinat ad iudicium repræſentando obiectum, de quo feratur. At vero ad ſecundos actus non habet virtutem actiuam adæquatam, quia ad illos exigit principium determinans actiuè. Nec refert ſecundos actus eſſe nobiliores primis: non enim penſatur adæquata virtus præcisè ex maiori aut minori perfectione effectus; ſed etiam ex modo, & indifferentia. Nam & anima eſt cauſa adæquata intellectus (ſi ab illa diſtinguitur) & non eſt cauſa adæquata intellectionis: & Gratia eſt cauſa adæquata habitus Charitatis, non verò actuum Charitatis. Si autem quis arbitratur cum P. Molina actum intellectus concurrere actiuè ad voluntatis actus: idem dixerit de præmiſſis: eam tamen opinionem infra diſquiram. §. 62.

SEC

SECTIO IX.

Duæ difficultates.

§. 63. CONcluſionem non poſſe eſſe perfectiorem vtraque præmiſſa,patet ex dictis in logica diſput. 10. ſect. 9. vbi probaui obiectum concluſionis eſſe idem cum obiecto præmiſſarum:cum ergo obiectum ſit idem, & concluſio pendeat ex præmiſſis, nō eſt cur ſit illis perfectior. Item eſt liquidum poſſe vtramque præmiſſam eſſe perfectiorem concluſione, quia licet obiectum ſit idem, tamen ſingulæ illarum ſunt, vel immediatæ, vel melioris obiecti partialis,vt in concluſione Theologica patet, quæ in ſupernaturalitate inferior eſt præmiſſa de Fide, item in euidētia eſt inferior principio naturali,ergo. Hic abſtineo à quæſtione de ſupernaturalitate concluſionis Theologicæ: non enim eſt huius inſtituti; ſed 1.part.quæſt.1.

§. 64. Secunda eſt, vtrum eodem actu poſſit quis formaliter ſyllogiſmum obiectiuum repræſentare? Et quidem cognoſcendo præmiſſas tamquam obiectum formale, & cōcluſionem tāquam materiale, exiſtimo non poſſe:quia ad obiectū materiale terminatur intellectus per ſpecies expreſſas præmiſſarum: & ad præmiſſas obiectiuas per ſpecies impreſſas: ſed ſpecies impreſſa, & expreſſa non poſſunt concurrere ad eumdem actum vt probaui ſuprà. Item ad aſſenſum præmiſſarum concurrit ſpecies actiuè, & ad eſſentiam concluſionis propter præmiſſas concurrunt præmiſſæ ipſæ:ergo cōcluſio tunc diſtinguitur à præmiſſis. Vtrùm verò poſſint immediatè excitari omnes ſpecies impreſſę ad efficiendum vnum aſſenſum,diſcutiam diſput.12.

§. 65. Dices: Angelus intuendo hominem cognoſcit eius riſibilitatem eodem actu: ergo eodem poterit & homo. Nego conſequentiam; quia Angelus intuitiuè videt ordinem tranſcendentalem vnius ad aliud: qui ordo ſolus eſt cauſa motiua ad proprietatem; at verò homo non immediatè, ſed per varias ſpecies abſtractiuas impreſſas, & expreſſas determinatur ad eſſentiā, & proprietatē, è quibus non poteſt conflari vnum principium vnius actus; ſi tamen relinquatur vna ſpecies impreſſa totius ſyllogiſmi, totus cognoſcitur vno actu, de quo diſp.12. nunc enim neutram in partem inclinor.

DISPVTATIO VIII.

De euidentia, & certitudine.

SECTIO I.

Vtrum euidentia diſtinguatur ab actu intellectus?

§. 1. DIco primò. *Plures ſunt actus intellectus clari,& euidentes.* Probatur contra Academicos: quia euidentia eſt quædam claritas, & lux, qua intellectus ita diſtinctè, & clarè cognoſcit obiectum, ſicut oculus lucem,& colorem; ſed dantur plures actus,tā clari, quàm viſio lucis:ergo. Maior eſt clara, vel ex ipſo nomine ſumpto à *videndo*: nihil enim clarius cognoſcimus per ſenſus, quàm per viſum; cuius obiectū cum ſit lux dilucidè patet:& quando volumus aliquid ſignificare,de quo diſtinctā cognitionem habemus, id per viſionem ſignificamus, ac dicimus eſſe ipſa meridiana luce clarius, nec nobis eſt aliud notius, quo euidentia rerum perſpicuitatémque notemus. Minor probatur, quia quādo videmus lucem reflexè cognoſcimus nos illam videre: & illa viſio mediis ſenſibus internis determinat intellectū ad cognitionem intuitiuam lucis; item quando aliquid cognoſcimus per intellectum, euidenter experimur nos cognoſcere, & ſcimus euidenter nos viuere, cum mortui hæc munera non exerceant. Item eſt euidens hic actus, *nos cognoſcimus clarè, vel obſcurè*; & hic, *quodlibet eſt, vel non eſt*, dantur ergo plures actus euidentes.

§. 2. Vt à priori concluſio probetur; in intellectione perfecta reperiuntur tria; primum eſt conformitas actus cum obiecto:ſecūdum neceſſitas aſſentiendi; tertium impotētia ad falſitatem. Primum vocatur *veritas*;ſecundum *euidentia*;tertium *certitudo*. Quoties obiectum ita proponitur, vt illi non poſſimus diſſentiri,dicimus illud eſſe euidēs;ſunt enim nonnulla principia cognitionum tam perfecta,vt non poſſint cum diſſenſu componi; & aliqua nec cum aſſenſus carentia. E quibus principiis oritur neceſſariò aliquis actus: hūc vocamus *euidentem*;tū quia ab illis principiis accipit perfectionem, qua nobis clarè,& perſpicuè præſentat obiectum;tum quia ſi reflexè diſquiramus rationē aſſentiendi comperiemus non poſſe nos diſſentiri.Hanc ergo perfectionem actus explicatā per ſua principia compellamus *euidentiam*. Vnde arguo: ſæpe habemus neceſſitatē aſſentiendi alicui obiecto;ergo ſæpe habemus actū euidētem. Antecedens probo:quia ſæpe cognoſcimus vero apprehenſo vt vero non poſſe diſſentiri: ſæpe cogimur aſſentiri nos habere cognitionē aliquā;v.g.nobis dolere caput,aut videri illud dolere.

§. 3. Dico ſecundò. *Euidentia,nec realiter,nec ex natura rei diſtinguitur ab actu.* Probatur primò, quia nullum eſt fundamentum talis diſtinctionis.Secundò, quia actus ſecundum ſe conſideratus,præciſa quauis alia ratione eſt cognitio, & repræſentatio obiecti;vel ergo illud repræſentat diſtinctè, ita vt per illum intellectus determinatè cognoſcat Petrum? vel non? ſi primum,ergo actus ſecūdum ſe præciſo quouis alio eſt clarus, quia cognitio rei ſingularis in ſingulari neceſſario eſt clara,quia eſt diſtincta:ſi ſecūdū,ergo ſecūdum ſe eſt obſcurus,quia eſt confuſus,& communis pluribus obiectis. Tertiò,quia cognitio intuitiua Dei ſe ipſa eſt clara; & Fides obſcura: ergo idem erit de cæteris actibus. Antecedens probatur, quia viſio immediatè fertur in Deum ſecundum ſe,& prout eſt:& ex Deo cognoſcit creaturas:ergo per ſe eſt clara:non enim poteſt eſſe formaliter intuitio,quin eadem formalitate ſit euidens;nam intueri,& videre eſt formaliter idem: ſpecies enim impreſſa intuitiua clarè pręſentat obiectum.Fides autem tendit per ſe in reuelationem, quæ eſt obſcura: ergo Fides per ſuam eſſentiam formaliter eſt obſcura. Confirmatur, ſume viſionem Dei, ſecluſo quocumque alio modo, illa eſt per ſe cognitio Dei in ſe ſicuti eſt: ergo & clara, quæ enim maior claritas?

§. 4. Quartò, quia ſi euidentia eſt modus diſtinctus, rogo vtrum cognoſcatur per actū, vel ſit ratio cognoſcendi? ſi ſecundum, ergo eſt cognitio formaliter:ſi primum,rogo vtrum cognoſcatur euidēter, vel non? ſi ſecundum, qua ergo ratione cognoſcitur? Nam de obſcuritate ipſius actus eadem erit quæſtio; ſi primum,ibimus in infinitum.Dices eſſe quendam modum,quo totus actus perfunditur, vt luce color. Cōtra: quia lux videtur à viſu,colorem autem perfundit; quia cum concurſu coloris producit ſpeciem, ex qua ſit viſio vtriuſque: at non poteſt

poteſt explicari, quomodo ille modus actum perfundat. Hoc argumentum non vrget, nam in actibus intellectus non repugnat dari proceſſum in infinitum.

§. 5. Ratio à priori huius ſecundæ concluſionis eſt: quia euidentia eſt actus perfectio, & ordo tranſcendentalis ad illa principia quæ ob ſuam perfectionem non poſſunt cum diſſenſu componi: ſed actus per ſuam eſſentiam eſt ordo ad illa principia, & habet ab illis perfectioné; ergo actus per ſuam eſſentiam eſt euidens. Minor probatur: quia ille actus in ſpecie nõ poteſt oriri à principiis indifferentibus ad aſſenſum & diſſenſum: quia hæc principia efficiunt actus minus perfectos. vt enim ab ſpecie de albedine non poteſt fieri cognitio de nigrore; nec ab ſpecie de homine cognitio de leone; ita nec ab ſpecie euidéti actus obſcurus, nec clarus ab ſpecie obſcura; itaque actus euidens dicit ordinem tranſcendentalem ad principia determinata ad aſſenſum, & non indifferétia ad diſſenſum: ſicut viſio de albo ad ſpeciem de albo, & non de nigro.

§. 6. Dico tertiò. *Euidentia eſt differentia eſſentialis actus euidentis, & obſcuritas obſcuri.* Patet, quia actus intuitiuus eſſentialiter eſt cognitio huius obiecti ſingularis in ſingulari: ſed cognitio diſtincta eadem formalitate eſt diſtincta, qua eſt clara: quia clarè cognoſcere rem eſt euidenter noſſe rem eſſe talem, confuſa enim cognitio, qua ratione eſt confuſa, eſt communis, & non diſtinguens vnum ab alio: ergo euidentia eſt ratio formalis eſſentialiter conſtituens actum euidentem. Confirmatur, ſpecies impreſſa intuitiua eſſentialiter eſt principium productiuum cognitionis euidentis: ergo cognitio euidens eſſentialiter eſt euidens, quia in actu ſecundo reſpondet eſſentialiter quod in actu primo. De cognitione obſcura idem probatur; quia per ſe & eſſentialiter eſt, vel communis, vel habetur per motiua obſcura, vt Fides. Cõfirmatur: quia in actu euidéti nulla datur prima radix, à qua oriatur euidentia tamquam proprietas: omnes enim aliæ rationes ſunt communes, à quibus non poteſt oriri euidentia, vt eſſe actum intellectus affirmatiuum, vel negatiuum, quia omnia iſta genera actuum poſſunt eſſe euidentia.

§. 7. Rationem à priori accipio à §. 5. Quia actus obſcurus eſt tranſcédentalis ordo ad principia indifferentia vt componatur cum aſſenſu atque diſſenſu, qui ordo eſt illi eſſentialis, & differétia propria: actus autem euidens in ratione euidentis conſtituitur ordine ad principia incompoſſibilia cum diſſenſu, & determinata ad aſſenſum: qui ordo eſt de eſſentia illius actus: vt oſtendi §. 5. ergo actum eſſe euidentem eſt differentia eſſentialis illius.

§. 8. Rogas vnde oriatur euidentia? Reſpondeo primò, ex ſpecie immediata obiecti: quapropter ſenſiones ſunt valde euidentes, quia ſunt immediatæ, & Angeli clariſſimè cognoſcũt naturalia obiecta. Item oritur ex connexione obiecti vnius cum alio immediatè cognito: item ex terminis ipſis rerum, quorum obiectũ ſtatim intellectum pulſat, & trahit, *vt quodlibet eſt, vel non eſt*, vel oritur ex principio actiuo, vt viſio beata ex lumine.

SECTIO II.

Vtrum idem actus eiuſdem obiecti poſſit eſſe clarus, & obſcurus?

§. 9. Nonnulli exiſtimant actũ, quo ego cognoſco Petrum, v. g. ſub ratione hominis tantum, & non ſub ratione Petri, ſimpliciter eſſe obſcurum: quia ille actus non proponit clarè intellectui illud obiectum: nam Petrus confuſè cognoſcitur. Confirmatur, claritas, & obſcuritas circa idem obiectum ſunt rationes repugnãtes: quia vna importat alterius priuationem: ergo. Sed non acquieſco. Primò, quia quãdo cognoſco Petrum ſub ratione hominis tantum, euidenter cognoſco illud obiectum eſſe hominem, quia video euidenter illi conuenire proprietates cuiuis alij rei repugnantes: ergo illa cognitio eſt euidens: conſequentia patet ex terminis. Antecedens probatur tum ex caſu argumenti: quia illud obiectum diſtinguo à quauis alia re, & diſcerno illud à bruto, lapide, &c. Tandem, quia accidentia illa, à quibus denominatur homo, euidenter cognoſcuntur, v. g. corporis habitudo, &c. ſed omnis cognitio diſtinguens vnum ab alio eſt clara: ergo.

Ex §. 2. & 5. ſumitur argumentum à priori: quia cum ego cognoſco hominem, non penetrans Petrum; actus principia non poſſunt componi cum diſſenſu, quo negem illum eſſe hominem; & componi poſſunt cui diſſenſu de Petro: ergo actus eſt euidens de homine, & obſcurus de Petro. §. 10.

Secundò probatur: viſio creata Dei eſt clara, & intuitiua illius, vt catholicè negabit nullus: ſed ea cognitio nõ cognoſcit clarè quidquid eſt in Deo: ergo cognitio eadem eiuſdem obiecti poteſt eſſe clara, & obſcura. Probatur ſecũda pars antecedentis, quia licet illa viſio cognoſcat myſterium Trinitatis, tamen poteſt non cognoſcere tum actus liberos Dei, tum ſcientiam viſionis, & mediam, tum infinitas formalitates, per quas Deus eſt incomprehenſibilis à creatura: ergo cognitio clara Dei non eſt clara, ſed obſcura infinitarum formalitatum Dei; non quidem ſecundum quod dicunt in recto, ſed ſecundum connotata, in ordine ad quæ accipiũt denominationem vt denominatio videntis Petrum, & volentis. §. 11.

Ad primum diſtinguo antecedens; nõ proponit clarè illud obiectum vt denominatur Petrus, concedo; vt verò denominatur homo, nego; ſicut Deus videtur clarè ſub ratione omnipotentis à beatis, quin cognoſcatur euidéter, in ratione volentis, ſeu cognoſcentis liberè. Ad confirmationem reſpõdetur, illã oppoſitionem verſari circa idem obiectum relatum ad eaſdem omnino proprietates, vel accidentia, vt cognoſcere clarè, & obſcurè illũ eſſe hominem: at verò in ordine ad diuerſas proprietates, nulla eſt oppoſitio vt patet in viſione Dei: quia rectè poteſt effectus cognoſci, quin cognoſcatur alius: & cognitio horum effectuum vocatur cognitio clara, vel obſcura diuerſarum formalitatum (vt latè dicam diſput. 5. metaphyſicæ.) §. 12.

Immo oſtendi diſput. 32. de Fide; eumdem numero actum poſſe eſſe clarum & obſcurum per diuerſas rationes formales circa idem obiectum materiale, e. g. ſi hæc propoſitio *Deus eſt:* proponatur Philoſopho catholico per authoritatem & reuelationem Dei; item per mediũ Metaphyſicum; concurrent ad hunc actum & habitus Fidei, & habitus Metaphyſicus: qui actus relatus ad Fidem oritur à principio ex ſe indifferéti vt componatur cum carentia aſſenſus; immo Fides non habet phyſicam, ſed moralem repugnantiam cum diſſenſu, vel ſaltem fides non impedit diſſenſum cum quo pereat; vt gratia non impedit peccatum. Medium autem Metaphyſicum non poteſt componi cum diſſenſu, nec illo corrumpi: ſed hoc eſt actum eſſe euidentem & obſcurum. ergo. Quæ hic ſatis ſit indicaſſe, ibi enim ea latè propono. §. 13.

SEC

SECTIO III.

De euidentia morali, phyſica, & metaphyſica, & vtrum illis poßit ſubeſſe falſum?

§. 14. EVidentia moralis eſt, quando in genere moris iuxta regulas prudentiæ non poteſt quis obiecto non adſentiri, v.g. homo grauis quem iuſtum, & ſanctum ſumus ſemper experti, rem adfirmat, è qua nullum ipſe capit emolumentum; res illa moraliter eſt euidés,quia iuxta regulas prudentiæ credere tenemur,quod talis vir iurameto firmat.Item myſteria noſtræ Fidei,licet ſint obſcura, tamen tot confirmantur teſtimoniis,vt teneantur omnes homines illis aſſentiri, *teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.*Ea de cauſa inexcuſabiles ſunt infideles, qui Fidem aut recuſarunt, aut depoſuerunt. Tot enim rationibus proponitur, vt ſine peccato nullus poſſit non aſſentiri: eáque propter arguendus mundus de peccato: quia nõ crediderunt in Chriſtum. Hæc tamen euidentia moralis ſimpliciter obſcura; quia reuelatio, ad quam per illa motiua ducimur, ſimpliciter eſt obſcura; quod ſi hæc euidentia eſſet euidentia ſimpliciter;nullus poſſet eſſe infidelis, quia obiecto euidenter propoſito nullus poteſt diſſentiri. Itaque obiectum, quod intellectus non cognoſcit apertè, poteſt tali teſtimonio firmari,vt voluntas teneatur ſub peccato aſſenſum imperare intellectui, ad quod ponitur in voluntate pia affectio. Ratio à priori huius doctrinæ eſt: quia euidentia eſt cognitionis ordo ad principia, quæ determinãt ad aſſenſum,& impediunt diſſenſum:ſed poſſunt eſſe principia,quæ iuxta dictamen prudentiæ determinent ad aſſenſum, & non patiantur diſſenſum: quamuis phyſicè nec determinent ad alterum, nec alterũ impediant:ergo poteſt actus eſſe moraliter euidens,& obſcurus phyſicè.

§. 15. Euidentiæ morali ex genere ſuo poſſe falſitatem ſubeſſe, eſt clarum: quid enim repugnat virũ grauem mentiri? Immo verò rationibus, quibus aliquando mouemur ad credendum diuinam exiſtere reuelationem, poſſe nonnunquam ſubeſſe falſum probatur, quia ruſticus mouetur ad credendum Deum aliquid reuelaſſe authoritate Parochi, vel Epiſcopi;hoc enim eſt ſufficiens motiuum homini ruſtico.Et tamen Parochus poteſt proponere tamquam dogma Fidei, quod non eſt reuelatum;tunc autem ruſticus circa illud obiectum non diuinam, ſed humanam exercet fidem; illa enim non tendit in reuelationem, niſi re ipſa exiſtentem. In reuelatione,miraculis,aliiſque diuinis motiuis falſitatem latere poſſe, ſacrilegus erit qui adfirmet: at verò in modo, quo vnus homo ea miracula proponit, poſſe ſubeſſe falſum (niſi ſit Papa) quis dubitet, cum poſſit mentiri adfirmans ſe miraculum vidiſſe, cum non viderit?

§. 16. Euidentia phyſica eſt cognitio euidés ex phyſicis principiis,qualis eſt cognitio diſcurſiua ex effectus exiſtentia ad exiſtentiam cauſæ;vt cum quis videt albedinem, infert euidenter illi ſubeſſe corpus, & qui ſentit calorem vehementem,euidenter arguit ignem adeſſe; cuius oppoſitum ex phyſicis principiis repugnat. Hæc euidẽtia formaliter conſiſtit in modo, quo actus attingit connexionem phyſicam obiectorum; ortúmque trahit ex ſpecie impreſſa de ipſis. Non enim ſufficit obiecta eſſe phyſicè nexa, ſed opus eſt, vt certæ perfectionis actu tangatur. Nam actus probabilis poteſt attingere eam connexionem ineuidenter. item contingens obiectum poteſt cognoſci euidẽtia metaphyſica per ſcientiam ſupernaturalem. Eſt ergo euidentia phyſica, cognitio euidens alicuius obiecti; cui ex modo tendẽdi in illud ex vi ſuorum principiorum, non repugnet falſitas.

Hinc quæris, num phyſicæ euidentiæ poſſit ſubeſſe falſum diuinitus? Nam in Euchariſtia ſentimus accidentia vini,è quibus phyſicus arguit ibi adeſſe vinũ,cum tamen non adſit? Et quidem exiſtimo de re nullam eſſe quæſtionem, ſed fortè de nomine tantùm.Tamen actum phyſicè euidentem poſſe eſſe falſum probatur primò, quia actus quo cògnoſco exiſtẽtiam ſubſtantiæ ex accidentis exiſtentia, phyſicè eſt euidens, ſed ille poteſt eſſe falſus,ergo. Maior probatur, quia ex accidenti infertur euidenter ſubſtantia; quia ex phyſicis principiis omnino repugnat eſſe accidens ſine ſubſtantia; cum ex ipſis phyſicis principiis ſit euidens accidens à ſubſtãtia pendere, neque phyſiologus habet aliam euidentiam in phyſicis demonſtrationibus. Minor verò probatur:quia Deus potentia abſoluta poteſt inuertere phyſicum ordinem, & relinquere accidens ſine ſubſtãtia, tunc autem actus non conformatur obiecto. §. 17.

Dices actum inferentem ſubſtãtiam ex accidentibus eſſe euidentem,& verum; quando Deus inde ſubſtantiam non amouet, at verò actum, qui eam infert, cum eam amouet Deus, neque eſſe euidendentem,neque verum. Contra, quia vtroque caſu, v.g.ante, & poſt cõſecrationem calicis, accidentia vini eodem modo ducũt in cognitionem exiſtentiæ ſubſtantiæ, ſed ante conſecrationem ducebant euidenter phyſicè, ergo & poſt illam. Maior eſt clara: accidẽtia enim in vtroque caſu eodem modo ſentiuntur. Quod patet, quia ſenſu nullus diſcernit an ſit calix conſecratus, nécne? Minor autem eſt clarior,quia accidens dicit eſſentialem ordinem ad ſubſtantiam; nec vllo modo ducit in illius cognitionem,niſi ex cognitione ſui. §. 18.

Secundò probatur, ea ratione Phyſicus naturalis ſolo rationis lumine, non poteſt aſſentiri myſterio Euchariſtiæ:quia ex principiis phyſicis cenſet euidenter ibi vinum adeſſe: ſed hæc euidentia non eſt apparens ſed connaturalis,innitens connexioni neceſſariæ accidentis cum ſubſtantia: ergo. Dices:ergo actus ille erit etiam phyſicè verus. Nego conſequentiam: veritas enim nec eſt phyſica: nec metaphyſica:conſiſtit enim in ſola conformitate actus cum obiecto: quod ſi obiectum non eſt realiter ſicut cognoſcitur,cognitio eſt falſa ſimpliciter:euidentia autem conſiſtit in illatione neceſſaria,& phyſica connexione præmiſſæ cum concluſione:ſiue obiecti formalis cum materiali,quæ illatio,& connexio, quia ex phyſicis principiis non poteſt non eſſe,ideo eſt euidens phyſicè. §. 19.

Tertiò,quia ſequeretur nõ eſſe certum nec euidens,verbi gratia,me loqui cum Petro,conſequens eſt falſum:quis enim neget ſimpliciter eſſe euidés, & certum, nos eſſe modò in hoc gymnaſio? ergo. Probatur conſequentia,quia Deus poteſt facere vt apprehendamus nos eſſe hic, cum non ſimus, & vt Angelus corpus aſſumat, quo Petrum agat, & nos deludat. Ratio à priori eſt: quia euidentia,& certitudo ſumitur ex motiuis:cúmque motiua ſint eadem, quando ſubſtantia adeſt, & quando per miraculum abeſt,ſemper habet eamdem euidentiam, & certitudinem, id eſt, inferre neceſſariò aſſenſum de exiſtentia ſubſtantiæ; niſi principiis Fidei impediatur. Veritatem autem non habet,quia affirmat ibi eſſe ſubſtantiã quando non eſt;ſi autem affirmaret phyſicè loquendo ibi neceſſariò eſſe ſubſtantiam, tunc eſſet verus, ſed non id affirmat. §. 20.

Itaque illatio eſt neceſſaria, & eodem modo ante & poſt conſecrationem quantum eſt ex parte cognitionis de accidẽtibus. Diſcrimen eſt; quod ſenſus Fide corriguntur, & actus eſſet falſus. Hoc autem vocare euidẽtiam phyſicam; aut apparentiam eſt quæſtio de nomine.

§. 21. Ex §. 1. & 5. poteſt hæc tota doctrina probari; quia euidentia eſt ordo cognitionis ad principia, quæ nõ poſſunt cõponi cum diſſenſu: ſed ea cognitio eſt ordo ad principia, quæ ex lege naturali non poſſunt cum diſſenſu componi: quia ſpecies vini determinat intellectum ex natura rei ad exiſtentiam vini aſſerendam, ſiue conſecratum ſit vinum, ſiue non conſecratum: ergo phyſicè eſt neceſſitas aſſentiendi. Aſſenſus autem impeditur ob reuelationem oppoſitam.

§. 22. Euidentia metaphyſica dicitur, quãdo obiectum tam clarè conſpicitur; vt omnino repugnet aliter fieri, v. g. hæc principia, *quodlibet eſt, vel non eſt. Deus eſt*; & quãdo quis affirmat ſe habere eſſe, quia impoſſibile eſt non exiſtens, aliquid cognoſcere. Metaphyſica euidentia dicitur, non quia non pendeat ex phyſicis principiis, nam ſæpius cognoſcitur euidenter exiſtere vnionem materiæ, & formæ, quæ cognitio eſt de rebus phyſicis. Euidens tamẽ metaphyſicè cognitio dicitur qua infertur exiſtere materiam, & formam; quia implicat vnionem exiſtere ſine extremis. Item eſt euidens mihi metaphyſicè me exiſtere. Dicitur autem *metaphyſica*, quia quemadmodum principia metaphyſica ſunt ita clara & euidẽtia, vt illis nullo modo poſſit ſubeſſe falſum, ita & hæc euidentia eamdem ſortitur dignitatem.

§. 23. Rogas primùm, ad quam ſpeciẽ reducatur euidentia in atteſtante? Reſpondeo, ad moralem: licet enim ego habeam phyſicam euidentiam teſtimonij, facientis moralem euidentiam, tamen ipſius rei atteſtatæ non habeo euidentiam ſimpliciter, ſed obſcuritatem. Si autem ego cognoſcerem euidenter teſtimonium Dei, euidenter cognoſcerem rem, quam teſtatur; quia ducitur è duobus principiis euidentibus: nempe Deum non poſſe mentiri; & aliquid reuelare: quod Chriſtus clarè videt per ſcientiam per ſe infuſam. Quod latè probaui diſp. 25. de Fide.

§. 24. Rogas ſecundò, qualis ſit euidentia, qua credo eſſe Romam, ob teſtimonium tot hominum id atteſtantium? Reſpõdeo eam eſſe phyſicam, quia impoſſibile eſt phyſicè loquẽdo, tot homines, tot ſæculis eſſe mentitos: vnde nõ habeo minorem euidentiam Romam eſſe, quàm omnem ignẽ eſſe calefactiuum. Contra primò, ergo fides humana habet phyſicam euidentiam. Nego conſequentiam; quia ille actus non eſt fidei, ſed ſcientificus, innititur enim non humano teſtimonio, ſed repugnantiæ phyſicæ, qua video non potuiſſe tot homines conueniſſe ad mentiendum; fides autem humana innititur teſtimonio vnius, aut pluriũ hominum, qui potuerunt phyſicè conuenire ad mentiendum, quapropter eſt obſcura, & incerta. Præſto eſt ratio: quia ille aſſenſus oritur à duobus principiis, quæ non patiuntur diſſenſum. Primum eſt hoc: *impoſſibile eſt tot homines tot ſæculis conuenire ad mentiendum.* Secundum eſt: *hoc dicunt tot homines tot ſæculis.*

§. 25. Contra ſecundò: ergo teſtimonium Martyrum facit euidentiam phyſicam myſteriorũ Fidei: quia impoſſibile eſt tot Martyres conueniſſe ad mentiendum. Nego conſequentiam, quia illi fatentur ſe non cognoſcere euidenter ea, quæ adfirmant: vnde licet euidens ſit omnes illos crediſſe myſteria, pro quibus moriuntur: non tamen ſunt ipſa myſteria euidentia; quia quod ego teſtificor non poteſt audienti ex meo teſtimonio eſſe patentius, quam mihi eſt, ſed Martyribus myſteria ſunt obſcura: ergo & nobis; at vero in caſu quæſtionis cum tot teſtes habeant euidentiam rei atteſtatæ; & illorum teſtimonium ſit euidenter verum, res ipſa atteſtata nobis ſit euidenter vera.

Contra tertiò: ergo Mahumetani, & Infideles faciunt euidentem ſuam ſectam; quam confirmat tot hominum teſtimonium. Nego conſequentiam. Si enim Martyres non efficiunt euidentiam phyſicam myſteriorum; quia ea obſcurè cognoſcunt; multo minus infideles, qui errant. Item omnes illi vna libidine impellũtur, & cæteris flagitiis admotis quaſi facibus accenduntur ad ſuæ ſectæ profeſſionem, quibus reclamitat ipſum rationis lumen: ſecus in caſu quæſtionis, immo verò neque cauſant euidentiam moralem, ſicut noſtri Martyres, quia hi acerbiſſimam mortem ſubeunt, hac dumtaxat ratione; ne ſacrum offendant numen: idque prudentiſſimis rationibus. §. 26.

SECTIO IV.

Variæ certitudinis acceptiones.

PAt. Molina, 1. par. quæſt. 1. artic. 5. affirmat, rem poſſe dici certam, quando actu eſt extra cauſas: quia *omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe*. Quæ neceſſitas infert *certitudinem*, quia eſt determinatio effectus ad vnum. P. Vazq. 1. p. d. 68. cap. 5. & alibi, & Suar. 1. p. ſummæ, tract. 2. lib. 2. cap. 2. num. 2. aiunt (neque immeritò) certitudinem, & infallibilitatem eſſe proprietates actuũ intellectus, obiecta autem nec eſſe certa propriè, neque infallibilia, ſed contingentia aut neceſſaria: vulgo autem vocantur certa, quia (vt ait P. Molina) ſunt menſura & fundamentum certitudinis intellectualis. §. 27.

Hæc autem certitudo triplex aſſignatur à Pat. Vazquez ſupra diſ. 9. num. 10. Prima pro aſſenſu determinato ſine formidine: vt quando quis ſine hæſitatione adſentitur obiecto. Secunda, pro veritate cognitionis. Tertia, pro actu reflexo, quo iudicat quis ſe non potuiſſe decipi per actum directum. Verum prima certitudo non eſt certitudo ſimpliciter: hæreticus enim ſine hæſitatione ſuis aſſentitur erroribus: de quibus ſimpliciter non eſt certus: quod autem non hæſitet, non prouenit ex certitudine, ſed ex temeritate, qua ſe præcipitem agit. Secunda verò certitudo nulla eſt, quia actus probabilis eſt ſæpè verus, nunquam tamen certus. Tertiam autem nullam eſſe patet, quia actus reflexus poteſt eſſe falſus. §. 28.

Melius ipſe ea diſp. 68. num. 33. & 34. ait certitudinem eſſe actum, qui ſemper veritatem attingit, & d. 65. num. 20. veritatem ſolam non eſſe cauſam certitudinis: ſed ſcientiam Dei eſſe certam: quia cognitio diuina non poteſt non referri ad verum. Vnde colligo certitudinem eſſe *determinationem intellectionis ad verum vt verum*, ita vt ille actus ex natura ſua non poſſit à veritate diſiungi: ſic vulgo dicimus ſclopetarium eſſe certum in attingendo ſcopo, quia exploſa glande illum ſemper attingit: res autem incerta dicitur, quãdo nullam habet determinationem: ſic etiam voluntas dicitur certa, quando ad vnũ eſt determinata vt de Æneâ Poëta dixit *certus iter*. Itaque certitudo eſt determinatio ad veritatem. §. 29.

Contra: quia actus probabilis verus, eſt determinatus ad veritatem, quia impoſſibile eſt actum ſemel verum mutari in falſum (vt patebit diſp. 9.) §. 30.

cum

cum tamen ille actus non ſit certus. Reſpondeo, actum illum quantum eſt ex vi humanæ fidei habitualis, & potentiæ, & rationis formalis obiectiuæ, neque eſſe certum, neque determinatum ad veritatem. Nam ab eadem potentia, eadem fide humana, & ſub eadem ratione formali non repugnat actum eſſe falſum. Quod ſi non poteſt mutari de verò in falſum, id oritur, quia ſemper repræſentat obiectum eodem modo; determinatio autem certitudinis eſt, quando actus non poteſt eſſe falſus, vel propter motiuum, & rationem formalem, vt cum dico *Petrum ridere*, quia illum video ridere, vel quando principium actiuum eſt tale, vt non poſſit elicere actum falſum, vt habitus ſupernaturalis: quando autem quis habet opinionem probabilem, ſi prudens loquatur, nunquam dicet ſe eſſe certum: eſto actus ille non poſſit de verò in falſum mutari, aut de falſo in verum, id enim non facit hominem certum. Quia ex nullo principio determinatur ad verum; quia ex eodem poſſet decipi.

§. 31. Vrges; omnem determinationem actus veri ad veritatem eſſe certitudinem; ſed actus probabilis verus, eſt determinatus ad veritatem: ergo eſt certus. Maior à nobis videtur poni. Minor probatur, quia tunc eſt actus determinatus ad verum, quando illi actui repugnat falſitas, ſed illi actui repugnat falſitas: ergo eſt determinatus ad verum. Reſpondeo admiſſa opinione, aſſerente nullum actum poſſe mutari de vero in falſum, aut è contra, ſiue veritas ſit de eſſentia actus, ſiue non, adhuc eſſe actus certos, & incertos; neque enim vnquam ex ea opinione id negandum cenſuit aliquis, nec potuit: nam & communis loquendi modus, & vſus id atteſtatur. Diſtinguo igitur maiorem: omnis determinatio actus orta ex eo quod ſit à principio, vel motiuo impotente errare, concedo maiorem: determinatio autem orta ex communi repugnantia, vt mutetur actus de vero in falſum, ſi eſt à principio & motiuo capaci errandi, eſt certitudo, nego maiorem, & minorem; non eſt enim actus ille determinatus ad veritatem, vel ex ſuo principio, vel obiecto, ſed ex communi illa repugnantia.

§. 32. Ad quod aduerte, eſſe aliqua principia cognoſcendi adeò certa, vt illis repugnet ſaltem ex ſua natura errare: quæ ideo vocantur certa, quia ſemper veritatem attingunt; item ſunt aliqua obiecta quæ non patiuntur circa ſe errari: omnes actus horum principiorum, & obiectorum ſunt certi, quia ſunt exercitia principiorum certorum; ſicut terra certa vocatur, quæ nunquam negat fructus ſtatis temporibus; & illius fructus vocantur etiam certi; alia verò principia intellectiua ſunt indifferentia & ad falſitatem & veritatem; non quidem indifferentia per ſingulos actus, ſed indifferentia ad plures actus, aliquos quidem veros, quoſdam falſos: huiuſmodi actus omnes vocantur incerti; non quod non ſint aut veri, aut falſi, ſed quia à principiis incertis: à principiis enim incertis, quid certum?

§. 33. Nec propterea certitudo erit extrinſeca denominatio, ſed eſt ipſe actus: qui eſſentialiter eſt exercitium & cognitio principij & obiecti incapacium erroris: incerti autem ſunt etiam exercitium potentiæ incertæ, & potentis errare: ſicut euidentia eſt intrinſeca actui, licet oriatur ex obiecto, vel potentia. Sic Fides diuina eſt certa, quia eſt exercitium habitus ſupernaturalis, qui eſt incapax erroris. Item eſt ſub diuina reuelatione infallibiter exiſtente, cui repugnat falſitas. At Fides humana eſt incerta: quia oritur ab intellectu naturali, capaci erroris in credendo ſolis ſuis viribus: immo etiam eſt incerta Fides humana circa reuelationem, neceſſariò exiſtentem, quia non fertur in illam vt infallibiliter exiſtentem; ſicut fertur diuina.

Vno verbo. Actus certus eſt exercitium principiorum non forte, ſed neceſſario veritatem attingentium: quod poſſumus explicare per ordinem ad noſtrum intellectum: qui enim conſiderat actum Fidei humanæ, ex eo non cenſebit actũ eſſe verum, nec falſum: licet cenſeat eius veritatem, aut falſitatem eſſe immutabilem in ipſo: ſi verò conſideret actum Fidei diuinæ, aut ſcientiæ humanæ, cenſebit eum eſſe verum, & non poſſe eſſe falſum; in eo igitur fundamento talis iudicij quod eſt ipſemet actus, conſiſtit certitudo, aut incertitudo. §. 34.

Hæc probari poſſunt ex §. 2. & 3. Vt euidentia eſt ordo & exercitium principiorum, quæ determinantur ad aſſenſum, & impediunt diſſenſum: ita certitudo eſt exercitium principiorum à quibus oriri non poteſt actus falſus. e. g. Fides cum collectione comprincipiorum ita eſt determinata ad actum verum; vt ex illis principiis non poſſit actus inferri falſus. Quapropter dixi actum certum eſſe, qui ex vi ſuorum principiorum oritur verus; non vero forte fortuna. At opinio probabilis ita oritur ex ſuis principiis, vt ab iiſdem numero poſſet oriri opinio contraria. Quia circa Deum, quantum eſt ex parte principiorum opinionis probabilis, poteſt eſſe affirmatio & negatio: quia ſpecies probabilis, eſt principium aſſenſus & diſſenſus: & forte fortuna infert actum verum. Actus ergo relatus ad hæc principia eſt incertus, ſiue ſit verus, vel falſus. quia ea imperfecta relatio eſt imperfectio ipſius actus: qui quamuis mutari non poſſit in falſum: contigit tamen illum exiſtere ab illis principiis, à quibus potuit contingere oppoſitus. Hac de re egi diſp. 25. de Fide, & 32. §. 35.

Contra ſecundò, quia actus phyſicè euidens eſt etiam phyſicè certus, & tamen poteſt eſſe falſus, vt dixi ſect. 3. ergo certitudo non eſt determinatio ad veritatem. Nego conſequentiam, quia certitudo phyſica eſt determinatio ad veritatem, à qua non poteſt actus ille ſeparari ex ſolis phyſicis principiis: quod autem diuinitus ſeparetur, ſicut non tollit modum tendendi in obiectum, & neceſſariam connexionem obiecti materialis cum formali, ita nec certitudinem, & euidentiam illi connexioni innitentes. §. 36.

Hæc certitudo alia eſt adhæſionis, ſiue ſubiecti, per quam cognoſcens, aut non poteſt, aut non vult obiecto diſſentire; vel propter illius euidentiam, vel ob affectum voluntatis, vt cum Catholicus certus eſt vitam profundere potius, quàm Fidem negare: vel quando ex praua diſpoſitione infidelis ſuo adhæret errori, vel cum quis non vult amici ſententiam deſerere. Hæc vocatur *certitudo ex pro hæreſi*, ideſt, ex firma voluntate pendens (in caſibus non euidentibus, nam euidentia neceſſitat intellectũ independenter à volũtate.) Alia certitudo eſt ipſius actus, quãdo videlicet actus ille, vel ex ratione formali, vel ex principio actiuo neceſſario eſt verus. Hæc certitudo actus eſt etiam certitudo intellectus, quia hic in obiectum non tendit niſi per actum, atque adeo niſi per illum non eſt certus de obiecto. §. 37.

SECTIO V.

Vtrum certitudo diſtinguatur ab actu?

§. 38. DIco primò. *Certitudo non diſtinguitur realiter ab euidentia in actu euidenti.* Primo, quia certitudo eſt determinatio actus ad verum: ergo euidentia eſt certitudo. Probatur minor, quia euidentia cogit intellectum, & illum ita adfigit veritati, vt ſit impoſſibile obiecto contrario aſſentiri, ſed hoc eſt determinare actum ad verum: ergo euidentia eſt determinatio actus ad verum. Maior conſtat, quia euidentia phyſica non finit intellectum, ex phyſicis principiis ſuo obiecto diſſentiri, quod ſi aliquando diſſentit, id prouenit ex altiori motiuo: euidentia autem metaphyſica nulli falſitati eſt obnoxia. Probatur minor, quia cum quis non poteſt diſſentire obiecto, eſt determinatus ad illud.

§. 39. Secundò, euidentia non diſtinguitur ab infallibilitate, ſed infallibilitas eſt certitudo, quia dicit incapacitatem actus ad falſitatem: ergo euidentia non diſtinguitur realiter à certitudine. Probatur minor, euidentia ſiue actus euidens, ſecundum ſe conſideratus ſecluſo quocumque alio modo, aut re eſt infallibilis: ergo euidentia non diſtinguitur ab infallibilitate. Probatur antecedens, quia euidentia excludit periculum errandi; quia illa ita proponit obiectum, vt nec poſſit intellectus diſſentire, nec obiectum aliter eſſe.

§. 40. Dico ſecundò. *Certitudo non diſtinguitur realiter, neque ex natura rei ab actu Fidei diuinæ.* Primò, quia actus ille ſecundum ſe conſideratus, ſecluſo alio modo eſt determinatus ad verum: ergo eſt certus ſine aliquo modo à ſe diſtincto: probatur antecedens, quia actus ille, ſecluſo quouis modo eſt tendentia in obiectum infallibiliter habens eſſe ſicut per illum cognoſcitur, ita vt ex modo tendendi in illum, neque ille actus, neque alius Fidei diuinæ poſſit eſſe falſus: quia tendit in reuelationem realiter exiſtentem: cui falſum ſubeſſe non poteſt: ergo ille actus ſecundum ſe eſt determinatus ad verum.

§. 41. Secundo, quia ille actus eſſentialiter eſt ſupernaturalis, ſed actus ſupernaturalis per ſe eſt certus, quia ſupernaturalitas per ſe excludit errandi periculum: ergo actus Fidei per ſe eſt certus. Dices, illum eſſe certum radicaliter. Contra: ergo illi radici per ſeipſam repugnat falſitas, & conuenit determinatio ad verum: quorſum ergo requiritur alius modus certitudinis ab ea diſtinctus? Præſertim cum videatur eſſe de eſſentia modi tollere indifferentiam rei ad aliud: actus autem Fidei non eſt indifferens ad veritatem & falſitatem: ergo non eget modo eum determinante ad veritatem.

§. 42. Dices tertiò. *Certitudo ratione diſtinguitur ab euidentia.* Primò, quia euidentia eſt quaſi ſpecies certitudinis: certitudo enim latiùs patet, quàm euidentia: duo enim actus alter Fidei diuinæ, metaphyſicus alter, ſunt ſimiles in ratione certitudinis, diſſimiles autem in euidentia: ergo. Secundo, quia euidentia videtur eſſe radix, ex qua tamquam ex principio inferimus certitudinem; ſicut ex admiratione riſibile. Item ſupernaturalitas ratione noſtra eſt origo certitudinis; ſunt enim veræ hæ cauſales: *quia actus eſt euidens, ideo eſt certus*; item, *quia actus eſt ſupernaturalis, ideo eſt certus.* Sed hæc ſunt parui momenti.

§. 43. Confirmari poſſunt hæc: quia certitudo eſt ordo actus ad principia à quibus repugnat oriri actum falſum. Sed hic ordo non diſtinguitur ab actu; quia per ſe petit illa principia in ſpecie, & repugnat oriri ab aliis indifferentibus ad actum falſum: vt conſtat de euidentia §. 5. item ex actu Fidei diuinæ, qui non poteſt oriri niſi ex principio ſupernaturali, ad quod eſt tranſcendentalis ordo. ergo.

Colligitur item; qua ratione poſſit actus eſſe certus & obſcurus: certus, quia per ſe oritur à principiis impotibus erroris; qualis eſt habitus fidei: obſcurus autem; quia ea principia vel non habent phyſicam oppoſitionem cum actu falſo, vt eam habent principia euidentia: vel non impediunt aſſenſum falſum oriri aliunde: quo aſſenſu perit fides; quod repugnat euidenti principio. in naturalibus omnis certitudo eſt euidentia: & obſcuritas eſt incertitudo. §. 44.

SECTIO VI.

Vtrum vnus actus ſit certior, & euidentior alio?

NOn eſt dubium euidentiam metaphyſicam ſimpliciter eſſe maiorem morali, & phyſica. §. 45.

Dico primo. *Vnus actus poteſt eſſe ſimpliciter euidentior alio.* Probatur, quia obiectum vnius actus poteſt eſſe magis neceſſarium, & ita proponi, quàm obiectum alterius: ergo vnus actus poteſt eſſe euidentior alio. Patet conſequentia, quia obiectum neceſſarius, ſi ſic proponitur, eſt aptius ad maiorem euidentiam actus: quis enim neget hoc principium, *quodlibet eſt, vel non eſt*, eſſe multo clarius, & infallibilius cognoſci, quam hoc *Angelus eſt ſubſtantia completa?* Ratio eſt, quia ſicut res materiales diuerſis luminibus affunduntur, quorum vnum eſt maius alio; ſic intellectus luces habet diuerſas, quarum vna eſt maior aliis. Confirmatur, quia ſequeretur quamlibet concluſionem metaphyſicam eſſe tam euidentem, quàm quodlibet principium metaphyſicum.

Probatur à priori concluſio: quia poteſt vnus actus eſſe ordo ad plura principia determinata ad aſſenſum quàm alius: ergo & clarior. Conſequentia patet ex §. 2. & 5. & conſtabit à §. 48. Antecedens probo: quia viſio beata oritur à lumine gloriæ, quod ſecundum ſe eſt determinatum ad aſſenſum: item & à concurſu obiectiuo, ſiue ſpeciei aut quaſi ſpeciei impreſſæ; quæ item eſt determinata ad aſſenſum. At euidentia naturalis ſolum oritur à principio vno determinato, nempe ſpecie impreſſa: intellectus autem ex ſe eſt indifferens ad aſſenſum & diſſenſum. §. 46.

Item in naturalibus eſt inæqualis euidentia; item & in ſupernaturalibus: quia cognitio euidens de Petro determinat ad plures aſſenſus quàm de ſolo homine. Principia enim quibus cognoſco hominem determinant ad aſſenſum hominis, ſed non Petri: at cognitio de Petro oritur à principiis determinantibus ad aſſenſum hominis, & Petri: euidentius ergo cognoſcitur homo. Item cognitio de ſolo Deo intuitiua, non determinat ad prædicatum volentis liberè; determinat autem alia cognitio orta ex diuerſo principio. Quo communiter differũt cognitio intuitiua & abſtractiua. §. 47.

Dico ſecundò. *Vnus actus eſt certior alio.* Primò ex dictis, quia certitudo ſequitur euidentiam in actibus naturalibus. Secundò, quia Fides diuina eſt certior quolibet actu metaphyſico; ergo. Probatur antecedens, quia certitudo eſt determinatio actus ad veritatem, ſed Fides habet maiorem determinationem ad veritatem: ergo & maiorem §. 48.

maiorem certitudinem. Probatur minor, quia Fides ex eo quod ſit à principio ſupernaturali, habet non poſſe decipi: repugnat enim habitui ſupernaturali ex ratione ſupernaturalitatis, eſſe principium erroris. Item ex obiecto formali habet Fides errandi incapacitatem, quia ratio formalis Fidei eſt diuina reuelatio realiter facta, cui reuelationi omnino repugnat eſſe cauſam falſitatis. Principium autem metaphyſicum tantum habet certitudinem ex ſuo obiecto formali; non verò ex principio actiuo, quia intellectus humanus, & Angelicus ſunt capaces erroris: ergo Fides habet maiorem determinationem ad veritatem, quàm naturale principium.

§. 49. Dices, nullam eſſe conſequentiam, quia actui Fidei non inſunt duæ certitudines, ſed vna profecta à duabus cauſis, ſicut vna veritas; at verò licet certitudo principij naturalis ſit ab vno tantùm principio, tanta erit, quanta Fidei.

§. 50. Reſpondeo, gradum certitudinis à ratione formali obiectiua eſſe ratione noſtra diſtinctum à gradu proueniente à ſupernaturalitate: quia relata Fides ad ſuum obiectum formale, concipitur vt determinata ad veritatem, quam determinationem haberet, ex hypotheſi, quod reſpiceret idem obiectum, ſine ſupernaturali principio: item cum refertur ad ſuum principium, ex illo accipit certitudinem, quam haberet, etiam ſi non eſſet de eo obiecto. Quod ſi certitudo realiter, aut ex natura rei diſtingueretur ab actu, illi duo gradus certitudinis eodem modo diſtinguerentur inter ſe, ergo quo ſunt plures rationes determinãtes actum ad veritatem, eo maior eſt certitudo. At de illius veritatę eſt longè diuerſa ratio, quia veritas formaliter non ſumitur niſi ex præciſa conformitate actus cum obiecto: vnde eadem eſt conformitas in omnibus actibus veris: ex motiuis autem, aut ex principiis actiuis formaliter non ſumitur veritas, ſed ex commenſuratione actus, & obiecti. Vide quæ dixi in Logica diſp. 11. ſect. 2.

§. 51. Dices ſecundo, principium naturale etiam oriri ex habitu metaphyſico. Reſpondeo, vel habitum metaphyſicum non diſtingui ab ſpecie impreſſa, quæ gerit vices obiecti: vel nullum habere phyſicum influxum in actus. Secundò & melius, actum naturalem non pendere ab habitu tamquam à principio neceſſario, quia quidquid potentia cum habitu poteſt, poteſt ſine illo. Vnde non poteſt habitus elicere actum certiorem, quam ſola potentia: alioquin ad illud eſſet habitus ſimpliciter neceſſarius.

§. 52. Dices tertio, principium metaphyſium oriri ab ſpecie impreſſa; quæ non poteſt eſſe principium errandi. Reſpondeo, ex illo capite habere actum metaphyſicum certitudinem: verum non diſtinctam ab ea, quam habet ab obiecto: quod mouet potentiam ad actum euidentem mediante ſpecie impreſſa. Itaque actus naturalis vt refertur ad potentiam in ratione potentiæ, non habet certitudinem, vt habet ab obiecto per ſpeciem. At actus Fidei vt refertur ad potentiam eſt certus, quia potentia completur habitu ſupernaturali cum quo non eſt expoſita errori, vt eſt intellectus ſecundum ſe inſpectus.

§. 53. Et hoc eſt quod ait S.Thom. 2. 2. quæſt. 4. art. 8. *Aſſenſum Fidei ſecundum ſe eſſe certiorem, non verò quoad nos.* Non quod intellectus non ſit metaphyſicè certior per Fidem; quam per principium naturale, ſed quia cum illa maior certitudo ſit obſcura, à nobis poteſt abiici, & poſſumus contrario obiecto aſſentire: & hoc eſt non eſſe magis certam Fidem quoad nos. Vnde retardatus eſt impetus Durandi in Thomiſtarum diſtinctionem inuadentis; quo Caietanus, & Capreolus videntur pene confracti. Vnde licet quiuis Catholicus teneatur exterius Fidem non diffiteri, licet mortem obeat: eſſet autem ſtultus, ſi tanto ſe exponeret periculo pro principij naturalis profeſſione, in quo genere noſtra Fides certior eſt (certitudine adhæſionis) quouis principio de re naturali: tamen hæc euidentia non facit actum certiorem certitudine adhæſionis, quantum ad actum internum, quia principio euidenti impoſſibile eſt hominem diſſentire, poſſe autem hominem diſſentire principiis Fidei teſtatur cum magno Eccleſiæ damno infinita hæreticorum multitudo, quotidie naufragium circa Fidem faciens.

§. 54. Itaque actus Fidei ſecundum ſe conſideratus eſt certior, redditque intellectum certiorem, quam quoduis principium naturale. quod dixit S.Thom. ly *certior ſecundum ſe*: at vero certitudine adhæſionis, ſiue ſubiecti quantum ad actum internum, certius eſt principium naturale, quam Fides: quia principio naturali non poſſumus diſſentire, poſſumus autem Fidei, quod dixit S. Thom. Fdem non eſſe certiorem quoad nos: quantum autem ad profeſſionem externam certior eſt Fides, etiam quoad nos, quia pro illa tenemur vitam profundere, non verò pro mathematico principio. Sic reſpondetur Durando S.Thom. inuadenti.

§. 55. Intellectus cum ſit indifferens ad iudicandum de obiectis, determinatur formaliter per iudicium; at verò certitudo eſt determinatio ipſius iudicij ad veritatem, quæ determinatio, quia eſt idem realiter cum iudicio, denominat intellectum certum, ſicut iudicium iudicantem: quia verò ratione diſtinguitur à iudicio, ratione noſtra denominat immediatè ipſum iudicium certum, ſicut veritas verum; intellectus autem dicitur certo iudicans, ſicut dicitur verè, aut falſo iudicans.

DISPVTATIO IX.

De veritate, & falſitate intellectus.

NOn agimus de veritate tranſcendentali, de qua in metaphyſica agemus, diſp. 7. ſed de conformitate actus intellectus cum obiecto.

SECTIO I.

Vtrum veritas ſit formaliter in actu intellectus?

§. 1. VEritas conſiſtit in confirmitate actus cum obiecto, ideſt, vt obiectum ſit ſicut cognoſcitur. Inquirimus vtrum veritas ſit in ipſo obiecto? an verò in actu? Durandus, & Hærueus, quos refert & ſequitur P.Vazquez tom.1.1.part.diſp.76. cap.1. affirmant, veritatem formaliter non conſiſtere in actu intellectus: ſed in conceptu obiectiuo, in quantum obiectiuo, dum eſt conformis ſibi ipſi à parte rei. Probant primò, quia actus intellectus non eſt verus, quia comparatur ad ſuum intellectum: ſed quia comparatur ad obiectum. Secundò, quia voces non ſunt falſæ quia comparantur ad actus intellectus: ſed quia comparantur ad ipſarum obiecta vt obiecta.

§. 2. Pater Suarez diſputat. 8. metaphyſicæ ſect. 1. cum communiore opinione, probat veritatem formaliter

formaliter conſiſtere in conformitate actus cum obiecto ſecundum ſe. Probatur apertè, quia veritas in dicendo non conſiſtit formaliter in rebus, ſed in dictione: ergo conſiſtit in actu intelligendi formaliter: patet conſequentia, quia non eſt aliud in quo conſiſtat: obiectum enim vt obiectum dicit duo, & id quod cognoſcitur, & rationem formalem per quam cognoſcitur: ita vt eſſe obiectiuè nihil ſit præter extrinſecam denominationem ab actu cognoſcendi, vt probaui diſput. 1. logicæ ſect. 5. Igitur quod ait Pat. Vazquez veritatem eſſe conformationem conceptus obiectiui vt obiectiui cum ipſo vt eſt à parte rei, idem eſt ac dicere veritatem conſiſtere in actu intelligendi, qui eſt ratio formalis conſtituens obiectum in eſſe talis.

§. 3. Vnde rectè dixit Ariſtotel. *ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa*, ideſt, quia propoſitio conformatur cum ipſa re. Pono actum exprimentem obiectum vt eſt à parte rei: hic actus eſt conformis ſuo obiecto: ergo comparatus obiecto eſt verus: quia dicit rem ſicuti eſt. Item per te veritas eſt illa conformatio in eſſe obiectiuo cum eſſe reali: veritas actus erit eius conformatio cum eſſe reali: eruntque duæ veritates; altera eſſe obiectiui: altera ipſius actus. Eſt autem abs re illud eſſe obiectiuũ: etenim hæc præcisè reperiuntur, obiectum terminans actum; ſpecies impreſſa actum efficiens; & conſtituens obiectum in eſſe obiectiuo virtuali, ſeu in actu primo: actus effectus ab ſpecie, terminatus ad obiectum, & illud formaliter conſtituens in eſſe obiectiuo. Veritas in actu primo eſt in ſpecie: in actu autem, in actu ſecundo, & formaliter.

§. 4. Ad primum reſpondeo, veritatem eſſe conformitatem actus cum re ſecundum ſe, non vero in eſſe obiectiuo formaliter: quia eſſet idem ac dicere, veritatem eſſe conformitatem actus ad ſeipſum, quia eſſe obiectiuum formaliter eſt ipſe actus. Ad ſecundum reſpondeo, voces metaphorice eſſe falſas, quia relatæ ad ſuum obiectum ſecundum ſe, illud non præſentant ſicut eſt.

SECTIO II.

Vtrum in ſimplici apprehenſione ſit veritas?

§. 5. VEritatem eſſe in aſſenſu, & diſſenſu, non ambigitur: quæſtio eſt vtrum reperiatur in apprehenſione? P. Vazquez 1. part. tom. 1. diſp. 75. dicit quæſtionem eſſe de nomine magna ex parte. In apprehenſione (vt dixi diſput. 7. ſect. 2.) reperitur actus repræſentans ſolum ſubiectum, alius ſolum prædicatum, tertius totam propoſitionem.

§. 6. Dico primò. *In apprehenſione ſubiecti, vel prædicati ſolius nulla poteſt eſſe falſitas.* Eſt omnium præſertim Ariſtot. adducti à P. Vazquez cap. 3. Probatur, quia actus ille repræſentat aliquid, hominem, v.g. aut animal; aut ergo repræſentat rationem hominis, vel animalis, aut non? Si primum, ergo conformatur cum obiecto: ſi ſecundum, ergo non apprehendit hominem, ſed aliud obiectum, reſpectu cuius non erit falſus. Dices, quando quis vult apprehendere aurum, ſi apprehendat auricalchum, ille actus erit falſus? Id nego; quia actus ille verè repræſentat auricalchum: me autem voluiſſe apprehendere aurum, non reddit illũ actum falſum: ſed tantum efficitur me non aſſequutum quod volueram.

§. 7. Dico ſecundò. *In huiuſmodi actu reperitur veritas incomplexa, ideſt, quadam conformitas, & imago exprimens quod eſt in obiecto; quod idem dico de ſenſione.* Eſt expreſſa Ariſt. pluribus in locis, quos adducit Pat. Vazquez cap. 1. (licet eos interpretetur cap. 2.) & S. Thom. 1. p. q. 16. art. 2. Ferr. & aliorum, quos illo cap. 1. adducit: & P. Suarez diſp. 8. metaph. ſect. 4. à num. 4. & præcedentem concluſionem docet diſput. 9. ſect. 1. à num. 14. Ratio eſt, quia veritas eſt conformatio actus cum obiecto: ſed ſimplex apprehenſio habet conformitatem cum obiecto: ergo & veritatem. Probatur minor, quia actus ille exprimit obiectum ſicuti eſt, & tale eſt, quale repræſentatur. Quando verò Ariſtot. & S. Thom. negant apprehenſioni ſimplicium veritatem, intellige de veritate complexa: qua per compoſitionem, vel diuiſionem vnum de alio affirmamus vel negamus. Quod do Patri Vazquez.

Dico tertiò. *In apprehenſione totius propoſitionis reperitur falſitas incomplexa*, verbi gratia apprehendit homo *Petrum eſſe lapidem*, ille actus eſt difformis obiecto: ergo falſus. Conſequentia patet, tum à definitione falſitatis, tum quia actus verus eſt, quia eſt conformis obiecto: ergo falſus erit, quia difformis. Probatur antecedens, quia Petrus nullam habet identitatem cum lapide, & ille actus apprehendit Petrum habere talem identitatem, ſed hoc eſt actum eſſe deformem obiecto, quia iudicium ea ratione eſt deforme, quia iudicat rem eſſe, quod non eſt. Item obiectum non eſt ſicut per illam apprehenſionem repræſentatur. repræſentatur enim vt idem cum lapide, cum non ſit: ergo actus ille eſt deformis obiecto. §. 8.

Dices, ab Ariſt. & omnibus negari falſitatem ſimplici apprehenſioni. Reſpondeo, Ariſtot. loqui de ſimplicium apprehenſione, ideſt, ſubiecti, vel prædicati. Secundò loqui de falſitate, in qua conſiſtit deceptio: dicit enim Ariſt. non tam decipi hominem per apprehenſionem, quàm obiectum ignorare, ſiue illud non tangere: nam vt dixi diſput. 1. Logicæ, ſect. 2. & ſect. 6. non poſſumus dici aliquid ſcire, dum illud non affirmamus, vel negamus. Ita non decipimur niſi dum affirmamus quod non eſt, aut quod eſt, negamus. §. 9.

Dico vltimò. *Simpliciter non eſt veritas, aut falſitas niſi in iudicio.* Quia (vt rectè Pat. Vazquez ſupra) communior vſus huius vocis eſt pro veritate complexa. In ſpecie impreſſa productiua iudicij reperitur veritas, aut falſitas, non formaliter, ſed virtualiter, quia illa non eſt formalis, ſed virtualis, repræſentatio obiecti. Speciei autem tribuitur virtualis hæc veritas, & non intellectui, quia licet vterque virtute contineat intellectionem, tamen veritas tribuitur repræſentationi: ſpecies autem vocatur repræſentatio obiecti, tum quia loco illius ſubrogatur, tum quia illud facit præſens intentionaliter in actu proximo. Adde intellectum ex ſe eſſe indifferentem ad veritatem & falſitatem; ſpecies autem determinatas interdum. §. 10.

SECTIO III.

Vtrum veritas diſtinguatur ab actu vero?

SVBSECTIO I.

Duæ ſententiæ impugnatæ.

PAter Vazquez ſupra cap. 2. affirmat, veritatem eſſe relationem rationis. Sed immeritò, quia (vt §. 11.

(vt probaui diſp.1. Logicæ ſect.3.)relatio rationis, & quoduis ens rationis habet eſſe per fictionem intellectus, vel ſaltem cum actuali dependentia ab illius cognitione:ſed actus intellectus eſt verus ſine vlla fictione & dependentia ab alio actu: ergo veritas non eſt ens rationis. Confirmatur, veritas eſt perfectio intellectus: quapropter repugnat Deo actus non verus, ſed relatio rationis, nec denominatio extrinſeca (quam Pat. Vazq. vocat ens rationis) nõ ſunt perfectiones intellectus, ergo. Confirmatur ſecundò, quia actus diuini ab æterno ſunt veri, & ab æterno nulla fuit denominatio extrinſeca aut ens rationis: quia denominationes extrinſecæ Dei debent eſſe intrinſecæ creaturis:ergo veritas non eſt ens rationis. Quam relationem veritas includit, dicam ſtatim. Pat. autem Vazquez per relationem rationis ſæpe intelligit non actualem fictionem, aut dependentiam ab intellectu, ſed fundamentum illius (vt ex ipſo oſtendam diſputatione 16.metaphyſi.) at nunc oportet explicare quodnam ſit hoc fundamentum?

Alij adducti à Pat. Suarez 1. metaphyſi. diſputatione 8. ſect.2. aiunt veritatem eſſe relationem prædicamentalem: tum, quia veritas dicit reſpectum ad obiectum, & non rationis: ergo realem: tum quia veritas habet proprietates relationis prędicamentalis; quia mutato vno extremo mutatur relatio: ſic autem vnus actus mutato obiecto mutatur de vero in falſum.Huc recentes currunt.

§. 12. Non placet: primò, quia Deus habet actus veros ſine relatione prædicamẽtali per ſolam conformationem illorum cum obiecto: ergo & noſtri actus erunt veri per ſolam conformationem ſine relatione prædicamentali. Secundo, quia relatio prædicamentalis fundatur in extremis habentibus illam rationem, ſub qua referuntur: vt ſuppono ex diſp.15.metaphyſi. & patet, quia relatio Patris, & Filij ſupponit iam Patrem, & Filium in ratione generantis, & geniti, & relatio ſimilitudinis albi ſupponit vtrumque extremum album: ergo relatio veri ſupponit iam ipſum actum verum, alioquin non poſſet illud referre ſub ratione veri.

§. 13. Dices, ſupponi quidem actum conformem obiecto. Contra primò, ergo ſupponit actum verum, quia veritas eſt conformitas actus cum obiecto. Contra ſecundò: ergo tantum illa relatio eſt relatio actus ad obiectum, in ratione conformis: ſi ergo conformitas formaliter non eſt veritas: ergo non refert illum in ratione veri: neque item illa relatio poteſt illum conſtituere verum formaliter, quia relatio ſimilis in albedine non facit formaliter album: ergo illa relatio non pertinet ad formalem veritatem, quia non conſtituit ſed ſupponit actum conformem obiecto.

§. 14. Tertiò probatur: quia relatio prædicamentalis ſupponit neceſſario duo extrema realiter exiſtẽtia: alterum fundamentum ſiue ſubiectũ: alterum terminum; vt pono ex diſp.16. metaph. ſed actus verus ſæpe non terminatur ad terminum realiter exiſtentem: immo nec poſſibilem: ergo veritas non conſiſtit in relatione. Minor eſt certa: quia ſæpe actus veri ſunt de obiecto impoſſibili. Dices duas virgas eſſe ſimiles per relationem prædicamentalem. Contra, quia illa virgarum ſimilitudo, habet omnia neceſſaria vt ſit: ſecus actus verus; cuius veritatis terminus ſępe nec exiſtit nec poteſt. Quo etiam impugnantur qui aiunt, cognitionem tendere in obiectum, illudque denominare per relationem prædicamentalem quia cognitio ſæpe denominat terminum non exiſtentem actu aut potentia: ergo non habet eam relationem ad illud.

Ad primum reſpondeo, actum verum conſtitui per tranſcendentalem relationem. Ad ſecundum patebit in ſect.4. non poſſe mutari actum de vero in falſum; & licet hoc admitteretur, adhuc nihil concluderet, quia rectè poſſet mutari etiam ſi eſſet modus abſolutus, vel extrinſeca denominatio: nec enim ex mutatione rei infertur neceſſariò prædicamentalis relatio. §. 15.

Aduerte duas eſſe opiniones de relatione prædicamentali: altera negat illam eſſe modum ex rei natura ab vtroque extremo diſtinctum; altera id affirmat. Hæc ſecunda opinio nequaquam locum habet in hac ſententia: quia relationis ille modus ſupponit vtrumque extremum cõſtitutum in ea ratione ſub qua illud refert, vt dixi §.12.& 13. nempe ſimilitudo in albedine, ſupponit vtrumq; extremum album: item relatio cauſæ ſupponit iam cauſam & effectũ. ergo relatio conformitatis iam ſupponeret actum conformẽ obiecto; ac propterea eſſet verus actus ante relationem veritatis, vt ſunt duo alba ante relationẽ ſimilitudinis. ego verò in ea conformitate antecedenti conſtituo veritatem, vt conſtituo album; item cauſam & effectum. Præterea iſte modus non poteſt habere fundamentum in extremo vtroque:quia ſæpe obiectũ non exiſtit; ſæpe nec exiſtere poteſt.hæc autem relatio eſſet mutua: quia veritas eſt actum habere intentionaliter quod obiectum habet realiter, & è contra. eſt enim quædam ſimilitudo. Deinde nec ex parte actus poteſt eſſe relatio; quia hæc eſt ad aliud; at ſæpe non eſt, tum quia eſt actus verus de chymæra, quæ non eſt aliud: tum quia actus cognoſcit ſeipſum ſaltem confuſè. §. 16.

Nec item poteſt hæc opinio cõponi cum conſtituente relationem in vtroque extremo formaliter: quia omnis relatio prædicamentalis vt eſt relatio, eſt ens reale; quia prædicamentum relationis eſt diuiſio entis realis. Sed cum obiecto impoſſibili non poteſt eſſe hoc relationis genus: ergo. Minor probatur: quia ſæpe obiectum eſt impoſſibile; ſæpe eſt negatio, aut priuatio: at vtrumque extremũ conflat in hac ſententia relationem; ergo vtrumq; extremum debet eſſe reale. Hæc faciũt quæ contra quartam opinionem diſſeram ſubſectione tertia. §. 17.

Tandem relatio veritatis deberet eſſe ſimilitudinis; quia actus verus talis eſt intẽtionaliter quale realiter obiectum. Sed hæc non eſt ſimilitudo prædicamentalis: ergo nec relatio. Probo minorẽ: quia prædicamentalis relatio ſimilitudinis fundatur in vnitate: *ſimilia* enim *ſunt quorum qualitas eſt vna.* Sed actus & obiectum non habent vnitatem realiter, ſed metaphoricè quia à parte rei ſunt ſimpliciter diſſimilia; ergo. §. 18.

SVBSECTIO II.

Tertia opinio de connotatis.

SÆpe memini opinionis, quę relationem prædicamentalẽ conſtituit adæquatè in fundamẽto, eamq; exiſtere quoad entitatem termino non exiſtente; non tamen quoad denominationẽ niſi terminus exiſtat: quo exiſtente albedo, quæ prius denominabat ſubiectũ albũ, illud denominat ſimile. Quę denominatio nihil addit albedini; ſed orta eſt ab exiſtẽtia termini ita tamẽ vt terminus nõ ſit de cõceptu illius: quia tota cõſiſtit in albedine fundamenti. Ita dicunt: veritatem actus non diſtingui ab eius eſſentia; illámque exiſtere in ratione entitatis quãdo obiectũ non eſt vt per actũ dicitur; quando autẽ obiectũ eſt, iã exiſtit quoad denominationẽ. §. 19.

Hæc

§.20. Hæc omnino diſplicet opinio: quia præter cõmunem difficultatem iis connotatis, quam ab abſurdis ſum inſequutus, inſequuturus à priori diſp. 6. Met. impugnatur in præſenti. Primùm: quia non diſtinguit veritatem à falſitate; quod tam abſurdum eſt ac non diſtinguere bonitatem à malitia, & vniuerſim non diſtinguere oppoſita. Veritas enim & falſitas ſumitur in ordine ad obiectum; cui oppoſita neceſſariò prædicata conueniunt ab actu vero; & falſo. Id ſequi probatur: quia eadem entitas actus poſito obiecto eſt veritas: & ablato eſt falſitas.e.g. Dico ergo *Petrus currit*, eo currente actus eſt verus ſola ſua entitate ſine aliquo modo intrinſecè adiecto; & quin Petri curſus ſpectet ad eius veritatem etiam partialiter. Si Petrus tunc non curreret, idem actus eſſet falſus ſua ſola entitate: vt illa ſola verus fuit. ergo in actu vno comparato eidem obiecto non diſtinguitur veritas à falſitate. Nec actus perfectio eſt veritas magis quàm falſitas. Quod eſſe abſurdum probabo §.33.

§.21. Obiicies id non eſſe mirum. tum quia in ſententia P.Suarez referenda ſubſect. 3. eſt eadem ratio: idem enim actus mutari poteſt è vero in falſum; tum quia in ſimilitudine idem cernitur; eadem enim albedo comparata albedini eſt ſimilitudo, comparata nigredini eſt diſſimilitudo. Ita actus, *Petrus currit*, comparatus curſui eſt verus, comparatus carentiæ curſus, eſt falſus. Hic autem debet obiici aliquid ſpeciale ob quod repugnet veritatem conſiſtere in hac connotatione.

§.22. Reſpondeo abſimilem eſſe rationem; nam in ſententia P.Suarez obiectum eſt pars veritatis, & falſitatis. Vnde mutato obiecto mutatur actus è vero in falſum; quia mutata parte formæ mutatur effectus formalis. actus autem eſt verus partim ſua entitate, partim obiecto ipſo: hoc autem mutatò non eſt veritas. Secunda ratio nec eſt efficax; tum quia abſurditas ſententiæ in relatione clarius apparet in veritate & falſitate; vt idem probaui ſæpius ab aliis exemplis: tum quia veritas & falſitas poſſet admitti comparatione diuerſorum obiectorum, *vt Petrus currit, & loquitur.* Poſſet eſſe actus verus comparatus curſui, & falſus comparatus loquutioni; vt albedo albedini comparata eſt ſimilitudo; diſſimilitudo autem comparata nigredini. At *Petrus currit* in ſua entitate connotat ſolum curſum Petri, & non carentiam curſus. ergo non eſt eadem ratio. Item albedo comparata carentiæ albedinis non eſt diſſimilitudo; quia non fundatur in multis qualitatibus, ſed eſt diſſimilitudo comparata nigredini. ergo eadem ratione actus non erit verus & falſus comparatus obiecto & eius carentiæ, ſed comparatus diuerſis obiectis. Erit autem non verus; ſicut albedo eſt non ſimilitudo: eritque medium inter verum & falſum, vt inter ſimile & diſſimile vide tamen §.26.

§.23. Secundò impugnatur: quia eadem ratione poſſemus dicere actum vitalem eſſe per ſuam entitatem vitalem; poſſeque ex natura ſua produci adæquatè ab extrinſeco principio: tunc autem erit vitalis quoad entitatem, & tranſiens quoad denominationem; item cum connotat pro principio cauſam intrinſecam, tunc eum eſſe tranſeuntem quoad entitatem; & immanentem quoad denominationem & alia abſurda ſimilia. Tandem in relatione prædicamentali id poſſet omitti; non verò in tranſcendentali.

SVBSECTIO III.

Quarta opinio de extrinſeca denominatione.

QVarta ſententia veritatem actus compingit ex repræſentatione & eſſentia actus; item & ex obiecto exiſtente vt per actum dicitur. v. g. dico ego *Petrus currit.* Hic actus ſua eſſentia repræſentat curſum Petri: ſed ſua eſſentia non habet connexionem cum Petro currente: quia idem numero actus potuit produci Petro non currente. Veritas eius actus eſt repræſentatio curſus Petrenſis; & ipſe curſus. Quod explicari poteſt vt à me explicatur prædicamentalis relatio. Similitudo enim eſt vtraque albedo exiſtens: albedo Petri ſe ſola non eſt ſimilitudo; nec neceſſariam habet connexionem cum albedine Pauli: hac autem exiſtente exiſtit vtriuſq; ſimilitudo; quæ æquè componitur ex albedine intrinſeca Petro ac ex albedine extrinſeca ipſi Petro; intrinſeca verò Paulo. Vtraque enim eſt pars eſſentialis ſimilitudini; quæ eſt denominatio partim intrinſeca, extrinſeca partim. §.24.

Hæc ſententia recentibus arridet: quibus præiuit P.Suar.diſp.8. Met.ſect.2.nu.9. Quam probant primùm; quia idem numero actus poteſt ſucceſſiuè eſſe verus & falſus per ſolam mutationem obiecti: ergo in actu ſimul & obiecto eſt veritas: ſecundò, quia licet idem actus non potuerit ſucceſſiuè mutare veritatem, potuit tamen eſſe verus & falſus; fuitque in primo inſtanti indifferens ad veritatem & falſitatem; ſed id contigit per ſolam mutationem obiecti. ergo. §.25.

Hæc duo argumenta facilè ſoluuntur. Ad primum reſpondetur eo probari veritatem non eſſe eſſentialem actui; at non probat eam intrinſecè componi ex actu & obiecto. Vnde recurri poteſt ad aliquam opinionem ex impugnatis; eſt autem miſerum probandi genus, ab impugnatione cæterorum. Ego reſponderem veritatem (ex ſuppoſitione quod non ſit eſſentialis actui) eſſe in rebus creatis modum quemdam ſimilitudinis intentionalis; non ſpectantem ad prædicamentum relationis: quia ibi ponitur ſimilitudo phyſica, quæ eſt mutua; ſed ſimilitudo quædam intentionalis erit; quæ non eſt mutua. Conſidero enim tunc actum *Petrus currit:* hic repræſentat curſum Petri, cuius eſt intẽtionalis ſimilitudo, & repræſentatio; vt autem ſit verus, non eget niſi vt determinetur ad exiſtentiã Petri; ita vt habeat intrinſecum reſpectum ad Petrum vt exiſtentem. Hunc reſpectum dico eſſe quemdam modũ intrinſecũ actui; qui habet pro ſubiecto ipſum actum; pro termino autem extrinſeco, à quo eſſentialiter pendeat, habet exiſtentiam Petri; quemadmodum in ſententia Thomiſtarum; relatio prædicamentalis ſimilitudinis eſt modus pendens eſſentialiter ab extrinſeco termino etiam diſtante. At verò ablata exiſtentia obiecti perit ille modus, & pro illo ſubrogatur alius diſſimilitudinis intentionalis qui eſſentialiter pendet à carentia exiſtentiæ Petri vt ablata albedine, & non poſita alia qualitate (vt diuinitus poteſt) oritur alius modus (in eadem ſententia Thomiſtarum) qui eſt non ſimilitudo; quæ eſſentialiter pendet à carentia albedinis in termino extrinſeco. Qui modus non eſt abſolutè diſſimilitudo: quia hæc eſt in qualitate vtriuſque extremi; quam vocare poſſumus diſſimilitudinem poſitiuam; quæ verò terminatur ad carentiam qualitatis vocari poteſt diſſimilitudo priuatiua. Hæc autem ſufficit ad falſitatem. Difficultates autem contra hunc modum ſoluentur §.26.

commodius

commodius à §.41.vbi agetur de propria mea opinione. Hinc patet, ex mutatione obiecti oriri mutationem intrinſecam modorum: vnde falſum eſt antecedens argumenti primi: & minor ſecundi.

§.27. Tertiò arguunt. Actus verus dicit actum eſſe ſicut eſt obiectum: & obiectum ſicut eſt actus,te præſentatio in actu,quæ eſt imago obiecti ſe tenet ex parte ipſius actus:obiectum autem eſſe ſicut per illā repræſentatur, ſe tenet ex parte ipſius obiecti: ſed ita concipimus totum conceptum obiectiuum actus vt veri: ergo in ſolis illis duobus eſt veritas. Hoc argumento hallucinantur recentes,apprehendunt veritatem vt realem ſimilitudinem; in quo decipiuntur apertè, quia realis ſimilitudo eſt mutua: Petrus enim albus ſimilis eſt Ioanni albo: & hic illi: At obiectum non eſt ſimile intentionaliter actui; ſed ſolus actus obiecto: ac propterea ſolus actus eſt verus. Quod ſi veritas includeret formaliter obiectū: hoc eſſet tam verum quàm actus. Cum ergo ſolus actus ſit verus, in illo ſolo eſt veritas.

§.28. Ad argumentum dico, actum eſſe verum ſolum conſiſtere quod ſit ſicut obiectum, quia eſt intentionalis repræſentatio illius: obiectum autem eſſe vt eſt actus,exigitur vt terminus extrinſecus totius veritatis idemtificatæ cum actu, vel illum afficiencientis intrinſecè: vt in ſententia Thomiſtarum, relatio exiſtens in fundamento petit vt terminus ſit quale eſt fundamentum: terminus autem non eſt relationis pars, ſed illa connotatur. Quid ergo afferunt? cætera argumenta ſoluentur à §.39.

§.29. Impugnatur à priori ea ſententia: veritas eſt intrinſeca ipſi actui: ergo non includit obiectum. Probo antecedens: veritas eſt conformitas imaginis cum obiecto: ergo eſt intrinſeca actui qui eſt imago. antecedens eſt certum vel ex ipſis aduerſariis;conſequentiam probo: quia conformitas imaginis eſt proprietas ipſius imaginis.

§.30. Reſpondent repræſentationem & imaginem eſſe intrinſecam actui: conformitatem autem eſſe in parte extrinſecam; vt conſtat in effigie ſancti Petri; quæ per ſe eſt illius imago: at eſt illi conformis non per ſe ſolum,ſed partim per obiecta: ſi enim Petrus talis eſt qualis imago; hæc eſt vera. miror homines acutos hoc vſos exemplo. Effigies eſt imago Petri per prædicamentalem ſimilitudinem; quæ vel in parte terminum includit, vel ab illo pendet vt à connotato; vel eſt modus petens in imagine & obiecto vnam qualitatem. effigies enim non eſt imago niſi accidentium Petri: quia in tabula ſunt colores ſimiles, ſimilis figura, magnitudo & alia: vt duo homines ſunt interdum ſimiles.Eſt autem imago Petri,& non Petrus imago tabulæ: quia imago vltra ſimilitudinem addit productionem vt repræſentet. vnde inter duos homines ſimiles, quorum neuter eſt cauſa alterius, reperitur ſimilitudo abſque imagine: quia verò tabulam pingimus, vt per colores & figuram ſimiles cognoſcamus Petrum; ideo tabula eſt imago Petri.

§.31. Itaque hoc genus imaginis in ratione imaginis cōponitur ex tabula & obiecto, ac propterea eius conformitas eſt partim in tabula, partim in obiecto; vt volunt aduerſarij. Reperitur ergo ibi conformitas intrinſeca in imagine,tā intrinſeca quàm ratio imaginis. licet enim imago & conformitas ſit in parte extrinſeca tabulę,& Petro;at tota ratio imaginis nō eſt extra vtrumque: ſed vterque ſimul ſumptus eſt imago:cui imagini intrinſeca eſt conformitas. ergo imagini formaliter eſt intrinſeca conformitas: quod propoſui §.29.

At intellectio non eſt imago per ſimilitudinem prædicamentalem; quæ per te conflatur ex termino & fundamento: (alioquin nihil efficeret contra me) ſed eſt imago per ſuam eſſentiam; ita vt illi ſit intrinſeca tota ratio imaginis.Adeo vt comprehenſa intellectione, neceſſariò ex vi illius præciſè, formetur conceptus de eius obiecto.Angelus enim cognoſcens meam viſionem fertur in colorem ex vi illius: quia eſt intrinſecè illius imago. At qui concipit ſimulacrum,non poteſt ex vi illius præciſè cognoſcere prototypū, niſi aliunde illum nouerit. Tunc ſic: ratio conformitatis eſt intrinſeca imagini; ita vt toti rationi imaginis non ſit conformitas denominatio extrinſeca ſed intrinſeca (vt dixi §.31.) ſed tota ratio imaginis eſt intrinſeca actui, & non includit obiectum, vt eſt per ſe notum; ergo tota conformitas eſt intrinſeca actui,& non includit obiectum. vides ex ipſo argumento aduerſariorū apertè concludi nō poſſe conformitatem non eſſe intrinſecam toti conceptui imaginis? §.32.

Argumentor ſecūdò:veritas eſt perfectio actus; falſitas imperfectio: ſed contingeret veritatem non eſſe perfectionem actus; immò eius falſitatem eſſe perfectiorem eiuſdem veritate; ergo veritas eſt actui intrinſeca. Conſequentia patet: quia denominatio extrinſeca non eſt perfectio eius cuius eſt extrinſeca. Minor patet:quia manente actu ſine vlla mutatione intrinſeca potuit eſſe falſus. Pone hunc actum *Petrus non currit.* hic currente Petro eſt falſus; non currente verus: ita vt eius falſitas componatur intrinſecè ex actu & Petro currente: Veritas autem componitur ex actu & Petro non currente: ſed aggregatio ex actu & Petro currente, perfectior eſt aggregatione ex eodem actu & Petro non currente; vt ex terminis cernitur; ergo falſitas vnius actus eſt maior perfectio quàm eiuſdem veritas.Veritatem eſſe perfectionem actus inde patet: tum quia falſitas Deo repugnat; & eſt veritas neceſſaria: tum quia natura inclinat intellectum in veritatem,& à falſitate retardat: tum quia non poſſumus alios decipere propter malitiam phyſicam actus falſi; & quemadmodum Deo & nobis non appingit imperfectionem denominatio extrinſeca ab aliis rebus; vt ſimilitudo,& dominium; nec imperfectionem afferret falſitas magis quàm veritas; nec hæc perfectionem: poſſétque fides eſſe falſa. §.33.

Tertium argumentum: quia ſi veritas includit actum & obiectum, vt includit ſimilitudo fundamentum & terminum; ſequeretur obiectū eſſe tam verum quàm actum:hoc autem eſt abſurdum: ergo. de minori nec ipſi dubitant, obiectum enim non habet veritatē intentionalem,ſed ſolus actus. Maior probatur, tum ipſo ſimilitudinis exemplo; vtrumque enim extremū eſt ſimile alteri:tum quia quādo prædicatum ſumitur æquè primo à duobus extremis extrinſecis,tunc vtrumq; accipit denominationem illam:quia vtrumque eſt æquè primò & in recto de eius eſſentia. Sic in relatione Patris & Filij: Pater dicit in recto generantem & in obliquo genitum: econtra Filius dicit in recto genitum & generantem in recto. Petrus eſt ſimilis Paulo; & Paulus Petro. ergo ſicut actus ſua veritate dicit in recto ſuam entitatem & in obliquo obiectū, ita obiectum ſua veritate dicit ſe in recto & actum in obliquo. Et vt actus eſt verus ab eo quod res eſt vel non eſt: ita obiectum erit verum ab eo quod actus eſt vel nō eſt. obiectum non dicetur imago; quia non eſt factum vt per illud cognoſcatur cognitio; vt Petrus eam ob cauſam non §.34.

eſt imago ſuæ imaginis: at Petrus eiúſque imago ſunt ſimiles, & eius veritas imaginis conflatur ex ea ſimilitudine; ita & obiectum eſt tam ſimile & verum intentionaliter quàm actus ipſe. Concludamus ergo ex S.Thom. 1.p.quæſt.10. & aliis Theologis veritatem eſſe formaliter in intellectu; in obiecto autem extrinſecè, & non intrinſecè etiã partialiter: quia tam intrinſeca eſſet in illo quàm in intellectu. P.Suar. multum inclinat in opinionem de connotatis propoſitam §.19. vt in conſtituenda relatione in ea connotatione.

§.35. Quartum argumentum: quia ſi veritas conſiſtit formaliter tum in actu, tum in obiecto: ergo ſi obiectum eſt ens rationis, veritas includet formaliter ens rationis: ſi verò obiectum ſit infinitum, noſtra veritas inadæquatè erit infinita: quod ſi obiectum ſit Petrus, veritas ſcientiæ Dei erit partialiter Petrus; hæc autem ex ſe apparent abſurda: ergo. Probatur maior ex te, aſſerente, veritatem formaliter eſſe actum & obiectum.

SVBSECTIO IV.

Concluſiones.

§.36. DIco primò. *Veritas formaliter ex natura rei eſt idem cũ actu intellectus.* Probatur primo, quia hic actus, verbi gratia. *Petrus eſt homo*, per ſuam eſſentiam eſt repræſentatio Petri ſicuti eſt; Petrus enim eſt homo, & ita repræſentatur: ergo ille actus per ſuammet eſſentiam eſt cõformis obiecto: quia conformitas conſiſtit in repræſentatione obiecti ſicuti eſt: ergo per ſuam eſſentiam eſt formaliter verus, quia veritas formaliter conſiſtit in conformatione actus cum obiecto.

§.37. Confirmatur, actus ille per ſuam eſſentiam ſolam, exprimit intellectui idemtitatem hominis & Petri: ergo per ſuam eſſentiam ſolam eſt ſimilitudo intentionalis Petri: ergo per ſuam eſſentiam ſolam eſt verus: quia actum eſſe verum nihil eſt aliud, quam adſimilari intẽtionaliter obiecto: actus enim qui adſimilatur intentionaliter obiecto, eſt quædam imago intellectui proponens obiectum ſicuti eſt, vt Cæſaris ſimulacrum dicitur vera illius effigies, quia habet delineationes quaſi oculis Cæſarem proponentes: cum diſcrimine tamen propoſito §.30.

§.38. Secundò, quia actus per ſuam eſſentiam aſſimilatur obiecto, vel non: ſi primum, ergo per eam formaliter eſt verus: ſi ſecundum, ergo per ſuam eſſentiam eſt formaliter falſus, vt hic *Petrus eſt lapis:* quia per ſuam eſſentiam aberrat ab obiecto. Confirmatur, actus in ratione veri, aut falſi non dicit maiorem dependentiam ab obiecto, quam in ratione repræſentationis; ſed in ratione repræſentationis conſtituitur per ſolam ſuam eſſentiam intrinſecè, connotando obiectum vt terminum extra ſe, adæquatéque diſtinctum: ergo etiam in ratione veri, aut falſi.

§.39. Quia vero concluſionem hanc vehementer recentes impugnant; eam libet longius probare. Ac primum ſcientia Dei ſe ipſa eſt vera, abſque aliqua ratione intrinſecè, aut extrinſecè adiecta: quia ſcientia Dei exprimit obiectum vt eſt: quidquid enim eſt phyſicè in obiecto, eſt eadem penitus ratione intentionaliter in Deo. Adeo vt Beati, & Deus ipſe cognoſcendo ſcientiam Dei cognoſcant illius obiectum, non minus quàm cognoſcendo decretum, aut omnipotentiam.

§.40. Deinde Beati cognoſcunt Deum; ita vt illum repræſentent ſicut eſt; adeo vt ſcientia infuſa terminata ad viſionem, cognoſcat in illa euidenter myſterium trinitatis; ſaltem euidentia extrinſeca, & velut in atteſtante. Item qui comprehenderet actum Fidei infuſæ, cognoſceret in illo exiſtentiam reuelationis, & myſterium reuelatum: non aliam ob cauſam, niſi quia actus Fidei eſt ſe ipſo conformitas cum obiecto: quia in ſe habet intentionaliter quod obiectũ habet in ſe phyſicè. Eadem ratione qui comprehenderit actum ſcientificum de homine, cognoſcet ex illo hominem eſſe animal rationale: ergo omnes ij actus ſe ipſis ſunt veri.

§.41. Obijcies primùm; hinc probari veritatem eſſe intrinſecam ijs actibus; non tamen eſſentialem: quia poteſt eſſe modus intrinſecus ortus neceſſariò ab ipſis actibus creatis, vt propoſui §.26. Reſpondeo illum modum propoſitum ex ſuppoſitione quod veritas non ſit eſſentialis actibus, quia euidens, arbitror veritatem eſſe intrinſecam actui vero. At hæc argumenta probant eſſe intrinſecam per idemtitatem. Pone enim hunc actum euidentem. *Petrus eſt homo:* vel hunc fidei. *Deus eſt trinus.* eſſentia horum actuum ſe ipſa, ſecluſo alio modo diſtincto, eſt imago obiecti vt eſt; & ad illud refertur tranſcendenter; quia obiectum eſt Petrus idem cum homine; & Deus trinus. Actus autem in ratione repræſentationis eſt idemtitas Petri & hominis: & Deus trinus: quia eius eſſentia dicit Deum eſſe trinum, & Petrum hominem: ergo illa eſſentia ſecluſo alio modo eſt intentionaliter talis quale eſt obiectum. hæc autem eſt veritas, id eſt intentionalis conformitas cum obiecto: ergo.

§.42. Secundò actus in ratione imaginis refertur ad obiectum; quia eſt per ſuam eſſentiam ordo tranſcendentalis ad illud; ad quod non eget alia relatione diſtincta: quia imago ſub conceptu imaginis connotat immediatè obiectum, quod immediatè denominat repræſentatum: ſicut cognitio in ratione cognitionis, immediatè connotat & denominat obiectum cognitum: ergo vt referatur intentionaliter ad obiectum non eget relatione diſtincta; ſed hi actus immediatè repræſentant obiectũ vt eſt per ſuam eſſentiam, quia *Deus eſt trinus:* quod actus habet intentionaliter ſecluſo alio modo, quia per ſuam eſſentiam eſt affirmatio Dei trini, adeo vt ſecluſo alio modo, ducat cognitionẽ de ſe in Deum trinum: ergo per ſuam eſſentiam ſunt veri.

§.43. Objiciunt ſecundò; eos actus per ſuas eſſentias eſſe veros radicaliter, non verò formaliter. Hæc obiectio eadem ratione diluitur qua ſuperior; quia eſſentia illorum actuum eſt conformis obiectis ipſis: quia per cognitionem comprehenſiuam eſſentiæ illorũ venietur in cognitionem obiectorum: ſecũdò, quia illa eſſentia eſt ſe ipſa formaliter & proximè quale ſuum obiectum; ita vt in illa ſit intentionaliter & repræſentatiuè obiectum quale eſt phyſicè in ſe: quia affirmat Deum exiſtere trinum neceſſariò: quod quidem ita eſt in Deo; quid ergo illi deeſt ad formalem veritatem? Tertiò, quia actus non poſſet eſſe veritas radicalis, ſi veritas formalis includeret obiectum: quia veritas radicalis eſt radix veritatis formalis; vt cognitio radicalis eſt radix cognitionis formalis. Sed actus Fidei non eſt radix ad Trinitatem; quæ, per te, eſt pars veritatis formalis; nec eſt radix alius perfectionis intrinſecæ ſibi, & ab ipſo diſtinctæ, quæ pertineat ad veritatem formalem: quia hæc, ex te, ſunt actus & obiectum; ergo actus non habet veritatem radicalem.

Niſi

§.44. Niſi velis euidentiam & certitudinem eſſe veritatem radicalem. Reſpondeo enim euidentiam & certitudinem non eſſe formaliter in ordine ad obiectum, ſed ad principia actiua. Item ſi concipitur actus eſſentia, eſt euidens repræſentatio obiecti vt eſt in ſe. viſio enim beata clarè cognoſcit Deum vt eſt: vnde ſententia infuſa cognoſcit illam claritatem & ſimilitudinem intentionalem. vnde claritas coniuncta eſt cum veritate formali: quia eſt conformitas cum obiecto orta à principio impote diſſenſus.

§.45. Obijcies tandem tertiò, negari non poſſe in actibus certis, & euidentibus metaphyſicè, totam veritatem formalem reperiri in ſola illorum eſſentia; quia repræſentant obiectum vt eſt in ſe; quod non poſſunt aliter repræſentare, non ſolum quia obiectum eſt neceſſarium; ſed quia actus ob euidentiam, aut certitudinem metaphyſicam nõ poſſunt repræſentare obiectũ aliter ac eſt. vnde etiam concluditur veritatem in iis actibus eſſe perfectionem, & eſſe in Deo, euidenter omnia penetranti. At verò in actibus incertis de obiecto contingenti eſſe veritatem extrinſecam denominationem in parte, quia includit obiectum: quia ij non habent neceſſariam connexionem cum obiecto vt ab illis repræſentatur; vt habent actus certi; qui petunt obiectum eſſe vt repræſentatur: in quo diſcrimine conſtitui poteſt diſcrimen veritatis vtrorumque actuum.

§.46. Bene: ergo iam vniuerſim non eſt denominatio extrinſeca omnis veritas in dicendo. vnde deduco falſam eſſe doctrinam præpoſitam §. 27. cui ipſi innixi conſtituunt veritatem in extrinſeca denominatione: quia dicunt, repræſentare rem ſicuti eſt, eſſe veritatem: ita vt repræſentare rem ſe teneat ex parte actus: *ſicuti eſt* autem ſe teneat ex parte obiecti. Sed in actu certo repræſentare rem ſicuti eſt, ſe tenet adæquatè ex parte actus. Ruit ergo moles illi impoſita fundamento.

§.47. Probo autem, eamdem eſſe rationem in actu obſcuro de obiecto contingenti. Primùm, quia actus Fidei eſt obſcurus, & de obiecto contingenti; & eius veritas eſt illi eſſentialis: vt fateris §. 45. & probaui §. 40. ergo actus verus incertus de eodem obiecto erit per eſſentiam verus: Quia vterque eſt eadem ratione conformis obiecto. vt enim Fides diuina aſſerit, *reuelatio eſt*; *Deus eſt*: ita & actus naturalis aſſerit, *Deus eſt*, *reuelatio eſt*. Vt ergo eſt in fide intentionaliter reuelatio, & Deus; quia aſſeruntur eſſe; ita ſunt in actu humano: ergo vt fides eſt conformis obiecto ſe ipſa; ita & naturalis actus. Ratio eſt; quia ſicut actus euidentes ſeipſis ſunt conformes obiectis; quia ea repræſentant vt ſunt; ita & actus incerti de contingenti obiecto. Hic enim actus *Petrus currit* tam eſt repræſentatio curſus Petri; quàm hic *Petrus eſt homo* repræſentat ſuum.

§.48. Dices actum Fidei habere pro obiecto reuelationem vt exiſtentem: qua mutata mutatur actus neceſſariò; ſecus in actu naturali. Hæc nihil referunt. Oſtendam enim §.52. mutari quoque actum naturalem ob eamdem rationem: diſcrimen allatum probat nullum actum Fidei infuſæ poſſe eſſe falſum; quia oritur ab habitu certo, determinato ſemper ad veritatem per omnem actum: actus autem naturalis oritur à principio incerto, non determinato ad veritatem per omnes actus: quia circa obiectum contingens potuit elicere actus falſos. In quo conſtitui incertitudinem diſput. 8. §.35. At quod attinet ad conformitatem adæquatè exiſtentem in ſolo actu, eadem eſt in vtroque ratio. Adde etiam in actu incerto eſſe perfectionem veritatem. Recognoſce §.33.

§.49. Dico ſecundò. *Veritas, aut falſitas ſunt attributa actuum veri, & falſi.* Probatur, quia ad cognoſcendum ſit ne actus verus, an falſus, opus eſt præcurrere ad affirmationem, vel negationem: item ad obiectum, ſit ne ſicut affirmatur, vel negatur, an non? Ex quo inferimus actus veritatem, vel falſitatem: ergo affirmatio, & negatio, & obiectum, ſunt radix vnde ratione noſtra oritur veritas, vel falſitas: ergo veritas, vel falſitas non ſunt de primo conceptu actus, ſed de ſecundo. Confirmatur, hæc eſt vera cauſalis, *quia actus affirmat obiectum: ideo eſt verus.* hæc autem falſa, *quia actus eſt verus, ideo eſt affirmatio.* Igitur primus conceptus huius actus *Petrus eſt homo*, eſt eſſe affirmationem euidentem, aut obſcuram idemtitatis hominis, & Petri: ex quo primo conceptu oritur conceptus veri, aut falſi, quia prius debet fieri collatio inter actum & obiectum, quàm cognoſcamus veritatem, aut falſitatem, quod non requiritur ad dignoſcendam affirmationem, vel negationem.

SVBSECTIO V.

Reſpondetur obiectis.

§.50. OBijcies contra has duas concluſiones; Idem numero actus, licet non poſſit mutari, de vero in falſum, poſtquam ſemel eſt verus, aut falſus: potuit tamen in primo inſtanti eſſe verus, aut falſus idem numero: ergo veritas non eſt à parte rei eius eſſentia. Probo antecedens, quia cum ego dixi, *Petrus currit*, currente Petro actus fuit verus; ille tamen eſſet falſus, ſi Petrus non cucurriſſet: ergo. Probo minorem, quia ille numero actus à me produceretur currente Petro, qui non currente. Etenim quod Petrus curreret, vel non, nihil intereſſet ad variandos actus abſtractiuos. Nego antecedens, ad probationem nego fore actum eumdem, ſed alium, vel ſpecie vel indiuiduatione diſtinctum. Ad interrogationem reſpondeo, multum intereſſe obiecta ad actuum varietatem: nam currente Petro produco ego repræſentationem, & ſimilitudinem: nec opus eſt influxu phyſico obiectorum, nam intellectus cum ſit vniuerſalis potentia, habet virtutem ad plures ſpecies actuum, repugnat autem illi producere nonnullas ſpecies actuum, niſi tales circumſtantiæ obiectáque occurrant: vt Fides diuina non exerceatur, niſi reuelatio exiſtat.

§.51. Obijciunt aliqui; hinc ſequi actus incertos habere neceſſariam connexionem cum obiectis; ita vt nec diuinitus poſſint exiſtere niſi exiſteret eorum obiectum: quia hic actus, *Petrus currit*, ſi eſt per eſſentiam verus, non poteſt exiſtere niſi currente Petro: Hoc autem eſt ridiculum: ergo. Probant minorem; quia eſſentia illius actus eſt repræſentare Petrum currentem; quod repræſentare poſſet eo non currente, vt contingit in actu idem affirmante non verè. ſi enim quis dicat *Petrus currit* eo non currente, tam repræſentat Petrum currentem quam ſi curreret: Petrum ergo currere, vel non currere, eſt per accidens ad conceptum illius actus.

§.52. Nego minorem: ad probationẽ reſpõdeo actum verum ratione ſuæ veritatis habere eſſentialem dependentiam ab obiecto exiſtente, & connexionem cum illo in ratione termini. Quia eſt intentionalis

imago illius,& ſimilitudo tranſcendentalis in qua eſt adæquatè conformitas cum obiecto vt probaui §. 29. & 30. vt conſtat in opinione Themiſtarum conſtituente relationem prædicamentalem in modo diſtincto; qui eſſentialiter pendet à termino extrinſeco exiſtente quantumuis diſtante. Ita cognitio vera eſt ſimilitudo intentionalis obiecti vt termini extrinſeci, à quo eſſentialiter pendet. Vt aſſenſus Fidei habet eam neceſſariam connexionem; in quo poſſet fieri idem argumentum omnino: & vt ipſi tenentur ibi reſpondere, niſi dicant illi ſubeſſe poſſe falſum, reſpódeant hic. diſcrimen autem fidei & actus naturalis non eſt in dependentia & independentia ab obiecto, ſed in ordine ad principia,vt dixi.

§. 53. Nec hoc conuenit Fidei ob ſupernaturalitatem; actus enim naturalis habet hanc neceſſariam connexionem cum obiecto. Reuelatio enim naturalis; qua oſtendi diſputans de Fide, poſſe Deum loqui cum dæmone, eſt determinata ad obiectum; quia eſt loquutio Dei;cui mentiri repugnat. Item actus, quo ego iudico me exiſtere habet neceſſariã connexionem mecum. Et quidem actus ipſi habent eſſentialem dependentiam in ratione imaginis ab obiectis: quid mirum & in ratione imaginis veræ? Actio pendet ab agente extrinſeco, *vbi* à loco;Duratio,in illorum ſententia à tempore.

§. 54. Ad probationem minoris propoſitæ §. 51. reſpondeo actum verum eſſe rationem repræſentationis; & ſimilitudinis, repræſentatio vt ſic Petri currentis poteſt eſſe ipſo currente & non currente: non verò ſimilitudo intentionalis: quæ per ſuam eſſentiam petit obiectum vt repræſentatur: vt ſimilitudo, ſi eſt modus, petit eſſentialiter terminum. Actus autem falſus eſt repræſentatio abſimilis, ac propterea pendet à Petro non currente: vt diſſimilitudo priuatiua albedinis pendet à carentia albedinis in termino extrinſeco,vt dixi. Itaque imago ſimilis obiecto, quia habet tam intrinſecè cóformitatem quàm rationem imaginis, pendet ab obiecto vt exiſtente, non minus quàm ab illo ſecundum ſe, vt penderet modus ille veritatis, de quo egi §.26.

§. 55. Hinc argumentantur; ergo hic actus falſus *Petrus currit* habet neceſſariam, & eſſentialem dependentiem non à Petro currente; ſed à non currente. hoc autem quis vnquam dixit? Ferenda quidem eſſet dependentia actus ab obiecto quod repræſentat; at verò qua ratione dependet à contradictorio ſui obiecti, cum illud non repræſentet? Reſpondeo,hanc conſequentiam de falſitate, pendere à doctrina de veritate;non habemus actus falſos ſupernaturales, aut euidentes metaphyſicè, à quibus confirmemus falſitatem aliorum actuum, vt confirmamus veritatem.

§. 56. Ad argumentũ concedo minorẽ. Ad probationem reſpondeo, diſſimilitudinẽ intentionalẽ pendere eſſentialiter à termino oppoſito contradictoriè eius quod repræſentat. Quia vt §.29.dixi conformitatem imaginis eſſe intrinſecam conceptui adæquato imaginis: ita difformitas eſt ipſi intrinſeca. vnde effigies hominis eſt abſimilis equo: & hæc diſſimilitudo includit effigiem & equum: ita affirmatio falſa Petri currentis eſt diſſimilitudo, & imago falſa: cuius falſitas eſt intrinſeca toti conceptui imaginis. Quia ergo affirmatio habet intentionaliter in ſe contradictorium eius quod eſt realiter in obiecto, ideo pendet à contradictione eiuſdem obiecti: alioquin non haberet in ſe eam contradictionem intentionalem; quæ adæquatè eſt in illa; immo falſitas actus exigit non attingere carentiam Petri currentis. Pendet ergo ab ea carentia; quia eſt diſſimilitudo intentionalis ſui obiecti, & imago falſa,attingens quod non eſt in obiecto. Ad quod exigitur neceſſario obiecti contradictio, non vt obiectum cognitum, ſed vt contradictio obiecti cogniti. Quæ in cognitione eſſe non poſſet niſi in obiecto eſſet carentia curſus, quando curſus affirmatur. Pendet ergo actus verus ab obiecto vt eſt, falſus autem ab ipſo aliter ac eſt. vt ſimilitudo phyſica pendet à termino quale eſt fundamentum; diſſimilitudo autem pendet à termino diuerſo ac eſt fundamentum. vt aſſenſus pendet à carentia diſſenſus: & modus ille de quo egi §. 26. penderet à carentia obiecti: ratio à priori; quia difformitas imaginis petit exiſtere obiectũ aliter ac repræſentatur.Quæ difformitas eſt imagini intrinſeca.

Hinc primum deduces; cur non currente Petro poſſimus elicere actum falſum affirmantem,& non verum: quia vt dixi §. 50. intellectus pendet à multis circumſtantiis: & quamuis ipſe poſſit à voluntate moueri ad affirmationem, & negationem ineuidentem; non tamen ad affirmationem verã, niſi adſint omnia neceſſaria: è quibus vnum eſt terminus ipſe:ſi autem affirmatio eſt falſa, pendet à contradictorio eius quod affirmat.Et quemadmodum currente Petro non poteſt elici actus falſus, quia per te completur veritas curſu Petri; ita nec in mea ſententia: quia veritas petit eſſentialiter curſum Petri, & repugnat eius carentiæ: idque ſiue obiecta ſint præſentia ſiue futura. Non enim concurrunt phyſicè per ſe in ſuos actus, nec vt ſunt veri, nec vt ſunt repræſentatio; vt concurrunt cauſæ phyſicæ; ſed concurrunt terminando extrinſecè: quod vt conuenire poteſt termino diſtanti; ita & non exiſtenti: immo & impoſſibili: quia eorum influxus phyſicus præſtatur per ſpecies impreſſas; quæ ſunt de obiecto non exiſtenti. §. 57.

Tandem obijciunt poſſe ab Angelo ſolis naturæ viribus cognoſci contingentia futura: ergo. Probant antecedens; quia Angelus cognoſcit noſtros actus comprehenſiuè. Nego antecedens. Ad probationem reſpondeo, Angelo non deberi concurſum ad futura certò cognoſcenda. vnde nec ad penetranda ea obiecta, ex quibus euidenter poſſit inferri euidens futurorum cognitio vt ei non debetur influxus ad cognoſcendum habitũ cum primum producitur actu libero: quia ex habitu cognoſceret habitum euidenter:idem dico de cognitione futurorum, & præſentium liberorum, ratio à priori: quia omnis euidens cognitio eorum obiectorum eſt illis indebita ſiue mediata ſit,ſiue immediata, & cum ex cognitione perfecta horum actuum ſequeretur euidens cognitio futurorum; non debetur ad illam influxus. vt non debetur vni dæmoni cognitio euidens de loquutione libera & naturali Dei cum alio dæmone. §. 58.

SECTIO IV.

Vtrum idem actus poſſit mutari de vero in falſum?

Dico primò. *Nulla propoſitio poteſt mutari de vera in falſam,aut è conuerſo.* Probatur primò: quia veritas eſt idem realiter cum actu vero; ſed nulla res poteſt eſſe ſine eo, quod eſt idem realiter cum illa;ergo propoſitio,quæ ſemel eſt vera,non poteſt non eſſe vera.Secundò,quia hæc propoſitio. *Petrus currit* §. 59.

currit tota hora tertia, ſi ſemel eſt vera, non poteſt eſſe falſa: & ſi ſemel eſt falſa, non poteſt eſſe vera; ergo propoſitio de præſenti contingenti non poteſt mutari de vera in falſam. Probatur antecedẽs: quia ſi illa propoſitio eſt vera, ea ratione eſt vera, quia Petrus currit tota hora tertia: ſed ex ſuppoſitione quod Petrus currat tota hora tertia, non poteſt tota illa non currere, *omne enim quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe:* ſed non mutato obiecto non poteſt mutari propoſitio vera in falſam, ergo illa propoſitio non poteſt mutari.

§. 60. Dices illam ſuppoſitionem Petri currentis abſolutè poſſe tolli: quia eſt ſuppoſitio conſequens, & non antecedens: ergo actus ille poteſt mutari de vero in falſum. Verum hæc obiectio non ſatis calluit vnde ſumatur veritas propoſitionis: licet enim Petrus ſecundum ſe conſideratus poſſit tota hora currere, vel non currere, ex ſuppoſitione tamen quod totam horam currat, nõ poteſt non currere: propoſitio autem non eſt vera comparatione Petri ſecundum ſe conſiderati: ſed reſpectu Petri iam currentis, vel non currentis: itaque ſuppoſitio Petri currentis licet comparatione Petri non ſit antecedens, ſed conſequens: comparatione tamen propoſitionis eſt antecedens, quia prius ratione eſt illa ſuppoſitio, quam actus. Obiectum enim eſt cauſa cognitionis, ac propterea prius, & antecedens; ergo illa ſuppoſitio iam non poteſt tolli, neque obiectum mutari, neque actus reddi falſus.

§. 61. Confirmatur ex ſcientia viſionis Dei, qua infallibiliter præuidet futura libera, quia licet ipſa futura ſuis cauſis comparata, poſſint eſſe, vel nõ eſſe, tamen ſcientia Dei non comparatur ad illa, niſi in quantum ſunt iam determinata, & extra ſuas cauſas exiſtentia: ex qua determinatione, & ſuppoſitione libera creaturarum ſumitur infallibilitas diuinæ ſcientiæ: quia ex ſuppoſitione quod res ſemel ſit futura non poteſt non eſſe futura: ſimiliter noſter actus eſt verus ex ſuppoſitione quod Petrus currat tota hora tertia; quod ſi Petrus currat tota illa hora, actus neceſſariò eſt verus: ſi verò nõ currat, erit neceſſariò falſus: at verò neceſſariò curret tota hora, vel non curret, ergo actus neceſſariò erit verus ſemper, aut ſemper neceſſariò falſus.

§. 62. Pater Suarez illo num. 19. ſect. 2. diſp. 8. fatetur actum perfectè intuitiuum non poſſe mutari, quia determinat obiectum ad aliquam temporis differentiam, verbi gratia, actum, quo ego perfectè video Petrum ſtare: at verò noſtros actus confuſos poſſe mutari, quia patiuntur tẽporis latitudinem, intra quod poteſt obiectum ſe diuerſimodè habere, vt hæc propoſitio, *Petrus currit:* & ſic poteſt mutari de vera in falſam.

§. 63. Contra, quia hic actus, *Petrus currit*, vel ſignificat Petrum currere certo, atque determinato tempore, ſcilicet tota hora tertia; ſic autem probatum eſt actum illũ ſemper eſſe verum, vel falſum ſemper, vt ipſe Pater Suarez admittit: vel ſignificat Petrum non currere tota hora, ſed aliqua illius parte: ſic autem actus ſemper erit verus aut ſemper falſus: quia ſi currit aliqua parte horæ, non poteſt non currere illa parte, ſic autem actus eſt verus: ſi verò nulla horæ parte currit, non poteſt currere, ſic autem actus eſt falſus. Vel ſignificat Petrum currere illa hora, item poſt, & ante illam, ſic autem, aut currit, aut non currit; ſi currit, propoſitio eſt vera; ſi non currit, eſt falſa. Vel ſignificat Petrum currere toto tempore, quo propoſitio durat, & ſingulis illius partibus: ſic autem neceſſariò eſt vera, aut neceſſariò eſt falſa: quia neceſſariò currit toto illo tempore vel non: neſcio autem quam aliam ſignificationem poſſit habere. Confirmatur, hæc propoſitio *Petrus currit* eſt in materia contingenti: ergo æquiualet particulari, ergo facit hunc ſenſum *Petrus currit aliquo tempore:* ergo currente Petro in aliqua differentia temporis erit vera: ſi verò nunquam currit, erit falſa.

§. 64. Dices, illam ſucceſſiuè eſſe verã, & falſam: quia illa durante mutatur obiectum, itaque ego per dimidiam horam dico *Petrus currit:* prima parte horæ currit Petrus, poſteriori verò parte non currit: ecce propoſitionem verã in prima horæ parte: falſam vero in ſecunda. Cõtra: ergo iam *Petrus currit* ſignificat Petrum currere tota dimidia hora, qua durat propoſitio, & facit hũc ſenſum, *Petrus currit tota dimidia hora*, quod ſi hunc non facit abs re eſt obiectio: & non currente Petro toto tempore, quo propoſitio durat, illa eſt falſa, currẽte verò eſt vera. Neceſſe eſt autem Petrum toto illo tempore currere, vel non currere: ſi currit, eſt vera ſemper; falſa autem, ſi non currit. Itaque propoſitio illa ſemper connotat vel totum tempus quo durat collectiuè, vel aliquam partem illius diuiſiuè.

§. 65. Confirmatur ex hac propoſitione *aliquis homo currit*, quæ licet habeat latitudinem, & confuſionem, qua poſſit in hoc indiuiduo, vel illo verificari: ſi tamen verificetur in vno indiuiduo, nõ poteſt reddi falſa: quod ſi in omnibus falſificatur, non poteſt eſſe vera; idem ergo erit in noſtro caſu ratione temporis indeterminatè ſignificati. Nam ſicut *aliquis homo currit* ſignificat vagè indiuidua humana, ita *Petrus currit* ſignificat vagè varias temporis præſentis differentias.

§. 66. Dices propoſitionem vocalem mutari de vera in falſam: ergo & mentalem. Nego cõſequentiam: vox enim non ſignificat propriè, ſed metaphoricè per extrinſecam denominationem, ita verè & propriæ non ſunt veræ, vel falſæ: dicuntur autẽ falſæ, aut veræ, quia dum audiuntur, vel ſcripturæ leguntur, mouent intellectum ad efformandas propoſitiones veras, vel falſas: cúmque eædem voces, aut ſcripturæ permaneant, vno tẽpore mouent ad propoſitiones veras, alio ad falſas; at verò cum actus mentales ſint eſſentialiter repræſentatio obiecti, ſunt incapaces talis mutationis. Vel dicamus propoſitionem ſcriptã referri ſemper ad tempus quo ſcripta fuit, tunc autem erat propoſitio mentalis, per quam ſcripta fuit, pro qua ſubrogata fuit propoſitio ſcripta; ac pro illo tempore ſemper eſt vera, aut falſa ſemper, vti & mentalis.

§. 67. Confirmatur tota hæc doctrina à priori: quia actus de præſenti ſemper connotat tempus, quo profertur, v. g. *Petrus currit* ſignificat curſum Petri eo inſtanti, quo profertur, & non alio: ſed propoſitio relata ad illud inſtãs ſemper eſt vera, vel falſa ſemper: ergo. Minor eſt certa, quia Petrus pro illo inſtanti non poteſt mutari de currente in non currentem, ac proinde nec propoſitio. Maior patet, tum quia quod mouit intellectum fuit obiectum præſens, per ſpeciem reſpicientem tempus reale in quo fuit, vel acceptam ab obiecto ſi erat intuitiua; vel ex coniecturis, ſi erat coniecturalis cognitio. Hæc enim mouent intellectum ad illud tempus: non verò ad futurum: quia coniecturæ non erant de futuro; quia ad id nihil valerent, ſed valebant ad præſens: tum quia nõ poteſt actus repræſentare nũc nouum inſtans, quod antea nõ repræſentabat ſine ſui mutatione: ergo nõ ſignificat obiectum tempore ſubſequenti, quia ad id neceſſario ſignificaret ſubſequens tempus: nam propoſitiones ſicut cõſtant verbo, ita ſignificãt cum tempore. Dicere autẽ *Petrus currit*, vel *nũc Petrus currit*, inclu-

includit repræſentationem temporis: ſiquidem cognoſcitur aliquid in illo fieri, quod non poteſt ſine repræſentatione ipſius temporis: ſicut non poteſt dici aliquid fieri in gymnaſio, quin gymnaſium ipſum repræſentetur: vel ſi abſtrahit à tempore; propoſitio eſt vera ſemper, ſi eſt curſus ſecundum ſe; aut falſa, ſi non eſt: parúmque refert tempus.

§. 68. Reſpondent aliqui; propoſitione poſſe repræſentari inſtans præſens determinatè; vel indeterminatè. Prima ratione conuincuntur ad noſtram concluſionem; quia non poteſt propoſitio eadem referri ad nouum inſtans; vt non poteſt cognitio determinata de ſolo Petro extendi ad repræſentandum Paulum. At ſecunda ratione poteſt propoſitio vera in vno inſtanti eſſe falſa in alio. Primùm, quia eadē numero propoſitio *Petrus currit*, quæ currente Petro inſtanti *B*, fuit facta, potuit fieri eodem Petro non currente inſtanti *C*, tunc autem eſſet falſa: ſed eadem ratione poteſt conſeruari inſtanti *C*, Petro tunc non currente, quamuis eodem currente prolata ſit primum inſtanti *B*: ergo poteſt nunc eſſe falſa in ſecundo inſtanti, quamuis fuerit vera in primo. Secundò, quia hæc propoſitio *omnes homines exiſtentes nunc in platea currunt*: non ſignificat determinatè eos eſſe centum, aut viginti, nec eius veritas exigit numerum hominum determinatū; ſed vnionem curſus cum illis omnibus quotquot ſint. Et eadem numero propoſitio potuit proferri exiſtētibus in foro centum hominibus, aut viginti: ſed hæc propoſitio. *Petrus currit* ſignificat vnionem curſus & Petri, tēpore quo ipſa exiſtit, quodcumque illud ſit: ergo eadem ratione poteſt eſſe vera & falſa ſucceſſiuè.

§. 69. Reſpondeo primùm; etiam ſi propoſitio non repræſentet determinatè inſtans primum, ſed indeterminatè, adhuc non poſſe de vera mutari in falſam. Quia concipere inſtans *A*, non ſub ratione *A*, ſed coexiſtentis ipſi propoſitioni, eſt repræſentare confusè rationem inſtantis præſentis, quæ ratio non poteſt non habere alterum ex iis duobus deſcenſibus: *Petrus currit omni inſtanti mihi præſenti, quodcumque illud ſit*. vel *Petrus currit aliquo ex inſtantibus præſentibus mihi*: vt hæc propoſitio *homo eſt albus*: quia vnit albedinem cum homine indeterminatè cognito, habet alterum ex illis deſcenſibus *omnis homo eſt albus*: vel *aliquis homo eſt albus*. Quia propoſitio illa confuſa attingens rationem cōmunem, attingit omnia indiuidua confusè: ſi materia eſt neceſſaria, ea attingit tali ratione vt deſcēſus ſit copulatiuus: vt *homo eſt animal*, æquiualet huic, *Omnis homo eſt animal*: in materia cōtingenti æquiualet huic, *aliquis homo currit*, qui enim dicit *homo currit*, omnes homines comprehendit diſiunctiuè, non copulatiuè.

§. 70. Ad argumentum ex §. 68. nego mutari propoſitionem de vera in falſam: quia ſi refertur ad omnia inſtantia ſub ratione præſentis; id fuit vel copulatiuè; ita vt ſenſus ſit, *Petrus currit omni inſtanti mihi præſenti*: quæ ſemper eſt vera, aut falſa: quia ſumendo omnia inſtantia, Petrus currit in omnibus, aut in aliquo non currit. Si primum, non poteſt mutari veritas propoſitionis: nec item ſi ſecundum. Hic ſenſus nec admittitur ab his auctoribus, nec poteſt: quia eſt in materia contingenti, & propoſitio indefinita æquiualet particulari. Vnde ſenſus huius *Petrus currit*, erit *Petrus currit aliquo inſtanti mihi præſenti*: id eſt *huic*, *aut illi*: tunc autem aut Petrus currit in aliquo, aut non. Si currit, propoſitio ſemper eſt vera; ſi non currit, ſemper eſt falſa; vt exemplo probaui §. 65.

§. 71. Ad primam probationem in §. 68. Do eamdem propoſitionem potuiſſe produci inſtanti *C*, Petro tunc nō currente: id quidem probat eumdem numero actum fuiſſe indifferentem ad veritatem & falſitatem: at non probat eum poſſe eſſe ſucceſſiuè verum & falſum. Quia ſi ille durauit ſolo inſtanti *C*, currente Petro; fuit quidem verus, falſus eo nō currente; ad quod admitto, diſputandi gratia, indifferentiam in eodem actu. Si autem durauit *C*: & *D*, non potuit mutare veritatem aut falſitatem: quamuis Petrus cucurrerit in *C*, & non in *D*, quia veritas eius actus non petit niſi curſum in vno inſtanti; eſto non ſit in alio: ſi autem in neutro fuit curſus, ſemper eſt falſa propoſitio. Quia coniungit curſum Petri cū inſtanti præſenti cognito confusè; ac propterea cū inſtanti indeterminato, explicato deſcēſu diſiunctiuo. Vnde nego minorem, nempe eadem ratione nunc eſſe propoſitionem falſam; niſi in vtroque caſu duret propoſitio pluſquam per inſtans. Nam ſi durat vnum inſtans, & tunc Petrus non currit, eſt falſa: ſi autem durat duo inſtantia, & Petrus currit in altero, in altero non currit, eſt vera propter deſcenſum diſiunctiuum. Itaque ſiue actus proferatur prima vice; ſiue ſecunda: ſemper ſecundum ſe eſt indifferens ad veritatem & falſitatem; nūquam tamen ad eas ſucceſſiuè mutandas. Authores autem illi decepti ſunt argumento, illud petentes ab actus indifferentia ad veritatem & falſitatem ad ſucceſſionem earumdem. Nunquam ergo eſt indifferens ad ſucceſſionem veritatis & falſitatis, quamuis ſecundum ſe poſſet eſſe verus & falſus primo inſtanti, quo fuit productus.

Secunda probatio ex eodem §. 68. nihil vrget. §. 72.
Probat quidem actum eſſe verum currētibus omnibus qui ſunt in foro: & falſum iis non currentibus, quicūque illi ſint: idémque actus potuit proferri exiſtentibus in foro centum, aut viginti: ita dico potuiſſe hunc numero actum *Petrus currit* proferri diuerſis temporibus: in quo ſimilis eſt illi *omnis homo exiſtens in platea currit*. At non probatur aliquem ex iis eſſe poſſe ſucceſſiuè verum & falſum. Quia ſi omnes homines exiſtentes in foro currunt, actus eſt verus; ſiue illi ſint centum, ſiue viginti: ſi autem non currunt eſt falſus. Idem dico de noſtra propoſitione; immo ſi quid probat exēplum, à nobis eſt. Pone à me cognoſci determinatè inſtans *A* mihi præſens: & dico, *Nunc currunt omnes in platea exiſtentes*; hic actus fuit indifferens ad verum & falſum; quia potuit proferri currentibus, & non currentibus omnibus: at ex ſuppoſitione quod eſt verus, non poteſt eſſe deinceps falſus; quamuis illi, aut alij de nouo exiſtentes in foro non currant. ergo eadem ratione noſter actus eſt incapax mutandi veritatem, quam ſemel habuit.

Præmiſi argumento è §. 68. nō repræſentari determinatè actu inſtans *A*, ſed præcisè rationem communem inſtantis præſentis: nunc probo ſignificari illud determinatè ſub ratione huius præſentis. Primum; quia repræſentat obiectum vt ad illud mouet ratio aſſentiēdi; ſed hæc mouet ad hoc inſtans præſens, & non ad aliud: ergo. Maior eſt conſpicua; aſſentimur enim obiecto ob aliquam ſpeciem veri. Si aſſentimur actu à ſenſibus deriuato res eſt clara: quia tunc per ſpeciem ortam ab ipſo obiecto aſſentior: quia ceſſante ceſſat propoſitio intuitiua. Si autem aſſentior per alia motiua, illa me mouent vt hic & nunc apprehenduntur: at non apprehenduntur habere vim ad inſtantia ſequentia, aut præterita. quis enim dicat me moueri ad aſſenſum de curſu Petri die craſtina ex rationibus §. 73.

nibus quibus nunc moueor?

§.74. Secundo tam determinatè concipimus tempus præſens, cui coëxiſtimus, quàm alia obiecta, de quibus tunc loquimur. Vt ſi quis dicat, *hora tertia proximè ſequenti Petrus curret*; non loquitur de hora tertia proxime ſequenti vt ſic; ſed de hac determinata quæ nunc eſt proxima: item ſi loquitur de hora prima proximè præterita, de illa agit, & non de alia: ergo ſi agit de tempore exiſtente nunc; de hoc agit, & non de alio, nec de ratione temporis præſentis vt ſic. Quod ſi loquens *Petrus loquitur*, rogetur, quando loquitur? ſtatim reſpondet *Nunc, Nunc*: ita vt excludat omne tempus præteritum, & futurum. & quamuis inſtantia ipſa non penetremus in particulari; tamen illis adſcribimus aliqua prædicata, quæ illis ſolis cōueniunt: & ſcimus *nunc* eſſe obligationem abſtinendi à carnibus: non quod cognoſcamus feriam ſextam vt ſic: ſed hanc, qua nunc peccaretur contra ieiunij leges. Et quando ego ſigno horam tertiam huius diei; non poteſt mutari propoſitio de vera in falſam, vt ipſi fatentur; nec tamen in particulari ſcio quid ſit illa hora tertia? an componatur ex punctis? an ex partibus? Cuius argumento eſt; me reſponſurum à me dictam veritatem, tametſi Petrus non currat alia hora tertia: quia de illa non fuit mihi ſermo. Ita ſi mihi perſeueranti in hac propoſitione; *Nunc. Petrus currit*, obiiciatur tempore ſequenti, *Petrus non currit*: reſpondebo, nihil mea intereſſe, quia ego loquutus ſum de tempore præterito.

§.75. Ad argumentum ex §.68. Nego illam ſucceſſionem veritatis & falſitatis: Ad primam probationem nego eundem numero actum potuiſſe produci in inſtanti ſequenti: quia repræſentat diuerſum inſtans *Nunc* ac *tunc*: repræſentat enim inſtans, in quo incipit eſſe: ſi autem inciperet inſtanti ſequenti, iam cognoſceret aliud *Nunc*. Itaque ob mutationem inſtantis quod repræſentat, mutatur actus. Vt ſi ego dicerem nunc *in hoc gymnaſio legi*; ſi poſtea viderem aliud gymnaſium, idem dicerem, non eodem actu: ita cognoſco clarè *Nunc* præſens, vt illud diſtinguam à futuro: in quo futuro eliciam alium actum. Secunda probatio non eſt è re: quia ſi cognoſco homines illos ſub certo numero, aut ſaltem habeo aliquam cognitionem iis potius quam aliis congruentem, non poteſt idem actus manere mutatis iſtis hominibus; vt dixi de actu comparatione temporis. Si autem cognitio ita confuſè fertur ad homines, vt nihil peculiare illis cognoſcat; idem actus eſſe poſſet (in hac ſententia, quam ſuppono) at nunquam mutaret veritatem: quia illi qui exiſtunt, cum actus fuit elicitus, aut currunt, aut non currunt: ſi currunt, actus eſt verus; falſus ſi non currunt. Ille tamen actus non potuit produci alio inſtanti; quia tempus clarius cognouit quàm homines. vt ſi dicat *omnes qui nunc veſcuntur carnibus peccant*. Idem actus erit ſiue illi ſint centum, ſiue vigenti: at ſi fieret propoſitio extra ſextam feriam, non eſſet idem actus.

§.76. Ne autem ij authores arbitrentur, poſſe eorum argumentum vlla ratione efficax videri, audiant tertiam reſponſionem. Quando actus affirmat aliquid de præſenti, connotat obiectum eſſe quando primum ipſe incipit: tunc enim affirmat quod cognoſcit. Cum ergo dicimus *Petrus currit*: perinde eſt ac Petrus currit, cum ego nunc primùm exiſto. Vnde perſeuerante actu inſtantibus ſequentibus, non poteſt mutare falſitatem, aut veritatem: quia non connotat obiectum pro illis, ſed pro inſtanti, quo ipſe cæpit: at non cæpit inſtantibus ſequentibus; ergo non connotat obiectum pro illis.

§.77. Ad argumentum ex §.68. diſtinguo eam doctrinam: actus non connotat determinatè inceptionem ſui in aliquo primo inſtanti; nego antecedens: non connotat eam determinatè in hoc inſtanti determinato, permitto antecedens: & nego actum poſſe mutare veritatem. Ad probationem primam; reſpondeo actum potuiſſe incipere inſtanti *C.* tuncque falſum futurum Petro non currente: quia diceret Petrum currere cum primum ipſe incipit. Concedo item conſeruari poſſe actum inſtanti *C*, Petro non currente, quamuis fuerit productus inſtanti *B*, Petro currente. Nego autem eſſe falſum in ea conſeruatione, ſicut eſſet in prima productione inſtanti *C*, Petro non currente. Quia in conſeruatione non connotat inſtans *C*, tamquam primo inſtanti cui incipit coëxiſtere: ac propterea illud non connotat: at verò ſi tunc produceretur primò, illud connotaret vt initium ſuæ durationis; eſſetque falſus. Itaque eſſentia eius actus eſt repræſentare curſum vnitum Petro omni inſtanti quo ipſe incipiat; non verò omni inſtanti, quo conſeruetur; ſiue illud inſtans ſit *B*, ſiue *C*. quia præciſè conſiderat inſtans inceptiuum ſuæ exiſtentiæ; non verò omne inſtans cui coëxiſtit. Vt per te conſiderat omne inſtans ſub ratione præſentis & coëxiſtentis; non verò ſub ratione præteriti, aut futuri. Ita aio ego, illo connotari omne inſtans confuſè in ratione inſtantis, clarè autem in ratione inceptiui: Quia in ordine ad inſtans inceptiuum mouetur intellectus; non in ordine ad conſeruatiuum. At in eo inſtanti inceptiuo non poteſt Petrus currere ſimul & non currere: in cæteris inſtantibus parum refert. ergo ex illa repræſentatione confuſa præſentis inſtantis non colligitur mutatio veritatis in actu. Secunda probatio eſt abs re. Do enim poſſe eumdem actum eſſe, ſiue ſint centum, ſiue vigenti; quid inde? etiam eſt idem actus in quocumque inſtanti inceptiuo: non tamen propterea vllus ex illis mutare poteſt veritatem.

§.78. Exponendus nobis eſt S.Thom. cuius hæc ſunt verba 1.p.quæſt.16. art.8. ad 3. *hæc propoſitio, Sortes ſedet, eo ſedente vera eſt: Sorte verò ſurgente remanet prima veritas, ſed mutatur ſecunda.* Sentit ergo S.Thom. eamdem propoſitionem mutari poſſe de vera in falſam, quam in partem Ariſt. P.Suarez adducit. Verum longè alius eſt S Tho. quærit enim, *vtrum veritas ſit immutabilis?* Reſpondet autem, veritatem, & conformitatem cum obiecto variari poſſe dupliciter. Primò, ſi manente eodem obiecto opinio mutatur, vt cum quis dixit *Sortes ſedet*; ſi adhuc eodem Sorte ſedente dicat *Sortes non ſedet*, opinionem mutamus è vera in falſam, non quia idem actus ſucceſſiuè ſit verus, & falſus: ſed quia pro actu vero ſubrogatur opinio falſa, in quo ſenſu ſanctus Doctor oſtendit intellectum diuinum eſſe incapacem talis mutationis, ſecus noſtrum. Secundo modo oſtendit poſſe mutari veritatem, ſi obiecto mutato non mutetur opinio, vt ſi ſurgente Sorte, adhuc quis dicat *Sortes ſedet*. Hanc mutationem non verſari circa eumdem numero actum, indicat his verbis: *Veritas autem intellectus noſtri mutabilis eſt: non quod ipſa ſit ſubiectum mutationis* (ideſt non quod idem actus mutetur de vero in falſum) *ſed inquantum intellectus noſter mutatur de veritate in falſitatem; ſic enim formæ mutabiles dici poſſunt*, ideſt, quia intellectus mutando opiniones, verè falſam ſupponit, ſicut paries per

colores mutatur de albo in nigrum, & ſic albedo mutatur in nigrediné, & vniuerſim forma eſt mutabilis in ſuam contrariam: ſicut ergo S. Thom. dixit mutari veritatem, quando manente eodem obiecto mutatur opinio; ſic etiam eamdem veritatem intelligit mutari quando mutato obiecto non mutatur opinio: at non mutamus opinionem, niſi quando diſſentimur obiecto, cui antea adſentiebamur: licet mutemus actus, per quos aſſentimur. Itaque ſi ego dixi heri *Sortes ſedet*, & tranſacto illo actu, hodie dico *Sortes ſedet*, non muto opinionem, licet actus mutem, & hodie habeam actum falſum, heri autem verum, in quem ſenſum interpretor Ariſt. video S. Thom. alibi habere difficiliorem explicatum: quamuis non affertur ab aduerſariis.

SECTIO V.

Vtrum mutato obiecto mutetur actus?

§. 78. EQuidem quando propoſitio eſt intuitiua cum dependentia à ſenſu externo, mutato obiecto mutatur propoſitio: nam mutato obiecto ceſſat externa ſenſio, ſed hac ceſſante ceſſat etiam propoſitio ab illa dependens: ergo mutato obiecto mutatur actus. Cum verò propoſitio non eſt intuitiua cum dependentia à ſenſu externo, poſſet etiam quis opinari actum mutari. Primò, quia propoſitio *Petrus currit*, tendit in curſum Petri actu exiſtentem, & ab illo dependet, ſed Petro à curſu ceſſante tollitur obiectum, à quo dependebat ille actus: ergo tollitur etiam actus: quia non poteſt actus exiſtere ſine ſuo obiecto. Vniuerſim autem confirmatur hæc opinio: hæc propoſitio *Petrus curret*, antequam currat ſemper manet: at verò cum Petrus currit, iam non manet propoſitio, quia illa non eſt affirmatio obiecti præſentis, ſed futuri: ergo ſimiliter propoſitio de præſenti neceſſariò mutatur, quando iam obiectum eſt præteritum, quia illa non affirmat aliquid de præterito, ſed de præſenti. Confirmatur ex S. Thom. ſup. ad 4.

§. 79. Cenſeo tamen non eſſe neceſſariam talem mutationem actus. Ad quod aduerte, hanc propoſitionem habere pro obiecto curſum Petri, coëxiſtentem inſtanti *C.* qui curſus non poteſt illo inſtanti non exiſtere ex ſuppoſitione, quod ſemel exiſtat: & licet temporis decurſu curſus Petri cum ſuo inſtanti ſit præſens, præteritus, & futurus: ſemper tamen per actum repræſentatur, vt coëxiſtens illi inſtanti *C.* Hinc oritur non eſſe neceſſariam mutationem actus, quia eius obiectum ſemper manet tale, quale per actum enuntiatur. Enuntiatur, nempe curſus Petri coëxiſtens inſtanti *C.* qui licet in ſe phyſicè mutetur, quia tã ipſe, quàm ſuum inſtans, corrumpuntur; non tamen mutatur in ratione obiecti: quia actus non affirmat curſum non corrumpi, ſed curſum exiſtere inſtanti *C.* quod ſemper eſt verum corruptis inſtanti & curſu, vt patet in ſcientia viſionis Dei, quæ ratione noſtra eſt vnus actus, quem Deus habuit ab æterno, per quem cognouit Petrum curſurum tempore *C.* & quando currebat cognoſcebat illum currere; & poſtquam cucurrit cognouit per eumdem actum illum cucurriſſe, quia illa viſio terminatur ad exiſtentiam curſus tempore *C.* Vnde antequam curſus ſit, cum eſt, & poſtquam fuit, repræſentatur eodem modo, vt rectè probat Pat. Vazquez tom. 1. 1. part. diſp. 64. num. 21. fine.

Secundò probatur idem in ſcientia beata, qua vnus beatus videt in Verbo aliqua futura: quam viſionem certum eſt non mutari ad phyſicam obiecti mutationem, quia obiecto, vt fuit obiectum illius, conformatur: & illud repræſentat pro ſua temporis differentia, vt fuit in illa: eſto in aliis differentiis ſit aliter, vt effigies pueri Ieſu eſt vera relata ad infantiles eius annos: quamuis eum iam virum non repræſentet. Conſtat ergo ſolos actus dependentes actu à ſenſu externo mutari ad phyſicam mutationem obiecti, quia ab eo accipiuntur ſpecies: reliqui verò actus cum non dependeant ab obiectis phyſicè, non mutantur neceſſariò ad phyſicam mutationem illorum. §. 80.

Ad primum concedo actum illum, cum primum prolatus eſt, tendere in actualem exiſtentiam obiecti: nego tamen eum actum pendere ab illa exiſtentia exercita quouis tempore, ſed exercita tempore *C.* quia licet non exerceatur quouis tempore, ſemper tamen repræſentatur exercita tempore *C.* vt ſic autem eſt obiectum talis actus. Ad confirmationem reſpondeo, eamdem propoſitionem eſſe poſſe de obiecto futuro, præſenti, atque præterito; vt patet in ſcientia Dei, & beatorum, quia idem obiectum per ſolam connotationem extrinſecam temporum diuerſorum eſt præſens, præteritum, & futurum, v. g. curſus Petri tempore *C.* eſt præſens ipſi *C.* & futurus reſpectu temporis *A.* & *B.* præteritus autem reſpectu temporis *D.* quia iſtæ denominationes tantum ſignificant vnas partes temporis præcedere, alias ſubſequi illud inſtans: Cum ergo propoſitio mentalis de curſu Petri tempore *C.* longo tempore duret, quando eſt in tempore *A.* & *B.* reſpicit obiectum vt futurum: quando verò aduenit tempus *C.* reſpicit obiectum præſens, quia tam obiectum, quam actus exiſtunt tempore *C.* quando verò aduenit tempus *D.* propoſitio reſpicit obiectum vt præteritum; ſemper autem illud reſpicit intentionaliter. Per propoſitiones autem de præſenti, aut futuro tantum volumus ſignificare obiectum adeſſe vel abeſſe quando actus primo prolatus eſt, & hanc diuerſam connotationem indicauit S. Thom. ſupra ad 4. cum dixit, *Sortes ſedebit, ſedet, ſedit*, diuerſo modò ſignificare obiectum, ideſt, *ſedebit*, vt futurum, &c. §. 81.

SECTIO VI.

De veritate propoſitionis de futuro.

SVBSECTIO I.

Quid ſit rem abſolutè eſſe futuram.

PAucis expediam, & confirmabo, quæ de futuritione rerum occurrunt, timens Ariſt. ſententiam in eos, qui res per ſe notas non capiunt, niſi per alias, quæ non ſunt per ſe notæ: quid autem ſit rem eſſe futuram adeo per ſe notum videtur, vt verba deſint, quibus clarius explanetur. Ac timeo in futuritione inquirenda ne quis arbitretur *me in ſcirpo quærere nodum*. Ac primum pono ex Aug. tom. 1. lib. 11. confeſſionum, cap. 14. futurum & præteritum non eſſe, ideſt, eo inſtanti, reſpectu cuius ſunt præterita, aut futura nullum habere eſſe. Nam quæ modo ſunt, & poſtea erunt, non tam dicuntur futura, quàm permanere in eſſe. Verba Auguſtini. *Duo ergo illa tempora præteritum, & futurum quomodo ſunt? quoniam & præteritum* §. 82.

præteritum iam non eſt, & futurum nondum eſt. Quam doctrinam ſæpius repetit vſque ad cap. 20. Futurum ergo & præteritum referri poſſunt & ad tempus, cui ſunt futurum, & præteritum; & quo ſunt præſentia. Comparatione priorum temporum, verè non ſunt res ipſæ, quæ futuræ ſunt; ſi enim craſtina lectio eſſet nunc ſecundum ſuam entitatem, reſpectu huius temporis non eſſet futura, ſed præſens, de quo nulli hominum poteſt eſſe dubium.

§. 83. At verò licet res futura modo non eſt, ſed erit cras, volunt nonnulli nunc eſſe rerum futuritionem,& eam ab æterno aliquid fuiſſe: nullus enim ſanæ mentis negare poteſt nunc rem eſſe futuram, ſiue modo eſſe futuritionem rei, qua nunc eſt futura: ergo modò habet aliquod eſſe, quo modò conſtituitur in eſſe futuræ cras. Antecedens eſt vel pueris notum: ſunt enim tria tempora; præſens, præteritum, futurum: ergo nunc eſt quo præſens ſit præſens, & quo præteritum ſit nunc præteritum, & futurum nunc ſit futurum: ergo nunc ſunt temporum præteritorum præteritio, & futurorum futuritio, ſicut præſentia præſentium. Hæc autem futuritio eſt ab æterno, quia tempus eſt ab æterno futurum; ergo ab æterno eſt futuritio, quæ realiter denominat rem futuram ab æterno, quid ergo eſt illa futuritio? Confirmatur, rem modo eſſe futuram aliquid eſt diſtinctum ab eſſe poſſibili modo: ergo futuritio aliquid eſt modo.

§. 84. Hoc argumento luſit Auguſt. ſup.& illuſit eos, qui dicunt tria eſſe tempora præteritum, præſens & futurum. Quia verò non deſunt, qui doctrinam de rerum futuritione velint ex Auguſtino obtenebrare, & impugnare communem, libuit breuiter, & communem tueri, & Auguſtinum à ſingulari opinione vendicare. Cui mens eſt ab eo cap. 14. concludere ea tantum eſſe, quæ ſunt præſentia: quæ vero non ſunt præſentia,non eſſe. Recognoſce cap. 15. cap. autem 18. hæc ait. *Scio vbicumque ſunt non ibi ea futura eſſe aut præterita, ſed præſentia.* Concludit autem controuerſiam cap. 20. his verbis, *Quod autem nunc liquet, & claret, neque futura ſunt, neque præterita. Nec propriè dicitur tempora ſunt tria, præteritum, præſens, & futurum:* & infra, *dicatur,& tempora ſunt tria, præteritum, præſens, & futurum, ſicut abutitur conſuetudo; dicatur, nunc non curo, nec reſiſto, neque reprehendo: dum tamen intelligatur quod dicitur: neque id quod futurum eſt, eſſe iam: neque id quod præteritum eſt. Pauca ſunt enim quæ propriè loquimur, plura non propriè, ſed agnoſcitur quid velimus.*

§. 85. Vnde luce clarius conſtat ab Aug. ſentiri impropriè dici eſſe tria tempora, quia hæc phraſis, *tempus eſt futurum, tempus eſt præteritum,* iungit terminos propriè mutuo contradicentes, quia præteritum non eſt, nec futurum eſt, quo ergo pacto dicitur *eſt futurum, eſt præteritum?* Ac ſi quis diceret *eſt fuit, eſt erit.* Ex hac enim repugnantia terminorum probat Auguſtinus abuſum huius phraſis. Quam tamen ait non eſſe reprehenſione dignam, quia ſermo improprius nobis eſt familiarior quàm proprius: vocum autem abuſum ait emendari propria intelligentia. Aduerſarij autem vocum improprietatem prementes, eam in mentem conantur transferre, & volunt ab Auguſt. adoptari, eam clariſſimè vt ſpuriam reiiciente, ac damnante improprietatis.

§. 86. Dices ab Auguſt. doceri futura, ac præterita conſtitui per actum intellectus, non quod ita deſipuerit Auguſt. vt res ipſas futuras cenſeret eſſe in mente, ſed quia in ea eſt illarum notitia, quam formaliter connotant in ratione futurarum: ait enim cap. 2. *Sed fortaſſe propriè diceretur, tempora ſunt tria, præſens de præteritis, præſens de præſentibus, præſens de futuris. Sunt enim hæc in anima tria quædam: & alibi ea non video: præſens de præteritis memoria, præſens de præſentibus contuitus, præſens de futuris expectatio.* En ab Auguſt. tam clare dici futuritionem & præteritionem rerum eſſe in ſolo intellectu, vt à nullo mentis compote negari poſſit.

Verum Auguſt. nec cogitaſſe de hac ſententia patet primò: quia ſi quis eam Auguſt. imponit, fatetur ingenuè nulli poſt Auguſtini memoriam in mentem incidiſſe, ſed à ſeipſo primum erutam in lucem: nec vero ſimile eſt in rem tam propatulam nullum Theologum incidiſſe. Secundò, quia Auguſt. eadem ratione conſtituit contuitum præſentem de præſentibus, qua expectationem præſentem de futuris: ſed res præſens conſtituitur ſola phyſica exiſtentia ſine connotatione ad intellectum: ergo futura ſe ipſis conſtituuntur futura abſque præſenti de illis exſpectatione. immò expreſsè Auguſt. cap. 17. & 18. ait ſola præſentia eſſe; ergo Auguſt. non conſtituit futurum per expectationem præſentem de illo. Tertiò, quia poſt verba adducta concludit, futura dici eſſe futura, & tempora dici tria, non propriè, ſed per abuſum: at præſens expectatio de futuris non dicitur eſſe abuſiuè, ſed propriè. Quia ergo Auguſt. conſtanter cenſet nihil eſſe niſi præſens, nihilque videret circa præteritum, & futurum, quod præſens eſſet, niſi cognitiones de tribus temporibus, ideo dixit poſſe illa dici tria tempora: non dixit per ordinem ad illa futurum dici futurum (vt dicunt hi authores) ſed illas tres cognitiones, quia ſunt exiſtentes, poſſe dici tria tempora. Quia verò vidit communiter dici tria eſſe tempora, idque communiter intelligi de temporibus ipſis, non verò de cogitationibus temporum, concluſit dicendum tria eſſe tempora, non propriè, quia *futurum*, & *eſt* impropriè iunguntur, ſed impropriè & per abuſum. Si autem Auguſt. aliquid videret exiſtens de præſenti, per quod futurum verè diceretur eſſe futurum, ad illud recurreret, & non ad abuſum phraſis: deberentque aduetere ab Auguſt. ſatis ſollicitè nos moneri, vt bene intelligatur quod dicitur, nequis arbitretur eſſe aliquid rem eſſe futuram, ſed ea phraſi impropriè ſignificari, quod *res erit*. §. 87.

Eſt ergo futurum ex mente Auguſt. & reipſa, *exiſtentia rei in inſtanti ſequenti connotando carentiam ſui in inſtanti præſenti.* Ad futurum propriè requiri carentiam ſui in inſtanti, comparatione cuius dicitur futurum, patet ex §. 82. Requiri autem exiſtẽtiã in inſtanti ſequenti eſt per ſe notum, alioquin non erit. Hæc ſufficere patet: quia exiſtentia rei in inſtanti ſequenti erit formaliter poſt hoc inſtans abſque connotatione ad aliquid aliud: ſed rem eſſe poſt hoc inſtans formaliter, eſt formaliſſimè eam eſſe futuram; ergo rem eſſe futuram formaliter eſt abſque connotatione ad intellectum. Maior videtur clara, quia inſtantia ſequuntur phyſicè vnum poſt aliud ex ipſa temporis natura, quin hæc conſequutio naturalis connotet formaliter actum intellectus; nam ante omnem notitiam intuitiuam Dei de temporis exiſtentia, eſt illa naturalis conſecutio. Minor patet ex arte grammatica, vbi docti ſumus pueri in explicatione temporis futuri perinde eſſe *res erit*, & *res futura eſt*. §. 88.

Dices: *Res erit* poſt hoc inſtans abſque connotatione ad intellectum: at non eſt futura abſque connotatione §. 89.

connotatione, quia *eſt futura* dicit aliquid de præſenti, per quod res nunc non exiſtens, habet eſſe nunc futuram: quod non habet ex eo præcisè, quod erit. Mihi gratæ ſunt illorum profundæ meditationes, qui etiam in verbo inani quærunt ingenij nucleum;quem modò expedit enucleare. Ac primum Auguſt. adductus non diſtinxit inter *erit*, & *futurum eſt*, dixit enim *modo non eſſe futurum, quia futurum nondum eſt, ſed erit*: quamobrem *eſt futurum* dixit eſſe phraſis abuſum.

§. 90. Secundo, quia de temporum diſtinctione agitur, accerſamus Nebriſſenſem qui cap. 5. de coniugatione, hæc ait. *Nam qui dicit, ego amabo Deum, nihil aliud ſignificat, quam futurum eſſe tempus, in quo Deum amare inchoabo.* Eo autem cap. 4. §. *de modo infinitiuo*: ait hanc vocem *futurum* deriuari ab antiquato verbo *fuo fuis*: ex cuius tempore præterito & futuro *rus*, & ex præſentibus, & imperfectis verbi *ſum* conflatur verbum ſubſtantiuum *ſum es fui*. Vnde ſicut in aliis verbis æquiualent futura imperfecta futuris in *rus*, ita æquiualuit in *fuo fuis*:& ſicut *ego amaturus ſum*, & *ego amabo* ſunt omnino termini ſynonimi: ita *ego fuam*, & *ego futurus ſum*. Etenim Grammatici participiis tam actiuis, quam paſſiuis adiungunt verbum *ſum* ad explicanda tempora præterita, & futura. Immo præterita non habent vocem paſſiuam, niſi cum participio, & verbo *ſum*, vt *ego amaui Deum* redditur paſſiuè *Deus amatus eſt vel fuit à me*. Similiter futura redduntur per futurum in *rus*, & verbum *ſum*. Quod cõfirmo ex aliquibus verbis actionem ſignificantibus in actiua & paſſiua voce, perinde enim eſt, *ego aſſenſi huic opinioni, ac ego aſſenſus ſum huic opinioni*; ita *res præteriyt*, & *præterita eſt*, ſunt termini ſynonimi, & ſicut res præteriit ſine connotatione ad meum intellectum, ita eſt præterita. Itidem præterita erit, præteribit, erit, & futura eſt, vel erit ſine connotatione ad intellectum. Hæc manifeſtè Ariſtoteles explicuit. 5. Met. cap. 7. iis verbis. *Nihil enim differt, homo conualeſcens eſt, & homo conualeſcit*: ergo nihil differt homo conualeſcet, & conualeſcens erit: item conualeſcet & conualiturus eſt.

§. 91. Ad obiectum & argumentum ex §. 38. Reſpondeo illi nullum eſſe locum, ſi præ oculis haberetur monitiuncula Auguſtiniana, qua præmonuit rem eſſe futuram eſſe phraſis abuſum: qua videmur coniungere futurum cum præſenti. Reſpondetur igitur, rem eſſe futuram non nunc, ſed cras: quamobrem nunc neque eſt futura, neque habet futuritionem: ſed nunc dicitur futura cras, non tamen nunc futura. Quia verò communiter confunditur affirmatio cum exiſtentia; inde oritur abuſus affirmandi rem nunc eſſe futuram: quapropter dixit Auguſt. futura non eſſe, quia modo non habent eſſe neque præſens neque futurum, ſed illud habebunt, & quia illud habebunt, dicuntur eſſe futura: & ſicut illud non habebunt nunc, neque erunt nunc, ſed cras: ita non ſunt futura nunc, ſed cras: ſicut ego non ſum amaturus nunc, ſed cras: ita res non eſt futura modo, ſed erit: ait enim Auguſtin. ſupra cap. 18. *Pueritia mea, quæ iam non eſt, in tempore præterito eſt*, & cum Ioannes Lucæ 3. 7. dixit *quis oſtendet vobis fugere à ventura ira?* Num ita erat ventura tunc? an poſt diem illum baptiſmi? quando ergo venit; tunc erat ventura, & quando res erit, tunc eſt futura.

§. 92. Ad probationem reſpondetur, tria eſſe tempora abuſiuè: impropriè enim dicitur *eſt futurum*, ſed ſublato *eſt*, proprie diceretur res *futura*: ex hac autem impropria locutione anſa arripitur ad quærendam de præſenti rem quæ ſit futuritio, cum non ſit niſi in futuro: in quo conſtituit rem exiſtentem, quæ per connotationem ad tempus præcedens dicitur futuritio per extrinſecam denominationem. Ad id quod dicitur rem ab æterno eſſe futuram, reſpondetur, eſſe falſam propoſitionem, ſi Ly *ab æterno* denotet futuritionem fuiſſe in æternitate, ſicut Deus dicitur eſſe ab æterno, ideſt in æternitate: eſt enim latiſſima æquiuocatio rem fuiſſe in æternitate futuram, aut futuritionem fuiſſe in æternitate: quia futuritio eſt ratio per quam res erit poſt hoc tempus, dicere autem nunc eſſe futuritionem, perinde eſt, ac dicere *nunc eſt erit*. Neque aduerſarij opinantur futuritionem eſſe ab æterno, ſed ab æterno eſſe aliquid connotatum per futuritionem. Quis autem dicat rem eſſe futuram formaliter eſſe, rem eſſe cognitam? aut confundat denominationem phyſicam cum intentionali?

Si autem Ly *eſt ab æterno futurum* denotet rem eſſe ab æterno, ideſt poſt æternitatem, & comparatione totius æternitatis dici futuram in ſua temporis differentia, vera eſt propoſitio: dummodo aduertas cum Auguſtino phraſim eſſe impropriam, & intelligi quid velimus. Eſt autem nobis etiam commune dicere, *rem eſſe*, quando eſt vera propoſitio, qua dicitur *eſſe*; cuius exemplum eſt in Hieronymo in cap. 23. Matthæi *Paulus*, inquit, *occiſus, crucifixus Petrus, flagellati in actibus Apoſtolorum diſcipuli*: at in lib. actuum non ſunt flagellati, ſed in concilio Phariſæorum: quia vero in eo libro vere dicuntur eſſe flagellati, ideo dicuntur à Hieronymo flagellati in actibus Apoſtolorum: itidem, quia in tota æternitate verum erat dicere, *res futura eſt*, quia futura erat in inſtanti poſt æternitatem, quod inſtans comparatione æternitatis ſemper fuit futurum, ideo dicitur, *ab æterno eſſe futura*. §. 93.

Obiicis primo, rem in ſua temporis differentia non eſſe futuram, ſed præſentem: ergo futura eſt ante illud inſtans, ergo futuritio eſt ante illud inſtans. Aduerte, aliud eſſe rem eſſe futuram in aliquo inſtanti, aliud eſſe futuram comparatione alicuis inſtantis. Reſpondeo ergo: rem fuiſſe futuram in inſtanti in quo eſt præſens; non comparatione illius, ſed præcedentium: ſicut in eodem inſtanti eſt præterita comparatione ſequentium. Quemadmodum qui ſedet medius inter duos, exiſtens in illo loco eſt poſterior dextro, & prior ſiniſtro, per comparationem tamen ad illos. Ita inſtans *B*. ſeipſo ſine alio intentionali connotato eſt poſterius quam inſtans *A*. & prius quam inſtans *C*. in quo conſiſtit ratio futuri, & præſentis: Nam ratio prioris, & poſterioris in inſtantibus eſt ratio futuri, & præteriti. Poſſumuſque ratiocinari, vt de relatione diſput. 15. ſect. 2. & 3. Metaph. quemadmodũ enim Antonius, per quantitatem quinque vlnarum ſignificatam in recto, connotantem in obliquo quantitatem quatuor vlnarum Franciſci, eſt maior Franciſco: & per eamdem quantitatem in recto ſignificatam, comparatam quantitati ſex vlnarum Petri, eſt minor Petro: è contra vero Petrus per ſuam quantitatem in recto connotando in obliquo quantitatem Antonij eſt maior Antonio, ita inſtans *B*. in recto ſignificatum, connotando inſtans *A*. eſt futurum reſpectu illius: è contra vero inſtans *A*. in recto, connotando in obliquo inſtans *B*. eſt præteritum comparatione illius: res autem illis inſtantibus coëxiſtentes denominantur ab illis futuræ, aut præteritæ. §. 94.

Dices

§.95. Dices ſecundò, rem futuram habere neceſſariam connexionem cum futuritione, ſed ab æterno nihil eſt, cum quo habeat neceſſariam connexionem, niſi cum cognitione Dei. ergo. Primùm minor vniuerſim eſt falſa: quia futura neceſſaria habent connexionem antecedentem ad viſionem cum voluntate efficaci Dei: futura etiã libera prius ratione quam videantur exiſtere, intelliguũtur habere connexionem cum ſcientia media, & voluntate congruè vocãdi. Vnde non vna,ſed multiplex erit futuritio.Deinde illa cõnexio futuri in ratione futuri non eſt cum aliquo antecedenti exiſtentiam rei futuræ, ſed eſt ex ſuppoſitione ipſius exiſtentiæ futurę cõparatę tempori antecedenti:vt quod erit, ex ſuppoſitione quod erit,neceſſariò erit,quemadmodum quod eſt,eſt eodem modo neceſſarium.Ex hac ſuppoſitione exiſtentiæ futuræ, & futuritionis in inſtanti ſequenti; oritur in æternitate cognitio intuitiua Dei de eodem futuro: ex cuius ſuppoſitione iam res non poteſt non eſſe futura, quia hæc cognitio iam ſupponit futuritionem inſtanti ſequenti. Quod & nihil aliud Auguſtinus dixit lib. 26.contra Fauſtum Manichæum,cap.4.& 5.

§.96. Dices tertio: res futura habet à ſuis cauſis eſſe futuram, ergo per ordinem ad illas conſtituitur in eſſe futuræ. Diſtinguo antecedens, habet efficienter, concedo, formaliter nego, vt patet in exiſtentia actuali. Cauſæ autem connotantur, vt cæteræ cauſæ connotantur ab effectibus. Vnde patet res futuras nihil habere magis, quam poſſibiles ante illud inſtans, in quo ſunt futuræ, & quia in illo exiſtunt, differunt à poſſibilibus. Item futuritionem eſſe exiſtentiam rei inſtanti ſequenti: & ante illud inſtans nihil eſſe futuritionem, ſed pro inſtanti antecedenti connotari carentiam rei futuræ, & futuritionis.

SVBSECTIO II.

Impugnata Ariſtotelis opinio.

§.97. ARiſtot. 1. Perihemen. cap. 8. aſſeruit in propoſitionibus vniuerſalibus de futuro contingenti eſſe determinatam veritatem, aut falſitatem, vt in his, *omnis homo curret, aliquis homo non curret*: at verò in propoſitionibus ſingularibus de eodem futuro,vt in his *Petrus curret, Petrus non curret*, nullam eſſe determinatè veritatem, vel falſitatem in ſenſu (vt logici dicunt) diſiuncto: non autem diſiunctiuo: ideſt non poſſe determinatè fieri deſcenſum ad veritatem,vel ad falſitatem,determinatè, ſed ad vtramque diſiunctim vel diuiſim cum diſiunctione *vel*. Vnicum fundamentum Ariſt.eſt, quia ſi hęc propoſitio *Petrus curret*,eſt determinatè vera,tollitur futurorum libertas. Nam ſi hodie eſt vera, ergo & heri, & nudius tertius fuit vera,ergo ab æterno fuit vera, ergo Petrus ab æterno erat curſurus determinatè,ergo non potuit nõ currere: quia quod eſt ab æterno futurum, non poteſt non eſſe futurum. Confirmatur, quia ſi hæc popoſitio fuit ab æterno vera,ergo non poteſt eſſe falſa;ergo non potuit oppoſitum fieri, nam ſi potuiſſet fieri, potuiſſet & propoſitio eſſe falſa.

§.98. Hunc errorem ebibit ex Ariſtot. Cicer. de diuinatione, qui vt libertatem arbitrij defenderet, negauit Deo præſcientiam futurorũ.In quem dixit Auguſt.5. de Ciuit. cap.5. *Vt homines faceret liberos fecit ſacrilegos.* Ex his fontibus Simon Magus, Vuicleph,hæreticique alij hauſerũt in nobis aut libertatem non eſſe, aut Deum eſſe ignorantem futurorum,& quod mirũ eſt è Chatholicis non pauci (ſed alio fundamento) veritatem, & falſitatem negant propoſitionibus de futuro contingenti:ne ab Ariſt. vel latum vnguẽ diſcedant, qui tamen in eam ſententiam incidit ex errore blaſphemo, quo cenſuit, non poſſe conciliari liberum arbitrium creatum cum præſcientia Dei. Igitur Ariſt. turpiter erraſſe adſerit P.Suarez.In opuſc.lib.1.de ſcientia Dei c.2. n.11.cum Bonauentura,Greg.Maiore,& aliis,quibus P.Vazquez ſubſcripſit 1.p.diſ.66.n.11.Ioannes Capreolus, & recentiores nonnulli conantur Ariſt. ab hac opinione vendicare, ſed immerito, vt P.Vazquez oſtendit, probans ex nonnullis partibus Ariſt. negaſſe Deo prouidentiam de futuris liberis ſingularibus: quid igitur refert eum ab inuidia huius opinionis vendicare?

§.99. B.Thomam, eiuſque nonnullos diſcipulos ego lubens exponam; cuius authoritas pluris intereſt Eccleſiæ quàm Ariſtotelis.Cum ergo aiunt propoſitiones eſſe diſiunctiuè veras aut falſas, non loquuntur de ipſis in ſe. Nam Deo & prophetis tribuunt veram cognitionem (quam negauit Ariſtoteles) ſed loquuntur quoad nos: quibus res non ſunt intentionaliter præſentes: nec eſt fundamentum ad dignoſcendum vtrum ſint veræ? an falſæ? Ex ipſo S.Thom.2.2. q.171. art.6. ad 2. meliorem accipio interpretationem.Ibi enim diſtinguit duos ſtatus futuri cõtingentis: alterum in cauſis;in quibus non ſunt determinati ad vnam partẽ, ſed ſunt indifferentes: quod perinde eſt ac cauſas ipſas non eſſe determinatas in actu primo ad alterã partem, quia non eſſent liberæ. Alter ſtatus eſt futuri in ſe: in quo ait futurum eſſe determinatum iis verbis. *Et quamuis futura cõtingentia, prout ſunt in ſe ipſis,ſint determinata ad vnum*: vtriuſq; autem ſtatus cognitionem tribuit Deo. *Et quamuis* (inquit) *iſta duplex cognitio ſemper in Deo coniungatur.* En verbum pro verbo ſentẽtia noſtra in S.Thoma: quia propoſitio de futuro terminatur ad illud in ſe; & quia habet obiectum determinatum, aut (vt melius dicam) determinandum tempore futuro, ideo eſt vera.

§.100. Ariſtot. autem ex eo errore in hanc incidiſſe ſentẽtiam probo:quia cenſuit propoſitiones determinatè veras ab æterno de futuris contingentibus è medio tollere libertatem, ergo negauit omnem propoſitionem ab æterno determinatè veram: ergo negauit Deo ſcientiam ab æterno de futuris contingentibus: quia illa eſt propoſitio ab æterno determinatè vera. Cõfirmatur, ſi ipſe cenſuiſſet Deum habere ab æterno actum, quo cognoſceret Petrum cras determinatè curſurum, cognoſceret quidem illum actum eſſe certũ, & determinatum, ab æternitate repræſentantem obiectum futurum. Si ergo ille coguouiſſet hanc ſcientiam Dei, illam diceret eſſe veram: Deo enim vel lumine naturæ repugnat actus falſus, vel indifferens ad falſitatem: ergo ſi hoc cognouiſſet, non negaſſet abſolutè propoſitiones ab æterno veras cum libertate futurorum conciliari: quia ſicut illa ſcientia, & propoſitio Dei non læderet libertatem, ita nec quæuis propoſitio creata, ergo cenſuit omnem propoſitionem ab æterno veram, diuinam, & humanam cum libertate pugnare: & ipſe pro viribus libertatem defendit, ergo negat omnem propoſitionem ab æterno veram, tam humanam, quam diuinam. Quod adeo ſacrilegum eſt,vt Auguſtinus rectè ſupra dixerit propriam Dei vocem ignorare, qui Deum admittit ignorantem futurorum, quia nec poteſt prouidere, nec mundum ſapienter adminiſtrare; qui enim ignarus eſt futurorum euentuum, non poteſt ſibi, ac ſuis certo, & infallibiliter prouidere.

Non

§.101. Non ſolum de Deo malè ſenſit Ariſtot. verum etiam in philoſophia errauit ineptè: primò, quia adſeruit propoſitiones eſſe in ſe veras, vel falſas, non determinatè, ſed confuſè: hoc autem in Philoſophia repugnat, ergo. Probatur minor, quia à parte rei non dantur indiuidua vaga; ſed quidquid eſt à parte rei; eſt ſingulare determinatum, & diſtinctum ab aliis: eſſe autem vagum connotat actum intellectus; vel voluntatis confuſè aliquid volentis, aut noſcentis; ergo ſi propoſitio habet veritatem, illam habet determinatè; ſi autem falſitatem, illam habet determinatè: vt ſi quis habet aurum, vel argentum, determinatè habet aurum, vel determinatè argentum; non vero confuſè, aurum, vel argentum.

§.102. Confirmatur, quando quis dicit verè *hic eſt Petrus, vel Paulus.* Ille actus eſt de indiuiduo vago: at verò indiuiduum quod hic eſt, aut eſt determinatè Petrus, aut determinatè Paulus, illa autem confuſio ſignificata per ly, *vel*, tantum ſignificat confuſionem, & indifferentiam actus non valentis diſcernere Petrum à Paulo, ergo eſſe res indeterminatas, & vagas, tantum eſt extrinſeca denominatio, ab intellectu, vel voluntate, in ipſis autem rebus omnia ſunt determinatè, aut determinatè non ſunt. Vide quæ dixi diſput. 5. logicæ ſect. 8. ergo cum propoſitio de futuro contingenti in ſe ſit vera, vel falſa, erit determinatè vera, vel determinatè falſa: alioquin non erit vera vel falſa diſiunctim. Quorum vtrumque eſt contra Ariſtot. Adde chymæricam eſſe illam diſtinctionem inter ſenſum *diſiunctum* & *diſiunctiuum*, nam ſicut *copulatim*, & *copulatiuè* ſunt idem, ita, & *diſiunctiuum*, & *diſiunctiuè*, ſicut *ſenſim*, & *ſenſibiliter*, *vniuerſim*, & *vniuerſaliter*. Verum eſt à nobis dici illas propoſitiones veras, vel falſas diſiunctiuè, ſiue diſiunctim, non quia illis à parte rei non conueniat determinatè veritas, vel falſitas determinatè, ſed cum ſimus incerti futurorum euentuum, non poſſumus clarè cognoſcere veritatem, aut falſitatem propoſitionum. Hinc deceptus eſt Ariſtot. quia modum noſtrum concipiendi rebus ipſis attribuit, & ſic explico Theologos Ariſtoteli adſtipulantes voce, non re.

§.103. Secundo impugnatur Ariſtot. quia ipſe ait futura libera modo non eſſe determinatè futura; ſed indeterminatè, in quo eſt apertè deceptus, quia quod erit, determinatè erit, ergo futurum eſt determinatè. Antecedens patet: quia quod erit, erit productum extra ſuas cauſas, nihil enim erit, niſi ſecundum quod erit productum à cauſis, at cauſæ determinatè producent, quod producent, ergo id quod erit, erit determinatè. Prima conſequentia patet, quia quod erit, modo eſt futurum; nam ſi futurum non eſt modo, poſtea non erit: vt in bona grammatica *futurus, a, m*, reſpondet futuro imperfecto modi indicatiui *ſum, es, fui.*

§.104. Confirmatur, quando res aliqua fit, habet determinatè eſſe, vt negat nullus: ſed res quæ modo fit determinatè, toto tempore præcedenti erat futura determinatè: ergo omnia futura ſunt determinatè. Probatur minor, quia per eamdem exiſtentiam, qua res modò eſt præſens, fuit futura toto tempore præcedenti: ergo per ſuam entitatem determinatam fuit futura: ergo fuit futura determinatè. Probatur antecedens, quia ab exiſtentia effectus in hoc tempore, vocatur effectus præteritus toto tempore ſubſequenti: ergo ab eadem exiſtentia fuit futurus toto tempore præcedenti, quia iſtæ denominationes ſumuntur à diuerſis temporis partibus præcedentibus, & ſubſequentibus illud inſtans in quo eſt: ſed illud inſtans, & omnia quæ in illo ſunt, per ſuammet entitatem determinatam fuit futurum toto tempore præcedenti.

Confirmatur, Ariſtot. cenſuit propoſitiones §.105. vniuerſales eſſe determinatè veras vel falſas, vt *omnis homo curret, aliquis homo non curret.* Sumo ergo vniuerſalem eſſe falſam, erit ergo vera particularis: tunc ſic: hæc propoſitio *aliquis homo non curret*, ea ratione eſt vera; quia vnus homo ſingularis, & in particulari non eſt curſurus: nam ſufficit ad veritatem propoſitionis diſiūctiuæ ſi quod dicit, verificetur in aliquo indiuiduo determinato: ſumo ergo illam propoſitionem verificari, quia Petrus non curret, etiam ſi cæteri homines current, ergo etiam hæc eſt vera determinatè, *Petrus non curret*, quia ſicut hæc eſt vera *aliquis homo curret*, currente Petro, ſimiliter hæc eſt vera *Petrus curret* eodem currente: nam per curſum Petri non poteſt particularis verificari, quin aliqua ſingularis verificetur. Vnde aiunt Summuliſtæ propoſitionem ſingularem, & ſubalternam poſſe ſimul eſſe veras, quia vbi vna verificatur, verificatur & alia formaliter. Igitur Ariſt. errauit in ſummulis, Philoſophia, & naturali Theologia.

Nonnulli valde afflictantur de autoritate Ari- §.106. ſtot. illúmque exponunt locutum de futuris comparatis ad ſuas cauſas, ac dixiſſe futura contingentia non habere eſſe determinatum in ſuis cauſis, alioquin euenirent neceſſariò. Verum de cauſis futurorum nec meminit Ariſtot. ſed de ipſa futuritione, nec verò hæc propoſitio *Petrus curret* ſignificat curſum Petri eſſe determinatum in cauſis, ſed eſſe futurum; quod ſi illud diceret, eſſet determinatè falſa, quia cum ille curſus non ſit determinatus, falsò dicitur eſſe determinatus: & conſequenter hæc propoſitio *Petrus non curret* erit vera, quia ſicut *Petrus curret* per te dicit curſum eſſe determinatum in cauſa; ſic Petrus *non curret* dicit curſum non eſſe determinatum in cauſa, quod eſt verum.

Ad argumentum Ariſt. reſpondetur, illas pro- §.107. poſitiones ab æterno fuiſſe aut veras, aut falſas determinatè, & res futuras fuiſſe, aut non fuiſſe futuras determinatè ab æterno: nego tamen inde lædi libertatem; quia res ab æterno futuræ potuerunt ab æterno non eſſe futuræ, at verò ex ſuppoſitione, quod erant futuræ non potuerunt non fuiſſe futuræ: etenim fuerunt futuræ, quia alicui inſtanti ſunt præſentes, illi autem inſtanti poterant non eſſe præſentes: quia ita modò Petrus currit, vt modò ſimpliciter poſſit non currere, & ab hoc curſu præſenti Petrus denominatur futurus currens: eamdem ergo habet neceſſitatem curſus in ratione futuri, aut præteriti, quam habet in ratione præſentis. Vnde ſicut ipſe Ariſtot. dixit *omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe*, non tamen, *omne quod eſt neceſſe eſt eſſe*, ita dico, *omne quod eſt præteritum, aut futurum, dum eſt præteritum, aut futurum, non poteſt non eſſe præteritum, aut futurum, non tamen, omne quod eſt præteritum, aut futurum, neceſſe eſt eſſe præteritum, aut futurum.*

Ad confirmationem reſpondeo, illam propoſi- §.108. tionem non eſſe veram neceſſariò ſimpliciter, quia ſimpliciter potuit res non eſſe futura, in quo caſu eſſet falſa propoſitio: eſt tamen vera neceſſariò ex ſuppoſitione quod res ſit futura, quare dum non tollitur illa ſuppoſitio, non tollitur veritas illius propoſitionis. Illam autem ſuppoſitionem non imponere neceſſitatem futuris, probatur: quia prius ratione res intelligitur futura, & exiſtens in

aliqua

aliqua temporis differentia, quàm cognoſcatur à Deo, aut propoſitio ſit vera: hæc eſt enim bona cauſalis, *ideo Deus videt futura, quia illa futura ſunt, & ideo propoſitio eſt vera; quia eius obiectum eſt futurum*, quia *ab eo quod res eſt, vel non eſt propoſitio dicitur vera vel falſa.* Hæc autem cauſalis eſt mala, *ideo obiectum eſt futurum, quia à Deo videtur, aut quia propoſitio eſt vera.* Itaque ſcientia ſimplicis intelligentiæ Dei, quia eſt cauſa rerum, eſt prior rebus ipſis: ſcientia autem viſionis eiuſdem Dei, cum non ſit cauſa rerum, ſed potius ſit ab illis quaſi dependens, licet phyſicè ſit prius quam illæ exiſtāt, tamen illæ ſupponūtur intentionaliter prius ratione: & ſicut quādo ego video Petrum currere nullam impono neceſſitatem curſui Petri; quia ille curſus præcedit ratione viſionem meā, ita res futuræ ratione præcedunt viſionem Dei: quia nō poſſet Deus illas videre, niſi prius ratione res ipſæ ſupponerentur futuræ. Igitur Deus quaſi ſpectat, & quaſi à longè è ſpecula proſpectat ipſos effectus, quos exiſtentes iā in aliqua temporis differentia intuetur ab æterno vt exiſtentes tali tempore: cum ergo hæc ſcientia, & veritas propoſitionis, non præcedant, ſed ſubſequantur illos euētus, nullam illis neceſſitatem imponunt. Hoc ſi Ariſtot. & Cicer. aduertiſſent, non tam male de Deo ſenſiſſent, ſed non mirum, *quia defecerunt ſcrutantes.*

§.109. Nec maiorem difficultatem habēt cætera argumenta. Quod enim aiunt ab Angelo comprehendi propoſitiones de futuro cōtingenti, & conſequenter Angelum ſcire euentus liberos, eſt falſum: Angeli enim ſicut ex natura rei non cognoſcūt euentus futuros liberos, ita neque cōprehendunt actus, vnde illos poſſent cognoſcere: vt d. 12. metaphyſ. probabo. vide ſupra §.58.

§.110. Tertiò argumentantur, quia obiectum non eſt determinatum, ergo nō poteſt cauſare determinatam veritatem. Diſtinguo conſequens, non poteſt cauſare phyſicè, concedo; obiectiuè, nego conſequentiam: nec enim propoſitio affirmat modò eſſe obiectum determinatum, ſed futurum: & determinandum, à qua determinatione futura ſumitur veritas actus. Dices, duas virgas non poſſe eſſe æquales, ſi altera nō exiſtat: ergo neque actus intellectus poteſt eſſe conformis obiecto actu non exiſtenti. Mala conſequentia, quia neque propoſitio de præterito poſſet eſſe vera, nec de futuro neceſſario: cōformatio autem intellectus eſt intentionalis, & tranſcendentalis, atque ita non pendet ab actuali exiſtentia obiecti: ſicut pendet ęqualitas virgarum, quæ eſt prædicamentalis relatio.

§.111. Quartò, ſi propoſitio *Petrus curret*, eſt vera, ergo Petri curſus eſt modò futurus, ergo Petrus neceſſariò curret ex ſuppoſitione quod curret: hæ duæ conſequentiæ ſunt certæ: ergo Petrus abſolutè neceſſariò curret: probo conſequentiam, quia omnis res neceſſariò futura ex ſuppoſitione antecedenti, eſt futura neceſſariò abſolutè, ſed curſus Petri eſt neceſſariò futurus ex ſuppoſitione antecedenti, ergo abſolutè eſt neceſſariò futurus. Probo mi. futuritio curſus eſt ſuppoſitio antecedens curſum, ſed curſus eſt neceſſariò futurus ex ſuppoſitione futuritionis, ergo curſus eſt neceſſario futurus ex ſuppoſitione antecedenti. Probo mai. quia nunc eſt futuritio curſus; quia curſus per te eſt futurus, & nunc non eſt exiſtens curſus, quia nunc Petrus non currit, ergo futuritio curſus antecedit exiſtentiam curſus eiuſdem.

§.112. Hoc argumentum non tam probat propoſitiones non eſſe veras, quàm obiectum non eſſe futurum; nam futuritio ponitur ante veritatem, vnde neceſſitas curſus non tam infertur ex veritate propoſitionis, quàm ex futuritione effectus. Effectum autem, qui erit, non eſſe futurum vel in Grammatica repugnat. Argumentum poteſt aliquem puerili hallucinatione deludere: in forma conceſſis antecedente, & primis duabus conſequentiis, nego tertiam, cum minore propoſitione vlterioris ſyllogiſmi: ad probationem minoris propoſitionis patet ex ſubſectione prima; futuritionem impropriè dici eſſe niſi in inſtāti in quo res verè exiſtit, nec illam eſſe ſuppoſitionem antecedentem, ſed conſequentem: quia eſt ipſa exiſtentia rei futuræ; quæ ex hac ſuppoſitione non poteſt non eſſe futura, vt etiam contingit in præſentibus liberis, & veritate propoſitionum de iiſdem.

SVBSECTIO III.

Impugnata futurorum coëxiſtentia in æternitate.

OMnem propoſitionem de futuro eſſe determinatè veram, aut falſam determinatè, communiſſima eſt ſententia, maximè noſtræ Societatis doctoribus: nec ab exteris arbitror negari propoſitionibus in ſe à parte rei: ſed quoad nos. Probatur primò, propoſitio Dei affirmans *Petrum eſſe peccaturum*, eſt determinatè vera: ergo omnis propoſitio creata quæ idē affirmat, eſt determinatè vera. Patet cōſequentia, quia vtraque propoſitio eſt affirmatio eiuſdem obiecti pro eodem tempore, ergo vtraque habet determinatam veritatem. Confirmatur, non minus cōformatur propoſitio creata cum obiecto, quam increata, cum obiectū ſe habeat eodem modo reſpectu vtriuſque: ergo vtraque eodem modo eſt vera. Et quidem, ſi agnouiſſet Ariſt. eſſe ſcientiam de futuris, nulli propoſitioni negaſſet veritatem, vel falſitatem determinatam. §.113.

Dicunt Thomiſtæ, actum diuinum eſſe verum, quia terminatur ad rem nō vt futurām, ſed vt præſentem, vel coëxiſtentem æternitati Dei: opinantur enim res futuras habere neſcio quam præſentiam in æternitate Dei, quia Deo nihil eſt præteritum, aut futurum, quod videntur ſumpſiſſe ex S. Thom. 1. p. q. 14. art. 13. §.114.

Verum hæc ſolutio continet aliquid abſurdum, & non effugit difficultatem. Primum probatur, quia res ab æterno nullā habet exiſtentiam realem, quia ab æterno nihil eſt productū, *in principio* enim *creauit Deus cœlum & terram:* quis autē dicat puerum recenter natum, eſſe quinquagenarium? Ergo res non ſunt præſentes Deo in æternitate, neque illi coëxiſtentes. Patet conſequentia, quia non pōteſt vna res coëxiſtere alteri, quin exiſtat, neque eſſe realiter præſens, quin ſit realiter. Neque opinor Thomiſtas opinari res ab æterno eſſe realiter præſentes Deo, cum ſit Fide ſanctum, res ante mundi cōſtitutionem neque fuiſſe, neque eſſe productas, loquuntur ergo de alia præſentia (vt ex S. Thom. patet) nempe de præſentia obiectiua, & intentionali: Deo enim ſunt præſentes in intellectu omnes euentus modò exiſtentes, præteriti, atque futuri, quia omnes intuetur Deus ac ſi eſſent phyſicè præſentes. §.115.

Quidam Mamercico dente (pro more) arrodit P. Molinam, & Vazquez, quod ſic S. Thom. exponant, ac impugnent phyſicam præſentiam in æternitate: & affirmat, res prius eſſe realiter exiſtentes in æternitate, quàm in tempore: eáſque habere duplicem exiſtendi modum phyſicum: alterum in ſe & in tempore: alterum verò prius in æternitate, §.116.

quod dicit eſſe formaliter in Deo ſecluſis imperfectionibus. Ac primùm mitto iſtam terminorum æquiuocam implicationem: nam rem eſſe formaliter in aliquo, eſt ibi eam eſſe ſecundum propriam entitatem, & rationem: vt albedinem eſſe formaliter in pariete, eſt ibi eſſe albedinem ſecũdum propriam ſuã rationem: ſed quæ ſunt in aliquo ſecundum ſuam propriam rationem, ſunt in illo ſecundum omnem imperfectionem identificatam cum rebus ipſis; ergo quæ ſunt formaliter in Deo, ſunt ſecũdum omnem imperfectionem illorum. Maior videtur ex terminis nota; ly enim *formaliter*, rationem rei reduplicat, vt *album formaliter*, reduplicat rationem albi: minor eſt certa, quia quando imperfectio rei eſt idem realiter cum eſſentia rei, implicat vnam ab altera realiter ſeparari (vt monſtrabo diſput.6. metaphyſ.) nam eſſentia ipſa eſt, quæ petit ab alio pendere, & recipi, & per ſuam eſſentiã eſt creatura diſtincta à Deo: & anima per ſuam eſſentiam eſt ens incompletum, ergo creaturæ ſunt formaliter in Deo ſecundum ſuas imperfectiones. Et hic qui tam multus eſt in noſtris doctoribus carpendis propter nouitates: ipſe hanc vetuſtatem è quo prompſit armario?

§.117. Deinde, quomodo res fuit in æternitate formaliter? anne reale tempus fuit in æternitate realiter, antequam in ſe? ergo fuit ſucceſſio temporis in æternitate, antequam in ſe: ergo non repugnat res ſucceſſiua ab æterno: cum re fuerit. Dices nõ fuiſſe ſucceſſionem ab æterno. Bene, ergo nec tempus, quod nullibi eſt ſine ſucceſſione, cum per ipſam definiatur. Item cum ipſa temporis ſucceſſio ſit aliquid reale cum tempore exiſtẽs, ergo in tua ſententia ipſa ſucceſſio formaliter fuit in æternitate.

Tertiò, rogo, vtrũ hæc ſit vera propoſitio, *mundus realiter eſt productus ab æterno?* ſi eſt vera, ergo ab æterno mũdus exiſtit, contra ſcripturam, & diſfinitiones Eccleſiæ (quod iſte autor inſinuat.) Cõſequentia patet, quia quod realiter producitur, exiſtit realiter, quia productio realis ad realẽ exiſtentiam terminatur. Si nõ eſt vera, ergo mundus non exiſtit realiter ab æterno: patet conſequentia, quia ſi realiter exiſteret, eſſet productus realiter.

§.118. Dices mundum fuiſſe productum in æternitate non tamen ab æterno. Contra, per te productus eſt in æternitate, antequã in tẽpore, ergo ab æterno: probo conſequentiam: quia quod producitur ante omne tempus, producitur ab æterno: ſic enim ex 1. Ioan. *In principio erat Verbum*, colligit Eccleſia Verbum eſſe æternum, quia iam erat ante tempus: ſola enim ab æterno duratio præcedit totum tempus. Dices produci in æternitate, non eſſe produci ſimpliciter. Contra, ergo nec eſſe ſimpliciter, ergo nec realiter eſſe: ſecunda conſequentia patet, quia quidquid realiter eſt, ſimpliciter eſt: prima patet, quia eſſe creatum, & productio eadem proportione ſunt accipienda.

§.119. Dices, mundum productum in æternitate: non tamen in ſe. Contra, illa productio creata in æternitate verè creauit mundum, quia terminatur ad illum conſtituendum extra cauſas: id enim eſt de ratione productionis, quid igitur aliud fecit Deus in tempore? video eum autorem ſupra affirmare futura non eſſe formaliter in Deo: verum & ſibi eſt aperte contrarius, nec tota illa diſput. ſibi ſatis conſtat, nec conijcies cuius mentis ſit.

§.120. Explicatur: ab æterno nihil exiſtit ſimpliciter præter Deum: nec productum fuit. In Deo ſunt formaliter & eius omnipotentia, & cognitio de termino omnipotentiæ. In hac omnipotentia ſunt creaturæ ſecundũ eſſentias, & poſſibilitatem: à quo modo exiſtendi in Deo non dicuntur futuræ. Præterea ſunt ab æterno in Deo formaliter voluntas creandi hominem & tempus; & ſciẽtia de temporis & hominis exiſtentia. Iſte actus Dei nõ eſt formaliter homo, aut tempus: ſed cauſa illorum: vnde homo non eſt formaliter in illo actu; ſed virtualiter. Præter hæc rogo vtrum aliquid ſit productum ad extra, & exiſtẽs ſimpliciter? An non? ſi primum, ergo creaturæ ſunt ab æterno productæ ſimpliciter, & exiſtentes ſimpliciter. Si ſecundum, ergo creaturæ non coëxiſtunt ſimpliciter ab æterno: ſed tantum exiſtunt voluntas & ſcientia de illis. Hæc ſcientia terminatur non ad ſe, nec ad Deum: ſed ad creaturas non exiſtentes cum illa: ergo carentes exiſtentia cum illa: ergo terminatur ad res non exiſtentes tunc, ſed futuras poſt: nulla eſt ergo præſentia phyſica creaturarum in æternitate. Quo vtraque ſolutio impugnatur.

§.121. Alij acutiùs reſpondent, æternitatem eſſe indiuiſibilem, & quidquid ſemel exiſtit, toti illi coëxiſtere: quia nõ poteſt exiſtere per partes æternitatis, quia nullæ ſunt. In horum ſentẽtia ab eadem præſentia temporali ſunt res præſentes in æternitate: & quidem rectè, licet oppoſitũ alius ſentiat, affirmans hoc eſſe omnino improbabile. Cõtra tamen, ergo ipſa æternitas habet effectus aliquos ſibi futuros phyſicè: probo cõſequentiam, exiſtente æternitate nondum exiſtit effectus qui erit, ergo eſt illi phyſicè futurus: cõſequentia patet, quia in eo conſiſtit ratio futuri: antecedẽs probo: quia antequam mundus fieret, erat æternitas, & nõ mundus: immo & aduerſarij aiunt prius eſſe cognitionem Dei de futuris, quàm ipſa futura in ſe ipſis, ergo.

§.122. Confirmatur, inſtans non durat tantum, quantum Deus, ergo durante Deo, & non inſtante, inſtans eſt aut futurũ, aut præteritum. Ratio à priori eſt, quia ad denominationem futuri, non requiritur ſucceſſio in Deo, ſed ſufficit ſucceſſio in tempore, & temporalibus. Sicut vt Petrus ſit prior me in loco, non eſt opus, vt Petrus mutetur, ſed vt muter ego: id enim ſufficit: ſimiliter vt Deus ſit prior effectu, ſufficit ſi effectus ſit poſt Deum, & habeat ſucceſſionem in ſuo eſſe. Adde exiſtentiam in æternitate eſſe eandem cum exiſtentia in ſe, ſed iſta verè eſt futura, ergo.

§.123. Quæ ita explico, anima eſt indiuiſibilis, & exiſtens in vngue exiſtit ibi tota, non tamen totaliter, & adæquatè; habet enim virtualem extenſionem, per quam eſt in aliis partibus; ita Deus neceſſariò exiſtit in quolibet inſtanti reali, non tamen adæquatè: quia habet virtualem extẽſionem, per quam exiſtit pluſquam quodlibet inſtans. Et quamuis ab æterno ſit æternitas Dei, in qua exiſtit tempus futurum, tamen non coëxiſtit illi tempus nec æternum nec ab æterno, ſed exiſtit poſt. Quod ſi illa eſt præſentia in æternitate, etiam Angelus, & anima habent propoſitiones de futuro veras, præſentia quidem in æuo, cui toti reſpondet tempus, quia etiam æuum eſt indiuiſibile.

§.124. Confirmo primùm totam hãc doctrinam: quia futurum exiſtit præſens phyſicè Deo ab æterno in æternitate, & non in ſe. Pater & Verbum exiſtunt ab æterno ſimul: quia non continentur in aliqua cauſa: ſed habent ſuum eſſe extra omnem cauſam: rogo vtrum futurum ſit ab æterno; præſens Deo, productũ quidem ab ipſo Deo liberè; ſed verè illi coëxiſtens, ſicut Patri coëxiſtit Verbum? ſi id admittitur; ergo res ſunt abſolutè productæ ab æterno. Probo cõſequentiam; quia Verbum ea ratione eſt ab æterno productum. Quod ſi Deus voluiſſet ab æterno producere creaturam permanentem, ſibi

coëxiſten

coëxiſtentem, quid aliud faceret? aut creaturæ non ſunt phyſicè coëxiſtẽtes Deo; vt Verbum coëxiſtit Patri: quia ab æterno nihil exiſtit præter Deum. Si id admittitur; ergo ab æterno non eſt futurum phyſicè præſens, nec Deo coëxiſtens, quia ab æterno non eſt exiſtens.

§.125. Confirmo ſecundò: præterita ſunt liberè præterita, ſicut futura liberè futura. rogo vtrum præterita ſint præſentia in æternitate in ratione præteritorum, vt ſunt in ratione futurorum? ſi nõ ſunt: ergo nec futura ſunt. Probo conſequentiam; quia Deo non minus ſunt præſentia, quæ præterierunt, quàm quæ erunt. Quia æternitas ambit præteritum tempus, ſicut futurum; & omni tempori reſpõdet. ſi autem ſunt Deo præſentia; ergo peccatum remiſſum, exiſtit nunc in æternitate: & actus contradictoriè oppoſiti, qui ſucceſſiuè extiterunt, nunc ſimul ſunt. Arbitror aliquid eos authores voluiſſe, quod nõ ſatis explicuerunt. Nempe Deum omnia habere intentionaliter præſentia ab æterno; cui nihil accidit nouum. verum id volumus: quia enim obiecta erunt determinanda, vt ſint in ſua temporis differentia; ideo Deus ea ab æterno cognoſcit non aliter ac ſi præſentia eſſent. Non eſt huius loci hæc inſequi intentius.

§.126. E quibus probo hac doctrina non effugi difficultatem: quia propoſitio vera Dei eſt ab æterno exiſtens de obiecto nõ exiſtente ab æterno, ſed extituro poſt æternitatem; ergo eſt de obiecto non præſente phyſicè Deo ab æterno: ſed phyſicè futuro poſt æternitatem. Probo conſequentiam: quia non exiſtere phyſicè, eſt non eſſe phyſicè præſens; & extiturum phyſicè eſt eſſe phyſicè futurum; vnde argumentor, ergo & propoſitio creata de eodem futuro eſt vera, quia vtraq; propoſitio fertur in obiectum realiter futurum reſpectu vtriuſque: ergo vtraque eſt vera, quia diuina propoſitio ea ratione eſt vera, quia obiectum enuntiat ſicut eſt futurum, ſimiliter & propoſitio creata.

§.127. Do Thomiſtis præſentiam futurorum in æternitate diſtinctam ab ipſa ſcientia Dei de futuris: ac probo noſtras propoſitiones de futuris eſſe veras, vt eſt propoſitio Dei. Rem eſſe futuram in ſe vel eſt idem realiter & ratione ex parte obiecti: vel eſt diſtinctum. Pono nunc eſſe idem: ergo hæc mea propoſitio. *Petrus curret cras*, eſt vera: quia habet obiectum nunc præſens, cui eſt conformis. Nam per te Petrum eſſe curſurum cras, & Petrum currere de præſenti in æternitate ſunt formaliſſimè idem: ſed mea propoſitio affirmat Petrum curſurum cras, ergo affirmat eum currere de præſenti in æternitate: vt qui aliquid affirmat, affirmat quidquid eſt formaliſſimè idẽ cum illo: ergo ſicut propoſitio Dei eſt vera, quia affirmat obiectum ſibi præſens, ita & mea, quia affirmat illã præſentiam. Nec obeſt illam præſentiam nõ eſſe reſpectu mei: quia actus quo dico, *Petrus & Paulus ſunt mutuo præſentes*, eſt verus; quia affirmo quod eſt de præſenti vt eſt; licet mihi non ſint præſentes. Nec item obeſt, me non attingere euidenter illam præſentiam: quia actus obſcurus de obiecto præſenti eſt verus. Itaque idem omnino re & ratione formali enuntiat vterque actus, diuinus & humanus: & vterque eſt verus: quia *ab eo quod res eſt, vel nõ eſt: propoſitio dicitur vera.* Eſt autem idẽ omnino comparatione vtriuſque. ergo in vtroque fundat veritatem.

§.128. Ponamus nunc, realiter diſtingui futuritionem rerum in ſe & earũ præſentiam in æternitate: quod Thomiſtæ inſinuant. Actus Dei nõ ſolum cognoſcit Petrum currere de præſenti in æternitate, ſed eſſe curſurum in ſeipſo de futuro in tempore: hoc negari nõ poteſt: alioquin Deus aliquod ens reale ignoraret; & in tempore deponeret ignorantiam, quando videret de nouo curſum Petri exercitum de præſenti in ſe, & in ſua temporis differentia: vt nobis quotidie contingit. Ergo actus diuinus non ſolum eſt verus vt affirmat curſum Petri præſentem in æternitatem: ſed etiam vt affirmat eumdem de futuro in ſe, vt patet: ergo meus actus de curſu futuro in ſe & in tempore eſt verus: quia terminatur ad obiectum futurum in ſe & futuro, vt terminatur actus Dei: ergo ſicut illud obiectum vt diſtinctum à præſentia in æternitate, fundat veritatem diuinam, vel terminat; ita & meam. Nec obeſt illud quod eſt futurum in ſe cognoſci in præſentia æternitatis: quia veritas non pendet à medio, aut obiecto formali; ſed *ab eo quod res eſt vel non eſt.* Nam per medium probabile, & falſum poteſt eſſe actus verus: quia licet medium nõ ſit ſicut enuntiatur: at eſt obiectũ concluſionis. aiunt enim ſummuliſtæ, *ex antecedenti falſo, aliquando ſequitur conſequens verum.*

Ponatur autem diſtinctio rationis inter vtrumque ſtatum: tunc ſic, curſui Petri conueniunt duo §.129.
prædicata, & eſſe præſentem in æternitate, & eſſe futurum in ſe, ergo Deus cognoſcit vtrũque prædicatum: quia neutrum ignorat, quamuis enim Deus non diſtinguit ratione animal à rationali, tamen vtrumque prædicatum cognoſcit; immo eo cognoſcit vtrumque, quia Deo non contingit diſtinctio rationis: ergo veritas actus diuini eſt, quia cognoſcit ea duo prædicata ſicuti ſunt in ratione præſentis in æternitate, & futuri in ſe & tempore. Ergo mea propoſitio affirmans alterum prædicatum in ratione futuri in ſe ſicuti eſt, erit vera: quia habet pro obiecto rem ſicuti eſt, vt eam habet cognitio Dei. Nec obeſt cognitione Dei attingi vtrumque, ſecus mea: etenim cognitio qua ego affirmo *hominem eſſe animal*; vera eſt; quia affirmo vnum prædicatum ſicuti eſt; licet nõ affirmo aliud quod ibi eſt. Nec enim ad veritatem requiritur affirmatio omnium prædicatorum, ſed vt id quod affirmatur ſit vt affirmatur. Itaque cognitio diuina de homine eſt vera, quia affirmat de illo animal & rationale: & mea eſt vera, licet affirmem ſolum animal. Ergo eodem modo in præſenti eſt vera propter eamdem rationem.

Aduerte ab Ariſtotele negatã veritatem iis propoſitionibus; quia per eam læderetur libertas circa §.130.
futura; ſed melius læderetur per hanc præſentiam in æternitate: cõtra quam eamdem, & efficaciorem vim habent argumenta è libertate ſumpta: quia illa præſentia præit tota æternitate, ex cuius ſuppoſitione non poteſt futurum non eſſe futurum.

Adijcio duo argumenta non obſcura: alterum, §.131.
nec habere poſſe actus determinatè veros de obiecto liberè futuro: quia, ſi ego affirmo *Petrus nunc in æternitate eſt currens, & curret in ſe cras.* hic actus eſt determinatè verus: quia cognoſcit obiectum vt eſt nunc, & vt erit cras: ergo. Probo antecedens quia (pono Petrum videri à Deo currentem) Petrus nunc eſt verè præſens æternitati, item & curſus: ergo affirmatur obiectum vt nunc eſt de præſenti, item erit cras in ſe: ergo affirmatur vt erit. Nulla ratione cognitio Dei de hoc obiecto eſt vera. Quia *ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa.* immo dico ego: *videt Deus nunc Petrum curſurum cras, & nunc in æternitate eſſe currentem.* Hæc propoſitio eſt determinatè vera, aut determinatè falſa; ſicut hæc *Petrus currit*: quia ſunt de præſenti. ergo hæc eſt vera: *ergo Petrus nunc eſt in æternitate currens, & curret cras in ſe:*

quia;ſi Deus aliquid cognoſcit; erit ſicut ab eo cognoſcitur. Item ex antecedenti vero ſequitur neceſſariò conſequēs verum. Sed ex illo actu vero de ſcientia Dei de Petro currēte in æternitate,& curſuro in ſe, ſequitur neceſſariò actus de curſu Petri in æternitate & in ſe: ergo eſt actus verus.

§. 132. Alterum argumentum eſt à præteritis. Hæc, ſiue præſentia ſint in æternitate ſiue non ſint, terminant propoſitionem veram;ergo & futura. Probo conſequentiam: quia de præſenti nihil habet vtriuſque obiectum in ſe:quia tam præterita quàm futura, non ſunt nunc in æternitate autem eodem modo ſunt, aut non ſunt. At comparatione temporum, tanta erit determinatio futuri in tempore futuro, quanta fuit in præterito: ergo tam verè affirmatur illa determinatio futura,quàm alia præterita. Adde: hæc propoſitio *Petrus curret*, eſt tam conformis obiecto, quàm hæc *Petrus cucurrit:* ſi eſt, ergo tam eſt vera quàm illa: ſi non eſt, ergo habet carentiam conformitatis: quia aut habet conformitatem, aut non habet: ſed carentia conformitatis eſt falſitas. Ergo illa propoſitio eſt abſolutè falſa. Minor patet: quia hæc propoſitio *Antonius non cucurrit* præcisè eſt falſa quod caret conformitate cum obiecto: vera autem eſt, quæ eſt conformis obiecto.

SVBSECTIO IV.

Eadem veritas aliunde probata.

§. 133. SEcundò probo veritatem propoſitionum:Deus videt Petrum cras curſurum: item meam propoſitionem *Petrus curret cras:* ergo eam videt eſſe veram:ergo ita eſt.Probo primam conſequentiam: videt meam propoſitionem eſſe conformem obiecto, illúdque affirmare ſicuti eſt: ergo videt eius veritatem. Conſequentia patet: quia veritas eſt conformatio actus & obiecti: vt pono ex ſect. 5. Confirmatur,Deus apud ſe videt Petrum curſurū: videat actum Petri aſſerentem *Petrus curret:*& aliū Pauli *Petrus non curret:* videt Deus priorem actum eſſe conformem ſuo; actum verò Pauli eſſe contrarium: ergo actus Petri eſt verus,& Pauli falſus: quia alterius cōformitas eſt in affirmanda re ſicut eſt, vt à Deo affirmatur: contrarietas autem alterius in affirmanda aliter ac à Deo affirmatur, & eſt. Quod ſi quis ſciens à Deo dici Petrum curſurum, diceret, *Petrus non curret,* mentiretur apertè. Quia Deo ſummæ veritati contradiceret, & eſſet graui pœna puniendus propter blaſphemam propoſitionem:ergo illa propoſitio fuit falſa, alioquin neque ipſe eſſet mentitus,neque iniuriam irrogaſſet: ergo propoſitio affirmans alterius hominis fuit vera.

§. 134. Secundò argumentor: propoſitio Prophetæ, verbi gratia, *Antichriſtus peccabit*, eſt ſecundum Fidem determinatè vera: ergo ſi priuatus homo ſimilem propoſitionem efformet eodem tempore, habebit eamdem veritatem. Patet conſequentia, quia priuatus homo non minus conformatur cum obiecto, quàm Propheta, cum reſpectu vtriuſque obiectum ſit verè futurum.

§. 135. Dicunt, diſcrimen eſſe latum, quia Propheta innititur diuinæ reuelationi, ſecus priuatus homo. Contra: quia propoſitio Prophetica non eſt formaliter vera ex diuina reuelatione: ſed quia enuntiat rem futuram, ſicuti eſt futura, *ab eo* enim *quod res eſt,vel non eſt,&c.* at priuata illa propoſitio enuntiat etiam rem futurā ſicuti eſt futura. Immo vero diuina reuelatio ea ratione eſt vera,quia rem enuntiat futuram, ſicuti eſt futura, non enim eſſet vera, niſi res eſſet futura: ergo à reali & determinata futuritione obiecti ſumitur illarum omnium propoſitionum veritas. Habet quidem Propheta infallibilem certitudinem ex diuina reuelatione mouente Prophetam, qua certitudine caret actus naturalis: veritas autem eadem reperitur in vtroque.

Confirmatur, ſupponamus Catholicum à Fide defeciſſe,poſteà verò affirmare actu naturali, *Antichriſtus erit*, hic actus eſt ſine dubio verus, ſicut actus à Catholico prolatus, neque per illū actum deficit à veritate hæreticus: qui, ſi diceret *Antichriſtus non erit*, etiam per illum deficeret à Fidei veritate,ergo actus naturales ſunt determinatè veri,& falſi. Diſcrimen inter Prophetā & priuatum hominem ſic explico. Video ego Petrum currere, & id affirmo,hæc propoſitio habet veritatem,certitudinem, & euidentiam: ſi quis autem propter ſolum meum teſtimonium affirmet etiam Petrum currere,eius actus tam verus eſt,quàm meus: cum vterque conformetur obiecto,ſed non tam certus: quia ego habeo certitudinem phyſicam, ille verò opinionem. Ita contingit actibus naturali, & ſupernaturali ratione certitudinis: quia quāuis vterque eſt æqualiter verus: ſupernaturalis tamen eſt certior: equidem à medio ſumitur euidentia, & certitudo: veritas autem ab obiecto:vt dixi §. 128. §. 136.

Tertiò argumentor, ſupponendo Petrum craſtino tempore curſurum: nam eo tempore adueniente Petrus curret determinatè, vel non curret determinatè, nam *quodlibet eſt vel non eſt:* ſuppono ergo eum curſurum, & ita à Deo videri: tunc ſic: hæc propoſitio *Petrus curret cras*, eſt determinatè vera, & eius contradictoria *Petrus non curret cras*, eſt determinatè falſa, ergo propoſitiones ſingulares de futuro contingenti habent determinatam veritatem,& falſitatem.Antecedens probatur,quia propoſitio affirmatiua vera,eſt affirmatio rei ſicuti eſt, & conformis ſuo obiecto: negatiua autem eſt affirmatio rei diuerſo modo ac eſt, & ſuo obiecto difformis, ergo affirmatiua eſt determinatè vera, & negatiua determinatè falſa: conſequentia eſt clara à definitione veritatis, & falſitatis: antecedens probo, quia Petrus verè curret, ſed affirmatiua dicit illum curſurum, negatiua autem eum non eſſe curſurum; ergo altera eſt affirmatio rei ſicuti eſt, & illi conformis, altera verò difformis obiecto,& affirmatio rei diuerſo modo ac eſt. Hāc exiſtimo eſſe demonſtrationem apertam. Suppoſitionem autem, nullam inuoluerè repugnantiam, patet: tum quia Deus cognoſcit Petrum eſſe curſurum, ergo nihil repugnat ſi id ſupponatur, tum etiam quia vt probaui contra Ariſt.res, quæ ſemel eſt præſens fuit determinatè futura toto tempore præcedenti. Tertiò,quia omnis propoſitio tam de præterito, quàm de præſenti, aut de futuro, ſupponit ſuum obiectum ita eſſe, vel non eſſe, vnde ſumitur regula veritatis, & falſitatis: quid ergo repugnat id ſupponere ad dignoſcendam veritatem? §. 137.

Rogas,ſi propoſitio phyſicè eſt prius quam eius obiectū: quomodo illud ſupponat?Reſponſio non eſt difficilis: nam ſicut quando ſimul tempore exiſtunt obiectum & propoſitio: obiectum eſt prius ratione,quam illa,id eſt, in eodem inſtanti eſt fundamentum ad apprehendendum obiectum ſine propoſitione, non tamen è contra: ita contingit quando propoſitio tempore præcedit,quæ ſic phyſicè præcedens, intentionaliter tendit in tempus futurum,in quo tempore reperitur fundamentum, §. 138.

vt

vt obiectum intelligatur prius eſſe, quàm affirmetur ab aliquo pro eodem tempore: non tamen vt prius apprehendatur propoſitio eſſe vera, quàm obiectum exiſtens. Itaque illa prioritas eſt dependentia, aut quaſi dependentia intentionalis actus ab obiecto: & independentia obiecti ab actu, nam *ab eo quod res eſt, propoſitio dicitur vera*: non verò à veritate propoſitionis eſt res. Oſtendi autem diſp. 8. Phyſic. ſect. 8. prioritatem fundari in rerum dependentia.

§. 139. Quartò probo, propoſitiones de futuro eſſe determinatè falſas: quia per te hæc propoſito *Petrus curret*, non eſt determinate vera: quia eius obiectum non eſt determinatè futurū: nam ſi eſſet, propoſitio eſſet vera, ergo eſt falſa determinatè, quia determinatè affirmat obiectum futurum: non enim affirmat obiectum eſſe futurū, vel non futurum: ſed futurum determinatè: nam alteram partem affirmat tantum: ſed obiectum per te non eſt determinatè futurum, ergo affirmat obiectū diuerſo modo ac eſt, ergo eſt falſa. Item eius contradictoria eſt falſa. Quia affirmat determinatè Petrum non peccaturum, cum determinatè non ſit peccaturus, ergo dantur duæ contradictoriæ ſimul falſæ: quod clarius patebit in his propoſitionibus, *Petrus determinatè curret*, *Petrus determinatè non curret*.

§. 140. Tandem, cum quis prædixit futurum, ſi poſtea eueniat, ſicut prædixit, dicimus, *verum dixit ille*. Quod ſi antea id non dicebamus, in cauſa erat ignorantia, vtra pars eſſet futura. Confirmatur, dicat nunc aliquis caſu, & imprudènter, *Deus modo habet ſcientiam viſionis de peccato futuro cras*, & demus Deum habere talem ſcientiam: hæc propoſitio eſt vera, licet incerta, quia eſt de præſenti. Ex illa bene ſequitur hæc conſequentia, ergo cras erit tale peccatum, quia quod Deus ſcit futurum cras, erit, ſicut ſcitur à Deo: item conſequens eſt verum, quia ex vero non ſequitur niſi verum, (vt è ſummulis patet:) ergo datur propoſitio vera de futuro, quia illud conſequens eſt propoſitio vera de futuro contingenti. Hoc non admitteret Ariſtot. qui autem eius ſequuntur autoritatem, rationes negant: omnem enim ſcientiam, & reuelationem tolli oportet ad eam Ariſtot. opinionem.

§. 141. Itaque propoſitio de futuro poteſt eſſe vera, vel falſa: non tamen eadem numero, ſed alia; ſimiliter affirmatiua vel negatiua. Hæc enim Propoſitio *Petrus curret*, ſi ſemel eſt vera, nunquam potuit eſſe falſa: ſi autem Petrus non eſſet curſurus, & quis diceret *Petrus curret*, eſſet per aliam propoſitionem falſam ſpecie diſtinctam à priori.

§. 142. Præſentia rei eſt eiuſdem exiſtentia in aliquo tempore, quæ exiſtentia in tempore præcedenti erat futuritio, in ſubſequenti autem erit præteritio. Hæc exiſtentia eſt prior ratione quàm eius propoſitio, & ab illa independens: vnde propoſitio nullam obiecto neceſſitatem imponit: quia propoſitio non antecedit rem intentionaliter: ſed iam ſupponit: quod ſi ſupponit, ergo nullam illi neceſſitatem imponit.

SVBSECTIO V.

Nonnulla præmitto de fututis conditionatis.

§. 143. Fvtura abſoluta ſunt quæ re ipſa exiſtent aliqua differentia temporis: à qua exiſtentia, quia abſolutè eſt exiſtentia, dicuntur futura abſolutà: non verò quod non pendeant à multis conditionibus. Nam *Petrus bene operabitur*: licet abſolutè erit, tamen cum dependentia à vocatione Dei, & cognitione intellectus. Quæ dependentia non ſignificatur propoſitione categorica: ſed tantum dicitur euentus ipſe. Futura hypothetica, ſiue conditionata vocantur; quæ concipiuntur abſtractè ab exiſtentia abſoluta, ſed ſub conditione ſi aliquid ponatur. E quibus frequentiora ſunt, quæ re ipſa non erunt inſtanti D. eſſent tamen, ſi talis, aut talis cauſa poneretur, vg. Petrus non dabit dotem filiæ: daret autem ſi eam maritaret. En, donatio dotis nuquam erit: quia nunquam erit maritatio: eſſet tamen dotis donatio, ſi maritaretur filia: ratio autem non dandi dotem eſt negatio matrimonij. Cognitio horum euentuum vocatur à P. Molina, Suar. Vazquez & noſtris omnibus *ſcientia media*: quia nec eſt omnino viſionis, nec omnino ſimplicis intelligentiæ, ſed de obiectis in tertio quodam ſtatu, ſiue medio.

Hæc futuritio nihil eſt præter exiſtentiam rei in aliquo inſtanti dependentem à conditione explicata in propoſitione hypothetica: v.g. *ſi Sol oriatur, dies erit*: explicatur exiſtentia diei ex ortu ſolis dependens. Item *Si Chriſtus prædicaret, Tyrij conuerterentur*. Significatur conuerſio Tyriorum exiſtens cum prædicatione ſi exiſteret. Et quemadmodum futuritio abſoluta non eſt præter exiſtentiam rei: ita nec conditionata eſt niſi eadem exiſtentia ſi ponatur conditio. Eſt diſcrimen inter propoſitionem abſolutam & hypotheticam: quod abſoluta non eſt cauſalis, ſecus hypothetica: quia in ea ſignificatur cauſa exiſtentiæ, verbi gratia. *Si Petrus audit, loquetur*, æquiualet huic, *ſi Petrus audit, quia audit loquetur*. §. 144.

Vnde colligo, non eſſe propoſitionem hypotheticam, in qua res ſignificata per hypotheſim non eſt aliquo modo principium, aut conditio rei futuræ. Quare quando ponitur cōditio, à qua non pendet effectus, tunc nèc eſt propoſitio hypothetica, neque effectus ille eſt conditionatus, reſpectu talis conditionis, vt ſi quis dicat: *Si Papa dormit Romæ, Turca ſaltat Conſtantinopoli*, quæ propoſitio nullam habet connexionem, quia ſaltus Turcæ non dependet à ſomno Papæ, nec hic eſt conditio aut cauſa illius: quare illa magis denotat coexiſtentiā vtriuſque rei, quàm veram conditionem alterius ad alteram, & habet hunc ſenſum *Turca ſaltat, & Papa dormit*, quando verò vna res nō eſt conditio, à qua depēdeat altera, explicatur ineptè per voces hypotheticas, quibus ſignificatur cōditio, à qua dependet aliquid. Hypotheſis enim eſt conditio ad aliquid. at vbi non eſt conditio, cur explicatur, ac ſi poneretur? reddit enim falſam propoſitionē: e.g. *ſi Petrus currit, Iohannes loquitur*; *ſi currit Petrus quia currit, Iohannes loquitur*: de his propoſitionibus non agimus, ſed de verè conditionalibus, in quibus effectus à conditione dependet, vt de hac, *ſi Chriſtus prædicaret Tyriis, illi conuerterentur*, vbi prædicatio Chriſti eſſet cauſa conuerſionis Tyriorum. §. 145.

Infero ſecundò, huiuſmodi propoſitiones non eſſe illatiuas, quia licet cauſa ſit neceſſaria ad effectum, effectus tamen non ſequitur ex illa neceſſariò: ſed ita ſequitur, vt poſſet non ſequi: illatio autem denotat neceſſariam connexionem effectus cum cauſa. Hac de re, & de antiquitate harum propoſitionum egi in ſummulis diſputat. 4. §. 1:. Confirmatur, quia effectus liber abſolutè futurus, quando enuntiatur per propoſitionem abſolutam, non enuntiatur in ſenſu illatiuo, licet ponatur in ea cauſa talis effectus, ergo nec quando enuntiatur futurum liberè ſub conditione. Conſequentia patet, à paritate rationis, quia futurū conditionatum nō habet maiorem dependentiam à ſua cauſa §. 146.

poſita ſub conditione,quàm futurum abſolutum à ſua abſolutè poſita. Antecedens probatur, quia hæc propoſitio *Deus vocabit Petrum & ille conuertetur,* non facit hunc ſenſum, *Deus vocabit Petrum, ergo Petrus conuertetur*, quia licet conſequens ſit verum, eſt tamen peſſima conſequentia: conſequentia enim eſt nota illationis,illatio autem ſupponit connexionem neceſſariam cõſequentis cum antecedenti. Cum autem Petrus ita ſit reſponſurus, vt poſſit non reſpondere, ſequitur ineptiſſimam eſſe illationem: veritas autem non ſumitur ex connexione effectus cum cauſa, ſed ab eo quod res erit vel non erit poſita cauſa: ſenſus ergo illatiuus tantum reperitur inter effectus orientes neceſſariò à cauſa.

§.147. Colligo tertiò, deceptos, qui opinati omnes has propoſitiones eſſe falſas niſi conſequens habeat neceſſariam connexionem cum antecedenti, vt in hac. *Si Sol oriretur, dies eſſet*, dies enim neceſſariò annectitur orienti Soli. Vnde hanc propoſitionem, *ſi Petrus petit panem à Paulo, illi dabit panem,* dicunt eſſe ab intrinſeco falſam.Probant,quia hæ propoſitiones ſunt illatiuæ,ergo ad illarum veritatem requiritur neceſſaria connexio cum antecedente: conſequentia eſt euidens:antecedens autem nec probant, nec probabunt vnquam. Hanc ſententiam etiam oppugnant ex aduerſariis, quia non omnis hypothetica ſignificat connexionem abſolutè neceſſariam. Eam ſic prolatam cenſeo male audientem, quia prima fronte videtur Deo impingere propoſitiones falſas. Dixit enim Chriſtus: *Si in Tyro facta fuiſſent hæc ſigna, illi egiſſent pœnitentiam.* Ergo Chriſtus dixit propoſitionem ab intrinſeco falſam. Probo conſequentiam, quia conuerſio Tyriorum non habuit abſolutè neceſſariam connexionẽ cum miraculis Chriſti, nam erat futura liberè: ſed in ea propoſitione per te enũtiatur neceſſaria abſolutè connexio cõuerſionis cum miraculis:ergo enuntiatur falſum ab intrinſeco.

§.148. Secundò impugnatur:multi effectus liberi pendent liberè ex aliqua conditione, qua poſita ponentur liberè; & qua ſublata, liberè non ponentur: ergo illa dependentia libera poteſt ſignificari aliqua propoſitione: conſequentia eſt certa, voces enim ſuppetunt ad eius obiecti ſignificatum:antecedens probo, quia dotis traditio contracto matrimonio eſt libera, & cum illo non connectitur neceſſario, & tamen non ſoluetur à patre fœminæ niſi matrimonium contrahatur, ergo effectus liber pendet liberè ab aliqua conditione: ſed iſta exiſtentia libera,effectuſq; pendens liberè ab ea conditione ſignificatur hac propoſitione,*Si Petrus duxerit Mariam vxorem, pater Mariæ ſoluet dotem:* ergo non omnis propoſitio conditionalis ſignificat neceſſariam connexionem antecedentis cum conſequenti, nec eſt illatiua. Confirmatur in hac: *ſi Chriſtus prædicaret Tyrijs, illi conuerterentur omnino liberè.* Ibi nulla ſignificatur illatio. Equidem tota vita politica pendet ex iis propoſitionibus illatiuis: quibus innixi vniuerſi ferè contractus.

§.149. Aduerte in hac difficultate duas quæſtiones. Alteram, vtrum Deus cognoſcat hæc futura? Alteram,in quo cognoſcat?Poteſt enim eſſe diſſenſio in ſecunda cum conſenſione in prima: vel poteſt in vtraque diſſideri. Nonnulli negabant ſcientiam mediam: quia non videbant, in quo cognoſceret obiectum: & nobis exprobrabant ſummularum ignorãtiam,quod admitteremus hypotheticas non illatiuas. Hi iam conſentiunt in admittenda hac ſcientia futurorum alio nomine,diſſident tamen in modo,quo cognoſcit obiectum.

SVBSECTIO VI.

Hæ propoſitiones ſunt veræ.

§.150. Dico ergo propoſitionem *de futuro libero hypothetico ſeu conditionato eſſe determinatè veram, vel determinatè falſam.* Ita aſſerunt P. Molina, Suarez, Vazquez, Societas vniuerſa, recẽtioréſque permulti. Quam probo primò. Deus habet ſcientiam infallibilem de his obiectis, (authores noſtri mediam vocant:) ergo illa propoſitio Dei habet veritatem determinatã: conſequentia negari nequit, cum repugnet diuinæ ſcientiæ, & propoſitioni veritate carere: antecedens non eſt meum probare, ſed illud pono ex P. Molina,Suarez,Vazquez,Valentia, Bellarm. Alphonſo Mendoça, Fernando Maſcareñas, Ioanne Curiele, & Societate vniuerſa,cui axis eſt hæc ſententia,quo voluitur tota machina prædeſtinationis, conciliationiſque libertatis cum diuinæ gratiæ efficacia,ad quam ſententiam laxis habenis,preſſiſque calcaribus recentiores ferè vniuerſi cucurrere: immo & ex aduerſariis nonnulli de ea ratiocinantes, qua ratione de abſoluta; cenſentes ex ſcriptura & Patribus, ac lumine rationis negari non poſſe à Deo,certò,infallibiliter, & euidenter cognoſci hoc obiectum, *ſi ego vocarem Petrum hac & illa vocatione, conuerteretur*, cum ſæpe Deus huiuſmodi obiecta prædixerit: qua autem ratione id fiat, ſiue in decreto, quod habet de conuerſione Petri ſi vocaretur,vel in phyſica prædeterminatione ſi adhiberetur,vel in ſe ipſo, quæſtio eſt valde diuerſa, & communis ſcientiæ abſolutæ, quam omnes conueniunt eſſe Deo: in quo autem ea cognoſcat obiecta diſſident. Qua de re mihi hic nec agendum,nec expedit.

§.151. Secundò probatur, ſi Propheta mihi prænuntiet afflatus ſpiritu Dei, *ſi committis furtum,non reſtitues,* illa propoſitio eſſet vera,quia prophetia nequit eſſe non vera, & ſi quis contradiceret Prophetæ ac diceret,*etſi committas furtum,reſtitues,*hæc propoſitio eſſet falſa, quia eſt contradictoria illius veræ: caſum non repugnare oſtendo: quia re ipſa potuit accidere vt Petrus non reſtitueret ſi furatus eſſet: data hypotheſi, potuit iſtud prædici à Propheta, ſicut multa alia prædicuntur. Verum hoc ſecundum argumentum proſequi nõ poſſum, niſi recurram ad ſcientiam mediam Dei,à qua nũc neceſſariò ſuperſedendum,ne ex animaſticis carceribus egrediens Theologicam metam attingam & ſutor vltra crepidas.

§.152. Tertiò eam probo,poſita vocatione Dei Petrus conuertitur, vel non conuertitur:neque enim eſſet poſſibile conuerti, & nõ conuerti,ſed neceſſarium erat,aut conuerti, aut non conuerti: *quodlibet enim eſt,vel non eſt: impoſſibile eſt idem ſimul eſſe,& non eſſe,* cum igitur alterum è duobus euenturum eſſet, demus id eſſe conuerſionem:ergo hæc propoſitio eſt vera, *ſi Deus vocaret Petrum, conuerteretur*; probo conſequentiam,ab eo quod res eſt vel nõ eſt, propoſitio dicitur vera, vel falſa: ſed obiectum huius propoſitionis eſt vt ab ea enũtiatur: ergo illa propoſitio eſt vera; probo minorem, obiectum eius propoſitionis eſt cõuerſio Petri exiſtens ſub conditione prædeterminationis, aut vocationis:ſed ex ea hypotheſi verè eſſet ea conuerſio: ergo obiectum eſt ſicut propoſitione enuntiatur.

§.153. Dices primò, eam eſſe de obiecto non ſupponente. Contra, obiectum ſupponitur eſſe ſicut per illam enuntiatur,id eſt non abſolutè,ſed ex ſuppoſitione talis conditionis.

§.154. Dices ſecundò cum aliquo aduerſario,eam propoſitio

poſitionem eſſe veram caſu, & quaſi per accidens non tamen quia eſſet fundamentum vllum ad illam enunciandam. Benè: ergo illa propoſitio eſt abſolutè vera: probo conſequentiam, quia proprietas, quæ ineſt rei caſu, abſolutè ineſt: qui caſu, & per accidens moritur, moritur abſolutè, licet per accidens; at hic non diſputo, vtrum illam propoſitionem quis effutiat caſu: ſed vtrum ſic prolata ſit vera, quod mihi das. Confirmatur, multi effutiunt temere propoſitiones de præſenti, in quibus temeritate præcipite peccant, vt cum quis de viro apparenter honeſto, temere iudicat adulterium; ſi ille eſt adulter, iudicium eſt verum, tametſi incertum, obſcurum, temerarium, nam aliunde hæc ſumuntur quam veritas: quia hæc ab obiecto, illa verò à motiuis, ergo idem erit in his propoſitionibus.

§.155. Contra ſecundò, ego proponam propoſitionem veram, non caſu ſed conſilio; ſi Deus phyſicè prædeterminaret Petrum ad bonum opus, illud efficeret Petrus, hæc eſt vera & infallibilis, ſed eſt de obiecto futuro liberè ſub conditione, & nunquam futuro abſolutè: ergo hæ propoſitiones ſunt veræ: de maiori non dubium aduerſariis, nam phyſica prædeterminatio vbicumque ponatur infallibiliter ſibi conuerſionem annectit: minorem pono ex eiſdem aduerſariis: cum quibus, vt argumentor ad hominem, eorum ſententiam pono: quapropter ſicut hæc cauſalis eſt vera, *quia Deus phyſicè prædeterminabit Petrum, ideo conuertetur*, & eſt de obiecto futuro libero: ſimiliter hæc eſt vera, *ſi Deus phyſicè prædeterminaret Petrum, ideo conuerteretur.* Quam ob rem ſemper opinor meam concluſionem, & ſcientiam mediam in nulla ſententia eſſe clariorem quàm in ſententia phyſicarum prædeterminationum, quia ſicut nobiſcum ſentiunt in conſtituenda ſcientia abſoluta, tametſi diſſentiunt in obiecto formali illius; ita neceſſe eſt & aſſentiant in ſcientia conditionata. Immo in illorum ſententia iſtæ hypotheticæ ſunt illatiuæ: quia conſequens infallibiliter annectitur antecedenti, & eſt euidens conſequentia à prædeterminatione ad effectum & è contra. Vnde compelluntur ſtrictiùs ad earum veritatem defendendam. Omnia argumenta & obiectiones de veritate propoſitionum de futuro abſoluto hic faciunt eadem vi.

SVBSECTIO VII.

Soluitur argumentum de libertate.

§.156. NOnnullis tamen ſcrupulum mouet libertas: nam ſi propoſitio eſt vera: ergo non poteſt eſſe liber effectus futurus abſolutè, nam ille effectus eſſet neceſſarius ex ſuppoſitione veritatis, & ſcientiæ conditionatæ: ergo non liber; nam omne neceſſarium ex ſuppoſitione antecedenti eſt neceſſarium abſolutè, ſed illa veritas & ſcientia eſt ſuppoſitio antecedens abſolutam futuritionem: ergo. Probatur minor, antequam ſit res abſolutè, futura fuit propoſitio vera.

§.157. Huic argumento reſpondeo vt ſimili ſupra: potius probare obiectum non eſſe futurum ſub conditione, & futuritione ipſa tolli libertatem, non autem veritate propoſitionis, quæ ratione eſt poſterior futuritione ipſa. Confirmatur, ſi Deus nunc vocaret Antonium, demus illum conuertendum fore, nam cum neceſſariò eueniret altera pars contradictionis, eligo hanc; anne quia Petrus conuerteretur: ſi vocaretur, repugnat illum iam liberè conuerti? ſimiliter prius ratione quam Deus decerneret vocare Petrum, Petrus erat conuertendus ſi vocaretur: & ea ratione liberè conuertitur; quia eodem modo ponitur vocatio abſolutè exiſtens cum conuerſione, quo viſa eſt habitura effectum ſi poneretur: & ſi ego conncio Petrum facturum eſſe mihi beneficium ſi me videat, me illi obiicio, vt liberè faciat, quod liberè erat facturus, ſi me videret, nam totus ille ſtatus conditionatus fit abſolutus eo modo quo erat conditionatus, & non alio, alioquin non ſeruaretur; ſed mutaretur conditio.

Argumento nego primam conſequentiam: & diſtinguo antecedens, quo probatur: ex ſuppoſitione ſcientiæ & veritatis effectus ille non poteſt eſſe futurus ſub conditione, & ex ea hypotheſi neceſſarius, concedo antecedens; ex ſuppoſitione veritatis conditionatæ non poteſt non eſſe, & neceſſario eſt in ſtatu abſoluto, nego antecedens. Nam illa veritas ſupponit in eſſe obiectiuo ſtatum conditionatum, ex cuius ſuppoſitione non poteſt non eſſe in eo ſtatu; quia omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe: at illa veritas conditionata non ſupponit futurum, nec illud infert neceſſariò; nec ex vi ſua: nam licet præcedens Dei gubernatio prærequirat eam ſcientiam, tamen ea poſita adhuc poteſt non eſſe effectus abſolutè, quia Deus poteſt non velle ponere conditionem; multa enim Deus videt futura ſub conditione, quæ nunquam erunt abſolutè. Quod inde patet, quia adhuc poſita conditione non ſequitur neceſſario effectus, ſed liberè, quia poſita ſcientia, poteſt non eſſe conditio. Vnde nego ſecundam conſequentiam: quia effectus non ſequitur neceſſario ex illa ſuppoſitione. §.158.

Dices, poſita conditione, & ſuppoſita ſcientia, & veritate propoſitionis, neceſſario ſequi effectum, ſed illa eſt ſuppoſitio antecedens futuritionem abſolutam: ergo ſequitur neceſſariò effectus ex ſuppoſitione antecedenti: ac per conſequens neceſſitat abſolutè. Reſpondeo non ſequi effectum ex ſuppoſitione ſcientiæ, ſed ex ſuppoſitione futuritionis conditionatæ: nam, tametſi nulla eſſet ſcientia, ſi tamen obiectum erat futurum ſub conditione, ſequeretur neceſſariò ex conditione, & futuritione ſuppoſita, nam & ſcientia ipſa futuritionem ſupponit, videamus nunc an ea futuritio ſit ſuppoſitio antecedens? Et quidem non eſſe eſt euidens; quia ſuppoſitio antecedens actum, illique inferens neceſſitatem, debet eſſe aliquid diſtinctum ab actu, vt poſſit aliquo modo eſſe cauſa illius determinans voluntatem: at futuritio conditionata, nec diſtinguitur ab ipſo actu liberè exiſtente: nam illemet videtur futurus ſub conditione, nec eſt aliquid ſimpliciter: nam quod eſſet ſub conditione, non eſt eſſe, nec tale dici poteſt; ſed ſola eſt exiſtentia effectus, quæ cognoſcitur eſſe dependenter ab illa conditione, ſi ponitur: ſed dum non ponitur, nihil eſt; niſi fundamentum vt cognoſcatur: ad modum quo res in potentia nihil ſunt: cum ergo abſolutè nihil ſit: & illud quidquid eſt, non eſt aliud ab ipſo & eodem actu libero diſtinctum: qua pacto poteſt ſibi ipſi neceſſitatem inferre? cum nulla neceſſitas ſumpta ex eodem actu queat eſſe antecedens. §.159.

Quod ſi res abſolutè ſit liberè dependenter à conditione poſita; ergo fienda erat liberè ſi poneretur conditio, comparando ſtatum conditionatum abſoluto, ſicut poſſibilē exiſtenti: & quemadmodum quidquid eſt actu eo modo quo eſt (ſecluſa oppoſitione ſtatuum) fuit poſſibile, ita §.160.

omne futurum abſolutum pendens à conditione poſita abſolutè fuit futurum dependenter ab eadem conditione ſi poneretur: quare licet antecedat phyſicè ſcientia media futuritionem abſolutam, non tamen antecedit intentionaliter, ſupponens aliquam conditionem antecedentem abſolutè futuritionem, quia anteceſſio ſub conditione nihil eſt ſimpliciter: ſcientia autem de obiecto antecedente abſolutè effectum, & illum inferente neceſſario, tollit illius libertatem: non verò quæ non antecedit, ſed ſupponit obiectum idem. Itaque futuritio non tollit libertatem, quia non eſt cauſa ſui: nec item veritas, quæ pendet ab hac futuritione.

DISPVTATIO X.

De diuiſione & oppoſitione actuum intellectus.

DIVISIO, & contrarietas ſunt rerum creatarum affectiones: quarum diſputatio cognitioni eſſentiæ rectè ſuccedit: cum verò agemus de oppoſitione actuum, loquemur circa eumdem intellectum de eodem obiecto, & eodem inſtanti reali.

SECTIO I.

Vtrum ſimplex apprehenſio, & iudicium poßint eſſe ſimul?

§. 1. ESſe poſſe duas apprehenſiones, quarum altera apprehendamus ſtellas, verbi gratia, eſſe pares, & impares, probatur primo; quia cum quis dubitat ſint ne ſtellæ pares? an vero impares? inquirit rationes ad aſſentiendum alteri parti: ergo ſimul habet notitiam apprehenſiuam vtriuſque partis: Patet conſequentia, quia non poſſumus de vtraque parte dubitare, & vtramque diſquirere, quin apprehendamus vtramque. Secundò, quia actus intellectus, licet repræſentent duo obiecta contradictoria, non ſunt incompoſſibiles niſi per aliquam contradictionem ex illis in obiecta reſultantem (vt ſæpius hac diſputatione patebit:) ſed ex illis apprehenſionibus nulla contradictio reſultat in obiectum: quia de eo nihil affirmatur, vel negatur per eos actus: ergo non ſunt incompoſſibiles.

§. 2. Item cenſeo ſimplicem apprehenſionem & iudicium ab illa dependens poſſe ſimul eſſe. Primò, quia ſimplex apprehenſio eſt immediata diſpoſitio ad iudicium (vt eſt apud Animaſticos commune) ſed immediata diſpoſitio debet exiſtere ſimul cum forma, ad quam diſponit: ergo apprehenſio, & iudicium debent eſſe ſimul. Probatur minor: quia diſpoſitio, ſi præceſſit, nihil confert ad effectum: res enim non exiſtens non poteſt magis diſponere, quàm ſi nunquam extitiſſet, vt latè probaui diſput. 8. Phyſicorum, & 2. de Generatione, & patet, quia apprehenſio diſponit eo præcisè quod eſt formalis repræſentatio obiecti: ſed non exiſtente apprehenſione non exiſtit formalis repræſentatio obiecti, ergo apprehenſio non exiſtens non diſponit ad iudicium. Immo verò potentia abſoluta non poteſt exiſtere iudicium ſine apprehenſione, à qua pendet; iudicium enim includit actionem dependentem ab apprehenſione: actio autem non poteſt eſſe ſine principio, à quo ſemel dependet.

§. 3. Secundò probatur, quia ex ſimplici apprehenſione & iudicio nulla contradictio reſultat in obiectum: ergo non opponuntur: probatur antecedens, nam ex eo quod aliquis apprehendat ſimpliciter obiectum, nihil affirmat vel negat; nihil autem affirmando, cur non poterit per alium actum aliquid affirmari? Nam ea ratione non poteſt quis ſimul aliquid affirmare & negare, quia ſibi ſimul perſuaderet eamdem rem ſimul eſſe & non eſſe, quod lumine naturali cognoſcitur repugnare; at verò ex apprehenſione & iudicio id non reſultat. Dices, non poſſe intellectum eamdem rem ſimul affirmare & non affirmare. Reſpondetur id verum eſſe, quia ly *non affirmare* eſt vniuerſalis propoſitio, ſignificans nullam eſſe in intellectu affirmationem, quod falſum eſt vna exiſtente. At verò rectè poteſt affirmare per vnum actum, & apprehendere ſine affirmatione per alium: ſicut poteſt per vnum actum tendere in obiectum illud cognoſcendo, & tendere per alium illud non cognoſcendo, ſed amando: at verò non poteſt etiam per duos actus idem affirmare & negare, quia ſibi perſuaderet duas propoſitiones contradicentes.

SECTIO II.

Quid ſint, & vtrum opponantur actus abſtractiuus & intuitiuus?

§. 4. COgnitionem, quæ immediatè fertur in obiectum per propriam ſpeciem, vt exiſtens, eſſe intuitiuam conſtans eſt Philoſophorum opinio; *intuitio* enim propriè eſt corporea viſio, ad quam potentia viſiua per propriam ſpeciem exiſtētis obiecti mouetur, à qua ſumpta eſt metaphora ad intuitiuas intellectiones: igitur omnis ſenſio externa eſt intuitiua cognitio, quia fertur in obiectum vt exiſtens, & per propriam ſpeciem.

§. 5. Hic poſſet inquiri, vtrum actus externus circa albedinem, v.g. ſi de potentia abſoluta conſeruetur corrupta albedine, ſit intuitiuus nec ne? Non eſſe intuitiuum videtur certum; quia non exiſtit obiectum. Eum verò eſſe intuitiuum, patet; quia antea quàm corrumperetur albedo, actus erat intuitiuus, corrupta autem albedine non eſt mutatus actus: ergo ſemper manet intuitiuus. Vtrumque diſtinguo; actus ille non eſt actu intuitiuus, quia actualis intuitio connotat in obiecto exiſtentiam actualem, à qua completur denominatio intuitiui; eſt autem ille actus natura ſua intuitiuus, quia natura ſua connotat, & petit exiſtentiam obiecti; quo differt ab abſtractiuo: ſic arbitror litem componi.

§. 6. Obiicies, ergo eſſe intuitionem actualem eſt extrinſeca denominatio ab obiecto: quod videtur abſurdum. Reſpondeo, actus repræſentationem non variari, item non variatur repræſentatio rei exiſtentis ex ſua natura: at eſſe cognitionem rei exiſtentis actu de potentia abſoluta, vel non abſoluta, illi non eſt intrinſecum, ſed extrinſeca denominatio ab obiecto: quia ly *vt exiſtens actu* non reduplicat modum tendendi, & immediationem repræſentationis, ſed ſolam exiſtentiam obiecti: per quam eſt actus repræſentatio exiſtentis actu, ideſt, eſt coëxiſtens actu ſuo obiecto.

§. 7. S. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 5. corpore, cenſet ad

ad cognitionem obiecti in ſe & immediatam requiri ſpeciem adæquatam obiecto: quando autem vna pars videtur per ſpeciem totius, dicit eam non videri in ſe, ſed in toto, v.g. digitum in manu. P. Molina. ibi art. 6. d. vnica. §. *iuxta hæc.* reiicit hanc ſententiam; quia cenſet ad cognitionem in ſe & immediatam ſufficere obiectum cognoſcere per propriam ſpeciem: licet ſimul cum illa cognoſcantur alia. Equidem hoc mihi probatur, nam pars candoris, v. g. licet ſimul cognoſcatur cum alia parte, terminat tamen immediatè cognitionem; ergo immediatè cognoſcitur illa pars candoris: ergo in ſe cognoſcitur: cognoſci enim in ſe eſt immediatè cognoſci, & non in alio priùs cognito. Probatur antecedens, quia illa cognitio non terminatur ad aliam partem prius cognoſcendam: neque ad aliud obiectum, quod prius cognitum ducat in cognitionem illius partis, ergo pars candoris terminat immediatè illam viſionem: totus quidem candor cognoſcitur immediatè adæquatè: pars verò immediatè inadæquatè. Sicut cum Angelus per eamdem ſpeciem cognoſcit Petrum & Paulum, ſimul vtrumque cognoſcit immediatè. Confirmatur, totum ſunt partes vnitæ, ergo non poteſt immediatè cognoſci totum, quin immediatè cognoſcantur partes. Neque S. Thomas negauit partem cognoſci immediatè, ſed non cognoſci in ſe, ideſt non cognoſci in ſe quaſi ſeparatam, ſed cognoſci vnitam in toto, non tamẽ vult totum prius cognitum eſſe obiectum formale ducens in partium cognitionem. Caue quæſtionem de voce.

§. 8. P. Molina ſupra arbitratur, quando ego video Petrum in ſpeculo, illam viſionem non eſſe intuitiuam: ſed abſtractiuam, quia illa non terminatur immediatè ad Petrum, ſed ad eius ſimilitudinem in ſpeculo expreſſam. Sed non placet, quia Petrus immediatè videtur in ſe, in ſpeculo autem non exprimitur eius imago, ſed obiectum è regione oppoſitum ſpeculo, in illud eiaculatur ſpecies, quæ reflexione refranguntur ad oculos ex ſpeculo contortæ, quod eſt in cauſa, vt Petrus videatur in ſpeculo incluſus, non quia ibidem ſit inciſa eius imago, ſed quia ſpecies viſuales emittuntur per lineam rectam, & ibi videtur obiectum eſſe, vnde oculus linea recta haurit ſpeciem. Confirmatur, aut illa viſio verè & propriè repræſentat Petrum ſimul cum eius imagine, vel tantum illum repræſentat remotè; ſicut viſio coloris remotè repræſentat ſubſtantiam; ſi detur hoc ſecundum, ſequitur Petrum propriè non videri, quia obiectum remotum non cognoſcitur propriè; ſi verò detur primum, ergo viſio eſt diſcurſiua formaliter, aut eminenter: quia ex obiecto vno deuenit in alterius cognitionem; tandem licet illa viſio non eſſet intuitiua Petri; eſſet tamen intuitio eius imaginis.

§. 9. P. Vazquez tom. 1. p. par. diſput. 50. num. 12. ait, cognitionem intuitiuam neceſſariò repræſentare omnes formalitates exiſtentes in obiecto realiter idemtificatas cum illo: ſecus verò cognitionem abſtractiuam. Hæc tamen ſententia explicanda eſt. Probabimus enim diſput. 6. Met. quamlibet cognitionem repræſentare omnes rationes idemtificatas cum ſuo obiecto, & non eſſe plures formalitates ſe tenentes ex parte obiecti: ergo in hoc non differunt intuitiua & abſtractiua cognitio, ſeu notitia. Si autem velit per cognitionem intuitiuam clarè cognoſci totum obiectum ſecundum omnes formalitates, vel potius ſecundum omnes denominationes, quas ab omnibus effectibus ſortitur: eſt falſa eius ſententia; quia beati Deum intuentur, & tamen poſſunt non cognoſcere actus liberos Dei, illoſque latent infinitæ formalitates, propter quod Deus eſt incomprehenſibilis à creatura. Præterea non omnis intuitio eſt comprehenſiua; eſſet autem ſi cognoſceret omnes formalitates: ergo. Probatur maior, quia nos non comprehendimus ſonum, nec Angelus ſe. Item ſæpe intuemur colorem per ſpeciem immediatam, & tamen non cognoſcimus formalitatem propriæ differentiæ, nec enim diſcernimus ſit ne ceruleus, an violaceus: ſolum igitur eſt de ratione intuitionis ferri immediatè in obiectum exiſtens vt exiſtens.

Res vt exiſtens dupliciter poteſt cognoſci, & in ſe tamquam in obiecto formali, & in alio: de cognitione in ſe nulli dubium, quin ſit intuitiua; dubium autem de cognitione in alio. Videtur affirmare P. Suar. 1. p. tract. 2. lib. 1. cap. 6. num. 6. & colligitur ex margine, & indice; vbi aſſerit Deum intueri effectus liberos, & in illis immediatè, & in decreto ſuo; ratio videtur eſſe, quia intueri tantum videtur ſignificare cognitionem claram & diſtinctam rei, vt actu exiſtentis: quod verò cognoſcatur mediatè, vel immediatè nihil referre videtur. Nam quod præſtat ſpecies impreſſa reſpectu ſui obiecti, præſtat obiectum formale reſpectu materialis, ſcilicet ducere in claram & diſtinctam cognitionem illius exiſtentiæ. Verum P. Suarez ibi hoc non diſputat. Sed latè vtitur verbo *intueri*, neque exiſtimo hanc opinionem veram: quia intuitio eſt rei in ſe tuitio. Quapropter debet eſſe immediata; alioquin Deum intuemur, quia illum cognoſcimus vt præſentem ex vi effectuum, ſpecies autem impreſſa & obiectum formale abſimiliter ducunt in cognitionem effectus: impreſſa quidem tamquam efficiens cognitionem: obiectum autem formale vt ratio prius cognita. §. 10.

Rogas, vtrum cognitio futurorum ſit intuitiua? Si cognitio ſit effectus in cauſa, non eſt intuitiua, vt cum Aſtrologus cognoſcit eclypſim futuram ex aſtrorum poſitione; ſi verò ſit cognitio effectus in ſe, eſt intuitiua, quia eſt cognitio rei exiſtentis vt exiſtentis in ſe, vt cognitio diuina eſt intuitiua, & ſcientia infuſa animæ Chriſti. Dices intuitionem eſſe cognitionem rei præſentis vt præſentis; vnde nulla cognitio creata de futuro eſt intuitiua; quia non eſt de obiecto præſenti: Deus autem omnia habet in æternitate præſentia. Diſtinguo antecedens; rei præſentis vt præſentis aliqua temporis differentia, concedo; præſentis id eſt, exiſtentis ſimul cum cognitione, nego. Iſtam præſentiam in æternitate reieci diſp. 9. §. 11.

Obiicies: etiam immediata cognitio rei præteritæ erit intuitiua; ergo & ſenſio interna de obiecto præterito. Diſtinguo ſecundum conſequens; eſt intuitiua abſolutè, concedo conſequentiam; nego tamen eſſe intuitiuam vulgari ratione, qua dicimus ſenſum terminari ad obiectum præſens phyſicè, ſenſiones enim externas vocamus intuitiuas, quia feruntur in obiecta tunc exiſtentia, & proxima potentiis: quando verò abeſt obiectum, licet phyſicè exiſtat, non dicitur nobis ſenſibiliter præſens, & ſenſio de illo non dicitur vulgo intuitiua: tametſi verè eſt intuitiua, quia eſt de obiecto exiſtenti per propriam ſpeciem. Etiam ſi perierit obiectum, ſi illud repræſentat per ſpeciem immediatè ab eo acceptam, eſt intuitiua, quia cognitio per illam ſpeciem ſemper eſt eiuſdem ſpeciei: ſpecies enim non variat influxum obiecto abſente, vel præſente, quia in operatione ab eo non pendet. §. 12.

Immo

§. 13. Immo verò ea ratione Deo ſunt præſentes res in æternitate, quia immediatè cognoſcit illas ſuis temporibus exiſtentes: & ſic etiam ſunt præſentes Chriſto per ſcientiam per ſe infuſam. Confirmatur, quia cognitio futurorum in ſe non eſt abſtractiua: ergo intuitiua. Probo antecedens, quia illa cognitio non abſtrahit ab exiſtentia obiecti, ſicut abſtrahit cognitio eſſentiæ præciſè. Nam ſicut eſſentiæ abſtrahunt à tempore & ab exiſtentia, ita & earum cognitio vocatur abſtractiua; exiſtentia autem non abſtrahit à tempore, & ita neque illius cognitio immediata.

§. 14. Dices, cognitionem futurorum ideo eſſe de obiectis Deo præſentibus. Contra, adhuc Deus illa videt vt phyſicè abſentia ab æterno, nondúmque producta in ſe ſuíque temporis differentia: ſed cognitio Dei vt terminatur ad eas in ſe realiter futuras, non eſt abſtractiua ſed intuitiua: ergo de obiecto futuro, vt futuro, eſt intuitio. Quod patet in Chriſto per ſcientiam infuſam, cuius cognitio, non variatur ex phyſica obiecti abſentia vel præſentia, ſed ſemper eſt intuitiua, quia fertur ad idem obiectum in ſua temporis differentia: & viſio beata non variatur, eſſetque illorum intuitiua ſi immediatè ad illa terminaretur. Cognitio igitur abſtractiua eſt *cognitio eſſentiæ abſtractæ ab exiſtentia*, vel eſt *cognitio rei in alio*.

§. 15. Vnde notitia abſtractiua poteſt ſubdiuidi in abſtractiuam ab exiſtentia, & in abſtractiuam ab obiecto tamquam à ratione formali: vel ſaltem cognitionem mediatam rei exiſtentis vocemus mediam inter abſtractiuam & intuitiuam. Cum verò dicitur notitia abſtractiua cognitio rei abſentis, intellige abſentis toto tempore, & in nullo exiſtentis. Requiruntur ergo duo ad cognitionem intuitiuam; alterum vt ſit de obiecto exiſtente vt ſic: alterum vt cognitio feratur immediatè ad illud, vnde nec ſcientia Beati de poſſibilibus in ſe, eſt intuitiua: nec cognitio rei exiſtentis ducta ex alio obiecto priùs cognito.

§. 16. Inter cognitionem abſtractiuam & intuitiuam nullam eſſe oppoſitionem, patet. Primò: quia Chriſtus per diuerſas ſcientias ſimul Deum cognoſcit, intuitiuè quidem per viſionem beatam; abſtractiuè verò per ſcientiam infuſam & naturalem, quas Chriſtum ſimul exercuiſſe probaui in 3. p. Secúdò, quia in hoc nulla eſt maior difficultas, quam in vſu diuerſarum ſpecierum, niſi enim potentia intellectiua propter ſuam limitationem impediatur à ſimultanea actuum pluralitate, cognoſcere res diuerſo modo à priori, & à poſteriori: in ſe, & in alio nullam dicit repugnantiam in obiectum reſultantem: Angelus enim ſe cognoſcit intuitiuè actu naturali, videndo autem Deum ſe cognoſcit abſtractiuè in illius omnipotentia, & quando ſe cognoſcit immediatè, ſe cognoſcit in ſe, & quãdo reflectitur ſupra hanc cognitionem, in illa ſe cognoſcit immediatè, & à poſteriori, & nos ſimul poſſumus cognoſcere ignem, & ex igne calorem, & ſimul ſentiendo calorem ex illo cognoſcimus ignem.

§. 17. Huic ſententiæ obſtare videtur opinio communis S. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 5. quem ſequitur P. Molin. à quibus ſunt Auguſtinus, & Dionyſius negantes Deum cognoſcere res poſſibiles in proprio genere, ideſt, in ſe ipſis; ſed illas cognoſcere in ſe ipſo tamquam in obiecto primario. Verum id non caret difficultate in Deo, & licet id non admittatur in eo, propter peculiarem rationem, quæ ex illius infinitate deſumitur: quia videlicet Deus non accipit cognitionem à creaturis, vt ſancti Patres affirmant, tamen non eſt verum in creaturis, vt patet in adductis exemplis. Quid obeſt etiam Deum cognoſcere res poſſibiles, tum in ſe ipſo, tum in illis? vt docet P. Vazquez ſupra diſput. 60. quia creaturæ in ſe habent aliquam entitatem poſſibilem: ergo & veritatem: ergo & cognoſcibilitatem. Deinde quia Deus cognoſcit res exiſtentes in ſe ipſis immediatè ſine vlla illius imperfectione: ergo & ſine illa res poſſibiles cognoſcit in ſe, quia cognitio Dei verè neque dependet, neque ſpecificatur ab obiectis creatis, etiam ſi illa immediatè reſpiciat, quia (vt patebit in Metap.) Deus nullum dicit tranſcendentalem reſpectum ad creaturas. Tertiò Deus ſcientia viſionis videt creaturas in ſe ipſis: ergo ex illis ipſum cognoſcit; patet conſequentia, quia videndo creaturas illas, videt eſſentialiter dependere à ſua omnipotentia: ergo ex illis cognoſcit ſuam omnipotentiam.

Dices, Deus non poteſt amare res in ſe ipſis §. 18.
immediatè, ſed propter ſe ipſum prius amatum: nihil enim Deus poteſt operari, niſi propter ſe ipſum. *Omnia enim propter ſe ipſum operatus eſt Deus.* Reſpondeo actu efficaci non poſſe Deum aliquid velle niſi propter ſe ipſum, tranſeat: quia volitio Dei, licet nullum habeat finem, vult tamen ipſas res propter Deum tamquam propter illarum vltimum finem. Vltimus autem rerum creatarum finis eſt Deus; at verò ſimplex complacentia Dei poteſt immediatè terminari ad ipſam bonitatem obiectorum: vnde ſicut Deus habet cognitionem ſui ipſius, & creaturarum in ipſo, & propter ſe ipſum ſibi complacet in creaturis; & ſicut habet aliam cognitionem creaturarum in ipſis, ita & ſimplicem complacentiam. Nam quamcumque cognitionem ſequitur amor. Hac tamen de re egi ſatis in diſputationibus de Charitate, & voluntate Dei: vbi oſtendi immediatum amorem Dei in creaturas. De ſcientia me videro 1. p. quæſt. 14. quæ multo facilius poteſt admitti immediata in creaturas.

Patres adductos rectè P. Vazquez exponit illa §. 19.
diſput. 60. cap. 4. loqui, *Deum in ſe cognoſcere res, & non in illis*, ideſt, Deum in ſe habere ſufficiens principium eas cognoſcendi, quin ab illis emendicet ſpecies, ſicut creatura. Quapropter illa vocatur anticipata cognitio; quia eam habet Deus antea quam res exiſtant, & antequam poſſint ſui ſpecies communicare, in quo ſenſu cognoſcit Deus futura in ſe ipſo, & non in illis: at verò illi Patres nullo modo negâre, Deum habere immediatam aliquam cognitionem de creaturis, ad illas immediatè terminatam, vt patet in futuris contingentibus: neutram partem nunc tueor, ne Theologum agam: me vide diſputantem de charitate.

Contra hanc doctrinam de cognitione intuiti- §. 20.
ua vrgere videtur argumentum pro opinione Patris Vazq. propoſita §. 9. Quia cognitio intuitiua non eſt abſtractiua: ſed cognitio vnius formalitatis abſque alia, eſt abſtractiua: ergo non eſt intuitiua. Debet ergo cognitio intuitiua exprimere omnes formalitates obiecti.

Duæ ſunt opiniones de cognitione abſtrahente §. 21.
vnam formalitatem ab alia: prima negat ex parte obiecti reſpondere diuerſas formalitates: ſed actus eſſe diuerſos circa idem obiectum propter diuerſa connotata in obliquo. In qua ſententia non differt actus intuitiuus ab abſtractiuo; quia neuter attingit formalitates diuerſas. Secunda ſententia docet, reſpondere in obiecto diuerſas formalitates actui præſcindenti. In qua reſpondeo, intuitioni non comprehenſiuæ reſpondere etiam in obiecto

formalitates

formalitates diuerſas: quod fuſè probabo diſp. 6. Met. ſect.4.

§. 22. Ad argumentum in §. 20. diſtinguo maiorem, cognitio intuitiua non eſt abſtractiua exiſtentiæ ab exercitio actuali, concedo maiorem; non eſt abſtractiua vnius formalitatis ab alia, nego maiorem. Quia intuitio non petit niſi immediatè ferri in formalitatem quam clarè cognoſcit, intuitiuè; at non petit ferri explicitè in omnes. Diſtinguo item minorem: cognitio vnius formalitatis abſque alia, eſt abſtractiua illarum, concedo minorem; abſtrahit ab exiſtentia exercita formalitatem, quam expreſsè cognoſcit, nego minorem. Vnde patet ad conſequentiam.

SECTIO III.

De cognitione quidditatiua, & comprehenſiua.

§. 23. NOn quæuis cognitio quidditatis eſt quidditatiua: eſt enim cognitio quidditatis quæ quouis modo rei attingit eſſentiam: cognitio verò quidditatiua eſt, qua clarè, & diſtinctè cognoſcitur conceptus eſſentialis, & proprius alicuius rei. *Proprius* dixi, quia ſola cognitio clara rationum communium animalis, v.g. non eſt quidditatiua hominis cognitio. Cognitio quidditatiua interdum eſt per alienas ſpecies, vt cum per accidentia cognoſcimus ſubſtantiam, v. g. cognitio animalis & rationalis, eſt hominis quidditatiua cognitio, & eſſentialis diffinitio; hæc tamen eſt imperfectiſſima omnium; quia vix efformamus conceptum ſubſtantiæ, præſertim diuinæ: ferè ac ſi quis cæco velit declarare rationem coloris, quā difficile id præſtaret, & quanto meliorem cognitionem habet qui viſu gaudet? Hanc cognitionem per ſpecies effectuum vix poſſumus vocare quidditatiuam: neque enim communiter dicitur Deus à viatoribus quidditatiuè cognoſci. Aliquando quidditatiua cognitio eſt intuitiua, vt viſio beata, quæ non eſt abſtractiua exiſtentiæ, quia fertur in exiſtentem Deum, eſt tamen præciſiua, quia non penetrat totum obiectum ſecundum omnes denominationes, quas habet; aliquando etiam eſt abſtractiua exiſtentiæ, vt cognitio quidditatiua, quam Deus habet de creaturis poſſibilibus; quandoque etiam eſt comprehenſiua. Eſt ergo cognitio quidditatiua conceptus clarus de obiecto; quo cernitur eius vltima differentia clarè; immediatè terminatus ad ipſum obiectum, vel ad eius cauſam efficientem, adæquatam; vel magis principalem: in qua vniuocè, vel eminenter continetur. Non quæuis cognitio intuitiua eſt quidditatiua, quia poteſt eam latere vltima differentia; vt cum eminus colorem intuemur confuſè.

§. 24. S.Thom. 1.p.quæſt. 12. docet ad comprehenſionem Dei requiri, vt Deus infinitè cognoſcatur, quia vnaquæque res cognoſcitur comprehenſiuè quando cognoſcitur perfectè; perfectè autem cognoſcitur quando cognoſcitur quantum cognoſcibilis eſt, ſed Deus eſt infinitè cognoſcibilis: ergo Deus non poteſt comprehendi, niſi infinitè cognoſcatur: ſed non poteſt à creatura infinitè cognoſci, quia nulla cognitio creata poteſt eſſe infinita: ergo Deus non poteſt à creatura comprehendi.

§. 25. Sed hæc ratio non videtur efficax, quia comprehenſio alicuius rei non requirit æqualem perfectionem entitatiuam cum obiecto: ergo ad comprehenſionem Dei non requiritur infinita cognitio. Probatur antecedens primò, quia Angelus perfectè comprehendit equum, & in multorum ſententia perfectè comprehendit animam, & tamen cognitio Angeli non habet æqualem perfectionem cum equo, aut animo. Secundò, quia Chriſtus per ſcientiam infuſam comprehendit gratiam habitualem, vel ſaltem vnionem hypoſtaticam, ſed vnio hypoſtatica perfectior eſt quam ſcientia Chriſti: ergo comprehenſio non debet eſſe tam perfecta quam obiectum.

Tertiò probatur à priori, quia comprehenſio eſt cognitio omnium formalitatum, quæ ſunt in obiecto, ita vt nihil obiecti lateat cognoſcentem. Vnde eſt clara & diſtincta cognitio obiecti ſecundum omnia, quæ habet formaliter & eminenter, vt ex S. Auguſt. adducit P. Vazquez 1.p.d. 52.cap.1. ſed rectè poteſt cognitio exprimere quidquid formaliter, & eminenter continet obiectum, licet non ſit entitatiuè tam perfecta quam illud: ergo. Probatur minor, quia ad expreſſionem obiecti non requiritur illius æqualitas cum obiecto, nam expreſſio accidentalis ſubſtantiam repræſentat. §. 26.

Ad argumentum S. Thom. reſponderi poſſet, Deum eſſe infinitè cognoſcibilem, ſi ly *infinitè* appellet ſupra ipſum obiectum, non verò ſi appellet ſupra cognitionem. Nam licet ſubſtantia ſit ſubſtantialiter cognoſcibilis ex parte ipſius, quia veritas quam habet eſt ſubſtantialis, non tamen eſt cognoſcibilis ſubſtantialiter ex parte modi: nam per cognitionem accidentalem poteſt exprimi perfectè; ſic & cognitio finita infinitum exprimit obiectum. §. 27.

Recentiores nonnulli prætexentes S.Thom. authoritatem, aiunt comprehenſionem eſſe cognitionem obiecti quantum cognoſcibile eſt: ita vt cognitio conſtituatur in quodam ordine perfectionis, quem ex ſe poſtulat obiectum: in quo gradu eſt comprehenſio, licet non cognoſcantur omnia, quæ eminenter continet obiectum; quod ſi ad illum gradum non accedit, non comprehendet obiectum, licet illud cognoſcat, & in illo penetret omnes effectus: vnde cum Deus infinitè ſit cognoſcibilis, quia habet infinitam entitatem; cuius attributum eſt cognoſcibilitas, non poteſt adæquatè cognoſci niſi per infinitam ſimpliciter cognitionem; hæc autem ſoli Deo poteſt conuenire: ergo etiam ipſe ſolus ſe poteſt comprehendere. §. 28.

Hæc ſententia multū habet diuinationis. Nam ſi cognitio non penetrat omnia, quæ eminenter ſunt in obiecto: ergo aliquid obiecti latet cognoſcentem: ergo non eſt comprehenſio, quia hæc ex definitione Auguſtini (quam omnes ſcholaſtici probant) eſt, *quia nihil obiecti latet cognoſcētē.* Confirmatur ex eiſdem, quia dum non exhauritur obiectum, non cognoſcitur quantum cognoſcibile eſt, quia eſt cognoſcibile cum aliis effectibus, neque habet tantum cognitionis, quantum entitatis, quia habet eminenter aliqua entia, quæ in ipſo ignorantur. Secundò, non poteſt aſſignari certa regula, qua dignoſcamus vtrum anima ſeparata Angelum comprehendat? vel Angelus animam? aut vnus alium? Nam poteris dicere eam cognitionem eſſe in eodem gradu perfectionis vel non eſſe, nec gradum illum taxare quis poterit niſi pro arbitratu, *a ojo de cubero.* §. 29.

Dices, cognitionem ortam à principio tam perfecto quam obiectum eſſe comprehēſionem. Contra, ab eodem principio oriuntur aliæ cognitiones eiuſdem obiecti minimè comprehenſiuæ. Quid autem refert ſubſtantia principij niſi in ipſo modo attingendi obiectum ſit diuerſitas? Pone, e. g. Michaëlem §. 30.

Michaëlem cognoſci ſecundum omnia quæ formaliter & eminenter continet; tam ab vno Angelo Michaële ſuperiore, quam ab alio inferiore. Cur ſuperioris cognitio erit cōprehenſio potius quàm inferioris? Licet enim vna in ſe ſit imperfectior, neutra tamen eſt æqualis Michaëli, & vtraque eodem modo eum attingit. Adde à ſolo Deo comprehendi lapidem, quia petit ſolam cognitionem Dei: quia petit fieri à Deo vt omnipotenti: cuius omnipotentia neceſſario dirigitur cognitione Dei: ſed nulla alia cognitio eſt æqualis illi: ergo nulla comprehenditur, quia per nullam aliam cognoſcitur quantum eſt cognoſcibilis ex ſua natura, quia cæteræ cognitiones ſunt per accidens lapidi: diuina autem per ſe petitur per intellectum.

§. 31. Tertiò, ſi cognitio penetrat obiectum, & quidquid cognoſcibile eſt in eo; ergo illud cōprehendit. Probo conſequentiam, quia tunc nihil obiecti latet cognoſcentem, & fines illi præſcribuntur. Videntur enim omnia, ad quæ ſe porrigunt eius potentiæ. Confirmatur, talis cognitio penetrat obiectum quantum illud ex ſe petit: ergo. Probo antecedens, obiectum ex ſe non petit niſi vt cognoſcantur omnes eius perfectiones, & omnia quę in eis eminenter continentur; & hoc eſt habere tantum de cognoſcibilitate, quantum de entitate, id eſt, tot entitates & formalitates cognoſcantur, quot in illo ſunt formaliter & eminenter, vt nulla lateat.

§. 32. Dices requiri vltra hoc certam perfectionē cognitionis. Nam ſi quis aut probabiliter, aut obſcurè cognoſcat in obiecto omnia illius formalia, & eminentia, adhuc illud non comprehenderet; cum tamen nihil lateret cognoſcentem, & fines illi circumſcriberet. Contra, comprehenſio debet habere perfectionē cognitionis quidditatiuæ, tum quia eſt nobiliſſima cognitionum circa obiectum idem: tum quia cognitio probabilis dubiū relinquit intellectum: tum tertiò, quia cognitio obſcura atque confuſa vix eſt conceptus de obiecto: at ſi cognitio eſt clara, quidditatiua & omnium quæ ſunt in obiecto, quid aliud requiritur?

§. 33. Confirmatur exponendo eadem verba, *quantum cognoſcibile eſt*: non enim exigit cognitionem eſſe in eodem ordine phyſico cum obiecto, nam Angelus non comprehenderet lapidem, quia hic eſt ſubſtantia, illius verò cognitio accidens: neque exigit vt ſit perfectiſſima cognitionum, quæ ex natura rei poſſunt eſſe de eo obiecto: Cæteroquin ſolus Deus comprehēſionem haberet de lapide, cum Dei cognitio ſit perfectiſſima omnium. Immo hoc indicat illa ratio, quia lapis à Deo petit cognoſci non ab Angelo, quia dicit eſſentialem ordinem ad omnipotentiam Dei, quæ vel intellectum includit, vel ratione noſtra per eum dirigitur: ab Angelo autem quid dependet? Nec per te exigit eſſe claram notitiam omnium, quæ in illa continentur, quid ergo ſignificant ea verba? Si aſſeris eam neceſſariò eſſe cognitionem in certo perfectionis gradu, nec te potero diuellere, quia pro ſolo arbitratu id petis: nec tu te probabis vlli.

§. 34. S.Thom. quem ſequitur P.Molina ſupra art. 8. dicit creaturam non cognoſcere omnia, quæ in Deo continentur formaliter, & eminenter, quia illum comprehenderet. Verum quidem eſt Deum comprehenſum iri, ſi ita cognoſceretur; eſt enim comprehenſio *diſtincta cognitio omnium, quæ formaliter & eminenter in obiecto continentur*: at verò id non ſequitur in ſententia S.Thom. vt rectè P.Vazquez obſeruat. Nam demus aliquam cognitionem creatam exprimere quidquid eſt in Deo formaliter, & eminenter, adhuc illa non erit ſimpliciter infinita: ergo non erit comprehenſio Dei, quia ad hanc requirit S.Thom. art. 7. infinitatem in perfectione. Quam cognitionem multi aiunt eſſe poſſibilem, non tamen comprehenſiuam propter inæqualitatem in perfectione. Dices, eam cognitionem fore infinitam, atque adeo comprehenſiuam. Contra, quia non ſequitur cognitionem aliquam eſſe ſubſtantialem ex eo quod repræſentet quidquid formaliter, vel eminenter in ſubſtantia continetur: ergo neque erit infinita cognitio de Deo, licet repræſentet quidquid in eo continetur formaliter, vel eminenter. Verum eſt comprehenſionem Dei neceſſariò debere eſſe infinitam, quia nullus actus niſi infinitus ſe poteſt cognoſcere, vt patebit ſect. 4. quod S.Thom. voluit.

Mitto alias acceptiones comprehenſionis à Nominalibus excogitatas, quas rectè reiicit P. Vazquez ſupra diſput. 52. & 53. duas tamen obſerua ex cap. 4. diſp. 53. Alteram, quæ ſignificat intuitiuam de Deo cognitionem, quam docet Auguſtinus, & ſancti Patres nobis à Deo in præmium reſeruari, quæ lato modo vocatur comprehenſio Dei. Ita Paulus, *curro ſi quo modo comprehendam*. Item *ſic currite vt comprehendatis*, nempe Deum viſione clara. Vnde cælites dicuntur comprehenſores: quorum ſtatus opponitur viatorum. Alteram, quæ ſignificat cognitionem omnium effectuū ex vi cauſæ cognitæ. In quo ſenſu exiſtimo Deum non ſe comprehendere in ſententia P. Vazquez, quia ipſe docet diſp. 60. cap. 2. Deum non cognoſcere creaturas in ſe ipſo tāquam in obiecto formali priùs cognito. Opinatur enim nullam creaturam poſſe videri in Deo tamquam in obiecto formali; ait autē Deum cognoſcere omnes creaturas in ſe ipſo tamquam in ratione formali cognoſcendi, id eſt, eſſentiam diuinam eſſe cognitionem, ſiue rationem formalem, qua creaturæ denominantur cognitæ, ſed hoc non refert comprehenſionis, quia comprehenſio ita debet penetrare cauſam, vt illa met cauſa ſit obiectum primarium ducens in cognitionem ſuorum effectuum, ita vt effectus in cognitione dependeat à cauſa: quod ſi non ſit huiuſmodi dependentia, cognitio cauſæ & effectus erunt tantum comitantes, id eſt, neutra ab altera pendens: quod non ſufficit ad comprehenſionem etiam in ſententia ipſius P. Vazquez, illa diſp. 53. num. 17. ſed neceſſarium eſſe ipſe teſtatur, vt cognitio obiecti ſecundarij feratur in illud ex eo quod ſit cognitio obiecti primarij. §. 35.

Hoc autem eſſe non poteſt niſi in ipſo primario obiecto tamquam in obiecto formali cognoſcatur ſecundarium & materiale: hoc enim ſignificant illa verba, *ex eo quod ſit cognitio obiecti primarij*. Nam ſi hoc non ducit in cognitionem obiecti ſecundarij, qua ratione poteſt dici illa cognitio tendere in ſecundarium, ex eo quod ſit cognitio primarij obiecti? cum etiam poſſet dici eam tendere in obiectum primarium ex vi ſecundarij, niſi hæc obiecta connectantur tamquam formale & materiale. Confirmatur ex ipſo P. Vazq. aſſerente duas cognitiones, quarum altera repræſentet quidquid eſt in obiecto formaliter, altera quidquid eminenter, non eſſe comprehenſiuas obiecti, quia vna non eſt ratio alterius: ſed cognitio diuina de ſe ipſo, & de creaturis ita ſe habet per te, quia vt eſt cognitio diuinæ eſſentiæ, nō ducit in cognitionem creaturam, quia per te diuina eſſentia non eſt obiectū formale ducens in creaturas: ergo illa cognitio concomitanter tantum eſt de Deo, & de creaturis, vt ſi Deus per impoſſibile, vel poſſibile produceret §. 36.

vnam

vnam cognitionem, quæ repræſentaret Deum immediatè,& creaturas etiã immediatè, ita vt neque Deus eſſet obiectum formale creaturarum, aut è contra, illa cognitio nõ eſſet comprehenſiua Dei, quia vnum obiectum comitanter ſe haberet reſpectu alterius:non minus quàm ſi vtrumque cognoſcatur actu diuerſo: ergo idem erit de cognitione, quam per te Deus habet de ſe.

§. 37. Requiritur ergo *cognoſcere totum obiectum & ex vi illius omnes eiuſdẽ effectus, qui ex natura ſua poſſunt ab illo manare.* Inquirendum nunc,vtrum ad veram comprehenſionem exigatur exacta cognitio omnium effectuum in particulari? An verò ſufficiat cognitio effectuum in ſpecie? Conimbr.Colleg.1. Phyſ.c.1.q.1.art.1.fine docet negatiuam partem, quia non requiritur maior virtus ad producẽdum hoc indiuiduum in particulari,quàm ad illud:ergo tam bene penetratur cauſa relata ad effectus in ſpecie quàm in particulari.

§. 38. Hæc ſententia non placet, eſt enim contra S. Tho. 1.p.q.12.art.7. vbi docet comprehenſionem eſſe cognitionem rei quantum cognoſcibilis eſt, quem ſequitur Henricus aſſerens beatos in Deo poſſe videre omnes rerum ſpecies, non tamen indiuidua: vnde Henricus effugit difficultatẽ de incomprehenſibilitate Dei, quia dum non cognoſcuntur indiuidua effectuũ in indiuiduo,non comprehenditur eorum cauſa. Quibus adſtipulatur P. Suar. 1. p.tract.1.lib.2. cap.29.& tom.1.3.p.diſput. 26.ſect.2. §. *Verum tamen eſt.*

§. 39. Probatur,quia hic effectus in particulari aut ille continentur virtualiter,aut eminenter in cauſa:ergo non exhauritur cauſa, dum ex vi illius cognitæ non cognoſcuntur hi effectus in particulari. Patet conſequentia,quia cõprehenſio eſt cognitio quam non latet aliquid eorum, quæ formaliter, aut virtualiter continentur in obiecto; ſiue(quod recidit) cognitio rei quantum cognoſcibilis eſt. Secundò, quia potentia operatiua nõ reſpicit rationes communes;quia hæ nõ ſunt producibiles per ſe primò, ſed in ſingularibus; reſpicit autem per ſe ſingularia,quæ per ſe primò ſunt producibilia.

§. 40. Confirmatur, maior perfectio eſt poſſe producere quatuor effectus, quam vnũ ſolum, & pro exceſſu ſingularium effectuum, qui poſſunt produci, excedit virtus actiua cauſæ;ergo nõ exactè cognoſcitur virtus actiua, dum non agnoſcuntur exactè omnes effectus,quos poteſt producere. Antecedens patet ex terminis, & cõfirmatur. Nam ſi Deus non poſſet producere Petrum, etiã ſi poſſet producere cæteros homines non eſſet omnipotens, quia non poſſet producere vnũ ſolum hominem: ergo poſſe producere quatuor effectus maior perfectio eſt, quàm vnum: ergo non cognoſcitur adæquatè illa perfectio,dum non cognoſcitur effectus ille.

§. 41. Iidem P.Conimb.art.3.ad 9. fatetur ingenuè ad perfectam comprehenſionem hæc omnia requiri; ad vulgarem tamen cõmunem,& minus perfectam id non requiri. Quibus non reclamo,ſi addiderint debere cognoſci in particulari numerũ & magnitudinem effectuum; quos vna cauſa ſimul poteſt gignere, vel quos poteſt producere vno quaſi tractu ſucceſſiuo,v.g. quando defatigatur, aut reparitur agens: tunc enim equus, E.g.comprehendetur cum cognoſcatur quãtum poſſit vna vice currere, aut ignis quãdo cognoſcitur quanto tempore poteſt lignũ comburere, à qua re patitur frigus, hæc enim multum conferunt ad comprehenſionem quantumcumque vulgarem.

§. 42. Præterea requiritur ad comprehenſionem perfecta cognitio cauſarum, à quibus dependet obiectum per ſe.Probatur,nam obiectũ habet ordinem tranſcendentalem ad ſuas cauſas per ſe: ergo dum nõ cognoſcitur ille ordo clarè,& diſtinctè,non cõprehenditur obiectum; quia iam latet aliquid cognoſcentẽ;ſed ille ordo non poteſt cognoſci clarè & diſtinctè ſub denominatione ordinis niſi clarè & diſtinctè cognoſcantur cauſæ, ad quas eſt, quia relatiuũ non cognoſcitur formaliter, ſub denominatione relatiui ſine termino: ergo non poteſt penetrari obiectũ, niſi cognoſcantur cauſæ à quibus per ſe dependet; & ſicut ad exactam cognitionem requiritur ſingillatim cognoſcere omnes effectus, ita & omnes cauſas, à quibus per ſe poteſt oriri, quia etiam eſt cognoſcibilis per ordinem ad illas.

Neque verò opus eſt ad cognitionem exactiſſimam cauſæ cognoſcere actualem exiſtentiam effectuum:ita P.Suar.illa diſp.26.ſect.5.§.*ad Henricum.* Probatur,Deus actu quo ſe comprehendit formaliter nõ cognoſcit futuros euentus:ergo. Probatur antecedens:tum quia Deus non cognoſcit futuros euentus in ſua eſſentia tãquam in obiecto formali: ergo formaliter per cognitionem ſuæ eſſentiæ non cognoſcit futuros euẽtus in ſua eſſentia tamquam in obiecto formali: ergo formaliter per cognitionem cauſæ non cognoſcit futuros euentus. Quapropter cõprehenſio Dei cõparata ad creaturas eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ,qua ratione diſtinguitur à ſcientia viſionis, per quam intuetur effectus, tum etiam quia cõprehenſio eſt in Deo ſimpliciter neceſſaria,ſecus verò cognitio futurorum. §. 43.

Dices: ſi homo liberè operatur,& eius operatio non cognoſcitur ab Angelo: ergo non comprehenditur, quia latet aliquid cognoſcentem. Nego conſequentiam. Nam antea quam operaretur, & exiſteret homo,comprehendebatur: quæ cognitio non mutatur per ſubſequentem actum liberum,& eius ignorantiam; nec latet aliquid eorum, quæ ſunt cognoſcibilia in obiecto.Nam effectus debet cognoſci comprehenſione in cauſa,non verò in ſe, & comitanter cum cauſa, quod ſi in cauſa non eſt cognoſcibilis, nihil refert eum latere: ita Deus non cognoſcit effectus nec actus ſuos liberos in eſſentia, vt eſſentia,ſed in ipſis actibus. §. 44.

Verum eſt comprehenſione rei cognoſci exiſtentiam effectuum neceſſariorum, ſi res ſit exiſtens. Ratio à priori huius ſententiæ, quia comprehenſio eſt cognitio effectuum ex vi cauſæ cognitæ, ſed ex vi cauſæ cognitæ non cognoſcuntur effectus liberi, vt Theologus diſces; ergo comprehenſio non requirit cognitionem exiſtentiæ effectuum liberorum. §. 45.

Comprehenſio non repugnat cum incomprehenſione, quia Chriſtus & Beati per ſciẽtiam beatam, & infuſam comprehendunt plures creaturas, quas non comprehendunt per ſcientiam naturalem. Secundò, quia in obiecto nulla infertur contradictio. Nam cognoſcere per vnum actum quidquid eſt in obiecto & non per alium, arguit diuerſitatem ſpecierum impreſſarum, aut principij actiui ex parte potentiæ. §. 46.

SECTIO IV.

Nonnullæ difficultates expediuntur.

Ex dictis ſectione præcedenti nonnullæ difficultates ſuboriuntur,quas expedit breuiter ſuperare: quæ licet videantur ad Theologum pertinere, tamen non tranſiliunt limites Animaſtici. Ac primum ex dictis videtur concludi,nullam rem §. 47.

naturalem comprehendi ab Angelo, quia omnis res naturalis poteſt producere infinitos effectus ſucceſſiuè, & exiſtere in locis infinitis per diſtinctas vbicationes. Angelus autem non poteſt ſimul cognoſcere infinita: ergo Angelus non comprehendit exactè res naturales; eſto illas comprehendat illa vulgari comprehenſione, quam cum P. Conimbr. adſtruxi ſect. 3.

§. 48. Videtur ſecundò concludi, Angelum non poſſe ſeipſum, aut alium Angelum, aut animũ comprehendere comprehenſione vulgari, etiam ſi poſſet cognoſcere actu infinita: quia nullus actus angelicus, aut humanus poteſt cognoſcere ſeipſum clarè, & diſtinctè; neque alium actum eiuſdem ſpeciei cum illo: ergo Angelus nõ poteſt cognoſcere omnes ſuos effectus quoad ſpeciem, & conſequenter nec comprehendi. Probatur antecedens; quia obiectum & actus comparãtur tamquam principium efficiens & effectus: ſed actus non poteſt eſſe principium efficiens ſui ipſius: ergo neque obiectũ ſui ipſius. Probatur maior, tum ex axiomate S. Auguſtini, *ab obiecto & potentia paritur notitia*, partus autem actionem ſignificat: tum etiã quia obiectum, ſi ſit proportionatum cum potẽtia, & illi præſens, concurrit actiuè ad productionem actus, & communiter de eſſentia diuina reſpectu viſionis beatæ affirmant Theologi cum S. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. & de obiecto guſtus, & tactus probo. d. 12. & de Angelis cõparatione propriæ eſſentiæ cum B. Tho. docet P. Suar. Quando verò obiectum eſt abſens, vel non exiſtens, tũc ſpecies impreſſa ſupplet concurſum, quem erat præſtiturum obiectum, ſicut ſpecies viſiua concurſum coloris: chymæræ autem concurrunt per ſpeciem rerum, ad quarum ſimilitudinem cognoſcuntur, vt ad cognitionem montis aurei concurrunt ſpecies montis & auri; mons enim & aurum ſunt obiectum illius actus, quando autem obiectum eſt materiale, concurrit actiuè, non per ſpeciem ipſam, ſed per obiectum formale.

§. 49. Dices, cauſam remotam non eſſe propriè cauſam; ergo obiectum concurrens per ſpeciem nõ eſt cauſa actus. Tranſeat totum: at verò nulla res poteſt eſſe cauſa remota ſui ipſius. Nam debet cauſa remota eſſe prior natura effectu, & abſolutè eſt cauſa per ſe illius; & non per accidens.

§. 50. Ad huius explicationem præmittẽda eſt duplex comprehenſio; altera actualis, habitualis altera; quarum meminere Bonauentura, & Marſil. adducti à P. Suar. tom. 1. 3. p. d. 26. ſect. 2. §. *Secunda ſententia*, qui docent animam Chriſti cognoſcere in Verbo omnia nõ actu, ſed habitu. Hos impugnat P. Suar. quia quidquid cognoſcitur in habitu, poteſt etiam in actu cognoſci, quia habitus poteſt prodire in vnum, vel plures actus, quibus repræſentetur totum obiectum actus. Sed exiſtimo eos Doctores eſſe in alio ſenſu loquutos: cum enim docent animam Chriſti non cognoſcere omnia in actu, volunt dicere nullum eſſe actum, qui poſſit in Verbo creaturas omnes cognoſcere. Cum verò docent animã Chriſti cognoſcere omnia in habitu, id eſt, in potẽtia, volunt ſignificare nullum eſſe effectum in particulari, quem in Deo non poſſit cognoſcere anima Chriſti. In quo ſenſu cõprehenſio actualis eſt cognitio omnium effectuum, quia continentur in cauſa: habitualis autem eſt facultas ad cognoſcendos in particulari ſingulos effectus ex vi cauſæ cognitæ.

§. 51. Vnde deduco Angelum comprehendere creaturas naturales irrationales comprehenſione actuali vulgari, non tamen exacta. Secundam partem concluſionis probat prima obiectio: Primam autẽ confirmo, quia ſpecies effectuũ, qui per ſe poſſunt oriri ab his obiectis, item numerus & magnitudo, quos vno tractu poſſunt producere cum ſint valde limitati, poſſunt cadere in cognitionem angelicam.

Secundò deduco, Angelum non ſe comprehendere comprehenſione actuali, etiã vulgari naturali, vt rectè probat ſecũda obiectio: ſe tamen comprehendere habituali comprehẽſione etiam naturali. Probatur ſecunda pars, quia nullus poteſt aſſignari effectus, neque denominatio ab illo proueniens in Angelo, quin ab eodem Angelo poſſint cognoſci: ergo Angelus ſe poteſt comprehendere habitualiter. Probatur antecedens, quia quilibet actus Angeli poteſt ab illo cognoſci per alium actum reflexum, in quibus non repugnat infinita progreſſio. §. 52.

Tertiò deduco, Deum non poſſe comprehendi à creatura. Probatur à fortiori ex dictis de Angelo; Deus autem ſe comprehendit, quia cognitio diuina reflectit ſupra ſeipſam, & ſimul eſt cognitio, & obiectum ſui ipſius. Nam non dependet ab obiecto tamquam à principio actiuo; quia ratione ſuæ infinitatis à nullo dependet; & propter ſummam actualitatem non continetur in potentia obiecti. Quapropter dixi ſect. 3. §. 39. comprehenſionem Dei neceſſario eſſe infinitam, quia debet eſſe omnino independens ab obiecto. §. 53.

Quartò deduco, Deum non poſſe comprehendi à beatis etiam habitualiter: nam comprehenſio habitualis eſt facultas ad cognoſcendas ſingulas denominationes, & formalitates obiecti; ſed aliqua poteſt aſſignari denominatio in Deo, quæ nõ poſſit clarè à beatis cognoſci; ergo beati non habent comprehenſionem habitualem Dei. Probatur minor, quia Deus habet actum intellectus, quo clarè & diſtinctè cognoſcit collectionem rerũ omnium creatarum, ſed ille actus nõ poteſt à beatis formaliter cognoſci: ergo. Probatur minor, quia talis cognitio beata ſe cognoſceret clarè, & diſtinctè, quia eſt vnũ ex obiectis illius actus diuini. Angelus autem, aut animus nõ poſſunt clarè, & diſtinctè cognoſcere totã collectionem ſuorum actuum, nam talis cognitio eſſet cognitio clara ſui ipſius. §. 54.

Dices primò. Actus diuinus ſe ipſum cognoſcit: ergo etiã poterit ſe ipſum cognoſcere actus creatus. Nego conſequentiam. Nam actus diuinus non paritur ab obiecto, ſecus verò creatus. Dices ſecundò. Eadem res poteſt mouere voluntatem ad ſeipſam producendam, vt cum quis apprehendit calorem, ex talique apprehẽſione mouetur ad corporis exercitationem, ecce ex tali apprehenſione mouetur animal ad productionem caloris: ergo etiam idem actus poterit mouere intellectum ad cognitionem ſui ipſius. Nego conſequentiam, quia finis mouet intentionaliter alliciendo volũtatem, cuius cauſalitas tantum eſt extrinſecè terminatiua, non enim debet obiectum voluntatis illam determinare efficienter: obiectum autem cognitionis habet & extrinſecè terminare cognitionẽ, & actiuè determinare intellectum, cuius loco ſubrogatur ſpecies impreſſa. Denique obiectum voluntatis diſtinguitur ab actu, quo amatur; nullus enim actus creatus ſeipſum amat, in quo ſunt æquales intellectus & voluntas. §. 55.

Tandem Angelus actu ſupernaturali ſe poteſt actualiter, & perfectè comprehendere, quia & ille poteſt repræſentare infinita, & clarè atq; diſtinctè omnes actus naturales Angeli. Dices, Angelus habet actum naturalem circa illum ſupernaturalem; ergo actus ſupernaturalis ſe cognoſcet clarè in illo actu naturali; Diſtinguo antecedens, actum clarum, & in particulari, nego; cõfuſum & vagum concedo §. 56.

concedo antecedens: ſimiliter & conſequens non enim ſe cognoſcet clarè, ſed tantùm confusè cognoſcet ratione actus ſupernaturalis. Quod etiam reperitur in actibus ſupernaturalibus, qui cognoſcunt rationem communem actus vt ſic.

SECTIO V.

Vtrùm Fides poſſit eſſe ſimul cum ſcientia?

§. 57. HÆc quæſtio communis eſt cuiuis actui obſcuro fidei humanæ, diuinæ, & opinionis.

S.Thom. 2.2.q.1.artic.4.& 5. docet apertè, non poſſe eundem intellectum habere ſimul ſcientiam & fidem de eodẽ obiecto, quem ſequuntur Caiet. ibi Capreol.& alij apud P.Valent.tom.3.diſput.1. q.1.punct.4.§.2. initio, in quam opinionem eunt omnes ferè Thomiſtæ: Probatur primò, ex Magno Gregor.homil.in cap.20.Ioan. in illa verba: *Quia vidiſti me Thoma, credidiſti*; aſſerente: *profectò liquet, quod fides illarum rerum argumentum eſt, quæ apparere non poſſunt*; *quæ enim apparent, iam fidem non habent, ſed agnitionem*: ergo quando quis euidenter cognoſcit obiectum, iam non habet fidem illius. Sed Gregorium & alios Patres noſter Gregorius exponit ſupra de fide, & ſcientia per eandem rationem formalem obiectiuam: eſt enim fides argumentum rerum non apparentium per motiuum fidei; diuina enim reuelatio eſt obſcura: quare per illam non apparet obiectum; quod ſi reuelatio eſſet clara, non cognoſceretur actu fidei, ſed euidenti agnitione; at verò eodem obiecto materiali per diuerſas rationes formales, nec Gregorius docuit; neque alius è Patribus.

§. 58. Secundò arguitur, quia fides repræſentat obiectum obſcurè, ſciẽtia verò clarè: at intellectus non poteſt habere ſimul obſcuritatem & euidentiam de eodem obiecto, ſicut aër non poteſt eſſe ſimul obſcurus & lucidus; ergo. Hoc argumentũ latam habet æquiuocationem; intellectus enim ſimul poteſt habere actũ clarum, & obſcurum, quia obſcuritas dicit priuationẽ claritatis in eodem actu, nõ verò in intellectu, in quo differt à tenebris, quæ dicunt priuationem lucis in aëre, non verò in ipſa luce; nam tenebræ debẽt habere aliquod ſubiectũ poſitiuum, quod eſt aër: nam lux eſſe non poteſt; ita obſcuritas in quantũ dicit priuationem, immediatè recipitur in actu; vnde claritas & obſcuritas in eodem actu circa idem obiectũ ad eadem connotata eſſe non poſſunt; ſicut lux, & tenebræ circa eumdem aërem; in diuerſis autem actibus quid ni? Confirmatur, non minus videntur opponi actus affirmatiuus & non affirmatiuus circa idem obiectum; quàm actus clarus & obſcurus; quia ſicut claritas, & obſcuritas videntur habere quoddã genus negationis; ita affirmatio & nõ affirmatio, ſed ſect. 1. probatum eſt poſſe ſimul eſſe ſimplicem apprehenſionem & iudicium de eodem obiecto: ergo etiam poterunt eſſe fides & ſcientia.

§. 59. Dico primò. *Non poſſunt eſſe ſimul ſcientia & naturalis fides, vel opinio cum formali formidine, aut dubio.* Ita Durandus quæſt.1. prologi, in quem ſenſum Ariſtotelem interpretatur. Probat apertè Durand. quia nullus intellectus poteſt ſibi perſuadere ſimul duo contradictoria, quia euidenter videt alteram partem eſſe falſam; obiecto autem quod falſum apparet, nullo modo poſſumus aſſentiri: ergo nõ poteſt intellectus humanus habere ſimul ſcientiam & opinionem de eodem obiecto cum actuali formidine: probatur cõſequentia, quia ſibi perſuaderet duo contradictoria: nam per ſcientiam ſibi perſuaderet rem non poſſe aliter eſſe quàm apparet, at per formidinem, & dubitationem ſibi perſuaderet rẽ poſſe aliter eſſe quàm apparet: ea enim ratione dubitamus & formidamus obiectis aſſentiri; quia nobis perſuademus rem aliter eſſe poſſe: nam ſi nobis perſuaderemus rem aliter non poſſe eſſe, quid dubitaremus? & hoc eſt in cauſa, cur intellectus non poſſit rem eamdem ſimul affirmare aut negare vno actu, aut duobus; quia non poteſt ſibi duo contradictoria perſuadere.

Dico ſecundò. *Poſſunt eſſe ſimul ſcientia deducta ex medio euidenti cum fide, vel opinione deducta ex medio falſo.* Ita Durandus ſupra; Probatur, quia illi duo actus eamdem rem affirmant, & non opponuntur circa ſuum obiectum proprium, ſed circa medium: at in aſſenſu per medium non opponuntur, quia media cognoſcuntur per alios actus, & ſunt obiecta diſtincta; ergo talis opinio, & ſcientia non opponuntur. Cõfirmatur, poteſt quis ſimul habere duos actus fidei humanæ, alterũ deductum per medium verum, alterũ per falſum; ergo etiam fides & ſcientia; antecedens probatur, ſi duo homines mihi affirment ſe vidiſſe Petrum cucurriſſe, & ego aſſentior propter vtriuſque teſtimonium, habeo duos actus (ſuppono fieri ſucceſſiuè) ſupponamus etiam illorum alterum eſſe mentitum, non verò alterum, tunc continget argumenti caſus, quem exiſtimo frequentiſſimum eſſe. §. 60.

Dico tertiò. *Rectè poſſunt eſſe ſcientia & fides vel opinio ſine formidine.* Ita Durand. ſupra, & P. Molina 1.p.q.1. art.1.diſput.2. §.*in omni lege*, vbi docet aſſenſum produci ſimul ab habitu Fidei, & ſcientiæ, & Pat. Vazquez, 1. part. quæſt.4. num.3. admittit ſcientiam per ſpecies alienas poſſe ſimul eſſe cum Fide. P. Gregorius de Valentia ſupra docet hanc ſententiam & conformiorem ſcripturæ & ſanctis, pro qua præter Patres adducit Doctorem Seraphicum, Alexand. Alenſem, Albertum, Gabrielem, & alios. §. 61.

Probatur primò, quia actus intellectus non opponuntur niſi ratione alicuius contradictionis, vel in ipſis repertæ; vel quæ in obiectum refundatur: ſed in Fide, & ſcientia nulla reperitur contradictio, cum ſint entia poſitiua; neque item in obiectum refunditur, quia quòd vnus actus ſit clarus, & alius obſcurus nihil refundunt in obiectum, ſed tantum arguitur imperfectio alterius, in altero non reperta; at verò nõ repugnat circa idem obiectum eſſe alterum perfectum, alterum imperfectum, vt apprehenſionem, & iudicium: ergo. Probatur maior, quia actus intellectus propriè nullam habent contrarietatem; cõtraria enim poſſunt eſſe in gradu remiſſo, vt patet in habitibus naturalibus, & poſſunt eſſe ſimul de potentia abſoluta in gradu intenſo; at verò actus oppoſiti in nullo gradu poſſunt eſſe ſimul nec de potentia abſoluta: ergo non ſunt contrarij. §. 62.

Præterea affirmatio, & negatio eo repugnant, quia arguunt contradictionem in obiecto, idem ſcilicet ſimul eſſe & non eſſe, vt ait Ariſtoteles 4. Metaphyſ. c.13. text.9. *perſpicuum eſt* (inquit) *fieri non poſſe: vt idem ſimul rem eamdem, & eſſe, & non eſſe exiſtimet, ſimul enim contrarias opiniones haberet*, id eſt, contradicentes. Item amor efficax, & odium circa idem obiectum, item ſimplex complacentia & diſplicentia de eodem obiecto ſecundum ſe ea ratione non poſſunt eſſe ſimul; quia arguunt contradictionem in obiecto, nempe bonitatẽ, & malitiam. Præterea in ſenſibus externis, qui non connotant cõtradictionem in obiectis, licet ſint cõtraria §. 63.

inter ſe, nulla reperitur oppoſitio; ergo tota oppoſitio actuum vitalium oritur ex contradictione in obiectum reſultante.

§. 64. Secundò probatur, quia illi actus non opponuntur ratione obiecti, quia obiectum ſimul affirmatur, vel negatur per actum vtrumque; neque autem opponūtur ex parte mediorum, quæ ſuppono eſſe omnino diſtincta, vnde ergo opponuntur? Dices ex obſcuritate. Contra, ſupponamus cum Durando ita hominem aſſentiri medio probabili, & illius concluſioni, vt illi appareant omnia euidentia: hic in eo caſu neceſſario aſſentitur præmiſſis, & cōcluſioni: ſtantibus his aſſenſibus proponatur illi aliud medium omnino diſtinctum verè demonſtratiuum, poſito hoc medio nō poteſt homo non aſſentiri concluſioni: ecce hic neceſſitatur ab vtroque medio, & ab vtraque concluſione, cur non retinebit vtrumque actum, cum obiecta illi proponuntur, vt exiſtimet omnia eſſe demonſtratiua? certè ego nullam rationem inuenio: ſed alter actus eſt obſcurus, alter euidens: ergo obſcuritas non opponitur euidentiæ alterius actus.

§. 65. Tertiò, ſinguli homines tam philoſophi, quàm ruſtici tenentur credere Fide diuina Deum eſſe, & eſſe remuneratorem: ſed philoſophi euidenti demonſtratione hæc cognoſcunt: ergo Fides poteſt eſſe cum ſcientia. Maior patet, tum ex Paulo aſſerente, ***accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia remunerator eſt***; credere (inquit) non cognoſcere. Ait S. Thomas requiri cognitionem certam de exiſtentia Dei, vel per Fidem, vel per demonſtrationem. Sed habet difficultatem explicatio: Philoſophus enim gentilis ante promulgationē Euangelij poteſt iuſtificari, cognoſcendo certò Deum eſſe, & eſſe remuneratorem; ſed ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo, & hominem iuſtificari: ergo philoſophus cognoſcens euidēter Dei exiſtentiam, & prouidentiam, poterat habere Fidem diuinam de eiſdem rebus: quia per Fidem poterat iuſtificari. Confirmatur, ſupponamus talem philoſophum credere Fide diuina prouidentiam Dei circa Beatitudinem æternam, eius tamen exiſtentiam cognoſcere euidenter, tunc ſic; illa cognitio de exiſtentia Dei non eſt ſufficiens principium ad iuſtificationem; Charitas enim in via nō operatur niſi per Fidem, quia ſupernaturalis actus Charitatis non poteſt elici per cognitiones naturales: ergo requiritur Fides ſupernaturalis de exiſtentia Dei.

§. 66. Confirmatur ex ſymbolo Athanaſij, vbi proponuntur Fidelibus ſingulis, omnia quæ ſunt diuina credenda Fide, inter quæ aliqua proponuntur, quæ euidenti demonſtratione cognoſcuntur: ergo qui habet ſcientiam de his rebus, tenetur de eiſdem habere Fidem; ait enim Athanaſius: *quicumque vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, vt teneat Catholicam Fidem*; Catholica autem Fides eſt ſupernaturalis: ergo omnes tenemur credere Fide Catholica Deum eſſe. Quod patet: quia ea quæ creduntur neceſſariò ad ſalutē, nō creduntur ex ſolis viribus arbitrij; ſed ex gratia: vt patet ex Trident. ſeſſione 6. Can. 3. ſed credere Deum eſſe, eſt neceſſarium ad ſalutem: ergo nō poteſt credi vt oportet ſine gratia: At ſcientia naturalis de exiſtentia Dei non pendet ex gratia; nam eam habemus ex ſolis viribus naturæ, vt patet in damnatis: ergo illa non eſt vt oportet. Hac de re egi diſput. 9. de iuſtificatione.

§. 67. Dices primò, licet homo per opinionem actu non dubitet, poteſt tamen dubitare: ſecus autem per ſcientiam. Contra, quia hoc non vrget in Fide diuina. Deinde quando quis per actum reflexum cognoſcit probabilitatem obiecti formalis, & de illo dubitauerit, tunc amittit opinionem (vt dixi concluſione prima:) quia non poteſt actu quis dubitare de obiecto, quod euidenter cognoſcit.

Dices ſecundò, Fidem habere quemdam modum, quo opponitur ſcientiæ; at verò ſubſtantiam vtriuſque actus eſſe ſimul ex rei natura. Verùm qui hoc dicit, iam à ſancto Thoma diſcedit, quem conatur ſequi; nam 2. 2. q. 5. artic. 4. & 5. manifeſtè ait impoſſibilem eſſe Fidem & ſcientiam ſimul, nec alicuius modi meminit S. Thom. Secundò, oſtendam diſput. 2. Metaphyſ. ſect. 5. modos eſſe determinationes rerum indifferentium ad aliquid, hic autem nulla indifferentia reperitur, quæ per modum auferatur. Tertiò, iſti modi nullam repugnantiam inferunt in obiectis; ſin, eam aſſigna, ergo non repugnant inter ſe, nam oſtendi totam repugnantiam actuum oriri ex obiectorum contradictione. §. 68.

Quartò, ille modus non eſt obſcuritas actus, nec formido actualis, nam actus Fidei per ſuā ſubſtantiam eſt obſcurus, nam ſecluſo alio modo, ex ſuo motiuo formali, & principio actiuo, caret euidentia, & luce: ergo ſe ipſo eſt tenebricoſus: formido autem eſt de eſſentia actus, eſt enim aſſenſus formaliter dubius; nec eſt ſtatus rei neceſſariò tollendus per ſciētiam, nam ſtante aſſenſu probabili, qui exiſtimatur euidens, aduenit medium demonſtratiuum: hoc ſi non deſtruit ſubſtantiam opinionis, cur deſtruet ſtatum, & modum? Denique pereat ille modus: ex actibus manentibus ſimul alter eſt formaliter fidei, alter formaliter ſcientiæ, hoc enim eſt de eorum eſſentia; ergo fides & ſcientia formaliter ſunt ſimul, quod intendo. §. 69.

Pater Vazquez adductus ſupra opinatur, euidentiā per ſpeciem propriam & opinionem, ſimul eſſe non poſſe. Adhuc non video ſpecialem repugnantiā: nam ex cognitione per ſpeciem propriam, & opinionem non reſultat in obiectum oppoſitio; Demus enim hominem aſſentientē alicui propoſitioni per medium probabile, quod exiſtimat euidens; deinde talis propoſitionis infundatur ſpecies propria, huius aſſenſus cur deſtruit priorem? §. 70.

Dices, quia aſſenſus intuitiuus oſtendit connexionem effectus cum medio probabili, & ſi eſt connexio, eam videt euidenter; ſi non eſt, eam deſtruit. Contra primò, non eſt opus quacumque intuitione videre connexionem effectus cum quauis cauſa; videatur: eadē noſcetur, & intuitione actus & actu probabili, quid ni? Secundò ſit motiuum medium extrinſecum, verbi gratia, vt videat beatus actu naturali Petrum exiſtentem, reuelet Deus alteri exiſtentiam Petri; hæc reuelatio poteſt obſcurè proponi videnti Petrum, ex qua elicit aſſenſum fidei, de quo 2. 2. q. 1. & 1. p. q. 12. §. 71.

Ex dictis patet habitus ſcientiæ, & fidei non eſſe oppoſitos, quod in omni ſentētia eſt verum; quamuis qui aiunt actus opponi, & habitus eſſe diſtinctos ab ſpeciebus impreſſis, conſequenter dicent, habitus eſſe oppoſitos in gradu intenſo, quia ex actibus colligitur habituum oppoſitio, nō quidem tanta, quanta in actibus. Nam duæ inclinationes ad actus oppoſitos non opponuntur, ſicut actus ipſi, qui connotant in obiecto contradictionem. §. 72.

At lumen gloriæ, & Fides habitualis repugnant ex natura rei: non propter contradictionē in obiecto, aut modo; ſed quia gratia ſicut habet duos ſtatus oppoſitos, ſcilicet viæ, & patriæ, & hi ſunt oppoſiti formaliter; nam in ratione, qua quis eſt viator, non eſt comprehenſor; ſic opponuntur iſti duo habitus, qui conſtituunt præcipua capita eorum ſtatuum; nam viſio conſtituit ſubſtantialiter compre- §. 73.

comprehenſorem; fides viatorem: gratia autem habet in altero ſtatu repugnantiam eorum quæ ſunt propria alterius.

§. 74. Hic animum aduerte: doctrinam propoſitam §.68.nempe componi poſſe ſcientiam & Fidem de obiecto: eſſe non de Fide humana orta ex hominum teſtimonio & authoritate; ſed de Fide diuina. Cum enim §.64. dixerim opinionẽ cum actuali formidine non poſſe cum ſcientia componi: non poteſt nec humana Fides. Quia hæc, niſi in homine inſano, ſemper eſt cum actuali formidine: non enim poteſt quis certus eſſe, non poſſe eum mentiri qui loquitur, authoritate humana; cum poſſit decipi, & decipere; ſi autem tam proiectè aliquis crederet, vt nihil formidaret, poſſet eam fidem cum ſcientia componere. Opinio autem poteſt niti argumento tam apparenti, vt careat formidine actuali.

§. 75. Item aduerte doctrinam propoſitam §.62. nempe non poſſe fide credi reuelationem quæ euidenter cognoſcitur. Nam ſi reuelatio clarè cognoſcitur vt obiectum formale; non poſſumus illam credere vt obiectum formale: quia ad hoc credendum non ſufficiunt extrinſeca argumẽta, quæ ſunt conditio ad credendum. itaque non ex oppoſitione effectuum formalium: poteſt enim Deus eos actus componere; ſed ex defectu applicationis: quæ enim ſufficit abſente cognitione euidẽti de reuelatione vt obiecto immediato, non ſufficiunt ea præſente. de quo latè egi diſp.31. de Fide. Hæc hic ſatis.

SECTIO VI.

Quid ſit Opinio, Fides, Dubium, Formido, & Suſpicio.

§. 76. Opinio eſt actus intellectus deductus ex principiis, quæ rei veritatem, aut falſitatem non oſtendunt euidenter; ſed poteſt intellectus illi aſſentiri, vel diſſentire. Opinio differt à Fide diuina, quod huic non poteſt ſubeſſe falſum, ſecus illi; poteſt opinio eſſe falſa, & tamẽ probabiliter illi poſſumus aſſentiri, ſicut & è contra, actus intellectus poteſt eſſe verus & improbabilis. Immo quis poteſt illum eliciendo peccare; quia aut nullo, aut leui fundamento mouetur ad illum aſſenſum, vt ſi quis iudicet Petrum eſſe adulterũ, quia eum videt ſemel cum vxorata loquutum, licet re ita ſit, & actus ſit verus; eſt tamen iudicium temerarium.

§. 77. Fides humana eſt aſſenſus, aut diſſenſus alicuius rei ob teſtimonium humanum: eſt quædã ſpecies opinionis. Aduerte illud teſtimonium eſſe vnius, aut plurium hominum, qui potuerunt decipi, & nos decipere.

§. 78. Dubium & hæſitatio eſt actus intellectus iudicans neutram partem contradictionis ſatis oſtendi, & neutri eſſe præbendum aſſenſum. Quæ hæſitatio omnino repugnat cum determinato iudicio alterius partis.

§. 79. Formido eſt actus reflexus per quem iudicamus opinionem cui aſſentimur poſſe eſſe falſam; cum qua formidine ſtat determinatum iudicium alterius partis, vt ſiquis ſentiat quantitatem non diſtingui à re quanta, quia poteſt reflexè iudicare ſuam opinionem poſſe eſſe falſam.

§. 80. Suſpicio eſt actus intellectus, quo cõiectura probabili opinamur hoc, aut illud fieri, verbi gratia, cum ego iudico Petrum mihi inſidias machinari. Quod ſi coniectura ſit leuis, erit ſuſpicio temeraria; erit tamen probabilis probabilitate coniecturæ; itaque per ſuſpicionem neutri parti aſſentimur, quo differt ab opinione, ſed eſt reflexa quædam cognitio de probabilitate rei, quo differt à dubio, hoc enim reflexè iudicat neutram partem probabiliter oſtendi.

DISPVTATIO XI.

De actu practico & ſpeculatiuo.

PRÆMISSA vniuerſaliori actuum diuiſione, ſubdiuidi eos oportet in partes minutiores.

SECTIO I.

Quid ſit in actu procedere modo compoſitiuo, & reſolutiuo?

Thomiſtæ communiter opinantur ſcientiam practicam eſſe, quæ procedit modo compoſitiuo; ſpeculatiuam verò, quæ modo reſolutiuo, id eſt practica componit formã cum materia; ſpeculatiua autem reddit rationem eorum, quæ docet, quod eſt reſoluere concluſiones in principia. Huius ſententiæ fundamentũ arripuere, ex S.Tho. 1.p.q.14.art.1. aſſerente, architectum non eſſe practicum niſi dum artem applicat operi. Verum S. Thom. toto eo articulo docet, actum practicum ſupra ſpeculatiuum addere voluntatem exequendi obiectum vtriuſque actus, vnde infert Deum habere ſcientiam ſpeculatiuam tantùm de creaturis poſſibilibus; quas non vult creare; practicum autem de his, quas creat: ergo ex S. Thoma procedere modo reſolutiuo conuenit etiam architecturæ, dum artifex vniuerſim definit; quando autem volũtatem applicat ad opus, procedit modo compoſitiuo, cum conſtet architecturam ex ſe eſſe artem practicam. Nos autem non agimus de hac ratione practici, quæ eſt valde accidentaria; neque iuxta hanc ſententiam S. Thom. rectè inferũt eius diſcipuli omnem ſcientiam practicam eſſe compoſitiuam; nam ſcientia, quam Deus habet de Angelo eſt practica, & tamen non inducit formam in materiam; quia Angelus ea compoſitione caret, niſi per compoſitionem intelligant quamcunque voluntatis applicationem ad opus. §. 1.

Igitur ſcientia practica eſt, *quæ potentiam dirigit ad obiectum efficiendum*, ita Ariſtot.3.de anima cap. 10.text.50.*practicus* (inquiens) *alicuius gratia ratiocinatur, & eſt principium agendi.* Speculatiua autem ſcientia eſt, *quæ ſiſtit in ſola contemplatione obiecti*, ſiue quæ tantum eſt propter ſciendum. Legatur Ariſtoteles 1. metaphyſ.cap.1. & 2. vbi luculenter exponit diſcrimẽ inter actus practicos, & ſpeculatiuos: quod practici quærũt ſcientiam operis gratia; ſpeculatiui autem gratia illius. Vnde ſumi debet diſcrimen inter vtrumque actum. Practicas ſcientias habere ſua principia, in quæ reſoluantur, conſtat ex S.Thom.1.p.q.79. artic.12. aſſerente practicam ratiocinari de operabilibus, ſicut ſpeculatiuam de ſpeculatiuis. Ratio à priori, quia vtraque eſt ſcientia principiis innixa. Architectus enim rationem ſui operis reddit. § 2.

Hinc inferes, terminis æquiuocari, ſcientiã ſpeculatiuam eſſe, quæ licet doceat operari, non tamen modo operabili: Nam ſi docet operari, modo operabili docet: docere enim modo operabili eſt præcepta tradere operationis faciendæ ex vi illius §. 3.

notitiæ. Poteſt enim quis efficere obiectū vt illud cognoſcit:quod eſt cognoſcere modo operabili; id eſt,actu ipſo poſſe illud operari.Nam ſcientia practica eſt, quæ non appetitur gratia ſui, ſed operis gratia: ergo talis ſcientia eſt practica: ſpeculatiua ſiſtit in ſola cōtemplatione obiecti:ſcientia autem quæ docet operari nō ſiſtit in ſola contemplatione obiecti: ergo ſcientia, quæ docet operari non eſt ſpeculatiua. Diſcrimen autem de modo operabili vel nō operabili iam impugnatum eſt,& nō explicat rem,cum non explicet quî differat docere modo operabili,& nō docere modo operabili: nam ſi docet operari, non ſiſtit in cōtemplatione obiecti. Igitur ex ipſo fine,& obiecto ſumitur diſcrimen.

§. 4. Hinc colliges actus logicos dirigentes intellectum in conſtructione modi ſciendi non eſſe ſpeculatiuos,ſed practicos: tum in ſententia Thomæ, quia procedunt modo cōpoſitiuo, nempe inducēdo formā ſyllogiſticam in intellectum;tum etiam, quia illi actus non ſunt gratia ſui,ſed operis. Quod verò aiunt Scotiſtæ nonnulli in intellectu nō dari praxim,impugnatum eſt diſput. 2. logicæ,ſect. 2.& dicitur ſine fundamento; nam ſi in intellectu reperitur aliquod opus cuius gratia ſcientia appetatur, iam datur in intellectu obiectum actus practici, quod eſt praxis. Vtque defendant logicā eſſe ſpeculatiuam commenti ſunt eam diſtinctionem de ſcientia, quæ docet operari modo operabili vel non operabili: verum eſt aliquam cognitionem deſeruire operi faciendo, quæ non ſit practica, vt viſio beata deſeruit ad eliciendam Charitatem(hoc dico,verbi gratia,) quæ cognitio poteſt dici deſeruire operi modo non operabili, quia non præſcribit regulas illius faciendi: item quando quis contemplatur obiectum à ſe non operabile; quando verò contemplatur opus ad cuius effectionem dirigitur contemplatione, ea cognitio reſpicit obiectum modo operabili.

§. 5. Quod verò aiunt Thomiſtæ ſolam ſcientiam ſpeculatiuam procedere modo reſolutiuo, eſt falſum:nam etiam practici habent ſuas reſolutiones; reddúntque cauſas eorum quæ faciunt.Ita Ariſt. 1. Metaphy.cap.1.his verbis,*eos,qui artem tenent,quàm eos,qui experientiam habent, ſapientiores eſſe putamus: hoc autē quoniam illi quidem ſciunt cauſam,&c. Quare, & eos, qui in quaque re architecti ſunt, honorabiliores, & doctiores, ac eis, qui manibus operantur ſapientiores putamus, quoniam cauſam eorum, quæ fiunt, ſciunt.* Itaque Ariſtoteles cenſet eos artifices eſſe peritiores,qui rationem reddunt artificij: ergo artes procedunt modo reſolutiuo: & ratione eſt clarum, quia ſcientia vt ſic diuiditur in practicam, & ſpeculatiuam; ſed ſcientia vt ſic rationem reddit eorum, quæ dicuntur: probat enim concluſionem per præmiſſas: ergo ſcientia practica rationem reddit eorum, quæ dicit. Secundò, quia diſciplina moralis eſt maximè practica, cum tota ſit propter mores componendos; ſed hæc procedit modo reſolutiuo: ergo. Probatur minor: nam hæc concluſio moralis *Deus eſt amandus*, ſi forte negetur, probatur à priori hoc principio morali per ſe noto, *omne bonum eſt amandum.*

§. 6. Mihi exciderat è memoria, eſſe implicationem terminorum affirmare ſcientiam ſpeculatiuam docere operari modo ſpeculatiuo: nam ſpeculari eſt ſiſtere in ſola contemplatione obiecti, docere autem operari eſt non ſiſtere in contemplatione obiecti: ergo implicat docere operari modo ſpeculatiuo.

§. 7. Dixi ex Ariſtotele,ſcientiam practicam eſſe gratia obiecti; vbi indicat Ariſtoteles obiectum eſſe finem ſcientiæ practicæ: quod vt minimum reſtringi debet ad ſcientias creatas. Practica enim ſcientia Dei non habet finem:eſt enim Deus independens ab omni genere cauſæ: ſcientiæ creatæ non reſpiciunt obiectum tamquam finem propriè ſumptum; ſed tamquam terminum extrinſecum; immo verò ſciētiæ practicæ ſunt quaſi principium obiecti: dicuntur autem eſſe gratia obiecti, quia à nobis poſſunt experi gratia obiecti tamquam principia regulas præſcribentia illius faciendi; & ad ſignificandum ſcientiam practicam ſe extendere ad obiectū faciendum; at verò ipſæ ſcientiæ ſunt per ſe appetibiles: ſpeculatiuæ autem hanc proprietatem ſibi vſurpant, quia non poſſunt appeti propter obiectum faciendum, quia obiectum earum non poteſt fieri à cognoſcente per illas.

SECTIO II.

Vtrum ſcientia practica ſit circa opus liberum?

Conſtat ex hac ſect. 1. & ex diſput. 2. logicæ ſect. 2. non ſufficere ad rationem praxis, vt actio ſequatur ex cognitione,ſed vt ſequatur tamquam obiectum, ad cuius productionem potentia actionis actiua dirigatur.Nonnulli arbitrantur huiuſmodi actionem neceſſariò eſſe liberam, non modo libertate cōtradictionis, ſed etiam libertate contrarietatis: nempe, vt ita faciat opus, vt poſſit in illo faciendo errare. Mouentur primò:quia cognitio practica eſt directio potentiæ facientis. Directio autem non eſt niſi vbi eſt periculum errādi: ergo neque cognitio practica.Maior patet ex definitione artis, quæ eſt, *Quæ dat regulas,& præcepta, & quaſdam in faciendo errare non patientes vias.* Minor patet, quia ſi potentia eſt determinata ex ſe, non indiget, vt ab alio dirigatur. §. 8.

Hæc ratio non vrget: bifaria eſt enim directio; altera continens in officio potētiam, ne erret cum poſſit: in quo ſenſu eſt neceſſaria ea opinio practica quam iſti loquūtur: altera directio eſt repræſentatio obiecti per quam intellectus dirigit voluntatem,id eſt illi præit face, vt percipiat bonitatem operis faciendi. Hæc directio non eſt neceſſaria propter periculum erroris, ſed quia voluntas eſt potentia cæca, neque ipſa poteſt facere,aut imperare opus niſi cognitum. Licet enim ex ſe ſit determinata ad non errandum;tamen ad operandum eget cognitione: quæ quia eſt infallibilis,ideo melius eſt via non patiens errare. §. 9.

Secundò mouentur, quia nutritio non fit à me practicè: quia licet ego de illa habeam notitiam, tamen non fit à me liberè. Tertiò, quia Angelus habet notitiam ſpeculatiuam de logica, quia non facit liberè noſtros actus. Quartò,quia amor beatificus ea ratione non eſt praxis, quia neceſſariò oritur ex viſione. Quintò,quia Pater æternus non producit Verbum per cognitionē practicam,quia illud producit neceſſariò. §. 10.

Non placet: noſtra cognitio de nutritione eſt ſpeculatiua, quia illa cognitio non eſt principium nutritionis. Nam nutritio nō fit cum dependentia ab aliquo actu noſtræ voluntatis libero,vel neceſſario. Cognitio autem practica, vt practica reſpicit actionem faciendam, vel à voluntate, vel per volūtatis imperium. Practica enim ſcientia mouet ad opus potentiam,cui illud repræſentat tamquam obiectum,at ſoli voluntati illud repræſentat,cæteris autem potentiis remotè per voluntatem: ergo. §. 11.

Qua

Quapropter nulla cognitio eſt practica comparatione habitus, quem producit, neque comparatione amoris, qui ſequitur ex illo circa obiecti bonitatem. Itaque cognitio de nutritione non eſt practica, quia nihil conducit vt liberè, aut neceſſariò fiat.

§. 12. Ad tertium reſpondetur, cognitionem angelicam de logicis præceptis eſſe ſpeculatiuam, non quia Angelus non poſſit liberè vti illa, ſed quia nec liberè, nec neceſſariò. Ad quartum, viſio beata eſt practica reſpectu amoris beatifici, ſi illum habet pro obiecto, ſecus verò ſi non habet. Ad quintum, omiſſa difficultate, vtrùm Verbum procedat ex cognitione ſui? Reſpondetur praxim eſſe operationem, quæ diuiditur in actionem & factionem: quæ ſonant veras dependentias à vera cauſa. Cognitio autem practica eſt ars, cuius obiectum eſt vera cauſalitas, & dependentia ab efficienti. Cum igitur in diuinis nulla ſit vera cauſalitas ad intra, ita nec ars vlla.

§. 13. Dicendum ergo, per accidens eſſe ſcientiæ practicæ vt practicæ, eius obiectum eſſe liberum, aut neceſſarium. Sed per ſe requiri vt ſit cognitio de obiecto quod per illam fieri poſſit à cognoſcente. Quod eſt reſpicere opus operabile modo operabili. Probatur apertè. Primò, à priori ex definitione notitiæ practicæ & ſpeculatiuæ tradita ſect. 1. Nam cognitio de obiecto à me liberè operabili non ſiſtit in pura illius contemplatione, ſed progreditur ad illud efficiendum. Adde manifeſtum eſſe diſcrimen inter notitiam de obiecto à me operabili, & non operabili. Quod diſcrimen eſt in ordine ad illius operationem, & carentiam illius: hoc autem diſcrimen ſignificatur nomine *practica*, & *ſpeculatiua*. Practica verò ſubdiuiditur in practicam cum diſcrimine errandi, aut ſine diſcrimine. Et quidem timeo nonnullos à communibus ſententiis diſſidere, non tam re, quàm voce. In præſenti autem de re conſtat, vocibus vtere (obſecro te) communibus.

§. 14. Secundò probatur in multis actibus, qui communiter practici nuncupantur. Primùm, cognitio angelica de motu, quæ dirigit potentiam Angeli ad illum. Neque verò Angelus errare poteſt in ſe mouendo. Item cognitio de bono in communi amando, circa quod obiectum non poteſt errare voluntas. Item dictamen practicum ſupernaturale in Chriſto & Beatis: quorum voluntates in eo ſtatu ſunt incapaces erroris. Item in ſcientia practica Dei, quam omnes fatentur, niſi velis Deum eſſe capacem erroris. Dices eas ſcientias eſſe practicas minus propriè: eas verò eſſe magis propriè, quæ dirigunt potentiam capacem errandi circa ſuum obiectum. Hæ ſunt tricæ vocales: omnes illæ cognitiones æquè propriè conueniunt in dirigenda potentia ad efficiendum obiectum: eam potentiam eſſe capacem ex ſe faciendi obiectum per cognitionem errantem; aut non aſſequi potentiam quod cognitio repræſentat; non mutat repræſentationis modum, nec directionis, nec obiectum. Quo ergo fundamento diſtinguis propriam à minus propria?

SECTIO III.

Concluditur quid ſit actus practicus.

§. 15. Igitur actus practicus in communi eſt *cognitio intellectus dirigens potentiam ad efficiendum obiectum.* Hæc definitio colligitur tum ex dictis, tum ex communi modo explicādi practicum actum; quem dicunt verſari circa obiectū operabile modo operabili, id eſt, docendo modum, quo obiectum operetur potentia; omnes enim admittunt actum practicum referri ad opus, & illud contemplari non ſiſtendo in eius contemplatione, ſed ſe extendendo ad productionem illius. Quapropter dixit Ariſtoteles. *Nam etiam practici conſiderant, ſed ad aliud,* vnde docent, *intellectus extenſione fit practicus*; ſed non ſe poſſet extendere ad obiectum, niſi dirigendo potentiam ad opus: ergo actus practicus eſt cognitio dirigens potentiam ad opus. Neque hinc ſequitur bruta formaliter habere actus practicos; licet enim hirundo ex cognitione nidi dirigatur ad illius conſtructionem, illa cognitio eſt materialis, & conſequenter neque ars, neque ſcientia, nec actus practicus, propter imperfectionem cognitionis materialis, ſicut neque bruta operantur propter finem propriè; impropriè autem dicuntur arte pollere.

Hinc deduco, non poſſe eūdem hominem habere ſimul circa idem obiectum duos actus, alterum practicum, ſpeculatiuum alterum, vterque enim actus habet idem obiectum, & eodem modo poteſt dirigere potentiam: ergo vel vterque eſt practicus, vel ſpeculatiuus vterque: explico in Deo, qui de natura & eſſentia Petri nō habet duos actus ſimplicis intelligentiæ, alterum ſpeculatiuum, & alterum practicum; ſed tantum habet vnum indiuiſibilem etiam ratione noſtra; qui actus cum ſit perfecta cognitio naturæ Petri & dependentiæ, quam à Deo habet, eſt ſufficiens ad dirigendam potentiam Dei, quæ efficiendo quod actus ille cognoſcit, dirigitur ab eodem actu, ergo ſimiliter ſi in architecto defendis, aut admittis actum exactè cognoſcentem domum, ille dirigit manus architecti ad domus fabricam. §. 16.

Confirmatur, nam vt dixi in logica, idem eſt dicere, *demonſtratio in Barbara habet tres propoſitiones vniuerſales*, ac dicere, *demonſtratio in Barbara eſt facienda tribus propoſitionibus vniuerſalibus*; & per vtramque poteſt intellectus dirigi cognitione ad demonſtrandum in *Barbara*: ergo actus ille per quem cognoſco eſſentiam obiecti à me operabilis eſt practicus. Dicunt aliqui, nos vno actu cognoſcere obiectum, quo illud operemur: alio verò, quo non poſſumus operari, quia ſiſtit in illius contemplatione: cur ſiſtit vnus altero non ſiſtente circa obiectum illud? Nam per vtrumque æqualiter dirigitur potentia: huius nunquam diſcrimen nec attulere, nec poſſunt. §. 17.

Requiritur igitur ad actum practicum; vt ſit principium ſufficiens ad dirigendam potentiam ad effectionem ſui obiecti; talis autem actus non erit ſpeculatiuus ſimpliciter: quia hic non poteſt dirigere potentiam, vnde ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quam Deus habet de creaturis eſt practica ſimpliciter, & non ſpeculatiua ſimpliciter; quia illa cognitio eſt directiua Dei ad opus, ſcientia autem viſionis eſt ſpeculatiua, quia non eſt directiua potentiæ. §. 18.

Confirmatur, ſcientia ſimplicis intelligentiæ poſita, tantum requiritur ad efficiendum obiectum voluntas applicans potentiam exequutiuam; ſed hæc voluntas applicans non facit actum formaliter practicum, quia ratio practici non prouenit formaliter à voluntate operandi. Architectus enim non poteſt facere architecturam ſpeculatiuā, quando non vult per illam operari, ſed cum Deus vult operari, id præſtat per actum practicū: ergo actus ille erat practicus ante illam volitionem, quia ante §. 19.

 illam

illam erat potens dirigere potentiam, & reſpiciebat obiectum modo operabili.

§. 20. Dices, Deum habere ſcientiam ſimul practicam, & ſpeculatiuam. Fateor ſpeculatiuam de ſe, & de rebus iam exiſtentibus, quia per talem cognitionem non dirigitur potentia factiua Dei; practicam de poſſibilibus per quam poteſt dirigi, quam ſcientiam S.Thom.1.p.quæſt.14.art.16.vocat ſpeculatiuam, quando Deus per illam non vult operari, ſed hoc intellige de ſpeculatiua ſecundum quid, ſicut ipſe dicit medicinam eſſe ſpeculatiuam, quando medicus non vult curare, quo in ſenſu P.Vazquez & cæteri Theologi videntur eſſe loquuti. Item habet Deus ſcientiam ſpeculatiuam de illis rebus, vt ſub aliqua ratione ab eo non poſſunt fieri, vt de peccatis formaliter; at verò de re vt factibili à Deo non habet ſcientiam ſpeculatiuam, ſed practicam: niſi forte cum S.Thom.1.p.quæſt. 14. art. 16. dicas etiam ſcientiam de malo eſſe practicam, quia dirigit permiſſiuè. Cæterum cum ſcientia practica ſit cauſa rerum; & peccati formaliter Deus non ſit cauſa, non videtur dicenda eius ſcientia practica de peccato formaliter.

§. 21. Obiectum debet eſſe operabile, item debet eſſe operabile ab eadem perſona, cui eſt ſcientia, ita P.Suar.2. metaph. diſput.44. ſect. 12. num. 34. & Molina 1.p.quæſt.1.art.4. diſput. 1. §. *ex dictis*, vbi impugnat Gregorium contrarium opinantem in in prolo. quæſt.1. Et probatur apertè; tum quia actus practicus reſpicit obiectum modo operabili, id eſt, docendo illius operationem; tum quia actus practicus eſt directiuus ad opus; ſed non poteſt dirigere niſi perſonam in qua eſt: ergo non reſpicit opus niſi factibile à tali perſona. Probatur minor, quia actus dirigit per informationē ſe communicando principio intellectuali, ſed non poteſt informare intellectum alterius perſonæ; ergo neque illam dirigere: ergo tantum dirigit eam perſonam, in qua eſt.

§. 22. Confirmatur, Angelus ſcit modum, quo ipſe ſit à Deo; quis autem dicat Angelum ſe cognoſcere practicè? Dices, illum ſe cognoſcere practicè, quia ſi poſſet fieri à ſeipſo, poſſet fieri per eam cognitionem. Rectè quidem: ergo viſio beata eſt etiam practica reſpectu Dei, quia ſi Deus poſſet fieri à beato, fieret per illam: ergo illa cognitio non eſt practica, quia ſuppoſitio eſt impoſſibilis. Deinde ad hominem retorqueo argumentum, quia per te illa cognitio in tantum eſt practica, in quantum ſi Angelus fieri poſſet, à ſe fieret per illā: ergo in tantum eſt practica, in quantum eius obiectum eſt aliquo modo factibile ab eadem perſona.

§. 23. Dices, Angelus ſcit practicè logicam, cum non poſſit habere actus logicos, ſed tantum quia illam poteſt hominem docere. Nego antecedens: Angelus enim practicè ſcit quomodo docere poſſit hominem logicam; ipſam tamen logicam ſcit ſpeculatiuè. De variis opinionibus circa rationem practici videantur P.Vazquez 1.p.d.8. & Molina q.1. 1.p.art.4. & Suar.2.met.diſp.44.ſect.13.& 1.p.ſuæ ſummæ tract.1.lib.3.cap.4.

SECTIO IV.

Vtrum idem actus poßit eſſe practicus & ſpeculatiuus?

§. 24. NEgant nonnulli, quia duæ differentiæ oppoſitæ non poſſunt eidem actui conuenire; ſicut eidē animali rationale & irrationale. Sed hi longè errant. Nam idem numero intellectus eſt practicus, & ſpeculatiuus, & idem habitus Fidei ſimul eſt ſpeculatiuus & practicus vt cum S.Thom. 1. p. quæſt.1.art.4. docent P.Suarez, Vazquez, & Molina ſupra, & cæteri Theologi: ergo practicum & ſpeculatiuum non ſunt differentiæ oppoſitæ, ſicut ſunt rationale & irrationale.

Ad quod aduerte (admiſſo rationem practici, & ſpeculatiui eſſe differentias eſſentiales) tres eſſe differentias actuum; alius eſt practicus tantum: alius ſpeculatiuus tantum: alius practicus ſimul & ſpeculatiuus: ſicut ſunt tres differentię viuentium: alia enim ſunt vegetabilia tantum, alia intellectiua tantum: alia verò vegetabilia ſimul & intellectiua. Nulla ex his differentiis actuum poteſt inueniri cum alia: actus enim practicus tantùm, habet negationem ſpeculationis, & è contra: ſicut vegetabile tantùm, habet negationem intellectus. Ratio à priori eſt, quia vnus actus reſpicit vnum obiectum tantum, verbi gratia, actus quo cognoſco Trinitatem: alius verò reſpicit aliud obiectum, verbi gratia, cum cognoſco Deum eſſe colendum: alius tandem poteſt reſpicere vtrumque obiectum. Hinc oritur, vt idem actus reſpectu diuerſorum obiectorum ſit practicus & ſpeculatiuus, ſicut intellectus reſpectu diuerſorum actuum. Quod idem dico de habitu fidei, & luminis gloriæ. §. 25.

Dico ſecundò. *Idem actus reſpectu eiuſdem obiecti poteſt ſucceſſiuè eſſe practicus & ſpeculatiuus diuinitus.* Ita P.Molina ſupra. Probatur, actus, quo Angelus cognoſcit eſſentiam animi rationalis, & dependentiam, quam habet à Deo, eſt modò ſpeculatiuus, quia modò non poteſt dirigere Angelum in productionem animæ, ſed ſi Angelo vtatur Deus tamquam inſtrumento ad animæ productionem Angelus per eamdem cognitionem animam producet, quia cum illa cognitio ſit perfecta de animo rationali, dirigit potentiam Angeli, ſi eam habeat, tam benè quàm quæuis alia cognitio, ergo eadem cognitio poteſt eſſe practica & ſpeculatiua. §. 26.

Vnde liquidò conſtat rationem practici, aut ſpeculatiui compleri per extrinſecam denominationem ſumptam à potentia, vel impotentia, quam habet perſona ad efficiendum obiectum ex directione cognitionis. Quod verò potentia poſſit operari vel non operari, nihil intrinſecum ponit in actu, nam manente eodem actu poteſt Deus eleuare potentiam, vt faciat obiectum eius actus eodem actu dirigente, quod antea non poterat facere ex ſua natura. Ratio à priori, quia quod membra externa modò poſſint, modò non poſſint, quid actum immutat? §. 27.

Aduerte, actus ex natura ſua practicos non poſſe reddi ſpeculatiuos: non quia ratio practici ſit de illorum eſſentia: ſed quia illorum obiecta ſunt ex natura ſua operabilia à cognoſcente per illos ex eorūdem directione: vt domus eſt ex natura ſua factibilis ab architecto, etſi tunc ſit mancus: quia illa non eſt impotentia niſi per accidens: nam ex ſe potentiā habet. Item actus ſpeculatiuos circa Deum non poſſe reddi practicos propter repugnantiam, quam habet obiectum vt fiat. Rogas an claudus habeat cognitionem practicam ſaltandi ad numeros? Affirmo: quia per accidens eſt priuatus potentia ſaltandi, at verò natura ſua ſaltare poteſt. E contra verò, quia Angelus ex natura ſua non poteſt creare animam, eius cognitio ſimpliciter eſt ſpeculatiua, per accidens autem eſt practica. §. 28.

Actus ſpeculatiui communiter ſunt perfectiores practicis, tum quia practici ſunt abſtractiui: at verò ex ſpeculatiuis multi ſunt intuitiui, item §. 29.

cognitio de pefectiſſimo obiecto Deo eſt ſpeculatiua. Deinde noſtræ cognitiones practicæ verſantur circa ſubſtantiam non ſecundum ſe, ſed vt affectam forma aliqua accidentali: aut extrinſeca ſubſtantiæ: at vero ſubſtantias ſecundum ſe attingimus cognitione ſpeculatiua. Maior autem aut minor perfectio non ſumitur ex praxi aut ſpeculatione formaliter, ſed vel ex obiecto, vel ex modo illud attingendi.

SECTIO V.

De cauſalitate actus practici in obiectum.

§. 30. HIc diſputabimus de cauſa exemplari: quæ ſuo modo dirigit potentiā. In operante per exemplar quatuor reperiuntur: obiectum externum cognitum ab operante, ad cuius ſimilitudinem producit effectum: item cognitio talis obiecti: quod obiectum propriè vocatur *exemplar*, Hiſpanè *el dechado*, vt cum prius pictor intuetur imaginem Petri, vt ad illius ſimilitudinem aliud Petri ſimulacrum pingat, actus reſpiciens tale exemplar poteſt vocari *cauſa exemplaris*. Tertiò, reperitur actus dirigens potentiam ad opus, qui propriè eſt actus practicus. Quartò, reperitur effectus productus per talem actum. Exemplar extrinſecum eſt cauſa obiectiua effectus: actus autem in illud terminatus ſiue idea (ſic enim dicitur ab inſpiciendo) eſt quaſi principium mouens: ſed quidem non proximè, & immediatè: iſte enim actus eſt intuitiuus, & ſpeculatiuus ſui exemplaris obiectiui: neque repræſentat obiectum faciendum, ſed tantum repræſentat ſpeculatiuè factum exemplar; quia habetur per propriam & diſtinctam ſpeciem ſui obiecti: dicitur autem eſſe cauſa effectus, quia relinquit in intellectu ſpeciem, vel alio modo illum determinat ad habendam cognitionem per quam poſſit dirigi in obiectum.

§. 31. Exemplar eſt neceſſarium agentibus imperfectis: quia non poſſunt cognoſcere effectus niſi per alios ſimiles, vt pictor ad pingendam imaginem ſibi proponit aliam ſimilem pingendæ: primi autem rerum inuentores non habent earum exemplar, nam ſi haberent, non eſſent primi. Equidem præſefert quandā ruditatis ſpeciem indigere exemplari præeunte ad faciendum aliquid: eſt autem dignum ingenio aliis præire. Commendantur pictores & architecti, qui proprio ingenio affabrè aliquid cudunt, & excudunt. Deus autem non indiget exemplari, quia exactiſſimè cognoſcit rerum omnium eſſentias ſingulares.

§. 32. Ideam tendentem in exēplar non dirigere potentiam ad opus ſic probo: nam pictor antequam lineam ducat, cognoſcit qua parte, quibus ſit coloribus ducenda, & per illam cognitionem dirigitur: ſed non cognoſcit ducendā eſſe lineam exemplaris propoſiti, ſed imaginis faciendæ: ergo actus immediatè dirigens manum, non eſt idea exemplaris; ſed idea operis faciendi: non quia pictor clarè, & in indiuiduo cognoſcat imaginem faciendam, quia eius nullam habet propriam ſpeciem, ſed confuſam.

§. 33. Rogas vtrū Deus poſſit dici operans per exemplar? Reſpondeo, Deum operari per ideam propriam, & clarā obiecti ſingularis faciendi, ad quod non dirigitur per cognitionem alterius exemplaris; illa tamen idea aliquo modo poteſt dici exemplar, quia è diuinis manibus tale opus euadit, quale propria repræſentatur idea. Vnde idea eſt ſimilis obiecto ſecundum eſſentiā illius, obiectum autem quantum ad ſuam exiſtentiam eſt ſimile ideæ, quia idea repræſentat quidditatem obiecti, quam quidditatem iam exercitam habet obiectum.

Hoc eſt diſcrimen inter cauſam finalē, & exemplar obiectiuum, quod hoc remotè concurrit ad obiectum ad quod dirigit ſola cognitione; ex qua cognitione oritur actus practicus qui ſolus dirigit potentiam: finis autem etiamſi moueat vt cognitus, ita mouet, vt amor terminetur ad ſolum finē, & non ad actum; ruſticus enim non amat repræſentationem frugum, ſed ipſas fruges, de quo latè diſputat. 13. §. 34.

Actus practicus immediatè mouet voluntatem, illam dirigendo vt velit; voluntas autem mouet immediatè potentiam exequutiuam: quę immediatè obedit imperio voluntatis, & non intellectus. Vnde voluntas pictoris mouet immediatè manum ex præſcripto ideæ: poſito autem hoc imperio voluntatis non requiritur poſt illud alius actus practicus, qui dicatur *regulans*. Nam primus actus practicus denominatur actu *regulans* per extrinſecam denominationem ab obiecto per illud regulato: nam voluntas mouet potētiam iuxta regulas illius primæ cognitionis. Quod inde patet: nam cognitio requiritur ad dirigendam voluntatem; voluntas autem vult efficere obiectum talis cognitionis iuxta regulas illius: poſita autem hac voluntate manus exequitur opus: dico igitur poſt hanc voluntatem non eſſe alium actum practicum. Actus enim intellectus non dirigit immediatè potentias externas, cum illas non informet: illæ autem impelluntur quô voluntas vult, quod cū proportione, ſcientiæ practicæ Dei applica. Quia igitur cognitio immediatè mouet voluntatem, & non potentias executrices; ideo poſt actum voluntatis imperantem opus, non indigetur alia cognitione immediatè dirigente potentias exequentes, ſed tandem ſiſtendum eſt in vltimo voluntatis actu, poſt quem non ſit alia cognitio practicans. Itaque licet cognitio & voluntas concurrant immediatè in ſuo genere: tamen voluntas magis immediatè: quia cognitio mouet ad opus media voluntate, volente illud à potentia fieri iuxta directionem exemplaris, & actus practici. §. 35.

Quæri poteſt, vtrum idea concurrat efficienter ad opus? affirmat neſcio quis ductus quadam Ariſtot. diuiſione artis in actiuam, & factiuam: actiua eſt, quæ ſuum ſupponit obiectum ad quod dirigit, ſed non influit: factiua eſt inuentrix ſui obiecti, quod operatur phyſicè, vt architectura, & lanificium. Sed Ariſtot. artes actiuas vocat, quæ verſantur circa opera interna, quæ communiter vocantur *actiones*, vt dialecticam & philoſophiam moralem: quæ dirigunt actiones mentis, & appetitus: factiuas verò vocat, quæ verſantur circa opera externa, vt argentariam, & militarem: de concurſu verò phyſico nec ſomniauit Ariſtoteles: & quidem omnis ars eſt principium quaſi actiuum exiſtentiæ ſui obiecti, cuius eſſentiæ nulla ars dicitur inuentrix: inuentores autem vocantur, qui primi ſua cognitione attigere opera, quæ nullus alius cognouerat, quod eſt commune artibus, & facultatibus ſpeculatiuis. §. 36.

Igitur nullus actus practicus concurrit ad opus. Primò, quia tota cauſalitas actus ſatis intelligitur per extrinſecam directionem, & ad mouendam voluntatem non influit phyſicè intellectus in volitionem, vt dicam diſput. 14. nec ſi influeret in illam, propterea influeret in obiectum; præterea ſi executrix potentia eſt expedita ad nutum, paret voluntati; §. 37.

luntati; potentia autem executiua continet adæquatam virtutem ad præſtandos motus operi neceſſarios: non ergo indiget concurſu ideæ. Vide quæ dixi diſput.2.logicæ ſect.3.& diſput.8.phyſic. ſect.vltima. & diſput.9.ſect.4. & ſupra; vbi egi de cauſa adæquata. Adde ideam longè diſtare à manibus,& pedibus,per quos præſtatur opus,in quod ſi idea ſit diſtans, non poteſt influere.

§.38. Rogas; vtrum actus, quo Deus videt Petrum exiſtentem, ſit practicus? Non: quia ille non eſt principium ratione noſtra influens in Petrum,nec dirigens potentiam Dei ad eum producendum;ſed iam ſupponit eum productum per ſimplicem intelligentiam terminatam in Petrum. Dices, eo actu poſſe produci Paulum. Non poteſt, quia eum non repræſentat: Deus autem non dirigitur actu confusè repræſentante rationem communem indiuiduis; ſed explicitè. Vnde Deus habet actum ſimplicis intelligẽtiæ terminatum ad Paulum in indiuiduo: quo dirigitur ad eum producendum. Homines cognito vno indiuiduo mouentur ad efficiendum aliud; non immediatè per cognitionem prioris; ſed quia ex illa oritur cognitio rei faciendæ, diſtincta à priori. Prior & eius obiectum ſunt exemplar: ſecunda eſt notitia practica, vt dixi §.30.§.autem 31. dixi id eſſe agentis imperfecti. Nec Deus eo actu mouetur ad reproducẽdum Petrum: quia reproductio non cognoſcitur per illum, ſed per ſimplicem intelligentiam; tum quia per hanc habet principium ſufficiens. Tandem;quia id eſſet exemplari moueri.

DISPVTATIO XII.

De Speciebus impreſſis.

§.1. SPECIES ab Animaſticis ſumitur pro repræſentatione rei: alia eſt formalis repræſentatio, de qua egi diſputat.6.alia eſt virtualis, in cuius virtute cōtinetur formalis.Hęc virtualis vocatur *ſpecies impreſſa*: quia potentiæ imprimitur ab obiecto; per quam ſpeciem potentia quaſi conſignatur quodam quaſi annulo obiecti: hæc ſpecies dicitur repræſentatio obiecti, non ſolum quia illud præſentat potentiæ:ſed quia gerens vices illius, illud quaſi repræſentat, ſicut Prorex Regem repræſentat.hæc ſpecies eſt de genere qualitatis; agam autem de ſpeciebus potentiæ tam rationalis, quàm ſenſitiuæ; eſt ergo ſpecies impreſſa *qualitas quæ loco obiecti præbetur potentiæ cognoſcitiuæ, vt ſimul cum illa concurrat ad actum.*

SECTIO I.

Sit ne aliqua ſpecies impreſſa?

§.2. DIco primò. *Datur ſpecies impreſſa potentiæ viſiuæ, quam vocant viſualem ſiue viſiuam.* Probatur primò, quia obiectum viſus diſtat à viſu: ergo non poteſt inde concurrere ad viſionem niſi media aliqua qualitate per aërem diffuſa,quæ ſuppleat illius defectum: obiectum autem debere concurrere effectiuè ad actum, alibi probo. Dices lucem diffundi inter obiectum & potentiam, & concurrere per eam partem, quæ oculos tangit. Contra primò,ſæpe obtenebreſcit aër interiectus, & videtur obiectum diſtans. Secundò, color non effunditur per aëra,nec ſola lux poteſt efficere viſionem coloris. Tertiò lux oculo contigua non videtur: ergo non influit in viſionem, quia non poſſet non videri.

§.3. Secundò, ſi inter obiectum & viſum interiiciatur corpus opacum, impeditur viſio; ſublato verò corpore opaco aut interiecto corpore pellucido obiectum videtur: ergo obiectum viſus traiicit in oculos qualitates actiuas viſionis. Patet cōſequentia, quia corpus opacum non impediret viſionem, niſi quia impedit tranſmiſſionem harum qualitatum.Si enim ab obiecto in potentiam nihil deflueret,non impediretur auditio, vt neque intellectio, nec cæteræ cognitiones independentes à medio. Quorſum autem viſus penderet à medio diaphano potius quàm imaginatio, aut olfactus: niſi opacitas impedit aliquid neceſſariò traiiciendum ab obiecto in viſum?

§.4. Confirmatur primò, ea ratione oculis auerſis non videtur obiectum,quia ſpecies viſiua mittitur per lineam rectam: auditur autem ſonus auribus auerſis, quia ſpecies ſoni non diriguntur per lineā rectam: ergo oculi aliquid accipiunt ab obiecto, alioquin huius rei diſcrimen nullum poteſt afferri. Confirmatur ſecundò, obiectum à tergo non poſſumus inſpicere: quod ſi oculis proponatur ſpeculum,per illud intuemur obiectum,quia ſpecies per lineam rectam tendentes in ſpeculum, è ſpeculo refranguntur in oculos, quia vitrum, aut cryſtallus ſuppoſito plumbo reiiciunt ſpecies ſimiles iis, quas acceperunt ab obiecto: idem patet in aqua,in qua per ſpecierum reflexionem ſolem intuemur. Confirmatur tertiò, ea ratione obiecta diſtantiſſima non videmus: quia agunt per medium à proportione maioris diſtantiæ. Nam niſi per medium facerent; poſſent terminare viſionem, vt imaginationem. Immo ideo ſenſus pendent à præſenti obiecto, quia ab illo aliquid accipiunt: nam ad ſolam terminationem actus, non eſſet opus præſenti obiecto.

§.5. Hinc oritur nobis videri videre obiectū in ſpeculo, aut in aqua: & in ſtagnis videntur homines inuerſo capite incedere propter ordinem, quo ſpecies traiiciuntur in oculos.Sic audienti echum aër videtur reſonare ea in parte, vnde incepit echo. Confirmatur quartò, ea de cauſa qui oculis laborant,vtuntur conſpiciliis,quę omnino ſunt inutilia homini ſano. Tandem confirmatur in virga, quæ in aquam demerſa apparet fracta,aut obliqua, cum ſit integra & recta; quia ſpecies partis aquæ eminentis mittuntur per diuerſam lineam ab ea, qua traiiciuntur ſpecies partis immerſæ. Vnde non tam vnam virgam, quā duas vidētur repræſentare. Hinc eſt cum quis vnam tantum lucernam intuetur, ſi oculum palpebra obtegat, ſibi videri plures lucernas videre: quia non continuantur ſpecies, ſed in diuerſas partes pupillæ diuerſæ recipiuntur, & ſpecies acceptę in partem ſuperiorem repræſentant lucernam ſuperiorem. Ita ebrij,quia non poſſunt palpebras vino ſolutas continere, ſibi videntur pro ſingulis lucernis centenas videre. Item qui vtuntur conſpiciliis rotundis,diuiſis in plures partes etiam rotundas, & quaſi diuiſis lineis quibuſdam ſuperioribus, & eminentioribus, deluduntur, neque poſſunt ſine magna difficultate obiectum manibus attingere: quia tot illis repræſentantur obiecta, quot ſunt partes diuiſæ eminentioribus lineis, quæ omnia euidenter demonſtrant primam concluſionem.

§.6. Rogas, quo ordine traiiciantur ſpecies viſuales ex aqua in oculos, vt ædificia appareant inuerſa; culmina ad ima:fundamēta verò in loco ſuperiori? item

Digitized by Google

item cum arietes per lignum tranſeunt amnem, videntur per aquæ reflexionem progredi dorſo infixo terræ; manibus autem ac pedibus per aëra reptantibus. Reſpondeo, ſpeciem viſualem efficere, vt obiectum appareat eſſe, vnde primo emittitur: ergo ita videtur homo in ſpeculo videri, licet à tergo: quia ab ſpeculo incipit ſpecies reflexa. Quia igitur ex aqua incipit ſpecies reflexa cœli: ideo cœlum videtur eſſe ſub aqua. In illa quidem videtur: quia ex illa refrangitur ſpecies: ſub illa autem, quia repræſentatur diſtantia. Et quia culmina turrium ſunt viciniora cœlo quam fundamenta: ideo apparent inuerſa: quia repræſentantur cum diſtãtia minori à cœlo. Et cum cœlum appareat ſub aqua, ideo ſub illa apparet cacumen proximius cœlo, fundamentum verò diſtantius. Et quod ſpecie directa eſt diſtantius à terra, ita apparet in aqua vice verſa.

§. 7. Dico ſecundò. *Dantur etiam ſpecies auditiua.* Probatur primò, quia aures obtuſæ goſſipio non percipiunt ſonum: ergo ex obiecto ad aures traiicitur aliquid per medium deſeruiens auditioni. Secundò probatur ex echo, quæ fit per ſpecierum reflexionem è loco concauo. Confirmatur in campanarum murmure, in quibus diutius auditur ſonus. Verum dicet quis ex cãpanarum pulſu in aëre relinqui ſonum qui eſt qualitas, eamque ad aures vſque diffundi: cuius ſignum eſt aures torqueri vehementi ſono. Sed quidem ſæpe audimus ſonos, qui non poſſunt ad aures venire, vt verba humana, quis enim dicat in aëre humana verba formari? Aut muſicum concentum qui aures demulcet, alibi niſi in fidibus excitari? Præterea per auditum diſcernimus vbinam ſit primò factus ſonus? quod non poſſemus diſcernere, ſi ſonus ipſe aures pertingeret: nam cum ibi adeſſet ſonus, ibi audiretur, & non alibi, vt patet in olfactu, quò non poſſumus diſcernere vnde veniat odor, aut fætor, niſi naribus admotis olfaciamus vehementius in vna parte quàm in alia: tunc enim diſcurſu attingimus vnde deriuetur odor: primò autem olfactu diſcerni nequit, vt diſcernitur viſu, & auditu; quia ſpecies obiectum repræſentant vnde emittuntur. Tandem quando quis leuiter pulſat trabem, difficile credi videtur tam exiguo ictu fieri qualitatem, quæ traiecta per totam trabem percipiatur ab applicante aurem illius extremitati: ſpecies autem intentionales facilius poſſunt emitti.

§. 8. Rogas, cur ſpecies viſus eodem inſtanti traiiciantur ad oculos: auditus autem ſucceſſiuè? Etenim tonante cœlo ſtatim lux præſtringit oculos: deinceps verò tonitrua terrent aures. Reſpondeo: quia ſpecies viſiuæ non fiunt à principio pendente à motu: ſecus auditiuæ. Hæ enim fiunt à ſono; ſonus autem fit ex aëris diuerberatione. Nec enim loqui, aut ſonum poſſumus edere, niſi mota lingua, manu, aut quopiam ſimili. Species enim tandiu durat, quamdiu obiectum; & quo ordine fit obiectum, eodem fit ſpecies ſenſuum externorum.

§. 9. Dico tertiò. *Olfactus non habet ſpecies:* quia odor nares ipſas attingit. Cuius ſignum eſt odorem ſentire in cubili longo tẽpore poſt quam res odorifera ablata eſt: ſpecies autem intentionales non durant tamdiu quia pendent à præſentia obiecti. Rogas cur tranſacto campanæ pulſu tamdiu campanę tinniant? Ratione qualitatis permanentis in aëre. Confirmatur, quia olfactus non diſcernit vbinam ſit obiectum ſibi vicinum: quod ſi aliquando videtur indagare vbinam ſit principium odoris, eſt quia ea parte, qua incedit homo, cum ſit propinquior odorifero, efficacius ſentitur odor.

§. 10. Dico quartò. *Guſtus & Tactus non habent ſpecies:* quia ſpecies requiritur vt vicaria obiecti, vt ſuppleat vel illius abſentiam, vel improportionem cũ potentia, nam ea ratione Pater Suarez 2. metaph. diſput. 35. ſect. 4. num. 18. negat Angelo ſpeciem ſui cum S. Thom. & aliis infinitis: ſed obiectum horum ſenſuum neque ab illis diſtat, neque eſt improportionatum; ergo non indiget ſpecie. Patet maior ex definitione ſpeciei. Minor experientia: nihil enim tangimus aut guſtamus quin illud phyſicè contingamus; conſequentia patet, quia ſpecies non adhibetur ſine neceſſitate. Dices primò, obiectum eſſe præſens phyſicè non verò intentionaliter. Contra, quia eſſe intentionaliter præſens eſt eſſe proportionatum ad intẽtionales ſenſiones: ſed obiectum phyſicè præſens, & proportionatũ cum potentia in gradu eſſendi, eſt aptum ad ſenſiones intentionales; ergo eſt intentionaliter præſens. Neque enim alia intentionalis præſentia eſt neceſſaria. Dices ſecundò, obiectum eſſe nimis craſſum, atque indigere ſubtiliori quadam repræſentatione. Sed non intelligo iſtam craſſitiem: ſapor enim neſcio quam habet craſſitiem, præſertim cum ſpecies ſit imperfectior ipſo ſapore. Adde iſtos ſenſus eſſe craſſiſſimos: quid ergo indigent motiuo ſubtili? Lux autem non indiget ſpecie, quia ſit admodum ſubtilis: ſed quia non poteſt videri niſi aliquantulum diſtet ab oculo, quæ diſtantia ſuppleri debet per ſpeciem impreſſam.

Secundò arguitur, quia Angelus ſe cognoſcit ſine ſpecie impreſſa, & Beati Deum; ergo. Dicit neſcio quis, repugnare Deum videri ſine ſpecie impreſſa, ſed mihi mirabilis eſt hic. Dubitãt Theologi, poſſit ne Deus videri per ſpeciem impreſſam? negant neque pauci, neque ignobiles, & de facto ita non eſſe affirmant omnes, & ipſe ſe proiicit ad affirmandum Deum non poſſe videri ſine ſpecie: *quia (* inquit *) neque poteſt amari ſine cognitione.* Sed latum eſt diſcrimen; voluntas enim mouetur in bonum, quod non percipit niſi per cognitionem: potentia autem cognoſcitiua ipſa ſibi præſentat obiectum, quo tantùm indiget in genere cauſæ efficientis: qui concurſus meliùs oritur ab ipſo obiecto proportionato, & proximo, quàm ab ſpeciebus illius vicariis. §. 11.

Obiicies tactu percipi obiectum diſtans: ergo eget ſpecie. Probo antecedens; quia ſentimus grauitatem longè diſtantem. Si enim humeris veſtitis imponatur ſaxum; caro ſentit eius molem. Nego antecedens. Ad probationem dico, non ſentiri grauitatem diſtantem, nec tangi; ſed ſentiri impulſum ab illa impreſſum carni. Cui ſigno eſt non ſentiri an imprimens impulſum ſit leue, an aſperum. Solus ergo ſentitur impulſus. Quando item ego baculo conor mouere ſaxum, non ſentio eius vim reſiſtentem; ſed impetum impreſſum manui à me ipſo; vel à ſaxo. Semper ergo ſentimus obiectum aliquod immediatum; quod cernimus à corpore diſtante prodire. §. 12.

Dico quintò. *Phantaſia habet ſpecies impreſſas.* Primò, quia phantaſia ſæpe operatur quieſcentibus externis ſenſibus: ergo tunc non poteſt moueri ad operationes per ſenſus, ſed per ſpecies. Secundò, quia phantaſia habet præteritorum memoriam: at ſenſiones externæ non poſſunt memoriam excitare, quia non ſunt recordatiuæ. Tertiò, quia vna potentia cognoſcitiua per ſuos actus non mouet aliam cognoſcitiuam, vel quia habent diuerſa organa, & partes diuerſas: vel quia vnaquæque potentia ſuis gaudet actibus, neque vtitur alienis. §. 13.

Dico ſexto. *In intellectu dantur ſpecies ſpirituales.* Probatur primo, ex communi ſententia S. Auguſt. §. 14.

ab

ab obiecto & potentia paritur notitia. Secūdo, quia intellectus eſt indifferens ad varia obiecta: ergo determinatur per ſpecies. Dices determinari per ſenſionem internam. Contra: quia probatū eſt vnam potentiam materialem non determinari per actus alterius formaliter: ergo multo minus determinabitur potentia ſpiritualis à materiali. Deinde intellectus eſt perfectiſſima hominis potentia: ergo ad ſuos actus perfectum habet determinatiuum: nam voluntas nón poteſt determinari à phantaſia, licet repræſentet rationem boni; cur intellectus determinabitur ab actu materiali.

§. 15. Tertiò, quia multas habemus cognitiones, quæ non potuerunt pendere à phantaſia immediatè: ergo. Probatur antecedēs, tum quia apprehendimus res ſpirituales, tum quia recordamur actuum ſpiritualium: quæ cognitiones cum primum ortum traxerint à diſcurſu, ex quo relinquitur in intellectu ſpecies talium obiectorum, non poſſunt immediatè à phantaſia pendere. Dices per actus phantaſiæ determinari intellectum ad actus rerum inſenſibilium. Contra, quia huiuſmodi obiecta non percipiuntur, niſi per diſcurſum, quo è duobus actibus alium deducit intellectus, ad quem non determinat phantaſia, ſed præmiſſæ. Cum verò intellectus ſine actuali diſcurſu percipiat obiecta, quæ prius per diſcurſum, fit planum in eo relictas ſpecies, quæ loco præmiſſarum mouent intellectum ad actum. Quod ſi anima ſeparata & Angelus habent ſpecies: eas habebit intellectus in via: quia in ea pendet ab obiecto, non ſecus ac Angelus: nec eſt quid ſuppleat obiecti vices niſi ſpecies. Tandem hæc eſt communis opinio à qua non poteſt ſine euidenti ratione diſcedi.

SECTIO II.

Quorum obiectorum ſint, vel eſſe poſſint ſpecies impreſſa?

§. 16. Dico primò. *In ſenſu externo & interno dantur ſpecies impreſſæ propriæ ſuorum obiectorum, vel immediatus concurſus illorum.* Hæc non eget alia probatione præter eam qua ſpecies oſtendimus.

§. 17. Dico ſecundò. *In intellectu dantur ſpecies propriæ rei ſingularis in ſingulari.* Hac de re agam diſput. 5. metaph. Probatur autem, quia in ſenſu externo datur ſpecies repræſentans rem ſingularem in ſingulari, vt patet experientia: hæc autem ſpecies producit ſenſionem externam. Deinde ſenſus per neruum opticum producit in phantaſia aliam ſpeciem eiuſdem obiecti, per quam fit actus phantaſiæ rei ſingularis in ſingulari: phantaſia autem per naturalem ſimpathiam determinat ad producendum ſpeciem ſpiritualem repræſentātem idem obiectum: quid enim poteſt impedire intellectum à tali productione? Aut quam ob cauſam illa ſpecies abſtrahit à cōditionibus indiuiduis, & erit vniuerſalis in repræſentando, cum ſit effectus repræſentationis ſingularis in ſingulari? Quod intellectus agēs dicatur abſtrahere à materia, quid prodeſt? cum id præſtet efficiendo ſpirituales ſpecies, non verò non repræſentando rem materialem vt dixi diſput. 5.

§. 18. Dico tertiò. *In phantaſia non datur ſpecies obiecti ſenſu externo imperceptibilis.* Probatur, quia phantaſia tantùm apprehendit obiecta ſenſuum externorum: ea verò, quæ cum his habent affinitatem, non cognoſcit; alioquin, cum ex cognitione vnius obiecti; pararet alterius cognitionem, diſcurreret. Hinc euerto nonnullorum ſpecies inſenſatas: opinantium, bruta per illas cognoſcere obiecta imperceptibilia ſenſu externo, v.g. inimicitiá, amicitiam, timorem, gaudium, &c. Veruntamen bruta timent ſine apprehenſione timoris, exercentque inimicitias ſine inimicitiæ, aut amicitiæ cognitione: timet autem ouis Lupum, quia apprehendit ſe ab illo dilaniari: ex qua apprehenſione oritur timor, & triſtitia: non timet autem canem, quia apprehendit Lupum ab illo arceri, vel quia non timet ab illo dilaniationem: cum verò videt canem iratum timet illum non minus quàm Lupum: vnde autem haberet ouis inſenſatas iſtas ſpecies? quarum nec veſtigium odoramur, cum omnia, quæ per illas bruta præſtare dicuntur, rectè fiant ſine illis: nam ad timendum quid eſt opus reflexa cognitione timoris? nos enim ſæpe timemus quin timoris meminerimus, ſufficit videre malum vt timeamus.

Dico quartò. *Ad primam cognitionem intellectualem inſenſibilis obiecti, non datur ſpecies propria:* quia apprehenſiones obiecti ſenſibilis determinant intellectum ad iudicium: iudicio autem per diſcurſum cognoſcimus obiectum inſenſibile: ergo non requiritur ſpecies. Hæc enim requiritur ad determinādum intellectum ad hoc, aut illud obiectum: ſed illæ cognitiones determinant intellectum ad obiectum, quia cognitiones obiecti ſenſibilis inferunt cognitionem inſenſibilis obiecti. §. 19.

Quod ſi requiritur concurſus effectiuus ex parte obiecti, ille præſtabitur à primis cognitionibus. Cum enim ſint perfectiores ſpecie impreſſa præſtabūt quidquid illa efficit. Dices ſpeciem impreſſam eſſe virtualem repræſentationem obiecti. Contra, quia idem eſt ac eſſe principium cognitionis gerens vices obiecti. Sed multo melius præmiſſæ erunt principium actiuum cognitionis (ſi tunc eſſet neceſſarium) gerēntque vices obiecti. Quia eſt formalis repræſentatio obiecti: quapropter præmiſſæ virtute continent concluſionem: ergo cum illis requiritur ſpecies. §. 20.

Quod vrgeo aduerſus non neminem opinātem ſpeciem impreſſam requiri ad iudicium, in quantum eſt apprehenſio, non tamen in quantum eſt formaliter iudicium: ad quam formalitatem ait intellectum determinari per apprehenſionem: vrgeo (inquam) quia ille actus iudicij reduplicatiuè eſt vera cognitio vnionis & totius obiecti: ergo requirit propriam ſpeciē illius, ſicut eam requirit apprehenſio extremorum: quod ſi ad formalitatem iudicij ſufficienter determinatur intellectus per aliam cognitionem, idem erit circa quoduis obiectum ad quod determinant alij actus. §. 21.

Igitur poſita apprehenſione obiecti ſenſibilis, per eam intellectus diſcurrit ad obiectum inſenſibile, è quo diſcurſu relinquitur in intellectu ſpecies propria obiecti ſenſibilis. Propria (inquam) non quidditatiua, aut intuitiua, ſed quæ deſeruiat ad propriam cognitionem talis obiecti, ſiue ſpirituale ſit, ſiue materiale: reale, ſiue rationis. Hæc ſpecies è diſcurſu relicta à ſenſionibus, præmiſſis, vel cognitionibus, à quibus pependit, determinat intellectum ad cognitionem ſui obiecti, ſine actuali diſcurſu: quæ cognitio eſt diuerſæ ſpeciei à cognitione diſcurſiua. §. 22.

SECTIO III.

Poſsit ne dari ſpecies impreſſa Dei?

Fateor me nunc philoſophicos carceres effringere: ſed nactus occaſionem conceptum ſermonem §. 23.

monem retinere quis poterit? præſertim cum ſit propoſito affinis, & hæc quæſtio ex animaſticis principiis dirimenda, S.Thom. 1. p.q. 12.art.2.docere videtur talem ſpeciem repugnare. P. Gabriel S.Thom.exponit nō de ſpecie impreſſa, ſed de ſpecie, vel ſimilitudine prius cognita, negat enim S. Thom. Deum poſſe videri per cognitionem talis ſpeciei. Et quidem rationes B. Thom. apertè concludunt ſuum intentum de hac ſimilitudine cognita prius: at verò de ſpecie impreſſa non habent pondus illud, quo S. Thom.ſolet argumentari. P. *Suar.* 1.par.tract.1.lib.2.cap.13. num.2. huic expoſitioni refragatus conatur oſtendere, egiſſe S. Thom. de ſpecie impreſſa, in quo ſenſu in hanc opinionem ſe effudêre Thomiſtæ.

SVBSECTIO I.

Rationes communes pro Thomiſtica ſententia.

§. 24. PRobatur primò, quia res ordinis ſuperioris non poſſunt videri per ſimilitudinem rerũ inferiorum;ergo Deus non poteſt videri per ſpeciem impreſſam,quæ eſt ſimilitudo inferior. Diſtinguo antecedens: per ſimilitudinem prius cognitam, vt ſubſtantia per accidens prius viſum, concedo antecedens:& ſic intellige B. Dionyſium:negatur tamen de ſimilitudine, quæ vel ſit formalis, aut virtualis repræſentatio:ſic ſubſtantia cognoſcitur per ſpeciem accidentalem, & Deus videtur accidentaria viſione.

§. 25. Secundò,quia Deus eſt ſuum eſſe:ergo non poteſt repræſentari per ſpeciem creatam. Diſtinguo conſequens, per ſpeciem prius cognitam, concedo conſequentiam:per ſpeciem formaliter,aut virtualiter repræſentatiuam, nego conſequentiam: ſicut etiam videtur viſione beata, licet Deus ſit ſuum eſſe, immo videtur per concurſum accidentalem, quem Deus præſtat in ratione obiecti. Hunc autem influxũ cur non exhibebit accidens loco Dei, tametſi Deus ſit ſuum eſſe? nec video quæ ſit iſta conſequentia.Nam ſpecies impreſſa non debet eſſe tam perfecta,quàm obiectum,tum quia ſpecies expreſſa perfectior eſt imago, & ſimilitudo, quàm impreſſa, & ſæpe eſt imperfectior ſuo obiecto, vt patet in viſione beata: & cognitione abſtractiua Dei: tum quia ſpecies Angeli non eſt tam ſubſiſtens,& immaterialis,quàm ipſe Angelus,quid igitur eſt neceſſaria ſpecies neque impreſſa,neque expreſſa, quæ ſit ſuum eſſe? Immo eiuſdem obiecti ſunt plures ſpecies diſtinctarũ ſpecierum. Albedo enim cognoſcitur,& per ſpeciem materialem pendentem à præſentia phyſica albedinis: & per ſpeciem phantaſiæ independentem ab albedine præſente ſemper: & per ſpeciem intellectualem humanam, & Angelicam, quæ ſpecies ſunt inter ſe phyſicè,& inæquales, & diſſimiles: ergo non poſſunt omnes eſſe phyſicè æquales obiecto.

§. 26. Tertiò, quia Deus eſt infinitus, & illimitatus: ſpecies autem eſt finita & limitata:ergo nō poteſt dari ſpecies Dei. Quaſi verò per ſpeciem finitam non poſſet videri obiectum infinitum: vt beati Deum vident: & per ſpeciem accidentalem non poſſit videri obiectum ſubſtantiale. Itaque ſpecies illa eſſet finita, tũ quia effectiuè & liberè prodiret à Deo, ſicut modo prodit concurſus effectiuus ab eſſentia diuina ſupplens defectũ ſpeciei impreſſæ, tum quia eſſet accidens receptum in potentiam vitalem, à qua limitaretur, ſicut lumen gloriæ, & viſio beata: neque eſſet comprehenſiua, tum quia Deus eſt incomprehenſibilis,nullúmque eſt lumen comprehenſiuum Dei, cui lumini ſeruitura erat ſpecies: tum quia ſpecies impreſſa in ratione ſpeciei non eſſet principiũ perfectioris viſionis,quàm eſt ipſa eſſentia Dei,vt præbens concurſum, quem ſpecies erat præſtitura: ſed eſſentia Dei non eſt principium viſionis comprehenſiuæ: ergo neque ſpecies eſſet, quia tantum gereret vices Dei in ratione obiecti.

Quartò,quia videri aliquid per ſpeciem eſt non videri per eſſentiam: quod de Deo affirmare eſſet erroneum. Hoc argumentum S.Thom. euidenter probat, Deum à beatis non poſſe videri per aliud obiectum, aut imaginem, aut ſimilitudinem, aut ſpeciem prius cognitam: at verò incredibile eſt S. Thom. ſenſiſſe concurſum ſpeciei impreſſæ impedire immediationem cognitionis, cum nos immediatè percipiamus accidentia, & vnus Angelus alium per ſpeciem impreſſam: quod vbique fatetur S.Thom. cum ergo rationes B.Tho. euidentes ſint ad probandum Deum nō poſſe videri per ſpeciem cognitam: ſint autem futiles ad probandum implicare ſpeciem impreſſam, veri eius diſcipuli tenemur ſentire illũ eſſe loquutum de ſpecie prius cognita, & non de impreſſa: licet textus nonnihil habeat difficultatis.Quapropter diuiſi ſunt P.Suarez,& Vazquez in eius expoſitione: ſed in P.Vazquez inclinor,quia eius expoſitio honorabilior eſt S.Thomæ. §. 27.

Quintò,quia Deus eſt ſummè intelligibilis,ergo non poteſt dari ſpecies illius. Nego cōſequentiam: nam ſicut hæc ſumma intelligibilitas Dei nō tollit diuinam eſſentiam in ratione obiecti actiuè concurrere ad viſionem: cur ille concurſus non poterit præſtari per ſpeciem impreſſam? §. 28.

Dicunt alij, Deum eſſe viſibilem per eſſentiam: ergo non per ſpeciem: quia illud attributum non poteſt communicari vlli creaturæ:ſicut neque omnipotentia, aut alia attributa. Multis peccat hæc ratio: etenim creaturæ etiã ſunt viſibiles per eſſentiam. Omne enim obiectum immediatum cognoſcitur per ſuam eſſentiam,eſtq; per illam cognoſcibile: quamuis non eſt per eſſentiam cognoſcibile, id eſt,independenter à Deo. Deinde nulla eſt conſequentia, Deus enim non communicaret ſpeciei intelligibilitatẽ per eſſentiã: nam ipſa ex eo quod concurrat ad viſionem Dei, non cognoſcitur per ſuam eſſentiam, quod requirebatur,vt ei cōmunicaret illud attributum: ſed cōmunicatur creaturis potentia faciendi viſionem,eas faciendo potentes: ſicut cōmunicatur eis ſcientia, eas faciendo ſcientes:quamuis Deus eſt ſciens per eſſentiam. Deinde quod Deus ſit cognoſcibilis per eſſentiã non tollit quin etiam ad illam cognitionem poſſit cōcurrere ſpecies impreſſa: nam rectè poteſt Deus communicare creaturæ virtutẽ influendi in ſui viſionem, ſicut Deus per ſui eſſentiam eſt productiuus hominis: quam virtutem communicat homini. §. 29.

SVBSECTIO II.

Expenduntur argumenta cuiuſdam.

VIdi cuiuſdam opinionem,& argumenta,quæ extricanda putaui. Opinatur potentia abſoluta repugnare ſpeciem impreſſam qua Deum intueri poſſimus; ac duas conſtituit obiecti ſimilitudines cognoſcitiuas: alteram potentiæ ad obiectum; quæ illi aſſimilari conatur: alteram obiecti ad potentiam, per quam obiectum conatur ſibi intellectum aſſimilare: & hoc,inquit, fit per ſpeciem impreſſam,quæ gerit vices obiecti. §. 30.

§. 31. Igitur argumentatur primò, ea ſpecies neceſſariò participaretur à Deo, non ſolum vt à cauſa efficienti, ſed etiã vt ab obiecto cuius virtutem adæquet ſpecies in eſſe intelligibili: ſed impoſſibilis eſt ea adæquatio in aliqua ſpecie creata: ergo. Maior patet: quia nulla actualitas reperitur phyſicè in obiecto, quæ non reperiatur in ſpecie in eſſe intelligibili, id enim eſt eſſe ſpeciem immediatam obiecti, & vniuocam repræſentationem. Quia ſi aliquid inuenitur in obiecto, quod non repræſentaretur in ſpecie, id non pertineret iam ad naturam repræſentatã: quæ vel tota, vel nullo modo repræſentari poteſt: quia cum ſit indiuiſibilis non poteſt repræſentari per partes: probat autem minorem: ſcilicet nõ poſſe eſſe ſpeciem adæquatam Dei, quia Deus habet intelligibilitatem infinitè diſtantem ab intelligibilitate reperta in ſpecie creata.

§. 32. Tria à me præſtanda curabo: primum, argumenta huius Authoris nihil continere præter latam æquiuocationem. Secundò ab eo deſeri ſuam conſequentiam. Tertiò, eum non attigiſſe mentem S. Thom. Ac primum non bene diſtinguit duas illas ſimilitudines. Nam in actu primo nulla eſt ſimilitudo præter ſpeciem impreſſam: quæ eſt virtualis repræſentatio obiecti. Intellectus enim non eſt ſimilitudo obiecti: at præter ſpeciem & intellectum non eſt alius actus primus creatus: ergo nec ſimilitudo alia. In actu verò ſecundo non eſt alia ſimilitudo præter ſpeciem expreſſam & cognitionem: intellectus enim cum ſpecie nihil producit præter actionem vitalem & eius terminum: habitus enim ab actu producitur. At in ipſa ſpecie expreſſa non ſunt duæ aſſimilationes: altera à potentia, altera ab obiecto: ſed vna cũ duplici formalitate. Prior formalitas eſt cõceptus intellectionis vt ſic: poſterior eſt eam eſſe de hoc obiecto. Itaque formalitas reſpondens huic obiecto non eſt conceptus imaginis, ſed differentia ad hanc: vt rationale non eſt conceptus animalis: ſed differentia & contractio ad hominem.

§. 33. Item nõ ſunt è re illæ duæ imagines, vt patebit. Ergo ad argumẽtum negatur maior: tum quia ſpecies illa non eſſet magis neceſſaria, quam nunc eſt influxus à Deo vt ab obiecto: tum quia ſpecies intuitiua non eſt neceſſariò adæquata ſuo obiecto: nam alia eſt cõprehenſiua, alia quidditatiua tãtum; illa ſuo adæquatur obiecto, hæc nõ adæquatur: diſtinguo item probationem, nulla actualitas eſt in obiecto, quæ nõ reperiatur in ſpecie ſecundum ea quæ obiectũ dicit in recto, cõcedo: ſecundum prædicata, & denominationes omnes, nego. Nam hoc nõ eſt de cõceptu ſpeciei immediatæ, magis quam de cõceptu cognitionis immediatæ: nec propterea obiectum eſt diuiſibile; nam licet totum videatur, tamen totum videtur inadæquatè: quia non penetratur in ordine ad omnes ſuos effectus, & totum pertinet ad obiectum ſpeciei impreſſæ: ſed non in ordine ad omnes effectus, in ordine ad quos nõ eſt obiectum eius ſpeciei. Quæ expreſſit S. Thom. 1. p. q. 12. artic. 7. ad 2. oſtendens Deum à Beatis non comprehendi, non quia totus non videatur à Beatis, ſed quia non videtur quãtum viſibilis eſt, quod tota ea quæſt. paſſim inculcat.

§. 34. Præterea retorqueo argumentum: cognitio immediata, & intuitiua participatur ab obiecto non ſolum efficienter, ſed etiam in ratione obiecti: cuius virtutem adæquat: ſed nulla cognitio Deum adæquare poteſt: ergo nulla poteſt eſſe cognitio intuitiua Dei: probo maiorem, quia nulla actualitas reperitur phyſicè in obiecto, quæ non reperiatur intelligibiliter in intuitione: id enim eſt eſſe intuitionem immediatam obiecti, & vniuocam repræſentationem: quia ſi aliquid eſſet in obiecto, & non in intuitione, id non pertineret ad obiectum illius: quod totum intelligitur, vel nihil, quia non eſt diuiſibile in partes: ecce tuum argumentum ſimili forma probat ingens abſurdum.

Quod dicit de vniuoca repræſentatione, non eſt ſubtilius: aut enim ſignificat obiectum & ſpeciem vniuocè cõuenire, id eſt, eſſe eiuſdem ſpeciei: ſicut cauſa vniuoca eſt idem cum ſuo effectu quod præ ſe fert abſurdum; Nam neque ſpecies Angeli eſt Angelus, nec iumentum ſpecies iumenti: aut ſignificat conuenire vniuocè in aliquo genere, quod etiam eſt falſum; nam Angelus eſt de genere ſubſtantiæ, & ſpecies quam de illo habet alius, eſt de genere qualitatis: aut ſignificat totam eſſentiam obiecti debere eſſe intentionaliter in ſpecie; quod non repugnat Deo magis, quàm à creatura intuitiuè videri: totus enim reperitur in ea cognitione, licet non totaliter, neque comprehenſiuè: ſic igitur quidem erit in ſpecie impreſſa. §. 35.

At verò hoc argumentũ eſt diſcutiendum: quia non ſolum probat nõ poſſe dari ſpeciem adæquatam & comprehenſiuam Dei; verum neque inadæquatam. Nam licet Deus non comprehenderetur, adhuc eius eſſentia in recto viſa, eſt infinita ſimpliciter; & ſpecies de illa deberet eſſe infinita: quia quod eſt realiter in obiecto, debet eſſe in ſpecie intelligibiliter. Equidem probo, nec Deum poſſe ab aliquo videri: quia id quod immediatè videtur in Deo, eſt infinitum, quod in viſione debet reperiri intelligibiliter, multo perfectius, quàm in ſpecie impreſſa; quia hæc eſt virtualis, illa formalis obiecti ſimilitudo. Itẽ ad videndum obiectum extenſum per quinquaginta paſſus, requireretur ſpecies impreſſa extenſa per totidẽ paſſus; & oculus eiuſdem menſuræ: & ad videndum Angelum requiritur alia tam perfecta quàm ille. Reſpondeo ergo; infinitum obiectum poſſe intentionaliter eſſe in ſpecie impreſſa, & expreſſa finita, cuius repræſentatio finita eſt abſolutè & intrinſecè; infinita tamen per extrinſecam denominationem ab obiecto infinito; ſicut ſpecies de ſubſtantia eſt intrinſecè accidens & extrinſecè connotatiuè ſubſtantia: quia obiectum in eſſe repræſentabili, vel terminante repræſentationem eſt ſubſtantia. Similiter, dicam diſput. 5. Metaphyſ. actum ſingularem eſſe repræſentationem ſingularem, & vniuerſalem in repræſentando. §. 36.

Vrget; illa ſpecies ſecũdum ſuam entitatem eſt finita: ergo non poteſt eſſe infinita in repræſentando: patet conſequentia; quia eſſe entitatiuum & repræſentatiuum in ſpecie non diſtinguuntur: quia non ad libitum, ſed ex intrinſeco ſuo conceptu repræſentat: vnde concludit pro maiori immaterialitate obiecti requiri in ſpecie maiorem immaterialitatem, & perfectionẽ. Optimum argumentũ; pro maiori immaterialitate obiecti intelligibilis, requiritur in intellectu & cognitione maior immaterialitas: ergo in viſione Dei requiritur infinita; item cognitio intuitiua Dei eſt infinita in repræſentando: quia intuitiuè repræſentat infinitudinem Dei; ſed in ea ſunt idem eſſe repræſentatiuum, & entitatiuum: ergo eſt infinita in eſſendo. Item ſpecies intuitiua Angeli eſt ſubſtantialis in repræſentando: ergo & in eſſendo. Immo & author ipſe cenſens eſſe probabile dari ſpeciem expreſſam Dei reſpondet ſuo argumento; ſpeciem expreſſam & Deum aſſimilari non vniuocè, quia expreſſa ſpecies non habet abſolutè infinitatem: idem debet dicere de ſpecie impreſſa, quæ connotatiuè, & non intrinſecè §. 37.

intrinſecè haberet infinitatem; commune autem axioma, *obiectum in eſſe imaginati, & imaginem eſſe idem,* verum eſt, quia in eſſe imaginati reduplicat imaginem ipſam,quæ intẽtionaliter eſt obiectum, id eſt,intentio illius,in ſe repræſentans quod illud habet. Ratio à priori huius doctrinæ ſumitur ex S.Thom.adducto diſp.6.inter cognitionem & obiectum non eſſe ſimilitudinem phyſicam, & adæquatam; ſed ſimilitudinem proportionis, & intentionalem. Sic per actus accidẽtarios cognoſcimus ſubſtantias: illi actus ſunt connotatiuè ſubſtantia, id eſt,connotant ſubſtantiale obiectum.

§. 38. Hanc rationem cõuenientiæ inter ſpeciem impreſſam & expreſſam conatur ille diluere:quia ſpecies impreſſa non limitatur niſi ab obiecto, cuius eſt immediata participatio: at expreſſa limitatur etiam à potentia, cuius eſt operatio. Vnde non fit calculatio cognitionis ad obiectum,ſed ad potentiam. Nõ enim ex maiori perfectione obiecti creſcit perfectio cognitionis, ſicut creſcit ſpeciei impreſſæ perfectio. Contra,cognitio creſcit etiam ab obiecto, nam idem Angelus per eamdem ſpeciem impreſſam poteſt per te producere cognitionem de homine, aliam de equo: at prior cognitio erit perfectior quàm ſecunda pro ſola perfectione obiecti,vt nunc pono:ergo. Confirmatur primò,quis enim negauit perfectiorem eſſe viſionẽ Dei, quàm Angeli,etiam in ratione obiecti? Dices, id oriri ex lumine. Contra, ideo lumen requiritur propter perfectionem obiecti,vt perſpicuè docet S.Thom. 1.part.quæſt.12.art.4. Confirmatur ſecundò: virtutis moralis actus eſt nobilior pro nobilitate obiecti, nam ab eadem potentia naturali oritur eleemoſyna & religio; hæc autem eſt perfectior.Ratio à priori, quia actus ſunt repræſentationes obiecti, quæ quia ſunt ſimilitudines rei perfectioris, ſunt etiam perfectiores. Deinde falsò dicitur non eſſe cognitionem immediatã participationem obiecti: nam cognitio intuitiua Dei fit immediatè à Deo non ſolùm vt principio actiuo vniuerſali, ſed vt ſpeciali & obiecto.Nã concurſus obiecti in actum præſtatur ibi immediatè à Deo.

§. 39. Dices, eum concurſum præberi in potentia ſecundùm illius diſpoſitionem,at concurſum in ſpeciem non fieri niſi ſecundum virtutem obiecti. Contra, ego iam per te habeo perfectionem cognitionis creſcere pro cremento dignitatis obiecti,ergo de infinito obiecto debet eſſe cognitio infinita: patet ex tua calculatione,& ſicut tu ais eſſe implicationem ſpeciem impreſſam eſſe immediatam participationem Dei, & eſſe accidens limitatum per potentiam receptiuam: quia cum ſit de obiecto illimitato nõ poteſt limite circumſcribi, neque in aliquo genere contineri; ita ego dico eſſe implicationem intuitionem Dei eſſe immediatè à Deo infinito, & illimitato in ratione obiecti, & eſſe limitatam per potentiam receptiuam:abſolutè autem dico etiam ſpeciem limitatum iri per intellectum creatum, in quem reciperetur: quia eſſet comprincipium cum iuuans ad actum,& in eo reciperetur: obiectum autem eſſe illimitatum nihil refert, nam omnis creatura eo ipſo quod producatur à Deo,eſt limitata,ſicq; limitaretur ſpecies:agimus enim ſit ne producibilis? Dico eam eſſe, quia in ipſo conceptu rei creabilis imbibitur limitatio, quia eſt dependentia ab illo; nec verò obiectum emittit ſpeciem tam illimitatam, quam ipſum eſt; nam Angelus eſt ſubſtantia,& eius ſpecies eſt accidens,& illa eſſet ſubſtantia ſubſiſtens.

§. 40. Adde,licet Deus neceſſariò produceret ſpeciem, adhuc eam non eſſe infinitam ſimpliciter, quia ibi cerneretur dependentia à Deo, & qui conſtitueret Deum operantem neceſſariò, non diceret omnes eius effectus eſſe infinitæ perfectionis: nec ſequitur per locum intrinſecum:nam ſi Deus eſſet agens neceſſarium, non faceret hominem alium, neque eſſentialiter perfectiorem quam nunc: ego enim idem eſſem tunc,qui nunc: libertas enim Dei formaliter non facit rem finitã: ſed ipſa dependentia; per quam creatura habet aliquã imperfectionem, ratione cuius eſt finita. Ex hac autem obiecti finitudine oritur libertas in Deo ad illud producendum: quia bonitas finita non neceſſitat Deum.

Deinde argumentatur: ſi eſſet poſſibilis ſpecies Dei illa exiſteret neceſſariò;ergo.Probatur antecedens,tum quia in rebus omnibus creatis eſt neceſſaria productio ſpeciei, tum quia Deus naturaliter eſt intelligibilis,& independenter à ſua voluntate; ſed ſi ſpecies eſſet poſſibilis, intelligibilitas Dei contineretur in ſpeciebus,ergo. Mirum argumentum; nega antecedens: ratio autem de creaturis ſatis affertur abs re,quia nõ ſolum Angelus producit neceſſariò ſpeciem ſui (ſi tamen illã producit,) verum & neceſſariò præſtat cõcurſum, quo ipſe ſe intuetur,nam ea cognitio eſt Angelo neceſſaria: at Deus non exhibet neceſſariò concurſum ad viſionem ſui: pone meam opinionem, non eſſe neceſſariam ſpeciem præſente obiecto, & proportionato; obiectum tamen illud tam neceſſariò videtur per ſe ipſum quàm color per ſpeciem: ergo ſimiliter Deus tam neceſſariò videtur à beatis, & independenter ab eius voluntate. En quod conſequens è tua conſequentia.Eſt igitur diſcrimen latũ: quia omnes creaturæ multa operantur neceſſariò, quæ Deus liberè. Secunda probatio eſt mirabilior:cui præmitto duplicem eſſe intelligibilitatem:alteram quæ cum ente conuertitur, & vocatur *veritas,* hæc eſt neceſſaria Deo, quia eſt idem à parte rei cum eius eſſentia, & hæc non poteſt reperiri in ſpecie impreſſa: neque eiuſmodi intelligibilitas etiam in creaturis reperitur in ſpecie ab illis emiſſa. Altera intelligibilitas eſt principium proximum concurrendi in ratione obiecti cum intellectu: hæc reperitur & in ſpecie impreſſa, & quouis obiecto proportionato:hæc eſt communicabilis à Deo ſpeciei impreſſæ ſui ſicut & virtutes aliæ actiuæ, at verò non neceſſariò, ſed liberrimè. §. 41.

Dicit præterea: ſpeciẽ impreſſam ex genere ſuo non eſſe accidens: quia Angelus ſe cognoſcit per ſuam eſſentiam. Vnde Angelũ vocat ſpeciem ſui, quod contradicit ſibi,aſſerenti ſpeciem impreſſam eſſe aſſimilationem obiecti cum potentia,& gerere vicem illius;ſed eſſentia Angeli non eſt aſſimilatio ſui,nec gerit vices ſuas,neq; eſt loco ſui,ſed potius ſpecies eſt vicaria ipſius Angeli: ergo. Ecquis vnquam dixit,Deum eſſe ſpeciẽ ſui? nam & ipſe rectè ait ſpeciem eſſe naturalem repræſentationem obiecti; ſed nihil eſt repræſentatio,neque imago ſui. Vnde contra eumdem colligo,ſpeciem intelligibilem vt ſic eſſe accidens; nec poſſe ab eius ratione præſcindi: inſuper ſicut ſpecies de Angelo eſt accidens licet Angelus ipſe ſit ſubſtantia,cur nõ infert ſpeciem de Deo fore finitam, licet Deus ſit infinitus? & ſicut ex conceptu ſubſtantiali Angeli non infert ſpeciem vt ſic non eſſe accidens,cur ex conceptu accidentali ſpeciei de Angelo nõ infert omnem ſpeciem de obiecto ab eo diſtinctam eſſe accidens? & ſicut ab obiecto ſubſtantiali emanat accidens, quia illud producitur in intellectu alterius, cur propter rationem eamdem ab obiecto infinito non oritur finita ſpecies? §. 42.

Itidem negat ſpeciem expreſſam Dei, quia omnis §. 43.

omnis ſimilitudo, & qualitas Dei repugnat: nam repugnat imago, quæ prius cognita ducat in quidditatiuam cognitionem Dei: ergo etiā imago, quæ ſit ratio cognoſcendi: nam iſtud genus imaginis eſt perfectius & æqualius. Verum obſerua in conſequentiam, ſi hæc ratio vrget, ergo non poteſt ſuſtineri dari ſpeciem expreſſam Dei: quia nō poteſt ſuſtineri dari obiectū prius cognitū æquale Deo, ex quo Deus quidditatiuè noſcatur. Neque ipſe hoc argumentum ſoluit, cum teneretur: ſiquidem probabile cenſet dari ſpeciem expreſſam Dei: quod ex B.Tho. euidenter oſtendi diſp. 6. alia argumenta ſoluit: nec admittit ſuſtineri poſſe impreſſam ſpeciem Dei, cum admittat S.Tho. argumento vtrumque probari de impreſſa & expreſſa. Nego igitur repugnare ſimilitudinem intentionalem Dei: inadæquatam quidem, nam adæquata repugnat. Ad probationem reſpondeo, obiectum prius cognitum, in quo quidditatiuè cognoſcitur aliquid, debere eſſe æquè perfectum, & cauſam eius quod in illo cognoſcitur (hoc nunc do diſputandi ergo, alibi id diſcuſſurus) cauſa enim penetrata in ea penetratur effectus: vt verò ſit ratio cognoſcendi, tantum arguit ſimilitudinem repræſentatiuam; ſubſtantia enim non cognoſcitur quidditatiuè in accidente priùs cognito, cognoſcitur autem per actum accidentalem Hæc ſunt prima principia, & rudimenta philoſophiæ.

§. 44. Probo autem ex hoc argumento etiam repugnare intuitionem Dei: nam per te illa eſt imago, & ſimilitudo Dei: ergo repugnat ſicut ſpecies expreſſa: probo ad hominem tuo argumēto. Reſpondet cognitionem eſſe aſſimilationem ex parte potentiæ, quæ per illam limitatur, at ſpeciem expreſſam eſſe aſſimilationē ex parte obiecti, quæ ex ipſo ſolo limitatur; ſi autem obiectū eſt infinitū, ſimiliter & eius imago erit. Contra: ſpecies expreſſa etiam limitatur à potentia: ergo. Probatur antecedens: ſpecies expreſſa petit eſſentialiter concurſum actiuum & paſſiuum potētiæ: ergo limitatur à potentia: conſequentia eſt euidens, quia concurſus actiuus potentiæ finitæ eſt finitus: item receptibilitas eſt limitatio, quia eſt potentialitas. Probo antecedens, quia ſpecies expreſſa eſſentialiter fit modo vitali, quia eſt actus vitalis & terminus actionis vitalis. Adde non eſſe hanc ſimilitudinem tam illimitatam, quam obiectum: quia ſpecies expreſſa, etiam comprehenſiua de Angelo non eſt tam perfecta quàm Angelus, quia ſit concurrente potentia accidentaria: ergo & ſpecies expreſſa Dei eſſet finita: quia ad illam concurrit lumen creatum. Adhuc vrgeo: etiam cognitio eſt ſimilitudo ex parte obiecti, nam per te tam obiectū quàm intellectus conantur ſimilitudinem intellectus cum obiecto, & ad illā ſimilitudinem vt ſimilitudo eſt, tam concurrit obiectum quàm potentia: ergo tam eſt ſimilitudo ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ. Mitto alia, ne longiorem orationem faciam: nam ille eodem filo cætera texit.

§. 45. Nunc paucis oſtendo: eum nō calluiſſe mentem S.Thom quia, artic. 4. q. 12. 1. par. ad 7. ait, cognoſci Deum per ſimilitudinē creatam non eſſe cognoſci immediatè Deum: ac proinde ab Angelo non cognoſci per ſua naturalia, & ſuam ſimilitudinem: ibi enim agit de ſimilitudine prius cognita, vt patet ex authoritate Dionyſij in primo argumento poſita, & ait S.Tho. ſe hoc ſupra dixiſſe, art. 2. ergo ibi egit de ſimilitudine prius cognita: hæc ſunt adhuc ſub iudice. Repete plurima teſtimonia S.Tho. quæ retuli diſpur. 6. ſect. 5. quibus clariſſimè docet omnem cognitionem eſſe verbū, & omne intelligere creatum eſſe dici. Nunc expēdo teſtimonia ab hoc adducta, 1. ex 4. d. 49. q. 2. art. 1. ad 3. *Medium* (inquit S.Tho.) *eſt triplex, primum eſt medium ſub quo vt lumen: ſecundum medium quo, & hoc eſt forma viſibilis: tertium eſt mediū per quod videtur, & hoc eſt per cuius inſpectionem ducitur viſus in aliam rem: ſicut inſpiciendo ſpeculum ducitur in ea, quæ in ſpeculo repræſentantur: in viſione autem patria non erit tertium, nec ſecundum medium, erit antē primum.* Hoc teſtimonio non meminiſſe S.Tho. ſpecie expreſſæ patet. Nā primum medium eſt lumen ſe tenens ex parte potentiæ, quod admiſit in patria: ſecundum eſt ſpecies impreſſa, quæ ſimul cum potentia concurrit ad actum: ſæpe enim forma vocatur obiecti, quam rectè negat: tertium eſt imago prius cognita, vt patet ex ſpeculi exemplo: nam viſio ipſa, ſeu videndi actus non eſt nec videtur in ſpeculo: ſed S.Tho. inſinuat, quod poſtea Durand. & P. Molin. dixere, in ſpeculo videri ſimilitudinem obiecti, & ex illa obiectū, quam rectius S.Thom. negat in patria: vbi igitur negatur hic ſpecies expreſſa? Secundum eſt ex quæſt. 8. de veritate, art. 5. verum ibi loquitur S.Tho. de ſpecie impreſſa, & partim de ſimilitudine priùs cognita: nam ait omnia videri vel per eſſentiam vt Deus à nobis, vel per ſimilitudinem, vt lapis, id eſt; per ſpeciem impreſſam, nam Deus non videtur à nobis per ſuam eſſentiam tamquam per ſpeciem expreſſam, ſed in ratione ſpeciei impreſſæ, quia per ſuam eſſentiam præſtat concurſum, quem alibi præſtat ſpecies: mentem autem huius authoris nec leuiter inſinuat.

SVBSECTIO III.

Argumenta ſimiliora vero.

ENoſtris nonnulli, rati à Thomiſtis nec leuiter probari repugnantiam ſpeciei impreſſæ, vt tueātur ſentētiam, quam putant eſſe B.Tho. aliam viam iniere minus aſperam. Nam ſpecies impreſſa ideo eſt vicaria obiecti, quia pro illo ſubrogatur ad præſtandum quod ipſum non poteſt vel ob diſtantiam, vel ob improportionem ſeu impotētiam; ſed Deus non poteſt eſſe diſtans; nec improportionatus intellectui eleuato lumine: ergo non poteſt pro illo ſubrogari ſpecies. Quod argumentū paulatim diſſoluam, & proſequar. §. 46.

Obiectum duo præſtat; & terminat actum, & illum producit cum potentia: ad primum munus nō poteſt ſubrogare ſpeciem: ad ſecundum poteſt. Obiectum creatum eget vicaria ſpecie, vel quia à potentia diſtare poteſt; vt lux & color à viſu: item Angelus quamuis ſe ipſum cognoſcit ſine ſpecie, poteſt etiam per illam; quia dantur ſpecies illius in aliis Angelis; ac proinde non repugnat eū cognoſci per ſpeciem; quia hæc iam eſt poſſibilis: vel eget ſpecie, quia non habet proportionem ad efficiendum actum vitalem. Vbi hæc deficiunt, non eſt poſſibilis naturaliter ſpecies impreſſa: quia connaturalius præſtatur effectus à cauſa, quæ illum debet, quàm à vicem gerenti. §. 47.

Hi authores arbitrantur non poſſe eſſe locum ſpeciei vbi obiecto repugnant illæ rationes: quia vicario poteſt eſſe locus, quando principale poteſt abeſſe. Verum Deus ſuo arbitratu poteſt partiri ſuum concurſum cum cauſis ſecundis. Vnde ad argumētum in forma diſtinguo maiorem; ſpecies eſt ad præſtandum influxum loco obiecti creati ob eius improportionem, aut diſtātiam, do maiorem; reſpectu Dei, nego: ſed ſpecies per ſe primo eſt ad efficiendum loco obiecti; id autem eſſe ex impotentia, §. 48.

potentia,aut libertate obiecti, ſunt differentiæ extra conceptum ſpeciei. Quod igitur in creatis contingit ex illorũ imperfectione, oritur in Deo ex libera volũtate. Vt enim cauſa creata adæquata non dat locũ aliis in eodem genere,quia ex ſuppoſitione quod operatur,operatur neceſſariò per concurſum adæquatum; Deus autem illũ liberè partitur: ſic Deus partitur influxũ ſuum. Ad minorem patet: eſſe locum concurſui ſpeciei ex libera voluntate Dei,quamuis non ex impotentia,aut diſtantia.

§. 49. Dices primò, non poſſe ex natura rei aliquam qualitatem inſtitui ad ſupplẽdum influxum quem Deus ſuſpẽdit pro ſuo arbitratu:non enim eſt vlla cauſa ex ſe inſtituta ad ſupplendos defectus per accidens aliarum. Confirmatur; ſi Deus non vult concurrere cum ſpecie *A*, ſed cum *B*,aut alia qualitate: talis cauſa non ſupplet defectum ſpeciei *A*. alioquin ad ſpeciem daretur alia ſpecies.

§. 50. Reſpondeo, cauſas creatas non habere vicarias alias pro ſuo arbitratu;ſed operantur per virtutem acceptam à Deo: quod ſi ea nec volunt, aut non poſſunt vti, ceſſat effectus; niſi vel à cauſa prima prouideatur effectui; vel præſto ſit alia ſecunda; quæ operatur virute ſua, & non ſubrogata pro alia. At verò Deus, cum ſit infinitè omnipotens, poteſt producere cauſas, quibus partiatur munus cõcurrendi pro ipſo in aliquo genere. Habet Deus virtutem adæquatam producẽdi hominem:ſi vult, poteſt eumdem producere cum virtute alterius hominis. Si Deus non poſſet partiri ſuum influxum, non poſſet homo ad alium concurrere. Ita habet duas rationes influendi in actum; alteram vt cauſa vniuerſalis: hanc non poteſt à ſe abdicare; alteram vt cauſa actiua particularis in ratione obiecti,hanc poteſt permittere ſpeciei impreſſæ,vt igni cõcurſum cauſæ particularis in alium ignem, vel calorem.

§. 51. Confirmatio à nobis eſt:poteſt enim Deus præſtare cõcurſum ſpeciei *A*,vel ſe ſolo,vel per aliam qualitatem improducibilem à calore: quæ qualitas pro ſolo arbitratu Dei præſtat quod ſpecies *A*, præſtare tenetur naturaliter:ergo ſimiliter pro eodem arbitratu poterit producere ſpeciem ſui. Fateor in caſu confirmationis qualitatem ſupplentem defectum ſpeciei *A*, non fore ſpeciem illius: ſed ſpeciem obiecti cuius *A*, erat ſpecies. Nam ſpecies dicit duo,& producere actum pro obiecto, & vt actus ille terminetur ad id pro quo ſubrogatur. Cum ergo actus productus à qualitate non terminetur ad ſpeciem *A*, ſed ad colorem; huius erit ſpecies, non illius, & pro calore ſubrogata, & non propriè pro ſpecie *A*, Deus autem terminaret viſionem ſui, & ſpecies eam produceret loco Dei. Ita poteſt Deus efficere vt Angelus ſe cognoſcat per ſpeciem ſui, illi negans concurſum actiuum in ratione obiecti. Vnde nec de ratione ſpeciei creaturarum eſt ſupplere defectum ex impotentia, aut diſtantia: ſed ſupplere actiuitatem vt ſic: ſiue oriatur ex impotentia obiecti, ſiue ex ſola voluntate Dei.

§. 52. Dices ſecundò, eſſe poſſibilem qualitatem, quæ præſtet illum influxum; non tamen erit ſpecies; quia de huius ratione eſt, vt oriatur ex defectu obiecti. Verum iam hæres in ſolo nomine: ego contendo ex ſola voluntate Dei oriri poſſe qualitatem, quæ concurrat actiuè ad viſionem beatam, ſubtrahente Deo concurſum,quem in ratione obiecti erat præſtiturus, illũmque communicante illi qualitati. Hanc negant veteres Thomiſtæ & recentiores: tu eam admittis: & ais eam non eſſe ſpeciem,vt ſaltem verbis illis adſentiare. Huiuſmodi qualitatem voco ego ſpeciem: quia ſpecies vt ſic abſtrahit ab obiecto potenti aut impotenti; contrahitur autem ad hanc, quia eſt pro obiecto potente, ſed non volente. Vbi aduerte: lignum concurrens per potentiam obedientialem non eſſe ſpeciem Dei, tum quia ex ſe non connotat viſionem: tum quia cum illo præſtat Deus ſpecialem concurſum obiecti in genere cauſæ principalis: quæ non cadunt in qualitatem quam ego dico eſſe poſſibilem. Item aduerte ſpeciem illam non eſſe connaturalem viſioni: quia viſio petit concurſum obiecti: at verò reſpectu Dei nihil eſt ſupernaturale, ſed naturalia omnia:quia ſupra vires Dei non ſunt aliæ: & quia Deus ſolo ſuo arbitratu poteſt omnia facere. Itaque Deo tam connaturale eſt creare quantitatem quàm illam educere, concurrere cum ſpecie quàm ſine illa: licet obiectis creatis id non ſit connaturale.

Dices tertiò, ſpeciem non eſſe ex ſuo conceptu actiuam cognitionis:cum ergo Deus nõ ſit abſens, nec improportionatus, non poteſt ad hoc ſpecies pro illo ſubrogari: nec item pro concurſu actiuo: quia hic non pertinet ad ſpeciem: ergo. Conſequentia eſt bona: ſed antecedens falſum,vt patebit ſect. 4. §. 53.

Secundò argumentantur: quia in ſententia negante potentias ab anima diſtingui, non poſſunt eſſe aliquæ ſupernaturaliter productæ: quia anima ex ſe eſt potẽs ad actus vitales:ergo nec eſt poſſibilis ſpecies Dei, quia ex ſe eſt potens ad concurſum in ratione obiecti. Periculoſa conſequentia: nam eadẽ forma concluderetur,cauſas creatas non eſſe actiuas: quia Deus eſt potens ad omnes illarum effectus, & ſicut Deus poteſt producere qualitatem à qua fiat calor in igne, licet virtus productiua caloris in igne non diſtinguatur ab ipſo igne; ita poteſt ſpeciem impreſſam: eſto potentias non poſſit facere. Nam illæ repugnant: quia idem debet eſſe principium intelligendi & amandi. Quod ſoli ſubſtantiæ conuenit. Vel adhuc non eſt certum eas potentias non poſſe amare & intelligere partialiter ſimul cum anima:oritur ergo repugnantia in potentiis non ex conceptu cauſæ adæquatæ; ſed ex ſpeciali modo, quo actus oritur à potentia vitali: quod ſi hic modus non repugnat accidentibus, poterunt diuinitus eſſe potentiæ, licet non ex natura rei: ſed quæ non tollerent immediatum influxum vitalem ab anima. §. 54.

Ergo non repugnat ſpecies impreſſa: quia nec expreſſa repugnat; nec repugnat influxus actiuus Dei in ratione obiecti,qui ſuppleatur per ſpeciem; nec affertur repugnantia. In iis autem quæſtionibus de potentia abſoluta, cauſa cadit qui negat, niſi probet: qui autem affirmat,ſtat dum non conuincitur, nec eget alia probatione niſi oſtendere ab aduerſariis nihil euinci. §. 55.

SECTIO IV.

Quid ſit ſpecies? Et quomodo concurrat ad actum?

Volunt nonnulli ſpeciem eſſe formalem ſimilitudinem obiecti, in qua prius cognita cognoſcantur obiecta. Hoc autẽ eſſe falſum demonſtrat experientia; nos enim non videmus ſpecies, ſed colores, neque per cryſtallum traijcitur color,cum tamen ſcaturiat ſpeciebus: neque etiam ſenſus haberent intuitionem ſuorum obiectorum, ſed abſtractionem, & diſcurſum. Oſtendi enim §. 56.

diſput. 7. cognitionem vnius obiecti ductam ex cognitione alterius eſſe diſcurſum, ſaltem virtualem; item diſput. 10. oſtendi eam cognitionem non eſſe intuitiuam. Dices in aëre apparere colores varios, & in pariete per reflexionem, vt cum velum ſericum rubrum appenditur ad feneſtram ſole radiante, rubeſcit cubile totum. Reſpondeo id non prouenire quia videamus ſpecies, ſed quia aër affunditur ſpeciebus permixtis, per quas ſimul efficimus plures actus, quibus videre videmur omnia illius eſſe coloris, qui magis viget, aut magis immutat potentiam, vt cum quis videt per vitrum viride, omnia videntur affuſa viridi colore: ſi autem vitrum ſit diſcolor, quem Hiſpanè vocant *piedra filoſofar*, tunc arbuſta, atque dumeta apparent pulchriora, quàm laqueata tecta. Ad illud de pariete reſpondeo; parietem videri diſcolorem, quia ibi reſtanguntur ſpecies gregatim, confusè, & permixtim: quæ oculos deludunt; quia ibi apparere faciunt obiectum vnde illæ emittuntur rectà, vt homo à tergo viſus per ſpeculum videtur eſſe à fronte; quia ſpecies rectà mittuntur è ſpeculo ad viſum.

§. 57. Alij volunt ſpecies impreſſas eſſe eiuſdem ſpeciei cum obiectis, vt Durand. qui eam ob cauſam admittit ſpeciem tantum in ſenſibus externis; putat enim coloris ſpeciem eſſe ipſum colorem minus intenſum. Sed immerito, quia per vnum colorem non videtur alius, ſicut videtur per ſpeciem. Deinde ſonus tubæ non diffunditur per aërem; aër enim non eſt tubicen, neque etiam humana verba formantur, niſi in ore humano, & tamen per aëra illorum diffunduntur ſpecies. Tandem non poſſent ſimul eſſe in oculo ſpecies albi & nigri, ſicut neque albedo & nigredo.

§. 58. Audiui quẽdam opinantem omnes ſpecies impreſſas eſſe phyſicè eiuſdem ſpeciei cum obiectis: in cuius ſententia ſpecies quam ille habet de chymæra eſt chymæra. Item ſpecies hominis eſt formaliter homo; rogo vtrum ille homo, qui eſt in eius mente ſit prædeſtinatus nec ne? Item ſpecies iumenti eſt iumentum formaliter, & ſpecies abſtractiua Dei erit formaliter Deus. In hanc ſententiam fuit impulſus, vt defenderet non poſſe dari ſpeciem impreſſam Dei. Impugnatur igitur vno verbo; quia ſpecies eſt accidens, quod non poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum ſubſtantia. Dicitur autem ſpecies eſſe eiuſdem ſpeciei cum obiecto, non phyſicè, ſed in eſſe intentionali & imaginis, quia eſt imago intentionalis eius quod phyſicè habet obiectum.

§. 59. Cenſent alij ſpeciem impreſſam eſſe formalem ſimilitudinem obiecti nõ prius cognitam; ſed quæ per ſe ipſam intellectui præſentet obiectũ: ad eum modum quo intellectio voluntati. Mouentur primò, quia ſpecies eſt obiecti formalis repræſentatio: ergo & ſimilitudo formalis. Secundò, quia ſpecies habet eamdem cauſalitatem in intellectionem, quam intellectio in volitionem.

§. 60. Non placet hæc opinio, quia ſi ſpecies eſt formalis obiecti ſimilitudo, quî differt à cognitione? Nam ſicut cognitio per ſe ipſam facit præſens obiectum, quia eſt formalis illius repræſentatio, ita & ſpecies impreſſa illud facit præſens. Dices, cognitionem eſſe ſimilitudinem vitalem: ſpeciem autem non eſſe vitalem. Contra, ſpecies impreſſa etiam ſi non ſit vitalis, ſe ipſa repræſentat obiectum intellectui: ergo per eamdem repræſentationem mouebit voluntatem. Secundò, ſpecies impreſſæ materiales non poſſent aëri inhærere, quia illi non poſſent ſuum effectum formalem communicare, aër enim non poteſt formaliter habere præſens obiectum: poteſt tamen habere virtutem productiuam cognitionis.

Tertiò, ſpecies impreſſa non eſt ſimilitudo formalis quaſi per delineationem, neque eſt obiectum prius cognitum, neque ratio cognoſcendi: quam ergo habet rationem ſimilitudinis formalis, per quam moueat intellectum ad cognitionem? Ad primum negatur antecedens: eſt enim ſpecies repræſentatio virtualis obiecti: cognitio autem eſt formalis: quia illud ſe ipſa repræſentat. Ad ſecundum negatur antecedens; voluntas enim mouetur per boni propoſitionem; ſpecies autem impreſſa non reddit formaliter præſens obiectum; eſt enim proprium potẽtiæ cognoſcitiuæ repræſentare formaliter obiecta per ſuos actus. Vnde non eget alia repræſentatione. Hæc doctrina clarius conſtabit inferius. §. 61.

Poſſet aliquis dicere, ſpeciem impreſſam non concurrere actiuè ad cognitionem; ſed tantum eſſe conditionem ſine qua non. Primò, quia potentia vitalis eſt cauſa adæquata cognitionis, cum ſit illa perfectior. Secundò, nulla eſt neceſſitas talis concurſus: quia ad determinandam cauſam indifferentem non requiritur concurſus actiuus determinatiui. Sol enim ceram emollit, & indurat lutum, & voluntas determinatur per cognitionem ſine concurſu actiuo illarum rerum: & intellectus ad ſpeciem per phantaſma. §. 62.

Huic ſententiæ libenter aſſentirer, ſi poſſem explicare concurſum ſpeciei in intellectionem: verùm, cum ſpecies non ſit formalis obiecti ſimilitudo, non poteſt explicari eius cauſalitas, ſicut explicatur cauſalitas cognitionis in voluntatem: & cum non ſit obiectum prius cognitum, non poteſt explicari ad modum diſcurſus, & obiecti materialis & formalis; cúmque eius determinatio non ſit per modum indiſtantiæ phyſicæ, malè poteſt explicari ad modum applicationis localis: nullus igitur ſupereſt locus niſi vt concurrat in genere cauſæ efficientis, nam præſentia obiecti cum potentia non videtur neceſſaria, niſi vt cum illa concurrat actiuè, cui ſubrogatur ſpecies impreſſa: præmiſſæ verò & apprehenſiones determinantes ad iudicium facilè explicantur, quî determinent, nempe per formalem repræſentationem, & propoſitionem vnius obiecti ſicut intellectus determinat voluntatem. §. 63.

Ad primum, patet ex diſput. 9 Phyſic. ſect. 4. intellectum egere concurſu ſpeciei, quia non habet vnde determinetur ad cognitionem huius obiecti in quantum huius: quæ neceſſitas non oritur ex imperfectione intellectus; ſed quia ſpecies impreſſa habet modum repræſentandi diuerſum ab expreſſa. Quod patet, quia intellectus ſine concurſu actiuo præmiſſarum efficit cõcluſionem, quia præmiſſæ ſunt formales repræſentationes: quod ſi ſpecies alio modo determinaret, intellectus poſſet efficere actum ſine concurſu: nunc autem eget abſolutè eo concurſu, quia actus pendens ab ſpecie, ſic petit ab intellectu produci. Recognoſce diſp. 7. ſect. 8. initio. Ad ſecundum reſpondetur in aliis cauſis vniuerſalibus facilè explicari, quo pacto determinetur per particulares propter varias illarum qualitates. Cera enim liqueſit propter viſci liquationẽ, dureſcit verò lutũ, quia exhalatur aqua, qua compingebatur: voluntas autem mouetur per formalem repræſentationem obiectorum: phantaſma aut concurrit actiuè ad ſpeciem impreſſam intellectualem: aut ad eius præſentiam debetur intellectui ſpecies: quia in via intellectus perficitur miniſterio ſenſuum: in ſpecie impreſſa nihil tale reperitur. §. 64.

Confir

§. 65. Confirmatur, præſente obiecto, & proportionato non requiritur ſpecies: vt ad viſionem Dei, & cognitionem Angeli de ſe: ergo quia obiectum concurrit actiuè; alioquin neceſſaria eſſet ſpecies, eſt autem proprium cauſæ actiuæ petere applicationem ad ſubiectum. Dices requiri indiſtantiam vt immittat ſpeciem, quæ moueat potentiam vt imago obiecti. Contra: quia Deus non poſſet videri ſine ſpecie, & imagine. Deinde ſpecies non eſſet vicaria obiecti, nec pro illo ſubrogaretur: quia obiectum non poteſt eſſe imago ſui: ſubrogatur autem qui præbet pro illo actionem. Cognitio autem non ponitur loco obiecti voluntati: ſed vt ſit manifeſtatio obiecti: quod non eſt manifeſtatio ſui.

SECTIO V.

Specierum indiuiſibilitas.

§. 66. Species ſpirituales eſſe entitatiuè indiuiſibiles patet ex diſput. 2. vbi probaui omnem rem ſpiritualem eſſe indiuiſibilem: itaque eadem indiuiſibilis entitas ſpeciei impreſſæ plura nonnunquam repræſentat obiecta. Item indiuiſibilis actus intellectus eſt cognitio plurium rerum, nec poteſt deficere circa vnum obiectũ, quin & circa omnia. Species intentionales materiales eſſe entitatiuè diuiſibiles, conſtat ex ipſo conceptu rei materialis.

§. 67. Difficultas eſt vtrum quælibet pars ſpeciei impreſſæ totum repræſentet obiectum? An verò ſingulis partibus obiecti, ſingulæ ſpeciei partes reſpondeant? Non audent aliqui hoc affirmare, ne cogantur in tantulo ſpatio pupillæ tot partes admittere, quot in præcelſo monte qui ſimul videtur. Eſtque difficilius explicatu in ſententia continuum conſtante ex ſolis indiuiſibilibus: in pupilla enim non ſunt tot puncta, quot in monte. Et quidem ſi vni parti obiecti reſpondeat alia ſpeciei: ergo obiectum bicubitum percipietur per bicubitam ſpeciem: vnde admittunt eadem parte ſpeciei repræſentari totum obiectum.

§. 68. Sed certè ego in hanc ſententiam non veniam: quia ſpecies quam producit obiecti pars *A*. non producitur à parte *B*. ergo per illam non videtur pars *B*. ſed *A*. Patet conſequentia, quia obiectum ſenſibile non cognoſcitur niſi per ſpeciem ab illo emiſſam: alioquin per vnam ſpeciem emiſſam à colore *A*. poſſent cognoſci omnes colores eiuſdem ſpeciei, ſaltem illi, qui prope oculos circumfunduntur: immo & diſtantes, quia ſenſio externa tantum requirit concurſum actiuum ſpeciei; quod ſi hæc repræſentat vnum obiectum à quo non producitur, cur non repræſentabit & alia? Antecedens probo: quia ſpecies producta à parte *A*. ab illa procedit tamquam à cauſa efficiente adæquata: ergo non procedit à parte *B*. Antecedens patet, quia pars *A*. per ſe ſolam eſt viſibilis etiam ſine parte *B*. ergo illa ſola continet virtutem per quam poſſit ad ſui viſionem concurrere.

§. 69. Dices, duplex genus ſpeciei poſſe prodire à parte *A*. alterũ per quod poſſit illa ſola videri, alterũ per quod videatur ſimul cum parte *B*. hoc autem vltimum genus non poſſe niſi ab vtraque prodire. Sed rogo quo id fundamento dicatur? Si enim pars *A*. ſit diuiſibilis, recidit argumentum idem de quauis parte determinata: & cum quælibet pars ſeparata ab aliis ſit per propriam ſpeciem cognoſcibilis, cur multiplicas iſtud genus ſpecierum?

§. 70. Secundò, quia duæ partes concurrunt ad eamdem ſpeciem; ergo totus mons concurret ad vnam ſpeciem. Video poſſe dici partes longè diſtantes non poſſe concurrere ad ſpeciem niſi intra ſphæram ſuæ actiuitatis. Confirmatur; antequam vniantur duæ partes aquæ, vnaquæque videbatur per ſpeciem propriam: adæquatè diſtinctam: vniantur illæ aquæ, & quidem ſine motu viſibili: vnaquæque conſeruat præcedentem ſpeciem, quia retinet eamdem indiſtantiam, & virtutem actiuam: vnio enim eam non adimit: ergo illæ partes vnitæ videntur per duas ſpecies diſtinctas: item videatur aqua continua, & eam Deus diuidat, & aliquantulum ſeparet, ita tamen vt non ſit perceptibilis ſenſu ea diſtantia, tunc videntur per eamdem ſpeciem, per quam prius, quia non amiſere virtutem illam conſeruandi, ſed poſt diuiſionem ſingulæ partes per ſingulas videntur ſpecies, & non omnes per vnam, ergo & ante diuiſionem.

Igitur cenſeo, cuilibet parti determinatæ obiecti reſpondere determinatam partem ſpeciei: & cuilibet parti proportionali obiecti reſpõdere proportionalem ſpeciei partem. Omnes autem illas ſpeciei partes in eodem penetrari ſubiecto, ita vt in qualibet parte oculi, & aëris reperiantur omnes partes ſpeciei reſpondentes toti obiecto quantumuis magno; & ſingulis illius partibus reſpondere ſingulas ſpeciei partes, probatur, quia quælibet pars obiecti eſt viſibilis: ergo quælibet illarum habet virtutem mouendi potentiam viſiuam: deinde, quælibet pars aëris & pupillæ eſt capax recipiendi illas ſpecies, & de qualibet parte aëris poteſt videri totum obiectum: ergo quælibet pars obiecti habet propriam partem ſpeciei, & quælibet pars aëris & pupillæ habet omnes partes totius obiecti; neque verò penetrantur ſolum partes ſpeciei eiuſdem ſpeciei: ſed etiam ſpecies diuerſarum ſpecierum, vt ſpecies albi & nigri. Vnde conſtat breui ſpatio pupillæ contineri ſpeciem ingentis montis: quia in quauis parte penetratur ſpecies totius montis: & omnium obiectorum. §. 71.

Eodem modo philoſophandum eſt de ſenſionibus: quælibet enim pars pupillæ habet in ſe omnes partes ſenſionis reſpondentes toti obiecto, & ſingulis illius partibus: quælibet enim pars pupillæ eſt apta ad ſentiendum totum obiectum, ſicut ad recipiendam ſpeciem illius. Conſtat enim experientia, ſi quis in oculo interiiciat aut pilum, aut palpebram, ſtatim oculum videri duos actus habere, & repræſentare duo obiecta diſtincta, vt experitur qui digito comprimit oculum, qui ſibi videtur videre plures lucernas. Ratio eſt, quia diſcontinuantur ſpecies, & efficiunt diuerſas ſenſiones diſcontinuas in diuerſis partibus pupillæ: ergo quælibet pars pupillæ poteſt videre totum obiectum. §. 72.

Vnde colliges primò, ablata vna parte obiecti auferri omnes partes illi reſpondentes tam in ſpecie, quàm in ſenſione: & non perire totam ſpeciem, neque ſenſionem totam: ratio eſt, quia deficiente vna parte obiecti deficit cauſa per ſe efficiens partem ſpeciei impreſſæ, quæ etiam eſt cauſa partis ſenſionis: quia verò conſeruantur cauſæ cæterarum partium ſpeciei, & ſenſationis, non eſt cur hæ pereant. §. 73.

Colliges ſecundò, obiectum valde exiguũ non videri ſolum: non quia non emittat ſpeciem ſui; ſed quia illam immittit adeo exiguam, & remiſſam vt non poſſit operari; indiget enim continuatione cum aliis partibus, vt patet in cæteris agentibus, & poteſt obiectum adeo eſſe exiguum, vt nullam producat ſpeciem. Magna autem corpora §. 74.

eminus conſpiciuntur propter multitudinem partium ſpecierum, quas emittunt: ſicut ignis magnus vehementius comburit quàm exiguus. Quando item colores ſunt nitidiores vt albedo, & rubor inter cætera obiecta dignoſcuntur, quia illorum nitor, & energia in ipſas deriuatur ſpecies.

§.75. Colliges tertiò, omnes ſpecies eiuſdem obiecti, & omnes ſpecies diuerſorum obiectorum eiuſdem ſpeciei, eſſe continuas duplici continuatione, altera extenſiua, qua per totum aërem & pupillam diffunduntur, altera neque extenſiua propriè neque intenſiua: neque continuantur partes diſſimiles, etſi coniunguntur in eodem indiuiſibiliter ſubiecto; ſpecies enim huius, & illius albi in eadem parte pupillæ exiſtentes ſunt vnitæ, non quidem intenſiuè, quia intenſio fit additione nouæ ſpeciei perfectioris circa idem indiuiſibiliter obiectum, non verò circa diuerſa. Hæc continuatio in ſolis ſpeciebus reperitur, quia ſicut non poſſunt duo numero accidentia in eodem ſubiecto eſſe præter ſpecies impreſſas & expreſſas, ita nec poſſũt habere hoc genus continuationis. Quando verò per reflexionem aliæ ſpecies accreſcunt, vniuntur præcedentibus, ſi ſint eiuſdem ſpeciei.

§.76. Niſi forte dicas, non continuari niſi ſpecies, quæ ab eodem emittuntur obiecto: cæteras eſſe quidem penetratas ſine mutua vnione. Sed multum hic diuinatur. Nam & duo illa obiecta diſcontinua poſſunt vniri inter ſe, tunc autem cur non videantur eadem vtraque ſpecie continua? Sed hæc eodem modo repræſentat, quo antea: ergo. Immo & ſenſatio eſt vna continuatione, quando ſimul coëunt omnium ſpecies; ſecus ſi vna ſpecies eſt poſterior alia; tunc enim vnaquæque propriam habet ſenſationem, ſed adhuc poſt productionem poſſunt continuari; leuia ſunt hæc.

§.77. Hinc etiam collige, per vnum actum non videri niſi obiecta eiuſdem ſpeciei: quia ſpecies intentionales albi & nigri non continuantur; neque ſpecies albi poteſt influere in viſionem nigri; quia commodius intelligitur quomodo ceſſet viſio circa album, quin ceſſet circa nigrũ; neque poſſunt actus materiales ſe extendere ad tot obiecta.

SECTIO VI.

Nonnullas difficultates expedio.

§.78. PRima eſt, vtrum ſenſibile commune propriam gignat ſpeciem? ſenſibile commune eſt *quod poteſt apprehendi duobus aut pluribus ſenſibus externis*; vt figura, numerus, &c. Cernimus enim oculis cuiuſque rei figuram, numerum, aut magnitudinem; quæ etiam tactu diſcernimus. Scotus cenſet ſenſibile commune habere propriam ſpeciem. Cui diſſentio, aut enim hæc ſpecies eſt viſiua? aut non? Si non eſt viſualis, ergo non deſeruit oculis. Si autem eſt viſiua, rogo vtrum, vt diſtinguitur ab ſpecie ſenſibilis proprij, repræſentet colorem? vel non? ſi non repræſentat colorem, aut lucem; non poteſt eſſe principium viſionis, quia viſio terminatur ad colorem & lucem: ſpecies autem debet eſſe coniunctio coloris, & lucis cum potentia; ſi verò repræſentat colorem, ergo non eſt diſtincta ſpecies ab ſpecie coloris, qui eſt proprium ſenſibile viſus. Quod apertius patet in tactu, qui tangens vnum obiectum per propriam eius ſpeciem, & poſtea tangendo aliud per propriam, dicitur tangere numerum: ergo numerus non habet ſpeciẽ diſtinctam ab ſpeciebus ſenſibilibus propriis per tactum.

§.79. S.Thom. & communiter Thomiſtæ dicunt, ſpeciem ſenſibilis communis non eſſe diſtinctam ab ſpecie ſenſibilis proprij, ſed eſſe quemdam modum modificantem ſpeciem ſenſibilis proprij. Nec acquieſco; tum argumento ſumpto ex tactu; ſpecies enim ſecundi corporis tactu percepti, non habet modum diſtinctum ex eo quod aliud corpus prius ſit tactum, & tamen per illam ſpeciem tactus cognoſcit numerum: ergo ſpecies ſenſibilis communis nõ eſt modus ſpeciei ſenſibilis proprij. Secundo, quia ſi talis modus datur, erit ſpecies adęquatè diſtincta, quia habet obiectum diſtinctum, quod repræſentet: ex eo enim quod proprium eius obiectum ſit modus, non tollitur quin ſpecies illud repræſentans ſit ſpecies abſolutè: quia etiam modi cognoſcuntur per propriam ſpeciem. Tertiò, quia numerus non eſt modus rei: ergo ſpecies numerum repræſentans non erit modus, ſed ſpecies.

§.80. Dicendum igitur eſt, ſpeciem ſenſibilem communis obiecti non eſſe diſtinctã ab ſpeciebus ſenſibilis proprij. Probatur à priori: quia color diffuſus per figuram circularem è toto circulo in oculos immittit ſpecies: ibi autem videtur obiectum vnde rectà venit ſpecies; itaque ſpecie ipſius coloris repræſentatur figura coloris, quia per circulum emittitur, figura autem cum ſit vbicatio, propriè non videtur; illam tamen per diſcurſum cognoſcimus videndo ipſius partes coloris in figuram redacti: ſimiliter quando quis tangit globum, cognoſcit illum eſſe circularem, non quia propriè circulus tangatur: ſed quia tractando rem circularem per diſcurſum cognoſcimus circulationem. Item tangendo, & videndo vnum obiectum; deinde videndo & tangendo aliud; diſcurrit intellectus illa eſſe duo vel tria. Idem contingit in viſione motus: cum enim mobile ſucceſſiuè mouetur; illud videmus in diuerſis partibus exiſtens; tunc autem dicimur videre motum; non quia illa latio propriè videatur, ſed quia videtur effectus ipſius motus. Confirmatur ex ſpeculo rotundò, quod figuras longas refert rotundas, quia cryſtallus compacta in rotunditatem eiaculatur ſpecies per figuram circularem; quapropter omnia quæ conſpiciuntur in ſpeculo, apparent rotunda: ergo ſpecies ſenſibilis proprij emiſſa per loca diuerſa repræſentat illius figuram.

§.81. Secunda difficultas eſt, vtrum intellectus informatus ſpecie impreſſa, egeat phantaſmate ad illius vſum? Et quidem communis ſententia eſt cum Ariſtotele pars affirmatiua; *oportet enim intelligentem phantaſmata ſpeculari*: quam ſequitur S. Thom. 1. part. quæſt. 84. artic. 7. Probatur primò, quia ſicut animus rationalis dependet à phantaſmate in acquiſitione ſpeciei, ita in illius vſu. Secundò efficacius: quia deprehendimus experientia, ex nimia contemplatione caput defatigari, corpuſque langueſcere; quia ſpiritus vitales, & animales deſeruientes apprehenſioni, diuturno labore conficiuntur. Tertiò, quia intellectus niſi dependeret à phantaſia, perpetuò intelligeret obiectum cuius haberet ſpeciem, nec poſſet per voluntatem à tali cognitione dimoueri; quia obiectum præſens, & proportionatum, & rectè applicatum per ſpeciem, non poteſt non percipi à potentia, vt patet in ſenſibus externis, & in ſcientia beata, & per ſe infuſa animæ Chriſti, per quam operabatur etiam dormiens. Neque verò opus eſt vt omnia obiecta quæ cognoſcuntur, repræſententur in phantaſia; ſufficit enim vnum attingere, è cuius imaginatione variæ excientur ſpecies intellectuales;

lectuales; ceſſante autem omni phantaſia, ceſſant cæteræ cognitiones ab illa dependentes tamquam à primo mobili.

§. 82. Tertia difficultas eſt de cauſis ſpecierum. Cauſæ actiuæ principales ſpecierum ſenſuum externorum non ſunt ſubſtantiæ, quia illæ non percipiuntur per ſenſus, ſed ſunt accidentia ſenſilia. Communiter affirmatur vnam ſpeciem eſſe principium productiuum alterius, vt calor producitur à calore: quod poſſet confirmari ex refractione in ſpeculo. Neutrum affirmo; nec nego, quia pro neutra parte rationem aliquam video. Aduerte, aërem proximum oculis, informatum ſpecie, immediatè poſſe concurrere ad viſionem; quia verò pupilla eſt capax ſpeciei impreſſæ, illam recipit ab aëre, & cum illa concurrit ad viſionem. Deinde ſenſio per neruos opticos immitit ſpeciem in phantaſiam, intellectus autem, aut Deus ſimul cum phantaſmate eſt cauſa efficiens ſpecierum: aër ſpeciatus habet formalem effectum ſpeciei, nempe eſſe potentem producere ſenſionem cum ſenſu,

§. 83. Quarta difficultas eſt, quomodo corrumpatur ſpecies? quam quia communis eſt corruptioni habituum, reiicio in diſputationem 16. Species ſenſus externi corrumpuntur, quia vel omnes immediatè vel ſaltem media prima omnium, pendent ab obiecto ſolo, quo amoto corrumpuntur ſpecies.

§. 84. Quinta difficultas eſt, quid addatur ſpeciei quãdo excitatur ad operandum? aut cur longo ordine, aut ſerie verba retinemus eodem ordine, quo didicimus? hoc è præcipuis eſt humanæ naturæ miraculis: cuius nulla mihi occurrit ratio, niſi ſpecies pendere in ſuo vſu multum ab ordine, quo ſunt acquiſitæ: vt quaſi vna vocet aliam. Ita contingit Pſalmos recitanti, vt qui velit ſcire quo in verſiculo ſit aliquod verbum, totum Pſalmum repetat ab initio.

§. 85. Sexta difficultas eſt quomodo impediatur rationis vſus; licet enim phantaſia lædatur: cur homo delyrat, cum habeat ſpecies intellectuales, per quas poſſit ferre iudicium? Hæc dubitatio confirmat quæ diximus §. 81. Reſpondeo autem ex cerebri intemperie ſpecies oriri, aut valde confuſas vt contingit pueris, qui præ humiditate non poſſunt intellectionem efformare; itaque in tota infantia brutorum operantur in morem. Hoc eſt in cauſa cur ſenes delyrent, quia præ ſiccitate, & imbecillitate phantaſiæ, conficiunt ſpecies impreſſas ineptas miniſterio intellectus. Hinc adoleſcentes ferueſcunt: quia equino more ferocientes præ robore phantaſiæ, res apprehendunt efficacius, & vehementius. Vnde illa ætas eſt omnium effrænatiſſima; virilitas autem eſt perfectiſſima omnium, in qua omnes humores ad proprium, debitumque pondus rediguntur. Igitur ex alicuius humoris abundantia vel defectu homo redditur ineptus ad rationis moderamen. Hinc etiam ſequitur, interdum hominem delyrare circa vnum obiectum, & non circa aliud; quia ſpecies circa illud obiectum eſt affinis humori, qui læſit phantaſiam. Itaque licet intellectus habeat ſpecies iudicatiuas, delyrat, quia ſpecies excitatæ à phantaſia læſa impediunt vſum ſpecierum priorum. Huc recidit S.Thomæ ratio 1. p. quæſt. 84. art. 8. quia in præſenti ſtatu cognoſcimus per comparationem ad ſenſibilia, & cum hæc ineptè apprehenduntur, excitant iudicia ſimilia ſenſionibus. Alias quæſtiunculas parum vtiles omitto.

DISPVTATIO XIII.

De obiecto voluntatis, ſiue de cauſa finali.

VOLVNTAS in affectu ſequitur intellectum, cui & in diſputatione ſuccedat. Cuius obiectum eſt bonum: de quo latè diſp.7.met.à ſect.3.

SECTIO I.

Quid ſit obiectum adæquatum voluntatis?

Voluntas exercet odium, & amorem: odio proſequitur malum; amore bonum. Itaque omnis volitio, aut eſt amor boni, aut odium mali: atque adeo adæquatum obiectum voluntatis eſt *omne quod poteſt apprehendi vt bonum, aut malum*; nam vt patet ex diſp.1.logicæ ſect.1. illud eſt obiectum adæquatum alicuius potentiæ, quod propriè attingitur per omnes illius actus. §. 1.

Dices obiectum intellectus eſſe ſolum verum, licet cognoſcat falſitatem: ergo ſimiliter obiectum voluntatis erit bonum, licet per aliquos actus malum attingat. Sed vitanda eſt quæſtio de nomine: obiectum enim intellectus materiale eſt verum, & falſum: vtrumque enim cognoſcit intellectus: formale autem obiectum in quod tẽdit intellectus, eſt verum: cognoſcendo enim ens, poſtea cognoſcit, quod non eſt ens: ſimiliter materiale obiectum voluntatis eſt bonum, & malum; formale autem in quod per ſe primò tendit, eſt bonum: nam prius amat rationem boni, & inde odit rationem mali illi oppoſitam. Igitur ſi agimus de ratione formali ſub qua tam ex parte obiecti, quàm ex parte potentiæ, obiectum intellectus eſt verum: quia diſſentiendo falſitati elicimus actum verum: & odio proſequendo malum, elicimus actum bonum: quia verum eſt, obiectum falſum, eſſe falſum, & bonum eſt, fugere obiectum malum. Igitur intellectus ſpecialiter conatur elicere actum verum: & voluntas bonum Item odium mali æquiualet amori boni illi oppoſito, & ſpectat ad eumdem habitum. Vnde patet quod communiter dicitur: *intellectum tendere ſub ratione veri*, ideo dici, quia inuoluitur modus tendendi per actum verum: & *voluntas tendit ſub ratione boni*; quia inuoluitur actus bonus; quem conatur elicere. Ex parte autem obiecti non eſt illa diſtinctio veri à bono, vt ſæpe oſtendi. §. 2.

Cum diſputarem de voluntario & inuoluntario, oſtendi, amorem boni eſſe virtualiter odium mali non formaliter; odium autem mali eſſe formaliſſimè amorem contradictorij: odium e.g. lucis eſſe formaliter amorem tenebrarum. Sic obiectum adæquatum in quod tendit voluntas, eſt bonum: malum autem eſt terminus *à quo* fugit: vt veritas eſt terminus *ad quem* intellectus: falſitas autem terminus *à quo*. §. 3.

Primus voluntatis actus eſt ſimplex complacentia; qua quis ſibi complacet in bono, vt bonum ſignificat entitatem obiecti amati cum omni ſua perfectione requiſita ad terminandum amorem. Neque enim opus eſt vt obiectum ametur vt conueniens: primò, quia actus, quo voluntas ſeipſam amat, non amat voluntatem tamquam conuenientem ſibi; conuenientia enim eſt quaſi *venientia duorum*, quæ connotat rem diſtinctam quæ ſit conueniens: ſibi autem nihil eſt conueniens. §. 4.

Item

§. 5. Item primus actus amicitiæ tendit in perſonam vt bonam, aut pulchram: non vt conuenientem ſibi, id enim potius eſt concupiſcentia quàm amicitia: patet clarius in charitate ſupernaturali; cuius primum obiectum eſt pulchritudo Dei propter ſe amabilis. Nam amor Dei tendit in Deum propter ſeipſum;non propter conuenientiam Dei cum habente charitatem. Quod etiam clarè patet in Deo, qui ſe ipſum amat primo actu propter ſe, & cætera propter ipſum.

§. 6. Ex hoc primo actu oritur amor boni cõuenientis: ea enim ratione ego mihi amo ſanitatem;quia me amo: & amico cupio bonum, quia amicum amo; neque enim poteſt quis alicui perſonæ velle bonum amore amicitiæ, niſi perſonam amet, vt patet in inimico, qui quia diſplicet ſibi in ſuo inimico, non modo non vult illi ſanitatem, ſed illum vult obtruncare.

§. 7. At verò rectè poſſumus velle bonum alicui, qui nobis diſplicet:ille amor non eſt amicitiæ;vt Deus dilexit peccatores illis volens remiſſionem peccatorum, de quo egi diſputat.6.de iuſtificatione: tamen hic amor oritur ex aliqua complacentia in alio bono. Hac de cauſa dixi primum voluntatis actum eſſe circa bonum tranſcendentale, aut circa pulchrum. Ratio à priori,quia bonum qua ratione bonum,eſt amabile: ſed Deus,verbi gratia,tametſi non apprehendatur vt mihi conueniens, ſed vt eſt in ſe, eſt bonus infinitè: ergo ſub ea ratione eſt amabilis, & neceſſariò amatur à beatis.

§. 8. Similiter bona cõuenientia diuerſimodè amantur.Honeſtum enim propter ſe amatur:nam quando quis perſonam amat, ſtatim figit oculos in rem honeſtam, quam illa amat. Itaque è bonis conuenientibus, quod eſt dignius amore, eſt honeſtas: quæ per ſe primò maximè decet perſonam amatam. Vt verò illam honeſtatem conſequamur, protinus amamus media, per quæ id præſtetur; & hoc eſt amare vtile: qui amor oritur ex illo priori circa honeſtatem. Idem dico de bono delectabili, quod per ſe conuenit perſonæ amatæ; pecuniæ autem non ſunt homini conuenientes per ſe,ſed ſunt aptæ ad honores, vel ad voluptates comparandas, eáque propter pertinent ad vtile.

§. 9. Ex eadem complacentia oritur aliud genus actuum: ſcilicet odium rerum perſonæ amatæ aduerſantium: nam quia voluntas ſe ipſam amat,aut amicum, ideo diſplicet in ſui non eſſe, & in obitu amici, ad quem effugiendum nullum lapidem non mouet: & quia qui appetit honorem, horret infamiam, eodem impetu fertur in media ad propulſandam infamiam; quo ad famã accerſendam. Itaque ab eadem radice oriuntur complacentia & inquiſitio boni,& diſplicentia & fuga mali.

SECTIO II.

Quid & quotuplex ſit finis?

§. 10. NOn agimus de fine latè ſumpto ſe extendente ad rerum omnium terminos, ſed de ſcopo, quem ſibi proponit voluntas in exercitio ſuorum actuum.Celebris eſt Ariſtot.definitio: *Finis eſt, cuius gratia aliquid fit,vel finis eſt propter quod aliquid fit.* Ex qua definitione deducuntur duo,& finem propter ſe amari, & aliquid propter illum. Nam ſi propter finem aliquid amatur: ergo & finis amatur propter ſe; nam ſi propter ſe non amatur,quo pacto mouet ad amandum propter ſe? huc enim ſpectat,*propter quod vnumquodque tale,& illud magis:* ideſt, propter quod vnumquodque eſt amabile, & illud eſt magis amabile & propter ſe. Præterea ſi finis non amatur propter ſe: ergo amatur propter aliud:ergo iam non amatur vt finis,ſed vt medium: de illo ergo alio fine rogo propter quid ametur? cumq; non ſit infinita progreſſio in finibus,ſiſtendum erit in aliquo vltimo propter ſe amato.

§. 11. Amari propter ſe,nihil videtur aliud, quàm bonitatem repertam in fine eſſe primam rationem motiuam amoris: hoc enim ſonat ly, *propter ſe*, id eſt, ipſa bonitas finis propter ſuam perfectionem, ſiue per ſe, aut ratione ſui mouet ad amorem: media autem non amantur propter ſe, ideſt, bonitas medij non mouet ad amorem ratione ſui, ſed ratione finis, cuius gratia amamus medium. Quapropter quando quis ceſſat ab amore finis, ceſſat etiam à mediis amandis: è contra verò, licet ceſſet ab hoc vel illo medio, non propterea ceſſat à fine: ſignum eſt ergo medium non mouiſſe ratione ſuæ bonitatis;ſed ratione bonitatis repræſẽtatę in fine.

§. 12. In logica & metaphyſica diſput. 1. dixi, finem eſſe obiectum formale voluntatis: media verò obiectum materiale: materiale (inquam) proximum, & non remotum. Vnde etiam colliges vnum medium poſſe eſſe finem proximum alterius; ſicut vnam concluſionem obiectum formale alterius: nam ad ſecundum medium eligendum, immediatè mouet bonitas primi,verbi gratia, vult quis venam ſcindere gratia ſanitatis: accerſit phlebotomum: hoc ſecundum medium eſt propter ſciſſionem venæ: ſimpliciter autem ſolus finis eſt vocandus finis, & ratio formalis voluntatis; cætera verò ſimpliciter ſunt media, & ſecundum quid finis: in aliorum verò diuiſione finis eſt obiectum formale *quo*: medium verò formale *quod*: mitto varias diuiſiones obiecti in eadem logica, & metaphyſica ſubiectas.

§. 13. Finis diuiditur in finem *cui*, & finem *qui*, finis *cui* eſt perſona, cui amamus, aut voluptatem, aut honorem: vt cum quis ſibi, vel amico ea bona procurat; finis *qui* dicitur illud bonum, quod per ſe primò amatur vt conueniens tali perſonæ, hic finis *qui* ſimpliciter eſt dicendus finis, & non medium, vt rectè contra Gabrielem noſter Gabriel oſtendit 1.2. quæſt.1.art.1. & P.Suarez 1. metaph, diſput.23. patétque, quia finis eſt quod per ſe amatur, & cætera propter illud, ſed ſanitas, exempli gratia, propter ſe amatur, & cætera propter illam: ergo finis *qui* verè & propriè eſt finis, & non medium: probatur minor: nam ſanitas in ſe ipſa habet bonitatem, quæ ratione ſui moueat, vt illam amemus. Nam licet illam nobis amemus, ea ratione eam amamus, quia in ſe ipſa habet bonitatem ratione ſui nobis conuenientem,& amabilem: quo differt à mediis: media enim non mouent ad amorem ſui, ſed ad comparandam ſanitatem: at verò ſanitas propter ſeipſam mouet. Verum eſt nos non poſſe amare finem *qui*, niſi etiam amemus finem *cui*, quia ex vtroque vnicus integer conflatur finis: vt rectè ait P.Suarez; ad eum modum, quo in logica dixi obiectum adæquatum illius eſſe conflatum ex actibus & obiectis: idemque dixi de obiecto Spei.

§. 14. Dices finem eſſe, quod per ſe primo amatur, amatur autem per ſe primo finis *cui*,& ratione eius amatur finis *qui*: ergo finis *qui* eſt medium & non finis. Confirmatur ex intellectu, cuius obiectum formale eſt quod primò cognoſcitur, & cætera propter illud. Hoc probat finem *cui* eſſe primum & magis principalem: & finem *qui* ab eo pendere in amore: nego tamen illum eſſe medium, quia medium

medium vt medium, nullam habet bonitatem per ſe ipſam amabilem, eam tamen habet finis *qui*. Vnde ſolus finis *cui* non ducit in amorem mediorum, niſi ſimul cum fine *qui*. Quare vterque eſt finis adæquatus, quia vterque ratione ſui amatur, & cætera ratione illorum. Ad confirmationem reſpondetur, illud eſſe obiectum formale, quod eſt prima radix adæquata cæterorum, hæc autem radix aliquando ſolet eſſe principium vnum, vt in Angelo, aliquando duo, vt in homine: at verò in voluntate neceſſario reperiuntur iſti duo fines, vt illam moueant ad media. Immo verò id *cui* amamus media, propriè eſt finis *qui*: ad cuius conſequutionem media ſeruiunt. Secūdò probatur, quia per ſpem ſupernaturalem amamus Deum viſum, ita vt Deus & eius viſio ſint finis, *qui* amatur; finis autem *cui* eſt homo: at abſurdū eſt Deum, eiuſque viſionem eſſe medium ad hominem; cum potius ſint vltimus illius finis: ergo finis *qui* non eſt medium.

§. 15. Sed obiicies, Deus viſus eſt vltimus noſter finis *qui*: ergo ille amor non poteſt oriri ex amore in finem *cui*, quia hic finis ſunt homines ſecundum ſuam eſſentiam: qui non ſunt obiectum actus ſupernaturalis: at verò actus ſpei eſt ſupernaturalis. Reſpondeo nos amare illum finem *qui*, ex amore noſtri: non quidem ſecundum noſtram ſubſtantiam conſideratorum, ſed in gratia exiſtentium; nam ſpes & habitus ſupernaturales, non operantur niſi ex præſcripto rationis, at naturaliter impoſſibile eſt, & dedecens hominem peccatorem, aut ſine gratia Deum videre: ergo ſpes id nō amat ſed ſupponens hominem gratum pro tempore pro quo ei vult beatitudinem, vno actu ſupernaturali ſibi optare beatitudinem, ſicut & gratiam: de quo hic non eſt agendum ſed in 2. 2. ponimus enim ſpem à charitate differre: quod hæc tendit in Deum ratione ipſius: illa in ipſum & bona ſupernaturalia, quia nobis expediunt: ſiue eodem actu nos & illa amemus tamquam obiectum adæquatum, ſiue diuerſis.

§. 16. Item finis *qui* nonnunquam habet finem *qui*, & *quo*, verbi gratia finis *qui* intenditur homini eſt Deus viſus, in quo Deus eſt finis *qui* intenditur; viſio autem eſt *quo* intenditur; quod contingit in quocumque obiecto, quod attingimus actu vitali, ex quo actu & eius obiecto integer conflatur finis *qui*: vt de modo ſciendi dixi diſp. 1. logicæ ſect. 4. Item finis diuiditur in vltimum, & non vltimum; finis vltimus eſt. *Qui per ſe primò terminat actum voluntatis, in quem referuntur cætera omnia obiecta*: atque hic eſt duplex, alius per ſe, & ex natura ſua, qui eſt Deus. Quare omnis recta operatio ex hoc fine debet oriri aliquo modo. Alius finis eſt vltimus ſecundum quid in vno genere, ideſt, *qui primo & per ſe amatur per aliquam ſeriem actuum voluntatis*, vt ſanitas per actum temperantiæ, egeni ſubleuatio per eleemoſynam, & turpis voluptas per libidinem. Videantur P. Suarez, & Vazquez ſupra.

SECTIO III.

Quid ſit propriè operari propter finem?

§. 17. PRima ratio dubitandi eſt, quia res inanimatæ dicuntur habere finem ſuarum actionum: ita ignis ſupra fertur vt tendat in centrum tamquam in finem; & terra deorſum. Item actiones dicuntur tendere in terminos tamquam in proprium finem: ſic natura dicitur opus intelligentiæ, & nihil fruſtra moliri.

Secunda & difficilior: quia animantia bruta operantur propriè propter finem, nam & ſe diligunt; & ex hoc amore oritur affectus ſanitatis, & odium ægritudinis: è quibus affectibus naſcitur amor efficax mediorum ad vnius conſequutionem, & fugam alterius; quo enim differt hirundo ab homine, dum ad excutiendos pullos, & nutriendos nidum conſtruit ſub cella trabe, vtque illud formet ex aqua, & luto bitumen efficit; deinde omnia ad ædiculam illam neceſſaria parat: quo ergo differt ab architecto, qui vt ſe tueatur domum erigit? §. 18.

Communis ſententia eſt ſola agentia per intellectum operari propter finem. Nam finis eſt *qui propter ſe amatur, & cætera propter illum*, vnde ipſa bonitas finis *qui* debet cognoſci vt per ſe conueniens fini *cui*: media verò vt conuenientia non per ſe ſed propter finem *qui*: itaque requiritur ſufficiens diſcretio inter finem & medium, quæ deficit brutis, quæ propriè non amant vnum propter aliud; ſed feruntur immediatè in vtrumque non referendo media ad finem: atque inde non amant finem propter ſe, & media propter finem. Itaque operantur propter finem materialiter, & impropriè, ideſt materiam finis, & mediorum, non tamen formaliter, & propriè. Multa enim media amant ignorando finem, verbi gratia, amant paſtum propter vitæ conſeruationem, & neſciunt quid ſit vita. Quando verò agens naturale intellectuale operatur neceſſariò cum ſufficienti cognitione de bonitate finis, & de vtilitate mediorum, tunc operatur propter finem, vt beati Deum amant neceſſariò propriè vt vltimum finem, & eius præcepta exequuntur. §. 19.

Ad primum reſpondetur, actiones rerum inanimatarum vt ab ipſis procedunt, tranſlatitiè dici propter finem; vt tamen procedunt à Deo ſunt propriè propter finem. Vnde natura eſt *opus intelligentiæ*, quia Deus eſt natura naturans, vt in phyſica oſtendi. Ad ſecundum ex brutis, patet diſcrimen oriri ex modo cognoſcendi, & referendi media ad finem; neque opus eſt reflexa cognitione & comparatione de amabilitate vnius cum alia, ſed directa de conuenientia vnius ad aliud; & ex vno moueri in aliud, quod communiter dicitur *ad finem referre media*, & diſcernere inter vtrumque. §. 20.

SECTIO IV.

Quæ & quos effectus operentur propter finem?

PRimò Deum operari propter finem eſt de fide, *omnia propter ſemetipſum operatus eſt Deus*. Deinde paſſim dicitur multa operari propter electos. Deinde ratione patet, quia operari propter finem in ſuo conceptu includit perfectionem ſine imperfectione: ergo Deo conuenit. Probatur antecedens, quia operari propter finem eſt amare aliquod obiectum propter ſe, & cætera propter illud, cognoſcendo bonitatem mediorum & finis, illorumque conuenientiam: ſed in hoc reperitur perfectio ſine imperfectione, ergo. Dices, Deus nullam habet cauſam finalem, eſt enim independens ab omni cauſa: ergo Deus non operatur propter finem. Et quidem in Deo cōſiderare poſſumus & ipſos actus voluntatis diuinæ, & illorum effecta; actus voluntatis diuinæ non habent finem; nam quæ habent finem, fiunt gratia alterius: ſed actus diuinæ voluntatis non fiunt, quia ſunt idem cum eſſentia diuina, neque ſunt propter aliud; quia ſunt ipſe §. 21.

Deus:

Deus:ergo non habent finem: & quamuis à nobis explicentur per modũ relationis,aut cõnotationis, nihil tamen addunt ſupra diuinam eſſentiam, neque conſiſtunt in relatione rationis: & quamuis conſiſterent, adhuc non fierent, quia relatio rationis non facit vt illi fiant, & diſtinguantur à Deo. Si verò finem ſumas in ſignificatione latiori pro obiecto primario propter ſe amato, & ratione cuius cætera amentur, voluntas Dei finem habet, ideſt obiectum formale per ſe primò amatum, & obiecta ſecundaria amata propter illud. Nam Deus amat ſeipſum propter ſe, & cætera etiam propter ſe; ad eum modũ, quo eius cognitiò habet obiectum formale,& materiale; eſtque hoc diſcrimen inter noſtras,& illius volitiones;noſtræ namque in ſuo eſſe pendent ab obiecto, ſecus illæ. Fugienda tamen eſt nominis inuidia, finis enim ſonat cauſam. Vnde non eſt dicenda voluntas Dei habere finem, ſed habere rationem obiectiuã formalem & materialem, ſiue primariam & ſecundariam: primaria eſt Deus, ſecundaria creaturæ.

§. 22. Conſiderari item poſſunt effectus diuinæ voluntatis; quos negare non poſſumus verè habere finem, tum quia Deus eſt finis vltimus rerum omnium:ergo eſt finis Angelorum: ergo hi facti ſunt propter finem. Deinde illis conuenit tota diffinitio effectuum finis;fiunt enim gratia alicuius: cum enim Deus amet ſeipſum, gratia ſui amoris facit omnia; & inter effectus creatos vnus fit gratia alterius, verbi gratia, vocatio gratia iuſtificationis, iuſtificatio autem gratia glorificationis: ad hoc enim non requiritur, vt actus internus volens hos effectus ſit propter finem, ſed tantum requiritur vt aliquo actu amentur propter aliud, & ex eo amore fiant; quod verò nos velimus actibus habentibus etiam finem, non oritur ex vi obiecti, ſed ex imperfectione noſtræ voluntatis; quæ non vult niſi per actus realiter productos, & ab obiecto pendentes: actus autem diuinæ voluntatis denominant vnum obiectum volitum propter aliud, etiam ſi ipſi non ſint facti gratia alterius: conſtet ergo effectus verè habere finem eo præciſe, quod amentur gratia alterius.

§. 23. Deinde certum eſt cæleſtes mentes operari propter finem. Nam hic modus operandi, non dicit perfectionem infinitam, quia tantum dicit amare vnum obiectum propter ſe,& cætera gratia illius, diſcernendo bonitatem finis, & medij: hoc autem non excedit vires intellectus angelici: ergo. Deinde homines rationis compotes operari propter finem quotidiana deprehenditur experientia.

Effectus autem finis primus eſt ipſe actus creatus ſimplicis complacentiæ circa finem; non quidem, tamquam medium; actus enim ille licet non ſit medium, eſt verè propter finem, vt perſpicuè docet Ariſtot.3. de anima cap.10. initio, nam eſſe propter finem eſt eſſe propter bonitatem ipſius finis voluntatem ad ſe mouentis, ſed ille actus fit à voluntate mota bonitate finis: ergo ille actus eſt propter finem:& eſt effectus illius.Immo ille actus fit gratia finis;nõ enim aliunde mouetur voluntas: quod ſi cætera fiunt gratia finis quia fiunt propter eius bonitatem, multo melius fit hic actus gratia finis, quia immediatè fertur in eius bonitatem.

§. 24. Dices à fine non cauſari niſi media: & finem vt finem dicere ordinem ad media. Hic poteſt eſſe quæſtio de nomine, vt in ſimili dixi de obiecto formali & materiali intellectus; dico tamen finem adæquatè & completè conſtitui per ordinem ad media; at verò initiatiuè,& incompletè etiam per ordinem ad complacentiam ſui,quę eſt mediorum radix: cui ex parte conuenit definitio. Video definitionem *cuius gratia aliquid fit*, propriè conuenire obiectis, quæ eliguntur præuia illorum cognitione; at etiam conuenit actibus voluntatis vt *quo*, quia ſunt principia,quibus media cauſantur. Confirmatur, omnis creatus actus eſt effectus ſui obiecti, quia illud cauſat mouendo, & trahendo ad ſe voluntatem; quod eſt intentionaliter cauſare, quod ſpecialiter conuenit fini qui mouet per ſeipſum.

Deinde, effectus finis ſunt omnes actus voluntatis,qui ex hac complacentia oriuntur. Nam omnes illi ſunt propter finem; quia vel ſunt actus efficaces illius conſequendi, qui comparantur cum fine tamquam media; ſunt enim illi actus media ad finem,quibus applicantur media phyſica;vt voluntas ſumendi potionem eſt medium ad ſanitatẽ; item ſunt finis effectus actus fruitionis, & quietis; quæ ſunt voluptates à fine obtento cauſatæ: Item triſtitia & dolor finis non obtenti, ſunt finis effectus. Clariſſimi autem effectus ſunt, qui oriuntur ex his actibus voluntatis, item ipſe finis *qui* ſæpe eſt effectus ſui ipſius vt dixi diſp.8. phyſ.ſect.8. §. 25.

Hic occurrit explicandum, qua ratione voluntas amat media. Exiſtimo illam ea amare in ſe immediatè; ſicut intellectus intelligit concluſiones, illas in ſe attingendo. *Immediatè* dixi, ad excludendum obiectum mediatum remotum; quod neque amatur, neque cognoſcitur niſi per accidens, & denominatiuè. Probatur aſſertum, quia qui vult ſanitatem, & gratia illius vult exercitium: ille amor exercitij, eſt amor ipſius exercitij in ſe. Nam ad ipſum exercitium liberè applicatur potentia:ergo voluntas non per accidens, ſed per ſe tendit in exercitium; ſicut intellectus in hanc concluſionem *homo eſt riſibilis*. §. 26.

Rogas, vtrum in ipſo medio reperiatur aliqua bonitas intrinſeca, ratione cuius ametur? Et quidem negari nõ poteſt (quidquid aliqui obſtrepant) in ipſis mediis intrinſecè reperiri bonitatẽ ad finẽ. Probatur:bonitas mediorum eſt conuenientia mediorum cum fine, ſed hæc conuenientia eſt intrinſeca mediis: quia ab illis non diſtinguitur realiter: ergo bonitas eſt intrinſeca mediis. Probatur minor: quia Rhubarbarum, v.g. per ſuam intrinſecam virtutem pellit choleram, ignis per ſuam intrinſecam virtutem accendit ſulfur, exploditque bombardam; naturalis calor per ſuam intrinſecam virtutem conuenit animali;alimentum nutritioni: ergo conuenientia eſt intrinſeca mediis. Secundò, quia (vt rectè P.Vazq.)vnum medium eſt conuenientius alio: quam ob cauſam poſt longam conſultationem vnum præferimus alij: ergo ea bonitas eſt illis intrinſeca denominatio. Patet cõſequẽtia, quia niſi bonitas eſſet in illis, & ſi eſſet extrinſeca denominatio,omnia bona eſſent ęqualiter bona, nam finis eſſet idem, & illius bonitas eodem modo denominaret obiecta extrinſecè bona: cur autem non applico aquam ad explodendam bombardam? Applico autem ignem, niſi quia ignis habet in ſe bonitatem illi fini: ſecus aqua? §. 27.

Quo differunt media ab imagine (obiter ſoluo præcipuum aduerſariorum argumentum.) Imago enim nullam habet in ſe virtutẽ intrinſecam, propter quam ſit adoranda: ſed tantum per extrinſecam denominationem, quia nos volumus eo ſigno vti ad exhibendum cultum vero Deo. Quod patet, quia depicta vna ſpecie mulieris in illa poſſumus adorare aut B.Virginem,aut Luciã,&c. quod patet clarius in ſcriptura. Voces enim aut litteras ſumimus §. 28.

ſumimus ad ſignificandũ hoc aut illud: qua ſignificatione poſita, audita voce, *Ieſus*, genuflectimus; quando verò eadem vox vſurpatur pro alio homine non genuflectimus, itaque ex imagine, & prototypo conflatur integrum adorationis obiectum: ad quod nõ eſt magis apta imago papyracea, quam ænea. Media autem in ſe habent virtutem, maiorémque, aut minorem conuenientiam; niſi quando adhibemus media, quæ non habent efficaciam, niſi ex hominum libito, vt ſi pro pecunia conſignetur corium; quod ad emendos cibos nullam habet virtutem niſi ex libera hominum impoſitione.

§. 29. Rogas, cur ceſſante voluntate finis, ceſſet amor mediorum? Quia amor medij dependet ex amore finis; ceſſante verò cauſa neceſſariò ceſſat effectus: quo ſoluuntur argumẽta aduerſariorum: quæ quidem probant in ordine ad finem amari media, & cum dependentia ab illo; non tamen probant media carere intrinſeca bonitate: niſi forte de nomine certent, & per *bonitatem per ſe*, intelligant rationem primò motiuam; qua dixi media formaliter carere, tametſi habent intrinſecam vtilitatem, vt ſerra ad diſſectionem ligni.

SECTIO V.

Vtrùm cauſa finalis ſit realis, & quæ eius cauſalitas?

§. 30. PAt. Suar. 1. Metaph. diſput. 23. ſect. 1. conſtituit tamquam primum principium, ac dogma cauſam finalem eſſe cauſam realem. Sed opinor diſtinguendum, ambiguitatis tollendæ gratia. Primum enim cauſa finalis entitatiuè ſumpta ſæpe eſt ens reale, vt patet in Deo vltimo fine, & in quouis fine *cui*: nihil enim poſſumus velle alicui, quin ſit ens reale. Deinde multi fines, *qui*, ſunt ſimpliciter entia realia, vt cum ego gaudeo de valetudine amici, & curo meam valetudinem ne ſit ægra. Deinde multi fines, *qui*, non ſunt ſimpliciter entia realia; ſed ſecundum quid, quia non exiſtunt; mouent tamen ad productionem ſui, vt ſanitas mouet ægrotum: ergo neque omnis finis eſt ens reale, neque item caret entitate.

§. 31. Deinde poteſt intelligi finis in ratione cauſæ in actu ſecundo cauſantis: ſic autem exiſtimo cauſam finalem vt finalem non eſſe realem, id eſt; eam non habere in effectum phyſicum & realem influxum. Probatur primò, quia ſanitas, quæ nõ exiſtit quando mouet ad ſui conſequutionem, nõ poteſt phyſicè influere in effectum: ergo finis vt finis non habet phyſicum influxum. Conſequentia patet, quia totus influxus cauſæ finalis reperitur in eo caſu: antecedens patet, quia ſanitas nondum eſt: ergo non habet phyſicam actionem: quam conſequentiam diſput. 8. Phyſic. ſect. 6. latè probaui. Dices ſanitatem non influere per ſe, ſed per actum intellectus, quo apprehenditur: contra primò; quia infra probabo, actum intellectus non influere phyſicè in actum voluntatis, neque actum voluntatis in opus externum. Contra ſecundò: ergo finis ſecundum ſe non influit in effectum phyſicè, ſed talis influxus oritur ab apprehenſione; nunc autem non agimus de apprehenſione finis, ſed de ipſo fine ſecundum ſe, & apprehenſo ſpecificatiuè, non reduplicatiuè.

§. 32. Secundò probatur: quia tota cauſalitas finis cõſiſtit in attractione voluntatis ad ſe: mouet enim per ſuam bonitatem: cuius motio cõſiſtit in amabilitate: ergo licet finis nullum habeat phyſicum influxum, intelligitur habere totam virtutem cauſatiuam, ſi habeat bonitatem: actu autem intelligetur cauſare eo præcisè, quod terminet amorem ratione ſuæ bonitatis ſine phyſico influxu.

Tertiò probatur, ex communi philoſophorum ſenſu aſſerentium cauſalitatem finis conſiſtere in metaphorica, ſiue intentionali motione, id eſt, illi attribui cauſalitatem per metaphoram, quia voluntas mouetur ad finem per illius repræſentationem. Vnde exiſtimo finem formaliter nõ eſſe cauſam realem; neque illi definitionem cauſæ conuenire, niſi tranſlatitiè. Quapropter eius diſputationem à phyſico ſum opinatus alienam. Deus autem concurrit phyſicè ad actiones omnes, non vt finis; ſed vt cauſa prima efficiens rerum omnium. §. 33.

Sed obijcit primò. Pat. Suarez, finem mouere voluntatem verè, & non fictè: ergo eſt cauſa realis. Diſtinguo antecedens, & cõſequens; eſt vera cauſa realis intentionalis, concedo antecedens; eſt vera cauſa realis phyſicè mouens, nego. Ad quod aduerte, motionem differre ab influxu: quòd influxus eſt actualis motus per quem cauſa phyſicè influit in effectum: motio autem eſt apprehenſio obiecti, ex qua ſequitur illius appetitio: ſic nos mouẽt quæ non ſunt: immo ſæpe, quæ non poſſunt eſſe. Vnde non valet hæc conſequentia, *mouet: ergo cauſat phyſicè*, quia non mouet phyſicè, ſed per cognitionem. Vnde nec mouet phyſicè, nec fictè, ſed intentionaliter, & quia re ipſa mouet per intellectum dicitur mouere verè, & non fictè: non propterea eſt cauſa realis & phyſica: licet eſt realis vt opponitur fictè mouenti. §. 34.

Obijcit ſecundò. Effectus per ſe pendet à fine: ergo finis eſt cauſa eius. Diſtinguo antecedẽs, pendet à fine per ſe phyſicè influente, nego; intentionaliter mouente; concedo. Ad quod aduerte effectum verè & propriè & per ſe ſimpliciter tantum pendere à principiis phyſicè influentibus: & quia hæc pendent à potentiis vitalibus, quarum imperio mouentur; ea ratione ceſſante voluntate finis, ceſſat motus potentiarum: non quod vllus ceſſet influxus, ſed quia ceſſant Imperia, quibus ſubiacẽt externæ potentiæ: actus voluntatis pendent intentionaliter ab obiecto. §. 35.

Hinc obiter collige, nullum actum creatum ſe poſſe amare, quia omnis actus creatus eſt effectus finis: nihil autem poteſt eſſe effectus ſui ipſius: ſicut de cognitione dixi. De cauſalitate finis nihil eſt dicendum, cum iam conſtet eum non eſſe cauſam; Sectione autem ſequenti inquiretur, vtrum cognitio ſit ratio formalis cauſandi? Dici poteſt cum P. Suarez actionem illam productiuam omnium effectuum pendentium à fine, vt procedit metaphoricè ab ipſo fine intentionaliter mouente, eſſe cauſalitatem finalem: itaque idem influxus phyſicè, vt ab agente eſt actio, paſſio vt in ſubiectum, vt à fine finalizatio. §. 36.

Quod ita confirmo: entitas ipſa finis non eſt cauſalitas: quia potius eſt cauſa ipſa finalis: nec cognitio ipſa, per quam mouet, eſt cauſalitas: quia cognitio eſt cauſa mouens & impellens voluntatem: quod potius eſt eſſe principium, quàm cauſalitatem. Itẽ quia cauſalitas nequit eſſe ſine effectu; at cognitio poteſt: ergo non eſt cauſalitas: nec actus voluntatis eſt cauſalitas, tum quia ipſe eſt effectus cauſatus, & terminus cauſalitatis, qui fit per cauſationem finis: tũ quia actus eſt principium mouens potentiam ad electionem medij, & cauſationem finis; quæ fiunt per actum tamquam per principium, ergo nihil poteſt eſſe cauſalitas finis præter actionem agentis, qua efficit aliquid propter finem. §. 37.

§. 38. Confirmatur, non modò effectus ipſi oriuntur à fine, ſed etiam cauſalitas eorum: non enim cauſo electionem ſolam, & medium electum propter finem, ſed etiam actiones ipſas, per quas eligo, & exequor, cauſo propter finem, vt patet; ſed non cauſantur vt *quod*, & vt terminus, quia illas intendimus ad alios terminos: ergo oriũtur, vt *quo*: nam oriuntur, vt ratio, qua aliquid oritur, vt *quod*: ergo oriuntur vt cauſalitas, & vt via ad aliud. Hanc conſequentiam ſæpius in phyſicis probo.

§. 39. Atque vt res penitus explanetur; aduerte, poſſe conſiderari finem vt cauſantem intentionem ſui, illámque terminantem, vbi in ratione terminationis non eſt alia cauſalitas præter ipſam bonitatem finis, qua terminat actum; quia propter illam amatur: at verò vt ille actus fit à voluntate, & eſt productus, cauſatur à fine per ſui apprehẽſionem tamquam per principium impellens, & per actionem voluntatis, & per cauſalitatem: cæteri effectus cauſantur per intentionem finis vt per principium: & per actioné, vt per formalem rationem: vnde cauſalitas propriè cõſiſtit in actione, quia finis eſt, *cuius gratia aliquid fit*, quia verò verbũ *facio* latè ſumitur, & poteſt aliquis eligere paſſionem, etiam paſſio eſt cauſalitas finis: itaque actio vt eſt ab agente eſt actio, paſſio vt à patiente, & vt à fine finalizatio.

SECTIO VI.

Vtrum finis moueat ſecundum eſſe reale?

§. 40. Finis non poteſt volũtatem mouere niſi cognitus. Rogatur, vtrum cognitio pertineat ad rationem formalem finis? An verò ſit conditio, ſeu applicatio obiecti? Qua in re exiſtimo nullã quæſtionem eſſe cum P. Suarez niſi de nomine. Primùm enim nullus dubitat, bonitatem obiecti ad ſe mouere, & trahere voluntatem; quando enim æger amat ſanitatem, amat quidem ipſam humorum temperiem: nõ verò illius repræſentationem; amat enim id per quod reddatur ſanus: non verò cognitionem ſanitatis. Vnde apertè conſtat, ſolam bonitatem obiecti terminare amorem; at cognitio non terminat amorem, neque *vt quo*, neque *vt quod*; terminare enim *vt quod* eſt amari vt obiectum materiale, terminare autem *vt quo* eſt amari vt obiectum formale. Denique terminare amorem eſt eſſe terminum illius; hoc autem eſt amari, ſed cognitio finis nullo modo amatur per amorem ipſius finis: ergo nullo modo terminat amorem. Rogatus enim homo etiam doctus, quid velit per agriculturam? Reſpondebit ſe velle ſegetes: de cognitione autem nihil reſpondebit. Hac de re conſule P. Vazq. 1. 2. diſput. 2. c. 2. & Suarez diſput. 23. metaphyſ. ſect. 8.

§. 41. Dices primò, non amari cognitionem, vt ſe tenet ex parte potentiæ, ſecus vt ex parte obiecti. Contra, nunquam ſe tenet ex parte obiecti niſi vt ſe tenet ex parte potentiæ; quia tantum requiritur vt vitaliter exprimat obiectum, quod amatur quia ſic exprimitur & vt exprimitur: at non amatur expreſſio.

§. 42. Dices ſecundò, ſæpe obiectum non habere eſſe niſi apprehenſum: ergo tunc mouet apprehenſio ſola, & finalizat. Aduerte aliud eſſe fictioné, aliud rem fictã. Illa eſt realis, ſecus hæc. Nec enim fictio ſe ipſam fingit, aut apprehendit, ſed rem, aut obiectum. Vt ergo apprehenſio non ſe apprehendit ſed obiectum: ita non amatur apprehenſio, ſed obiectum apprehenſum: quod habet bonitatem apprehenſam; & amatur vt apprehenſa; non quod ametur apprehenſio; ſed quia apprehenſio requiritur vt proponens obiectum; ſic voluntas fertur in bonum; non re ipſa: ſed in re, vel apparens.

Præterea certum exiſtimo ipſam cognitionem non eſſe tantum conditionem ſine qua non: ſed eſſe principium mouens impellénſque volũtatem ad amorem finis. Probatur, nam pro perfectiori, aut imperfectiori cognitione voluntas variè amat obiecta: viſio enim beata neceſſariò rapit voluntatem in amorem Dei: cognitio autem Fidei non ita; ergo illa diuerſitas oritur ex cognitione tamquam ex principio impellente. Patet cõſequentia; quia non oritur ab obiecto, cum ſit idem: at verò conditio ſine qua non; non variat effectus: applicatio enim agentis & paſſi ſiue in hoc ſpatio, ſiue in illo, ab hoc, vel illo latere, nihil variat effectũ, cum tamé in diuerſis ſpatiis diuerſæ ſint applicationes. Applicatio enim ſunt immediatæ vbicationes agétis & paſſi; quæ in diuerſis ſpatiis neceſſario ſunt diuerſæ. Sed vt actus voluntatis non eſt conditio ad actus externos; ita nec cognitio. Immo multo melius, ſed eſt velut præmiſſæ ad concluſionem, ſublata neceſſitate actuum liberorum. §. 43.

Confirmatur primò, obiectum formaliter non mouet voluntaté, ſed tantum terminat illius amorem, intellectus autem illam mouet. Mouere enim ſignificat rem alio impellere; nihil autem impellit ad ſe, ſi propriè ſumatur impulſus, ſed trahit. Vnde obiectum dicitur trahere voluntatem, intellectus verò illam mouere, vnde cum finis ſecundum ſe ſolum non poſſit voluntatem allicere, eam allicit per intellectũ tamquam per principium, quo moueatur voluntas: conditiones verò nõ poſſunt dici principium *quo*; agens enim non operatur per applicationem tamquam per principium. §. 44.

Confirmatur ſecundò, præmiſſæ non ſunt conditio ſine qua non reſpectu concluſionis, ſed potius principium formale motiuum: ergo cognitio non eſt conditio ſine qua non, ſed principium immediatè mouens. Patet cõſequentia, quia tam præmiſſæ, quàm cognitio finis determinãt per formalem repræſentationem obiecti. Itaque res bona eſt obiectum quod amatur, & ad quod terminatur amor; bonitas auté amatur vt *quo*. Item intellectus eſt principium, quod mouet voluntatem in finem: cognitio verò eſt principium, quo mouet, ſed non principium terminatiuum. Et quemadmodum ex obiecto terminante viſionem & ſpecie impreſſa eam efficiente conflatur integrum principium viſionis ex parte obiecti: ita ex bonitate finis & eius cognitione cõflatur integrum principium ex parte obiecti, ratione explicata. Cognitio autem vocatur conditio ſine qua non; vt oſtendatur eam non influere phyſicè in voluntatem: ſic poterunt conciliari diuerſæ Doctorum opiniones. §. 45.

Confirmatur, quia conditio ſine qua non, non habet influxum in actum, ſed tantum eſt communicatio cauſarum; neque ab illa ſpeciem ſumit effectus; at cognitio influit in actum ſaltem intentionaliter repræſentando obiectum, & actus ab illa ſpeciem ſumit: illa augetur, aut minuitur voluntarium: ergo. §. 46.

Animaduerte, cognitionem nõ poſſe dici finalizare. Nam finis finalizat terminãdo: eſt enim *cuius gratia aliquid fit*: ad quod requiritur, vt cognoſcatur, & in illum dirigatur id, quod fit propter illud; nam ſi non cognoſcitur, non poteſt aliquid fieri gratia illius, quia neq; cognoſcitur, neque in illum aliquid dirigitur: ergo illa cognitio non eſt dicenda finalizare, quia non cognoſcitur, nec fit aliquid gratia §. 47.

gratia illius. Quapropter ex illa & fine non conflatur integer finis, quia cum non ametur, vt *quo*, non poteſt finalizare vt quo. Conflatur autem integrum principium requiſitum ex parte obiecti: ſicut ex colore & ſpecie non conflatur integrum obiectum: licet conſletur integrum principium.

SECTIO VII.

Vtrùm duo fines adæquati poſſint ſimul concurrere ad eumdem effectum?

§. 48. VNus actus voluntatis poteſt habere pro obiecto adæquato duo partialia; quorum ſingula poſſent mouere alios actus. De his non dubium, quin poſſint concurrere per vnum actum ad vnam actionem. Difficultas eſt, vtrùm duo obiecta, quorũ vtrumque poteſt mouere voluntatem ad vnam actionem per vnum actum; poſſint per duos actus eamdem voluntatem ſimul mouere ad eamdem actionem externã? verbi gratia, vnus actus charitatis qui ſe ſolo ſufficit ad erogationem ſtipis ſimul concurrat cum alio actu eleemoſynæ ex ſe etiam ſufficienti ad eam actionem; & quæ per alterutrum exerceretur.

§. 49. Pat. Vazquez tom. 1. in 3. part. diſput. 10. cap. 8. id abſolutè negat in omni voluntate, quod prius in humana probat; quia duo fines adæquati ſunt obiecta adæquata duorum actuum realiter diſtinctorum; ſed hi non poſſunt ſimul mouere voluntatem ad idem opus: ergo nec duo fines adæquati. Probat minorem, quia effectus ſimul penderet à duabus cauſis adæquatis, quarum quælibet ſola effectum cauſaret. Hoc autem naturaliter repugnat: ergo. Probat minorem; quia duæ cauſæ efficientes, aut formales nõ poſſunt ſimul influere: ergo neque duæ finales. Probat cõſequentiam, tum quia cauſa finalis ſe habet inſtar efficientis; tum quia eadem eſt ratio, nihil enim natura fruſtra molitur.

§. 50. Hoc argumentum ſummùm euincit non poſſe ex rei natura eſſe duos fines adæquatos operis eiuſdem: at de potentia abſoluta id repugnare minimè probat, tum quia oſtendi, diſp. 8. Phyſicorum ſect. 9. poſſe diuinitus effectum eumdem oriri à duobus agentibus in actu ſecundo adæquatis: ergo de potentia abſoluta poterit etiam oriri à duobus finalibus.

§. 51. Deinde ex natura rei voluntas moueri poteſt per duos actus adæquatos. Nam qui erogat ſtipem ex affectu leuandi inopis miſeriam, eam erogat ex fine miſericordiæ. Deinde conſiderans ſe ea eleemoſyna placere Deo, elicit affectum eam erogandi ex fine Charitatis: qui duo affectus ſimul exiſtunt, quia nullam habent oppoſitionem, & ſinguli ſunt ſufficientes ad illud opus, quod orietur à quolibet illorum exiſtente ſine alio, ſed ex vtroque oritur ſtipis erogatio: ergo ex duobus finibus adæquatis poteſt elici eadem actio. Probo minorem; quia vterque actus eſt abſolutus, & efficax ex natura ſua, & habet pro obiecto ſtipis erogationem: ergo hæc oritur ab vtroque: antecedens eſt certum, quia actus Charitatis terminatur ad erogationem ſtipis tamquam ad medium, per quod Deo placeatur: ſimiliter miſericordia tamquam ad medium, per quod ſubleuetur alterius inopia. Amat enim Charitas efficaciter erogationem ſtipis propter Deum, miſericordia autem amat eamdem propter leuamen inopiæ, alioquin nõ eſſent illi duo actus Charitatis & miſericordiæ. Itaque negari non poteſt eam actionem eſſe obiectum efficaciter intentum vtriuſque actus. Probo conſequentiam, nempe eam actionem oriri ab vtroque, quia oriri actionem ab aliquo actu nihil eſt, quàm eã oriri à potentia exequente vt obiectum actus, abſolutè eam & efficaciter volentis, ſed illa oritur à potentia exequente vt obiectum vtriuſque actus abſolutè & efficaciter eam volentis: ergo oritur ab vtroque. Maior probatur, tum inductione, quia oriri à cognitione practica nihil eſt, quàm oriri à potentia terminando cognitionem, per quam potentia dirigitur, & oriri à cauſa finali nihil eſt, quã oriri, vt obiectum voluntatis electiuæ medij: tum ratione, quia actus vitales non habent alium influxum in obiecta niſi per terminationem ad ea: & obiecta non cauſantur niſi terminando extrinſecè actum: ergo ſi actio oritur terminando actum vitalem eam abſolutè volentem, oritur terminando eius cauſalitatem. Minor patet, ſcilicet eam actionem oriri vt obiectum vtriuſque actus eam abſolutè volentis, quia tunc vterque actus vult abſolutè eam actionẽ oriri à potentia; quia vterque ad illam terminatur abſolutè, quia probaui eam actionem per vtrumque amari: ergo illa actio oritur vt eſt volita abſolutè per vtrumque actum, quia oritur vt vterque vult: ergo vt obiectum vtriuſque.

P. Vazquez num. 79. reſpondet eo euentu actionis cauſam eſſe vnum actum, qui in ſe eſt efficacior; non verò vtrumque: quemadmodum effectus nõ fieret à duabus cauſis adæquatis ſi eſſent applicatæ. Contra, actio nõ oritur phyſicè ab illis actibus, ſed tantùm intentionaliter; vt eſt ab illis volita abſolutè: ergo oritur ab vtroque, quia ab vtroque eſt abſolutè volita, & vt ſic volita oritur à potentia. Probo antecedens, quia tota cauſalitas voluntatis abſolutæ eſt velle abſolutè, neque verſatur circa actionem, niſi eam abſolutè volendo. Immo nõnulli aiunt terminum cauſari à finali per ſolam apprehẽſionem tamquam per formalem rationem cauſandi: voluntas autem ipſa eligens medium dicitur ab illis cauſalitas voluntatis: quia præcisè requiritur, vt ſit ratio volendi; in quo conſiſtit tota eius cauſandi ratio. Quo differt ab efficienti, quæ verſatur circa terminum per modum à ſe diſtinctum, tãquam per agendi rationem, quam phyſicè attingit, vt *quo*. Vnde applicata cauſa phyſica poteſt non operari, quia ille modus poteſt impediri per alium modum alius cauſæ. Voluntas verò ſe ipſa verſatur circa actionem, eam per ſuam eſſentiam denominans volitam abſolutè, & vt actio dicatur oriri à potentia exequente vt cauſata finaliter, non requiritur ex parte volitionis, niſi vt ſit ipſa volitio abſolutè volens, ſi enim potentia eſt expedita, non poterit motum cohibere. Vnde poſito vtroque actu ponitur vtriuſque cauſalitas reſpectu actionis externæ, ſi ſemel ponamus cauſalitatem finis eſſe actum voluntatis: ſi verò ponamus actionem externã eſſe cauſalitatem finis in quantum eſt volita, etiam repugnat actionem oriri vt volitam ab vtroque actu, quin cauſetur ab vtroque finaliter; non ſecus ac repugnat illam actionem non eſſe abſolutè volitam ab vtroque, & vt repugnat poſitis duabus qualitatibus in ſubiecto illud non denominari quale ab vtraque. §. 52.

Confirmatur, tunc voluntas efficaciter amat medium illud per vtrumque actum: ergo medium illud efficaciter amatur per vtrumque: ergo oritur vt efficaciter amatum per vtrumque: ergo vterque actus eſt principium illius; quia ſicut neuter actus impedit alterum ne denominet obiectum abſolutè amatum, ita non impedit ne cauſet obiectum, quia illa cauſalitas eſt per vnionem ſui. §. 53.

Contingere poteſt obiectum aliquod non habere adæquatam vim vt voluntas habeat actum abſolutum circa illud: & ſi ſemel eum habet, iam denominatur obiectū abſolutè volitum, & potentia illud exequitur præcisè, quia illud voluntas vult abſolutè: ita vt ex parte voluntatis,& potentiæ,& actionis nihil aliud requiratur, vt actio ſit producta ex illo fine:ergo etſi ponatur ſimul alia voluntas abſoluta,nō tollitur cauſalitas prioris,ſed vtraque erit cauſa mouens, quia vtraque denominat obiectum volitum.

§. 54. Reſpondetur ſecundò, ex eodem P. Vazquez num.75.76.& 81. poſſe cum vno fine adæquato concurrere alium finem impulſiuum, non tamen adæquatè motiuum,quo res fit alacrius,aut citius: ſine quo fieret quidem res,non tamen tam citò,& alacriter. Bene; id aliquando contingit, vt etiam in phyſicis oſtedi cum cauſa adæquata ad ſubſtantiam effectus poſſe influere aliam ad eumdem effectum celerius producendum, vt communiter ponuntur habitus acquiſiti ad facilitatem actuum, quia ad celeritatem prior cauſa nō erat ſufficiens: at conſtitue duos actus abſolutos duarum virtutum,ſingulos adæquatos ad totam ſubſtantiam effectus; tunc vterque eſt voluntas abſoluta effectus ſecundum ſuam ſubſtantiam: ergo vterque concurrit ad ſubſtātiam effectus: conſequentiam probaui ſæpe, quia actus abſolutus nullo modo concurrit ad effectum,niſi illum abſolutè volendo. Antecedens patet, vterque eligit eam actionem, vt medium ad ſuum finem.

§. 55. Confirmatur: demus hominem volentem iter facere ex motiuo Charitatis: quo perſeuerante ei præcipitur iter: illúdque vult quia præcipitur; & tunc per actum obedientiæ iter nō fieri citius, aut alacrius, ſed forte moleſtius:quia licet velit obedire, tamen aliquam ob cauſam ſtomachatur præcepto & præcipienti. Hic nullus eſt finis impellens, & vterque actus abſolutè vult iter, & qui illud facit,dicit ſe moueri ex motiuo vtriuſque virtutis,& meretur per vtramque: ergo. Nec dici poteſt eum tunc bene mereri, quia habet actum, quo faceret obiectum ex præcepto, ſi illud nō faceret ex Charitate;quia quamuis poſſumus per actus conditionatos mereri, illos tamen bene experimur: at in caſu argumenti, nullus habetur actus conditionatus, quo obediens dicat ſe facturum rem ex obedientia, niſi eam faceret ex Charitate:ſed abſolutè vult obiectum ex vtriuſque motiuo, & illa actio externa eſt meritoria merito Obedientiæ, & Charitatis,quia per vtriuſque actus amatur.

§. 56. Confirmatur primò, duo actus intellectus ſinguli adæquati in ſuo genere poſſunt concurrere ad eamdem actionem externam: ergo & duo actus voluntatis. Probo antecedens, Chriſtus enim per ſcientiam naturalem, per infuſam, & per beatam dirigebatur ad multas actiones obeundas,quæ erāt obiectum trium illarū ſcientiarum, quæque exercebantur à Chriſto per directionē omnium ſcientiarum. Nam in illis exercendis ſequebatur dictamen ſingularum:ergo omnes illæ concurrebant ad actiones,quia actus practicus nullo alio modo cōcurrit ad effectum, niſi illum repræſentando potentiæ. Si verò opus illud fiat vt repræſentatur actus,dicitur actualiter regulare potentiam.

§. 57. Confirmatur ſecundò, homo inter inſomnia per appetitum ſenſitiuum imperat motum, cuius eſt cauſa adæquata in genere cauſæ intentionalis, ſimiliter quādo vigilat, imperat etiam motum per appetitum ſenſitiuum,qui appetitus eſt cauſa adæquata illius:ſed cum hac cauſa adæquata concurrit etiam imperium liberum voluntatis quod ſe ſolo eſſet ſufficiens ad imperandum talem motum, tametſi appetitus nullum actum haberet: ergo cum vna cauſa adæquata intentionali poteſt ſimul concurrere alia adæquata, vel inadæquata, quod non contingit in phyſicis.

Ad argumentum in §.50. negabit aliquis maiorem,quia repræſentatis duobus obiectis finalizantibus poſſet voluntas eodem actu ferri in vtrūque. §. 58. Verum iam tunc nō eſſent duæ cauſæ finales adæquatæ; quia licet ſingula obiecta propriis actibus poſſent mouere potentiam,vt Deus per actū Charitatis, tamen reſpectu illius actus, quo amaretur vtrumque, neutrum eſſet motiuum adæquatum, ſed partiale, quia niſi in vtrumque ſimul nō poſſet ferri. Vnde cum obiecta non moueant potentias externas niſi per actus internarum, non eſſent tūc duæ cauſæ finales adæquatæ in actu proximo, ſed vna: remotè vero eſſent duæ. Deinde id non poteſt tutò reſpōderi: quia in nobis non eſt niſi vnus habitus Charitatis, cuius actus adæquatè reſpiciūt ſolum Deum vt obiectum formale. At eſſent admittendæ mille Charitates; alia in ſolum Deum, alia in Deū cum motiuo Obedientiæ. Tertia cum motiuo Caſtitatis, quarta cum Caſtitatis ſimul & Obedientiæ. Item ſingulæ virtutes infinities multiplicarentur, quia poſſunt ſine fine coniugari earum motiua. Cum ergo quis ex duplici motiuo duarum virtutum aliquid vult, id re ipſa præſtat per duos actus illarum.Vtrum autem potentia abſoluta poſſit præſtari per vnum; aliunde eſt.

Reſpondetur igitur, duas cauſas phyſicas eiuſdem generis adæquatas in actu ſecundo non poſſe ſimul concurrere ad effectum eumdem:ſecus duas intentionales. §. 59. Quæ licet ſunt inſtar efficientis in extrinſeco influxu,nō tamen ſimpliciter.Præſto eſt diſcrimen, quia è duabus cauſis efficientibus adæquatis oriuntur duæ actiones realiter diſtinctæ, quarum vna impedit aliam; vel quia ſunt eiuſdem ſpeciei:duo autē indiuidua accidentis non capiuntur eodem ſubiecto, ſi vtrumque ſeruit muneri eidem.Si autem actiones ſint diuerſarum ſpecierum, ſuperfluit altera, quia vtriuſque finis per ſe primo intentus eſt facere vt terminus exiſtat: & cum per alteram exiſtat,altera ſuperfluit. At verò cauſæ intentionales nō traijciunt in effectū duas actiones, ſed vnam, & eam extrinſecè attingunt eam repræſentando vel amando. Hoc autem quid repugnat? cum obiectū idem mille afficiatur extrinſecis denominationibus. Si autem potentia exequatur actionem vt amatur, aut repræſentatur per actus; tunc vterque actus dicitur cauſare. Hæc autem non ſuperfluunt, quia potentiæ rationales diuerſimodè perficiuntur per actus virtutum diuerſarum. Et ſicut voluntas poteſt amare obiectum idem per actus diuerſos ſimul exiſtentes, item & obiectum poteſt amari.

Dices ad effectum ſolum requiri vnam cauſam: ergo alia nō concurrit, quia nulla cauſa concurrit vbi non eſt neceſſaria, quia effectus nō exigit eam cauſam. §. 60. Diſtinguo antecedens, vna cauſa ſufficit ad ſubſtātiam effectus vtcumque faciendam, concedo antecedens,vt patet in motu per ſolum appetitum ſenſitiuum: nego verò ſufficere ad effectum rationali perfectione faciendum: perfectius enim fit per actus duarum virtutum,quàm per vnius: & nego conſequentiam. Ad probationem reſpondeo eam habere locum in cauſis phyſicis, quarum cauſalitates per ſe primò ordinantur ad effectus externos, & poſita vna ſuperfluit ala; non verò in intentionalibus, quæ per ſe primò ordinantur ad perficien

perficiendam intrinſecè potentiam vitalem in ordine ad ſuum obiectum: & quoties potentia eſt capax denominare obiectum per plures actus, obiectum etiam eſt capax denominari,& fieri. Secundò probat P. Vazquez in Deo ex diuerſitate mutationum ad diuerſos actus liberos Dei. Quod non eſt huius loci: de quo egi in 3.p.quæſt.1.art.3.

DISPVTATIO XIV.

De actibus voluntatis, & de eorum ab intellectu dependentia.

SECTIO I.

Varij voluntatis actus.

§. 1. DE actibus voluntatis in communi ſupponendum eſt eos eſſe qualitates & actiones, ſicut diximus de quouis actu vitali creato tota diſput.6. Hoc diſcrimen eſt inter cognitionem & volitionem: cognitio eſt expreſſio obiecti ſui, propter quod dicitur trahere obiectum ad potentiam, & illud conſtituere intentionaliter præſens: quia in intellectu ipſum quaſi depingit obiectum: quapropter vocatur *imago*; at verò volitio id non præſtat, ſed voluntatem in ipſum inclinat obiectum, aut ab illo auertit. Propter quod vocatur *pondus*, quia more illius trahit amãtem in obiectum. Hinc fluxit prouerbium: *Cognitũ eſt in cognoſcente, & amãs in amato. Anima* enim *non tam eſt vbi animat, quam vbi amat.* Eſt ergo voluntatis actus *quidam in bonum impulſus, & à malo retractio.*

§. 2. Primus actus voluntatis eſt complacentia, aut diſplicentia de obiecto. Eſt autem ſimplex complacentia ſimplex affectus voluntatis, per quam nobis placet, aut diſplicet obiectum. Vocatur *ſimplex* ad imitationem ſimplicis intellectionis, ſiue apprehenſionis: quæ obiectum tantum apprehendit, nihil de illo affirmando, vel negando: ſimplex affectus benè, aut malè afficit voluntatem circa obiectum nihil efficiendo ad illud proſequendum, aut fugiendum: ſed illam relinquit quaſi ſuſpenſam. Vnde hic effectus non eſt ſufficiens ad imperandos motus externos, niſi fortè anteuertendo iudicium intellectus. Vt enim aliquando ex ſimplici affectu appetitus mouentur externæ potentiæ, ita illum appetitum poteſt comitari ſimplex voluntatis affectus anteuertens rationis vſum. Sæpiſſime hic ſimplex affectus neceſſariò ſequitur ex repræſentatione boni: nam bonum qua ratione bonum, tunc non poteſt non placere, & diſplicere malum. Hinc oritur difficultas reſiſtendi tentationi; quæ primo pulſu animum tangit: item aggrediendi difficultates, quæ primis oculis terrent odio laboris. Qui motus vocantur *primo primi:* qui poſtea pelluntur ex animo per affectus ad alia bona contraria prioribus: vt complacentia in turpi obiecto per complacentiam in honeſto. Verum eſt, aliquando hos motus non poſſe omnino depelli, quamuis cum illis diu luctemur; at bene conſiderato obiecto contrario, tandem vincuntur.

§. 3. Alij actus vocantur *efficaces*, qui neceſſariò præſupponunt ſimplices affectus. Ex complacentia enim, aut diſplicentia in obiecto, oritur nobis actus efficax, quo aut vitemus malum, aut ſequamur bonum: nam ex ſimplici affectu, quem homo

habet circa valetudinem, oritur actus efficax valetudinis procurandæ, & vitandi mortis diſcrimina. Huiuſmodi actus vocantur efficaces, quia habent virtutem efficiendi id quod volunt, aut ſaltem adhibendi media ad illud: & quamuis neceſſariò ſupponunt ſimplicem complacentiam; non tamen inde neceſſario inferuntur.

§. 4. Omnes actus voluntatis ſunt circa aliquod obiectum bonum: aut malum abſolutè conſideratum: & non ſub conditione, vt rectè docet Pat. Vazquez tomo 1. primæ ſecundæ diſputat.42. num.9. ideſt, nullus eſt actus in voluntate, qui non poſſit explicari hoc termino *Volo*, nullus autem eſt, qui poſſit explicari hoc termino *vellem*, quem ſolent vocare *velleitationem.* Probatur, quia bonitas, quæ non eſt ſimpliciter, non eſt bonitas: ergo ſimpliciter non poteſt terminare aliquem actum. Antecedens patet, quia nihil habet rationem entis ſimpliciter, niſi quod ſimpliciter habet eſſe actuale vel poſſibile: ſed bonum conditionatum tantum, ſub iſto conceptu conditionati præciſe non habet eſſe actuale, vel poſſibile: ergo ſimpliciter non eſt bonum: minor probatur; nam obiectum huius propoſitionis, *ſi Petrus veniret, rideret:* quam habet bonitatem amatu dignam? Prima conſequentia probatur: quia voluntas fertur in ſuum obiectum ſub rationi boni: ergo non poteſt habere aliquem actum, niſi circa bonum. Verum reſponderi poteſt ad terminandum ſimplicem affectum ſufficere bonitatem illam; quæ poſſibilis eſt, & apprehenditur vt aliqua ratione futura. Immo in obiecto impoſſibili poſſumus habere ſimplicem affectum.

§. 5. Probo igitur concluſionem: intellectus non poteſt habere aliquem actum, qui ſit aſſenſus conditionatus, ideſt, qui feratur in veritatem explicatam hoc modo, *aſſentior huic obiecto ſi eſſet verum*, nam aſſenſus eſt actualis: ergo debet habere aliquam veritatem. Item non poteſt ſenſus habere hunc actum *video colorem ſi eſſet poſſibilis.* Verum eſt, intellectum cognoſcere propoſitiones conditionatas, ſed tunc iam illæ habent aliquam veritatem dependentem ex hypotheſi, nam ſicut obiectum re ipſa eſſet futurum ſi poneretur conditio, ita illud cognoſcit intellectus: ſed illa cognitio abſolutè eſt modò præſens: affirmat, exempli gratia, *diem eſſe ſi ſol oritur*, nunquam tamen datur actus intellectus, qui non ſit præſens. Nam quando dicimus *ego aſſentirer huic obiecto:* ille aſſenſus eſt præſens, & explicatur tempore præſenti, hoc modo, *ego modo cognoſco meum aſſenſum futurum ex repræſentatione obiecti:* ſimiliter voluntas vult obiecta ſub conditione, vt *ego volo dare Petro centum, ſi mihi det equum:* verum ille actus eſt idem, quod *volo*, & non eſt vellem, neque talis velleitas vllo modo poteſt explicari.

§. 6. Dices, nos habere aliquos actus velleitatis: vt cum nauta proiicit merces, vt effugiat tempeſtatem; quas nollet proiicere, & cũ optamus res, quas videmus non poſſe obtineri: ergo datur actus explicatus hoc termino *vellem.* Reſpondeo huiuſmodi actus non eſſe conditionatos ex parte ſubiecti: ſed abſolutos: & de præſenti. Ex parte autem obiecti habent conditionẽ, non ad ipſos terminandos: ſed ad alios abſolutos; quos haberemus ſi conditio poneretur. Nauta enim modo afficitur in merces, & modo diſplicet earum proiectio; quæ proiectio (vt aiunt) habet admixtum aliquid inuoluntarij. Nam proiiciuntur cum diſplicentia proiectionis: quæ proiectio aliunde compellitur. Quam diſplicentiam explicamus hoc termino *nollem*; non

quia non ſit actus de præſenti. Idem contingit cum optamus rem, quam non poſſumus conſequi, dicimus enim, *vellem adire Romam*, id eſt, quantum eſt ex me volo, & habeo ſimplicem complacentiam adeundi; ſed impedior aliunde.

§. 7. Igitur, quod dico, eſt, nos ſemper habere actum de præſenti; quo aliquid nobis de præſenti placet, aut diſplicet: ſicut habemus cognitiones, per quas de præſenti aliquid apprehẽdimus; licet obiectum illorum actuum pendeat ab aliqua conditione; obiectum tamen ipſorũ nobis placet, & de præſenti placet, vt in exemplo adducto *vellem adire Romam ſi nummos haberem*: de præſenti habeo complacentiam Romam adeundi, neque ille actus ſpectat vt ſit de præſenti exiſtentia itineris ſub conditione: ſed nunc mihi in illa complaceo. Opinor hic magna ex parte quæſtionem eſſe de voce. Quid ſit amor ſtrictus, deſiderium; & gaudium, abunde oſtendi diſputans de charitate, & voluntate Dei.

SECTIO II.

Oppoſitio actuum voluntatis.

§. 8. VAriè opponuntur voluntatis affectus. Simplex complacentia & diſplicentia de eodem obiecto ſub eadem ratione formali ita opponuntur, vt nec diuinitus coniungi queant. Nam idem obiectum ſub eadem ratione formali non poteſt eſſe bonum, & malum ſimul: ſed ſine malitia, & bonitate ſub eadem ratione formali, non poteſt terminare complacentiam, & diſplicentiam ſimul: ergo. Maior patet, quia obiectum diſplicentiæ eſt malum; complacentiæ verò bonum; nec ſine obiecto poteſt eſſe actus. Maior patet, quia bonum & malum ſub eadem ratione formali opponuntur, alterúmque infert priuationem alterius, v. g. ſi res conſideretur ſecundum ſe, id eſt, ſecundum intrinſecam perfectionẽ, ſi eſt perfecta, eſt bona, & non poteſt eſſe mala: quia perfectio includit mali carentiam: ſi autem eſt mala, ideo, quia ei aliquid deeſt: ergo non eſt perfecta, nec bona. Idem dixerim de quocumque obiecto conſiderato vndequaque: vel ex omnibus perfectionibus etiam accidẽtariis, vel ex ſola ſubſtantiali. Dices, poſſe equum ſecundum bonitatem ſubſtantialem terminare complacentiam, ſecus ſub accidentali. Contra: ergo iam non ſub eadem ratione formali, ſed ſub diuerſa. Deinde ſi conſideretur bonum conueniens, qua ratione alicui conueniens, non poteſt eſſe malum, nam ſi equus eſt bonus ad expeditum iter, nõ poteſt expeditioni eſſe malus, rectè quidem poteſt eadem res eſſe conueniens ſimul, ſed non ad eumdem finem. Hic autem agitur de comparatione eiuſdem finis cum cæteris adiunctis.

§. 9. Complacentia in obiecto ſecundum ſe, & diſplicentia comparatione alterius non opponuntur. Nam poteſt obiectum ſecũdum intrinſecam ſuam bonitatẽ placere, quia ſecundum ſe eſt perfectum, & pulchrum: at eademmet pulchritudo eſt mala comparata alicui fini, & ſub ea ratione poteſt diſplicere, verbi gratia, honor, aut voluptas ſecundum ſe habẽt bonitatem allicientem affectum: at ſi conſiderentur vt aduerſantur rationi, vel exponunt periculo deficiendi ab honeſto, diſplicent. Quod quotidie experientia docemur. Rapimur enim primo impulſu in delectabile obiectum, quem poſtea ratio retardat. Eſt enim huic teſtimonio illud bellum, & pluſquam domeſticum, quo ſenſerat Apoſtol. ſe totum deflagrare propter diſſidia carnis, & mentis, pro ſuo obiecto rixantium. Dices, ſi illa pulchritudo eſt mala alicui fini: ergo ſecundum ſe eſt mala. Nego conſequentiam: nam ſecundum ſe ſignificat rem, præciſa conuenientia, aut diſconuenientia alicui: malitia autem ad finem, iam includit reſpectum ad finem: itaque ſi præcisè ſiſtatur in obiecto pulchro, eſt quidem bonum. Item poteſt eſſe diſplicentia in obiecto ſecundum ſe, & complacentia comparatione alicuius finis, verbi gratia, mihi diſplicet equus mancus, quia eſt imperfectus: at quia eſt cauſa ne fugiat inimicus, mihi placet. Ratio eſt, quia ſub vna conſideratione eſt bonus: malus ſub alia.

Item idem obiectum ſub diuerſa ratione formali poteſt placere ſimul, & diſplicere, verbi gratia, mors alicuius mihi diſplicet, quia eſt malum illius, & mihi placet, quia eſt cauſa mei boni, quia erat inimicus, aut aliam ob cauſam. Ratio à priori, quia ſub conſideratione priori eſt mala: mihi autem diſplicere poteſt malum alterius, qua ratione illi malum: item ſub reſpectu ſecundo eſt mihi bona, quis autem neget mihi poſſe placere meum bonum? §. 10.

Dices primò, poſſe placere obiectum ſecũdum, & diſplicere primum, non verò cauſam talis effectus, verbi gratia, poteſt mihi diſplicere mors amici, & placere hæreditas inde ſequuta. Contra: non ſolum effectus, verum & ipſa cauſa, qua ratione eſt illius cauſa, mihi placere poteſt, & diſplicere. *Gaudeo* (inquit Paulus 2. ad Corinth. 7.) *non quia contriſtati eſtis: ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam:* id eſt, triſtitia veſtra præcisè, quia veſtra triſtitia eſt, non eſt mihi cauſa gaudendi, ſed quia ipſa fuit pœnitentiæ cauſa. Rectè enim explicuit Theodoretus, *non quia triſtitiam nudam conſidero, ſed cum ſuo effectu*: & gloſſa interlinearia, *de hac triſtitia gaudeo.* Item conſtat Deo odio eſſe iniquos, & eorum iniquitates. Item eſt certum, Deum nihil odiſſe eorum, quæ operatus eſt: Nam peccator qua ratione peccator, cum ſuo peccato odio eſt Deo: qua ratione opus eſt Dei, placet ſuo artifici: vt expoſuit Auguſt. Itaque complacentia eſt de eodem obiecto, vt eſt cauſa boni: diſplicentia verò, vt malum eſt. Ratio à priori, quia non ſolum effectus eſt bonus, & malus, ſed ipſamet cauſa eſt bona comparatione vnius, & mala alteri comparata; ergo ipſa vt cauſa poteſt placere & diſplicere: peccatum autem ſub ratione peccati non poteſt eſſe cauſa boni, nec viro cordato placere. §. 11.

Dices ſecundò, non poſſe quem efficaciter velle aliquid propter vnum finem, & non velle efficaciter propter alium: ergo nec ſimpliciter complacere, & diſplicere. Mala conſequentia ex diſcrimine lato: actus efficaces ex ſe cõſtituunt obiecta à parte rei, & ſicut idem non poteſt ſimul eſſe, & non eſſe: ita neque efficaciter intendi, & non intendi (vt mox dico) at ſimplices affectus non ſunt productiui obiectorum, ſed feruntur præciſiuè (vt ita dicam) fiunt enim circa obiecta, vt præcisè conſiderantur: non verò vt mandantur executioni. Hinc oritur nõ poſſe quem occidere alium propter hæreditatem, quia eſſet homicida: poſſe autem gaudere de morte propter eam rationem, quia hoc gaudium non eſt de morte, vt eſt malum illius, ſed vt eſt cauſa boni: at per primum actũ ego inferrem alteri malum: quæ doctrina eſt obſeruanda in doctrinam de peccatis, & opinio P. Vazquez, delectationes moroſas nõ eſſe diuerſarum ſpecierum huic eſt innixa ſcipioni. §. 12.

Actus efficaces volendi rem ſimul, & non volendi apertè repugnant, quia contradictionem inferunt §. 13.

ferunt in obiecto: nam efficaciter non poteſt aliquid intendi in ſtatu, quo cernitur impoſſibile, ergo non poteſt efficaciter intendi res & intendi ne ſit: quia qui rē efficaciter vult, vult eam exiſtere: quæ exiſtens non poteſt non exiſtere: ergo perſeueranti priori actu non poteſt eſſe alius, quo intendatur non exiſtere: quia, cum hoc ſit impoſſibile, deficit obiectum illi actui. Nec adeo poteſt aliquis deſipere, vt ſibi perſuadeat poſſe idem obiectum exiſtere ſimul & non exiſtere. Nullum enim principium eſt euidentius, quàm, *impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe & non eſſe.* At niſi illi principio diſſentiatur, non poteſt efficaciter idem velle & non velle: tum quia id videt impoſſibile; tum quia non poſſet ſpem concipere de aſſequendo obiecto.

§. 14. Non opponuntur ſimplex complacentia in obiecto poſſidendo, & actus efficax illius abiiciendi: vt cum nauta proiicit argentum ne mergatur nauis: ille ſimplicem affectum habet argenti, ſed vincitur amore efficaci tuendæ vitę. Quam ob cauſam commendatur Abraham, quia obedientia in Deum ſuperauit tenerrimum amorem; quo parentes ſenes flagrant in filios. Item poteſt eſſe diſplicentia in obiecto, & voluntas efficax illius: vt qui membra reſecat, diſplicentiam habet ſectionis, ſed eā eligit vt curetur è morbo. Ratio à priori vtriuſque, quia qua ratione obiectum eſt bonum, vt argentum, amatur & placet; quia verò retentio argenti nauim retardat, & exponit naufragio, proiicitur vt malum vitæ: ita ſectio partium, quia ſe ipſa eſt mala animali, horretur: quia verò eſt neceſſaria ne pars corrupta cæteras inficiat, eligitur vt medium vitæ conſeruandæ.

§. 15. Hic multa occurrebant diſputanda: de paſſionibus animæ & minuta diuiſione actuum voluntatis: ſed quæ à Philoſopho Morali commodius diſquiruntur. Animaſtica enim partitur in moralem, & naturalem: hanc ſequor, illi reiicio malitiam & bonitatem humanorum actuum: odi libros per anſam farraginoſos. Sequentem difficultatem non omittam: quia ſpeculationis & vtilitatis Philoſopho naturali ac Theologo plena.

SECTIO III.

Vtrum diſtinguantur intentio finis, & electio mediorum?

§. 16. Pater Vazquez 1.2. diſput. 33. cap. 2. cenſet voluntatem circa finem realiter diſtingui ab actu circa media. Probatur primò ex Auguſt. 11. de Trinitat. cap. 6. cuius verba ſatis vrgent. Sed poſſumus reſpondere, Auguſtinum loqui de voluntate finis in ordine ad diuerſa media: nam voluntas ſanitatis per potionem realiter diſtinguitur à voluntate eiuſdem ſanitatis per emiſſionem ſanguinis, quamuis vna voluntas ſequatur ex alia.

§. 17. Secundo probatur ratione, quia electio medij eſt effectus cauſæ finalis; ſed intentio finis non eſt effectus cauſæ finalis: ergo. Nego minorem, probaui enim ſupra, ipſam complacentiam circa finem eſſe effectum finis. Ratio autem propter quam voluntas diuina non eſt effectus cauſæ finalis eſt, quia illa volitio non eſt producta ſicut nec electio Dei, etſi admittatur ratione diſtincta ab intentione: ratio autem ob quam illa intentio eſt effectus finis eſt, quia cauſatur ex ſimplici complacentia circa finem. Diſtinguitur enim realiter ſimplex complacentia ab intentione, quia hæc neceſſariò continet voluntatem mediorum ſaltem virtualiter, ſecus illa, & ex hac ſequitur voluntas efficax finis, & ſic tam propriè cauſatur à fine, quam cæteræ electiones, tametſi illa ſimplex complacentia non cauſaretur.

Tertiò arguit, quia præmiſſæ cognoſcuntur diuerſo actu ab eo, quo cognoſcitur concluſio, ergo intenſio finis diſtinguitur ab electione mediorum. Nam eodem modo comparatur finis cum medio, quo præmiſſæ cum concluſione. Nego conſequentiam; ad probationem reſpondeo, quantum ad rationem obiectiuam eodem modo cōparari media cum fine, quo concluſio cum præmiſſis: non verò quantum ad modum, quo attinguntur. Nam præmiſſæ attinguntur ſine vlla dependentia à concluſione, prius illa, & antecedenter, & per diuerſa principia, vt oſtendi diſput. 7. at verò finis efficaciter amatur cum dependentia à mediis, à quibus dependet in executione: & in quorum virtute continetur. Quapropter antequam finis ametur prærequiritur cognitio mediorum; & ſicut multi aiunt vno actu poſſe cognoſci præmiſſas & concluſionem, poſt quam obiecta ſufficienter proponuntur intellectui, ita & per vnum amantur; quia cum quis efficaciter amatur, debent finis & media ipſi voluntati proponi. Quæ eſt ratio noſtræ ſententiæ. §. 18.

Quartò argumentatur, quia ſi intentio & electio non diſtinguuntur realiter; ergo neque diſtinguuntur ratione; nam diſtingui ratione eſt poſſe concipi vnum actum in quantum terminatur ad media quin concipiatur, vt terminatur ad finem. Verum multa poſſunt diſtingui ratione, quæ non diſtinguuntur realiter. Nam ipſe P. Vazquez num. 3. ait, actum vnum habere duos conceptus ratione diſtinctos, ſi terminetur ad duo obiecta: ergo nulla eſt conſequentia à negatione diſtinctionis realis ad negationem diſtinctionis rationis. Reſpondeo autem intentionem & electionem eſſe eumdem actum etiam ratione, quia non poteſt concipi intentio niſi ſub ratione actus efficaciter volentis obiectum: & velle efficaciter obiectum eſt formaliter velle media: ergo conceptus formalis intentionis, eſt formaliter electio. Probatur minor: nam velle efficaciter finem, eſt velle efficientiam ipſius finis, quæ cōſiſtit in mediis. Item velle efficaciter medium in ratione medij, eſt velle efficiētiam ipſius finis: ſed velle efficientiam finis, eſt illum efficaciter intendere: ergo volitio efficax mediorum eſt amor finis. Vnde colliges in Deo non eſſe duos actus ratione diſtinctos, quorum alter ſit voluntas dandi gloriam, verbi gratia, & alter dandi media ad ipſam gloriam; ſed eodem actu etiam ratione noſtra velle Deum media & finem. Hæc animaduerte in materiam de prædeſtinatione, & de incarnatione. Igitur intentio finis eſt actus ſic denominatus, quia propter ſe amat finem, idem actus eſt electio medij, quia amat medium non propter bonitatem illi intrinſecam, ſed quia conducit ad finem: ſicut amor quo ego volo pecuniam amico, comparatus amico vocatur *amicitia*, comparatus verò pecuniæ appellatur *concupiſcentia pecuniæ amico.* §. 19.

Igitur idem actus eſt intentio finis, & electio mediorum. Huius ſententiæ ſunt Contrad. Caiet. Ricard. Duran. Capreol. Okam. alij, quos P. Vazquez adducit num. 2. Probatur primò ad hominem contra P. Vazquez aſſerentem, actum, quo ego volo pecuniam amico, eſſe eumdem cum actu, quo volo ipſum amicum: ergo ſimiliter intentio finis eſt idem cum electione mediorum. Negat ille conſequentiam, quia ex pecunia, & amico integratur §. 20.

vnum obiectũ, quod vno actu poteſt amari. Contra, quia amicus, & pecunia non minus diſtinguuntur quàm finis, & medium. Dicuntur autem integrare obiectum vnum, quia pecunia refertur ad amicum, propter quem amatur: ſed medium etiam refertur ad finem, propter quem amatur, ergo ex medio & fine conflatur vnum obiectum ſicut ex pecunia, & amico.

§. 21. Secundò non poteſt quis efficaciter velle finem, quin præcognoſcat media, quibus poſſit illum obtinere; ſed ea ratione præcognoſcuntur media, quia debent amari eodem actu cum fine: ergo. Probatur minor: nam actus voluntatis tantum indiget ſui obiecti repræſentatione: repræſentatio autem aliorum obiectorum eſt illi omnino impertinens: ergo illa media, quæ repræſentantur neceſſario ante finis intentionem, ſunt obiectum eiuſdem intentionis: ſi enim intentio non fertur in illa, non eſſet neceſſaria illorum propoſitio ad intendendum finem. Confirmatur: ponamus intentionem finis: deinde diuerſa proponantur media: bene poterit manere illa intentio quin amentur illa media: ergo ſimiliter in prima productione intentionis potuit intendi finis, quin proponerentur media.

§. 22. Dices, ea ratione non poſſe intendi finem ſine cognitione mediorum, quia in finis intentione virtualiter continetur electio medij. Contra, quia quando quis vult efficaciter finem, videns in illo contineri medium, vult formaliter ipſum medium: nam ſi quis videat vrbem deflagraturam ſi admoueatur ignis, ſi hic velit ignem admouere, nonne vult formaliter vrbem incendere? Aut quo pacto volumus vrbem incendere niſi volendo illi ignem applicare? Certè nunquam percepi quomodo non velim formaliter hominem occidere, qui modo formaliter volo ſagittam in illùm immittere, quo tempore video hominem illa confoſſum iri. Immo verò ea ratione dubitamus ſit ne intendẽdus finis: quia dubitamus de mediis ipſis: & quando medium eſt periculoſum, nulla alia ratione refugimus finem intendere, niſi quia volumus medij ſubire diſcrimen: neque poteſt quis talem finem intendere niſi prius animo periculũ hauriat: vt cum quis vult efficaciter triumphum, illum non vult efficaciter niſi ſimul velit cum hoſte congredi, & tandiu retardatur ab intentione triumphi quamdiu deliberat. Quod poteſt confirmari ex diſcrimine inter præmiſſas & concluſionem: & medium & finem: nam concluſio non eſt virtus, in qua contineantur præmiſſæ: at verò mediũ in virtute continet finem: & ea ratione amatur, quia in virtute continet finem: ergo ipſa voluntas efficax medij, eſt voluntas efficax finis, quia amare medium in quantum continet finem, eſt amare ipſum finem: ſicut amare applicationem ignis, quia in virtute continet incendium vrbis, eſt formaliter velle incendium vrbis.

§. 23. Qui ergo vult efficaciter finem, vult formaliter aliquod medium ſaltem confusè: vult enim formaliter aut hoc medium aut illud: poſtea verò ſi non habet exploratam conuenientiam mediorum, de illis conſulit: facta conſultatione deponit priorem actum, & nouo actu vult priorem finem cum hoc medio in particulari. Quando verò quis habet bene explorata media, non intelligitur de illis conſultare: eſt enim coſultatio inquirere quodnam medium ſit conuenientius: qua inquiſitione non eget qui ſatis explorauit media: ſed ſimul amat finẽ cum mediis conuenientioribus. Quapropter non acquieſco nonnullis Theologis conſtituentibus in Deo rationem finis priorem ratione: deinde electionem mediorum. Deus enim non indiget conſultatione, cum præſentiſſimam habeat cuiuſcumque medij conuenientiam: vnde ſimul re, & ratione, & eodem actu amat vtrumque.

Dices, ſine diſtinctione actuum non poſſe intelligi cauſalitatem finis circa media: nam amare media propter finem, eſt, ex amore finis ſequi amorem mediorum. Contra primo, qui aiunt vno actu totum ſyllogiſmum apprehendi, negabunt vim huic argumento. Secundò, Deus ſe comprehendens eodem actu indiuiſibili etiam ratione, cognoſcit ſe & creaturas: ſed has cum dependentia ab eſſentia diuina, vt ab obiecto immediato. Tertio, Angelus eodem actu, quo ſe cognoſcit, cognoſcit etiam Deum; & tamen eſſentia Angeli eſt cauſa vt cognoſcatur Deus: ergo. Ratio à priori: quia cauſalitas obiectiua eſt intentionalis mouendo & determinando potentiam: vnumquodque autem mouet vt eſt: finis quidem per ſuam bonitatem: medium autem quia ad illam conducit, ſiue medium ratione finis; finis autem ratione ſui: ſiue id fiat vno, ſiue multiplici actu: & ideo dicitur intentionem finis eſſe cauſam electionis mediorum: non quidem ex parte actuum, ſed obiectorum: quia finis intentus eſt ratio mouẽs ad medium electum: vt patet in præmiſſis & concluſione, quando eodem actu noſcuntur in multorum opinione. §. 24.

SECTIO IV.

Vtrum voluntas neceſſariò pendeat ab intellectu?

VOluntatem in ſui exercitio ab intellectu pendere & experimentum & definitio voluntarij commonſtrant. Illud, quia nihil magis vulgare quam *nihil volitum quin præcognitum*, neque vnquam aliquis expetiuit quod cognouit numquam: nam & rationes expendimus, illarumque momenta libramus prius quàm aliquid aggrediamur. Siquis autem præcipitem ſe agit in obiectis amandis, imprudens, & inconſideratus dicitur. Hæc verò (id eſt, definitio voluntarij:) nam teſte Ariſtot. cum omnium philoſophantium & Theologizantium aſſenſu; voluntarium *eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula:* adeo, vt quando aliqua circumſtantia ignoratur, opus per eam ignorantiam effectum non ſit voluntarium ſub ea ratione ignorata; eoque pluris aut minoris opus habetur, quod à perfectiori, aut imperfectiori cognitione oritur: nec opus eſt in re clara *oleum perdere:* vide S. Thom. 1. 2. quæſt. 9. art. 1. quem ſequuntur omnes. Video oppoſitum aſſeri à Bonauent. & Gerſone non tam ſcholaſticè quàm deuotè: cenſent enim in via vnitiua per amorem ardere voluntatem in Deum ſine cognitione: at non ita euenit, etſi tam facile figitur mens, & ſine volubilitate, vt nihil videatur cogitare, vide P. Vazquez in 1. 2. diſp. 35. cap. 1. §. 25.

Per potentiam abſolutam Dei poſſe produci qualitatem in amore repertam ſine influxu voluntatis creatæ, & ſine cognitione noſtra, item & vnitiſatis oſtendi diſp. 6. à §. 27. Inde etenim concludo poſſe voluntatem in eo actu præſtare concurſum obedientialem non vitalem quin illi præeat cognitio. Nam ille concurſus eſt mortuus qualis exhiberetur à lapide per potentiam obedientialem; difficultas eſt num ad actionem vitalem, qua fiat amans, poſſit diuinitus concurrere in actum abſque præcedente cognitione? §. 26.

Communius

§. 27. Communiùs Doctores negant, nonnulli mouentur apud Pat. Vazquez cap. 2. quia Deus amat præcedente cognitione; ergo id eſt neceſſarium. Diſtinguo, ex natura rei cócedo, diuinitus nego. Deus autem non poteſt mutare ſuũ amãdi modum ſicut poteſt noſtrum. Secundò, quia implicat voluntatem moueri niſi circa proprium obiectum, ſed cognitio pertinet ad formale voluntatis obiectum; ergo non poteſt moueri niſi circa cognitionem. Verum diſp. 13. oſtendi minorem propoſitionem non eſſe veram: obiectum enim voluntatis amatur per illam & cognoſcitur ante amorem: ſed ea cognitio nec tunc cognoſcitur, nec amatur, ergo non eſt obiectum, ſed principium voluntatem impellens; at ſine principio impellente quid repugnat fieri affectum?

§. 28. Sed eſto ſit obiecti pars cognitio: ſicut amor tui fit à Petro quin tu influas in amorem niſi terminando: ita fiet circa cognitionem tui terminante illum amorem, & finalizante; non tamen actu impellente, & proponente. Nam duo præſtari poſſunt per cognitionem: alterum terminare amorem quod poteſt ſine influxu in amorem; alterum impellere voluntatem, quod formaliter non eſt amari, nec eſſe obiectum; ſed complere potentiam vt poſſit amare: nunc igitur quæritur, cur non poſſit potentia diuinitus aliunde compleri, aut illa propoſitio ſuppleri? Arbitror non ſatis fieri quæſito per obiecti rationem: quia nec actus illam habet, & ſi haberet, poſſet terminare amorem (quod eſt eſſe obiectum) ſine cognitione. Repugnat equidem amorem eſſe, quin terminetur ad obiectum; ſed hoc non quæritur, ſed vtrum repugnet eſſe, quin oriatur à cognitione creata?

§. 29. Alij mouentur, quia omnis actus voluntatis eſt voluntarius; ſed voluntarium repugnat eſſe ſine cognitione; ergo. Verùm, facilè diſtingues minorem propoſitionem, repugnat eſſe ſine cognitione ex ſua natura, concedo minorem; per potentiam Dei, nego. Nam & qualitas ipſa eſt voluntaria voluntario ab actione diſtincto, & tamen diſput. 6. ſect. 3. oſtendi poſſe eam qualitatem produci ſine actuali voluntatis influxu: ergo. Maior patet ex §. 95. eius diſput. 6. vbi oſtendi vitalitatem qualitatis eſſe diſtinctam à vitalitate actionis, eique eſſentialem. Simile autem eſt de voluntario, quia non ſolum actio, ſed eius terminus petit eſſe à voluntate cognoſcente ſingula: eam verò poſſe oriri ſine cognitione probatur; quia actus vitalis tam pendet à potentia vitali, quàm voluntas à cognitione: probaur autem ea ſect. 3. qualitatem vitalem produci poſſe ſine influxu potentiæ: ergo & voluntas ſine cognitione: quod ſi amor in ſola qualitate conſiſteret, poſſe quem amare actu, & habere voluntarium actu ſine cognitione, oſtendi ea ſect. 3. vel ſaltem dicendum foret, non omnem amorem fore voluntariũ actu; vt conſtat in cognitione actuali, & denominatione inde accepta, quo argumento motus fui ad opinandum actum vitalem intrinſecè actione conſtari.

§. 30. Rationem huius ſententiæ indicaui diſput. 6. à §. 30. nam amor formaliter includit actionem, ſed actio amoris nec per potentiam Dei poteſt eſſe ſine cognitione, ergo nec amor, aliuſue voluntatis affectus; probo minorem: quia actio ex ſua natura pendet à cognitione, quia eſt voluntaria: & voluntas nullum habet amorem non pendentem ex natura rei à cognitione (vt poſui. §. 25.) ſed actio ſemel exiſtens cum dependentia à cognitione, non poteſt exiſtere, quin ab ea pendeat; ergo amor nequit exiſtere ſine cognitione.

Dices argumentum eſſe euidens, ſi cognitio influeret actiuè in amorem, ſecus ſi non influit; quia non eſt principium illius; alioquin nec motus manuum poſſet exiſtere ſine voluntatis imperio: quia ſemel ab eo pendet. Contra, adhuc illa opinio de phyſico influxu cognitionis in amorem eſt ſub iudice (de qua ſect. 5.) Deinde cognitio verè eſt immediatum principium per ſe actionis: ſed actio per ſe immediatè pendẽs ab aliquo principio non poteſt non pendere ab eodem; ergo. Maior eſt certa, quia repræſentatio boni per ſe requiritur, & immediatè mouet voluntatem, ita vt voluntas ſemper ea cognitione dirigatur: minor eſt itidem certa, quia actio non reſpicit ſua principia per aliquid à ſe diſtinctum; ſed per ſe ipſam: quapropter oſtendi ſæpe, modum eſſentialiter pendere à ſuis principiis. §. 31.

Ad exemplum de motu per voluntatem imperato, primum reſponderi poſſet cum numero haud perſeuerare voluntate mutata, ſi per ſe ab ea pendet. Secundò reſpondeo, motus potentiarum externarum non pendere niſi à potentia executrice; quia ſunt phyſici motus, à phyſicis cauſis pendentes: intentionales autem motus pendent aliunde quàm à phyſicis cauſis, v.g. ab obiecto, à fine, & ſi quæ ſunt huius generis alia. Quod ita confirmo, quia potentię phyſicæ eos motus ſæpe faciunt ſine voluntatis imperio, & ſæpe contra illud; voluntas autem nunquam ſine cognitione mouetur. Item motus phyſici ſunt eiuſdem rationis ſiue oriantur ex hac, ſiue ex illa voluntate, ſiue ex nulla: at motus voluntatis ſunt diuerſi, iam liberi, iã neceſſarij, iam voluntarij, iam minus voluntarij ex varietate cognitionum. magis ergo voluntas ab intellectu dependet, quàm potentia motiua à voluntate. Dices ſæpe potentiam moueri per imperium voluntatis, ſæpe motum cohibere; ergo talis motus pendet per ſe à voluntate. Nego conſequentiam, quia potentia tantum mouetur per voluntatem vt applicantem extrinſecè potentias, cui obediunt illæ per inſitam ſympathiam, non vt principio per ſe motuum (vt explicui ex diſcrimine potentiarum:) modi autem non pendent per ſe ab his, quæ ſunt purè conditio, niſi dependentia per ſe ſumatur, vt excludit dependentiam per accidens: ſic enim & actio accidentium per ſe pendet à ſubſtantia, ſed poteſt ſine illa eſſe. Quæ poſſunt confirmari, quia ſæpe iſtæ potentiæ mouentur per extrinſeca principia, vt cum quis oſcitatur alio oſcitante, quod efficit naturalis ſympathia, nec tamen mea oſcitatio ab alterius oſcitatione per ſe dependet. §. 32.

Hac etiam ratione vti poſſunt qui aiunt actus vitales ſeipſis produci, nam tam eſſentialiter pendent à ſuis principiis quàm actio. Dices has actiones, & hos effectus non poſſe eſſe ſine cognitione, at cur implicet eſſe alias actiones, quæ ex ſua natura non pendeant à cognitione? Reſpondeo primò, repugnare amorem non voluntarium; nam quiuis actus non voluntarius non eſt exercitium huius voluntatis. Quæſtio autem eſt, vtrum hæc voluntas hos actus poſſit exercere ſine cognitione? Item cum voluntas ſit ratione poſterior quàm intellectus, non cadit in mentem noſtram alia potentia vitalis: nam potentiæ nutritiuæ conſtituunt infimum gradum vitæ: deinde facultatum apprehenſiuarum, quas ſequuntur appetentes, alios vitales motus nec nouimus, neque eſſent affectus. Tandem voluntas non fertur in obiectum ſecundum ſe, ſed vt cognoſcitur, dirigiturque intellectu facem præferente, ſine qua nec gradum faciet. §. 33.

Deduci ex dictis poteſt, non manere affectum eumdem, §. 34.

Digitized by Google

eumdem, ſi cognitio mutetur, quia ab ea pendet eſſentialiter. Quod obſerua contra opinantes eumdem actum de bono reddi malum per ſolam mutationem cognitionis, & de morali fieri neceſſarium propter rationem eamdem.

SECTIO V.

Vtrum actus voluntatis dependeant à cognitione efficienter?

§. 35. Mitto Gofredum opinantem fieri à ſola cognitione, voluntate non agente, ſed recipiente: item & alios cenſentes affectum à ſolo obiecto produci: vtroſque, quia libertatem, actionemque vitalem è medio tollunt: poſteriores item, quia ſæpe obiecta non exiſtunt, neque adſunt vt in voluntatem operentur niſi media cognitione. Hos refert P. Vazq. in 1.2. diſp. 36. cap. 1. Marſilius apud eumdem actus liberos ait à volũtate produci: motus autem primo primos à ſola cognitione. Nec placet: tum quia illi actus non eſſent vitales: cognitio enim quia non operatur in ſe, non agit vitaliter: tum quia cognitio non poteſt eſſe cauſa adæquata amoris: qui multas habet formalitates, quæ non poſſunt in cognitionem referri: vt eſſe inclinationem, pódus, ſiue impulſum in obiectum, hæ cur oriantur à cognitioñe ſola? Tandem quia leue diſcrimen adducit, nam actus neceſſarios operatur etiam voluntas: non enim repugnat eamdem facultatem liberè & neceſſariò moueri, nam ſi voluntas Dei ſe amat neceſſariò, cætera liberè: quidni & noſtra voluntas ita exercebit amorem? Id enim facilè capitur oriri vel ex diuerſa repræſentatione obiecti, vel ex principiis extrinſecis.

§. 36. Dicendum cum communiori ſenſu, *amorem non produci ab actu intellectus.* Ita recentiores vniuerſi, præſertim P. Vazquez 1.2. diſput. 36. cap. 2. & nonnulli apud ipſum. Probatur primò, ab incommodo: actus ſupernaturalis non poteſt eſſe cauſa phyſica peccati: at eſſet, ſi cognitio concurreret ad actum phyſicè: ergo non concurrit. Maior eſt (vt opinor) euidens, quia ens ſupernaturale vt eſt perfecta Dei participatio, ſic à peccato quàm longiſſimè diſtat: tum quia effectus per ſe entis ſupernaturalis ſpeciali ratione Deo tribuuntur, vt actus ſupernaturales ratione habituũ per ſe infuſorum. Tandem quia in opinione Pat. Molinæ (& forte vera) in congreſſu vnius cauſæ naturalis & alius ſupernaturalis, effectus ſupernaturalis euadit: ſic ipſe opinatur concluſionem Theologicam eſſe ſupernaturalẽ, quia oritur ab vna ſupernaturali præmiſſa. Minor probatur, tum quia poteſt Deus infunderè homini ſcientiã ſupernaturalem, per quam cognoſcat obiecta creata; illa ſcientia relinquit hominem liberum, vt per eam operari poſſit probè & prauè (vt ſcientia Salomonis:) ſola enim intuitio Dei adimit libertatem peccandi; ſed per te cognitio concurrit ad actum: ergo cognitio ſupernaturalis phyſicè influeret in peccatum.

§. 37. Confirmatur: hic actus Fidei. *Mors eſt obeunda potiùs quàm Deus negandus:* relinquit hominem indifferentem ad amplectendam mortem & recuſandam: quia ita proponit eius honeſtatẽ vt etiam proponat acerbitatem: nec alius actus requiritur ad moriendum liberè, & non moriendum: ponamus ab homine mortem fugi; ergo in tua ſententia actus ille Fidei erit principium particulare per ſe influẽs in peccatum. Dices ſimul cum Fidei actu eſſe alium naturalem, qui erit cauſa peccati. Contra primò, pone à Deo auferri concurſum ad actum naturalem, ſolus actus Fidei relinquet hominem indifferentem ad vtrumque actum; ergo actus Fidei ex ſuo conceptu eſt principium peccati. Alioquin non relinqueret potentiam indifferẽtem, nec completam. Contra ſecundò, quia vterque actus concurret ad voluntatis actum: quia per te concurſus actiuus cognitionis requiritur: ergo in actu primo, habet paratum concurſum quicumq; actus reliquens potentiam indifferentem: ſed actus Fidei eam relinquit ad vtrumque actum, ergo eam complet in actu primo.

Secundò probo concluſionẽ à priori: tota cauſalitas intellectus in voluntatem apparet ſatis in propoſitione obiecti ſine phyſico influxu: ergo non influit. Conſequentia patet, quia ſi non influit ob dependentiam voluntatis ab intellectu, quorſum influit? antecedens probo: quia ſi intellectus proponat voluntati ſatis exploratè bonitatem aut malitiam obiecti, intelligitur voluntas habere applicatum ſuum obiectum: vt viſio beata præciſè quia Deum intuetur, proponit voluntati infinitam bonitatem, & nullum bonum proponit in ceſſatione ab amore. Dices determinari efficienter ab intellectu ad hoc obiectum. Contra quia (vt rectè Pat. Vazquez) per habitum charitatis determinatur ad Deum, vt ad obiectum formale: omneſque formalitates amoris poſſunt tribui voluntati cum principiis ex parte ipſius, v.g. eſſe actum vitalem & affectum tribuitur voluntati: eſſe de obiecto ſupernaturali, immò de Deo habet à charitate, ergo tantùm requirit cognitionem vt proponat obiectum: ſatis autem determinatur ad obiectum quando potentia eſt indifferens, illud proponendo, & exprimendo quid habet boni aut mali: nam per eam repræſentationem iam habet circa quid exerceatur; cæteri influxus admittuntur ſine neceſſitate. Recognoſce quæ de cauſa adæquata dixi diſput. 9. phyſicorum.

§. 38. Confirmatur, cauſa finalis mouet voluntatem eam ad ſe alliciendo: ergo ſi ei proponitur ratio boni cauſæ finalis, iam intelligitur ratio cauſandi finaliter, tametſi negetur influxus actiuus. Dices voluntatem eſſe indifferentem ad plures actus: ergo indiget principio determinante actiuè. Nego conſequentiam: quia illa indifferentia non oritur ex defectu virtutis actiuæ: ſed quia eſt potentia vniuerſalis: hæc vniuerſalitas adſtringitur per cognitiones in genere cauſæ repræſentantis. Poſita cognitione ſæpe voluntas amat neceſſariò: ſæpe liberè & indifferenter: non ex defectu virtutis actiuæ: ſed potius quia eſt completa ad agendum & non agendum: determinat autem ſeipſam cum concurſu neceſſario ex parte Dei.

§. 39. Pater Molina 1. part. quæſt. 19. artic. 2. diſput. 3. §. *Circa reſponſionem.* Caietan. Contrad. aliique Doctores apud Pat. Vazquez ea diſput. 36. cap. 2. docent ſimul cum voluntate influere in eos actus cognitionem. Primò, quia Verbum diuinum quaſi efficienter ſpirat tertiam perſonam; ergo & noſtrum verbum producit amorem. At in opinione Caietani viſio beata non influet in amorem Dei, quia ea nec eſt verbum, nec illud producit ex mente Caietani: & cum ſit actio, non eſt principium agendi: vt ergo voluntas adæquatè concurrit ad actum vnum per ſolam repræſentationem obiecti; cur per eamdem non concurret ad cæteros actus? Deinde argumentum eſt leue, nam Verbo communicat Pater fœcunditatem ſpirandi, quæ eſt natura: cum ergo principium ſeu ratio ſpirandi ſit communis Patri & Filio, ſic & operatio: At verbo

creato

creato non tribuitur facultas amandi, quia amor non amat vt amat Verbum:nec eius attributum eſt facultas amandi, vt eſt Verbo: nec idẽtificatur cum natura amatrice vt eſt Verbum Dei. Adde Verbum eſſe principiũ Spiritus ſancti nõ formaliter per intellectum:ſed per volũtatem. Hi autem cognitioni formaliter tribuunt actionẽ,ergo non arguunt è re.

§. 40. Secundò, affectus diſtinguuntur ſpecie per cognitiones: ergo phyſicè ab illis oriuntur. Antecedens dubium: conſequentia nulla. Nam licet cognitio phyſicè non influat in actum voluntatis, poteſt eſſe ratio illum ab aliis diſtinguendi: quia cognitionem reſpicit amor vt principium voluntatem mouens, à quo pendet vt à proponente obiectum: variata autem propoſitione poteſt variari effectus qui eam reſpicit. Non eſſe neceſſarium principium actiuum, vt varietur ſpecies, patet, tum quia & obiecta ſunt cauſa talis varietatis: tũ quia & cauſæ materiales, immo & anima rationalis ſumit eſſentiam connotando materiam, quod ſiquæ anima informaret corpus diuerſæ ſpeciei à noſtro, eſſet & anima ſpecie diuerſa. Item ſi relatio diſtinguitur à fundamento & termino, eſſentialiter variatur pro varietate termini. Sufficit enim dicere aliquem ordinem tranſcendentalem ad aliquod, vt inde poſſit variari ſpecies: ab applicatione autem materiali non variantur actiones, quia ad illam hæ non dicunt ordinem, nec materiales applicationes diſtinguunt ſpecie.

§. 41. Tertiò mouetur Caietan. quia voluntas mouetur per imperium practicum:ergo efficienter. Iſtud imperium expugnabo ſectio. 8. quo admiſſo nulla eſt conſequentia: nam & pedes mouentur voluntatis imperio, quin voluntas influat in calces. Erit igitur imperium actus iudicãs hic & nunc aliquid amandum, quod cum paſſim apprehendamus, non apprehendimus phyſicum influxum.

§. 42. Quartò arguitur, quia ſicut ab obiecto & potentia paritur notitia, ita paritur amor:& ſicut per ſpeciem impreſſam potentia determinatur actiuè ad cognitionem, & per præmiſſas ad concluſionem, ita per iudicium ad amorem. Hæc ratio non eſt imbellis:cui nonnulli reſpondent: voluntatem eſſe potentiam affectiuam, & ferri in ſuum obiectum:vnde tota ratio agendi eſt in ipſa: obiectum autem trahitur ab intellectu, & tota ratio agendi non eſt intellectus ipſe. Contra: hoc diſcrimine probatur potius voluntatem non eſſe totam rationem agendi, ſecus verò intellectum. Nam voluntas fertur, & trahitur ab obiecto: tractio autem melius intelligitur per actionem ab obiecto: qua trahat voluntatem quaſi vnco. Rapere enim, trahere, ferre & alia, actionem vehementem ſignificant. Quia verò intellectus non trahitur, ideo in ſe habet totam rationem agendi.

§. 43. Alij cenſent non vniri cognitionem cum voluntate, vniri autem cum intellectu. Contra primò, quia cognitio eſt immediatè vnita voluntati. Secundò, quia in ſententia diſtinguente potentias, ſufficit vnio ad eamdem radicem: ſi enim ad mouendum in genere cauſæ formalis ſufficit ea vnio, multo melius ſufficit, & ad actionem. Tertio, quia in eorum ſententia phantaſma non vnitur intellectui agenti, & cum illo producit ſpeciem. Ratio à priori: quia ſufficit applicatio duarum cauſarum, vt Deus & creatura: & duo homines ad ferendam trabem. Negatur ergo parem eſſe rationem: oſtendi enim diſp. 12. non poſſe intellectum per ſpeciem determinari niſi actiuè: & per iudicium poteſt ſola repræſentatione obiecti: quia ſpecies impreſſa non eſt imago formalis, ſecus cognitio.

SECTIO VI.

Vtrum ex varietate cognitionum deprehendatur affectuum varietas?

SAnctus Thom. 1.2. q.9. art. 1. ſi coniungantur quæ dicit in corpore & ad tertium, apertè deprehenditur affirmare varietatem ſpecificam affectuum pro varietate cognitionum: ſed clariſſimè, q.30. art.3. ad 2. conſtituit diuerſitatem non materialem, ſed formalem pro varietate apprehenſionum, & quæſt. 31. art.3. ad 1. id docet apertè: nec manere actum eumdem cognitione mutata: ſed perfectiores affectus oriri ex cognitione perfectiori: exprimit, quæſt. 67. art.6. ad 3. & 2.2. quæſt. 24. art.7. ad 3. dicit charitatem viæ, quantumuis creſcat, non pertingere perfectionem Charitatis patriæ: quia hæc ſequitur viſionem, illa fidem: cum verò eo art. & alibi ait eamdem numero Charitatem viæ manere in patria, loquitur de habituali: quia eam ait euacuari accidentariis imperfectionibus. De actuali verò, quæ retuli affirmat. Quam S.Thom. ſententiam cum Conrado 1.2. quæſt. 13. art.6. ad 3. ſequuntur multi, quos & ego. §. 44.

Probant primò, quia ex obiectorum diuerſitate colligitur diuerſitas actuum; ſed variæ cognitiones conſtituunt obiecta diuerſa: ergo & actus. Minor patet, quia obiectum voluntatis eſt bonum apprehenſum. Secundò, quia actiones variantur ſpecie per principia actiua; ſed cognitio eſt principium actiuum amoris, ergo. Non vrgent; negatur enim minor primi argumenti, tum ex diſp. 13. ſect. 7. tum quia idem eſt obiectum formale charitatis in via, & in patria: eſt enim Deus ſecundum ſe, cum tamen ſit haud eadem cognitio. Ais hanc eſſe S. Thomæ probationem. Reſpondeo à S.Thom. non dici abſolutè cognitionem pertinere ad obiectum; ſed *quodammodo*: ideſt repræſentando, & mouendo ad illud. Ad ſecundum & minorem negaui ſectione ſuperiori: nec maior eſt vniuerſim vera; nam eadem calefactio ſpecie oritur à ſole, & ab igne, vt oſtendi diſput. 11. phyſic. §. 45.

Præmitto quæſtionem eſſe de cognitione afferente, & proponente obiectum: non verò quæ habeat rationẽ obiecti. Nam pro eius varietate erunt & actus varij, ſicut cæteri per ſua obiecta. Tum enim cognitio non eſt media inter obiectum & cognitionem, ſed eſt obiectum repræſentatum per aliam: de hac, quæ non eſt obiectum, ſed obiecti repræſentatio, eſt quæſtio. Item non modò eſt de actione reperta in amore, ſed & de qualitate. Oſtẽdi enim in phyſicis actiones, quia ſe ipſis pendent à principiis, numero mutari mutato quouis principio: ſpecie autem non niſi vel propter modum tendendi, vt in creatione, vel propter eſſentialem termini mutationem; itaque ex varietate cognitionum eadem ratione infertur varietas ſpecifica qualitatis & actionis amoris. §. 46.

Probo primò, quia ex diuerſitate facultatis apprehendentis infertur diuerſitas appetentium: ergo ex diuerſitate apprehenſionum infertur diuerſitas appetitionum. Antecedens eſt certum, quia appetitus eſt attributum gradus apprehẽſiui: cumque ſequitur: tum quia in homine, tametſi anima eadem eſt principium ſubſtantiale actiuum omnium actuum, diſparamus appetitum ſenſitiuum à rationali per potentias ſentientes, & ratiocinantes. Conſequentiam probo: tum quia eamdem proportionem ſeruant actus earum facultatum, quam facultates ipſæ: vt enim ſeruant eamdem dependentiam, §. 47.

dentiam, ſic & proportionem eamdem: tum quia tota illa potentiarum connexio eſt comparatione actuum: quia potentiæ non ſubiiciuntur inuicem propter ſe, ſed propter actus. Si enim voluntas in ſe exercenda non penderet ab intellectus exercitio, non penderet in ſuo eſſe. Nam & per potentiã Dei voluntas, ſi ab anima diſtinguatur, poteſt eſſe ſine intellectu, & non poteſt velle ſine cognitione; ergo potentiæ in ordine ad actus pendent in ſuo eſſe; ergo & in ſua perfectione: ſi enim actus potentiarum non accipiunt perfectionem inuicem pendentem, nec eam acciperent potentiæ: ergo ex varietate actuũ intellectus colligitur amorum varietas: quia in ordine ad eos actus & potentiæ ſunt diſpares, quod inde confirmo: quia nec voluntas mouetur ſenſione, nec appetitus intellectione: quia quæuis cognitio pro ſuo gradu perfectionis eſt principium actus perfectioris, aut imperfectioris.

§. 48. Secundò, cognitio rationalis, qua mouemur ad operandum propter finem, eſt principium amoris diſtincti ſpecie ab amore elicito à cognitione irrationali mouente ad amandum non propter finem formaliter, ſed belluino more: ergo & cæteræ cognitiones ſunt principia diuerſorũ amorum. Nam ſi vna cognitio poteſt affectus diſcriminare, poterunt & omnes: quia aduerſariorũ argumenta omnia premunt: antecedens probo, quia amor, quo eligitur medium propter conuenientiam cum fine, & finis intenditur per medij conuenientiam, diſtinguitur ſpecie ab amore lato in finem, & medium materialiter, & non formaliter ſub ratione medij: ſed illi actus ſunt principia horum amorum; ergo. Minor eſt clara, quia ex cognitione conuenientiæ finis formaliter infertur amor eiuſdem, vt cognitus eſt, & ex cognitione non attingente finem formaliter non poteſt inferri formaliter amor finis. Maiorem probo; quia cognitiones finis formaliter, & materialiter diſtinguuntur ſpecie: ergo & amores, quia ſicut in cognitione eſt ſimilitudo conuenientiæ, ita & in amore pondus. Secundò, quia non ſolum intellectus cognoſcit conuenientiam mediorum, & finis: ſed etiam voluntas eam amat, & intendit finem propter ſe, & media gratia finis, quod non reperitur in actu voluntatis irrationali; quia amens non ſolum non cognoſcit formaliter cõuenientiã obiecti cum ratione, verum nec eam amat: ergo ipſa ſubſtantia amoris mutatur; nam per ſuam ſubſtantiãm vult obiecti cum ratione conuenientiam, & eſt relatio mediorum ad finem.

§. 49. Dices primò, illam denominationem amoris propter conuenientiam eſſe extrinſecam à cognitione. Contra, eſſe amorem de hoc obiecto non eſt extrinſeca denominatio à cognitione de eodẽ: ergo neque eſſe amorem conuenientiæ cum fine; & relationem mediorum ad finem. Quia non minus proponitur illa conuenientia, quam obiectum ipſum: atque ita ſicut intellectus exercet actus rationales & irrationales, ita voluntas & ſuos: & ſicut intellectus cognoſcit rationem finis formaliter, ita & actus voluntatis in ſe ipſis ſunt impulſus in finem ipſum, nec mihi perſuadebunt, appetitiones infantium ortas ex intellectione imperfecta, & irrationali, in ſe eſſe tam perfectas, quàm in viris, nec voluntarium perfectum eſſe tale præcisè per extrinſecã denominationem à cognitione: ſed voluntatem intrinſecè perfici actibus rationalibus, quemadmodum intellectus ſuis.

§. 50. Dices ſecundò, hoc nõ oriri ex cognitione præcisè: ſed quia repræſentat diuerſam rationem obiectiuam. Qua ſolutione nõ ſemel vtitur P. Suarez. Contra primò, quia illa diuerſitas formalitatum non eſt in obiecto, ſed in actu: ergo oritur diuerſitas ab actu. Antecedens patet ex diſputatione 5. metaphyſic. ſect. 10. quia obiectum in ſe idem eſt; tendere autem in illud ſub hac ratione, & non ſub illa, perinde eſt ac tendere cum hac vel illa cognitione. Secundò, quia Deus in patria & in via non eſt obiectum diuerſum, ſed idem: & tamen cognitio relinquens libertatem eſt diſtincta à cognitione eam tollente. Tertiò, demus hominem ſanum perpendentem rationem mediorum & finis: iſte fiat inſanus & illi repræſententur finis, & media, & eorum conuenientia, ſed ita vt non ſatis intelligat ea obiecta, quod paſſim euenit, quia amentes loquuntur de Deo, & ratione, & dicunt ſe ita moueri: at tunc nulla eſt diuerſitas in obiecto; quia omnia quæ ſanus apprehendit, & inſanus, & de illis loquitur: ergo diuerſitas oritur ex ſolo modo cognoſcendi eaſdem formalitates obiectuas. Et ſicut cognitio amentis tendit in obiectum adæquatum cognitionis ſani materialiter, & non formaliter ſub ratione finis: ita & voluntas in illud fertur materialiter, & non formaliter: ergo pro varietate cognitionum variantur effectus. Nã per te illa varietas cognitionum eſt ratio formalis diſtinguendi formalitates obiecti: quæ in ſe non ſunt diſtinctæ realiter.

Tertiò, ex vna cognitione oritur actus liber, & ex alia neceſſarius: ergo. Dices liberum, & neceſſarium non diſtingui ſpecie. Contra, quia diſtingui probabo diſput. 15. Deinde, non diſtinguantur ex præciſa ratione liberi & neceſſarij: at ſicut cognitio mutauit modum potentiæ, & eam de libera fecit neceſſariam, & de operante pro libito operantem pro tota potentia; cur non arguemus ſubſtantialem mutationem actuum? §. 51.

Nobis aduerſatur P. Vazquez 1. 2. diſp. 2. cap. 2. quia cognitio tantùm eſt conditio. Sæpe oſtendi eam eſſe pluſquam conditionem, quod patet ex diſput. 13. & ex hac ſectione. Item quia pura conditio non immutat operandi modum. Dicunt multi eundem amorem viæ manere in patria. Diſtinguo; habitualem concedo cum S. Thom. actualem nego cum eodem. quod certum arbitror de intenſione: nam iuſtus in patria amat pro tota habitus intenſione, idque neceſſariò: at in via poteſt & remiſſius. §. 52.

SECTIO VII.

Quæ cognitiones ad quos actus requirantur?

Explicata vniuerſim dependentia voluntatis ab intellectu, eſt nunc particulatim diſquirenda. Simplicem apprehenſionem ſufficere ad mouendam noſtram voluntatem exiſtimo cum P. Vazquez tomo 1. 1. 2. diſp. 44. cap. 2. Primò, quia appetitus ſenſitiuus mouetur per ſolam ſimplicem apprehenſionem: ergo ſimiliter voluntas: quia ſimplex apprehenſio non minus bene repræſentat rationem boni, quàm ſenſio. Secundò, quia ſæpe delectamur de obiecto cognito vt impoſſibili, vt cum quis gaudet cum ſe exiſtimat volare, aut in Angelum conuerti: ſæpe enim voluptatem capimus de huiuſmodi obiectis. Immo ſæpe peccatur illorum oblectatione; & multi Theologi aiunt Angelos peccaſſe, quia voluptatem cepère ex apprehenſione, qua ſe fingebant Deum. Item ex hoc ſimplici affectu oritur interdum motus aliquis externus indeliberatus: vt inter inſomnia oritur ex appetitu. §. 53.

Hæc

§. 54. Hæc ſimplex apprehẽſio eſt inſufficiens ad actus efficaces finis: nam ad volendum aliquem finem efficaciter, opus eſt iudicio exiſtimante talẽ finem obtineri poſſe. Probatur, quia ſi non exiſtimamus rem eſſe poſſibilem, non poſſumus habere ſpem illius conſequendæ: at ſine ſpe conſecutionis non poſſumus adhibere media. ergo. Dices, hominem dubium de poſſibilitate poſſe tentare media. Sed hic iam habet ſpem: concipit enim aliquam exiſtimationem de rei poſſibilitate: qua exiſtimatione excitatur ad rem inquirendam. Itaque non poſſumus tentare rem, quam cognoſcimus eſſe impoſſibilem: & pro opinione de poſſibilitate ſpes creſcit, atque decreſcit. Niſi forte quis moueatur more belluino tractus obiecto ſine vlla conſideratione. Nam ſicut feræ mouentur nihil de rei poſſibilitate cogitantes: ita & homo quando agit cognitione cum ea imperfectione, quam habuit in ſenſu. Nam & inter inſomnia id ſæpe contingit: hic autem loquor de rationali cordatoque motu voluntatis ad opus, qui non poteſt eſſe ſine ſpe conſecutionis, quæ à iudicio pendet.

§. 55. Deinde non poſſumus rem efficaciter intendere, niſi intelligamus aliquod medium eſſe poſſibile ad illius conſecutionem: quia res non eſt poſſibilis niſi per media: non tamen requiritur cognitio huius, aut illius medij in particulari: ſed ſufficit cognitio confuſa, per quam diuerſa media tentemus.

Non poteſt homo prudens aliquem finẽ intendere ſine ſcientia media, qua cognoſcat finem illum obtineri poſſe, ſi hoc aut illud medium adhibeatur. Probatur ex dictis: quia nullus poteſt efficaciter rem intendere, niſi præcognoſcat eam eſſe poſſibilem per aliquod medium: ergo non poteſt efficaciter intendi res, quin præuideatur efficacia medij ſi adhibeatur. Confirmatur: qui vult arcem expugnare, prius quam velit bombardas explodere, attentè perpendit bombardarum magnitudinem, glandis materiam, atque figuram; pulueris tormentarij efficaciam, murorum latitudinem, & diſtantiam arcis: quibus perpenſis oppugnationem aggreditur. Hæc altius ſunt expendenda cum agatur de ſcientia media Dei.

SECTIO VIII.

Vtrum voluntas moueatur per imperium intellectus?

§. 56. SVppono cum S.Thom. 1. 2. quæſt. 17. artic. 1. quem ſequitur Pater Vazquez ibidem diſp. 46. imperium formaliter eſſe actum intellectus, per quem manifeſtatur ſuperioris voluntas inferiori. Itaque imperiũ eſt declaratio voluntatis: ad quam declarationem ſupponitur ipſa ſuperioris volũtas, quæ declaratur. Ita expreſsè aſſerit S.Thomas: quapropter actus voluntatis non propriè vocantur imperium, ſed transfertur hæc vox ad ipſum ſuperioris præceptum, & voluntatem, quam imperium declarat.

§. 57. Aliqui Thomiſtæ, quos Pater Suarez refert, & impugnat 1. Metaph. diſp. 29. ſect. 6. affirmant voluntatem moueri per actum practicum: quo iudicatur rem hic & nunc eſſe faciendam. Hic actus non eſt iudicium, quo determinatè iudicetur obiectum hic & nunc debere amari, & cæteris præferri: nam in actibus malis tale iudicium eſſet hæreticum: ſed eſt quidam actus explicatus hac voce. *Fac hoc*: qui ita mouet voluntatem, ac ſi eſſet iudicium, cenſens hic & nunc oportere fieri: in quo ſenſu illud voco iudicium practicum. Hunc actum vocant *imperium*, & dicunt eum eſſe tam efficacem vt eo poſito voluntas non poſſit tergiuerſari. Probant, quia voluntas eget intellectus repræſentatione: ergo niſi repræſentetur res hic & nunc eſſe amanda, non poterit voluntas moueri: nam appetitus determinatus ſequitur determinatum iudicium. Quod ſi iudicium eſſet indifferens, non poſſet voluntas per illud moueri ad actũ determinatum: nã à principio indifferenti vt indifferenti non oritur actio determinata. Non vrget: volũtas enim vt moueatur, tantum indiget actu intellectus exprimente bonitatem aut malitiam obiecti: quo poſito ipſa voluntas ſe determinat ad quod mauult, neque indiget illo imperio: à principio autem indifferenti vt indifferenti ob impotentiam agendi, non oritur actio: at verò ab indifferenti ob potentiam ad vtrumque oritur actio determinata: itaque actio ipſa ſeipſa tollit formaliter indifferentiam in actu ſecundo, at in actu primo liberè operante non poteſt tolli.

Et quidẽ Thomiſtæ aduerſantur apertè S.Thomæ, qui ſupra ſupponit imperium eſſe actum in- §. 58.
tellectus præſupponentem alium actum voluntatis qui imperetur, & manifeſtetur ſubdito: ergo ille actus voluntatis eſt prior quàm imperium, & ab illo independens: ergo voluntas quando efficit talem actũ, efficit ſine imperio Nam cum omne imperium præſupponat actum voluntatis, ſemper erit ſiſtendum in primo actu volũtatis effecto ſine imperio; ſicut ergo voluntas efficit illum actum ſine imperio, ita poterit & alios efficere. Dices ſiſtendum in vno primo actu volũtatis facto à Deo: quem vocant *primum velle*. Contra, ille actus à Deo factus, fit etiam vitaliter à voluntate hic & nunc amante ſiue liberè, ſiue neceſſariò: illud primum velle oritur ab imperio; ergo imperium ſupponit aliud primum velle; donec ſiſtatur in aliquo velle quod non ſit per imperium: & ſicut illud eſt factum ſine imperio, ita & cætera. Dices eſſe mutuã cauſalitatem inter imperium & velle. Verum hanc mutuam cauſalitatẽ negat Beat. Thom. 1. 2. quæſt. 109. art. 6. eam impugnaui diſputatione 8. phyſi. quæ in præſenti eſt difficilior: quia in quocumque genere conſideretur actus voluntatis eſt poſterior actu intellectus: quia in quocunque genere eſt voluntarium, & conſequenter ex cognitione ſingulorum.

Deinde, imperium eſt manifeſtatio voluntatis §. 59.
ſuperioris. Rogo hoc imperium cuius ſuperioris voluntatem manifeſtet voluntati? non alterius ſuperioris: cum enim homo peccat, cuius imperio peccat? Neque manifeſtat voluntati aliquem actum ipſius, tum quia de illo actu manifeſtato rediret eadem quæſtio: ergo non poteſt voluntas moueri per imperium intellectus.

In alio ſenſu poſſet quis dicere accipi imperium §. 60.
pro iudicio practico, hic & nunc opus dictante. Sed impugnatur primò, quia tale iudicium è medio tolleret libertatẽ: ergo. Probo antecedens, quia tale iudicium per te ita determinat voluntatem ad vnum actum, vt illã non relinquat indifferentem, ſed determinet ad vnam partẽ, ita vt poſito tali iudicio voluntas non poſſit non operari: ergo operatur neceſſariò, & non vt potentia libera; patet conſequentia, quia potentia neceſſaria eſt, quæ poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum non poteſt non operari; potentia autẽ libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agẽdum poteſt operari, & non operari; ſed hoc iudicium per te eſt requiſitum ad agendum ex parte actus primi, & eo

poſito per te ita voluntas operatur, vt non poſſit non operari: ergo illi conuenit definitio potentiæ neceſſariæ; & non liberæ. Confirmatur primò, quia illud iudicium aut eſt liberum ita vt fuerit factum cum libertate iudicantis, vel eſt neceſſariũ, id eſt, ſine illius libertate; ſi eſt liberũ, debet eſſe à libertate voluntatis: ergo ille actus voluntatis à quo pẽdet iudicium vt fieret, liberè factus eſt ſine tali iudicio: cum hoc iudicium ſit poſterius illo actu: ergo vniuerſim non requiritur iudicium practicum ad omnem actum volũtatis: ſi verò illud iudicium eſt neceſſarium: ergo non fuit in hominis poteſtate illud efficere aut non efficere. Deinde eo iudicio poſito non eſt in libertate voluntatis cohibere actum, aut elicere: ergo nunquam voluntas eſt libera in illo actu, quia neque eſt libera antea quam actum faciat, & antequam ponatur iudicium practicum: quia per te ſine illo non poteſt operari, neque eſt libera in ponendo iudicio, & poſito iudicio non poteſt non operari: quando ergo fuit libera, aut quando potuit liberè actum omittere? Cõfirmatur ſecundo, quia amentes, beati & bruta ea ratione nõ ſunt libera in ſuis actibus, quia cognitiones ita determinant appetitum, vt illum nõ relinquant indifferentem: ſed per te hoc iudiciũ practicum ita determinat voluntatem, vt illam nõ relinquat indifferentem in actu primo: ergo tollit illius libertatem; nec quid prodeſt ſenſus compoſitus, & diuiſus, alioquin & brutis prodeſſet.

§. 62. Dices primò, actum voluntatis eſſe neceſſarium in ſenſu compoſito iudicij practici; non tamen in ſenſu diuiſo: vt communiter dicitur de prædeterminatione. Verum à difficultate de prædeterminatione, & efficacia diuinæ gratiæ abſtinendum nunc ex ſummi Pontificis præſcripto. Admiſſa autem aduerſarijs prædeterminatione diſputãdi gratia, probo non eſſe eamdem rationem iudicij practici. Ac primum, qui libertatem actionis prædeterminatæ defendunt per iudicij indifferentiam, non poſſunt ſententiam hanc tueri, quia occluderent viam, qua arbitrantur ſe effugere argumenta contra phyſicam prædeterminationem. Deinde eſt conſideranda cauſa ſecunda cum omnibus requiſitir ex parte illius: & cum requiſitis ex parte cõcurſus Dei. Omnia requiſita ex parte cauſæ ſecundæ ante actionem pertinent ad actum primum: verbi gratia, ipſa facultas voluntatis, repræſentatio obiecti, & cætera. Hæc ex parte cauſæ ſecundæ debẽt eſſe indifferentia, vt cum illis componatur actus & eius carentia: quia ſunt potentia faciendi & nõ faciendi, vt patebit diſp. ſequenti: conſtituta autem potentia ex parte ſui in actu primo, accedit phyſica prædeterminatio; quæ non ponitur neceſſaria vt potentia poſſit agere: nam & ſine illa poteſt: ſed vt agat. Vnde aiunt eam eſſe applicationem, & actualem denominationem liberi arbitrij à cauſa prima: & cum illa non poſſe componi actũ & carentiam illius: nec propterea lædi libertatem: quia conſiderata cauſa ſecunda cum ijs, quæ habet vt ſecunda, poteſt componere actum & eius carentiam. Sic argumentor: iudicium quo voluntas operatur, pertinet ad actum primum cauſæ ſecundæ, illam complens in actu primo: ergo cum illo iudicio componi poteſt actus & eius carentia: ſed cum iudicio practico non poteſt, qua determinat ad actum: ergo iudicium quo operatur voluntas non eſt practicum. Prima conſequentia patet ex definitione potentiæ liberæ. Primum antecedens probo: quia cognitio repræſentans hic & nunc bonitatem obiecti, eſt neceſſaria ex parte operantis vt illud amet hic & nunc. Nam actus debet eſſe voluntarius, vt eſt ab homine, & ſic in eodem homine requirit cognitionem ſingulorum: ex parte cauſæ ſecundæ ſe tenet cognitio: & non formaliter ex parte cauſæ primæ: quia cognitio hominis non eſt concurſus generalis cauſæ primæ: qualis per te eſt prædeterminatio.

Dices ſecundò, ante imperium practicum eſſe aliud iudicium quod complet voluntatem in actu primo: cum quo componi poteſt actus & eius priuatio. Bene: ergo imperium practicum non eſt neceſſarium ex parte cauſæ ſecundæ: ergo quantum eſt ex ſe poteſt homo ſine illo operari: ergo Deus poterit determinare voluntatem, vt amet ſine tali iudicio. Quòd ſi non poteſt, ideo eſt: quia ſine eo iudicio practico non eſt voluntas completa. Et quidem cum intellectio moueat voluntatem, ſemper antecedit vt actus primus: non verò vt actus ſecundus: vt patet in viſione beata. §. 63.

Dices tertiò, imperium ex ſe non habere vim: ſed ex libera voluntate à qua fit. Contra primò, illa libera voluntas fuit ſine imperio; alioquin de illo redit difficultas; ergo & cæteræ poſſunt eſſe vt fuit illa. Quod ſi ea non fuit libera, nihil vrget ſolutio. Contra ſecundò, voluntas potuit elicere imperium & non elicere; at ſi ſemel exiſtit, ex ſe habet efficaciam: quia eſſentiam non habet à voluntate, ſed ex ſe: vt Deus liberè producit viſionem ſui in anima Chriſti Domini: at ea ſemel producta ex ſe habet vim inferendi neceſſario amorem: ergo actus orti ex imperio non ſunt in ſe liberi formaliter; ſed tantum in radice actus elicientis imperium. Quod ſi hoc ex ſe non habet vim, ergo ex ſe eſt merè ſpeculatiuum & non practicum; nec eo egetur magis quàm ad actum, quo elicitur. Mitto non eſſe imperium, quin ſit formaliter iudicium: de quo alibi. §. 64.

SECTIO IX.

Vtrum voluntatis defectum antecedat in intellectu defectus?

PAter Vazquez 1. 2. tom. 1. pluribus in locis affirmat voluntatem non poſſe peccare, quin in intellectu præcedat aliquis defectus. diſp. 128. affirmat hæreticam videri eam ſententiam, quæ aſſerit peccatum ſemper oriri ex aliquo iudicio, quo quis cenſet hoc obiectum hic & nunc eſſe bonum ſecundum rationem: ratio eſt manifeſta, nam qui affirmat fornicationem, verbi gratia, hic & nunc eſſe licitam, contradicit illi principio Fidei, *omnis fornicatio omni tempore eſt illicita*. Deinde in nobis non eſſe tale iudicium teſtatur conſcientia, quæ (vt aiunt) cum remorſu tale peccatum operatur. Et c. 2. refert Buridianum, aſſerentem hominem peccare, quia patitur in intellectu defectũ propoſitionis particularis, verbi gratia; in hoc ſyllogiſmo, *omne furtum eſt fugiendum, hoc eſt furtum*. Ergo in ſententia Buridani latro tantum conſiderat maiorẽ propoſitionem, non minorem, nec concluſionem. Huius ſententiam refellit experientia, qua videmus latronem animaduertere ſe furari, & ſe eſſe latronem, & pro furto timere patibulum, de quo poſtea ſe accuſat: quod non præſtaret niſi animaduertiſſet minorem illius ſyllogiſmi. Et cap. 3. refert Capreolum Caietanus & Conradum aſſerentes defectum voluntatis oriri ex defectu imperij practici. Quod faciendum dictauit, quod non erat faciendum. Verùm ſectio. 8. probaui voluntatem non moueri practico imperio: quod confirmo ex abſurdo §. 65.

abſurdo huius ſententiæ, nam voluntas fertur neceſſariò in obiectum malum, quia proponitur ab intellectu vt hic & nunc amandum, quod imperium voluntas nec potuit auferre,nec non ſequi.

§. 66. Ipſe P.Vazquez cap.5. docet in intellectu præcedere aliquem defectum cõſiderationis:ita vt obiectum, in quod voluntas fertur,repræſentetur,aut vt efficacius,aut vt conuenientius:ſi verò duo obiecta æqualiter repræſententur, in neutrum tendet voluntas,vt ex eodem videtur colligi num.16. & Henric.ab ipſo adducto num.7. maximè autem num.41.& diſp.43.cap.2.Hanc ſententiam probat ipſe, tum ex Ariſtotele pluribus in locis(quem fateor difficilem explicatum habère) tum ex Auguſtino: qui tamen haud difficilis eſt explicatu: ait enim nos vehementius rem amare, quo vehementius eius bonitatem cognoſcimus, quod quidem eſt verum: ſed Auguſt. non negat poſſe voluntatem amare, etiam ſi nullus ſit defectus in intellectu. Deinde adducit illud Hierem. 12. *deſolatione deſolata eſt terra, quia non eſt qui recogitet corde.* Sed hoc explicatur primò de recognitione cordis, ſiue cordata, id eſt, quia nullus eſt qui iuxta regulas prudentiæ, cordis moderetur affectus: & hoc eſt recogitare corde,re, id eſt, corde ſequi cogitationem. Vnde vera eſt hæc cauſalis, *terra eſt deſolata* (id eſt) *homines ſunt perditi, quia non eſt qui cogitet corde* (id eſt)*non eſt qui corde ſequatur prudentiam.*Sic omnes peccatores dicuntur ignorantes, id eſt,ſtulti corde,& prauo opere,quod eſt ſtultitia. Secundò poteſt explicari propheta de facto, non verò de potentia,nam ſi homines tunc temporis rectè perpenderent rationem, quod eſt *recogitare corde.* Hiſpanè, *penſarlo de veras*, non eſſent tam perditis moribus. Sicut Chriſtus dixit Tyrios conuertendos,ſi eis eſſet prædicatum. Verum ſicut Tyrij poterant non conuerti, ita & homines recogitantes poterant eſſe perditi, licet reipſa non eſſent ſi recogitarent, ſicut Tyrij non manerent in ſuis ſceleribus, ſi Chriſtum audirent; ſic etiam loquitur Auguſtinus.

§. 67. Huius ſententiæ ratio poteſt eſſe:quia voluntas dependet ab intellectu repræſentante rationẽ boni, ergo quo melius eſt bonum, vel efficacius repræſentatur, magis neceſſariò trahet voluntatem. Nego conſequentiam: nam dum bonum non eſt infinitum, vel dum non repræſentatur cognitione neceſſitante voluntatem, poteſt voluntas pro ſuo arbitratu eligere minus bonum & non ſequi obiectum vehementius repræſentatum; vt infra patebit.

§. 68. Dico primo. In intellectu ſemper præcedit defectus alicuius conſiderationis,aut plures rationes repræſentantis, quæ ſi adeſſet, voluntatem in officio contineret. Ita Pat. Suarez 1.metaph. diſp.19. ſect.7.num.9.quem in ſenſum poſſumus interpretari omnia teſtimonia, quæ pro ſe P. Vazquez adducit: probatur primò, quia ſæpe videmus hominem moueri aliqua ratione vno verbo inſinuata, quem antea mouere non poteramus plurimis verbis,& rationibus. Secundò,quis eſt adeo pertinax, vt nulla omnino ratione à ſuo cæpto conſilio dimoueatur? itaque ſemper deficit aliqua vehementior conſideratio.

§. 69. Dico ſecundò.Voluntas poteſt peccare ſine defectu in intellectu: itaque ſæpe voluntas mouetur in obiectum æqualiter, vel etiam minus bene repræſentatum. Ita colligitur ex P. Suarez. ſupra & expreſsè docetur à S.Thoma q.2.de virtutibus,art. 4.ad 4. *Dicendum* (inquit) *quod, licet cognitum diligatur, tamen non ſequitur, quod magis cognitum magis diligatur.* Probatur primò experientia, qua quotidie videmus hominem ſæpe peccare videndo melius eſſe non peccare; qui etiam dum peccat, vehementer timet damnationem æternam, animaduertens peccatum illud ſubito effugiturũ, & euolaturum, & pœnam illi debitam eſſe vehementiorem voluptate præſenti. Sic videmus homines cõcionibus præſentes mæſtos abire præ efficacia verbi Dei, adoleſcenſque ille flens diſceſſit à Chriſto: noluit tamen diuitias relinquere,ergo rectè poteſt voluntas ferri in obiectum minus bonum, & minus efficaciter propoſitum.Ratio à priori; quia vt voluntas moueatur in tali caſu ad obiectum, illi proponitur ſufficiens ratio boni, ita vt voluntas illud poſſet amare,ſi oppoſitum obiectum non repræſentaretur:at eo repræſentato non tollitur aliquid de bonitate prioris obiecti, neque ſecundi repræſentatio eſt, vt voluntas non poſſit ab illius amore ceſſare: ergo ſicut poteſt ceſſare ab obiecti amore melioris,& efficacius repræſentati, ita poterit ferri in obiectum oppoſitum,cum ſufficienter illi præſentetur.

Secundò, quia voluntas eſt libera quo ad ſpecificationem, & exercitium (vt probabo diſput. 15. ſect. 8. quam opus eſt oculis luſtrare) ergo poteſt ferri in obiectum minus efficaciter repræſentatum.Dicet aliquis, quando obiecta æqualiter proponuntur, voluntatem eſſe liberam quoad ſpecificationem, & exercitium:quando verò inæqualiter proponuntur, eam eſſe liberam quoad exercitium, quia poteſt ceſſare ab amore vtriuſq; obiecti, non tamen quoad ſpecificationẽ, quia non poteſt amare obiectum minus efficaciter repræſentatum. §. 70.

Contra, ego probo ex hac ſententia voluntatem nunquam eſſe liberam. Nam per te quando duo obiecta ęqualiter proponuntur,voluntas neutrum poteſt amare(vt initio vidimus)alioquin ſine defectu in intellectu, contra te,voluntas peccaret: quia cum neutra cognitio eſſet defectuoſa, quidquid eligeretur, eſſet ſine defectu in cognitione: ergo tunc non habet libertatem quoad ſpecificationem: nam hæc libertas eſt poteſtas ad vtrũque obiectum:tunc autem neutrum poteſt:ergo.Deinde in eodem caſu non eſt libera quo ad exercitiũ: nam hæc libertas eſt poteſtas ad amorẽ vnius obiecti, & ad ceſſationem ab eodem amore:ſed tunc non eſt poteſtas ad amorem huius obiecti,quia ab vtroque neceſſariò ceſſatur propter æqualem repræſentationem. Nam ſi poſſet exercere actũ bonum,itidem & malum. Quia non habet defectum ad malum magis, quàm ad bonum:ſic autem exerceret peccatum ſine defectu in intellectu: ergo in eo caſu tollitur omnis libertas. §. 71.

Deinde idem probo quando duo obiecta inæqualiter proponuntur; tunc enim non eſt poteſtas ad obiectum minus efficaciter propoſitum, vt tu fateris:ergo voluntas nunquã eſt libera quoad ſpeciem, contra communem omnium Theologorum cõſenſionem: idemque dixerim comparatione cuiuſcumque voluntatis reflexæ,cui neceſſariò præit iudicium: de quo rogo ſit ne efficacius? Aut æqualis efficaciæ?reditque argumentum idem. Idemque probo quoad exercitium, quia quando homo peccat,& ei proponitur vtrũ ſit melius peccare? An ſe abſtrahere à peccato? ſi efficacius proponitur peccatum quàm eius carentia, non poteſt eligere illius carentiam per te: quia id quod minus efficaciter proponitur, non poteſt amari: ergo carentia peccati reijcitur neceſſariò, quia minus efficaciter proponitur: ergo peccatum etiam in exercitio eſt neceſſarium, quia ſi carentia non eſt,actus ipſe §. 72.

exiſtet:& ſi carentia neceſſariò non eſt, actus exiſtit eadem neceſſitate.

§. 73. Quod ita confirmo; homini proponitur furari,& ſtipem erogare:ſi proponitur æqualiter, neutrum facit: ſi furari proponitur minus efficaciter, non poterit furari,ſed ſtipem erogare.Demus proponi furari,& non furari. Item non furari, vel erit per puram omiſſionẽ, vel per actum quo dicat *furari nolo*: in vtroque caſu eſt libertas quo ad exercitium tantum; qui enim negant puram omiſſionem:nõ dicunt eſſe libertatem quoad ſpeciem reſpectu actus omittentis, ſed reſpectu obiecti contrarij: non enim eſt libertas contrarietatis inter amare & nolle amare:ſed inter amare & odiſſe. In caſu noſtro tantum eſt repræſentatio de furto & non furto:nõ verò furari, & ſtipẽ erogare:ſi æqualiter repræſentatur furari & nõ furari, ad neutrum ſe determinabit voluntas, ſicut de determinatione ad ſpeciem dixi,§. 69. Si autem non furari proponitur efficacius, ita abſtinebit à furto, vt ſtante ea vehementiori cogitatione furari nõ poſſit:ergo non habet libertatem in exercitio: quod ſi proponitur furtum cogitatione vehementiori, ita furabitur vt non poſſit à furto ceſſare: quia è duobus obiectis repræſentatis illud eligitur neceſſario, quod vehementius repræſentatur: ergo ſicut non poteſt eligi erogatio eleemoſynæ, quando furtum vehementius proponitur,ita non poterit eligi non furari, quando furtũ proponitur vehementius:ſed qui non poteſt eligere non furari,neceſſariò furatur, quia non poteſt ſimul furari & non furari, & dum non eſt carentia furti, neceſſariò eſt furtum: ergo eſt neceſſitas quoad exercitium.

§. 74. Ergo in his caſibus voluntas ſe liberè flectit, in quam mauult partem:minus, aut magis, aut æqualiter repræſentatam. Quid ergo de Ariſtotelis authoritate? Reſpondeo,illam eſſe ſale condiendam, ne fœteat:ait enim incõtinentem cogitare vt ſomniantem,& temulentum:at hi libertate carent, ob defectum intellectus. Igitur Ariſtoteles dicit incontinentes eſſe,vt temulentos, qui tam effrænatè ſe Veneri dedunt, quàm ebrij Baccho, & præ libidine facere, quæ vix faceret ebrius, nec circunſpiciunt quæ ſe decent.Item vt ſomniantes, quia lumini rationis non magis obediunt, quàm ſomniantes inſomnijs.

DISPVTATIO XV.

De Libertate voluntatis.

EXPLANATIS actibus voluntatis, & eorum ab intellectu dependentia, eorumdem modus occurrit explicandus. Non agitur de libertate fuſè,& per varia ſignificata vagante:ſed pro indifferentia:qua nõ rapimur, ſed nos imus in obiecta: ſic vt poſſimus & non ire.

SECTIO I.

Quid ſit potentia libera?

§. 1. PHiloſophi potẽtiam liberam ſic definiunt, *quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum, poteſt operari, & non operari.* Eſtque clarum comparatione agentium non liberè, ſed naturaliter operantium: quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum,ita operantur,vt nõ poſſint cohibere operationẽ; ſicut ignis fractis carceribus quibus continetur, non poteſt in ſuperiorem ſphæram non euolare: definitionem autem ſic intellige. *Poſitis omnibus requiſitis*,id eſt,*prærequiſitis*, ſiue *antereguiſitis ad operandum*:qualia ſunt quæ requiruntur,tum ex parte intellectus, tum ex parte ipſius voluntatis. Dixi *ante operationem*,nam ipſa operatio nõ eſt ex requiſitis ad operandum, ſed eſt ipſamet ratio operandi,vel ipſum operari:qua poſita non poteſt agens non operari, debent ergo requiſita eſſe antecedentia actionem, quibus poſitis actio poteſt eſſe & non eſſe.

§. 2. Additur *ad operandum*: quæ particula excludit potentiam liberam increatam, cuius libertas non reperitur in actione. Diuinæ enim volitiones ſunt liberæ, & non producuntur: quarum libertas non conſiſtit in indifferentia ad eſſendum, ſunt enim entitas tam neceſſaria quàm Deus;ſed conſiſtit in indifferentia ad obiecta amanda, vel non amanda: Deo autem & creaturis poteſt hæc definitio aptari, *Potentia libera eſt, quæ poſitis omnibus requiſitis ad volendum, poteſt aliquid velle,& non velle.* Cum autem Deus velit ſine productione ſuæ volitionis, diuina libertas ſic poterit diffiniri, *quæ poſitis omnibus requiſitis ad volendum aliquid, poteſt illud velle & non velle ſine productione volitionis*: potentiæ autem creatæ *poſſunt velle & non velle producendo volitionem*: in qua productione, & operatione conſiſtit formaliter libertas creata; à qua cæteræ operationes liberæ denominantur.

§. 3. Eadem particula oſtenditur libertatem non ineſſe patienti in quantum patienti: ſed agenti formaliter. Quod præterea poteſt cõfirmari ex Concil.Trident.ſeſſ.6. Canone 4. aſſerente noſtrum liberum arbitrium nõ ſe habere vt inanime inſtrumentum, & merè paſſiuè in actibus ſupernaturalibus. Vnde colliges in receptione paſſiua non reperiri niſi modum inanimis inſtrumenti, libertate carentis: nec bene ratiocinari, qui libertatẽ conſtituunt in quadam indifferentia paſſiua, nam & materia prima, & omnia ſubiecta pluribus formis apta eam indifferentiam habent.

§. 4. Deinde definitio libertatis non eſt in ordine ad patiendum, ſed ad agẽdum:eſtque aperta ratio: tum quia patiens quando patitur, ita patitur, vt ſi agens velit operari, non poſſit non recipere actionem,vt patet in materia prima. Deinde ſi agens nõ vult operari,non eſt in voluntate patientis, neque in eius poteſtate habere paſſionem: ſi verò agens vult operari, & patiens ſit diſpoſitum, non poteſt illi liberè reſiſtere:nam in quo exerceretur hæc libertas? Non per aliquem actum voluntatis: nam hic oritur à principio actiuo, de cuius actione & paſſione redit quæſtio. Conſtet igitur libertatem actionis eſſe in ordine ad principium actiuum formaliter,& non paſſiuum.

§. 5. Additur, *poteſt operari & non operari*:potentia ad operandum, ſimul eſt cum potentia ad non operandum, vt ego ſimul habeo potentiam ad aſcendendum & deſcendendum ſcalas, & ſimul habeo potentiam ad oculos claudendos & aperiendos;at verò exercitium harum potentiarum nõ poteſt eſſe ſimul, verbi gratia, non poſſunt exiſtere ſimul aſcenſus & deſcenſus ſcalarum:ſimultas ergo appellat ſupra potentiam,& non ſupra actus.Itaque idẽ eſt poſſe operari & nõ operari, ac ita poſſe operari vt tunc etiam poſſit operationem cohibere, ita vt ad neutrã ſit determinata potentia, ſed ipſa ſe poteſt determinare ad quam partẽ voluerit,non verò poteſt operari ſimul & non operari: ita vt ſimul poſſint componi operatio & non operatio.

Explico:

§. 6. Explico: definitio non dicit. *Poteſt operari vel non operari*: id enim conuenit cauſæ neceſſariæ, quæ in quocunque ſtatu poteſt operari vel nó operari:quia neceſſariò poteſt,vel non poteſt:id eſt,eſt potentia,vel non eſt:quia *quodlibet eſt,vel non eſt*:& quando non poteſt operari, verum eſt poſſe vel non poſſe operari. Itaque aliud eſt poſſe, vel non poſſe operari:ſiue poſſe operari, & non operari. Si enim poteſt operari neceſſariò, verú eſt poſſe operari vel non operari: quia qui poteſt vnum, verè poteſt illud vel aliud. Nec item poteſt operari & non operari, quia cum potentia componi poſſint operatio & non operatio: nam componerentur contradictoria. Poſſe igitur operari & non operari eſt, cum potentia operatiua ita poſſe componi actum,vt cum eadē poſſit componi carentia actus. Quia potentia illum actum non reſpicit magis quàm eius carentiam. Si enim eſt potentia faciendi & non faciendi, ergo eius terminus & effectus non ſolum eſt facere,ſed etiam nó facere:ſed omnis effectus poteſt componi cum ſua cauſa, ergo tam facere quam non facere poſſunt componi cum potentia libera. Quo differt à neceſſaria:quæ conſtituta in actu primo completo agendi, non habet potentiam agendi & nonagendi:ſed agendi tantum: ſi verò non eſt completa, non habet potentiam non agendi:ſed impotentiam agendi. Itaque Sol non poteſt componi cum tenebris: potentia verò libera componi poteſt tam cum actu quàm cum eius carentia.

SECTIO II.

Quibus agentibus ſit libertas?

§. 7. Libertatem in Deo reperiri eſt è Fide certum, & ratione naturali: quidquid obſtrepat Ariſtoteles:tum quia eam nullam imperfectionem dicere alibi dicetur: tum etiam, quia ſi Deus non eſſet liber,operaretur quantú poſſet operari;vt cótingit agentibus naturalibus. Itaque in ſententia Ariſt.ſi Deus modò orbem non comburit,eſt quia nó poteſt:nam ſi poſſet,id efficeret neceſſariò,ſicut ignis: quod ſi libertate careret, nec prouidentiam haberet, quia fineret res neceſſariò euenire, quas non poſſet aliter diſpenſare,nec poſſet præmio,aut pœna in probos,& prauos agere:nec agentia creata haberét libertatem, quia in Deo nec formaliter eſſet nec eminenter. Denique ferino more creatis traheretur obiectis. Etenim maxima vilitas eſt neceſſariò amare herbas,& pabula:de quo argumento Theologis eſt ſermo, 1. p. q. 19. de quo egi ibi diſp. 8. Item eſt imperfectio non poſſe vllú actum habere circa ea obiecta. In Deo reperitur libertas in ſola voluntate: nam omnes actus intellectus Dei ita ſunt neceſſarij vt Deus neceſſariò cognoſcat quidquid eſt cognoſcibile.Nam per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ rerum eſſentias neceſſario comprehendit: per ſcientiam viſionis cognoſcit obiecta quouis tempore exiſtentia: quæ ſuppoſito quod exiſtunt, à Deo non poſſunt ignorari: ſcientia autem media cognoſcit futura hypothetica, quod ſi quid ex his non cognoſceret, eſſet quidem ignorans, quod repugnat:at non repugnat ea non velle efficaciter.

§. 8. Hinc colliguntur duo: alterum, in agentibus creatis poſſe libertaté reperiri.Nam hæc perfectio reperitur in Deo:ergo poteſt participari à creaturis, ſicut cæteræ perfectiones.Deinde id facto fieri conſtat in homine qué experimur eſſe Dominum ſuarum actionum: eſt enim communis gentium conſenſus, vt à pueris, amentibus, dormientibus, & brutis nullus exiſtimetur affici iniuria, quantumuis ab eo contumelioſa verba audiat:eſt enim certum cum illis nó poſſe iniri contractum. Quapropter matrimonia cum amentibus contracta, ſi conſtet de illorum amentia, diſſoluuntur: vel potius nulla declarantur. Secus verò cum vtentibus plena ratione, ac diſcurſu: à quibus iniuria lædimur.Diſcrimen oritur ex primorum neceſſitate,& ſecundorú libertate in agendo. Quod ſi quis hoc principium neget, hic vno ictu totius pietatis, & honeſtatis radices præcidet. Nam adulteria,homicidia, probra, ludibria, cæteraque flagitia exercebuntur impune,ſi libertas aufertur.

Deinde animus non erit immortalis, neque in alia vita erit præmium, aut ſupplicium. Quapropter huius temporis hæretici vt liberè poſſint luxuriari,& in omne ſcelus atque flagitium laxis habenis ſe ſe inferre, atque effundere: & funditus Chriſtianam pietatem euertere, negát libertatem. Refragantur ſcripturæ proponétes præmia & ſupplicia; quæ non debentur niſi prauè aut probè factis,quæ cum libertate fiunt:quis autem equo hominem peſſundanti patibulum decreuit? aut quod ſupplicium amétibus leges ſanxere?Item, *ignis, & aqua appoſita ſunt tibi, ad quod volueris porrige manū*, Adde *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere malum, & non fecit: quis eſt hic, & laudabimus eum?* tunc enim homō eſt laude dignus, cum potuit malú facere,& illud facere recuſauit. Quando autem quis ita operatur vt non potuerit id nó facere quam laudé meretur?Quapropter Ioſeph laudibus in cœlum effertur, quia libidinoſæ, ac flagitioſæ fœminæ verbis reſiſtēs accenſas libidinis faces extinxit; nec ſe voluit adulterio contaminare. Quis autem equum laudabit vnquam quod aliquando coitum cum equa recuſet?Ratione probatur: quia homo operatur cum plena ratione, animaduertens hoc bonum tale eſſe,vt non neceſſitet voluntatem; vel quia habet bonitatem finitam, cui poteſt aliam præponere, vel quia obſcurè repræſentatur, & propter claram repræſentationem alterius poteſt amare,quod voluerit. §. 9.

Nec hæretici præ impudentia animaduertunt ſe ſibimet eſſe contrarios,dum conantur alij ſuos errores perſuadere: nam in aliorú poteſtate non eſt aſſenſus magis quam in ſua ceſſare à perſuadendo; nec opus eſt vt quem rogent;nam ad obiectum eſt impellendus; nec poteſt ipſe reſiſtere,aut non agi; vt iumenta capiſtro, nec poſſunt aliquem ad iudicem deferre ob iniuriā aut rapinam; quia nec reus fuit ſui compos in iniuria inferenda, aut diripiendis bonis; nec eſt ſui iuris iudex,vt decernat iudicium & ſupplicium; nec homicidæ agentur in patibulum, vt non aguntur iumenta ſuos dominos necantia,nec de adultera vxore iure expoſtulabūt, quia miſera iumenti irrationalis vxor ferino more ſe expoſuit.Quis vnquam dormientes fecit reos inſomniorum? Itaque ſi ijs alapas impingas, non poſſunt tecum agere de iniuria: nec ſi patiantur, ſunt laude digni magis quàm lapis:nec ſi iraſcuntur ſunt digni reprehenſione magis quàm ferox canis,aut taurus. §. 10.

Dices, his omnibus extrinſecis rebus excitari apprehenſionem retrahenté ab opere prauo. Contra primò, quid refert illa retractio cum nec vllum ſit peccatum:nam neque erit cur expoſtules de tua vxore adultera, quia nihil contra te geſſit adulterio,magis quam emendo linum: nec verba contumelioſa offendent,quia prudentes vident ea eſſe §. 11.

tam neceſſaria, quàm voces pſyttacorum. Secundo etiam beſtiæ terrentur interdum,& tamen non ages in patibulum aſinum, qui te peſſum dedit, nec fame crucias canem, qui puerum momordit; nec te arbitraris læſum quia equus coram te ſpumat,aut hinnit.Denique vt cum iumentis,cæteriſque beſtijs non tam agitur ratione, quàm fuſte,ſic immanes iſtæ belluæ totius rationis expertes non ſude,ſed ferro ac flamma ſunt abigendæ.

§. 12. Alterum quod ſequitur eſt, libertatem in voluntate reſidere; tum quia libertas Dei eſt in ſola voluntate, tum quia Concilium ait poſſe hominem abijcere liberè vocationē,ſi velit,illi non conſentiendo. Vbi Concilium docet libertatē eſſe in conſenſu vocationis,qui eſt voluntatis actus.Tertiò, quia præmia & ſupplicia non decernuntur eis qui bene,aut malè intelligunt; ſed qui malè, aut bene amant.Nam homicidia,adulteria,charitas,& patientia,non ſunt actus intellectus, ſed voluntatis. Quartò, quia intellectus neceſſariò aſſentitur obiecto euidenter propoſito; quod tamē à voluntate non amatur neceſſariò; quando obiectū non proponitur clarè, tunc intellectus determinatur à voluntate per piam affectionem, aut prauam diſpoſitionem. Tandem quando contractus initur, non rogamus contrahentem vtrum intelligat? ſed vtrum velit? *vis baptizari?* qui loquendi modus apud omnes homines inualuit. Angelos eſſe liberos patet,quia gradū intelligendi perfectiùs quàm homo aſſequuntur. Bruta non eſſe libera eſt certum, vel ex ipſo nomine *irrationalia.*

SECTIO III.

Quid ſit libertas in actu primo?

§. 13. Libertas quædam in actu primo, quædam in ſecundo: libertas in actu primo, eſt *ratio per quam potentia conſtituitur potens operari, & non operari poſitis omnibus requiſitis.* Omnis enim actus primus eſt potentia actiua actus ſecundi:nā agens dicitur eſſe in actu:in primo autem, quia potentia actiua eſt natura prior,quam effectus,qui eſt actus ſecundus. Hæc facultas videtur eſſe aliquid diſtinctum realiter à voluntate, quia eadem voluntas poteſt mutari de libera in neceſſariam,tunc autem non manet libertas in actu primo; manet autem voluntas: ergo libertas in actu primo diſtinguitur à voluntate.

§. 14. Cæterùm, libertatem eſſe idem cum voluntate probatur, quia voluntas eſt principium quod poteſt operari, & non operari poſitis requiſitis, ſed per ſeipſam conſtituitur in ratione talis principij: ergo per ſeipſam,& non per aliquid ab ipſa diſtinctum eſt libera.Probatur minor, quia per ſeipſam eſt principium operans volitionem, ſed ad poſſe non operari non conſtituitur per aliquid à ſe diſtinctum: ergo in ratione liberæ in actu primo conſtituitur per ſeipſam.

§. 15. Aduerte, quod ſæpius dixi in phyſicis; potentiam dicere in recto propriam ſuam entitatem, & connotare in obliquo omnia principia à quibus cauſando dependet; & licet non immutetur entitas intrinſeca potentiæ, poteſt mutari è potente in impotentem; ſicut ignis per ſolam ſubtractionem concurſus generalis redditur impotens ad calefaciendum per ſolam varietatem eius quod connotatur in obliquo.

§. 16. Hinc eſt potentiam è libera mutari in neceſſariam per mutationem extrinſeci requiſiti, ſic mutata cognitione voluntas mutat operādi modum; nam ad operandum connotat cognitionem, & ad operandum liberè connotat cognitionē cum ſufficienti aduertentia rationis;vel nō repræſentante ei intuitiuè obiectū infinitum:connotat concurſum generalem,indifferentem; ſi hæc omnia ponantur, ipſa operabitur liberè,& ex defectu cuiuſque,operabitur neceſſariò. Ad argumentum reſpondetur; non tolli libertatem ſecundū quod dicit in recto; ſed extrinſeca cōnotata,in quibus connotatis poſſumus dicere conſiſtere radicem libertatis in actu primo.Formaliter autem conſiſtere in ſola voluntate illam radicem connotante. Nec enim cognitio eſt libera etiam partialiter: ſed libertas ineſt voluntati ſoli; id eſt,ſola illa eſt libera:non tamen ſūis viribus ſolis;ſed completa cæteris comprincipijs: quibus ipſa poteſt vti pro libito.

Itidem argumento pro ſecunda ſententia reſpondetur potentiam ſecundum quod dicit in recto,eſſe ipſam voluntatis eſſentiā: non verò adæquatè in ratione potentiæ, quia hæc dicit extrinſeca comprincipia, à quibus in operatione dependet. Abſolutè tamen ipſa voluntas eſt dicenda *potentia*,quia illa eſt potens operari,& ita denominatur & conſtituitur à cæteris comprincipijs, & ipſa eſt quæ vitaliter operatur: & quæ ita operatur vt poſſit non operari, & cōparatione cuius actio dicitur libera; ſicut viſio eſt potentia viſiua; quia licet ab alijs compleatur, tamen nomen *potentia* in recto ſignificat facultatem, tametſi connotat in obliquo cætera comprincipia. Aduerte ſolū Deum ſeipſo eſſe potentiam;cætera non ſolum ſeipſis,ſed etiam concurſu generali Dei ſine quo nulla creatura eſt potēs operari; quod ſi eſt abſolutè potens, eſt,quia abſolutè eum concurſum connotat. §. 17.

SECTIO IV.

Vtrùm actio ſit libera quo exercetur inſtanti?

Agens liberum in actu primo reduci poteſt in actum ſecundum & eſſe liberè operans; ſicut quæuis principia actiua poſſunt aliquando eſſe agentia;alioquin nō eſſet actiua.Nam eſſe actiuum & poſſe agere ſunt ſynonima. Hæc quæſtio nec difficultate caret,nec in vtramque partē authore. §. 18.

Dicendum, *actionem eſſe liberam eodem inſtanti quo exercetur; & agens liberum liberè agere eodem inſtanti.* Hæc concluſio negari non poteſt: oppoſitæ improbabilitatis notam P. Suarez inurit. 1. met. diſp.19.ſect.9.n.3.Probatur apertè: omnis potētia libera creata(de hac ſola nunc)conſtituitur in actu ſecundo, liberè operans per actionem; ſed actio eo inſtanti quo eſt & non alio, conſtituit operans liberè: ergo omnis potentia libera conſtituitur operans liberè per actionem eo inſtanti, quo eſt actio:ergo actio eſt libera,quo inſtanti eſt.Secunda conſequentia eſt certa, quia niſi tunc actio ſit libera, quî conſtituit agens liberum? quemadmodum viſio non cōſtituit videns, niſi cum eſt viſio: minor eſt clariſſima;quia denominatio agentis eſt quia agit:nec enim quis agit per actionem prætceritam,futurā,aut poſſibilē:ſed per præſentem,ſicut nullus videt niſi per viſionem tunc exiſtentē:nam illa denominatio eſt actualis; quæ requirit actum ſecundum exiſtentem. Maior probatur,omnis potentia operatiua formaliter cōſtituitur in actu ſecundo per actionē;ſed omnis potentia libera,vt libera, eſt formaliter operatiua (vt patet ex ſect. 1.) §. 19.

ergo

ergo omnis potentia libera conſtituitur in actu ſecundo per operationem. Maior patet ex terminis, nã actio eſt actus ſecundus actiuorum, ſicut motus potentiæ motiuæ; paſſio paſſiuæ, & viſio viſiuæ, quia actiuum eſt potentia agendi; quod eſt actus primus. Actio autem eſt actus ſecundus,quo conſtituitur agens, arbitror hanc eſſe demonſtrationem.

§.20. Secundò argumentor; agens liberum aliquando operatur liberè;ſed tunc operatur liberè quando realiter operatur,& non alio tempore:ergo quo tempore operatur, operatur liberè: maior eſt certa,quia aliquando meremur præmiũ, aut pœnam; quæ non meremur niſi cum operamur bene, aut malè: nam præciſè per potentiam operandi non exercitam actu, nihil meremur;quia illa non eſt in noſtra poteſtate: & ſi eſſet,eſſet quidem per aliam præcedentem volitionem. Minor probatur, quia quo tempore non operamur, nõ operamur,vt patet: ergo non operamur liberè,quia ſine operatione non poteſt eſſe operatio libera,quia libertas eſt affectio operationis. De hac ſententia conſtabit apertiùs cum oppoſita proponetur.

§.21. Ochamus,Gabriel,& alij Nominales in primum diſt.38. paſſim dicuntur opinari actionem nõ eſſe liberam pro inſtanti, quo exercetur, ſed pro immediatè ſequenti, quo poteſt non eſſe. Infœlices Suſannæ,Daniele liberatore paſſim egentes:neuter eorum, aut per ſomnum negat actionem tunc eſſe liberam. Primùm,Gregorius ea diſt.38. q.1. art.3. ante medium expreſsè affirmat actionem liberam eſſe liberam in inſtanti, quo exercetur, & eo inſtanti potuiſſe non eſſe; quod latè cõfirmat. Ochamus ibidem. q.1. ſub initium duas libertates admittit; alteram in ſucceſſione, qua potentia ita nunc vult vt poſtea poſſit nolle:ſecundam ait non eſſe tam clarã, qua eo inſtanti ita vult,vt tunc potuerit non velle, quod explicat eodem modo, quo omnes, quos infra ſubijciam. Quando verò ait rem non poſſe nõ eſſe eo inſtanti,quo eſt,loquitur in ſenſu compoſito,& ex ſuppoſitione;non tamen abſolutè. Gabriel ibidẽ quæſt. vnica art.1. notabi. 6.anſam porrigit huic calumniæ:ait enim, actionẽ eſſe liberam nihil aliud eſſe, quàm exiſtere hoc inſtanti, & poſſe manentibus cauſis eodem modo non exiſtere in ſequenti. Verum ſi legatur, notabili 8. deprehendetur aſſerere actionem liberã abſolutè conſideratam poſſe eſſe, aut poſſe non eſſe eodem inſtanti. Quod dixerat notabili 6. eſt clarum in bono ſenſu:nam ex ſuppoſitione quod eſt actio,iam non poteſt non eſſe niſi inſtanti ſequenti: quod ſi cauſæ manentes eodem modo, non poſſent poſtea ab actione ceſſare, non eſſet tunc actio libera, & quia poſſunt ceſſare inſtanti ſequenti; ideo actio eſt libera in præcedenti;quia in vtroque cauſæ ſunt eodem modo; & eodem poſſunt agere & ceſſare ab actione. Itaque ſi coniungantur notabilia 6.& 8 & rectè,& cum communi ſenſu cohærent.

§.22. Arguitur primò, actio in inſtanti quo eſt, non poteſt non eſſe: ergo eo inſtanti neceſſariò eſt:ergo tantum eſt libera, quia poteſt non eſſe inſtanti ſequenti. Probo antecedens, quia implicat rem ſimul eſſe & non eſſe: reducatur in actum ea potentia. *Nam poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur inconueniens*: ergo ſimul erit, & non erit: quod implicat.

§.23. Hoc argumentum latam ignorantiam habere probo primò per inſtãtiam:quia ſequeretur Deum non voluiſſe liberè mundum:nam voluntas illa eſt ab æterno; & poſtquam eſt, iam non poteſt non eſſe tempore ſequẽti:ergo neceſſariò eſt, & nullo modo liberè;quia illi deeſt mutabilitas; tum quia in æternitate non eſt ſucceſſio, tum quia Deus non poteſt voluntatem mutare. Item Angelus ab æterno creatus potuit aliquid liberè velle, (vt argumentatur Gregor.) & non potuit in æternitate habere actuum ſucceſſionem, & fuit liber; idem etiam contingeret, etiamſi actiones eſſent ſucceſſiuæ eſſentialiter; ita vt quæ fuit inſtanti *A.* non poſſet eſſe in inſtanti *B.* quia comparatione vnius inſtantis eſt libertas, quæ inſtanti ſequenti neceſſario non eſſet, quia actio eſſet ſucceſſiua.

Secundò actio illa quando eſt, eſt neceſſariò: ergo quandiu eſt, neceſſariò eſt: ergo nunquam denominat hominem agentem liberè. Dices nunc eſſe liberam, quia poteſt non eſſe in inſtanti ſequenti. Contra, ergo nunc pro nunc, eſt neceſſaria, quia pro nunc non poteſt non eſſe:ergo abſolutè eſt neceſſaria. Probo conſequentiam, ſi inſtanti ſequente perſeuerat illa actio: tam neceſſariò eſt eo inſtanti, quàm in præcedenti eadem ratione. Quod argumentum efficiam de quouis inſtanti ſequenti, in quo duret: ſi verò non ſit in inſtanti ſequenti: ergo tam neceſſariò deſinit eſſe, quàm fuit antea.Probo conſequentiam;quia quod non eſt, quo tempore non eſt, tam repugnat eſſe, quàm quod eſt non eſſe; ſed quod neceſſariò non eſt, non eſt contingens, ſicut nec quod neceſſariò eſt:ergo tunc illa actio non eſt libera: ergo inſtanti præcedenti non fuit libera pro inſtanti ſequenti, quia ab exiſtentia neceſſariò futura non poteſt aliquid denominari liberum. §.24.

Denique non attenditur, quod potentia poſſit operari poſtea; ſed quod tunc potuit, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus;facere malum,& non fecit:* ergo ita non fecit malum vt tunc cum nõ fecit,potuerit facere;nam ſi tunc non potuit,qui locus laudi? erit quidem inſtanti ſequenti, non verò præcedenti. Actus enim nunc non conſtituitur indifferens formaliter per futuram exiſtentiam(licet inde libertas arguatur) ſed per præſentem exiſtentiam: nec recurras ad inſtantia præeuntia actioni, tum quia de illis redit argumentum factum contra tempus ſequens:tum quia Angelus cum primum creatus eſt, operatus eſt liberè & in inſtanti præcedente imaginario non potuit operari; quia non habuit eſſe. §.25.

Confirmatur, ponamus Petrum bene operantem inſtanti *A.* & immediatè poſt à Deo negari concurſum vt conſeruetur ille actus; de quo in inſtanti *A.* verè dicatur, *nunc eſt actus, & immediatè poſt non poterit eſſe*, ille eſt liber eo inſtanti; quia à nullo principio determinatur voluntas:item negatio concurſus ad futurum non tollit concurſum præſentẽ; nec mutat eius operandi modum. Idem dixerim cum primum quis incipit operari:& toto tẽpore præcedente non habuit concurſum ad operandum.Concurſus enim ad futurum,aut præteritum quid refert?Ratio à priori, quia cum primum cauſa operatur, nihil habet quo determinetur ad illam actionem, ſed ipſa ita ſe determinat, vt potuerit ſe non determinare: in quo conſiſtit libertatis eſſentia. §.26.

Ad argumentum in forma in §.23. diſtinguo antecedens:non poteſt non eſſe abſolutè,nego antecedens,ex ſuppoſitione & ſecundum quid, concedo:ſiue quod vocãt *in ſenſu compoſito & diuiſo:* Itẽ diſtinguo conſequens, neceſſariò eſt abſolutè, nego conſequentiam;dum eſt,id eſt facta ſuppoſitione,quod eſt,concedo,& nego ſecundã conſequentiam:quia eſt liber,quia eo tempore,quo eſt,potuit §.27.

ſimpliciter non eſſe. Rem explano; abſolutè liber aut neceſſarius efficit comparationem ad ſuam cauſam conſideratam abſolutè;id eſt, ſecundum ſe & omnia comprincipia neceſſaria ad agendum. Item & ad ſe ſecundum ſuam eſſentiam ſecundum ſe conſideratam relatam ad eſſe poſſibile per ſuas cauſas,abſtractum ab actuali exiſtentia,vel carentia exiſtendi. Quando cauſa in actu primo eſt ita affecta vt illi ex æquo conueniat operari & non operari, ita vt nullo principio determinetur, ad operandum magis quàm ad non operandum, ſed cum omnibus principiis tam poſſit componi operari quam non operari:quia nullũ petit hanc partẽ contradictionis magis quam illam: tunc effectus ſecundum eſſe poſſibile cõſideratus non petit magis eſſe,quam non eſſe;quia non poteſt eſſe niſi per ſuas cauſas,quæ ſunt indifferentes. Quo differt ab effectu neceſſario,cuius eſſentia petit determinatè produci à cauſa completa:quæ in actu primo conſiderata nõ eſt indifferens,ſed determinata ad agẽdum(vt explicui ſect. 1.)ergo in eo inſtanti quo ego operor,poſſum non operari abſolutè conſideratus, quia in me nihil eſt ex parte principij actiui, quod petat operationem magis,quàm eius carẽtiam;aut quod neceſſario cum altera parte nectatur.Quando autem aliquod principium ita petit operari,vt illi ſecundum ſe conſiderato repùgnet ab operatione ceſſare;tunc neceſſariò operatur, & effectus ſecundum ſe eſt illi affixus.Quod explicandum eſt per prioritatem naturæ cauſæ, quam explicaui diſp.8.phyſ.& in Deo per prioritatem rationis.

§. 29. Neceſſitas ex ſuppoſitione iam addit aliquid ſupra cauſam, & effectum ſecundum ſe; quia addit exiſtentiam effectus,vel carentiam ipſius. Ponitur enim determinatè vna pars contradictionis cum cauſa. v. g. homo operans vt operans, includit & potentiam operandi,& operationẽ iam exiſtẽtem; facta hac coniunctione atque retenta,nõ poteſt nõ operari, quia ſicut operatio non poteſt eſſe ſimul & non eſſe, ita non operari non poteſt coniungi cum cauſa iam operante,quia eſſet operans,& nõ operans.Itaque exiſtentia operationis non ita coniungitur cum cauſa,vt non potuerit non coniungi, quod eſt abſolutè poſſe eſſe & non eſſe:at potentia cum operatione ita coniungitur,vt cũ vtraque repugnet nõ operatio;quod eſt dicere repugnare cõponi operari & non operari:& eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione,& ſenſu compoſito:quia facta compoſitione cauſæ & operationis non poteſt cum illis componi carentia operationis;quia ſimul eſſent contradictoria: at in ſenſu diuiſo poteſt componi: quia diuidendo effectum & eius carẽtiam à cauſa; hæc ex ſe poteſt eſſe & cõponi cum alterutra parte contradictionis. Atque hic eſt germanus vſus *ſenſus compoſiti & diuiſi.* Confirmatio æquè eſt æquiuoca: non enim poſſunt eſſe actu operari & non operari,ſed vtraque pars ſecundum ſe conſiderata poteſt eſſe cum cauſa ſecundum ſe,& poteſt non eſſe. Vide explicationem definitionis ſectione 1. Quia ergo tota ſuppoſitio actionis à me liberè eſt cõſtituta:ita carentia eius actionis & à me eſt liberè ablegata; quo poſito à me; iam non poteſt actio non eſſe:at in eo inſtanti penes me fuit ponere operationem,aut eius carentiam.

§. 30. Dices. Effectus exiſtens eſt neceſſarius in ſenſu compoſito,& ex ſuppoſitione: ergo in ſenſu compoſito,& ex ſuppoſitione non eſt liber;quia neceſſitas qua ratione neceſſitas, opponitur libertati. Nego conſequentiã;quia liberum ſtat pro obiecto ſecundum ſe,& abſolutè cõſiderato:ſuppoſitio autẽ conſiderat obiectum non ſecundũ ſe,ac proinde infertur ineptè carentia libertatis ex neceſſitate ex ſuppoſitione: non minus quam ſi diceret, *dum eſt actus,neceſſarium eſt eſſe:ergo dum eſt abſolutè non eſt liber,* quæ eſt inepta deductio componens duos terminos inuicem contradicentes. Vnde malè audiret qui diceret nos neceſſariò operari, & non liberè dum operamur:nam ſi ipſa operatio nos non conſtituit etiam dum eſt, liberè operantes, quo modo ſumus formaliter agentes liberè? ergo dum operamur, & facta ſuppoſitione tam liberè operamur quam ſumus albi dum habemus albedinem: quia ſicut albedo nos conſtituit formaliter albos, ita & actio formaliter liberos.Neceſſitas autem abſoluta opponitur libertati:non verò neceſſitas ex ſuppoſitione,quia libertas ſtat pro indifferentia ſimpliciter in actu primo: cui ſolum opponitur determinatio ſimpliciter in actu primo; non vero determinatio in actu ſecundo,qualis eſt actio.

§. 31. Secundum argumentum contra concluſionem eſt, quia potentia libera eſt indifferens; ſed cum operatur non eſt indifferens, quia eſt determinata: ergo. Confirmatur: effectus eſt contingens, ſed quando eſt, non eſt contingens, ſed determinatus: ergo. Hoc argumentum eiuſdem farinæ eſt: nam cauſa libera eſt indifferẽs in actu primo,quia quidquid habet rationem principij non petit vnã partem magis quam alteram:at in actu ſecundo determinatur ipſa actione libera:eſſe autẽ potentiam in actu primo indifferentem,& determinatam in actu ſecundo per actionem tantum abeſt à repugnantia, vt omnino repugnet potentiã operari ſine hac determinatione actus ſecundi: quia cũ ſit indifferens in actu primo, iam adhæret vni parti per actionem ipſam; vt patet in Deo; per quam determinatur noſter actus primus,non tamen in actu primo,ſed ſecundo; id eſt non per aliquid habens rationem actus primi,ſed per ipſum actum ſecundum:qui eſt ipſiſſima libertas actualis: & exercitium potentiæ liberæ vt liberæ. Ad confirmationem; effectus eſt determinatus, vt determinatio excludit indiuiduũ vagum; quia eſt hæc numero actio: non verò vt excludit contingentiam: nam hæc numero, & determinata actio ſecundum ſe conſiderata ita eſt vt potuerit non eſſe; eſt enim contingens, & indifferens abſolutè, & ſecundum ſe,& ſecundum cauſas in actu primo inſpectas;& determinata ex ſuppoſitione ſui ipſius; quæ eſt ipſa determinatio actualis.

SECTIO V.

Libertas in actu ſecundo conſtituitur in actione volendi, non verò in iudicio indifferenti, modo,aut relatione.

§. 32. Ex definitione libertatis colligitur, libertatem actualem ſiue in actu ſecundo eſſe actionem, quæ ita eſt, vt poſſit non eſſe. Nam potentia libera eſt, *quæ poteſt operari, & non operari, poſitis requiſitis*, quod nunc pono ex ſect. 1. ſed actus ſecundus illius potentię eſt operatio exiſtens,potens tũc non exiſtere: ergo actus ſecundus potentiæ liberæ formaliter eſt ea actio.Probatur minor, quia actus ſecundus potentiæ actiuæ vt actiuæ,eſt actio,vt ex terminis patet, & probaui ſect 4.ergo actus ſecundus potentiæ neceſſariò agentis eſt actio exiſtens, & tunc impotens non exiſtere:quia ſicut potentia ita operatur,vt non poſſit ceſſare ab operatione:ita etiam operatio eſt, vt non poſſit non eſſe; nam ſi poſſet non eſſe;potentia etiam poſſet non operari;

ergo

Digitized by Google

ergo actus ſecundus potentiæ operantis,& potentis non operari, eſt actio exiſtens potens non exiſtere: nam ſi actio non exiſteret non operaretur agens,& ſi non poſſet non exiſtere,non poſſet agẽs non operari:quia operatur per illam:ergo tam neceſſariò operatur quàm illa exiſtit:& ſic tam contingenter exiſtit quàm illud operatur. Quod non eget alia probatione.

§. 33. Vnde colligo primò, libertatẽ in actu ſecundo non conſiſtere in iudicio indifferenti non determinante potentiam ex vi repræſentationis obiecti. Senſit enim neſcio quis (cuius meminit Pater Suarez diſput.29. metaphyſ.ſectio 3.num.7.) potentiam eſſe liberam,quando operatur per indifferentiam iudicij: verum hic agens de requiſitis ex parte iudicij cenſet voluntatem determinari actu practico dictante hic & nunc aliquid agendum; & contra phyſicam prædeterminationem argumento preſſus, recurrit ad indifferentiam iudicij, qua actus ille practicus caret.

§. 34. Impugnatur tamen hæc ſententia. Primò, quia iudicium vnum eſt ex requiſitis ad operandũ;nam voluntas ſine actu intellectus non poteſt operari: ergo poſito eo iudicio voluntas poteſt operari & non operari. Patet, quia poſito iudicio illo, eſt libera voluntas: ergo præter indifferentiam iudicij intelligitur voluntas habere virtutem actiuam ad agendum, & non agendum: patet, quia hæc potentia manet poſt omnia requiſita: ergo actualis libertas non conſiſtit in illo iudicio; ſed in actione, quam exercet potentia voluntatis ſupponens iudicium illud. Confirmatur, iudicium eſt indifferens,quia relinquit potentiam indifferentem:ergo potentia indifferenter ſequitur iudicium illud: alioquin illam non relinquit indifferentem: ergo eſt aliud exercitium, quo actualiter exerceatur potentia illa indifferens, alioquin non erit indifferens in actu ſecundo, quod exercitium eſt actio volendi.

§. 35. Dices eſſe quidem eam actionem, ſed liberam formaliter à iudicio. Contra, quia ſicut poſt iudicium manet potentia affectiua diſtincta à iudicio, ita manet libera: & vt libera diſtincta à iudicio, poteſt operari & non operari, etiam facta ſuppoſitione iudicij: ergo ſicut iudicium non denominat volitionem,nec vitalem, nec amorem, ſed eas denominationes habet à potentia, & modo emanandi; ita libertatem non habet formaliter à iudicio,ſed à modo ipſius voluntatis;radicaliter autem eſt libera à iudicio,ſicut etiam eſt amor, quia cognitio eſt radix amoris.

§. 36. Immo hic argumentor: iudicium relinquit potentiam indifferentem in actu primo:ergo potentia poteſt cum illo iudicio componere actionem & carentiam illius: quia iudicium indifferens eſt ad vtramque: ergo in poteſtate voluntatis eſt tam operatio quàm eius carentia: alioquin nõ eſſet indifferens: ergo ante actualem operationem non intelligitur libertas in actu ſecundo,quia operatio eſt libertas in actu ſecundo: ergo per operationem exercet voluntas indifferentiam in actu primo, quam habet connotando iudicium:ergo tam iudicium quàm facultas volũtatis pertinent ad potentiam liberam in actu primo; volitio autem ad actum ſecundum liberum.

§. 37. Secundo impugnatur, quia nullo fundamento ait ſufficere indifferentiam ex parte iudicij. Nã ſic poſſet aſſerere ſufficere indifferentiam ex parte habitus, vel concurſus generalis:vt enim ipſe ait non poſſe, actionem eſſe neceſſariam ſi fiat ex iudicio indifferente, ita ego aio non poſſe actionẽ eſſe neceſſariam, ſi fiat ab habitu, vel concurſu generali indifferenti; licet ſit à iudicio determinato eamdem ob cauſam omnino,& ſine diſcrimine.

Deinde quid refert iudicium eſſe indifferẽs;niſi poſt illud potentia ſit compos actionis, & illius carentiæ? Nam poſito eo iudicio, actionem poſſe eſſe neceſſariã, ſic monſtro primò,in neceſſitate ad ſpeciem. Nam iudicium, quo poſſum amare, vel odiſſe obiectum idem, me relinquit liberũ ad ſpeciem; & eo poſito poſſum neceſſitatem pati ad ſpeciem: ergo iudicium non eſt formalis ratio libertatis. Probo minorem; poſito eo iudicio bifariam poteſt Deus mecum concurrere; vel parando concurſum generalem ad amorem & odium; tunc autem ero liber ad ſpeciem: vel parando concurſum ad amorem,negando ad odium;tunc non ero liber ad odium; quia ſine concurſu Dei non poſſum odiſſe:hoc autẽ cur repugnat? cum Deus poſſit poſito iudicio indifferenti ad vtrumque negare concurſum, & parare:quid ni, & parare ad vnum negãdo ad aliud? neceſſitate ad exercitium itidem probo primò, admiſſa pura omiſſione:omittat aliquis actũ poſito eo iudicio, quia Deus negat concurſum ad actum; illa omiſſio eſt omnino neceſſaria, quia qui non habet concurſum ad actum, neceſſariò illum omittit. §. 38.

Deinde idemmet cum iudicio eodem, & concurſu iam parato omittat,iam omittit liberè (nam eam omiſſionem fore liberam pono aliunde) vel ſaltem non eſt ex parte actus primi determinatus ad omittendum, ſicut in priori caſu:& ſicut calor non applicatus eſt determinatus ad nõ calefaciendum:ergo manẽte iudicio, eadem actio poteſt eſſe libera,& neceſſaria. Item operetur quis actum poſitiuum amoris,v.g. quia ita afficitur à Deo,vt non poſſit ab illo ceſſare, eſt actus neceſſarius ad exercitium; at poſtea ita afficitur vt poſſit ceſſare, iam eſt liber. Si verò negas puram omiſſionem, res eſt clarior. Nam cum ita Petrus amat vt habeat concurſum ad non volendum amare; amat quidem liberè; at neceſſario amabit,ſi ita amet vt nõ habeat concurſum ad volendũ non amare. Ratio à priori,quia licet non determinatur à iudicio, ſi in actu primo determinatur ab alio; quid prodeſt? Sicut nihil prodeſt nõ determinari ab habitu charitatis, vel à concurſu generali, ſi poſtea determinatur à iudicio. Nam ad indifferẽtiam requiritur indeterminatio ex parte omnium principiorum; at verò ad neceſſitatem ſufficit determinatio vnius principij; quia illud rapit neceſſariò voluntatem. Stet ergo libertatem in actu ſecundo nõ eſſe iudicium, neque ab illo formaliter; ſed eſſe actionem ortam ex eo iudicio, & cæteris principijs indifferentibus in actu primo. §. 39.

Colligo ſecundò, libertatem in actu ſecundò non eſſe modum diſtinctũ ab actione. Nam libertas in actu ſecundo eſt formaliter actus ſecundus potentiæ liberæ vt liberæ;ſed ille actus eſt actio ſe ſola ſecluſo modo:ergo. Probo minorem,quia potentia libera vt libera eſt actiua;cuius actus ſecundus, quo determinatur, eſt actio ſe ſola. Dices eſſe actionem exiſtentem,potentem non exiſtere quod habet à modo à ſe diſtincto. Contra: potentia ad non exiſtendum eſt actioni ſoli ſecundũ propriam entitatem eo præciſè,quia eſt actus potentiæ operantis potentis non operari, ad quam potentiã relata actio non habet connexionem neceſſariã cum illa, ſed ita ab ea oritur ſecundùm propriam entitatem vt poſſet nõ oriri:nam ſicut actio neceſſaria ita affigitur ſuis cauſis, vt per ſuum conceptũ cum illis ita cõiungatur, vt non poſſit abiungi:ita actio libera §. 40.

libera eſt indifferens ad ſuas per ſuum conceptum. Confirmatur, libertas eſt quo agens eſt agens potens non agere; ſed per actionem ſolam, & ſuam potentiam eſt agens potens non agere: ergo.

§. 41. Secundo impugnatur hîc modus, quia nullus modus tribuit rebus indifferentiam, ſed potius determinationem; nam probabo diſp. 2. met. ſect. 5. modos eſſe eſſentiales determinationes rerum ad aliud, propter quod non poſſunt ab illis ſeparari: ergo ille modus non eſt libertas; quia non eſt indifferentia. Actio quidem ſeipſa eſt determinatio agentis ad effectum: poſſibilitas autẽ ad non exiſtendum, vel eſt ipſa actionis eſſentia, vel extrinſeca denominatio à potentia. Confirmatur: ille modus non eſt actio (nam ſi eſſet, intentum concluderem) ergo producitur actione à ſe diſtincta. Rogo per quid illa ſit libera? Non per alium modũ, nam in infinitum abibo; nec per illum, quia cum ille ſit terminus actionis liberæ, nõ illam denominat liberam, ſed illa terminum. Nam libertas eſt actioni, & ab ipſa termino: ergo actio illa ſe ſola eſt libera, & ſua libertate denominat terminum liberum.

§. 42. Colligo tertiò, libertatem non eſſe relationem diſtinctam ab actione. Primò argumentis contra modum. Secundò, quia relatio neceſſariò conſurgit ex fundamento: ergo non denominat actũ formaliter liberũ. Tertiò, quia relatio ſupponit actionem indifferentem; nam ſub ea ratione eam referret, quia actio per ſe oritur, ita vt poſſet non oriri, ad quod conſequitur illa relatio: ergo ſupponit liberam: & quidem formaliter, quia actio per ſe indifferens eſt formaliter libera, nec quis libertatem conſtituit in prædicamento ad aliquid. De quibus clarius conſtabit ſectione ſequenti.

SECTIO VI.

Vtrùm libertas ſit extrinſeca denominatio actui libero? An verò eſſentialis?

§. 43. NOn loquor de actu libero reduplicatiuè, ſed materialiter, ſicut albedo eſt de eſſentia albi reduplicatiuè, ſecus ſpecificatiuè, idẽ rogo de actu libero. Deinde quæſtio poteſt eſſe de actione ſola, vel ſimul de actione, & qualitate. Poſſet enim qualitas eſſe indifferens ad liberam & neceſſariã: actio verò eſſentialiter eſſe libera; qualitas verò per ſolam denominationem ab actione; vel poteſt eſſe duplex libertas vt vitalitas, & voluntarij ratio duplex: altera eſſentialis actioni, altera eſſentialis qualitati: omnia expendentur ſimul, & ſententiæ, quia ſingulæ graues, atque difficiles, in quas diuiſi ſunt authores.

SVBSECTIO I.

Opinio eam eſſe extrinſecam denominationem.

§. 44. PAter Vazquez 1. 2. diſp. 34. n. 15. & diſp. 55. n. 3. & alibi ſæpe. Pater Suarez ſæpius cum maiori parte Doctorum aſſerentium moralitatem eſſe extrinſecam actui; affirmant actionem eſſe liberam per extrinſecam denominationem à potentia libera ex qua oritur; actionémque eandem mutari poſſe è libera in neceſſariam, & è conuerſo. Probationi præmittit Pater Suarez, potentiam liberam in actu primo conflari ex duplici potẽtia, altera operandi, altera non operandi; eaſque eſſe ratione diſtinctas; quia diſtinguuntur connotatione terminorum. Nam ad operationem concurrit formaliter potentia operandi, non verò potentia nõ operandi, quia potentia non operandi vt non operandi, non eſt operatiua, ſed potius non operatiua.

Hinc argumentor, actio libera non accepit aliquid à potentia libera indifferenti, quod eadẽ actio non acciperet à potentia eadem determinata: ergo eſſe liberam nihil addit intrinſecum. Probo antecedens; ſi potentia eſſet determinata, produceret eamdem numero actionem, quam producit indifferens: ergo. Probo antecedens, quia potentia eſſet determinata præcisè, quia careret potentia non operandi; ſed propterea non deſineret producere hanc actionem: ergo. Probo minorem, quia potentia requiſita ob id non deficeret ad hanc actionẽ; quia hæc non pendet à potentia non producendi, ſed à potentia producendi, quæ remanet. Confirmatur primò, præcisè, quia hæc actio oriatur à potentia productiua potente etiam non producere, intelligitur liberè oriri; & quia oritur ab eadẽ potentia non potente ceſſare ab actione intelligitur neceſſariò oriri, ſed potentiæ productiuæ annecti virtutem non producendi, aut auelli eſt extrinſecum actioni; quia ſemper oritur à ſuo principio completo, quod habet ſemper eamdem virtutem influendi: ergo libertas actionis eſt extrinſeca denominatio à potentia. Confirmatur ſecundò, homo operatur actum veſcendi non conſiderãs eum eſſe interdictum; ſed cum inconſideratione inferentem neceſſitatem; deinde plenè aduertens perſeuerat in eodem actu liberè, quia aduertentia non mutauit voluntatis actiones, ſed intellectus tantùm: ergo. §. 45.

Robuſtum quidem argumentum. Cuius ſolutioni præmitto, facultatem operandi in potentia libera eſſe eamdem à parte rei cum facultate non operandi. Nam voluntatem nullus bipartitur realiter in actiuam, & non actiuam: ex parte intellectus idemmet actus, qui me relinquit liberum, eſt indifferens ad vtrumque; nam actus, qui me non determinat ad exercitium, eſt etiam principiũ non exercendi; neque enim ad hoc requirũtur duæ cognitiones; ſed vna, vel non repræſentans bonum infinitum, vel in obiecto repræſentans aliquam rationem mali (pro varietate opinionum ſectione 8. diſquirendarum) ex parte verò Dei vna eſt voluntas parata concurrere & non concurrere. Itaque potentia non producendi eſt à parte rei eadẽ cum potentia producẽdi, nec poteſt altera mutari, quin & altera. Immo arbitror eas inuicem nec ratione diſtingui: quia vtraque connotat eoſdem effectus, & comprincipia eodem modo: ergo non diſtinguuntur ratione. Hanc conſequentiam latè probabo diſp. 6. meta. ſect. 5. Antecedens probo, quia potentia factiua non conſideratur vtcumque, ſed factiua liberè, in quo differt à potentia factiua neceſſariò in ratione potẽtiæ operatiuæ: ergo per potentiam non faciendi conſtituitur intrinſecè, & eſſentialiter diſtincta à potentia neceſſaria: ſimiliter potentia non factiua eſt libera: ergo eſt ad vtrumque. Sed hæc non multum intereſt. §. 46.

Ad argumentum ergo ex §. 45. Nego antecedens: nego item antecedentem propoſitionem illud probantem. Ad probationem diſtinguo maiorem, quia caret potentia non operandi ſimul cum potentia per quam prius poterat operari, concedo maiorem: nego autem præcisè amitti potentiam non operandi, quin amittatur & prior operandi potentia. Vnde nego minorem: ſimiliter & antecedens pro illa; nam deficiente potentia non operandi, deficeret & prior operandi potentia; quia realiter §. 47.

realiter eſt idem cum illa:probationem diſtinguo, operatio non pendet à potentia non operandi reduplicatiuè ratione noſtra, ſicut ſenſio non pendet à rationali,tranſeat:non pendet realiter,& materialiter,nego.

§. 48. Ad confirmationem diſtinguo maiorem:intelligitur liberè oriri,quin in illa concipiatur eſſentia libertatis in actu ſecundo,realiter diſtincta ab actu primo,nego maioré:intelligitur oriri,quia ex principio liberè operante indagamus libertatem eſſentialẽ operationis,concedo;vt concipimus actũ eſſe vitalem,quia præcisè concipimus principiũ vitaliter operans; ſed in effectu ipſo concipimus vitalitatem diſtinctam à ſuo principio. Ad minoré reſpondeo, potentiam eſſe extrinſecam actui, tamen eum intrinſecè mutari mutata potentia, vt actus vitales ſunt varij pro varietate potentiarum, licet hæ non ſint de illorum eſſentia. Ad probationem reſpondeo, tunc actionem non habere principium idem, & quidem durè crediderim,potentiam liberam in actu primo realiter conſtitui per negationem; nec negari poteſt potentiam intrinſecam, & poſitiuam perfectionem acquirere: ergo quando amens redit ad mentem, tunc accipit potentiam non factiuam; ſed ſimul cum factiua:& iuſtus,cum beatur,amittit potentiam non amandi Deum, ſed ſimul amittit priorem potentiam eum amandi, & nouam acquirit potentiam. Non dico habitũ charitatis,aut potentiam volentem, ſed alia comprincipia complentia potentiam vt actus viſionis, & fidei. Ad ſecundam confirmationem patet ex diſp. 4. ſect. 6. mutari actus per varias cognitiones. Sũma ergo ſolutionis eſt; per mutationem potentiæ non faciendi mutari etiam priorem potentiam faciendi:& ex hac mutatione oriri nouam actionem diſtinctam ab ea quæ prius oriebatur à potentia faciendi & non faciendi. Vide §. 57.

§. 49. Obijciunt; eo præcisè quod concipiamus hunc actum ita ab hac potentia oriri, vt potuerit non oriri, intelligimus eum liberum: ſed hoc non addit niſi denominationem extrinſecam à potentia: ergo. Iam reſpondi §. 48. ex eo conceptu potentiæ argui aliam libertatem, & indifferentiam in actu; quam à priori colligimus ex potentia à qua ita oritur vt poſſet non oriri: vt cum ego concipio ſolem applicatum ad agendum, concipio ab illo oriri actionẽ, quæ eſt actus ſecundus eius potẽtiæ. At niſi concipiam in actione relationem actualem ad potentiam indifferentem, non concipio libertatem in actu ſecundo. Vnde nego maiorem.

§. 50. Arguent:libertas in actu ſecundo non eſt indifferentia ad carentiam actus:ergo non eſt actui intrinſeca. Antecedens probo; quia nihil petit carentiam ſui, nec eſt poſitiua indifferentia ad illam. Conſequẽtiam probo; quia libertas in potentia, eſt indifferentia ad actum & eius carentiã;ſed libertas in actu ſecundo debet eſſe in actu ſecundo indifferentia ad idem: ergo. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negari conſequentiam. Ad probationem reſpondeo: actionem liberam eſſe comparatione ſui principij actiui: quia dicit ordinem eſſentialem ad cauſam efficientem, compoſibilem tam ſecum, quàm cum ſui carentia. Itaque cauſa libera in actu primo eſt factiua actionis potẽs cum cum illa, & cum eius carentia componi: eius effectus eſt actio petens principium illud. Itaque exercitium actionis non petit carentiam ſui: ſed petit principium compoſibile cum carentia ſui. Vnde in actu primo illud relinquit indifferẽs cum ergo tam actio quàm eius carentia ſint exercitium potentiæ liberæ; neutra petit alteram; ſed vtraque petit principium. Ad probationem ergo, reſpondeo actum ſecundum eſſe in actu ſecundo, quod eſt cauſa in actu primo. Potentia libera in actu primo eſt potentia factiua & non factiua:actus ſecundus ſunt actio & non actio. Indifferentia autem non eſt vnius ad aliam; ſed quia ſunt ordo ad principium compoſibile cum vtraque quod habent per ſuam eſſentiam.

Tertiò dicunt, veritatem eſſe denominationem extrinſecam; ergo & libertas. Miror eos non intuliſſe vitalitatem quoque eſſe extrinſecam.Ex falſo antecedenti,mala eſt ea conſequentia:quam nego omiſſo antecedente, quia veritas eſt quoddam genus relationis prædicamentalis; quæ confingitur ex fundamento & termino: actio verò eſt relatio tranſcendentalis; nempe actio dicens in ſe ordinem adæquatè ad principium; ſicut cognitio eſt ordo repræſentans obiectum: & quemadmodum mutatur cognitio obiecto mutato; ita mutato agente mutatur & actio. Agens autem liberum neceſſe eſt vt mutetur, quando actio non oritur liberè: quia actio libera eſt ordo ad diuerſum agens ac neceſſaria. §. 51.

Hinc oritur ſecunda difficultas: libertas ad ſpeciem eſt extrinſeca denominatio actui; qui è neceſſario ad ſpeciem redditur liber: ergo & quoad exercitium eſt idem. Probo antecedẽs:cogitet quis de furto, quin de eleemoſyna: & dicat, *nolo furari nummos Petri:* hic actus eſt neceſſarius ad ſpeciem; quia ſine cogitatione de eleemoſyna nõ eſt libertas ad illam. Deinde perſeuerante illo actu cogitet de eleemoſyna: & dicat *volo*, aut *nolo erogare eleemoſynam Petro:* prior actus eſt etiam liber ad ſpeciem: ergo idem actus poteſt mutari de neceſſario ad ſpeciem in liberum ad ſpeciem. §. 52.

Manere autem actum eumdem probo,quia manent omnia principia à quibus pendebat prius:cognitio verò de obiecto ſpecie contrario nõ influit in actum priorem: nec impedit influxum alterius actus: ergo perſeuerat actus idem. Probo antecedens, quia vt quis nolit furari non eget cognitione de eleemoſyna: ſed tantum de commodo, aut incommodo furti:per quam cognitionem vel mouetur ad furtum,vel ab eo retardatur: eleemoſyna autem eſt aliud obiectum pendens ab alia cognitione non impediente priorem; & quamuis interdum duo obiecta cõtraria proponãtur eodem actu intellectus, & tunc voluntatis actus ſit diſtinctus ſpecie ab alio,qui oritur ex duplici cognitione;tamen illa varietas non oriretur ex conceptu libertatis ad ſpeciem, ſed ex actuum varietate. §. 53.

Arbitror hæc omnia vera:nam potentiam eſſe completam ad actum circa ſpeciem contrariam vel non, nihil refert ad actum furti,vel non furandi, quia comprincipia ad actum ſpeciei contrariæ nec concurrunt ad actum priorem, neque in ordine ad illum potentiam immutant:ergo nolle furari eodem modo oritur à potentia proximè libera ad eleemoſynam ac à proximè neceſſaria quemadmodum oritur eodẽ modo ſi potentia ſit completa ad actum caſtitatis quo ſi non eſſet completa: complemẽtum verò ad alios actus,vel eius carẽtia quid refert? Quod eſt de eſſentia actus liberi eſt, vt ita exerceatur vt poſſit non exerceri;vel ita non exerceatur vt poſſit exerceri: eum verò poſſe exerceri, vel non exerceri cum potentia ad actum oppoſitæ ſpeciei,eſt illi valde accidentariũ. Quapropter in illo libertas ad exercitium eſt eſſentialis;ad ſpeciem verò nihil eſt in illo, ſed connotat potentiã completã ad alios actus; at verò libertas quoad ſpeciem in actu ſecundo nihil erit præter duos §. 54.

actus

actus potentes oriri ab eodem principio.

§. 55. Quæ poſſunt explicari; quia oſtendi diſputationibus de iuſtificatione, libertatem contrarietatis eſſe duas libertates contradictionis ad actus cōtrarios, e.g. libertas ad furtum & eleemoſynam includit duas libertates: alteram ad furtum & non furtum: alteram ad eleemoſynam & non eleemoſynam. Ibi actus oriuntur per ſe à diuerſis principijs vt conſtat in amore & odio Dei: hoc enim oritur à ſolo libero arbitrio, ille à gratia. Cui gratiæ accidentarium eſt vt homo cogitet de Deo ſub aliqua ratione mali, vel non cogitet. Per fidē enim cognoſcit bonitatem Dei; per gratiam habitualem illam poteſt amare & non amare; complementum autem ad odium parum refert amoris, cui eſt extrinſeca denominatio libertas ad odium; quæ eſt ad ſpeciem.

§. 56. Dices; ergo etiam libertas ad exercitium eſt extrinſeca denominatio. Ante probationem conſequentiæ aduerte animo; potentiam mutari poſſe è libera in neceſſariam vel per mutationem cognitionum, vt beati per viſionem, tunc autem certum eſt, quod dicitur. §. 46. & 47. potentiam non faciendi eſſe poſitiuam: & idem à parte rei cum potentia faciendi, & ab vtraque eadem reſpici cōprincipia omnino: vel poteſt fieri mutatio per ſuſpenſionem concurſus; tunc autem videtur, à potentia tantum auferri aliquid extrinſecū circa ceſſationē ab actu, non mutata potentia faciendi; verbi gratia, demus nō poſſe eſſe puram omiſſionem, ſed cū mihi proponitur occiſio Petri, poſſum velle illum occidere, & poſſum non velle; non quidem per puram ceſſationem à non volendo, ſed per actū poſitiuū, quo volo non occidere. Sic igitur argumentor pro cōſequentia illata initio huius §. Stante voluntate non occidendi cum concurſu generali ad voluntatem occidendi, illa voluntas eſt libera, quia eſt à potentia indifferenti; item manente illa voluntate poteſt Deus negare concurſum ad voluntatem occidendi; & actio prior non manet libera; quia non poteſt voluntas ab ea ceſſare, quia neceſſariò erat ceſſatura exercendo oppoſitū actū, quem tunc non poteſt: ergo libertas exercitij tam eſt extrinſeca denominatio, quàm libertas ſpeciei. Caſum eſſe poſſibilem probo; quia voluntas occidendi, & voluntas non occidendi ſunt duo actus non ſubordinati: ergo poteſt Deus parare concurſum ad alterum, quin ad alterum: tunc manſum ire eundem actum probo; quia Dei voluntas concurrendi ad voluntatem occidendi formaliter nō influit in voluntatem non occidendi magis quàm in voluntatem vitam conſeruandi: ſed ad voluntatem occidendi paratur generalis concurſus ratione diſtinctus: ergo licet auferatur potentia ad occidendum, non aufertur voluntatis principium non occidendi; ergo manet eadem numero voluntas: & quamuis potentia non influendi ſit poſitiua, adhuc non concurrit ad actum exercitum, ſed ad oppoſitum. Si reſpondeas, tunc actum eſſe liberum: ſed non modo libero: vrgeo modum liberum eſſe in actione, quæ mutatur de libera in neceſſariam per ſolam extrinſecam denominationem à potentia: quod ſi actio eſſet libera eſſentialiter, ei repugnaret illa mutatio, quia per ſuam eſſentiam eſſet exercitium potentiæ liberæ, & eſſet ſeipſa modus liber, ſicut actio vitalis ſe ipſa eſt modus vitalis: ergo ſicut ab actione vitali repugnat auferri modum vitalem, ita & ab actione libera modum liberum; ſi ſe ipſa eſt libera.

§. 57. Fateor hoc argumentum lumbos habere cōtra negantes puram omiſſionem; at contra me illam admittentem eſt elumbe, quia potentia nō faciendi non reſpicit alium actum poſitiuum ad quem compleatur: ſed reſpicit puram omiſſionem actus liberi, per ordinem ad quam eſt liber: quia ita eſt vt poſſit non eſſe: quare non poteſt variari concurſus ad non faciēdum, ita vt actus fiat neceſſarius, quin varietur circa actum ipſum, quia ex parte Dei concurſus indifferens ad faciendum, & concurſus indifferens ad non faciendum ſunt omnino idem, ex eo quod ſit concurſus indifferens. At eo variato implicat manere actionem eamdem, quia ſi auferretur concurſus nō faciendi, concurſus ad faciendum nō eſſet indifferens: ſed determinatus: & actio oriretur à voluntate vt determinata in actu primo. En quam patet concurſum ad non faciendum eſſe idem formaliſſimè cum concurſu ad faciendum. Quapropter negantes puram omiſſionem ex eo principio vrgeri poſſunt, vt negent libertatem eſſe de eſſentia actionis; vel ſi id admittant, vrgeantur, vt admittant puram omiſſionem. Nam caſum argumenti de concurſu negando ad actum oppoſitum eſſe poſſibilem, & eo argumento probatur, & à me probatur ſect. 7. Quamobrem alterum neceſſe eſt, vel puram omiſſionem admitti, vel libertatem actionis eſſe denominationem extrinſecam à potentia.

§. 58. Vrgebis; illa mutatio voluntatis Dei non ſufficit ad mutationē actus, quia Deus retinet ſemper voluntatem concurrendi ad amorem: voluntas autem ne ſit amoris carentia, quid refert? Plurimi intereſt; Actio enim creata pendet tam eſſentialiter à voluntate Dei quàm à cognitione: vnde ſicut mutata cognitione mutatur actio volendi: ita mutata voluntate Dei. Quia omnipotentia per diuerſas voluntates applicatur ad diuerſos effectus. Vnde modus volendi amorem determinatè, eſt quædam prædeterminatio; ex qua aliquid deriuatur in arbitrium incompoſibile cum carentia amoris: quia illa neceſſitas non oritur ex cognitione, vt in brutis; quæ illā determinantur ad vnum; ſed oritur inuertente Deo modum, quo arbitrium eſſet operaturum aptè ad cognitionem. itaque ex influxus ſuſpenſione ad omiſſionem liberam, oritur noua qualitas in volūtate, ad quam dicit eſſentialem ordinem actio neceſſaria; quæ mutatur proximè ob nouum agens. Vtrum autem hac doctrina iuuentur negantes puram omiſſionem, diſquiram à §. 102.

§. 59. Non quieſcunt adhuc, quia ſola libertate contrarietatis plus meremur; ergo ab illa actio oritur liberior. e.g. poſſit aliquis furari & eleemoſynā facere; alius non poſſit niſi eleemoſynam: eam faciat vterque: primus plus præmij meretur quàm ſecundus: ergo actus eſt liberior: idque per extrinſecam denominationem. Reſpondeo; potentē furari poſſe exercere duos actus honeſtos; alterū, *nolo furari:* alterum, *volo miſereri:* qui autē non poteſt niſi eleemoſynam dare, nō poteſt eos duos actus exercere, ſed vnum. Diſtinguo igitur antecedens: plus meretur ſi exerceat actum vtrumque, concedo antecedens; ſi non exerceat niſi vnum, nego. quia vnus non eſt propriè liberior in actu ſecundo.

§. 60. Secundò argumentor pro hac opinione, actio eſt libera formaliter, præcisè; quia ita eſt vt ſimul ſit poſſibilis eius carētia (vt patere videtur) ſed eius carentiam eſſe poſſibilem eſt actioni extrinſeca denominatio: ergo & libertas. Probo minorem, tum quia denominatio poſſibilis eſt formaliter à potētia factiua: tum quia ſicut carentia actionis eſt extra conceptum eius, ita eius poſſibilitas. Diſtinguo maiorem, eſt libera formaliter à libertate

poten

potentiæ, vel à poſſibilitate conſiſtente in eſſentia carentiæ ſui, nego maiorem: nam illa poſſibilitas denominat carentiam ipſam præcisè: eſt libera formaliter per eſſentiam ſuam petentem actum primum, ad vtrumque paratum, & connotando poſſibilitatem carentiæ, concedo maiorem: quod ſi actio eſt libera quando, vel quia eius carentia eſt poſſibilis, non arguitur cauſalitas formalis à poſſibilitate potentiæ, aut carentiæ; ſed cauſalitas actiua à potentia; à carentiæ autem poſſibilitate connotatur tantum. Concipimus enim actionem liberam per poſſibilitatem carentiæ ſui, non quia hæc ſit de eius conceptu, ſed quia eſſentialem eius indifferentiam inde colligimus. recognoſce §. 50.

§. 61. Tertiò, quando ego liberè amo Deum, & reflexè cognoſco eum amorem, poſſum alio amore reflexo velle illum amorem, & in eodem perſeuerare: amor Dei ſit formaliter, & immediatè neceſſarius, cum prius eſſet formaliter, & immediatè liber: ergo idem numero actus poteſt è libero effici neceſſarius. Rem ita poſſe euenire probo: quia amor Dei eſt amabilis, & à voluntate poteſt efficaciter intendi, ſimiliter & eius perſeuerantia; maximè in Angelis, qui ſuos intuentur actus, & facilè in eos ſeſe flectunt, atque reflectunt. Confirmatur, me perſeuerantem in amore Dei poteſt Deus neceſſitare ad alium actum reflexum, quo velim perſeuerare in amore; quæ perſeuerantia non eſſet libera: eumdem actum tunc manſurum patet, quia omnia principia, à quibus ante pendebat, manent: actus enim reflexi nullum adimunt ex his. Confirmatur ſecundò admiſſa pura omiſſione, ceſſet homo ab odio Dei cum concurſu generali, libera eſt ea ceſſatio: poſtea neget Deus cōcurſum ad odiū, manet ceſſatio neceſſariò: ergo eadem omiſſio modò eſt libera, modò non libera.

§. 62. Reſpondeo caſum implicare: poſſum ego reflexè velle amorem Dei, at amorem priorem non poſſum, niſi ex ignorantia: poſita verò reflexa voluntate non manet prior amor Dei, ſed alius immediatè & formaliter neceſſarius: qui eſſet liber per extrinſecam denominationem ab actu reflexo; non verò quia oritur immediatè à potentia indifferente ad illum formaliter & proximè, quia ex ſuppoſitione actus reflexi potentia eſt ad amorem antecedenter determinata; neque haberet aliam libertatem niſi quam habent actus externi imperati ab actibus liberis voluntatis.

§. 63. Ad probationem reſpondeo, actus liberos poſſe efficaciter intendi directè & vt *quo*. verbi gratia, quando per illos efficaciter intendimus obiecta; quia ipſi ſunt ratio formalis intendendi efficaciter obiecta: ſiue efficaces intentiones obiectorum. At non poſſunt efficaciter intendi vt obiectum aliarum intentionum efficacium: nam de hoc agimus: non enim inquiro nunc, poſſit ne ſeruari libertas in actu efficaciter intento, vel prædeterminato? hæc enim quæſtio ſaltat extra hunc chorum; nam ſi actus ſic intentus manet liber: ergo non eſt è re, quia non mutatur tunc actio de libera in neceſſariam; ſed agimus de intentione, & neceſſitate ad actum priorem: & dico implicare talem intentionem circa actum ſemel liberum, quia hic ex mente arguentis amittit proximam libertatem: ego reſpondeo ea amiſſa amitti priorem actionem; quæ ſe ipſa eſt proxima libertas. At non diſputo vtrum per talem intentionem efficacē amittatur proxima libertas actus intenti? nam ſi non amittitur, nihil contra me: ſi das amitti, dico & actionem amitti.

§. 64. Ad primam confirmationem reſpondendum, non poſſe neceſſitatem inferri ad actionem, quia eius eſſentia eſt modo libero oriri; quia ipſa eſt modus, quo actus eſt liber; at poteſt neceſſitari ad qualitatem in amore repertam, cuius eſſentia non eſt actualis egreſſio libera (vt eſt actionis) ſed petere eam egreſſionem; ſicut petere oriri modo vitali: at diuinitus priuari poteſt modo quem petit; quod ſi amor in ſola qualitate cōſiſtat, poteſt à Deo è libero fieri neceſſarius, nō verò à creatura, quæ non poteſt violare leges, quas illi natura ſanxit; petit enim actionem liberam ſicut vitalem: & ſicut creatura illi non poteſt mutare vitalem, ita nec liberam. Ad probationem reſpondeo tolli principium actionis; illa enim reſpicit eſſentialiter principium indeterminatum, at per actum reflexum determinatur.

Dices non tolli niſi potentiam non influendi. §. 65.
Iam dixi §. 46. 47. maximè autem 57. eam eſſe eamdem cum potentia liberè operandi; & ſicut actus reflexus immutat naturalem modum potentiæ, ita ſufficit ad mutādam actionem. Immo non manent eadem principia, quæ prius. Nam antè ſolus intellectus cum cognitione obiecti concurrebat ad amorem Dei, poſtea verò concurrit actus reflexus, qui eſt principium amoris Dei ſimul cum intellectu, & cognitione Dei; ſicut voluntas eſt principium actuum externorum; quod verò non ſit actiuè parum refert, quia nec cognitio influit actiuè; quod ſi actus reflexus efficeret actum, res erat clarior. Ad ſecundam confirmationem reſpondeo vel omiſſionem puram non eſſe liberam, vel non eſſe eamdem; de quo infrà ſect. 7.

Quartò: quia ſi libertas eſt de eſſentia actionis, §. 66.
Deus erit cauſa peccati. Reſpondeo facilius explicari qua ratione Deus non ſit cauſa peccati per extrinſecam denominationem, quia ſi moralitas eſt extrinſeca denominatio à potentia creata, ab illa ſumitur malitia. Adhuc tamen eſt difficultas, quia bonitas ſumitur etiam à Deo, & omnis actio reſpectu Dei eſt moralis: quia ab eo liberè oritur: feci tamen ſatis huic difficultati (quod ſpectat ad phyſicum) diſput. 10. phyſ. ſect. 4. Nam ſicut actus non oritur à Deo vitaliter, ita neque vt malus oritur à Deo; ſed ſub eo reſpectu connotat potentiam facientem contra præceptum.

SVBSECTIO II.

Opinio libertatem eſſe de eſſentia actus liberi præfertur.

Sanctus Thom. 1. 2. quæſt. 19. art. 1. affirmat ex- §. 67.
preſsè, bonum & malum eſſe per ſe differentias actuum voluntatis. Nam probans bonitatem actus ex obiecto pendere ait: *Bonum & malum ſunt per ſe differentiæ actuum voluntatis. Vnde voluntas bona & mala ſunt actus differentes ſecundum ſpeciem. Differentia autem ſpeciei in actibus eſt ſecundum obiecta vt dictum eſt.* Clarius dici non potuit: conſtituit enim bonum & malum differentias, quæ ſumuntur ex obiectis; quæ ſunt eſſentiales, & S. Thom. citat quę dixerat quæſt. 8. art. 5. vbi dixerat, differentiam obiecti facere differentiam ſpeciei in actibus, quod etiam dixerat quæſt. 1. art. 3 Caietanus hanc lucem obtenebrat expoſitione hinc inde petita. Conrad. ſequitur S. Thom. aliíque Thomiſtę, Capreol. Ferr. & alij apud P. Vazq. 1. 2. diſput. 55. cap. 1. è quibus colligitur eſſe de eſſentia actionis liberæ libertatem, qua formaliter conſtituitur in eſſe moris: hos ſequuntur è recentioribus multi.

Mouentur primò: quia voluntarium perfectum, §. 68.
eſt eſſentialiter perfectius quàm imperfectum; ſed libertas conſtituit voluntarium perfectum

vt patet ex 1.2.q.6.) ergo libertas conſtituit actum eſſentialiter perfectiorem neceſſario. Maior patet, quia voluntarium perfectum ſequitur cognitioné, quam eſſe principium appetitionis perfectioris oſtendi diſp.14.ſect.6 Diſtingue minorem:libertas formaliter conſtituit voluntarium perfectum intrinſecè, nega minorem: arguitiuè, & extrinſecè concede. Ad probationem reſponde, libertatem cõſtituere voluntarium perfectius extrinſecè, quia principium liberum magis à ſe mouetur quàm neceſſariũ,quod non tam agit,quàm agitur;at intrinſecè non conſtituit. Probat quidem hoc argumentum,diſparari ſpecie appetitiones pro varietate apprehenſionum;at eam varietatem conſtitui formaliter libertate,haud probat. Nam ſtante eadem cognitione poſſe eamdem actionem iam eſſe liberam iam neceſſariam probare quis poterit argumentis propoſitis à §.45. quæ minimè pendent ab hac varietate actuum:ſed à concurſu potentiæ, & cauſæ primæ. Ita confirmo: appetitiones neceſſariæ mutantur ſpecie pro varietate apprehenſionum: itidem & liberæ: & duæ actiones æquè liberæ poſſunt eſſe perfectiores in ratione voluntarij: quia oriuntur à cognitionibus perfectioribus; altera à naturali: altera à ſupernaturali,& continget naturalem eſſe liberiorem.Neque hoc primo argumento diluuntur primum & ſecundum pro contraria ſententia, vt patet:ergo hoc non eſt è re, niſi acrius

§. 69. prematur.

Secundò mouentur: quia liberũ & neceſſarium ſunt tam de eſſentia actuum voluntatis, quàm vitale & tranſiens de eſſentia actionum;ſed vitalitas abſolutè eſt de eſſentia actus vitalis: ergo & libertas. Probo maiorem, quia appetitus in actu primo tam differunt ſpecie per libertatem & neceſſitatem,quàm per vitalitatem, & eius carentiam:nam appetitus ſenſitiuus non poteſt liberè operari, poteſt autem rationalis.

§. 70. Negabit aduerſarius maiorem propoſitionem; ſimiliter & probationem:nam idem numero appetitus operans per eamdem numero cognitionem de libero in actu primo,redditur neceſſariò operãs per ſolam varietatem concurſus generalis, vel per actum efficacem reflexum.

§. 71. Appetitum ſenſitiuum non poſſe liberè operari, oritur non ex differentia eſſentiali liberi & neceſſarij: ſed quia mouetur ex ſenſione, quæ eſt valde imperfecta,nec relinquit potentiam indifferentem. Actiones autem liberæ voluntatis differunt à neceſſariis ſenſitiuis: quia illæ pendent à cognitionibus perfectis,cũ quibus poteſt eſſe libertas, tametſi non neceſſariò propter rationes factas ſubſectione prima:at ſenſitiuæ neceſſariò ſunt neceſſariæ.

§. 72. Hæc inde patent,quod voluntas nullũ amorem poteſt exercere niſi vitaliter; poteſt tamen non liberè: ergo operari poſſe liberè,non tam eſt de eius eſſentia, quàm poſſe vitaliter. Ratio à priori, quia illa operari debet ſe ab intrinſeco immutando,nec aliter poteſt;at operari cum indifferentia,vel indeterminatione etiam circa obiectum idem, pendet tum à concurſu generali,tum à carentia extrinſeci agentis inferentis neceſſitatem: tum tertiò ab hoc & illo genere cognitionis: actio autem libera per ſe reſpicit potentiam faciendi,non verò potentiam non faciendi(vt aduerſarij argumentantur.)Et quidem his duobus argumentis ego parum moueor: ſunt enim oppoſita efficaciora.Fortè ego alio enodatu faciliori moueor: ſæpe contingit. Itaque magis neceſſarium eſt potentiã vitalem vitaliter operari ſuos actus, quia eſſentialiter eſt principium ſe mouendi; quàm eos operari liberè, quia ad hoc pendet ab aliis comprincipiis: ita reſponderi poteſt, actioni vitali neceſſarium eſſe oriri modo vitali,non verò libero.

Ac primùm pono, libertatem ac moralitatem actionum non eſſe modos ex ſect.5.§.40.Sic igitur argumentor: actus liber,quia liber, eſt obiectum ſpecialis complacentiæ Dei,cuius non eſt neceſſarius: ergo vt liber habet aliquam intrinſecam perfectionem, quam non habet neceſſarius: hæc non eſt diſtincta ab ipſa actione libera (vt probaui ſupra)ergo eſt ipſamet eſſentia actionis. Antecedens probo;quia cum quis liberè Deum colit,ille cultus (ſi cætera adſint) mouet voluntatem vt præmium ſtatuat cultori: ſi verò cultus ſit neceſſarius non mouet ad præmium: at hoc oritur,quia prius terminabat priorem complacentiam Dei, quam poſterius non terminat:ergo.Maior eſt certa,quia ſine libertate nullus meritò locus nec præmio cum illa, eſt (ſi cæteræ meriti conditiones adſint.) Minor probatur, quia nullum bonum opus eſt dignum præmio niſi quia eſt gratum donanti præmium: quia enim bonum opus placet Deo, illi decernit præmium, ſicut ſupplicium prauo, quia Deo ingratum, & inuiſum;nec dubitari poteſt Deum ſibi ſpeciali ratione complacere in rectis operibus, quæ non ſunt ſine liberate. Probo autem primam conſequẽtiam:nempe actum liberum intrinſecam habere bonitatem, quia complacentia Dei ſupponit in obiecto perfectionem:niſi enim ſit obiectum bonum,non poteſt amari. §. 73.

Hoc diſcrimen aſſignaui 1.2.q.113. inter amorem beneuolentiæ & complacentiæ: quod ille terminatur interdum ad perſonam inuiſam, vt cum Deus dilexit mundũ,vt eum vindicaret à peccatis; hæc autẽ requirit in obiecto intrinſecã bonitatem per quam placeat;hácq; ratione dixi nulla qualitate poſſe hominem eſſe iuſtum, niſi quæ ob intrinſecam bonitatem alliciat oculos Dei.Vide §.89. §. 74.

Dices primò, actum ex ſe eſſe bonum aut malum;requirere tamen libertatem, vt placeat,aut diſpliceat Deo. Contra primò, quia ſine libertate nullus actus eſt humanus, aut moralis: ergo nec bonus,nec malus moraliter;quæ ſunt ſpecies actus humani: ergo ſine libertate non poteſt terminare ſpecialem illam complacentiam, aut diſplicentiam quam terminat moralitas actuum. §. 75.

Contra ſecundò,ſine libertate manet tota bonitas actus:ergo tam ſibi Deus complacet in illo neceſſario quàm libero,& tam ſibi diſplicet in homicidio non morali & neceſſariò,quàm in morali & libero,quia non mutatur complacentia, aut diſplicentia in Deo,niſi mutata bonitate actus, aut malitia.Indéq; patet libertatem non eſſe conditionem extrinſecam,vt actus ametur,quia,ſi eſſet,relinqueret in actu totam priorem bonitatem quam Deus amaret ſicut prius. Immò libertas in actu ſecundo eſt pars obiecti diuinę complacentiæ:nam manente actu,ſi præcisè tollatur libertas, non manet obiectum complacentiæ,aut diſplicentiæ Dei. §. 76.

Deinde ſi redeat eadem libertas ſola,iam eſt obiectum complacentiæ:ergo libertas ſaltem eſt pars obiecti: nam illud eſt de eſſentia rei, quo ſublato præcisè non intelligitur res, & quo poſito formaliter intelligitur; ſed libertas in actu primo ipſius potentiæ non ita placet Deo,nec diſplicet:ergo in actu ſecũdo reperitur alia libertas diſtincta à libertate potẽtiæ.Probo minorem,quia libertas in actu primo,non eſt obiectum eius complacentiæ, quia illa nõ eſt mihi libera,ſed neceſſaria,& eſt bona in actu primo,nec eſt obiectũ diſplicẽtię Dei:at libertas actus mali eſt mala, & odio digna: ergo liber- §. 77.

tas

tas,quæ diſplicet eſt in actu ſecundo,& non in ipſa potentia: nam à potentia bona nihil conſtituitur formaliter moraliter malum; ſicut non conſtituitur album per nigredinem.

§. 78. Dices ſecundò, ad iſtud genus complacentiæ ſufficere bonitatem moralem,quæ ſæpe eſt extrinſeca actui, vt merita Chriſti habent valorem infinitum ab vnione, quæ ipſis actibus eſt extrinſeca; ita libertas licet extrinſeca actui illi dat moralem bonitatem: nam apud prudentes magni habetur facere bonum,quod poſſumus non facere.

§. 79. Contra,quãdo aliquid conſtituitur bonũ moraliter eſt à forma phyſica in ſe intrinſecè, & phyſicè bona,ſed actus non conſtituitur bonus, aut malus aliqua forma in ſe phyſicè mala,aut moraliter bona,niſi libertas ſit illi intrinſeca:ergo. Maior patet eodẽ exemplo Chriſti:cuius diuinitas non facit intrinſecè bona opera Chriſti. Immò nec bona:nam eorum bonitas eſt ex obiecto & principio actiuo. At Diuinitas dat actibus valorem; non quod illos faciat meliores, aut ex ſe gratiores Deo: ſed quia dignitas perſonæ operantis eſt pars ad valorem,vel moraliter informando actus,vel cum illis efficiendo adæquatum obiectum complacentiæ: ergo à forma phyſicè extrinſeca non ſumitur bonitas. Ita probaui in 3.part.diſput.27.humanitatem Chriſti non ſanctificari niſi per conceptum Verbi vniti phyſicè vt vniti,at in ipſa potentia voluntatis non eſt vnde ſumatur diſplicentia obiecti.

§. 80. Probo autem minorem primi ſyllogiſmi, nempe nullam actionem eſſe intrinſecè bonam aut malam, niſi libertas ſit illi intrinſeca:primum in actu prauo,qui ſine libertate non eſt moraliter malus:at libertas potentiæ non poteſt illum formaliter reddere malum: ergo. Probo minorem, quia libertas in actu primo nullam malitiam habet moralem ratione cuius actus ſit malus: nam ſicut forma in ſe non placens Deo non conſtituit opera Deo placentia,vt opera iuſti non ſunt formaliter grata per fidem,ſed per gratiam, quod ſaltem in Diuinitate Chriſti eſt certum; ita nec poteſt forma conſtituere actum inuiſum,niſi ipſa in ſe ſit inuiſa; quia ille effectus eſt in genere cauſæ formalis:quæ habet vt *quo* id, quod communicat actui, ergo actus malus ab alia forma habuit eſſe formaliter Deo inuiſus.

§. 81. Idem probo in actu bono;nam potentia libera, aliquando non habet in ſe maiorem amabilitatem quàm cum eſt neceſſaria: ergo non tribuit amabilitatem actui: conſequentia non eget probatione. Antecedens probo, quia potentia per ſolam ſubtractionem concurſus redditur neceſſaria, poſitis etiam omnibus neceſſariis aliis, quibus poſitis per ſolam adiectionem concurſus generalis redditur libera. Hæc autem non augent, nec minuunt eius bonitatem; quia concurſus generalis, & eius negatio ſunt extrinſeca denominatio à voluntate Dei:ergo.

§. 82. Rem pluris fieri moraliter,quando liberè fit,eſt certum, quia habet bonitatem aliquam phyſicè maiorem,vel in ſe (vt ego volo) vel ab alio principio in ſe etiam bono, vt opera Chriſti à Diuinitate. At cur pluris ſit actio libera, quàm neceſſaria, ſi neque in ſe habet maiorem bonitatem,neque in ſuo principio,magis quàm actio neceſſaria? Æſtimatio moralis ſumitur vel ex ipſo conceptu intrinſeco rei;vel ex extrinſeco phyſico,à quo ſumit bonitatem, aut valorem per extrinſecam denominationem phyſicam,moraliter tamen intrinſecam: quæ forma in ſe habet bonitatem quam communicat vt Diuinitas humanitati Chriſtianæ, & eius actibus. At in noſtro caſu nihil reperies. Etenim manente eadem bonitate potentiæ & actus: ſi libertas eſt extrinſeca, iam mouet Deum ad præmium ob bonitatem, iam non:& actus malus iam mouet ad odium,iam non:per ſolam mutationem concurſus generalis, & extrinſeci. Item à forma bona vt bona,qualis eſt potentia libera in actu primo,non poteſt aliquid eſſe formaliter malum. Itaque pluris æſtimatur actio libera,quia vt libera habet bonitatem,quam non habet neceſſaria.

Dices tertiò, hoc argumento probari libertatem actuum aut eſſe intrinſecam illis;aut ex libertate potentiæ in illos deriuari moralitatem aliquã intrinſecam; per quam ſint boni aut mali. Aliqui comminiſcuntur quoddam genus entium moralium realiter exiſtentium. Contra quos ſic arguo: illa moralitas exiſtit à parte rei independenter à noſtra conſideratione, ergo eſt ens reale. Conſequentia patet ex definitione entis: ergo eſt ens phyſicum. Probo conſequentiam: quia ens *phyſicum*, ſi etymon inſpicias;idem eſt ac *naturale*:id eſt ſpectans à parte rei poſitiuè(vt excludam priuationes)ad perfectionem naturæ, nempe materiæ, aut formæ.Sic autem libertas erit ens phyſicum; quia à parte rei & poſitiuè perficit formam rationalem. Deinde *phyſicum* translatum eſt ad ens poſitiuum vt diſtinguitur ab ente ficto: ac proinde idem eſt rem *phyſicè* exiſtere;ac exiſtere *à parte rei*:cum igitur illud ens morale à parte rei exiſtat; cur non eſt *phyſicum* ſicut actus ipſe? §. 83.

Ad hæc:libertas in actu ſecundo (niſi ſit extrinſeca denominatio)eſt terminus & effectus potentiæ operatiuæ *phyſicè* vt *phyſicè* operatiuæ: ergo eſt actus ſecundus *phyſicus*. Nam terminus potentiæ *phyſicè* operatiuæ eſt *phyſicè* terminus,& exercitium *phyſicum*. Antecedens probo ex ſectione 1. vbi oſtendi libertatem in actu primo eſſe potentiam *phyſicè* operatiuam. Adde etiam actus ipſos liberos poſſe dici *morales* actus & non *phyſicos*. Cur enim illi erunt *phyſici* & non libertas? Vt ergo voluntas *phyſicè* producit actum,quid ni & libertatem? Igitur actum eſſe *moralem*, eſt eum pertinere ad mores: quod non tollit eum eſſe phyſicum. Peccatum habituale, & alia id genus non eſſe eiuſmodi moralitates,ſed *denominationes morales* ſumptas formaliter ab actu, aut forma phyſica, ſatis conſpicuè monſtraui in 1.2.quæſt.112.diſput.1. Hos rogo in pura omiſſione libera, quam admittunt, quod ens morale reale & poſitiuum inueniant?aut cui ſubiecto poſitiuo appingant illam moralitatẽ? §. 84.

SVBSECTIO III.

Obiectiones aliæ.

IN hanc ſententiam plura congerunt recentes; quibus breuiter faciendum ſatis. Dicunt, poſſe aliquam rem eſſe obiectum diuinæ complacentiæ, aut diſplicentię conferentis ad ſupplicium,aut pręmium, quin habeat intrinſecè rationem mali, aut boni; ſed præciſè per extrinſecam denominationem: ergo & actus liber per extrinſecam libertatem poterit eſſe obiectum complacẽtiæ, aut diſplicentiæ. Probant antecedens. Primùm, quia opera bona exercita in gratia, ab ea accipiunt extrinſecum valorem, quo redduntur obiectum ſpecialis complacentiæ conferentis ad præmium. Secundò, quia peccator eſt obiectum odij Dei per extrinſecam denominationem à peccato præterito. Item poteſt peccato ſolui per extrinſecam Dei condonationem. Item peccato Adæ exiſtenti moraliter in nobis, ſumus obiectum diſplicentiæ Dei. Tertiò, quia §. 85.

quia idem numero actus exiſtens liberè per plura inſtantia, nouam terminat complacentiam Dei.

§. 86. Aduerte, meum argumentũ duplici inniti principio: primum, non poſſe aliquid eſſe obiectum complacentiæ Dei, aut diſplicentiæ, niſi habeat rationem aliquam formalem bonam moraliter, aut malam; ſiue ſine malitia non poſſe actum terminare odium; nec amorem ſine bonitate: ita vt illa omnia, quæ formaliter ſpectant ad malitiam, ſint mala, ſaltem ex parte. Quia implicat aliquid eſſe obiectum odij niſi ſit malum; implicat autem eſſe malum ſine malitia. Secundum principium eſt, eam malitiam eſſe intrinſecam rei malæ; ita vt id quod odio habetur, ſit intrinſecè malum. Primum fundamentum eſt independens à ſecundo: facit item meo inſtituto, ad oſtendendam argumenti flaccitatem.

§. 87. Reſpondeo ergo primùm ad argumentum ex § 85. diſtincto antecedenti. poteſt aliquid eſſe obiectum illius amoris, aut odij per aliquid extrinſecum, quod formaliter ſit & intrinſecè dignum amore, aut odio; tranſeat antecedens: quod formaliter non ſit dignum eo amore, aut odio, nego antecedens, & conſequentiã. Diſcrimen reddam §. 89. Ad primam probationem reſpondeo, gratiam eſſe intrinſecè & phyſicè bonam, & per ſuam eſſentiam obiectum complacentiæ Dei in amico, & filio: vnde non eſt mirum ſi eam dignitatem tribuat operibus ſupernaturalibus. At voluntas libera in actu primo non eſt obiectum complacentiæ ſpecialis: tum quia in actu primo poteſt habere eamdem omnino bonitatem quando non eſt libera: e. g. ſi poſitis omnibus principiis creatis ad operandum & non operandum, Deus neget voluntatem ad non operandum, vel ad operandum: Deus tunc non habet obiectum ſpecialis complacentiæ: ergo nec quando eſt libera: quia tunc eodem modo eſt intrinſecè perfecta. En arguis à gratia eſſentialiter ob bonitatem, petente ſpecialem amorem ad voluntatem, cum non petentem, & carentem illo genere bonitatis: tum, quia non poteſt Deus odiſſe voluntatem in actu primo; quia eſt bona, & effectus per ſe directè ab ipſo & amatus, & factus.

§. 88. Ad ſecundam probationem ex eodem §. 85. reſpondeo ratione eadem; peccatum enim actuale eſt in ſe malitia moralis; & reddit hominẽ malum ob intrinſecam ſibi malitiam. At actio humana non haberet malitiam niſi eius moralitas ſit intrinſeca. Quia malitia non eſt eius actus entitas per ſe, nec modus illi intrinſecus; nec item eſt ipſa voluntas, quia hæc eſt bona, & placens Deo; non ergo reddit actum formaliter malum, & Deo diſplicentem. Nec item malitia eſt aggregatum ex entitate actus & potentiæ; quia, cum neutra pars ſit odio digna, non poſſunt odium terminare ſimul ſumptæ, ex opere bono, & gratia ſimul, reſultat complacentia; quia quælibet pars eſt obiectum amoris ſpecialis: hic autem neutra entitas eſt obiectum odij; ergo nec vtraque. Item poſſunt eſſe illæ entitates ſimul ſine eo odio; quia auferente Deo cõcurſum ex parte ſuæ voluntatis indifferẽtis, manet voluntas creata cum eadem entitate ſine libertate: tunc Deus non poſſet diſplicere in actu & voluntate. ergo malitia aliquid eſt ab vtraque diſtinctum Idem dico de peccato originali: ſemper enim Deus diſplicet ſibi in peccato; & propter illud in homine. Idem dico ad tertiam probationem: videt enim Deus ſingulis momentis obiectum dignum amore, aut odio; hic autem nullum videt.

§. 89. Hinc nego conſequentiam illatam §. 85. ratio eſt, quia quando forma extrinſeca eſt intrinſecè digna odio, aut ſpeciali amore, poteſt illam dignitatem extrinſecè communicare aliis rebus, quibus erit moraliter intrinſeca: at quando nulla eſt extrinſeca malitia, aut ſpecialis bonitas, non poteſt extrinſecè facere aliquid bonum, aut malum. Cum ergo voluntas non ſit mala, nec moraliter bona; non poteſt actus ab illa eſſe formaliter bonus, aut malus, ſed efficienter; illi præſtans intrinſecam malitiam: quia actus eſt malus intrinſecè, aut extrinſecè; non extrinſecè, vt conſtat: ergo intrinſecè. Vnde ſic affirmo argumentum ex §. 71. Actus malus eſt obiectum ſpecialis diſplicentiæ Dei: ſed eam rationem non poteſt habere ab aliquo extrinſeco formaliter, ergo ab intrinſeco. Probo minorem, quia voluntas non eſt ratio ob quam Deus aliquid oderit. Quod argumentum eſt per ſe admodum efficax; & rationes horum authorum ſunt ab illo, non contra, quia afferunt exempla rerum habentium intrinſecè ſpecialem bonitatem aut malitiam.

Propoſui §. 86. Vtrum illa ſpecialis bonitas, aut malitia ſit neceſſariò intrinſeca? Ad primum, actus §. 90.
liberi habent ſpecialem rationem, ob quam prudenter & moraliter ſunt intrinſeci aliquibus rebus, quibus phyſicè ſunt extrinſeci. Quod quidem non conuenit aliis rebus. Nam poteſt aliquis cenſeri volens obiectum, quod ſemel voluit, dum primum actum non retractat; quamuis phyſicè ab eo ceſſet. At, ſi ſalus ſit amiſſa, non dicitur nunc homo valens, nec mulier vetus eſt nunc formoſa à pulchritudine quam amiſit cum iuuenta. Reſpondeo ergo ad argumentum ex §. 85. diſtincto antecedenti; à bonitate, aut malitia extrinſeca ſubiecto, exiſtente tamen intrinſecè in actu libero, poſſumus eſſe boni, aut mali, tranſeat antecedens; à malitia, aut bonitate extrinſeca ſubiecto, & exiſtente in alia re diſtincta ab actu libero, poſſumus eſſe boni, aut mali, nego antecedens, & conſequentiam. Quia actus liberi poſſunt eſſe moraliter intrinſeci, propter rationes redditas à me diſputante de iuſtificatione, & peccato originali: aliæ autem res non poſſunt eſſe moraliter intrinſecæ.

Ad primam probationem reſpondeo; gratiam §. 91.
eſſe obiectum partiale ſpecialis complacentiæ. Itaque illud obiectum conflatur intrinſecè ex actu ſupernaturali & gratia ſanctificante: non quod actus plus placeat in homine grato quàm in ingrato: ſed quia gratus coniungit gratiam cum actu, & habet plures rationes ob quas ametur. At voluntas non habet in ſe rationem dignam odio. Demus tamen poſſe gratiam reddere formaliter & extrinſecè opera gratiora, adhuc in noſtra quæſtione non eſt locus.

Etenim tunc dicitur forma communicare mo- §. 92.
raliter ſuum valorem alicui rei, quando in ſe eum habet: & comparatione ipſius rei perinde ſe habet ac ſi illi eſſet vnita phyſicè. Si ergo gratia informaret phyſicè actus noſtros, illos redderet meliores, & gratiores; quia illorum bonitati iungeretur bonitas gratiæ. Quod ſi gratia non haberet illum valorem, qui phyſicè communicatus nõ redderet actus phyſicè amabiliores & meliores; quid intereſſet illa moralis informatio? Sed ſi potentia noſtra vt libera vniretur phyſicè noſtris actibus vt ſubiectum, illos non redderet dignos odio; ergo nec nunc per moralem informationẽ eos reddit odio dignos. Probo minorem: quia voluntas in ſe & phyſicè eſt bona, & non mala moraliter. Poſſe enim liberè operari etiam peccatũ, eſt perfectio, in qua Deus ſibi complacet: non enim diſplicet in iuſto, quia peccare poteſt. Omnia enim quæ complent actum primum, ſunt bona: voluntas, cognitio, concurſus generalis Dei.

Dei. Si ergo hæc vbi ſunt phyſicè vnita Deo placent; cur diſplicebit actus liber ob illorum moralem receptionem?

§. 93. Concludo ergo, argumentum factum §. 85. multis rationibus eſſe imbelle. Ad cæteras probationes reſpondeo, omnes illos actus eſſe moraliter intrinſecos ſubiectis, quæ Deo reddũt inuiſa; & ideo id præſtant, quia per moralem vnionem præſtant quod per phyſicam præſtarent; ſed per phyſicam redderent hominem inimicum Dei; quia ipſi actus ſunt phyſicè malitia moralis: ergo id præſtant per moralem vnionem. At nulla eſt extrinſeca ratio, quæ actus redderet inuiſos Deo, tametſi illis vniretur phyſicè: ergo non poſſunt eſſe intrinſecè moraliter mali, propter eam extrinſecam formã. Meum igitur argumentum in §. 71. eſt efficax, acceptum de bonitate, & malitia intrinſeca phyſicè, aut moraliter rei, quam reddit mala. Quod apertè confirmant omnia argumenta facta ab aduerſariis §. 85.

§. 94. Dicunt, ab obiecto bono poſſe actum eſſe dignum odio; ergo. Probant antecedens: quia peccatum accipit infinitatẽ grauitatis ab infinitate Dei offenſi; quæ conſideratur vt forma moralis, grauans actum. Reſpondeo negata propoſitione: actus enim intrinſecam habet grauitatem: quia oritur à cognitione de Deo offendendo per actum: qui ordo ad eam cognitionem eſt intrinſecus actui. Grauitas autem Dei dicitur moralis forma; quia ex illa ponderamus grauitatem iniuriæ: quæ moraliter eſt infinita, ac ſi grauitas Dei illi phyſicè vniretur ad pondus iniuriæ.

§. 95. Tandem dicunt, non eſſe opus vt hic effectus formalis *malum* oriatur ab aliqua forma malitia in ſe: multi enim formales effectus oriuntur ab aliquibus rebus, quarum nulla eſt talis qualis reſultat effectus. ergo homo eſt dexter à dextera alterius & ſua vbicatione: eſt prior alio, & non ab aliqua prioritate: eſt ſimilis alteri, & neuter eſt ſimilitudo. Reſpondeo, eadem ratione poſſent dicere *iuſtum* non oriri ab aliqua vna forma iuſtitiæ, nec *album* ab albedine; nec *hominem* ab humanitate. Omnis ergo denominatio ſumitur vel ab vna ratione, quæ ſit talis vt *quo*; qualis effectus formalis vt *quod*. Hæc ratio poteſt eſſe ſimplex, vt albedo, ſapientia, & alia, in quibus cernitur apertè noſtri argumenti vis, vel ea ratio poteſt eſſe conflata ex duabus, vt humanitas ex materia & forma: eſt ergo homo compoſitus ex materia & forma: vna pars eſt neceſſariò materia, altera forma; item debet addi cõpoſitio. Vel ea ratio poteſt conflari ex vna parte intrinſeca, & altera extrinſeca: vt relatio, quæ eſt coëxiſtentia duorum: è quibus alter eſt exiſtens; item & alter. Itaque quæuis pars eſt exiſtentia; quia ſimilitudo eſt coëxiſtentia. Da ergo mihi in hoc compoſito *malum, diſplicens Deo*: aliquid ratione cuius Deus diſpliceat; non ratione actus, qui in ſe non eſt malus; non ratione potentiæ, quæ non eſt mala; non ratione vtriuſque, quia eſt coniunctio duarum rerum bonarum: & quia vtraque potuit exiſtere ſimul in entitate ſine malitia. Item compoſitum malum non reſultat niſi ex malitia vnius partis: ſi enim eſt vtraque bona, erit bonum, quod eſt ex integra cauſa; malum autem ex cuiuſque defectu.

§. 96. Rogas: quando Deus condonat peccatum, cur in illo deſinat diſplicere ſine mutatione in illo? Reſpondeo in actu ſemper Deum diſplicere. in homine deſinit diſplicere, vel quia eum intrinſecè mutat per gratiam ſanctificantem: quæ tam efficax eſt ad amicitiam Dei quàm peccatum ad inimicitiam. Si autem Deus poteſt extrinſecè condonare peccatum; tunc condonatio efficientia morali pellit moralem informationem peccati, & ea mutatione intrinſeca morali mutat intrinſecè obiectum odij.

§. 97. Secundò rogas; cur omiſerim ſententiam de connotatis? Huc eam reieci. Dicunt eius authores eumdem numero actum eſſe ſimul liberum & neceſſarium quoad entitatem; non tamen quoad denominationem: poſita enim libertate in potentia; actus eſt intrinſecè liber per ſuam eſſentiam; ablata autem libertate aufertur denominatio liberi. Contra primùm: quia eadem ratione dici poſſet hominem eſſe iuſtum quoad entitatem per ſuam eſſentiã, connotando voluntatem Dei de eo beando: ita vt dum non connotatur ea voluntas, homo ſit iuſtus quoad entitatem, & non quoad denominationem; dum autem connotatur illa ſupernaturalis voluntas, homo eſt iam iuſtus etiam quoad denominationem. Secundò, Deus videt totam illam entitatem malitiæ; ergo ſemper in illa diſplicet. Probo conſequentiam; quia ſemper videt obiectum illud ſe intrinſecè habens eodem modo. Ablatio autem connotati non minuit malitiam actus.

§. 98. Denique obſerua: ſi ſint duæ cognitiones ſimul de eodem obiecto; altera inferens neceſſitatem ad amorem, altera non inferente; tunc exercentur amores duo; alter neceſſariò, liberè alter: vt Chriſtus ſcientia beata exercet amorem neceſſarium; infuſa verò liberum. Item ſi quis in obiecto conſiderat ſolam rationem boni, & per alium actum rationem mali ſolùm; in ſententia conſtituente radicem libertatis in cognitione repræſentante bonum & malum: dicendum ex prima cognitione ſola oriri amorem neceſſariò; ex ſecunda odium: at ex vtraque oriri poſſe tertium actum amoris, aut odij: vterque enim poſſet oriri; tunc autem vtraque cognitio impeditur mutuò à neceſſitate ſui actus. Ego exiſtimo eodem actu nos moueri ad odium & amorem: quod ſi primus actus intellectus determinat ad amorem, accedente noua cognitione de bonitate eâdem liberè propoſita, tunc oriri actum alium amoris liberum; quia hi non opponuntur per diuerſas cognitiones. Si autem accedat noua repræſentatio de malitia obiecti; tunc nõ amatur neceſſariò, ſed perit primus amor; & cognitio, à qua pendebat, aut perit, aut impeditur ab amore per cognitionem oppoſitam; aut ſimul cum illa efficit nouum actum liberum. Beati amittunt amorem liberum ortum ex fide, & eliciunt cum lumine alium ſpecie diſtinctum.

SECTIO VII.

Vtrùm poſſit eſſe pura omiſſio? & vtrùm liberè?

§. 99. HÆc difficultas in parte pertinet ad diſputationem 14. de actibus voluntatis; quia verò multa argumenta è libertate petenda, hic commodius diſputabitur. Vt explicetur definitionis pars altera de potentia non operandi.

SVBSECTIO I.

Poſſibilis eſt omiſſio pura.

§. 100. SAnctus Thom. 1. 2. quæſt. 6. art. 3. docet apertè, poſſe contingere voluntarium abſque omni actu tam exteriori, quàm interiori: quæſtionem enim hanc proponit eo articulo, cúmque retuliſſet

ſententiam negantium, & eorumdem argumenta; quæ etiam nunc mouent aduerſarios: oppoſitam ſententiam docet, atque confirmat: & diluit oppoſita fundamenta. Deinde quæſt 71. art. 1. eamdem ſententiam tradit, docens eſſentiam peccati omiſſionis conſiſtere in pura carentia actus, tametſi illam antecedant occaſiones poſitiuæ, quas ait per accidens ad peccatum ſpectare. & 2. 2. quæſt. 79. artic. 3. ad 5. id ait expreſsè, cuius verba adducam: nec ſibi contrarius eſt S. Thom. ſed hac in parte maximè conſtans: nonnulli autem eius diſcipuli conantur eum exponere, ne videantur cum illo pugnare: ſed certè non è mente Doctoris, ſed ex ſua. S. Thomam ſequitur Conr. ibi. Caietan. 1. part. quæſt. 23. artic. 5. fine. Ricard. in ſecundo, diſtinctione 31. quæſt. vnica. Almai. tractatu de libertate voluntatis. §. *circa ſecundum argumentum.* Marſ. in 2. quæſt. 21. art. 3. part. 2. concluſ. 5. & ex antiquis quamplurimi, gloſſa ad Romanos, *quod operor, & non operor ſunt partes eius quod operor.* P. Valentia tomo 2. diſput. 2. quæſt. 1. punct. 2. P. Vazquez 1. 2. diſput. 92. cap. 2. & diſput. 128. num. 15. quamuis docet non eſſe peccatum in pura omiſſione, quia pro breuiſſimo tempore, quo durat, non obligat præceptum affirmatiuum; at poſſe pro breui tempore contingere omiſſionem puram docet. Hæc opinio communis etiam eſt recentioribus: quæ & mihi arridet.

§. 101. Primùm, quia definitio libertatis non exigit potentiam faciendi duos actus incompoſſibiles, ſed faciendi, & non faciendi vnum: ergo tota eſſentia libertatis reperitur in actu primo comparato puræ omiſſioni. Nam eſt reſpectu exiſtentiæ actus, & carentiæ eiuſdem; ergo ex conceptu eſſentiali libertatis non repugnat pura omiſſio. Video reſponderi poſſe ex conceptu quidditatiuo formaliter non repugnare puram omiſſionem, quia actus eo præcisè quod fiat ſine determinatione antecedenti, ſed cum indifferentia vt non fiat, eſſe liberum, neque opus eſſe ad conceptum libertatis in actu, concipere actum oppoſitum: ſed tantùm carentiam, & omiſſionem ipſius actus: at verò, quia etiam omiſſio eſt libera, & libertas reperiri non poſſit ſine actu poſitiuo, ideo repugnat pura omiſſio, vt Deus etiam eſt liber ad amandum, & non amandum creaturas, cui tamen repugnat pura amoris omiſſio, quia in Deo argueret imperfectionem: ſic omiſſio eſſet libera tanquam obiectum volitum per actum omittentem, qui immediate in illam fertur, vt cum quis ſtatuit nolle occidere, illa voluntas terminatur ad carentiam homicidij. Video hæc reſponderi poſſe, tamen ex definitione libertatis vrgebit ſecundum argumentum.

§. 102. Quod ſic efformo; Demus à Petro amari Deum concurſu ad actum, quo poſſit nolle amare: iſte amor eſt liber: manente Petro in eo amore, poteſt Deus negare concurſum ad nolitionem amoris, tunc argumentor: ergo amor ille tunc eſt liber præcisè, quia per puram omiſſionem poteſt non eſſe: probo conſequentiam; quia tunc non eſt liber quia eius omiſſio poſſit amari alio actu; ſupponitur enim negatus concurſus ad omnes alios: ergo præcisè eſt liber per puram omiſſionem: ergo hæc eſt poſſibilis. Dices primò, eum actū eſſe neceſſarium. Contra, ergo ſaltem ex hac ſolutione habeo contra aduerſarios nonnullos eumdem numero actum eſſe poſſe & liberum & neceſſarium ſucceſſiuè: quod illi negant, vt indicaui §. 57. Contra ſecundò: concurſus prior quo ille actus erat liber, non mutatur circa actum eumdem: ſed priùs eo concurſu erat liber: ergo & poſterius; probo maiorem: quia illa mutatio concurſus tantùm eſt circa actum oppoſitum: ergo non circa priorem. Patet conſequentia, quia amor Dei non pendet à concurſu ad volitionem non amandi: quia hæc eſt actus diſtinctæ ſpeciei; ad quem requiritur concurſus ratione diſtinctus ab alio concurſu.

Dices ſecundò, eum concurſum eſſe determinatum, cum prius eſſet indifferens. Contra: illi concurſui tantum deeſt concurſus ad actum oppoſitum; ſed propterea non eſt determinatus antecedenter ad hunc: ergo. Probo minorem; tum quia hic concurſus non conſtituitur indifferens per alium: ſunt enim duo ratione diſtincti; & vt alter præſcinditur ab altero eſt indifferens; nam ſi vt ſic eſſet determinatus vterque, non poſſet eſſe indifferens alter per alterum: item quia eſſet determinatus ad ſpeciem, vel indiuiduum: non tamen ad exercitium, quia illud non eſſet antecedens vſum noſtrum arbitrij: ergo eſſet indeterminatus antecedenter ad actum, & omiſſionem: per quam indifferentiam definitur libertas in actu primo, non verò per ordinem ad actus oppoſitos. Probo antecedens, quia antea non erat antecedens: ergo nec poſt: aut quid efficit negatio concurſus vt poſtea eſſet alter concurſus antecedens? Dices tertiò, quia propoſito obiecto, & præſtito concurſu non poteſt voluntas ab omni actu ceſſare. Solutio indigna philoſopho. Nam hæc eſt quæſtio, vtrum voluntas poſſit ab omni actu ceſſare? ego hoc argumento probo poſſe, & tu reſpondes argumento, quia non poteſt. Dices quartò, actum eſſe neceſſarium, quia alioquin etiam omiſſio eſſet libera, quod repugnat. ecce reſponſio peior priore. Quæſtio itidem eſt, vtrum pura omiſſio ſit libera? & ego volo eam eſſe liberam, & reſpondes argumento eſſe abſurdum eam eſſe liberam: reſponde igitur directè argumento, & non concluſione & tuis argumentis. Nam duo ſunt tui muneris, alterum arguendo probare concluſionem; alterum reſpondendo diluere argumenta. — § 103. (margin, beside "Dices ſecundò")

§. 104. Dices quintò, caſum repugnare: quia amor Dei dicit eſſentialem ordinem ad concurſum Dei paratum & ſibi, & actui oppoſito: ſic autem omnia facile conciliantur; quia amor deinceps exercitus eſſet diſtinctus & à concurſu diuerſæ rationis. Contra primò, quia amor eſſentialiter pendet à principiis ſuis; non verò à non principiis: ſed concurſus ad alium actum non eſt principium amoris: ergo non pendet ab illo. Probo minorem, quia amor tam eſt diſtinctus ſpecie à nolitione ſui, quàm à caſtitate, vel religione; ergo non magis pendet à concurſu in illam, quàm à concurſu in actus alios. Dices non pendere amorem vt ſic ab illo concurſu; pendere autem amorem liberum: quia pendet à principio expedito. Contra: quia nec in ratione liberi pendet: nam actus liber ex ſuo conceptu non connotat potentiam ad alios actus, at ex indigentia omiſſionis non arguitur; quia hoc argumento probo eam futuram vel liberam cum communi ſententia; vel nec liberam, nec non liberam cum Caietani.

§. 105. Atque vt penitus hoc argumento prematur oppoſita ſententia: probo ſæpe contingere amorem liberum Dei ſine proxima & immediata libertate ad nolitionem amoris ipſius: nam cum per actum Fidei proponitur homini bonitas, linquitur homo liber ad amorem & non amorem: quin habeat aliquam reflexam cognitionem de eodem amore, aut eius carentia: ergo tunc amor eſt liber non quia eſt potentia ad nolendum amorem, ſed quia poteſt eſſe pura amoris omiſſio: conſequentia eſt certa, quia ſi amor eſt liber, poteſt non eſſe, & ſi

tunc

tunc non eſt proximè poſſibilis omiſſio poſitiua, erit poſſibilis pura omiſſio:antecedens probo:quia amor elicitur liberè per concurſum generalem gratiæ, per habitum, cognitionem, & gratiam excitantem: at cognitio reflexa de eius amore, & carentia amoris, non eſt neceſſaria: ſed ſine cognitione reflexa amoris, & eius carentiæ non poteſt eſſe nolitio amoris: quia hæc nolitio habet pro obiecto carentiam amoris, ad quam terminari non poteſt ſine eius cognitione: ergo tunc non habet voluntas immediatã libertatẽ ad actum poſitiuum.

§. 106. Quæ ſic expono: vt ego amem bonum,egeo repræſentatione illius: quando in obiecto non apparet ratio mali, implicat illud odiſſe: vt amem liberè aut neceſſariò, non eſt opus reflexè cognoſcere amorem; tum quia cognitio eſt neceſſaria, ne voluntas feratur in incognitum:at tunc non fertur in ſuum amorem,ſed amore in obiectum; ac proinde eget cognitione obiecti,& non amoris: cum enim aliquis amat, non cogitat, *ego poſſum amare, & nolle amare, aut non amare*: ergo non eget cognitione de carẽtia amoris: ſed ipſa repræſentatio obiecti illud proponit, vt poſſit amari & non amari: tum quia eſſet infinita progreſſio:nam ſi amor boni eget cognitione ſui ad libertatem:ergo etiam nolitio amoris eget cognitione eadem: cur enim eget vnus actus, & non alius? ergo ſecunda nolitio,aut volitio eget cognitione reflexa & ſui, & ſuæ carentiæ.

§. 107. Dices eas cognitiones requiri donec conſtituatur potentia indifferens ad duos actus. Contra, ad indifferentiam actus non requiritur niſi indifferens cognitio obiecti circa quod verſatur: ego hinc probo ad libertatem eam ſolam requiri, neque vnquam ſomniauit vllus requiri aliam cognitionem præter obiecti; ad puram omiſſionem non requiritur,niſi eadem cognitio,quæ ad actum poſitiuum; ad poſitiuum autem non requiritur cognitio reflexa actus, quem vult non exerceri: nec dixit quis amorem fore neceſſarium ſine hac reflexa cognitione ſui.

§. 108. Tertiò ſic argumentor: ponamus per poſſibile, vel impoſſibile, concurſum ad vnum actum, indifferentem quidem ad exercitium: ex hoc caſu impoſſibili probo per locum intrinſecum, non ſequi abſurda è mea ſententia: quibus probatis tuam confirmas. Nam tunc poſſibilis eſſet pura omiſſio (vt caſus ponit) hinc non ſequuntur duo contradictoria:ergo.Probo antecedens; tunc omiſſio aut eſſet ſolum libera, aut nec eſſet libera, nec neceſſaria: at verò non eſſet ſimul libera & non libera, vt tu contendis. Dico enim eam tunc fore liberam.

§. 109. Dices, item non eſſet libera, quia libertas actualis requirit exercitium poſitiuum, quod tunc non eſſet. Contra; ergo tu cenſes de eſſentia libertatis eſſe exercitium poſitiuũ; ergo tunc actionis omiſſio non eſſet libera: quia libertas actualis requirit exercitium poſitiuum, quod tunc non eſſet: at ſine eſſentia libertatis nihil eſt liberum: ergo tunc falſa eſſet cõmunis ſententia illi tribuens libertatem.

§. 110. Dices ſecundò, fore liberam ex communi ſententia, ſine eſſentia libertatis in actu ſecundo.Contra, tu negas eam communem ſententiam, & ego tecum diſputandi gratia: quid inde ſequitur per locum intrinſecum niſi eam omiſſionem carere libertate? quod dicunt aliqui. Ais, eam eſſe indifferentem, ergo & liberam. Bene; ergo de conceptu indifferentiæ in actu ſecundo, non eſt actio poſitiua;quod ſi eſt:cur ais puram omiſſionem eſſe indifferentem? Idem erit de libertate: eſt ergo indifferens non exercitio poſitiuo,ſed negatiuo: & negatiuè indifferens, non poſitiuè.

Dices tertiò, ipſo caſu deſtrui quæſtionem totam. Contra:deſtruitur quidem concluſio,quam diſquirimus: at non deſtruitur tua ratio, retenta ſuppoſitione: vt cum quæritur. *Si Spiritus ſanctus non produceretur à Filio an diſtingueretur à Filio?* Suppoſitio deſtruit proceſſionẽ Spiritus ſancti à Filio: at non deſtruit diſtinctionem, niſi per conſequentias formales, & neceſſarias: ſimiliter & per eaſdem deſtruitur fundamentum tuæ ſententiæ, non verò formaliter in ſuppoſitione ipſa: quod eſt arguere ex impoſſibili per locum intrinſecum. §. 111.

SVBSECTIO II.

Aduerſariorum argumenta diluta.

IMpoſſibile eſſe peccatum puræ omiſſionis,contra S.Thom. docent Caietanus, 1.p.q.63. art.5. fine: & Pat.Vazquez ſupra: hic, quia putat præceptum poſitiuum non obligare pro breui tempore: ille, quia peccatum habet voluntariam declinationem à lege, vterque autem puram omiſſionem admittit. Pro neganda omiſſione ſolent adduci, Caietanus 1.2.q.6.art 3. & quæſt.71.art.5. Gabriel.2. d.41. quæſt vnica. dubio 3. art. 3. qui tamen à me ſtant: adduci etiam ſolent alij haud fideliſſimè. Sed parum refert: ſententia enim eſt valde communis repugnare omiſſionem. §. 112.

Probatur primò, quia ſi daretur pura omiſſio, illa eſſet voluntaria: ſed voluntaria eſſe non poteſt ſine actu poſitiuo: ergo non poteſt eſſe pura omiſſio: maior patet ex terminis, quia illa pura omiſſio eſſet peccatum, quia cum homo poſſet implere præceptum affirmatiuum, & non impleret, peccaret: ſed omne peccatum eſt voluntarium, ergo illa omiſſio eſſet voluntaria. Non poſſe eam eſſe voluntariam ſine actu poſitiuo, patet: quia omiſſio eſt carentia actus voluntarij, & potius eſt non eſſe voluntarij quàm voluntaria: ſicut cæcitas potius eſt non viſus, quàm viſus, quia priuat viſu: ſimiliter omiſſio magis eſt non voluntarium, quàm voluntarium. §. 113.

Confirmatur primò, voluntarium eſt exercitium voluntatis (vt patet ex terminis) nam voluntarium eſt à voluntate; ſed omiſſio non eſt exercitium voluntatis, ſed potius eſt non exercitium: ſicut carentia intellectionis non eſt exercitium intellectus: ergo pura omiſſio non eſt voluntaria per ſe. Confirmatur ſecundò, quando voluntas omittit actum præceptum, tunc verè & propriè potentia libera, eſt in actu ſecundo libertatis: quia eſt determinata ad alteram partem contradictionis: ſed potentia libera eſt in actu ſecundo, neceſſario per actum aliquem ſecundum, poſitiuum;ergo. Probatur minor, quia potentia libera in actu primo, eſt eſſentialiter vitalis: & exercere libertatem eſt exercere potentiam vitalem, & viuere in actu ſecundo: ſed potentia vitalis nec exercetur, nec viuit niſi per actionem poſitiuam: ergo. Huc progrediuntur Authores huius ſententiæ & ſiſtunt clamantes hanc eſſe euidentem argumentationem. §. 114.

De maiori propoſitione huius primi argumenti me videro ſubſect.3. etenim non tam probat repugnare omiſſionem puram, quàm eam non eſſe liberam.De quo egi. §.108. Etenim ſi de eſſentia libertatis & voluntarij actualis eſt actio poſitiua: ergo per locum intrinſecum pura omiſſio non eſt libera, nec voluntaria. Sed nunc ea admiſſa maiori: nego minorem, cum S.Thom.atque Durando. Ad probationem reſpondeo, carentiam voluntarij eſſe etiam voluntariam; quia tam eſt à voluntate, §. 115.

quàm actus voluntatis;itaque non eſt negatio omnis voluntarij,ſed voluntarij poſitiui : exempla illa ſunt abs re ; quia viſus in actu primo tantum dicit potentiam videndi : non verò non videndi. Vnde cæcitas eſt priuatio illius exercitij : at voluntas in actu primo , eſt potentia volendi & non volendi : & licet non velle ſit carentia volitionis , tamen eſt exercitium (vt ita dicam) voluntatis , quatenus in actu primo dicit potentiam non volendi : cui in actu ſecundo reſpondet non velle.

§. 116. Ad primam confirmationem reſpondetur , voluntatem habere potentiam volendi & non volendi : ita eius voluntarium adæquatum eſt velle & non velle : omiſſio igitur eſt exercitium voluntatis in quantum eſt non velle, & reſpondet potentiæ non volendi ; & eſt carentia exercitij voluntarij reſpondenti potentiæ volendi. Ad exemplum de intellectu patet ex his, quæ modo dixi de viſu. Illæ enim potentiæ , quia neceſſariæ ſunt ; non habent potentiam faciendi & non faciendi ; ſed determinatè ad faciendum. Vnde carentia factionis non eſt earum exercitium : quia oritur ab impotentia faciendi : at verò non factio non oritur ex impotentia faciendi : ſed ex potentia non faciendi : cuius terminum adæquatum eſſe facere & non facere dixi ſæpius. Ad ſecundam confirmationem diſtinguo minorem ; potentia faciendi formaliter eſt in actu ſecundo , per poſitiuam actionem concedo : potentia verò non faciendi ea non eget , ſed tantum non actione. Ad probationem minor. potentia libera eſt vitalis , ſecundum quod eſt potentia faciendi, concedo , quia eſt potentia ſe ab intrinſeco mutandi ; at non eſt vitalis formaliter,quatenus eſt potentia non faciendi,& non volendi;& quando hæc exercetur,non exercetur per vitam, ſed per non vitam. Dices , ergo diſtinguuntur illæ potentiæ. Non diſtinguuntur : nam vna potentia eſt potens ad duo exercitia cõtradictoria:quorum vtrumque illi reſpondet realiter. De rationis diſtinctione , vel idemtitate hic nihil noſtra. Eſt igitur potentia vitaliter ſe mouendi & non mouendi : cui reſpondet tam motus quàm non motus : ſiue illi conceptus ſint ratione duo, ſiue vnus.

§. 117. Secundò mouentur : quia voluntas eſt potentia intentionalis , tendens in obiectum bonum, ſicut intellectus in verum : ergo quotieſcumque eſt in actu ſecundo , tendit in ſuum obiectum, ſicut intellectus : at non tendit per puram omiſſionem , quia hæc potius eſt carentia tendentiæ:ergo. Confirmatur , appetitus neceſſarius non fertur in bonum per omiſſionem actus : ergo neque appetitus liber : patet conſequentia , quia in actu primo , vterque conſtituitur in ratione principij actiui:ergo in actu ſecundo , vterque conſtituitur per actionem. Nego antecedens : quia intellectus ſolum habet potentiam tendendi , & caret potentia non tendendi. Vnde in actu ſecundo conſtituitur per ſolam tendentiam poſitiuam : at voluntas habet potentiam tendendi & non tendendi : cuius actus ſecundus ſunt & tendentia, & carentia illius : quæ eſt carentia tendentiæ poſitiuæ : dicique poteſt tendentia priuatiua. De appetitu ſenſitiuo dixerim idem, quod de intellectu.

§. 118. Tertiò, in actu reperiuntur & ratio voluntarij, quod eſt fundamẽtum libertatis ; & libertas actionis : à qua actus denominatur liber : ſed in pura omiſſione non reperitur ratio voluntarij , quæ ſit fundamentum libertatis : ergo. Probatur minor, quia præſcindendo libertatem ab illa omiſſione, nihil manet præter puram carentiam voluntarij, quæ non eſt actus formalis, neque interpretatiuus.

Confirmatur , poteſt Deus determinare voluntatem vt neceſſariò operetur actum eadem cognitione,qua illum liberè exercebat, & tunc actus manet voluntarius quamuis non liber:ſimiliter poteſt neceſſitare ad puram omiſſionem ſtante eadem cognitione: nempe ſubtracto generali concurſu : in iſto caſu illa pura omiſſio nullam habet rationem voluntarij : ergo nec fundamentum libertatis.

Hoc argumento vtitur , qui libertatem ait eſſe **§. 119.**
eſſentialem actui libero , cum non debeat : tunc enim in actione nihil eſt fundamentum libertatis; quia eſſentia rei non habet aliud in ea fundamentum : itaque libertas in eius ſententia eſt differentia eſſentialis actus voluntarij : ſublata verò libertate ab actu non manet actus ; ſimiliter carentia actus liberi ea ratione qua eſt,eſt eſſentialiter libera, in qua ratio voluntarij, & libertatis ſunt idem. Item priuatio actus liberi eſſentialiter differt à priuatione neceſſarij : ſicut actus ipſi : ſublata ergo libertate omiſſionis non manet eadem, ſed alia ſpecie diſtincta, per quæ patet ad minorem.

Sed quid reſpondebunt , qui libertatem conſti- **§. 120.**
tuunt in extrinſeca denominatione ? Ipſi viderint. Dicere tamen poſſunt , voluntarium eſſe de eſſentia actionis poſitiuæ : quia eſſentialiter eſt à principio intrinſeco cognoſcente:libertatem verò huic fundamento inniti. Priuationes autem eadem ratione eſſe & liberas & voluntarias : quia quando non ſunt liberæ , non ſunt à principio intrinſeco, ſed ab illo,quod neceſſitatem ponit arbitrio;quando verò ſunt liberæ , eo modo quo exiſtunt , exiſtunt à principio intrinſeco , quia voluntas eſt in cauſa, ne fiat actus liber & vt ſit eius priuatio:tunc etiam ratio voluntarij erit extrinſeca priuationi;& ſicut eadem actio mutari poteſt de libera in neceſſariam , ita & omiſſio : item & voluntaria in non voluntariam;quia omiſſionem actus oriri à voluntate, vel ab alio extrinſeco principio, eſt illi extrinſecum.

Ad confirmationem patet , non poſſe eumdem **§. 121.**
actum à me fieri liberè & neceſſariò , includendo in actu actionem ipſam;ſic etiam nec eadem omiſſio erit libera & neceſſaria. Sed caſum admitte , actus maneret voluntarius , quia etſi neceſſarius, fieret tamen à principio intrinſeco : omiſſio autem neceſſaria non maneret voluntaria : nam fieret ab extrinſeco. Priuationes enim ab illo dicuntur fieri , à quo auferturr habitus : tunc autem habitus aufertur à ponente neceſſitatem. Quod diſcrimen eſt inter habitus, & priuationes : quia ad habitum opus eſt omnibus cauſis : ad priuationem ſat ſuperque eſt vel negatio vnius.

Quartò , Demus poſitis omnibus requiſitis ex **§. 122.**
parte cauſarum ſecundarum, negari à Deo concurſum ad actum præceptum. Demus item hominem qui eo concurſu careret,opinantem ſe poſſe ſeruare præceptum : quod ſi non ſeruat, eſt , quia non vult. Tunc ſic : ille homo non peccaret, vt ex terminis patet : ergo nec peccaret ſi haberet paratum concurſum : patet conſequentia , quia in vtroque caſu ſe haberet eodem modo : ſcilicet purè omittendo , quin omiſſio in ſe mutetur. Nego conſequentiam. Ad probationem reſpondeo , in vtroque caſu habere hominem omiſſiones ſpecie diſtinctas , ſi libertas eſt de eſſentia actionis : ſi autem eſt extrinſeca denominatio:reſpondeo, ex parte actus ſecundi omnia eſſe eodem modo : non verò ex parte actus primi. Demus enim caſum eumdem in actione poſitiua,quæ vtroque caſu ſe haberet eodem modo ex parte ſui , mutato principio è libero in neceſſarium.

Quintò,

§. 123. Quintò, Deus habet libertatem ſine pura omiſſione: ergo & nos. Nego conſequentiam: non enim ego contendo puram omiſſionem eſſe ad libertatem neceſſariam: ſed libertatis eſſentiam ſatis eſſe, & poſſe concipi ſine omiſſione poſitiua: Deo autem repugnat pura omiſſio, quia eſt voluntarium imperfectum.

§. 124. Sextò, concipiamus potentiam liberam in actu primo, præciſam ab actuali operatione, & omiſſione. Deinde concipiatur omittens: quid habet in ſecundo conceptu, quin & in primo? Sed tunc non eſt peccans, ergo nec poſtea. Reſpondeo in eo primo conceptu nec eſſe omiſſionem, nec actum: quia eſt ſtatus rationis præcidentis: at in ſecundo, habet iam carentiam, & alteram partem contradictionis, vt concipio animal ſine rationali, & irrationali; deinde cum irrationali: iam habet aliquid in ſecundo conceptu, quo caruit in primo. Denique omiſſionem liberam voca voluntarium moraliter, quia apud prudentes idem cenſetur non facere quod teneris, omittendo purè, quam nolendo poſitiuè.

SVBSECTIO III.

Pura omiſſio poteſt eſſe libera.

§. 125. DEdimus argumẽtis omiſſionem eſſe liberam: quod non dat Caietanus, aſſerens eam non eſſe peccatum. 1. p. q. 63. art. 5. fine; opinans Angelum in primo inſtanti potuiſſe non operari quin potuerit peccare: quia peccatum eſt poſitiua deordinatio: P. Vazquez cenſet puram omiſſionẽ non poſſe niſi breuiſſimè durare, quo tempore nõ obligat præceptum affirmatiuum. Non tamen negat eam eſſe liberam. Hac doctrina (quam dico eſſe Caietani) à nonullis compoſitam fuiſſe Chriſti libertatem, & impeccabilitatem, teſtes ſunt Pat. Suarez, & Vazquez vterque tom. 1. in 3. p. ille diſputatione, 37. ſectio 3. §. *Alij reſpondent Chriſtum.* hic diſputat. 34. numero 25. Huius opinionis, tacito nomine authorum, Durandus meminit in ſecundum diſtinctione 35. quæſtione 2. ſed in ſenſu Patris Vazquez: quia pro breuiſſimo tempore non obligat præceptum: quod ſi pro inſtanti obligaret, eſſet quidem peccatum.

§. 126. Fundamentum huius opinionis eſt, quia potentia libera eſt, quæ poteſt facere, & non facere: ſed libertas comparata puræ omiſſioni non eſt potentia factiua: ergo comparatione illius non eſt libera nec indifferens. Maior ex definitione patet: minor probatur: quia pura omiſſio non eſt terminus factibilis, qua nihil eſt: ergo reſpectu illius non datur potentia factiua. Ad quod aduerte in potentia libera eſſe duas potentias, alteram phyſicam phyſicè actiuam: cuius terminus eſt actio, & qualitas, hæc eſt factiua, & non eſt determinata ad agendum: ac proinde eſt libera. Altera eſt logica, quæ non eſt phyſicè actiua, ſed dicitur *potentia logica,* quia eius terminus, quia non tam eſt actio quàm non actio, non habet eſſe phyſicum, ſed obiectiuè tantum. Concipimus enim priuationes, licet nihil ſint à parte rei. Cum ergo omiſſio non ſit terminus potentiæ factiuæ, non poteſt eſſe libera.

§. 127. Hæc ſententia vel propter ſuum fundamentum diſplicet. Nam actus phyſicus eſt terminus potentiæ non factiuæ, ſed per te hæc non eſt libera; ergo neque actus phyſicus. Probo maiorem, actus phyſicus liber, eſt terminus potentiæ indifferentis ad operandum & non operandum; ſed potentia indifferens ad non operandum eſt potentia non factiua: ergo. Maior patet ex definitione potentiæ liberæ: minor probatur, quia ea ratione eſt indifferens ad non operandum, quia poſt non operari. Dices actionem oriri à potentia phyſica præcisè non determinata: non verò à potentia logica. Contra, nam oriri à potentia phyſica non determinata, eſt oriri à potentia logica: quia potentia eſt non determinata formaliter, quia poteſt non operari: ſed potentia non operandi eſt per te potentia logica, ergo oritur à potentia logica. Maior patet, quia ſupra potentiam determinatam potentia indifferẽs nihil habet niſi poſſe ſuſpendere actionem. Nec negari poteſt à parte rei potentiam non faciendi eſſe idem cum potentia faciendi phyſicè.

Ad argumentum ergo in forma diſtinguo minorem: potentia comparata puræ omiſſioni determinatè, quin poſſit ab ea ceſſare, non eſt potentia factiua, concedo minorem: comparata omiſſioni indifferenter, ita vt poſſit omittere, & non omittere, non eſt potentia factiua, nego minorem. Ad probationem nego conſequentiam. Licet enim omiſſio non ſit factibilis, eſt tamen factibilis actio illi oppoſita, quam reſpicit potentia indifferens ad omiſſionem: neque enim licet diſtinguere illas duas potentias in ratione potentiæ liberæ: nam & potentia factiua, & non factiua ſunt de eius eſſentia, nec poteſt concipi potentia ad omiſſionem indifferentem ſine potentia actiua actionis oppoſitæ: nam ſi potentia factiua eſt indeterminata ad omiſſionem, ergo potentia non factiua poteſt non omittere: ſed non omittere eſt agere; quia opponuntur contradictoriè omittere & agere, ergo potentia indifferens ad omittendum poteſt agere: ſimiliter potentia indifferens ad agendum vt indifferens, poteſt non agere: ergo poteſt omittere. Vnde tam omiſſio, quàm actio ſunt terminus eiuſdem omnino potentiæ. Quod ſi ratione diſtinguas potentiam factiuam à non factiua, neutram concipis liberam, quia non concipies indifferentiam. Nec illa diſtinctio rationis refert aliquid, nam omiſſio realiter eſt à potentia factiua & non factiua. Item actio à potentia non factiua & factiua: ſiue illam appelles *logicam*, vel *dialecticam.* Re enim ipſa potentia libera à parte rei habet potentiam agendi, & ab actione ceſſandi. Item omiſſio ſine fictione eſt, id eſt, actus non eſt, ſiue liberè definit eſſe: id voca vt libuerit. §. 128.

Secundò argumentor: potentia tunc omittens actum, habet in ſua potentia logica illam omiſſionem, & non eſt determinata ad illam: ergo eſt libera reſpectu illius. Antecedens quoad ſecundam partem eſt liquidum, quia ſi tunc ad omiſſionem eſſet voluntas antecedenter determinata, non eſſet indifferens ad actum contradictorium; ſicut non eſſet indifferens ad omiſſionem; ſi eſſet determinata ad actum: quia tunc non haberet definitionem libertatis: quo differt voluntas ab intellectu non habente actum, ad quam omiſſionem eſt determinatus antecedenter ex defectu ſpeciei impreſſæ, eaque de cauſa non habet libertatem ad actum oppoſitum. Denique ſi voluntas tunc eſſet determinata ad omiſſionem, non poſſet tunc elicere actum contrarium; ergo non eſſet determinata ad illam: eam verò contineri in poteſtate logica voluntatis probatur, quia voluntas eſt principium illius omiſſionis, quam conſtituit à parte rei, eo modo quo pura omiſſio poteſt eſſe; nam tunc pura omiſſio denominat voluntatem actualiter omittentem & eſt eo modo quo priuatio dicitur eſſe; ergo continetur in poteſtate logica voluntatis: probo autem eam eſſe liberam ex definitione libertatis, *qua poſitiu* §. 129.

tis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, & non operari, ſed voluntas poſitis omnibus requiſitis ad omiſſionem poteſt eam operari, & non operari: ergo eſt libera.

§.130. Dices primò, ipſis terminis implicari repugnantiam: quia cum omiſſio non ſit, nõ poſſunt poni requiſita ad illam operandam. Contra, quia ly *operari* non ſumitur in definitione pro operatione ſtrictè, & rigorosè, tum quia obſeruaui ſupra ex gloſſa ordinaria, B. Thom. Gabriele, & Gregorio Arim. operari ſumi vniuerſaliter ſicut agere: nam cum ſedemus, dormimus, otiamur & cætera, ſi rogemur quid agimus? Reſpondemus nos dormire, aut ceſſare à labore. Item illa definitio applicatur voluntati diuinæ non propriè, & in rigore pro operatione; nam voluntas diuina poſitis omnibus requiſitis ad volendum poteſt velle, & nolle, in quo eſt maximè libera: cum tamen non ſit potentia phyſica ad ſuos actus volendi: ergo de conceptu libertatis vt ſic non eſt potentia phyſica. Maior eſt clara, quia ita Deus me voluit prædeſtinare, vt potuerit nolle, in quo differt ab amore ſui ad quem eſt determinatus: minor eſt clara, quia actus liberi Dei non ſunt factibiles per aliquam potentiam: ergo quod requiritur eſt, vt ea ratione, qua actus liber Dei poteſt eſſe, Deus habeat virtutem ad illum: ergo ſimiliter quod requiritur ad omiſſionem liberã eſt, vt poſitis omnibus requiſitis ad omittendũ poſſit omitti & non omitti. Patet conſequentia, quia ſicut definitio ita applicatur Deo, ita debet applicari omiſſioni, & vt eo modo, quo poteſt eſſe eius potentia, ſit indifferens ad illam. Confirmatur, liber dicitur homo ad currendum quando poteſt currere, & poteſt non currere: ergo liber dicitur ad omittendum quando poteſt omittere, & non omittere: nam neceſſariò omittit quando non poteſt operari, & neceſſariò operatur, quando non poteſt omittere: ergo liberè omittit, quando poteſt non omittere.

§.131. Adde conſtare ex. §. 127. & 128. potentiam omittendi eſſe potentiam actiuam: ſic argumentor. Poſitis requiſitis ad omittendum, voluntas poteſt operari, & non operari; ergo omiſſio formaliter eſt à potentia libera. Probo antecedens: quia tunc voluntas eſt indeterminata ad actum, & omiſſionem; ergo poteſt operari actum, & poteſt non operari. Dices ſecundo, non poſſe operari omiſſionem. Contra, hoc definitio non petit: ſed vt poſſit operari, & non operari: nam ſicut actus non dicitur non operabilis, ſed operabilis; & tamen potentia eſt libera; ita omiſſio dicitur non operabilis. Itaque potentia operatiua, & non operatiua non eſt reſpectu vnius partis contradictionis, ſed vtriuſque. Dices tertiò, antequam voluntas eſſet completa ad operandum habebat omiſſionẽ omnium actuum: poſtquam verò completa eſt, habet eaſdem omiſſiones. Iam dixi ſuprà, voluntatem antequam compleatur habere omiſſiones neceſſarias actuum liberorum, & eas deponere quando completur ad operandum, & habere de nouo omiſſionem diſtinctam ſpecie (ſi liberum & neceſſarium diſtinguuntur ſpecie;) ſi verò libertas eſt extrinſeca denominatio, tunc illæ omiſſiones incipiunt eſſe liberæ per complementum voluntatis.

§.132. Secundò probo omiſſionem eſſe liberam: poteſt Chriſto Domino imponi præceptum puræ omiſſionis: ergo eſt libera: conſequentia eſt certa, quia præcepti eſt capax ſola potentia libera: nam ſi violatur, eſt peccatum, quod non cadit in potentiam non liberam: antecedens probatur ex hoc caſu: poteſt Deus negare Chriſto concurſum generalem ad omnes actus præter ad hunc *volo concionari*, ita vt nullum alium præter illum poſſit elicere: tunc præcipiat ei Deus, *ne concioneris*: Chriſtus tunc non poterit concionari, quia peccaret concionando: & tunc non habet virtutem ad alium actum reflexum, quo dicat *nolo concionari* (vt ſuppono ex caſu:) ergo ceſſabit à concionando per puram omiſſionem actus: ergo potuit illi præcipi pura omiſſio. Patet conſequentia, quia eo modo quo pura omiſſio eſſe poteſt, continetur in voluntate Chriſti, & eo modo quo continetur, potuit præcipi.

§.133. Dices primò, caſum repugnare, quia nihil Deus poteſt præcipere, quod non contineatur in potentia aliqua phyſica: vel ſaltem quod non ametur per aliquem actum reflexum. Contra, quando obiectũ quod præcipitur, non eſt effectus phyſicus, non eſt ad illud opus potentia phyſica, ſed ea tantùm in qua continetur: at pura omiſſio non eſt effectus phyſicus, ſed logicus: ergo non requiritur ad illam potentia phyſica, ſed logica. At Deus poteſt velle eam omiſſionem, ſicut poteſt velle me eſſe cæcum: ergo poteſt velle eam à me exhibitã, ſiue egredientem logicè è me per potentiam logicam: ſi quidem in ea continetur. Actus autem reflexus non requiritur, quia ille actus non ponit phyſicè puram omiſſionem per phyſicum influxum, ſed tãtum prohibendo voluntatem, ne operetur: at ipſa voluntas ſine actu reflexo poteſt non operari, quia non eſt determinata: ergo ſi pura omiſſio poteſt præcipi per actum reflexum, etiam poteſt eſſe pura omiſſio.

§.134. Dices ſecundò, non poſſe præcipi puram omiſſionem, quia præceptum eſt de re voluntaria, quia eius obſeruatio eſt voluntaria formaliter, vel interpretatiuè. Bona obiectio! id eſt, de quo diſputamus, Vtrum pura omiſſio poſſit eſſe voluntaria & libera? & ad meam ſententiam adduco præceptum poſſe de illa imponi, quorſum tu concluſione reſpondes? nam ego dico puram omiſſionem ſe ipſa eſſe voluntariam interpretatiuè: quia non operari quando poſſum, æquiualet nolitioni operari, & eſt pars operandi vt dixi ex B. Thom. & gloſſa. Deinde ſi id, quod præcipitur, continetur in mea poteſtate, & ego illud poſſum exequi eo modo, quo præcipitur: cur non poterit præcipi? Deus enim non mihi præcipit omiſſionem per phyſicum influxum, ſed ceſſare ab actu: ceſſare autem per te eſt in mea poteſtate logica, ita vt poſſim non ceſſare: cur ergo id mihi non poterit præcipi? Confirmatur, quando Deus mihi præcipit actum naturalem, licet caream virtute intrinſeca ſupernaturali, poſſum illi præcepto parere, quia non præcipitur aliquid ad quod requiratur potentia ſupernaturalis: ergo ſimiliter quando mihi præcipitur obiectum logicum, ſi ad illud habeo potentiam logicam requiſitam, licet non habeam phyſicam, potero illud præceptum implere.

§.135. Dices tertiò, poſſe dari præceptum negatiuum de actu concionandi, quia hæc præcepta impleri poſſunt per puram omiſſionem, & non liberam: vt cum quis dormit, implet præceptum non furandi. Contra, præceptum propriè, & formaliter non impletur per omiſſionem neceſſariam: ſed per liberam: ergo. Probo antecedens, quia potentia determinata ad omiſſionem non eſt capax præcepti propriè & formaliter: ergo non impletur per illam: probo antecedens, quia potentia determinata ex ſe ad omiſſionem non poteſt ab illa ceſſare, ſicut determinata ad actum non poteſt ab illo ceſſare: ergo non implet præceptum quia impletur per potentiam non determinatam. Brutis enim, & amentibus non poſſunt imponi præcepta. Quando verò

dor

dormimus, pro tunc nec habemus præceptum, nec impletur, v.g. non occidendi non magis impletur à nobis dormientibus, quàm à brutis, quia præceptum cadit in potentiam moralem.

§. 136. Dices quartò, non poſſe imponi præceptum de omiſſione circa obiectum poſitiuum, v.g. *morere & te ne habeas purè omittendo circa mortem.* Contra; poteſt præcipi pura omiſſio actus mali; ergo etiam poterit prohiberi pura omiſſio actus boni. Patet conſequentia: quia ſicut præcepto negatiuo prohibetur volitio mala, ita præcepto affirmatiuo præcipitur volitio bona, & ſic prohibetur omiſſio, ſicut in negatiuo prohibetur actus. Deinde Chriſtus, v.g. potuit habere illam omiſſionem, & non fuit determinatus ad illam; cur ergo non poterit illi præcipi ne eam haberet? Demus enim Deum parare concurſum ad ſolum actum moriendi: per te poteſt illum elicere, & non elicere per puram omiſſionem, & non per alium actũ reflexum: tunc poteſt illi præcipere *morere, & ne te habeas negatiuè circa mortem*, tunc Chriſtus tenetur non omittere, quia in eius poteſtate eſt omittere, & non omittere; alioquin impoſſibile eſt Deum obligare hominem ad actus affirmatiuos: quia omnes illi poſſunt ſuſpendi per puras omiſſiones, quod tam leui fundamento non eſt admittendum. Nam libertas eſt potentia phyſica non ad vtramque partem contradictionis, ſed ad alteram quo corruit iſta ſententia.

§. 137. Mitto alia argumenta, vt ex confeſſione, non enim teneretur quis aperire ſe ſacrũ omiſiſſe; quia fecit per puram omiſſionem, & ſi eſt dubius de ea, non poteſt pro certo ſe accuſare de illo crimine, quia eſt dubius de pura omiſſione. Hoc autem in nullo reperies, quis enim vnquam dixit eſſe caſum, quo quis certus ſit ſecum plena aduertentia, & cognitione præcepti omiſiſſe ſacrum, & non teneri id confiteri pro peccato certo? Rogo vbi ſit hæc propoſitio? Dices id raro, aut nunquam contingere. Bene, pura omiſſio continuè contingit, & poteſt quis ſe negatiuè habens circa præceptum affirmatiuum velle alia, verbi gratia, cum pulſatur ad ſacrum, habere ſimplices complacentias de calore in lecto percepto, & ſe habere negatiuè circa actum volendi ſurgere, audiendique ſacri; & tunc poteſt accedere ad Euchariſtiam nulla præmiſſa confeſſione: ſed vel ſaltem homo doctus, qui probabiliter opinatur ſe habuiſſe puram omiſſionem, poterit communicare Chriſti corpus ſine confeſſione & dolere de illo præcepto omiſſo.

§. 138. Probari poteſt ex ſcripturis. Quod abunde præſtiti in 3. part. diſp. 55. ſect. 2. Obſerua tamen hæc B Th. verba (quibus locuti videntur cæteri ſcholaſtici & Patres admittentes puram omiſſionem) 2. 2. quæſt. 79. art. 3. *Ad primum ergo dicendum; quod omiſſio eſt peccatum actuale: non quia habet aliquem actum ſibi eſſentialem; ſed ſecundum quod negatio actus reducitur ad genus actus: & ſecundum hoc non agere accipitur vt agere quoddam.*

SECTIO VIII.

Diuiſio libertatis in ſpeciem & exercitium.

§. 139. SAnctus Thom. pluribus in locis maximè, 1. 2. quæſt. 13. a. 6. & de veritate quæſt. 22. a. 6. corpore conſtituit libertatem, primùm quantum ad actum; ſecundò quantum ad obiectum. Primam vocat poſſe velle & non velle; ſecundam poſſe velle hoc aut illud. Has duas ſpecies libertatis eſſe, & quoad exercitium, & quoad ſpecificationem docet P. Vazq. ex mente S. Tho. in explicatione huius art. Caiet. & Conrad. eam tuentur ibidem. P. Mol. 1. p. q. 14. a. 3. diſp. 2. neque eſt aliquid communius hac diuiſione libertatis in ſpeciem & exercitium.

Hæc eſt poteſtas ad exercendum actum, & ab eodem ceſſandi: quod vocatur à S. Thom. *velle, & non velle*, id eſt, poteſt exercere actum & non exercere: quæ quia formaliter verſatur circa actum, & puram eius omiſſionem, vocatur *libertas contradictionis*: quia actus & omiſſio contradictoriè opponuntur. Non vocatur *libertas circa obiectum*: quia licet circa illud exerceatur liberè actus, tamen libertas obiecti requirit plura obiecta, quæ poſſint amari; at ſi non eſt niſi vnum, non eſt libertas circa obiecta, ſed ad actum circa obiectum idem. Libertas quoad ſpeciem eſt, quando potentia poteſt exercere actum vnius ſpeciei, & alium alterius oppoſitæ. Quæ vocatur *libertas circa obiecta*: quia cum plura proponantur, & ad nullum voluntas antecedenter determinetur, poteſt quod libuerit eligere, v.g. velle furari, aut ſtipem erogare.

Primum obſerua, in libertate ad ſpeciem includi libertatem ad exercitium; quia ſi ego poſſum Petrum occidere, & illi vitam conſeruare, habeo potentiam non occidendi: ergo ſum liber ad exercitium homicidij, quia poſſum occidere, vt patet, & non occidere quia poſſum conſeruare vitam: at libertas ad exercitium non includit libertatem ad ſpeciem; quia rectè poſſum ego non exercere amorem boni in commune; non tamen poſſum odiſſe: nam quia habeo virtutem actum exercendi, non propterea poſſum actum circa obiecta alia: quia poteſt deficere aut cognitio, aut concurſus ad alios, & non ad vnum. E contra verò neceſſitas exercitij includit neceſſitatem ſpeciei: quia ſi ego non poſſum ceſſare ab amore Dei, nec poſſum illum odiſſe: quia poſſem componere amorem, & odium: neceſſitas autem ſpeciei non includit neceſſitatem exercitij. Nam rectè poteſt aliquis è duobus obiectis neceſſitari ad vnũ, quin neceſſitetur ad actualem eius amorem: nam ex eo quod non poſſim actum odij circa bonum, non ſequitur me neceſſariò amare bonum: poſſum enim habere potentiam liberam ad vnum actum, & non ad alium contrarium. §. 140.

Secundum obſerua, negantes puram omiſſionem, negare etiam libertatem exercitij pro vt diſtinguitur à libertate ſpecificationis: quia non poteſt aliquis liberè ab actu ceſſare quin eliciat actum ſpeciei contrariæ: ergo caret libertate exercitij: antecedens à te ponitur, quia ceſſat ab amore nolendo amare; quid autem magis contrarium amori, quàm nolitio amoris? quia ipſe amor habetur odio: conſequentiam probo, quia libertas ſpeciei eſt, qua poſſum exercere actum ſpecierum contrariarũ. Dices, requiri ad eam plurium obiectorum cognitiones, quæ ſint contraria. Contra, amor habet pro obiecto id ad quod fertur; nolitio amoris habet pro obiecto quod recuſat, amorem ipſum; & vult carentiam ipſius amoris: ergo habet obiecta diuerſa, eáque incompoſſibilia. Dices, obiecta debere eſſe contraria ex parte ipſorum, exempli gratia, nex, & vitæ conſeruatio; at nolitio amoris non habet pro obiecto malum contrarium obiecto amoris, ſed tendit in carentiam eius amoris. Contra, illa eſt vera electio inter duo obiecta per actus contrarios, quid illi deeſt ad libertatem ſpecificationis? §. 141.

Tertium obſerua, libertatem ſpeciei verſari circa obiecta oppoſita, vel ſecundum ſe, vel comparatione ad aliud, verbi gratia, proponitur alicui voluptas contra rationem, & honeſtas virtutis: actus quo §. 142.

quo volo honeſtatem, comparatione actus quo poteram voluptatem amare, eſt liber ad ſpeciem: ſunt enim actus illi contrarij. Item comparatione ad aliud: ego efficaciter intendo finem conſequendum, exempli gratia; non per duo media ſimul, ſed per vnum: ſuppetunt tamen duo, quorum alterum ſufficit. Vtrumque autem coniungi non poteſt, verbi gratia, ego volo ire Romam, poſſum equo & naui: eligo nauim, & reiicio equum. Hæc duo media licet inter ſe ſecundum ſe non ſint contraria: ſunt tamen comparatione meæ expeditionis: quia dum naui iter ago, non poſſum equo. Ratio huius doctrinæ eſt, quia extrema libertatis habent aliquã oppoſitionem, & negata libertate exercitij, neceſſariò negatur libertas ſpeciei, vt negata omiſſione amoris, negatur odium neceſſariò; at hoc non fieret niſi inter oppoſita obiecta, nam ex amoris neceſſaria exiſtentia non infertur neceſſitas volendi ambulare: quia amor Dei non opponitur voluntati non ambulandi.

§. 143. Hæc communis diuiſio libertatis locum non videtur habere in ſententia Patris Vazquez atque Conradi, opinantium requiri defectum cognitionis ad peccatum: quod contra ipſos impugnaui diſputat. 14. ſectio 9. latiùs hîc probaturus. Ad quod, duo genera obiectorum nobis occurrũt. Alterum, particulares fines contrarij: verbi gratia, mihi proponitur delectatio contra virtutem, aliunde honeſtas ipſius virtutis delectationi aduerſantis: in his non reperiri libertatem ſpecificationis, perſpicuè docet Pat. Vazquez ſequi è ſua ſententia, 1.2. diſput. 128. num. 14. & in expoſitione, art. 1. quæſt. 9. numer. 30. & 35. Alterum genus eſt, media comparatione alicuius finis: in his non reperiri libertatem ad ſpeciem docent Conradus ſupra, & Pat. Vazquez diſp. 43. cap. 2. dum aiunt è duobus mediis æqualiter repræſentatis neutrum poſſe à nobis eligi: è duobus autem inæqualibus, aut inæqualiter, non poſſe eligi minus bonum, aut inefficacius propoſitum: ergo neque in intendendis finibus particularibus, neque in eligendis mediis ad finem eſt libertas ſpecificationis: neque item eſt in amando fine vniuerſali, ſcilicet bono in communi; ergo nunquam eſt libertas ſpecificationis: quorſum ergo illi cum Doctoribus vniuerſis diuiſionem illam admittunt? Ex eorum ſententia de cognitionis defectu id euidenter ſequi, abunde probaui diſp. 14. ſect. 9. quia duo obiecta neceſſariò proponuntur æqualiter, vel inæqualiter, vel non proponuntur: in primo caſu non poteſt voluntas ſe flectere. In ſecundo, non poteſt ferri in minus efficaciter propoſitum. In tertio non eſt potentia proxima, quia cognitione caret; ergo nunquam eſt libera ad ſpeciem.

§. 144. Ait Pat. Vazquez ea diſputat. 128. num. 14. in intellectu oriri nouam conſiderationem repræſentantem nouam bonitatem in obiecto, quod prius non amauerat, per quam ceſſare poteſt ab amore prioris obiecti. At hac ratione nulla noua libertas reperitur ad ſpeciem. Primum illa conſideratio non fuit libera (vt tu fateris) quod ſi fuit, non quidem ad ſpeciem; nam deberet fieri ex libera voluntate, de qua redit argumentum idem, an determinata fuerit ab alio iudicio æqualiter, aut inæqualiter, aut nullo modo repræſentante duo obiecta? Deinde orta conſideratione noua, qua obiectum efficacius repræſentatur, voluntas neceſſariò ceſſat ab eius amore; ergo ſemper eſt neceſſaria ad ſpeciem. Adde etiam bruta habere genus iſtud potentiæ, equus enim veſcens hordeo, ſi efficacius illi proponatur herba, ad eam rapitur hordeo relicto, neque enim conſideranda eſt voluntas ante actualem repræſentationem obiecti, ſed facta propoſitione conſiderandum eſt quid poſſit. Poſſet enim amare cum hac cognitione: odiſſe autem cum illa commune eſt brutis. Libertatem in ſpeciem, & exercitium rectè poſitam præter communem aſſenſum his ita confirmo.

Primum ex cap. 31. numer. 10. Eccleſiaſtici vbi commendatur diues, quod non inhiauerit in alienum aurum: ſed proprium etiam fuerit cum egenis partitus, *qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, & facere malum & non fecit. Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrauit omnis Eccleſia.* Duo fecit diues ille. Primum, non fecit malum, quod potuit, id eſt non diripuit aliena. Secundum, fecit bonum, quod potuit non facere: id eſt erogauit eleemoſynas. Ecce libertatem ad ſpeciem. Nam illa ſunt duo contraria obiecta, in quæ tendimus per actus diuerſarum ſpecierum; ergo diues ille fuit liber ad ſpeciem. Patet, quia de vtroque laudatur: ergo vtrumque potuit efficere: alioquin propter vtrumque nõ eſſet laude dignus. Clariùs autem id exprimitur eodem lib. cap. 15. num. 17. cum affirmaſſet Eccleſiaſticus hominem à Deo ſui arbitrij compotem effectum, atque relictum in manu conſilij ſui. *Appoſuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam:* ignem & aquam, id eſt, malum, & bonum, & quod placuerit (inquit Hieron. in epiſtola ad Demetriadem) dabitur illi: eſtque metaphorica phraſis: quemadmodum enim ignis & aqua, per qualitatetes omnes pugnant extremè, ita bonum & malum: ad quorum vtrumlibet poteſt homo manum extendere, quæ eſt libertas obiectorum: quam ex S. Thom. præmiſi: ſic igitur argumentor. Propoſitis per intellectum igne & aqua eſt in manu conſilij hominis extendere manum ad vtrumque, ergo illis propoſitis eſt libertas homini ad ſpeciem: conſequentia patet, quia conſilij manus eſt libertas: antecedens patet ex Eccleſiaſtici verbis. §. 145.

Dices, ſermonem eſſe de igne & aqua, id eſt de bono, & malo quoad exercitium, id eſt, peccare, & non peccare; furari & non furari, non verò furari & eſſe liberalem. Contra: quia ignis, & aqua ſignificant diuerſa, & contraria obiecta: nam cum homini proponuntur honeſtas, & vitium, nonne & ignis, & aqua? Ibi enim docet Eccleſiaſticus Deum non eſſe peccati authorem, ſed homines pro ſuo arbitratu ſe dedere flagitiis, à quibus eſt Deus immunis: quia homo inſita libertate, honeſtate ſpreta, ſequitur flagitia: at ſi ſimul non poteſt in illa obiecta tendere, non ſpernit honeſtatem: ad quam ſequendam libertate caret per te; ergo. Idque poteſt confirmari ex facto Abrahami, quo permiſit Loth dextram, & ſiniſtram regionis plagam: ille autem Sodomam elegit: anne non potuit aliò diuertere? Itidem præcepit Deus ſibi offerri pullos, aut agnum: qui offerebat agnum, nonne poterat & pullos? Ille autem adoleſcens qui noluit Chriſtum ſequi, ſed poſt aurũ abiit, nonne potuit cum Chriſto manere? Quod ſi non potuit, cur à Chriſto vituperatur, quod diuitum more cor appoſuerit diuitiis affluentibus? Si enim non fuiſſet liber niſi ad exercitium, ita amauit diuitias, vt potuerit non amare: at non potuit illas ſpernere, & velle pauperibus erogare. Denique quoties in ſcriptura datur optio, (datur autem infinities) reperitur libertas ad vtrumlibet: admiſſa iam propoſitione, quia ſine ea non eſt optio, & eſt clarum. Ineptè enim daretur alicui optio inter duas res, ſi alteram non poſſet eligere. §. 146.

Secundò,

§.147. Secundò, argumentor ab abſurdo, demus quo tempore obligat præceptum audiendi ſacri, homini proponi & ſacrum audire, & ludere: ego probo ex ſententia, quam impugno, hominem non peccare non audiendo ſacrum. Primùm, ſi audit ſacrum, non peccat. Secundò, ſi ſacrum, & ludus proponuntur æqualiter, per te non eſt in eius poteſtate audire ſacrum, quia non poteſt eligere inter duo obiecta æqualiter propoſita: ergo non peccat in eo caſu: quia ſine libertate nullum peccatum. Tertiò, ſi ludus proponitur efficacius, non poteſt velle ſacrum: quia è duobus obiectis inæqualiter propoſitis non poteſt ferri in propoſitum minus efficaciter: ergo non peccat; ergo quoties ſacrum omittit, quia ad alia diuertit, non peccat: patet conſequentia, quia ad alia diuertitur, quia proponuntur efficacius, quàm ſacrum. Id enim in tua ſententia requiritur; ſed non eſt poteſtas ad obiectum inefficacius propoſitum; ergo non eſt libertas ad ſacrum.

§.148. Dices primò, eum peccare ludendo, quia ita ludit, vt potuerit non ludere. Contra; ludendo quis peccat, quando ludo impeditur à libera obſeruatione præcepti; ſed ludus non impedit hanc liberam obſeruantiam præcepti; ergo non eſt peccatum. Minor probatur, actus ludendi iam ſupponit efficaciorem ludi repræſentationem: ergo iam ſupponit ablatam libertatem proximam audiendi ſacrum: quia per te non poteſt voluntas velle ſacrum ſuppoſita efficaciori propoſitione ludi.

§.149. Dices ſecundò, eum peccare, quia arbitratur ſe peccare. Contra, ergo re ipſa non peccat; ſed tantum in falſa exiſtimatione. Deinde, tu qui es doctus, non peccas ludendo, & ſi confeſſionem omittentis ſacrum propter ludum excipias, illi auferes conſcientiam erroneam, vt tuto deinceps ludat; nam eo præciſè quod videas illum luſiſſe, vides propoſitionem ludi fuiſſe efficaciorem: quâ ſtante nihil impeditur ludo, magis quàm voluntate non ludendi.

§.150. Dices tertiò, eum potuiſſe inquirere efficaciorem propoſitionem ſacri: proponendo rationem honeſti. Contra, ſæpe non eſt in hominis poteſtate efficacior cognitio; quia hæc pendet ab ſpecie impreſſa. Secundò, ſi tenetur inquirere eſt per actum liberum, quem præcedit aliud iudicium: de quo rogo, vtrum proponat efficacius inquirere rationes pro ludo, quàm pro ſacro, vel æqualiter, vel minus efficaciter? Si duo prima, non poteſt inquirere rationes pro ſacro propter eamdem rationem. Si tertium, rogo, vtrum inuenerit eas rationes, vel non? Si non inuenit: non peccat omittendo ſacrum; ſi autem inuenit, impoſſibile eſt eum ludere, quia ſacro efficaciùs propoſito non poteſt ludere; quod ſi ludet, ſignum euidens eſt ſemper fuiſſe propoſitum efficaciùs ludum: alioquin per te non poſſet ludere: nam quamuis perſeuerante eo iudicio, poteſt non ludere, quia eſt liber ad exercitium: at non poſſet ludere, nec ſe in ea ſpecie exercere, quin cognitio ad illam ſpeciem determinet affectus. Vnde concludo non inefficaciter tolli libertatem ad vniuerſam fere præceptorum poſitiuorum obſeruationem: quia nunquam fere terremur niſi aliorum obiectorũ delectatione pulſati.

§.151. Tertiò argumentor à ſimili, præmittendo Deum non poſſe cognitione mutari: quia primo oculorum iactu penetrat quidquid cognoſci poteſt. Deinde præmitto, Deum non operari ſemper quæ perfectiſſima ſunt ex parte obiecti: ſed multa & infinitè multo nobiliora iis, quæ fecit, poſſe efficere, & nunquam faciet, multa item æquè bona: nam producere poteſt Angelum excellentiſſimum omnium exiſtentium, & alios homines æquè bonos ac nos, de quo egi in 3. part. diſput. 3. Sic argumentor: Deus è duobus mediis æqualiter propoſitis & æqualis bonitatis ſe liberè inflectit ad alterum. Item è duobus obiectis inæqualibus æqualiter cognitis, liberè voluit quod in ſe erat minus bonum; ergo libertas non impeditur illis difficultatibus: ergo neque in nobis: tum quia iam ex ratione libertatis non repugnat, neque item ex maiori bonitate obiecti.

Dices, in nobis requiri conſultationem, ſecus in Deo. Contra, in nobis requiritur præconſiliatio, quia ex ignorantia non perpendimus bonitatem finis, nec mediorum aptitudinem: quæ diſpicimus conſultatione: Deus autem ſine ea, omnia comprehendit, tunc ſic: cognita minor obiecti bonitas ſine conſultatione poteſt eligi: ergo & cognita per conſultationem: nam eam ſic, aut aliter cognoſci quid refert? Certè cum aliquis propoſitis duobus obiectis eligit malum, in ſe ſentit ſtimulos conſcientiæ reclamantis, atque pungentis; non modo quia male agit exercendo actum prauum: ſed quia & omiſit bonum. Verum eſt non poſſe eligi medium minus bonum, quando intenditur finis animo eum aſſequendi per optimum medium: quia illud cum ſit vnicum, eligitur neceſſariò; ſi verò occurrant duo optima cæterorum, & inter ſe æqualia, eligi poteſt vtrumuis: nec verò conſultatio eſt conferendo vnum alij, & expendendo vtrum ſit melius, ſed conferendo cum fine: ad quem poteſt eligi quodcumque cenſetur ſufficere. §.152.

Me ſollicitant duo teſtimonia S. Thom. quem nec per ſomnum trahi vellem in hanc ſententiam: vtrumque 1.2. alterum quæſt. 13. artic. 6. ad 3. ibi ait propoſitis duobus obiectis æqualiter ſub vna ratione, voluntatem motum iri in alterum, quia poteſt quærere rationem ſub alia bonitate. Vnde infert P. Vazquez, ergo cenſet S. Thom. requiri vehementiorem propoſitionem obiecti. Sed Caietan. fit obuius huic argumento, D. Thom. illud ſoluiſſe attendendo ad radicem difficultatis: nõ quod S. Thomas eam exigat inæqualitatem: dixerat enim corpore articuli voluntatem eſſe liberam ad obiecta: ſed quia admiſſa æqualitate ſub vna conſideratione, voluntas moueri poſſet per aliam, ne foret in neutram partem bellumo more ſuſpenſa: at ibi non diſputat vtrum ſit libertas ad ſpeciem? ſed ſupponit probatum eo articulo. §.153.

Alterum teſtimonium eſt è quæſt. 9. artic. 1. ad 3. vbi ait voluntatem moueri ad ſpeciem per intellectum; ad exercitium autem per ſe ipſam; ergo determinatur ad ſpeciem per intellectum. Verum S. Thom. ibi præcipuè docet libertatem ad ſpeciem. Ad tertium verò, facilem habet explicatum. Oſtenderat S. Thom. voluntatem ex ſe eſſe cauſam vniuerſalem ad plura obiecta, quæ eget determinatione ad aliquod in particulari. Hoc autem fit cognitione, per quam proponitur voluntati circa quid ſe exerceat; nam ſine cognitione obiecti non ſe poteſt in illud mouere: at hoc non tollit quo minus poſſit illud eligere, vel repudiare aliis repræſentatis; ſicut omnes habitus determinant voluntatem ad certas ſpecies actuum; ſed liberè ad ſingulas. Vult ergo S. Thom. cognitionem requiri; qua poſita liberum eſt illi exercitium circa quamlibet ſpeciem obiecti. §.154.

* * *

SECTIO IX.

Subdiuiſa libertas in phyſicam & moralem.

§.155. DE vtrauis libertatis ſpecie dubio eſt locus; diuidatur ne in phyſicam & moralem? Moralem voco, qua homo operari poteſt ex rationis præſcripto, vel contra: quæ operatio eſt formaliter humana, & rationalis: principiúmque meriti, ac demeriti. Naturalem, qua quiſque eſt indifferens phyſicè ad aliquid, & non determinatus belluarum in morem, ſed non cum cognitione rationis, nec cum ſufficienti principio boni, aut mali.

§.156. Nonnulli videntur inſinuare actum moralem conſtitui formaliter libertate: è quorum ſententia recidunt actus liber & moralis, vt Scotus in 2. diſtinct. 40. quæſt. vnic. §. *de ſecundo dico.* At Scotus ibidem agit de obiecto ex fine honeſto; non verò de obiecto purè naturali: nec hanc quæſtionem antiquiores attigere. Primus eam attigiſſe videtur Franciſc. Victoria relectione de puero veniente ad vſum rationis: vbi docet poſſe puerũ habere libertatem & indifferentiam ad obiectum, ad quod non ſit in actu primo determinatus, quin habeat ſufficientem libertatem ad meritum, aut demeritum. Victoriam ſequitur P. Molina, 1. par. q. 14. art. 13. diſput. 2. non recuſat P. Vazquez 1. 2. diſp. 41. n. 15. ſubſcribunt è neotericis nonnulli.

§.157. Nam poteſt aliquis cognoſcere phyſicam obiecti conuenientiam, & in eo reperire rationem boni, & mali; ac iudicare obiectum ita eſſe bonum, vt habeat admixtum & malum: quin de conuenientia cum ratione aliquid cogitet; ergo poteſt actus eſſe liber phyſicè, quin moraliter: conſequentia patet: quia illa cognitio non determinat voluntatem ad obiectum, quia eius conuenientiam phyſicam tam benè expendit, quàm ſi homo ratione duceretur. Item ſine cognitione de rationis honeſtate non poteſt actus eſſe liber moraliter. Antecedens probo: quia conuenientia phyſica obiecti diſtinguitur ſufficienter ab eiuſdem conuenientia cum ratione: quia phyſica reſpicit perſonam, cui congruit obiectum, vt cibus veſcenti: rationis verò reſpicit legem, qua adſtringitur homo: ergo habet ſufficiens fundamentum vt vna ſine alia cognoſcatur. Confirmatur, poteſt puer experientia deprehendere bonitatem phyſicam obiecti, v. g. cibi, veſtitus, & aliorum, quin vnquam audierit aut cogitauerit de ratione: poteſtque expendere, vtrum ſibi obiectum expediat nec ne? Poterit enim vti ratiocinatione conferente duo obiecta bona, quæ fuerit expertus.

§.158. Dices id implicare, dum non vtitur diſcurſu circa rationis leges: alioquin & bruta ea libertate gauderent. Contra, quia diſcurſus circa rationem fit per alias ſpecies valde diuerſas: hic autem per ſpecies ſenſatas, & experimentales. Bruta afferuntur abs re, quia non habent facultatem circa obiectum vllum diſcurrendi: nec agunt propter finem.

§.159. Huic ſententiæ obiicies primò, reperiri actum liberum, cuius nõ habeat Deus nec permiſſionem, quia non eſt malus: nec ſpecialem prouidentiam, quia non eſt bonus, quod eſt abſurdum. Negabunt aduerſarij eſſe abſurdum: tum quia à plurimis, grauiſſimíſque Doctoribus conſtituuntur actus in indiuiduo indifferentes, etiam cum aduertentia ad rationem: tum quia circa obiecta naturalia ſine ratione, non incongruit.

§.160. Obiicies ſecundò, actum liberum qua ratione liberum, eſſe moralem: quia conſtituit morem: cui aſſueſimus: ergo non diſtinguuntur liberum, & morale. Diſtinguent antecedens, eſt moralis vt mos opponitur modo naturali, & determinato, concedent antecedens cum conſequentia: eſt moralis, vt mos diuiditur in bonum & malum, & indifferentem: negabunt antecedens & conſequentiam. Nam hæc diuiſio moris connotat ſpecialiter aduertentiam ad rationem.

Obiicies tertiò, etiam homines, alioquin ratione vtentes in aliquibus caſibus, habere libertatem phyſicam, non moralem. Verum non eſt huius loci inquirere: vtrum poſſint exerceri ſpecies vnius obiecti circa conuenientiam phyſicam, quin & ſpecies circa conuenientiam cum ratione, ſi ſimul ſint in intellectu. Hæc indicaui, neutrum affirmo: quamuis affirmaui diſputans de actibus humanis. §.161.

SECTIO X.

Quæ cognitio relinquat voluntatem indifferentem, aut determinatam?

NOnnulli requirunt ad libertatem cognitionem boni & mali: ſi enim cognitio repræſentat ſolam rationem boni, neceſſariò mouet voluntatem ad illius amorem: ſi autem rationem ſolam mali, determinat ad odium: ſi verò vtramque rationem apprehendit, relinquit voluntatem indifferentem ad vtrumque. Huic opinioni nunquam acquieui. Primum, quia bruta apprehendunt interdum bonum & malum, nec relinquuntur libera; ergo vniuerſim ad libertatem non eſt ſat apprehenſio boni & mali. Maior patet, quia ſæpe videmus canes, & catos inhiantes in aliqua obiecta, à quibus metu aliquo deterrentur. Secundò, Deus potuit liberè multa facere, in quibus nullum reperiret malum; ergo libertas non exigit cognitionem mali: probo antecedens; nam Deus potuit producere totũm hunc mundum quadrante poſt, & antequam produxit: in quo quam (obſecro te) reperiret malitiam? Item potuit producere vnum lapidem vltra productos: aut vnum hominem, aut Angelos confirmatos in gratia, aut efficere, vt Spiritus ſanctus carnem aſſumeret, pluráque alia in quibus nulla reperitur malitia, vel quia ſunt natura ſua bona, vt ſubſtantiæ naturales: vel quia illis malitia repugnat, vt vnioni hypoſtaticæ, & quia Deum nihil offendit præter peccatum creaturæ. Dices illis obiectis impediri alios fines: quod habet rationem mali. Contra primò, quia hæc non tam eſt ratio mali, quàm boni finiti, non æquiualentis omni bono: ſermo autem eſt de malitia inſita obiecto, non de minori bonitate. Secundò, quia mundi productio quadrante ante, vel poſt, quos fines impediret? Item ſi Deus vellet permittere Petro laqueum, & Iudæ prouidere pœnitentiam, nónne aſſequeretur fines eoſdem, quos nunc per pœnitentiam Petri, & permiſſam Iudæ deſperationem? §.162.

Tertiò, argumentor à priori, bonitas finita, quia finita eſt, ſi perfectè noſcatur, non mouet neceſſariò voluntatem: tametſi nullam habet rationem mali: ergo licet non repræſentetur malitia, non amabitur neceſſariò: antecedens communiter ponitur à Doctoribus: vellem, & probaretur: quod haud facilè fiet. Si enim dicas voluntatem eſſe capacem boni infiniti, ac proinde reſiſtere poſſe cuiuis bono particulari, rectè repræſentato: Reſponderi poteſt id probare voluntatem neceſſariò amaturam Deum clarè viſum, cuius infinitæ §.163.

attra

attractioni reſiſtere non poteſt. Vnde autem conſtat eam reſiſtere poſſe cuiuis attractioni finitæ? Nam & potentiæ finitæ mouenti non poteſt ſæpe reſiſti, licet non poſſit infinitè. Si autem dicas amato quouis bono creato, relinqui in voluntate appetitum ad Deum: id probat, voluntatem non ſatiari ſolis creaturis: ſicut nec intellectum. Immò & bruta amato vno obiecto appetunt & alia.

§. 164. Probo autem antecedens; quia manente ea repræſentatione obiecti, ſi aliud proponatur, voluntas prius obiectum amabit liberè: ergo ante, illud poterat liberè amare: antecedens eſt certum, quia obiectum ſecundam poteſt apprehendi vt melius ſimpliciter, quàm primum, vel efficacius proponi: quibus in caſibus res eſt clara: conſequentiam probo, quia ſi cognitio neceſſariò determinat voluntatem ad exercitium amoris, non poteſt non eam determinare, nec ceſſare ab amore, niſi per aliud obiectum ad ſe determinans voluntatem: nam prior cognitio retinet vim eamdem quam prius; ergo illam non amittit niſi per aliam cognitionem voluntati inferentem neceſſitatem ad obiectum aliud: nam ſi eam non infert, quo pacto à priori amore voluntatem auertet? Viſio Dei auertit quidem, quia neceſſitat ad eiuſdem amorem, & in ea obiectorum pugna vincit Deus. Itidem brutum relinquit hordeum propoſita herba, quia neceſſitatur ad herbam: ergo ſi propoſito ſecundo obiecto voluntas manet libera per primam cognitionem: illa ex ſe non determinat voluntatem.

§. 165. Dices primò, in eo caſu non poſſe voluntatem ceſſare ab amore priori, niſi neceſſitetur ad oppoſitum. Contra, ergo repræſentato bono delectabili, quin per illum actum repræſentetur malitia illius, ſi per alium actum repræſentetur bonum vtile cum malitia honeſti, non poterit homo ceſſare à delectabili propter vtile, quin neceſſitetur ab vtili: quod eſt falſum, quia ea cognitio non neceſſitat ad vtile: quia eius malitia proponitur. Dices ſecundò, tunc per ſecundam cognitionem proponi malitiam boni delectabilis, quia impedit vtilitatem. Contra, quia id non eſt proponere malitiam delectabilis per primam cognitionem: ſed bonitatem vtilis: quia ſecunda cognitio nihil proponit de obiecto delectabili: nec circa illud variatur, ſed accidit noua circa obiectum nouum. Neque enim opus eſt reflexè conſiderare amore vnius obiecti impediri amorem alterius: nam ipſis obiectis directè cognitis, & inter ſe collatis, voluntas eligit quod vult: neque item propriè obiectum eſt malum comparatum meliori, aut quia impedit aliud bonum, neque enim ſpes eſt mala, quia charitas eſt melior, nec amor Dei, aut Deus viſus, quia tollit amorem creaturarum contra leges: ſed debent conſiderari obiecta in ſe comparatione eius à quo amantur.

§. 166. Arguunt, bruta ab obiectis neceſſitari, quia cognoſcitur in illis ratio boni ſine ratione mali. Secundò, motus ſubitos voluntatis oriri ex huiuſmodi cognitionibus. Tertiò, Deum odiſſe neceſſariò peccata, quia in illis videt rationem mali, & non boni: è contra verò complacere ſibi in creaturis, quia videt in illis bonum, & non malum.

§. 167. Ad primam obiectionem nego id eſſe in cauſa: ſæpe enim amant obiecta in quibus malum apprehendunt: ſed oritur illa neceſſitas ex imperfectione cognitionis. Eſt enim ſenſio imperfectiſſima cognitionum, cui ob eam imperfectionem repugnat perfectio indifferentiæ radicalis, quia mouetur ſolo extrinſeco accidente, ſine alia collatione, aut notitia boni, & mali.

Ad ſecundam itidem nego cauſam eam: ſæpe enim excitantur affectus ſubiti ad virtutem clarè cognita difficultate virtutis, & moleſtia corporea, vt cum quis excitatur ad ieiunium, & flagra: ſed oritur ex imperfectione cognitionis. Ad tertium, reſpondeo nullum eſſe peccatum poſitiuum quin habeat bonitatem entis: à Deo autem habetur neceſſariò odio, quia ſtante amore boni, ſi malum oppoſitum repræſentetur, non poteſt non haberi odio: quia verò Deus ſe amat neceſſariò, & videt peccatum eſſe contra ſe, ideo illud odit neceſſariò. Quod affertur de complacentia, eſt difficilius: habeat ne Deus illas ſimplices complacentias? Et ſint illæ neceſſariæ? Vtroque admiſſo reſpondetur, illam neceſſitatem oriri ex amore ſui, quia creaturæ ſunt quædam participationes Dei: qui autem ſibi complacet in omnipotentia, quia eſt talis, etiam gaudet de termino illius. Hac tamen de re agendum hic non eſt, eam quæſtionem tractari diſputans de voluntate Dei.

Igitur in nobis oritur neceſſitas quoties non habemus aliam cognitionem, niſi quam directè haurimus per ſenſus. Libertas autem oritur ex cognitione diſcurſiua, quam formamus poſt cognitiones directas de obiecto ſenſibili: ſic amentes libertatem amittunt, quia vehementi humore agitati vehementiorem formant phantaſiam, quam par eſſet (vt alibi dixi.) §. 168.

DISPVTATIO XVI.

De habitibus potentiæ vitalis.

NON agitur de ſupernaturalibus, & per ſe infuſis, ſed de acquiſitis per actus potentię vitalis; vt enim ſunt effectus actuum vitalium, ſic poſt actus occurrunt diſputandi.

SECTIO I.

Quid ſit habitus?

HAbitus propriè ſumptus eſt *qualitas permanens producta per actus vitales, facilitans potentiam ad ſimiles actus, ad quod præſupponit virtutem neceſſariam in potentia.* Habitum eſſe qualitatem probabo in Metaphyſica (fauente Deo) in prædicamento qualitatis: eſſe *permanentem*, experientia patet. Nam quis difficile deponit mores quibus eſt aſſuetus: aſſueſit autem per habitum. Quem produci per actus vitales oſtendam, ſect. 2. cum verò inclinare potentiam ad ſimiles actus experientia patet. Primò, quia homines concipiunt ſe quotidiano vſu, & conſuetudine alicuius rei in illam ita propendere, vt vix poſſint ab eadem diuelli, licet in eius exercitio grauiſſimas experti ſint difficultates. Habitum autem facilitare potentiam ad opus eodem probatur experimento: quapropter dicitur *conſuetudo eſt altera natura*: quod verò habitus præſupponat totam virtutem in potentia, à priori probatur: quia habitus adquiritur per actus; ergo præſupponit in potentia virtutem ad producendum actum, quia omnis effectus ſuam præſupponit cauſam: ergo antequam ſit habitus iam præſupponitur in potentia virtus neceſſaria ad producendum actum. Quapropter dicitur *habitus non dat poſſe, ſed facile poſſe*: quo differt ab habitu ſupernaturali per ſe infuſo: qui vocatur *per ſe infuſus*: quia à Deo ſolo producitur, & per ſe infunditur §. 1.

in animum:qui non comparatur per actus noſtros, ſed potius cum potentia vitali conſtituit integrum principium operandi. Vnde non datur ad facile, ſed ad ſimpliciter poſſe;& comparatur vt potentia ad actus.

§. 2. Egi de hoc genere habitus; quem dixi eſſe propriè habitum: conſulto omittens varias habitus acceptiones: quas recognoſce in Pat.Suarez ſuprà, & Pat.Vazquez,1.2. diſput.78.cap.1. Nam de prima ſpecie qualitatis ab Ariſtotele vocata *habitus, & diſpoſitio,* agam in Metaphyſica ad prædicamentum qualitatis. Obſerua ab Ariſtotele habitum omnem vocari *diſpoſitionem*, eámque vocari *ordinem partis habentis*. Vnde clarè conſtat omnem habitum cenſeri ab Ariſtotele partes habere:quem ſic compoſitum, & ſingulas partes illum componentes *habitum* vocat:quidquid obſtrepat Pat.Vazquez ſuprà cap. 2. Habitus per ſe infuſi non comprehenduntur ea definitione:quia partibus carent: comprehenduntur autem alia ex ſecundo Ethicorum cap.5. *habitus ſunt quibus bene, vel male nos ad affectus ipſos habemus:* habitus autem intellectuales per ſe infuſi continentur extendendo vocem *affectus* ad omnem actum intellectus, & voluntatis. Hos tamen habitus in Metaphyſica dicam pertinere ad potentiam.

SECTIO II.

Intellectus non eſt capax habituum.

§. 3. SAnctus Thom. relatus à P. Suarez diſput. 44. Metaphyſicæ cap.4. affirmat habitum intellectualem eſſe ſpecierum impreſſarum coordinationem.Id eſt,eſſe ſpecies ita intenſas,& diſpoſitas,vt intellectum promptum efficiant ad cognitiones exercendas,& 3.p quæſt.11.art.6. quærens, *vtrum ſcientia infuſa Chriſti fuerit habitualis?* Reſpondet affirmatiuè; quia habet plures ſpecies impreſſas,pro quarum varietate ſumitur varietas habitualis: & toto eo articulo & præcedente eodem modo loquitur de ſcientia habituali,& ſpecie impreſſa, & quæſt. 9. art. 3. expreſsè ait, ſpecies impreſſas eſſe ſcientiam, per quam anima Chriſti, & Angeli habitualiter intelligunt: nec opus eſt niſi eam quæſtionem oculis luſtrare, vt animaduerti in illius commentariis. Quapropter P. Valentia tom.4.diſput.1.quæſt.11.p.1.§.*& putant aliqui.*ait ſatis probabiliter id dici, & conſentaneè S. Thom.& quidem ſi S. Thom. diſtingueret ſcientiam habitualem ab ſpecie impreſſa, non aptè concluderet eſſe in Chriſto ſcientiam habitualem,ex eo quod in eo ſint ſpecies impreſſæ: poterant enim ſpecies impreſſæ eſſe in Chriſto, etiamſi non eſſent habitus: nam qui diſtinguunt ſpeciem ab habitu, affirmant ſpeciem eſſe independentem ab habitu; ergo poteſt eſſe ſpecies ſine habitu: ergo non bene probatur habitus ex ſpecie: nam *à cauſa ad effectum affirmatiuè non valet conſequentia:*& 1.2.quæſt.50. art.5. cum obieciſſet in voluntate non eſſe habitus, quia nec ſpecies, quæ in intellectu habent rationem habituum,ait: *Ad primum dicendũ,quod ſicut in intellectu eſt aliqua ſpecies, quæ eſt ſimilitudo obiecti,ita oportet, &c.*Et q.1. art.3. ad 3. ponit habitus in apprehenſione ſenſitiua interna, vt eſt memoria:quæ conſiſtit in ſpecie. Clariſſimè autem, art.6. c. ait hominem indigere habitu ad omnia intelligenda: Angelum verò non indigere habitu ad ſe intelligendum; (quod intelligit de ſpecie impreſſa) indigere autem ad cognitionem aliorum, *indiget* (inquit) *perfici habitualiter per aliquas ſpecies intelligibiles.* Vide q.51. art.1. & in ſexcentis aliis locis: maximè autem ſine tergiuerſatione, 1.2.q.53.toto art.1.

§. 4. Quod verò S. Thom. & Ariſtoteles aliquando dicant, habitus adquiri per noſtros actus,nihil obeſt:nam vt dixi diſput.12.ſectio.2. ex prima cognitione obiecti relinquitur ſpecies illud repræſentans, & quo fuerit perfectior cognitio, perfectiorem relinquit ſpeciem:per quam intellectus redditur facilior, non facilitate ſupponente totam virtutem actiuam: ſed facilitate orta ex euidentia ſpeciei. Itaque prima ſpecies antecedens omnes actus non acquiritur per actus: acquiritur autem ſpecies obiecti ſenſibilis per diſcurſum ex obiecto ſenſibili. Eamdem ſententiam defendunt, Caietan.1.2. quæſtio.54.artic.4. Soncinas & alij Thomiſtæ apud Pat.Suarez ſupra,quam expreſsè tuentur duo Gabrieles:alter,in 3.diſtinct.14.quæſt.vnica,artic.2. concluſ.3. & diſtinct.23.quæſt.1.art.1. not.4.alter,1.2.diſput.78.num.25.éſtque nunc admodum communis.

§. 5. Probatur primò, quia intellectus eſt potentia omnino neceſſaria; ſed potentia omnino neceſſaria non poteſt habere habitum illam inclinantem ad opus quod poteſt: ergo intellectus non poteſt habere talem habitum. Probatur maior:quia habitus eſt facilitas ad tollendam difficultatem potentiæ habentis omnia requiſita ad operandum: ſed potentia neceſſaria poſitis omnibus requiſitis ad operandum nullam habet difficultatem: ergo potentia neceſſaria non eſt capax facilitatis tollentis difficultatem. Probatur primò, quia potentia neceſſaria poſitis omnibus requiſitis ad operandum, operatur quantum poteſt, ita vt non poſſit non operari: ergo poſitis requiſitis ad operandum nullam habet difficultatem operandi. Confirmatur, potentia viſiua non poteſt operari per habitum. Nam vel habet omnia requiſita vel non? ſi non, non eſt capax operandi per habitum: quia habitus non confert, niſi cum potentia habet omnia requiſita: ſi autem viſus habet omnia neceſſaria, habitus nihilo ſeruiet, quia ſine habitu operatur viſus tam facilè, quàm cum illo; quæ enim maior facilitas poteſt eſſe quàm neceſſitas,qua potentia quaſi præceps fertur in actum, non valens pedem ſiſtere? ſed intellectus eſt potentia tam neceſſaria, quàm potentia viſiua: ergo eſt tam incapax habitus, quàm illa: minor patet,quia intellectus,poſita euidentia obiecti, illi neceſſariò aſſentitur: ſi verò obiectum ſit obſcurum, illi etiam aſſentitur neceſſariò ex imperio voluntatis: ſi autem hæc deſint, nullo modo poteſt illi aſſentiri. Quod argumentum non obſcurè inſinuat B.Thomas, 1.2.quæſt.49.art.4.

§. 6. Secundò probatur inductione, nam ad prima principia intellectus non indiget habitu: quia tam euidenter repræſentantur per ſpeciem, vt illis neceſſariò intellectus aſſentiatur:ſicut potentia viſiua rectè diſpoſita neceſſariò percipit lucem: ad quorum aſſenſum tantum indiget intellectus explicata apprehenſione terminorum. Deinde ad principia per ſe nota particularia non indigetur habitu, quia ipſæ præmiſſæ determinant intellectum etiam quoad exercitium; quod ſi voluntas poteſt cohibere talem aſſenſum,non eſt quia intellectus habeat aliquam difficultatem, aut indifferentiam; ſed propter voluntatis imperium in cæteras potentias. Præterea ad aſſentiendum concluſioni præmiſſis abſentibus,inutilis eſt habitus,quia ſpecies repræſentantes concluſionem,aut ſunt euidentes,aut ineuidẽtes. Si primũ,ergo illis excitatis intel

intellectus neceſſariò aſſentitur obiecto, & ſine vlla difficultate. Si ſecundum, ergo intellectus non poteſt illi aſſentiri ſine voluntatis imperio, quod contingit circa omne obiectum obſcurè propoſitum. Quapropter conſtituitur in voluntate pia affectio ſupernaturalis, quæ imperet intellectui aſſenſum fidei; ſed poſito eo imperio intellectus ſine difficultate & neceſſariò aſſentitur obiecto: ergo in nullo caſu eſt neceſſarius habitus. Ad concluſionem autem determinatur intellectus per præmiſſas: quibus poſitis non eſt indifferens ad aſſenſum & diſſenſum: vbi autem deeſt ea indifferentia, nec requiritur habitus, nec admittitur à B. Thom. in cuius ſententia ſpecies impreſſæ ſunt habitus; quia tollunt vniuerſalem indifferentiam ad plura obiecta.

§. 7. Dices primò, intellectum habere aliquam indifferentiam circa obiecta obſcurè repræſentata. Contra, quia illa indifferentia non eſt niſi impotentia ad aſſenſum, neque eſt propriè difficultas: quæ impotentia tollitur per voluntatis imperium; quod imperium neceſſitat intellectum, qui ex intrinſeca ſua natura eſt determinatus ad obediendum voluntati circa talia obiecta. Voluntas autem ſentit maiorem, aut minorem difficultatem in eo imperio, quæ difficultas tollitur per habitus voluntatis.

§. 8. Dices ſecundò, muſicum ſumma cum facilitate pulſare fides, cum antea id efficeret difficile. Reſpondetur, illam facilitatem oriri ex perfectione ſpecierum, quæ vſu quotidiano perficiuntur: quas, cum ſunt in ſtatu ita perfecto, *habitus* vocamus, non quia non ſint neceſſariæ ſimpliciter ad actus intellectus, quos eliciunt; ſed propter facilitatem, quam tribuunt potentiæ ex modo repræſentandi obiecta: neque in illis pono ordinem aliquem acquiſitum, ſed ſpecies ipſas in ſua ſubſtantia perfectas.

§. 9. Obiicis tertiò, homini eſſe artem, & prudentiam, quæ diſtinguuntur ab ſpeciebus. Hoc nego: eſt enim ars ſpecies practica dirigens ad opus; prudentia autem eſt ſpecierum collectio experientia acquiſitarum, vel rationis perſpicacia, quibus rectè de agendis iudicatur.

SECTIO III.

Voluntas eſt capax habituum.

§. 10. VNde colliges in ſola voluntate eſſe propriè habitus naturales: quia ſola voluntas poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt ſentire difficultatem ad agendum: nam poteſt agere & non agere: quæ difficultas vincitur per habitus, qui ſunt quædam quaſi preces præcedentium actuum, quibus voluntas flectitur & emollitur ad ſimiles eliciendos, ne pereat memoria præcedentium. Hæc facilitas oritur ex ipſis actibus voluntatis: operationes enim, quas antea difficilè volebamus exercere, poſtea facilè exercemus, vt patet in quocumque genere operationum, quibus homo diutius aſſueſcit. Potentiæ autem externæ vſu facilitantur, non quia in illis ſit propriè habitus, ſed vel quia exercitatione impedimenta depellunt, fiúntque vegetiores, vel quia intellectus per cognitiones clariores, illas dirigit facilius: quam ob cauſam *habitus* vocantur. Item & quia diſponunt ad operandum, comprehenduntur nomine *habitus*: in qua ſignificatione reperitur etiam in bruto.

In voluntate habitus reperiri teſtis eſt Ariſtoteles ſecundo Ethicorum cap. 5. aſſerens eos eſſe quibus malè, aut bene diſponimur ad effectus ipſos, & beatus Thomas 1. 2. quæſt. 50 articul. 5. éſtque communiſſima Doctorum omnium, excepto nemine. §. 11.

Dices, totam eam doctrinam intelligi poſſe non de habitu voluntati inſidente: ſed de ſpeciebus impreſſis, quæ vſu & perficiuntur, & facilitant voluntatem ad opus. Contra, quia nuſquam dixit vllus, temperantiam eſſe ſpeciem impreſſam, repræſentantem obiectum actuum temperantiæ, nec poteſt habitus intellectualis exercere actus voluntatis. Secundò eodem argumento, quo nos faciles experimur ad actus, ad quos prius eramus difficiles, probatur eam facilitatem voluntati ineſſe. Primò, quia facilitas amittitur, licet non amittatur ſpeciei perfectio: qui enim temperatè veſcitur ob perfectam notitiam temperantiæ, ſtante eadem notitia poteſt intemperatè veſci: tum quia liberè veſcitur: tum quia cibus poteſt illi proponi vehementius, quàm abſtinentia: tum ſic, ſtante priori notitia temperantiæ poteſt eſſe intemperans: ſed ſtante eadem virtute temperantiæ non poteſt eſſe intemperans: ergo habitus temperantiæ aliquid eſt præter notitiam, & ſpeciem impreſſam: maior eſt probata: quia illa notitia relinquit hominem liberum: minor eſt certa, quia temperantia & intemperantia opponuntur. §. 12.

Confirmatur, qui temperantiā amittit per diuturnam intemperantiam, poſtea & ſi viuaciſſimè apprehendat honeſtatem temperantiæ, ingentem patitur difficultatem in eius exercitio, vt experientia patet: ergo facilitas habitualis aliquid eſt præter cognitionem & ſpeciem. §. 13.

Probatur ſecundò: quia virtus moralis habitualis & vitium opponuntur: vt patet, tum experientia, qua cernimus, actibus intemperantiæ reddi hominem difficilem ad temperantiam: tum ratione, quia inclinari ad intemperantiam eſt contrarium inclinationi ad temperantiam: ſed duæ ſpecies impreſſæ, nec duæ cognitiones quantumuis perfectæ de temperantia & intemperantia, non opponuntur: ergo. Probatur minor, quia cognitiones non opponuntur niſi connotent in obiecto duo contradictoria prædicata: neque item duæ ſpecies impreſſæ, quia non repugnat idem principiũ eſſe completum ad cognoſcenda duo obiecta contraria, vt album & nigrum. §. 14.

Confirmatur, intemperantia eſt vitium morale, & temperantia virtus: item inter ſe opponuntur: ſed ſpecies impreſſæ non ſunt entia moralia: nec vlla eſt vitium: quia viua repræſentatio obiecti non eſt vituperatione digna: ergo intemperantia non pertinet ad intellectum: item ſtante viuaciſſima repræſentatione obiecti delectabilis, poteſt quis liberè eſſe temperatus per cognitionem minus efficacem de honeſtate temperantiæ: hic erit temperatus (vt pono) & intemperatus ob perfectam repræſentationem obiecti. Ratio à priori, quia voluntas, poſita quauis ſpecie, & cognitione, manet libera, & poteſt nolle exercere actum; ergo poteſt manere difficilis, quia difficultas vincitur aſſuetudine ipſius voluntatis. §. 15.

His fauet S. Auguſt. tom. 7. lib. de perfectione iuſtitiæ ſub initium, aſſerens auaritiam eſſe qualitatem, qua ſumus mali, etiam quando nihil agimus: ſed per ſpecies impreſſas non ſumus mali: ergo. Probo minorem: tum quia illæ non ſunt in genere moris: tum quia Deus, & Angeli habent perſpicaciſſimas cognitiones de omnibus vitiis: item anima §. 16.

anima Chriſti, & Beatorum, habent eaſdem cognitiones; quibus rectè perpendunt voluptatem, & delectationem, quæ capitur ex vitiorum exercitatione: & cognoſcunt ſe illorum eſſe capaces, ſi ſecundum ſe & excluſa gratia conſiderētur. Pone hominem peccatorem; iam confirmatum in gratia, acta pœnitentia; hic tota vita erit vitioſus: quia non amittet cognitionem, nec ſpeciem impreſſam, quibus inclinabatur in vitium.

§. 17. Obiiciunt, habituum cauſalitatem nunquam locum habere: quia ſemper, aut nunquam ſentiretur. Leue quidem argumentum ad euertendam fixam ab æuo doctrinam de habitibus. Reſpondeo, excitata cognitione obiecti, in quod nos habitus inclinat, ſentiri facilitatem; tum antecedenter; propendemus enim in actus, & difficilius frænamur: tum in ipſa actione; quam experimur cum voluptate: in quo Ariſtoteles conſtituit rationem virtutis. Cum autem cognitio ceſſet, non experimur habitum: qui, vt non eſt niſi ab actibus; ita nec ſentitur, niſi cum eſt occaſio eoſdem repetendi. Alia horum authorum argumenta omitto; quia non ſunt difficilia.

SECTIO IV.

De extenſione, & ſimplicitate habitus.

§. 18. PAt. Suarez diſputatio. 44. Metaphyſicæ ſect. 11. & Pat. Vazquez tom. 1. 1. 2. diſput. 80. cap. 2. & 3. latè diſputant de habituum augmento, & ſimplicitate. Vide autem beatum Thomam 1. 2. quæſt. 52.

SVBSECTIO I.

Augmentum habitus eſt quid reale.

§. 19. DIco primò. *Habitus augentur realiter.* De ſupernaturalibus per ſe infuſis non poteſt eſſe dubium: cum diſcipuli petierint à Chriſto Fidei augmentum: quod in Fide, Spe, & Charitate petit Eccleſia: item definitur in Trident. ſeſſio. 6. iuſtum bonis operibus mereri augmentum gratiæ. In naturalibus eadem eſt omnino ratio. Concluſionem hanc docet B. Thomas 1. 2. quæſt. 52. artic. 1. à qua nullus diſcedit. Probatur primò: qui exercet actus temperantiæ circa potum, & non ſe exercuit circa cibum; facilitatem experitur in potu, & non in cibo: deinde ipſa exercitatione acquirit facilitatem in cibo; ergo auctus eſt habitus prior; quia ſe extendit nunc ad plura obiecta quàm antea: idem iudicium eſt de habitu intellectus (quidquid ille ſit) qui extenditur ad plura obiecta.

§. 20. Dico ſecundò. *Habitus ſcientificus* (hoc dico, exempli gratia; eſt enim ratio omnino eadem de habitu voluntatis) *non eſt vna ſimplex qualitas circa omnes concluſiones eiuſdem ſcientiæ*: v. g. habitus Phyſicæ circa hominem, aut formam, non eſt vna ſimplex qualitas cum habitu circa cœlum, aut materiam. Hanc concluſionem docet B. Thom. 1. 2. quæſt. 52. art. 1. c. fine. *Non enim* (inquit) *habitus & diſpoſitio dat ſpeciem ſubiecto: nec iterum in ſui ratione includit indiuiſibilitatem*: & art. 2. *ſimiliter etiam & ſcientia poteſt augeri ſecundum ſeipſam per additionem; ſicut cum aliquis plures concluſiones Geometriæ addiſcit, augetur in eo habitus eiuſdem ſcientiæ ſecundum ſpeciem.* Vbi clarè conſtituit augmentum extenſiuum habituum intra eamdem ſpeciem per varias concluſiones comparatum. Cum verò ait B. Thomas ad 2. non fieri nouam formam; intellige adæquatam. Item eius loquendi rationem de augmento intenſiuo explicui diſput. 5. de generat. ſectio. 5. Eſt hæc opinio extra ſcholam Thomiſtarum magis communis quàm egeat à me authorum pondere firmari.

Probatur, quia ſi habitus habent ſimplicitatem realem, ſequeretur ſimul eſſe ex natura rei duos habitus contrarios in gradu intenſo: ergo. Probo antecedens; demus Petrum habere ſcientiam intenſam de immortalitate animæ, e. g. aut temperantiam circa cibum: poſtea habeat errorem intenſum de cœlorum corruptibilitate; aut intemperantiam circa aquam: hi habitus erroris, & intemperantiæ ſunt oppoſiti ſcientiæ, & temperantiæ prioribus: & ſunt ſimul in gradu intenſo: ergo habitus contrarij in gradu intenſo ſunt ſimul ex natura rei. Minor patet: quia ſæpe contingit aliquem errare circa vnum obiectum cum ſcientia circa aliud. Etenim Philoſophi euidentiſſimè ſciunt eſſe materiam incorruptibilem: item diſſident de cœlorum incorruptibilitate, & continui compoſitione: in quo diſſidio alteri errant: ergo ſcientia de anima, aut materia prima, in gradu intenſo componi poteſt cum errore de cælorum corruptione. Maior probatur, ſcientia & error circa idem obiectum opponuntur; item virtus & vitium: ſed habitus ſcientificus de incorruptibilitate materiæ eſt per te idem cum ſcientia de cælorum incorruptibilitate: & temperantia circa cibum eſt temperantia circa potum: ergo illi habitus ſunt oppoſiti errori de cælo & intemperantiæ in potu. Quod ſi ſcientia de materia non eſt realiter ſcientia de cælo: ergo ſunt diuerſæ ſcientiæ, & non vna ſimplex; vel ſi ad cælum extenditur per aliquid illi realiter additum: ergo vt de cælo & animo non eſt realiter ſimplex. Quod ſi realiter eſt ſimplex, ergo & realiter ſunt ſimul ſcientia & error, virtus & vitium circa idem obiectum, de quo latè agetur de fluxu diſputationis. §. 21.

Dico tertiò. *Non poteſt intelligi reale augmentum habitus, quin ei addatur aliquid reale, diſtinctum realiter ab habitu præcedenti.* In hanc conueniunt Patres Suarez & Vazquez. Quam probo primò, quia probatum eſt diſput. 5. de generatione, intenſionem fieri additione nouæ partis: ergo idem erit de extenſione eiſdem omnino rationibus. Immo in intenſione aliqui id negant, & in extenſione nullus. Secundò, quia habitus antequam extenderetur ad nouum obiectum, non inclinabat potentiam ad illud; at poſt augmentum inclinat: ergo poſt augmentum aliquid reale accepit. Conſequentia patet, quia inclinare ad nouum obiectum, eſt aliquid reale diſtinctum à prætеritione actuum, vt probaui ſuprà; ſed hoc reale non erat in habitu ante augmentum: ergo poſt augmentum habitus habet aliquid reale, quo antea realiter carebat. §. 22.

Confirmatur: poſt augmentum habitus non ſe habet eodem modo, quo antea; at ſi nihil reale accepiſſet, eodem modo ſe haberet: ergo aliquid reale accipit. Denique hæc concluſio eſt probanda eiſdem argumentis, quibus diſput. 5. phyſicorum oſtendi, vnionem realiter ab extremis diſtingui; quia antea, habitus erat realiter, & augmentum non erat realiter: ergo habitus præcedens, non erat realiter augmentum. Denique beatus Thomas 1. 2. quæſt. 52. art. 3. ad 2. docet expreſsè actu cauſante augmentum habitus, aliquid reale fieri: quamuis non fit noua forma. Quod commune eſt cuiuis extenſioni. §. 23.

Dico

§.24. Dico quartò. *Id quod acquirit habitus per augmentum vel extenſionẽ, non vnitur illi continuatiua vnione.* Hanc probat Pat. Suarez, quia continuatio non pertinet ad nouum obiectũ potius quàm ad aliud: ſed hoc non vrget, quia puncta continuatiua non ſunt repræſentatio obiecti, neque inclinatio ad illud: nam indiuiſibile ſpeciei impreſſæ materialis non repræſentat indiuiſibile coloris, neque indiuiſibilia viſionis repræſentant puncta coloris, quæ ſunt ſenſu imperceptibilia: ſed puncta ſolum deſeruiunt ad vniendum. Probatur autem primo argumento eiuſdem Pat. Suarez, quia in actibus intellectus tendentibus in diuerſa obiecta non datur vnio continuatiua: ergo neque in habitibus: antecedens negat nullus, quia ex duobus actibus intellectus, aut voluntatis nullus aſſerit conflari vnum, neque virtutem, aut ſcientiam actualem eſſe vnum actum continuum circa omnia ſua obiecta: neque videtur cui rei ſit vtilis talis vnio: conſequentia probatur, quia proportione ſeruata nihil reperitur in habitu, quin præceſſerit in actu: ſed tale genus vnionis non præceſſit in actu: ergo nec reperitur in habitu.

§.25. Tertiò, quia talis vnio non eſt inter potentiam & actum, quia nulla pars habitus eſt potentia ſubiectiua, aut actus informans alterius partis. Item neque eſt vnio integralis, quia in rebus ſpiritualibus non datur vnio integralis præter intenſiuam: nam vt probaui diſput. 2. ſect. 1. diuiſibilitas in partes integrales rei ſpirituali repugnat: quod in habitu clarius impugno: tum quia vbicationem Angelicam oſtendi eſſe indiuiſibilem, tum quia ex nullo capite poteſt diuiſibilitas habitui cõuenire: non ex parte ſubiecti, quia eſt inſectibile; neque ex parte obiecti: ſint enim obiecta, quæ amentur per habitus, ſpiritualia, verbi gratia, Duo Angeli, aut vnus Angelus, & animus: habitus tendens in Angelum eſt indiuiſibilis ex parte obiecti: ergo eſt vna ſimpliciſſima entitas; item & habitus tendens in animum: ſed duæ res indiuiſibiles in partes integrales non vniuntur cõtinuatione, quia continuatio iungit res diuiſibiles. Item quia ea vnio nihil differt ab vnione qualitatis materialis: ergo. Vnde rectè ait Pat. Suarez hanc ſententiam incidere in difficultates Nominalium, conſtituentium diuerſos habitus, & in alias circa eorum vnionem, quæ vix poteſt explicari.

§.26. Dices, vnionem continuatiuam propriè non reperiri in re ſpirituali, bene tamen vnionem quaſi continuatiuam, quæ in habitu oritur ex obiectis. Nam obiecta inter ſe annexa cognoſcuntur vna ſcientia, quæ vnitas non poteſt ſine vnione explicari. Hæc ſolutio eſt ſine fundamento, & qui componunt continuum ex ſolis indiuiſibilibus, non poſſunt ea vti, quia illa vnio eſſet continua propriè. Deinde habitus illi ſunt diuerſarum ſpecierum: ergo non poſſunt extenſionem efficere. Tandem ad vnam ſcientiam pertinet ens reale, verbi gratia, & rationis: virtus & vitium: quæ non anectuntur inuicem, ſed aduerſantur: ergo ea ſcientia non habet vnitatem vnionis, quæ è nullo capite deriuatur. Vnitatem ſcientiarum eſſe per habituum aggregationem oſtendam fusè in proœmio metaphyſicæ.

SVBSECTIO II.

Hoc augmentum non eſt modus.

§.27. PAt. Vazquez ſupra cap. 5. ait augmentum habitus eſſe modum, qui vnitur habitui præexiſtenti. Opinatur enim, habitum circa obiecta materialia, quæ ſunt ſub eadem ratione formali, augeri additione cuiuſdam modi, per quem habitus potentiam inclinat ad nouum obiectum materiale. Hanc ſententiam non probo: ad quod pono voluntatem non verſari circa obiecta formalia abſtracta: ſed concreta cum materialibus, verbi gratia, voluntas exercens religionem, ſemper illam exercet circa aliquod obiectum particulare vouendi, aut orandi, quod ipſe Pat. Vazquez admittit: tunc ſic, habitus vt verſatur circa orationem, non poteſt eſſe modus habitus verſantis circa votum: ergo quando augetur habitus vouendi, non augetur per aliquem modum verſantem circa orationem: conſequentia eſt certa: antecedens probatur, quia non eſt cur habitus circa orationem ſit modus afficiens habitum circa votum potius quàm è conuerſo. Nam ſicut voluntas ſe primò exercuit circa votum, potuit etiam ſe primò exercere circa orationem; & quando habitus circa orationem augetur, circa votum non augetur per modum aliquem, ſed per eumdem habitum circa votum, quem acquiſiuit, quando ſe primò exercuit circa votum; neque enim refert quod ſe exerceat prius circa vnum obiectum, quàm circa aliud, ad hoc vt habitus ſit res vel modus. Nam habitus circa obiectum primum eſt res: ergo & habitus circa ſecundum eſt res & non modus. Patet conſequentia, quia ille primus acquiſitus eſt per actus circa votum, per quos vicit difficultatem vouendi; ſed habitus circa orationem etiam fit per actus circa illam tollens difficultatem orandi: ergo etiam habitus orandi eſt res, & non modus; quia illi actus tantam vim habent ad producendam entitatem abſolutam habitus, quantam cæteri actus. Vnde patet aut omnes habitus eſſe modos, aut omnes eſſe res; quia omnes actus æqualem habent virtutem ad producendos habitus. Confirmatur, quia illud augmentum in ſententia Pat. Vazquez habet vim faciendi aliquid in actibus, quod modis repugnat. Item diſp. 2. met. ſect. 5. patebit repugnare modi eſſentiam ſimili habitui, quia nullam ab illo indifferentiam tollit.

Secundo, quia modus communicat ſuum effectum formalem rei cuius eſt modus; ſed facilitas circa orationem non communicat ſuum effectum formalem habitui circa votum: ergo non eſt modus illius. Probatur minor, quia habitus non eſt facilis, ſicut albedo non eſt alba; ſed eſt ratio formalis reddens potentiam facilem: potentia autem redditur facilis immediatè recipiendo facilitatem, ſicut album recipiendo albedinem: maior eſt certa, vel ſola inductione. Nec dici poteſt illum modum inhærere potentiæ, & afficere habitum. Nullus enim modus præter vnionem & actionem afficit aliquid niſi inhærendo rei, quam afficit: neque opus eſt tali afficientiâ circa habitum; quia facilitas ſolam potentiam denominat facilem, & non habitum: nec propter augmentum eſt neceſſaria illa ratio afficiendi, quia augmentum non eſt niſi per continuationem, quam habitui repugnare probaui. §.28.

Tertiò, poſtquam potentia ſe exercuit circa vnum obiectum, quin circa aliud: manet facilis ad alterum; ad alterum verò difficilis: deinde illa difficultas tollitur vſu: ergo id quod additur habitui priori eſt formaliter habitus. Nam omnis facilitas inclinans ad actus, ſimiles iis, quibus comparata eſt, eſt habitus: ſed id quod acquiritur de nouo eſt noua facilitas ad actus ſimiles inclinans: ergo eſt nouus habitus. De maiori non dubium: eſt enim ipſiſſima definitio habitus. Minor patet: quia id §.29.

quod acquiritur, tollit ſeipſo in genere cauſæ formalis difficultatem ad actum; & reddit potentiam facilem: hoc autem eſt eſſe facilitatem:ergo. Maior patet: quia ante exercitium circa ſecundum obiectum erat potentia difficilis: poſt exercitium eſt facilis: ergo ſublata eſt difficultas: non formaliter per ipſos actus; alioquin nullus alius habitus eſſet neceſſarius: ergo per illud ex actibus relictum.

§.30. Dices, priorem habitum vt eſſet facilitas circa ſecundum obiectum, non egere niſi illo nouo modo. Contra primò, aut habitus eſt formaliter facilitas; aut non: ſi primum: ergo vt reddat potentiam facilem non eget alio modo præter vnionem; vt albedo vt reddat album: ſi ſecundum, ergo quod aduenit nouè eſt formaliter facilitas: ergo habitus formaliter. Secundò ſi eſt facilitas: ergo ſe ipſa eſt potentia facilis per illam: ergo non eget alio habitu: ſed per diuerſos modos potentiæ vnitos reddetur potentia facilis. Adde illud quod acquiritur eſſe formale principium influens in actus: quia in ſententia P. Vazquez habitus efficit actum: at modus non eſt principium aliquid producendi.

§.31. Quartò, ponamus hominem exercuiſſe iuſtitiam circa vxorem alius; deinde eamdem virtutem exercuiſſe circa pecuniam. Probo hoc augmentum non eſſe modũ adiectum primo habitui. Nam per adulterium amitteret iuſtitiam circa vxorem alius & retineret iuſtitiam circa pecunias. Hoc enim ſæpe contingit: at ſi facilitas circa pecuniam eſſet modus iuſtitiæ circa vxorem, non remaneret corrupto habitu priori: quia modus neceſſariò perit cum re, cuius eſt modus: ergo.

SVBSECTIO III.

Tot ſunt habitus quot actus.

§.32. QVapropter Pat. Suarez docet nullum habitum propriè augeri; ſed quemlibet eſſe vnam ſimplicem omnino qualitatem. Sed adhuc eſt multifarius in ea explicanda. Nam in intellectu conſtituit diuerſos habitus ad præmiſſas, & ad concluſionem. In voluntate autem dicit eſſe eumdem habitum ad finem & medium; quia inquit tota ratio amandi medium eſt finis: at præmiſſæ non ſunt tota ratio aſſentiendi concluſioni, quia hæc euidenter cognoſcitur. Sed hoc fundamentum conuulſum eſt ſupra, dum probaui media habere in ſe bonitatem diſtinctam à bonitate finis, & eodem modo comparari concluſionem præmiſſis, quo fini medium: Nam concluſio formaliter non habet vnde cognoſcatur niſi ex præmiſſis. Cõnexio enim extremorum inter ſe non dignoſcitur niſi ex connexione eorumdẽ cum medio. Immo verò ſi quod eſt diſcrimen, in intellectu non eſt diſtinguendus habitus vtriuſque præmiſſæ ab habitu concluſionis, quia concluſio eſt idem obiectum cum vtraque præmiſſa; & tota ratio adſentiendi concluſioni nititur adſenſui præmiſſarũ, & præſtito aſſenſu præmiſſis, nulla eſt difficultas circa concluſionem, quia intellectus præmiſſis neceſſitatur ad exercitiũ concluſionis. Beatus autem Thomas negat habitum vbi non eſt indifferentia: at præmiſſis poſitis nulla manet indifferentia: ergo non eſt nouus habitus ad concluſionem. At verò finis eſt obiectum realiter diſtinctum à medio, & in medio eſt etiam bonitas realiter diſtincta, circa cuius electionem poteſt oriri noua difficultas, quæ nouo eſt ſuperanda habitu: ergo potius habitus medij & finis ſunt diſtincti, quàm habitus vtriuſque præmiſſæ & concluſionis.

§.33. Item dicit Pat. Suarez, poſſe hominem alteri adſentiri eodem habitu circa diuerſa obiecta materialia, & poſſe eodem habitu voluntatis eligere diuerſa media in ordine ad finem. Quod ſic impugno cum Pat. Vazquez: quia homo adſentiens Petro circa vnum obiectum, poſt aliquot actus non ſentit difficultatem circa tale obiectum; deinde incipiat illi proponere nouum aliud obiectum; tunc ſentit difficultatem circa illud: ergo prior habitus non inclinat hominem ad illa diuerſa obiecta. Patet conſequentia, quia ſi ille habitus inclinaret ad omnia obiecta, tam facilem redderet hominem ad vnum, quàm ad aliud, quia hic eſt formalis effectus ortus ab eadem forma reali.

§.34. Reſpondet Pat. Suarez, talem hominem ex parte potentiæ eſſe tam facilem ad vnum obiectum, quàm ad aliud; ſed ipſo vſu circa vnum ſentire facilitatem, quia ipſa exercitatione ſpecies repræſentant obiectum accommodatius, & quaſi connaturalius. Contra primò, quia (vt rectè P. Vazquez) inutiliter laboramus in quærendis habitibus, quia per vſum ſpecies accommodatius repræſentant obiectum: ergo etiam ſi non ſit habitus ſola aſſiduitate ſpecierum facile operabimur, & poſito habitu operamur difficile. Verum eſt, ſæpe amitti vſum veterum habituum, quia non excitantur ſpecies, quæ ſunt principium actuum ad quos habitus inclinant: at verò quando excitantur tales ſpecies, habitus æqualiter reddit facilem potentiam circa omnia obiecta, ad quæ inclinat. Contra ſecundò, demus obiectum, cui aſſueſcimus non repræſentari perfectius quàm illud nouum, cui non aſſueſcimus, tunc ſentimus difficultatem circa nouum obiectum, & non circa antiquum: quæ difficultas non oritur ex ſpeciebus: ergo indigemus nouo habitu ad vincendam eam difficultatem.

§. 35. Ratio à priori eſt, quia actus circa temperãtiam, v.g. potus, non habet virtutem ad facilitandum hominem circa tactum, vel cibum. Nam actus inclinat circa propriam ſuam materiam, & difficultas circa alia eſt ſuperanda actibus in illam tendentibus: ſed exercitium circa potum non eſt circa tactum, vel cibum: ergo actus circa potum non generat habitum niſi circa potum.

§.36. Dices, illis actibus generari habitum circa obiectum formale. Contra, quia nulla eſt difficultas circa obiectum formale virtutis vt ſic, niſi in quantum coniungitur materiæ. Deinde ſuperata difficultate circa obiectum formale, ſuperſunt aliæ ſuperandæ circa materiam: ergo hæ debent ſuperari propris actibus circa materiam verſantibus, vt expreſsè docuit B. Thom. quęſt. 2. de virtut. a. 4. ad 12. Vnde rectè poteſt aliquis eſſe facillimus circa vnũ obiectũ materiale, & difficillimus circa aliud, v.g. adulter habet habitum iniuſtitiæ circa illam materiam, & tamen circa pecunias habet habitum iuſtitiæ naturalis, per quem eſt facilis in reddendis vnicuique ſuis pecuniis: tunc ſic, talis homo exercendo adulterium habet intenſum habitum iniuſtitiæ: ergo cum tali habitu non eſt poſſibilis alius habitus iuſtitiæ circa idem obiectum, quia duo contraria ſimul eſſe non poſſunt in eodem ſubiecto in gradu intenſo: ergo habitus iuſtitiæ circa pecunias, non eſt habitus iuſtitiæ circa vxorem alterius. Patet conſequentia; quia remanet habitus circa pecunias, & valde intenſus: at verò circa vxorem alterius non remanet habitus iuſtitiæ, ſed iniuſtitiæ intenſæ. Quapropter habitus iuſtitiæ & iniuſtitiæ circa diuerſa obiecta materialia non opponuntur.

§. 37. Confirmatur primò, ipſa ratio formalis obiecti eſt difficilis in vna materia, & facilis in alia. Multi

enim

enim ſentiunt facilitatem ſeruandi ius vnicuique circa pecunias; nec illi rapient marauedinum: at ſentiunt difficultatem ſeruandi eidem ius circa vxorem, quam depereunt: ergo ad vincendam difficultatē illam eſt neceſſaria noua facilitas. Vt enim iniuſtus in quauis materia tollit æqualitatem, ita iuſtus illam conſtituit. Dices nouam facilitatem eſſe maiorem intenſionem circa obiectum formale ſecundum ſe. Contra: quia pono nullum actum exerceri circa obiectum illud, ſed vt coniungitur materiali. Deinde ergo iam eſt nouus habitus circa idem obiectum comparatus in diuerſa materia. Tertiò, quia ſine maiori intenſione circa pecunias quàm circa vxorem, comparatur facilitas circa illas: ergo ea facilitas non eſt maior intenſio prioris.

§. 38. Confirmatur ſecundò, quia miſericordia, v. g. habet multas rationes formales. Sunt enim multæ miſeriæ ſpecie diſtinctæ. Infamia, egeſtas, fames, nuditas, peccatum. Voluntas leuandi has ærumnas eſt ſpecie diſtincta: quia per ſe primò determinat ad obiecta ſpecie diſtincta. Dices voluntatem illam habere pro obiecto formali leuare miſeriam vt ſic. Contra: qui videt infamiam, poteſt velle ea hominem leuare; non quia eſt miſeria vt ſic; ſed quia talis miſeria. Etenim poteſt velle detergère infamiam; & non leuare egeſtatem: quod non poſſet, ſi ratio formalis eſſet miſeria vt ſic. Vt oculus videt albedinem, non quia eſt color vt ſic, ſed quia talis color: & Phyſicus conſiderat corpus mobile, non quia eſt ens, aut ſubſtantia; ſed quia tale ens, taliſque ſubſtantia. Quod ſufficit ad diſtinguendam Phyſicam à Metaphyſica. Idem argumentum efforma in ſcientiis.

§. 39. Sed primò obiicit P. Suarez habitus per ſe infuſos: qui ſunt circa obiecta diuerſa: ergo etiam acquiſiti. Nulla eſt conſequentia, quia infuſi comparantur, vt potentiæ actibus, & non acquiruntur phyſicè per actus; neque ſunt facilitates, ſed principia ſimpliciter neceſſaria; & non dant facile, ſed ſimpliciter poſſe. Quapropter ſicut eadem potentia eſt principium diuerſorum actuum, ita & habitus per ſe infuſi. Habitus autē per ſe acquiſiti comparantur phyſicè actibus, & tantum poſſunt reddere facilè potentiam circa obiectum ſuorū actuum: Nam qui nunquam ſe exercuit in abſtinentia vini, non erit facilis ad illius moderatum vſum eo præciſe quod ſe exercuerit abſtinentia aquæ.

§. 40. Secundò obiicit, quia habitus eſt medium inter potentiam & actum: ergo nec reſpicit tam pauca obiecta, quàm actus, nec tam multa quàm potentia. Nego conſequentiam, illa autem medietas conſiſtit, quia ſicut potentia eſt principium plurium actuum ſpecie, & numero diſtinctorum, ita habitus inclinat ad plures actus & obiecta, non ſpecie, ſed numero diſtincta. Actus autem reſpicit duo, vnum, aut tria obiecta.

§. 41. Igitur in voluntate tot ſunt habitus ſpecie diſtincti, quot actus, v.g. habitus quo ego volo temperantiam in aqua, diſtinguitur ſpecie ab habitu, quo volo temperantiā in vino; & habitus quo volo ſanitatem per potionem, diſtinguitur ſpecie ab habitu quo eandem volo per ſanguinis emiſſionem. Ratio inſinuata eſt ſupra: nam vnumquodque obiectum materiale ratione ſuæ bonitatis, aut malitiæ habet diſtinctam difficultatē vt odio, vel amore habeatur: multi enim facile abſtinent ab aqua, & non à vino; & propter difficultatem obiecti materialis redditur difficile obiectum formale: vt qui volunt facilè ſalutem per temperatum vſum aquæ, eam ægrè volunt per moderatum vſum vini: quæ difficultas propriis actibus circa vinum eſt ſuperanda. Habitus autem circa medium & finem eſt idem numero; ſicut ſupra probaui actum circa vtrumque eſſe eundem numero. Habitus item quo amo bonum, ſpecie diſtinguitur ab eo, quo odi malum; quia ſtante eo amore, poteſt eſſe difficultas in odio boni oppoſiti, licet quoad ſpeciem odio habeatur neceſſariò, durante amore, non tamen quoad exercitium, niſi item amor exerceatur neceſſariò.

Arguunt nonnulli, non poſſe aliquem eſſe efficaciter affectum ad honeſtatem iuſtitiæ, quin ſimul ſit facilis ad media neceſſaria. Reſpondeo primùm; poſſe aliquem eſſe affectum ad honeſtatem iuſtitiæ in materia particulari quin in omnibus, vt dixi §. 36. Secundò reſpondeo, ſtante amore efficaci iuſtitiæ poſſe eſſe difficultatem in eligendo medio e. g. ego ſum certus non differre ſolutionem æris alieni, poſſum eligere ſoluere auro, vel argento: vtrumque mihi difficile: ſed habitus circa obiectum formale non tollit eam difficultatem: ergo alius eſt neceſſarius. Probo maiorem: quia neutrū medium eſt ſimpliciter neceſſarium ad finem: ac propterea poteſt eſſe noua difficultas circa media. Minor probatur: quia electio auri non eſt determinatè neceſſaria ad finem: ergo habitus in finem non tollit eam neceſſitatem. Probo conſequentiam: quia finis intentio non tollit difficultatem niſi circa medium neceſſarium ſimpliciter; ſicut nec determinatè infert electionem. At cum eligitur hoc medium, efficitur nouus actus circa medium & finem; & hic generat habitum circa vtrumque. §. 42.

In intellectu autem in mea ſententia tot ſunt habitus, quot ſunt ſpecies ita ordinatæ, vt promptum reddant intellectum ad actus. Agedum, admiſſa diſtinctione inter habitus & ſpecies: reſpondeo tot eſſe habitus intellectuales, quot actus ſpecie diſtincti cum Nominalibus. Nonnulli volunt habitum vtriuſque præmiſſæ non diſtingui ab habitu concluſionis, quia ad hanc neceſſitant præmiſſæ. Verum omnes actus intellectus ſunt intrinſecè neceſſarij, vnde nullus relinquit habitum, vel omnes relinquunt. Quo autem pacto coniungenda ſit vnitas ſcientiarum, & virtutum, dicam diſp. 1. Metaphy. ſect. 6. Hic enim tantum diſquiro phyſicam habituum pluralitatem. §. 43.

Negotium faceſſit B. Thom. 1. 2. quæſt. 54. art. 2. conſtituens diſcrimen habituum ex obiectis formalibus, non verò materialibus. Reſpondeo ab eo diſtingui ab obiectis proximis, non verò à remotis, vt viſiones diſtinxit per colores, non verò per ſubiecta illorum. At art. 4. negat expreſsè habitum componi ex multis, ſed illum ait eſſe ſimplicem qualitatem. Iam oſtendi ab eodem dici habitus non eſſe indiuiſibiles. Ait ergo eos eſſe ſimplices, vt excludat compoſitionē plurium habituum, nam pluralitatem accipit B. Thomas pro multitudine rerum numero diſtinctarum: quam negat in eodem ſubiecto, vt explicui diſp. 5. de generat. ſect. 5. Item negat diſtinctionem ſpecificam ex obiectis remotis, eamque conſtituit ex obiectis formalibus: id eſt, quæ propriè attinguntur. Item negat diſtinctionem ſpecierum completarum. §. 44.

SECTIO V.

De productione, & corruptione habitus.

DE productione habituum intellectualium actum eſt ſupra diſput. 12. Nunc agendum de habitibus §. 45.

habitibus voluntatis: ac primùm certum eſt vno ſolo actu effici habitum perfectiſſimum:nam actus valde intenſus habet virtutem æqualem pluribus actibus remiſſioribus,ſed hi efficiunt habitum perfectum:ergo & ille. Confirmatur, habitus quo perfectior, eo intenſior,vel è contra; ſed actus intenſus efficit actum intenſum: ergo & perfectum.Deinde certum eſt communiter habitum acquiri pluribus actibus, experimur enim hominem, qui in primo, ſecundo, & tertio actu difficile ſe exercebat, poſtea quam facillimè operari; ſed quo pacto id fiat, *hoc opus, hic labor eſt*.

§ 46. Nonnulli exiſtimant, habitum fieri primis actibus diſponentibus: ita vt primus nihil omnino efficiat,neque relinquat aliquid in potentia, ſed per ſeipſum illam diſponat. Hæc ſententia non placet: nam ſi ille actus nihil relinquit in potentia: ergo eo tranſacto potentia ſe habet eodem modo, quo antequam actum produceret: nam actus ille iam non eſt magis quàm antequam eſſet; & in potentia nihil relinquit magis quam ſi non eſſet: *fuiſſe* autem eſt extrinſeca denominatio ſicut *fore*: ergo actus ille eodem modo relinquit potentiam, quàm antequam eſſet: ergo ſecundus actus tam indiſpoſitam inuenit potentiã,quàm primus:ergo actus ſecundus nihil efficiet niſi ſit potẽtior quàm primus. Cõfirmatur, ſola extrinſeca denominatio relinquit potentiam magis diſpoſitam vt habitus fiat per actum ſecundum: ergo actibus replicatis, etiam ſi nihil phyſicum relinquant in potentia,illa manebit facilis, & magis diſpoſita ad producendos alios actus:ergo habitus nihil erit reale phyſicum, ſed extrinſeca denominatio ab actibus præteritis.

§.47. Alij opinantur,per actus priores produci quamdam diſpoſitionem requiſitam ad habitum; quæ augetur per actus ſubſequentes; & dum prouehitur ad vltimam ſui perfectionem, non producit habitum; ſed cum iam eſt perfecta, tunc vltimo diſponit ad illum,qui producitur vel per actum qui vltimò diſpoſuit, vel per primum poſt vltimam diſpoſitionem. Qua ratione Ariſtoteles diſtinxiſſe videtur habitum à diſpoſitione. Impugnatur primò, quia impertinens eſt talis diſpoſitio: nam hæc non poteſt manere cum habitu: cui enim rei poteſt deſeruire? Non ad conſeruandum habitum, quia hic non indiget alia diſpoſitione vt conſeruetur, ſicut indiget ſubſtantia.Hæc enim indiget,vel propter ſuam pulchritudinem: quæ conflatur ex accidentibus, vel propter operationem,quæ ab illis dependet. Deinde non poteſt ſeruire ad operandum, quia hoc præſtat habitus; neque ad facilitandum potentiam propter eamdem rationem:ergo eſt inutilis ea diſpoſitio. Item illa non poteſt corrumpi: nam forma diſponẽs ad aliam,hac adueniente,non corrumpitur, nam ideo diſponit, quia non poteſt exiſtere ſine forma ad quã diſponit:quæ producitur propter connexionẽ, quam habet cum forma diſponente. Tandem ſi iſta diſpoſitio diſponit potentiam ad habitũ, cur eamdem non diſponet ad actũ exercendum facile? Nam ipſa eſt facilitas ad habitum faciendum. Deinde eſt orta ex actibus, ſicut ipſe habitus: ergo eſt habitus, quia oritur ex actibus,inclinat ad alios,ſimiliter & hæc diſpoſitio.

§.48. Habitus ergo acquiritur paulatim per actus: ita vt primus producat vnum gradum,qui gradus,quia remiſſus, non vocatur *habitus*; quia ille ſolus non poteſt potentiam ita facilem reddere: & quia effectum formalem illius gradus vix poſſumus experiri,vt contingit in aqua calida, quæ licet habeat aliquos gradus frigoris, non dicitur frigida, ſed calida: quia experimur illius calorem, & non frigus. Quo Ariſtoteles diſtinxit ſupra diſpoſitionem ab habitu.Hic enim,quia eſt in ſtatu debitæ intenſionis,eſt diuturnus; diſpoſitio autem quia remiſſior, ita & facilior corruptu. Hi autem primi gradus ſunt, quos Ariſtoteles diſpoſitiones dixit. Deinde quando fit alius actus intenſior circa idem obiectum,tunc intenditur habitus,& pro maiori intenſione actuum ſequentium habitus fit intenſior vſque ad illum gradum in quo experimur eius facilitatem. Ita contingit cæteris in rebus: nam calorem relictum à calido vt duo, intendit calidum vt tria. Nõnunquam agens vt tria propter ſubiecti reſiſtentiam non potuit producere effectum vt tria, deinde agens aliud ſimile efficit calorem vt tria, quia ei minus reſiſtit ſubiectum. De intenſione in lib.de generatione ſatis.

De corruptione habituum maior eſt difficultas: experimur enim ceſſante illorum vſu, hominem non manere facilem ad actuum exercitium: ergo corrumpitur. Contra verò neque deſuit cauſa efficiens,quæ eſt intellectus,vel Deus:neque cauſa materialis:cur ergo corrumpitur? Dicere autem habitus ſeneſcere, & per non vſum quaſi contabeſcere, eſt Rhetorum.Id enim tantum contingit rebus per introductionem contrarij, vt cum ferrum rubiginem contrahit; neque minus voluntarium eſt affirmare illos ad certum tempus durare, niſi iterum actibus confirmentur, & ſarciantur. Exiſtimo igitur cum B. Thoma 1. 2. quæſt.53. art.1. & Pat. Suarez, habitum ſpiritualem nunquam corrumpi, niſi per introductionem contrarij. Nam quando homo diu ceſſat ab illorum vſu, communiter exercet actus contrarios actibus,per quos priores habitus generati fuere, vt qui diu ceſſat à temperantia, intemperantiam exercet, & qui non ſe exercet in patientia,impatientiam communiter exercet. Qua ratione beatus Thomas artic.3.ait habitus corrumpi per accidens non vſu:quia deeſt actus remouens actum oppoſitum. Quod ſi non inducitur habitus contrarius, non corrumpitur præcedens: quo exiſtente poſſumus ſentire difficultatem, vel propter corporis inualetudinem, vt ſtudioſus homo ſentit difficultatem in ſtudendo propter capitis, aut oculorum dolorem; vel propter nouas rationes, quæ difficile reddunt virtutis exercitium, vt homo abſtinens, cibo præſente maiorem ſentit difficultatem in abſtinentia, quàm eo abſenti,aut malè condito:vel quia non excitantur ſpecies,à quibus pendent actus intellectus mouentes voluntatem ad actus, in quos eam inclinat habitus. Ad argumentum reſpondeo, per non vſum corrumpi habitum propter exercitium contrariorum actuum. §.49.

Obiicies primò, habitus non habere contrarium ſicut neque ſpecies impreſſæ. Nam eſſe principium oppoſitorum actuum nullam dicit oppoſitionem. Intellectus enim & voluntas ſunt principia ſcientiæ & erroris,amoris & odij. Reſpondeo, ſpecies impreſſas non eſſe contrarias,quia ſunt principium complens potentiam; & ſicut eadem numero potentia eſt principium amoris & odij,aſſenſus atque diſſenſus, ita poteſt habere ſimul ſpecies & principia talium actuum. At verò habitus non ſunt principia neceſſaria ad actus, ſed inclinationes in illos: à quibus accipiunt oppoſitionem, & non poteſt potentia eſſe ſimul inclinata ad actus oppoſitos. Vnde quo plus inclinatur ad vnum,plus recedit ab inclinatione alterius, ſicut contingit in cæteris contrariis. Video inſinuari à B.Thoma habitus intellectus verſatos circa concluſiones oppoſitas eſſe contrarios. §.50.

Obiicies ſecundò, ſpecies impreſſas corrumpi §.51.
per

per ſolum non vſum : ergo & habitus. Nego antecedens:videntur autem ſpecies corrumpi,quia corrumpuntur ſpecies phantaſiæ , ſine quibus non excitantur ſpecies intellectuales ; & ſic videntur abolita;vel quia vſu aliorum actuum non poteſt intellectus vti aliis ſpeciebus , nam *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus :* vel forte intellectus in corpore non poteſt efficienter conſeruare tantam ſpecierum infinitudinem. Vnde quibuſdam acceptis aliæ corrumpuntur.

SECTIO VI.

De cauſis habituum.

§.52. DVrandus & pauci alij affirmant, habitum fieri à potentia vitali,ipſo actu ſolum diſponente. Pat. Vazquez 1.2.diſp.79. cap.9. & Suarez diſputat. 44. metaphyſicæ ſectio 8. huic parti non acquieſcunt : quia non poteſt intelligi cauſalitas diſpoſitiua illius actus : quia diſpoſitio, aut eſt ad remouendum contrarium, & hoc non habet habitus cum primò acquiritur à potentia nondum exercita actibus contrariis ; vel requiritur ad vnionem habitus cum potentia : quod etiam eſt falſum : tum quia habitus non eget forma diſponente,tum quia ſine tali diſpoſitione non poſſet illa vnio conſeruari , at conſeruatur vnio habitus amato actu : ergo actus non eſt diſpoſitio ad illum. Verum ſunt nonnullæ diſpoſitiones ad primam actionem requiſitæ,quæ non requiruntur ad illiùs conſeruationem; vt intellectus agens ad primam ſpeciei productionem requirit materiale phantaſma ; & tamen ſpecies impreſſa conſeruatur phantaſmate amato,quia intellectus erat indifferens ad varias ſpecierum productiones. Determinatur autem per phantaſma : producta autem ſpecie non eget intellectus eo determinatiuo:ſimiliter poſſet dici intellectum , aut voluntatem determinari per actus ad primam productionem habituum.

§.53. Probat autem Durand. ſuam ſententiam , quia ad habitum non datur per ſe motus : ergo non producitur ab actibus. Non video conſequentiam:cur enim dabitur motus per ſe ad habitum ſi fiat à potentia & non ſi fiat ab actibus?Neque eſt abſurdum dari motum per ſe ad habitum , nam ad ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem datur per ſe motus. Deinde ad habitum naturalem non datur per ſe motus, ſed per accidens,quia quod per ſe primò intenditur eſt actus;habitus verò ſequitur ex motu in actum:quod eſt eſſe motum per accidens vt dixi diſput. 14.phyſi.ſect.4.

§.54. Sed arguitur pro Durando;quia intellectus efficit ſpeciem ad iudicandum de obiecto ; ad quam ſpeciem determinatus fuit per apprehenſionem:ergo ſimiliter determinabitur ab actu ad habitum. Antecedens falſum. Et nego conſequentiam, quia ſpecies impreſſa fit ab intellectu agente,cuius munus eſt complere intellectũ poſſibilem in actu primo ad cognoſcendum: quod patet in ſpeciebus ad primam apprehenſioné,quæ à ſolo intellectu fiunt. Vnde colligimus illum eſſe ſpecierum opificem ; quæ ſpecies antecedunt omnes actus,quarum ſunt principium , nam (vt ſupra dixi) iudicium de obiecto ex apprehenſione deductum determinat intellectum ad ſpeciem iudicatiuam de eodem obiecto: Illa autem ſpecies eſt productiua actuum diuerſorum in ſpecie ab actu per quem fuit relicta. Quapropter ad illas ſpecies actuum ſimpliciter antecedit ſpecies impreſſa. Habitus autem eſt facilitas inclinans potentiam ad actus eiuſdem ſpeciei cum his, à quibus eſt generatus.

Eſt pro Durando argumentum non leue : habitus vitioſus conſeruatur actiuè à voluntate ; quia non conſeruatur ab actu iam corrupto : nec à Deo; quem in habitum vitioſum dedecet ſpecialis influxus , ſubrogatus pro cauſa particulari : maximè ſi actuum malitia eſt illis intrinſeca :ergo conſeruantur à voluntate : ergo fiunt primùm. Nego vltimã conſequentiam:quia tam in potentia,quàm in actu eſt virtus actiua habituum naturalium : præſente actu illi debetur concurſus,quia eſt cauſa particularior , & minus æquiuoca : eo autem abſente debetur concurſus voluntati. §.55.

Cauſa materialis habituum eſt ipſa potentia vitalis,quæ cauſat actus:tum quia actus non operatur niſi in eo ſubiecto in quo eſt : tum quia ideo operatur habitum , vt per eum facilitet potentiam , à qua ipſe fit. Tandem quia ſi eſſent in ſubiectis diuerſis , non poſſent habitus facilitare potentiam productiuam actuum ; quia ſuum effectum formalem communicat per intrinſecam informationem: & non per ſolam extrinſecam adſiſtentiam. §.56.

SECTIO VII.

Vtrùm habitus efficienter concurrat ad actum?

FInis in quem dirigitur habitus eſt actus ad qué inclinat. Controuerſum eſt autem;qua ratione id præſtet? Pater Suarez illa diſput.44.ſect.5.num. 6. cum aliis docet habitum phyſicè influere efficienter in ſubſtantiam actus tamquam inſtrumentum potentiæ. Cui parti non acquieſco cum Aureolo, Scoto,Durand & Palud.apud ipſum numer. 3.& cum Pat.Vazquez 1.2.diſput.83.cap.2.Primò, quia potentia volitiua, verbi gratia, eſt cauſa adæquata ad producendum actum ſine habitu,vt pono ex definitione habitus : ſicut etiam erat ad actum antequam acquiſiuiſſet habitum:ergo habitus non concurrit cum illa;conſequentia patet,quia poſitiua cauſa adæquata non poteſt cum illa alia concurrere in eodem genere , alioquin abiremus ſine fine in cauſis inutilibus multiplicandis. §.57.

Nonnulli reſpondent , potentiam informatam habitu poſſe producere actum intenſiorem , quàm ſine illo.Contra primò:ergo ſi potentia non poteſt ſine habitu maiorem illam intenſionem producere, iam habitus erit ſimpliciter neceſſarius ad aliquem effectum , ad quem non ſupponit , ſed complet potentiam,quod eſt contra rationem habitus acquiſiti : potentia enim ſine habitu poteſt præſtare quidquid cum illo præſtat. Secundò,habitus nõ inclinaret ad ſimiles actus his , quibus fuit primò productus.Video illos actus eſſe ſimiles quoad ſpeciem completam. Tertiò, quia habitus augeretur ſine termino in virtute actiua ; ſimiliter, & potentia vitalis ; nam ſi actus vt duo relinquit habitum, qui ſimul cum potentia efficiat actum vt tria , ille actus producit habitum , qui fit productiuus actus vt quatuor,&c.ergo ſine fine fiet actus augmentũ. §.58.

Pat. Suarez ait potentiam eſſe cauſam adæquatam actuum quoad ſubſtantiam ; habitum autem concurrere quoad facilitatem.Vnde neque eſt ſimpliciter neceſſarius,neque omnino ſuperfluus. Cõfirmari poteſt , quia duo motores mouent ſaxum velocius, quàm vnus ſolus,qui illum poſſit mouere, & duo ignes citiùs comburunt trabem , quàm vnus ſolus. Contra, quia in actuali productione actuum nulla cernitur maior facilitas cum habitu, §.59.

quàm

quam ſine illo: ergo habitus non concurrit ad facilitatem. Probatur antecedens, quando voluntas operatur actum ſine habitu; illum operatur in inſtanti, quando verò operatur cum habitu etiam operatur in inſtanti, ſed inſtantanea operatio non habet aut maiorem, aut minorem difficultatem: ergo. Probatur minor, quia illa facilitas non poteſt eſſe maior velocitas, quia operationes inſtantaneæ æqualem habent velocitatem; quid eſt ergo? In actionibus ſucceſſiuis poteſt reperiri illa facilitas, quia poteſt vna eſſe velocior alia; ſic duo agentia adæquata poſſunt ſimul concurrere ad eumdem effectum citius producendum, ad quem cum illa circumſtantia velocitatis neutrum habet ſufficientem virtutem: quaproptèr abs re ſunt confirmationis exempla.

§. 60. Secundò arguitur, quia non datur mutua productio inter res diuerſarum ſpecierum; inter ſubſtantias res eſt clara: ſubſtantia autem non producitur ab accidente, quamuis accidens ſit à ſubſtantia. Vitalis actus non producit ſpeciem impreſſam; ſpecies autem producit actum; à quo tamen non producitur ſpecies illius ſpeciei. Lux producit calorem; non tamen calor lucem: at verò indiuiduum vnius ſpeciei productum ab indiuiduo eiuſdem poteſt aliud producere, quia habet æqualem virtutem cum ſuo productore: at cauſæ æquiuocæ ex natura ſua præſupponuntur ad ſuos effectus, ac proinde ab illis produci non poſſunt. Nec poteſt dici habitus inſtrumentum potentiæ, quia hoc eſt ad tollendum impedimentum, vel ad diſponendum ad formam.

§. 61. Pat. Vazquez ſine illius cap. 2. ait in actu reperiri modum realem, qui eſt facilitas, cui rei nullum adducit argumentum, niſi quod ipſe fatetur ſe ignorare, quid aliud reſponderi poſſit. Contra primò: ergo iam reperitur in actu aliquid, quod non poſſit à potẽtia produci; quod eſt contra rationem habitus acquiſiti. Secundò probatum eſt §. 49. actum tam facile produci ſine habitu, quàm cum illo. Tertiò cui ſeruit ille modus? Ais vt actus fiat facilis? Sed quidem ſi actus eſt factibilis facilius, id prouenire ex extrinſeca denominatione à potentia informata habitu, quæ antequam operetur actum, eſt facilis ad operandum; quando verò operatur, non videtur poſſe intelligi quid præſtet ille modus: quia actus fit in inſtanti, ad quem non requiritur modus vllus.

§. 62. Aduerte habituum munus: potentia antequam operetur, difficultatem habet ad operandum; quæ difficultas antecedit actualem ipſam operationem: tum quia id experimur; nam antequam homo velit ieiunare, ſentit difficultatem in eo volendo. Nam difficultas ieiunij illius voluntatem retardat: at verò in actuali productione volitionis ieiunij, nullam ſentit difficultatem; quia illa volitio ſubitò producitur, in qua non eſt tardius, nec velocius. Hæc difficultas non oritur ex defectu principij alicuius actiui. Nam ea potius eſſet impotentia, ſed oritur ex ipſa libertate voluntatis, quæ vel horret obiectum, vel aliud illi magis placet: cum ergo hæc difficultas antecedat actionem, & non conſiſtat in ipſa actione: facilitas per quam vincitur, non eſt ponenda ad ipſam actualem actionem, ſed antecedenter; nam per habitum voluntas debet eſſe facilis ad operandum, & volendum, ſicut erat difficilis: quando verò operatur, ſi ſemel habet virtutem ſufficientem, non poteſt facilius operari, etiam ſi illi infinita virtus addatur, quia in actionibus momentaneis non eſt facile, aut difficile.

§. 63. Ergo ante actionem exercet habitus ſuum munus: quod eſt inclinare potentiam, vt velit operari. Eſt enim habitus quædam quaſi preces ab actu relictæ. Hoc autem munus eſt per informationem; quia habitus facit propendere potentiam in obiectum: at verò cum potentia operatur non habet habitus cauſalitatem, ſed eſt illi extrinſecus; ſicut preces actioni, quæ propter illas fit. Et quidem cum amor ſit quoddam pondus in obiectum, ſic & habitus in idem ponderat, & trahit voluntatem vt velit: quæ antecedunt actualem operationem. Item ponderat in actualem operationem, vt perſeueretur, quæ rectè intelliguntur ſine actione in actum.

Dices primò, ab Ariſtotele habitus vocari actiuos, & factiuos. Sed quidem *actiuos* vocat, qui inclinant ad actionem intrinſecam: vt prudentia, & logica: *factiuos* verò qui ad factionem inclinant, id eſt, ad opus externum, vt architectura, muſica, & eleemoſyna.

Dices ſecundò, id non bene intelligi ſine actione. Sed ego bene intelligo id fieri per formalem effectum: ſicut albedo reddit album, & viſio videns, & mollities molle, & durum durities; ſic & facilitas facilem, & inclinatio reddit inclinatum: immo hoc malè intelligitur in actione, neque in virtute actiua; quia ſpecies impreſſa potentiæ vitalis, & ſupernaturalis habitus influunt immediatè in ſuos actus, in quos non inclinant potentiam: ſed habitus acquiſiti; ergo hæc inclinatio non conſiſtit in virtute actiua, ſed in informatione, & communicatione formalis effectus. §. 64.

SECTIO VIII.

Collatio & diſcrimen habituum naturalium, & ſupernaturalium.

Non erit abs re oſtendere diſcrimen habitus naturalis, & ſupernaturalis. Habitus ſupernaturalis communiter vocatur *per ſe infuſus*, quia à ſolo Deo infunditur in potentias hominis, vel Angeli, illis merè paſſiuè concurrentibus. Dicuntur *infuſi per ſe*, nam & habitus naturales ſunt aliquando infuſi, ſed per accidens: quia ex natura ſua non petunt infundi, ſed per actus acquiri. Primum diſcrimen eſt, quia habitus naturalis ſupponit in potentia adæquatam virtutem actiuam ad actum, cui ipſe ſeruit: at verò habitus per ſe infuſus nõ ita; ſed complet virtutem actiuam potentiæ vitalis, illámque conſtituit proximè potentem ad actus ſupernaturales: qui cum ſint ſupra animi naturam, illoque nobiliores, non poſſunt ab illo produci cum concurſibus ſibi debitis; niſi ei addatur concurſus etiam ſupernaturalis. §. 65.

Hinc oritur ſecundum diſcrimen: nam habitus per ſe infuſus non producitur, neque augetur phyſicè per ſuos actus: nam actus ſecundus vitalis ſupponit potentiam vitalem in actu primo completã: ergo non poteſt producere illum actum primum quem ſupponit; ſed ille actus primus eſt habitus per ſe infuſus: ergo habitus per ſe infuſus non poteſt produci per actus. De intenſione idem eſt argumentum, quia illa intenſio actus ſecundi ſupponit æqualem intentionem in actu primo, cum actus ſecundus ſupponat primum: ſed illa maior intenſio eſt habitus: ergo. Si quando contingat hominẽ habentem habitus vt quatuor producere actum vt quinque, tunc ille habitus non augebitur phyſicè per actum ad quintum gradum, quia illa intenſio habitus vt quinque ex natura ſua ſupponitur ad actum vt quinque, & ab eo petit actus produci. §. 66.

Dices,

§.68. Dices, potentiam poſſe compleri vel per habitum, vel per auxilium extrinſecum, id eſt, per extrinſecam voluntatem Dei paratam cum potentia concurrere,& ſupplere defectum habituum. Contra,quia id eſt per accidens comparatione actus ſupernaturalis, qui ex natura ſua petit potentiam compleri per habitus; nam omnis actus ſecundus petit connaturaliter ſuum actum primum completum: & nullus dubitat actus ſupernaturales connaturalius procedere à potentia, cum habitus infundantur, vt per illos naturalius operemur, ſicut viſio naturalis ex ſua natura petit oculum completum per ſpeciem impreſſam. Quod ſi Deus vellet aliunde ſupplere concurſum ſpeciei, tamen hæc non produceretur, neque intenderetur à viſione, quia viſio per accidens oritur à potentia ita completa, & ex natura ſua præſupponit tantam intenſionem in ſpecie, quantam ipſa habet. Deinde, quando reperitur complementum potentiæ intrinſecum, & creatum,connaturaliùs procedit effectus ab illo quàm à cauſa prima: vt patet mille exemplis, & ratione: quia concurſus cauſæ primæ neceſſarius in particulari, oritur ex defectu cauſæ ſecundæ; vt productio ignis à Deo vt concurrente ſpeciali actione oritur ex defectu ignis abſentis: qui concurſus diuerſus eſt à generali: ſed habitus ſunt complementum potentiæ creatæ: ergo per illos commodiùs fiunt actus ſupernaturales; quàm per ſolum concurſum extrinſecum Dei.

§.69. Hinc obſerua in materiam de iuſtificatione: actum charitatis non eſſe rationem iuſtificandi; quia iuſtificatio eſt ipſa radix,cui ex natura ſua debentur omnia dona ſupernaturalia ordinis gratiæ; actus autem charitatis non eſt prima radix cum ſupponat habitum. Item obſerua actum charitatis, aut contritionem non poſſe eſſe diſpoſitionem ex natura ſua ad infuſionem gratiæ. Nam gratia ex natura ſua præſupponitur ad actum charitatis, ſicut ſpecies impreſſa ad viſionem: quod ſi charitas actualis eſt diſpoſitio ad gratiam, id oritur ex extrinſeca voluntate Dei, ita nobiſcum paciſcentis. Hæc in proprium locum obſeruentur, hic ſit ſatis indicaſſe ex communi ſententia.

§.70. Tertium diſcrimen eſt: habitus per ſe infuſus non facilitat potentiam ad operandum (vt docet Pat. Vazquez 1 2.diſp.78.n.3.& tomo 2.diſp.187. num.4.& q.113.art.3.in commentario,num 65.& Aureolus in 1.d.7.2.p.§.*quod charitas diſponit*: cum Scoto ibi. q.2.& aliis) quia id quod complet potentiam in ratione potentiæ, non facilitat, neque inclinat propriè. Nam inclinatio ſupponit potentiam, quam inclinet: docet enim B. Thomas 1.2. q.49.art.4.corp.id quod diſponitur debere eſſe potentiam eius ad quod diſponitur per habitum:voluntas autem ſecundum ſe non eſt potentia ad actus ſupernaturales: ergo habitus per ſe infuſus non eſt propriè facilitas ad promptè & delectabiliter operandum, ſed complet ad ſimpliciter poſſe. Quod patet in ſpecie impreſſa, quæ intellectum non inclinat ad actum.

§.71. Confirmatur, quando homo vitioſus iuſtificatur, habet vehementes habitus vitioſos in obiecta contraria obiecto habituum ſupernaturalium: & tamen per habitus ſupernaturales non ſentit facilitatem:quia tunc potius ſentit difficultatem in vitiis cohibendis. Vnde habitus charitatis & odij in Deum non ſunt contrarij propriè: tum quia in gradu intenſo poſſunt eſſe ſimul;vt cum quis adultus baptizatur habens intenſum habitum odij, & ad baptiſmum non ſe diſpoſuit niſi per attritionem; hic recipit habitum charitatis, & retinet intenſum odium habituale: tum ratione manifeſta, quia odium & charitas non diſtant ſub eodem genere, nam charitas pertinet ad genus principij: at verò rectè poteſt potentia eſſe completa in actu primo ad vnum actum, & habere magnam inclinationem ad oppoſitum. Vt patet in voluntate completa ad odium, & amante promptè & delectabiliter amore naturali.

Dices; habitus per ſe infuſos & complere potentiam & dare facilitatem ad operandum, quia ſunt habitus vniuocè cum naturalibus. Verùm iam oſtendi vocari quidem habitus de prima ſpecie qualitatis: non quod ſint inclinatio ad actus, ſed quia illis bene diſponimur ad actus vitales eliciendos. Deinde commune eſt axioma *habitus per ſe infuſos non dare facile,ſed ſimpliciter poſſe*: nam facilitas potentiam ſupponit, quia eſt illius inclinatio ad opus. Tandem à poſteriori monſtratur: iuſtus ſe exercens actibus miſericordiæ comparat cum augmento gratiæ intenſum habitum pœnitentiæ per ſe infuſæ; & non ſentit in illa exercenda facilitatem;ſed potius difficultaté:cum tamen ſit facilis in eleemoſyna:ergo illa pœnitentia per ſe infuſa non reddit iuſtum facilem; licet illi proponatur pœnitentia exercenda:ergo non eſt facilitas,quia ſi eſſet, cum eſt intenſa, redderet facilem; quod non ita contingit ante longam exercitationem pœnitentiæ. Facilitas autem eleemoſynæ eſt ab habitu acquiſito per eius actus: de quo infrà. §.72.

Quartum diſcrimen eſt; quia habitus per ſe infuſus eſt ſimplex qualitas; quæ complet ad plura obiecta materialia ſub eadem ratione; vt Fides,& Charitas, quia potentia ſe extendit ad plura obiecta; & quia non pendet ab actibus, ſicut habitus acquiſitus. Vnde cum intenditur per actus, intenditur meritoriè,& cum intenditur circa vnum obiectum,intenditur circa omnia.Immo ad intenſionem vnius habitus per ſe infuſi intenduntur cæteri omnes;quia quod per ſe primò intenditur, eſt gratia habitualis: & cum hæc ſit principium actiuum cæterorum habituum per ſe infuſorum, ad illius intenſionem cæteri intenduntur;ſicut calor ad intenſionem lucis.Item per actus malos corrumpuntur phyſicè omnes habitus per ſe infuſi (excepta Fide, & Spe: quæ re ipſa non corrumpuntur niſi per deſperationem,& hæreſim) quia per peccatum mortale gratia expellitur ex natura rei, à qua pendent habitus, illius comites indiuidui. De quo egi diſp.12.de iuſtificatione. §.73.

Nunc ſupereſt inquirendum; vtrùm actus ſupernaturales efficiant in potentia habitus etiam ſupernaturales inclinantes potentiam ad ſimiles actus? ita vt ſint duæ qualitates ſupernaturales, quarum altera ſit per ſe infuſa,& ſimpliciter neceſſaria,& perfectior ſuis actibus:altera verò,quæ iam ſupponat potentiam completam ad agendum, & acquiratur per actus,& per eoſdem phyſicè intendatur, & ſit inclinatio potentiæ ad promptè & delectabiliter operandum, ſicut dantur duæ qualitates naturales;altera improducibilis per actus, qualis eſt impreſſa ſpecies; altera comparata per illos, quam *habitum acquiſitum* appellamus.In partem affirmatiuam quis propendeat? Primò, quia actus naturales relinquunt in potentia habitum ſibi proportionatum, per quem illa in ſimiles actus inclinet, ergo actus ſupernaturales relinquunt in potentia habitum ſibi proportionatum,per quem inclinet in ſimiles actus. Patet conſequentia, quia non eſt cur diuturna exercitatio naturalium actuũ per ſe tollat difficultatem circa ſuum obiectum,& eamdem non tollat circa ſuum diuturna exercitatio §.74.

tatio actuum ſupernaturalium: cùm quæuis conſuetudo ſit altera natura. Dices primò, quia potentia vitalis non eſt ſimpliciter potentia. Contra, quia coniuncta habitui per ſe infuſo eſt ſimpliciter potentia: ergo pro impotentia non impedietur ab habitus acquiſitione.

§. 75. Pat. Vazquez 1.2.diſp.79.num.47.ait aſſuetudine actuum ſupernaturalium ſpecies in dies facilitare potentiam. Sed meminiſſet ipſe vellem, ſe ipſum contra P. Suarez intuliſſe ſupra, nos inutiliter laborare in quærendis habitibus, ſi difficultas tollitur per ſpecierum repræſentationem, vt dixi ſect. 4. Deinde per vſum naturalium actuum non ſolùm perficiuntur ſpecies, ſed etiam acquiritur diſtincta facilitas in voluntate: ergo idem erit exercitio actuum ſupernaturalium. Vnde ipſe P. Vazquez huic ſolutioni diffidens in hanc ſententiam inclinat.

§. 76. Dices tertiò, exercitio actuum ſupernaturalium acquiri habitus naturales, quia ſimul cum illis exercentur actus naturales: quibus generantur habitus. Et quidem hoc placet: nam cum menti proponuntur obiecta, ſe circa illa voluntas exercet; ſecundum quod eſt potentia naturalis, & per potentiam obedientialem. Nam cum Catholicus myſteriis fidei aſſentitur, habet duos actus intellectus, alterum naturalem: nam ſpecies impreſſæ ſunt naturales, in quarum virtute continentur actus naturales; & cum ſimul intellectus paratiſſimum habeat concurſum ſupernaturalem cum habitu fidei, per illum exercetur potentia obedientialis. Has duas cognitiones duo ſequuntur affectus: alter naturalis, ſupernaturalis alter, propter eamdem rationem: cuius ſignum eſt, quia hæreticus non habet difficultatem in credẽdis nonnullis articulis fidei; quæ facilitas non oritur, aut ex habitu fidei, aut ex pia affectione ſupernaturali, quia his caret hæreticus; ſed oritur ex fide humana, qua, dum eſſet Catholicus, ſe exercuit. Idem cernitur in homine, qui diu vixit ex præſcripto rationis; qui in peccatum prolapſus ſentit facilitatem circa alias virtutes: ſignum eſt ergo talem hominem habuiſſe habitus, qui non pereunt per illud peccatum; ſed pereunt omnes habitus ſupernaturales (ſi à ſpe, & fide diſcedas) ergo acquiſiuit habitus naturales: ſed habitus naturales non acquiruntur per ſupernaturales actus: ergo ſimul cum actibus ſupernaturalibus exercentur actus naturales.

§. 77. Hæc inquam vera ſunt & apertè tradita à S.Th. Caiet. 2.2.quæſt.23.art.1. cum aliis: ſed propterea cur negabitur tunc habitum ſupernaturalem gigni? Aut cur illi actus naturales habuere virtutem ad gignendum habitum ſibi proportionatum, & eam non habuere ſupernaturales? aut cur negabitur, actus ſupernaturales diuturno exercitio per ſe reddere potentiam promptam, & facilem? ac dicitur id fieri per accidens actibus naturalibus, qui ſupernaturales comitantur? Equidem non inuenio diſcrimen: nam affirmare non eſſe multiplicandos tot habitus, quia facilitas naturalis in obiectum ſufficienter inclinat, non ſatisfacit: nam multiplicantur actus propter naturalem connexionem; cur propter eamdem non multiplicabuntur habitus inclinantes vnuſquiſque ad ſuum actum?

§. 78. Reſponderi poteſt, hominem exercere tantum actus ſupernaturales, qui eminenter continent habitum naturalem, quem eliciunt ſicut lux continet eminenter calorem. Contra, quia habitus per ſe inclinat ad ſolam ſpeciem eorum actuum, per quos genitus eſt: ſed habitus naturalis per ſe non inclinat ad actus ſupernaturales: ergo non gignitur ab illis: probatur minor, tum quia inclinatio dicit naturalem connexionem cum re ad quam inclinat; ſed nulla res naturalis dicit connexionem cum ſupernaturali (vt alibi probaui) ergo: tum etiam, quia remanet naturalis habitus quando non exercentur actus ſupernaturales; quando pereunt habitus per ſe infuſi, vt patet ex §. 77. ergo illi habitus geniti fuere per actus naturales. Ad rationem reſpondetur, habitum naturalem non contineri eminenter in actu ſupernaturali (nam vt dixi diſp. 9. phyſic.) eminens continentia dicit rem eſſe nobiliorem alia, & habere virtutem cauſatiuam illius: & ſicut intellectus non elicit ſenſionem, neque habitus ſupernaturalis actum naturalem; ita neque habitus naturalis producitur ſupernaturali actu. Quod confirmo: quia effectus adæquatè productus à cauſa ſupernaturali, eſt ſupernaturalis. Nam in congreſſu vnius cauſæ ſupernaturalis cum alia naturali effectus ſupernaturalis euadit: & quidem in ſubiecto materiali cauſa ſpiritualis producit effectum materialem; quia ad illum ſubiecto aſtringitur: at cum voluntas ſit capax effectuum ſupernaturalium, cur cauſa adæquata ſupernaturalis non producet in illa ſupernaturales effectus? Nec videtur percepiſſe conceptum rei ſupernaturalis, qui ponit in re naturali eſſentialem ordinem ad ſupernaturalem: nam ſi eſt ſupra naturam: ergo nec reſpicitur, nec petitur à natura; alioquin contineretur intra naturæ carceres: finge ſubſtantiam ſupernaturalem: illa ſuis actibus produceret habitus ſupernaturales: ergo & nos per eoſdem.

Huiuſmodi habitus ſupernaturales acquiſiti, eſſent diſtinguendi per actus: ſicut acquiſiti naturales, & erant minuendi per contrarios naturales: nam qui ſine voto aut iuramento ex affectu caſtitatis, ſæpe habuit actum ſupernaturalem vxoris non contrahendæ: hic acquiſiuit habitum ſupernaturalem caſtitatis circa hanc materiam: poſtea verò ſæpe voluit vxorem ducere, per hos actus paulatim amiſit facilitatem circa primos actus: & hoc ſine amiſſione gratiæ. Quando verò amittit gratiam, tunc amittuntur omnes habitus ſupernaturales acquiſiti, reſpondentes habitibus per ſe infuſis; qui tunc amittuntur. Ratio eſt, quia habitus acquiſitus eſt facilitas potentiæ completæ in actu primo ad agendum: ſed ſine habitu per ſe infuſo, potentia vitalis non eſt completa in actu primo ad actus ſupernaturales, ergo in tali potentia non eſt facilitas ſupernaturalis. Dices, paratum eſſe auxilium extrinſecum, quo poteſt homo elicere actus ſupernaturales. Hoc non videtur probabile: nempe cum eo auxilio eſſe compoſſibilem habitum acquiſitum ſupernaturalem, qui paulatim corrumpatur aſſuetudine actuum contrariorum; inde enim ſequeretur manere in peccatore charitatem, & amicitiam ſupernaturalem in Deum; quod primo ſono abſonat vehementer; licet enim virtus ſupernaturalis ſumitur pro infuſa per ſe: & non pro acquiſita; adhuc rigore & acquiſitæ ſunt virtus, quæ negandæ ſunt peccatori. Item maneret in hæretico aliqua Fides ſupernaturalis; & Spes in deſperante: quæ ſunt abſurda. Quare dicendum, tunc non manere eos habitus, quia modus, quo potentia concurrit cum auxilio extraordinario extrinſeco, eſt valde per accidens comparatione actuum; qui petunt ex natura ſua intrinſecè completam potentiam per habitus. Vnde his deficientibus deficiunt habitus acquiſiti: quia ſunt inclinationes potentiæ ad actus modo proportionato eliciendos. §. 79.

Nec

§. 80. Nec tamen hæc ſunt omnino noua. Nam P. Molina, 1. part. quæſt. 1. artic. 2. diſt. 2 ad 4. docet habitum Theologiæ in catholico eſſe ſupernaturalem, acquiſitum per ſenſus ſupernaturales Theologiæ, & Pat. Vazquez 1. diſput. 83. num. 1. hæc ait: *Nam ex tali aſſuetudine* (actuum charitatis) *fit in nobis habitus alius, aut aliquid aliud quod præſtet nobis facilitatem, & promptitudinem ad hos actus, vt diſput. 79. cap. 10. explicauimus. Et hac ratione intelligerem ego S. Thom. 2. 2. quæſt. 23. art. 2. vbi concedit habitum charitatis ad promptè & faciliter operandum.* Hæc ille: qui diſput. 79 num. 45. ait, hanc opinionem defendi poſſe; pro qua adduxerat Petrum Bergomenſem in concordantiis locorum S. Thom. dub. 697. qui ſic ait exponendum S. Thom. ne ſibi ſit contrarius. Item idem Pat. Vazquez ea diſput. (quam ipſe citat) 79. num. 48. quaſi ſibi diſplicens in quadam ſolutione, ferè inclinat in hanc ſententiam, quam ipſe deducit ex illo artic. 2 S. Thom. vbi ait S. Doctor, in nobis eſſe habitum charitatis ad promptè, & delectabiliter operandum: ſed non operamur promptè per ſolum habitum per ſe infuſum, vt probatum eſt: ergo eſt charitas acquiſita. Dices ibi agere S. Thom. de charitate, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus noſtris, contra Petrum Lombardum eam negantem. Fateor: ſed etiam dico eum agere de acquiſita: nam agit de charitate neceſſaria ad promptè, & delectabiliter operandum actus ſupernaturales, ad quod requiritur & charitas per ſe infuſa ſine qua non completur potentia, & Charitas acquiſita, ſine qua nec eſt promptitudo, nec delectatio, de quo egi in eum articulum. Quod verò D. Thom. vtrumque habitum vocet Charitatem, ac ſi eſſet vnus, non mirum: nam omnes habitus tendentes in eoſdem actus ſub eadem ratione formali, vno virtutis, aut ſcientiæ nomine appellamus. Vnde non dicimur habere duas fides: ſed duos habitus fidei, alterum infuſum, naturalem alterum, & illa diſputatione 79. cap. 10. adducit P. Vazquez plures, & graues authores, qui hanc ſententiam non leuiter inſinuant.

§. 81. Obiicis primò, implicare habitus ſupernaturales acquiſitos. Cur? nam de ratione entis ſupernaturalis vt ſic tantum eſt eſſe ſupra omnem naturam, non tamen eſt non produci à nobis; cum & actus producantur, quia ergo illa qualitas per ſe pendet à principio ſupernaturali, ideo eſt ſupernaturalis; & quia nos diſponit ad promptè operandum eſt habitus.

§. 82. Obiicis ſecundò, fore in nobis duas Charitates, & Spes duas. Reſpondeo, fore quidem duos habitus Charitatis non duas Charitates, quia Charitas, & cætera nomina virtutum ſignificant collectionem habituum omnium tendentium ad eamdem rationem formalem obiectiuam. Virtus autem ſupernaturalis ſtat pro infuſa per ſe, & non pro acquiſita. Dicendum tamen eſt, eos habitus non poſſe eſſe ex natura rei. Vnicum fundamentum, quia Theologi vix illorum meminere. Ad argumentum reſpondetur, Deum non concurrere ad illorum productionem, quia illorum effectus præſtatur per habitus naturales, præbentes facilitatem circa idem obiectum.

DISPVTATIO XVII.

De potentijs ſenſitiuis.

NON ſunt repetenda quæ d. 4. dixi de potentiis vitalibus, & d. 12. de ſpeciebus impreſſis. Potentia ſenſitiua eſt, *quæ efficit, & recipit ſimul cognitionem, vel appetitionem materialem.* Vocatur *ſenſitiua*, quia & percipit ſuum obiectum, & illud quaſi palpat, & digito commonſtrat. Vnde tranſlata ſunt verba *ſentio* & *ſententia* ad actus vitales ſpirituales. Potentiæ vitales materiales diuiduntur in externas, & internas. Hæ ſunt, *quæ reſident quaſi in centro viuentis*; illæ autem *reſident in extremis viuentis partibus*, vt viſus, guſtus, &c. Tactus autem, licet etiam reſideat in partibus internis, numeratur tamen inter potentias externas, quia per totam cutem diffuſus. §. 1.

SECTIO I.

Vtrum aliquis ſenſus percipere poſſit obiecta ſpiritualia?

TAm altè inſidet mortalibus omnibus, obiecta ſpiritualia non poſſe percipi per potentiam materialem, vt videatur cum lacte ex ipſis naturæ fontibus hauſtum: ratio eſt difficilis redditu. Nam obiecta ex ſe à materia abſtracta percipi à brutis per ſpecies inſenſatas, multi docent, opinantes ab eis percipi timorem, inimicitiam, & amicitiam. Secundò, in multorum ſententia phantaſia concurrit actiuè ad ſpeciem ſpiritualem impreſſam. Tertiò, obiecta ſupernaturalia percipiuntur intellectu naturali: ergo ſpiritualia ſenſu materiali. Quartò, quia ſaltem non oſtenditur id per potentiam abſolutam repugnare. §. 2.

Dico primò. *Etiam diuinitus repugnat per noſtros ſenſus percipi ſpirituale obiectum*, quia obiectum illi adæquatum eſt materiale, vt experientia patet: ſed potentia non poteſt eleuari ad obiectum non contentum ſub adæquato: ergo. Dices ſenſuum externorum obiectum eſſe materiale, non verò internorum, qui efficiunt ſpecies perfectiores. Contra, quia ſenſui repugnat diſcurſus (vt mox probo) illa autem ſpecies eſſet diſcurſiua. §. 3.

Dices ſecundò, poſſe eleuari potentiam actiuam ad effectum extra ſuam ſphæram: & intellectum ad viſionem Dei: ergo & ſenſus ad obiecta ſpiritualia. Diſtinguo conſequens: ad ea efficienda, concedo conſequentiam: quod probat prima ratio: nego tamen ad videnda. Ad ſecundam probationem reſpondeo, intellectum eſſe ſpiritualem: & Deum eſſe naturaliter obiectum illius: viſio autem non eſt de obiecto improportionato: ſed eſt modo intellectui ex ſe improportionato: in quo ſenſu fortè poteſt eſſe ſupernaturalis viſio lucis. §. 4.

Dico ſecundò. *Repugnat cuiuis potentiæ materiali cognitio de obiecto ſpirituali.* Probationi præmitto, nulli ſenſui conuenire poſſe diſcurſum; quia diſcurſum ſequitur libertas; at nullus appetitus ſenſitiuus vti poteſt libertate, ergo nec ſenſus diſcurſu. Maior videtur certa, quia per diſcurſum conferuntur, & expenduntur obiecta. Minor eſt notior, quia iam ille appetitus eſſet rationalis, & poſſet ratione vti. Item bonitatis, & malitiæ eſſet capax: vt §. 5.

enim ſenſus perciperet ſpiritualia,ſic & honeſtum, ac turpe:quod appetitus proſequitur etiam amore, vel odio. Hæc autem repugnant principio materiali: cum quo formaliter neque amicitiæ, neque inimicitiæ exerceri poſſunt à Deo. Vnde conſtat, ſenſum materialem habiturum immediatam cognitionem de re ſpirituali, ſi quam haberet:ſed neque immediatam habere poteſt:ergo nullam: probo minorem,quia ille ſenſus eſſet eſſentialiter perfectior intellectu: quod repugnat ex terminis non minus,quàm intellectum humanum eſſe Angelico nobiliorem, quia ſummæ proprietates ordinis inferioris non attingunt infimam perfectionem ſuperioris. Sequela probatur;quia cognitio intuitiua naturalis de obiecto, perfectior eſt ex ſuo genere, quàm abſtractiua. Immo cum talis ſenſus haberet pro obiecto adæquato omne ens, & intuitiuè ferretur in omnem creaturam ſpiritualem, ſatis apparet,quanto eſſet nobilior noſtro intellectu:qui vix efformat conceptum de re ſpirituali.

§. 6. Secundò probatur. Nam ſi quod animal conſtans vna parte ſpirituali,haberet ſenſum capacem obiecti ſpiritualis, item & animal omnino materiale, poſſet ſimilem ſenſum habere:quæ enim homo ſentit,ſentiunt & bruta. Sed bruto omnino repugnat talis ſenſus: ergo & cuiuis animali: probo minorem:tum quia brutum illud eſſet capax rationis,& ineundæ amicitiæ, aut inimicitiæ cum Deo: quia libertatem haberet, quod repugnat apertè creaturæ omnino materiali: tum quia animal ea tantum cognoſcit,quibus eget; at non eget re ſpirituali, nec cum illa poſſet degere: ergo. Ratio à priori videtur eſſe, quia potentiæ materiales ſunt determinatæ ad obiecta certa, nec ſunt vniuerſales, nec eriguntur vltra modum, & obiectum ſibi proportionatum in gradu eſſendi.

Ad primum in §.2.conſtat, & conſtabit ſect.6. de falſitate illius rationis,nec eſt bona conſequentia:quia quæ apprehendit brutum,ſunt materialia. Ad ſecundum, antecedens eſt falſum, & conſequentia mala:quia eſſe inſtrumenta ad nobiliorem effectum non arguit multum perfectionis, arguit autem illud cognitionis genus.

§. 7. Ad tertium, nego conſequentiam: eſt enim intellectus vniuerſalis,& diſcurſiuus,actibúſque imperfectis, & abſtractiuis poteſt attingere ſupernaturalia obiecta. Senſus autem nec diſcurrere poteſt,neque intueri ſpiritualia. Ad quartum propoſita eſt repugnantia: ſi hæc non placet, tu te aliam quærito.

SECTIO II.

De viſu,& viſili.

§. 8. Potentia viſiua,quæ reſidet in oculis,*eſt potentia vitalis, materialis, percipiens ſolum colorem & lucem.* Per ly *materialis* diſtinguitur à potentia ſpirituali: per ly *colorem & lucem* diſtinguitur ab aliis potentiis externis: ab internis autem per ly *ſolum.* Hæc potentia eſt externarum nobiliſſima,philoſophiæ mater:& cæterorum ſenſuum directrix.Nam, quæ non poſſumus tactu, aut guſtu diſcernere, ad viſum tanquam ad lydium lapidem reuocamus. Hic enim difficillimè errat in his, in quibus cæteri ſenſus facilè diluduntur. Vnde dicere conſueuimus, *aliquid videre*, quando ita certo cognoſcimus, vt non poſſit eſſe error: præcipuóſque mentis actus *viſionem* appellamus. Hæc potentia tam chara eſt hominibus, vt illam cæteris præponant: & ſine illa ſe miſeros arbitrentur, vt bonus ille ſenex: *quod mihi poteſt eſſe ſolatium, qui lumen cœli non video?* Quod oritur ex eius obiecti prærogatiua.

Viſus principem tenet in homine locum: nempe mediam faciem: tum vt è loco excelſo omnia proſpectet,& ſpeculetur,ad monendum hominem ea,quæ eminus geruntur; tum ad contemplandos totius orbis globos. Deinde ipſe in eminentiori parte arcis ſit ſecurior: quem frons defendit intra cauernoſas ſuas ſedes, palpebræ ambiunt, vt eum obtegant, ac pili efficiunt ne madeſcant ſudore è capite defluente, & quaſi cohors lancеariorum defendunt ab incurſionibus pulicum,aliarúmque beſtiolarum. Conformatur in globum;quem ſuſtentant duo nerui optici:qui ſunt velut axes è cerebro emiſſi,vt globus ſit in omnem partem verſatilis ad omnia contuenda,& exploranda. §. 9.

Habent oculi ſeptem muſculos motores, tunicas quinque, duos neruos. Muſculi dati ſunt ad motum, quo globus circumferatur,è quibus vnus ſurſum, alius deorſum, duo ad dexteram, læuámque trahunt, alij duo circunferunt globum,ſeptimus ſuſtinet. E tunicis vna vocatur *ſpecularis*, quia ſpeculi in morem effulget. Huic eſt proxima *reticularis*, venulis multis & arteriis intexta,retis exhibet effigiem. Tertia vocatur *vuea*, quia refert vuam. Quarta dicitur *cornea*, quæ refert cornu in laminas tenuiſſimas ſectum. Quinta vocatur *adnata*, ſiue *adhærens*, quia eius beneficio totus conſiſtit oculus. Ex humoribus intimus dicitur *cryſtallinus*, ſeu *glacialis*, quia pelluciditate cryſtallum, ſeu glaciem æmulatur, éſtque aliquantulum mollis; huic proximus eſt *vitreus*, ſeu *albugineus*, quod conſiſtentia, & colore vitro fuſo, ſiue recocto, vel ouo albo ſit ſimilis. Tertius eſt *aqueus* ab aquæ ſimilitudine. §. 10.

Globi centrum obtinet cryſtallinus humor: quem vndique ambit tunica ſpecularis: de quorum compoſitione digni ſunt Pat. Conimbricenſ. qui legantur, propter ſuauitatem elegantiæ, qua res ſingulas minutatim perſequuntur ſecundò de anima, cap.7. quæſt.6. artic.2. Aduerte duos neruos opticos, ſiue viſorios à cerebro in oculos dimitti,tum vt ſpiritus animales,ſenſionis miniſtros, è cerebro traiiciant in oculos, tum vt pro vectura ex oculis referat ad cerebrum rerum viſarum ſimulacra.Hinc eſt oculos vehementer lædi,ſi cerebrum lapide percutiatur:quia ex eius perturbatione plures, aut pauciores ſpiritus animales fluunt in oculos: ſic delyri, & frænetici oculis perturbantur, ebrij autem aut omnino non vident, quia vinum malè digeſtum innumeram excitat multitudinem ſpirituum, & impellit in cerebrum,è quo redeunt ſpiritus propter crapulam malè cocti, & ſic viſionem impediunt, & aliquando efficiunt, vt multa duplicata appareant, vt cum arbitrantur ſe videre plures lucernas ſimul collucentes; aliquando verò ſibi videntur omnia videre circumuolui, ſic & ipſi ad parietes hallucinantur: quam ob cauſam animantia cum ſe magna celeritate in circulos reuoluunt,decidunt in terram: quia cerebro & oculis perturbatis, caput ſuſtinere non poſſunt. Videantur Pat. Conimbricenſ. quæſt.7. vbi probant ſenſionem fieri in humore cryſtallino, & non in neruis viſoriis. Quod probant, quia cum aliquando nerui ſint ſeparatiſſimi,ſi viſio fieret in illis,obiecta viſa apparerent duplicia;quia in vnoquoque neruo diſtincta viſio reſideret. Hæc etiam ſufficiunt noſtro inſtituto:cætera omitto medicis anatomis. §. 11.

Lumen,

§. 12. *Lumen*, quod eſt viſus obiectum, eſt præſtantiſſima qualitas inter omnes materiales non vitales: cui comparatur ipſe Deus. Vnde præſtantia quæque, excellentia, & quæ cætera longo interuallo ſuperant dignitate, vocamus *clara, præclara, illuſtria*, aliiſque nominibus à lumine, & luce ſumptis. A luce vocantur corpora conſpicua, aut tranſparentia, ſeu diaphana. Diaphanum definit Ariſtoteles lib. 2. cap. 6. *quod non per ſe, ſed alieno lumine viſibile eſt*, quod intellige de corpore, quod totum videtur, vt vitrum, aut cryſtallus: ſed non ob innatam ſibi lucem, ſed ob mutuatitiam ab aliis; at verò alia ſunt corpora diaphana, quæ proprio ſplendore collucent, vt Sol, & Ignis. Aër etiam eſt diaphanus; ſed non eſt viſibilis. Vnde melius definies diaphanum *corpus luce penetratum*, ſiue *ſecundum ſe totum luce perfuſum*.

§. 13. Item quædam corpora videntur per ſe tota, quæ vocantur *viſibilia interminata*: quia omnes illorum partes videntur: quædam verò vocantur *viſibilia terminata*, quia tantùm videntur ſecundum vltimos terminos ſuperficiales, vt corpora opaca. Vt verò propriè aliquid videatur, indiget aliqua denſitate: ſi enim ſit prærarum non mouebit viſum: vel propter ſpecierum impreſſarum imbecillitatem, vel potiùs, quia in tanta raritate non habet vim productiuam ſpecierum. Item requiritur obiectum aliquantum à potentia diſtare, vt è certo ſpatio emittat ſpeciem: quod deprehenditur manifeſta experientia: quia non videmus colorem aut lucem ipſis oculis inſidentem. Rationem à priori non video niſi fortè, quia iſtæ potentiæ ſunt determinatæ ad hunc operandi modum, & quæ ſemel requirunt obiectum immediatum, non poſſunt ferri in diſtans: neque item ferri in proximum, quę ſemel feruntur in remotum.

§. 14. Ariſtot. ſic definit colorem: *quod mouet actum perſpicuum*; id eſt, quod per ſpeciem impreſſam diaphanũ corpus immutat. Quæ definitio non admodum placet, tum quia etiã odor mouet perſpicuũ, & cæteræ aliæ qualitates ſimiles: quæ ſpeciem diffundunt, vel ipſæ diffunduntur per corpora perſpicua; tum etiam, quia color (vt mox patebit) etiam mouet aërem non perſpicuum actu. Tandem, quia hac definitione vix poterat quis cognoſcere colorem. Eſt igitur color *qualitas ſecunda, non actiua orta ex temperamento quatuor primarum qualitatum, quæ ſimul cum luce viſu percipitur*. Cui definitioni poteſt obiici circulus, qui committitur in ea, & in definitione potentiæ viſiuæ. Verum vt animaduerti in logica diſput. 5. ſect. 1. correlatiua per circulum definiuntur: qui non eſt vitioſus quando per illum explicatur cuiuſque rei natura. Color autem communiter definitur per ordinem ad viſum, ſic albedo dicitur *diſgregatiua viſus*, & Ariſtot. ait, *color eſt terminus perſpicui in corpore definito*, id eſt, *quod terminat viſionem in vltima ſuperficie: in qua terminatur corpus perſpicuum*. Vel, ſi velis colorem definire, affirma eum eſſe qualitatem ex primis reſultantem ad ſolam corporis pulchritudinem deſeruientem.

§. 15. Colorem non videri ſine luce, patet experientia. Difficultas eſt, vtrum requiratur lux tantum ex parte obiecti? an verò etiam ex parte medij? de quo vide Pat. Conimbricenſ. 2. de anima, cap. 7. quæſt. 4. affirmantes lucem requiri ex parte vtriuſque. Ego tamen cum multis aliis ab eiſdem relatis exiſtimo lucem requiri ſolum ex parte obiecti: nam atra nocte è longiſſimo ſpatio conſpiciuntur ignes: cæleſtes etiam globi è terra caligine conſpiciuntur, qui non poſſunt totum intermedium aërem illuſtrare: ergo lux tantum requiritur ex parte obiecti. Probatur antecedens, tum quia incredibile eſt contra experientiam paruum ignem lucem diffundere per totum aërem: tum quia ſi lux eſſet in illo aëre, conſpiceretur quidquid eſſet in intermedio. Nam per te non poteſt produci ſpecies coloris niſi in corpore actu illuminato: & per te lux, quæ eſt in medio, eſt ſufficiens, vt ſimul cum illius ſpeciebus producatur ſpecies coloris diſtantis, & proximi corpori luminoſo: ergo multo melius erit ſufficiens, vt producatur ſpecies coloris ſibi immediati, qui tunc poterit videri. Vel certè ſi lux intermedia eſt inſufficiens, vt ſimul cum illa color illi immediatus emittat ſpecies, multo magis erit inſufficiens ad ſpeciem coloris remoti. Confirmatur, quo lucidius eſt obiectum remotum, licet medium parum habeat lucis, clarius videtur, quàm intermedia: ſi verò medium ſit valde illuminatum, corpus autem diſtans exigua luce affundatur, tunc aut non videbitur, aut vix apparebit: ſignum eſt ergo lucem tantùm requiri ex parte obiecti. Nam ſi requireretur ex parte medij, non poſſet videri clariſſimè obiectum remotum, niſi medium clariſſima luce eſſet conſpicuum. Ratio eſt, quia lux & color concurrunt ad eamdem numero ſpeciem tamquam cauſæ partiales: quæ ſpecies traiecta per medium etiam tenebroſum ad pupillam, mouet oculos: & obiectum diſtans poteſt terminare cognitionem.

Solus color non poteſt producere ſpeciem: rationem à priori non agnoſco, experientiam video. Lux autem cum ſit admodum actiua, ſola producit ſpeciem ſui, & ſi eſt in ſubiecto denſo, poteſt terminare viſionem. Vnde non immeritò ſolet vocari obiectum formale viſus: non propriè, ſed tranſlatitiè: ipſa enim prius viſa non ducit in viſionem, ſeu notionem coloris; quia vtrumque ex æquo videtur: ſed quia vt obiectum formale cognoſcitur ſine dependentia à materiali: hoc verò cum dependentia à formali: ita lux poteſt videri ſine colore: hic verò ſine luce non ita. Porrò autem ſi color propriam ſpeciem haberet, non video cur non ſentiretur ſolus? Quod ſi mauis illum habere ſpeciem propriam, inſufficientem tamen ad mouendum viſum ſine ſpecie lucis, non diſſentiam, ſi mihi reſponderis, cur omnes colores intermedij non videantur producta ſemel in oculo ſpecie alicuius lucis diſtantis? Præſertim in ſententia aſſerentium intermedium aërem luce perfundi: in mea autem ſententia id apertè exponitur: quia nimirum non coniungitur lux cum coloribus intermediis ad producendam ſpeciem; ſed tantum cum coloribus quos affundit: quapropter lux & albedo eodem actu videntur, diſtincto ſpecie à viſione lucis, & nigredinis: quia lux cum diuerſis ſpecie coloribus producit ſpecies, actúſque diuerſos. §. 16.

Rogas; ſit ne color eſſentialiter diſtinctus à luce? qua de re vide Pat. Conimbr. quæſt. 2. Et quidem rectè diſtinguunt duos colores: apparentem alterum, alterum verum: primus eſt eiuſdem naturæ cum luce, vt ſæpe videtur in ceruice columbæ, aut in iride: quod apparet, quia iris cum ſit materię raræ, eſt incapax veri coloris; ceruix autem columbæ aliquandò viridis, aliquandò flaua, quandoque aurea conſpicitur: ſi è diuerſis locis eam intuearis: quia ſpecies lucis exiſtentis in plumis diuerſimodè eam apparere facit: cuius ſignũ eſt colũbam à ſole amotam videri cum natiuo tantum colore. Color verus eſt qualitas diſtincta à luce: tum quia albedo, maximè §. 17.

maximè cum eſt intenſa, videretur in obſcuro, ſicut videtur exigua admodum lux:qualis eſt in oculis felinis,& in nonnullis vermiculis: tum quia ſæpe lux interna eſt remiſſa, color autem intenſus. Tandem, quia homo ad lucem colores mutat, & ipſis ſolaribus radiis nigreſcit, cum potius deberet flaueſcere.

§. 18. Albedo viſum diſgregat diſſipando in oculis ſpiritus ſenſorios: ſic oculi langueſcunt,niuem intuentes, aut ſoli ſubfixi: nigredo autem congregat viſum. Quapropter qui volunt in aëre dignoſcere exiguam pluuiam, oculos figunt in obſcuram feneſtram; & qui volunt attentè videre,claudunt oculos aliquantulum. Immo verò oculi prominentes facile hebeſcunt: ſecus incluſi & parui. Rationem reddunt Pat. Conimbr. quia albedo accedit ad lucem, quæ per calorem oculos rarefacit, & diſſipat ſpiritus. Sed ego non video, cur niualis albedo etiam diſgreget viſum, cum oculi niuem intuentes frigeſcant, & aliquando è propria ſede frigoris inclementia pellantur;ergo non prouenit è calore: ſicut nec prouenit à frigore, quod nigredo congreget viſum, nec video rationem vllam à priori.

§. 19. Viſionem fieri per extramiſſionem, id eſt,emiſſis radiis ab oculis in obiectum, neſcio qui ſomniarunt,adducti,& confutati à Collegio Conimb. ſupra quæſt. 5. nam obiectum non illuminatur à potentia,ſed potius hæc ab illo mouetur per ſimulacra ab illo emiſſa, eſt enim proprium potentiæ cognoſcētis ad ſe obiectum trahere per ſpecies, neque opus eſſet lumine in obiecto; ſed in ſola potentia: nec viderentur obiecta diſtantia, quin viderentur propinquiora,quia ab oculis prius peruenirent radij in colorem proximum, quàm in remotum.

§. 20. Sed cur virga in aqua ſemidemerſa repræſentatur vt inflexa, cum ſit recta? Sed etiam ego rogo, cur ita fiat per extramiſſionem? iam oſtendi alibi, ſpecies partis virgæ eminentis diuerſa linea tendere in oculos,ac ſpecies partis immerſæ.

SECTIO III.

De auditu,& audibili.

§. 21. AVditus eſt *potentia ſenſitiua ſolum percipiens ſonum.* Hæc potentia poſt viſum eſt dignitate ſecunda. Vocatur *diſciplina mater*,quia de magiſtro diſcimus per auditum, per quem ſe inſinuant in hominem initia iuſtitiæ. Eſt enim fides ex auditu: immo verò tota ciuilis vita vno auditu conſiſtit. Oratio enim,& tota dicendi facultas præcipuè obſeruit auditui: licet enim per viſum mentem aliquando pertingat,id fit magna cum defatigatione, & prolixitate; ſublato enim è medio auditu, qui poſſent homines regi?Aut qui poſſet imperator totum exercitum inſtruere?aut iudex callere cauſam? aut mercator negociari? aut confabulari amici? & licet hic ſenſus ſit viſu ignobilior, eſt tamen vtilior, & aptior rebus gerendis. Nam cæcus poteſt vitam politicam agere;non tamen ſurdus.

§. 22. Auditus continetur poſt aures: quas natura effecit cartilaginoſas,& concauas,nec omnino molles:nec duras omnino: ne aut duritie frangantur, aut mollitie non reddant ſonos. Compinguntur ad modum labyrinthi:ne externi inimici patentem inueniant aditum:ipſúmque foramen oblinitur liquido humore: vt muſcæ, aliæque beſtiolæ quaſi viſco capiantur. Concauitas deſeruit, vt ſpecies ſoni ibi refrangātur:influántque in animum, quaſi cateruatim; ſúntque plures anfractus (vt aër frigidus, qui eſt auditui inimiciſſimus) commeans in auditum, tepeſcat aliquantulum. Intra foramen continetur tympanum, id eſt quædam membrana complectens tranſuerſim quandam partem orbicularem cauitatis, in qua membrana fit ſonitus ille ſimilis ſonitui campanarum pulſu relicto. Hæc membrana ſtabilitur tribus oſſiculis. Primum refert figuram incudis, innixæ duobus pedunculis. Secundum refert malleoli figuram. Tertium ſtapedis. Intra ipſam membranam continetur quidam aër innatus,ſic velatus,vel ne effugiat,aut diffluat,aut vehementi fragore ſoluatur. Tympanum adfixum eſt cuidam neruo,per quem ſimulacra ſoni deferuntur ad cerebrum, indéque ſpiritus animales ad auditum deuehuntur:ſenſatio fit in quadam parte vitali,quam *aëream* vocant, quæ aptior eſt ad perceptionem ſoni efformandam:quia ſonus præcipuè ſuſcipitur in aëre: ob cuius vicinitatem illa pars auditus vocatur *aërea*. Vide Pat.Conimb. 2.de anima,cap.8.q.4.

Sonus eſt *qualitas producta conſequenter ad motum,quo aër corpore duro verberatur, & cum ipſo motu fluit.* Dixi eſſe *productam conſequenter ad motum*:tum vt illam à motu diſtinguam, tum etiam vt illam diſtinguam ab immediato termino producto per motum,qui eſt vbicatio. Addidi, *corpore duro*,vt ſignificem,corpus debere eſſe tale, vt eius colliſione aër quaſi frangatur.Item addidi,*quo aër verberatur.* Exiſtimo enim ſolum aërem eſſe capacem ſoni. Experimur enim ſonum aqua impediri:aures enim aqua obturatæ non audiunt,(quamuis refragari videtur Ariſtot.2. de anima, cap.8.)neque motus piſcium intra aquam, ſentitur ab his, qui ſunt extra illam:neque exiſtimo eam eſſe capacem ſpecierum ſoni ob rationem dictam: tum etiam, quia ſiquis caput demergat in aquam, non audiet clangorem buccinæ, illi proximè concrepantis:audiret autem ſi aqua eſſet capax ſpecierū ſoni:ſicut intra aquam videmus,quia tota perfunditur ſpecie viſuali. §. 23.

Dices primò,aliquando audiri motus ſaxorum, quæ torrente rapiuntur. Sed ſi id contingit aliquando,erit propter incluſum aërem, qui è poris terræ extrahitur violento ſaxorum motu: qui aër ex fluctibus euadens viam aperit vt ſentiatur ſonus. Dices ſecundò,piſces intra aquam audire:tum quia piſcatores ſpectatoribus ſilentium indicunt: tum quia è portubus,vbi crebro bombardę diſploduntur, terrentur piſces. Sed ego exiſtimo piſces non audire,niſi emerſo capite,vt delphini,qui muſica mulcentur: at verò piſcatores ſilentium indicunt,vel quia ſunt idiotæ, exiſtimantes aquam eſſe medium aptum ad deferendam ſpeciem ſoni: vel quia ſpectatores, actione comitantur vocem, & actione viſa terrerentur piſces: è portubus autem fugiunt territi vel fumo & igne viſis:vel terræmotu: concutitur enim terra bombardarum ictu, & impetu. Quod ſi aliquando terrentur ſolo ictu lapidis & ferri:arbitror id fieri non quod percipiant ſonum:ſed quia vident actionem aliquam: vel ictu leuiter pulſatur aqua,qua ſenſa diffugiunt. Nec id faciunt quantumcumque conclament piſcatores; fugiunt tamen vel leuiſſima actione. Itaque ſi aqua eſſet apta ſpeciebus ſoni, ſicut eſt luci & ſpeciebus coloris:in illa audiremus,vt videmus: & vt id piſces efficiunt, licet non tam perfectè. Ratio videtur eſſe defectus duritiei. Quo enim corpora ſunt duriora, melius refrangunt ſonos,vt metalla: quo autem molliora,minus ſonant.Eſt enim duritíes diſpoſitio,ſicut pelluciditas ad viſum. §. 24.

Proba

§. 25. Probatur vltimò hæc ſententia: quia experimur quodlibet corpus impedire auditum. Feneſtræ enim vitreæ ſunt in cauſa, vt vix ſentiatur vehemens populi conclamatio; quia vitrum aut nullos, aut exiguos habet poros: quibus aër deferatur. Præterea goſſipium, aut digitus appoſitus in foramine aurium, ſi omnino impediunt aëris commercium, impediunt etiam omnino perceptionem ſoni: è contra verò ligna ſonos vix impediunt, ſed potius augent propter multum aërem, quem poris includunt: in quo reſonant fragores.

§. 26. Aëris diuerberatio debet eſſe talis, vt ea aër quaſi frangatur, & corpora collidantur antequam aër diffugiat: alioquin parum, aut nihil ſonabit. Quapropter inſtrumenta muſica ſunt cauſa concentus, quia aër cauitate incluſus, antequam fugiat, ſæpius frangitur. Tintinnabula autem, campanæ, & fornices ædificiorum ſonant vehementius, & diutius: quia tranſacto primo ictu aër intra illorum cauitatem mouetur, ſicque diu tinniunt campanæ.

Dixi *ſonum fluere cum motu:* non quia ſonus ſit ſucceſſiuus, ſed quia facilè euaneſcit, ſicut impetus impreſſus. Nam ſentimus ſonum paulò poſtquam tranſactus eſt ictus, vt in tonitruis: & cum quis percutit extremam trabem, tranſacta percuſſione, ſi aures affigas alteri extremo, ſonum percipes: quia qualitas illa permeans per poros trabeos ſpecies immittit. Neque crediderim omnes ſpecies impreſſas ſoni ſucceſſiuè deferri. Nam voces humanæ ſentiuntur eodem tempore, quo proferuntur. Per hanc qualitatem ſoni poſſumus dicere ſacramenta cauſare phyſicè gratiam in vltimo inſtanti, in quo incipiunt non eſſe: & licet tunc non ſit formaliter totum Sacramentum, eſt tamen & punctum indiuiſibile illius, & eſt etiam qualitas per illud producta, & ſicut dicitur campana ſonare, quia ex illius pulſu efficitur ſonus, ſic poſſunt dici Sacramenta phyſicè influere in gratiam per ſonum ab ipſis relictum, qui fuit Sacramentorum pars. Sacramenta enim conſtant verbis: verba autem ſunt ſonus quidam. Iam dixi diſp. 12. ſonum non deferri neceſſariò phyſicè per totum aërem vſque ad aures: cum verò phyſicè aures pertingit, illas torquet, & excruciat, quia aër agitatione tympanum pulſat; quod ſi impetus ſit vehemens, tympano rupto parit ſurditatem.

§. 27. Rogas, cur non audiatur ſonus cum primum fit, vt videtur lux? Reſpondeo, ſonum percipi eodem inſtanti quo fit, non ſecus ac lux. Quia verò lux fit independenter à motu locali; ideo citius videtur. Sonus autem fit per indiuiſibilia motus: id eſt, cum terminatur aliqua pars motus, tunc producitur ſonus: pendet enim ab aërea agitatione: motus autem ſucceſſiuè fit: tandiúque durat, quandiu agitatur aër, vt patet in campana tinniente.

§. 28. Inter ſonos vox eſt præſtantiſſimum obiectum auditus: eſt autem vox *ictus aëris reſpiratione attracti cum quadam imaginatione. Ictum* dixi, pro qualitate ex ictu reſultante. Ad quod aduerte, pulmones eſſe molles ſicut ſpongiam, vt facilè compreſſi, & dilatati, ſicut folles quidam, aërem excipiant, atque remittant. Ad quod munus ſunt in animali quidam gurguliones: altero defertur cibus, & potus in ſtomachum: altero aër in pulmones. Per hunc ſecundum meatum nihil potus, aut cibi poteſt tranſmeare. Impeditur enim quadam quaſi portula, illam viam occludente: quæ paululum erigitur ſupra gurgulionem ſtomachalem: qui quaſi contrahitur ad recipiendum cibum. Hinc oritur hominem tuſſire, & quaſi ſuffocari, ſi in gurgulionem pulmonum, vel guttula cadat aquæ, aut pilus hæreat. Hiſpanè autem dicimus *diole ne el gallillo.* Quia tuſſis illa refert aliquantulum gallum: dum autem rheumata per hanc viam è capite effluunt, vel hominem apoplexia ſuffocant, vel phtyſica paulatim occidunt. Hoc gurgulione dupliciter emittitur aër. Primò reſpirando: & ſonus hinc ortus non vocatur *vox*, ſed *reſpiratio*, aut *halitus*. Secundò ad exprimendam ſenſionem aliquam, & ſic peculiari quadam ratione emittitur: qui ſonus vocatur *vox*. In ore propter illius cauitatem, lingua, & dentibus aër interſecatur. Vnde ſine lingua non poſſumus loqui, & ægrè ſine dentibus: diffluit enim aër vix percuſſus & non fractus per illorum foramina: labia autem deſeruiunt rectæ prolationi, quod ſi aer ad cauitates naſi diffugiat, tunc homines quaſi voces efformant duplices: alteræ ore, alteræ videntur per naſum dimitti, hos Hiſpani *gangoſos* vocant.

SECTIO IV.

De olfactu, & odore.

Olfactus eſt *ſenſus percipiens ſolum odorem*, cuius ſedes eſt ſub naribus, latétque clauſus duobus oſtiolis, quæ aſpiratione per nares aperiuntur: ſunt enim attigua partibus inferioribus, & cum aër trahitur quaſi repens per partes inferiores narium, paululum attollit oſtiola. Hoc eſt in cauſa, cur reſpiratione non olfaciamus: quia aër emiſſus per nares, comprimit oſtiola, ſupra quæ euolans odor non ſentitur: hinc eſt aliquando non ſentiri odorem, licet eius ſpecies ſint in naribus, quia non attolluntur oſtiola. Aſpiratione autem ſentimus odores: quos vt bene percipiamus, ſolemus dilatato naſo aſpirationem protendere: canes autem odore tacti, frequenter aſpirant ad veſtigia ferarum. Hic ſenſus eſt cerebri miniſter. Quapropter in illud ducuntur duo foramina valde caua, per quæ deferantur odoriferæ exhalationes, quæ cerebrum recreant non ſolum odore, ſed per alias qualitates: hinc homines ſemianimes reuiuiſcunt, & res odoriferæ curant animæ deliquia. Item hæc eſt cauſa, cur fœtor hominem enecet, quia per illa foramina commeant in cerebrum fœtoſæ exhalationes: quæ putridis qualitatibus cerebrum putrefaciunt: ſic crudeliſſimæ cenſentur neces è fœtoribus. §. 29.

Naſus ſeruit tum pulchritudini, tum etiam aëris tractioni, & expulſioni: quo cerebrum recreatur, & pulmones refrigeſcunt. Item inſeruit mucoſæ pituitæ expellendæ. Vnde omnia recrementa capitis, & cerebri quadam quaſi eluuie fluunt per nares: & qui ſunt latis naribus valent capite, pollentque ingenio: qui verò earum meatus habent anguſtos capite laborant, & alios laborare faciunt perpetuo pedore, ex rheumatum eluuie non effluentium afflatu; ſicque ſolent eſſe rudiores. Rheumata enim non purgata mentem hebetant. Oſtia illa ſunt ea in parte, quæ tegitur caruncula mamillaribus; id eſt in ſpatio attiguo cauitati oculorum in parte inferiore. Hæc caruncula *mamillaris* vocatur à *mamilla*, cuius figuram refert. Videtur enim quoddam quaſi tuberculum. Vnde licet extremus naſus præcidatur, non tollitur olfactus; ſecus tamen ſi nares per ſuperiores partes reſecentur: quia organum facile læderetur aere. Noſter olfactus hebetior eſt quàm aliquorum brutorum, è quibus qui longioribus ſunt naribus, eo ſunt ſagaciora. Nullo argumento deprehendimus rem eſſe ſtomacho vtilem, aut noxiam, quàm odore, quapropter natura nares conſtituit oris quaſi cuſtodes, vt nihil inferatur in §. 30.

guſtum non exploratum per olfactum. Ariſtot. ait in problematis homines pollentes acri olfactu eſſe ingenio rudi: vulgo tamen homines aſtutos, & callidos vocamus *naſutos*, & prudentem rerum indagationem per olfactum exponimus: forte quia olfactus abditos odores pandit: cui nihil videtur eſſe occultum.

§.32. Odor eſt *qualitas ex temperatione primarum orta in humido, ſiccitate & calore dominante*: nulli elemento in ſua ſinceritate ineſt odor:ſicut nec color:ſic ſunt aquæ ſalubriores, & dulciores, quo ſunt harum qualitatum expertiores; ſiccitatem plurimum conferre ad odorem, patet, quia flores, & alia odorem emittunt, cum penitus exſiccantur: quod verò ſiccitas prædominetur patet,tum quia pituita,aliique humores præpediunt olfactum, tum quia hyeme minus olent vina, & aromata, & tempore verno ſentitur hortorum odor:ſi tamen pluat, parum aut nihil ſentitur: item calor debet eſſe, qui odoriferæ rei poros patefaciat. E contra verò fætor dominatur in humida. Aqua enim plurimum fœtet,torquetque nares:eaque propter inter recrementa humana fætidiſſimum eſt vrina.Diſcrimen non eſt facile:ſit tamen hoc: ſuaueolentia eſt maximum integritatis, & ſalubritatis ſignum: quia oritur ex optima temperatura. Quapropter odore trahimur ad veſcendum cibis, hauriendaque vina: putredo autem oritur ex corruptione: nihil enim adeo ſtomachus horret quàm fætidos cibos: quia verò humiditas eſt cauſa corruptionis; ſiccitas autem temperata, & calor ſunt cauſa ſalutis: ideo temperata ſiccitas cum calore eſt cauſa odoris: humiditas autem & calor ſunt cauſa fætoris.

§.33. Odorum differentias magis ignoramus, quam cognoſcimus propter hebetudinem huius ſenſus. Diffunditur odor ipſe per aliquod ſpatium, quando corpora intermedia ſunt apta: aliquando verò exhalantur fumeæ quædam exhalationes,in quibus continetur odor: ſic ſuccinum præparatum relinquit odorem in cubili: quod ſentitur longo interuallo poſtquam amotum eſt ſuccinum: nec verò ſuccinum continuo exhalatur: alioquin non duraret tamdiu. Aquæ verò ex herbis igne ſtillatæ exhalant tenues vapores odoriferos: qui euaneſcunt, ac reſoluuntur, niſi obturentur foramina vaſorum, quibus continentur.

§.34. Ariſtoteles, P. Conimbr. & alij cenſent piſces olfacere: quia pereunt quando res fætidæ coniiciuntur in aquam:ſed id poſſet prouenire à nociuis qualitatibus rei fætidæ, nam actus intentionales non occidunt: nec odor eſt actiuus necis: ſed corpora graueolentia interimunt hominem, vt nauſeat ſtomachus viſo obiecto fœdo: non quod viſio fœditatis noceat. Maius argumentum eſt,piſces inſequi alios tractos illorum fragrantia,ſiquidē piſcis cæcus os aperit,vt in illud ſe piſces coniiciant odore tracti; poſtea verò monetur ab alio piſciculo vt comprimat eos, piſceſque opprimat: qui id præſtans, & gratiam referens, partitur cum ſocio prædam. Sic ille Græcus dux emblematum pinxit piſcem multicaudum, vulgo *Polypum*, odore poſt ſe rapientem piſces innumeros, cum hoc elogio, *ſic nos tua virtus?*

SECTIO V.

De guſtu, & tactu.

§.35. GVſtus eſt *ſenſus ſolos percipiens ſapores*: hic reſidet in lingua: perfectior autem in illius extrema cuſpide;ſic enim cum volumus ſuaue aliquid prægustare,illud attingimus extrema lingua:& qui ſæpe oblectantur, reuoluunt cibum ſupra illam; qui verò nolunt guſtare, traiiciunt cibum confeſtim ad palatum.Cui hæreſcunt linguæ radices cum duabus glandulis ſaliuæ officinis:quæ quia craſſiores ſunt, ita habent guſtum hebetiorem. Hic ſenſus eſt in homine perfectus, & quia eſt quædam ſpecies tactus, homines ita rapit, vt apertè fateantur ſe non quærere niſi victui neceſſaria. Hinc oriuntur tot ciborum condimenta, turpium voluptatum fontes. Sapor eſt *qualitas ex primarum temperamento orta ex mixtione partis ſiccæ, & terrenæ*:ſiue eſt *affectio in humido aqueo facta: à ſicco terreſtri calore decoquente*. Vide Conimb.c.10.

Tactus eſt *ſenſus per totum corpus diffuſus varia ſentiens obiecta*. Porro eum diffundi toto corpore patet, cum nulla eius pars non percipiat tactum. Hic ſenſus eſt omnium hebetiſſimus; ſed qui maximè omnium delectat: cuius actu infinita hominum,ac mulierum multitudo,ſe veneri dedentium, quotidie in tartara detruditur. Hic bellum infert menti tam exitiale, vt teſte Auguſtino, *continua ſit pugna & rara victoria*. Huius ſedes eſt caro,ac præſertim nerui, omnéſque partes,quæ ſunt neruis refertæ: hinc in extremis manibus, & pedibus, & in tibiis acriter dolemus propter neruorum multitudinem: oſſa non ſentiunt, neque ſanguis. Huius obiectum ſunt quatuor primæ qualitates, item aſperitas & ſuauitas: durities & mollitudo. His de rebus dicta ſint ſatis. Præter hos ſenſus nullum alium eſſe externum,patet experientia,quia nullum cognoſcimus actum alterius potentiæ cognoſcitiuæ exterioris. §.36.

De guſtu, & tactu non poteſt dici, *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non poteſt ſentiri*:quia hi ſenſus non poſſunt percipere niſi tangendo obiecta. Item læduntur ſenſus à ſenſibili vehementi: non per ſpecies,& actiones intentionales, ſed per phyſicas: vt viſus vehementi luce,nimij caloris oculum lædentis genitrice: auditus nimia aëris commotione: olfactus nimio fætore,tactus calore,frigore,&c. §.37.

Senſus externi ex natura ſua feruntur in obiectum præſens exiſtens: quia ſpecies ab eo pendent, quæ poſſunt à Deo conſeruari ſine obiecto; & illud repræſentare vt præſens, vt per manna effecit Hebræis: quibus cibus ille ſapiebat, quæ illis libebat obiecta. §.38.

Item ſenſus decipi non poteſt circa ſenſibile in genere: quia viſus neceſſariò videt lucem & colorem:& guſtus percipit ſaporem:at verò circa obiecta in ſpecie patiuntur errorem propter ſpecierum defectum,aut organorum: ſicut album videtur eſſe fuſcum, & ebrius cenſet ſe videre plures lucernas: nec verò propriè eſt in ſenſu error, ſed ſic vocatur, quia intellectum in errorem inducit. Nec ſenſus vllus externus percipit ſuas ſenſationes, & operationes: quia non continentur ſub ſuo adæquato obiecto, neque ſenſus ſunt reflexiui: ſed nos intellectu cognoſcimus ſenſiones: bruta autem tantum experiuntur obiecta: non verò ſenſiones. §.39.

SECTIO VI.

Monſtratur ſenſus internus.

PRæter ſenſus externos eſſe aliquem internum probant primò Anatomi: quia cernuntur ex oculis,auribus,naribus, & lingua nerui ad cerebrū porrecti: quibus ſenſorum imagines vehuntur ad cerebrum. §.40.

cerebrum. Secundò bruta cognoſcunt res abſentes: ergo per aliquem ſenſum à cæteris diſtinctum: antecedens eſt ſine dubio: canis enim petit locum, in quo vidit equum mortuum: ac repetit locum, in quo catulos reliquit: multaque efficiunt, quæ non poſſent ſine cognitione rei abſentis. Conſequentia patet, quia ſenſus externi non mouentur niſi præſente obiecto. Quapropter extimam tenent corporis partem, vt inde venentur rerum ſimulacra. Deinde experientia docemur, nihil abſens videri, olfieri, guſtari, audiri, aut tangi: ſed ad eas functiones opus eſt præſentia obiecti. Tertiò idem probat memoria brutorum, quæ eſt de re præterita: canes geſtiunt cauda viſo domino, cuius beneficia recordantur. Audiui etiam, canem irruiſſe in ferrarium fabrum, quod ab eo multos ante dies eſſet illuſus, iacto, & deuorato ferro candenti pro oſſe; & in prima Belgarum rebellione, Belgæ obſeſſi ab Hiſpanis, filo ligabant chartas ad alas columbarum quas aſportauerant ex aliis vrbibus, quæ dimiſſæ, ac propria columbaria repetentes, tabellariam egerunt: donec ab Hiſpanis, ſtratagema monitis, ſclopetis periere.

§. 40. Huius ſenſus obiectum ſunt omnia obiecta ſenſuum externorum: tum quia ex neruorum ſtructura ex illis ad cerebrum id colligitur: tum quia bruta meminere obiecta prius ſenſa: canis enim quærit equum, quem prius guſtauerat: & repetit filios, quos videt à ſe editos, & geſtit hero, priùs viſo: fugitque hominem, cuius ſenſit maleficium. Tandem quia ſæpe oritur pugna inter obiecta ſenſuum externorum: catus enim olfacit carnes in ius demerſas: tactu verò ſentit calorem iuris: neque audet illum aggredi: cum igitur hinc carnes alliciant miſerum catum, hinc eumdem terreat calor, ad quem iudicem ſpectabit litis huius compoſitio, niſi ad ſenſum communem? Dices, vincere ſenſum, qui fortius apprehendit, quia tunc illo mouetur appetitus. Contra, demus ſenſus æqualiter percipere ſua obiecta, vter vincet? Deinde appetitus vnus non poteſt immediatè moueri per tot ſenſus: quia non poteſt tam longè, latéque patere quàm ſenſus, maximè tactus: tum quia vnus appetitus vna regitur potentia ſentiente; tandem quia ſæpe appetitus præfert bonum abſens præſenti, vt cum canis repetit herum, ſpreto homine à quo tunc obiecto pane mulcetur: ergo ille appetitus non mouetur ſenſu externo: ſed interno, quem *communem* vocant communiter, quia illi ſunt communia, particularia omnia obiecta externorum.

SECTIO VII.

Vtrum ſenſus communis diſtinguatur à phantaſia?

§. 41. PHantaſia, ſeu imaginatio, eſt *ſenſus internus conſeruans phantaſmata, ſeu imagines rerum perceptibilium ſenſu externo*: eſt autem phantaſma *imago* ſeu *ſpecies rei corporeæ, perceptæ ſenſu externo*. Quapropter ſpectra *phantaſma* vocantur: id eſt imago alicuius rei metum iniicientis. Habet obiectum idem, quod communis ſenſus: ſed cum diſcrimine: ſenſus enim communis percipit obiecta præſentia, ac ſpecialiter illis immutatur; phantaſia verò eadem percipit abſentia. Sic diſtinguuntur realiter à S. Thom. 1. part. quæſtione 78. a. 4. cum Auicenna ab eodem adducto. Nam eadem potentia non recipit ſpecies & conſeruat, ſed vna recipit, & alia conſeruat. Nam recipit potentia humida: conſeruat autem ſicca: ita videmus homines faciles in acquirendis ſpeciebus, eſſe difficiles in eiſdem conſeruandis.

§. 42. P. Conimbric. 3. de anima cap. 5. cum P. Fonſeca non diſtinguunt eas potentias. Et rectè: primò, quia ſenſus communis mouetur abſente obiecto: & aliquando retinet ſpecies: ergo eſt imaginatio: patet ex definitione imaginationis: antecedens probo, quia homines faciles in mandandis memoriæ multis obiectis, ea repetunt, & meminere aliquandiu poſtquam ea mandarunt; licet non diu: ergo illa pars quæ præ humiditate facilè admiſit ſpecies, eadem eas conſeruat. Dices, eas conſeruari à phantaſia. Contra: quia phantaſia per te habet ſiccitatem ineptam facili receptioni ſpecierum, & aptam diuturnæ retentioni: ſed illa fuit facilis receptio, & difficilis conſeruatio: ergo non fuit actus potentiæ difficilè recipientis, & diu conſeruantis. Aduerte, homines memoriæ facilis non obliuiſci obiecta, cum primum amouentur à ſenſu, ſed ea retinere aliquandiu: quod experientia patet. Vnde concluditur ſenſum communem & conſeruare ſpecies, & illis moueri abſente obiecto, quæ ſunt munera phantaſiæ, vel diſtinguendas duas phantaſias, alteram facilis receptionis & difficilis retentionis; alteram facilis retentionis & difficilis receptionis.

§. 43. Secundo argumento præmitto, quod vulgo cernitur quotidie, homines nonnullos adeo eſſe memores, vt quæ ſemel audiunt, vel ſcribunt, diu retineant. Vidi fœminam ſemel audientem librum carminum Hiſpanorum, quæ poſt multos menſes integra folia recitabat hinc inde, ex diuerſis voluminis partibus: item & puerum, qui integram à ſe confectã declamationem, ita percepit ſola ſcriptione, vt è veſtigio poſt vltimũ characterem integram & recitauerit, & retinuerit diu. Immo Alfonſus Toſtatus cum Maſſiliæ integrum librum bis legiſſet, eumdem ſcripſit in Hiſpania verbum pro verbo; tunc ſic, iſti actus vel ſunt ſenſus communis, vel phantaſiæ. Si primum habeo intentum, ſcilicet ſenſum communem moueri abſente obiecto, retenta eius ſpecie, nec ad hoc exigi phantaſiam ab eo diſtinctam: ſi autem ſunt actus phantaſiæ: ergo eadem numero potentia recipit facilè, & conſeruat ſpecies: ergo ad hoc non requiritur alia: nam ſicut vni eſt poſſibilis ea temperies humorum, qua præſtetur vtrumque, cur & alij non erit poſſibilis?

§. 44. Tertiò probatur, quia ſæpe brutum inter obiectum abſens, & præſens diſcernit, præfertque vnum alteri: ergo vno ſenſu percipit vtrumque: patet antecedens ex fine, §. 40. conſequentiam probo, quia nulla potentia poteſt iudicare, vel apprehendere maiorem bonitatem in vno obiecto, quàm in alio, quin percipiat vtrumque, vt clarè docet S. Thom. ſupra ad 2. admittens propter hanc rationem vnum ſenſum communem.

§. 45. Ad argumentum S. Thom. in §. 41. Reſpondetur, ab eadem facultate poſſe effici & conſeruari ſpecies impreſſas, dum enim durat diſpoſitio ſubiecti, poteſt communis ſenſus retinere ſpecies: quas quidem facilè amittit, non ex defectu virtutis, ſed quia neruus præ humiditate facilè mutat humorem, aliumque ſuſcipit; eadem autem numero potẽtia eſt, quæ facilè admittit, & amittit ſpecies præ humore: & quæ difficilè recipit, & diu eas retinet præ ſiccitate. Item & quæ bene temperata facilè eas recipit, atque conſeruat: neque opus eſt tot ſenſus diſtinguere circa obiectum idem hoc fundamento. Hinc colliges, non eſſe diſtinguendam

æſtima

æſtimatiuam à memoratiua circa obiectum æſtimatiuæ. Nam ſicut ſenſus communis efficit, & conſeruat ſpecies ſuorum: ita & æſtimatiua ſuorum. Sanctus autem Thom. ſuprà eas diſtinguit conſequenter.

SECTIO VIII.

Vtrum æſtimatiua cognoſcat obiecta inſenſata, ſitque diſtincta à ſenſu communi?

§. 46. ÆStimatiuam facultatem vocat S. Thom. 1. part. quæſt. 78. art. 4. *potentiam materialem cognoſcentem obiecta ſenſu externo imperceptibilia*; quæ tamen ſunt aut vtilia, aut perniciosa vitæ animalis. Namque animal non ſolum mouetur delectatione, aut diſplicentia obiectorum ſenſibilium, ſed etiam alia ob commoda inſenſibilia; verbi gratia, cum aries videt lupum, illum fugit, non quod ab eo ſit damnum expertus: ſed quia apprehendit inimicitiam inter naturam ſuam & lupinam. Arietem ſola inimicitia moueri inde probat: quia propter colores, corporiſque figuram non timeretur lupus ab ariete: quod communiter vocant *moueri per ſpecies inſenſatas*. Ad productionem & vſum harum ſpecierum conſtituit S.Thom. æſtimatiuam, realiter diſtinctam à ſenſu communi, & phantaſia. Deinde ad eaſdem ſpecies conſeruandas conſtituit vim memoratiuam, ab æſtimatiua diſtinctam. Atque hos quatuor ſenſus internos admittit, neque plures. Vim memoratiuam non debere diſtingui ab æſtimatiua, indicaui. §.45.

§.47. Dico primò. *Nullus ſenſus materialis percipit obiecta inſenſata.* Vnde rectè colliges, æſtimatiuam non diſtingui à ſenſu communi. Probatur primò, quia nullus ſenſus materialis eſt diſcurſiuus, vt omnes admittunt: at diſcurret, ſi percipiat obiecta inſenſata, ergo non percipit. Probo minorē, quia diſcurſus eſt illatio vnius actus ex alio præcedente: ſed actus circa obiectum inſenſatum inferretur ex actu circa obiectum ſenſatū: nam ex viſione lupi inferretur cognitio inimicitię: ergo eſſet in ſenſu diſcurſus. Confirmatur, brutum non habet ſpecies per ſe infuſas de obiecto inſenſibili: nam ſi homini non infunduntur ſpecies intellectuales, cur infundentur bruto? neque eas ſpecies bruta per ſenſus acquirunt: quia non intrant per eos. Neque item per diſcurſum, quo igitur pacto eas acquirunt? Deinde cum cognitio inimicitiæ ſit perfectior cognitione coloris lupi, non potuit ex illa deduci: nec ſpecies inimicitiæ ex ſpecie coloris. In homine ex phantaſmate de colore reſultat ſpecies intellectualis de eodem colore: non tamen de alio obiecto: deinde intellectione de obiecto ſenſili comparatur alia de inſenſili. Quod eſt diſcurrere. At in brutis nobilior eſſet diſcurſus: quia ex ſpecie lupi, immediatè oritur ſpecies inimicitiæ, & eius cognitio.

§.48. Secundò probatur: quia bruta non percipiunt amicitiam, neque inimicitiam (quæ obiecta inſenſata vocantur) ergo: probo antecedens, tum ex Ariſtotele de memoria, & reminiſcentia, negante brutis reminiſcentiam, quia includit reflexionem ſupra proprios actus: quam denegat brutis: tum quia non percipiunt inimicitiam ſpiritualem, neque abſtractam ab ſpirituali, & materiali: quia ille modus cognoſcendi eſt nobilior bruti potentiis: neque item cognoſcunt inimicitiam materialem: quia cum lupum etiam viri timemus, nobis nullus actus vitalis lupi venit in mentem; nec tale genus obiecti indicant pueri ante vſum rationis. Confirmatur, omnia quæ bruta efficiunt præſente lupo, aut alio inimico, poſſunt efficere ſine cognitione inimicitiæ: Nam ſicut viſo obiecto nobis bono, illud appetimus, quin reflexè noſcamus delectationem, aut ipſam bonitatem; ita poſſumus malum timere, & horrere illo viſo ſine alia notitia inimicitiæ: homineſque timidi ſi ſolum noctuæ vlulatum audiant, rigent metu; rogati autem quid timeant? Nihil de inimicitia reſpondent, ſed de vlulatu, aut voce audita. Bruta trahuntur phyſicis qualitatibus: quin ſit opus apprehendere inimicitiam: ſæpe excitantur odore, quando nos nec per ſomnū odoramur, vt canes: ſequuntur autem feras auidi illarum ſanguinis. Moloſſi autem, qui ſenſere apri, aut taurini ſanguinis dulcorem, inhiant in eas feras auidius aliis canibus. Cum autem eas per aures dentibus prehendunt, difficilè ab auribus velluntur, tum dulcedine ſanguinis, tum metu ne ab illis feriantur: equus ſolo olfactu qualitatum lupi, ſiſtit, nec pedem mouet. Itaque omnia præſtant ſenſilium apprehenſione.

Ad argumentum S. Thom. in §. 45. reſpondetur, timorem in ariete excitari viſo lupo: quia ex naturali antipathia humorum apprehendit dilaniationem, aut morſus à lupo: vt enim lupus viſo ariete in eum fremit ore cruento, quia ab ipſa natur habet conuenientiam cum arietino cibo, cibum autem appetit, ſi præcisè illum videat, aut olfaciat: ita aries timet lupum, ſicut etiam timet aquam præcalidam, aut herbam præfrigidam: vt enim timeamus malum, & optemus bonum, ſufficit illa cognoſcere. Dices à brutis percipi ſenſiones ipſas, tum quia præcipitia feruntur in obiecta ſemel guſtata: tum quia gemitu, & aliis ſignis dolores inteſtinos oſtendunt. Sed quid inde? id facere poſſunt per ſpecies emiſſas ab actibus ipſis: tunc autem non eſſent obiecta inſenſata, quia ſentirentur vt *quo*, iamque eſſet diuerſa quæſtio. Item nec ſenſiones percipiunt, neque vllo vrgenti argumento eis tribuitur tam perfecta reflexio. Ad primam probationem reſpondetur, illud non contingere ex cognitione delectationis; ſed ex memoria obiecti delectabilis: cuius ſpecies guſtatui inſidet altè. Ad ſecundam reſpondetur, à brutis non oſtendi propriè dolorem, ſed cognoſci doloris obiectum, illudque propulſare conari, vt conantur adſequi delectabile obiectum ſine illa delectationis apprehenſione. §. 49.

Dico ſecundò. *Tametſi bruta perciperent obiecta inſenſata, adhuc æſtimatiua non diſtingueretur realiter à ſenſu communi.* Probatur, tum quia ſenſus communis ſe extendit ad plura obiecta, cur ergo non etiam ad hæc? Secundò, quia, quemadmodum diſcurſu vnus actus infertur ex alio, in eadem potentia infertur, & non in alia: ita fiet in ſenſu communi. Tertiò, argumentor ratione, qua S. Thom. ſupra ad ſecundum, probat diſtingui ſenſum communem à viſu: quia ſi æſtimatiua diſtinguitur à phantaſia, non poteſt diſcernere inter obiecta phantaſiæ: ſed inter ſua tantum: ſimiliter nec phantaſia inter obiecta æſtimatiuæ: ſed vna potentia diſtinguit inter obiecta phantaſiæ, & æſtimatiuæ; ergo per vnam potentiam cognoſcuntur ea obiecta: ergo vel æſtimatiuæ obiecta cognoſcuntur per phantaſiam, vel phantaſiæ obiecta per æſtimatiuam, vel datur vnus ſenſus ab eis diſtinctus: probo minorem, quia quando lupo proponitur agnus quo veſcatur: & inimicitia cum cane: per aliquem ſenſum ſentit cibum præferendum inimicitiæ, & pugnandum cum cane. En lupo calces §. 50.

ſummo

ſummouet appetitus in cibum, eumque frænat timor conceptæ inimicitiæ: ergo potentia,quæ cenſet vnum obiectum præferendum alij cognoſcit vtrumque, ergo ad cognoſcenda ea duo obiecta, non ſunt multiplicandæ potentiæ.

§.51. Dico tertiò. *Non datur alius ſenſus, qui componat ſpeciem rerum incompoſſibilium phyſicè.* Hæc concluſio eſt contra Auicennam,impugnatū ſupra à S.Thom. aſſerentem dari ſenſum à communi diſtinctum,qui ex ſpecie hominis & cerui formet conceptum hircocerui, tum quia forte ſenſus materiales id non poſſunt efficere: ſed tantum formantur duo conceptus, alter vnius rei, alter alius, qui ſimul ad præſentiam alicuius obiecti bruta terrent: aut alliciunt, vt cum mulus terretur propria ſua vmbra: ad quam mouetur vel per ſpeciem ſui ex aqua refractam, vel cum noctu arbuſta putamus vmbroſos eſſe gigantes, tum quia quando fieret ea compoſitio, fieret in ſenſu communi per illius ſpecies,quia illæ concurrunt ad ſimilem cognitionem, at ſpecies vnius ſenſus non concurrunt ad actus alterius.

§.52. *Concludo*, ſenſum communem cum ſit vnus numero, multipliciter nominari, & concipi propter munera multiplicia, quibus fungitur: *communis* dicitur,quia percipit omnia obiecta ceterorum:*phantaſia*, quia retinet ſimulacra rerum: *æſtimatiua*, ſeu *cogitatiua*, qui æſtimat alia commoda præter delectabile, ſeu videtur percipere alia obiecta præter ſenſibilia: *memoratiua* propter retentionem ſpecierum, quas multi arbitrantur inſenſatas: nec oportuit eos ſenſus neque organis eſſe diſtinctos: quia ad vitam animalis oportuit,vt vnus eſſet iudex obiectorum omnium. Quæ doctrina eſt B.Auguſtini, adducti diſputat.4.ſect.4.

SECTIO IX.

Vtrum ſenſus communis ſit in cerebro?

§.53. ARiſtotelici, & Chryſippæi acriter diſſident de ſede ſenſus communis ab Hippocraticis. Namque Ariſtot.3. de partibus animalium, Praxagoras, atque Chryſippus in corde conſtituunt principatum animalis, ſenſum communem, appetitum & originem motus. Ariſtoteles motus argumento politico potius, quàm naturali;voluit enim monarchiam in animali, ac principatum in vna principe parte, nec diuiſum eſſe imperium. Verum medici cum Hyppocrate illud tripartiuntur: iecori adſcribunt ſanguinis officinam: cordi ſpirituum vitalium, pulſuum, & palpitationum originem: cerebro vocis formationem,lationem & ſpirituum animalium, & cognitionis. Galenus toto opere de placitis Hippocratis & Platonis totus eſt contra Ariſtotelem libr. 1. capit. 5. cum ait & cæcutiuiſſe, & ad cæcos fuiſſe loquutum ex ignorantia ſectionis corporum, ſeu anatomiæ, & cap. 6. ait dedecere Ariſtotelem,quæ dicit de principatu cordis; & libr. 3. cap. 8. conſtituit in cerebro facultatem ſentiendi. Immo inde in ſenſus omnes deriuari ſpiritus, quibus ſinguli ſuo funguntur munere; cuius ſententia apertis rationibus monſtratur.

§.54. Probatur primò, experientia adducta à Galeno libr. 2. cap. 4. accidit interdum animalia ad aras enecata extracto corde, & aris impoſito tantiſper & fugiſſe, & reſpiraſſe, & clamaſſe. Pat. Ioſephus Acoſta libr. 5. de hiſtoria Indica cap. 25. refert iuuenem Hiſpanum locutum extracto corde. Quod confirmat Pat. Petrus Ribadeneyra de Catholicis nonnullis, barbarè enectis ab Anglis Caluiniſtis lib. 2. hiſtoriæ Anglicæ, cap. 32. immo vulgo circumfertur caput Caroli Borbonij à corpore auulſum, & per aëra volitans voces formaſſe humanas: ergo cor non eſt principium ſentiendi, nec clamandi: conſequentia patet, quia effectus nequit niſi per cauſam præſtari: cum igitur vox ſit ſonus cum imaginatione prolatus, & potentia loco motrix ſenſu dirigatur, & appetitus moueatur imperio, apertè concluditur extracto corde manere appetitum & ſenſum in bruto.E contra verò accidit, vt tauri abſciſſa medulla dorſi, quæ eſt illius initium verſus colli vertebram, nec ſpirent,nec reſpirent, nec digitum moueant: nec quidquam ſentiant; tametſi cor & arteriæ aliquando poſt ictum pulſare ſentiuntur. Vnde patet cor eſſe principium pulſationis; cerebrum autem ſenſuum, & motus; quia deficiente cerebri communicatione deficiunt motus, & ſenſio;at pulſus non deficit niſi vnà cum corde. Quod itidem confirmatur in laborantibus apoplexia, quibus ſenſus, aut deficit, aut hebeſcit, quia rheumata è capite confluentia ſuffocatione impediunt cerebri influxum in ſenſus,& potentias motrices.

Secundò, argumentatur Galen. lib. 2.cap.11. ex anatomica experientia; quia cor annectitur cerebro triplici vaſe,quod commune etiam eſt toti corpori. Primum vas,ſunt venæ iugulares Secundum, arteriæ carotides, ſeu ſoporariæ. Tertium,nerui eis arteriis annexi: in quibus hi reperiuntur effectus, venæ ſanguinem vehunt, nec quid efficiunt aliud: quare ſi ſecentur, emoritur animal ſanguinis profluuio: ſi autem ligentur aliquo vinculo, nullus defectus in animali ſentitur: nam eis ligatis, & mouetur, & ſentit, & pulſat, & ſpirat; ſi autem nerui vel præcidantur, vel ſecentur, vel digito, aut ligamine comprimantur, animal obmuteſcit ſtatim, nec quid vocis emittit; at videt, aliaſque obit ſenſiones: id quod anatomi paſſim experiuntur Si autem arteriæ comprimantur, nulla functione priuatur animal niſi pulſu: nam illæ partes, quæ ſunt extra ligamina, verſus caput nequaquam pulſant: at partes interiectæ inter ligamina & cor, pulſu funguntur. Vnde argumentor, ſi à corde penderet imaginatio, & motus ſenſuum, & potentiarum: ligatis omnibus illis vaſis non ſentirent ſenſus,nec eſſet imaginatio,nec motus: quia ab ea dependent, quia occluduntur viæ per quas commeant influxus cordis in ſenſus: ſicut non pulſant arteriæ ob eandem cauſam; ergo imaginatio,& ſenſiones cæteræ non pendent directè,atque immediatè à cordis influxu. §.55.

Tertium argumentum ſumitur ex anatomia, quia ex oculis, naribus, & naſo tenduntur ad cerebrum nerui ſenſorij,per quos vehuntur ſpecies impreſſæ: at huiuſmodi nerui non diriguntur ad cor: ſed ipſo in cerebro ſiſtunt: ergo ſpecies impreſſæ non ſeruiunt cordi,ſed cerebro: conſequentia patet,quia cordi non ſeruiunt, niſi ad illud traiiciantur:ergo ſenſus, cui illæ ſeruiunt,non eſt in corde, ſed cerebro. Dices per neruos ductos è corde ad cerebrum ſpecies commeare. Contra,illi nerui iam habent proprium munus, nempe ſeruire voci: nec propter eorum compreſſionem perit imaginatio; nec motus localis, qui ab ea oritur neceſſario; ſed vox tantum perit, vt ex Galeno oſtendi. §. 55. at perit ſenſio communis, intercluſa ſpecie impreſſa. Deinde è cerebro ad cor vergit ſolus vnus neruus ſeruiens tactui, qui oritur ex ipſo, nec communionem habet cum aliorum ſenſuū neruis, qui oriuntur ex anteriori parte cerebri ad naſum, oculos, & §.56.

nares.

nares. Confirmatur, quia teſte Galeno ſuprà, in cerebro ſunt ſpiritus animales ſimul cum vitalibus, qui ſeruiunt ſenſationi. In corde autem ſoli ſpiritus vitales, qui ſeruiunt vitæ vegetatrici, immo cor eſt igneum, valdeque intemperatum ad ſenſiones obeundas, quæ vergunt in frigiditatem: nimio enim calore ſtatim æſtuat imaginatio, neque operatur exactè niſi bene temperata, quam temperaturam accipit à cerebro infrigidante ſpiritus animales, acceptos è corde.

§. 57. Quartò argumentor ab experientia, nimio ſtudio defatigatur imaginatio, quæ dolet excitato calore per ſtudium, & conficitur continenti labore; ſed illa fatigatio ſentitur in cerebro, & non in corde: ergo ſenſus, qui eſt ſubiectum eius fatigationis, eſt in cerebro, & non in corde. Maior vtinam eſſet mihi ignotior; minor eſt certa, tempora enim comprimuntur dolore ſtudij, grauatur caput, atque langueſcit; nec enim ad pellendum eum dolorem iacyntho vtimur, aliiſque cordialibus, ſed naſo, & ore, inhiamus ad hauriendam auram: caput detegimus, ac frontem infrigidamus, totumque caput erigimus ſomno. Quis autem curauit cor ad ſtudendum? curat autem caput: cur ita? niſi quod ſtudiorum inſtrumentum eſt caput, ſicut oculus viſionum: anne ad medendum cordi, medicina applicabitur capiti? Confirmatur, quia poſt prandium ſtudium eſt perniciosſum, quia ad illud euocat cerebrum ſpiritus vitales, è quorum defectu ſtomachus debilitatur ad coctionem, & generat crudos humores, qui ad cerebrum miſſi illud obtundunt; item ad memoriæ tenacitatem veſcimur vuis paſſis, ſicciſque alimentis: quibus cerebrum exſiccatur, nullus autem exſiccat cor ad memoriam augendam. Adde dolente capite imaginationem lædi, eiuſque actiones eſſe valde ægras; at dolente corde non ita ceſſatur à cogitatione; arbitror hæc ipſis etiam pueris inſita cum intellectu: atque Galenum iure dixiſſe Ariſtotelem cæcutiiſſe, & hac de re ſcripſiſſe libros ſe indignos, ac dedecentes.

§. 58. Ariſtotelis, & Chryſippi argumenta Galenus ſuprà deridet. Primum Chryſippi eſt, quia cor vocatur *princeps & principium vitæ*. Secundum Ariſtotelis, quia eſt principium ſpirituum, item alimenti. Tertiò, quia tenet mediam ſedem. Quartò, quia homines fatui vocantur *excordes*, atque *vecordes*, nullumque reperies momenti maioris. Ad primum & ſecundum reſpondet Galenus, probare cor eſſe principium pulſuum, & ſpirituum vitalium, quibus totum animal incaleſcit: non verò animalium quibus ſenſus vtuntur: alimenti principium medici tribuunt ſtomacho, ventriculo, iecori, & venæ cauæ. Deinde rectè ait Galenus nihil inde concludi, quia poſſet eſſe cibi diſpenſator, quin eſſet motuum voluntariorum, id eſt, prodeuntium ex appetitu. Tertium, eſt ridiculum, vt apertè Galenus oſtendit. Aliæ enim partes ſunt etiam in ea regione, immo ait etiam cerebrum tenere ſupremum, ac regium locum, nempe arcis cacumina, vt cœli in mundo. Quartum eſt æquè leue, nam & vulgo amentes vocantur *ſine cerebro*, vt de pulchro capite fabula circumfertur: homines item chymæricos dicimus fingere è cerebro, tenaces autem conſilij vocamus *capitoſos*, & Hiſpanè *buenos caſcos* vocantur homines leuiculi; & ſemiinſani dicuntur *non calce, ſed capite laborare*. Homo cordatus dicitur, qui attentè omnia perpendit, internos enim effectus adſcribimus iam capiti, iam cordi, iam viſceribus, atque medullis: vulgo quidem, vt rem nobis eſſe curæ pandamus.

SECTIO X.

De ſenſitiuo appetitu, iraſcibili, & concupiſcibili.

Appetitum voco *facultatem vitalem affectiuam*, ſiue *affectu in obiecta tendentem*, quæ amore & complacentia fertur in obiectum bonum: in malum odio, & diſplicentia; *ſenſitiuum* voco eam facultatem, quæ ſenſu mouetur. Eam nobis ineſſe & fides, & ratio teſtantur. Eſt enim lex illa membrorum, quam ait Apoſtolus repugnare legi mentis: lex item carnis concupiſcentis contra Spiritum; ſecundum quam qui vixerit, morietur: fomeſque peccati, quem Tridentinum ſanxit nobis ad agonem relictum. Obiecta enim ſenſu percepta hunc appetitum delectatione pulſant, & excitant: qui rationem anteuertens, motibus primo primis conatur poſt ſe rapere voluntatem: quæ illis, niſi Deo frangente annulos, in exitus exitiales catenatur. Confirmat itidem ratio: experimur enim vehementiſſimas inclinationes ad ſenſibilia, quæ ſuauiter influunt, & inſtillant in animum, cui voluntas refragatur, ac ratione ducta diſplicet in obiectis: quæ placent appetitui: pueri item & dormientes ſæpe appetitu reguntur: cum tunc ſint incapaces vſus intellectus & voluntatis: bruta ſimiliter appetitu fruuntur obiectis. Quo ad quærenda commoda naturâ mouentur: ratio à priori ſumitur ex ſenſu, qui repræſentat rationem boni, & mali ei, cui ineſt: ergo in eodem eſt facultas illud odio, & amore proſequendi. Finis enim cognitionis eſt amor, eſſetque natura manca, quæ non poſſet amare bonum, quod cognoſcit. §. 59.

Appetitus ſenſitiuos internos tot eſſe in genere quot ſenſus, videor mihi colligere ex S. Thom. 1. p. q. 80. a. 2. probante appetitum diſtingui per facultates cognoſcentes: quia appetitus eſt mobile à bono apprehenſo, quod eſt motiuum illius; at pro diuerſitate mouentium, ſunt diuerſa mobilia. Vnde concludit appetitum rationalem eſſe diuerſum à ſenſibili, quia illius principium mouens eſt bonum intellectum, huius autem bonum apprehenſum: & ad primum ait, differentiam apprehenſi eſſe per ſe differentiam appetibilis, & potentias appetitiuas diſtingui per differentias apprehenſorum. Quam ob rem erunt quatuor appetitus, primus reſpondet ſenſui communi, & amat obiecta præſentia. Secundus phantaſiæ, qui feratur in abſentia. Tertius reſpondet æſtimatiuæ, qui afficitur circa obiecta inſenſata præſentia. Quartus memoratiuæ circa eadem obiecta abſentia. Nam ſicut illa varietas obiectorum conſtituit ſenſus diuerſos, ita & appetitus. Dices à S. Thom. q. 81. a. 2. tantum conſtitui iraſcibilem, & concupiſcibilem. Hoc autem non contradicit huic doctrinæ, quia iraſcibilis poteſt ſubdiuidi in duos appetitus, & concupiſcibilis in alios duos. §. 60.

Appetitus communiter diuiditur in iraſcibilem, & concupiſcibilem: non quod appetitus, qui mouetur ſenſu communi ita ſit diuidendus: ſic enim eſſent octo appetitus interni: nam ſenſui communi reſponderent duo, & bini ſingulis aliis ſenſibus: ſed quia appetitus, qui ſequitur æſtimatiuam, eſt iraſcibilis, quia non verſatur circa delectabilia; qui verò ſequitur phantaſiam, eſt concupiſcibilis, quia verſatur circa delectationem: ita Caietan. inſinuat in fine expoſitionis, artic. 2. quæſt. 81. & S. Thom. inſinuat quamuis ſubobſcurè: nam circa obiecta ſenſus conſtituit concupiſcibilē, qui lætetur, atque §. 61.

triſtetur

triſtetur obiecto ſenſato : iraſcibilem autem conſtituit ad propellenda mala concupiſcibilis. Verum cum illam multiplicitatem ſenſuum ſupra reiecerim, itidem reijcienda eſt appetituum : vnúſque ſolus eſt conſtituendus, qui propter diuerſos actus diuerſimodè nominatur. Dices, aliquando iraſcibilem ferri in obiectum contrarium concupiſcibili, vt cum canis irruit in hominem, morſúſque patitur, ne priuetur bono aliquo delectabili: at non poſſet appetitus ſibi mala procurare Reſpondeo, ab eodem appetitu id fieri poſſe, quia cenſet maius bonum præferendum minori, & bonũ alicui malo: & ſicut in concurſu vnius obiecti ſenſati cum alio inſenſato oſtendi ab vna potentia vtrúmque cognoſci, ita ab vna vnum amatur, altero odio habito, aut poſtpoſito. Aduerte, ad iraſcibilem ſpectare non ſolum pugnare contra malum, vt cum lupus pugnat cum cane, ſed etiam quærere bonum inſenſatum, vt cum canis quærit herum, à quo defendatur, alioquin multo plures eſſent appetitus : vocatur autem *iraſcibilis* ab efficacioribus actibus iraſcendi.

SECTIO XI.

Vtrum ſint alij appetitus præter internum?

§. 62. NOn præteribo curioſam hanc quæſtionem. Opinor diuerſis ſenſibus exteris diuerſos reſpondere appetitus. Probari poſſe videtur, quia vbi fit ſenſio de obiecto, ibidem ſentitur aut dolor, aut voluptas: ergo ibi eſt potentia, quæ complacet, aut diſplicet de bono, aut malo ſenſo. Conſequentia patet, quia voluptas eſt complacentia appetitus in bono : dolor autem diſplicentia in malo : antecedens paſſim experimur, quia in lingua eſt delectatio de cibo ; dolente neruo, præ dolore gemimus, eſtque ille dolor longè diuerſus à dolore appetitus communis ; quia hic eſt valde intentionalis : ille verò quaſi phyſicè torquet. Non vrget hoc argumentum; nam etiam appetitus communis gaudet, atque triſtatur de bono, aut malo in partibus ſenſo, vt enim lux videtur ea in parte vnde ſpeciem emittit, ſic & obiectũ doloris ibi ſentitur eſſe vbi eſt, quia inde ſpeciem traijcit in ſenſum communem: quo repræſentato diſplicet appetitus, nec dolor ipſe ſentitur, ſed tantum doloris obiectum, diſcriménque adductum nulla ratione probatur.

§. 63. Hæc me ratio mouet: bonum apprehenſum eſt obiectum appetitus : ſed bonum viſum, auditum, &c. eſt bonum apprehenſum, ergo eſt obiectum alicuius appetitus : ſed non appetitus communis: ergo particularis. Primus ſyllogiſmus mihi videtur euidens : minor ſecundi probatur, quia appetitus communis non mouetur ſenſione externa, ſed interna; tum quia longè diſtat ab externo ſenſu: tum quia ex S.Thom. probaui. §. 60. appetitus eſſe diuerſos pro diuerſitate ſenſuum, nec poſſe appetitum vnum dirigi duplici ſenſu. Dices, ſufficere appetitum communem, qui remotè moueatur ſenſibus externis. Contra: non ſufficit voluntas in homine, quæ remotè moueatur phantaſia, ſed præter illam aſſignatur alius appetitus, qui immediatè dirigatur ſenſu communi. Immo S.Thom. ſupra colligit diſtinctionem appetitus ſenſitiui à rationali, quia videt eſſe diuerſa principia cognoſcendi: ac ſi ita concludat, vbi ſunt potentiæ cognoſcitrices ſunt appetitus diuerſi : ſenſus communis, & particularis ſunt diuerſæ potentiæ, ergo habent diuerſos appetitus : nec video cur intellectui tribuatur voluntas, quam moueat cognitione : ſenſui communi appetitus concupiſcibilis : æſtimatiuæ iraſcibilis: miſeris autem ſenſibus nullus tribuatur appetitus. Rationem à priori arbitror eſſe, quia omnis ratio boni eo modo, quo apprehenditur, eſt amabilis ab apprehendente: ergo bonum vt viſum, & guſtatum, eſt amabile à vidente, & guſtante: ſed vt viſum non amatur per ſenſum communem : ergo. Qua ratione melius adminiſtratur vita animalis, vt enim lux viſu percipitur, deinde ſenſu communi, poſtea intellectu; ſic amatur appetitu viſuali, deinde communi, poſtea intellectu: ſic autem animalia perfectiùs perfruuntur obiectis.

SECTIO XII.

Vtrùm ſit in corde appetitus internus?

ARiſtoteles, Protagoras, Chryſippus cum omnibus Stoïcis, & Peripateticis opinantur, §. 64.
appetitum in corde ſitum, quibus hac in parte adſtipulatur Galenus ſecundo de placitis cap. 13. & lib. 3. cap. 8. pluribuſque in locis eius operis. Ariſtoteles mouetur primò, quia cor eſt principium vitæ animalis, ibique reſidet ſenſus communis; ergo & appetitus. Conſequentiam negat Galenus eo cap. 13. ſed non bene (vt mox videro) ego verò antecedens negaui tota ſect. 9.

Secundò mouentur omnes, quia anxietates, mæſtitiæ, melancholia, iracundia, aliæque paſſiones §. 65.
appetitus, ſentiuntur in corde; ergo ibi ſunt actus appetitus, per quos angimur, mæremus, & iraſcimur. Hoc argumentum Galenus perbellum arbitratur ſupra lib. 2. cap. 7. fine : mihi autem videtur perfrigidum ; primùm, quia erubeſcentia, ſiue verecundia eſt in maxillarum cute: ergo ibi eſt appetitus, cuius actus eſt verecundia. Item in cerebro ſentitur interdum vehemens dolor, interdum in tibijs : ergo etiam ibi eſt appetitus. Deinde, licet nos doleamus de obiecto, at non ſentimus dolorem reflexè : ergo non poſſumus ſenſu dignoſcere appetitum, ſed diſcurſu. Argumento igitur reſpondetur primò, ex ſect. 11. in ſingulis partibus ſenſorijs eſſe ſimiliter appetitum, & ſic cor triſtari tactu humoris melancholici. Secundo reſpondetur abſolutè, obiectum mæſtitiæ, & anxietatis eſſe in corde, ſicut in cerebro, & in tibijs obiectum doloris: ac proinde dici cor dolere, & angi: ratio tamen formalis dolendi, atque mærendi eſt in cerebro. Item iracundia efferuet ſanguis in corde, & in maxillis rubeſcit verecundia : & propter ſenſibiles eas alterationes dici eas paſſiones eſſe in corde, atque maxillis, id eſt obiectiuè, vel cauſaliter.

Tertiò, poſſemus argumentari ex Deut. 6. num. §. 66.
9. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Verum cum ibidem dicatur, *& ex totis viſceribus tuis,* non concluditur appetitum eſſe in corde magis, quàm in viſceribus, totaque anima : ſed ibi exprimitur intenta ſollicitudo, quia toti debemur amori Dei: vt nec cordis operatione, nec viſcerum vſu fruamur niſi ad obſequium Dei, vt Pſalm. 102. *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius :* non quod iecur, lien, & pulmo poſſint Domino propriè benedicere, ſed quia omnia membra noſtra exhibenda ſunt ad placendum Deo, vt vult Apoſtolus.

Opinor, appetitum eſſe in cerebro, ſicut & ſen- §. 67.
ſum : ita cenſent quotquot diſp. 4. vidimus conſtituiſſe idem vnum principium cognitionis, & affectus. Primò, quia appetitus mouetur ſenſione: ſed ſi

ſenſio eſt in cerebro, & appetitus in corde, non poteſt per illā moueri:ergo. Probatur minor,quia ſenſio non mouet efficiendo aliquid,ſed repræſentando obiectum in genere cauſæ formalis:quis autem non rideat, appetitum ferri è corde in obiectum repræſentatum in cerebro? Vide argumenta,quibus diſp.4.ſect.1.& 2. probaui idē eſſe principium cognitionis & amoris, quæ efficacius probant non poſſe ea duo principia loco diſtare. Poteſt quidem appetitus mouere partes diſtantes;ſed id contingit efficienter per imperium, vel etiam mouendo neruos,qui ex ipſo deriuantur: at appetitus non ita mouetur, ſed cognitione, & formali repræſentatione obiecti.

§. 68. Secundò argumentor, & ſimpliciter ex anatomia, & ad hominem contra Galenum, aſſerentem cor in ſuis operibus à cerebro non pendere; quia pulſat,& palpitat, licet nerui comprimantur; ſed appetitus pendet à ſenſu,ergo appetitus non eſt in corde, & ſenſus in cerebro:quia iam cor penderet à cerebro. Deinde §. 54. adduxi teſtimonia de animalibus, ambulantibus extracto corde; quos motus iure Galenus vocat *voluntarios* id eſt, ab appetitu pendentes, ſicut vocat pulſus *inuoluntarios*: id eſt, independentes ab appetitu, ergo extracto corde manet in animali appetitus qui imperet illos motus: patet conſequentia, quia motus progreſſiuus,& vox fieri nequeunt niſi appetitu mouente potētias.Nam licet alij motus locales fieri poſſint relicto impetu, licet appetitio euaneſcat; at illa artificioſa motio progreſſionis,& clamoris nō poteſt fieri ſolo impetu ſine actuali directione ſenſus, & imperio appetitus. Deinde in illo caſu animal ſentiret cruciatus atque doleret. Immo fuga ipſa teſtatur ſe fugere præ dolore cruciatuum è loco vbi eos patitur.

§. 69. Tertiò argumentor ex §. 52. vbi ex eodē Galeno oſtendi, triplici vaſe cor cerebro colligari: è quorum nullo reperies dependentiam cordis à cerebro in appetendo:quam neceſſariò haberet,ſi appeteret: & intercluſa communicatione cerebri & cordis non impediri dolores: nam venæ iugulares nihil efficiunt niſi vehere ſanguinem:quibus compreſſis ligamine aliquo nullam actionem animalis impediri Galenus eſt teſtis: ſi autem cōprimantur arteriæ, nullus effectus ceſſat præter pulſum in partibus ſupra ligaturam: ſi autem comprimantur nerui, ſolam ſequi obmuteſcentiam ait Galenus idem, ergo non ſequitur ceſſatio appetitionum, alioquin iam ceſſaret aliud: ſed compreſſis neruis non poſſet dolere cor: ergo.Probo minorem,quia tunc eſſet intercluſus omnis influxus cerebri in cor:ergo & influxus ſenſuum in appetitum, alioquin & eſſet manca, & nihil concluderet argumētatio, qua Galenus probat ea experientia, cor non habere ſenſum, ergo eadem ratione probatur carere appetitione: quia hæc dependet à ſenſu.Item in eo caſu cum rectè ſentiat animal, rectè etiam appetit. Nam Galenus ait compreſſione neruorum animal non ſopiri:ſed acriter viuere.

§. 70. Igitur mea ſententia de ſede ſenſus & appetitus media eſt inter Ariſtotelem & Galenum: cum illo cenſeo, eamdem eſſe ſedem appetitus & ſenſus, in quo à Galeno diſſideo: cum quo arbitror cerebrū eſſe ſedem cōmunis ſenſus,in quo diſſideo ab Ariſtotele. Tandemque concludo, totam vitam animalem internam eſſe in ſolo cerebro, à quo cæteri ſenſus in ſuo munere pendent.

DISPVTATIO XVIII.

De Anima ſeparata.

DISQVISITI quæ animo quadrant in corpore,& ex ſe:nunc diſquirenda, quæ poſt corporis obitum. Cuius diſputationem immerito arripiunt Metaphyſici.

SECTIO I.

Humani animi immortalitas.

NOn deſcribam authorum cateruas: quas adducunt eruditè eruditiſſimi PP. Leonardus §. 1.
Leſſius lib. 2. de Numinis prouidentia; qui eſt de hoc argumento:& Conimbr. diſp. 1. de anima ſeparata. Pono enim nullum ferè vnquam fuiſſe vel vel mediocriter doctum, qui tam abiectè ſenſerit de homine; vt illum ita demerſerit in materiam:vt eius animus non habeat facultatē emergendi magis quàm canis,aut iumenti anima. *Immortale* accipio pro re,quę nulla vi naturalium cauſarum queat obire diem.

Humanos animos aliquando fore corpori re- §. 2.
ſtituendos per reſurrectionem mortuorum, axis eſt Chriſtianæ pietatis: quo mouemur ad deſpectum caducarum rerum:ne impediant fælicitatem æternam; & cauſa ſint æuiternorum cruciatuum; quibus nullus finis. Item bonorum præmia poſt obitum, & prauorū ſupplicia non differri ad vniuerſorum iudicij diem;ſed ſtatim poſt obitum hominum animos præmio,aut ſupplicio donari,conſtat ex parabola Epulonis & mendici.Lucæ 16.22. *Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt in inferno. Eleuans autem oculos ſuos cum eſſet in tormentis.* Item ex ſermone inter Abrahamum & Epulonem conſtat,multos eſſe cum Epulone in loco tormentorum: & cognatos Epulonis eſſe in periculo illuc adeundi: & cum Abrahamo eſſe multos alios, è quibus poſſet vnus mitti. Item non eſſe ſocietatis & cōmercij locum inter incolas vtriuſque loci. Item Lucæ 23. 42. & 43. *Domine memento mei, cum veneris in regnū tuum, Hodie mecum eris in paradiſo.* Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus:animam autem non poſſunt occidere:*ergo interitu hominis anima ſuperſtes manet.2. Machab.12.46. *Sancta ergo & ſalubris cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis ſoluantur.* Tota Apocalypſis plena eſt huius veritatis, plenæ ſapientum & inſipientum voces, plena exemplorum vetuſtas.

Ratione probatur primùm:quia ſi poſt obitum, §. 3.
animæ intereunt; ergo ſceleſtorum illa propoſitio eſt vera:quam effutiuerunt,Iſa.22.13. *Comedamus, & bibamus:cras enim moriemur.* Etenim ſi nullus eſt apud inferos ſenſus: ſed cum vita corporis extinguitur animus:nihil eſt curandū niſi de gurgulione, abdomine, & venere, ferinum in morem. Sapiens,c.2.aptiſſimè refert impiorum conſilia capta ex hac belluina opinione:*Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ: & non eſt refrigerium in fine hominis,& non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis:quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus tanquam non fuerimus.* Quid inde? *Venite ergo, & fruamur bonis quæ ſunt;vino pretioſo,& vnguentis nos impleamus. Coronemus nos roſis antequam marceſcant: nullum ſit pratum,*

quod

quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuria noſtra: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Equidem legitimè deduxêre conſequentiam: quam ex eodem antecedenti intulit Paulus 1. Corinth. 15. Si enim vitam aliam beatiorem non ſperamus, nec timemus miſerã: Quid abſtinemus à venere? à rapinis? ab adulterio? eſſemus enim miſerabiliores nõ ſolum hominibus ſine lege, & Deo degentibus; verum & brutis ipſis. Conſequentia ergo legitima; expendamus conſequentis abſurda: vt per illa negemus antecedens.

§. 4. Mitto, hinc irrideri vniuerſum mortale genus: quod ſe in parte cenſuit immortale. Ethnici ita ſenſere, confictis fabulis: quibus ſignificarunt rationem boni & mali anteactæ vitæ apud inferos reddi. Huc ſpectat cymba Acherontis: canis cerberus: ſtygius lacus. Faciunt Minos & Rhadamãtus, ſeueri inferorum iudices. Adſtipulatur vltrix ſcelerum Tyſiphone; conſentiunt Eliſij campi ad beandos bonos. Nec adeo fera fuit gens vlla, quin aliquid de ſupplicio & præmio futuro præſagiret. Prætereo ſtultitiæ labem adſpergi viris ſapientiſſimis: qui ſolùm naturæ ſolares radios ſecuti, multa præclarè, ac ſubtiliter de morum honeſtate diſputarunt. Taceo, vniuerſam paginã ſacram; fabulam eſſe pluſquã anilem: quæ cum ſingulis ſyllabis animorũ immortalitatem ſonat. Chriſtianiſmus autẽ vniuerſus ludibrio erit: cum vnicã cauſam conſtituamus, qua Deus fuerit homo: nos ab inferis vẽdicare. Nec Chriſtus quid egit, aut docuit, quàm exemplo & doctrina digito monſtrare æternæ ſalutis viam. Hæc omnia mitto: etenim qui nõ ſe volunt immortales; nec ſe volunt Chriſtianos, aut Iudęos, aut Mahumetanos: aut Romanos, Gręcos, aut Barbaros: ſed inhumanos, belluas, feras: vt enim morũ humanitate exuta; belluinam induant feritatem, tam belluinè de ſe, & abiectè ſenſêre. Ad alia gradũ facio: quæ nullus, niſi amens, non horrebit.

§. 5. Naufragi Troiani, ad Carthaginenſia litora appulſi: cum ſe paucos, & inermes in populoſa, & armata ciuitate viderent, nullo alio clypeo ſe tegi poſſe putarunt, quàm prouidentia Numinis in afficiendis hominibus ſupplicio, aut præmio.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma:
At ſperate Deos; memores fandi, atque nefandi.

Frænat effrænes animos incuſſus Numinis timor: & quos libido admotis calcaribus concitat, ſpumantes ille tenet, frænoſque mandentes. Hoc timore è media republica ſublato, vno ictu præciduntur radices pietatis, fibræque euelluntur: & admouentur faces ad omne facinus, atque flagitiũ. Deperit robuſtus iuuenis pulchram & inermem puellã: illam aut arte, aut marte opprimet: quod ſi ſceleris accuſetur, haud reſpondebit ineptè. *Coronemus nos floribus, antequam marceſcant.* Ardent viri non modo vicinorum vxores, aut filias: ſed interdum ſorores: & à quibus geniti ſunt matres. Quis eos in officio continebit; niſi Deum timeát? Quorum aures pulſat: *nullum ſit pratum, quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Pollet diuitijs ſenator, honore iuſtus, filia honeſtus ciuis. Diripient ij lupi ſenatoris ſenatoris bona: irridebunt iuſtum; violabunt honeſti filiam: *Opprimamus* (clamitant) *pauperem iuſtum: & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis.* Quod ſi occaſionẽ nacti Principis occidendi, aut reipublicæ occupandæ, & in cæteros per tyrannidem dominandi, non erũt adeo ſtulti vt non teneant ſinciput capillatum occaſionis: & caluum occiput timeant: altè enim illorum animis inſidet: *ſit autem fortitudo noſtra lex iuſtitiæ:* Nec ſe arbitrabuntur reprehẽſione dignos, ob imminutas virgines, cõſtupratas ſorores, matres violatas, maritatas oppreſſas, ob publica & priuata bona direpta; obtruncatum Principem, & occupatũ regnum, *Quoniam*; (inquiũt) *hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra.* Ac ſi dicant, humanæ vitæ finis & ſcopus eſt beatè viuere: cui nulla beatitas, præter voluptates, diuitias, locupletem fortunam, & imperium: in hæc qui inhiat, naturæ impetu ducitur, ac manu ducitur ipſa naturæ lege præeunte: in quo non eſt magis reprehendendus, quàm lapis centrũ repetens fractis fulcris, quibus vi tenebatur in aëre, aut ignis in lunã euolans effractis carceribus, in quibus erat incluſus, non ſecus illi arbitrantur ſibi licere rapinas, adulteria, cædes, tyrannidem, ad bene, beatéque viuendum. Nec alia lege mouentur quàm vna vtilitate, voluptate, cõmodo; quibus ſolis ſe beatos ſibi fore videntur. At beatitudinis ergo, quid tentabitur quod quis ſe dedecere arbitretur? vt enim piè viuere, æquitatem ſeruare, pium eſt atque laudabile, quia viam munit ad beatitatem: ita illis eadem ratio honeſtat ſtupra, adulteria, & cætera flagitia. Canes nonnunquam ſocietatis fędere videntur iuncti, ſe mutuo comitantur, ludũt, & geſtiunt: at ſi offas illis in cratere oſtendas, illi è veſtigio oſtentant dentes; erigunt, & torquẽt caudas, fremebundi, & rauca voce mutuos minantur morſus, vnuſquiſque enim vult in craterẽ & offas dominari, oblitus veteris amicitiæ. Non ſecus immanes iſtæ beſtię, ſoli abdomini natæ, omnes leges effringunt, iura violant naturæ, amicitias lædunt, cum expedit ad voluptatem, aut commodum: quo omnia metiuntur. Hos laqueo, & igne è ſuis finibus exterminandos curare tenentur Reſpublicæ; à quibus timendæ rebelliones, perduelliones, incẽdia, rapinæ, cædes: nihil enim non tentabunt quod poſſint impune moliri, vt ſua iſta beatitate fruantur. Cæterorum enim amicitia eſt vſque ad aras; canina autem iſtorum vſque ad offas.

§. 6. Sat hæc, ne principes hanc pernicioſam ſingulis ciuibus opinionem, & cunctæ reipublicæ exitialẽ, minantem ferro, ac flamma bono publico, & imperio, liberè vagari ſinant. Adijcimus alia, quæ ipſis ita miſerè de ſe opinantibus vim afferant neceſſario, vt à tam immani, ac tetra, & omnium malorũ pleniſſima ſententia deterreantur. In negotio graui gerendo nulla oſcitantia, aut negligentia eſt leuis, omnis incuria eſt grauis. Negotium enim exponitur periculo exitus exitialis, quod vnuſquiſque prudens rerum æſtimator omni diligentia fugiendum curat. Quid ita? quia non parua, nec aliena res agitur. Quod eſt mortalium ſupremum negotium? Quæ cura tam altas radices iure aget in corda prudentum, quàm vna fælicitas, & beatitudo? Hanc expetunt non modo animantia: quæ ſenſu vigent, & eo ſunt intenta in ſua commoda: ſed ipſa quoque inſenſilia elementa cœco rapiuntur impetu; homo mente & ratione pollens eam oſcitanter omittet? Nequaquam. Age dum, & contemplare, quam belluinè grauiſſimum negotiorum tractes: te & tua gubernes. Si falſa eſt tua iſta opinio, qua cenſes animum eſſe caducum: ergo poſt obitum ſempiterno cruciatui mancipabere. Nam vitam multo ſcelere pollutã nullo piaculo abluis, nec abluendam putas: neç id fieri poſſe, aut expedire arbitrare: ergo dabis apud inferos tuorum flagitiorum pœnas, immunes à fine. Etenim immortalis animus ſiſtitur ante Deum iudicem, multi enim decedent ſceleribus inultis: quos luere oportet, quæ prauè contra Deum, legeſque fecere: ergo ex tua iſta opinione æternum peribis, niſi animus pereat. At in mea opinione; ſi animus perſiſtit

immortuus; adipiſcitur homo fælicitatem æternam:quia ſe ad illam comparat, ratione moderatus actiones. At verò compara damna, quibus te exponis vtriuſque opinionis ſecta. Mea opinio tibi tantum adimit pauca vitę commoda,breuia,fluxa,incerta,communia brutis:& tibi permittit multa, quæ capere poteſt abnuente Numine. Tua opinio ea mihi dat commoda:eripit autem ſpem fælicitatis æternæ:quæ homines beat in hac vita: adimit fælicitatem ipſam, & cruciatus minatur æternos. Conſidera ergo, quanto prudentius faciant, qui ſe cenſent immortales: qui ne ſe periculo exponant damnationis æternæ, à ſe abdicant haſce momentaneas, pueriles, belluinas voluptates: nec tamen omnes:ſed quibus interdicuntur legibus:*vt id quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis: non contemplantibus nobis quæ videntur: ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur æterna ſunt*.2. Corinth. 4. 17. Tu verò, ne hiſce nugis valere dixeris; vt ijs labia linias, quæ vix poſſunt palatum tingere:cedis iure æternum fruendi Deũ. Si mercaturam ageres, aut aliam quæſtuariam artem:num fortunā tentares, omnibus fortunis periculo expoſitis,vt exiguum quæſtum faceres? Prudens mercator non periclitatur fortunam extremam pro nullo quæſtu ſed omnia tam æquali lance perpendit,vt non ſit minor ſpes lucri,quàm periculum damni.

§. 7. Ais(iam te teneo)te probabili ratione ductũ,iſti inhærere opinioni: nec enim cruciatus minatur Deus ex probabili opinione agentibus. O ſtulte! audi ſapienter à ſapiente dictum. cap. 2. *Dixerunt cogitantes apud ſe non rectè.* Nec enim prudenter dicitis:ſed *Dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo. non eſt timor Dei ante oculos eius.* Inhias in illecebras voluptatum, vt te illis totum dedas, abigis ex animo Dei timorem & prouidentiam:obturas aures goſſipio voluptatum,ne illas pulſent contentæ voces, quibus per omnium gentium linguas natura clamitat animos non eſſe mortales: & vis probabilitate te mihi probare: nec mihi, nec Deo probandum? At tibi do probabilitatem: eſto ne pecces tā ſtulta opinione:quid inde? Te non meriturũ cruciatus:at non merebere beatitatem. Pone hominem probabile cenſentē, nullo peccato ſe adſtringi venatione:item nec ſe illa mereri: & ex animo eo venari. Huic nullum ſuppliciũ minatur Deus: quia prudenter cenſet, ſe nihil mali mereri:at nec decernit præmium: quia ipſe cenſet ſe non bene operari:nec enim eſt honeſtum opus, quo ego deſpero præmium:quia ſpem abijcio illud aſſequendi:nec enim Deus deſperantes beat. Nec eſt honeſtas cum voluntate non operandi honeſtè:cum ergo tua opinione nulla ſit ſpes immortalis præmij: nec te comparas ad illud. Nec aſſequere: ergo iam pro fluxa, ac ſubita voluptate commutas beatitudinem non perituram. Ergo flagitioſè peccas: etenim qui ſciens & prudens omittit actionem: ſine qùa certus eſt ſe non fore beandum, peccatũ admittit immane: quia ſibi tantam molitur perniciē: At euidenter ſcis, ſine opinione de immortalitate animorum te non fore beandum: ergo nulla te ratio excuſat. O quam ſeram, & ſeriam inferes conſequentiam cum tuis commilitonibus, apud inferos fruentibus ſtipendijs peccatorum! *ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis: & ambulauimus vias difficiles: viam autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra; & tanquam nuncius percurrens: & tanquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam:cuius cum præterierit,non eſt veſtigium inuenire,* Sapient. 5. Audite ergo Phryges, ne ſerò ſapiatis.

SECTIO II.

Animus natura immortalis.

§. 8. VNde concludo, *Animum non modo viuere poſt mortem: ſed nec poſſe mori: ſiue* (quod recidit) *natura ſua viuere.* Etenim animæ eſt inſitum à natura ratiocinari? cognoſcere quid probè aut prauè faciendum, quid leges vetent:quid iubeant: quid permittant. Itē eſt inſita vis leges ſeruandi,& violandi:ſe liberè huc,illucque flectendi,ac reflectendi:ergo eſt ex animi natura poſſe poſt mortē præmio donari aut affici ſupplicio. Antecedentē propoſitionem probaui diſp. 15. nec eget probatione: quorſum enim Reſpublicæ ferrent leges: niſi illas ſeruare poſſemus? conſequentiā probo:quia multi excedunt è viuis inulti:multi nullo præmio donati Item in extremo vitæ diſcrimine multa flagitia commiſſa ſolita: virtutes exerceri multæ: maximè cum obitur pietatis defendendæ gratia: anne tam præclara merita,aut turpia manebũt ex ſe ſine præmio,& pœna? Quo euidēti argumento ducti cuncti fere bonæ,& malæ notæ philoſophi:& vniuerſum hominum genus immortalitatem indagarũt, adſtruxerunt, probarunt. Nec valet nonnullorum paradoxon,virtutem eſſe ſui præmium: peccatum autem ſupplicium,ô quam æqui diſtributores præmiorum! Prodidit quis Rempublicam, Virginem vitiauit: huic nullum malum infliges. Luit enim ipſe ſui ſceleris pœnas. Quas? voluptatem ipſam ſtupri:opes Principis atque Reipublicæ. Confoditur miles mille pugionibus vt tueatur patriā:hunc nullo præmio donabis:ſatis enim magno eſt donatus:Quo? dolore vulnerum,quibus confoſſus. Si ijs ſtipendijs bellum adminiſtras, paucos milites, & exiguas copias recenſebis. Ergo poſt obitum aliquis ſuperior ita afficiet bonorum, & malorũ animos. Hoc quia horrent flagitioſi Atheiſtæ, exterminant ex animo animi immortalitatem.

§. 9. Secundò probatur ex animi nobilitate in cognoſcendis obiectis & amandis. Quæ non trahit ortum ex ignobili & abiecto corpore. Hoc quid iudicat de ſpiritu? Quid de ratione virtutis & vitij? Cur bellua nulla, quantumuis aſtuta, veſtigat niſi herbam? paſtum? Cur non confabularis cum bruto? cur non inis amicitiam cum beſtia? Eia erige te;nec te ita deprimas cum belluis: à quibus tā longo interuallo potentiæ tuæ diſtant: & ex harum diſcrimine recognoſce ſpiritualem ſubſtantiam: quæ à corpore abiuncta conſiſtit.

§. 10. Adde, naturam indulgentiſſimam viuentium matrem,omnibus abunde largitam principia beatè viuendi,ſingulis pro aptitudine:nec vlli indidiſſe ſenſum,aut inclinationem niſi ad ipſius bonum: nulli in malum: nec enim brutis dedit niſi cognitionem ſui boni, & mali: vt illud ament: hoc fugiant. At ſi homo non eſt immortalis, acerbiſſimè illi eſſet nouercata natura:quæ illi indidit ſenſum de immortalitate,& norma honeſtè viuendi. Quid illius intereſt ea cognitio? niſi illum affligere timore futurorum:& torquere abſtinentia voluptatum: quibus bellum indicit, ne æternum pereat. Cur bruta nihil meditantur niſi herbam,& venerem!

rem:niſi quia nulli alij bono ſunt apta?Ergo homo aptus eſt bono honeſto,quia de illo cogitat vt ſibi conuenienti.Alioquin melius eſſet nihil de illo cogitare:ſed belluinè inhiare in voluptates.Nec opus eſt hæc tam ſtulta dogmata prolixiùs inſequi.

§. 11. Nec deſunt diuina oracula : Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſione 8. damnat omnes, qui aiunt animam eſſe mortalem : cum ergo error eſſet non ſolum de actuali morte animæ:ſed de mortalitate:& ex hac hæretici inferrent illam : ita Concilium eos in ſuo ſenſu damnat : negans mortalitatem : quia immortalitate adſtructa rectè probatur eam actu non mori. Item idem decretum ait, animam per ſe eſſentialiter eſſe formam corporis,& immortalem. Et quidem ſi reipſa afficitur pręmio & pœna,id habet & natura ſua.Licet enim vita ſupernaturalis ſit vltra eius vires:at Deus clauditur intra eius obiectum : alioquin eo non bearetur,nec poſſet magis quàm brutum.Item ex cap. 1. ad Roman.patet Philoſophos naturali lumine nouiſſe Deum,& contra eum peccaſſe : eſſéque punitos quia fuerunt inexcuſabiles : at lumine naturæ nihil ſupernaturale cognoſcitur : ergo hominem cognoſcere rationem boni & mali ; & pro ijs affici pœna, aut præmio, inſitum eſt à natura.

SECTIO III.

Vtrum ſeparatio ſit animo violenta?

§. 12. Dico primò. *Separatio eſt violenta toti compoſito.* Quia eſt à principio extrinſeco , paſſo non conferente vim; ſed reluctante per oppoſitas qualitates.De quo egi diſput.1. de generatione ſect.7.

Dico ſecundò. *Separatio eſt in fieri violenta animo,* Ita Pat. Conimbr. diſput.2. art.2. colligitur ex B. Thoma,& Caietano 1. p.q 89.art.1.quamuis non planè: (vt mox probo.) Probatur : quia mors eſt contra inclinationẽ hominis:ergo ab aliquo principio conuenit homini ea inclinatio ; non à materia;quia huic nihil eſt violentum ratione ſui ; quia ex ſe appetit omnes formas , & earum diſpoſitiones ; ergo ea inclinatio eſt ab anima. Secundò,diſpoſitiones vitæ humanæ reſiſtunt morti , ergo anima reſiſtit per illas ; quia eſt ſpeciale earum principium:à quo oriuntur ad vitam fungendam: ergo vis illata illis diſpoſitionibus , infertur animæ : quia per vim priuatur accidentibus, ab ipſa naturaliter manantibus.Item quia anima eſt natura ſua pars compoſiti : ergo natura ſua illud reſpicit, vt per ordinem ad illud compleatur:pars enim in toto cõmpletur : ac amiſſio complementi ſubſtantialis eſt violenta:ergo.

§. 13. Dices , humanitatem Chriſti Domini amiſiſſe propriam ſubſiſtentiam , & ſine vi. Nego antecedens de amiſſione propria : quæ ſupponit poſſeſſionem:ſi verò illa humanitas priùs extitiſſet cum propria ſubſiſtentia: deinceps eam poterat dupliciter amittere:vel per vnionem hypoſtaticam, quæ eſſet cauſa formalis expellendi ſubſiſtentiam propriam, hoc autẽ fieret ſine vi : quia medium expellendi erat perfectio conuenientiſſima humanitati multo melius quàm ſubſiſtentia propria:Secundò, poſſet eam amittere per corruptionem ſubſiſtentiæ , ortam aliunde:qua corruptione peracta Deus communicaret vnionem hypoſtaticam:hæc corruptio eſſet violenta in fieri ; quia priuaretur humanitas propria perfectione : at verò communicatio vnionis eſſet poſterior; qua nõ tolleretur vis prioris actionis : quæ non conſideratur ex conſequentibus : ſed ex antecedentibus : vt ſi aqua priuatur humiditate , & poſtea ei reſtituatur : prior actio fuiſſet violenta aquæ.

Dico ſecundò. *Separatio in facto eſſe, ſiue ſtatus ſeparationis non eſt violentus animo.* Ita expreſsè Caietan. 1. p.q.89.art.1.§. *Ad cuius euidentiam :* vbi exponit B.Thom. non enim eſt ille ſtatus exorbitans à natura,nec contra illam : ſed potius ait eſſe ſupra illam. Probatur : Anima tunc habet modum exiſtendi & cognoſcendi inſitum à natura: ergo non eſt contra naturam. Probo antecedens:habet modum exiſtendi cui debetur cognitio perfectiſſima quam viribus ſuæ naturæ poteſt habere:ſed omnis ſubſtantia cognoſcitiua habet inſitam inclinationem ad perfectiſſimam cognitionem ; quia potentia vt potentia petit actum:& quo nobilior eſt eius actus;eo inclinatio eſt vehementior. §. 14.

Dices primò, in illo ſtatu carere complemento ſubſtantiali: ergo eſt violenta. Nego conſequentiam : nam res tunc eſt violenta, quando caret aliqua perfectione & pro illa non ſubrogatur alia,ad quam habeat inſitam propenſionem:vt intellectui inferretur vis,ſi illi negaretur concurſus ad actum naturalem , quem poſſet elicere , niſi illi daretur alius actus nobilior priore,& incompoſſibilis cum illo : at ſi pro opinione vera daretur ſcientia,nõ eſſet violentus. Ita anima eſſet violenta vnione carens,niſi haberet cognitiones nobiliſſimas:quæ illi deb[illegible]tur in eo ſtatu : at per illas aufertur vis:quia pe[illegible]itur intellectus comprehenſione rerum naturalium:intuitione, & ſocietate Angelorum. Itaque per vnionẽ perficitur anima in ordine ad corpus:at in ſtatu ſeparationis perficitur in ordine ad intellectum, & aſſecutionem ſui vltimi finis naturalis , quod pluris fit , quàm vnio corporis. Equidem contra rationem optaret quis , perpetuò in corpore degere ; potius quàm perfectionem intellectus aſſequi in ſtatu ſeparationis. §. 15.

Dices ſecundò,actualem ſeparationem eſſe violentam animo : ergo etiam ſtatus ſeparationis.Nego conſequentiam:quia actuali ſeparationi reſiſtit per qualitates ſenſibiles:quibus caret extra corpus: item caret effectibus illarum : quorum vnus erat reſiſtere morti. Dices eamdem carentiam eſſe violentam, ſicut eſſet in corpore : nego , quia pro illis accidentibus ſubrogantur alia multo nobiliora: quod nõ contingeret in corpore:recognoſce §. 13. §. 16.

Item omnia principia efficientia ſeparationem, moliebantur malum animæ ; nec ex illorum actione aliquid accipiebat boni : nam cognitio perfecta non ſequitur per ſe,& directè ex cauſis mortis,nec ex morte : ſed ex Deo : vnde in ipſa pugna conſiderantur cauſæ necis ſecundum ea quæ per ſe habẽt: vt dixi.§.15. de ſeparatione ſubſiſtentiæ ab humanitate:humanitas priuata ſubſiſtentia propria eſſet violenta:vis autem tolleretur per ſubſiſtentiã Dei, ita anima in morte hominis patitur vim : quæ aufertur per perfectiones à Deo datas in illo ſtatu. §. 17.

Dices tertiò cum P.Conimb.Vnio eſt naturalis: ergo carentia vnionis eſt cõtra naturam, quia duo contradictoria non poſſunt eſſe connaturalia. Reſpondeo,diſtinguendo conſequens:carentia viſionis nuda eſt contra naturam, concedo conſequentiam : carentia vnionis cum perfectionibus à Deo datis in eo ſtatu eſt contra naturam , nego conſequentiam:ſimiliter reſpondeo ad probationem:vt patet in humanitate , quæ aſſumeretur poſt corruptam ſubſiſtentiam propriam : & in intellectu , à quo auferetur opinio ; & poſtea daretur ſcientia. Secundò reſpondeo duo contradictoria eſſe connaturalia ratione adiunctorum. §. 18.

§. 19. Dico tertiò. *Status ſeparationis nec eſt præter nec ſupernaturalis.* Præternaturalis non eſt: quia præternaturale eſt, quod nec prodeſt, nec obeſt ſubjecto: motus nec vt obeſt, nec prodeſt cœlo: nec color aquæ. Nec item ſupra vires animæ: quia intellectui ſubſiſtenti animæ ſeparatæ tam debetur cognitio quàm Angelo. Caietanus oppoſitum cenſet, motus motu circulari ignis à prima ſphæra accepto. Multum cõtenditur de nomine. Motus circularis, qua parte fit in centro, eſt naturalis igni: qua parte extrahit ignem à centro, eſt illi violentus: at cognitio animæ ſeparatæ illam maximè perficit. Adde aſſecutionem finis naturalis non eſſe ſupra naturam; ſed ex illius inclinatione: at cognoſcere & amare Deum perfectione cognitionis ſeparatæ, eſt finis naturalis animæ: cuius beatitudo naturalis eſt perfectiſſima cognitio quàm de Deo poteſt habere; hæc autem eſt quam habet ſeparata; ergo.

§. 20. Pythagoras dixit animas ad corpora reuocari, vt luerent pœnas flagitiorum, iam in corpore beſtię: iam in corpore prauo. Verum ſupplicia percipi debent à reo: in brutis autẽ nihil percipit animus: ergo ibi non punitur rectè. Item nec in corpore humano ſentiunt animæ antiquorum ſcelerum pœnas: nec virtutum præmia, nihil enim actum in alio corpore meminimus.

SECTIO V.

De cognitione Animæ ſeparatæ.

§. 21. POtentias rationales animum ſeparatum comitari eſt certum; ſenſus non manere eſt æquè certum. Tertiò pono cum B. Thom. 1. p. q. 89. art. 1. & alijs, animam ſeparatam accipere ſpecies à Deo. Nam diſput. 5. oſtendi ſpectare ad obiecta præbere ſpecies: vel ad Deum loco obiectorum: nunc non diſputo vtrum accipiantur ab obiectis; ſed eas non fluere ab anima. Secundò, quia Angelicas accipiunt ab extrinſeco.

§. 22. Pono quartò, animam habere alias ſpecies ab acquiſitis in via: quod in animis puerorũ & amentium patet. Tandem in Patria nullum relinqui habitum vitioſum: nec honeſtum in inferno.

§. 23. Dico primò, *Anima ſeparata exercet cognitiones ſimiles ijs, quas hic exercet.* Quam concluſionẽ docent vterque Thom. 1. p. q. 89. art. 6. Probatur: quia retinet anima omnia principia illarũ cognitionum; ſpecies enim non eſt cur corrumpantur: quia non dependent à corpore: earum excitatio extra corpus oritur tum à libertate tum ab alijs principijs: vnde bene monet Caietanus, nobis litteris incumbendum: quia earum fructus durant poſt obitum: nam ignari ijs actibus carebunt.

Dices primò, ſcientiam noſtram deſtrui in Patria, teſte Apoſtolo 1. Corint. 13. Gloſſa refert ex B. Auguſtino, probabile eſſe non manere in Patria ſcientiã actualem. Reſpondeo ea frui beatos, etiam in actu: vt de Chriſto Domino probaui in 3. p. diſp. 42. Apoſtolus ſeipſum exponit: deſtruitur ſcientia non in ſubſtantia, ſed in imperfectione; hic enim habemus ſcientiam in parte, & ænigmate; tunc autem per ſpeciẽ, & perfectè: quo euacuabitur quod ex parte eſt: quemadmodum modo habemus cognitiones ſimiles ijs quas pueri habebamus: & pręter eas habemus alias perfectiores. Item Prophetia ceſſabit, qua parte eſt obſcura. Charitas verò nunquam excidet: multi enim aiunt manere in Patria eundem actum viæ: vel ſaltem non amamus per alium habitum, aut rationem formalem: ſed per eumdem: ac propterea non euacuatur charitas; at verò cognoſcimus per alios habitus, & diuerſas rationes formales. Hæc autem diuerſitas per ſe oritur ex imperfectione habituũ intellectualium: diuerſitas autem eſt accidentaria charitati: quia non ex eius imperfectione, ſed ex imperfectione cognitionis oritur, vt rectè explicat Lyra. Ac propterea cognitio euacuatur, non charitas. §. 24.

Dices ſecundò, non manere actus Fidei, nec habitum; ergo nec ſcientias naturales. Nego conſequentiam. Vt patet in Chriſto Domino: ratio eſt: quia Fides præcipuè verſatur circa Deum, & Incarnationem: cuius obiectum formale eſt reuelatio: vbi autem res intuitiuè videntur, quid eſt opus extrinſeco teſtimonio? At ſcientiæ oriuntur ex diuerſa ratione attingendi obiecta. §. 25.

Dico ſecundò. *Anima ſeipſam immediatè cognoſcit.* Ita B. Thom. Eſtque ſine controuerſia. Nam Anima poteſt ſe ipſam cognoſcere: cognitio autẽ immediata ſui, nec ex parte obiecti, nec ex parte modi excedit capacitatẽ animæ: ergo. Confirmatur: quiuis Angelus ſe intuetur: ergo & anima. Quin opinor ab ipſa immediatè videri Angelos, & comprehendi; non aliter ac Angelus inferior cõprehendit ſuperiores. Habet autem ſpecies non diſcurſiuas: ſed quæ vno actu attingunt cauſam & effectũ. Nec aliter de illa ac de Angelo ratiocinandum cenſeo: niſi quod animaſticæ cognitiones ſunt imperfectiores Angelicis: vt inter has ſunt ſua diſcrimina. §. 26.

Obijcis, animam eſſe diſcurſiuam natura ſua, ſecus Angelos. Eſt quidem diſcurſiua pro vt in corpore: quo ſtatu caret Angelus. §. 27.

Dico tertiò. *Habitus erronei non manent in beatis: nec probabiles*: quia ſunt imperfecti: & nunquam exercendi: manent autem in damnatis: quia licet non exercendi, ſunt imperfectiones; quibus Deus non vult eos carere. §. 28.

* * *

Finis Librorum de Anima.

TOMVS

TOMVS TERTIVS.

DISPVTATIONES METAPHYSICÆ

DE ENTE TRANSNATVRALI,

ſiuè abſtracto à materia.

DISPVTATIONES METAPHYSICÆ DE ENTE TRANSNATVRALI, SIVE abſtracto à materia.

Auctore PETRO HVRTADO DE MENDOZA, *Valmaſedano: De Societate* IESV; *apud fidei Quæſitores cenſore.*

DISPVTATIO I.

Prooemium.

SECTIO I.

De obiecto, & ſubiecto in commune.

§. 1. *Obiectum & ſubiectū qua ratione differant, & conueniant.*

OBIECTVM ab obiiciendo eſt *quod potentiæ obiicitur, aut proponitur, vt ſe circa illud exerceat*; ex quo omnis habitus, potentia, & actus dignoſcenda, ſicut quæuis relatiua ex terminis. Quia verò cuiuſuis ſingularis obiecti notitia ex obiecti in communi cognitione dependet, hæc præmittenda. Ac primùm, Obiectū eſt totum id quod proponitur potentiæ vt eius terminet actum: exempli gratia, in hac propoſitione, *Petrus currit*, obiectū ſunt tam Petrus quàm curſus & vtriuſque vnio: omnia enim illa percipit intellectus. Subiectum autem eſt Petrus: oſtendi enim diſp. 1. Summularum, §. 2. ſubiectū eſſe eam partem propoſitionis obiectiuæ de qua aliquid affirmatur: differt ergo ſubiectum ab obiecto more partis à toto, non aliter ac prædicatum differt à tota propoſitione. Hæc, ſi preſsè has voces accipias; laxè autem accipiuntur à Philoſophis & Theologis; ſæpe non diſcriminantibus ſubiectum ab obiecto: arbitror, quia totum obiectum eſt materia ſubiecta potentijs, quarum obiecta vocantur potentia circa quam habitus & potentiæ verſantur. Quærunt autem facultatum ſubiecta præcipuè, quia præcipuum obiectum eſt ſubiectum ipſum propoſitionis obiectiuæ; cæteræ verò partes obiecti ſunt attributa ſubiecti. P. Molina. 1. p. q 25. art. 3. terminum omnipotentiæ diuinæ appellat *obiectum* omnipotentiæ; eſt tamen latior ſignificatio: obiectum enim propriè non tranſilit terminos potentiæ vitalis. Solùm enim quod per quamuis potentiam *cognoſcitur vel amatur*, propriè obiecti nomen accepit.

SVBSECTIO I.

De obiecto formali.

§. 2. *Sententia Conimbricen. de obiecto formali.*

EX materia, & forma veſtiganda eſt diſtinctio materialis, & formalis obiecti. Patres Conimbricenſes in lib. primum Ariſt. poſter. cap. 23. art. 1. & 3. diſtinguere videntur obiectum formale diſtinguens ſcientias partiales à formali diſtinguente totales. Totale enim obiectum formale vocant *ſcibilitatem ipſam* obiecti, nempe in colore & lumine viſibilitatem, quam dicunt eſſe aptitudinem intrinſecam ipſius coloris vt terminet viſum: obiectum autem diſtinguens ſcientias partiales dicunt eſſe *media*, per quæ ſingulis demonſtrationibus cognoſcimus concluſionem.

§. 3. *Impugnatur primò.*

Hæc inconſequenter videntur aſſerta: primùm, quia ſicut ſcientia totalis tendit in obiectum ſub ratione ſcibilis, ita ſcientia partialis tendit in partiale obiectum ſub ratione talis ſcibilitatis: ergo talis ſcibilitas; non verò medium demonſtrationis erit obiectum formale diſtinguens ſcientias partiales. Conſequentia patet ab æquitate rationis: quia vt tota ſcibilitas diſcriminat totam ſcientiā, ita ſcibilitatis pars diſcriminabit partem ſcientiæ. Antecedens probo, primùm, quia ſcientia partialis tendit in ſcibilitatem ſui obiecti: non enim ſciret hæc ſcientia obiectum ſuum niſi eſſet in ipſo intrinſeca aptitudo vt ſciretur: ſed non tendit ſciētia partialis in totam ſcibilitatem obiecti adæquati: quia ſcibilitas totius obiecti latior eſt ſcibilitate vnius obiecti: ergo ſcientia partialis tendit in ſuum obiectum ſub ratione talis ſcibilitatis.

§. 4. *Obiecta diuerſa diuerſam habent ſcibilitatem.*

Dices ſcibilitatem obiecti partialis non eſſe diuerſam à ſcibilitate totali. Contra, quia ipſi eo art. 1. verſu, *ad argumenta verò.* rectè aiunt hanc ſcibilitatem obiecti eſſe intrinſecam capacitatē ipſius obiecti ad terminandam cognitionem, & immutandam potentiam: ſed intrinſeca hæc aptitudo ſpecie diſtinguitur in partialibus obiectis ſpecie diſtinctis: ergo non eſt eadem ſcibilitas in obiecto partiali, & totali. Minor non eget probatione, tum quia hæc aptitudo nō diſtinguitur ex parte rei ab eſſentia ipſius obiecti; obiectorum autem partialium eſſentiæ eſſentialiter diſtinguūtur: tum etiam, quia cœlū verbi gratia (quod eſt obiectum partiale Phyſiologiæ) habet diſtinctam ſcibilitatem ac formica: poſſemus enim cœlum ſcire, formicam ignorantes: actus autem illi cœlici repræſentarent ſcibilitatem cœli, quin repræſentarent ſcibilitatem formicæ.

§. 5.

Secundò argumentor, quia obiectum ſcientiæ totalis

Secũdum argumentum. totalis non differt à collectione omnium obiectorum partialium vt oſtendam §. 35. Sed obiecta partialia diſtinguentia ſcientias partiales ſunt media ſingularum demonſtrationum: ergo collectio horum mediorum erit obiectum diſtinguens ſcientiam totalem ab alijs. Quod argumentum vim habet contra Conimbricenſes ipſos ea quæſt. art. 3. opinantes ſcientias naturales totales non eſſe vnã ſimplicem qualitatem, ſed plurium aggregationem cum aliquo ordine: in qua ſententia ſcientia totalis nihil eſt præter plures qualitates ſimplices: quæ ſine aggregatione ſpeciem ſumunt à medijs ſuarum demonſtrationum; agglomeratæ autem ſumunt ſpeciem à glomere omnium obiectorum. *Scientia totalis & partialis quomodo attingant obiecta.* Et quamuis ſcientia totalis eſſet vna ſimplex qualitas, adhuc ſpeciem ſumeret ab omnibus obiectis partialibus, vt conueniunt in aliqua vnitate obiecti: vt ſcientia de animali ſpeciem ſumeret ab omnibus animalibus vt conueniunt in ratione animalis: quæ ratio non diſtinguitur à parte rei ab omnibus inferioribus. Omnis ergo ſcientia totalis tendit in obiectum aliquod commune: partialis autem actus aut habitus ſibi abripiunt partem aliquam ſubiectiuam illius obiecti ſub aliqua differentia contrahente rationem communem obiecti formalis: vt viſio coloris albi tendit in illum; quia participat rationem communem coloris contractam per talem differentiam coloris. Vt ergo ſcientiæ partiales diuiduntur contrahentes rationem communem ſcientiæ, ſic & earum obiecta formalia contrahunt rationem communem formalis obiecti ſcientiæ totalis.

§. 6. *Eadẽ eſt ratio ſcibilitatis, & definitionis.* Dicunt ſcientiæ totali reſpondere obiecti ſcibilitatem vnam: at verò non eſſe mediũ vnum demonſtrationis reſpondens eidem ſcientiæ. Bonum quidem argumentum ad negandam neceſſitatem vnitatis in obiecto; præſenti autem inſtituto non facit: quia vnitas ſcibilitatis eadem ratione eſt poſſibilis aut impoſſibilis, qua vnitas mediorum: tum quia ſcibilitas obiecti eſt ipſius entitas, atque vt entitates ſunt diuerſæ aut vna, ita & ſcibilitates: per eaſdem autem entitates & eſſentias ſunt medium in prima demõſtratione à priori: in qua medium eſt definitio, à priori: ergo vt entitates, & ſcibilitates ſunt diuerſæ aut vna, ita & earum definitiones tam ſecundum ſe quàm comparatione concluſionum quas inferunt. Vnde concludo inter vnitatem & pluralitatem entitatum, & ſcibilitatum obiecti, & vnitatem & pluralitatem definitionum atque mediorum nullum eſſe diſcrimen, ſed diſtinctionem partialium ſcientiarum ſumendam eſſe cum proportione ab eadem ratione formali à qua ſumitur ſpecies ſcientiæ totalis.

§. 7. *Alia ſententia Caietani & Conimbricen.* Iidem Conimbricenſes eadem quæſt. vnica art. 1. ſecuti Caietanum 1. p. q. 1. art. 3. diſtinguunt duplex obiectum formale, alterũ, quod eſt ratio formalis *quæ*; alterum, quod eſt ratio formalis *ſub quã*. Primum eſt ipſa obiecti entitas directò conſiderata ſciẽtia: hoc ſenſu dicemus ens ſub ratione entis eſſe obiectum formale Metaphyſicæ; Theologiæ verò Deum ſub ratione Dei. Secundum autem obiectum eſt ſcibilitas ſub qua obiectum terminat ſcientiam, vt abſtractio à materia ſenſibili in rebus Mathematicis, reuelabile autem in rebus Fidei. §. autem, *ſecundus ſenſus*, aſſerunt oppoſitam ſententiam nullius eſſe poſſibilitatis. Primum, quia niſi ſub hac ratione formali non poteſt eſſe vnitas in obiecto ſcientiæ totalis. Secundò, quia cur magis lumen & color efficiunt vnum ſpecie viſum quam lumen & calor, ſi nulla eſt ratio ſpecifica in qua lumen vniatur cum colore potius quàm cum calore? Nam ſecundum rationem ſpecificam æquè differt ab vtroque.

§. 8. *Impugnatur.* Multa ſunt in hac ſententia impugnatu digna: Primùm, quia abſtractionem à materia non eſſe obiectum formale nec ratiõe diſtinguendi ſcientias fuſè contra Thomiſtas oſtendam ſect. 6. Secundò, quia argumenta ſunt ſine robore. *Eadẽ eſt difficultas contra ipſos.* Primum enim nullam vim habet in ipſorum ſententia conſtituente facultatum vnitatẽ in aggregatione plurium habituum: quæ non eſt vnitas ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ſimpliciter autẽ eſt pluralitas: plures autem ſcientiæ non exigunt obiectum ſimpliciter vnum, ſed ſufficit ſecundum quid vnum. Qua autem ratione componatur ſcientiarum vnitas cum obiectorum pluralitate, oſtendam ſect. 7. Deinde cum virtus ad terminandam ſcientiam, & potentiam immutãdam ſit idem cum entitate obiecti; ſicut ex pluribus virtutibus partialibus fit vna cauſa totalis, quia vtriuſque virtus exigitur ad effectum, ita ex duplici entitate terminante vnum actum fit vnum obiectum, non quidẽ vnitate propria ſed vnitate terminationis, ſicut Deus & creatura efficiunt vnam cauſam actiuam totalem vnitate quidem cauſalitatis per aggregationẽ duarum entitatum cauſantium, non verò vnitate ſimpliciter.

§. 9. *Contra ſecundum argumentum.* Impugnantur tertiò, quia ſecundum ipſorum argumentum contra eoſdẽ retorquetur: cum enim lumen & color tam differant ſpecie quàm lumen & calor, cur lumen potius cum colore quàm cum calore habet vim immutandi viſum? Dicent, quia id petunt ex natura ſua, cuius non poſſumus cauſam à priori reddere: ſiſtendum eſt enim in aliqua vna cauſa à priori quin infinitæ quærantur. Contrà, idem dixerim ego: eſt enim natura luminis atque coloris poſſe terminare viſum; eſt autem id contra naturam caloris: item viſus ſibi vendicat natura ſua repræſentare lumen & colorem; calorem autem non item: quorum non poteſt reddi cauſa à priori.

§. 10. *Omne obiectum formale cognoſcitur ſuo habitu.* Quartò, quia obiectum formale debet cognoſci à potentia per habitum qui ab eo accipit ſpeciem: ſed ſæpiſſime cognoſcimus obiecta quin repræſentetur hæc ſcibilitas: ergo hæc non eſt obiectum formale omnium facultatum totalium. Minor eſt manifeſta, quia per Phyſicam cognoſcimus ens mobile in commune, quin reflexè aut directè cognoſcamus illud eſſe ſcibile. Maior patet, quia omne obiectum formale cõuenit cum cæteris obiectis in ratione obiecti: ſed ratio communis obiecti eſt vt cognoſcatur aut appetatur; alioquin non obijcitur potentiæ, neque eſt terminus illius, nec materia circa quam: ergo omne obiectum formale debet cognoſci habitu cuius eſt obiectum.

§. 11. *Obiectio.* Reſpondent Conimbricenſes, verſu, *Quare ad primum*, potentiam tendere in hoc obiectum non vt in obiectum *quod*, ſed vt in obiectum *quo*, id eſt, ſine quo neque tenderet in materiale, nec ab illo diſtingueretur. Negant autem rationem diſtinctiuam ſcientiæ totalis vel potentiæ eſſe neceſſariò percipiendam ipſa ſcientia: quod dicunt eſſe in voluntate perſpicuum, quæ non percipit in obiecto rationes diſtinctiuas appetitionum.

§. 12. *Impugnatur.* Contrà: hoc reſponſo nihil datur: quæſtio enim eſt verùm poſſit eſſe obiectũ formale quod ſcientia non percipiatur: reſpondent autem eſſe obiectum formale quod non percipiatur: quod videtur ſua ipſa concluſione reſpondere. Ego contendo argumento facto nullum eſſe obiectum quin percipiatur: ad quod argumentum reſpondent eſſe obiectum quod non percipiatur, quod vitio non caret.

caret. Aſſerere autem eſſe conditionem ſine qua non, poteſt intelligi vel de conditione obiectiua vel in alio genere:hoc ſecundum non eſt è re:nam ſpecies impreſſa,& multa alia ſunt principium ſine quo non cognoſceretur obiectum:conditio autem obiectiua eſt neceſſariò percipienda intellectu. Quod, præter argumentum confectum, probat doctrina moralis:omnis enim circumſtantia obiectiua dans habitui bonitatem aut malitiam cognoſcitur intellectu, & voluntate amatur. Omne ergo principium obiectiuè tribuens actibus ſpeciem,aut habitibus,eſt neceſſariò per illos cognoſcendum. Ad probationem è voluntate reſpondeo ipſa nihil percipi vt voluntas formaliter eſt, quia nullus actus voluntatis eſt perceptio : at verò omne obiectū formale voluntatis ipſa voluntate amatur:in quo pares ſunt vtraque potentia:quia vt intellectus percipit omne ſuum obiectum,ita & voluntas amat ſuum.Quod ſi hoc exemplum aliquid faceret pro Conimbricenſibus, poſſet eodem probari non eſſe neceſſariò cognoſcēdas præmiſſas ad concluſionem, quia voluntas amat medium, quin ipſa finem cognoſcat. Licet ergo non ſit neceſſariò cognoſcendum vel amandū omne principium diſtinguens habitus intellectus & voluntatis; neceſſariò tamen eſt amandum aut cognoſcendum quod illos obiectiuè diſtinguit.

Intellectus & voluntas pares in obiecto attingendo.

§. 13. ***Alia ſolutio impugnatur.***

Dices ſcibilitatem obiecti attingi ipſis actibus: quia illa ſcibilitas eſt idem ex parte obiecti cū ipſa eiuſdem entitate, quæ percipitur actibus. Contra: ab his authoribus diſtinguitur obiectum formale à materiali, ſiue obiectum formale *quo* ab obiecto formali *ſub quo*:ego dico percipiendum eſſe vtrumque obiectum,alterum *vt quod*, alterum *vt quo* : at verò ex hoc reſponſo ſcibilitas percipitur materialiter tantum vt obiectum formale *quod*, quia percipitur vt eſt idem materialiter cum entitate & non alia ratione. At verò ſi illa diſtinctio obiectorum eſſet apta, neceſſariò vtrumque eſſet cognoſcendum diuerſa ratione.

§. 14. ***Duplex ſcibilitas:altera intrinſeca, extrinſeca altera.***

Vt autem à priori hæc ſententia impugnetur, præmitto ſcibilitatem obiecti ſumi bifariam: primùm pro denominatione extrinſeca conſiſtente in ipſis actibus potentiæ, à quibus obiectum dicitur ſcitum,amatum, viſum:de quo egi diſput.5. de anima ſect.3.& 4.latius acturus infra diſp.7.ſect.1. Hæc ratio nullo modo eſt obiectiua, quia ſe tenet ex parte potentiæ, habituum & actuum:vnde non eſt computanda inter rationes formales obiectiuas ſed inter potentiales, id eſt, ſe tenentes ex parte potentiæ. Altera ſcibilitas eſt intrinſeca obiectis ipſis, ac idem cum ipſorum eſſentia. Quapropter tendere formaliter in hāc ſcibilitatem perinde eſt ac tendere in entitatem obiecti:color enim per ſuā eſſentiam eſt viſibilis, & ens cognoſcibile. Quapropter qua ratione ens eſt obiectum formale aut materiale, eſt etiam & ſcibilitas. Quamuis enim entitas & veritas diſtinguuntur ratione noſtra, eſt tamen comparatione actuum reflexè cognoſcentium cognoſcibilitatem & veritatem tranſcendentalem : at verò actus directi quibus cognoſcitur ſubſtantia, verbi gratia, non diſtinguunt inter ens & verum, ſed quidquid vtroque ſignificatur in recto, eadem ratione illis attingitur.

§. 15. ***Concluſio de obiecto formali & materiali. Obiectū formale attingitur propter ſe.***

Dico obiectum formale eſſe *quod propter ſe vel ratione ſui cognoſcitur aut amatur* : materia verò *quod non propter ſe, neque ratione ſui, ſed propter aliud cognoſcitur & amatur*. Explico voces ; *quod ratione ſui cognoſcitur aut amatur*, habet in ſe primā rationem ob quam terminat actus, independētem à cognitione aut amore alius obiecti. *Quod* autem *amatur aut cognoſcitur propter aliud*,non habet in ſe primam rationem vt ametur & cognoſcatur : ſed in cognitione aut amore terminandis pendet aliunde. Quæ patent ex demonſtratione, quæ conſtat cōcluſione & præmiſſis obiectiuis:præmiſſæ enim in prima demonſtratione à priori vel à ſigno cognoſcuntur propter ſe independenter ab alio obiecto cognito; concluſio verò cognoſcitur propter ſiue per præmiſſas : niſi enim præmiſſæ eſſent cognitæ,non cognoſceretur concluſio.Idem patet in voluntatis obiecto : finis enim habet in ſe rationē ob quam amatur : exempli gratia, ſalus aut beatitas appetuntur ratione ſui independenter ab alio obiecto amato : at verò medium non habet in ſe primam rationem amoris ſed dependenter à fine amato:potionem enim amat æger non tamen propter illam, ſed quia valetudinem amat comparandam potione.Ratio à priori,quia in obiectis per ſe non eſt infinita progreſſio, ſed incipimus ab vno primo; ſæpe autem ab illo pergimus ad alia amanda aut cognoſcenda. Cum autem vnum ſit primum, non eſt dependens ab alio, quia iam non eſſet primum.

§. 16. ***Cur dicatur obiectū materiale & formale.*** S. Thom.

Illud ergo obiectum, quod primò attingitur à potentia vel habitu, eſt formale, ſiue primarium: obiectum autem cognitum aut amatum propter aliud eſt materiale. Quæ doctrina eſt ex S. Thom. 2.2.q.1. art. 1. vbi præmiſſas demonſtrationis appellat obiectum formale, concluſionem verò materiale:eadem ratione obiectum formale fidei cenſet eſſe primam veritatem reuelantem ; materiale myſteria ipſa reuelata. Primarium autē obiectum formale vocatur,ſecundariū verò *materiale* per analogiam materiæ & formæ. Quemadmodum enim materia eſt indifferens ad ſpecies plures compoſitorum; forma verò conſtituit certam ſpeciē compoſiti ; ita obiectum materiale eſt indifferens ad plures habitus:formale verò petit habitum certum & determinatum. Exempli gratia, hæc propoſitio *terra eſt rotunda*, monſtrata ex elementorum ſitu pertinet ad phyſicam ; eadem autem ex alijs principijs ſpectat ad aſtronomiā. At verò eſſentia corporis naturalis cognita per ſe ſpectat ad phyſicum & non ad aliam facultatem naturalem.

§. 17. ***Obiectū formale eſt in cauſa vt attingatur materiale.***

Hinc conſtat primò obiectum formale neceſſariò eſſe cauſam, propter quam obiectum materiale ametur aut cognoſcatur. Quod explicatur his terminis, *quia* & *ideo*, vt quia amo ſanitatem,amo ſciſſionē venæ.Ideo aſſentior cōcluſioni, quia ſum aſſenſus præmiſſis. Ideo credo myſterium reuelatum, quia reuelationem credo.At verò obiectum materiale nullam exercet cauſalitatem obiectiuam in obiectum formale, omnes namque propoſitiones, quibus talem cauſalitatē aſſerimus,falſæ ſunt, vt hæ duæ, *Ideo amo finem, quia amo media*:item,*quia aſſentior concluſioni,aſſentior præmiſſis.*

§. 18. ***Idem obiectū poteſt eſſe materiale ſimpliciter & formale ſecundum quid.***

Hinc infertur ſecundò, idem obiectum reſpectu diuerſorū eſſe poſſe materiale & formale, quia poteſt eius amor, aut cognitio, aut alterius amore ius cognitione pendere, & eſſe cauſa, propter quā tertium aliud obiectum ametur, aut cognoſcatur: exempli gratia, ſciſſio venæ (vt dixi §.15.) eſt obiectum materiale reſpectu actus, quo volumus ſanitatem, & eſt formale reſpectu voluntatis, qua volumus phlebotomum accerſere ; nam ideo eum accerſo, vt venam ſcindat. Item prima paſſio eſt obiectum materiale in ſyllogiſmo, in quo infertur vt concluſio, & eſt obiectum formale in ſyllogiſmo, in quo ponitur vt præmiſſa. Ratio à priori, quia in primo caſu tale obiectum habet rationem medij, aut concluſionis, in ſecundo autem

Digitized by Google

autem præmiſſarum, aut finis. Hæc autem obiecta non dicuntur formalia ſimpliciter ſed formalia ſecundaria, vel ſecundum quid, formale enim ſimpliciter pro formali primario omnes vſurpant.

§. 19. *Obiectum formale quod dicatur.* Rogas primùm an obiectum cognitum ratione ſui ſit formale, quando non poteſt ducere in cognitionem alius obiecti. Reſpondeo leuem eſſe quæſtionem, ac de nomine. Vtraque enim pars defendi poteſt. Negatiua, quia forma connotat materiam; ita obiectum formale debet & immediatè cognoſci, & eſſe ratio vt aliud cognoſcatur re aut ratione diſtinctum; alterutro autem deficiente deficit ratio obiecti formalis. Pars autem affirmatiua probari poteſt, quia ſufficit ad obiectum formale immediatè cognoſci & petere facultatem determinatam.

§. 20. *Lux non eſt abſolutè obiectum formale.* Rogas ſecundò vtrum lux ſit obiectum formale viſus; color autem materiale. Reſpondeo vtramque qualitatem eſſe obiectũ formale comparatione lucidi & colorati: quia horum ſubſtantia non videtur niſi per denominationem ab his qualitatibus. At verò lux comparata colori non eſt illius obiectum formale: quia vtraque qualitas cognoſcitur immediatè eodem actu: quia vel producunt vnam ſpeciem impreſſam vel ſpecies vtriuſque producunt viſionem vnam: nec enim viſus ex vno obiecto pergit ad aliud, eſſet enim quoddam genus diſcurſus: in appetitu (cum ſit difficilius) non eſſe huiuſmodi progreſſum oſtendi diſp. 15. de anima §. 19. lux autem vocatur à Doctoribus obiectum formale non propriè ſed metaphoricè: quia lux poteſt ſola videri, color autem non niſi cum luce: in quo lux imitatur independentiam obiecti formalis à materiali; color dependentiam materialis à formali.

§. 21. *Obiectũ formale vltimũ eſt in reſolutione.* Quod, ſicut eſt primum in cognitione, & amore, ita eſt vltimum (vt aiunt) in reſolutione, quia cum reddimus cauſas, quibus circa obiecta mouemur, reddimus ſemper immediatas, & ſic incipiendo ab vltima ſiſtimus in prima. vt ſi inuerſo ordine octo homines numeres, incipies ab octauo, & finies in primo. Verbi gratia, ſi ægrum roges cur phlebotomum accerſat? reſpondet quia vult emitti ſanguinem, & ſi roges cur velit ſanguinem emitti? reſpondet quia vult ſanitatem. Vltima igitur redditur ratio quæ primò mouet ægrotum.

SVBSECTIO II.

De obiecto materiali.

§. 22. *Obiectũ materiale quid ſit.* OBiectum materiale conſtat ex §. 15. eſſe quod cognoſcitur mediatè ſiue dependenter ab obiecto formali, & immediato: quod bipartior in materiale proximum & remotum. Remotum eſt quod *non attingitur verè & propriè in ſua entitate per actum aut habitum; ſed dicitur cognoſci denominatiuè dum cognoſcitur aliquod eius accidens.* *Non cognoſcitur propriè.* Exempli gratia, viſus cognoſcit album; hæc cognitio ſolas repræſentat lucem & albedinem; ſubſtantiam autem albam non repræſentat. Quod euidenter probatur: quia niſi per intellectum nullus formatur ſubſtantiæ conceptus: alioquin tam nobis eſſet nota ſubſtantia quàm albedo. Deinde pereunte in euchariſtia ſubſtantia panis, non ſentimus eius interitum magis quàm ſi non contingeret: quod quidem eſſet impoſſibile ſi ſubſtantiã ipſam ſentiremus: vt ſentimus albedinem mutari. Quare pecudes ſola hæc ſenſilia accidentia percipiunt propriè; ſubſtantias verò denominatiuè tantum: vt cum ego tango pallium, quo amicitur amicus, dicor amicum tangere. *Neque dat ſpeciem actibus.* Hoc obiectum per accidens eſt ad actuum diſtinctionem, quia actus ad illud nullum dicunt ordinem. In quo ſenſu accipiendus eſt S. Thom. 1. parte quæſt. 1. artic. 3. cum alijs aſſerens actus non ſpecificari ab obiecto materiali, ſed à formali: loquuntur enim de materiali remoto.

§. 23. *Obiectũ materiale remotum verè cognoſcitur.* Obiectum item materiale aliud eſt proximum: nempe *quod ſecundum ſuam entitatem amatur aut cognoſcitur verè & propriè.* Exempli gratia, in demonſtratione cognoſcuntur præmiſſæ obiectiuè, & concluſio item obiectiua, hæc tam verè & propriè & in ſe cognoſcitur, quàm illæ: quamuis concluſio eſt obiectum materiale; præmiſſæ verò formale: item quando amamus ſanitatem & potionem, æquè propriè amatur vtraque in ſe; quamuis potio propter ſanitatem; hæc autem propter ſe. Hoc genus obiecti materialis intereſt diſtinctionis & ſpecificationis actuum: quia hi dicunt tranſcendentalem ordinem ad hoc obiectum, mutato autem termino ordinis tranſcendentalis ordinem quoque ipſum mutari ambigit nemo. De quo diſſerui diſp. 5. de anima à §. 41. *Confert ad diſtinctionem actuum.*

§. 24. *Obiectio aliter diuidens obiectum.* Nonnulli non patiuntur hæc obiecta quæ à me appellantur materialia proxima, ita vocari, ſed dicunt illa etiam eſſe formalia: vnde obiectum formale diuidunt in formale *quo* & *quod*: formale *quo* dicunt eſſe obiectum primarium quod ratione ſui cognoſcitur, quia illo mouemur ad aliud obiectum cognoſcendum; quales ſunt præmiſſæ demonſtrationis, quibus mouemur ad aſſenſum concluſionis; item finis excitat voluntatem ad eligendum medium: obiectum autem formale *quod*, eſt quod cognoſcitur aut amatur in ſe ex vi obiecti primarij. Probant ſuam hanc diuiſionem, quia omnis actus intellectus & voluntatis habet obiectum formale: ſed multi actus non habent pro obiecto obiectum ipſum primarium & formale *quo*: ergo obiectum ſecundarium eſt obiectum formale, quia non eſt aliud eo munere fungens. Maior patet, quia omnis actus pertinet ad aliquem habitum ſcientiæ, aut erroris; virtutis, aut vitij: in quibus nihil eſt ſine obiecto formali. Minor patet, quia frequentiùs actibus diſtinctis attingimus concluſionem ac præmiſſas; medium ac finem.

§. 25. *Impugnatur.* Quæſtio quidem de voce non de re. Conſtat enim de rebus ipſis apud omnes: Communius tamen hæc ſecundaria obiecta vocantur materialia. S. enim Thom. ſecunda ſecundæ quæſt. 1. artic. 1. ad explicandum obiectum formale & materiale vtitur exemplo præmiſſarum & concluſionis. Nec verò ipſe ſolus, ſed cæteri quoque Theologi myſteria reuelata dicunt *materiale obiectum*; reuelationem autem ipſam cum veritate prima formale compellant. Item Deus dicitur obiectum formale charitatis; proximus autem materiale. Ad argumentum diſtinguo maiorem: nullus eſt actus intellectus aut voluntatis non habens obiectum formale cognitum per ipſum, vel per alium actum à quo ipſe dependeat, concedo maiorem cum ſua probatione: nullus eſt actus non habens obiectum formale quod attingat ſecundum ſe, nego maiorem cum ſua probatione. *Omnis actus pendet ab obiecto formali intrinſeco vel extrinſeco.* Ad minorem reſpondeo, etiam illos actus habere ſimpliciter obiectum formale cognitum per alium actum antecedentem. Non enim dicitur obiectum formale illorum quod neceſſariò illis obiiciatur; aut quod inter obiectum & actum non interijciatur aliud obiectum

obiectum; ſed quia obiicitur alicui actui antecedenti à quo ipſi dependent. alioquin Deus cognoſceretur à nobis immediatè: omniſque diſcurſiua concluſio eſſet immediata. Quapropter quando concluſio obiectiua non cognoſcitur eodem actu, quo præmiſſarum obiectum, neque medium amatur eodem actu quo finis; finis & præmiſſæ dicuntur obiectum formale extrinſecum & impulſiuum comparatione concluſionis formalis & electionis medij. Quando verò ea omnia obiecta vno cognoſcuntur actu, obiectum primarium dicitur obiectum formale intrinſecum & terminatiuum. Quare ad argumenti maiorem in §. 24. breuiùs reſpondetur, nullum eſſe actum ſine obiecto formali intrinſeco vel extrinſeco. Obiectum autem formale non requirit vt obiiciatur ſingulis actibus ſuæ facultatis. Sufficit autem & requiritur, vt primis obiiciatur: vt conſtat contra Patres Conimbricenſes à §. 10.

§. 26. *Ad obiectum formale & materiale non exigitur actuum diſtinctio.* Econtrà verò opinantur alij non poſſe aliquod obiectum eſſe materiale niſi cognoſcatur actu diſtincto ac obiectum formale: etenim inter obiectum formale & materiale reperitur aliqua cauſalitas, quæ non ſemper poteſt exerceri niſi per actus, quia obiectum concluſionis & præmiſſarum non diſtinguuntur realiter. Reſpondeo, non requiri eiuſmodi diſtinctionem: in quod conuenire videntur Philoſophi quique atque Theologi. Conſtituunt enim primam veritatem reuelantem pro obiecto formali fidei; pro materiali verò myſteria reuelata: at in communiori ſententia fides eodem actu cognoſcit primam veritatem reuelantem & reuelata: quia in eadem ſententia in fide non eſt diſcurſus. Secundò beati attingunt Deum vt obiectum formale, creaturas vt materiale; eodem tamen actu. Ratio à priori, quia cauſalitas obiecti formalis in materiale non eſt phyſica, ſed obiectiua ſeu intentionalis: ad quam non exigitur diſtinctio realis, ſed ſufficit rationis: quia in ratione obiecti eſt ratio determinans intellectum ad obiecti materialis cognitionem. Non poteſt negari hæc cauſalitas obiectiua etiam cum vno actu realiter. Deus enim eodem actu cognoſcit ſe propter ſe, creaturas verò propter ſeipſum: ipſe enim eſt ratio cognoſcendi creata. Quod ſi velis illos actus ratione noſtra diſtingui, vtere in noſtris diſtinctione eadem, non verò reali. Hæc autem cauſalitas obiectiua explicanda eſt per propoſitiones cauſales præmiſſas §. 17.

Obiectū formale obiectiuè tantùm cauſat.

SVBSECTIO III.

De obiecto proprio & attributionis.

§. 27. *Quid ſit obiectum propriū.* Alia obiecti diſtinctio explananda ſuſcipitur, quæ lucem afferet huic & aliis diſputationibus. Eſt igitur obiectum alicuius totius facultatis, aliud quidem proprium, aliud autem attributionis. Obiectum proprium eſt *quod ſecundum ſe cognoſcitur per actum.* vocatur *proprium* non quod ſpectet ad vnum actum ſolum: ſed quod propriè ſuo actu cognoſcitur. Exempli gratia, in Theologia multa obiecta cognoſcuntur præter Deum: quæ comparatione ſuorum actuum verè & propriè per ipſos cognoſcuntur; vt in hac propoſitione, *furtum eſt actus iniuſtitiæ:* in qua nihil affirmatur de Deo, ſed præcisè de contrectatione rei alienæ inuito domino prædicatur iniuſtitia. In qua propoſitione *furtum* eſt verè ſubiectum, *iniuſtitia* verè prædicatum, vtriuſque autem vnio cum ſubiecto & prædicato eſt verum obiectum. Cum autem illa propoſitio cognoſcatur habitu & actu Theologico, nullus poteſt dubitare illam eſſe obiectum Theologiæ: Theologia enim per ſuos actus non porrigitur vltra ſuum adæquatum obiectum, vt ex terminis conſtat. Hoc obiectum quando ambit omnia omnium actuum obiecta, vocatur à multis obiectum communiſſimum: ſic enim obiicitur omnibus actibus, iam totum, iam per partes.

Obiectum attributionis eſt quod & per ſe vt obiectum formale conſideratur ea facultate, & cuius gratia alia etiam conſiderantur obiecta. Exempli gratia, Deus conſideratur in Theologia vt formale obiectum; item conſideratur hæc propoſitio *furtum eſt iniuſtitia:* hæc propoſitio in ea conſideratione refertur in Deum: cuius gratia tractatur à Theologo. Non quidem ex intentione diſcentis: hæc enim accidentaria eſt actibus & obiectis: ſed ex ipſo inſtituto aſſenſus Theologici. Hæc diuiſio eſt perquam familiaris, communiter enim aſſeritur multa obiecta referri ad alia in eſſe ſcibilis: id eſt, tractantur in ſcientia vt per ipſam perfectiùs cognoſcatur aliud obiectum. Etenim homo eſt obiectum attributionis ſcientiæ de materia prima: quia huius cognitio iuuat apprimè vberiorem hominis cognitionem: item corpus mobile eſt obiectum attributionis phyſiologiæ, in qua cognitio de motu refertur ad corpus: quod perfectiùs cognoſcitur ex motu. §. 28. *Quid obiectū attributionis.*

Hæc ſententia eſt Ariſtotelis 7. metaph. cap. 11. agens enim de ſubſtantia ſpirituali, *huius enim gratia* (inquit) *& de ſenſibilibus ſubſtantijs definire tentamus.* libro autem 9. oſtendit ad eandem facultatem pertinere agere de aliquo obiecto & illius contrario, ſed huius per attributionem ad illud. *Ratio autem* (inquit) *eadem manifeſtat & rem & priuationem, niſi quod non ſimiliter; & quodammodo quidem eadem eſt; quodammodo verò eius magis quod exiſtit.* & 4. metaphyſic. cap. 2. eſt in eadem ſententia. §. 29. Ariſtot.

B. Thomas 1. part. quæſt. 1. art. 7. ait Deum eſſe ſubiectum Theologiæ, quia ad Deum referuntur omnia: vel tanquam ad principium, vel finem. Et verò ibidem amittit alia præter Deū, quæ in Theologia tractantur: ſed 1. metaphyſ. lect. 7. initio ferè iiſdem verbis quibus nos hanc ſententiam ex mente Ariſtot. exponit & probat. Recognoſce P. Molinam 1. part. quæſt. 1. artic. 6. diſput. 1. concluſ. 1. P. Vazquez diſput. 10. cap. 1. Suarez autem in præſenti diſput. 1. ſect. 1. docet metaphyſicæ obiectum eſſe ens reale per ſe, entia verò per accidens & rationis indirectè cognoſci in ordine ad illud. Adde Fonſecam 4. metaphyſ. cap. 1. q. 1. ſect. 3. concluſ. 3. qui conciliat ſententiam quam tradiderat ſect. 2. Quam doctrinam paucis expreſſit celeberrimus noſter Hieronymus Pradus commentario in Ezechiel. ſect. 1. initio. *Nec enim* (inquit) *omnium ſcripturarum ſubiectum aut obiectum eſt Chriſtus, tametſi finis ſit.* §. 30. S. Thomas. P. Molina. P. Vazquez. P. Suarez. P. Fonſeca. P. Pradus.

Et quidem hac diſtinctione obiecti proprij & attributionis amicitiam ineunt varij Doctores verborum ſono pugnantes. Etenim P. Petrus Arrubal 1. part. diſput. 6. cap. 5. & alij negant Deum eſſe adæquatum obiectū Theologiæ: Sāctus autem Thom. & alij affirmant, quæ ſententiæ abſonant primo pulſu: ſi tamen hæc obſeruetur diſtinctio, non ſunt oppoſitæ. Primi enim agunt de obiecto proprio; ſecundi verò de obiecto attributionis. Nonnulli verò hanc diſtinctionem non attingentes non ſe extricant è confuſione vocum, quibus hallucinantur in conſtituendis facultatum obie- §. 31. *Duæ opiniones cōciliatæ.* P. Arrubal. S. Thom.

ctis. Vocatur autem obiectum attributionis, quia ponitur eius cognitio pro cauſa finali cognitionum de aliis obiectis: exempli gratia, hac propoſitione cauſali, ideo in Theologia agitur de creaturis, quia agitur de Deo: vel quia Deus perfectiùs cognoſcetur. Obiectum igitur attributionis & eius cognitio ſunt finis cognitionum de cæteris obiectis.

§. 32. *Grauis difficultas.* Emergit hinc grauis difficultas: non enim videtur poſſe reddi ratio ob quam actus ex natura ſua referantur ad aliorum obiecta: quapropter ex natura rei nullum poterit eſſe obiectum attributionis totius ſcientiæ; illos autem referri ex ſola voluntate ſcientis eſt accidentariũ; poteritque ſciens ſuo libito referre, quod voluerit obiectum ad aliud. Neq; fugiunt qui facultates totales cõſtituunt ſimplicem vnum habitum: etenim potentia eſt etiam ſimplex, non tamen propterea habet vnum obiectum attributionis: ab vna enim potentia ſimplici naſci poſſunt multi actus, quorum nullus attribuatur aliis: ergo idem poterit eſſe in habitu. Pone phyſicam eſſe vnam ſimplicem qualitatem: actus de cælo non refertur ad hominem. Ratio à priori, quia in facultatibus naturalibus ſunt multa obiecta inter ſe independentia in eſſe ſcibili, vt patet in phyſica conſiderante cælum, hominem, piſces & plantas: quæ ſiue vno ſiue pluribus habitibus noſcantur, æquam habent dependentiam aut independentiam in eſſe ſcibili: parum ergo intereſt inſtituti præſentis ſingularitas aut pluralitas habituum.

Communis quidem etiã opinantibus ſcientiam eſſe ſimplicẽ qualitatem.

§. 33. *Etiamſi obiectum ſit vnũ.* Fortè cenſebunt alij hanc attributionem niti vnitati obiecti cuiuſque facultatis totalis. Etenim phyſica contemplatur corpus mobile ſub vna ratione corporis mobilis vt ſic abſtractum à materia ſenſibili ſingulari: cuius attributa perſcrutatur, cauſas & effecta. Contra: quia phyſica conſiderat multa corpora abſtracta à materia ſenſibili & ſingulari, quæ inter ſe non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere diſtinguuntur, vt corruptibile & incorruptibile. Quorũ vnitas nulla eſt niſi in conceptu communi corporis mobilis. Hæc autem vnitas non eſt obiectum attributionis actuum de cælo & de homine. In philoſophia enim non ideo agitur de homine, quia in illa agitur de corpore mobili vt ſic: ſed potius ideo agitur de corpore vt ſic, quia agitur de homine: quia conceptus communis refertur in eſſe ſcibili ad ſpecificos; non verò econtra, vt oſtendam ſect. 3. Quamuis enim eadem facultas agit de genere & ſpecie, tamen de genere per attributionem ad ſpeciem: cum autem ſpecies corporum ſint independentes in eſſe ſcibili, non poteſt inter illas aſſignari attributionis obiectum.

Genus refertur ad ſpeciẽ in eſſe ſcibili.

§. 34 *Satisfit difficultati obiectæ.* Si verò vnitas corporum accipiatur pro omnium corporum aceruo, vrget noſtra difficultas: quia cum in illa collectione ſint multæ ſpecies independentes in eſſe ſcibili, non poteſt vna eſſe cæterarum attributionis obiectum. Huic tamen difficultati fiet ſatis ſect. 7. oſtendens enim ſcientiarum vnitatem oſtendam multos actus in eſſe ſcibili referri ad obiecta aliorum. Subſtantia enim creata eſt per ſe primò cognoſcibilis: cuius perfecta cognitio vindicat natura ſua cognitionem cauſarum ſubſtantiæ creatæ, attributorum & effectuum. Itaque obiectum attributionis connexionem habet natura ſua in eſſe ſcibilis cum obiectis ipſi attributis, & illorum cognitionibus: ideo enim in phyſica agitur de motu, quia agitur de ſubſtantia corporea principio motus. Quando verò obiecta nullam habent connexionem, nullum attribuitur alij.

SVBSECTIO IV.

De obiecto adæquato & partiali.

§. 35. *Potentia & omnes eius actus idẽ habent obiectũ.* *P.Conimb.* INitio ſtatuendum eſt obiectum totale alicuius potentiæ eſſe omnino idem cum obiecto totali omnium habituum & actuum eiuſdem potentiæ: à qua poſitione nullum ſenſi diſſentiri præter Patres Conimbricenſes in cap. 23. 1. poſter. art. 3. verſu *ad primum*. vbi cenſent potentiam ſpecificari immediatè à ratione ſub qua; habitum verò à ratione per quam. Iam oſtendi § 7. conſtitui ab his authoribus ſcibilitatem obiectiuam pro ratione formali *ſub qua*; entitatẽ verò obiecti pro ratione *per quam*. Intellectus enim tendit in obiectum ſub ratione intelligibilis, viſus autem ſub ratione viſibilis: intellectus autem cognoſcit ens & per illud eius attributa. Quos impugnaui latè tota ſubſect. 1. oſtendens ſcibilitatem hanc & entitatem eſſe idem ex parte obiecti, eáque propter vtramque eſſe obiectum ratione eadem. Vnde cum phyſica tendat in corpus ſub ratione ſcibilis abſtracti à materia ſingulari, non tamen ſenſibili: Metaphyſica verò tendat in ens ſub ratione ſcibilis abſtracti à materia etiam intelligibili, potentia tendet in hæc obiecta ſub ratione ſcibilis abſtracti, & non abſtracti à materia ſenſibili: totáque collectio ſcibilitatum, obiectiuarum, vt conueniunt in ratione intelligibilis, erit obiectum ſpecificans intellectum. Item hi authores admittunt ſcientias totales ſpecificari à ratione *ſub qua*; partiales verò à ratione *per quam*: ergo potentia ſpeciem ſumet ab his rationibus ſub quibus, quamuis non à rationibus per quas. Quod autem dicunt potentiam non eſſe iudicatiuam; habitum verò eſſe iudicatiuum, eſt falſum. Habitus enim ſolum eſt iudicatiuus, quia inclinat ad iudicium; potentia verò non ſolum inclinat ad illud, ſed illud efficit vitaliter: intellectus enim iudicat vt *quod*, actus autem vt *quo*, quia eſt ratio per quam intellectus iudicat: habitus autem nec vt *quod* iudicat, nec vt *quo*. Quapropter minus malè tribueretur potentiæ ratio formalis *per quam*, quàm habitui: quia ſi hæc tribuitur principio iudicanti, potentia iudicat & non habitus.

§. 36. *Potentia repræſentat obiectum vt quod: actus autẽ vt quo.* Poſitio hæc probatur à priori, quia potentia creata non eſt repræſentatio obiecti, quia repræſentatio eſt actus ipſius potentiæ: ergo in obiectum ſuum tendit potentia per actum, qui ſit verè repræſentatio obiecti: ergo potentia & omnes eius actus collectiuè, habent idem obiectum adæquatum. Probo conſequentiam: quia potentia repræſentans *vt quod*, & ratio repræſentandi *vt quo* repræſentant idem omnino obiectum, altera *vt quo*, altera *vt quod*. Quemadmodum cauſa efficiens & eius efficientia producunt eundem penitus terminum: cauſa quidem *vt quod*; efficientia verò *vt quo*. Rem explico præ claritate difficilem explicatu: repræſentatio conſtituit potentiam repræſentantem formaliter: ſed non poteſt illam conſtituere repræſentantem aliud obiectum præter id cuius ipſa eſt repræſentatio: ergo repræſentatio & potentia repræſentans habent idem obiectum. Cum autem ſit argumentum idem de ſingulis repræſentationibus, & earum collectione, infertur apertè potentiam & eius actus tendere in obiectum idem. Alioquin cede mihi aliquem actum, qui non repræſentet potentiæ obiectum ſuum; aut oſtende mihi aliquod obiectum in quod potentia tendat, niſi per aliquem ſuum actum. Ipſa enim ſcibilitas obiectiua quam Conimbrica dicit non cognoſci à potentia, reſpicitur à potentia per actus

actus ipſos, quamuis non repræſentetur per illos, vt ipſi dicunt non repræſentari per potentiam: quia potentia tendit in ſcibilitatem, qua ratione potentia ipſa eſt ſcitiua, vt ita dicam: ſcire autem, & poſſe ſcire, eſt per ſcientiam actualem aut poſſibilem: ergo quæuis tendentia potentiæ in ſuum obiectum eſt per cognitionem, vt per formalem rationem tendendi.

§. 37. *Habitus & eius actus habent idem obiectum.*

E quibus deduco habitualem ſcientiam totalem non habere aliud obiectum formale aut materiale, niſi quod habent omnes eius actus: habitus enim non tendit immediatè in obiectum, ſed mediis actibus: ergo in obiectum idem tendunt actus & habitus. Obiectum vnius actus quamuis comparatione illius eſt totale, comparatione tamen potentiæ & ſcientiæ totalis eſt partiale: quia cum potentia & habitus habeant alios actus circa alia obiecta, hæc quoque ſunt obiecta habitus & potentiæ. Quare obiectum adæquatum Fidei, Theologiæ, & Metaphyſicæ, erit collectio omnium obiectorum illarum facultatum. Quod diligenter obſerua ad huius dubij explanationem.

Obiectum totale actus eſt partiale potētia, & ſciētia totalis.

§. 38. Sotus.

Conditiones obiecti totalis.

In quo dubio non eſt conſtans omnium ſententia. Scotus in proœmio logicæ quæſt. 5. tres ſubiicit conditiones vt aliquid ſit obiectum adæquatum alicuius facultatis. Prima, vt omnia quæ tractantur in ea facultate, contineantur tanquam in prædicato vniuerſali: id eſt, vt ſit pars illius aut aliquid ad ipſum pertinens. Ob quod dicitur ſubiectum attributionis, quia omnia ipſi attribuuntur. Secunda, vt cognitio eius obiecti principaliter quæratur in ea facultate. Tertia, vt per ſubiectum diſtinguatur ſcientia ab aliis. Quam doctrinam adſcribit S. Thomas in prologo ſententiarum artic. 4. cui ſubſcribit Toletus eadem q. 5. ſub initium: addit tamen quartam conditionem, nempe vt ſcientia ipſa tradat cauſas ſui obiecti. Didacus Maſius in proœmio logicæ ſectione 1. quæſt. 13. verſu *ad hæc ſciendum*, verbum pro verbo Sotum deſcribit. P. Rubius quæſt. 6. num. 17. Soto addit, vt obiectum ſit vnum aliquo modo vt poſſit tribuere vnitatem ſcientiæ, quæ doctrina communis eſt Thomiſtis. Aliqui etiam addunt illud debere eſſe commune per prædicationem ſaltem in obliquo omnibus partibus facultatis.

S.Thom. Toletus. Maſius. P.Rubius.

§. 39. *Impugnantur prima & quarta Soti & Thomiſtarum.*

Hæc tamen doctrina eſt valde confuſa: partim enim quadrat in ſolum obiectum adæquatum proprium, ſiue quod ab aliis vocatur communiſſimum: partim in ſolum obiectum adæquatum attributionis: quæ duo genera obiectorum diſtinxi ſubſectione ſuperiori. Nam obiectum eſſe prædicatum vniuerſale omnium actuum, pertinet ad ſolum obiectum proprium aut communiſſimum: etenim obiici omnibus actibus pertinet ad collectionem omnium obiectorum: quam collectionem integram attingunt omnes actus ſimul; ſinguli autem actus tangunt partes collectionis. Exempli gratia omnes actus fidei repræſentant primam veritatem, omnes reuelationes, & omnia reuelata: actus autem de Antichriſto tangit Antichriſtum, quia eſt pars reuelatorum. Hoc autem non poſſe conuenire obiecto adæquato attributionis probatur exemplo ipſius fidei: cuius adæquatum obiectum attributionis eſt Deus ſecundùm ſe, qui non eſt obiectum, nec prædicatum commune ſingulorum actuum fidei. Hoc enim actu, Abraham genuit Iſaac, nihil repræſentatur de Deo, neque affirmatur aut negatur.

Obiectum attributionis non eſt prædicatum cōmune etiā in obliquo omniū actuum.

§. 40. Quapropter Deus non eſt obiectum proprium eius actus, cum tamen ſit obiectum attributionis, vt oſtendo latè diſputatione de fide. Item corpus mobile eſt adæquatum ſubiectum attributionis phyſiologiæ; nec tamen eſt obiectum vniuerſale omnium ipſius actuum: etenim hic actus, *priuatio non eſt ens rationis*, cum ſit phyſicus, non attingit ſubſtantiam corporis. Vnde conſtat quartam etiam conditionem additam ab aliquibus Thomiſtis de prædicatione vniuerſali ſaltem in obliquo, aptam non eſſe. Nam de obiecto attributionis eam eſſe falſam oſtendi: de obiecto autem proprio ſiue communiſſimo debet prædicatio eſſe directa & non in obliquo, quia aliqua pars eius obiecti directè cognoſcitur aliquibus actibus: ergo hæ conditiones non ſunt aptè recenſitæ.

Obiectū adæquatum non eſt opus vt ſit prædicatum vniuerſale.

§. 41. *S. Thom. non aſſignat de obiecto adæquato conditiones quas Thomiſtæ.*

Neſcio ſanè, quibus oculis aliqui legunt S. Thomam: agens enim eo articulo 4. prologi ſententiarum de tribus conditionibus obiecti adæquati, de hac prædicatione nec per ſomnum cogitaſſe videtur: non enim meminit de prædicatione communi in recto aut in obliquo. Quin potius ad primum præciſè exigit ad rationem ſubiecti vt in aliqua propoſitione aliquid de eo prædicetur. Quarta verò conditio addita à Cardinali Toleto non eſt neceſſaria, quia ens in commune præſcindit à creato & increato, ac propterea illi conceptui vt ſic nulla cauſa reſpondet, cum tamen obiectum ſit Metaphyſicæ. Item Deus carens omni genere cauſæ eſt Metaphyſicæ, Fidei, & Theologiæ ſubiectum. Quarta autem conditio adiecta à Pat. Rubio minimè eſt neceſſaria: quia neque ſcientiæ totales ſunt vna ſimplex qualitas naturalis; nec ſi eſſent, exigerent propterea vnitatem obiecti.

P. Toletus. P.Rubius.

§. 42. *Obiectū adæquatum propriū eſt quod repræſētatur omnibus actibus, eſtq́; collectio omniū obiectorum.*

Controuerſiæ huic nullus eſſet locus, niſi obtenebrata eſſet ab authoribus intricata multiplicitate conditionum obiecti totalis. Quod quidem poteſt eſſe aut proprium ſiue communiſſimum, vel poteſt eſſe attributionis. In vnoquoque res eſt clara. Obiectum enim quod cognoſcitur per omnes actus alicuius facultatis eſt obiectum adæquatum proprium facultatis ipſius vt conſtat è §. 37. vt aliquid ſit ſubiectum alicuius ſcientiæ ſatis eſt, ſi in ipſa propoſitione aliquid de ipſo prædicetur, vt expreſſit S. Thomas in prologo ſententiarum, articul. 4. ad primum. Quod quidem ſubiectum eſt in illa facultate partiali: quia præter illud ſunt alia ſubiecta aliorum actuum. Sume totam collectionem propoſitionum obiectiuarum, & finge illas eſſe duas aut tres: verbi gratia, *cælum eſt incorruptibile: homo eſt riſibilis. Materia prima eſt pura potentia*: tunc cælum, homo, & materia ſunt ſubiectum adæquatum Philoſophiæ: quia in ea facultate hæc tria ſunt ſubiectum & nihil aliud: quia de his & non de alio prædicatur aliquid. Prædicatum autem totale ſunt incorruptibilitas, riſibilitas, & potentialitas: quia hæc prædicantur & nihil aliud: vnio autem adæquata eſt, quæ ponitur in tribus illis propoſitionibus. Ergo obiectum adæquatum Philoſophiæ ſunt illa tria ſubiecta, illa tria prædicata, & illæ tres vniones: tum quia obiectum nihil eſt præter totam propoſitionem: tum etiam, quia omnes actus Philoſophiæ habent illud pro obiecto adæquato: habitus autem & omnes eius actus habent idem omnino obiectum. Quam doctrinam in ſcholis tradidi in proœmio Logicæ quam iam video etiam in tyronibus altas radices egiſſe, eſt enim per ſe nota è ſolis terminis apprehenſis.

S. Thom.

§. 43. Hoc genus obiecti ſibi vindicat in ſuo genere omnes

Hoc obiectū vindicat ſibi tres conditiones, quas S. Tho. aſſignat de obiecto. omnes conditiones, quas S. Thom. art.4. prologi adſcribit obiecto. Prima namque, quod quæcumque ſunt in ſcientia, contineantur ſub ſubiecto: omnia enim prædicata & omnes vniones illi conueniunt: ſi autem ſubiectum accipias pro obiecto, nihil obiecti eſt in tota ſcientia, quod non contineatur in tota collectione obiectorum: quæ collectio eſt obiectum totale ſcientiæ. Secunda conditio eſt vt ſubiecti cognitio principaliter attendatur in ſcientia: quod quidem verum eſt de ſubiecto propriè quod eſt propoſitionis obiectiuæ pars: quia prædicatum & vnio ſunt ad perfectam cognitionem ſubiecti. Si autem ſubiectum vſurpetur pro obiecto, huius obiecti notitia non ſolùm principaliter attenditur, ſed etiam totaliter. Sanctus autem Thomas egit de ſubiecto propriè ſumpto. Tertia autem conditio, quod ſubiectum diſtinguat ſcientiam ab omnibus aliis. Quod quidem in hoc genus obiecti quadrat apprimè: quia hoc obiectum eſt terminus, quem adæquatè conſiderat ſcientia actualis cum ordine tranſcendentali ad illum: mutato autem termino in toto vel in parte iam non terminat adęquatè eundem ordinē, neque ſcientiā.

§.44. *Ab eo ſciētia ſumit ſpeciē.* Aſſurgit quidam nouus, aſſerens hoc obiectum non eſſe à quo ſcientia ſumit ſpeciem: diſtinguit enim obiectum communiſſimum (quod ego proprium appello) à ſpecificatiuo ſcientiæ, quod hic author non videtur diſcriminare ab attributionis obiecto. Contra primùm, obiectum communiſſimum amplectitur vt partem ſui obiectum attributionis ſiue ſpecificatiuum: ergo obiectum communiſſimum dat etiam ſpeciem ſcientiæ. Conſequentia patet, quia quod præſtat aliqua pars, præſtatur à toto cuius eſt pars, etiamſi totum ſit per accidens: quæ enim præſtant aliquæ exercitus copiæ, dicuntur ab exercitu fieri. Contra ſecundò: nullus negat habitum ſpecificari ab obiecto formali: ſed hoc obiectum communiſſimum præcipuè complectitur omnia obiecta formalia facultatis: ergo ab hoc obiecto communiſſimo ſcientiæ ſumit ſpeciem. Probo minorem, quia ſcientia includit habitus præmiſſarum & concluſionum: phyſicus enim non ſolum habet concluſiones de entis mobilis attributis, ſed etiam præmiſſas immediatas de eiuſdem eſſentia: ſed præmiſſæ obiectiuè ſunt obiectum formale ſcientiæ: vt conſtat ex S Thom. 2. 2.
S.Thomas. q.1. art.1. & comparat primam veritatem, quæ eſt obiectum formale fidei, præmiſſis demonſtratiuis: at verò fides ſpeciem ſumit à prima veritate: vnde & ſcientia eamdem ſumet à præmiſſis: recognoſce à §.15. Item omnes præmiſſæ obiectiuæ continentur in obiecto adæquato proprio alicuius facultatis: ergo hoc obiectum communiſſimum dat ſpeciem facultatibus.

§.45. Tandem totum hoc obiectum ſecundum omnes ſuas partes dat ſpeciem omnibus actibus, quibus tangitur: ergo hoc obiectum ſecundum omnes ſuas partes dat etiam ſpeciem toti facultati habituali. Antecedens conſtat ex §.23. latius autem ex diſput.5. de anima, à §.26. Conſequentiam probo, quia habitus ſumit ſpeciem remotè ab obiecto, non verò proximè: quia illud non reſpicit per ſe ſed per ſuos actus: tota enim eius immediata cauſalitas eſt in actus ipſos: habitus autem immediatè ſumit ſpeciem ab actibus: ergo quando actuum collectio eſt ſpecie diuerſa, habitus quoque erunt diuerſi, & quando obiectum ſufficit ad tribuendam immediatè ſpeciem actibus, ſufficiet etiam ad eamdem mediatè tribuēdam habitibus: quia obiectū per actus dat ſpeciem habitui. Imo quamuis immediatè eam daret obiecto, ſufficeret ad eam tribuendam habitui ſicut omnibus actibus. Quod verò requirunt hi authores vnitatem, partim eſt falſum: partim non eſt è re: quia, ſicut omnia obiecta formalia conueniunt in ratione ſcibilis, ita & cætera quæ per illam cognoſcuntur. Tandem propterea §. 39. dixi conditiones à nonnullis obiecto adæquato aſſignatas eſſe confuſas: quia hæc de vnitate plurimum quadrat in ſolum obiectum adæquatum attributionis: quia obiectū communiſſimum amplectitur plura obiecta etiam formalia.

Supereſt explicandum adęquatum attributionis obiectum: quod quidem eſt illud, quod in facultate eſt præcipuum, & quod gratia ſui cōſideratur vt obiectum formale, ſaltem partiale; & cuius gratia cætera contemplamur obiecta. Quæ omnia perſpicuè conſtant à §.28. Huic obiecto non deſunt tres Thomiſticæ conditiones in prolog. ſentent. art.4. Etenim continet omnia, quæ in facultate conſiderantur; partim quia per ſe terminat pręcipuos illius actus; partim quod cætera obiecta illius gratia tractantur in ſcientia: quod eſt omnia ad illud referri in eſſe ſcibili. Item illius cognitio principaliter attenditur in ſcientia: finis enim principalius quæritur quàm media. Diſtinguit item ſuam ſcientiam ab aliis, non quod terminet omnes eius actus, ſed quod ſit omnium finis. E quibus conſtat, S.Thom. ſatis cautè expoſuiſſe conditiones obiecti adęquati abſtracti ab attributionis & communiſſimo. §. 46. *Obiectū adæquatum attributionis quid?* S.Thom. S.Thom.

Obiectum partiale eſt pars totius obiecti. Interdum aliqui actus repræſentant obiecta plura: omnia ſimul ſunt illius adæquatum obiectum; ſingula autem ſunt obiectum partiale. Idem dixerim de habitu & potentia. Item hoc obiectum diuidi poteſt in obiectum partiale proprium, & attributionis: quemadmodum diuiſum eſt obiectum adæquatum. §. 47. *Quid ſit obiectum partiale?*

SECTIO II.

De obiecto Metaphyſicæ proprio ſeu communiſſimo.

SEctione 3. & 4. agendum de attributionis obiecto adæquato: nunc expediendum eſt obiectum adæquatum proprium: nempe quid Metaphyſica conſideret per omnes ſuos actus: illud enim erit obiectum adæquatum actuum & habituum, vt conſtat ex §.42. Eritque expedita quæſtio ſi partialia obiecta oſtenderimus: tota enim illorum collectio erit Metaphyſicę proprium & totum obiectum. Qua in re complures ſunt authorum ſententiæ, quas grauiter & eruditè proponit partímque refellit P.Franciſc. Suarez clariſſimum non ſolum Societatis, & Hiſpaniæ lumen, ſed etiam Eccleſiæ totius, diſput. 1. met. ſect. 1. quem recentes deprædati reticent in furto, illum tamen contumeliis afficiunt quando arbitrantur ſe poſſe illū mordere. Recognoſce etiam P.Fonſecam 4. met. cap. 1. quæſt. 1. eruditè quidem proponentem ſententias eaſdem. Quas ego commodiùs expendam, propriam oſtendens atque confirmans. §. 48. *P.Suar. lumē Societatis, Hiſpaniæ, & Eccleſiæ.* P.Fonſeca.

SVBSECTIO I.

Metaphyſica conſiderat ens reale, atque rationis.

DIco primò. *Metaphyſica conſiderat vt obiectum proprium partiale conceptum entis vt ſic abſtracti ab omni materia ſingulari, ſenſibili, & intelligibili.* Hæc conclu- §. 49. *Ens vt ſic eſt obiectū partiale metaph.*

concluſio tam in confeſſo eſt apud authores omnes, vt à nullo negetur. Præmitto autem à me nunc dari diſputandi gratia habitus contemplantes has rationes communes entis ſpectare ad Metaphyſicam propriè; eóſque non eſſe communes etiam phyſicè. Itaque ex ſuppoſitione quòd ſit aliquis habitus id contemplans obiectum, præmitto nunc illum non eſſe Phyſicæ, ſed Metaphyſicæ: quæ difficultas ex inſtituto diſputabitur §. 188.

§. 50. Probatur ergo concluſio, quia conceptus entis vt ſic abſtracti ab omni materia eſt per ſe cognoſcibilis: habet enim conceptum quidditatiuum de quo prædicari poſſunt eius attributa: ergo poteſt eſſe ſubiectum alicuius habitus in prædicatione per ſcientiam actualem. Conſequentia patet, quia vt rectè dixit S. Thomas in prologo ſententiarum art. 4. ad primum, vt aliquid ſit ſubiectum in propoſitione ſufficit, ſi de illo aliquid prædicetur: quod etiam ſufficit, vt ſit etiam ſubiectum habitus ad quem ſpectat actualis prædicatio: vt enim conſtat ex Summulis, ſubiectum eſt de quo aliquid prædicatur: dixi etiam §. 1. ſubiectum propoſitionis eſſe partem obiecti. Attributum autem quod de ente vt ſic prædicatur, & vtriuſque vnio ſpectant etiam ad obiectum actus: ens ergo cum ſuis attributis eſt obiectum alicuius habitus. Habitus autem abſtrahentes obiectum ab omni materia pertinent ad Metaphyſicam: quæ ita vocatur, quia contemplatur entia vltranaturalia, id eſt, non compoſita in illo conceptu ex materia & forma, quæ ſunt natura.

§. 51. *Item & ens rationis vt ſic.* Dico ſecundò. *Ens rationis vt ſic abſtractum ab ente rationis concernente omnem materiam, eſt obiectum partiale proprium Metaphyſicæ; ſiue continetur in Metaphyſicæ obiecto communiſſimo.* Ita ſentire videtur Ariſtoteles (*Ariſtot.*) libr. 9. Metaphyſic. & libr. 4. cap. 2. cuius verba adduxi §. 29. Cenſet enim eadem diſciplina conſiderari & rem & priuationem: vnde effluxit adagium, *Contrariorum eadem eſt diſciplina.* Probatúrque primùm exemplo cæterarum facultatum: Logicus enim contemplatur ſyllogiſmum demonſtratiuum & elenchum: primus eſt ſyllogiſmus legitimus, ſecundus autem illegitimus, neque abſolutè eſt ſyllogiſmus. Item Phyſicus contemplatur formam & priuationem. Theologus autem Deum & idolum, virtutem & peccatum. Sed ens rationis eſt etiam oppoſitum enti reali, quia alterum eſt ens, alterum verò non ens, ſed quædam entis imitatio: ergo vt cæteræ facultates contemplantur monſtra oppoſita ſuis obiectis, quidni idem faciet Metaphyſicus?

§. 52. Secundò hic actus, *ens rationis habet eſſe obiectiuè tantum in intellectu*, eſt metaphyſicus: ergo hic tractat de rationis ente. Conſequentia patet, quia totum obiectum huius actus eſt definitio entis rationis. Per illam autem definitionem progredi poſſumus ad affectiones ipſius entis, nempe ad eius diſtinctionem & oppoſitionem cum ente reali: item ad entis rationis diuiſionem. Antecedens autem probo: quia ille actus non eſt logicus: hic enim non agit de ente rationis, vt ſic, ſed de ente rationis verſante in ſecundis intentionibus, nempe in definiendo, diuidendo, & arguendo: rationem verò entis rationis vt ſic, non magis conſiderat quàm rationem entis per accidens, quamuis conſideret aliquam ſpeciem entis per accidens. Quod enim Ariſtoteles (*Ariſtot.*) dixit logicum agere de omni ente rationis, intellige de omni ſecunda intentione: quia vt Metaphyſicus agit de ente reali ſecundùm ſe, & de ente rationis etiam ſecundum ſe, ita logicus agit de omni ente vt ſubeſt ſecundis intentionibus, quæ vocantur entia rationis. Neque item ille actus eſt phyſicus: quia hic non abſtrahit ab ente rationis concernente materiam ſenſibilem; ſed agit de ente rationis reperto in materia ſenſibili: & quemadmodum phyſicus non agit de ente reali vt ſic, ita nec de ente rationis vt ſic: agit autem de quibuſdã ſpeciebus entis realis, & rationis illis oppoſiti. Eum autem actum non ſpectare ad Arithmeticam aut Mathematicas, non eget probatione. Supereſt ergo vt ſit actus metaphyſicus.

Tertiò probatur à priori: quia ens rationis non ſolùm ſecundum extrema realia quæ connotat, ſed etiam ſecundum rationem chymæricam quam eſſentialiter includit, eſt cognoſcibile: hac enim propoſitione, *Deus eſt corpus*, non ſolùm concipio duo extrema realia Deum, & corpus, ſed etiam vnionem quæ non eſt realis ſed ficta. Ideo enim illa propoſitio eſt falſa, quia affirmat vnionem illorum extremorum; at non poteſt eam affirmare niſi eam cognoſcendo: ergo ens rationis eſt cognoſcibile in ſuo conceptu obiectiuo: quod ſi cognoſcibile eſt in illo conceptu: ergo eſt obiectum alicuius cognitionis: ſed illa cognitio vocatur metaphyſica, quia obiectum abſtrahit ab omni materia, & quia ille conceptus entis rationis vt ſic, refertur in eſſe ſcibili ad ens reale, cuius perfectæ cognitionis multum intereſt cognitio entis rationis, quemadmodum cognitio de vitio multum intereſt perfectæ cognitionis de virtute: ergo. Quod autem ait Fonſeca (*P. Fonſeca.*) lib. 4. c. 1. q. 1. ſect. 3. agi quidem à Metaphyſico de ente rationis, ſed non tanquam de parte ſui obiecti, non probatur: ſi enim de illo agit Metaphyſica: ergo illud habet pro obiecto, non totali; ergo partiali. §. 53.

SVBSECTIO II.

Difficultates contra ſecundam concluſionem de ente rationis.

§. 54. *P. Suar. eſt à nobis.* PAt. Suarez diſp. 1. ſect. 1. n. 5. impugnat ſecundã concluſionem de ente rationis, vt alienam ab Ariſtotele & S. Thom. idem præſtat P. Fonſeca adductus §. 33. quos alij ſequuntur. P. Suarez nititur duobus argumentis; alteri, quia de his entibus diſſerimus magis vt oſtendamus ea non eſſe entia, quàm vt eorum entitatẽ cognoſcamus: alteri, quia de his agimus vt explicemus naturam entis realis. Reſpondeo P. Suarez ibi loquutum de obiecto attributionis, cuius cognitionẽ directè quærit ſcientia: quæ directè quærit finem, id eſt primariò; indirectè autem ſiue ſecundariò media. Quamuis enim rationem accidentis vt ſic quærit vt finem ad cognitionem ſubſtãtiæ: minus tamen indirectè quàm cognitionem entis rationis: accidẽtia enim digniora ſunt ſcitu quàm chymęra: idque probant duo argumenta: at ens rationis non obiici aliquibus actibus Metaphyſicæ, ad illud immediatè terminatis, non probant hæc argumenta, ſed potius oppoſitum: ſi enim Metaphyſica conſiderat illa non eſſe entia: ergo iam illa conſiderat vt ſubiectum & prędicatum, quia ſunt vtilia ad perfectiorem cognitionem entis Idem P. Suarez diſp. vlt. Metaphyſicæ initio docet Metaphyſici muneris eſſe diſputationem de eis entibus: idque optimè probat ex Ariſtotele, Alexandro, S. Thom, & aliis, 6. Metaph. (*P. Suarez. Ariſtot. Alexand. S. Thom. P. Fonſeca.*)

§. 55. Argumenta P. Fonſecæ hæc ſunt. Primum, quia ſubiectum ſcientiæ non ita fuſè aſſignandum eſt, quin aliquid extra illud relinquatur, quæ in ea quoquomodo conſiderantur: relinquenda ſunt enim propria attributa quæ de illo prædicentur.

Ariſtot. non excluſit ens rationis ab obiecto Metaphyſicæ. Secundum, quia Ariſtoteles initio lib. 7. alia longè ratione reiecit accidentia à ſubiecto huius ſcientię, quàm ad finem libri 6. reiecit entia rationis & per accidens. Accidentia enim reiecit ſolum, quia ſunt per ordinem ad ſubſtantiam: entia verò per accidens, quia de illis non poteſt haberi ſcientia: at verò ens per accidens excluſit, quia de illo non poteſt haberi ſcientia: ens autem rationis, quia non habet eſſe niſi intra intellectum. Tertium, quia illud ſolum eſt Metaphyſicæ ſubiectum, cui conueniunt attributa, quæ de illo demonſtrantur: hæc enim ſunt, *vnum, verum, bonum*, quæ enti rationis non conueniunt.

§. 56. *P. Fonſeca probabilem cenſet ſententiam noſtrã.* Nihilominus noſtram ſententiam probabilem cenſet ipſe Fonſeca, verſu, *Atque eſt quidem*. Ad primum eius argumentum, reſpondeo primùm, ſubiectum à me vſurpari in præſenti pro obiecto; ipſe autem illud vſurpat propriè pro ſubiecto de quo dicitur prædicatum; extra quod ſubiectum aliqua ſunt recenſenda, nempe omnia prædicata. At verò vltra ſubiectum ſiue obiectum adæquatum proprium, ſiue communiſſimum, nihil accipiendum eſſe conſtat ex §.45. ſic ens rationis continetur intra adæquatum obiectum Metaphyſicæ: imò etiam intra ſubiectum, quia de ente rationis multa prædicantur, in quibus prædicationibus ſubiectum eſt ipſum ens rationis: vt in hac, *ens rationis non eſt reale*. Secundò reſpondeo, ens rationis non eſſe obiectum attributionis Metaphyſicæ ad ad quod exiguntur illæ conditiones, quæ non ſunt neceſſariæ ad obiectum proprium. Ad ſecundum, reſpondeo accidentia, ens per accidens, & rationis æqualiter reiecta ab Ariſtotele ab obiecto attributionis; quamuis propter diuerſas rationes, quæ ſumuntur ex natura cuiuſque: at verò nullum ex his reiectum eſt ab obiecto proprio; quamuis accidens reale principalius ſit intra id obiectum quàm ens rationis: de ente per accidens me videro §.68.

§. 57. *Ens rationis eſt ſuo more vnum, verũ, bonum. P.Suarez. P.Fonſeca.* Ad tertium, reſpondeo primùm ex ipſis Patribus Suarez atque Fonſeca, ens rationis habere etiam ſuo more illa tria attributa vt habet entitatem: vnitatem enim habet, quia vnum diſtinguitur ab aliis, item & ab ente reali: quod conſtabit ad hominem contra Thomiſtas §.58. & 65. in obiecto Logicæ: item vna chimæra differt ab alia: eſt igitur indiuiſa in ſe & diuiſa à qualibet alia: item habet veritatem obiectiuam: habet enim verè totum quod requiritur ad eſſentiam entis rationis. Quamuis enim mendacium habet falſitatem affirmationis aut negationis, id eſt, habet falſitatem in dicendo; habet tamen veritatem tranſcendentalem, id eſt, verè habet totam eſſentiam mendacij, alioquin non eſſet mendacium. Bonitatem autem etiã habet, habet enim totam perfectionem quæ in ratione entis rationis poteſt haberi, id eſt, nihil deeſt fingendũ ad illius eſſentiam: eſt item amabile: multi enim chimæras effingunt ob aliquem finem. Quod ſi illa attributa accipiantur pro realibus attributis, argumentum ſumitur à petitione principij: eſt enim quæſtio vtrum ſolum ens reale, an quoque ens rationis ſit Metaphyſicæ ſubiectum: ego dico etiam ens rationis, aduerſarij autem ſolum ens reale; rationem reddunt, quia proprietates illius ſunt reales: at eadem eſt quæſtio de attributis ac de ente. Admiſſa tamen attributorum realitate reſpondeo de obiecto attributionis Metaphyſicæ monſtrari attributa realia, quia ipſum eſt ens reale: at verò de omni obiecto proprio non monſtrari attributa realia.

§. 58. *Ens rationis eſt directè cognoſcibile.* Obiicies adhuc ens rationis non eſſe directè cognoſcibile: ergo non ſpectat ad Metaphyſicum. Ex falſo antecedenti mala conſequentia. Antecedens eſſe falſum, patet, quia quamuis hæc entia noſcantur per ſpecies entis realis; tamen verus formatur conceptus repræſentans non ſolum extrema realia, ſed etiam quidditatem entis rationis, vt conſtituitur in eo entis genere & diſtinguitur ab ente reali: alioquin non cognoſceretur abſolutè ens rationis: ille autem conceptus tam directè repræſentat ens rationis quàm ſubſtantia repræſentatur actu orto ex ſpeciebus accidentium. Deinde negari non poteſt ſecundas intentiones abſolutè cognoſci à Logico, quas multi dicunt eſſe ens rationis: priuatio item cognoſcitur à Phyſico, & peccatum à Theologo: eadem ratione ego contendo ens rationis à Metaphyſico diſputari.

Tandem obiicies ens reale & rationis non conuenire in aliqua ratione communi: ergo non poſſunt conſiderari ab vna facultate. Miror ab his non inferri neque poſſe cognoſci hæc duo obiecta ab vna potentia. Reſpondeo neque Metaphyſicam eſſe vnam ſcientiam ſed plurimas: neque opus eſſe obiectum eſſe vnum ad facultatum vnitatem vt conſtabit ſect.7. Quod ſi vnitas requiritur, non eſt in obiecto communiſſimo, quia eadem facultas agit de oppoſitis contradictoriè, vt phyſica de forma & priuatione: exigitur autem in attributionis obiecto, quod non eſt ens rationis ſed reale: videat ipſi quod nunc conſtituant. §. 59.

SVBSECTIO III.

Noui cuiuſdam argumenta.

Poſtquam ſententiam hanc Valliſoleti in prima euulgatione huius operis defendi, in eam & alias nouus quidam author non pauca coniecit; nec pauciora dixit aduerſus cunctos noſtræ Societatis authores: quibus reſpondendum duxi, vt vniuerſi conſpiciant, iure ne, an iniuria aliqui recentes Philoſophi atque Theologi nobis tam acidè ſtomachentur? Hic igitur author publicè damnat diuturnum Thomiſtarum ſilentium, maximè è ſua familia, & negligentiam in explicandis Metaphyſicis Ariſtotelis libris: vt autem huius negligentiæ labes detergatur, in arenam ipſe deſcendit, huic debito vnus pro omnibus ſatisfacturus: dolet item litterarum ſtudioſos gnaua noſtrorum diligentia, deſerta veteri Thomiſtarum ſchola euocatos ad noſtram. Nulla ratione fatebor Thomiſtarum negligentiam: neque efferam noſtrorum diligentiam, eiúſque fructus: vtramque meditetur qui luget vtramque. Animaduerto tamen, ex hoc authore colligi doctrinam noſtram percrebuiſſe non tam cauillis, & nouitate; quàm diligentia noſtrorum & Thomiſtarum incuria: cum enim ipſe has duas rationes reddiderit, conſtat apertè eas eſſe ſatis. §. 60. *Franc. Araunius in opere metaphyſ. in præf. ad idoneum lectorẽ.* *Suos inſimulat negligentiæ, & vehementer dolet ſtudioſos eſſe queq. noſtræ doctrinæ ſtudioſos.*

Inuehitur præterea in authores noſtros quod nouitatem potiùs quàm veritatem amantes, ſint conati turbare limpidiſſimam Thomiſtarum Philoſophiam; vt ſic gradum faciant ad Theologiam quoque turbandam: ac nouitatis dulcedine, velut ſirenarum cantu incipientium demulſerint aures, *non abſque periculo naufragium in vaſto Theologiæ mari faciendi*, quæ probat his verbis: *nouitas enim (vt Bernardus aſſeuerat) eſt mater temeritatis ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis*. Quibus nos leues, ſuperſtitioſos, & temerarios appellat. Ad probanda enim incommoda nouitatem noſtram inſequentia, hæc tria ex nouitate ſequi, adducit ex Bernardo. Hæc autem tela in noſtrorum corda torqueri, ſi minus ipſe verbis dicit apertis, apertis tamen ſignis voluit intelligi. §. 61. *Nos appellat ſuperſtitioſos & comparat ſirenis.* *Adducit verba S.Bernar.*

intelligi. Ea enim non enomuit in hæreticos; qui, prouidente Numine in Hiſpania nó permittuntur impunes; quid dicam in ſcholis volitare? Nec in Scotum, Durandum & alios peruetuſtos & apertos hoſtes doctrinæ Thomiſtarum & S. Thomæ: cuius propria placita ſine velo paſſim impugnant: ait enim ſe agere contra neotericos nouitatis amatores: eos autè intelligit, qui hiſce temporibus ſcripſere; & quibus cum Metaphyſicali ſuo certamine belligeratur: hi autem omnes, vel ſaltem maiori in numero ſunt noſtri: præſertim Patres Fonſeca & Suarez qui Metaphyſicam ex inſtituto diſſeruere.

§. 62. ***Bernardum non adducit fideliter.***

Cum primum Bernardi teſtimonium legi apud hunc authorem; arbitratus fui, illud adductum mutatis verbis, aut adiectis. Nec me fefellit opinio: quantum autem hoc ſit, tuis oculis lege in Epiſt. 174. quæ eſt ad Canonicos Lugdunéſes, cuius hæc ſunt verba prope finem. *Alioquin nulla ei ratione placebit contra Eccleſiæ ritum præſumpta nouitas mater temeritatis; ſoror ſuperſtitionis, filia leuitatis.* Miror in epiſtola cótra cultum Virgineæ conceptionis, non vidiſſe hunc authorem illa verba Bernardi *contra Eccleſiæ ritum præſumpta nouitas:* quæ cum tantum facerent ſuo ſcopo, perinde fuit illa reticere quàm totum teſtimonium fingere. Etenim illis ſilentio ſepultis, locus Bernardi habet hunc ſenſum: *qualibet nouitas eſt mater temeritatis*, &c. qui quidem valde eſt alienus ab hoc *præſumpta nouitas contra ritum Eccleſiæ eſt mater temeritatis.*

Sanctorum teſtimonia detruncare perinde eſt ac fingere.

§. 63.

Nec potuit Bernardus ea verba facere de omni nouitate, expertus & ipſe theoninos dentes leuitatis nomine ipſum acerbè mordentes: cuius in epiſtola ad fratres de monte Dei, de vita ſolitaria, hæc verba memineram ego: *hoc Sanctæ nouitatis inſtauretur ornamentum. Nouitatem verò dico propter linguas nequam (à quarum contradictione abſcondat vos Deus in abſcondito faciei ſuæ) hominum impiorum, qui cum manifeſtum lumen veritatis obnubilare non queunt, de ſolo nouitatis nomine cauillantur, veteres ipſi, & in veteri mente neſciente noua meditari, vtres veteres non capientes vinum nouum, quod ſi eis infunderetur, rumperentur. Sed hæc nouitas non eſt nouella vanitas.* Hæc Bernardus, quæ ideo adduxi, vt oſtenderem quo fundamento mihi fuerit ſuſpecta oppoſita allegatio: qui etiam oſtendit ſui inſtituti rationem non fuiſſe nouam; non quod antea fuerit vſitata; ſed quod ex Chriſti exemplo atque doctrina eam deriuauit ipſe: eadem ratione nec noſtra doctrina eſt noua: partim quia in antiquis Doctoribus reperitur, qui eos non legentibus ſunt noui: partim quia ex ipſorum principiis per legitimas conſequentias infertur.

S. Bernardi illuſtre teſtimonium contra cauillantes res quod noua ſint. Non omnis nouitas eſt nouella vanitas.

§. 64. ***Oſtéditur inefficacia argumentorum obiectorum q. 1. Meta.***

Oſtendi quàm ſine cauſa S. Bernardus ab hoc adducatur authore: oſtendendum nunc quàm ineſficaciter ſuam contra meam probauerit ſentétiam. Arguit igitur primò, quia obiectum Metaphyſicæ nequit excedere ambitum obiecti intellectus: ſed obiectum ſpecificatiuum intellectus eſt ſolum ens reale: ergo ſolum ens reale eſt obiectum Metaphyſicæ. Minor probatur, quia obiectum intellectus eſt illud cum quo conuertuntur vnum, verum, bonum.

§. 65. ***Conſtat quatuor terminis.***

Hoc argumentum conſtat quatuor terminis: quia in maiori propoſitione ponitur obiectum intellectus abſtractum à ſpecificatiuo & cómuniſſimo: in minori verò ponitur obiectum ſpecificatiuum intellectus: hæc autem duo obiecta ipſe author diſtinguit: ſpecificatiuum enim recidit in noſtrum attributionis. Vnde conceſſa maiori & minori, neganda eſt conſequentia: quod eſt euidens argumentum argumentationis malæ. In forma concedo maiorem, diſtinguo autem minorem: ens rationis non eſt obiectum ſpecificatiuum intellectus, ſiue attributionis, tranſeat minor: non eſt obiectum proprium, ſiue contentum in communiſſimo, nego minorem: qua enim ratione intellectus ageret de illo niſi eſſet eius obiectum? Diſtinguo item conſequens. Ens rationis non eſt obiectum attributionis Metaphyſicæ, concedo conſequentiam; non eſt obiectum proprium, nego. Probatio minoris ſumpta eſt ex P. Fonſeca: cui feci ſatis §. 57. Aduerte hoc argumento probari ab hoc authore non poſſe ens rationis eſſe Logicæ obiectum attributionis, ſiue ſpecificatiuum: quia obiectum logicæ non poteſt excedere ambitum obiecti adæquati & ſpecificatiui intellectus. Cuius oppoſitum ipſe docet, quem inconſtantiæ accuſo diſput. 1. Logicæ §. 80.

Ens rationis eſt propriè obiectum intellectus.

In 3. Met. q. 1. ar. 7. Probatio ſumpta ex P. Fonſeca.

§. 66. ***Secundum argumẽtum.***

Argumentatur ſecundò, quia Metaphyſica ſolum conſiderat pro obiecto etiam partiali illud quod eſt in eadem abſtractione à materia cum cæteris: ſed ens rationis non eſt in eadem abſtractione cum cæteris: ergo non eſt obiectum neque partiale Metaphyſicæ. Minor patet, quia enti reali & rationis nihil intrinſecum poteſt vniuocè eſſe commune. Hoc argumentum etiam probaret priuationem non ſpectare ad phyſicum, quia enti & non enti nihil eſt vniuocè cómune. Item in eius ſchola Deo & creaturis non conuenit vniuocè prædicatum vllum intrinſecè: & tamé de Angelis & Deo agit Metaphyſicus. Item conceptus entis non eſt vniuocus ſed analogus ſuis inferioribus: ergo conceptus vniuocus non exigitur ad vnitatem ſcientiæ. In forma reſpondeo, diſtincta maiori; conſiderat pro obiecto partiali attributionis id quod eſt in eadem abſtractione cum cæteris etiam attributionis, tranſeat maior: do enim diſputandi gratia id exigi ad vnitatem ſcientiarum: at verò obiectum partiale non attributionis, ſed cótentum ſub communiſſimo non petit eandem abſtractionem à materia: cum enim eadem ſcientia agat de entibus & eius contradictoriis vt patet in Philoſophia, & Theologia agentibus de forma & priuatione, de gratia & eius carentia, non poſſunt omnia obiecta partialia conuenire neque analogicè. Ad minorem reſpondeo ens rationis ſuo etiam more eſſe abſtractum à materia, dum non fingitur neque conſideratur in materia ſenſibili, ſingulari, aut intelligibili: alia verò non abſtrahunt à materia, quia circa illam conſiderantur. Quod autem attinet ad carendum materia, hæc carentia tam reperitur in ente rationis quàm reali, quod ſufficit ad ſcientiam licet non reperitur conceptus poſitiuus cui hæc carentia nitatur. Quapropter Didacus Maſius in proœmio logicæ ſect. 1. q. 13. ait concl. 9. ens rationis logicum eſſe abſtractum ab omni materia.

Obiectum attributionis eſt in eadem abſtractione cum cæteris quo non eget obiectum proprium.

Ens rationis habet ſuo more abſtractionem à materia.

SVBSECTIO IV.

Cætera Metaphyſicæ obiecta.

§. 67 ***Deus & Angeli pertinent ad obiectum proprii Metaphyſicæ.***

Dico tertiò, *ſubſtantiam ſpiritualem completam in genere & in ſpecie, nempe Deum & Angelos eſſe partem obiecti communiſſimi Metaphyſicæ.* Concluſio hæc negari non poteſt: quam docuit Ariſtoteles lib. 4. cap. 1. *eſt* (inquit) *quædam ſcientia, quæ ſpeculatur ens prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt.* Ens autem prout ens perinde eſt apud Ariſtotelem ac ſubſtantia vt conſtat ex lib. 7. cap. 1. cuius verba deſcribam prolixiùs §. 82. Conſentit S. Thom. 4. Met. ſect. 1. & lib. 5. lect. 7. & cæteri ferè Doctores: quos referunt & ſequuntur Patres Suarez diſp. 1. Metaphyſicæ ſect. 1. num. 24. & Fonſeca lib. 4. cap. 1. q. 1. ſect. 3.

Ariſtoteles.

S. Thomas. P. Suarez. P. Fonſeca.

ſect.3. Probatur apertè, quia conceptus entis per ſe & ſubſtantiæ ſunt idem: ſed ratio entis per ſe eſt obiectum Metaphyſicæ: ergo. Minor patet, quia naturæ lumine eſt cognoſcibile ens per ſe, non minus quàm ens in alio: ſubſtantia enim & ens per ſe non præteruolant naturalem facultatem intellectus, qui per aliquam facultatem id obiectum attingit: ſed hæc facultas eſt Metaphyſica: ergo. Probo minorem, quia ſola Metaphyſica conſiderat per ſe obiecta abſtracta ab omni materia: diuiditur enim à Phyſica, quod hæc agit per ſe de ſubſtantia corporea, Metaphyſica verò de incorporea. Item ſolus conceptus entis in conceptu præciſiuo eſſet anguſtus terminus Metaphyſicæ: eiuſque cognitio non tam perfecta. Quemadmodum ergo in Phyſica agitur de materia & forma vt ſic, in cæteris autem libris de diuerſis ſubſtantiis compoſitis ex materia & forma; ita agitur in Metaphyſica de ente vt ſic, deinde de ſubſtantia ſpirituali includente conceptum illum. Neque refert ſubſtantiam & ens vt ſic præſcindi à cauſis extrinſecis: non enim omnis ſcientia oſtendit naturam ſui obiecti à priori: ſufficit enim ad rationem ſcientiæ per eſſentiam ſui obiecti eiuſdem attributa monſtrare.

§.68. *Ens per accidens eſt pars obiecti Met.* Ariſtoteles. Dico quartò. *Ens per accidens vt ſic eſt pars obiecti cõmuniſſimi Metaphyſicæ.* Hæc colligitur ex Ariſtotele 7. Metaphy. cap. 11. aſſerente formam & priuationem ſpectare ad eandem diſciplinam; priuationem autem gratia formæ. Probatur, quia ens per accidens vt ſic opponitur directè enti per ſe vt ſic: ſicut ſyllogiſmus fallax legitimo: ergo de illo agit eadem ſcientia quæ de ente per ſe. Item ens per accidens eſt cognoſcibile, de quo multa poſſunt demonſtrari: nam de multis entibus per accidens non abſtractis à materia agunt multæ facultates vt mathematici, architectura, equeſtris & aliæ: ens autem per accidens vt ſic abſtrahitur à materia: ergo non ad illas ſpectat, ſed ad aliam ſpecialem facultatem quæ eſt Metaphyſica. Tandem quia hoc ens cognoſcitur ex ente per ſe ad cuius cognitionẽ iuuat.

§.69. *Ariſtoteles explicatus de ente per accidens.* Obiicies primò Ariſtotelem lib 6. cap. 2. negantem ſcientiam eſſe de ente per accidens. Reſpondeo, Ariſtotelem locutum de ſcientia de euentu accidentario: qui cum non habeat principia per quæ certò noſcatur naturaliter, non poteſt actum ſcientificum terminare: Ariſtotelem autem ibi locutum de ſcientia monſtrante euentus per accidens; quia hic cum non habeant principia, quibus certò cognoſcantur, nullam ſibi vendicant ſcientiam. Ariſtotelem autem non excluſiſſe à ratione obiecti ſcientiæ ens per accidens indidem patet, quod de accidentario euentu ſæpe coniungente ait ibi poſſe eſſe facultatem: & quamuis id de euentibus negetur, non poteſt negari de conceptibus communibus entis per accidens: qui certò poſſunt euidenterque cognoſci: vt hoc obiectum, *ens per accidens opponitur enti per ſe*, euidenter cognoſcitur à Metaphyſico.

§.70. *Ens per accidens qua ratione definiatur vt terminet ſcientiã.* Obiicies ſecundò non poſſe ens per accidens definiri, ergo nec ſciri. Probo antecedens, quia conſtat è multis rebus diſtinctorum generum. Nego antecedens, quia licet vna definitione explicari nequeant omnia, quæ includuntur in ente per accidens, collectio tamen ipſa quit explicari; exercitus enim eſt coniunctio multorum hominum beſtiis & armis vtentium ad pugnandum: domus eſt effectus reſultans ex lapide, ligno & calce cum apto ſitu ad habitandum. Imo hinc ſumitur argumentum à priori, quia entia per accidens vt entia per accidens ſunt, poſſunt definiri & eſſe principium neceſſariò ducens in cognitionem aliquarum proprietatum. Alia poſſent obiici, quæ ſunt communia enti rationis: de quibus egi § 58 & 59.

§.71. *Omne obiectum abſtractum à materia eſt obiectum Met.* Dico quintò, *eſſe partem obiecti communiſſimi Metaphyſicæ omnem conceptum abſtractũ ab omni materia:* exempli cauſa, ratio eſſentiæ & exiſtentiæ, naturæ & ſuppoſiti, cauſæ & effectus, ſubſtantiæ & accidentis; idque genus alia. Quia hæc per ſe ſunt cognoſcibilia, nec ſpectãt ad Philoſophiã naturalem: quia hæc tota verſatur circa compoſitum naturale. Item eſſentia & exiſtentia ſunt conceptus intrinſeci cuiuſque entis non minus quàm ipſe conceptus entis. Natura autem & ſuppoſitum ſunt intrinſeca ſubſtantiæ ſpirituali. Ratio autem cauſæ conuenit omni ſubſtantiæ ſpiritali. Conceptus autem effectuum communis eſt omni creaturæ effectui Dei. Difficultates nonnullæ quæ hic poterant occurrere, expedientur ſect.3. & 4.

§.72. *Subſtantia materialis non pertinet ad Met.* Dico ſextò. *Metaphyſica nec partialiter conſiderat ſubſtantiam materialem, nec eius attributa, neque aliquid connotans materiam ſenſibilem aut intelligibilem.* Quæ ſententia communiter traditur à Doctoribus, ſed non communiter exercetur, quia de quantitate, ſitu, & aliis agunt frequenter, & ego agam communi mori morem gerens. Quando autem Ariſtoteles 7. Met. cap. 11. dixit ſe ſubſtantiæ ſpiritualis gratia acturum de ſubſtantia ſenſibili, non ideo dixit quod Metaphyſicus eo fungatur munere, ſed vt accepta ſpecie impreſſa à ſenſibilibus gradus fiat ad inſenſibilia. Ariſt.

§.73. *Bonum argumentum.* Eſt tamen difficultas non leuis: conceptũ enim entis materialis aliqua ratione à Metaphyſico attingi patere videtur; quod ſubſtantiam completam in cõmune diuidat Metaphyſicus in incorpoream & corpoream, ſed non poteſt eam diuidere niſi efformet conceptum vllum de re corporea: ergo illum efformat. Maior probatur, quia ea ſcientia, quæ cognoſcit rationem communem, eam diuidit in ſuas ſpecies, tum quia diuiſibilitas eſt affectio rei logicè communis, tum quia ſcientiæ particulares non attingunt eam diuiſionem, ſed arripiunt ſpecies & inferiora diuidentia. Igitur intellectus inſtructus cognitione de ſubſtantia materiali per accidentia ſenſibilia & cognitione ſubſtantiæ ſpiritualis completæ per Metaphyſica principia, ait ſubſtantiam completam vt ſic diuidi in ſubſtantiam ſpiritualem, & materialem: qui actus eſt proprius Metaphyſicæ. De ſubſtantiis materialibus quoad An eſt, & imperfectè egit Ariſtoteles 7. Met. cap. 11. Sed cum ordine ad ſubſtantias ſpirituales: quia res ſpirituales apprehendimus per ſimilitudinem rerum corporearum propter imperfectionem ſpecierum, quas à corporeis mutuamur, & ſic noſtri actus circa ſpiritualia valde redolent corporea; per quæ gradum facimus ad ſuperiora.

§.74. *Entis vt ſic diuiſio non pertinet ad ſolam Met.* Reſpondeo diuiſionem entis, vt ſic, nec eſſe phyſicam nec metaphyſicam, ſed mixtam ex vtraque; quia elicitur ex præmiſſa phyſica, *Datur ſubſtantia corporea,* & ex hac metaphyſica, *Datur ſubſtantia incorporea,* & infertur hæc mixta: ergo *ſubſtantia diuiditur in incorpoream & corpoream.* Ad argumentum negatur maior, ad probationem diſtinguo antecedens; ſcientia diuidit rationem communem obiecti in ſpecies pertinentes ad ſuum obiectum, concedo antecedens: nego tamen in ſpecies ad eandem non ſpectantes: illa autem affectio, quia non eſt ad ſola ſua obiecta, ſed etiam ad aliena, pertinet ad vtramque ſcientiam (vt de Theologia dicam.)

§.75. *Eiuſdem diuiſio in ſupernaturale & naturale ſpectat ad Theologiã non ad Metaph.* Confirmatur primò, quia ens in commune eſt etiam diuiſibile in naturale & ſupernaturale: quia totus conceptus entis vt ſic in ſtatu præciſionis ita cognoſci

cognoſcitur, vt quidquid clarè cognoſcitur, maniſeſtè reperiatur in ente ſupernaturali non aliter ac in naturali. Vtrumque enim eſt ens reale: habitus item ſupernaturales ſunt qualitates & principium operandi: in quo conceptu conueniunt cum calore qualitate operatiua: ergo conceptus entis realis & qualitatis operatiuæ communis eſt vtrique. Sed Metaphyſicus ex ſolis ſuis principiis non poteſt diuidere ens in naturale & ſupernaturale: illa autem diuiſio eſt Theologica, id eſt, mixta ex vno principio naturali, & alio reuelato, vt conſtat ex diſp. 9. de fide: ergo diuiſio entis in communi in ſpiritale & materiale non eſt ex ſola Metaphyſica. Confirmatur ſecundò, quia hominis diuiſio in Petrum & Chriſtum non eſt philoſophica, quamuis philoſophus conſideret hominem vt ſic. Ratio à priori, quia ex ſolo conceptu communi & ſubſtantiæ ſpiritualis non poſſumus cognoſcere alias differentias entis & ſubſtantiæ, niſi habeant neceſſariam connexionem cum ante aut ſubſtantia ſpirituali.

§. 76.
Obiectiones quatuor.

Obiicies primò contra cõfirmationem primam, ens vt ſic poſſe conſiderari dupliciter: primùm vt complectitur entia naturalia: ſic autem id contemplatur Metaphyſicus. Secundò vt complectitur ſupernaturalia, qua ratione ens non pertinet ad Metaphyſicum: quia actu naturali non poſſumus percipere obiecta ſupernaturalia. Secundò obiicio inde ſequi poſſe Metaphyſicum contrahere ens ad naturale & ſupernaturale: quia ad eandem facultatem ſpectant abſtractio & contractio conceptuũ communium. Obiicio tertiò contra rationem à priori ex Deo cognito inferri poſſe cognitionem ſubſtantiæ materialis, quæ cum illo habet neceſſariam connexionem. Quartò, quia rem ſpiritualem explicamus per materialem: eſt enim res ſpiritualis quæ caret partibus extenſis.

§. 77.
Ens vt ſic conſideratum à Metaph. eſt commune enti ſupernaturali.

Ad primum reſpondeo, illam duplicem conſiderationem entis eſſe veram in actu ſignato, quando aliquis expreſsè cognoſcit ens ſupernaturale clarè & diſtinctè ſub hoc conceptu illud diſtinguente ab ente naturali: idem dixerim de hoc ente vt diſtinguitur à ſupernaturali. Sic conceptus entis amplectentis ſupernaturale non ſpectat ad Metaphyſicum: item nec conceptus entis naturalis vt ſic eſt ille conceptus entis vt ſic, de quo diſſerit metaphyſicus. Ens enim vt ſic conſideratum in tota ſua latitudine, ita vt in illo conceptu obiectiuo includantur confusè omnia entia vel aliqua ratio communis cum omnibus identificata: ex parte autem intellectus illis reſpondet conceptus repræſentans confusè illa omnia entia, vel rationem cõmunem cum omnibus eandem. Quia in ratione entis omnia ſunt ſimilia: naturalitas autem & ſupernaturalitas ſunt differentiæ ortæ ex proprio cuiuſque conceptu: quæ differentiæ non concipiuntur clarè conceptu illo communi, ſed confusè. Vnde reſpondeo ad Metaphyſicũ ſpectare hunc conceptum entis vt ſic abſtractum à naturali & ſupernaturali. Ad probationem reſpondeo poſſe actu naturali concipi confusè & indiſtinctè obiectum ſupernaturale, vt eſt idem materialiter cum aliquo conceptu non excedente vires naturæ. Quod patet in Deo, in quo idem ſunt à parte rei conceptus naturales & ſupernaturales, & cum actu naturali concipimus Deum vt eſt author naturalis, materialiter & confusè cognoſcimus conceptum obiectiuũ authoris ſupernaturalis: quidquid autem ſit an actu naturali poſſimus cognoſcere obiecta ſupernaturalia in particulari.

Obiectum ſupernaturale poteſt terminare naturalem actum confuſum ſub ratione communi entis.

§. 78.
Contractio rationiũ communiũ quando ſpectet ad eandẽ ſcientiam ac abſtractio.

Ad ſecundam obiectionem in §. 76. nego ſequelam: ad probationem reſpondeo contractionem rationis communis in ſpecies pertinentes ad obiectum vnius ſcientiæ, eſſe eiuſdem ſcientiæ, non verò quando ſpecies extrahuntur ad obiecta aliarum facultatum. Exempli gratia, compoſitum naturale vt ſic contrahitur à phyſico ad hominem & cælum: quia tam homo quàm cœlum ſunt obiectum phyſicæ: ita ens vt ſic contrahitur à metaphyſico ad Deum & Angelum, quia vterque ſpectat ad metaphyſicam. At verò poteſt ratio communis continere ſpecies ſpectantes ad facultates diuerſas vt ſubſtantia continet ſenſibiles & inſenſibiles, tunc autem diuiſio non pertinet ad eandem ſcientiam ad quam ratio communis. Ratio à priori, quia abſtractio eſt actus confuſus repræſentans conceptum, in quo plura conueniunt: quo conceptu illa plura conuenientia non repræſentantur clarè & formaliter, ſed tantùm materialiter atque confusè. Contractio verò eſt clara & expreſſa repræſentatio inferiorum conuenientium: vnde non bene arguitur à conceptu confuſo ad clarum: quia confuſus facilior eſt claro.

§. 79.
Videntes Deũ poſſũt cognoſcere quæ non repugnant tanquam in obiecto formali, ſecus non videntes.

Ad tertiam obiectionem in eodem §. 76. reſpondeo Deum poſſe cognoſci intuitiuè: quæ cognitio poteſt eſſe principium penetrandi ſubſtantias materiales: poteſt item cognoſci abſtractiuè ex ſolis naturæ viribus: ſic autem poteſt cognoſci eius omnipotentia & ſcientia terminari ad omnia quæ non repugnant: at non poſſumus cognoſcere quæ repugnent aut non. Vt nunc cognoſcimus ab eo poſſe produci ſubſtantiam ſupernaturalem, ſi hæc non repugnat: controuerſiam autem hanc de repugnantia ſubſtantiæ ſupernaturalis, non dirimimus ex conceptu omnipotentiæ vt à nobis cognoſcitur: quia in via cognoſcitur imperfectè connexio Dei cum creaturis.

§. 80.

Ad quartam obiectionem, reſpondeo inde non ſequi res corporeas eſſe Metaphyſicæ obiectum, quia non cognoſcuntur neque vt ſubiectum, neque vt prædicatum, neque vt vnio: ſed tantùm connotantur in obliquo ad explicandam ſubſtantiam ſpiritalem ex fundamento negationis partium. Quando autem agimus de obiecto, agimus de partibus propoſitionis obiectiuæ, non verò de extrinſecis connotatis, quæ aliquo etiam modo percipiuntur.

SECTIO III.

Vtrum ſubſtantia ſpiritalis completa vt ſic ſit Metaphyſicæ obiectum adæquatum attributionis?

§. 81.
Ens rationis aut per accidens non eſt obiectum attributionis.

Ens rationis à Metaphyſica diſputari, per attributionem ad ens reale, non eget probatione: quia præcisè conſideratur vt illi oppoſitum. Entia per accidens, quamuis à Mathematicis, & architectis per ſe conſiderentur, tamen à Metaphyſico non per ſe, ſed vt oppoſita enti per ſe conſiderantur, vt fatentur omnes; & patet, quia infrà oſtendam, ſect. 7. proprium eſſe ſcientiæ ſubalternatæ (vt aiunt) per ſe tendere in ens per accidens. Tria nobis comparanda ſuperſunt, Ens in commune, Subſtantia ſpiritualis completa, Deus: vtrum hæc æquè per ſe primò conſiderentur? An verò ens vt ſic referatur in eſſe ſcibili ad ſubſtantiam ſpiritualem completam? Hæc autem ad Angelum? tandem hic ad Deum? qui ſicut eſt omnium rerum finis, ita & huius facultatis adæquata meta.

SVBSE

SVBSECTIO I.

Pars affirmans.

§.82. Dico primò. *Conceptus entis, & ſubſtantia completa vt ſic, præciſus ab omnibus inferioribus, non cõſideratur per ſe à Metaphyſico, tãquam propter finem, ſed cum ordine ad ſubſtantiam Angelicam, & Diuinam: ita vt adæquatum obiectum attributionis ſint Deus & Angelus.* Ita ſentiunt qui dicunt, Deum ſolum eſſe obiectum huius ſcientiæ, quos referam, §. 100. Commentator, & alij apud P.Fonſecã 4.met.cap.1. quæſt. 1.ſect.1. quibus ipſe conſentit concluſione 1. & 2. de ſubſtantia verò in commune eam docet concluſ. 3. aſſerens eſſe Ariſtot. & eſt libr.4.cap.1. *eſt* (inquit) *quædam ſcientia, quæ ſpeculatur ens, prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt,* vbi *ens prout ens,* non reduplicat rationem communem entis (vt nonnulli volunt) ſed rationem formalem ſubſtantiæ; nam cap.2.latè probat ens ſimpliciter eſſe ſubſtantiam, cætera verò eſſe ens per attributionem ad illam; vt *ſanum,* dicitur ſimpliciter de ſanitate, de inſtrumentis autem, & ſignis per attributionem ad illam; ſubdit autem: *Quemadmodum igitur ſanorum omnium vna ſcientia eſt, ita & de cæteris:* id eſt de reliquis Metaphyſicæ obiectis; deinde concludit. *Quod ſi hoc ſubſtantia eſt, oportet profectò, vt ſubſtantiarum principia, & cauſas Philoſophus habeat.* Videatur totum caput ſecundum: quod liquet apertius è lib.7.c.1. his verbis ens ſimpliciter eſſe ſolam ſubſtantiam. *Patet igitur quod propter hanc illorum quoque ſingula ſunt. Quare quod primò eſt ens, & non aliquod ens, ſed ſimpliciter ens, ſubſtantia.* Denique concludit caput illud. *Quare nobis quoque maximè & primum & ſolum* (vt ita dicam) *de ente hoc pacto, quidnam ſit ſpeculandum eſt.* Vbi verba, *vt ita dicam,* adduntur ad ſignificandum de aliis præter ſubſtantias agendum, ſed de ſubſtantiis ſolis vt de fine, Ariſtotelem autem non eſſe intelligendum de ſubſtantia, vt ſic excluſis Deo, & Angelis, eſt clarum; tum quia de illis diſputat toto lib.12. tum ex lib.7.cap.11. his verbis. *Vtrum autem præter materiam huiuſcemodi ſubſtantiarum ſit aliqua alia, & oportet quærere ſubſtantiam eorum aliquam aliam, vt puta numeros, aut aliquid tale, poſterius conſiderandum eſt: huius enim gratia, & de ſenſibilibus ſubſtãtiis diffinire tentamus:* quod iis dixit, lib.12.cap.1. *ſpeculatio nobis de ſubſtantia eſt, ſi quidem ſubſtantiarum principia, & cauſæ quæruntur.* Vbi interpres in margine, *Metaphyſicus quid conſideret: huius gratia* dixit, id eſt, de ſubſtantia ſpirituali.

§.83. Eamdem ſententiam docet, S.Thom.4.met.lect.1.& lib.5.lect.7.initio conſtituens diſcrimen inter obiectum commune ſiue adæquatum proprium, & obiectum, de quo eſt principaliter intentio, quod ego *attribulationis* dico: commune autem ait eſſe ens; principale autem ſubſtantiam. Ex quo teſtimonio reſponderi debet aliis eiuſdem confirmantibus ens vt ens eſſe Metaphyſicæ obiectũ; id eſt, *cõmune, & proprium*; item lib.7. lect.2. ſub initium. Me papyrus, tempúſque deficient prius, quàm teſtimonia D.Thom. conſule Bergomenſem verbo *Metaphyſica,* locos indicantem abunde.

§.84. Dices: S.Thom. in prologo Metaphyſicæ, & in libros Boetij de Trinitate ait Angelos, & Deũ non conſiderari à Metaphyſico, vt partem ſubiecti; ſed vt cauſas illius. Fateor à Beato Thom. excluſos videri ab obiecto proprio Metaphyſicæ Angelos, & Deum; quod eſt contra Ariſt. toto lib.12. de Angelorum, Deique perfectionibus diſſerentem, & contra vniuerſos Doctores eos referentes inter obiecta præcipua: & contra ipſum S. Thom. eodem prologo aſſerentem, Metaphyſicam agere de ente ſeparato à materia ſecundum rationem, & eſſe: & Metaphyſicam ſapientiam dici qua parte de Deo agit, cuius teſtimonia vide §.100. immo ea ratione *Theologia naturalis* vocatur: at de Deo, & Angelis, vt ſunt principia motus, etiam phyſicus agit: ergo non eſt S.Thom. in ea ſignificatione accipiendus. Quem expone ex ipſo lib.3.met. lect.4. prope finem aſſerente, materiam non conſiderari à Metaphyſico, quia non eſt cauſa entis, ſed alicuius entis: id eſt mobilis: at materia eſt cauſa eſſentialis, & quia non eſt de eſſentia entis, ideo eam excludit à Metaphyſica: ergo quando dicit, Deum & Angelos eſſe cauſam entis, intelligitur de compoſitione eſſentiali, qua ratione noſtra, Deus & Angeli ratione ſuarum differentiarum conſtituunt varias entis ſpecies, at in alio genere cauſandi non capio D.Thom. Angelus enim, quomodo eſt cauſa entis vt ſic, nec alicuius entis in Metaphyſica conſiderati? nam ſi eſt cauſa ſuorum accidentium, quæ ſunt obiectum Metaphyſicæ, ergo & eſſentia Angeli erit Metaphyſicæ obiectum; quia ſubſtantia & eius accidens ad eamdem facultatem ſpectant. Vnde Deus & Angelus vt præcisè ſunt cauſa alicuius entis, tractantur in ordine ad illud: vt autem ſecundum ſe ſunt, omnia tractantur propter illos. Hæc dixi pro autoritate huius concluſionis, quam ſic probo.

§.85. Primum, quia ens & ſubſtantia vt ſic, ſunt partes per ſe, & non per accidens, Dei & Angelorum in compoſitione Metaphyſica, ſiue rationis conſtitutione: ergo referuntur in ſcientia ad Deum, & Angelos. Probo conſequentiam, quia cognitio partis per ſe, refertur ad cognoſcendum totum, de quo agit talis ſcientia, ergo: probo antecedens, tum in homine, cuius partes cognoſcuntur in ordine ad hominem ipſum: nam de corpore, de animo, & vnione, quorſum agitur, niſi vt homo perfectè noſcatur? tum quia pars, qua ratione eſt pars, eſt ens incompletum, petens compleri in toto, ſed ens incompletũ, qua ratione tale eſt, petit cognoſci in ordine ad completum: ergo & pars in ordine ad totum: probatur minor: tum quia res petunt cognoſci, cum ea proportione, qua ſunt: ſic accidens petit cognoſci cum relatione ad cognitionem ſubſtantiæ, quia ad eam refertur ex ſua natura: tum quia ſicut obiectum in ſe eſt imperfectum, dum non adiungitur toti enti completo: ita nec eius cognitio eſt perfecta, dum non adiungitur cognitioni entis completi.

§.86. Dices, genus eſſe totum potentiale, ſeu poteſtatiuum, at totum non refertur in cognitione ad partem, ſed potius pars ad totum. Contrà genus eſt totum poteſtatiuum qua ratione eſt vniuerſale; ſed ſub hac ratione refertur ad cognitionẽ ſpecierum, ergo & ſub ratione totius poteſtatiui. Maior eſt clara, genus enim quia confusè cõtinet omnes ſpecies, & de omnibus prædicatur, vocatur *totum poteſtatiuum.* Id eſt, poteſtate, & compoſitione rationis, eſt in omnibus inferioribus: probatur minor, vniuerſale, quatenus eſt vniuerſale, eſt pars petens cõtrahi ad compoſitionem ſpeciei: ſed pars vt pars, refertur in cognitione ad totum, quod componit, ergo vniuerſale refertur in cognitione ad inferiora: minor videtur certa; probo maiorem: quia vniuerſalia non continent totam rei eſſentiam, ſed partem, in qua multa ſunt ſimilia.

§.87. Dices ſpeciem infimam non referri ad indiuidua. Reſpondeo referri quidem, quando ſcientia agit de indiuiduis, vt ſcientia de Deo, Chriſto, & cœlo, propter eamdem rationem. Quando verò ſcientia

ſcientia non agit de indiuiduis, quid mirum, ſi ad ea non referatur? Adde ſpeciem infimam eſſe totam eſſentiam rei, de qua completè prædicatur, & ſic poteſt in illa ſiſti: genus verò non continet totam eſſentiam: quare ab illo ad ſpeciem eſt abeundum.

§.88. Confirmatur hæc impugnatio: quia ea ratione qua genus eſt poteſtatiuum, ſpecies ſunt eius partes ſubiectiuæ: nam totum habet partes, nullæ autem ſunt huic toti præter ſpecies, quæ vocantur, *partes ſubiectiuæ generis*: ſed ſpecies eſt pars ſubiectiua generis, quia illi ſubiicitur vt totum, genus includens, vt partem, ergo totum poteſtatiuum, eſt pars ſpeciei: probo minorem in hac propoſitione, *homo eſt animal*: ſpecies ſubiicit generi, ex quo & ex differentia componitur logicè, vt ex partibus; genus enim prædicatur de homine non vt tota eſſentia, ſed vt pars materialis, contracta per differentiam ad hanc ſpeciem, ſin minus aſſigna, obſecro, animal quam habeat rationem totius comparatione hominis? Nam ex homine non componitur: ergo non eſt totum, in ea ſignificatione: ergo totum reſpicit hominem vt ſpeciem ſibi ſubiicibilem, ergo vt prædicabile de illa; quam ſic abſtractũ continet cõfuſe. Nam ſicut exercet illam potentialitatẽ quando reducitur ad actum: ita continet tale exercitiũ in potentia; & illam exercet vt pars actualis ſpeciei: ergo eius potentialitas eſt eſſe in potentia partem. Qua de re egi in logica, diſp. 4. ſect. 4. Quando ergo totum eſt ſimpliciter totum, cognitio partium refertur ad illud; quando verò eſt ſimpliciter pars actualis, & æquiuocè: & ſecundum quid totum, eius cognitio refertur ad totũ actuale.

§.89. Secundò probatur concluſio, Metaphyſicus, qua parte de Angelis agit, & Deo, eos conatur perfectè cognoſcere: ergo illa tractatio per ſe conatur attingere omnia prædicata neceſſaria per ſe ad exactam illam cognitionem. Conſequentia negari nequit: ſi enim per ſe non conaretur aſſequi talia prædicata, inanis eſſet conatus Angelos percallendi, quia id non aſſequeretur illa facultas; ergo per ſe illa tractatio tendit ad prædicata entis, & ſubſtantia vt ſic: probo conſequentiam, quia illa prædicata ſunt per ſe neceſſaria ad exactam de Angelis cognitionem. Ergo illa prædicata per aliquos actus Metaphyſicæ, & per aliquos habitus referuntur ad Angelos tanquam ad totum, & finem. Eſt euidens conſequentia: ergo per nullum habitum Metaphyſicæ attinguntur niſi cum hac ratione. Probo conſequentiam, quia in Metaphyſica non inueniuntur plures habitus circa ea prædicata, quorum alteri ea referant ad Angelos, alteri non; tum quia inuenirentur & alij, qui ea referrent ad Deum: ſic autem minimum reperirentur in Metaphyſica tres habituum ſpecies circa prædicata communia: itidem in phyſica eſſet vna ſpecies habituum circa corpus vt ſic, alia circa illud vt eſt pars cœli, alia vt eſt pars hominis, alia equi, &c. quod præſe fert abſurda; tum à priori, quia prædicata obiectiua entis vt ſic eadem ſunt, quando concipitur ens vt ſic, & quando concipitur in Angelo, aut Deo, quare eadem ſcientia & habitus illa vtrobique ſpeculatur; diſcrimen autem quod habet in ſpeciebus, non oritur ex conceptu communi, ſed ex differentiis, quas alij habitus contemplantur.

§. 90. Hoc autem eſt diſcrimen inter logicã, & ſcientias reales: quod hæ non multiplicant habitus circa prædicata communia abſtracta vel contracta; quia ſemper ſunt eadem: logica verò multiplicat, quia contemplatur abſtractiones ipſas, affectiones contractionis, & abſtractionis: cuius obiectum ſunt: at Metaphyſicus non curat de illis, ſed tantum prædicata ipſa. Quare in phyſica ſemel præmittitur doctrina de corpore vt ſic, de materia, forma, &c. quæ non repetitur in ſingularum rerum diſputatione, quia quæ dicta ſunt de materia vt ſic, quadrant in cœlum, hominem & leonem; quorſum autem Metaphyſicus agat de ente vt ſic, ſi totum illud in Angelo penetrat? qua ratione dixi in prooemio phyſicorum cognitionem corporis vt ſic referri ad ſingulas corporum ſpecies, quia cognita eſſentia corporis in commune, nihil habet in particulari cognoſcendum præter differentias, quæ cognoſcuntur per alios habitus. Ratio à priori, quia corpus vt ſic, & corpus vt pars hominis non habet ex parte ſui aliquod prædicatum nouum: ſed prius erat abſtractum, poſterius contractum; quæ ſunt differentiæ logicæ, ortæ ab actibus vniuerſalibus & particularibus. Quare illi diuerſi ſtatus non habent diuerſos habitus phyſicos; ſed logicos: qui ita verſantur circa extrinſecas denominationes vniuerſalium, & particularum.

Dices primo, phyſicum conari exactam cognitionem de homine, ad quam exiguntur prædicata communia; quæ phyſicus non attingit. Verum fortè probabo §. 183. habitus de obiecto trãſcendente ad phyſicum etiam ſpectare: ſed eo miſſo, præſto eſt diſcrimen: phyſica eſt ſcientia particularis, non intuens ens commune: ſed corporeum: vnde prædicata cõmunia accipit è Metaphyſica, ſcientia vniuerſaliſſima: at verò omnia prædicata corporis formaliter aſſequitur phyſicus, eaque refert ad ſuas ſpecies. Metaphyſica autem de illis aget, quia ſunt eius obiectum: ergo ea refert ad Angelum, & ſicut ex ente vt ſic, & eius differentia conflantur Angelus, & Deus; ita ex ſcientia de Angelo, & Deo conflatur ſcientia de ente & eius differentia ſicut ſcientia de homine integratur ex ſcientia de corpore & anima. §. 91.

Dices ſecundò, ens vt ſic non ſumi abſtractum ab inferioribus ſed contractum. Contra, quia ens contractum includit ſuam eſſentiam: ergo obiectum adęquatũ ſunt Angelus & Deus: probo conſequentiam; quia ens cum differẽtia Angeli eſt formaliter Angelus; ſicut animal cum rationali eſt formaliter homo: ergo ens vt ſic præciſum non eſt obiectum attributionis, & quidem ens vt ſic nõ accipiendũ abſtractũ, ſed cum ſuis differentiis oſtendã. §. 92.

Tandem omnia Metaphyſicæ obiecta vel ſunt ſubſtãtia, vel aliquod ipſius prædicatum, accidens, aut attributum: ſed ſubſtantia eſt inter omnia illa præſtantiſſima: ergo omnia referuntur ad hanc. Probo conſequentiam exemplo phyſicorum, quibus omnia in eſſe ſcibili referuntur ad ſubſtantiam mobilem propter eam rationem: neque verò obiectum attributionis alia ſibi venditat.

SVBSECTIO II.

Oppoſita argumenta.

Pater Suar. diſp. 1. ſec. 1. à numer. 24. & Fonſ. lib. 4. c. 1. q. 7. ſect. 2. huic concluſioni aduerſantur. Primùm autoritate Ariſt. c. 1. lib. 4. *Eſt* (inquit) *quedam ſcientia, quæ ſpeculatur ens, prout ens eſt, & quæ ei per ſe inſunt.* Verum oſtendi §. 16. *ens vt ens* ab Ariſt. ibi vſurpari pro ſubſtantia, quo teſtimonio propugnatur hæc opinio, non oppugnatur. §. 93.

Secundò, quia omnia de quibus metaphyſicus agit, conueniunt in eandem abſtractionem entis in communi: ergo omnia illa ſunt attributionis obiectum adæquatũ: nam quæ per ſe cadunt in eandem abſtractionem à materia, per ſe conſiderantur à ſcientia §. 94.

ſcientia ſine attributione vnius ad aliud. Confirmat, ſi non eſſet Angelus, adhuc Metaphyſica ageret de ente vt ſic, ergo illud non refert ad Angelum. Nego conſequentiam & eius probationem; e qua tantum conficitur, illa eſſe obiectum proprium, quod S. Thom. *commune* vocat, non tamen attributionis: nam inter obiecta eiuſdem abſtractionis poteſt reperiri intrinſecus ordo vnius ad aliud, poſſuntque inuicem in cognitione referri: ſicut re ipſa referuntur. Quod patet exemplis: totum enim & partes in eamdem abſtractionem cadunt: & tamen partes in cognitione referuntur ad totum: item ignis, & calor cadunt intra eamdē abſtractionem; materia prima, & quantitas: Angelus & eius cognitio: cum tamen calor referatur ad ignem; quantitas ad materiam; ad Angelum eius cognitio. Ad confir. Non eſſet hæc Metaphyſica, ſi Angelus repugnaret, huic enim obiiciuntur prædicata realiter eadem cum Angelo: ergo ſi Angelus non eſſet, non eſſent hæc prædicata realiter; quia hæc ſunt Angelo communia: illa non eſſent. Nunc autem diſquirimus obiectum huius Metaphyſicæ, non alterius chymæricæ. Immo ſi calor non eſſet, non eſſet hæc Metaphyſica, non quod hæc calorem diſpiciat: ſed quia rationem communem etiam calori, quæ non eſſet, calore ſublato è poſſibilibus.

§. 96. Tertiò, quia de multis agit Metaphyſicus, quæ non ſpectant ad cognitionem ſubſtantiæ immaterialis: ergo. Nego antecedens: recenſui autem §. 49. quidquid Metaphyſicæ obiicitur, quod immediatè, vel mediatè ad ſubſtantiam refertur; nam cum ens ad ſubſtantiam referatur, quod refertur ad ens, refertur etiam mediatè ad ſubſtantiam.

§. 97. Quartò, quia ens vt ſic potius eſt obiectum adæquatum quàm eius ſpecies, vt Phyſicæ obiectum adæquatum non ſunt corporis ſpecies: ſed corpus vt ſic; nam ea ratione agit de cœlo, quia eſt corpus: ſimiliter Metaphyſica ea ratione agit de Angelo, quia agit de ente, quæ phraſis familiaris eſt S. Tho.

§. 98. Antecedens latam continet æquiuocationem: nam ens vt ſic, aut corpus ab inferioribus præciſa, cum ſint conceptus valde confuſi, & imperfecti, non poſſunt eſſe adæquatum obiectum ſcientiæ: quæ cognitiones confuſas, & vniuerſales ad claras, & particulares declinat, vt obiecta exactè cognoſcat, non verò particulares ad vniuerſales: quia ratio communis bene cognoſcitur ſine particulari, ſecus hæc, quæ ab illa pendet. Quam ob rem neceſſum eſt communem ad particularem, non particularem ad communem referri: illud enim eſt vtile, hoc autem eſſet inutile. Quis autem dicat finem Metaphyſicæ eſſe ſcire ſolam diffinitionem & attributa entis vt ſic? quæ eſt valde manca cognitio, vt patet ex tota diſput. 2. oſtendi autem in proœmio phyſicorum corpus vt ſic non eſſe adæquatum obiectum Phyſiologi, ſed omnia corpora collectim capta. Sanct. autem Thom. non intelligit ens ſic præciſum, ſed cum tota ſua communitate, complectente differentias, quas vna voce promimus *ens* aut *corpus vt ſic*, ſicut obiectum viſus eſt color; non quod viſus feratur in colorem vt ſic, ſed particulatim in colores omnes. Nec verò phyſicus agit de cœlo, quia habet rationem corporis vt ſic; ſed etiam, quia eſt cœlum, & vna ſpecies corporis: nam cum phyſicus agat de omnibus corporis ſpeciebus, ſingulæ illarum ſecundum proprias differentias habent rationem obiectiuam phyſicæ: ſicut viſus videt albedinem, quia eſt color, non quia habet colorem vt ſic, quem viſus ignorat: ſed quia eſt albedo, & vnus è coloribus. Nam viſus omnes colores exprimit. Nec alia vnitas in obiectis requiritur præter hanc ſimilitudinis, & conuenientiæ. Immo ea ratione phyſicus agit de corpore, quia agit de cœlo, cuius pars eſt corpus; & propter eamdem rationem agit de materia.

Quintò, illud eſt primum & adæquatum ſubiectum, cui per ſe conueniunt proprietates communes in ea ſcientia demonſtratæ: ſed enti conueniunt, quia illæ ſunt, *bonum, vnum,* & *verum*, ergo. §. 99. Diſtinguo maiorem: cui conueniunt proprietates communes, ſimul cum particularibus, concedo maiorem, ſic Deo & Angelis conueniunt vnitas communis, & particularis. Nego de proprietatibus vt ſic, particularibus amotis: in Metaphyſica autem non modo monſtratur vnitas vt ſic; ſed etiam vnitas Dei, quæ non conuenit enti vt ſic; Proprietates adæquatæ conueniunt ſubiecto adæquato proprio, vt omnes proprietates entis vt ſic; Dei & Angeli, conueniunt Angelo, Deo, & enti: ſed cum attributione vnius ad aliud. Alia argumenta apud P. Fonſec. ſupra ſect. 2. non probant ſubſtantiam non eſſe ſubiectum attributionis: nam hoc admittit expreſsè, ſect. 3. ſed tantum probant Angelum, & Deum non eſſe obiectum adæquatum proprium; quæ omitto, quia ex dictis ſunt facillima ſolutu. Hoc te monitum volo, rationem, quia nititur hæc concluſio probari ab omnibus: qui dicunt logicæ adæquatum obiectum eſſe modum ſciendi, complectentem diuiſionem, diffinitionem, & argumentationem: quod cum Pat. Toleto, & Suarez docent complures: item qui demonſtrationem, hos retuli, diſput. 1. log. §. 162. Nam illi modum ſciendi in commune dirigunt, vel ad ſolam demonſtrationem, vel ad tres ſpecies modi ſciendi.

SECTIO IV.

Deus eſt adæquatum obiectum Metaphyſicæ.

Dico ſecundò. Obiectum adæquatum *attributionis Metaphyſicæ eſt ſolus Deus Opt. Max. ita vt omnia de quibus metaphyſicus agit, habeant Deum pro vltimo, & adæquato obiecto, cuius gratia diſputantur. Vt contingit rebus omnibus, de quibus ediſſerit Theologus.* Ita Albertus M. Auerroes, Auicenna, & Alpharabius, apud Pat. Suarez, num. 7. & Fonſec. ſupra ſect. 1. Hanc arbitror eſſe Ariſtotelis mentem lib. 1. cap. 2. ante finem, aſſerentis hanc ſcientiam eſſe diuinam, & quia Deus eam habet, & quia agit de Deo: Scientia autem à ſuo obiecto denominatur, at diuinæ ſcientiæ obiectum primarium, *& cuius gratia* (ſi ita fas eſt loqui) eſt Deus ipſe: ipſe autem Ariſt. paſſim primos Philoſophos, Theologos appellat: totumque hoc opus abſoluit, diſputatione de Deo tanquam de ſcopo ſibi tota diſputatione præfixo, ſicut logicam abſoluit præceptis de demonſtratione, quam dixerat ſibi eſſe finem in illis libris. Denique quia dixit finem ſuum eſſe inueſtigare vniuerſaliſſimas cauſas entis: Deus autem eſt iſta inter Metaphyſica obiecta. §. 100.

Sententiam hanc clariùs ſequitur S. Thomas 3. contra Gentes cap. 25. vbi probat finem cuiuſque ſubſtantiæ intellectualis eſſe cognoſcere Deum, ratione autem ſexta hæc ſubiicit, *ipſa prima Philoſophia tota ordinatur ad Dei cognitionem ſicut ad vltimum finem, vnde & ſcientia diuina nominatur.* Ecce meam concluſionem, iiſdem verbis: ergo ex ſententia Diui Thomæ, omnes habitus metaphyſici ordinantur ad cognitionem de Deo tanquam ad vltimum finem, nec dixit, *ordinantur ad Deum.* §. 101.

Nam

Nam cætera ad eumdem etiam referuntur: ſed dixit: *ad Dei cognitionem*; id eſt, in eſſe ſcibili tota Metaphyſica refertur ad Deum. Quod apparebit clarius legenti totum illud ſextum argumentum, quo ait, Dei cognitionem eſſe finem Metaphyſicæ, ſicut vſus nauis, cuius directio eſt finis artis nauticę: cui Ferrara conſentit ibidem. Vtriuſque autem aliud exemplum eſt ex amabili obiecto: quod enim amatur propter aliud, ad illud refertur, ergo & quod ſcitur propter aliud, ad idem refertur. item 1. 2. quæſt. 66. art. 5. corpore ait, *obiectum ſapientiæ*, id eſt Metaphyſicæ, *præcellit inter obiecta omnium virtutum intellectualium: conſiderat enim cauſam altiſſimam quæ Deus eſt, vt dicitur in principio Metaphyſicæ.* Vbi obiectum ſimpliciter Metaphyſicæ vocat Deum: non verò cum addito (vt aiunt) diminuente: ſicut obiectum Theologiæ vocatur Deus idem. & ad quartum eſt tam clarus, vt non poſſit obtenebrari obſcura aliqua interpretatione, *cognoſcere*, (inquit) *rationem entis, & non entis, & totius, & partis, & aliorum, quæ conſequuntur ad ens, pertinet ad ſapientiam: quia ens commune eſt proprius effectus cauſæ altiſſimæ, ſcilicet Dei.* En S. Thom. ens commune, & eius affectiones referentem ad Deum in Metaphyſica cognitione. Immo & ipſe P. Suarez ſect. 4. num. 4 fine ait, omnes ſcientias ad Metaphyſicam referri propter contemplationem de Deo, quæ in Metaphyſica exercetur, ergo multo melius refertur Metaphyſica ipſa. Tandem Pat Fonſec. ſect. 3. concluſ. 1. adſtipulatur. Videntur tamen primo intuitu aduerſari, quia non ſatis enucleant hanc diſtinctionem obiecti adæquati proprij & attributionis; nam quod illi vocant *principale*, ego voco *attributionis*.

§.102. Aliqui diſcipuli S. Thom. eum adducunt pro oppoſitâ ſententiâ ex quæſt. 5. in Boëtium de Trinitate art. 4. vbi aſſerit Deum non eſſe partem ſubiectiuam obiecti Metaphyſicæ. Verum hi quærunt teſtimonia S. Thomæ in ſuburbiis eius operum, omittentes quæ ſunt in eorum meditullio: ipſi autem tenentur explicare teſtimonium quod producunt ne illud ſenex retractaſſe videatur. Voluit ibi S. Thom. Metaphyſicum non habere Deum pro ſubiecto perfectè cognoſcendo, quia illum cognoſcit præcisè ex creaturis: quæ non indicant Trinitatem ex aliqua eius attributa: Theologia verò ea omnia poteſt cognoſcere per diuinam reuelationem. Quæ expoſitio clarè colligitur ex eo artic. 4. neque obſcurè indicatur in quæſt. incipiente *deinde quæritur de manifeſtatione diuinæ cognitionis*, art. 2. in eundem Boëtium de Trinitate: vbi docet à Philoſophis traditam ſcientiam de Diuinis: in qua noſtro imperfecto modo agitur de Deo. Idem dixerim de angelis (quos tamen aduerſarij admittunt eſſe partem obiecti formalis Metaphyſicæ) de quibus perpauca cognoſcimus ex Metaphyſica: plurima verò ex Theologia. vide §. 155.

§ 103. Probo concluſionem argumento è teſtimoniis S. Thomæ petito: obiectum, quod per aliquã ſcientiam cognoſcitur, ſecundum propriam ſuam rationem, & ad cuius cognitionem aſſequendam referuntur cognitiones cæterorum obiectorum eiuſdẽ ſcientiæ, hoc (inquam) obiectum eſt obiectum attributionis, & adæquatus finis illius ſcientiæ: ſed Deus ſecundum ſuam propriam rationem conſideratur in Metaphyſica (vt abundè probaui) & ad eius cognitionem aſſequendam referuntur cognitiones cæterorum obiectorum Metaphyſicæ: ergo Deus eſt obiectum attributionis, & adæquatus finis extrinſecus Metaphyſicæ. Maior propoſitio liquet è §. 27. immo & ex ipſis terminis: nam ſi ipſum diſputatur, eſt iam obiectum: ſi verò gratia illius cognitionis, & cætera diſputantur, eius cognitio eſt finis cæterarum cognitionum, quod eſt in eſſe ſcibili vnum obiectũ referri ad aliud. Probo nunc ſecundam partem minoris propoſitionis: videlicet ad aſſequendã Dei cognitionẽ referri cæteras Metaphyſicæ cognitiones: nam cognitio illa Dei eſt noſter vltimus finis naturalis, & beatitudo naturalis, vel adæquatè, vel ſaltem partialiter (vt nunc pono è B. Thom. 3. cont. Gent. c. 25.) Sed ad vltimum finem aſſequendum referuntur omnes naturales operationes (in quibus malitia non reperitur:) ergo omnes cognitiones Metaphyſicæ referuntur ad aſſequendam cognitionem de Deo.

Dices primò, eo argumento probari, Deum eſſe etiam obiectum cęterarum facultatum, quia omnes illarum cognitiones referuntur ad aſſequendam Dei cognitionem: quia Deus eſt vltimus finis extrinſecus omnium facultatum & creaturarum omnium, idque maximè cernitur in phyſicis, vbi oſtẽditur exiſtentia Dei. Reſpondeo, eo argumento effici cognitionem Metaphyſicam de Deo eſſe finẽ quem natura ſibi proponit etiam in aliis ſcientiis; quapropter Ariſt. eas nuncupat miniſtras, & ancillas Metaphyſicæ, cui famulantur, inſtruentes intellectum, vt per illas gradum faciat ad Deum: immo B. Thom. ſupra argum. 6. ait finem actionum ludicrarum eſſe contemplationem Dei. At verò non poteſt dici Deus obiectum attributionis, quia cum ſecundum ſe non conſideretur per illas ſcientias, illis haudquaquam obiicitur ſecũdum ſe. Phyſicus enim (vt ibi oſtendo diſp. 10 ſect. 1.) tantũ attingit Deum vt primum principium motus, oſtendens repugnare infinitum progreſſum in cauſis per ſe: at phyſicus non perſcrutatur perfectiones eius cauſæ; at in Metaphyſica, & eſt obiectum illius, & eius cognitio eſt finis cæterarum; ergo in eum quadrant omnia, quæ in obiectum attributionis. §.104.

Dices ſecundò, non referri ad Deum in eſſe ſcibili: ſed tantum ad aſſequendum finem vltimum. Bene: quid aliud, obſecro te, eſt referri ad aſſequendam ſcientiam, & cognitionem illius? Confirmatur. Deus eſt vltimus finis, ad quem eſſentialiter referuntur cætera, quæ ab ipſo in Metaphyſica diſputantur: ergo ad illum referuntur in eſſe ſcibili: probo conſequentiam, quando intra eamdem ſcientiam clauduntur finis, & quod eſſentialiter eſt ad finem, hoc refertur ad illud in eſſe ſcibili: ergo. Probo antecedens, tum exemplis: partes enim referuntur in ſcientia ad totum, quod eſt illarum finis, cognitio ſubſtantiæ eſt finis cognitionis de accidente; ſicut eadem ſubſtantia eſt finis accidentis; ſpecies impreſſa eſt ad cognitionem expreſſæ eadem ratione: item inſtrumenta medica ſunt in cognitione ad cognitionem ſanitatis: tum à priori; quia res in ſui cognitione ſeruat ad ſuum finem ordinem, quem in ſuo eſſe; res etenim ſic petunt cognoſci, vt ſunt; alioqui non rectè cognoſcerentur: vt patet in exemplis adductis. §.105.

Dices, ea quæ ſunt ad finem intrinſecum, ſic poſſe cognoſci, non verò quæ ad extrinſecum. Contra, ſpecies expreſſa non eſt finis intrinſecus impreſſæ, nec ſanitas inſtrumenti medici; ergo id parum refert. Deinde ratio illius relationis non nititur intrinſeco fini, ſed ordini eſſentiali ad illum: vt enim accidens refertur in cognitione ad ſubſtantiam, non quia eſt illi intrinſecum: nam etiam ſubſtantia eſt intrinſeca accidenti; ſed quia eſt illius finis: ita Angelus eſt eſſentialiter ad Deum: ergo eodem pacto refertur in ſcientia. §.106.

Secundò argumentor, in Theologia cognitio de Angelo refertur ad cognitionem Dei; quia agi- §.107.

tur de Angelo, vt de effectu reſpiciente Deum vt vltimum finem, primúmq; principium:ergo etiam agitur de eodem in Metaphyſica ſub iſta conſideratione. Patet conſequentia, quia obiecta inter ſe ſeruant eumdem reſpectum.

§.108. Dices, Angelum in Theologia referri ad Deum; quia de vtroque agitur ſub diuina reuelatione. Contra, reuelatio eſt ratio formalis obiectiua ſub qua, non tamen eſt finis, nec obiectum attributionis Theologiæ, alioquin illa, & non Deus ſecundum ſe eſſet obiectum Theologiæ: nec reuelatio immutat naturalem ordinem obiectorum; ſed potius illum indicat: eſt enim omnino denominatio extrinſeca obiecto: ergo illa non facit vnum ad aliud referri: ſed Deus id ſibi vendicat, quia eſt principium, & finis rerum omnium:ergo id erit in Metaphyſica.

§.109. Quod ita confirmo. Deus nihil reuelet de ſe ipſo, ſed tantum reuelet aliquid de triangulis, aut de obiecto Logicæ, aut Phyſicæ; & ex vno principio reuelato, & alio naturali diſcurrant Phyſicus, Logicus, & Mathematicus: certè Deus non erit obiectum illarum facultatum: ſed cognitio materiæ referretur ad cognitionem compoſiti: & cognitio accidentis ad ſubſtantiam, & cognitio prædicati ad totam propoſitionem: ſicut modò referuntur. Immo id ita Theologo contingit, qui cognitionem de accidente Angeli refert immediate ad cognitionem ſubſtantiæ Angelicæ, & non ad Deum. Itaque ſicut Theologus omnia effecta, de quibus aliquid Deus reuelauit, refert in cognitione ad Deum, quia eſt illorum cauſa, ita metaphyſica omnes effectus Dei, quos attingit, refert ad Deum, quia eſt illorum cauſa. Quam rationem reddit S.Thom. 1. 2. adductus, §.101. ex quo non modo concluſionem, ſed etiam probationes accepi: corporeos autem effectus non refert, quia ſunt extra ſphæram ſui obiecti. Theologus autem omnes referre poteſt, quia de omnibus Deus poteſt aliquid reuelare. Sicut ergo Theologia eſt partim intellectualis, cognoſcens Deum, partim moralis, mentem inſtruens ad Dei amorem; vtriuſque autem partis finis eſt Deus: ita Metaphyſica inſtruit intellectum circa Deum, moralis autem philoſophia componit mores erga Deum, vtriuſque autem finis eſt Deus. Adde, Deum eſſe ſcibilem per ſe ſcientia naturali, ergo eadem aget de eius effectibus, quia ſunt effectus Dei, vt agitur de obiectis aliarum ſcientiarum, eorúmque effectibus: hæc autem ſcientia eſt metaphyſica:ergo.

§.110. Nec video quid vrgeat. Nam, quamuis cognitio cauſæ extrinſecæ, quandoque referatur ad exactam cognitionem effectus: id tamen eſt, quando cauſa non conſideratur perfectè in illa ſcientia, ſecus eſſet, ſi perfectè conſideraretur. Nec hoc eſt adeo perfectum, vt naturæ vires excedat, ſicut non ſuperat naturę vires, Deũ eſſe noſtrum finẽ vltimum.

§.111. At dicat aliquis primò. Deus eſt obiectum adæquatum attributionis ſacræ doctrinæ: ergo nequit eſſe obiectum partiale Metaphyſicæ. Probo conſequentiam, quia quando obiectum ſub peculiari abſtractione poteſt terminare vnam ſcientiam adæquatè, non poteſt vt pars alterius obiecti formalis aliam ſcientiam terminare:ergo. Probo antecedẽs; quia genus & ſpecies terminant eandem ſcientiam, quia cadunt ſub eandem rationem ſpeculabilis. Hoc argumentum nullius eſt momenti; quia fides & viſio beata habent idem obiectum adæquatum attributionis. Deus autem eſt obiectum formale totale viſionis, eſt tamen obiectum formale partiale fidei, vt ibi oſtendi diſput. 4. Ratio à priori, quia ſub diuerſa ratione formali inadæquata poteſt eſſe alia ſcientia ſpecie diſtincta: quia obiecta adæquata ſunt diuerſa. Vnde ad argumentum nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo antecedens: quando non ſunt diuerſæ rationis formalis, tranſeat antecedens: quando ſunt, nego antecedens. Ad probationem reſpondeo ens pertinere ad diuerſam ſcientiam ac ſpecies entis. Si enim communicant eandem rationem formalem vel abſtractionem, pertinent ad eandem: ſecus ſi habeãt diuerſam abſtractionem, aut rationem formalem vt patet in ente. Hæc probatio huius argumenti contra ipſos eſt potius quàm ab eis. Nec hoc dedecet Deum, vt non dedecet terminare fidem & viſionem: immo oppoſitum dedeceret, nempe cognoſcere Deum propter aliud.

Secundò obiicies futuram hanc Metaphyſicam, quamuis Deus non eſſet: ergo non reſpicit Deum ex natura ſua. Nego antecedens, quia ſi Deus non eſſet, nihil eſſet: vnde per locum intrinſecum deſineret obiectum huius Metaphyſicæ: quia deſineret Deus, quo deficiente deſinerent omnia entia creata: quia interit effectus intereunte cauſa, à qua eſſentialiter pendet, vt patet ex ſummulis. Intereunte autem ente creato & increato nullus eſſet conceptus entis vt ſic. Eſt ergo hæc perinutilis argumentatio. Ponamus autem non eſſe Deum, eſſe tamen Angelum. Reſpondeo non manſuram hanc ſcientiam: quia hæc habet eſſentialem ordinem ad multos actus quibus cognoſcimus eſſentialem dependentiam angelicæ exiſtentiæ & cognitionis à Deo: ſi autem illi actus eſſent impoſſibiles, eſſet etiam impoſſibilis illorum habitus. Cæteri autem manerent ſicut maneret angelus: quia illi habent in ratione obiecti ordinem remotum ad Deum: quod ſi maneret angelus qui dicit ordinem immediatum, non tamen manerent actus de ente vt ſic: quia conceptus, quem nunc habemus de ente vt ſic, eſt communis Deo, in illo autem caſu non eſſet idem conceptus obiectiuus: quia hac communitate careret. Quod autem alij obiiciunt Metaphyſicam fore tam vniuerſalem quàm intellectum, eſt falſum apertè: quia Metaphyſica neque attingit obiecta materialia, nec Trinitatem, nec ſupernaturalia. §.112.

SECTIO V.

Vtrùm Metaphyſica cognoſcat, & præſcribat cæterarum facultatum obiecta?

ÆGidius, Antonius Mirãd. & alij apud P.Suar. diſp. 1. ſect. 2. n. 2. ferre dicuntur, metaphyſicam diuagari per omnia ſcientiarum obiecta: quibus videtur adſtipulari S.Thom. 3. met. lect. 4. adſtruens, hanc ſcientiam ad omnia ſe extendere ſub ratione entis: quibus P.Suar. meritò refragatur. Illorum fundamentum poteſt eſſe. Primum ex Ariſt. aſſerente hanc ſcientiam conſiderare quidquid eſt in rebus: & eiuſdem ſcientiæ eſſe contemplari totum, & partes: id eſt genus, & ſpecies, vt phyſicus diſquirit corpus cum ſingulis eius ſpeciebus: præſertim vrgent teſtimonio ex initio lib. 4. *Sicut eſt* (inquit) *vnus ſenſus vnius obiecti, & eorum, quæ ſub ipſo continentur, ita vnam ſcientiam hanc ſpeculari ens, in quantum ens, & ſpecies eius, & ſpecies ſpecierum.* Secundò, ad eandem ſcientiam ſpectat cognitio generis, & ſpeciei: ſed ad metaphyſicum ſpectat cognitio generis rerum omnium: ergo & eiuſdẽ ſpecierum. Maior à me videtur ſatis probata à §.14. §.113.

In

§. 114. In præſenti ponenda eſt diſtinctio Metaphyſicę à cæteris ſcientiis, de qua ſectione ſequenti: nam ſi quis dixerit (vt Mirandulanus videtur) Metaphyſicam conſtari ex omnibus habitibus tam Phyſicis, quam Mathematicis, conſequenter hæc de obiecto cenſebit: at nunc pono habitus de obiectis à materia abſtractis diſtingui ſpecie à Phyſicis, & diuerſam ſcientiam conſtituere. Quo poſito, Dico primo, *à Metaphyſico non conſiderari rationes entis præter abſtractas à materia.* Ita Ariſtoteles nullum obiectum huic facultati aſſignans, præter cauſas, & conceptus vniuerſaliſſimos entis: & beatus Thomas, 3. metaph. lect. 4. negans cauſam materialem conſiderari per Metaphyſicam: quod verò indidem obiiciunt aduerſarij, facilem habet explicatum: nempe omnia conſiderari à Metaphyſico, quatenus ſunt ens, id eſt, ſecundum conceptum entis, qui in omnibus reperitur.

§. 115. Probatur concluſio. Habitus Phyſici diſtinguuntur à Metaphyſicis: ergo Metaphyſica non conſiderat obiectum Phyſicæ. Patet conſequentia, quia Metaphyſica non haberet vnde diſtingueretur à Phyſica: nam ſcientię naturales diſtinguuntur per obiecta formalia proxima: ſed eadem eſſent obiecta formalia, & materialia, vtriuſque: ergo non diſtinguerentur. Probo minor. Demonſtret Metaphyſicus eſſe compoſitum ſubſtantiale, id præſtabit ex phyſica tranſmutatione, vel ex ſenſili accidente, & cognitione ex iis orta; nec de compoſito oſtendet aliquid, quod etiam Phyſicus non oſtendat, idque etiam præſtabit per eadem media per quæ Metaphyſicus: ergo haberet vterque eadem obiecta formalia, & materialia.

§. 116. Dices, Phyſicum in prima demonſtratione à priori habere pro obiecto formali eſſentiam corporis, & in demonſtratione ab effectu, habere ſenſilia accidentia: at Metaphyſicum primam demonſtrationem ordiri ab ente abſtracto à materia; & eius ſpecies, & affectiones perſcrutantem deſcendere, vſque ad infimas ſpecies. Quæ ſeries cognitionum ſpecie differt à Phyſicis, quia genus ducunt à diuerſa ratione formali: vt Theologus differt à Metaphyſico. Contra, exemplum Theologiæ non eſt è re; quia innititur partim reuelationi diuinæ: at Metaphyſicus non poteſt per conceptum communem entis eius differentias penetrare; nam per conceptum entis, vt ſic, non poſſumus quid coniicere de ente ſupernaturali, vel de corpore ſimplici; nec quis poterit iudicare, an ſit poſſibilis pſittacus, aut ſimia, nec vlla ſpecies inferior. Nam in conceptu cõmuni nulla differentia clauditur, nec cognoſcitur, niſi aliunde iuuetur intellectus. Cum ergo cognoſcitur eſſe compoſitum ſubſtantiale, aliunde cognoſcitur ex tranſmutatione, vel accidente ſenſibili: ergo ad cognitionem corporis eodem argumento ducitur Metaphyſicus, quo Phyſicus: vtriuſque ergo demonſtratio eaſdem præmiſſas haberet, & concluſionem eandem.

§. 117. Dico ſecundo, *Metaphyſicus non conſiderat ens vt contractum ad corpus.* Hæc eſt contra Patrem Suarez: neceſſariò tamen illata ex prima; quam idem docet. Probatur; quia ens vt contractum ad corpus, eſt formaliter corpus: ergo ſi conſiderat Metaphyſicus ens, vt contractum ad corpus, conſiderat formaliter corpus; quod eſt contra primam concluſionem: antecedens probo: quia ens contractum per differentiam corporis eſt de eſſentia corporis, ſicut animal contractum per rationale, eſt de hominis eſſentia: ſed animal cum rationali eſt formaliter homo. Ratio eſt; quia rationes cõmunes contrahi, eſt eas clarè cognoſci in inferioribus; cognoſcuntur autem ſic, quando ſimul cum illis cognoſcuntur differentiæ contractiuæ. Species autem nihil ſunt præter genus & differentiam clarè cognita. Metaphyſicus igitur tantum concipit prædicata communia, differentias autem materiales arripit Phyſicus. Si autem corpus, quia eſt ens, conſideraretur à Metaphyſico, ergo quæuis infima differentia caderet ſub Metaphyſicum, propter eamdem rationem: nec eſſet neceſſaria alia ſcientia.

Vnde colliges, in Metaphyſica non eſſe agendum de compoſito eſſentiali, aut eius partibus: de quantitate, ſitu, habitu, aliiſque conceptibus materialibus. Rogas, cur Ariſtot. de illis egerit? forte oſtenderet metaphyſicam iuuari plurimum Phyſicis præceptis: nam Phyſicus demonſtrat exiſtentiam primæ cauſæ: eaque monſtrata ſiſtit gradum, quia ſui inſtituti haud refert progredi: Metaphyſicus autem accepta exiſtentia Dei, circa illum ratiocinatur, eius eſſentiam attributaque diſquirens per ſpecies immediatas relictas ex cognitione Dei per creaturas. Quemadmodum Phyſicus miniſtris vtitur ſenſibus, & per accidentia cognita ſubſtantia, de illa philoſophatur, eiúſque affectiones demonſtrat à priori. Totum enim hominem natura effinxit diuerſis partibus inſtructum; quæ inuicem ſe iuuent. Quæuis enim ſcientia vtitur cognitione alterius: exempli gratia, logica tradit hoc præceptum. *Diffinitio eſt oratio explicans naturam rei:* accipit tamen à grammatica, *quid ſit oratio*, & à Metaphyſica, *quid ſit natura rei.* Ita intellectus per Phyſicam inſtructus, iuuatur ad Metaphyſicam, per quam vicem rependit Phyſicæ tradens conceptus communes entis, qui etiam phyſico proſunt. §. 118.

Quamobrem cum grano ſalis eſt accipiendum quod aiunt Pat. Fonſec. 1. Metaphyſ. cap. 2. quæſt. 1. B. Thomas, & alij, Metaphyſicam aliis ſcientiis comparatam, eſſe velut artificem architectonicum, quia illis præſcribit obiecta: eáque tuetur. Etenim vnaquæque ſcientia ſibi habet à natura præfixum obiectum, non enim nutat in eo deligendo. Metaphyſica autem nec ſcientias cognoſcit, nec earum obiecta ſecernit: immo nec cognoſcit, ſed quæuis ſcientia habet reflexos aliquos actus, quibus in proœmiis ſua inueſtigant obiecta. Principia autem propria ſcientiarum fugiunt Metaphyſicam: à qua confirmantur probando principia particularia per generalia, exempli gratia. Probat phyſicus exiſtentiam ſubſtantiæ ſenſilis, idque ex accidentibus: admittit aduerſarius accidentia, negátque ſubſtantiam: hic non eſt coarguendus ex phyſicis principiis: ſed ex metaphyſicis: oſtendendo ex conceptu ſubſtantiæ, & accidentis, non poſſe ex naturæ legibus accidens ſine ſubſtantia conſiſtere. §. 119.

Ergo *contra negantes principia non eſt arguendum* ex principiis eius facultatis: at arguendum eſt ex principiis alterius, tam euidentibus, vt negari nequeant mente: tametſi negentur voce. Quod accuratè S. Thomas aduertit ex Ariſtot. 4. metaphyſ. lect. 5. Quo ſenſu omnes aliæ ſcientiæ ordinantur, ſtabiliuntur, capiúntque principia à Metaphyſica. Quod clarius apparet in logica: tota enim ſyllogiſtica diſpoſitio innititur huic principio. *Dici de omni, & dici de nullo. Impoſſibile eſt vt idem de eodem ſimul affirmetur & negetur.* At ſi hæc principia negentur, opem petit logicus à Metaphyſico: & ſic logica illatio probatur eo principio. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe:* doctrina autem de contradicentibus propoſitionibus defenditur hoc principio, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* §. 120.

Digitized by Google

§.121. Ad primum è §.113. Reſpondeo, Ariſtotelem intelligi de omnibus, vt continetur confusè ſub conceptu communi entis, quod eſt proprium huic facultati. Phyſici enim obiectum non diuagatur vltra corpus. Teſtimonium ex 4. lib. P. Suarez explicat ex P. Fonſec. diuerſa verborũ ſtructura; nempe *vnius ſcientiæ eſſe cõtemplari ens, & ſpecierum ſpecies*, id eſt, *ſpecierum ſcientiarum eſſe contemplari ſpecies entis.* ac ſi dicat: Metaphyſica eſt ſcientia generalis, cuius contemplatio eſt de ente: cæteræ autem ſunt ſpeciales, quarum contemplatio eſt de entibus in ſpecie. Si hoc nõ placet, dicito Ariſtotelem loquutum de ſpeciebus à materia abſtractis, vel loquutum hyperbolicè rethorum more, commendabat enim ſuam Metaphyſicam ex obiecti amplitudine, quæ ſub ſe continet confusè omnes ſpecies ſpecierum entis. Secundum argumentum eſt difficile, non quod probet pertinere omnes differẽtias ad eandẽ ſcientiam, ad quam genus; alioquin vna eſſet ſcientia: ſed quod probat ad eandem ſcientiam pertinere cognitionem de genere, ad quam pertinet ſpeciem cognoſcere. Quam difficultatem expecta ſectione ſequenti. Interim poſita opinione communi, dico genus & ſpeciem pertinere ad eandem ſcientiam, quando ſunt intra eandem abſtractionem, vt corpus vt ſic cum eius ſpeciebus: ſecus quando ſpecies eſt in diuerſa abſtractione, qua genus vel diuerſa ratione formali.

SECTIO VI.

Vtrum ſcientiæ diuidantur per abſtractionem à materia.

§.122. PRimum pono ex diſput. 16. de Anima cum Nominalibus, & P. Molina 1. part. quæſtione 1. artic. 7. diſput. 2. Habitus metaphyſicos eſſe à phyſicis ſpecie diſtinctos: nec eſſe vnam ſimplicem qualitatem, per quam phyſici ſimus & metaphyſici: opinio autem Mirandulani aſſerentis, non eſſe niſi vnam ſcientiam conſiderantem omnia obiecta, non intelligitur de vnitate eiuſdemmet habitus, ſed ex omnibus habitibus vnam ſcientiam conflari: quam tamen è ſententia Mirandulani, in Phyſicam, Metaphyſicam, &c. claritatis ergo, diuide, vt breuius tradatur, & commodius in certas diſtributa claſſes. De phyſica autem qualitate non eſſet probanda ea opinio. Primùm, quia habitus naturalis eſſet in obiecto æque vniuerſalis, ac intellectus, quod præ ſe fert abſurdum; quia habitus eſt determinatior cauſa, quàm potentia. Secundò, quia habitus voluntatis circa materiam omnium virtutum non eſt vna ſimplex qualitas; temperantia enim realiter diſtinguitur à iuſtitia, poteſt enim quis ſimul eſſe iuſtus, iuſtitia ſpeciali, & intemperans: ſi enim ſupernaturales habitus voluntatis, cum gerant vices potentiæ; realiter diſtinguuntur: quid ni & naturales acquiſiti per actus? ſi autem voluntatis habitus diſtinguuntur, cur & intellectuales non diſtinguentur? Tandem, quia poteſt aliquis eſſe phyſicus eſſéque facillimus in demonſtratione phyſica, quin ſit metaphyſicus. Quo argumento probo ea diſput. 16. de anima tot eſſe habitus ſpecie diſtinctos in quauis facultate, quot concluſiones. Hac igitur habituum vnitate exploſa; quærimus hac, & ſequente ſectione ſcientiarum diuiſiones, & vnitatem, qui habitus vnam ſcientiam efficiant? qui diuerſas?

SVBSECTIO I.

Quotuplex abſtractio à materia aſſignetur communiter.

ABſtractio poteſt eſſe realis, & rationis. Realis poteſt eſſe idem quod ſeparatio alicuius rei à materia: vt animus rationalis, homine intereunte ſeparatur à corpore: quæ ſic abiuncta dicitur *anima ſeparata*: item accidentia eucharistica, ſunt ſeparata à materia panis. Secundò ſeparatio realis à materia eſt idem quod diſtinctio alicuius rei à corpore, vt accidentia etiam dum exiſtunt in corpore ſunt ab illo ſeparata. Tandem quæ à parte rei nec ſunt, nec componuntur ex materia, nec illam connotant, dicuntur à materia ſeparari, vt Angelus & Deus. Separatio autem rationis ſiue abſtractio eſt diſtinctio rationis vnius obiecti ab alio: ſiue eſt conſideratio vnius conceptus nõ conſiderato alio. §.123.

Celebris eſt triplex abſtractio à materia. Prima à materia indiuidua, ſed non à ſenſibili; ſecunda, ab indiuidua ſenſibili, ſed non ab intelligibili: tertia ab indiuidua ſenſibili & intelligibili. Quod ſic explano. Abſtrahere vnũ ab alio, eſt partiri cogitatione duos conceptus, qui à parte rei ſecari non poſſunt: exempli grat. animal & rationale nõ poſſunt in homine realiter diuidi, & tamen cogitatione poſſunt: quia hominem à longe veniẽtem cognoſco ego ſecundũ quod animal, & tunc non cognoſco eſſe rationale: ecce partior cogitatione animal à rationali. Quod qua ratione cõtingat, dicã nõ paucis diſp. 5. §.124.

Quo poſito abſtrahere à materia indiuidua, ſed non à ſenſibili, eſt cognoſcere rem aliquam ſenſibilem, non cognoſcendo in indiuiduo aliquod eius indiuiduum: vt ſi concipiam hominem non cognoſcendo ſingillatim Petrum nec Antonium, & c nam homo materia ſenſibilis eſt, quia poteſt corporea facultate ſentiri; non tamen eſt indiuiduum: & ſic ille conceptus abſtrahit obiectum à materia indiuidua, quia eam non cognoſcit in indiuiduo: ſed non abſtrahit à ſenſibili; quia eã cognoſcit: itidem abſtrahere à materia indiuidua, & ſenſibili, eſt cognoſcere quidem rem materialem: ſed non in indiuiduo, nec vt ſenſibilem; quia non concipitur, vt delibuta aliquo accidente ſenſibili, id eſt, perceptibili ſenſu; hæc autem abſtractio non eſt à materia intelligibili; quia intellectus verè intelligit rẽ corpoream, exempli gratia: cognoſco ego triangulum, ille quidem in ſuo conceptu corpus includit: ſed non albedinem, calorem aut vllam aliam ſenſui obiicibilem qualitatem: abſtractio autem à materia intelligibili, eſt cognoſcere aliquod obiectum, in quo formaliter non claudatur corporeus aliquis conceptus; quia non intelligitur ibi materia. §.125.

SVBSECTIO II.

Scientiarum partitio communis per abſtractionem à materia.

EST igitur ex Ariſtotele 6. metaph. cap. 1. communiter penes triplicem abſtractionem à materia tripartita Philoſophia in Metaphyſicam, Phyſicam, & Mathematicas. Metaphyſica abſtrahit à materia, etiam intelligibili: quia in ente, Angelis & Deo non includitur corpus: Phyſica abſtrahit à materia indiuidua, ſed non à ſenſibili; cum demonſtret ſubſtantiæ corporeæ accidentia ſenſilia, & per eadem ſubſtantiam: Mathematicæ autem abſtrahunt à materia ſenſili; quia cõſiderant triangulos, numeros, & alia obiecta extenſa; ſed non curant accidentia ſenſilia. §.126.

Probo

§.127. Probo quidem hanc ſcientiarum diuiſionem; non modò, quia communem, verum quia haud incongruam, pro diuerſitate obiectorum. Etenim duo ſunt ſubſtantiarum genera; altera ſpiritualis completa; altera materialis completa. Hæc duo obiecta ſibi vendicant proprias ſcientias; quæ non conflant vnam integram, ſicut nec ens ſpirituale, & materiale conſtituunt vnum, ſed diuerſos gradus entis. Vnde Ariſtot. lib.4. cap.2. dixit, totidem eſſe philoſophiæ partes, quot ſunt ſubſtantiæ: conſtituítque primum philoſophum agentem de ſubſtantiis ſeparatis: & phyſicum de materialibus. Quia verò omnia alia entia ſunt affectus, aut effectus harum ſubſtantiarum, ideo eorum conſideratio ad eas duas philoſophiæ partes ſpectat.

§.128. Dices, ens viuens conſtituit diuerſum gradum à non viuente: ergo Phyſica erit diuerſa, vt vtrumque conſiderat. Equidem habitus de anima, & de cælo ſunt valde diuerſi, reducuntur tamẽ ad vnam phyſicam, quia ſunt valde ſimilia obiecta in materia, & forma: at Angelus, & corpus ſunt valde diuerſi; nec congruè in vnam ſcientiam cadunt; quia duæ philoſophiæ partes rectè ſecernuntur per realem abſtractionem à materia; quia obiecta formalia Metaphyſicæ realiter abſtrahuntur à materia, ſecus Phyſicæ.

§.129. Præterea eſt aliud ens per accidens, reſultans ex ſubſtantiis, nempe numerus, triangulus, &c. hæc obiecta conſiderantur per Mathematicas diſciplinas: Geometriam conſpicientem triangulos, epyciclos, &c. Arithmeticam enumerantem numeros. Muſicam audientem numerorum ſonos: Perſpectiuam variis viſilium linearum aſpectibus oculos illudentem. Ad quas reuocari poſſunt cæteræ omnes facultates: Logica, quæ conſiderat ſtructuram actuum intellectus ad ſyllogiſmos: Architectura, & aliæ, quia ſunt de ente per accidens. Hæc do lubens communi opinioni: ſcientias ita diuidenti. Adde quartam ſcientiam, nempe Theologiam, quæ ab aliis diuiditur, quia eius ratio formalis obiectiua partialis, eſt diuina reuelatio. De hac tripartita philoſophia conſule authores apud Patres Conimbricenſes, quæſt. 1. procœmij phyſicorum, res enim eſt communior, quàm egeat authoritate. Vtrum autem abſtractio à materia ſit ita neceſſaria ad ſcientiarum diuiſionem, nunc diſquirendum.

SVBSECTIO III.

Impugnata nonnulla de abſtractione à materia.

§.130. *Sententia Maſij & aliorũ.*

MVlta ab aliquibus Doctoribus, præſertim Thomiſtis circumferuntur de abſtractione à materia; quæ nunc expendenda ſuſcipio. Didacus Maſius in Logica ſect.1. quæſt.2. procœmiali, & quæſt.15. docet ex S.Thoma abſtractionem à materia eſſe rationem formalem tribuentem ſcientiis ſpecificationem. In quo conueniunt quotquot aiunt ſcientias ſpecie diſtingui per hanc triplicem abſtractionem. Mouentur, quia ſcientiæ diſtinguuntur per obiectum vt eſt proximè ſcibile: ſed eſt ſcibile proximè per abſtractionem à materia: ergo vt obiectum eſt in tali abſtractione dat ſcientiæ ſpecificationem.

§.131. *Tria reperiũtur in abſtractione à materia.*

Emungenda ſunt verba huius ſententiæ, quibus tota hæc doctrina tenebreſcit. In abſtractione à materia tria reperiuntur: primum, ipſa abſtractio formalis ſiue actiua: quæ conſiſtit formaliter in actu intellectus diſtinguente conceptum vnum obiectiuum ab alio, vt oſtendi §.123. & ab aduerſariis conceditur: quia cum ea obiecta non ſint à parte rei ſeparata à ſingularitatibus, debent neceſſariò ſeparari per actum intellectus: in quo nulla eſt controuerſia inter authores. Hunc actum eſſe abſtractionem formalem patet, quia eſt conceptus formalis ſeipſo ſeparans conceptum obiectiuum ſpecificum ab indiuiduo: dicitur etiam actiua, quia ab illa deriuantur omnes denominationes *ſpeciei, abſtracti, &c.* Reperitur etiam obiectum abſtractũ: quia illa formalis abſtractio cognoſcit obiectum aliquod cuius conceptum ſpecificum abſtrahit à ſingulari. Hoc obiectum poſſumus vocare abſtractionem obiectiuam: id eſt obiectum actus abſtrahentis: quemadmodum actus intellectus appellantur ſyllogiſmus formalis; eius autem obiectum dicitur ſyllogiſmus obiectiuus. Tertiò reperiri poteſt in abſtractione quædam denominatio rationis quam Thomiſtæ diſtinguunt ab actu abſtrahente & obiecto abſtracto; eámque volunt eſſe ens rationis: quod nunc admitto ſola diſputandi gratia.

Abſtractio formalis. *Abſtractio obiectiuà: & ſecunda intentio.*

§.132. *Quæſtionis ſenſus.*

Cum igitur dicitur obiectum vt ſubeſt abſtractioni à materia tribuere ſpeciem ſcientiis, ſiue à triplici abſtractione à materia ſcientias eſſe diſtinctas, perinde eſt ac dicere abſtractionem formalem, vel ſecundam intentionem abſtractionis eſſe rationem formalem per quam ſcientias diſtinguit obiectum: illud enim eas diſtinguit vt *quod*, abſtractio autem formalis vt *quo*, quemadmodum corpus calidum calore calefacit: calor ipſe calefacit vt *quo*, quia eſt ratio per quam corpus calefacit vt *quod*. Si igitur impugnauero abſtractionem formalem, aut ſecundam intentionem *abſtracti* non eſſe rationem formalem diſtinguendi ſcientias vt præciſæ ſunt abſtractio à materia, ſed alias ob cauſas, planum fiet obiectum vt abſtractum non eſſe principium ſcientias ſpecificandi, præciſè quia abſtractum eſt: ſed quia ex parte ipſius reſpondet aliquid vni ſcientiæ quod non reſpondet aliis.

§.133. *Secunda intentio nõ dat ſpeciẽ ſciẽtijs niſi logicæ.*

Dico igitur primò, *ſecundam intentionem abſtractionis non eſſe principium diſtinguendi ſcientias reales ſed præciſè logicam.* Probatur, quia ens rationis nullum actum poteſt diſtinguere ab alio niſi illum terminando in ratione obiecti: ſed ſcientiæ reales non habent pro obiecto ſecundam illam intentionem, quæ ex ſententia eam admittentium à ſolo logico conſideratur: ergo ſola logica accipit ſpeciem ab his ſecundis intentionibus. Minor eſt certa, quia quamuis phyſicus conſideret obiectum abſtractum ab indiuiduis, non tamen vt abſtractum; id eſt, non habet pro obiecto ſecundam intentionem abſtractionis, quia agere de ſecunda intentione generis aut ſpeciei pertinet ad ſcientiam quæ agit de modo ſciendi, non verò ad agentem de ente mobili. Maior autem eſt clara, quia diſtinctio ſpecifica oritur in actum ab aliquo principio vel efficienti, vel formali, vel materiali, vel finali, vel obiectiuo, vel exemplari: quia cum oriatur ab aliquo genere cauſæ, ab aliquo ex his oriatur neceſſe eſt. Sed actus phyſici non fiunt ab ente rationis, neque illo informantur, neque in illud recipiuntur, neque fiunt illius gratia, neque ad eius imitationem; ſolum ergo ſupereſt, vt ab illo aliquis actus ſumat ſpeciem tanquam ab obiecto.

§.134. *Obiectio.* *Ens rationis more applicationis nõ dat ſciẽtijs ſpeciẽ.*

Dices ens rationis, ſiue ſecundam intentionem, eſſe conditionem vt exiſtant actus phyſici & metaphyſici. Contra primò, quia conditio *ſine qua non,* non eſt principium tribuendi ſpeciem rebus quæ ab ipſa pendent, niſi in illas influat in aliquo genere cauſæ: tunc autem iam non eſſet conditio. Quod patet in applicatione agentis & paſſi, quæ non eſt

principium actiones ſpecie diſtinguendi, quæ per alia principia diſtinguuntur. Contra ſecundò, quia ad exiſtentiam ſcientiarum per accidens eſt illa ſecunda intentio. Finge enim ex actu cognoſcente humanitatem ſine Petreitate nullum reſultare aliud ens rationis: tunc poſſet exiſtere ſcientia de humanitate: quia per illum actum abſtrahentem eſſet materia ſenſibilis & non ſingularis: quia eſſet cognita ſecundum conceptum humanitatis, quin cognoſceretur ſecundùm conceptum Petreitatis. Illa verò ſecunda intentio ſi reſultat, non eſt ex neceſſitate iudicij, quod oritur ex apprehenſione, ſed alias ob cauſas. Non aliter ac ſi ex actibus præmiſſarum habitus generetur aut non: quidquid enim contingat habitui, ex ſolis præmiſſis poteſt oriri concluſio. Ratio à priori, quia ſimplex apprehenſio & præmiſſæ per ſuas eſſentias mouent ad iudicium & concluſionem, non verò per aliquem effectum ex iis productum: vnde quilibet eiuſmodi effectus ſiue ens reale ſit, ſiue rationis, eſt per accidens iudicio & concluſioni.

Eſt per accidens ad exiſtentiã ſcientiarum.

§.135. Secundò probo concluſionem, quia ſcientia de Deo & Angelis eſt independens ab hac ſecunda intentione: ergo hæc per accidens eſt ſcientiis. Probo antecedens, quia Deitatem non præſcindimus à ſingularitate: nec in ſententia Thomiſtarum ſpecificam naturam Gabrielis poſſumus abſtrahere ab eius ſingularitate: ſed vbi nulla eſt abſtractio rationis alicuius obiecti, ſcientia de illo non eſt dependens à ſecunda intentione abſtractionis. Et quemadmodum ſcientia de Deo ſequitur ſimplicem apprehenſionem de ipſo Deo, quin reſultet illa ſecunda intentio: ergo idem contingeret, quamuis per poſſibile vel impoſſibile ex actu præſcindente vnum ab alio non reſultaret ſimilis intentio ſecunda. Video reſponderi poſſe Deum & Angelos eſſe realiter abſtractos à materia. Contra tamen, quia ibi ſecundum ſuam entitatem ſpiritualem dant ſpeciem ſcientiæ de ipſis, quin recurratur ad eadem obiecta vt ſubſunt ſimplici apprehenſioni: neque hæc adducitur ab authoribus vt principium ſpecificans Theologiam naturalem: ergo eadem ratione ab obiecto corporeo ſecundum ſe, vt ſe tenet ex parte obiecti, non verò ab ipſo vt ſubeſt actui abſtrahenti eſt ſumenda diſtinctio ſcientiarum de ipſo. Probo conſequentiam, quia ſimplex apprehenſio de Deo tam eſt per ſe requiſita ad ſcientificum iudicium de ipſo Deo quàm abſtractio corporis ab indiuiduo eſt neceſſaria ad iudicium ſcientificum: & tamen nulla fit mentio Dei vt cogniti per apprehenſionem ad ſpecificandam ſcientiam de ipſo: ergo neque ad ſpecificationem philoſophiæ eſt facienda mentio alicuius abſtractionis præeuntis iudicio ſcientifico.

Scientia de Deo & Angelis eſt independens à ſecunda intentione.

§.136. Fortè dicet aliquis, Deum & Angelos non pertinere ad obiectum formale Metaphyſicæ; ac propterea nihil intereſſe illam abſtractionem aut eius carentiam. Contra: oſtendam §.... illam differentiam contingere in ipſo obiecto formali. Deinde ne contingat niſi in materiali: hoc potuit cognoſci iudicio ſcientifico, quin obiectum ipſum tribueret ſpeciem ſcientiæ per aliquid diſtinctum, neque vt eſt apprehenſum, ſed præciſè vt eſt in ſe: ergo ab obiecto primò intentionaliter ſumpto, & non vt ſubeſt intentioni ſecundæ, ſumitur ſcientiæ diſtinctio. Confirmatur ex Theologia & fide, quarum formale obiectum & adæquatum attributionis eſt Deus, qui dat ſpeciem illis facultatibus vt eſt ſecundùm ſe à parte rei; non verò vt eſt ſub aliqua ſecunda intentione abſtractionis, neque ſub aliqua ſimplici apprehenſione: ergo ſecunda intentio parum refert ad ſpecificationem ſcientiæ realis.

SVBSECTIO IV.

De abſtractione formali.

Dico ſecundò. *Ab obiecto vt ſubeſt actui abſtrahenti non ſumitur ſcientiarum ſpecies*, id eſt, *actus abſtrahens non eſt ratio formalis diſtinguendi ſcientias.* Hæc concluſio in parte eſt probata §.135. & 136. Quia cum Theologia & fides ſpeciem ſumant à ſuo obiecto formali adæquato, vt eſt ſecundum ſe, non verò vt eſt ſub aliquo actu præcedente; non eſt neceſſe in aliis obiectis formalibus recurrere ad ipſa vt ſubſunt alicui actui priori quàm ipſa ſcientia: ſed recurrendum eſt ad ipſa obiecta quæ cognoſcuntur non verò vt cognoſcuntur. §.137.

Abſtractio formalis non eſt ratio per quã obiectum ſcientias diſtinguat.

Vt autem concluſio probetur, præmitto abſtractionem formalem à materia poſſe intelligi eſſe iudicium ſcientificum facultatum, vel apprehenſionem aliquam ſimplicem: alterutrum enim eſt neceſſario. Si dicas abſtractionem eſſe iudiciũ ipſum, hoc quamuis quidditatiuè ſumit ſuam ſpeciem à ſua eſſentia in genere cauſæ formalis intrinſecè, vt homo ab animali rationali; at non ſumit ſpeciem à ſe ipſo tanquam à principio extrinſeco: hæc enim controuerſia ſupponit ſcientiam (quæ eſt iudicium ſcientificum) ex vna parte; ex alia verò conſiderat huius ſcientiæ principia à quibus in altero genere cauſæ ſumit ſpeciem: ergo ex hypotheſi quod abſtractio à materia & ſcientia ſint idem, non poteſt ſcientia ſumere ſpeciem ab abſtractione magis quàm abſtractio à ſcientia. Debemus igitur pro abſtractione intelligere pro aliqua ſimplici apprehenſione, ſiue ſit notitia comparatiua, ſiue purè abſtractiua. §.138.

In quo ſenſu ſcientia non poſſit per abſtractionem diſtingui.

Probo igitur concluſionem. Primùm, quia hoc genus cognitionis præcurrit iudicio & ſcientiæ vt præciſè repræſentat extrema, de quibus fertur iudicium ſcientificum: ſed hoc genus cauſandi non tribuit ſpeciem ſcientiis in ratione abſtractionis: ergo. Minor probatur, quia huic abſtractioni præit etiam phantaſia, nec tamen propterea obiectum vt repræſentatum per phantaſiam tribuit ſpeciem apprehenſioni: item phantaſiæ anteit externa ſenſio, phantaſia autem non ſumit ſpeciem ab obiecto vt viſo; ſed viſio, phantaſia, & apprehenſio ſumunt ſpeciem ab obiecto ſecundùm ſe: ergo eadem ratione iudicium non ſumit ſpeciem ab obiecto vt apprehenſo, nec ab apprehenſione, ſed ab obiecto ſecundùm ſe. §.139.

Apprehenſio eo quod ſit abſtractio, nõ poteſt diſtinguere ſcientias.

Quod ſi quis obiiciat, apprehenſione conſtitui obiectum proximè ſcibile, non verò phantaſia aut viſu. Contra, phantaſia conſtituitur obiectum proximè apprehenſibile: quia tam neceſſaria eſt imaginatio ad apprehenſionem intellectualem, quàm hæc ad iudicium: quia ex phantaſia deriuatur ſpecies impreſſa intellectualis quæ eſt immediatum principium apprehenſionis, vt ex apprehenſione deriuatur ſpecies iudicatiua, vel ſine tali ſpecie efficitur iudicium: ergo de primo (vt aiunt) ad vltimum ſcientiæ ſpeciem ſument ab obiectis vt ſubſunt viſioni, phantaſiæ, & apprehenſioni. Ratio autem à priori eſt, quia omnes illæ præeuntes cognitiones ſeruiunt in genere cauſæ efficientis ad producenda principia perfectiora, quibus producatur iudicium. Etenim externa viſio producitur per ſpeciem impreſſam: ſic autem producta produceret ipſa aliam ſpeciem impreſſam perfectiorem priori, §.140.

Abſtractio tantum pendet à phantaſia quantum ſcientia ab abſtractione.

Diſtinctio ſcientiarum orta ex abſtractione formali non oritur formaliter ab obiecto.

priori, per quam ſenſus internus producit phantaſiam: quæ eſt principium determinans intellectum agentem, vel cauſam primam vt producatur ſpecies impreſſa ſpiritalis: hæc autem eſt immediatũ principium apprehenſionis. Obiectum autem in ratione obiecti terminantis, ſpecificat ſecundum ſe actus quos terminat; non verò vnum mediatè alio: quia id iam fit in diuerſo genere nempe cauſæ efficientis. Neque comparantur hi actus habitibus, qui ſpeciem ſumunt immediatè ab actibus, remotè verò ab obiecto. Præſto eſt diſcrimen: quia habitus non tendit per ſe & immediatè in obiectum, ſed tantùm inclinando ad actus, qui ſoli tendunt immediatè in obiectum: at verò omnes actus quos argumento recenſui, tendunt immediatè in obiectum ſecundum ſe: totáque illorum ſeries eſt per ſe neceſſaria ad ſcientiam.

§. 141. *In ſententia nõ diſtinguẽte iudiciorũ ſpecies per apprehenſiones probatur noſtra concl.*

Vt autem res penitius calleatur, pono duas eſſe opiniones de ſpecificatione iudicij ab apprehenſione ſimplici. Aſſerit prima, iudicium non eſſe ſpecie diuerſum pro diuerſitate apprehenſionum, ſed pro diuerſitate apprehenſionis obiecti: itaque ſi ego habeam de Deo duas apprehenſiones ſpecie diuerſas, non propterea exercebo duo iudicia ſpecie diſtincta. In hac ſententia aduerſarij impugnantur apertè, quia abſtractio, quæ eſt apprehenſio ſimplex, eſt per accidens ad tribuendam ſpecificam conuenientiam aut differentiam iudiciis: ergo obiectum non vt apprehenſum, nec vt abſtractum, ſed ſecundum ſe tribuit ſcientiis diſtinctionem ſpecificam aut conuenientiam. Conſequentia patet, quia non poteſt aliquis effectus per ſe præſtari per aliquam rationem formalem per accidens ſe ad illum habentem. Antecedens probo, quia in hac ſententia eiuſdem ſpeciei ſunt iudicia, quamuis apprehenſiones ſint ſpeciei eiuſdem, quæ niſi propter diuerſitatem obiecti ſecundum ſe nihil interſunt diſtinctionis iudiciorum: quod ſi pro diuerſitate iudicij interſunt, id adſcribendum eſt non apprehenſionibus, ſed apprehenſis obiectis.

§. 142. *Eadem probatur in oppoſita ſententia.*

Docet ſecunda ſententia iudicia quoque diſtingui ſpecie pro diſtinctione apprehenſionum: item & apprehenſiones pro phantaſmatum diſcrimine & ſpecierum impreſſarum ab eis fluentium: in hac ſententia probo abſtractionem à materia ſiue obiectum vt abſtractum, non eſſe principium diſtinguendi facultates: ſed id conuenire ſimplici apprehenſioni, non quia eſt abſtractio, ſed multis ex capitibus, quibus eadẽ ratione diſtinguuntur iudicia.

§. 143. *Apprehenſio dat ſpeciẽ iudiciis, non quia eſt abſtractio à materia, ſed propter communem ordinem iudicij ad apprehenſionem.*

Argumentor igitur, quia ſcientia de Deo orta ex principiis Metaphyſicis diſtinguitur ſpecie à Theologia & fide: in quibus apprehenſiones diſtinguuntur etiam ſpecie: non quia ſunt abſtractiones Dei ab aliqua materia, quia Deus re ipſa & eſſentialiter eſt indiuiduum carens omni materia, quod quidem habet iure ſuo, non verò noſtri intellectus beneficio: ergo ſimplex apprehenſio non dat diſtinctionem iudiciis, quia eſt abſtractio à materia, ſed quia ipſæ in ſe ſunt ſpecie diſtinctæ. Probo conſequentiam: quia in fide & Theologia reperiuntur apprehenſiones ſpecie diſtinctæ ab apprehenſionibus Metaphyſicis; neutræ tamen ſunt abſtractiones à materia: ergo ab alio conceptu reperto in apprehenſionibus eſt vis diſtinguendi iudicia. Ratio à priori huius argumenti eſt, quia iudicium eſt ordo tranſcendentalis ad apprehenſionem ſimplicem: mutatis autem terminis in ſpecie, mutatur etiam ordo ad illos: ſiue igitur illi termini ſint abſtractiones à materia, ſiue non, à quocumque tamen capite ſint ſpecie diſtincti, ſimilem diſtinctionem tribuunt ordinibus qui ad ipſos ſunt.

Confirmatur voluntatis exemplo, cuius actus ſpecie diſtinguuntur pro diuerſitate cognitionum repræſentantium obiectum amabile: nec tamen propterea illa diſtinctio adſcribitur obiecto: nam circa idem poſſunt eſſe cognitiones ſpecie diſtinctæ: nam ex diuerſis principiis actiuis poſſunt eſſe eiuſmodi cognitiones, ſiue ex diuerſis obiectis formalibus: exempli gratia, actu phyſico cognoſcatur exiſtentia primi motoris, item actu phyſico cognoſcat aliquis ſeipſum: & ex amore ſui odio habeat primum motorem: hoc odium diſtinguitur ſpecie ab odio concepto in Deum ex cognitionibus metaphyſicis: en circa idem obiectum diuerſi actus odij ob ſolam diuerſitatem cognitionum: ergo id oritur ex communi ratione ordinis tranſcendentalis vnius ad alium, non verò ex ratione obiecti. Vnde concludo, diuerſitatem illam ortam ex apprehenſionibus non eſſe adſcribendam obiecto abſtracto à materia, ſed apprehenſionibus ipſis. §. 144. *Confirmatur voluntatis exemplo.*

Argumentor ſecundò, quia in phyſica habemus ſcientiam de aliquibus obiectis à nulla materia abſtractis, ſed immerſis in materiam ſenſibilem & ſingularem: cum tamen ſcientia actualis de cœlo differat ſpecie ab actuali ſcientia de homine, quia in libris de cœlo ſunt diuerſa principia inferentia concluſiones diuerſas. Antecedens probo, quia agimus de his numero cœlis, quibus mundus adminiſtratur: horum corruptibilitas aut incorruptio quæritur: horum magnitudo monſtratur: horum figura & diſtantia veſtigatur: futura eclypſis oſtenditur ex his numero motibus: denique vniuerſa Aſtronomia agit de his indiuiduis & non de aliis. Cum enim agitur de numero cœlorum, de exiſtentium numero agitur, non de poſſibilium: cum verò Aſtronomi oſtendunt eſſe octo cœlos aut vndecim, de his vndecim ſingularibus agunt & per motus ſingulares ſingularium planetarum: ergo tota ſcientia de cœlo eſt immerſa in materiam: ergo ſcientiæ non ſunt ſpecie diſtinctæ per obiecta vt abſtracta à materia: ſed per obiecta ſecundum ſe. §. 145. *De indiuiduis eſt ſcientia phyſica.*

Exiſtimo euidens eſſe ſcientiam actualem de cœlo ſpecie diſtingui à ſcientia actuali de homine, quia obiecta primò cognita & formalia ſunt ſpecie diſtincta: dixit enim S. Thom. 2. 2. quæſt. 1. art. 1. obiectum formale diſtinguens ſcientias eſſe præmiſſas demonſtrationis: intulitque inde primam veritatem in dicendo eſſe obiectum formale diſtinguens obiectum à cæteris. Idque fateri tenentur ipſi aduerſarij: quia ipſi volunt ſcientias diſtinguere per abſtractionem à materia: vbi autem non eſt ſcientia abſtrahens à materia, differet ſpecie ab abſtrahentibus. Quemadmodum ſyllogiſmus expoſitorius ſpecie differt à ſyllogiſmo de obiecto communi: at vero tres propoſitiones ſyllogiſmi expoſitorij ſunt ſingulares, neque abſtractæ à materia ſingulari. Exemplo autẽ ſyllogiſmi expoſitorij confirmo quæ dixi de cœlo. Huius enim ſyllogiſmi propoſitiones poſſent eſſe certæ & euidentes, pendentque ab apprehenſionibus obiecti ſingularis: ergo vt actus iſti euidentes ſint diſtincti ſpecie, non eſt opus vt ſint de obiecto à materia abſtracto. §. 146. S. Thom. *Idem patet in ſyllogiſmo expoſitorio.*

Fateberis ſcientias actuales ſpecie diſtingui, non tamen habituales: quia phyſica abſtrahit obiectum ſuum formale à materia ſingulari: quod autem cœlum non abſtrahat, nihil refert; quia cœlum eſt obiectum materiale. Do huic ſententiæ phyſicam eſſe vnam ſimplicem qualitatem: quam ſpeciem ſumere partialiter à cœlo probo: quia omnis habitus ſumit ſpeciem immediatè ab omnibus ſuis acti- §. 147. *Habitus ſumit ſpeciem ab omnibus actibus & eorum obiectis ſingularibus.*

 bus:

bus: ſicut omnis cauſa ab omnibus ſuis effectis; ab obiecto autem actuum habitus ſumunt ſpeciem remotè: ſed actus de cœlo ſunt ſpecie diſtincti à cæteris: ergo ab his non minus quàm ab aliis immediatè ſumitur ſpecies habituum phyſicorum. Quod autem additur cœlum eſſe obiectum materiale non formale, facile impugno; quia cum ſit obiectum formale actuum, eſt etiam & habituum, vt conſtat ex §. 55. Deinde per te phyſica non agit de aliquo obiecto *quod* niſi ſub ratione abſtracti à materia indiuidua: ſed cœlum non abſtrahitur à materia indiuidua, vt patet: & Ariſtoteles cenſuit omnino eſſe impoſſibiles alios cœlos, quia non eſt poſſibilis alia ſpecies motuum: ergo cœlum non eſt obiectum *quod* phyſicæ.

§. 198. *Cœlum in phyſica non ſemper abſtrahitur à materia.* Dices ſcientiam de cœlo agere de cœlo in communi, vtrum ſit incorruptibile, & alia id genus. Contra hæc ſcientia per ſe primo agit de incorruptione cœli lunæ, cui eſt ignis attiguus; ex actione autem ignis in cœlum, item & ex eius reſiſtentia colligunt Aſtrologi eius corruptionem aut incorruptionem: item quæritur de his numero cœlis conſtent ne materia eiuſdem ſpeciei cum noſtrate, an verò diuerſæ? Abſtractis autem & cognitis his cœlis in ſingulari, extenditur doctrina per ſimilitudinem ad cæteros cœlos, qui ſunt eiuſdem ſpeciei cum his. Cum autem quæritur magnitudo cœli Empyrei, ſolis, lunæ atque Saturni, eorumque motus errantes, non agitur de alio empyreo nec de ratione communi ſolis. Tandem eſt conceptus cœli vt ſic abſtrahatur ab his indiuiduis: at negari non poteſt eſſe etiam ſcientiam de his indiuiduis: quia tota Aſtronomia hos perſcrutatur: tum ſic, ſcientia de cœlo in communi ſpecie & genere differt à ſciẽtia de his numero cœlis: quia ſcientia de cœlo vt ſic abſtrahit à materia ſingulari, alia verò ſcientia à nulla abſtrahit materia, neque intelligibili, neque ſenſibili, neque ſingulari: ergo hi cœli tribuunt ſpeciem ſuæ ſcientiæ non vt abſtracti ab aliqua materia, ſed vt ſingulares. Ergo abſtractio à materia non requiritur per ſe ad ſcientiam phyſicam vt ſic.

§. 199. *In phyſica ſunt plures abſtractiones diuerſæ.* Argumentor vltimò, quia in philoſophia naturali eſſent plures ſcientiæ totales genere diuerſæ: hoc autem eſt contra ipſos aduerſarios: ergo. Probo maiorem, quia ſunt plures abſtractiones formales genere diuerſæ: ſed pro diſcrimine abſtractionum formalium ſcientiæ quoque diſtinguuntur: ergo. Probo maiorẽ, quia abſtractio hominis à Petro & Paulo ſpecie differt ab abſtractione leonis ab hoc, & illo indiuiduo: quia obiecta immediata horum actuum ſpecie differunt: homo enim & leo vt ſic non ſunt eiuſdem ſpeciei. Quod ſi obiicias hominem & leonem conuenire ſpecie in ratione abſtrahibilis: Obiicio contra: quia ex parte abſtractionis obiectiuæ non conueniunt, ſed differunt: quia hæc abſtractio nihil eſt præter conceptus quidditatiuos hominis & leonis, vt virtualiter diſtinguuntur à ſingularitatibus: hæc autem omnia ſpecie differunt. *Abſtractiones diuerſorum graduũ ſunt diuerſæ.* Ex parte autem abſtractionis formalis etiam differunt: quia abſtractio formalis hominis à Petro eſt immediata cognitio humanitatis abſque Petreitate: abſtractio autem leonis eſt etiam immediata leonis cognitio abſque hoc leone; immediatæ autem cognitiones de duobus obiectis ſpecie diſtinctis nonne ſunt eiuſdem ſpeciei? ergo illæ abſtractiones in ratione abſtractionum ſunt diuerſæ.

§. 200. *Hoc diſcrimẽ non ſolum eſt phyſica ſed logica.* Sunt quidem (inquies) ſpecierum diuerſarum ſi phyſicè conſiderentur, non verò ſi ſecundò intentionaliter: homo enim & leo quamuis à parte rei differunt ſpecie, logicè tamen ſunt eiuſdem ſpeciei, quia vnuſquiſque prædicatur vt ſpecies de indiuiduo. Contra, quia etiam logicè & ſecundò intentionaliter albedo eſt eiuſdem ſpeciei cum homine, quia etiam prædicatur de ſuis inferioribus more ſpeciei: imo cognitio angelica, & chymæra ſpecificè prædicantur de ſuis inferioribus non aliter ac homo & leo: ergo color, chymæra, cognitio angelica conueniunt in ratione abſtrahibilis cum homine & leone, pertinebúntque ad eandem ſcientiam: quemadmodum homo & leo quamuis includunt formas tam ſpecie diuerſas quàm albedo & cognitio Angelica. Ratio à priori, quia ſcientiæ reales non tendunt in ſecundas intentiones, nec in obiecta vt illis ſubſunt. Sed in obiecta ſecundùm ſe, pendentque à ſuis principiis, vt à parte rei ſunt: à parte autem rei & obiecta abſtracta ſunt diuerſæ rationis, & abſtractiones item: ergo obiecta hæc in ratione abſtrahibilis differunt ſpecie: alioquin ſcientia de ente mobili vt ſic differret genere à ſcientia de homine: quia illa eſt abſtractio generis à ſpeciebus, hæc ſpecierum ab indiuiduis, quæ neceſſariò differunt ſpecie non ſolum phyſicè ſed etiam logicè: genus enim & ſpecies infima conſtituunt duo prædicabilia ſpecie diſtincta: quo argumento probatur apertè ad hominem non poſſe ſcientias ſpeciem ſumere à ſecunda intentione abſtractionis: quia cum in phyſica ſint ſecundæ intentiones genere diuerſæ, eſſent quoque plures ſcientiæ totales.

Supereſt ergo abſtractio obiectiua: à qua libenter admitto ſcientias ſpecie diſtingui, quæ agunt de obiectis communibus, nec requiri aliud principium eas ſpecificans ex parte obiecti: omnis enim ſpecificatio obiectiua ſcientiarum realium ſumitur ab obiectis ſecundum ſe; non verò ab illorum apprehenſionibus aut abſtractionibus formalibus. Ratio autem ob quam ſcientia de vniuerſalibus diſtinguitur ſpecie à ſcientia de ſingularibus, eſt, quia vel illi gradus diſtinguuntur virtualiter & fundamentaliter, vel quia ſi ita non diſtinguuntur, cognoſcuntur tamen cum connotatione ad diuerſa accidentia aut prædicata, quæ ſufficiunt ad ſcientiarum ſpecificam diſtinctionem. §. 201. *Ab abſtractione obiectiua qua ratione ſcientiæ ſumant ſpeciem.*

SVBSECTIO V.

Reſpondetur argumentis.

Oppoſitæ ſententiæ argumenta latè proponit recens quidam Thomiſta: aitque eam probari ab authoritate, à priori, & à poſteriori. Authoritatem affert ex Ariſt. 6. met. tex. 2. Et S. Thom. ibidem lect. 1. & in prologo meta. & opuſculo 70. quæſt. 5. art. 1. Verùm Ariſtoteles omnino aduerſatur ſententiæ huius authoris. Hic enim non vult Metaphyſicam eſſe diſtinctam per Angelorum & Dei realem abſtractionem à materia, ſed per abſtractionem rationis entis vt ſic: quod cenſet eſſe obiectum formale Metaphyſicæ; abſtractionem autem realem ait contingere obiecto materiali Metaphyſicæ, non verò formali: eáque propter ait hanc abſtractionum diuerſitatem eſſe materialem & non formalem. Ariſtotel. autem expreſsè conſtituit obiectum formale Metaphyſicæ ſubſtantias ſeparatas realiter à materia, & diſtinguit Phyſicam à Metaphyſica, quod hæc agit de ſubſtantiis realiter ſeparatis à materia; illa verò de ſubſtantiis realiter imbibentibus materiam ſenſibilem. Verba Ariſtotelis text. 6. ſunt hæc. *Quod ſi quippiam ſit in ratione rerum immobile ſempiternum ac ſeparabile, patet ad contemplatricem quidem ſcientiam illius cognitionem ſpectare:* §. 202. *Ariſtoteles per abſtractionem realem diſtinxit Metaphyſicã.*

ſpectare : non tamen ad naturalem. Naturalis enim *circa inſeparabilia quidem, ſed non immobilia verſatur. At prima* (id eſt Metaphyſica) *circa ſeparabilia ac immobilia ſanè verſatur. Vniuerſales autem cauſas ſempiternas eſſe neceſſe eſt. Maxime autem iſtas. Sunt enim cauſæ diuinorum hiſce quæ ſunt manifeſta.* Hæc Ariſtoteles agens de ſeparatione reali à materia obiecti Metaphyſicæ.

§. 153. ***S. Thom. adſtipulatur.***

Et quamuis verba ſunt ſatis aperta, clarius aperiuntur à S. Thoma ibi lect. 1. his verbis: *Oſtendit modum proprium ſcientiæ huius, dicens, quod ſi eſt aliquid immobile ſecundum eſſe, & per conſequens ſempiternum & ſeparabile à materia ſecundum eſſe, palam eſt quod eius conſideratio eſt theorica ſcientiæ.* Et infrà: *Sed prima ſcientia inquit eſt circa ſeparabilia ſecundum eſſe.* E quibus conſtat è mente Thomiſtica Ariſtotelem ſenſiſſe proprium modum, quo Metaphyſica differt à cæteris, eſſe, quia definit obiectum ſeparatum à materia ſecundum eſſe. quod negat hic author aſſignans hunc modum obiecto materiali & non formali, ac propterea negans id ſufficere ad tribuendam diſtinctionem Metaphyſicæ. Perlege totum illud caput cum explanatione S. Thomæ.

§. 154 ***Subſtantiam ſeparatã eſſe obiectum Metaphyſicæ ſenſit Ariſtot.***

Ariſtotelem autem ſenſiſſe obiectum proprium Metaphyſicæ eſſe ſubſtantiam ſeparatam conſtat ex §. 67. & 82. idque conſtat ex cap. 6. Metaphy. vbi pro ſubſtãtiarum diuerſitate diſcriminat ſcientias his verbis: *Si igitur nulla ſit alia ſubſtantia præter eas, quæ natura conſtant, naturalis ſanè facultas prima ſcientiarum erit. Sin verò ſubſtantia ſit in ratione rerum quædam immobilis, hæc erit profectò prior, philoſophiaque prima & vniuerſalis hoc pacto: & quia eſt prima, atque de ea quod eſt, vt ens eſt: & ad hanc profectò ſcientiam pertinet contemplari.* id autem quod eſt, eſt ſubſtantia, vt conſtat in §. 82. ex ipſo Ariſtotele.

§. 155. ***Idem conſtat ex S. Thom.***

S. Thomam à nobis eſſe conſtat ex locis Ariſtot. ab ipſo explanatis. In prologo autem Metaphyſicæ nobis etiam fauet: diſtinguit enim Metaphyſicam, illamque conſtituit cæterarum facultatum principem, quod contemplatur ens ſeparatum à materia ſecundum eſſe, cuius hæc ſunt verba: *Ea verò ſunt maximè à materia ſeparata, quæ non tantum à ſignata materia abſtrahunt ſed omnino à materia ſenſibili. Et non ſolum ſecundum rationem, ſed etiam ſecundum eſſe, ſicut Deus & intelligentiæ. Vnde ſcientia quæ de iſtis rebus conſiderat, maximè videtur eſſe intellectualis, & aliarum princeps ſiue domina.* Hæc S. Thom. Cum autem Metaphyſica per ſuam entitatem intrinſecam præcedat cæteris facultatibus, ab eo principio præcellentiam accipiet à quo & entitatem. Præcellentia autem accipitur à Metaphyſica ex abſtractione à materia ſecundum eſſe, non verò ab abſtractione ſecundum rationem: ergo abſtractio per intellectum non dat Metaphyſicæ ſpeciem.

Qui exponendus eſt etiam à Thomiſtis.

Quod ſi S. Thom. in eo proœmio negat Deum eſſe Metaphyſicæ obiectum tanquam partem ſubiectiuam, tenentur & ipſi eum explicare, quia idem dicit de Angelis, cuius oppoſitum ab ipſis doceri ex ipſorum verbis oſtendam §. 169. Iam explicui S. Thomam §. 102. Deum & Angelos non eſſe perfectè partes ſubiectiuas huius ſcientiæ.

§. 156. ***Ab obiecto actuum communium materialiter, non ab ipſis actibus communibus diſtinguũtur ſcientiæ reales.***

In opuſculo autem illo 70. in Boëtium de Trinitate quæſt. 5. art. 1. nequaquam fauet oppoſitæ ſententiæ: cum enim dicit obiectum ſpeculatiuę ſcientiæ vendicare ſibi ſeparationem à materia & motu, non loquitur determinatè de ſeparatione rationis, ſed indifferenter etiam de reali his verbis: *Et ideo ſecundum ordinẽ remotionis & à materia & à motu ſcientiæ ſpeculatiuæ diſtinguuntur.* Vbi duo obſerua; alterum, verba S. Thomæ de obiecto Metaphyſicæ eſſe accipienda de eius remotione à materia ſecundum eſſe, ne aperto marte pugnet ſecum ipſo adductis iam teſtimoniis: alterum, de reliquis ſcientiis intelligendum eſſe S. Thomam eas debere diſtingui per abſtractionem obiectiuam, quia ex eodem oſtendi ſæpe ſcientias ab obiecto formali diſtingui: item 6. meta. lect. 1. cum Ariſtotele docet ſcientiam per definitiones diſtingui.

Immaterialitas ex parte obiecti nõ eſt neceſſaria intellectui: eſt autem neceſſaria immaterialitas in modo.

Cum ergo in quolibet genere & ſpecie reperiatur formale & materiale generis, ab ipſo materiali, non verò à formali accipitur eſſentia ſcientiæ: formale autem generis eſt conditio ſine qua non, quæ non ſe tenet ex parte obiecti ſcientiæ realis. Quod autem ait eodem art. 1. obiecto conuenire ex parte intellectus vt ſit immateriale, intelligitur non de immaterialitate obiectiua, multa enim obiecta materialia, imo & materiam ipſam cognoſcit intellectus: intelligitur autem de immaterialitate in modo tendendi: quia materialitatem obiectiuam repræſentat intellectus modo & actu immateriali: quod probat ratio S. Thomæ: *quia & ipſe intellectus eſt immaterialis*: quaſi dicat potentia ſpiritualis neceſſariò cognoſcit per actum quoque ſpiritualem: quod commune eſt intellectui vt ſic. Paſſim autem docet S. Thomas intellectu abſtrahi materialitatem obiecti à phantaſmatibus, id eſt, intellectum repræſentare obiectum actu ſpirituali, quod phantaſia repræſentabat actu materiali: ideo enim ponitur intellectus agens vt producat ſpiritales ſpecies defæcatas à materialitate phantaſmatum.

§. 157. *num.* 45.

Expendamus rationes à priori: ſcientia (argumentatur ille) non diuerſificatur ab obiecto materiali ſed à formali: vt viſus ſumit ſpeciem à colorato & lucido quin ab homine & lapide colorатis: ſed obiectum formale ſcientiarum non eſt rerum entitas ſecundum ſe, ſed vt ſubeſt rationi abſtrahibilis, ipſa autem entitas habet rationem obiecti materialis: ergo ab obiecto vt abſtracto ſumitur ſpecies ſcientiarum: minor probatur, nam ratio formalis obiecti eſt id per quod conſtituitur in eſſe obiecti ſcibilis: ſed hæc eſt abſtractio & immunitas à materia: ergo hæc eſt ratio conſtituens obiectum in ratione obiecti formalis.

Argumentũ à priori aduerſariorum refellitur.

Reſpondeo maiorem poſſe intelligi de ſolo obiecto materiali remoto; vt videtur accipi ab hoc authore exemplo hominis & leonis: quorum ſubſtantia eſt obiectum remotum viſus: in quo ſenſu eſt vera maior propoſitio, vt conſtat ex §. 23. non tamen è re: in præſenti enim non agitur de obiecto remoto, ſed de proximo: de quo poteſt etiam intelligi maior propoſitio, quæ quidem eſt falſa vt conſtat ex §. 23. & 44. ea tamen prætermiſſa, nego minorem: probaui enim ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 1. art. 1. obiectum formale eſſe medium diſpoſitum præmiſſis demonſtrationum: hoc autem medium ſæpe non abſtrahitur ratione noſtra à materia, vt probaui in Deo, Angelis & cœlo: ſæpe etiam eſt abſtractum à materia ratione noſtra: tunc autem ratione rei ſiue obiecti abſtracti ſpecificatur ſcientia, non verò ab ipſo vt abſtracto: quod patet in ipſa abſtractione formali ſpeciem ſumente ab ipſo obiecto abſtracto ſecundum ſe, non verò vt abſtracto: abſtractio autem ipſa formalis non eſt conditio obiectiua, ſed pertinet ad conditiones generis cauſæ efficientis vt oſtendi non ſemel.

S. Thomas.

Obiectum per quid conſtituatur proximè ſcibile.

Ad probationem minoris diſtinguo maiorem; ratio per quam obiectum conſtituitur proximè ſcibile in ordine cauſæ efficientis & conditionis *ſine qua non*, eſt abſtractio formalis, quando ſcientia verſatur circa vniuerſalia, vniuerſim autem omne iudicium pendet in nobis ab apprehenſione ſim-

plici

plici in hoc genere cauſæ: at verò obiectum formale in ratione obiecti ſeipſo conſtituitur proximè ſcibile: quemadmodum conſtituitur proximè abſtrahibile, id eſt, intelligibile abſtractione ſimplici. Quare abſolutè neganda eſt hæc maior propoſitio, quia eſt vniuerſalis: è quibus negatur etiam minor: quia multa obiecta ſunt ſcibilia ſine abſtractione à materia per intellectum: omnia autem ſunt ſcibilia per ſe in ratione obiecti. Imo quæ ſunt ſpiritalia & cognoſcuntur in ſingulari, pendent ab apprehenſione ſimplici tanquam à conditione quaſi efficiente.

§.158. *Materialitas obiectorũ non officit intellectioni contra Thomiſtas.*

Inclamant Thomiſtæ, materialitatem obiecti officere ſcientiæ quæ eſt de obiectis immunibus à materia & motu: à materia quidem, quia obſtat intelligibilitati; à motu verò quoniam obſtat neceſſitati obiecti ſpeculabilis. Ah quanta confuſione caligat hæc doctrina! Si materialitas obeſt intelligibilitati, eaque propter non poteſt iudicium ſcientificum immediatè terminari ad obiectum niſi præſupponatur abſtractum; quo pacto abſtractio ipſa formalis attingit obiectum, quod prius non fuerat abſtractum? etenim actus abſtrahens eſt intellectio, & ſpiritalis: cui non præit abſtractio prior: ergo ex conceptu intellectionis & ſpiritalitatis potentiæ non exigitur vt actui præeat abſtractio à materia. Quod ſi iudicio præit abſtractio, non ideo præit, quia abſtractio eſt, ſed quia eſt ſimplex apprehenſio: quæ iudicio anteit neceſſariò non ob materialitatem obiecti, neque ob vniuerſalitatem: quamuis enim obiectum ſit ſingulare, & maximè ſpiritale, exigitur hæc apprehenſio ſimplex: ergo ad rationem iudicij & intelligibilitatis vt ſic per accidens eſt hæc abſtractio materię.

§.159. *Abſtractio rationis non adimit materialitatẽ obiecto.*

Accedit eiuſmodi abſtractione non adimi obiecto eſſentialem conceptum materialis: lapis enim vt ſic, corpuſque mobile, quæ phyſicus contemplatur, includunt quidem & formam materialem quidditatiuumque materiæ conceptum. Hæc autem quo pacto ſunt intelligibilia per ſpiritalem potentiam & actum, cum ſint ipſa materialitatis eſſentia: quæ quamuis abſtracta ab indiuiduationibus, abſtrahuntur tamen tanquam obiectum materiale ab alio obiecto etiam materiali inter quæ nulla eſt diſtinctio realis? Vt autem pateat materialitatem obiectiuam quæcumque illa ſit, non officere intelligibilitati, conſidera etiam indiuidua ſpiritalia abſtrahenda eſſe à ſingularibus, quando de illis habetur ſcientia perfectiſſima, qua prima paſſio oſtenditur per eſſentiam: ergo ſcientia non petit hanc abſtractionem propter obiectiuam materialitatem etiam ſingularem, ſed quia eiuſmodi ſcientia habet pro obiecto conceptus communes & non ſingulares.

Materialitas in modo repugnat intellectioni.

Item conſidera à nobis percipi per ſyllogiſmos euidentes obiecta materialia in ſingulari: vt cum monſtratur diſtinctio cœlorum & planetarum: & per ſyllogiſmum expoſitorium concipimus obiecta ſingularia in ſingulari: ſiue hi ſyllogiſmi vocentur ſcientia ſiue non: ego enim nunc tantum contendo poſſe euidenter intelligi obiecta abſtracta à nulla materia: quod in Deo & Angelis quis neget? Tandem Mathematicæ abſtrahunt à materia ſenſibili; Metaphyſica verò etiam ab intelligibili: non quod illæ duæ materiæ obſint intelligibilitati, cum illas contemplentur phyſici: ergo nec abſtractio à materia ſingulari eſt quod obſit intelligibilitati: ſed quod Phyſica maiori ex parte eſt de obiectis communibus & non ſingularibus. Materialitas autem ex parte modi impedit intellectionem: intellectus enim nihil percipit niſi per actus ſpiritales: ideo autem conſtituitur intellectus agens vt in intellectu paſſibili faciat repræſentari actu & modo ſpiritali quæ phantaſmata repræſentant modo & actu materiali. à qua phantaſmatum materialitate voluerunt Ariſtot. & S. Thom. abſtrahi obiecta per apprehenſionem intellectualem.

§.160. *Motus obiectiuus non obeſt intellectioni.*

Neque magis opus eſt abſtrahere obiectum à motu reali: ipſa enim motus eſſentia etiam vt exiſtens cognoſcitur euidenter per intellectum. Neque verò ſcientia exigit in obiecto abſolutam & realem incorruptionem, quæ nec reperitur in homine vt ſic, nec in eius indiuiduis: Franciſcus enim tam eſt immortalis quàm homo, & hic tam caducus quàm ille: quod enim ſpectat à parte rei, vterque ratione eadem interit aut moritur. Scientia igitur per demonſtrationem perfectiſſimam primæ paſſionis per eſſentiam abſtrahit à motu generationis exiſtentis & corruptionis: conſideratque obiecta ſecundum ſe abſtracta ab exiſtentia & eius carentia: quæ prædicata ſunt omnino neceſſaria: quia in quocumque ſtatu obiectum concipiatur, concipitur cum illis neceſſariò: idque ſiue obiectum ſit commune, ſiue ſingulare: Petrus enim habet etiam ſua prædicata omnino neceſſaria, quæ non poſſunt illi non conuenire vbicumque conſideretur, non aliter quàm homini conueniunt ſua. Ita motus vt ſciatur illo genere ſcientiæ, abſtrahitur ab actuali exiſtentia & eius carentia. Mitto alia argumenta, quæ poſſunt videri apud eorum authores: ſunt enim eiuſdem armaturæ ſiue à priori ſiue à poſteriori formentur.

A quo motu abſtrahẽdum ſit in ſciẽtia.

SVBSECTIO VI.

Enucleatur abſtractio à materia.

§. 161. *Abſtractio à materia præcipuè eſt conſideranda ſecundum eſſe.*

Dico tertiò. *Abſtractio à materia non eſt conſideranda ex ſola abſtractione per intellectum, ſed primum diuidenda eſt in abſtractionem realem & rationis.* Patet ex Ariſtotele diuidente Metaphyſicam à cæteris facultatibus, quia illa agit de obiecto realiter ſeparato à materia; hæ vero de obiecto realiter materiali, & vt plurimum abſtracto à materia per ſolum intellectum: quæ patent ex cap. 1. ſexti phyſicorum, & oſtendi à §. 152. ad 155. Ariſt. Ratio eſt manifeſta, quia abſtractio realis & rationis ſunt tam primo diuerſa quàm ens reale & rationis: altera enim eſt abſtractio ſecundum quid, altera verò ſimpliciter. Cum ergo ſcientiæ diuiduntur per abſtractionem à materia, non eſt per ſolam abſtractionem intellectus, ſed præcipuè per realem: quia cum hæc abſtractio ſit à parte rei & ſit ſimpliciter abſtractio, cæteræ verò ſecundum quid, in diuiſione ſcientiarum non eſt excludenda præcipua abſtractio. Quæ efficacius diſtinguet ſcientias quàm abſtractio rationis: quia tota ratio abſtracti & non abſtracti attingitur ex parte obiecti quod attingitur vt abſtractum: quod non contingit abſtractioni per intellectum.

§. 162. *Abſtractio à materia ſecundum eſſe eſt duplex.*

Dico quartò. *Abſtractio à materia ſecundum eſſe diuiditur in abſtractionem à materia phyſica, & metaphyſica.* Materiam phyſicam voco omne ens formaliter extenſum: verbi gratia, includens materiam primam, quantitatem aut quid ſimile: quia materia prima eſt natura, vnde eſt materia naturalis & phyſica. Materiam metaphyſicam voco id, quod in aliqua compoſitione reali denominatur more ſubiecti ab alio conceptu imitante formam: exempli gratia, intellectus Angelicus habet rationem ſubiecti, intellectio verò rationem formæ. Pro-

batur

batur apertè concluſio, quia Deus abſtrahit ſecundum eſſe à materia non ſolum phyſica, ſed etiam metaphyſica: quia in diuinis nullus eſt conceptus accipiens denominationem ſubiecti ab alio conceptu creato vel increato. Non ab increato, quia in his nulla eſt realis diſtinctio:& quamuis à creaturis denominatur cognitus & amatus, id non eſt propriè in ratione ſubiecti, ſed obiecti & termini extrinſeci: ab humanitate autem denominatur vt purè terminus intrinſecus expers totius mutationis ſubiectiuæ. Angelus autem, quamuis abſtrahitur ſecundum eſſe ab omni materia phyſica etiam intellectuali, non tamen à metaphyſica. Quia in eo eſt realiter compoſitio ex natura & ſuppoſito, ex intellectu & intellectione, ex voluntate & amore, ex ſubſtantia & accidenti: in quibus per motum actionémque realem natura potentiæ & ſubſtantia perficiuntur ſuppoſito, actionibus & accidentibus ad imitationem perfectionis materiæ per formam. ergo præter abſtractionem à materia phyſica, reperitur etiam abſtractio ſecundum eſſe à materia metaphyſica. Quæ duæ abſtractiones plus differunt inter ſe quàm abſtractio per intellectum materiæ ſenſibilis ab indiuiduali, & quàm abſtractio etiam per intellectum materiæ intellectualis à ſenſibili: quia hæ abſtractiones nihil ponunt intrinſecum obiecto, ſed ſolam extrinſecam denominationem; ex parte autem obiecti idem ſunt re ipſa tres illæ materiæ. At abſtractiones iſtæ à materia phyſica & metaphyſica ſecundum eſſe ſunt eſſentiales obiectis, & petunt intellectuales apprehenſiones valde diuerſas.

Materia phyſica & metaphyſica ſecundum eſſe.

Abſtractiones à materia phyſica & metaphyſica differunt.

§.163. *Abſtractio rationis generica & ſpecifica differunt ſpecie.*

Dico quintò. *Abſtractio generica à materia ſenſibilis ſpecie differt à ſpecifica abſtractione ipſius.* Exempli gratia, homo vt ſic eſt abſtractus à materia indiuidua Petri & Pauli: ens autem mobile vt ſic eſt abſtractum à materia ſpecifica hominis & leonis, imo & à materia generica viuentis ſenſibilis, & non viuentis: hominis abſtractio eſt ſpeciei ab indiuiduis: entis mobilis abſtractio eſt generis ab ſpeciebus. Has probo ſpecie diſtingui, ac primùm de obiectiuis: quia gradus genericus magis differt à ſpecificis, quàm ſpecificus ab indiuiduis: ergo illæ abſtractiones ſunt inter ſe magis diſtinctæ. Probo conſequentiam, quia earum diſtinctio eſt idem ac diſtinctio obiectiua. Antecedens patet, quia ſpecies infima continet logicè totam eſſentiam indiuiduorum; quæ vltra conceptum ſpecificum nihil addunt logicè eſſentiale, ſed accidentarium logicè: at verò ſpecies addunt aliquid eſſentiale præter genus: quod logicè non continet totam eſſentiam indiuiduorum: intra quod latent æquiuocationes. homo enim, planta, & leo magis differunt ſub animali, quàm Petrus & Paulus ſub homine. Quapropter ſpecies & genus ſunt duo prædicabilia ſpecie diſtincta. De abſtractione autem formali idem patet: quia hæc ſumit ſpeciem ab obiectis ſpecialiter diſtinctis: ſed abſtractiones generis à ſpeciebus, & ſpeciei ab indiuiduis ſunt de obiectis ſpecie diſtinctis, vt probatum eſt, & confirmatur: quia homo ſupra animal addit rationale, quod non concipitur clarè conceptu animalis vt ſic: ergo abſtractiones formales differunt ſpecie.

§.164. Inquies diſcrimen illud eſſe ſecundum magis & minus in ratione abſtractionis à materia: quia vtraque abſtractio eſt à materia ſingulari, non verò ſenſibili. Contrà, materia ſenſibilis eſt contrahibilis ad materiam ſenſibilem genericam, ſpecificam atomæ, & ſingularem: quæ contractiones in ratione contractionum differunt ſpecie: quia ens mobile vt ſic non includit conceptum viuentis materialis: neque hoc includit rationale; neque hoc Petrum: ergo abſtractiones ab his materiis differunt etiam ſpecie in ratione abſtractionis. Probo conſequentiam, quia quo maior aut minor eſt abſtractio, definit attingere plura aut pauciora obiecta eſſentialiter diſtincta quàm contractio: habent enim abſtractio & contractio modos omnino oppoſitos: quia contractio attingit obiecta, quæ non attingit abſtractio. Vt ergo differunt actus intellectus, quando vnus attingit materiam ſenſibilem ſingularem, alius verò ſolam materiam ſenſibilem ſpecificam, ita actus attingens ſolam materiam ſenſibilem genericam differet ab attingente ſpecificam: imo multo magis differt, quia plus differunt genus & ſpecies quàm ſpecies & indiuiduum.

Obiicies abſtractiones iſtas differre quidem ſpecie quaſi phyſicè, non verò in eſſe ſcibili, quia omnes iſtæ cognoſcuntur eadem ſcientia. Bene certè. Scientiæ ab authoribus diuiduntur per abſtractionem à materia: conſiderantque abſtractionem ipſam ſecundum ſe: & pro diuerſitate abſtractionum phyſicè & ſecundum ſe conſideratarum diuidunt ſcientias, & dicunt obiecta differre & conuenire in eſſe ſcibili pro diuerſitate abſtractionum. Itaque abſtractio ipſa eſt principium, ex quo illi colligunt ſcientiarum vnitatem & pluralitatem, & conſequenter illorum rationem in eſſe ſcibili: hæc autem ſolutio vnitatem ſcientiæ & eſſe ſcibilis vult eſſe fundamentum diſtinguendi abſtractiones. Suppoſita eorum ſententia, nempe abſtractionem eſſe principium ſcibilitatis, & pro abſtractionum conuenientia aut diſcrimine ſcientias conuenire aut differre: rectè argueretur à poſteriori abſtractiones non eſſe diuerſas, quando ſcientiæ (à qua oritur eſſe ſcibile) non eſt diuerſa: at verò quando probatur à priori abſtractionem eſſe diuerſam, probatur etiam obiecta in eſſe ſcibili eſſe diuerſa & ad ſcientias pertinere diuerſas. Hi autem circulo peraguntur: quia quando agunt de vnitate ſcientiarum, recurrunt ad vnitatem abſtractionum: nunc autem vt defendant vnitatem abſtractionum, recurrunt ad vnitatem ſcientiarum. §. 165. *Circulus aduerſariorum de abſtractione & eſſe ſcibili.*

SVBSECTIO VII.

Abſtractiones nihil interſunt ſcientiarum diſtinctionis.

Dico ſextò. *Illa diuiſio ſcientiarum non eſt propter diuerſas abſtractiones à materia: ſed propter diuerſitatem obiectorum formalium, vel modum illa attingendi.* Quæ concluſio eſt communis apud noſtros, P. Suarez 2. meta. diſputat. 48. ſect. 13. num. 18. P. Molinam 1. p. quæſt. 1. a. 3. ſect. 3. P. Vazq. diſput. 7. num. 12. Patres autem Conimbrienſes in primum poſteriorum cap. 23. art. 2. fine nobiſcum ſentiunt in diſtinctione generica ſcientiarum, non verò ſpecifica. S. Thom. 2. 2. quæſt. 1. art. 1. ex parte obiecti ſcientias diſtinxit per præmiſſas demonſtrationis, quæ ſunt obiectum formale: neque verò egit ſolùm de ſcientia actuali, ſed de ſcientia habituali totali: quia fidem diſtinxit per primam veritatem in dicendo, & eius reuelationem, quia hæc duo ſunt principia ex quibus mouetur fides in alia obiecta. Item ſexto metaph. lect. 1. oſtendit cum Ariſtot. ſcientias diſcriminari pro definitionum diſcrimine. & 1. p. quæſt. 1. a. 3. & quæſt. 77. a. 3. diſtinguit actus videndi per varietatem colorum. §. 166. *Abſtractiones à materia nihil interſunt diuiſionis ſcientiarum.* P.Suarez. P.Molina. P.Vazq. PP.Conimb. S.Thomas. Ariſtoteles.

Probatur primùm, quia Metaphyſica habet plures §. 167.

res

Metaphyſica plures attingit abſtractiones à materia. res abſtractiones à materia: quam tamen aduerſarij admittunt eſſe vnam ſciẽtiam ſpecie: & quidem in omnium ſententia non continet plures habitus tam renuentes vnitati quàm ipſi habitus, etiam phyſici, qui non componunt vnam facultatem: ergo Metaphyſica non diſtinguitur à cæteris per vnam ſolam abſtractionem à materia. Maior patet, tum quia metaphyſicus conſiderat conceptum entis vt ſic abſtractum ab omni ſpecie ſubſtantiæ, & accidentis: quod genus abſtractionis eſt maius quàm abſtractio generis à ſpeciebus, quia inter abſtractiones per intellectum hæc eſt maxima: ſed oſtendi §. 163. abſtractiones generis ab ſpeciebus ſpecie differre ab abſtractionibus ſpecierum ab indiuiduo: ergo Metaphyſica continet plures abſtractiones ſpecie diſtinctas: quia non ſolùm vtitur hac abſtractione, ſed etiam abſtrahit multos conceptus indiuiduos ab indiuiduo. Item phyſica vtitur abſtractione materiæ ſenſibilis ab indiuiduis conſiderans hominem ſine Petro: vtitur etiam abſtractione generis à ſpeciebus contemplans corpus animatum ſenſibile præciſum ab homine & leone; item corpus vt ſic abſtrahitur ab animato & inanimi.

§. 168. *Deus & Angelus diuerſas habent abſtractiones à materia.* Secundò probatur eadem concluſio, quia Angelus & Deus abſtrahunt realiter à materia intelligibili: ens autem vt ſic abſtrahitur ſola ratione noſtra: quia eſt indifferens vt contrahatur ad ens corporeum: ſed eiuſmodi abſtractiones probaui §. ibi plus differre quàm ſpecie: ergo in Metaphyſica ſunt plures abſtractiones à materia. Item Deus non ſolum abſtrahit ſecundum eſſe à materia intellectuali phyſica ſed etiam à Metaphyſica, vt conſtat ex §. 162. Angelus autem ſecundum eſſe ſolum abſtrahit à materia phyſica, non verò à Metaphyſica. Has autem abſtractiones ſecundum eſſe ſpecie differre conſtat, quia abſtractiones materiæ intellectualis à ſenſibili & materiæ ſenſibilis ab indiuiduali differrunt ſpecie, quamuis vtraquè eſt per intellectum; at verò abſtractio ſecundum eſſe à materia etiam metaphyſica connotat aliud genus materiæ diſtinctæ à phyſica intellectuali non per intellectum, ſed à parte rei: ergo tantum differunt abſtractiones à materia ſenſibili, intellectuali & à materia etiam metaphyſica, quantum differunt abſtractio materiæ intellectualis, & abſtractio materiæ ſenſibilis. Item à parte rei tantum differunt Angelica ſubſtantia & diuina, quæ habent has abſtractiones, quantum ſubſtantia Angelica & corporea, quæ habent alias abſtractiones.

§. 169 *Solutio cuiuſdam.* Huic argumento per ſe noto ex ſolis terminis reſpondebis, abſtractiones quidem diuerſas eſſe, materialiter tamen non formaliter: quia obiectum formale Metaphyſicæ nec eſt Deus neque Angelus, ſed ens ſub ratione entis: Deum autem & Angelum eſſe obiectum materiale, eiuſque abſtractionum diuerſitatem materialem eſſe & non formalem. Contrà, hoc non dicitur conſequenter: Deus enim eſſe obiectum partiale formale Metaphyſicæ probabiliter conſtituitur ab obiiciente: qui tamen non admittit probabile Metaphyſicam vti duplici abſtractione diſtincta. Deinde Angelos fatetur aperte eſſe partem obiecti formalis metaphyſici his verbis: *Ad hoc reſpondetur ſolum concludere ſubſtantias creatas ſeparatas vt partes obiecti formalis: Deum verò vt principium & primam cauſam entis venire in conſiderationem Metaphyſicæ: quod nos libenter fatemur.* Hæc hic. Probat autem hanc diuerſitatem non eſſe formalem, ſed materialem, quia vt eſſet formalis, opus erat vt conueniret illi rationi obiectiuæ *quæ*, quam Metaphyſica conſiderat principaliter: hæc autem ratio eſt ens. Quæ doctrina videtur aperto marte pugnare cum adducto teſtimonio eiuſdem authoris. Impugnatur autem abſolutè, quia iam oſtendi à §. 81. ad 100. ſubſtantiam ſeparatam eſſe obiectum formale & attributionis Metaphyſicæ: de Deo autem id oſtendi ſect. 4. Cum ergo hęc diuerſitas abſtractionum ſit eſſentialis, & in obiecto formali eſt quidem diuerſitas formalis eſſentialis. Vnde ad rationem reſpondetur illam proprietatem conuenire obiecto adæquato, non quod cõueniat ſingulis eius partibus, ſed quod vna abſtractio conuenit enti, alia ſubſtantiæ immateriali: ratione autem partium conuenit toti aggregato, vt dixi §. 44.

Accuſatur contradictionis.

Deinde probo ad hominem abſtractionem entis vt ſic non poſſe eſſe totam rationem formalem diſtinguendi Metaphyſicã à cæteris ſcientiis. Dicunt enim ab obiecti vnitate generica non poſſe accipi vnitatem ſpecificam vltimam ſcientiæ: ſed oportere vt illa vnitas generica contrahatur per aliam vnitatem obiecti vltimam ſpecificam. Sic argumentor: Metaphyſica accipit vnitatem ſpecificam vltimam non ab ente vt ſic, ſed vt contractum per aliquam differentiam ſpecificam: ergo illa vnitas ſpecifica entis habet ſuum conceptum formalem abſtractionis diſtinctum ab ente vt ſic, per quem ſit principium formale obiectiuè diſtinguẽdi ſcientiam. Probo conſequentiam, quia in ſententia aduerſariorum obiectum non poteſt diſtinguere formaliter ſcientiam, niſi vt eſt ſcibile per abſtractionem: cum ergo differentia ſpecifica entis ſit cognoſcibilis vt obiectum concurrens ad diſtinctionem ſpecificam ſcientiæ, neceſſariò habet diſtinctam ſcibilitatem & abſtractionem ab abſtractione entis vt ſic. Sed hæc abſtractio ſpecifica ſpecie differt ab abſtractione entis: ergo Metaphyſica attingit duas abſtractiones ſpecie diſtinctas. Minor probata eſt §. 163. vbi oſtendi abſtractionem generis à ſpeciebus ſpecie differre ab abſtractione ſpeciei ad indiuiduis. §. 170. *Impugnatur item ad hominem.*

Confirmatur, quia differentiæ entis vt ſic conſtituunt immediate ſubſtantiam & accidens; veniendum eſt ergo ad aliquam ſubſtantiam alicuius ſpeciei vltimæ, quia conceptus genericus obiecti ex oppoſita ſententia non poteſt tribuere ſcientiæ vnitatem ſpecificam: ſed hæc ſpecies ſubſtantiæ ſunt neceſſariò Angelus & Deus; alias enim ſubſtantias Metaphyſica per ſe non contemplatur: ergo abſtractio propria Dei & Angeli concurrit cum ente vt ſic ad tribuendam ſpeciem vltimam Metaphyſicæ: ſed abſtractio angelica eſt quidem à materia intelligibili ſecundum eſſe; abſtractio autem entis eſt tantum per intellectum: quas plus quàm genere differre conſtat ex §. 161. ergo ad diſtinctionem ſpecificam Metaphyſicæ concurunt duæ abſtractiones genere diuerſæ. Item abſtractio Dei eſt etiam ſecundum eſſe à materia Metaphyſica; angelica verò abſtractio ſecundum eſſe eſt à ſola phyſica materia: ergo tres abſtractiones eſſentialiter diuerſæ tribuunt Metaphyſicæ eſſentiam & vnitatem infimam ſpecificam. §. 171.

Omiſſis autem his, quæ tam facilè confutantur, obiiciet alius abſtractiones recenſas §. 167. & 168. eſſe quidem diuerſas materialiter, quamuis ſunt in ipſo obiecto formali. Contra, hæc eſt aperta repugnantia terminorum: obiectum enim *quod* habet ſuam ſcibilitatem & rationem *qua*: hæc autem vt ſit formalis non indiget niſi vt immediatè nitatur obiecto formali *quod*, & ſit ratio formalis *qua* ipſum obiectum *quod* cognoſcatur. Quod probo, quia ſcibilitas materialis eſt per quam cognoſci §. 172. *Obiectio implicata terminis.*

Abſtractio obiecti formalis eſt etiã formalis.

cognoſcitur obiectum materiale: ergo ſcibilitas formalis eſt per quam ſcitur obiectum formale. Antecedens patet in demonſtratione, cuius concluſio eſt obiectum materiale, habetque ſuam ſcibilitatem propriam & intrinſecam diſtinctam à ſcibilitate præmiſſarum: quæ habent ſcibilitatem immediatam. Imo eo ipſo quod eſt aliquid obiectum formale, habet in ſe totam rationem formalem *ſcibilis*: ſicut finis habet totam rationem formalem amabilis. Ergo implicantur termini, quibus ſcibilitas obiecti formalis dicitur ſcibilitas materialis.

§. 173. *Intra eandẽ abſtractionẽ ſunt plures gradus abſtractionis à materia.* Concluſio poſita §. 166. probatur aliunde. Primò in phyſica, quæ pluribus gaudet abſtractionibus à materia: nam corpus vt ſic non habet eandem abſtractionem quam corpora animata & inanimata: ſcientia item de cœlo contemplatur aliqua obiecta abſtracta ab indiuiduis; alia verò omnino indiuidua & ſingularia vt conſtat ex §. 145. & ſequentibus. ergo intra eandem ſcientiam ſunt plures abſtractiones, & alia obiecta non abſtracta. *Diuerſæ ſciẽtiæ habent eandem abſtractionem.* Item diuerſæ ſcientiæ attingunt obiecta ſub eadem abſtractione: actus enim intellectus humani exerciti in corpore non habent diuerſam abſtractionem in ipſo corpore, ſed ſemper eandem: at Phyſica eos conſiderat in libris de anima: Logica verò eoſdem contemplatur: ergo diuerſæ ſcientiæ attingunt abſtractionem eandem à materia. Ad hominem autem patet: quia aiunt ipſi obiectũ ſpecificatiuum Logicæ eſſe ens rationis: quod Malius affirmat ſect. 1. procemij Logicæ quæſt. 13. concluſ. 9. abſtrahi ab omni materia: quæ abſtractio eſt etiam Metaphyſicæ. *Fides & Theologia habent eandem abſtractionem obiectiuam.* Idem patet in fide & Theologia quæ ſpecie differunt: earúmque obiectum formale adæquatum attributionis eſt Deus eadem ſemper abſtractione gaudens. Adde Muſicam attingere abſtractiones Mathematicarum, & Phyſicæ: contemplatur enim numeros ſonoros: ſonus autem pertinet ad materiam ſenſibilem, numerus autem ad intellectualem. Perſpectiua item attingit lineam quæ eſt obiectum Geometriæ, & viſualitatem, qua ſenſus eludat. Tandem Mathematicę diuiduntur in Geometriam & Arithmeticam: ſed Arithmetica habet duplicem abſtractionem à materia: cõſiderat enim numeros materiæ ſubſtantialis abſtractæ à materia indiuidua, & ſenſibili, numeros item ſubſtantiæ ſpiritalis abſtractæ realiter etiam à materia intelligibili.

§. 174. *Epilogus totius controuerſiæ.* *Concludo* igitur, nullam ſcientiam accipere ſpeciem ab obiecto niſi qua ratione cognoſcitur per actum: vnde nec abſtractio formalis, neque ſecunda intentio entis rationis pertinent ad rationem formalem obiectiuam, quia non cognoſcuntur per ſcientiam vt oſtendi à §. 2. ad 16. Abſtractio autem obiectiua, id eſt conceptus communes dant ſpeciem actibus & habitibus circa illos verſantibus, quia ſunt obiecta per illos cognita: quemadmodum etiam indiuidua tribuunt ſpeciem actibus per quos cognoſcuntur. Abſtractio autem formalis eſt conditio ſine qua non eſſet ſcientia, non quidem ſe tenens ex parte obiecti, ſed in efficientium ordine, nec aliam ob cauſam requiritur niſi quod omne obiectum ſiue ſingulare, ſiue commune, ſiue ſpiritale, ſiue materiale, non cognoſcitur ab animo corpore carcerato niſi præeunte illius apprehenſione ſimplici.

* * *

SECTIO VII.

Scientiarum vnitas.

VNnitas ſcientiarum poteſt conſiderari & de vnitate intrinſeca habituum, vtrum Metaphyſica, Phyſica, Logica & aliæ facultates habituales ſint vnus ſimplex habitus, qui ſe porrigit ad omnes actus phyſicos aut logicos, & ad eorum obiecta formalia & materialia: an verò hæ facultates non ſint vna ſimplex qualitas habitualis, ſed plures, quibus conflatur vna Logica & Metaphyſica vna. In quo ſenſu oſtendi diſput. 17. de anima ſect.... ſcientias naturales, quia actibus acquiruntur phyſicè non eſſe vnum ſolum habitum, ſed plures ſpecie diſtinctos. Poteſt item quæri vtrum obiectum formale proprium, aut attributionis ſit vnum, itaut ratio formalis *qua* ſit vnius ſpeciei aut generis. In quo ſenſu oſtendi diſput....... non eſſe neceſſariam vnitatem obiecti ad vnitatẽ ſcientiarum. Cum ergo exploſerim abſtractionem à materia à principijs conſtituendi, aut diſcriminandi ſcientiarum vnitatem, oportet oſtendere quam viam ſim initurus. Prius autem examinare lubet quid nonnulli dicant hac in parte. §. 175.

SVBSECTIO I.

Examinata aliquorum ſententia.

PRimo impetu irruendum ad rumpendum circulum nonnullorum: qui dum probant vnitatem Metaphyſicę & cuiuſuis facultatis, eam oſtendunt ex abſtractione à materia obiecti facultatis eiuſdem: cum autem veſtigant vnitatem abſtractionis obiecti, eam probant ex vnitate habitus. Itaque in eorum argumentatione habitus eſt vnus, quia abſtractio eſt vna: & abſtractio eſt vna, quia habitus, eſt vnus: ac ſi dicas, effectus exiſtit, quia operatur cauſa: cauſa operatur, quia affectus exiſtit. Vt ergo rectè argumentarentur, deberent primò probare vnitatem habitus ab aliquo principio independenti ab vnitate obiecti: ſic autem probata habitus vnitate inde à poſteriori rectè probarent vnitatem obiecti: vel probarent vnitatem obiecti independenter ab habitus vnitate, quam poſtea probarent à priori ab vnitate obiecti. At verò vnitatem habitus non aliunde probant niſi ab vnitate obiecti in eſſe ſcibilis, quod eſſe conſtituitur per abſtractionem. Deinde eandem vnitatem habitus metaphyſici confirmant ab vnitate Logicæ: quæ quidem eſt ſub eodem iudice. Siſto gradum in eiuſmodi ſententijs expendendis, vt vnuſquiſque conſideret, qui nucleus lateat in verborum ſeſquipedalium nucibus, quibus P. Franciſc. Suarez alijſque illuſtribus viris noſtræ ſocietatis ſucclamatur. §. 176.

Do autem his authoribus ſingulas facultates naturales eſſe vnum ſolum habitum atque ſimplicem, exempli gratia, Metaphyſicam, Phyſicam, & Logicam vt ſunt vna Logica, & Metaphyſica vna, ita eſſe & qualitatem habitualem vnam. Probo hinc non inferri earum obiecta eſſe vnum. Argumentantur primò à priori, quia ſcientia debet accipere vnitatem genericam & ſpecificam ab eo à quo completè accipit eſſentiam: ſed hanc accipit ab immaterialitate obiecti ſpecificè ſumpta: ergo. Minor probatur, quia eſſentia accipitur ab eo, à quo accipiuntur completè omnes gradus. Maior §. 177.

probatur, quia ſi ratio generica ſumeretur ex vno capite & ſpecifica ex alio, nempe ex obiecto formali & materiali, ratio ſpecifica non pertineret ad genericam. Hoc argumentum nihil euincit: data enim maiori, nego minorem: quia vt accipiatur ſpecifica vnitas ab obiecto non eſt opus illud ſpecialiter conſiderare; ſufficit enim ad habitus vnitatem genericam & ſpecificam tendere in obiectum commune in ratione generica aut analoga vt mox dicam.

§.178. Conclamant obiectum à quo ſumitur ſpecifica vnitas habituum, eſſe neceſſariò vnius atomæ ſpeciei. Etenim obiectum tribuens vnitatem habitui debere in ſe habere aliam vnitatem proportionatam ei quam tribuit: ſed vnitas generica non eſt proportionata vnitatis ſpecificæ atomæ: ergo. Probo minorem, quia vitium non accipit malitiam moralem ſpecificam niſi à malitia obiectiua proportionata: ergo eodem modo nec eſſentia ſcientiæ niſi ab obiecto proportionato. Hic malè peccatur: Si vnitas habituum penderet ab obiecto tanquam ab intrinſeca ratione formali, argumentum concluderet quod vult: at verò obiectum non concurrit intrinſecè ad vnitatem habitus, ſed extrinſecè tantùm tanquam terminus extrinſecus ad quem habitus dicit ordinem tranſcendentalem. At verò ordo tranſcendentalis ſpecificus ſumi poteſt à terminò extrinſeco generico. Nam & ordo ſingularis ſumitur à conceptu ſpecifico. Etenim ſcientia ſingularis, quam habuit Ariſtoteles de homine etiam vt ſingularis fuit, habuit hominem pro obiecto: ſed non hominem in particulari: ergo in communi: ergo ordo ſingularis potuit eſſe ad terminum communem. Vt ergo habitus ſingularis proportionem habuit cum obiecto ſpecifico, ita & conceptus ſpecificus habituum proportionem habet cum obiecto generico.

§.179. Secundò, quia actus, quo contemplamur Corpus in communi, accipit conceptum genericum, ſpecificum, & indiuiduum à corpore quod eſt genus, eiuſdem enim differentias non contemplatur actus ille: ergo habitus in ſpecie potuit accipere vnitatem ab eodem corpore. Patet conſequentia, quia illa diſſimilitudo vnitatum non obfuit: tum quia habitus aliquis potuit conſtitui ad eos ſimiles actus. Ratio à priori, quia intellectus & voluntas poſſunt tendere in ſolas rationes communes præciſas a ſingularibus: illa autem tendentia eſt ſingularis. Inde reſpondeo argumento ex moralitate actuum: furtum enim indiuiduum poteſt tendere in rem alienam vt ſic abſtractam ab auro, argento & ſupellectili aliena.

§.180. At (inquiunt) ſi hæc ita ſunt, ſequerentur abſurda: poſſet enim eſſe vna mathematica de quantitate vt ſic: alia verò de tali quantitate: ſimiliter poſſet eſſe vna virtus Theologica agens de Deo vt ſic, non agens de eius bonitate aut veritate. Reſpondeo primùm, non eſſe abſurdum, habitum de quantitate vt ſic diſtingui ab habitu de ſpeciebus quantitatis. Secundò reſpondeo, à me hic non diſputari vtrùm repugnet vnus habitus circa rationem communem, & alius circa ſpecificam: ſed dico poſſe vno habitu & indiuiduo attingi ſolam rationem communem per actus illam præſcindentes ab ſpecificis, neque hoc impediri ex vnitate generica obiecti: aio prætera poſſe per alium habitum diſtinctum cognoſci differentiam ſpecificam. Dico inſuper poſſe vtrumque conceptum attingi habitu eodem, quia poteſt exerceri aliquis actus circa obiectum vtrumque; qui actus poteſt oriri ab habitu diſtincto à duobus prioribus. Quod obiicitur de virtute Theologica non eſt è re: quia habitus per ſe infuſi amplectuntur plura obiecta & actus more potentiarum, quia ſuis actibus non comparantur phyſicè. Prætera Deus eſt ſingulariſſimus, cuius attributa cognoſci poſſunt à priori per eius quidditatem: eſt autem diuerſa ratio quando obiecta formalia ſunt diuerſa ac quando eſt vnum numero.

SVBSECTIO II.

Scientiarum vnitas explicata.

Habituum vnitas difficilis viſa eſt P. Franciſco Suarez diſput.44. Metaphy. at mihi cum P.Molina facilis: quia tot habitus admitto ſpecie diſtinctos quot concluſiones: de quo hic non eſt locus, ſed in lib. de anima. Vnitas autem ſcientiarum eſt difficilis, in qua nutant non pauci. Nam cum in eadem facultate ſint plures habitus ſpecie diſtincti, nullaque compoſitione vniti, difficilè poſſunt vnitatis vinculo colligari. §.181. *Ratio difficultatis.*

Dico primo. *Metaphyſica eſt vna ſcientia ſpecie infima; non per ſimplicitatem habitus* (vt ex lib. de anima pono) *ſed per aggregationem plurium ſpecie diſtinctorum, quorum obiecta ad vnum Deum in eſſe ſcibili referuntur.* Porrò *ſimplicitatem habituum non requiri ad vnitatum ſcientiarum* obſeruat acutè Caiet. 1.p.quæſt.1.artic.3.totamque doctrinam B.Thom. de vnitate Theologiæ ait locum habere ſiue habitus ſit vna qualitas, ſiue plures, dum omnia obiecta ordinem habeant ad vnum. In qua ſententia eſt P. Suarez diſput.44. ſect.11. cum Scoto, Gabriele, Okamo, Gregor. Marſilio, & aliis ab eodem relatis num. 60. eſtque apud recentiores communiſſima. Probatur ratione B. Thom. ſupra. Quia vnitas ſcientiæ ſumitur ab vnitate obiecti: ſed obiectum Metaph. eſt vnum ſpecie, ergo & vnitas Metaphyſicæ. §.182. *Metaphyſica eſt vna ſpecie infima.* Caiet. B.Thom. P.Suarez. Scotus. Gabriel. Okamus. Gregorius. Marſil. S.Thom.

Dices primò, hoc probari Metaphyſicam eſſe vnam ſimplicem qualitatem. Nequaquam, quia in ordine ad idem obiectum, multa conſiderantur: quæ non poſſunt per vnum habitum attingi: at quia omnia illa referuntur ad vnum finem, & attributionis obiectum, ea ratione conſtituunt vnam ſcientiam vnitate ordinis, & relationis ad vnum obiectum. Sicut omnes habitus abſtinentiæ naturalis, licet ſint inter ſe ſpecie diſtincti, conſtituunt vnam virtutem abſtinentiæ, quia eorum omnium finis eſt tenere modum in victu. §.183.

Dices ſecundò, inde probari genericam diſtinctionem. Verùm hæc quæſtio poteſt eſſe de ſola voce: ſi enim Metaphyſicam abſtrahas ab omnibus eius habitibus, illamque de eiiſdem prædices: non dubium quin ſit vna vnitate generica; quia prædicatur in quid de pluribus ſpecie diſtinctis: in quo ſenſu Cardin. Tolet. in procemio log. P. Conimbr. & alij neoterici admittunt in logica genericam vnitatem: ſi verò metaphyſicam non ſumas niſi collectim, pro omnium aggregatione habituum: licet in eo aggregato multi habitus ſpecie differant, tamen omnes illi conſlant vnam ſpecie ſcientiam: quia omnes tendunt ad eumdem finem: ſicut exercitus eſt vnus, quia licet conſletur è multis rebus ſpecie diſtinctis: tamen omnes ſunt ad finem vnum: at verò pars exercitus vt ſic prædicata de homine, equo, & armis genus eſt. Vnde reſpondetur argumento Soti in procemio logicæ, quæſt.3. §.184. *Obiectio. Quæſtio de nomine.* P.Tolet. P.Conimbr.

quæſt. 3. aſſerentis, tot eſſe Logicas, quot habitus, ſi iſti diſtinguuntur: nam habitus eſt ſcientia Logica, ſunt plures habitus, ergo plures ſcientiæ Logicæ, ergo abſolutè plures Logicæ. Diſtinguo autem maioré: eſt ſcientia Logica partialis, concedo maiorem: totalis, nego: ſimiliter diſtinguo primum conſequens, & nego ſecundam conſequentiam: nam Logica abſolutè, capitur pro totali. Hæc enim nomina, *Logica, Metaphyſica, virtus, ſcientia,* ſunt collectiua (in naturalibus) quæ comprehendunt aggregationem multorum ad eumdem finem confluentium: *vt exercitus, ciuitas, collegium, pulchritudo, ſanitas.* vide P. Suarez. 2. Meta. diſput. 44. ſect. 11. num. 52. & 55. & Theologos. 1. p. quæſt. 1. artic. 3. immo Sotus hanc partem probabilem cenſet; voluit eam ſequi: ſed non eſt auſus propter ſuæ ſcholæ Doctores.

P. Suarez.

Sotus.

§. 185. Mirandulanus. *Difficultas.*

Hinc videtur oriri difficultas, quæ mouet Mirandulanum ad aſſerendam vnam ſcientiá ex omnibus habitibus conflatam: nam ſicut ſcientia de Angelo, & Deo efficiunt vnam Metaphyſicam; ita Metaphyſica & Phyſica efficient vnam ſcientiam de ſubſtantia, ſicut ſcientia de cœlo, & homine pertinent ad eamdem philoſophiam, quia vtraque agit de ſubſtantia mobili. Confirmatur ex Ariſtot. 5. Ethicorum, & communi vſu integrante vnam iuſtitiam communem ex virtutibus collectim acceptis: quia illæ omnes tendunt ad componendos mores, ergo ex omnibus ſcientijs fiet vna: quia omnes tendunt ad perficiendum intellectum: quod è politicis patet; vna enim cohors conſtat ex multis militibus, ſub vno duce merentibus: legio autem ex multis cohortibus, vni tribuno parentibus: exercitus autem è multis legionibus ab vno Imperatore ductis; licet autem exercitus partiatur in legiones, legiones autem in cohortes: cohortes verò in decurias; tamen vnus eſt exercitus. Item domus erigitur è lignis, lapidibus, calce: vicus autem è multis domibus: vrbs autem è multis vicis: ita licet ſcientia diuidatur in Metaphyſicam, Phyſicam, & Mathematicas; tamen omnes vnam ſcientiam efficient. P. Conimbric. quæſt. 1. procemij phyſicorum, acriter ſunt in hanc ſententiam inuecti: quod adimat ſcientijs pulchritudinem, & diſtinctionem. Verum ex ea nihil ſequitur incommodi, ſicut nec commodi: illius tamen occaſione, quid hac in parte ſit vtile? diſquiritur. Non ſunt audiendi, qui dicunt ſcientias ita diſtributas ex ſola voluntate philoſophorum: quia philoſophi non pro libito ſed vrgenti fundamento deſignarunt ſcientiarum vnitatem & diuerſitaté. Etenim ex habitu de definitione & ex alio de Angelis conflaretur ineptè vna ſcientia. Conflatur autem vna Logica ex habitibus de modo ſciendi: quia omnes illi ſunt de ſecundis intentionibus. Ex obiectis autem immaterialibus conflatur vna Metaphyſica. Diſquiramus ergo ſcientiarum vnitatem, Ac primum recognoſce quæ dixi §. 127. de ſcientiarum tripartitione. item & §. 128. & ſequenti: vbi rationem reddidi illius partitionis.

Ariſt.

P. Conimbricenſes inuecti in Mirandulanum.

§. 186. *Aliqui actus natura ſua connectuntur in vnam ſcientiam.*

Dico ſecundò: *Aliqui habitus habent inter ſe naturale aliquod vinculum, quo nectantur inuicem, & coleſcant in vnam ſcientiam.* Probatur in ſcientia à priori de homine, exempli gratia: huius obiectum formale ſiue principiorum eſt ipſa hominis eſſentia, cuius cognitiones legitimè compoſitæ in ſyllogiſmos inferunt in concluſione primam paſſionem: per primam autem ſecunda monſtratur: & per hanc tertia, &c. Ecce omnes iſti actus pendent a prima eſſentiæ cognitione: cum qua nectuntur ad penetrandum hominem: ergo omnes habitus, ad illos actus influentes, habent communem nexum, quo & dependent ab vno primo, & exiſtunt ad perfectam cognitionem obiecti. Patet conſequentia: quia habitus dependent à ſuis actibus, & habent obiectum cum illis commune: ergo habitus circa paſſiones remotè pendent ab actu circa eſſentiam: patet conſequentia: quia habitus circa paſſiones pendent à ſuis actibus: hi autem pendent ab actibus circa eſſentiam: ab his autem pendent habitus circa eſſentiam: ergo habitus circa paſſiones remotè pendét ab actibus circa eſſentiam: & ſicut præmiſſæ efficiunt vnã integram ſcientiam, & demonſtrationem cum concluſione: non quia illi actus ſint, aut vna ſimplex qualitas: aut plures vnitæ: ſed quia ſuo ordine diſpoſiti vnus pendet ab alijs circa obiectum idé: ita habitus per ſe concurrentes ad demonſtrationem illam, efficiunt vnam ſcientiam habitualem: non quod ſint vna ſimplex qualitas, aut plures compoſitæ: ſed quia pendent ab actu circa idem obiectum: & ſicut demonſtrationes aliarum paſſionum, licet ſint diſtincti ſyllogiſmi, tamen ad vnam ſcientiam actualem adæquatam pertinent: ita & habitus.

Idem argumentum formari poteſt in ſcientia à poſteriori: eſſentia enim pendet à proprietatibus in ea cognitionis ſpecie. Item in demonſtratione obiecti, oppoſiti obiecto primario, verbi gratia, in demonſtratione de ente rationis, quod cognoſcitur per oppoſitionem cum ente reali: item quando cauſa extrinſeca monſtratur per effectus, vt Deus in phyſica per motum phyſicum: ecce quo pacto obiectum primarium, eius attributa, cauſæ & effecta noſcuntur pluribus habitibus, non ſolutis omnino, ſed ligatis dependentia ab vno actu. Nec verò habitus circa eſſentiam dicit eſſentialem ordinem ad habitum circa concluſionem: nam habitus tantum dicit ordinem ad ſuũ actum. Vnde colliges vnum habitum in ſui eſſe alium petere: non immediatè, ſed mediatè ratione ſuorum actuum: quia actus præmiſſarum eſſe natura ſua illatiuos concluſionum admittunt omnes, & probaui diſput. 1. log. completur verò vnus habitus per alium, non quod vniantur aut reciprocè perficiantur: ſed quia omnes illi ſunt ſcientia completa, & integra obiecti primarij: quod non exhauritur cognitione niſi omnia eius prædicata noſcantur: & licet aliqua demonſtrationum ſeries non pendeat ab alia: omnes tamen pendent ab vno tertio, à quo concluſiones primam ducant originem. § 187.

§ 188. *Habitus circa rationes communes conflãt eãdem ſcientiã cum habitibus circa rationes particulares.*

De habitibus circa rationes communes & vniuerſales ſupereſt difficultas. Vtrum pertineant natura ſua ad eamdem ſcientiam, ad quam habitus de obiectis particularibus? Et quidem partem affirmantem omnes admittunt; primò, quia quando concluſio eſt phyſica, verbi gratia, vtrumque principium debet eſſe phyſicum (vt oſtendam. §. 19.) ſed concluſio phyſica pendet ab altero principio vniuerſali vt patere poteſt hoc ſyllogiſmo, *omne rationale eſt admiratiuum; Petrus eſt rationalis; ergo & admiratiuus:* ergo principium vniuerſale eſt phyſicum: imo ſcientiæ de homine; quia illius ſcientiæ eſt ea concluſio. Quamobrem in procemio phyſicorũ oſtendi eos octo libros eſſe partem librorum de cœlo, de generatione, &c. Secundò, quia ſicut actus vniuerſalis cum particulari & concluſione efficit demonſtrationem vnam actualem, & ſcientiam: ita & habitus: quia ſicut actus vniuerſalis particulari coniunctus virtutem habet

habet inferendæ concluſionis immediatè: ita & habitus eam virtutem habent mediis actibus. Rationem à priori reddidi, quia cognitio totius, & partis eſt eiuſdem ſcientiæ: nam ſcientia de homine debet per ſe attingere omnia hominis prædicata, quorum nonnulla ſunt communia. Et quamuis habitus de obiecto communi non dicit ordinem ad habitum de obiecto particulari: habent tamen commune vinculum ratione obiecti: quod vt duas metaphyſicas partes includit: ita petit ad exactam ſui cognitionem ſcientiam de vtraque parte, & ſicut §. 186. oſtendi nexum habituum per actuum exigentiam: ita nunc eumdem oſtendo per exigentiam obiecti.

Cognitio totius, & partis eſt eiuſdē ſcientia.

§. 189. *Omnes habitus non afficiunt vnam ſcientiam.*

E quibus primò deduco, non eſſe fundamentum ad componendam vnam ſcientiam ex omnibus habitibus: quia nec habent dependentiam ratione actuum, nec ratione obiectorum, exempli gratia, habitus de Angelo, aut Deo quam habet dependentiam ab habitibus de generatione, & corruptione? aut è conuerſo? Quod ſi velles ex omnibus vnam conflari per meram aggregationem, quia omnes excolunt intellectum: ſicut virtutes voluntatem, non grauabor: nec eſt inſolens phraſis, nam retuli ex Platone, B. Auguſtino & aliis, nomine *Philoſophiæ naturalis* comprehenſas, Metaphyſicam, Phyſicam, & Mathematicas. Idque ſatis probabiliter probant argumenta pro Mirandulano facta. §. 185. poteſtque fulciri autoritate S. Thom. 11. Metaph. lect. 4. affirmantis Phyſicam & Mathematicam eſſe partes Metaphyſicæ, quatenus ſcientia particularis eſt pars ſcientiæ communis.

Sententia Mirandulani quo pacto admittenda. Plato. S Auguſt. S. Thomas.

§. 190. *Phyſica eſt vna genere continēs plures ſpecies nullo vinculo nexas.* S. Thom.

Secundò deduco Phyſicam eſſe vnam ſcientiam genere, (ſicut & Mathematicas) complectentem duas vel plures ſcientias ſpecie adæquatè diſtinctas, nullo vinculo nexas. Nam obiectum eſt vnum genere, ergo ſcientia. Antecedens liquet, quia corpus mobile vt ſic eſt genus: conſequentiam probo: tum ex Sancto Thom. ſupra, ſcientiis aſcribente vnitatem pro vnitate obiectorum formalium: tum quia illæ ſunt ſcientiæ adæquatè diſtinctæ, & aggregatæ, quæ nullum habent vinculum commune nec ratione actuum, nec ratione obiectorum: ſed ſcientiæ de obiecto generico nullam habent connexionem huiuſmodi: ergo: probatur minor, quia ſub genere ſunt duæ ſpecies completæ omnino independentes, exempli gratia, ſcientia de cœlo, quid dependet à ſcientia de homine? Sicut ergo cœlum, & homo, licet corpus includant, ſunt duæ ſpecies (vt aiunt) diſparatæ, ſic & ſcientiæ de illis, licet vtraque includat ſcientiam de corpore vt ſic. Quod poteſt confirmari, quia vtraque ſcientia habet rationem formalem obiectiuam adæquatè diſtinctam, & non ſubordinatam inuicem. Tota hæc doctrina traditur ab Ariſtot. 1. poſt. cap. 23. his verbis. *Diuerſæ ſcientiæ ſunt, quarum principia ex eiſdem non ſunt, nec ex vnius principiis principia alterius proficiſcuntur.* Dices, vtramque eſſe de corpore. Contra, quia etiam Metaphyſica eſt de ente & diſtinguitur adæquatè à Phyſica. Secundò, iam probaui, à §. 89. corpus vt ſic præciſum non eſſe obiectum phyſicæ, ſed contractum ad ſpecies: quæ ſunt omnino diſparatæ. Quæ poſſent obiici de abſtractione à materia, ſatis exploſi ſectio. 6.

Ariſtot.

§. 191. *Habitus de tranſcendentibus pertinēt etiam ad Phyſicam.*

Tertiò, videtur inferri, habitus de ente, & ſubſtantia vt ſit (quos vulgus Metaphyſicos vocat) non modo ex ſua natura pertinere ad Metaphyſicam: ſed etiam ad Phyſicam. Probatur primò: cognitio partis efficit vnam ſcientiam cum cognitione totius (vt abunde probaui. §. 85.) ſed ens & ſubſtantia vt ſic ſunt partes ſubſtantiæ corporeæ, ergo cognitio entis, & ſubſtantiæ vt ſic efficit vnam ſcientiam cum cognitione ſubſtantiæ corporeæ. Quod confirmo, quia Metaphyſica cognitionem entis vt ſic refert ad ſcientiam de Angelo, quia eſt illius pars; ſed etiam eſt pars hominis, ergo.

§. 192. *Obiectio.*

Dices, ens & Angelum eſſe in eadem abſtractione à materia: ac proinde ad eamdem facultatem pertinere: tunc autem partem referri ad cognitionem totius, quando vtrumque ſunt in eadem abſtractione. Verum ſæpius oſtendi nihil referre abſtractionem à materia. Nam ſi conceptus ratione à materia abſtractus, eſt à parte rei de eſſentia corporis ſicut de eſſentia Angeli: ergo ſeruat leges partis cum ſuo toto: ſi autem illa abſtractio efficeret, ne ens eſſet corporis pars, ſolutio eſſet admittenda: ſi autem adhuc eſt pars cur impediet abſtractio relationem ad totum? Deinde nec corpus vt ſic referretur ad ſcientiam de cœlo: quia illud abſtrahit à materia indiuidua, ſecus hoc: ergo ſicut corpus vt ſic refertur ad cœlum, licet ſit in abſtractione diuerſa, ſimiliter ens referetur ad corpus. Adde, Angelum eſſe in abſtractione reali à materia, ens verò in abſtractione rationis: quas eſſe diuerſas oſtendi. Nec enim abſtrahit à corpore, magis quàm ab Angelo, ſed eodem omnino modò, ergo vel cognitio de ente non efficiet vnam ſcientiam cum cognitione de Angelo; vel efficit vnam cum cognitione de corpore. Confirmatur: anima rationalis magis abſtrahit à materia, quàm ens; quia realiter eſt immaterialis, ens autem realiter eſt materiale, immateriale autem non, ſed præciſum à materialitate: & tamen anima, quia eſt corporis pars, refertur in cognitione ad totum: ergo multo melius referetur ens. Nec iuuat, Angelum eſſe nobiliorem corpore, eaque propter ens referri ad Angelum, & non ad corpus: hoc (inquam) non refert, nam etiam Deus eſt nobilior Angelo, & homo leone, & tamen ens refertur etiam ad Angelum: & materia ad leonem: quia ſunt partes vtriuſque ſpeciei.

Impugnatur.

Secundò probatur, quia hæc concluſio, *Materia prima eſt ſubſtantia*, eſt Phyſica: ergo vtrumque eius principium eſt Phyſicum: nam ſi alterum eſſet alius facultatis, non eſſet concluſio Phyſica; vt hæc, *Chriſtus eſt riſibilis*, quia ad illam concurrit principium vnum Theologiæ; ſed alterum ex principiis illius concluſionis eſt de obiecto communi ſubſtantiæ: ergo illud obiectum pertinet ad Phyſicum. Probo minorem, quia hæc ſunt principia illius concluſionis, *omne quod eſt de primo conceptu rei, eſt ſubſtantia: ſed materia prima eſt de primo conceptu rei: ergo materia prima eſt ſubſtantia.* Ecce maior propoſitio eſt de ſubſtantia vt ſic. §. 193.

§. 194. *Obiectio ex Ariſtot. & S. Thoma explicatur.*

Dices cum Ariſtotole & B. Tho. 11. Metaphyſic. lect. 4. ſcientias particulares non aſſumere principia communia cum ſua communitate, ſed contracta ad propriam materiam. Contra. Ariſtoteles & B. Thom. ibi loquuntur de ſcientiis particularibus ſubalternatis, verbi gratia, de Mathematicis, quæ ſunt valde imperfectæ: quia ſumunt pro principiis concluſiones ſcientiæ ſubalternantis: at non loquuntur de Phyſica, quæ eſt ſcientia perfecta. Eam verò ſumere principia communia in ſui confirmationem patet, quia hæc concluſio, *Materia prima eſt ſubſtantia*, vltimò reſoluitur in principium communiſſimum ſubſtantiæ vt ſic, tamquam in formalem rationem. Imo quando ſcientia inferior ſubalternata ſumit concluſionem ſubalternantis, talis

talis concluſio cum alijs principijs ſubalternatæ efficit vnam ſcientiam, vt hæc propoſitio Phyſica *lapis eſt durus* cum hoc principio architectico *fundamentum domus debet eſſe durum*: infert hanc concluſionem: *ergo fundamentum debet eſſe ex lapide.* Tres iſtæ propoſitiones efficiunt vnam ſcientiam actualem architecturæ: ergo ſimiliter principium de ſubſtantia vt ſic, cum alio principio phyſico & & concluſione efficit vnam demonſtratiõe phyſicam. Secundam ſolutionem vide in §. 198.

§. 195. *Confirmatio.* Confirmatur ex hoc ſyllogiſmo. *Quidquid eſt de eſſentia rei ſubſiſtentis eſt ſubſtantia: materia prima eſt de eſſentia rei ſubſiſtentis: ergo eſt ſubſtantia*: ego rogo, hæc demonſtratio cuius facultatis ſit? non Metaphyſicæ, quia materia fugit eius terminos: non mixtæ facultatis ex Phyſica & Metaphyſica; alioqui omnes concluſiones de materia prima eſſent ſcientiæ mixtæ, quia reſoluerentur in ea principia. *Concluſio & principia ſunt eiuſdem facultatis.* Concluſiones enim & principia eiuſdẽ ſunt facultatis: ergo illa demonſtratio eſt phyſica, quia non poteſt eſſe alius ſcientiæ: ergo eius principia ſunt phyſica. Quod patet exemplo: hæc demonſtratio eſt Theologica. *Omnis homo eſt riſibilis: Chriſtus eſt homo: ergo riſibilis*, quia minor propoſitio eſt Fidei, maior autem eſt phyſica: *Concluſio phyſica debet oriri ex vtroque principio phyſico.* Theologia autem eſt ſcientia mixta ex vno principio reuelato & altero naturali: vnde cõcluſio nec eſt omnino ſcientiæ naturalis, nec omnino reuelata: nam reuelata propoſitio pertinet immediatè ad Fidem: ergo etiã prima illa demonſtrato erit ſcientiæ mixtę, & non phyſicæ; ſi alterum principium non eſt phyſicum: vel ſi eſt phyſica (vt eſt) vtrumque principium eſt phyſicum. Nec refugio aliquam propoſitionẽ Metaphyſicam pertinere etiam ad Arithmeticam, ſicut Phyſica ad Architecturam; quia ſubalternata includit aliquid de ſubalternante.

§. 196. *Authoritate probatur eos habitus eſſe phyſicos.* Nec hæc opinio adeo eſt inſolens ſcholis; licet enim ſingillatim nõ videam eam diſputatam: tamẽ è principijs communibus cuius ſcholæ poterit confirmari; primùm enim admittunt omnes ad eamdem ſcientiam ſpectare totum & eius partes: vt animal & rationale ad ſcientiam de homine: item materiam, & formam; tametſi hæc ſit ſpiritualis, Ariſtot. 1. poſter. cap. 13. *vna* (inquit) *ſcientia eſt, quæ vnius generis, quæ componuntur ex primis, & ſunt partes*, &c. id eſt, principia prima, & partes pertinent ad eamdem ſcientiam, ad quam pertinet totum ex illis compoſitum, &c. *diuerſæ verò ſcientiæ ſunt, quarum principia ex eiſdem non ſunt, nec ex vnius principijs principia alterius proficiſcuntur*: ſed principia proficiſcuntur ex principijs habituum de tranſcendentibus: ergo ſunt vnius ſcientiæ. Ariſt. B.Thom. ibi lect. 4. ad medium id docet expreſſe: *& ideo quantumcunque ſint aliqua diuerſa ſcibilia per ſuam naturam, dummodo per eadem principia ſciantur, pertinent ad vnam ſcientiam*: & quæſtione 14. de veritate, quæ eſt de Fide. artic. 12. cum contra vnitatem Fidei obiecisſet eam agere de vniuerſalibus, & particularibus reſpondet, *Ad primum dicendum, quod ſcire in particulari, & vniuerſali non diuerſificat ſcientiam, niſi quantum ad modum ſciendi* (id eſt clariùs vel confuſiùs) *non tamen quantum ad rem ſcitam, à qua habitus habet vnitatem*, Quid clariùs? & 3. d. 26. q. 2. art. 4. corpore ait: *Vniuerſale & particulare non diuerſificant ſcientiam, nec habitum.* B.Thom.

§. 197. *B.Thomas explicatur.* Quando autem B.Thom. 1. p. q. 80. art. 2. & de verit. q. 26. art. 1. corpore, & alibi diſtinguit intellectũ à ſenſu, & voluntatem ab appetitu: quia intellectus, & voluntas tendunt in vniuerſale, ſenſus autem & appetitus in particulare, intelligit per *vniuerſale*, non rationes communes, nec per *particulare* differentias: ſed per particulare, vnam ſpeciem obiecti, per vniuerſale plura obiecta: ſic intellectus eſt potentia vniuerſalis: ſenſus autem non ſe extendunt ad omnia illius obiecta. Vide Bergomenſem in concordantijs ſententiarum B. Thom. dubio. 766. Hanc ſententiam clariſſimè ſequitur P. Vazquez 1. p. d. 1. num. 8. cum enim dixiſſet, principia particularia cuiuſque ſcientiæ, & cõcluſiones pertinere ad eumdem numero habitum, qui eſt particularis ſcientia: principia communia, dicit nullius eſſe ſcientiæ peculiaria, ſed omnibus cõmunia, his verbis. *Excipio principia vniuerſaliſſima, quæ non propria alicuius ſcientiæ, ſed omnibus communia ſunt*: qui noſtro ſenſu loquitur, vt patebit intuenti; diſput. autem 6. num. 8. clariſſimè eſt à nobis: ait enim ſcientiam de genere & ſciẽtiam de ſpecie eſſe partes eiuſdem ſcientiæ: non verò ſcientias diuerſas: & Pater Suarez diſp. 44. met. ſect. 11. num. 63. ait vnã ſcientiam componi ex omnibus habitibus neceſſarijs ad exactam cognitionẽ vnius obiecti: quamuis ſint de rebus in ſe non ſubordinatis. Bergomenſ. P.Vazquez. P. Suarez.

§. 198. *B.Thom. Ariſt.* Obijcies primò contra tertium corollarium, B. Thomam & Ariſtot. aſſerentes ſcientias particulares non vſurpare principia communia niſi cõtracta ad propriam materiam. Reſpondeo primò, oſtenſum eſſe §. 194. eos locutos de ſcientijs ſubalternis. Secũdo, locutos de ſcientijs particularibus ſecundum rationes particulares, id eſt, ſecundum habitus de differentijs ſuorum obiectorum: non verò de ſcientijs adæquatè acceptis, & ſecundum habitus communes. *Secunda obiectio.* Obiicies ſecundò, phyſicam ſemper agere de obiecto corporeo. Reſpondeo id verum eſſe per habitus proprios, non verò per habitus communes; qui etiam ſunt de corpore materialiter, ens enim à parte rei, & eſt corpus, & ſpiritus. *Cur habitus de tranſcendentibus dicantur Metaphyſici.* Obijcis tertiò, communiter dici per Metaphyſicam confirmari principia aliarũ ſcientiarum. Reſpondeo, habitus communes qui id præſtant, vocari *Metaphyſicam* breuitatis & honoris ergo: cum enim ad Phyſicam etiam pertineant, honorificentiùs accenſentur Metaphyſicæ nobiliori, quàm Phyſicæ: & ſic ſunt communiter appellandi.

SECTIO VIII.

De ſubalternatione ſcientiarum.

§. 199: *P. Fonſeca tres proponit ſpecies ſubalternationis.* DOctor Pet. Fonſeca 4. Metaphyſicæ. cap. 1. q. 2. ſect. 2. tres proponit ſubalternationes: primam ex parte finis duarum ſcientiarum: quando vnius finis continetur ſub fine alterius. Quod contingit dupliciter. *Prima.* Primò, quando finis ſubalternantis præcticè (vt ita dicam) imperat ſubalternatæ proprium finem, vt per illum ſubalternans conſequatur ſuum: ita equeſtris ſubalternat frænofactiuam, quia hæc conficit inſtrumenta ad rectum equorum vſum, & præciſè exequitur, quod præcipit equeſtris. Secundo modo, quando duæ facultates ordinantur ad eumdem finem: ſed ſubalternans nihil præcipit: ſed ſpeculatiuè tantum ſuum attingit obiectum, vt moralis philoſophia, & naturalis: quarum ſecunda ſpeculatiuè conſiderat naturalem hominis beatitudinem; optimamque operationem; Moralis autem dirigit hominis actiones ad eumdem finem; quod ſubalternandi genus (vt ait ipſe Fonſeca) eſt admodum improprium.

§. 200. *Secunda.* Secũda ſubalternatio oritur ex principijs; quando vnius ſcientiæ principia in alia demonſtrantur: ſiue quando concluſiones vnius ſcientiæ ſunt principia alterius: idque etiam dupliciter. Primò: quando

Medicina ſubalternatur Phyſicæ. quando principia ſubalternatæ demonſtrantur in ſubalternante oſtenſiuè: ſic Medicina ſubalternatur Phyſicæ, quia Medicinæ principia poſſunt in Phyſica, vel à priori vel à ſigno probari, vt cum agit de hominis temperatura: & morbos calidos remedijs frigidis eſſe curandos: quia frigida opponuntur calidis; quod probatur ex phyſicis principijs. Item Geometria ſubalternatur Phyſicæ: nam hoc Geometricum principium, *à puncto in punctum ducitur linea*, probatur in Phyſica oſtendendo continuum non componi ex ſolis punctis. Secundo modo fit, probãdo principia per deductionem ad impoſſibile: quo pacto Logica ſubalternatur Metaphyſicæ: nam ſi quis affirmaret duas contradictorias propoſitiones eſſe veras, deducendus eſſet ad hoc abſurdum fatendum, *eamdem rem ſimul poſſe eſſe, & non eſſe*. Item Geometria ſubalternatur Arithmethicæ, quia hoc principium, *diameter quadri non eſt commenſurabilis lateri ipſius quadri*, oſtenditur in Arithmetica, quia ſequeretur vnum eſſe commenſurabile duobus: quod ſecundum ſubalternandi genus eſt etiam improprium, quia deductio ad impoſſibile non tam oſtendit, quid res ſit, quàm quid non ſit.

§.201. *Tertia & propria.* Tertia ſubalternatio eſt: quando ſubiectum ſubalternatæ eſt ſubiectum ſubalternantis: ſed cum aliqua differentia accidentali: vt ſubiectum Geometriæ eſt linea; quæ etiam eſt ſubiectum Perſpectiuæ: ſed Perſpectiua addit differentiam accidentalem: agit enim de linea viſuali: item Arithmetiimetica agit de numero, cui Muſica addit ſonum: & hoc eſt ſimpliciter perfectum ſubalternandi genus. Alio item modo, ſed omnium improprijſſimo, cõtingit ſubalternatio, vt cum ſcientia agit de obiecto contento ſub obiecto alterius, ſicut ſpecies continetur ſub genere: ita ſcientia de cœlo ſubalternatur octo libris phyſicorum: & omnes ſcientię naturales habitibus de ente in communi. Verum vt aduertit P. Vazquez 1. p. diſp. 6. num. 8. habitus de ratione communi, & de ſpecifica non ſubalternantur, ſed ſunt partes eiuſdem ſcientiæ. *P. Vazquez.*

§.202. *Prima concluſio. Sola Arithmetica ſubalternatur propriè Metaphyſicæ.* Dico primò. *Nulla ſcientia* (præter Arithmeticã) *ſubalternatur Metaphyſicæ, vt præcisè agit de intelligentijs.* Probatur, quia nulla agit de intelligentijs, vt affectis aliqua differentia accidentali: vt patet omnes facultates percurrendo: præter Arithmeticam: quæ conſiderat numeros ex intelligentijs reſultantes. *Obiectio.* Dices primò, Phyſicam agere de intelligentijs, vt ſunt principia motus. Verum hæc ſubalternatio non eſt: duæ enim ſcientiæ non ſubalternatæ poſſunt attingere exiſtentiam eiuſdem obiecti ſub diuerſa ratione formali: vt Theologia & Metaphyſica, Phyſica, & Aſtrologia: demonſtrare autem intelligentias eſſe principium motus, non eſt agere de ente per accidens: cæteroquin omnes demonſtrationes ab effectu eſſent de ente per accidens. *Quid ſit ſubiectum per accidens.* Eſt autem ſubiectũ per accidens illud, quod coniunctum cum aliqua ratione accidẽtali, quam non attingit ſcientia ſubalternans, habet diuerſas proprietates demonſtrabiles in ſcientia ſubalternata: exempli gratia, Geometria agit de lineis, & magnitudine, vt figuras diuerſas efformant, nihil curans de illarum viſibilitate.

§.203. Perſpectiua autem agit de ijſdem lineis, in varias figuras conformatis vt explicet illarum viſualitatem. Ecce perſpectiuus addit colorem lineis, à quo abſtrahit Geometra: ex lineis autem, & colore oriuntur variæ proprietates: nempe diuerſi aſpectus, quibus illuduntur oculi: qui ad Perſpectiuum ſpectant; non verò ad Geometram. Quia verò Perſpectiuus non poteſt oſtendere varios perſpiciendi modos, quin habeat aliquos habitus de lineis in figuras conformatis, ideo Perſpectiua ſubalternatur Geometriæ. Item Phyſicus agit de reſiſtentia rei duræ, de duritie lapidis; & ligni leuitate: Architectus agit de ſtruẽda domo: quæ conſtat ex ligno, & lapide, agit de illis Architectus non ſecundum ſe: ſed vt coniuncta poſſunt componere domum: de hac coniunctione non agit Phyſicus: quia verò Architectus non poteſt domum ſtruere ſine habitu phyſico: ideo Architectura ſubalternatur Phyſicæ: ait enim Architectus *fundamentum eſſe debere durum, tectum verò leue*, vnde infert, *fundamentum neceſſario eſſe lapideum, tectum verò ligneum*, quod probat tanquam principio, ex phyſica concluſione, quia *lapis eſt durus, & lignum leue*. Quapropter dicuntur concluſiones ſcientiæ ſubalternantis eſſe principia in ſubalternata. *Architectura ſubalternatur Phyſicæ.*

§.204. *Animaduerſio de obiecto ſubalternatæ.* E quibus conſtat, prædicatum accidentale additum obiecto ſcientiæ ſubalternantis, & proprietates inde reſultantes non poſſe cognoſci per ſolam rationem formalem ſubalternantis: vt domus conſtructio per ſola principia Phyſicæ: nam quæ poſſunt cognoſci per ſolam rationem formalem ſubalternantis, ad eamdem pertinent: licet addant prædicatum accidentale, vt *quantum* pertinet ad Phyſicã. Propterea addidi ſemper, *prædicatum illud accidentale non cognoſci in ſubalternante.* Quamobrẽ in 3. p. in proœmio dixi incarnationem ad theologum pertinere directè, & non ſubalternè: quia licet Chriſtus addit prædicatum, logicè accidentale Deo, & eius attributa diſquirit: id tamen præſtat per eamdem adæquatè rationem formalem Theologiæ. *Incarnatio ad Theologũ directè, & nõ indirectè pertinet.*

§.205. *Scientia ſubalternata inadæquatè diſtinguitur à ſubalternãte, & non econuerſo.* Vnde exiſtimo, ſcientiam ſubalternatam inadæquatè diſtingui à ſubalternante: quia includit plures illius habitus. Omnia enim principia, quibus probat Architectus lapidem eſſe durum, ſiue ſint à priori, ſiue à poſteriori, ſunt phyſica: at ſciẽtia ſubternans adæquatè diſtinguitur à ſubalternata, id eſt tota reperitur integra ſine ſubalternata; nõ verò è contra, vt totus lapis integer reperitur ſine domo: nõ tamen domus ſine lapide. Verum eſt conſiderando compoſitum illud per accidens ſub ratione compoſiti: nullam partem diſtingui adæquatè à toto, ſed hoc eſt per accidẽs partibus ipſis.

§.206. *Theologia nõ ſubalternetur Metaphyſicæ?* Dices ſecundò, Theologiam ſubalternari Metaphyſicæ. Primò, quia concluſiones Metaphyſicæ, & Phyſicæ ſunt principia in Theologia: Theologus enim ad probãdum Chriſtum eſſe riſibilem vtitur pro principio Phyſica concluſione: *Omnis homo eſt riſibilis:* Secundò, quia Metaphyſicus agit de Deo ſecundum ſe; Theologus autem de Deo vt reuelabili, ſicut Geometria agit de linea: Perſpectiua autem de linea viſuali.

§.207. *Negatur.* Nego talem ſubalternationem: quia Theologus non ſumit illam phyſicam propoſitionem, vt demonſtret aliquam proprietatem conſecutam ex obiecto Phyſicæ, affecto aliquo accidente; de quo ſub ea ratione Phyſicus non agit: ſed ſumit propoſitionem vniuerſalem, ad particularem inferendam, vt in hoc ſyllogiſmo, *homo eſt riſibilis, Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt riſibilis.* Diximus enim habitum de obiecto inferiori non ſubalternari habitui de obiecto ſuperiori, ſicut ſcientia de cœlo non ſubalternatur octo libris phyſicorum. Theologia autem includit formaliter plures habitus phyſicos, & metaphyſicos plures. Quando verò concluſiones vnius ſcientiæ ſunt alterius principia, debent ad veram ſubalternationem deducere proprietates obiecti per accidens: quæ non demonſtrantur in ſcientia ſubalternante, neque in ſubalternata poſſunt

ſunt demonſtrari ſine ope ſubalternantis: vt patet exemplo Architecti:at verò aſſumptio propoſitionis vniuerſalis ad inferendam particularem nō eſt ſubalternatio. Neque hinc ſequitur ſyllogiſmum Theologicum eſſe Phyſicum, aut Metaphyſicum: ad hoc enim requiritur cognitio vtriuſque præmiſſæ ex Phyſicis, aut Metaphyſicis principijs, vt *homo eſt riſibilis*, *Petrus eſt homo*, quæ cognoſcuntur omnino phyſicè:at verò hæc, *Chriſtus eſt homo*, cognoſcitur diuina reuelatione; pertinet autem ad Theologiam, & non ad Phyſicam, quia ad hanc pertinent omnes propoſitiones cognitæ medio phyſico:ad illam verò omnes, quæ deducuntur ex diuina reuelatione;cui Theologiæ cæteræ facultates famulantur ſuis probationibus:ſunt enim principia Theologię partim fides diuina,partim ſcientiæ naturales.

§.208. *Ad ſecūdam probationem.*

Ad ſecundam probationem reſpondetur,Theologum non agere de proprietatibus reſultantibus ex Deo,aut Chriſto affectis reuelatione, ſed reuelationem eſſe rationem formalem priùs cognitam, ſub qua Theologus Deum cognoſcit: ſicut Metaphyſicus agit de Deo,vt operante; non quia conſideret proprietates reſultantes ex Deo; & creaturis: ſed quia per creaturas priùs cognitas Deum inueſtigat. At verò Architectus conſiderat proprietates ortas ex varia diſpoſitione ligni, & lapidis ſimul.

Theologus qua ratione attingat Deū reuelantem.

§.209. *Obiectio.*

Dices tertiò, Logicam ſubalternari Metaphyſicæ: tum quia agit de ente vt demonſtrabili; Metaphyſica verò de ente ſecundū ſe: tum quia principia Logicæ demōſtrantur per Metaphyſica principia. Hoc argumentum probat Logicā ſubalternari ſcientiæ vt ſic confuſè,quia Logica habet pro obiecto confuſè cognito obiecta aliarū ſcientiarum in quantum demonſtrabilia: agitque de hoc coniuncto nempe, *obiecto demonſtrabili*, cuius proprietates inquirit:vt dixi diſput. 1. log. ſect. 4. ad quod non requiritur aliqua cognitio obiectorum ſecundum ſe in particulari: immo nec de ente vt ſic eius eſſentiam, aut attributa diſquirens:ſed tantum agit de omni ente reali vel rationis, vt demōſtrabile eſt, quia logicus docet modum ſciendi in communi,& non in particulari:& docet materiam demonſtrationis in communi: ſicut & materiam ſyllogiſmi probabilis, explicando in cōmuni actus demonſtrantes, & probabiliter concludentes. Tamen logica propriè ſubalternatur libris de Anima, tum quia agit de actibus animæ, vt diſponibilibus in modo ſciendi, & ad ſuas concluſiones, multas propoſitiones ſumit ex Animaſtica; cum enim dicit *ſyllogiſmum non conſtare ex puris negatiuis*, aut *demonſtrationem conſtare ex euidentibus, & certis*, ſumit ex Animaſtica *quid ſit propoſitio negatiua, euidens,& certa*,ac ſe habet ſicut Phyſica,& Architectura: agendo autem de actuum diſpoſitione agit de obiectis diſpoſitis:à quibus ſecundū ſe nihil mutuatur Logica: quia ſufficit id ex Animaſtica mutuari:vnde in Logica nullus habitus ſcietiarum realium continetur niſi ex Animaſtica: è qua multas ſumit logicus. Quapropter noſtri temporis dialectici totam Animaſticam in vnam Logicam coaceruant.

Logica ſubalternatur ſcientiæ reali vt ſic.

Propriè tamē ſubalternatur Animaſticæ.

§.210. *Item & Metaphyſicæ ſecundo genere alternationis.*

Item aduerte,Logicam ſubalternari Metaphyſicæ ſecundo genere ſubalternationis: quia logica principia, *dici de omni*, & *dici de nullo*, & *non poteſt idem ſimul affirmari, & negari de eodem*: probantur ex illis principijs Metaphyſicis, *quæ ſunt eadem vni tertio,ſunt idem inter ſe:& impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Item probatione oſtenſiua: nam hanc propoſitionem, *genus & differentia ſunt de eſſentia rei*, probat ex hoc principio Metaphyſico, *Eſſentia eſt primus, & proprius conceptus rei*, & ſic ſoli Animaſticæ ſubalternatur propriè, cæteris impropriè, niſi quando Logica per habitus de ſyllogiſmis ſingularibus agit, diiudicans an ſint ex Logicæ præceptis? verbi gratia, quando iudicat hominem benè diffiniri per animal, & rationale: ſumit hoc principium phyſicum, *homini, & leoni eſt eſſentiale animal*, & hoc logicum, *quod eſſentiale eſt duabus ſpeciebus eſt genus*, infertur hæc concluſio particularium habituum Logicæ, *ergo animal eſt genus homini,& leoni*. Hanc eſſe Logicam patet, quia eſt de animali vt ſubeſt ſecundæ intentioni: huiuſmodi autem habitus propriè ſubalternantur illis ſcientijs, circa quarum obiecta verſantur, qui habitus logici efficiunt vnam Logicam cum alijs communibus:communes autem ſunt:qui docentur à dialecticis, quibus cognitis facilè præcepta communia aptantur particularibus.

§.211. *Secunda concluſio. Metaphyſica nulla ſciētia ſubalternatur primo genere.*

Dico ſecundò, *Metaphyſica nulla ſcientia ſubalternatur primo genere ſubalternationis*:nam Metaphyſica non præſcribit modum, quo obtineatur eius obiectum,circa quod ſpeculatiuè procedit.

§ 112. *Tertia concluſio. Habitibus de trāſcendentibus omnes ſcientia ſubalternantur ſecūdo genere.*

Dico tertiò. *Secundo genere ſubalternationis omnes ſcientiæ ſubalternantur mediatè, vel immediatè illis habitibus, qui abſtrahunt à materia, & ſpiritu*: quia illi probant deductione ad impoſſibile, & aliquādo ex conceptu communi probant principia particularia ſcientiarum: vt cum ex conceptu communi ſubſtantiæ & accidentis probatur non poſſe eſſe accidens ſenſibile ſine ſubſtantia ſenſibili: at verò quælibet ſcientia habęt ſua prima principia indemonſtrabilia oſtenſiuè: & à priori per cauſam intrinſecam. Et quia illi habitus communes non magis (in rigore) ſpectant ad Metaphyſicam quàm ad Phyſicam; ideo hæc illi non ſubalternatur: at quia vulgo illi habitus Metaphyſicæ applicantur; dic Phyſicam ſubalternari Metaphyſicæ quantum ad probationem ſuorum principiorum, partim à priori per principia communia, partim per impoſſibile: non verò ad probationem propriam à priori per propria principia: quia habet Phyſica ſua propria principia particularia.

§.213. *Scientia humana quo pacto ſubalternentur Phyſicæ.*

Vltimò aduerte, cæteras ſcientias humanas de obiecto per accidens ſubalternari mediatè vel immediatè Phyſicæ, Geometriam, Perſpectiuam, Arithmeticam,(quæ etiam Metaphyſicæ quia agit de numeris abſtractis à materia) Muſicam, Architecturam,Militarem,fręnorum effectricem,Argentariam, & cæteras Mechanicas. Non ago in præſenti de Moralibus, quarum inquiſitio eſt à noſtro inſtituto aliena. Medicina autem non eſt ſcientia ſubalternata,ſed pars ſcientiæ de homine,nam eius obiectum eſt corpus temperatum, ſicut phyſica agit de materia quanta.

§.214. *Noſtra Theologia nō ſubalternatur beatæ.*

Ex his obiter colliges contra Caietanū,& Thomiſtas, noſtram Theologiam non ſubalternari Theologiæ Dei, & beatorum: tum quia eſt idem omnino vtriuſque obiectum materiale, cui noſtra non addit accidentariam differentiam ſub qua illud ſpeculetur, tum quia ſcientia ſubalternans, & ſubalternata ſunt in eodem intellectu,vt idem poſſit per concluſiones vnius probare alterius principia: Diuus autem Thom. 1. p. q. 1. art. 2. non affirmauit noſtram Theologiam ſubalternari Theologiæ Dei; ſed illi ſubijci,& quaſi ſubordinari. Videantur P.Mol. ibi, & Vazquez diſp.6.

SECTIO IX.

De Metaphyſica quadam expedio.

§.215. *Metaphyſ. eſt omnino ſpeculatiua.* P. Suarez.

DIco primò, *Metaphyſicam eſſe omnino ſpeculatiuam.* Ità Ariſt. Pater Suarez & plerique. Probatur, quia circa Deum, & Angelos nihil practicamur: quia Deus eſt improducibilis, item Angeli à nobis: at circa ens in communi nõ dirigimur per actus metaphyſicos ad illius productionem, magis quã ſi illis careremus: neque enim nos producimus ens vt ſic: ſed tale aut tale ens: ad quod dirigimur per particulares ſcientias.

Obiectio.

Dices Metaphyſicam agere de bono, & eius amabilitate, præſertim agentem de Deo: voluntas autem dirigitur ad obiectum per cognitionem boni. Memini me ſæpe dixiſſe ad actum practicum requiri, vt ipſe præſcribat opus, quod ſit tanquam obiectum, vt cum Moralis Philoſophia docet Deũ eſſe amabilem: amor, qui tunc eſt praxis, reſpicitur ab actu intellectus tanquam obiectũ: at verò quando voluntas amat obiectũ cognitum, allecta bonitate obiecti, repræſentata per intellectum: tunc illa cognitio non eſt practica, quia nõ habet pro obiecto amorem: vt viſio beata, licet inferat neceſſariò Dei amorem, non eſt practica circa illum, niſi dicat quaſi reflexè *Deum eſſe amandum.* Cum ergo explicatur bonitas Dei, tunc non habetur pro obiecto actus voluntatis, ſed diuina perfectio: & cum hæc explicari non poſſit, niſi in ordine ad voluntatem, ſicut nec verum niſi in ordine ad intellectum, tunc connotatur in obliquo voluntas, quæ non eſt obiectum Metaphyſicæ, ſed extrinſecè connotatur à tali obiecto: quod non ſufficit ad rationem praxis, quo differt Metaphyſica à Morali: hæc enim habet pro obiecto, in quod directè fertur, ipſos actus voluntatis humanæ, quos præſcribit, & docet exercendos, & rectè componendos.

§.216. *Secunda cõcluſio. Nulla ſciẽtia euidentior Metaphyſ.*

Dico ſecundò: *Nulla ſcientia naturalis eſt euidentior, aut certior quàm Metaphyſica circa rationes entis, & Dei quo ad an eſt.* Probatur apertè: quia certitudo Mathematica, & Phyſica claudũtur in Metaphyſica: tam certum namque eſt eſſe ens, quàm eſſe obiectum ſenſibile, aut triangulum; cum obiectum ſenſibile ſit ens; & trianguli ſint entia. Itẽ tam certum eſt Deum eſſe quàm ens eſſe, cum omne ens aut ſit creatum, aut increatum: ſi increatũ, eſt Deus; ſi creatũ, pendet à creante vſque ad primam cauſam. Addo Metaphyſicam eſſe certiorem, & euidentiorem quauis ſcientia naturali. Ad quod recolito quæ dixi, diſp. 8. de anima ſect. 5. certitudinem Metaphyſicam eam eſſe, cui de potentia abſoluta repugnat falſitas.

Quæ ſit maior certitudo.

Tunc ſic; illa eſt maior certitudo cui de potentia abſoluta repugnat falſitas: ſed multis principijs Metaphyſicis repugnat falſitas de potentia abſoluta; & multis Phyſicis, & Mathematicis non repugnat: ergo. Probatur minor, quia hæc principia, *quodlibet eſt vel non eſt. Deus eſt.* adeo ſunt certa, vt nullo modo poſſint eſſe falſa: at verò poſſumus diuinitus illudi per ſenſus, qui ex ſenſibili accidenti colligunt ſubſtantiã vbi non eſt: & opinamur eſſe triangulum, quod eſt quadratum. Itaque principia aliarum, ſaltem quo ad exiſtentiam, poſſunt eſſe falſa. Aduerte tamen principia Phyſica, & Mathematica habere certitudinem Metaphyſicam quantum ad poſſibilitatem rei; vt *triangulus habet tres angulos, accidens ſenſibile eſt cum ſubſtantia:* omnia autem principia Metaphyſicè certa, ſunt æqualiter certa, quia habent certitudinem ex ſolo obiecto, neque eſt certius in Metaphyſica hoc principium, *Deus eſt*, quàm hoc *creatura eſt*, tum quia Deum non niſi per creaturas cognoſcimus: & nos non poſſumus certiùs ſcire Deum eſſe, quàm ſcire creaturas eſſe: certum enim dicit ordinem ad noſtrum intellectũ, qui ex æquo eſt certus Deum eſſe & ſe eſſe; verum eſt certitudine quaſi obiectiua, id eſt ex parte neceſſitatis obiecti, hoc principium, *Deus eſt*, eſſe certiſſimũ, cum ſit ex parte obiecti maximè neceſſarium, non minus quàm hoc, *quodlibet eſt vel non eſt.*

§.217. *Obiectio ex Ariſt.*

At (inquies) ait Ariſtoteles in procemio conceptus vniuerſaliſſimos eſſe cognitu difficiliores, quia ſunt à ſenſibus remoti; ergo Metaphyſica de illis agens erit obſcurior cæteris ſcientijs.

Vniuerſalia qua ratione cognitu difficiliora & faciliora. P. Suarez.

Verum ipſe Ariſt. in procemio Phyſicorum docuit ab vniuerſaliſſimis eſſe incipiendum; quia noſcuntur faciliùs, quàm ſingularia; quæ duo teſtimonia latè explicat P. Suarez ſect. 5. à num. 17. Quæ ſic intelliguntur: vniuerſalis conceptus ſub ratione communi abſtracta ab inferioribus, facilius percipitur, quàm ſingularis, tum quia facilius iudicamus rem eſſe animal, aut ſubſtantiam quàm equum, aut ſaphyrum: tum quia ſpecies includit differentiam, quæ ſimul cũ genere difficilius cognoſcitur, quàm ſolum genus: quia difficilius penetrantur duo conceptus, quàm vnus. Quo in ſenſu loquitur Ariſt. in procemio Phyſicorum, quia ibi proponit ſe acturum de Natura; cuius doctrinam exorditur à corpore in communi, quod ſcrutatur per illos octo libros. Deinde perſequitur corporis ſpecies vt cognitu difficiliores, vt annis ſuperioribus vidimus, illum ſequentes.

§.218.

Alio modo concipitur *vniuerſale* vt totum poteſtatiuum, & contractum ad ſua inferiora per proprias illorum differentias, ſic autem res quo vniuerſaliores, ſunt cognitu difficiliores; quia continent plures ſpecies, quæ difficilius cognoſcuntur quàm pauciores: ita conceptus entis vt abſtractus, eſt facillimus cognitu, & ſic principia vniuerſaliſſima Metaphyſicæ ſunt hac meridiana luce clariora: at verò ens vt contractum ad omnia inferiora, eſt difficillimum inueſtigatu, quod etiam quadrat in Metaphyſicæ obiectum, quia eſt à ſenſibus remotiſſimum, nempe Deus, & Angeli: quapropter Metaphyſica eſt omnium difficillima.

Metaphyſica omnium difficillima.

De cuius obiecto, maximè de Deo (qui eſt rerum omnium vniuerſaliſſima cauſa) verum eſt dicere illud eſſe natura ſua notius, nobis autem non ita; quia difficultas Deum cognoſcendi non oritur ex ipſo Deo, qui eſt ſummè cognoſcibilis: ſed oritur ex defectu noſtri intellectus, qui præ imbecillitate, illius lumine perfuſus cæcutit, ſicut oculi noctuæ clariſſimo ſolis ſplendore.

Deus vnde cognitu difficilis.

Item vniuerſalia ſunt naturâ notiora, nobis autem ſingularia: quia nos vitam adminiſtramus cum maxima dependentia à ſenſu, qui non percipit præter ſingularia, at per accuratam ſcientiã meliùs noſcuntur rationes communes, quia de ſingularibus nulla ferè eſt ſcientia.

§.219. *Tertia concluſio. Metaphyſica vera ſapientia. Sapiens quid ſit.*

Dico tertiò. *Metaphyſica eſt vera ſapientia.* Ad quod aduerte, ſapientem in quauis facultate illum eſſe, qui illius eſt ita peritus, vt poſſit illius reddere cauſas, & principia. Vnde Architectus dicitur ſapiens eam ob cauſam, miniſtri autem non ſunt ſapientes, quia ſui operis cauſas neſciunt; ſed exequuntur Architecti præcepta, vt brutum ſequitur mulionem: alio modo dicitur ſapiens, qui poteſt rerum omnium cauſas, aut rationem (quoad poſſit) reddere, quo in ſenſu appellati ſunt antiqui *ſapientes.* Hæc ſapientia non conſiſtit in ſola Metaphyſica, quæ tantum poteſt rationem particularem

communia,& hac ex parte,ſimilis vtcumque videtur perfectæ ſapientiæ. Conſiſtit autem abſoluta ſapientia in collectione totius philoſophiæ naturalis, atque moralis: & quo plus eius defecerit, erit homo minùs ſapiens. Tertiò ſumitur pro homine potente rationem reddere de obiectis abſtruſis, & ab hominum conſuetudine quam maximè alienis: in quo ſenſu ait Ariſtoteles olim Philoſophos magni fuiſſe habitos:ita Metaphyſica eſt perfecta ſapientia, quia de Deo, & Angelis agit. Habitus ſapientiæ non diſtinguitur ad habitu principiorum eius facultatis in qua eſt,vt doctè obſeruat Pat.Suarez ſect.5.num.3.

§.220. *Quarta concluſio. Metaphyſica nobiliſſima inter ſcientias naturales.*

Dico quartò. *Metaphyſica eſt nobiliſſima ſcientiarum naturalium*;tum ex modo tendendi in obiectum: quod licet eſſet ens præſciſſum, perfectius cognoſceretur,quàm aliarum obiecta:tum ex obiecto attributionis,qui eſt Deus Optimus Max.cuius naturam(quantum intellectus humanus ex creaturis poteſt)indagat,attributa demonſtrat,perfectiones oſtendit, quapropter non immerito in illam propendemus magis quàm in alias:eſt enim hoc à natura homini comparatum, vt cognitis effectis non quieſcat, niſi inuenta cauſa: quæ ſi alias habuerit cauſas, ſemper excitat, & inclinat mentem ad illarum cognitionem:donec inueniat primam, & vltimam in qua quieſcat: ſicutque lapis rapitur in centrum, & ignis in cauum lunæ,vnde ſi dimoueantur, proh Deus! quas faciunt ſtrages?quantos crepitus?quos fragores?& ſicut acus tacta magnete perpetua vertigine circumagitur donec ſe polo arctico ſiſtat, ita humana mens non quieſcit niſi vni Deo(vt poteſt)ſe fixam è regione ſiſtat, vt iure dixerit Auguſtinus, *Feciſti nos Domine ad te: quare inquietum eſt cor noſtrum donec perueniat ad te:* beatitas humana conſiſtit aut in ſolo, aut præcipue in actu intellectus: hic autem eſſe debet obiecti ſupremi,& cauſæ primæ: alioquin nec quieſceret intellectus alias cauſas inueſtigans, neque eſſet beatus:cum autem hæc cognitio ſit Metaphyſicæ,hæc erit vltima noſtra naturalis beatitudo. Ariſtoteles affirmauit, ſummam voluptatem in ſpeculatione eſſe poſitam: ſpeculatio autem hæc eſt perfectiſſima, quia de Deo.

S. Auguſt.

§.221. *Quinta concluſio. Omnes appetunt Metaphyſicam.*

Dico quintò. *Omnes homines naturalem habent appetitum, tam innatum quàm elicitum ad Metaphyſicam.* Probatur apertè: tum quia omnes appetunt beatitudinem; in quam procliuis rapitur natura: quod ſi non pauci eam non appetunt efficaciter, non eſt, quòd eam non diligant, ſed quia recuſant ſe à voluptatibus euocari, & ferarum more appetitum ſequuntur potius, quàm rationem: Appetitus innatus æqualis eſt homini ad quamuis ſcientiam, quia hic tantum eſt ipſa animi rationalis eſſentia: metaphoricè tamen poteſt dici maior ad hanc propter dignitatem eius obiecti, & modum illud attingendi. Aduerte,logicam eſſe inter ſcientias ſubalternas nobiliſſimam, quia habet perfectius obiectum:& quamuis Arithmetica de numeris ſpiritualibus ſubſiſtentibus agat, nihil refert; nam ea cognitio eſt valde imperfecta, nimis craſsè res ſpirituales conſiderans:at logica docet ratiocinari, eſtque immediatum inſtrumentum naturali fœlicitati adipiſcendæ.

Logica inter ſubalternas nobiliſſima.

§.222. *Sexta concluſio. Metaphyſica qua ratione erat docenda ante cæteras.*

Dico ſextò. *Metaphyſica quoad conceptus entis in communi, & ſubſtantia, erat ante Phyſicam præmittenda:* tum quia cognitio partis præcedit cognitionem totius: tum quia Phyſica eſt mutila ſine ea Metaphyſicæ parte, quia non poteſt bene cognoſci ſubſtantia ſenſibilis: exiſtentia & ſubſiſtentia materiæ, ſine cognitione illarum rerum in communi: at vt agit de Deo & Angelis debet eſſe poſterior propter obiectorum dignitatem, & difficultatem. Quod ſi hunc ordinem non ſeruaui, id feci, ne præcedentium linguas in me commouerem, quia ſemper carpunt, quæ ipſi non fecere, non alia ratione niſi quia ipſi non fecere. Sat ſit, logicam methodum in ſuum antiquum vſum reuocaſſe.

DISPVTATIO II.

De Ente in commune.

HIc eſt vniuerſaliſſimus omnium conceptuum à quo ordienda diſputatio, ex Ariſtotelis præcepto in proœmio Phyſicorum.

SECTIO I.

Quis ſit conceptus entis?

§.1. *Ens vnde dicitur.*

NOn eſt mens de diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia de qua late diſput.8. ſed de ente vt ſic vel exiſtente,vel non exiſtente, vel ab vtroque abſtracto. Ens à Verbo ſubſtantiuo *ſum, es, fui*, ſignificat rem vel conceptum obiectiuum habentem eſſe.Sumitur primò,in vi participij: qua ſignificat rem entem actu ſiue actu exiſtentem; quia *eſſe* abſolutè ſumptum eſt idem ac *exiſtere*, ſiue *conſiſtere*, vt patet ex Tullio, vſuque communi. Quo ſenſu ſolus Deus eſt neceſſariò ens;& qui eſt:quo diſcrimine inter ipſum, & creaturas voluit ab Hæbreis cognoſci per Moſem Exod.3.14. *Ego ſum,qui ſum,* (vt exponunt ferè omnes) & quando creaturæ dicuntur non eſſe comparatione Dei: id eſt,non eſſe ens neceſſariò, ſicut Deus: at omnis creatura eſt ſimpliciter ens in vi participij, dum exiſtit extra ſuas cauſas,quæ verò non exiſtunt,non ſunt ens in hac ſignificatione: nec ſimpliciter ens: oſtendam enim diſp.8. ſect.1. ſola actu exiſtentia eſſe ſimpliciter ens. Secundò ſumitur in ſignificatione nominis pro re includente prædicata,quæ non repugnent, ſed potius poſſint exiſtere; ſiue habere eſſe, at in hac ſignificatione non ſignificatur ea prædicata actu exiſtere,vel non exiſtere: nihil ea ſignificatio curat vtrum res ſignificata, ſit exiſtens, vel non ſit? Sed tantum dicit poſſe eam exiſtere: vt potens videre non dicit viſionem aut eſſe, aut non eſſe,ſed poſſe eſſe.

Accipitur in vi participij pro re exiſtente.

Accipitur in vi nominis pro nõ repugnantia.

§.2. *Obiectio.*

Dices, ergo ens in alia ſignificatione ſumitur præter duas illas nominis,& participij: quia ens vt ſic eſt commune enti actuali:quod ſignificat participium, & enti in potentia, quod ſignificat nomen.Nego conſequentiam,quia ens in vi nominis complectitur & ens actu,& in potentia;vtrumque enim verè eſt ens nominaliter (ſit fas ita fari) nam ens in actu, habet quidem prædicata quæ poſſunt exiſtere: ſiquidem exiſtunt: & ens in potentia poteſt etiam exiſtere:ſi quidem eſt in aliqua potentia. Aduerte non eſſe idem, ens poſſe exiſtere, & eſſe in potentia: primum enim tantum ſignificat potentiam logicam,ſeu non repugnantiam exiſtendi: qualis conuenit Deo,& cuiuis rei vt exiſtenti:nam quod exiſtit non repugnat, ſed poteſt exiſtere, vnde *ab actu ad potentiam affirmatiuè valet conſequentia:* at eſſe in potentia ſignificat rem eſſe poſſibilem, ſed non actu exiſtentem. Nam vox *in potentia* opponitur voci *in actu:* illa ſignificat rem eſſe

Ens in vi nominis amplectitur exiſtẽtia & poſſibilia.

Poſſe exiſtere & eſſe in potentia differunt.

In potentia & in actu opponuntur cõtradictoriè.

Digitized by Google

eſſe in ſolis ſuis principijs: hæc in ſeipſa. Eſt itaque ens in actu, ens in potentia: & ens vt ſic, abſtractum ab ente in actu, & in potentia. Primum dicitur ens *participialiter*: alia duo *nominaliter*.

§. 3. *Vtrùm ens ſit vniuerſale enti in actu, & enti in potentia.*

Poteſt inquiri: vtrum ens vt ſic, ſit vniuerſale enti in actu, & in potentia: nam omnis ratio communis, eſt vniuerſalis: ſed ens vt ſic eſt commune, ergo vniuerſale. Vniuerſale capitur primùm pro re includente plura, quàm alia, v. g. centum eſt vniuerſalius, quàm decem, in qua ſignificatione vna potentia eſt vniuerſalior, quàm alia: quia ad plures ſe extendit effectus: & homines plurium facultatum gnaros, *vniuerſales* appellamus: ſic ens vt ſic eſt vniuerſalius, quàm ens in actu, vel ens in potentia: qua ſe ad vtraque extendit: immo ens in potentia eſt vniuerſalius, quàm ens in actu: quia plura Deus poteſt facere, & non faciet, quàm fecit: ens autem vt ſic eſt æquale enti in actu, & in potentia: quia non eſt tertium aliud genus entis. Secundò vniuerſale ſumitur logicè, & propriè pro conceptu communi pluribus inferioribus: ad quæ contrahitur per illorum differentias: ſic autem ens vt ſic eo, quod abſtrahat ab actuali, & potentiali, non eſt vniuerſale. Probatur apertè: Petrus ſecundũ ſe conſideratus abſtrahit ab actuali, & in potentia: quia non eſt neceſſum Petrum exiſtere, nec non exiſtere, quia vtrumque eſt contingens: ſed Petrus non eſt vniuerſale Petro actuali, & potentiali: igitur ens eo quod abſtrahit ab actuali, & potẽtiali non eſt vniuerſale: minor probatur: quia Petrus ſic conſideratus eſt ſingulare, vt patet ex terminis: ſingulare enim eſt, quod eſt vnum numero: Petrus autem quot ſunt numero? plures? An vnus? ergo non eſt vniuerſale.

Ens vt ſic nõ eſt vniuerſale Logice enti actuali, & in potentia. Argumentũ efficax.

§ 4. *Confirmatur.*

Cõfirmatur: quia idẽmet numero Petrus actualis erat in potentia; & qui nunc eſt in potẽtia fuit actualis: & idemmet Petrus ſecundum ſe eſt, qui ex parte obiecti eſt idẽ qui fuit actualis, & ex parte intellectus connotat confuſum actum, quo cognoſcitur, ſine actualitate & potentialitate, ergo in Petro nulla vniuerſalitas reperitur. Patet conſequentia: quia ſi eſſet vniuerſalis, non eſſet idẽ numero in inferioribus: homo enim non eſt idem numero in Petro, & in Paulo, ſed diſtinctus: immo nec homo vt ſic eſt idem numero cum Petro: ſed quid ſuperius. Vnde non acquieſco diuidentibus ens in actuale, & potentiale: vt vniuerſale in ſua inferiora. Non enim ſic diuiditur: ſed tanquam eadem res in diuerſos ſtatus. Petrus enim ſecundum ſe diuiditur in Petrum actualem, & potentialem, tamquam in duos ſtatus eidẽ indiuiſibili rei conuenientes. Vnde rationem à priori deſumo: quia vniuerſale eſt contrahibile per differentias pluriũ inferiorum: vt animal per irrationale, & rationale, homo per Petrum & Paulum: Petrus autem nõ ita diuiditur, nec eſt communis pluribus inferioribus: ſed eſt cõmunis pluribus eiuſdem Petri ſtatibus, vt materia eſt ſubiectum cõmune multiplici formæ.

Ens vt ſic nõ diuiditur in actuale & potentiale vt in inferiora, ſed vt in ſtatus oppoſitos. Ratio à priori.

§. 5. *Obuiam fit obiectioni.*

Dices primò, non valere conſequentiam à Petro ſecundum ſe ad Petrum actualem: aut potentialem, valet autem è contrario: quod eſt proprium rei vniuerſalis. Contra, quia ſi non valet, eſt, quia *à potentia ad actum affirmatiuè non valet conſequentia: valet autem ab actu ad potentiam*: at nõ tollitur conſequentia ex vniuerſalitate: nam eadem actualitas fuit in potentia, & quæ fuit in potentia eſt actualitas, & eadem à nobis concipitur, quando ab vtroque ſtatu præſcinditur.

§. 6. *Secunda obiectio.*

Dices ſecundò, non poſſe ens ab vtroque ſtatu præſcindi: quia nunquam reperitur niſi aut in actu, aut in potentia. Contra, quia nec animal reperitur niſi rationale, aut irrationale, & tamen ab vtroque præſcinditur. Ratio à priori, quia res poteſt in recto concipi ſine eo, quod non eſt de eius eſſentia: ſed exiſtere non eſt de eſſentia Petri, alioquin tam neceſſario exiſteret quàm Deus; nec eſt de eius eſſentia non exiſtere: alioquin tam impoſſibile eſſet eum exiſtere; quàm chymæram; ergo poteſt ab vtroque ſtatu præſcindi, de quo latè agitur diſputat. 8. quæ de eſſentia & exiſtentia inſtituitur. Maior eſt clara: quia res eſt tota eſſentia, quæ poteſt obiici intellectui, quin obiiciantur, quæ ſunt extra illam, vt in homine concipi poteſt animal rationale: quod ſi aliquando in obliquo connotatur aliquid, id non fit in recto tamquam pertinens ad eſſentiam, ſed tamquam connotatum; vt cũ actus vitalis concipitur connotando potentiam vitalem: & ſubſtantia connotando accidẽns.

Res poteſt in recto concipi ſine eo quod non eſt de eius eſſentia. Entis explicatio.

§. 7.

Aduerte ens ſecundum ſe, eſſe vniuerſale comparatum duobus entibus alteri exiſtenti, alteri non exiſtenti (in ſenſu explicando diſput. 8. ſect. vlt.) Id tamen non oritur ex potentialitate, aut actualitate: ſed quia cõparatur ad diuerſa: quibus eſt commune, vel vtriſque exiſtentibus, vel non exiſtentibus. Ego autem dico, ſolas differentias entis actualis, & potentialis non ſufficere ad rationem vniuerſalem nec primo, nec ſecundo modo.

§. 8. *Explicata quæſtio.*

Igitur de ente vt ſic nunc inquirimus eſſentiam: quæ, quia ſimpliciſſima eſt, & clariſſima, non poteſt commodius explicari: quàm ſi aſſeras, *ens eſt quod non repugnat exiſtere*. Quod percipitur ex eius oppoſito: chymæra enim eſt *obiectum in ſe includens duo prædicata, quæ repugnant exiſtere* quia vnum immediatè deſtruit aliud, exempli gratia, hominem eſſe leonem, aut habentem lucem eſſe tenebroſum: quia leo includit irrationalitatem, qua deſtruit rationalitatem, & hominem: tenebræ autem deſtruunt immediatè lucem: res igitur, quæ eiuſmodi prædicata non claudit, eſt ens, poteſtque exiſtere.

SECTIO II.

Vtrum vnus conceptus formalis terminetur ad ens?

§. 9. *Explicata quæſtio.*

HÆc quæſtio non intelligitur comparando ens ad duo entia ſecundum actualitatem vnius, & potentialitatem alterius: non enim inquiro nunc vtrum hominis cognitio poſſit terminari ad Petrum actualem, & Paulum potentialem? id enim quæretur 8. diſput. ſect. vltima. Nunc autem ſolum diſquiro vtrum ad ſubſtantiam & accidens ſecundum ſe conſiderata poſſit terminari vnus conceptus analogus? eadem autem eſt quæſtio vtrum à ſubſtantia & accidente exiſtentibus abſtrahi poſſit vnus conceptus? ſimiliter, & à poſſibilibus? Conceptus alter formalis, obiectiuus alter. Formalis eſt actus intellectus: quo obiectum exprimitur, & cognoſcitur: obiectiuus eſt res ipſa expreſſa, & cognita per formalem.

Conceptus formalis & obiectiuus.

§. 10. *Prima concluſio. Ens vt ſic terminat ad ſe vnum cõceptum formalem.*

Dico primò. *Vno conceptu formali poteſt cognoſci ens vt ſic, quin exprimatur ſubſtantia in particulari: nec accidens in particulari: ſed vtrumque confuſè.* Hanc concluſionem tuentur cum Scoto Scotici omnes, & non pauci recentiores nec ignobiles, nec indocti, opinantes ens vniuocè prædicari: eandem tuetur Pat. Suarez diſput. 2. huius operis ſect. 1. num. 9. & Fonſ. 4. met. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 5. initio, eſtque admodum communis contra Caiet. opuſc. de Analog. nominum. cap. 4. & 6 & alios paucos.

Scotus, & ſui. P. Suarez. P. Fonſeca. Caietanus.

Primùm

§. 11. *Primum argumentum.* Primùm probatur, quando quis concipit rationem entis vt ſic: ſi format duos conceptus, alter eſt clarus ſubſtantiæ, ſimiliter & alter clarus accidentis: alioquin quid concipit alter diſtinctum ab obiecto alterius? ſed quando cōcipimus ens vt ſic, non efformamus conceptum clarum ſubſtantię & accidentis; ergo non efformamus duos actus: probo minorem, tum experientia: concipimus enim intellectum humanum, quin concipiamus in illo conceptum clarum ſubſtantiæ, vel accidentis: nam poſtquam euidenter ſcimus homini eſſe intellectum, inquirimus ſit ne ſubſtantia vel accidens? & alij negant, & affirmant alij: ergo in illa clara cognitione repræſentatus fuit intellectus clarè ſub ratione entis, quin repræſentaretur clarè ſubſtantia vel accidens, alioquin poſt illam cognitionem claram intellectus, non magis dubitaretur eum eſſe ſubſtantiam, quam dubitamus eum eſſe ens. Immo nec meminimus ſubſtantiæ, nec accidentis.

§. 12. *Confirmatio.* Quod ita confirmo, quando eminus videmus hominem, & cognoſcimus clarè eum eſſe hominē: iam non dubitamus eum eſſe hominē: & tamen eſt locus dubitandi, ſit ne Petrus an Paulus: & licet aliunde Petrum, & Paulum nouerimus, tamen illa cognitio de homine locum dat huic quæſtioni: nō alia ratione, niſi quia ex vi illius non cognoſcitur in obiecto Paulus clarè, nec Petrus: ergo nec ex vi cōceptus de ente cognoſcitur clarè ſubſtantia, nec accidens: quia dat locum ſimili quæſtioni, Vtrum tale ens cognitum clarè ſub ratione entis, ſit ſubſtantia, an accidens? quod argumentum eſt euidentiſſimum: nec negari poteſt, niſi quia hinc timetur entis vniuocatio, quam rectè ait P. Suarez ſect. 3. potius admittendam fore, quàm negandam vnitatem entis. *P. Suarez.*

§. 13. *Secunda probatio minoris.* Secundò probatur minor propoſitio, ſæpe non concipi clarè ſubſtantiam, & accidens: nam ſimiliter cōciperentur omnia inferiora, quæ tranſcenduntur ſubſtantia & accidente: nam ſicut ens, quia tranſcendit ſubſtantiā & accidens, non poſſet vnico actu cognoſci, ſine ſubſtantia, & accidente, ita nec ſubſtantia poſſet cognoſci ſine ſubſtantia cōpleta, & incompleta; nec completa ſine Deo & Angelo: nec incompleta ſine materia, forma, vnione, & ſubſiſtentia. Nec accidēs ſine accidente abſoluto, & reſpectiuo: nec illud ſine quantitate, & qualitate, &c. Conſequens eſt planè abſurdum, ergo: maior probatur eadem ratione, qua tu vis ens non concipi ſine ſubſtantia, & accidente, quia tranſcendit. Quod ſi id ais propter analogiam, eadem eodem modo reperitur in ſubſtantia comparatione completæ, & incompletæ, & in accidente comparato quantitati, & qualitati.

§. 14. *Secundū Argumentum.* Secundo arguo: ens vt ſic (quamuis non prædicatur vniuoce) eſt vniuerſale, & ratio logicè communis ſubſtantiæ & accidenti, vt probaui diſp. 9. logicæ. ergo ens vt ſic cognoſcitur vno actu non repræſentante in particulari ſubſtantiam, & accidens. *Actus clarus de differētijs impedit vniuerſalitatē.* Probo conſequentiam quia obiectum cognitum duobus actibus in particulari ſecundum ſuas differentias non poteſt prædicari vt quid commune: quia duo actus clari circa duas differentias, illas in ſe diſtinguunt & (vt ita dicam) æquiuocant: nec dant vnitatem communem; quæ oritur ex actu confuſo non diſcernente differentias: ea enim ratione Deus nō facit vniuerſalia, quia penetrat omnes differentias, nec nos facimus hominem vniuerſalem per vnum, vel plures actus, quibus concipimus clarè Petrum & Paulum. *Vniuerſale cur non fiat à Deo.* Ratio à priori, quia tunc re, & ratione ſunt omnino plura obiecta, & nullo modo vnum, licèt eodem actu noſcantur (vt dicam diſput. 6.)

§. 15. *Vltimū Argumentum.* Tandem ſpecie diſtinguuntur actus, quo concipio ens vt ſic ab actu, quo clarè cōcipio accidens, & quo concipio ſubſtantiam, & ab vtraque ſimul, ergo eſt vnus actus: de conſequentia non dubium, quia ſi non eſſet ab vtroque diſtinctus nō differret ab vtroque. Duæ primæ antecedentis partes etiam liquent. Tertia probatur, quia actus quo concipio ens vt ſic, illud facit prædicabile prædicatione formali, & non idemtica: actus autem, quo cōcipiuntur ſubſtantia, & accidens, non faciunt ens prædicabile formaliter, ſed idemticè: ergo differunt illi actus. Antecedens patet, quo ad primam partem, quia hæc prædicatio *ſubſtantia eſt ens*, nō eſt idemtica ſicut hæc, *Petrus eſt Petrus.* Secunda pars probatur, quia ſi ens conciperetur & cōceptu proprio ſubſtantiæ, & alio accidentis: vtrumque obiectum nō prædicaretur de ſubſtantia, eſſet enim falſa propoſitio hæc: *ſubſtantia eſt ens*, quia haberet hunc ſenſum, *ſubſtantia eſt ſubſtantia, & accidens*, ergo tantum prædicaretur ſubſtantia cognita in ratione ſubſtātiæ, ergo hæc propoſitio *ſubſtantia eſt ens*, eſſet idētica: patet conſequentia, quia propoſitio idemtica eſt, qua ſubiectum, & prædicatum & ſunt realiter idem, & eodem modo noſcuntur: *vt Petrus eſt Petrus*, vel *hic homo*, ſed in hac prædicatione *ſubſtantia eſt ens*, ſubiectum, & prædicatū ſunt idem (vt patet) & concipiuntur eodem modo, ergo eſt idemtica: probo minorem quia ly *ens* per te eſt ſubſtantia clarè cognita vt ſubſtantia, quæ in ſubiecto eodem modo concipitur, ergo ſubiectum, & prædicatum eius propoſitionis *ſubſtantia eſt ens*, eodem prorſus modo concipiuntur.

§. 16. *Obiectio.* Dices quantum ad rem prædicatam eſſe idem prædicatum cum ſubiecto, non tamen quantū ad modum prædicandi (vt aiunt dialectici.) Contra, modus prædicandi eſt etiā idem, quia modus concipiendi prædicatum eſt per te idem cum modo concipiendi ſubiectum, quia vtrumque eſt ens cognitum clarè vt ſubſtantia; dialectici autem loquuntur de prædicato cognito diuerſo modo, ac ſubiectum: vt in hac enunciatione, *Petrus eſt homo:* prædicatum enim concipitur vniuerſalius, quàm Petrus, & non in particulari. Quapropter idē homo prædicatur de Paulo quantum ad modū: quod repugnaret ſi homo ſupponeret quantum ad modum pro ſolo Petro cognito in particulari. Ergo ſi ens ex parte ſubiecti eſt ſubſtantia clarè cognita: ſimiliter & ex parte prædicati, prædicatio erit idemtica: ergo vt ſit formalis, opus eſt, vt ens ſignificet eam confusè cum accidente, vt homo ſignificat Petrum confusè cum Paulo.

§. 17. *P. Fonſeca doctrina.* Pat. Fonſeca negotium nobis faceſſit in explicandis, & tuendis conceptibus formalibus. Quia lib. 4. c. 2. q. 2. ſect. 3. fine, duas diſtinguit conceptus formalis vnitates, alteram re: qua vnus conceptus eſt in ſe realiter vnus, diſtinctus atque præciſus à quouis alio conceptu formali, vt cognitio de ſubſtantia eſt realiter vna; & diſtincta à cognitione de accidente: alteram vnitatem ait eſſe ratione; qua videlicet in ratione conceptus præciſi nihil includitur cōceptuum particularium, à quibus præſcinditur: quo pacto ait conceptum formalem, & obiectiuum hominis eſſe vnum; quia nec homo includitur in ratione Petri, nec Petrus in ratione hominis: nec in ratione cognitionis de Petro includitur repræſentatio hominis, nec è conuerſo. Atque hic conceptus vocatur ſimpliciter præciſus, & & abſtractus. Vnde concl. 5. ſect. etiam 5. ait cōceptum formalem entis eſſe vnū re, nō verò ratione.

Item

Item ſect. 3. ait eſſe conceptum formalé entis partim diſtinctum, partim confuſum: quando vna differentia entis repræſentatur claré, & diſtinctè: cæteræ verò confuſè & indeterminatè: vt cum ſubſtantia cognoſcitur, cognoſcitur quidem determinatè, ſumma verò genera accidentium repræſentantur confuſè.

§. 18. *Secunda concluſio.* P. Fonſeca. Dico ſecundò. *Conceptus formalis de ente eſt vnus etiam ratione.* Probatur ex definitione Pat. Fonſecæ: (illius enim eſt, nec credo alius autoris) nam in ratione eſſentiali conceptus formalis de ente non includitur aliquid conceptuum particularium de ſubſtantia & accidente: ergo eſt vnus ratione ab illis præciſus. Probo antecedens, quia conceptus formales de ſubſtantia, & accidente, nec componunt conceptum formalem de ente, nec opus eſt vt exiſtant eo exiſtente; immo tota eſſentia eius conceptus poteſt claré, & adæquatè cognoſci, quin cognoſcantur conceptus formales de ſubſtantia, & accidente: ſi quis enim cognoſcat, etiam quidditatiuè, actum quo ego concipio ens vt ſic, non eſt opus, vt concipiat actus, quibus ego cognoſco ſubſtantiam, & accidens. *Confirmatur.* Confirmatur, actus circa ens vt ſic, eſt confuſus ſubſtantiæ & accidentis: & actus circa ſubſtantiam & accidens ſunt clari circa eadem obiecta: ſed actus clari non poſſunt eſſe de ratione actus confuſi, ergo actus circa ſubſtantiam, & accidens nõ ſunt de ratione actus circa ens vt ſic. Nec verò ſatis explanat Pat. Fonſeca quid velit ſignificare illa incluſione rationis vnius actus in alio.

§. 19. *Impugnatur adhuc.* Nam incluſio per compoſitionem iam eſt excluſa. §. 18. ſi autem velit, obiectum actus circa ens includi in accidẽte, & obiectum actus circa accidens includi in ente. Contra primò, quia accidens formaliter non continetur in ente vt ſic: neque eſt de illius ratione, magis quàm Petrus eſt de ratione hominis; alioquin omne ens eſſet formaliter accidens. Secundò, quia id non tam eſſet vnum conceptum formalem eſſe de ratione alterius, quàm obiectum vnius eſſe de ratione alterius: quod non ſufficit ad tollendam abſolutam vnitatem conceptui formali. Nam homo includitur formaliter in Petro, & tamen conceptus formalis circa hominem eſt vnus re, & ratione præciſus à conceptu formali circa Petrum. Item Fides & viſio Dei ſunt duo actus re & ratione diſtincti: cum in obiecto Fidei claudatur aliquid de obiecto viſionis.

§. 20. *Obiectio.* P. Fonſeca. Obijcit Pater Fonſeca, ens vt ſic non eſſe ſimpliciter vnum conceptum obiectiuum: ergo neque habet vnum formalem: quia vnitas cognitionis penſatur ex vnitate obiecti. Contra; melius argumentaretur, conceptus formalis eſt vnus confuſus: ergo obiectiuus etiam eſt vnus: quia obiectum eſt vnum formaliter per vnitatem actus confuſi: non verò actus vnus per vnitatẽ obiecti: deinde omiſſo antecedenti, nego conſequentiam: nam plura vt aliquo modo ſimilia, cognoſcuntur vno actu.

§. 21. *Tertia concluſio.* P. Fonſeca. P. Suarez. Dico tertiò. *Nullus datur conceptus entis repræſentans claré ſubſtantiam; accidentium autem ſumma genera confuſè.* Contra Pat. Fonſec. adductum. §. 17. ſed eſt Pat. Suarez diſp. 2. ſect. 1. num. 5. Probatur primò, quia ſubſtantia poteſt in recto ſignificari, accidentia verò in obliquo tamquam terminus cõnotatus, vt cum concipitur actus vitalis, tunc connotatur obiectum eiuſdem actus: hæc autem ſignificatio eſt perinutilis noſtro inſtituto: quia etiam in cognitione accidentis connotatur ſubſtantia in obliquo: quia ſicut ſubſtantia cognoſcitur in ordine ad accidens; ita accidens in ordine ad ſubſtantiam. Deinde hoc non requiritur ad conceptum ſubſtantiæ vt ſic, quia nec ad conceptum ſubſtantiæ diuinæ, quæ nulla connotat accidentia; neque Angelicæ, quæ non connotat quantitatem: quæ quidem ea accidentia connotarent, ſi ea connotaret ſubſtantia vt ſic.

Deinde non poſſet prædicari hoc ens de accidente: quia eſſet prædicatio ſubſtantiæ de accidente: nam prædicaretur id quod ponitur in recto: ſed in recto ponitur ſubſtantia: ergo prædicaretur ſubſtantia de accidente. Vel per illum conceptum ſignificantur in recto tam ſubſtãtia, quàm accidentia: ſed ſubſtantia claré, accidentia verò confuſè. At neque hoc poteſt cõtingere, quia conceptus confuſus repræſentans plura obiecta confuſè, repræſentat claré aliquam rationem communem, in qua conueniunt: ſed ille actus nullam repræſentat rationem communem entis, in qua conueniant accidentia: ergo illa non repræſentat confuſè. Maior patet, quia conceptus confuſus plurium terminatur ad aliquam rationem repertam in ipſis pluribus: alioquin non eſſet illorum cognitio: non tamen terminatur ad rationes particulares in particulari, quia iam conceptus eſſet clarus non confuſus. §. 22.

Supereſt ergo vt terminetur ad rationem communem. Probo autem minorem, hoc nempe contingere non poſſe; quia illa ratio communis deberet eſſe accidentalis: quia eſſet ratio non complectens ſubſtantiam, quæ ponitur à Pat. Fonſeca, claré cognoſci ſecũdum rationem communẽ ſubſtantiæ: ſed illa ratio ſic cognita, non eſt conceptus confuſus entis, ſed clarus & diſtinctus accidentis, ſicut & ſubſtantiæ: ergo. Probo minorem quia cognoſcere ens vt diſtinctum à ſubſtantia, eſt claré cognoſcere accidens. §. 23.

Adde illum conceptum tam clarum eſſe accidentis vt ſic, quàm ſubſtantiæ, etiam vt ſic: item tam confuſum eſſe ſubſtantiæ in particulari, quàm accidentis in particulari: item per illum actũ non conſtitui ens prædicabile nec de ſubſtantia nec de accidente, quia vtrumque cognoſcitur claré, quod repugnare prædicationi vniuerſali probaui à §. 15. Item eſt valde dubium, vtrum vnico actu cognoſci poſſint æquè primo & in recto ſubſtãtia & accidens? ſed quando id fieri poſſe fateamur, nihil refert ad vnitatem conceptus formalis, quam inquirimus, quæ non eſt vnitas æquiuoca, ſicut ſi Petrus & Paulus cognoſcantur in particulari eodem actu: ſed vnitas actus confuſè repræſentantis obiecta. §. 24.

SECTIO III.

Vtrum ens vt ſic habeat conceptum obiectiuè vnum?

IN Logica diſput. 9. ſect. 4. hanc quæſtionem propoſui, Logicæ breuitati conſulens: quæ ibi præſtricta ſunt, ſunt in præſenti vberiùs explananda: ſunt enim metaphyſici aptiores intricatioribus nodis claré ſoluendis, quàm logici: qui nedum extremis labijs philoſophiam attigere. §. 25.

SVBSECTIO I.

Partem affirmantem ſequor.

DIco, *Ens vt ſic ex parte obiecti gaudere conceptu obiectiuè vno; non minùs quàm animal vt ſic eſt vnum.* Quam ſententiam apertè amplectitur Scotus §. 26.

tus in 1.diſt.3.q.2. verſic. *ad quæſt.igitur:* quia cum aſſerat ens vniuocè prædicari de ſubſtantia & accidenti, de Deo & creaturis, neceſſariò illi adſcribet vnitatem obiectiuam: *vniuoca* (enim) *ſunt quorum nomen eſt commune, & ſecundum nomen ratio ſubſtantiæ eſt eadem.* Scotum cæteruatim ſequûtur Scotici. Præter quos huic concluſioni ſubſcribunt recentiores complurimi cum P.Suarez diſp.2.ſect.2. num 5. pro qua B. Thom. adducit, explicatu non difficilem. Sanctus tamen Doctor in primum q.1. prologi art. 2.ad 2. à nobis eſt (quidquid obſtrepant Thomiſtæ:) ait enim *aut ex eo quod aliqua participant aliquid vnum ſecundum prius & poſterius,ſicut ſubſtantia & accidens:*quibus in exemplum adducit vnitatem entis comparati ſubſtantiæ & accidenti, vt probet vnam ſpeciem vnitatis.Item in ſecūdum diſt.1.q.1. art.1. corp. *Cum natura entitatis*(inquit) *ſit eiuſdem rationis in omnibus ſecundum analogiam.* Vnde concludo entitatem vt ſic eſſe obiectiuè vnam, alioquin non eſſet in inferioribus eiuſdem rationis: quia in illis reduplicatiuè non eſt eadem ratio ſed diuerſa: eſt autem eadem, quia imbibitur ibi ratio communis, quæ propter vnitatem eſt eadem in inferioribus. Quod autem dixit *ſecundum analogiam,*non obeſt vnitati, quia admittimus ens analogum eſſe,item & obiectiuè vnum.

§.27. Probationi præmitto doctrinam vberius probandam diſp.5. ſect.10. nempe conceptum formalem & vniuerſalem,quamuis in ſe vnus ſit,non tamen habere aliquod obiectum vnum, cuius vnitas ex parte obiecti reſpondeat cognitioni vniuerſali: ſed præcisè obiectum dici vnum, quia actus vniuerſalis terminatur immediatè ad plura indiuidua cognita vt ſimilia quin clarè cognoſcat aliquid per quod poſſit vnum ſingulare ab aliis diſparari. Exempli gratia,homo vt ſic ex parte obiecti includit immediatè Petrum, Paulum & cæteros indiuiduos homines: neque verò conceptui de homine vt ſic proponitur aliquis conceptus obiectiuus diſtinctus ex parte obiecti ab omnibus indiuiduis: ſed hæc omnia immediatè cognoſcuntur per illum actum cum aliquibus accidentibus, vel connotatis extrinſecis,in quibus omnes homines ſunt ſimiles; & ſine aliis in quibus ſunt diſſimiles.

§.28. Hinc probatur apertè concluſio: quia à §. 2. conſtat ens vt ſic cognoſci vno conceptu formali, confusè repræſentante inferiora entis:ergo ab illo actu ens dicitur vnum, ſicut animal ab actu non penetrante differentias animalium. Quam conſequentiam docere videtur S.Thom.q.1. de veritate, art.1. *Secundum hoc* (inquit) *aliqua dicuntur addere ſupra ens,in quantum exprimunt ipſum modum,qui nomine entis non exprimitur.* Itaque conceptus entis vt ſic non exprimit perſeitatem, aut inhærentiam, quam exprimunt ſubſtantia & accidens. Eandem conſequentiam probabo diſp.5. ſect.7. & 10. quia non alia ratione obiecta dicuntur vna, & habere conceptum obiectiuè vnum, niſi vt terminant ad ſe vnum actum ea clarè repræſentantem cum aliquibus connotatis ſimilibus,& ſine aliis diſſimilibus. Antecedens autem probatum eſt tota ſect.2.

§.29. Secundò probatur,quia tam abſtraho ens à ſubſtantia & accidente, quàm hominem à Petro & Paulo:quia cognoſco tam clarè ens nō penetrando ſubſtantiam aut accidens, quàm concipio hominem non penetrando Petrum & Paulum. Dicunt in conceptu hominis non contineri actu & immediatè Petrum & Paulum;ſed in potentia:at in conceptu entis contineri immediatè ſubſtātiam & accidens actu & formaliter. Contra,contineri immediatè & actu,eſt clarè concipi:contineri in potentia eſt concipi confusè: quia poteſt clarè cognoſci: ſed tam inferiora hominis cognoſcuntur confusè, quàm inferiora entis:ergo eodem modo continentur omnia. Antecedens eſt B.Thom.Quam doctrinam docet apertè opuſc. 55. poſt med. his verbis, *ſicut ſunt genera vniuerſaliora & in potentia & genera confuſa, quia vniuerſalia continent in ſe ſua inferiora in potentia: & qui ſcit aliquid in vniuerſali, ſcit illud indiſtinctè,tunc diſtinguitur eius cognitio,quando vnumquodque eorum, &c. ſemi-actu cognoſcuntur.* Itaque contineri in potentia eſt confusè cognoſci: contineri actu eſt clarè cognoſci. Cum ergo in ſententia quam propoſui §.27.idem ſit vno actu cognoſci confusè omnia inferiora, & illa omnia eſſe vnum logicè,concluditur apertè conceptum obiectiuum entis tam eſſe vnum quàm animalis.

Quam doctrinam etiam arbitror veram in ſententia conſtituente præciſionem obiectiuam plurium formalitatum.Hæc ſententia admittit in conceptu animalis vt ſic, verbi gratia, præſcindi ex parte obiecti formalitatem animalis à formalitate rationalis:ita vt conceptus formalis terminatus ad animal vt ſic attingat quidem materialiter rationalitatem, quia animalitatem attingit quæ eſt eadem materia cum rationalitate, ſiue eſt à parte rei idem cum illa:at verò clarè & expreſsè non repræſentat conceptus formalis rationalitatem, ſed ſolam animalitatem. Itaque animalitati & rationalitati ſecundum illas duas formalitates conueniunt denominatio realis extrinſeca *cogniti clarè*,& carentia eiuſdem denominationis. Animalitas enim cognoſcitur clarè & expreſsè; rationalitas verò non ita cognoſcitur. De quo agendum latè diſput.5. ſect.10.& vberiùs diſput.6.ſect.4. §.30.

Sic igitur argumentor: enti vt ſic,& ſubſtantiæ & accidenti non poſſunt conuenire ſimul denominatio realis & eius carentia niſi ens & accidens habeant duas formalitates obiectiuas,quæ ex parte obiecti ſint diſtinctæ fundamentaliter, & formaliter ex parte intellectus. Alioquin eidem obiecto ſecundum eandem omnino rationem conuenirent duo prædicata contradicentia mutuo:etenim eadem vna formalitas obiectiua eſſet ſimul & non eſſet cognita clarè. Sed enti vt ſic & eius differentiis conueniunt hæc prædicata oppoſita priuatiuè, ergo ens & eius differentiæ ſunt duæ formalitates obiectiuæ.Probo minorem:quia quando ego concipio ens vt ſic vt eſt commune ſubſtantiæ & accidenti, concipio clarè & diſtinctè conceptum obiectiuum entis;non tamen concipio clarè & diſtinctè conceptum ſubſtantiæ aut accidentis: ergo conceptus obiectiuus entis vt ſic & eius differentiæ habent ſimul duo prædicata oppoſita priuatiuè. Antecedens patet, tum ab abſurdo,quia eadem ratione deberemus concipere clarè & diſtinctè omnia indiuidua realia,quæ tranſcendit ens: quia Deus, Petrus, albedo, hæc tam imbibunt conceptum entis quàm ſubſtantia & accidens, & quàm decem prædicamenta: vt ergo propter hanc tranſcendentiam eſſent neceſſariò cognoſcenda decem prædicamenta clarè atque diſtinctè, ita eadem ratione eſſent cognoſcenda indiuidua omnia: tum etiam, quia ridiculum eſt arbitrari conceptu entis vt ſic tam clarè & explicitè cognoſci ſubſtantiam, quantitatem, actionem, &c. quàm cognoſcitur aptitudo ad exiſtendum realiter. Quod quidem argumentum contra P. Vazquez & alios admittentes præciſiones obiectiuas in animali & rationali, probat euidenter eaſdem eſſe admittendas in ente & eius differentiis. Vide plura argumenta apud P.Suarez adductum §.26. §.31.

§. 32. *Impugnãtur diuerſi modi.* Secundò probatur idem antecedens, quia ſi non abſtrahitur vna ratio, ergo immediatè ſignificantur plura, quod eſſe nequit. Nam, vel ſignificantur ſubſtantia, & accidens aceruatim; quod repugnat huic prædicationi; *ſubſtantia eſt ens*, eſſet enim falſa, quia ſubſtantia non eſt *ſubſtantia accidens*, eſſet enim ea ſtulta prædicatio, ac ſi diceres, *Deus eſt ens increatum creatum.* Nec ſignificantur copulatim propter eamdem rationem: hæc enim prædicatio, *ſubſtantia eſt ens*, haberet hunc ſenſum, *ſubſtantia eſt ſubſtantia, & accidens*; nec haberet ſenſum diſiunctum, vt vult Soncinas, efficeret enim hunc ſenſum *ſubſtantia eſt ſubſtantia, vel accidens*, quod licet verum ſit in mea ſententia, non tamen in Soncinatis; nam iuxta illum, hæc propoſitio, *Petrus eſt homo*, diuerſa eſt ab hac, *Petrus eſt aliquis homo*, quia illa eſt ſpeciei de indiuiduo, hæc verò indiuidui vagi, de indiuiduo; quas Soncinas diſtinguit; alioquin recideret in ſententiam Nominalium; ergo ſimiliter hæc propoſitio, *ſubſtantia eſt ens*, differt ab hac, *ſubſtantia eſt aliquod ens*: nam ſicut homo, & aliquis homo, habent deſcenſus abſimiles, ita ens & aliquod ens, vel certè ſi ſemel Soncinas admittit ſufficere ad prædicationem vniuerſalem, eſſe de indiuiduo, ferè dat manus Nominalibus, id aſſerentibus de omni prædicatione vniuerſali.

Soncinas relabitur in ſẽtentiam Nominalium.

SVBSECTIO II.

Oppoſitam ſententiam impugno.

§. 33. NOn poſſe præſcindi conceptum entis à ſuis inferioribus docent cum Caietano cap. 4. & 6. de analogia nominum P. Vazquez 1. p. diſput. 22. num 6. & diſp. 114. num. 5. & 6. P. Fonſeca 2. metaph. cap. 2. quæſt. 2. ſect. 4. concluſ. 2. aliique neoterici præſertim Thomiſtici. Qui non ineunt vnam viam vt conſtat ex quæſt. 2. quos ſufficienter arbitror impugnatos §. 28. & ſect. 2. item diſput. 9. Logicæ ſect. 4. quorum argumentis reſpondebo in parte ponens quæ dixi ea ſect. 4. ſubſect. 2. & 3.

§. 34. Arguunt primò, non poſſe abſtrahi conceptum vnum ab analogis proportionalitatis: ſed inferiora entis habent eam proportionalitatem in ratione entis: ergo non poteſt ab illis abſtrahi ratio entis. Maior probatur, quia debet in inferioribus conſiderari ratio, in qua habẽt eam proportionalitatem. Reſpondeo diſtincta maiori, fateor enim non poſſe abſtrahi conceptum analogum qui propriè reperitur in vno analogato, in cæteris autem metaphoricè: quia à prato & homine ridentibus riſus non abſtrahitur: quia riſus non reperitur in prato: quod ridere dicitur per tropum metaphoram, quia cum homo hilareſcit, geſtat os plenum riſu; ſic pratum amænitatem oſtentans ridere dicitur & luxuriari. Hæc autem analoga ratio non poteſt concipi conceptis confuſè analogatis, ſed conceptis in ſingulari riſu hominis pratique amænitate: quo differt ab entis analogia: in quo concipimus rationem communem cum conceptu confuſo inferiorum.

§. 35. At verò analoga in quibus ratio analoga eſt intrinſeca, habent propriam rationem entis, verbi gratia, contractam per differentiam propriam: & quamuis vna differentia dicat ordinem ad aliam, in ſe tamen eſt abſolutè talis. Exempli gratia ſit ens vt ſic analogum comparatum ſubſtantiæ & accidenti: ens quidem diuerſum habet conceptum in ſubſtantia ac in accidente; quamuis accidens dicit ordinem tranſcendentalem ad ſubſtantiam: rationem tamen entis non habet tranſlatitiè per ſimilitudinem ſubſtantiæ, ſed intrinſecè habet diuerſam entitatem diſtinctam ab entitate ſubſtantiæ. Oppoſitum contingit prato ridenti quod non contrahit riſum vt ſic, ſed eius amænitas appellatur riſus vt concipitur cum aliqua tranſlatione ad verum riſum. Et quemadmodum analogia proportionalitatis impropriè non præbet fundamentum ad abſtrahendam vnam rationem communem, ita neque vt concipiantur analoga confuſè quemadmodum omnia entia cognoſcuntur: quia non poteſt intelligi metaphora niſi clarè concipiantur extrema per metaphoram comparata. Et quemadmodum in hoc differunt hæ analogiæ, ita differunt in præbendo & non prębendo fundamento abſtrahendi vnũ conceptum communem. Ratio à priori, quia in inferioribus ille conceptus communis eſt realiter diſtinctus, in quo ſunt ſimilia; habétque differentiam in qua ſunt diſſimilia: quod fundamentum ſufficit ad concipiendam rationem communem ſine differentiis.

Secundum argumentum, quia ens non poteſt eſſe extra conceptum ſubſtantiæ & accidentis: ergo non poteſt ab illis præſcindi, ſed illa neceſſariò includit immediatè. Conſequentia patet, quia omne quod præſcinditur ab alio eſt extra illud, quia abſtractio eſt quædam ſeparatio rationis. Antecedens probo, quia ſubſtantia conceptu ſuo proprio imbibit ens; quod etiã imbibitur in accidente vt accidẽs eſt: ergo ens non eſt extra accidens & ſubſtantiam. Confirmatur primò, implicat aliquid præſcindi ratione ab eo cui manet coniunctum ratione: ſed ens manet ſemper coniunctum ratione ſubſtantiæ & accidenti: ergo. Minor patet, quia quantumcumque concipiatur ens & à te dicatur præſcindi, adhuc manet in differentiis à quibus præſcinditur. Maior patet ex terminis, coniunctio enim & ſeparatio habent terminos oppoſitos, non aliter ac coniunctio realis & ſeparatio realis. Cõfirmatur ſecundò, quia non poteſt præſcindi ens ab ente, quia non poteſt manere ratio entis ſi pręſcinditur: maneret enim & non maneret: non maneret, quia abſtrahitur; maneret autem, quia differentia eſt formaliter ens, prædicatúmque idem quod abſtrahitur. Quo differt ens ab animali, quod animal non manet in differentiis: rationale enim non imbibit conceptum animalis. §. 36.

Hoc argumentum nullam habet vim contra meam ſententiam propoſitam §. 27. Etenim nec in vniuocis, nec in analogis, neque in ente, nec in animali cognitio vniuerſalis logicè præſcindit duas formalitates obiectiuas; ſed immediatè fertur & confuſè in omnia ſingularia, non verò in rationem aliquam obiectiuè vnam atque communem. Vnde ad argumentum concedo totum primum enthymema: ens enim obiectiuè nõ poteſt eſſe extra ſubſtantiam & accidens, nec extra Petrum & hanc albedinem; neque poteſt ab illis obiectiuè pręſcindi. Quod contingit etiam animali: quod obiectiuè nec eſt ens rationale, nec ab illo præſcinditur obiectiuè. Eſt tamen diſcrimen inter animal & ens non quidem in præciſione aut non præciſione obiectiua, ſed in actibus ipſis vniuerſalibus: qui dum concipiunt accidens, illud quidem concipiunt connotando eadem extrinſeca aut intrinſeca quæ connotantur conceptu entis: dum tamen concipiunt rationale non connotant ſenſiones quas connotat cognitio clara animalis. §. 37.

Ad primam cõfirmationem concedo maiorem, non ſolum in tranſcendentibus, ſed etiam in non tranſcendentibus: implicat enim vniuerſim cogitatione præſcindi vnam formalitatem obiectiuam ab §. 38.

ab alia quæ eſt idem realiter cum illa. Ad ſecundam confirmationem dico, conceptu terminato ad ens nullo modo præſcindi ens obiectiuè ab ente, ſed omnia entia immediatè cognoſci. Eſt tamen cognitio entis vt ſic diſtincta à cognitione ſubſtantiæ in particulari: quia hæc terminatur ad ſolam ſubſtantiam in recto & non ad accidens; illa verò ad vtrumque ſimul in recto. Itaque vtraque terminatur ad ens: diuerſo tamen modo.

§. 39. Quia verò diſp. 9. Logicæ ſect. 4. ſubſect. 1. dixi eſſe eandem rationem in ſententia non admittente præciſiones obiectiuas (quod attinet ad vniuocationem aut analogiam:) & quia etiam arbitror in ente reperiri idem fundamentum ad illud abſtrahendum à ſuis inferioribus, quod reperitur in animali: ideo admiſſa ſententia obiectiuè præſcindẽte animal à rationali quam propoſui §. 30. placet in ea etiam reſpondere. Ad argumentum ergo in §. 36. nego conſequentiam: non enim erat inferendum non poſſe ens abſtrahi ab accidente, ſed non poſſe accidẽs abſtrahi ab ente. Sunt enim hæc admodum diuerſa. Ens enim omnium ſententia aliter continet inhærentiã ac inhærentia continet ens. Etenim ens continet inhærentiã confuſè, ità vt poſſit clarè concipi ens quin clarè concipiatur inhærentia: quæ non eſt de conceptu quidditatiuo entis vt ſic: alioquin omne ens eſſet inhærentia, ſicut omne animal eſt viuens, quia viuens eſt de conceptu animalis vt ſic. Inhærentia verò continet ens clarè & explicitè vt conceptum ſibi quidditatiuum: ergo reperitur hoc diſcrimen. Sic reperitur inhærentiam eſſe extra ens, quamuis ens non eſt extra inhærentiam. Itaque conceptus quidditatiuus entis non includit inhærentiam; inhærentiæ verò conceptus quidditatiuus includit ens. Vt ergo ens non eſt extra conceptum quidditatiuũ inhærentiæ; inhærentia verò eſt extra conceptũ quidditatiuũ entis; ſic nõ poteſt præſcindi inhærentia ab ente; poteſt autẽ ens ab inhærẽtia.

§. 40. Ad probationem conſequentiæ in eo §. 36. nego omne præciſum ab alio eſſe extra illud: quemadmodum ens in ſua quidditate non includit clarè & diſtinctè inhærentiam; inhærentia verò includit quidditatiuè ens. Requiritur ergo ad præciſionem per intellectũ vt inferiora à quibus ratio cõmunis præſcinditur, non ſint de quidditatiuo illius conceptu. Præciſè enim quod ſint extra cõceptum rationis communis, poteſt hæc clarè cognoſci quin inferiora: quod in hac ſententia eſt illam præſcindere.

§. 41. Ad primam confirmationẽ in eodem §. 36. nego minorem. Ad probationem reſpõdeo, ens in conceptu illo præciſo non manere ratione coniunctum inhærẽtiæ: quemadmodũ conceptus quidditatiuus entis cognoſcitur clarè quin inhærentia: vnde iam in conceptu claro præſcinditur. Non poſſe concipi inhærentiã quin clarè concipiatur ens, probat quidem inhærentiam ſemper eſſe enti ratione coniunctam: quia ens eſt de illius quidditate: quia verò inhærentia non eſt de quidditate entis, ideo hoc ab illa ſeparatur. Ad ſecũdam cõfirmationẽ diſtinguo antecedens; non poteſt præſcindi ens ab ente non includente aliquid quod ſit extra conceptum quidditatiuum entis abſtracti, concedo antecedẽs: nego tamen non poſſe præſcindi ens ab ente, quod non eſt de eius quidditate. Ratio à priori, quia ens quod remanet, nempe inhærentia non eſt de quidditate entis vt ſic, vt probaui §. 39. ergo poterit clarè concipi quidditas entis quin clarè concipiatur inhærentiæ. Ad probationem reſpondeo ens quod abſtrahitur in eo ſtatu abſtractionis non manere in inhærentia, quæ tunc non concipitur: quare tunc inhærentia non componitur actu ratione noſtra ex ente vt ſic & inhærentia: vnde non ſequuntur illa prædicata contradictoria. Cum verò concipitur inhærẽtia, tunc in illa imbibitur ens. Vel dicito (quod eſt idem) ens manere quidẽm in inhærentia; inhærẽtia verò non manet in ente. Ratio eſt, quia quãdo ens dicitur manere in inhærẽtia, iam fit collatio ad conceptum inhærentiæ vt eſt modus contractiuus entis: ſine ente autẽ non poſſunt cõcipi eius modi. Quando verò dicitur non manere inhærentia in ente, fit comparatio ad ens in ſua vniuerſalitate.

Vt autem hæc percipiantur apertiùs, eſt conſiderandum diſcrimen inter diſtinctionem realem atq; rationis. Illa neceſſariò eſt adæquata inter aliqua duo extrema. Quãuis enim materia non diſtinguitur ab homine adæquatè, diſtinguitur tamen à forma & vnione, ratione quarum diſtinguitur inadæquatè à compoſito. Ratio à priori, quia diſtinctio realis dicit realem negationem vnius extremi cum alio; identitas verò realis tollit eam negationem, quia dicit ea duo extrema eſſe vnum re ipſa. Diſtinctio verò rationis non comparatur hoc modo: poteſt enim eſſe inadæquata: quia hæc diſtinctio tantum eſt per intellectum concipientem vnam formalitatem ſine alia: ex quo nõ ſequitur aliam quoque eſſe concipiendã ſine illa. Fundamentum enim huius conceptionis eſt incluſio quidditatiua vnius formalitatis in alia: poteſt autẽ eſſe incluſio vnius in alia & non econtra. Quod patet euidenter: quia quidditas inhærentiæ non includitur in quidditate entis vt ſic: ens autem vt ſic includitur in quidditate inhærentiæ. Huic igitur incluſioni quidditatum non mutuæ innititur non mutua diſtinctio & ſeparatio rationis. Abs re igitur in ſecunda confirmatione petitur argumentum à reali diſtinctione ad rationis. Animal autem & rationale mutuo diſtinguuntur, quia neutrius quidditas eſt de quidditate alterius. §. 42.

Tertium argumentum, ſapientia vt ſic, ſic ſe habet ad creatam & increatã ſicut ens ad ſubſtantiam & accidens. Sed ſapientia non præſcinditur obiectiuè à creata & increata: ergo neque ens à ſubſtantia & accidente. Probo minorem, quia ſapientia vt ſic includit actualiter & intrinſecè rationem ſibi ſuperiorem & eſſentialem, & differẽtiam per quam illam contrahit: ſed ratio ſuperior eſt ens creatum & increatum, non verò aliquid ab vtroque obiectiuè præciſum: ergo. Minor probatur: quia ens ſuperius mediatum ad ſapientiam vt ſic, deſcendit nullo mediante ſolo ente creato, aut ſolo increato: aliàs ſapientia vt ſic eſſet determinatè creata aut increata: deſcendit igitur ad illam mediante vtroque ente creato, & increato. §. 43.

Argumentum multis claudum. Primum enim fauet apertè ſentẽtiæ Nominalium propoſitę §. 27. neganti præciſiones obiectiuas, ac conſtituẽti prædicationem logicæ vniuerſalem immediatè terminatam ad plures rationes obiectiuas. Quam ſententiam non admittunt huius argumẽti authores: argumenta verò ab ipſis contra eam propoſita contra hanc eorundem retorquebo diſp. 5. §... Secũdò, maior propoſitio eſt falſa, vt conſtat ex diſp. 9. Logicæ §... Tertiò, idem argumentum formari poteſt in quocumque conceptu vniuerſali vniuoco, ponamus, e.g. *viuens* eſſe primum conceptum vniuocum in prædicamento ſubſtantiæ. Ens & cætera prædicata incluſa inter viuens & ens non deſcendunt ad viuens per aliquam rationem obiectiuè præciſam, ſed deſcendunt cum ſuis modis immediatis: & tamen *viuens* deſcendit ad ſua inferiora per aliquam rationem communem obiectiuè præciſam: ergo eadem ratione ſapientia vt ſic poſſet eſſe vniuoca, §. 44.

quamuis ad illã deſcendat ens per cõceptus diuerſos non præciſos, ſicut *viuens* deſcendit ad ſenſibile, & inſenſibile, non faciendo determinatè omnia viuẽtia ſenſibilia, aut inſenſibilia determinatè. Præſto eſt ratio, quia quacumq; ratione deſcendant rationes analogicæ ſuperiores ad primum conceptum communem vniuocum, hic non combibit omnes differentias rationis analogicæ communis, ſed vnam dumtaxat: quæ poſtea ratione differentiæ contrahentis prædicatur vniuocè de inferioribus, tribuens vnicuique vnam tantum differentiam.

§. 45. Ad argumentum in §. 43. in forma, omiſſa maiori nego minorem. Ad probationem nego minorem. Ad probationem nego etiam tertiam minorem. Ad probationem reſpondeo ens non deſcendere ad ſapientiam vt ſic per differentiam creati aut increati, ſed per conceptus inferiores ente, qui quidditatiuè non includunt creatum aut increatum. Verbi gratia ens poteſt diuidi immediatè in intellectiuum & non intellectiuum: intellectiuum autem in actuale & potentiale: actuale verò in ſapientiam & apprehenſionem: ſapientia verò in increatam & creatam. Ecce ſapientia vt ſic non conſtituit omnes differentias aut creatas determinatè, aut determinatè increatas.

§. 46. Quartum argumentum ſapientia vt ſic diſtinguitur à iuſtitia vt ſic, aut determinatè diſtinctione reali, aut determinatè diſtinctione rationis, aut determinatè vtraque: ergo non dicit rationem præciſam ſapientiæ à creata & increata: ergo id eſt aſſerendum de ente. Antecedens patet, quia omnis diſtinctio aut eſt realis, aut rationis. Conſequentiam probo, quia ſi ſapientia vt ſic diceret conceptum abſtractum, & non immediatè creatam & increatam, ſequeretur ſapientiam omnem diſtingui à iuſtitia realiter, quod in ſapientia & iuſtitia diuina eſt falſum; aut ſequeretur diſtingui ſola ratione, quod etiam eſt falſum in ſapientia iuſtitiáque creatis. Sequela patet, quia ſi ſapientia vt ſic diſtinguitur ſola ratione à iuſtitia vt ſic, ea proprietas retinebitur in omnibus inferioribus ſapientiæ.

§. 47. Argumentum quidem æquiuocatione plenum, commune etiam pluribus vniuocis. Etenim cognitio creata de homine diſtinguitur à cognitione creata de leone: vel ergo diſtinguitur ſola ratione, quod eſt falſum, quia in homine diſtinguuntur etiam realiter, quod non poſſet eſſe ſi conceptus communis vniuocus haberet ſolam diſtinctionem rationis, quia eam diſtinctionem deriuaret in omnia inferiora: aut ille conceptus de homine diſtinguitur realiter à cognitione de leone, quod etiam eſt falſum, quia ea diſtinctio ſequeretur omnes cognitiones inferiores: in angelis autem verè & ex ſententia S. Thomæ non eſt opus vt realiter diſtinguantur cognitio de homine & leone, faciléque poſſunt eiuſmodi exempla proponi.

§. 48. Præmitto diſtinctionem rationis duo habere; alterum, vt vna formalitas non includatur in alia reciprocè, ſed opus eſſe vt altera ſit extra aliam tam in conceptu formali quàm obiectiuo: alterum vt illæ formalitates habeant negationem diſtinctionis realis: neque verò concipitur adæquatè diſtinctio rationis donec hæc negatio concipiatur. Verſatur ergo diſtinctio rationis adæquata inter extrema realiter eadem: inadæquatè autem diſtinctio rationis conſiſtit in non incluſione vnius formalitatis obiectiuæ in alia, & vt poſſit terminare cognitiones diſtinctas. Quod genus diſtinctionis etiam quadrat in extrema realiter diſtincta: leonis enim formalitas nõ includit obiectiuè formalitatẽ hominis, neq; cognitio vnius cognitionẽ alterius.

Ad argumentum in §. 47. diſtinguo antecedens: ſapientia vt ſic non diſtinguitur realiter à iuſtitia vt ſic, neque adæquata diſtinctione rationis: diſtinguitur autem diſtinctione rationis inadæquata. Quo genere diſtinctionis diſtinguuntur ſapientia & iuſtitia diuinæ, quia neutra includit alteram formaliter: eodem etiam diſtinguuntur ſapientia & iuſtitia creatæ. Differunt, quòd creatæ præter hanc conceptuum diſtinctionem addunt realem; cuius negationem addunt ſapientia & iuſtitia diuinæ. Ad probationem antecedentis reſpondeo, omnem diſtinctionem eſſe realem aut rationis etiam adæquatæ, vt exiſtunt circa extrema ſingularia: quia omnia hæc quando diſtinguuntur, eſt aut ſolum realiter aut ſolum ratione: ſicut omne animal eſt rationale aut irrationale vt exiſtit à parte rei. At verò non eſt opus vt omnis diſtinctio verſata circa rationes communes ſit aut realis aut rationis adæquatę; ſufficit enim eam eſſe rationis inadęquatam: diſcrimen autem diſtinctionis realis, aut rationis adæquatæ, oritur ex diuerſitate extremorum diſtinctorum. Quando ergo duæ rationes communes continent ſub ſe inferiora partim diſtincta realiter, partim ſola ratione, rationes illæ communes nec realiter nec ratione adæquata diſtinguuntur, ſed ſola ratione inadæquata. Neque propterea diſtinctio realis & rationis conueniunt in vno conceptu diſtinctionis: diſtinctio enim illa rationis inadæquata non eſt communis logicè vtrique diſtinctioni, ſed eſt pars diſtinctionis rationis, quæ completur per negationem diſtinctionis realis inter extrema diſtincta: quæ negatio eſt in aliquibus extremis, ſecus in aliis. Illáque pars, quia eſt idem cum actibus diſtinguentibus eſt ſingularis in exiſtentia. §. 49.

Quintum argumẽtum, quia ſequitur ex ſententia noſtra ens eſſe genus, Deum eſſe in genere, & componi metaphyſicè, & eſſe aliquid Deo prius & ſimplicius. Quæ omnia ſunt abſurda. Nego ens eſſe genus, tum quia non eſt vniuocum vt conſtat ex diſp. 9. Logicæ ſect. 4. ſubſect. 5. tum quia quamuis eſſet vniuocum, eſſet tranſcendens quod officit generi vt conſtat ex diſp. 4. Logicæ ſect. 1. fine. Nego item Deum eſſe in genere, quia eſſe ſub ente nõ eſt eſſe ſub genere, quia ens non eſt genus. Neque eſt aliquid à parte rei ſimplicius Deo: ens enim vt ſic non eſt à parte rei conceptus ſimpliciſſimus omnium, ratione tamen noſtra dicitur ſimplicius, quia ratione noſtra includit pauciores conceptus: quæ non eſt ſimpliciter ſimplicitas, ſed potius imperfectio: rationes enim communes habent quid potentialitatis, quæ detergetur per ſingulares conceptus Propterea frequenter dicitur, genus ſumi à materia, differentiam à forma. Neque ſequitur Deum ratione componi, quia compoſitio rationis eſt inter duas formalitates adæquatè diſtinctas: quare tranſcendentia officit compoſitioni. Nec ſi componeretur, eſſet abſurdum, quia compoſitio rationis innititur perfectioni obiecti habentis plura prædicata eadẽ realiter; & imperfectioni noſtri intellectus ea prædicata non valentis penetrare. Deo autem nihil eſt prius realiter aut natura; eſſe autem conceptum aliquem ratione & conſequentia priorem, quid inde? nam & in oppoſita ſententia eſt id fatendum: à Deo enim ad ens eſt conſequentia; ſecus à conceptu quidditatiuo entis ad Deum in recto ſignificatum. Illa enim prioritas nihil eſt præter communitatem logicam, quæ Deo eſſet imperfectio; eſt enim maxima perfectio non poſſe à ſingularitate præſcindi in conceptu abſoluto. Hæc ſufficiunt, cætera diſputata ſunt in Logica diſp. 9. ſect. 4 ſubſect. 5. §. 50.

SECTIO

SECTIO IV.

Vtrùm ens tranſcendat omnes differentias? & de iiſdem prædicetur?

§. 51. *Conceptus tranſcendẽs.* Conceptus tranſcendens eſt ille, *qui formaliter reperitur in omni differentia inferiori*: non tranſcendens eſt, *qui licet materialiter contineatur in differentia, non tamen formaliter, & explicitè*; vt animal in rationali; ad quod requiritur diſtinctio conceptus communis ab inferioribus: nam *tranſcendens* dicit ordinem ad ea, quæ tranſcendit: conſtabit autem ex diſput. 5. ſect. 2. & 3. nullam eſſe à parte rei communem rationem, ſed tantum per conceptus confuſos; vnde neque à parte rei datur ens tranſcendens inferiora: nam conceptus, qui eſt in ſubſtantia, non eſt à parte rei in accidente. Ex dictis ibidem conſtat, conceptum entis non diſtingui niſi ratione à differentia conſtitutiua ſubſtantiæ, vel accidentis: eſt ergo quæſtio de tranſcendentia per intellectum.

§. 52. *Opinio Scoti. Primum argumentum.* Scotus 1. d. 3. quæſt. 3. §. *ad quæſtionem igitur*, affirmat conceptum entis tranſcendere differentias ſubalternas, ſiue non vltimas: non tamen tranſcendere differentias vltimas. Innititur Scotus modo, quo contraheretur ens ad illam differentiam: nam ſi ad illam contrahitur, ergo illa conuenit cum aliis in ratione entis, & differt in ratione talis: ergo non eſt differentia vltima: quia hæc in nullo conuenit cum aliis. Verum huius argumenti lumbos eneruaui in logica, diſp. 5. ſect. 7. vbi probaui ab vltima differentia indiuiduali confusè cognita, poſſe abſtrahi rationem communem vltimæ, & indiuidualis differentiæ: non verò abſtrahi conceptum communem ab vltima clarè, & in ſingulari cognita vt vltima.

§. 53. *Secũdum argumentum.* Secundò argumentatur Scotus, quia differentia vltima non habet aliam differentiam: ergo in illa non reperitur ratio entis: antecedens patet: nam ſi haberet aliam, iam non eſſet vltima, ſed eſſet propriè differens per aliam, de qua rediret argumentum, donec ſiſtatur in vltima, quæ non differat per aliam. Conſequentia verò probatur: quia ſi vltima includit ens, ergo habet in ſe rationem conueniendi, quia in ratione entis omnia conueniunt: ergo

Reſponſum. etiam haberet per quid differret. Non vrget: conceſſo enim antecedente nego conſequentiam; ad probationem diſtinguo antecedens: habet rationem conueniendi; ſi illa ratio confusè cognoſcatur, concedo antecedens; nego tamen; ſi clarè co-

Ab indiuiduis confusè, non clarè cognitis poteſt abſtrahi ratio cõmunis. gnoſcatur. Nam conuenientia & communitas in vnitate conceptus, requirunt, vt confusè noſcantur: ſi autem clarè noſcantur, tunc iam cernitur cuiuſque differentia. Itaque dixi, diſput. 5. Logicæ ſect. 7. ab vltimis differentiis clarè cognitis non poſſe abſtrahi rationem communem; poſſe tamen à confusè cognitis. Differentiæ autem ſe ipſis differunt vt *quo*, per illas autem differunt vt *quod* entia, quæ illis conſtituuntur.

§. 54. *Tertium argumentum.* Tertiò arguit Scot. ex comparatione compoſiti phyſici; quod duas partes includit; alteram potentialem, quam determinat altera quæ eſt partialis, & neutra includit alteram; ſed ens, & altera differentia ſunt partes compoſiti metaphyſici; ens vt

Reſponſum. Ens & eius differentia nõ ſunt partes duæ, nec propriè ſunt partes. determinabile, differentia verò vt determinans: ergo neutra includit aliam. Minor diſtinguitur; ſunt partes propriè, nego; impropriè, concedo: oſtendi enim diſput. 9. Logicæ ſect. 4. ens & eius differentiam non eſſe duos conceptus adæquatè: ſed inadæquatè diſtinctos: ac proinde nec eſſe propriè partes: determinatur autem ens per differentiam, quæ illud formaliter includit: exemplum è phyſica compoſitione non vrgere oſtendi, §. 42. immo contra Scotum arguo, ſi differentia conſtituit ens: ergo eſt pars illius: ergo eſt ens: quia quod non eſt ens, non poteſt eſſe pars: quia ſi non eſt ens, nihil eſt. Idem ſentit Scot. de paſſionibus entis, de quo diſput. 3.

Probo autem contra Scotum, conceptum entis tranſcendere omnes differentias, & etiam ab vltimis poſſe abſtrahi conceptum communem entis: primò iiſdem argumentis, quibus diſput. 5. Logicæ ſect. 7. probaui abſtrahi communem conceptum indiuiduationis, quæ eſt vltima differentia: ergo includit conceptum aliquem, in quo conueniat cum aliis: quo fundamento euertitur Scoticum. §. 55. *Concluſio. Ens trãſcẽdit vltimas differentias, & ab eis poteſt abſtrahi.*

Secundò probatur conceptum entis imbibi in vltima differentia clarè, & explicitè cognita; nam illa differentia etiam vt vltima, & vt diſtincta ab aliis conceptibus, concipitur, vel vt exiſtens, vel vt apta ad exiſtendum; ergo concipitur vt ens reale: patet conſequentia ex diffinitione entis realis: antecedens probatur; quia indiuiduatio, quæ eſt vltima differentia, & rationale, quæ eſt vltima inter eſſentiales, concipiuntur, vel vt exiſtentia, vel vt apta ad exiſtendum: cum enim exiſtit Petrus, & cum poteſt exiſtere homo, etiam poteſt exiſtere rationale. Vbi concipiuntur duo conceptus apti ad exiſtendum. *Argumẽtum efficax cõtra Scotum.*

Tertiò, rationale habet aliquod principium ex quo Metaphyſicè componatur: poteſt enim rationale diffiniri ſic: *Rationale eſt principium diſcurrendi*: rogo, quid reſpondeat illi actui? conceptus realis an rationis? rationis eſſe non poteſt; quia rationale habet eſſe à parte rei: ergo ens imbibitur in quauis vltima differentia. Tandem, quia rationes communes non ſunt tota quidditas rei, quæ conſtituitur etiam ex vltima differentia, vt homo rationalitate: ergo vltima differentia eſt de eſſentia hominis: ſed homo componitur ex eſſentia reali: ergo tota eſſentia hominis eſt formaliter ens reale: ergo & vltima differentia, quæ eſt de eius eſſentia. §. 56. *Tertium argumentũ cõtra eundem.*

Confirmatur, vltima differentia componit ſubſtantiam: ergo eſt ſubſtantia: quia Ariſtoteles ſubſtantiam, è ſolis ſubſtantiis componit: ſed omnis ſubſtantia eſt ens: ergo omnis differentia eſt ens: quis neget perſeitatem eſſe ens, vt opponitur chymæræ? Quod adeo euidens apparet ex terminis, vt mihi mirum acciderit ea de re hominem vllum dubitare. Scotus autem fortè eſt in alio ſenſu: dicit enim ens non includi vniuocè, id eſt eadem omnino ratione qua in aliis. Sed id diſquirant eius diſcipuli. Vnde concludo ens prædicari in quid de omnibus ſuis differentiis. Vide à §. 94. vbi hic ſermo redibit. §. 57. *Ens prædicatur quidditatiuè de ſuis differentiis.*

SECTIO V.

Quo differant res & modus? & vtrum tranſcendantur ab ente?

Dvo genera entium reperio: alterum poteſt in rerum natura diuinitus exiſtere ſine hoc accidente determinato, ſine hoc loco, ſine hac figura: vt Petrus ſine albedine, ſine vbicatione Romæ, ſine ſeſſione: alterum ita affigitur alicui rei ſingulari, vt ſine illa nequeat diuinitus conſiſtere, vt actio vitalis Petri non poteſt eſſe in Paulo, &c. Primum genus vocatur abſolutè, *ens, entitas, & res*. Secundum vocatur *modus*, ſiue *entitas modalis*. §. 58. *Duo genera entium.*

§. 59. *Entia multa ſunt indifferētia ad aliquos effectus.*

Multa entia habent indifferentiam ad præſtandos actu aliquos effectus tam formales, quàm efficientes. Nam animus rationalis adhuc exiſtens, eſt indifferens, vt vniatur actu materiæ, & non vniatur: id eſt, ita exiſtit, vt ei non repugnet vniri, aut non vniri: quia poteſt exiſtere & vnitus, & quin vniatur: item Sol exiſtit iam illuminans, iam non illuminans hanc aëris partem, nec enim eius exiſtentia ita petit illuminare, vt non poſſit eſſe quin illuminet. Hanc indifferentiam tollunt alia entia, quæ realiter diſtinguuntur à prioribus. Nam animus, quando vnitur, habet realiter aliquid, quod antequam vniretur, non habebat realiter: ergo realiter vniri eſt aliquid reale de nouo acquiſitum. Quam conſequentiam latè probo diſp. 5. Phyſic. ſect. 1. & infrà diſp. 6.

Eam indifferentiam tollit modus.

§. 60. *Modus & res cur diſtincta realiter?*

*Hæc entitas, qua tollitur illa indifferentia, differt à rebus, è quibus eam tollit: quod res per ſuas entitates non ſunt ratio formalis præſtandi eos effectus: ſed potius per ſuas entitates ſunt indifferentes, & in potentia ad illos: hæc autem entitas per ſuam entitatem eſt determinata ad eos effectus; & nullo modo indifferens. Prima pars probatur primò: quia ſi per ſuas entitates eſſent ratio formalis illorum effectuum, non poſſent exiſtere, niſi eos præſtando: quia poſita tota ratione formali vnius effectus, ille neceſſario reſultat: vt poſita tota ratione formali hominis, non poteſt, non eſſe homo: ergo, ſi tota ratio vt vniantur extrema, ſunt ipſamet extrema; hæc non poſſunt exiſtere quin vniantur. Quemadmodum non poteſt exiſtere anima, quin ſit actus ſpiritualis; nec materia, quin ſit pura potentia; nec viſio lucis, quin ſit illius repræſentatio: quia id habent per ſuas entitates. Quod ſi per ſuas entitates ſunt vnio; ergo non poſſunt exiſtere quin vniantur: quia exiſtente vtroque extremo cum vnione, non poteſt non eſſe *vnitum*: quia de eſſentia *vniti*, nihil eſt præter extrema & vnioné.

§. 61. *Hi effectus formales habent neceſſariò annexam Dei voluntatem.*

Dices, requiri voluntatem Dei, vt vniantur. Contra: ſi ſimul exiſtunt extrema & vnio, implicat non eſſe voluntatem Dei, vt vniantur: quia exiſtente tota eſſentia rei, implicat non eſſe voluntatem Dei vt exiſtat talis res: quia illa & eius eſſentia idem ſunt: ſed eſſentia *vniti*, ſunt præcisè extrema, & vnio: ergo iis exiſtentibus non poteſt Deus non velle vt ſit *vnitum*: vt non poteſt non velle vt ſit actus ſpiritualis dum eſt anima; & vt non ſit homo, dum eſt eius eſſentia; quia ſunt idem. Etenim Deus cum vult eſſe rerum eſſentias: vult res ipſas: & quando vult res non eſſe, tollit aliquid de illarum eſſentia. Secundò, probatur idem in viſione lucis: non poteſt exiſtere hæc qualitas quin ſit actualis repræſentatio lucis: non alia de cauſa, niſi quia per ſuum conceptum repræſentat lucem: quod eſt, eſſe de eius eſſentia repræſentare lucem. Dices, relationem ex aliquorum ſententia non diſtingui à fundamento, & tamen exiſtit albedo, v. g. quin denominet relatum. Verum eam ſententiam impugnabo, diſput. 16. nec eſt è re: quia terminus eſt conditio eſſentialis; & eo poſito, non poteſt nec diuinitus impediri relatio, at in noſtro caſu nihil deſideratur ex parte creaturarum: ergo non poteſt impediri *vnitum*, magis quàm homo poſitis materia, forma & vnione.

Deus volens eſſentias rerū vult res ipſas.

§. 62. *Probatur ſecunda pars doctrinæ.*

Secunda pars, nempe modum ſua entitate eſſe determinatum ad hos effectus, & non indifferentem, patet: quia indifferentia vt indifferentia, tollitur per determinationem, vt ex terminis patet: ſed tollitur per entitatem modalem; ergo entitas modalis, eſt determinatio: ſed determinatio non eſt indifferens ad id ad quod determinat; ergo. Probo minorem: quia ſi eſſet indifferens: ergo hæc indifferentia erat tollenda per aliam determinationem: de qua redit infinities quæſtio, donec ſubſiſtatur in vna determinatione non indifferenti: quam ſolam ego voco modum: denique ex ipſis terminis patet indifferens carere determinatione.

Modus eſt determinatio indifferentiæ.

§. 63. *In prædicatis per participationē venitur ad vnum tale per eſſentiam.*

Secundò probatur: in prædicatis per participationem venitur ad aliquem conceptum, qui ſit talis per eſſentiam; à qua habeat, quod alia habent ab ipſo, verbi gratia, creaturæ ſunt ens per participationem, è quibus venimus ad Deum, à quo acceperunt eſſe: Deus autem per eſſentiam eſt ens: alioquin abiretur ſine fine in cauſas entis creati. Item paries eſt albus vt *quod* per participationem albedinis: albedo autem in genere cauſæ formalis habet ex ſe prædicatum illud, vt *quo*, & quia albedo eſt vnita per participationem vnionis, vnio ſe ipſa eſt vnio, & vnitur vt *quo*.

§. 64. *Modus in ſuo genere non eget alio modo.* Ariſtot.

En quo pacto ſit de eſſentia modi dare prædicatum actualiter. Vnde non eget alio modo in eo genere: quia à ſe habet vt *quo* illud prædicatum; vt de actione dixit Ariſtot. 5. Metaph. cap. 20. Albedo enim vt reddat album, non eget alia albedine: ſed vnione: quia in ſe continet rationem albi: ita vnio in ſe continet rationem vniti; & ſe vnit vt *quo* extremis: & hæc vt *quod* per illam: immo non alia ratione vnit extrema vnio, quàm ſe illis vniendo: nec actio producit terminum, niſi ſe producendo, vt *quo* (vt ita dicam:) nec *vbi* conſtituit mobile in loco, niſi ſe ibi defigendo. Et quamuis in eo genere, quo tollit indifferentiam, non egeat alio modo: eget tamen in alio genere, in quo non eſt determinatio: E. g. *vbi* tollit indifferentiam ad locum, at non tollit indifferentiam agendi, & fit per actionem ab ipſo diſtinctam: item vnio tollit indifferentiam extremorum in ordine ad ſe: non verò ad locum; ſed potius eſt indifferens ad plures locos; ad quos determinatur per modos ab ipſa diſtinctos. Vnde dixi, diſp. 12. Phyſ. poſſe creari vnionem: quia ſe ipſa non eſt ratio agēdi, ſed terminus actus: nam vnio hominis facta fuit ab homine; & conſeruatur à Deo per aliam actionem diſtinctam à prima generatione.

Eget tamē in alio genere.

§. 65. *Modus non poteſt ſucceſſiuè denominare rē aliā.*

Secundò infertur ex dictis; modum qui ſimul exiſtit, quin denominet actu rem aliquam; nec per potentiam abſolutam poſſe illam denominare. Hoc negant nonnulli, rati calefactionem *A*. poſſe oriri ab igne *B*. & non *C*: deinde eamdem poſſe oriri à *C*. & non *B*. per ſolam voluntatem Dei. Hi non calluerunt neceſſitatem diſtinguendi modos à rebus: nam ita argumentamur contra Nominales (vt patet ex diſp. 5. Phyſ. ſect. 1.) Materia & anima exiſtunt realiter, quin realiter vniantur actu: ergo vniri actu realiter, aliquid eſt realiter diſtinctum à materia & anima. Hoc argumētū efformo: Materia & anima, & vnio *B*. realiter exiſtunt, quin realiter vniantur actu: ergo realiter vniri actu materiam, animam & vnionem *B*. aliquid eſt realiter diſtinctum ab illis.

Impugnātur quidam.

§. 66. *Obiectio de cōnotato extrinſeco præcluſa.*

Dicunt, totam eſſentiam vniti in recto ſignificatam reperiri: deficere tamen connotatum voluntatis Dei, volentis vt vniantur. Contra primò, quia idem dicunt Nominales negando diſtinctionem modorum: recurrunt enim ad idem connotatum voluntatis Dei: ſic autem melius recurretur ad Nominalium ſententiam, quàm ad hanc. Vnde actio, motus, paſſio, vnio, *vbi*, &c. ex parte recti ſunt ipſæ rerum eſſentiæ, & ex parte obliqui connotant voluntatem Dei. Secundò poſita tota eſſentia vniti non poteſt Deus non habere voluntatem effectus inde eſſentialiter reſultantis, quia voluntas produ-

cendi

cendi totam eſſentiam hominis, eſt voluntas producendi hominem, vt dixi §.60.& 61.

§.67. *2. impugnatio.* Secundò impugnantur: viſio huius lucis, & actio vitalis huius potentiæ non poſſunt exiſtere quin repræſentetur hæc lux, & hæc potentia ſit vitaliter agens in actu: ergo idem eſt de cæteris modis. Antecedens admittunt aduerſarij,& tenentur: quia viſio hæc non eſt indifferens ad alia obiecta: Conſequentiam probo: quia ideo illi duo modi non ſunt indifferentes ad aliud obiectum, & potentiam; quia per ſuas eſſentias ea reſpiciunt: ſed cæteri modi reſpiciunt res, per ſuas eſſentias: ergo habent eandem rationem.

§.68. *Alia obiectio.* Dicunt viſione, & actione vitali reſpici obiectum, & potentiam in ſingulari: at verò vnione non reſpici hoc corpus in ſingulari: ſed indeterminatè hoc, aut aliud. Dicunt enim, hoc eſſe diſcrimen actionis vitalis à non vitali. Contrà: ideo viſione connotatur hoc obiectum in ſingulari;quia illud reſpicit per ſuam eſſentiam: propter quod non eſt indifferens ad alia: ſed vnio *B.* per ſuam eſſentiam reſpicit materiam hanc; ergo eam reſpicit in ſingulari. *Non eſt diſcrimen inter modum vitalem & non vitalem.* Alioquin eadem facilitate negabo viſione reſpici hoc obiectum in ſingulari: negabo item diſcrimen actionis vitalis: quia vnio huius materiæ,licet ſe ipſa illam reſpicit,poteſt ab illa ſeparari: ergo ſimiliter poteſt ſeparari hæc actio vitalis ab hac potentia. Nam diſcrimen committit vitioſè circulum. Rogati enim,cur actio ſit vitalis? reſpondent, quia non poteſt ab hac potentia ſeparari. Rogati autem cur hæc actio non poſſit ab hac potentia ſeparari? reſpondent, quia eſt vitalis. Itaque eſt vitalis; quia non poteſt ſeparari:& non poteſt ſeparari,quia eſt vitalis. In quo ſita ſit actio vitalis oſtendi,diſp.3.de Anima.

§.69. *Ratio à priori.* Ratio à priori, quia hæc materia habet indifferentiam vt vniatur,& nõ vniatur huic formæ:ergo, quando vnitur, habet vnionem, per quam tollatur illa indifferentia; & exerceatur illa potentia: ergo talis vnio ſeipſa eſt determinatio illorum extremorum; & non eſt indifferens ad illa. Patet conſequentia: quia ſi eſſet indifferens ad illa, & non determinata, egeret alia determinatione tollente indifferentiam ad illa extrema in ſingulari: & hæc vltima determinatio eſſet modus eorum extremorum, ſecus verò vnio altera indifferens.

§.70. *3. obiectio.* Dices deeſſe voluntatem Dei. Iam reſpondi. §.60. exiſtente ratione formali qua vniuntur duo extrema, non poſſe deficere voluntatem Dei vt vniantur. *Voluntas Dei non vnit extrema formaliter.* Item voluntas Dei non vnit extrema formaliter:ſed efficienter; nec vnio habet vim vniendi formaliter à Deo ſed efficienter: ergo quando Deus vult vniri duo extrema,nihil agit niſi efficere vnionem, ſeu rationem formalem vniendi: ergo quando vult eam vnionem facere,vult vnire extrema,& quando illa non ſunt vnita non facit eorum vnionem, ſed facta ſemel vnione *B.* non vniuntur hoc corpus & hæc anima: ergo opus eſt vt faciat aliam vnionem.

§.71. *Diſcrimen rei & modi.* Tertiò infertur;hoc differre modum & rem abſolutam: quod hæc poteſt eſſe ſine hac numero albedine: ſine hoc *vbi*, ſine hac actione: modus autem per potentiam abſolutam non poteſt eſſe ſine hac numero re, quam denominat. Verum eſt, nec res abſolutas poſſe eſſe ſine aliquo *vbi*: poſſe tamen ſine hoc. *Communis definitio modi oſtendit eius eſſentiã non à priori.* Quam ob rem communiter dicitur, *modum eſſe qui nec diuinitus poteſt eſſe ſine re, cuius eſt modus.* Quod à poſteriori oſtendit modi eſſentiam non à priori: quia nõ reddit rationem eius inſeparabilitatis. Ratio autem à priori eſt; quia modus per ſuam eſſentiam eſt actualis determinatio rei indifferentis, & exercitium actuale potentiæ tribuens actu ſuam denominationem: quod præſtari non poſſet, ſi modus exiſteret ſine re, quam denominat. Nam quod non eſt, non ſedet, non eſt in loco, non operatur,&c.

§.72. *Nullus modus eſt operatiuus:ſed impugnatur.* Quartò infertur ex dictis, nullum modum eſſe operatiuum: quia principium operatiuum poteſt eſſe ſine actuali operatione: nam à cauſa ad effectum non valet conſequentia affirmatiuè; modus autem neceſſariò tribuit denominationem actualem, & non aptitudinalem,tamen hanc doctrinam impugno §.79.

§.73. *In modis afficere & dependere diſtinguuntur realiter.* Aduerte, in modis duos eſſe conceptus realiter diſtinctos: alterum afficiendi & denominandi rem cuius eſt modus; alterum dependendi à cauſa materiali, & efficienti. Hos duos conceptus realiter diſtingui patet in vnione hypoſtatica,quæ Verbum denominat intrinſecè vnitum, & non cauſans materialiter: humanitatem autem denominat & intrinſecè vnitam,& cauſantem materialiter per paſſionẽ;tum etiam quia omnes modi (excepta actione) fiunt per actionem ab ipſis diſtinctam vt probaui de vnione diſputatione 5. Phyſicorum ſectione 2. *Modus fit actione diſtincta.* tum à priori,quia modus non eſt ratio producendi aliud: ergo non eſt productio,nec productus vt *quo*, cum ergo producatur, & non vt *quo*, producetur vt *quod*: & ſic ab alia actione denominatur productus,ſicut denominatur exiſtens in loco (vt dixi §.63.) nam (vt probaui diſputatione 5. Phyſicorum) vnio eſt terminus generationis, & vbicatio lationis.

§.74. *Obiectio.* Dices, modum vniri ſe ipſo,& non alia vnione, & tamen non vnitur vt *quo*, quia non eſt ratio vniendi alia vt *quod*; ergo eodẽ modo poterit produci. Nego conſequentiam; quia actio eſt determinatio agentis ad effectum; at per vbicationem, exempli gratia, non determinatur agens ad effectũ: & ſic indiget agens actione: qua determinetur ad effectum, quod eſt *vbi*. *Modus non eget vnione diſtincta.* Vbicatio autem eſt eſſentialis determinatio vbicati ad locum, & intrinſeca: quapropter non eget alia vnione; quia ſe ipſa afficit intrinſecè locatum ad locum: vnde in modis idem eſt eos ſe vnire ſuis rebus, & illis communicare ſuum effectum intrinſecum; quia ſunt intrinſecæ illarum determinationes, niſi ſint modi extrinſecè determinantes,vt actio Dei.

§.75. *Afficere eſt de eſſentia modi non tamen dependere.* Ex his duobus conceptibus primus eſt eſſentialis modo: vt vnioni Verbi,illi humanitatem vnire. Secundus eſt extra modi eſſentiam.Vnde ſicut humanitatis vnio vnit Verbum,& illi non inhæret,ita diuinitus poſſet humanitatem vnire,& illi non inhærere. Quapropter non pauci non diſtinguentes hos duos conceptus, negant modos poſſe creari, quos impugnaui diſputatione 12. Phyſicorum.

§.76. His quæ dixi confirmatur ſententia communis de inſeparabilitate modi ab eo cuius eſt modus: quia hæc doctrina rationem reddit à priori eius inſeparabilitatis; & oſtendit eam eſſe comitem modorum non verò rerum abſolutarum. Aliqui tamẽ recentes ab hac communi ſententia diſcedũt, rati actus vitales eſſe per potentiam abſolutam inſeparabiles à ſuis potentiis, à quibus vitaliter producuntur ſine actione ab ipſis diſtincta. Vt autem præſcribant communem rationem modi, dicunt eius eſſentiam eſſe non eſſe productiuum alicuius effectus: actus autem vitales multa producunt effecta.

§.77. Quos impugno, quia quamuis §.72. intuli nullum modum eſſe operatiuum, rationem tamen petij, quia tota eſſentia modi conſiſtit in actuali determinatione vnius rei ad aliam,qua tollatur ipſius

rei indifferentia: cum autem principium actiuum ſit indifferens ad actiones diuerſas, non poteſt modus eſſe actiuus. Ipſi verò nullam poſſunt rationem reddere cur non ſint actiui modi: quia ratione huius determinationis vis non impeditur actiua: quia per te actus vitalis quamuis determinatus eſſentialiter ad potentiam vim habet actiuam. Quando igitur diſceditur à ſententia communi, debet oſtendi ratio cur deſeratur.

§.78. Secundò, quia in ipſorum ſententia actus intellectus non producunt habitum, quia hunc non admittunt, nec in intellectu nec in voluntate (præter infuſos.) Ergo illi actus ſunt modi. Probo conſequentiam, quia & ſunt inſeparabiles, neque productiui. Si enim habitum non producunt, nihil ſupereſt producendum. Quamuis enim in multorum ſententia præmiſſę actiuè influunt in cõcluſionem; vltima autem concluſio à priori poterit eſſe præmiſſa in demonſtratione à priori; & cognitio influit in volitionem; tamen ſiſtendum tandem eſt in aliquibus actibus, quibus eiuſmodi influxus non poſſit adſcribi. Et enim electio vltimi medij non eſt principium alius electionis, quia eſt vltima in tota illa ſerie mediorum: in executionem autem externam non influit electio. Et quamuis ex hac & aliis generetur habitus (quod hi authores non admittunt) adhuc non poſſunt ſatis probare eos habitus fieri ab actibus: poſſent enim & à potentia fieri actu tantum diſponente. Conſidera amorem beatificum Dei; ille quid poteſt producere? non ſuum habitum, quia eſt infuſus; non alium acquiſitum, quia eſt actus neceſſarius per quem non acquiritur actus: non amorem liberum in proximos: pono enim poſſe Deum clarè videri quin creatura vlla. Quid igitur producet actus ille? Quod ſi producit amorem in proximum, hic quid producet? Multum ergo diuinant huius ſententiæ authores.

§.79. Tertiò, quia eadem facilitate poſſumus dicere omnes modos, vel ſaltem plures eſſe productiuos ſpeciei impreſſæ, aut cognitionis de ſe. Cur enim vnio hypoſtatica non emittet ſpeciem impreſſam ſui? cum vnio quia ſubſtantia attingens immediatè Deum ſit perfectior ſpecie. Vel ſi recuſas rem abſolutã fieri à modo, cur ex vnione non orietur vbicatio, vel eius productio in genere cauſæ efficiẽtis & materialis? Quamuis enim doctrina tradita §.72. ſit probabilis, non tamen euidens. Quia in modo poſſumus conſiderare effectus formales auferendi indifferentiam & determinandi vnam rem ad aliam: ad hos effectus modus non eſt indifferens: eſt tamen indifferens ad paſſiuam cauſalitatem: vnio enim corporis & animi indifferens eſt ad recipienda *vbi* diuerſa: ergo non eſt contra conceptum modi habere indifferentiam ad cauſalitatem actiuam: cuius eadem eſt ratio ac de paſſiua. Conſtet ergo inſeparabilitatem ſolis conuenire modis.

SECTIO VI.

Quæ ſint modus?

§.80. Vbi *eſt modus.* HVnc modi conceptum ſortitur vbicatio, quæ eſt ratio determinans mobile ad hunc locum; quia cum res ſit indifferens ad hunc locum, quando in illo eſt, debet ad illum determinari per aliquam rationem natura ſua actu determinatam ad illum. Nam ſi eſſet indifferens, non poſſet ſe ipſa determinare locatum, ſed indigeret alia determinatione: ego & Petrus ſumus indifferentes ad diſtandum mutuo, & non diſtamus: quando diſtamus, tollitur indifferentia diſtandi per *vbi*.

Dicet aliquis, *vbi* non eſſe modum ſed rem abſolutam: quia eadem eſt ratio de *vbi* ac de albedine, cognitione & aliis. Hæc ſententia poteſt accipi bifariam: primùm, admittendo nullum *vbi* eſſe defixum alicui loco in particulari, ſed quodlibet *vbi* poſſe omnia ſpatia peragrare. In quo ſenſu hæc ſententia eſt apertè falſa: quia *vbi* conſtituitur ad actualem diſtantiam & indiſtantiam rerum: cum igitur vnaquæque res ſit indifferens ad diſtandum & non diſtandum ab aliis, opus eſt aliqua differentia & determinatione tollente actu indifferentiam illam: hanc autem determinationem eſſentialiter eſſe actualem diſtantiam vel indiſtantiam, neque ad hos effectus eſſe indifferentem, conſtat à §. 59. Quapropter non poteſt *vbi* per diuerſa loca vagari, ſed per ſuam eſſentiam eſt vni ſingulari defixus. vnio autem *vbi* & vbicati non eſt formalis diſtantia aut indiſtantia, ſed eſt coniunctio diſtantiæ cum diſtante: alioquin non eſſet opus *vbi* diſtincto ab vnione, ſed modus vnionis deſineret eſſe vnio & eſſet pro *vbi*. §. 81.

Altera ratione accipitur hæc ſententia, quia *vbi* conſtituitur defixum eſſentialiter huic loco, à quo nec per potentiam abſolutam poteſt auelli: ſi igitur exiſtit *vbi*, non poteſt exiſtere niſi in hoc ſpatio fundans diſtantiam aut indiſtantiam ab aliis, quibus nec poteſt adeſſe propius, nec longius abeſſe. At verò poteſt illud *vbi* eſſe ſaltem per potentiam abſolutam iam in Petro, iam in Paulo. Quod confirmatur exemplo actuum vitalium, de quibus agendum à §.91. qui eſſentialiter ſunt determinati ad hoc obiectum, & non ad aliud, adeo vt nec diuinitus poſſit hoc illis deeſſe: poſſunt tamen per potentiam abſolutam eſſe ſine vllo ſubiecto, & diuerſa ſucceſſiuè mutare. At verò vnio vbicati ad *vbi* eſt eſſentialiter determinata ad illa duo extrema, ſine quibus nequit exiſtere, quo vitatur infinita progreſſio. §. 82.

Impugnatur tamen primo argumento ſimili ei quo hæc nititur ſententia, quia eadem eſt ratio de actione ac de *vbi*: ſed actio eſt modus: ergo & *vbi* eſt modus. Probo maiorem in calore, exempli gratia: in quo conſidero actionem quandam abſolutam, determinatam quidem ad calorem ipſum non minus quàm *vbi* ad ſpatium: at verò illa actio eſt indifferens ad agentia diuerſa: eius autem indifferentia determinabitur per aliam actionem modalem, quæ diuinitus ſit tam inſeparabilis à termino & agente quàm vnio vbicationis ab ipſa vbicatione & vbicato: quo vitatur infinita actionum progreſſio, vt in vnionibus vbicationis. §. 83.

Dices ſuperfluere actionem illam abſolutam, quia actio modalis ſatis eſt ad denominationem producti. Dico eam non magis ſuperfluere quàm vbicationem abſolutam, quia modus ille quem tu vocas vnionem, ſufficit ad cõſtituendum vbicatum in loco. Pone exiſtente *vbi* ſine ſubiecto (quod tu fieri poſſe fateris) conſtitui Petrum per motum localem in eo loco: illa actio per quam ibi ſiſtitur, ſolam producit vnionem: actio illa eſt motus localis, quia modus efficienter per illam ponitur in illo loco; nihil tamen producit præter vnionem: ergo datur motus localis, qui non producat immediatè diſtantiam atque indiſtantiam: quod tam abſurdum eſt quàm ponere actionem modalem terminatam ad abſolutam. Præter hoc abſurdum eſt etiam fatendum, multos modos eſſe ſubiecta rerum abſolutarum: vnio enim & actio aliaque eiuſmodi habent proprium *vbi*. item eſſent duæ lationes; altera ad *vbi*; altera ad vnionem eiuſdem cum §. 84.

vbicato

vbicato. Hæc tamen facilè hi deglutient authores. Ratio à priori eſt: quia *vbi* tam concipitur ad tollendam indifferentiam mobilis ad locum, quam actio ad tollendam indifferentiam agentis ad terminum: oppoſitum autem nulli nititur fundamento: quod ſufficit, vt deſeratur quando res eſt contra communem ſenſum.

§. 85. Ad argumentum in §.82. reſpondeo albedinem, quantitatem, & alia accidentia diſparari ab *vbi*: quia ſicut non ſunt determinatio eſſentialiter affixa, neque ad ſubiectum, neque ad aliam rem creatam in particulari ſine qua eſſe non poſſint; *vbi* autem eſt affixum vni loco ſingulari; ſic diſparantur quod non ſunt eſſentiales determinationes alicuius indifferentiæ, ſicut eſt *vbi*. Sin tu redde rationem cur *vbi* ſit alicui rei defixum, ſecus autem albedo: indidem enim ego rationem reddam cur *vbi* ſit modus & non albedo. Ratio igitur eſt, quia albedo nihil ſonat relatiuum, ſed concipitur more abſolutorum: ſubiectum enim ad nihil determinat, ſicut determinat *vbi*. Argumentum ſumptum ab actu vitali non vrget: facilius enim dicerem actus vitales eſſe modos quàm *vbi* eſſe rem abſolutam. Reſpondeo tamen illos eſſe res abſolutas: tum quia multa operantur more abſolutorum: tum quia ſunt accidentia inter omnia præſtantiſſima: neque apparet ratio ob quam ſint inſeparabiles à potentia, vt apparet in *vbi*.

§. 86. *Vnio eſt modus.* Item ſortitur eſſentiam modi vnio vnius rei cum alia; nam cum duæ res vel ſint indifferentes ad vnionem, vel poſſint diuinitus eſſe ſine illa, quando vniuntur, indigent aliquo conceptu determinante indifferentiam, vel potentiam in actum reducente. *Vnio eſt inter duas res.* Aduerte vnionem ſemper eſſe determinationem duarum rerum, & tollere earum indifferentiam, ſaltem quoad indiuiduum: vnio enim corporis & animi rationalis determinat indifferentiam materiæ ad ſolas formas rationales, & ad hanc numero *Materia cœli empyrei indifferens ad plures formas.* animam; item vnio cœli empyrei determinat materiam ad hanc numero formam, quia illa materia eſt indifferens ad omnes formas illius ſpeciei: & ſic de quauis vnione.

§. 87. *Omnis cauſalitas eſt modus.* Item ſortitur rationem modi omnis cauſalitas tam effectiua, quàm materialis: quia cum non ſit de eſſentia cauſæ actu cauſare: quando cauſat, habet alium conceptum, à quo & denominatur actu cauſans, & determinatur ad hunc numerum effectum.

§. 88. *Duratio eſſet modus ſi diſtingueretur ab exiſtentia.* Si duratio eſſet diſtincta ab exiſtentia, eſſet neceſſariò modus; quia eſſet determinatio creaturæ ad hoc tempus extrinſecum, ſicut vbicatio ad hunc locum. Exiſtentia autem etiam ſi diſtingueretur ab *Exiſtentia nõ eſſet modus ſi diſtingueretur ab eſſentia.* eſſentia; non eſſet modus, ſed res abſoluta; quia non eſſet eſſentialis determinatio eſſentiæ ad exiſtendum: quia exiſtentia eſt tam indifferens ad exiſtendum, quàm eſſentia quod diſputat. 8. apertè monſtrabo.

§. 89. *Vitalitas & ſupernaturalitas non ſunt modus actuum.* Hinc poteſt colligi, vitalitatem, & ſupernaturalitatem actuum non eſſe modum illis ſuperadditum; quia non ſunt determinationes actuum ad potentiam: nam actiones vitales ſupernaturales ſe ipſis determinant potentias ad actus: termini autem illarum actionum per ſuas eſſentias petunt per illas, & ab aliis potentiis produci.

§. 90. *Subſiſtentia nõ eſt modus.* Multi volunt ſubſiſtentiam rationem modi ſortiri, quod ex inſtituto quæretur diſputatione vndecima, ſectione quinta, non tamen video cur hoc aſſeratur: quia ſubſiſtentia non eſt determinatio naturæ ad aliud: nam motus, figura & *vbi*, determinant res ad locum, vel formaliter, vel effectiuè: duratio ad tempus, cauſatio agens, & patiens ad effectum; vnio vnum extremum ad alterum, ſubſiſtentia autem ad quid determinat? Dices eam eſſe *Obiectio præcluſa.* complementum naturæ. Contrà, quia complementum modale rem complet in ordine ad aliud, ad quod vel eſt indifferens, vel habet potentiam, quia modus eſt determinatio alicuius indifferentiæ rei ad aliud: qui per eſſentiam continet denominationem, quam tribuit ſubiecto: ſed ſubſiſtentia nec tollit indifferentiam ad aliud: neque eſt exercitium alicuius potentiæ, ergo non eſt modus. Hæc obſerua non vt modò diſputentur, ſingula enim inferius proprium ſibi vendicant locum. Tantum obſerua rationem commmunem modi. Relatio prædicamentalis, ſi diſtingueretur à fundamento, & termino eſſet modus: ſed eam non diſtingui probabo diſp.14. *Relatio eſſet modus ſi diſtingueretur.*

Supereſt difficultas de actu vitali, ſit ne modus? §. 91. *Difficultas de actu vitali.*
& quidem videtur eſſe: quia actus vitalis eſt eſſentialis actualis determinatio potentiæ ad obiectum. Sed non eſt ita: eſt quidem cognitio, actualis & formalis repræſentatio obiecti, quia ſe ipſa eſt actus repræſentans obiectum; at ſe ipſa ſola non determinat potentiam ad obiectum, nec denominat potentiam cognoſcentem: quia indiget vnione à ſe diſtincta, per quam tamquam per formalem rationem vniendi communicet potentiæ ſuum formalem effectum. Vnde illius vnio eſt eſſentialiter determinatio potentiæ ad obiectum, qua vnio eſt determinatio potentiæ ad cognitionem, & non poteſt determinare ad cognitionem, quin eadem ratione determinet ad obiectum tali cognitione formaliter repræſentatum.

Vel dicendum, vnionem eſſe formaliter determinationem potentiæ ad cognitionem: cognitionem autem ſimul cum vnione eſſe determinationem potentiæ ad obiectum. Determinari ad obiectum, eſt habere vnitam repræſentationem illius, quod includit, & repræſentationem, & vnionem: ſi verò cognitio ſeparetur à ſubiecto, eſt quidem actualis repræſentatio obiecti; non tamen denominat potentiam repræſentantem: ſicut animus rationalis ſeparatus, ſe ipſo eſt vita actualis, determinatiua corporis ad ſpeciem viuentis: ſed ad id præſtandum actu, indiget vnione: ita cognitio eſt actualis repræſentatio, & vita ſecunda: ſed indiget vnione, per quam determinetur ſubiectum ad cognitionem. §. 92. *Actus vitalis cum vnione determinat potẽtiam ad obiectum.*

Eſt quidem facile mentem confundere vocum confuſione, & vicinitate: ſpecies enim tam impreſſas, quàm expreſſas ſignificamus vocibus, *actionem* ſonantibus: habitum enim vocamus, *inclinationem*, & ſpeciem, *repræſentationem*, ſiue *tendentiam*: re autem cognitio, & ſpecies impreſſa ſunt ſicut albedo, & nigredo: quæ ad communicandos ſuos effectus formales, & determinandas potentias ad ſuas ſpecies indigent vnione diſtincta. Hæc dixerim de ipſa qualitate cognitionis, nam cognitio modum actionis includit. Illa qualitas non eſt modus, quia eſt principium actiuum habituum, & ſenſio externa eſt principium actiuum ſpeciei impreſſæ imaginationis. Item diuinitus poteſt conſeruari ſenſio externa quoad qualitatem, & actionem annihilato obiecto (dummodo conſeruetur eadem ſpecies impreſſa) ergo ſenſio, non eſt modus obiecti: ſed tantum includit modum potentiæ intrinſecum. vide §. 85. §. 93.

Mihi non eſt dubium, conceptum entis tranſcendere hos modos: nam quando apprehendo vnionem, aliquem conceptum apprehendo diſtinctum realiter à materia, & forma, vt probaui diſputat. 5. Phyſicorum ſect. 1. & ille conceptus ſic apprehẽſus habet §. 94. *Ens tranſcendit modos.*

habet aptitudinem ad eſſe: ergo eſt ens, cuius conceptus eſt aptitudo ad eſſe. Itaque in ratione entis conuenit vnio cum materia tam verè quàm forma.

§. 95.

Cenſent nonnulli ens non eſſe tranſcendens; quia conceptus entis conſtituitur formaliter per connotationem ad chymæram: ſed non eſt opus cõcipere modos cum hac connotatione. ergo. Probant maiorem: quia ens eſt aptitudo ad exiſtendum: hæc autem explicatur per connotationem ad chymæram. ergo. Nego maiorem. Ad probationem reſpondeo, exiſtentiæ conceptum eſſe omnium maximè per ſe notum: nec explicari per chymæram: ſed hæc explicatur per exiſtentiam: eſt enim chymæra repugnantia ad exiſtendum. Vt lux non explicatur per tenebras; ſed tenebræ per lucem. Quando ergo terminus poſitiuus non eſt per ſe notus, explicatur per oppoſitum; ſecus quando eſt notus per ſe. Deinde nego minorem; ſi enim ens concipitur neceſſariò per chymæram; omne ens ita concipitur.

DISPVTATIO III.

De entis attributis in commune.

SECTIO I.

Vtrum ens in commune habeat attributa?

§. 1.
Quid ſit attributum.

ATtributum, & paſſio ſunt conceptus conſequentes primum, & quidditatiuum conceptum, vt riſibilitas ſequitur rationalitatem, quantitas materiam primam: omnipotentia naturam Dei, quæ vocantur, *attributa, proprietates, paſſiones, vel affectiones.* Ad quorum rationem non eſt neceſſarium, vt conuertantur in conſequentia cum aliqua ſpecie infima: vel illam ſolam ſequantur: vt conceptus pertinentes ad quartum prædicabile; de quibus egi diſputat. 6. Logicæ, ſect. 5. ſed requiritur, vt per ſe oriatur attributum, aut paſſio ab aliquo conceptu quidditatiuo, ſiue ille ſit ſingularis, vt *Deus*; ſiue ſpecificus, vt *homo*; ſiue genericus, vt *animal*; ſiue tranſcendens, vt *ens*: nam quilibet primarius conceptus eſt radix, ſiue ratio aliorum ſecundariorum: ſic autem affectio, vel paſſio conuertitur in ſubſiſtendi conſequentia cum ſuo conceptu primario.

§. 2.
Formale attributi ratione diſtinguitur ab eſſentia.

Deinde aduerte, conceptum ſecundarium poſſe ſignificari termino abſtracto, vt *quantitas*, vel concreto, vt *quantum*: id quod ſignificatur in recto concreti, eſt eſſentia conceptus primarij, vt *quantum* dicit in recto ſubſtantiam, & in obliquo quantitatem illi adiacentem. Item *admiratiuum* dicit in recto rationale, connotans in obliquo admirationem, Ad rationem attributi requiritur identitas inter primarium conceptum & inter ſignificatum in recto per vocem concretam, v.g. inter *materiam primam & quantum*: alioquin falſa eſſet prædicatio attributi de eſſentia, vt hæc *materia eſt quanta*; at inter attributum ſignificatum in abſtracto, vel in obliquo per vocem concretam, & inter eſſentiam debet eſſe aliqua diſtinctio: ſi hæc diſtinctio ſit à parte rei, vt inter ignem & calorem; materiam & quantitatem, non vocatur *attributum*, ſed *propria paſſio*: quod ſi illa diſtinctio non ſit à parte rei, ſed tantùm per noſtrum intellectum, idem obiectum diuerſimodè denominantem; tunc non vocatur *paſſio*, ſed *attributum*: & quamuis inter attributum

Paſſio diſtinguitur realiter ab eſſentia.

& eſſentiam non eſt diſtinctio realis, attributum tamen eſt reale: quia eſt conceptus realis, vt iuſtitia Dei, & riſibilitas hominis ſunt attributa realia; quia concipiuntur, vt principia phyſica influentia in punitionem, & riſum.

Attributum ſola ratione diſtinguitur.

§. 3.
Scotus ex rei natura attributa diſtinguit ab eſſentia.

His præmiſſis: variæ ſunt hominum opiniones. Scotus diſtinguit entis attributa ex rei natura ab eodem ente. Verum probatum eſt ſuprà diſput. 2. ſect. 4. ens trãſcendere etiam modos, & diſputat. 5. probo ens formaliter includi in quolibet conceptu reali: quia conceptus realis eſt formaliter ens. Præterea apertè impugnatur Scotus: quia diſtinctio ex natura rei eſt inter duos conceptus poſitiuos, quorum neuter eſt alter: ergo vterque, vt diſtinctus ab alio, eſt aliquid; alioquin quomodo diſtinguuntur? ergo vterque eſt ens: ergo illud, quod tu vocas attributum, non eſt attributum, ſed ens, quia vt diſtinctum ab alio, eſt etiam ens.

Impugnatur.

§. 4.

Nonnulli Thomiſtæ ferè conſentiunt Scoto, opinantes entis attributa diſtingui formaliter actualiter ab ente: non tamẽ actualiter realiter, id eſt attributa eſſe modos entis. Verum ea nõ eſſe modos, & ſi ſint modi, eſſe vera entia patet ex dictis diſput. 2. ſect. 4. & 6. Deinde hanc diſtinctionem pluribus impugnaui diſp. 5. phyſicorum ſect. 1. item quilibet modus, aut formalitas, vel habet conceptum realem obiectiuum, vel non? ſi habet, eſt formaliter ens, & non attributum entis: ſi non habet, non poteſt eſſe reale attributum. B. Thomas, & plures eius diſcipuli aiunt, ens non habere reales paſſiones poſitiuas, ſed eius attributa addere, vel negationem, vel extrinſecum reſpectum rationis.

§. 5.
Prima concl. Attributa negatiua non ſunt propriè attributa.

Dico primò. *Entis proprietates, quæ formaliter dicunt aut negationem, aut priuationem, non eſſe propria illius attributa.* Probatur ex §. 1. quia attributum pro formali, eſt idem à parte rei cum eſſentia, ſed negatio, & priuatio non ſunt idem à parte rei cum ente, ergo negatio, aut priuatio non ſunt entis attributa. Confirmatur, attributum poteſt in abſtracto de eſſentia prædicari, *vt omnipotentia eſt Deus, & Deus omnipotentia: rationalitas eſt riſibilitas, & intellectus eſt voluntas*, vt probaui diſputat. 3. Logicæ, ſect. 3. ſed hæc eſt falſa prædicatio, *ens eſt negatio, aut priuatio*; ergo negatio, & priuatio non ſunt entis attributa; quia diſtinguuntur à parte rei tamquam aliquid, & nihil. Neque huiuſmodi attributa ſunt propria Deo, niſi in quantum negatio ſignificat reale fundamentum talis negationis: de quo diſput. 4. agetur, poteritque vocari *proprietas negatiua.*

Attributa negatiua qua ratione ſint Deo propria.

§. 6.
Secunda concluſ. In ſententia admittente præciſiones obiectiuas, ens nõ habet attributa.

Dico ſecundò. *In ſententia adſtruentium diuerſas formalitates obiectiuas, ens vt ſic nullum habet attributum reale.* Probatur: attributum pro formali non includit conceptum formalem eſſentiæ, ſed neceſſario debet aliquo modo ab ea diſtingui; ſed in ea ſententia attributum non diſtinguitur formaliter ab ente: ergo in ea ſententia non dantur attributa realia entis. Maior patet, quia ſi idem omnino ſit formalis conceptus eſſentiæ, & attributi, non habebunt diſtinctionem, ſed ſynonymiam; neque magis attributum erit eſſentiæ attributum, quàm eſſentia attributum attributi: immo neque erunt eſſentia, & attributum, ſed idem erit conceptus attributi, & eſſentiæ, & alterius de altero prædicatio erit identica; probatur minor: quia in attributo reali nullus datur conceptus, qui non ſit conceptus entis formaliter. Nam vt probaui, & aduerſarij ſupponunt, illud attributum eſt reale, & habet aptitudinem ad eſſe, at hic eſt eſſentialis conceptus entis: ergo, ſi attributum eſt formalitas realis, non tam eſt attributum entis, quàm conceptus

ptus quidditatiuus illius. Explicatur, veritas eſt attributum entis: rogo vtrum veritas in abſtracto concipiatur, vt ens? vel vt abſtracta ab ente? ſi vt abſtracta ab ente, ergo non eſt attributum reale, ſi verò vt ens, ergo non eſt attributum, ſed conceptus entis.

§. 7. *Obiectio præciditur.* Dices, in veritate includi formaliter conceptum entis: veritatem autem in ente non includit, ſicut ens clauditur in accidente, non tamen accidens in ente. Contrà, quia id non tam eſt abſtrahere duas formalitates obiectiuas: quàm cognoſcere obiectum idem magis, aut minus confusè, ſine diſtinctione formalitatum: vt vniuerſim Nominales admittunt omnes conceptus vniuerſales: & cum nonnulli autores impugnent Nominales in cognitione vniuocorum: eos ſequuntur in abſtractione entis, minus quidem conſequenter: de quo egi diſput. 2. ſect. 3. latéque agetur alibi: in præſenti autem dico conſtare, ex diſput. 2. a. §. 25. qua ratione reſponderi poſſit argumentis, quibus negatur entis ab inferioribus præciſio: quæ hic vim habent eandem.

§. 8. *Tertia concl. Ens habet attributa realia.* Dico tertiò. *Ens vt ſic habet attributa realia.* Ad quod repete memoria, quæ diſp. 6. dicam in diſtinctione rationis nō reperiri duas formalitates obiectiuas, ſed vnam entitatem diuerſimodè denominatā à diuerſis cognitionibus, quibus refertur ad varia cōnotata, vt animal, & rationale ſunt idem obiectū denominatum *animal* à cognitione, quæ refertur ad ſenſionem, &c. Vnde quādo idem obiectū refertur ad ea connotata, per quæ efformamus proprium rei conceptum, ille conceptus vocatur *eſſentia*, vt concipimus hominem in ordine ad ſenſionem, & diſcurſum, concipimus propriam hominis eſſentiam: licet eum non cognoſcamus in ordine ad admirationem: at verò quando idem conceptus obiectiuus refertur ad operationem, quæ oritur ex alia priori operatione, tunc ille conceptus vocatur *attributum*, vel *ſecundarius*, & *logicè accidentalis*: vt hominem eſſe admiratiuum, quia admiratio oritur ex diſcurſu; & hominem eſſe appetitiuum eſt illius attributum; quia ſicut intellectio eſt prior volitione, ita conceptus intellectiui eſt prior conceptu volitiui: nam ille eſt conceptus alicuius rei proprius, quo conſtituitur in ſuo proprio eſſe: hoc autem contingit, quando obiectum refertur cognitione ad aliquam operationem, vel connotatum ſibi proprium: & quando inter operationes proprias vna eſt quaſi propria radix, & velut præcipuum fundamentum cæterarum, conceptus ſumptus per ordinem ad illam eſt primus omnium, & eſſentialis: cæteri verò ſunt ſecundarij, & logicè accidentales.

Eſſentia, & attributa quid habeant in ſententia negante præciſiones obiectiuas.

§. 9. *Per definitionem non cognoſcitur adæquate tota eſſentia materialiter.* Vnde aduerte per diffinitionem non cognoſci adæquatè totam rei eſſentiā materialiter ſumptam, quia diffinitio formalis terminatur ad primum conceptum rei, non verò ad ſecundarios: vnde tota eſſentia rei vt diſtincta ab accidentibus realibus, non poteſt niſi demonſtratione cognoſci. Ita primus conceptus entis eſt *aptitudo ad eſſe*, quæ eſt radix præcipua cæterorum conceptuum: ens enim eſt cognoſcibile, & amabile, quia eſt aptum eſſe, non tamen ideo eſt aptum eſſe, quia eſt amabile. Prius enim cōcipitur res apta eſſe quàm apta amari vel cognoſci, quia cognitio ſupponit obiectum, ideo *aptitudo ad eſſe* eſt eſſentia entis, *cognoſcibilitas* autem attributum? Rogas quid ſit cognoſcibilitas, Reſpondeo eſſe idem ens clarè & explicitè relatum ad intellectum, quæ relatio non eſt quidditatiua entis cognitio, quia ſupponit ens relatum prius ad aptitudinem ad eſſe, quod clarius patebit ex ſect. 2.

Cognoſcibilitas eſt attributum, & quod ſit.

§. 10. Conceptus primarius vocatur *eſſentialis*, quia explicat eſſe rei: in Phyſicis autem primum eſſe rei eſt radix è qua Phyſicè germinantur accidētia phyſica, eſtque primum principium motus: vnde natura eſt conceptus primus, accidentia verò ſunt conceptus ſecundarij. Ita etiam Metaphyſicæ eſſentia eſt primus rei conceptus, ex quo ratione noſtra oriuntur cæteri conceptus. Non poteſt eſſe attributum vllum, quin mediatè, vel immediatè pendeat à primo. *Attributa* autem vocantur, quia attribuuntur primario conceptui; tamquam rationi, è qua deriuantur, quod explico hac propoſitione cauſali; *quia homo eſt rationalis, eſt admiratiuus.* Ecce admiratio adſcribitur, & attribuitur rationalitati: ſic enti adſcribuntur attributa. Nam *quia eſt ens, eſt bonum*; non autem *eſt ens, quia eſt bonum*, quia bonitas non eſt origo entitatis: ſed entitas bonitatis. Quam ob rem veritas, & bonitas ſunt attributum entis: quia ens eſt primarius conceptus: bonitas autem ſecundarius: qui attribuitur enti: *ideo* enim *eſt bonum, quia eſt ens.*

Primus conceptus dicitur eſſentialis & vnde.

Attributum vnde dicatur.

SECTIO II.

Vtrum ens ſit de conceptu attributorum: & quot hæc ſint?

§. 11. *Quarta concluſ. Attributo reali clauditur formaliter ens. S Thomas. Argumētum.* Dico quartò. *Attributum reale includit formaliter conceptum entis.* Ita S. Thomas aſſerens non habere attributa realia præter negationes, aut extrinſecas denominationes, quæſt. 1. de verit. artic. 1. ad ſextum his verbis, *aliquid eſt in ratione veri quod non eſt in ratione entis, non autem ita quod ſit in ratione entis, quod non ſit in ratione veri.* Probatur, nam attributum reale vt attributum habet aliquem obiectiuum conceptum; ſed ille conceptus eſt realis: ergo conceptus attributi eſt ens reale: ergo ens reale eſt de conceptu attributi. Maior eſt clara: nam ſi nullum habet conceptum obiectiuum, non erit attributum reale. Minor eſt per ſe nota, nam quidquid habet conceptum obiectiuum, eſt aptum ad exiſtendum. Nam res, quæ non poſſunt exiſtere, ideo non poſſunt, quia carent conceptu obiectiuo, vt entia rationis: nam quæ conceptum obiectiuum habent, non ſunt obiectiuè tantum in intellectu, ideo priuationes & negationes non ſunt propriè entia rationis, quia à parte rei cæcus eſt ſine viſu, id eſt, non eſt viſus à parte rei, vt explicui diſp. 3. Phyſicorum.

§. 12. *Argumentū Scoti primū.* Scotus in 1. diſt. 3. quæſt. 3. §. *Ad quæſt. igitur.* ſic argumentatur contra concluſionem hanc, quia attributa entis, ſunt paſſiones illius: ſed paſſio ſuperadditur ſubiecto: ergo paſſio entis eſt ſuperaddita enti: minor probatur, quia ſubiectum ponitur in diffinitione paſſionis. Diſtinguo minorem, ſuperadditur tamquam aliquid inadæquatè diſtinctum, concedo: adæquatè, nego; nam attributa entis ab eo diſtinguuntur inadæquatè, ad quorum rationem ſufficit ſi ſub conceptu attributi referatur ad intellectum, aut voluntatem idem ens: ad quæ non refertur in primo conceptu: quia non eſt opus referri ens ad voluntatem, ſicut refertur bonum. Vnde ens non eſt de ratione attributorum tamquam forma: ſed potius vt ſubiectum denominatum: eſt enim hæc prædicatio directa. *Ens eſt vnum,* & hæc indirecta, ſiue non formalis, *vnum eſt ens*, ſicut hæ *homo eſt riſibilis: riſibile eſt homo*: nam indiuiſio eſt velut forma entis: ens autem non eſt forma indiuiſionis. Vnde reſpondetur alij argumento Scoti ſumpto ex prædicatione per ſe *vnius* de *ente.*

Reſpondetur.

Secundò

§. 13. *Secũdum argumentum Scoti.* Secundò arguit Scotus: ſi attributa includunt ens, ergo ens diuidi poteſt in illa: ſed non diuiditur: ergo. Probatur minor: quia ens diuiditur in creatum & in increatum, & in decem genera, quia illud quidditatiuè includunt. *Reſpondetur.* Nego cōſequentiam: nam ratio cōmunis eſt diuidenda in plures differentias, quarum neutra cum diuiſo conuertatur: at vnum conuertitur cum ente. *Diuiſionis proprietas.* Adde, diuiſionem fieri per differentias quidditatiuas inferioribus: nō verò per accidentarias phyſicè, aut logicè. Attributa autem, licet includant ens, illud includunt cum accidentaria prædicatione logicè, quæ ratione noſtra conſequitur aliam priorem prædicationem: *vnitas* enim, *veritas*, & *bonitas*, ſubſtantiæ & accidentis, oriuntur ex illorum quidditate tamquam è radice.

§. 14. *De attributis entis ſentiendum vt de ſubſtantia & ente.* Itaque de realibus entis attributis ſentiendum eſt, ſicut de ente comparato ſubſtantiæ, & accidenti: quia ens non includit formaliter ſubſtantiam, aut accidens: hæc autem includunt formaliter ens: ſic ens non includit attributa realia; attributa autem includunt ens.

§. 15. *Obiectio.* Dices: ergo non tam erunt attributa, quàm ſpecies entis: nego conſequentiam: tum, quia conceptus differentialis non oritur à conceptu generico, ſicut attributum oritur ab eſſentia: nam licet ſenſio hominis ſit conditio requiſita ad diſcurſum, id tamen non cognoſcimus ex præciſa ratione ſenſionis: nam etiam diſcurſus in animo ſeparato reperitur ſine illa; at riſum cognoſcimus ex diſcurſu, & volitionem ex intellectione. Quam ob rem rationale non oritur ab animali; ſicut riſibile & voluntas oriuntur à rationali, & intellectu: bonum item oritur ab ente, & ſic non eſt illius differentia, ſed attributum: tum etiam, quia ſpecies non conuertitur cum genere, ſicut attributum cum eſſentia. Atque hæc diſtinctio inadæquata eſt propria tranſcendentium, nam in aliis denominamus duos conceptus adæquatè diſtinctos vt miſericordiam, & iuſtitiam Dei.

§. 16. *Quinta concluſio. Vnum attributum eſt alterius.* Dico quintò. *Vnum attributum eſt attributum alterius.* Probatur, tum quia ens includitur in vnoquoque attributo reali, ergo ſecum affert cętera attributa: tum quia veritas eſt amabilis, & amabilitas cognoſcibilis: ergo amabilitas eſt vera, & veritas amabilis: tum tertiò, quia iſta attributa referuntur ad extrinſecas denominationes intellectus, & voluntatis: quæ potentiæ tendunt inuicè in ſua obiecta; voluntas in obiectum intellectus, & intellectus in voluntatis obiectum. *Verũ diſtinguitur à bono.* Verum eſt, bonum formaliter non eſſe verum, quia bonum vt bonum connotat ſolum actum voluntatis: verum autem vt verum eſt denominatio à ſolo intellectu: vnde vnum attributum non eſt formaliter aliud.

§. 17. *Attributa realiter inter ſe non diſtinguuntur: ſed ratione.* Aduerte, attributa realia eſſe idem materialiter à parte rei, non tamen formaliter: nam attributum dicit diſtinctionem ab eſſentia, cui attribuitur, ſiue adſcribitur tamquam principio, aut rationi, è qua deducitur attributum. Vnde eſt vera hæc propoſitio, *miſericordia Dei eſt iuſtitia Dei:* hæc tamen falſa, *attributum miſericordia eſt attributum iuſtitia:* quia inuoluitur modus concipiendi, & denominandi ad diuerſa connotata, vt patet ex diſputatione 3. logicæ, ſect. 3. & infrà duputatione 5. ſect. 10.

§. 18. De numero attributorum entis diuerſæ ſunt opiniones. Mihi placet Fonſecana 4. met. cap 2. quæſt. 5. ſect. 2. attributa ſimplicia eſſe tria nempe *vnum, verum & bonum: Rem* autem & *aliquid* eſſe ſynonyma cum ente. Formaliter enim & in modo concipiendi *res* eſt quidditas entis ſignificata cum ordine ad exiſtentiam: omne autem ens eodem modo ſignificatur, vt conſtabit diſp. 8. cum agetur de eſſentia & exiſtentia. *Aliquid* autem nihil ſignificat præter ens. Etenim quod dicunt eſſe aliud quid, parui momenti eſt. Cum enim concipimus aliquid, non concipimus diſtinctionem entis: quia hæc aut non eſt attributum ſimplex; aut explicatur vnitate.

Dicunt aliqui tres relationes diuinas eſſe tres res relatiuas, non tamen tria entia. Contrà, quia res per ſe eſt attributum conuertibile cum ente; ergo vbi ſunt tres res, erunt & entia tria: alioquin erit formaliter attributum relatiuum ſine ente relatiuo. Nam res relatiua non eſt attributum tranſcendentale naturæ diuinæ, quia hæc habet vnitatem abſolutam, diſtinctam virtualiter à relatiua: nec ſunt formaliter conuertibiles res relatiua & natura: quia in Patre habet natura ſuam vnitatem abſolutam terminatam vnitate relatiua: hæc autem vnitas vt ſic terminata non eſt conuertibilis cum filiatione. Alia prætermitto parum quidem vtilia. §. 19.

SECTIO III.

Nonnulla propono principia.

Inter proprietates entis poſſunt nonnulla vniuerſalia principia referri: è quibus pendet vniuerſa ratiocinatio. Ac primùm pono, ex diſp. vltima Logicæ, principia ad demonſtrationem oſtenſiuam, qua proprietas oſtenditur de ſubiecto, eſſe propriam eſſentiam, & eius diffinitionem. Vnde principia metaphyſica ad demonſtrationem oſtenſiuam metaphyſicam eſt natura, & eſſentia entis, aut Dei, aut Angeli, ad demonſtrandum, vel primum attributum, vel proprietatem: primum autem eſt immediatum principium ad ſecundum demonſtrandum; vt ens ad verum: verum ad bonum: quæ prima principia ſunt indemonſtrabilia à priori; quia ſiſtendum eſt in prima vna cauſa, aut radice in eodem genere indemonſtrabili à priori. Metaphyſica verò probat ſua principia, vel terminorum explicatione, quando ſunt ipſo naturæ lumine nota; vel à poſteriori per effectus, vel per varias comparationes, aut ſimilitudines. Dices, nullam ſcientiam demonſtrare ſuum obiectum. Sæpe reſpondi, in nulla demonſtratione actuali, probari ſubiectum talis demonſtrationis, ſecus verò in tota collectione ſcientiæ. Alia principia communia deſeruiunt demonſtrationi reducenti ad impoſſibile: quæ reſpondentem in eas conii cit anguſtias, vt eum cogat, aut cantare palynodiam (vt aiunt,) aut duas propoſitiones contradicentes admittere: quod eſt impoſſibile. §. 20. *Principia cõmunia non ſunt in demonſtratione particulari.* *Metaphyſica qui probet ſua principia?* *Qualibet ſcientia totalis oſtendit ſuum ſubiectum; non qualibet partialis.*

Hæc principia ſunt. *Quodlibet eſt, vel non eſt.* item, *Impoſſibile eſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe.* ly *quodlibet*, nō ſignificat in particulari aliquid reale; ſed quodlibet obiectum, quod voce profertur, aut apprehenditur mente, vt ſi quis hæc verba faciat. *Deus, mons aureus.* de Deo verum eſt aſſerere, *Deus eſt, vel non eſt*: de monte aureo, *mons aureus eſt, vel non eſt*, & ſic de ſignificato cuiuſque vocis. Ly *eſt* dicit aptitudinem ad exiſtendum: aptarique poteſt tam exiſtentiæ actuali; quàm in potentia: quod primum principium adeo eſt per ſe notum, vt præ claritate ſit obſcurum explicatu: continet enim terminos clariſſimos: quos aliis clarioribus explanare non poſſumus. Nam dum res eſt, eſt, & habet eſſe: tunc autem non caret eſſe, nec deſinit eſſe: dum verò res non eſt, neque habet eſſe: tunc autem non poteſt dici eſſe, neque habere eſſe; quia componi non poſſunt §. 21. *Duo prima principia. Quodlibet eſt vel non eſt explicatur.*

poſſunt *eſſe* ſimul & *non eſſe* eiuſdem rei in eodem loco,circumſtantiis,&c.quia *eſſe*,& *non eſſe* reciprocè deſtruuntur.

§. 21. *P.Suar. opinatur eadem principia eſſe diuerſa.* Pat. Suarez, diſput.3. ſect.3. à num.5.exiſtimat hoc principium non eſſe idem cum alio, *impoſſibile eſt idem, ſimul eſſe : & non eſſe*, inuectus in Iauellum, quod oppoſitum ſenſerit, 4.Metaphyſicæ,quæſt.9. Nam ſicut in contrariis aliud eſt,quod non poſſint ſimul conuenire eidem, aliud verò, quod alterum eorum neceſſario conueniat : Ita etiam in contradictoriè oppoſitis hæc duo formaliter, & in rigore diuerſa ſunt : quæ duo ſignificantur duobus illis principiis : nam *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe , & non eſſe*, ſignificat repugnantiam contradictoriè oppoſitorum ; at *quodlibet eſt, vel non eſt*,ſignificat immediationem eorumdem. Et inter ea nullum eſſe medium,quod poſſit exiſtere : ſed alterutrum neceſſario fore,& primo principio innititur hæc propoſitio, *impoſſibile eſt idem ſimul affirmari & negari de eodem*;& hoc Logicum principium,*impoſſibile eſt duas propoſitiones contradicentes , ſimul eſſe falſas , aut ſimul veras :* ſecundo verò principio innititur hoc Logicum, *neceſſe eſt quodlibet affirmari,vel negari de aliquo.*

§. 22. *Sunt tamen in contradictorijs, non in contrarijs.* Exiſtimo tamen , illa principia eſſe formaliter vnum , applicata terminis contradictoriis. Nam in contrariis,non ſunt idem:hoc enim principium, *homo eſt albus ,vel non eſt albus* , eſt verum neceſſario; hæc autem propoſitio , *impoſſibile eſt hominem ſimul eſſe album,& nigrum*, eſt falſa de potentia abſoluta: item & hæc ex natura rei , *homo neceſſario eſt albus, aut niger.* Probatur autem hæc ſententia tum ex P. Suarez. P.Suarez : nam illud principium, *impoſſibile eſt,&c.* per te ſignificat repugnantiam contradictoriorum. Secundum verò *quodlibet eſt , &c.* per te ſignificat eorumdem immediationem. Sed repugnantia contradictoria, & immediata oppoſitio , ſunt formaliter idem : ergo , & illa principia ſunt formaliter vnum : tum etiam ; nam repugnantia , vt duo conceptus ſimul ſint , & non ſint , ſignificat vtrumque conceptum exiſtere non poſſe ; item ſignificat vtrumque non poſſe ſimul exiſtentia carere : ſed hoc eſt alterum eorum neceſſario eſſe vel non eſſe:ergo illa duo principia ſunt vnum:probatur minor : nam ſi Petrus & non eſſe Petri , neque exiſtere ſimul poſſunt, neque ſimul exiſtentia carere;ergo neceſſariò Petrus exiſtit, vel non exiſtit;ita vt Petro exiſtente,non exiſtat priuatio illius,& exiſtente priuatione Petri , non exiſtat ipſe Petrus: ergo ita ſe habent, vt alterum neceſſariò exiſtat, & ſimul cum illo non exiſtat eius contrarium. *Sed quodlibet eſt , vel non eſt* , formaliter ſignificat hoc; nempe alterum extremum ſolum neceſſariò eſſe; item, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe,& non eſſe :* hoc ſignificat ; quia neceſſariò debet eſſe alterum illorum , nempe aut eſſe , aut non eſſe , quia dicit eſſe impoſſibile vtrumque ſimul eſſe , & vtrumque ſimul non eſſe : ergo affirmat exiſtentiam vnius , & negat exiſtentiam alterius ſimul.

§. 23. *His duobus principijs tractio Metaphyſica principia omniũ ſcientiarum.* Quia verò hæc principia adeo ſunt certa , vt quæuis facultas eis vtatur deductione ad impoſſibile,ea ratione dicitur Metaphyſica tueri,& defendere principia cæterarum facultatum, & contra ea negantes non eſt arguendum principiis eiuſdem facultatis;ſed Metaphyſicæ,demonſtratione deducente ad impoſſibile. *Contra negãtes principia hæc nõ eſt arguendum niſi fuſte.* Si quis autem hæc principia negauerit, vel diſtinxerit,fuſte potius,quàm ratione erit erudiendus. Quod ſi conqueratur ſe percuti ; reſpondebis non quodlibet eſſe , vel non eſſe, atque ita dum ipſe percutitur eum non percuti, quia in eius ſententia , idem poteſt ſimul eſſe , & non eſſe. Si poteſt res ſimul eſſe, & non eſſe ; ergo ſimul ſunt res , & eius priuatio : ergo homo ſimul moritur,& viuit ; & ſimul generatur,& non generatur,& nos dum hìc ſumus,non ſumus hic;& hæc lectio antequam hodie ſcriberetur , iam erat ſcripta ; & dum vos eam ſcribitis,non ſcribitis ; dum aliquid ignoramus , illud ſcimus ; & cum dormimus,vigilamus,& dum laboramus , otiamur. Ariſtot. Ariſtoteles lib.4.Metaphyſicorum hoc principium ex inſtituto probat , quod tamen arbitror à nullo vnquam homine fuiſſe negatum. Sed Ariſtotelem ſuo more id alicui ex ſuo cerebro impoſuiſſe , vt inde occaſionem arriperet illius confirmandi.

DISPVTATIO IV.

De vnitate reali.

SECTIO I.

In quo conſiſtat ratio formalis vnius?

SVBSECTIO I.

Expenduntur duæ ſententiæ.

§. 1. *De quo genere vnius agatur.* NON agitur de *vno* per accidens , includente plura vt plura , phyſicè non vnita , vt de multitudine, exercitu , domo : ſed de vno per ſe,quod vel eſt ſimplex vt Deus , & Angelus ; vel compoſitum eſſentialiter ex materia , & actu ſubſtantiali , vt homo ; vel compoſitum integraliter , vt virga , vel compoſitum accidentale vt album ; cuius partes ſunt phyſicè vnitæ ; inquiritur nunc , quæ ſit ratio formalis , qua vnumquodque ens conſtituitur in ratione vnius?

§. 2. *Vnitas nõ diſtinguitur ab ente ex natura rei.* Ac primùm reiiciendi ſunt , qui cenſent vnitatem diſtingui ex natura rei ab ente : nam (vt ſæpe dixi) ſi eſt aliquid poſitiuum, ergo habet aptitudinem ad eſſe : ergo eſt ens reale : ergo habet eſſentialem conceptum entis : ergo non diſtinguitur ab ente ex natura rei, nam licet diſtinguatur ab aliquo ente in particulari , non tamen à tota collectione entis : de quo latè agam diſp. 5. oſtendens nullum conceptum inferiorem poſſe diſtingui ex natura rei,à conceptu entis.

§. 3. *Secundũ argumentum efficax.* Secundò impugnantur;admitto conceptum entis , quem ab vnitate diſtinguis ; ille conceptus ſe ſolo eſt vnus ſine altero conceptu à te ficto : ergo vnum non diſtinguitur ab ente ex natura rei : probatur antecedens, quia ille conceptus entis , vt diſtinctus ab vno , per ſuam entitatem eſt in ſe indiuiſus : ergo ille conceptus per ſuam entitatem eſt vnus,& non per vnitatem ab illo diſtinctam : conſequentia patet à definitione ad definitum , antecedens probatur ; tum in Deo , qui per ſuum conceptum eſſentialem ita eſt in ſe indiuiſus, vt per illummet repugnet diuidi in ſe , quia conceptus Dei per ſuam entitatem eſt vnus Deus , carens diuiſione in ſe : ergo illud ens per ſuam entitatem eſt vnum & non per aliquid ab illa diſtinctum : ergo vnum vt ſic, non diſtinguitur ex natura rei ab ente vt ſic : tum probatur in Angelo eamdem ob cauſam:tandem in homine, qui per conceptum materiæ,formæ,& vnionis , nullam habet in ſe diuiſionem:ergo forma,& materia hominis ſunt indiuiſæ per vnionem , & non per vnitatem ab vnione diſtinctam ex natura rei.

§. 5. *Obiectio confutatur.* *Indiuiſio radicalis eſt actualis.* Dices, Deum, Angelum, & hominem per ſuas eſſentias eſſe indiuiſos radicaliter, non tamen formaliter. Contra primò, quia eſſe indiuiſum radicaliter, eſt formaliter eſſe indiuiſum; quia eſſe indiuiſum formaliter, eſt habere formam, cum qua repugnat diuiſio, quæ forma in Deo eſt eius actualitas: in homine autem eſt vnio: quia diuiſio radicalis eſt poſſe diuidi, actualis verò eſt ipſa diuiſio; iis opponitur contradictoriè vnio in compoſitis: & actualitas in ſimplicibus; quia idem eſt non poſſe diuidi, & non diuidi: ſicut in immortalitate Dei idem eſt non poſſe mori, & non mori: quia vtrumque fit per vitam per eſſentiam.

§. 6. *Opinio Pat. Vazquez.* S. Bonauent. Alexand. P. Suarez. Pat. Vazquez 1. part. tom. 2. diſput. 128. cap. 2. ſecutus Bonauenturam, Alexandrum, & alios graues Authores (quos etiam Pat. Suarez adducit diſput. 4. Metaphyſicæ, ſect. 1. num. 1.) opinatur rationem formalem vnius eſſe conceptum poſitiuum, ſola ratione ab ente diſtinctum. Primùm innititur Ariſtot. Ariſtoteli affirmanti vnum, & multa opponi contrariè: ergo tam vnitas, quàm multitudo ſunt conceptus reales. Secundò ad hominem argumentatur contra B. Thomam opinantem, S. Thom. vnitatem, quæ eſt principium numeri addere ſupra ens aliquid poſitiuum, quia addit rationem quantitatis: ſolam, enim quantitatem videtur opinari S. Thomas eſſe principium numeri; ergo ſicut hæc vnitas eſt poſitiua, ita & vnitas tranſcendens. Negari poſſet conſequentia; quia in opinione S. Thomæ eſſe principium numeri, videtur eſſe conceptus ſpecificus entis: qui eſſentialiter conſtituitur quantitate; & ipſa quantitas, de cuius eſſentia eſt numerum conſtituere, habet ſuam vnitatem negatione conſtitutam.

§. 7. P. Vazquez. Hinc arguit tertiò Pat. Vazquez, numerum formaliter conſtare priuationibus, quia conſtat vnitatibus, quæ ſunt priuationes, quod videtur abſur- P. Suarez. dum. Sed reſpondet P. Suarez, numerum habere duos conceptus; alterum poſitiuum, & alterum negatiuum; qualitas enim hominum ſunt duo homines cum ſuis vnitatibus; quæ negatione conſtituuntur. Quartò arguit Pat. Vazquez; quia priuatio oritur ex aliquo poſitiuo: ergo illud ex quo oritur, erit ratio formalis vnius. Reſpondetur, illud ex quo ſequitur eſſe ens, quod formaliter non eſt vnū, ſed materialiter: & retorquetur argumentum contra ipſum Pat. Vazquez: quia tu ais, vnitatem eſſe conceptum poſitiuum ortum ex conceptu entis: ergo ille conceptus, ex quo oritur, erit vnum: ſicut per te conceptus, ex quo oritur negatio, eſt vnum: at ſicut tu dicis, ens conceptum ſine tua vnitate, non eſſe formaliter vnum, eſſe tamen, cum concipitur cum tua vnitate, ita & S. Thom. ens conceptum ſine negatione non eſſe formaliter vnum, eſſe tamen, quando concipitur cum illa.

§. 8. *Quid in ea ſententia diſpliceat.* Diſplicet in hac ſententia diſtinctio adæquata vnius à conceptu entis: admiſſa enim hac diſtinctione, & conſtitutis duabus formalitatibus obiectiuis, altera entis, altera vnius: ſic argumentor; per te ille conceptus vnius eſt poſitiuus: ergo eſt conceptus realis, & reale ens: ergo ille conceptus non poteſt eſſe attributum entis. Nam attributum entis, vt ſic debet eſſe conceptus ſecundarius ortus ex primo conceptu entis vt ſic, inquirimus enim proprietates entis in communi, non verò alicuius in particulari, & vt diſp. 3. ſect. 1. probaui, attributum eſt conceptus ſecundarius eius, cuius eſt attributum: ſed ille conceptus realis vnius non eſt conceptus ſecundarius entis vt ſic; ergo non eſt attributum entis vt ſic. Probatur minor; quia ille conceptus vnius eſt eſſentialiter ens, vt probatum eſt, quia per te eſt poſitiuus, & habet aptitudinem ad eſſe; ſed vnus conceptus entis, non eſt conceptus ſecundarius entis vt ſic: ergo ille conceptus vnius, non eſt conceptus ſecundarius entis vt ſic. Probatur minor; quia ens vt ſic includit omnes conceptus entis; nullúmque excludit, & quidquid eſt attributum illius, excluditur: extra totam collectionem entis formaliter; item quidquid conuenit enti vt ſic, conuenit cuiuis conceptui entis: vt quidquid conuenit animali vt ſic, conuenit cuiuis animali: ſed ille conceptus, ſi eſt realis, non eſt extra totam collectionem entis; neque poteſt eſſe conceptus ſecundarius ſui ipſius, neque attributum: ergo non eſt attributum entis vt ſic.

§. 9. *Confirmatio argumenti.* Confirmatur: conceptus entis, & conceptus vnius ſunt per te reales, & diſtinguuntur in ratione talis entis, ſicut animal, & rationale ſunt duo conceptus entis realis, ratione diſtincti: ergo neuter illorum eſt ens vt ſic: quia ens vt ſic debet complecti omnes conceptus entis: aſſigna mihi ergo ens vt ſic, cuius attributum ſit vnum; nam ſi *vnum* eſt conceptus realis, iam includitur in ente vt ſic: ſi autem ſit priuatio, ergo vnitas non eſt attributum reale. *Confirmatio ſecunda.* Confirmatur ſecundò, ille conceptus vnius, eſt verè ens reale, ſicut conceptus entis; rogo vtrum ſit vnum? vel plura? vel abſtrahens ab vno, & pluribus? Tertium & ſecundum dici non poteſt: erit ergo primum: per quid igitur conſtituitur in ratione vnius formaliter? Dices ſe ipſo: cur ergo alter conceptus entis non conſtituetur vnus ſe ipſo? ſi enim ille tuus conceptus connotat negationem, eamdem connotabit ens vt ſic: quod ſi tuus ille conceptus non connotat negationem, & eſt vnus: cur non erit idem in ente vt ſic?

§. 10. *Secunda opinio.* S. Thom. P. Suarez. B. Thomas 1. part. quæſt. 11. artic. 1. & plures grauiſſimi authores, quos ſequitur Pat. Suarez diſputatione 4. ſectione 1. opinantur, vnitatem formaliter conſiſtere in negatione, aut priuatione diuiſionis rei in ſe, & in actuali diuiſione ab alio. Itaque quælibet res vna nullam habet in ſe diuiſionem, & habet diuiſionem à qualibet alia re, verbi gratia, homo eſt vnus, quia neque inter materiam & formam, neque inter partes integrales habet diuiſionem, & habet diuiſionem ab omni alia materia, forma, vel ſubſtantia: at verò multitudo non eſt vna res, ſed plures, quia in ſe ipſa habet diuiſionem, quia quælibet vnitas eſt diuiſa ab alia. Ariſtot. Hanc ſententiam Ariſtoteles docet apertè, 5. Metaphyſicorum, c. 6. *vniuerſaliter autem* (inquit) *quæcumque non habent diuiſionem, quatenus non habent, eatenus vnum dicuntur*: & ibidem, *illud igitur, quod ſecundum quantitatem, & prout quantum, indiuiſibile eſt, quod quidem omnino, & ſine poſitione eſt* (id eſt, ſine entitate poſitiua) *dicitur vnitas: quod verò omnino poſitionem habens, punctum.* vbi Ariſtoteles vult vnitatem eſſe rationem indiuiſibilitatis ſine poſitiua entitate; quo differt à puncto, quod eſt indiuiſibile, ſed poſitiuum.

§. 11. *Prima probatio.* Hæc ſententia probatur primò, quia vnitas non eſt ens rationis; quia omne ens rationis eſt fictum (vt oſtendi diſput. 1. Logicæ, ſectione 3. latius infra probaturus diſputatione 19.) at rem eſſe vnam, nihil eſt fictum: nam ſine vlla fictione Deus eſt vnus, & Petrus eſt vnus: neque item eſt modus ex natura rei ab ente diſtinctus (vt §. 2. probaui,) neque item eſt conceptus poſitiuus ratione noſtra adæquatè diſtinctus à conceptu entis, (vt probaui §. 8.) neque eſt conceptus poſitiuus inadæquatè diſtinctus ab ente, illúdque includens: ergo

ergo aliquid negatiuum. Conſequentia patet, quia nihil ſupereſt quod eſſe poſſit: probatur autem vnitatem non eſſe conceptum realem includentem ens.

§. 12. *Primum argumentum. Reſponſum.* Primò, quia ſequeretur ens includi quidditatiuè in conceptu *vnius*: quod eſt contra rationem attributi. Verum oſtendi diſp.3.ſect.2. nullum eſſe abſurdum ens imbibi in realibus attributis: quia in mea ſententia nihil eſt aliud, quàm clarè concipi ens ſub ratione veri, vel boni. *Secũdum argumentum. P. Suarez.* Secundò, idem probat Pat. Suarez, quia *vnum* eſſet de conceptu, & eſſentia entis, ſicut attributa Dei ſunt de illius eſſentia: quia licet ab ea, ratione diſtinguantur; ſunt tamen ex natura rei idem cum illa, vnde *vnum* non eſſet paſſio entis, ſed eſſentia: neque poſſet ens quidditatiuè cognoſci ſine formali conceptu vnitatis. *Reſponſio.* Sed hoc fundamentum corruit ex ſola explicatione ſententiæ contrariæ, aſſerentis ens includi in vnitate: vnitatem verò non includi formaliter in ente. Vnde non eſt de conceptu eſſentiali illius: neque attributa Dei ſunt de illius eſſentia: nam licet ſint idem à parte rei, deberent concipi eodem conceptu, quo eſſentia, vt eſſent de illius conceptu, vt dixi diſput. 3. ſect. 1. & in logica ad prædicabile proprij. Atque ipſe Pat. Suarez vidit his duobus argumentis nihil vrgeri huius ſententiæ aſſertores.

§. 13. *Tertium argumentum.* Tertiò, præciſa ab ente illa vnitate poſitiua, ens manet vnum, ergo non conſtituitur vnum per conceptum poſitiuum: probatur antecedens in Deo, qui poteſt concipi (iuxta oppoſitam ſententiam) ſine vnitate: ſic autem conceptus Deus ſine additione alicuius conceptus realis, poteſt concipi cum indiuiſione in ſe, & diuiſione ab alio: ergo ratio *vnius* reperitur in conceptu Dei addendo ſolam diuiſionem ſine adiectione conceptus realis.

§. 14. *Quartum argumentum.* Quartò probatur idem in ente compoſito, in quo quidquid poſitiuum reperitur, quod poſſit eſſe ratio vnius, eſt de illius eſſentia: nam vnio eſt de eſſentia hominis, & punctum continuatiuum de eſſentia lineæ; in quantum continetur in ſpecie quantitatis continuæ; quæ vniones non pertinent ad conceptum formalem vnius: ſed ad conceptum primarium entis. *Quintum argumentum.* Quintò in entibus ſimplicibus, in quibus perfectior videtur eſſe vnitas: immo ipſa ſimplicitas videtur eſſe maxima vnitas: ſed ſimplicitas de formali non addit rationem poſitiuam, etiam ratione diſtinctam ab ente ſimplici, & à perfectione, quæ in ratione talis entis in eo concipitur: adeo vt iuxta probabiliorem Theologorum opinionem, ſimplicitas nihil perfectionis addat Deo ſupra perfectionem ſummæ actualitatis, in qua fundatur ſimplicitas: ergo multo minus vnitas addet rationem poſitiuam ab ente diſtinctam.

§. 15. *Quid probãt tria vltima argumenta.* Hæc tria argumenta probant ſententiam, quam contra Pat. Vazquez defendi, §.8. nempe vnitatem non eſſe conceptum realem, adæquatè diſtinctum ratione noſtra ab ente: non tamen probant formaliter conſiſtere in pura negatione, aut priuatione. *Ad tertium.* Ad tertium ergo diſtinguo conſequens: vnum non conſtituitur per conceptum poſitiuum adæquatè diſtinctum ab ente; concedo conſequentiam: non conſtituitur per primum conceptum realem inadæquatè, & ratione diſtinctum, explicatum per connotationem ad diuiſionem, nego conſequentiam; ens autem non conceptum per ordinem ad diuiſiònem, neque eſt formaliter vnum, nec plura; ſed abſtrahit ab vtroque: ſicut abſtrahit à vero, & bono: & ſicut animal non conceptum per ordinem ad rugitum, & diſcurſum, non eſt formaliter rationale, aut irrationale; ſed ratione abſtrahit ab vtroque. Ad probationem de Deo reſpondetur, Deum in primo conceptu non explicari per connotationem ad diuiſionem in ſe, & ſic conceptum Dei materialiter eſſe vnum, non verò formaliter. *Ad quartũ.* Ad quartum, de compoſitis, reſpondetur eodem modo, vnionem ſecundum ſuam entitatem eſſe de illorum eſſentia; vnitatem autem conſiſtere in eadem vnione explicata per connotationem ad ſuum contradictorium, quæ eſt diuiſio. *Ad quintũ.* Ad quintum, probare noſtram ſententiam; nempe vnitatem conſiſtere in entitate rei explicata per diuiſionem.

SVBSECTIO II.

Quid de quæſtione ſentiendum?

§. 16. *Prima concluſio. Vnitas ſola ratione ab ente diſtinguitur. Ariſtot.* Dico primò. *Vnitas ratione tantùm diſtinguitur à conceptu entis.* Quod probaui, §.2. contra Scotum. Ita Ariſtoteles, 4. Metaphyſicorum, cap. 2. vbi explanat rationis diſtinctionem eſſe, concipere rem eamdem: ſed modo diuerſo illam declarare: vbi ait, idem eſſe hominem, vnum hominem, & ens hominem; neque hæc ſignificare diuerſa (nempe realiter diuerſa) *quare* (inquit) *manifeſtum eſt, quod additio in his idem ſignificat, & quod* vnum *nihil aliud eſt præter ens.* Cum ergo Ariſtoteles paſſim doceat, *vnum* eſſe affectionem entis, & *ens* & *vnum* non ſignificare diuerſa; oſtendit planè *ens* & *vnum* ſola ratione diſtingui: & propter idemtitatem realem, *ens* & *vnum* non ſunt diuerſa. Secundò, probatur ex communi ſentiendi ratione, quia affirmatur, ens non habere paſſiones: ſed attributa, quod ex concluſione tertia conſtabit apertius.

§. 17. *Secunda concluſio. Non conſiſtit vnitas in negatione, aut priuatione.* Dico ſecundò. *Vnitas non conſiſtit formaliter in priuatione, vel negatione.* Probatur ex concluſione prima: primò, quia negatio diſtinguitur ab ente pluſquam ratione: quia ens habet conceptum poſitiuum, quo caret negatio: neque dici poteſt eſſe idem hominem, & hominem cæcum, cum à parte rei poſſit manere idem homo ſine cæcitate.

§. 18. *Tertia concluſio. Vnitas eſt indiuiſio rei in ſe.* Dico tertiò. *Vnitas formaliter conſiſtit in indiuiſione rei in ſe.* Patet ex Ariſtotele adducto §.10. S. Thom. & aliis vbique. Probatur apertè: quia ſi res in ſe diuidatur non manet vna, ſicut antea; ſed plures: ergo vnitas conſiſtit in indiuiſione rei in ſe: nam vnitas, & pluralitas opponuntur, contingit autem pluralitas diuiſione rei in ſe: probatur antecedens, tum in homine, cuius partes ſi diuidantur, & diuiſæ permaneant, iam non conſtituunt vnum, ſed plura; ſi verò reuniantur, iam conſtituunt vnum per ſe. Item virga, dum habebat omnes ſuas partes vnitas, eſt vna; ſi verò illæ partes diuidantur, ſunt plures virgæ; ergo vnitas conſiſtit in indiuiſione rei in ſe. Quod patebit §.50.

§. 19. *Indiuiſio eſt ens poſitiuũ, explicatum negatione.* Dico quartò. *Hæc indiuiſio rei in ſe, licet ſignificetur per negationem, tamen non eſt conceptus negatiuus, ſed poſitiuus.* Probatur. Deus per ſuam eſſentiam poſitiuam habet formaliter indiuiſionem in ſe, ergo indiuiſio non eſt conceptus negatiuus, ſed poſitiuus: probatur antecedens: quia vnus conceptus ſimplex carens omni partium compoſitione, ſe ipſo eſt indiuiſus, immo & indiuiſibilis: quia vbi non ſunt plures partes, eſt formaliter indiuiſio, quia diuiſio formaliter eſt inter duas partes vnitas, ſed conceptus Dei per ſuam entitatem poſitiuam eſt vnus ſimplex, carens compoſitione partium, ergo conceptus Dei ſe ipſo eſt indiuiſus ſine alia negatione.

§. 20. *Obiectio.*

Dices, in ipſa probatione repugnantiã inuolui, quia ſimplex, & carens partibus includit negationem partium; in qua negatione conſiſtit formaliter vnitas. Contra: quia in ente ſimplici, duo reperiuntur, & entitas ipſa ſimplex, & negatio partium: res ipſa, & entitas non conſtituitur formaliter in ſuo conceptu per negationem, ſed entitate, & conceptu poſitiuo, qui dicitur *actualitas*, ſicut res ſpiritualis dicitur eſſe, *quæ partibus caret, vel non dependet à materia*, cum tamen animus rationalis, vt ab irrationali diſtinctus, non conſtituatur per carentiam partium, aut independentiam à materia, ſed per poſitiuum principium diſcurrendi. Item forma leonis diſtinguitur à noſtra per irrationalitatem: non quia leo irrationalitate conſtituatur: ſed quia explicatur per negationem diſcurſus: ſimiliter res ſimplex in ſuo conceptu, formaliter conſtituitur actualitate, quæ eſt conceptus poſitiuus, & explicatur per negationem partium, ſicut ergo ille conceptus poſitiuus ſe ipſo eſt actualis, & ſe ipſo partes excludit, ita & ſe ipſo excludit diuiſibilitatem partium: ergo ſe ipſo opponitur formaliter diuiſibilitati: ergo ſe ipſo eſt indiuiſio, nam diuiſioni ſola opponitur indiuiſio.

Confutatio. Res ſimplex eſt formaliter poſitiua.

§. 21. *Simplicitas & vnitas differunt ex parte negationis connotatæ.*

Sicut ergo res ſimplices, & actuales ſignificamus per negationem compoſitionis, ita vnitatem ſignificamus per diuiſionem cui opponitur: ſed cum diſcrimine: quia negatio, quam dicit ſimplicitas, eſt verè negatio, quia contradictoriè opponitur partibus & compoſitioni, quæ ſunt conceptus poſitiuus, & quod contradictoriè opponitur conceptui poſitiuo, eſt negatio: quia verò vnitas contradictoriè opponitur diuiſioni, diuiſio autem non eſt conceptus poſitiuus, ſed vel eſt corruptio vnionis (ſi diuiſio ſumatur actiuè) vel eſt formalis carentia vnionis (ſi ſumatur formaliter, & in ratione termini.) Ideo vnitas eſt conceptus poſitiuus, qui eſt indiuiſio: diuiſio autem eſt conceptus priuatiuus. Vnde immortalitas eſt poſſe viuere, quia mortalitas eſt poſſe mori, & non mori actu, eſt viuere: quia mori, eſt non viuere. Ita non poſſe diuidi eſt non poſſe carere vnione: quia poſſe diuidi eſt poſſe carere vnione: & non diuidi, eſt habere vnionem: quia diuidi eſt illa carere: & quia carere, & poſſe carere vnione ſunt termini priuatiui: ideo non poſſe diuidi, & non diuidi ſunt termini poſitiui, contradicentes prioribus. Vnde res eſt vna per ſuam entitatem ſimplicem: vel per vnionem ſuarum partium.

Indiuiſio eſt conceptus poſitiuus, diuiſio priuatiuus.

§. 22. *Confirmatio.*

Confirmatur, punctum poſitiuum per ſuam intrinſecam entitatem eſt indiuiſibile, ergo per ſuam intrinſecam entitatem eſt vnum. Patet antecedens, quia punctum & linea per ſuas intrinſecas entitates diſtinguuntur: quia linea eſſentialiter includit partes; punctum verò illis eſſentialiter repugnat: ergo punctum per ſuam eſſentiam eſt indiuiſum, ſicut linea per ſuam entitatẽ eſt diuiſibilis.

§. 23. *Secũdum argumentum. Vnitas cõpoſiti eſt vnio partium.*

Secundò probatur in ente compoſito, cuius indiuiſio eſt formaliter vnio: ergo indiuiſio eſt conceptus poſitiuus: ergo & vnitas eſt poſitiua. Probatur antecedens: indiuiſio duarum partium eſt ratio, per quam illæ ſunt non diuiſæ; ſed vnio eſt ratio, per quam partes ſunt non diuiſæ: ergo vnio eſt indiuiſio partium. Probatur minor, quia vnio eſt ratio, per quam partes ſunt vnitæ: ergo eſt ratio per quam partes ſunt indiuiſæ: patet conſequentia, quia idem eſt duas partes eſſe vnitas, & non eſſe diuiſas.

§. 24. *Confirmatur primò.*

Confirmatur: carentia vnionis formaliter eſt diuiſio partium: ergo vnio eſt formaliter non diuiſio partium: patet conſequentia, quia vnio & carentia illius præſtant contradictorios effectus: ſed carentia vnionis facit rem formaliter diuiſam: ergo vnio facit rem formaliter non diuiſam: patet conſequentia: quia diuiſum & non diuiſum opponuntur contradictoriè: itaque diuiſum eſt idem cum non vnito: at verò non diuiſum eſt idem quod vnitum. Confirmatur ſecundò; vnitum, & non vnitum opponuntur contradictoriè (vt patet ex terminis) ſed non vnitum formaliter eſt diuiſum: ergo diuiſum & vnitum opponuntur contradictoriè: ergo vnio, & diuiſio opponuntur contradictoriè: ergo vnio eſt formaliter non diuiſio: quia non diuiſio contradicit diuiſioni, ergo vnio eſt formaliter indiuiſio partium. Confirmatur tertiò: diuiſio & non diuiſio opponuntur contradictoriè: ergo alterum extremum debet eſſe poſitiuum, & alterum priuatiuum: nam oppoſitio contradictoria nec poteſt verſari formaliter inter duos conceptus poſitiuos: nec inter duos priuatiuos, quia alterum extremum contradicens debet eſſe carentia contradicti: carentia autem debet eſſe rei poſitiuæ: ſed diuiſio non poteſt eſſe extremum poſitiuum: quia eſt carentia vnionis: ergo non diuiſio debet eſſe terminus poſitiuus.

Confirmatio ſecunda.

Tertia confirmatio.

§. 25. *Obiectio.*

Dices; priuationem habere duo oppoſita extremè: nempe formam poſitiuam, & negationem. Ita nonnulli opinantur, tenebras opponi contradictoriè & luci & non tenebris: ergo diuiſio habet duo contradictoria, nempe & vnionem, & non diuiſionem. Verum diſputatione 3. Phyſicorum oſtendi latè, *non tenebras* eſſe formaliter lucem: nam per ſolam poſitionem lucis formaliter expelluntur tenebræ: ergo lux formaliter eſt non tenebræ. Patet conſequentia, quia per lucem formaliter non ſunt tenebræ: ita formaliter per vnionem duæ partes non ſunt indiuiſæ; quia formaliter ſunt vnitæ.

Refellitur.

§. 26. *Obiectio ſecunda. Refellitur.*

Dices ſecundò; priuationem habere duo extremè oppoſita: nempe formam poſitiuam, & negationem, vt dixi diſputatione 3. Phyſicorum, ſectione 1. ergo diuiſio poteſt habere duo extrema contradictoria. Contra: quia priuatio dicit duo & carentiam formæ, & connotat capacitatem ſubiecti: aufertur autem priuatio vel poſita forma, vel ablata capacitate ſubiecti: & licet auferatur capacitas ſubiecti, poteſt manere carentia formæ, quæ nunquam aufertur niſi per formam. Itaque ſi rectè expendatur, priuatio habet duo extremè oppoſita, quia connotat duos conceptus poſitiuos: nam in ratione carentiæ priuat forma, & in ratione priuationis petit capacitatem ſubiecti: & quia negatio tollit hanc capacitatem, opponitur priuationi: ſic diuiſio priuat vnione; quæ diuiſio nunquam poteſt tolli niſi per vnionem, vel per non diuiſionem, ſicut tenebræ tolluntur vel per non tenebras, vel per lucem: de capacitate autem ſubiecti hîc non diſputamus: nam, ſi ſubiectum ſit capax vnionis, diuiſio dicetur *priuatio*; ſi verò ſubiectum ſit incapax vnionis, diuiſio erit *negatio*.

Priuatio duo habet extrema, quia & duos terminos.

§. 27. *Diuiſum & non vnitum ſunt idem.*

Tandem ſic argumentor: diuiſum & non vnitum ſunt formaliter idem: ergo habent eumdem terminum contradicentem: ſed terminus contradicens non vnito eſt vnitum: ergo vnitum eſt terminus contradicens diuiſo. Item non diuiſum contradicit diuiſo: ergo non diuiſum contradicit non vnito: ergo non diuiſum, & vnitum ſunt idem: quia contradicunt eidem termino quod adeo mihi euidens videtur, vt arbitrer hanc eſſe Metaphyſicam demonſtrationem.

Pat.

§. 28. *Obiectio. P. Suarez. S. Thom.* P. Suarez ſuprà numer. 2. ait B. Thomam in 1. diſtinct. 24. quæſt. 1. articul. 3. reſpondere, dari negationem negationis, & eam non eſſe affirmationem formaliter, & ſecundum rationem: quia ratio poteſt ſuper vnam negationem reflectere, & illam negare: & per hanc ſecundam negationem explicare aliquid poſitiuum ſimplex; quod prout in ſe eſt declarari non poteſt: at ſecundum rem & æquiualenter negationem negationis eſſe poſitionem.

§. 29. *Refellitur primò.* Contra primò, ergo ſecundum rem & æquiualenter, vnitas non eſt negatio, ſed affirmatio poſitiua: quia ſecundum rem diuiſio eſt negatio aut priuatio, & à nobis vnum explicatur per negationem. *Secundò refellitur.* Contra ſecundò: vel à parte rei datur negationis negatio: quæ non ſit à parte rei poſitio: vel non datur: ſi datur; ergo à parte rei, & æquiualenter non ſunt idem conceptus poſitiuus & negatio negationis: ſi verò non datur talis negatio: ergo vnitas non conſiſtit in illa negatione, quia vnitas à parte rei conſiſtit: ſed per te non conſiſtit talis negatio: ergo vnitas non poteſt eſſe talis negatiô. Deinde (vt ſæpe dixi) poteſt quidem intellectus præſcindere rem vnam ab alia: non tamen poteſt aut negare quod eſt, aut affirmare, quod non eſt: ſed per te à parte rei non datur negatio negationis, quæ non ſit poſitiua: ergo non poteſt apprehendi, *A parte rei nõ datur negatio negationis.* vt pura negatio. Deinde diuiſio partium formaliter tollitur per illarum vnionem: ergo illarum indiuiſio eſt vnio. Vide diſput. 5. Phyſicorum ſect. 1. vbi impugnaui aſſertores priuationis, oſtendens priuationi immediatè opponi formam qua priuat.

§. 30. *Alia obiectio P. Suar.* Idem P. Suar. num. 21. affirmat, vnitatem, & indiuiſionem dicere negationem alicuius poſitiui: & non vnionis: ad quod aduertit, in duobus entibus diuiſis duo reperiri, & vnumquodque eſſe propriis, & poſitiuis terminis terminatum: & complexum, vt duæ quantitates diſcretæ habent puncta terminatiua, ex quibus ſequitur priuatio vnionis inter eas quantitates: aliud eſt priuatio vnionis, quę oritur ex illis punctis terminatiuis: ait ergo diuiſionem opponi immediatè & priuatiuè vnioni: indiuiſionem verò & vnitatem opponi contradictoriè illis terminis poſitiuis. Vnde infert indiuiſionem eſſe negationem, aut priuationem.

§. 31. *Refellitur.* Non placet, tum quia multa ſupponit dubia, & incerta: nempe quantitatem habere terminos poſitiuos vltimò terminantes: deinde, eos terminos eſſe modos, & non res: immo & in ſententia ipſius potius ſunt res, quàm modi: quod ſi ſunt res: ergo de potentia abſoluta poterunt illę duæ quantitates vniri cum illis terminis; ſicut poſſunt duo corpora penetrari. Tunc ſic: in eo caſu illæ duæ quantitates ſunt indiuiſæ, & habent illos terminos poſitiuos: ergo indiuiſio non opponitur contradictoriè *Rem eſſe diuiſam eſt formalis effectus carẽtia vnionis, & nõ termini poſitiui.* illis terminis. Deinde demus omnia quæ vult de illis terminis: ſic argumentor; rem eſſe diuiſam eſt formalis effectus carentiæ vnionis: ergo non eſt effectus formalis illorum terminorum: conſequentia patet: quia illi non ſunt carentia per ſe, ſed conceptus poſitiui: antecedens probatur primò in homine, ſi anima, & corpus conſeruentur ſine vnione, erunt diuiſa: ſed illa diuiſio oritur à ſola carentia vnionis: ergo rem eſſe diuiſam eſt formalis effectus carentiæ vnionis. Probatur minor: quia nihil eſt in corpore, & animo ſeparatis, vnde ille oriatur effectus: non à ſuppoſitis, tum quia probaui diſp. 2. Phyſicorum ſect. 7. corpus, & animum etiam vnita *P. Suarez.* proprias habere ſubſiſtentias, quod etiam P. Suar. admittit, & tunc non ſunt diuiſa: ergo diuiſio non eſt formalis effectus ſubſiſtentiæ: tum, quia licet animus in corpore non ſubſiſteret, adhuc diuiſio non eſt formalis effectus ſuppoſiti: nam huius effectus eſt naturam perſonare, ſeu complere in ſe ſubſtantialiter: hoc autem non eſt rem eſſe formaliter diuiſam; licet repugnet vnioni, quod clarius patet in Verbo, quod ſuppoſitat naturam diuinam, & ipſum non eſt diuiſum ab humana: ergo ſuppoſitare naturam non eſt diuidere: alioquin ſicut ipſum eſt ſuppoſitum vt *quod*, eſſet etiam diuiſum vt *quo*: immo idem Verbum ſuppoſitat corpus & animam per diſtinctas vniones: & ea non diuidit inter ſe: multò ergo minus, licet illi termini poſitiui ſint complementum quantitatis diuiſæ, illam reddent formaliter diuiſam.

§. 32. *Secunda probatio.* Secundò probatur idem antecedens: quia duæ virgę ſunt diuiſæ, præciſè per carentiam continuationis: ergo non formaliter per illos terminos poſitiuos. Probatur antecedens; quia ſi duæ virgæ de potentia abſoluta conſeruentur ſine terminis poſitiuis, & cum carentia continuationis; illæ erunt diuiſæ: ſed ea diuiſio non oritur à terminis poſitiuis; quia non ſunt: ergo illi termini non ſunt formaliter diuiſio. Maior eſt clara, neque in caſu oſtẽdetur repugnantia vlla: & licet repugnet, fingamus tamen, vel apprehendamus duas virgas ſinè illis terminis, & non vnitas: illæ concipiuntur diuiſæ formaliter præciſè per carentiam vnionis: ergo non eſſe diuiſam, eſt formalis effectus carentiæ vnionis. Antecedens patet: quia illæ virgæ poſſent concipi inter ſe longè diſtantes: nonne diuiſæ apprehendentur; cum & interuallo concipiantur auulſæ? & quamuis caſus repugnaret: poſſumus ta- *Argumẽtum per locum intrinſecum.* men ex illo rectè argumentari, quia eo dato, per locum intrinſecum ſequitur noſtrum intentum, vt ſi quis argumentaretur hominis animal eſſe ſenſitiuum, dato caſu, quod non eſſet rationale; non enim ſequitur per locum intrinſecum illud eſſe inſenſibile, eo quod ſit irrationale: ita non ſequitur eas virgas eſſe continuas, & indiuiſas, præciſè ex carentia illorum terminorum. Nam ſicut ex irrationalitate, tantum ſequitur per locum intrinſecum, hominis animal non habere diſcurſum, & cæteras operationes ab illo eſſentialiter dependentes, ita ex carentia terminorum poſitiuorum, tantum ſequitur per locum intrinſecum, quantitatem non eſſe intrinſecè terminatam, tunc autem non erit continua, quia caret continuatione. Quam doctrinam capio ex S. Thom. de potentia, q. 9. art. 7. corp. poſt *S. Thom.* medium aſſerente. *Nam cum diuiſio multitudinem cauſet, indiuiſio verò vnitatem, &c.* Ecce pluralitas, ſeu multitudo eſt effectus formalis diuiſionis, & non illorum indiuiſibilium; vnitas autem eſt indiuiſio illi diuiſioni contradicens.

§. 33. *Confirmatio.* Confirmatur, ſi formalis effectus illorum terminorum eſt diuiſio: ergo carentia illorum erit formalis indiuiſio: quia diuiſum, & indiuiſum opponuntur contradictoriè, & debent oriri à formis inuicem contradicentibus: ſed res non ſunt indiuiſæ per carentiam illorum terminorum, ergo. Probatur minor: tum quia formalis effectus illius carentiæ eſt rem non eſſe poſitiuè terminatam, & completam: hoc autem non eſt formaliter rem eſſe indiuiſam: nam continuum indiuiſum eſt, cuius partes ſunt continuæ. Sunt autem continuæ per punctum continuatiuum, & non formaliter carentiã illorum punctorum vltimo terminantiũ. Atque hęc ſolutio adeo mihi accidit noua, vt nunquam audierim, diuiſionem, & diſiunctionem non eſſe idem, & diuiſionem non opponi immediatè continuationi.

§. 34. *Aliud argumentum.* Deinde carentia vnionis quid denominat? *non vnitum*: quid ergo eſt *non vnitum*, niſi diuiſum? Adde caren

carentiam vnionis eſſe radicem, ſiue conditionem neceſſariam,vt oriantur illi termini poſitiui: nam, quia duæ partes aquæ abiunguntur, habent terminos poſitiuos, qui reſultant ex diuiſione actiua: nam ſi aqua præſto haberet aliam aquam, cui vniretur, non haberet illos terminos poſitiuos: quando verò duæ aquæ coniunguntur, amittuntur illi termini poſitiui, quia actio coniunctiua per ſe terminatur ad continuationem, non verò ad corruptionem illorum terminorum. *Diuiſionis cauſa.* Diuiſio autem oritur ex aliqua actione poſitiua, verbi gratia, diuiſio tabulæ ex motu locali, quo faber ſerram impellit, quæ non poteſt tabulam è loco mouere, niſi eam diuidendo. Ita ex motu locali tabulæ,& ſerræ oritur diſcontinuatio; non verò ex illis terminis poſitiuis. Porrò diuiſionem eſſe negationem legi in ipſo Pat.Suarez 2. metaphyſicæ diſput.47. ſect.10. (P.Suarez.) his verbis, *diſtinctio autem,ſeu diuiſio,in negatione formaliter conſiſtit,vt in ſuperioribus viſum eſt:* & quamuis ibi argumentatorem agat contra Ariſtotelicam diuiſionem relationis, *Argumentũ ad hominem.* tamen eadem argumenta diluens ſectio.11.numer.3.ſupponit, & approbat id de diſtinctione (nempe diuiſione, quia loquitur de numeris quantitatis diſcretæ) & eo ſuppoſito ſoluit argumentum. Immo ait, eas relationes à nonnullis probabiliter cenſeri rationis, quia fundantur in negatione,nempe vnitate,& diuiſione, quo in loco locutus eſt maximus hic Doctor ſponte: at verò ſupra, vbi ait diuiſionem non eſſe negationem,loquitur inuitus,coactus quærere ſolutionem,qua aliqua ratione defendat vnitatem eſſe negationem.

§.35. Vide alia argumenta apud Pat. Vazquez ſuprà, mihi enim hæc ſufficiunt ad probandum vnitatem entis realis eſſe realem conceptum. Quæ ſententia eſt eorum quos adduxi §.1.& 2. etiam pro ſententiis ibi adductis, & impugnatis. Quam docet expreſsè Pat. Vazquez ibidem (P.Vazquez.),vbi ſe opponit his,qui volunt *vnum* eſſe negationem, non verò his, qui eam volunt eſſe poſitiuam: nos autem à Pat. Vazquez,& Scoto (P Vazquez. Scotus.) diſſidemus non in conceptu poſitiuo, ſed in illius diſtinctione ab ente, & fortè Pat. Vazquez à nobis non diſſidet. Eadem ſententia eſt Ianduni, Pauli Soncinatis, Capreoli, & aliorum apud P. Fonſecam 4. metaphyſicæ cap.2. quæſt.5. ſect.3. conantium eam eſſe S.Thomæ (Iandunus. Soncin. Capreol. P. Fonſeca. S. Thom.):quod apertè oſtendit eius ſolutio adducta §.25. vbi ait, negationem diuiſionis à parte rei eſſe conceptum poſitiuum: à nobis autem explicari per negationem(vt ego exponam ſect.ſequenti) quia ait in 1.d.24.q.3. ar.3.ad primũ:*Vnde dico,quod negatio iſta,in qua perficitur ratio vnitatis non eſt,niſi negatio rationis tantum:* item ad ſecundum, *dicendum ,quod ex prædictis patet,vnum non importare negationem, niſi in ratione,vnde ſecundum rem magis ſe habet ad poſitionem, quàm multitudo, in qua importatur realis negatio:* cum verò 1.part.quæſt.11.art.1.c.ait, *vnum* addere ſupra ens negationem; non eſt intelligendus de negatione reali,ſed rationis,vt ipſe docet ad 3. addere aliquid ſecundum rationem. Immo 1.part. quæſt.6. art.3. ad 2. ait, vnamquamque rem eſſe vnam per ſuam eſſentiam: ergo non eſt negatio; quia homo non eſt cæcus per ſuam eſſentiam, quia eſſentia eſt poſitiua,cæcitas verò priuatio.

SVBSECTIO III.

Recentium argumenta.

§.36. *Primum argumentum.* HVic doctrinæ ſe ſe recentes opponunt. Primùm; quia indiuiſum non eſt aliquid poſitiuum; ergo vnitas non eſt poſitiua. Antecedens probant: quia ens rationis habet indiuiſionem in ſe; nihil autem habent poſitiuum. *Soluitur.* Reſpondeo,indiuiſum reale, & realem indiuiſionem eſſe poſitiuam: indiuiſio autem rationis eſt eo modo poſitiua,quo eſt ens.Nunc autem ago de vnitate,& indiuiſione reali. Vide §.58.

§.37. *Vnitas & multitudo qui ab aliquibus conſtituatur.* Ante ſecundum argumentum ponunt,vnitatem ſiue indiuiſionem realem opponi priuatiuè multitudini reali & diuiſioni. Multitudo dicit in recto multas entitates ſingulares, & connotat in obliquo carentiam vnionis; vt duæ virgæ ſunt duæ quantitates poſitiuæ abſque vnione. Quæ carentia eſt vera priuatio: quia opponitur contradictoriè vnioni. Vnum item dicit in recto ens poſitiuũ; in obliquo autem connotat carentiam identitatis cum multitudine. Quæ carentia non eſt aliquid poſitiuum; quia opponitur contradictoriè pluralitati. Vnde concludunt vnitatem compleri priuatione intrinſeca.

§.38. *Secundũ argumentum.* Hinc arguunt ſecundò. Vnitas opponitur contradictoriè multitudini:ergo non eſt poſitiua. Antecedens eſt certum; quia vnum & multa opponuntur priuatiuè. Conſequentiam probo: quia quod opponitur contradictoriè enti poſitiuo, eſt priuatio; vt à me probatum eſt:ſed vnitas opponitur priuatiuè enti poſitiuo, qualis eſt multitudo: ergo vnitas eſt priuatio,& non poſitiua.

§.39. *Vnitas & diſtinctio non ſunt idem.* Præmitto & ego ſolutioni vnitatem & diſtinctionem non eſſe idem: quia res poteſt à parte rei eſſe abſolutè vna actu, quin ſit realiter actu diſtincta. Deus enim antequam quidquam ageret, erat actu vnus: & non actu diſtinctus: item vnitas eſt indiuiſio rei in ſe in alia quæ ſint idem cum ipſa adæquatè; & addit indiuiſionem intra ſe in alia: vt vna quantitas eſt indiuiſibilis in alias adæquatè cum illa identificatas; item & eſt indiuiſa in plures partes etiam minores toto. At intra ſe habet diſtinctionem: quia vna pars actu diſtinguitur ab alia: ergo vnitas non eſt diſtinctio. Ratio à priori: quia diſtinctio ſemper eſt ab alio, & eſt quædam relationis ſpecies. Vnitas autem eſt indiuiſio rei in ſe;nec eſt relatiua.

§.40. *Diſtinctio dicit negationem, vnitas non dicit.* Doctrina propoſita §.37. probat diſtinctionem rei dicere negationem identitatis cum alia re;eámque compleri intrinſecè conceptu negatiuo: nec eſſe adæquatè poſitiuam, vel explicari negatione, quam fundat; vt dicam diſput.6. §.4. At de vnitate nihil probat: quia hæc non eſt ad aliud, nec eſt relatio. Vnde vnitas non dicit carentiam multitudinis ſiue diſtinctionem realem ab illa: ſed dicit vnionem. Admitto ergo, multitudinem in recto dicere conceptum poſitiuum; & in obliquo negationem vnionis: & omne diſtinctum ab ea multitudine dicere in obliquo carentiam identitatis cum illa. At non propterea omne diſtinctum à multitudine erit vnum: quia vna multitudo diſtinguitur ab alia: neutra autem eſt vnum, ſed multa: ergo carentia identitatis cum multitudine non eſt vnitas. Quæ verò diſtinguuntur à multitudine,ſi ſunt ſimplicia, aut vnita realiter,non diſtinguuntur per vnitatem formaliter, ſed per diſtinctionem.

§.41. *Vnũ & multa opponũtur inadæquatè.* Ad argumentum ex §.38.diſtinguo antecedens; *vnum* opponitur multitudini adæquatè, & ſecundum totum conceptum,nego antecedens:opponitur ſecundum vnum conceptum, & inadæquatè concedo antecedens: in quo ſenſu eius probationem admitto: nego tamen conſequentiam. Ad probationem diſtinguo maiorem:quod opponitur conceptui poſitiuo ratione ipſius, eſt priuatio, concedo

concedo maiorem: quod opponitur illi ratione priuationis, eſt priuatio, nego maiorem. Diſtinguo item minorem. *Vnum* opponitur multitudini ratione entis poſitiui, nego minorem; ratione priuationis, concedo minorem; & nego conſequentiā.

§. 42. *Multitudo includit formaliter carētiam vnionis.* Explico; multitudo habet plures partes poſitiuas, carentes vnione. *Vnum* non opponitur partibus; ſed carentiæ vnionis. quia tota multitudo poteſt includi in vno compoſito, exempli gratia, tres palmi quantitatis abiuncti, ſunt multæ quantitates: ſi autem vniantur, ſunt vna compoſita quantitas. ergo vnum & multa non opponūtur ratione conceptus poſitiui; ſed ratione carentiæ. Vnde arguo: illæ partes in ratione multitudinis non habent aliquid non incluſum in vno compoſito præter carentiam vnionis: quia tres palmi manent in quantitate tripalma, excepta carentia vnionis. ergo *vnum* opponitur multitudini ſola contradictione illius carentiæ vnionis: ſed contradictio carentiæ vnionis eſt ipſa vnio; ergo *vnum* opponitur multitudini per vnionem poſitiuam. Multitudo ergo in ratione multitudinis includit carentiā vnionis: quam vnionem includit *vnum*. ergo vnitas eſt formaliter poſitiua: multitudo autem priuatiua. Quapropter dixi §. 18. virgam vnam fieri plures ſola detractione vnionis de oppoſitione vnius & multitudinis agendum §. 57. *Multitudo ob ſuam priuationem opponitur vnitati contradictoriè.*

§. 43. *Tertium argumentum. Prima reſponſio.* Arguunt tertiò, vnionem non eſſe vnitatē compoſiti: quia vnitas eſt idem cum toto ente: ens enim & vnum conuertuntur. Reſpondeo: hoc argumento ipſos vinciri admittentes, vnitatem conflari ex priuatione; quæ non eſt idem cum ente. oſtendam §. 50. compoſiti adæquatam vnitatē, eſſe indiuiſionem omnium partium, & vnionis in ſe: quæ conuertitur cum compoſito: At compoſitum in ratione compoſiti conſtituitur vnum per vnionem: quia per illam conſtituuntur partes indiuiſæ in ſe. Cuius ſignum eſt, detracta vnione, non manere vnum, ſed plura. Non manēt plures homines: quia non manet illorum eſſentia: manent tamen plura entia. vt detracta continuatione aquæ manent abſolutè plures aquæ; cum antea non eſſet niſi vna. Hunc eſſe omnium hominum ſenſum cōſtat; quia ſi duæ domus communi porta copulentur, dicuntur fieri vna: ſi autem vna diuidatur, dicitur fieri duæ. Si quatuor aut plures vrbes vno imperio iungantur, fit vnum regnum: duo autem, ſi diuidantur. eſt ergo vnitas vnio rei in ſe: ſi res eſt compoſita, eſt vnio partium: ſi autem eſt ſimplex, eſt ipſa entitas fundans repugnantiam ad diuiſionem; vt eam concipiamus connotando diuiſionem. *Vnitas totius.* *Vnitatem eſſe negationem vnionis in ſe communis eſt ſenſus.*

SECTIO II.

Aliquot corollaria.

§. 44. Vnum *eſt attributum entis.* Difficilius mihi eſt probare diſtinctionem vnitatis ab ente, & eius attributionem, quam confirmare eam eſſe poſitiuum conceptum. Hac de re dum conſtet, non multum intereſt, ſi probemus eam eſſe attributum, vel eſſentiam. Diſput. 3. §. 10. oſtendi, conceptum quidditatiuum rei eſſe illum, qui ſumitur per ordinem ad primum connotatum; conceptum verò qui ſumitur per ordinem ad connotata poſteriora, eſſe ſecundarium, vel attributū. Vnde conceptus eſſentialis entis eſt aptitudo ad exiſtendum; conceptus autem *veri* eſt idem ens relatum ad intellectum: ita conceptus *vnius* eſt idem conceptus entis relatus ad diuiſionem actualem, aut potentialem: & quia diuiſio rei eſt poſterior re quam diuidit, ea ratione conceptus entis relatus ad illam eſt conceptus ſecundarius.

§. 45. *Lux & forma poſitiua poſſunt concipi abſque priuatione.* Explicatur in luce; cuius conceptus quidditatiuus eſt eſſe viſibilem, vel eſſe qualitatem perfectiuam: hic conceptus non connotat tenebras; nam ad concipiendam lucem, quid opus eſt tenebrarum efformare conceptum? Habitus enim rectè poteſt concipi ſine ſua priuatione quamuis priuatio non poteſt concipi ſine habitu. Deinde quando dicimus, *lucem eſſe non tenebras*, hic conceptus eſt attributum lucis, quia eſt ipſa lux explicata per ſuum contradictorium. Quia verò tenebræ poſteriores ſunt luce: ideo *non tenebræ* eſt conceptus poſterior luce, quia *non tenebræ* non poſſunt concipi ſine tenebris in obliquo connotatis: at verò lux concipitur ſine connotatione ad tenebras. Idem contingit in vnitate, quæ dicit coniunctionem. Quod ſi vnitas eſt in re ſimplici, eſt maxima vnitas: quia dicit coniunctionem per identitatem: identitas autem non ſolum excludit actualem diuiſionem, ſed etiam potentialem. Ideo conceptus primarius animi rationalis eſt, eſſe principium diſcurrendi: at vnitas illius eſt eam eſſe indiuiſam: Idem apparet clarius in compoſitis, quorum vnitas eſt illorum vnio, cuius primarius conceptus eſt iungere extrema, eam autem eſſe indiuiſionem, eſt conceptus ſumptus per ordinem ad diuiſionem, quæ eſt poſterior illa. *Priuatio non poteſt concipi ſine forma.*

§. 46. *Quomodo vnum ſit attributum entis.* Hinc patet, quo modo vnitas ſit attributū entis. Negatio autem quam dicit *indiuiſum*, non eſt ipſa indiuiſio, quia hæc eſt poſitiua vnio, ſed eſt diuiſio, cui opponitur: ſicut *non tenebræ* dicunt negationem, non in recto, & in ipſa luce, ſed in obliquo connotatam tamquam cōtradictorium, quæ negatio ſunt tenebræ; certè ens includi in vnitate luculenter ait S. Thomas de potentia quæſt. 9. art 7. ante finem corporis his verbis, *vnum, quod conuertitur cum ente, non addit ſupra ens, niſi negationem diuiſionis non quod ſignificet ipſam indiuiſionem tantū: ſed ſubſtātiam eius cum ipſa, eſt enim vnum idem, quod ens indiuiſum.*

§. 47. *In rebus ſimplicibus vnitas eſt idem cum eſſentia.* Secundò deducitur, *in rebus ſimplicibus earum vnitatem eſſe adæquatè idem cum earum eſſentia; vt vnitas puncti cum puncto.* Quæ vnitas eſt omnium maxima: quia maximè diſtat à diuiſione conſtituente pluralitatem. Quapropter Deus eſt rerum omnium maximè vnus: quia maximè diſtat à compoſitione, & diuiſione. Compoſita enim non ſunt tam vnum: quia pluralitatem includunt partium: quæ faciunt compoſitum *vnum* per vnionem. At oritur controuerſia in continuo, cuius vnitas videtur conſiſtere in ſolis punctis: ergo vnitas compoſiti diſtinguitur realiter à compoſito: nam puncta diſtinguuntur à toto integrali; quod magnum videtur abſurdum & inauditum: ergo vnum non eſt attributum entis, quia aliqua vnitas diſtinguitur realiter à ſuo vno: & conſequenter vnum non erit tranſcendens. Primum antecedens probatur, quia vnum dicit indiuiſionem in ſe; ſed tota indiuiſio partium ſunt puncta: ergo ſola puncta ſunt indiuiſio partium. Probatur minor, ex me, quia indiuiſio partium eſt continuatio partium. Hanc minorem propoſitionem ſic explico: fingamus per impoſſibile, partes manus conſeruari ſine vllo puncto; tunc per locum intrinſecum ſequitur, illas partes non eſſe vnam: nam ſignata manus non habet indiuiſionem in ſe, quia omnes eius partes ſunt reciprocè diuiſæ. Deinde, Deus reſtituat puncta illis partibus, tunc manus erit vna: quia habet in ſe indiuiſionem: ergo tota vnitas manus formaliter conſiſtit in punctis: nam quod tunc fieret per impoſſibile, nunc per formalem effectum contingit. *Vnitas ſimplicium eſt propriè vnitas.*

§. 48. *Animaduerſio.* Aduerte; quando dicimus rem eſſe vnam, ſignificari totum conceptum rei, & in illo non eſſe diuiſionem; ſed omnes eius partes aliquo modo eſſe vnitas: verbi gratia, homo eſt vnus, quia in toto conceptu hominis non eſt diuiſio, nempe neque inter materiam, neque formam, neque vnionem, quia licet materializatio, & informatio inter ſe non ſint vnitæ, ſunt tamen vnitæ partibus; & ſic non habent diuiſionem in homine: quia verò in ſe ſunt diuiſæ, ideo ſunt duæ vniones: vocantur autem vna, quia ſunt vnio vnius naturæ.

§. 49. *Argumentũ euidens.* E contra verò eſt euidens argumentum, probans partem habere vnitatem diſtinctam à punctis: quia illæ partes, præciſis punctis, ſunt ſingulares; quia à parte rei nihil exiſtit niſi ſingulare: ergo habent indiuiſionem in alias partes, quæ ſint idem adæquatè cum illis. Conſequentia patet ex diſputat. 5. ſectio 1. vbi hanc diffinitionem ſingularis explicabo. Antecedens patet, quia illæ partes exiſtunt à parte rei, & ſunt eſſentia huius numero manus, & non alterius; & ſunt hæ numero partes, & non partes in communi; & vt ſic diſtinguuntur à punctis, tamquam res ſingularis à modo ſingulari: ergo vt ſic diſtinctæ ſunt ſingulares. Quod eſt Metaphyſica demonſtratio.

§. 50. *Vnitas compoſiti eſt duplex.* Quapropter dicendum, vnitatem compoſiti eſſe idem adæquatè cum toto compoſito, verbi gratia, vnitas hominis eſt idem adæquatè cum vnitatibus materiæ, formæ, vnionum & ſuppoſitorum: reduplicatiuè autem vnitas totius compoſiti, in quantum totius, realiter diſtinguitur à toto compoſito, & eius vnitate; quia illa reduplicatio appellat ſupra ſolam vnionem; quæ eſt ratio formalis compoſiti, in quantum compoſiti: vnio autem & eius vnitas realiter diſtinguuntur à partibus, & earum vnitatibus. Itaque, ſi cum proportione ſumantur ens & vnum; vbique, ratione tantum diſtinguuntur, nempe vnitas vnionis ab entitate vnionis: at verò non quælibet vnitas debet ſola ratione diſtingui à quolibet ente. *Vnum ſemper eſt idem cum ſuo ente.*

§. 51. *Argumẽtum.* Ad argumentum, diſtinguo antecedens: partes, præciſis punctis, non ſunt vnum integraliter, concedo antecedens: quia puncta ſunt vnitas integralis partium, & ratio formalis conſtituens compoſitum integrale: partes, præciſis punctis, non ſunt vnum quidditatiuè, & ſingulariter, nego antecedens: ad probationem diſtinguo minorem; partes, præciſis punctis, ſunt diuiſæ integraliter, concedo minorem; ſunt diuiſæ in alias partes, quæ ſint idem cum illis adæquatè, nego minorem. Itaque in eo caſu præciſis punctis, partes non retinerent vnitatem integralem, at ſemper retinerent indiuiſionem in alias partes, quæ eſſent idem adæquatè cum illis; quæ eſt vnitas ſingularis. Et quamuis in eo caſu partes eſſent vnum ſingulare per accidens: quia non eſſent continuatæ, modò tamen non ſunt vnum per accidens: quia licet in ſuo conceptu eſſentiali non includant actualem continuationem, tamen aggregatione vnum eſt, *cuius partes non ſunt vnitæ*, partes autem continui ſemper ſunt vnitæ: licet eſſentialiter non apprehendantur vt vnitæ; hæc autem apprehenſio eſt præciſiua vnionis: vnitas autem aggregationis per accidens, eſt negatiua vnionis. *Partes ſine punctis quã ratione ſunt vnum.*

§. 52. *Vnitas nõ eſt indiſtinctio rei in ſe.* Tertiò infertur. *Vnitatem vt ſic non eſſe indiſtinctionem rei in ſe: ſed indiuiſionem.* Probatur: quia homo in ſe eſt vnus, & in ſe non habet indiſtinctionem: ergo vnitas formaliter non eſt indiſtinctio rei in ſe. Probatur minor; quia homo in ſe habet diſtinctionem partium, & vnionis: quia quælibet pars diſtinguitur ab homine, & nulla ſola eſt homo. Dices, vnitatem eſſe diſtinctionem rei ab alio. Sed non propterea eſt indiſtinctio rei in ſe. Deinde non ſatis conſtat, verum diſtinctio ſit formaliter vnitas: quod diſputatione 6. diſquiram: quia vnitas dicit negationem diuiſionis, & opponitur contradictoriè termino priuatiuo: at verò diſtinctio non eſt negatio diuiſionis, ſed negatio alterius rei poſitiuæ: quod patet, quia materia prima eſt diſtincta ab anima, & non eſt ab illa diuiſa: ſed de hoc infra.

§. 53. *Vnitas nõ eſt diuiſio rei ab alia: ſed indiuiſio in ſe.* Quartò infertur, *Vnitatem neque includere, neque connotare diuiſionem rei vnius ab alia: ſed tantum negare diuiſionem rei in ſe.* Ita colligo ex Ariſtotele libro 5. capite 6. diffiniente vnitatem ſolum per indiuiſionem rei in ſe: quæ diffinitio eſſet inepta, ſi de ratione diuiſionis eſſet diuiſio rei ab alio, vt hominis definitio eſſet mala, ſi per ſolum animal traderetur: & ex Beat. Thoma in 1. diſtinct. 24. quæſtione 1. articul. 3. ad 3. *hæc eſt vera diffinitio, vnum eſt ens, quod non diuiditur.* Ecce non meminit diuiſionis ab alio. Cum verò S. Thomas in 1. diſtinct. 19. quæſt. 4. articul. 1. ad 2. ait *vnum eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum ab alio*, agit de vno non tranſcendente ſed naturali, ſiue de vnitate, quæ eſt principium numeri: quæ vnitas eſt diuiſa ab aliis: quia numerus conſtat pluribus rebus non vnitis: agit enim ibi Beat. Thom. verum in diuinis ſit numerus? ſed clarè hanc diſtinctionem *vnius numeralis, & vnius tranſcendentis*, conſtituit per diuiſionem quantitatis, quæſtione 9. de potentia artic. 7. corp. concludens vnitatem tranſcendentem ait ante finem corporis; *Vnum verò, quod conuertitur cum ente, non addit ſupra ens niſi negationem diuiſionis*, en noſtra ſententia. Nam prius dixerat vnum, quod eſt principium numeri, eſſe quantitatem diſcretam: de quo vno verum eſt quod dicitur, *eſſe indiuiſum in ſe, & diuiſum à quolibet alio.* Ariſtoteles. S.Thomas.

§. 54. *Confirmatio ex S. Thom.* Hæc noſtra ſententia iterum confirmari poteſt, ex Beat. Thoma, quæſtione 1. de veritate articul. 1. corpore. aſſerente. *Nihil eſt aliud vnum, quàm ens indiuiſum.* Probatur hoc corollarium; quia animus rationalis etiam vnitus, eſt vnus; item corpus vnitum, eſt vnum; modo enim Chriſtus habet vnum corpus, & animam vnam: ſed corpus, & animus non habent diuiſionem inter ſe; cum modo ſint vnita: ergo vnitas non dicit diuiſionem ab alio; ſed ſolam indiuiſionem rei in ſe. Confirmatur in virga duorum palmorum, cuius quiuis palmus eſt vnus, & alter alteri eſt vnitus, & non diuiſus ab illo: ergo vnitas palmi non dicit diuiſionem illius ab alio, ſed indiuiſionem eiuſdem in ſe: quod clariſſimè patet in puncto, quod in ſe eſt vnum etiam vt vnitum parti: tum in Verbo diuino, quod etiam vt vnitum humanitati eſt maximè vnum. *Confirmatur.*

§. 55. *Compoſita cũ vnione efficiunt vnum ſimpliciter, ſecus abſque illa.* In compoſitis recenſendæ ſunt partes, è quibus componuntur, vt palmus duobus ſemipalmis, ſi ſemipalmi ſunt vniti, efficiunt palmum ſimpliciter vnum: ſi verò non ſint vniti, licet efficiant menſuram vnius palmi, non tamen efficiunt palmum ſimpliciter vnum: quia in illo palmo eſt diuiſio: partes autem ſic vnitæ non dicuntur ſimpliciter plura entia, ſed vnum ens ſimpliciter, vel plura entia partialia, vel plures partes: dicuntur autem plura, non actu, ſed potentia: non quia actu non ſint plures partes realiter diſtinctæ, ſed quia illæ partes habent aptitudinem, vt ſint plura entia completa, vel ſaltem plura compoſita adæquatè diſtincta: vt cum quantitas diuiditur in duas partes, quælibet ex illis è parte fit totum per diuiſionem. Itaque multitudo entium ſimpliciter, ſumitur pro entibus non vnitis inter ſe: quando verò volumus

ſignifica

ſignificare multitudinem partium, ſemper eſt cum addito, id eſt multitudo entium partialium.

§. 56. *Vnitas nō dicit abſolutè negationem, nec priuationem.* Suboritur alia quæſtio: vtrum negatio, quam dicit indiuiſio, ſit purè negatio? an autem priuatio? In mea ſententia facilis eſt diremptio: quia neque eſt negatio, neque priuatio: ſed conceptus poſitiuus explicatus per diuiſionem quam connotat in obliquo. Nos autem poſſumus quæſtionem inſtituere, an ea diuiſio in obliquo connotata ſit negatio? An priuatio? *In compoſitis eſt priuatio.* In ente compoſito exiſtimo eam eſſe priuationem: quia eius partes poſſunt diuidi, vt Petrus modò non habet diuiſionem in ſe, at per mortem ille conceptus diuiditur, quia corpus, & animus abiunguntur: itaque diuiſio in homine poteſt eſſe ratione vtriuſque partis, immo modò anima S. Petri eſt cum hac priuatione, quia habet carentiam vnionis, cuius eſt ſubiectum aptum. Fuge æquiuocationem arbitrans in Petro poſſe eſſe diuiſionem manente eodem Petro: non enim manent præter partes, quia ipſa diuiſio eſt formalis interitus Petri, & vniuerſaliter omne compoſitum perit pereunte vnione; *In ſimplicibus negatio.* in compoſitis autem natura ſua inſectilibus non poteſt eſſe diuiſio priuatiua, quia illa compoſita ſunt abſolutè incapacia diuiſionis. Item aduerte, vnitatem à nobis poſſe vocari negationem, aut priuationem: non propriè, quia ipſa in ſe ſit carentia, ſed quia per illam negamus, ſeu excludimus diuiſionem. Quando igitur negatio diuiſionis poteſt tolli per diuiſionem, tunc poteſt vocari priuatio, quia eſt non eſſe diuiſionis in ſubiecto apto: quam rationem habet in caſu concluſionis.

§. 57. *Opinio Fonſecæ.* B. Thom. Ariſt. P. Suarez. In rebus ſimplicibus Pat. Fonſeca 4. metaphyſicæ cap. 2. quæſt. 5. ſect. 5. ait negationem eſſe per modum priuationis, innixus Ariſtoteli, & B. Thomæ: quibus ſubſcribit Pat. Suarez ſuprà num. 12. Ariſtoteles id ſignificat 10. Metaphyſicorum cap. 5. affirmans *vnum* opponi multitudini, vt indiuiſum diuiſo: non tamen contradictoriè, ſeu per modum puræ negationis. P. Vazq. Verum eo teſtimonio probat Pat. Vazquez *vnum* conſiſtere in poſitiuo conceptu, quia Ariſtoteles non vult vnum, & multa opponi priuatiuè, ſed contrariè, quod explicuit illis verbis, *non tamen contradictoriè, ſeu per modum puræ negationis*, ac ſi diceret, opponuntur vnum & multa, ſed non vt forma & priuatio. E quidem Pat. Fonſecæ non patrocinatur Ariſtoteles, *Ariſtoteles non fauet Fonſecæ.* qui agens de vno, & multitudine hæc ait, *cum autem oppoſitionis quatuor ſint modi horumq. alius in priuationem dicatur, contraria erunt profectò, & neque vt contradictio, neque vt ea, quæ ad aliquid dicuntur*, vbi noſtram proponit opinionem, affirmans *vnum*, & *multa* opponi contrariè: *Vnius & multitudinis germana oppoſitio.* quia tam *vnum*, quàm *multa* dicunt poſitiuas vnitates: non tamen opponi omnino contrariè; quia multitudo addit priuationem vnionis: & ſic conciliatur Ariſtoteles affirmans *vnum*, & *multa* opponi variis modis: quia habent mixtam oppoſitionem ex contrarietate inter entitates poſitiuas, & ex contradictione inter indiuiſionem in ſe, quam habet *vnum*, & inter diuiſionem in ſe, quam habet *multitudo*.

§. 58. *Fauere videtur S. Thom.* B. Thomas fauere videtur P. Fonſecæ, dum ait non ens dictum iri *vnum*: quia etiam habet negationem diuiſionis in ſe. Verum hoc non viget, quia non ens eo modo, quo apprehenditur eſſe, eſt vnum: datur enim chymærarum multitudo, ſicut & mendaciorum, & vulgo dicimus, *dixit ille vnum, vel plura mendacia*: at verò latè diſſident ens, & non ens in ratione *vnius*, quia indiuiſio entis realis eſt conceptus realis, & licet eſſet negatio, poſſet dici negatio realis, quia connotat reale ſubiectum, in quo fundatur: non entis autem negatio, ſeu diuiſio non eſt negatio realis, immo nec ſimpliciter negatio, quæ eſt carentia formæ in ſubiecto inepto: ibi autem nullum eſt ſubiectum. *Ens reale: & rationis ſunt abſimiliter vnum.* Vnde longè aliter Deus dicitur inculpatus, quàm chymæra: in ſola enim voce conſiſtit illa negatio in chymæra; vnde per negationem in ente reali explicatur vnitas realis: at in non ente explicatur vnitas ficta.

§. 59. *Indiuiſio rei ſimplicis eſt pura negatio.* Eſt igitur indiuiſio in re omnino ſimplici ad modum puræ negationis; quia Deus, & Angelus repugnant omnino diuiſioni in ſe, quia eſt expulſio diuiſionis à ſubiecto inepto: ergo eſt pura negatio ſicut non quantitas in Deo. P. Fonſeca. Reſpondet P. Fonſeca, diuiſionem, qua priuat vnum, eſſe poſſibilem in aliis rebus, licet non ſit poſſibilis in eo, in quo eſt indiuiſio: Contra primò: ergo vnitas non entis erit etiam priuatio contra P. Fonſecam, quia licet diuiſio realis non ſit poſſibilis in non ente, eſt tamen poſſibilis in ente. Contra ſecundò, quia non videns in lapide non eſſet negatio, ſed priuatio, quia licet viſio poſſibilis non ſit in lapide, eſt tamen poſſibilis in homine: immo, & immortale in Deo eſſet priuatio: quin nulla eſſet pura negatio. Tertiò à priori, quia eſſe, & non eſſe opponuntur circa idem, vt viſus, & cæcitas: niſi enim verſentur circa idem ſubiectum, oppoſitione carebunt & poterunt ſimul eſſe vt Petrus cæcus, & Paulus videns: ſimiliter Deus indiuiſus, & homo diuiſus: cum ergo diuiſio Dei in ſe ſit impoſſibilis in Deo, ita indiuiſio Dei in ſe eſt ad modum puræ negationis.

§. 60. *Vnitas tranſcendentalis quo differat à numerali.* Rogas, quo differat vnitas, quæ eſt principium numeri, ab vnitate tranſcendentali? Reſpondeo in extrinſeca denominatione, qua vnitas tranſcendentalis ratione refertur ad aliam vnitatem, ad componendum vnum per accidens, qualis eſt numerus: vel in extrinſeca connotatione ad aliam vnitatem.

SECTIO III.

Vnum per ſe, & per accidens.

§. 61. *Vnum per accidens quid ſit.* Nonnulli cenſent, vnum per ſe eſſe, *quod conſtat vno, aut pluribus conceptibus eiuſdem prædicamenti*: vnum autem per accidens, *quod conſtat conceptibus diuerſorum prædicamentorum*. Contrà: exercitus hominum conſtat conceptibus eiuſdem prædicamenti, & eſt vnum per accidens. Item in communiori ſententia, potentia vitalis, & actus componunt vnum per accidens, cum ſint eiuſdem prædicamenti qualitatis. Adde conceptum actionis, & paſſionis pertinere ad prædicamenta diuerſa, & tamen non componunt vnam entitatem per accidens, quia actio, & paſſio non habent duos conceptus realiter diſtinctos: immo neque ratione.

§. 62. *Vnum per ſe abſolutè.* Vnum per ſe poteſt ſumi abſolutè, vel ſecundum quid, & in aliquo genere. Vnum per ſe abſolutè eſt, *res indiuiſa in ſe conſtans vno conceptu, vel pluribus conſtituentibus primum quidditatiuum conceptum rei, vel illum ſubſtantialiter integrantibus.* Ad quod memoria repete ea, quæ dixi diſputat. 4. Phyſicorum, ſectione 1. & quæ dicam infrà, diſputat. 10. à §. 9. probans formam ſubſtantialem conſtituere vnum per ſe cum materia prima: quia forma per ſuum conceptum pertinet ad eſſentiam, primúmque conceptum compoſiti naturalis: omnia ergo entia, quæ vniuntur ad primum conceptum

ptum rei, ſiue compoſita ſint realiter, ſiue ratione, habent vnitatem per ſe: quia vnitas per ſe ſequitur ens per ſe: id eſt, per ſuum conceptum, & entitatem conſtituens rem, & vnitas per accidens, ens per accidens. Similiter vnitas per ſe eſt indiuiſio rei conſtituentis primum conceptum, & ſubſtantialem hominis, aut Angeli.

§. 63. *Vnum per ſe in vno genere.* Vnum per ſe in aliquo genere, ſiue ſecundum quid, eſt *res indiuiſa in ſe, & in ſuo genere completa.* Hoc modo quantitas hominis eſt vna per ſe, quia in homine eſt indiuiſa, & in ratione quantitatis eſt completa. Item omnis qualitas continua, & intenſa eſt hoc modo vna, quia habet totum, quod requiritur, & per ſe conducit ad integritatem illius; verbi gratia, partes & earum vnionem; nam partes per ſe ſpectant ad eſſentiam rei continuæ, continuatio verò ad integritatem: immo quælibet pars qualitatis, & quilibet gradus, & quæuis linea, & punctum poteſt dici vnum per ſe in ſuo genere, id eſt ratione puncti, lineæ, &c. Dices, etiam exercitus dici poteſt vnum per ſe in ſuo genere, quia habet quidquid per ſe requiritur ad rationem exercitus. Reſpondeo exercitum non eſſe vnum (vt infrà patebit) atque inde neque, *vnum per ſe*: at verò quantitas, & qualitas verè ſunt *vnum*, quia in ſe ſunt indiuiſæ.

§. 64 *Actus vitalis & potentia efficiunt vnũ per ſe.* Dices ſecundò, actum, & potentiam vitalem efficere vnum per ſe in ſuo genere: quia habent quidquid perſe requiritur ad illud compoſitum in ſuo genere: & conſequenter, *album* & *quantum* erunt perſe *vnum*, in ſuo genere. Verum hoc non eſſet abſurdum, quia (vt iam dicam) hoc genus entis eſt ſimpliciter ens per accidens: neque arbitror in hoc poſſe eſſe diſſidium, niſi de nomine: nam ſicut albedo in abſtracto eſt in ſuo genere per ſe *vna*: quia verè habet quidquid per ſe requiritur ad vnitatem albedinis; ſimiliter album in concreto ſimpliciter eſt *vnum*: quia eſt indiuiſum in ſe, & in ratione albi eſt per ſe vnum, quia habet quidquid requiritur ad vnitatem albi, quod etiam intellige de quibuſcumque rebus verè vnitis in aliquo genere. Secundò reſpondetur, ea compoſita non eſſe dicenda vnum per ſe in ſuo genere, vitandæ æquiuocationis ergo: licet enim ea voce vtamur ad ſignificandam vnitatem accidentis in abſtracto, eam tamen reiicimus in concretis accidentibus.

§. 65. *Vnum per accidens.* Vnum per accidens eſt *ens indiuiſum in ſe affectum aliquo conceptu non pertinente ad primum conceptum rei.* Hoc declaratur ex ipſo conceptu accidentis, qui eſt ſecundarius conceptus (vt infrà dicemus:) cum igitur accidẽs faciat ens per accidens, ita conſtituit vnum per accidens; nam (vt patet ex ipſa voce) vnum per accidens eſt *vnum per aliquod accidens*, id eſt conſtitutum accidentaria aliqua ratione, vnde omne accidens, etiam ſi ſit in ſuo genere, *vnum*, & completum: eſt tamen ſimpliciter *vnum per accidens*, tum quia eſt ipſamet ratio accidentis, & per ſe ſpectat non ad conceptum perſe, & primarium, ſed ad ſecundarium rei; cumque ſit ipſa ratio formalis conſtituens vnum per accidens, non poteſt ipſum eſſe ſimpliciter vnum per ſe; tum etiam, quia omnis qualitas compoſita intenſiuè, aut extenſiuè, eſt vna per accidens, id eſt, per vnionem accidentalem. Quod ſi accidens ſit phyſicum, & realiter accidens, facit vnum per accidens realiter, & Phyſicè: Logicè autem, & prædicabiliter vnum per accidens, quia non prædicatur in quid, ſed in quale.

§. 66. *Aliud ens per accidens improprium.* Aliæ res dicuntur *vnum per accidens*: ſed quidem æquiuocè, & per impropriam analogiam, domus enim, & exercitus, exempli gratia, non ſunt *vnum*, neque verè domus dicitur *vna*, quia hoc complexum, *vna domus*, ſi propriè ſumatur, includit terminos repugnantes; nam *vnum* dicit indiuiſionem rei in ſe: *domus* autem dicit diuiſionem in ſe, quia domus eſt aggregatum plurium rerum in ſe diuiſarum; dicitur autem *vna* per analogiam, quia partes domus imitantur rerum vniones, quia inter ſe diuerſis vinculis colligantur, & vna domus dicitur diſtincta ab alia: quia partes alterius domus, licet ſint diuerſis vinculis coagmentatæ inter ſe, nullum tamen habent commune vinculum cum altera domo: quando verò communis ſit tranſitus ab vna in alteram, ita vt trabe aliqua vtrique communi, aut porta quaſi continuentur, tunc è duabus dicitur fieri vna. Idem dico de exercitu, & cæteris entibus artefactis: nam ſicut res continuæ, quando nullum habent communem terminum, conſtituunt plura compoſita, vt duæ tabulæ inuicem diuiſæ: quando verò habent terminum communem, componunt vnum compoſitum; ita duo exercitus, aut copiæ diuerſæ, quando inter ſe non copulantur, neque ſubduntur communi vni capiti, nec ſe mutuò iuuant, dicuntur plures exercitus, & non vnus: quando verò copiæ copiis copulantur, & ſe mutuo iuuant ad pugnam, conſtituunt vnum exercitum; ita milites præſidiarij Pompelonenſes, & propugnatores caſtri, & cuſtodiæ montium & equitatus totum regnum perluſtrantes, eumdem exercitum conſtituunt, quia omnes ſe mutuo iuuant in defenſionem regni: quo in ſenſu etiam artefacta habere diuiſionem in ſe, vel indiuiſionem, & eſſe vnum, vel plura dicuntur; nam quando duo exercitus nullo vinculo copulantur, dicuntur duo in ratione exercitus: quando verò copulantur, vnus dicuntur exercitus.

SECTIO IV.

Nonnullas difficultates expedio.

Prima eſt, Vtrum *ens* & *vnum conuertantur?* Pater Vazquez tom. 2. d. 128. numero 11. & P. Fonſeca 4. Metaphyſicæ capite 2. quæſt. 5. ſectione 7. exiſtimant vnitatem non eſſe adæquatum attributum entis vt ſic: quia ens immediatè diuiditur in vnum, & plura: ſed alterum membrum diuidens non conuertitur cum diuiſo: ergo vnitas non conuertitur cum ente vt ſic. Probatur minor tum ex Ariſtotele, tum ex S. Thoma quos imitantur Soncinas, Iauellus, aliique Thomiſtæ apud Patr. Suarez. diſputat. 4. Metaphyſicæ, ſect. 8. opinantibus primam entis diuiſionem eſſe in vnum, & multa: quod ratione confirmant: quia vnum, & multitudo conueniunt in ratione entis, & differunt in ratione talis: ergo ratio entis abſtracta ab vno, & multitudine, neque eſt vna formaliter, neque multa: alioquin non poſſet contrahi ad vtramque differentiam: ergo illa ratio ſic abſtracta non eſt vna: ſicut animal abſtractum ab homine non eſt rationale formaliter: ergo vnitas non eſt adæquatum attributum entis. Vide S. Thomam & Caietanum 1. part. quæſt. 11. artic. 1. §. 67. P. Vazq. P. Fonſeca. Ariſtoteles. S. Thom. Soncinas. Iauellus. P. Suarez. S. Thom. Caiet.

Huic opinioni non aquieſco: cum Pat. Suarez: tum quia communis Ariſtot. Philoſophorumque conſenſus eſt, tria entis attributa cum illo conuerti, tum quia multitudo non eſt attributum entis, ſed entium: nunc autem non inquirimus attributa entium per accidẽs, ſed communem rationem entis. Aliquis poſſet hanc concluſionem probare: quia §. 68. P. Suarez. *Ens & vnum cõuertuntur.* *Quædam probatio.*

quia multitudo vt multitudo nihil addit ſupra ſingulas entitates; præter extrinſecam denominationem à coexiſtentia aliarum rerum: extrinſeca autem denominatio vt extrinſeca non facit rem conuenire in ratione entis cum alia: tum quia chymæra habet extrinſecam denominationem cogniti: chymæra tamen non conuenit in ratione entis cum alia: tum etiam, quia conuenientia in ratione entis ſumitur ab intrinſeca ratione cuiuſque rei: nam ens eſt quidditatiuus conceptus rerum: ſed multitudo vt multitudo non eſt aliquid intrinſecum alicui rei: ſed ſunt plures ſingularitates cum aliqua extrinſeca denominatione: ergo multitudo vt multitudo non conuenit in ratione entis cum aliis.

§. 69. *Impugnatur.* Hæc ratio non vrget: quia multitudo includit formaliter plures vnitates, & licet vna vnitas ſit extrinſeca alteri, tamen eſt quidditatiua multitudini, quo valde differt à chymæra: quæ in ratione (*Chymæra nihil eſt.*) obiecti nihil eſt, & non conſtituitur quidditatiuè ex actu reali: at verò multitudo includit duas partes, & vtramque realem: neque verò ratio entis ſumitur ab aliquo extrinſeco: quia licet vna vnitas ſit extrinſeca alteri, ac proinde entitas vnitatis non (*Multitudo eſt ens reale.*) ſumatur ab alia: tamen omnes illæ vnitates ſunt intrinſecæ multitudini: vnde ex illis rectè ſumitur entitas multitudinis: neque arbitror poſſe negari multitudinem eſſe ens reale latè ſumptum: nam multitudo eſt apta ad exiſtendum.

§. 70. *Probatio à priori.* Ratio à priori huius concluſionis eſt, quia ens prius debet diuidi per conceptus quidditatiuos, quàm per attributa: item ens non diuiditur in ens, (*Ens prius diuiditur per conceptus quidditatiuos quàm per ſecundarios.*) & entia: ſed in ſubſtantiam & accidens, &c. ergo non debet diuidi in vnum, & multa: patet conſequentia: quia non poteſt dari diuiſio attributi in variis entibus, niſi præmittatur diuiſio in varia entia: probatur antecedens: quia homo non diuiditur in vnum hominem, & in duos homines: ſed in Petrum, & Paulum: neque animal diuiditur in vnum animal & duo animalia: ſed in rationale, & irrationale: neque ſubſtantia diuiditur in vnam ſubſtantiam, & duas ſubſtantias: ſed in ſubſtantiam incorpoream & corpoream: ergo neque ens diuiditur in vnum ens, & in duo entia: ſed in ſubſtantiam & accidens.

§. 71. *Alia ratio.* Ratio à priori, quia diuiſio animalis in vnum animal, & in duo animalia, parum refert ad cognitionem animalis, & ad rationes proprias differentiales illius: valde autem confert illius diuiſio in rationale, & irrationale: tum etiam quia animal eſt vnus conceptus per ſe, ergo non poteſt diuidi in ens per accidens, qualis eſt multitudo. (*Confirmatio prima.*) Confirmatur, omnia entia ſingularia conueniunt in ratione vnius: ergo ſicut ab illis omnibus abſtrahitur vna ratio entis vt ſic, ita abſtrahitur ratio vnius. At ab vno homine, & ab aliis duobus non abſtrahitur ratio hominis, ſed à ſingulis. (*Secunda.*) Confirmatur ſecundò, quantitas diſcreta & continua conueniunt in ratione quantitatis: quæ non contrahitur ad illas vt ad differentias quantitatis: nam (*Quantitas diſcreta non eſt ſpecies quantitatis.*) diſcreta vt diſcreta dicit negationem vnionis, quæ non conuenit in ratione quantitatis: ergo ratio communis quantitatis non diuiditur in vnum & plura.

§. 72. *Interrogatio.* Rogas quid concipio cum abſtraho quantitatem à continua & diſcreta? Equidem non rationem communem: ſed abſtraho ab vnione & carentia: vt cum Petrum abſtraho à cæco & vidente.

§. 73. Ariſtoteles. Vnde, quando Ariſtoteles diuidit ens in vnum & multa, ſumitur ſuſiſſimè: ſicut ſumitur vnum, quando diuiditur in vnum per ſe, & vnum per aggregationem. Immo verò eo modo, quo aggregatum eſt ens, eſt vnum: & ſicut eſt ens per accidens, ita & eſt vnum, itaque ens, & vnum ſemper conuertuntur. (*Diuiſio entis in vnum & multa eſt valde fuſa, & impropria.*) Dices exercitum non eſſe ens, ſed entia. Contrà, ergo non conuenit in ratione entis, ſi non eſt ens: itaque eſt ens aggregatione, ſimiliter & vnum aggregatione. S. Thom. 1. part. quæſt. 11. articul. 1. non diuiſit ſimpliciter ens in vnum & plura; ſed per vnum ſimpliciter diuiſit ens, ſecundum autem quid diuiſit per plura, rationemque ſubdit ad ſecundum, *quia ipſa multitudo non continetur ſub ente, niſi contineretur aliquo modo ſub vno.* (*S. Thomæ diuiſio.*) Verbum autem *diuidere* ſumitur hic à B. Thom. pro ſubiici, & quia vnum per ſe ſubiicitur enti tamquam attributum, multitudo autem ſecundum quid, ideo ſecundum quid diuiditur ens per plura. Quæ omnia rectè Caietan. obſeruat circa finem eius articuli, adnotans etiam eruditos fluctuaſſe, quia non ſunt hanc explicationem adepti. (Caietan.)

§. 74. *Multitudo non eſt ens, ſed entia.* Ad argumentum ex §.67. reſpondetur, multitudinem propriè ſumptam non eſſe ens, ſed entia, ac proinde non conuenire in ratione entis; ſed cum alia multitudine conuenire in ratione entium: ratio autem entis abſtrahitur ab entibus vnis. Quod ſi velis multitudinem eſſe ens, ita ego volo eſſe vnum: nam ſicut eſt aggregatio aptitudinum ad eſſe, ita eſt aggregatio indiuiſionum in ſe: quia neque habent rationem entis, niſi aliquo pacto reducantur ad vnum. (*Eſt vnũ quo pacto eſt ens.*)

§. 75. *Alia explicatio.* Ariſtotel. S.Thomas. Poteſt autem ſumi vnum in actu, & plura in potentia: ſic autem diuiſio entis in vnum, & plura, eſt diuiſio adæquata entis in ſimplex, & compoſitum: namque ſimplex ita eſt vnum actu, vt nec potentia ſit plura; compoſitum autem ita eſt vnum actu, vt potentia ſit plura: nam ex aqua continua, ſi diuidatur, fiunt plures aquæ, quod forte voluerunt Ariſtoteles, & beatus Thomas diuidentes ens in vnum & plura.

§. 76. *Secunda difficultas. Vnũ eſt prius multitudine.* Secunda difficultas eſt; *An vnum ſit prius quàm plura?* & quidem Deum eſſe vnum, & priorem quàm plura, eſt luce clarius. Deinde vnum vt ſic eſt independens à multitudine vt ſic: multitudo autem dependet ab vno: quod eſt principium numeri: ergo vnum eſt prius multitudine.

§. 77. *Tertia difficultas. Sententia Capreoli.* P.Suarez. Tertia: *Vtrum diuiſio entis in vnum, & plura, ſit prima & maxima omnium?* Primùm omitto ſententiam Capreoli, & aliorum Thomiſtarum apud Pat. Suarez ſectio 9. opinantium quantitatem in ratione vnius addere neſcio quid ſupra ens; quia quantitas formaliter eſt vna per indiuiſionem in ſe: eam autem eſſe principium numeri materialis (ſi propriè ſumatur) eſt extrinſeca denominatio: ſi autem ſumatur pro radice, eſt propria differentia quantitatis: ſicut etiam eſt de eſſentia Michaelis (id eſt, de eius entitate) eſſe principium numeri Angelorum. (*Ens non abſtrahitur ab vno & multis: nec contrahitur.*) Deinde patet ex dictis, ens vt ſic non abſtrahi ab vno, & multis: ergo non poteſt diuidi in vnum, & plura diuiſione vniuerſali. Admiſſa autem abſtractione entis ab vno, & pluribus; adhuc prima diuiſio non eſt in vnum, & plura, quia hæc diuiſio eſt per attributa; prior autem eſt diuiſio per conceptus quidditatiuos. (*Prima diuiſio entis non eſt in vnum & plura.*) Poſſumus autem inquirere, quæ ſit prima diuiſio entis, in vnum, & plura? an verò in infinitum, & finitum. Iauellus opinatur ens diuidi in infinitum, & finitum ſecundum rationem boni. Verùm alia eſt bonitas, quæ eſt attributum ab amore, alia eſt bonitas & perfectio eſſentialis: hanc ſignificat *finitum & infinitum.* Vnde hæc diuiſio immediatior eſt, immo

& adæ

& adæquata: nam habet duo membra, quorum alterum in altero non includitur, at verò vnum includitur in multitudine.

SECTIO V.

Vnde ſumatur vnitas indiuidualis?

§. 78. *Singulare quid ſit.* Maxima vnitatum eſt indiuiſio, ſiue ſingularitas. Rem ſingularem eſſe eam quæ non poteſt diuidi in alias, quæ ſint idem adæquatè cum illa, oſtendam diſputat. 5. ſectio 1. In præſenti inquiruntur principia huius vnitatis; nõ quidem extrinſeca ſed intrinſeca: nam quod hoc indiuiduum modò producatur potiùs quàm aliud, oritur ex ſola Dei voluntate; vt probaui diſputat. 10. phyſicorum ſectione vltima; finalis item cauſa, & efficiens ſunt extrinſecæ; materialis autem licet non ſit omnino extrinſeca, eſt tamen extra rei entitatem. Quapropter accidens in indiuiduo non componitur ex ſubiecto ſubſtantiali: ſed ex alio accidentali principio.

§. 79. *Ariſt. P. Suarez. P. Fonſeca.* Ariſtoteles pluribus in locis apud Pat. Fonſecam tomo 2. libro 5. Metaphyſicæ capite 6. quæſtion. 4. ſectio 1. ait, principium indiuiduationis eſſe materiam primam ſignatam; ſiue aliquibus accidentibus deſignatam. Ariſtotelem ſecutus videtur beatus Thomas ibi (*B. Thom.*): verùm ab Ariſtotelis teſtimoniis abſtineo, quia (vt rectè Pat. Fonſeca ſuprà ſectio 4.) Ariſtoteles nec rectè ſenſit de indiuiduatione ſubſtantiarum ſeparatarum, neque bene tradidit cæterarum rerum indiuiduationes. (*Ariſtoteles male ſenſit.*)

§. 80. *Prima probatio pro Ariſt.* Probatur primò ſententia Ariſtotelis, (in quam vniuerſi ferè Thomiſtæ conſpirant) quia materia prima eſt principium ad multiplicandas res intra eamdem ſpeciem: ergo materia prima eſt principium indiuiduationis. Patet conſequentia, quia illud debet eſſe principium indiuiduationis, quod eſt principium diſtinctionis. Secundò, indiuiduum eſt incommunicabile inferioribus, ſed materia prima ita eſt incommunicabilis; cum ſit primum ſubiectum: ergo. Tertiò, quia in ſerie prædicamentali, & metaphyſica indiuiduum eſt primum ſubiectum: ſed materia prima eſt primum ſubiectum: ergo.

§. 81. *P. Suarez. Ea ſententia ſine ratione.* Summo iure Pat. Suarez diſputatio. 5. ſectio 3. numero 4. affirmat, hanc ſententiam nulli inniti rationi. Ac primùm primam rationem optimè refellit: nam ſi idem eſt principium indiuiduationis, & diſtinctionis: forma erit indiuiduationis principium, non materia, *quia actus eſt qui diſtinguit*, non ſolum ſpeciem, ſed etiam indiuiduum: nam ſicut materia prima de ſe eſt indifferens ad diuerſas ſpecies completas; per formam autem determinatur ad hominem, vel leonem: ita eadem materia eſt indifferens ad plura indiuidua, determinatur autem ad Petrum per animam Petri: nam hæc numero portio materiæ poteſt reperiri in Petro, vel Paulo; anima verò Petri in ſolo Petro: ergo forma eſt quæ diſtinguit.

§. 82. *Secundum argumẽtum.* Secundò probo, multitudinem indiuiduorum intra eamdem ſpeciem non prouenire à materia prima: tum quia Angelos eſſe multiplicabiles intra eamdem ſpeciem diſputat. 12. apertè monſtrabo, tum quia Angelus habet diſtinctos numero motus, diſtinctas vbicationes, cognitiones, & appetitiones ſolo numero diſtinctas: ſed earum rerum indiuiduatio, quia eſt ſpiritualis, non ſumitur à materia: ergo aliquæ indiuiduationes intra eamdem ſpeciem non ſumuntur à materia. (*Diſtinctio numerica nõ eſt à materia.*)

§. 83. *Obiectio.* Dices, eas res indiuiduari à ſubiecto angelico; Contrà: ergo iam vniuerſim multiplicatio indiuidualis non ſumitur à materia prima: ſed etiam à rebus ſpiritualibus. Reſponde igitur tu ipſe tuis argumentis (*Refellitur.*). Secundò, formæ ſubſtantiales multiplicantur numero circa eamdem numero partem materiæ, & cum materia ſit vna, formæ ſunt plures: ergo multiplicatio non ſumitur à materia. Patet conſequentia, quia tot deberent eſſe materiæ numero diſtinctæ quot formæ: nam vna indiuiduatione non poſſunt realiter plura indiuiduari vt plura.

§. 84. *Refutatio argumenti ſecundi.* Secundum argumentum ingentem continet æquiuocationem: nam incommunicabilitas indiuidui eſt illud non poſſe diuidi in alia, quæ ſint idem adæquatè cum illo. Hæc autem incommunicabilitas cuiuis entitati reali conuenit per ſe, & non ratione materiæ (vt patet indidem.) Deinde forma eſt magis incommunicabilis, quàm materia: nam forma materialis non poteſt ex natura rei communicari pluribus ſubiectis etiam ſucceſſiuè, at eadem materia poteſt pluribus formis.

§. 85. *Confutatio tertiæ rationis.* Tertia ratio laborat æquiuocatione non minori: nam indiuiduum eſt primum ſubiectum logicè in prædicationum ſerie, quod conuenit tam ſubſtantiæ, quàm accidenti: materia autem prima eſt primum ſubiectum in phyſica compoſitione: de qua non prædicantur ea, quæ in prædicamento collocantur: non enim dicimus, *materia prima eſt homo, materia prima eſt qualitas*, ſicut dicimus *Petrus eſt homo, hæc albedo eſt qualitas.* Quorſum ergo hoc argumentum? Ecce quàm debili innixa ſcipione trita ſatis, & communis ſententia, in nobili quidem ſchola! (*Materia prima non eſt primum ſubiectum logicè, ſed phyſicè.*)

§. 86. *Materia prima vt ſic eſt indifferens ad hanc numero.* Ac primum, materia prima vt ſic, eſt indifferens ad hanc numero materiam primam; & ad illam: rogo per quid ipſa materia prima intrinſecè indiuiduetur? Non per conceptum communem: quia hic in ſuo conceptu abſtrahit ab indiuiduatione. Reſpondet Capreolus, materiam primam indiuiduam dicere conceptum communem materiæ cum hac quantitate, quia materia à ſe habet incommunicabilitatem, diſtinctionem autem habet à quantitate, à qua oritur diſtinctio: quod ſumi videtur ex Ariſtotele aſſerente: *Quãtum eſt, quod diuidi poteſt in ea, quorum vnumquodque hoc aliud natum eſt eſſe.* Verum hoc Ariſtotelis teſtimonium eſt contra ipſum Capreolum, nam indiuiduum (vt vox ſonat) non poteſt diuidi: ſed quantitas facit materiam diuiſibilem: ergo non facit eam indiuiduam: præſertim in opinione Thomiſtarum, aſſerentium diuiſionem à ſola oriri quantitate: quo ergo pacto ab illa oritur indiuiſio materiæ? (*Capreoli reſponſum. Ariſtoteles contra Capreolum.*)

§. 87. *Materia prima habet indiuiduationẽ ſubſtantialẽ & non à quantitate. Capreol. Scot.* Secundò, materia prima habet indiuiduationem ſubſtantialem: ſed à quantitate eam non poteſt habere formaliter: ergo quantitas nõ eſt de ratione formali indiuiduationis materiæ: minor non eget probatione, cum quantitas ex eodem Capreolo ſit accidens. Maior probatur primò ad hominem: quia Thomiſtæ vniuerſi negant contra Scotum diſtinctionem vllam ex natura rei inter naturas communes, & ſingulares: ſed natura communis materiæ primæ eſt ſubſtantia: ergo natura ſingularis illius debet eſſe ſubſtantia. Secundò, quia Petrus in quantum Petrus, non eſt ens per accidens, ſed per ſe: ergo in quantum Petrus nullo conſtat accidente: ſed in quantum Petrus includit indiuiduationem: ergo indiuiduatio Petri non eſt accidens: ſed indiuiduatio Petri formaliter

includit

includit indiuiduationem materiæ primæ: ergo indiuiduatio materiæ primæ nullum includit accidens: ergo nec quantitatem.

§. 88. *Tertium argumentum contra Thomiſtas.* Tertiò, quia iidem Thomiſtæ affirmant, accidens indiuiduari à ſubiecto: ergo ſubiectum non indiuiduatur ab accidente, quia committeretur circulus: nam inquirendo indiuiduationem materiæ recurris ad ſingularitatem quantitatis: de hac autem rogatus, confugis ad ſingularitatem materiæ; rogo igitur rationem huius indiuiduationis: quæ ſi eſt à ſubſtantia ipſius materiæ: ergo iam vniuerſalitas materiæ non ſingularizatur per quantitatem: quod ſi per eam ſingularizatur: ergo quantitas non ſingularizatur per materiam: quia materia per te totam ſuam ſingularitatem mutuatur à quantitate: vnde ergo quantitas habet indiuiduationem? Quorſum ergo affirmas omne accidens indiuiduari à ſubiecto?

§. 89. *Quartum argumentum.* Deinde, ſi materia accipit intrinſecam indiuiduationem à quantitate, non poteſt eidem quantitati vllam indiuiduationem communicare, niſi quam ipſa ab eâdem accipit quantitate: ergo quantitas indiuiduatur non à ſuo ſubiecto, ſed à ſe ipſa. Adde, ſi quantitas indiuiduatur à ſubiecto: ergo ſubiectum communicat quantitati propriam ſuam indiuiduationem ſubiecti: ergo quando eadem materia prima accipit indiuiduationem à quantitate, recuperat eam, quam illi tribuerat; ergo materia recuperat ſuam ſingularitatem: de hac rogo quid ſit?

§. 90. *Materia prima non eget quātitate vt diſtinguatur numero.* Adde, materiam primam non indigere quantitate, vt numero diſtinguatur ab alia materia: ergo quantitas non dat materiæ diſtinctionem. Probatur antecedens, quia materia per eam rationem diſtinguitur ab aliis rebus, per quam intrinſecè conſtituitur: Petrus enim Petreitate eſt alius atque diſtinctus à Paulo, & Deus Deitate eſt alius à creatura: ſed materia prima non conſtituitur intrinſecè per quantitatem, quia hæc eſt accidens, & hæcceitas materiæ eſt ſubſtantia: ergo materia non eget quantitate ad ſui diſtinctionem. Quod verò affert Capreolus ex Ariſtotele non eſt è re, quia Ariſtoteles tantum vult, quantum ratione quantitatis eſſe aptum, vt diuidatur in plura compoſitâ diſtincta adæquatè: lignum enim bipedale eſt vnum compoſitum actu, potentia verò plura in quæ poteſt diſſecari. (Capreol. Ariſt.)

§. 91. *Qua diuiſio oriatur à quantitate.* Quæ diuiſio phyſica oritur à quantitate: quia licet materia prima ſit diuiſibilis, non poteſt tamen actu diuidi ab agente materiali, niſi quantitate afficiatur: nam inſtrumentum, quo diuidenda eſſet, cum eâdem penetraretur; cum & materia ſit impenetrabilis per quantitatem, ita & per eandem eſt diuiſibilis ab agente materiali: hoc autem voluit Ariſtoteles, quorſum igitur Capreolus ſe armat Ariſtotele? quod verò dicitur, vnitatem numeralem eſſe materialem, & non formalem; accipiendum eſt non phyſicè, ſed logicè: nam ſingularitas animi rationalis, eſt formalis phyſicè, & non materialis: logico autem inſtituto ſingularitas eſt valde per accidens, quia nihil addit ſubſtantialiter perfectius ſpecie: quo in ſenſu ſingularitas in ſingulari dicitur accidentalis, non phyſicè, ſed logicè.

§. 92. *Quātitas eſt indifferens ad indiuiduationem.* Ad hæc, quantitas vt ſic eſt indifferens ad hanc, & illam numero: rogo per quid indiuiduetur? non per ſubiectum (vt probaui:) ergo per indiuiduationem ſibi propriam, & intrinſecam: ergo etiam materia prima. Dices quantitatem indiuiduari per hanc numero formam. Contra, quia forma eſt ſubſtantialis: ergo non poteſt eſſe ratio intrinſecè conſtituens accidens. Deinde forma vt ſic, eſt indifferens ad hanc, & illam numero, rogo per quid contrahatur ad ſingularitatem? non per agentia extrinſeca, quia hæc ſunt extrinſeca, & cum agens vt ſic ſit indifferens ad plura numero agentia; de illis rogo per quid indiuiduentur? Deinde, forma non indiuiduatur per exiſtentiam: quia hæc eſt idem cum eſſentia; vel ſi diſtinguitur, exiſtentia vt ſic eſt indifferens ad hanc, & illam numero, rogo per quid indiuiduetur? Denique vnitas ſingularis, & vniuerſalis diſtinguerentur ex natura rei, ſicut per te diſtinguuntur eſſentia, & exiſtentia. In hoc ſenſu incredibile eſt hanc opinionem in alicuius hominis mentem veniſſe.

§. 93. *Alia eius opinionis expoſitio.* Secundo modo poteſt exponi hæc opinio; materiam primam, & quamlibet rem ſingularem indiuiduari intrinſecè ſua propria entitate: at verò indiuiduationem materiæ primæ ſumi in ordine ad hanc numero quantitatem, & diſpoſitiones: & hoc eſt materiam ſignatam eſſe principium indiuiduationis. Ita videntur explicare Caietanus de ente & eſſentia capit. 2. quæſtio 5. & 3. part. quæſtio 3. artic. 5. §. *Ad probationem.* agens de vnitate accidentis, quam diuinitus poteſt habere in ordine ad plura ſubiecta; quam tamen ab vno ſubiecto naturaliter erat habiturum: & Iauellus 5. metaphyſicæ, quæſtio 15. quod videntur ſumpſiſſe ex Ægidio quodlibeto primo, quæſt. 5. articulo 1. (Caietan. Iauell. Ægid.)

§. 94. P. Suarez. *Impugnatur Caietanus.* Verum (vt ait Pat. Suarez ſupra numer. 18.) hæc Caietani doctrina ipſi Caietano diſplicuit 1. part. quæſtio. 19. artic. 1. & adſtruxit, materiam eſſe principium indiuiduationis, non vt eſt in potentia ad hanc quantitatem, ſed vt illam præhabet; ſiue vt eſt radix, & fundamentum illius. Sed quidem Caietanus argumentis oppreſſus, coactus fuit alium modum indiuiduationis inueſtigare; ſed recidit in priorem, qui ei diſplicuerat. Nam materia prima præhabet quantitatem, eſtque illius radix, & fundamentum in genere cauſæ materialis: ſed hoc eſt quantitatem contineri in potentia materiæ: quia in opinione Caietani quantitas non fit, ſed recipitur à materia prima, eſt ergo eadem ſolutio verbis diuerſis.

§. 95. *Materia non eſt indiuidua in ordine ad hanc quantitatem.* Et quidem admiſſa prima illius parte (nempe materiam intrinſecè indiuiduari ſua entitate) impugnatur ſecunda (nempe eam eſſe in ordine ad hanc numero quantitatem) primò ad hominem, quia Caietanus, cæterique Thomiſtæ affirmant, quantitatem, & cætera accidentia materialia recipi in totum compoſitum: ergo non ſolum materia prima, ſed etiam totum compoſitum indiuiduatur à quantitate: ergo materia prima non eſt principium indiuiduationis rerum omnium materialium; ſecunda conſequentia patet, tum quia quantitas eſſet hoc principium, à qua per te indiuiduatur materia: tum quia forma indiuiduaretur etiam à quantitate, & non à materia, ſicut nec materia à forma: prima verò conſequentia probatur: quia materia prima ex eo præciſè indiuiduatur à quantitate per te, quia eſt radix, & fundamentum in cuius potentia præhabetur quantitas: ſed etiam totum compoſitum per te eſt radix, & fundamentum, in cuius potentia prehabetur quantitas: ergo eodem modo totum compoſitum indiuiduatur à quantitate.

§. 96. *Alia impugnatio ad hominem.* Secundo, Caietanus & Thomiſtæ, quos retuli, & impugnaui diſputat. 9. phyſicorum ſectio 3. & diſputat. 4. de anima ſectione prima, aiunt poten

potentiam, & actum neceſſariò eſſe in eodem genere: in præſenti autem admittunt potentiam paſſiuam in diuerſo genere à ſuo actu:& aiunt per ordinem ad illum eam indiuiduari; vbi conſequentia? Dicit Caietanus, materiam, vt præhabet quantitatem, eſſe in eodem genere cum illa. Contra, materia vt præhabet quantitatem eſt formaliter ſubſtantia: ergo eſt in diuerſo genere à quantitate. Quod ſi eſt formaliter quantitas, quãtitas præhabetur in ſe ipſa, & eodem modo poſſet reſpondere de cæteris potentijs & actibus.

§. 97. *Alia item ad hominem.* Secundò, hæc opinio impugnatur ad hominẽ; quia hæc materia prius natura recipit formã ſubſtantialem, quàm accidentalem: quia per te forma recipitur in materiam corruptis omnibus accidentibus: ergo priùs quàm ſit quantitas, materia eſt ſingularis per ordinem ad formam ſubſtantialem: quia hic ordo per te eſt prior tam in intentione, quàm in executione. Dices quantitatem præceſſiſſe: Bene, ſed præceſſit cum alia forma ſubſtantiali prius introducta, quàm quantitas, de qua redit idem argumentum, donec ſiſtamus in prima generatione elementorum, in qua forma ſubſtantialis per te prius natura genita fuit, quàm quantitas.

§. 98. *Tertia quoque.* Tertiò, item ad hominem; quia eadem numero materia ſucceſſiuè habet plures numero quantitates; quia per te in quauis generatione ſubſtantiali corrumpitur quantitas, reſoluto compoſito vſque ad materiam: ergo indiuiduatio materiæ nõ ſumitur ab vna numero quantitate. Quartò, abſotè impugnatur, quia potentia ſubſtantialis paſſiua per ſe primò, & eſſentialiter reſpicit formam ſubſtantialem, & quaſi conſequenter accidentalem. Item eſſentia materiæ præcipuè ſumitur ex ordine ad ſubſtantiam: ergo indiuiduatio materiæ ſumitur per ordinem ad eaſdem formas ſubſtantiales. Quintò, quia idem ſubiectum eſt capax plurium accidentium eiuſdem ſpeciei, quia vt ſæpe dixi ea reſpicit indifferenter.

§. 99. *Materia prima ſua entitate eſt indiuidua.* Dico ergo primo: *materia prima intrinſecè indiuiduatur per ſuam entitatem intrinſecam, realiter identificatam cum ſuo conceptu ſpecifico.* Probatur apertè, quia vnitas ſingularis, & vniuerſalis in eadem re non diſtinguuntur realiter: ergo vnitas ſingularis materiæ eſt idem à parte rei cum ſuo cõceptu ſpecifico. Secundo, quia quilibet conceptus realis eſt ſingularis per ſe à parte rei: ergo per ſuam entitatem eſt indiuiduus.

§. 100. *Accidens ſe ipſo eſt indiuiduum.* Dico ſecundò. *Accidens intrinſecè indiuiduatur per ſuum conceptum accidentalem, realiter eumdem cum ſpecifico.* Præter dicta; deinde probatur, quia indiuiduatio accidentis intrinſeca, eſt accidentalis: nã ſicut ſubſtantia ex ſubſtantijs componitur, ita accidens ex accidentibus: ergo non indiuiduatur per ſubiectũ: nam ſubiectum eſt ſubſtantia. Confirmatur, indiuiduatio accidẽtis eſt idem cum eius eſſentia; ſed ſubiectum non eſt idem cum eſſentia accidentis; vt ex terminis patet: ergo ſubiectum nõ eſt indiuiduatio accidẽtis. *Indiuiduatio & eſſentia ſunt idem.* Vnde explodendi ſunt, qui aiunt accidens indiuiduari intrinſecè per ſubiectum: & ea ratione probant duo accidentia nec de potentia abſoluta poſſe eſſe ſimul in eodẽ ſubiecto. Nam eâdem ratione nec ſucceſſiuè poſſent eſſe: quia eſſet eadem ratio ea indiuiduandi: & ab eâdem indiuiduatione non poſſunt conſtitui plura indiuidua.

§. 101. *Accidens nõ indiuiduatur per ordinem ad hoc numero ſubiectum.* Dico tertiò. *Accidens abſolutum* (id eſt quod non eſt modus) *non ſumit indiuiduationem à parte rei per ordinem ad hoc numero ſubiectum.* Patet ex dictis diſput. 10. phyſicorum ſect. vltima: vbi probaui hunc numero calorem, & hanc numero formam non dicere determinatè ordinem ad hunc numero calorem, & hanc numero formam, tamquam ad effectus, ſed indeterminatè reſpicere omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei.

§. 102. *Modus indiuiduatur per ordinem ad hoc numero ſubiectum.* Dico quartò. *Modi ſumunt indiuiduationem per ordinem ad res numero determinatas.* Patet ex dictis diſput. 2. ſect. 5.

Dico quintò. *Subſtantia quoad nos indiuiduantur per accidentia, vel effectus:* quia eas non intuemur immediatè, ſed eas cognoſcimus, & diſtinguimus per connotata diſtincta: præſertim accidentalia. Quod apertè dixit ſanctus Thomas adductus à Pat. Suarez & Fonſeca ſuprà: neque vnquam Angelici Doctoris menti occurrit, rem aliquam intrinſecè indiuiduari per aliam; ſed vel per connotationem ad illam, vel quoad nos. *P. Suarez. P. Fonſeca. S. Thomas explicatur.* Nam 3. p. quæſt. 77. art. 2. c. ait, quantitatem habere in ſe quamdam indiuiduationem: & formas inhærentes indiuiduari per ſubiecta, quia petunt in illis eſſe; non verò, quia ſubiectum ſit intra illorum indiuiduationem; propter animo rationali non tribuit indiuiduationem per materiam, quia ab illa non pendet 1. part. quæſt. 3. artic. 2.

DISPVTATIO V.

De vnitate vniuerſali.

SECTIO I.

Vtrum omne ens reale ſit ſingulare?

§. 1. *Definitio rei ſingularis.* Singulare, teſte Ariſtotele, eſt: *quod eſt vnum numero:* id eſt, quod ita eſt vnum, vt ſit indiuiſibile in plura quæ habeant eamdem rationem cum illo. Quo poſito affirmandum eſt, vnamquamque rem ſingularem eſſe à parte rei. Probatur, quia impoſſibile eſt vt aliqua res diuidatur in plures res, quæ ſint idem adæquatè cum illa; nam ſi ſunt idem cum illa: ergo non diſtinguuntur ab illa: ergo non poteſt in illas diuidi: patet conſequentia, quia diuiſio realis eſt ſeparatio partium realiter diſtinctarum: alioquin quo pacto idem ſcinditur à ſeipſo? Si verò res, in quas ſit diuiſio, diſtinguuntur realiter à diuiſo: ergo diuiſum non diuiditur in res, quæ ſint idem cum illo (quod intendimus:) ergo diuiſum eſt vnum numero. Confirmatur, aqua, verbi gratia, poteſt diuidi in plures partes: nulla tamen pars eſt idem adæquatè cum aqua diuiſa; ergo aqua diuiſa erat vnum totum ſingulare indiuiſibile in aliud totum, idem adæquatè cum illo.

§. 2. *Non poteſt eadem res diuidi in alias, quæ ſint idẽ cum illa.* Hinc oſtenditur, non poſſe dari vnam rem, quæ indiuiſa manẽs, multiplicetur in ſuis inferioribus. Exemplum ſit in ideis Platonis (cui Ariſtoteles adſinxiſſe fertur, affirmaſſe dari hominẽ, verbi gratia, ſeparatum à ſingularibus, qui in Petro, & in Paulo, multiplicetur.) Probo igitur hunc hominem eſſe omnino ſingularem: quia vel iſte homo reperitur in Petro, & Paulo: vel non: ſi non, ergo non eſt idem cum Petro; ergo non diuiditur in Petrum, & Paulum, ac proinde neque erit ratio communis in Petro, & Paulo reperta: ſi verò reperitur, vel eſt idem in Petro, & Paulo; vel diuerſus realiter? ſi eſt diuerſus: ergo & in Petro, & in Paulo non reperitur idem realiter homo; ergo homo, qui eſt in Petro, nõ eſt homo, qui eſt in Paulo: ergo homo ille diuiſus non eſt idem cum Petro,

& cum

Digitized by Google

& cum Paulo:patet conſequentia : quia ſi ille homo eſſet Petrus , & idem eſſet Paulus : ergo Petrus , & Paulus eſſent idem : quia *quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe* : ergo ille homo non fuit diuiſus in plures, qui eſſent idem cum illo. Dices hominem Petri ; & Pauli , eſſe eumdem realiter. Contra : ergo homo vt ſic non diuiditur in plures , qui ſint idem cum illo : ſed eſt idem ſingularis homo in Petro, & in Paulo : immo Petrus , & Paulus non erunt duo : ſed vnus homo.

§. 3. *Humanitas reperta in pluribus realiter non erit vniuerſalis.*

Explicatur : natura diuina eſt omnino vna , ſingularis,& indiuidua : & tamen eademmet natura diuina reperitur in tribus perſonis realiter diſtinctis : ergo ſimiliter,ſi homo vt ſic realiter idem reperitur in Petro,& Paulo ; non erit vniuerſalis:ſed ſingularis : quia ad vniuerſalitatem requiritur , vt homo vt ſic, realiter diuidatur in plures homines realiter diſtinctos in ratione hominis ; & vt de illis ſit prædicabilis : at ſi diuiditur in plures realiter diſtinctos, non diuiditur in plures qui ſunt idem cum illo , nec de illis poteſt prædicari magis quàm palmus de duobus ſemipalmis.

§. 4. *Confirmatio.*

Confirmatur : poteſt Deus eamdem albedinem ſimul conſtituere in diuerſis ſubiectis : & tamen albedo non erit vniuerſalis : quia eſt eadem realiter in vtroque:ergo ſimiliter ſi ratio hominis non multiplicetur realiter in Petro,& in Paulo, nō erit vniuerſalis : ſed ſingularis : quod ſi multiplicetur realiter,iam non eſt vniuerſalis, quia nō erit vnus, ſed plures homines. Atque omnes rationes communes , ſic eſſe indiuiſibiles , probatur , quia id in quod diuiditur ratio cōmunis, aut eſt pars illius, aut non ? ſi eſt pars : ergo ratio particularis diſtinguitur realiter ab illa ratione communi , & homo vt ſic , verbi gratia , componetur ex Petro , & Paulo , cæteriſque ſingularibus , tamquam ex partibus, ſicut quantitas ex omnibus ſuis : ac proinde omnes homines componemus vnum integrū hominem, quod eſt ridiculum ; ſi verò non ſunt partes illius ; vel ſunt idem cum illo , vel non ? ſi primum , non poteſt in illa diuidi : ſi ſecundum,ergo talis ratio communis eſt tertia quædam entitas adæquatè diſtincta ab alijs inferioribus : quo ergo modo in illa diuiditur?

§. 5. B. Thom.

Quare B Thomas 1.p.quæſt.29. art.4. ait indiuiduum , in ſe eſſe indiſtinctum , & diſtinctum ab alijs ; & quæſt. 19 artic 9. ait omne ſingulare, eo quod eſt ſingulare , eſſe diuiſum ab alijs : & tale eſſe incommunicabile re , & ratione. Nam , licet palmus poſſit diuidi in duos ſemipalmos, non tamen in duos palmos, qui ſunt idem cum illo. Vnde palmus eſt vnus numero palmus.Sic homo Platonicus , ſi non diuiditur in plures , eſt ſingularis; ſi verò diuiditur in plures , vel ſunt idem omnino cum illo : ſic autem implicat eum diuidi, quia diuiſum realiter diſtinguitur realiter à diuidentibus: ſi verò non ſunt omnino idem : ſed inadæquatè,vt ſemipalmus cum palmo : ergo ille homo tam eſt vnus numero , quàm palmus eſt vnus : ſi verò nec inadæquatè ſunt idem : ergo non diuiditur realiter in illos : ſicut palmus non diuiditur in duos ſemipalmos , qui ſint omnino extra illum. Conſtet ergo hominem illum,& omne ens reale eſſe vnum numero propter eam indiuiſionem. Vnde ad rationem vniuerſalis requiritur , vt habeat vnitatem per intellectum , & realem multiplicationem à parte rei.

Homo Platonicus non eſſet vniuerſalis.

SECTIO II.

Scotica vniuerſalitas impugnatur.

§. 6. *Singularis rei explicatio.* Ariſtot.

PLaniùs, ac pleniùs oportet rem explicare. Ariſtoteles adfirmauit ſingulare eſſe , *quod exponimus vnum numero* : vniuerſale verò , *quod in his eſt*, ly *vnum numero*:ſignificat vnum indiuiſibile:& incommunicabile alijs pluribus,vt Petrum,Paulum: eſt enim numerare, vnitates determinatas in multitudinem componere : res autem ſimpliciter determinatæ ſunt ſingularia tantùm : Vniuerſalia autem non ſunt ſimpliciter determinata : ſed confuſa , & indifferentia : quamuis in ratione vniuerſalis poſſit dici vna numero ſpecies : vnum genus: ſed hæc vnitas numero , eſt ſecundum quid : quia id, ſupra quod appellat , non eſt ſimpliciter determinatum ; neque vnum : ſed tantum ſecundum quid : quo in ſenſu accipe Pat.Fonſecam,5. Metaphyſicæ cap. 28. aſſerentem vnitatem vniuerſalem eſſe mixtam numerali.Ly autem:*quod in his eſt*:non intelligitur , vniuerſale eſſe in ſingularibus idem realiter in vno,& in alio : ſed in diuerſis ſingularibus eſſe diuerſa realiter : eadem autem ratione , & ſimilitudine : tum , quia vniuerſale eſt prædicabile de pluribus ſingularibus, & conſequenter idem cum illis : ergo vniuerale debet diſtingui realiter in diuerſis ſingularibus : tum quia niſi diuideretur in plura inferiora,cum reali ſui diuiſione,nō eſſet vniuerſale : vt natura diuina non eſt vniuerſalis,licet ſit in pluribus ſuppoſitis : neque albedo eſſet vniuerſalis , ſi eadem numero poneretur in pluribus ſubiectis.

P.Fonſeca.

§. 7. *Opinio Scoto adſcribi ſolita.*

His conſtitutis , communiter tribuitur Scoto diſtinctio ex natura rei inter vniuerſalia, & ſingularia : quaſi cenſuerit in vnoquoque homine, exēpli gratia, eſſe duos conceptus ex natura rei diſtinctos:alterum quo conſtituitur homo:alterum quo Petrus : primus eſt humanitas; ſecundus Petreitas: quam vocant *Hecceitatem* : quia eſt ratio conſtituendi hunc hominem. Humanitati tribuunt vniuerſalitatem à parte rei : Petreitati verò ſingularitatem:& ab hac aiunt illam eſſe ſingularem:vt homo eſt albus ab albedine.

§. 8. *Primum argumentum.* Ariſtot.

Primum fundamentum eſt ex Ariſtotele nuper adducto:nam ſingulare eſt vnum numero:vniuerſale in ijs eſt:ſed humanitas eſt in ſingularibus:Petreitas autem non eſt in ijs,ſed facit vnum numero : ergo à parte rei humanitas eſt vniuerſalis; Petreitas verò ſingularis. Reſpondeo , vniuerſale eſſe in ſingularibus , realiter in illis diſtinctum ; & per operationem intellectus vnum : at non eſſe vnum realiter , diuiſum realiter in multa quæ ſint idem cum illo : nec humanitas eſt ita in multis : eſto eadem ſit in omnibus ; vt eadem natura diuina in tribus perſonis.

Reſpondetur.

§. 9. *Secundū argumentum. Diſtinctæ diffinitiones eidem rei conueniunt.*

Secundò arguitur : vnitas vniuerſalis habet diſtinctam realiter diffinitionem à diffinitione vnitatis ſingularis : ergo differunt à parte rei. Diſtinguo antecedens : diſtinctas diffinitiones formales: quæ ſunt actus intellectus , concedo antecedens: obiectiuas,id eſt , ex parte naturæ , quæ eſt ſingularis vniuerſalis,nego:nam ad naturam ſingularem realiter,vt ſubeſt ſecundæ intentioni vniuerſalitatis terminatur cognitio definitiua diſtincta in ſpecie à cognitione definiente hominem, aut Petrum ſecundum ſe. Dices , homo habet diſtinctam definitionem obiectiuam à Petro : ergo homo eſt vniuerſalis : & Petrus ſingularis. Ex antecedenti falſo,nulla conſequentia , licet enim Petrus & homo diſtin-

diſtinguantur realiter; neuter eſt vniuerſalis: quia neuter diuiditur realiter in alios, qui ſunt idem realiter adæquatè cum ipſo.

§. 10. *Tertium argumentum.* *Duæ res poſſunt eſſe ſimiles & diſſimiles abſque diſtinctione in ipſis.* *Quamuis homo diſtinguatur realiter à Petro, non eſt vniuerſalis.*

Tertiò, quia Petrus & Paulus ſunt ſimiles in ratione hominis: & diſſimiles in ratione Petri & Pauli: ergo illæ rationes diſtinguuntur realiter: ergo homo eſt vniuerſalis, Petrus verò ſingularis. Prima conſequentia quàm ſit mala, oſtendi diſp. 2. de anima ſect. 4. probans eamdem entitatem indiuiſibilem realiter, eſſe ſimilem & diſſimilem alij: dato autem conſequenti primo, ſecunda conſequentia eſt nulla: quia licet homo ſit realiter diſtinctus à Petro; non poteſt realiter diuidi in alios homines qui ſint idem realiter cum illo: & de quibus ipſe prædicetur. Dices ſcientiam eſſe de vniuerſalibus. Reſpondeo & de ſingularibus in ſingulari. Item ſcientia de vniuerſalibus, eſt quidem de ſingularibus à parte rei: & quia eſt de illis vt ſunt ſimilia, & vniuerſalia fundamentaliter; non verò vt diſſimilia; ideo ſcientiæ ſunt de vniuerſalibus, & non de ſingularibus.

§. 11. *Quartum argumentum.* *Confirmatur.* *Eſſentia Petri & Pauli ſunt tā diſtincta quàm ipſi.*

Quartò, quia Petrus & Paulus habent diſtinctas ſingularitates: & non diſtinctas eſſentias. Confirmatur; realiter ſunt eiuſdem ſpeciei. Reſpondeo illorum eſſentias eſſe tam diſtinctas realiter quàm ſingularitates. Ad confirmationem: non ſunt à parte rei eiuſdem ſpeciei formaliter; ſed tantum fundamentaliter: quia à parte rei ſunt ſpecies fundamentaliter tantum, & non formaliter. Admiſſa ergo, diſputandi gratia, ea diſtinctione; nec argumenta probant vniuerſalitatem à parte rei: & impugnatur exponendo ſententiam, quam Scoto adfingunt.

§. 12. *Prima expoſitio ſententiæ Scoti.*

Prima expoſitio eſt, naturam communem ex natura ſua eſſe indifferentem ad Petreitatem, vel Pauleitatem: non quod eadem poſſit contrahi ſimul ad Petrum & Paulum, ſed quia ex ſe non petit magis eſſe in Petro quàm in Paulo: at contracta ad Petrum, non poteſt ſimul contrahi ad Paulum.

§. 13. *Impugnatur.* *Species prædicatur de multis.*

Contra: conceptus ſpecificus hominis quidditatiuè prædicatur de multis hominibus: ſed humanitas exiſtens in ſolo Petro, non prædicatur quidditatiuè de multis hominibus: quia non eſt in illis: ergo illa non eſt conceptus vniuerſalis. Dices, eam poſſe eſſe diuiſiuè. Contra: quia id tantum eſt poſſe eſſe in vno; non tamen neceſſariò in hoc potius quàm in illo: hoc autem non ſufficit ad vniuerſalitatem, cui conuenit poſſe prædicari ſimul, & eſſe in pluribus. Nunc enim Petrus & Paulus ſunt homo: & vterque non ab humanitate Petri: ergo ab alia communi vtrique: ergo.

§. 14. *Confirmatur exēplo apto.*

Confirmatur; licet anima diuiſiuè poſſit animare multa corpora, tamen non poteſt prædicari actu in concreto de illis: quia actu non exiſtit niſi in vno, & de meo corpore tantum poteſt prædicari mea anima in concreto. Deinde etiam Petreitas poteſt dici vniuerſalis, quia ſicut per te natura Petri poterat contrahi Pauleitate; ita Petreitas poterat contrahere naturam Pauli. Adde, tot fore vniuerſalia ſpecifica hominis, quot ſunt naturæ contractæ per ſingularitates, quia per te natura cuiuſcumque hominis eſt vniuerſalis.

§. 15. *Tertia ratio ab abſurdo in diuinis.* *Impoſtura in Scotum.*

Tertiò, eſſet in Deo aliqua ratio communis indifferens ad ſingularitatem Dei, & humanam: conſequens eſt hæreticum: ergo. Probatur maior: quia in Deo dantur rationes communes, quibus cum illo creaturæ conueniunt, & in ſententia Scoti conueniunt vniuocè; vbi omnes rationes quas Scotici conficiunt, in Deo probant intentum, nam quando definitur ſubſtātia in communi, habet diſtinctam definitionem ac quando definitur ſubſtantia increata, & creatura eſt ſimilis Deo in ratione ſubſtantiæ diſſimilis in ratione talis. Quod patebit expendenti rationes ſingulas. Hoc autem eſſe perabſurdum, probatur: nam daretur in Deo aliqua ratio, quæ à parte rei poſſet non eſſe Deus, nam ſi conceptus ſubſtantiæ in Deo repertus de ſe eſt indifferens vt cum Petreitate conſtituat Petrū, ergo ille conceptus poteſt non eſſe Deus: immo non poteſt eſſe Deus: quia quidquid eſt Deus, neceſſariò eſt Deus: omnia autem quæ ſunt in Deo, neceſſariò eſſe Deum, eſt Fide ſanctum. Quapropter crediderim hanc ſententiam ſic expoſitam, Scoto falſò impoſitam.

§. 16. *Humanitas diſtincta realiter à Petreitate, eſſet ſingularis.*

Ratio à priori: quia ſingularitas eſt qua res non poteſt realiter diuidi in alias, quæ ſint idem realiter cum illa: quod conuenit illi naturæ. Nec eſt magis vniuerſalis quàm Petrus inexiſtentia in loco: licet ſucceſſiuè poſſit affici diuerſis *vbi*, & accidentibus diuerſis: & tamen eſt ſingulare ſubiectū: ſimiliter humanitas illa, licet afficiatur Petreitate & Pauleitate: quia ab his non habet poſſe realiter diuidi in plures, quæ realiter ſint idem cum ipſa: ſed id habet à ſe: licet enim careat omni hæcceitate, adhuc non poſſet ita diuidi vt dixi ſect. 1.

§. 17. *Secunda expoſitio.*

Secunda expoſitio poteſt eſſe: naturam communem habere aptitudinem poſitiuam vt eadem realiter entitas, ſimul ſit in Petro & in Paulo: vt ſi quis diceret, materiam aliquam habere aptitudinem vt ſimul cum forma hominis conſtituat hominem, & cum forma cœli cœlum; & entitatem animæ habere aptitudinem, vt ſimul ſit in capite, & in corde, eamque aptitudinem in actum eſſe reductam. Et quidem eam eſſe reductam patet: quia nihil eſt, quod impediat: nam vna ſingularitas non poteſt impedire aliam, quia in natura datur aptitudo ad vtramque ſimul: vt quantitas non impedit qualitates in corpore: neque exiſtētia animæ in capite, eiuſdem exiſtentiam in corde. Quæ expoſitio communior debet eſſe Scoticis, quippe aptior ad viuerſalitatis explanationem. Nam vniuerſale eſt vnum in multis, & prædicabile de illis ſimul: quod facilius conuenit humanitati, quæ eſt ſimul vna in multis.

§. 18. *Eſt perabſurda.* *Prima impugnatio.*

Hac ſententia ſic expoſita, nihil potuit abſurdius induci: eſt enim Platonicum figmentum: nam antequā Petrus producatur, datur tota eius eſſentia à parte rei producta & exiſtens in Paulo. Impugnatur primò, quia Petrus, & Paulus non eſſent numero duo homines: ſed vnus: conſequens apparet ridiculum; ergo: probatur maior: nam eadem ratio conſtituens hominem, conſtitueret realiter Petrum, & Paulum: quia in vtroque per te reperitur eadem realiter affecta Petreitate & Pauleitate; ergo eſſent idem homo numero: patet conſequentia, tum, quia non poſſunt multiplicari homines, nō multiplicata humanitate: quia homo dicit in recto humanitatem: ſicut non poſſunt multiplicari alba multiplicata albedine, niſi multiplicentur ſubiecta: quia *album* ſubiectum dicit in recto: tum etiam, quia tres Perſonæ diuinæ ſunt vnus numero, & ſingularis Deus, quia licet multiplicentur perſonalitates, non multiplicatur Natura diuina, quam Deus dicit in recto.

§. 19. *Obiectio.*

Dices primò, Petrum & Paulum eſſe diſtinctos numero homines: ſed eſſe eumdem ſpecie, quia humanitas vt ſic eſt vna ſpecie: multiplicatur autem numero per Petreitatem, & Pauleitatem.

§. 20. *Refellitur.*

Contra: in Petro reperiuntur duæ realitates per te ex natura rei diſtinctæ; quarum altera eſt Petreitas, altera humanitas: Prior non reperitur in Paulo: reperitur autem poſterior: ego probo eam,

quæ

quæ reperitur in Petro & in Paulo, eſſe vnam entitatem numero, & tam ſingularem quàm Petreitatem: niſi quod in Petro habet illa realitas Petreitatem: qua Petreitate caret in Paulo: ſed illa entitas diſtincta ab hæcceitatibus, non diuiditur in alias quæ ſint idem realiter cum illa: ergo non eſt vniuerſalis: conſequentia patet ex ſectione prima: minor à te datur: alioquin non eſſet eadem realitas in Petro & Paulo; ſed diuerſa. Item illa non eſt vna ſpecie, quia ſpecies eſt realiter diuiſa in ſingulis indiuiduis: hæc autem per te non eſt, nec poteſt. Nec per Petreitatem fit ſingularis: tum quia à ſe habet repugnantiam vt diuidatur: tum quia Petreitas illam non multiplicat: ſed illam afficit & determinat. Nec propterea illa humanitas accipit in ſeipſa diſtinctionem: quamuis cum diuerſis hæcceitatibus efficit plura compoſita. Hanc arbitror Metaphyſicam demonſtrationem contra hanc ſententiam.

Humanitas diſtincta à ſingularitate eſt ſingularis.

Petreitas non faceret humanitatem ſingularem.

§. 21. *Confirmatur exemplo naturæ diuinæ.*

Etenim eadem Natura diuina ſingularis quæ reperitur in Patre, reperitur etiam in Verbo: & ſicut eadem anima, quæ reperitur in capite, reperitur etiam in corde: eam autem vocari vnam ſpecie & non numero, eſt improprium, nam ſicut Petrus non poteſt diuidi in plures Petros: ita neque illa humanitas in plures humanitates, quia tota illa integra, & ſine ſui multiplicatione, reperitur in Petro & Paulo, neque per Petreitatem, & Pauleitatem illa multiplicatur, ſed eadem afficitur Petreitate, & Pauleitate: ſicut corpus non multiplicatur ex eo, quod recipiat ſimul plures formas: neque anima ex eo, quod ſimul afficiatur pluribus vnionibus, neque Natura Diuina ex eo quod triplici terminetur Hypoſtaſi.

§. 22. *Probatur exemplis.*

Quod ſi illa humanitas multiplicaretur in Petro, eſſent duæ realitates numero diſtinctæ à duabus aliis realitatibus exiſtentibus in Paulo: nam Petreitas, & Pauleitas per te ſunt numero diſtinctæ, item humanitas vtriuſque multiplicatur, quod eſt contra hanc ſententiam. Neque verò Petreitate, & Pauleitate conſtituuntur plures homines abſolutè, ſed vnus homo cum diuerſis hæcceitatibus, ſicut plures Perſonalitates diuinæ non conſtituunt plures Deos, ſed vnum numero Deum cum tribus Perſonis: & anima cum duplici vnione non conſtituit duos homines, ſed duas partes eiuſdem hominis. Quod verò vocetur *vna ſpecie*, tantum ſignificat illam entitatem affici pluribus hæcceitatibus, ſingulas autem hæcceitates non poſſe aliis affici: ſicut Paternitas non afficitur Filiatione: Natura autem Diuina vtraque afficitur, & ſicut materialis vnio capitis non reperitur in corde: vtrobique autem idem animus reperitur.

§. 23. *Secunda obiectio.*

Dices ſecundò, Naturam Diuinam non indigere relationibus, vt fiat ſingularis, ſed vt conſtituat Perſonas: & animam indigere duabus vnionibus, non vt ſit ſingularis, ſed vt conſtituat duas partes, ſecus verò humanitatem, quæ indiget Petreitate, & Pauleitate vt fiat ſingularis.

§. 24. *Refellitur.* *Humanitas non fit ſingularis Petreitate.*

Contra: Natura Diuina, & anima rationalis eo quod non multiplicentur in perſonis, & in partibus, ſunt ſingulares: ſed neque humanitas multiplicatur in ſingularibus, quia eademmet humanitas afficitur Petreitate, & Pauleitate, quin ipſa realiter diuidatur: Vnde non multiplicatur homo, ſed multiplicantur Petrus, & Paulus, quia in illis multiplicantur hæcceitates. Quapropter hæcceitates non requiruntur, vt naturam reddant ſingularem, quia hæc per ſe eſt indiuiſibilis in plures, quæ ſint idem adæquatè cum illa: ergo præciſa à Petreitate eſt indiuidua: patet conſequentia, quia ſine Petreitate per ſuum conceptum eſt indiuiſibilis: tunc ſic: per ſe eſt indiuidua, ergo per ſe habet vnitatem ſingularem, ergo à Petreitate non accipit indiuiduationem, magis quàm Natura Diuina à Perſonis. Petreitas autem, & Pauleitas immerito vocantur hæcceitates: ad illas diſtinguendas à natura communi: cum eadem natura ſit hæc. Igitur iuxta hanc ſententiam non datur vniuerſale à parte rei.

§. 25. *Secũdum argumẽtum ab abſurdo.*

Secundò ſic argumentor, ſi eadem humanitatis entitas reperitur in Petro & Paulo: ergo eadem entitas animalitatis reperitur in homine, & equo propter eandem rationem: ergo eadem entitas ſubſtantiæ, & intellectus reperitur in homine & Deo: ergo à parte rei eadem entitas intellectus ſimul afficitur ſingularitate creata, & increata; ergo datur in Deo aliquis conceptus à parte rei, qui non ſit Deus à parte rei: nam ſubſtantia hominis non eſt Deus: ſed illa per te reperitur in Deo: ergo in Deo non eſt Deus. Dices per Diuinam ſingularitatem contrahi ad Deum. Contra, ergo Deus conſtituitur à parte rei per ſingularitatem Diuinam tanquam per formalem rationem, ſicut homo per animam: ergo licet totum compoſitum ſit Deus, tamen illa ratio ſubſtantiæ non erit Deus, ſicut materia prima non eſt homo: licet per animam determinetur ad hominem.

Obiectio refellitur.

SECTIO III.

Gradus ſuperiores ab inferioribus non diſtinguuntur ex natura rei.

§. 26.

PErmiſi Scoto diſtinctionem ex natura rei: vt oſtenderem, inde non concludi vniuerſalitatem à parte rei. Nunc contra diſtinctionem agendum. Communiter adſcribitur Scoto diſtinctio ex natura rei: à qua eum vindicabo: in cuius ſententia eodem modo diſtinguuntur gradus ſuperiores ab inferioribus. Cui hac in parte adſtipulatur P. Fonſeca 5. Metaphyſicæ, cap. 6. quæſt. 6. artic. 2. quamuis inter diuina attributa eam refugiat diſtinctionem: conſequentiam ipſe tueatur: ego autem conſequentiorem exiſtimo Scotum; cum eius argumenta idem vtrobique confirment.

Scotus. P. Fonſeca.

Melior eſt conſequentia Scoti.

§. 27. *Scotum ſequitur P. Fõſeca.*

Tertiam diſtinctionem inueniſſe fertur Scotus, quam vocat *formalem actualem*, vel *ex natura rei:* quæ videtur eſſe media inter realem, & rationis: quam latè approbat Fonſeca ſupra. Hæc diſtinctio verſatur inter duas res, quarum altera alteram non includit in ſuo conceptu: ſuntque diſtinctæ ante omnem intellectus operationem, ſed non realiter, ſed tantum ex natura rei. De quo latè diſp. 6. ſect. 3. A cuius calumnia ibi vindicabo Scotum: ac monſtrabo Scoticos implicari terminis: nec ſe explicare. Nunc autem tantum contendo, gradus ſuperiores ſola ratione diſtingui ab inferioribus, verbi gratia, ens ab accidente: animal à rationali.

§. 28. *Gradus ſuperiores & inferiores diſtinguuntur ſola ratione.*

His conſtitutis: probatur primò, animal & rationale non diſtingui ex natura rei: neque inter ſe, neque ab homine: quia hæ ſunt veræ propoſitiones, *homo eſt animal*, *animal eſt rationale*, ergo neque animal à rationali, neque homo ab alterutro diſtinguuntur ex natura rei. Antecedens nullus ſanus philoſophus negabit: conſequentiam probo; quia quæ non ſunt idem ex natura rei non

non poſſunt prædicari inuicem, vt realiter idem: nam prædicatio ſignificat identitatem ſubiecti cum prædicato.

§. 29. *Obiectio. Confutatur. Identitas & diſtinctio formalis ſiue ex natura rei, ſunt etiã reales.*

Dices; eſſe veras prædicationes, quia licet non habeant identitatem formalem ſubiectum & prædicatum: habent tamen identitatem realem. Contra, illa identitas formalis, quam non habent, eſt etiam realis; & diſtinctio formalis eſt etiam realis: nam illud eſt ens reale, quod à parte rei vel exiſtit, vel exiſtere poteſt: ſed identitas, & diſtinctio formalis exiſtunt, & exiſtere poſſunt à parte rei: ergo identitas, & diſtinctio formalis ſunt identitas, & diſtinctio realis. Secundò rogo, quî differant diſtinctio realis, & formalis? Cum vtraque ſit in rebus fundata independenter ab intellectu, quod ſi quo differunt, eo differunt: quod diſtinctio formalis eſt multo maior, & rigoroſior, quia eſt diſtinctio à parte rei in ipſis eſſentiis, quæ vocantur *formalitates*, ſiue *conceptus formales*. Hi autem Scoti diſcipuli opinantur poſſe vnum prædicari de alio, etiam ſi diſtinguantur formaliter, quia non diſtinguuntur realiter: vſurpantes terminos communes, quibus ſignificamus diſtinctionem rationis ratiocinatæ: & cum hos terminos applicent diſtinctioni ex natura rei, quam ipſi putant eſſe in ipſis obiectis, hinc hallucinantur, neque poſſunt rationem reddere, nec diſtinctionem inter diſtinctionem realem; & ex natura rei.

Scotici terminos implicant malè applicatos.

§. 30 *Secundum argumentum.*

Secundò ſic argumentor: multæ rationes communes non poſſunt diſtingui ex natura rei à ſuis inferioribus: ergo nulla ratio communis ex eo quod ſit communis, ita diſtinguitur: patet conſequentia: quia ſi communitas vt ſic eſſet cauſa diſtinctionis, eam cauſaret vbique: tum etiam, quia omnes rationes, quas Scotus adducit, hic infringuntur. Antecedens probatur: tum in ente, quæ eſt ratio communiſſima, quæ non poteſt diſtingui ex natura rei à ſuis inferioribus: nam ratio ſubſtantiæ, per quam immediatè contrahitur ens, in ſuo conceptu eſſentiali includit ens, quia vi differentia, eſt aptitudo ad exiſtendum, & opponitur chymæræ: ergo conceptus eſſentialis, & proprius ſubſtantiæ eſt ens: ergo ille conceptus non poteſt diſtingui ex natura rei ab ente, quia nulla eſſentia diſtinguitur à ſeipſa.

Ratio entis non poteſt ex natura rei à ſubſtantia diſtingui.

§. 31. *Obiectio. Confutatur.*

Dices dari duos conceptus entis: alterum communem, alterum particularem ſubſtantiæ. Sed quorſum hæc entium multiplicitas? Nam ille conceptus communis, & particularis conuenirent in ratione entis: cum vterque eſſet ens ex rei natura diſtinctum: ergo vterque conceptus includet rationem communem entis: ergo illa ratio communis non diſtinguitur ab illo ente communi, & ab alio particulari, alioquin in infinitum abibo. Dices ſecundo, ens diſtingui à ſubſtantia, non tamen ſubſtantiam ab ente. Contra: ſi ens ex natura rei non eſt ſubſtantia: ergo inter ens & ſubſtantiam non intercedit identitas: quo igitur pacto intercedit inter ſubſtantiam & ens?

Alia obiectio.

§. 32. Secundò probatur idem antecedens in ſubſtantia, quæ non poteſt diſtingui realiter à differentia, per quam contrahitur ad eſſe hominis: ergo conceptus ſubſtantiæ non diſtinguitur realiter ab inferioribus. Probatur antecedens, nam differentia conſtitutiua hominis eſt ens in particulari, & determinatum: ergo vel eſt ſubſtantia, vel accidens: non accidens, *quia ſubſtantia è ſubſtantiis componitur*, & quia homino eſſet ens per accidens: ergo eſt ſubſtantia, ergo in differentia hominis vt diſtincta per ſe à ſubſtantia ex natura rei, reperitur conceptus ſubſtantiæ, quia vt ſic, diſtinctam habet aptitudinem exiſtendi per ſe: ergo hic etiam debet diſtingui à ſua differentia: & ſic in infinitum abibitur: vel dicendum eſt, nullum communem ſubſtantiæ conceptum ex natura rei diſtingui à ſuis inferioribus.

Subſtantia non diſtinguitur à differentia homini.

§. 33. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices conceptus entis, & ſubſtantiæ eſſe tranſcendentes: qui non poſſunt diſtingui ab inferioribus. Contra, ergo ſi aliqui conceptus communes tales ſunt vt inferiora ab illis neque ratione diſtinguantur, cur alij conceptus communes diſtinguentur ex natura rei? Cum omnia argumenta vtriuſque idem confirment, & tutemet cogaris reſpondere. Nam homo, & leo ſunt ſimiles in ratione ſubſtantiæ, & diſſimiles in ratione talis: ſcilicet in ratione animalis: etiam quando definitur ſubſtantia, illa definitio eſt diuerſa ac quando definitur homo: & quando habetur ſcientia de ſubſtantia in communi, non habetur de homine, & leone in particulari: ergo omnia argumenta habent eamdem vim in ratione communi, quæ omnia argumenta propoſui atque diſſolui, ſectione ſecunda.

§. 34. *Tertium argumentum. Corpus non diſtinguitur à ſuis differentiis.*

Tertiò ſic argumentor, quia alij gradus communes non poſſunt diſtingui ab inferioribus: ergo. Probatur antecedens: nam ratio corporis conuenit etiam lapidi, in quantum lapis: nam lapidis differentia eſt formaliter ſubſtantia: ergo vel eſt diuiſibilis, vel indiuiſibilis, quia aut habet partes, aut illis caret. Si caret, erit indiuiſibilis; ſi eas habet, erit diuiſibilis: ſed non poteſt eſſe indiuiſibilis: quia lapis in quantum lapis eſſet ſpiritualis, ſicut homo in quantum homo eſt animal: ergo differentia lapidis formaliter eſt corporea, quia ſubſtantia diuiſibilis eſt corporea: ſed ratio corporis eſt gradus ſuperior, & lapidis differentia inferior. Poſſet confirmari, quia in homine anima ſenſitiua, & rationalis ſunt idem à parte rei: ergo gradus ſenſitiuus, & rationalis ſunt idem à parte rei. Item quia in anima rationali nullus eſt conceptus diuiſibilis in partes: quia omnes conceptus ſunt indiuiſibiles: ergo nulla ſubſtantia in anima abſtrahit realiter ab ſpirituali.

§. 35. *Quartum argumentum efficax. Non eſt fundamentum ad diſtinguendos ex natura rei gradus ſuperiores & inferiores.*

Quartò argumentor efficaciter: quia fundamentum ad hanc diſtinctionem fingendam eſt nullum: ergo. Probatur antecedens; quia fundamentum ſumitur ex diuerſis definitionibus, & conceptibus formalibus: ſed eadem res indiuiſibilis à parte rei poteſt ſortiri diuerſas diffinitiones; ergo. Probatur minor, quia eadem entitas, in quantum cognoſcitur eſſe principium vnius operationis, poteſt diffiniri, & denominari animal: vel intellectus: & poſtea cum cognoſcitur eſſe principium alterius operationis, poteſt alio modo diffiniri, verbi gratia, animus rationalis in quantum eſt intellectiuus non diſtinguitur à ſe ipſo quantum eſt volitiuus: eſſet enim ridiculum affirmare animum rationalem includere duas partes, quarum altera ſit intellectiua: altera volitiua: tum propter rationes, quibus diſput. 4. de anima probaui idem principium velle, & intelligere; tum etiam, quia partem intellectiuam multipliciter partiremur in apprehenſiuam, iudicatiuam, & diſcurſiuam, in errantem, & ſcientem: ſimiliter affectiuam, in affectiuam ſimpliciter, & affectiuam efficaciter: item & in odientem, & amantem: tot denique eſſent partes ſubſtantiales in animo, quot ſunt operationes ſimiles, & diſſimiles aliis.

§. 36. *Confirmatur.*

Confirmatur, quia poſſet animal conſeruari ſine rationali, cum à parte rei non ſint idem. Tandem quia

quia diſput.6.ſect.3.hanc diſtinctionem in diuinis oſtendemus eſſe erroneam: & qui eam admittunt in humanis, eamdem in diuinis admiſſuros.

§. 37. *Vltima ratio à proceſſu in infinito.*

Tamdem eſſet infinita progreſſio. Nam Petreitas & Pauleitas, vt diſtinctæ ab humanitate conueniunt in ratione differentiæ, quia hic conceptus poteſt abſtrahi ab vtraque: ergo ratio differentiæ diſtinguitur in illis à ratione talis differentiæ. Rurſus, iſti tres conceptus conueniunt cum differentia coloris in ratione differentiæ,& entis, & differunt: quia altera eſt ſubſtantialis, & altera accidentalis, & ſic poterunt geminari diſtinctiones rerum pro diuerſitate conuenientiæ. Ait Pat. Fonſeca eas ſingularitates non conuenire vniuocè. Contra primò, quia Petreitas & Pauleitas eodem modo conueniunt in ratione differentiæ, & aliis, quo Petrus & Paulus in ratione hominis. Secundò in conceptu analogo eſt eadem difficultas.

P.Fonſeca.

SECTIO IV.

Alia de ſingularitate, & vniuerſalitate.

§. 38. *Heracliti, & Cratili ſententia.*

HEraclitus autem,& Cratilus,quos acriter inſequitur Ariſtot. è contrario negarunt ſcientiam de rebus:quin cum non agnoſcerent niſi ſingularia realiter, atque hæc cernerent eſſe fluxa atque caduca, non animaduertentes eorum ſimilitudinem, & fundamentalem vniuerſalitatem: opinati ſunt non poſſe ea vna ſcientia comprehendi. Nominales autem, qua parte cenſuerunt à parte rei non eſſe niſi ſingularia, & nihil eſſe formaliter commune præter voces, atque conceptus, ipſiſſimam attigère veritatem: qua verò parte affirmant ſcientiam haberi de ſolis vocibus communibus (propter quas, inuidiam nominis *Nominalium* incurrêre) ſiniſtrè à nonnullis exponuntur: neque enim volunt definitionem hominis conuenire voci *homo*: ſed hominem habere communitatem, & vniuerſalitatem à ſola voce, & conceptu *homo*: & quia ſcientiæ ſunt de vniuerſalibus, & hæc conſtituuntur formaliter per conceptus: dixerunt ſcientiam eſſe de conceptibus communibus, id eſt, de conceptibus, vt *quo* quia ſunt principium, *quo* res ſunt vniuerſales: & licet hic loquendi modus, non ſit admodum aptus,res tamen ipſa eſt admodum vera.

Nominales vnde ſic appellati?

Veritatem attigere.

Sed exponuntur abſurdè.

Germanè exponuntur.

§. 39. P.Suarez. *Qua ratione ſenſerit de Nominalibus.* *Defenditur phraſis Nominalium.*

Vnde Pat. Suarez diſputat. 6. Metaphyſicæ ſect. 2. num. 1. affirmat Nominales eſſe reprehendendos quoad aliquos loquendi modos, in re verò non diſſentire à vera ſententia: quam ipſe ſequitur vt alibi probabo. Neque verò ille loquendi modus adeo eſt auerſus à muſis: nam communiter aſſerunt philoſophi, ſcientias ſpecificari ab abſtractione materiæ: id eſt, ab obiectis vt ſubſunt abſtractioni intellectus: nam ab ipſo actu abſtrahente certum eſt eas non ſpecificari. Solemus igitur formis tribuere, quod conuenit ſubiectis, vt illis ſubſunt. Quod Nominales fecere, vt patet ex Okamo quod lib. 4. quæſt. 10. *De omnibus* (inquit) *hominibus prædicatur conceptus hominis, ſic dicendo, iſte homo eſt homo, ille homo eſt homo:* vbi admittit conceptum communem prædicabilem de pluribus ſingularibus: quando verò dicit vnum conceptum prædicari de alio, ipſe ait conceptum, aut vocem non ſupponere pro ſe, ſed pro ſuo ſignificato, vt patet ex quodlib. 5. quæſt. 12. his verbis, *res extra animam, nec prædicatur, nec ſubijcitur, ſicut alibi oſtenſum eſt, & per conſequens intelligitur* (nempe prædicatio) *de aliquo ſigno proprio, quod prædicatur de vno ſolo, non pro ſe, ſed pro re.* In quo ſenſu aſſerunt, voces eſſe logicæ obiectum, non pro ſe, ſed pro rebus,vt illis ſignificantur. Videatur tota illa quæſt. 12. Animum aduerte multos multa imponere Nominalibus: quia primo ſyllabarum pulſu abſonant antiquorum auribus,in diuerſa ſignificatione Verba vſurpantibus. Qui autem pacatè eos legunt, multa inueniunt ingenio, & laude digna.

Ochamus exponitur verbis ſuis.

Nominalium laus.

SECTIO V.

Vtrum naturæ ſint per ſe ſingulares?

OStenſo, rem omnem eſſe neceſſariò ſingularem à parte rei: inquiro num ſingulis rebus per ſe competat ſingularitas: Scotici adſtruentes diſtinctionem ex natura rei inter conceptus communes & ſingulares, adſtruent itidem, communes non eſſe per ſe ſingulares, ſed per aliquid ab eis diſtinctum. Diſtinguenda eſt vox *per ſe.* Primùm accipi poteſt: vt opponitur voci *per accidens*: tunc autem, etiam iuxta Scoticos, omne ens eſt ſingulare per ſe, quia ſingularitas ei conuenit non per accidens, (vt architectus per accidens eſt muſicus:) ſed per ſe: id eſt, iuxta exigentiam ſuæ naturæ: vt ignis per ſe eſt calidus: ſingularitas enim tam conuenit homini, quàm igni calor. §. 40.

Explicatur vox per ſe.

Item, *per ſe* alia ſignificatione opponitur voci *per accidens*, id eſt, ſingularitatem ſubſtantiarum non fieri per aliquod accidens phyſicum: vt album conſtituitur per accidens: quod eſt albedo; ſed per ſubſtantiam: nam ſingularitas per ſe conſtituit Petrum, qui eſt ſubſtantia: at *ſubſtantia è ſolis ſubſtantiis componitur*, ergo ſingularitas hominis non eſt accidens: ſed ſubſtantia: quod videntur primo intuitu negare Thomiſtæ aliqui dum contendunt ſingularitatem ſumi à materia ſignata quantitate: quos iam expendi diſputat.4. ſect.5. §. 41.

Singularitas non eſt accidens phyſicum.

Thomiſtar. phraſis.

Tertiò, *per ſe* eſt perinde ac *per ſuam entitatem:* ſic autem probaui, ſectio. prima & ſecunda, omne ens reale à parte rei eſſe per ſe ſingulare. Quod fatentur omnes Ariſtotelici, & Thomiſtici, negantes diſtinctionem ex natura rei inter vniuerſalia, & ſingularia: quod latè confirmat magnus Suarez, diſputat.5. & 6. nec refragatur P. Fonſeca (quamuis ipſe non ſe ſatis explanat:) Admittit enim ibidem eam naturam per ſe eſſe ſingularem, quæ nec ratione poteſt eſſe communis multis: ac ſi dicat, communitatem oriri à ratione, & ſingularitatem eſſe extra rei quidditatem (agendo logicè non Phyſicè) & quia idem capit.28. non admittit vniuerſalitatem à parte rei exiſtentem, niſi formaliter per intellectum (vt ſectione 6. patebit.) §. 42.

Omne ens eſt à parte rei ſingulare per ſe.

P.Suarez. P.Fonſeca.

Quartò, *Per ſe* poteſt accipi pro *eſſentialiter*, ita vt *Per ſe ſingulare* ſit id quod non poteſt concipi ſine ſingularitate. Sic autem dico primò: *Singularitas non eſt de primo, & quidditatiuo conceptu hominis, verbi gratia, aut leonis: nec aliarum rerum quæ vniuerſaliter de multis prædicantur.* Ita P. Suarez. Fonſeca ſupra. Conimbricen. in Iſagoge Porphyriana, & omnes philoſophi (ſi ab Heraclito, & Cratilo diſcedas.) nec aduerſantur Nominales, cum admittant cognitionem confuſam indiuiduorum. Probatur: illud ſine quo res poteſt concipi quidditatiuè in recto, non eſt de eſſentia talis rei: §. 43.

Singularitas non eſt de hominis eſſentia.

P.Suarez. P.Fonſeca. P.Conimb. Nominales. *Primum argumentum.*

rei:ſed homo poteſt in recto, & quidditatiuè concipi ſine ſingularitate,ergo ſingularitas non eſt de eſſentia hominis.Maior ex terminis liquet: minor probatur: quia homo quidditatiuè concipitur, quin concipiatur Petrus,nec Paulus,nec ſingularis vllus homo.

§. 44. *Confirmatio vrgens.* Quod inde confirmo: ſi tam de eſſentia hominis eſt ſingularitas, quàm rationale:ergo ſicut non poteſt homo clarè cognoſci in ratione hominis, quin clarè cognoſcatur rationale:nec poterit concipi,quin clarè concipiatur ſingularitas: *Singularitas non concipitur neceſſariò.* ſed concipitur homo clarè, quin clarè concipiatur ſingularitas:ergo non eſt ſingularitas de eſſentia hominis, ſicut rationalitas. Confirmatur: eodem modo abſtrahitur homo à Petro,& Paulo,quo animal à rationali,& irrationali: ergo ſingularitates Petri, & Pauli,tam ſunt extra hominis eſſentiam, quàm rationale, & irrationale extra animal. Antecedens probo,quia concepto homine,non diſcernitur Petrus à Paulo, magis quàm rationale ab irrationali, concepto animali, vt patet. Quam concluſionem tam euidentem arbitror, quam nobis eſſe conceptus confuſos indiſcriminatim terminatos ad plura obiecta ſimilia:vel abſtrahentes vnam rationem obiectiuam.

§. 45. *Recentiores impugnati.* Recentiores nonnulli,aſſerentes cum Nominalibus, conceptum vniuerſalem immediatè terminari non ad obiectum vnum, vnitate ſe tenente ex parte eius:ſed ad plura cognita immediatè vt ſimilia,repugnant huic concluſioni: quia homo,exempli gratia, concipitur vt ens reale:ergo non abſtrahitur à ſingularitate:probant conſequentiam:quia ſine ſingularitate non poteſt homo concipi vt ens reale. Probo antecedens, quia per ſingularitatem homo conſtituitur aptus ad exiſtendum: ergo & ens reale: probo antecedens, quia res non poteſt exiſtere niſi per ſingularitatem: tum quia quidquid exiſtit eſt ſingulare: tum quia rem exiſtere ſine ſingularitate eſt chymæra. Vnde nolunt hi admittere duas formalitates obiectiuas inter hominem, & Petrum:quia Petreitas facit hominem ens reale: eas tamen admittunt inter animal,& rationale: quia nec rationale conſtituitur ens per animal, nec per rationale, animal.

§. 46. *Argumentum per inſtantiam.* Impugnantur autem: tum per inſtantiam eorumdem argumenti; quia ſine aliqua differentia non poteſt animal concipi vt ens reale: ergo.Probo antecedens, quia animal per differentiam conſtituitur aptum ad exiſtendum:ergo & ens: Probo antecedens, quia animal non poteſt exiſtere niſi per differentias,tum quia quidquid eſt animal, habet aliquam differentiam:tum quia animal exiſtere ſine differentia eſt chymæra: ecce argumentum iiſdem propoſitionibus; quibus, à te.

§. 47. *Obiectio.* Dicent, animal materialiter eſſe rationale, aut irrationale,& materialiter eſſe ens per differentias: non tamen formaliter: at verò ſingularitate formaliter, & non materialiter conſtitui ens reale. *Reſpondetur.* Contra, vnde id dicunt de ſingularitate, niſi quia repugnat hominem exiſtere non ſingularem? ſed itidem repugnat animal exiſtere non contractum differentiis, ergo eadem eſt vtrobique ratio: idem argumentum eſt de Deo, qui,ſine iuſtitia,eſt chymæra, ergo non poteſt ſine iuſtitia concipi, quod hi autores merito negant.

§. 48. *Impugnantur à priori.* Tum impugnantur à priori;quia quando aliquis conceptus eſt de quidditate rei,non poteſt res clarè concipi ſine illo clarè concepto: atqui homo clarè poteſt concipi, non concepta clarè ſingularitate: ergo ſingularitas non eſt de quidditatiuo conceptu hominis. *Homo abſtrahitur ab indiuiduis.* Probo minorem; quia concepto homine quidditatiuè, & formato conceptu, quo diſtinguatur à non homine, adhuc non concipitur clarè vllum ſingulare.

§. 49. *Obiectio.* Dices tunc concipi immediatè confuſe omnes ſingularitates. *Reſponſio.* Contra, concipitur clarè homo in ratione entis realis, ergo debet concipi clarè ratio per quam conſtituitur ens reale, ſed nulla ſingularitas cognoſcitur clarè, ergo ſingularitas non conſtituit hominem ens reale. *Alia obiectio, & reſponſio.* Dices,cognoſci quidem ſingularitates tam clarè,quàm ens:& ſicut ens non cognoſcitur clarè in indiuiduo ita nec ſingulare. Bene: ergo concipitur clarè ens reale in ratione entis realis, quin cognoſcatur clarè in ratione indiuidui determinati: ergo datur ens reale abſtractum ab indiuiduo determinato: ſed ens abſtractum à determinato indiuiduo eſt chymæra, ergo vel tuum argumentum re vrget, vel nihil probat. Probo minorem, ens reale non conſtituitur per ſingularitatem indeterminatam, ſed determinatam:nihil enim eſt à parte rei niſi determinatum: nam rem eſſe indeterminatam eſt chymæra.

§. 50. *Clara, & confuſa cognitio quid ſit.* Adde,cognoſci ſingularitatem confuſè, non eſſe cognoſcere ſingularitatem formaliter:ſed materialiter, nam cognoſcere formaliter aliquid, eſt illud attingere cognitione clara, vt cognoſcere Petrum formaliter, eſt cognoſcere in particulari Petreitatem: ergo cognoſcere ſingularia formaliter, eſt illa cognoſcere ſingulatim, alioquin non eſt conceptus ſingularis, ſed communis & vniuerſalis. Quod ſi ſingularitas eſt tam de eſſentia entis, quàm Petreitas Petri, ſicut non poteſt Petrus cognoſci,quin & Petreitas clarè:ita nec ens,quin aliqua ſingularitas. Aſſerere autem eſſe ens reale commune,eſt dare manus: quia iam conſtituitur in ratione entis, non per ſingularitatem in ſingulari, ſed communem: & tuum argumentum, ſi quid probat, probat non eſſe ſingularitatem communem,nec ens commune, quia hæc repugnant. Vnde conceptu hominis deberent concipi in particulari Petrus, & Paulus, quia illi ſunt poſſibiles à parte rei,& non homo:nec eſt poſſibilis exiſtentia communis, ſed exiſtentia Petri vt Petri, &c.

§. 51. *Reſpondetur ad argumentum.* Ad argumentum in §.45. nego conſequentiam: ad probationem nego antecedens: ad probationem diſtinguo antecedens:per ſingularitatem materialiter ſumptam, conſtituitur homo aptus ad exiſtendum, concedo antecedens: ſicut rationale per animal, & Deus per iuſtitiam ob realem identitatem conceptuum: *Per ſingularitatem qua ratione conſtituatur ens reale.* per ſingularitatem autem formaliter cognitam clarè, & diſtinctè, nego conſtitui omne ens vt ſic, aptum ad exiſtendum: ſed tantum entia ſingularia. Ad probationem diſtinguo antecedens: non poſſunt exiſtere ſine ſingularitate realiter identificata cum cõceptu communi, concedo antecedens; ſicut rationale non poteſt exiſtere ſine animali: non poteſt concipi exiſtens confuſè ſecũdum rationem communem, quin clarè concipiatur exiſtens ſingularitas, nego antecedens, quia in ipſa exiſtentia & in actione ipſa diſtinguuntur conceptus communes à ſingularibus: vt cum ego concipio hominem moueri, concipio quidem hominem exiſtentem cum motu exiſtente: & non cognoſco indiuiduum aliquod hominis, nec motus. Ad primam probationem vltimi antecedentis reſpondeo, omne quod exiſtit eſſe ſingulare à parte rei, ſicut rationale eſt animal, propter identitatem prædicatorum communium,& ſingularium:non verò,quia formaliter exiſtens conſtituatur per ſingularitatem. Quis vnquam hoc aſſeruit? ens enim conſtituitur per aptitudinem ad exiſtendum. Ad ſecundam probationem

nem

Digitized by Google

nē modò reſpōdetur, rem exiſtere ſine ſingularitate eſſe chymæram propter identitatē materialem: non verò propter formalem, vt repugnat exiſtere rationale ſinę animali: quæ tamen ipſi præſcindūt. Immo & hominē exiſtere ſine vbicatione eſt chymæra, ergo vbicatio eſt de eſſentia hominis: vide quod conſequens inferat tua conſequentia.

§. 52. *Intellectus attingit obiecta aliter ac ſunt.* Huius ratio à priori eſt, quia intellectus diuerſo modo attingit obiecta, quo ea ſunt extra cauſas: ſunt enim ea re idētificata cum omnibus ſuis prædicatis: quæ repugnat inuicem ſeparari (vt oſtendam diſput. 6.) immo & exiſtunt cum multis accidentibus, ſine quibus repugnant exiſtere, vt corpus ſine vbicatione. At intellectus eſt præciſiuus quia inadæquatè attingit obiecta, & poteſt in eis aliqua prædicata ſine alijs cognoſcere: quæ poni à parte rei, ſicut cognoſcuntur, eſſet chymæra: non quia omnia prædicata, non ſint, & concipiantur vt realia: ſed quia concipiuntur inadæquatè, & nō poſſunt inadæquatè produci: Vnde eſt chymera rem exiſtere à parte rei ſine ſingularitate: at non eſt chymæra cognoſci rem exiſtentem, quin cognoſcatur ſingularitas, & ſicut in ſententia horum authorum concipi ſingularia confusè, non eſt abſurdum, quia ſingularia ex parte obiecti, entia ſingularia ſunt: confuſio autem eſt extrinſeca denominatio à cognitione: ita formalitas hominis eſt ens à parte rei, eſſe autem formaliter præciſam à Petro non habet à parte rei, ſed per extrinſecā denominationem ab actu præcidente. *Argumentum cōmune Thomiſtis, & Nominalibus.* Equidem hoc argumentum æquè vrget Nominales admittentes confuſas cognitiones, ac Thomiſtas præſcindentes diuerſas formalitates: quia in vtraque ſententia admittitur abſtractio, & diſtinctio rationis. Eſt igitur argumentum ab exiſtentia reali ad modum cognoſcendi: quæ ſunt valde oppoſita.

§. 53. *Duplex ratio cognoſcendi ſingularia.* Aduerte dupliciter poſſe cognoſci rem ſingularem in ſingulari, vel in communi. Primo reflexè, & in actu (vt aiunt) ſignato; definiendo quid ſit ſingularitas. Hic autem modus eſt inutilis huic quæſtioni, ſiue definiatur ſingularitas in ſingulari, ſiue in communi, quia vt ego cognoſcam Petrū in ſingulari, non eſt opus indagare quid ſit ſingulare? & quo pacto ab vniuerſali diſtinguatur? ſed ſufficit ita conceptum de Petro efformare, vt eum cognoſcam in particulari, quin illum cum alijs confundam. *Cognitio rei ſingularis in ſingulari.* Quod eſt cognoſcere rem ſingularem in ſingulari, & contrahere conceptum communem ad differentias, eſtque cognoſcere ſingularitatem in actu exercito. Secundus modus eſt, cognoſcere quidem ſingularia, non in ſingulari; & determinatè, ſed vagè, atque confusè: quod eſt abſtrahere rationem communem ſingularitatis à ſingularibus in particulari: atque hoc ſiue in Thomiſtarum, ſiue in Nominalium ſententijs.

SECTIO VI.

Opinio Petri Fonſecæ.

§. 54. *P. Fonſeca nobilis Philoſophus.* *Fonſeca ſententia de vniuerſalibus.* Doctor Petrus Fonſeca, Philoſophus nō ignobilis, 5. Metaphyſicę cap. 28. quæſt. 3. ſect. 2. & quæſtionibus ſequentibus ait: naturam communem habere vnitatem à parte rei vniuerſalem, non actu, ſed potentia: actu autem eam non poſſe habere, niſi per intellectus operationem, quia debet ſpoliari proprietatibus indiuiduis: quod fit ſola cogitatione rationis, quia natura à parte rei exiſtens ſemper eſt ſingularis, nec poteſt exiſtere vniuerſalis.

P. Suarez. Duplex explicatus Fſeca. Hanc ſententiam latè proponit, & impugnat Pat. Suarez diſp. 6. ſect. 3. quæ duplicem habet explicatum. Primum, naturam ſecundum ſe in eſſe poſſibili habere vnitatem vniuerſalem: quam nunquam communicat ſuis indiuiduis, neque in illis cum ea reperitur: quam vnitatē ait P. Fonſeca eſſe priorem natura quàm actualem contractionē eiuſdem naturæ ad indiuidua: vel ad actualem vniuerſalitatem per intellectum: quem ſtatum naturæ P. Fonſeca vocat *vnitatem præciſionis.* Hæc ſententia illi innititur fundamento, quod P. Fonſeca iecit contra Nominales, naturam per ſe non eſſe ſingularem alioquin non poſſet eſſe vniuerſalis: neque etiam per ſe eſſe vniuerſalem, alioquin nunquam eſſet ſingularis, ergo natura per ſe abſtrahit ab vtroque ſtatu: & eſt indifferens ad vniuerſalitatem, & ſingularitatem: ergo ſicut natura ſecundum ſe eſt poſſibiliter ſingularis, ita erit poſſibiliter vniuerſalis. Alia fundamenta partim conuulſimus ſupra contra Scotum: partim conuellemus infra, tum impugnando diſtinctionē ex natura rei inter gradus inferiores, & ſuperiores, tum explicando, quæ ſit materia, vel obiectum, quod vniuerſale denominatur.

§. 55. *Impugnatur ea ſententia in primo explicatu.* Hæc ſententia ſic explicata impugnatur primò: natura ante omnem operationem intellectus habet in eſſe poſſibili vnitatem vniuerſalem: ergo illa vnitas eſt poſſibilis à parte rei: conſequentia eſt liquida ex terminis: ergo illa vnitas poteſt exiſtere à parte rei: nam poſſibile vel eſt idem cum exiſtentia poſſibili, vel dicit ordinem ad illam. *Nulla vnitas niſi ſingularis eſt poſſibilis.* At in opinione P. Fonſecæ nulla natura poteſt exiſtere vniuerſalis actualiter, ſed ſingularis: ergo nulla vnitas eſt poſſibilis à parte rei, præter ſingularem. Confirmatur, P. Fonſeca negat optimè res indiuiduari per exiſtentiam: ergo natura vniuerſalis non efficitur indiuidua per exiſtentiam actualē: ergo præciſa exiſtentia, natura eſt indiuidua, quia habet aliā rationem indiuiduantem: *Exiſtētia nō efficit rē indiuiduam.* ſed præciſa exiſtentia à natura tantum manet eſſe poſſibile illius: ergo in eſſe poſſibili eſt indiuidua: ergo in eſſe poſſibili nō eſt vniuerſalis realiter, quia in eodem eſſe haberet duas vnitates inuicem repugnantes.

§. 56. *Secundum argumentū.* Secundo, natura communis in eſſe poſſibili eſt realiter eadem cum natura communi actuali: ergo natura communis in eſſe poſſibili non habet vnitatem realem niſi indiuiduam; antecedens pōnitur è diſp. 8. conſequentia patet: quia natura communis exiſtens à parte rei non poteſt eſſe niſi indiuidua: ſed natura poſſibilis eſt idem cum exiſtenti: ergo natura poſſibilis à parte rei non poteſt eſſe niſi indiuidua. *Confirmatur.* Confirmatur: quidquid conuenit naturæ in eſſe poſſibili, illi conuenit actualiter quando exiſtit: ſed naturæ quando exiſtit, nō conuenit vnitas vniuerſalis; ergo neque illi conuenit in eſſe poſſibili: maior eſt clara, quia poſſibilitas dicit ordinem ad exiſtendum, & quidquid habet homo poſſibiliter, reducitur in actū per exiſtentiam: vt ſi homo eſt poſſibiliter animal rationale, id habet, actu exiſtens: ſi habet poſſibiliter ſeſſionem, aut ſtationem, id habet cum actu ſedet, vel ſtat. Maior datur à Pat. Fonſeca.

§. 57. *Obiectioni reſpondetur.* Dices, rem in eſſe poſſibili eſſe poſſibilem, quod non habet quando exiſtit: ergo non communicat res, quidquid habet in eſſe poſſibili. Sed hæc eſt æquiuocatio, nam ſtatus poſſibilis, & actualis ſunt oppoſiti: quia alter dicit rē extra cauſas, alter non: vnde vnus ſtatus non poteſt communicari alteri: at verò quidquid eſt in vno ſtatu, eſt etiam in alio, ſublata ratione ſtatus; ſi ergo natura in eſſe poſſibili habet vnitatem vniuerſalem, illam habebit

in

in eſſe actuali. Confirmatur ſecundò, quia natura in eſſe poſſibili non poteſt multiplicari per ſui diuiſionem, vt probaui ſectione 1. ergo non eſt vniuerſalis in eſſe poſſibili. Videatur P. Suarez ſupra.

P. Suarez.

§. 58. *Natura eſt ſingularis per ſuam entitatem: eſt vniuerſalis extrinſece.*

Ad argumentum P. Fonſecæ reſpondetur, naturam per ſuam entitatẽ eſſe ſingularem: tam in eſſe actuali, quàm poſſibili, & ſic illi repugnare vniuerſalitatem: at verò per extrinſecam denominationem cognitionis confuſæ eſſe vniuerſalem, & ſic illi repugnare ſingularitatem: eſſentialiter autem neque eſt vniuerſalis, neque ſingularis, quia nõ eſt de eius eſſentia vt cognoſcatur clarè, vel confuſè. Vnde à parte rei neque in eſſe actuali, neque poſſibili, datur vnitas præter ſingulares, quæ quia ſunt ſimiles, vocãtur *vnitas formalis*, id eſt, eſſentiæ vnitas per ſimilitudinem: in quo ſenſu vniuerſalia non generantur per ſe, ſed per accidens, quia Petrus per ſe generat Paulum: per accidens autem contingit reſpectu generantis Paulum eſſe ſimilem Antonio; quoties autem vſurpantur hæ voces, *natura communis, in ſe, eſſentialiter, abſtracta à ſingularibus*, &c. appellatur ſupra noſtrum modum concipiendi.

Eſſentialiter nec eſt ſingularis, nec vniuerſalis. Vnitas formalis quid.

§. 59. *Secunda expoſitio Fonſecæ.*

Aliam expoſitionem admittit opinio P. Fonſecæ (quam opinor magis eſſe è re, & mente illius) naturam ſcilicet in ſtatu præciſionis eſſe indifferentem ad vniuerſalitatem, & ſingularitatem: & in eſſe poſſibili eſſe ſingularem, & vniuerſalem; diuerſo tamen modo: nam ſingularitatem habet in eſſe poſſibili, in ordine ad exiſtentiam realem à parte rei extra intellectum: & ſic negat P. Fonſeca naturam habere vnitatem poſſibilem vniuerſalem à parte rei; & conuincunt argumenta facta: at verò vnitatem vniuerſalem naturæ conuenire non per ordinem ad exiſtentiam realem: ſed in eſſe poſſibili cognitionis: id eſt, naturam antequam actu fiat vniuerſalis per intellectũ, habere aptitudinem vt fieret: quia antequam cognoſceretur, erat apta vt cognoſceretur. Ita colligo ex eodem P. Fonſeca. quæſt 4. ſect. 2. §. *ſed tamen*, ſic affirmante, *res quæ denominantur vniuerſales, ſi deſinant abſtrahi à differentiis indiuiduantibus, deſinent quoque habere aptitunem eſſendi in pluribus, ſuo modo exiſtentem, nempe obiectiuè, quia ſola ratione ea aptitudo exiſtere poteſt*: clarum eſt autem, rem exiſtere obiectiuè actu, idem eſſe quod actu exiſtere in intellectu, & habere aptitudinem ad hanc exiſtentiam; idem eſſe, quod eſſe aptam vt cognoſcatur, quod etiam patet ex q. 5. ſect. 3. §. *ſed horum opinio*, & §. *eſt igitur vera* his verbis, *tametſi non habent ſuam vniuerſalitatem exiſtentem, niſi cum intellectui ſine differentiis contrahentibus obiciuntur.* Cum ergo actualis exiſtentia vniuerſalitatis in actuali cognitione conſiſtat, ita poſſibilitas vniuerſalitatis in poſſibili cognitione cõſiſtit. Itaque natura eſt poſſibilis vniuerſalis per ſolum intellectum. Video potuiſſe, P. Fonſecam ſe clariorem præſtare.

§. 60. *Impugnatur. Naturã eſſe cognoſcibilẽ nullam addit vnitatem.*

Impugnatur tamen illius ſententia, quia naturam eſſe cognoſcibilem, aut vniuerſalem, non addit aliquam vnitatem realem intrinſecam, ſe tenentem ex parte obiecti: ergo natura ex ſe nullam habet vniuerſalitatem actualem: neque poſſibilem extra intellectum: patet conſequentia, quia ſi illam vnitatem haberet extra intellectũ, talis vnitas realiter adderetur naturæ, & intrinſecè: antecedens probatur, quia naturam eſſe cognoſcibilem vt vniuerſalem, tantum eſt habere aptitudinem vt ab intellectu habeat vniuerſalitatem: ſed habere aptitudinem ad habendam hanc vniuerſalitatem, nullam vnitatem realem ponit ex parte obiecti: ergo illa vnitas vniuerſalis in aptitudine non ponit veram vnitatem ex parte obiecti: probatur maior, quia extrinſeca denominatio nihil ponit intrinſecum in obiecto, ſed habere aptitudinem ad habendam hanc vniuerſalitatem eſt extrinſeca denominatio: nam cognoſci actu eſt actualis denominatio extrinſeca à cognitione actuali: poſſe autẽ cognoſci, à poſſibili: ergo illa aptitudo nihil ponit intrinſecè in obiecto.

§. 61. *Rem eſſe cognoſcibilẽ eſt pura denominatio extrinſeca.*

Confirmatur, rem eſſe cognoſcibilem nihil addit ſupra ens præter extrinſecam denominationem cognitionis, in quo conſiſtit ratio veri vt pono è diſput. 7. ergo hæc aptitudo ad vniuerſalitatẽ tantum addit extrinſecam denominationem. Deinde attributum fundatur in entitate, quæ ratione eſt illo prior: Rogo vtrum illa entitas vt eſt prior ſit vniuerſalis? vel ſingularis? ſi ſingularis, ergo res ſingularis poteſt fieri vniuerſalis: ſi vniuerſalis: ergo habet duas vniuerſalitates in potentia, alteram priorem in ordine ad eſſe reale, alteram in ordine ad cognitionem; quod eſt planè falſum; neque poteſt dici talis natura præſcindi à ſingularitate: quia antequã intelligatur vt cognoſcibilis; intelligitur poſſibilis, ſed res poſſibilis in ordine ad exiſtentiam realem, non præſcindit à ſingularitate, teſte eodem P. Fonſ. ergo illa natura antequam cognoſcatur vt cognoſcibilis, non præſcindit à ſingularitate. In quo valde mihi P. Fonſ. diſplicet, qui vnitatem præciſionis dicit eſſe priorẽ natura, quàm contractionem ad ſingularia: nam prior eſt vnitas ſingularis, quàm vnitas præciſionis: quia vnitas ſingularis dicit ordinem ad exiſtentiam realẽ, quæ prior eſt præciſione, quæ dicit ordinem ad intellectũ. Nec hæc opinio appingit rebus aliquid præter rationem veri: verum autem in recto dicit ens fundans cognitionem: quam fundat ſua entitate ſingulari: quin ſit opus alia vnitate ex parte illius: in obliquo autem connotat actum intellectus ſiue ſit ſingularis, ſiue vniuerſalis.

Vnitas ſingularis eſt prior vniuerſali.

§. 62. *Natura vt eſt extra intellectum eſt ſingularis.*

Secundò non aptè loquitur Pat. Fonſeca, cum vocat naturam in ſe præſcindentem ab eſſe reali, & cognitionis: nam natura vt eſt extra intellectum, eſt à parte rei actu, vel potentia: eſſe autem, quod eſt poſſibile realiter, eſt omnino ſingulare: ergo natura illa vt eſt extra intellectum, eſt ſingularis, & non præſcindit à ſingularitate: quod ſi ab illa præſcindit, eſt quando cognoſcitur, & non in ſe: ergo prior eſt vnitas ſingularis, quàm vniuerſalis. Adde ens non abſtrahi ab ente, & vero. Nam verum fundatur in ente, eſtque illius attributum: ergo ens in ſe poſſibile prius eſt quàm verum: ſed verum eſt cognoſcibile formaliter: ergo ens prius eſt, quàm ſit cognoſcibile: ſed omnis entitas in ſe poſſibilis eſt omnino ſingularis: ergo natura in illo ſtatu præciſionis, quem vocat P. Fonſeca, eſt ſingularis.

§. 63. *Exiſtentia actualis reſpondet aptitudinali.*

Tandem, quia qualis eſt actus exiſtendi rei, talis eſt aptitudo, quam habet ad exiſtendum: ſed actualis exiſtentia vniuerſalitatis quantum ad formale illius vnitatis eſt extrinſeca denominatio ab actu confuſo exiſtente: ergo aptitudo, quam habet natura vt exiſtat vniuerſalis, eſt extrinſeca denominatio ab actu confuſo poſſibili: reſtat nunc inquirendum Pat. Fonſecæ obiectum terminans talem actum vt eſt extra intellectum potentia, vel actu exiſtens, ſit ne vnum? an plura? ſingulare? an vniuerſale? & quidem cum illud obiectum extra intellectum exiſtens ſit ens reale poſſibile, vel actuale; non poteſt extra intellectum non eſſe ſingulare. Quapropter extra intellectum nõ præſcindit à ſingularitate: & cum vniuerſalitas, quam habet in potentia, ſit extrinſeca denominatio in potentia,

tentia, hæc fundatur in entitatibus ſingularibus in quantum ſunt ſimiles.

§. 64. *Natura ſecundum ſe extra intellectum eſt intrinſecè ſingularis.*

Vnde vno verbo concludens totam quæſtionẽ: natura ſecundum ſe extra intellectum intrinſecè eſt ſingularis: quia extra intellectum tantum ſunt poſſibiles Petrus, & Paulus:qui vt ſunt ſimiles, habent aptitudinem vt cognoſcantur actu confuſo, quæ aptitudo ex parte illorum, ſunt ipſe Petrus,& Paulus tamquam obiectum. Fonſeca autem exiſtimauit hanc aptitudinem eſſe vniuerſalitatem formaliter, per quam res poſſunt eſſe vniuerſales:ſiue eſſe vniuerſalitatem in potentia:quæ vniuerſalitas non eſt formaliter in obiectio ſed in intellectu, quia eſt intellectio confuſa poſſibiliter exiſtens in intellectu.

SECTIO VII.

Vniuerſalitas formaliter in intellectus actu conſiſtit, non in ſpecie impreſſa: aut ente rationis.

§. 65. PRobatum eſt nullam ineſſe à parte rei vniuerſalitatem; neque poſſibilem; cum igitur ſint conceptus vniuerſales: diſquirendum eſt vbinam ſit ratio formalis, per quam vniuerſalia conſtituũtur? Prima ſententia adfirmat, vniuerſale formaliter conſiſtere in ſpecie impreſſa, quam tenent Thomiſtæ nonnulli, opinantes vniuerſale fieri per abſtractionem intellectus agentis. Probatur primò,quia intellectus agens abſtrahit naturã à phantaſmatibus: ſed natura in phantaſmatibus eſt indiuidua, & ſingularis: ergo intellectus agens illam abſtrahit à ſingularitate. Secundo ſpecies impreſſa eſt vniuerſalis in repræſentando:ergo denominat obiectum vniuerſaliter repræſentatum: ergo obiectum habet vniuerſalitatem repræſentationis ab ſpecie impreſſa.

Prima ſententia. Thomiſtæ. *Primum argumentum.* *Secundum.*

§. 66. *Impugnatur. Species impreſſa non eſt formalis, ſed virtualis repræſentatio obiecti.*

Impugnatur hæc ſententia:quia ſpecies impreſſa non eſt formalis repræſentatio obiecti, ſed tantum virtualis,in quantum continet virtutem actiuam producendæ cognitionis: ergo ſpecies impreſſa non eſt ratio formaliter conſtituens vniuerſale: patet conſequentia, quia vniuerſalis repræſentatio debet eſſe forma, quia debet immediatè denominare obiectum:ſpecies autem impreſſa non illud denominat,ſed potentiam, quia effectus formalis ſpeciei eſt reddere potentiam potentem cognoſcere, illam complendo ex parte obiecti: eſt ergo ſpecies vnitas vniuerſalis in actu primo: quia conſtituit potentiam proximè ad cognitionẽ vniuerſalem. At ſpecies ea præciſè ratione repræſentat, quia poteſt efficere repræſentationem: non quod ipſa ſit repræſentatio. Oſtendam autem diſput. 6. à §... munus ſpeciei impreſſæ eſſe conſtituere rem in eſſe obiectiuo & cognoſcibili, non formaliter, & in actu ſecundo,ſed virtualiter tantùm,& in actu primo.

§. 67. *Ad primum. Intellectus agens quomodo abſtrahat. Ad ſecundũ. Species eſt vniuerſalis in repræſentando virtualiter.*

Ad primum reſpondetur, intellectum agentem non abſtrahere vniuerſalia à ſingularibus: ſed ſpecies ſpirituales à materialibus:vtraque autem idem repræſentant obiectum. Ad ſecundum reſpondetur, ſpeciem non eſſe vniuerſalem in repræſentando formaliter, ſed virtualiter: vnde cum repræſentatio virtualis non ſit ſimpliciter repræſentatio, ſed ſecundum quid, non poteſt eſſe ſimpliciter vniuerſalitas, neque obiectum denominatur propriè ab ſpecie repræſentatum, ſed à cognitione.

§. 68. Communior Thomiſtarũ opinio fert formam vniuerſalitatis conſiſtere in ente rationis, effectiuè reſultante ex actu confuſo: quo cognoſcitur natura communis.Probatur primò, quia vniuerſale eſt ens rationis: non pro materia (id eſt obiecto) ergo pro forma; alioqui daretur vniuerſale à parte rei. Non vrget argumentum: quia vniuerſale eſt ens rationis, id eſt à ratione, & intellectu dependens, in quem ſenſum explicui S. Thom. de obiecto logicæ: datur autem à parte rei vniuerſale, quia à parte rei datur extrinſeca denominatio,quia ſicut à parte rei datur cognitio confuſa plurium, ita & vniuerſalitas. Abſolutè tamen negari oportet vniuerſale à parte rei, quia ſignificat naturam in ſe vnam, & communem multis à parte rei: ſic enim intelliguntur Philoſophi,contra Scotum, & Platonem diſputantes.

Communior Thomiſtarũ opinio. Primum argumentum. *Reſpondetur.* *Vniuerſale quo pacto ens rationis.* *Vniuerſale vtrum ſit à parte rei.*

§. 69. *Secundũ argumentum. Reſpondetur.*

Probant ſecundò ex Ariſtotel. aſſerente, vniuerſalia aut nihil eſſe, aut poſterius eſſe; ergo ſunt entia rationis. Nego conſequentiam: vniuerſalia enim conſiſtunt in cognitione: quæ poſterior eſt ſuo obiecto: nam obiectum prius eſt ens reale, deinde cognoſcibile,ſeu verum.

§. 70. *Tertium argumentum.* *Reſpondetur ad hominem.*

Probant tertiò, quia ſequeretur ſpeciem humanam, & equinam in ratione ſpecie & ſecundo intentionaliter differre ſpecie inter ſe: conſequens eſt falſum, ergo. Probatur maior, quia cognitio repræſentans hominem vt ſic,ſpecie differret à cognitione equum vt ſic repræſentante: ſed illæ cognitiones per te ſunt ſpecies formaliter:ergo. Miror non animo aduerti ab aduerſarijs ſe hoc argumento impugnari:quia illud ens rationis reſultans ex cognitione hominis, erit diſtinctæ ſpeciei ab ente rationis, quod reſultat ex cognitione equi: ſicut ex cognitione animalis reſultat genereitas, quæ eſt diſtinctæ ſpeciei ab ſpecieitate: ſimiliter ex cognitione hominis, & ex cognitione equi reſultabunt duo entia rationis,ſpecie diſtincta: nam actus, vnde reſultant, & obiecta, ſunt diſtinctæ ſpeciei. Negatur igitur ſequela: ad probationẽ reſpondetur, illas duas cognitiones phyſicè quidem differre ſpecie, cum ſint intrinſecè inæquales: logicè verò eſſe eiuſdem ſpeciei,quia vtraque repræſentat obiectum prædicabile de pluribus *in quid completè*: vnde logico inſtituto ſunt omnino ſimiles, ſicut ens reale, & rationis, ſubſtantia,& accidens, licet phyſicè differant, logicè conueniunt in ratione vniuerſalis. Vide quæ dixi in logica.Idemque ipſi dicent de ſuo ente rationis.

Cognitiones vniuerſales differũt phyſicè, non logicè.

§. 71. *Quartum argumentum.*

Quartò arguunt, quia formale vniuerſalis eſt vnitas: ſeu aptitudo, per quam obiectum eſt aptum ineſſe multis:ſed hæc vnitas non poteſt eſſe actus intellectus: ergo eſt ens rationis:conſequentia patet, quia nihil reſtat: minor probatur: quia cognitio habet vnitatem ſingularem: vnitas autem ſingularis,non poteſt eſſe vnitas efficiẽs vnum in multis:quia vnitas ſingularis facit vnum numero : ergo actus intellectus non poteſt eſſe forma vniuerſalis. Dices, cognitionem eſſe ſingularem in eſſendo: vniuerſalem autem in repræſentando. Contra, quia illa entitas cognitionis,eſt formaliter repræſentatio:ſed illa entitas eſt ſingularis: ergo illa repræſentatio eſt ſingularis in repræſentando, quia vnitas in repræſentando eſt idem cum vnitate in eſſendo.

§. 72. *Reſpondetur ad hominem.*

Contra, illa entitas rationis, quam tu fingis in obiecto,eſt intrinſecè ſingularis, quia illa eſt indiuiſibilis in alias entitates, quæ ſint idem cum illa, & de quibus illa ſit prædicabilis: ergo eſt ſingularis: patet ex dictis:ergo non poteſt eſſe vnitas vniuerſalis: hæc conſequentia contra te patet ad hominem. Confirmatur, ſpecieitas, quæ reſultat

Confirmatur.

ex

ex cognitione Petri de homine, eſt eiuſdem rationis infimæ cum ſpecieitate, quæ reſultat ex cognitione Pauli de eodem homine: neque magis differunt quàm illæ cognitiones vnde reſultarunt: ſed illæ cognitiones numero differunt in eadem ſpecie infima, & ſunt omnino ſingulares: ergo etiam illæ ſpecieitates ſunt ſingulares intra eamdem ſpeciem infimam.

§. 73. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices; illas entitates in ſe eſſe ſingulares, at verò conſtituere naturam vniuerſalem & cõmunem. Contra. ergo iam non eſt contra rationem vnitatis ſingularis, conſtituere rem aptam in eſſe multis: quid igitur ni hoc conueniat actui intellectus? Dices illam entitatem non eſſe ſingularem intrinſecè, ſed vniuerſalem, at verò in ratione vniuerſalis ab alijs differre, vel conuenire numero, vel ſpecie, ſicut hoc, & illud genus, numero tantùm diſtinguuntur: genus verò & differentia differunt ſpecie. Contra, quia licet hoc, & illud genus in ratione vniuerſalis ſint ſingularia, vel dicantur differre numero; ſimpliciter tamen non ſunt ſingularia: nam ſingularia ſimpliciter debent ſimpliciter eſſe vnum; genus autem ſimpliciter non eſt vnum ſed plura, at verò illa entitas rationis non eſt ſimpliciter plures entitates, ſed vna, vnde non aptè adducitur conſequentia à natura generica ad illam.

§. 74. *Vnitas vniuerſalis non conſtituit obiectũ intrinſecè, ſed extrinſecè vnũ. Cognitio eſt intrinſecè ſingularis reſpectu ſui: extrinſecè vniuerſalis reſpectu obiecti, & qua ratione.*

Ad argumentum in §. 71. diſtinguo maiorẽ: vnitas vniuerſalis eſt ratio conſtituens obiectũ vnum intrinſecè in multis: nego maiorem: extrinſecè & per intellectum vnum, concedo maiorem; ad probationem diſtinguo antecedens: cognitio habet vnitatem ſingularem ſibi intrinſecã, per quam eſt indiuiſibilis in plures cognitiones, concedo antecedens: habet vnitatem ſingularem in repræſentando, nego antecedens: ergo etiam vnitatem ſingularem non poſſe eſſe vnitatem vniuerſalem extrinſecam obiecto: nam, licet tota eſſentia actus ſit repræſentatio, & ſit repræſentatio intrinſecè ſingularis: eſt etiã eſſentialiter repræſentatio vniuerſalis, quia ad hoc ſufficit ſi tota illa repræſentatio in ſe ſingularis, repræſentet confuſè plura indiuidua, & in particulari nullum: ad quod ſignificandum dicitur actus *ſingularis in eſſendo*, & *vniuerſalis in repræſentando*: quia licet in ſe ſit indiuiſibilis, repræſentat tamen plura. Vnde cognitio clara de Petro dicitur ſingularis in repræſentãdo, quia repræſentat vnum ſingulare tantum: & hæc vox *Petrus* eſt ſingularis in eſſendo, & repræſentando, vox autem *homo* ſingularis in eſſendo, & in repræſentando vniuerſalis: etiam color eſt ſingularis in eſſendo, & in cauſando: Deus autem ſingularis in eſſendo, vniuerſalis in cauſando: quia hæc denominatio *vniuerſalis* deſumitur ex pluralitate obiectorum, & effectuum. Neque negabit vllus conceptus vniuerſales in repræſentando.

§. 75. *Actus & obiectum qua ratione mutuo accipiant vnitatem.*

Itaque obiectum habet vnitatem extrinſecam à confuſione actus; actus autem eſſentialiter habet vnitatem vniuerſalem in repræſentando, à pluralitate obiectorum ſimilium: vt obiectum denominatur extrinſece cognitum à cognitione, & hæc eſſentialiter pendet ab obiecto; ita denominatur extrinſecè cognitum confuſè; & cognitio eſſentialiter pendet à pluralitate ſimilium: eſt ergo repræſentatio ſingularis in eſſendo, & vniuerſalis in repræſentando: quia licet in ſe eſt indiuiſibilis in plures repræſentationes: tamen tota illa repræſentat plura vt ſimilia. Diſtinguitur autem ratione in eſſendo & in repræſentando: quia in repræſentando connotat obiecta: in eſſendo autem connotat indiuiſionem in ſe vt patebit §. 83.

Quintò arguunt, quia vnitas vniuerſalis tantùm habet eſſe obiectiuè in intellectu: ergo eſt ens rationis; probatur antecedens, quia naturæ non ſunt vniuerſales, niſi in quantum objiciuntur intellectui. Sed *in ſcirpo quæritur nodus*: negatur antecedẽs: quia vnitas vniuerſalis habet eſſe formaliter in intellectu; ſimiliter effectiuè, & materialiter: obiectum autem ſicut non cognoſcitur niſi quando objicitur intellectui, ita niſi tunc non eſt vniuerſale: quod eſt extrinſeca denominatio ab actu confuſo. Itaque natura, quæ denominatur vniuerſalis, eſt à parte rei extra intellectum: vnitas autem, & ratio denominandi eſt à parte rei in intellectu. §. 76. *Quintum argumentum. Reſpondetur. Vnitas vniuerſalis habet eſſe formaliter in intellectu: itẽ effectiuè. & materialiter.*

§. 77. *Prima concluſio. Ens rationis non eſt forma vniuerſalitatis. Vniuerſalia non ſunt fictione.*

Dico primò. *Ens rationis non poteſt eſſe forma denominans vniuerſale.* Probatur, quia naturæ ſunt vniuerſales ſine vlla fictione: ſed ens rationis eſt fictio, vt patet ex diſputatio. 19. ſectio. 1. ergo ens rationis non facit vniuerſale. Maior eſt clara, quia ſi vniuerſalia fierent cum fictione, eſſent purè mendacia: quorſum igitur de mendacijs tam longam diſputationem texeremus? tum etiam, quia ad faciendum vniuerſale, non eſt opus aliquid affirmare, vel negare: at verò fictio non poteſt eſſe, niſi vel affirmando, quod non eſt, vel negando quod eſt. Tandem quia cognoſcere Petrum ſine ſingularitate, nullam includit fictionem: non enim affirmatur Petrus diſtingui realiter à ſua ſingularitate: ſed cognoſcitur quod habet, licet non cognoſcantur clarè omnia quæ habet.

§. 78. *Obiectio.*

Dices: ex actu confuſo efficienter reſultare ens rationis. Sed hoc valde impugno ea diſput. 19. & diſp. 1. logicæ ſectio 3. Deinde infra probabo, admiſſa hac reſultantia entis rationis in illo nõ conſiſtere vnitatem vniuerſalem. Objicis S. Thom. opuſc. 55. ſub initio aſſerentem vniuerſale eſſe ens rationis. Verum S. Thomas *eſſe rationis* non accipit pro eſſe ficto, ſed pro intentionali in anima per cognitionem: cuius hæc ſunt verba. *Tangitur in hoc duplex eſſe vniuerſalis, vnum ſecundum quod eſt in rebus: aliud ſecundum quod eſt in anima: & quantum ad iſtud eſſe, quod eſt rationis, habet rationem prædicabilis.* Ecce eſſe in anima vocatur à Sancto Thom. eſſe rationis, id eſt, per actum rationis: anima enim eſt ratio: nonnulli autem diſcipuli Sancti Thom. anſam arripiunt ex ſono *rationis*, ſenſumque omittunt, ait autem ſupra, *& quamuis ab ipſa anima recipiat rationem vniuerſalis: tamen non eſt in ipſa ſecundum ſuam eſſentiam: ſed ſecundum ſuam ſimilitudinem, & ſpeciem.* Id eſt, eſt in anima vniuerſalis per cognitionem, & ſpeciem expreſſam, & ad medium ait. *Dicendum, quod per comparationem, quam habet ad animam, eſt accidens, & eſt diſpoſitio quædam in anima, & eſt vnum de indiuiduis ſcientiarum vel formationum:* agit autem ibi de vniuerſalibus reduplicatiuè, & opuſcul. 56. ante medium inquit. *Eſt itaque vniuerſale vnum vnitate cognitionis.* *S. Thomas explanatur. Thomiſta anſam arripiũt ex ſolo verbo. Clara verba Thomæ.*

§. 79. *Secunda concluſio. Vnitas vniuerſalis eſt actus intellectus.*

Dico ſecundò, *vnitatem vniuerſalem conſiſtere in actu intellectus.* Ita S. Thom. expreſsè, nuperrime citatus opuſc. 56. & paſſim adfirmat vniuerſale cõſiſtere in actu vel imagine, plura repræſentante: ita Pat. Suarez) vt poſſum colligere ex quinque primis ſectionibus, diſput. 6. Metaphyſicæ,) ſed clarius ſect. 6. num. 2. pro qua adducit Sotum. quęſt. 3. vniuerſalium. artic. 1. dub. 2. adducentem etiam Scotum: & S. Thom. eſtque in noſtra Societate communior. S. Thom. P. Suarez. Sotus. S. Thom.

§ 80. *Dupliciter fieri poteſt vniuerſale.*

Probationi præmitto: vniuerſale poſſe fieri vel directè per actum cognoſcentem ſingularia confuſè: vel per alium actum reflexum conſiderantem conue

conuenientiam naturæ communis cum inferioribus: qui vocatur *notitia comparatiua:* de qua ſectione ſequente. Probatur igitur concluſio primò: quia actus, qui repræſentat naturam humanam in commune, & ſine ſingularibus; cognoſcit aliquod obiectum, quod ſit verum ens reale: ergo illud obiectum vt eſt obiectum talis actus, habet aliquam vnitatem: quia vnitas comitatur ens: ſed vt eſt obiectum illius actus non habet ſingularem vnitatem formaliter: quia ille actus non repræſentat aliquod ſingulare in ſingulari: ergo habet vnitatem vel vniuerſalem, vel naturæ ſecundum ſe; tunc ſic, ſed illa vnitas prouenit formaliter ab illa cognitione, ergo illa cognitio eſt ratio formalis conſtituens naturam vniuerſalem, vel ſecundum ſe: probatur minor: quia illa cognitio eſt ratio formalis abſtrahens naturam à ſingularibus: ſed ratio abſtrahens naturam à ſingularibus, eſt ratio illam conſtituens, vel vniuerſalem, vel ſecundum ſe: ergo. Minor patebit ſectio. 9. Eſtque apud omnes in confeſſo: probatur maior, quia abſtrahere naturam à ſingularibus, eſt cognoſcere naturam, non cognitis ſingularitatibus in ſingulari, eſt enim eiuſmodi cognitio quædam quaſi ſeparatio vnius conceptus obiectiui ab alio; cognoſcere autem vnum ſine alio eſt effectus formalis cognitionis.

Primum argumentum efficax.

Abſtractio naturæ à ſingularibus eſt cognitio.

§. 81. *Confirmatio.* Confirmatur, ante illum actum natura erat ſingularis: quia ante operationem intellectus nihil eſt non ſingulare: & quando per illum actum cognoſcitur natura, illa conſtituitur ſine ſingularitatibus in ſingulari: ergo formaliter per illam cognitionem conſtituitur natura vna vnitate non ſingulari; ergo vel vniuerſali, vel naturæ ſecundum ſe: quia non datur quarta vnitas.

§. 82. *Obiectio.* Dices, ex illo actu abſtractiuo reſultare efficienter vnitatem vniuerſalem, vel naturæ ſecundum ſe; quæ ſit ens rationis. Verum hanc efficientiam reieci ea diſputatio. 1. logicæ, ſectio. 3. Qua admiſſa, impugnatur hæc ſententia: quia prius ratione eſt ille actus abſtrahens, quàm talis efficientia entis rationis; nam prior ratione eſt cauſa quàm effectus: ergo in illo priori obiectum talis actus eſt abſtractum à ſingularitatibus; ergo in illo priori habet vnitatem non ſingularem: ergo vel vniuerſalem, vel naturæ ſecundum ſe; porrò obiectum habere aliquam vnitatem patet: quia hæc eſt indiuiduus comes entis; ergo illud ens rationis, quod per te fingitur, non conſtituit formaliter, ſed ſupponit vniuerſale.

Ens rationis reſultans ex actu iam ſupponit naturã vniuerſalem.

§. 83. *Alia probatio.* Ad quod aduerte: iuxta omnes ſententias naturam fieri vniuerſalem vel per actum directum, quo præſcinditur à ſingularitatibus: vel per notitiam comparatiuam, per quam reflexè concipitur vt conueniens pluribus: vel per actum confusè repræſentantem plura indiuidua vt ſimilia: ſed præſcinditur à ſingularibus, vel conſideratur vt conueniens pluribus, vel repræſentantur confusè plura vt ſimilia, formaliter per actum intellectus, ergo vniuerſale formaliter conſtituitur per actum intellectus. Igitur ens rationis reſultans ex illis actibus, iam ſupponit obiecta denominata per tales actus. Etenim actus ille ſeparans naturam à ſingularibus conſtituit naturam in eſſe obiectiuo in intellectu: quia repræſentat naturam ipſam: item dat ſingularibus negationem eiuſdem eſſe obiectiui in intellectu; quia per illam non cognoſcuntur ſingularia formaliter: ergo formaliter & non efficienter per actum illum accipit natura diſtinctionem rationis ab indiuiduis. Probo conſequentiam; quia ille actus formaliter cognoſcit naturam abſque indiuiduis: ergo ille actus formaliter conſtituit naturam ſecundùm ſe, vel vniuerſalem. quia ſingularia ſunt quæ officiunt illis ſtatibus; ea autem ſingularia amouentur formaliter illo actu: ergo.

§. 84. *Secũdum argumentum. Actus ſeipſo denominat obiectũ vniuerſale.* Secundò ſic argumentor, actus ille eſt vniuerſalis in repræſentando: non quia obiecta cognita ſint plura cognita vt plura; nam actus cognoſcens plura in particulari, licet aliquo modo ſit vniuerſalis in repræſentando, non eſt vniuerſale logicum: de quo agimus: ſed eſt actus omnino æquiuocus; ergo ille actus eſt vniuerſalis logicè, quia repræſentat plura, non vt plura; ſed confusè vt conueniunt in aliqua ratione communi: neque poteſt dari tertia ratio, per quam ſit actus vniuerſalis: ergo ille actus denominat obiectum vniuerſaliter repræſentatum: ſed per hanc denominationem conſtituitur obiectum formaliter vniuerſale: ergo vniuerſale formaliter conſiſtit in actu intellectus. Probatur minor: quia eſſe vniuerſaliter repræſentatum, vel cognitum, eſt cognoſci naturas communes non cognitis ſingularibus in ſingulari: nam tunc cognoſcitur homo: verbi gratia, & non Petrus, & Paulus in particulari: ergo aliquid vtrique commune: ſed hoc vtrique commune non fuit factum commune ante hanc operationem intellectus: cum à parte rei nihil ſit commune; ergo per illam formaliter factum fuit commune. Patet conſequentia: quia illa tollit formaliter ab obiecto differentias ſingulares officientes communitati: quia illa conſiderat naturam latentibus ſingularibus: ſed ratio formalis tollens ſingularia eſt ratio formalis conſtituens naturam communem poſitiuè, aut negatiuè (de quo ſectione 9.) ergo. Minor patet: quia ſublatis differentiis quidquid manet, eſt commune; alioquin maneret aliqua differentia. Immo, licet hinc ſequatur ens rationis, non ſequitur vt efficiat naturam formaliter communem; ſed potius ſequitur ex natura conſtituta formaliter communi per actum illam formaliter abſtrahentem, & conſtituentem abſque differentiis.

§. 85. *Confirmatio.* Confirmatur. Vniuerſale formaliter conſiſtit in aptitudine ad eſſendum, & prædicandum de multis: ſed ille actus intellectus conſtituit obiectum prædicabile de multis, quia immediatè diſponit intellectum ad prædicationem, vt probaui, diſput. 3. Logicæ ſect. 2. ergo in illo actu conſiſtit eſſentia vniuerſalis.

§. 86. *Vnitas ſingularis & vniuerſalis in ipſo actu ſunt idẽ realiter.* Rogas, quo differat vnitas ſingularis actus ab vniuerſali? Reſpondeo, re non differre, ſed vnitatem actus ſingularem dicere ineptitudinem, vt actus ille diuidatur in alios actus: vniuerſalitatem actus conſiſtere in eo, quod per talem actum homo, verbi gratia, cognoſcatur vt diuiſus, atque diſtinctus ab omnibus, quæ non ſunt homo: & vt non cognoſcantur diſtinctè omnia, quæ ſunt homo: quod eſt cognoſcere clarè rationem hominis vt ſic, non diſcernendo inter Petrum & Paulum.

§. 87. *Cõcluſio hæc eſt B. Thom.* Tota hæc concluſio, & ſolutio quarti argumenti, iiſdem verbis traduntur à B. Thom. opuſcul. 55. poſt initium. *Eius autem vniuerſalitas*, id eſt cognitionis) *non eſt ex hoc, quod eſt in anima, ſed ex hoc quod comparatur ad multa ſingularia ſe habentia opinata.* Ecce vniuerſalitas actus ex ſimilitudine indiuiduorum, &c. *Eſt enim illa in ſolo intellectu ſingularis, & eſt vniuerſalis in quantum habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, &c.* Videatur totum illud opuſcul. & 56. Vnde concludo vnitatem ſingularem actus eſſe eius attributum; vniuerſalem autem eſſe eſſentiam; quia eſſentialiter eſt repræſentatio vniformis

Vnitas vniuerſalis eſt de eſsẽtia actus, nõ verò vnitas ſingularis.

Circulus vitatur. formis plurium. Neque eſt circulus,quia ad talem confuſionem requiritur fundamentum in obiecto, quod eſt ſimilitudo : & ex parte intellectus requiritur indiſtinctio,& hæc dat vnitatem pluribus, & plura præbent fundamentum.

§. 88. *Tertium argumentum à priori.* Tertiò efficaciter probatur à priori, explicando rationem huius vnitatis quæ eſt per analogiam ad realem:intellectus non poteſt facere obiecta vnum realiter, quando illa ſunt realiter plura, tum quia oſtendi diſputatione 4. ea quæ ſemel realiter diſtinguuntur, non poſſe fieri vnum realiter : tum quia intellectus ſua conſideratione nihil reale traiicit in obiecta, ſed illa denominat extrinſecè cognita : ergo intellectus obiecta realiter diſtincta facit vnum, non reali vnitate, ſed rationis : quia ratio ea non diuidit, ſed relinquit indiuiſa,& conſequenter, relinquit ea vnum ; intellectus autem obiecta diuidit cognitione, quia circa illa non niſi per cognitionem verſatur. Quid igitur erit obiecta cognitione diuidere, niſi ea in ſuas partes ſecare cognitione clara, & expreſſa ſingularum, in ſingulari ? Diuiſionem, conſtat è ſummulis,eſſe modum ſciendi, quo res ſcitur per ſuas partes : ſic diuiſio explicans compoſitum phyſicum, illud diuidit in partes phyſicas:vt homo diuiditur in corpus,& animum : item compoſitum metaphyſicum diuidit in partes metaphyſicas,vt hominem in animal, & rationale : itidem rationes communes diuidit in particulares per earumdem differentias: quæ rationes particulares ſunt partes ſubiectiuæ communium : vt animal in rationale, & irrationale : hominem in Petrum, & Paulum : ergo diuiſio obiecti per intellectum eſt clara cognitio partium alicuius obiecti ; illarúmque diſcretio: veluti diuiſio realis ligni, eſt illius realis in ſuas partes diſſectio.

Intellectus qua ratione faciat vnum ex pluribus.

Diuiſio per intellectũ eſt clara cognitio partium.

§. 89. *Vnitas obiectorũ eſt confuſa cognitio.* Hinc poterimus deducere, vnitatem, quam ab intellectu habent obiecta, eſſe cognitionem confuſam eorumdem obiectorum. Nam diuiſio explicat naturam rei per eius partes, quia eſt modus ſciendi ; ergo ante diuiſionem illæ partes non fuerant intellectu diuiſæ : alioquin diuiſio non explicaret naturam rei, ſi præmitteretur explicata. Dubitatur ergo, quas partes habeat homo ? Reſpondetur, corpus & animum. Ecce homo non fuerat diuiſus; ſed diuiſione diuiditur. Ergo per actum quo apprehenſus fuit homo, non fuerat diuiſus in ſuas partes., ſiue partes non fuerant diuiſæ ; ergo fuerant non diuiſæ : patet conſequentia, quia diuiſio & non diuiſio opponuntur contradictoriè: ergo fuerant factæ vnum per actum quo cognitæ fuerunt ; quin diuiderentur : patet conſequentia, quia res fiunt formaliter vnum per eam rationem, per quam ſunt indiuiſæ (vt ex communi definitione vnitatis conſtat) ſed per actum, quo repræſentatur homo confuſè, partes non erant diuiſæ per intellectum, ergo per illum actum formaliter fiunt vnum ratione. Quia cognitio abſtractiua formaliter conſiderat rationem communem ; in qua inferiora nullam habent differentiam, nec diuiſionem : tota enim diuiſio eſt ab inferioribus ; ergo in illo conceptu communi non eſt diuiſio ; ergo indiuiſio,quæ eſt carentia diuiſionis : ergo ille actus conſtituit formaliter indiuiſum ratione : ergo vnum.

§. 90. Actus diuidens opponitur contradictoriè carentiæ ſui : quæ carentia non vnit obiectum : ſed tantum facit potentiam non diuidentem : de hac indiuiſione non ago. At verò circa diuiſionem obiectiuam verſantur duo actus. Alter quo cognoſcitur diuiſum confuſè;verbi gratia. *Homo*,vt actus de definito:alter verſatur clarè,diuidens hominem in Petrum & Paulum : ſicut actus definiens clarè attingit obiectum definitum. Dico ergo, *actum illum confuſum de diuiſo , eſſe vnitatem diuiſi : ſiue à quo obiectum dicitur vnum ratione & per intellectum* : quia vniuit partes, & fecit eas vnum : quia eas non diſtinxit clarè : ergo ſicut diuiſio eſt diuiſio propter claritatem , qua partes attingit : ita indiuiſio eſt indiuiſio propter confuſionem , qua eaſdem partes attingit : ergo actus ille confuſus eſt indiuiſio. Nam actui claro opponitur actus confuſus circa idem obiectum. Vnde ſicut in phyſicis antequam lignum interſecetur in partes , ſupponitur vnio earundem partium;& qui eas iam vnitas non ſecat; non facit, ſed ſupponit eas vnum ; eas autem fecit vnum , qui eas vniuit : ita in intellectu; partes facit vnum actus ille per quem vniuntur confuſione ; carentia autem actus diuidentis non facit eas vnum;diuiſio autem eas iam factas vnum diuidit.

Actus confuſus eſt indiuiſio,& vnitas obiecti.

Conſtet ergo vnitatem rationis eſſe actum confuſum partium , ſicut diuiſio eſt actus clarus circa eaſdem. Nec hæc diuiſio , & vnitas opponuntur priuatiuè,ſicut phyſica diuiſio & non diuiſio,quia in phyſicis formaliter diuiduntur per carentiam vnionis : ratione autem non niſi claritate actus. Imo eſt diſcrimen ; quod phyſica diuiſio eſt carentia vnionis: vnitas autem eſt conceptus poſitiuus; at in intellectu, diuiſio eſt claritas,quæ eſt conceptus poſitiuus : vnitas autem eſt confuſio , quam fortè dicet aliquis,eſſe carentiam claritatis:vel ſaltem per carentiam explicatur. Metaphora autem ſumitur,quia ſicut phyſica compoſitione partes in ſe plures coniunguntur in vnum compoſitum , & quodammodo quaſi miſcentur;ita per actum confuſum coagmentantur,miſcentur , nec diſcernuntur:ſicut autem diuiſio phyſica partes diuidit , diſſecat , diuellit & ſeparat , eáſque facit quaſi ſui iuris ; ita & diuiſio intellectus partes confuſè cognitas diſcernit , & diuidit , facítque apparere diſtinctè. §. 91.

Vnde argumentum efformo. Nec ſpecies impreſſa,nec ens rationis ſunt diuiſio intellectus : ergo nec ſunt indiuiſio,nec vnitas:patet conſequentia,à §.86.quia vnitas opponitur diuiſioni,ſpecies autem impreſſa non opponitur actui diuidenti:nec item ens rationis : nam ens rationis non opponitur actui claro magis , quàm cuiuis enti reali ; nec quàm actui , è quo reſultat. Nec illæ duæ res habent confuſionem oppoſitam claritati diuiſionis: ſed illa confuſio eſt in actu.Deinde ſpecies impreſſa , quo modo vnit formaliter obiecta ? Nam circa illa non verſatur,niſi media cognitione,ens autem rationis quomodo vnit obiecta?nam ſi eſt vnio ficta:ergo actus eſt ratio formalis fingendi. Nec hoc dici poteſt ; diuiſio enim, quæ opponitur vnioni, non tollit fictionem vllam:ſed tantùm tollit confuſionem prioris actus , ſicut diffinitio tollit confuſionem definiti. §. 92. *Species impreſſa nec ens rationis non ſunt vnitas vniuerſalis.*

Quando ergo cognoſcuntur Petrus & Paulus, tùnc homo & diuiditur à quolibet alio (vt patet) & diuiditur in ſe: homo enim non habet partes ſubiectiuas, in quas diuidatur , niſi in Petrum , & cætera indiuidua : qui actus ea clarè repræſentans, nullam dat vnitatem homini:ſed eam tollit.Quando autem cognoſcitur homo , quin clarè cognoſcantur Petrus & Paulus , tunc diuiditur homo à non homine ; ſed non in ſe : quapropter Petrus & Paulus vniuntur confuſione eius cognitionis : à qua habent vnitatem rationis,ſicut habent pluralitatem,& diuiſionem rationis per claritatem actus: §. 93. *Diuiſio & vnitas obiectorum.*

quo

quo clarè cognoſcuntur. Quæ omnia docet expreſsè S. Thomas opuſcul. 55. & 56. adducendus ſect. 10.

SECTIO VIII.

Per quem actum fiat vniuerſale?

§. 94. POno tres intellectus actiones: apprehenſionem ſimplicem, iudicium, diſcurſum; de quibus diſput. 7. de anima. Simplex apprehenſio, alia abſtractiua, id eſt, apprehenſio directa naturæ vniuerſalis, illam præſcindens, & repræſentans ſine ſuis inferioribus; alia comparatiua; id eſt, apprehenſio reflexa naturæ ſic abſtractæ, illam apprehendens, & quaſi conferens cum prædicabilitate, & relatione ad ſua inferiora: quapropter nuncupatur *notitia comparatiua.* De his omnibus quæſtionem inſtituo.

§. 95. ***Prima concluſio. Vniuerſale fit per notitiam abſtractiuã.*** Dico primò. *Per notitiam abſtractiuam, qua apprehendimus naturam ſine ſingularitatibus abſtractam ab vno, vel pluribus inferioribus, fit vniuerſale formaliter.* Dixi, *abſtractam ab vno, vel pluribus inferioribus*, conſultò abſtrahens ab ea quæſtione deturne natura ſecundum ſe, nec ſingularis, nec vniuerſalis? de qua ſectione ſequenti. ***Probatur.*** Probatur concluſio, quia illa notitia tribuit naturæ vniuerſalitatem, & prædicabilitatem: ergo illa notitia facit naturam vniuerſalem: patet antecedens; quia illa notitia eſt vniuerſalis in repræſentando, & diſponit intellectum vt illud obiectum poſſit prædicare de inferioribus: ſed hoc eſt naturam fieri vniuerſalem, & prædicabilem: ergo natura fit vniuerſale, & prædicabile per notitiam abſtractiuam. Probatur maior, quia illa notitia denominat obiectum vnum in pluribus; quia confuſè cognoſcit rationem communem abſtractam à pluribus indiuiduis, à qua notitia habet obiectum communitatem, & vnitatem; (quia vt dixi à §. 89.) actus confuſè terminatus ad plura, eadem vnit, & facit vnum; item eadem notitia diſponit intellectum ad prædicandum obiectum de inferioribus: in quibus ſimilem viderit rationem; ita vt ex parte prædicati nihil aliud requiratur; quamuis ex parte ſubiecti requiratur eius apprehenſio: ergo per talem actum natura fit vna in multis, & prædicabilis de multis.

§. 96. ***Confirmatio.*** Confirmatur primò, ille actus non eſt ſingularis in repræſentando: ergo eſt vniuerſalis. Confirmatur ſecundò: talis natura repræſentata per illum actum eſt apta ad exiſtendum in pluribus: ergo eſt vniuerſalis: antecedens probatur; quia illa apprehenſio immediatè diſponit intellectum ad prædicandum illam naturam de ſuis inferioribus: ſed hoc eſt illam eſſe aptam ineſſe multis; quia obiectum à parte rei eſt in multis, cum à parte rei ſint multa, & per illum actum obiectum habet vnitatem; quæ vnitas in eo conſiſtit, quod actus ille, cum ſit confuſus, ita cognoſcit plura, vt non poſſit in particulari diſcernere vnum ab alio; propterea omnia cognoſcit ac ſi eſſent vnum, id eſt, non magis ea diſtinguit, quàm ſi non eſſent diſtincta, quia *inter ſimilia vt ſimilia non eſt diſtinguere*, & ille actus tantum cognoſcit ſimilia vt ſimilia: item per illum actum immediatè diſponitur intellectus ad conſtituendum tale obiectum in multis per actualem prædicationem, id eſt, ad prædicandum de multis.

§. 97. ***Notitia abſtractiua diſponit obiectũ prædicabile.*** Quod probatur; quia intellectus ad iudicium, & ſecundam operationem diſponitur per primam, qua apprehendit conuenientiam ſubiecti cum prædicato: nam antequam illam conuenientiam apprehendat, non poteſt determinari ad prædicandum; poſita autem tali conuenientia, ſtatim redditur promptus ad illam prædicandam, quid enim aliud requirit ex parte apprehenſionis? ſed per illam notitiam intellectus apprehendit conuenientiam ſubiecti cum prædicato: cognita enim ratione communi hominis & poſtea per aliũ actum videns Petrum, aut alium hominem, ſtatim prædicat de illis rationem communem hominis; itaque actus ille obiectum à parte rei exiſtens in pluribus, & quod eſt idem realiter cum illis, abſtrahit ab illis: & in eo omnia inferiora adunat (vt aiunt) quia tantum cognoſcit rationem in qua ſunt ſimilia; non diuidendo eorum differentias.

Dices non poſſe prædicari hominem de Petro niſi per actum aliquem reflexum apprehendatur conuenientia Petri, & hominis; hic autem actus eſt notitia comparatiua; ergo. Nego maiorem: ſufficit enim apprehenſa ratione hominis, apprehendere Petrum, vt de illo prædicetur ratio communis hominis, quia, quæ reperiuntur in primo conceptu obiectiuo, reperiuntur etiam in ſecundo: & hoc eſt apprehendere conuenientiam ſubiecti cum prædicato, non in actu reflexo, & ſignato (vt aiunt:) ſed in actu exercito, & directo. §. 98. ***Obiectio. Non eſt neceſſaria apprehenſio reflexa.***

Secundò ſic argumentor: ille actus abſtractiuus præſcindit naturam à pluribus ſingularibus, & eam abſtrahit ab illis; quia eam repræſentat ſine ſuis ſingularitatibus: item illa natura non poteſt dici *ſecundum ſe*, quia non præſcinditur ab vno ſingulari ſolo: ſed à pluribus: ergo illa natura fit vniuerſalis per talem actum: patet conſequentia; quia natura fit vniuerſalis, quando præciſa à pluribus ſingularibus, apprehenditur ſecundum id in quo illa omnia conueniunt: conueniunt autem in ratione communi prędicabili: ergo illa eſt ratio communis prædicabilis. §. 99. ***Secũdum argumentũ pro prima cõcluſione.***

Dices primò, vniuerſale dicere relationem ad ſua inferiora, ac proinde non poſſe fieri niſi per notitiam comparatiuam, quæ ſuppoſita iam prima abſtractione fingat in ipſa natura talem relationem, vel ſaltem apprehendat. Contra; quia vniuerſale non dicit relationem quaſi prædicamentalem: ſed quaſi tranſcendentalem, ſiue eſſentialem, quæ relatio conſiſtit formaliter in illa extrinſeca denominatione, & apprehenſione directa, per quam natura conſtituitur ſuperior, & apta ineſſe multis. Vnde ad vniuerſalitatem non indiget tali cognitione reflexa. Quod ita confirmo; quia illa cognitio reflexa tantum eſt conſideratio communitatis naturæ, & illius abſtractionis à ſuis ſingularibus, cui tribuit relationem ſuperioris ad inferiora: ergo iſta reflexa cognitio iam ſupponit ipſam communitatem naturæ; quia relatio quaſi prædicamentalis iam ſupponit extrema referenda, & conſideratio ſupponit obiectum: ſed illam communitatem præhabuit natura per notitiam abſtractiuam directam: ergo vniuerſale fit formaliter per abſtractiuam notitiam. §. 100. ***Obiectio. Reſponſum. Vniuerſale dicit relationem quaſi tranſcendentalem. illa relatio eſt apprehenſio directa.***

Dices ſecundò, diſput. 1. Logicæ, ſect. 2. à nobis affirmatum, primam operationem intellectus non eſſe obiectum logicæ: ſed vniuerſalia ſunt obiectum logicæ: ergo, vel vniuerſale non fit per ſimplicem apprehenſionem; vel ſimplex apprehenſio pertinet ad logicam. Reſpondi vniuerſalia ſecundum ſe non ſpectare ad logicam; è qua ea reieci; ſpectare autem ad logicam, vt ſunt ſubiectum & prædicatum; aut partes alicuius propoſitionis; vt ſic autem non ſunt obiectum apprehenſionis: ſed iudicij vt ibidem oſtendi. §. 101. ***Alia obiectio. Reſponſum. Vniuerſale ſecundum ſe nõ ſpectat ad logicam.***

§.102. *Quæ prædicabilitas ſpectat ad logicam?*

Item prædicabilitas, quæ ſpectat ad logicam, non eſt, quæ conſiſtit in ſimplici apprehenſione, intellectum diſponente ad prædicandum: ſed conſiſtit in ipſa prædicatione, non actu, ſed potentia exiſtente; quia ſcientiæ communiter abſtrahunt ab exiſtentia ſuorum obiectorum, vt nos modò non agimus de aliquo ente exiſtente: ſed de eſſentia entis, ſiue exiſtat, ſiue non: idem in logica præſtiti de prædicatione. Tandem probatur; quia actus ille abſtractiuus opponitur aliis actibus abſtractiuis clarè cognoſcentibus hominem, v.g. illúmque diuidentibus in Petrum, & Paulum: ergo quia ille actus confuſus abſtractiuus dat vnitatem obiectis; quia diuiſioni opponitur vnitas: quam oſtendi conſiſtere in confuſione actus; ſicut diuiſio in claritate conſiſtit.

§.103. *Secunda concluſio. Vniuerſale fit etiam notitia comparatiua.*

Dico ſecundò. *Vniuerſale non ſolum perficitur, & conſummatur: ſed etiam fit per notitiam comparatiuam.* Probatur; quia ea notitia eſt vniuerſalis in repræſentando: ergo illam denominationem vniuerſalitatis tribuit obiecto. Confirmatur, illa cognitio repræſentat obiectum confuſè, non repræſentans explicitè eius ſingularitates: ergo abſtrahit obiectum à ſuis ſingularibus: ergo illud facit vniuerſale. Deinde illa notitia immediatè diſponit intellectum ad prædicandum vniuerſale de ſingularibus, quia eſt actualis cõſideratio conuenientiæ inter vtrumque extremum: ergo conſtituit vniuerſale.

§.104. *Obiectio.*

Dices, quando res facta eſt, non eſt iterum facienda, ne actum agatur: ſed vniuerſale eſt factum per primum actum; ergo non eſt faciendum per

Reſpondetur.

ſecundum. Diſtinguo maiorem: quando res fit phyſicè, tranſeat; quando intentionaliter, nego maiorem; quia hoc genus factionis non eſt niſi repetita cognitio, aut volitio: ſicut ergo res per primum actum cognita fuit confuſè, poteſt eodem modo recognoſci aliis actibus confuſis, qui ſunt vniuerſales ob eaſdem rationes ob quas alij.

§.105. *Actus confuſus habet deſcenſum diſiunctiuum.*

Aduerte hos actus eſſe confuſos: quibus per deſcenſum diſiunctiuum prædicatur ratio communis (vt ſæpe dixi:) Bene enim Ariſtoteles dixit, idem eſſe, *homo, vnus homo, & aliquis homo.* Item, quando per actum copulatum confuſum apprehendo quatuor homines: quaternarius eſt vniuerſalis; quia eſt communis ſingulis quaternariis hominum. Et quamuis quatuor homines non ſunt prædicabiles de ſingulis hominibus; tamen ratio hominis in quaternario contenta adeò eſt confuſè cognita, vt in ea non diſtinguatur Petrus à Paulo: nec enim ſcis vtrum Petrus ſit in illo quaternario, an non: ac proinde ex ea parte non tollitur vniuerſalitas; licet tollatur de ratione numeri vt ſic, & contrahatur ad quaternarium hominum. Poteſt autem fieri hic deſcenſus in hac propoſitione. *Quatuor homines hoc fecerunt: ergo vel Petrus cum aliis tribus fecit: vel Paulus, &c.* quia eſt proprium naturæ communis.

§.106. *Tertia concluſio. Vniuerſale non fit per actualem prædicationẽ de inferiori.*

Dico tertiò. *Non fit vniuerſale eo actu, quo de aliquo inferiori prædicatur*: quia tunc potius vniuerſale contrahitur à ſua vniuerſalitate, vt cum dico, *Petrus eſt homo*, ly *homo* reſtringitur ad Petrum. Dicitur autem prædicatio ſpeciei de indiuiduo; quia homo refertur ad operationes communes: reſtringitur autem per Petreitatem clarè cognitam. Vide, quæ in logica dixi, diſput. 4. ſect. 3. de contractione generis ad ſpeciem.

§.107. *Quarta concluſio. Vniuerſale fit per omnẽ intellectionem confuſam.*

Dico quartò. *Quando iudicium, vel diſcurſus ſunt in repræſentando ita vt cognoſcantur naturæ communes, ſine ſuis inferioribus, vt cum dicitur*, homo eſt rationale, *per illos actus fit vniuerſale.* Probo iiſdem rationibus, quibus primam, & ſecundam concluſionem; quia vniuerſalitas eſt cognitio naturæ communis non cognitis explicitè eius inferioribus: ſed illi actus ſunt cognitio naturæ communis, non cognitis explicitè eius inferioribus: ergo ſunt vniuerſales. Item illud iudicium determinat intellectum ad prædicandum rationale de Petro & Paulo, cum primum apprehenderit eos eſſe homines. Item deſcenſu copulatiuo reſoluitur illa propoſitio cum clara cognitione rationalitatis vt ſic, & confuſa de hoc & illo rationali; quia repræſentat idem, quod ſimplex apprehenſio. Videatur Pat. Suarez, 1. Metaphyſicæ, diſput. 6. ſect. 6. Totam hanc doctrinam tradit S. Thom. opuſcul. 55. rogans vtrum vniuerſalitas, ſiue vnitas vniuerſalis, ſit ſubſtantia, vel accidens? Reſpondet, *Quod per comparationem quam habet ad animam, eſt accidens, & eſt diſpoſitio quædam in anima* (id eſt ſimplex apprehenſio diſponens ad iudicium) *& eſt vnum de indiuiduis ſcientiarum, vel formationum:* id eſt actuum affirmatiuorum, qui ſunt ſcientifici: itaque S. Thom. & in ſimplici apprehenſione, & in compoſita vnitatem vniuerſalem agnoſcit. Doctrina huius ſectionis in ſequenti fiet clarior.

P. Suarez. *S. Thom. verbis ea doctrina probatur.*

SECTIO IX.

Vtrùm detur natura ſecundum ſe, quæ nec ſit formaliter ſingularis, nec vniuerſalis?

§.108. *Homo eſt indifferens vt cognoſcatur clarè, & confuſè.*

Antequam obiectum cognoſcatur, eſt indifferens, vt cognoſcatur in particulari, vel confuſè: tunc autem eſt ſingularis, de quo in eo ſtatu nullam quæſtionem inſtituimus. Nam homo (vt rectè ait S. Thom.) non concipitur neceſſariò in ſingulari: alioquin nunquam poſſet in vniuerſali cognoſci: nec concipiendus eſt neceſſariò in communi; alioquin non poſſet concipi in ſingulari:

Senſus quæſtionis.

homo autem, antequam concipiatur, ſemper eſt ſingularis, quia abſtractio à ſingularibus eſt per cognitionem: de homine ante cognitionem, non diſputo nunc; ſed vt ſubeſt cognitioni. Quærimus autem an poſſit natura à ſingularitate abſtracta, neque eſſe vniuerſalis, neque ſingularis; ſed habere vnitatem, quam vocant formalem, in illo ſtatu abſtractionis.

§.109. *Opinio Pat. Suarez.*

Pater Suarez illa diſput. 6. ſect. 1. numer. 9. adſtruit in rebus vnitatem formalem ratione diſtinctam cum fundamento in re ab indiuiduali, illámque multiplicari ſingulis in indiuiduis: quam diſtinguere etiam videtur ab vnitate vniuerſali: quamuis hoc non ita pateat. Ait enim eo num. 9. vnitatem formalem diſtingui ab indiuiduali tamquam rationem ſuperiorem ab inferiori. Quæ ſententia non differt à Caietanica conſtituente ſtatum naturæ ſecundum ſe: nec vniuerſalem poſitiuè; nec ſingularem: ſed vniuerſalem negatiuè. Hæc

Argumentũ.

ſententia probatur primò; quia natura abſtracta ab vno indiuiduo, retinet aliquam vnitatem: non indiuidualem, quia eſt ab ea abſtracta, nec vniuerſalem; quia non apprehenditur vt conueniens pluribus: ergo retinet vnitatem formalem.

§.110. *Duplex vnitas in vnoquoque indiuiduo.*

Aduerte, vnitatem dupliciter poſſe ſumi, vel pro conceptu quidditatiuo, qui vocatur vnus: vel pro attributo entis, quod per negationem explicatur. Sic omnia indiuidua habent vnitatem formalem, & indiuidualem; vnitas formalis conſiſtit in ſingularitate naturæ: nam ſingularitas humana eſt de primo conceptu Petri, & vocatur *formalis*, quia verſatur circa eſſentiam, quæ eſt forma; ad quam ſingularitatem conſequitur vnitas indiuidualis,

quæ

quæ eſt proprietas primæ ſingularitatis: item homo in communi habet quidditatiuum conceptũ, qui vocatur *formalis*; ad quem conſequitur vnitas in communi.

§.111. *Reſpondetur argumento.* Ad argumentum, naturam ſic abſtractam habere vnitatem formalem vniuerſalem: & habere attributum entis: & eo ipſo quod cognoſcatur ſine vlla ſingularitate, eam abſtrahi ab omnibus, vt infra patebit: at verò huiuſmodi vnitatem formalem eſſe mediam inter ſingularem, & vniuerſalem, neque argumentum probat, nec P. Suarez contendit. *Vnitas formalis abſtracta à ſingulari vno, eſt vniuerſalis.* Itaque homo ſic abſtractus eſt homo in communi, & vniuerſalis, ibique retinet eſſentiam communem omnibus hominibus, quam poſſumus vocare, *vnitatem formalem.* Hanc eſſentiam communem, & vnam per intellectum ſequitur vnitas tranſcendens omne ens: quam diſp. 4. oſtendi eſſe attributum entis: hæc vnitas eſt etiam vniuerſalis per intellectum: prima vnitas eſſentialis contracta ad Petrum, poteſt vocari *vnitas formalis.* Secunda poteſt vocari *materialis*: ſed tunc vtraque eſt ſingularis, & vna eſt attributum alterius: ergo vtraque eſt ſingularis, vel vniuerſalis vtraque: non verò media inter vtramque.

§.112. *Secũdum argumentum.* Secundò argumentantur; quia vnitas indiuidualis non conuenit naturæ per ſe ipſam, & ſecundum ſe: quia natura non eſt indiuidua niſi illi addatur aliquid ab ea ratione diſtinctum; ergo vnitas formalis diſtinguitur ab indiuiduali. *Reſpondetur.* Hoc argumentum probat, non eſſe de eſſentia naturæ concipi vt vniuerſalem, neque vt ſingularem, at verò non probat naturam concipi poſſe mediam inter ſingularem, & vniuerſalem: nam ſi apprehenditur clarè, concipitur vt ſingularis; ſi verò confusè apprehenditur, fit vniuerſalis, & ſicut inter has cognitiones non eſt tertia, ita nec eſt tertius ſtatus naturæ præter ſingularem & vniuerſalem.

§.113. *Tertium argumentum.* Tertiò, non poteſt intelligi natura communis ſine vnitate formali, at verò præſcinditur ab indiuiduali: ergo. Sed reſtat probandum illam vnitatem formalem in eo ſtatu non eſſe vniuerſalem. *Reſpondetur.* Dices Auicenam dixiſſe, *equinitas eſt equinitas*: quod ſæpius vſurpat S. Thom. opuſc. 55. & Caietan. non rarò. Caietan. S. Thom. Sed quid inde? voluit Auicena equinitatem eſſe indifferentem ad conceptum clarum, vel confuſum, & in vtroque concipi conceptum eſſentialem equi, vt clarè patet ex eodem S. Thom. fine opuſc. 55. & initio 56. nec verò eſt de eſſentia equi concipi vt vniuerſale, alioquin non poſſet eſſe ſingularis: nec eius eſſentia eſt concipi vt ſingulare, alioquin ei repugnaret vniuerſalitas: ſed eſt indifferens ad vtramque cognitionem: quod apertè docet S. Thom. ſupra: at ſicut neceſſariò concipitur, vel confusè, vel clarè; ita neceſſariò eſt, vel vniuerſale, vel ſingulare: neutrum tamen neceſſariò. Itaque P. Suarez tantum vult, duo indiuidua non ſolum conuenire in indiuiduatione, vt dicit attributum entis: ſed etiam in ſingularitate humana, vt eſt primus conceptus Petri; & rationem communem hominis non ſolum habere vnitatem quæ eſt attributum entis, quam in Logica diſputatione 5. ſectione 7. adſtruxi, abſtrahi ab vnitatibus indiuiduis: quámque vocauit indiuiduationem in communi, ſed etiam vult Pat. Suarez hominem vt ſic retinere conceptum primarium hominis: dari autem vnitatem mediam inter ſingularem, & vniuerſalem, nec P. Suarez vult, nec probat. P. Suarez.

§.114. *Omnis vnitas aut eſt ſingularis, aut vniuerſalis.* Igitur omnis vnitas aut eſt ſingularis, aut vniuerſalis: ſingularis exiſtens à parte rei, & cognita in particulari: vniuerſalis autem, ſi confusè concipiatur. Probatur: natura abſtracta ab vno indiuiduo eſt formaliter vniuerſalis: ergo non datur vnitas media inter ſingularem, & vniuerſalem. Probatur antecedens: quia natura abſtracta ab vno indiuiduo, eſt abſtracta ab omnibus indiuiduis: ſed vniuerſale fit quando abſtrahitur natura ab omnibus indiuiduis, ergo natura cum abſtrahitur ab vno indiuiduo fit vniuerſalis. Minor eſt clara, quia natura abſtracta ab omnibus indiuiduis eſt ratio, in qua omnia illa conueniunt; & à parte rei eſt idem cum omnibus illis: item eſt in omnibus illis per cognitionem confuſam formaliter: vel per ens rationis ex tali cognitione reſultans, & talis natura poteſt de omnibus illis prædicari, quia res poteſt prædicari de omnibus illis, à quibus abſtrahitur: quia omnia illa conueniunt ſub ea ratione, & ſunt ſimilia in illa; maior autem probatur: quia quando natura præſcinditur ab vno ſingulari, cognoſcitur ſine vlla ſingularitate: ſi enim cum aliqua cognoſceretur, eſſet ſingularis in cognitione: ſed natura cognita ſine omni ſingularitate abſtrahitur ab omnibus ſingularitatibus, quia abſtrahi eſt vnũ ſine alio cognoſci, ergo natura abſtracta ab vno indiuiduo abſtrahitur ab omnibus.

§.115. *Obiectio.* Dices, talem naturam nullam habere ſingularitatem, neque item vniuerſalitatem: quia non eſt proximè prædicabilis de pluribus, quia non eſt viſa exiſtens in pluribus: ergo habet vnitatem mediam. *Reſpondetur.* Nego antecedentis ſecundam partem: ad probationem reſpondeo, ad vniuerſalitatem non requiri vt natura videatur exiſtens in pluribus, quia id non eſſet eam abſtrahere ab inferioribus: ſed contrahere ad illa: ſi enim in pluribus videtur: ergo videntur plura: abſtrahere ergo eſt cognoſcere aliquid commune multis, illis non cognitis in particulari. *Ad vniuerſale non requiritur, vt natura videatur in pluribus.* Item requireretur videri in omnibus; vt eſſet communis omnibus. Solum ergo requiritur vt cognoſcatur cum ordine ad proprietates, in quibus plura ſunt ſimilia; iſtæ autem proprietates tam reperiuntur in vno, quàm in duobus, & intellectus redditur potens ad prædicandum illam naturam de quocumque indiuiduo, in quo poſtea viderit ſimiles proprietates; nam ſi ſemel concepit principium diſcurrendi, illud prædicabit de quocumque principio diſcurrendi in particulari, & ſic ille actus repræſentat rationem communem pluribus conuenientem, quam de illis prædicabit, cum ea viderit habere principium diſcurrendi.

§.116. Nec verò opus eſt vidiſſe plura ſingularia, quia non requiritur vt videantur in particulari, quia ab illis vt ſic non poſſet abſtrahi ratio communis, ſed requiritur vt videantur confusè: eodem modo videntur omnia, quæ ſunt illi ſimilia, alioquin non poſſet prædicabilis conſtitui de omnibus indiuiduis, quin omnia quis vidiſſet: ergo ſicut conſtituitur prædicabilis de omnibus, licet à duobus tantùm ſit abſtracta, ita conſtituitur prædicabilis de pluribus, licet ab vno tantùm abſtrahatur, quia perinde eſt ab vno & ab omnibus abſtrahi, quia eſt cognoſcere rationem in qua conueniunt, ignoratis omnibus inferioribus. *Natura abſtracta ab vno, eſt abſtracta ab omnibus.* Ratio à priori eſt, quia ad vniuerſale requiritur apprehenſio naturæ ſimilis in pluribus, quæ ſimilitudo tam reperitur in vno quàm in pluribus, qua cognita ſtatim redditur intellectus facilis ad illam prædicandam de omnibus ſingularibus, in quibus eam viderit.

§.117. *Confirmatio prima.* Confirmatur primò, vel concipitur natura in ordine ad accidentia propria Petri, & ſic eſt ſingularis, vel in ordine ad accidentia pluribus ſimilia, ſic autem natura eſt apta vt ſit in illis indiuiduis, in

in quibus reperiuntur tales operationes, aut accidentia; nam qui apprehendit hominem eſſe principium diſcurſus, illum prædicabit de quocumque principio diſcurrendi:ſed in vno indiuiduo apprehendit hominem eſſe principium diſcurrendi: ergo. Confirmatur vlterius: quia illa natura eſt prædicabilis de eo induiduo, à quo fuit abſtracta: ergo & de omnibus aliis ſimilibus, quia illud indiuiduum non fuit magis clarè cognitum, quàm cætera:ergo non eſt magis prædicabilis de illo, quàm de aliis; ratio à priori, quia ille actus eſt confuſus de ſuo obiecto: qua confuſione omnes partes ſui obiecti vnit,quia illas non diſcernit,ergo per illum actum habet obiectum indiuiſionem in ſe,quę opponitur diuiſioni, clarè obiectum in ſuas partes diſſecanti (vt iam probaui.)

Confirmatio ſecunda.

§ 118. *Obiectio.* Dices poſſe concipi naturam ſine ſingularibus, & illam non eſſe prædicabilem de pluribus, quia illam repugnat multiplicari,vt Naturam Diuinam, & (in opinione Thom.) Angelicam. Verum non poteſt natura diuina apprehendi ſine ſingularitate, & Thomiſtæ non ſunt conſequentes in ſua ſententia: quia in ea, natura Angelica eſt eſſentialiter ſingularis,ſicut homo rationalis,vt patebit ad prædicamentum ſubſtantiæ. Sed eſto abſtrahatur natura Angelica ab indiuiduatione, non erit vniuerſalis, quia ad vniuerſale requiritur obiectum pluribus commune, & iuxta hanc ſententiam natura Angelica ſpecifica non eſt communis pluribus, ſicut homo non eſt prædicabilis de equo, quia illi non conuenit, erit autem talis natura ſingularis negatiuè. Vide quæ in Logica dixi,diſputatione 5. ſectione 3.

Natura Angelica abſtracta ab indiuiduo, non eſt vniuerſalis.

§.119. *Impugnatur vniuerſalitas negatiua.* Explico impugnando vniuerſalitatem negatiuam. Pone naturam ſecundum ſe, abſtractam ab omnibus ſingularibus: id eſt cognitam nullo illorum cognito in ſingulari. Hæc natura vt eſt obiectum illius actus, eſt in omnibus inferioribus: quia ex parte obiecti illa natura eſt in omnibus: quia eſt idem à parte rei cum omnibus: item actus ad eam terminatus illam facit vnam vnitate rationis,per confuſionem (vt dixi:) ergo ex vi illius eſt vna, & ex ſe eſt in multis: ergo vt ſubeſt illi actui eſt vnum in multis. Item ex illo actu redditur prædicabilis de multis. Etenim cognita per illum humanitate ſecundum ſe,ſi poſtea cognoſcantur Petrus,aut Paulus: poſita horum apprehenſione, & vnione vtriuſque intellectus prædicabit de Petro illam naturam ſecundum ſe:quin ſit opus alio actu communi terminato ad naturam in hac propoſitione: *Petrus eſt homo: Paulus eſt homo*, apprehenditur *Petrus*:& apprehenditur *eſt:* poſitis his duabus apprehenſionibus: aſſentitur ex apprehenſione *hominis*:ita vt ex parte prædicati non ſit opus alia apprehenſione: quia per primam apprehenſa fuit ratio hominis; quæ videtur deinde eſſe in Petro: ergo de illo poteſt prædicari. Nec opus eſt reflexè cognoſcere hoc modo: *homo eſt prædicabilis de Petro,aut eſt ratio cõmunis:* vt enim aſſentimur & amamus ſine reflexa cognitione de aſſenſu & amore: ita & prædicamus. Quod ſi hac comparatione opus eſſet: non eſſet ad faciendam naturam vniuerſalem:ſed ad proximam prædicabilitatem.Nam ea comparatio ſupponeret naturam illam eſſe in Petro,& Paulo:& quia id cognoſceret, apprehenderet conuenientiam,& prædicabilitatem: quæ ex conueniẽtia ſequitur, vt cognitio reflexa de amabilitate obiecti,illud non facit: ſed ſupponit amabile,ita cognitio reflexa non facit:ſed ſupponit naturam in multis. Quid ergo opus eſt alia vniuerſalitate poſitiua?

SECTIO X.

Vtrùm actus vniuerſalis obiectum ſit vna ratio communis obiectiua abſtracta ab inferioribus? an verò plura ſingularia ſimilia?

SVBSECTIO I.

Duæ Realium, Nominaliumq; ſententiæ.

Datur à parte rei diſtinctio virtualis: quæ nihil eſt,præter vnam ſimplicem entitatem, in qua continetur virtus duorum effectuum ſpecie diſtinctorum;qui poſſent à duabus cauſis realiter diſtinctis præſtari. Vocatur *diſtinctio virtualis*, quia continet virtutem duarum cauſarum. Item & *fundamentalis*, quia præbet intellectui fundamentum, vt vnam virtutem diſtinguat ab alia, illáſque cognoſcat,ac ſi eſſent diſtinctæ. Eſt item in Deo virtualis diſtinctio inter Naturam,& Relationes,qua diſtinctione conueniunt Naturæ formaliter prædicata,quaſi contradictoriè oppoſita iis, quæ conueniunt relationi,vt eſſe communem,& improductam; cum relatio ſit producta, & non communis. Atque hæc diſtinctio virtualis altioris ordinis eſt,quàm quæ in creatis reperitur, ac præteruolat omnem creatam mentem, eſtque fundamentum myſteriorum Triados,& Incarnationis. §. 120. *Duplex diſtinctio virtualis.* *In Deo eſt altioris ordinis.*

Multi opinantur ſuppoſita hac virtuali, & fundamentali diſtinctione, noſtrum intellectum habere virtutem partiendi per ſuos actus obiectum realiter impartibile; illúdque diuidendi in duas formalitates: ita vt in ipſo obiecto cognoſcat vno actu vnam formalitatem, & eodem actu non cognoſcat aliam. Itaque quando intellectus conſiderat rationem hominis, & non cognoſcit Petreitatem, aut ſingularitatem aliam, iuxta hanc ſententiam,ratio hominis eſt vna formalitas abſtracta, & præciſa ab omni ſingularitate; quæ formalitas ita eſt vna,vt non ſolùm habeat vnitatem extrinſecam conſiſtentem formaliter in intellectus actu confuſo: ſed habeat etiam aliam vnitatem in ipſo obiecto, diſtinctam ab vnitate ipſius actus: ita vt conceptus formalis,& obiectiuus ſint duæ res realiter diſtinctæ, habentes duas vnitates realiter diſtinctas inter ſe: ita vt vnitas actus ſumatur ab vnitate obiecti. Item illa formalitas hominis, non eſt formalitas Petreitatis, formalitate ſe tenente ex parte ipſius obiecti, ita vt ſicut in opinione Scoti à parte rei natura communis non eſt ſingularis:ſed diſtinguitur ex natura rei à Petreitate: ita illa formalitas hominis non eſt formalitas Petri; quia intellectus ita præſcindit vnam ab alia, vt entitatem hominis ſecet,& diuidat in duas formalitates:quarum vna non ſit alia formaliter. §. 121. *Explicata opinio diſtinguens formalitates obiectiuas.*

Ita qui concipit animal, concipit quidem formalitatem eſſentialem homini; non tamen concipit rationale: quod eſt alia formalitas eſſentialis homini:quo pacto aiunt hominem bipartiti ratione. Quam ſententiam præter P.Fonſecam,ſequuntur authores, quos refert, & ſequitur P.Vazquez 1.tom.1.partis, diſput.117.cap.2.quos tamen pro noſtra ſententia eſſe infra patebit. Adducunt etiam recentiores Pat. Suarez aſſerentem vix credibile eſſe in hominem philoſophum incidiſſe negare naturas communes, & rationis diſtinctionem. Verum P. Suarez vbique eos condemnat à quibus adducitur,adfirmans cognitioni vniuerſali §. 122. P.Fonſeca. P.Vazquez. P. Suar. *A nobis eſt.*

ex

ex parte obiecti non reſpondere vnitatem, præter vnitatem ſimilitudinis plurium indiuiduorũ: quod etiam ipſi tenentur admittere, vt contra eos probabo infra. Deinde adducunt neſcio quam ſtoliditatem à Galeno obiectam his, qui negant naturas communes; *Verum medicus non curat hominem, ſed Socratem, aut Chaliam.* Hic obſeruandum à quibuſdam imponi Nominalibus, eos negare diſtinctionem rationis, quos ab ea calumnia euidenter vindicabo, diſput. 6. ſect. 3. item imponitur, eos negaſſe naturas vniuerſales, quod quo pacto, & quam verè fecerint, iam oſtendo.

Impoſtura in Nominales.

§.123. *Opinio Nominalium.* Nominales; quos è noſtra ſequuntur Societate, neque pauci, neque indocti: affirmant, conceptui vniuerſali non reſpondere obiectum vnum, vnitate ſe tenente ex parte ipſius: ſed vnum vnitate ſimilitudinis: quæ vnitas, non eſt vnitas ſimpliciter; ſed multiplicitas: ideſt multa ſimilia. Quos expreſſe Pat. Suarez admittit, aitque eos in ſolo loquendi modo eſſe reprehenſione dignos, vt oſtendi, ſect. 2. Item diſputat. 6. Metaphyſicæ, ſect. 5. num. 12. & 13. dicit, naturam re ipſa eſſe communicabilem, eſſe vnum indiuiduum ſimile alteri, & fundamentum vniuerſalitatis ex parte obiecti eſſe ipſa indiuidua ſimilia: & ſect. 3. num. 11. ait, conceptus obiectiui vnitatem conſiſtere in ſimilitudine plurium in vnitate formali: id eſt, in habendis ſimilibus vnitatibus formalibus. Item affirmat vbique vniuerſalitatem formaliter conſiſtere in actu intellectus; quæ vnitas eſt extrinſeca obiecto, & diſput. 5. ſect. 2. num. 30. ait habere vnam eſſentiam ratione, eſſe habere ſimiles eſſentias.

P. Suarez illis conſentit.

§.124. Secundò docent Nominales, intellectum non poſſe partiri obiectum in duas formalitates: ſed idem indiuiſibiliter obiectum cognoſci per diuerſos actus, per illos illud referendo ad diuerſos effectus: in ordine ad quos diuerſas ſumit denominationes. Quod affirmat Pat. Suarez diſput. 7. Metaphyſicæ ſect. 1. num. 5. & P. Vazquez ſupra ait, diuerſos conceptus obiectiuos poſſe dici diſtinctionem rationis, ſi *ratio* ſumatur pro obiecto in quantum eſt obiectum formaliter; quod perinde eſt, ac cognitio. Nam obiectum à cognitione denominatur. Idque ſumitur, ex S. Thom. 1. p. quæſt. 12. artic. 7. & 8. vbi ait, nihil eſſe formaliter in Deo, quod beati non cognoſcant: quem tamen nō comprehendunt: quia in illo non vident omnes effectus: cum igitur vnus beatus Deum videt in ordine ad vnum effectum, non videt in Deo nouam formalitatem, quam non videat alius beatus: ſed eamdem omnino ad diuerſos refert effectus.

P. Suarez. P. Vazq. S. Thom.

§.125. *Concipere vnum ſine alio non eſt concipere nouas formalitates.* Ita quando ego concipio hominem ſub ratione animalis: concipio totam hominis entitatem, eam cognitione referendo ad ſenſiones: quandò verò concipio rationale, non concipio nouam formalitatem ex parte obiecti: neque nouam entitatem: ſed eamdem quam antea; eam cognitione referendo ad diſcurſum, à quo denominatur rationale. Item quãdo apprehendo hominem in communi, & Petrum in particulari: non reſpondent duæ formalitates ex parte obiecti, ſed idem obiectum cognitum per ordinem ad accidentia communia; vel propria.

§.126. Quod ita explico: quando cognoſcitur homo, & intellectus iudicat de illa entitate, eſſe ſenſibilem, illud obiectum denominat *animal*: quando verò cognoſcit illam entitatem eſſe diſcurſiuam, illam denominat *rationale*: & quando illam cognoſcit, ita vt poſſit diiudicare eam eſſe hanc, cognoſcit in particulari eſſe Petrum, quod eſt cognoſcere rem ſingularem, in ſingulari. Per cognitionem autem confuſam cognoſcit ſingulare in communi, & indeterminatè; ſed non in ſingulari.

In his modis concipiendi non reſpondet ex parte obiecti aliud, & aliud obiectum; ſed illud omnino, quod denominatur *animal*, denominatur *rationale, homo, & Petrus,* per diuerſos actus in ordine ad diuerſos effectus, ſicut idem lac denominatur album ab albedine, & à dulcore dulce; non enim eſt vna formalitas, quæ denominatur alba; & alia, quæ dulcis. §.127.

Et licet cognitio animalis ſit immediata cognitio rationalis, hominis, & Petri; tamen illa cognitio non dicitur attingere formaliter rationale; neque explicitè; neque in quantum rationale; non quia non cognoſcat, quidquid ex parte obiecti eſt rationale: aut quia rationalitas ſit noua formalitas ab animalitate: ſed quia reduplicatur modus concipiendi: quia enim cognitio animalis non penetrat totam animalitatem, cognoſcendo omnes eius actiones: ſed tantum cognoſcit ſenſiones à tota entitate fluentes: ideo dicitur cognitio illa repræſentare animal formaliter, & non rationale, quia non vidit diſcurſus, per ordinem ad quos ſumitur conceptus rationalis. Itaque illa cognitio repræſentat totum obiectum, non tamen eius operationes: & ideo dicitur illud repræſentare inadæquatè, id eſt, inadæquatè ex parte modi, non tamen ex parte obiecti ſignificati in recto. §.128. *Cognitio animalis, non eſt formaliter de animali.*

Quare *animal vt animal*, non eſt formaliter rationale: ſed ab illo ratione diſtinguitur; quia idemmet indiuiſibile obiectum à diuerſis cognitionibus accipit diuerſas denominationes: & licet ipſi actus non ſolum numero, ſed etiam ratione eſſentiali diſtinguantur inter ſe: tamen ex parte obiecti non reſpondet vnum, & aliud; ſed idem per connotata diuerſa. Dicitur autem hæc diſtinctio, *rationis*: non quia ſint duo obiecta: nam in illis non eſt ratio diſtinctionis: cum tota diſtinctio conſiſtat formaliter in actu, ita percipiente entitatem illam eſſe animal, vt ex vi illius non poſſit diiudicari, ſit ne rationale. Ratio à priori eſt, quia nos non concipimus ſubſtantiam per ſe immediatè: ſed per illius effectus. Vnde non poſſumus magis de ſubſtantia concipere, quàm indicant effectus: vel quod per bonam conſequentiam ex effectibus infertur, verbi gratia, cognoſco hominem diſcurrere, colligo ſtatim illud eſſe principium intelligendi: deinde infero etiam eſſe principium amandi; quia ex actu intelligendi rectè infertur amor; ſic in Deo æternitatem deducimus ex immutabilitate. At verò quando tantum cognoſcimus ſenſionem, concipimus ibi eſſe principium ſentiendi: non tamen concipimus eſſe principium diſcurrendi; quia ſenſio non habet connexionem cum diſcurſu. Hinc prouenit, vt qui concipit obiectum cum ordine ad vnam operationem, & non ad aliam, dicatur illud cognoſcere formaliter ſecundum animal, & non ſecundum rationale: non quia vtramque rationem non attingat immediatè cum ſit eadem; ſed quia non penetrat omnes operationes, & quod Thomiſtæ vocant, *cognoſcere materialiter rationale, & formaliter animal*; Nominales dicunt eſſe: *cognoſcere explicitè obiectum eſſe animal, non cognoſcendo ſit ne rationale:* cum tamen actus vtrumque prædicatum immediatè attingat in ordine ad ſenſiones, & vtrumque ignoret, in ordine ad diſcurſum. §.129. *Animal vt animal nō eſt formaliter rationale.*

Hinc collige iuxta hanc ſententiam; non ſequi ab homine philoſopho, cognoſci myſterium Trinitatis, licet cognoſcatur Deus: nam licet actu naturali immediatè attingatur Trinitas perſonarum; quia eſt idem cum natura diuina: tamen, quia actus ille oritur ex cognitione creaturarum, ex §.130. *Philoſophus non cognoſcit Trinitatem.*

quibus non arguitur Trinitas, hinc oritur, vt Philoſophus non poſſit diiudicare, ſit ne trinum illud obiectum; & hoc eſt in hac ſententia abſtrahere cognitione vnum ab alio: quia circa illam denominationem Trinitatis, ita ſe habet intellectus, ac ſi non eſſet Trinitas,& hoc eſt quod contendit Eccleſia. Vtrum autẽ intellectus partiatur obiectum in duas formalitates, non curat Eccleſia. Equidem ego video immediatè albedinem diſtantem: & nõ ſcio eam eſſe albedinem; quia ſpecies eam repræſentat imperfectè, quamuis immediatè: ergo cum immediata cognitione de obiecto componitur ignoratio aliqua de prædicato illi obiecto conuenienti: nec bene ſequitur: ego immediatè video albedinem: ergo cognoſco eam eſſe albedinem: ſimiliter immediatè cognoſco myſterium Trinitatis, quando cognoſco Deum, & tamen ignoro myſterium Trinitatis: quia ſicut ignoro eſſe albedinem colorem quem immediatè video:ita ignoro eſſe Trinum Deum, quem ſcio eſſe vnum,quod eſt cognoſcere formaliter Deum vt vnum;& materialiter vt trinum.

§.131. *Diſtinctio rationis non negatur à Nominalibus. Nec vniuerſalia negantur.*

Item iuxta hanc ſententiam non negatur diſtinctio rationis: ſed potius à priori explicatur; quod nobis imponunt aduerſarij, armati autoritate P. Suarez diſp. 6. ſect. 9. numer. 8. aſſerentis, vix eſſe credibile aliquem diſtinctionem negaſſe rationis; quod quidem eſt verum.Neque item negantur vniuerſales naturæ,ſed negatur vnitas ſe tenẽs ex parte obiecti: quia illa vnitas eſt illi extrinſeca, ac ſe tenens ex parte intellectus, confusè repræſentantis plura vt ſimilia. Vnde actus vniuerſalis non determinatur ad vnum indiuiduũ magis quàm ad aliud, ſed indifferenter repræſentat omnia: ita vt obiectum illius actus poſſit prædicari de pluribus particularibus clarè cognitis. Quare cum dicitur vniuerſale *vnum in multis*, intelligitur vnum vnitate ſe tenente ex parte intellectus, ex parte verò obiecti vnitate ſimilitudinis, & conuenientiæ;quæ formaliter ſunt plura ſimilia. Vnde homo latius patet Petro, & Paulo: quia homo complectitur omnia indiuidua confusè cognita,Petrus autem vnum ſolum cognitum in ſingulari.

Vniuerſale quo pacto vnum in multis.

§.132. *Actus vniuerſalis repræſentat plura indiſtinctè.*

Item aduerte; vt actus ſit vniuerſalis,requiri repræſentari plura indiſtinctè, nam ſi diſtinctè repræſentaret, licet aliquo modo eſſet vniuerſalis, non tamen eſſet logicè vniuerſalis: quia cum diſtinctè cognoſceret,non faceret ea vnum,ſed æquiuocationem, vt Deus cognoſcens clarè Petrum, & Paulum.

SVBSECTIO II.

Nominalium ſententia, ſententia eſt B. Thomæ.

§.133. P.Fonſeca.

PAt.Petrus Fonſeca 2.Metaphyſicæ lib.5 cap.28. quæſt.2. ſect.1. ait à Nominalibus negari naturas communes, & vniuerſales; & vniuerſalia tantum conſiſtere in vocibus,ad placitum plura ſignificantibus; ſcientiaſque eſſe de ſingularibus. Hac ſubſectione defendendos Nominales ſuſcipio, oſtenſurus,eos ſententiam ſecutos B. Thom. & verbis fere iiſdem. Ac primum leue eſt quod Fonſeca alibi eis obiicit, Petrum, & hominem fore ſynonyma,vt *enſis, gladius*, illi enim id inficiantur apertè, quia dicunt Petrum eſſe hominem ſingularem, conceptum in ſingulari clarè, atque diſtinctè: hominem autem eſſe omnes homines confusè cognitos vt ſimiles; ſynonyma autem ſunt, quæ ſignificant res eodem modo conceptas: & quando fit prædicatio vnius de alio, eſt idemtica, vt *enſis eſt gladius*: quando verò prædicatio eſt de rebus diuerſimodè conceptis, non eſt idemtica, vt hæc, *Petrus eſt homo*.

Nominalium ſententia eſt B.Thomæ.

Homo & Petrus non ſunt ſynonyma.

§.134. *Nominales admittunt genera, & ſpecies.*

Porrò Nominales admittere genera, & ſpecies, non in ſolis vocibus: patet ex Gregorio (autore quidem grauiſſimo & ingenio acerrimo) in 1. diſt. 3.quæſt.1.artic.2.§. *Pro quarto dubio.*aſſerente.*Nam ex quibus ſenſatis poſſumus formare conceptum communem illis, & aliis ſimilibus, ſecundum ſpeciem, aut genus.* Vbi admittit conceptum communem ſecundum ſpeciem, & genus: ergo non in ſola voce,ſed in conceptu ipſo formali admittit vniuerſalitatem: à qua cognitione confuſa ait infra obiecta denominari confusè cognita. Idem patet ex Okamo in 1.diſt.2.quæſt.4.5.6.& 7. vbi paſſim ſupponit conceptus communes ſuperiores, ſpecificos & genericos, in mente exiſtentes & denominantes ſua obiecta,& quæſt.7.§. *Alij autem ponunt.*refert opinionem S. Thom. aientis, eamdem rem vno modo conceptam eſſe ſingularem, alio verò modo conceptam eſſe vniuerſalem, ac proinde vniuerſalitatem rei conuenire in ordine ad intellectum; cui opinioni aſſentiens ait Sortem mouere intellectum ad concipiendum hominem. Vbi admittit Sortem ſic conceptum eſſe vniuerſalem iuxta ſententiam, quam ibi refert, & explicat: illique tribuit rationem communem. In primum autem diſt.2. quæſt. 8. poſt initium relata opinione aſſerente ſolas voces eſſe vniuerſales, hæc ait, *ſed hæc non videtur vera, quia tunc nihil ex natura ſua eſſet ſpecies, vel genus.* Quando verò ait extra intellectum nihil eſſe vniuerſale, niſi quodam modo voces in ſignificando, agit expreſsè de vniuerſalitate à parte rei, ſiue ex natura rei: in qua impugnanda totus erat ibi contra Scotum, & Platonem: ſic autem ait, rem à parte rei ſingularem non poſſe per intellectum fieri vniuerſalem, ſcilicet à parte rei; reddit rationem, quia intellectus ſua cognitione non immutat obiectum.

Gregorius. Okamus.

Refert & ſequitur Sanct. Thomam.

§.135. *Gabriel eſt in eodem ſenſu.*

Eodem in ſenſu eſt Gabriel eadem d.2. quæſt.4. ad 8. adfirmans non poſſe naturam à parte rei ſingularem reddi vniuerſalem per intellectum: ſicut ſi eſſet vniuerſalis à parte rei, non poſſet per intellectum effici ſingularis: id eſt, à parte rei; quia, vt bene probat, intellectus non mutat obiecta à parte rei, immo, quæſt.8. refert, & probat ſententiam Okami de vniuerſali ficto per intellectum; item & aliam de actu confuſo terminato ad ſingularia ſimilia, quam præfert priori de vniuerſali conficto. Videatur ante finem, quæſt. 1. Fonſeca quidem & alij, quia vel inuiti Scoturiunt,ſunt infenſi Nominalibus, acriter impugnantibus Scotum: contra quem conſtanter ponunt extra animam nihil eſſe vniuerſale formaliter: ſed res eſſe vniuerſales formaliter ab intellectu: & ex ſe obiectiuè & fundamentaliter: vt eſſe cognitum, & amatum, alij verò eos non legunt, vel ſaltem exoſo affectu, velatis oculis ipſoque verborum ſono deluſi opinantur ab eis negari conceptus communes, at Pater Suarez veritatis inquiſitor hac ſect. adductus, & 1. part. lib. 1. de eſſentia Dei, cap. 13. ait Nominales ſolis verbis differre à communi ſententia, nunc autem eorum verbis oſtendam, eos à S.Thom. in hac opinione nec verbis differre.

P.Fonſeca. P.Suarez.

§.136.

Ac primum, S.Thom. opuſc.55.ſub initium ait, naturam eſſe vniuerſalem actu, per actionem intellectus,per quam eſt etiam prædicabilis; at extra intellectum non eſſe vniuerſalem actu, ſed potentia: quia poteſt fieri vniuerſalis per actionem intellectus: adducitque ex Boetio vniuerſale eſſe ſingulare, dum ſentitur. Hanc opinionem è S.Thom. S. Thom.

in

in margine citato adducit Okamus ſupra quæſt. 7. & ſubſcribit his verbis, *hoc modo dico*, (id eſt priori à me adducto ex S.Thom. de vniuerſalitate per intellectum) *quod omnis res poſita extra animam, eo ipſo eſt ſingularis, & hæc res ſic ſingularis eſt apta nata mouere intellectum ad concipiendum eam confuſè*: ecce quod S.Thom. dicit, *rem eſſe ſingularem, dum ſentitur*, dicitur ab Okamo, *omnem rem, eo ipſo quod ponatur extra intellectum, eſſe ſingularem*: & quod S. Thom. dicit, *rem extra intellectum eſſe vniuerſalem in potentia, quia poteſt per intellectum depurari ab indiuiduationibus*, dicitur ab Okamo, *eſſe rem aptam natam ad mouendum intellectum, vt eam confuſè cognoſcat*: quod eſt eam depurare à ſingularibus. Eodem modo ſentit, & loquitur Gabr. diſcipulus, & interpres
Gabriel. Gregor. Okami, Gregorius itidem (vt patebit.)

§. 137. S.Thomas. Deinde S. Thom. ibidem explicans, vniuerſalitatem eſſe actum intellectus, in ſe quidem ſingularem, vniuerſalem tamen in repræſentando, ſubiicit. *Hæc autem ſimilitudo, ſiue ſpecies exiſtens in anima*
Clara verba S.Thomæ. *eſt vna numero, & ſingularis: eius autem vniuerſalitas non eſt ex hoc, quod ſit in anima, ſed ex hoc, quod comparatur ad multa ſingularia, ſe habentia opinata*, (id eſt, cognita) *eodem modo, &c. eſt enim illa* (id eſt, cognitio) *in ſolo intellectu ſingularis, & eſt vniuerſalis, in quantum habet rationem vniformem ad omnia indiuidua, quæ ſunt extra animā, prout æqualiter eſt ſimilitudo omnium, ducens in omnium cognitionem.* Hæc verba
Comparatio S. Thomæ & Nominalium in hac ſententia. S. Thomæ videntur Nominales mutuati. Gabr. fine quæſtionis 8. *propter illas rationes factas* (inquit) *contra opinionem de fictis videtur ſecunda opinio probabilior, quod vniuerſale eſt vera qualitas in anima, & res*
Gabr. *ſingularis, ſignificans vniuocè*, (id eſt eodem modo, quod S.Thom. vocauit rationem vniformem) *plura*
Okamus. *ſingularia æquè primo, &c.* & Okam. ſupra quæſt. 7. *& voco conceptum confuſum, quo intellectus non diſtinguit vnam rem ab alia.* Gregor. verò ſupra: *formatur*
Gregor. *autem* (inquit) *iſte conceptus* (ſcilicet vniuerſalis) *in intellectu ex apprehenſione plurium ſingularium ſibi ſimilium.* Poſtea ſubdit S. Thom. *ſed quia genus ſignificat formam, non tamen hanc vel illam determinatè, quam determinatè differentia exprimit, quæ non eſt alia ab illa, quæ indeterminatè ſignificabatur per genus.* Quibus verbis adſonat Okamus iis. *Vnde in rei veritate Sortes, homo, animal, corpus, iſta omnia ſunt vnum realiter, neque eſt ſuperius, & inferius, niſi ſecundum intellectum conſideratum modo dicto.* Qui plura voluerit in reconciliationem Nominalium cum S.Thom. perlegat opuſcula S. Thom. 55. & 56. & quæſtiones Nominalium à me iam inſinuatas, præſertim articulum ſecundum Gregorij, rem hanc dilucidè proponentis illo §. *Pro quarto dubio*, poſt medium. Placet nunc meam ſententiam verbis S. Thomæ proponere.

§. 138. Ac primùm, vnitatem vniuerſalem eſſe actum
Actus confuſus eſt vniuerſalitas ex S.Thom. confuſum, qui ratione ſuæ indeterminationis, & deſcenſus confuſi denominat vnum multas naturas, ita docet: *nam ſi eſſet vna forma corporalis repræſentans multos homines, conſtat, quod illa forma haberet eſſe ſingulare proprium ſecundum quod haberet eſſe in hac materia: ſed haberet rationem communitatis ſecundum quod eſſet communis per repræſentationem plurium.* At quis dicat, imaginem æream repræſentare rationem quamdam hominis abſtractam obiectiuè ab inferioribus, & non potius homines omnes ſimilia habentes lineamenta? Item poſt verba vltimò adducta, §. præcedente, hæc ait: *Sed genus dicitur vnum per communitatem formarum ſignificatarum. Vnde per adiectionem differentiæ remota illa indeterminatione, quæ erat cauſa vnitatis generis, &c.* ego quidem ita explico meam ſententiam: nempe vnitatem generis eſſe actum intellectus terminatum ad omnia indiuidua animalis: ergo ex vi eius non poteſt magis cognoſci homo, quàm leo: quæ paſſim docent S. Thom. hoc opuſc. 55. & ſequenti. Okamus, & Gabriel ſupra; ſed dilucidius omnibus Nominalibus Gregorius illo artic. 2. ſed S.Thom. ad medium opuſc. ait, *qui ſcit aliquid in vniuerſali, ſcit illud indiſtinctè, &c.* & infra, *verb. gr. ipſa natura humana in intellectu habet eſſe abſtractum ab omnibus indiuiduantibus, & ideo habet vniformem rationem ad omnia indiuidua, prout eſt eſſentialiter ſimilitudo omnium, ducens in omnium cognitionem, &c.* vnde patet apud S. Thomam eſſe ſynonymiam, rem eſſe abſtractam à ſingularibus, & cognoſci ſimilitudine terminata ad omnia ſingularia.

In opuſculo autem 56. poſt initium inquit. *Vniuerſale ergo eſt vnum, & plura: plura, in quantum in* §. 139.
pluribus eſt, alioquin non poſſet prædicari de pluribus, vt *Verba S.Thomæ noſtram explicant opinionem.*
homo in re eſt plura, quia de pluribus prædicatur: eſt autem vnum in cognitione, quia licet plura, ſecundum quod plura, non conſtituunt vnum intellectum: tamen plura, ſecundum quod ſimilia ſunt, conſtituunt vnum intellectum. Ita quod intellectus non poteſt diſtinguere inter ſimilia, & idem intellectus apprehendit hominem, & aſinum, in quantum conueniunt in vna operatione, ſcilicet ſenſitiua, vnico intellectu apprehendit, etſi in re ſint multa, talis enim vnitas (id eſt, conſiſtens in intellectu) *non opponitur illi multitudini.*

Vbi duo obſeruo; alterum à S. Thoma nec mentionem fieri de aliqua formalitate, ad quam imme- §. 140.
diatè terminetur actus vniuerſalis; præter multitudinem indiuiduorum ſimilium: in quorum confuſa apprehenſione conſtituit S. Thom. & vniuerſalitatem, & abſtractionem; iſtius autem formalitatis obiectiuæ, nec meminit S. Thom. Alterum eſt, conuenientiam hominis, & aſini non conſtitui à S.Thom. in intrinſecis principiis, ſed in operatione ſenſitiua, quod etiam conſtanter Nominales adfirmant, & infra. *Nam ex hoc cognitio aliqua eſt vniuerſalis in quantum relationem habet ad multa, vt intentio hominis quæ eſt apud animam, quia comparatur ad multa, ideo eſt vniuerſalis, &c. Nam non requiritur ad vnitatem vniuerſalis vnitas eſſentiæ, nam genus non dicit eſſentiam vnam, ſed plures*, & lib. de ente, & eſſentia, hanc repetit ſententiam adeò clarè, vt nulli ſit expoſitioni locus, & *quamuis* (inquit) *hæc natura intellecta habeat rationem vniuerſalis, ſecundum quod comparatur ad res, quæ ſunt extra animam, quia eſt vna ſimilitudo omnium.*

Hæc tam latè adduxi, ne aduerſarij pro chymæ- §. 141.
ritia ſua præciſione obiectiua iactent Sanctum Thomam, Nominaleſque præſtringant. Idem videtur ſentire B. Auguſtin. initio libri de categoriis B.Auguſt.
aſſerens, hâc vocem, *equus*, ſignificare omnes equos.
P. Suarez, diſputat. 2. metap. ſect. 1. num. 1. ait, P.Suarez.
conceptum obiectiuum eſſe, qui immediatè concipitur per formalem, & ſect. 2. num. 7. ait conceptui formali de ente reſpondere vnum conceptum obiectiuum, qui non eſt ſubſtantia, nec accidens expreſsè: ſed hæc omnia per modum vnius, quatenus ſunt ſimilia: ergo in ſententia Patris Suarez conceptus immediatè obiectus actui vniuerſali ſunt indiuidua ſimilia. Qui de homine vt ſic eodem modo philoſophatur, num. 15. quem ſæpius pro hac ſententia adduxi: quam propugnant multi in noſtra Societate ingenio non vulgari.

SVBSE

SVBSECTIO III.

B. Thomæ, Nominaliúmque ſententiam præfero.

§.142. *Vniuerſale eſt cõcretum.* VNiuerſale eſt concretum, ex obiecto, quod in recto ſignificat; & ex cognitione, quam dicit in obliquo. Cognitio in eo concreto ſe habet vt forma, ſeu ratio formalis, à qua obiectum denominatur cognitum confusè: & vnum: ſicut à quauis cognitione obiectum, *cognitum* dicitur: obiectum illius actus, dicitur *materia, ſeu materiale vniuerſalis*: quia omne obiectum comparatum cognitioni ſui, dicitur materia, circa quam ea cognitio verſatur. Iam vidimus contra Platonem & Scoticos hoc obiectum non eſſe ex natura rei à ſingularibus diſtinctum: ſed illud eſſe eademmet ſingularia.

§.143. *Concluſio. Cognitio vniuerſalis terminatur immediatè ad omnia indiuidua.* Dico igitur, *cognitionem vniuerſalem immediatè terminari ad omnia ſingularia contenta intra ſpeciem, vel genus; vt ſunt ſimilia in aliqua ratione; ratione cuius ſimilitudinis per illum actum omnia confusè, & non collectiuè noſcuntur, nullum tamen in particulari: neque ex parte obiecti reſpondere formalitatem aliquam obiectiuam diſtinctam ratione à ſingularibus, vt ſimilibus.* Primam partem cõcluſionis docent apertè S. Tho. Gregor. Ariminenſis, Okamus, Gabriel, & P. Suar. adducti ſubſectione præcedenti. Secunda pars eſt eorundem autorum, quia nihil continet præter explicationem prioris. Probaríque poteſt, quia non poteſt ex parte obiecti præcidi homo à Petro: quod argumentum eſt vnum è præcipuis pro hac ſententia. Probato enim ex parte obiecti non abſtrahi vnam formalitatem ab alia, euidenter infertur obiectum quod vniuerſale dicitur, non poſſe eſſe vnã rationem obiectiuam, præciſam à ſingularibus. Quod argumentum latè proponam, diſput. ſequenti, ſect. 4. oſtendens diſtinctione rationis non attingi duos conceptus obiectiuos: ſed vnum diuerſo modo apprehenſum. Nunc autem ab eo argumento abſtineo; quia eſt proprium illius loci, & ne cogar illic illud repetere. Item omitto argumentum, quo nonnulli mouentur ad aſtruendum ens non poſſe abſtrahi à ſingularitate, quia per illam conſtituitur in ratione entis realis, quia oſtendi ſect. 5. quam ſit elumbe: propriis igitur argumentis agendum.

S. Thom.
Gregor.
Okamus.
Gabr.
P. Suarez.

SVBSECTIO IV.

Primum argumentum.

§.144. *Actus vniuerſalis eſt vnitas obiecti.* AC primùm actus vniuerſalis eſt vnitas, per quam homo conſtituitur indiuiſus in ſe ratione (vt probaui ſect. 7.) vel ſaltem eſt ratio formalis, à qua obiectum eſt vniuerſaliter cognitum, & non in ſingulari: ſed actus, per quem homo conſtituitur in ſe indiuiſus per intellectum, & vniuerſaliter repræſentatus, attingit immediatè Petrum & Paulum: ergo actus vniuerſalis terminatur immediatè ad Petrum & Paulum. Probatur minor: Homo: qui conſtituitur formaliter per illum actum indiuiſus in ſe, & vniuerſaliter repræſentatus (quod claritatis gratia ſuppono tota hac difficultate) ſunt Petrus, & Paulus: ſed ille actus immediatè terminatur ad omnem hominem, quem conſtituit in ſe indiuiſum ratione; quia illa eſt denominatio, quam formaliter ſuo tribuit obiecto, ſicut denominationem cogniti: ergo actus, per quem homo conſtituitur indiuiſus in ſe ratione, immediatè terminatur ad Petrum, & Paulum. Probatur minor: quia ille homo conſtituitur formaliter indiuiſus in ſe ratione, qui à parte rei conſtituitur in ſe realiter diuiſus: ſed à parte rei ſoli Petrus, Paulus, & cæteri ſingulares homines ſunt diuiſi in ſe realiter: ergo ſoli Petrus, & Paulus ſunt homo, qui conſtituitur indiuiſus in ſe ratione. Minor huius ſyllogiſmi liquet: quia cum à parte rei nullus ſit homo, præter Petrum, & Paulum (quos vſurpo pro omnibus hominibus ſingularibus) efficitur planè, ſolos illos in ſe eſſe realiter diuiſos, non verò alium hominum à parte rei præter illos exiſtentem.

Homo indiuiſus ratione ſunt eius ſingularia.

§.145. *Actus vniuerſalis cognoſcit obiectum aliter ac eſt à parte rei.* Probo autem maiorem propoſitionem: quia ſolus ille homo conſtituitur indiuiſus in ſe ratione, qui per talem indiuiſionem eſt in intellectu, diuerſo modo ac eſt à parte rei: ſed ſolus homo, qui eſt à parte rei diuiſus in ſe realiter, eſt in intellectu, diuerſo modo, ac eſt à parte rei: ergo ſolus homo, qui eſt à parte rei diuiſus in ſe realiter, eſt per illum actum indiuiſus in ſe ratione. Maior videtur clara: quia per actum vniuerſalem obiectum eſt in intellectu diuerſo modo, ac à parte rei, quia à parte rei eſt obiectum realiter diuiſum, & diſſimile; at eſt in intellectu indiuiſum, & non vt diſſimile. Vnde efficitur obiectum, & debere eſſe à parte rei, & in intellectu: item diuerſimodè eſſe intra, & extra intellectum: minor verò probatur; quia à parte rei ſolum reperiuntur indiuidua, in ſe quidem diuiſa: ergo diuerſitas exiſtendi in intellectu illis debet conuenire: quia id quod exiſtit in intellectu, debet præexiſtere à parte rei.

§.146. *Obiectio.* Dices: Petrum, & Paulum eſſe quidem vnum per illum actum, non tamen immediatè, & formaliter: ſed remotè, & materialiter; immediatè autem fieri vnam illam rationem communem abſtractam à Petro, & Paulo; quæ quidem præcedit à parte rei, non formaliter vt communis: ſed fundamentaliter. Contrà: ille homo fit formaliter, & immediatè vnus per actum vniuerſalem, qui præcedit à parte rei, vt fundamentum immediatum vnitatis, & vniuerſalitatis formalis; ſed illud fundamentum ſic præcedens, nihil eſt præter Petrum, & Paulum ſimiles: ergo ſoli Petrus, & Paulus ſimiles, ſunt homo, qui fit immediatè, & formaliter vniuerſalis, & vnus. De maiori nec aduerſariis dubium, quid enim fiet immediatè vnum, niſi immediatum fundamentum vnitatis? quod ita vocatur, quia fundat vniuerſalitatem per aptitudinem, quam habet vt illam terminet immediatè. Minorem probo: quia illud fundamentum, vt tale eſt, eſt homo exiſtens à parte rei, antequam terminet actu cognitionem vniuerſalem: ſed ante illam cognitionem non præcedit à parte rei homo, niſi Petrus, & Paulus, vt ſingulares, & ſimiles: ergo illud fundamentum præcedens nihil eſt præter Petrum, & Paulum ſingulares, & ſimiles.

Reſpondetur.

Immediatum fundamentũ ſunt plura.

§.147. *Immediatum obiectum eſt fundamẽtum quod includit plura.* Quod ita confirmo primò; quia fundamentum vniuerſalitatis, vt tale eſt, cognoſcitur immediatè per actum vniuerſalem; ſed illud fundamentum ſunt formaliter plura ſingularia, vt ſimilia: ergo plura ſingularia, vt ſimilia cognoſcuntur immediatè per actum vniuerſalem. Probo minorem: fundamentum eſt ſimilitudo plurium; ſed ſimilitudo includit formaliter, & immediatè plura: ergo & fundamentum. Maior datur ab omnibus; non quidem de ſimilitudine prædicamentali (ſi forte eſt modus diſtinctus à fundamento, & termino, talis enim non cognoſcitur per eum actũ, ſed de ſimilitudine fundamenti, cui innititur relatio ſimilitudinis;) minorem pono è diſput. 15. quia ſimilitudo ſic ſumpta eſt idem cum rebus ſimilibus.

Deinde

Deinde iſtud fundamentum, vt tale; eſt à parte rei diuerſo modo ac in intellectu:ſed vt eſt à parte rei diuerſo modo,nihil eſt præter Petrum,& Paulum: ergo vt eſt in intellectu, nihil eſt præter Petrum,& Paulum,diuerſo modo. Maior eſt certa, minor certior,quia à parte rei reduplicatiuè nihil eſt, præter ſingularia, quia reduplicatio illa appellat modum exiſtendi extra intellectum: conſequentia patet, quia vt eſt in intellectu, habet diuerſum modum, ac habet, vt eſt à parte rei: ſed illa reduplicatio, *vt eſt à parte rei*, appellat ſupra ſingularitatem immediatè: ergo etiam reduplicatio, *vt eſt in intellectu*, appellat ſupra eamdem ſingularitatem: alioquin non fieret formaliter comparatio, & diuerſitas inter duos modos, quibus exiſteret idem conceptus.

§.148. *Diuiſio & indiuiſio rationis verſantur circa idem.*

Probatur huius primi argumenti vis: Diuiſio,& indiuiſio rei immediatè verſantur circa eamdem rem: ſed diuiſio hominis immediatè verſatur circa Petrum & Paulum: ergo & indiuiſio hominis immediatè verſatur circa Petrum & Paulum. Maior patet: tum è phyſicis; nam vnio, ſiue vnitas partium immediatè afficit partes, quas facit vnum cõpoſitum: tum quia priuatio, & habitus ſunt circa obiectum idem; eſt enim priuatio *Carentia formæ in ſubiecto apto tali formæ*. Minorem probo: quia diuiſio hominis eſt clara, & immediata cognitio inferiorum quæ ſub homine continentur: ſed hæc inferiora ſunt Petrus & Paulus: ergo diuiſio hominis immediatè verſatur circa Petrum & Paulum. Minor certiſſima; quia homo diuiditur in Petrum & Paulum, qui ſunt indiuidua, de quibus prædicatur homo. Maior æquè certa, quia omnis diuiſio immediatè fertur in partes diuiſi; ſi diuiſum ſit compoſitum phyſicè,aut ratione, diuiſio clarè fertur in eas partes: vt hominis partes phyſicæ ſunt corpus, & animus rationalis; logicæ verò partes ſunt animal, & rationale. Quapropter diuiſio definitur *oratio explicans naturam rei per partes*: ſi verò diuiſum ſit aliquid commune logicè, eſt totum quoddam poteſtatiuum, cuius diuiſio fertur immediatè in eiuſdem partes obiectiuas, vt diuiſio animalis fertur immediatè in hominem & brutum; ſiue in animal rationale, & irrationale: ergo diuiſio hominis immediatè verſatur circa Petrum & Paulum, & indiuiſio immediatè verſatur circa id circa quod diuiſio: ergo indiuiſio hominis immediatè verſatur circa Petrum & Paulum.

§.149. *Omne diuiſum nihil eſt præter partes.*

Vrgeo argumentum: quod phyſicè diuiditur,eſt compoſitum phyſicum; quod nihil eſt præter omnes partes vnitas: cuius vnitas, & indiuiſio eſt earumdem vnio,per quam vnionem partes,prius diſſitæ atque diuulſæ,fiunt compoſitum vnum: quod, quando diuiditur, reſoluitur immediatè in partes, quibus conſtabat, per quam diuiſionem vna pars non communicat cum alia: ſimiliter indiuiſio per intellectũ facit è pluribus realiter diſtinctis vnum, quod eſt totum poteſtatiuum, includens immediatè partes, è quibus vnitis reſultat vnum: nam omne indiuiſum diuiſibile,includit immediatè partes, & earum indiuiſionem: quod quando diuiditur, reſoluitur in ſuas partes. Vnde argumentor:homo vt ſic eſt indiuiſus diuiſibilis: ergo diuiſibilis in ſuas partes: ſed id,in quod eſt diuiſibilis, ſunt Petrus & Paulus: ergo Petrus & Paulus ſunt partes hominis vt ſic:ergo homo vt ſic includit immediatè Petrum, & Paulum. Patet ex dictis; quia omne indiuiſum diuiſibile, nihil eſt præter partes, & earum indiuiſionem. Vnde quemadmodum palmus includit duos ſemipalmos, & per eorum vnionem fiunt illi formaliter vnus palmus; per diuiſionem autem, quia ſoluitur vnio,iam non eſt palmus, ſed duo ſemipalmi totaliter diſtincti. Ita per actum confuſum Petrus & Paulus, fiunt vnus homo;quia ille actus eſt vtriuſque vnio:quando verò per actum clarum qui eſt diuiſio, cognoſcitur homo, reſoluitur in ſuas partes, & fiunt duo homines totaliter ratione diuiſi.

Explicatur: quando homo diuitur in Petrum & Paulum, eo fit præcisè, quod Petrus,& Paulus clarè noſcuntur: ergo quando manent ratione indiuiſi; eo præcisè manent, quia attinguntur immediatè per actum confuſum. Probo conſequentiam, quia clarus actus,& obſcurus tribuunt ſuis immediatis obiectis oppoſitas denominationes: ergo præcisè propter confuſionem & claritatem illas tribuent: ergo ſi actus confuſus immediatè terminatur ad Petrum & Paulum,illoſ faciet confuſè cognitos, ergo indiuiſos cognitione, quia indiuiſio rationis eſt confuſa plurium cognitio, ſicut diuiſio eſt eorumdem clara cognitio: ergo ad vnitatem hominis in ſe non requiritur alia ratio obiectiuè abſtracta. Adde, hominem eſſe formaliter diuiſum in ſe per diuiſionem immediatam in Petrum & Paulum: ergo homo conſtituitur in ſe immediatè indiuiſus præcisè per indiuiſionem immediatam in Petrum,& Paulum: quia oppoſita oppoſitis rationibus conſtituuntur: ſed indiuiſio immediata Petri & Pauli ad illos terminatur immediatè, ergo. §.150. *Obiectum diuiditur per cognitionem claram.*

Confirmatur: diuiſum & partes diuidentes ſimul ſumptæ ſunt omnino æqualia: ſolúmque differunt penes claritatem & obſcuritatem ſuorum actuum: & actus diuidens denominat partes diuidentes diuiſas, & clarè cognitas: eaque ratione dicitur explicare diuiſum: ergo actus de diuiſo eſt obſcurus, & eius obiectum eſt obiectum actus diuidentis: ſed cum diſcrimine: quia actus diuiſi illud attingit confuſè, non diſtinguendo partes ſui obiecti; ſed illas faciendo vnum per indiſtinctionem: actus verò diuidentium, ea attingit clarè, & faciendo plura,diſtinctione claritatis. Itaque actus diuidens claritate diſtinguit; actus de diuiſo obſcuritate confundit & indiſtinguit: vterque autem actus id præſtat immediatè: vt definitio attingit immediatè & clarè duos conceptus definiti (qui vocantur definitio) actus verò de definito eoſdem attingit immediatè: homo enim immediatè attingit animal rationale: ſed quos alter attingit immediatè confuſè,attingit alter immediatè clarè: idem patet in diuiſo & diuiſione. §.151. *Diuiſum & partes diuidentes ſunt æqualia.*

Dices Petrum & Paulum eſſe partes poteſtatiuas hominis, non verò actuales, ſicut ſunt partes Phyſicæ. Contrà, oſtendi diſput. 2. ex S.Thoma idem eſſe inferiora contineri poteſtate in ſuperioribus, ac confuſè cognoſci: contineri autem actu,eſt clarè cognoſci: nam hæc eſt indiuiſio, & diuiſio hominis. Vt enim ſemipalmus,dum eſt in palmo,non eſt actu totum quoddam,ſed actu eſt pars,& in potentia totum, ita Petrus dum per actum confuſum eſt in homine,eſt actu pars illius per confuſam cognitionem:potentia verò eſt totum,quia poteſt tali cognitione cognoſci: nam homo vt ſic eſt formaliter indiuiſus in ea,in quæ poteſt diuidi: & eſt totum habens partes, in quas diuidi poteſt per cognitionem claram, quæ eſt diuiſio: quæ igitur ſunt eæ partes præter ſingularia? nam quando ſingularia noſcuntur,non cognoſcitur aliud,niſi totum,quod diuiditur: diuerſo tamen modo, quia prius confuſè,poſteriùs clarè. Cuius ſignum eſt, quia, quando diuiditur in omnia ſua inferiora, dicitur adæquatè eſſe idem cum illis: quando verò non diuiditur in omnia, tunc diuiſum excedit partes diuidentes. §.152. *Obiectio. Reſpondetur. S. Thom. Contineri,poteſtate & cõfuſè cognoſci ſunt idem.*

Ratio

Ratio eſt, quia diuiſum continet omnia inferiora tamquam partes, quæ diuiſæ in ſolo modo cognoſcendi diſſident à diuiſo.

SVBSECTIO V.

Secundum argumentum.

§.153. *De aliquo nihil verè prædicatur niſi ſit ipſum.*

SEcundò ſic argumentor: immediatum obiectũ actus vniuerſalis verè prædicatur de Petro & Paulo: ergo Petrus & Paulus ſunt immediatum obiectum actus vniuerſalis: liquidum eſt antecedens, quia rationes communes immediatè dicuntur de ſuis inferioribus: immo idem eſt formaliter, eas eſſe communes, & prædicabiles: nec enim homo prius eſt, & immediatius prædicabilis, quàm de Petro & Paulo: conſequentiam probo, quia de Petro & Paulo nihil eſt verè, & in recto, & immediatè prædicabile, præter eoſdem Petrum & Paulum, ergo Petrus & Paulus ſunt immediatum obiectum actus vniuerſalis: conſequentia patet ex primo antecedente: huius autem enthymematis antecedens probo, quia id, quod immediatè prædicatur verè de alio, eſt immediatè idem cum illo, quia propoſitio affirmatiua vnius de alio ea ratione eſt vera, quia obiectum eſt, ſicut per illam enuntiatur.

§.154. *Obiectio.*

Dices, obiectum eius actus verè prædicari de Petro & Paulo: quia à parte rei eſt idem cum illis, negatur tamen propterea Petrum & Paulum eſſe formaliter obiectum illius actus; ſed rationem cõmunem ab vtroque abſtractam. Primùm fateor obiectum illius actus eſſe rationem communem ab vtroque abſtractam; nam Petrus & Paulus cogniti confusè immediatè vt ſimiles, quin per illum actum alter diſtinguatur ab altero, ſunt homo vt ſic: probo autem illam rationem immediatã, quam tu aſſignas, nihil eſſe ex parte obiecti: præter ipſa ſingularia immediata quia illa eſt formaliter prædicabilis de Petro & Paulo: ergo illa ratio immediata ſunt Petrus, & Paulus: quia de illis nihil eſt prædicabile eſſentialiter præter ipſos: tum quia tu admittis, illam rationem communem eſſe idem realiter cum Petro & Paulo: ergo Petrus & Paulus realiter ſunt obiectum immediatum actus vniuerſalis. Probo conſequentiam; quia quidquid eſt idem realiter cum illa ratione communi, terminat realiter illum actum, eodem modo reali, quo eum terminat eadem ratio communis: ſed illa ratio cõmunis terminat realiter immediatè eum actum: ergo & quidquid eſt idem realiter cum illa, eum terminabit realiter immediatè.

Reſpondetur.

Singularia ſunt immediatum obiectum actus vniuerſalis.

§.155. *Confirmatur.*

Confirmatur, quia vel prædico adæquatè de ſolo Petro obiectum totum actus vniuerſalis: vel tantum prædico partem illius obiecti: ſi ſecundum; ergo immediatum obiectum eius actus cõſtat pluribus partibus, quarum vna prædicatur de Petro; alia de Paulo: ergo immediatum obiectum eſt aggregatum ex illius partibus, quod contendo: ſi primum, ergo idem obiectum non poteſt prædicari de Paulo: patet; quia nihil poteſt eſſe realiter idem cum Paulo, quod ſit adæquatè idem cum Petro, (vt patet ex terminis) ergo nihil poteſt prædicari realiter de Paulo, quod adæquatè prædicetur de Petro; quia prædicatio adæquata vera ſequitur identitatem adæquatam inter ſubiectum & prædicatum.

§.156. *Obiectioni reſpondetur.*

Dices primò, illud obiectum immediatum non prædicari adæquatè de ſolo Petro; non quia includat formaliter ſingularia: ſed quia realiter eſt idem cum illis. Contrà; ergo immediato obiecto, vt eſt immediatum, repugnat prædicatio adæquata cum Petro: ergo vt eſt immediatum, includit aliquid, per quod illi repugnet: ſed id, per quod ei repugnat eſt Paulus: ergo quod includit, eſt Paulus; quia propter illum non poteſt homo adæquatè prædicari de Petro: ergo Paulus eſt pars illius obiecti, vt eſt obiectum immediatum actus vniuerſalis.

§.157. *Secundæ obiectioni reſpondetur.*

Dices ſecundò: idem abſurdum in noſtra ſententia ſequi. Nego; quia obiectum actus vniuerſalis ego aio, eſſe omnia indiuidua vagè cognita: quæ omnia de Petro prædicantur non copulatiuè (vt in tua ſententia prædicantur cum illa ratione communi;) ſed diſiunctiuè. Nam cum dicitur, *Petrus eſt aliquis homo*, te Petrum prædico de Petro; modò autem prædico etiam Paulum vagè, & diſiunctiuè: perinde enim eſt: *Petrus eſt aliquis homo*, ac *Petrus eſt hic, aut ille homo*. Quæ veritatem ſumit in hoc indiuiduo determinatè: ſed in modo, quo prædicatum concipio, nullum determino: & ſicut verè dico, *Petrus eſt albus aut niger*: tametſi ſit albus, & non niger: ita diſiunctiuè dico de Petro omnes homines: id eſt, *eſt aliquis homo*: in qua diuiſiuè continentur omnes. Quod expreſſit S. Thom. opuſc. 55. & 56. idem eſt igitur, *aliquis homo*, & *homo vt ſic* (vt in logica oſtendi.) & clariſſimè Ariſt. docet 4. Metaphyſicæ, cap. 2. *Neque* (inquit) *aliud quicquam dictio ſignificat, ſi ita gemines, eſt homo, atque homo, & vnus homo*, & 10. Metaphyſicæ, cap. 1. ait. *Quædam autem* (ſupple ſunt vnum) *quorum vna ratio eſt, talis verò, quorum intellectio vna*. Ita Ariſtot. multorum ſingularium vnitatem conſtituit in ſola vnitate intellectionis.

Omnia ſingularia in modo prædicantur vagè de vno, in re vnum tantũ.

§.158. *Perpenditur vis huius argumenti.*

Hoc ſecundo argumento arbitrati ſunt nonnulli à me ſatis probatam concluſionem; quod propterea opto vt memoria, menteque teneatur cuius vis huic nititur propoſitioni. Homo, exempli gratia immediatè & verè prædicatur de Petro, & Paulo: ergo Homo eſt immediatè ex parte obiecti Petrus & Paulus. Antecedens eſt certum: quia omnis ratio vniuerſalis eſt immediatè prædicabilis de inferioribus. Conſequentiam probo: quia omne immediatè & verè prædicabile de Petro & Paulo; eſt neceſſariò Petrus & Paulus: cum quibus nihil eſt idem præter ipſos.

§.159. *Singularia ſunt immediatum obiectum.*

Hinc arguo: immediatum obiectum, terminans realiter cognitionem de homine ſunt Petrus, & Paulus: ergo non ratio abſtracta ab vtroque. Probo antecedens: immediatum obiectum cognitum realiter eſt quod immediatè dicitur verè de Petro & Paulo: ſed de iis nihil realiter verè & immediatè dicitur præter ipſos: ergo. Immo obiectum illud, vt eſt immediatè cognitum, eſt immediatè prædicabile de Petro, & Paulo: & non adæquatè de vno ſolo. ergo Petrus, & Paulus ſunt immediatum obiectum. Vnde miror poſſe affirmari Petrum & Paulum non eſſe immediatè & realiter obiectum eius cognitionis de homine: dicunt enim eam non magis terminari ad Petrum, quàm ſi non eſſet Petrus. Quo ergo pacto, obiectum illud eſt verè Petrus; ſi Petrus non cognoſcitur?

SVBSECTIO VI.

Tertium argumentum.

§.160. *Actus & obiecti prædicata non ſunt confundenda.*

ANte tertium argumentum pono, obiectum immediatum actus vniuerſalis diſtingui realiter ab ipſo actu; nec habere in ſe formaliter denominationes extrinſecas, quas accipit ab actu formaliter: ſed actum in ſe habere intrinſecè ſua prædicata; ſimiliter & obiectum alia: quando autem quæritur, quid reſpondeat ex parte actus? quid autem ex parte obiecti? non debent inter prædicata

obiecti

Digitized by Google

obiecti computari prædicata actus ipſius; nec inter actus prædicata, prædicata obiecti, verbi gratia, in hoc complexo, *homo cognitus*, quando quæritur, quid repræſentetur ex parte hominis? non debet ibi inuolui denominatio cogniti; quia hæc non ſe tenet, nec reſpondet ex parte obiecti: ſed ex parte cognitionis, à qua formaliter homo denominatur cognitus: ſed dicendum eſt, ex parte hominis reſpondere animal rationale:ex parte verò actus, denominationem cogniti clarè, vel confusè. Quando verò dicitur *homo cognitus reduplicatiuè*, tunc non dicuntur prædicata obiecti ſolius, ſed etiam cognitionis, quam appellat illa reduplicatio, & omnes denominationes inde ſubortæ.

§.161. *Obiectũ conſiderari poteſt ſpecificatiuè, & reduplicatiuè.* Item aliud eſt accipere obiectum ſpecificatiuè & materialiter: aliud in ratione obiecti reduplicatiuè, & formaliter: primum enim tantùm appellat naturam, quæ terminat cognitionem, non includentem formaliter prædicata cognitionis:ſecundum autem reduplicat cognitionem ipſam: nam obiectum vt obiectum, eſt formaliter cognitum vt cognitum, quia obijci & eſſe obiectiuè in mente, & cognoſci, eſſe formaliter idem oſtendi ſæpius; ſed cognitum formaliter reduplicat cognitionem: ergo & obiectum formaliter. *Nõ agitur de obiecto reduplicatiuè.* Vnde quando nunc inquiro, quid reſpondeat ex parte obiecti actui vniuerſali? non ago de obiecto reduplicatiuè, id enim eſſet confundere prædicata actus cum prædicatis obiecti: ſed obiectum ſumo materialiter ex vna parte;actũ verò materialiter ex alia; vt ex hac diſquiſitione à proprietatibus actus ſecernantur proprietates obiecti eiuſdem actus.

§.162. *Difficultas eſt communis diuerſis opinionibus.* Pono item, quæſtionem hanc communem eſſe opinioni conſtituenti rationem formalem vniuerſalis in actu intellectus; ac conſtituenti in ente rationis. Primùm: quia cognitio terminatur immediatè ad hominem: eſt ergo quæſtio; vtrum ad hominem non includentem immediatè Petrum & Paulum? an verò ad vtrumque. Secundò, quia ens, & vnitas rationis facit obiectum vnum: rogo; an Petrum & Paulum immediatè? an verò alium conceptum ab vtroque abſtractum? Vnde quæ de cognitione dixero; dicta eſſe volo de ſpecie impreſſa; & ente rationis.

§.163. *Cognitio immediatè terminatur ad plura vt ſimilia.* Tertiò igitur ſic argumentor:vniuerſale conſtat ex obiecto, & cognitione vniuerſali; ſed illa cognitio vniuerſalis immediatè terminatur ad plura vt ſimilia: ergo obiectum immediatum cognitionis vniuerſalis, ſunt plura,vt ſimilia.Probo minorem, ex parte obiecti quidquid poteſt reſpondere, non eſt vnum ſingulare tantùm in ſingulari; alioquin repugnaret eſſe obiectũ actus vniuerſalis;neque ſunt plura ſingularia vt diſſimilia,quia ſic non fundant vnitatem vniuerſalem, quæ requirit in obiecto plurium ſimilitudinem; neque reſpondet ex parte obiecti vnitas vniuerſalis, quia abunde oſtendi in obiectis non reperiri ſimilem vnitatem: ſed oſtendi, eam eſſe formaliter in intellectu: ergo illa vnitas non reſpondet ex parte obiecti, ſed ex parte actus: nunc autem diſquiro,quid reſpondeat ex parte ſolius obiecti? nec item reſpondet obiectum vnum vnitate ſecundum ſe,quę formaliter nec eſt vniuerſalis,nec ſingularis. *Ex parte obiecti reſpondent ſola ſingularia.* Hanc (inquam) vnitatem reſpondere non poſſe probatur: quia ſumendo obiectum ſecundum ſe, vt excludit actum & formales eiuſdem actus denominationes (vt oſtendi ſumi debere) non habet in ſe rationem formalem, per quam non ſit formaliter ſingulare: ergo ex parte obiecti non reſpondet vnum vnitate non ſingulari: conſequentia patet, quia obiectũ ex parte ſui non poteſt eſſe non ſingulare formaliter, quin ex parte ſui habeat rationem formalem eius non ſingularitatis:ſicut obiectum ex parte ſui non poteſt eſſe album, quin ex parte ſui habeat rationẽ formalem albi,quæ eſt albedo:antecedẽs probo; quia quidquid eſt ex parte obiecti,eſt ex parte illius formaliter ſingulare:ergo non habet formaliter ex parte ſui vt excludit actũ, rationẽ non ſingularitatis.Antecedens probo,quia quidquid reſpondet ex parte obiecti formaliter,eſt indiuiſibile realiter ex parte ſui in alia, quæ ſint idem cum illo: ergo eſt ſingulare formaliter, formalitate ſe tenente ex parte obiecti.

Quod ita confirmo: illa vnitas formaliter reduplicando eius formalitatem, vel eſt in obiecto realiter independenter ab operatione intellectus: vel dependenter: independenter eſſe non poteſt, quia quidquid exiſtit à parte rei, vt exiſtit,eſt formaliter ſingulare:omnes enim formalitates vt exiſtentes à parte rei, eſſe ſingulares ſatis ſuperque oſtẽdi ab huius diſputationis exordio:ergo vt formaliter eſt talis vnitas,depẽdet ab intellectione:vel ergo dependet in genere cauſæ efficientis vel formalis. Non efficientis, quia cognitio nil reale efficit in obiecto cognito:ſi quid autem efficeret,illud eſſet formaliter ſingulare à parte rei:ergo depẽdet ab intellectione in genere cauſæ formalis; ergo illa vnitas formaliter non ſe tenet ex parte obiecti: patet conſequentia, quia ratio formalis eius vnitatis non ſe tenet ex parte obiecti:ergo nec vnitas formaliter:patet conſequentia,quia vnitas formaliter includit rationẽ formalem vnitatis,per quam formaliter conſtituitur ſicut album formaliter includit albedinem. Probo antecedens; quia cognitio non ſe tenet ex parte obiecti,(vt termini monſtrant)ſed ratio formalis eius vnitatis eſt cognitio: ergo ratio formalis eius vnitatis non ſe tenet ex parte obiecti.Probo minorẽ, per te illa vnitas formaliter depẽdet à cognitione in genere cauſæ formalis: ergo ratio formalis eius vnitatis eſt cognitio, & eſt ratio per quam conſtituitur formaliter. Probo conſequentiam; quia quando effectus dependet ab aliquo in genere cauſæ formalis, ea cauſa formalis eſt forma,ſeu ratio formalis cõſtituendi talem effectum; vt albedo eſt ratio formalis albi,& cognitio cogniti & vita viuentis,quia album dependet ab albedine in genere cauſæ formalis, & cognitum à cognitione, & viuens à vita, idque termini præ ſe ferunt. §.164. *Confirmatur. Vnitas vniuerſalis eſt dependenter à cognitione.* *Vnitas non ſe tenet ex parte obiecti.*

Vrgeo argumentum,illa vnitas pendet formaliter à cognitione,ſicut cognitum ab eadem cognitione: ergo ſicut cognitio eſt intrinſeca intellectui, & extrinſeca obiecto cognito; ita illa vnitas eſt intrinſeca intellectui,& extrinſeca obiecto vni: ad quod ergo obiectum extrinſecè terminatur illa vnitas? non ad vnum præciſum à ſingularibus, quia cum illa præciſio ſit ipſa cognitio, de ea redit eadem quæſtio: conſtet ergo obiectum eius vnitatis; & præciſionis non habere ex parte ſui præter ſingularia: cæteras autem denominationes tribuunt actus ſingularibus obiectis: ex quibus tamquam obiectis & ex cognitione confuſa tamquam forma reſultant vniuerſalia. §.165. *Explicatio argumenti.*

Dices,obiectum illud eſſe materialiter plura, at vt obiectum neque eſſe vnum, neque plura, ſed vnum vnitate ſimilitudinis. Contra, illa cognitio terminatur ad obiectum materialiter, quod ſunt plura, non verò ad obiectum formaliter, & reduplicatiuè ſub ratione obiecti; quia hæc reduplicatio reduplicat cognitionem, quod ſi reduplicat obiectum, & aliquid ſe tenens ex parte illius; redibit iterum tertium argumentum cum ſuis confirmatio §.166. *Obiectio. Reſpondetur.* *Ex parte obiecti non reſpondet ratio nec vna nec plures: ſed plures.*

firmationibus. Illud de vnitate ſimilitudinis nihil refert, tum quia ſimilitudo includit formaliter pluralitatem: tum quia ſimilitudo ſumpta ex parte obiecti, vt excludit denominationem à cognitione, eſt quid formaliter ſingulare à parte rei; quia eſt ens reale: ergo ex parte ſui ſecluſa denominatione ab actu, non habet rationem formalem, per quam conſtituituatur nec vnum, nec plura, efficiámque argamentum idem. Non omittam hic

§. 167. *Æquiuocatio aduerſantiũ.* latam aduerſariorum æquiuocationem; qui denominationes extrinſecas obiectis, quæ formaliter ſunt cognitiones obiecti, tribuunt obiectis ipſis, & volunt, eas & ſe tenere ex parte obiectorum, & ab actibus diſtingui: nam cum dicunt obiectum in ratione obiecti, nec eſſe vnum, nec plura, inuoluũt cognitionem, à qua obiectum eam vnitatem formaliter habet. Itaque actus intellectus terminatur ad plura immediatè, quæ dicuntur vnum, non vnitate ſe tenente ex parte illorum: ſed per actum ipſum; vnde obiectum in ratione vnius inuoluit cognitionem, non minus quàm in ratione cogniti: quare obiectum ab actibus ſeparari, in eiuſmodi denominationibus, eſt hallucinari. Quando verò dicuntur cognoſci vt ſimilia, non intelligo, intrinſecè præcidi ſimilitudinem à non ſimilitudine: ſed ſimilitudo, & diſſimilitudo fundantur in operationibus: ergo quando ego cognoſco leonem cum ſola ſenſione, tunc nõ diſcerno inter leonem, & hominem, quia vterque ſentit & cognoſcit obiecta: cum hac operatione, eſt, cognoſci vt ſimilia: vt diſſimilia verò, quando noſcuntur cum operationibus abſimilibus, vt cum cognoſco hominem cum diſcurſu.

Obiectũ vniuerſale in ratione vnius cognitionem inuoluit.

§. 168. Mitto argumentum ad hominem contra negantes præciſionem entis ab eius inferioribus, & alia: hæc ſufficere videntur.

SVBSECTIO VII.

Realium argumenta propono, atque diſſoluo.

§. 169. *Quintum argumentum.* ARguunt primò; quia intellectus habet virtutem diuidendi ea quæ ſunt vnita: & partiendi obiectum realiter indiuiſibile: ergo poteſt diſtinguere rationẽ hominis à ratione Petri: antecedens variè probant tum ex Auerroë 12. Met. tum ratione petita à creatis & increatis. Deinde ſic argumentantur: ſed illa ratio hominis vt obiectiuè præciſa à ſingularitatibus, habet vnitatem vniuerſalem obiectiuam: ergo obiectum actus vniuerſalis habet vnitatem vniuerſalem obiectiuam. Negato antecedenti, corruent fere omnia fundamenta huius ſententiæ: quod latè negabo, & impugnabo explicans diſtinctionem rationis, diſp. 6. ſect. 4. præſertim ſub. 2. Ad Auerroem autem reſpondent Gregorius, & Aureolus, illum agere de cognitione compoſiti phyſici, cuius partes licet ſint realiter vnitæ, cognoſci poſſunt, quin cognoſcatur earum vnio.

Antecedens falſum, & conſequentia mala.

§. 170. Verum omiſſo antecedenti, & prima conſequentia, diſputationis ergo, negatur ſecundum antecedens. Nam præciſa humanitate à Petro, & cæteris indiuiduis, adhuc illa ſola humanitas præciſa, non eſſet vniuerſalis, niſi ſimul haberet alias humanitates ſibi ſimiles, quæ reperirentur realiter, & eſſent verè prædicabiles de pluribus indiuiduis realiter diſtinctis. Nam obiectum actus vniuerſalis debet realiter conuenire pluribus: at humanitas Petri, licet ratione præſcindatur à Petreitate, tamen realiter non eſt niſi in ſolo Petro, & verè de illo ſolo eſt prædicabilis, ſicut omnipotentia Dei; ergo illa humanitas ſola non eſt quæ immediatè eſt vniuerſalis: ſed illa cum alijs. At verò præciſa humanitate Petri à Petreitate: quia ille conceptus præciſus eſt ſimilis omnibus alijs humanitatibus, præciſis etiam à ſuis ſingularitatibus, ideò illa dicitur vniuerſalis, & actus ad illam terminatus eſt vniuerſalis; quia immediatè terminatur ad plura ſimilia vt ſimilia: & quia non poteſt inter illas humanitates diſtinguere, ideò omnes illas denominat vnum. Itaque immediatum obiectum actus vniuerſalis ſemper ſunt plura vt ſimilia, vnitas autem eſt formaliter ab actu.

Præciſa humanitas à Petreitate, adhuc vniuerſale includit immediatè plura.

Dices, illam humanitatem vt obiectiuè præciſam à ſuis inferioribus, habere ex parte ſui vniuerſalitatem; quia vt ſic præciſa habet vnitatem, & non ſingularem: quia non concipitur cum ſingularitate: ergo habet vnitatem vniuerſalem. Verum in eorum ſententia facilis eſt ſolutio, illam humanitatem ſolam, neque eſſe vnam vnitate vniuerſali neque plures ſingulares: ſed eſſe humanitatem ſecundum ſe, & habere vnitatem ſecundum ſe: quæ ſimul cum alijs etiam præciſis præbet fundamentum immediatum vnitatis vniuerſalis. Abſolutè tamen reſpondeo, illam ſic præciſam eſſe in ſe ſingularem: at verò formaliter vt præciſa non eſt vna: ſed plures ſingulares, quæ ex parte obiecti non habet vnitatem præter ſimilitudinis. Nam illa humanitas eſt diſſimilis alijs per Petreitatem, qua ſublata per intellectum, tantum in ea relinquitur id in quo eſt ſimilis. §. 171. *Obiectio.*

Reſpondetur ad hominem.

Humanitas præciſa à Petreitate, manet in ſe ſingularis.

Ad argumentum in forma diſtinguo antecedens, habet vniuerſalitatem extrinſecè ab actu intellectus, concedo: habet vniuerſalitatem ſe tenentem ex parte obiecti, nego. Ad probationem reſpondeo habere vnitatem ſingularem: ſed non ſolam: ſed cum alijs humanitatibus: quod perinde eſt ac obiectum illud eſſe plures humanitates, quæ ex parte ſui ſunt vnum vnitate ſimilitudinis. Ad aliam probationem reſpondeo, illam non habere ſingularitatem, qua parte ſingularitas habet conceptum diſſimilitudinis ab alijs, qui conceptus vocatur *Petreitas*, eſſe tamen ſingularem ſecundum aliam partem, in qua Petrus eſt ſimilis alijs hominibus. Nam Petrus in ſua entitate ſingulari eſt ſimilis, & diſſimilis, dicitur autẽ illa natura præciſa à ſingularitate, quia præſcinditur à Petreitate, quæ Petreitas facit vt homo cognoſcatur in ſingulari, & ne cognoſcatur in communi. Eaque de cauſa illa natura dicitur plures per ſimilitudinem, & eſt immediatum fundamentum, vt homo cognoſcatur actu vniuerſali, & non in ſingulari. §. 172. *Ad argumentum in forma.*

Ea humanitas qua ratione eſſet ſingularis.

Dices: ergo ſicut diſtinctio rationis ſe tenet ex parte formalitatum, ita & vnitas vniuerſalis. Diſtinctio non reſpondet ex parte obiecti. Reſpondent quidem, Petreitas & humanitas; quia verè ſunt in Petro; & quia cognoſcitur vna quin cognoſcatur alia, ideo ratione diſtinguuntur, diſtinctio autem non eſt in illis, ſed in actu. Ita cognoſcitur humanitas ſine Petreitate: at verò ex parte illius non reſpondet vnitas vniuerſalis: ſed plures formalitates, ſiue humanitates, quæ omnes denominantur vna ab actu confuſo. In permiſſa aduerſarijs diſtinctione formalitatum, adhuc actui vniuerſali non reſpondet vna formalitas communis pluribus: ſed reſpondent plures reipſa, quæ per ſolam ſimilitudinem ſunt vna ex parte ipſarum: vnitatem autem vniuerſalem habent formaliter ab actu intellectus. §. 173. *Diſtinctio nõ ſe tenet ex parte obiecti.*

Ratio à priori huius diſcriminis eſt: quia obiecta §. 174.

Diſcrimē inter vnitatem vniuerſalem & diſtinctionem rationis.

iecta habent in ſe virtualem, & fundamentalem diſtinctionem: per quam cognitio tangit vnam formalitatem quin alteram, &, ſi vis; inde reſultet ens, & diſtinctio rationis: quæ terminatur ad obiectum, quod eſt à parte rei; licet diuerſo modo ac eſt. At non eſt fundamentum ad faciendam vnam formalitatem vnam; & prædicabilem verè de multis; ſed de multis realiter, multæ ſunt prædicabiles; quia debent eſſe idem cum ſubiectis. Eſt ergo in obiecto vnitas virtualis, & fundamentalis, per quam plures humanitates fiant vna extrinſecè: ita vt vnitas, ſiue ſit actus, ſiue ens rationis; immediatè afficiat plura, & ea efficiat vnum.

§.175. *Secūdum argumentum.* Argumentātur: hæc vox *homo*, non ſignificat immediatè plura vt plura, ergo ſignificat plura aliquo modo vnum: ſed id quod ſignificat, eſt immediatum materiale vniuerſalis: ergo obiectum actus vniuerſalis non ſunt plura, ſed vnum. Probatur antecedens; quia immediatum ſignificatum illius vocis verè prædicatur de Petro: ſed de Petro non prædicantur verè plura ſingularia: ergo. Probo minorem; quia hæc propoſitio: *Petrus eſt plures homines*, eſt falſa: ergo. *Confirmatio prima.* Confirmatur primò; quia vniuerſale debet eſſe ex parte obiecti vnū in multis, & de multis: ſed plura non ſunt vnum in multis, & de multis ex parte obiecti: ergo. *Secunda.* Confirmatur ſecundò; quia vniuerſale debet eſſe ſuperius non ſolum ad ſingula indiuidua: ſed etiam ad omnia collectiuè ſumpta, & debet eſſe indifferens ad ſingula: ſed hoc non conuenit ſingulis indiuiduis: ergo. *Tertia.* Confirmatur tertiò; quia vniuerſale debet eſſe vnitas. *Quarta.* Confirmatur quartò; quia hæc vox *homo* non eſt æquiuoca, ſed vniuoca: ergo non ſignificat plura vt plura.

§.176. *Plura vt ſimilia ſunt materiale vniuerſalis.* Huic argumento diſtinguo maiorem; non ſignificat plura vt plura, cognita vt diſſimilia, concedo maiorem; non ſignificat plura vt plura, cognita vt ſimilia, nego maiorē: & quia *plura vt plura* ſignificant *plura vt diſſimilia*, ideò danda eſt maior, & diſtinguendum primum conſequens; ſunt vnum vnitate ſimilitudinis, concedo conſequentiam; ſunt vnum alia vnitate, nego. Illa autem vnitas ſimilitudinis ſunt ipſamet plura ſimilia: ad probationem antecedentis, diſtinguo maiorem: verè prædicatur de Petro cum ſua latitudine, quantum ad rem prędicatam, nego maiorem: quantum ad modum, concedo. *Argumētum eſt commune.* Quod in omni ſententia eſt verum. Nam aduerſarij dicunt; immediatum obiectum actus vniuerſalis prædicari de Petro & Paulo, & idem de vtroque; ſed non quantum ad rem: ſed quantum ad modum.

§.177. *Vtrum prædicentur omnia indiuidua collectiuè.* Probatio minoris propoſitionis dat quæſtioni locum, quid prædicetur de inferioribus, quando prædicatur ratio communis? Cenſent aliqui immediatè prædicari omnia indiuidua collectiuè: perinde enim eſt *Petrus eſt homo*, ac *Petrus eſt omnis homo*. *Pars affirmās impugnatur.* Contra, illa propoſitio eſt falſa in eo ſenſu: ergo. Probo antecedens: quia Petrus non eſt Paulus, nec Antonius: ergo non eſt omnis homo. Dices propoſitionem vniuerſalem eſſe falſam, quando clarè terminatur ad omnia inferiora; non verò quando confusè. *Propoſitio clara & confuſa non differūt in fundamento veritatis.* Contra: omnis propoſitio vniuerſalis ſiue clara, ſiue confuſa exigit veritatem in omnibus ſingularibus: vt hæc *omnis homo currit*; ratio à priori: quia veritas ſumitur ab eo quod res eſt; non verò ex confuſione, aut claritate actus. Cum ergo Petrus non ſit omnis homo, non poteſt verè eſſe ſubiectum, de quo omnis homo prædicetur.

§.178. S. Thom. Ariſtot. Ex S. Thoma, & Ariſtotele oſtendi §.177. idem eſſe *Petrus eſt homo*, ac *eſt vnus homo*, & *aliquis homo*: quia actus confuſus conſtituit hominem vniuerſalem; quia cognoſcit plura vt ſimilia: non quia cognoſcat illa eſſe ſimilia; aut dicat ibi contineri plura ſimilia; ſed quia cognoſcit proprietates, & prædicata, in quibus omnia ſunt ſimilia; & niſi eſſent ſimilia, non conciperentur illo actu confuſo. Hanc confuſionem explicamus deſcenſu diſiunctiuo; qui conuenit actibus confuſis. *Prædicatio vniuerſalis habet deſcenſum diſiunctiuum.*

§.179. *Omnia ſingularia prędicantur diſiunctiuè.* Ad argumentum ergo ex §.175. diſtinguo minorem; non prædicantur plura ſingularia collectiuè, & quantum ad rem de Petro, concedo minorem: quapropter propoſitio ibi poſita, quia ſignificat plura collectiuè, eſt falſa: non prædicantur de Petro plura quantum ad modum & confusè, nego minorem. Nam idem eſt, *Petrus eſt homo*, & *eſt vnus homo*, & *aliquis homo*, vt ex Ariſtot. oſtendi: quod itidem aduerſarij tenentur admittere: nam in hac propoſitione, *Petrus eſt homo*, prædicantur ſaltem remotè, & materialiter omnes homines; quia omnes illi includuntur in homine vt ſic: & tamen non prædicantur quantum ad rem. Immo illi vrgentur magis; quia totum obiectum prædicant: quod eſt realiter plura: ego verò prædico diſiunctiuè. Recognoſce diſputationem 9 Logicæ, ſectione 4. & diſputationem 2. Metaphyſicæ, ſectione 3. vbi egi de falſitate huius propoſitionis, *ſubſtantia eſt ens*: ſi *ens* immediatè ſignificat ſubſtantiam, & accidens; ſicut hæc eſt falſa. *Petrus eſt exercitus*, aut *eſt Petrus & Paulus*; quia obiectum prædicati plus eſt obiecto ſubiecti: nec ibi accipit Petrus quod ſuum eſt: ſed multo plus. Ratio eſt; quia *homo* ex parte prædicati reſpondet ſimplici apprehenſioni confuſæ & vniuerſali: ly autem, *Petrus*, reſpondet ſimplici apprehenſioni claræ de Petro in ſingulari: in ea autem propoſitione includuntur virtualiter illæ apprehenſiones, & vniuerſalis reſtringitur per particularem. *Explicatio prædicationis vniuerſalis.* Vnde quantum ad rem perinde eſt, *Petrus eſt homo*, ac *Petrus eſt Petrus*: quantum ad modum autem perinde eſt *Petrus eſt homo*, ac *Petrus eſt aliquis homo*, vel *homo vt ſic*. Qui modus non reddit falſam propoſitionem, quia nihil affirmat in obiecto quod non ſit: ſed tantum denotat ſubiectum diuerſo modo eſſe conceptum, quo prædicatum.

§.180. *Obiectū vniuerſale eſt vnum extrinſecè.* Ad primam confirmationem reſpondetur, obiectum actus vniuerſalis debere eſſe vnum extrinſecè, non autem intrinſecè: ad minorem reſpondetur, plura vt ſimilia non eſſe vnum intrinſecè, eſſe tamen extrinſecè vnum; quia per cognitionem confuſam manent ab intellectu indiuiſa. Quando ergo definitur vniuerſale, *vnum in multis & de multis*, definiuntur quidem, & materiale, & formale vniuerſalis: materiale quidem vt *quod*, formale verò, vt *quo*. *Definitione vniuerſalis cōprehenduntur materiale & formale.* Illa autem multa; ſunt ipſamet ſingularia clarè & diſtinctè cognita; in quibus eſt vniuerſale, & de illis eſt prædicabile, & prædicatur de iiſdem cognitis clarè, atque diſtinctè: eadem autem ſingularia confusè cognita ſunt vnum, & eſt adæquatè prædicabile de ſingulis. Adæquatè (inquam) quo ad modum: non quo ad rem. Homo enim ſignificat omnes homines confusè cognitos: iſte homo eſt vnus ratione, & ille quantum ad modum concipiendi eſt in omnibus hominibus, quia per illum actum nullus homo diſcernitur. Quando verò cognoſcuntur Petrus & Paulus, de illis prædico eumdem hominem.

§.181. *Diuiſum non eſt ſuperius omnibus diuidentibus.* Ad ſecundam confirmationem: antecedens peccat contra leges ſummularum: nam diuiſum eſt ſuperius ſingulis diuidentibus, non tamen omnibus

collectim. Ad tertiam nego antecedens: nam vniuerſale ſignificat in recto obiectum, & in obliquo actum confuſum, à quo denominatur vnum: ſicut cognitum non ſignificat in recto cognitionem: ſed obiectum connotans cognitionem in obliquo. Ad quartam, diſtinguo conſequens; non ſunt vt plura, id eſt, diſſimilia, concedo conſequentiam, ea enim ſignificantur per vocem æquiuocam; non ſunt plura vt ſimilia, nego conſequentiam. Nam vt ſimilia ſunt vniuoca, id eſt, ſignificata vna voce & concepta. Mitto alia argumenta, quia ex dictis ſunt facilia ſolutu.

§. 182. Hoc tamen non omittam: ſi immediatum obiectum actus vniuerſalis eſſent omnia indiuidua; ergo ſi eſſet impoſſibilis Petrus. e. g. non eſſet hic numero actus vniuerſalis: conſequens eſt falſum: ergo. Maior patet: quia deficiente obiecto immediato deficeret actus: Petrus autem eſſet obiectum immediatum. Minor autem probatur: quia ratio hominis eſt eadem ſiue Petrus ſit poſſibilis, ſiue impoſſibilis.

§. 183. *Reſpondetur, argumentum eſſe cõmune.* Reſpondeo hoc argumentum eſſe ſententiæ vtrique commune: quia, ſi Petrus eſſet impoſſibilis, ratio hominis vt ſic non eſſet eadem: ergo nec actus idem. Conſequentia liquet, quia mutato obiecto immediato, actus mutatur. Antecedens probo: quia ratio hominis, quæ nunc cognoſcitur, habet prædicatum reale intrinſecum contradicens alij prædicato reali intrinſeco, quod haberet ſi Petrus eſſet impoſſibilis: ſed duo prædicata contradictoria intrinſeca non poſſunt conuenire eidem rei: ergo. Maior probatur: quia ratio hominis nunc eſt intrinſecè & realiter Petrus, ſiue habet identitatem realem cum Petro: tunc autem nec eſſet realiter Petrus, nec haberet identitatem cum illo: ergo haberet duo prædicata intrinſeca contradictoria: ergo non eſſet eadem realiter. Patet conſequentia; tum ex conceptu communi prædicati contradictorij: tum in ſpecie: quia eadem res non poteſt mutari de Petro in non Petrum ſine mutatione intrinſeca. Vnde reſpondeant ipſi argumento ſuo.

§. 184. *Ad argumẽtum. Si aliquod ſingulare eſſet impoſſibile, ratio communis non eſſet eadem.* Ad argumentum ergo ex §. 182. Nego minorem: quid enim mirum actum non eſſe eumdem, ſi nec obiectum eſt idem? Ratio à priori: quia ſi Petrus eſſet impoſſibilis; homo vt ſic, eſſet ſpecie diſtinctus ab homine, qui nunc eſt: quia homo dicit identitatem realem cum Petro; ille autem homo eſſet fundamentum diſtinctionis à Petro: identitas autem & diſtinctio realis ab vno extremo differunt ſpecie: vnde homo hic & ille differrent ſpecie: quia hic eſt Petrus; ille autem non eſſet Petrus. *B. Anſelmi expoſitio.* B. Anſelmus cap. 2. de incarnatione, appellat hæreticos in Dialectica eos, qui negant naturas communes, & omnia dicunt ſingularia: idque bene: quia agit contra conſtituentes vniuerſalia in ſolis vocibus; item & non agnoſcentes vnitatem obiectorum per ſimilitudinem.

SECTIO XI.

Obiectum actus vniuerſalis nihil eſt fictum.

§. 185. *Sententia de idolo & homine ficto.* Sect. 10. ſatis euidenter oſtendi, obiectum actus vniuerſalis eſſe ens reale, quod à parte rei in indiuiduis reperitur. Nunc monſtroſa quædam chymæra ſupereſt Bellerophontis equo debellanda. Poſſet enim quis dicere; obiectum immediatum actus vniuerſalis non eſſe quid reale: ſed idolum quoddam mente confictum, quod in eſſe apprehenſo, & obiectiuo habeat quidquid obiectum remotum habet realiter. verbi gratia, quando ego concipio hominem; meo conceptui formali reſpondet immediatè quidam homo fictus: in quo conſidero prædicata ſimilia iis, quæ realiter video in Petro, aut Paulo; qui remotè cognoſcuntur in eo idolo; dum ex cognitione illius poſſumus duci in cognitionem Petri: atque ille homo fictus æqualiter eſt in Petro ac in Paulo: non quidem intrinſecè, & realiter, ſed extrinſecè, & intentionaliter per ſimilitudinem prototypi cum exemplari: vt imago Cæſaris reperitur in Cæſare extrinſecè & in eſſe repræſentato. Hanc opinionem ſecutus videtur acutiſſimus Gregorius de Arimino in 1. d. 3. quæſt. 1. articul. 2. §. *pro quarto dubio.* Gregor.

§. 186. *Vindicatur ab ea ſententia.* Verum Gregorius, ſi bene expendatur, potius cõſtituit vniuerſalitatem in actu intellectus quàm in obiecto aliquo ficto. Ibi enim totus eſt in probando, à nobis non poſſe cognoſci conceptu proprio ſenſibilia, niſi ſentiantur. Atque eſſe in nobis nonnullas ſpecies impreſſas, & notitias ſingulares in repręſentando; & ex illis quaſdam eſſe proprias per ſenſus acceptas: quaſdam verò fictas. *Species fictas quas dicat Gregorius.* Fictas autem non vocat commentitias, vel chymæricas, vt cum fingitur monſtrum ſemibrutum, & ſemihomo: ſed fictas vocat; quia formantur ad ſimilitudinem rerum, quas ſenſimus, vt ſi quis vidit hominem elegantem, eius poſtea recordatur per propriam ſpeciem. Quando verò conſiderat alium ſimili elegantia, quem nunquam vidit, illum conſiderat ſpecie ficta: & talis homo dicitur fingi, non quod illi aliquod figmentum appingat: ſed quia illum apprehendit ad ſimilitudinem alterius. Hanc eſſe mentem Gregorij confirmatam ex Auguſtino, legenti patebit. Præter has ſpecies, & notitias ſingulares ait, eſſe in nobis alias ſpecies fictas vniuerſaliores.

§. 187. *Okamus & Gabr. inclinari videtur in opinionem de fictis, ſed eam deſerũt.* Eius tamen opinionis eſſe videntur Okamus in 1. d. 2. quæſt. 8. poſt initium; & Gabr. ibidem, q. 8. Verum hi authores tantum aſſerunt, eam eſſe probabilem, & Okamus, ſine eius quæſtionis, reſpondet argumentis quæ pro illa confecerat; ac retinet opinionem de pluralitate ſingularium ſimilium, quam ex ipſo adduxi ſect. 10. Gabriel autem eam deſerit abſolutè, eíque præfert noſtram opinionem. Ecce hoc figmentum adeò malum, vt Okam. & Gabr. (viri cæteroquin nihil ſcrupuloſi in opinionibus nouis) per ſcrupulum noluerint ei patrocinari: non deerit tamen nouus aliquis dialecticus, qui hunc quoque ſcrupulum euellat Okamo.

§. 188. *Ariſtot. ei nõ fauet.* Ac primùm erit opinio Ariſtot. (ſi faxit Deus) à quo ait Okam. diuiſum ens, in ens in anima, & extra animam. Ens extra animam diuidit in decem prædicamenta: actus autem intellectus continetur in prædicamento qualitatis: ergo intellectio non continetur in ente extra animam: ſed ens fictum. *Reſpondetur argumento primo ex Ariſtotele.* Hoc argumentum ſic proponit Okamus, nec video quid concludat niſi ens diuiſum ab Ariſtotele in ens reale & rationis: at Ariſtot. non dixit obiectum actus vniuerſalis eſſe ens rationis. Quando autem dicit vniuerſalia eſſe per intellectum, intelligitur de extrinſeca denominatione, per quam obiecta realia habent formaliter in intellectu vnitatem vniuerſalem.

§. 189. *Secũdum argumentum ex Ariſtot.* Deinde adducunt Ariſtotelem 7. metaphyſic. text. 45. (aliàs cap. 13.) negantem expreſsè poſſe exiſtere à parte rei id quod ſubſtantia dicitur: ergo obiectum actus vniuerſalis nihil eſt reale.

B. Thom.

S.Thom. B. Thom. lect. 13. mirè illud caput explanat, quo Ariſtoteles obiurgat conſtituentes ideas ſeparatas, vniuerſales extra ſingularia, & opinantes, eſſe à parte rei naturas vniuerſales formaliter: totúſque eſt *Reſpondetur.* Ariſtoteles in Platonicis confutandis; vt egregiè exponit B.Thom. qui opuſc. 55. & 56. noſtram ſententiam perſpicuè docet.

§. 189. *Primum argumentum.* Argumentum primum; quia obiectum actus vniuerſalis debet eſſe vnum, & non plura: ſed ex parte obiecti non poteſt dari vnum realiter in pluribus. Confirmatur, quia quidquid eſt à parte rei, eſt intrinſecè idem cum aliquo ſingulari: ſed ſingulare non poteſt eſſe vnum in multis: ergo nullum obiectum reale poteſt eſſe vnum in multis, & conſequenter vniuerſale. *Secũdum argumentum.* Secundò, immediatum obiectum actus vniuerſalis prædicatur totum de pluribus, & ſingulis indiuiduis: ſed nihil realiter exiſtens poteſt de pluribus prædicari: ergo. *Tertium.* Tertiò, ex impugnatione cæterarum opinionum, quæ habent difficultates inſuperabiles; in hac autem fictione omnia facillimè componuntur. *Quartum.* Quartò, quia cognitio neceſſariò proportionatur cum ſpecie: ergo homo expreſſus per cognitionem elicitam cum tali ſpecie non eſt verus homo: patet conſequentia; quia ſpecies non eſt propria hominis eiuſdem.

§. 190. *Ad primum.* Hæc autem, quam ſint inermia ad propugnationem tam inſignis figmenti patet. Ad primum reſpondetur, iuxta opinionem à me probatã ſect. 10. immediatum obiectum eſſe plura cognita vt ſimilia; vel iuxta opinionem realium, eſſe plura materialiter, & remotè; formaliter tamen eſſe vnum ratione. *Ad confirm.* Ad confirmationem diſtinguo minorem: ſingulare non poteſt eſſe vnum realiter in multis, cõcedo minorem; neque enim tu appingis realiter tuum figmentum multis: ſed fictè; non poteſt eſſe vnum in multis per vnitatem extrinſecam confuſæ cognitionis, nego minorem. Oſtendi enim ſect. 10. id quî fieri poſſit. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum diſtinguo maiorem, prædicatur totum quantum ad rem prædicatam, nego maiorem; oſtendi enim ſect. 10. rationem communem non eſſe adæquatè idem cum ſingulis inferioribus: concedo autem prædicari totum conceptum obiectiuum de ſingulis inferioribus, quantum ad modum; quia omnia confusè prædicantur, vt confusè cognoſcuntur. Miror autem ab his affirmari totum figmentum prædicari *Ad tertium.* de Petro, quaſi Petrus ſit figmentum. Ad tertium feci ſatis difficultatibus ſect. 10. ſubſect. 4. *Ad quartũ.* Ad quartum nego conſequentiam: ad probationem reſpondeo, ſpeciem eſſe propriam hominis, licet confuſam; vt ſpecies, qua video colorem, non diiudicans albedinem à pallore.

§. 191. *Prima impugnatio. Figmentum non poteſt eſſe vniuerſale.* Adhuc oſtendi, quam ſine fundamento inuecta ſit hæc ſententia. Nunc eam impugno, primò; quia ille homo fictus, repræſentatus per cognitionem fingentem, vel eſt poſſibilis à parte rei; vel impoſſibilis: ſi eſt poſſibilis, non eſt vniuerſalis: item nec ſi eſt impoſſibilis: ergo nullo modo eſt vniuerſalis. Probo primam partem maioris propoſitionis; quia ſi eſt poſſibilis, eſt verum ens reale in potentia: ſed omne ens reale in potentia eſt intrinſecè, & per ſuam entitatem ſingulare, & non vniuerſale: ergo. Maior patet ex terminis; minor, & ab aduerſariis datur, & abunde probata eſt ſect. 1. & 2. contra Scotum, item ſect. 6. contra P. Font.

§. 192. *Chymæra nõ poteſt eſſe ſimilis enti reali.* Item probo, illum non eſſe vniuerſalem, ſi eſt impoſſibilis; quia per te vt ſit vniuerſalis, opus eſt, vt ſit ſimilis hominibus poſſibilibus: ſed ſi eſt fictus, non poteſt eſſe ſic ſimilis: ergo non poteſt eſſe vniuerſalis. Probo minorem; quia ille homo intrinſecè eſt chymæra, & non ens: ergo non poteſt eſſe ſimilis enti reali: antecedens à te datur: conſequentiam probo; quia inter eſſentialem repugnantiam hominis & eſſentialem illius aptitudinem; inter ens & repugnantiam entis; inter Petrum & eſſentialem Petri repugnantiam quæ poteſt eſſe ſimilitudo? Quæ ſocietas lucis ad tenebras? Confirmatur; ſimilia vt ſimilia adeo conueniunt, vt vnum ab alio diſcerni non poſſe probatim ſupra ex S. Thom. at tu non poteris diſcernere hominem verum à ficto? *Confirmatio prima.* Confirmatur, ille fictus nulla habet ſimilia prædicata hominis veri: *Secunda.* ergo. Probo antecedens, rationalitas ficta non eſt ſimilis rationalitati veræ, quia hæc poteſt exiſtere, & diſcurrere, illa non poteſt, ſed fingitur poſſe.

Dices, illum hominem non eſſe ſimilem realiter in ſua entitate homini: ſed intentionaliter; quia talis fingitur, qualis eſt homo verus: vt cognitio non eſt ſimilis in entitate obiecto cognito: nec ſtatua Cæſari: ſunt tamen intentionaliter ſimiles. §. 193. *Obiectio.* Contra arguo ex adductis exemplis; imago eſt ſimilis obiecto intentionaliter, quia quidquid obiectum habet in ſe, exprimit imago: vt ſtatua habet lineas & colores ſimiles Cæſareis lineis, & coloribus; quia materiales picturæ, & ſtatuæ, quo habent colores, & lineas realiter ſimiliores prototypis, eo ſunt veriores; vel ſaltem ſimilibus lineamentis referunt ſuos prototypos: cognitio autem exprimit obiectum, & eius prædicata attingit, vnde imago in ratione imaginis ſolet vocari idem prototypus: ſed ille homo fictus non eſt imago veri hominis: ergo illi non eſt intentionaliter ſimilis: probo minorem; quia ille homo non eſt repræſentatio veri hominis: tum quia in intellectu duplex tantum eſt imago: virtualis, quæ eſt ſpecies ipſa: & formalis, quæ eſt expreſſa, cognitio, verbum, & idolum obiecti; adhuc aliam imaginem non nouere philoſophi: tum quia ille fictus, eſt obiectum imaginatum, repræſentatum, & cognitum per ſpeciem impreſſam virtualiter; & formaliter per expreſſam: ergo non poteſt eſſe ſimilis vero in ratione imaginis. Reſtat ergo vt ſit ſimilis, non quia in ſe repræſentet, & habeat eadem prædicata, quæ phyſicè ſunt in homine vero; ſed quia in ſe habet alia illis ſimilia, vt vnus homo eſt ſimilis alteri: ſed hoc non habet, quia ille in ſe eſt chymæra: ergo, &c. *Reſpondetur.* *Idolum non eſt imago.*

Secundò impugnatur; quia rationes communes prædicamenti ſubſtantiæ ſunt eſſentiales Petro, & homini: ſed illæ rationes non ſunt fictæ: ergo rationes communes non ſunt fictæ. Maior patet, quia Petrus eſt eſſentialiter animal rationale, & componitur ex animali vt genere, & rationali vt differentia; genera enim, & ſpecies prædicantur *in quid.* §. 194. *Secũdum argumentum.*

Dices; genus ſumi pro illo figmento, ex quo Petrus componitur, non vt *quod:* ſed vt *quo.* Contra, quando dico Petrum ſola ratione diſtingui à genere, re tamen non diſtingui, ly *genus*, ſignificat entitatem realiter in Petro exiſtentem, ex qua vt *quod* componitur Petrus: ergo aliquid reale eſt in Petro, quod genus denominatur. Nam dicitur eſſe idẽ realiter cum genere, à quo differt ſola noſtra conceptione: ſed figmentum non eſt realiter idem cum Petro, & plus ab eo differt, quàm ratione: ergo præter figmentum aliud denominatur genus. Equidem arbitror hanc eſſe logicam demonſtrationem confirmatam vel ſolo loquendi vſu. §. 195. *Obiectio.* *Reſpondetur. Genus nihil eſt fictum.*

Item de Petro prædicatur, vt *quod*, homo verus: §. 196. *Confirmatur.*

 ergo

ergo homo verus vt ſic eſt vniuerſale: probo conſequentiam, quia homo verus prædicatus vt *quod* non eſt ſingularis:ſed potius eſt ſpecies prædicabilis vt *quod* de Petro & Paulo: nam ea prædicatio non eſt vt *quod* æqualis de æquali: ſed ſuperioris de inferiori. Rogo, ille homo verus vniuerſalis, repręſentatus per hominem fictum,vtrum ſit vnus? vel plures?vel abſtractus ab vno,& pluribus? ſi eſt vnus:ergo vel erit Petrus determinatè, vel Paulus determinatè, & ſic ille homo fictus tantum erit idolum,vel omnium hominum,vel ſaltem plurium clarè,atque diſtinctè:ſic autem non erit magis vniuerſalis,quàm cognitio, quam Deus habet de omnibus hominibus.Si ſunt plures vt ſimiles:te vrgebo tuo argumento, quo contra me probas, non poſſe plura de vno prædicari:abſtractus autem eſſe non poteſt;quia per te repugnat reperiri hominem non identificatum cum aliquo ſingulari, & ſic ab eo non abſtrahitur, en te adduco in tuo idolo, quod adoras,ad eaſdem difficultates,inſuperabiles, quibus nos arbitraris vrgeri.

SECTIO XII.

De vniuerſalibus quædam expedio.

§.197. *Vniuerſale logicũ fit ſolo intellectu.*

DIco primò. *Vniuerſale logicum ſeu prædicabile non fit niſi per actum intellectus*. Nam vniuerſale logicum eſt, quod per logica præcepta conſtituitur in modo ſciendi; atqui modus ſciendi ſolas intellectiones includit:ergo vniuerſale logicum fit per ſolum intellectum. Confirmatur, prædicabilitas aut eſt de primo conceptu vniuerſalis logici, aut attributum eius: ſed actus aliarum potentiarum non conſtituunt obiectum prædicabile: ergo.

§.198. *Per alias facultates nõ fit vniuerſale abſolutè.*

Dico ſecundò. *Per actus aliarum facultatum non fit vniuerſale abſolutè*: nam vniuerſale abſolutè ſtat pro logico. Cum enim definimus vniuerſale, dicimus eſſe *vnum in multis,& de multis*,id eſt prædicabile; idque aſſerimus ſine vlla diſtinctione, aut reſtrictione. Item ſcientiæ dicuntur eſſe de vniuerſalibus;id eſt de obiectis vniuerſim cognitis per intellectum.

Vniuerſale abſolutè eſt logicum.

§.199. *Per ſenſus externos fit vniuerſale aliquo modo.*

Dico tertiò. *Per ſenſus externos fit etiam vniuerſale aliquo modo*. Nam ſenſus externus apprehendit obiecta confuſè,ita vt illa cognitio non repræſentet albedinem in ſingulari: ſed ita vagè, vt ex vi eius cognitionis non poſſit albedo diſcerni: ergo illa cognitio eſt indiuiſio coloris in ſe, & diuiſio coloris ab alio; quia per illam non diſcernuntur colores in ſe, bene tamen ab aliis: ergo per illum actum habet color vnitatem; probo conſequentiam, quia omnis indiuiſio rei in ſe eſt vnitas: ſed illa non eſt ſingularis; quia terminatur confuſè ad plura:ergo eſt vniuerſalis. Confirmatur, actus clarus de albedine diſtinguitur à confuſo de eadem in modo attingendi obiectum, quod repræſentant modo oppoſito: ſed clarus repræſentat in ſingulari: ergo confuſus in communi: id enim confuſio ſignificat.

Color habet vnitatem à viſu.

Confirmatur.

§.200. *Obiectio ex Gregorio.*

Dices,cum Gregor in 1.d.3.quæſt.1.art.2.§.*Pro quarto dubio*, ſpeciem obiecti ſenſilis ſolùm repræſentare illud, à quo producitur, & tot eſſe ſpecies ſenſilium in imaginatione quot ſunt obiecta: ergo nulla ſenſio repræſentat plura, ſed vnum. Diſtinguo antecedens; ſpecies clara & diſtincta ſolùm repræſentat id à quo emittitur, concedo; ſpecies confuſa, nego: illud de multiplicatione ſpecierum non vacat dubio.Ac reſpondeo ſi in imaginatione ſunt tot ſpecies claræ in indiuiduo, quot obiecta in indiuiduo,etiam eſſe tot ſpecies confuſas in indiuiduo,quot obiecta indiuidua cognita fuere cõfuſè: nam ſingula produxere ſuas ſpecies confuſas, ſicut & claras, cum clarè noſcuntur. Si verò per vnam ſpeciem claram de albedine apprehenduntur ſingulæ,ita vt ad præſentiam aliarum non producantur, ſed excitentur ſpecies phantaſiæ, idem erit in cognitione confuſa.

Species confuſa repræſentat omnia indiuidua,nõ verò clara.

§.201. *Actus confuſus producitur ab vno indiuiduo,& repræſentat plura.*

Aduerte, actum confuſum de albedine produci à ſola hac albedine: e.g. *B.* & non ab alia;quia ille numero actus pendet ab hac numero ſpecie impreſſa, hæc autem ab hac numero albedine: at repræſentat confuſè, vel omnes colores,vel aliquos; quia vt repræſententur,non eſt opus,vt exiſtant,& applicentur potentiæ. Dices, non poteſt obiectum ſenſile cognoſci niſi moueat potentiam: ſed non exiſtentia non mouent:ergo. Diſtinguo maiorem: non poteſt clarè,& in ſe cognoſci, concedo maiorem:nulla enim ſpecies clara vnius ſenſi poteſt producere cognitionem claram alterius: nego tamen non poſſe cognoſci confuſè, quia ad id ſolum requiritur vna cauſa producens confuſam ſpeciem. Dices, ſenſus externos habere notitias intuitiuas: ſed ad ſenſilia non exiſtentia repugnat ſenſio intuitiua: ergo. Diſtinguo maiorem:habent notitias intuitiuas eius obiecti, à quo producitur ſpecies impreſſa, concedo maiorem; aliorum, quæ noſci dicuntur ex ſola confuſione, qua obiectum præſens non diſcernitur ab aliis, nego maiorem; itaque illa eſt intuitio obiecti exiſtentis, non verò non exiſtentium. Nec abſtrahit colorem ab exiſtentia: ſed illam exiſtentiam ſui obiecti repræſentant immediatè: ſed tam confuſè, vt non diſcernantur ab aliis:nec enim ſenſus quaſi dicunt, *obiectum exiſtit aut non exiſtit*: atqui hæ duæ obiectiones etiam vrgent intellectiones intuitiuas confuſas:quæ producũtur ſaltem remotè à ſolo vno numero obiecto;& ſunt intuitiuæ illius, & non aliorum;cum tamen ſint vniuerſales.

Secunda obiectio.

Reſpondetur.

§.202. *Volũtas facit vniuerſale.*

Dico quartò. *Etiam voluntas facit vniuerſale aliquo modo*. Probo; voluntas actu vago amat plura obiecta confuſè, ita vt amore nullum diſcernatur ab alio:ergo omnes illi ſunt vnum in amore:probo conſequentiam; quia ille amor nullum diuidit ab alio: ſed omnia attingit indiſcriminatim, in quo non differt ab intellectione confuſa.Confirmatur, voluntas, qua ego volo mihi offerri aurum,vel argentum,non tamen æs aut ferrum, diſcernit amore aurum,& argentum à ferro, & ære, non tamen diſcernit aurum & argentum inter ſe:ergo illa voluntas non eſt communis auro,& ferro, eſt tamen cõmunis auro & argento,& indifferens ad vtrumuis. Denique ratiocinare de actu voluntatis vagè lato ad plura, ſicut de intellectione. Voluntati Dei id quo pacto repugnet, oſtendi, in 3. part. diſputatione 11.

Confirmatur.

DISPVTATIO VI.

De diſtinctione.

SECTIO I.

Quid ſit diſtinctio?

§. 1. *Diſtinctio quid ſit.*

DISTINCTIO eſt vnum conceptum non eſſe alium: propriè verſatur inter duos poſitiuos conceptus:conceptus enim non poſitiui, ſicut non ſunt, ita neque realiter diſtinguuntur

Diſtinctio abſolutè eſt inter exiſtentia.
Ens & nō ens maximè diſtinguuntur.
Diſtinctio negatiua.

guuntur: tamen maxima diſtinctio verſatur inter conceptum poſitiuum,& priuatiuum: diſtinguuntur enim ſicut ens, & non ens, vt lux & tenebræ, quæ diſtinctio ſolet vocari *negatiua*;diſtinctio quidem, quia tenebræ non ſunt lux; negatiua autem, quia non fundatur in vtroque extremo reali:ſed in altero ente, & in altero non ente. Duæ res; altera actualis, & altera poſſibilis,dicuntur diſtingui realiter; item duæ res poſſibiles, realiter dicuntur diſtingui; opinor tamen eam diſtinctionem realem dici, vt ens reale opponitur chymæræ, non verò vt ens reale abſolutè eſt ens: nam (vt oſtendam diſputat. 8.) ens actuale vt actuale ſolum eſt ens ſimpliciter. Ita diſtinctio rerum non exiſtentium,ſimpliciter non eſt realis: vocatur autem diſtinctio, quia vnus conceptus non eſt alius: in potentia autem vocatur: quia extrema non ſunt actu: ſed poteſtate. Vnde aduerte, Deum ante mundi creationem non habuiſſe diſtinctionem actualem; quia nihil erat actu, à quo diſtingueretur. Dices: ergo Deus erat idem cum creaturis poſſibilibus. Nego conſequentiam: nam ſi tunc non erant creaturæ actu, qui poterat Deus eſſe idem cum illis? Deinde erat diſtinctus in potentia.In progreſſu tamen omnes conceptus, qui non ſunt idem in ſuo eſſe obiectiuo,diſtinctos vocabimus,ſiue ſint poſitiui,ſiue negatiui.

Diſtinctio in potentia.
Deus ante creaturas,nec erat idem nec diſtinctus abſolutè.

§.2.
Diſtinctio nō eſt modus.

Diſquirendum, in quo hæc diſtinctio conſiſtat? Ac primum eam non eſſe modum enti additum eſt manifeſtum, ſubſtantia enim verbi gratia, ſe ipſa diſtinguitur ab accidente, ſecluſo quocumque modo ab vtroque diſtincto. Deinde iſte modus eſſet à ſubſtantia diſtinctus,ſicut ergo ſubſtantia ſe ipſa diſtinguitur ab illo modo,ita diſtingueretur ab accidente. Quapropter, S. Thom. 1. d. 26. quæſt. 2. artic. 2. c.egregiè dixit, omnia, quæ ſe ipſis diſtinguuntur,habere ex ſe aliquam rationem diſtinctionis. Dici poſſet, diſtinctionem non eſſe vnam rem ſolum: ſed eſſe vtrumque extremum diſtinctum, v.g diſtinctio materiæ à forma, eſt ipſa materia, & forma vt dixit Okamus in 2. quæſt. 2.& ego diſp 4. §.39 oſtendi, diſtinctionem eſſe quoddam genus relationis.Probatur,cum quia materia actu exiſtens actu non diſtinguitur diſtinctione actuali à forma non exiſtente,at exiſtente forma,materia actualiter ab illa diſtinguitur: ſed illa actualis diſtinctio formaliter conſiſtit in actualitate formæ, & materiæ: ergo diſtinctio actualis ſunt ipſa extrema diſtincta: patet conſequentia;quia illa actualis diſtinctio non oritur in materia per productionem alicuius modi: ergo per ſolam coexiſtentiam formæ. Verum hæc philoſophandi ratio pendet ex his, quæ dicturus ſum de diſtinctione relationis à fundamento, & termino diſp. 15.ſect. 1 & 2.

S.Thom.
Diſtinctio eſt relatio.
Okamus.

§.3.
Diſtinctio quid ſit.

Eſt igitur diſtinctio realis, *eſſentia cuiuſcumque rei explicata per negationem alterius conceptus*; verbi gratia, diſtinctio ſubſtantiæ ab accidente,eſt eſſentia ſubſtantiæ explicata per negationem accidentis: diſtinctio autem accidentis à ſubſtantia eſt accidentis eſſentia explicata per negationem ſubſtātiæ. Diſtinctionem eſſe propriam entitatem, probatur; quia vnaquæque res, per eumdem conceptum,per quem conſtituitur eſſentialiter,diſtinguitur ab aliis: ſed conſtituitur per ſuam entitatem: ergo & diſtinguitur.Probatur maior: tum quia per eumdem conceptum per quem eſt creatura,non eſt Deus: tum quia materia per eumdem conceptum per quem eſt extenſa, non eſt ſpiritualis; quia extenſio repugnat ſpiritui: & punctum per eamdem rationem, per quam eſt punctum, non eſt linea, quia linea plures partes includit,quas punctum excludit: ergo per eamdem entitatem, per quam res conſtituuntur eſſentialiter,diſtinguuntur ab aliis.

Eodem conceptu res cōſtituitur & diſtinguitur.

§.4.
Obiectio.
Diſtinctio nō eſt negatio, ſed negatione explicatur.
S.Thomas.

Dices, diſtinctionem non conſiſtere in ſola rei eſſentia: ſed in eſſentia, & negatione alterius rei. Hæc eſt ſecunda pars concluſionis, nempe diſtinctionem explicari per negationem alterius:ſic enim S.Thom.in 1.d.5. quæſt.1. artic.1.ad 1.ait, *vbicumque eſt aliqua diſtinctio,ibi eſſe oppoſitionem contradictoriam*; quia in vna re fundatur negatio & contradictio alterius, certum eſt enim ſubſtantiam non eſſe accidens: hoc autem explicari non poteſt, niſi per negationem accidentis: at verò rem eſſe diſtinctam propriè, non eſt negatio; quia potius negatio oritur ex diſtinctione: eo enim quod Petrus eſt Petrus,non eſt Paulus,& ex Petreitate ſequitur negatio Pauli. Petreitas autem ſecundum ſe eſt alia à Pauleitate, & ab equinitate: nam ſecundum ſe eſt alteri ſimilis, & diſſimilis alteri. Itaque diſtinctio non includit formaliter negationem, ſicut cæcus: ſed eſt poſitiuus conceptus rei, vt colligitur ex eodem S.Thom. ſupra aſſerente res ſe ipſis diſtingui, & paſſim aſſerente diſtinctionem formalem eſſe à formis, indiuidualem autem ab aliquo ſuperaddito, & ex communi adagio, *per eumdem conceptum quo res conſtituitur in ſe, diſtinguitur ab aliis*. Non poteſt autem explicari, niſi per hanc negationē, quapropter eſt attributum entis. Ego quidem vehementer inclinor in ſententiam, §.3. inſinuatam:diſtinctionem formaliter conſiſtere in duobus entibus: nam diſtinctio eſt ad aliud: nil enim diſtinguitur à ſe ipſo, ſed ab alio:quapropter ratiocinandum erit de illa,ſicut de relatione. Interim hæc eſt communior explicandi ratio.Idemtitas autem,quæ opponitur diſtinctioni eſt vna res explicata vno, aut pluribus conceptibus, v. g. idemtitas animalis, & rationalis eſt vnus conceptus obiectiuus hominis,diuerſis actibus explicatus.

Negatio oritur ex diſtinctione.
S.Thom.
Diſtinctio ſūt duæ entitates.

§.5.
Subiectum eſt prius negatione.

Confirmatur tota hæc doctrina:nam ſubiectum prius ratione eſt,quàm negatio, quia in eo fundatur. Item habitus ſeu forma, qua priuat, eſt prior ipſa negatione: ergo priùs intelligitur aër, & lux, quàm intelligatur in aëre priuatio lucis, quia primatio pendet ex habitu in cognitione: ergo priuſquam intelligatur in Petro carentia Pauli, intelliguntur Petrus, & Paulus: ergo intelliguntur duo: ergo diſtincti intelliguntur ante eam negationem. Igitur diſtinctio eſt ratio, qua vna res eſt aliud ab alia, v. g. qua Petrus eſt alius à Paulo, ex qua alietate ſequitur in Petro negatio Pauli. Dices non eſſe Paulum, eſſe formaliter diſtingui à Paulo: ergo diſtinctio eſt illa negatio. Nego antecedens;quia non eſſe Paulum eſt negatio conſecuta in Petro ex alietate à Paulo: præſuppoſitiuè autem dicitur eſſe idem, *diſtingui ab alio, & non eſſe idem cum illo*: tum quia diſtinctio præſupponitur illi negationi: tum quia diſtinctio explicatur per eam negationem; alietas enim eſt, vel duæ res, vel vna fundans negationem alterius:vtrumque autem commodè explicari nequit niſi per negationem.

Diſtinctio eſt in duobus.
Obiectio.
Alietas eſt fundamentum negationis.

§.6.
Diſtinctio ſūt duo entia.

Rogas primò, vtrum diſtinctio ſit attributum poſitiuum, vel negatiuum? ſi affirmemus eam eſſe relationem, ſunt duo conceptus poſitiui,& propriè non eſt attributum; quia formaliter includit alterum extremum realiter diſtinctum. Si autem affirmetur eam non eſſe relationem. Reſpondeo eam eſſe attributum negatiuum; quia explicatur per negationem alterius rei. Dices vnitatem etiam explicari per negationem, & eſſe attributum poſitiuum. Sed diuerſa eſt ratio; vnitas enim explicatur per negationem, cui ipſa contradicit: ac proinde eſt conceptus poſitiuus: at verò diſtinctio non explicatur

Diſcrimen vnitatis & diſtinctionis.

plicatur per negationem, cui ipſa contradicat: ſed potius quæ ex ipſa ſequatur; ſicut ſimplicitas eſt attributum negatiuum; quia explicatur per negationem partium, ſequutam ex actualitate, in quo parua eſt diſſenſio.

§. 7. *Diſcrimen vnitatis, ſimplicitatis, & diſtinctionis.* Rogas ſecundò, quo differant vnitas, diſtinctio atque ſimplicitas? Differunt, quia diſtinctio eſt ad aliud: quod enim diſtinguitur, ab aliquo diſtinguitur: vnitas autem, & ſimplicitas eſt in ordine ad ſe: nam vnitas dicit, rem non eſſe diuiſam in ſe: ſic autem eſt conceptus poſitiuus; quia diuiſio eſt carentia vnionis. Simplicitas autem dicit carentiam partium: quæ carentia eſt purè carentia; quia partes, *Obiectio.* quibus contradicit, ſunt poſitiuæ. Dices etiam ſimplicitatem eſſe ad aliud; quia ſimplicitas dicit ne*Reſpondetur.* gationem partium, & negatio alicuius eſt negatio. Contrà; quia *ad aliud* eſt inter duos conceptus poſitiuos: & debet etiam in concreto ſignificari, verbi gratia. Pater, alicuius eſt pater; & ſimile, alicui eſt ſimile; & diuerſum, ab aliquo eſt diuerſum; at verò ſimplicitas, licet connotet negationem partium, non poteſt ad aliud ſignificari, vt ſimplex non eſt ſimplex alicuius, neque ab aliquo; nec cœcus eſt ab aliquo cœcus; quia iſti ſunt conceptus rei in ſe, & ad ſe; at verò diſtinctus, ab aliquo diſtinctus.

§. 8. *Diſtinctio entis à non ente non eſt vnitate poſterior.* Rogas tertiò, vtra ſit prior, vnitas, an diſtinctio? Diſtinctio entis à non ente nõ poteſt eſſe poſterior vnitate: vnio enim comparata ad diuiſionem, & diſtinguitur à non ente, & eſt vnitas: ergo illa diſtinctio vnionis à non ente, non eſt poſterior vnitate; quia ſunt formaliter idem. Similiter cõtingit vnitati per actualitatem ſimplicem: diuiſio enim potentialis opponitur contradictoriè vnitati per ſimplicitatem: nam hæc eſt formalis indiuiſibilitas, nec quæſtio eſt de hac diſtinctione, quæ propriè non *Vnitas eſt prior diſtinctione ab alio.* eſt diſtinctio: ſed de diſtinctione reali. Sic autem opinor vnitatem cuiuſcumque rei eſſe priorem diſtinctione eiuſdem ab alio: nam vnitas eſt conceptus intrinſecus cuiuſque rei; ſi res eſt ſimplex, eſt idem cum ſua actualitate; ſi verò compoſita, eſt idem formaliter cum vnione, vt patet ex diſput. 4. ſection. 1. & 2. at verò diſtinctio connotat extrinſecam denominationem, vel negationem alterius: ſed res prius intelligitur in ſuo eſſe, quàm cum extrinſeca denominatione: prius enim intelligitur homo animal rationale, & intelligitur eius vnio, quàm intelligantur extrinſecæ denominationes, ortæ etiã à Deo: nam prius intelligitur in ſuo eſſe, quàm intelligatur amari, aut cognoſci. Verum eſt hominem non exiſtere actu priùs, quàm producatur à Deo: ſed hoc refunditur in eius eſſentiam, & non eſt extrinſeca denominatio: nam exiſtentia hominis non eſt à ſe: ſed ab alio, quapropter, non poteſt priùs eſſe, quàm ab alio producatur.

§. 9. *Confirmatur. Prius eſt vnũ quàm ſimile.* Confirmatur, priùs homo eſt vnus in ſe, quàm ſimilis aut diſſimilis alteri: ergo priùs eſt vnus, quàm diſtinctus ab alio: patet conſequentia, quia ſimilitudo, & diſſimilitudo ſunt genera diſtinctionum. Antecedens probo; quia ſimilitudo eſt quædam comparatio vnius entis ad aliud: cuius fundamentum eſt propria entitas cuiuſque rei. Imo priùs intelligitur homo creatura, quàm diſtinctus à Deo, & priùs intelligitur homo, quàm diſtinctus ab equo: nam illæ diſtinctiones fundantur in ratione creaturæ, & in ratione humanitatis: quod inde patet, nam per diſtinctionem dicimus duas res ſimul exiſtentes. Sic autem patet intentum: nam Deus prius tempore fuit vnus, quàm diſtinctus: homo autem licet ſimul tempore fuerit diſtinctus à Deo, & vnus: tamen illa diſtinctio habet pro fundamento humanitatem: quæ prius ratione eſt, quàm relatio diſtinctionis: vel diſtinctio eſt negatio alterius rei, ſic etiam res eſt clara: nam negatio eſt poſterior natura quàm fundamentum, in quo eſt: item eſt poſterior re, quam negat: ergo prius Petrus eſt Petrus, quàm habeat negationem Pauli; nam prius intelligitur Petrus habere vnionem, quàm habere negationem Pauli, & priùs intelligitur Paulus, quàm talis negatio: ſed vt Petrus ſit vnus, non eſt opus intelligere Paulum, neque eius negationem; ergo.

Vnde colliges, diſtinctionem formaliter non poſſe conſiſtere in negatione: ſed in conceptu poſitiuo, explicato per negationem; verbi gratia, Petrus diſtinguitur à Paulo, non per negationem Pauli: nam antequam intelligatur hæc negatio, intelligitur Paulus, item & priùs intelligitur Petrus, ergo priùs intelliguntur iſti duo conceptus, quàm intelligatur negatio alterius: ergo in illo priori eſt diſtinctio: quia in illo ſunt duæ res: at verò non poſſumus illos duos conceptus bene explicare in ratione diſtincti: niſi dicamus vnum non eſſe alium. Rogas, cur diſtinctio non computetur inter illas proprietates entis, quæ *Reubau* explicantur? Reſpondeo, quia vel eſt quoddam genus relationis: quæ non eſt attributum entis; vel quia formaliter eſt negatio; quæ non eſt attributum; vel quia locum non habuit in ea diſtinctione, ſi eſt attributum: vel quia explicatur hac voce *aliquid*, id eſt, aliud quid, vt ait S. Thom. §. 10. *Diſtinctio eſt poſitiua, & non negatio.* *Diſtinctio an ſit attributũ.*

SECTIO II.

De diſtinctione reali, & modali.

SVBSECTIO I.

Quid ſit diſtinctio realis?

Diſtinctio realis eſt, quæ exiſtit à parte rei: nam ens reale eſt, quod eſt aptum ad exiſtendum. Hæc diſtinctio eſt communis omni reali diſtinctioni: eſtque tranſcendens omnia genera rerum, vt inductione patebit. Quilibet enim conceptus realis eſt à parte rei diſtinctus ab alio: neque arbitror, diſtinctionem vt ſic eſſe conceptum communem diſtinctioni reali & rationis: nam diſtinctio rationis non eſt ſimpliciter diſtinctio: ſed per impropriã analogiam; quia cum intellectus per vnum actum non cognoſcat omnes effectus obiecti, perinde ſe habet reſpectu illorum ac ſi obiectum non eſſet eorumdem cauſa: vnde diſtinguuntur ſola ratione, & non ſunt plura, ſed vnum: eſtque illa diſtinctio extrinſeca, & ſecundum quid. §. 11. *Diſtinctio realis.* *Diſtinctio vt ſic non eſt cõmunis reali & rationis.* *Diſtinctio rationis nõ eſt ſimpliciter diſtinctio.*

Diſtinctionem autem claritatis ergo, diuido in realem, & rationis: ſic enim comprehendit omnia genera diſtinctionis propriæ, & impropriæ: diſtinctio rationis poteſt vocari diſtinctio realis extrinſeca; diſtinctio verò realis poteſt vocari intrinſeca; de prima diſtinctione agetur ſectione 4. §. 12. *Diſtinctio rationis eſt realis extrinſeca.*

Diſtingui in genere, eſt vnum conceptum eſſe alium ab alio, ſiue vnum conceptum nõ eſſe alium; diſtingui autem realiter, erit vnum conceptum à parte rei non eſſe alium, in qua diſtinctione comprehenditur diſtinctio modalis, quam P. Suarez diſput. 7. ſect. 1. num. 16. vocat, *ex natura rei.* Quam vocem ergo refugio, ne recidam in Scoticiſmum ſect. ſequenti impugnandum: vocetur igitur *diſtinctio realis modalis.* Dixi hanc diſtinctionem ſub reali contineri: quia exiſtit à parte rei, & ſicut modus §. 13. P. Suarez. *Diſtinctio modalis eſt abſolutè realis.*

dus ſimpliciter eſt ens reale: ita & eius diſtinctio realis: vocatur autem *modalis*, quia alterum, vel vtrumque extremum eſt modus; de quo latè egi diſput.2. ſect.5. vbi probaui, modum eſſe rem: vocari autem modum, quia non tam videtur afferre nouam entitatem, quàm nouam determinationem entitatis præexiſtentis.

§. 14. *Quæ ſemel ſunt diſtincta non poſſunt fieri vnū; aut è conuerſo.*

Eſt aduertendum, res, quæ ſemel ſunt idem realiter, non poſſe realiter diſtingui, etiam diuinitus; quæ verò ſunt diſtinctæ realiter, non poſſe idemtificari: nam, cum duo conceptus ſunt realiter idem, quo modo poſſunt diſtingui, niſi in duos? at ibi non ſunt duo conceptus: ſed vnus: ergo non poſſunt diſtingui, verbi gratia, vnus Angelus non poteſt diſtingui in duos, quia non includit duos conceptus Angeli: ſed vnum.

§. 15. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices, addi nouum conceptum. Contrà, ergo non diſtinguitur prior in duos: ſed additur alius. Dices vnum Angelum eſſe virtute duos. Contrà: ergo quando diſtinguitur, non diſtinguitur idem Angelus: nam Angelus prior non erat formaliter duo, ſed vnus: at verò hæc diuiſio eſt inter duos Angelos formaliter. Item quando duæ res diſtinguuntur realiter, non poſſunt idemtificari, niſi fiat vna: rogo vtrum duæ res maneant formaliter? ſi non manent, non fuerunt factæ vna: ſed ex illis corruptis, tertia reſultauit. Si autem manent ſecundùm proprias entitates, hæ ſunt duæ: ergo non vna.

§. 16. Vnde colliges, quantum errent opinantes, partes continui non eſſe actu diſtinctas, ſed potentia; quos impugnaui diſputatione 15. Phyſicorum ſectione 2. bene poteſt Deus rem eamdem in duobus locis conſtituere, & duas res in vno loco, & quantitatem bicubitam facere tricubitam, & ex vno compoſito continuo facere duo; at verò rem diſtingui à ſe, aut duas diſtinctas idemtificari repugnat apertè: potuit item Deus me non creare, aut me in lapidem conuertere, corrupta mea eſſentia: at me non potuit creare vaccam: nam tunc neque ego eſſem, neque mea eſſentia.

§. 17. *Primū ſignū realis diſtinctionis.*

Poſſumus inquirere ſigna, quibus diſcernamus diſtinctionem realem tam abſolutam, quàm modalem. Ac primum, quando duæ res ſunt in diuerſis ſuppoſitis, & quando non vniuntur; euidens ſignum eſt diſtinctionis: Petrus & Paulus inter ſe non ſunt idem: neque albedo Petri & Pauli, nec bos, & equus. Dixi ſignum euidens: nempe ex natura rei: nam eadem albedo poteſt diuinitus eſſe in Petro & Paulo.

§. 18. *Secundum ſignum realis diſtinctionis eſt ſeparabilitas.*

Secundum ſignum eſt realis ſeparabilitas, cum enim corrumpitur vnus conceptus, corrumpuntur omnes, qui ſunt idem cum illo. Nam ſi eo corrupto alius manet, rogo ſit ne idem? an diuerſus? ſi diuerſus, non eſt è re: ſi idem, ergo idem conceptus ſimul corrumpitur, & conſeruatur: eſt & non eſt, quod dicit immediatam oppoſitionem. Dices, pereunte vno conceptu formali, perire omnes qui ſunt formaliter idem cum illo; non verò qui ſunt realiter idem: ſic pereunte vnione non perit animus, qui eſt idem realiter cum illa. Sed hæc reſponſio vel recidit in noſtram ſententiam de modorum diſtinctione, vel hallucinatur cum Scoticis in diſtinctione ex natura rei. Contrà quam egi diſputat. 5. Phyſic. ſect. 1. Tertium ſignum eſt ratio cauſæ, quæ realiter diſtinguitur ab effectu.

Diſtinctio modalis eſt quæ reperitur
inter duos modos: vel inter
modum & rem.

* * *

SVBSECTIO II.

Vtrum conuenientia prædicatorum contradicentium arguat realem diſtinctionem.

§. 19. *Sententia. admittens prædicata cōtradicentia in eadem entitate.*

NOnnulli ita fidunt virtuali diſtinctioni, vt ratione illius arbitrētur poſſe eidem enti creato conuenire prædicata mutuo contradicentia; ita vt per diuerſas formalitates poſſit habere res vna formam & eius carentiam. exempli gratia, in actu vitali diſtinguunt virtualiter rationem entis, & qualitatis vitalis à ratione malitiæ, quam dicunt eſſentialem actui: dicunt actionem Dei terminari ad rationem entis, & qualitatis naturalis; non verò ad malitiam: ita vt hæ ſint veræ propoſitiones. *Ratio qualitatis proximè, immediatè, & formaliter producitur à Deo. Malitia proximè, immediatè, & formaliter non producitur à Deo.* ita vt productio immediata ſit in formalitate qualitatis; carentia autem productionis immediatæ ſit in formalitate malitię: & conſequenter immediata productio & eius carentia ſint in eadem entitate volitionis: vt in entitate Dei, productio paſſiua realis eſt in formalitate filiationis; & carentià eius productionis eſt in formalitate naturæ. cuius ſententiæ probatio non eſt niſi partim ab exemplo Dei: partim vt fugiantur nonnullæ difficultates de cauſalitate Dei in peccatum. Cui ſententiæ fundamenta ieciſſe videntur Ferrara admittens animum vniri ſecundum gradum ſenſitiuum, & non ſecundum rationalem: P.Suar.lib.4. de Trinit.c.4.n.19.& alij.

Primum argumentum à diuinis. Secundum vt fugiãtur difficultates. Ferrar. P.Suarez.

SVBSECTIO III.

Prima impugnatio eius eſſentiæ.

§. 20. EA ſententia vehementer diſplicet. Primùm: quia euertit totam formam ſyllogiſticam, & rationem probandi realem diſtinctionem. Quare cum Okamus in 1. d.2. quæſt. 1. & Gabr. ibidem a.1. notab.4. in hanc quæſtionem incidiſſent, rectè monent hoc genus diſtinctionis non eſſe admittendum niſi vbi cogimur auctoritate ſcripturæ, Eccleſiæ, aut Sanctorum, quia illa diſtinctio eſt ſupra naturæ leges, & Philoſophis eſt viſa contra euidens lumen rationis. Nonnulli arbitrantur ſe lucem afferre Theologiæ, ſi Philoſophiam metiantur myſterio Trinitatis; quod non aſſequuntur; ſed & Philoſophiam obtenebrant; & myſteria minuunt; cum illis ſimilia paſſim admittant.

Okamus. Gabr. *Ea diſtinctio non admittēda niſi ob reuelationem.*

§ 21. *Impugnatur primū argumentum.*

Primum argumentum: exemplum è Deo eſt omnino contra eos; ergo. Probo antecedens; in Deo, vbi ſine controuerſia admittitur ea diſtinctio, eſt vbi duo extrema ſunt idem cum vno tertio, & realiter diſtincta inter ſe: ſed in creatis id non reperitur; ergo exemplum non eſt ſimile, ſed abſimile. Maior probatur: quia ea diſtinctio reperitur inter naturam Dei & relationes; in iis quæ ſpectant ad productionem, & oppoſitionem; & ad improductionem, & communitatem. Natura enim eſt communis toti Trinitati; improducens, & improducta: relationes verò ſunt oppoſitæ, producentes, & & productæ: ſed relationes realiter inter ſe diſtinguuntur; & ſunt idem realiter cum eſſentia: ergo iſta diſtinctio admittitur vbi duo extrema ſunt inter ſe diſtincta realiter; & realiter idem cum vno tertio.

Ea diſtinctio ſemper arguit realē diſtinctionem.

§. 02. *Obiectio.*

Obiicis, eam diſtinctionem reperiri non ſolum inter naturam & relationes, ſed etiam inter abſoluta: Pater enim intellectu generat filium, & non volunta

voluntate: & voluntate ſpirat,non verò intellectu; ergo ſine diſtinctione reali reperitur ea virtualis. *Reſpondetur.* Reſpondeo,nullibi reperiri eam diſtinctionem ſine reali: quia in intellectu & voluntate Dei non reperiuntur ea prædicata contradictoria niſi vt ſumuntur notionaliter; non verò vt conſiderantur vt abſoluta. *Nullibi eſt diſtinctio virtualis ſine reali.* Niſi enim vt ex intellectu arguitur realis productio filij; & ex voluntate realis productio Spiritus ſancti,non colliguntur prædicata contradictoria.vnde ſi per intellectum procedit Filius, & non Spiritus ſanctus:ergo ex comparatione ad origines ſumuntur ea prædicata contradictoria. Stet ergo, nullam eſſe diſtinctionem virtualem in Deo, fundantem prædicata contradictoria niſi in ordine ad diſtinctionem realem duorum extremorum inter ſe. Non diſputo nunc; vtrum intellectus ſecluſa notione habeat ea prædicata formaliter: id enim ſpectat ad Theologum; ſed conſtanter aſſero eam diſtinctionẽ virtualem nuſquam reperiri niſi cum connotatione ad realem; ita vt niſi producerentur perſonæ diſtinctæ realiter; intellectus & voluntas non admitterent ea prædicata.

§. 23. *Obiectio. Reſpondetur.* Dicent, etiam ea reperiri ſine hac diſtinctione reali: quia Deus intellectu formaliter non amat; nec voluntate intelligit; nec creat relationibus. Reſpondeo,Deum ex parte obiecti intellectu amare; & voluntate intelligere,& creare relationibus, & immenſitate; nec enim à parte rei voluntas habet carentiam cognitionis; nec immenſitas carentiam principij creandi: *Attributa inter ſe non habent virtualem diſtinctionem.* ſicut à parte rei voluntas cum ſpiratione habet carentiam principij generandi verbum. Vnde ſine vllo fundamento conantur prædicata contradictoria probare niſi in ordine ad relationes. Rectè ergo monuerunt Okamus & Gabriel eam diſtinctionẽ virtualem (quam ipſi *formalem* appellant,) non eſſe admittendam niſi vbi Fide cogimur. Dicitur autem voluntas non intelligere,non ex parte obiecti, ſed ob noſtrum modum concipiendi.

§. 24. *Impugnatur ſecũdum argumentum.* Secundum ipſorum argumentum non eſt magis è re: non enim fugiunt difficultatem. Quia Deus immediatè producens rationem illam qualitatis producit aliquid habens eſſentialem connexionem cum malitia:ergo non producit aliquid indifferens ad malitiam. Probo antecedens: quia illa formalitas non eſt à parte rei indifferens vt exiſtat ſine malitia; ſed habet cum illa fatalem connexionem; *Deus in ea ſententia eſt etiam cauſa per ſe peccati.* quia nec diuinitus poteſt exiſtere abſque illa. Vnde concludo Deum eſſe cauſam per ſe peccati: quia eſt cauſa per ſe alicuius effectus habentis eſſentialem connexionem cum peccato: immo eſt cauſa per ſe illius connexionis, vt eſt connexio. alia ergo ratione vindicandus eſt Deus ab actione per ſe in peccatum.

SVBSECTIO IV.

Secunda impugnatio eiuſdem ſententiæ.

§. 25. SEcunda impugnatio ſumitur à priori: quia à parte rei non poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto forma & eius carentia: at eſſe poſſent, ergo. Maior eſt per ſe nota illo principio metaphyſico *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*: item *quodlibet eſt vel non eſt.* Minor probatur ipſorum exemplo: quia actio cauſæ primæ eſt immediatè realiter & formaliter in actu vitali ſecundum formalitatem vnam, item eadem actio non eſt immediatè realiter, & formaliter in eodem actu ſecundum formalitatem malitiæ, vt ipſi dicunt; ergo actio illa & eius carentia ſimul ſunt in eodem ſubiecto realiter. Probo conſequentiam; quia à parte rei eſt idem ſubiectum vitalitas actus & eius malitia:quia à parte rei non ſunt duo ſubiecta, ſed vnum: ergo quæ ſunt realiter in vtraque formalitate,ſunt realiter in vno ſubiecto: quia vtraque formalitas eſt idem ſubiectum:ſed immediata actio eſt in vna formalitate; & eius carentia eſt in alia: ergo actio & eius carentia ſunt ſimul in eodem ſubiecto.

§. 26. *Obiectio prima. Reſpondetur.* Dices primùm,carentiam formæ non eſſe abſolutè, ſed ſecundum quid;formam verò eſſe abſolutè.Contrà: forma eſt abſolutè,quia eſt in vna formalitate,ſed eius carentia eſt in alia; ergo carentia formæ tam abſolutè eſt quàm eius forma. Item ipſi dicunt formalitatem peccati abſolutè non cauſari *Carentia & forma ſunt æque abſolute.* à Deo;cauſari autem vitalitatem actus; ergo malitia peccati tam abſolutè caret cauſalitate à Deo, quàm vitalitas eam habet: ergo abſolutè in eodem ſubiecto reali ſunt ſimul cauſalitas Dei & eius carentia.

§. 27. *Secunda obiectio.* Dices ſecundò, non eſſe abſurdum ſimul eſſe formam & eius carentiam in eodem ſubiecto materialiter; dummodo ſint in diuerſis formalitatibus: quemadmodum non eſt abſurdum in eadem entitate Dei reperiri communicationem in vna formalitate;& carentiam communicationis in alia. *Reſpondetur.* Contrà: ergo iam abſolutè poſſibile eſt eamdem rem ſimul eſſe & non eſſe in eodem ſubiecto: ac propterea in eodem aëre poterunt eſſe ſimul lux & tenebræ ſecundùm diuerſas formalitates.Lux enim erit in aëre ſecundùm conceptum diaphani; carentia lucis erit in illo ſecundùm conceptum elementi; *Abſurda ex ea obiectione.* item anima ſecundùm conceptum apprehenſiuum habebit apprehenſionem; & ſecundùm conceptum appetitiuum carebit apprehenſione. Item ſecundùm conceptum affirmatiuum habebit aſſenſum de obiecto; & ſecundùm formalitatem negatiuam habebit diſſenſum: quia aſſenſus & diſſenſus non opponuntur magis quàm actio & eius carentia: ergo vt hæ poſſunt eſſe ſimul in diuerſis formalitatibus eiuſdem entis; ita aſſenſus & diſſenſus in diuerſis formalitatibus eiuſdem animi. Immo eadem facilitate admitti poterit in creatis aliud myſterium Trinitatis;immo & quaternitatis: quia ponetur ſubſtantia animæ identificata cum intellectu,voluntate, & memoria: intellectus erit diſtinctus à memoria, quam producit; memoria erit principium voluntatis, Quæ ideo adduxi, vt *Admonitio prudens Okami.* conſpiciatur quàm abſurdè admittitur diſtinctio hæc virtualis in creaturis: quia eadẽ ratione poterit admitti Trinitas. Quod rectè monuit Okamus.

§. 28. *Ex ea ſententia infringitur vis arguendi.* Deinde probo ea diſtinctione euerti formam ſyllogiſticam. Hic enim ſyllogiſmus rectè concludere cenſetur. *Omnis vitalitas actus immediatè producitur à Deo: ſed malitia actus eſt eius vitalitas*; *ergo malitia actus immediatè producitur à Deo.* quia in hoc ſyllogiſmo oſtẽditur in præmiſſis identitas vitalitatis & termini immediatè producti:item & identitas malitiæ cum vitalitate: in concluſione autem oſtenditur identitas malitiæ & termini immediatè producti. itaque forma eſt in *Darij*;& identitas extremorum colligitur ex eorumdem identitate cum medio, vt in hoc ſyllogiſmo: *omnis homo currit: Petrus eſt homo*; *ergo Petrus currit*: at in ea ſententia non rectè colligitur conſequentia: quia maiori admiſſa, quæ negari non poteſt; & minori conceſſa, negatur conſequentia: vt in hoc negatur ſyllogiſmo: *eſſentia eſt filiatio realiter*; *Paternitas eſt realiter eſſentia: ergo Paternitas eſt realiter filiatio.* Sic negabunt hunc ſyllogiſmum: *gradus ſenſitiuus eſt realiter vnitus carni immediatè: ſed gradus rationalis eſt ſenſitiuus: ergo gradus rationalis eſt immediatè*

immediatè

immediatè vnitus carni. adhuc ob ſolam Trinitatem compellebamur ab ea forma fugere: iam omnia ſunt Trinitas apud nonnullos.

§. 29. *Obiectio.* Obijciunt; etiam à nobis eſſe eam formam negandam: ergo. Probo antecedens hoc ſyllogiſmo: *Deus formaliter cauſat actum voluntatis, ſed malitia actus eſt ipſe actus: ergo Deus formaliter cauſat malitiam actus.* Nego antecedens. Ad probationem neganda eſt maior eius ſyllogiſmi: quia actũ Deus cauſat realiter eodem modo quo malitiam, nempe materialiter, & non formaliter.

SVBSECTIO V.

Tertia impugnatio.

§. 30. *Tertia impugnatio ab abſurdo. Poterit corrumpi vna formalitas altera manente.* Tertia impugnatio ſumitur ab abſurdis: Primùm; quia ſi prædicata intrinſeca contradictoria poſſunt conuenire eidem rei ſecundùm diuerſas formalitates; poterit illi rei conuenire corruptio & conſeruatio per diuerſas formalitates: hoc eſt abſurdum: quia non poteſt eadem res ſimul eſſe & non eſſe: ergo. Probo maiorem. Primùm, quia qua ratione ipſi reſpondent in vnione animi in vno gradu, & carentia vnionis in alio, reſpõdebo ego in exiſtentia vnius formalitatis, & non exiſtentia alterius: quia tam opponuntur vnio & non vnio in vna formalitate; quàm exiſtentia & non exiſtentia: & non arguit maiorem contradictionem exiſtentia & non exiſtentia in duabus formalitatibus, quàm vnio & non vnio. ergo manente vna formalitate poterit alia corrumpi: vt poteſt non vniri altera vnita.

§. 31. *Prima obiectio.* Primùm poterunt reſpondere, non poſſe aliunde argumentum ſumi: quia in Deo non reperimus idem fundamentum. Reſpondeo primùm à Caietano & alijs affirmari poſſe non eſſe actum liberum Dei, qui eſt idem realiter cum Deo; cum tamen Deus neceſſariò exiſtat: ergo idem continget *Reſpondetur.* in creatis. Secundò reſpondeo; in Deo non poſſe perire vnam formalitatem alia manente, non ex eo quod ſint idem; ſed præciſè quia omnes formalitates Dei ſunt in ſe neceſſariò exiſtentes: quod ſi exiſterent contingenter, poſſet vna perire alia ſuperſtite. Cum ergo creaturæ contingenter exiſtãt; & vna per diuerſas formalitates capiat prædicata contradicentia: poterit perire per vnam formalitatem; & per aliam exiſtere.

§. 32. *Secunda obiectio.* Poterunt ſecundò reſpondere; identitatem realem duarum formalitatum eſſe vnionem realem vtriuſque tam arctam vt nequeant ſeparari. Ponitur enim ab omnibus euidens diſtinctionis ſignum *Reſpondetur.* ſeparabilitas. Reſpondeo, ſeparabilitatem eſſe ſignum euidens diſtinctionis realis; quia duo prædicata contradicentia non poſſunt eidem rei *Eadem res poterit ſimul eſſe & non eſſe.* conuenire: at ſi ſemel admittantur duo conuenire poſſe; poterunt & hæc, vt oſtendi §. 30. eaque propter Caietanus, P. Salas, & alij ea admittunt in actibus liberis Dei & eius eſſentia. Vnde opus eſt, vt ipſi reddant rationem cur hæc potius repugnẽt quàm alia: inſeparabilitas enim non magis probatur ab ipſis, quàm à nobis repugnantia contradictoriorũ. Erit ergo diſtinctio realis carentia idemtitatis inter duo entia: hanc autem carentiam veſtigamus ex communi repugnantia duorum contradicentium mutuo in vno ente.

§. 33. *Myſterium Trinitatis in creatis.* Aliud abſurdum inſinuaui ex Okamo §. 28. quia hac reſpondendi forma poterimus in creatis oſtẽdere Trinitatem: multo enim difficilius ponuntur prædicata cõtradictoria ſine diſtinctione vlla reali duorum inter ſe; quàm cum ea diſtinctione, quia idemtitas naturæ diuinæ cum relationibus, & earum diſtinctio inter ſe, arguit virtualem diſtinctionem naturæ à relationibus; quia cum nulla eſt idem adæquatè. At hi difficiliora myſteria admittunt in diſtinctione virtuali capiente prædicata contradicentia, ſine vlla diſtinctione reali.

§. 34. *Aliud inſigne abſurdum.* Ad hæc; in eorum ſententia ſequitur, vnito gradu ſenſitiuo ſine rationali, vniri huic numero corpori omnes animas ſenſitiuas non minus propriè quàm illum gradũ rationalem: & producta à Deo formalitate actus vitalis produci omnes actus. Quia ille gradus vnitur tam præciſus à rationali quàm reſpondet cognitioni illum obiectiuè præſcindenti: ſed in eorum ſententia cognitioni abſtrahenti ſenſitiuum à rationali reſpondet vna ratio obiectiua identificata cum omni ſenſitiuo, & verè prædicabilis de ipſis; vt conſtat ex diſp. 5. *Vnio, & actio attingerent rationẽ communem.* ſect. 10. ergo illi vnioni reſpondet obiectiuè vna ratio ſenſitiui idemtificata realiter cum omni ſenſitiuo, & de illis prædicabilis: ergo realiter vniuntur omnes gradus ſenſitiui non minus quàm rationalis. Maior eſt certa; quia illa vnio immediatè & formaliter attingit formalitatem ſenſitiuam: quin immediatè, & formaliter attingat formalitatem rationalem, vt cognitio animalis tangit animalitatem quin tangat immediatè rationalitatem: ſed eam ob cauſam cognitio obiectiuè præſcindit animal à rationali; ergo & vnio præſcindit obiectiuè ſenſitiuum à rationali. Item eamdem ob cauſam ſenſitiuum eſt vna ratio communis idemtificata realiter cum omni animali æquè ac cum homine: ergo ille gradus vnitus æquè eſt idem cum ſenſitiuo equino, ac cum rationali. ergo realiter per idemtitatẽ illa vnio vnit ſenſitiuum equi æquè ac hominis, quia illa ratio obiectiuè eſt communis, & idem realiter cum omni ſenſitiuo.

§. 35. *Obiectio. Reſponſum.* Dices, ſenſitiuum gradum vniri vt ſingularem, & non vt obiectiuè communẽ. Contra ſenſitiuum vt cognitum abſque rationali non eſt obiectiuè ſingulare, ſed vniuerſale. Nam in illorum ſententia præciſo animali à rationali, manet vna ratio obiectiua animalis prædicabilis de homine & leone: item cognitio abſtrahens hominem à ſingulari conſtituit hominem obiectiuè vnum, & prædicabilem de Petro & Paulo: ergo vnio attingens gradum ſentiendi abſque rationali conſtituit illum gradum obiectiuè vnum; æquè realiter idemtificatum cum homine & leone; qui cognitus ſic præciſus, eſt verè prædicabilis de homine, & leone. Quia cognitio ideo præſcindit obiectiuè animal à rationali; quia immediatè & formaliter attingit animal quin rationale: ſed ea vnio & actio attingunt immediatè & formaliter gradum ſenſitiuum, & vitalem; ſine rationali, & malitia: ergo vnio, & actio præſcindunt obiectiuè ſenſitiuum à rationali, & vitalitatem à malitia.

§. 36. *Secunda obiectio. Impugnatio prima.* Poterunt obiicere ſecundò; vnione, & actione attingi gradum ſenſitiuum ſingularem, non verò communem. Contra: in eorum ſententia cognitio attingit gradum ſenſitiuum communẽ & non ſingularem; quia attingit ſenſitiuum ſine rationali: ſed vnio & actio attingunt ſenſitiuum ſine rationali: ergo attingunt ſenſitiuum commune. *Impugnatio ſecunda.* Præterea, in mea ſententia negante præciſiones obiectiuas; actio non poteſt attingere niſi ſingularia determinata ſecundum omnes gradus: quia ex parte obiecti attinguntur ſingularia: ex parte modi attinguntur confuſè: quæ confuſio facit, vt omnia indiuidua vagè, & ſine diſcrimine attingantur: at non poſſunt ita produci; quia actio phyſica

phyſica nec eſt vaga; nec realiter ſine diſcrimine attingit omnia indiuidua, ſed vnum determinatum. Si autem attingit hunc indiuiduum gradum determinatum; attingit rationem formalem huius, vt eſt hic: ac propterea actio non eſt præciſiua; nec vitaretur qua ratione Deus non ſit cauſa peccati, vt dixi §. 24.

§. 37. *Actio phyſica non eſt præciſiua.* Igitur actio phyſica non poteſt eſſe præciſiua, quia id ſoli conuenit intellectui, & potentijs intentionalibus creatis; quæ propter obſcuritatem, & indeterminationem poſſunt confuſè circa obiecta verſari. *In diuinis duntaxat actio phyſica eſt præciſiua.* In diuinis autem origo actiua præſcindit originem paſſiuam à natura; illam, non hanc phyſicè producens: quod eſt præcipuum è myſterijs Fidei, ſingulariſſimum, innixum infinitudini Dei: vt autem creaturæ eo myſterio vacant, ſic & ea præciſione. Vide in §. 199. argumentum efficax ad hominem.

§. 38. *Argumentũ à præciſione intentionali.* Obijciunt; intellectus habet vim præſcindendi in obiecto vnam formalitatem ab alia: ratione cuius eidem obiecto conueniunt prædicata contradicentia: ergo & actio phyſica idem habebit. Reſpondeo antecedens eſſe falſum; vt conſtabit à §. 81. Omnia enim prædicata, quæ conueniunt ſoli Petro, conueniunt omni formalitati in ipſo exiſtenti: ſi enim clarè cognoſcitur aliquod prædicatum Petri, cætera eadem claritate cognoſcuntur: ſi autem confuſè cognoſcitur aliquod; reliqua cognoſcuntur confuſè. Cum dicitur: *Homo eſt ſpecies. Petrus non eſt ſpecies.* non eſt contradictio: quia in prima propoſitione attinguntur confuſè omnes homines: in ſecunda ſolus Petrus. Deinde conſequentiam negare tenentur, etiam qui admittunt præciſiones obiectiuas: quia abſtractio oritur à cognitione confuſa, vagante per omnia obiecta, vel immediatè omnia attingente, in mea ſententia; vel media aliqua ratione communi: at actio phyſica, nec vnio, non poſſunt eſſe confuſæ: quia confuſio ſolum eſt in potentia intentionali; non verò in actione phyſica. *Diſcrimen actionis phyſicæ ab intentionali.* Hæc dixi, quia aliqui graues auctores admittunt præciſiones obiectiuas in cognitione; non verò in actione phyſica. At vlterius contra eos agendum: vide §. 121. in quo ſenſu hæc dicantur.

SVBSECTIO VI.

Vtrum opinio de connotatis arguat realem diſtinctionem.

§. 39. *Opinio de connotatis.* SÆpe memini cuiuſdam opinionis (quam vocant de connotatis) quæ nunc occurrit examinanda. Ait hæc opinio, poſſe exiſtere aliquam rem quoad entitatem realem, quin exiſtat quoad denominationem. verbi gratia. Albedo Petri exiſtit quoad entitatem, & denominationem *albi*, non exiſtente albedine Pauli; quia independenter ab hac Petrus eſt, & denominatur *albus*: item illa albedo Petri eſt tota entitas relationis ſimilitudinis cum Paulo: quæ relatio quoad entitatem exiſtit non exiſtente albedine Pauli; at Petrus tunc non denominatur ſimilis Paulo; quia hæc denominatio pendet ab exiſtentia termini.

§ 40. *Bipartita ſententia à nonnullis ponitur in ſolo prædicamẽto relationis. Ab alijs in alijs.* Hæc ſententia eſt bipartita; nonnulli enim eam admittunt in ſola ratione prædicamentali; quia hæc pendet à fundamento & termino: à fundamento quidem, quia in ipſo eſt ſita tota entitas relationis; à termino autem vt ab extrinſeco connotato: quo poſito iam albedo fundamenti illud denominat ſimile. In alijs autem prædicamentis non admittunt hoc genus: quia relatio tranſcendentalis non pendet à termino: ſed tota eius eſſentia eſt ad illum. Alij econtra eam doctrinam paſſim admittunt: nempe in veritate, & falſitate cognitionis: in bonitate, & malitia actuum; in voluntate, & ſcientia libera Dei; & in alijs infinitis rebus.

Cenſeo hos vltimos magis eſſe conſequentes: quia eadem forma reſpondere poſſunt. Vt enim albedo Petri pendet in denominatione ſimilis ab albedine Pauli; ita hæc cognitio *Petrus currit* pendet in veritate à curſu Petri: eo autẽ exiſtente propoſitio erit vera, vt albedo eſt ſimilis; & non exiſtente erit falſa; vt albedo non eſt ſimilis. Et quamuis cognitio de Petro in eſſe repræſentationis non pendeat ab exiſtentia Petri; pendet tamen in ratione veritatis. Idẽ dixerim de libertate: actus enim connotans potentiam indifferentem eſt liber; eam verò connotans determinatam in actu primo, eſt neceſſarius: hanc autem mutationem potentiæ ipſi admittunt: item eſus carnium cum cognitione præcepti vrgentis eſt mala; cum cognitione non vrgentis non eſt mala: eadem autem voluntas ex ipſis manet cũ vtraque cognitione. Eſt ergo ea doctrina conſequenter admittenda in alijs prædicamentis; quando aliqua forma ſortiri poteſt denominationes diuerſas à diuerſis pendentes connotatis. §. 41. *Conſequentius admittitur in alijs prædicamentis.*

SVBSECTIO VII.

Impugnatur ea doctrina.

PRimum argumentum contra eam doctrinam ſit; quia ex ea negandi ſunt omnes modi diſtincti à rebus: quia cum hac diſtinctione defendi poteſt eos non diſtingui. Argumentamur enim: materia & forma exiſtentibus non exiſtit vnio, & poſtea exiſtit: ergo vnio diſtinguitur à materia & forma. Reſponderi poteſt; non exiſtere vnionem quoad denominationem; exiſtere tamen quoad entitatem. Quod argumentum fuſè propoſui diſp. 5. Phyſicorum à §. 20. idem fieri poſſe de diſtinctione motus ab agente, & termino: oſtendi diſp. 11. Phyſic. à §.... idem oſtendi de creatione ibidem diſput. 12. à §. 11. Et quidem eadem terminorum nugacitate poſſunt omnia ferè argumenta deludi. §. 42. *Prima ab abſurdo impugnatio. Primum abſurdum de vnione.* *Idẽ de actione, & creatione.*

A priori ea ſententia impugnatur: quia denominatio in ratione denominationis eſt à parte rei entitas in ratione entitatis: ſed denominatio perit realiter in ratione denominationis: ergo perit in ratione entitatis. Maior datur ab his auctoribus; alioquin non ſupereſſet quæſtio. Minor donatur ab ipſis: quia ante exiſtentiam termini non exiſtebat realiter denominatio in ratione denominationis; quia Petrus non eſt realiter ſimilis Paulo non exiſtenti: quia hæc denominatio in ratione denominationis realiter pendet à termino: alioqin & entitas, & denominatio exiſterent in ratione denominationis independenter à termino. Conſequentia autem eſt per ſe nota. Nam in præmiſſis oſtenditur idemtitas formalitatis & entitatis: item idemtitas formalitatis & pereuntis; ex qua infertur idemtitas entitatis & pereuntis. Quod explico hoc ſyllogiſmo expoſitorio. *Hæc denominatio in ratione denominationis eſt entitas formaliter: ſed realiter perit hæc denominatio in ratione denominationis: ergo realiter perit hæc entitas formaliter.* Qui ſyllogiſmus nihil differt ab hoc: *hic homo in ratione huius hominis eſt formaliter Petrus: perit in ratione huius hominis: ergo perit formaliter in ratione Petri.* §. 43. *Secundũ argumentum à priori.* *Syllogiſmo expoſitorio impugnantur connotata.*

Explico:

Digitized by Google

§. 44. *Euidens explicatio.*

Explico:non poteſt realiter perire aliquid quin pereat eſſentialis conceptus quem includit;ſed denominatio perit realiter in ratione denominationis : ergo perit realiter conceptus quem eſſentialiter includit. Maior eſt ex terminis nota : quia res periens eſt *definitum :* eius autem eſſentialis conceptus eſt *definitio :* à negatione autem definiti rectè definitio negatur. Item res & eius quidditatiuus conceptus ſunt à parte rei idem:at non poteſt manere conceptus quidditatiuus pereunte re:quia idē eſſet ſimul realiter & non eſſet. Minor autem datur,conſequentia eſt videns.

§. 45. *Obiectio æquiuoca.*

Dicent entitatem perire in ratione denominationis ; non verò in ratione entitatis.Eo enim modo quo denominatio perit , aut manet , manet, & perit entitas,denominatio autem manet in ratione entitatis; ita & entitas manet : perit autē in ratione denominationis ; in qua ratione perit etiam entitas.

§. 46. *Impugnatur.*

Contra; denominatio in ratione denominationis includit conceptum realem : non enim entitas dumtaxat eſt ens reale ; ſed etiam denominatio in ratione denominationis:ergo perit totus ille conceptus quem includit denominatio. Probo conſequentiam : conceptus ille conſtituit eſſentiam & formalitatem denominationis : ergo perit realiter. Probo conſequentiam : tum quia pereunte homine in ratione hominis perit animal rationale non ſolum in ratione hominis,ſed etiam in ſe realiter. ergo pereunte denominatione formaliter ; perit eius eſſentia non ſolùm in ratione denominationis ; ſed etiam in ſe ; tum quia quod perit, fert ſecum omnia quæ ſunt de eſſentia ſua : ſed de eſſentia denominationis vt pereuntis eſt conceptus entis : ergo hic perit in ſe : quia illa denominatio in ſe perit.

§. 47. *Duo prædicata contradictoria conuenirent in eſſendo eidem rei.*

Confirmatur; denominatio in ratione denominationis vel eſt idem realiter cum entitate albedinis ? vel non eſt ? ſi non eſt ; quæſtio ceſſat:ſi eſt, ergo à parte rei habent duo prædicata contradictoria in exiſtendo & non exiſtendo : quia denominatio in ratione denominationis nō exiſtit realiter:& in ratione entis exiſtit : ſed per te in ratione vtraque non habet in ſe realem diſtinctionem: ergo ſine diſtinctione reali haberet duo prædicata contradictoria in exiſtendo realiter & non exiſtendo.

§. 48. *Secundū argumentum à priori. Corrumpi in ratione denominationis eſt corrumpi in ratione entis.*

Secundò argumentor à priori ; quia corrumpi in ratione denominationis eſt corrumpi in ratione entis : ergo. Probo antecedens:corrumpi in ratione exiſtentis eſt corrumpi in ratione entis : quia ens accipitur participialiter pro habente exiſtentiam : ſed corrumpi in ratione denominationis eſt corrumpi in ratione exiſtentis : ergo corrumpi in ratione denominationis eſt corrumpi in ratione entis.Minor probatur:quia denominatio in ratiōne denominationis eſt exiſtentia. ergo corrupta denominatione in ratione denominationis fit corruptio in ratione exiſtentiæ.

§. 49. *Explicatio & confirmatio euidentes.*

Explicatur; denominatio in ratione denominationis non exiſtit realiter ; & exiſtit realiter in ratione entitatis : ergo in ratione denominationis aliquid reale addit rationi entitatis. Antecedens datur ab aduerſarijs ; alioquin non inſtitueretur hæc quæſtio. Conſequentiam probo ; ratio denominationis in eſſe talis eſt realiter ſeparabilis à ratione entitatis. ergo in illa ratione eſt diſtinctio realis : quia realis ſeparabilitas admittitur ab omnibus pro ſigno realis diſtinctionis. Confirmatur: albedo ante exiſtentiam fundamenti erat realiter albedo,& efficiebat formaliter *album :* & non erat

realiter denominatio ſimilitudinis , nec faciebat formaliter *ſimile:*ergo ratio denominationis & effectus formalis ſimilitudinis ſunt realiter ſeparabiles : ſed nihil eſt à ſe ipſo ſeparabile : ergo ratio denominationis in ratione talis non eſt idem cum ratione entis.

§. 50. *Ea ſententia eſt ſine fundamento nec in relatione nec in actibus liberis. Sed eſt conficta ſolius fuga auſa.*

Pro ea ſententia nullum affertur fundamentum: quia relationē oſtendam diſp.15.ſect.1.2.& 3. aut eſſe modū diſtinctum,aut extrinſecam denominationē. Actus liberi Dei nō admittuntur in ijs connotatis : quia ipſi vident poſſe eſſe denominationē nouam actus liberi ſine connotato nouo. Vbi ipſi mecum ſic arguunt contra Caietanum:Actus liber poſſet nō eſſe Deus:ergo non eſt Deus. Probo antecedens; quia potuit non eſſe abſolutè.Sic arguo: hæc denominatio potuit nō eſſe hæc exiſtētia:quia potuit nō eſſe abſolutè:ergo non eſt exiſtentia. Eſt autē hæc ſententia efficta ad fugiendas difficultates inani ſono,ſine nucleo:eſtq; multo peior ſuperiori.oſtēdi diſputans de voluntate Dei, eius actus liberos non pendere à connotatis, & in eis nō deficere denominationem magis quàm entitatem.

SECTIO III.

Diſtinctio ex natura rei.

§. 51. *Diſtinctio formalis, & ex natura rei. P. Fonſeca eā propugnat. Eius definitio, & diuiſio.*

DIſput.5.memini diſtinctionis , quam Scotici vocant,*formalem,* ſeu *ex natura rei:*cuius nullam vidi ab illis diffinitionē neque explicationem vllam.Hanc diſtinctionem latè defendit P. Fonſeca,tom.2.Metaphyſicæ,lib.5.cap.6.q.6. quam ſect. 2.ſic diffinijt : Diſtinctio ex natura rei eſt , *qua aliquid ab aliquo diſtinguitur præciſa omni operatione intellectus*. Diſtinctionem ex natura rei tripartitur in formalem, potentialem, & modalem.Item formalem bipartitur in formalem eſſentialem,& formalem puram. Diſtinctione formali eſſentiali opinatur diſtingui omnia , quæ habent diuerſas eſſentias, vel quæ ita afficiuntur , vt aliquid vnius non includatur in alio , vt natura hominis , & natura equi,& Socrates,& Plato. Itemque animal,& homo; ſenſitiuum & rationale,& cætera omnia prædicata ſuperiora,& inferiora.Formalis pura diſtinctio eſt , non eſſentialis , quæ verſatur inter ſolas diuinas perſonas , quæ ex natura rei, & realiter diſtinguuntur , cum tamen includant omnes eamdem eſſentiam.

§. 52. *Diſtinctio modalis quid apud P. Fonſecam. Modus tripliciter vſurpatur à P. Fonſ.*

Diſtinctionem modalem vocat , qua ens à ſuis modis & ij inter ſe diſtinguuntur:ſed modos vſurpat tripliciter : primò pro differentijs,quibus contrahitur ens ad ſubſtantiam,& accidens:quæ vſurpatio eſt impropria, & ens ait à ſuis modis ſola ratione diſtingui : ſecundò pro qualitatibus, quibus afficitur ſubſtantia,vt album,& dulce : hæc autem eſt improprior vſurpatio modi : tertiò pro modis exiſtendi : vel per ſe , vel dependenter à ſubiecto, quos modos , ait , diſtingui formaliter ab entibus: ſed de hoc vltimo modo ſatis dixi,diſput.2. ſect. 5. & diſp.5.Phyſicorum ſect.1.

§. 53. *Eam diſtinctionem non explicat P. Fonſ.*

Verùm P. Fonſeca ea quæſt. 6. & præſertim 7. non explicat mediam hanc diſtinctionem inter realem,& rationis:ſed cum ſuis aduerſarijs acribus verbis digladians, acriterque pungens , ait eos eſſe Parmenide & Meliſſo deteriores , aitque veteres Philoſophos actionem à paſſione , animal à rationali , eſſentiam ab exiſtentia , neque omnino realiter , nec ſola ratione ; ſed medio quodam modo ex natura rei diſtinxiſſe ; eos verò , qui aiunt, eam eſſe virtualem diſtinctionē obiurgat acerbè:

quod ſurſum deorſum omnia confundant, non expendentes, quid eorum dicta ſequatur; nam eorum quæ ſic diſtinguuntur ex natura rei, alterum perit altero manente, vt quantitas pereunte figura: & fundamentum ſimilitudinis hac pereunte: ergo hæc non diſtinguuntur virtualiter: ſed ex natura rei. Moueret equidem probatione aut explicatione ſententiæ: potius quàm exemplis hinc inde petitis, quæ magis aberrant à vero. Actionem enim & paſſionem non diſtingui pluſquam ratione, probaui diſp. 11. Phyſicorum ſect. 3. animal autem, & rationale ſola cognitione diſtingui probaui, diſput. 5. ſect. 6. de cæteris exemplis; dico aut ea non diſtingui pluſquam ratione, aut realiter diſtingui.

Exempla P. Fōſeca aberrant à vero.

§. 54. *Nec eſt conſtans in ſua diſtinctione.*

Neque opinor, eum eſſe in ſua diſtinctione conſtantem: in homine enim diſtinguit ex natura rei animal à rationali, at verò in luce ſola ratione diſtinguit virtutem illuminatiuam à calefactiua, & in materia prima potentiam paſſiuam formæ viuentis à potentia paſſiua aliarum, & in Deo attributa inter ſe, & ab eſſentia: item eſſentiam à relationibus, & conceptum entis à conceptu ſubſtantiæ. Quæ diſplicent primùm: quia ipſe ait, ea, quæ diſtinguuntur ex natura rei poſſe ſeparari, vt fundamentum ſimilitudinis à ſimilitudine: ergo ergo etiam in homine poterunt ſeparari animal, & rationale, quia per te diſtinguuntur ex natura rei; quam ob cauſam ait aduerſarios non rectè expendere, quid eorum dicta ſequatur: ſed quidem ſatis abſurdi ſequitur, poſſe in homine conſeruari animal ſine rationali. Dicit, non omnia, quæ ita diſtinguuntur, poſſe ſeparari. Bene, ſed cur nos tam acriter obiurgat, quaſi non expendentes quid ex noſtris dictis ſequatur? deinde cur altera poſſunt ſeparari, altera non? ſicut ea quæ diſtinguũtur realiter abſolutè, poſſunt omnia ſeparari: è contra verò nullus modus poteſt ſine ſua re cõſeruari. Deinde inconſequentiã probo: nam animal diſtinguit à rationali ex natura rei: quia vnus conceptus non includitur in alio: ſed nec conceptus iuſtitiæ diuinæ includitur in conceptu miſericordiæ: neque illuminandi virtus in calefactiua: neque ſubſtantia in ente: ergo hæc omnia diſtinguentur ex natura rei: ſicut animal à rationali. Dicet, includi realiter, non verò ratione noſtra, & formaliter, quia in his eſt diſtinctio virtualis: qua duo conceptus ratione diſtincti præſtant quod præſtarent, ſi diſtinguerentur realiter. Bene: ſed cur idem nõ erit in animali, & rationali, quæ habent virtualem diſtinctionem? equidem neque apparens mihi diſcrimen apparet, cum lux conueniat cũ pipere in virtute calefaciendi, non illuminandi; ſicut homo cũ bruto in virtute ſentiendi: ſed non diſcurrendi; & cum illæ duæ virtutes definitione diſtinguantur. Itaque eſt admittenda in Deo diſtinctio ex natura rei: aut in creaturis refugienda: quàm verò ſit in diuinis periculoſa probabo.

Abſurdum è ſententia Fonſecana.

Varia impugnationes.

§. 55. *Impugnatur à priori.*

A priori autem impugnatur, quia definitio huius diſtinctionis conuenit omni reali diſtinctioni: eſt enim diſtinctio vnius ab alio præciſa omni operatione intellectus, quo igitur differt hæc diſtinctio à diſtinctione reali? In nullo differre probatur apertè. quia omnis diſtinctio exiſtens à parte rei eſt realis: hæc diſtinctio exiſtit à parte rei: ergo eſt realis. Maior eſt definitio entis realis: minor eſt certa ex Scoticis; quia illa diſtinctio eſt in rebus ipſis independenter ab intellectu. Explicatur, nam *diſtinctio à parte rei*, *diſtinctio realis*, *diſtinctio ex natura rei* & *diſtinctio ex parte rei* ſunt termini ſynonimi: nam diſtinctio realis, & à parte rei in nullo differunt: realis enim dicitur eo quod ſit apta ad exiſtendum in rebus: ſicut ens reale tale dicitur; diſtinctio autem à parte rei dicitur, à parte rei, ſiue ex parte ipſius rei exiſtens in ipſa re, ſicut ens reale, & ens à parte rei, idem ſunt: commune enim eſt philoſophis ad negandum aliquid in rebus, dicere *non eſt à parte rei*, id eſt, non exiſtit: idem ſignificat *ex parte rei*, id eſt, eſt diſtinctio exiſtens in rebus ipſis orta ex natura ipſarum; neque video vllum diſcrimẽ inter has diſtinctiones; nam ſi duæ naturæ inter ſe non ſunt idem ex natura rei, inter ſe diſtinguuntur ex natura ſua, ergo ex natura ſua non ſunt idem. ergo ex ſe ſunt diſtinctæ; quid igitur exigunt vt diſtinguãtur realiter, ſiue à parte rei?

Diſtinctio realis & ex natura rei ſunt ſynonima.

§. 56. *Confirmatur. Diſtinctio ex natura rei habet negationẽ identitatis. Obiectiones diluuntur.*

Confirmatur: quæ ex natura rei diſtinguuntur, vnum habet negationem alterius; quod ſi habet negationem alterius; ergo non eſt aliud: neque poteſt eſſe medium inter identitatem, & negationem illius; ſi ergo vna natura habet negationem alterius: ſunt duæ naturæ inuicem diſtinctæ. Dices eſſe diſtinctionem modalem. Contra: nam hæc eſt realis, vocatur autem *modalis* propter extremum modale, animal autem, & rationale non ſunt modi, cum ſint principia actiua ſentiendi, & diſcurrendi. Dices eam eſſe diſtinctionem formalem. Contra: quia ſi exiſtit à parte rei, eſt diſtinctio realis inter duas formas. Atque hæc diſtinctio formalis tã improbabilis eſt, quã diſtinctio ex natura rei: quia eſt idem: & tam confuſè defendunt vnam, quàm alteram. Ecce hanc diſtinctionem vel ſola confuſione labantem: eius enim autores nihil faciunt, niſi terminos repetere; eam eſſe diſtinctionem formalem, & ex natura rei, medio quodammodo diſtinctam à reali, & rationis: cumque non explicent illum medium modum, non poſſunt ab auditoribus percipi: nec mirum; quia tale medium eſt impoſſibile: nam non eſt medium inter aptitudinem ad exiſtendum, & ineptitudinem ad exiſtendum: ſi habet aptitudinem ad exiſtendum, eſt realis: ſi non, non eſt realis; nam omne quod eſt à parte rei, eo modo, quo eſt, eſt reale: ſed per te hæc diſtinctio formalis, eſt re ipſa à parte rei: ergo eſt realis: eam eſſe formalẽ realem, & ex natura rei, arguit maiorẽ diſtinctionem: quia & eſt diſtinctio realis, quia exiſtit, & oritur ex ipſa eſſentiæ formalitate, & viſceribus rei: quia oritur & eſt ex eius natura.

Diſtinctio formalis eſt tam mala quàm ex natura rei.

§ 57. *Abſurdum in diuinis.*

Hinc probo abſurdum in diuinis: miſericordia Dei ex natura ſua non eſt iuſtitia Dei; neque miſericordia ex natura ſua, eſt natura Dei: ergo nõ eſt Deus ex natura ſua: patet conſequentia, quia quod ex natura ſua non eſt natura Dei, non eſt Deus ex natura ſua: quia vt ſanxit Remenſe conciliũ, Deus eſt ſapiens ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, & à fortiori Deus eſt Deus deitate, quæ eſt ipſe Deus. Rogo vtrum illa miſericordia Dei, quæ ex natura ſua non eſt Deus, vt diſtincta à Deo, ex natura ſua ſit maior Deo? quod fieri nequit, cum nihil ſit maius Deo; neque item eſt minor Deo; quia quiquid eſt minus Deo, eſt creatura, quia terminis circunſcribitur, quos attingere non poteſt; vel æqualis Deo, ſic autem erit ipſe Deus, quod initio negaſti, vel erunt duo dij, quia ſunt duæ naturæ infinitæ, & æquales. Quod argumentum & in ſe eſt efficax, & eſt maxime venerabile, ac ſanctum, quod S. Bernardus eo conuicerit apertè Gilbertum Porretanum Epiſcopum Pictauorũ propter cuius vim, & efficaciam concilium Remenſe damnauit erroris Gilbertũ, hanc propoſitionem adſtruentem, *Deus eſt ſapientia: id eſt ſapiens*, *Deus eſt veritas, id eſt, verus*, negauit autem hanc, *Deus eſt ſapientia*, *Deus eſt veritas*, cuius damnationis omnes ſunt participes

Argumento vſus Bernardus & Cõcilij Remenſe.

quot

quotquot aiunt, *ſapientia Dei ex natura ſua non eſt Deus.*

§. 58. *Obiectio implicata terminis.*

Dices ſapientiam Dei ex natura rei non eſſe Deum, eſſe tamen realiter. Contra; quia ſi ex natura rei non eſt Deus: ergo ex natura ſua habet negationem Deitatis; quia qua ratione aliquid non eſt aliud, habet negationem illius: & hanc negationem habet realiter; quia illa negatio exiſtit re ipſa in ipſo Deo: ergo realiter non eſt Deus: quia quod realiter habet negationem alicuius, realiter non eſt illa res. Deinde iam oſtendi nugas huius diſtinctionis. §.55. neque verò opus eſt in diuinis nugas admittere, affines reali diſtinctioni. Neque verò Gilbertus plus aſſeruit, quàm nonnulli Scotiſtæ affirmant; ille enim tantum aſſeruit, *Deus non eſt ſapientia*: propter quod aſſertũ præcisè damnatus fuit ab Eccleſia, licet non dixerit, *realiter*, quia idem eſt dicere, *Deus non eſt iuſtitia*: ac dicere, *iuſtitia realiter non eſt Deus*; quapropter P. Fonſecam laudo, quod huius diſtinctionis periculum in diuinis formidarit.

Gilbertus & aliqui Scotiſtæ idem dixerunt.

Fonſeca laudatur.

§. 89. *Argumentum efficax.*

Quam doctrinam ita confirmo: Iuſtitia Dei ex ſua natura diſtinguitur per ſe à Deo: ergo ex ſua natura eſt aliud à Deo; conſequentia patet; quia eſſe aliud & eſſe diſtinctum in idem recidere oſtẽdi, ſect.1. ergo ex natura iuſtitiæ Dei oritur in illa negatio Dei: patet conſequentia; quia quod eſt aliud & eſt diſtinctum, habet in ſe negationem eius, à quo eſt aliud: ergo eſt in Deo aliquid, quod ex natura ſua non eſt Deus; patet conſequentia; quia conceptus ex quo oritur ex ſua natura negatio Dei, non eſt Deus ex ſua natura; quia ſi ex ſua natura eſſet Deus, non haberet ex ſua natura negationem Dei. Hæ omnes conſequentiæ ſunt euidentes, ex primo antecedente: quæ præ ſe ferunt errorem Gilberti: ille enim nihil aliud dixit. Addo, ergo realiter iuſtitia Dei non eſt Deus: quod conſequens eſt hæreticum. Probo conſequentiam, quod res habet à parte rei ex ſua natura, illud habet realiter, & abſolutè; ſed iuſtitia Dei habet à parte rei ex ſua natura negationem Dei, & non eſſe Deum: ergo iuſtitia Dei habet realiter non eſſe Deum, & negationem Dei. Conſequentia liquet: maior ex terminis patet; quia quod res habet à parte rei, realiter habet: nam *realiter*, & *à parte rei*, ſunt ſynonyma: minor à te datur, quia tota illa diſtinctio à te ponitur à parte rei ante omnem operationem intellectus: nam vel exiſtit in obiecto, vel non; ſi non, ergo non eſt in illo ante operationem intellectus: ſi verò exiſtit, ergo eſt in illo à parte rei. Certè hæc diſtinctio, vt adſtruitur à nonnullis, diſtrictis gladijs eſt cruentanda; quia vel eſt error Gilberti, vel adeò illi affinis, vt videatur orta ex eodem fonte, licet nomine diuerſo compelletur. Sequendus eſt S. Thomas, qui caſtiùs, & ſynceriùs, Deoque digniùs eſt locutus; nullam diſtinctionem in Deo admittens, præter rationis, niſi inter relatiuas oppoſitiones, 1.p.q.2. art.1. q. 28. art.3. corpore, q.29. art.4. c. & paſſim ita de Deo loquitur.

Conſequens hæreticum ex illa diſtinctione ex natura rei.

Thomas hac in parte ſequẽdus; quia loquitur dignè Deo.

§. 60. *In Deo daretur vera cõpoſitio realis.*

Deinde in Deo daretur vera compoſitio, quia attributa ex natura rei per ſe diſtinguuntur, quo ergo pacto tribuunt Deo ſuum formalẽ effectum? non per identitatem realem: tum quia eam non habent, tum quia ille effectus non eſt identicus: ſed formalis: ergo indigent vnione formali: nam duæ res modo, quo diſtinguuntur, debent vniri: ſi realiter diſtinguuntur, vniuntur realiter: ſi verò diſtinguuntur ex natura rei, debent vniri ex natura rei: ergo vnio eſt etiam diſtincta ex natura rei: ergo ex duobus conceptibus ex natura rei, reſultat compoſitum ex natura rei: patet cõſequentia, quia ea ratione, qua partes diſtinguuntur, & vniuntur, conſtant compoſitum: ergo *Deus ſapiens* eſt compoſitum ex natura rei ex duobus entibus ex natura rei diſtinctis; quod & aures horrent, & ratio damnat: quia in Deo eſt ſumma ſimplicitas, vbi autem à parte rei eſt compoſitio plurium rerum ex natura ſua diſtinctarum, quæ ſimplicitas eſſe poteſt? non ne maior eſſet ſimplicitas, ſi nulla eſſet realis cõpoſitio? Adde, vnionem, vbicationem, & cæteros modos compoſitionem inire cum rebus creatis, propter diſtinctionem realem. Videatur P. Vazquez, tom.2.1.part.diſt.116. præſertim, cap.5. adducens Bernardum contra Gilbertũ, diſſerentem iiſdem ferè verbis, & rationibus, quibus nos contra Scoticos: ac pene videtur Bernardus diuino ſpiritu afflatus cõtra eos diſputaſſe. Refert enim Gilbertinorum ſolutiones, Scoticis ſimillimas: videatur item diſput. 120. ſimiliter Gregorius in 1.d.8.q.1.art.1.& P. Valentia, tom.1.diſp.2. q.13. puncto 1.

Vnio, & alij modi ineunt compoſitionẽ.

P. Vazquez. Bernardus. Gilbertus.

Greg. Arim. & Valent.

§. 61. *Scotus vindicatur ab ea ſententia.*

Quia verò Scoto hæc diſtinctio, *ex natura rei*, adſcribitur: eius diſcipulis ita eum interpretantibus, vt pace magis deſperata, ſigna conferant cum Thomiſtis: placet, pro meo in Scotum ſtudio, eum ab huius opinionis inuidia vindicare. Cui præmitto, eſſe rebus duplex genus diſtinctionis virtualis: primum, quo res præſtat effectus plurium, & in vna virtute continet effectus plurium virtutum; eaque de cauſa dicitur *diſtinctio virtualis*; quia cum ſit vna virtus, in ſe continet eminenter multas: exempli gratia, oculus percipit lucem, auditus ſonum, ſenſus autem communis & ſonum & lucem: ecce ſenſus communis virtute continet viſum, & auditum. Hæc tamen diſtinctio non facit conuenire realiter prædicata, quaſi contradictoria eidem rei, licet diuerſimode concipiatur: nam quidquid à parte rei conuenit ſenſui communi, vt eſt perceptiuus ſoni, conuenit eidem, vt eſt perceptiuus lucis.

Diſtinctio virtualis quid.

Non ſemper continet prædicata cõtradicentia.

§. 62. *Nobilior diſtinctio virtualis conuenit Deo.*

Alia diſtinctio virtualis altior, & nobilior reperitur in Deo, per quam ipſe Deus in ſe habet prædicata contradictoria ſub vno conceptu, ac ſub alio: ita vt in ſe, & in ordine ad ſuum intrinſecum eſſe ita ſe Deus gerat, ac ſi eſſet cõpoſitus ex duobus entibus realiter diſtinctis, v.g. Deus eſt vnus & trinus, & vnitas naturæ ita eſt abſoluta, & cõmunis toti Trinitati, ac ſi non eſſet idem realiter cum aliqua proprietate. Relatio autem, vt relatio, ita caret ea communitate & eſt incommunicabilis, ac ſi non eſſet realiter idem cum natura. Itaque hæc diſtinctio fundat prædicata quaſi contradictoria in ordine ad ſe: prima verò ſolũ in ordine ad ſuos effectus. Vnde hæc vltima videtur in ſe diſtinctionem habere, at verò neutra harum diſtinctionum eſt abſolutè diſtinctio; neque habet abſolutè plures conceptus. Nam eſt virtualis tantùm: at virtualis diſtinctio non eſt abſolutè diſtinctio, ſed eſt abſolutè non diſtinctio: vt virtualis homo non eſt ſimpliciter homo: ſed ſimpliciter non homo. Vnde per hanc diſtinctionem exploditur omnis compoſitio, niſi rationis.

Diſtinctio virtualis non eſt abſolutè diſtinctio.

§. 63. *Scotus nullã diſtinctionem admiſit abſolutè.*

His conſtitutis, opinor Scotum non conſtituiſſe diſtinctionem *ex natura rei*, quam etiam vocat *formalem* pro diſtinctione vlla actuali ſimpliciter: ſed tantum pro diſtinctione virtuali, fundante diſtinctionem rationis. Ita nonnulli eius interpretes; quorum meminit Greg. in 1. diſt. 8.q.8. art.1. (adducitur à P. Vazq. art.5. ſed per mendum codicis) quos ſequitur P. Suarez. lib.4. de Trinitate, cap. 4. num.2.& 5. adſtruens, Scotum ſolo nomine differre à ſententia cõmuni. Primum probo ex eodem

Gregor. P. Vazquez. P. Suarez. *Prima probatio.*

Scoto in 1.d.2.q.7.§.*ſed hic reſtat vlterior difficultas.* Ait relationem à parte rei,& non per actum noſtri intellectus eſſe incommunicabilem; naturam verò communicabilem. Ex quo infert, eſſe aliquam diſtinctionem inter illas formalitates ante actum intellectus:quia illa prædicata contradictoria non habent per actum intellectus: ſed ante illum;vnde probat non eſſe vnam entitatem vnius,& eiuſdem rationis:alioquin tota entitas formaliter communicaretur, & conſequenter Paternitas. Hæc autem omnia tançum probant ſecundũ genus diſtinctionis virtualis, quod explicui, §. 62. & Scotus ipſe, ait actui diſtinguenti reſpondere diuerſas formalitates obiectiuas:cum quo conueniunt Reales omnes, præſertim Thomiſtæ, & ex noſtra, ſocietate multi volentes actu præciſiuo reſpondere in obiecto formalitates diuerſas, qui abſque dubio Scotiſſant, reiecto nomine. *Diſtinctio ex natura rei.* Verba Scoti ſunt hæc:*Sed num hæc diſtinctio eſt realis? Reſpondeo, non eſt propriè realis actualis,intelligendo ſicut communiter dicitur realis actualis illa, quæ eſt differentia rerum & in actu: quia in vna perſona non eſt aliqua differentià rerum propter ſimplicitatem diuinam:& ſicut non eſt realis actualis, ita non eſt realis potentialis. Poteſt autem vocari differentia rationis, non quod ratio ſumatũr pro differentia formata ab intellectu* (id eſt pro actu diſtinguente) *ſed vt ratio accipitur pro quidditate, ſecundum quod quidditas eſt obiectum intellectus.* Hæc Scotus: & hæc omnes, qui contra Nominales ponunt ex parte obiecti reſpondere actui formalitates diuerſas: contra quos ago infra ſectione 4.

Scotiſſant nonnulli.

Verba Scoti.

§.64. Pater Vazquez,tom.2. 1.p.d. 116.3. examinans hanc Scoti ſententiam, obijcit primò eam in hoc ſenſu non admitti ab Scoticis.Secũdò,ipſum Scotum plus voluiſſe ſignificare, quàm diſtinctionem rationis: quia ſub initium eius §. *ſed hic reſtat*, ait Scotus ipſe, *& dico ſine aſſertione, & præiudicio ſententiæ melioris.* Tertiò, quia ait hanc diſtinctionem eſſe ante omnẽ actum intellectus: poſtea verò explicans, quo pacto ſit diſtinctio rationis, ait; *non pro differentia formata ab intellectu, &c.* Verum ab hoc tertio incipio, & dico, Scotum illis verbis adſtruxiſſe diſtinctionem rationis:quo pacto nunc explicatur à complurimis viris doctis; conançibus contra Nominales, illam eſſe communiſſimã ſententiam: aiunt enim, quando ego cognoſco animal ſine rationali, non modo actus eſſe diſtinctos (quos Scotus vocat differentias formatas ab intellectu) ſed etiam ex parte obiecti reſpondere diuerſas formalitates obiectiuas vt animal ſine rationali;quam vocem *formalitas* acceperunt ab eodẽ Scoto, quam ille vocat rationem quidditatis,ſecũdum quod quidditas eſt obiectum intellectus, vt patet ex fine §. præcedentis. & patebit ſect.4.Quod verò dixerit Scotus *ſine præiudicio* nihil refert: nam Scotus ſe oppoſuit ſententiæ S.Th.& Nominaliũ, non agnoſcentiũ diuerſas formalitates obiectiuas; Scotus autem primus omnium videtur vſus ea voce ad ſignificandas diuerſas formalitates reſpõdentes ex parte obiecti (vt colligitur ex Gregorio ſuprà art.2. ad medium) & propter nouitatem vocis in ea ſignificatione, videtur Scotus cautè locutus. Eum verò in hoc ſenſu non admitti ab Scoticis, tantum probat eum ab illis ſiniſtrè intellectum;ingeniumque illius propter interpretes in cõmunem incidiſſe inuidiam: at Gregorius ſupra refert à nonnullis benignè eum explicatum: & ego nonnullos grauiſſimos vidi ita ſentire: inter quo. P. Suarez.vnus pro millibus.Adde Aureol.in 1.diſt.8. p.3.art.4. §. *Reſponſio ad prædicata ſecundũ opinionem Scoti*, & vt ſalus ſit ex inimicis,adde Caietanum 3. parte q.3.art.3.§. *& per hoc patet*: qui cũ explicuiſſet diſtinctionem virtualem in Deo, hæc ſubiicit *quod abuſiuè ab alijs vocatur diſtingui formaliter ex natura rei.*

P.Vazquez. non admittit hanc expoſitionem. Eius argumenta ſoluũtur.

Sentẽtia Scoti nunc eſt communis Thomiſtis.

Siniſtrè exponitur Scotus à ſuis.

Aureolus exponit Scotum.

Item & Caietanus.

§. 65. Deinde ſubijcit Scotus, *vel alio modo poteſt vocari differentia virtualis, quia illud, quod habet realem diſtinctionem, in ſe non habet rem & rem, ſed eſt vna res habens virtualiter, ſiue eminenter, quaſi duas realitates: quia vtrique realitati,vt eſt in illa re,competit illud proprium quod ineſt tali realitati, ac ſi ipſa eſſet res diſtincta,ita enim hæc realitas diſtinguit,& illa non diſtinguit, ſicut ſi iſta eſſet vna res, & illa alia.* Ecce diſtinctionem Scoti ex natura rei explicatam ab eodem Scoto non modò eodem ſenſu, quo myſteriũ Incarnationis,& Trinitatis exponitur à Theologis, rectè ſentientibus: ſed etiam verbis ipſis. Mitto argumenta Patris Vazquez, & Greg.contra hanc expoſitionẽ,quę ex dictis facile dilui poſſunt, præſertim quod ſumitur ex eo quod Scotus neget in diuinis prædicari abſtractum de abſtracto; vt *natura eſt relatio,miſericordia eſt iuſtitia*,quia loquitur Scotus in ſenſu non idẽtico:ſed formali: ait enim Scotus, in Deo omnia eſſe rem vnam ſimplicẽ:ſed multiplicem formaliter: ergo non negat ſenſum idemticum; ſed formalem, & quidem rectè.

Alia verba Scoti.

Clariſſima Verba Scoti.

P.Vazq. Gregor.

§. 66. Secundò probatur hæc interpretatio Scoti,quia ipſe ſimplicitatem admittit, & negat compoſitionem. Tertiò, quia vocat eam diſtinctionem minimam inter eas, quæ ſunt in obiecto, quia in ſe ait, eam non eſſe actualẽ realem, nec potentialem: ſed virtualem. Hæc dixerim in gratiã acutiſſimi Scoti, vt illum vindicem à tam mala ſententia, quam ei imponunt, nec arbitror quemquam mihi ſucceſurum,quod illum ego velim communi reconciliare opinioni. In eodem ſenſu videntur admiſiſſe diſtinctionem formalem Okamus,& Gabriel, à quibus definitur apud Gabriel. in 1. diſtinct. 2. quæſt. vnica artic. 3. paulo ante finem. *Diſtinctio formalis eſt, quæ non eſt de per ſe intellectu alterius, & aliquid competit vni aliquo modo, quod non competit alteri*: ſed clariùs artic.2.exponit diſtinctionem formalem ex mente etiam Okami, vt à me exponitur, ſecundum genus diſtinctionis virtualis. §.62. & monet terminos diligenter conſiderari ad callendos Doctores ſine confuſione:& quæſt.11. art. 3. diſtinctionem hanc formalem explicat eodem modo, quo nos diſtinctionem rationis,dicit enim naturam formaliter à relatione diſtingui, tamen eas non eſſe duas formalitates, quia ly *formaliter* non reduplicat niſi noſtrum modum concipiendi: quia verò Holcot. moleſtus erat in probando, inde ſequi abſurda in Deo ait ad 7. *Manifeſtum eſt, quod hæc illatio, & ſimilis non valet; quia vel Doctor ille non acceptat,vel vult non acceptare intellectum pium loquentium de diſtinctione formali.*

Alia argumenta pro Scoto.

Gabriel & Okamus in eodem ſenſu admittunt diſtinctionem formalem.

Holcot.

SECTIO IV.

De diſtinctione rationis.

§. 67. DIſtinctionem explicamus vniuerſim per negationem vnius conceptus ab alio: *diſtingui ratione* erit, vnum conceptum intellectu non eſſe aliũ, non quia noſtra ratio affirmet vnum non eſſe aliũ: hoc enim iudicium eſſet falſum; quia illa affirmatio ſignificat obiecta à parte rei eſſe diſtincta:ſed eſt vnum conceptum non eſſe alium pręciſiuè:præſcindendo,ſiue abſtrahendo vnum ab alio, id eſt, clarè cognoſcere vnam denominationem; non

Diſtingui ratione quid ſit.

non cognoſcendo clarè, & explicitè aliam magis, quàm ſi talis denominatio, aut conceptus obiecto non conueniret; quia igitur actus attingens clarè animal, non attingit clarè denominationem rationalis; ideò ille actus eſt diſtinctio animalis à rationali. Quod etiam poteſt fieri, licet actus ſit affirmatiuus, vt cum quis dicit, hoc indiuiduum eſt animal; iudicium illud eſt præciſiuum rationalis. Atque hæc diſtinctio realis eſt, quia eſt idem actus; eſt tamen extrinſeca obiecto; quia non eſt in illo: dicitur *rationis*, quia in ratione formaliter exiſtit; ſic etiam denominatio cogniti eſt denominatio rationis, & realis extrinſeca obiecto.

Diſtinctio rationis eſt realis extrinſeca obiecto.

SVBSECTIO I.

In quo ſita ſit formaliter diſtinctio rationis.

§. 68. *Sententia cõſtituens diſtinctionem rationis in ente rationis proponitur, & impugnatur. Primum argumentum. Reſpondetur. Diſtinctio rationis non eſt propriè ens rationis, ſed reale.*

DIſtinctionẽ rationis eſſe ens rationis & non reale opinati illi, qui cenſent vnitatem vniuerſalem non eſſe actum intellectus, ſed ens rationis: quos retuli, & impugnaui diſput. 5. ſect. 7. Primum argumentum, quia diſtinctio rationis eſt ens rationis; & non reale: ergo formaliter conſiſtit in ente rationis; & non reali. Probo antecedens: quia diſtinctio rationis non eſt à parte rei; ergo non eſt ens reale. Diſtinguo antecedens. Diſtinctio rationis eſt ens rationis fictum, ſiue quod non habet niſi eſſe obiectiuè in intellectu; nego antecedens: eſt ens rationis, id eſt exiſtens in ſola ratione, & intellectu, concedo antecedens; & nego non eſſe ens reale: eſt enim actus intellectus qui eſt ens rationis effectiuè; & materialiter; quia fit & recipitur ab intellectu; & eſt ens reale. Ad probationem diſtinguo antecedens; diſtinctio rationis non eſt à parte rei intrinſecè diſtinguens obiecta à parte rei, concedo antecedens; non eſt à parte rei in intellectu diſtinguens obiecta extrinſecè, & in intellectu, nego antecedens. Dicitur autem non exiſtere à parte rei; id eſt, non exiſtit conſtituendo in obiecto negationem realem vnius extremi ab alio; ſed conſtituit negationem intentionalem: propterea ea diſtinctio eſt in ſolo intellectu & quidem S. Thom. adducendus §..... expreſsè conſtituit diſtinctionem rationis ſubiectiuè in intellectu.

Eſt diſtinctio realis extrinſeca.

Non dicitur abſolutè realis, quia non ponit negationem realẽ inter extrema.

S. Thom.

§. 69. *Secũdum argumentum.* Secundò argumentantur: in obiecto diſtincto præcedit diſtinctio virtualis, ſiue fundamentalis: ergo in ipſo debet eſſe diſtinctio formalis: patet conſequentia; quia diſtinctio fundamentalis eſt fundamentum ad formalem: ergo debent eſſe vtraque in obiecto. Confirmatur; quia obiectum eſt diſtinctum ratione, ergo in illo debet eſſe diſtinctio rationis. Nego conſequentiam. Ad probationem, diſtinguo antecedens: eſt fundamentum intrinſecum, nego antecedens; extrinſecum concedo: & nego conſequentiam: quia fundamentum intrinſecum debet eſſe cum re quam fundat: non verò fundamentum extrinſecum. Vnde fundamentum relationis tranſcendentalis non eſt adæquatè intrinſecè cum tota relatione; quæ partim eſt in termino extrinſeco. Item veritas obiectiua eſt fundamentum cognitionis; non tamen ſunt intrinſecè in eodem ſubiecto: quia eſt fundamentum extrinſecum. Confirmatio eſt infirma: quia etiam obiectum eſt cognitum ratione; & tamen cognitio non eſt in obiecto, ſed in intellectu, ita diſtinctio eſt in intellectu, quia obiectum ratione diſtingui, eſt inadæquatè cognoſci: quod formaliter in cognitione conſiſtit.

Confirmatur.

Reſpondetur. Diſtinctio virtualis eſt fundamentũ extrinſecum diſtinctionis rationis.

Ad confirmationem.

Diſtingui ratione eſt inadæquatè cognoſci.

§. 70. Secundò cenſent alij diſtinctionem rationis eſſe ſpeciem impreſſam: quia hæc conſtituit obiectũ proximè cognoſcibile inadæquatè: ergo illa eſt diſtinctio rationis. Probo conſequentiam; quia ab ea forma oritur diſtinctio rationis, quia obiectum conſtituitur objicibile inadæquatè. Aduerte, ſpeciem impreſſam non conſtituere obiectum proximè cognoſcibile formaliter; ſed efficienter, & in actu primo: quia ſpecies non eſt cognitio, aut repræſentatio formalis obiecti; ſed virtualis tantum. Quia eſt virtus potens efficere cognitionem. Vnde ſpecies impreſſa nõ verſatur immediatè circa obiecta; ſed circa cognitionem; quia non eſt repræſentatiua niſi efficiendo cognitionem.

Opinio de ſpecie impreſſa.

Obiectum per ſpeciem impreſſam eſt cognoſcibile in actu primo.

Explicatur: ſpecies in actu primo continet quod cognitio in actu ſecundo: ita vt ſpecies ſit repræſentatiua inadæquatè huius obiecti; cognitio verò eſt repræſentatio actualis inadæquata. Species eſt productiua cognitionis: ob quod cognitio actu pendet ab ſpecie. Per ſpeciem obiectum eſt cognoſcibile; at per cognitionem eſt cognitum actu, ſi cognitio exiſtit; vel cognoſcibile in potentia logica, ſi cognitio non exiſtit. §. 71.

Species in actu primo cõtinet quod cognitio in actu ſecũdo.

Hinc probo formalem diſtinctionem rationis non eſſe ſpeciem impreſſam. Quia diſtinctio rationis verſatur immediatè circa obiectum; attingens illud inadæquatè per ſe ipſam: quia eſſe diſtinctum ratione eſt eſſe ſeparatum ratione: & illud non penetrare: ſed ſpecies impreſſa nec verſatur immediatè circa obiectum; nec ſeparat vnum conceptum ab alio: ergo nõ eſt actualis diſtinctio. §. 72.

Species impreſſa non eſt actualis diſtinctio rationis.

Ad argumentum ex §. 70. diſtinguo antecedens: ſpecies impreſſa conſtituit obiectum proximè cognoſcibile, efficienter, & in actu primo proximo, concedo antecedens: illud conſtituit cognoſcibile formaliter, nego antecedens: quia obiectum eſt formaliter cognitum à cognitione actuali; & ab eadem concepta cum aptitudine ad exiſtendũ, eſt proximè formaliter cognoſcibile. Diſtinguo item conſequens: ſpecies impreſſa eſt diſtinctio rationis virtualiter, & in actu primo, concedo conſequentiam: formaliter & in actu ſecundo, nego. Ex ratione conſtituente obiectũ cognoſcibile in actu primo, oritur efficienter diſtinctio rationis; at ex ratione illud cognoſcente, & denominante cognitum, oritur formaliter diſtinctio rationis; vel potius eſt ipſa inadæquata obiecti cognitio. §. 73.

Ad argumentum. Species impreſſa eſt diſtinctio rationis virtualiter, non formaliter.

Concluſioni præmitto duobus modis poſſe duo obiecta ratione diſtingui. Primum, quando in ſe realiter diſtinguuntur; & vnum cognoſcitur ſine alio: tunc enim diſtinguũtur re, & ratione: re, quia à parte rei vnum habet negationẽ identitatis cum alio: ratione verò, quia cognitio dat vni eſſe obiectiuè in intellectu; quod non dat alteri. Itẽ quando vtrumque cognoſcitur vt diſtinctum, diſtinguitur etiã ratione; licet enim vtrumque eſt obiectiuè in intellectu; tamen non habent idẽ eſſe obiectiuum; ſed aliud realiter diſtinctũ. Alia diſtinctio rationis eſt, quando obiectum idem cognoſcitur ſecundum aliquem conceptum, aut denominationem, & non ſecũdum aliam; quæ eſt idem realiter cum prima. e. g. cum in homine ego animal cognoſco, & non rationale. Requirit ergo diſtinctio rationis duo; primum, vt extrema diſtincta ſint idem realiter; ſecundum, vt vnum cognoſcatur abſque altero; ſenſu inferiùs explicando. §. 74.

Duæ rationis diſtinctiones.

Rationis propria diſtinctio.

Dico ergo, *Diſtinctionẽ rationis eſſe actum intellectus, quo vnũ obiectum cognoſcitur ſine alio idemtificato realiter cũ illo: itaque actus ipſe abſtrahẽs vnũ ab alio eſt formaliter diſtinctio rationis.* Hæc ſententia eſt ipſiſſima B. Thomæ opuſc. 9 aſſerente in intellectu vt in ſubiecto eſſe rationes, quib. attributa diſtinguũtur. §. 75.

Concluſio. Actus inadæquatus eſt diſtinctio rationis.

 Propo

Proponam autem à §. 95. alia eiuſdem S. Thomæ teſtimonia. Huc item faciunt, quæ protuli diſp.5. à §.136.vt enim vniuerſalitas eſt formaliter in actu intellectus, ita & diſtinctio rationis.

§. 76. *Diſtinctio rationis quid ſit formaliter.* Probatur igitur concluſio: diſtinctio rationis eſt qua vnum obiectum habet eſſe obiectiuè in intellectu, & illud eſſe non habet aliud obiectum idemtificatum realiter cum illo:ſed formaliter per actum intellectus abſtrahentem, habet vnum obiectū eſſe obiectiuè in intellectu; & illud eſſe non habet aliud obiectum idemtificatum realiter cum illo: ergo actus ille abſtrahens eſt diſtinctio illorum obiectorum per intellectum. Minor eſt ſine controuerſia; quia illa cognitio denominat cognitum obiectum ſub vna denominatione, & non ſub alia idemtificata; non ſecus ac ſi eſſent duo obiecta. Maior probatur: quia diſtinctio rationis eſt per quam obiectum vnum eſt in ratione & intellectu, quin ſit in ratione & intellectu aliud obiectum idemtificatū cum primo. Vniuerſim enim diſtinctio eſt qua res vna habet eſſe in ſe, & negationem illius eſſe cum alio; vt Petri diſtinctio à Paulo eſt, qua Petrus eſt Petrus & non Paulus: ergo diſtinctio rationis animalis à rationali, eſt qua animal eſſe habet in intellectu, & illud non habet rationale: hoc autem formaliter contingit per actum abſtrahentem animal à rationali: quia ille dat eſſe intentionale vni & non alteri.

§. 77. *Secundum argumentū.* Secundò probatur:diſtingui ratione eſt cognoſci vnum ſine alio idemtificato cum ipſo: ſed hoc contingit actu abſtrahente: ergo actus abſtrahens eſt diſtinctio rationis. Antecedens conſtat primò; qui cognoſcit vnum ſine alio idemtificato,dat obiecto cognito eſſe in intellectu, & illud non dat
Indiſtinctio rationis eſt actus clarus. obiecto latenti. Secundò: quia indiſtinctio rationis eſt ipſe actus, quo clarè cognoſcitur obiectum vt eſt, quin vna formalitas abſtrahatur ab alia; ergo diſtinctio rationis eſt cognitio confuſa, qua vna formalitas abſtrahitur ab alia.

§. 78. *Obiectio refellitur.* Obijcies ex actu confuſo oriri in obiectum ens rationis, quo conſtituitur diſtinctum formaliter. Contra; ex actu claro non oritur idemtitas rationis, qua vna formalitas ſit inabſtracta, & indiſtincta ab alia: ſed obiectum eſt formaliter indiſtinctum per cognitionem rei vt eſt: ergo nec ex actu obſcuro oritur ens, quo obiectum ſit diuiſum, ſed id fit ipſa cognitione. Probo conſequentiam: quia illæ cognitiones ſe ipſis habent effectus formales oppoſitos: ergo diſtinctio & indiſtinctio rationis conſiſtit in illis:quia diſtinctio eſt ob obſcuritatem; indiſtinctio verò ob claritatem: quia claritas attingit adæquatè obiectum vt eſt: obſcuritas autem inadæquatè & aliter ac eſt.

§. 79. *Ens rationis ſupponit diſtinctionē.* Deinde oriatur ens rationis ab actu obſcuro;illud cur erit diſtinctio? aut quod eſſe dat vni formalitati quod neget alteri? Nam iam ſupponit ea obiecta concepta aliter ac ſunt; & cognitum alterum ſine altero: non ergo conſtituit diſtincta, ſed ſupponit: quia iam ſupponit alterum cognitum & habens eſſe in mente, quin aliud ſit cognitum,aut habens eſſe in mente.

§. 80. *Confirmatio ex actu abſtrahente.* Confirmatur; animal eſt abſtractum à rationali formaliter per actum attingentē vnum quin alterum:ſed obiecta eſſe ratione diſtincta & abſtracta ratione ſunt formaliter idem.ergo. Maior propoſitio eſt certa: quia actus abſtrahens denominat obiectum *abſtractum*; ſiue cognitum ſine ſingularibus, aut ſine differentijs. Minor probatur: quia actus abſtrahens conſtituit formaliter animal ſine differentijs; & naturam ſine ſingularibus:quia facit naturam eſſe in mente quin in mente ſit differentia. Actus verò cōtrahens facit naturam ſingularem. Nam in actu abſtrahente eſt animal,& non rationale: in contrahente autem eſt vtrumque.Ob hoc iſte actus facit indiſtinctionem: ergo & ille
diſtinctionem. In phyſicis prior natura eſt diſtin- *Diſcrimē ſeparationis phyſica & rationis.*
ctio quàm ſeparatio:quia vnio eſt poſterior diſtinctione, & ſeparatio poſterior vnione. At in intellectu idem eſt formaliter diſtingui & ſeparari:quia actus ſeparãs,& abſtrahens,eſt qui dat eſſe vni obiecto in intellectu, & illud non dat alj obiecto:& cum hæc diſtinctio non ſit niſi metaphorica, non ſeruat omnes leges phyſicæ, & propriæ diſtinctionis.

Eſt igitur *diſtinctio rationis* actus intellectus con- §. 81.
fuſus circa obiectum abſtrahens in illo vnam rationem ab alia; ſiue attingens vnam formalitatem ab alia. Quod qua ratione contingat eſt explicandum: eſt enim grauis controuerſia inter Nominales atque Thomiſtas: quos examinandos ſuſcipio.

Pat. Franciſcus Suarez tom.1. in 3. part.diſp.5. §. 82.
ſect.1. initio ait,ordinē rationis in diuinis decretis *Quid contra Nominales.*
negari à Gabr. in 3. diſt. 2. quæſt.vnica art.3.dub. P. Suarez.
3.ad argumentum Scoti & ab Okamo in 1.diſt.9. Gabriel.
quæſt.3.&1.part.lib.1.de eſſentia Dei,cap.13.n.2. Scotus.
ait à Nominalibus ſignificari interdum, attributa Okamus.
Dei inter ſe & ab eſſentia nec ratione diſtingui: idem de illis affirmat P. Vazquez tom.2. 1.part.d. P.Vazquez.
117.c.1.multiſque videntur Nominales negaſſe & diſtinctionem rationis,& naturas vniuerſales. Sed longè illi aliter ſentiunt, & (vt rectè P.Suar. eo c. 13. n.5.)ſola loquendi ratione à communi ſententia differre videntur.

Ac primùm Gabr. adductus à P. Suarez in 3. & §. 83.
præſertim d.19.art.2.concluſ.4.non negat rationis *Gabriel explicatur.*
diſtinctionem inter diuina decreta: ſed affirmat ordinem prioris,& poſterioris non tam in illis decretis reperiri,quàm in actibus noſtris,ordine quodam eumdem diuinū actum concipientibus, quod infra patebit eſſe verum; at in 1.d.2.q.1.art. 2. ait attributa diuina nullo modo diſtingui, nec inter ſe, neque ab eſſentia. Intelligitur autem de diſtinctione *ex natura rei*. Titulus enim eius q.1.eſt,*vtrū ſit idemtitas ex natura rei inter eſſentiam & attributa?* Huic autem quæſtioni ſic reſpondet. *Pro articulo ſecundo reſpondetur ad titulum quæſtionis affirmatiuè*, &c. cum ergo quæſtio ſit de idemtitate ex natura rei:eius ſolutio eſt de eadem idemtitate.Immo verò ea q. 1. videtur cum Okamo admittere diſtinctionem formalem inter naturam, & relationes, quam negat inter attributa, & naturam; quia natura & relatio habent à parte rei prædicata, quaſi contraria; ſecus attributa, & natura. De diſtinctione ex natura rei clariùs loquitur eadem d. 2. q. 11.art.1.& 2.concl.2.

Imò Gabr. idem ea q. 11. art.3. dub.2. & 3. ex- §. 84.
preſſè admittit diſtinctionem formalem inter na- Gabriel.
turam, & relationem, eámque explicat per varios modos, quibus de Deo formamus conceptus, ita vt tota diſtinctio non ſit in Deo:ſed in noſtro modo concipiendi, à quo Deus denominatur extrinſecè, diſtinctus: in fine autem quæſtionis ait,ſe ab alijs nō tam in re differre, quàm in modo loquen-
di.Okamus autem in 1.d.2.q.3.& 4.negat attribu- Okamus
ta diuina in ſe ratione diſtingui; & vniuerſim ait *explicatur.*
q. 4. nullam rem poſſe à ſe ipſa ratione diſtingui. Verùm hoc non negat, noſtrum intellectū diuerſimodè verſari circa obiectum idem;neque in noſtro intellectu eſſe diſtinctionē rationis, quin eam admittit:ſed ait per eam diſtinctionem non eſſe in obiecto diſtinctionem vllam, nec pluralitatē conceptuum obiectiuorū; ſed vnum eundemque con-

ceptum

Maior & alij explicantur.
Gregorius.

ceptum obijci omnibus actibus, quod veriſſimum eſſe, mox probabo. In eo ſenſu loquitur Maior, & cæteri. Nominales: inter quos Gregorius Ariminenſis dilucidè, atque præclarè ſuam ſententiam explicat atque confirmat in 1. d. 8. q. 2. art. 1. & 2. Nam art. 1. ait, obiectum ſignificatum per actus diſtinctos, non eſſe, aggregationem conceptuũ realiter eorundem, & ratione diſtinctorum; quia pluralitas non eſt in obiectis: ſed in conceptibus formalibus, & initio artic. 2. ait attributa diuina ratione, immo & rationibus inter ſe diſtingui; ſed ait eam alietatem attributorum nõ ſupponere pro eo, quod importatur in Deo: ſed attendi præciſè penes extrinſeca connotata.

§. 85.
Fundamentũ diſtinctionis rationis frequenter ſunt connotata.

Quorum ſententiam ſic expono. Fundamentum huius diſtinctionis communiter ſunt diuerſa connotata, quæ reſpicit obiectum: verbi gratia, fundamentum diſtinctionis rationis in cauſa ſunt diuerſi effectus ab ea cauſa procedentes: & ad diſtinguendos in effectu diuerſos conceptus, ſunt diuerſæ cauſæ: à quibus diuerſimodè oritur. Exempli gratia: ratione diſtinguitur voluntas ab intellectu: diuina miſericordia à iuſtitia: animal à rationali. Fundamentum præbent intellectio, & volitio: punitio & miſeratio: ſenſio, atque diſcurſus. A quibus effectibus illorum cauſæ diuerſas habent denominationes: vt ab intellectione anima dicitur intelligens, & ab amore amans: Deus autem à punitione dicitur iuſtus: & à miſeratione miſericors: homo verò à ſenſione dicitur ſentiens, & à diſcurſu ratiocinans. Ergo, quando concipio intellectionem ſolam orientem vitaliter ab anima, ſiue actu oriatur, ſiue potentia, tunc concipio clarè animam eſſe intellectiuam: quia intellectio vitaliter oriri non poteſt, niſi à principio intellectiuo: tunc autem non concipio animam eſſe voluntatem, quia vt habeam hunc conceptum, opus eſt vt cognoſcam volitionem, quia voluntas ſub iſta denominatione reſpicit volitionem. Quando verò volitionem concipio, tunc clarè concipio voluntatem; à qua vitaliter oritur volitio. Idem proportione dixerim de iuſtitia; & miſericordia Dei comparatione ſuorum effectuum: ſimiliter de animali & rationali comparatione ſuorum. Idem etiã patet in effectu, exempli gratia, concipio actum vitalem ſupernaturalem: quando concipio potentiam vitalem vitaliter operari, concipio actum vitalem: & quando concipio actum vitalem vt vitalem, concipio illum oriri à potentia vitali; in eo autem conceptu non cognoſco formaliter ſupernaturalitatem. Quando verò concipio, actum eſſe à principio ſupernaturali, dico illum eſſe ſupernaturalẽ. Hæc omnia cõmunia ſunt cuiuis opinioni.

Communia vtrique ſententiæ.

Propria Nominalium.

Aiunt præterea Nominales: actum illum, quo concipio animam cum intellectione, & quo ego cognoſco, animam eſſe intellectum, non partiri nec diuidere animam, ita vt concipiat intellectum ſine voluntate; nec miſericordiam Dei ſine iuſtitia: nec animal ſine rationali; ſed aiunt illo actu totam animam, voluntatem, & omnia prædicata identificata cum anima cognoſci in ordine ad intellectionem: quando verò cognoſcitur voluntas, cognoſci etiam intellectum in ordine ad volitionem. Itaque intellectus ex parte animæ non eſt vnũ obiectum, & voluntas aliud: ſicut non eſt aliud ſubiectum dulce, aliud album: ſed album & dulce ſunt idem omnino ſubiectum, affectum albedine, & dulcore: ita voluntas eſt anima cognita connotando volitionem; & intellectus eſt eadem anima & idem obiectum connotans intellectionem, & ratione horum connotatorum intellectus ratione diſtinguitur à voluntate. Quia ratio, ſiue cognitio, quam formo de intellectu; licet immediatè attingit etiam voluntatem, & cognoſcit in ordine ad intellectionem, tamen nõ cognoſcit, animam eſſe voluntatem: quia ly, *cognoſcit eſſe*, ſignificat clarè cognoſci animam ſub denominatione & connotatione ad volitionem: quia voluntas ſub hac denominatione reſpicit volitionem: & quia per illum actum non cognoſco volitionem: ideo, licet cognoſco voluntatem, non tamen cognoſco, eam eſſe voluntatem. Noſtri enim conceptus ſunt imperfecti, & dum non penetrant omnes effectus cauſæ; vel omnes cauſas effectuum, non adæquantur obiecto, ſed dicuntur illud partiri & diſtinguere: non quidem ratione eiuſdem obiecti, in ſe & in recto: ſed ratione connotatorum ex quorum ignoratione ignorantur prædicata, quæ ſumuntur ab iiſdem extrinſecè connotatis: licet immediatè cognoſcantur cum alijs effectibus. Recognoſce in diſp. 5. §. 127.

Cognitio clara concipit quid ſit obiectum.

SVBSECTIO II.

Sententia Nominalium.

ITa Nominales cognitioni de animali, dicunt ex parte hominis in recto reſpõdere animal rationale, & omnia quæ ſunt idem realiter cum illis. Ita vt ille actus nulli formalitati det denominationem cogniti immediatè, & formaliter; quin formaliter, & immediatè eamdem non det toti entitati eius obiecti: ſic qua ratione animal terminat cognitionem illam, eadem eandem terminat rationale, Petreitas, & cæteræ formalitates. ita vt nulli ex illis conueniat carentia terminationis formalis, & immediatæ. At verò cognitioni animalis reſpondent ex parte obliqui connotati ſenſiones; quæ ſunt cauſa obiectiua, ob quam cognitio illa totum obiectum denominat animal: quia penetrãs ſenſiones eſſe effectus vitales eius obiecti cognoſcit, illud eſſe animal: quod penetrat ex effectibus, qui in ſolo reperiuntur animali. Cognitio ergo de animali ex parte obiecti habet idem omnino in recto; nempe totum Petrum; ac cognitio de rationali: ſed hæc attingit in obliquo diſcurſum; illa verò ſenſionem.

§. 86.
Omnes formalitates obiectiuæ terminant eumdem actum.

P. Vazquez 1. part. diſt. 117. cap 1. obijcit, hinc nullam ſequi diſtinctionem in obiectis ipſis: nam connotata ſunt omnino extrinſeca, ergo ex illorum diſtinctione nulla diſtinctio ſequitur in obiecto illa connotante: patet conſequentia ad hominem, quia per Nominales ex diſtinctis actibus rationis, quia ſunt extrinſeci obiectis, nulla diſtinctio ſequitur in obiectis. Obijcit ſecũdo, hinc ſequi attributa diuina non diſtingui inter ſe, niſi ſolo nomine: quia aliqua attributa connotant eoſdem omnino effectus; oſtendi enim diſput. 5. de anima, intellectum, & voluntatem verſari circa idem omnino obiectum ſub eadem ratione formali obiectiua. Obijcio tertiò hinc ſequi diſtinctionem realem in obiecto, dum refugimus diſtinctionem rationis: nam connotata realiter diſtinguuntur ergo ſi obiecta diſtinguuntur per connotata, etiam diſtinguuntur realiter: Obijcio quartò, hinc non ſequi rationis diſtinctionem, quia obiectum idem cognoſci per diuerſa connotata, quid refert, vt dicatur diſtingui? Immo hinc obijcio quintò, etiam obiectum diſtinctum iri per duos actus realiter diſtinctos: licet vterque habet eadem connotat, ſicut diſtinguitur per actus repræſentantes connotata diuerſa.

§. 87.
Obiectio.
P. Vazquez.

Secunda obiectio.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

§. 88. *Ad primum. Ex diuerſis connotatis nulla ſequitur diſtinctio in obiecto.*

Ad primum concedo ſequelam: nec enim volumus ex diuerſis connotatis oriri diſtinctionem vllam in obiecto: nec enim ad hoc connotata requiro: ſed vt ſit diſtinctio & diſſimilitudo in actibus rationis: Ratio à priori, quia diſtinctio rationis non eſt in obiecto, ſed in ratione, quæ eſt intellectus: at ratio, qua cognoſco animam cum volitione, & denomino voluntatem, diuerſa eſt à ratione, qua eamdem animam cognoſco cum intellectione; hoc diſcrimen harum rationum oritur ex connotatis: non verò in obiecto. Cur autem ex his connotatorum notitijs dicatur obiectum ratione diſtinctum, dicam ad quartam obiectionem.

Cõnotata requiruntur ad diſtinctionem actuum.

§. 89. *Ad ſecundã. Quomodo diſtinguantur attributa circa idem obiectum. Intellectus & voluntas Dei quo pacto diſtinguantur.*

Ad ſecundam obiectionem nego ſequelam; nam attributa tendentia in obiectum idem, diſtinguuntur, quia concipiuntur per ſpecies voluntatis, & cognitionis creatæ: quæ realiter diſtinguuntur. Per quas ſpecies formo illarum conceptum de intellectu Dei, eumque concipio noſcentem, quin per illum actum eum cognoſcam eſſe volentem: non minus; quàm ſi voluntas & intellectus haberent connotata diuerſa. Ad hanc enim diſtinctionem ſufficit quæcumque varietas cognitionum; ex quibus ego dijudicem, Deum cognoſcere, quin per illum actum dijudicem, eum amare. Quod ita contingit. Ego enim nunc clarè concipio vnum hominem poſſibilem, quin ſciam, Deum velle eum creare.

§. 90. *Ad tertiam.*

Ad tertiam obiectionẽ nego ſequelam: ad probationem nego obiectum diſtingui per connotata: hoc enim complexum *puniens Deus* realiter diſtinguitur tum à Deo & alijs attributis: tum à iuſtitia ipſa Dei: quia *puniens* includit extrinſecam punitionem: ſicut agens actionem. Cum ergo obiectum in ſe nullo modo diſtinguatur, non diſtinguitur per connotata: nec hæc ſunt formalis ratio diſtinguendi obiectum à ſeipſo; cum ergo diſtinctio rationis non ſit in obiecto, ſed in actibus rationis; connotata requiruntur, non vt ſint ratio diſtinguendi obiecta in ſe: ſed vt tamquam obiecta diuerſa, vel alio modo cauſent rationum, ſiue actuum intellectus diuerſitatem: à qua diſtinctione rationis, obiectum dicitur ratione diſtingui.

Obiectum nõ diſtinguitur per cõnotata.

Connotata cauſant actuum diuerſitatem.

§. 91. *Ad quartã.*

Ad quartam obiectionem nego ſequelam: ad probationem dico, multum conferre diſtinctionem actuum; non quidem vt ex illa obiectum in ſe diſtinguatur: id enim eſt terminis ipſis implicari, & offendere: ſed vt ex ignoratione alicuius connotati, non penetretur obiectum: nec ſciatur, ſit ne cauſa talis effectus: verbi gratia, ego cognoſco hic eſſe hominem, quia eum audio loquentem, & reſpondentem: ego quidem Petrum audio: neſcio tamen an ſit Petrus? non quia illæ voces non formentur à Petro in quantum à parte rei eſt Petrus; ſed quia ſimulat vocem; neque ego video ſtaturam, aliaquè id genus; quæ ſi viderem, noſcerem clarè, eum eſſe Petrum. Ecce per illum actum cognoui clarè eum eſſe hominem: at non cognoui eum eſſe Petrum, magis, quàm ſi non eſſet Petrus. Quod S. Thom. 1. p. quæſt. 2. art. 1. ad 1. ait eſſe ignorare Petrum.

Explicatio aperta.

§. 92.

Dices, ergo nõ cognoui Petreitatem. Diſtinguo; in ordine ad connotata loquendi, nego: quia Petreitas vt eſt à parte rei Petreitas, fuit principium actionum, ex quibus iudicaui eum eſſe hominem: concedo autem in ordine ad propria accidẽtia, & quia hæc accidentia ignoro, tam ignoro eum hominem quem immediatè cognoſco, eſſe Petrum: quàm ſi eum non cognoſcerem eſſe hominem: & in hoc ſenſu eſt admittendum, vnum cognoſci ſine alio, & non alia ratione. De quo latè ſubſectio 4. Ad 5. reſpondeo, negando ſequelam: non enim ſufficit quæuis actuum diſtinctio, ſed ea, per quam non concipio clarè prædicatum conuenire ſubiecto, cum tamen conueniat; vt nunc dixi ad quartam obiectionem.

Vnum cognoſci ſine alio in quo ſenſu.

Ad quintã.

§. 93. *Hæc opinio eſt multorũ. P. Suarez.*

Hæc eſt vera atque germana Nominalium opinio. Quam arbitror re ipſa ſecuros multos, qui voce eam impugnant. Ac primum P. Suarez adductus. §. 81. & multoties diſput. 5. cum aſſerat, Nominales ſolo modo loquendi ab alijs differre; planè monſtrat, ſe illorum ſententiam amplecti, reiecto illorum loquendi modo. Etenim Okamus Gabriel. Gregor. & alij negant rem vllam diſtingui ratione à ſeipſa quod primo ſono ſonare videtur non eſſe diſtinctionem rationis: qui verò rem penitius, libroſque callent, vident ijſdem verbis non negari diſtinctionem rationis, ſed eam negari in obiecto: in quo negant diuerſas formalitates obiectiuas; vnde rem tene, vocem moderare. Immò arbitror, huius opinionis eſſe Patrem Vazquez, eam acerbè mordentem: nam vbi eſt compoſitio rationis, ibidem eſt diſtinctio rationis, vt ex terminis patet: quia compoſitio in aliquo genere, cum ſit diſtinctorum vnio, non poteſt eſſe ſine diſtinctione in eodem genere: ſed ipſe P. Vazquez, 1. part. diſp. 22. cap. 1. & 3. ait compoſitionem rationis non eſſe in obiecto, ſed in intellectu; ergo diſtinctio eſt in intellectu, & non in obiecto: ergo in obiecto non eſt pluralitas conceptuum: nec compoſitio, ſed in ſolo intellectu: quod Nominales volunt.

Okamus. Gabr. Gregor. Voce negare videtur diſtinctio rationis.

P. Vazquez.

SVBSECTIO III.

Nominalium opinio eſt ſancti Thomæ.

§. 94. *Nominalium opinio eſt S. Thomæ.*

PRo hac ſententia ſtat Sanct. Thom. adductus, diſput. 2. vbi ait ens, & rationes communes differre ab inferioribus, quia hæc cognoſcuntur clarè, illæ vero confusè: præſertim adductus, diſput. 5. ſect. 10. ſubſect. 2. vbi adſtruit actum vniuerſalem immediatè terminari ad plura indiuidua vt ſimilia: quod qui negant, mouentur, quia cenſent rationes communes obiectiuè præcidi à ſingularibus.

§. 95. *Impoſitio S. Thomæ & Nominaliũ.*

At verò opuſc. 9. hanc Nominalium ſententiam ponit expreſsè. Nominales enim rationis nomine intelligunt conceptum formalem, quem formamus de obiecto: & ſic eſſe aliquid de ratione alterius, dicunt, perinde eſſe, ac eſſe de conceptione: & ratione differre, dicunt eſſe conceptione differre. B. ergo Thomas opuſc. 9. quæſt. 1. id affirmat apertè: *vnde* (inquit) *ratio vniuſcuiuſque ſignificata per nomen, eſt conceptio intellectus, eſtque in intellectu ſicut in ſubiecto, in re autem intellecta ſicut in repræſentato.* Infra autem ait, attributa diuina differre ratione propter diuerſas conceptiones intellectus noſtri, *ſed ſunt* (inquit) *idem re, quia eſſentia diuina eſt vna, & eadem quam intellectus noſter diuerſis conceptionibus repræſentat*; infra verò ait, *calumnioſè autem contra hoc obycitur, quod ipſa differentia ſapientiæ, & bonitatis in Deo ſit, & non ſolum in intellectu creato. Non enim hæc intellexit ſcribens: ſed quod in Deo, id eſt, cum de Deo dicuntur, differunt ratione, id eſt, ſecundùm diuerſas conceptiones intellectus noſtri.*

Diſtinctio rationis eſt actus ipſe ex S. Thom.

§. 96. *Opinio Tarãtaſij defenditur à S. Thoma à calumnia.*

Quæ, vt intelligas, nota illud opuſculum eſſe propugnationem aliquarum propoſitionum Petri Tarantaſij; quas nonnulli fuerant calumniati: inter quas, prima erat, *diſtinctionem rationis inter attributa eſſe in Deo*, vnde obijciebant: ergo diſtinctio

ctio attributorum eſt in Deo & non ſolum in intellectu, quod conſequens eſt opinio recentiorum Thomiſtarum: quod vt abſurdũ inferebatur contra Tarantaſium: à cuius abſurdo eum defendit S. Thomas, negatione conſequentiæ: exponens in quo ſenſu poſſit ſane intelligi Tarantaſius vltimis verbis à me adductis. Itaque Tarantaſium defendit Sanct. Thomas explicans diſtinctionem rationis exiſtere in ſolo intellectu ſubiectiuè: in obiecto autem in eſſe repræſentato: ſicut eſt denominatio cogniti: quæ eſt ſententia Nominalium. Et quæſtio 2. eius opuſculi defendit aliam Tarantaſij propoſitionem: qua dixerat, fundamentum diſtinctionis attributorum non ſolum eſſe in intellectu noſtro, ſed etiam in Deo; ait autem Sanctus Thomas. *Oportet tamen, quod aliter & aliter fundetur ſuper vtrumque. Nam rationes, quibus attributa differunt, fundantur in intellectu noſtro, quia ſunt in eo ſicut in ſubiecto, &c.* Ergo tota ratio pluralitatis eſt formaliter in intellectu, & non in obiecto. Poſtea ſubdit: *Quod autem in contrariũ obijcitur, ſcilicet id quod omnino vnum eſt, non eſſe diuerſitatis fundamentum, patet eſſe falſum ex præmiſſis. Nam eadem diuina eſſentia à diuerſis repræſentatur in intellectu, & in natura.* Ecce diuerſitatem conceptuum, quam fundat natura diuina, conſtituit Thomas non in ipſa natura diuina, ſed in illius repræſentationibus in intellectu, & extra: vbi ergo hæc multitudo formalitatum? Cur earum non meminit Sanctus Thomas, explicans diſtinctionem rationis?

Diſtinctio rationis eſt in intellectu ſubiectiuè ex S. Thom.

§. 97. Immo defendit Tarantaſium ab omni ſpecie diſtinctionis in Deo ipſo, totuſque recurrit ad diſtinctionem in ſola ratione. Clarius autem quæſtione tertia à Deo remouet omnem diuerſitatem attributorum, & loquitur de diuerſitate per intellectum: nam Tarantaſius de ea loquebatur. Quod ſi loqueretur de diuerſitate reali, non bene defenderetur à S. Thoma, illum exponẽte de diſtinctione per intellectum. Verba Sancti Thomæ, ea q. 3. hæc ſunt. *Ex iiſdem etiam patet, hoc, quod tertiò ponitur, ſanum habere intellectum; ſcilicet diuerſitas rationis, ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis fundatur in intellectu ſicut in ſubiecto: in Deo ſicut in obiecto: quod præſtat cauſam & fulcimentũ ſuæ veritati. Vt tamen intelligatur, quod præſtat fulcimentum veritati, in quantum repræſentatur per vnamquamque conceptionẽ intellectus noſtri, intelligentis huiuſmodi attributa: non autem quantum ad hoc, quod ipſa diuerſitas attributorũ repræſentet aliquam diuerſitatem in Deo, vt in contrarium obijcitur, &c.* En excludit à Deo omnẽ diuerſitatem & pluralitatem rationis, quam videbatur Tarantaſius adſtruxiſſe: eamque conſtituit in ſola ratione.

Alia verba S. Thomæ.
Diſtinctio rationis in intellectu vt in ſubiecto ex S. Thoma.

§. 98. Hæc autem ſententia Tarantaſij, qua videbatur conſtituere in Deo diuerſas formalitates obiectiuas, reſpondentes actibus præciſiuis; adeò malè audiuit, vt accuſatus fuerit Tarantaſius malæ doctrinæ apud Ioannem Vercellenſem, Generalem familiæ Dominicanæ. Qui accuſationẽ miſit Sancto Thomæ, vt animaduerteret, ſi quid eſſet in illis propoſitionibus animaduerſione dignum. Illud autem opuſculum eſt reſponſio pro Tarantaſio, quem bonus Thomas explicuit per diſtinctionem rationis. Tarantaſius autem poſuit in Deo fundamentalem diſtinctionem, quam neoterici conſtituunt; qui ex illa inferunt pluralitatẽ conceptuum obiectiuorum, reſultantem ex ea diſtinctione, & ex actu intellectus. A qua conſequentia liberat Thomas Tarantaſium. Vtinam & hi deferrentur ad iudicem, vt cogerentur deſerere opinionem: quæ per calumniam obiecta fuit Tarantaſio. E quo Scotus ſumpſiſſe videtur diſtinctionem ſuam formalem: & quia ea tam malè audierat, dixit Scotus. *ſine aſſertione & præiudicio melioris ſententiæ.* Eſt enim hæc diſtinctio neotericorum, diſtinctio Scotica.

Malè audiuit ſententia conſtituẽs in Deo plures formalitates obiectiuas.

Tarantaſius non differt à neotericis.

Scotus hauſit ſuam diſtinctionẽ ex Tarantaſio, quæ eſt recẽtium.

§. 99. Confirmo hanc eſſe mentem Sancti Thomæ; quia Tarantaſius poſuerat diſtinctionem attributorum in ipſo Deo. Hæc diſtinctio non erat realis; neque ex natura rei: (vt exponitur ab Scoticis) nam, ſi ita eſſet, illa eſſet ante operationem noſtri intellectus: & conſequenter ineptè poneretur à ſancto Thoma ſubiectiuè in noſtro intellectu; & in Deo in quantum eſt obiectum repræſentatum. Nam Scotici illam diſtinctionem non ponunt ſubiectiuè in noſtro intellectu: vt ponitur & exponitur à B. Thoma. Quid ergo potuit intelligi à Tarantaſio niſi diſtinctio plurium formalitatum reſpondentium actibus, ſicut à te ponitur? B. autem Thomas in defenſione Tarantaſij dixit, *in Deo eſſe diſtinctionem, id eſt cum de Deo dicuntur.* Item dixit rationes diſtinguendi fundari ſubiectiuè in intellectu noſtro: & in Deo ſicut in obiecto: ergo illæ rationes diſtinguendi non ſe tenent ex obiecto, ſed ex intellectu: patet conſequentia: quia illæ, quæ ſunt in Deo tamquam in obiecto, ſunt in intellectu ſubiectiuè; ergo ſunt ipſæ conceptiones: ſed conceptiones non ſe tenent ex parte obiecti, magis quàm ſe tenet denominatio cogniti, quæ eſt in obiecto vt in obiecto, quia reduplicat cognitionem ipſam.

Maior explicatio conuenientiæ neotericorum cũ Tarantaſio.

§. 100. Adde affirmari à S. Thoma in vna re fundari pluralitatem, quia vna res poteſt per diuerſas formas repræſentari: ergo non fundat pluralitatem in ſe: ſed in formis repræſentantibus: quæ repræſentant eamdem naturam diuinam. Item homo, qui repræſentat Deum, non repræſentat vnã formalitatem, & Angelus aliam: ſed vterque eumdem Deum: ſimiliter ait S. Thomas repræſentari Deum formis diuerſis in intellectu & extra illum. Legantur quatuor primæ quæſtiones illius opuſculi 9. Vbi videbitur accuſata hæc recentiorum opinio, & ab ea excuſatus Tarantaſius tamquam à mala doctrina; & explicatus per noſtrum philoſophandi genus, & diſtinctionem rationis. Ex quo opuſc. explicanda eſt diſtinctio rationis S. Thomæ. Qui tantum differt à Nominalibus, quod hi negabant obiectum diſtingui, S. autem Thomas ait diſtingui in ratione obiecti; quod Nominales non negant, quia perinde eſt ac diſtingui cognitiones, quæ reduplicantur illa reduplicatione: illi autem agunt de obiecto ſpecificatiuè: non reduplicatiuè, quod etiam fatetur Sanct. Thomas.

Accuſata recentiorũ opinio; & ab ea vendicat S. Thomas Tarantaſium.
Componitur S. Thom. cum Nominalibus.

§. 101. Pro hac ſententia Gregor. ſupra multos adducit, præſertim Magiſtrum. Eam ſequuntur è noſtris plures, & docti, & acuti, quam ſecuti ſunt Gofredus quodlib. 7. quæſt. prima, & Heruæus quodlib. 3. quæſt. 3. Quos refert Aureolus in primum diſtinct. 8. parte 3. artic. primo, quibus ipſe ſubſcribit initio artic. 3. explicans diſtinctionem rationis eo modo quo Nominales. Cui doctrinæ fauet apertè Caietan. 3. p. quæſt. 3. artic. 3. §. *Nota hic.* admittens duas abſtractiones: alteram ex parte obiecti & intellectus, alteram verò ex parte intellectus tantum. Primam ait conſtituere aliquam diſtinctionem in obiecto, vt inter animal & rationale, quæ arbitratur ex parte ſui aliquo modo eſſe diuerſa: ſecundam verò ait eſſe tantum in intellectu, nec illi reſpondere ex parte obiecti aliquam diſtinctionem; ſed vnam rem eminenter continentem plures, & §. *in reſponſione ad tertium* ait,

Gregor. Magiſter. Gofredus. Heruæus. Aureol.
Caietàn.

Caietanus nõ admittit in Deo compoſitionẽ rationis: ſecus in creaturis.

ait, *& quia in Deo nulla eſt compoſitio ſiue ſecundum rem, ſiue ſecundum rationem ex parte obiecti.* Hanc nubem teſtium adduxi pro hac ſententia vt videant nonnulli eam per tragædias aſpernantes, quàm longè abſit & à nouitate & orphanitate.

SVBSECTIO IV.

Hæc opinio probatur primò.

§.105. *Obiectũ ſpecificatiuè, & reduplicatiuè.* *Specificatiuè non includit cognitionem.*

PRobationi præmitto, obiectum bifariam ſumi: ſpecificatiuè, & reduplicatiuè in ratione obiecti: ſpecificatiuè ſignificat ſpeciem illam, vel entitatem quæ terminat cognitionem, cum prædicatis illi conuenientibus ante eam cognitionem, & ſine dependentia ab illa: verbi gratia, quando cognoſco hominem, obiectum eius cognitionis eſt homo cum ſuis intrinſecis prædicatis, quæ per eam cognitionem attingo: in quo ſenſu nullum prædicatum aut effectus vllus eius cognitionis, conuenit homini, nec alijs obiectis. Reduplicatiuè in ratione obiecti ſignificat entitatem obiecti inuoluentem iam vel denominationem, vel effectum aliquem pendentem à cognitione: oſtendi enim diſputatione prima logicæ, ſectio. 4. & diſput. 5. & 9. de anima, obiectum in ratione obiecti eſſe idem quod cognitum in ratione cogniti; quod iam cognitionem inuoluit. In hoc autem complexo *homo cognitus* quædam ſe tenent ex parte obiecti: quædam verò ex parte actus: ita vt ea quæ ſe tenent ex parte actus, non ſe teneant ex parte obiecti, nec è contra. Si verò reduplicatur obiectum in ratione obiecti, implicat facere illam diuiſionem, quia in obiecto vt obiecto includitur cognitio: verbi gratia, *homo cognitus* includit & rem denominatam, & actum denominantem: res denominata ex parte vna, ſe tenet ex parte obiecti, ex alia verò ex parte potentiæ ſe tenet forma denominans: at vero *homo vt cognitus* non poteſt ſe tenere ex vna parte, & cognitio ex alia: quia hæc includitur formaliter in homine vt cognito, ſicut albedo in albo vt albo: quæſtio igitur eſt, quid ſe teneat ex parte obiecti ex vna parte, quod terminet cognitionem præciſiuam? Quid verò ex alia parte eiuſdem cognitionis? Et in hac ſuppoſitione nõ ſumitur obiectum reduplicatiuè ſed ſpecificatiuè: quia fit comparatio ex illo & cognitione vt diſtinctis, & vt ſe mutuò excludentibus.

Reduplicatiuè inuoluit cognitionem. *Obiectum in ratione obiecti eſt cognitum formaliter.* *Quædam ſe tenẽt ex parte obiecti; quædam ex parte actus: alia verò ex parte vtriuſque.* *Quæſtio in quo ſit.*

§.103. *Opinio aduerſariorum explicatur.*

Secundò præmitto, ſententiam quam impugno adfirmare cognitionem præciſiuam habere virtutem partiendi obiectum in duas formalitates: verbi gratia, hominem realiter inſectilem, cognitione diuidi in animal & rationale; ita vt vna cognitio immediatè formaliter cognoſcat animal ſine rationali: alia verò cognitio rationale ſine animali: ita vt non modo cognitiones ſint diſtinctæ realiter, verum etiam & in obiectis ſint diſtincti conceptus obiectiui: diſtincti (inquam) non realiter, nec ex natura rei; ſed formaliter per actum intellectus: patebit hoc ex varijs eorum ſententijs.

§.104. *Diſtinctio per cõnotata.*

Dicunt viſionem poſſe cognoſci; & vt denominat videntem; & vt denominat viſum: quando cognoſcitur vt denominans potentiam videntem, eadem formalitas cognoſcitur ex parte viſionis, quæ, quando cognoſcitur denominans viſum; quia ab eadem omnino formalitate vtrumque denominatur. Quem modum concipiendi vocant, *diſtinctionem rationis per connotata.* Qui quidem non poſſunt vti nec argumento nec authoritate Patris Vazquez impugnantis iſtum modum diſtinctionis (vt vidiſti. §. 87.) Item dicunt nonnulli illius factionis (non enim omnes) ens & accidens non habere duos conceptus obiectiuos, ſed vnum immediatè cognitum per actum confuſum; quo cognoſcitur ſubſtantia immediatè ſimul cum accidente ſub ratione entis. Item per actum clarum, quo clarè cognoſcitur accidens, vel ſubſtantia: in quo obiecto aiunt non reperiri plures conceptus obiectiuos, ſed vnum bifariam cognitum. At verò quando cognoſcitur animal, & rationale, non dicunt contingere quod in viſione & ente; ſed animal eſſe vnum conceptum, & formalitatem obiectiuam, quæ dicitur animal; & immediatè formaliter reſpondet conceptui formali de animali; & rationale eſſe aliam; dicunt tamen conceptu de animali cognoſci remotè & materialiter rationale: quia eſt à parte rei idem cum animali; non verò formaliter immediatè, quia eſt alia formalitas.

P. Vazquez. *Plures formalitates obiectiuæ.*

§.105. *Diſtinctio formalitatũ explicatur per prædicata contradictoria.*

Quæ ſententia clarius exponitur per prædicata contradictoria. Dicunt cognitione formali de animali attingi immediatè, clarè, & formaliter formalitatem obiectiuam animalis; formalitatem autem obiectiuam rationalis non attingi eo actu immediatè, clarè, aut formaliter: ſed veras eſſe in eo caſu has propoſitiones. *Animal cognoſcitur clarè, immediatè, & formaliter: rationale non cognoſcitur clarè, immediatè, & formaliter.* Eſt ergo ex parte obiecti animal terminans immediatè cognitionem, & rationale eam non terminans. Rationale autem eam terminat idemticè, & materialiter; non quod cognoſcatur per illam, nec illam terminet in ſuo conceptu; ſed quia animal eam terminat, quod eſt idem cum rationali. At hæc idemtitas non tollit quo minus animal & rationale non habeant ea prædicata contradictoria.

§.106. *Impugnatur ea ſententia: & Nominalium propugnatur.*

Hanc ergo ſententiam impugno, ac propugno Nominalium: primò à priori, explicans diſtinctionem rationis: quæ eſt formaliter in intellectu, & non in obiecto, ergo obiectum eſſe ratione diſtinctum, non eſt formaliter in obiecto, ſed in intellectu, ergo diſtinctio conceptuum non ſe tenet ex parte obiecti. Conſequentia patet; quia vbi non eſt ratio, per quam aliquid ſit formaliter diſtinctum, non poteſt aliquid eſſe diſtinctum: quia diſtinctum eſt formaliter à diſtinctione, ſicut album ab albedine, & vbi non eſt albedo, non poteſt eſſe formaliter album; ergo ſimiliter vbi non eſt formaliter diſtinctio, non reperitur hic effectus formalis *ratione diſtinctum*, ſed diſtinctio rationis non eſt formaliter in obiecto, ergo eius effectus formalis non eſt formaliter in obiecto. Probo minorem (quæ etiam eſt primum antecedens,) quia omnis actus intellectus eſt formaliter in intellectu, & non in obiecto: vt ex terminis patet: ſed diſtinctio rationis eſt actus intellectus: ergo diſtinctio rationis eſt formaliter in intellectu, & non in obiecto. Minor ab omnibus datur, maximè à S. Thom. eo opuſcul. 9. aſſerente, rationes diſtinguendi eſſe ſubiectiuè in intellectu: ac probatur: quia diſtinctio rationis communiter diffinitur ſeparatio ratione vnius conceptus ab alio (vt. §. 52. explicabo,) ergo eſt abſtractio & conſideratio vnius ſine alio: id enim ſignificat diſtinguere: ſed id fit formaliter per actum intellectus, ergo diſtinctio eſt actus intellectus: minor patet ex terminis: ratio enim quo pacto conſiderat imperfectè obiectum non attingens vel omnes eius formalitates; vel omnia eius connotata, niſi formaliter per intellectionem? Da enim mihi actum attingentem obiectum imperfectè, ita vt nõ attin-

In obiecto nõ poteſt eſſe pluralitas formalitatũ.

gat

gat aliquam eius formalitatem (in tua ſententia) vel aliquod connotatum (in mea opinione) ille actus ſe ſolo abſque alio ente reali aut rationis, eſt ſeparatio vnius prædicati ab alio: totaque diſtinctio rationis. Nec arbitror poſſe hoc in dubium reuocari.

§.107. *Obiectio.*

Dices, diſtinctionē formaliter eſſe in intellectu; ab ea tamen communicari obiecto eius effectum formalem: ſcilicet eſſe diſtinctum: ſicut cognitio eſt formaliter in intellectu: à qua tamen obiectum dicitur cognitum. Formæ enim intentionales, extrinſecè communicant obiectis formales ſuos effectus.

Reſponſio.

Contra: ergo illa diſtinctio non attingit duas formalitates ſibi reſpondentes ex parte obiecti: vt obiectum condiſtinguitur adæquatè à cognitione (vt præmiſi. §.102.) patet conſequentia: quia obiectum, vt adæquatè diſtinguitur à cognitione, non habet plures formalitates: ergo cognitio vt adæquatè diſtincta ab obiecto, non attingit plures formalitates: quia quæ non ſunt in obiecto, implicat attingi per cognitionem: probo antecedens: quia ſine pluralitate fomalitatum non poſſunt eſſe plures formalitates: quia in ratione plurium conſtituuntur per pluralitatem: ſed in obiecto vt adæquatè diſtincto à cognitione, non eſt pluralitas formalitatum, ergo nec formalitates plures: probo minorem, quia ipſæ cognitiones ſunt pluralitates formalitatum: ipſæ enim ſunt diſtinctiones, diſtinctio autem, qua ratione eſt diſtinctio, eſt pluralitas: quia diſtinctio conſtituit plura, ſed cognitiones non ſunt in obiecto vt adæquatè diſtincto à cognitionibus ipſis: ergo pluralitas formalitatum non eſt in obiecto, vt diſtinguitur à cognitione. Cum ergo cognitio terminetur ad obiectum, & non ad ſe ipſam: rogo per quam rationem conſtitutum fuit obiectum in ratione plurium formalitatum, quæ cognitione attingantur? Non per cognitionem ipſam, vt probaui: quia hic fit comparatio inter cognitionem & obiectum, vt adæquatè diſtinguuntur: ergo per aliam diſtinctionem ſe tenentem realiter in obiecto; ac proinde relabuntur hi autores in ſententiam, quam contra Scotum impugnant.

Nec obiectū habet, nec cognitio attingit plures formalitates.

Diſtinctio eſt pluralitas ac propterea non ſunt in obiecto plures formalitates.

§.108. *Cognitio non terminatur ad obiectum vt cognitum.*

Quod verò afferunt de cognitionis effectu formali, eſt contra eoſdem: quia cognitio denominat obiectum cognitum; ſed non terminatur ad illud vt cognitum: ſed vt eſt à parte rei: nec cognitio aut denominatio cogniti ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte intellectus: nam cōparando obiectum cum cognitione, non dicimus ex parte obiecti ſe tenere denominationem cogniti, nec illius effectum formalem, qui eſt eadem denominatio: ergo ſimiliter, ſi cognitio eſt diſtinctio obiecti, nō reſpondet diſtinctio ex parte obiecti: nec illius formalis effectus: nec plures conceptus obiectiui: quia hæc pluralitas inuoluit cognitionē; ſicut cognitum. Vnde ſicut eſſe cognitum non ſe tenet ex parte obiecti, ſed intellectus: ita nec eſſe diſtinctum: & quemadmodum effectus formalis cognitionis non eſt in obiecto, quia eſſe cognitū eſt denominatio extrinſeca exiſtens in intellectu, ac proinde eſt extra obiectum, ita eſſe diſtinctum eſt denominatio extrinſeca obiecto, exiſtens in intellectu, ac proinde eſt extra obiectum: quod verò dixit S. Thomas, diſtinctionem eſſe in obiecto ſicut in repræſentato: tantum fuit vt defenderet Tarantaſium ab accuſatoribus: ac voluit eſſe denominationem extrinſecè conuenientem obiecto: dixit enim ibidem eam diſtinctionem eſſe ſubiectiuè in intellectu: propriè autem non eſt in obiecto, ſed ad illud terminatur: viſio enim non eſt in colore, ſed in oculis: imo potius obiectum dicitur eſſe obiectiuè in cognitione, quàm cognitio in obiecto.

Eſſe diſtinctū non ſe tenet ex parte obiecti.

Exponitur S. Thomas.

En argumentum, vbi non eſt diſtinctio rationis, non eſt pluralitas formalitatum: ſed diſtinctio rationis eſt in intellectu & non in obiecto, quia eſt actus diſtinguens: ergo pluralitas non eſt in obiecto, ſed in intellectu: nec in obiecto ſunt plures formalitates: quæ eſſe non poſſunt ſine pluralitate.

Argumentū in forma.

SVBSECTIO V.

Secundum argumentum.

§.109. *Secundum argumentū. Non cognoſcitur animal ſine rationali.*

Secundò ſic argumentor: ſumo ex vna parte actum, quo cognoſco rationale: & alium, quo cognoſco animal: ex alia verò parte ſumo animal, & rationale. Antequam cognoſcatur animal, non habet ex parte ſui aliquid, per quod formaliter ſit aliud à rationali: ergo cognitio de rationali non attingit illud quaſi aliud ab animali, & conſequenter non cognoſcit animal ſine rationali: antecedens eſt certum aduerſarijs: alioquin manus darent Scoticis diſtinguentibus eos conceptus formaliter ante actum noſtri intellectus: conſequentiam probo: quia non poteſt cognoſci rationale ex parte ſui quaſi aliud formaliter ab animali: niſi ex parte rationalis ſit aliud ab animali: & habeat per quod ſit aliud: ſicut non poteſt cognoſci vt album, niſi habeat albedinē. Nec enim contendo cognoſci rationale reflexè vt diſtinctum ab animali, ſed contendo rationale non eſſe aliud obiectum ab animali: nec poſſe dici, per cognitionem de rationali cognoſci vnum, quin cognoſcatur aliud: quia rationale ex parte ſui nec eſt aliud ab animali, nec habet alietatem.

§.110. *Obiectio ex diſtinctione fundamentali.*

Dices, ante cognitionem animal eſſe aliud fundamentaliter à rationali: formaliter tamen eſſe aliud per cognitionem ipſam.

Reſponſio prima. Repugnat tale fundamētum.

Contra primò, eſſe fundamentaliter aliud, nihil eſt, niſi eſſe fundamētum vt cognitio attingat vnum ſine alio: atqui repugnat tale fundamentum: ergo. Probo minorem: quia vbi non eſt aliud & aliud ex parte obiecti, non poteſt fundari cognitio alius ſine alio: ſed in obiecto non eſt aliud & aliud: ergo nō præcedit tale fundamentum. Minor eſt certa, neque enim nunc recurrendum ad fundamentalē diſtinctionē: quia ea nunc impugnatur. Mai. patet: quia obiectum non fundat cognitionem eorum, quæ non ſunt in ipſo: ſed in ipſo nō ſunt aliud & aliud, ergo non fundat cognitionem alius ſine alio. Fundat quidem homo cognitiones animalis & rationalis, quia ſunt in ipſo: at cognitionem animalis ſine rationali, vel vnius obiecti quod ſit animal & alius quod ſit rationale, non fundat: quia nec eſt animal ſine rationali, nec ab illo aliud: en hæc ſolutio eſt eadem cum ſententia Tarantaſij accuſati à Dominicanis, & defenſi à S. Thom. & ab eius impoſitione vindicati, vt patet à §.95.

§.111. *Secunda reſponſio.*

Contra ſecundò, rationale quando cognoſcitur, eſt ex parte ſui aliud formaliter ab animali: ergo quando cognoſcitur habet ex parte ſui alietatem formalem: patet conſequentia: quia non poteſt ex parte ſui eſſe aliud formaliter, quin etiam ex parte ſui habeat formalem alietatem: ſicut ex parte ſui non poteſt habere effectum formalē, quin ex parte ſui habeat etiam formalem rationem illius. Sed quando cognoſcitur, non habet ex parte ſui alietatem formalem: ergo ex parte ſui non eſt aliud formaliter. Probo minorem. Alietas formalis eſt eadem cognitio, quia eſt formaliter diſtinctio:

Obiectum nō habet alietatem ex parte ſui.

ctio: ſed hanc non habet rationale ex parte ſui (vt monſtraui. §. 106. & 107.) ergo ex parte ſui non habet rationale alietatem formalem.

§. 112. *Explicatur exemplo.* Explicatur in hoc complexo *album*: quod eſt ex parte ſubiecti paries, verbi gratia, & ex parte formæ albedo. Albedo conſtituit quidem parietem album, at verò non vnitur parieti vt albo, ſed parieti, quem facit album. Itaque non eſt ex parte ſubiecti accipiendus paries albus, & ex alia parte albedo. Quando ergo rogamus, *cui vnitur albedo?* Non reſpondemus, *parieti albo*; ſed *parieti*. Ita in hoc complexo *cognitum*, non eſt accipiendum ex parte obiecti rationale, exempli gratia, cum cognitione, ſed ex vna parte rationale: ex alia verò parte cognitio: & quando quæritur quid denominetur à cognitione? Non eſt reſpondendum denominari cognitum, ſed rationale denominari cognitum. Itidem, non eſt dicendum, conceptum diſtinctiuum terminari ad obiecta diſtincta, ſed diſtinguere obiectum. Ita vt ex parte obiecti non reſpondeat obiectum iam diſtinctum.

§. 113. *Obiectio ſecunda. Reſpondetur.* Dices, immo hinc colligitur obiectum cognitione diſtingui: bene: ſed vnde colligis in illo eſſe conceptus obiectiuos diſtinctos? Nam etiam colligitur obiectum cognoſci: non tamen colligitur ex parte obiecti reſpondere effectum formalē cogniti: ſicut ergo cognitio terminatur ad obiectum; ita & diſtinctio terminatur ad obiectum idem:

Confirmatio. Quod inde confirmo: quia illa cognitio non terminatur ad obiecta diſtincta, quia in obiectis non eſt diſtinctio: ergo terminatur ad vnum obiectum.

§. 114. *Obiectio tertia. Reſponſio prima.* Dices, ad vnum quidem realiter: ſed non ratione. Contra primò, illa diſtinctio terminatur ad obiectum vnum realiter, ergo immediatum obiectum eſt vnum realiter: ſed hic quæritur obiectum quod realiter cognitio & attingit, & denominat cognitum, ergo non eſt dicenda terminari realiter ad cōceptus obiectiuos plures, ſed ad vnum. Immo totum obiectum illud eſt formale, quia ratio formalis obiectiua eſt eadem. At eſſe formaliter aliud, vel eſt realiter in obiecto, vel non: ſi eſt: ergo diſtinctio formalitatum eſt realis, quia realiter exiſtit: ſi non eſt, quo modo eſt in obiecto ita vt faciat vnum cognoſci realiter formaliter, quin realiter formaliter cognoſcatur aliud? *Secunda.* Contra ſecundò, ratio eſt, quæ terminatur ad obiectum: rogo id ad quod terminatur, quomodo eſt plura ratione ex parte obiecti? Nam ratio non eſt ex parte obiecti: & vt penitus deſinas hallucinari: *Ibi eſt pluralitas conceptuū, vbi eſt diſtinctio cōceptuum.* ibi eſt formaliter pluralitas conceptuum, vbi eſt diſtinctio conceptuum: & non alibi; ſed diſtinctio conceptuum non eſt in obiecto: ergo nec pluralitas.

§. 115. Sed obiectum idem eſſe re & ratione diuiſum, dicitur ratione diſtingui; nō quod ratio illud partiatur, aut ſecet in duo: ſed quod illud idem imperfectè cognoſcendo illud eſſe principiū ſentiendi, dum non cognoſcit diſcurſum, licet totam virtutem diſcurrendi cognoſcat immediatè connotando ſenſionem; *Obiectū quo pacto ratione diſtinguatur.* illam tamen quam cum ſenſione cognoſcit: ignorat ſit ne diſcurſiua: ac ſi verè non eſſet: quia vt id non ignoraret, requirit cognoſcere, diſcurſum eſſe eius effectum: quod eſt cognoſcere cauſam cū ordine ad vnum effectum, & non ad alium. Autores autem hi, omnes denominationes conſiſtentes in cognitione formaliter, volunt reſpondere ex parte obiecti, & ſic cōfundunt ea quæ ſunt propria cognitionis cum iis, quæ ſe tenent ex parte obiecti: arbitror totam hanc controuerſiam oriri ex varia acceptione huius vocis. *Formaliter & formalitas*, quam ipſi applicant obiectis: nos verò cognitionibus, vt patebit ſubſectione 7.

SVBSECTIO VI.

Argumenta cætera.

TErtiò ſic argumentor: cognitio de rationali per ſe nō terminatur nec immediatè, nec formaliter ad animal, ergo diſtinguuntur à parte rei animal & rationale. Probo conſequentiam: tum quia à parte rei conuenit vni aliquod prædicatum, quod à parte rei non cōuenit alteri: quod in creatis eſt magnum diſtinctionis ſignum: tum quia cognitio ſe tenens in intellectu non attingit formaliter animal, & attingit formaliter rationale: ergo non ſolum eſt diuerſitas in cognitione ipſa, ſed etiam in obiecto cognito: quia non ſolum cognitio eſt in ſe diſtincta, ſed etiam illi reſpondet obiectum diſtinctum. §. 116. *Tertium argumentum. Rei creatæ nō conueniunt prædicata cōtradictoria.*

Dices primò, illa prædicata eſſe extrinſeca. Dices ſecundò, illam diſtinctionē eſſe rationis. Contra primum, animali non poteſt conuenire aliquod prædicatum intrinſecum vllo modo, quin idem conueniat rationali: ergo nec extrinſecum: quia ſicut intrinſeco non poteſt ſubjici per partes, ita neque extrinſeco: quia comparatione vtriuſque eſt indiuiſibile. In mea autem ſententia, non ſequitur hoc abſurdum; quia animal & rationale ſunt idem ex parte obiecti, & quod vni conuenit, conuenit alteri eodem modo. Contra ſecundum, eſt implicatio vocum, dicere diſtinctionem eſſe rationis & eſſe in obiecto: quia ſi eſt rationis eſt in ratione. Vel ergo eſt in ſola ratione, & non in obiecto, vel eſt realis. Hæc eadem argumenta confici poſſunt cōtra Patrem Vazquez, licet admittatur eſſe obiectiuum tertium inter cognitionem & obiectum: quia illud eſſe obiectiuū eſt diſtinctum formaliter à cognitione, & non à ſeipſo: nec poteſt animal eſſe obiectiuè ſine rationali, &c. Sicque cætera poſſunt applicari. §. 117. *Duæ obiectiones. Ad primam. Ad ſecundū.* P. Vazquez.

Hoc autem tertium argumentum ita confirmo. Omnia argumenta, quibus à §. 19. oſtendi nō poſſe eidem rei conuenire prædicata contradictoria intrinſeca, ferè probant idem de prædicatis extrinſecis; ac primùm nec ex Deo bene arguunt, vt oſtendam ſubſect. 7. nec exemplum de influxu Dei in peccatum eos iuuat; nec item quod obijciunt §. 23. etenim homo rationalitate ſentit, & animalitate diſcurrit. §. 118. *Argumenti tertij confirmatio ex §. 19. Prædicata cōtradictoria extrinſeca repugnāt eidem rei.*

Argumentum factū §. 25. hos vrget ratione eadem: quia impoſſibile eſt forma aliqua extrinſecè affici ſimul & non affici rem eamdem per diuerſas formalitates: quia affectio extrinſeca ſimul eſſet & non eſſet: omnia ergo quibus hoc argumentum confirmaui ad §. 27. idem probant in extrinſecis prædicatis. §. 119. *Impoſſibile eſt forma extrinſeca affici & nō affici rem eādem.*

Quæ autem obieci §. 28. de forma ſyllogiſtica, huc etiā faciunt: quia poteſt fieri hic ſyllogiſmus. *Animal omne cognoſcitur realiter immediatè per illum actum: ſed non cognoſcitur realiter & immediatè rationale: ergo rationale non eſt realiter animal.* vbi in præmiſſis conſtituitur identitas omnis animalis cum immediato cognito; & negatio rationalis cum immediato cognito: vnde infertur negatio rationalis cum animali. Quam rationem concludendi eſſe legitimam ex Ariſtotele oſtendi diſput. 10. Log. oſtendens modos rectè concludentes negatiuè. item in affirmatiuis conſtat. *Omne animal immediatè & formaliter cognoſcitur illo actu: ſed omne rationale eſt animal: ergo rationale cognoſcitur immediatè & formaliter illo actu.* En ſyllogiſmum in *Barbara*, vtraque præmiſſa vera, conſequenti autem falſo. Nec alio modo concludit hic ſyllogiſmus: §. 120. *Forma ſyllogiſtica euertitur ea doctrina.*

Omnis

Confirmatur exemplo.

Omnis homo currit; omne riſibile eſt homo: ergo omne riſibile currit. vbi non ponitur identitas rationis inter hominem & riſibile; ſed ſola identitas realis: ex qua concluditur in conſequentia identitas realis inter currens & riſibile. Similiter ponitur identitas realis inter animal & rationale: & inter animal & immediatè & formaliter cognitum; & tamen non infertur identitas realis inter rationale & immediatè & formaliter cognitum; vt ponitur inter Petrum & riſibile.

§. 121. *Applicatur aliud argumentum.*

Argumentum factum §. 30. eodem modo poteſt huc applicari: quia poſſet corrumpi & non corrumpi eadem res per diuerſas formalitates; quia non magis ea prædicata opponuntur, quàm cognoſci immediatè & non cognoſci immediatè. item & quæ dixi §. 33. Quæ autem dixi §. 34. non eos vrgent. verum nec diſtinctio obiecta §. 38. eos iuuat. Admiſi ibi diſcrimen aliquod inter vnionem phyſicam & cognitionem in efficiendo vniuerſali: quia id efficit cognitio per confuſionem; quam confuſionem non habet actio, vel vnio phyſica. At eadem eſt ratio in repugnantia duorum prædicatorum contradicentium: itaque differunt in fundamento vniuerſalitatis; quod non præbet actio phyſica; id autem cognitio præbet: in prædicatis contradictoriis non differunt. Mirabile eſt aliquorum ingenium; qui cum viderent euidentem eſſe conſequentiam à prædicatis intrinſecis ad extrinſeca: illa deuorauerunt, ne diſcederent ab hac ſententia de pluralitate formalitatum.

Actio phyſica & cognitio differunt in efficiẽdo vniuerſale, non verò in tribuendis prædicatis cõtradictorijs.

Mirandũ aliquorum ingenium.

SVBSECTIO VII.

Teſtimonia S Baſilij, & Anſelmi.

§. 122. *Clarũ S. Baſilij teſtimonium.*

Præmittitur doctrina Baſilij diſtinguentis realiter quæ cõcipiuntur diſtinctis actibus.

NE tamen huius argumenti vim deficiat antiquorum authoritas; S. Baſilius hom. 6. examer. concludit apertè, ea omnia realiter diſtingui, & à Deo ſeparari poſſe, quæ nos poſſumus cogitatione ſeparare. Cum enim dixiſſet primigeniam lucem eſſe realiter diſtinctam à ſole, & ab ipſo fuiſſe à Deo ſeparatam, & creatam prius tempore ſole ipſo, tantúmque diſtingui lucem à luce, quantum albedinem à dealbato: cum hæc doctrina poſſet alicui videri dura, nempe lucem potuiſſe à Deo ſeparari; ait id non eſſe mirum; omnia enim poteſt Deus ſeparare, quæ noſtra cogitatio ſeparat: ergo ex conceptu lucis non concepto ſole, infert realem diſtinctionem, & poſſibilem ſeparationem lucis à ſole; quod eſt ſcopus huius argumenti tertij: nempe probare non poſſe actum immediatè terminari ad vnam formalitatem, quin immediatè quoque terminetur ad omnes cum illa identificatas; & eam, ad quam non terminatur immediatè, diſtingui realiter ab ea, ad quam immediatè terminatur.

§. 123. *Verba S. Baſilij.*

Verba S. Baſilij ea homil. 6. examer. ſub initium, in ea verba: *Fiant luminaria in firmamento cæli*; hæc ſunt. *Vt igitur diuerſa ſunt hæc natura: albedo (inquam) & corpus dealbatum; ſic & ea, quæ modo diximus, differunt quidem; vnita tamen ſunt potentia creatoris. Itaque ne mihi dixeris, fieri hæc non poſſe, vt lux à corpore ſolis ſeparetur. Nec enim ego lucis à ſolis corpore ſeparationem mihi, ac tibi poſſibilem eſſe dico: ſed aſſerendum eſſe cenſeo, quæ mentis ſola agitatione, cogitationeq́; diſparari à ſe poſſunt, ea re ipſa ſeiungi facultate creatoris vtriuſque naturæ poſſe.* Hæc Baſilius: ſed in ſententia oppoſita animal & rationale cogitatione diſparantur; quia cogitatione alterum abſtrahitur, & ſeparatur ab altero; & realiter immediatè cogitatio tangit alterum; alterum non immediatè: ergo ex doctrina S. Baſilij animal & rationale realiter diſtinguuntur, & poſſunt diuinitus ſeparari.

§. 124. *Alia obiectio. Reſpond. ad primum.*

Obiicies poſſe cogitari ſeſſionem ſine ſedente, non verò ſeparari. item homo cogitari poteſt abſque omni accidente, non tamen eſſe. Primum antecedens eſt falſum: quia modus eſt eſſentialis reſpectus ad rem. Secundò, poteſt homo exiſtere realiter abſque modo illo; quod ſufficit S. Baſilio. Ad ſecundum, fortè non poteſt homo concipi ſine aliquo accidente vagè; ita nec eſſe. Deinde poteſt homo realiter ſeparari ab omnibus in ſingulari; quamuis non ab omnibus ſimul; quod ſufficit inſtituto S. Baſilij.

Ad ſecundũ.

§. 125. *S. Anſelm. ſequitur S. Baſilium.*

A quo S. Anſelmus cap. 4. de Incarnatione Verbi, mutuatus eſt argumentum, oſtendens omnipotentiam Dei non eſſe accidens Dei, quia non poteſt concipi ſine illa his verbis: *Quia cum omne ſubiectum ſine accidenti, aut eſſe, aut intelligi poſſit: Deus ſine poteſtate, neque eſſe, neque intelligi poteſt.* E quibus conſtat primum à beato Anſelmo ſtatui pro primo principio Deum non poſſe intelligi ſine poteſtate, ſicut ſubiectum poteſt intelligi ſine accidente, quamuis non poſſit ſine illo eſſe. Secundò deduco conſtitui à B. Anſelmo ſignum diſtinctionis realis, poſſe concipi vnum extremum ſine altero. Eo enim quod non poſſit Deus concipi ſine poteſtate intulit Deum non eſſe ſubiectum illius. Quod ſi adhuc non diſtinguerentur, licet eſſent diſtincti ratione, inutilis eſſet hæc argumentatio.

§. 126. *Negat Anſelm. diſtinctionẽ rationis in Deo.*

Vt autem conſtet, quàm contra Sanctorum doctrinã admittantur præciſiones obiectiuæ in Deo, & diuiſibilitas per intellectum, legatur S. Anſelmus in Proſologio cap. 18. Cum enim recenſuiſſet varias Dei perfectiones, ait Deum non poſſe per intellectum diſſolui, id eſt diuidi, nec intellectu vllo poſſe illum obiectiuè diuidi. His verbis: *Imo tu es ipſa vnitas nullo intellectu diuiſibilis: ergo vita, & ſapientia, & reliqua non ſunt partes tui, ſed omnia ſunt vnum.* Quibus negat poſſe vnitatem attributorum Dei diuidi per intellectum: ſed omnia attributa eſſe indiuiſibilia, nempe per intellectum. Neque clarius potuit opponi aſſerentibus poſſe attributa diuina diuidi per intellectum.

SVBSECTIO VIII.

Reſpondetur argumento ex Trinitate.

§. 127. *Sententia oppoſita author P. Tarantaſius, accuſatus propterea, & explicatus à S.Th.*

PRopoſui §. 103. 104 & 105. ſententiam conſtituentem plures conceptus, & formalitates obiectiuas; quam ibi recognoſce, ne actum agamus. Ei opinioni fundamentum iecit Petrus Tarantaſius, clariſſimus Dominicanus, poſtea Cardinalis, tandem Summus Pontifex *Innocentius V.* nuncupatus. Cuius Doctoris propoſitiones octo ſupra centum delatæ ſunt apud Dominicanorum Magiſtrum generalem: quarum prima fuit *in Deo differre bonitatem & ſapientiam*: quam explicuit S. Thom. opuſcul. 9. quæſt. 1. intelligi de differentia ſolum ratione, non verò de differentia reſpondente ex parte Dei. Secunda fuit, *rationem, qua differunt attributa partim fundari in intellectu, partim in ipſa re*: quod S. Thom. quæſt. 2. explicuit de fundamento in re tantum vt in obiecto: in intellectu autem vt in ſubiecto. Tertia fuit ſecundæ ſimilis, *Deum eſſe fulcimentum diſtinctionis.* Quod S. Thom. quæſt. 3. explicuit de fulcimento, quo rationes in intellectu diſtinguuntur, non, quo attributa etiam ex parte ſui.

§. 128. *Iiſdem verbis ſuam ſententiã olim accuſatam explicant recẽtes.*

His tribus propoſitionibus explicant etiam recentiores ſuam ſententiam. Primò, attributa in ſe habere plures formalitates obiectiuas, quas cognoſcit intellectus. Secundò, diſtinctionem rationis eſſe fundamentaliter in obiecto. Tertiò, diſtinctionem virtualem attributorum eſſe diſtinctionem rationis eorundem in ſe, reſpondentium actibus intellectus. Ita calumniam obiectam Tarantaſio, depulſámque à S. Thom. volunt hi ab ipſo S. Thoma adoptari. Sententiam verò Nominalium, quam ſanam S. Thomas appellat: contemnendam curant. *Scotus ſuam diſtinſtionem abripuit à Tarantaſio.* Scotus ſuæ diſtinctioni formali & ex natura rei anſam arripuit è Tarantaſio; quod enim hic dixit Deum eſſe fulcimentum ſuæ veritati, vocauit Scotus diſtinctionem virtualem: & quod Tarantaſius dixit diſtinctionem non ſolum eſſe in intellectu ſed etiam in attributis, dixit Scotus eſſe diſtinctionem rationis prout ratio ſignificat quidditatem vt eſt obiectum intellectus.

§. 129. *Tarantaſius, Scotus, & recentes docent idem non iiſdem verbis.*

Promiſi me oſtenſurum ſententiam Scoti & Tarantaſij eſſe eamdem cùm ſententia recentiorum, mutatis dumtaxat verbis. Ait enim Scotus Primò, illam diſtinctionem non eſſe realem actualem, nec potentialem. Secundò, illam eſſe virtualem, & non includere rem & rem, nec facere compoſitionem. Tertiò, eam præire omni actui noſtri intellectus. Quartò, eam eſſe rationis & in quantum ratio ſignificat differentiam actus intellectus; & quidditatem obiecti, vt quidditas eſt obiectum intellectus. Quintò, eam vocauit formalem & ex natura rei (vt vidimus ſupra §. 63.) Duas primas propoſitiones Scoti admittunt hi recentiores, tertiam negant verbis non re. Nam fatentur ingenuè, in obiecto eſſe diſtinctionem virtualem, & fundamentalem; & hanc ante operationem intellectus: immo diſtinctio rationis dicitur ab his fundari in diſtinctione fundamentali realiter exiſtenti in obiecto: ſed Scotus nullam aliam diſtinctionem dixit præire intellectui præter virtualem: de illa enim egiſſe Scotum monſtraui ſupra verbis ex ipſo. Quartam propoſitionem hi etiam admittunt iiſdem Scoti verbis: non enim dicunt ſolos diſtingui actus rationis; ſed illis reſpondere diuerſas formalitates obiectiuas; diuerſas (inquiunt) vt obiiciuntur intellectui: ſed idem dixit Scotus quarta propoſitione. Ecce horum cum Scoto conſenſum in propoſitionibus de re.

§. 130. *Diſtinctio virtualis eſt ex natura rei.*

In vltima parte quintæ propoſitionis diſſident ab Scoto, quia hanc diſtinctionem non vocant ex natura rei: ſed certè poſſunt; quia diſtinctio virtualis & eſt in Deo ex natura rei & realiter, vt ipſi fatentur: eam verò eſſe formalem, quid refugiunt, cum ipſi dicant attributa diuina; & diuerſas formalitates differre formaliter? Id autem per quod diſtinguuntur formaliter, erit diſtinctio formalis, & tribuunt abſtracto vt *quo* vocem, quam concreto tribuunt vt *quod*. Ergo ſolo vno nomine diſſentiunt ab Scoto: in quem dum acriter inuehuntur, non poſſunt non Scoturire, & dum *baptizantur à mortuo, iterum tangunt mortuum.* *Aureol. quid de ea ſententia cenſeat.* Et quidem Aureolus in 1. d. 8. par. 3. articul. 1. §. *Opinio quorundam aliorum*, refert à nonnullis intelligi diſtinctionem formalem ſicut & à me eſt explicata, & ab his defenditur, eámque vt probabilem tuetur in eo ſenſu, artic. 4. §. *Reſponſio ad prædicta ſecundum Scotum.*

§. 131. *Caiet. fauere illis videtur.*

Hanc ſententiam horum authorum ſecutus videtur Caietanus ex parte: nam 2.2. q. 1. art. 1. ait ſapientiam Dei addere naturam (id eſt conceptum) ſapientiæ ſupra naturam Dei: veritatem autem Dei, non ita: ſed eſſe eamdem naturam Dei diuerſimodè conceptam; quibus videtur admittere duas illas diſtinctiones rationis: alteram per diuerſa connotata, alteram per formalitates obiectiuas diuerſas, quas ex ſuis authoribus poſui, §. 103. & 104. *Caiet. explicatur.* Sed Caietanus facilè poteſt explicari. Ibi enim voluit oſtendere, perinde eſſe Deum ſub ratione veri eſſe obiectum formale Fidei, ac ſub ratione Dei: quia veritas ſupra Deum nullum conceptum intrinſecum dicit, ſed tantum connotat extrinſecam cognitionem: ſapientia autem dicit conceptum intrinſecum, & non addit extrinſecam denominationem. At verò Caietanus nihil curat ſit ne ille conceptus intrinſecus ſapientiæ, alius obiectiuè? an tantum per diuerſum actum? ſed ſupponit ſententiam S. Thomæ, quam retuli ſubſect. 2. Verum eſt aduerſariis fauere. 1. part. quæſt. 5. art. 1. quam tamen ipſum in Deo non admittere: nec in aliis, quę ſola ratione diſtinguuntur, iam oſtendi, §. 101. animal autem à rationali diſtinguit ex natura rei. *P. Vasq. videtur adſtipulari.* His authoribus adſtipulatur Pat. Vazquez 1. part. tom. 2. diſput. 117. cap. 1. Sed parum, quia ipſe ait obiectum in ſe non diſtingui, ſed tantùm vt eſt obiectiuè: reduplicando cognitionem: impugnat autem Nominales opinans ab eis negari diſtinctionem conceptuum, quam illi negant in obiecto, non tamen in ratione. *P. Suarez.* Pat. Suarez ait, Nominales ſolo modo loquendi differre à ſua opinione: ergo re ipſa illorum ſententiam ſequitur. Quod præſtat expreſsè explicans diſtinctionem attributorum eodem modo quo nos diſput. 7. metaphyſ. ſect. 1. num. 5. fine. Cæteri authores non admodum enuclearunt hanc diſtinctionem. *Pat. Molina expreſſit.* Tamen Pat. Ludouicus Molina 1. p. q. 28. art. 2. diſput. 3. clarè ſequitur hanc ſententiam de diuerſis conceptibus obiectiuis, à quo eam videntur ſumpſiſſe cæteri recentiores.

§. 132. *Primum argumentum è diuinis.*

Rationibus agunt primò, quia in diuinis apprehenditur vnus conceptus obiectiuus ſine alio, ita vt non modo cognitiones noſtræ ſint diſtinctæ, ſed illis reſpondeant diuerſæ formalitates obiectiuæ: ergo obiectum reale indiuiſibile poteſt intellectus diuidere; conſequentia eſt certa: ergo & alia obiecta creata poterit intellectus cognitione partiri: patet conſequentia, quia rationes factæ ſubſectione ſecunda vim habeant eamdem in creatis, & diuinis, excepta tertia: antecedens probandum infra. Quod argumentum adeo efferunt aduerſarij, vt exiſtiment non poſſe defendi myſteria Trinitatis, & Incarnationis, ſine hac obiectiua diſtinctione formalitatum: ac valdè reprehendunt Aureolum, quod rationis diſtinctionem negauerit inter naturam & relationes diuinas.

§. 133. *Aureol. admittit in Deo diſtinctionem rationis.*

Incipiam reſpondere ab hoc vltimo: ac primum intelligant Aureolum adductum. §. 126. item ibidem articul. 6. §. *Quod omnes diuinæ perfectiones coincidunt in rem & rationem Deitatis*, conſtituere diſtinctionem rationis in actibus confuſis, ſicut ſubſectione 2. oſtendi eas conſtitui à S. Thom. & Nominalibus; cámque tantum negat Aureolus in obiecto reſpondere: & fine eius §. dicit iuſtitiam & miſericordiam non eſſe ſynonyma, quia diuerſo modo concipiuntur: §. verò ſequenti ait, hanc propoſitionem, *miſericordia Dei eſt iuſtitia Dei*, non eſſe formalem, licet ſit in ſenſu idemtico vera, ibidémque conſtituit diſtinctionem attributorum per varia connotata: & propter eam diſtinctionem ait conuenire Deo prædicata contradictoria. Clarius autem admittit hoc genus diſtinctionis, §. *Reſponſio ad obiecta primò.* ad tertiũ. Quarta verò parte eius diſtinctionis octauæ, ponit in rebus creatis compoſitionem rationis, non verò in Deo;

non

non quod neget talem diſtinctionem: ſed quia dicit compoſitionem fieri ex conceptibus determinatis, non verò ex indeterminatis, quales arbitratur eſſe in Deo: hæc dixerim, ne carpant Aureolum.

§.134. *Myſteria non pendent à diſtinctione rationis, ſed à diſtinctione virtuali.* P. Valent.

Secundò, deponant ſcrupulum Myſteriorum; quæ nullo modo pendere à noſtra diſtinctione rationis, nec in illa eſſe firmum aliquod fundamentum, eleganter docet fortis eorum myſteriorum propugnator & indefeſſus hæreticorum malleator Gregorius de Valentia, in controuerſiis lib.1. de Trinitate, cap.30. & 1.p.diſput.2.quæſt.4.puncto 1. ait ea myſteria defendi per virtualem diſtinctionem, quam Deus habet vt per vnam ſimplicem entitatem præſtet, quod creaturæ per plures. Et quidem cum P.Suarez, Molina, Vazquez & alij impugnant Nominalium ſententiam, non arbitrantur ex ea aliquid abſurdi in Fidem ſecuturum; ſed metaphyſicis argumentis eam impugnant. idem autem abſurdum ſequeretur ex opinione aſſerente, naturam eſſe de ratione formali relationum: quia ex illa ſententia filiatio vt filiatio in quocumque ſuo conceptu includit formaliter naturam; ſed filiatio vt filiatio diſtinguitur realiter à Patre: ergo & natura. Ecce argumentum in ſimili forma, qua tuum: & tamen eam ſententiam paſſim tuetur P.Suarez. præſertim, 1.par.lib.4.de Trin.cap.7.& 8. cum multis aliis. Parum ergo refert conſtituere, vel reiicere plures formalitates obiectiuas in Deo.

P. Suarez. P. Molina. P. Vazquez. *Eadem ratio poteſt opponi alijs ſententijs communibus.* P. Suarez.

§.135. *Prima ratio euidens.*

Euidenter probatur à priori, ea myſteria non pendere ex iſta opinione: nam formalitatum pluralitas obiectiua non eſt in obiecto ante actualem hominis cognitionem: vel ſaltem eſt in ordine ad illam: ſed myſterium Trinitatis eſt ſine ordine ad talem cognitionem: ergo non pendet à pluralitate formalitatum. *Secunda.* Secundò, Deus tam bene nouit hoc myſterium, quàm hi authores: ſed Deus cognoſcit comprehenſiuè naturam eſſe idem cum filiatione, & Paternitate; Paternitatem autem & relationem inter ſe eſſe realiter diſtinctas; & tamen Deus non ponit nec poteſt diſtinctionem rationis, nec plures formalitates: ergo bene poteſt intelligi myſterium illud ſine tali opinione; immo quo perfectius intelligitur, longius ab illo ſecernitur hæc pluralitas formalitatum. *Tertia.* Tertiò, ſi repugnarent creaturæ omnes; vel ſi omnis cognitio eſſet comprehenſiua Dei, non eſſet poſſibilis ea diſtinctio, & tamen eſſet Trinitas Diuina: ergo. *Quarta.* Tandem illæ formalitates oriuntur ex noſtra imperfecta cognitione. An ne Trinitas ab eadem trahit originem? Teneatur ergo illa diſtinctio virtualis, quam ſemel animo infixam explicet vnuſquiſque ſuo more & opinione; dum myſteria credantur. Eam autem ſic vel ſic explicare liberum eſt cuiuis opinioni. Hæc dixerim, vt monſtretur, quàm parum ſit neceſſaria ad Fidem ſententia illa. Nunc autem inquiramus, vtrum ex tali myſteriorum genere oriatur fundamentum illius ſententiæ; non quidem neceſſarium ad eorum defenſionem.

§.136. Okam. Gabriel.

Okamus, & Gabriel adducti ſupra, negant diſtinctionem formalitatum inter attributa diuina: quia non fundant prædicata contradictoria: at inter naturam & relationes inclinant ad conſtituendam diſtinctionem ex natura rei: in diuerſas formalitates inclinant nonnulli, qui eas negant in creatis.

§.137. *Olim fuit in Deo ſuſpecta ea diſtinctio formalitatū.* Tarantaſius.

Hic obſeruanda duo; alterum, quàm ſit inconſtans noſtrarum rerum fortuna; cum in doctrina quaque mutetur. Vidimus Tarantaſium accuſatum à Patribus Dominicanis, quod in Deum eam formalitatum pluralitatem inuexerit; cúmque conſpeximus defenſum à S. Thoma per explicationem negantem in obiecto diſtinctionem vllam; item Caietanus & Fonſeca admittentes eam diſtinctionem in creatis; eam negant in Deo. Nunc, iam ponitur in Deo; & tamquam ex primo principio, ſine quo non poſſunt myſteria componi; arguitur ad creaturas: in quibus negatur, & conſtituitur in creatore. Alterum eſt; nec Okamum, nec Gabrielem admiſiſſe plures formalitates inter naturam & relationem; nec plura prædicata contradictoria præter communicationem & incommunicationem: per quæ definiunt diſtinctionem formalem: vt conſtat ex ipſis loco citato §.20.

S. Thom. Caiet. P. Fonſeca. *Nominales eam non admittunt.*

§.138. *Non ſunt in Deo plures formalitates. Prima ratio. Secunda.*

Opinor eamdem eſſe rationem in humanis: quia illa formalitatum pluralitas & diſtinctio eſt formaliter in intellectu, & non in obiecto: ergo eſſe ratione diſtinctum non eſt aliquid ſe tenens ex parte obiecti. Secundò, ſumo cognitionem ex vna parte, & obiectum ex alia; obiectum ſic diſtinctum adæquatè à cognitione, eſt diſtinctum formaliter? vel non? ſi primum, ergo habeo intentum: ſi autem eſt diſtinctum, ergo illud habet in ſe aliquam rationem formalem diſtinguendi, adæquatè diſtinctam à cognitione: & conſequenter erit realis, quia eſt in obiecto realiter; & non per denominationem ab actu.

§.139. *Confirmatur.*

Confirmatur, Deum habere conceptus diſtinctos ratione, eſt effectus formalis à cognitione imperfecta & confuſa, ſicut eſſe cognitum eſt effectus formalis cognitionis: ergo ſicut eſſe cognitum non ſe tenet ex parte obiecti: ſed ex parte cognitionis, ita neque eſſe ratione & formaliter diſtinctum. Vide quæ dixi à §.101. quæ vim habent eamdem in diuinis & humanis. Immo S. Thom. Nominales, & Aureolus ita philoſophantur vt vitent in diuinis abſurda. Caietanus autem adductus, §. 101. pluralitatem conceptuum negat in Deo; quam admittit in creaturis. Dices eſſe in Deo diſtinctionem virtualem, non verò in creaturis. Contra id probat non reperiri in creaturis aliud myſteriū Trinitatis; at reperiri in Deo plures formalitates minimè probat: quia ſi illa diſtinctio virtualis habet formaliter à cognitione diſtingui: ergo tota ratio diſtinguendi eſt cognitio; ergo non reſpondet diſtinctio ex parte obiecti: ergo nec diſtinctæ formalitates: quia non poteſt eſſe ex parte obiecti effectus formalis, quin ſit ex parte illius ratio formalis talis effectus; vt ſatis oſtendi. In hoc ergo non eſt ratio abſimilis Deo & creaturis, quia tam ille, quàm hæ habent diſtinctionem rationis à forma extrinſeca.

S. Thom. Nominales, Aureol. Caietan. & alij, quid admittant. Obiectio. Reſpondetur.

§.140. *Confirmatur. Diſtinctio virtualis non fundat diuerſas formalitates.*

Quod ita confirmo. Diſtinctio virtualis in obiecto non fundat diuerſas formalitates obiectiuas: ergo ex illa diſtinctione virtuali non ſumitur diſcrimen ex diuinis ad humana. Probo antecedens, quia Deus cognoſcit ſuam diſtinctionem virtualem & myſterium Trinitatis, quin ex parte illius reſpondeat cognitioni diuinæ diuerſitas formalitatum obiectiuarum, quia repugnat obiectum ita cognoſci à Deo: ergo terminare cognitionem per diſtinctionem virtualem non ſufficit ad conſtituendas diuerſas formalitates.

Deus non cognoſcit diuerſas in ſe formalitates.

§.141. *Obiectio.*

Dices à Deo cognoſci myſterium intuitiuè; à nobis abſtractiuè: & reſpectu huius cognitionis poteſt fundari diuerſitas formalitatum, quia hæc eſt inadæquata cognitio. Contra, per cognitionem intuitiuam poteſt cognoſci diſtinctio virtualis ſine multitudine formalitatum; ergo etiam per abſtractiuam. Probo conſequentiam. Retento diſcrimine intuitionis & abſtractionis poteſt non eſſe diſcrimen in reſponſione plurium formalitatū: nam

Reſpondetur. Argumentum non leue.

Actus intuitiuus,& confuſus poſſunt differre ſine pluralitate formalitatū.

nam Deus intuitiuè cognoſcit *animal* & *rationale*: Homo verò abſtractiuè, atque confusè : & tamen per te neuter actus attingit diuerſas formalitates obiectiuas : ergo ex diſcrimine intuitionis & abſtractionis non poteſt colligi diſcrimen formalitatum : neque item ex eo quod ſit diſtinctio virtualis. Vnde ergo repugnat ? Neque ex vtroque ſimul:nam obiectum comparatum actui confuſo, & actus confuſus comparatus obiecto in hoc differunt ab ipſo obiecto comparato cum actu claro,& ab actu claro comparato obiecto:quod actus confuſus & clarus repræſentant idem obiectum,diuerſo tamen modo : qui modus eſt,quia actus confuſus non penetrat totum obiectum, actus verò clarus penetrat:at verò iſta impenetratio in quocumque obiecto rectè intelligitur ſine pluralitate formalitatum , vt patet ad hominem in creatis. Ergo ex diſtinctione virtuali comparata ad actum confuſum non infertur pluralitas formalitatum.

§.142. *Obiectio.*

Dicunt:noſtris confuſis actibus prædicari filiationem de natura : ſed non prædicari de Paternitate , ergo in conceptu obiectiuo filiationis & naturæ non continetur Paternitas. Patet conſequentia,quia ſi contineretur,prędicaretur de Paternitate quidquid prædicatur de natura : quia prædicatum conuenit toti illi conceptui obiectiuo vt eſt obiectiuus. Antecedens probo : quia hæc eſt falſa prædicatio. *Filiatio eſt Paternitas* ; & hæc eſt vera, *Filiatio eſt natura.* Ergo quum prædico naturam de filiatione , non prædico Paternitatem. Ergo illud iudicium eſt præciſiuum Paternitatis à natura. *Confirmatio.* Confirmatur. In hac prædicatione , *Filiatio eſt natura*,non attingitur Paternitas neque ex parte prædicati , quia prædicatum eſt idem cum ſubiecto, quod non conuenit Paternitati ; neque ex parte vnionis,quia Paternitas non eſt vnio inter filiationem,& naturam : ergo in ea prædicatione non reſpondet Paternitas:ergo præſcinditur Paternitas à natura.

§.143. *Difficultas argumenti magis probat diſtinctionem realē , quàm diuerſas formalitates.*

Huic argumento fidunt atque confidunt aduerſarij. Quod fateor eſſe difficillimum ſolutu: non quidem ob ſpecialem difficultatem formalitatum, ſed abſolutè ob myſterium Trinitatis ; videtur enim refragari illi principio. *Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe.* Item principio logico. *Dici de omni,& dici de nullo.* Quæ principia qua ratione ſint intelligenda, explicui in Logica diſp.10. ſect. 8. *Difficultas eſt cōmunis.* Probo autem difficultatem eſſe communem cuiuis Catholico , & non mihi ſolum. *Diſcrimē cōmune à creatis.* Primùm à creatis. Quia in omni ſententia conſtituente vel negante plures formalitates , quidquid realiter prædicatur de rationali , prædicatur realiter , & verè de animali. Vt in hac propoſitione. *Rationale eſt principium diſcurrendi* : principium diſcurrendi verè prædicatur de animali : quia animal eſt idem realiter cum ſubiecto quod eſt rationale: & licet non cognoſcitur immediatè & formaliter; cognoſcitur tamen materialiter : & quamuis in ſenſu formali & reduplicatiuè , propoſitio non eſt vera de animali , eſt tamen vera in ſenſu idemtico & ſpecificatiuo : & modo quo obiecta ſunt idem, & attinguntur per actus, reddunt propoſitiones veras aut falſas. *In ſenſu idētico eſt hæretica propoſitio,filiatio eſt Paternitas.* At verò in diuinis etiam in ſenſu idemtico & ſpecificatiuo illæ propoſitiones ſunt hæreticæ : quamuis non cognoſcantur prædicata niſi materialiter tantùm,& idemticè:ergo non bene arguitur ab altera propoſitione ad alteram , neque ab attingentia obiecti. Probo minorem : quia in hac propoſitione : *Natura eſt filiatio*,ex parte naturæ reſpondet idemticè , materialiter,ſeu remotè Paternitas : vt animal in ſententia aduerſariorum reſpondet idemticè conceptui de rationali : eſt enim in vtraque eadem ratio : nempe idemtitas naturæ & Paternitatis ; ſicut idemtitas animalis & rationalis : & tamen filiatio neque in ſenſu idemtico prædicatur de Paternitate : quæ eſt idem cum ſubiecto quod eſt natura : ergo non rectè arguitur à creatis ad increata:ſicut ergo propter diſtinctionem virtualem Paternitatis à natura non prædicatur filiatio de Paternitate , quamuis prædicatur de natura : ſimiliter propter diſtinctionem virtualem eiuſdem obiecti contingit idem,quamuis obiectum ex parte ſui ſit vna indiuiſibilis formalitas: quia in illa vna conſtituo ego eamdem diſtinctionem virtualem,quam tu in duobus. *In vna formalitate conſtituo diſtinctionem virtualem.*

§.144. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices, ex diſtinctione virtuali argui diſtinctionem formalitatum. Contra primò,eam non bene arguis. Quia rationem ſumis ex diuerſitate prædicationum , quam diuerſitatem ego conſtituo in vna ſola formalitate ſicut tu in duabus. Et probo argumentum eſſe idem in ſenſu idemtico & in formali:& te,& me eodem vrgeri.

§.145. *Probatur difficultatē eſſe communem.*

Secundò , probo difficultatem eſſe communem ex comprehenſione Dei : qui appertè intuetur nullam eſſe diſtinctionem formalitatum inter naturam & Paternitatem ; & inter naturam & filiationem:& tamen intuetur naturam eſſe communem, & carere oppoſitione : Paternitatem verò non eſſe communem , & habere oppoſitionem : & verè prædicat , *Natura eſt communis & idem cum relatione.* *Comprehēſio rei intuetur hoc myſteriū abſque formalitatibus.* In qua prædicatione non reſpondet Paternitas , quia hæc non eſt ſubiectum , alioquin de ipſa Paternitate prædicarentur communitas & filiatio quod eſt hæreticum. Rogo igitur quomodo Deus prædicat communitatem & filiationem de natura : non verò de Paternitate : quam videt eſſe formaliſſimè idem cum natura ? Quid igitur mirum ſi noſtris inadæquatis conceptibus contingat , quod quadrat in illum adæquatiſſimum ? En difficultas grauius vrgens cognitionem diuinam quàm noſtram.

§.146. *Obiectio.*

Dicunt , iudicium Dei non ſolum affirmare filiationem eſſe idem cum natura , ſed etiam negare eſſe idem cum Paternitate : at verò noſter actus tantum affirmat filiationem eſſe idem cum natura, iudiciúmque Dei æquiualere duobus iudiciis affirmatiuo & negatiuo. *Difficilius eſt aliquid affirmare & negare ſimul, quàm ſolum affirmare.* Hac ſolutione non minuitur difficultas,ſed augetur. Nam iudicium Dei eſt vnus ſimpliciſſimus actus, comprehenſiuus Trinitatis : & in eadem indiuiſibili formalitate obiectiua inuenit fundamentum ad affirmandum & negandum idem prædicatum de eadem formalitate: ſed hoc difficilius eſt quàm prædicatum affirmare ſolum,aut negare:ergo.Maior patet:quia natura & Paternitas obiiciuntur illi actui ſine multitudine formalitatum : & de Paternitate negat filiationem; & eam affirmat de natura : ergo de eadem formalitate obiectiua affirmat & negat prędicatum idem, & ſub eadem ratione formali. Hoc eſſe difficilius patet : tum quia in ea affirmatione & negatione ſubiectum eſt idem realiter,formaliter , & ratione diuina. Quæ in hac propoſitione , *Natura eſt filiatio* , concipit ſubiectum eodem modo quo in hac, *Paternitas non eſt filiatio*:quia nec natura, nec Paternitas obiiciuntur vt duæ formalitates : ſed vt vna: ergo in affirmatione, affirmauit filiationem de Paternitate, ſicut de natura:quia ex parte ſubiecti eodem modo apprehenditur , & obiicitur vtraque: quo ergo pacto in propoſitione negatiua , negauit filiationem de Paternitate ? Tum etiam quia in affirmatione & negatione reperitur illa carentia iudicij creati.

Expli

§.147. *Explicatio difficultatis ad hominem.* Explico: tu ais me in hac propoſitione *Natura eſt filiatio*: affirmare filiationem de natura; ſed eam nec negare, nec affirmare de Paternitate. Sed eam non affirmare dePaternitate etiam reperitur in iudicio diuino; inſuper additur & negatio eiuſdem filiationis de eadem formalitate; ergo augetur difficultas, nõ minuitur. Quod ſi actus intuens Deum ſicuti eſt, affirmat filiationem de natura, eam non affirmans de Paternitate, ſed negans potius: & hoc in eadem formalitate obiectiua, propter virtualem diſtinctionem: multo melius propter eamdem, ego affirmabo filiationem de natura ibi ſiſtens, & non progrediens ad filiationem negandam de Paternitate. Conſtet ergo inane eſſe effugium formalitatum: quæ pendent à noſtro imperfecto intellectu.

§.148. *Reſpondetur argumẽto ex §.141.* Ad argumentum in §.132. parum abfuit quin non reſponderem, quia eſt commune cuiuis Catholico. Ne tamen hæc doctrina manca videatur: Nego conſequentiam, & eius probationem. Nam & Deus habet eumdem conceptum obiectiuum in Paternitate & natura, & prædicat filiationem de natura quin de Paternitate: item homo conceptu de natura attingit idemticè & ſpecificatiuè Paternitatem; de qua nec idemticè prædicat filiationem; idem eſt in mea ſententia. Itaque iudicium immediatè terminatum ad naturam & Paternitatem vt eamdem formalitatem obiectiuam, quin ex parte illarum eas præſcindat, affirmat filiationem de natura, & negat de Paternitate propter virtualem diſtinctionem: & quia hęc & Trinitas deficit in creatis, ea ratione deficit ſimilis prædicatio: in quo continetur difficultas Myſterij Trinitatis.

§.149. *Ad confirm. Reſponſum egregium.* Ad confirmationem reſpondetur, attingi ex parte ſubiecti Paternitatem immediatè: vt attingitur à Deo: & in ſententia oppoſita attingitur materialiter, & ſpecificatiuè: & tamen non eſt ſubiectum Paternitas: quia virtualiter diſtinguitur à natura: attingitur ergo vt idem realiter formaliter cum natura; non vt virtualiter diſtincta; propter quam virtualem diſtinctionem fugit rationem ſubiecti: tota ergo entitas naturæ concipitur vt virtute diſtincta à Paternitate: quam diſtinctionem ex ſe, & in ſe habet, non dependenter à noſtro intellectu. Item ex parte prædicati attingitur; non præcisè quia attingitur relatio: ſed ratione naturæ, quæ attingitur cum relatione.

§ 150. *Quo pacto prædicetur natura de relationibus.* Reſpondet ergo huic actui *Natura eſt Paternitas*: ex parte naturæ tota Trinitas immediatè realiter: item & ex parte Paternitatis propter naturam: at non prædicatur tota Trinitas, quia non reſpondet tota Trinitas vt habet virtualem diſtinctionem naturæ à relationibus, & realem relationum inter ſe; ſed prædicatur id quod eſt à parte rei. item modus prædicandi eſt etiam concipiendo illam virtualem diſtinctionem naturæ à relationibus, & realem relationum inter ſe. Concipitur ergo natura per ſpeciem rei abſolutæ, & communis: Paternitas autem per ſpeciem rei oppoſitæ alj, & particularis: propter quem modum concipiendi innixum virtuali diſtinctioni non prædicatur Paternitas de filiatione, & prædicatur de natura. Et quamuis Beati eam prædicationem efficiunt alio modo nobiliori; à nobis tamen illa prædicatio explicatur hoc etiam noſtro modo; quia æquè obſcura eſt nobis illa prædicatio, ac eſt myſteriũ ipſum. Vide §.155. vbi explico propoſitiones circa hoc myſterium.

§.151. *Obiectio. Reſpondetur.* Obiicis tandem; natura & relatio terminãt duo prædicata contradictoria intrinſeca; ergo & extrinſeca. Nego conſequentiam: quia in eo in quo ſunt formaliter natura & relatio, terminant ea prędicata, nempe in communitate naturæ conſtituentis plures perſonas: & oppoſitione principij productiui, quod ſpectat ad relationem. in cæteris non terminant ea prædicata. Vnio humanitatis ad Verbum eſt formaliter ad perſonam; quia eſt in conceptu relationis vt virtute diſtinctæ à natura; nempe in ratione ſuppoſiti. *Quæ prædicata contradictoria terminet natura: quæ non?*

§.152. *Alia obiectio.* Vrges: Cognitio ſequitur modum eſſendi: ſed illa prædicata contradictoria ſunt; ergo cognitio illa ſequitur. Quid tum poſtea? ibi ſunt ea prædicata ſine pluralitate formalitatum, cum diſtinctione virtuali in vna formalitate; ac propterea ita cognoſcuntur; vt patet in Beatis, & ipſo Deo. Cuius ſignum euidens eſt; quod nec idemticè conuenit naturæ eſſe productam, & incommunicabilem; licet id conuenit filiationi: & tamen, etiãſi præſcinderetur natura à relatione conceptu de relatione; adhuc idemticè natura eſſet cognita; ſicut animal eſt idemticè cognitum conceptu de rationali. Quapropter vehementer miror ab his authoribus non conſiderari hæc lata diſcrimina. *Diſcrimen euidens inter prædicata cõtradictoria intrinſeca, & extrinſeca.*

§.153. *Secũdum argumentum.* Secundò arguunt; quia relatio creaturæ terminatur ad naturam formaliter: & non ad relationes: tum quia illæ non ſunt ratio agendi; tum quia cognoſceretur myſterium Trinitatis viribus naturæ: ergo & cognitio præſcindit. Tertiò, Verbum Diuinum realiter eſt vnitum humanitati, & non alj perſonæ: ergo melius præſcindetur cognitione. Quartò, iniuria facta Chriſto eſt ſpecialis.

§.154. *Ad ſecundũ. Relatio creaturæ eſt immediatè ad Trinitatem. Aliud diſcrimen actionis ad extra ac ad intra.* Ad ſecundum reſpondeo, relationem creaturæ eſſe idemticè & immediatè ad naturam & perſonas: tum quia *actiones ſunt ſuppoſitorum*: tum quia eſt non ad Deitatem ſolam: ſed ad Deum; qui à ſuppoſitis nõ diſtinguitur eo genere diſtinctionis virtualis. Nam idemtice Deus & Trinitas operantur: quo *operans* tam prædicatur de Deitate quàm de Trinitate: quamuis filiatio non prædicatur de Paternitate nec idemticè: attribui autẽ creaturas Deo ſub ratione naturæ & non relationis non arguit diſtinctionem obiectiuam; ſed noſtrum modum concipiendi: vt attribuimus diſcurſum rationalitati, & non animalitati; & vitalitatem potentiæ, & non habitui.

§.155. *Actiones cur formaliter nõ adſcribuntur Trinitati? Trinitas non cognoſcitur à non præſcindente. Diſtinctio vnionis & cognitionis ad Verbum.* Hæc ratio potius arguit diſtinctionem realem; quàm rationis. Nec cognoſcitur eſſe Trinitas, quãuis immediatè attingitur; vt dixi d.5 §.130. & beati immediatè intuentur actum liberum Dei de obiecto, nec ſciunt eum eſſe de tali obiecto. Ad tertiũ nego conſequentiam, oſtendi in 3. par. contra Scotum poſſe vnionem illam fieri in ſuppoſito quin in natura, ſecus verò cognitionem: quia ſuppoſitum & natura habent virtualem diſtinctionem in ordine ad conſtituendam perſonam: non verò in ordine ad alios effectus. Deus & Beati vident myſterium illud, & non poſſunt videre ſuppoſitum ſine natura; quamuis Scotus oppoſitum conatur etiam in beatis. Quartò reſpondeo, iniuriam eſſe ſpecialem Verbo per denominationem ab humanitate: at vt Deo communis eſt omnibus: quia iniuria fit perſonæ intellectuali: intellectus autem & voluntas communes ſunt. *Iniuria cur ſpecialis in Chriſtum.*

§.156. *Propoſitiones formales quo pacto negandæ.* Aduerte, negandas eſſe in hoc myſterio propoſitiones formales: vt *Paternitas eſt natura formaliter. Deus intellectu ſpirat, voluntate generat.* Item *natura vt natura eſt relatio*: quia non reduplicatur obiectum ſolum: ſed noſter modus concipiendi: quo concipimus & explicamus diſtinctionem virtualem, quæ eſt in diuinis. De quo Theologi. Nam in omni ſententia ita eſt ratiocinandũ. Nec aliud volunt Concilium Florentinum, & Patres: qui ponunt diſtinctionem rationis in Deo; at nec meminere, eam contingere per formalitates obiectiuas.

SVBSECTIO IX.

Argumenta cætera.

§.157. *Secũdum argumentũ pro præciſionibus.* SEcundum argumentum contra hanc opinionem eſt : quando cognoſco animal præciſè, cognoſco aliquid quod eſt de eſſentia hominis,& nõ cognoſco aliud, quod etiam eſt de eſſentia hominis:ergo in eſſentia hominis eſt aliud,& aliud,quod cognoſcã. Probo minorem,quia tunc non cognoſco rationale formaliter,vt experientia patet. *Confirmatur.* Confirmatur, animal in homine eſt realiter ſimile leoni,rationale verò eſt diſſimile : ergo ſunt in homine duæ formalitates, quibus fundentur ſimilitudo & diſſimilitudo.

§.158. *Argumentũ offendit in limine. Animal non cognoſcitur ſine rationali.* Hoc argumentum offendit in ipſo limine.Nunquam enim ego concipio animal præciſè, quin etiam concipiam rationale : vnde nego minorem: ad probationem diſtinguo antecedens ; non cognoſco rationale formaliter,formalitate ſe tenente ex parte obiecti,nego minorem;nihil enim ſe tenet ex parte obiecti, quod tunc non concipiam in ordine ad ſenſiones : non concipio rationale formaliter, formalitate ſe tenente ex parte cognitionis, concedo : *Quid ſit cognoſci rationale formaliter.* quia cognoſci rationale formaliter, eſt cognoſci hominem cum ratiocinatione,quia tunc cognitio attingit operationem diſcurrendi, ideo cognoſcit hominem eſſe rationalem,quia de ratione actus, quo cognoſco rationale clarè, eſt attingere ratiocinationem : quando cognoui animal, tunc cognoui totum rationale in ordine ad ſenſiones:quod eſt cognoſcere rationale materialiter. Nam cognoſcere formaliter, eſt cognoſcere clarè diſcurſum & totum hominem in ordine ad illum; & ſic denominatur *rationale*. Cognoſcere autem rationale materialiter, eſt cognoſcere totum animal,in ordine ad ſenſionem,non verò in ordine ad diſcurſum : vt explicui tota hac ſect. & diſput. 5. ſect.10 Sæpius dixi, maximè diſput.3. de anima,in eadem formalitate eſſe ſimilitudinem,& diſſimilitudinem duarum rerum.

§.159. *Genus & ſpecies quomodo componantur ratione.* Quando autem genus & differentia dicuntur ſpeciem componere,non intelligitur ſpecies obiectiuè compoſita : ſed in conceptibus formalibus. Nam genus habet vnum conceptum formalem, & differentia alium, ſpecies autem vel includit illos duos, vel alium tertium includentem virtualiter illos duos,quatenus ille ſolus terminatur ad obiecta duorum:& ſic componitur ſpecies in intellectu ex genere & differentia ; id eſt ex conceptu generico formali, & ſpecifico:obiectum autem in ſe non habet compoſitionem,ſed dicitur componi,quatenus idẽ omnino diuerſimodè cognoſcitur. *Genus & differentia cur ſint partes ſpeciei.* Quando verò rationale & animal dicuntur partes eſſentiæ,non intelligitur eas ex parte obiecti eſſe partes; ſed noſtras cognitiones eſſe partiales,quia non penetrant obiectum, & neſciunt omnia eius prædicata in ordine ad omnia connotata, per ordinem ad quæ ſumuntur. Omnes ergo illæ denominationes partium & compoſitionis ratione reduplicant actus noſtros non obiecta.

§.160. *Obiectio. Reſpondetur. Cognitio partialis quæ.* Quod ſi dicas hoc potius eſſe non cognoſcere connotata, quàm non cognoſcere obiecta. Reſpõdeo ex defectu connotatorum cognoſci obiectum ipſum imperfectè,partialiter,& inadæquatè. Quia cognitio illi non adæquatur, nec totaliter aut perfectè exhaurit,dum vel in ipſo non penetrat omnes effectus, vel ipſum non cognoſcit per omnes effectus. *S.Thomas.* Quam ob cauſam S.Thom. opuſc.9.quæſt.1. ait comprehenſione cognoſci obiectum perfectè, & quia nos Deum non comprehendimus,ideò imperfectè noſtrum intellectum Deo aſſimilari. Nec eſt in illo obiecto aliud quod cognoſcam clarè, & aliud obſcurè : ſed totus homo cognoſcitur clarè cum ſenſione, & totus dicitur & cognoſcitur eſſe animal : & licet tunc cognoſcitur totum rationale in ordine ad ſenſionem, tamen totus homo & rationale ignoratur eſſe rationale : quia non cognoſcitur diſcurſus, per quem ſcimus hominem eſſe rationale.

§.161. *Tertium argumentum.* Tertium argumentum eſt,quia in conceptu inferiori diuerſimodè cognoſcuntur prædicata ſuperiora ac inferiora : verbi gratia, in animali diuerſa ratione concipiuntur, *viuens, corpus, ſubſtantia & ens*, ac cognoſcuntur in animali : ſed illa diuerſitas eſt præciſè, quia ſuperiora noſcuntur immediatè, inferiora verò remotè, ergo cognitio de animali remotè terminatur ad rationale : ergo ex parte obiecti animal includit viuens, & cætera prædicata communia : non verò includit rationale. Probatur minor, quia in animali confusè noſcuntur prædicata ſuperiora,definitio enim confusè cognoſcitur in definito.

§.162. *Reſpondetur. Definitio & definitum cognoſcitur eodem modo.* Nego minorem, ad probationem patet ex diſput.10.Logicæ eodem modo quo cognoſcitur definitum, & definitionem cognoſci. Omnes ergo formalitates cognoſcuntur immediatè, ſed cum diſcrimine : quia omnia connotata per actus ſuperiores connotantur etiam per inferiores tam clarè, quàm per ſuperiores:nam cum prædicata ſuperiora ſint eſſentia inferiorum, non poſſunt clarè res gnoſci, quin clarè illarum eſſentiæ noſcantur. At per conceptum formalem de animali non connotantur ea,quæ per conceptum de rationali.

§.163. *Diſcrimen concipiendi inferiora ac ſuperiora.* Vnde oritur euidens in vtraque ſententia diſcrimen:nam præciſè concipiendo animal, poteſt quis ex illo actu diſcurrere per conſequentias euidentes, illud eſſe viuens,corpus, & ens ; at ex illo præciſè non poteſt euidenter inferre illud eſſe hominem : atqui hoc non poſſet eſſe, ſi cognitio de homine eſſet confuſa de corpore: nam ſi eſſet confuſa,quo modo euidenter eſſet illatiua obiecti confuſi?Nam confuſio & obſcuritas nõ deducunt euidenter obiecta : vt qui dicunt conceptu entis immediatè confusè attingi ſubſtantiam & accidens; nequeunt dicere ex præciſo conceptu de ente poſſe euidenter inferri conceptum accidentis : quia id impedit confuſio. Conceptus ergo inferior euidenter continet actu,vel potentia conceptus ſuperiores : non verò contrà conceptus ſuperior inferiores.De quo diſput.5.de anima.

§.164. *Quartum argumentum. P. Vazquez. P.Molina.* Quartò,poſſent adduci Pat.Vazquez & Molina ſupra probantes, Deum nobis obiici inadæquatè per imagines rerum creatarum, nec nos cognitione adæquari Deo. Tantum autem hoc probat,nos non cognoſcere perfectè Deum ; non quod illum cogitatu diſſecemus : ſed quia eum non concipimus penetrando omnia eius prædicata per omnia connotata,quibus poſſunt cognoſci.

SECTIO V.

Quæ requirantur ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ? Item & ratiocinantis?

§.165. *Duplex diſtinctio rationis.* DIſtinctionem rationis communiter partiuntur authores in diſtinctionem rationis ratiocinatæ, & ratiocinantis. Primam dicunt habere fundamentum non modò in imperfectione noſtri intellectus,in quo eſt ſubiectiuè ; ſed etiam in obiecto ipſo obiectiuè, id eſt:quia aptũ eſt multiplici cogni

Digitized by Google

cognitione apprehendi: eaque propter dicitur *rationis ratiocinatæ*, id eſt, obiecti circa quod cognitio verſatur. Secundam dicunt eſſe, quæ nō habet fundamentum in obiecto: ſed tantùm in intellectu ratiocinante. Nonnulli cōſtituentes præciſiones obiectiuas dicunt, ſecundam diſtinctionem eſſe, qua obiectum ipſum refertur ad connotata diuerſa, vt cum viſio refertur ad potentiam videntem, eam denominat intrinſecè videntem: cum verò refertur ad obiectum, illud denominat viſum: at eadem formalitas refertur & ad potentiam, & ad obiectum. Verum ſi ita poteſt viſio cognoſci, fundat diſtinctionem rationis ratiocinatæ; tum quia in ſententia oppoſita habebit diſtinctas formalitates obiectiuas; nam formalitas intrinſeca potentiæ vt intrinſeca, non poſſet eſſe extrinſeca obiecto: ſed viſio per vnam formalitatem eſſet in potentia, & per aliam denominaret obiectum: vt motus dicitur habere duos conceptus, actionis, & paſſionis: tum quia ſi per illa connotata formantur diuerſi conceptus formales, idque cum fundamento, iam habet fundamentum in obiecto & erit diſtinctio rationis ratiocinatæ. Quæ poſſet ab his autoribus diuidi in rationis ratiocinatæ, attingentem diuerſas formalitates, & connotantem terminos diuerſos eiuſdem formalitatis.

Aliorum diſtinctio rationis ratiocinantis.

Impugnatur: quia eſſet ratiocinata.

§. 166. P. Suar. diſput. 8. Metaph. ſect. 1. num. 4. & Fonſ. tom. 2. lib. 5. c. 6. quæſt. 6. ſect. 3. latè diſquirunt has diſtinctiones; ac placet quod dicunt, diſtinctionem rationis ratiocinantis eſſe ſine fundamento ex parte obiecti, ac fieri non varietate, & diſſimilitudine conceptuum formalium: ſed geminatione & repetitione eiuſdem: vt cum quis prædicat ſe de ipſo, *vt ego ſum Petrus, Petrus eſt hic homo.* Ego cenſeo hanc non eſſe diſtinctionem; quia conceptus ſunt ſynonymi: ſed vocari diſtinctionem; quia quis ita ſecum ſe gerit, ac ſi eſſet alius, vt cum quis loquitur ſecum voce externa. Equidem ſe ipſum non diſtinguit mente, ſed ſe tractat, ac ſi eſſet alius. Quia locutio eſt ad manifeſtandos conceptus alj, non ſibi, qui eos nouit ante locutionem. In mente nihil eiuſmodi contingit: cum enim ſibi dicit. *Petre hoc es facturus. Bernarde ad quid veniſti?* in mente reſpondet, *ego ſum facturus hoc: ad quid veni?*

P. Suarez. P. Fonſeca. Ratiocinātis ſine fundamento in re, ſola geminatione eiuſdem conceptus.

Non eſt propriè diſtinctio.

§. 167. Diſtinctio autem rationis ratiocinatæ fundamentum habet in obiecto. Hoc fundamentum ſæpius dixi eſſe connotata diuerſa, quod communius ita contingat: at certè poteſt oſtendi diſtinctio rationis ſine connotatis extrinſecis. Nam conceptus communes ab inferioribus ratione diſtingui, nemo ibit inficias: ſed poteſt eſſe conceptus communis ſine connotatis: ergo. Minor probatur: quando videtur color ita confuſè vt intellectus ex vi illius viſionis non poſſit diſtinguere vnum colorem ab alio, concipit quidem rationem coloris, & non concipit clarè vllam illius differentiam: ergo concipit rationem communem: ſed ille conceptus nulla habet connotata; quia cognitio immediata obiecti ſenſus externi non fertur in connotata: ſed in qualitatem ſenſilem in ſe ipſa: ergo conceptus vniuerſalis poteſt eſſe ſine connotatis.

Ratiocinata fundatur in obiecto. Fundamentū ſunt frequēter connotata diuerſa. Ea diſtinctio poteſt eſſe abſque connotatis.

Senſus externus nō fertur in connotata.

§. 168. Animum aduerte ad duo genera intellectionum de obiecto ſenſili: primum, quando obiectum cognoſcitur ea cognitione, quæ immediatè excitatur per ſpeciem productam per phantaſma materiale; quæ cognitio in obiecto materiali, & formali, in non connotando, nec percipiendo niſi quod ſenſus percipit, eſt omnino ſimilis ſenſioni; à qua ſolum differt, quòd eſt ſpiritualis, ſenſio autem materialis. Iſta intellectio eſt vniuerſalis in repræſentando colorem, v. g. ſine vllo connotato: confuſéque attingit omnes colores, immo & ipſa ſenſio eſt vniuerſalis, non quidem vniuerſalitate logica, & prædicabili, hæc enim in ſolo intellectu reperitur: ſed vniuerſalitate confuſionis non diſtinguente ſpecies colorum: quia licet immediatè feratur in albedinem, v. g. & producatur per ſpeciem illius; tamen illa ſpecies eſt confuſa, & ex vi illius non diuiditur albedo à virore.

Duo genera intellectionū de obiecto ſenſili. Intellectio reſpondēs ſenſioni eſt vniuerſalis abſque connotatis.

Senſio qua ratione vniuerſalis.

§. 169. Nec arbitror ab vllo negari hoc genere intellectionis non attingi clarè & diſtinctè, niſi rationem coloris: experientia enim eſt frequentior, quàm vellemus in viſu, auditu, & cæteris ſenſibus: quibus ſæpe non penetramus vltimas differentias coloris, & ſoni: nunc vellem rogare autores conſtituentes plures formalitates obiectiuas, quid præſcindat viſus, aut illa prima intellectio? Hæ primæ cognitiones tam ſenſus quam intellectus, ſunt admodum imperfectæ: percipiunt enim obiectum, & licet percipiant vltimas differentias, neſciunt ſint ne ſubſtantia; vel accidens? oculi enim nec intellectio illis reſpōdent, quid ſciunt an albedo ſit prima vel ſecunda ſpecies qualitatis? ſic autem mirum non eſt, ſi non habeant connotata. Ratio autem huius confuſionis eſt ſpecies impreſſa, quæ vel ob imperfectionem, vel diſtantiam, non produxit perfectiorem cognitionem, vel ob defectum organi potentiæ. Itaque hoc genus diſtinctionis neſcio quodnam aliud fundamentum habeat in obiecto, niſi, quia eſt productiuum talium cognitionum, quæ verè ſunt rationes diſtinctionis: at diſtinctio rationis ratiocinatæ, vt non eſt diſtinctio, ita nō fundatur in obiecto. Item ſicut Deus videri poteſt ab vno beato cum talibus creaturis, ab alio cum aliis, ab aliis autem poteſt & ſine vlla: quod oritur, quia cognitiones non magis penetrarunt obiectum; ita contingit in præſenti. Et quidem hoc genus diſtinctionis ſine connotatis expreſſit Aureolus, in 1. d. 8. p. 3. art. 6. §. *Reſponſio ad obiecta*, 2. ad 5.

Sæpe non ſentimus vltimas differentias.

Exemplum Beatorum.

§. 170. Aliud genus diſtinctionis circa idem obiectum ſenſile eſt nobilius, quia reflectitur ſupra illud obiectum, vt eſt apprehenſum per ſenſus, & diiudicat, illud eſſe colorem, non verò albedinem; illudque ita probat atque confirmat per connotata. *Quod percipitur viſu eſt color, cum luce: illud obiectum percipitur viſu, ergo eſt color cum luce:* neſcit tamen ſit ne albedo? Ecce explicat illud obiectum per connotata. Per quę cognoſcuntur in via cętera obiecta præter ſenſilia. Nam vel per cauſas: vel per effecta; vel per ſimilitudinem aliarum rerum, apprehendimus inſenſilia obiecta. Quamobrem iuſtitiam Dei à miſericordia diſtinguimus per effecta: intellectum à voluntate per comparationem ad potētias noſtras, & illarum operandi modum diſtinguimus. Denique illud ſufficit diſtinctioni rationis, quod eſt in cauſa, vt obiectum non penetretur, nec concipiatur adæquatè, ſed inadæquatè & imperfectè.

Alia diſtinctio nobilior circa ſenſilia.

Perfecta diſtinctio eſt per cōnotata.

Diuina quomodo diſtinguimus.

Vno verbo fundamentū diſtinctionis.

§. 171. Dupliciter poſſunt attingi connotata per actum. Primò, quando actibus diuerſis diuerſa reſpondent; tunc autem non dubium de perfecta diſtinctione rationis, verbi gratia, inter animal & rationale, quia actus de animali repræſentat ſenſionem pro connotato: actus autem de rationali diſcurſum attingit. Aliter per diuerſos actus attinguntur eadem connotata, ſed modo diuerſo: verbi gratia, qui non diſtinguunt realiter informationem à materializatione, eam ratione diſtinguunt; quia vnio ſub conceptu informationis concipitur ſubiectiuè in ſola forma; in materia autem terminatiuè tantum: eadem autem vnio ſub conceptu materializationis concipitur in ſola materia ſubiectiuè, in forma autem terminatiuè. Iſtis duobus actibus

Duplex attingentia cōnotatorum.

vnio diſtinguitur ratione,quia ſub neutro penetratur,nec concipitur vel ſub omni modo connotandi,vel ſub omni formalitate. *Confirmatur.* Confirmatur: quando concipio informationem, concipio aliquid de eſſentia vnionis; & aliud non concipio de eiuſdem eſſentia. Ita etiam philoſophantur, qui in motu ratione diſtinguunt actionem à paſſione. Ratio à priori huius diſtinctionis eſt, quia per illum conceptum ita attingo informationem, quin tunc ſciam eſſe materializationem, ac ſi non eſſet, ſicut concipio animal ſine rationali.

§.172. *Quando connotata eodem modo noſcuntur, non fundant diſtinctionẽ rationis.*

Quando autem per duos conceptus eadem connotata eodem modo attinguntur; licet ſint plura, nulla fit diſtinctio rationis, exẽpli gratia, vnio hypoſtatica non habet duos terminos ratione diſtinctos, ſicut habent reliquæ vniones: quia ſemper concipitur in Verbo terminatiuè tantum,& ſubiectiuè in humanitate. Item cognitio, in quantum denominat potentiam cognoſcentem, non diſtinguitur à ſe,vt denominat obiectum: quia ſub vtraque denominatione cognoſcitur potentia intrinſecè cognoſcens, & obiectum extrinſecè cognitum. *Vnio hypoſtatica, nec cognitio nõ habent diuerſos conceptus.* Nam in quantum eſt potentia cognoſcens, aliquid cognoſcit, ergo tunc intelligitur terminari extrinſecè ad obiectum,& dum obiectum apprehenditur cognitum,apprehenditur etiam cognitio in potentia exiſtens, quia apprehenditur vt vitalis. Itaque ſemper connotat potentiam intrinſecè, & obiectum extrinſecè: quo etiam pacto ad prædicamentum actionis oſtendam,in motu nec ratione diſtingui actionem à paſſione. Ratio à priori huius indiſtinctionis eſt, quia per vtrumque conceptum cognoſcitur obiectum eodem modo; nec ſub vno clarius apparet aliquod prædicatum quàm ſub alio. Et voces ſignificantes res ſic conceptas ſunt ſynonymæ.

§.173. *Animaduerſio de connotatis.*

Aduerte, connotata nonnulla eſſe per ſe nota; vt ſenſilia: alia non item, ſed per ſpecies alienas. Quando aliquid concipimus connotando albedinem & ſimilia ſenſilia,tunc cognitio eſt ſatis clara. Quando verò connotantur alia obiecta, tunc eſt obſcurior. Item: ſicut connotata in ſe dicunt aliquem ordinem mutuum, ita & petunt explicationem mutuam. Nam potentia vitalis explicatur per actum vitalem; & hic per potentiam; ſed quando vnum explicatur per aliud: id per quod explicatur, aliquo modo ſupponitur cognitum: alioquin eſſet explicatio ignoti per ignotius. *Circulũ vitioſum fugiẽdi ratio.* Non tamen requiritur exacta cognitio connotati,nam ad explicandã potentiam vitalem per actum, non eſt opus quidditatiua cognitione actus,ſed ſufficit qualiſcumque de actu vitali vt diſtinguitur à non vitali, & ſic vitatur infinitus proceſſus & vitioſus circulus explicandi obiecta.

SECTIO VI.

Vtrum per actus intuitiuos contingat diſtinctio rationis?

SVBSECTIO I.

Quid abſolutè de quæſtione.

§.174. *Diſtinctio rationis fit per intuitionem non comprehenſiuam.*

Dico primo. *In ſententia negante præciſiones obiectiuas & diſtinguente obiectum per cognitionem illius ſine aliquo connotato* (vt explicui ſect. 4.) *omnis cognitio non comprehenſiua eſt diſtinctio rationis.* Vnde abſolutè dico, *per actus intuitiuos fieri diſtinctionem rationis.* Hæc concluſio neceſſariò deducitur ex noſtro modo conſtituendi diſtinctionem rationis;per quam non attinguntur ex parte obiecti diuerſæ formalitates obiectiuæ; ſed eadem cum diuerſis connotatis; ſed actibus intuitiuis attingi poſſunt connotata diuerſa, ergo etiam fiet diſtinctio rationis. *Prima ratio.* Minor eſt certa tum in beatis,tum in aliis. Angelus enim cum ſe cognoſcit, non cognoſcit illam ſuam cognitionem; quia non eſt obiectum ſui.

§.175. *Secũda ratio.*

Secundo intellectio immediatè deducta ex ſenſione externa, eſt intuitiua, quia fit per propriam ſpeciem obiecti, & fertur immediatè in ipſum vt exiſtens: & eſt præciſiua,oſtendi enim,ſæpe repræſentari colorem, quin repræſentetur diſtinctè aliqua illius ſpecies infima, ergo cognitio intuitiua poteſt eſſe diſtinctio rationis. Pro hac opinione non ſunt noui autores adducendi; omnes enim quos ſequor in diſtinctione rationis ita loquuntur, maximè Aureolus in 1.d.8.p.3. art.6.§. *Reſponſio ad obiecta.* Aureolus. Item S.Thom. opuſc.9. quæſt.1. ait cognitionem comprehenſiuam eſſe perfectam imaginem obiecti; S. Thom. cæteras verò imperfectas: ex qua doctrina infert omnem creatam cognitionem de Deo eſſe imperfectam: quia non poteſt eſſe comprehenſio. E quo principio defendit ibi diſtinctionem rationis Petri Tarantaſij: quod principium commune eſt cuiuis cognitioni. Tarantaſ.

SVBSECTIO II.

Quid in ſententia de formalitatibus.

§.176. *Secunda concluſio. In ſententia conſtituenti plures formalitates obiectiuè, idem dicendum eſt de actu intuitiuo.*

Dico ſecundò. *In ſententia conſtituente diuerſas formalitates obiectiuas poteſt eſſe diſtinctio rationis per actus intuitiuos: & ita fit, quoties non ſunt comprehenſiui.* Hæc concluſio,cum primum eam meos auditores docui, inſolens eſt viſa nonnullis; crediderim, quia iiſdem inſolentes & autores: illi autem patrocinãtur quicumque aiunt,à beatis poſſe videri vnum attributum ſine alio; vel eſſentiam ſine attributis, vel relationibus,vel eſſentiam ſine actibus liberis. Ly enim *ſine* aliud non eſt, niſi Deum ita cognoſci, vt aliquid in illo non cognoſcatur. Eodem enim pacto dicunt poſſe naturam cognoſci ſine actibus liberis,quo animal ſine rationali.Poſſe autem naturam à beatis ſine relationibus videri familiarius eſt Scoto, cum Scoticis,quàm egeat probatione; Scot. alios etiam autores vide in Aureolo in 1. d.1.initio. Aureolus. Nonnullos actus liberos Dei latere beatos cum S. Thom. & eius Schola docent P. Suarez 1.p.lib.2 de attributis Dei,cap.24.num.3.Molin.1. p.quæſt.12.art.8.d.3.§. *eſt & alia ratio.* Salas tom.1. in 1.2.quæſt.3.tract.2.diſp.3.ſect.9. S.Thom. P.Suarez. P.Molina. P.Salas. imo & hi,cum quibus depugno,aiunt actus liberos Dei non videri in ipſa natura Dei: vnum autem attributum intueri poſſe beatos ſine alio, adfirmant innumeri autores graues, quos congerit Pat. Salas ſupra ſect. 2. quos ipſe ſequitur n. 10. ad medium adfirmans non videri à beatis omnia prædicata, quæ Deo cõueniunt in ordine ad omnes creaturas in particulari, quia hæc ſunt infinita. Et num. 1. confirmat ex Ferrar.non cognoſci à beatis diſtinctè, id eſt,ſecundum proprias ſuas rationes formales, omnes gradus perfectionis exiſtentes in Deo, quod inferius idem dicit.

§.177. *Primum argumentum. Cognitio intuitiua de albedine eſt abſtractiua formalitatum.*

Probatur primò hæc concluſio: cognitio, qua intuemur albedinem ſenſam per oculos eſt intuitiua; ſed illa cognitio diſtinguit ibi colorem à differentia albedinis, ergo cognitio intuitiua poteſt diſtinguere obiectum. Probo minorem,illa cognitio non repræſentat clarè albedinem, vt eſt albedo, &

repræ

repræſentat albedinem, vt eſt color, ergo diſtinguit colorem à differentia albedinis: antecedens eſt notum, quia per illam cognitionem non determinatur intellectus ad albedinem, nec ſcit obiectum eſſe albedinem: cum ſciat illud eſſe colorem; at id fieri non poſſet, ſi clarè repræſentaret albedinem. Probo conſequentiam, quia diſtinguere ratione eſt cognoſcere obiectum ſecundum vnam rationem, & non ſecundum aliam.

§. 178. *Confirmatur.* *Explicatur à cōceptu diſtinctionis rationis.*

Confirmatur, tunc obiectum ratione diſtinguitur, quando actus; quibus concipitur, adeo ſunt diuerſi, vt alter ſit omnino ignoratio prædicati repræſentati per alterum. verbi gratia, concipis animal: conceptu animalis non potes ſcire ſit ne homo, aut leo: & interrogatus de homine, neſcis reſpondere, nonne tunc diſtinguis animal ab homine? Nam diſtinctio rationis eſt id, quo ratio facit vnum non eſſe aliud in ipſa ratione, & conceptione: ſed in eo caſu ratio facit ne albedo in conceptione ſit albedo, quia ſi cognitione ignoratur, non eſt in conceptione: ergo illa cognitio eſt diſtinctio rationis. Nec video diſcrimen inter illud obiectum per illam cognitionem, & per alias: nec inter illud & animal & hominem.

§. 179. *Secūdum argumentum.*

Secundò probatur, quando Angelus ſe intuetur, ille actus non repræſentat Angelum ſub omni formalitate, quia illum non repræſentat, vt eſt principium illiuſmet cognitionis, quia ſeipſum non repræſentat: ergo.

§. 180. *Tertium.* *Beati diſtinguunt ratione.*

Tertiò efficaciter arguitur. Beati poſſunt videre diuinam eſſentiam, quin videât decreta libera Dei, ſed hæc eſt diſtinctio rationis, ergo actus intuitiuus eſt diſtinctio rationis. Maior eſt certa, conſequentiam probo: quia qui ſcit Deum velle creare Petrū, non poteſt inde non inferre, Petrum futurum. Poſſunt ergo beati videre naturam Dei, quin actus liberos. Hoc autem eſſe diſtinctionem rationis probo: quia illa cognitio ſeparat naturam ab actu libero: quia cognoſcit naturam & non actum liberum. Deinde interrogatus beatus quid videat? Reſpondebit, Deum. Si autem illum roges, ſciat ne vtrum Deus velit creare Petrum? Reſpondebit ſe ignorare; ergo ille actus non eſt cognitio decreti liberi, ſicuti eſt cognitio Dei.

§. 181. *Obiectio.* *Reſpondetur primò ad hominem.*

Dicent decreta libera cognoſci à Beatis ſecundum totum id, quod dicunt in recto, non tamen ſecundum effectum in obliquo connotatum. Contrà primò, ergo ex eo præcisè, quod ignoretur connotatum, licet totum rectum cognoſcatur, eſt ſufficiens principium, vt dicatur abſolutè cognoſci eſſentia, & abſolutè dicatur non cognoſci decreta libera; quia hæc abſolutè poſſe non videri vniuerſi Theologi fatentur: ergo ſimiliter ſi ignorantur connotata, licet totus homo ſciatur, erit ſat vt abſolutè dicatur cognoſci animal & non rationale. Quid enim aliud quærunt, qui inueſtigant diſtinctionem rationis?

§. 182. *Secunda reſponſio.* *Actus liber & eſſentia ſunt diſtincta formalitates ad hominem.*

Contrà ſecundò, hi fatentur duo: alterum, actus liberos non poſſe cognoſci ex vi eſſentiæ viſæ, nec item effectus liberos. Item dicunt poſſe videri decreta libera & in illis futura ipſa. Item hæc futura videri poſſe in ipſis. Vnde argumentor, liberi effectus non poſſunt videri in eſſentia Dei, poſſunt autem videri in actibus liberis: ergo actus liber Dei, quando videtur, videtur vt aliqua formalitas ab eſſentia diſtincta: patet conſequentia, quia poteſt videri effectus in actu libero vt libero, & non in eſſentia vt eſſentia, ergo actus liber vt liber non eſt eſſentia. Deinde actus liber vt liber connotat effectus, qui ex illo ſequuntur, ergo cognoſcitur cum illis connotatis, ſed eſſentia vt eſſentia non cognoſcitur cum illis connotatis, ergo illa non ſunt connotata eſſentiæ vt eſſentiæ, ergo actus liber, qui illa connotat, aliquid habet, præter connotata exiſtens in recto.

§. 183. *Confirmatio.*

Confirmatur, qui videt Deum & non decreta, non explicabit Deum nomine ſynonymo cum quo explicabitur Deus idem vt volens, à cognoſcente illum vt volentem, ergo eſt diſtinctio in nomine concepto: ergo & in obiecto, quia diſtinctio conceptuum, denominat obiectum diſtinctum. Mitto aliud argumentum ſcilicet non cognoſci Deum vt productiuum Angeli; quia videretur Angelus. Nam eſt idem de actibus liberis & proprium Theologorum.

§. 184. *Obiectio.* P. Suarez. P. Salas.

Dices à P. Suarez & Salas ſupra malè ſentiri de opinione aſſerente à beatis videri Deum ſine attributis. Sed quid tum poſtea? An inde ſequitur abſurdè poni diſtinctionem rationis in beatis? Vellem id eſſe abſurdum: vt inde probarem nullam formalitatum pluralitatem in obiecto conſtitui per diſtinctionem rationis, ſed explicari debere cum S. Thom. tota quæſt. 12. 1. p. de imperfectione attingendi ex parte actus, cui ſemper reſpondet idem omnino obiectum. Sicut à me explicatur vniuerſa diſtinctio rationis. S. Thom.

Noſtra diſtinctio rationis tam certa in beatis quā in nobis.

Quæ in ſententia Nominalium tam certa eſt in Deo, quàm certum in illo non poſſe à creatura videri ſingulas creaturas poſſibiles & actuales. Quia illa diſtinctio nihil eſt præter actum non penetrantem omnia, quæ formaliter & eminenter ſunt in Deo; hunc autem actum beatos habere quis ambigat? Cum verò ex oppoſita ſententia ſequatur euidenter, Deum à beatis diſſecari cognitione in plures conceptus obiectiuos; ſi conſequens diſplicet, diſpliceat antecedens, è quo deducitur per legitimam conſequentiam.

§. 185. *Oppoſita ſententia non hinc vrgetur.* P. Suarez. P. Salas. *Beati de facto non præſcindunt, diuinitus poſſent.*

Verum non inde vrgetur ea ſententia. Ad Pat. Suarez, & Salas. Reſpondeo, illos loqui ex natura rei, & de facto. Eſſet enim abſurdum affirmare, tam curtè Deum à beatis videri, vt nullum attributum videant: de potentia autem abſoluta & ipſe Salas fatetur poſſe fieri, ſine num. 10. & cum tam multi grauesque autores id dicant, ſine abſurdo dicitur. Deinde infinitorum, & ipſius Salas ſententia eſt, videri quidem attributa, ſed non ſecundum omnes illorum modos: id eſt, videri omnipotentiam, ſed non prædicatum potentiæ producendi hominem. Quos modos P. Salas vocat prædicata formaliter exiſtentia in Deo, quæ dicit propriè non eſſe attributa. Itaque hæc ſententia caret abſurdo.

§. 186. P. Vazq. P. Suarez. P. Molin. S. Bernard.

Pat. Vazq. tom. 2. 1. p. diſp. 118. cap. 2. negat, rem poſſe ratione præſcindi per actum intuitiuum: idem affirmat P. Suarez 1. p. tractat. 1. libr. 2. cap. 28. dum ait, Deum non cognoſci à Beatis per actus inadæquatos, quos vocat diſtinctionem rationis 1. Metaphy. diſp. 7. & P. Mol. 1. p. quæſt. 28. a. 2. diſp. 3. Primum fundamentum P. Vazq. adducit ex S. Bernardo lib. 5. de conſideratione ad Eugenium, aliquantulum ante finem; aſſerente Deum nunc à nobis cognoſci, quaſi multiplicem, quia eum cognoſcimus confusè, & per ſpeciem alienam: in patria verò eum nobis occurſurum, diffugiente illa multiplicitate; cum ergo hæc multiplicitas attributorum (de qua loquitur Bernardus) in eiuſdem ſententia tantum ſit multiplicitas per noſtrum intellectum: & hæc multiplicitas tollenda ſit, tollitur proculdubio diſtinctio rationis, eam multiplicitatem inuehens.

§. 187. *Exponitur S. Bernardus.*

Reſpondetur, veriſſimam eſſe Bernardi ſententiam: quia Deus in patria non apprehenditur per modum plurium; hoc enim oritur ex ænigmate, & ſpeculo, id eſt, ex alienis ſpeciebus: quæ obiectum repræſentant per ſimilitudinem rerum vnde fuerūt

acceptæ:

Diſcrimē intuitiua & abſtractiua cognitionis.

acceptæ: ad quod aduerte diſcrimen inter cognitionem intuitiuam, & abſtractiuam. Hæc fit à viatoribus per ſpecies ab aliis acceptas, vt ſubſtantia cognoſcitur per ſpecies ab accidentibus acceptas, & Deus per ſpecies acceptas à creaturis. Quapropter Deus cognoſcitur vt multiplex, quia eius pulchritudo cognoſcitur ad modum creaturæ pulchræ: fortitudo inſtar fortis, &c. Vnde mens huc, atque illuc quaſi diuagatur, at verò notitia intuitiua non exprimit rem ad modum aliarum, ſed proprio illius conceptu, & quamuis in ea non cognoſcit intellectus omnes eius effectus, ſed eam ſucceſſiuè magis penetrat, tamen obiectum nunquam apparet multiplex: quia quilibet actus eſt quidditatiuus: etiam ſi plures habeat formalitates. Nam in mea ſententia illas negante, non habet difficultatem argumentum: quia Deus obiectiuè non diuiditur; Deum autem in via vt multiplicem apparere, ſecus in patria verum eſt in vtraque ſententia propter rationem redditam.

Deus cur cognoſcatur multipliciter.

§. 188. *Secūdum argumentum.* Secundum fundamentum eſt, quia cognitio intuitiua eſt cognitio rei, ſicuti eſt: ſed Deus, v.g. eſt omnipotens, omniſcius, iuſtus, &c. ergo cognoſcitur eſſe talis; ergo cognoſcuntur omnia eius attributa, ergo non præſcinditur vnum ab alio. *Confirmatur.* Confirmatur, eſt fide ſanctum, Deum à Beatis videri ſicuti eſt; ergo non præſcinditur ab eo vnum attributum; quia à parte rei Deus eſſentialiter eſt illud attributum; ſicut Petrus eſſentialiter habet Petreitatem: & homo rationalitatem: ergo non aliter poteſt Deus ab illo attributo præſcindi, quàm homo à rationalitate, & à Petreitate Petrus.

§. 189. *Reſpondetur. Cognitio, intuitiua poteſt repræſentare rem vt eſt, inadæquatè.* Diſtinguo Maiorem: cognitio intuitiua repræſentat rem ſicuti eſt adæquatè ſub omni reſpectu, & denominatione ab effectibus deſumpta, nego maiorem: hoc enim eſt proprium comprehenſiuæ cognitionis: repræſentat inadæquatè ſicut eſt attingendo propriam entitatem obiecti, eiuſque eſſentiam ab aliis clarè diſtinguendo, concedo maiorem: ad minorem reſpondetur, omnia, quæ ſunt in Deo cognoſci propriè ſub ratione Dei, & ſecundum conceptum, quem dicunt in recto, concedo minorem: cognoſcuntur autem ſub omni denominatione à creaturis, nego minorem, hoc enim pacto comprehenderetur Deus.

§. 190. *Ad confirm. S. Thom. exponit. S. Ioan.* Confirmatio eodem modo infirmatur: teſtimonium enim Ioannis *Videbimus eum ſicuti eſt.* S. Tho. 1.p.q.12.art.7. exponit, vt dixi, videri Deum ſicuti eſt, nempe ex parte obiecti, quia per propriam ſpeciem videtur eius eſſentia, non verò ſicuti eſt ex parte modi, quia cognitio non penetrat in Deo omnes eius effectus. Hoc autem teſtimonium ſi ita præciſè ſumatur, *ſicuti eſt* conuinceret, Deum à Beatis comprehendi: nam Deus in ſe eſt potens ad producendas omnes creaturas in particulari; ergo deberet cognoſci vt talis. *Ad exemplū.* Exemplum quod affert de Petreitate, & Petro non eſt omnino ſimile; nam etiam probaret à Beatis neceſſariò videri actus liberos formaliter quia illi à parte rei ſunt idem cum Deo: reſpondetur igitur, licet omnia attributa, & actus liberi ſint à parte rei natura Dei, at non eſſe de conceptu primo Dei, ſecundum denominationem, quam accipiunt à creaturis: ſic autem de eſſentia Dei eſt eſſe ens à ſe, & ſe intelligentem, qui conceptus neceſſariò cognoſcitur à Beatis. Item & omnia attributa, ſecundum id, quod dicunt in recto. *In ſententia plurium formalitatum.* In ſententia autem ponente plures formalitates, reſponde cum Pat. Salas numer. 11. cognoſci Deum ſicuti eſt, vt diſtinguitur à creaturis, & formatur de illo conceptus proprius Dei & Trinitatis, & cæterorum vt ſunt Dei, & non communia creaturis: at non cognoſcuntur adæquatè vt ſunt inter ſe ratione diſtincta, ſaltem quoad prædicata libera, & ſpecialia, vt eſſe productiuum hominis.

§. 191. *Illa definitio propriè eſt quidditatiuæ cognitionis.* Deinde illa definitio cognitionis *rei ſicuti eſt*, non tam eſt definitio intuitiuæ cognitionis, quàm quidditatiuæ. Aptatur autem à nonnullis intuitiuæ: quia ſæpe eſt quidditatiua: qui enim videt albedinem, & non penetrat eam eſſe albedinem, habet quidem cognitionem intuitiuam albedinis, quam tamen non cognoſcit ſicuti eſt. Eſt ergo cognitio intuitiua, cognitio in ſe, vel immediata rei exiſtentis vt exiſtentis.

SVBSECTIO III.

Probatur efficacius eadem doctrina.

§. 192. *Argumētum cui fidunt aduerſarij. Reſpondetur. Non eſt oppoſitio inter intuitionem & abſtractionē formalitatū.* Nonnulli admittentes actibus abſtractiuis reſpondere plures formalitates obiectiuas; id negant de intuitiuis: cenſent enim eſſe terminos repugnantes cognitionem intuitiuam & abſtractiuam. Quibus reſpondeo, nullam eſſe oppoſitionem inter intuitionem obiecti & abſtractionem in illo plurium formalitatum. Ratio à priori eſt; quia intuitio eſt cognitio rei vt exiſtentis ad illam immediatè terminatam; cui cognitioni repugnat abſtractio obiecti ab exiſtentia: ſi enim illud videt vt exiſtens, non poteſt non videre illud abſque exiſtentia. At poteſt videre illud immediatè ſub vna formalitate vt exiſtens, quin videatur ſub alia: quia formalitatem, quam videt, non abſtrahit ab exiſtentia; abſtrahit autem immediatè & formaliter aliam vt enim Deus ſcientia abſtractiua comprehendit poſſibilia; & ea ſcientia non eſt abſtractiua vnius formalitatis ab alia: quia non dicitur abſtractiua niſi quia non terminatur ad creaturas vt exiſtentes: ita econuerſo ſcientia intuitiua poteſt eas abſtrahere. *Scientia abſtractiua non cognoſcit interdū plures formalitates.*

§. 193. *Explicatio clara.* Explico: ſcientia intuitiua & abſtractiua opponuntur: non in præciſione formalitatum: ergo in ſola immediata attingentia obiecti exiſtentis. Minor probatur: quia ſcientia abſtractiua Dei de poſſibilibus non opponitur intuitioni ipſius Dei de illis in abſtractione formalitatum; quia abſtractiua non abſtrahit vnam ab alia, ſed omnes attingit, abſtractas quidem non inter ſe, ſed ab exiſtentia: vtraque ergo ſcientia attingit immediatè omnes formalitates: eſtque diſcrimen; quod intuitiua eas attingit immediatè vt exiſtentes; abſtractiua autem præſcindens eas omnes ab exiſtentia. Pone ergo duas cognitiones creatas; alteram abſtractiuā obiecti ab exiſtentia, & vnius formalitatis ab alia: exempli gratia, cognitio animalis non exiſtentis abſque rationali non exiſtenti: pone aliam, qualis à me ponitur, intuitiuam animalis & abſtractiuam rationalis ab animali. Hæ duæ cognitiones verſantes circa animal immediatè, & non immediatè circa rationale; habent vnde diſtinguantur in ratione intuitionis & abſtractionis, nō minus quàm ſcientiæ Dei: ergo. Probo minorem; quia altera terminatur ad animal vt exiſtens immediatè, altera ad idem animal vt non exiſtens: vt ſcientiæ Dei ad idem obiectum iam ſecundum ſe, iam exiſtentem. Intuitio ergo adæquatè intelligitur in attingentia immediata obiecti vt exiſtentis: quod non tollitur abſtractione vnius formalitatis ab alia. *Cognitio intuitiua & abſtractiua formalitates habent vnde diſtinguātur, etiamſi vtraque ſit præciſiua formalitatum.*

§. 194. *Exemplū efficax ad hominem, ex actione, & vnione phyſica.* Ad hominem hanc de intuitione doctrinam impugno, & probo intuitione tam bene poſſe præſcindi vnam formalitatem ab alia, quàm abſtractione obiecti ab exiſtentia. Aiunt actione Dei immediatè produci realiter vnam formalitatem actus mali,

mali, quin attingatur realiter immediatè alia formalitas, quæ eſt malitia in eorum opinione; & vniri formam materiæ immediatè gradui ſentienti, quin ita vniatur gradui ratiocinanti. Sic arguo: Actio phyſica & vnio immediatè verſantur circa terminos vt exiſtentes: & tamen attingunt immediatè per te vnam formalitatem abſque alia; ergo & intuitio poteſt. Probo conſequentiã, quia intuitio vt intuitio conſtituitur formaliter, quia immediatè verſatur circa exiſtentiam obiecti, ſiue eſt cognitio exiſtẽtis vt exiſtentis. At hæc ratio nõ obeſt quo minus terminus vt exiſtens reſpondeat ſecundum vnam formalitatem ſolam; vt patet in vnione, & productione. immo actio phyſica minùs abſtractiua eſt quàm cognitio. Vt ergo terminus intrinſecus vt exiſtens reſpondet actioni phyſicæ per formalitates; cur non reſpondebit actioni intentionali extrinſecæ?

Cõuenientia intuitionis & actionis phyſicæ.

§.195. *Intuitio & actio ſunt ad terminum vt exiſtentem.*

Cognitionem eſſe intuitiuam eſt eſſe de exiſtentia vt eſt exercita: quod etiam conuenit actioni: quæ attigit vnam formalitatem vt exiſtentẽ, aliam non attingens immediatè: ergo & actio intentionalis id præſtabit. Eam eſſe cognitionem rei vt eſt, non eſt aliud, quàm eſſe cognitionem terminatam ad eſſe, ſiue exiſtentem: perinde enim eſt *vt eſt* in præſenti, ac *vt eſt exiſtens*. Item vnio & actio terminantur ad terminum *vt eſt*; quia illum non attingunt aliter ac eſt; ſed vt eſt ſecundũ gradum vnum; non verò ſecundum omnes. Quod ſi exiſtimant ly, *vt eſt*, ſignificari adæquatam attingentiam obiecti; dico nec actione phyſica produci terminum vt eſt; nec animam vniri corpori vt eſt; nec humanitatem verbo vt eſt; quia non vnitur immediatè naturæ; nec generatione actiua produci verbum vt eſt; quia non producitur adæquatè ſecundum omnes conceptus quos includit: quæ omnia ſunt abſurda; ergo ly *vt eſt* applicatum cognitioni intuitiuæ non ſignificat immediatam attingentiam omnium formalitatum, vt in actione phyſica id non ſignificat, ſed immediatam attingentiam obiecti vt exiſtentis, & diſcriminationem illius ab omnibus aliis, vt contingit actioni phyſicæ.

Ly vt eſt eodem modo eſt in actione quo in intuitione.

Ly vt eſt quid ſignificat propriè.

§.196. *Tertium argumentum efficax. Ab abſtractiua notitia ad intuitiuã.*

Tertiò argumentor. Obiectum habet virtualem diſtinctionem ad duo prædicata contradictoria intrinſeca per te; item & ad Duo extrinſeca cognitionis non intuitiuæ: ergo & ad duo cognitionis intuitiuæ. Probo conſequentiam; tum quia ex virtuali diſtinctione ſola colligis terminationem contradictoriorum in actione, vnione, & cognitionẽ extrinſeca: cur eadem non colligis in intuitione ex eadem virtuali diſtinctione: tum etiam, quia ex nullo capite oſtenditur diſcrimen, non ex intuitione, vt probaui, exemplo actionis, & ratione à priori; non ex cognitione intuitiua, quæ capax eſt imperfectionis in attingendo obiecto; non ex obiecto; quia habet virtualem diſtinctionem, vnde ergo?

§.197. *Collatio intuitionis & abſtractionis.*

Placet autem expendere quantum hoc vrgeat. Ego cognoſco in via animal, non diiudicans ſit rationale nunc: Beatus cognoſcit immediatè Deum, non diiudicans illum eſſe volentem creare Petrum; nec diiudicans in illo eſſe attributum miſericordiæ; quia non apprehendit miſeriam poſſibilem. mea cognitio attingit realiter per te animal immediatè & non rationale: viſio Beati non attingit immediatè vnum abſque altero ex parte recti: ſed eſt diſcrimen in obliquo; & ex ignoratione obliqui non penetrat Beatus an Deus ſit volens. cur cognitio animalis non attingit in recto rationale; & ex defectu connotati dicemus non penetrari ſit rationale nec ne? Non eſt ergo diſcrimen.

Animum aduerte, non eſſe mihi in mente poſſe beatum præſcindere quamlibet formalitatem Dei ab alia, etiam admiſſa ſententia de præciſionibus obiectiuis: ſed formalitates quas per ordinem ad creaturas explicamus, in mea ſententia cognoſci omnes immediatè à viatore, & Beato; at poſſe non penetrari, vt à nobis exponuntur per creaturas: quod eſt ratione præſcindere ex parte obiecti: eaſdem autem in ſententia de formalitatibus, poſſe à viatore, & Beato præſcindi; quia poteſt videri Deus, ex horum ſententia, etiam ſine vlla creatura etiam in commune. Si hæc ſententia eſt abſurda; negetur pluralitas formalitatum. §.198.

Non eſt forma de abſtractione in Deo niſi formalitatũ reſpicientium creaturas.

Animaduerti §.57. autores negantes actu intuitiuo poſſe attingi vnam formalitatem abſque alia, poſſe compelli vt negent id in actione phyſica. Quia per te actus intuitiuus quia immediatè verſatur circa exiſtentiam obiecti, attingit neceſſariò totum obiectum; ſed magis intuitiua eſt actio phyſica: ergo attingit immediatè totum obiectum. Minor probatur; quia actioni phyſicæ non conuenit videre, nec intueri propriè; at magis propriè illi conuenit id ob quod cognitio eſt intuitiua: quia id habet cognitio, vel quia terminatur immediatè ad exiſtentiam obiecti; vel quia illud attingit vt eſt: ſed actio phyſica magis propriè terminatur ad exiſtentiam effectus; quia hic eſt illius terminus intrinſecus, accipiens immediatè exiſtentiam per actionem. item actio producit terminum vt eſt, vt oſtendi §.195. ergo id ob quod cognitio eſt intuitiua magis propriè conuenit actioni phyſicæ. Non eſt patienda euaſio vocum *cognitionis intuitiuæ*; & quod actio non eſt intuitiua. Sed probandum cognitione intuitiua, quia fertur in exiſtentiam obiecti, non poſſe non attingi omnes formalitates: ſed actio phyſica fertur immediatè & intrinſecè in exiſtentiam obiecti: ergo illi magis repugnat non attingere totum obiectum. Quibus nodis non ſe facile ſoluent. §.199.

Argumẽtum efficax ad hominẽ ad negandum præciſionem in actione phyſica.

Actio eſt magis intuitiua quàm cognitio.

SVBSECTIO VI.

Vtrum actui comprehenſiuo reſpondeant diuerſæ formalitates.

EX antiquis aſſeruerunt aliqui à Deo fieri rationis diſtinctionem: quia eius cognitioni reſpondere arbitrantur diuerſas formalitates obiectiuas in ſe ipſo. Quorum doctrinam lubet explanare. Duæ quæſtiones poſſunt inſtitui. Prima vtrum Deus vno actu, ratione noſtra diſtincto ab aliis, cognoſcat naturam ita vt ex parte recti ſignificati reſpondeat ſola natura: & conceptui de Paternitate reſpondeat in recto Paternitas abſque natura: in obliquo autem reſpondet natura, qua ratione cognita viſione in recto reſpondet in obliquo color: quod explicari poteſt ex caſu impoſſibili: ſi in Deo realiter diſtinguerentur cognitiones, cognitio terminata ad eſſentiam immediatè, non terminaretur immediatè ad relationem; ſed in obliquo mediatè; quia eſſentia Dei duceret in cognitionem relationis. §.200.

Duæ quæſtiones. Prima quæſt. Vtrum Deus vno actu præſcindat.

Secundus quæſtionis ſenſus eſt, vtrum intellectui comprehendenti Deum reſpondeant immediatè & formaliter omnes formalitates diuinæ vt vna, an vt multæ? ita vt Deus cognoſcens vno actu ratione indiuiſibili omnia diuina, ea ratione diſtinguat: ita vt videat ea eſſe ſynonyma, an diuerſa? Item vtrum illa diuerſitas conſideretur cum reſpectu ad creaturas; an verò abſolutè in ipſo Deo abſque relatione ad creaturas? §.201.

Secũda quæſt. Vtrum vni actui Dei reſpondeant plures formalitates Dei immediatè.

In hac

§.202. *Sententia Henrici.* In hac ſecunda quæſtione Henricus quodlib.5. quæſt.2.& alij, quos Aureolus refert,& impugnat in 1. d. 1. a. 2. cenſuerunt omnia attributa diuina reſpondere vt ratione diſtincta, cum pluralitate ſe tenente in potentia ex parte Dei cogniti; quæ pluralitas eſt in actu per intellectum Dei. Videtur autē Hēricus admittere fundamētaliter in obiecto pluralitatem; quæ in actu conſtituitur per cognitionem;vt recentiores Philoſophi ſentiunt de actibus abſtractiuis. Item ait Henricus hanc diſtinctionem non ſolùm eſſe cum reſpectu ad creaturas,ſed etiam in ipſo Deo abſolutè cōſiderato. Mouetur:quia ſapientia, bonitas,veritas,natura,& relatio ſunt verè in Deo,& cognoſcuntur ibi eſſe;at non concipiuntur à Deo vt ſynonyma: ergo vt plura obiectiuè.

§.203. *Opinio Aureoli.* Aureolus in 1.d.1.a.2. ait omnia diuina concipi vt vnum re,& ratione; nec reſpondere pluralitatem vllam obiectiuam; omneſque conceptus eſſe ſynonymos. *Dur.* Conſentit Dur.in 1.d.2.quæſt.3.n.15. & 16. (quamuis ab aliquo pro oppoſita adducatur) hoc autem conſtabit ex tota q. vbi probat nullam eſſe in Deo diſtinctionem rationis,niſi per comparationem ad realem in creaturis: ac propterea videnti Deum omnia in Deo reſpondere vt vnum re, & ratione cum eſſentia. *Okamus. Gabr. Gregor. P.Albertin.* Sequuntur Okamus & Gabriel in 1. d.2.quæſt.1.Gregorius,& omnes ferè Theologi: quos & P. Albertinus t. 1. quæſtion.1. Theologica ex ſept. principio Philoſophico numer.26.

§.204. *Concluſio. Non reſpondent plures.* Quorum doctrina mihi placet,tum quia ſi actui abſtractiuo non reſpondet formalitatum pluralitas, multo minus comprehenſiuo: tum quia Deus in ſe eſt ſine vlla diſtinctione; & conceptu comprehenſiuo cognoſcitur vt eſt adæquatè, tam ex parte obiecti quàm cognitionis: ergo concipitur *Ad exemplū Henrici.* ſine vlla diſtinctione. Quæ hic non ſunt longius differenda.

§.205. *Synonyma ſūt natura & attributa.* Argumentum Henrici probat ea omnia eſſe in Deo, non tamen diſtincta. Quod ait de ſynonymia,eſt explicandum; omnis comprehenſio Dei (ſi alia præter diuinam eſſet poſſibilis)eſſet ſynonyma: quia cognoſceret obiectum idem modo eodem. At hæc comprehenſio attingit attributa & eſſentiam, *Non tamen relationes.* vt ſynonyma: non tamen naturam & relationes: quia hæc mutuo diſtinguuntur realiter: & ab eſſentia virtualiter: quæ autem ſunt realiter diſtincta,non concipiuntur vt idem, per comprehenſionem, ſed vt diſtincta licet vno actu noſcantur. Diſtinctio autem virtualis officit ſynonymiæ: quia ſic diſtincta non ſunt omnibus modis idem, cum à parte rei habeant virtualem diſtinctionem ad prędicata intrinſeca contradictoria.

§.206. *Tractatur prima quæſt.* In ſenſu quæſtionis primæ propoſitæ §.199.omnes Theologi fatentur apertè cognitione Dei attingi immediatè omnes formalitates, quin aliqua lateat vllam cognitionem Dei. *Non attingitur vna formalitas ſine alia à Deo.* Aureolus,Okamus, Greg.Gabriel,& Durandus id etiam dicunt de omni cognitione creata beata:multo melius id dicent de Diuina. S.Thom.1.p. quæſt.12.a.7. ait expreſsè comprehenſionem eſſe imaginem adæquatam obiecti; cum autem Deus actu intuitiuo comprehendat naturam; illam non cognoſcit ſolam,ſed vt eſt adæquatè trinitas perſonarum:eſt enim natura tres relationes realiter; item & eſt natura. Ex authoribus autem aſſerentibus Dei cognitioni reſpondere omnes formalitates immediatè vt plures, non negant eadem cognitione omnes immediatè attingi:non enim in actu admittunt pluralitatem, ita vt vna terminetur ad naturam, alia ad relationem: vt conſtat ex Henrico eo quodlib. 5. q.1. Nec Scotus diſtinxit ex natura rei cognitionem de relatione à cognitione de eſſentia, vt diſtinxit eſſentiam à relatione. Dum ergo obiectum ratione, aut ex natura rei diſtinguunt, & non diſtinguunt cognitionem, cenſent qualibet formalitate comprehenſionis attingi immediatè omnia diuina. Quapropter *Oppoſita non videtur probabilis.* non audeo aſſerere poſſe probabiliter dici cognitione diuina de eſſentia, attingi naturam formaliter & immediatè, quin relatio eadem quoque ratione attingatur.

§.207. *Primum argumentum. Non fugitur difficultas myſterij per hanc opinionem.* Primum argumentum;quia id aſſereretur ad defendendas propoſitiones, quibus relatio dicitur de natura, & negatur de relatione oppoſita. Sed eadem eſt hîc difficultas: ergo. Minor probatur ex §. 141. vbi oſtendi actu immediatè formaliter attingente natūram attingi realiter & idemticè relationem: ita vt in ſenſu idemtico ſit vera hæc propoſitio. *Paternitas cognoſcitur realiter; Filiatio cognoſcitur realiter:* ſicut hæc eſt vera in cognitione formali de animali; *rationale cognoſcitur realiter.* At in diuinis hæc eſt falſa in ſenſu idemtico & reali, *Natura producit, aut producitur realiter.* ergo non reſpondent illa obiecta intellectui eodem modo quo productioni, & idemtitati reali; quia nec natura producit vt Paternitas, nec producitur vt Filiatio nec Paternitas & Filiatio ſunt idem idemticè;vt in propoſitionibus contingit.

§.208. *Diſtinctio formalitatū arguit imperfectionem in cognoſcente.* Secundò probatur: diſtinctio formalitatum petit & fundamentum in obiecto,& imperfectionem in cognitione:ergo. Probo antecedens,quia diſtinctione rationis cognoſcitur immediatè, clarè, & explicitè vna formalitas, aut prædicatum,quin clarè,& explicitè cognoſcatur alia; quæ tunc cognoſcitur materialiter, & confusè. Cognitio enim terminata formaliter ad animal, terminatur confusè ad rationale; & ignorat vtrum animal ſit rationale: alioquin illud non præſcinderet: ſed cognoſcere confusè aliquod obiectum,& ignorare vtrum ſit quod eſt realiter à parte rei, eſt imperfectio; ergo pręciſio formalitatum pendet ab imperfectione cognitionis. Maior conſtat ex ſect. 4. ſubſect. 1. vbi oſtendi quid ſit diſtinctio rationis: alioquin inutiliter confundimur diffidentes in diſtinctione rationis definienda. Minor eſt clara; tum quia cognitio attingens formaliter & immediatè animal & rationale,perfectius hominem penetrat, quàm attingens animal ſolum: *Cognitio præſcindens non eſt adæquata ſuo obiecto.* tum quia ea cognitio non eſt adæquata ſuo obiecto; ac propterea non attingit omnia quæ ſunt idem formaliter in illo: obiectum autem eſt Deus; qui illi reſpondet quaſi partitus duabus formalitatibus. Quod ſi ſpectat ad imperfectionem non penetrare omnia quæ ſunt eminenter in obiecto, maior erit imperfectio non penetrare,quæ ſunt formaliter. Quis autem audeat dicere; Deum per actum quo clarè cognoſcit naturam ſuam, non magis ſcire ſit ne ipſe Trinus,quàm ego ſcio ſit ne homo, quem à longè concipio vt animal præcisè?

§.209 *Obiectio prima. Reſpondetur. Diſcrimen clarum inter generationem Verbi & cognitionem.* Obiicis primò: generatione Verbi, & vnione hypoſtatica non attingi phyſicè naturam Dei, idque abſque imperfectione: ergo idem erit in comprehenſione. Nego conſequentiam: quia generatio in rationę productionis attingit omne producibile *vt quo*: hoc autem non eſt natura; quia idem non poteſt ſe producere. At cognitio non attingeret omne cognoſcibile in obiecto; quia natura eſt Paternitas,& Filiatio; quod non cognoſcitur:alioquin nec hæc quæſtio inſtitueretur; nec fugeretur difficultas myſterij. Non iri cognitum omne cognoſcibile, patet; quia natura eſt cognoſcibilis vt eſt; eſt autem idem cum relationibus; ergo eſt cognoſcibilis vt idē cum illis: ergo eſt cognoſcibilis,

ita

ita vt nõ ignoretur eſſe idem. En diſcrimen. Actio, & vnio producit, & vnit totum producibile & vnibile, ac propterea ſunt perfectæ: cognitio non cognoſcit omne cognoſcibile; ac propterea non eſt perfecta.

§. 210. *Secunda obiectio.*

Obiicies ſecundò: Cognitionem illam eſſe realiter idem cum aliis cognitionibus de Trinitate: ac propterea non eſſe ignorationem de myſterio, ſed præciſionem. Reſpondeo primùm, hic agi de intrinſeca perfectione illius actus vt attingit ſuum obiectum: quæ perfectio expendenda eſt ex intrinſeco modo ipſius: ſed modus intrinſecus eſt talis, vt intrinſecè non ſit adæquatus ſuo obiecto: ergo modus intrinſecus eſt imperfectus. Maior probatur: quia ea ratione Deus caret actu vero probabili: quia ille ex intrinſeco conceptu eſſet obſcurus, & expoſitus errori ob medium; quamuis Deus aliunde haberet alium actum euidentem, idemtificatum cum illo: ergo eadem ratione actus præciſiuus erit imperfectus. Secundò, Deus non ſe comprehenderet: quia non cognoſceret ſe vno actu inferente cæteros, licet enim Deus vno actu realiter, diſtincto tamen ratione cognoſceret ſe & creaturas, non ſe comprehenderet niſi illas cognoſceret ex ſua eſſentia cognita: ergo niſi ſuam eſſentiam cognoſcat in ipſa vt idemtificatam cum relationibus, eam non comprehendet.

Reſpondetur. Perfectio actuũ Dei ex ipſorũ formali conceptu pendet.

Secunda reſponſio. Deus non ſe cõprehenderet.

§. 211. *Tertia reſpõſio. Non vitatur difficultas.*

Contra tertiò. Hinc fit hanc opinionem relabi in difficultatem quam fugit: vult enim componere myſterium; quia opus eſt vt ex parte ſubiecti & prædicati relationis de natura ſit aliqua diſtinctio formalitatum, qua reſpondeat cognitioni de natura: ſed ex hac ſolutione non reſpondet: ergo. Probo minorem; quia hæc cognitio non eſt præciſiua nec realiter; vt tu admittis, quia eſt realiter idem cum aliis: nec ratione; quia cognitio præciſiua talis eſt, vt ei realiter non reſpondeant omnes formalitates obiecti immediatè: itaque habet negationem eas immediatè attingendi, ſine qua negatione ratio non concipit eſſentiam præciſionis. At ex hac ſolutione eam negationem non habet: ſed cognitio de natura abſtrahit ratione noſtra ab attingentia formalitatum; contrahitur autem per conceptum illas attingentem: at noſtra cognitio de natura caret immediata attingentia omnium. Quod ſi realiter eodem actu ego attingerem immediatè animal & rationale; non eſſet præciſiuus ipſe ſui obiecti: quamuis ego actu reflexo in illo actu directo præſcinderem ratione attingentiam animalis ab attingentia rationalis. Tanta ergo difficultas eſt in cognitione realiter attingenti myſterium, quanta in vna formalitate præſcindente naturam, idemtificata cum alia formalitate cognitionis attingenti relationem. Quia totus ille actus vtraque ſua formalitate videt in hac propoſitione, *Natura eſt Paternitas*, reſpondere ex parte ſubiecti naturam & relationem Filij: & ex parte prædicati eamdem naturam cum eadem relatione: cur ergo non prædicat vnam relationem de alia? equidem non ob diſtinctionem rationis; ſed ob virtualem realem, exiſtentem in Deo; non abſolutè in ratione diſtinctionis, quæ ſonat negationem idemtitatis; ſed eſt quidem diſtinctio ſecundum quid, id eſt, virtualis.

Actus reflexus eſſet præciſiuus directi.

Exponitur difficultatem eſſe communẽ vtrique.

§. 212. *Cognitio cõprehenſiua attingit omnia prædicata intrinſeca.*

Ergo cognitio comprehenſiua cognoſcit in recto ſine vlla diſtinctione omnia obiecta; quæ in recto ſunt idem; & ſunt verè mutuo prædicabilia: & in obliquo attingit omnia connotata, cum quibus habet intrinſecam connexionem naturalem: ita vt nihil lateat cognoſcentem tam ex parte recti, quàm ex parte connotati. Omnia enim, quæ ſunt mutuò prædicabilia, ſunt idem in recto; quia prædicatum non prædicatur verè de ſubiecto niſi rectum ſignificatum ex vtriuſque parte, ſit idem. Vnde natura Dei eſt in recto idem cum relationibus; quia relationes de natura, & hæc de illis verè prædicantur. Ob quod comprehendens naturam non poteſt eam attingere, quin relationes quoque attingat in recto: videns tamen naturam à relationibus virtualiter tantum; relationes tamen inter ſe realiter diſtingui, qui actus immediatè, & formaliter fertur in ea omnia vt ſunt, quin ad vnum formaliter, & ad alia materialiter: ob quod eſt vna formalitas.

Quid ſit eſſe idẽ in recto.

DISPVTATIO VII.

De Vero & Bono.

§. 1. *Verum, & bonũ reſpiciunt extrinſeca.*

EXPLICATIS attributis quæ enti ex intrinſeca ratione contingunt, oportet explicari attributa, quæ reſpiciunt extrinſeca connotata: vt ſunt verum, & bonum, vt patet ex S.Thom. quæſt. 1. de verit. art. 1. Verum autem prius eſt bono, quia bonum connotat voluntatem: verum autem cõnotat intellectum, & quia hic eſt illa prior, ideo conceptus formalis de vero eſt prior, quàm de bono. Vt ex eodem S.Thom. p.1. q.16. art.4.

SECTIO I.

Quid ſit verum?

§. 2. P. Suarez. P. Molina. P. Vazquez. Aureol.

DE vero, falsò multa dicunt authores: quorum varij ſenſus referuntur à P.Suarez diſp.8. metaph. ſect.7. Molina 1.p.q.16. diſp.1. & 3. Vazquez ibi diſp. 77. Aureol. in 1.d.19. p.3. initio, & art.1. quas breuiter expendam.

Primum opinatur Aureolus art.2. veritatem eſſe vnam ſimplicem rationem: & non eſſe conformitatem cum obiecto. Deinde ait generalem rationem veritatis eſſe ſegregationem cuiuſlibet rei ab alio ſibi extraneo poſitiuo. Primum probat: quia verum eſt idem cum ente, quæ reciprocè dicuntur; ſed ens eſt vna ſimplex ratio: ergo & verum. De hac prima parte ſententiæ Aureoli, mihi cum illo non eſt lis: nam verum ex parte obiecti eſt idem ens. Secunda pars probatur ab eodem Aureolo. Primò: quia ex communi vſu verus lapis dicitur, qui depuratur ab aliis, qui non ſunt veri. Secundò, quia veritas, puritas, ſynceritas, & ſimilia ſunt ſynonyma: ſed puritas, & ſynceritas ſignificant res ipſas: non verò conformitatem cum intellectu, ergo & veritas idem ſignificat. Tertio, quia verus lapis non dicitur quia habet conformitatem cum intellectu, ſed quia in ſe eſt depuratus ab omni non lapide, ergo: probat antecedens, quia vnus lapis dicitur verior alio, non propter conformitatem cum intellectu, ſed quia in ſe eſt vicinior lapidi vero.

Primum argumentum. *Prima probatio.* *Secunda.* *Tertia.*

§. 3. *Sentẽtia Aureoli, re eſt vera, voce ſingularis.*

Hæc Aureoli ſententia re ipſa verum continet; verbis autem à communi diſcedit. Nam vnaquæque res habet in ſe rationem, qua ab aliis diſcernitur: & è duabus rebus altera eſt ſimilior vni tertiæ quàm altera, vt argentum viuum ſimilius eſt argento, quàm ſtannum. Quod probant argumenta Aureoli. Hoc autem attributum vocatur ab Aureolo *verum*. Obiectum autem fundare veram cognitionem ſui, vocatur ab eodem *cognoſcibile*. Et

Quid probent argumenta Aureoli.

Fauet S. Auguſt.

quidem huic ſententiæ non parum fauet Auguſt. tom. 1. lib. 2. ſoliloquiorum, cap. 5. aſſerens: *Verum eſt id quod eſt*, id eſt, id quod in ſe eſt ab aliis diſtinctum. Addit deinde. *Non autem, quod videtur, aut quod tale eſt, quale videtur. Quia etiamſi res non videatur, nec conformitatem habeat cum aliqua cognitione, nihilominus vera eſt.* En ſententiam Aureoli Auguſtinianis verbis: nec ratione caret, nam

Ratione probatur.

Vnum, Verum, Bonũ, ſunt attributa formaliter intrinſeca *Enti*: ſed eſſe cognoſcibile, & amabile, formaliter eſt extrinſeca denominatio, ergo non ſignificantur per verum & bonum.

Confirmatur.

Confirmatur: nam diſput. 6. oſtendi diminutè conſtituta attributa entis, quia diſtinctio eſt eius attributum, & non aſſignatur niſi ſignificetur hac voce *Verum* (vt vult Aureolus) nec complementum rei aſſignatur niſi ſignificetur hac voce *Bonum*.

Verum eſt id quod diſtinctum.

Vnde *Vnum* ſignificat indiuiſionem rei in ſe: *Verum* diſtinctionem qua ens in ſe conſtituitur diſtinctum, & quodammodo diuiſum ab alio: *Bonum* autem perfectionem illius rei in ſeipſa. Et quidem in hunc attributorum ordinem inclinarer, niſi ab eo declinaret ſententia communis. Nec video, quid Aureolum vrgeat. Ipſe tamen vrget quotidiana experientia. Aurifex enim cum aurum ad lydium lapidem examinat, non recurrit ad conformitatem auri cum cognitione, nec meminit illius: ſed tantum inſpicit, vtrum ſplendeat fulgor auri: tunc autem dicit illud eſſe verum, aut falſum aurum.

§. 4.

Sententia communis.

Attributa intrinſeca entis.

Communi autem acceptione *Verum*, & *Bonum* ſignificant, vel connotant reſpectum vel denominationem voluntatis. Nam attributa intrinſeca formaliter entis ſignificantur his vocibus, *ens*, *res*, *aliquid*, *vnum*. Ens eſt primus conceptus eſſendi. *Res* ſignificat entitatem ratam ſeu ſtabilitam (vt dixit Auguſt. ſignificari per verum) & in ſuo eſſe perfectam.

Auguſt.

Aliquid ſignificat diſtinctioné id eſt, *aliud*. *Vnum* indiuiſionem.

Attributa extrinſeca.

Quia verò hoc ens eſt amabile & cognoſcibile; id enim ſingulis conuenit entibus (excepto nullo,) ergo etiam hæ duæ proprietates fuerunt explicandæ.

§. 5.

Ad primum.

Aureol.

S. Thom.

Ad primum Aureoli reſpondeo cum S. Thom. quæſt. 1. de veritate artic. 1. eos vocari veros per depurationem, non formaliter, ſed fundamentaliter, ſic enim Thomas Auguſtinum exponit.

Ad ſecundũ.

Ad ſecundum, nego maiorem: nam puritas dicit carentiam mixtionis, quam non dicit verum.

Ad tertium.

Ad tertium, nego antecedens: ad probationem verior lapis dicitur, qui veriſimiliorem fundat cognitionem de vero lapide. Ad experientiam de aurifice adductam fine §. 3. dico: inde probari noſtram ſententiam: tam diligenti enim examine quid quærit aurifex, niſi cognoſcere vtrum color auri, quod examinat, ſit conformis cognitioni quam ipſe habet de colore veri auri? Quærit ergo vtrum fundet cognitionem ſimilem priori: quod ſi non fundat, dicit non eſſe illud verum aurum. Veſtigemus autem quid ſit hæc conformitas, aut connotatio veri ad intellectum.

§. 6.

P. Molin. opinio.

P. Molina 1. p. quæſt. 16. diſput. 2. ait, reſpectum veri ad intellectum eſſe relationem rationis, qua eſt conformis veræ ſui cognitioni; quod ſequitur

P. Vazquez.

P. Vazquez diſput. 77. Hi authores non accipiunt relationem rationis pro actuali fictione intellectus; ſed pro fundamento talis relationis. At illis ſupereſt explicandum, quid ſit eiuſmodi fundamentum.

Impugnatur.

Veritas nõ eſt ens rationis.

Impugnantur autem in ſenſu, quem præ ſe verba ferunt. Nam relatio rationis pendet ab actuali cognitione: qua intellectus vnum refert ad aliud: ſed veritas non ita pendet: quia eſt in rebus ante illam reflexam relationem: ergo veritas non eſt relatio rationis. Minor confirmatur, quia antequam vllus intellectus creatus Deum cognoſceret, erat Deus verus.

Secundò.

Secundò relatio rationis, quia eſt ens rationis, eſt fictio, ſed veritas nihil eſt fictum, alioquin non tam eſſet veritas, quàm mendacium: ergo veritas non eſt relatio rationis.

§. 7.

Secunda opinio.

Veritas nõ eſt relatio realis.

Alij videntur velle, veritatem eſſe relationem realem entis ad intellectum. Sed immeritò. Primum, quia eſſe verum non eſt ad aliud; non enim dicimus, *alicuius verum*, ſicut dicimus *alicuius ſimile*, aut *alicui æquale*. Secundò, licet cognitum, ab alio ſit cognitum, non tamen neceſſariò ab alio diſtincto, Deus enim à ſeipſo cognoſcitur, & comparatione ſui intellectus eſt verus: reſpectu cuius nulla eſt prædicamentalis relatio. Tertiò relatio reſultat ex fundamento & termino exiſtentibus, ſed ad rationem veri nec requiritur ens exiſtere, nec actualis cognitio: ergo. Probatur minor. Quia aurum poſſibile, eſt verum aurum, & aurichalcum poſſibile eſt aurum falſum. Item non eſt opus actuali cognitione: ſed ſufficit ens poſſe cognoſci ſicuti eſt: ergo. Quartò ens per ſuum conceptum, excluſa quacumque alia relatione, eſt cognoſcibile, ſicuti eſt vt infra patebit. Dices eſſe cognoſcibile, eſſe relationem. Nego: non enim eſt relatio: ſed ens connotans cognitionem, ſicut eſſe cognitũ non eſt relatio: nam cõuenit non entibus.

§. 8.

Tertia opinio.

Opinantur alij, verum, eſſe conceptum abſolutum ſupra ens, ab eóque diſtinctum ſola ratione.

Impugnatur.

Veritas nõ eſt diſtincta ab ente.

Impugnantur, tum quia oſtendi diſputatione 3. & 4. entis attributum non poſſe adæquatè ab ente diſtingui: quia iam non eſſet attributum entis, vt ſic: ſed conceptus aliquis entis.

Confirmatur

Confirmatur, conceptus entis præciſè ab alio conceptu, eſt verus, ergo veritas nihil addit ſupra ens: probo antecedens; ille conceptus ſe ſolo eſt cognoſcibilis, immo per te cognoſcitur prius ratione, quàm veritas. Quorſum ergo ad rationem veri admittemus alium conceptum ab ente diſtinctum?

§. 9.

Prima concluſio.

Cognoſcibile eſt concretum à cognitione vt forma.

Dico primò. *Ens eſſe cognoſcibile, eſt concretum ex obiecto ſignificato in recto: & ex cognitione in obliquo connotata tamquam forma, à qua denominatur obiectum. Ita vt ſupra ens nihil addat præter cognitionem.* Probatur: quia rem eſſe cognitam actu, eſt res ipſa connotans actualem cognitionem, à qua denominatur extrinſecè: ergo & rem eſſe cognoſcibilem eſt eadem res connotans cognitionem in potentia: antecedens liquet: Petrus enim cognitus quid eſt præter Petrum, & cognitionem à qua dicitur cognitus? Conſequentiam probo: quia ſicut à cognitione actuali res dicitur actu cognita: ita ab eadem cognitione poſſibili dicetur res cognita in potentia, quod eſt cognoſcibile: ergo. Probatur antecedens, nam cognitio in potentia tribuit in potentia denominationem obiecto: & quidem ex terminis conſtat à cognitione in potentia denominari & obiectum cognoſcibile & potentiam vitalem cognoſcitiuam. Illis enim tribuit potentîalem aliquam denominationem, quam actu non tribuit; hæc autem nulla eſt præter cognoſcibile & cognoſcitiuum.

§. 10.

Secunda concluſio.

Cognoſcibile eſt extrinſeca denominatio.

Denominatio eſt à forma.

Dico ſecundò. *Cognoſcibile eſt abſolutè extrinſeca denominatio.* Nam omnis intrinſeca denominatio ſumitur à forma intrinſeca rei denominatæ; denominatio verò extrinſeca ſumitur à forma extrinſeca rei denominatæ: ſic eſſe album eſt intrinſeca denominatio propter intrinſecam albediné; eſſe verò cognitum, vel agens, eſt extrinſeca: ſed forma cognoſcibile denominans eſt extrinſeca rei denominatæ, quia à cognitione eſt cognoſcibilis tamquam à forma: ergo eſſe cognoſcibile eſt extrinſeca

denomi

Obiectio.

denominatio. Dices primò, obiectum illud habere duas cognoſcibilitates: alteram extrinſecam, quæ conſiſtit in cognitione poſſibili; alteram intrinſecam & eſſentialem, quæ eſt intrinſeca aptitudo, quam ens habet, vt poſſit terminare cognitionem. Veritatem autẽ tranſcendentalem conſiſtere in hac ſecunda cognoſcibilitate, & connotare priorem.

§. 11. *Reſpondetur. Aptitudo ad cognitione eſt extrinſeca obiecto.*

Contra, hæc ſecunda aptitudo eſt etiam extrinſeca denominatio: ergo: probo antecedens, quia eo præciſè quod cognitio ſit apta vt terminetur ad obiectum, obiectum eſt aptum, vt terminet cognitionem: ſed cognitionem eſſe aptam vt terminetur ad obiectum eſt extrinſeca denominatio obiecti, quia eſt intrinſeca ipſi cognitioni: ergo aptitudo obiecti vt terminet cognitionem, eſt extrinſeca denominatio obiecto. Minor confirmatur, quia actu terminari cognitionem ad obiectum, eſt extrinſecum obiecto, quia eſt ipſa cognitio actualis: quæ quando eſt in potentia, eſt aptitudo, vt terminetur. Maior probatur, quia actu cognitionem terminari ad obiectum eſt formaliter idem, ac obiectum terminare cognitionem, ſicut viſum videre colores eſt formaliſſimè idem, ac colores videri per viſum, nec enim eſt alia forma, per quam viſus videt, ac per quam videntur colores: ergo obiectum eo præciſè eſt cognoſcibile, quod cognitio poſſit ad illud terminari: nam effectus formales actuales & potentiales tribuuntur ab eadem forma actuali & potentiali: ſicut ab eadem vnione à qua extrema vniuntur actu, ſunt vnibilia in potentia, & ab eadem calefactione, à qua lignum calefit, eſt calefactibile.

§. 12. *Non eſt alia aptitudo intrinſeca in obiecto.* Ariſtot.

Aliam intrinſecam aptitudinem obiectis non eſſe patet: nam obiectum ſecundum ſuam entitatem non dicit relationem ad potentiam, quamuis potentia eam dicit ad obiectum, vt ex Ariſtot. dicam ad prædicamentum *ad aliquid*. Nam à potentia vitali vt cognoſcitiua præciſè, non pendet: ſume enim colorem: quid illius intereſt eum eſſe viſibilem, vel non audibilem? nam ſi viſus non verſaretur circa colorem, aut ſi verſaretur auditus, quid immutaretur color? myſteria ſupernaturalia non eſſe cognoſcibilia lumine rationis quid illis appingit? Dixi *vt cognoſcitiua*, quia obiectum conſiderari poteſt, vt eſt factiuum cognitionis in potentia cognoſcente, vel vt præciſè eſt terminatiuum. Sub ſecunda conſideratione eſt omnino extrinſeca denominatio: ſub prima poteſt dicere eſſentialem ordinem ad potentiam vt ad ſubiectum, & ad cognitionem vt ad effectum: ſed iſta relatio nec conuenit omni obiecto comparatione ſingularum ſui cognitionum: nam color non producit cognitionem Angeli, nec ea ratione conuenit obiecto formaliter in ratione obiecti, ſed in ratione principij actiui.

Obiectum & facit, & terminat actu.

§. 14. *Secunda obiectio. Prima reſponſio.*

Dices ſecundò, creaturas per ſe pendere à cognitione Dei ad quam dicunt eſſentialem dependentiam: ergo obiectum in ratione cognoſcibilis dicit ordinem ad cognitionem. Primum, diſtingui poſſet conſequens, & negari conſequentia reſpectu intellectus creati, & concedi reſpectu diuini: quia eſt cauſa eſſentialiter requiſita ad effectum, qui pendet eſſentialiter à cauſa prima, quæ operatur per intellectum. Sed nego antecedens: creaturas enim cognoſci à Deo, eſſeque cognoſcibile, eſt extrinſeca denominatio à cognitione Dei, ſicut eaſdem eſſe cognoſcibiles à creatura: eas verò neceſſariò à Deo cognoſci, tantùm probat eam denominationem eſſe quoque neceſſariam, non verò eſſe intrinſecam. Deum autem operari per intellectum, nihil ponit intrinſecũ creaturis: nam ſi operaretur ſine intellectu, vt operatur ignis, idem omnino calor produceretur. Idque tantum arguit perfectionem Dei in operando. Ad cuius omnipotentiam vt eſt factiua præciſè, dicunt ordinem tranſcendentalem creaturæ, quæ omnipotentia ſi deficeret, deficerent etiam creaturæ, per locum intrinſecum. Quod ſi deficerent intellectus & voluntas manente omnipotentia, adhuc eſſent poſſibiles creaturæ: omnipotentia non foret, ſi deficeret intellectus, ſicut ſi deficeret immenſitas, prouidentia, & alia attributa propter illorum mutuum nexum: at id non oritur præciſè ex conceptu virtutis actiuæ, nec ex dependentia effectus à Deo: videret enim Deus omnia ſi retineret ſcientiam ſine potentia: ſimiliter ea poſſet, ſi careret ſcientia: quæ tantum requiritur ex parte Dei, & ideo nunc requiritur à creatura, quia poſcit potentiam Dei, hæc autem non poteſt eſſe niſi perfecta. Quapropter diſput. 10. de anima dixi, creaturas maiorem ordinem dicere ad cognitionẽ Dei quàm ad alias: non quod ipſæ non fierent à Deo, ſi intellectu careret: ſed quia Deus non poteſt ob ſui perfectionem operari ſine mente.

Secunda. Creaturas poſſe cognoſci à Deo eſt extrinſecum.

Creaturæ ad ſolam omnipotentiã dicunt ordinem tranſcendentalem.

§. 15. *Tertia obiectio. Reſpondetur. Animaduerſio.*

Dices tertiò ergo eſſe cognoſcibile non eſt attributum entis, quia eſt denominatio extrinſeca. Nego conſequentiam, quia obiectum eſſe aptum tali denominationi eſt ens explicatum per connotationem talis denominationis. Aduerte cognitum vel cognoſcibile bifariam ſumi, & ſubſtantiuè & adiectiuè. Subſtantiuè ſumitur pro complexo includente ſubiectum & cognitionem tamquam partes: vt aceruus includit duo grana, & album includit albedinem Sic autem non poteſt prædicari cognitum de ſolo obiecto, ſicut nullum compoſitum prædicari poteſt de ſola vna parte. Adiectiuè ſeu connotatiuè ſumitur, in recto quidem pro obiecto, at in obliquo dicit cognitionem, non vt partem cogniti, ſed connotando eam vt formam extrinſecam, à qua rectum denominatur cognitum. Sic de eodem ſubiecto prædicatur album, & dulce, quia in vtraque prædicatione rectum ſumitur pro eodem ſubiecto. Ita ſumitur cognoſcibile, quod eſt ens connotans cognitionem, id eſt per formalem conceptum de cognoſcibili attingitur & connotatur, ſeu repræſentatur cognitio, à qua denominatur. Differt autem hic conceptus de vero à conceptu de ente, quod conceptus formalis de ente non repræſentat cognitionem in obliquo; nam vt ego apprehendam ens, non egeo illud referre ad intellectum alterius, ſicut, quando cognoſco cognoſcibile.

§. 16. *Cognoſcibile quo pacto attributum.*

Verum & ens differunt.

§. 17. *Tertia concluſio. Verum eſt res cognoſcibilis, vt eſt.* S.Thom. Caiet. P.Suarez. P.Molina. P.Vazquez. S.Auguſt. *Prima & ſecunda probatio.*

Dico tertiò. *Verum ſignificat rem cognoſcibilem ſicuti eſt.* Hæc eſt communiſſima opinio, S. Thom. quæſt. 1. de verit. art. 1. & 1. p. q. 16. art. 1. & 3 Caiet. 2.2. q. 1. art. 1. P.Suarez diſp. 8. metaph. ſect. 7. n. 24. & 25. Molin. 1. par. quæſt. 16. diſput. 1. Vazquez diſput. 77. cap. 4. & 5. Auguſt. lib. 2. ſoliloq c. 5. *Verum eſt* (inquit) *quod ita ſe habet, vt videtur cognitori, ſi velit & poſſit cognoſcere.* Probatur primò, omnis res eſt cognoſcibilis eo modo quo eſt: ſed hanc vocem *verum* Doctores vſurpant ad ſignificandam eam cognoſcibilitatem, vt patet ex communi vſu, ergo. Secundò probatur: verum & falſum habent oppoſitas rationes (vt patet ex terminis) ergo eam oppoſitionem habent in ordine ad vnum tertium, circa quod omnis oppoſitio verſatur: ſed falſum, eſt obiectum apparens id quod non eſt, ergo verum eſt obiectum apparens id quod eſt. Minorem probabo ſect. 2. conſequentia patet: quia apparere rem quod non eſt, habet pro contrario non apparere quod non eſt: apparere autem quod non eſt,

eſt præbere fundamentum cognitionis falſæ: ergo apparere, quod eſt, eſt præbere fundamentum cognitionis veræ. Confirmatur. A cognitione dicitur obiectum cognoſcibile, ergo à cognitione vera dicitur cognoſcibile verè: quod hac voce *verum* ſignificamus.

Confirmatio.

§. 17. *Quarta concluſio. Veritas eſt extrinſeca.* S.Thom. Caietan.

Dico quartò. *Veritatem eſſe denominationem extrinſecam obiecto.* Ita S.Thom. ſupra, aſſerens omnia eſſe vera ab eadem veritate ſcientiæ Dei, quæ eſt extrinſeca obiecto. Et Caietan. adſtruens, ſapientiam addere in Deo naturam ſapientiæ: veritatem autem ſolum addere cognitionem extrinſecam, & 1.part. quæſt.16. art.6. fine id docet clarè, nullam eſſe veritatem formaliter niſi in intellectu, in obiectis autem per extrinſecam denominationem. P.Vazquez clariſſimè: & P.Molin. id ſentit de obiectis non regulatis per actus practicos, nec diſſentit P.Suarez, ait enim verum dicere ens, & præter illud nihil aliud intrinſecum, ſed connotare cognitionem extrinſecam. Quod & verum eſt, vt oſtendi §.7.& 8.& hoc eſt, eſſe extrinſecam denominationem. Oſtendi enim §.10. attributa per extrinſecam denominationem eſſe, quæ ſumuntur à forma extrinſeca: ſed verum ſumitur à forma extrinſeca, quia ſumitur à cognitione vera, ergo verum eſt attributum extrinſecum.

P.Vazquez. P.Molina. P. Suarez.

§. 18. *Quinta concluſio. Veritas eſt in ordine etiam ad nos. S. Thom. explicatur.*

Dico quintò. *Res ſunt veræ non ſolum comparatione intellectus diuini, ſed etiam creati.* Ita authores tertiæ concluſionis præter S.Thom. quæſt.1. de verit. art.4. & 1. part. q.16. art.6. vbi videtur docere res eſſe veras comparatione ſolius intellectus Dei. Sed facilem habet explicatum: non enim negat abſolutè, ſed ait, quodammodo eſſe vnam veritatem, quodammodo plures, quia veritas creati intellectus conuenit analogicè cum veritate diuina, & ſic à præcipuo analogorum veritas dicitur vna. Caietan. ibi fauet huic expoſitioni, adſerens eſſe vnam veritatem Dei cauſantem res omnes, & in nobis eſſe plures veritates ſpeculatiuas, cauſatas ab obiectis. Probatur primò, quia res non ſolum præbent Deo fundamentum vt verè noſcantur, ſed etiam creaturis: ergo ab illis ſunt etiam cognoſcibiles verè, ergo cõparatione intellectus creati ſunt veræ. Secundò circa intellectum in quo eſt falſitas, eſt etiam veritas: opponuntur enim in ordine ad vnum: ſed res ſunt falſæ comparatione intellectus creati, ergo comparatione illius ſunt veræ. Explicatur, comparatione intellectus Dei nulla res eſt falſa (vt liquet ex terminis:) ergo comparatione intellectus creati, ergo circa illum habet ſuum contrarium: nam in intellectu Dei, nullum habet contrarium: rem enim cognoſci verè à Deo, & à me falſo, non dicit oppoſitionem; ſed contrarium falſitatis eſt veritas: ergo veritas verſatur circa intellectum creatum. Tertiò, ad iudicandum ſitne verum aurum? non recurrimus ad diuinas Ideas, ſed ad noſtram cognitionem de auro vero.

Caietan.

Primum argumentum.

Secũdum argumentum.

§. 19. *Sexta concluſio. Veritas nõ eſt in ordine ad actum practicum.* P. Molina. P. Vazquez.

Dico ſextò. *Effectus non eſt verus, eo quod ſit conformis actui practico, per quem producitur: ſed ex eo quod fundet cognitionem veram.* Contra Pat. Molin. & alios: ſed eſt Pat. Vazquez, & aliorum. Probatur, actus ideo eſt verus comparatione ſui obiecti, quia conformatur ſuo obiecto, non verò quia obiectum conformatur actui: ergo obiectum denominatur verum ab illo actu vero, quem fundat obiectum ipſum: ſed obiectum exiſtens vt exiſtens, non denominatur nec cognoſcitur ab actu practico, ergo non eſt verum comparatione illius. Antecedens datur à Pat.Molina, & extorquetur, quia *ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa*: conſequentia patet ex §.16. Secundum antecedens patet, quia actus practicus non conſiderat, ſed facit obiectum exiſtens. Conſequentia patet, quia deficit illi actui tendentia in obiectum exiſtens, à qua tendentia obiectum denominatur verè cognitum. Vnde ſicut actus ſpeculatiuus eſt verus, quia repræſentat rem exiſtentem, eo modo quo exiſtit: & ab eo actu res dicitur vera, & verè cognita ſpeculatiuè: & ille actus non eſt verus, quia obiectum illi conformatur: ſed quia ipſe obiecto: ita actus practicus verus, eſt verus, quia repræſentat rem faciendam, vt re ipſa eſt facienda: non verò quia res eſt conformis ipſi actui. Itaque ſemper res eſt vera, quia fundat cognitionem veram.

§. 20. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices, actus ſpeculatiuos eſſe veros, quia fiunt ad ſimilitudinem obiectorum: at verò obiecta fiũt ad ſimilitudinem actuum practicorum. Contra: ergo veritas effectuum reperitur in ordine ad actus, per quos cognoſcuntur iam effecti & exiſtentes; ergo attributum veritatis in ordine ad illos conſtituitur: patet conſequentia, quia iſta cognitio conuenit enti vt ſic, etiam Deo, quem vt exiſtentem contemplamur, & tamen non eſt verus in ordine ad actum practicum: ergo illa veritas à P. Molina aſſignata non eſt, quæ conuertitur cum ente: ſed hæc noſtra: quæ poſtea diuiditur per omnes ſpecies veri, contentas ſub illo conceptu obiecti, qui etiam conuenit Deo Adde, veritatem effectus non opponi falſitati in ordine ad actum practicum, ſed ad actus, quos veros, vel falſos fundant, verbi gratia, auri veritas non opponitur falſitati aurichalci per ordinem ad exemplaria, per quæ producuntur: nam aurichalcum fit tam per verum ſui exemplar, quàm aurum: ſed opponitur in ordine ad actus, quibus aurichalcum cognoſcitur ac ſi eſſet aurum. Ratio Pat. Molinæ probat effectus habere in ſe extrinſecam denominationem artefacti ab actu practico; non verò rationem veri tranſcendentem, quam habet, quia eſt in ſe domus, aut aurum, exempli gratia, & fundat veram cognitionem ſui: dicitur autem res vera, quia fit iuxta propriam ideam, non quidem formaliter, ſed arguitiuè: nam ſi eſt iuxta ideam, habet veram naturam, quam repræſentat idea, & fundat veram cognitionem ſui, in quo ſenſu interpretare ſanctum Thomam quæſt.1.de veritat.art.10.& 1.par. quæſt.17.art.1. hoc enim eſt aliquod genus veritatis arguitiuæ.

Veritas in ordine ad quem actum ſit.

Ad rationem P. Molinæ.

Exponitur B.Thom.

§. 21. *In obiecto nõ eſt abſolutè veritas.* S.Thom. Caietan. P.Vazquez. *Veritas nõ eſt attributum, ſed verum.*

Rogas vtrùm ſit veritas in obiecto? Abſolutè reſpondeo negatiuè cum S.Thom. Caietan. & Patre Vazquez, ſicut cognitio non eſt in obiecto; vnde veritas non eſt attributum entis, ſed verum: vt qui dicunt vnitatem eſſe negationem, dicunt vnum eſſe attributum entis, non vnitatem. Poteſt tamen veritas ſumi non pro cognitione, ſed pro ipſo obiecto, connotante cognitionem: ſicut obiectum non ſolum dicitur cognoſcibile, ſed etiam dicitur habere cognoſcibilitatem; id eſt entitatem denominabilem à cognitione. Rogas præterea: veritas veri prius conueniat, actui? an obiecto? Reſpondeo vtrique ex æquo, quia eſt omnino veritas eadem formaliter in vtroque: nec enim eſt in obiecto vna, & alia in actu. Sed eſt vna & eadem intrinſeca actui & extrinſeca obiecto: ſicut cognoſcibile conuenit actui intrinſecè vt *quo*; obiecto extrinſecè, vt *quod*. Quo autem pacto *verum* ſit obiectum intellectus dixi diſputatione 5. de anima.

Veritas actui & obiecto æquè primò conuenit.

* * *

SECTIO

SECTIO II.

De Falſo.

§. 22. *Prima concluſio. In rebus ſecundum ſe nõ eſt falſitas.* S. Thom. P. Suarez.

DIco primò. *In rebus ſecundum ſe nulla falſitas reperitur.* Ita S. Thom. q. 1. de veritat. art. 10. & 1. part. q. 11. art. 1. Pat. Suarez diſput. 9. Met. ſect. 1. & videtur ab omnibus recepta. Nam aurichalcum verbi gratia, eſt verum aurichalcum, & fundat veram cognitionem ſui: illud autem non eſſe aurum & eſſe ſimile auro, non facit illud falſum, ſed diſtinctum ab auro & illi ſimile; at in diſtinctione vnius rei ab alia & ſimilitudine, nulla eſt falſitas.

Obiectio. Dices, hypocrita eſt iuſtus falſus, ergo eſt in ſe iuſtus falſus.
Reſpondetur. Nego, ſed eſt in ſe peccator, & in aliquo opere externo eſt ſimilis iuſto. Idémque dixerim de Propheta vel quopiam alio ex iis, quos *falſos* vocamus.

§. 23. *Secunda concluſio. Falſum eſt quod apparet quod non eſt.* Auguſt. Ariſtot. S. Thom.

Dico ſecundò. *Falſum eſt quod apparet id quod non eſt, & fundat falſam cognitionem ſui.* Ita Auguſt. & Ariſt. quos ſequitur S. Thom. ſupra. Probatur, quia in rebus nulla eſt falſitas, ſed omnia ſunt vera. Secundò communi vſu, aurum falſum dicimus illud, quod cum non ſit aurum, habet ſimilitudinem auri, adeo vt non de facili (vt ait S Thom. art. illo 10.) poſſit diſcerni diſſimilitudo: & Prophetam dicimus falſum eum, qui cum non ſit Propheta, ſpeciem habet Prophetæ. Item ſtannum non dicitur aurum falſum, ſed argentum falſum, quia non fundat veroſimilem cognitionem de auro, ſed de argento. E contra verò aurichalcum non dicitur argentum falſum, ſed aurum falſum. Ad quod

Duplex falſitas. S. Thom.

aduerte ex S. Thom. ea q. 17. dupliciter rem denominari falſam. Primò, à quacumque ſui cognitione falſa, ſic autem quoties falſum de Deo enuntiamus, Deus denominari poſſet falſus, extrinſeca denominatione, id eſt, falſò cognitus. Sed hæc vox, quia dedecens, amouenda eſt à Deo. Secundò, quando probabiliter res iudicatur falsò, vt cum hominem pia opera exercentem arbitramur ſanctum, cum ſit peccator. Atque hæc ſecunda ſignificatio eſt germana. Vnde abſolutè non ſunt Dij falſi, quia teſte S. Thom. ex magna inſipientia, & ſine vlla probabilitate creditur multitudo Deorum: addiderim & ob magna flagitia. Item cum Tragædus fingit Hectorem, aliquo modo eſt falſus Hector, vt vult Auguſt. id eſt fictus Hector; non tamen abſolutè falſus: quia nulla probabilitate iudicatur eſſe Hector. At verò Spatharius Attilæ fuit rex falſus, quia ſe Benedicto ſimulans regem, poterat probabiliter iudicari eſſe Attila ipſe. Idémque dixerim de quocumque probabiliter induente perſonam alterius.

§. 24. *Tertia concluſio. Falſitas comparatione intellectus creati.*

Dico tertiò. *Falſum eſt comparatione intellectus humani.* Nam cognitio falſa formatur ob accidentia rei vnius, ſimilia accidentibus alterius: propter quam ſimilitudinem altera iudicatur eſſe altera; hoc autem maximè contingit homini non intuenti ſubſtantiam: ſed eam attingẽti per ſpecies accidentium: ergo. Item, Angelus decipi poteſt, ſic refert Hieronymus B. Ignatium ſenſiſſe, dæmonem deceptum, & opinatum Chriſtum fuiſſe filium Ioſephi: item circa actus liberos, & myſteria, quæ cognoſcit per ſpecies alienas poteſt decipi. Demus enim Deum annihilare fidem in homine iuſto, id ignorante diabolo; deinde videat Dæmon aliquem actum fidei naturalis in eo iuſto, probabiliter colligit dæmon, tunc iuſtum eumdem habere actum fidei ſupernaturalis, ecce iuſtus ille comparatus dæmoni eſt fidelis ſupernaturalis, non verus, ſed falſus: & Chriſtus comparatione illius, & ſuorum conciuium fuit filius falſus Ioſephi, quia ab ignorantibus myſteria probabiliter cenſebatur eius filius: ſed eam vocem reiiciamus à diuinis vt dedecentem, & Chriſtus vocatur filius putatiuus Ioſephi: qua voce modeſtius vtimur ſimilibus in caſibus. Comparatione Dei nulla res eſt falſa, quia Deus decipi non poteſt.

§. 25. *Quarta concluſio. Res non eſt falſa quod fiat contra artem.*

Dico quartò. *Res non eſt falſa; quia non fit iuxta ideam veræ artis.* Probatur primò in domo, exempli gratia, demus domum factam contra regulas architecturæ, illa domus ſic effecta, licet ſit abſimilis veræ domui factibili per architecturam, tamen non eſt obiectum architecturæ: ergo ab architectura non denominatur falſa: patet conſequentia; quia ab actu, quo non cognoſcitur, non denominatur falsò cognitum: antecedens probo; quia obiectum architecturæ non eſt illa domus facta: ſed alia illi diſſimilis: nam ſi eſſet illa domus, non eſſet contra architecturam. Syllogiſmus è quatuor terminis non eſt obiectum ideæ boni ſyllogiſmi: ſed alius ideæ; quemadmodum aurichalcum non eſt obiectum ideæ de auro.

§. 26. *Confirmatur.*

Confirmatur: illa domus fit iuxta ideam ſui: nam architectus domum efficit, quam apprehendit: ergo eſt vera domus: patet conſequentia, ex te: quia fit iuxta ſuum exemplar.
Obiectio. Dices illud exemplar eſſe malum.
Reſpondetur. Bene, id probat tam domum, quàm eius exemplar deficere ab arte, non tamen propterea domus erit falſa, & licet artifex non ſit aſſecutus finem artis: non tamen propterea eſt falſus, niſi arguitiuè; quia domus ſic facta habet ſimilitudinem veræ domus, & fundare poteſt conceptũ de ſe falſum. Sic autem intelligo S. Thom. 1. par. quæſt. 17. art. 1.
Confirmatur. Confirmatur: aurichalcum fit ex arte Dei, & tamen eſt aurum falſum; quia decipere poteſt intellectum humanum. Itaque ratio falſitatis conuenit omni enti vt cognoſcibili falſo, cum fundamento in re per alienas ſpecies, quæ vox à diuinis eſt expungenda. Aduerte è duabus rebus ſimilibus, non dicimus viciſſim eas eſſe falſas; ſed minus nobilem vocamus nomine nobilioris, exempli gratia, aurum non vocatur à nobis aurichalcum falſum, aurichalcum autem vocatur aurum falſum, cuius nulla eſt ratio: ſicut nec multorum, præter libitum.

§. 27. *Quinta concluſio. Falſitas oritur ex ſpecie confuſa, aut aliena. Difficultas attingẽdi veritatem.*

Dico quintò. *Falſitas oritur ex ſpeciebus non proprijs, aut confuſis, quibus deludimur in iudicio rerum.* Difficultas autem veritatis attingendæ ſemper oritur ex imperfectione potentiæ; quæ ſi eſſet omnino perfecta, non poſſet decipi. Hæc imperfectio augetur ex perfectione obiecti aliquando, vt cum cognoſcimus res ſupernaturales, vel præteruolantes captum noſtrum aliquando imperfectione obiecti, vt cum confusè videmus colorem propter imperfectam ſpeciem, quam eiaculatur ad oculos:
Ens rationis non eſt abſolutè verum. ens rationis non poteſt abſolutè dici *verum*: quia non habet entitatem, at ſuo modo eſt verum; quia fundat reflexam, & veram cognitionem ſui, vt cum dico, *illud eſt chymæra*, immo mendacia poſ-
Mendacium verum. ſunt dici vera mendacia, & vera falſitas: nam licet actus mentiendi comparatus ſuo obiecto eſt falſus: at comparatus alij actui, quo cognoſcitur ſicuti eſt; eſt verus: immo & veritas eſt falſa. Quoties enim veritas non admittitur, & probabiliter reiicitur? ergo eſt falſa: ſic ſunt multæ opiniones veræ, quæ probabiliter reiiciuntur vt falſæ. Videantur S. Thom. 1. part. q. 17. & q. 1. de veritat ab art. 10. Pat. Suarez diſput. 9. Metaphyſ. & Molina 1. part. q. 17. diſput. vnica. Aduerte de falſitate & veritate actuum intellectus longum à nobis ſermonem S. Thomas. P. Suarez. P. Molina.

monem factum diſput. 11. de anima. Item aduerte, ex S.Thom. 1. p. q. 17. art. 4. verum & falſum opponi contrariè in ordine ad eumdem intellectum; quia alterum fundat actum verum; alterum falſum, quo non leuiter probatur veritatem, & falſitatem artefactorum non ſumi per ordinem ad ideas: ſed ad cognitiones: quarum ſunt aliqua ratione cauſæ, vel quaſi cauſæ.

SECTIO III.

Quotupliciter ſumatur Bonum.

Significatio boni. S.Thom. P.Molina. P.Vazquez. P.Suarez.

Bonum trifariam vſurpatur: pro perfecto, pro cõueniente alicui, pro amabili. Lege S.Thom. 1. par. q. 5. Pat. Molin. ibi diſput. vnica, P. Vazquez diſput. 23. Suarez diſput. 10. Metaphyſ. Valentiam tom. 1. d. 1. q. 6.

§. 28. *Perfectū ſimpliciter.*

Bonum perfectum ſumitur dupliciter: primò, pro perfecto omni genere perfectionis illi debito, quo vocatur *abſolutè perfectum*. Quod item à S.Thoma illa q. 5. art. 1. ad 1. vocatur *bonum ſimpliciter*: ſi autem careat aliqua perfectione, licet ſit ſimpliciter ens, non tamen ſimpliciter bonum; ſed ſecundum quid. Vnde commune effluxit adagium. *Bonum ex integra cauſa, malum verò ex defectu cuiuſque.* Vnde malum equum dicimus eum cui deeſt aliqua accidentalis perfectio, vt pernicitas, elegantia, cauda, & ſimiles. Item malam faciem cui deeſt color, aut pulchritudo. Quo genere bonitatis ſolus Deus eſt bonus neceſſariò: cui nihil deeſſe poteſt, cuius bonitas ab eo diſtinguitur ſola ratione. Conflatur enim ex attributis, & relationibus, quæ à natura diuina ſola ratione diſtinguuntur. Cætera entia non ſunt neceſſariò bona, quia multæ perfectiones morales poſſunt illis deeſſe (ſi ſunt arbitrio libera) & auferri multæ naturales pro ſolo arbitratu Dei. Sublunaria autem rariſſimè ita perficiuntur: omnia autem creata habent hanc bonitatem per compoſitionem realem partium, è quibus hæc bonitas coaleſcit.

Solus Deus eſt neceſſariò bonus in omni genere.

§. 29. *Perfectio in vno genere.* S. Thom.

Secundò ſumitur perfectio non abſolutè in omni genere: ſed in proprio cuiuſque rei. Nam ſubſtantia in ſuo genere eſt perfecta, ita enim S.Thomas ſupra, omne ens, in quantum eſt actu, eſt perfectum, quod patet apertè; quia ſubſtantia ſe ſola conſiderata, vt diſtinguitur ab accidente eſt, illo melior, & perfectior: ergo eſt bona, & perfecta vt præciſa ab accidente; alioquin non eſſet illo melior: nam comparatiuum non eſt ſine poſitiuo.

Confirmatur. Geneſ. 5.

Confirmatur ex Geneſ. 5. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona. Cuncta* dixit, omnia recenſens, lucem quoq; dixerat eſſe bonam: eſt enim lux illa accidens, & non corpus lucidum, vt oſtendi lib. de cælo. Secundò probatur, vnum accidens dicitur melius alio, vt accidens ſupernaturale melius naturali, & vnum animal ſubſtantialiter melius alio, vt homo melior leone: ergo ſingulæ res habent ſuam perfectionem in ſuo genere, quam implicat ab illis auferri; quia eſt propria illarum eſſentia. Rectè tamen truncari poteſt in rebus ſubſtantialiter compoſitis, vt ſi homini manus abſcindas. Denique accidens perfectionem habet, cum ſit perfectio ſubſtantiæ: ſubſtantia autem perfectionem habet, cum ſit perfectior accidente: ergo hoc genus perfectionis omni & ſoli conuenit enti.

Singulæ res habent ſuam perfectionem.

§. 30. *Obiectio prima.*

Dices primò, entia corporea eſſe mala, ſolóſque ſpiritus eſſe bonos, vt adſtruebant Manichæi, & Præſcilianiſtæ, conſtituentes duo principia, alterum bonum, à quo bona prodirent; alterum malum, authorem malorum, qui expungebant ex ſymbolo Apoſtolorum illam vocem *viſibilium omnium*, pro cuius defenſione ſanctiſſimus Martyr Petrus Veronenſis prædicator occubuit: ergo non omne ens eſt bonum. Verum Manichæi nolebant Dæmonem eſſe malum; quia eſt ſpiritualis. Non mirum, *quia ex Patre diabolo erant*, atque erant quidem philoſophiæ ignari: aut enim principium illud malum, & mali author, erat Deus, vel non: ſi Deus, quomodo malus, cum proprius Dei conceptus ſit eſſe id, quo nihil melius poſſit apprehendi? Si verò non erat Deus: ergo non habebat eſſe à ſe, quod conſtituit Deum in ratione Dei: ergo habebat eſſe à Deo: nam ſiſtendum eſſe in vno primo principio monſtraui, diſput. 10. Phyſicorum ſect. 1. ergo à Deo ortum eſt malum: ergo idem erat primum principium boni & mali: ergo Deus eſt author mali. Vnde ſuæ ignorantiæ terminis implicabantur: nam omne, quod à Deo fit, habet eſſe participatum à Deo: ergo non poteſt eſſe malum per ſuam ſubſtantiam inquantum eſt ens; quia participatio boni non poteſt eſſe mala. Deinde cælum, & corpora irrationalia non poſſunt eſſe mala: ſolus homo, & Angelus poſſunt eſſe mali, & illorum ſubſtantia non eſt mala per ſe, ſed bona: habet enim excellentem gradum naturalis perfectionis: nam cognoſcere, appetere, diſcurrere, & liberè amare, qui non cenſet eſſe perfectionem, longè abeſt à diſcurſu. Sunt autem Angelus, & homo mali per accidens, malitia non materiali, non naturali: ſed morali; quia nolunt liberè ſui Conditoris præſcripto parere. Itaque Deus nos bonos facit: ſed Manichæus ſe fecit malum, eam hæreſim ignoranter adſtruens.

Error Manichæi ſtultus.

Corpora ſunt bona.

Homo & Angelus mali per accidēs.

§. 31. *Secunda obiectio.*

Dices ſecundò, actum malum, exempli gratia, odium Dei, ex intrinſeco ſuo conceptu eſſe malum, & tamen eſt quædam Dei participatio, & ens: ergo poteſt eſſe mala participatio boni. Diſtinguo maiorem, odium Dei eſſe malum phyſicè, nego maiorem, moraliter concedo, id eſt, entitas odij phyſicè conſiderata eſt bona, quia eſt qualitas vitalis, & ſpiritualis, ad quam Deus concurrit ſub ratione boni, & vt ſic eſt participatio Dei: at verò illa qualitas eſt mala moraliter, quia homo eam liberè facit contra Dei voluntatem, & quamuis actus liber vt liber ſit etiam participatio Dei, tamen inquantum à ratione deflectit reduplicatiuè non eſt participatio Dei, quia Deus, non poteſt à ratione deflectere: deflectit tamen homo, quia habet libertatem cum imperfectione morali, à qua imperfectione vitiatur moraliter actus, & ſic liberum arbitrium eſt author culpæ vt culpæ. Quod confirmatur in ſententia conſtituente malitiam moralem in extrinſeca denominatione: nam homo qui liberè odit Deum, ſe obſtringit grauiſſimo omnium ſcelere, ſi tamen amens perſeueret in eo actu, manet tota ſubſtantia actus, & tunc non manet moraliter mala, neque Deo diſplicet: quia ad malitiam moralem requiritur libertas; ergo ſubſtantia actus phyſicè conſiderata non eſt mala: & licet moralitas non diſtingueretur ab actu, tamen in eſſe naturali & vt eſt à cauſa prima, eſt bonus phyſicè: vt autem eſt contra legem per ſuam ſubſtantiam vt eſt formaliter à principio liberè deflectente à ratione, eſt malus. De quo Theologus agat.

Reſpondetur odiū Dei bonum phyſicè, moraliter malum.

Confirmatio.

§. 32. *Tertia obiectio.*

Dices tertiò, relationes, & materiam primam non eſſe bonas. De materia prima res eſt ſine fundamento: nam in ſuo conceptu eſt perfectior accidente, etiamſi non habeat propriam exiſtentiam: neque Thomiſtæ negabunt humanitatem Chriſti eſſe

Materia prima eſt bona.

Relatio eſt bona. — P. Suarez. — *Relatio diuina eſt ſe ſola bona.*

eſſe bonam, licet affirment eam in Verbo exiſtentia propria carere. Relationes autem creatæ ſunt perfectæ, quia vel non diſtinguuntur ab vtroque extremo, vel ſunt modus, qui habet bonitatem modalem, nempe perfectionem reſultantem in cauſa, verbi gratia, dum eius effectus durat, alioquin (vt rectè Pat. Suarez.) etiam poſſet dici qualitatem aliquam non eſſe bonam. Relationes autem diuinas habere diſtinctas bonitates relatiuas Theologus ſcies: nam Verbum diuinum in quantum hypoſtaſis perfectius eſt hypoſtaſi humana, ergo eſt bonum, quia comparatiuum ſupponit poſitiuum. S. autem Thomas aſſerens materiam primam in potentia eſſe bonam, intelligitur eſſe bonam in ratione potentiæ phyſicæ, non verò actûs: vel bonitatem, qua perficitur in ſpecie completa, eſſe bonam in potentia.

§. 33. *Quarta obiectio.* — Ariſtotel. — *Quantitas eſt bona.* — *Quinta obiectio.* — *Reſpondetur.* — *Sexta obiectio.* — P. Suarez.

Dices quartò, res mathematicas non eſſe bonas teſte Ariſtotele, quia magnitudines ſeparatæ non ſunt bonæ. Hoc negatur, quia quantitas etiam ſeparata eſt bona: quia eſſentialiter eſt perfectio materiæ. Ariſtot. autem loquitur de bonitate reflexè cognita, de qua bonitate nihil curat Mathematicus, qui non conſiderat conuenientiam quantitatis cum ſubſtantia: ſed tantum contemplatur numeros atque figuras. Phyſicus autem expendit accuratè quid perfectionis in illis reperiatur. Dices quintò, eſſentias poſſibiles non eſſe bonas. Diſtinguo, bonitate poſſibili, nego; actuali & ſimpliciter, concedo. Dices ſextò, hanc bonitatem non habere modum, ſpeciem & ordinem, vt vult Auguſt. Reſpondeo, Auguſtinum loqui de bonitate, id eſt, pulchritudine, ordo enim non ſeruatur niſi inter plura. Aliam ſolutionem adiicit P. Suarez diſput. 10. ſect. 3. num. 27. nempe quamuis rem habere modum, id eſt, exiſtentiam per ſe, vel in alio, qui ſunt modi entis: & habere ſpeciem, id eſt, eſſentiam, & habere ordinem, nempe reſpectum, vel ad ſuum finem, vel principium, vel etiam ad effectum.

§. 34. *Secũda ſignificatio Boni, pro conueniẽtia.* — *Diuiſio in triplex bonũ.*

Secundò ſumitur bonum pro conueniente alicui. Hæc ſignificatio adeo eſt communis, vt bonum abſolutè ſumptum ſignificet conuenientiam vnius rei cum alia. Quapropter bonum diuiditur in honeſtum, vtile, & delectabile; quæ conueniunt illi, cui honorem, vtilitatem, & delectationem pariunt. Deinde quidquid alicui prodeſt, vocatur *bonum* illi, vt temperies humorum, cibus, & potus animantibus. Quidquid autem nocet, dicitur *malum* cui nocet, vt morbus, infamia, egeſtas. Denique quid eſt communius, quàm bene vel malè alicui facere? Tandem, virtus qua inclinamur ad præſtanda, quæ aliis proſunt, vocatur *bonitas* & *beneficentia*. Et amicitia principium earum rerum vocatur *beneuolentia*. De diuiſione huius boni agetur ſect. 5.

§. 35. *Bonum conueniens morale aliud phyſicum.* — *Variæ boni diuiſiones.*

Bonum hoc genere; aliud conueniens moraliter, ſiue iuxta regulas rectæ rationis; vt actus honeſti liberi, & eorum obiecta. Aliud autem conueniens phyſicè, ſpectata præciſè naturali rei conſtitutione, non curando, ſit ne iuxta vel contra rationem. Vt homini eſt conueniens & bona voluptas, robur, & ſimilia. Item bonum quoddam intrinſecum, quod per phyſicam vnionem conuenit alicui, vt materiæ forma, calor animanti; quoddam verò extrinſecum: idque dupliciter. Primùm remotè non ratione ſui, ſed alicuius effectus ab eo producti; vt Sol eſt bonus homini ratione qualitatum bonarum, quas emittit in hominem. Secundò immediatè vel tanquam obiectum alicuius actus boni, vt Deus beatis & aliis, qui eum vel contemplantur vel amant; vel etiam tanquam immediatum principium, à quo pendet eſſe rei, cui eſt bonum. Vt Deus idem eſt bonus creaturis omnibus.

§. 36. *Tertia ſignificatio.* — *Bonum amabile.* — Ariſt.

Tertiò ſumitur *Bonum* pro amabili, ſic Ariſtot. 1. Ethicor. 1. dixit *bonum eſſe quod omnia appetunt.* Qua definitione paſſim vtuntur autores, præſertim S. Thom. 1. part. quæſt. 5. & alibi infinities. Nam vnaquæque res naturali rapitur impetu ad ea, quæ illi conueniunt: appetitu autem elicito feruntur ad obiecta, quæ ſibi conuenire apprehendunt, vel feruntur in pulchritudinem ſuorum obiectorum; immo infra probabo; omnem rationem boni eſſe appetibilem: atque hanc denominationem duobus prioribus bonis conuenire, nec conſtituere tertiam ſpeciem boni.

SECTIO IV.

Quo pacto bonum diſtinguatur ab ente, & ſit eius attributum?

§. 37. *Prima concluſio.* — *Bonum perfectum abſolutè ſoli Deo conuenit per identitatem.*

DIco primò. *Bonum pro perfecto abſoluto & in omni genere de quo. §. 28. eſt idem realiter cum ſolo Deo, in creaturis autem realiter diſtinguitur ab ente:* quod eſt *bonum.* Probatur apertè, quia ſolus Deus eſt bonus per ſuam eſſentiam: creaturæ verò per accidentia. Angeli enim & omnis ſubſtantia completa creata, perficiuntur ſuppoſitis. Item per operationes liberas, & alias qualitates, & modos.

§. 38. *Secunda concluſio.* — *Bonum nõ eſt relatio prædicamentalis.* — *In creatis eſt relatio tranſcendentalis.* — *Bonitas Dei eſt quaſi ordo tranſcendentalis.*

Dico ſecundò. *Iſtud genus boni non dicit relationem prædicamentalem vnius rei ad aliam. Sed in Deo dicit plures conceptus ſola ratione diſtinctos à natura diuina: qui etiam ratione noſtra dicunt ad eam aliquem ordinem, non quaſi prædicamentalem, ſed quaſi tranſcendentalem, in creatis verò non dicit niſi relationem mutuam tranſcendentalem, quæ conſiſtit in earumdem eſſentia.* De Deo res eſt clara: nam relatio prædicamentalis ſupponit fundamentum, & terminum, ergò & relatio rationis imitatrix relationis realis debet ita cócipi: nam per ſpecies relationis realis apprehenditur: ſed ſapientia infinita non præſupponit aliquid, ex quo conſurgat, ſed in ipſo cóceptu quidditatiuo omniſapientiæ, imbibitur ordo rationis ad naturam: non minus quàm in riſibili ad rationale: in quo conſiſtit conceptus relationis realis tranſcendentalis, & relatio rationis, quæ illam imitatur: ergo bonitas ſeu perfectio Dei non conſiſtit in relatione quaſi prædicamentali, ſed quaſi tranſcendentali.

§. 39. — *Perfectio hominis quid.* — *Confirmatur.*

In creaturis item probatur: quia relatio prædicamentalis ſupponit fundamentum, & terminum: ſed perfectio creaturarũ ea non ſupponit: ergo. Probo minorem poſito homine, verbi gratia, cum corpore procero & eleganti: animo inſtructo habitibus, & actibus honeſtis, ſine vllo modo inde reſultante, ſed præciſè per eas res illi immediatè vnitas, eſt perfectus, ergo perfectio hominis non reſultat ex illis, ſed omnes illæ ſumptæ ſimul ſunt homo perfectus. Probo antecedens; quia formaliter corpus & animus mutuo perficiuntur per vnionem: animus per habitus & actus formaliter: ita vt cum illis formaliter, excluſo quocumque alio, intelligatur conſtitutus in ſtatu perfecto, cui nihil deſit, &c. Confirmatur: eſſe perfectum non eſt ad aliud: licet enim perfectum ſit per aliquid à ſe diſtinctum, id tamen non eſt ad aliud, magis quàm album aut calidum, licet eſt album aut calidum per formam à ſe diſtinctam, neque enim eſt in aliqua è quatuor ſpeciebus relationis; id autem eſſe relationem tranſcendentalem patet; quia iſta perfectio complectitur ſubſtantiam & accidens, quæ reciprocam habent relationem tranſcendentalem; excipe rem perfectam accidente ſupernaturali; nam licet accidens

dens dicat ordinem ad ſubiectum naturale, non tamen è contra, vt oſtendi diſput. 8. phyſic. ſect. 6. fine.

§. 40. *Tertia concluſio. Bonum non addit ex parte entis aliquid ratione diſtinctum.* S. Thom.

Dico tertiò. *Bonum ſiue perfectum in ſuo genere, de quo. §. 8. nihil addit ex parte entis nec ratione diſtinctum ab ente.* Hæc concluſio eſt expreſſa S. Thom. 1. p. q. 5. & vbicumquè loquitur de attributis entis. Eamque ego probaui ſæpe diſp. 3. item diſp. 4. & maximè hac 7. ſect. 1. nam relatio rationis non eſt; quia ſecluſa relatione quælibet res exiſtens ſeipſa, vt opponitur non enti, eſt ens, & bona, vt docet S. Tho. ea q. 5. art. 1. ad 1. quod ſi eſſet relatio, ſupponeret fundamentum & terminum: demus ergo naturam Angeli, cuius perfectio, ad eam quid refert, vt dicatur eſſe relatio? & non tam eſſet attributum, quàm paſſio realis, nec eſſet paſſio entis vt ſic, quia non eſſet ſui: & ipſa eſſet bona alia bonitate. Nec eſt relatio rationis; quia ante omnem conſiderationem noſtram Deus erat perfectus: & Angeli ſunt, nihil nobis de illis cogitantibus: nec bonitas eſt aliquid fictum. Neque eſt aliquis conceptus abſolutus; quia res ipſa ſecluſo alio conceptu, eſt ens actualiter, quod eſt perfectio, & eſt amabile, & aliis conueniens. Cumque ille conceptus ſit ens, iam non eſſet attributum entis vt ſic. Vnde colligo, contra Patres Molinam & Vazquez ſupra, perfectionem rei non eſſe diſtinctam à re ipſa vllo modo. Ait P. Vazq. perfectionem concipi, vt conuentum & concurſum multorum. Quod in conceptu ſimplici non admittam. Nam ens, v. g. eſt ſimpliciſſimus conceptus etiam ratione, & ille eſt perfectus in ſuo genere, eo enim ipſo quod concipio ens actuale, concipio bonitatem oppoſitam non enti, nec ad eius perfectionem egeo aliud ex parte ipſius concipere. Si verò conceptus eſt compoſitus, habet quidem plures conceptus concurrentes ad perficiendum ens illud quidditatiuè cõſtituentes, non tamen ſupponentes ens & illud ſuppoſitum perficientes. Nam illa perfectio eſt quidditas ipſius entis, quod paucis expreſſit Pat. Suar. diſput. 10. Metaph ſect. 1. num. 11.

Illatio contra P. Molin. & Vazq.

P. Suarez.

§. 41. *Quinta concluſio. Bonũ ſic acceptum nõ eſt attributum entis.*

Dico quintò. *Bonum ſic acceptum, ex parte obiecti non eſt attributum entis.* Probatur apertè ex dictis; quia attributum non diſtinguitur realiter ab ente, vt diſtinguitur bonum in omni genere; nec ratione noſtra eſt idem formaliter cum illo per ſynonymiam, vt eſt bonum in ſuo genere: ergo ſub illa ratione non eſt attributum entis.

§. 42. *Sexta cõcluſio. Conueniens nõ eſt relatio rationis, ſed tranſcendentalis.*

Dico ſextò. *Bonum conueniens, de quo §. 34. non eſt relatio rationis.* Quia ſine tali relatione eſt conueniens. *Nec eſt relatio realis*; quia ſecluſo quocumque modo calor per ſuam eſſentiam eſt conueniens igni, item materiæ forma eſt ſe ipſa conueniens. Vno verbo, quando duæ res dicunt mutuum ordinem tranſcendentalem, per illum ordinem ſunt reciprocè conuenientes. Et eo modo quo ille ordo diſtinguitur, vel non diſtinguitur ab eſſentia rerum, diſtinguitur etiam, vel non diſtinguitur ea conuenientia; & ſicut ordo formaliter non concipitur ſine termino, ita nec conuenientia ſine re cui conuenit. Duo aduerte: alterum, res non eſſe conuenientes Deo, niſi extrinſecè ad eius gloriam, non enim dicunt ordinem ad Deum vt ad indigentem: Deus enim nulla creatura eget. Alterum, res naturales eſſe bonas accidentibus ſupernaturalibus per bonitatem potentiæ obedientialis; quando verò res eſt conueniens aliis non per ſe: ſed per accidens, & extrinſecam impoſitionem, bonitas eſt extrinſeca denominatio.

§. 43. *Septima concluſio.*

Dico ſeptimò. *Omnis res eſt alicui bona, & conueniens.* Nam Deus eſt bonus creaturis, ſubſtantia accidentibus; item accidentia ſubſtantiæ. Immo & actus praui ſunt abſolutè boni effectibus, quos producunt, vt habitibus & motibus externis, quos imperant, & actibus, quibus cognoſcuntur. Item ſunt phyſicè boni potentiæ paſſiuæ ipſorum, quæ phyſicè perficitur per illos.

Omne ens eſt alicui bonũ.

§. 44. *Octaua concluſio. Priuatio eſt bona.*

Dico octauò. *Etiam priuatio eſt hoc modo bona.* Nam ſicut dolor ſe ipſo eſt malus viuenti, ita carentia doloris, ſe ipſa eſt bona. Nam carentia formæ bonæ, ſe ipſa eſt mala ſubiecto, vt cæcitas homini; ergo & carentia formæ malæ, ſe ipſa eſt bona. Non quidem quia talis carentia miſcetur bonæ temperaturæ, tum quia in tali temperatura duo reperiuntur bona; & humores temperati poſitiui, & carentia humoris, in gradu malo. Deinde peccatum habituale, nullam ſoluit naturalem temperaturam; cuius carentia non miſcetur alicui bono, vltra naturalem conſtitutionem (ago de natura non eleuata) quæ etiam retineri poſſet cum peccato habituali. Denique Dæmoni eſſet bona carentia cruciatus, etiamſi non tolleret illi lætitiam. Nam diabolus triſtis plus mali habet, quàm ſi non eſſet triſtis nec lætus: ergo ſi illi tolleretur triſtitia licet non daretur lætitia, adhuc illa triſtitiæ carentia eſſet bona: quia triſtitia eſt mala.

§. 45. *Nona concluſio. Conueniens non eſt attributum entis.*

Dico nonò. *Hoc genus boni eſt non attributum entis.* Probatur primò; quia in multis nec ratione diſtinguitur ab ente, vt in materia non diſtinguitur conuenientia formæ, & ſic de aliis. Secundò; quia eodem modo malum eſſet attributum entis. Nam ſicut res, quia eſt conueniens vni, eſt bona: ergo etiam mala, quia eſt diſconueniens alteri. Dices non conuenire omni enti eſſe diſconueniens alteri. Contrà: ergo ſaltem eſſet aliquod ens ex ſua natura tam malum abſolutè, quàm bonum. Patet cõſequentia; quia aliqua tam abſolutè nocent vni, quàm proſunt alj. Quod primo ſono abſonat in errorem Manichæorum, opinantium eſſe aliquas res natura ſua malas. Quod licet in alio dixerint ſenſu, tamen nec verborum affinitatem cum illis velimus. Contrà ſecundò, quia nullum eſt ens, quod alj non poſſit natura ſua eſſe diſconueniens: ergo malum eſſet attributum entis, non aliter ac bonum. Probo antecedens: quia Deus principium eſt alicuius mali, intrinſecè diſconuenientis Dæmoni. Formæ propter incompoſſibilitatem in ſubiecto ſunt diſconuenientes: & vnum ſuppoſitum diſconuenit alj eiuſdem ſpeciei: quia impedit ne producatur. Sicut albedo *A*, eſt in cauſa ne ſit in ſubiecto albedo *B*, & vnum corpus impedit alj eſſe in loco quem ipſum occupat. Ergo malum eſt attributum entis perinde ac bonum. Mitto argumentum de priuatione: quæ etiam eſt bona. Nam bonum, attributum entis dicit in recto ens, quod non dicit priuatio. Sicut etiam priuatio, licet ſit cognoſcibilis verè, non eſt verum abſolutè, quod tribuitur enti.

Non eſt abſolutè dicendũ ens eſſe malũ.

Omne ens eſt aliquo modo diſconueniẽs aliis vt cauſa, vel alia ratione.

§. 46. *Decima concluſio. Bonum in ſuo genere perfectum eſt attributũ entis.* S. Thom. Caietan. P. Valent. *Prima ratio.*

Dico decimò. *Attributum entis eſt bonum perfectum in ſuo genere, connotans actum appetitus, à quo denominatur amabile.* Hæc concluſiò eſt Ariſtotel. 1. Ethicorum cap. 1. S. Thom. 1. part. quæſt. 1. art. 1. corpore, & ad primum ait, bonum dicere perfectum quod eſt appetibile, & artic. 3. ad 1. Caietan. ea quæſt. artic. 1. Pat. Valentiæ tomo 1. diſputat. 1. quæſt. 16. p. 3. Eſtque communis. Probatur primò, quia bonum ſub ratione boni conſtituitur obiectum voluntatis: ergo ſub ratione boni connotat actum voluntatis. Patet conſequentia, quia obiectum voluntatis non poteſt clarè concipi, quin & voluntas concipiatur clarè: ſed ens, vt eſt in ſuo genere perfectum, eſt obiectum voluntatis, ergo ſub illo

ſub illo conceptu eſt bonum: conſequentia eſt certa ex dictis, quia omne ens amabile per volũtatem, eſt bonum: antecedens probo, quia voluntas poteſt ferri in illud ens vt repræſentatur per intellectum, in illo ſibi complacens.

Secunda. Secundò, bonum tam explicatur per connotationem ad voluntatem, quàm verum per intellectum: ſed verum dicere connotationem ad intellectum monſtraui ſect. 1. ergo & bonum ad voluntatem.

Tertia. Tertiò ens ſecundum ſuam eſſentiam eſt amabile, ergo iſte conceptus amabilis ratione diſtinguitur ab ente, quia ens cócipitur clarè, quin concipiamus clarè illud eſſe amabile; at ſub ratione amabilis connotat amorẽ, & ſic conceptus formalis de amabili repræſentat in obliquo amorẽ, quem non repræſentat conceptus formalis de ente.

§. 46. *Quarta.* Deinde ille conceptus de amabili eſt ratione poſterior, quàm conceptus de ente. Ideo enim eſt amabile, quia eſt ens, non è contra ideo eſt ens quia eſt amabile: ergo amabile eſt attributum entis, quia habet totam rationem attributi: ſed hoc attributum explicamus hac voce, *Bonum*; ergo bonum vt ſignificat perfectum amabile, eſt attributum entis.

Confirmatio. Geneſ. 1. Confirmatur ex 1. Geneſ. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quæ recenſio diuinorum operum, eſt quædam in illa complacentia, vt artifex cum egregium opus excuſſit, in illud oculos defigit, ſingula lineamenta cum voluptate perpendens.

Vltima ratio. Denique *verum* communiter dicitur eſſe prius *bono*, quia *verum* connotat intellectum, *bonum* autem voluntatem, poſteriorem quidem intellectu; immo ratio conuenientis diſtinguitur ſub ratione boni ab ente: quod ſub ratione conuenientis eſt appetibile ab eo, cui conuenit: ideo enim volumus res amore concupiſcentiæ, quia nobis ſunt conuenientes: amabile autem non eſt niſi ens, vel quia eſt perfectum, vel quia eſt conueniens.

§. 47. *Quæſtio.* Rogas, vtrum bonum ſumatur formaliter ab appetitu, & ſit in obiecto extrinſeca denominatio, ſicut verum eſt formaliter verum ab actu vero? & bonum ſit attributum extrinſecum?

Sententia. S. Thomas. Caiet. P. Valent. S. Thom. id ita videtur inſinuare, vt obſeruat Caietan. 1. part. q. 5. art. 1. & P. Valent. tom 1. diſp. 2. q. 16. p 3. ſub initium, affirmans, ens dici bonum ab actu voluntatis, ſicut verum ab actu intellectus. Quod Caiet. ſupra dixit eſſe verum Et quidem negari non poteſt, rem eſſe amabilem eſſe tam extrinſecam denominationem ab amore, quàm eſſe cognoſcibilem à cognitione. In quo ſenſu eſt veriſſima opinio S. Thom. in quo ſenſu amorem terminari ad bonum, perinde eſt ac terminari ad ens.

§. 48. *Sententia Caietani. Amabile fũdamẽtaliter, & formaliter. Bonum fundamentaliter non includit amorem vt formam.* Tamen communius diſtinguitur cum Caietan. ſuprà appetibile formaliter & fundamentaliter. Primum eſt extrinſeca denominatio ab appetitu, eſtque formaliter in voluntate. Secundum eſt in obiecto connotante appetitum, non tamquam formam, à qua ſit bonum, ſed à qua vt perfectum, & conueniens per intrinſecas rationes eſt amabile. Vt animal connotat ſentionem, non tamquam formam, per quam ſit animal: ſed tamquam effectum, ex quo dignoſcitur. Nam ideo voluntas terminatur ad ens; quia eſt perfectum & bonum in ſe, & ſua exiſtentia, vel quia habet in ſe conuenientiam cum appetitu: at non conſtituitur nec perfectum, nec conueniens, per actum amoris: ſed potius ſupponitur: quam intrinſecam perfectionem, connotantem amorem vocamus *bonum.*

Ariſtoteles. Vnde cum Ariſtot. dicunt omnes, bonum eſſe in rebus, ſicut verum in intellectu. Nam in rebus nihil eſt, quo res ſit vera, niſi quatenus eſt cognoſcibilis: at eſt bona, non quatenus eſt amabilis, ſed ideò eſt amabilis quatenus eſt intrinſecè perfecta.

Differentia boni & veri.

Quapropter bonitas conuenit enti tamquam per illam intrinſecè bono, & actui voluntatis, a quo etiam extrinſecè ens denominatur bene amatum, ſeu bonum: in quo omnino eſt ſimile vero, in quo tamen non reperies intrinſecè eam veritatem. Nam ſublata cognitione vera à qua formaliter ſit verum, non habet alium conceptum veri. Itaque verum ſemper connotat cognitionem vt formam, at bonum & vt formam & vt connotatum præcisè: in quo ſenſu intelligo S. Thom. aſſerentem, ens vt perfectum, ſolum addere rationem appetibilis, non quidem reduplicando appetibilitatem in actu formaliter conſiſtentem, tamquam formam: ſed tamquam actum connotatum terminatum ad ens perfectum, & bonum bonitate intrinſeca, & adæquatè diſtincta ab actu: ſed illum connotante. Oſtendi autem, diſp. 5. de anima ex eodem S. Thom. cognitionem non terminari ad verum, vt verum adæquè diſtinguitur ab actu. §. 49. *Item & conuenientia.* *S. Thom. explicatur.*

Ratio eſt, quia rem eſſe cognoſcibilem eſt purè extrinſeca denominatio; quia non arguit perfectionem in ipſa. Deus enim æquè cognoſcit quæ ſunt & quæ non ſunt, *vocat enim ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt.* At rem eſſe amore dignam eſt intrinſeca perfectio. Vnde cum omnia æqualiter noſcantur à Deo, non amantur æqualiter; quia in illis non eſt æqualis dignitas amoris: at per amorem non conſtituuntur dignæ amore, nec odio. Hæc igitur dignitas amoris, vel odij, quæ explicari non poteſt ſine connotatione ad amorem, & odium, eſt attributum intrinſecum enti; poſterius vero: quia explicatur per connotatum poſterius, licet ſit intrinſecum, verum autem extrinſecum eſt; quia formaliter in ratione veri conſtituitur per actum intellectus: bonum autem in ratione boni conſtituitur formaliter per intrinſecam ſuam entitatem, explicatam per ordinem ad amorem. *Res ſunt æquè cognoſcibiles, & non amabiles æquè.* *Dignitas ad amorem eſt bonum.*

SECTIO V.

Boni diuiſio.

BOnum vt ſignificat rei entitatem, perfectam, & amabilem, diuiditur ſicut ens. Bonum conueniens alteri, diuiditur in honeſtum, vtile, & delectabile. Vnde colligo bonum communiter vſurpari pro conuenienti: honeſtas enim, vtilitas, & delectatio, dicunt ordinem ad aliud. §. 50. *Boni diuiſio in triplex bonum.*

Bonum conueniens diuidi poteſt in intrinſecum, & extrinſecum: intrinſecum eſt, quod vnione phyſica conuenit ſubiecto, vt ſanitas & pulchritudo homini (mitto perfectiones Dei illi intrinſecas per identitatem, quia propriè illi non ſunt conuenientes:) Bonum extrinſecum eſt, quod ſine vnione conuenit alicui rei. Bonum intrinſecum ſubdiuiditur in potentiam, & actum: per potentiam intelligo quidquid ſpectat ad perfectam rei conſtitutionem, vel eſt ſimpliciter neceſſarium ad operandum. Quo comprehenduntur potentiæ vitales, & humorum temperatura; habitus ſupernaturales, ſpecies impreſſæ, pulchritudo, & corporis habitus. Per operationem intelligo omnes actus vitales, habitus per illos adquiſitos, lationes, actiones omnes, earumque terminos: qui phyſicè vniuntur rei, cui dicuntur boni. Bonum extrinſecum poteſt diuidi in honorem, pecuniam, aliaque bona extrinſeca. Nullumque poteſt excogitari bonum, quin immediatè contineatur ſub alterutra parte diuiſionis: cum ſit per contradictorias rationes, quales ſunt vnio, & non vnio. *Bonũ intrinſecum, & extrinſecum.*

Quodlibet

§. 51. *Alia diuiſio. Bonum honeſtum quod.* Quodlibet ex his bonis diuidi poteſt in honeſtum, vtile & delectabile. Honeſtas dicit ordinem ad honorem,& ad regulam rationis: ſic munera & honores pertinent ad honeſtum bonum. Quapropter hominem nobilem vocamus, *honeſto loco*, aut *honeſtis parentibus ortum*; præcipuè tamen ſumitur per ordinem ad rationem,id eſt, ad naturam rationalem, ſic hominem virtutis ſtudioſum vocamus *honeſtum*,& *honeſtè viuere*.Immo reſpectus ad honorem fundatur in virtute, cui ſoli debetur honor. Verum; quia honore habentur etiam turpes propter aliquod facinus hominibus laudabile; duplicem honeſtatem diſtinguo:aliam honoris humani, aliam virtutis: *humani* dixi. Nam qui diuinitatis aliquid ſapiunt, ſolam virtutem honorant.

§. 52. *Vtile.* Vtile, ſi preſsè ſumatur, ſignificat pecuniam, & bona, quæ *fortunæ* vocantur, è quibus aliquod percipimus emolumentum. In qua ſignificatione,Deo nihil eſt vtile, quia his bonis non eget, *Deus meus eſt tu, quia bonorum meorum non eges.* Latiùs ſumitur *vtile* pro quacumque re conducente,vt medium ad alius conſecutionem, vt curatio ad ſanitatem. Poteſt etiam extendi ad res ſpirituales,vt vtile eſt animo, ſuorum ſcelerum pœnas igne danti, piorum iuuari ſuffragiis.

§. 53. *Delectabile.* Delectabile propriè ſignificat, quod cum ſenſus voluptate percipitur, vt cibus, & muſica: poteſt tamen extendi ad quoduis obiectum, quod cum voluptate, aut voluntatis complacentia percipitur: ſub qua ratione omne obiectum bonum ſui fruitione eſt delectabile: quæ delectatio formaliter conſiſtit in actu, quo voluntas gaudet de bono, quod eſt adepta, qui *fruitio* vocatur.

§. 54. *Honeſtum dupliciter.* Aduerte,honeſtum ſumi poſſe, vel pro ipſo honore, quo aliquid honore habetur,ſub qua ratione, hoc eſt extrinſecum; quia *honor eſt in honorante*, eſt enim actus intellectus quo quis bene ſentit de alio: vel ſumitur pro obiecto in quo fundatur talis honor,v.g. aut in virtute, aut nobilitate. Quæ ſignificatio eſt proprior. Cum enim dicimus virtutem eſſe honeſtam, perinde eſt, ac eam eſſe honore dignam,tum quia à Deo habetur honore pro bonitate operis cuiuſcumque, tum quia propter eam homo eſt dignus honore, in quo verus honos conſiſtit.Quod prædicatum eſt illi intrinſecum,explicatum per honorem: per quem non eſt formaliter digna honore: ſed per ſe ipſam.

§. 55. *Vtile quid dicat.* Vtile dicit entitatem cuiuſque rei, connotantem aliam, ad quam eſt vtilis, v. g. vtilitas pecuniæ eſt pecunia connotans delectationem, ad cuius conſecutionem ſeruit.

§. 56. *Delectabile duplex.* Delectabile poteſt ſumi pro ipſa delectione:ſub qua ratione ſemper eſt bonum intrinſecum delectato: vel ſumitur pro obiecto delectationem illam afferente, ſic autem poteſt eſſe bonum intrinſecum, aut extrinſecum. Exiſtimo autem in recto ſignificare obiectum delectationis, & in obliquo connotare ipſam delectationem.

§. 57. *S. Thom. P. Suarez. Obſeruatio.* Item aduerte,hanc diuiſionem(vt cum S.Thom. ait Pat.Suarez) non eſſe per negationẽ vnius membri in alio; ſed præciſiuè, id eſt, non dari per tria bona, quorum nullum contineat bonitatem alius: nam vt oſtendi, diſputat.13.de anima, in idem bonum cadunt aliquando honeſtas, vtilitas, & delectatio. *Diuiſio boni non eſt realis ſemper.* Aurum enim eſt vtile, quia eſt aptum ad conſequendas voluptates, & honores; & quia eſt pulchrum,delectat aſpectum, ſicut quæuis pictura. Diuiditur autem bonum,per formales conceptus; quia quilibet ex illis poteſt mouere voluntatem, vt cum quis veneri ſeruit fortunas & honorem prodigens,ille ſola voluptate mouetur. Item cum quis pecunias deſpicit, & refugit voluptatum illecebras pietatis ergo, hic ſola trahitur honeſtate: auarus autem,nihil curans de honore,nec de auri pulchritudine, ſed in ſolum inhians theſaurum, hic ſola rapitur vtilitate.

§. 58. Hinc patet rectitudo huius diuiſionis, ſingula enim intrinſeca bona per modum potentiæ habent aliquam triplicis bonitatis rationem.Item & bona per modum actionis. Egregium facinus non eſt medium ad honorem: ſed obiectum honoris, & laudis,ſiue ratio formalis,ob quam laudatur homo.

SECTIO VI.

De malo.

§. 59. *Malum totidem modis quod bonum dicitur. Primum.* Malum totidem modis, quot bonum, dicitur. Malum enim oppoſitum enti, eſt carentia ſeu non eſſe entis; ſi enim eſſe Angeli eſt bonum, non eſſe Angeli erit malum: & ſicut bonum ſupra ens connotat actum, quo ametur, ita malum ſupra non ens connotat carentiam talis actus,& amoris. *Secundum.* Secundò malum oppoſitum perfecto, idem eſt, quod imperfectum: vt equus malus eſt, qui caret aliqua perfectione ſibi debita, vt pede, cauda, &c. *Imperfectio poteſt eſſe poſitiua,& priuatiua.* quæ malitia poteſt in priuatione conſiſtere, vt cum quis caret oculis; vel in poſitiuo, vt ſi quis habeat ſex digitos, ſextus digitus ſe ipſo redundat, & hominem fœdat, non quia ſextus digitus ſit priuatio: ſed potius; quia poſitiuè tollit priuationem ſui, quæ ſpectat ſuo modo ad hominis pulchritudinem.

§. 60. *Tertium. Diſconuenit poſitiuum & priuatiuum.* Tertiò, malum oppoſitum conuenienti eſt diſconuenientia vnius rei cum alia, vt calor eſt malus aquę,inertia homini.Hęc malitia iam in priuatiuo, iam in poſitiuo conſiſtit, calor enim poſitiua ſua entitate eſt malus aquæ. Item & carentia frigoris. *Obiectio.* Dices calorem eſſe malum aquæ non ratione poſitiua: ſed quia aqua frigiditate priuat. *Reſpondetur.* Contrà, calor eſt malus aquæ; quia eſt priuatiuus frigiditatis, cum qua pugnat per ſuam entitatem immediatè: *Calor eſt poſitiuè malus aquæ.* ergo per entitatem poſitiuam eſt malus aquæ. Itaque aqua habet duo mala; & priuationem frigiditatis, quæ illi eſt diſconueniens,& calorem,qui eſt principium formale illius carentiæ, & hoc conſiſtit in poſitiuo. Imo tormenta damnatorum ſunt illis mala, non quia priuent lætitia: ſed quia horrendi illi cruciatus ſe ipſis ſunt diſconuenientes.

§. 61. *Malum ſimpliciter, culpa.* Aduerte, malum ſimpliciter vſurpari pro malo culpæ, vnde quando quis rectè operatur,illum ſimpliciter vocamus bonum, licet patiatur aut malum oppoſitum vtili, aut delectabili;è contra verò ſimpliciter vocamus malum, quantumuis aliis bonis affluat,cum qui eſt vita turpis. De hac malitia morali diſputatio,Theologi negotij eſt.

DISPVTATIO VIII.

De eſſentia, & exiſtentia.

§. 1. *Eſſentia eſt quidditatiuus cõceptus.* Explicatis entis attributis,duo eiuſdem entis ſtatus occurrunt diſquirendi: *exiſtentia*, & *eſſentia*: qui conceptus enti vt ſic conueniunt. *Eſſentia* eſt conceptus obiectiuus, qui à nobis apprehenditur, quando formamus alicuius rei conceptum: vt animal rationale eſt hominis eſſentia; quod concipimus cum hominem concipi *Exiſtẽtia eſt ratio eſſendi extra cauſas.*

concipi

concipimus. *Exiſtentia* à verbo *exiſto*, idem eſt quod eſſentia (ſi ethymon inſpicias) *exiſtere* enim, & *eſſe* ſynonyma eſſe, defluente diſputatione patebit. Sumitur à Philoſophis pro illa ratione, per quam res ſunt extra cauſas in rerum natura, ſiue actu: vt *nunc* pro ratione, qua ego nunc viuo, & ſum. De quibus longam, & mille difficultatibus plexam diſputationem nobis dant obſcuri Philoſophi, nodum in ſcirpo quærentes, & ingenij ſpecie, obtenebrantes ea quibus ab ipſa natura lumen affulget.

SECTIO I.

Quid ſit creaturas eſſe poſſibiles?

§. 2. *Res poſſunt exiſtere, & non exiſtere.* AB his ordiendum claritatis ergo. Ratio monſtrat, Petrum, exempli gratia; quia eſt morti obnoxius, ita nunc exiſtere, vt potuerit non exiſtere: & quia ortu gaudet, eum fuiſſe poſſibilem, & & eius parentes antequam illum genuere, habuiſſe potentiam illum gignendi. Item Deus nunc habet potentiam creandi vnum Angelum; quē nec creat, nec creauit, nec creabit, & eiuſmodi Angelum poſſe à Deo creari. Itaque Angelus eſt creatura poſſibilis. In quo duo reperio, & Angelum qui eſt poſſibilis, accipientem denominationem *poſſibilis*: & potentiam quæ illum poteſt; quæque illum denominat poſſibilem.

§. 3. *Prima concluſio. Poſſibilitas formaliter eſt à potentia Dei.* Dico primò. *Denominatio poſſibilis ſumitur formaliter ab omnipotentia Dei.* Nam omnipotentia ſe ipſa eſt potens, & factiua creaturarum: ergo ſe ipſa eas denominat poſſibiles & factibiles. Probo conſequentiam; quia potens vt potens, alicuius eſt potens; & factiuum, alicuius factibilis eſt factiuum. *Confirmatur.* Confirmatur, per eam rationem, qua ego ſum factiuus, aliquid eſt factibile; tum quia per eam rationem per quam ſum viſiuus coloris, color eſt viſibilis; quia videre in me eſt idem ac videri in colore, eſt enim ab eadem forma: ergo poſſe videre, & videri eſt idem pro formali: tum quia factiuum eſt ad aliud, vt ad terminum: ergo tribuit termino denominationem paſſiuam, vt omnes rationes formales eam tribuunt ſuis terminis: ſed denominatio paſſiua factiui, & potentis, eſt poſſibile, & factibile, ſicut paſſiua viſiui, eſt viſibile: ergo. Tum tertiò; quia ab eadem actione cauſa dicitur agens, & terminus actus: ergo ab eadem actione in actu primo, cauſa eſt actiua, & terminus factibilis.

§. 4. *Obiectio.* Dices, rem ab actione in actu dici actam in actu: ergo ab eadem actione in potentia dicitur agibilis, ſiue acta in potentia: ſed actio tam actu, quàm potentia eſt diſtincta ab omnipotentia: ergo factibile & poſſibile ſumitur formaliter ab alio quàm omnipotentia. *Reſpondetur. Actio in actu primo logico, & phyſico.* Iam dixi, diſput. 8. Phyſic. ſect. 2. actionem bifariam ſumi in actu primo: & in actu primo logico, & phyſico: item & in actu ſecundo logico, & phyſico. *Actio & terminus ſunt poſſibiles formaliter ab omnipotētia.* In actu primo phyſico tam actio, quàm eius terminus denominantur poſſibiles, & factibiles à potentia, à qua fiunt; quia talis actus primus eſt entitas eiuſdem potentiæ: quæ ſicut eſt ſe ipſa factiua tam actionis quàm termini, ſic ea denominat factibilia. Et quidem in actu primo phyſico, ſe ipſa eſt factiua, & potens: *Actus primus logicus actionis eſt abſolute actus ſecundus phyſicus.* cui actui reſpondet actus ſecundus: qui eſt actio ipſa, vt *quo*, & terminus, vt *quod*. At verò iſte actus ſecundus phyſicus poteſt conſiderari, & vt exiſtens actu diſtinctus ab actu primo phyſico: & vt abſtrahens ab exiſtentia: in vtroque ſtatu concipitur, vt diſtinctus ab actu primo phyſico, & vt actus ſecundus illius, vt in Phyſicis oſtendi: ab actione in actu primo logico, ſiue exiſtente in potentia logica, dicitur res factibilis, ſicut dicitur facta ab eadem actione exiſtente in actu ſecundo logico: ſicut viſum, & viſibile ſumitur ab eadem viſione exiſtente, vel abſtracta ab exiſtentia. Hæc denominatio ſiue actu ſit, ſiue abſtrahat ab exiſtentia, tribuitur formaliter termino ab actione, & actioni conuenit eſſentialiter. De hac denominatione non ago: ſed de phyſica denominatione, quam actio & terminus capiunt ab actu primo phyſico, ſiue ab entitate potentiæ. Recognoſce eam diſput. 7. Phyſic. ſect. 2. Nam ſine doctrina ibi tradita hanc ægrè percipies. Quam doctrinam luculenter docet Beat. Anſelmus de caſu diaboli, cap. 12. aſſerens, multa dici poſſibilia, non per ſuam, ſed per alienam potentiam, & impoſſibilia per impotentiam: vt liber poteſt ſcribi, vel non ſcribi; quia aliquis eum poteſt, aut non poteſt ſcribere. *B. Anſelmus.*

§. 5. *Secunda concluſio. Poſſibile eſt diſtinctum à Deo.* Dico ſecundò. *Hæc denominatio poſſibilis, factibilis, cadit in rem diſtinctam realiter à Deo.* Ioannes Hus, & Vuicleff. aſſeruerunt omne ens eſſe Deum: qui damnati ſunt in Concilio Conſtantienſi. Et quidem potentia productiua phyſicè, eſt ad aliud, & non ad ſe; vt patet ex diſput. 8. & 9 Phyſic. ergo eſt factiua alicuius factibilis ab ipſa diſtincti: *Hus. & Vuicleff. dānati Conſtantiæ.* quia in ratione factiuæ reſpicit id quod poteſt fieri: ſed omnipotentia Dei eſt factiua phyſicè: ergo refertur ad factibile, ab ipſa realiter diſtinctum. Ecquis vnquam ſomniare potuit, omnipotentiam eſſe terminum ſui ipſius? & non potius creaturas ſecundum proprias ſuas rationes, quas accipiunt à Deo in genere cauſæ efficientis?

§. 6. *Obiectio. Ioan. 1.* Dices, omnem effectum, vt in ſua cauſa eſſe idem cum ſua cauſa: vt patet ex Ioan. 1. 3. *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*: id eſt, cuncta creata, antequam crearentur, cum erant in potentia Dei, erant idem quod ipſa vita Dei. *Reſpondetur.* Contra: ergo vita Dei eſt factibilis per ſuam omnipotentiam: quia id quod factum eſt, erat factibile, quando erat in Deo antequam fieret: ſed hoc per te erat vita Dei: ergo vita Dei erat factibilis: atqui hoc terminis implicatur: ergo aliud erat factibile, quod continetur in vita Dei. *Expoſitio P. Maldonati.* Locum Ioannis variè legunt, & exponunt varij. Pat. Maldonatus longè alius eſt à ſenſu in argumento inſinuato. Ita enim legit. *Et ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Id eſt, ita omnia per ipſum ſunt facta, vt niſi per ipſum factum ſit nihil, quod factum eſt. Deinde inchoat aliam periodum. *In ipſo vita erat*: id eſt, in ipſo habemus vitam ſpiritualem. Quod probat non ineptè, & probauit noſter Cardinalis Toletus, in Commentario. *Tolet. Auguſt. Beda.* At Auguſtinus, Beda & plerique latini Patres, exponunt res prout in Deo, eſſe ipſam vitam Dei; *Effectus prout in cauſa eſt cauſa.* quia effectus prout in cauſa, reduplicat virtutem ipſam cauſæ: quæ in Deo eſt ipſa vita Dei. Itaque res, quæ ſpecificatiuè continetur in virtute cauſæ, eſt diſtincta ab ipſa cauſa; reduplicatiuè autem, vt continetur, eſt ipſa cauſa; quia perinde eſt, ac virtutem in qua continetur, eſſe ipſam cauſam: vt homo cognitus, vt cognitus, eſt in intellectu; quia cognitus reduplicat cognitionem: at homo cognitus ſpecificatiuè non continetur in intellectu. Egregiè id docuit Auguſt. *S. Auguſt.* tom. 6. tract. 1. in Ioan. paulo ante finem. *Pronuntia ſic: quod factum eſt: hic ſubdiſtingue: & deinde infer, in illo vita eſt: Quid eſt hoc? Facta eſt terra: ſed ipſa terra, quæ facta eſt, non eſt vita. Eſt autem in ipſa ſapientia ſpiritualiter ratio quædam, qua terra facta eſt, hæc eſt vita. Ergo quod factum eſt, in illo vita eſt*: Itaque ſpecificatiuè factum non eſt vita Dei: prout in Deo reduplicatur faciendi ratio, eſt vita Dei. Sermo igitur à me eſt de termino ſpecificatiuè factibili: non reduplicatiuè, vt factibili.

Dico

§. 7. *Tertia concluſio. Eſſentiæ verè ſunt producibiles.*

Dico tertiò. *Id quod denominatur, poſſibile, & factibile, eſt eſſentia, & exiſtentia rerum creatarum.* Nam eſſentiæ creatæ verè ſunt producibiles, & factibiles à Deo: item & illarum exiſtentiæ: ergo in illas cadunt illæ denominationes. Probo antecedens de eſſentiis (nam de exiſtentia res eſt clara; quia productio ad illam terminatur;) nam in Petro exiſtente nullus eſt conceptus, quin ſit ens ab alio; ergo nullus eſt conceptus non productus à Deo; & conſequenter non producibilis: conſequentia eſt certa: quia ens ab alio, eſt ab illo per veram dependentiam in aliquo genere cauſæ phyſicæ: à Deo autem pendemus vt à fine, cuius gratia ſimus, & ab efficiente. Antecedens probo; quia omnes conceptus exiſtentes in Petro ſunt vera entia realia: ens autem reale diuiditur in ens à ſe, & ens ab alio: ſed in Petro nullus eſt conceptus entis à ſe; quia eſſet Deus: ergo omnis conceptus Petri, eſt entis ab alio. Quod nec in Philoſophia, nec Fide tuto negari poteſt.

§. 8. *Prima obiectio.*

Obiicis primò, eſſentias rerum eſſe improducibiles, & immortales; exiſtentias verò fluxas, atque caducas: ergo eſſentiæ non ſunt factibiles. Antecedens eſt commune adagium: item eſſentiæ rebus conueniunt neceſſariò, non liberè: quidquid autem Deus ad extra producit, producit liberè: ergo non producit eſſentias. *Reſpondetur.* Reſpondeo, eſſentias in eſſe obiectiuo, & vt ſunt in potentia, eſſe improducibiles, & immortales: quia neceſſariò ſunt poſſibiles, & obiiciuntur omnipotentiæ Dei. *Eſſentia cur inuariabiles.* At quando exiſtunt, produci, & in ordine ad exiſtentiam eſſe producibiles. Ad probationem reſpondeo, adagium ſic intelligi, ad alterum dico, eſſentias liberè conuenire rebus, quando exiſtunt: quia liberè fiunt à Deo: dicuntur autem neceſſariò conuenire; quia Deus volens producere hominem, non poteſt illi tribuere eſſentiam lapidis, quia non faceret hominem: ſed lapidem. Nam homo & eius eſſentia ſunt idem; ac proinde idem eſt facere hominem, & facere eius eſſentiam: at liberè fit tam homo, quàm eius eſſentia. *Confirmatur.* Confirmatur, exiſtentia actualis fit à Deo, & liberè, ſecundum omnes conceptus quos habet à parte rei in ratione exiſtentiæ: at exiſtentia actualis vt per te diſtincta ab eſſentia Petri habet propriam eſſentiam, illi neceſſariò conuenientem, & habentem ſua prædicata eſſentialia: ergo *Eſſentia exiſtentiæ fit.* hæc neceſſitas conceptuum eſſentialium, non officit quin illæ ſint factibiles à Deo.

§. 9. *Secunda obiectio.*

Obiicis ſecundò, eſſentias fieri à Deo ſecundum rationem exiſtendi, non verò ſecundũ conceptum eſſentiæ. *Reſpondetur.* Contrà, in mea ſententia ſi fit exiſtentia, fit eſſentia, quia ſunt idem: in tua ſic argumentor: *Argumẽtum efficax.* per te in Petro exiſtente ſunt duo conceptus reales, diſtincti realiter; alter, qui eſt exiſtentia, fit à Deo, & ratione illius dicitur eſſentia fieri: rogo, vtrum alter conceptus, qui eſt eſſentia, fiat ſecundum ſe tam verè, ac propriè quàm fit exiſtentia? An verò ſolum fiat exiſtens, ſicut paries per dealbationem non fit in ſuo eſſe: ſed tantum fit albus? Si detur eſſentiam tam verè in ſe fieri, quàm fit exiſtentia; habeo intentum, vtrumque conceptum eſſe factibilem. Si autem dicatur, eſſentiam in ſe non fieri; ſed tantum fieri exiſtentem, ſic argumentor: ergo abſolutè eſſentia Petri non fit: ſed tam eſt ens reale & à ſe, quàm eſt Deus; probo conſequentiam: quia rem fieri ſecundum aliquem conceptum ab illa diſtinctum poteſt componi cum negatione abſoluta productionis, & factionis ſui: vt patet in Verbo Dei, quod factum eſt à Deo, & ab eo pendet ſecundum quod eſt homo, aut factus eſt homo: quia id tantum ſignificat, humanitatem, & denominationem ab ea ſumptam fieri à Deo: ergo ſimiliter, licet eſſentia fiat exiſtens, ipſa tamen in ſe non eſt facta. Hoc autem eſſe abſurdum patet: tum quia Petrus non fieret à Deo, nec cœlum eſſet à Deo factum, magis quàm Verbum diuinum eſt factum. Nam Petrus nihil eſt præter ſuam eſſentiam. Exiſtẽtia enim eſt extra eſſentiam, & extra Petrum. Item per te, nulla creatura eſt ſuum eſſe: ergo Petrus non fieret in ſe, magis quàm Verbum factum eſt; ſed factus eſt exiſtens, ſicut Verbum factum eſt homo, quod eſt fieri aliquod prædicatum ab ipſo diſtinctum, non tamen fieri rem ipſam. Vt ego facio animam, & corpus motum, non tamen facio animum, aut corpus. Hoc autem eſt contra primum Geneſis, & Ioannis. *In principio creauit Deus cœlum & terram. Omnia per ipſum facta ſunt*; eſtque in Philoſophia ridiculum. Geneſ. 1. Ioan. 1.

§. 10. *Tertia obiectio.*

Obiicis tertiò, eo ipſo quod eſſentia fiat exiſtens, ipſam fieri ſimpliciter. Contrà: ergo non modò exiſtentia: ſed etiam eſſentia eſt factibilis; quod contendo. *Reſpondetur.* Deinde, productio exiſtentiæ, vel attingit eſſentiam eam producens; ſic autem habeo intentum: vel attingit exiſtentiam ſolam, & eſſentiam denominatiuè; ſic eſſentia non eſt producta, nec facta: ſed tantum vt exiſtens: ſicut ego non facio corpus abſolutè: ſed illud facio album: quia dealbatio tantùm attingit albedinem; nec Deus fecit Verbum: ſed illud fecit hominem: eſt enim eadem ratio. Igitur diſcrimen horum, & eſſentiæ exiſtentis eſt: quod ad eſſentiam terminatur aliqua productio, eam attingens, & producens propriè, ſicut exiſtentiam: at verò ad Verbum non terminatur factio hominis; nec factio ad corpus: ſed ad humanitatem, & albedinem vnitas: alioquin monſtratur apertè nullum eſſe diſcrimen: nec cœlum à Deo factum magis quàm ab Angelo, à quo fit motum, ſicut à Deo exiſtens.

§. 11. *Quarta concluſio. Poſſibilitas non eſt negatio.*

Dico quartò. *Hæ res factibiles; quæ ſunt aptitudo ſeu non repugnantia ad eſſendum, non eſt mera negatio: ſed conceptus aliquis poſitiuus.* Primò; quia repugnantia ad eſſendum eſt pura negatio: chymæra enim eſt pura negatio; qua non poſſunt duo prædicata componi: ergo non repugnantia erit conceptus poſitiuus; quia contradictoriè opponuntur repugnantia, & non repugnantia: vt rationale admiratiuum, & rationale non admiratiuum. *Prima ratio.* Secundò; quia pura negatio illa non eſſet factibilis; Deus enim non denominat factibiles negationes: ſed res ipſas: ſicut in ipſa factione non dicitur facta negatio: ſed res ipſa: ergo eadem eſt factibilis; quia id quod fit, fuit factibile, & potuit fieri. *Secũda ratio.* Tandem; quia eſſentia & exiſtentia Petri ſunt factibiles: quæ tamen non ſunt pura negatio. *Tertia.*

§. 12. *Quinta concluſio. Eſſentia non eſt ratione prior quàm poſſibilitas.*

Dico quintò. *Hæc eſſentia & exiſtentia non ſunt priores ratione, quàm denominatio ab omnipotentia: nec hæc eſt prior obiecto denominato.* Secunda pars liquet: nulla enim forma tribuit ſubiecto denominationem, prius quàm intelligatur ſubiectum ipſum, eam accipiens. Prima pars probatur: Conceptus quidditatiuus hominis, verbi gratia, eſt ens per participationem, ſiue ab alio: ſed in iſto conceptu quidditatiuo connotatur neceſſariò omnipotentia, à qua fit poſſibilis: ergo. Minor patet; quia ens ab alio in quantum ab alio connotat illud à quo eſt, vt viſio albi connotat album: alioquin non formatur conceptus de alio, nec de ente ab alio. Maior patet; quia homo in ratione hominis concipitur; vt diſtinctus à Deo, ſicut vt diſtinctus ab equo; quia eſt conceptus proprius hominis, nulli præter illum conueniens: ſed diſcrimen à Deo eſt per ens ab alio, ſicut à bruto per rationale: ergo

ergo concipitur ens ab alio, ſicut rationale. Immò licet noſtro actu præciſiuo poſſet concipi homo ſine connotatione ad omnipotentiam, non tamen actu comprehenſiuo: quo videt Angelus eſſentiam hominis eſſe eſſentialiter dependentem à Deo.

§. 13. *Obiectio.* Obiicis, obiectum, licet in ratione poſſibilis, aut cognoſcibilis, non ſit prius quàm potentia; at ſpecificatiuè eſſe illa prius. Color, exempli gratia, in ratione viſibilis non eſt prior quàm potentia viſiua: at in eſſe coloris eſt prior: ergo idem erit in ente factibili, comparato omnipotentiæ Dei. *Reſpondetur. Obiectum cognitionis eſt illa prius ratione.* Nego conſequentiam; quia diſcrimen eſt præſto: obiectum potentiæ intentionalis, eſt in ſuo eſſe independens ab ea potentia, vt præciſè eſt intentionalis: immo potentia eſt ab eo pendens. Color enim non pendet à viſu, vt illum terminat: hic autem pendet à colore, à quo ſpeciem ſumit, eſtque propterea color prior viſu: quia dependentia fundat prioritatem: at entitas quæ eſt terminus potentiæ phyſicæ pendet ab eadem potentia eſſentialiter, ac conſequenter illam connotat in ſua entitate; quia illa entitas pendet à denominatione quam dat potentia, vt eſſe informatiuam eſt de eſſentia formæ; à qua materia dicitur informabilis per extrinſecam denominationem: quam connotat materia in ſuo conceptu quidditatiuo: qui eſt eſſe receptiuam formæ. Ita homo habet intrinſecam aptitudinem ad exiſtendum ab alio: in qua connotatur potentia Dei: & hæc habet potentiam producendi aliud, à qua terminus denominatur extrinſecè poſſibilis; à ſe autem dicitur intrinſecè aptus ad exiſtendum: per quam intrinſecam aptitudinem terminat extrinſecam poſſibilitatem. Et quemadmodum à parte rei eſt eſſentialiter aptitudo ad exiſtendum ab alio, licet non ſit ipſa exiſtentia, ita à parte rei non fundat prioritatem: ſed ſimul denominatur poſſibilis: & vt talis concipitur ſi rectè concipitur.

§. 14. *Secunda obiectio.* Obiicis ſecundò, committi circulum vitioſum: Rogatus enim quid ſit omnipotentia? Reſpondes, quæ poteſt facere omne quod poteſt ab ea fieri. Quod perinde eſt, ac poſſe facere, quæ poteſt facere. Nam me poſſe aliquid facere, & aliquid poſſe à me fieri ſunt idem formaliter. Item cum quæritur quid ſit Petrum eſſe poſſibilem? Reſpondetur, eum poſſe fieri: quod perinde eſt eum eſſe poſſibilem. *Circuli vitiū vitatur.* Verum ille circulus non ita committitur. Nam reſponderetur idem per idem: ſed vnum relatiuum explicatur per aliud: explicando diſcrimen, quo alterum reſpicit alterum. Vt materia explicatur per ordinem ad ſuſceptionem formæ: & forma per informationem, explicando quid ſit informare, quid verò recipere. Ita explicatur quid ſit habere virtutem faciendi, & quid habere intrinſecam aptitudinem illam terminandi, & accipiendi denominationem. *Confirmatio prima.* Confirmatur primò, in actuali creatione & actione Dei, quæ eſſentialiter eſt ordo ad Deum: cuius omnipotentia explicatur per ordinem ad actionem. *Secunda.* Confirmatur ſecundò, impugnatione aduerſariorum, opinantium terminum omnipotentiæ eſſe ens: nam ens vt ſic, non eſt terminus: quia Deus non eſt terminus ſui: ergo eſt ens vt diſtinctum à Deo: ſed vt ſic eſt ens ab alio: ergo ens aptum eſſe ab alio eſt terminus extrinſecè.

Hîc non datur mutua dependentia; quia omnipotentia eſt independens à creaturis, etiam poſſibilibus.

SECTIO II.

Vtrum res in potentia ſit ſimpliciter ens?

Aliud eſt rem habere potentiam ad exiſtendum, aliud eſſe in potentia ad id: primum habent res, etiam dum exiſtunt; quia exercetur earum potentia: quæ non deſtruitur, ſed perficitur per actum: *à quo ad potentiam valet conſequentia affirmatiuè:* Deus enim ſemper exiſtit, & habet potentiam logicam exiſtendi: nam phyſicam non habet; quia in nullius potentia continetur. Eſſe in potentia ſumitur pro aptitudine ad exiſtendum cum carentia exiſtendi: ita res in actu non eſt in potentia; quia habent contradictoriam oppoſitionem *eſſe in actu & in potentia.* Quæſtio igitur eſt; non de entitate à qua res ſunt poſſibiles; illa enim eſt omnipotentia Dei: ſed de obiecto quod poſſibile denominatur: ſiue quod eſt intrinſeca aptitudo hominis vt ſit: quid ſit conceptus ille? ſitne aliquid? aut nihil dum eſt in potentia? §. 15. *Habere potentiam & eſſe in potentia.*

§. 16. *Concluſio. Ens in potentia nō eſt ſimpliciter ens.* Dico, *ens in potentia, non eſſe ſimpliciter ens: ſed ſimpliciter non ens; ens autem ſecundum quid, id eſt in potentia, ſiue poſſe eſſe.* Hæc concluſio perſpicuè traditur ab Ariſtotele 9. Metaph. cap. 3. iis verbis: *Non entibus non attribuitur ipſum moueri: ſed alias quaſdam prædicationes, vt intelligibilia, & deſiderabilia eſſe. Non entium enim, quædam potentia ſunt, non autem ſunt, quoniam endelechia,* (id eſt *actu*) *non ſunt.* Ariſtoteles ergo inter non entia conſtituit ea quæ cum poſſint exiſtere, non exiſtunt; & ratio ob quam dicit ea eſſe non entia, & non eſſe, eſt, quia actu non ſunt. Conſentit B. Thomas, 1. part. quæſt. 5. art. 1. ad 1. adductus, §. 34. & 3. part. quæſt. 10. art. 2. corp. *Dupliciter* (inquit) *dicitur aliquid ens: vno modo ſimpliciter, quia ſcilicet eſt ens actu: alio modo ſecundum quid, quia eſt ens in potentia.* Vbi reddit eamdem rationem quam Ariſtoteles, inferens negationem entis ſimpliciter ex negatione exiſtentiæ. Adſtipulatur Thomas alter ibidem: *Quæ ſunt* (inquit) *in potentia, non ſunt: & ſicut excluduntur à numero entium, ita excluduntur à numero omnium.* Quam doctrinam ſequuti Aureol in 1. diſt. 45. Okam. in 1. diſt. 36. q. 1. & alij frequenter. S. Anſelm. in Monolog. cap. 8. id docet apertè iis verbis: *Hoc igitur modo non inconuenienter intelligi poteſt, ſi dicitur creatrix eſſentia vniuerſa feciſſe de nihilo, ſiue quod vniuerſa per illa facta ſunt de nihilo, id eſt, quæ prius nihil erant, nunc ſunt aliquid.* Videatur eius capitis finis. Quæ phraſis latè poſſet cōfirmari, ex litteris ſacris, atque prophanis; ſed ſufficit Philoſopho authoritas B. Thomæ & Ariſtotelis & S. Anſelmi. Ariſtot. S. Thom. Caietan. Aureol. Okam.

§. 17. *Prima obiectio.* Obiiciunt primò; ens dupliciter conſiderari, & pro ratione formali exiſtendi, & pro ſubiecto quod per illam exiſtit: ens igitur in potentia pro formali, eſt non ens; quia dicit carentiam exiſtendi, quæ eſt non ens: at ſubiectum illud eſſe ens pro materiali: eáque propter à B. Thom. & Ariſtotele negatum, ens in potentia eſſe ens ſimpliciter. *Reijcitur.* Expoſitio indigna tantis Doctoribus: etenim ipſi ex negatione exiſtentiæ ſignificata pro formali, inferunt negationem entis pro materiali: vt patet ex Ariſtotele: *Non entium* (aſſerente) *quædam potentia ſunt:* id eſt, poſſunt eſſe: & priuatio exiſtentiæ non poteſt eſſe; quia eſt non eſſe, ex eo modo quo poteſt eſſe, eſt quando ens eſt in potentia; vt eſt cæcitas quando eſt cæcus: item illa non entia ſunt deſiderabilia; quia ea expetimus: at ea non expetimus pro formali carentia exiſtentiæ. Item ex Beato Thoma: qui ipſum quod eſt actu, vocat *ſecundum quid*; quia eſt in Ariſtot. S. Thom.

in actu: & *ens ſimpliciter*, quia eſt in potentia. Etenim ij Doctores ex negatione exiſtentiæ inferunt non ens, non in ipſa carentia: æquiualeret enim huic: *Carentia exiſtentiæ eſt non ens, quia eſt carentia.* Quod etſi verum, eſt ridiculum: ſed æquiualet huic: *ens carens exiſtentia eſt non ens ſimpliciter: quia caret actualitate.* Vnde Caietanus intulit, obiecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ excludi à numero entium: at obiecta illa ſunt ipſæ rerum poſſibilium eſſentiæ; quia illa ſcientia non terminatur ad negationes: immo ad has terminatur ſcientia viſionis; quia negatio pertinet ad effectus exiſtentes; quia ſupponit voluntatem efficacem Dei de non producendo obiecto: quam voluntatem ſequitur ſcientia viſionis. Adde, ineptiſſimam fore B.Thomæ,& Ariſtotelis ſententiam,& phraſim eo in ſenſu: nam ineptè diceretur Deus eſſe non ens ſimpliciter, & ens ſecundum quid; quia eſt inculpatus: quia *inculpatus* pro formali dicit carentiam actus mali: Aut quis dixit, hominem non nigrum non eſſe ſimpliciter ens: quia *non niger* dicit pro formali carentiam nigredinis? ratio eſt, quia à negatione entis ex parte prędicati, ſignificati pro formali, aſſereretur negatio entis ſimpliciter in ſubiecto materiali: ergo ſi illa ratio Ariſtotelis, & Beati Thomæ eſt philoſophica, ideo eſt; quia ex negatione exiſtentiæ rectè negatur ens de eſſentia: quæ per te eſt illius ſubiectum. S. Anſelmus non patitur eam expoſitionem; quia negatio non eſt facta, cum Deus omnia fecit.

Caietan.

§. 18. *Secunda obiectio.*

Obiiciunt ſecundò, hanc vocem, *ens ſimpliciter*: vſurpari pro ente in potentia: vt opponitur chymæræ: *ens* enim nominaliter ſumptum ſignificat res abſtractas ab exiſtẽtia, participialiter autem ſignificat eaſdem exiſtentes, ſiue entes actu. Eas duas ſignificationes iam poſui diſput. 2. ſect. 2. At verò B.Thomas & Ariſtoteles ex negatione entis participialiter inferunt, ens nominaliter non eſſe ſimpliciter ens: ſed ens ſecundum quid, & non ens ſimpliciter. Etenim ex negatione entis in actu inferunt tale ens non eſſe ſimpliciter ens: aut ergo inferunt de omni ente ſimpliciter, etiam nominaliter; ſic autem habeo intentum: aut inferunt negationem entis ſimpliciter, participialiter tantùm: hoc autem eſt ridiculum; quia redderet hunc ſenſum: *ens non exiſtens non eſt ens exiſtens, quia non eſt exiſtens*: igitur; quia non eſt ens in actu, inferunt negationem entis ſimpliciter. Adde vt ens diſtinguatur ſimpliciter à chymæra, non eſſe opus vt ſit ens ſimpliciter: ſed ſufficit eſſe ſecundum quid & in potentia. Sic Ariſtoteles, §. 16. adductus diſtinxit inter non entia; quia alterum poteſt, alterum verò non poteſt exiſtere. Nam chymæra eſt impotentia ad exiſtendum, ſiue repugnantia vt ſit: at ens poſſibile eſt potentia, & aptitudo intrinſeca vt ſit: potentia autem & impotentia, repugnãtia & aptitudo ad eſſe opponuntur: ergo ad abſolutam oppoſitionem cum chymæra non requiritur ens ſimpliciter: ſed in potentia.

Reÿcitur. S.Thom. Ariſtot. *Ridicula expoſitio.* *Ens ſecundũ quid opponitur chymæræ.*

§. 19. *Tertia obiectio.* *Reſpondetur.*

Obiiciunt tertiò potuiſſe *hominem abſolutè* imponi ad ſignificandum hominem, tam actualem, quàm poſſibilem: ſicut & ad viuum & mortuum. Bene: etiam hæc vox, *Deus abſolutè, & ſimpliciter*, potuit imponi ad ſignificanda Idola, ſi præciſè attenditur potentia pro libito imponendi voces. Multa argumenta infringentur reuocatione controuerſiarum ad nominum impoſitiones. Nam & Deus potuit ſignificari, hac voce, *idolum*: & Iupiter hac voce, *Trinitas*: at ſumpta voce *abſolutè*, vt capitur à Philoſophis, vt opponitur voci, *ſecundum quid*: non potuit homo pictus dici, *homo ſimpliciter*; nec homo poſſibilis, *abſolutè homo*; quia *pictus*, & *poſſibilis* ſunt *addita* (vt aiunt) *diminuentia*; quæ ſignificant idem quod *ſecundum quid*, & opponitur contradictoriè ſignificato huius vocis *ſimpliciter*. Ne tamen ſignificationi hæreamus: ſed difficultati (quamuis & meam ſignificationem manifeſtè probabo) dico intra ſignificatum huius vocis, & ſimilium *ens in actu, ens in potentia* eſſe valde analogum; & ens in actu ita differre in conceptu ſignificato ab ente in potentia, vt ſolum ens in actu iure ſit ens, & alterum non ens, & ab vtroque non poſſe abſtrahi vnum conceptum entis proprij, magis quàm ab homine picto & viuo: & quemadmodum hominem abſolutè intelligimus principium diſcurrendi: & quia pictus homo caret hoc principio verè, ideo non eſt niſi ſecundum quid homo: ita exiſtentia exercita ſit ratio entis abſolutè: & quia ens in potentia caret ea exiſtentia exercita, ideo eſt ens ſecundum quid.

Ens in actu & in potẽtia ſunt analoga.

§. 20. *Primum argumentum.* *Exiſtentia in potentia eſt ſecundũ quid exiſtentia.*

Probatur primò. Exiſtentia in potentia retinet conceptum exiſtentiæ poſſibilis: ac retinet conceptus quidditatiuos, quibus in ſuo eſſe conſtituitur, & diſtinguitur tum ab eſſentiis aliarum rerum, tum ab aliis exiſtentiis: vt exiſtentia Angeli ab exiſtentia equi: ſed exiſtentia in potentia non eſt ſimpliciter exiſtentia, ſed tantum ſecundum quid: nec ex illa & exiſtentia exercita abſtrahi poteſt conceptus exiſtentiæ ſimpliciter: ergo rem eſſe poſſibilem non facit illam ſimpliciter talem: ergo eodem modo eſſentia in potentia, ens, homo, Petrus, non ſunt ſimpliciter eſſentia, ens, homo, & Petrus: ſed tantum ſecundum quid. Hæc ſecunda conſequentia ex prima eſt manifeſta; cum ſit in omnibus eadem ratio. Prima autem eſt certa ex vtraque præmiſſa. Minor propoſitio eſt tum de fide: qua certum eſt nullam rem præter Deum exiſtere ab æterno, aut habere exiſtentiam ſimpliciter, aut ſimpliciter eſſe: à cuius probatione abſtineo; quia inter Catholicos nulla eſt ea de re quæſtio: tum ex Philoſophia; quia ſi ego ab æterno habeo eſſentiam exiſtentem ſimpliciter, & eam neceſſariò ſum habiturus per æternitatem: quid mihi deeſt, vt abſolutè ſim, & ſim æternus, & immortalis? eſt ergo certum, exiſtentiam in potentia eſſe exiſtentiam ſecundum quid, & non abſolutè: nec illi conuenire prædicatum exiſtentiæ, commune exiſtentiæ actuali. Maior propoſitio eſt ex terminis nota: quia quando ego modò concipio poſſibilem exiſtentiam alius mundi, formo conceptum de exiſtentia ſicut formo conceptum de illius mundi eſſentia.

§. 21. *Obiectio.*

Dicunt, exiſtentiam eſſe ita actualem, vt non ſit in potentia; quia de eius quidditatiuo conceptu eſt, eſſe & facere rem exiſtentem: non ſecus ac de eſſentia hominis eſſe rationale: & quemadmodum repugnat apprehendi hominem; quin apprehendatur rationale; ita repugnat apprehendi exiſtentiam, quin apprehendatur vt exercita. Quod aiunt ab omnibus admitti, vt certum ſecundum Fidem, & Philoſophiam. Nam in homine exiſtente ſunt duo conceptus, alter quidditatiuus, de cuius conceptu nec eſt exiſtere, necnon exiſtere: qui tantum habet potentiam logicam, ſeu non repugnantiam ad exiſtendum; qualem habet Deus. Alioquin procederetur in infinitum, niſi ſiſtatur in vno conceptu creato, cuius eſſentia ſit exiſtere.

§. 22. *Reſpondetur.*

Hoc quod iſti aiunt in ſua Fide eſſe certum, ego arbitror in Fide Catholica abſurdum, & in Philoſophia inane. Secundum probo euidenti ratione.

Exiſtentia concipi poteſt in potentia tantum.

tione. Deus nunc habet potentiam producendi Gabrielem (quem pono nunquam productum, nec producendum) ergo habet potentiam producendi exiſtentiam Gabrielis. De antecedenti nec in Fide, nec in Philoſophia dubium: conſequentia patet: quia Gabriel produci poteſt exiſtens propria ſua exiſtentia: ſicut nunc Michaël eſt productus, exiſtens ſua propria: ergo Deus habet virtutem producendi eam exiſtentiam: nam quando res producitur, producitur eius exiſtentia (ſi eam habet propriam, vt eam habet Gabriel) vel ſaltem produci poteſt (vt nunc ab aliis quæſtionibus abſtineam) ſed illa exiſtentia Gabrielis non eſt producta, nec exiſtens vlla temporis differentia: ergo exiſtentia Gabrielis eſt in potentia tantùm, & non in actu. Hanc arbitror apertam demonſtrationem. Rogo enim, vtrum aliquando ſit exiſtens & exercita exiſtentia Gabrielis nunquam exiſtens? an verò ea exiſtentia non ſit exercita? ſi datur ſecundum, habeo intentum: ergo illa exiſtentia eſt in potentia tantùm, & non modò habet potentiam logicam: ſed phyſicam carentiam exercitij, & ſui: ergo non eſt de eius eſſentia exiſtere: quia ſi eſſet; tam neceſſariò eſſet quàm Deus. Nunc enim eſt eius eſſentia, ſicut eſt eſſentia hominis, ſi autem eſt exiſtens, & exercita; ergo exiſtit Gabrielis exiſtentia, Gabriele nunquam exiſtente. Item ſi exiſtit: ergo neceſſariò exiſtit; quia quod per eſſentiam conuenit rei, neceſſariò illi conuenit: ergo ſicut Deus non poteſt auferre ab homine rationale; quia eſt de eius conceptu, ita nec exercitium actuale ab exiſtentia; quia per te eſt de eius conceptu. Quod eſt in Fide Catholica abſurdum: quia Deus liberè producit omnes creaturas: nec eſt conceptus vllus exiſtens; quin pendeat à libera voluntate Dei in fieri, & conſeruari: & de facto nihil præter Deum extitiſſe, aut fuiſſe ab æterno, eſt Fide ſanctum.

§. 23. *Ante exordium mundi ſola fuit exiſtentia Dei.*

Vnde argumentor: ante creationem mundi nulla fuit exiſtentia: & ante mundi natalitia Deus potuit facere vt eſſent exercitæ rerum exiſtentiæ: ergo exiſtentiæ rerum fuerunt aliquando poſſibiles, & non exiſtentes actu: & illæ exiſtentiæ de illo ſtatu tranſlatæ ſunt per liberam productionem Dei ad ſtatum exercitij actualis: item exiſtentiæ potuerunt liberè à Deo non eſſe: ergo exiſtentiæ hæ indiuiduæ, & ſingulares, ſecundum vltimas differentias, & indiuiduas ſunt poſſibiles, & poſſunt deſinere eſſe, ſicut eſſentia Petri: & in eſſe poſſibili non ſunt exiſtentiæ ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ergo res in potentia non eſt ſimpliciter ens: ſed non ens ſimpliciter. Nec poteſt dici exiſtentias ab æterno eſſe exercitas independenter à voluntate Dei: tum quia omne ens diſtinctum à Deo, & exiſtens, cœpit in tempore exiſtere: tum quia Petrus eſſet ab æterno: quia eius eſſentia ab æterno eſt in eſſe eſſentiæ; item eius exiſtentia ab æterno eſt: item & eſſentia & exiſtentia productionis. Itaque productio noua eſt ad faciendam exiſtentiam nouam.

§. 24. *Obiectio.*

Dices, conceptum exiſtentiæ eſſe exiſtere tali temporis differentia: ſublato autem exercitio pro ea differentia, non manere conceptum quidditatiuum & eſſentialem exiſtentiæ.

Reſpondetur.

Contra, exiſtentia Gabrielis non eſt exercita vllo temporis inſtanti: & potuit exerceri: quia pro aliquo inſtanti potuit creari Gabriel: & tamen eſt conceptus quidditatiuus illius exiſtentiæ, ſicut & Gabrielis ipſius: ergo. Probatur minor; tum quia potuit Deus facere illam exiſtentiam: ergo illa eſt factibilis, vt patet ex ſectione 1. quia factiuum, alicuius factibilis eſt factiuum: rogo quid ſit id, in quod cadit hæc denominatio? Certè exiſtentia ipſa: at non vt exercita: ergo vt exercibilis: ergo ille terminus poſſibilis ita denominatur ſecundum ſuum conceptum abſtractum ab exiſtentia exercita: ergo manet conceptus exiſtentiæ, & non exercitæ actu, ſed potentia: tum quia antequam Deus decerneret non producere exiſtentiam Gabrielis, & liberè ſe determinaret ad negandam illi exiſtentiam, vel illam donandam Michaëli; cognouit clarè & diſtinctè exiſtentiam vnius, & carentiam exiſtentiæ alterius: ſed non cognouit pro illo priori exiſtentias vt exercitas, vel negatas, quia hoc pendet ab actu libero; illud autem illi præiuit: ergo cognouit exiſtentias abſtractas ab exercitio actuali; & modo cognoſcit eſſe poſſibilem exiſtentiam Gabrielis, & carere actuali exercitio. Minor eſt ſine dubio; maior patet, quia omnis actio ad extra ſecundum vltimum conceptum eſt libera Deo, ergo illam cognoſcit ſecundum vltimam differentiam, ſed ſecundum illam eſt eſſentialiter productiua huius exiſtentiæ: ergo illam cognoſcit. Item ipſam exiſtentiam amat liberè, & vult illam, & vt per illam exiſtat Michaël, aut vult vt non exiſtat Gabriel: ergo eas videt ſecundum vltimas differentias: & vult vni dare exercitium; quod negat alteri: ergo illas videt abſtractas ab exercitio actuali: & ad illud indifferentes, vt eſſentias ipſas. Et quamuis ſuppoſito decreto Dei de producenda exiſtentia, hæc non poſſit non produci: at manente integro conceptu Dei de hac exiſtentia, per quem conceptum dirigitur ad eam liberè, & in ſingulari producendam; manente (inquam) eo conceptu, potuit non eſſe actus liber Dei, & exiſtentia ipſa non exerceri; vt multas exiſtentias non producit Deus; quas tamen in particulari videt eſſe poſſibiles. De quibus abſtractis ab exercitio nos loquimur: immo cognoſcimus illas eſſe poſſibiles, & actu carere exercitio actualitatis.

§. 25. *Alia obiectio.*

Inquis, apprehendi quidem à Deo eſſe poſſibilem exiſtentiam Gabrielis: at illi apprehenſioni non reſpondere Gabrielis exiſtentiam ſimpliciter; quia hæc nunquam eſt niſi exercita; reſpondere tamen aptitudinem quamdam, per quam Gabriel poſſit exiſtere; quæ aptitudo non eſt ipſa exiſtentia; ſed exiſtentia poſſibilis dicitur; quia eſt aptitudo exiſtentiæ.

Reſpondetur.

Bene; idem ego dico de Petri eſſentia; eam non apprehendi ſimpliciter vt eſſentiam Petri, niſi vt exercetur: ſed apprehendi aptitudinem vt ſit eſſentia Petri; nec eſſentias in eſſe poſſibili alio modo intelligimus. Quod ſi ſub nomine *eſſentia* intelligis totum conceptum inuariatum quidditatiuè manentem; & per conceptum exiſtentiæ poſſibilis, illam aptitudinem; vſurpas terminos paradoxè; & quod tu dixeris de tua exiſtentia, dicam ego de mea eſſentia, de quo ſectio. 4. Stet ergo hoc argumento euinci, eſſentiam Petri in potentia non eſſe ens ſimpliciter magis aut aliter quàm eius exiſtentia in potentia, ſiue quàm aptitudo, vt exerceatur.

§. 26. *Secũdum argumentum.*

Secundò probo concluſionem eamdem: repugnat aſſenſum ſimpliciter & diſſenſum ſimpliciter conuenire ſimpliciter eidem intellectui circa idem obiectum ſimul: ſed illi conueniunt ſecundum eſſentias in potentia exiſtentes: ergo aſſenſus & diſſenſus exiſtentes in potentia non ſunt ſimpliciter aſſenſus & diſſenſus. Minor eſt certa: quia in potentia intellectus continentur nunc virtualiter aſſenſus & diſſenſus: & nunc ſunt abſolutè poſſibiles. Maior etiam eſt certa, & probata

diſput. 10. de anima: quia nullus poteſt ſibi perſuadere rem ſimul eſſe & non eſſe.

§. 27. *Obiectio.* Dices aſſenſum & diſſenſum in oppoſitione pendere ab exiſtentia; qua carent dum ſunt in potentia: opponi enim ſonat actum: vt eadem exiſtentia requiritur ad operandum. *Reſpondetur.* Contra: exiſtentia non eſt ratio formalis (in tua ſententia illam diſtinguête ab eſſentia; ſecus autem in mea) ob quam actus opponuntur: tota enim oppoſitio conſiſtit formaliter in affirmatione & negatione; *Oppoſitio actu non eſt ſecundum eſſentiam.* exiſtentia autem non eſt affirmatio, nec negatio: ergo antequam habeant exiſtentiam, habent totam eſſentiam oppoſitionis, & oppoſitionem: ſed oppoſitio in potentia eſt per te ſimpliciter oppoſitio; ergo illi actus vt in potentia opponuntur: vel non ſunt ſimpliciter actus.

§. 28. *Praeoccupatio.* Video rem aliquam poſſe eſſe conditionem ſine qua non ſequetur effectus: vt ſine applicatione non eſt calefactio; at id eſt, quia per defectum illius conditionis abeſt ſimpliciter aliquid pertinens ad eſſentiam effectus; vt ex defectu applicationis deeſt calefactio: at ſi abſolutè eſt eſſentia adæquata effectus ſine aliqua alia re, defectus talis rei non impedit reſultare effectum illum: verbi gratia, ſi ſine exiſtentia phyſica mei parentis, eſt abſolutè mea eſſentia, me conſtituit hominem ſine tali exiſtentia patris: quia ego & mea eſſentia idem ſumus: ſed ante exiſtentiam datur ſimpliciter aſſenſus, & diſſenſus, & eorum vnio; quia per te eſſentia illarum rerum in potentia, eſt ſimpliciter aſſenſus; ergo ante exiſtentiam datur talis oppoſitio abſolutè.

§. 29. *Confirmatur.* Quod patet: quia adueniente exiſtentia non aduenit aliquid ſpectans ad eſſentiam oppoſitionis ſimpliciter: nec hæc eſſentia in ſuo eſſe quidditatiuo mutatur; nec fit de nouo ens, aut oppoſitio ſimpliciter: ergo antea erat tota oppoſitio. Idem dixerim de actione, & vnione: ab æterno enim erât vnitæ partes: quia illæ ab æterno ſunt ſimpliciter partes: & earum vnio ab æterno eſt ſimpliciter vnio, cuius eſſentia eſt vnire, ſicut eſſentia hominis eſſe animal: ergo partes ab æterno ſunt vnitæ ſimpliciter; quia ab æterno eſt vnire ſimpliciter: quia vnio eſt vnire, & ab æterno eſt vnio ſimpliciter. Ergo hæc prædicata non ſunt ſimpliciter ab æterno: quia eſſentiæ non ſunt ſimpliciter eſſentiæ, nec entia dum ſunt in potentia, ſed entia ſecundum quid. Quia aſſenſus & diſſenſus, nec actio, nec vnio in potentia, non ſunt aſſenſus, & vnio, niſi ſecundum quid: id eſt, poſſunt eſſe: ergo ſimiliter homo in potentia non eſt ſimpliciter homo, ſed ſecundum quid. Quod contendo.

§ 30. *Tertium argumentum. Prædicata in potentia ſunt ſecũdũ quid.* Tertiò à priori: quia prædicata, quæ rei conueniunt in potentia, non conueniunt ſimpliciter, ſed ſecundum quid: ſed eſſentia hominis, antequam exiſtat, conuenit homini in potentia tantum; ergo illi conuenit ſecundum quid, & non abſolutè. Maior patet, tum quia eſſe in potentia, tantum eſt poſſe eſſe: eſſe enim actu eſt eſſe; eſſe autem in potentia eſt poſſe eſſe; poſſe autem eſſe non eſt eſſe: ſicut poſſe dormire non eſt dormire, nec poſſe vigilare eſt vigilare; alioquin ſimul dormiremus & vigilaremus, quia ea poſſumus ſimul. Minor autem patet: quia homo in potentia nullum habet eſſe actuale; ſed tantum poſſibile, ſiue aptum exiſtere.

§. 31. *Obiectio.* Dices, in homine conſiderari id quod materialiter & ex parte ſubiecti concipitur eſſe in potentia; & id ad quod dicitur eſſe in potentia, quod ſignificatur de formali. Illud primum eſt abſolutè; quia eſt eſſentia hominis; at verò hoc ſecundum non eſt abſolutè, ſed in potentia: hoc enim eſt exiſtentia, cuius carentiam habent eſſentiæ ab æterno. Arbitror ab his authoribus aut aliquid abſurdè dictum, aut eſſe diſſidium de ſolo nomine. *Reſponſio.* Sumo ſubiectum illud, vt diſtinguitur à formali ratione exiſtendi: rogo vtrum illud ſubiectum & eſſentia ſit in ſuo quidditatiuo conceptu in potentia ſimpliciter? An verò actu ſimpliciter? Ita vt vna tantum res nempe exiſtentia, ſit in potentia? Altera verò nempe eſſentia, in ſuo conceptu non ſit in potentia? An autem tam eſſentia quàm exiſtentia ſit in potentia ſimpliciter, & neutra actu? Si datur hoc ſecundum, habeo intentum: nempe eſſentiam poſſibilem tam ſecundum quid eſſe eſſentiam, quàm exiſtentiam: & neutram eſſe ſimpliciter eſſentiam, aut exiſtentiam hominis. Si detur ſecundum: ergo eſſentia in ſuo conceptu tam eſt actu, quàm modò Petrus niger, in Petreitate eſt actu, quamuis in ratione albi ſit in potentia; quia ſolam albedinem habet in potentia. Patet conſequentia; quia per te è duobus conceptibus realiter diſtinctis, alter ſolus eſt in potentia; quia illius datur actualis priuatio; alter verò non eſt in potentia, quia illius non datur actualis priuatio: eſt autem in potentia ſecundum quid, & reduplicatiuè, dum reduplicat potentiam habendi conceptum alium, quo tunc caret.

Hoc autem eſt abſurdum: tum ex §. 6. vbi probaui eſſentias fore improductas, & entia à ſe: tum quia eſſentia compararetur exiſtentiæ, vt ſubiectum albedini: quod in ſuo eſſe quidditatiuo non eſt ens per albedinem, nec per illam mutatur, nec conſtituitur in actu ſimpliciter: ſed in actu albi & ſecundum quid. Et quidem hac pingui Minerua à nonnullis conſiderantur eſſentiæ tamquam verum ſubiectum phyſicum exiſtentiæ, & priuationis exiſtentiæ: manens cum vtraque, ſicut aër cum luce, & tenebris. In quo mihi miri videntur: ſi enim intelligunt eſſentiam manere, vt ſubiectum priuationis, & manere actu in ſuo eſſe; quid illi deficit, vt exiſtat? Dicunt ſine exiſtentia nullum eſſe actum. Bene: ergo illa eſſentia, vt caret exiſtentia, non modò eſt in potentia ad actum exiſtendi, verum quidditatiuè non eſt actu: ſed quidditatiuè eſt in potentia, quod contendo: ergo eſt in potentia non modò vt ſit abſolutè exiſtens: ſed vt ſit abſolutè eſſentia: conſequentia patet; quia eſſe eſſentiam in potentia, eſt non eſſe: ſed poſſe eſſe abſolutè eſſentiam. §. 32. *Abſurditas conſequentis. Aliquorum mala meditatio.*

Quod ſi in ratione eſſentiæ abſolutè eſt actu: ergo alius actus, & perfectior eſt diſtinctus ab exiſtentia. §. 33. Abſolutè eſt verum, ſine exiſtentia nihil eſſe niſi in potentia; quia exiſtentia eſt ratio extrahendi res in actum, & extra cauſas, in quibus nihil ſunt actu, & formaliter: ſed virtualiter, & in potentia. At in oppoſita ſententia, eſſentiæ ſunt tam actu in ſe, quàm dum exiſtunt; quia non ſunt in potentia, niſi ad aliquid ab ipſis diſtinctum, vt cæcus ad viſum. Quod obſeruat Durand. in 1. diſtinct. 8. quæſt. 2. *Durand.* Item non poſſet homo annihilari; quia non poſſet amittere, niſi exiſtentiam, quæ ab ipſo diſtinguitur: maneret autem eſſentia, vt homo ablato viſu. Immo ex communi phraſi colligitur perire abſolutè eſſentias; quia homo dicitur annihilari poſſe.

SECTIO

SECTIO III.

In creatura exiſtente, omnia prædicata realia fiunt ens ſimpliciter ex non ente ſimpliciter.

§. 34. *Eſſentia & exiſtentia mutantur.* S.Thom.

EX prima & ſecunda ſectione, euidenter infertur, in creatura exiſtente, tam eſſentiam, quàm exiſtentiam tranſmutari quidditatiuè ex non ente ſimpliciter in ens ſimpliciter. Quod docuit beatus Thomas, 1.part.quæſt.5.art.1. ad 1. iis verbis: *Nam, cum ens dicat, aliquid propriè eſſe in actu: actus autem propriè ordinem habeat ad potentiam, ſecundum hoc aliquid dicitur ens, ſecundum quod primò diſcernitur ab eo quod eſt in potentia tantùm. Hoc autem eſt eſſe ſubſtantiale rei vniuſcuiuſque. Vnde per ſuum eſſe ſubſtantiale dicitur vnumquodque ens ſimpliciter.* Vbi beatus Doctor duo ait: alterum, ens propriè eſſe quod eſt in actu, & vt diſtinguitur ab ente in potentia: alterum, omne ens ſimpliciter conſtitui in eſſe talis per ſuam ſubſtantiam, id eſt, eſſentiam. Cum ergo B.Thomas dicat, omne ens ſimpliciter eſſe actuale: potentiale autem eſſe ens ſecundum quid: & in homine exiſtente, non modo exiſtentia ſit actualis: ſed etiam ipſa eſſentia: vtraque ex non ente ſimpliciter tranſmutata eſt in ſuo conceptu ad ens ſimpliciter. Et quidem in mea ſententia non diſtinguente eſſentiam ab exiſtentia res eſt clara: quia exiſtentia eſt idem cum eſſentia: ſed exiſtentia tranſmutatur ex non ente ſimpliciter ad ens ſimpliciter: ergo & eſſentia. In oppoſita ſententia idem probandum eſt.

§. 35. *Primum argumentum.*

Primò, à §. 7. vbi probaui non ſolum exiſtentiam, ſed etiam eſſentiam eſſe obiectum factibile ab omnipotentia Dei: alioquin homo, & cælum non fierent à Deo quod ibi probaui: ergo eſſentia Petri in ſuo conceptu quidditatiuo mutatur ex non eſſe ad eſſe: quia id quod de nouo producitur, accipit de nouo id quo antea carebat in ea ratione ſecundum quam producitur, & ea ratio ex potentia educitur in actum: ſed Petrus ſecundum conceptum eſſentiæ producitur, & educitur ex cauſis in actum: ergo Petrus ſecundum conceptum eſſentiæ tranſmutatur, & eam accipit de nouo. Non aliter ac tranſmutatur ſecundum exiſtentiam, eam accipiens de nouo.

§. 36. *Secũda ratio.*

Secundò probatur ex dictis à §. 16. vbi oſtendi, res antequam exiſtant, ſimpliciter eſſe non ens; at quando exiſtunt, ſunt ſimpliciter ens: ſed ex non ente in ſuo conceptu ad ens in ſuo conceptu eſt tranſmutatio quidditatiua: ſicut ex non exiſtentia: ergo. *Confirmatur.* Confirmatur ex dictis à §. 20. vbi oſtendi, exiſtentiam in potentia nihil eſſe, & in actu eſſe exiſtentiam abſolutè; & ex non exiſtentia eam tranſmutari ad exiſtentiam; quia abiicit carentiam ſui: vbi oſtendi eſſentiam in potentia eſſe non eſſentiam: ergo quando fit in actu, non modo abiicit carentiam exiſtentię: ſed abiicit carentiam eſſentię. Item à §. 26. probaui odium, & amorem, & eorum vnionem non eſſe amorem, odium, & vnionem niſi ponantur in actu: nec illis conuenire prædicata repugnantia, amans, aut vniens: & tamen per ſolam exiſtentiam non accipiunt prædicatum vllum eſſentiale: ergo, opus eſt, vt accipiant eſſentias abſolutè amoris, & vnionis. In quo eſt quæſtio de re, non curo, vtrum fiant ens ſimpliciter? an non? Animus ergo eſt, probare tantam eſſe tranſmutationem in eſſentiis exiſtentibus, quanta eſt in ipſa exiſtentia, vt exerceat ſuum munus. Item amorem productum, & vnionem habere de nouo abſolutam oppoſitionem cum odio; qua carebat, dum erat in potentia: hæc autem oppoſitio, & conceptus vniendi non conſiſtit per ſe in exiſtentia: ſed in eſſentiis: ergo amor & vnio de nouo accipiunt eſſentias abſolutè: & ad vniendum, & ſe opponendum tranſmutantur in ipſis rationibus vniendi, & ſe opponendi: non aliter ac tranſmutantur in exiſtentia ad exiſtendum.

§. 37. *Explicatio.*

Depulſis igitur quæſtionibus de voce: amor & vnio, antequam fiant, habent duas priuationes, alteram exiſtendi, alteram vniendi, vel denominandi amans, & ſe opponendi odio: iſtæ duæ rationes ſunt in potentia obiectiua logica: hæ reducuntur in actum, cum producuntur amor, & vnio: & ſunt ibi duo entia realia, per quæ depulſæ ſunt duæ priuationes actuales ipſarum. Totam hanc doctrinam, per ſe claram, ante oculos propone: ad probandum eſſentiam actualem, & actualem exiſtentiam, nec re, nec ratione diſtingui.

SECTIO IV.

Vtrum eſſentia & exiſtentia diſtinguantur in rebus creatis?

IN increatis non eſt dubium, ac probandum diſput.20.& in 1.p.q.2.

SVBSECTIO I.

Pars negatiua monſtratur à priori.

§. 38. *Eſſentia & exiſtentia nõ diſtinguũtur.* Durand. Nominal. Aureol. Alexand. Henric. Gofred. Gerard. Scot. Ant. And. Lychet. Alex. Aquil. Heruæus. P.Suarez. P.Vazquez. P.Valent. P.Perer. P.Rubius. S. Thom.

MVltum pro vtraque parte certatur à multis. Durand. in 1. d.8. quæſt.2. Nominales vniuerſi ibidem, Aureolus, Alexander, Henricus, Gofredus, Gerardus, Scotus eiúſque diſcipuli, Antonius Andreas, Lychetus, Alexander Aquilinus, Heruæus, Palatius, & alij apud Pat.Suarez 2.Metaph. diſput.31.ſect.2.num.12.ipſe tota ea diſput.P.Vazquez tom.2.1.part.d.179.num.6. Valentia, tom.1. d.1.quæſt.3.p.4. Pererius 6. Phyſic. cap.4. Rubius 1. Phyſic. tract. 1. de materia prima q.4. num.6. cum innumeris aliis cenſent eſſentiam actualem non diſtingui realiter à ſua exiſtentia. Quam doctrinam colligo ex B.Thoma adducto, §.34. cuius argumento, & verbis hanc ſententiam probo à priori.

§. 39. *Ratio exiſtẽtis eſt ratio entis.*

Omnis ratio, per quam aliquid eſt ens ſimpliciter, eſt ratio per quam exiſtit: ſed eſſentia Petri exiſtentis eſt ratio, per quam ipſa & Petrus ſunt ens ſimpliciter: ergo eſſentia Petri exiſtentis eſt ratio, per quam ipſa, & Petrus exiſtunt. Conſequentia eſt in *Darij*. Maior propoſitio ponitur à B.Thoma, 1.part.q.5. art.1. ad 1. his verbis: *ſecundum hoc ſimpliciter aliquid dicitur ens, ſecundum quod primò diſcernitur ab eo quod eſt in potentia tantum*: ergo ex B.Thoma ratio eſſendi ens ſimpliciter, eſt ratio qua diſtinguitur ab ente in potentia; quod eſt exiſtendi ratio. Minor eſt eiuſdem B. Thomæ, ibidem iis verbis: *Hoc autem eſt eſſe ſubſtantiale rei vniuſcuiuſque. Vnde per ſuum eſſe ſubſtantiale dicitur vnumquodque ens ſimpliciter*: quæ eſt mea conſequentia. Itaque ex B.Thoma, & veritate, ens ſimpliciter, & in actu oppoſito enti in potentia, ſunt formaliſſimè idem: item omne ens per ſuam ſubſtantiam eſt ens ſimpliciter; ergo per illam eſt in actu oppoſito potentialitati.

§. 40. *Probatio minoris.*

De minore propoſitione non dubium: nam vel ſunt duo entia diſtincta, eſſentia & exiſtentia: vel vnum tantùm; ſi ſecundum; ergo eſſentia

& exiſtentia non diſtinguuntur; ſed ſunt vnum ens, per quod Petrus ſimpliciter eſt homo & exiſtens: ſi autem ſunt duo entia; ergo vnumquodque habet propriam ſuam entitatem, per quàm in ſuo eſſe conſtituuntur intrinſecè in ratione entis: quia per vnam entitatem ſolam non conſtituuntur duo entia realiter diſtincta: nec opus eſt niſi apprehenſione terminorum ad eam minorem propoſitionem. Maior demonſtrata eſt tota ſect. 2. eam recognoſce, ne actum agatur.

§. 41. *Obiectio.* *Reſpondetur.* Dices primò à B. Thom. vocari entia, quæ ſunt in potentia. Verum ea vocat *ens* ſecundum quid: vt patet ex ſect. 2. & hoc primo argumento: vbi etiam ait; nihil dici propriè ens, niſi vt diſcernitur ab eo quod eſt in potentia tantum. *Secunda obiectio.* Obiicis ſecundò, animam eſſe viuentem propriè, quamuis actu non habeat actum vitalem. *Reſpondetur.* Reſpondeo, animam exiſtentem viuere ſubſtantialiter: quia teſte Ariſtotele (Ariſtot.) *in ſubſtantijs ipſum viuere eſt eſſe*: itaque ad illam vitam ſubſtantialem non eſt in potentia, ſed in actu: vita autem accidentali & in actu ſecundo, non viuit dum caret actu; ſed viuit ſecundum quid & in potentia. Aut quis vnquam dixit hominem dum dormit, ſimpliciter ratiocinari; quia poteſt ratiocinari.

§. 42. *Tertia obiectio.* *Reſpondetur.* Obiicis tertiò, ens in potentia eſſe ſimpliciter ens. Iam dixi ſect. 2. id eſſe falſum. Verum, vt fugiatur quæſtio de nomine, recognoſce à §. 20. vbi oſtendi conceptum exiſtentiæ vltra poſſibilitatem egère exercitio actuali, vt ſit abſolutè exiſtentia; cui vt exercitæ nullum prædicatum vniuocum conuenit cum exiſtentia in potentia tantum. Item vt amor & odium dicantur amor, & odium, & conſtituere amantem & odientem; & eos actus opponi, & eſſe vnitos: requiri tranſmutationem. Vnde argumentor: vnio ſe ipſa ſecluſa exiſtentia diſtincta à ſe, eſt ratio vniendi ſimpliciter & denominat vnitum: quia exiſtentia diſtincta ab vnione, non pertinet ad eſſentiam vnionis nec vniti: item amor & odium ſe ipſis opponuntur: hoc habent de nouo: ergo habent de nouo eſſentias & oppoſitionem: ergo hæc vt diſtincta ab aliis exiſtentiis, ſunt entia eſſentialiter tranſmutata ex potentialitate ſui ad actualitatem ſui diſtinctam ab actualitate exiſtentiæ. Nec eſt ſicut album; quod tale dicitur ab albedine: à qua ſubiectum non habet denominationem in ſua quidditate intrinſeca, ſed extra illam: nec albedo conſtituit ſubiectum in ſuo eſſe; ſed accidentariè perficit. Amor autem quidditatiuè tranſmutatur, ſicut exiſtentia ipſa. Denique ex tribus primis ſectionibus illa maior propoſitio eſt tam euidens, vt illam arbitrer per ſe notam.

§. 43. *Reſponſio Thomiſtæ.* Reſpondet Thomiſta quidam, eo argumento probari omne ens actuale ſe ipſo eſſe ens, & extra cauſas & nihil: non tamen exiſtens: quia exiſtentia non conſtituit rem formaliter extra cauſas, & in actu ſimpliciter: ſed eſt accidens ſecutum ad rem iam conſtitutam extra cauſas. *Confutatur.* Vidit hic non poſſe defendi veterem ſuorum opinionem in illorum ſenſu: ac confugit ad nouam ſignificationem exiſtentiæ, ne videretur ſuos deſerere. Verum exiſtentia ab omnibus ſumitur pro actualitate rem conſtituente in actu ſimpliciter, & extra cauſas: & quidem argumenta aduerſariorum de hac ſic accepta habent vim: de illo alio accidente non eſt controuerſia, nec monſtrabitur veſtigium, quo ſit neceſſarium. Exiſtentiam in ea ſignificatione ſumit B. Thomas 1 part. quæſt. 3. art. 4. corp. & ad ſecundum ait *eſſe*, eſſe actum eſſendi. & quæſt. 4. art. 1. ad 3. ait *eſſe*, eſſe perfectiſſimum actum; nec rem habere actualitatem niſi dum eſt, concludit. *Vnde ipſum eſſe eſt, actualitas omnium rerum*, & quidem de hac actualitate, vt diſtinguitur ab eſſentia potentiali eſt controuerſia. Ecquis autem non cenſuit eſſe ſynonyma *exiſto*, & *ſum*? vt exponit Calepinus, (Calepin.) *exiſto, appareo, emineo, prodeo, exorior.* Tullius de diuinatione, (Tullius.) *Exiſtit hoc tempore quæſtio*, & Epiſtola 15. *Erit qui intercedat; deinde alius exiſtat, qui impediat:* ergo ſunt ſynonyma. Item pone eſſentias extra cauſas: per te non ſunt formaliter extra illas per iſtud accidens: ergo nec exiſtunt: patet, quia exiſtere formaliter eſt extra cauſas eſſe. Quod ſi ad hoc non exigis conceptum diſtinctum ab eſſentiis, nulla mihi tecum eſt quæſtio: accidentia enim mille ſequuntur rem extra cauſas entem.

§. 44. *Exiſtētia eſt ratio eſſendi.* Itaque nomine *exiſtentiæ* omnes adhuc intellexere rationem formalem, ob quam res eſt extra cauſas; & per quam terminat productionem: & per quam res eſt abſolutè. Quod primum patet ex S. Auguſt. (S. Auguſt.) tom. 5. lib. 12. de Ciuitate Dei, cap. 10. his verbis: *Sicut ab eo quod eſt ſapere, vocatur ſapientia: ſic ab eo quod eſt eſſe, vocatur eſſentia.* Itaque ex Auguſtino ab *eſſe dicitur eſſentia*: ſed eſſentia rei non poteſt eſſe illius accidens: ergo ab *eſſe* non eſt formaliter accidens: ſed *eſſe* eſt exiſtere: ergo ab exiſtere non eſt formaliter accidens. Sumit ergo S. Auguſt. *exiſtentiam & eſſentiam* ſynonymè: *eſſe* enim apud omnes eſt *exiſtere*: vt ex Calepino, aſſerente in verbo, *exiſto, appareo, prodeo, exorior*; Hiſpanè, *eſtar, ſer, apareur*. hæc ille. Tullius vtitur ſynonymè iiſdem vocibus. Laurentius Valla lib. 5. elegant. ait *exiſtere* ſignificare idem quod *ſto, exſto, & ſuperſum*: ergo exiſtentia eſt ratio ob quam res eſt extra cauſas.

§. 45. S. Thom. S. Thom. adductus §. 39 perſpicuè docuit actualitate conſtitui rem in ſuo *eſſe*; & hoc *eſſe* illi eſſe ſubſtantiale, 1. part. quæſt. 3. art. 4. corp. ait *eſſe*, eſſe actualitatem omnis formæ. *Non enim* (ait) *bonitas*, vel *humanitas ſignificatur in actu, niſi prout ſignificamus eam eſſe*: ergo ex S. Thoma ratio formalis actualitatis, eſt ratio eſſendi: at per accidens non eſt res actualis formaliter, & extra nihil. Hæc enim actualitas eſt omnium perfectiſſimum: quod non quadrat in accidens. Audi S. Thom. 1. p. q. 4. art. 1. ad 3. *Ipſum eſſe, eſſe perfectiſſimum omnium, comparatur enim ad omnia vt actus. Nihil enim habet actualitatem, niſi inquantum eſt. Vnde ipſum eſſe eſt actualitas omnium rerum.* Hæc autem non poſſunt quadrare in accidens: quod ab his authoribus nec eſt omnium perfectiſſimum; nec eſt ipſa actualitas, & extractio formalis rerum ex cauſis; nec actionis terminatio. Deſerunt ergo ſententiam auitam nomine retento veteri.

§. 46. *Senſus quæſtionis.* Huius ergo ſcopus diſputationis eſt, oſtendere formalem rationem, ob quam Angelus eſt extra ſuam cauſam, & qua terminat immediatè creationem Dei, non diſtingui ab ipſo Angelo: ſed eius eſſentiam, vt diſtinguitur ab omni alio eſſe actum productum immediatè à Deo; ita vt illa creatio nullum alium terminum formalem & immediatum producat diſtinctum realiter ab ipſa Angeli eſſentia; & (ſi vis) nec ab ipſo ſuppoſito. Itaque creatione ſolus Angelus producitur immediatè, vel ratione ſolius naturæ (vt opinor) vel ratione naturæ & ſubſiſtentiæ ſimul. Ex hoc autem termino creato ſequi aliud accidens, non eſt huius inſtituti. Quia illud non eſt perfectiſſima actualitas; quia Angelus vt ab illo diſtinctus, eſt perfectior.

§. 47. *Res exiſtunt ante illud accidens.* Nunc probo, ante effectum formalem huius accidentis Angelum exiſtere. In illo priori, quo Angelus intelligitur terminare creationem eſt formaliter extra cauſas: ergo in illo priori intelligitur exiſtens.

Probatio conſequentiæ. exiſtens. Conſequentia patet; quia eſſe extra cauſas eſt exiſtere, eſt enim eſſe in actu, qui opponitur *eſſe* in potentia tam actiua, quàm paſſiua, quàm logica. res enim ita ens extra cauſas non eſt *in potentia* alicuius cauſæ, quia iam non habet meram non repugnantiam vt ſit, cum iam ſit; nec habet meram aptitudinem vt producatur; cum habeat actu produci. Denique illa formalis extractio è cauſis eſt actualitas: quia actu extrahit quod antea non habebat niſi poſſe extrahi. Denique habet eſſe actu producta, & terminare actionem, cum antea non haberet niſi poſſe illam terminare. eſt ergo illa conſequentia euidens.

§. 48. *Probatio antecedentis.* Probo antecedens: quia in illo priori Angelus intelligitur creatus actu, & factus à Deo, atque dependens: ergo extra cauſas. Antecedens eſt certum; quia creatio eſt *productio entis ex nihilo*. per quam productionem iam eſt factum id quod prius erat nihil, vt §. 16. oſtendi ex S. Anſelmo. (B. Anſel.) cum autem iam intelligatur actualis egreſſus effectus à cauſa; iam effectus intelligitur eſſe in ſe, & non in illa.

§. 49. *Prima confirmatio.* Confirmatur primùm, in illo priori intelligitur actualis productio; ergo & actualis ratio eſſendi extra cauſas: quia productio eſt effectiua communicatio cauſæ, qua effectus & producitur, & donatur illa ratione terminante actionē. Cum enim terminus intelligitur productus, plus intelligitur in illo conceptu formali habere, quàm poſſe produci. Poſſe autem produci eſt cōtineri in virtute productiua cauſæ; cui potentię reſpondet productio ipſa.

§. 50. *Secunda confirmatio. Terminus in illo priori eſt obiectū ſcientia viſionis.* Confirmatur ſecundò, Deus in illo priori, videt creationem per ſcientiam viſionis; item & videt terminum actum: ſed ſcientia viſionis terminatur ad effectum prout extra cauſas; ergo effectus ille eſt extra cauſas. Maior patet: quia effectus ille in eo ſtatu non eſt obiectum ſimplicis intelligentiæ: quia hæc præciſè terminatur ad ens ſecundum ſe, & ſecundum prædicata quidditatiua, & non contingentia; quale eſt actu produci. ad hæc contingentia terminatur ſcientia viſionis; quæ propterea dicitur libera. libertas autem hæc oritur ex libera exiſtentia obiecti extra cauſas.

§. 51. *Tertia confirmatio. Terminus exiſtit prius accidente. Creatio terminatur formaliter ad exiſtentiam.* Confirmatur tertiò: ergo Angelus in illo priori exiſtit. Probo conſequentiam: tum quia viſio terminatur ad rem vt exiſtentem: ſed in illo priori terminatur Dei viſio ad Angelum; ergo vt exiſtentem in illo priori. Maior eſt certa ex definitione cognitionis intuitiuæ: tum etiam; quia creatio terminatur formaliter ad exiſtentiam. omnis enim productio, vt productio, habet terminum vt exiſtentem. Cum enim creatio ſit productio entis: vel illud ens ſumitur nominaliter; ſic autem eſt abſurdum: quia *ens* ſecundum ſe non terminat actu creationem: aut *ens* capitur participialiter; ſic autem eſt exiſtens.

§. 52. *Obiectio.* Reſpondebunt, in illo priori videri à Deo Angelum extra cauſas incompletè; & produci creatione in actualitate incompleta: at exiſtentia complentur Angeli in actualitate. *Reſpondetur.* Reſpondeo; ab illis dari manus: quia in illo priori completè videtur Angelus, & conſtituitur extra cauſas. Quia in illo priori videtur depulſa omnis carentia, per quam Angelus prius erat in potentia cauſarum, quia potentialitas logica non eſt: quia Angelus tunc non eſt cum ſola nō repugnantia; quia illam habet exercitam; & eſt in actu logico, illi potentialitati oppoſito. depulſa eſt item potentialitas actiua: quia habet actionem, illi potentialitati oppoſitam. ergo omnis carentia eſſendi extra cauſas, & potentias eſt depulſa: ergo in illo priori eſt completè extra cauſas. Ad quod non eget aliquo accidente.

§. 53. *Quo pacto terminus non ſit in illo priori completus.* Fateor abſolutè Angelum in illo priori non intelligi completum, nec exiſtentiam completam: non quod non ſit adæquatè exiſtens: ſed quia non concipitur tunc ſubſiſtentia; quia eſt poſterior natura, nec concipitur *vbi*: nec cognitio, nec amor, nec millia accidentium, quibus in ſuo eſſe completur. Cur autem aſſignatur aliquod accidens, quod exiſtentia appelletur? ſubſiſtentia eſt complementum ſubſtantiæ: hanc diſtingue: quam S. Thomas (S. Thom.) adducendus §. 57. vocat *eſſe. vbi* eſt ratio exiſtendi in loco: duratio in tempore. Cur hæc non vocantur *exiſtentia*? cum tam neceſſariò comitentur Angelum, quàm tua hæc exiſtentia. Quæ non poſſet à verbo ſuppleri, ſi eſſet accidens: quam tu ſuppletam affirmas.

§. 54. *Secunda ratio. Eſſentia non eſt ſubiectum exiſtentiæ.* Secundò probatur, exiſtentia aut eſt modus rei, aut eſt actus in ipſa receptus: at id eſſe nequit: ergo. De actu abſoluto patet: quia poſſet exiſtere ſine ſua eſſentia: ſed probatur minor: quia penderet ab eſſentia, vt à ſubiecto: at eſſentia non poteſt eſſe ſubiectum ſuæ exiſtentiæ: ergo. Probatur minor; quia ſubiectum debet eſſe priùs natura exiſtens, quàm recipiat actum: ſed ante exiſtentiam non poteſt eſſe priùs natura exiſtens, vt ex terminis patet; quia ante formam non poteſt intelligi formalis effectus: ergo. Maior patet ex diſputat. 8. Phyſic. Immo ea ratione in eodem genere non eſt mutua cauſalitas; quia eadem res ſupponeretur exiſtens ante ſe ipſam.

§. 55. *Prima obiectio. Reſpondetur.* Dices primò, eſſe mutuam cauſalitatem inter eſſentiam, & exiſtentiam. Contrà: pone eſſentiam cum conditionibus requiſitis ad cauſandum proximè; & ex alia parte exiſtentiam ab ipſa cauſandam: rogo vtrum inter illas conditiones videatur exiſtentia: an non? ſi ſecundum: ergo exiſtentia non eſt conditio requiſita ex parte cauſæ: quod eſt falſum, vt patet ex diſputat. 8. Phyſic. Item poſſet independenter ab exiſtentia cauſare alios effectus: quia per te ex parte illius non requiritur exiſtentia: ſi autem requiritur: ergo habet aliam exiſtentiam præſuppoſitam in illo genere: nam exiſtentiam eamdem non poteſt præſupponere, vt patet: de illa exiſtentia præſuppoſita redit quæſtio, donec ſiſtatur in vna exiſtentia idemtificata cum eſſentia.

§. 56. *Secūda obiectio. Reſpondetur.* Dices ſecundò, illud eſſe genus cauſæ materialis, & paſſiuæ, ad quam non prærequiritur actus, vt in materia prima. Contrà, ergo poterit eadem ratione cauſare alios effectus, ſi in genere cauſæ paſſiuæ, & ex parte illius non eget actualitate. Idem dico de materia prima, ſi mutuatur exiſtentiam à forma. Potentia paſſiua phyſicè, non eget actu phyſico: eget tamen exiſtentia: ne ſit purè nihil, & non repugnantia. Adde eſſentiam fore cauſam ſui: quia quod cauſat exiſtentiam rei, cauſat rem eamdem, vt dixi, diſp. 2. Phyſic. ſect. 7.

SVBSECTIO II.

Idem probatur argumentorum ſolutione.

§. 57. (Caietan. Ferrar. Capreol. Soncinas. Sotus. Bagnes. P. Suarez. P. Molina. P. Fonſeca.) CAietanus de ente, & eſſentia, & alibi tertio quoque verbo, Ferrara, Capreolus, Soncinas, Sotus, Bagnes & alij Thomiſtæ apud Pat. Suarez, ſupra. P. Molina, 1. part. quæſt. 3. art. 4. d. 2. & Thomiſtæ recentiores, denſo agmine propugnant diſtinctionem realem inter eſſentiam, & exiſtentiam. Quibus videtur adſtipulari Pat. Fonſeca tom. 1. Metaph. lib. 4. cap. 2. quæſt. 4. ſect. 1. quamuis ſect. 4. concl. 3. ſolam admittit diſtinctionem ex natura rei, vt inter animal & rationale. Quam arbitror eſſe diſtinctionem rationis ratiocinatæ. Arbitrātur

Adducitur S. Thom. ab ipſis ſtare S. Thomam, 1. part. quæſt. 3. art. 4. vbi ait eſſentiam eſſe potentiam ad eſſe, quod eſt aliud *Reſpondetur.* ab eſſentia. Verùm non ſumit *potentiam* phyſicè: ſed logicè; quia eſſentia eſt in potentia logica vt ſit actu, ſicut exiſtentia ipſa. Nec tamen propterea exiſtentia diſtinguitur à ſua eſſentia. Nec aliud petit diſcrimen creaturæ à Deo, quod ibi probat Beat. Thomas. Deus enim nunquam eſt in potentia logica ad eſſe, ſicut eſt exiſtentia creata. Inqua eſt diſcrimen à Deo; quia eſſe in potentia aliud eſt ac eſſe in actu, ſicut non ens aliud eſt ab ente: at in exiſtentia exiſtente, non propterea diſtinguitur eſſentia ab eſſe actu. Adducitur præterea, 2. contra gent. c. 52. & 53. vbi probat ex inſtituto in creatis compoſitionem ex natura & eſſe. Verum per *eſſe* intelligit ibi ſubſiſtentiam, vt legenti patebit. Nam cap. 52. concludit ſolum Deum eſſe ſuum *eſſe ſubſiſtens,* *Clara interpretatio S. Thom.* iis verbis. *Illud igitur quod eſt ſubſiſtens* (per ſuam eſſentiam) *non poteſt eſſe niſi vnum tantum: oſtenſum eſt autem quod Deus eſt ſuum eſſe ſubſiſtens. nihil igitur præter ipſum poteſt eſſe ſuum eſſe*: at intellige, *eſſe ſubſiſtens* vt in vtraque præmiſſa: alioquin argumentaretur quatuor terminis, inferens negationem exiſtentiæ ex negatione ſubſtantiæ: eodem modo loquitur de eſſe perſonali, & ſubſiſtentiæ, 3. p. q. 17. art. 2. Denique aliquãdo B. Thomas accipit *eſſe* pro ſubſiſtentia: aliquando pro exiſtentia: & ait hoc eſſe diſtingui ab eſſentia: quod ego fateor; quia *eſſentia* ſumitur in potentia, & non in actu: à quo diſtinguitur ſicut non ens ſimpliciter ab ente ſimpliciter, vt patet in eadem exiſtentia. Quapropter, *P. Rubius.* P. Rubius, nulli Thomiſtarum cedens ſtudio in B. Thomam, iure adſtruxit hanc diſtinctionem non probari ex B. Thoma, immo eius verbis probaui ego, §. 39. eſſe idem eſſentiam actualem, & exiſtentiam.

§. 58. *Exodi 3. exponitur.* Adducunt Patres non paucos in 3. Exodi 14. *Ego ſum qui ſum. Qui eſt miſit me ad vos.* Fateor me non percipere, quid ex hoc teſtimonio à Patribus inferant. Aloyſius Legionenſis opinatur, nomine, *Aloyſius Legionenſis exponit acutè.* *Qui eſt*, non intelligi exiſtentiam; ſed veracitatem, & fidelitatem qua Deus ſtat promiſſis; vt eo ſigno ſeniores populi intelligerent, à Deo Moſem miſſum: quia ipſi expectabant vt Deus ſtaret promiſſis; quod illorum labores leuabat ſpe: eſt ergo ſenſus. Dic populo, illum, quem ipſi ſperant vt fidelem in promiſſis, tibi dediſſe hoc ſignum: quod erat illis notum; ignotum aliis; qui non ſciebant vtrum Hebræi expectarent Deum: aliud autem ſignum erat adeo notum, vt per illud non poſſet credi Moſi: id enim quiuis è foro poſſet dicere: Hiſpanè: *no eran buenas ſeñas.* Expoſitio quidem acuta; vt multa alia ex ingenio illo ſingulari: verum ipſe fatetur, eam eſſe ſingularem.

§. 59. *Expoſitio alia.* Dico ergo, eo teſtimonio euinci; Deum eſſe per eſſentiam exiſtentem; ita vt repugnet illum eſſe in potentia logica ad exiſtendum: immo arbitror nec poſſe concipi niſi vt exiſtentem. Quod diſcrimen habet Deus, tametſi exiſtentia & eſſentia creatæ ſint idem: quia tam eſſentiæ, quàm exiſtentiæ poſſunt eſſe & non eſſe: quia exiſtunt dependenter à libera Dei voluntate, & concipiuntur quin vt exiſtentes: non tamen propterea eſſentia exiſtentiæ *S. Hilarius.* diſtinguitur ab ipſa exiſtentia actuali. Ita Hilarius ait, non poſſe nõ eſſe id quod eſt ipſum eſſe. Gloſ- *Gloſſæ.* ſa interlinearis; *Qui ſum* (inquit) *propriè immutabiliter*: Lyrana; *ſignificatur ſcilicet neceſſitas, & æternitas, & immutabilitas, &c.* Vbi creaturas ait à Deo diſcriminari; quia ipſæ ſunt vertibiles in nihil. *S. Hieron.* Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam ait: *quia incommutabilis eſt: quia ille tantum eſt qui non nouit fuiſſe, & cætera comparatione illius, verè non ſunt.* Item in cap. 3. ad Epheſios id explicat: quia Deus nullius beneficio eſt; cætera ſunt beneficio Dei; eaque propter nomen commune ſibi retinuit: quia ſubſtantiam habet à ſe; cætera ab illo. Item Amb. *S. Amb.* Epiſtola 93. exponit; quia in ipſo non eſt *eſt & non eſt*. Hæc propoſui, vt cernatur ſenſum eſſe de eſſentia Dei à ſe, & incommutabili; non verò de diſtinctione à nobis in diſtinctione eſſentiæ ab exiſtentia.

§. 60. *Primũ illorũ argumẽtum.* Ratione arguunt primò; quia nulla creatura eſt ſuum *eſſe*; eſt enim proprium Dei eſſe ſuum *eſſe*. *Reſpondetur.* Verùm de ipſa exiſtentia eſt eadem ratio: quæ non eſt ſuum *eſſe*; & tamen in ea non diſtinguitur eſſentia ab exiſtentia. Reſpondeo, creaturam, quando eſt ſimpliciter ens & in actu, eſſe ſuum *eſſe* exiſtentiæ: quia hæc eſt ratio per quam eſt ens ſimpliciter: ſicut eſt ſua eſſentia. At verò creatura non eſt ſuum eſſe; quia poteſt creatura cognoſci ſine exiſtentia exercita; & carere tali exercitio, vt patet in eadem exiſtentia: quod repugnat Deo: qui propterea eſt ſuum eſſe. Vt autem videas quid ſit ſolum Deum eſſe ſuum eſſe; aduerte quam in alio ſenſu capiatur ab Athanaſio in oratione contra idola. *Existentia non eſt ſuum eſſe. Eſſentia exiſtens eſt ſuum eſſe. Creatura cur non ſit ſuum eſſe.*

Athanaſij verba. *Deum autem* (inquit) *qui eſt ipſa eſſentia, nullis partibus coaleſcit: quapropter & eius ratio ipſum eſſe eſt*: id eſt, in Deo quidquid eſt, eſt eſſe Dei & Deus; quia in illo nullæ ſunt partes, nec aliquid quod non Deus; vt in homine eſt compoſitio; quia in illo ſunt multa quæ nec ſunt homo, nec eſſe hominis. *S. Bernard.* Bernard. lib. 5. de conſiderat. cap. 6. *Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem; vel quidquid de Deo dixeris, in hoc verbo inſtauratur, quod eſt: nempe hoc eſt ei eſſe quod hæc omnia eſſe.* Id eſt *eſſe* Dei eſt, eſſe bonum, magnum; quia hæc omnia ſunt ipſe & eius eſſentia: in nobis autem eſſe non eſt eſſe ſapientes, magnos, &c. ſubiicit: *nonne in comparatione huius quidquid hoc non eſt, iudicas potius non eſſe quàm eſſe*? Itaque Deus eſt ſuum *eſſe*, & nihil eſt in ipſo quod non ſit *eſſe* Dei: nos autem non ſumus noſtrum *eſſe*: non quod eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia: ſed quia multa ſunt in nobis diſtincta à nobis, & noſtro eſſe.

§. 61. *Secũdum illorum argumentum.* Secundo arguunt: eſſentia Petri modò exiſtens eſt eadem ſingularis, & numero cum eſſentia Petri quæ ab æterno eſt poſſibilis: ſed in illa numero eſſentia non concipitur ex parte obiecti exiſtentia exercita Petri: ergo illa numero eſſentia Petri ex parte obiecti non eſt exiſtentia exercita Petri. Quod argumentum cenſet nonnemo & in Philoſophia euidens; & certum in Fide, & doctrina Patrum. Maior probatur: quia hæc numero eſſentia Petri fuit ab æterno poſſibilis; & continebatur virtualiter in Dei omnipotentia: & hæc numero eſt idem ſubiectum in his propoſitionibus. *Petrus eſt. Petrus fuit poſſibilis*, licet prædicata ſint diuerſa. Probatur minor: quia illa eſſentia Petri quæ ab æterno eſt, concipitur eadem inuariata eſſentialiter ſiue exiſtat, ſiue non. Confirmatur: exiſtentia *Confirmatur.* exercita non eſt ab æterno: & eſſentia eſt ab æterno; ergo differunt.

§. 62. *Reſpondetur per inſtantiam.* In vtraque præmiſſa peccat ſyllogiſmus æquiuocatione. Quod probo per inſtantiam (vt aiunt.) Conceptus quidditatiuus exiſtentiæ exercitæ eſt idem numero, ac ſingularis cum illius conceptu qui eſt ab æterno poſſibilis: ſed ex parte illius conceptus concipitur exercitium actuale: ergo hoc diſtinguitur ab illo: & ibimus ſine fine. Maior patet, quia ille conceptus numero, fuit poſſibilis, & continebatur in omnipotentia Dei: vt probaui §. 20. Minor patet: quia ille conceptus concipitur vt inuariatus,

Confirmatur. uariatus, ſiue exiſtat, ſiue non. Confirmatur : quia ille conceptus eſt ab æterno;exercitium autem non niſi in tempore : ergo. En quod conſequens è tua argumentatione : quærenda ergo radix mali conſequentis.

§. 63. *Eo modo quo cõcipitur eſſentia, concipitur exiſtentia.*

Solutioni præmitto;eo modo quo eſt & concipitur eſſentia,eſſe & concipi exiſtentiam. Quia vt res ſimpliciter conſtituitur per exiſtentiam ſimpliciter,ita ens in potentia concipitur per exiſtentiam in potentia ; vt probabo ſect. 5. Hoc poſito, facilis eſt ſolutio : hanc numero eſſentiam eſſe eamdem cum poſſibili exiſtentia : & in eius conceptu obiectiuo non præſcindi à conceptu exiſtentiæ poſſibilis:ſicut nec ipſe conceptus quidditatiuus exiſtentiæ : at eſſentia in potentia ſeu ſecundum ſe præſcinditur ab eſſentia exercita , & exiſtentia actuali ; non tamen ab exiſtentia ſecundum ſe : quod contingit ipſimet quidditatiuo conceptui exiſtentiæ.

Nec ratione diſtinguũtur eſſentia & exiſtentia.

Vnde nõ modo non diſtinguuntur realiter: immo nec ratione , eſſentia & exiſtentia , ſi cum proportione ſumantur. Nam ſicut tu ex ſeparabilitate infers diſtinctionem ; ego ex idemtitate obiectiua , & rationis colligo idemtitatem realem , & rationis.

§. 64. *Ad argumẽtũ in forma.*

Ad argumentum ergo in forma diſtinguo maiorem ; eſt eadem numero præciſa ab exiſtentia poſſibili, nego maiorem : eſt eadem includendo quidditatiuè & adæquatè exiſtentiam poſſibilem, tranſeat maior ; quia omnes tenentur reſpondere : & eodem modo reſpondetur probationi : quia in doctrina Patrum,in Fide Catholica, & vera Philoſophia omnis conceptus creatus rei exiſtentis eſt poſſibilis, vt probaui, à §. 20. Ad minorem reſpondetur , in eſſentia poſſibili non concipi exiſtentiam exercitam reduplicatiue:ſicut nec eſſentiam ſimpliciter in eſſe entis: ſed ſpecificatiuè concipi exiſtentiam quæ eſt exercita:nego autem conſequentiam:

Ad confirm. ſicut exiſtentia poſſibilis non eſt alia ab actuali. Item in his propoſitionibus , *exiſtentia eſt poſſibilis: exiſtentia exercetur* , ſubiectum & prædicatum eſt idem. Eodem modo reſpondeo ad confirmationem ; exiſtentiam exercitam fuiſſe ab æterno ſpecificatiuè ſicut eſſentiam : non verò reduplicatiuè: nego tamen in exiſtentia exercita duos conceptus re,aut ratione diſtinctos : alterum exiſtentiæ poſſibilis : alterum actualis. Hæc omnibus communia: placet autem pro omnibus reſpondere.

§. 65. *Reſpondetur pro omnibus.*

Maiorem diſtinguo ; eſſentia actualis & poſſibilis eſt eadem numero ſimpliciter, & abſolutè,nego maiorem : ſecundum quid & in potentia , concedo maiorem. Oſtendi enim, eſſentiam in potentia , non eſſe eſſentiam ſimpliciter ſed ſecundum quid : id eſt , poſſe eſſe : eſſentia autem in actu , eſt ſimpliciter eſſentia : poſſe autem eſſe & eſſe non ſunt ſimpliciter idem,ſed ſecundũ quid:id eſt , poſſunt eſſe.

Eſſe poſſibile & actuale. Ad probationem maioris reſpondeo,hanc numero eſſentiam fuiſſe poſſibilem, & contentam virtualiter in omnipotentia : id eſt , poſſibile fuiſſe produci hanc numero eſſentiam ; ſicut fuit poſſibile produci exiſtentiam : & Deum habere virtutem eas producendi. Propter quam rationem implicantur terminis : nam ſi fuit poſſibilis vt eſſet,& fuit in potentia : ergo hæc actualis non fuit in potentia ; ſed fuit poſſibile , vt eſſet & produceretur hæc : ſicut me poſſe dormire non eſt dormire. In quo ſenſu dicimur fuiſſe poſſibiles : non quod in illo ſtatu eſſemus ſubiectũ poſſibilitatis , ſicut ſubiectum cæcitatis eſt homo , vt bene obſeruat Durand.in 1. diſtinct.8. quæſt. 2. ſed quia erat poſſibile vt produceremur ; ideo dicimur *poſſibiles* : hoc autem eſt potentia logica ad eſſe ex parte termini: cui potentiæ reſpondet eademmet res quæ erat poſſibilis ; ſed facta tranſmutatione eſſentiali. Diſtinguo minorem ; in illa eſſentia non concipitur exiſtentia exercita; ſi ſit abſolute & ſimpliciter illa, nego minorem,vt dico de ipſo conceptu quidditatiuo exiſtentiæ : ſi autem non ſit illa abſolutè, ſed illa ſecundum quid ; do non concipi exercitam exiſtentiam , vt non concipitur in ipſo conceptu exiſtentiæ. Ad probationem minoris reſpondeo : intrinſecè & eſſentialiter immutari eſſentiam ex poſſibili in actualem , vt probaui : nec propterea illa eſſentia eſt ratio communis , ſed omnino ſingularis : tranſlata quidditatiuè ex non ente ſingulari in ens ſingulare. Quo autem pacto non mutetur ſpecies rerum, dicam ſectione 6.

§. 66. *Eſſentia non eſt ſubiectum phyſicum.*

Hanc doctrinam tradit Durand. ſupra : aſſerens non poſſe eſſentiam intelligi in vtroque ſtatu ſine trãſmutatione quidditatiua , alioquin non eſſet potentia logica , ſed ſubiectiua, phyſica, & actualis. Item ſubiectum illarum propoſitionum eſt idem ſeundum quid , & in potentia ; non tamen ſimpliciter , & in actu. Hinc nego conſequentiam illius ſyllogiſmi : quia ex parte eſſentiæ ſimpliciter,& cuiuſuis conceptus, qui cum illa ſit ſimpliciter idem,reſpondet exiſtentia exercita : licet non in conceptu eſſentiæ ſecundum quid.

Ad confirm. Eſſentia non eſt ſimpliciter ab æterno. Ad confirmationem ; diſtinguo minorem , eſſentia eſt ab æterno ſimpliciter , nego : ſecundum quid, concedo : eodem autem modo fuit exiſtentia exercita ; ſecundum quid , & in potentia : licet non actu, & abſolutè exercita.

§. 67. *Tertium argumentum.*

Tertiò arguunt,hæc propoſitio communiter negatur : *eſſentia creata eſt eſſe*. *Quartum.* Quartò,hæc propoſitio, *Homo eſt*, non eſt per ſe:hæc autem eſt : *homo eſt animal* : ergo. *Confirmatur primò.* Confirmatur primò,prior propoſitio eſt ſempiternæ veritatis:ſecunda eſt contingens. *Secundò.* Confirmatur ſecundò, prior eſt obiectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ : poſterior obiectum viſionis. *Quintum.* Quintò,eſſentia eſt potentia : exiſtentia verò actus: ergo diſtinguuntur. *Sextum.* Sextò, quia res habent eſſentiam ſine interuentu cauſæ liberæ : non verò exiſtentiam. *Septimum.* Septimò, quia omne eſſe creatum debet eſſe receptum.

§. 68. *Reſpondetur ea eſſe communia.*

Hæc omnia argumenta ſunt communia ; & retorqueri poſſunt in conceptu quidditatiuo exiſtentiæ, & in eiuſdem exercitio , vt volenti terminos applicare patebit. *Ad tertium.* Ad tertium, illa propoſitio communiter affirmatur à Theologis, vt patet,de eſſentia ſimpliciter, & actuali : negatur autem de eſſentia ſecundum quid , & in potentia ; vt patet in eadem exiſtentia ; cuius eſſentia non eſt eſſe : quia eſt creatura. *Ad quartũ.* Ad quartum, ſi homo eſt ſimpliciter homo, eſt per ſe : at abſolutè non eſt per ſe : quia non conuenit homini in omni ſtatu ; vt patet in eadem exiſtentia. *Ad primam confirm. Propoſitio ſẽpiternæ veritatis quæ.* Ad primam confirmationem , propoſitiones ſempiternæ veritatis dicuntur ; quæ ſunt de prædicato cõuenienti ſubiecto in quocumque ſtatu & eſſe obiectiuo : nam ſi homo eſt in potentia, eſt animal in potentia ; & actu, ſi eſt in actu ; item & vt eſt in intellectu : at non ſemper eſt exiſtens : non tamen propterea eſſentia actualis & exiſtentia actualis diſtinguuntur : vt patet in eadem eſſentia exiſtentiæ. *Ad ſecundã confirm.* Ad ſecundam confirmationem patet ex B. Thoma adducto §. 16. ſcientiam viſionis eſſe de obiecto vt exiſtente,& ente ſimpliciter : ſimplicem autem intelligentiam de ente abſtracto ab exiſtentia, & non ente ſimpliciter : vt patet in cognitione exiſtentiæ poſſibilis, & exercitæ. *Ad quintum.* Ad quintum , eſſentia non eſt potentia phyſica ; ſed logica non repugnantia ; quæ exercita, non eſt alia ab actu : ille enim erat qui non repugnabat. *Ad ſextum.* Ad ſextum patet, eſſentiam ſimpliciter pendere à cauſa prima : non

verò

verò vt eſt in potentia ; quod patet in eadem exiſtentia. Ad ſeptimum, tam eſſentiam quàm exiſtentiam creatas eſſe receptas à Deo, efficienti cauſa rerum omnium ab ipſo diſtinctarum.

Ad ſeptimũ.

SVBSECTIO III.

De diſtinctione rationis eſſentiæ ab exiſtentia.

§. 69.
Prima concluſio. Eſſentia & exiſtentia in potentia diſtinguũtur à ſe ipſis vt in actu.

DIco primò. *Eſſentia & exiſtentia prout in potentia, diſtinguuntur à ſe ipſis vt in actu tamquam ens ſimpliciter à non ente ſimpliciter.* Nam ly *in potentia* reduplicat carentiam ipſarum exiſtentiæ, & eſſentiæ : *in actu* verò reduplicat exiſtentiam ipſam: ſed carentia exiſtentiæ & exiſtentia ipſa opponuntur contradictoriè vt ens & non ens; vt tenebræ & lux : ergo.

§. 50.
Obiectio. Reſpondetur.

Dices, eſſentiam pro vt in potentia eſſe poſſibilem : poſſibilitas autem non diſtinguitur à re poſſibili. Reſpondeo , ly *in potentia* reduplicare conceptum impoſſibilem productu ; nempe carentiam exiſtentiæ : quæ carentia eſt improducibilis. Aliud ergo eſt eſſentia , exiſtentiáque poſſibilis : aliud exiſtentia vt in potentia : primum eſt ipſa exiſtentia & eſſentia quæ exercetur, & concipitur poſſibilis : nam exiſtentia ipſa erat poſſibilis : id eſt, poſſibile erat vt fieret : hæc non diſtinguitur ita negatiuè : nam ſi eſſet ipſa negatio, implicaret aliquando produci. Ipſa quidem vt ſic poſſibilis, eſt poſſibilis , id eſt , poteſt eſſe eſſentia & exiſtentia ſimpliciter ; adiiciendo quidem priuationem : at verò illa priuatio nunquam eſt res ipſa poſſibilis, vt patet in cæcitate & viſu. Cæcitas non eſt viſus poſſibilis ; ſed carentia viſus in ſubiecto apto ad exiſtentiam viſus ; caret tamen ipſa exiſtentia.

§. 70.
Alia obiectio. Reſpondetur.

Dices, ergo iam eſſentia eſt ſubiectum priuationis eſſendi, & exiſtentiæ. Nego conſequentiam ; vt patet in ipſa exiſtentia : ſed concipitur eadem res potens eſſe & exiſtens : non quod poſſe eſſe , ſit eſſe eſſentiam, vt dixi ; ſed quia eamdem rem concipimus tranſmutari : & eam dicimus eſſe eamdem ; non quod maneat : ſed quia eadem deſinit eſſe : vt rectè ait Durand. ea quæſt. 2. vt homo dicitur eſſe idem mortuus & viuus : non quod maneat idem homo cum morte : eſt enim repugnantia : ſed quia homini viuo contingit mors, qua deſiit eſſe viuus. Hoc autem explicamus iis vocibus : *idem eſt mortuus :* quia quæ non ſunt, dicimus eſſe : ex quo abuſu vocis ſumitur occaſio hallucinandi : vt cum dicimus *res eſt futura : eſt* & *futura* ſunt termini repugnantes in rigore , vt oſtendi ex B. Auguſt. diſput. 9. de anima. Ita *eſt* & *poſſibilis*, ſunt termini in rigore repugnantes : quibus tantum ſignificatur poſſibile eſſe vt ſit res ; arguens autem componit in eodem ſenſu *eſt* & *poſſibile :* ſicut *eſt* & *futurum :* intellectus autem ſatis percipit quid ſit : & videt non eſſe idem *eſt* & *poſſibile :* ſed poſſe eſſe idem. Quod ipſi rei conuenit , non verò priuationi : quia potius hæc eſt ante exiſtentiam, & per hanc deſtruitur : at exiſtentia non deſtruitur, ſed adſtruitur.

Durand.
Quomodo ſit idem res poſſibilis & actualis.

B. Auguſt.
Eſt *&* poſſibile *eſt abuſus vocum.*

§. 71.
Secunda concluſio. Eſſentia & exiſtẽtia ratione quo pacto diſtincta. Res poteſt abſtrahi ad rebus contradictoriis.

Dico ſecundò. Eſſentia & exiſtentia ratione diſtinguuntur : non tamquam duo conceptus, quorum alter ſit extra alterum (de quo concluſione 3.) ſed tamquam idem conceptus à ſe ipſo in diuerſa conſideratione. Pono, rem poſſe concipi abſtractè à duobus prædicatis contradictoriis , quorum eſt capax : vt homo abſtractè à vidente & cæco ; ſi enim neceſſariò conciperetur vt cæcus , repugnaret vt videret : & è contra. Ita eſſentia & exiſtentia ſunt capaces exercitij actualis , vt patet : & carentiæ illius : alioquin vel nunquam poſſent eſſe, vel neceſſariò eſſent. Hunc ſtatum non poſſunt illæ habere à parte rei : ſed vt ſunt obiectiuè in intellectu : ergo vt ſunt ita obiectiuè , præſcinduntur à ſe ipſis vt ſunt vel in potentia , vel in actu : vt homo conſideratus ſine viſu & cæcitate, ratione præſcinditur ab vtroque ſtatu. Hic conceptus eſt quidditatiuus cuiuis creaturæ, tam eſſentiæ quàm exiſtentiæ : quia conceptus quidditatiuus eſt , qui neceſſariò concipitur cum formatur conceptus de re : ſed vbicumque formatur conceptus de homine , obiicitur aptitudo animalis rationalis: nam ſi concipitur homo actualis , concipitur aptitudo animalis actu exerciti : ſi potentialis , animal potentiale : ſi ſecundum ſe & obiectiuè, concipitur animal ſecundum ſe & obiectiuè potens eſſe. Quia verò ad formandum aliquem conceptum de homine , non eſt opus illum concipere in actu ; nec in potentia, ideo illi ſtatus non ſunt de eius eſſentia. Hanc concluſionem docent qui ſola ratione , aut ex natura rei, diſtinguunt eſſentiam & exiſtentiam: non verò in re exiſtente concipi duas formalitates, alteram eſſentiæ : alteram exiſtentiæ.

Abſtrahi ab exiſtentia & eius carentia eſt conceptus quidditatiuus creaturæ.

Diſtinguẽtes ratione eſſentiam ab exiſtentia in quo ſenſu.

§. 72.
Tertia concluſio. Eſſentia & exiſtentia cũ proportione nec intellectu diſtinguũtur.

Dico tertiò. Eſſentia & exiſtentia , ſi cum proportione ſumantur , ſunt idem re , & ratione : nec eſſe duas formalitates reales ratione diſtinctas. Ita Durand. in 1. d. 8. quæſt. 2. Gabr. & alij apud P. Suarez diſput. 30. ſectio. 6. num. 30. Quam dicit eſſe probabilem. Et docet ex B. Auguſt. & Latinis Auctoribus, *eſſentiam* & *exiſtentiam* eſſe ſynonyma: ſicut *eſſe* & *exiſtere.* Miror non nemini hanc doctrinam adeo eſſe ſuſpectam , vt cenſeát eam eſſe contra doctrinam Patrum , & Theologorum , quia P. Suarez ſupra, num. 16. dixerit ; nullum Theologorum negaſſe diſtinctionem rationis eſſentiæ ab exiſtentia creata. Verùm non legerunt ab eodem aſſertum ibidem, eam variè ab illis explicari : diſtinctionem ego admiſi inter eſſentiam & exiſtentiam: non tamen inter actualem exiſtentiam & actualem eſſentiam vt inter duas formalitates : quod multi Theologi dicunt : quos ipſe Pat. Suarez ferè ſequitur : & docet hanc concluſionem num. 23.

Durand.
Gabriel.
P. Suarez.
B. Auguſt.
Latini.

§. 73.
Prima probatio. Secunda.

Probatur primò , quia eadem ratione diſtinguendæ eſſent duæ formalitates in ipſamet exiſtentia, vt diſtincta ab eſſentia. Secundò , actualis eſſentiæ formalitas, vt diſtincta à quauis alia, eſt ens ſimpliciter oppoſitum enti in potentia : ergo vt ſic concepta habet rationem entis ſimpliciter : quia effectus formalis non apprehenditur ſine ratione formali : ſed illa ratio eſt exiſtentia : ergo. Eſtque idem argumentum in diſtinctione rationis , ac in reali ; in exiſtentia poſſibili, patet : quia ens in potentia conſtituitur per exiſtentiam in potentia: nam ens in actu & ſimpliciter , conſtituitur per exiſtentiam in actu & ſimpliciter : ergo ens in potentia, & ſecundum quid per exiſtentiam in potentia, & ſecundum quid: nam denominationes actuales & in potentia oriuntur ab eadem forma actuali & in potentia, vt viſum & viſile à viſione actuali , vel poſſibili : aut ergo realiter diſtinguendæ ſunt eſſentia & exiſtentia : aut nec ratione.

Eadem ratione negatur diſtinctio rationis qua realis.

SVBSECTIO IV.

Nouum cuiuſdam argumentum.

§. 74.
Nouum argumentum.

DIffidens communibus argumentis nouus quidem Theologus, ingenio nobili , maturo, & erudito , nouam iniit viam ad propugnandam realem diſtinctionem eſſentiæ & exiſtentiæ. Quod

argumen

argumentum huc reieci, vt occaſione illius, conceptus exiſtentiæ penitus calleatur. Argumentatur ergo: eſſentia Petri eſt eadem permanens heri & hodie: ſed exiſtentia non eſt permanens, ſed ſucceſſiua: ergo exiſtentia Petri non eſt idem realiter cum eſſentia. Minor probatur; quia Petrum exiſtere heri non eſt exiſtere hodie: ergo exiſtentia heſterna non eſt exiſtentia hodierna. Antecedens patet: quia exiſtens Petrus heri, poteſt hodie non exiſtere: quia poteſt hodie annihilari: conſequentia patet: quia ſi eſſet eadem exiſtentia hodierna & heſterna, redderet Petrum exiſtentem hodie & heri, & per totam æternitatem. Quod argumentum verbum pro verbo è Bonauentura, diſtinguente durationem ab exiſtentia, inuenies in P. Suarez diſput. 50. ſect. 5.

S.Bonauent. *P.Suarez.*

§.75. *Retorquetur.* Verum retorqueri poteſt argumentum: quia eſſe heri vnionem ſimpliciter, & vnire, non eſt eſſe vnionem, & vnire hodie: ergo eſſe vnionem ſimpliciter heri & hodie eſt ſucceſſiuum: ſed hæc eſt eſſentia vnionis: ergo vnionis eſſentia eſt ſucceſſiua. *Reſpondetur.* Nego igitur minorem: ad probationem diſtinguo antecedens; exiſtere heri & hodie, ſecundum conceptum in recto poſitum non eſt idem, nego antecedens: ſecundum tempora extrinſecè connotata, concedo: & nego conſequentiam. Sicut me coëxiſtere Petro, & Paulo non eſt idem: quia præter meam exiſtentiam connotantur exiſtentiæ Petri & Pauli: at ex parte intrinſeca mei eadem exiſtentia coëxiſto vtrique. Ita me exiſtere heri & hodie diſtinguuntur ex parte heri, & hodie: non tamen ex parte exiſtentiæ. Quod patet in Deo, cuius exiſtere heri non eſt exiſtere hodie; quia ſi non produceret diem hodiernum, non exiſteret hodie: quia eſt idem ac coëxiſtere hodie.

§.76. *Replica.* Arguit ille: quia Deus ita exiſtit per æternitatem indiuiſibilem, vt non poſſit non exiſtere: at idem contingeret creaturæ ſemel exiſtenti, ſi eius exiſtentia eſt indiuiſibilis: quia ſimul haberet rationem exiſtendi per totam æternitatem: & exiſtere heri eſſet extrinſeca denominatio. *Confirm. prima.* Confirmatur primò: concipe exiſtentiam indiuiſibilem: illa in ſe exiſtens non poteſt non exiſtere; ergo eſt æternitas. *Confirm. ſecunda.* Confirmatur ſecundò, quia ſi ad exiſtendum hodie non eſt opus alia exiſtentia; ergo exiſtentia eſt à tempore abſtracta. *Retorquetur.* Quod argumentum item probat durationem non eſſe accidens diſtinctum ab exiſtentia: quia ſicut exiſtere heri non eſt denominatio extrinſeca; ita nec accidentalis. Et ſi eſſet eadem exiſtentia, eſſet abſtracta à tempore; & haberet totam rationem requiſitam ad habendos illos modos, ſicut ad coëxiſtendum diuerſis temporibus, nec poſſet annihilari.

§.77. *Reſpondetur.* Verum in eſſentia ſimpliciter, & vnire ſimpliciter confici poteſt argumentum idem: quia ſi vnio ſemel eſt vnio ſimpliciter, habet omne requiſitum ad id eſſendum, & habendas exiſtentiam, & durationem æternas. Reſpondeo ergo: exiſtere heri, in Deo & nobis eſſe denominationem partim intrinſecam; extrinſecam partim: ſicut coëxiſtere Deum, & me Petro: diſcrimen autem illud probat, Deum eſſe ens neceſſariò: nos autem contingenter. Et quamuis noſtra exiſtentia eſt abſtracta, & independens à tempore: at non eſt independens à libera voluntate Dei: quæ illam poteſt deſtruere hodie, ei deſtruendo idem eſſe quod ei dederat heri, per ſolam ceſſationem conſeruationis: ſicut potuit eam non producere heri.

§.78. *Ad confirm.* Ad primam confirmationem, non poteſt non exiſtere dum eſt exiſtens: at ſimpliciter poteſt non exiſtere. Et quamuis præciſiuè conſideretur prior natura exiſtens, quàm reſpondens alicui inſtanti; aut loco: at à parte rei eſt in aliqua temporis differentia: & illa exiſtentia deſtrui poteſt in vno tempore; licet extiterit in alio. Nec in illa poteſt conſiderari aliquod *Nunc* niſi per cõnotationem temporis, à quo formaliter ſumitur *Nunc & tunc*. *Ad ſecundã.* Ad ſecundam confirmationem: eſt abſtracta à tempore; ſed non à voluntate Dei. *Ad cætera.* Ad cætera reſpondeo, exiſtentiam eſſe ſufficientem ad exiſtendum heri & hodie; at non neceſſariò hodie, etiam ex ſuppoſitione quod heri: quia ſemper liberè. Vt exiſtens ego habeo ex me ſufficientem rationem ad coëxiſtendum Petro & Paulo: at ex ſuppoſitione quod vni coëxtiterim, non coexiſtam neceſſariò cæteris.

§.79. *Secũdum argumentum eiuſdem.* Secundò argumentatur: quia non poteſt Deus annihilare Petrum ſemel exiſtentem: quia ſi illum creat independenter à tempore, ergo effluente tempore illum non annihilabit. Hoc argumento probatur, durationem eſſe eamdem exiſtentiam: quia ſi hæc ſemel datur independens à tempore, durabit æternum: vt patebit diſput. 16. Sed eſt imbelle. Nam Deus pro ſuo arbitratu poteſt ceſſare à Petro conſeruando quando libuerit.

§.80. *Succeſſiuam exiſtentiam nullus adſtruxit.* Nullus probatus, nec non probatus author conſtituit exiſtentiam ſucceſſiuam. Durationem eſſe ſucceſſiuam cenſuit S. Bonauent. ſed eam ab exiſtentia diſtinxit: non diſtinxit B. Thomas, ſed nec eſſe ſucceſſiuam: vnde illa ſententia ab autoritate nihil habet; ab argumentis ferè nihil: tum quia contra eſſentiam retorquentur, tum quia ad reſpondendum diuerſis temporibus ſufficit ſucceſſiua accidentalis duratio: tum tertiò: quia nulla eſſentia eſſet ſimpliciter permanens: quia vniret vnio ſucceſſiuè: nam ab exiſtentia habet vnire ſimpliciter; ergo & vnire ſimpliciter permanenter, ergo debet habere rationẽ aliquam permanenter vniendi: ergo illa ratio eſt permanens *vt quo*: ergo exiſtentia eſt permanens: quia ens ſucceſſiuum eſſentialiter non poteſt eſſe ratio permanendi: immò vt exiſtentia eſſet ſucceſſiua; ita denominaret eſſentiam ſucceſſiuè entem, & eſſentiam ſimpliciter. *S.Bonauent.* *B.Thom.*

SECTIO V.

Difficultates nonnullæ.

§.81. *Prima concluſio.* *Exiſtẽtia eſt ſubſtãtia vel accidens.* Dico primò. *Exiſtentia eſt ſubſtantia vel accidens.* Hæc videtur ex terminis nota: eam tamen negauit Dominicus Bagnes in prima euulgatione primæ partis: quam retractauit in ſecunda, quia vidit eam eſſe contra S. Thomam. Vtinam & id vidiſſet in aliis opinionibus: ea opinio malè audiuit, quia ex illa inferebatur contra Concilium, in Euchariſtia aliquid manere præter accidentia: quia manebat exiſtentia panis, quæ per eum eſt exiſtentia accidentium, nec eſt ſubſtantia, nec accidens. Quam ſententiam carpit P. Suar. tom. 3. p. diſput. 49. ſect. 4. §. *Sed quæris*: Probatur concluſio: quia per te eſſentia & exiſtentia ſunt diſtinctæ: rogo vtrum exiſtentia ſit dependens ſubiectiuè ab eſſentia? an independens? ſi independens, eſt ſubſtantia, & ens per ſe. Si dependens, ergo eſt accidens, quia accidentis eſſe eſt ineſſe. Item aut eſt de primo rei conceptu; ſic eſt ſubſtantia: aut eſt extra illum; ſic autem eſt accidens. Tertiò, quia eadem ratione ſubſiſtentia dici poterit nec eſſe ſubſtantia, nec accidens. *Bagnes.* *S.Thom.* *P.Suarez.* *Probatur primo.*

§.82. *Exiſtentia ſubſtantia nõ eſt accidens.* Dico ſecundò. *Exiſtentia ſubſtantia* (etſi diſtinguatur ab eſſentia) *non eſt accidens.* Contra nonnullos

Probatio prima. nullos Thomiſt. Probatur primò, quia ſi eſſet accidens, reciperetur in eſſentia vt in ſubiecto, quod admittunt: eſt tamen planè falſum, tum quia non poteſt eſſentia eſſe prior natura: tum quia eſſet cauſa ſui ipſius, vt de materia dixi d. 2. Phyſ. ſect. 6. *Secunda.* Secundò, quia exiſtentia ſubſtantiæ non ſupponit, ſed conſtituit ſubſtantiam ſimpliciter; ergo non eſt extra conceptum ſubſtantiæ ſimpliciter: *Tertia.* ergo non eſt accidens. Tertiò, quia eſſentia ſubſtantiæ completæ eſt producta independenter à ſubiecto: ergo habet rationem formalem terminandi eam independentiam: quæ ſit independens *vt quo*; (vt in ſimili ſæpe dixi) hæc eſt exiſtentia: ergo eſt independens; ergo ſubſtantia: quia omnis terminus natura ſua producibilis independenter à ſubiecto, eſt ens per ſe & ſubſtantia. *Exiſtētia accidētis eſt accidens contra Bagnes.* Exiſtentiam accidentis eſſe accidens patet contra Bagnes: quia eſt conceptus ſecundarius, ortus à primario: & ab eo phyſicè pendens. Vnamquamque rem propriam habere exiſtentiam oſtendi diſputatio 2. Phyſic. ſectio 6.

§. 83. *Tertia concluſio. Exiſtentia eſt prior natura quàm ſubſiſtentia.* Dico tertiò. *Exiſtentia eſt prior natura quàm ſubſiſtentia.* Oppoſitum cenſent Caiet. apud P. Suarez diſputat. 34. ſect. 4. num. 19. & Capreolus in 3. diſtinct. 1. quæſt. vnica art. 3. aſſerentes vnionem humanitatis Chriſti ad ſubſiſtentiam fuiſſe priorem, quam ad exiſtentiam. Caietan. P. Suarez. Capreol. *Prima probatio.* Impugnantur primò, quia natura prius natura exiſtit, quam perſonatur: *Natura exiſtit prius perſonalitate.* ergo prior eſt exiſtentia. Patet antecedens: quia natura non perſonatur vt in cauſis, ſed vt extra illas: ergo vt perſonata intelligitur extra cauſas: ergo eſſe extra cauſas non eſt poſterius quàm perſonari: ergo exiſtentia non eſt poſterior ſed prior: quia ex vna parte conſideratur natura actu extra cauſas, & ex alia perſonalitas: quæ afficit naturam vt exiſtentem. *Secunda probatio.* Secundò, ſubſiſtentia eſt modus exiſtendi per ſe: ergo ſupponit exiſtentiam, quam modificat. *Obiectio.* Dices, fieri eſſe rerum ſubſiſtentium. *Reſpondetur.* Contrà: perſonari eſt earumdem, eſt igitur fieri rerum ſubſiſtentium; non pro illo priori: ſed rerum, quæ petunt ſubſiſtere. Non dico ſubſiſtentiam eſſe modum, ſicut eſt *vbi*.

§. 84. Bagnes. Bagnes, 1. p. q. 3. art. 4. dub. 4. ait primò, à creaturis cauſari ſuos effectus ſimpliciter. Secundò non cauſari exiſtentiam ſimpliciter: ſed eam determinari ad hanc, aut illam. *Contradictio illius.* Secunda concluſio contradicit primæ, quia fieri ſimpliciter, pendet ab efficientia ſimpliciter, quia productio eſt ad exiſtentiam: ergo fieri ſimpliciter, eſt fieri exiſtentiam ſimpliciter. Deinde, quando fit anima, aut homo; fit vna ſpecies exiſtentiæ, adæquatè diſtincta ab exiſtentia Angeli: ergo fit exiſtentia ſimpliciter: quia duæ exiſtentiæ ſpecies ſunt duæ exiſtentiæ ſimpliciter: vt duæ ſpecies animalis, ſunt duo animalia ſimpliciter. Item quando producitur vna differentia exiſtentiæ, producuntur omnes rationes cum illa identificatæ: ergo producuntur omnes rationes communes.

§. 85. *Obiectio. Reſpondetur.* Obiicit Bagnes, ſupponi aliquam exiſtentiam, & ſubiectum. Verum ſi id officit productioni ſimpliciter exiſtentiæ; ita & productioni ſimpliciter rei; quia ſupponitur alia eſſentia; & eſſentia ſubiecti. Probat ergo obiectio, non fieri à creatura omnem exiſtentiam, nec totam eſſentiam compoſiti: non tamen probat non fieri eſſentiam accidentis: & aliquam exiſtentiam ſimpliciter.

§. 86 *Enti in potētia & actu non eſt ratio communis.* Diſp. 2. ſect. 1. dixi, rem non eſſe ſingularem ex eo quod ſit actualis, & potentialis. Dico nunc, enti exiſtenti actu & in potentia non dari conceptum aliquem communem. Nam ens & non ens in nullo cōueniunt abſolutè (vt patere videtur ex terminis:) ſed ens in potentia eſt non ens ſimpliciter: vt probaui ſect. 2. & ens actuale eſt ens ſimpliciter: ergo ſimpliciter in nullo cōueniunt. *Ens & nō ens in nullo conueniunt. Confirm.* Confirmatur, poſſe dormire & dormire actu non conueniunt in ratione ſomni: ergo in nullo alio: quia id in quo conueniunt, eſt ſomnus: alter actualis, alter potentialis. *Obiectio.* Dices actualitatem & potentialitatem in nullo conuenire: quia contradictoriè opponuntur: conuenire autem ea quæ ſunt actualia, & poſſibilia. *Reſpond.* Contrà: homo poſſibilis, tantum dicit poſſe eſſe hominem: at poſſe eſſe hominem, non eſt ſimpliciter eſſe hominem: ergo non conuenit cum actuali in humanitate ſimpliciter.

§. 87. *Secunda obiectio. Reſpond.* Obiicis: ergo Petrus actualis, & Paulus poſſibilis non ſunt eiuſdem ſpeciei: quia in nullo conueniunt. Diſtinguo conſequens, eiuſdem ſpeciei actu & abſolutè, concedo conſequentiam: ſecundum quid & in potentia; nego: quia cum non ſit Paulus homo ſimpliciter: non eſt in ſpecie hominis ſimpliciter: ſed in potentia, ſicut homo in potentia. *Petrus actualis & poſſibilis non ſunt diuerſæ ſpeciei necvnius abſolutè, ſed ſecūdū quid.* Nec propterea ſunt diuerſarum ſpecierum: quia id conuenit rebus, quæ nec ſunt, nec poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei. Abſolutè autem nego conſequentiam: quia ſpecies dicit quidditatiuum conceptum: nec eſt de eſſentia hominis eſſe hominem ſimpliciter, nec non hominem ſimpliciter; ſed poſſe eſſe hominem: vnde Petrus & Paulus ſecundum conceptus quidditatiuos ſunt omnino æquales; & eiuſdem ſpeciei infimæ: reduplicare autem actum exiſtendi, aut carentiam, non eſt reduplicare conceptum ſpecificum: ſed varios eiuſdem ſtatus. At verò Petrus actualis, & poſſibilis Paulus non conueniunt: ſed Petrus ſecundum ſe & Paulus ſecundum ſe. Res iam tenetur ex quatuor primis ſectionibus; phraſis parum intereſt.

§. 88. *Tertia obiectio. Reſpond. Sol eſt terminus communis.* Tandem obiicis: hæc propoſitio, *hic Sol eſt exiſtens*, eſſet identica: quia ſolus eſt vnus Sol. Nego id ita eſſe: quia Sol exiſtens, licet eſt vnus tantùm; at non eſt in eſſe obiectiuo, & quidditatiuo ſingularis: abſtrahit enim à ſingularitate. Vnde concepto Sole exiſtente, ex vi modi non formatur conceptus de hoc potius quàm de alio: & Solem exiſtentem prædicaret intellectus ex vi eius conceptus de mille ſolibus, ſi exiſterent: quia eſt conceptus abſtractus ab omni Sole exiſtente: ac propterea eſt conceptus vniuerſalis: & vt prædicetur de multis non requirit alium conceptum ex parte ſui; ſed vt alij Soles exiſtant, & cognoſcantur.

DISPVTATIO IX.

De Prædicamentis.

§. 1. *Prædicamēta nihil continēt magnum.* EXPLICATIS entis attributis, & ſtatibus: illud oportet diuidere. Ad quod claritatis ergo conſtituuntur decem prædicamenta. In quibus non inuenio diuinitatem, quam plures philoſophi; in quorum ore nihil præter prædicamenta verſatur: mos percrebreſcens ante Auguſt. qui tamen nihil diuini in eis inuenit: vt patet ex libr. 2. confeſſionum cap. 15. ea breuiter præſtringemus, quæ ſunt quaſi prædicamentorum prolegomena. S. Auguſt.

***

SECT

SECTIO I.

Quid ſint Prædicamenta?

§. 1. *Prædicamentum eſt cathegoria.* P.Fonſeca. *Sumitur pro obiecto,nō pro ipſo actu.*

PRædicamentum latinè; græcè *Cathegoria*, ſeu *Cathegorema* (Teſte P. Fonſeca 5. Met. p.1.c.7. ſect.2.) eſt actio prædicādi;item Prædicatū ipſum, ſeu res prædicata. Conſueuit vſurpari nō pro prædicatione; ſed pro prædicato; vt congregatio eſt actio congregandi; vſurpatur autem pro conuentu,& multitudine hominum congregatorum.Prędicamentum autem latinè non ſonat prædicationem, ſed prædicatum; ait enim Pat.Fonſeca,prædicationem, & prædicamentum eſſe ſicut ſectio, & ſecamentum:hoc enim ſignificat rem ipſam ſectam: illa verò actionem ſecandi. Igitur prædicamenta ſunt *res quæ poſſunt prædicari*. Philoſophi hāc vocem latè fuſam collegere ad ſignificandum decem rerum genera, aut claſſes prædicatorum, quibus res vniuerſæ ſuo ordine diſpoſitæ collocantur per ſuos conceptus ab infimo vſque ad ſupremum. Quod fecere commodi ergo, ne in prima, atque ſecunda philoſophia tradendis, per vaſtam, atque immenſam ſyluam cogerentur errare.Quapropter illud diuiſere in decem claſſes, quas decem prædicamenta vocamus.

P. Fonſeca. *Latinè prædicamentum eſt prædicatum.*

§. 2. *Definitur prædicamentum.*

Prædicamenta ita accepta ſic definio. *Entis diuiſiones, quibus prædicata cuiuſque rei collocantur.* Ea eſſe diuiſiones entis patet, quia ens partimur in ſubſtantiam, quæ primum prædicamentum conſtituit; & in accidens, quod per nouem poſteriora diſtribuitur. Ea eſſe prædicatorum ſeriem per ſingula patet: in prædicamento enim ſubſtantiæ omnes rationes ſuperiores hominis,& bruti à primo conceptu ſubſtantiæ ad indiuiduationem, debito ordine diſtribuuntur.

§. 3. *Prædicamentum in recto entitatem, in obliquo dicit actum.*

Vnde conſtat prædicaméta in recto dicere conceptum realem entis, & in obliquo connotare actus intellectus; quo nonnulla prædicamenta inter ſe diuiduntur vt *actio*, *& paſſio*: *vbi*, *& ſitus*; vel quo prædicata communia,& magis particularia collocantur: nam præcidere ſubſtantiam à ſuis inferioribus,& conſtituere corpus ex ſubſtantia,& corporeitate, fit per actus intellectus confuſiores, & diſtinctiores, vt patet ex diſput.ſect.10.

§. 4. *Diſſidium Nominalium & Realium.*

Hinc ortum diſcrimen inter Nominales, atque Reales: illi enim aiunt in prædicamentis agi de vocibus,hi de rebus. Verum Nominales per voces intelligunt conceptus mētis,vocibus panſos. Quapropter opinantur logicum, in quantum agit de prædicamentis, non agere de rebus ſecundum ſe, ſed vt ſignificantur per conceptum *genus*, *differentia*.

§. 5. *Prædicamenta ſunt primæ intentiones.* *Non connotant logicā, ſed ſcientias alias.*

Adde, prædicamenta non eſſe ſecundas intentiones, nec primas intentiones, vt denominantur à ſecundis,ſed eſſe res primò intentionaliter ſumptas ſecundum prædicata, quæ illis conueniunt à parte rei independenter ab intellectu.Vnde prædicamenta ſunt res ſecūdum ſuos conceptus intrinſecos, connotant autem in obliquo actum, non logicum, ſed proprium illius ſcientiæ,quæ diſſerit de eo prædicamento,per quem actum talis res cognoſcitur, & diuiditur.

§. 6. *Probatur primùm.*

Hanc ſententiam probo primò, quia prædicamenta ſunt diſtinctiones entis: at verò diſtinctio entis eſt proprietas realis: ſubſtantia enim à parte rei diſtinguitur ab accidente. Prædicamenta verò, quæ non diſtinguuntur inter ſe, non ſunt abſolutè duo prædicamenta, ſed ſecundū quid.

Secundò.

Secundò à priori,quia in prędicaméto quantitatis v.g.quæ-

ritur vtrum quātitas diſtinguatur à quanto?Et quis ſit eius formalis effectus?In prædicamento relationis, vtrum relatio diſtinguatur à fundamento, & termino? & vtrum terminetur ad abſolutum? An ad relatiuum?in prædicamento *quando* quid ſit duratio?An ſucceſſiua, vel permanens? hæc autē omnia rebus conueniunt ſecundum ſe, non vt ſubſunt operationi intellectus, ergo prædicamenta ſunt res in ſe.

§. 7. *Prima obiectio.* *Reſpondetur.*

Dices, in prædicamentis diſponi prædicata eſſentialia: ergo prædicamenta ſunt res vt ſubſunt actibus intellectus. Nego conſequentiam,aliud eſt enim rem primò intentionaliter ſumptā cognoſci, atque diſponi in ſuo ordine per actus intellectus; aliud eſt ipſa diſpoſitio,& actus intellectus,& agere reflexè de illa: ſicut aliud eſt vocibus agere de rebus ſecundum ſe, aliud de ipſis vocibus diſputare,& de rebus in quantum per ipſas explicātur.

§. 8.

Ita prędicamenta ſunt res primò intentionaliter ſumptæ, vt cognoſcuntur per ſcientiam realem: vnde connotant in obliquo actum eiuſdem ſcientię,per quem non conſtituuntur in ſuo eſſe, vt ſyllogiſmus conſtituitur, ſed per quem cognoſcuntur, vt ſunt:& per quē claritatis ergo ad ſua genera reuocantur: at verò agere reflexè de illis actibus ſcientiæ, de eorum connexione, pertinet ad dialecticū, ſicut agere de vocibus ad grāmaticum, de vocibus autem, & actibus intellectus diſputare eſt cuiuis facultati commune.Ita Phyſicus agit de quantitate, & eius ſpeciebus, at verò conſiderare in communi diſpoſitionem eorumdem actuum phyſicorum ſpectat ad logicum.

Prædicamēta non ſpectant ad logicam, ſed ad eā ſpectant actus quibus cognoſcuntur.

§. 9.

Vnde colligo,agere de prædicamentis non ſpectare ad logicum,quia hic tātum inquirit logicum artificium:& regulas ratiocinandi: quæ eadē ſunt ſiue prædicamenta hoc vel illo modo ſe habeant. Siue enim quantitas diſtinguatur à quanto: ſiue ſit idem cum illo:logicum artificium idem eſt.Ergo prædicamenta non ſpectant ad logicum: quia quod per accidens eſt obiecto alicuius facultatis, non ſpectat ad illam: vt aurum & lignum ad mathematicas: quia triangulorum:quos illæ conſiderant, non intereſt in qua materia fiant.

§. 10. *Secunda obiectio.* *Reſpondetur.* *Definiri non ſpectat ad logicū ſed docere definitionem in cōmune.*

Obijcis, definire& diuidere ſpectare ad logicū:ergo & res quæ definiuntur. Nego antecedens, nam definitio eſt principium in demonſtratione à priori:quod pertinet ad habitum principiorū ſciētiæ realis. Ad logicum ſolum ſpectat docere definitionem formalem in commune.Et ſub ea ratione conſiderare actus intellectus: quos dixi à prædicamétis connotari in obliquo. Quod fit præceptis de vniuerſalibus,& modo ſciendi in communi. Ariſtoteles agit per ſe de prædicamentis in lib. 5.Metaphyſ.quem inuexit in logicam;vt in aliqua materia exercerentur præcepta logica: ne in Alphabeto,vt ab ipſo ſæpe ſolitum.

Ariſt. cur prædicamēta in logicam inuexerit.

SECTIO II.

Prædicamentorum numerus, & diſtinctio.

§. 11. *Prædicamēta decem ſtatuuntur.* S.Thom. P.Fonſeca. P.Rubius.

PRædicamenta ex Ariſtot. decem conſtituunt omnes fermè Philoſophi.S.Thom.3.Phyſ.lect. 5.ad medium & 5. met. lect. 9. litt. c, & alij apud P.Fonſec.c.7.q.2.ſect.3 & Rub.in prædicamentis, c.4.q.5.n.57.hoc ordine.*Subſtantia*,*Quātitas*, *Qualitas*, *Relatio*, *Actio*, *Paſſio*. *Quando*, *Vbi*, *Situs*,*Habitus*. In nono agitur de diſpoſitione partium corporis inter ſe,in decimo de veſtibus, ſiue armis; id eſt de denominatione *veſtiti* & *armati*. Rationem

Ratio S. Th. *P. Rubius.* hanc ſubiicit P. Rubius ex S. Thom. 5. met. lect. 9. Prima ſubſtantia (id eſt ſingularis) eſt omniũ prædicamentorum fundamentum, baſis, & ſubiectũ; de qua tripliciter aliquid prædicatur, eſſentialiter, inhærenter intrinſecè, extrinſecè adiacenter. Si eſſentialiter, pertinet ad prædicamentum *ſubſtantiæ*: ſi inhærenter intrinſecè, vel conuenit ratione materiæ, & pertinet ad *quantitatem*, vel ratione formæ, & ſpectat ad *qualitatem*, vel in ordine ad aliud, & conſtituit *relationem*: extrinſecum adiacens vel eſt menſura permanens, eſtque locus, ſeu *vbi*, vel eſt menſura ſucceſſiua, eſtque *tempus*, vel *quando*. Si verò accipiatur non à menſura, ſed ab eo, quod dicitur *habere*, eſt *habitus*; ſi verò ab eo, quod effluit, eſt *actio*; ſi autem ab eo, in quo recipitur, eſt *paſſio*.

§. 12. *Impugnatur.* Verum neſcio vbi P. Rubius *Situm* prætermiſit. Deinde inter prædicata extrinſeca ſupputat paſſionem, quam patienti eſſe intrinſecam oſtendi, diſp. 11. Phyſi. P. Fonſeca ait paſſionem eſſe extrinſecam, quia aliquæ paſſiones ſunt extrinſecæ, vt cum quis aliquid patitur, vt trabem vel aliud corpus graue, quo nihil ponitur intrinſecum. Verùm hæc paſſio non ponitur in prædicamento paſſionis: ſed illa paſſio, quæ dicitur motus, vt calefieri: de qua cõtrouertitur vtrũ diſtinguatur ab actione? Quod ſi habere corpus graue, ponitur in prædicamento, etiam debet dari prædicamentum, in quo collocetur homo habens amicum, aut vxorem moleſtam, quod eſt magnæ paſſionis genus. Deinde cur ponetur in prædicamento paſſionis, corpus graue, vt inferens triſtitiam alteri? Adde *vbi* ſeu locum non eſſe prædicatum extrinſecum, (vt in Phyſicis probaui.) Quod ſi ſumatur pro corpore circunfuſo, cum illud ſit quantum, iam erat conſtitutus, vel in prædicamento ſubſtantiæ, vel quantitatis: at verò ſi illa denominatio continentis & contenti in loco, diuerſa prædicamenta cõſtituit, etiam conſtituemus aliud prædicamentum ſumptum ab extrinſeca denominatione qualitatis vitalis, vt *eſſe cognitum, amatum, honoratum*: & ſicut fit prædicamentum *habitus* ex veſtibus, ita poteſt fieri prędicamentum *ſocius* ex ſocietate amicorum, & prædicamentum *ſolus*. Hanc eamdem rationem adducit P. Fonſeca ſupra ſect. 3. qui eodem pacto ſe intelligat oppugnatum. Ipſe rem probat ex quæſtionibus; ſolemus enim quærere *quid ſit res? quanta? qualis? &c.* Sed etiam quærimus *ſit ne Petrus cum ſocio? an ſolus? quot ſint homines?* cur ergo non conſtituitur prædicamentum, *ſocius*, & *ſolus*, & *numerus ſubſtantialis*, qui non continentur in prædicamento quantitatis? Itẽ rogamus *ſit ne homo vxoratus? an celebs?* conſtituamus ergo prædicamentum *matrimonium*, aut *celibatus*, & ſic dabitur infinitus proceſſus prædicamentorum.

P. Fonſeca.

Reſpondetur. *Quæ paſſio ſit in prædicamento.*

§. 13.

§. 14. *P. Fonſeca.*

§. 15. *Prædicamentum ſubſtantiæ videtur eſſe curtum. Deus poſſet in prædicamento eſſe.* Ac primùm, prædicamentũ ſubſtantiæ videtur eſſe curtum, quæ erat in duo prædicamenta ſecanda; alterum increatæ, creatæ alterum: nam etiam Deus habet ſeriem prædicatorum ordine collocatorum: quod verò ea non ſit vniuoca creaturis, nihil refert; id enim ſummùm probat, non poſſe in vno prædicamento collocari Deum & creaturas; cur autem non aſſignabis prædicatorum ſeriem, qua præcipuum ens diſtribuatur? Quis autem non videt parum aptam eſſe diuiſionem, qua non comprehenditur præcipua pars diuidens? Cum igitur ens vt ſic diuidatur in ens à ſe, & ab alio, & ens ab alio conſtituat decem claſſes entis, cur Deo non dabis vnam? qua cognita indagemus Dei naturam & ens adæquatè diuidatur; & partes diuidentes diuiſum adæquent. Conditiones autem, quas

Præoccupatio.

exigunt aduerſarij, nempe in prædicamento conſtitui ens vniuocum, finitum, &c. probant de prędicamentis entis creati. Cum igitur Deus ſit ſingulariſſimum ens & ſingulariſſima contineat prædicata, ſingulare prædicamentum conſtituet; hæc enim ſunt illius prædicata, *ens, ſubſtantiale, completum, ſpirituale, à ſe, æternum*, &c. Sicut Angelus eſt ens ſubſtantiale completum ſpirituale ab alio. Ecce duas ſeries prædicatorum, & prædicamenta duo.

Deinde quantitas, & qualitas nõ duo; ſed vnum prædicamentum conſtituunt; nempe accidentis completi ſiue abſoluti. Ratio enim quam referunt P. Rubius, & Fonſeca non vrget, aiunt enim quantitatem ſequi ad materiam, qualitatẽ verò ad formam, non vrget, (inquam) tum ad hominem, quia quantitas ſequitur totum compoſitum ſicut qualitates; tum etiam, quia materia, & forma non ſpectant ad duo, ſed ad vnum prædicamentũ: cur igitur accidens abſolutum vtramque ſecutum conſtituet duo prædicamenta, & non vnum? cum adæquatè oriatur à toto compoſito includente materiã & formã, & conſtituente vnum prædicamentum. §. 16. *Quãtitas & qualitas ad vnum prædicamentum.* *P. Rubius.* *P. Fonſeca.*

Confirmatur: quia in eodem prædicamẽto qualitatis reperiuntur qualitates corporeæ, repertæ in ſolo corpore phyſico; item & incorporeæ, immo & ſupernaturales; propriæ rerum intellectualium, ergo & in eodem prædicamento accidentis abſoluti poſſunt reperiri accidentia propria materiæ, & propria formæ. Quod ſi accidens abſolutum vt ſic non eſt vniuocum quantitati & qualitati; ita nec qualitas erit vniuoca colori, & calori, & efficient alia duo prædicamenta qualitatis: & S. Tho. ait qualitatem eſſe analogã potentiæ & actui; quia prius (vt ipſe ait) participatur à potentia. §. 17. *Confirmatio.* *Qualitas eſt analoga ex S. Thoma.*

Actionem & paſſionem non conſtitui in duobus prædicamentis probatur; quia prædicamenta genere differunt, quo collocantur genera cuiuſque rei: ſed actio & paſſio non differunt genere, ergo nec differunt prædicamento. Probatur minor, quia quæ differunt genere, non habent perfectionem æqualem nec habent eandem realiter perfectionẽ: ſunt enim genera inæqualis perfectionis, vt oſtendi diſp. 3. logicæ ſect. 1. & 5. & ſup. diſp. 4. ſed actio & paſſio non habent inæqualem perfectionem, ſed potius habẽt eandem realem: quia oſtendi eas non diſtingui realiter, ergo actio & paſſio non differunt genere. §. 18. *Actio & paſſio in vno prædicamẽto.*

Confirmatur: ſicut entitas motus tribuit duas denominationes: alteram intrinſecã patienti, agenti alteram extrinſecam: ita qualitas intentionalis, viſio, verbi gratia, tribuit alias duas: videntis, & viſi, & non conſtituit duo prædicamẽta, ergo neque actio, & paſſio. Idem dico de *vbi* & *ſitu*: Adde magnam eſſe confuſionem nonnulla prædicamenta diſtingui realiter: nonnulla verò vix ratione. Neque poteſt explicari, qualis ſit entis diuiſio in decem prædicamenta: & res diuerſiſſimas collocari in vno prædicamento: rem verò eamdẽ in duo diſtribui. Quo filo eundum eſt in monſtroſam hanc, & labirinthicam diuiſionem? Non miror nonnullos, nimiùm prædicamentorum obſeruatores, ea realiter diſtinguere. §. 19. *Confirmatur.*

Dico ergo primò. *Prædicamenta realiter debent inter ſe diſtingui.* Probatur ex §. 18. nam membra diuidentia entis non ſolũ debent eſſe diſtincta realiter, ſed etiã oppoſita, vt rationale & irrationale: vnde vt plurimum erunt ſeptem prædicamẽta; *habitus* enim non eſt prædicamentum: *actio* & *paſſio* ſunt idem: item *ſitus*, & *vbi*: circumcide, ſi placet, ſeptimum. *Relatio* enim non diſtinguitur à relatis. §. 20. *Cõcluſio prima.* *Diuiſiones entis ſunt oppoſitæ.* *Poſſunt prædicamẽta ad 5. reuocari.*

Tolle,

Tolle,obſecro te, & ſextum; *duratio* enim non diſtinguitur à re durante.

Secunda concluſio. Tertia concluſio. Poſſent prædicamẽta eſſe tria tantum.

§. 21. Dico ſecundò. *Si nolumus Deum, & creaturas in eodẽ prædicamento collocare, duo ſunt prædicamenta ſubſtantiæ, alterũ diuinum,* Patet ex §.15. Dico tertiò. *Poſſent conſtitui tria prædicamenta.* Primũ ſubſtantia, ſecundum accidens abſolutũ, tertium accidens modale. In prædicamento ſubſtantię collocantur omnes ſubſtantiæ, homo, Angelus directè, vt prædicata completa phyſicè, item ſuppoſitum, materia, forma, & vnio tamquam conceptus phyſicè conſtituẽtes prædicata completa, homo enim ea omnia formaliter includit. In prædicamento accidẽtis abſoluti collocantur quantitas, & omnes qualitates abſolutæ Quod dixerim propter figuram, quæ communiter vocatur qualitas, cum nõ ſit niſi vbicatio. In tertia cathegoria conſtituo omnes modos accidentales, quia omnes ſunt determinationes eſſentiales ad aliquid.

Figura nõ eſt re qualitas, ſed vbicatio extenſa.

Poſſunt eſſe duo.

§. 22. Hoc tertium prędicamentum adde propter magnam diuerſitatem eſſendi, qua modi differunt à rebus abſolutis. Quod ſi admodum hoc non placet, ſint duo tantum prædicamenta, ſubſtantiæ nempe, & accidentis. Primum ſpectat ad primum conceptum rei, ſecundum ad ſecundũ. Si ſint tria, vbi collocabitur actio ſubſtantialis? In tertio, quia eſt modus accidentalis. Hæc de prædicamentis dixerim, vt videatur quam parui ſint momenti hæc, quibus dialectici totis viribus,ac vita tota, incumbunt. Locuturus tamen ſum cum multis.

Prædicamẽta ſunt abſolutè decem. Diuiſio prædicamentorũ pingui Minerua.

§. 23. Dico quartò. *Prædicamenta ſunt decem.* Hæc diuiſio non eſt examinanda lydio lapide, ſed pingui Minerua accipienda. Nam neque ens ita debet reſtringi, vt non capiatur à vulgo, neque ita diuagari, vt non poſſit cõgruenti methodo circumſcribi: ſic autem bene diuiditur ens per varios conceptus intrinſecos, & extrinſecos. Denarius autem vniuerſalitatem quamdam ſignificat, qui rectè applicatur enti, entibus vniuerſis imbibito. Architas Tarentinus; inſignis Pythagoricus in hanc imaginationem primus incidiſſe dicitur, quem Ariſt. & & cæteri philoſophi ſecuti, accuratiùs differentes de rebus ipſis, quam de prædicamentorum diuiſione. Fuere autem Pythagorici admodum numerorum obſeruatores; denarium autem rebus vniuerſaliſſimis adſcribebant.

Architas.

Ariſt.

SECTIO III.

Quæ, & qua ratione in prædicamento collocata?

Entia rationis non ſunt in prædicamento.

§. 24. PRimùm, entia rationis à prædicamento reijcio: quia ſicut ſimpliciter nõ ſunt entia, ita nec ſimpliciter prædicata: prædicamenta autem ſunt prædicata diuiſiua entis. Volunt nonnulli, conſtitui vndecimum prædicamentum in ente rationis. Verùm cum entia rationis habeant ſeriem prædicatorum, illam poteris vocare prædicamentum rationis, non tamen vndecimum: quia ens rationis non conſtituit numerum cum ente reali. Exiſtentiæ ſecundum ſe, conſtituunt omnia prædicamenta realia: quia eſt ratio entis. Ens per accidẽs conſtituitur in prædicamento *habitus,* ſeu *habere.* Item prædicamentum *ad aliquid: & quando,* vt in ipſis patebit.

Ens per accidens ad habitum.

§. 25. Percurramus prædicamenta. Primum eſt *ſubſtantia.* Hoc nomen participant ſubſtantiæ ſimplices completæ, vt Angelus, & Deus. De Angelis nõ dubium, quin ſpectent ad hoc prædicamentum: de Deo infra diſquiram: item ſubſtantiæ completæ compoſitæ, vt homo & leo, habent hanc rationem, eademque pertinent ad hoc prædicamentũ.

Philoſophia Petr. Hurt. de Mendoza.

Collocatio directa in prædicamẽto & indirecta.

§. 26. Dubium eſt de materia, forma, vnione, & ſubſiſtentia; directè ne an indirectè ad hoc prædicamentum referantur? Nollem de vocibus eſſe quæſtionem. In prædicamento directè collocari exiſtimo eſſe, in illa ſerie prædicationum habere rationem ſubiecti, aut prædicati directi: reductitiè autẽ collocari eſſe, non eſſe in illa ſerie ſubiectum, aut prædicatum directum; ſed ad illam quodammodo reduci. Nam prædicamentum eſt ſeries prædicatorum à ſupremo cõceptu vſque ad indiuiduum: ergo prædicamentum conflatur ex prædicatis, & illorum ſubiectis, ergo in illa ſerie directè collocantur, ſubiecta aut prædicata directa. Eſt autem prædicatum directum, *quod ſpectat ad formalem conſtitutionem ſubiecti,* quod etiam eſt ſubiectum directũ talis prædicati, vt in hac propoſitione, *Petrus eſt homo.* Quo ſenſu certum eſt, nec materiam ſolã, neque vnionem directè collocari in prædicamento ſubſtantiæ; nam omnia prædicata communia huius prædicamenti ſunt phyſicè completa quæ de indiuiduis phyſicè completis prædicantur, vt animal, & homo de Petro: ſed illa prædicata partialia non poſſunt in recto de Petro prædicari, ergo non ſunt in prædicamento ſe ſolis. At verò, quia directè ſunt partes hominem componentes, ſunt etiam conceptus partiales directi huius prædicamenti in quo directè partialiter collocantur, id eſt more partium.

Materia ſola nõ eſt directè in prædicamento ſubſtantiæ.

Genera in prædicamẽto collocantur directè.

§. 27. De conceptibus genericis non dubito; quin directè in prædicamento collocentur: tum quia ſeries prædicatorum non ſolum includit conceptum ſpecificum, ſed omnes etiam ſuperiores vſque ad vnum ſupremum, inter quos clauduntur intermedij, vt patet in prædicamento ſubſtantiæ: tũ etiam, quia genus directè prædicatur de indiuiduo, baſi cuiuſque prædicamenti, ergo directè collocatur in illa ſerie prædicatorum.

Obiectio. Reſpondetur. P. Rubius. *Impugnatur.*

§. 28. Dices, prædicamentum ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam completã, genus autem incompletam, ergo. Reſpondet P. Rubius, genus eſſe completum, quia eſt totũ poteſtatiuum continens ſpecies. Sed iam oſtendi ſæpe genus ſimpliciter eſſe partem ſpeciei, eſſe autẽ totum ſecundũ quid; quia poteſt de omnibus ſpeciebus prædicari, quæ ideo vocãtur partes ſubiectiuæ illius, id eſt partes ſubiecti, ſiue ſubiectũ partiale illius, quia nulla ſpecies eſt adæquatũ ſubiectum generis, quod prædicatur de pluribus quàm de vno: hoc autem, non tollit quo minùs genus ſit conceptus incõpletus, & partialis: oſtendi enim in Logica, totam eſſentiam rei non conſiſtere formaliter in ſolo conceptu generis, quia prædicatur in quid incompletè.

Res dupliciter completa. Incompleta phyſica & metaphyſica.

§. 29. Aduerte igitur aliquem conceptum dupliciter poſſe eſſe completum, & incompletum: phyſicè, id eſt à parte rei: & Metaphyſicè, ſeu Logicè, id eſt, in compoſitione per ſolum intellectum: phyſicè, vt materia & forma ſunt incompletæ, & homo completus Metaphyſicè, vt genus & differentia, ſunt incompleta, ſpecies autem & indiuiduũ ſunt completa Logicè: nam eo modo quo res aliqua eſt pars, eodem eſt conceptus incompletus: totum autem eſt conceptus completus ea ratione qua totum. Ponitur igitur in prædicamento ſubſtantiæ, ſubſtantia phyſicè completa; at verò ſolum indiuiduum, & ſummum, ſpecies infima, ſunt entia metaphyſicè abſolutè completa; quia indiuiduum omnes conceptus ſuperiores includit, & ſpecies infima continet totam eſſentiam rei:

In prædicamẽto ponitur ſubſtãtia cõpleta phyſicè.

genera autem ſunt entia phyſicè completa ; quia phyſicè ſunt idem cum indiuiduis quorũ ſunt partes : logicè autem ſunt entia incompleta. Si autem neceſſariò omnia prædicata eſſent metaphyſicè cõpleta , ſola ſpecies infima, & indiuiduum in prædicamento ſedem haberent. Item aduerte , poſſe rem phyſicè incompletam, eſſe metaphyſicè completam;quia totus illius conceptus phyſicè partialis , apprehenditur vſque ad vltimam ſpeciem ; in qua logicè conſiſtit tota eſſentia rei. Ratio à priori;quia quod in vno genere eſt pars, in alio eſt totum , & è contra. Ita in prædicamento accidentis eius indiuidua ſunt phyſicè incompleta, completa autem logicè ; generica verò prædicata ſunt incompleta vtraque ratione.

§. 30. Ammonius. P.Rubius.

Differentiam opinatur Ammonius in prædicamento directè collocari, cui refragatur P. Rubius in prædicamentis, cap.3. q. 1. cum communi dialecticorum conſenſu : primùm; quia differentia eſt conceptus incompletus,ab hoc prædicamento exploſus , genus autem formaliter in ratione generis eſt totum poteſtatiuum. Hanc rationem oſtendi à §.27. nullius eſſe momenti, neque enim genus magis completum eſt, quàm differentia:quia vterque conceptus eſt materialiter idem cum tota ſpecie , & vterque eſt in ordine ad vnam operationem ſolam , & non ad omnes ſpeciei operationes, immo conceptus differentiæ ſolet eſſet perfectior, vt rationale , quam animal.

Impugnatur. Genus & differentia æquè completa & incompleta.

§. 31. *Secũdum argumentum.*

Secundò mouetur : in recta linea prædicamentali non conſtituuntur differentiæ : ſed ſolum ad latus ; nam in prædicamento ſubſtantiæ,ponuntur directè,*animal*, *homo*, *Petrus* : at *ſenſibile*, & *rationale* deiiciuntur ad latera. Ratio eſt, quia differentiæ non ſubordinantur generibus. Nec placet hæc ratio;nam differentiæ ad latera conſtituuntur,tum vt oſtendatur eas eſſe ſui generis diuiſiuas , & non contineri ſub illius formali conceptu; tũ vt oſtendatur mutua illarum oppoſitio,ſic *rationale* & *irrationale* diuidunt *animal* : ex cuius conceptu extrahuntur ad latera prædicamenti : at verò cum ſpecie quam conſtituunt , retrahuntur ad rectam lineam , vt quando ponitur homo ; ad illum retrahitur rationale , quod fuerat eiectum ad latus in diuiſione animalis. Arguo igitur pro Ammonio : quia ſpecies collocatur directè;ergo & differentia: quia per hanc conſtituitur illa.Secundò : quia hæc eſt directa prædicatio. *Petrus eſt rationale* : ſicut *eſt animal* : quod ſufficit ad collocationem.

Reſpondetur. Differentia cur collocantur in prædicamenti lateribus.

Collocantur & directè.

§. 32. *Nouem prædicamenta ſunt accidẽtia realiter.*

Nouem prædicamenta eſſe vera accidentia patet , quia prædicamenta diuidunt ens , quod primum partimur in ſubſtantiam & accidens. In qua diuiſione vtrumque membrum phyſicè eſt , quod verba ſonant. In prædicamento ſubſtantiæ ponuntur directè , vel reductiuè omnes ſubſtantiæ ſaltem creatæ:accidens autem ſubdiuitur in quantitatem,qualitatem,&c. ergo vnumquodque ex his membris participat rationem diuiſi. Quapropter qui dicunt quantitatem non diſtingui à quanto, aiunt , in prædicamento quantitatis non poni extenſionem ſubſtantialem , ſed accidentalem.Ratio à priori ; quia prædicamenta dicunt in recto prædicata phyſicè , & primò intentionaliter ſumpta; non verò logicè & ſecundò intentionaliter ſumpta : accidens autem logicum eſt denominatio ſecundò intentionaliter;nõ verò primò. Quæ denominatio ſufficit ad variandum prædicabile , quod formaliter conſiſtit in ſecunda intẽtione, vt in logica oſtendi,non verò ad varianda prædicamenta: ſic admiratiuum ponitur in prædicamento ſubſtãtiæ cum rationali , non verò ponitur in tertio aut ſecundo prædicabili , ſed in quarto ; quia non variatur phyſicè , & à parte rei , ſed tantum in modo prædicandi. Actio & paſſio ſunt accidentia, & licet non eſſent,reductiuè collocarentur in prædicamẽto actionis. Similitudo directè poſita in prædicamento *ad aliquid* eſt accidentalis : non verò ſubſtantialis , niſi reductiuè : quia doctrina eſt vtrique communis.

Modus diuerſus prædicandi cauſat diuerſa prædicabilia, ſed non prædicamenta.

Actio & paſſio ſunt accidentia. Similitudo accidentalis eſt in prædicamento.

§. 33.

Secundò , poteſt inquiri vtrum in prædicamento accidentis collocetur accidens in concreto ? an abſtracto? v.g. quantum,an verò quantitas?Nomina abſtracta ſignificant res quaſi per ſe ſtantes , vt *albedo* , concreta verò quaſi in alio exiſtentes vt *album* , quod non ſolum conuenit terminis adiectiuis , ſed ſuo etiam modo ſubſtantiuis , vt *homo* , & *humanitas* : de primis controuertitur. Auicenna affirmat terminos connotatiuos præcipuè ſignificare ſubiecta, formas verò connotatiuè. Cui cõmuniter refragantur omnes. Immerito tamen : ſignificant enim in recto ſubiectum,& in obliquo connotant formam(vt oſtendi diſp.6.de anima ſect.4.) nam vnum concretum accidentale prædicatur de alio,vt *album eſt dulce*:ſed non poſſet prædicari,niſi ſubiectum ſignificaretur in recto, ergo. Maior patet , nam *Architectus* dicitur *muſicus* : minor patet, nam veritas propoſitionis requirit identitatẽ ſubiecti cum prædicato, nempe , quæ ſignificantur in recto, *vt Petrus eſt calefaciens* ,requirit identitatem non inter calefactionẽ, & Petrum ; ſed inter calefacientem,& Petrũ : ſed identitas in his connotatiuis , tantum reperitur ex parte ſubiecti , in quod recipitur forma , ergo & connotatiua hæc dicunt in recto ſubiectum , & in obliquo formam : nam idẽ eſt in intellectu ſignificari, & prædicabile eſſe.

Opinio Auicennæ.

Connotatiua ſignificant in recto ſubiectum,& formam in obliquo.

§. 34. P.Rubij *opinio.*

P. Rubius cap.4. prædicamentorum, q.2. num. 15.ad 19. ait concretum dupliciter poſſe ſumi,primò , vt ſignificat in recto formam accidentalem completam per vnionem,& connotare in obliquo ſubiectum,tanquam extrinſecum terminum ſui,& vnionis, & ita opinatur accidens in concreto poni in prædicamento.Pro qua ſententia adducit P.Suarez 1. met.diſp.4.ſect.3.num.13. & diſp.16.ſect.1. num.12.& tom.2.diſp.39.ſect.1.

P. Suarez.

§. 35. *Impugnatur ea opinio.*

Verùm P. Suarez legi , nec video quid opituletur ,immo ait albedinem ſine vnione eſſe accidens completum.E quidem huic modo loquendi aſſentiri non poſſum,quia in eo hæc propoſitio non eſt vera, *intelligens eſt amans*; quia amor cum ſua vnione non eſt idem cum intellectione , & ſua vnione, ergo nõ poſſunt intellectio,& vnio in recto ſignificari.Eam verò propoſitionem ab omnibus video admiſſam ſine diſtinctione. Neque item poteſt ſignificari in recto vtraque pars compoſiti propter eamdem rationem:ergo debent in recto ſignificari ſubiecta,& in obliquo formæ.

§.35. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices,has tres omnes ſignificationes idem nomen habere. Verum non poteſt idem nomen ſignificare eadẽ res modo oppoſito , *Album*, verbi gratia, ſignificare parietem in recto,& formã in obliquo : item formam in recto , & parietem in obliquo. Quia ille modus ſignificandi diuerſus debet ſumi ex diuerſis proprietatibus diuerſimodè apprehẽſis:at album ſemper apprehenditur eodẽ modo : nempe ſubiectum cum albedine. Adde,nomina connotatiua eſſe adiectiua , quibus aliquid illis ſignificatur adiectum, vt *Album* , *dulce* , ergo in recto ſignificant ſubiectum, & connotant in obliquo formam , quia ſubiecto per ſe ſtanti adijcitur forma ; itaque ſignificant ſubiectum per ſe , forma illi adiecta. Quapropter pomum dicitur *album*,quæ propoſitio ſic exponitur. *Albũ eſt pomum*,

Alia ratio. Connotatiua ſunt frequẽter adiectiua.

illi

Digitized by Google

illi inhærente albedine. Quod inde patet, quia quando quis exponit hanc propoſitionem *pomum eſt album*, non exponit ſic, *eſt albedo habens ſubiectum, vel illi vnita*, quæ expoſitio, & eſt falſa, & inſolens; ſic autem exponitur, *eſt pomum vnitum albedini* vel *habens albedinem.* Ecce ſubiectum in recto, & formam in obliquo.

§ 37. *Auicenna. Ariſt. B. Thom.* *Accidens ponitur in abſtracto, vel in concreto, vt libuerit.*

Auicenna, & Ariſtoteles 7. met. cap. 4. expreſſè aſſerunt in prædicamentis accidentium directè collocari ſubſtantiam, non ſecundum ſe, ſed vt affectam accidente: B. Thomas 5. met. lect. 9 cenſet collocari accidentia in abſtracto: quæſtio leuis & in vtramque partem.

SECTIO IV.

Vtrum Deus ponatur in Prædicamento.

§. 38. Indicaui ſect. 2. Deum conſtituendum in prædicamento ſubſtantiæ, diſtincto à prædicamento ſubſtantiæ creatæ, nunc inquiram vtrum Deus & creaturæ poſſint in eodem prædicamento conſtitui?

§. 39. *Subſtantia dupliciter ponitur in prædicamẽto. Deus nõ poteſt collocari in prædicamento imperfectionem includente. S. Auguſt.*

Præmitto, ſubſtantiam poſſe in prædicamento diſponi, vel abſtractam ab imperfectionibus entis, vel cum illarum concretione. Hoc ſecundo modo certo eſt certius, Deum non poſſe in prædicamento collocari: eſt immane facinus, vel in ſolã quæſtionem reuocare cadat ne in Deum imperfectio? Niſi ad demonſtrandum apertè illi vel leuiſſimum illius veſtigium repugnare. Quapropter S. Auguſtinus de cognitione veræ vitæ cap. 2. Deum ablegat à prædicamentis, his verbis. *Nomine, & verbo ea exprimuntur, quæ ſub decem prædicamentis humano corde concipiuntur: ſed quod ex his nullum propriè Deo conueniat, manifeſta ratio probat: nam ſi dixerimus, quod Deus ſubſtantia ſit, quæ omnibus ſubſiſtere tribuat, & per quam omnes res eſſe habeant, mox vniuerſalia, & indiuidua, de quibus ſubſtantia prædicatur, genera, & ſpecies, in quibus verſatur, ſimul & nouem accidentia, quæ ei neceſſario inhærent, animo occurrunt, quæ cuncta liquent, quia minimè in Deum concurrunt.*

§. 40. *Auguſtinus negat Deo ſubſtantiam prædicamentalem.*

Ex quibus verbis conſtat apertè, Auguſtinum Deo negaſſe conceptum ſubſtantiæ prædicamentalis, quia exiſtimat eam eſſe rationẽ aliquam communem de inferioribus prædicabilem, quod Deo repugnat; quia Diuinitas non eſt communis pluribus Dijs; vel eſſe indiuiduum alicuius ſpeciei, & quod ſubſit decem prædicamentis accidentium quod eſt alienum à Deo: quare multi præſertim è Patribus dicunt, conceptum ſubſtantiæ tranſlatitiè Deo conuenire, quia opinantur *ſubſtantiam* dici *à ſubſtando accidentibus.* Deus autem nullis ſubſtat accidentibus. Eodem modo interpretare Anſelmum in monologio cap. 26. negantem Deũ eſſe rationem communẽ, aut cum alijs in natura conuenire (intellige ſpecifica:) eodem modo intellige Boëtium, primo de Trinitate, cap. 5. & 6. in quo etiam ſenſu accipe S. Thom. 1. p. quæſt. 3. art. 5. & multos alios Patres; quos ibidem P. Vazquez, adducit diſput. 22. cap. 6. Qui negant conuenire Deum cum creaturis in aliqua ratione: quia creaturæ Deo comparatæ potius ſunt non entia, quàm entia. Itaque Deus non ponitur in prædicamento ſubſtantiæ, vt modo communiter accipitur, quia vltima ratio ſubſtantiæ ſumitur pro indiuiduo cõpleto ſubſtantiæ, accidentibus phyſicis ſubiectæ. Quod & non aliud euincunt & autoritas, & rationes, quibus Doctores cõmuniter probant, Deum in nullo prædicamento collocari; quos vide apud P. Vazquez 1. p. diſp. 22. & Rubium cap. 5. prædicamentorum, quæſt. 2.

Multi cẽſent Deũ eſſe impropriè ſubſtantiam.

Boetius. S. Thom. P. Vazquez.

Deus non ponitur in prædicamento ſubſtantia vt nunc diſpoſito.

P. Vazquez. P. Rubius.

§. 41. *Quæſtio vniuerſalior.*

In latiori ergo ſignificatione inquirimus vtrum Deus poſſit conſtitui in prædicamento ſubſtantiæ? accepta *ſubſtantia* pro primo conceptu rei non inhærente, abſtracto ab eo, quod accidentibus phyſicis ſubſtet vel non. Communiter videntur negare Doctores. Primò argumentatur S. Thom. ſupra; quia Deus neque eſt genus, neque ſpecies, quia non componitur ex genere, & differentia; neque indiuiduum alicuius ſpeciei: ergo non poteſt poni in aliquo prædicamẽto. Verùm rectè ait P. Vazquez hanc rationem non eſſe efficacem: quia compoſitio rationis non arguit imperfectionem in obiecto: ſed in actu noſtro: à quo dicitur obiectum *determinabile* extrinſecè: ſicut malè cognoſcitur à nobis ſine imperfectione ſui: in Deo autem eſt conſtitutio, & diſtinctio rationis.

Sententia negans primum argumentum S. Thomæ.

Reſpondet P. Vazquez. Compoſitio rationis dicit imperfectionẽ in ſolo intellectu.

§. 42. *Secunda ratio P. Fonſeca.*

P. Fonſeca quinto Met. c. 7. q. 7. ſect. 1. ait; Deum non poſſe poni in prædicamento; quia in eo non poſſunt conſtitui entia perfectionis ſimpliciter infinitæ; nam ſumma genera non poſſunt habere infinitatem ſimpliciter; nam ſpecies ſunt perfectiores generibus, quod non eſſent, ſi genera eſſent infinita, quia infinitæ perfectioni non poteſt aliqua addi. Deinde neque Deus poteſt eſſe ſpecies; quia ſpecies, cum ſit diffinibilis per genus, & differentiam, curtis limitibus continetur: Deus autẽ nullo termino circunſcribitur: ergo non eſt ſpecies: neque item poteſt eſſe indiuiduum ſubiectum ſpeciei: quia indiuiduum nullam addit perfectionem ſubſtantialem ſupra eſſentiam; Deus autem addit infinitam, ergo Deus non eſt indiuiduum; ergo non ponitur in prædicamento; quia in eo conſtituuntur aut rationes communes aut indiuiduæ; quia prædicamentum eſt ſeries prædicatorum à ſupremo genere ad indiuiduum.

§. 43. *Non vrget. Deus ponitur vt indiuiduũ nullius ſpeciei.*

Neque vrget hæc ratio: nam Deus poneretur in prædicamento, vt indiuiduũ, non alicuius ſpeciei infimæ prædicabilis, ſed vt res ſingularis indiuiſibilis in alias, quæ ſint idem adæquatè cum illo, de quo poſſint prædicari multi conceptus cõmunes abſtracti à finitis, & infinitis, vt ſubſtantia completa intellectualis: cui adde *à ſe.* En ſeriem prædicatorum diuinorum, & illa particula *à ſe* includit infinitam perfectionem, quam formaliter non includebant prædicata communia.

§. 44. *Cõceptus cõmunes rerum infinitarum poſſunt eſſe.*

Deinde poſſumus aſſignare conceptus communes rerum infinitarum, qui determinentur per differentiam, etiam infinitam, v. g. perſona diuina vt ſic includit perfectionem infinitam ſimpliciter, & eſt conceptus communis tribus perſonis, ergo rationes communes non ſunt neceſſariò finitæ.

§. 45. *Ad argumẽtum.*

Ad argumentum P. Fonſecæ Reſp. ſpecies à parte rei non eſſe perfectiores genere: quia à parte rei genus & ſpecies ſunt idem indiuiſibilis conceptus: at verò conceptus formalis terminatus ad genus eſt imperfectior, quàm ſpecificus, quia confuſior: è quo nulla imperfectio cadit in obiectum. Quod verò ait P. Fonſeca; ſpeciem eſſe finitam, quia definitur, eſt falſum: nam obiectum definiri per intellectum non eſt illud terminis circumſcribi, & limitari: ſed cognoſci actu claro, & diſtincto. Vnde definitio non ſic appellatur, quia ſit obiecti limitatio: ſed quia definita, & particularis cognitio illius in particulari. Quare per actus confuſos, & genericos intellectus dicitur diuagari per obiecta; carceratur autẽ, & definitur per cognitionem propriã cuiuſque obiecti, itaque definitio eſt proprius, & quidditatiuus rei conceptus. Verum eſt, Deum non eſſe ſpeciem infimam prædicabilem, quia

Species à parte rei nõ ſunt genere perfectiores.

Conceptus de genere eſt imperfectior quàm de ſpecie.

Obiectũ definiri poteſt licet à parte rei ſit infinitum.

ficio, vt cernitur ab interrogante. Rectè dixit Ariſtoteles, eſſe etiam definitiones ſecundum quid; alias autem ſimpliciter: Hæ ſunt ſubſtantiarum; illæ accidentium.

§. 13. *Ad ſecũdum exemplum.* Ad ſecundam reſpondetur; craſſitiem, & macritudinem eſſe ſubſtantias partialiter; vt materia, & forma: quas non dicimus emiſſe: quia per ſe primò emitur compoſitum: partes autem vt in illo. Æthyopem autem dicimur emiſſe ad diſcriminandum eum hominem ab alijs.

§. 14. *Ad ſecũdam obiectionem. Cur ita vulgo loquamur.* Ad ſecundam obiectionem: ratio redditur eius vſus: quia nimirum id quod abſolutè vocatur *res*, eſt in genere cauſæ efficientis, materialis, & finalis principium earum rerum, quibus mutatis nō mutatur abſolutè *res*: quia manet idem omnium primum principium. Sæpius enim dixi conceptum eſſentialem eſſe, qui eſt prima radix cæterarum: ſic materia eſt ſubiectum actionis, quæ habet pro fine formam. Quod ipſi fatentur, cum dicunt ſubſtantiam eſſe *primam rem*: quod illis æquè ac nobis eſt explicandum; quia idem, quod ego dico, alia voce.

§. 15. *Alia obiectio. Reſpondetur. Quantitas non eſt ſubſtantia.* Obijciunt alij, quantitatem debere à nobis dici ſubſtantiam; quia mutata albedine, aut nigredine manet *quantum*. Reſpōdeo, ſi mutaretur quantitas, adhuc maneret *res* abſolutè: quia quantitas eſt præciſè ad exiſtendum in loco impenetrabiliter; quod eſt accidentarium: tum quia actu penetrari eſt per accidens Chriſto in Euchariſtia; poſſe autem eſſe, aut non poſſe ſimul in eodem loco eſt per accidens eidem rei, ſicut eſſe in vno, aut alio loco. Igitur ex formali effectu quantitatis colligitur eam non eſſe abſolutè *rem*. dum ergo ais manere *quantum*; reduplicas conceptum accidentarium non minus, quàm in albo, aut nigro.

§. 16. *Ipſorũ impugnatur opinio.* Et quidem ij ſe circulo concludunt minus explicito. Cenſent ſubſtantiam eſſe in ſuppoſito per ſe: id eſt, non eſſe accidens. Contra: cur quantitas non eſt in ſuppoſito per ſe? Dicunt: quia eſt in ſuo genere ens completum; non verò formam equi. e. g. Contra, minùs completa eſt quantitas: quia per te eſt accidens: quod eſt *entis ens*, & vnitur materiæ per inhærentiam. Secundò, propterea erit magis ens per ſe, & ſubſtantia; quia eſt ens completum; minuſque à ſubiecto pendebit. recurrant ergo ad meam expoſitionem.

§. 17. *Aliorum opinio.* Dicunt contra me alij; ſubſtantiam eſſe radicem ſubſiſtentiæ; vel ſubſiſtentiam. Contra: cur quantitas non erit radix ſubſiſtentiæ? vel cur ſubſtantia non erit aut quantitas, aut radix quantitatis? ſubſiſtentia autem creata cur erit ſubſtantia, cum pendeat à tota natura? item vnio cur erit ſubſtantia, cum non ſit radix ſubſiſtentiæ, nec ſubſiſtentia? Nec hæc ſententia conſtituit conceptum communem ſubſtantiæ, & eam euidentem naturaliter explicat per ſubſiſtentiam diſtinctam cognitam ſola fide. Recognoſce §. 21. Stet ergo ſubſtantiam eſſe, quæ eſt abſolutè res; eámque conſtituit.

§. 18. *Subſtãtia cur ſit ens per ſe.* Hinc etiam colliges, cur ſubſtantia dicatur *ens per ſe*, nempe; quia per ſe, ſiue per ſuum conceptum conſtituit rem, quam abſolutè vocamus *rem*, ſcilicet *hominem*, aut *equum*. Et quia rem per ſe conſtituit, inde oritur ea ſubſtantia durante non poſſe rem talem non durare: tolle enim à Petro omnem actionem, & entitatem, quæ per ſe non conſtituat Petrum; adhuc manet Petrus; tolle rem aliquã, qua Petrus per ſe cōſtituatur, & maneãt cætera, implicat manere Petrum; quia manere nō poteſt ſine iis, quibus per ſe, & formaliter conſtituitur. Hinc etiã colliges quomodo ſubſtãtia ſubſtet omnibus prædicationibus ab ipſa diſtinctis; nam conceptus illi, per quos Petrus per ſe conſtituitur, accipiunt formaliter denominationem à cæteris conceptibus, quibus non conſtituitur: *vt Petrus eſt albus, quantus intelligens, amans.* Cæteri autem conceptus ea ratione inuicem prædicantur, qua ſubiectum, & prædicatum accipiuntur in propoſitione, pro eſſentia ipſius Petri, v.g. *Album eſt intelligens*, quia intelligens, & album ſuppoñut in recto pro *Petro*. Deinde aduerte, hanc propoſitionem non eſſe formalem, ſed materialem, (vt aiunt) *album eſt intelligens*, quia albedo per accidens ſe habet ad intelligendum. Item quia intellectio non afficit album ſecundum rationem albi: at hæc propoſitio, *Petrus eſt intelligens*, eſt formalis: & quia Petrus per ſe concurrit ad intellectionem, & quia intellectio afficit Petrum ſecundum aliquam partē eius eſſentiæ: hæc autē propoſitio, *quantitas eſt alba*, eſt per ſe in ſententia conſtituente accidētia in quãtitate, ſed tunc quantitas eſt alba vt *quo*, Petrus autem vt *quod*.

Cæteri autem conceptus, qui non conſtituunt per ſe rem, dicuntur accidentia ab *accido*, vel *accedo*, §. 19. *Cur cætera dicantur accidentia.* accidunt enim, & accedunt rei iam cōſtitutæ. Nam Petro accidunt calor, quantitas, & intellectio. Ecce diſcrimen: materia, & forma non accidunt, nec accedunt Petro, nihil enim accidit Petro, priuſquam ſit, ſed poſtquam eſt; at ante materiam, & formam nullo modo Petrus intelligitur eſſe: ergo ante illas nihil accidit: at poſtquã Petrus eſt, quidquid ei aduenit, illi accidit, & ei additur: ea ergo ratione albedo dicitur accidens, quia accidit Petro iam exiſtenti: forma autem non accidit, quia eum conſtituit. Vnde accidens ſupponit rem: ſubſtantia verò facit. Item accidens non ſubeſt formaliter prædicationibus; vt quantitas non ſentit, nec de illa formaliter prędicatur ſenſio. *Animaduerſio.* Aduerte, aliquibus prædicationibus ſubſtare accidentia, vt *albedo eſt in loco, &c.* non verò prædicationibus de ſubiecto: immo nec quantitas, hæc enim nō eſt formalis prędicatio, *Quãtũ eſt homo*, quia ratio formalis quanti non afficitur, nec conſtituitur per humanitatem: hæc autem eſt formalis, *homo eſt quantus*, quia humanitas formaliter afficitur quantitate. En qua ratione repugnet accidenti ſubſtare omnibus prædicationibus formalibus de ſubiecto, & nō repugnat ſubſtantiæ. Hinc primus conceptus metaphyſicus rei vocatur *quidditatiuus, & eſſentialis*, cæteri verò ex eo deriuati *attributa*, quia logicè accidunt rei.

Hinc primò deduces, materiam primã eſſe ſubſtantiam, §. 20. *Materia prima eſt ſubſtantia.* tum quia eſt primum ſubiectum in compoſito phyſico: tum quia ſine materia non eſt res, nō enim eſt Petrus, aut lapis ſine materia: etſi enim ſit anima ſine materia, non tamen eſt homo. *Obiectio.* Dices abſcedente vetere materia, & noua ſuccedente; non variari Petrum, idem enim eſt Petrus heri, & hodie, non tamen materia eadem, ergo materia non eſt ſubſtantia Petri; conſequentia liquet ex §. 9. *Reſpondetur.* Diſtinguo antecedens, variatur Petrus inadæquatè, concedo antecedens, adæquatè nego: nec enim ante, & poſt abſceſſionem manet idem homo adæquatè, ſi phyſico rigore expendatur, ſed moraliter dicitur manere idem: de quo recognoſce diſput. 6. phyſ. ſect. 3. at verò calore abſcedente manet adæquatè Petrus idem.

Secundò deduces, formam equi, leonis, &c. eſſe ſubſtantiam: §. 21. *Forma materialis eſt ſubſtantia.* quia equus habet aliquã formam, qua conſtituitur in ratione equi, per quã eſt formaliter equus, ſine qua nō eſt; cum qua ſubeſt cæteris prædicationibus (vt ex terminis liquet) ergo illa forma eſt ſubſtantia equi. Nec dici poteſt hoc prædicatum *equus*, non ſignificare rem ſimpliciter, ſicut nec *album*, quia tam viſitatum eſt equum vocare rem,

quæ

quæ perſeueret cum aliis prædicatis, & ſine illis, quàm Petrus: ſicut enim dicitur idem Petrus albus, & niger, ſic & equus idem, & ponitur in diuiſione ſubſtantiæ.

Obiectio prima. Dices primò, formam equi dependere à materia: ergo illi inhæret: ergo eſt accidens illius.

Secunda. Dices ſecundò, eamdem materiam manere cum hac, & illa forma, ſicut idem Petrus cum albedine, & nigredine: ergo ſicut albedo, & nigredo ſunt accidentia Petri, ita & diuerſæ formæ ſunt accidentia materiæ.

Ad primam. Ad primum, dicunt aliqui formam equi pendere à materia tamquam radicem ſubſiſtentiæ; quia petit ſubſiſtere, vel partiali, vel totali ſubſiſtentia. Contra; quia res dependens à ſubiecto non poteſt ſubſiſtere, id enim ſignificat *per ſe ſtare*: quod repugnat rei ſtanti in alio, ſicut repugnat accidẽti; quia pendet à ſubiecto, illuc enim tendit argumentum; ſic autem tam difficile oſtenditur materiam eſſe radicem ſubſiſtentiæ, quàm albedinẽ, idque de ſubſiſtentia formæ multi negant, de hoc autẽ me videro, ſect. 4. Diſtinguo ergo antecedens, dependet à materia tamquã forma conſtituens rem in ſpecie completa rei ſimpliciter; cõcedo; dependet tamquam forma, quæ ſit extra talem rem completam; nego antecedens, & conſequentiam, quia inhærere eſt adhærere rei completæ, quod verò rem conſtituit, illi non adhæret.

§. 22. *Ad ſecundũ.* Ad ſecundum negatur ſimilitudo antecedentis, & conſequentia: licet enim manet eadem materia, non tamen ſicut Petrus idem. Manet enim materia vt ens partiale, & incompletũ, quod completur per formam, & cum illa cõſtituit *rem* ſimpliciter: non enim materiam vocamus *rem*, ſicut vocamus equum, nec vulgo dicimus nos emiſſe materiam: ſed equũ: non tamen dicimur emiſſe album: at Petrus eſt cõpletus in ſua ſpecie completa. Vnde materia, & forma faciunt vnum per ſe, id eſt per ſuas entates conſtituunt completè *rem* abſolutè: Petrus autem, & albedo vnum per accidens; quia albedo accidit rei ſimpliciter, & eſt extra eius eſſentiam.

§. 23. *Vnio materiæ & formæ eſt ſubſtantia.* Tertiò deduces, vnionem materiæ & formæ eſſe ſubſtantiam: quia vnio formaliter conſtituit Petrum, qui ſine illa, nec apprehendi poteſt, vt oſtendi diſp. 6. Phyſic. ſect. 3. Illa autem poſita cum materia, & forma intelligitur Petrus, ſublatis alijs, vel mutatis. Immo oſtendi, diſp. 5. Phyſicor. Vnionem eſſe vltimam rationem formalem compoſiti: Petrus autem eſſentialiter eſt compoſitus: ergo eſſentialiter includit vnionem, ſed eſſentialiter nullum accidens includit Petrus, ergo vnio Petri non eſt accidens.

Omnis vnio ad accidens eſt accidens. Vnde omnis vnio ſubſtantiæ ad accidẽs, eſt accidens; quia ſicut accidens ad quod terminatur, non poteſt conſtituere rem abſolutè, ita nec vnio ad illud. Huic corollario nihil nouum poteſt obijci præter obiecta, §. 20. & 21.

§. 24. *Subſiſtentia eſt ſubſtãtia.* Quartò deduces, ſubſiſtentiam ſiue rationem ſuppoſiti eſſe etiam ſubſtantiam; quia ſuppoſitum conſtituit per ſe hominẽ. Nam ſine ſuppoſito non eſt homo: ea enim ratione Verbum diuinum non aſſumpſit hominem, ſed humanitatem, quia non aſſumpſit ſuppoſitum; ſed homo è ſolis ſubſtantijs componitur; quia eſt ens per ſe, & non per accidens: ergo ſuppoſitum non eſt accidens: ſed ſubſtantia. Quod ſine controuerſia eſt, ſiue ſuppoſitum diſtinguatur à natura, ſiue non.

§. 25. *Vnio ſubſiſtẽtiæ eſt ſubſtantia.* Quintò, vnionem naturæ ad ſuppoſitum eſſe ſubſtantiam; quia ſine ea vnione non eſt formaliter homo. Si enim hîc conſtituas naturam, illic autem ſubſiſtentiam ſinè vtriuſque vnione, non conflabitur homo magis, quàm ex corpore & anima inuicẽ abiunctis: ergo ea vnio per ſe conſtituit hominem. Hæc autẽ eſt ratio à priori, cur vnio humanitatis Chriſtianæ ad Verbum ſit ſubſtantia; quia per ſe conſtituit rem abſolutè, nẽpe *hominem*, nam ea vnio conſtituit hominẽ ex humanitate & Verbo: ergo ſicut vnio ſubſtantiæ creatæ (ſiue diſtinguatur à ſuppoſito ſiue nõ) eſt ſubſtantia; quia per ſe cõſtituit hominem, ita erit ſubſtantia vnio ſuppoſiti; quia conſtituit hominem.

§. 26. *Obiectio.* Dices, vnionem accidere ſiue accedere Verbo, cui aduenit iam completo in ſuo eſſe: ſed quidquid aduenit enti completo eſt accidens: ergo & illa eſt accidens: probatur minor, ens completum iã conſtituitur per prædicata quibus cõpletur: ergo quidquid illi aduenit præter hæc prædicata, eſt extra illud, & erit accidens.

Reſpondetur. Vnio ad verbum non eſt accidens phyſicè, ſed logicè. Reſpondeo, vnionem non accidere verbo phyſicè: ſed logicè; quia quamuis eſt extra eius eſſentiam completam, tamen non eſt extra rem aliam: quod requiritur ad accidens phyſicum, vt phyſicè ſit extra omnem rem abſolutè, ita vt nullam conſtituat. Nam ſi aliquam conſtituit, iam per ſe pertinet ad illam, & eſt eius ſubſtantia, vt patet in forma ſubſtantiali, quæ logicè accidit materiæ primæ, quia ea non conſtituit, & tamen phyſicè non eſt accidens illius; quia ſimul cum illa conſtituit hominem: item diſtinguo minorẽ, quidquid aduenit enti completo, eſt accidens phyſicum illius, quando ſimul cum illo ente completo conſtituit rem aliquam, nego minorem: concedo autem, quando aliam non conſtituit: ad probationẽ reſpondeo, non eſſe attendenda prædicata entis completi in ordine ad ſe præcisè: ſed etiam in ordine ad tertium reſultans ex ipſo, & nouo ente illi adueniente. In creatis nullũ nobis ſuppetit exemplum, quia entia completa, ex ſe non referuntur ad aliud: quæ verò phyſicè componunt vnum per ſe, non ſunt entia completa: at ex ijs quæ viribus naturæ fiunt, poſſumus manu duci ad ſupernaturales effectus, quos fatemur Deum operari ſupra naturam, & ſupra noſtrum captum: cæteroquin quid diuini haberent? rationem naturalem *de ſubſtantialitate ſubſiſtentiæ* vix inueniemus, niſi ex fide adiuti.

SECTIO III.

Nulla actio eſt ſubſtantia.

§. 27. *Nulla actio eſt ſubſtãtia.* Sextò deduco, nullam actionem eſſe intrinſecè ſubſtantiam: ſed accidens. Diſtingui autẽ actiones ſubſtantiales ab accidentalibus: non quod vlla ſit abſolutè ſubſtantia: ſed quia terminus primarum eſt ſubſtantia, accidens verò ſecundarum.

Prima ratio. Ariſt. Primum probari poteſt ex frequentiſſima Ariſt. diuiſione ſubſtantiæ in materiam, formam, & quæ ex ijs eſt, id eſt compoſitum: in qua tertia parte diuidente comprehendit vnionem, & ſuppoſitũ: quod Ariſt. à natura diſtingui nec aſſecutus, nec potuit: nullum enim natura veſtigium reliquit, per quod eam diſtinctionem odoraremur: at in ea diuiſione non eſt comprehenſa actio: ergo vel actio non eſt ſubſtantia, vel eam Ariſt. curtè diuiſit: probo minorẽ; quia actio non eſt materia, nec forma, nec cõpoſitum, nec intrinſecum illarum complementum.

§. 28. *Secunda ratio.* Secundò probatur; quia actio nõ conſtituit per ſe *rem* abſolutè, nec eſt de intrinſeco eius conceptu, nec res variatur actione mutata: ergo non habet ſubſtantiæ conditiones.

Confirmatur. Confirmatur, quando concipimus rẽ, concipimus primò eius eſſentiam, & ſubſiſtentiam; poſtea verò concipimus actionẽ, qua producitur: ergo actio eſt conceptus ſecundarius rei, ergo illi accidit, ſiue accedit.

Obiectio. Dices primò,

acci

accidens eſſe conceptum ſecundarium rei, ortum phyſicè à primo, actionem autem non eſſe ita ortam; quia actio non ſupponit rem; ſed facit, eſtque via ad illam. Dices ſecundò creationem eſſe ſubſiſtentē, vt *quo*, & non inhærentem ex ſua natura: ergo non eſt accidens; quia *accidentis eſſe, eſt ineſſe.*

§. 29. *Ad primum prima reſponſio.* Ad primum reſpondeo primò, inde probari productionem formæ ſubſtantialis eſſe accidens; quia ſupponit materiam, ab eaque pendet: nec enim requiritur, vt pendeat ab vtraque parte: ſed ſufficit, ſi ab altera; quantitas enim à ſola materia pēdet, & multa alia accidentia. *Secunda.* Secundò reſpondeo, inde etiam probari quantitatem (etſi diſtinguatur à re quanta) & omnes diſpoſitiones per ſe præeuntes formam, eſſe ſubſtantiam, & nōn accidens: nam ſunt via ad formam: eas verò non eſſe vias effectiuè, quid refert? tu enim ea ratione ais, actionem non eſſe accidens, quia non ſupponit ſubſtantiam: ſed quantitas etiam præit ſubſtantiam: ergo non eſt cōceptus ſecundus, & ſicut tu philoſopharis de tua actione, eodem modo ratiocinari quis poterit de quauis diſpoſitione antecedente. Quæ licet in genere cauſæ finalis ſit poſterior effectu, tamen ab illo non oritur phyſicè: & eo genere prioritatis; etiam præit terminus actionem. Eas autem diſpoſitiones poſtea à forma conſeruari, eſt valde dubiū de quantitate, quæ ex natura ſua comitatur materiam, ex parte cuius requiritur ad loci extenſionem. Saltē diſpoſitiones improducibiles à forma ad quam diſponunt, ab ea non conſeruantur: quod ſi hoc non repugnat, non inde infertur per locum intrinſecum, eas fore ſubſtantiales, licet non pendeant à forma: ergo idem erit de actione.

§. 30. *Subſtantia non colligitur ex phyſica prioritate.* Abſolutè igitur nego antecedens, eſt enim accidens conceptus ſecundarius rei ab ea phyſicè diſtinctus: nam de primario, & ſecundario conceptu non eſt ratiocinandum ex phyſica præciſione, aut ſubſecutione: alioquin & quantitas erit ſubſtantia; ſed de modo primo concipiendi rem, deinde cætera, quæ habet à ſe adæquatè diſtincta, per quæ nec conſtituitur nec completur in ſuo eſſe. *Ad ſecundū.* Ad ſecundum, nego conſequentiam, quam inde eneruo; quia creationē quantitatis in Euchariſtia eſſe accidens pono vt certum, alibi probaturus, & tamen eſt independens à ſubiecto. *Accidentis eſſentia.* Reſpondeo igitur, eſſentiam accidentis eſſe *ineſſe*: id eſt adeſſe & adhærere rei conſtitutæ, & eſſe extra illam. Quæ ratio communiſſima eſt cuiuis accidenti, etiam modali. Si verò *ineſſe* ſumatur pro dependentia, qua res vna eſſe non poteſt ſine alia: etiam creatio dependet à ſuo termino, ſine quo repugnat exiſtere, ſicut etiam repugnat vnioni: quamuis cum diſcrimine; quia vnio intrat eſſentiā rei, ſecus actio: propter quod eſt accidens. *Accidens vt ſic non petit influxū ſubiecti; ſed cōnexionē cum alio.* Si verò *ineſſe* ſumatur pro exacta dependentia à ſubiecto: Reſpondeo conuenire ſolis accidentibus abſolutis, non verò modis creandi; quia accidentia inſtituuntur à natura ad perfectionem intrinſecam ſubſtantiæ: vnde extra ſubſtantiam eſſe nequeunt: actio verò creans eſt ad conſtituendum terminum independentem à ſubiecto, vt *quod*: quem effectum ipſa neceſſariò eſt habitura vt *quo*, per quod non excedit perfectione accidentia abſoluta; quia eſſe independentem vt *quo*, inuoluit imperfectionem modalem, eſtque (vt aiunt) additum diminuens: quam perfectionem excedunt perfectiones accidentis abſoluti.

SECTIO IV.

Subſtantiæ conceptum penitius explano.

§. 31. *Obiectio.* DIxi §. 18. ſubſtantiam eſſe ens per ſe; quia per ſuum conceptum conſtituit rem abſolutè. Cui doctrinæ communiter refragari videntur autores, aſſerentes ens per ſe, ſiue ſubſtantiam eſſe, quod per ſe ſubſiſtit independenter à ſubiecto, vt docere videtur Aug. tom. 3. lib. 7. de Trinit. cap. 5. *S. Auguſt.* *Corpus enim ſubſiſtit* (inquit) *& ideò ſubſtantia eſt.* Quapropter S. Thom. 1. p. q. 3. art. 5. ad 5. & 3. p. q. 77. art. 1. ad 2. & in 1. d. 8. q. 4. art. 2. ad 2. & alibi *S. Thom.* ait diffinitionem ſubſtantiæ eſſe naturam, cui debetur eſſe per ſe independenter à ſubiecto; accidentis autem definitionem eſſe naturam, cui debetur eſſe in alio: id eſt in ſubiecto: & in 2. d. 3. q. 1. art. 6. corp. ait nec materiam, nec formam contineri in genere ſubſtantiæ tamquam ſpecies, quia non habent eſſe abſolutū vt *ens per ſe* dici poſſint: animam autem rationalem eſſe ſpeciem ſubſtantiæ; quia abſolutè poteſt eſſe per ſe ſine materia. Vnde ſic argumentor: Creatio, vnio compoſiti, & formæ materiales non ſunt *ens per ſe* independenter à ſubiecto: ergo non ſunt ſubſtantia; quia definitio ſubſtantiæ eſt *ens per ſe.*

§. 32. *Aliquorum doctrina.* Quapropter non pauci aiunt, *ens per ſe*, perinde eſſe ac ens ſubſiſtens. Quod enim ſubſiſtit, per ſe exiſtit. Quo differre arbitrantur ſubſtantiam ab accidente; quia hoc non ſubſiſtit: ſed exiſtit in compoſito: immo non nemo ita adhæſit cortici huius definitionis, vt arbitraretur nullam formam ſubſtantialem materialem eſſe à ſubiecto pendentem; quia illi repugnaret definitio ſubſtantiæ: ex cuius *Cuiuſdam opinio.* ſententia itidem erat aſſerendum, nec vnione, nec ſubſiſtentiam à ſubiecto pendere. Vt autē ab huius delyrio exordiamur, ſequuntur apertè duo abſurda: *Abſurdū ex ea ſententia.* alterum, vnionem, & formas materiales creatum iri: alterum, eas fore immortales. Primum probatur, quia vnio fieret independenter à ſubiecto, & ab alio principio intrinſecè influente: ergo crearetur: conſequentia liquet, ex diſp. 12. phyſic. Vbi oſtendi creationem eſſe *productionem ex nihilo*: id eſt ex nullo principio intrinſecè concurrente: antecedēs probo; quia vnio eſt ſubſtantia: ſed ſubſtantia per te eſt ens per ſe ſubſiſtens, ſine dependentia à ſubiecto, vel alio principio intrinſecè influente: ergo vnio fieret independenter à ſubiecto, vel alio principio intrinſecè influente. Hinc autem ſequeretur hominem ab homine non generari, nec produci: immo nec abſolutè generari; quia nec generaretur materia, nec forma, nec vnio, nec ſubſiſtentia: diſponi autē materiam ad vnionē, non ſufficeret, vt homo ab homine generari dicatur, ſicut non dicitur animus ab homine genitus, quamuis ad eum diſponit materiam. Hinc autē & philoſophia vniuerſa deridetur, quæ nō pauca tradit de generatione rerum ſubſtantialium; & ſacræ paginæ deluduntur, quæ infinities meminere generationis hominis ab alio homine, & generationis viuentium materialium.

§. 33. *Aliud abſurdum.* Secundum probatur, nempe fore eas formas immortales: quia quando abiūgerentur à materia, nulla cauſa ab eis abeſſet, cur ergo perirent? *Obiectio.* Dices, quia illis non debetur eſſe, niſi quando ſunt in materia, ſicut animo non debetur eſſe ſine potentijs: nō quia ab illis pendeat à priori: ſed quia non debet exiſtere ita mancus. *Reſpondetur.* Contra, ita poſſes dicere, animum eſſe corruptibilē; quia ſine materia eſſet mancus ad ſenſiones obeūdas. Deinde, cum illæ formæ

formæ eſſent independentes à ſubiecto, haberent aliquam actionem independenter à ſubiecto: oſtẽdi enim libris de anima, operandi modum eſſe ſimilem modo exiſtendi. Adde, nec tũc fore vt poſſet forma abiungi à corpore; quia vnio eſſet immortalis eaſdem ob cauſas; animus autem nũc abiungitur, quia perit vnio, tunc autem nec à diſpoſitionibus penderet; quia diſpoſitiones ſunt via ad præparandum ſubiectũ in ratione ſubiecti. Quamobrem anima ſecundum ſe à nulla diſpoſitione dependet: ſed tantùm vt vnita.

§. 34. *Impugnātur alij. Proceſſus infinitus in ſubſiſtentia.* Nunc autem impugno eos, quos retuli initio, §. 32. primò ad hominem, aſſerunt enim productionem ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam: ergo illa habet aliam ſubſiſtentiam: conſequentia patet, quia per te omnis ſubſtantia habet ſubſiſtentiam propriam: hæc ſubſiſtentia huius productionis fit per aliam actionem ſubſtantialem; quia per eandẽ fieri non poteſt; creatio enim animæ ad ſolam animam terminatur: non autem ad ſuam ſubſiſtentiam: tum quia ſubſiſtentia generatur, & actio non agit ex ſe tanquam ex ſubiecto: tum quia actio eſt prior natura, quam eius ſubſiſtentia, at non eſt abſolutè prior natura termino: fit ergo ſubſiſtentia actionis per aliam actionem ſubſtantialem: ergo hæc actio habet aliam ſubſiſtentiam producibilem per aliam actionem ſubſtantialem, de qua redit infinitum argumentum.

§. 35. *Secunda impugnatio.* Secundo impugnãtur; quia diſp. ſequenti oſtendam, ſubſiſtentiam non eſſe modum: ſed rem: ergo vnitur naturæ per aliam vnionem ſubſtantialem habentem aliam ſubſiſtentiam abſolutam, indigentem alia vnione, poſcente nouam ſubſiſtentiam, ſine termino enim abibis. *Tertia.* Tertiò à priori, iſte modus ſuppoſiti non conſtituit formas materiales independentes à ſubiecto, quia ab eo pendent: ergo non facit formas eſſe ſubſtantiam: patet conſequentia; quia ſubſtantia eſt *ens per ſe* (vt tu ais) *ſubſiſtens*, formæ autem communiter non dicuntur ſubſiſtentes.

§. 36. *Obiectio. Reſpondetur.* Dices, eas non eſſe inhærentes. Contra: ergo cum non ſint inhærentes, tametſi careant illo ſuppoſito, erunt ſubſtantia: ſed conſtituuntur formaliter non inhærentes per generationem, ſicut accidens inhæret per productionem: ergo ille modus non requiritur ad conceptũ ſubſtantiæ. Adde, opinionem probabilem, formas materiales carere eo modo: an ne ſequitur per locum intrinſecum eas non fore ſubſtantiã? equidem ex negatione huiuſmodi non ſequitur, eas nõ eſſe primam radicẽ proprietatum omnium, primumque conceptum; quo res conſtituitur in ſuo eſſe: ergo non ſequitur eas non fore ſubſtantias: ergo quidditatiuus cõceptus ſubſtantiæ non eſt ita exponendus per ſubſiſtentiam: ſed per conſtitutionem rerum.

§ 37. *Ens per ſe, nõ eſt eſſe independens à ſubiecto.* Ergo *ens per ſe* non eſt, quod habet modum illum ſubſiſtendi indepẽdenter à ſubiecto. Nam formæ materiales ſunt ſubſtantia, & ens per ſe, & non habent illum modũ. Secundò, quia creatio quantitatis in Euchariſtia per ſe ſubſiſtit vt *quo*, idque ex natura ſua, & tamen non eſt ſubſtantia: ergo formalis ſubſtantiæ conceptus non eſt in illo modo. Tertio à priori; quia eo præciſè, quod intelligimus conceptum aliquem eſſe de cõſtitutione hominis, verbi gratia, aut leonis, intelligimus, eum conceptum eſſe ſubſtantiam: ergo illa conſtitutio formaliter eſt ratio ſubſtantiæ: probo antecedens: quia eo præciſè intelligimus leonem compoſitum in ſuo eſſe: ſed leo è ſolis ſubſtantijs componitur; *ſubſtantiam* enim *eſt ſolis ſubſtantijs componi* pronuntiauit Ariſtot. & iure: alioquin non ſubſtantiæ, ſed ens per accidens eſſet: ergo eo præciſè, quod intelligamus formam eſſe de conſtitutione leonis, intelligimus eam eſſe ſubſtantiam.

§. 38. *Ad B. Aug.* Beat. Auguſt. ſupra, *ſubſiſtere* vſurpat pro ſtare ſub accidentibus, vt indidem patet, & paulo ante dixerat, vix eſſe dignum dicere Deum ſubſiſtere. Quare cap. 5. ait propterea Deum abuſiue ſubſtantiam dici; quia propriè non ſubſiſtit iuſtitiæ, & alijs attributis. *Ad S. Thom.* S. Thom. multifariam ſubſtantiam vſurpat, primùm vt opponitur accidenti, eſtque principium conſtituens ſubſtantiam: quo in ſenſu prima eadem reſponſione ad primum docet, manum, & cæteras partes ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiã. Secundò pro re ſubſiſtente ſine dependẽtia ab alia ſubſtantia, idque dupliciter: primò, pro ſubſiſtente complete: ſic ait ſubſtantiam primi prædicamẽti non prædicari de partiali ſubſtantia, immo nec de humanitate Chriſti ibidem. Secundò ſumit ſubſtantiam pro re ſtante per ſe ſine alterius adminiculo: ſic autem ait, animam eſſe ſpeciẽ ſubſtantiæ; quia à corpore abiuncta ſubſiſtit: negat tamẽ materiam, & formas materiales eſſe ſpeciem huius ſubſtantiæ; quia negat abiunctas ſeruari, quo ſenſu dixi, diſput. 2. phyſic. negari ab Auguſtino, & Thoma, formas materiales eſſe ſubſiſtentes: quia non ſubſiſtunt, niſi vt principia conſtitutiua ſubſtantiæ completè ſubſiſtentis.

§. 39. *Duo dubia.* Duo adhuc dubiola ſuperſunt. Primum; quia S. Thom. 3. p. q. 77. art. 1. ad 2. & alibi ait definitionem ſubſtantiæ non eſſe *ens per ſe*; quia ens de eius eſſentia non eſt: ſed eſſe naturã cui debetur, ens per ſe. *Reſpondetur ad primum.* Reſpondeo, ens ibi accipi à S. Thoma, pro exiſtentia, per quam ſolus Deus definitur: quia eſt de illius eſſentia: creaturæ verò in ſua eſſentia abſtrahunt ab exiſtentia, non quod ab illa realiter diſtinguantur: ſed quia ſine illa exercita poſſunt apprehendi.

§. 40. *Secundum dubium.* Secundum dubiũ, quia idem S. Thom. 1. contra Gent. c. 25. poſt medium ait, ſubſtantiã nõ conſtituere ſpeciẽ entis; quia ſubſtantia dicit negationẽ dependentiæ: negatio autem non conſtituit ſpeciẽ entis. *Soluitur.* Verum cum S. Thom. à me adductus diuidat ens in ſubſtantiam, & accidens, & ſubſtantiã prædicet de anima, & homine, certũ eſt, à S. Thom. nõ negari naturam ſubſtantiæ eſſe ſpeciem entis: ſumit ergo S. Thom. ſubſtantiam, non pro natura, conceptuque ſubſtantiæ: ſed vt connotat negationem dependentiæ: ſub qua connotatiône, non conſtituit ſpeciem entis, ſecus ſub ratione poſitiua. Qua diſtinctione S. Thomæ à teſtimonia, vel ſequi, vel explicare oportet.

SECTIO V.

Subſtantiæ diuiſio.

§. 41. *Subſtãtiæ diuiſio non eſt in ſingularẽ, & vniuerſalem.* SVbſtantiæ diuiſio non eſt in primam, & ſecundam, id eſt; in ſingularem, & vniuerſalem: quia non eſt diuiſio realis, ſed rationis: Petrus enim eſt prima ſubſtantia, homo ſecunda: qui ſolum differunt ratione noſtra. Vnde nec eſt diuiſio analoga, nec vniuoca. Item ſubſtantia vt ſic non poteſt abſtrahi à ſecunda; quia eo ipſo quod ſit abſtracta à ſingulari, eſt ſecunda: ſed illa diuiſio eſt eiuſdem conceptus obiectiui in varios ſtatus, quos habet, & à parte rei in ſubſtantia prima: & vt ſubeſt ſecundis intentionibus vniuerſalitatis, & indiuiduationis.

Diuiditur per conceptus vniuerſaliores: vt de ente dixi. Prædicamentum hoc ita cõſtituitur. Ens contrahitur perſeitate, qua conſtituit ſubſtantiam: deinde

Prædicata ſubſtantiæ. deinde corpus: deinde viuens: quartò animal: quintò homo, ſextò Petrus: & ſic de quouis prædicamento à ſupremo conceptu ad vltimum.

DISPVTATIO XI.

De natura, & ſuppoſito.

ANTEQVAM perſequamur differentias ſubſtantiæ, explicanda eſt ſuppoſitalitas, communis omni ſubſtantiæ completæ.

SECTIO I.

Quid ſignificent hæc nomina, *natura, hypoſtaſis, ſuppoſitum,* & *perſona?*

§. 1. *Natura quid.* NAtura ſumitur à Metaphyſicis pro *eſſentia,* & ſubſtantia cuiuſque rei: nam ſubſtantia, & eſſentia ſunt primus conceptus rei, & principium cæterorum. Vnde eſſentia caloris ſolet dici *natura* caloris: ſed cum eadem tranſlatione qua ſubſtantia (vt dixi, diſput. 10. §. 7.) *Natura* autem ſumitur pro primo conceptu ſubſtantiæ. Propriè, & in rigore ſignificat materiam, & formam ſubſtantialem, eſt enim *principium, & cauſa motus, & quietis eius, in quo primo, & per ſe: & non per accidens ineſt.* Quam definitionem explicui, diſput. 7. phyſicorum ſect. 1. Extenditur autem ad primum conceptum cuiuſque ſubſtantiæ, quod eſt principium effectuum talis ſubſtantiæ, vt in Angelis, & Deo. *Natura primus cõceptus ſubſtantia.* Quæ vſurpatio vt vniuerſalior, ita & communis apud authores. Quod verò Latini ſignificant his vocibus, *eſſentia, ſubſtantia, natura,* Græci ſignificant hac *vſia.* *Vſia eſt natura.* Vnde tres perſonæ diuinæ vocantur *homouſion*, id eſt, eiuſdem eſſentiæ, atque naturæ. *Arrius.* Quod nomen impiè, & blaſphemè negauit Arrius ſimul cum conſubſtantialitate Patris, & Filij, quos voluit in natura eſſe diuerſos.

§. 2. *Subſiſtentia quid.* *Ariſtot.* *Subſiſtentia* reperitur nonnunquam apud Ariſt. pro *exiſtentia,* ſeu veritate rei: quamuis apud vetuſtos Latinos vix aut nunquam reperiatur. Deriuatur tamen à *ſubſiſto*, vnde ſubſiſtentia rigore non differt à ſubſtantia. Quapropter vbi Regius Pſaltes ait, *infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia;* alij vertunt, *non eſt ſubſiſtentia*, id eſt in profundo calamitatum Oceano non inuenio fundum, cui innitens ſubſiſtam. *Hypoſtaſis eſt ſubſiſtentia.* Huic voci Græca reſpondet *hypoſtaſis*, quas idem ſignificare, multi ſenſerunt apud Pat. Vazquez tom. 2. 1. part. diſput. 124. cap. 3. *P. Vazquez.* Quapropter multi Patres recuſarunt admittere tres *hypoſtaſes* in diuinis, ne viderentur admittere tres *ſubſtantias.* Tamen (vt rectè idem Pat. Vazquez cap. 4.) *ſubſtantia*, & *vſia* ſumuntur pro *ſubſtantia*, ſeu *natura*, & *eſſentia Dei*, & quæ eſt principium, & ratio formalis operandi, ſeu fœcunditas diuina: *ſubſiſtentia* verò & *hypoſtaſis*, pro vltimo complemento ſubſtantiali naturæ: quod in diuinis vocatur, *relatio*, quam *perſonalitatem* appellamus. *Subſiſtentia differt à ſubſtantia.* Solet *ſubſiſtentia* ſumi pro tota natura integrè ſubſiſtente. Scholaſtici autem eam vſurpant pro ſola ſubſiſtendi ratione, ſeu *perſonalitate.*

§. 3. *Perſona eſt indiuidua ſubſtantia completa intellectualis.* *Perſona* eſt idem quod, *ſubſiſtens completum.* Sed magis ſtrictè: *ſubſiſtens* enim eſt quoduis indiuiduum ſubſtantiæ completæ. *Perſona* autem eſt indiuiduum ſubſtantiæ completæ intellectualis, quam ſic Boëtius definiit, *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia*, id eſt, natura intellectualis: quam nonnunquam *rationalem* vocamus, non ab operatione diſcurſiua: ſed à ratione, qua mouetur intellectrix facultas.

§. 4. *Laurẽtij Vallæ impudens ignoratio.* Laurentius Valla libr. 6. elegantiarum, impudens reprehendit Boëtium, quod indiuiduum intellectuale *perſonam* nuncupauerit. Verum iſte grammaticus è ſutrina proſiliens vltra crepidas, procacitatem, & ignorantiam patefacit: neque coluit doctiſſimum Eccleſiæ martyrem, neque legit Ciceronem, grammaticorum normam, in ea ſignificatione *perſonam* vſurpantem, *Ceſar* (inquit) *nunquam niſi honorificentiſſimè Pompeium appellat: at in eius perſonam multa facit aſperius.* *Cicero.* Lege Nizolium, in quo ſuppetunt quamplurima exempla. Vtinam Valla aduertiſſet, Creſconium, Eraſmum, alioſque grammaticos propria perſona depoſita, & Theologorum ſuſcepta, multa effutiuiſſe, quibus ipſe non eſt abſimilis. *Grammatici aliqui pernicioſi ob temeritatem.* Arbitror igitur *perſonam* propriè non ſignificare laruas: ſed hominem ſingularem: *Perſona non ſignificat laruas, ſed hominem.* hinc autem transferri ad laruatos, ſeu hiſtriones; quia iſti ſignificant in hiſtrionia perſonam, ſeu hominem aliquem ſingularem, vnde hiſtriones dicuntur *agere perſonam principis*, id eſt Regem, illius imagine ſuſcepta. Vnde vocantur *perſonati*; ſuſcipere autem perſonam conſulis, vel deponere; eſt ſe gerere, vt perſona conſulis, aut ab ea dignitate deficere.

§. 5. *Suppoſitum quid.* *Suppoſitum* eſt idem, quod *ſubſiſtentia*, id eſt, *ſub aliis poſitum.* Sumitur interdum pro ipſa ſuppoſitalitate, ſeu ſubſiſtendi ratione: interdum pro toto concreto ſubſiſtente, ſicut *perſona*, in qua ſignificatione accipitur ſectione ſequenti.

SECTIO II.

Quid ſit ſuppoſitum?

§. 6. *P. Suar. opinio.* PAt. Suarez diſput. 34. Metaphyſicæ, & ſectio. 1. num. 9. ait in rebus creatis idem eſſe ſuppoſitum, & primam ſubſtantiam: numero autem 12. ea nec ratione diſtinguit ex parte rei conceptæ: ſed tantum ex parte concipientis. Probari poteſt definitione perſonæ ex Boëtio *rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia.* *Boëtius.* Sed ſubſtantia indiuidua eſt prima ſubſtantia: ergo. Item ex Ariſtot. primam ſubſtantiam definiente, *quæ neque in ſubiecto eſt, nec de ſubiecto dicitur*, quod eſt proprium indiuiduæ ſubſtantiæ. *Ariſtot.* Hac in parte mihi cum Pat. Suarez, non magnum diſſidium: quia diſput. 33. ſectio. 2. numer. 37. ait ſubſtantias incompletas eſſe primas, & ſecundas ſubſtantias, quod euidens cenſeo; quia ſecundam ſubſtantiam vocat Ariſtotel. conceptus communes ſubſtantiales, *qui in ſubiecto ſunt, & de ſubiecto dicuntur*: primam verò ſubſtantiam vocat conceptum ſingularem ſubſtantiæ; ſed ſubſtantiæ incompletæ habent conceptus communes, & ſingulares: ergo ſunt primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ. *Subſtãtia incompleta eſt etiam prima.* *Ariſtot.* Confirmatur: Ariſtotel. voluit exponere diſcrimen inter indiuidua, & rationes communes: quia indiuidua ſunt ſubiecta, de quibus rationes communes directè dicuntur, indiuidua autem de nullo prædicantur directè: ſed incompletæ ſubſtantiæ ſingulares de nullo ſubiecto directè prædicantur, vt hæc forma non prædicatur de alia forma: rationes verò communes prædicantur de indiuiduis incompletis: ergo definitio primæ, & ſecundæ ſubſtantiæ quadrat in incompletam. *Confirmatur.* *Ariſtot.*

§. 7. *Ariſt. exponitur.* Cum Ariſtot. dixit, primam ſubſtantiam neque in ſubiecto eſſe, neque de eo prædicari, ſicut ſecundæ

cundæ prædicantur: *ſubiectum* intelligit non inhæſionis,aut dependentiæ phyſicæ; ſed prædicationis: homo enim vt ſic, qui prædicatur de Petro, vt ſecunda de prima ſubſtantia, non dependet à ſubiecto: ſed eſt in Petro tamquam pars logica in toto logico, de quo directè prædicatur: atqui hæc omnia conueniunt tam incompletis ſubſtantiis,quàm completis.

§. 8. *Obiectio.* P.Suarez. Ariſtot. *Reſpondetur.*

Inquit P. Suarez Ariſt. locutum de prima ſubſtantia completa; quia agebat de recta prædicamentorum linea,cuius prima baſis eſt indiuiduum completum. Sed quid inde? Agens Ariſt. de illa, tradit definitionem communem etiam ſubſtantiæ incompletæ; quæ ſufficiebat Ariſtotelis inſtituto: quod ſi Ariſtot.id non animaduertit,parum refert; dum eius definitio communis eſt cuiuis ſubſtantiæ, quæ conuenit etiam incompletæ, etſi Ariſtot. noluerit eam definire: & ſicut indiuiduum completum eſt prima baſis prædicationum completarum, ſimiliter & incompletarum incompletum.

Indiuidua cur primæ ſubſtantiæ?

Indiuidua autem vocantur *primæ ſubſtantiæ*, id eſt, primò intentionaliter,quia quidquid habent, habent à parte rei:rationes autem communes vocantur *ſecundæ ſubſtantiæ*, id eſt affectæ ſecunda intentione,à qua habent & vniuerſalitatem,& prædicabilitatem. Vnde Ariſt. dixit *vniuerſalia aut nihil eſſe, aut poſterius eſſe.*

Ariſtot. *Non ſunt idē perſona & prima ſubſtātia vt ſic.*

Itaque humanitas Chriſti;hoc corpus, hic animus, & hæc vnio ſingillatim ſumpta ſunt primæ ſubſtantiæ,& non perſonæ:ergo in rebus creatis non recurrunt perſona, & prima ſubſtantia.

§. 9. *Alia reſponſio.* P. Suarez. Seuerinus.

Age: prima ſubſtantia ſit indiuiduum completum,adhuc identicè in idem recurrunt prima ſubſtantia, & ſuppoſitum, non verò formaliter, quia (vt rectè ipſe P. Suarez) nihil includit vnum,quod realiter non includat aliud. Quod confirmat definitio perſonę ex Seuerino,qui in identico ſenſu,& non formali videtur eſſe locutus. Nam in opinione ipſius P. Suarez vnitas formaliter includit negationem additam enti;ſuppoſitum autem in opinione eiuſdem conſtituitur formaliter modo poſitiuo:ergo in eius ſententia pluſquam ratione diſtinguuntur, nempe diſtinctione negatiua:abſolutè autem vnitas adæquata, & completa naturæ rationalis, & perſona diſtinguuntur ſola ratione, quia perſona includit omnes conceptus poſitiuos, & primarios:vnitas autem cōſtituitur iiſdem conceptibus ad diuiſionem relatis.

§. 10. *In diuinis nō idem perſona & prima ſubſtantia.*

Neque admodum arridet, quod ait P.Suarez,in diuinis non eſſe idem perſonam, & primam ſubſtantiam:inquit enim naturam diuinam,ſuppoſitis per intellectum præciſis,eſſe ſubſiſtentem, & completum indiuiduum Deitatis, & eadem ratione, primam ſubſtantiam,& non ſuppoſitum: hoc inquam non arridet: nam ipſe vult primam ſubſtantiam eſſe formaliter indiuiduum completum: ſed natura diuina præciſis ſuppoſitis, non eſt formaliter completa,licet ſit materialiter: ergo vt ſic non eſt formaliter prima ſubſtantia.

Natura diuina præciſis ſuppoſitis non eſt formaliter completa.

Probatur minor; quia ſuppoſita diuina complent naturam: cui non adueniunt otioſa: quantumuis ergo ſubſiſteret natura, adhuc illi deeſſet vltimus terminus, & complementum: & ſicut hic defectus efficit,vt natura non ſit perſona, item in ſententia P.Suarez efficere debet,ne ſit prima ſubſtantia.

§. 11. *Suppoſitū eſt integra natura complemento.*

Igitur ſuppoſitum eſt, *integra natura ſubſtantialis,completa vltimo modo ſubſtantiali:* Illud includere integram naturam, eſt clarum; quia partes naturæ diuiſim acceptæ, nec ſunt ſuppoſitum, nec perſona. Naturam debere eſſe completam ſubſtantialiter patet; quia deficiente parte aliqua ſubſtantiali, manca relinquitur natura. Vnde quatuor oriuntur explicanda. Primum, vtrum natura vltimò compleatur ſe ipſa? an per aliquid diſtinctum? Secundum, vtrum ille conceptus ſit res, vel modus? Tertium, quem præſtet formalem effectum? Quartum, quid ſignificetur in recto, natura ne? an ſubſiſtentia? quod ſequentibus ſectionibus præſto.

Quatuor quæſtiones.

SECTIO III.

Vtrum ſuppoſitum diſtinguatur à natura?

§. 12. *Suppoſiti diſtinctum cognoſcimus ex fide.*

Hanc quæſtionem non attigere veteres philoſophi. Natura enim nullum reliquit veſtigium, ſuppoſitum à natura diſtinguendi. Ex fidei autem principiis ortum trahit. Admittimus enim in Deo naturam vnam,& tria ſuppoſita, vel ſubſiſtentias; item Verbum aſſumpſit naturam humanam,humano ſuppoſito priuatam, eámque vniuit ſuo ſuppoſito, & non naturæ,hinc inquirimus diſtinctionem inter naturam, & ſuppoſitum. Explicata verò de ſuppoſito quæſtione, obiter explicatur de ſubſtantiis partialibus, è quibus ſuppoſitum coaleſcit.

Opinio Dur.

Durandus in 1.diſtinct.34.quæſt.1. num.15. variis opinionibus impugnantis affirmat, in rebus creatis naturam & ſuppoſitum diſtingui, in ſolo modo ſignificandi; quia natura ſignificatur in abſtracto,ſuppoſitum autem in concreto, verbi gratia, *homo*,& *humanitas*, *homo* enim ſignificat habentem humanitatem; *humanitas* autem rem ipſam habitam; cui conſentit expreſsè Caietan.1.par.quæſt.5.art.1.

Caietanus conſentit. *Prima ratio.* *Secunda.* *Tertia.*

Hanc ſententiam tuetur primò impugnatione cæterarum. Secundò, quia ſic ſe facile expedit ab aliis difficultatibus; & reſpondet argumentis ex fide petitis. Tertiò, quia hominis eſſentia eſt eius definitio:ſed definitio ſolum continet naturam, ergo eſſentia ſolam continet naturam, ergo homo non habet aliquid à natura diſtinctum; quia iam eius eſſentia eſſet pluſquam definitio.Admittit Durandus hanc propoſitionem *homo eſt humanitas*,ſicut has *Deus eſt Deitas, ens eſt entitas.*

§. 13. *Opinio Scoti.* P. Suar.

Scotus in 3. d. 1. quæſt. 1. §. *Non aſſerendo*, & pluribus in locis apud Pat. Suarez diſput.34. Metaphyſicæ, ſectio.2.num.8. docet, ſuppoſitum addere ſupra naturam duas negationes dependentiæ ab alio: alteram aptitudinalem; actualem alteram: quarum vtrauis deficiente, ſuppoſitum etiam deficere. Quapropter animus ſeparatus licet actu non ſit in toto, neque ab eo pendeat, eſt tamen natura ſua aptus in illo eſſe, & ab eo pendere; humanitas autem Chriſti, licet ex natura ſua non ſit apta ab alio pendere, niſi per potentiam obedientialem, pendet tamen actu à Verbo; cui vnitur hypoſtaticè,eáque de cauſa non eſt ſuppoſitum. *Prima ratio.* Primum fundamentum Scoti; hæ negationes ſufficiunt ad explananda fidei myſteria, & ratione naturali non poteſt alia diſtinctio probari: ergo. *Secunda.* Secundum, humanitas Chriſti fuit aſſumpta cum omni entitate poſitiua illi debita (teſte Damaſceno lib.3.cap.6.) *S.Damaſc.* ſed non fuit aſſumptum ſuppoſitum poſitiuum: ergo ſuppoſitum non eſt entitas poſitiua. *Tertia.* Tertium; quia Chriſti humanitas eſſet violenta; quia priuata perfectione ſibi connaturali. *Quarta.* Quartum, quia non poſſet humanitas à Verbo dimitti, quin illi aliquid adderetur nouum.

§. 14. *Non differūt Dur. & Scot.*

Hæ duæ ſententiæ parum differunt; quia Durandus ait,hominem ab humanitate diſtingui;quia homo

homo habet humanitatem:quod amittit in Verbô, quia per vnionem,qua illi vnitur, & innititur,habetur à Verbo;qua in parte ait Durandus, humanitatem degeneraſſe in accidens : ergo negatio dependentiæ eſt de conceptu formali ſuppoſiti ; patet conſequentia ; quia per ſolam dependentiam tollitur formaliter ſuppoſitum creatum , ergo per carentiam illius conſtituitur formaliter;ſicut tenebræ formaliter luce pelluntur, & lucidum conſtituitur ſola præſentia lucis. Vnde malè intulit Durandus, veritatem huius propoſitionis *homo eſt humanitas*, quia addit negationem dependentiæ, quæ non eſt humanitas.

Mala conſequentia Durandi.

§. 15. *Obiectio.*

Dices, hominem non includere negationem formaliter : ſed connotare ; & per ordinem ad illam diſtingui ratione ab humanitate, ſicut ens ab vno. Contra;quia iam probaui diſp.4.ſect.1.vnum non dicere negationem, ſed aliquid poſitiuum: quia ſublata vnione entis ad aliud etiam tollitur formaliter vnitas : ſed ſimiliter poſita vnione tollitur ſuppoſitum;ergo ſicut vnitas conſiſtit formaliter in vnione,ita ſuppoſitum in carentia vnionis: tunc enim vnus conceptus conſtituitur formaliter per aliquam formam, quando tollitur formaliter per contradictorium eiuſdem formæ, vt *album*, & *non album. Nigrum,*& *non nigrum :* quia *non nigrum* non conſtituitur per albedinem:ſed per carentiam nigredinis. Deinde humanitas vnita Verbo non amittit connotare negationem,quam ex ſe ſemper connotat, & petit eſſe per ſe cum ſuo ſuppoſito naturali : ergo in ſententia Durandi ſuppoſitum creatum non connotat, ſed formaliter includit negationem actualem.

Reſpondetur.

§. 16. *Opinio Durãdi leui fundamento innixa. Sola diuerſitas nominum non ſignificat diſtinctionẽ.*

Secundò, opinio Durandi leui innixa fundamento;nam pręciſa ſignificatio in nominibus concreto, & abſtracto, non arguit diſtinctionem rationis:ſed tantum vocis: ſed natura,& ſuppoſitum in opinione Durandi diſtinguuntur ratione concreti, ergo vel diſtinguuntur realiter, vel non diſtinguuntur ratione.Probatur minor : quia *ens*, & *entitas* non diſtinguuntur intellectu:ſed voce, ſicut *entitas,& aliquid:* nam ſi ens habet duos conceptus ratione diſtinctos,vnus non eſt alter:at in ente non ſunt duo conceptus;quorum vnus non ſit alter:ergo. Probo minorem,quia ille conceptus , à quo tu ais haberi entitatem,eſt formaliter entitas:nam ille vt diſtinctus ab entitate,eſt conceptus realis, ergo vt ſic diſtinctus habet rationem,qua ſit aptum eſſe: quæ ratio eſt entitas;ergo ille conceptus,vt diſtinctus ab entitate habet aliam entitatem , ergo illa includit alios duos conceptus, & ſic ſine fine : vel ſiſtendum in aliquo vno ſimplici conceptu, etiam ratione, qui ſignificetur nomine abſtracto,& concreto. Confirmatur ; aptum, & aptitudo ſunt nomina concretum,& abſtractum:& non ſignificant duos conceptus etiam ratione diſtinctos:ergo.Probatur minor , quia entitas eſt apta ad eſſendum, & etiam eſt aptitudo ; eſt enim ratio eſſendi:humanitas enim Chriſti etiam ſine ſuppoſito eſt entitas,& apta ad eſſendum. Confirmatur , tota humanitas Chriſti habetur à Verbo,& tota albedo à ſubiecto: albedo autem non ſolum eſt entitas:ſed etiam ens: quia albedo habet eſſentiam coloris : ergo res habita ab alio , poteſt eſſe habens ſuum conceptum ſine diſtinctione à ſe ipſa.

Confirmatio.

Confirmatio ſecunda.

§. 17. *Alia impugnatio Durandi.*

Præterea obiectum diuiditur in duos cõceptus, quando vel eſt principium diuerſarum operationum, vel connotat eaſdem extrinſecè modo diuerſo(vt ſæpe oſtendi :) ſed ſi homo non includit aliquem conceptum à parte rei ab humanitate diſtinctum,non habet diuerſas operationes, ac humanitas ; neque connotatum diuerſo modo reſpectum: ergo non diſtinguitur ratione : probatur minor; quia ſublata diuerſitate nominum , intellectus eodem modo concipit hominem , & humanitatem ſicut ens,& entitatem;aptum,& aptitudinem;non enim habent diuerſa connotata vnde vnum dicatur habens,& aliud habitum. Nam id,quod habet aliud , dicit aliquid ex parte obiecti, ratione cuius ſit habens:nam homo ideo dicitur animal rationale , quia connotat eaſdem operationes, quas illi duo conceptus partiales.

§. 18. *Obiectio. Contrà primò. Secundò.*

Dices , hominem concipi vt ſubiectum , & humanitatem vt formam. Contra , quia iam eſt impugnatum exemplo entis,& entitatis. Secundò,in homine quod eſt fundamentum ad concipiendam rationem ſubiecti,& formæ?Igitur illa varietas ſolum eſt in nomine, & in ſententia negante diſtinctionem inter hominem,& humanitatem,quęſtioni, *quid eſt homo ?* non bene reſpondetur *habens humanitatem :* ſed animal rationale ; ſicut quæſtioni, *quid eſt ens ?* ineptè reſpondetur,quod habet entitatem : nam cum ſit idem , *reſpondetur idem per idem:* ſed eſt reſpondendum , *ens eſt aptum*,vel *aptitudo ad eſſendum:*tunc autẽ reſpondetur verbo *habere*,quando ſignificãtur duo conceptus, vnus aliquo modo exiſtens in alio, vt *quid eſt album ? habens albedinem.* Itaque ſunt nomina concreta grammaticaliter tantùm : in quibus non eſt quærenda diſtincta forma à ſubiecto,vt anima vocatur *vita & viuens.*

§. 19. *Impugnatur vtraque ſententia. Natura Dei præciſa à relationibus nullam dicit dependentiã. Suppoſitum plus eſt quã negatio.*

Vtramque autem opinionem ſimul impugno primò ; quia natura diuina præciſa per intellectum à relationibus , nullam habet dependentiam ab alio ; ſed potius illius negationem;tam aptitudinalem , quàm actualem ; ibi enim nulla eſt imperfectio,nec magis dependet natura à relatione , quàm hæc ab illa ; ſed natura ſic præciſa non eſt ſuppoſitum, ergo ſuppoſitum non conſtituitur negatione dependentiæ;nam ſi eius conceptus communis eſſet ille , natura quidem diuina ſicut eſt independens,eſſet quidem ſuppoſitum,ergo licet humanitas etiam ab alio independens , non habet totam rationem ſuppoſiti : ergo ſuppoſitum humanum ſupra naturam aliquid addit præter negationem dependentiæ : neque apparet diſcrimen inter humana,& diuina hac in parte.

§. 20. *Reſp.Durãdi. Refellitur primò.*

Reſpondebit Durandus , naturam diuinam haberi à ſuppoſito. Contra primò , quia natura ſic præciſa à relationibus non intelligitur haberi à ſuppoſito ; ſed ab illo præſcinditur : ergo in illo conceptu formali nihil reperitur impediens ſuppoſitum. Secundò, quia ſuppoſitum diuinum non magis habet naturam , quàm natura ſuppoſitum; quia relatio diuina eſt tam independens,quàm natura , & è contra : cur ergo potius relatio dicitur ſuppoſitum , quàm natura ? in rebus creatis natura habet ſubſiſtentiam:quia illa informatur, vt ſubiectum : at in diuinis æqualis eſt omnium independentia.

Secundò.

Reſponſio ex Gabriele.

Ex Gabriele in 3. d.1. quæſt.1. art.1. reſponderi poteſt , licet natura habeat independentiam , tamen eam non habere negationem conſtituendi eſſentialiter Deum. Ad rationem enim ſuppoſiti requirit Gabriel tres negationes ; nempe dependentiæ actualis , & aptitudinalis , & conſtituendi eſſentialiter aliquid. Verùm Gabriel affirmat verum , repugnat enim ſuppoſito eſſe de conceptu eſſentiali rei : at in eius ſententia non congruit; quia ipſe non diſtinguit naturam à ſuppoſito. Vnde ſic argumentor ; humanitas à parte rei eſt ſuppoſitum : ergo tam ſuppoſitum quàm humanitas ſunt de conſtitutione eſſentiali hominis , & homo

Refellitur.

tam eſſentialiter eſt homo, quàm humanitas: & licet diſtinguerentur ratione; adhuc ſuppoſitum eſſet de primo conceptu hominis, quia non diſtingueretur in ordine ad aliquod connotatum ſecundarium, vt viſibile. Vel ergo Gabriel concedat, ſuppoſitum eſſe entitatem diſtinctam à natura, & ſic non erit de eſſentia rei, vel fateatur rationem ſuppoſiti duabus Scoti negationibus compleri; alioquin ex vtraque ſententia ſumit rationes repugnantes. Scotus enim ſola negatione dependentiæ ait ſuppoſitum compleri: Gabriel autem ſupra hanc negationem aliam reperiri: ſed eo præciſè, quod humanitas habeat negationem dependentiæ ab alio tamquam à toto, habet etiam illam negationem; quia dum non vnitur alij, illud non conſtituit. Videtur ergo Gabriel eam conditionem commentus, vt effugeret argumenti vim, quam conditionem ipſe non probat: ſed ſumit concluſionem ab omnibus datam: ab Scoto conſtituente negationem, quæ non eſt de conſtitutione eſſentiali hominis: à nobis ponentibus alium conceptum ab eſſentia adæquatè diſtinctum: ipſe autem pro libito loquitur. Aduerte contra Gabrielem, ſuppoſitum creatum à parte rei non habere tertiam iſtam negationem; quia à parte rei eſt eſſentia hominis, quod per diſtinctionem rationis auferri nō poteſt. (Loquor nunc ex ſententia Durandi.)

§. 21. *Secūdum argumentum. Suppoſita diuina formaliter non conſtituūtur negatione.*

Secundum argumentum ſumo ex ſuppoſitis diuinis, quę vt ratione diſtinguuntur ab eſſentia Dei, non conſtituuntur negatione: ſed poſitiuo conceptu ratione noſtra naturæ ſuperaddito, qui in Patre realiter diſtinguitur à Filio, & eſt ratio perſonas inter ſe realiter diſtinguendi, & conſtituendi vnum principium productiuum alterius. Quod negationi nullo modo poteſt conuenire: ergo ratio ſuppoſiti vt ſic non conſiſtit in negatione. Vnde ergo colligit ſuppoſitum creatum negatione conſtitui, cum includat conceptum ſuppoſiti vt ſic? qui conceptus non conſiſtit in negatione. Cedo ergo mihi rationem ſuppoſiti communem Deo & creaturis, repertam in creatura, ſicut reperitur ratio ſubſiſtentiæ.

§. 22. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices, ſuppoſitum vt ſic non eſſe commune Deo & creaturis; quia in Deo conſtituitur poſitiuo conceptu, ſecus in creaturis. Mirum eſt hoc in Scotica ſchola, admittente conceptus vniuocè communes Deo & creaturis; ſicut ergo eſſe ens, ſubſtantiam, &c. conuenit ſaltem per intrinſecam analogiam, cur non conuenit eſſe ſuppoſitum, cum vtrique attribuantur actiones, & paſſiones ſubſtantiæ, & denominationes aliç, ratione ſuppoſitorum? cur etiam non habebunt rationem communem ſuppoſiti, cui ſimiles attribuantur effectus? *Confirmatur.* Confirmatur, eſſe perſonam commune eſt Deo & creaturis; quia illis eſt communis definitio Boëtij, homo enim, & Deus ſunt ſubſtantiæ completę indiuiduæ rationalis naturæ: ſed conceptui poſitiuo, & negationi nulla datur definitio communis: ergo perſona creata non conuenit cum diuinis, ratione negationis: ſed per conceptū poſitiuum. Minor patet quia ens, & non ens in nullo conueniunt phyſicè.

§. 23. *Argumentū à diuinis.*

Vnde vrgeo argumentum, natura diuina cum ſit maximè independens, & actus puriſſimus, habet poſitiuam perſonalitatem virtualiter, & ratione à ſe diſtinctam (& in ſententia Scoti ex natura rei) cum qua perſonam conſtituit, & compleri intelligitur ad productiones in Trinitate immanentes, & ad tranſeuntes: cur eodem modo non ratiocinantur Durandus & Scotus, in naturis creatis, potentialitatem habentibus? aut cur volunt naturā creatam paucioribus egere quàm diuinam? cum potius hæc propter ſummam actualitatem paucioribus egeat, quia quod creaturæ mille præſtant inſtrumentis, Deus conficit ſine vllo.

§. 24. *Tertium ex incarnatione.*

Tertium argumentum petitur ex myſterio Incarnationis, vbi non intercedere duas perſonas, ſed vnam diuinam & humanam conſtitutam ex ſola Verbi perſonalitate & naturis diuina & humana, Fide ſanctum ex Theologia pono: tunc ſic. Verbum diuinum non aſſumpſit humanam perſonalitatem, & naturam aſſumpſit humanam: ergo humana perſonalitas nō eſt humana natura. Quam doctrinam comperies apud S. Anſelm. de Incarnatione c. 5. eſtque omnium Patrum aſſenſus. S. Anſelmus.

§. 25. *Obiectio Durandi. P. Vazquez. Reſpondetur. Euidens argumentum.*

Dicit Durandus, eas ratione diſtingui, non realiter: quo pacto excuſat hanc opinionem Pat. Vazquez tom. 1. in 3. d. 31. num. 4. Contra, ergo Verbum diuinum aſſumpſit realiter perſonalitatem humanam: patet conſequentia; quia quando duo conceptus ſola ratione diſtinguuntur, non poteſt vnus vniri vni tertio, quin eidem vniatur & alter, quia illa diſtinctio eſt extrinſeca denominatio, (vt ſæpius oſtendi;) ergo in Chriſto realiter ſunt duæ perſonalitates, ergo duæ perſonæ. Quam conſequentiam deducit S. Anſelmus ſupra; aſſerens in Chriſto non eſſe duas perſonas: quia non aſſumpſit perſonam, ſed naturam. Probatur ergo conſequentia, quia ibi eſt natura humana humano ſuppoſito perſonata realiter, item diuina diuino, ergo ſunt duæ perſonæ realiter, ac reciditur in Neſtorij errorem, adſtruentis in Chriſto duas perſonas. Nam vbi eſt tota eſſentia, & conceptus adæquatus duarum rerum, ſunt duæ res: ſed ibi eſſet conceptus adæquatus duarum perſonarum: ergo & duæ perſonæ.

§. 26. *Animaduerſio.*

Aduerte, quando vnitur vnus conceptus creatus, vniri realiter omnes cum illo identificatos, licet non vniantur formaliter, & reduplicatiuè: nam (vt oſtendi diſput. 1. de anima, ſect. 6. latius autem diſp. 6. metaph. à §. 19.) animus vnitur corpori ſecundum omnes gradus formaliter, formalitate à parte rei, licet non formalitate rationis: quia in eſſe non vnitur vt ſenſitiuus formaliter, id eſt, ad ſenſionem obeundam: à parte tamen rei, os in homine habet gradum ſenſitiuum, & rationalem: idem dicam in opinione Durandi. At verò in diuinis poteſt fieri vnio ad ſuppoſitum, quin ad naturam, licet ſola ratione diſtinguantur, propter virtualem diſtinctionem: vt producitur relatio, *vt quo*, & opponitur alj relationi: licet id naturæ repugnet: at in humanis id non reperies: quo patet ad argumentum P. Vazquez. *Ad P. Vazq.* Vnde in Chriſto erunt duæ perſonæ, vel ſuppoſitum pluſquam ratione diſtinguitur à natura humana.

§. 27. *Obiectio pro Scoto. Refellitur.*

Dicet Scotus, Verbum non aſſumpſiſſe ſuppoſitum, quia non aſſumpſit negationem dependentię: ſed potius eam deſtruxit per vnionem, per quam humanitas à Verbo dependet. Contra, natura humana retinet in Verbo vtramque negationem dependentiæ, & aptitudinalis (vt Scot. admittit) & actualis: ergo in Chriſto ſunt duę perſonę: conſequentia patet; quia ibi ſunt duo conceptus perſonarum integri, atque diſtincti. *Natura humana vt vnita eſt independens cōtra Scotum.* Probatur ſecunda pars antecedentis: natura humana actu vnita Verbo eſt actu independens à Verbo: ergo habet negationē actualis dependentię. Probo antecedens: natura humana habet omnes reales conceptus, per quos, ſi dimittatur à Verbo, ſubſiſtet ſine dependentia à Verbo in ratione ſuppoſiti: ergo per eoſdem eſt modo ab illo independens in ratione ſuppoſiti: antecedens datur ab Scoto, aſſerente humanitatem à Verbo dimiſſam, ſine noua entitate aut modo poſitiuo conſeruatū iri: & ratione patet; quia humanitas nō pendet

Digitized by Google

pendet à negatione vnionis, quam haberet, à Verbo dimiſſa: conſequentia probatur, quia illi conceptus reales, quos humanitas haberet à Verbo dimiſſa, tam efficaces eſſent ad illius conſeruationem in Verbo, quam extra illud.

§. 28. *Confirmatur.* Confirmatur: demus humanitatem Petri iam exiſtentis vniri Verbo, illa humanitas ante eam vnionem non dependebat à ſuppoſito humano; quia hoc addit per te negationem, à qua nihil poteſt phyſicè pendere: ſed animus & materia prima pendebant à ſolo deo efficienter, illarúmque vnio efficienter à Deo, & materialiter ab extremis: facta verò vnione ad Verbum, conſeruantur eædem cauſalitates, & non amittitur niſi negatio vnionis, à qua non pendet humanitas: ergo humanitas vnita Verbo eſt ab illo actu independens. Adde humanitatem non pendere à Verbo, niſi in ratione ſuppoſiti: ergo Verbum debet efficere in humanitate, quod connaturale ſuppoſitum: ſed à connaturali ſuppoſito non dependet humanitas, quia non dependet à negatione: ergo neque à Verbo. Quod ſi connaturale ſuppoſitum eſſet principium, à quo penderet humanitas, penderet quidem à Verbo ſupplente vices illius: at non ſupplet vices alicuius rei à qua pendeat humanitas; ergo neque pendet à Verbo per vnionem. Quod cenſeo apertam eſſe demonſtrationem.

Alia ratio efficax.

§. 29. *Alia obiectio. Reſp. primò.* Dices, ſuppoſitum non dicere negationem dependentiæ: ſed negationem vnionis ad aliud ſuppoſitum. Huc erat neceſſariò recurrendum. Contra, ſi humanitas ante vnionem erat homo, & ſuppoſitum: item vnio nihil ei ademit, neque eam fecit dependentem à Verbo, cur amiſit rationem ſuppoſiti? Aduerte, à me quæri huius rationem, eritque Chriſtus duæ perſonæ, cum habeat omnia requiſita ad dualitatem illarum. Adde ſuppoſito tribui actiones, & paſſiones. Non enim dicitur humanitas pati: ſed Deus homo in humanitate, ſicut ergo ante vnionem ſoli humanitati tribuũtur actiones, quid ni & poſt vnionem? In noſtra ſententia præſto eſt ratio, quia ſuppoſitum eſt requiſitum ad agendum, tanquam vltimum complementũ naturæ: ſolemus autem effectus tribuere formæ vltimò complenti. Item in ſententia Scoti eſt eadem ratio, quia humanitas pendet à Verbo. In tua autem ſentẽtia neque pendet à Verbo, neque Verbum eſt conditio illi ad agendũ requiſita; cur ergo Verbo tribuuntur actiones, & non humanitati, ſicut ante vnionem?

Secundò.

§. 30. *Confirmatio efficax.* Cõfirmatur, humanitas ante vnionem erat ſuppoſitũ, ſimiliter & Verbum: & per vnionẽ vtrumque vnitur: cur igitur illa vnio abſtulit ab humanitate rationem ſuppoſiti, & non à Verbo? quia per te de eſſentia ſuppoſiti eſt negatio vnionis ad aliud ſuppoſitum: ſed per illam vnionem Verbum vnitur alij ſuppoſito: ergo per illam vnionem Verbum deſinit eſſe ſuppoſitum: & quidquid huic argumento reſpondeatur, poteſt iiſdem terminis retorqueri.

Opinio Scoti & Durandi malè audiũt. P. Suarez. P. Valent. Oppoſita ſententia eſt etiã Scot. Baſſol. & Herrera. Hæ opiniones malè audiunt apud P. Suar. & Valentiam. Scot. autem in 3. d. 1. q. 1. §. *ideò propter iſtũ:* probabile cenſet ſubſiſtentiam eſſe conceptum poſitiuum. In primo autem ſuppoſitum conſtituit in termino poſitiuo. Pro qua ſententia congerunt Baſſolis, & Herrera Scoti non pauca teſtimonia: eius tamen diſcipuli volunt deteriorem partem illius tueri: ipſe tamen Herrera diſp. 9. q. 1. ait nullam perſonam poſſe per negationem conſtitui, & diſput. 8. q. 14. ait exiſtentiam diſtingui realiter à ſubſiſtentia tamquam à modo reali poſitiuo.

§. 31. *Argumẽtum ex concilijs.* Deinde, Concilia docent Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, ſed non ſuppoſitum: quæ definitio Conciliorum iuxta hanc ſententiam Scoti habet hunc ſenſum: *Verbum ſibi vniuit humanitatem, non relinquens eam ſine vnione ad ſe.* O admirabilem definitionem! Equidem valde indigebat Eccleſia Dei, vt omnes illius Patres in concilium cogerentur, & definirent Verbum aſſumpſiſſe naturam humanam, illam ſibi vniens, non relinquens inunitã: ac ſi in Hiſpania totius regni ſtatus cogerentur, ad deliberandũ de ſumma totius regni, ac poſtea ſancirent, hominem ſedentem non ſtare, & quieſcentem non currere: quis non arbitraretur, eos homines eſſe nugaces? Neque hic ſenſus quæſtionis vnquam incidit in hæreticorum mentes; ſed illi adſtruebant Verbum diuinum facta vnione eſſe duas perſonas; non autem aſſerebant humanitatem facta vnione eſſe vnitam, & non vnitam; neque Eccleſia eos damnat ob hanc ſecundã propoſitionem, qua nihil verius, ſed quia admiſſa vnione, admittũt in Chriſto duas perſonas; Sancti verò Patres aiunt, eos iniſertime erraſſe, quia non diſtinguunt naturam à ſuppoſito: at illi rectè diſtinguebãt vnionem ab eius priuatione: aliud ergo hæretici volũt, quod Eccleſia damnat. O quanto iure hæretici concilia irriderent, ſi aduerſus eorum inſanias, definirent humanitatem ita eſſe vnitam Verbo, vt non manſerit inunitã. Neque opus eſt alio argumento contra Durandum & Scotum, niſi ex eorum ſententiis multas definitiones Eccleſiæ, quibus vniuerſus nititur Chriſtianiſmus, reddi ineptas, ridiculas, atque iocoſas. Vide Patres apud P. Suar. diſp. 34. met. ſect. 2. n. 6. Præſertim Valent. tom. 4. diſput. 1. q. 4. punct. 2. mordet hanc opinionem Scoti: recognoſce etiam P. Vazquez tom. 1. in 3. p. diſput. 31.

Definitio cõcilij eſſet ridicula in ea ſententia Scoti & Durandi.

Patres apud Suar. & Valentiam. P. Vazquez.

§. 32. *Vltima ratio.* Tandem, ſi ratio ſuppoſiti humani in negatione conſiſtit, non poteſt Verbum hypoſtaticè ſibi humanitatem vnire: ergo. Probo antecedens, quia Verbum ſupplet vices hypoſtaſis, & perſonalitatis creatæ; tribuitque humanitati effectum formalem, & denominationem, quam tribuit hypoſtaſis creata; ſed non poteſt conceptus realis Verbi præſtare formalem effectum, & denominationem negationis: ergo. Probatur minor; tum quia negatio, & Verbum ſimul cum vnione hypoſtatica opponuntur contradictoriè; quia per te negatio eſt negatio dependentiæ, & per te vnio eſt dependentia humanitatis ad Verbum, rectè autem ſuppleri poteſt effectus vnius formæ per formam illi contradicentem. Tum etiam, quia negatio in nullo conceptu conuenit phyſicè cum ente, quo ergo pacto ens illius vices ſupplebit? Nam tunc conceptus perfectior ſupplet vices imperfectioris, quando conueniunt vterque in vno conceptu communi, & alter tribuit tam effectum formalem vtriuſque quàm ſuum proprium, & ſpecificum, ſublatis imperfectionibus alterius, cuius vices ſupplet, verbi gratia, cognitio diſcurſiua reddit hominem ſcientem, ſi Deus loco illius communicet eidem homini cognitionem comprehenſiuam de eodem obiecto ſine diſcurſu; hæc ſupplet vices prioris, illius imperfectionibus ſublatis: & non poteſt ſupplere negationem diſcurſus, aut cognitionis. Quod idem patet in Verbo, quod neceſſariò debet ſupplere conceptum realem, non verò negationem.

Defectus vnius rei ſuppletur per meliorem.

§. 33. *Ad argumẽta Durandi.* Argumenta Durandi in §. 12. ſunt futilia. Ad primum reſpondetur, ſuppoſitum non eſſe de eſſentia hominis; ſicuti eſt definitio, ſicut nec Paternitas eſt de natura, & eſſentia Dei, de quo infra diſputabitur. Ad ſecundum Scoti, Chriſtum aſſumpſiſſe totam entitatem eſſentialem, & non repugnantem vnitati perſonæ, ſicut ſuppoſitum repugnat. Ad tertium, nego antecedens, quia res non eſt violenta, quando loco perfectionis ſibi debitæ, illi

Ad primum. Suppoſitũ non eſt de eſſentia hominis. Ad ſecũdum Scoti. Ad tertium.

Humanitas non eſt violêta in Chriſto. illi datur alia maior, nam violentia arguit reluctâtiam, & repugnantiam rei, vt cum lapis proiicitur ſurſum, & aqua calefit, quia diuelluntur è propria ſede, & perfectione: at verò ſubſiſtentia diuina multo melius perficit naturam, quàm humana. Neque item Beati ſunt violenti, licet careant aliqua cognitione naturali circa Deum; quia habent aliam perfectiorem, de quo egi in 3. p. *Ad quartũ.* Ad quartum, nullum illud eſt inconueniens, quia humanitas dependet aliquo modo à ſua perſonalitate.

SECTIO IV.

Appendix de diſtinctione ſuppoſiti Angelici, à natura.

§. 34. *Naturæ irrationales diſtinguuntur à ſuis ſuppoſitis.* EX dictis ſolum confici videtur, naturam humanam diſtingui realiter à ſuo ſuppoſito: vnde infero eodem pacto diſtingui naturas irrationales à ſuis: tum quia materia hominis priuatur in Chriſto ſua ſubſiſtentia, & naturæ irrationales materia conſtant: tum quia homo eſt illis omnibus nobilior, & habet hanc ſubſtantialem compoſitionem, quæ arguit imperfectionem: ergo eamdem habebunt irrationales ſubſtantiæ. Quod nullo modo negare poſſunt qui ex aſſumptione humanitatis ad verbum hanc diſtinctionem colligentes, aiunt aſſumi etiam poſſe irrationales ſubſtantias, & triduo mortis Chriſti ab eo fuiſſe cadauer aſſumptum.

§. 35. *De Angelis neutra pars certa. Explicatur Paulus.* P. Ribera. De Angelis maior eſt controuerſia. Equidem arbitror, neutram partem poſſe ſatis oſtendi. Nam teſtimonium Pauli, ad Hebr. 2. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit,* intelligitur à Pat. Ribera non de aſſumptione per vnionem hypoſtaticam, ſed de redemptione, id eſt, *nuſquam apprehendit*, id eſt ſuſcepit Angelos redimendos per ſe: Item adhuc ſub lite eſt, *poſſit ne ſuppoſitum creatum aſſumi à diuino?* Nam qui aiunt poſſe, dicent Angelos perſonatos potuiſſe à Verbo aſſumi: licet non priuentur propria ſubſiſtentia; in humanitate verò conſtat, non manſiſſe ſuppoſitum proprium; quia Chriſtus eſt vna perſona: quamuis potuerit manere proprium ſuppoſitum, vt dixi in 3. p. Deinde argumenta ſuperius facta facilem habent explicatum in Angelis. Tertium enim de humanitate aſſumpta probat, ſubſtantiarum materialium ſuppoſita à naturis eſſe diſtincta, non verò immaterialium, quod non obſcurè docet S. Thom. 1. part. quæſt. 5. artic. 3. quem *S. Thomam, Pat. Suar. & Caietan. durè exponunt.* ſatis durè P. Suarez & Caietan. exponunt: diſcrimen ſumi poteſt, quia ſubſtantiæ materiales ſunt imperfectiores Angelicis, admittunt enim ſubſtantialem compoſitionem, qua vna pars perficitur per ordinem ad aliam: & non mirum eaſdem ſubſtantialiter in ſe perfici; Angelicæ verò naturæ non admittunt tale genus perfectionis.

§. 36. *Expenditur argumentum à diuinis.* Primum autem argumentum ex natura diuina nihil videtur concludere, quia in natura diuina oritur diſtinctio rationis à ſuppoſito propter ſummam eius perfectionem, qua petit communicari tribus ſuppoſitis propter productionem ad intra vnius ab alio: ad quod requiritur diſtinctio perſonæ producentis à producta. Quam diſtinctionem conſtituit oppoſitio relatiua per ſuppoſita: in Angelica verò natura nihil tale reperitur, quia ipſa per ſuum conceptum eſt diſtincta à quouis eius effectu. Illud autem argumentum probat quidem, in homine diſtingui ſuppoſitum realiter à natura: quia aſſumpta eſt natura ſine ſuppoſito; & non diſtinguuntur negatiuè, ergo poſitiuè. In Angelo autem nihil probat.

Secundum autem argumentum de ſuppoſitis diuinis probat apertè, ſuppoſitum Angelicum eſſe conceptum poſitiuum, illud autem eſſe re, aut ratione à natura Angelica diſtinctum, non probat. Adde non oſtendi repugnantiam, creari poſſe ſubſtantiam identificatam cum ſuo ſuppoſito. Vnde: ergo ſcitur eam non eſſe Angelicam? Dices Angelos eſſe capaces vnionis hypoſtaticæ, cum ſint homine perfectiores. Verùm admiſſo perſonam ab alia aſſumi non poſſe, nego antecedens: quia homo eſt capax illius perfectionis per potentiam obedientialem paſſiuam, ſuppoſita naturali imperfectione diſtinctionis realis ſuppoſiti à natura; quod non eſt mirum: quia maior perfectio eſt habere repugnantiam cum tali perfectione, ortam ex naturali ſimplicitate, & negatione compoſitionis ſubſtantialis. §. 37. *Aliud expenditur.* *Obiectio.* *Reſpondetur.*

§ 38. *Oppoſita probatur.* Contra verò, hæc ſententia nullo nititur fundamento; ſed oppoſita conatur conuellere. Quod enim ait non repugnare ſubſtãtiam creatam identificatam cum ſuo ſuppoſito, facile negatur: nam ſicut repugnat ſubſtantia creata identificata cum ſua operatione, ita & cum ſuppoſito, nam tanta ſimplicitas eſt propria diuinæ naturæ, vt rectè probat S. Thom. 2. contra gent. cap. 52. & 53. S. Thom.

§. 39. *Omnis naturæ creabilis diſtinguitur realiter à ſuppoſito.* Cenſeo tamen probabilius, *quamlibet naturam ſubſtantialem creatam vel etiam poſſibilem habere ſuppoſitum à ſe ipſa à parte rei diſtinctum.* Ita Pat. Suarez diſput. 34. ſect. 3. num. 9 Quam credo eſſe communiorem opinionem, diſertiſque verbis eam tradit S. Thom. 2. contra gentes, cap. 52. & 53. Cuius teſtimonia contra nonnullos eius diſcipulos adduxi diſp. 8. ſect. 4. & 3. p. q 4. art. 1. Ad tertium aſſerens poſſe produci Angelum & aſſumi, quin tunc corrumpatur ſuppoſitum: at exiſtens iam non poſſet aſſumi ſine ea corruptione: quod tamen dedecere videtur Deum. Idem patet ex 3. d. 2. q. 1. art. 2. Quid autem velit S. Doctor, 1. p. q. 3. art. 3. ſanè non intelligo, ſicut nec Caietanus & Pat. Suarez videntur aſſecuti. Caietan. autem 3. part. q. 2. art. 2. eam tuetur vt S. Thomæ. P. Suarez. S. Thom. *Difficilis locus S. Thomæ.*

§. 40. *Prima ratio.* Prima coniectura eſt ex humanitate, quæ à ſuo ſuppoſito realiter diſtinguitur, & non ſatis oſtenditur eam diſtinctionem oriri ex conceptu ſubſtantiæ materialis: nam licet habeat compoſitionem eſſentialem, cur propterea admittet aliam compoſitionem ſubſtantialem, magis quàm ſubſtãtia ſpiritualis? Cuius nulla poteſt eſſe ratio præter tenacitatem voluntatis, nolentis à diuinis ad creata diſcurrere: quod apertè confirmo, quia ex compoſitione materiæ, & formæ nullum habemus vel leuiſſimum argumentum naturale ad diſtinguendum ſuppoſitum à natura; ſed illud præcipuè ſumimus ex Incarnationis myſterio: vnde igitur argumentum ſumis ex conceptu materiali ad negandam eam compoſitionem in Angelo, cum ad eam confirmandam in homine tibi non fuerit argumento materialitas humanitatis? Rectè cenſuit Ariſtoteles eſſe ingenij indiſciplinati, nõ flecti niſi euidenti argumento, cum oporteat & probabili fidem habere. Vide P. Suar. exponentem S. Thom. & Ariſt. qui nunquam loquitur de natura, & ſuppoſito, ſed de conceptu ſpecifico, & indiuiduali. *Confirmatur.* P. Suarez. S. Thomas. Ariſtot.

SECTIO V.

Vtrum ſubſiſtentia ſit res? an modus naturæ?

§. 41. REiiciendæ ſunt nonnullæ opiniones, quas cõfutat Durand. in 2. d. 34 q. 1. & P. Suar. diſp. 34. ſect. 3. Durand. P. Suarez.

Suppoſitũ non eſt accidens. *Secundo.* *Tertio.* *Suppoſitũ non addit conditiones indiuiduas.*

ſect. 3. & 4. quas quam breuiſſimè præſtringo. Ac primum: ſuppoſitum nullum eſſe accidens, inde patet, quia accidens non conſtituit, ſeu componit hominem, cum ſit conceptus ſecundarius: ſuppoſitum autem hominem conſtituit, quia ſine ſuppoſito non eſt homo: ſed humanitas. Secundò, quia myſterium Incarnationis fieret accidentali vnione, quia vnio naturæ ad accidens eſt accidẽtalis, quam ſuppleret vnio hypoſtatica, quæ itidem eſſet accidentalis. Neque poteſt per accidentalem vnionem ſuppleri vnio ſubſtantialis propter oppoſitos exiſtendi modos, nempe perſeitatem, & inhærentiam. Neque item ſuppoſitum addit naturæ conditiones indiuiduas: tum quia ſuppoſitum realiter diſtinguitur ab hac numero humanitate Chriſti, eius autem indiuiduatio non diſtinguitur: tum quia indiuiduatio eſt à parte rei eſſentia Petri, ſecus verò perſonalitas: tandem quia homo vt ſic realiter diſtinguitur ab humanitate vt ſic, & tam ſuppoſitum, quàm natura habent rationes communes, quas oportet contrahi per hoc ſuppoſitum, & hanc naturam.

§. 42. *Suppoſitũ non eſt exiſtentia natura.* *P. Suarez.* *Capreolus impugnatur. P. Suarez.* *Suppoſitũ non eſt extrinſecum.* *Explicatur Capreolus.*

Neque item ſuppoſitum eſt exiſtentia rei, tum quia humanitas non diſtinguitur à ſua exiſtentia: diſtinguitur tamen à ſuppoſito, vt patet in Chriſto: tum quia eſto diſtinguatur, tamen non poteſt de potentia abſoluta humanitas produci, quin eadem actione producatur exiſtentia: poteſt tamen produci, quin producatur ſuppoſitum: & effectus formales vtriuſque ſunt diuerſi, quia exiſtentia conſtituit rem in actu: ſuppoſitũ autem complet iam exiſtentem. Quapropter miror Pat. Suar. affirmantem, non eſſe cur ſuppoſitum ab exiſtentia diſtinguatur, ſi hæc diſtinguitur ab eſſentia: admiſſa enim ea diſtinctione inter eſſentiam & exiſtentiam, poteſt amitti ſuppoſitum, exiſtentia neceſſariò manente; licet enim eſſentia diſtinguatur ab exiſtentia humanitatis Chriſti, potuit humanitas aſſumi ſine ſuppoſito, non tamen ſine exiſtentia: & in diuinis, exiſtentia ratione diſtinguitur à ſuppoſitis; datur enim vna communis, & abſoluta exiſtentia: non tamen commune ſuppoſitum. Nec placet opinio Capreoli, cuius meminit P. Suar. ſect. 4 num. 3. conſtituit enim ſuppoſitum formaliter in exiſtentia, eamque ait homini eſſe extrinſecam. Impugnatur, quia ſuppoſitum conſtituit hominem: homo autem non eſt homo per aliquid extrinſecum, ſed intrinſecum: exiſtentia autem quo pacto eſt extrinſeca? Eius impugnationem vide apud Pat. Suarez. Aduerte tamen Capreolum, in 3 d. 5. q. 3. art. 3. ad primam contra ſecundam concluſionem non vſurpare *extrinſecum* pro extrinſeca denominatione, ſed pro re extra naturam & eſſentiam, id eſt, ſuppoſitum nec eſſe eſſentiam, nec partem illius; ſed ait eſſe actum ſubſtantialem, quo natura dicitur eſſe vt *quod* ſicut exiſtentia eſt actus quo natura eſt vt *quo*.

§. 43. *P. Suarez Opinio de modo.* *Prima ratio.*

P. Suar. num. 24. & 33. affirmat ſuppoſitum creatum eſſe conceptum ſubſtantialem diſtinctum à parte rei à natura diſtinctione modali: eum conceptum eſſe ſubſtantialem probatum eſt, quia nõ ſupponit hominem, ſed conſtituit; homo autem non eſt accidens, nec per accidens, ſed ſubſtantia, *quæ non componitur niſi ex ſubſtantiis*, eum conceptum eſſe modũ, & non rem abſolutam, probat primum, quia hæc diſtinctio inducta eſt ex myſterio Incarnationis: ſed inde tantum probatur diſtinctio à parte rei, non autem rei à re, ergo non eſt admittenda maior diſtinctio, quàm modalis: conſequentia patet ex communi principio, *non eſſe entitates multiplicandas ſine vrgenti neceſſitate*, hic autem multiplicaretur vnio naturæ ad ſuppoſitum, ſi hoc eſſet res abſoluta: antecedens patet: quia ex eo myſterio tantum infertur poſſe naturam ſuppoſito priuari, quod contingit etiam modis, quibus non exiſtentibus, nihilominus natura exiſtit, vt animus ſine vnione. Reſpondeo ex eo myſterio id tantum colligi: at verò ex communi ratione modi colligi ſubſiſtentiam non eſſe modum, quia non eſt determinatio eſſentialis vnius rei ad aliud, vt diſput. 2. ſect. 5. probaui, alibi probaturus. *Reſpondetur.*

§. 44. *Secũda ratio.* *Reſpondetur. Subſiſtentia creatiua opponitur inhærentiæ immediatè; nõ vero terminatiua: & illa eſt modus.*

Probatur ſecundò, quia inhærentia accidentis non eſt res, ſed modus illius, ergo neque ſubſiſtentia; patet conſequentia, quia ſicut inhærentia eſt modus eſſendi in alio, & modus exiſtentiæ accidentariæ, ita ſubſiſtentia eſt modus eſſendi per ſe, & modus exiſtentiæ ſubſtantialis. Diſtinguo conſequens; ſubſiſtentia, quæ formaliter ſuppoſitum conſtituit, eſt modus eſſendi per ſe, aut perſeitas, nego conſequentiam, & eius probationem: ſubſiſtentia, per quam creatura producitur independenter à ſubiecto inhæſiuè, concedo conſequentiam: nam (vt ſect. 6. probabo) effectus formalis ſuppoſiti non eſt conſtituere formaliter naturam independentem inhæſiuè, ſeu à ſubiecto; id enim præſtat creatio, *quæ eſt productio entis independenter à ſubiecto*: vnde ſicut inhærentia eſt actio, & eſſentialis determinatio agentis, & ſubiecti ad terminum; ita creatio eſt actio, & eſſentialis determinatio agentis ad terminum ſine concurſu ſubiecti; & ſicut ad inhærentiam ſequitur ex natura rei vnio accidentis ad ſubiectum, ita ad creationem ſequitur ex natura rei vnio ſubſtantiæ ad ſuppoſitum.

§. 45. *Tertia ratio.* *Prima quæſt.* *Secũda quæſt.*

Tertiò arguit: quia ex hac ſententia facilè reſpondetur quæſtionibus de ſubſiſtentia, quibus plenè ſatisfieri nequit, ſi ſubſiſtentia ſit res, & non modus. Primum enim quæritur *ſit ne ſubſtantia, an accidens?* Si ſubſtantia, cur non comprehenditur in diuiſione ſubſtantiæ in materiam, formam, & compoſitum? ſi autem eſt modus, comprehenditur ſingulis partibus diuiſionis, nam materia intelligitur completa in ſuo eſſe, ſimiliter & forma. Atque illa diuiſio conuenit ſubſtantiæ reali, non modali. Secundò quæritur ſit ne forma? an ſubiectum? & quidem propriè non eſt forma, ſed eſt modus exiſtendi per ſe, cuius ſignum eſt cum à Verbo intrinſecè ſuppleri, at forma ſuppleri non poteſt.

§. 46. *Reſpondetur. Ad primam quæſtionem. Ariſtoteles ignorauit diſtinctionem ſuppoſiti.* *Ad ſecũdam quæſtionem.*

Verum his plenè, & planè ſatisfiet. Primæ quæſtioni reſpondetur, ſubſiſtentiam eſſe ſubſtantiam: ab Ariſt. ea diuiſione non incluſam, quia eam ignorauit, & quia ibi diuiditur ſubſtantia phyſica: ſic autem non includuntur Angelus, neque conceptus ſuppoſiti communes corpori & Angelo; reducitur autem ad ſingula membra diuidentia, quia vnumquodque intelligitur completum ſubſtantialiter in in ſuo eſſe partiali, vel totali, licet illud complementum ſit res, & non modus. Secundæ quæſtioni reſpondetur, ſuppoſitum neque eſſe materiam, neque formam: reduci tamen ad formam, quia ſuam denominationem tribuit naturæ. Quæ melius ſuppleri poteſt à Verbo, quàm modus; formam autem non ſupplet Verbum, quia illa eſt ex ſuo conceptu communi pars quidditatiua, & ens incompletum: ſuppoſitum autem ex communi conceptu abſtrahit ab ente completo, & incompleto.

§. 47. *Quarta ratio.* *Prima quæſt.*

Quartò arguit ex myſterio Incarnationis, cuius multæ difficultates facilè expediuntur in hac ſententia. Primum enim ſolet interrogari, *Vtrum humanitas proprio ſuppoſito terminata, poſſit ſimul terminari alieno?* Communiter reſpondetur, non poſſe, cuius ratio vix reddi poteſt, ſi perſonalitas eſt res abſoluta: ſi enim eadem humanitas poteſt ſimul

vniri omnibus perſonis diuinis (vt docent Theologi probatiores) cur non poterit vniri illi entitati ſimul & filiationi diuinæ? nam duæ vniones ſimul inter ſe non repugnant: ſi ſuppoſitum eſt modus per ſe exiſtendi, habet intrinſecam repugnantiam exiſtendi in alio.

§. 48. *Secūda quaſt.* Secundò ſolet rogari, *An perſona creata alienam poſſit terminare naturam?* Reſpondetur autem communiter negatiuè, quia perſonalitas creata eſt modus, qui cui ſemel vnitur, neceſſario vnitur. *Tertia quaſt.* Interrogatur tertiò, *poſſit ne perſonalitas ſine natura conſeruari diuinitus?* Communiter autem negatur: quia perſonalitas eſt modus. Neque hæc me vrgent. *Ad primam quaſt.* Primæ enim quæſtioni reſpondetur; eumdem effectum formalem præſtari à ſuppoſito, ſiue ſit res, ſiue modus; nam ſi effectus illius modi eſt reddere naturam per ſe ſtantem, & incommunicabilem alteri ſuppoſito, idem præſtabit res: nam quare repugnabit entitatem abſolutam præſtare hunc effectum? *Suppoſitū in omni ſententia dat eumdem effectū.* Dices, quia non eſt modus exiſtendi per ſe. Contra, quia perſonalitas non eſt modus independendi à ſubiecto, ſed eſt vltima actualitas naturæ à qua dicitur eſſe per ſe: vel eſt habere iam totum complementum, ad eſſendum, ergo eadem eſt ratio ſiue ſit res, ſiue modus.

§. 49. *Confirm.* Confirmatur, ex Verbo diuino, quod facit naturam humanam per ſe ſubſiſtentem, à quo non habet maiorem, neque aliam dependentiam, quàm à ſuppoſito naturali; quia ejus vices, & formalem effectum ſupplet Verbum, per quod tam ſubſiſtit, & perſonatur humanitas, quàm per proprium ſuppoſitum, & hoc præſtat Verbum, cum ſit res, & non modus. Communis igitur eſt hæc difficultas vtrique ſententiæ: ſect. autem 6. oſtendam effectum formalem perſonalitatis neque eſſe reddere naturam incommunicabilem, neque independentem. *Ad ſecūdam quaſt.* Secundæ quæſtioni reſpondetur, de potentia abſoluta poſſe ſuppoſitum creatum terminare alienam naturam. Durand. Scot. P.Suarez. Ita opinantur Durandus, Scotus, huiuſque diſcipuli apud ipſum P.Suarez ſect. 2. num. 14. quod inferius latè diſquiram. *Ad tertiam.* Tertiæ quæſtioni reſpondetur, poſſe conſeruari ſuppoſitum, ſicut qualitates, actuum vitalium, cæteraſque res abſolutas. Qui verò id negant, negant etiam potentias vitales, & actus ſine ſubſtantiis poſſe conſeruari, qui conſequenter id negant de ſuppoſito: ſed ſicut antecedens eſt falſum, ita & conſequens.

§. 50. *Suppoſitū non eſt modus, ſed ens abſolutè.* Igitur ſuppoſitum non eſt modus, ſed entitas abſoluta: probatur à priori ex diſp. 2. ſect. 5. quia omnis modus naturæ eſt eſſentialis determinatio illius ad aliud: ſed nullum ſuppoſitum creatum eſt eſſentialis determinatio naturæ ad aliud: ergo nullum ſuppoſitum creatum eſt modus naturæ. *Probatur maior.* Maior probatur, tum inductione in vnione inuicem duo extrema determinante: in actione, & paſſione determinante agens hoc, & hoc ſubiectum ad hunc effectum: in vbicatione determinante hoc mobile ad hoc ſpatium, & diſtantiam, id eſt, ne plus, minúſve diſtet ab aliis rebus, &c. ſola ergo ſubſiſtātia erit modus, quin ſit determinatio; tum quia modus eſt ad tollendam indifferentiam vnius rei ad aliam: ſi enim res eſt determinata ex ſuo conceptu ad aliquid, ad id non indiget alio conceptu à ſe diſtincto.

§. 51. *Animaduerſio.* Recognoſce illam ſect. 5. & aduerte in re indifferenti eſſe tria: primum, res ipſa indifferens: ſecundum, terminus ad quem eſt indifferens; tertiū, determinatio actualis rei ad terminum, vt in agente & termino patet; ſimiliter in vbicatione: quæ determinat mobile ad certam diſtantiam, vel propinquitatem cum aliis: ad tollendas ergo eiuſmodi indifferentias ponuntur modi. Probatur minor primi ſyllogiſmi: quia ſuppoſitum non determinat naturam, vt ſit independens ab aliquo; quia independentia eſt negatio, & non conſtituitur conceptu poſitiuo: ſed ex illa ſequitur, vt patet in creatione, quæ eſt determinatio eſſentialis creantis ad terminum, eſtque dependentia termini à creante cum negatione dependentiæ à ſubiecto: at ſuppoſitum non eſt dependentia creaturæ à creante, quia non eſt creatio: ergo ſuppoſitum non eſt determinatio naturæ ad independendum à ſubiecto: nam ſi hoc eſſet, eſſet etiam determinatio ſolius efficientis ad terminum. *Probatur minor.*

§. 52. *Natura non eſt indifferens ad varia ſuppoſita: nec hæc ſunt determinatio.* Neque item eſt actualis determinatio naturæ ad exiſtendum per ſe, & non in alio ſuppoſito: quia natura non habet indifferentiam ad varia ſuppoſita, ſicut corpus ad varia loca (vt ſect. 6. probabo.) Adde hanc determinationem non eſſe ad aliud, neque eſſe propriè determinationem eſſentialem; ad quid enim determinatur natura per ſuppoſitum? forma determinatur ad materiam per vnionem, & corpus ad locum per vbicationem: demus autem effectum formalem ſuppoſiti eſſe conſtituere naturam incommunicabilem alteri ſupoſito, adhuc illa incommunicabilitas non eſt modus: ſicut nec impenetrabilitas quantitatis: nam conſtituere rem incommunicabilem alteri oritur ex conceptu poſitiuo rei in ſe, vt impenetrabilitas, (quæ eſt negatio duorum corporum in eodem loco,) oritur ex quantitatis extenſione: & incompoſibilitas duarum formarum ſubſtantialium ſimul in eadem materia oritur ex exiſtentia vnius formæ in eadem materia. Itaque ſubſiſtentia non eſt exercitium actuale, quo tollatur aliqua indifferentia naturæ ad aliud.

§. 53. *Modus duo diſtincta connotat. Res de ſe determinata, nō eget alio determinante.* Modus igitur ſemper connotat duo, & id quod determinat, & id ad quod determinat: quod inde confirmo, quia quando vna res ſe ipſa eſt determinata ad aliquid, non eget ad id determinatiuo à ſe diſtincto; vt cognitio non eget aliquo determinatiuo ad obiectum: quia ad illud ſe ipſa determinatur: Neque Deus ad locum, quia per ſuam ſubſtantiam eſt immenſus, & ſimul determinatus ad omnia loca; quando verò potentia ſe ipſa non eſt determinata ad hunc numero effectum, determinatur per hanc numero actionem. Sunt tamen determinationes ad ſuam ſpeciem, ſicut anima eſt determinatio materiæ ad hominem: ſed de his determinationibus non agimus. Colliges etiam, denſitatem, & raritatem non eſſe modos, quia corpus denſum eſt indifferens ad varia loca, licet in ſingulis tantum occupet loci. *Raritas, & denſitas non ſunt modi.*

§. 54 *Secunda probatio. Verbum Dei nō poteſt ſupplere modum.* Secundo probari poſſet concluſio argumento quidem non euidenti; ſed magnam facienti fidem. Nam Verbum diuinum non poteſt ſupplere effectum formalem modi, tum, quia ſicut forma ſubſtantialis, licet ſit ſubſtantia, quia in conceptu formæ includit imperfectionem, non poteſt ſuppleri à Verbo, ita ſuppoſitum modale, licet habeat rationem communem ſuppoſiti, quia tamen habet communem imperfectionem modi, non videtur poſſe ſuppleri. *Obiectio.* Video reſponderi poſſe, non poſſe à nobis diiudicari quanta conuenientia requiratur, vt poſſit ſuppleri formalis effectus; nam etiam ſuppoſitum creatum, licet ſit res, habet tamen communem imperfectionem complementi. *Reſpondetur. Verbum melius comparatur ad ſubſiſtentiam non modalem.* Sed maiori cum proportione ita comparantur Verbum & ſuppoſitum creatum, vt vtrumque ſit terminus non modalis, ſed realis: & vtrumque vniatur vnione à ſe diſtincta, ita vt vnio reſpondeat vnioni, & ſuppoſitum ſuppoſito. Suppoſitum creatum non eſſe modum, ſed rem adſtruxerunt Caietanus, 3. part. quæſt. 4. *Caietanus conſentit.*

Digitized by Google

Ferrar. P.Suarez. quæſt.4. art.2. & Ferrarienſis 4. contra gentes,cap. 43. Quos etiam P. Suarez adducit ſupra num. 18. & ex noſtris neothericis id nonnulli affirmant.

§. 55. Herrera. S.Thom. Durand. Henric. Hæruæus. P. Valent. Quam etiã docet Franciſcus Herrera in primum, & S.Thomas, dum ſubſiſtentiæ tribuit eſſe ſubiectum naturæ, quod modis repugnat: ſicut & alij effectus, quos illi S. Thom. adſcribit. Conſentit apertè Durandus, dum naturam à ſubſiſtentia ſola ratione diſtinguit. Item Henricus quodlib.4. q.4. & quotquot eam à natura ſola ratione diſtinguunt: vt Hæruæus & alij: Pater Valentia, tom.4. diſput. 1. quæſt. 4. p.2. impugnat opinionem aſſerentium ſubſiſtentiam eſſe modum in verſu, *ſexta opinio eſt:* & hanc ſequitur & probat ex Caiet. S. Thom. & Innocentio tertio à verſiculo, *octaua opinio eſt:* & verſu, *itaque videtur opinio illa.* Eiuſdem opinionis **A.Pantuſa. Caiet. P. Vazq.** eſſe Antonium Pantuſam & Caietanum teſtis eſt Pat.Vazquez tom.1. in 3. part. diſput 31. num.28. eamque ſecutos nonnullos hac ætate Thomiſtas.

SECTIO VI.

Suppoſiti formalis effectus.

§. 56. ***Sententia Caietani & Ferraræ.*** PRimò occurrunt Caietanus, & Ferrara ſupra, opinantes ſuppoſiti formalem effectum eſſe conſtituere naturam proximè aptam ad exiſtendum, & ad denominationes alias: exempli gratia, filij agentis, &c. Hanc opinionem propoſui, & impugnaui diſputat. 8.ſect.5.

SVBSECTIO I.

Effectus formalis ſuppoſiti non eſt reddere naturam independentem à priori ab alio.

§. 57. ***Dependẽtia à priori, & à poſteriori.*** SÆpius diſtinxi dependentiam à priori, à dependentia à poſteriori; illa eſt vera dependentia à cauſa influente in rem dependentem. Cauſa enim vocatur prior propter naturæ prioritatem, qua præit effectui: dependentia à poſteriori, non eſt vera dependentia; quia poſterius non habet influxum in prius, id eſt, effectus non influit in cauſam: eſt tamen neceſſaria connexio cauſæ cum effectu. Vtramque dependentiam, & independentiam diſquiro. Independentia à priori eſt carentia influxus à cauſa: independentia à poſteriori eſt carentia neceſſariæ connexionis cauſæ cum effectu.

§. 58. ***Opinio P. Suarez.*** Pat.Suarez diſp.34. ſect.4. num.24. docet, ſuppoſitum vel ſubſiſtentiam eſſe vltimum complementum naturæ, conſecutum ad exiſtentiam, quo completur, & vltimò perficitur exiſtentia: quia ***Prima ratio.*** ſubſiſtentia eſt modus perſeitatis, determinans ſubſtantialem exiſtentiam ad eſſendum per ſe: licet enim exiſtentia ſubſtantiæ, per ſe ſit independens à ſubiecto inhæſiuè, tamen ſe ſola conſiderata intelligitur indifferens ad eſſendum in ſe, & per ſe,& ad exiſtendum cum dependentia ab alio ſuppoſito, tamquam à ſuſtentante, cui ipſa natura innitatur. Quæ indifferentia tollitur per ſubſiſtentiam,determinantem naturam, vt ſit in ſe & non in alio. ***Exemplũ ab inhærentia.*** Explicatur primum ex inhærentia modaliter afficiente exiſtentiam accidentalem, vt à ſubiecto pendeat: at ſubſiſtentia eſt modus oppoſitus, afficiens ***Secũda ratio.*** exiſtentiam,ne ab alio pendeat. Secundò ex myſterio Incarnationis, quia humanitati Chriſti nihil deeſt ad exiſtendum per ſe, præter hanc ſubſiſtentiam. Vnde colligit naturam per ſubſiſtentiam reddi incommunicabilem, etiam de potentia abſoluta, alieno ſuppoſito, quia eſſe in alieno ſuppoſito, & per ſe ſunt termini immediatè oppoſiti, ſicut pendere,& non pendere ab alio. Libenter admitto ſubſiſtentiam eſſe vltimum complementum exiſtentiæ, atque naturæ: cætera verò nequaquam admitto.

§. 59. ***Suppoſitũ non tollit indifferentiam ad independendum ab alio.*** Ac primùm, ſuppoſitum non tollere indifferentiam exiſtentiæ ad independendum ab alio,ſic probo: quia natura Angeli,verbi gratia, ex ſuo conceptu non habet indifferentiam ad dependendum à ſubiecto, quia eſt actu ſubſiſtens, & ſolum dependet in genere cauſæ efficientis ab alio: quæ dependentia in ſola creatione conſiſtit, neque Angelus ex ſua natura connotat ſubiectum: ergo per ſuppoſitum non tollitur indifferentia naturæ ad dependendum à ſubiecto: Patet conſequentia, quia non tollitur indifferentia, niſi inde, vbi eſt, & quando res ex ſe eſt determinata, non indiget alio determinatiuo. Nec ſubſiſtentia eſt modus, quo natura eſt independens à ſubiecto, ſed id præſtat creatio: quæ eſt productio entis ſine concurſu ſubiecti: ergo per creationem formaliter natura eſt independens à ſubiecto; patet conſequentia, quia per creationem conſtituitur extra cauſas ſine concurſu ſubiecti.

§. 60. ***Creatio eſt immediatum fundamẽtum independẽtia à ſubiecto.*** Creatio enim definitur *productio entis ex nihilo:* id eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto, vel nullo concurrente ſubiecto; vt explicui diſput.12.Phyſic. ſect. 1. ergo creatio ex ſuo quidditatiuo conceptu conſtituit terminum dependentem à ſolo Deo, & immediatè fundat negationem dependendi à ſubiecto. Patet conſequentia; quia qua parte eſt *productio entis*; illud conſtituit dependens à Deo creante: omnis enim effectio actiua conſtituit terminum pẽdentem ab efficiente: qua verò parte eſt *ex nihilo*, fundat negationem dependendi à ſubiecto. Ipſa enim creatio non eſt formaliter independentia à ſubiecto: quia hæc eſt negatio: at illam immediatè fundat: quia creatio tranſcendentaliter refertur ad agens, & terminum; & non ad ſubiectum termini; quia non pendet terminus à ſubiecto. Itaque creatio eſt immediatum fundamentum independentiæ à ſubiecto: quia refert terminum ad ſolam cauſam efficientem; ita vt ipſa non poſſit illum referre ad materialem. ***Diſcrimen creationis à generatione.*** Quo diſparatur creatio à generatione. Hæc enim eſſentialiter refert terminum ad agentem cauſam, & ad patientem: illa autem ad ſolam agentem. ergo hic formalis effectus non oritur à ſuppoſito, ſed à creatione.

§. 61. ***Obiectio. Exemplum à generatione.*** Obiicies, negationem dependendi à ſubiecto oriri à creatione efficienter: à ſuppoſito autem eam oriri formaliter; à creatione remotè; à ſuppoſito proximè: ſicut dependentia formæ à ſubiecto eſt vnio: quæ oritur à generatione. ***Reſpondetur ab exemplo ipſo.*** Vt ergo hæc eſt radix dependentiæ, quia eſt radix vnionis: ita creatio eſt radix independentiæ, quia eſt radix ſuppoſiti, quod immediatè fundat independentiam.

§. 62. Reſpondeo primùm; eo exemplo meam illuſtrari ſententiam; oſtendi enim diſput. 5. Phyſic.§. .... vnionem non eſſe dependentiam formæ à materia; ſed motum, & actionem, vt eſt paſſio, eſſe formalem dependentiam,& inhærentiam accidentis ſubiecto: ergo creatio eſt immediatum fundamentum independentiæ à ſubiecto. Nam vt ipſa paſſio dependet vt *quo* à ſubiecto; ita denominat terminum dependentem vt *quo*: ſic creatio independentem.

§. 63. ***Creatio eſt immediatum fundamẽtum independẽtia à ſubiecto.*** Contra ſecundò creatio immediatè, & ſe ſola, fundat negationem dependentiæ termini à ſubiecto: ergo ad hoc non exigitur ſuppoſitum. Probo antecedens: creatio eſt proxima ratio referendi terminum ad ſolum agens: ita vt illi ſoli repugnet ſuum

ſuum terminum referre ad ſubiectum: & hanc negationem concipimus ex ſolo conceptu creationis: ergo ipſa immediatè fundat negationem. Probo antecedens: creatio ſe ſola immediatè eſt independens vt *quo* à ſubiecto; ita vt ex ſolo ſuo conceptu pugnet cum ſubiecto in ſuo termino: ergo ipſa immediatè terminum conſtituit independentem, vt *quod* à ſubiecto. Antecedens liquet ex definitione creationis. Conſequentiam probo: quia dependentia termini ab agente, illum formaliter conſtituit dependentem ab agente: & depĕdentia illius à ſolo agente, illum conſtituit formaliter dependentem à ſolo agente; & independentia à ſubiecto, conſtituit terminum formaliter independentem à ſubiecto. Item actio conſtituit terminum proximè dependentem; ergo creatio ex nihilo conſtituit terminum proximè independentem ab aliquo. Quæ argumentatio eſt demonſtratiua. Vide §. 115. 116. & 117.

§. 64. *Ad exemplũ de vnione. Ad effectus poſitiuos dari poteſt fundamentum proximum, & remotum, non verò ad negatiuos.*

Quod §. 61. affertur de actione eductiua & vnione; tum eſt falſum, vt conſtat ex §. 62. tum conſequentia eſt mala. Nam ad effectus poſitiuos poſſunt eſſe fundamenta proxima, & remota. e.g. Anima eſt radix intelligendi, & amandi; & communiter ei adſcribuntur potentiæ, fundamenta proxima cognitionis, & amoris. Quia effectus proximus eſt cauſa immediata remotioris; vt ſol eſt cauſa lucis, & hæc eſt immediata caloris. At in conceptibus negatiuis, & repugnantibus, id omnino non accidit: ſed prima radix inferens impoſſibilitatem, eam infert adæquatè, nec eget alio ente poſitiuo ad eam inferendam. Vt lapis eſt inſenſilis adæquatè per ſuam eſſentiam; quin egeat alio ente ad id effectus. Itaque ſol non eſt proximè calefactiuus, nec equus in multorum ſententia eſt proximè ſenſitiuus: at ſol per ſuam eſſentiam eſt proximè inſenſile; & equus irrationalis. Ratio à priori: quia primus ille conceptus habet abſolutam repugnantiam cum ſenſione, & intellectione; ita vt ſecluſo alio, intelligatur ſol incapax ſenſus; & equus ratiocinationis: quia per ſe, & non per aliud ſunt repugnantes: at per ſe non eſt equus ſentiens in actu primo proximo, ſed eget ſenſu.

§. 65. *Secunda obiectio. Reſpondetur.* P. Molina. *Tres ſubſiſtĕtiæ. In Chriſto in quo ſenſu ſint duæ ſubſiſtĕtiæ. Non tamĕ ſunt abſolutè.*

Obiicis ſecundò, hinc ſequi creationem eſſe ſubſiſtentiam; conſequens eſt abſurdum; ergo. Minor probatur; quia in humanitate Chriſti eſſent duæ ſubſiſtentiæ. Diſp. 3. Phyſic. ſect. ... præmiſi tres acceptiones ſubſiſtentiæ ex P. Molina. Prima eſt ens per ſe, vt opponitur enti per accidens: quæ conuenit omni ſubſtantiæ: quam ſubſiſtentiam eſſe in humanitate Chriſti tam eſt certum, quàm ipſam eſſe ſubſtantiam. Secunda eſt ens per ſe, non pendens ab aliquo principio intrinſeco influente. Hæc eſt creatio: quæ tam certo eſt in humanitate Chriſti, quàm creatio eius ex nihilo. Tertia eſt hypoſtaſis, ſiue ſuppoſitalitas. Huius generis non eſt in Chriſto præter ſubſiſtentiam Verbi. Hæc de re ipſa certa cuiuis Philoſopho. Diſtinguo ergo maiorem, creatio eſt ſubſiſtentia effectiua, concedo maiorem; terminatiua, nego maiorem; & minorem. Ad probationem, in Chriſto ſunt duæ ſubſiſtentiæ, vna effectiua, & altera terminatiua, concedo: vtraque terminatiua, nego. Abſolutè nego maiorem: quia *ſubſiſtentia* frequentius accipitur pro perſonalitate: quamuis P. Molina, & alij eam vſurpent in ſignificatu latiori.

Ad argumĕtum.

* * *

SVBSECTIO II.

Subſiſtentia non dat naturæ independentiam à ſubiecto à poſteriori.

§. 66. *Aliquorum opinio.*

DIxi §. 57. vnionem accidentis ad ſubiectum eſſe conditionem ſine qua non poteſt eſſe accidens: quam propterea vocamus dependentiam accidentis à poſteriori. Nonnulli vincti argumentis ſubſectione ſuperiori factis, aliam inierũt viam; nempe formalem effectum ſuppoſiti eſſe reddere naturam independentem à ſubiecto à poſteriori; id eſt, fundare negationem vnionis accidentariæ ad ſubiectum. Non dicunt pugnare cum ſubſiſtentia terminatiua vnionem ſubſtantialem; admittunt enim in materia, & animo rationali, etiam dum vniuntur, proprias ſubſiſtentias: eorumque ſententia, ſummùm, probaret corpus & animam in compoſito propriis carere ſubſiſtentiis, non quod effectus formalis ſubſiſtentiæ ſit reddere naturam independentĕ à poſteriori à ſubiecto: anima enim à corpore non pendet à priori, aut à poſteriori; cum ſine illo conſiſtat: ſed quia ſunt modi oppoſiti eſſe per ſe, & in toto; vel quia nulla pars eſt ſemiperſona. De qua opinione egi diſput. 3. Phyſ. ſect. .. Solum ergo aſſerunt, ſuppoſitum eſſe immediatum fundamentum, vt terminus non habeat vnionem per quam inhæſiuè pendeat à ſubiecto.

§. 67. *Sententiæ fundamenta. Primum reſponſum. Secundum.*

Huius opinionis duplex eſt fundamentum; alterum, impugnatio aliarum opinionum; quæ non explicant effectum formalem ſuppoſiti. Reſpondeo, melius eſſe fateri occultam eſſe lumini rationis neceſſitatem ſubſiſtentiæ diſtinctæ à natura; quàm aſſignare formales effectus clarè falſos; qualis eſt hic. Alterum autem eſt; quia ſubſiſtentia eſt complementum ſubſtantiæ in ratione formali ſubſtantiæ; ſed propria hæc ratio eſt independentia à ſubiecto inhæſionis; ergo eſt complementum ſubſtantiæ in ratione entis per ſe, & independentis.

§. 68. *Reſpondetur ad hominem. Reſpondetur abſolutè. Subſiſtentia eſt complemĕtum rei vt independentis ſecundum rectũ, non obliquum.*

Primùm reſpondeo per inſtantiam ad hominem: ſubſiſtentia eſt complementum ſubſtantiæ in ratione ſubſtantiæ: ſed ſubſtantia eſt formaliſſimè independens à ſubiecto inhæſionis à priori, & à poſteriori: ergo ſubſiſtentia illam complet in eo genere: ergo eſt independentia ſubſtantiæ à ſubiecto inhæſionis à priori & à poſteriori. Item intellectio, & cætera accidentia ſunt complementum ſubſtantiæ in ratione ſubſtantiæ; nec ſunt eius independentia. Concedo igitur maiorem; item & minorem ſumendo ens per ſe in recto, pro ipſo conceptu ſubſtantiæ: diſtinguo autem conſequens: eſt complementum rei vt independentis, ſecundum quod dicit in recto, concedo conſequentiam: ſecundum quod dicit in obliquo, nego. Dependens enim, & independens dicunt in recto entitates terminorum: & in obliquo dependentiam, & independentiam: ſubſiſtentia, & omnia accidentia perficiunt ſubſtantiam in recto, quin pertineant ad obliqua: vt enim ſubſtantia eſt independens à priori; quin ſubſiſtentia ſpectet ad eam independentiam, ita nec ad aliam, eſt tamen ſpecialiter complementum ſubſtantiæ in ratione ſubſtantiæ; quia eſt complementum ſubſtantiale.

§. 69. *Suppoſitũ non dat independentiã à poſteriori. Angeli natura ſe ipſa eſt immediatum fundamĕtum independĕtiæ.*

Hæc ſententia impugnatur euidenter: Angeli natura, e. g. immediatè per ſuum conceptum fundat negationem dependentiæ à ſubiecto à poſteriori: ergo ſuppoſitum non exigitur ad hunc effectum. Probo antecedens: illa independentia à poſteriori eſt negatio vnionis inhæſiuæ ad ſubiectum: ſed Angeli natura immediatè per ſuum conceptum ſolum, fundat negationem eius vnionis: ergo & indepen

independentiam illam. Probo minorem: Angelus per ſuum conceptum fundat immediatè negationem accidentis, & formæ vnibilis ſubiecto: ſed quod id fundat immediatè, fundat immediatè negationem vnionis ad ſubiectum: ergo. Maior eſt certa: quia ſubſtantia ſuo conceptu quidditatiuo fundat immediatam diſtinctionem ab omni accidente: quam diſtinctionem habet Angeli natura non à ſuppoſito, ſed à ſua eſſentia: vt homo ſeipſo diſtinguitur à bruto. Minor probatur: quia immediatum fundamentum negationis alicuius eſſentiæ, aut entis; fundat immediatè negationem omnium rerum eſſentialiter pendentium à tali ente. exempli gratia. Lapis ſe ipſo fundat negationem rationalitatis; non eget alio fundamento poſitiuo diſtincto realiter, ad negandum intellectum, voluntatem, & earum actus. Ratio à priori; quia negata radice, per locum intrinſecum ſequitur negatio omnium, quibus repugnat eſſet abſque ea radice.

Fundamentũ negans rem, negat omnia ab illa re pẽdentia.

§. 70. *Obiectio prima.*

Reſpondent primùm, humanitatem eſſe radicem cognitionis, & amoris: adhuc illa poſita, eſt neceſſarium aliud principium proximum; non ad tollendam irrationalitatem, ſed carentiam principij proximi ad intelligendum. Reſpondeo ex §. 64. ad effectus poſitiuos requiri etiam immediata comprincipia; at verò ad negationem ſufficit negare vnum principium. Equus enim indiget ad videndum calore, ſanguine, ſpiritu vitali, ſpecie, obiecto: & aliis: lapis autem ad non videndum non eget niſi ſe ipſo. Itaque intellectus non eſt ad tollendam irrationalitatem, ſed ad complementum cauſæ: at rationalitas ſe ſola opponitur adæquatè, & excludit conceptum Angeli, & omnium eius perfectionum, quæ ſunt illius propriæ.

Reſpond.

Ad effectus reales plura requiruntur quàm ad negationes.

§. 71. *Obiectio ſecunda.*

Obiiciunt ſecundò, fundamentum immediatè negans radicem, negare omnia ab illa radice eſſentialiter pendentia; vt lapis negat & rationalitatem, & omnes eius potentias, & actus. At Angeli natura non negat adæquatè & immediatè depẽdentiam à poſteriori. Contra: cõceptus vnionis inhæſiuæ pendet ab eſſentia accidentis vt à radice eſſentiali, non minus quàm ratiocinatio à rationalitate: quia vnio accidentis eſt illius modus, & eo poſterior; ſed Angelus per ſuam eſſentiã immediatè negat accidens; non minus quàm lapis rationalitatem: ergo Angelus per ſuam naturam tam adæquatè negat vnionem accidentis, quàm lapis ratiocinationem. ergo vt lapidi non adiicitur aliquis modus diſtinctus realiter ad negandam ratiocinationem; ita nec Angelo ad negandam vnionem accidentariam. Ergo formalis effectus ſuppoſiti non eſt ad negandam immediatè eam vnionem; nec ad fundandam independentiam illam à poſteriori: ſunt enim idem negatio eius vnionis & independentia illa; vt ſunt idem dependentia à poſteriori & vnio inhæſiua.

Reſpondetur apertè.

SVBSECTIO III.

Effectus formalis ſuppoſiti non tollit indifferentiam naturæ ad alia ſuppoſita.

§. 72. *Suppoſitũ non tollit naturæ indifferẽtiam ad alia ſuppoſita.*

DEinde; ſuppoſitum non tollit indifferentiam naturæ ad non dependendum à ſuppoſito: quia humanitas non habet indifferentiam ad ſuppoſitum non connaturale; ſed eſt determinata ad perſonalitatem humanam: ergo ſuppoſitum humanum non tollit indifferentiam naturæ ad alia ſuppoſita, & conſequenter neque dependentiam; quia humanitas ex natura ſua ab illis tantùm principiis dependet, ad quæ dicit ordinem naturalem; conſequentia patet, quia determinatio diſtincta à natura illi datur ad tollendam illius indifferentiam naturalem: vt vbicatio ad tollendam indifferentiam localem: nam vbi non eſt aliqua indifferentia ad aliquid, natura eſt per ſe determinata ad illud, vt cognitio ad obiectum: antecedens autem probo: tum quia nulla res dicit indifferentiam ad aliam quam viribus naturæ conſequi non poſſit: quia indifferentia naturalis eſt naturalis potentia, ſiue actiua, ſiue paſſiua: ſi enim fingamus humanitatem exiſtere ſine ſuppoſito, illa quidem non diceret ordinem ad ſuppoſitum diuinum, vel Angelicum, ſicut ſi animus eſſet ſine intellectu, non propterea peteret intellectum Angelicum: & ſi materia prima cœli eſſet ſine forma, non propterea peteret formam hominis (ſi illa materia eſſet ſpecie diſtincta à noſtrate, & intellectus realiter ab animo.) Item ſi corpus omni qualitate ſpolietur, non propterea appetet ſpirituales qualitates. Conſtet ergo in humanitate nullam eſſe indifferentiam ad ſuppoſita non connaturalia, quæ tollatur per connaturale ſuppoſitum.

Indifferentia & potentia naturalis eſt ad poſſibile naturaliter.

§. 73. *Obiectio prima. Reſpondetur apertè.*

Dices primò, naturam non pendere naturaliter ab alieno ſuppoſito, pendere tamen à proprio, & ab eo tolli indifferentiam. Contra, ergo ſuppoſitum non reddit naturam independentem à ſuppoſito: ſed potius exercet eius dependentiam. Patet conſequentia; quia quando vna res pendet ab alia, & exercetur talis dependentia, tunc ea res non redditur independens; ſed potius actualiter dependens: exempli gratia, forma materialis ex natura ſua pendet à ſubiecto cum actu fit, non redditur ab eo independens, neque creatio reddit Angelum independentem à Deo, ſed actu pendentem, ergo ſuppoſiti creati formalis effectus non eſt conſtituere naturam independentem. Deinde à quo reddit ſuppoſitum naturam independentem? hoc infra diſquiram.

§. 74. *Obiectio ſecunda.*

Dices ſecundò, naturam affectam vno ſuppoſito non poſſe terminari alio ex ſibi connaturalibus. Ridicula obiectio: id commune eſt cuiuis formæ: nempe determinare ſubiectum, illud impediendo ab alia forma eiuſdem ſpeciei. Qui enim eſt in hoc ſpatio *A*, per vbicationem *A*, non poteſt ſimul habere vbicationem *B*, ad idem ſpatium. Vide quæ in Phyſicis dixi de incompoſſibilitate duarum formarum ſubſtantialium in eodem ſubiecto diſp. 9.

Reſpond.

§. 75. *Obiectio tertia.*

Dices tertiò, naturam eſſe indifferentem ad aliena ſuppoſita de potentia abſoluta: atque eam indifferentiam tolli per connaturale ſuppoſitum: cum quo repugnat eamdem naturam ad alienum ſuppoſitum aſſumi. Hic eſt effectus formalis communiter ſuppoſito creato adſcriptus; quem ſic impugno. Subſiſtentia connaturalis Angeli eſt connaturalis determinatio Angelicæ naturæ, ne maneat indifferens ad ſuppoſitum diuinum, exempli gratia; ergo ſupponit in Angelica natura indifferentiam naturalem ad ſuppoſitum diuinum; antecedens à te ponitur, probo conſequentiam: determinatio connaturalis ſupponit connaturalem indifferentiam; nam connaturalis determinatio eſt exercitium alicuius connaturalis indifferentiæ, vt determinatio materiæ primæ ad formam ignis, ſupponit in materia prima naturalem indifferentiã ad ignem; & connaturalis determinatio Petri ad hunc locum per vbicationem, ſupponit in Petro connaturalem aptitudinem ad illum locum; alioqui vbi nulla eſt indifferentia naturalis ad aliquid, quorſum requiritur determinatio ad illud? exempli gratia, ſi lapis non habet indifferentiam ad volandum, quorſum eget

Reſpond.

Connaturalis determinatio eſt indifferẽtia connaturalis.

Exemplum.

Digitized by Google

eget determinatione à ſe diſtincta, ne volet? videtur ergo ex terminis notum; determinationem ad aliquid diſtinctum à re determinata, in eadem præ-præſupponere indifferentiam naturalem ad illud: tunc ſic.

§. 76. *Suppoſitū non tollit indifferētiā ad ſuppoſita diuina.*

Natura Angelica conſiderata ſine ſuo ſuppoſito non habet naturalem indifferentiam ad ſuppoſitum diuinum: ergo neque habet determinationem à ſe diſtinctam, ne ab illo aſſumatur; conſequentiam iam probaui. Antecedens probo, quia naturalis indifferentia dicit aptitudinem, & capacitatem naturalem ad rem, vt patet tum in aliis rebus, Sol habet indifferentiam ad producendas fruges, & mineralia, quæ indifferentia eſt aptitudo, & poteſtas. Intellectus eſt indifferens ad aſſenſum, atque diſſenſum; materia prima ad hominem, & leonem: Petrus ad hunc, & illum locum: immo indifferentia paſſiua ad actus etiam violentos, eſt capacitas naturalis ad illos recipiendos ab agente naturali, vt aqua calida, & lapis proiectus: tum etiam quia indifferens naturale (hanc indifferentiam diſtinguo ab indifferentia violenti) eſt, quod ex ſe non petit magis hoc, quàm illud: petit tamen alterutrum: nam ſi neutrum petit, non tam eſt indifferens, quàm impos: vt homo non eſt indifferens ad volandum, neque ignis ad infrigidandum, neque auditus ad videndum. Habet autem natura Angelica potentiam obedientialem actiuam, & paſſiuam ad vnionem hypoſtaticam Verbi, ſicut & ad gratiam habitualem, & ad mortuorum excitationem: indifferentiam autem naturalem non habet. Quapropter illius ſuppoſitum non eſt determinatio illius indifferentiæ. Aliud ergo munus illi quæratur.

Natura creata non eſt naturaliter indifferens ad ſuppoſitū diuinum.

§. 77. *Aliud reſponſum.*

Deinde, adhuc ſub iudice eſt, *poſſit ne à Verbo aſſumi humanitas proprio ſuppoſito terminata*; de quo me infra videro. Eſto tamen ne poſſit, adhuc illius formalis effectus, non eſt determinare humanitatem, ne ſic poſſit à Verbo aſſumi: nam Pat. Suarez ait, materiam primam informatam vno actu ſubſtantiali, non poſſe ſimul informari alio; S. Thom. corpus circumſcriptiuè Romæ exiſtens, non poſſe ſimul alibi exiſtere circumſcriptiuè: nonnulli arbitrantur non poſſe effectum duabus adæquatis actionibus ſimul produci: & tamen non eſt effectus formalis formæ ſubſtantialis materiam reddere incapacem alterius formæ de potentia abſoluta: neque vbicationis circumſcriptiuæ corpus reddere ineptum alteri circumſcriptioni: ſed quælibet ex his formis habet ſuum connaturalem effectum; ex quo oritur talis repugnantia: quia vna forma habet eſſentiam, ex qua neceſſariò ſequitur negatio alterius, ex qua negatione oritur non poſſe à Deo, oppoſitum fieri, vt patet in productione vitali actus vitalis, quæ exigit neceſſariò aliquod principium vitale; non verò quia illæ formæ in ſuo effectu connotent omnipotentiam Dei, nam (vt in Phyſicis probaui) res naturales ex ſe non reſpiciunt niſi naturæ leges; leges autem omnipotentiæ Dei non reſpiciunt. Ratio à priori huius diſcurſus eſt; quia ſicut ipſa natura humana non habet potentiam naturalem, vt vniatur Verbo, ita neque habet determinationem, qua talis potentia limitetur, aut impediatur à ſuo exercitio. Quære igitur alium formalem effectum præſtitum à naturali ſuppoſito, vnde oriatur negatio actualis vnionis ad alienum, vt patet in forma ſubſtantiali, vbicatione circumſcriptiua, actione adæquata.

P. Suarez. S. Thom.

Res naturales non reſpiciunt naturaliter niſi naturalia.

§. 78. *Effectus ſuppoſiti non eſt reddere naturam incōmunicabilem.*

Hinc reiiciuntur opinantes, ſuppoſiti effectum eſſe reddere incommunicabilem naturam: nam vel intelliguntur de incommunicabilitate per potentiam abſolutam: quod impugnaui: vel de incommunicabilitate ad aliud ſuppoſitum, vel ſubiectum, vel partem ex natura rei: quod itidem eſt falſum. Nam Angelica natura non eſt communicabilis ſuppoſito alieno, (vt oſtendi §. 72.) neque ſubiecto (vt oſtendi à §. 57.) neque reſpicit aliam compartem, quia eſt actus ſubſiſtens, ergo ex ſe natura Angelica eſt incommunicabilis ſine conceptu à ſe diſtincto. Quod ſi perſonalitas completa hunc non præſtat effectum, multo minus illum præſtabunt ſubſiſtentiæ partiales corporis, & animi, quæ quia ſunt independentes à cauſa intrinſeca, habent ſubſiſtentiam; quia verò ſunt partes, illam habent partialem. Recognoſce ſectio. 7. diſputat. 2. Phyſicorum.

§. 79. *Confirm. Subſiſtentia creata & diuina conueniunt in effectu formali.*

Confirmatur: quia ſubſiſtentiæ creatæ proportione reddunt eumdem effectum formalem, quem diuinæ: ſed hæ non reddunt naturam incommunicabilem alij ſuppoſito: ergo. Probatur minor, quia natura diuina, perſonata Paternitate eſt etiam terminabilis Filiatione, & Spiratione paſſiua. Quod poſſemus confirmare ex doctrina P. Suarez diſput. 34. ſectio. 5. num. 53. probantis non eſſe effectum formalem ſubſiſtentiæ, vt ſic, reddere ſubiectum incommunicabile, quia materia, & animus proprias habent ſubſiſtentias: & num. 60. ait naturam diuinam ratione præciſam à ſuppoſitis eſſe perfectè ſubſiſtentem, & communicabilem. Quod etiam patet in duabus aquæ partibus, & in homine poſſet confirmari, quia neutra pars ſubſiſtentiæ habet hunc effectum. Suppoſita verò dicuntur *incommunicabilia*, quia iam habent omnes compoſitiones ſubſtantiales: continua verò materialia communicantur amittendo puncta terminatiua. Video S. Thomam & Caietanum non obſcurè fauere huic ſententiæ 3. part. quæſt. 3. art. 2. ad 2.

P. Suarez.

S. Thom. Caiet.

SVBSECTIO IV.

Effectus formalis ſuppoſiti.

§. 80. *Suppoſiti formalis effectus eſt obſcurus.*

EST igitur valde obſcurus formalis effectus ſuppoſiti creati: quia illud diſtinguimus à natura ex myſterio Incarnationis, vnde non diſcimus neceſſitatem, aut effectum illius. Liceat è diuinis ad creata ratiocinari. Natura Dei habet tria ſuppoſita inter ſe realiter, & à natura ſola ratione diſtincta: Eorum formalis effectus eſt, eſſe ſubſtantialem terminum naturæ diuinæ, illam (more noſtro concipiendi) complendo, non modo in exiſtentia, verum & in productione ad intra: quia ex natura diuina & Paternitate conſtituitur principium productiuum Verbi, ita vt nec ſola Paternitas ſit principium Filij, nec natura ſola; illa, quia non habet fæcunditatem productiuam; hæc, quia non habet realem diſtinctionem à Filio: igitur ex fæcunditate naturæ, & diſtinctione Paternitatis conſtituitur Pater principium fæcundum ad producendum terminum à ſe diſtinctum realiter: & origines paſſiuæ conſtituuntur in diuinis ad denominationem *producti*; quia ſola relatio producitur vt *quo*, & ratione illius tota perſona producitur vt *quod*, vt de compoſito, & vnione dixi diſputatio. 6. Phyſicorum ſectio. 1. ſimiliter in creatis ſuppoſitum eſt conditio requiſita, tum ad exiſtentiam naturæ, illam phyſicè complendo: quapropter ſolet vocari, *modus exiſtentiæ, & complementum*: id eſt, ſecutus ex exiſtentia independente à ſubiecto: tum ad operandum; non quia ſuppoſitum ſit fæcundum ad operationem: id enim ſolum conuenit naturæ creatæ: ſed quia eſt requiſitum ad componendum hominem, aut Angelum operantem: ſicut Deus in ratione

Coniicitur ex Trinitate.

tione producentis conſtituitur ex natura, & ſuppoſito. Tandem ad varias denominationes *producti filij, &c.* quæ toti ſuppoſito tribuuntur.

§. 81. *Diſcrimen à diuinis.* Video relationes in diuinis eſſe requiſitas ad diſtinguendam vnam perſonam ab alia: ſed proportio ex eo ineffabili myſterio non eſt exacta, vt nec latum vnguem diſcedat: ſicut ergo inde, & ex Incarnatione ſumimus diſtinctionem naturæ à ſuppoſito, ita ex iiſdem veſtigamus ſuppoſiti formalem effectum; *Humanitas non dicitur abſolutè pati, ſed Chriſtus.* licet enim humanitas Verbi ſit à Verbo diſtincta, non tamen propterea dicitur *filia*, nec *pati*, aut *agere*, aut *produci*, ſed Chriſtus includens ſuppoſitum, eas accipit denominationes, ergo ſuppoſitum non ſolum requiritur ad exiſtendum, ſed etiam accipit denominationes operandi.

§. 82. Et quidem alios conceptus videmus, qui non apparent tam neceſſarij rebus, quibus inſunt; vt color quid ſeruit pomo? & albedo quid homini? inquis ad pulchritudinem, & hæc ad quid homini *Suppoſitũ eſt perfectio ſubſtantialis.* ſeruit? ais vt ſit pulcher. Idem ego de ſuppoſito affirmo, quod complet & ſubſtantialiter ornat creatam naturam melius, quàm color hominem. Quod partim oritur ex perfectione, partim ex imperfectione; perfectio eſt illa conſtitutio ſubſtantialis, vt patet in diuinis: imperfectio eſt diſtinctio realis, quæ inter naturam, & ſuppoſitum non reperitur in Deo.

SECTIO VII.

Vtrum natura cum ſubſiſtentia naturali poſſit aliam habere?

§. 83. *Quæſtio explicata.* NOn agitur de vnione vnius ſubſiſtentiæ ad aliam (de qua ſectio.8.) ſed de vnione Verbi diuini: exempli gratia, ad naturam humanam, ita vt humanitas duas habeat vniones, alteram ſupernaturalem ad ſuppoſitum diuinum: alteram naturalem ad connaturale ſuppoſitum, qua de re agit *P. Suarez.* P.Suar.tom.1.in 3.p.diſp.14.ſect.1.& licet quęſtio de potentia abſoluta intelligitur, dirimitur tamen ex ſolis Metaphyſicis principijs, explicando ſuppoſiti formales effectus.

§. 84. *Opinio Pat. Suar.* Pat. Suarez refert, & ſequitur plures ac graues Theologos, opinionem negantem affirmantes. *Scotus. Durand.* Scotus quidem, in 3.d.1.q.2.§. *Ad quæſtionem igitur.* & Durandus q.3.num.16 neceſſariò, quia ſuppoſitum creatum in eorum opinione formaliter conſiſtit in negatione vnionis; vel negatione habentis naturam, cum qua negatione implicat vnio. *Caietan.* Quorum opinionem ſequuntur Caietan. 3.p. q.3. *P.Vazquez.* art.6.§. *Ad probationem minoris.* & P.Vazq.tom.1.in 3.p.diſput.29. num.6. Omnes tamen in aſſignanda ratione non modicè ſudant, ſed modico fructu, vel nullo.

§. 85. *Ratio Scoti.* Scotus id probat, quia natura non poteſt ſimul à duobus pendere. *Reſpondetur primò.* Qua reſponſione ponit, ſuppoſitum creatum eſſe conceptum poſitiuum. Hanc rationem impugnaui diſp.8.Phyſ.ſect.vlt. probans poſſe diuinitus eumdem effectum à duabus cauſis adæquatis in eodem genere ſimul pendere. *Secundò.* Item poſſet reſpõderi, naturam eo caſu à ſolo connaturali ſuppoſito penſuram, at verò ab extraneo non penſuram, licet ei vniretur.

§. 86. *Ratio Caiet.* Caietanus 3.p.quæſt.3.artic.6.ait, naturam proprio ſuppoſito terminari intenſiuè, & extenſiuè; non tamen alieno: ſic autem repugnare naturam *P. Suar. Caiet. reſpondet.* terminari proprio ſuppoſito ſimul & alieno, non tamen duobus alienis. P.Suarez ait Caietanum &

principium petere, & terminis obſcuris quæſtioni tenebras offundere: nam quid eſt terminari intenſiuè? cum ſuppoſitum ſit incapax intenſionis. Extenſiuè autem quid eſt? ſolum ergo videtur ſignificare Caietanus, ſuppoſitum connaturale eſſe adæquatam perfectionem naturæ, incompoſſibilem cum alia: at de hoc eſt quæſtio. Quod verò perſonalitas connaturalis natura ſua naturam comitetur, quid refert? Etiam Chriſtianum corpus *Impugnatur ab exemplo.* ſequitur naturaliter vbicatio circumſcriptiua, & tamen cum illa eidem datur vbicatio ſacramentalis: poſſeque habere aliam circumſcriptiuam oſtendi diſput. 14. Phyſicorum: deinde illam intenſiuam perfectionem, cur non ſupplet Verbum in humanitate Chriſti, cum ſit quaſi intenſiuè infinitè perfectius ſuppoſito creato? & ſic humanitas Chriſti non poterit à Patre ſimul aſſumi contra Caietanum.

§. 87. *Reſpõſio Caietani.* Ait Caietanus, ſuppoſitum naturale eſſe intrinſecum humanitati: increatum verò quaſi extrinſecum, & non poſſe vniri Verbum humanitati, quin etiam vniretur ſuppoſito connaturali, quod repugnat. *Reſpondetur.* Sed cur ita? poteſt Deus conſeruare humanitatem ſuppoſito non conſeruato, propter eorum diſtinctionem, & non poterit vnire humanitatem, quin vniat ſuppoſitum? *Natura poteſt vniri nõ vnito ſuppoſito.* actus vitales vniuntur naturæ, & non ſuppoſito: Chriſti corpus vnitur duabus vbicationibus, & non illæ inter ſe. Ratio à priori, quia ſuppoſitum à parte rei non eſt natura, & ſic poteſt phyſicè aliud vni conuenire, quin & alteri. *Alia Caiet. ſolutio.* Addit Caietanus, ſuppoſitum eſſe connaturale humanitati, & illi adæquatum, ſecus Verbum. Diſtinguo antecedens; eſt adæquatum in ordine ad potentiam ordinariam concedo; ad abſolutam, nego. Sicut vna vbicatio eſt adæquata Chriſti corpori. Deinde ſi naturale ſuppoſitum eſt adæquatum, quidni & Verbum, illo infinitè perfectius? & tamen opinatur Caietanus humanitatem Chriſti poſſe ſimul terminari Verbo, & Paternitate.

§. 88. *Ratio Durãdi.* Durandus exiſtimat poſſe naturam habere duo ſuppoſita diuina, quia inter ſe ſolum diſtinguuntur in incommunicabilitate, non tamen in modo ſubſiſtendi: at ſuppoſitum creatum diſtinguitur à diuino in modo ſubſiſtendi: quia alterum eſt abſolutum, alterum relatiuum. *Obiurgatur.* Conſequentius reſpondiſſet, poſſe humanitatem haberi ſimul à duobus, in quo ipſe conſtituit rationem ſuppoſiti; non tamen poſſe haberi ſimul ab vno, & non haberi. *Reſpondetur. Non oſtenditur repugnare eamdẽ naturam ſimul terminari ſuppoſito creato & increato.* Non vrget: quia non oſtendit repugnantiam cur non poſſit terminari natura ſuppoſitis relatiuo, & abſoluto, ſicut ex natura rei afficitur accidentibus relatiuo, & abſoluto: nam referri ad aliud per vnũ conceptum, & non referri per alium, non eſt abſurdum. Alias rationes omnino inefficaces P.Suarez adducit, & ſoluit.

§. 89. *Ratio Pat. Suar.* Qua ipſe mouetur, maioris momenti videtur: quia ſuppoſitum naturale eſt modus conſtituens naturam per ſe, & independentem; ergo illi affert actualem negationem ad aliud ſuppoſitum. Patet conſequentia: quia ſi vniretur alieno, non eſſet per ſe, ſed in alio: quod repugnat: *Exemplum.* ſicut repugnat eamdem virgam ſimul eſſe rectam, & curuam, & eamdem formam ſimul generari, & creari; quia licet illi modi ſint poſitiui, tamen vnus eſſentialiter petit negationem alterius. *Reſpondetur. Natura creata vnita Verbo, & ſuppoſito naturali non penderet à Verbo.* Neque item vrget ratio: primò, quia ſupponit naturam vnitam Verbo, abillo neceſſariò penſuram: quod non eſt neceſſum: quia humanitas proprio ſuppoſito affecta habet omnia, à quibus pendet à priori, & poſteriori; ergo ſic affecta, licet vniatur Verbo, ab illo

illo non pendebit, ergo talis vnio non repugnat cum ſuppoſito naturali: neque habet cum eo eamdem proportionem, quam curuitas cum rectitudine, generatio cum creatione. *Obiectio.* Dices, naturam pendere à ſuppoſito: diſtinguo, à ſuppoſito connaturali tranſeat, ab alieno cum habet ſimul naturale, nego. *Reſpondetur.* Quæ enim repugnantia oſtenditur, qua non poſſit humanitas vniri Verbo ſine dependentia ab illo, cum non ſit de conceptu vnionis dependentia? vt patet in animo rationali vnito corpori. *Alia obiectio.* Dices, quia humanitas eſſet in Verbo. *Reſpondetur.* At rectè poteſt res eſſe in alio, quin ab eo pendeat, vt animus in corpore.

§. 90. *Secunda impugnatio. Eſſe in proprio & alieno ſuppoſito non opponuntur.*

Secundò impugno eam rationem, quia humanitas in proprio ſuppoſito non exiſtit per ſe magis, quàm in alieno; ergo eſſe in proprio, & alieno, non habent oppoſitionem: ſicut generatio, & creatio; probatur antecedens *eſſe per ſe*, vel eſt naturam eſſe independentem per ſuum conceptum; vel dicit vnionem ſubſtantialem excludentem eſſe per accidens; vel dicit eſſe per ſuppoſitum ſibi connaturale, cui innitatur: & à quo fulciatur: ſed idem habet per vnionem ad Verbum: ergo. Probatur minor: quia ſi humanitas per ſuum conceptum eſt independens, item in Verbo erit independens, cum ibidem retineat proprium conceptum: quia conceptui humanitatis nullam maiorem dependentiam addit Verbum, quàm ſuppoſitum creatum, quia eius vices ſupplet, & quia humanitas iiſdem actionibus creatur in Verbo, quibus in ſuppoſito connaturali: at humanitas terminata proprio ſuppoſito eſt independens ſe ipſa, & per ſe: ergo & terminata Verbo: vel cum proprio ſuppoſito non eſt per ſe independens. Item illa vnio eſt ſubſtantialis, & per ſe; & excludit vnionem per accidens. Item ſi humanitas eſt per ſe, quia habet proprium ſuppoſitum, cui innitatur, ita habet Verbum cui innitatur, ergo humanitas eodem modo eſt in alieno ſuppoſito, quo in proprio. *Confirmatur.* Confirmatur, ſuppoſitum Verbi ſupplet vices ſuppoſiti creati: ergo quidquid præſtabat creatum, præſtat & Verbum: ſed creatum præſtabat naturam per ſe in tua ſententia, ergo idem præſtat Verbum: nam à ſubſiſtentia Verbi dicitur ſubſiſtens: ſubſiſtens autem eſt eſſe per ſe, ergo humanitas in Verbo eſt per ſe eodem modo, quo in ſuo ſuppoſito.

Comparatio humanitatis cũ Verbo, & proprio ſuppoſito.

§. 91. *Reſp. P. Suar.*

Reſpondet P. Suarez, longè aliter eſſe in propria perſona, & in aliena: nam in propria eſt quaſi ſibi ipſi innitens; in aliena eſt quaſi ſuſtentata ab illa. Vnde hi duo modi oppoſitas habent rationes. Ac denique natura aſſumpta in hoc ſenſu non eſt propriè per ſe, neque ſubſiſtit in ſe, ſed in alio, quod propriè in illo ſubſiſtit. *Refellitur.* Contra, quia tota hæc ſolutio terminis conſiſtit: quia natura, vel habet aliquam dependentiam à ſuppoſito connaturali? an non? ſi habet, ergo non tam innititur ſibi, quàm ſuppoſito, à quo pendet; nec eſt independens per ſe, ſed per ſuppoſitum: immo per ſe eſt dependens à ſuppoſito: ſicut ergo ex te ſubſiſtit, licet verè à ſuppoſito pendeat, & illi innitatur; cur non ſubſiſtet per ſe in Verbo, licet ab eo pendeat, & illi innitatur? aut quid obeſt perſeitati pendere ab alieno magis, quàm à proprio ſuppoſito? & ſicut ſuppoſitum proprium naturam reddit ſubſiſtentem, cur id non efficit Verbum, cum illi vniatur, in ratione formali perſonæ? ſi autem humanitas non pendet à ſuppoſito connaturali, cur à Verbo pendebit? atque ita quidquid habet natura à naturali ſuppoſito, habebit à Verbo; ergo Verbum, & ſuppoſitum creatum non habent modos oppoſitos.

§. 92. *Confirmatur.*

Adde, ex ſententia P. Suarez me infra probaturum, naturam à ſuppoſito non pendere à priori, ſed à poſteriori, ergo eodem modo pendet à Verbo, ergo vnio ad Verbum non facit naturam dependentem ab alio diuerſo modo, quàm à ſuo ſuppoſito, ergo dependere à poſteriori à ſuppoſito naturali; & ſupernaturali non habet modos oppoſitos, vel ab vtroque pendere à priori, vel eſſe per ſe duplici perſeitate, & eſſe ſuppoſitatam naturam duplici ſuppoſito. Vnde natura tam per ſe eſt in Verbo, quàm in ſuppoſito naturali. Quod autem Verbum ſubſiſtit propriè in humana natura, & non perſonalitas creata, oritur ex infinita Verbi perfectione in ratione eſſendi, & ex imperfectione noſtri ſuppoſiti. *Obiectio.* Dices *eſſe per ſe* ſignificare naturam exiſtere per entitates connaturales. *Reſpondetur.* Sed cur repugnabit eam ſimul exiſtere per aliud, id eſt per non connaturales? hæc enim eſt quæſtio, quam diſcutimus, vt corpus Chriſti eſt in loco per vtraſq;.

§. 93. *Alia ratio P. Suar.*

Tandem ſuam ſententiam confirmat P. Suarez ex ſcriptura, conciliis, Patribus, qui aiunt Chriſtum eſſe vnam perſonam, & non duas, quod colligunt ex vnione humanitatis ad Verbum. Quæ collectio non eſſet apta, ſi natura potuiſſet proprium ſuppoſitum retinere: quia ibi non agitur de potentia ordinaria, ſed abſoluta. *Reſpondetur.* Verum ipſe Pat. Suarez vidit huius argumenti imbecillitatem: quid enim ad definitionem Eccleſiæ diſquiſitio de potentia abſoluta Dei? Chriſtus enim in ſcriptura vocatur abſolutè *filius Dei*, idémque vocatur *filius hominis*, ſine diſcrimine & diſtinctione inter *filium Dei*, & *filium hominis*: & tantum exponitur diſtinctio inter naturas humanam & diuinam; & operationes vtriuſque naturæ ſine diſcrimine tribuuntur vni Chriſto Deo, & homini: ita vt homo dicatur *creare mundum*, & Deus *mori*: quod ſine diſcrimine, nullo modo dici poſſet, ſi perſonæ eſſent duæ; eſſent autem duæ, ſi cum Verbo diuino retineretur ſuppoſitum humanum (quod an ſit idem, ſi natura humana haberet duo ſuppoſita creata infra quæretur.) Item quia licet illud myſterium ſit ſupernaturale; tamen retentio proprij ſuppoſiti eſſet nouum miraculum; & extraordinarium myſterio incarnationis; quod non eſſe factum rectè colligunt Patres, dum neque ſcriptura illius meminit, nec neceſſitas cogit: immo quod magnam confuſionem afferret myſteriis, ob quæ Deus naturam aſſumpſit humanam. Itaque ex definitione Eccleſiæ, *Chriſtum eſſe vnam perſonam*; euidenter infertur, non retineri in humanitate propriam ſubſiſtentiam. Eccleſia autem fuit mota ad eam definitionem ex modo quo *homo* dicitur *Deus*, & *Deus homo*, & operationes Dei tribuuntur homini, ſine vllo diſcrimine.

Chriſtus abſolutè eſt Filius Dei, & hominis.

Quod non ita eſſet ſi eſſent duo ſuppoſita.

Rationes quibus non ſunt in Chriſto duo ſuppoſita.

§. 94. *Concluſio. Natura cum proprio ſuppoſito poteſt diuinitus alieno terminari vno, & multis.*

Igitur humanitas terminata proprio ſuppoſito poteſt diuinitus alieno terminari. Hanc concluſionem P. Suarez affirmat ſatis eſſe probabilem, ſeque vidiſſe eam à doctis viris, & grauibus publicè defendi. *P. Suarez.* Idem affirmat P. Vazquez in 3. part. diſput. 33. cap. 2. *P. Vazquez.* Probatur, quia nulla oſtenditur repugnantiæ ratio, ſed potius impugnatio vltimæ rationis à §. 89. eſt probatio à priori huius concluſionis. *Prima ratio.* Inde etiam deduces poſſe naturam creatam ſimul affici pluribus ſuppoſitis alienis. *Obiectio ex P. Vazq.* Obiicit Pat. Vazquez, repugnare humanitatem eſſe per ſe in proprio ſuppoſito, & eſſe in alio. *Reſpondetur.* Contra: eſſe in alio, tantum eſt illi vniri, eſſe autem per ſe, eſt habere ſuum completum independens à ſubiecto: at rectè poteſt res vniri alij, & retinere ſuam independentiam, & modum illius, vt cum duæ partes aquæ vniuntur. Recognoſce doctri-

nam

P.Suarez. P.Vazquez. nam Patris Suar. à §.89. ex quo hanc eamdem deſumpſit Pat. Vazquez, vel eſt omnino eadem. *Vltima ratio.* Tandem hæc noſtra ſententia probatur, quia omnes fatentur poſſe eamdem humanitatem aſſumi ſimul à duobus ſuppoſitis diuinis, ergo & ab vno humano & alio diuino. Quam conſequentiam Scotus. Scotus in 3.d.quæſt.2.§. *Ad quæstionem igitur*, cenſet eſſe euidentem, eáque propter negat antecedés.

§. 95. *Quæſtio.* Supereſt inquirendum; vtrum ſi Deus aſſumpſiſſet naturam cum proprio ſuppoſito, eſſent hæ propoſitiones veræ, *Deus eſt homo, homo eſt Deus, Deus patitur, homo creat.* *Duæ propoſitiones falſæ.* Duæ primæ propoſitiones abſolutè eſſent falſæ, vt probat P.Suarez tom.1.in 3.part. diſput. 7. ſect.3. concluſ.2. quia homo haberet tunc propriam naturam, & proprium ſuppoſitum à Verbo diſtinctum; quod complexum non eſt Deus; cum tamen ſit homo: at verò Verbum tunc denominaretur homo ab humanitate, ſicut modò, & tunc hæc propoſitio, *Deus eſt homo, homo eſt Deus*, appellans ſupra ſuppoſitum diuinum vt terminans humanitatem, eſſet vera. *Obſeruatio ex ſcriptura.* Quapropter ſcriptura docens abſolutè, & ſine reduplicatione hominem eſſe Deum, docet ibi non eſſe duas perſonas.

§. 96. *Difficultas.* Deinde hæc propoſitio, *Deus moritur*, videbitur alicui falſa; quia tunc ſuppoſitum diuinum comitanter, & omnino per accidens ſe haberet ad actiones humanitatis, nunc autem omnes ſimiles actiones Deo tribuuntur, quia humanitas pendet à Verbo, ſaltem à poſteriori, & quia eſt vltimum complementum naturæ requiſitum ad exiſtendum; & operandum, ea ratione actiones tribuuntur ſuppoſitis, (vt infra probabo:) eſſet autem tunc per accidens, quia nullo modo natura cum ſuo ſuppoſito penderet à Verbo. Hæc autem, *homo creat*, eſſet vera cum eadem reduplicatione, qua hæc *homo eſt Deus*, eſt autem neceſſaria hæc reduplicatio, ne ſumatur errandi occaſio. *Reſpondetur.* Verum & hanc, *Deus moritur*, eſſe veram patet: quia actiones naturæ ſuppoſitis adſcribuntur: quia natura ſua ſunt complementum naturarum, per accidens autem eſt vtriuſque ſuppoſiti coniunctio. Principium influens in effectum per cauſalitatem diſtinctam, poteſt ab actione ceſſare præſente alia: at hoc genus cauſæ non eſt niſi per immediatam vnionem cum natura. De quo hic non plura: vide diſp.44. in 3. part. vbi de hac re egi abundè.

SECTIO VIII.

Vtrum ſuppoſitum creatum poſſit alienam terminare naturam?

§. 97. P. Suarez. VTrum ſuppoſitum Angelicum, exempli gratia, poſſit vniri naturæ humanæ de potentia abſoluta? Pat.Suarez diſp.34.ſect.4. à num.37.ait, partem negatiuam eſſe communiorem; vnde colligo, & affirmantem eſſe communem: priorem ipſe ſequitur, & quidem conſequenter è ſuis principiis. Cenſet enim ſubſiſtentiam creatam eſſe modum, cuius eſſentia eſt eſſe affixum rei, cuius eſt modus, cui modo non poteſt addi alia vnio, quia ipſe habet rationem vnionis ſui.

§. 98. *Argumentū ad probādum modum vniri poſſe per aliū.* Verum ſic argumentor: modus ſeipſo vnitur rei cuius eſt modus, cui non poteſt vniri per alium modum, nec poteſt conſeruari ſine re, cuius eſt: ad rem autem, cuius non eſt modus, non dicit ordinem per ſe: cur ergo illi non poterit vniri per alium *Confirmatur.* modum? Confirmatur, ex eo quod modus vniatur alteri rei per modum à ſe diſtinctum, non tollitur eius eſſentia: quia hæc eſt actualiter denominare per ſe rem, cuius eſt modus connaturalis; at tota hæc eſſentia manet, licet per alium modum vniatur alij rei, & ei communicet ſuum formalem effectum: ergo. Probo minorem, tum quia ſimul afficit rem ſibi connaturalem, quod eſt eius eſſentia: tum quia Verbum diuinum vt Verbum, eſt perſonalitas naturæ diuinæ, & ſimul etiam terminat naturam humanam per vnionem à ſe diſtinctam.

§. 99. *Obiectio.* Dices, non poſſe vnionem vnire extrema ſibi non connaturalia, etiam per aliam vnionem; quia tunc non tam erit vnio eorum extremorum, quàm extremum alterius vnionis: ſic autem & vnio erit vnita vt *quod*, quod repugnat, & non vniet alia extrema: quia ipſa in ſe non habet rationem vnionis in illa compoſitione, ſed extremi vniti: ergo idem erit in ſuppoſito creato, quod non poteſt vniri per modum à ſe diſtinctum, ſi ipſum eſt modus. *Reſpondetur. Duo genera modorum.* Negari poſſet conſequentia: nam duo ſunt genera modorum; alterum, quando modus vnitus & ratio vniendi habēt eumdem formalem effectum, & denominationem; vt duæ vniones, duo *vbi*, & duo ſuppoſita; hi autem modi non poſſunt inuicem vniri, quia vbicatio non poteſt eſſe vbicata, vt *quod*, neque vnio vnita, neque ſubſiſtentia perſonata: quia ſunt per eſſentiam tales: alterum genus eſt, quando modus vnitus, & vnio per quam vnitur, ſunt diuerſarum rationum, & denominationum, exempli gratia, perſonalitas Petri, eſt modus conſtitutiuus perſonæ: hic modus non poteſt denominari ab alia perſonalitate: at cur non poterit denominari vnitus naturæ Angelicæ per vnionem diſtinctam? à qua vnione non denominabitur perſonatus, ſed vnitus naturæ Angelicæ, illámque perſonans: quem effectum formalem (nempe vnitum Angelo) non habet à ſe vt *quo*. Quod poteſt confirmari ex Verbo diuino, quod non vnitur naturæ humanæ per aliud ſuppoſitum, ſed per vnionem, licet naturæ diuinæ vniatur per ſuum conceptum.

§. 100. *Hæc non videtur improbabilia.* Neſcio ſanè an hæc probabilitate careant, licet enim à nemine ea diſputata viderim, ſed oppoſitam doctrinam ſine controuerſia, & diſputatione ab omnibus admiſſam, non tamen video facilem argumenti explicatum. Poſt duos annos vidi hanc *P. Vazq. fauet.* doctrinam placuiſſe Patri Vazq. tom. 1. in 3. part. diſp.25. cap.2. & non nemini è recentioribus non *Reſpondetur. Modus nō poteſt diuinitus vniri per alium.* indocto. Vtcumque tamen reſpondeo, non poſſe modum vniri alij rei, quia debet vniri vt modus; modus autem vnitur ſeipſo. Vnde tota eſſentia modi eſt modificare, ſiue eſſe actualem determinationem vnius rei ad aliam: ergo effectus formalis modi conſiſtit in actuali affectione; quem effectū, ſi præſtare poteſt, non in actu ſed in aptitudine, iam id non præſtat vt modus, ſed vt res: hoc autem repugnat, quia non habet conceptum rei, ergo non poteſt vniri vt res: vnde ſequerentur duo termini contradictorij, *ſuppoſitum vnitur vt modus, ſuppoſitum non vnitur vt modus*, cum ergo ſubſiſtere creatum ſit modus, debet vniri vt modus.

§. 101. *Ad confirm.* Ad confirmationem, nego maiorem, quia non maneret vt modus, ſed vt res; quod illi repugnat: ſicut repugnat formam vniri materiæ tamquam materiam, & materiam vniri formæ tamquam formam. *Verbum non eſt modus.* Ad illud de Verbo, nego conſequentiam, quia Verbum non eſt modus, ſed res identificata cum natura. Vnde non mirum ſi vniatur vt res. Hæc doctrina clarior apparet in actione, quæ non poteſt intelligi, quomodo vniatur ad producendum terminum. Nec mihi occurrit reſponſio clarior.

§.102. *Suppoſitum creatũ vniri poteſt naturæ alienæ.* Okam. Baſſol. Gabr. Almain. Scot. P. Valent. Dion. Carth. *Prima ratio.* *Secunda.*

Abſolutè dicendum eſt, ſuppoſitum Angelicum vniri poſſe naturæ humanæ, exempli gratia, vel ſuppoſitum Michaëlis naturæ Gabrielis. Ita Okamus in 3.quæſt.1. dub.vlt. ad 13. Baſſolis in 3.d.1. quæſt.3. Maior. quæſt.5. Almain. quæſt.1. Gabr. ibidem quæſt.2.ar.3. dub.5.& Scot.4.eam cenſens probabilem: Pat. Valentia medio graditur itinere. tom.4.diſput.1.quæſt.3.p.6.Dionyſius Carthuſ.in in 3.d.2.quæſt.7.fine id non audet negare. Primò, quia id nullam repugnantiam inuoluit, quia ſuppoſitum non eſt modus, ſed res: quæ conſeruari poteſt ſine natura, cur ergo non poterit alteri vniri vniri naturæ? Secundò patet ex myſterio incarnationis: humanitas enim formaliter ſubſiſtit Verbo tamquam ratione ſubſiſtendi; & ex humanitate, & Verbo conſtituitur verus homo eiuſdem ſpeciei nobiſcum: ergo idem erit de ſubſtantia creata.

§.103. *Obiectio Durãd. P.Vazq.* *Reſpondetur.* *Obiectio.* *Refellitur.* S.Thom.

Obiicit cum Durand. P. Vazquez d.25.c.3. ſuppoſitum creatum non habere vim ex ſe ad ſuſtentandam alienam naturã; alioquin applicato agente naturali eam poſſet ſuſtentare: ergo nec de potentia abſoluta habet eam vim. Nego conſequentiam, quia poteſt per potentiam obedientialem paſſiuam: formóque argumentum idem contra eumdem, humanitatem non habere vim naturalem ad ſuſtentandam vnionem hypoſtaticam; nec Chriſti Corpus ad vbicationem Euchariſtiæ & ſimul in cælo. Dicit hoc eſſe per potentiam paſſiuam: bene, ergo & poterit ſuppoſitum pati vnionem ad alienam naturam: qua recepta illi vniretur, & denominaret illam ſubſiſtentem; ſicut humanitas denominat Verbum hominem, nec habet aliam ſuſtentationem; & ſicut humanitas, quæ eſt prima cauſa receptiua vnionis hypoſtaticæ, poteſt eleuari ad ſupernaturalem vnionem; cur & primæ cauſæ formales non poterunt? cum tantum tribuant ſuum formalem effectum recipiendo in ſe vnionem; quem effectum recipit materia patiendo vnionem: cauſa prima actiua, quia eſt Deus, non poteſt eleuari: quia nullius ſubiicitur imperio: ſecus creatæ cauſæ primæ in ſuo genere. Succeſſiuè autem poteſt terminare creatum ſuppoſitum infinitas naturas, ſicut materia formas; S. autem Thomam 3.part.quæſt.3.artic.1.ad ſecundum non eſſe contra nos oſtendi in commentario eius articuli.

§.104. *Quæſtio difficilis.* *Quæuis ſubſiſtẽtia poteſt terminare quamuis naturã creatã.* *Variæ quæſtiones.*

Hoc facile; illud difficile, *poſſit ne quæuis ſubſiſtentia vniri cuiuis naturæ?* nam diſp.1 de anima ſect.6. dixi; item 3.p. Verbum diuinum non poſſe ſibi vnire formam irrationalem propter imperfectam illius ſubſiſtentiam. Verum Verbi diuerſa eſt ratio. Quod propter ſuam perfectionem non eſt capax vnionis, niſi perſonalis; perſona autem non reſultat ex natura irrationali. Vnde ex verbo non ſumitur ſufficiens argumentum ad ſuppoſita creata, ſicut ex eo, quod Verbum ſit incapax vnionis accidentalis non rectè infertur, ſuppoſita creata habere eamdem incapacitatem; neque enim omnia argumenta è diuinis ſunt firma ad humana, neque omnia infirma. Agamus igitur de creatis. Nullam video repugnantiam; ſuppoſita enim potentia obedientiali paſſiua, cur perſonalitas Petri non poterit vniri Angelicæ naturæ? ſicut viſio lapidi. Vniatur humanitati ſuppoſitum leonis, compoſitum illud erit ne homo? non; quia homo eſt perſona, ergo debet habere perſonalitatem: at ſuppoſitum leonis non eſt perſonalitas: ergo. Natura verò humana cum ſuppoſito Angelico erit homo; quia eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia completa; natura verò leonis cum ſuppoſito humano non erit leo, quia leo non habet perſonalitatem. Dices lapidem cum intellectione non fore intelligentem: ergo nec natura humana cum ſuppoſito Angelico erit homo. Nego conſequentiam, quia intelligens præter intellectionem includit potentiam intellectiuam, qua lapis caret; homo autem non dicit niſi naturam, & perſonalitatem, vt patet in Verbo.

§.105. *Paradoxũ.* *Confirmatur.*

Audi hoc paradoxon: natura Angelica cum alio ſuppoſito creato, forte non erit Angelus, nec natura humana cum ſuppoſito Angelico homo. Nam ſicut perſona dicit rationalis naturæ indiuiduam ſubſtantiam, ita vt tam natura, quàm ſuppoſitum ſit indiuiduum rationale, id eſt pertinens ad complementum naturæ rationalis, & natura humana cum ſuppoſito bruti non eſt homo, quia illud ſuppoſitum non eſt rationalis naturæ: ita non erit homo cum ſuppoſito Angelico, quia illud ſuppoſitum debet eſſe humanum: quia ſicut perſona vt ſic neceſſario includit perſonalitatem vt ſic rationalis ſubſtantiæ, ita perſona in ſpecie debet conſtitui hac perſonalitate in ſpecie. Confirmatur: potentia viſiua leonis informata auditione non audiet, quia ſenſio non eſt actus proprius illius.

§.106. *Obiectio.* *Reſpondetur.*

Dices, Verbum diuinum eſt homo, ergo & ſuppoſitum Angelicum cum natura humana. Nego conſequentiam; quia Verbum diuinum eſt homo per ſubſtantialem denominationem ab vnione humanitatis: vnde Verbum ſignificatur in recto, & humanitas connotatur in obliquo; ſicut paries dicitur albus ab albedine (ſeruatis ſeruandis:) at verò perſonalitas creata non ſignificatur in recto, ſed potius hæc vox *homo*, & *perſona* ſignificat in recto naturam, & in obliquo connotat ſuppoſitum, de quo §.98.

SECTIO IX.

Aliquæ difficultates expeditæ.

§.107. *Prima quæſt.* *Diremptio.* *Suppoſitũ non eſt de natura hominis.* *Nõ eſt de hominis eſſẽtia.*

PRima: *An ſuppoſitum ſit de eſſentia hominis?* verbi gratia: illud eſt de eſſentia rei, ſine quo talis res concipi non poteſt; ſed homo non poteſt concipi ſine ſuppoſito, ergo: minor patet: quia ſine ſuppoſito non eſt homo, ſed humanitas. E contra verò, Verbum aſſumpſit totam hominis eſſentiam, & non ſuppoſitum, ergo hoc non eſt de eſſentia hominis. Vitanda eſt quæſtio de voce, & ſiſtendum rebus. Homo non reperitur ſine ſuppoſito; at ſuppoſitum non eſt natura hominis: neque de conceptu illius: nam ſuppoſitum non eſt principium, è quo humanæ naſcuntur actiones: natura autem eſt principium operationum (vt ſæpe ex Ariſtot. docui) an verò hoc complementum pertineat ad eſſentiam hominis? quæſtio eſt de nomine. Dicendum tamen; ſuppoſitum non eſſe de hominis eſſentia, quia eſſentia eſt natura rei, ſuppoſitum autem neque eſt natura, nec de natura hominis: ergo neque eſt eſſentia, nec de eſſentia hominis. Sic Theologi aiunt, eſſentiam Dei à ſuppoſitis eſſe diſtinctam; totámque eſſentiam eſſe abſolutam, & toti trinitati communem: intelligunt autem per eſſentiam naturam, id eſt fœcunditatem operationum. Item aiunt totam hominis eſſentiam aſſumptam à Verbo.

§.108. *Ad argumẽtum.*

Ad argumentum reſpondeo, illud eſſe de eſſentia rei completa, ſine quo talis res concipi non poteſt; atque ita ſuppoſitum eſt de eſſentia hominis completa: quia eſt complementum illius, non tamen eſt de eſſentia incompletè conſiderata.

Vel

Vel potius, illud eſt de eſſentia rei, ſine quo res concipi non poteſt in ratione principij operationum: non tamen ſi neceſſariò concipiatur in ratione complementi ſubſtantialis. Dices, ergo ſuppoſitum eſt pars integralis. Nego conſequentiam, tum quia non vnitur vnione continuatiua, ſed potius communicat naturę ſuum effectum formalem: tum quia quælibet pars integralis hominis eſt illius natura partialis: tandem quia ſine quauis parte integrali non ſolum manet humanitas, ſed etiam homo, licet mancus: at ſine ſuppoſito manet humanitas, non verò homo.

Obiectio. *Reſpondetur.* *Suppoſitū non eſt pars integralis.*

§. 109. *Obiectio.* Dices, vnionem eſſe de eſſentia rei, cum non ſit principium motus in homine. Reſpondeo, vnionem eſſe de eſſentia naturæ compoſitæ, quia partes ſunt de illius eſſentia non ſecundum ſe conſideratę, ſed vnitæ: ita vt vnio ſit ratio formalis, per quam partes reducuntur in actum compoſitionis eſſentialis, & eſt ipſa ratio formalis compoſiti, & totius, quia eſt ipſa compoſitio eſſentialis, & vt ita dicam, eſſentia compoſiti vt *quo*: & licet non ſit principium motus vt *quod*, eſt tamen vt *quo*: quia eſt vinculum, quo partes vniuntur inuicem, & ratione cuius quælibet natura partialis *eſt principium motus eius, in quo eſt per ſe primo.* Itaque non immerito poſſumus vocare vnionem naturam vt *quo*; nam partes inuicem ſeparatæ non poſſunt eſſe principium motus in compoſito, neque forma poteſt operari non vnita (excipe animum ſeparatum, qui tunc non eſt actu natura, ſed potentia) eſt ergo vnio ratio naturæ actualis, ſicut actio eſt ratio agentis actualis.

Vnio eſt principium motus vt quo.

§. 110. *Secūda quaſt.* *Actiones sūt ſuppoſitorum.* Ariſtot. Secunda difficultas eſt; *an ſuppoſitum ſit principium actiuum, aut paſſiuum operationum?* Et quidem merito damnandi ſunt Scotici nonnulli, negantes hoc principium propter ſuas negationes, *actiones ſunt ſuppoſitorum.* Nam licet Ariſt. non dixerit niſi, *actiones ſunt ſingularium*, quid refert? an nihil affirmauimus, niſi ab Ariſt. affirmatum? Cæteræ Scholæ illud admittunt, & Ioannes ille nobilis, & celeberrimus Theologus Pontificius in Concilio Florentino ſeſſ. 18. ex eo principio confirmat, eſſentiam diuinam non generare, ſed Patrem generare. Cuius verba vt viri à Deo afflati Concilium ſuſpexit: & oppoſitum ſine ratione adſtruitur, tum propter authoritatem Ioannis adducti, tum propter communem loquendi vſum Scholaſticorum, Patrum, Conciliorum, paginæ ſacræ, adfirmantium Deum mortuum, Deum ſurrexiſſe, Deum doluiſſe, Deum paſſum: ergo dicendum eſt actiones eſſe ſuppoſitorum, de quo latè egi in 3. p. d. 4.

Ioan. Theol. Concil. Flor.

§. 111. *Suppoſitū non influit immediatè in actiones.* *Prima ratio ab humanitate Chriſti.* Nonnulli arbitrantur, ſuppoſitum eſſe principium immediatè influens in actiones: hoc axiomate moti. Sed immeritò, tum quia humanitas Chriſti operabatur vt principium adæquatum humanarum actionum ſine actiuo Verbi concurſu: ergo & cæteræ humanitates ſine concurſu ſuppoſiti: conſequentia patet, quia ſicut ſuppoſito diuino tribuuntur actiones humanę ſine concurſu actiuo, ſeu paſſiuo in illas, eodem modo cæteris ſuppoſitis poſſunt attribui: antecedens patet, primùm, quia ſicut Verbum dicitur operari, ita & pati, quia hæc propoſitio eſt de fide, *Deus fuit mortuus*, ſed verè dicitur pati, quin recipiat dolorem: Verbum enim eſt incapax receptionis materialis, aut ſubiectiuę: ergo idem erit de actione. Secundò probatur antecedens, quia Verbum in genere cauſæ efficientis nullam habet actionem propriam, non communem toti Trinitati, iuxta Theologorum principium, *omnes actiones Dei ad extra ſunt communes toti Trinitati.* Quod euidens argumentū demonſtrat, quia quidquid Deus efficit, eſt per intellectum, & voluntatem, quæ facultates ſunt cōmunes tribus perſonis, itidem & earum actiones: ergo ſuppoſitum in ratione ſuppoſiti nullum habet influxum actiuum in operationes ſuæ naturæ. Secundò probatur eadem ſententia: quia natura humana, v.g. per ſe, vel ſuas potentias habet ſufficientem virtutem ad amandū, & cognoſcendum: ergo non eget ſuppoſiti concurſu; conſequentia à me eſt ſæpe firmata: antecedens patet, quia omnes formalitates intellectionis, & amoris reſpondent humanitati ſine ſuppoſito. *Secūda ratio.*

§. 112. *Ad axioma.* *Actiones cur ſuppoſitorū?* Ad axioma reſpondetur, actiones dici ſuppoſitorum: non quia ſoli perſonalitati tribuantur, ſed conſtituto ex natura, & perſonalitate, vt cum in diuinis dicimus, *Pater generat*, non ſignificatur ſola Paternitas; ſed conſtitutum ex natura, & Paternitate. Item homo currit non tribuitur ſoli perſonalitati, & quando dicimus: *Deus dolet, aut comedit*, non tribuitur ſoli Verbo, niſi vt in humanitate ſubſiſtit, & ab illa denominatur. Perinde eſt enim Deus moritur ac Deus in quantum homo moritur, id eſt, ratione humanitatis; tribuūtur autem actiones ſuppoſito: quia perſonalitas eſt vltimum complementum ſubſtantiale, quo natura completur ad exiſtendum, & conſequenter ad operandum; vltimæ autem formæ requiſitæ ſolent tribui effectus, ad quos requiritur: ſic in Phyſicis dixit totum dici genitum, à ſola generatione vnionis, quia vnio eſt vltima ratio ad totum requiſita.

§. 113. *Aliorum opinio.* Alij volunt propter argumenta facta, ſuppoſitum ad actiones ſe habere per accidens: & comitanter, vt cum dixit Ariſtot. *muſicus ædificat* eſſe propoſitionem de obiecto per accidens: quia muſica nihil confert domus ædificio. Sed non bene, quia non eſſet cur perſonalitati tribueretur actio ædificandi potius quàm muſicæ, ſi vtrumque eſt comitanter. Secundò, quia ſuppoſitum non ſe habet per accidens ad exiſtentiam naturę; ergo neque ad operationem. Antecedens patet ex dictis: conſequentia probatur, quia operatio ſequitur eſſe & ab omnibus illis pendet operatio, à quibus dependet exiſtentia, quia exiſtentia eſt principium operationis, *& quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſati à tali cauſa.* *Suppoſitū non eſt per accidens actionibus.* *Secūda ratio.*

§. 114. *Obiectio.* *Reſpondetur.* Dices, naturam pendere à poſteriori etiam ab accidentibus, à quibus non pendent operationes. Contra: duo ſunt genera accidentium, alterum eorum, quæ non exiguntur ad naturæ conſeruationē, vt *vbi*, relatio, duratio (in ſententia eam diſtinguente ab exiſtentia) & forte pulchritudo, quæ potius conſequuntur ex imperfectione noſtrę naturæ: alia accidentia requiruntur, vt diſpoſitiones requiſitæ ad formę conſeruationem, vt calor, & frigus, facultatéſque vitales (ſi eas diſtinguis ab animo, & Angelo) vel requiruntur tamquam inſtrumenta, aut conditiones, quouis modo requiſitæ ad operationem, vt quantitas. Primo generi accidentium non tribuuntur actiones, tribuuntur autem ſecundo, vt vt rectæ ſenſiones, rectæ temperaturæ animalis, & temulētia vini humori, & calori: quibus exhalātur vapores, rationis lumen obtenebrantes. Vniuerſalius autem actiones tribuuntur ſuppoſitis, quia cum ſint de primo conceptu hominis, eſt principalior, & vniuerſalior eorum neceſſitas. *Quibus accidentibus tribuātur actiones.*

§. 115. *Tertia quaſt.* Tertia difficultas eſt: *quænam ſit cauſa effectiua ſubſiſtentiæ?* Nonnulli eamdem eſſe volunt, quæ naturæ. Primò, quia ſubſiſtentia & natura producuntur eadem indiuiſibili actione: ergo. Antecedens probāt: quia ſubſiſtentia eſt modus, per quē natura eſt independens; creatio verò terminatur ad rem formaliter independentem. Hæc ratio non placet, primū, quia ſubſiſtentia non præbet illū formalem effectum,

effectum, ſed creatio (vt oſtendi ſect.6.) *Creatio enim eſt productio entis ex nihilo*, id eſt, *ex nullo ſubiecto concurrente.* Dices, creationem effectiuè conſtituere terminum independentem: ſubſiſtentiam verò formaliter. Cupio ne ſit in terminis æquiuocatio; ſi nomine *effectiuè* intelligas rationem agendi, verum eſt creationem effectiuè, id eſt, tamquam rationem agendi conſtituere terminum independentem: ſi autem intelligas creationem per aliquid à ſe diſtinctum conſtituere terminum independentem, eſt falſum: quia creatio per ſe ipſam formaliter, id eſt, per ſuum formalem conceptum conſtituit terminum productum, ſicut albedo album, & vnio vnitum.

§.116. *Creatio eſt formalis independentia à ſubiecto.* Vnde ſic argumentor: creatio per ſuum eſſe, & non per aliud facit terminum independentem à ſubiecto, quia per ſuum conceptum illum denominat productum ſine concurſu ſubiecti (quæ eſt ratio formalis independentiæ à ſubiecto) ergo formaliter facit illum independentem: conſequentia patet ex diſcrimine inter *formaliter, & effectiuè*, hoc enim ſignificat rem denominare per aliquid à ſe diſtinctum, vt Deus denominat creaturas productas per productionem à ſe diſtinctam, & calor ignis calefacit lignum effectiuè: formaliter autem eſt denominare per ſuum proprium conceptum, vt viſio denominat videns, & viſum. Recognoſce explicationem vocum logicæ præmiſſam.

§.117. Si ergo creatio conſtituit terminum ſine dependentia à ſubiecto, quorſum alius modus, quo ita conſtituatur? Alibi oſtendi inhærentiam accidentis, & eius dependentiam formaliter conſiſtere in paſſione, & cauſalitate materiæ, ergo independentia conſiſtit in modo illi oppoſito: nempe in *Confirmatur.* actione ſine concurſu ſubiecti. Confirmatur, humanitas Chriſti terminat creationem per ſe, & non ratione perſonalitatis; ergo res ſine perſonalitate poteſt eſſe terminus creationis. Antecedens patet: quia Verbum non producitur per actionem humanitatis. Imo nec creatur vnio humanitatis ad Verbum, quia pendet ab humanitate tamquam à ſubiecto, ex quo verè generatur. Dices, creationem terminari ad rem ſubſiſtentem reduplicatiuè; ergo ex parte termini eſt alia ſubſiſtentia. Nego antecedens: quia terminatur materialiter tantum ad ſubſiſtens, ſicut viſio ad viſibile: cum verò hoc genus ſubſiſtendi ſit formaliter ab actione, non terminatur ad illud: quia eſſet terminari ad ſe, ſicut color terminaretur ad ſe, ſi terminaretur ad viſibile formaliter. Recognoſce à §.59. ad 65.

§.118. *Secūda ratio.* Secundò poteſt probari eadem ſententia, quia ſi natura humana poteſt producere ſuam ſubſiſtentiam, ergo & anima ſuam vnionem: patet conſe- *Reſpondetur.* quentia, quia eadem videtur eſſe ratio. Sed non eſt eadem: nam ad producendam ſubſiſtentiam non exiguntur accidentariæ diſpoſitiones; quia ſubſiſtentia eſt prior natura quàm accidentia ipſius naturæ: verbi gratia, ſubſiſtentia materiæ prior quantitate: at vnio ab accidentibus dependet: & quam- *Anima producit ſubſiſtentiam, & non vnionē.* uis anima prius natura in corpore producatur, quàm illi vniatur, tamen non poteſt accidentibus vti niſi corpori vnita: nam illis vtitur vt forma, quæ in eſſe talis conſtituitur actu per vnionem; animus autem non poteſt in corpore exercere vllam actionem, niſi in quantum forma illius ab illo dependens in vnione, & in operatione in illud: quia verò poſtea eſt vnita vtitur illis accidentibus, tum ad diſponendum ad nutritionem, tum ad generandum alium hominem: & ſicut animus non efficit nutritionem antequam vniatur, ſic nec vnionem.

§.119. *Obiectio.* Dices, id verum eſſe in forma ſubſtantiali: at calor cur non producet ſuam vnionem ad ſubiectum, cum non dependeat ab aliis diſpoſitionibus, & poſſit ſimilem vnionem alius caloris ad aliud ſubiectum producere, & prius natura generetur in ſubiecto, quàm illi vniatur? *Reſpondetur.* Reſpondeo, id non oriri ex dependentia ab accidentibus: nam cum iam eſſet diſpoſita materia ad vnionem, poſſet ipſa anima illam producere, quia ad eam generationem nulla accidentia immediatè concurrunt; oriri autem ex communi conceptu formę; quę non poteſt in ſubiectum operari, niſi vt forma. *Forma pēdet ab vnione vt agat in ſuo ſubiecto.* Vnde vnio eſt prius natura, quàm omnis operatio formæ in ratione formæ. Pro hac parte non video aliud argumentum: nam creatio dicitur terminari ad totum ſuppoſitum, non quod ſit productio perſonalitatis, ſed quia integrum ſuppoſitum eſt finis remotus creationis.

§.120. *Oppoſita ſententia ni vrget.* Nec pro oppoſita multum vrgent argumenta. Præcipuum ſumitur ex naturali emanatione. Sed poteſt reſponderi, latum eſſe diſcrimen, quia accidentia ſunt actus ſecundus, qui ſupponit primum completum in ſuo genere: at ſubſiſtentia naturam *Reſpond. ad argumenta.* complet. Vnde ab ea non poteſt oriri, quia prius eſt eſſe completum, quàm operari: eodem modo reſpondetur, ſi quis dicat naturam habere ſufficientem virtutem ad producendam aliam ſubſiſtentiam: nam tunc iam præſupponitur completa, non tamen ad productionem ſui ſuppoſiti. Hanc tamen ſententiam ſequitur Pat. Suarez ſectio. 6. *P. Suarez.* num. 9. propter S. Thomam: quam ego ſequor *S.Thom.* propter vtrumque; nam ad naturalem emanatio- *Suppoſitū oritur à natura.* nem non requiritur complementum, quia ipſum emanat à natura. Cui fauet apertè Caietan. 3. part. *Caietan.* quæſt. 4. art. 2.

§.121. *Quæſt. 3.* De cauſa materiali ſuccedit quæſtio. Aliquis opinatur, ſubſiſtentiam non habere cauſam materialem, ſed naturæ vniri, vt purum terminum, vt de creatione dixi diſput. 12. Phyſicorum, quibus fauet Pat. Suarez ſect. 6. num. 22. *P.Suarez.* Verum, ibi negat inhærentiam propriam, & tribuit ſubſiſtentię rationem communem dependendi à natura, quam habent omnes modi ſubſtantiales; certum eſt autem vnionem hominis ab extremis pendere, tamquā à ſubiecto. Hæc ſententia eſſet vera ſi ſubſiſtentia eſſet ratio, qua natura eſſet independens à ſubiecto; quia ſubſiſtentia deberet eſſe independens, vt *quo*, & habere per eſſentiam effectum formalem: hoc autem eſſe falſum oſtendi. Quo fundamento euerſo cor- *Subſiſtentia recipitur in natura.* ruit ſententia illi innixa: in mea autem ſententia eſt clarior, quia ſubſiſtentia non eſt modus independens, ſed res dependens.

§.122. *Quæſt. 4.* Quarta difficultas. *Vtrum natura diuinitus poſſit eſſe ſine omni ſuppoſito?* Negat P. Suarez ſect. 6. n. 27. *P.Suarez.* S. Thom. adducit in tertium, diſtinct. 5. articul. 3. quæſt. 3. ad 3. *S. Thom. explicatur.* At S. Thomas tantum affirmat Chriſti humanitatem, ſi à Verbo dimittatur, ſtatim recepturam rationem perſonæ: quod verum eſt ex natura rei, potentiæ autem abſolutæ raro meminit S. Thom. *Prima ratio.* Probat primùm quantitatis exemplo, quæ non poteſt intelligi ſine actuali figura. *Secunda.* Secundò ex vbicatione, quæ tantam habet connexionem cum rebus omnibus, vt nulla poſſit eſſe ſine aliqua vbicatione. *Tertia.* Tertiò, quia non poteſt res priuari connaturali exiſtendi modo, quin illi conferatur modus immediatè oppoſitus: vt cum accidens priuatur inhærentia, illi confertur modus per ſe exiſtendi: & cum humanitas priuatur proprio ſuppoſito, illi tribuitur diuinum.

§.123. *Reſpondetur.* Hæc argumenta non ſunt ſat huic ſententiæ: oportet enim contradictionem apertius oſtendi.

Ad

Ad primum. Quātitas poteſt eſſe abſque figura. Ad ſecundū.

Ad primum, quantitas poteſt diuinitus eſſe ſine vlla figura, ſi ad punctum redigatur, quia in puncto non poteſt eſſe figura: quia hæc habet extenſionem localem. Ad ſecundum, nego conſequentiam; quia vbicatio eſt ratio exiſtendi in loco, & fundandi diſtantias, & propinquitates: & ſicut Deus per perfectionem ſuæ immenſitatis fundat indiſtantiam ab omnibus rebus, ita creaturæ propter ſuam imperfectionem fundant diſtantias. Ad tertium, diſtinguo antecedens: de modo productionis, & dependentiæ à ſuis cauſis, concedo: de modo rem complente, nego: nam quia creaturæ, quandiu ſunt, neceſſariò à Deo dependent, neceſſariò etiam habent aliquam actionem, per quam actu dependeant: quod ſi hæc actio eſt generatiua, non poſſunt illa priuari, niſi per creatiuam. Quod contingit in Euchariſtia, in qua, generationi accidentium ſubrogatur creatio: at ſuppoſitum non eſt ratio independendi, ſed ſubſtantiæ complementum; quæ diuinitus cur non poterit incompleta manere? ſicut animus manet ex natura rei incompletus ſine actuali vnione. Hanc meam ſententiam P. Valentia docet apertè tom. 4. diſputat. & quæſt. 1. puncto 2. §. *Nec obſtat*, & Caiet. 3. p. quæſt. 4. a. 2. §. *Ad quartum dicitur, quod ſi eſt ſermo.*

Ad tertium.

Natura poteſt eſſe abſque ſuppoſito. P. Valent. Caietan.

§. 124. *Quinta quæſtio.* P. Suarez.

Hinc oritur quinta difficultas: *An tunc natura conſeruaretur eodem influxu, quo nunc?* Affirmare tenetur P. Suarez qui tom. 1. in 3. p. diſput. 8. ſect. 1. §. *Alio tamen modo.* opinatur, naturam à ſuppoſito nō pendere à priori, ſed à poſteriori, & paſſim docet, ſuppoſitum effectiuè ex natura manare: ergo in hac ſententia eadem actione conſeruaretur natura ſine ſuppoſito, qua cum illo, quia vbi non deficit aliqua cauſa, non requiritur potentior influxus: vt de materia prima oſtendi diſp. 2. phyſicorum ſect. 9. Vnde obiter colliges, ſuppoſitum non eſſe rationem, qua natura conſtituitur independens, quia eſt natura prior natura ipſa, & præſupponitur ſuppoſito dependens ab omnibus ſuis cauſis. Eſtque hæc ſententia P. Suar. vera propter hanc rationem: quia pereunte ſuppoſito non perit aliquod principium per ſe influens in naturam, neque aliqua principij cauſalitas, quia ſuppoſitum nihil influit in naturam, neque eſt cauſalitas actiua, aut paſſiua: ergo pereunte ſuppoſito non eſt cur mutetur prior actio, quia hæc per ſe tantum dependet à principiis per ſe influentibus, & à termino. Vide quæ de materia prima dixi diſputat. 2. in Phyſicis.

Natura non egeret nouo influxu.

§. 125. *Sexta quæſt. Natura naturaliter operaretur.*

Vnde enaſcitur ſexta difficultas. *An poſſit natura in eo ſtatu operari?* Arbitror eam poſſe ſine nouo miraculo diſtincto à conſeruatione. Primùm exemplo accidentium in Euchariſtia operantium. Secundò, quia natura eſt adæquatum principium ſuarum operationum: ſuppoſitum autem eſt principium operationum, non quia immediatè tribuatur ad operandum: ſed ad complementum naturæ, ſine quo ſicut non poteſt eſſe: ita neque operari; exiſtens tamen ſine illo, poteſt operari.

§. 126. *Prima quæſt. Suppoſitū poteſt abſque natura eſſe.* P. Suarez. *Secūda quæſt. In diuinis perſona dicit in recto ſuppoſitum: in obliquo naturam. Deus ecōtra. Tres perſonæ & vnus Deus cur.*

Rogas primò, *Vtrum ſuppoſitum poſſit diuinitus exiſtere ſine natura?* In mea ſententia poteſt: quia eſt res: In ſententia Patris Suar. non, quia eſt modus. Rogas ſecundò, *quid perſona dicat in recto?* In diuinis non eſt difficile; quia dicit in recto ſuppoſitum, & connotat in obliquo naturam: è contra verò Deus dicit in recto naturam, & connotat in obliquo ſuppoſitum: quia cum natura & ſuppoſitum ſint æquè independentes, poſſunt mutuo ſignificari in recto more rerum per ſe ſtantium. Quapropter ſunt tres perſonæ, & vnus Deus; quia ad multiplicitatem non ſufficit multiplicitas obliquorum: ſed ſufficit ſola multiplicitas rectorum: ſicut vnus paries cum triplici albedine eſt vnum album: & tres parietes cum vna albedine ſunt tria alba. Item quando dicitur, *Deus eſt homo*, ſignificatur in recto ſuppoſitum, & in obliquo connotatur humanitas, à qua Verbum ſubſtantialiter denominatur homo cum aliqua ſimilitudine, qua materia denominatur animata ab anima. Atque illa propoſitio habet hunc ſenſum, *Deus eſt homo*: id eſt, ſuppoſitum diuinum exiſtit in humanitate, à qua denominatùr *homo.* Quod ſi homo ibi ſignificaret humanitatem in recto terminatam Verbo, eſſet falſa hæc propoſitio, *Deus eſt homo*; quia Deus non eſt humanitas terminata Verbo. Denominat autē ibi humanitas Deum hominem; quia Verbum, cum ſit realiter perſona diuina, poteſt denominari *homo.*

Deus eſt homo.

§. 127. *Suppoſitū humanum non poteſt denominari homo.*

Suppoſitum autem creatum non poteſt denominari homo ab humanitate; quia eſt res valde imperfecta, incapax talis denominationis. Vnde poſſet quis dicere, hominem, intelligendo naturam, & ſuppoſitum ſimiliter, & hanc vocem, *perſona humana*, dicere in recto naturam, & in obliquo ſuppoſitum. Nam in recto ſignificantur ea, quæ vel ſunt ſubiectum, vel per ſe ſtant ſubiecti more: in obliquo verò formæ, vel quæ adiacere ſignificantur. Natura creata eſt verè ſubiectum, cuius forma eſt hypoſtaſis creata, ab ea ſubiectiuè pendens. Vnde homo pura creatura, dicit in recto humanitatem, & in obliquo hypoſtaſim: & duæ humanitates cum vna hypoſtaſi, eſſent duo homines: vna humanitas cum duplici hypoſtaſi eſſet vnus homo. E contra in Chriſto, homo dicit in recto hypoſtaſim, & in obliquo naturam; quia hypoſtaſis per ſe ſtat, ſuſtentans naturam: hæc verò ab illo pendet. Videntur tamen hæc tradita à S. Thom. 1. p. q. 29. art 4. corpore. E quibus oſtendi, diſp. 23. in 3. p. cum Caiet. Marſ. & Gabriele, tres perſonas diuinas cum vna humanitate conſtiturum ire tres homines, & non vnum. Vide item, diſput. 50. ſect. 2.

Homo pura creatura dicit in recto naturā, & in obliquo ſuppoſitum. E contra Chriſtus.

DISPVTATIO XII.

De intelligentia creata.

Diuiſio ſubſtantiæ.

PRIMA diuiſio ſubſtantiæ eſt in incorpoream: quam oſtendi eſſe proprium Metaphyſicæ obiectum: & corpoream, quam phyſici perſcrutati ſumus. Nunc de intelligentia creata diſputabitur: at de increata extra prædicamenta; quia eam nolunt Phyſici in prædicamento collocare.

SECTIO I.

Errores Ariſt de Deo, & Angelis.

§. 1. *Errores Ariſtotelis. Cælum fuiſſe abſque principio vllo. Obiectio.*

AC primum cœlum nullum habuiſſe principium, non modo durationis, verum neque entitatis docet his verbis, ſecundo de cœlo, cap. 1. *Cœlum igitur vniuerſum neque ortum eſſe neque corrumpi poſſe, ex hiſce, quæ dicta ſunt, fidem ſumere licet.* Obiicis ex libro de mundo ad Alexandrum ad medium, vbi ait omnia eſſe à Deo conſtituta in ſalutem mortalium, & vocat Deum principium rerum omnium. Verum vt patet ex eodem libro, Deum non facit autorem cœli: ſed ly *conſtituta*, ſonat quod *gubernata*, vel *diſpoſita*, ſic Principes dicuntur legibus rempublicam conſtituere, atque ex diſcurſu

Reſpondetur.

Adminiſtrationem mundi Deo adſcribit. *Intelligentias nõ eſſe factas.* *Deum appellat ſupremam.* *Obiectio.* *Reſpond.*

ipſius Ariſt. toto 1. libro de cœlo patet, eius ſcopum eſſe oſtendere, cœlum in nullius potentia contineri. Verum eſt ab Ariſtot. Deo tribui huius mundi adminiſtrationem: ſed per motum primi cœli, vt patet ex eodem libro de mundo. Atque eodem modo infertur ex Ariſtot. intelligentias cœlorum motrices à Deo non eſſe factas, eodem argumento, quo cœlum: eas enim facit tam neceſſarias, quàm cœlum: & 12. Metaphyſic. cap. 6. oſtendit, ea eſſe entia neceſſaria. *Quod enim* (inquit) *potentia eſt, contingit non eſſe*: non tamen propterea eas vocat *Deum*; quia hoc nomen tribuit ſupremæ intelligentiæ, præſidi ſupremi cœli: quam ſine lib. 12. Metaphyſicorum concludit eſſe vnam, & principem: nam illud diſcrimen inter intelligentias conſtituit, quod vidit inter ſphæras mobiles: & Deum per illas omnia adminiſtrare, ſicut Regem Perſarum ſuum regnum per adminiſtros, vt oſtendit illo libro ad Alexandrum. Obiicis teſtimonium ex 2. Phyſic. cap. 4. text. 43. & 44 à me latè propoſitum, diſputat. 10. Phyſicorum, §. 1. quo videtur inſinuare, cœlum non caſu, ſed prudentia effectum. Reſpondeo, Ariſtotelem in rebus de Deo ſæpe hallucinatum fluctuaſſe: in phyſicis oſtendit vnum principium primum motus: ad quod probat res non caſu, ſed prudentia gubernari: at libris de cœlo ex inſtituto probat cœlos principio caruiſſe.

§. 2. *Deo negat immediatam cognitionem rerum.*

Secundò Deo negat immediatam cognitionem rerum omnium; quia nefas arbitratur, Deum minutis rebus adeſſe: ſed ait Deum per quaſdam imagines res cognoſcere, ſicut Rex Perſarum vno die cognoſcebat quid ageretur in tota Aſia, ignibus accenſis è ſpeculis. Vide librum de mundo ad Alexandrum. Vbi conatus Dei naturam attollere, dum eam ex humanis, Principibus expendit, ita deprimit, vt eam neget. *Negat Deo prouidẽtiam.* Item ſecundo magnorum moralium, cap. 8. *Deum*, inquit, *malorum curam habere, fas non eſt*. Vbi oſtendit omnia, hæc ſublunaria fortunâ hominibus euenire, neque eorum videtur admittere Deum diſtributorem. Item ab eo negari cognitionem futurorum, ſatis oſtendi diſputat. 9. de Anima.

§. 3. *Itẽ & libertatem.*

Libertatem eidem adimit, & intelligentiis. Nam 12. Metaphyſic. cap. 6. cum oſtendiſſet, eas ſubſtantias eſſe neceſſariò æternas, vt eſſet æterni motus principium æternum; quæſtionem mouet, motum poſſe ceſſare, ſi in virtute earum continetur: quia quod poteſt eſſe, non ſemper eſt: eam autem quæſtionem ſoluit, aſſerendo eas ſubſtantias operari ſemper eodem modo, & non poſſe aliter eſſe. Quod clarius patet ex cap. 8. Vbi aſſignat numerum intelligentiarum: præter quas oſtendit nullam eſſe poſſibilem; quia moueret cœlum, & nullus alius motus eſt poſſibilis: vbi & intelligentiis adimit libertatem; quia ſi exiſterent, neceſſariò mouerent: *Omnipotentiam etiam.* & Deo negat omnipotentiam ad creandas intelligentias, & alios motus generandos. Quod etiam colligitur; quia intelligentiis non tribuit actus vitales accidentales, ſed eamdem eſſe ſubſtantiam: quam arbitratur non poſſe mutari.

§. 4. *Et immediatum concurſum. Immenſitatẽ.*

Tertiò negat Deo immediatum concurſum in res omnes eo libro ad Alexandrum: arbitratur enim, Deum dedecere viles actiones, ſicut Regem dedecet intereſſe culinis. Item eidem negat immenſitatem, & illum ita cœlo affigit, vt non poſſit inde diuelli, ne motus cœli deficiat aliquando. Idem eſt iudicium de cœteris intelligentiis, vt ait Soncinas 12. Metaphyſicæ, quæſt. 6. & Iauellus, quæſt. 4. & alibi. Imò eum malè poſſe de Angelis exponi, ex S.Thoma ait P.Suarez, diſput. 35. ſect. 3. num 32. & 33. (Soncinas. Iauellus. B.Thom. P.Suarez.) *Itaque ſummam adeptus eſt ſedem*, (inquit Ariſtoteles) *reſiditque ſummo in vertice vniuerſi cœli*: & ait, terram à Deo maximè diſtare, *itaque rectius iudicare, quod etiam Deo conueniens, & maximè decorum intelligitur, in cœlo, &c. quam penetrare, & eo frequenter accedere, vbi neque honeſtè, nec liberaliter ipſa per ſe conficit, quæ apud nos eſſent* Hæc Ariſtot. verba Deo negant apertè immenſitatem, & actiones. Denique ait, Angelos eſſe infinitæ virtutis; quia mouent cœlum tempore infinito. *Angelos eſſe infinitos virtute.* Ecce Principẽ Philoſophorum, inſanientem circa Deum: apud quem ſtultitia eſt ſapientia huius mundi. Tuli autem per quàm moleſte, cum apud Iuſtum Lipſium legi, libellum illum ad Alexandrum totum eſſe aureum: *Lipſius reprehenditur.* cum totus ſcateat erroribus. In quem Apoſtolus inuehitur, 1. Corint. 1. 20. *Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi? Non ne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Infatuauit*, dixit Tertul. *illorum delyramenta oſtendens*, addit Clemens Alexandrinus. (Tertul. Clem. Alex.) Veterum enim Philoſophorum ſplendori tenebras offundit Fides.

SECTIO II.

Vtrum & quid ſint Angeli.

§. 5. *Intelligentia quid.*

SI naturæ Angelicæ ſunt ſpirituales, erunt expertes compoſitionis ſubſtantialis (excepta compoſitione ex natura, & ſuppoſito.) Intelligentia eſt *mens, intellectus, ratio*. Homo non vocatur *intelligentia*; quia ex non intelligente corpore conſtitutus: *Homo non eſt intelligentia.* animus autem & eſt mens, & ratio, & intelligentia incompleta (de qua ſatis anno ſuperiori) nunc de intelligentia creata completa. Hanc noſtri *Angelum* vocant, ob officium. *Angelus* namque nuntius eſt; quia verò Deus è cœlo intelligentias nuntios ad nos mittit, ideo *Angeli* nuncupatæ. *Animus intelligẽtia incompleta. Angelus cõpleta. Angelus nũtius.* Bipartiti autem Angeli, in bonos, & malos, malos (inquam) non ſuopte ingenio, ſed affectu prauo. Caue Ariſtotelicum delyrium, *Ariſtotelis delyrium.* affine Manichæo, libro de præſenſione, dæmones eſſe naturas non diuinas, quos in natura videtur ſequeſtrare ab intelligentiis, quas vocat naturas diuinas. Si enim boni, & mali Angeli naturas, ſine illarum affectu, conſideres, vtræque æque diuinæ; & dæmoniaca nonnulla diuinior (id eſt excellentior) multis, è bonis. Vtrique *Angeli*, nuncupati à Deo: boni ore Chriſti, *Angeli eorum vident faciem Patris*: mali ore Dauidico, *immiſſiones per Angelos malos*. Vtroſque vna diſp. complector; quia de eorum natura agere mihi munus, cum Ariſtotel. 12. Metaphyſicorum, de moribus Theologo.

§. 6. *Angeli definitio.*

Angelum intelligo, *naturam completam, ſimplicem, intelligentem, à Deo diſtinctam*. Intelligendi perfectio communis illi cum noſtro animo, & Deo: complementum naturæ, proprium, & cum ſolo Deo commune. Diſtinctio autem à Deo neceſſaria cuiuis creaturæ. *Angelus eſt poſſibilis.* Hanc naturam eſſe poſſibilem inde patet; quia nullam repugnantiam illa prædicata continent: illud enim dicitur repugnare, cuius eſſentia continet duo prædicata ſe mutuo expellentia, ac deſtruentia, vt quantitatem eſſe ſubſtantiam: & naturam corpoream ſimplicem, & naturam ſpiritualem compoſitam eſſentialiter. Nam quantitas dicit inhærentiam, ſubſtantia verò non inhærentiam. Item natura materialis dicit non intellectum, actus autem ſimplex completus dicit intellectum: item natura ſpiritualis dicit indiuiſionem ſubſtantialem cum actualitate: compoſitio autem eſſentialis dicit indiuiſionem ſubſtantialem cum potentialitate: at in natura intelligente completa non reperitur

petitur hæc prædicatorum pugna: intellectus enim maximè quadrat in ſubſtantias completas (vt ex Deo patet) & magis depurgatas è fæce materiæ (vt indicat immaterialis animus) nec tanta perfectio eſt naturæ ſimplicis completæ intellectricis, quin poſſit infra Deum reperiri: nam & à Deo tota dependet, & eſt multis accidentibus & compoſitioni ex natura, & ſuppoſito obnoxia: à quibus immunis ſolus Deus. Confirmatur, Deus eſt virtutis actiuæ infinitæ, qua poteſt ſe ſuis effectibus communicare: ergo continet ea virtute ſubſtantias ſimplices completas intellectrices: nam ex omnipotentia non repugnat: nec ex effectu, quia hic nullam præſefert repugnantiam, vnde ergo repugnat? quin hic effectus eſt maximè proprius Dei; quia ei ſimillimus. Neque opinor alia nos egere probatione.

Angelus multis obnoxius imperfectionibus. Confirm.

§. 7. *Angeli exiſtunt. Ariſtot. argumentum.*

Exiſtere has ſubſtantias immateriales, aſſecutus Ariſtoteles, 12. Metaphyſicorum, à cap. 6. rationem non aſſecutus. Sumpſit argumentum ex cœlorum motu, & conuerſione quæ non poſſunt ab ipſis cœlis oriri: ergo ab alio principio extrinſeco. Hoc autem eſſe immateriale probat; quia ſi corporeum, aut finitum, aut infinitum: infinitum magnitudine eſſe non poteſt: ergo finitum: ſed neque hoc, nam motor cœli eſt infinitæ virtutis, cum moueat tempore infinito: ſed corpus finitum non habet virtutem infinitam: ergo motor cœli non habet corpus finitum. Probaui libris de cœlo, illud non eſſe animatum, neque habere innatum principium ſe mouendi; quia ſua circuitione nihil ſibi lucratur. Vnde concluditur, illud ab alio moueri. Id autem ab Angelo præſtari non probat Ariſtoteles. Demus enim motori cœli corpus finitum; reuoluet quidem cœlum æuiterno motu viribus finitis. Nam finito conatu cientur illæ ſphæræ: æuiternitas autem non arguit infinitatem ſimpliciter: ſed perfectam durationem: vt enim cœli ipſi ſunt ex Ariſt. æterni, & finiti magnitudine, ita & motor poſſet eſſe. Obiicies, corpus illud defatigatum iri irrequieta circumuolutione. Verum, cum cœli, nec graues ſint, nec leues, minore reſiſtentia mouentur, quàm palea ventis: imo nulla. Deinde fingamus corpus exanime incapax defatigationis, habebit innatam virtutem circumuehendi cœlos, vt magnes trahendi ferrum; ſuccinum paleas. Petes, an corpus illud penetraretur cum cœlis? nequaquam; contineri enim poterat aliquo è ſurculis, quos adſtruunt aliqui in cœlis ſtellatis, vel ſaltem Deus in ſphæra mota illud poterat incidere & quaſi cœlare, vt ſolem, aſtraque cætera.

Cœlum mouetur ab alio. Ariſtoteles non probat ab Angelo. Motor finitus mouere poteſt tempore infinito. Obiectio. Reſpond. Cœli facilius quàm palea mouentur. Corpus impenetratū poſſet cœlos mouere.

§. 8. *Motum cœli fieri à creatura non probatur. Ariſtoteles ob errorē admiſit Angelos.*

Nec verò probatur ex motu cœli eum effici à creatura, cum poſſit à ſolo Deo, qui vt totum hunc mundum ipſe produxit, ſic & cœlorum conuerſiones, quibus totum inferiorem orbem adminiſtret. Ariſt. enim ideo plures intelligentias adſtruxit; quia Deum alligauit ad verticem ſupremi cœli, illiuſque motorem conſtituit: qui non poteſt agere immediatè in diſtans in Ariſtot. ſententia. Vbi Ariſtot. errauit in neganda immenſitate diuina, & actiones immediatas in omnia corpora: nec bene concluſit: nam poterat Deus traiicere virtutem per primum cœlum: quæ cæteros pertingens moueret, ſicut cœlorum influxu inferiora corpora commouentur. Dices, Deum mundum adminiſtrandum bonis Angelis permiſiſſe. Verum id quo argumento rationis probatur, cum adhuc inter catholicos probabile ſit, ſupremam ſphæram à ſolo Deo moueri: quod clarè Ariſtot. affirmat libro de mundo ad Alexandrum: in quo quam obſecro inuenis turpitudinē, cum Deus immediatè concurrat ad actiones omnes? Quid ſi ad hanc ſolus? deeſſet ne Deo honeſta eius motus ratio? Quod ſi potuit; vnde probas eum noluiſſe, niſi ex Scriptura, & Patribus? Neque ex his motibus poteſt conſtitui intelligentiarum certus numerus: plures enim Deus effecit, quàm quæ cœlos concitant; quamuis Ariſtoteles eas negarit poſſibiles.

Obiectio. Reſpond. Deus ſolus mouet primā ſphæram.

§. 9. *P. Suarez argumentum.*

Pat. Suarez diſput. 35. ſect. 1. num. 5. hac vtitur ratione. Angeli ſunt poſſibiles: ergo eos produxit Deus: patet conſequentia: Deus mundum effecit ſibi perfectè ſimilem: ſed ad hanc perfectionem requiruntur Angeli: ergo. Probatur minor, quia Angeli habent excellentem gradum intelligendi, qui eſt Deo quàm ſimillimus, ſine quo manca eſſet mundi ſimilitudo ad Deum. Quam coniecturam ex S Thom. latè proſequitur. E qua deducit vnionem hypoſtaticam exiſtere, & extituram ſubſtantiam ſupernaturalem, ſi eſſet poſſibilis: verùm coniectura eſt, non argumentum euincens. Ponamus, Deum voluiſſe creare mundum corporeum hunc ſine Angelis, & conſtare nobis eum potuiſſe etiam Angelos creare, noluiſſe tamen: nonne Deus honeſta ratione moueretur? Oſtendi enim diſput. 3. in 3. part. Deum non teneri ad obiecta ex ſe perfectiora. Cum ergo Deus potuerit Angelos producere, & non producere pro ſuo arbitratu, ex naturali ratione quod argumentum ſumitur ad partem alterutram? nam *homo factus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei.* Quod verò in Angelis perfectior ſimilitudo ſit, quid refert? Potuit enim Deus, eam nolle producere, humana contentus: imò nunc poteſt producere Angelos perfectius referentes Deum, quos nunquam produxit, nunquam producturus.

Reſpondetur. Potuit Deus non creare Angelos. Ratione naturali nō probantur Angeli.

§. 10. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices, eos intra eumdem gradum cum his contineri. Contra; quia inter ſubſtantias ſimplices completas poſſunt eſſe gradus magis diuerſi, quàm inter lapidē & plantam: quia Cherubini, & Throni tantum videntur ab infimis Angelis diſtare, vt diuerſos gradus conſtituant; à ſanctiſque Patribus diuiduuntur in tres Hierarchias. De ſubſtantia verò ſupernaturali nihil conficit illa ratio: de vnione autem hypoſtatica multo minus. O Deus bone quàm multa feciſſes, ſi quæ potuiſti, feciſſes! Etiam concluderetur Spiritum ſanctum aſſumpſiſſe naturam Angelicam, cum qua conſtitueret diuerſum gradum entis non in perſonalitate, ſed in toto conſtituto.

Potuit nō eſſe vnio hypoſtatica.

§. 11. *Angeli probātur ex authoritate. Argumētum à ratione.*

Sunt igitur Angeli, diuino teſtimonio, in ſacris litteris expreſſo. Quod hac ratione confirmo. Videmus plurimos effectus in hominibus præſtitos à ſolis Angelis, ergo: probo antecedens. Energumeni adeò robuſti efficiuntur, vt eis non poſſit reſiſti à multis hominibus: homines enim collidunt, catenas prærumpunt, fores effringunt. Quo argumento multi hæretici frænantur, ne Deum negent, quem negare vellent, vt laxis illius timoris habenis in omnem libidinem ſe præcipites darent. Dices, eos effectus præſtari ab animo ſeparato. Contra; quia animus ſeparatus ex natura rei ſine miraculo non poteſt corpus mouere, quin illi vniatur, vt patet experientia: non enim mouet niſi medio corpore vnito; & ratione; quia non eſt actus aſſiſtens, ſed informans. Item, quia in ſuis actionibus à corpore pendet, eſt enim proprium formæ aſſiſtenti corpora mouere, quin illis vniatur, non tamen formæ informanti, Deus autem non concurrit miraculoſè, ſed permiſſiuè ad dæmoniacas illuſiones. Dices animas ſeparatas intelligere extra corpus, & ſe mouere: ergo & alia corpora mouent. Nego conſequentiam; quia intelligunt per alias

Obiectio. Animus ſeparatus non poteſt mouere corpus. Obiectio. Reſpondetur.

ſpecies

ſpecies à Deo infuſas à corpore non pendentes: ſe autem mouere eſt proprium cuiuis viuenti: alia autem corpora ciere eſt proprium ſubſtantiæ completæ. Dices ſecundò à Ieſuitis referri in hiſtoria Iaponiorum, animam cuiuſdam Nangati, fæminæ corpus obſediſſe, & mouiſſe. Primùm reſpondetur, animam Nangati illi corpori adſtitiſſe, motus autem præſtitos à Dæmone illius tentatore, attributos autem animo Nangati iam damnato. Secundò reſpondetur, ſpeciali miraculo id præſtitum: nam totus ille effectus præſtitus fuit à Deo in ſalutem Iaponiorum, quo fides recenter in illorum corda plantata altas ageret radices. Hinc etiam colliges, Angelos eſſe ſpirituales; quia cum corporibus penetrantur, vt legio illa Dæmoniorum, cuius meminit Euangeliſta.

Anima ſeparata habet alias ſpecies. Secunda obiectio. Reſpondetur primò. Secundò. Portentum in ſalutem Iaponiorum. Angeli incorporei ſunt.

SECTIO III.

Vtrum Angeli intra eandem ſpeciem poſſint eſſe multi?

§. 12. *Prima concluſio. Angeli diuinitus poſſunt ſolo numero differre.* Ariſtotel. S. Bonauent. P. Valent. P. Molina. P. Vazq. Bagnes. Caiet. Ferrar. Capreol. Soncinas. Iauellus. P. Suarez.

Dico primò. *De potentia abſoluta poſſunt eſſe multi Angeli intra eamdem ſpeciem infimam, vt Petrus & Paulus intra humanam.* Hæc concluſio contra Ariſtot. adſtruitur ab vniuerſis fere Doctoribus: quam Bonauentura vocat ſobriam, & catholicam etiam quoad factum: cenſet enim plures Angelos ſolo differre numero, & carpit oppoſitam. Et P. Valentia, tom. 1. d. 4. quæſt. 1. à §. *ſecunda ſententia*, ait eſſe conformius Scripturæ & Patribus opinari actu exiſtere plures Angelos eiuſdem ſpeciei infimæ: idem ait Pat. Molina, 1. p. quæſt. 50. art. 4. & P. Vazq. concluſionem defendit apertè, de facto autem dubitat, 1. p. tom. 2. diſput. 181. & Bagnes, q. 50. art. 4. dubio 1. licet factum neget abſolutè. Huius concluſionis ſunt non modò Scotiſtæ, & Nominales, verùm & nobiliores Thomiſtæ (excipe Caietanum.) Ferrara ſecundo contra gentes, cap. 93. §. *ad hoc dicendum*, & oppoſitam ait non eſſe iuxta, ſed contra mentem S. Thomæ, quod cenſet Bagnes, eum exponentes de potentia communi, non de abſoluta: & Ferrara inclinat re eſſe multos ſolo numero diſtinctos: in concluſionem inclinant apertè Capreolus, Soncinas, Iauellus, ita vt oppoſita non ſit cenſenda Thomiſtarum opinio, licet eam hic, aut ille tueatur; quam P. Suarez 2. Metaphyſicæ, diſput. 35. ſect. 3. num. 42. ait forte non eſſe probabilem, qui autem Ariſtotele mouentur, aduertant in illius ſententia non poſſe eſſe alium Angelum, præter modo exiſtentes, vt ex eodem patet.

§. 13. *Prima ratio. Obiectio.*

Probatur primò, quia nulla affertur ratio repugnantiæ, ergo. Dices, eas res multiplicari ſolo numero, quæ materia conſtant: ſed Angeli non conſtant materia: ergo non ſunt multiplicabiles ſolo numero. Probatur maior; quia diſtinctio aut ſumitur à materia aut à forma: ſi à materia, eſt indiuidualis diſtinctio; ſi à forma, eſt ſpecifica; quia diſtinctio ſumpta à forma eſt in ſpecie. Friuolā hanc ſolutionem commentus eſt Ariſtot. vt negaret Angelos poſſe multiplicari intra eamdē ſpeciem; quia cenſuit eos eſſe entia neceſſaria in exiſtendo: & ſi eſſent poſſibiles duo, exiſterent etiam neceſſariò: vnde inferretur contra ipſum, exiſtere infinitum multitudine in actu. Nam cur duo eſſent poſſibiles, & non tres? & ſic de quouis numero in infinitum. Item inferretur eſſe poſſibiles plures cœlorum motus, quàm nunc ſunt, quia ipſe opinatur Angelum exiſtentem habere neceſſariò motum in cœlum, & ex repugnantia alterius motus deducit repugnantiam alterius intelligentiæ: vnde concludit, nullam aliam intelligentiam eſſe poſſibilem. Vnde qui cum Ariſt. negant multiplicitatem intra eamdem ſpeciem, negent cum eodem eamdem extra eamdem; & aduertant è quo fonte ebiberint hanc opinionem.

Reſpondetur. Ariſt. ob errorem negauit hanc doctrinam.

§. 14. *Sine materia phyſica eſt diſtinctio numerica.*

Impugnatur autem inficiatione maioris; oſtendi enim diſp. 4. ſect. 5. multiplicari ſolo numero plures res ſpirituales nō connotantes phyſicam materiam. Ad probationem maioris reſpōdeo, diſtinctionem numericā cōpoſiti ſumi tam à materia, quàm à forma; ſpecificam autem in ſublunaribus à ſola forma: in cæteris autem habentibus materias diuerſarum ſpecierum etiam à materia: v. g. cœlum Empyreum differt ab homine in ſpecie ratione materiæ, & ratione formæ: illud autem adagium, *actus eſt qui diſtinguit*, verum habet in ſublunaribus, conſtantibus materia eiuſdem ſpeciei infimæ. Cur autem diſtinctio ſumpta à forma eſt ſpecifica, cum duæ formæ citra controuerſiam poſſint ſolo numero eſſe diſtinctæ? itaque diſtinctio ſumpta à formis inæqualibus ſubſtantialiter, eſt ſpecifica: ſi verò ſumatur à formis accidentaliter tantum inæqualibus, erit numerica, ſicut etiam in materiis. Vnde retorquo argumētum: quia duæ materiæ poſſunt ſpecie diſtingui, & duæ formæ ſolo numero: ergo non omnis diſtinctio ſumpta à materia eſt numerica, & ſumpta à forma eſt ſpecifica.

Diſtinctio ſpecifica ſumi poteſt à materia. Retorquetur argumētum.

§. 15. *Obiectio ſecunda. Reſpond.*

Dices ſecundò, duas formas differre ſolo numero; quia reſpiciunt materiam ſolo numero diſtinctam, quæ ſi à materia eſſent ſeparatæ, non eſſent plures formæ, ſed vna. Contra primò ad hominem, quia plures formæ numero diſtinctæ per te indiuiduant per eamdem numero partem: immo & plures formæ diſtinctæ ſpecie per materiam eamdem ſpecie: ergo diſtinctio formarum non ſumitur à diſtinctione materiæ. Secundò à priori; quia formæ non diſtinguuntur intrinſecè per materiam: ſed per ſuas intrinſecas entitates indiuiduales: ergo diſtinctio numerica formarum ſumitur intrinſecè ab ipſis formis: conſequentia eſt ſine controuerſia: antecedens manifeſtum; quia materia prima non conſtituit intrinſecè indiuiduationem formæ; quia hæc per ſuam entitatem eſt indiuiſibilis in alias, quæ ſint idem adæquatè cum illa. Vide diſp. 4. ſect. 6. Quod ſi dicas eas formas differre numero; quia cōnotant in obliquo materiam. Contra, quia etiam plures formæ diſtinctæ ſpecie, & diſtinctæ numero connotant eamdem numero materiam. Quid igitur refert extrinſecum connotatum? diſtinctio enim eſt intrinſeca formis diſtinctis, à connotatis autem extrinſecè ſumitur. Adde non ſolùm indiuiduationem formarum, ſed etiam ſpeciem ſumi extrinſecè à materia; quia forma leonis dicit intrinſecum reſpectum ad materiam primam: ergo ſi diſtinctio numerica formarum ſumitur à materia, & non à formis; quia materia cōnotatur à formis, ita diſtinctio ſpecifica ſumitur à materia, & non à formis propter eamdem rationem: & in forma cæli empyrei clarius patet, cuius materiam dixi eſſe diſtinctæ ſpeciei, à ſublunari. Ecce diſtinctio inter illas materias, & formas, & non à forma, ſed à materia. Tota igitur hæc ſolutio eſt à philoſophia maximè aliena.

Multæ formæ ſunt indiuiduæ in ordine ad eamdem materia partem. Formæ à ſe ſunt intrinſecè indiuiduæ. Praeoccupatio. Eſſentia formæ ſumitur à materia extrinſecè.

§. 16. *Ad exempla.*

Quod verò de formis ſeparatis affertur, eſt falſum: tum quia in Euchariſtia realiter diſtinguuntur duæ quantitates ſeparatæ à ſubſtantia, tum quia diſp. 6. oſtendi quæ ſemel ſunt diſtincta, non poſſe eſſe eadem vllo caſu. Sed quid reſpondebitur S. Thomæ his argumentis vtenti, 1. p. q. 50. art. 4. & 2. contra gentes cap. 93. Reſpondeo, S. Thomam non velle de potentia abſoluta repugnare Angelos multiplicari.

Accidētia ſeparata à ſubiecto ſunt diſtincta. Explicatur S. Thom.

Bagnes. Ferrara.

tiplicari numero,vt aiunt Bagnes ibi,dubio ſecundo, & Ferrara,§. *ad hoc dicendum*: ſed eum velle ex natura rei Angelos nec poſſe, nec debere multiplicari; quia omnis multiplicatio numerica oritur à materia; ſpecifica verò à forma,id eſt,cognoſci diſtinctionem numeralem ſubſtantialem per cognitionem diuerſæ materiæ, vt Petrum diſtinguimus à Paulo,per ſimitatem naſi, rectitudinem corporis, aut lipitudinem oculorum: at verò ad diſtinguendas ſpecies mouemur per effectus formarũ, abſtractos ab hoc,& illo corpore. Ita exponit Ferrara, & ego,diſp 4.oſtendi ſic eſſe explicandũ S. Thomam, aſſerentem indiuiduari res à materia. Quando verò dicit, humanitates ſeparatas fore vnum, intellige quoad nos,quia nõ haberemus vnde eorum diſtinctiones dignoſceremus. Fui autem gauiſus, cum Ferraram,& Bagnes vidi oſtendentes clarè noſtram concluſionem eſſe S.Thomæ:forte autem ego mihi fidem non facerem apud nonnullos. Huc tendit tertia illius ratio, quia in Angelis vnũ indiuiduum habet totam perfectionem ſpeciei,& eam perpetuò retinet: eſt enim verum de tota perfectione ſubſtantiali,quaſi intenſiua: etiam de accidentali:non verò de extenſiua: eſt autem diſcrimen inter hominem, & Angelum: duos Angelos eiuſdem ſpeciei habere æqualem perfectionem accidentalem; non verò duos homines: alius enim eſt viuacior alio, alius veracior, alius magis garrulus. Angeli enim dependent à ſolo Deo:homines autem à Deo, & varia coniugatione cauſarum: è quarum coniugio enaſcuntur effectus abſimiles: hoc autem non impedit poſſe diuinitus Angelos multiplicari.

Alius loci explicatio.

Ferrara. Bagnes. *Noſtra concluſio eſt S. Thomæ.*

Cur duo Angeli ſint æquè perfecti; non verò duo homines.

§. 17. *Argumentũ à priori.*

Dilutis aduerſariorum argumentis, argumentor ſic: res eſſe eiuſdem ſpeciei eſt eſſe ſubſtantialiter æquales:ſed duo Angeli poſſunt eſſe ſubſtantialiter æquales:ergo & eiuſdẽ ſpeciei: probo minorẽ;poteſt Deus facere duos Angelos, qui poſſint æquali celeritate cælũ mouere,& æquali vti ſpecie impreſſa,& æqualem perfectione intellectionẽ efficere,vt patet in duobus beatis æqualiter gratis.qui habent æqualem viſionem, & ſolo numero diſtinctam: licet illæ viſiones non reſpiciant materiam,vnde indiuiduentur: ergo ſimiliter poterunt eſſe duo Angeli æquales,atque diſtincti ſolo numero:licet materia careant. Patet conſequentia; quia iam videmus in viſione beata numeralem diſtinctionem ſine materia: in his autem conceptibus, quæ repugnantia reperitur? aut vter eorum alterum deſtruit, & ei contradicit, ſicut rationale contradicit irrationali, & perſeitas aptitudinali inhærentiæ?

Duo Angeli poſſunt eſſe ſubſtãtialiter æquales.

Numeralis diſtinctio ſine materia.

§. 18. *Tertia ratio.*

Tertiò, gradus ſpecificus, & indiuiduus ſunt idem à parte rei: ergo ſuam diſtinctionem ſumunt per eamdem rationem realem: patet conſequentia; quia ibi non ſunt duæ entitates diſtinctæ realiter, ſed vna: ſed in Angelis diſtinctio ſpecifica non ſumitur per ordinem ad materiam extrinſecè connotatam: ergo in Angelis diſtinctio indiuidualis non debet ſumi per ordinem ad materiam. Et in corporibus non ſolum diſtinctio numerica:ſed etiam ſpecifica debet ſumi per ordinem ad materiam.Ratio, propter quam multiplicatio numerica ſumitur è materia,eſt,quia tota eſſentia formæ ſumitur à materia: in Angelis autem indiuiduatio non ſumitur à materia,quia tota eſſentia in Angelis eſt abſtracta à materia: ergo indiuiduatio Michaelis non ſumitur à materia:cur ergo alius Angelus eiuſdem ſpeciei ſumet indiuiduationem à materia,cum tota eſſentia illorum Angelorum non reſpiciat materiam? Ergo poterunt multiplicari intra eamdem ſpeciem ſine materia: patet conſequentia; quia ad diſtinctionem indiuidualem non pertinet, niſi id, quod pertinet ad conſtitutionem illius: ſed ad conſtitutionem indiuidualem Angelorum nullo modo pertinet materia: ergo neque ad diſtinctionem.

Confirmatur; ſi ad diſtinctionem indiuidualem Angelorum requiritur materia, ergo etiam ad diſtinctionem ſpecificam: ergo nec poterunt multiplicari ſpecies Angelorum. Probo antecedens,quia per te ea ratione non poſſunt multiplicari numero, quia multitudo indiuiduorum reſpicit materiam: ſed etiam multitudo ſpecierum reſpicit materiam: ergo ſicut non multiplicantur indiuidua, nec poterunt multiplicari ſpecies: probatur minor; quia formæ hominis,& equi reſpiciunt eſſentialiter materiam,ſicut formæ Petri & Pauli. Dices id verum eſſe in ſpeciebus materialibus, non tamen in ſubſtantiis ſeparatis, quæ non reſpiciunt materiam. Contra, ergo neque multitudo indiuiduorum in ſubſtantiis ſeparatis requirit materiam, quia id eſt proprium rerum materialium; cur ergo magis requiritur materia ad multitudinem indiuidualem, quàm ad ſpecificam?aut vnde probatur iſtud diſcrimen? præſertim cum indiuidua diuerſarum ſpecierum ſint multa, non ſolum ſpecie: ſed etiam numero.

§. 19. *Confirm.*

Obiectio.

Reſpond.

Dices, ideo non poſſe eſſe multitudinem indiuiduorum intra eamdem ſpeciem; quia non eſt materia in illa. Contra,quia duo beati poſſunt eſſe æquales, & illorum gratiæ differunt ſolo numero intra eamdem ſpeciem infimam,& tamen non reſpiciunt materiam.

§. 20. *Obiectio.* *Reſpond.*

Dico ſecundò. *Plures Angeli actu diſtinguuntur ſpecie.* Colligitur ex ſcriptura, Patribus, & Scholaſticis. Licet enim hic, aut ille Pater, vt Baſilius, & Damaſcenus inſinuent omnes Angelos eiuſdem eſſe naturæ, maior certè Doctorum vis in hanc concluſionem inclinant.

Secunda concluſio. *Actu ſunt Angeli ſpecie diſtincti.*

Dico tertiò, *plures Angelos eſſe actu eiuſdem ſpeciei infima.* Hanc concluſionem negat S.Thomas; confirmant tamen Bonauentura, Alexander, Pat. Valentia, atque Molina:in quam partem propendet Ferrarienſis. Colligitur ex Auguſtino,& Damaſceno. Has duas concluſiones non aliunde probo, quàm ex autoritate, Deus enim potuit facere vtrumque, quid autem voluerit non aliunde ſcio.

§. 21. *Tertia concluſio.* S. Thom. S.Bonauent. Alexand. P.Valent. P.Molina. Ferrara. B.Auguſt. S.Damaſcen.

Obiicis contra primam concluſionem.Michael, v. g. per ſuum conceptum eſſentialem conſtituitur indiuiduus: ſed non poteſt multiplicari conceptus eſſentialis Michaelis: ergo nec indiuiduus. Argumentum multipliciter æquiuocum: maior enim eſt falſa, ſi Michael ſupponit pro conceptu ſpecifico, qui in Michaele abſtrahit ab hoc Michaele, ſicut homo ab hoc homine: vnde indiuiduatio huius Michaelis eſt accidentaria logicè,ſicut Petreitas: ſi verò Michael ſupponit pro hoc Michaele. Reſpondeo,nec eius eſſentiam nec indiuiduationem multiplicari poſſe; quia iam eſt contracta: ſicut nec eſſentia huius hominis,& ſicut hic homo eſt ſingularis per ſuam eſſentiam ſine aliquo ab ea realiter diſtincto: ſed tantum conceptum diuerſo modo: ita & Michael: quia in ratione huius Michaelis conſtituitur eſſentialiter indiuiduatione; non tamen in ratione ſpecifica; quia indiuiduatio ratione noſtra eſt extra eſſentiam.

§. 22. *Obiectio contra primam concluſionẽ.* *Reſpondetur.*

Rogas, quid ſibi velit S.Thomas apud Ferraram 2.contra gentes, cap.93.§. *Ad hoc dicendum*, Affirmans poſſe Angelos habere per potentiam abſolutam multitudinem indiuidualẽ,licet non per ſuam naturam? Reſpondeo, voluiſſe S.Thomam, naturam Angelicam iuxta ſuas leges non exigere diſtinctionẽ indiuidualem intra eamdem ſpeciem;Deum tamẽ,cum non teneatur illis legibus, eas infringere

§. 23. S. Thom. Ferrara. *Explicatio S.Thom.*

poſſe

poſſe Angelorum multiplicitate: non autem vult S.Thomas intrinſecam induidationem à Deo poſſe ſuppleri; quia indiuiduatio à parte rei eſt eſſentia.

§. 24. Quod ſi res ex natura ſua non habet eſſentiã, non poterit fieri à Deo, itidem ſi non habeat indiuiduationem. Neque indiuiduatio eſt aliquid conſecutum ad naturam: ſed ipſa natura, clarius concepta. Nonnulli ita loquuntur de natura, & indiuiduatione, ac ſi eſſent à parte rei diſtinctæ. Eo autem teſtimonio rectè probatur à S.Thom. ſentiri, non repugnare per potentiam abſolutam duos Angelos ſolo numero diſtinctos.

SECTIO IV.

De Angelorum intellectione, & ſpeciebus impreſſis.

§. 25. *Intellectus Angeli non diſcurſiuus. Nec diſtinctus à ſubſtãtia. Frigida ratio Ariſtotelis. Fatigatio nõ ab intellectione oritur, ſed à ſenſu.*

SIcut de primo conceptu animi rationalis eſt intellectus diſcurſiuus, ita de primo conceptu Angeli intellectus non diſcurſiuus; quem non eſſe diſtinctum à ſubſtantia, & voluntate Angeli colliges ex diſp.4. de anima. Eorum intellectionem non diſtingui ab eorum eſſentia, delyrium fuit Ariſtotelis, fundamento leui, immò nullo; quia (inquit) intelligere non eſt eis laborioſum. Quaſi verò eſſent laboraturi intelligentes per accidentia ſpiritualia: labor ergo, & fatigatio paſſiones ſunt è contrariis qualitatibus materialibus ortæ, à quibus ſubſtantiæ immateriales immunes: animus autem in corpore non omnino eſt ab eis immunis, propter vſum phantaſmatis, & ſpirituum animalium fatigationem, & attenuationem.

§. 26. S.Thom. P.Molina. P.Vazq. *Cognitio diſtincta ab Angelo. Obiectio. Reſpond.*

Hanc Ariſtotelis opinionem latè impugnauit S.Thomas, 1. part.quæſt.54. art.1. Pat.Molina, & Vazq.ibi; quia iſte modus intelligendi videtur eſſe Dei maximè proprius, cui repugnat omne potentialitatis genus: Angelo autem non repugnat compoſitio ex ſubſtantia, & accidente. Dices: vnde hoc repugnat? Quia Angelus, & quæuis alia creatura poteſt intelligere per actus à ſe diſtinctos: nam poteſt eis Deus ſucceſſiuè multa oſtendere, quæ antea ignorabant. Quia cum Angelus non cognoſcat omnia poſſibilia, poteſt ei oſtendere iam hæc, iam illa: ſed duo genera cognitionum tam diſſimilia eidem potentiæ repugnant: ergo. Minor ex ſe patet; quia vnus intellectus non poteſt habere pro cognitione, & actu ſuo ſubſtantiam ſimplicem completam: item & accidens pro alia cognitione. *Confirm.* Confirmatur, vna cognitio non poteſt eſſe potentia ad aliam, & ab ea denominari cognoſcens, maximè circa idem obiectum: ſicut vnio non vnitur per aliam, nec dealbatur albedo: at ea cognitio afficeretur alia circa idem obiectum; quia vna cognitio poteſt attingere obiectum alterius. Neque hac in parte expedit mora.

§. 27. *Angelus cõprehẽdit cauſas materiales.*

Comprehendit Angelus comprehenſione vulgari cauſas materiales actiuas: non verò intellectũ, aut voluntatem, nec materiam primam comprehenſione actuali: bene tamen habituali. Oculis luſtra ſect. 4. diſputationis decimæ de anima. Circa obiecta, quæ cognoſcit per propriam ſpeciem non diſcurrit, *Vtrũ diſcurrat.* quia vnico actu penetrat cauſam, & effectum: at circa actus liberos opinor, eſſe probabile, eum diſcurrere, quia in cauſis eos non videt: ſed ex illis coniectat, & cognita cauſa poteſt aſſentiri, vel diſſentiri. Abſolutè autem exiſtimo, circa myſteria ſupernaturalia eum diſcurrere ſciẽtia naturali; quia ea cognoſcit per ſpecies alienas, ſicut nos. *P. Molin. Scot. Gregor.* Ita Pat. Molina 1.part.q.58.art.3.cum Scoto: & Gregorius, & P.Vazq.tom.1.diſp.222.c.1. adducit Okamum, Gabrielem, & alios: idem ait Marſilius de ſecreto cordis ab Angelo cognito per coniecturam. P. Vazq. Okamus. Gabr. Marſil.

§. 28. *Obiectio. Reſpondetur.* S.Thomas.

Obiicis S.Thomam eo art.3. negantem Angelis diſcurſum, cui ſubſcribunt omnes ferè eius diſcipuli. Verùm lege S. Thomam, & clarè comperies, eum tantum velle, Angelos non diſcurrere circa *obiecta ſibi nota primò naturaliter*, id eſt, per ſpeciem propriam: at circa alia obiecta id non adfirmat: licet eius diſcipuli vellent ab eo affirmatum. Ecce eius verba, *& hoc eſt in Angelis, quia ſtatim in illis, quæ primò naturaliter cognoſcunt, inſpiciunt omnia, quæ in illis naturaliter cognoſci poſſunt*, quem P. Vazq. ea diſputat. fine capitis 3. explicari poſſe confirmat. P.Vazq. Et quidem diſtinxit S.Thomas obiecta, quæ ab Angelo cognoſcuntur primo naturaliter, ab obiectis non ita cognitis: S.Thom. circa prima negauit diſcurſum, de ſecundis nihil dixit, forte quia arbitratus eos diſcurrere, alioquin quorſum tam ſollicita diſtinctio?

§. 29. *Obiectio.* P.Vazquez.

Obiiciunt P. Vazq. & Bagnes Angelum eodem actu cognoſcere cauſam, & effectum, ſiue effectus clarè, ſiue obſcurè obiiciatur, ergo non diſcurrit; probo antecedens, quia ſic cognoſcit cætera obiecta, tum quia habet perfectius lumen intellectuale. *Reſpondetur.* Nego antecedens, ad probationem reſpondeo, cætera obiecta cognoſci ab Angelo eodem actu, quia ea quidditatiuè cognoſcit, & eodem intuitu cauſæ penetrat effectum, futura autẽ libera & myſteria gratiæ non cognoſcit quidditatiuè, ſed ſicut nos, paulo euidentius, aut minus obſcurè, & hoc probat ſecunda ratio pro antecedenti. *Probatur diſcurſus in vno, & negatur in alio.* Explico diſcrimen: vt cognoſcat Angelus, Petrum eſſe hominem, aut admiratiuum, non eget hac vniuerſali propoſitione: *omne animal rationale eſt homo, rationale eſt admiratiuum*, neque hac particulari *Petrus eſt animal rationale*. Sed viſo Petro, ſtatim cognoſcit eum eſſe animal rationale, & admiratiuum, quia ſpecies quidditatiua Petri ſe ſola id repræſentat: vt verò cognoſcat myſteria gratiæ, eget vniuerſali propoſitione, & altera particulari v. g. *omnes, qui ſunt in cælo Empyreo, ſunt grati; Petrus eſt in cœlo Empyreo, ergo Petrus eſt gratus*; minorem propoſitionem habet à poſteriori, & non per ſpeciem propriam gratiæ: & ſtante illo iudicio vniuerſali, poteſt habere, & non habere minorem propoſitionem, quæ eſt intuitiua; quia Angelus animam diui Petri cognoſcit intuitiuè in cœlo: & ex vtroque actu deducit concluſionem à poſteriori. Ecce tres actus diſtinctos, & tertium pendentem à duobus. Maiorem, & minorem eſſe duos actus diſtinctos, patet; tum quia poteſt vnus eſſe ſine alio, tum quia alter eſt per ſpecies alienas, alter verò per ſpeciem propriam. Tertium actum ab vtroque eſſe diſtinctum, patet; quia duo priores ſunt cauſa tertij. Vide quæ de diſcurſu dixi diſp.7 de anima à ſect.3.

§. 30. *Angelus ex ſe Deum cognoſcit.*

Deum cognoſcit Angelus ex ſe, & ex aliis effectibus quidditatiuè cognitis eodem actu, & ſine diſcurſu: nam cognitio cauſæ poteſt eſſe abſtractiua, licet eadem ſit intuitiua effectus: quia intuendo tranſcendentalem ordinem effectus, attingit extrinſecum terminum talis ordinis: vt è contra intuitiua cognitio cauſæ poteſt abſtractiuè repræſentare effectus, vt viſio beata intuitiuè repræſentat Deum; & abſtractiuè creaturas poſſibiles. Item cognoſcit alios Angelos, & res omnes naturales; item effectus ex illis neceſſariò conſecutos: non tamen liberos, quia non habet vnde. *Angelus non cognoſcit futura libera.* Quando verò iam exiſtunt futura libera, tunc ea cognoſcit concurrente Deo cum ſpecie, quam habet de illis: qui concurſus ei non debetur ante exiſtentiam effectuũ. *Obiectio.* Obiicis, futura libera eſſe obiecta naturalia, ergo

Digitized by Google

ergo poſſunt ab Angelo cognoſci: probo conſequentiam, tum quia non excedunt potentiæ naturalis limites: tum quia à Deo cognoſcuntur vt autor eſt naturæ, ergo poteſt eorum cognitionẽ communicare vt autor eſt naturæ.

Reſpondetur.

Nego conſequentiam; ad primam probationem, diſtinguo, non excedunt limites potentiæ naturalis, quo ad ſubſtantiam, concedo; quo ad modum, nego: vt patebit de actibus liberis. §. 37.

Ad ſecundã.

Ad ſecundã probationem, Deum eſſe autorem naturalem perfectum, & habere prouidentiã naturalem infinitè perfectam; quam latere non poſſunt futura: quod in Angelum non quadrat. Cui poteſt à Deo communicari cognitio eorum vt autore naturæ: nam licet id non ſit iuxta leges naturæ particularis, quæ petit ſua ſecreta occultari: at fieri poteſt iuxta leges naturæ vniuerſalis, cui Deus prouidet: cui expediet ob varios fines naturales Angelo reuelari ea futura. Sicut aquæ cõuenit, ſurſum aſcendere, ne detur vacuum ob communis naturæ leges. Hoc autem non erit miraculum ſimpliciter, ſed ſpecialis fauor. Tunc autem cognoſcet futura per ſpeciem per quam cognoſcit eadem præſentia, & præterita.

§. 31. *Secreta cordis non cognoſcit.*

At verò actus liberi voluntatis (quos Theologi vocant *cogitationem, aut ſecretum cordis*) non cognoſcuntur ab Angelo ex natura ſua, etiam quando exiſtunt; quia creatura libera iure, quod habet ad occultanda ſua ſecreta, petit, vt Deus, ipſa non volente, non concurrat ad eorum cognitionem: quando autem creatura libera ea vult alicui Angelo pandere, tunc Deus concurrit cum ſpecie, quam habet talis Angelus de eo obiecto v. g. vult Gabriel oſtẽdere Michaëli ſuum ſecretum, concurrit Deus cum ſpecie de illo ſecreto, & Michaël illud cognoſcit, & non alius: Idem contingit in homine. In quo genere manifeſtandi ſuum ſecretum alteri conſiſtit Angelica locutio.

Loquutio Angelica eſt actus voluntatis.

Quæ ex parte loquentis nihil eſt præter actum voluntatis, quo Michaël vult, vt Gabriel intelligat ſuum ſecretum. Quæ intellectio producta in Gabriele dependenter à voluntate Michaëlis, eſt formalis locutio Michaëlis, & auditio Gabrielis. Voluntas autem loquentis non eſt locutio formalis, & in actu ſecundo: ſed virtualis, & in actu primo: id eſt, eſt principium locutionis: ſicut voluntas qua ego verba facio, & ſonus ipſe, eſt mea locutio: non formalis: ſed virtus loquendi. Oſtendi enim in logica, neminem, aut loqui, aut docere formaliter, niſi per actum, quo alius audit, aut diſcit.

Voluntas eſt lingua Angelorum.

Atque hæc voluntas eſt Angelorum lingua, qua verba faciunt in intellectu alterius, ſicut noſtra in aëre.

Secretũ cordis eſt ſola voluntas libera.

Aduerte, ſecretũ cordis eſſe ſolos actus voluntatis: quos (ſi liberi ſunt) nõ cognoſcit euidẽter alius Angelus:

Angelus cognoſcit intellectionẽ alterius.

at cognoſcit actus intellectus alterius: nam ipſe cognoſcendo ſe, videt, Deum ab eo neceſſariò cognoſci: ergo etiam videt in alio Angelo ſequi ſimilem cognitionem de Deo ex cognitione naturę Angelicæ: ergo actus intellectus vnius Angeli euidenter cognoſcuntur ab alio: & non cognoſcuntur euidenter ſecreta cordis: alioquin ſecreta non eſſent: ergo cognitio non eſt ſecretum cordis. Hæc autem obiecta, quamuis naturalia ſunt, non cognoſcuntur naturaliter ob defectũ voluntatis eius, qui ea habet: quia id oritur ex dominio agentis liberi in ſuos actus. Hæc præſtrinxi, ne ieiunus omnino diſcedas, Theologus ſaturabere.

§. 32. *Species impreſſæ Angeli nobilior noſtris.*

Habet Angelus ſpecies impreſſas, noſtris longè perfectiores, & vniuerſaliores.

Vna non cognoſcit omnia animalia.

At opinor, vna ſpecie non cognoſcere omnia animalia, quia hæc poſſunt ſine fine multiplicari: ſed Angelus non poteſt ſimul cognoſcere omnia animalia poſſibilia: tum quia primo adſpectu videtur impoſſibile, tum quia cognitio naturalis non poteſt diſtinctè repræſentare infinita ſimpliciter, neque item per eandem ſpeciem poſſunt repræſentari omnia indiuidua eiuſdem ſpeciei eaſdem ob cauſas.

Obiectio.

Dices id non ſequi, quia licet in ſpecie contineatur virtualiter cognitio omniũ, tamen non quæuis cognitio ad omnia tendit: quia ſpecies nõ concurrit ſecundùm ſuam virtutem adæquatè.

Reſpondetur.

Contra, ergo iam illa ſpecies poſſet concurrere: quid enim obſtaret?

Species determinat ad totum obiectũ.

Deinde ſpecies determinat ad totum ſuum obiectum; quia eſt particularis cauſa cognitionis, determinans potentiam: quæ determinatio eſt æqualis ad ſingula obiecta.

Obiectio.

Dices, habitum fidei nõ concurrere vno actu ad omnia ſua obiecta materialia: ergo neque ſpecies.

Reſpondetur.

Nego conſequentiam; quia habitus eſt potentia vniuerſalis, quæ determinatur alijs particularibus principijs, exempli gratia, ſpecie impreſſa, aut apprehenſione; ſpecies autem eſt determinatiua ex ſua natura, & determinat ad obiecta, alioquin egeret alio determinante principio.

Obiectio.

Dices, ſpeciem determinari à Deo.

Reſpondetur.

Contra; quia Deus determinat cauſas vniuerſales per particulares, à quibus ipſe determinatur quo ad ſpeciẽ actus: ipſe autem ſolũ determinat indiuidua (vt alibi abunde probaui) quorſum ergo illuc recurrant? Cõmodius eſt, Deũ impertiri principia, potentias determinantia. Dices, ab eodẽ Angelo oriri determinationem. Quorſum, cum multi actus illi ſint neceſſarij? in quibus vnde vel à quo determinabitur?

§. 33. *Angelus habet ſpecies inditas.*

De modo quo Angeli habent ſpecies nõ diſputabo: ſed præſtringam. Induntur ſpecies à Deo: quia eas Angelus non accipit à rebus: vnde nõ habet intellectum agentem: nec eas producit Angelus; quia erant tribuendæ ab obiectis; quorum defectus ſupplere, ſpectat ad cauſam primam. Potentia autem nõ ſupplet vices obiecti: ſed ab ea & obiecto immediatè, vel media ſpecie impreſſa paritur notitia. Quando verò in nobis ex actibus generantur ſpecies, actus gerunt obiecti vices. Probabile eſt ſpecies, quibus vnus Angelus cognoſcit alios, ab eiſdem productas in primo inſtanti creationis, ſi fuerunt in ſufficienti propinquitate:

Præſente Angelo concurrit ſpecies.

at præſente Angelo qui cognoſcitur, concurrit loco illius eius ſpecies; quia eo diſcedente, non eſt varianda cognitio: poſſet etiam loco ſuæ ſpeciei, & Angelus concurrere, vt de obiecto guſtus, & tactus dixi libris de anima.

Omnes ſpecies habet ab initio.

Habet itẽ Angelus omnes ſpecies ab initio: ſui autẽ non habet ſpeciẽ; quia ſe cognoſcit intuitiuè per ſuam eſſentiam: anima autem vnita corpori eget ſpecie ſui, quia nõ ſe cognoſcit immediatè. Habent item ſpecies actuum liberorum: ſed cum illis non concurrit Deus, niſi dependenter à volũtate habente actus liberos. Eadem ſpecies repræſentare poteſt rem, & futuram, & præſentem, & præteritam; quia fertur immediatè ad illam exiſtentem in ſua temporis differentia. Eadem autem cognitio per ſolam mutationem obiecti, eſt de futuro, de præſenti, & de præterito, vt dixi, diſp. 9. de anima.

SECTIO V.

De voluntate Angelorum.

§. 34. *Volitio eſt diſtincta ab Angelo.*

DE potentia volũtatis nihil habeo noui. Eius actus eſſe à ſubſtantia diſtinctos patet eadem ratione, qua cognitionem eorundem. Ariſt. negauit Angelis libertatem in mouendis cœlis: quid mirũ: nam & Deo.

Angeli ſunt liberi.

Eos eſſe liberos probatur eodem

eodem modo, quo animam: quia bona naturalia non trahunt neceſſariò voluntatem, quia in illis poteſt reperiri aliqua ratio mali, vel in oppoſitis aliqua ratio boni, quibus per intellectum ſatis perſpectis, non rapitur voluntas cæco motu, vt appetitus brutorum, qui totus mergitur in præſentiam obiecti, neque habet emergendi facultatem propter imperfectam apprehenſionem, igitur poſſunt Angeli eſſe boni,& mali moraliter.

§. 35. *Prima quæſtio.* *Subſtãtia poteſt operari in primo inſtãti.*

Prima difficultas eſt, vtrum in primo inſtanti, quo fuerunt creati, potuerint eſſe mali? Pono, in primo inſtanti ſubſtantiam poſſe operari, quia in eo habet omnia neceſſaria ad agendum, vt ſol illuminat, ignis calefacit,& pes ſimul arenam premit, & imprimit in arenam ſui veſtigium; ad quod ſufficit naturæ prioritas, quæ in eodem inſtanti reali reperitur. Quod ſi animus in primo ſui inſtanti nõ cognoſcit, eſt ob defectum ſpecierum, vel applicationis. Angelus autem creatus eſt cum ſufficiente ſpecie ad cognoſcendum; voluntas autẽ non eguit tempore, quia in eodem inſtanti poteſt exerceri.

S.Thom. *Secunda poſitio.* *Dæmon non peccauit in primo inſtãti.*

Hęc contra multos Doctores præmitto ex S.Thoma 1.p.q.63.art.5. nam & ipſe docet Angelum in primo inſtanti gratiam meruiſſe. Secundo pono ex eodem ibidem & communi Theologorum, dęmonem in primo inſtanti ſuæ creationis non peccaſſe, quia fuit in gratia productus, cum qua ſimul nõ poteſt eſſe peccatum ex natura rei, (quamuis poteſt de potentia abſoluta) & Deus dæmonem vocauit congrua vocatione qua ſe diſpoſuit ad gratiam; qua ſuppoſitione facta non potuit peccare. Quæſtio eſt an abſolutè, ſecundum ſe, & ſine illa ſuppoſitione conſideratus, potuerit peccare, & eam ſuppoſitionem non ponere: Quæſtio hæc non tranſilit Metaphyſicos limites, nam è Metaphyſicis principijs eſt dirimenda.

§. 36. *Opinio negans.* S.Thom. S.Anſelm. *Ratio S.Thomæ.*

S. Thomas ſupra,& beatus Anſelmus,& magna Theologorum pars negant; omiſſis alijs argumentis, hoc eſt S.Thomæ; prima operatio facta in primo inſtanti tribuitur authori eius rei, quæ operatur: ſed autor Angeli eſt ſolus Deus: ergo prima operatio Angeli tribuitur Deo: ſed peccatum non poteſt Deo tribui: ergo prima operatio Angeli non potuit eſſe peccatum. Effectus autem ortus à cauſa imperfecta poteſt deficere in prima operatione: Angelus autem ortum habuit à ſolo Deo.

Concluſio. *Oppoſita eſt Scoti, Gregory, Maioris, P.Molinæ, P. Vazquez, atque Valentiæ.*

Oppoſitam ſententiam defendunt Scotus, Gregorius, Ioannes Maior, & multi alij apud P. Molinam 1. p. quæſt. 64. artic. 5. Gabrielem Vazquez, tom. 2. diſput. 237. cap. 2.& Valentiam tom. 1. diſput. 4. quæſt. 4. puncto 4. quos ipſi ſequuntur: quibus ego aquieſco.

§. 37. *Prima ratio.*

Primò, etiamſi angelus peccaret, id non tribueretur Deo: primùm, quia generanti illæ ſolæ actiones adſcribuntur, quæ oriuntur à natura, vel principio illi inſito, ad ſe conſtituendum in ſtatum, vel locũ illi creaturæ debitum, vt infrigidatio aquæ, & locus ſupernus igni: quæ actiones tribuũtur generanti non modò in primo inſtanti, verum toto tempore ſubſequenti: quia *qui dat formam, dat ad formam conſequentia* (inquam) neceſſariò, quia pertinent ad naturale complementum formæ:

Actus liber non tribuitur ſpecialiter Deo, vt creãti.

ſed actus liber non pertinet ad conſtitutionem naturalem Angeli, quia cum ſit actus moralis; poteſt liberè eſſe, & non eſſe integra manente natura; ad quam in ſecundo inſtanti non pertinet; nec Deo tribuitur in ſecundo inſtanti: ergo neque in primo inſtanti tribuitur Deo; quia in vtroque inſtanti eodem modo concurrit.

Confirmatur.

Confirmatur primò, boni actus tunc eliciti, non ſolum tribuuntur Deo motori, & excitatori, verùm & ipſis Angelis liberè cooperantibus: ſed actio naturalis ſoli tribuitur generanti, ergo illi actus non tribuuntur Deo, vt generanti: ſed vt excitanti per vocationem congruam, ſicut tribuuntur cæteri actus tempore ſubſequenti. Confirmatur ſecundò: Deus cõcurrit ad eum actum excitans voluntatem per intellectum, illi tribuens auxilia neceſſaria, quibus poteſt Angelus vti,& abuti.

§. 38. *Ratio à priori.*

Ratio à priori; quia tunc defectus actionis tribuitur alicui cauſæ, quando per illam ſtat talis defectus: at defectus in actu malo non ſtaret per Deum: ergo. Probo minorem: quia Deus complet Angelum ad bene operandũ per auxilia ſufficientia: defectus autem non eſſet ex defectu potentiæ, vt patet: ſed quia voluntas, non vult auxilijs bene vti: quod non eſt defectus Dei auxiliantis: ſed arbitrij abutentis auxilio: ergo ſi Deus tribueret auxilia ſufficientia, tantùm defectus ſtaret per Angelum; non per Deum.

Ad argumẽtũ S. Thomæ.

Ad argumentum S.Thomæ: generanti tribuitur prima operatio moralis,& libera: nego maiorem, concedo autem de operatione naturali pertinenti ad conſtitutionem naturæ.

Ad confirmationem.

Ad confirmationem reſpondetur; Angelum non oriri à Deo defectuoſum in conſtitutione naturali, ſicut oritur homo claudus ex homine ſeminis imbecilli: at defectus ille moralis oritur ex principio defectuoſo, nempe libero arbitrio Angelico: vt tempore ſubſequenti, in quo liberum arbitrium nõ fuit debilius, quàm in primo inſtanti.

Obiectio. *Reſpondetur.*

Dicunt, in primo inſtanti actionẽ Angeli eſſe terminum creationis Diuinæ. Contra, creatio Angelica nec attingit, nec producit actum voluntatis Angelicæ. Nam hic fit actione vitali, & libera Angeli: qualis non eſt creatio illius, nec item actus oritur ex creatione tanquam proprietas termini immediati & principalis; quia nullus actus liber eſt proprietas Angeli.

§. 39. *Argumentũ ad hominem.*

Ad hominem item argumentor: quia in ſententia B. Thomæ Angelus non poſſet peccare: quia ſi prima operatio eſt neceſſariò bona: ergo non poteſt de bono fieri malus: quia ex B. Thoma Angelus non poteſt mutare voluntatem naturalem: quia appetit naturaliter immobiliter, ſicut apprehendit.

Obiectio. *Reſpondetur.*

Dices, hoc eſſe in actibus ad quos ſe determinat per deliberationem, non verò ad cæteros. Contra, eadem eſt vtriuſque ratio: nam in deliberatione eſt immobilis propter immobilitatem apprehenſionis, per quam deliberat: alioquin non eſſet deliberatio immobilis: ſed primus ille actus oritur ab apprehenſione immobili: ergo. Probo minorem; quia eadem principia cõcurrunt ad primum actum intellectus: nempe potentia Angeli & ſpecies.

§. 40. *Obiectio ſecunda.* *Reſpondetur.*

Dices, ad primam intellectionem determinari ab extrinſeco: nempe Deo. Contra: nam propterea iudicium erit perfectius,& ſua claritate & perfectione erit immobilius: quia eſt à nobiliori principio. Quod patet in viſione beata; quæ eſt magis immobilis quouis actu naturali, & eſt à Deo.

Tertia. *Reſpondetur.*

Dices, beatos non mutare voluntatẽ propter obiecti infinitudinem. Contra, non ago nunc de immobilitate amoris beati: ſed ipſius viſionis: quę eſt immobilis, licet à principio extrinſeco, propter luminis perfectionem: ergo idem erit de prima cognitione Angelica.

Quarta. *Reſpondetur.*

Dices, apprehenſionem Angeli eſſe immobilem; quia per voluntatem deliberatam defigitur Angelus ad illam. Contra: B. Thomas ex immobili iudicio infert voluntatẽ immobilem, non è contra: alioquin non eſſet vnde probaretur immobilitas voluntatis. Nam Beat. Thomas, modum appetendi colligit ex modo apprehendendi.

§. 41. *Secũda quæſtio.*

Secunda difficultas, vtrum Angelus ſemel

volens

volens aliquod obiectum, poſſit ab eo amore in odium conuerti? & quidem de obiectis ſupernaturaliter cognitis eſt receptum apud omnes, quia praui Angeli habuerunt aliquem actum probum circa Deum, quem poſtea mutarunt. Quod libenter admittit S. Thomas, eiuſque diſcipuli: de amore orto ex cognitione naturali, controuerſum. Sāctus Thomas 1. part. quæſt. 64. art. 2. docet apertè, Angelum ante electionem eſſe liberū ad amorem, & odium: poſt electionem verò ita adhærere parti electæ, vt in alteram flecti non poſſit. Nam vnaquæque natura amat vt apprehendit, ſed Angelus apprehendit immobiliter: ergo & amat. Quo differt ab homine apprehendente mobiliter.

S. Thom.

Opinio.

§. 42. *Soluitur argumentum.*

Huic argumento poteſt reſponderi diſtinctione maioris, apprehendit, & amat eodem omnino modo, negatur: conceditur autem cum quadam proportione in maiori adhæſione, & efficacia: ratio eſt præſto, quia intellectus Angeli non ſolum perſeuerat neceſſariò in apprehenſione, ſed eā primùm habet neceſſariò propter euidentiam ſpeciei impreſſæ ſufficienter applicatæ: Angeli enim à primo inſtanti Deum cognoſcunt neceſſariò, & tamen ex S. Thoma non amant neceſſariò in prima electione cum primùm amant: ergo non ſumitur inde proportio. Nam voluntas eſt omnino libera, quo differt ab intellectu: ergo poteſt in voluntate eſſe libertas, & mobilitas; ſemper ergo debet ſumi proportio, ſeruata hac differentia circa obiecta, in quæ eſt libera Angelorum voluntas.

S. Thom.

§. 43. P. Vazquez. S. Damaſc. S. Fulgent.

Pat. Vazquez 1. part. diſput. 239. cap. 3. conatur oſtendere S. Thomæ ſententiam eſſe contra S. Damaſcenum, & Fulgentium, quam ipſe latè impùgnat, cap. 4. & oſtendit oppoſitam eſſe communiorem, nempe eorum (qui ſunt per plures) qui diabolicam obſtinationem non reuocant ad naturā diaboli; ſed ad voluntatem Dei, auxilia gratiæ negantis, vt contingit etiam hominibus damnatis. Eamdem ſententiam S. Thomæ Pat. Molina cum multis alijs impugnat, 1. part. quæſt. 64. art. 2. diſput. 2. §. *ſententia hac* quam indicat eſſe contrariam communi Doctorum: ijs ſubſcribit P. Valentia, tom. 1. diſput. 4. quæſt. 15. puncto 2. §. *contra verò*. Pro qua ſanctum Bonauenturam adducit. Horum opinio videtur probabilior: quia dæmon Iudæ perſuaſit Chriſti necem, quam eidem Chriſto optauit: *Cum diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas*: ſed hanc voluntatem mutauit, & optauit ne Chriſtus moreretur: ergo Angelus non eſt inflexibilis à voluntate ſemel ſuſcepta: minor patet ex confeſſione vxoris Pilati: *Nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum per viſum.* Conatus autem fuerat dæmon (vt omnes exponunt) auertere Pilatum à damnatione Chriſti, quod probauit euentus; exindè enim Pilatus Chriſtum dimittendum curauit.

P. Molin.

P. Valent.

Angelus flecti poteſt arbitrio.

§. 44. *Caietani reſponſio. Refellitur à P. Vazquez.*

Reſpondet Caietanus, diabolum ſuaſiſſe Iudæ Chriſti mortē cum deliberatione non plena; quapropter potuit voluntatem mutare. Hoc reſponſum acutè refellit P. Vazquez cap. 4. rogans vnde Caietanus diuinarit dæmonis inconſiderantiam? Equidem cum Chriſtus aſſeruit: *Hac eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum,* ſatis expoſuit, dæmones ſibi mortem molitos; quo ergo pacto tam excellentes intellectus nō habuerunt plenam deliberationem, cùm tandiu expenderint rationes conuenientiæ, & in ea voluntate perſtiterint? deinde habuere ſufficiens iudicium ad peccatum mortale; quia dæmones graui ſcelere ſe obſtrinxere ſuadendo Iudæ Chriſti proditionem, & tamen actum illum mutarunt: ergo dæmones non ſunt immobiles à parte ſemel electa.

§. 45. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices, dæmonem mutatum ex vno peccato in aliud, non tamen ex peccato in bonum. Contra, ergo dæmon non adhæret immobiliter electioni iam factæ: ergo eius voluntas non eſt inflexibilis, ergo non eſt ſicut intellectus; qui apprehendit immobiliter: vel ſaltem dicendum, Angelos non apprehendere immobiliter, cùm ex parte intellectus habeant, quod requiritur ad mutationem voluntatis. Contra ſecundo. Angelus malam electionem mutauit: ergo habuit libertatem ad eam deponendam: ergo ſi ei tribueretur auxilium gratiæ ſufficientis, poterat ex malo fieri bonus. Patet conſequentia; quia ex parte dæmonis eſt libertas ad deponendam electionem malam, & ex parte gratiæ ſunt omnia principia neceſſaria ad actum bonum: ergo ſi Angelo tribueretur gratia ſufficiens, poſſet de malo fieri bonus. Quod ſi dæmon bonum opus non exercet, eſt; quia ei negantur auxilia gratiæ ſupernaturalis, item & vocatio congrua naturalis; quæ cauſa communis eſt homini, & dæmoni: & tamen homo non dicitur natura ſua inflexibilis: ergo neque dæmon. Contra tertio. In primo inſtanti dæmon habuit amorem naturalem Dei, ſimul cum ſupernaturali; & poſteà hunc amorem mutauit in acerbiſſimum odium, in quo perſiſtit: ergo ſicut fuit mutabilis de bono in malum, ita eſt mutabilis de malo in bonum, ſi congruis præueniatur auxilijs. Rogas, cur dæmon nunquam efficiat actum vndequaque honeſtū? Reſpondeo, hominem, & Angelum damnatos, à Deo eſſe proſcriptos, cum quibus gerit bellum aperto Marte; qua de cauſa nullum eis tribuit ſupernaturale auxiliū: concurſum autem naturalem non negat, ſed illum tribuit his circumſtantijs, quibus ſcientia media præuidet, eos propter pertinacem obſtinationem nunquam eſſe benè operaturos. Conſule P. Vazquez ſup. & diſputationibus 240, & 241.

Secundo.

Tertio.

Quæſtio.

Vnde dānati nunquā bene operentur.

P. Vazquez.

§. 46. *Probatio à priori.*

Secundò. Hæc ſententia probatur à priori; quia Angelus cùm primum obiectum elegit illud elegit liberè: ſed poſt electionem nihil eum neceſſitat eam conſeruare: ergo Angelus poteſt eam deponere. Probatur minor: quia poſteà retinet eamdem cognitionem, quam anteà, eamdem virtutem actiuam, eamdem bonitatem obiecti, concurſum generalem eumdem: ſed hæc omnia non imponunt Angelis neceſſitatē ad primam electionem: ergo neque ad perſeuerandum: quia poſteà nō habent maiorem vim, quàm anteà. Dices, à Deo negari concurſum ad ſuſpendendam electionem. Id vnde colligis? an ne Deus ſuſpendit concurſum, ne ceſſet dæmon ab odio eius? Imò eum concurſum debet parare; quia quando cognitio non infert neceſſitatem, potentia affectiua manet libera: ergo ei paratur generalis cōcurſus ad exercendam libertatem. Item hæc obiectio confutatur argumento primo: quia perſeuerantia in odio Dei non eſſet Angelo moraliter mala; magis quàm amenti; licèt odium in primo inſtanti liberè exercuerit. Deinde Angelum elicuiſſe electionem, non eſt obiectum neceſſitās eius voluntatem, quia cum ea electio ſit bonum finitum, poteſt amari, & non amari: ergo per actum reflexum poteſt Angelus de ea diſplicere, & eam deponere: præſertim ſi poſtea habeat efficaciorem conſiderationem de obiecto, vt in volenda, & recuſanda Chriſti morte. Hæc ſat, cætera Theologus: Vide argumentum in §. 40. ex quo patet, Angelum fore impeccabilem.

Obiectio. *Reſpondetur.*

Secundo.

Tertio.

* * *

SECTIO VI.

Quid ſit Angelus in loco?

§ 47. *Patris Vazquez opinio.* PAt. Vazquez tom.2.1.p. diſp.188.cap.7.opinatur, Angelos eſſe in loco per quemdam modum diſtinctum à relatione prædicamentali; qui modus eſt præſentia Angeli cum corpore,& localis coniunctio cum illo,qui neque reſpicit ſpatium imaginarium, neque fundat relationem diſtantiæ, vel indiſtantiæ per ordinem ad pūcta fixa;ſed præcisè per ordinem ad corpus reale. Quare,cùm Angelus eſt in Petro; non diſtat à Paulo ratione ſui, ſed ratione Petri, qui diſtat à Paulo: vnde, licet Petrus mutetur ex vno loco in alium,non mutatur Angelus cum illo, ſed retinet præſentiam ad Petrum:vt autem mutetur,opus eſt,vt relinquat præſentiam ad Petrum. Item ait, Chriſti corpus non moueri propriè localiter in Euchariſtia, licet ſpecies ſacramentales moueantur; quia præſentiā ad illas ſemper retinet Chriſtus: idē ait de motu animæ in corpore. Obſeruat autem diſcrimen inter quantitatem,& res ſpirituales, & quæ ad modum ſpiritualium ſunt in loco, vt Chriſtus in Euchariſtia; quantitatem eſſe in loco per vbicationem ab illa diſtinctam, ſumptam per ordinem ad puncta fixa, per quam dicitur eſſe in ſpatio imaginario; Angelum autem non ſumere inde ſuam præſentiam, ſed in ordine ad corpus reale. Vnde, ſi nullum eſſet reale corpus, Angelus nullibi eſſet: imò ait poſſe Angelum pro ſuo arbitratu ceſſare ab omni illo modo,& eſſe nullibi.

Obſeruatio Patris Vazquez.

§. 48. *Impugnatur. Nō eſt diſcrimē inter vbi ſpiritale & materiale in communi. Vbi Angelicum non ſumitur per puncta fixa. Fixio punctorum.* Diſplicet primò: quia non reddit diſcrimen inter *vbi* Angelicum, & quantitatiuum:nam vbicatio quantitatis realiter non ſumitur per ordinem ad puncta fixa: quia ea puncta noſtra imaginatione figuntur, & finguntur, vt quantitatis diſtantias cognoſcamus. Item neque Angelicum *vbi* realiter ſumitur per ordinem ad puncta fixa,à nobis tamen poteſt explicari per illa:ergo hîc nullum eſt diſcrimen.maior patet;quia à parte rei non ſunt puncta fixa, vbi enim ſunt? Ea tamen ab homine figi inde patet, quia ad quamcumque menſuram dignoſcendam vtitur homo aliqua quantitate ſibi certa, & à ſe præfixa, vt cubito,aut palmo: ſimiliter ad dimetiendam extenſionem quantitatis, & diſtantiam figit puncta, vt inde quaſi è loco certo funem tendat: at vbicatio quantitatis eſt à parte rei ſine dependentia ab humana fixione punctorum: ergo vbicatio quantitatis non ſumitur realiter per ordinem ad illa; nam dependeret ab homine,ſicut punctorum fixio. Poſſe autem vbicationem Angelicam inde explicari patet: quia poſſumus apprehendere Angelos per ſe accidētes illis punctis, vel recedentes, ſicut apprehendimus corpora, quod enim poteſt diſcrimen afferri?

§. 49. *Obiectio. Reſpondetur.* Dices:quia anima non amittit præſentiā ad corpus,licèt corpus mutetur: neque Chriſtus ad accidentia. Contra:anima duas habet rationes in corpore exiſtendi: alteram, vnionem ſubſtantialem, quam ſicut non acquirit, ita nec amittit latione: alteram, vbicationem accidentalem, locali motu productam:hæc diſtinguitur à priori,& non ſumitur per ordinem ad corpus,ſicut illa;ſed explicatur per puncta fixa; potéſtque ſine priori exiſtere;nam corrupta vnione ſubſtantiali,& corpore diſcedente, poteſt animus manēre per eamdem vbicationē in eodem loco, in quo ipſe, & corpus extiterant. Chriſtus autem ad ſpecies nullam habet peculiarem habitudinem (niſi fortè in genere cauſæ efficientis) ſed eſt in loco vbi erat ſubſtantia panis; quapropter illis corruptis poteſt Chriſtus diuinitus eadem vbicatione manēre intra pixidem, vbi conſecratus panis adſeruabatur. Sic ad motū corporis animus intrinſeca latione mouetur,quia nouas præſentias ad imaginarium ſpatium acquirit (vt explicui diſp.14.Phyſicorum) ſimiliter Chriſti corpus ad motum ſpecierum; tamen non dicitur animus à corpore diuelli: quia quamuis mouetur, ab eo non diſcedit,ſed in eumdem locum tendunt & animus, & corpus: itidem Chriſti corpus ad motum ſpecierū ſacramentaliū.Confirmatur:aqua præſens vaſi,non ſumit ſuam præſentiā per ordinē ad vas; ſed ad ſpatiū imaginarium:ergo neque Angelus præſens eidem vaſi;patet conſequentia; quia tam præſens eſt aqua vaſi, quàm Angelus:cur ergo altera præſentia ſumitur à vaſe, & non altera? à punctis autem fixis diſtant æqualiter.

Secundò ſic argumentor:ſine iſto modo ad corpus poteſt Angelus illi eſſe præſens: ergo. Probatur antecedens, ſine eo modo poteſt Angelus agere in corpus, illudque mouere:ergo poteſt ibi eſſe præſens, & indiſtans ſine eo modo: conſequentia patet ex diſput.9.Phyſicorum:vbi probaui nullum agens poſſe ex natura rei immediatè operari in diſtans.Probatur antecedens:demus Angelum adeſſe Petro per illum modum; demus item (quod fieri poſſe admittit Pat. Vazquez) Angelum ceſſare ab illo, & quouis alio modo,tunc ſic:Angelus operari poſſet in Petrum: ergo:probo antecedens; quia Angelus tunc non diſtat à Petro, quia per te non eſt alibi. Dices,neque eſſe ibi. Contra: non eſt ibi poſitiuè modo poſitiuo, eſt tamen negatiuo,id eſt non diſtans, non ſicut res non exiſtentes: ſed exiſtens, non tamen alibi: quod confirmo: tollat Deus (per impoſſibile) vbicationes duorum corporum, remanentium ſine diſtantia: tunc vnum corpus poterit agere in alterum, quia vbicationes tantum requiruntur, vt conditio ad non diſtandū: in actionem autē nihil habent: ergo ſimiliter Angelus carens illo modo poterit operari in Petrum: quia ille modus nec eſt actio Angeli in Petrū, nec principium illius:fuit autem conditio, vt tolleretur diſtantia à Petro: quæ iam eſt ſublata. Demus Angelum exiſtentē cum Petro,& in eo operantem, & ſine ſui mutatione:ſed per ſolam mutationē Petri;Petrum appropinquare Ioanni,ſimiliter & Angelum ratione Petri: nec Angelum efficere aliam præſentiam ad Ioannem ſicut Angelus operatur in Petro, cur non operabitur in Ioanne, ſine noua præſentia ad illum, cum ratione Petri ſit tam intimus Ioāni,quàm Petrus ipſe? ergo ſimiliter operabitur in Petro, ſine eo modo poſitiuo:ergo ſine illo erit præſens Petro;quia in re non præſenti operari non poteſt. Confirmatur ſecundò: Angelus poteſt mouere animum ſeparatum: ſed per te non habet modum, per quem determinetur ad illum. ergo.Vide §.60.

§. 50. *Secundum argumentum. Angelus poteſt mouere ſine eo modo.*

Obiectio. Refellitur.

Multi ex diſcipulis Sancti Thomæ,apud P.Vazquez ſupr.c.2.& Molinam,1.p.q.52.art.1.membro 4. opinantur, Angelū eſſe in loco per operationem tranſeuntem,innixi verbis S.Thomæ aſſerentis eodem art.1.Angelum eſſe in loco per applicationem virtutis: ſed applicatio virtutis Angelicæ eſt actio tranſiens. Confirmatur ex art. 2. vbi negat Angelum eſſe ſimul in pluribus locis: quia habet applicationem finitam:& clarius art.3.duos Angelos ſimul eſſe in eodem loco, vt duæ cauſæ non poſſunt ſimul influere adæquatè in eumdem effectum. Hic tertius articulus, non leuiter indicat hanc ſententiam eſſe S. Thomæ, quem infra cum P.Va

§. 51. *Opinio Thomiſtarum. P.Vazquez. S.Thom.*

Confirmatur.

P.Valent. P. Valentia exponendum curabo : nam eam ſententia deſerunt communiter cæteri Theologi. P. Vazquez ſupr.& Molina,eod. art.2. & art.1. q.52. Valentia tom 1.diſp.4.q.3.puncto 2.& 3.quamuis in eam ex parte conſentiat conſtituens plures rationes in loco exiſtendi.

P.Vazquez. P.Molin.

§. 52. *Impugnatur primò.*

Impugnatur primò, ſupponendo impetum imprimi ab Angelo , v.g. & Angelum hic exiſtentem poſſe eiaculari ſagittam ; tunc ſic , actio per quam Angelus illum impetum producit, non conſtituit Angelum in loco : ergo Angelus non exiſtit in loco per operationem tranſeuntem : probo antecedens; quia ratio exiſtendi in loco debet eſſe eſſentialis determinatio ad locum:ſed illa actio non eſt eſſentialis determinatio ad locum : ergo illa actio non eſt ratio formalis exiſtendi in loco. Maiorem alibi probaui : quia modus eſt eſſentialis determinatio ad effectum formalem, quem præſtat:minor patet; quia illa actio eſt indifferẽs ad plures locos: nam Angelus poteſt illum impetũ conſeruare hîc & alibi per eamdem actionẽ:ergo illa actio eſt loco mutabilis:ergo non eſt eſſentialis determinatio ad locum. Dices ; eam eſſe eſſentialem determinationem Angeli ad impetũ.Contra;quia iam oſtendi exiſtentiam localem ſumendam eſſe per ſpatium imaginarium , & non per effectus reales.

Operatio non cõſtituit Angelum in loco.

§. 53. *Secundum argumẽtum.*

Secundò impugnatur, Angelus eſt loco mutabilis , conſtat enim ex Scriptura Angelos moueri, & ratione ; quia cum non ſint immenſi , definiuntur ad certum locum , quem poſſunt deſerere , & nouum acquirere. Neque hoc Thomiſtæ negabũt: cum aſſerat S.Thomas, Angelos latione continua, & diſcreta moueri:ſed ſi ſunt in loco per ſolã operationem extrinſecam , ſunt immutabiles in loco: ergo non ſunt in loco per illam. Probatur minor; quia actio trãſiens eſt extrinſeca denominatio:ergo per varias actiones tranſeuntes nõ mutatur Angelus. Confirmatur primò ; quia mutari ſonat intrinſecam denominationẽ : Deus enim dicitur immutabilis,licet illi recenter aduenian mille denominationes extrinſecæ:Angelus autem dicitur mutabilis:ergo habet motum intrinſecum : ſed per illum motum acquirit noua loca : ergo eſt in loco per aliquid intrinſecum:probatur minor,quia mutatio localis eſt ad diuerſa loca. Confirmatur ſecundò; quia ſi Angelus eſt loco mutabilis,eo præciſè quia poteſt corpora diſtantia mouere , etiam Deus erit loco mutabilis ; quia Deus poteſt creare vnum ſolum corpus , & illud per diuerſa loca raptare, ſicut Angelus:ergo Deus eſſet mutabilis loco:quod eſt abſurdum. Dicendum ergo,Angelum nõ eſſe hoc modo mutabilem:ſed per intrinſecum motum. Vnde cum S. Thomas lationes Angelis tribuat,& alium dedoceat , eos eſſe in loco per applicationem virtutis arbitror cum P.Valẽtia, eum loqui de ratione exiſtendi in loco, tamquam cauſa in effectu,quod eſt per applicationem virtutis:non de exiſtentia in loco per præſentiam(vt aiunt) quæ acquiritur per motum.

Confirmatur primò. *Confirmatur ſecundò.* S. Thom. *exponitur.*

§. 54. *Tertium argumentum. Angelus in cælo empyreo non agit in corpus.*

Tertiò,quia Angelus eſt in cœlo Empyreo : ſed ibi nullam habet actionem tranſeuntem in corpus: ergo non ſunt in loco per illam. Maior negari non poteſt ſine nota erroris. Neque poteſt dici eſſe in cœlo Empyreo quia ibi fruuntur Deo : nam ſi quis ex Angelis beatis mittatur ad terras , fruitur Deo, & non eſt in cœlo Empyreo;minor probatur,quia cœlum Empyreum non mouetur, & quamuis moueretur,incredibile eſt tot Angelorum millia millium illi operationi vacare : præter motum, & impetum nihil aliud Angeli poſſunt in corpus. Confirmatur,Dæmones ſunt in inferno, an ne illi omnes perpetuo motu ſulphureas concitant flammas?

Confirmatur.

Secundo confirmatur ; quia ex Euangelio conſtat, vnum corpus obſeſſum dæmonum legione , conſtante ſex mille ſexcentis , & ſexaginta ſex dæmonibus , more legionum Romanarum , vnde illa traxerat nomen : ſed ille homo non commouebatur ſimul mille ſexcentis,& ſexaginta ſex motibus: ergo illi dæmones non erant in illo corpore per illius motum.Dices,omnes illos concurriſſe ad motum eumdem. Contra : hoc nequeunt reſpondere Thomiſtæ, cum S.Thomas 1. p. q.52. art.3. neget apertè, id fieri poſſe , (nempe ex natura rei.)Deinde, ergo nõ poterat vnus dæmon inde egredi,quin omnes ſimul egrederẽtur; quia omnes ſimul erant in corpore per eamdem rationem formalem:ergo diſcedente vno omnes mutabantur , quia mutabant vbicationes.

Obiectio. Reſpondetur. S.Thom.

§. 55. *Quarta ratio. Angelus prius eſt præſens quàm moueat.*

Quartò, prius quàm Angelus corpus moueat, intelligitur ibi præſens : ergo non eſt in loco per operationem : patet antecedens:tum quia propinquitas eſt cõditio neceſſaria ad agendum:tum ponamus Angelum me Pompelonæ mouentem , ſi hic velit Papam mouere Romæ, rogo vtrum poſſit immediatè?ſi concedis , ergo agit in diſtans immediatè : ſi negas , ergo indiget Papæ eſſe intimè præſens,vt eum moueat:ergo ante motum indiget præſentia. Dices , per ipſum motum illi fieri præſentem. Contra , in hoc ſenſu ſtulta eſſet quæſtio, *vtrũ Angelus poſſit operari in diſtans*?Nam ſi eo ipſo, quod operetur, eſt præſens effectui:ergo nunquam poteſt operari in diſtãs : eſſet enim quærere,vtrum Angelus dum eſt præſens alicui rei , poſſit ab illa diſtare?ſenſus igitur quæſtionis eſt : vtrum Angelus,qui nunc exiſtit Pompelonæ,poſſit Romæ aliquid operari ? quod vt pateat , pono Angelum habere virtutem ad mouendum ſimul Papam,& me, ſi ſumus contigui,at ſi Papa ſit Romæ , & moueatur ab Angelo ibi,non poſſum ego Pompelonæ ſimul moueri ab eodem : non ex defectu virtutis actiuæ : ſed quia neceſſario diſtat ab altero : nam ſi vterque eſſet intra ſphæram adæquatam Angeli, nempe intra hoc gymnaſium , ſimul poſſet ab eodem moueri.Vnde patet primò , rationem formalem , qua Angelus exiſtit Romæ, & Pompelonæ, non eſſe motum : nam ſi eſſet motus, à neutro diſtaret. Patet ſecundò , aliud abſurdum , Angelum ſimul eſſe poſſe in duobus locis diſcontinuis:nam poteſt mouere Petrum & Paulũ inter ſe aliquantulum diſtantes:ergo in quacumque diſtantia:nam ſi inanis intercapedo inter vtrumque nihil obeſt, ergo neque quæcumque diſtantia , vt probaui diſput.9. Phyſicorum ſectione ſexta.

Obiectio. Reſpondetur.

§. 56. *Opinio Caietani in quo ſenſu vera.*

Caietanus ait,Angelum non exiſtere in loco per operationem:ſed per internam applicationem virtutis. Si hæc applicatio virtutis intelligitur eſſe modus de prædicamento *vbi*,qui eſt terminus motus localis , eius ſententia eſt vera : nam per illum modum applicatur tota virtus Angeli ſpatio imaginario : in quo ſenſu S.Thomam arbitror eſſe locutum:ſi verò intelligatur de alia applicatione,impugnatur; quia illa applicatio non poteſt eſſe actus intellectus, nec voluntatis ; quia illi tantum reſpiciunt locum intentionaliter, ſicut cætera obiecta; & ſicut Angeli non dicuntur adeſſe phyſicè per illos actus obiectis cognitis,& amatis:ita nec dicerentur eſſe in loco phyſicè. Nam dæmon poteſt habere voluntatem exiſtendi in cœlo Empyreo ; à quo perpetuo exulat : nam duo Angeli conabantur diuerſis prouincijs adeſſe,ſibique mutuo obſiſtebant:quam controuerſiam diremit Michaël:aliã verò operationem internam non habet Angelus.

In quo falſa.

Certè vterque Thomas primum ſenſum ſecutus videtur.

§. 57. *Angeli ſunt in loco inſtar noſtri.* P. Molin.

Igitur de præſentia locali Angelorum ait rectè P. Molin. ratiocinandum inſtar præſentiæ corporeæ, & ſicut corpus habet modum intrinſecum de prædicamento *vbi*, per quem reſpondet certo ſpatio imaginario, & fundat relationem diſtantiæ, & propinquitatis ab alijs: ita Angelus per intrinſecũ *vbi* ſpirituale eſt præſens ſpatio imaginario, & fundat relationem diſtantiæ, & propinquitatis. Hic modus intrinſecus vocatur *definitiuus*, quo Angelus certis limitibus definitur. Eſt ſpiritualis, indiuiſibilis in partes, virtualiter extenſus, per quem totus Angelus conſtituitur totus in toto, & totus in qualibet parte ſpatij, (vt oſtendi diſp. 2. de anima ſect. 1.) Quando verò Angelus eſt præſens alicui corpori; ideo eſt, quia inter illum, & corpus nullus interijciatur locus, ſicut duo corpora ea ratione ſunt præſentia, & poteſt Angelus retinere priorem vbicationem amiſſa præſentia ad corpus, quia corpus inde amouetur.

Vbi Angelicum eſt modus definitiuus.

Et indiuiſibilis.

§. 58. *Quæſtio.* S. Thom.

Rogari poteſt, vtrùm plures Angeli ſimul eſſe poſſint in eodem loco adæquatè? negat S. Thom. 1. p. q. 52. artic. 3. verum ibi loquitur de exiſtentia in ratione cauſæ; at verò de præſentia locali, non eſt dubia affirmatiua pars: quia materia, forma, quantitas, & qualitates ſunt in eodẽ ſpatio imaginario penetratæ, ergo multo magis Angeli. Deinde impenetrabilitas oritur à quantitate: ſed Angeli non habent quantitatem, ergo neque impenetrabilitatem. Confirmatur, Angelus, & homo poſſunt eſſe in eodem loco, ergo & duo Angeli: Tandem vnus homo ſolet à multis dæmonibus obſideri: è Magdalena ſeptem eiecit Chriſtus: ex alio homine vno ictu integram legionem fugauit: in inferno autem quot diabolorum millia inuicem permiſcentur?

Duo Angeli poſſunt eſſe adæquatè in eodem loco. *Confirmatur.*

§. 59. *Alia quæſtio.*

An idem Angelus ſimul poteſt eſſe in duobus locis? In duobus adæquatis negant omnes: & patet ex terminis; nonnulli autem eum poſſe in loco ſibi adæquatè eſſe in ſpatijs non continuis v. g. in extremitate huius gymnaſij quin ſit in medio, opinantur: Angelus enim poteſt eſſe in toto gymnaſio, ergo & in quibuſcũque partibus voluerit. Hoc merito negant alij, tum quia animus exiſtens in toto corpore non poteſt informare partes diſcontinuas, nam ſi totus digitus præcidatur, etiam ſi partes ſint attiguæ, nulla digiti pars informabitur: ergo idem erit in exiſtentia locali Angeli: nam etiam anima deſinit eſſe in digito abſciſſo realiter, licet cõtineatur intra adæquatũ ſpatium; tum quia ſi poſſet eſſe Angelus hoc modo intra gymnaſiũ, ergo etiam in quacumque diſtantia poſſet eſſe in duobus locis abiunctis: nam ſi diſtantia locorum ſemel illum non impedit, nulla diſtantia impediet. Recognoſce diſp. 9. Phyſicorum de actione in diſtans. Suppono autem, Angelum extra gymnaſium in duobus locis exiſtentem non occupaturum plus ſpatij, quàm per te occupat intra gymnaſium.

Angelus non poteſt ſimul eſſe in duobus locis adæquatis. *Nec inadæquatis diſtātibus.*

§. 60. *Argumentũ contra P. Vazquez de duobus locis Angeli.*

Nunc autem probo contra P. Vazquez Angelum poſſe ſimul eſſe pluribus in locis valde diſtantibus ex eius ſententia relata §. 47. nam ipſe ait: nec negare poteſt, Angelum eſſe præſentem centum lapidibus exiſtentibus intra hoc gymnaſium; nam cum poſſit toti gymnaſio adeſſe, itidem & lapidibus; tunc ſic, illi centum lapides in diuerſa loca raptentur: adhuc Angelus poteſt retinere præſentiã ad illos, ergo Angelus poteſt ſimul eſſe pluribus in locis diſtantibus: probo minorem, quia per te Angelus habet vbicationem non reſpicientem ſpatium imaginarium, nec puncta fixa, ſed ſola corpora realia; adeo vt affirmes moto corpore, Angelum intrinſecè non moueri, quia ſemper retinet ſuam præſentiam ad corpus, ergo eandem præſentiam retinebit lapidibus in diuerſas partes motis: nam præſentiæ ad illos non dependent ab ſpatio. Confirmatur, ſi omnes illi ſimul mouerentur ad eumdem locum, Angelus immotus manens illis adeſſet, quia habet ſufficientem virtutem ad exiſtendum in illis ſimul, & ea exiſtentia non dependet ab hoc, neque ab illo loco: ergo etiam ſi lapides in diuerſa loca moueantur, retinebit Angelus præſentiam ad illos, quia neque eius virtus minuitur, neque illa præſentia dependet à loco imaginario: ergo præciſè per mutationem loci imaginarij, non peribit illa præſentia. Dicat ergo P. Vazquez: Neceſſe eſt, aut præſentiam Angeli ſumi ab ſpatio imaginario, aut Angelum ſimul eſſe poſſe in duobus locis diſſitis. *Confirmatur.*

§. 61. P. Vazquez.

Ex ſua ſententia rectè infert P. Vazquez, Angelum poſſe Pompelona Romam ſine medio moueri, quia ille motus nõ dependet ab ſpatio intermedio S. Thomas q. 53. art. 2. docet, Angelum poſſe diſcretè moueri de extremo in extremum ſine medio. Quem ſic intelligo: non poſſe Angelum ſaltibus diſcretis, per morulas interruptis, medium pertranſire; nam cum eius partes ſint infinities ſectiles, opus eſſet, vt antequam vnam ſaltaret, ſaltaret aliam minorem, & minorem, & ſic nunquam finiretur motus diſcretus. Quando verò diſcretè mouetur, ita mouetur; vt ſimul ſit præſens vnico inſtanti certo ſpatio imaginario. v. g. mouetur diſcretè in homine è capite ad pedes: per primũ ſaltum fit præſens vnico inſtanti toti hominis medietati: per ſecundum verò alteri medietati, & ſic non ſaltitat media. Vnde ſic expono eam propoſitionẽ. *Angelus mouetur diſcretè, de extremo ad extremum ſine medio.* Id eſt, ſine medio diſcretè pertranſito, nõn tamen ſine medio ſimul tranſito per eumdẽ motum. Quando verò mouetur continue, mediũ pertranſit ſucceſſiuè; ad modum, quo corpora: eſt autem diſcrimen inter vtrumque motum; quia quilibet motus diſcretus eſt certus, & determinatus, & neceſſariò reſpõdet in vno inſtanti, certo, & determinato ſpatio: nam diſcretio motuum, non poteſt non eſſe inter certa ſpatia, motus autem ſucceſſiuus plures includit in ordine ad ſpatia proportionalia.

Angeli diſcretus motus.

Angelus quo pacto moueatur de extremo in extremũ ſine medio.

§. 62. P. Molin. *Non poteſt Angelus moueri niſi per medium.*

Cæterum poſſe Angelum moueri ab extremo in extremum, quin medium attingat (vt Thomiſtæ communiter exponunt) vix poteſt mente apprehendi, & (vt rectè P. Molina ibidem) prius debent aduerſarij oſtendere poſſibilitatem rei quàm eis quidquam obijciatur. Secundò Angelus non poteſt agere in diſtans, quin agat per medium, ergo nec ſe mouere immediatè: patet conſequentia; quia ſicut medium attingere eſt neceſſum ad actionem, ità & ad motum. Imò magis ad hunc, quia magis dependet à loco, quàm actiones aliæ. Imò hoc eſſet quoddam genus operandi in diſtans nihil operando per medium: nam illa tranſuectio Angeli fit immediatè in diſtans, quia licet Angelus non diſtet ab illo motu, illum tamen facit è loco diſtanti. Quæ pendent ex reuelatione Dei, omitto; quia ſunt extra meos carceres.

***

DISPV

DISPVTATIO XIII.

De quantitate.

SEcvndvm prædicamentum eſt quantitas: quæ ad Phyſicum ſpectat, non ad Metaphyſicum.

SECTIO I.

Quid ſit accidens?

§. 1. *Accidentis definitio.* *Supponit ſubſtantiam.*

ACcidens eſt *conceptus rem in eſſe ſubſtantiali ſupponens illamque perficiens*: eſt enim accidens ab *accido*; quia iam rem ſupponit, cui accidit, ſiue accedit: ſubſtantia non accidit rei, ſed eam conſtituit, aut complet. Vnde per ſe pertinet ad primum illius conceptum: accidens autem, quia non conſtituit rem, ſed ſupponit, eſt ſecundus illius conceptus. Nec verò opus eſt, vt tota ſubſtantia natura præcedat accidens: quantitas enim accidit toti compoſito, licet ſit prior natura quàm forma ſubſtantialis materialis, præcedit enim non intentione, ſed executione, vt materiam diſponat ad integrum conceptum ſubſtantiæ: & licet formam præcedit, quia eſt extra totum conceptum compoſiti, ideo eſt accidens: oſtendi enim diſput. 10. accidens eſſe quidquid eſt extra totam rationem rei.

Subſtantia qua ratione præeat accidenti.

§. 2. *Accidens logicũ & phyſicum.*

Accidens ſolet diuidi in logicum, & phyſicum. Verum hæc diuiſio eſt analogi improprij: interdũ enim ſubſtantia eſt accidens logicum, per analogiam autẽ ad accidens phyſicum ita vocatur, quia eſſentia rei, logicè agendo, eſt primus, & proprius conceptus illius. Cæteri conceptus, licet ſint à parte rei idem cum primo, vocantur attributa; quia in logica compoſitione accidunt primo cõceptui, & quantum ad modum prædicandi vtrumque accidens prædicatur, *in quale*: eſt ergo verum accidens, ſecundus conceptus rei à primo realiter diſtinctus, de quo in præſenti.

§. 3. *Accidens pẽdet à ſubſtãtia.* *Secunda ratio.*

Accidens pendere à ſubſtantia ab omnibus ita recipitur, vt conſentiens hominum omnium atteſtatio, videatur eſſe inſitum à natura teſtimonium. Probatur primum, quia accidens eſt conceptus ſecundus ortus à primo, ergo ab illo dependet. Secundò, quia accidens eſt perfectio ſubſtantiæ, illi communicata, vel ad agendum, vel patiendum, vel pulchritudinẽ: ergo non poteſt ex natura rei eſſe à ſubſtantia ſeparatũ; quia ſic fine carẽret, ergo pendet à ſubſtantia; quia ſi nõ penderet, poſſet ab ea ſeparari. Video reſpõderi poſſe multas res non poſſe eſſe ſine alijs, à quibus non pendẽt à priori. Tertiò, quia ſi non penderet à ſubiecto; crearetur, & ex nihilo aliquid fieret viribus agentis creati. Vnde ortum traxit axioma *accidentis eſſe eſt ineſſe* quod intellige de inhærentia, nõ actuali: ſed aptitudinali. Ariſtoteles enim non fuit adſecutus, accidẽs conſeruari poſſe ſine ſubiecto: non enim fuit iuriſperitus omnipotentiæ diuinæ. Et licet omne accidẽs diſtinctum à modo habet aptitudinem ad inhærendum, eam non habet omnis modus accidentalis: quia creatio accidentis in Euchariſtia nullam habet aptitudinem ad inhærendum propriè (vt oſtendi diſput. 12. phyſicorum, ſect. 3.) quia eſt formalis independentia accidẽtis à ſubiecto. Nec mirum, ſicut enim nullum accidens abſolutum poteſt conſtituere aliud independens à ſubiecto vt *quod*, ita neque illi conuenit eſſe independens vt *quo*, ſeu independentia. Quapropter ſi *inhærere* proprie ſumatur pro dependentia, non eſt de conceptu accidẽtis vt ſic abſtracti à naturali, & ſupernaturali, reali, & modali: ſed eſt proprium accidentis realis naturalis vt ſic: quod Ariſtoteles fuit adſecutus: item eſt commune accidenti reali ſupernaturali. Si verò *inhærere* latiùs ſumatur pro dependentia, vel afficientia ſecundaria, inhærere eſt de conceptu accidentis vt ſic. Vniuerſim autem conceptus accidentis vt ſic eſt eſſe extra totam rationem alicuius rei.

Tertia ratio.

Accidentis eſſe eſt ineſſe expenitur.

Aliquod accidens nõ poteſt inhærere propriè.

Inhærere minus propriè, eſt de cõceptu accidentis vt ſic.

§. 4. Ens immediatè diuidi in ſubſtantiam, & accidens diſput. 9. probaui, eamque diuiſionem eſſe analogam propriam ex logica patet, diſput. 9. à §. 18. quia ens tam propriè reperitur in accidenti quàm in ſubſtantia. Accidens non bene diuiſum in nouem prædicamenta accidentis probaui, diſputatione 9. agens de illorum numero: pingui autem Minerua accipienda eſt, & ſequenda illa diuiſio. Accidens immediatè diuiditur in rem, & modum. Res in quantitatem, & qualitatem: modus in actionem, vnionem, & *vbi*; & ſi quis eſt alius.

SECTIO II.

Vtrùm quantitas ſit ſubſtantia vel accidens?

§. 5. *Quãtitas eſt extenſio impenetrabilis.* *Quantitas nõ eſt modus.*

PRimò ſtatuo, quantitatem eſſe rationem extenſionis rerum in ordine ad ſe cum impenetrabilitate, & primam radicem vbicationis circumſcriptiuæ; per quem extenditur formaliter in ordine ad locum, de quo ſect. 4. eſt acuto calamo diſputandum. Secundò pono, quantitatem non eſſe modum: ſed rem ex diſput. 2. ſect. 5. vbi probaui, omnem modum eſſe actualem determinationẽ vnius rei ad aliam, extenſio autem rei cum impenetrabilitate id non habet: ſed tantũ eſt radix, ob quam duæ partes non poſſunt eſſe in eodem ſpatio ſimul, quod ſi eſſet determinatio, eſſet huius numero corporis ad hunc numero locũ, nullámque haberet indifferentiam ad diuerſa loca, vnde oriretur vt neque de potẽtia abſoluta poſſet eſſe ſine hoc corpore, & ſine hoc ſpatio, quod repugnare patet, tum ex Euchariſtia: tum quia eadem numero quantitas ex natura rei in diuerſa loca mutatur.

§. 6. *Pugna inter Thomiſtas & Nominales.* P. Suarez. *Primum argumentum Thomiſtarũ.*

Inter Nominales, & Thomiſtas acriter pugnatur de diſtinctione quantitatis à re quanta: quorũ concertationem vide apud Pat. Suarez 2. Metaphyſic. diſput. 40. ſect. 2. neutrius tamen factionis ſententia ſatis poteſt oſtendi: librabuntur autem vtriuſque tela. Primum Thomiſtarum eſt, quia impenetrabilitas eſt effectus ortus ab aliqua forma: ſed non oritur à ſubſtantia: ergo ab accidẽte, quod *quantitatem* vocamus. Probatur minor. Nam effectus formalis ſubſtantiæ eſt *eſſe ens per ſe*, & eſſentia materiæ eſt eſſe *principium ſuſceptiuum formarum*: formæ verò eſſentia eſt *ſubſtantialiter actuare materiam eamque per vnionem determinare ad ſpeciem completam*; in quibus conceptibus non intelligitur extenſio, aut impenetrabilitas. Confirmatur, rem eſſe obiectum viſus eſt effectus proueniens ab accidente, à ſubſtantia diſtincto: ergo, & eſſe extenſam, quod eſt enim inter vtrumque diſcrimen? præſertim cum ſubſtantia ſit tangibilis ratione quantitatis, ſicut eſt viſibilis ratione coloris.

Confirmatur.

§. 7. Hoc argumentum eſt probabile tantum, habet enim facilem explicatum negata minore: ad probationem reſpondetur, extenſionem impenetrabilitatis

litatis non eſſe de primo conceptu materiæ primæ, vt bene probat argumentum, eſſe tamen attributum illius:nam ſicut materia prima per ſuam entitatem eſt ſuſceptiua formarum:ita & per eamdem habet neceſſariam extenſionem ad locum, vt agens materiale poſſit in eam formas inducere: cuius partes dilatantur aut contrahuntur per denſum, aut rarum formarum; ſicut per te quantitati contingit. Ad confirmationem, clarum eſt diſcrimen; videmus enim eadem ſubſtantia manente colores & cæteras qualitates mutari. Quantitatem autem non videmus. Neque hæc eſt per ſe tãgibilis, ſed ſicut eſt viſibilis ratione coloris, & lucis, ita eſt tangibilis ratione caloris, mollitiei & duritiei, quod genus ſenſibilitatis rectè quadrat in ſubſtantiam.

Ad cõfirmationem.

§. 8. *Secundũ argumẽtũ Themiſtarum.*

Secundum argumentum ſumunt ex Euchariſtia: vbi remanet quantitas ſubſtantiæ, ſubſtantia deſtructa; ergo quantitas ſubſtantiæ diſtinguitur à ſubſtantia: probatur antecedens, tum quia accidentia retinent eamdem impenetrabilitatẽ, quam antea; ſignum eſt ergo ibi remanere eamdem formam, vnde oriatur talis impenetrabilitas: tum etiam, quia accidentia in Euchariſtia inhærent quantitati: nam ſola quantitas creatur,alioquin & miracula eſſent multiplicanda, & non poſſent ſpecies ſacramentales deſtrui & produci, niſi perpetuis miraculis multiplicatis, ad quæ ſine neceſſitate contingere dedecet hominem philoſophũ. Reſpondent Nominales tot eſſe quantitates,quot entitates diuiſibiles: quibus non parum ſuffragatur Ariſtoteles definiens, *quantum eſt, quod eſt diuiſibile in ea quæ inſunt; quorum vtrumque vel vnumquodque, vnum quid, & hoc aliquid aptum eſt eſſe*, id eſt, quantum eſt diuiſibile in partes, quarum vnaquæque diuiſa poteſt habere denominationem totius; ſicut quantum quod diuiſum eſt.Atqui hoc commune eſt materiæ, & cuiuis formæ materiali.Nam albedo poteſt in duas partes diuidi, quarum vnaquæque ſit albedo;& aqua in duas aquas;& viuentia in duas partes viuentes, quæ ſi non conſeruantur diuiſæ,eſt propter mutuam dependentiam partiũ inter ſe in animalibus perfectis.Quæ ſunt diuiſibilia ſaltem mathematicè & per intellectum, ſicut cœlum, licet diuiſio phyſica illi repugnet.

Reſpondetur.

§. 9. *Diuiſio quãtitatis ex Nominalibus.*

Iuxta quam reſponſionem; diuidenda eſt quantitas in quantitatem ſubſtantialem, & accidentalem. Subſtantialis in quantitatem formæ & materiæ: accidentalis per diuiſionem qualitatum & modorum. Deinde adſtruendum impenetrabilitatem oriri ex ſola materia: nam impenetrabilitas deſeruit, vt agens materiale poſſit operari in ſubiectum extenſum; ſubiectum autem omnium formarum eſt materia prima: ergo illa ſola eſt impenetrabilis per ſe,cætera verò ratione materiæ.Nam cum vnaquæque pars albedinis ſit in parte materiæ, non poſſunt duæ partes albedinis penetrari, quin neceſſariò penetrentur partes materiæ; ſicut albedo in papyro facilè diuiditur, non tamen in ferro; quia non poteſt diuidi niſi ad diuiſionem materiæ ferreæ, & papyraceæ; & quo difficilior eſt materia diuiſu, eo difficilius diuiditur albedo: ita contingit in impenetrabilitate.Vnde in Euchariſtia remanent quantitates accidentales tantum; quæ ex ſe penetrabiles ſunt, non tamen penetrantur,penetrationem diuina potentia impediente,ne tantum miraculum pateſiat. Abſolutè tamẽ etiam in noſtra ſententia, qualitates ſunt impenetrabiles per extrinſecam denominationem à cõcomitantia quantitatis in eodem loco: nam cum ſiniſtra manus habeat in eodem loco ſuam quantitatem; & qualitates; non poſſunt iſtæ qualitates occupare locum qualitatum dextræ manus, quin ad eumdem tendat quantitas, quia omnia illa accidentia vniuntur eidem ſubiecto: in Euchariſtia verò diſrupto illo vinculo, ſunt ſemper in eodem loco, Deo ita volente ad velandum myſterium.

Impenetrabilitas ex ſola oritur materia apud Nominales.

In Euchariſtia omnes quantitates ſunt ex ſe penetrabiles apud Nominales.

Qualitates ſunt impenetrabiles concomitanter.

§. 10. *Impugnatur quædam opinio.*

Nec placent mihi nonnulli opinantes, ſingulas formas materiales eſſe ratione ſui impenetrabiles cum alijs eiuſdem ſpeciei. Nam intenſio fit in eorum ſententia additione nouæ qualitatis eiuſdem ſpeciei, quæ ſunt in eodem ſubiecto: item in aëre & oculis ſunt multę ſpecies impreſſę ſolo numero diſtinctæ;& multæ viſiones:item in phantaſia multæ ſpecies: ergo nõ omnis forma habet per ſe impenetrabilitatem. Ratio à priori, quia impenetrabilitas eſt,vt in ſubiecto extenſo poſſint operari agentia naturalia: item vt res habeant debitam magnitudinem. Vnde ſola materia id habet, quia in forma accidentali non operamur, nec per illam porrigitur corpus; ſola ergo quantitas materiæ tribuit impenetrabilitatem, ratione cuius cætera ſunt impenetrabilia.

Omnis forma nõ habet impenetrabilitatem.

§. 11. *Ad tertiam. In Euchariſtia omnis qualitas creatur. Ariſt. Qualitates non inhærent quantitati.*

Ad tertiam probationem reſpondetur: omnes qualitates in Euchariſtia creari; quia nulla ex illis ineſt quantitati (ſi hæc à materia & qualitatibus realiter diſtinguitur vt probaui diſput.6. Phyſicorum ſect. 6.) neque vnquam Ariſtoteles eam ſententiam indicauit; nam tota eſſentia quantitatis, & eius munera, ſine ea cauſalitate percipiuntur. Neque verò parci eſſe debemus in miraculorum multiplicitate in eo myſterio, in quo præpotens Deus, vt oſtenderet ſuum in naturam principatũ, & à legibus immunitatem, *memoriam fecit mirabilium ſuorum*; neque verò, ne miracula multiplicentur, deſumendum eſt argumentum ad philoſophiam: ſed potius more phyſico ratiocinandum de ſubſtantia, & accidentibus; deinde de eorum mutua diſtinctione, aut connexione. Hinc autem miracula multiplicanda Theologo ad explanationem myſteriorum de quibus diſſertat. Tertium argumentum, eo tendit,vt probet quantitatem non eſſe formalem extenſionem ad locum; quia Chriſtus in Euchariſtia retinet propriam quantitatem, non tamen extenſionem localem. Quod ego lubens admitto,infra probaturus.

Tertium argumentum.

§. 12. *Nominalium argumenta.*

Econtra verò Nominales probant, quantitatem non diſtingui à re quanta: quia non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas quantitatem à ſubſtantia diſtinguendi; quia omnes illius effectus poſſunt à ſubſtantia prouenire: ergo. Probatur minor: nam impenetrabilitas cur non proueniet à materia? quæ ſeparata ab omni quantitate accidentali habebit partes impenetrabiles. Leue argumentum ad communem ſcholarum ſenſum deſerendum. Negatur minor; tum ex communi philoſophorum ſenſu, tum quia extenſio actualis partium conſiſtit in accidenti, vt raritas, & denſitas, viſibilitas & cætera. Neque verò opus eſt argumento euidenti ad probandam ſententiam omnium authoritate firmatam:ſed expectanda eſt clariſſima demonſtratio, vt deſeratur communis, tritáque via. Quare affirmandum eſt quantitatem eſſe accidens diſtinctum à qualitatibus cum Ariſtotele,S.Thoma,Scoto,Durando, & alijs innumeris, quos ſequitur P. Suarez, ſuprà num. 7. & 8.

Reſpondetur.

Quãtitas eſt accidens diſtinctum à qualitatibus.

SECTIO

SECTIO III.

Ariſtotelita definitio quantitatis.

§. 13. *Ariſtotelis definitio.* ARiſtoteles 5. Metaphyſicorum cap. 7. ſic definijt quantitatem. *Quantum eſt, quod eſt diuiſibile in ea quæ inſunt, quorum vtrumque, vel vnumquodque, vnum quid, & hoc aliquid aptum eſt eſſe.* *Obſcura & accidentalis.* Quæ definitio, & obſcura eſt & accidentalis. Nam diuiſio non eſt de eſſentia quantitatis, ſed attributum ex eius impenetrabili extenſione ſequutum. Obſcura autem, quia ly *hoc vnum aliquid*, vel intelligitur de vno completo: vt ſit ſenſus, partes quæ in continuo ſunt partes, & ens incópletum, poſt diuiſionem eſſe vnum integrum, & completũ; ſic autem in ſola cõtinua homogenea quadrat definitio: Nam ſi aqua diuidatur in duas partes, quælibet ex illis ſit aqua integra; at verò in viuentibus, ſi diuidantur in duas partes, neutra manet integrum viuens, diſſecta enim cauda colubri, non eſt coluber: ſi verò intelligatur de vno incompleto, etiam compoſitum eſſentiale corporeum eſt diuiſibile in partes eſſentiales, quarum vtraque ſit *hoc vnum aliquid incompletum.*

§. 14. *Explanatur.* Definitio ſic eſt explananda; *quantum eſt diuiſibile in ea, quæ inſunt.* Id eſt, in partes, ex quibus componitur; *quorum vtrumque*, id eſt, omnes partes ſimul; *vel vnumquodque*, id eſt, aliqua illarum: ly enim *vnumquodque*, non poteſt intelligi copulatiuè; niſi velis, *vtrumque, & vnumquodque*, ibi eſſe ſynonyma: *vnum quid, & hoc aliquid aptum eſt eſſe*, id eſt; quælibet pars apta eſt eſſe vnum totum habens eamdem denominationem, quam habebat totum, quod diuiſum eſt. Quod ita intelligo, ne videatur inepta definitio: animus enim rationalis eſt vnum aliquid, cum non ſit pars quanti vt quanti.

§. 15. P. Suarez. *Impugnatur definitio.* Hanc definitionem Pat. Suarez conatur defendere; verum cum non ſit œcumenici alicuius concilij, non eſt cur eius patrocinium nos tanto opere ſollicitet. Primum; quia cœlum eſt quantum, & non eſt diuiſibile in partes, propter incorruptibilitatẽ: eſt ergo definitio diminuta. *Obiectio.* Dices cœlum, quantum eſt ex conceptu quantitatis, eſſe diuiſibile: impediri tamen eius diuiſionem proprijs diſpoſitionibus. *Reſpondetur.* Contra, quia licet materia cœli ſit diuiſibilis ſi eſt eiuſdem ſpeciei cum noſtrate, cœlum tamen non eſt diuiſibile ſimpliciter, ſicut lapis non eſt animal ſimpliciter, licet eius materia poſſit animari; quia cœlum includit formam diuiſioni repugnantem, ſicut lapis repugnantem animæ. *Cœlum eſt indiuiſibile.* Quare ſicut cœlum ſimpliciter eſt incorruptibile, ita eſt ſimpliciter indiuiſibile. Neque verò ibi definitur ſola materia quanta, ſed totum compoſitum, tum quia ly, *hoc vnum aliquid*, apud Ariſtotelem perinde eſt ac *ſubſtantia completa*, nam entia incompleta non vocat *aliquid*: ita dicit materiam neque eſſe quid, nec quantum; item definitionem, quia ſignificat eſſentiam rei, ſoli ſubſtantiæ voluit adſcribi. Deinde poſſibilis eſt materia prima diuerſæ ſpeciei à noſtra, quæ componat corpus quantum incorruptibile, quæ materia non erit phyſicè diuiſibilis: ſed ſemper erit cum ſua incorruptibili forma: illi autem non conueniet definitio quanti.

§. 16. *Obiectio. Reſpondetur. Omne extenſum eſt diuiſibile per intellectum.* Dices, eam materiam, & hos cœlos eſſe diuiſibiles, vel per potentiam abſolutam, vel per mentis deſignationem. Cõtra; quia Ariſtoteles rem definiuit, vt eam cognouit lumine naturæ: potentiam autem abſolutam non agnouit, delyrans Deum operari neceſſariò: illa verò diuiſio, per intellectum non videtur ad rem: nam diuiſibilitas ſonat phyſicam diuiſionem. Deinde vtraque ſolutio impugnatur, quia quæuis res extenſa, abiuncta à quãtitate re, vel ratione, eſt diuiſibilis phyſicè diuinitus, & per mentis deſignationem: ergo quælibet res corporea eſt quanta, ſine quantitate. Reſpondet P. Suarez eam diuiſionem materiæ non eſſe phyſicam: ſed eumdem rogo, ſit phyſica diuiſio cœli, quam ipſe admittit? P. Suarez.

§. 17. *Secunda impugnatio.* Secundò impugnatur definitio, quia totũ compoſitum humanum eſt quantum: & non eſt diuiſibile in partes, quarum vtraque ſit homo: obtruncetur enim medius, neutra pars eſt homo, etiamſi viua conſeruetur. Nam licet materia, & forma rationalis vnitæ ſint hominis eſſentia, non tamen propterea caput hominis eſt homo, neque homo poteſt prædicari de ſingulis partibus, ſicut aquá de ſuis: nam homo, & viuentia includunt partes diuerſas, organis affectas: & licet materia & anima vnitæ retineant hominis eſſentiam, adhuc homo ſupponit pro maiori integritate, quàm eſt in ſola manu. *Obiectio.* Dices, quamlibet partem eſſe totum, ſaltem quoad eſſentiam. *Reſpondetur.* Iam video: ſed dura ſatis definitio, cuius patrocinium indiget tam dura locutione, vt hominis digitum, hominem vocemus. Adde, partes viuentium non ita poſſe diuidi, vt viuæ maneant, quod in homine eſt clarum: in cæteris autem non ita patet, patet autem eas diu non conſeruari.

§. 18. *Ariſtoteles defenditur.* P. Suarez. Tamen vtcumque tuendus eſt Ariſtoteles. Vide vtrùm id præſtare poſſis cum P. Suarez, diſput 40. Metaphyſic. Ad primum dicendum, vel Ariſtotelem ratum, cœlum non eſſe quantum, quía aſſecutus eius incorruptionem, vel in ea definitione, eum non meminiſſe cœli; ſed tantum definiiſſe quanta ſublunaria. Nec mirum, ab eo cœlum prætermiſſum, quia hæc non tam eſt definitio, quàm deſcriptio per proprietatem ex impenetrabilitate ſecutam; ex qua proprietate deprehenditur formalis quantitatis effectus, qui eſt impenetratio: nam ea ratione lapis ferro ſecatur: quia illo ictus cogitur loco cedere, quia ferrum ſuo impetu tendit in locum lapidis occupandum, cuius virtuti reſiſtere cum non poſſit, in fruſta ſecatur, eius locum ferro occupante. Quod ſi duo corpora ſe collidant eo in loco, vnde poſſint facile dimoueri, nullum rumpetur: quare opus eſt vt ea colliſio fiat in ſolida parte, qua alicuius partis fuga tardetur: cognito autem hoc effectu formali quantitatis in ſublunaribus, facile dignoſcitur idẽ effectus quantitatis in cœlo. Quod ſi non eſt diuiduum, id non oritur ex quantitate, ſed ex defectu qualitatum diuiſioni neceſſariarum.

§. 19. *Animaduerſio in Nominales. Ex definitione continetur ſola ſubſtantia completa. Quantitas Euchariſtia non eſt quanta.* Aduerte contra Nominales, ea definitione non comprehendi qualitates materiales, ſed ſolùm ſubſtantiam completam: nam licet albedo ſeparata à quantitate, ſit diuiſibilis in duas albedines, neutra tamen eſt *vnum quid, & hoc aliquid.* Hoc enim eſt ſubſtantia completa. Imò nec quantitas in Euchariſtia eſt propriè *quanta*, quia licet ſit diuiſibilis in duas quantitates, non tamen in *hoc vnum aliquid.* Vnde impropriè propter ſuam extenſionem quantitas, & qualitas vocantur *quanta*: materia autem vocatur *quanta* propriè, quia eſt corpus impenetrabile: propriè tamen non diuiditur in *hoc vnum aliquid* præciſè ratione ſui, ſed etiam ratione formæ ſubſtantialis, cui eſt ſubiecta. Item aduerte, quantitatem definitam per ſubiectum: nam phyſica diuiſio oritur à quantitate. Vnde illa definitio æquiualet huic, *quantitas eſt, qua ſubiectum eſt diuiſibile*, vt ſi quis definiat albedinem,

album

album eſt quod diſgregat viſum, id eſt, albedo eſt ratio diſgregandi viſum: ſic quantitas eſt ratio diuidendi ſubiecti.

SECTIO IV.

Formalis quantitatis effectus.

§. 20. *Effectus formalis primarius & ſecundarius.*

EFfectus formalis communiter tribuitur ſolis formis: ſed immeritò: eſt enim communis ſubiectis, vt patet ex diſp. 6. de anima à §. 38. Duo ſunt effectus formales; alter primarius, ſecundarius alter; effectus primarius eſt ipſa entitas, ſeu eſſentia rei vnita: qui effectus nec diuinitus poteſt eſſe, neque apprehendi ſine entitate, à qua tribuitur, nec talis entitas poteſt vniri, quin talem effectum tribuat; quia eſt eadem eſſentia vnita; vnde intellectio vnita lapidi, illi tribuit formalem effectum ab illa prouenientem, quia illum tribuere, & illi vniri ſunt formaliter idem.

§. 21.

Effectus formalis ſecundarius eſt, qui phyſicè oritur ab aliqua entitate, tamquam à prima radice, ſed non præſtatur ab illa formaliter: ſed ab alia forma poſitiuè aut negatiuè à prima radice diſtincta, exempli gratia, effectus formalis primarius quantitatis eſt reddere corpus ineptum, vt duæ illius partes ſimul eſſe poſſint in eodem loco: vnde oritur, illas neceſſariò eſſe in diuerſis. Exiſtentia igitur in diuerſis locis eſt effectus ſecundarius quantitatis, præſtitus tamen per vbicationem; item effectus formalis primarius gratiæ habitualis eſt eſſe primam radicem habituum ſupernaturalium, ſecundarius autẽ effectus eſt expulſio peccati; quæ expulſio cõſiſtit formaliter in carẽtia peccati, ſicut effectus formalis caloris eſt expulſio frigiditatis, quæ conſiſtit in priuatione frigoris. Vnde potentia abſoluta poſſunt eſſe multi effectus formales primarij ſine ſecundarijs, vt quantitas, ſine vbicatione in duobus locis: calor ſine expulſione frigoris: itẽ & effectus ſecundarij poſſunt eſſe ſine primarijs, vt vbicatio duarum partium materiæ in duobus locis, ſine quantitate; expulſio frigoris ſine calore. Ita tamen hi duo effectus connectuntur ex natura rei, vt meritò pro vno computentur, vt reddere calidum, & expellere frigus: vocaturque *formalis effectus*; quia ſequitur ex poſitione formali alterius. Quo differt ab effectiua cauſalitate, quæ eſt faciendo aliud diſtinctum; calor enim exiſtens in igne, expellit effectiuè frigus è manu: calor autem exiſtens in manu, illud expellit formaliter, id eſt per ſuam entitatem, cum qua eſt incompoſſibile frigus. Carentia frigoris eſt ratio ob quam non eſt frigus: non tamen eſt cauſa formalis; quia *cauſa* ſonat poſitiuam entitatem. Ita in 1.2. quæſt. 113. diſput 7. oſtendi qualitatem gratiæ eſſe vnicam cauſam formalem noſtræ iuſtificationis: licet non vnicam rationem formalem.

Multi effectus formales primarij poſſunt eſſe diuinitus ſine ſecundarijs. Et ſecundarij ſine primarijs. Vterque effectus tribuitur formæ primariæ.

§. 22. *Diuiſibilitas phyſica nõ eſt effectus formalis quantitatis.*

Igitur diuiſibilitas phyſica nõ eſt primarius formalis quantitatis effectus: tum quia poteſt Deus producere materiam quantam indiuiſibilem phyſicè ex natura rei; quæ poteſt reſpicere formam incorruptibilem determinatè: tunc autem quantitas retineret ſuum effectum formalẽ primarium: tum etiam, quia diuiſio nõ eſt primus conceptus quantitatis, etiam in materia diuiſibili, ergo diuiſibilitas non eſt de eius eſſentia. Patet antecedens; quia prius eſt rem eſſe impenetrabilem, quàm diuiſibilem: nam *ideo eſt diuiſibilis, quia eſt impenetrabilis*, ſi enim res eſſet penetrabilis non diuideretur, corpora enim phyſicè diuiduntur propter diuerſorum repugnantiam ſimul in eodem loco: ita ſerra lignum diuidit, & bombarda parietem, & murum demolitur propter occupandũ locum, ad quem rapitur violento impetu: E contra verò hæc eſt mala cauſalis, *ideo res eſt impenetrabilis, quia diuiſibilis*, impenetratio enim non eſt effectus diuiſionis: quia poteſt dari corpus impenetrabile ſine diuiſione, tum etiam quia niſi corpus ſupponatur extenſum, non diuiditur. Ratio à priori; quia diuiſibilitas phyſica eſt denominatio à diuiſione ab agente naturali: ſed omne agens naturale ad ſuam actionem præſupponit ſubiectum extenſum: ergo extenſio quantitatis eſt prior diuiſione; igitur diuiſibilitas eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis, non tamen adæquatè illius tantum, ſed etiam qualitatum exiſtentium in ſubiecto diuiſibili. Quapropter cœlum non habet hunc formalem effectum quantitatis.

Res prius eſt impenetrabilis quàm diuidatur.

§. 23. *Quantitas nõ conſiſtit in menſura.*

Nonnulli apud P. Suarez diſp. 40. ſect. 3. volunt, eſſentiam quantitatis conſiſtere in ratione menſuræ: fundamentum eſt Ariſtoteles, & S. Thom. id interdum inſinuantes. Deinde, quia quantitas eſt inſtrumentum aptum ad menſuram. Leuia fundamenta: impugnatur opinio, primùm; quia menſura eſt quantitati extrinſeca denominatio: ergo non poteſt eſſe de eius eſſentia: patet antecedens; quia ratio menſuræ conſiſtit in collatione vnius quantitatis cum alia? hæc autem collatio eſt applicatio duarum quantitatũ cum voluntate applicantis dignoſcendi vtra ſit maior? ita mercatores pannos metiũtur: hæc autẽ applicatio eſt extrinſeca denominatio quantitati: ergo & ratio mẽſuræ.

§. 24. *Obiectio prima. Reſpondetur.*

Dices, menſuram actualem eſſe extrinſecam denominationẽ quantitati; non verò aptitudinalem. Contra: nam etiam menſura aptitudinalis eſt extrinſeca denominatio: nam ea menſura eſt applicatio in potentia vnius quantitatis ad aliam; ſed hæc etiã eſt extrinſeca vtrique quantitati: ergo. Probatur minor; quia ſicut menſurari actu eſt extrinſeca denominatio ab applicatione actuali: ita poſſe menſurari eſt ab eadem applicatione in potentia: ſicut cognoſci, & eſſe cognoſcibile à cognitione actuali, & poſſibili: applicatio autem tam in actu quàm in potentia eſt extrinſeca quantitati.

§. 25. *Obiectio ſecunda. Reſpondetur.*

Dices, menſuram, vt eſt fundamentum illius applicationis, ſiue exiſtentis, ſiue poſſibilis, eſſe de eſſentia quantitatis. Contra; quia rectè poteſt concipi totum illud fundamentum, quin concipiatur cum ordine ad menſurantem: ergo eſſe formaliter fundamentum ad menſuram, non eſt eſſentia quãtitatis: nam licet quantitas per ſuam eſſentiã præbeat fundamentum menſurandi, ſicut etiam præbet fundamentum verberandi, nõ tamen propterea ratio menſuræ eſt de eius eſſentia, propter extrinſecam denominationem, in qua formaliter menſura conſiſtit. Sicut non eſt de eius eſſentia eſſe cognoſcibilem, aut eſſe inſtrumentũ verberandi. Adde, quantitatem ſe ſola non poſſe eſſe menſuram; quia menſura eſt determinata magnitudo, & extenſio in ordine ad locum, vt palmus, cubitus: hæc autem extenſio includit formaliter & quantitatem & vbicationem circumſcriptiuam: ergo ratio menſuræ addit accidens phyſicè diſtinctum à quantitate. Probo antecedens: tum quia ſi quãtitas diuinitus ponatur in puncto, erit inepta dimenſioni alterius quantitatis; quia per illam in punctum raptam non poterit cognoſci alterius extenſio: tum etiam, quia eadem quantitas modò poteſt eſſe longior, modò curtior, pro denſitate, aut raritate, & quantitas quæ antea erat menſura palmi, poſtea eſt menſura cubiti: ergo ſola quantitas non poteſt eſſe menſura,

Confirmatur.

Quantitas ſe ſola non eſt fundamentũ menſuræ.

menſura, quia non habet certam extenſionem localem, quæ formaliter in vbicatione conſiſtit.

§. 26. *Tertia obiectio. Chriſtus in Euchariſtia habet extenſionem proximè, non formaliter.*

Dices, Chriſtum in Euchariſtia habere longitudinem ſex pedum, v. g. non tamen habere extenſionem localem. Reſpondeo, habere Chriſtũ eam longitudinem, non actu, ſed potentia: habet enim Chriſtus actu quantitatem extenſam in ordine ad ſe cum raritate exigente longitudinẽ ſpatij ſex pedum, at verò eam longitudinem non habet actu. Imò neque quantitas ſecundum ſe habet, quod Chriſtus in Euchariſtia: nam quantitas Chriſtiana habet in Euchariſtia proprias qualitates exigentes ſpatium ſex pedum, quantitas autem ſecundum ſe id non habet.

§. 27. *Secundum argumentũ.*

Secundò ſic argumentor: ſi nullum eſſet agens, quod poſſet vti quantitate ad menſuram, adhuc quantitas haberet ſuum formalem effectum; quia cœlum, & lapis eſſent extenſi, etiam ſi repugnaret homo, qui poſſet vti lapide ad metiendum cœlum. *Tertium.* Tertiò; quia eſſentia quantitatis non eſt eſſe menſuram ſubſtantiæ quam informat: nam menſura eſt certa extenſio ad cognoſcendam extenſionem alterius rei; ſic mercatores vtuntur menſura lignea ad dignoſcendam extenſionẽ panni: at ſubſtantia materialis non habet extenſionem, quam poſſit metiri quantitas, qua informatur: ergo. Probatur minor; quia quantitas formaliter extendit ſubſtantiam, quam informat, & ab eius extenſione ſubſtantia dicitur extenſa. Et ſicut nõ eſt menſura ſui ipſius, ita neque extenſionis ſui ſubiecti; quia tali extenſione includitur formaliter eadem quantitas menſurans, vnde ſemet menſuraret. Item hoc differt quãtitas virtutis à quãtitate molis; quia quantitatem virtutis (id eſt perfectionem cuiuſque rei) metimur menſura heterogenea, verbi gratia, virtutem actiuam ex perfectione effectuũ: perfectionem actuum ex perfectione obiectorũ: quantitatem verò molis metimur homogenea menſura, vt cubitum palmo, ſtadium pede: ſed quantitas, & ſubſtantia non ſunt homogenea: ergo quantitas non eſt menſura ſubſtantiæ. Deinde eſſentia quantitatis non poteſt eſſe ratio menſuræ alterius quantitatis. Quia nulla res conſtituitur eſſentialiter in ordine ad aliam eiuſdem ſpeciei, ad quam dicat relationem tranſcendentalem, niſi in ratione cauſæ vniuocæ ad effectum: imò eſſentia hominis, v. g. licet à parte rei eſt productiua alterius hominis, non tamen id eſt de primo conceptu, ſed eius eſſentia formaliter ſumitur per ordinem ad aliam ſpeciem, nempe diſcurſum: ergo eſſentia quantitatis formaliter non ſumitur in ordine ad menſurandam aliam. Igitur prior eſt conceptus extenſionis in quantitate, quàm ratio menſuræ: quia ideo eſt apta ad menſurandum: quia eſt extenſa: quod autem quis illa poſſit vti ad menſurandum, eſt illi valde extrinſecum.

Mẽſura quãtitatis eſt homogenea: non verò virtutis menſura.

Quartum.

§. 28. *Aliorum opinio.* P. Rubius.

Alij quorum meminit P. Rubius 1. phyſicorum, cap. 3. quæſt. 3. opinantur formalem effectũ quantitatis eſſe communicare ſubſtantiæ corporeę partes integrantes, ita vt materia prima, v. g. nullas habeat partes diſtinctas à partibus quantitatis. Ita vetuſtiores nonnulli Thomiſtæ; quibus cum hac in parte fœdus inijt P. Vazquez tom. 3. in 3. p. d. 190. num. 25. Probant primò; quia habêre partes extenſas eſt effectus formalis accidentarius, ſicut eſſe album: ergo ſicut eſſe album eſt formaliter ab albedine; ita & habêre partes extenſas erit formaliter à quantitate. Probatur antecedens: quia habêre partes extenſas non eſt eſſentiale, ſed accidentale. Hoc argumentum habet æquiuocationem. Nam habêre partes extenſas includit & ipſas partes, & earumdem extenſionem: rectè autem poteſt extenſio prouenire ab vna ratione formali, & entitates partium ab alia. Hi autem Autores vtrumque effectum tribuunt quantitati, ſed immeritò.

P. Vazquez. *Prima ratio.* *Æquiuocatio argumenti.*

§. 29. *Reſpondetur. Partium extenſio eſt effectus formalis quantitatis, non verò habere partes.*

Ad argumentum reſpondetur, habere extenſionem partium, ſeu partes extenſas, eſſe effectũ formalem accidentalem: habere autem partes, eſſe conceptum ſubſtantialem, quidditatiuumque materiæ, & cuiuſque rei materialis quæ formaliter, & eſſentialiter differt ab ſpirituali per compoſitionem ex partibus. Forma autem argumenti ſic conuincitur erroris dialectici: habere partes vbicatas eſt effectus formalis vbicationis; ſicut album albedinis: ergo vbicatio tribuit vbicato partes: tam mala eſt illa conſequentia, quàm hæc, quia ab extenſione accidentali concludit ad ſubſtantialem compoſitionem.

§. 30. *Secundũ argumentum.*

Secundò argumentatur: quia partes materiæ non diſtinguerentur eſſentialiter: quia omnes eſſent eiuſdem ſpeciei: ergo diſtinguerentur accidentaliter: ergo materia haberet partes accidentales etiam à quantitate diſtinctas. *Reſpondetur.* Egregium argumentum: Petrus, & Paulus non diſtinguuntur eſſentialiter: ergo diſtinguuntur accidentaliter. Nego conſequentiam: nam illæ partes diſtinguuntur ſubſtantialiter numericè, non tamen ſpecificè, niſi velis diſtinctionem numericam eſſe accidentalem logicè: quia indiuiduatio eſt extra eſſentiam rei logicè conſideratam; quod in partibus materiæ, nullum eſt inconueniens: quia illud non eſt accidens phyſicum, à quo malè inferes eam eſſe diſtinctionem phyſicè accidentalem. *Partes materiæ diſtinguuntur ſubſtantialiter numericè.* *Tertium.* Tertiò arguunt: quia vna materia eſſet maior alia. *Reſpondetur.* Reſpondeo, vnã materiam habere plures partes, quàm aliam; propriè tamen non dici maiorem, neque minorem, niſi per extenſionem localem. Maior igitur, & minor ſunt proprietas à quantitate orta, affecta certa raritate, aut denſitate.

§. 31. *Impugnatur ea opinio.*

Impugnatur autem hæc ſententia (vt arbitror) euidenter: per te quantitas, & materia realiter diſtinguuntur: ergo vnaquæque vt ab alia diſtincta propriam habet entitatẽ: rogo de illa entitate materiæ, vt à quantitate diſtincta, habeat partes, necne? ſi habet, habeo intentum: nam illæ partes non ſunt quantitatis; cùm ibi concipiuntur partes materiæ non conceptis partibus quantitatis, quod repugnaret ſi illæ partes eſſent effectus formalis quãtitatis, ſicut repugnat concipi album ſine albedine: ſi autem non habet partes, ergo eſt entitas ſimplex: patet conſequentia, quia ſimplex eſt ens partibus carens; ſicut animus rationalis, vnde materia non erit magis diuiſibilis, quàm animus.

§. 32. *Prima obiectio. Reſpondetur.*

Dices primò, non poteſt concipi materia ſine quantitate. Contrà: quantitas non eſt de primo conceptu materiæ, cùm ſit accidens phyſicum illius, & per te prius intelligitur materia cum forma ſubſtantiali, quàm cum quantitate; in illo priori rogo, vtrùm materia concipiatur cum partibus, vel ſine illis? ſi cum illis, non poſſunt eſſe à quantitate: quia eſt poſterior illis: ergo conceptus materiæ ſubſtantialiter eſt ſine partibus: ergo eſt ſubſtantialiter ſimplex.

§. 33. *Secunda obiectio. Reſpondetur primò.*

Dices, concipi præciſiuè. Contrà: rogo, vtrùm in illo conceptu præciſo ſint à parte rei partes ſubſtantiales, realiter diſtinctæ à partibus quantitatis, ſicut in rationali eſt realiter animal diſtinctum realiter ab homine. Si ſunt, ergo materia non habet partes formaliter à quantitate; ſi non ſunt; ergo tota ſubſtantia materiæ eſt ſubſtantialiter ſimplex à parte rei. *Secundò.* Deinde quando concipitur materia, etiam ſi concipiatur cũ quantitate,

titate, concipitur aliquid in recto, quod eſt de eſſentia materiæ, & in obliquo connotatur quantitas, quæ eſt accidens materiæ. Id quod concipitur in recto: rogo, ſitne ſimplex, an compoſitum? ſi ſimplex, ergo eſt ſpirituale, ſicut anima: ſi compoſitum, ergo illius partes non ſunt partes quantitatis, quia quantitas non eſt de primo conceptu materiæ, ſicut ſunt illæ partes. *Confirmatur.* Confirmatur, demus per poſſibile, vel impoſſibile materiam exiſtentem ſine quantitate: rogo de illo conceptu ſubſtantiali materia ſic exiſtenti ſine quantitate habeat partes, vel non? ſi habet, hoc intendo: ſi non habet, ergo eſt tam ſimplex, quàm anima rationalis.

§. 34. *Tertia obiectio. Reſpondetur.*

Dices tertiò, materiam primam vt diſtinctam à quantitate, neque eſſe ſimplicem, neque compoſitam. Contra; quia compoſitio, & ſimplicitas includunt terminos contradictoriè oppoſitos: nempe compoſitionem partium, & non compoſitionem: Alterutrum ergo habeat materia prima neceſſe eſt: ergo vel eſt compoſita, vel non eſt compoſita, *quodlibet enim eſt vel non eſt*; ſi eſt compoſita, habeo intentum: ſi non eſt compoſita, eſt ſimplex. Neque enim hoc eſt ſimile diſtinctioni rationis, qua vnus conceptus præſcinditur ab alio: ex qua præciſione nõ bene concluditur negatio alterius conceptus: at verò in diſtinctione reali, ſi vnus conceptus eſt realiter extra eſſentiam alterius, tota illa eſſentia eſt eſſentialiter ſine tali conceptu: vt eſſentia hominis non eſt eſſentialiter alba, quia albedo realiter diſtinguitur à tota hominis eſſentia: ſimiliter compoſitio quantitatis eſt extra totã eſſentiam materiæ, & ab illa realiter diſtincta: ergo eſſentia materiæ eſt aliquid non includens quidditatiuè quantitatem: ergo illud ens in ſuo conceptu quidditatiuo habet compoſitionem diſtinctam à compoſitione quantitatis, & ſic habemus intentũ, vel caret illa compoſitione quidditatiua, ſic autem eſt tam quidditatiuè ſimplex quàm anima rationalis, nec erit capax extenſionis localis: quæ in re extenſa requirit pro fundamento partium multitudinem, quæ accipiant extenſionem: ita vt ſubſtãtia capitis non ſit ſubſtantia cordis: alioquin non differt ab anima. *Confirmatur.* Confirmatur, partes materiæ ſunt de eius eſſentia: ſed quantitas & eius partes non ſunt de eſſentia materię minor à te datur; quia materia eſt ſubſtantia, quantitas verò accidens. maior patet; quia omnes partes ſimul ſumptæ ſunt tota eſſentia compoſiti, vel ſaltem illæ & totalitas ſunt compoſitum: at quantitas nec partialiter eſt de eſſentia materiæ. Hoc argumentum eſt euidens ex apprehenſione terminorum.

§. 35. *Secundũ argumentum. Obiectio.*

Secundò ſic argumentor; materia ſecundum ſuam eſſentiam non habet partes, ſicut neque animus rationalis; ergo eſt tam ſimplex & ſpiritualis, quàm animus. Dices, materiam ſolam non habere partes; eas tamen habere à quantitate: in quo differt ab animo, qui neque à quantitate eas habet. *Reſpondetur primò.* Contra: quia per te materia non habet alias partes præter quantitatiuas; ſed animus rationalis per te habet eaſdem partes; quia per te eſt ſubiectum quantitatis: ergo eodem modo ſe habent. *Secundò.* Deinde: ſi illæ partes ſunt accidentales, non poſſunt intrinſecè componere eſſentiam materiæ, quia hæc eſſentia eſt ſubſtantialis, & non poteſt cõſtari ex accidenti. *Obiectio ſecunda. Reſpondetur.* Dices, partes materiæ eſſe ſubſtantiales, eas tamen habere diſtinctionem à quãtitate. Contra primò: illæ partes aut verè ſunt in materia iam diſtinctæ, aut non ſunt diſtinctæ: ſi primum, ergo materia prima habet in ſe partes, & earum diſtinctionem; quin à quantitate formaliter: ſi ſecundum, ergo non poſſunt à quantitate diſtingui: nam duo cõceptus ſemel identificati realiter, non poſſunt etiam diuinitus inuicem realiter diſtingui, vt in homine animal & rationale: nam à parte rei eſſentia animalis eſt eſſe rationale à parte rei. Recognoſce diſputationem 6 §. 13. *Confirmatur.* Cõfirmatur, vnaquaque res diſtinguitur ab alia per eam rationem per quam conſtituitur: ſed partes materiæ non conſtituuntur per quantitatem: ergo neque diſtinguuntur. Nec minùs repugnat, duos conceptus in ſe identificatos realiter, realiter diſtingui, quàm repugnat animum rationalem poſſe diuidi in duas partes eſſentiales. Vide plura apud Pat. Rubium *P. Rubius.* ſupra primo phyſicorum; maximè quod affert, ſi homini præcidatur manus, nihil ſubſtantiale illi defuturum, & alia abſurda.

§. 36. *Alia ſententia. Impugnatur.*

Aliter poteſt reſponderi, materiam primam habere partes ſubſtantiales in ſe diſtinctas, eas tamen oriri à quantitate: quam ſententiam ait Pat. Rubius non tam eſſe à veritate alienam. Contra primum ad hominẽ contra Thomiſtas opinantes materiã primam prius natura vniri formæ ſubſtantiali quàm quantitati, in illo priori intelligitur materia prima cum ſuis partibus ſubſtantialibus, & nõ intelligitur quantitas: ergo partes materiæ primæ ſunt priores quantitate. *Confirmatur.* Confirmatur, materia prima eſt natura prior quantitate, quia eſt ſubiectum illius: ergo tunc intelligitur tota materia: ergo & illius partes, quia ſunt de illius eſſentia.

§. 37. *Tertiò.*

Tertiò, vel partes illæ ſunt idem realiter cum materia prima, vel accidunt materiæ primæ: vltimum hoc dici non poteſt, alioquin eſſentia materiæ primæ non includeret partes, eſſetque ſimplex: eſt etiam contra naturam compoſiti, vt eius partes ſint extra illud: ergo partes primæ materiæ ſunt de illius eſſentia, ſed eſſentia materiæ primæ non oritur à quantitate: ergo neque eius partes. Probatur minor: quia quantitas non eſt principium actiuũ materiæ primæ, quæ à ſolo Deo creatur; nec eſt principium paſſiuum illius: quia materia prima non recipitur in ſubiectum: neque eſt principium formale eiuſdem: quia materia prima non eſt compoſita ex actu, & potentia: neque verò accidens poteſt in genere cauſæ formalis cauſare ſubſtantialem effectum: quia illud genus cauſalitatis eſt per intrinſecam communicationem: at communicatio accidentis cauſat effectum formalem accidentalem; ergo in nullo genere cauſæ partes materiæ oriuntur à quantitate.

§. 38. *Aliorum opinio. Argumentum inconſequentia.*

Opinantur alij formalem effectum quantitatis eſſe extenſionem partium in ordine ad ſe; ex qua ſequantur diuiſio, impenetratio, & alia. Hic effectus eſt impenetrabilitas, quam ij authores negant eſſe primum effectum quantitatis. Probo: illa extenſio partiũ in ordine ad ſe, ſe ipſa ſine alio conceptu poſitiuo fundat negationem penetrabilitatis: ergo eſt impenetrabilitas. Probo antecedens: quia illa extenſio partium, facit vnam eſſe extra aliam neceſſariò; & vt non poſſint eſſe ſimul in eodem loco ex natura rei; ipſi enim admittunt, inde oriri neceſſariò impenetrationem actualem. Quod ergo hi vocant extenſionem ad ſe; voco ego impenetrabilitatem, vt probo.

§. 39. *Concluſio. Effectus formalis primarius quantitatis eſt extenſio in ordine ad locũ.*

Dicendum igitur eſt, quantitatis formalem effectum primarium eſſe extenſionem in ordine ad locum: per quam corpus ita afficitur, vt duæ illius partes non poſſint ſimul eſſe in eodem loco ex natura rei. Hunc effectum formalem nonnulli vocant *impenetrabilitatem*: non quia quantitas tribuat primariò effectum formalem negatiuum; ſed quia extenſionem rectè explicant per negationem ex

Digitized by Google

Impenetrabilitas non ſumitur pro negatione.

ex illa ſequutam. Hæc impenetrabilitas vocatur *extenſio in ordine ad ſe*: quia per illam partes extenduntur,& quantitate extra ſe quaſi pelluntur; non verò quia illa extenſio non ſit etiam in ordine ad locum, quamuis hæc extenſio ſoleat vocari ipſa vbicatio, quia eſt determinatio actualis ad certum ſpatium: vnde Chriſtus in Euchariſtia dicitur retinere extenſionem partium in ordine ad ſe, non tamen in ordine ad locum. Ex hoc effectu formali primario oriuntur ſecundarij, nempe actualis occupatio locorum diuerſorum, diuiſibilitas, & id genus alia. Porrò hunc eſſe formalem effectum quantitatis, patet tum ex cõmuni hominum conceptione: tum experientia, qua cernimus duas quantitates nunquam eſſe ſimul in eodem loco: cum tamen poſſint ſimul eſſe cætera entia, dummodò non afficiantur quantitatibus diuerſis; neque apparet alius effectus quantitati tribuendus. Quapropter quantitatem vocamus molem. Porrò hunc effectum ſoli quantitati tribuendum, inde confirmo; quia nulla qualitas dignoſcitur, cui tribuatur: item cum quærimus, vtrùm ſit res magna, vel parua? longa, aut lata? dicimus quanta eſt res? quod eſt ſignum quantitatem eſſe rationem corpora porrigendi, & extendendi: item diuiſio phyſica continui tribuitur quantitati. Quod arbitror velle qui aiunt, partes materiæ tribui à quantitate. Nec credo hac de re poſſe ab vllo dubitari: dubitatur quidem iure ſitne quantitas à materia diſtinctaat quantitatem tribuere corporibus extenſionem dubitare non licet.

Effectus formalis ſecundarius eſt occupatio loci.

§. 40. *Impenetrabilitas eſt ſola quantitas.*

Aduerte, impenetrabilitatem conſiſtere in ſola quantitate, propter quam tam eius ſubiectum, quam cætera, quæ illi inſident ſunt impenetrabilia, cum alio corpore quanto: at verò vbicationes ipſas materiæ, formæ ſubſtantialis, & accidentalium, non eſſe impenetrabiles, nec circumſcriptiuas; ſed eſſe extenſiones diffinitiuas: nam omnia illa, ſi quantitas ab eis auferatur, cum eiſdem vbicationibus penetrabuntur cum alio corpore quanto. Nec propriè illæ extenſiones ſunt quantitates: latè autem omnis extenſio vocatur quantitas, per analogiam ad veram. Propriè igitur quantum eſt *corpus impenetrabile*. Arbitror Doctores adſcribentes quantitati diſtinctionem partium materiæ, locutos in hoc ſenſu; vt patet ex ratione Pat. Vazquez,& teſtimonio Ariſtotelis, quæ hæc probant: ſenſum autem, quem verba præ ſe ferunt, nec leuiſſimè.

Omnis extẽſio impropriè vocatur quãtitas. Quantũ propriè quid ſit.

§. 41. *Prima obiectio. Reſpondetur.*

Huic concluſioni poſitæ §. 39. obiicis primò; impenetrabilitas eſt negatio potentiæ ad penetrationem: ergo non eſt effectus formalis primarius quantitatis: iam dixi eodem §. 39. impenetrabilitatem non vſurpari à me pro ipſa negatione; ſed pro eius immediato fundamento; quæ eſt extenſio partium, ſiue illa ratio, à qua oritur ea impotentia. Vt brutum conſtituitur animali irrationali; non vt ſignificat negationem rationis, ſed eius immediatum fundamentum.

§. 42. *Secunda obiectio. Quantitati auffertur impenetratio, nõ impenetrabilitas.*

Secundò obiicis: impenetrabilitas auffertur à quantitate in Euchariſtia: ergo. Probo antecedens; quia ibi partes Chriſti ſunt mutuo, & cum quantitate panis penetratæ. Aduerte, à quantitate auferri ibi actualem impenetrationem; quæ conſiſtit in carentia exiſtendi in eodem loco cum alia quantitate. At ibi manet quantitas impenetrabilis natura ſua: eius effectus non eſt impenetrabilitas per ordinem ad potentiam Dei abſolutam, ſed ex natura rei: ſicut impotentia ad ſubſiſtendum ſine ſubiecto: & vt actu ſubſiſtit, ita & penetratur: & vt ibi petit ex ſua natura non ſubſiſtere; ita & non penetrari. Ad argumentum nego antecedens. Ad probationem, auſertur impenetratio, & inhærentia actualis; non tamen aptitudinalis. & vt adhuc ibi eſt de eius eſſentia ineſſe, ita & impenetrari, ſcilicet, aptitudine.

§. 43. *Tertia obiectio. S.Thom.*

Obiicis tertiò ex S. Thom. 1. part. quæſtio. 52. articul. 1. quantitatem eſſe corporibus rationem exiſtendi in loco, ſicut ſpiritui eſt quantitas virtualis: ſed Angelus exiſtit in loco per operationem, ergo quantitas prius conſtituit corpus extenſum in ſe, quàm in loco. Confirmatur: quantitas comparatur ad extenſionem ad locum; ſicut eſſentia creata ad exiſtentiam: hæc autem poteſt illi negari: ergo.

§. 44. *Reſpondetur. Explicatur S. Thomas.*

Reſpondeo à S. Thoma aſſeri Angelum eſſe in loco per applicationem virtutis; quam diſputatione 11. dixi eſſe vbicationem: item corpora eſſe in loco per contactum quantitatis: qui eſt vbicatio circumſcriptiua: prius tamen natura quantitas eſt impenetrabilis, quàm habeat *vbi* circumſcriptiuum; ſicut Angelus prius natura eſt in loco quàm operetur. Argumentum autem ſummùm probat actualem occupationem loci non eſſe de eſſentia quantitatis: quod concedo: non tamen extenſionem in ordine ad locum, ſcilicet petentem non penetrari, non eſſe de eius eſſentia.

§. 45. *Ad confirm.*

Confirmatio eſt mira: do actualem occupationem loci auferri à quantitate, ſicut exiſtentiam propriam ab humanitate Chriſti: at non poteſt auferri extenſio petens impenetrationem: ſicut nec petens inhærentiam,& exiſtentiam.

SECTIO V.

Aliquæ difficultates expeditæ.

§. 46. *Quantitas nõ eſt modus.*

INde concluditur primò, quantitatem non eſſe modum: quia non eſt actualis determinatio ad hoc numero ſpatium, ſed tantum eſt determinatiua ad diuerſas partes ſpatij; ad certam autem magnitudinem, aut breuitatem determinatur per qualitates. Quod verò illa magnitudo occupet hoc ſpatium, & non aliud, oritur formaliter ab vbicatione. Hæc virtus extenſiua ſubiecti eſt impenetrabilitas: id eſt repugnantia occupandi eumdem locum ſimul per diuerſas partes. Impenetratio autem actualis eſt actualis negatio alterius partis eodem in loco: quæ negatio oritur immediatè ex ipſa quantitate. Aliqui volunt, hanc impenetrationem eſſe modum diſtinctum à quantitate: quia aiunt quantitate manente manere impenetrationem. Sed immeritò; quia ille modus cui rei eſt vtilis, cum negatio alterius corporis in eodem loco oriatur ex ipſa quantitate? quando verò duo corpora penetrantur, tollitur impenetratio actualis; quia per vbicationem duorum corporum ſimul in eodem loco, tollitur negatio eorumdem in eodem loco: & ſic manent quantitates ſine impenetratione, id eſt ſine ea negatione, ſicut repugnantia duorum contrariorum in eodem ſubiecto, non eſt modus diſtinctus ab illis: ſed eſt actualis negatio exiſtentiæ ſimul in eodem ſubiecto, quæ quaſi impenetratio ſubiectiua, tollitur per ſimultaneam exiſtentiam contrariorum in eodem ſubiecto. Imò ex iſto tuo modo poſitiuo orietur actualis impenetratio, & actualis negatio coëxiſtentiæ in eodem loco, per quam negationem rectè intelligimus corpora actualiter impenetrata,& non coëxiſtentia in eodem loco: & ſicut per te hæc negatio oritur

Non eſt determinata ad ſpatiũ ſed eſt determinatiua.

Impenetratio nõ eſt modus, ſed negatio.

oritur immediatè ex iſto modo, oritur etiam ex ipſa quantitate. Qua relicta ſuo iuri, numquam corpora penetrantur; tollitur autem impenetratio formaliter per vbicationes ſimul in eodem loco: quæ ſunt formaliter penetratio: ergo impenetratio formaliter eſt carentia earum vbicationum ſimul.

§. 47.
Prima quæſt. Materia poteſt eſſe abſq; quantitate. Obiectio.

Rogas primò. *Vtrum materia prima poſſit diuinitus ſine quantitate conſeruari?* Negant nonnulli, neſcio quo fundamento: nam ſi materia prima conſeruetur ſine quantitate, non inde ſequuntur duo prædicata contradictoria. Dices, materiam fore extenſam, & non extenſam; extenſam quidem, quia habet partes: non extenſam, quia careret extenſione.

Reſpondetur.

Hæc eſt æquiuocatio; quia non eſſet extenſa impenetrabiliter, hic enim effectus eſt proprius quantitatis: eſſet autem extenſa quaſi eſſentialiter; omnis enim res materialis habet hanc extenſionem, id eſt compoſitionem ex partibus.

Secũda ratio.

Secundò probatur; quia magis dependet quantitas à materia, quàm materia à quantitate, vt per ſe patet: ſed quantitas de potentia abſoluta poteſt eſſe ſine materia: ergo materia ſine quantitate.

§. 48.
Secũda quæſt. Opinio P. Rubij.

Rogas ſecundò. *Vtrum materia prima neceſſariò redigeretur ad punctum? an verò poſſet extenſa manere?* Pat. Rubius ſecutus non paucos opinatur materiam fluxuram ad punctum; quia ratio ob quam habet partem extra partem in loco eſt quantitas: ergo ſublata quantitate partes non manebunt extenſæ; quia repugnat effectus formalis ſine forma.

Impugnatur. Materia ſine quãtitate nõ flueret ad pũctum.

Neque hoc placet; quia materia tunc careret impenetrabilitate; quia eam habet à quantitate: ſed tamen poſſet remanere in priori ſpatio per vbicationem præcedentem: imò retineret priorem locum niſi ab extrinſeco moueretur; quia ſpoliatio quantitatis, nec eſt motus localis, nec principium eius. Nec video cur materia neceſſariò deſereret locum priorem: in quo poſſet quidem cum quouis corpore penetrari.

Opinio Soti. Impugnatur.

Sotus arbitratur materiam non poſſe tunc ad punctum confluere; quia ſine quantitate non poteſt eſſe motus localis. Item diſplicet: poſſet enim Angelus quantitatem loco mouere, licet non poſſet id à corpore phyſico præſtari, quia vbi non eſt reſiſtentia localis, non poteſt à corpore imprimi motus.

Poſſet materia tunc moueri ab Angelo, non à corpore. Angelus volũtate mouet.

Oſtendi enim §. 14. corpora loco moueri; quia vnum non poteſt reſiſtere impetui, quo alterum fertur in locum: at materia ſine quantitate nulli corpori reſiſteret: ergo non moueretur; Angelus autem non mouet impetu, quo ipſe feratur in locum: neque propter incompoſſibilitatem ipſius cum alio corpore in eodem loco, ſed mouet per voluntatem. Quapropter vt corpus moueat, non eget reſiſtentia in eodem corpore vt egent cætera corpora.

§. 49.
Confirmatur. Aqua ſine quantitate moueretur grauitate.

Confirmatur tunc corpus poſſe moueri: demus aquam in aëre exiſtentem, quantitate ſpoliari, tunc ea aqua motu grauium deſcenderet infra aërem: ergo ſe poſſet mouere. Probatur antecedens; quia grauitas eſt principium corpus impellens infra aërem: ergo dum corpus retinet grauitatem, ea impelletur. Neque verò quantitatis carentia impedietur motus; quia quantitas neque eſt virtus actiua, nec paſſiua illius, neque requiritur extenſio niſi ad recipiendum motum ab alio corpore. Imò facilius grauitate moueretur aqua; quia non haberet reſiſtentiam: vnum enim corpus per quantitatem loco reſiſtit alij: tunc autem aqua occuparet ſpatium indiuiſibile verſus profunditatem, quia neceſſariò deſcenderet vſque ad infimam ſuperficiem aëris; at verò verſus longitudinem & latitudinem non occuparet neceſſariò locum indiuiſibilem; quia nullo principio ad id cogeretur: tunc autem aqua non poſſet phyſicè diuidi ab alio corpore: nam corpus diuidit aliud, illud loco pellendo.

Tertia quæſt. Opinio P. Fonſeca. Impugnatur. Materia ſine quantitate non eſſet in duobus locis.

Rogas tertiò. *Vtrum ſubſtantia tunc poſſet eſſe in duobus locis ad modum Angeli?* Videtur affirmare P. Fonſeca: ſed immeritò, quia repugnantia exiſtendi in duobus locis non oritur à quantitate, ſed limitatione cuiuſque rei. Angelus autem & animus indiuiſibiliter reſpondent ſpatio extenſo propter virtualem extenſionem, qua caret materia. Neque materia tunc moueretur ſubito, ex vno ſpatio in aliud, ſed ſucceſſiuè: id enim oritur & ex mobilis limitatione, & ex diuiſibilitate ſpatij (vt probaui diſp. 12.) ſi autem ſubſtantia ſimul priuaretur quantitate, & cæteris accidentibus, non ſe mouebit loco, neque ab agente corporeo mouebitur, neque petet determinatum ſpatium: ſed retinebit ſpatium quod antea, donec ab Angelo inde mutetur quo poterit tantum protendi quantum ipſa poteſt ex natura ſua rareſcere.

§. 50.
Quarta quæſtio. Homo ſine quantitate non poſſet ſtare pedibus.

Interrogas quartò. *Vtrum ſi homo quantitate ſpolietur, ſe mouere poſſet?* Equidem motu grauium partes naturaliter deſcenderent, donec peruenirent ad infimam aëris ſuperficiem, ſicut de aqua dixi: modò autem ab illo motu mutuo impediuntur partes propter reſiſtentiam inferiorum: pedes enim ſua quantitate corpus ſuſtinent: at ea ſublata, grauitati capitis, & totius corporis, quantitas pedis non reſiſteret, quia nec exiſteret, ſic autem omnes partes ſua grauitate prolaberentur in terram. Et homo impetu ſuo poſſet ea aliquandiu ſuſtinere, ſicut modo ſuo motu ſe leuat in aëra, & poſſet tunc ſe progreſſiue mouere; & frigus & alias qualitates pati, quia eſſet in eo principium paſſiuum & eſſet actiuo ſufficienter applicatum: non tamen poſſet ab alio corpore motum localem pati,

Ageret tunc, & pateretur.

ſi autem in rogum conijceretur, faciliùs combureretur, quàm ſi eſſet quantum, quia ignis cum illo penetratus maiorem applicationem haberet, & tunc induceretur forma ignis rationali expulſa; item in ignem reageret eamdem ob cauſam; ſi autem ad punctum redigeretur, etiam opinor acturum tunc hominem, & reacturum, quia punctum tangit duas partes proportionales, & ſic paulatim diffunderetur actio. Quantitas autem eſt neceſſaria, tum vt agentia localiter impellant corpora, & vt viuentia poſſint naturalem figuram conſeruare, aut melius agentia complectantur paſſum, & in illo agant per plures partes ſimul, & alia ob commoda.

SECTIO VI.

Variæ quantitatis ſpecies.

§. 51.
Ariſtot. P. Suarez. Locus, & tẽpus non ſunt propriè ſpecies quantitatis.

AB Ariſtotele, & aliis, locus, tempus, & alia ſimilia vocantur ſpecies quantitatis continuæ. Verùm P. Suarez, ſupra ſect. 6. rectè ait eas non eſſe proprias ſpecies quantitatis: ſed ita vocari propter extenſionem partium vnitarum. Nominales conſequenter ex ſuis principiis opinabuntur omnem rem extenſam eſſe quantitatem: at verò in ſententia communiori adſtruente quantitatis eſſentiam conſiſtere in impenetrabilitate, affirmandum erit eam tantum eſſe ſpeciem quantitatis, à qua oritur repugnantia duarum partium in eodem loco ſimul.

Sola eſt ſpecies quantitatis, quæ dat impenetrabilitatem.

Quapropter ſpatium imaginariũ non eſt quantitas, quia nihil eſſe realiter probaui in phyſicis; nam ſi eſſet aliquid reale, non tam eſſet locus,

quàm

quam locatum, & poſſent eius partes ſaltem diuinitus loco moueri, quod eſt contra rationem ſpatij. Item nec vbicatio intrinſeca eſt ſpecies quantitatis, quia licet hæc ſit extenſa, id tamen habet, quia eſt effectus formalis ſecundarius quantitatis, vnde eius repugnantia cum alia vbicatione ſimul, oritur ex ſola quantitate; quod ſi vbicatio eſt ſpecies quantitatis, quia eſt extenſa, ita albedo, frigus, & color erunt ſpecies quantitatis propter eamdem rationem. Superficies autem corporis continentis, quam locum extrinſecum vocamus, non eſt ſpecies quantitatis, quia eſt locus: ſed quia eſt impenetrabilis, verſus longitudinem, & latitudinem. Nam eſſe locum eſt illi extrinſeca denominatio à coëxiſtentia alterius corporis intra eius ambitum. Item tempus non eſt ſpecies quantitatis; quia licet ſit continuum ſucceſſiuum, non tamen omne continuum eſt quantitas; itaque tempus eſt quantum non propriè, ſed per extrinſecam denominationem à ſubiecto quanto, ſicut albedo. Dices, tempus eſſe menſuram durationis: tranſeat, non eſt enim de ratione quantitatis eſſe menſuram durationis: ſed extenſionis ad locum, tempus autem eſt menſura durationis ratione temporis in ratione connotati: nam duratio permanens propriè non eſt menſurabilis ratione eius, quod dicit in recto.

Spatiũ nõ eſt quantitas. Nec vbicatio. Superficies eſt ſpecies quãtitatis. Superficiei eſt extrinſeca ratio loci. Tẽpus non eſt quantitas. Obiectio. Reſpondetur.

§. 52. *Punctum non eſt quantitas. Nec linea & ſuperficies ſũt ſpecies completæ.* P.Suarez.

Punctum, certum eſt non eſſe quantitatem; quia non reddit naturam impenetrabilem. Item eſt certum, lineam, & ſuperficiem non eſſe ſpecies quantitatis completas: quia ſunt partes quantitatis, vel potius vniones partium. Pat. Suarez opinatur eas eſſe proprias quantitatis ſpecies, quia vniuntur lineis, & ſuperficiebus materiæ: quas reddunt impenetrabiles. Idem ego affirmarem, ſi opinarer, lineas quantitatis recipi in lineas materiæ. Oſtendi autem in phyſicis indiuiſibilia ſubiectari in partes, quarum ſunt indiuiſibilia. Vnde linea quantitatis non reddit quantitatem impenetrabilem; quia profunditas quantitatis eſt ipſa impenetrabilitas, & ſicut albedo non eſt alba, ita neque quantitas impenetrabilis per aliam quantitatem, ſed per ſuam eſſentiam eſt impenetrabilitas. At per ſua puncta, ſuperficies, & lineas continuatur quantitas, ea in ſe recipiens, non tamen redditur impenetrabilis: communiter tamen cenſentur ſpecies quantitatis propter aliquam extenſionem, quam habent, qua differunt à punctis, & quia linea eſt impenetrabilis verſus longitudinem: ſuperficies autem verſus illam & latitudinem.

§. 53. *Quãtitas cõtinua & diſcreta nõ differunt ſpecie. Quãtitas diſcreta eſt numerus.*

Quantitas diuiditur in continuam & diſcretam: non vt in ſpecies: nam eadem numero quantitas continua poteſt eſſe diſcreta: nam quantitas continua ſunt aliquæ partes vnitæ: diſcreta verò eædem partes vnione carentes; è quibus propriè conflatur multitudo. Hæc multitudo numerum conſtituit formaliter: cuius conſtitutio non eſt aliqua forma diſtincta à ſingulis vnitatibus; ſed omnes illæ aggregatim ſumptæ, verbi gratia, numerus binarius nihil eſt, præter duas vnitates: nec poteſt intelligi numerum addere aliquem modum diſtinctum ab vnitatibus; tum quia tres diuinæ perſonæ conſtituunt numerum ternarium ſuppoſitorum, tum quia Pater, Michaël, & Petrus, conſtituunt ternarium numerum perſonarum: tum tertiò; quia eadem vnitas conſtituit binarium cum vna vnitate, & ternarium cum duabus, quid igitur addit primæ vnitati hæc tertia? Tandem quia duo homines ſe ipſis ſine vllo addito ſunt duo: ergo ſunt numerus binarius; ad quem quid requiritur præter dualitatem vni tantum?

§. 54. *Numerus nõ conſtituitur actu intellectus.*

Numerus non conſtituitur per actum intellectus formaliter: nam quando ego recenſeo exercitum, non facio militum numeros: ſed cognoſco numeros, qui ſunt in exercitu. Videns enim tres milites, cognoſco eos eſſe numerum ternarium, trinitatem autem, aut quaternitatem illis ego non appingo, ſed in illis ſuppono: nam actus numerans ſupponit obiectum numerabile. Quando verò Ariſtoteles, & S. Thomas dicunt numerum conſtitui formaliter per ens rationis, aut aliquid extrinſecum, non intelliguntur de ente rationis ficto, aut de extrinſeca denominatione ab intellectu, ſed de extrinſeca concomitantia duarum vnitatum. Cuilibet enim vnitati eſt extrinſecum conſtituere numerum propter concomitantiam alterius vnitatis.

Explicantur Ariſtot. & S.Thom. Numerus addit extrinſecam denominationem à duabus vnitatibus.

§. 55. *Ad multitudinẽ non exigitur in rigore carentia vnionis. Numerus rerũ ſpiritaliũ non eſt quantitas diſcreta. Obiectio. Reſpondetur.*

Aduerte, in rigore non eſſe neceſſariam carentiam vnionis, vt ſit multitudo ſimpliciter: nam homo ſimpliciter habet quinque digitos: multitudo autem communiter ſumitur pro rebus non vnitis. Credo, vt explicetur vnione fieri vnum ſimpliciter. Item aduerte, numerum rerum ſpiritualium non eſſe quantitatem diſcretam: nam hæc dicit, & quantitates, & carentiam vnionis. Dices, plures Angelos eſſe diuiſibiles per intellectum in vnitates actu non vnitas, ergo conſtituunt quantitatem diſcretam: patet conſequentia, à diffinitione ad definitum. Nego conſequentiam; quia illæ partes diuiſibiles non vnitæ, debent in ſe verè eſſe diuiſibiles, & continuabiles ſaltem ratione quantitatis, ſic enim eſſe intelligendam eam diffinitionem infra patebit.

§. 56. *Quantitas continua, & diſcreta quid ſint.*

Quantitatem continuam eſſe, *cuius partes actu ſunt vnitæ* eſt manifeſtum: diſcretam verò *cuius partes non ſunt vnitæ*, illæ definitiones non dicũt actualem exiſtentiam: ſed dicunt conceptum quantitatis continuæ includere formaliter vnionem partium, ſiue in ſtatu actuali, vel poſſibili, vel obiectiuo: diſcretam verò quantitatem includere formaliter negationem vnionis. Vnde hallucinantur qui dicunt, quantitatem continuam non differre à diſcreta, quia partes diſcretæ poſſunt vniri; hi inquam hallucinantur; quia carentia vnionis repugnat cum vnione in quocumque ſtatu concipiatur. Vnde vt quantitas ſit continua opus eſt vt de non vnita fiat vnita. Quare quantitas continua ſi apprehenditur ſecundum ſe, apprehenditur cum vnione: ſi verò apprehenditur in potentia, concipitur etiam cum vnione poſſibili: ſi verò exiſtens, cum vnione exiſtente. Itaque vbicumque eſt, eſt vnita, ita vt ſimul tunc apprehendi non vnitam repugnet: ita quantitas diſcreta concipitur vnione carens, & ab hac carentia vnionis eſt diſcreta: & facta ſuppoſitione diſcretionis, non poteſt apprehendi continua: quia apprehenderentur duo contradictoria.

§. 57. *Definitio quantitatis diſcretæ.* Ariſtot. *Definitio cõtinuæ. P.Suar. huius ætatis Doctor.*

Ariſtoteles ſic definit quantitatem diſcretam, *Cuius partes ſunt diuiſibiles in ea quæ actu non ſunt continua*; id eſt, ſunt diuiſibiles per intellectum in partes realiter diuiſas. Dura interpretatio, ſed cogimur Ariſtotelem interpretari. Quantitatem verò continuam dixit eſſe *diuiſibilem in partes actu vnitas*; id eſt, ante diuiſionem vnitas. De his rebus legatur P.Suarez eas latè perſequens. Ad quem lubens reiicio quæ poſſum, vt ad communem omnium Doctorem, atque Magiſtrum.

* * *

DISPVTATIO XIV.

De qualitate.

§. 1.

ACCIDENS abſolutum diſtinctum à modo, diuiditur immediatè in quantitatem (de qua diſputatione ſuperiori) & qualitatem(de qua in præſenti) quæ longam petit diſputationem:ſed nobis neceſſariò erit breuis. Nam de primis,& ſecundis qualitatibus,& de intenſione & remiſſione qualitatis egi libris de generatione,& corruptione: de habitibus, ſpeciebus impreſſis, & actu vitali, præcipuis qualitatis ſpeciebus,egi libris de anima:quæ non erunt repetenda,ſed recognoſcenda,vt ad non diſputata properemus. De potentia paſſiua egi diſput.2. Phyſicorum, de actiua autem ibidem à diſp.8.de reſiſtiua ibidem,ſect,9.

SECTIO I.

Definitio, & diuiſio qualitatis.

§. 2. *Difficultas oritur ex claritate.*

NOnnulli conceptus communes clariores ſunt explicatu,quàm inferiores: alij verò ſunt difficiliores: quia conceptus inferiores tam ſunt inter ſe abſimiles, vt vix poſſint ſub vnam rationem ſimilitudinis redigi: quod nobis in qualitate contingit. *Ariſtotelica definitio qualitatis. Mala.* Ariſtoteles 5. Metaphyſicæ in prædicamento qualitatis ſic eam definit, *qualitatem dico, qua quales quidam dicuntur.* Vera diffinitio, nec apta: cum reddat idem per idem, rogo enim quid ſit qualem aliquem dici? non enim eſt minus difficile hoc dignoſci,quàm qualitatem: quam ſi ignoramus; ignorabimus etiam quid ſit quale. Ea igitur non tam eſt definitio, quàm inanis quædam nugatio.

§. 3. *Aliorum definitio. P.Suarez. Impugnãtur primò.*

Alij apud P.Suarez diſput.42. ſect.1. num.2.ſic qualitatem definiũt: *Qualitas eſt accidens abſolutum, conſequens formam:* aptior videtur hæc definitio,non tamen omnino definiens. Primùm, quia apud eos authores quantitas non ſolùm ſequitur materiam, ſed etiam formam; quia in eorum ſententia quantitas recipitur in vtramque partem compoſiti, & forma pereunte quantitas perit. *Secundò.* Secundò;quia licet quantitas recipiatur in ſolam materiam, ſequitur tamen formam, non minus quàm materiam. Nam tota eſſentia quantitatis eſt materiam extendere in ordine ad formam recipiendam, non minùs, quàm caloris eſſentia eſſe diſpoſitionem materiæ ad conſeruationem ignis. *Tertiò.* Tertiò;quia qualitates materiales etiam ſequuntur materiam;quia in eam excipiuntur. Hæc tamen facile ſolui poſſunt. *Quartò.* Hoc tamen difficile,qualitates Angelicas & ſupernaturales conuenire cum noſtris in ratione qualitatis, cum tamen nullam formam conſequantur. Adde, etiam ſi quantitas ſequatur formam,& qualitas materiam, adhuc eas retinere proprios effectus formales,quos expedit explicare.

§. 4. *Definitio Patris Suarez. Impugnatur.*

Pat.Suarez num.5. ſic qualitatem definit, *accidens abſolutum ad complendam perfectionem ſubſtantiæ tam in agendo quàm in exiſtendo.* Non diſplicet definitio, niſi quod etiam quantitas eſt accidens abſolutum complens ſubſtantiam tam in eſſe, quàm in operando. Nam quantitas eſt diſpoſitio neceſſaria ad actiones agentium materialium, & perfectio materiæ primæ: per ſe etiam conferens ad ornatum ſubſtantiæ: nam pulchritudo exigit partium extenſionem,atque diſtantiam,quod non eſt niſi à quantitate. Fortè ita definitur, *qualitas eſt accidens abſolutum à quantitate diſtinctum.* Ita videntur nonnulli diffinire apud Pat.Suarez, num.4. ly *accidens* qualitatem à ſubſtantia diſtinguit: *abſolutum* autem eam diſtinguit à modo; quem communiter non vocamus rem abſolutam: cætera verba eam diſtinguunt à quantitate. *Definitio propria. P. Suarez. Explicatur.* Prima pars definitionis explicat conceptum poſitiuum qualitatis, eiuſdem autem diſtinctio à quantitate non explanat qualitatis poſitiuam differentiam, ea tamen explicatur comparatione ad quantitatem:quia formalis quantitatis effectus nobis eſt clariſſimus, & particularis: qualitatis autem eſt valde obſcurus,& vniuerſalis: at verò conceptus confuſiores non ineptè explanantur per clariores, quando non adeſt alia explicatior via: cúmque omne accidens abſolutum à quantitate diſtinctum ſit qualitas, neſcio conceptum eius communem clariùs explanari, quàm per negationem quantitatis.

§. 5. *Diuiſio qualitatis.*

Hæc definitio omni & ſoli conuenit qualitati. Quam in communi poſſumus diuidere in qualitatem vitalem,& non vitalem, quia ſubſtantia cuius eſt proprietas, poteſt diuidi in vitalem & non vitalem. Verùm ſicut ſubſtantia creata vt ſic diuiditur in ſpiritualem,& materialem: ita & qualitas. Deinde erit ſubdiuidenda per ſubdiuiſiones ſubſtantiæ. *Vix poteſt cõmoda vna diuiſione partiri.* Aduerte autem, qualitatem tam longè,latéque patere vt vix poſſit commoda aliqua diuiſione continenti diuidi: nam in ſubſtantiis ſpiritualibus reperiuntur qualitates vitales, & non vitales:naturales,& ſupernaturales: item & in rebus corporeis. Nomine qualitatis vitalis intelliguntur ſoli actus & appetitiones ſolæ. Nam habitus & ſpecies impreſſas excluſimus à ratione vitæ:item & potentias vitales intelligi per qualitates vitales in ſententia eas diſtinguente à ſubſtantia patet: item ſubdiuidenda erit in humanam & Angelicam:humana in internam, & externam: actus autem ſunt ſubdiuidendi per differentias potentiarum: ſi autem ſunt eiuſdem potentiæ, per differentias obiectorum. Qualitas materialis ſubdiuiditur in primam,& ſecundam, prima per quatuor vulgata elementa:ſecunda verò pro varietate mixtorum,quibus ineſt. Audiamus nunc Ariſtotelem.

SECTIO II.

Ariſtotelica diuiſio qualitatis.

§. 6. *Quatuor ſpecies qualitatis. P.Suarez.*

QVi qualitatem diuiſit in quatuor ſpecies.primò, *in habitum,& diſpoſitionem:* ſecundò, *in potentiam,& impotentiam:* tertiò,*in paſſionem & paſſibilem qualitatem:* quartò, *in figuram & formam.* P.Suarez, diſp.42. per quatuor & quinque ſectiones,ſatis multis eam tuetur,ac primum explicandæ ſunt voces, quæ ingentem continent ambiguitatem. *Voces ambiguæ. Habitus quid ſignificet.* *Habitus* ſignificat vel poſſeſſionem, vel ius ad aliquam rem,vel illius retentionem,vt homo habet agnum, vxorem, aut pecunias: item ſignificat veſtes,& earum vſum.Sub qua ſignificatione conſtituit prædicamentum de *habitu*,ſiue *habere.* Significat etiam corporis diſpoſitionem;& figuram:item & qualitatem in vitali potentia reſidentem ad efficiendos actus:qua in ſignificatione videtur in præſenti ab Ariſtotele vſurpatus. *In præſenti vſurpatur pro habitu facultatis vitalis.* Tamen in ſtatu perfecto,& difficilè (vt aiunt)mobili,& ſatis radicato. *Diſpoſitio* ſignificat rerũ ordinem,vt diſpoſitiò militum in exercitu:item corporis figuram; ſimiliter

&

Diſpoſitio quid.

& accidens, viam ad formam ſubſtantialem muniens, vt calor eſt diſpoſitio ad ignem: item & modum, quo ſe potentia habet circa actum, quæ dicitur benè aut malè diſpoſita ad operandum: in quo ſenſu eam videtur accipere Ariſtoteles: ſed non cum tam perfecto ſtatu, quàm habitus.

Eſt habitus imperfectus.

§. 7.

Potẽtia quid. Impotentia quid.

Potentia eſt facultas ad agendum, vel patiendum, vel vtrumque. *Impotentia* propriè ſignificat carentiam talis potentiæ: in præſenti autem ſumitur ab Ariſtotele pro potentia ad effectum in gradu remiſſo, vel in ſtatu, in quo vix poteſt operari, & cui facilè reſiſtitur, vt cœcuties dicitur non poſſe videre, non quia non videat omnino, ſed quia vix aut difficilè.

Paſſio quid.

Paſſio ſignificat in rigore actionẽ eductiuam ex ſubiecto, & conſtituitur ſextum prædicamentum: ſignificat item motus animi cum corporea alteratione effectos, vt triſtitiã, aut lætitiam, iram aut dolorem: ſumitur autem in præſenti ab Ariſtotele pro qualitate ex eo motu reſultanti, v.g. in homine verecundo *rubor*, in melancholico *pallor*, *albicatio* in cholerico: ſed non ſumitur in ſtatu diuturnæ durationis: ſed quo facilè euaneſcunt, vt rubor facilè tollitur amota occaſione rubeſcendi.

Eſt qualitas reſultans ex motibus animi.

Paſſibilis qualitas eſt paſſio diuturna.

Paſſibilis qualitas, eſt paſſio vt diuturna & perſeuerans. *Figura* varias habet ſignificationes. Sumitur in præſentia pro modo reſultante ex terminatione magnitudinis: ita P.Suar.d.42.ſect.3.n.15. eſt autem figura diſpoſitio corporis in ordine ad locum, vt rotunditas, & circulus: in qua ſignificatione Chriſtus in Euchariſtia non habet figuram. Solet autem ſumi figura pro toto corporis habitu & diſpoſitione, in qua ſignificatione etiam in puncto poteſt retineri figura: quia nihil eſt præter temperamentum humanum, exigens certam partium determinationem ad locum. *Forma* eſt eadem figura, ſiue corporis habitus affectus ſenſili accidente, vt pulchritudo.

Figura eſt modus reſultans ex magnitudine terminata.
P.Suarez.
Chriſtus in Euchariſtia non habet figuram.
In puncto poteſt retineri figura in alia ſignificatione.
Forma.

§. 8.

Obiectiones variæ apud P.Suar.

Variç ſunt obiectiones contra hanc diuiſionem: quas P.Suarez adducit ſupra, & refellit: variæ item defenſiones, quas ipſe confutat: quam ille ſectione ſupra adducit, ſequemur; tum quia ipſius, tum quia clarior. In prima ſpecie qualitatis conſtituit habitus naturales, ſupernaturales, ſpecies impreſſas, & qualitates in actu vitali repertas. Nam per *habitum* intelligit omnes qualitates potentiæ vitalis, à quibus dicitur bene, aut male ſe habere circa ſuum obiectum. Equidem non recuſo, illas omnes qualitates conſtituere vnam ſpeciem ſubalternam; quia omnes illæ conueniunt in ratione perfectionis potentiæ vitalis in ordine ad ſuum obiectum: at verò actum vitalem habitum appellare, videtur eo præcisè dictum, vt Ariſtotelica diuiſio defendatur: cõmunis autem loquendi modus eſt ab eo per quam auerſus. Deinde etiam calor poteſt habitus appellari, quia per illum potentiæ vitales bene afficiuntur circa ſuum obiectum. Nam oculi præfrigidi vix poſſunt videre; cum tamen calor non ſit potentia viſiua formaliter, ſed recta illius diſpoſitio. Nec video, cur habitus ſupernaturales à ſecunda ſpecie reiecti.

In prima ſpecie ſunt omnes habitus, & ſpecies impreſſa, & actus.

Actus non eſt propriè in ea ſpecie.

Alia obiectio.

§. 9.

In ſecunda ſpecie omnes qualitates per ſe actiuæ.

Ad ſecũdam ſpeciem reducit omnes qualitates, quç per ſe primò inſtitutç ſunt ad agendum & quæ non ſupponunt, ſed formaliter conſtituunt potentiam. Hæ qualitates in illius ſententia non ſunt aliç præter potentias vitales, & intellectum agentem. Calorem autem ab hac ſpecie excludit, quia non eſt eſſentialiter actiuus, ſed per ſe primò eſt inſtitutus ad conſeruationem ignis; ſecundariò verò eſt actiuus, non tamen eſſentialiter, quia eius terminus eſt calor eiuſdem ſpeciei; in ordine ad quem non ſumitur eſſentia alterius indiuidui. Item excludit habitus ſupernaturales; quia licet ſint eſſentialiter actiui, ſupponunt tamen potentiam ſaltem inchoatam. Item excludit ſpecies impreſſas, quia hæ non tam complent potentiam, quàm determinant.

§. 10.

Difficultas.

Calor eſt in ſpecie ſecũda.

Hæc omnia P Suarez adducit, vt defendat omnes illas ſpecies eſſe inter ſe realiter diſtinctas, alioquin illa diuiſio vitio non careret. Quod dicit de calore, difficultate non caret in eiuſdem ſententia, aſſerentis ſubſtantiam ignis immediatè generari & à calore & à forma ignis: ergo calor non ſupponit, ſed complet potentiam ignis ad ignem. Vt in eius ſententia intellectus accidentalis complet potentiam ſubſtantialem animç ad intelligendum. Item deficit illa obiectio de ſpecificatione caloris ab alio calore. Nam in ratione inſtrumenti productiui poſſet ſpecificari ab igne producto: quia in eius ſententia calor concurrit immediatè ad productionem ignis vt inſtrumentum; à quo igne poſſet calor ſumere ſpeciem. Immo & dici poſſet dari calorem igni vt inſtrumentum actiuum. Dices, iam ſupponi virtutem inchoatam. Contra; quia etiam intellectus ſupponit virtutem inchoatam animæ: quæ ſimul cum intellectu concurrit immediatè ad actus vitales in tua ſententia; & tamen per te intellectus pertinet ad hanc ſecundam ſpeciem qualitatis. Dices, calorem per ſe primò eſſe ad conſeruandam formam. Contra, cur non poterit vtrumque illi conuenire per ſe primò? nam illa conſeruatio tantum eſt à poſteriori tamquam ab accidenti concomitante, vel ſubſequente, quod etiam patet in intellectu in tua ſententia illum à ſubſtantia diſtinguente; ſine quo non poteſt animus conſeruari ex natura rei, ſicut neque ſol ſine luce, nec ſine calore ignis, & tamen intellectus etiam per ſe primo eſt ad agendum: ſimiliter & habitus naturalis in tua ſententia eſt ad agendum per ſe primò, & eo præcisè, quod ſit accidens naturale, eſt etiam perfectio intrinſeca ſubſtantiæ.

Obiectio.
Reſpondetur.
Alia obiectio.
Reſpondetur.

§. 11.

Alia difficultas.

Adde; calorem eſſe eſſentialiter actiuum alterius caloris; nam virtus per quam agit, eſt eius eſſentia, immo & quidditatiuè eſt actiuus, quia eſſentialiter eſt prima qualitas; quæ eſſentialiter eſt tranſmutatiua corporum. Deinde eius terminus adæquatus eſt diſtinctæ ſpeciei à calore. Nam eius exercitium eſt calefactio, terminus autem, calor & vnio, quæ diſtinguuntur ſpecie à calore: quod confirmari poteſt ex potentia nutritiua, quæ eſſentialiter eſt productiua immanenter, & illius terminus eſt eiuſdem ſpeciei cum illa, niſi illi adiungas vnionem: hoc autem complexum *pars producta & vnio* differt ſpecie à parte producente: nam vnio producentis propriè non eſt actiua, ſed tantum eſt ratio formalis conſtituens partem in eſſe partis actualis, & naturæ actualis.

Terminus caloris eſt ſpecie diſtinctus.
Confirmatur.

§. 12.

Habitus infuſi in ſecũda ſpecie qualitatis.

Nec habitus per ſe infuſi ab hac ſpecie ſunt excludendi; quia potentiæ vitali tribuunt ſimpliciter poſſe. Nam ſine illis (vel ſine auxilio ſupernaturali extrinſeco ſpeciali) potentia vitalis non eſt ſimpliciter potentia comparatione actuum ſupernaturalium; quod ſi hi habitus non ſunt ſimpliciter potentia, nulla qualitas eſt potentia: nam animi eſſentia magis completa eſt comparatione actus naturalis, quàm intellectus comparatione ſupernaturalis actus; & tamen intellectus, quia complet animam eſt potentia; ergo idem erit de his habitibus, quia complent potentias vitales. Idem dixerim de ſpeciebus impreſſis ſenſuum materialium; quia licet ſint determinationes ſenſuum, ſunt tamen determinationes eſſentialiter actiuæ; imò & ſpecies intel

Item & ſpecies impreſſæ.

intellectuales, quia licet intellectus habeat totam virtutem ad agendum ſine ſpecie quando determinatur per præmiſſas, tamen his abſentibus, non poteſt determinari niſi per concurſum actiuum ſpecierum, ad quem concurſum ſpecies quidditatiuè referuntur.

§. 13. *Ad tertiam ſpeciem.*

Ad tertiam ſpeciem reducit Pat. Suarez omnes qualitates non vitales, quæ per ſe primò dantur vel ad conſeruationem, vel ornatum formæ, vt calor conſeruat ignem, color ornat corpus, animam gratia. Item ſpectant ad hanc ſpeciem rubor, pallor, & albicatio, quæ cum paſſione fiunt, vel potius ſunt paſſiones. Quarta ſpecies non eſt propriè qualitas; quapropter nonnulli apud Pat. Suarez aiunt figuram æquiuocè eſſe qualitatem: nam hoc prædicamentum eſt rerum abſolutarum; figura autem eſt modus. Non arbitror improbabile, formam, & figuram ſumi ab Ariſtotele in præſenti pro toto corporis habitu: id eſt, pro pulchritudine, aut fœditate; ægritudine, aut ſalute, quæ conſiſtunt in certo temperamento multarum qualitatum.

Quarta ſpecies non eſt propriè qualitas. P. Suarez.

§. 14. *Reſpond. ad difficultates. Ad calorem.*

Cui igitur hæc defenſio Patris Suarez arriſerit, his dilutis ei patrocinetur, ſi velit. Illud de calore in §. 10. & 11. ſic dilue: potentiam quidem vitalem eſſe neceſſariam per ſe primò ad operationem, & ratione illius ad exiſtentiam animæ: nam animæ non debetur eſſe in eo ſtatu, in quo ſimpliciter eſt impotens operationis intellectiuæ, niſi paulatim ſe ſe diſponat ad illam per alias operationes, vt infantibus contingit: tunc autem ſimpliciter non eſt impotens intelligere; ſed per accidens defectu ſpecierum. vnde concluſimus in Phyſicis, non eſſe neceſſarias potentias accidentales, quia ad operationem anima concurrit immediatè, & adæquatè. Ad aliud autem non requiritur potentia: at verò calor, licet eſſentialiter ſit actiuus (id enim negari non poteſt) tamen ignis illo non indiget per ſe primò ad operandum, qui ſine illo operaretur: ſed ad conſeruationem ſui: quod patet, quia requiritur vt reſiſtat frigiditati, & etiam ex communi conceptu ſubſtantiæ, quæ ſuam perfectionem non habet adæquatè per ſuam eſſentiam (id enim eſt proprium Dei) ſed per accidentia à ſe diſtincta, vnde calor datur igni per ſe primò ad eſſendum, & non ad operandum. Quia verò calor eſt operatiuus alterius caloris, illi tribuitur concurſus potius, quàm ſubſtantiæ. Ad illud de habitibus & ſpeciebus reſpondeo, ea omnia commodè conſtitui in prima ſpecie, quia conueniunt in ratione qualitatis intentionalis: nec ſumus futuri ſcrupuloſi in modo loquendi, quando res ipſæ rectè aptantur.

Ignis nō eget calore de operandum.

Ad habitus.

§. 15. *Alia diuiſio qualitatis. In prima ſpecie ſunt ſoli habitus naturales. In ſecunda omnes infuſi, ſpecies, potentia, & omnia accidētia data ad operandum per ſe primò. In tertia qualitates nō actiua.*

Qui velit huic diuiſioni non aſſentiri: ſic eam conſtituat. Ad primam ſpeciem reducat ſolos habitus naturales; quia illis propriè tribuit Ariſtot. nomen *habitus*. Ad ſecundam referat omnes habitus per ſe infuſos operatiuos, ſpecies impreſſas, potentias vitales (ſi tamen cenſet eas eſſe qualitates) & cæteras omnes qualitates quæ per ſe primò tribuuntur ſubſtantiæ ad operandum, & non ad eſſe, vt grauitatem, & leuitatem; quibus indiget ratione motus in centrum. Ad tertiam reducat omnes qualitates, quæ non ſunt actiuæ, vt actus vitales, albedinem, duritiem, & mollitiem, quæ potius videntur diſpoſitiones ſubſtantiæ, & licet aliquæ qualitates ſint actiuæ, ſi tamen per ſe primò non indiget illis ſubſtantia ad agendum, conſtituantur in hac tertia ſpecie: quod ſi quamlibet qualitatem quouis modo operatiuam velis eſſe potentiam, eam conſtitue in ſecunda ſpecie, ſed impropriiſſimè loqueris: in tertia autem ſpecie conſtitues qualitates non actiuas ſenſu imperceptibiles. Sat hæc de diuiſione Ariſtotelis, qui plura velit, legat Patrem Suarez.

SECTIO III.

De contrarietate qualitatum.

§. 16. *Oppoſitio logica eſt inter propoſitiones: Phyſica inter entia.*

Oppoſitio ſumitur logicè & phyſicè. Logica oppoſitio eſt; quæ verſatur inter quantitatem, & qualitatem duarum propoſitionum (de qua in ſummulis.) Oppoſitio phyſica eſt *repugnantia duorum conceptuum*. Hæc repugnantia fundatur, vel inter duas res poſitiuas; vel inter alteram poſitiuam, & alteram negatiuam. Hæc vocatur oppoſitio contradictoria; qualis verſatur inter lucem & tenebras. Deinde oppoſitio inter duas entitates poſitiuas, altera eſt relatiua, altera contraria. Relatiua oppoſitio eſt, quæ verſatur inter duos terminos relatiuos, vt eſſe patrem, & filium: repugnat enim eumdem hominem eſſe patrem, & filium alterius, de qua oppoſitione agetur diſput. 15. ad quam reduci poteſt diſtinctio; qua vna res repugnat eſſe aliam. Contraria oppoſitio eſt *repugnantia duarum formarum circa idem ſubiectum*. Priuatiua oppoſitio diuiditur in negatiuam propriam, & propriam priuatiuam. Negatiua propria eſt, quæ verſatur inter formam, & eius carentiam circa ſubiectum ineptum formæ: vt viſus & non viſus circa lapidem: quia negatio eſt carentia formæ in ſubiecto inepto. Priuatiua eſt repugnantia inter formam, & eius carentiam in ſubiecto apto, vt viſus, & non viſus in homine. Iſtæ oppoſitiones ſunt immediatæ, & omnium maximæ, de quibus egi diſput. 3. phyſic.

Oppoſitionū genera.

§. 17. *Cōtraria inter duas formas.*

Oppoſitio contraria eſt repugnantia duarum formarum poſitiuarum circa idem ſubiectum ſimul. Eſſe qualitates contrarias, & repugnantes experientia patet, nulla enim res poteſt ſimul eſſe dulcis, & amara; alba, & nigra; frigida, & calida in gradu intenſo: nam ſi quis frigore rigeat, ignis applicatus frigus depellet propter calorem; quia frigus non pellitur ex ſubiecto niſi calore: nam aliæ qualitates ſimul eſſe poſſunt cum frigore in gradu intenſo: vt nix ſimul eſt frigida, lucida, & alba: ergo frigus opponitur ſoli calori. Hæc oppoſitio non eſt aliquid diſtinctum ab vtraque qualitate: nam frigus per ſuam eſſentiam eſt incompoſſibile cum calore. Præſcinde enim quemlibet conceptum à frigore diſtinctum; an ne propterea idem homo algere ſimul poterit, & incaleſcere in gradu intenſo?

Eſt idem cū vtraq; qualitate.

§. 18. *Contrariorū definitio, Sub eodē genere, id eſt. prædicamēto.*

Contraria ſic diffinit Ariſtot. 1. metaph. cap. 6. *quæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſub iecto mutuò ſe expellunt*. Sub eodem genere debent eſſe, id eſt eiuſdem prædicamenti: nam res diuerſorum prædicamentorum non ſunt propriè contrariæ, vt ſubſtantia, & accidens; qualitas & actio. Aliquando verò Ariſtot. ait contraria eſſe ſub diuerſis generibus, vt bonum, & malum. Sed intellige de generibus in eſſe moris & non phyſicis: nam bonum, & malum ſunt diuerſa genera moralia primò diuerſa; ſunt tamen ſpecies qualitatis, & actionis. Aduerte, intra idem prædicamentum poſſe eſſe qualitates non contrarias, etiamſi ſint circa idem ſubiectum: nam actus vitioſus & habitus honeſtus, propriè non ſunt contrarij, etiam circa idem obiectum: quia circa illud non verſantur eodem genere: habitus enim eſt diſpoſitio ad actus; actus autem non eſt diſpoſitio, & ſic ſunt in genere diuerſo,

Animaduerſio.

Habitus & actus nō ſunt propriè contrarij.

uerſo, quid enim repugnat hominem habere inclinationem ad odium, & exercere actualẽ amorem?

Obiectio. Dices ex amore ſequi habitum, qui opponitur habitui vitioſo. *Reſpondetur.* Verùm hæc oppoſitio non tam eſt inter amorem, & habitum odij, quàm inter ipſos habitus: ſicut lux non opponitur frigori, licet ex luce ſequatur calor frigori contrarius; amor igitur opponitur odio; & inclinatio ad amorem inclinationi ad odium. *Habitus ſupernaturalis infuſus non opponitur habitui vitioſo.* Neque item opponuntur habitus naturalis vitioſus, & ſupernaturalis circa idem obiectum propter eamdem rationem, quia habitus per ſe infuſus non eſt facilitas ad actum, ſed intrinſecè complet potentiam, habitus autem acquiſitus non complet potentiam, ſed eſt facilitas ad actum, quid repugnat potentiam compleri ad amorem, & ad odium ſummè inclinari? Voluntas enim eſt completa ad naturalem amorem, & ſimul poteſt eſſe ſummè inclinata ad odium, de quo egi diſp. 16. de anima ſect. vltima & in 1.2.q.113 diſp.7.

§. 19. *Non exigitur idem genus immediatũ.* Opinor item, ad veram contrarietatem, non eſſe opus, vt res contineantur ſub eodem genere immediato; tum quia difficile eſt aſſignare genus infimum rerum: tum quia amor ſupernaturalis Dei, & odium ſunt in diuerſis generibus intra prædicamentum qualitatis, & actionis, & tamen habẽt oppoſitionem: ſimiliter, & peccatum actuale mortale, & gratia habitualis conueniunt in genere ſubalterno, & ſunt propriiſſimè cõtraria phyſicè: quia gratia conciliat beneuolentiam diuinam; peccatum autem inimicitiam parit. Item opinio vt ſic non eſt genus infimum reſpectu opinionis veræ, & falſæ; quæ tamen opponuntur: neque item color eſt genus infimum, & tamen vniuerſim ſunt fere colores cõtrarij. *Difficile aſſignatu genus.* Patet ergo difficile eſſe aſſignare, quodnam ſit iſtud genus: nam quæ ſunt ſub generibus vniuerſalioribus, poſſunt dici eſſe in eodem genere, & contrarietate; & quæ ſunt in generibus proximioribus, poſſunt dici non eſſe in eodem genere, vt actus naturalis, & ſupernaturalis, & habitus acquiſitus, & actus naturalis & duæ ſpecies impreſſæ de contrariis obiectis ſunt in eodem genere & non opponuntur. *Conſiderãdus formalis effectus.* Eſt ergo attendendus effectus formalis qualitatis, & quæ præſtant effectum formalem oppoſitum, ſunt cenſendæ contrariæ; vel quaſi contrariæ: v.g. habitus acquiſitus amoris, & habitus odij, quia alter inclinat ad beneuolendum, alter ad malè: illas autem inclinationes ex ſe patet eſſe oppoſitas: item actus verus, & actus falſus opponuntur, quia alter conformatur obiecto; alter verò eſt illi difformis; item frigidum, & calidum, quia calor dilatat corpus; frigus autem contrahit; item ſapor dulcis, & amarus; quia alter eſt obiectum voluptatis guſtus, alter verò doloris; & hoc eſt ſub eodem genere diſtare; nempe ſub genere opinionis, affirmare & negare, maximè opponuntur; & in genere inclinationis bene, aut malè inclinare maximè diſtant; & in genere obiecti, cauſare voluptatem, aut triſtitiam maximè differunt.

§. 20. *Explicatur expulſio.* *Et ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt*, id eſt, ſubiectum eſt capax vtriuſque, & altero accedente, recedit alterum contrarium. Quod intelligatur de expulſione formali, & non de effectiua: nam lux non eſt contraria frigori, & tamen efficienter frigus è ſubiecto depellit. Igitur repugnant in ſubiecto per ſuas entitates proprias. Atque hæc expulſio eſt mutua, quia fundatur in repugnantia vnius qualitatis cum alia: nam ſi vna non poteſt eſſe cum alia: ergo neque ê contra hæc poterit eſſe cum illa. Ita calor expellit frigus è niue: & nix calorem ex igne. *Non ſunt ſimul.* Sed quidem non ita pelluntur, vt ſimul exiſtant in eodem ſubiecto, ſed in eodem inſtanti, in quo calor, verbi gratia, eſt in ſubiecto, in eodem non eſt frigus, ſuſpendente Deo concurſum, quo conſeruabatur. Recognoſce diſputationem 8. & 15. Phyſ. ſect. 8. vbi egi de prioritate cauſarum, & de inceptione, & deſitione rerum.

§. 21. *Qualitates non poſſunt ſimul componi in vllo gradu cõtrario.* Qualitas propriè contraria non poteſt eſſe cum oppoſita in eodem ſubiecto ſimul in vllo gradu contrario; poſſunt tamen in gradu non contrario: nam calor vt quatuor & frigus vt quatuor non opponuntur, & ſic poſſunt eſſe ſimul, at verò calor vt quinque & frigus vt quatuor opponuntur, & ſic non poſſunt eſſe ſimul. *Qui gradus opponantur.* Opponuntur igitur primus gradus caloris, & octauus frigoris; ſecundus & ſeptimus; tertius & ſextus: quartus, & quintus. Quia verò omnes illi gradus conſtituunt vnam qualitatem, dicuntur contraria poſſe ſimul eſſe in eodem ſubiecto in gradibus remiſſis. *Cõtraria formaliter non componũtur.* Verum ſi cõtraria formaliter expendantur; non poſſunt eſſe ſimul, quia gradus illi remiſſi non ſunt contrarij. In illo autem gradu poſſe eſſe ſimul, experientia patet, in aqua tepida, formaliter frigida & calida. *Obiectio.* Dicunt nonnulli, eos gradus remiſſos eſſe etiam contrarios, ſed non exercere contrarietatem; *Reſpond.* verùm quæſtio eſt de nomine; arbitror tamen non dictum iri contrarios, nam contrarietas eſt incompoſſibilitas, ibi non eſt incompoſſibilitas: ergo non eſt contrarietas; quam ſi haberent, exercerent; quia operantur quantum poſſunt: quod ſi non exercent cõtrarietatem in eo gradu: ergo non poſſunt eam in eo exercere ex natura ſua; ergo non habent eam; cur enim illis repugnaret exercitium potentiæ, quam haberent? *Gregor. Soncinas.* Greg. in 1.d.27.quæſt.3. art.2. & Soncinas, 10. Met. quæſt. 22. apertè negant ſimul eſſe poſſe qualitates contrarias in gradibus remiſſis: quia contrarietas non oritur ex gradibus: ſed ex eſſentia. *Reſpond.* Reſpondeo tamen ex eſſentia in tali gradu: oſtendi autem diſput. 5. de gener. intenſionem fieri addendo formæ intenſæ nouas partes; & eas tollendo à forma contraria. Ex dictis ibi facilè reſpondetur Durando, Gregorio, & Soncinati, *Durand.* quorum opinio & paradoxa, & minimè robuſta, quam nonnulli medici ſecuti.

§. 22. *Actus vitales ſunt contrarij.* De actibus vitalibus eſt controuerſia, ſintne contrarij. Negant nonnulli, quia non poſſunt eſſe ſimul in gradibus remiſſis, nec de potentia abſoluta. Verùm propterea erunt magis contrarij; quia ſunt in omni gradu; definitio autem contrariorum illis videtur quadrare, quia ſub eodem genere maximè diſtant & ſe mutuo depellunt ab eodem ſubiecto. *Mixtam habẽt oppoſitionem.* Poteſt tamen reſponderi, eos habere mixtam oppoſitionem ex contraria, & contradictoria: non quia ipſi ſint contradictoriè oppoſiti: ſed quia tota oppoſitio illis oritur ex obiectis; quæ contradictoriè opponuntur: non enim opponuntur actus vitales, niſi ex illis per locum intrinſecum duo contradictoria ſequantur; vt affirmatio & negatio eiuſdem obiecti: odium & amor: nam ex negatione, & affirmatione ſequitur obiectum ſimul eſſe, & non eſſe: & ex amore & odio ſequitur obiectum ſimul eſſe bonum, & non eſſe bonum eidem rei ſub eadem ratione formali. Vnde non minus repugnat eos actus ſimul eſſe, quàm hominem perſuadere ſibi duo contradictoria.

§. 23. *De forma.* De forma ſubſtantiali, idem poteſt inquiri; nam forma ignis, & aquæ ſub eodem genere maximè diſtant, & ſe mutuò depellunt ab eodem ſubiecto. *Ariſtotel.* Verùm Ariſt. dixit *ſubſtantiæ nihil eſſe contrarium*: id dicamus; *Duæ formæ ſubſtantiales non ſunt contrariæ.* nam duæ formæ ſubſtantiales non videntur repugnare per ſuas entitates; ſed quia materia eſt incapax duarum ex illis ſimul. Fortè quis diſtingueret; neque arbitraretur abſurdum, eas formas

 eſſe

eſſe contrarias, inter quas reperitur mutua tranſmutatio; ſunt enim radices contrariarum qualitatum; quæ verò non habent mutuam tranſmutationem non eſſe contrarias, vt forma cœli, & ignis. Verùm non eſt diſcedendum à communi ſenſu:& ſicut duo motus aſcenſus & deſcenſus, non ſunt propriè contrarij, ſicut neque illorum termini: & quia ſunt eiuſdem ſpeciei, & tamen ſubiectum eſt incapax illorum ſimul, quia non poteſt ſimul eſſe in duobus locis: ita formæ ſubſtantiales non ſunt contrariæ, quia non ſe expellunt ob repugnantiam mutuam: ſed quia eas ſubiectum non capit. At verò qualitates contrariæ non capiuntur ſimul à ſubiecto propter illius incapacitatem, ſed propter alternas illarum rixas, & diſſidia. Nam cum ſubiectum ſit capax quàm plurium qualitatum in gradu intenſo, qualitates contrariæ non poſſunt ſimul eſſe in eodem gradu: ergo non eſt propter incapacitatem ſubiecti, ſed propter qualitatum oppoſitionem. Formas autem eſſe radices qualitatum contrariarum non conſtituit inter illas contrarietatem: nam Sol & Luna ſunt principia ſiccitatis,& humoris, tamen non ſunt contraria.

§. 24. *Contrarietas reperitur in prædicamento qualitatu, & actionis, & paſſionis.*

Reperitur contrarietas in prædicamento qualitatis, & in prædicamento actionis, & paſſionis, & inter vniones illarum qualitatum, non enim minus opponuntur infrigidatio, & calefactio,& vniones frigoris, & caloris, quam ipſe calor, & frigus. In cæteris prædicamentis non reperio propriè contrarietatem. Qualitates contrariæ, ſimul poſſunt eſſe de potentia abſoluta in gradu intenſo (excipe vitales quæ nec in remiſſo) quia in hoc nulla cernitur repugnantia:& quidem eodem cōcurſu,quo nunc; nam concurſus, qui nunc conſeruat frigus ſine calore,illud conſeruabit cum calore; nam poſitio caloris non tollit aliquod ex principiis, à quibus dependet illa actio; ſed tantum petit, vt pereat infrigidatio; ſi autem Deus vult eam non perire, cur peribit? Miraculum tantum eſt in ea conſeruanda præter leges naturæ. Quod ſi requiritur ſpecialis influxus,non eſt ad vtrumque contrarium, ſed tantum ad illud quod erat periturum: alterum enim habet victoriam, potiturque ſubiecto: fulcrum autem tantum eſt neceſſarium alteri, quod labebatur. Qua de re latè egi. 1.2. quæſt.113. diſput. 7. agens de oppoſitione gratiæ, & peccati. Rogas vtrum qualitates in gradu contrario educerentur de potentia obedientiali ſubiecti? An de naturali? Reſpondeo de naturali quoad ſubſtantiam:quia in ſubiecto eſt naturalis ad ſubſtantiam illius actionis,& vnionis:de obedientiali verò quoad modum coexiſtendi:vt in ſimili dixi de coëxiſtentia duarum cauſalitatum adæquatarum; diſputat. 8. Phyſic. ſect. vltim. Neque item omnes qualitates contrarium habent:vt habitus per ſe infuſi;& ſpecies impreſſæ: immo neque actualis ſcientia, & error; nam licet ſcientia poſſit pellere errorem ex intellectu; tamen error non poteſt pellere ſcientiam, quia ſcientiæ principia neceſſitant intellectum ad illam: at formaliter ſunt mutuo incompoſſibiles. Iſtæ qualitates in multis deficiunt à vera contrarietate.

Contraria poſſunt diuinitus cōponi.

Sine ſpeciali influxu.

Quæſtio.

Reſpondetur.

Educerentur de potentia naturali in ſubſtantia.

Aliqua carēt contrario.

SECTIO IV.

Quæ res ſint intenſionis capaces?

§. 25. *Intēſio reperitur in prædicamento qualitatis, actionis, & paſſionis.*

DE intenſione, & eius terminis latè diſſertaui diſput. 5. de generatione. Hic tantum diſquirendum, quæ res ſint intenſionis capaces? Ac primùm intenſionem reperiri in prædicamento qualitatis patet in luce, quatuor primis qualitatibus,& compluribus ex ſecundis; & conſequenter in prædicamento actionis & paſſionis reperietur intenſio, ſimiliter & in illarum qualitatum vnionibus.

In prædicamento ſubſtantiæ nullus vnquam affirmauit intenſionem reperiri. Vnde commune effluxit axioma, *Subſtantia non recipiunt magis nec minus.* Primùm quidem Angeli ſunt incapaces intenſionis; quia hæc verſatur inter gradus perficientes idem ſubiectum: propter eamdem rationem animus rationalis, & materia prima auerſantur intenſioni. De formis materialibus poteſt eſſe controuerſia, nam & à ſubiecto dependent, & videmus vnam actuoſiorem alia;verum inde nullum petitur argumentum, nam ignis eſt actuoſior alio propter intenſiorem calorem & carentiam contrarij frigoris, è contra verò non probabitur apertè repugnare intenſionem eiuſmodi formis.

Subſtantia non intenditur.

§. 26. P.Suarez. *Prima coniectura.*

Duo tamen ſatis probabilia Pat. Suarez adducit; primum à poſteriori:quia aqua amiſſum frigus recuperat, ſe ad natiuum ſtatum deducendo, ergo quando remiſſum fuit frigus, non fuit remiſſa ſubſtantialis forma; patet conſequentia, quia partes ſubſtantiales deperditæ, non poterant recuperari. Nam pars remiſſa non potuit producere intenſiorem, alioquin calidum vt duo ſe poſſet paulatim intendere: ergo manſit in aqua tota forma, à qua oriebatur frigus intenſum. Dices, aquam habere qualitatem occultam, per quam ſe potuit infrigidare,& recuperare partes ſubſtantiales amiſſas. Sed hac qualitate admiſſa, id non ſequitur; nam quælibet pars aquæ haberet illam qualitatem magis,aut minus intenſam pro maiori, vel minori intenſione ſubſtantiæ. Nam illam qualitatem habebit forma ad producendam intenſionem frigoris ſibi debitam; & forma intenſa vt quatuor, peteret frigus vt quatuor; at verò forma vt vnum non peteret tantam intenſionem: ergo neque haberet qualitatem occultam productiuam talis intenſionis. Obiter aduerte,omnem qualitatem eſſe intenſibilem vt patet ſingulas percurrendo,tam vitales, quàm tranſeuntes; naturales & ſupernaturales,imo ſi potentiæ vitales eſſent qualitates, non ſatis oſtenditur eas carere intenſione; imo cum qualitates ſupernaturales præcipuæ ſint capaces intenſionis, quid ni & potentiæ? Vnde illa qualitas occulta etiam erit intenſibilis. Quando igitur remittitur, per quod aliud principium deducitur ad priſtinum ſtatum?

Obiectio.

Reſpondetur.

Omnes qualitates poſſunt intendi.

§. 27. *Secūda ratio.*

Secundum argumentum eſt à priori: quia forma ſubſtantialis eſt de primo conceptu rei: ergo debet eſſe primus conceptus fixus, & inuariabilis. Sed hoc argumentum non vrget; ſufficeret enim, eam eſſe inuariabilem quoad ſpeciem completam; non verò quo ad gradum: vt calor determinatam habet ſpeciem. Itaque huius ſententiæ maximum fundamentum eſt communis Philoſophantium conſenſus,vulgariſque locutio. Non enim dicimus vnum equum eſſe magis equum alio; ſed aut maiorem, aut velociorem. Deinde remiſſio reperitur in qualitatibus; quia ſunt inſtrumenta ſubſtantiæ, & eadem ſubſtantia interdum eſt potentior,impotentior interdum. Neque verò duæ formæ ſubſtantiales ſimul ſunt in eadem materia, quia omnes gradus formæ non peterent eadem organa in corpore,ſed intenſior forma peteret perfectiorem organorum apparatum: & fieret ex illis vnum per accidens, vt oſtendi diſp.4.Phyſicorum.

Reſpondetur.

§. 28. *In quātitate non eſt intēſio.*

In quantitate intenſionem non reperiri probaui libris de generatione; nam eſſentia quantitatis eſt reddere corpus impenetrabile, ita vt corpus quan-

titate

titate affectum, non poſſit eſſe in eodem loco cum alio corpore quanto: ergo neque vna pars quantitatis poteſt ſimul eſſe cum alia in eodem loco. Vnam partem quãtitatis eſſe impenetrabilem cum alia, patet: quia propter illas corpora ſunt impenetrabilia: ergo ipſæ ſunt impenetrabiles vt *quo*: ergo neque in eodem ſubiecto erunt: quia ibi penetraretur vna cum alia. Quod ſi eſſentia cuiuſuis quantitatis eſt extenſio, non eſt quantitas capax intenſionis, tum quia quælibet pars conſtituit partem extra partem, tum quia maior quantitas eſſet ad maiorem extenſionem: ergo eſſet ad maiorem diſtãtiam vnius partis ab alia, ergo & ſubiecta per illas partes magis diſtarent. Ergo duæ partes quantitatis non eſſent in vno ſubiecto; quia non poſſunt eſſe in eodem ſubiecto & inuicem diſtare.

§. 29. *In prædicamento ad aliquid eſt intẽſio.*

In relatione non reperitur intenſio, quia ratio ſimilitudinis in eadem entitate, & gradu non recipit magis, & minus. Quod ſi intendantur gradus fundantes ſimilitudinem; tunc non fit intenſio in eodem gradu. Verùm ſicut ipſi gradus dicuntur intenſibiles, ita & ſimilitudo poteſt dici: nam homo eſt homini ſimilior alio. Tandem quia has relationes non diſtingui à fundamento, & termino probabo diſputat. 15. ſectio. 2. & 3. Relationes cauſæ non tam admittunt intenſionem, quàm extenſionem. Itaque ſolum reperitur intenſio in prædicamento qualitatis, & ratione ipſius in prædicamento actionis, & paſſionis: in cæteris prædicamentis non reperitur, in prædicamento relationis videtur etiam reperiri aliquo modo, fundata in ipſa qualitate, vt patet ex S. Thom. opuſcul. 48. tractat. 5. cap. 5. & ratione, quia album vt tria ſimilius eſt albo vt octo, quàm album vt vnum.

DISPVTATIO XV.

De Relatione.

SECTIO I.

Vocum explicatio.

§. 1. Ariſtoteles. *Relatio eſt ad aliud. Relatio eſt narratio.*

ARISTOT. 5. met. cap. 15. agit de quarto prædicamento, quod ipſe vocat *ad aliquid*, ſiue *ad aliud*: Latini *relationem*. *Refero* ſignificat renuntiare aliquid, inde *relatio* narrationem alicuius rei; *relatum* verò eſt ipſa res narrata. Quæ ſignificatio eſt Tullio perfamiliaris: hinc Grammatici nomina relatiua vocant ea, quæ antecedentia enarrant, vt *quis*, vel, *qui*, *is*, *ea*, *id*. Item *refero* apud eumdem Tullium ſignificat rem vnam alteri conferre, ſeu comparare: & relatio ſignificat idem, quod *collatio* ſeu *comparatio*. Item eſt familiare Tullio verbum *refero* vſurpare pro *dirigere*, ſeu *in aliud tendere*, tamquam in finem; *omnia* (inquit) *ad eorum voluntatem dicta, factáque referantur*. Relatio autem erit ipſa directio, ſeu ratio per quam res in aliud dirigitur. Vnde cõſtat *refero* ſemper reſpicere aliud; in his autem vltimis ſignificationibus ſumitur à Philoſophis in hoc prædicamento: nempe pro comparatione, ſeu directione vnius rei in aliam; quia verò collatio, vel directio eſt ad aliud, ea ratione prædicamentum *ad aliud* & *relationis* ſunt idem.

Relatio eſt comparatio. Et directio.

§. 2. *Relatio eſt reſpectus.*

Relatio ſolet appellari *reſpectus*. Eſt autem reſpectus à *reſpiciendo*, ſeu *reſpectando*: apud Tullium autem non ſolum ſignificat retro aſpectum, ſed etiam rationem, & obſeruantiam vnius perſonæ in aliam. Hiſpani, *cuenta*, ò *reſpecto*. Tullius, *cum reſpectum non haberet ad ſenatum, & ad bonos*; nam eos quos obſeruamus, quaſi reſpicimus, cum nos cohibemus ab aliquo malo, quod aggredi volebamus. Significat item *reſpectus* prouidentiam, vt reſpicere ſalutem: communius autem ſignificat *aſpicere aliud*. Hinc Philoſophi *reſpectum*, & *relationem* ſine diſcrimine vſurpant: nam quod ad aliud refertur, illud aſpicit, vt Pater Filium & quaſi illi ſiſtitur è regione. Significat autem reſpectus, & relatio rationem, qua vna res alteri confertur, vel in illam dirigitur, vel quouis modo eam reſpicit.

§. 3. *Explicatio vocum. Fundamentum. Terminus. Ratio fundandi.*

In hac materia frequentes ſunt hæ voces, *fundamentum*, *terminus*, *ratio fundandi*. Fundamentum ſignificat radicem, ſeu principium intrinſecum, propter quod vna res aliam reſpicit: *terminus* autem ſignificat rem illam extrinſecam, quam reſpicit: *Ratio fundandi*, eſt, quod præcedit, vt vna res reſpiciat aliam: v.g. Petrus eſt pater Antonij; ſubſtantia Petri eſt fundamentum paternitatis; Antonius terminus, generatio ratio fundandi. *Relatio* multipliciter ſumitur: primùm, pro relatione *ſecundum dici*: quæ impropriè dicitur relatio; quia intellectus rem vnam explicat collatione alterius; cuius habet propriam ſpeciem, vt quando explicat rem ſpiritualem per materialem, res ſpiritualis habet relationem *ſecundum dici* ad materialem, non quia illæ duæ res ſe reſpiciant, aut altera alteram; ſed quia intellectus noſter concipit ſpiritualia per ſpecies acceptas à materialibus: de quo infra. Neque hæc relatio poterit dici *rationis*, quia hæc eſt quando apprehendimus rem vnam ad alteram referri, cum non referatur, vt ſcientiam viſionis Dei ad exiſtentiam rerum: at verò non apprehendimus Angelum referri ad alas, & impubertatem; licet per alas cognoſcamus eius velocitatem, & per puerilem aſpectum immortalitatem illius. Quæ comparatio, vel collatio oritur ab imperfectione ſpecierum: relatio verò rationis fundatur in aliqua connexione inter vnam, & aliam rem; niſi forte relationem rationis vocites *ſecundum dici*: quia à nobis in mente dicitur connotando aliud more relatiuorum; vt attributa Dei.

Relatio ſecũdum dici non eſt relatio. Diſtinguitur à relatione rationis.

§. 4. *Relatio tranſcendentalis nõ diſtinguitur à fundamento.*

Alia relatio dicitur *tranſcendentalis*, quæ ita tranſcendit conceptum, cuius eſt relatio, vt ſine ea res non poſſit eſſe nec rectè cognoſci: vt cognitio creata ad obiectum; materia ad formam. In qua relatione licet vſurpemus hos terminos, *relatio materiæ ad formam*, non poſſumus ratione diſtinguere materiam relatam à ſua relatione, ſicut nec potentiam paſſiuam, à potente: quia tota eſſentia materiæ ſicut formaliter eſt potentia ad formam, ita eſt formaliter reſpectus ad illam; hique termini tantum differunt grammaticaliter, vt *ens*, & *entitas*. Tertia relatio eſt prædicamentalis: quæ ita aduenit rei, vt poſſit res ſine illa eſſe: verbi gratia, Petrum eſſe patrem, aut ſimilem, vel diſſimilem. De vtraque relatione differemus; quamuis hoc prædicamentum eſt de tertia relatione: Ariſtoteles autem in eo de omnibus egit.

Sine relatione prædicamentali poteſt eſſe res. Ariſtoteles.

SECTIO II.

Vtrum relatio diſtinguatur à fundamento, & termino?

§. 5. *Relatio oſtẽditur eſſe.*

A Parte rei reperiri conceptus ad aliquid eſt manifeſtum; quia duæ res ſunt à parte rei ſimiles, vel diſſimiles; & ex duobus hominibus alter

eſt

eſt Filius, alter eſt Pater. Simile autem & Pater eſt ad aliud; nullus enim eſt ſui ſimilis, aut Pater. Inquirimus diſtinctionem inter rem ſimilem & ſuam ſimilitudinem. Et inter Patrem & ſuam Paternitatem. *Opinio diſtinguentium realiter.* P.Suarez. Nonnulli apud Patrem Suarez diſput.47.metaph.ſectio.2.num.2.realiter diſtinguunt relationes à fundamentis,& terminis; quia poteſt homo exiſtere ſine paternitate,ergo paternitas eſt aliquid diſtinctũ ab homine. *Caietanus impugnatur ab inconſequentia.* Verum Caietanus huius ſententiæ adſertor,nõ mouetur eo fundamento ad diſtinguendã vnionem ab extremis vnitis;cur ergo eodẽ mouetur ad diſtinguendã relationem à fundamento, & termino? *Reſpond. & impugnatur.* Verum hoc argumentum non probat diſtinctionem realem abſolutam, ſed ad ſummum modalem: nam ſi relatio diſtinguitur à fundamento,& termino: ergo per illam tollitur indifferentia, quam Petrus habet, vt ſit Pater Antonij, *Relatio eſſet modus.* vel non ſit: quod ſi non eſſet modus,indigeret alio modo, quo actu talis indifferentia exerceretur, & tolleretur. Sicut ergo actio eſt modus, quia determinat Petrum ad effectum: ita relatio erit modus, quia determinat Patrem ad Filium.

§.6. *Argumentũ pro modali diſtinctione.* Diſtinctio autem modalis ita vrgetur:quia ſæpe probaui,non poſſe rem vnam manere ſine alia ſine aliqua diſtinctione reali; ſed homo poteſt manere ſine Paternitate: ergo Paternitas diſtinguitur ab homine; quia homo,qui nunc eſt Pater,diu fuit ſine Paternitate,& Filio demortuo manebit ſine eadem:ergo homo poteſt eſſe ſine relatione. *Confirm.* Confirmatur:non poteſt homo habere nouam denominationem intrinſecam,quin habeat aliquam intrinſecam mutationem; ergo relatio eſt mutatio intrinſeca & noua homini, ergo diſtinguitur realiter ab homine: maior eſt ex terminis clara: nam quod ſe habet intrinſecè aliter quàm antea; intrinſecè mutatur:minor autem eſt æquè perſpicua;nam Petrum eſſe ſimilem Antonio eſt intrinſeca denominatio. S.Thom. Capreol. Caietan. Ferrara. Hæc ſententia videtur eſſe S.Thom.quam ſequuntur multi è Thomiſtis, Capreolus, Caietanus, Ferrara. Pro qua nullum eſt efficacius argumentum. *Secũdum argumentum.* Secundo mouentur: quia relatio eſt accidens: ponitur enim in prædicamento accidentis; ſed fundamentum aliquando eſt ſubſtantia;ergo aliquando diſtinguitur relatio à fundamento. *Tertium,* Tertiò,quia albedo eſt in prædicamento qualitatis, relatio in prædicamento *ad aliquid*: ergo diſtinguuntur. His reſpondebo §.38.

§ 7. *Sententia nõ diſtinguens.* P.Suarez. S.Thom. S.Auguſt. S.Damaſcen. S.Anſelmus. Ægidius. Sylueſt. Hæruæus. P. Vazq. Gabr. Scot. Okamus. Durand. Gregor. Oppoſita ſententia eſt valde communis; quam ſequitur Pat. Suarez,ſect.2. num. 22. pro qua præter S.Thomam adducit S. Auguſtinum, Damaſcenum, & Anſelmum. Item Ægidium, Sylueſtrum, Heruæum, & Nominales, quam ſequitur P. Vazquez tomo 2,1.p.diſp.116. num.7.Gab. in 1.d.3.q, 4.art,1.concluſ.2.& Scotus in 3.d.1.q.1.§. *Ad illud in oppoſitum*: qui loquitur de relatione intrinſecus adueniente,quam ait eſſe prædicamentalem. Conſentit Okam. in 1.d.30.quæſt.4.concluſ.2. & Durand.in 1.d.30.q.2.num.14.& in 3.d.5.q.2.num.8. Gregor.autem in 1.d.28.q.2.initio, oppoſitam ſententiam vocat nouam imaginationem,irrationabilem. Quæ ſententia, affirmat relationem non eſſe modum, aut rem diſtinctám à parte rei à fundamento, & termino: quam etiam eſſe quorumdam Thomiſtarum fatetur Caiet. 1.p. q.28. art.2.§. *In reſponſione*, etiam ait multos Thomiſtas non intellexiſſe S.Thom.pro contraria ſententia:quam ſententiam probaui ſemper,& probo. *Caiet.* Aduerte,P.Vazquez non eſſe omnino clarè ab hac ſententia; vt patet 1. diſput.173.num. 13. & ex 1.2. diſput.55. num.11.

§.8. *Concluſio.* Quæ tam clarè eſt S.Thom.vt merito poſſit obiici Caietano, quod ab ipſo multis Thomiſtis: *Relatio non diſtinguitur à fundamẽto & termino.* nempe ab eo non intellectum S.Thomam, nec video in re tam aperta, quo animo Thomiſtæ ſe tueantur authoritate S.Thomæ, cum illis aperto Marte pugnantis. Nam q.7 de potentia,quæ eſt de ſimplicitate diuina art.8. ait; relationem non facere compoſitionem cum ſubiecto, nec eſſe motum ad relationem: *Eſt expreſſa S.Thoma opinio.* quia relatio fit ſine aliqua mutatione eius quod refertur, *quod* (inquit S. Thom.) *non eſſet ſi relatio ſignificaret aliquid in ſubiecto manens:* Thomiſtæ autem aiunt, relationem eſſe aliquid in ſubiecto manens,efficiens compoſitionem cum eo, & relatione intrinſecè mutari ſubiectum relatum; *Oppoſitio Thomiſtarũ cum S.Thom.* eaque propter eam expungunt à Deo; quia iam mutaretur,& efficeret compoſitionem.Sed clariſſimè opuſc. 48. tract.5. de prædicamento *ad aliquid.* cap.2. hanc ſententiam docet his verbis: *Clara verba.* *Cùm autem dico,quòd ſimilitudo Sortis habet albedinem eius vt fundamentum: non eſt intelligendum, quòd ſimilitudo Sortis ſit aliqua res in Sorte,alia ab ipſa albedine; ſed ſolùm eſt ipſa albedo, vt ſe habet ad albedinem Platonis, vt ad terminum. Si enim ſimilitudo adderet ſupra albedinem Sortis aliquam rem, nullo modo poſſet aliquis alicui fieri ſimilis, ſine ſui mutatione, vt patet. Nam ſi quis in India fieret modò albus, fieret ſimilis mihi,& ego ſibi,nulla in me facta mutatione: ſimilitudo enim in me nullam rem addit ſupra albedinem, quæ realiter ſit in me, vt patet.*

Quumque videret S. Thomas, hinc inferri non bene prædicamenta diſtingui, ait cap.3. §. 9. *Præoccupatio ipſius ſancti.* *Sed hîc oritur dubium: cùm enim decem prædicamenta ſint decem genera inter ſe realiter differentia; ſi relatio nullam rem addit ſupra fundamentum: ergo non erit alia res à fundamento: & ſic non erit alio genere ſimilitudo, quàm albedo; quod omnino falſum eſt.* *Reſpond.ipſe.* *Dicendum, quod diuiſio entis in decem prædicamenta, eſt diuiſio in decem ſecundum rem, vel quantum ad hoc, quod dicunt diuerſas res intrinſecè, & realiter,ſicut ſubſtantia,quantitas & qualitas, quæ comparata ad inuicem ſunt diuerſa res: vel in quantum dicunt diuerſas res extrinſecè, quia vnum importat aliquam rem diuerſam, quam non importat reliquum; & ſic relatio differt à ſuo fundamento; quia importat oppoſitum relatiui;ſicut enim dicimus,quod totum differt à ſua parte, non ſicut res à re, ſed ſicut illud,quod importat plus, quàm pars (homo enim differt ab anima, quia importat materiam, quam non importat anima) ſic relatio differt à ſuo fundamento, quia relatio dicit rem ſui fundamenti, & oppoſitum terminum, quem non dicit fundamentum.* & 1.2.quæſt.7. art.2. ad 1. ait æquale & inæquale denominari ab intrinſeco, & extrinſeco.

§. 10. *Obiectio.* Dices, adhuc poſſe reſponderi, à S. Thoma non affirmari idemtitatem relationis, & fundamenti; tum, quia illud de mutatione intelligitur de motu per ſe,qui non datur ad relationem: tum,quia modus non eſt alia res à fundamento, ſed eſt modus. *Reſpond.* Certè S.Thomas clarius à nobis ſtare non potuit: nam diſputans ex inſtituto de relationis diſtinctione à fundamento ait: *ſed ſolùm eſt ipſa albedo.* *S.Thomas nõ admittit hic explicationẽ.* Deinde diſcriminans relationem ab aliis prædicamentis;ait,cætera habere res diſtinctas intrinſecè: relationem verò res diſtinctas extrinſecè. Item relationem diſtingui à fundamento, ſicut totum à parte: quia relatio dicit etiam terminum. Item totam rationem diſtinguendi relationem à fundamẽto reddit ex parte termini: *Sententiã, & verba ſumi ex S. Thom.* certè non modò ſententiam, ſed etiam verba ſumpſimus è S. Thoma ad noſtræ opinionis explicationem. *Ad primũ ex ipſo reſpondetur.* Ad primum de motu per ſe reſpondeo,S.Thomam omnem mutationem negaſſe illis verbis: *nullo modo,&c.* at mutatio per accidens, eſt verè mutatio,ſicut nauarchus verè mu-

tatur

tatur in naui, licèt per accidens; hanc etiam mutationem reiicit, quia ex eo quod in India homo fiat albus, cur ego mutabor in Hiſpania? & ait S. Thomas: *Nulla in me facta mutatione.* & videns S. Thom. quid inde ſequeretur, id obiicit, & explicat diſtinctionem relationis per terminum, & non per aliquid in fundamento. *Ad ſecundũ.* Ad id de modo reſpondetur, apud antiquos non fuiſſe tam exactam diſputationem de modis, & rebus: & quidem variatio intrinſeci modi, mutatio eſt: imò motus localis non niſi ad modum terminatur: deinde ſeptem vltima prædicamenta modi ſunt, & non res; quæ tamen re eſſe differentia affirmat S. Thom. eo cap. 3. Tandem, quia modus eſt res ſumpta tranſcendentaliter. Ne obſecro *nodus quæratur in ſcirpo.*

§. 11. *Prima obiectio ex 1. p.* Sed obiicies primò S. Thom. 1. p. quæſt. 28. art. 2. corp. aſſerentem, in rebus creatis relationem habere eſſe accidentale in ſubiecto: & ad ſecundum ait, in creatura præter id quod continetur ſub nomine *relatiuum*, eſſe aliam rem; ſecus in diuinis: quo teſtimonio arbitratur *Caietan.* Caietan. ſe de aliis Thomiſtis triumphum egiſſe; adducitque S. Thom. quæſt. 8. de potentia, art. 2. aſſerentem, relationem in rebus creatis eſſe accidens, & 4. contra Gentiles, cap. 14. ad medium, relationem in creatis comparari ad abſolutum, ſicut accidens ad ſubiectum. Cùm ergò ſint multæ relationes in ſubſtantia fundatæ, ſequitur eas realiter à fundamento diſtingui, vt ex S. *Secunda obiectio.* Thoma Ferrarienſis obſeruat. § *fundamentum.* Obiicies ſecundò, à S. Thoma negari, relationem creatoris eſſe in Deo, ſed in creatura ad Deum, quod facit ne Deum faciat mutabilem.

§. 12. *Explicatur apertè.* Sed ſi hæc teſtimonia contraria videntur, conentur conciliare Thomiſtæ: quod quam facillimè præſtabitur: nam cùm dicit relationem creatam eſſe accidens, loquitur de prædicamento relationis, quod eſt accidens: at de relationibus immediatè in ſubſtantia fundatis, non loquitur; quia hæ per ſe non habent prædicamentum, ſed reductiuè; vt dicunt multi, actionem ſubſtantialem non poni per ſe in prædicamento; quia cathegoria actionis per- *Ferrara eſt à nobis.* tinet per ſe ad accidens: imò Ferrara ſupra ait, inde non colligi è S. Thoma relationem accidentalem à fundamento diſtingui. Quando autem dixit eſſe aliam rem, intellige, vt ipſe explicuit eo cap. 3. opuſ. 48. ratione termini, quem relatio dicit; vbi obſerua ly *importat*, & *dicit* non ſumi à S. Thom. connotatiuè, ſed eſſentialiter: nam etiam vna relatio diuina connotat aliam in obliquo; non tamen intrinſecè includit, ſicut includit relatio creata. Item actio, & paſſio connotant ſuos terminos; & tamen ſe ipſis diſtinguuntur. Opinatur ergo S. Thomas terminum cõnotari, tamquam partem à toto; quod *Ad ſecundũ.* clarè dixit adductas in fine. §. 9. Ad ſecundam obiectionem §. 11. reſpondeo, non poſſe rationem illam à S. Thoma reddi: cum ipſe dicat relationem cõtingere ſine vlla mutatione fundamenti; ſi autem *Cur relationem reiiciat à Deo S. Thomas.* ab obiiciente lectum fuiſſet opuſculum 48 tract. 5. cap. 1. vidiſſet, à S. Thoma relationem reiici à Deo; quia Deus non eſt in eodem genere cum creatura; quod S. Thomas requirit ibi ad mutuam relationem. Item mutaretur accidente relato, cui innititur relatio prædicamentalis propria.

§. 13. *Prima probatio euertẽs fundamenta aliorum. Relatio eſt inſeparabilis à fundamẽto & termino.* Eam primò probo euertendo oppoſitæ fundamentum: quod ſumitur ex ſeparabilitate relationis à fundamento: tunc ſic, relatio non poteſt ſeparari à fundamento, & termino: ergo inde non ſumitur argumentum diſtinctionis. Probo antecedens, exiſtentes Petrus & Paulus cum albedine in eodem gradu, ſunt neceſſario ſimiles, nec poſſunt diuinitus non eſſe ſimiles, *ſimilia* (teſte Ariſtotele) *ſunt, quorum qualitas eſt vna*, id eſt, vnius ſpeciei: illæ autem qualitates eſſent vna; nam eſſent eiuſdem ſpeciei: ergo haberent diffinitionem ſimilium: ergo relatio non eſt ſeparabilis à fundamento, & termino. Probat quidem illud argumentum, relationem diſtingui realiter, vel à ſolo fundamento, vel à termino ſolo, ab vtroque autem non probat; nam licèt Petrus modò ſit ſimilis; & antea non fuerit, id oritur per mutationem termini ratione inferiùs explananda.

Secundò ſic argumentor. Petrus & Paulus ſunt §. 14. ſimiles per duas albedines in illis exiſtentes, ſine *Secundum argumentũ.* vllo conceptu ab illis diſtincto; ergo ſimilitudo inter Petrum & Paulum non diſtinguitur à fundamento, & termino; quæ in ea relatione ſunt vtraque albedo. Patet conſequentia; quia ſi per illas albedines ſunt formaliter ſimiles; ergo in illis duabus includitur formaliter ſimilitudo: ergo non eſt neceſſaria alia ſimilitudo, quæ Petrum & Paulum denominet ſimiles. Antecedens patet, tum ex diffinitione ſimilitudinis, *ſimilia ſunt quorum qualitas eſt vna*: ergo vnitas qualitatum eſt ratio denominans ſubiecta ſimilia: nam idem eſt dicere duos homines eſſe ſimiles; quia eorum qualitas eſt vna, ac dicere, vnitatem qualitatis eſſe ſimilitudinem: nam ſi vnitas qualitatum non eſt ſimilitudo, ergo ſimilia non diffiniuntur per formalem ſimilitudinem: at verò concreta accidentaria diffiniuntur per conceptus formales accidentium, vt *quantum eſt corpus extenſum, album eſt diſgregatiuum viſus.* Perinde eſt, ac ſi dicas, quantitas eſt ratio extenſionis, & albedo ratio diſgregandi viſum: ergo quando ſimilia diffiniuntur per vnitatẽ qualitatis, diffiniuntur quidem per effectum formalem, quem præſtat vnitas qualitatum: ergo tota ſimilitudo reperitur formaliter in illis duabus qualitatibus. Patet conſequentia: quia illarum vnitas nihil eſt præter fundamentum, quod præbent, vt ab illis abſtrahatur vnus cõceptus ſpecificus; ſed hoc fundamentũ ſunt ipſę qualitates: ergo illarũ vnitas ſunt ipſę qualitates. Minor patet ex d. 5. ſect. 10. Maior probata eſt d. 2. de anima: vbi oſtendi, à parte rei non eſſe vnitatẽ præter eam, quæ fundat vnitatẽ vniuerſalẽ. Confirmatur: conceptus ab- *Confirm.* ſtractus ab illis qualitatibus exiſtẽtibus eſt vnus: ergo illæ ſunt vna in illo cõceptu: ergo ab illo ſunt ſimiles: ſed ille nõ eſt modus illarũ, ſed eſſentia: ergo.

Secundò probatur idem antecedens: quia æqualitas eſt quædam relationis ſpecies; ſed duæ albedi- §. 15. *Secunda probatio antecedentis.* nes per ſuas entitates præciſo quocumque modo ſunt æquales in perfectione: ergo æqualitas non eſt relatio diſtincta ab vtraque albedine. Conſequentia patet: quia ſi duæ formæ per ſuas entitates conſtituuntur æquales, quorſum indigent alia forma, à qua denominentur æquales? Antecedens patet: quia vna albedo in ſuo conceptu eſſentiali non includit aliquid perfectius, vel imperfectius altera albedine. Quod patet clarius in quantitate, in qua fundantur *Explicatio efficax.* relatio *æqualitatis*, vel *inæqualitatis*. Sumamus quantitatem vnius palmi, & alteram quantitatem ſemipalmi; iſtæ duæ quantitates per ſuas entitates præciſo alio modo, ſunt inæquales: ergo per ſuas entitates præciſo alio modo habent relationem inæqualitatis: patet antecedens, quia vnus palmus per ſuam entitatem excedit ſemipalmum, & ſemipalmus per ſuam entitatem exceditur à palmo: ergo palmus, & ſemipalmus per ſuas entitates præciſo alio modo conſtituunt relationem inæqualitatis; patet antecedens: quia palmus per ſuam entitatem includit formaliter plures partes quàm ſemipalmus: item ſemipalmus per ſuam entitatem includit pauciores partes, quàm palmus; ergo palmus per

per ſuam entitatem excedit ſemipalmum, & hic exceditur ab illo. *Confirm.* Confirmatur, pone iſtas duas quantitates, & per poſſibile vel impoſſibile, vel etiam per intellectum, tolle ab illis quemlibet modum diſtinctum, tunc illæ erunt inæquales, & concipiuntur vt tales: quia altera non continet tot partes, quot altera. Neque verò relatio facit vnam quantitatem habere plures partes, quàm alia; ſed in tua ſententia illas ſupponit, ergo illa relatio iam inuenit æqualitatem, vel inæqualitatem, ergo inæqualitas reperitur in illis quantitatibus præciſè.

§. 16. *Prima obiectio. Reſpond.*

Dices primò, eas duas quantitates eſſe inæquales fundamentaliter, & non formaliter: conſtitui autem formaliter inæquales relatione ab vtraque diſtincta. Contra: quia hîc non diſtinguitur inæqualitas fundamentalis à formali; ſed per te ſunt inæquales fundamentaliter: ergo & formaliter. Probo maiorem; quia inæqualitas formalis eſt forma formaliter includens plures partes, quàm alia; vel eſt in ſua entitate habere pluralitatem palmorum; quæ pluralitas non habetur fundamentaliter, ſed formaliter: at inæqualitas formalis, eſt formalis pluralitas, & paucitas palmorum: ergo. Maior patet: quia palmus in ſe habet partes plures ſemipalmo. Minor non eget probatione. *Explicatio.* Explicatur: ſumo illam inæqualitatem fundamentalem, rogo, vtrum per illam palmus ſit actu maior ſemipalmo, vel nō: Hoc ſecundum dici non poteſt, nam palmus per ſe continet plures partes ſemipalmo, ergo actu eſt maior, & relatio quam tu fingis non facit palmum maiorem, quia illi nihil addit; quo ſit maior: ſed potius ſupponit exceſſum, quo ſuperat ſemipalmū: ergo ſine iſto modo ſemipalmus eſt maior actu, ergo ſine iſto modo eſt actu inæqualis: patet conſequentia, quia ratio, per quam vna quantitas aliam excedit actu, & eſt illa maior, eſt inæqualitas. *Confirm.* Confirmatur in quantitate diſcreta: numerus ternarius hominum ſeipſo eſt maior numero binario equorum: ergo illa relatio inæqualitatis conſiſtit in illis numeris ſecundum ſe: patet antecedens, nam tres vnitates ſe ipſis ſunt plures, quàm duæ; & non per modum ab illis diſtinctum. Equidem arbitror hoc eſſe tam euidens, vt à nullo negari poſſit, id vel mediocriter expendente; & quod dicitur de vna relatione prædicamentali, habet eamdem vim in cæteris relationibus eiuſdem prædicamenti.

§. 17. *Secunda obiectio. Reſpond.*

Dices ſecundò, relationem aduenire, vt compleat æqualitatem. Contra: Relatio nullam partem addit, aut tollit, ſed omnes partes ſupponit: ergo illæ partes ſuppoſitæ ante relationem complent æqualitatem, vel inæqualitatem: patet conſequentia, ſupponantur palmus, & ſemipalmus: iſtæ partes ſuppoſitæ ſeipſis ſunt pauciores in ſemipalmo, quàm in palmo: ergo iſtæ partes conſtituunt totam inæqualitatem formaliter. *Tertia obiectio. Reſpondetur.* Dices, eo ipſo quod ſint plures, includunt iam mutuam relationem. Contra, quia hoc intendo, iſtam mutuam relationem conſtitui formaliter per ſolas partes; nam tres vnitates ſe ſolis ſunt plures, quàm duæ. *Confirm.* Confirmatur à priori, quia hæc relatio, quam tu fingis, non conſtituit formaliter inæquale, ſed illud refert ad aliud: ergo inæqualitas iam ſupponitur, vt relatione referatur: patet conſequentia, tum quia iſta relatio ſupponit palmum, & ſemipalmum, & exceſſum medietatis, qua palmus ſuperat ſemipalmum; tum in relatione cauſæ ad effectum: nam hæc relatio non conſtituit cauſam formaliter, ſed illam ſupponit: nam cauſalitas eſt ratio conſtituens cauſam in actu; item eſt ratio fundandi, ſeu conditio antecedens relationem: ergo relatio cauſæ non conſtituit, ſed ſupponit cauſam: ergo ſimiliter relatio inæqualitatis non conſtituit, ſed ſupponit inæqualitatem, ergo inæqualitas reperitur ante relationem: ergo duæ quantitates ante relationem, per ſuas entitates ſunt inæquales: ergo ante illam relationem diſtinctam habent conceptum ad aliud: ſicut cauſa ante ſuam relationem diſtinctam eſt cauſa, & reſpicit effectum: quid ergo exigunt additam relationem?

§. 18. *Tertium argumentum. Deus habet relationem quam ante non habebat.*

Tertiò, ſic argumentor, Deus habet in tempore relationes prædicamentales, quas antea non habebat: ſed Deus nullum habet modum intrinſecum de nouo (quod pono, vt primum in Theologia principium) ergo relatio non eſt modus à termino, & fundamento diſtinctus. Probatur maior: quia Deus in tempore eſt dominus Petri: diſſimilis, & cauſa; quæ ſunt relationes dominij, diuerſitatis, & cauſæ: ſed Deus non habebat dominium, diuerſitatem, & cauſalitatem in Petrum, antequam Petrus crearetur: ergo Deus habet in tempore relationes prædicamentales, quas ante non habebat. S. Thomas adductus §. 12. Ferrara, Caietan. & alij apud P. Suar. diſp. 47. Metaphyſ. ſect. 15. num. 17. negant in Deo eſſe relationem realem prædicamentalem ad creaturas: cui opinioni ita nonnulli adhærent, vt oppoſitam damnent erroris; quia ſequitur Deum mutari; quia relatio non poteſt recens venire ſine mutatione fundamenti: & quidem, qui relationem diſtinguunt à fundamento, & termino, conſequenter illam Deo negabunt. At verò, qui dicunt, eam eſſe denominationem partim intrinſecam in fundamento, & partim extrinſecam in termino, conſequenter illam admittent in Deo: quia Deus habet modò relationes per ſolam additionem denominationis extrinſecæ. Vnde ſicut non eſt inconueniens Deum eſſe in tempore agentem, ita nec referri ad creaturas: nam ſicut agens dicit propriam entitatem Dei, & actionem extrinſecam, ita eſſe Dominum, dicit entitatem Dei, & creaturam exiſtentem cum dependentia ab illo. Neque aduertunt iſti huius ſententiæ cenſores, ex hoc principio multos autores inferre, relationem non eſſe modum intrinſecum diſtinctum à fundamento, & termino. Ipſi verò ad cenſuram huius opinionis ſumunt pro principio concluſionem, quam impugnamus, non animaduertentes ſe in eadem cenſura petere principium. Cùm ergo verè Deus ſit in tempore Dominus, & cauſa, habet illas relationes; ſed ei repugnat omne veſtigium phyſicæ mutationis: ergo relatio non dicit mutationem.

S. Thom. Ferrara. Caiet. P. Suarez.

Diſtinguẽtes relationẽ ab vtroque extremo, eam tenentur ablegare à Deo.

Secus, qui eã dicũt eſſe extrinſecam.

Inconſideratio aliquorũ.

§. 19. *Deo tribuunt relationes Okamus, Gabriel, Durandus, Gregorius, Marſilius, Palacios, S. Anſelmus clariſſimè.*

Hanc opinionem de Deo defendunt Okamus in primum diſ. 30. & Gabr. ibidem, q. 5. Durandus q. 3. Gregorius diſ. 28. q. 3. art. 1. Marſilius q. 32. art. 1. Palacios in 1. diſ. 5. quæ clariſſima eſt S. Anſelmi in Monologio, cap. 24. vbi expreſsè ait, Deum eſſe incapacem accidentis; ſibi tamen ipſi obiicit de relatione: *Quomodo non eſt particeps accidentis, cùm & hoc ipſum, quod maior eſt omnibus aliis naturis, & quod illis diſſimilis eſt, illi videatur accidere?* Vbi proponit Anſelmus Deum affici accidente relationis inæqualitatis, & diſſimilitudinis: reſpondet autem Anſelmus: *Sed quid repugnat quorumdã, quæ accidentia dicuntur, ſuſceptibilitas, & naturalis incommutabilitas, ſi ex eorum aſſumptione nulla ſubſtantiæ conſequitur variabilitas?* Vbi affirmat non repugnare Dei incommutabilitati aliquam aſſumptionem, ſeu denominationem accidentalem: quia oritur ex extrinſeca denominatione. Quod probat apertè his verbis: *Nam ego neque maior, vel minor, neque æqualis, vel ſimilis ſum homini poſt annum naſcituro; omnes autem relationes has illo nato habere potero ſine omni mei mutatione.* Hæc Anſelmus. Audeant aduerſarij eum erroris damnare. Quam ſententiam ab omni calumnia

P. Suarez. Soncin. Heruæus. P. Molina.

caſumnia vendicat P. Suarez ea ſect. 15. à num. 19. Adde è Thomiſtis Soncinnatem, & Heruæum, aſſerentes relationem dominij in Deo eſſe realem apud Pat. Suarez num. 21. P. Molina 1. p. quæſt. 13. art. 7. ait à Durando, Gabriele, Gregorio, & aliis has relationes in Deo conſtitui, quos tamen non impugnat, niſi in earumdem diſtinctione à fundamento, quod ſi non diſtinguuntur, ſine abſurdo admittuntur in Deo: idem præſtat Pat. Fonſeca libr. 5. Metaphyſ. cap. 15. quæſt. 1. ſect. 7. & Palacios diſput. 5.

P. Fonſeca.

§. 20. *Deus eas habet.*

Deum habere has relationes ſic probo. Deus formaliter eſt diuerſus à Petro; illo perfectior, & eiuſdem Dominus: ſed hæ formaliter ſunt relationes prædicamentales: ergo Deus habet relationem prædicamentalem. Patet minor ex prædicamento relationis, cuius ſpecies ſunt identitas, & diuerſitas; nihil enim eſt ſibi idem, aut à ſe diuerſum, ſibi ſimile, aut diſſimile, nec ſui dominus: ergo omnes iſti conceptus ſunt formaliter ad aliud: ergo ſunt formaliter relatiui: ergo ſunt relatiui prædicamentaliter: nam tranſcendentaliter eſſe non poſſe inferius patebit. Dices primò, Deum dicere relationem rationis ad creaturam. Contra primò: ergo duæ creaturæ poterunt eſſe ſimiles, aut diſſimiles relatione rationis: nam ſicut hæc ſufficit, vt Deus verè ſit diſſimilis creaturæ, ita ſufficiet, vt duæ quantitates ſint diſſimiles: nam ſine neceſſitate non ſunt realitèr multiplicandi conceptus. Contra ſecundò. Relatio rationis eſt conceptus extrinſecus formaliter exiſtens in noſtro modo concipiendi; ſed Deum eſſe Dominum, & diſſimilem Paulo non eſt conceptus extrinſecus omnino, neque dependet à noſtra cognitione; quia conſiſtit in infinita perfectione Dei, & Pauli imperfectione, & antequam nos apprehendamus eam inæqualitatem, eam habet Deus: ergo illæ relationes non ſunt rationis: ſed reales.

Prima obiectio. Reſp. primò. Secundò.

§. 21. *Obiectio ſecunda. Reſpondetur.*

Dices ſecundò, eas relationes eſſe intrinſecas Deo non formaliter, ſed fundamentaliter. Contra, quia illa relatio fundamentaliter, eſt relatio formaliter prædicamentalis, nam illud fundamentum eſt infinita Dei perfectio: per quam ſuperat noſtram perfectionem infinities: ſed illa perfectio ſe ipſa formaliter eſt maior noſtra perfectione, etiam ſi non fingamus relationem rationis: ergo illa eſt formaliter relatio prædicamentalis. Conſequentia patet; quia diuerſitas eſt ſpecies relationis: minor patet, quia Deus non eſt perfectior Petro dependenter à noſtro intellectu: ſed à parte rei: & ſicut Angelus à parte rei eſt perfectior lapide, & ab illo diuerſus, multo magis perfectus eſt Deus. Vnde intellectus apprehendens Deum, & Petrum ſtatim iudicat euidenter, Deum eſſe perfectiorem Petro: ergo iudicat in Deo eſſe illam maiorem perfectionem formaliter: neque verò Deus eſt formaliter perfectior per relationem rationis. Deinde quemadmodum Deus per ſuum conceptum ſine vlla mutatione ſui, ſed præciſè per mutationem termini incipit de nouo eſſe cauſa, & Dominus, cur non idem erit in creaturis?

§. 22. *Tertia obiectio. Reſpondetur.*

Dices tertiò, Deum eſſe incapacem relationis realis, non verò creaturas. Contra, Deus non eſt incapax inæqualitatis, & dominij, quæ ſunt formaliter ſpecies relationis prædicamentalis; & eſt incapax modi intrinſeci à ſe diſtincti: ergo illæ ſpecies relationis non ſunt modi intrinſeci diſtincti. Sicut ergo in Deo apprehendimus formalem exceſſum ad creaturas, cur eumdem non apprehendemus in creaturis ipſis? Nam argumentum oppoſitæ ſententiæ idem probat de omni inæqualitate:

Argumentū ad hominem.

nam ſicut dicunt: *Petrus antea non erat inæqualis, & modo eſt inæqualis*, ita ego dico, *Deus non erat inæqualis, &c.* & ſicut ipſi reſpondét, illam relationem non diſtingui realiter à fundamento, & termino, idem ego dico de quauis alia. Confirmatur, Deus ſine modo à ſe diſtincto eſt perfectior Petro: ergo Petrus ſine modo à ſe diſtincto eſt imperfectior Deo. Patet conſequentia, tum quia natura Petri per ſuum conceptum eſt effectus Dei tamquam cauſæ æquiuocæ, tum etiam, quia per eamdem rationem per quam Deus excedit Petrum, Petrus exceditur à Deo; ſicut per eamdem rationem, per quam homo videt parietem, paries videtur ab homine.

Confirmatur.

§. 23. *Quarta obiectio. Reſpondetur. A cōceptu intrinſeco Dei ad nos nō eſt conſequētia: eſt tamen ab extrinſeco.*

Dices quartò, non bene argui à Deo ad creaturas: nam Deus poteſt velle aliquid ſine mutatione ſui, non tamen creatura: ergo etiam poterit eſſe ſimilis, vel diſſimilis. Contra, à conceptibus omnino intrinſecis Dei non bene arguitur ad creaturas propter infinitudinē perfectionis, qua Deitas creaturas excedit: at verò à conceptibus Deo prouenientibus ab aliquo extrinſeco, rectè poſſumus ad creaturas philoſophari, vt ex denominatione agentis, & coëxiſtentis poſſumus inferre creaturas poſſe agentes, & coëxiſtentes denominari ſine intrinſeca mutatione: & ſicut Deus non eſt dominus, neque diſſimilis niſi creaturæ exiſtentis, ita poſſumus inferre creaturas non eſſe diſſimiles, niſi rebus exiſtentibus. Cùm ergo Deus per ſuam entitatem, & per coëxiſtentiam alterius rei habeat conceptum dominij, vel inæqualitatis (qui eſt ad aliud) ita & relationem prædicamentalem, idémque poterit creaturis euenire. Vnde ſicut dominium, & diſſimilitudo eſt ad aliud in Deo, ſimiliter & in nobis ſine vllo modo diſtincto. Quamuis in nobis reſultaret alius modus, ille non eſſet ratio æqualitatis, vel inæqualitatis, ſed proprietas ex æqualitate ſecuta, totus autem conceptus ad aliud conſiſteret in æqualitate, è qua reſultaret ille modus.

§. 24. *Quartum argumentum. Forma habet vt quo effectum quem dat.*

Quarto argumento præmitto (quod ſæpè probaui) formam debere in ſe habere vt *quo* formalem effectum, quem præſtat cum ſubiecto vt *quod*. nam albedo debet eſſe ratio diſgregandi viſum: & quantitas extendendi ſubiectum, debétque ipſa extendi vt *quo*, & cognitio debet eſſe ratio cognoſcendi. Quod clarius patet in modis: nam vnio eſt ratio vniendi, & ſe vnit vt *quo*, & actio eſt ratio agendi, & agitur vt *quo*: ratio à priori, quia ſubiecta denominationem accipiunt à formis per ipſas: ergo formæ in ſe ſunt tales denominationes: tunc ſic argumentor, forma debet habere vt *quo* formalem effectum, quem tribuit ſubiecto: ſed relatio identitatis, v.g. non habet vt *quo* identitatem fundamenti, & termini: ergo relatio diſtincta à fundamento, & termino non poteſt illa denominare eadem. Probo minorem, relatio identitatis eſt ratio, qua duo indiuidua conueniunt in ſpecie, vel ſunt ſubſtantialiter ſimilia (vt infra probabo) ſed ſi relatio diſtinguitur à fundamento, & termino non poteſt eſſe ratio propter quam duo indiuidua conueniunt in ſpecie: ergo non datur ea relatio ſic diſtincta. Probo minorem in Petro, & Paulo, relatio ab illis diſtincta non conuenit cum illis vt *quo*: ergo non eſt ratio ob quam illi conueniant vt *quod*. Conſequentia patet ex dictis. Probo antecedens: quia relatio illa, cùm ſit accidens, eſt diuerſa, & diſſimilis intrinſecè Petro, & Paulo: ergo non poteſt eſſe ratio conueniendi; ſicut vnio nō poteſt eſſe ratio vniendi corpus, & animam, ſi ipſa illis ſe non vniat: ſimiliter relatio identitatis non conſtituit extrema eadem, niſi ipſa ſit identitas eorūdem.

Relatio diſtincta ab extremis, nō poteſt ea referre.

Obiectio. Dices, idemtitatem eſſe eſſentias vtriuſque extremi; relationem autem eſſe ad referendam eam *Reſpondetur.* idemtitatem; non quia illa ſit idemtitas. Contra: ergo eſſentiæ vtriuſque extremi ſecluſa alia relatione diſtincta, ſe mutuo referunt. Patet conſequentia: quia illæ eſſentiæ ſunt eædem: ergo ſe ipſis habent idemtitatem, ſed idemtitas eſt ſpecies relationis: ergo.

§. 25. *Quintum argumentum. Eſſent infinita.* Quintò ſic arguo, ſi relatio idemtitatis inter Petrum, & Paulum, eſt ab vtroque diſtincta, dantur infinitæ relationes in actu, conſequens eſt abſurdum: ergo. Probo maiorem: relatio Petri habet aliam relationem diuerſitatis ab eſſentia Petri: ergo iam habemus duas relationes, alteram idemtitatis inter Petrum, & Paulum; alteram diuerſitatis inter Petrum, & ſuam relationem idemtitatis ad Paulum. Hæc ſecunda relatio habet diuerſitatem à relatione idemtitatis, quę eſt in Paulo ad Petrum: ergo habet aliam relationem diuerſitatis, iam ergo ſunt relationes tres in Petro. Deinde hæc tertia relatio eſt diuerſa ab eſſentia Petri: ergo habemus quartam relationem diuerſitatis ab eſſentia Petri. Item hæc quarta eſt diſſimilis primæ relationi idêtitatis inter Petrum, & Paulum: habemus ergo quintam relationem diuerſitatis, & ſic in infinitum comparando relationem idemtitatis cum alia diuerſitatis, & relationem cum fundamento, & termino: & ſic infinitæ conſurgunt relationes diuerſitatis, & diſſimilitudinis.

§. 26. *Obiectio. Reſpondetur.* Dices, ad relationem non dari relationem, ſicut nec ad vnionem vnio, neque actio ad actionem. Contra: conſideremus relationem in ordine ad fundamentum, & terminum, quæ refert, ſub ea ratione non eget alia: v. g. relatio idemtitatis inter Petrum & Paulum non eget alia relatione ad eos referendos idemtitate, neque vt ſe ad illos referat: nam cum ſit reſpectus idemtitatis, ſe ipſa reſpicit terminum, ſicut vnio ſe vnit extremis: at hæc relatio non refert extrema relatione diuerſitatis: & vt ſic non eſt formalis reſpectus diuerſitatis: nam hic reſpectus fundatur in accidentali eſſentia relationis, & in ſubſtantiali natura Petri; in quibus fundatur diſſimilitudo: ergo vt illa relatio referatur ad Petrum relatione diuerſitatis, indiget alia relatione diuerſitatis: quia ipſa non eſt talis relatio, ſicut cognitio, vt repræſentet obiectum, non eget alia cognitione: at verò vt repræſentetur per alium intellectum, indiget noua cognitione: ſicut vnio, vt vniat, & vniatur, non indiget alio modo: at vt producatur eget actione diſtincta à ſe, quia vnio non eſt ratio agendi: ſimiliter relatio idemtitatis ad referendum idemtitatiuè ſuum ſubiectum, non eget alia; vt verò referatur ipſa diuerſitatiuè, eget alia: quia illa non eſt relatio diuerſitatis, & ſic de aliis, quæ vt referantur ad ſua ſubiecta, & terminos, non egent alia eo genere: at verò vt referantur in diuerſo genere, ea indigent.

Ad relationē quomodo detur & nō detur relatio.

§. 27. *Diſcrimen actionis à relatione.* Rogas, cur vna actio non fiat per aliam, & relatio poſſit per aliam referri? Rogo ego, cur actio non fiat per aliam, & cognitio cognoſcatur per aliam? Reſpondeo, actionem ſe ipſa eſſe termini productionem, & ſui: quapropter non poteſt produci per aliam propter rationes in Phyſicis adductas: at verò relatio, licet non indiget alia relatione, vt extrema referat inuicem, & ſe ad illa (in quo ſimilis eſt actioni) at verò indiget alia relatione comparatione aliarum rerum, quarum non eſt relatio: quia cum illis habet conuenientiam, vel diſconuenientiam; quod patet apertè; tum, quia relatio Petri ad Paulum tantum reſpicit illos duos homines, & non habet diſſimilitudinem cum equo, & lapide non exiſtentibus, quam tamen habet illis exiſtentibus: ergo de nouo mutatur per relationem diuerſitatis ad illos, vt tu argumentaris: tum etiam à priori; quia relatio tantum ſe refert ad ea extrema, quæ per illam in eodem genere referuntur: quia eſt ratio formalis referendi in eo genere; in diuerſo autem genere, ſicut non denominat extrema relata vt *quod*, ita ea non refert vt *quo*: nam ſi ipſa referret vt *quo* in eo genere, fundamentum, & terminus denominarentur relata vt *quod*. Vnde concludo relationem idemtitatis inter Petrum, & Paulum referri ad illos relatione diuerſitatis per aliam relationem: quia ipſa non eſt ratio formalis eos referendi diuerſitatiuè, cum ſit reſpectu illorum relatio idêtitatis: ergo eſt terminus relatus per aliam relationem, quia quidquid refertur, vel refertur vt ratio formalis referendi duo, vel refertur vt extremum relatum.

§. 28. *Alia argumenta mittuntur.* Mitto argumentum deſumptum ex multitudine modorum; qui in eadem re ſingulis momentis generarentur, & corrumperentur: vt quia Petrus moritur Romæ, amitterent omnes homines vbique terrarum relationē idemtitatis, & omnes creaturæ ab homine diſtinctæ relationem diuerſitatis. Et ego tot modos vnico inſtanti mutarem, quot mutationes contingunt in vtroque mundo. Quod licet ridiculum appareat abſurdum, & à S. Thoma explodatur: non tamen habet aliam confutationem, præter admirationes, & exclamationes. S. autem Thom. eo opuſc. 48. tract. 5. cap. 2. probat relationem contingere ſine noua re diſtincta, & ſine mutatione: quia naſcente in India homine albo ego illi fio ſimilis: quaſi dicat, ex ęo quod ille oriatur in India, quis me in Italia mutabit? quid in me producitur? quæ erit cauſa illius motus? argumentum quidem mihi euidens, & propter S. Thom. honorandum. Item me exiſtente albo, ſi alius naſcatur albus, præciſè ſine alio modo ſum illi ſimilis, cùm antea non eſſem, quod argumentum Caietan. *Caiet.* 1. p. q. 28. art. 2. ait, habere ſummam vim, quod tamen ipſe ita diluit ambiguè, vt quandoque in noſtram videatur claudicare ſententiam.

SECTIO III.

Sententiæ explicatio, & argumentorum ſolutio.

§. 29. *Quæſtio.* Explicanda ſupereſt idemtitas relationis cum fundamento, & termino: an relatio, qua ego ſum ſimilis Petro, ſit idem cum mea albedine tantum: an verò ſit etiam formaliter cum albedine Petri? ita vt mea ſimilitudo ex æquo includat vtramque albedinem; ſicut album includit intrinſecè ſubiectum, & albedinem; an verò mea ſimilitudo adæquatè conſiſtat in ſola mea albedine, & connotet extrinſecè exiſtentiam alterius: ſicuti viſio adæquatè conſiſtit in exercitio potentiæ viſiuę, & connotat extrinſecè obiectum. P. Suarez diſput. 47. *P. Suar. opinio.* metaph. ſect. 2. n. 22. in hanc vltimam ſententiam videtur inclinari: quam num. 25. docet apertè. Fundamentum non video, niſi quia Ariſtot. diuiſit re- *Primum fundamentum.* lationem *in mutuam, & non mutuam*, quod non eſſet verum ſi relatio formaliter includit vtrumque extremum. Verum infra probabo, relationes prædi- *Reſpond.* camentales ſemper eſſe mutuas; non mutuas autem inter ſolas tranſcendentales reperiri; ibi enim Ariſtot. egit permixtim de omni relatione.

§. 30. *Secundū fundamentum.* Secundum fundamentū poteſt eſſe; quia ſimilitudo nō eſt extrinſeca denominatio, ſed intrinſeca: &

Reſpondetur. & ego non ſum ſimilis Antonio per eius albedinem, ſed per meam. Verùm ſimilitudo(& quæuis relatio prædicamentalis)neque eſt omnino intrinſeca denominatio,nec omnino extrinſeca;ſed partim intrinſeca, extrinſeca partim:ego enim ſum ſimilis Antonio per meum, & illius pallorem: per meum in recto poſitum,per illius in obliquo connotatum;ſed qui pertinet ad formalem conceptum ſimilitudinis: vt albedo, & ſubiectum pertinent ad formalem conceptum albi;ſed ſubiectum in recto, albedo autem in obliquo: ita ego ſum ſimilis Antonio intrinſecè, & in recto per meum pallorem; extrinſecè autem & in obliquo per pallorem Antonij. Similiter & Antonius eſt ſimilis mihi intrinſecè per ſuum pallorem, extrinſecè autem per meum. Quod docet apertè S. Thom. adductus in fine §. 9. vbi docet relatione includi duas res,vt patet.

§. 31. *Relatio eſt idē cū vtroq; extremo.* S.Thom. Igitur ſimilitudo formaliter eſt idem cum fundamento,& termino. Ita S.Thom. ſuprà cap.3. expreſsè ſine vlla tergiuerſatione. *Probatur.* Probatur: relatio non eſt modus ex natura rei diſtinctus à fundamento, & termino:neque eſt fundamētum ſolum, nec ſolus terminus:ergo conſiſtit in vtroque.Conſequentiam probo: quia nihil eſt relatio æqualitatis,niſi æqualitas duarum qualitatum exiſtentium; ſed hæc æqualitas eſt vtraque qualitas: ergo. *Reſp.P.Suar.* Reſpondet P. Suarez ſimilitudinem, & æqualitatem Petri in albedine Pauli,eſſe ſolam albedinem Petri connotantem albedinem Pauli; albedinem autem Petri non eſſe ſimilem ante exiſtentiam alterius, *Refellitur.* ſed per connotationem ad illam eſſe ſimilem. Verum(ni fallor)hęc ſolutio aut recidit in ſententiam Thomiſtarum, aut docet poſſe de nouo aduenire intrinſecam denominationem ſine forma noua intrinſecè adueniente;quorum vtrumque meritò negat ipſe Pat.Suarez. Probo autem ſequelam; nam terminus relationis vel eſt de eſſentia illius, vel non; ſi primum, habeo intentum, nempe relationem eſſe denominationem intrinſecam, & extrinſecam formaliter: ſi autem non eſt de illius eſſentia, ergo tota eſſentia relationis conſiſtit in ſolo fundamento: ergo antequam adueniat terminus, erat tota eſſentia relationis; nam erat totum fundamentum; ergo antequam adueniret terminus, erat relatio;nam erat tota eſſentia illius:ergo antequā adueniret terminus, referebat ſuum ſubiectū; quia tota eſſentia relationis eſt referre;ergo Petrus albus erat ſimilis Paulo albo ante ortum Pauli.

§. 32. *Reſp.P.Suar.* Reſpondet P.Suarez, eſſe quidem totam rationem fundandi ſimilitudinem antequam terminus adueniat;illud tamen fundamentum tunc non eſſe relationem formaliter; quia tunc non reſpiciebat *Refellitur.* terminum. Contra,antequam terminus adueniat, vel eſt tota relatio formaliter realiter, vel non; ſi non eſt; ergo relatio diſtinguitur à fundamento ſaltem partialiter; quia antea erat totum fundamentum, & non tota relatio: ergo illud per quod completur relatio,eſt terminus;quia per te non eſt modus à termino,& fundamento diſtinctus; ſi autem priuſquam terminus adueniat,erat tota eſſentia relationis, cur non denominabat ſimile ſubiectum? nam forma vnita ſubiecto illi communicat *Alia ratio.* ſuum formalem effectum. Deinde rogo,quid ſit illud reſpicere terminum? nam per te non eſt modus à fundamento diſtinctus,neque eſt ipſum fundamentum ſolum: nam antequam terminus adueniret,erat totum fundamentum,& non reſpiciebat terminum,neque per te eſt ipſe terminus;quid ergo *Obiectio.* eſt ex parte fundamenti? Dices eſſe ipſum funda- *Reſpondetur.* mentum connotans exiſtentiam termini. Contra, totum fundamentum erat antea,cur non connotabat terminum,modò autem connotat:ergo aliquid illi additum eſt,nam modò connotat,& antea non connotabat: hæc igitur connotatio eſt ipſa exiſtentia termini. Neque intelligi poteſt fundamentum habere nouum, & intrinſecum reſpectum ad terminū,ſine noua,& intrinſeca additione. Quod ſi dicas relationem prædicamentalem in ratione relationis includere terminum, id ego libenter admitto; quia contendo: ſed in tua ſententia non video, qua poſſit ratione defendi,quia tota eſſentia relationis præcedit terminum,& ſicut denominat ſubiectum album, illud etiam denominabit ſimile.

§. 33. *Alia obiectio.* Dices, ante exiſtentiam termini manere totam eſſentiam relationis in recto ſignificatam; non verò connotatam in obliquo: vt in ſcientia Dei manet tota eſſentia viſionis;quæ poſſet non eſſe ſcientia viſionis. Contra; connotatum aut eſt pars re- *Reſpondetur.* lationis,aut non; ſi primum,habeo intentum:ſi ſecundum,ergo ante exiſtentiam connotati erat abſolutè tota relatio, quia per defectum connotati nulla eius pars deerat: ergo referebat:quia eſſentia relationis actu exiſtētis eſt actu referre:ſicut vnionis vnire, & per aduentum connotati nihil aduenit intrinſecum: ergo ante referebat intrinſecè. Exempla ſcientiæ Dei ſunt abs re;quia actus liberi, *Ad exempla Dei.* & ſcientia viſionis ſunt difficiliores myſterio Trinitatis: velle autem phyſicas minutias ad eamdem trutinam reuocare ad quam ea myſteria; non eſt myſteriis lucem afferre è philoſophia:ſed hanc obtenebrare. Eodem modo dici poſſet, produci animam vt forma,non verò vt eſt rationalis,quia producitur entitas Dei vt eſt relatio, non verò vt eſt natura. Ergo ſi ſemel ponitur tota eſſentia rei, neceſſariò ponitur res ipſa.Recognoſce diſp.2.ſect.5. quæ faciunt huic argumento.

§. 34. *Opinio de connotatis.* Reſpondent aliqui, ante exiſtētiam termini eſſe totam relationem in ratione entis, non tamen in ratione denominationis: quia ſimilitudo Petri eſt eius albedo ſola: quæ denominat *album* independenter ab exiſtentia Pauli albi: at non denominat, nec reddit intrinſecè Petrum *ſimilem* ante exiſtentiā termini:non ex defectu relationis, ſed termini: à quo pendet ea denominatio in ratione denominationis. Quod cenſent eſſe proprium relatiuorum:idque probant ex actibus liberis Dei.

Non cōſtituitur bene diſcrimē formæ abſolutæ à relatiua. Hos impugnaui ſæpius, præſertim diſp.5.Phyſic.à §.... & diſput.6.Metaph. à §.... Nunc breuiter Dico primùm,diſcrimen abſolutæ formæ à relatiua haud bene conſtitui: tum quia actus Dei non ſunt de prædicamento relationis; & eorum vtuntur exemplo: tum,quia ſi ſemel exiſtit in ſua entitate independenter à termino:communicat omnes effectus formales, & denominationes intrinſecas; vt id præſtat forma abſoluta. Eſt ergo diſcrimen, quod abſoluta denominat, & eſt independenter à termino:relatiua autem nec denominat,nec eſt niſi cum dependentia à termino. Conueniunt autem, quod vtraque, dum eſt,præſtat omnes ſuos formales effectus intrinſecos, & denominationes: quia conſiſtunt adæquatè in forma vnita ſubiecto. Dico *Exemplā Dei deſerunt.* ſecundò eos,ob actus liberos Dei, totam turbaſſe Philoſophiam:poſtea verò non ſunt auſi eos actus tueri hoc genere connotatorum: vt obſeruaui diſput.8.de voluntate Dei.

§. 35. *Probatur diſtinctio realis.* Dico tertiò,hinc ſequi relationem diſtingui realiter à fundamento.Probo:entitati *album* conuenit à parte rei prædicatum reale intrinſecum quod nō conuenit denominationi *ſimile*: ergo *ens album*, & *ens ſimile* diſtinguūtur à parte rei.Probo antecedēs:

ens album in hac entitate & denominatione eſt realiter independens ab exiſtentia Pauli albi : *ens* autem *ſimile* non eſt ita independens ab eadem Pauli albi exiſtentia:ergo *ens album* habet aliquod prædicatum reale intrinſecum,quod non habet *ens ſimile*. Antecedens datur ab his authoribus.

§. 36. *Obiectio.* Dicent *ens ſimile* in entitate habere omnia prædicata quæ *ens album*. Contra : Denominatio *ſimilis* in ratione denominationis habet intrinſecum prædicatum;quod non habet ratio entis in ratione entis : ergo illa denominatio in ratione talis eſt di- *Impugnatur.* ſtincta realiter à ratione entis. Probo antecedens: quia in ratione denominationis pendet realiter à termino : quia ante illum non eſt denominatio ſimilitudinis in ratione ſimilitudinis aut denominationis:at in ratione entitatis , *& albi* non pendet à termino. Quæ eſt clara demonſtratio. Equidem mirum eſt ; effectum formalem intrinſecum non communicari communicata forma.

§. 37. *Concluſio.* Ergo ſimilitudo inter Petrum & Paulum eſt albedo vtriuſque ſimul exiſtens ; quia non eſt modus , vt demonſtraui ſect. 2. neque eſt ſolum fundamentum , vt modo probaui, ergo eſt vtrumque *Confirmatur.* extremum. Confirmatur in relatione tacti,quæ eſt prædicamentalis ; quia tangere eſt ad aliud : ſed duo corpora habent relationem tacti præcisè per coëxiſtentiam in duobus locis immediatis , ergo relatio formaliter conſiſtit in vtroque extremo:patet minor, quia coëxiſtentia duorum corporum in duobus locis immediatis eſt tactus vtriuſque:ergo ab illa denominantur tacta. Idem patet in idemtitatis relatione.

§. 38. *Ad primum ex §. 6.* Ad primum argumentum in §. 6. adductum in forma reſpondetur , Petrum modò eſſe ſimilem de nouo ſine mutatione ſui , per albedinem in termino de nouo productam. Ad probationem reſpondeo,ſimilitudinem eſſe denominationem intrinſecam , & extrinſecam formaliter ; & propter defectum extrinſecæ coëxiſtentiæ , Petrum antea non eſſe ſimilem , non verò propter defectum eius rei, quam ſimilitudo in Petro requirit intrinſecè. Quo pacto facile ſoluuntur omnes obiectiones ; nam modo ego ſum exiſtens , poſtea verò coëxiſto Petro , eſſe antea habebam totum , quod ex parte rei requiritur ad coëxiſtendum ; quia verò *coëxiſtere* dicit formaliter duas exiſtentias, neutra ſufficit ad denominandum *coëxiſtens*. Vnde aduenit coëxiſtentia;nam mea exiſtentia antea me denominabat *exiſtentem* non tamen *coëxiſtentem*, modò autem denominat coëxiſtentem,non ſola , ſed ſimul cum alia.

§. 39. *Obiectio.* Dices , ergo ſimilitudo non refert vnum ad aliud ; neque illud ordinat : ſed ſunt duæ res abſo- P. Fonſeca. lutæ ſimul exiſtentes P. Fonſeca,& alij aiunt à nobis è medio tolli prædicamentum relationis. Et S. Thom. quidem B. Thom. initio §. 9. hoc argumentum con- *Reſpondetur.* tra ſuam ſententiam obiecit : & diluit. Reſpondeo ergo ex illo,diſtinctione conſequentis;relatio non ordinat,id eſt non reſpicit aliud tamquam id,à quo pendeat,concedo conſequentiam : non ordinat,id *Relatio prædicamentalis ſunt duo cõceptus abſoluti.* eſt non comparat,nego conſequentiam. Nam ſolæ relationes tranſcendentales ordinantur ad terminos;prædicamentales autem non ordinantur inuicem : ſed ſunt duo conceptus abſoluti,ſumpti non ab vna re ſola,ſed à duabus ſimul exiſtentibus:propterea ſimile dicitur *ad aliud*;non quia vna albedo ordinatur ad aliam,ſed quia eſt conceptus ſumptus per comparationem ad aliam , id eſt,ab alia ſimul; quo differunt *album* , & *ſimile* , quia *album* ſumitur ab albedine ſola ; *ſimile* autem à duabus. Dixi autem ſect. 1. *referre* eſſe comparare vnum alij. Itaque ſimile eſt conceptus ad aliud;quia vna res ſola non eſt ſimilis : non tamen eſt ad aliud, ſumendo ſimilitudinem ex parte vnius,& terminum ex parte alterius ; ſed , quia in iſta denominatione includit aliud à ſe diſtinctum , tamquam partem prædicati ad aliud : ſecus eſt in cognitione , cuius terminus non eſt pars cognitionis:ſed tota hæc ordinatur ad terminum.

Dices ſecundò, ergo idem eſt Petrum eſſe ſimilem Paulo,& Paulum eſſe ſimilem Petro. Diſtin- §. 40. *Obiectio ſecunda.* guo conſequens,idem eſt à parte rei,concedo con- *Reſpondetur.* ſequentiam ; quia ſimilitudo vtriuſque eoſdem conceptus includit : in modo autem ſignificandi nego : nam Petrus eſt ſimilis Paulo per albedinem ſuam intrinſecam , quaſi in recto ſignificatam , & per albedinem termini quaſi in obliquo ſignificatam ; è contra verò , Paulus eſt ſimilis Petro per ſuam albedinem intrinſecè,connotando extrinſecè albedinem Petri (vt ex S. Thoma probaui §. 30.)ſicut mea albedo eſt fundamentum meæ ſimilitudinis ad Paulum,& albedo Pauli eſt terminus:è contra verò manibus mutatis , mea albedo eſt terminus ſimilitudinis Pauli ad me , & albedo Pauli eſt fundamentum : quod idem patet in hoc prædicato *coëxiſtens*. Ego coëxiſto per meam exiſtentiam in recto , & Antonianam in obliquo : è contra Antonius per ſuam in recto , & meam in obliquo.

Dices tertiò,ergo idem eſt in relatione ſimilitu- §. 41. dinis,& paternitatis : ergo pater eſt formaliter pa- *Tertia obiectio.* ter per filium. Concedo totum , nam eſſe patrem, *Reſpondetur.* & filium ſunt duo homines coëxiſtentes , quorum alter alterum genuit:ſed pater habet pro fundamento hominem generantem, & habet pro termino hominem genitum. E contra , filius habet pro fundamento terminum paternitatis , & pro termino fundamentum paternitatis. Nam filius dicit in recto hominem genitum , & in obliquo connotat genitorem. Vnde filius materialiter ſumptus non eſt de conceptu hominis, qui dicitur pater ; eſt tamen de conceptu patris formaliter : quia hæc denominatio ſumitur ab vtroque. Eſtque ca- *Animaduerſio.* uenda æquiuocatio vocum ; diuerſum enim eſt agere de patre vt generante , qui ſolum conſtituitur per cauſalitatem : diuerſum autem agere de illo vt relatiuo. Quo differt pater humanus à Diui- *Pater in humanis differt ac in diuinis.* no , quia Diuinus habet relationem paternitatis quaſi tranſcendentalem : qua conſtituitur in eſſe perſonali intrinſecè, hominem autem eſſe patrem, eſt accidentaria denominatio. Hanc noſtram ſententiam Peripateticis eſſe communem docet ipſe Pat. Suarez ſect. 8. num. 9. quam ipſe docet apertè *P. Suar. exponitur.* num. 13. his verbis : *in ipſo effectu formali relationis, inuoluitur aliquo modo terminus realis*. & num. 14. his, *imò in re ipſa nihil diſtinctum addit , præter coëxiſtentiam termini*. Quod ſi quando videtur eſſe contrarius:in cauſa eſt, quod ipſe ait quæſtionem eſſe de nomine.

Ad ſecundum eiuſdem §. 6. diſtinguo maio- §. 42. rem ; relatio per ſe directè poſita in prædicamen- *Relatio directè poſita in prædicamẽto eſt accidens.* to ad aliquid eſt accidens , concedo maiorem cum S. Thom. indirectè poſita, & reductiuè, nego. Item diſtinguo minorem ; fundamentum relationis directè poſitæ in hac categoria eſt ſubſtantia , nego : indirectè , concedo. Vide S. Thomam ſupra cap. 4. hęc ferè aſſerentem,& nego conſequentiam. Oſtendi diſput. 9. relationes ſubſtantiales non ha- *Relatio ſubſtantialis nõ eſt directè in prædicamẽto.* bere prædicamentum directè , vt docet Pat. Vazquez, tom. 2. in 1. part. diſput. 173. num. 5. ſed ad P. Vazquez. duo pertinere, ad ſubſtantiam quidem directè;qua parte ſunt ſubſtantia : ad aliquid autem indirectè.

Nec

Ferrar. Nec item probo Ferrarienſem aliquas relationes diſtinguentem, aliquas non: quia argumenta eadem vi omnes vrgent, maximè illud de ſeparabilitate: quo ictu, & Scotum ferio diſtinguentem ſeparabiles, inſeparabiles autem idemtificantem: nam ſi diuerſitas Petri ab equo eſt diſtincta ab vtroque, cur & diuerſitas Petri à Deo non erit diſtincta? & vt rectè contra eum ſupra Caietanus obſeruat, multa ſunt inſeparabilia, quę diſtinguuntur: item ſeparabitur quidem à Deo hæc diuerſitas numero, licet non ſeparetur omnis ſicut ſeparatur actio hæc, & hoc *vbi*: item ſicut Petrus ſe ipſo eſt diuerſus à Deo, ita & ab equo, licet ab equo contingenter, à Deo autem neceſſariò, propter neceſſariam exiſtentiam Dei, & contingentem equi.

Scotus. Caietan.

§. 43. *Ad tertium.* Ad tertium reſpondet S. Thomas eo cap. 3. ſimilitudinem diſtingui ab albedine ratione termini extrinſeci, quem ſimilitudo includit, & non albedo. Deinde reſpondeo prædicamenta non ſemper eſſe diſtincta.

§. 44. *Solutio dubiorum. Explicatur S.Thomas.* E quibus deduces primùm, cur S.Thom. adductus à §. 9. neget relatione fieri compoſitionem; alibi autem dicat, relatione fieri compoſitionem, & mutationem. Etenim primo loco oſtendit ipſo conceptu formali relationis non fieri additionem ſupra immediatum fundamentum & terminum accidentales: quia ſimilitudo in albedine non addit aliquid albedini vtriuſque extremi: ac propterea cum immediato fundamento non init compoſitionem. In ſecundo loco ſumit relationem pro immediato fundamento & termino, qui ſunt albedo vtriuſque extremi: hæc compoſitionem init cum ſubiecto. Et quia S.Thom. nullam relationem pertinere directè arbitratur ad hoc prædicamentum, niſi accidentalem; ideo eam Deo negat.

S.Thom. cur neget relationem Deo.

§. 45. *Secũdum corollarium.* Deduco ſecundò; cur hæc ſit vera propoſitio, *omnis relatio eſt accidens*: nempe, quia *relatio* accipitur pro pertinente directè ad hoc prædicamentum: ſubſtantialis autem non pertinet niſi reductitiè.

§. 46. *Tertium. Ad relationẽ cur nõ detur per ſe motus.* Tertiò deduces; cur ad relationem non detur per ſe motus. Datur quidem ad albedinem vtriuſque extremi ſingillatim. Calor enim per ſe producit calorem. Relatio autem includit terminum extrinſecum; ad quem, vt eſt extrinſecus, non terminatur productio caloris. Ego enim directè volo calefacere manum; denominationem autem *ſimilis* cum alio corpore calido; ego non curo: aliud agens, mouebitur directè ad calefaciendum aliud corpus, nihil curans, an mea manus ſit calida, & illi ſimilis.

§. 47. *Quartum. Prædicatio ſimilitudinis.* Quartò deduces, quo pacto ſimilitudo prædicetur de ſubiecto ſimili; nempe concretè, & adiectiuè. *Petrus* enim *eſt ſimilis Paulo*; æquiualet huic: *Petrus albus eſt coëxiſtens Paulo albo.* Exiſtentia Pauli prædicatur in obliquo vt forma extrinſeca coëxiſtentis; vt *Petrus eſt cognitus*, cõnotat in obliquo cognitionem. Itaque in recto *Petrus albus* prædicatur de ſe ipſo; in obliquo autem albedo Pauli adiectiuè. Item *hic eſt pater*: æquiualet huic: *eſt coëxiſtens homini quem genuit.*

SECTIO IV.

Quid ſit ratio in, *&* ad.

§. 48. *Relatio habet* in, *&* ad. Relatio duos habet conceptus (ſi duo dicendi ſunt) alter vocatur *ad*, alter *in*, id eſt, ratio in vna exiſtens aliam reſpiciens, quod clarius pateret, ſi relatio prædicamentalis eſſet modus à termino, & fundamento diſtinctus: nam paternitas, v.g. eſſet accidens in patre exiſtens, reſpectans filium. Explicatur autem in noſtra ſententia; quia paternitas eſt entitas patris in ipſo exiſtens, cum coëxiſtentia filij: itaque denominatio paternitatis eſt in patre ad filium; quia comparatione illius eſt pater.

§. 49. *Prima opinio. Caietan. Canarienſ. P.Vazquez.* Caietanus & Canarienſis, quorum meminere P.Suar. ſect. 3. n. 2. & P.Vazq. tom. 2. 1. p. diſp. 144. ſunt opinati conceptum relationis ſecundum eſſe *ad* non eſſe realem: ſed abſtractum à relatione reali, & rationis: nam etiam relatio rationis habet eſſe *ad*, innixi cuidam teſtimonio S.Thom. (neſcio an ſatis expenſo) 1. p. q. 28. art. 1. vbi ait, in ſolo prædicamento relationis reperiri aliquos conceptus ſecundum rationem tantum. Quod teſtimonium latè exponunt P.Suar. & Vazq. S.Thom. tantum eſſe locurum de relatione rationis non in re, ſed tantum in voce, & conceptu. Nam intellectus fingens relationem refert per ſuos actus vnã rem ad aliam, & ſic illam dicitur referre: & videtur imitari hoc prædicamentum: at verò intellectus faciendo entia rationis non dicitur quantificare, & ſubſtantiare (vt rectè P. Vazq. obſeruat) quæ expoſitio in textum tam apprimè quadrat, vt ei videatur innata. Fundamentum Caietani, & Canarienſis argumentatione conuelletur.

Fũdamentũ. *Pat.Vazq. & Suar. exponũt S.Thom.*

§. 50. *Impugnatur. Enti reali & rationis non datur ratio communis.* Impugnatur autem primò, quia enti reali, & rationis nulla datur ratio communis: ergo ratio *ad*, non poteſt illis eſſe communis: probo antecedens, quia illa ratio communis debet eſſe aliquid: omnes enim rationes communes Petro, ſunt aliquid; quia Petrus non conſtat ex non aliquo: ſed ratio abſtracta ab ente reali, & rationis nõ poteſt eſſe aliquid: ergo non poteſt abſtrahi: probo minorem, quia in ente rationis non includitur aliquid, quia ens rationis nihil eſt. Dices, non includi aliquid reale, includi tamen aliquid abſtractum ab ente reali, & rationis. Contra, quia eſt implicatio, aliquid abſtractum ab ente reali; nam ſi non includit formaliter ens reale: ergo non eſt aliquid. Deinde, quidquid habet rationis, eſt fictum, & eſſentialiter repugnat eſſe: ergo non poteſt ab illo abſtrahi ratio communis enti reali: patet conſequentia, quia ens, & non ens habent omnimodam diſſimilitudinem, & nullam ſimilitudinem: ergo non poteſt ab illis abſtrahi ratio communis, quia ſimilitudo eſt fundamentum abſtractionis. Tandem, ſicut à Deo vero, & ficto non poteſt abſtrahi ratio cõmunis Dei, ita neque ab ente vero & ficto. Ens autem rationis vocatur *ens* nomine tantum, nam teſte Ariſtot. non entia dicimus eſſe; quia de illis non poſſumus agere, niſi per verbum ſubſtantiuum.

Obiectio. *Reſp. primò.* *Secundò.* *Tertiò.* *Ens rationis eſt ens nomine tenus.*

§. 51. *Secũdum argumentum.* Secundò impugnatur, quia ſi ratio *ad* eſt communis reali, & rationis: ergo etiam ratio *in*; patet conſequentia, quia intellectus non poteſt effingere rationem *ad*, niſi effingendo rationem *in*, quia non poteſt referre ad aliquid, niſi aliquid referat: ergo id, quod refertur, fingetur habere in ſe relationem, ergo tam communis eſt ratio *in* quàm ratio *ad.*

§. 52. *Tertium argumentum. Ratio* ad, *includit* in. *Confirmatur.* Tertiò, quia ratio *ad* includit intrinſecè rationẽ *in*: ergo eſt realis; patet antecedens, quia ratio *ad* eſt differentia accidentis ab Ariſtot. diuiſi in nouem prædicamenta; ſed differentia accidentalis intrinſecè includit rationem *in*: ergo. Confirmatur, ratio *ad* eſt conceptus, per quem pater reſpicit filium: ſed eo præcisè quod pater reſpicit filium, debet in ſe habere conceptum per quem illum reſpiciat: ergo pater cum concipitur relatus, cõcipitur habere in ſe relationem: nam ratio *ad* apprehenditur vt intrinſeca alicui; nõ enim apprehenditur à ſubiecto abſtracta: ergo concipitur in aliquo, ergo non abſtrahit

Ratio ad, *apprehenditur vt intrinſeca.*

Ratio in tranſcendit nouem prædicamenta. P. Suarez. ſtrahit à ratione *in*. Itaque ratio *in* eſt tranſcendens nouem prædicamenta; ratio autem *ad* conſtituit quartum relationis; non quia excludat rationem *in* (vt rectè P. Suarez) ſed quia illi addit conceptum *ad*; ſicut cætera prædicamenta non excludunt conceptus tranſcendentes; nam actio eſt intrinſeca, & addit extrinſecum connotatum, & ſic intelligit *P. Suar. explicat S. Tho.* P. Suarez S. Thomam, aſſerentem prædicamentum relationis conſtitui per eſſe *ad* tantum, vbi ly *tantum* non excludit conceptus tranſcendentes; ſed explicat eſſe *ad* eſſe differentiam huius cathegoriæ. *In diuinis idē ſunt ratione in & ad.* In relationibus diuinis idem ſunt formaliter *in* & *ad*, quia paternitas formaliter eſt in Patre ad Filium. Quod verò aiunt Caietanus, & Canarienſis entia rationis eſſe *ad*; reſpondetur ſicut non habent eſſe, ita neque eſſe *ad*: ſed illorum *ad* & *in* eſſe ficta.

SECTIO V.

De fundamento relationis.

§. 53. *Fundamentū quid.* FVndamentum variè vſurpatur; tum pro primo alicuius rei principio: nam domus fundamenta vocantur primi lapides; quibus tota ædificij machina innixa. Vnde ſumitur pro primo principio, vel ratione, qua quis aliquid mouetur: & opiniones probabiles dicimus inniti leui, aut graui fundamento; inde transfertur ad occaſionem alicuius rei faciendæ, ſic dicimus Petrum habuiſſe fundamentum *Eſt conceptus intrinſecus relationis.* inimicitiarum cum Paulo. In præſenti vſurpatur pro intrinſeca ratione, è qua conſurgit relatio, id eſt, pro conceptu intrinſeco, ſeu cauſa relationis.

§. 54. *In quo ſenſu accipiatur.* Ac primum non agimus de ſubiecto: nam quando relatio realiter eſt accidēs, vt ſimilitudo in qualitate, relatio recipitur in ſubiecto, quod vocatur *ſimile*, in quod recipitur albedo, ſimilitudinem fundans. Quod ſi relatio diſtinguitur à fundamento, & termino, eius immediatum ſubiectum eſt fundamentum ipſum; nempe albedo; quæ, cum ſimilis ſit alteri albedini, denominat ſubiectum ſimile: hoc autem ita probatur; quia ſi de potentia abſoluta exiſtant duæ albedines, ſubiectis annihilatis, illæ retinebunt ſimilitudinem: ergo ſi hæc eſt modus, ſubiectatur in albedinem, & non in ſubſtantiam; quia ſubſtantia annihilata non maneret relatio; niſi fingas aliam relationem in ſubſtantia ipſa, quam ego non reperio, niſi in vnione; nam ratione qualitatum, & vnionum ſubſtantiæ ſunt ſimiles accidentaliter, neque in æqualitate aliud reperies; materia enim nullam habet certam menſuram niſi à quantitate, qua ſublata, tantum poteſt manere in materia occupatio ſpatij certa magnitudine; ſed illa relatio fundatur in vbicatione.

§. 55. *Explicatur fundamentū.* Igitur fundamentum ſimilitudinis eſt ratio, ob quam res vna habet intrinſecam denominationem relationis ad aliam. Dixi *intrinſecam*, nam pars extrinſeca relationis non tam vocatur *fundamentum*, quàm *terminus*; licet ſuo modo poſſit fundamentum vocari, quia etiam terminus eſt ratio, ob quam res aliqua ſimilis dicitur: ſed iam habemus iſtos terminos ad explicandos conceptus intrinſecum, & extrinſecum. *Aliquæ relationes carent ſubiecto.* Aliquæ relationes prædicamentales ſunt ſine ſubiecto: quia tota ratio illas fundandi eſt ſubſtantia completa. E. g. homo habet relationem idemtitatis cum alio homine, & diuerſitatis cum equo, iſtæ autem relationes immediatè fundantur in eſſentia hominis, & equi, & ſunt idem cum illa; ergo aliquæ relationes non habent ſubiectum phyſicū (de quo loquimur.) Quod ſi omnis relatio prædicamentalis eſſet modus diſtinctus à fundamento & termino, immediatè eſſet in ſubſtantia, tanquam in ſubiecto illa relatio idemtitatis. Vnde infero idem eſſe immediatum ſubiectum ſimilitudinis, & fundamentum; ſi ſimilitudo eſſet diſtincta.

Secundò deduco relationes verſantes inter accidentia vt ſimilitudinem, & æqualitatem, habere pro ſubiecto ſubiectum ipſum eorumdem accidētium: nam illæ relationes ſunt accidentia, ſimul coexiſtentia: ſed ſubiectum immediatum eorumdem accidentium eſt ſubſtantia, ergo & relationum. Quod ſi illa accidentia diuinitus conſeruentur ſine ſubiecto, tunc relatio non habebit ſubiectum, ſed erit ſubſiſtens, ſicut ipſa accidentia. §. 56. *Secūdum corollarium. Relatio poteſt eſſe ſubſiſtēs.*

Aliquando, vt reſultet relatio, præter entitates fundamenti & termini non requiritur ratio fundi, verbi gratia, ad relationem vnitatis, & diuerſitatis, tantum requiruntur duo extrema ſimul exiſtentia cum aliqua æqualitate, vel carentia illius: at verō relationes, quæ requirunt actionem, vel quaſi actionem, illam requirunt tanquam conditionem, vel rationem fundandi; verbi gratia, paternitas ſunt duo homines ſimul exiſtentes; non tamen vt cumque: ſed inter quos præceſſerit generatio alterius ab altero. Quod ſi inter eos huiuſmodi actio non præceſſerit, non poteſt fundari relatio paternitatis. Hanc actionem nonnulli vocant *fundamentum*, alij *rationem fundandi*, alij *conditionem ſine qua non*: ſed leue eſt diſſidium, melius vocatur ratio fundandi: quia ea tranſacta, manet relatio: toto enim tempore, quo duo huiuſmodi homines viuunt ſimul, dicuntur, & ſunt pater, & filius; non tamen toto eo tempore durat generatio: vel poſſet huiuſmodi actio vocari fundamentum extrinſecum, non tamen fundamentum ſimpliciter: ne dicamus manere relationem mutato fundamento, licet enim poſſit manere mutato extrinſeco, non tamen intrinſeco mutato. §. 57. *Aliquæ relationes nō egēt ratione fundandi. Relatio patris plus dicit quàm fundamentum & terminum.*

Nonnunquam manet relatio mutata ratione fundandi: vt paternitas mutata generatione; homo enim ſemper dicitur pater, dum filius viuit, licet non ſemper illum generet. Ratio eſt quia ſemper durat effectus primæ generationis, & quidquid habet filius, etiam ſi à mortuis reuocetur, ſemper pendet à prima illā generatione. Hæc ratio fundandi non eſt pars relationis, nec relatiuorum: ſicut vnio nec eſt pars albedinis, nec vnitorum: at ſicut vnio eſt de conceptu albi, vt eſt album; ita & actio eſt de conceptu relatæ cauſæ, vt relatæ: quia ſine actione aliquo tempore exiſtente non poteſt intelligi relatio cauſæ. Dices, requiri actionem vt primò ſint relata, non vt conſeruetur relatio. Contra: ſi actio non eſt de conceptu relationis, ergo exiſtente Petro & Paulo exiſtet relatio patris inter illos quia exiſtit tota relatio. Ratio autem ob quam non exiſtit relatio eſt, quia nunquam exiſtit actio; ſicut exiſtente ſubiecto & albedine, non exiſtit album niſi exiſtat vnio. Sæpe conditione pereunte non perit effectus: quia manet tota eius eſſentia: at hic non manet: nam etiam maneret, etſi actio non extitiſſet. Quia ſi de eſſentia paternitatis non eſt niſi exiſtentia vtriuſque: ergo hac poſita ſine generatione, eſſet ea relatio. Interdum autem non durat relatio: maximè in moralibus, vt dominium militis in ſeruum bello captum, non manet ſeruo vendito; quia tunc non habet poteſtatem illo vtendi pro libito. Item perit relatio ducis ad militem, militia abſoluta. §. 58. *Relatio manet mutata ratione fundandi. Non eſt relationis pars, ſed eſt de eſſentia relati vt relati. Obiectio. Reſpondetur.*

Rogas

Relatio Magiſtri pendet à doctrina diſcipuli.

Rogas vtrum diſciplina confecta,maneant relationes magiſtri,& diſcipuli. Arbitror diſtinguendum: ſi diſcipulus aliquid didicit, dum illud retinet, & non abiecit vel per obliuionem, vel incuriam, vel mutatis opinionibus, ſemper manet illa relatio; quia manet fundamentum: ſecus autem ſi quod didicit depoſuit; ſi autem nihil didicit, numquam fuit diſcipulus, qui eſt à *diſcendo*.

SECTIO VI.

De termino relationis.

§. 59. *Terminus quid.*

TErminus ſignificationem habet ſine termino: ſed illam terminemus ad Philoſophos, apud quos ſumitur pro fine:in quem tendit aliqua res,vt compoſitum eſt terminus generationis. Sumitur etiam pro extrinſeca meta, in quam tendit res aliqua, vt patria eſt terminus peregrinationis: item effectus dicitur terminus potentiæ,& actionis:item extremum vnionis dicitur terminus illius: in præſenti autem ſumitur pro extrinſeco conceptu in relatione reperto; comparatione cuius res dicitur *ad aliud*, verbi gratia,filius eſt terminus patris.

Eſt ratio extrinſeca relationis.

§. 60. *Primum fundamentum. Terminus diſtinguitur realiter à fũdamento.*

Primum ſtatuendum cum S. Thom. opuſc. 48. tract.5.cap.1. & 2. & cum communi Doctorum, terminum relationis neceſſariò diſtingui realiter à fundamento: nam prædicamentum relationis eſt ad aliud: ſed duo conceptus non poſſunt dici alij, ni realiter diſtinguantur,ergo cathegoria relationis habet terminum à fundamento realiter diſtinctum: minor patet,quia animal,& rationale v.g.eſt eadem res, differunt autem in ratione animalis, & rationalis per ſolas extrinſecas denominationes ab intellectu, quæ non ſufficiunt ad denominandum aliud,& aliud. Quod adeo eſt perſpicuum,vt in diuinis cogamur diſtinguere realiter Perſonas, præciſè quia inter illas reperitur vera relatio. *Confirm.* Confirmatur ſingulis relationibus recẽſitis;nihil eſt enim ſibi æquale, inæquale, abſimile, idem, diuerſum, Pater, aut Dominus. *Obiectio.* Dices, animal, & rationale differre ſpecie: quia non conueniunt ſpecie. *Reſpond.* Nego, quia conuenientia ſpecifica eſt inter indiuidua æqualia,realiter diſtincta;diuerſitas autem inter inæqualia: rationale autem,& animal ſunt eadem ſpecies, & indiuiduum idem, diuerſimodè cognitum. *Confirm. ſecundò.* Confirmatur ſecundò:quando idem conceptus refertur ad ſe ipſum,vt ratione diſtinctus,tota diſtinctio oritur ab intellectu, & non ex parte rei, ergo & tota relatio, ergo non eſt relatio realis.

§. 61. *Quæſt. Terminus eſt neceſſariò realis.* S.Thom. *Confirm.*

Controuerſia eſt,vtrum terminus relationis prædicamentalis poſſit eſſe ens rationis? Non poteſt (vt oſtendit ſupra S. Thomas) nam ralatio prædicamentalis eſt ad aliud; ſed ens rationis non eſt aliud, quia nihil eſt: ergo ad illud non poteſt eſſe relatio prædicamentalis. Confirmatur, percurrendo ſingulas relationes, quæ ſupponunt realem diſtinctionem, in qua fundatur vt ſimilitudo,vel diſſimilitudo;ſed cum ens rationis ſit fictum ſine fundamento, ita non eſt fundamentum ſimilitudinis. *Obiectio.* Dices primò, ens rationis eſſe diuerſum ab ente reali. *Reſpond.* Verum (ſi rectè expendatur) neque eſt idem, neque diuerſum, quia diuerſitas aliquid eſt. Dixit enim Ariſtoteles, *differens ab aliquo, aliquo differens eſt:* cum ergo in ente rationis non ſit aliquid, ita non eſt quo differens ſit. Dicetur autem *diuerſum* ſola voce, ſicut illa dicitur, *eſſe.* *Secunda obiectio.* Dices ſecundò, relationem tranſcendentalem eſſe ad aliud, & poſſe habere terminum ens rationis: ergo & prædicamentalis. *Reſpondetur.* Diſtinguo maiorem, eſt ad aliud propriè & in rigore,nego;tranſlatitiè,concedo: quia habet conceptum, qui non poteſt eſſe ad ſe. Diſtinguo item minorem: ens rationis eſt terminus propriæ relationis, nego minorem: eſt obiectum extrinſecum, in quod tendit, tranſeat minor, & negatur conſequentia:quia prædicamentalis relatio eſt ſimpliciter ad aliud; quod in noſtra ſententia eſt clarum,in qua relatio eſt coëxiſtentia duarum rerum, eſtque diſcrimen apertum; quia homo antequam generet alium, eſt homo; & non pater; relatio autem tranſcendentalis ſemper ſe habet modo eodem comparatione ſui termini.

Relatio tranſcendentalis non eſt ad aliud abſolutè.

§. 62. *Opinio* Gregorij, P.Suarez.

Gregorius apud Patrem Suarez diſp.47. ſect.8. num.3. opinatur ad relationem prædicamentalem non requiri terminum actu exiſtentem. Mouetur, quia relatio vt ſic illo non indiget, vt patet in relatione tranſcendentali, cur ergo illum requiret prædicamentalis? *Fũdamentũ confir.* Confirmatur, nam Petrus albus non modo ſimilis eſt Antonio exiſtenti;ſed etiam Franciſco demortuo; quia omnes conueniunt in ratione albi: iam autem ſupponitur terminus in eſſe poſſibili. *Obiectio.* Dices, relationem conſurgere ex fundamento & termino exiſtentibus. *Reſpondetur.* Contra, nam iſta eſt concluſio, de qua diſputatur: maximè cum terminus ipſe reſpiciat relationem vt terminus, terminare autem rectè poteſt res non exiſtens, vt patet in cauſa finali.

§. 63. *Impugnatur. Terminus eſt exiſtens. Confirm. primò.*

Non acquieſco Gregorio; nam relatio eſt ad aliud, res autem in potentia tantum, non eſt aliud: ergo relatio non eſt ad terminum in potentia tantum. Confirmatur primò, Petrus mortuus non eſt ſimilis in albedine Antonio viuenti, ergo neque Antonius Petro;conſequentia patet: quia ſimilitudo eſt relatio mutua:quod clarius patet in relatione æqualitatis, nam ſi ego ſum maior Michaele mortuo, ergo Michael mortuus eſt minor me:ergo ſimiliter ſi ſum ſimilis Petro, Petrus erit mihi ſimilis, quia ſimilitudo fundatur in æqualitate qualitatis, æqualitas autem dicit vtrumque extremũ adæquatum: ſed Petrus mortuus non eſt ſimpliciter, ergo nec ſimpliciter eſt ſimilis; patet conſequentia: quia ſimilitudo vel eſt idem cum albedine, vel in illa fundatur,ſed albedo ſimpliciter non eſt,ergo nec relatio.

§. 64. *Confirm. ſecundò.*

Confirmatur ſecundò, ſi relatio eſt ad terminum poſſibilem,ergo homo,qui nunquam genuit, habet relationem paternitatis ad filium poſſibilem: ergo ſimpliciter eſt Pater: nam à paternitate dicitur Pater. Hoc autem eſt ridiculum; quis enim dicat Beatam Virginem ſimpliciter eſſe Matrem plurium hominum; imo & Chriſtum ipſum eſſe parentem? aut quis vnquam dixit orphanum, & viduam habere Patrem, aut maritum? Atque hæc ſententia Gregorij exploditur vel cõmuni loquendi ratione. Hoc verò ſequi patet: quia cur vna relatio terminum requirit exiſtentem; altera non? Adde, ſi ego ſum ſimilis in albedine homini poſſibili, ergo etiam ſum diſſimilis eidem: quia vterque poſſumus habere qualitates contrarias; & ſic ſimul erimus ſimiles, & diſſimiles;æquales,& inæquales. Deinde ſi relatio diſtinguitur à fundamento, datur in hac ſententia infinitum in actu relationum; nam creaturæ poſſibiles ſunt ſimpliciter infinitæ, ergo relatio non eſt, dum terminus non exiſtit.

§. 65. *Ad argumentum.*

Ad argumentum reſpondetur, relationem tranſcendentalem non eſſe ad aliud ſimpliciter; nam homo dormiens habet potentiam viſiuam ad actus; qui actus non ſunt aliquid ſimpliciter,neque aliud: relatio verò prædicamentalis eſt ad aliud ſimpliciter, vt patet; nam homo non dicitur Pater ante

exiſtentiam filij. Vnde patet ad cætera Gregorij, nam terminare vt aliud ſimpliciter, requirit exiſtentiam.

SECTIO VII.

Vtrum relatio terminetur ad relationem, an ad abſolutum.

§. 66.

ID eſt; vtrum relatio habeat pro terminò fundamentum intrinſecum oppoſitæ relationis? an verò relationem ipſam, v. g. an paternitas referat patrem ad entitatem filij ſecundum ſe conſideratã? an verò ad filiationem? Varia ſunt hominum placita, quæ eodem decurſu expendentur, & refellentur.

Opinio P. Fonſeca.

Pater Fonſeca tom. 2. Met. lib. 1. cap. 15. quæſt. 4. ſect. 4. ait, omnem relationem tam mutuam, quàm non mutuam terminari ad relationem oppoſitam; & non ad abſolutum fundamentum;

Caietan.

Caietanum hac in parte ſecutus; quam tam conſtanter tuetur, vt affirmet, oppoſitam pugnare, & cum ipſa relatorum natura, & cum omnium veterum ſententia: probat primùm, ſi paternitas, & ſimilitudo Sophroniſci patris non terminatur ad Socratem filium, vt filius eſt ac ſimilis, ſed vt eſt Socrates, ergo prius natura Sophroniſcus eſt & pater & ſimilis, quàm habeat filium, & ſimilem; quod nemo ſanæ mentis dixerit: probo conſequentiam: quia Socrates prius natura eſt Socrates, quàm filius, ergo Sophroniſcus prius eſt pater, quàm Socrates filius. Confirmatur; quia relatio vt relatio non pendet niſi à fundamento, & termino, ergo ſi formalis terminus non eſt alia relatio, non pendet formaliter ab illa, ergo ex ſe eſt prius natura quàm illa.

§. 67. *Reſpond.*

Elumbe argumentum; non enim probat conſequentiam: licet paternitas terminetur ad hominem genitum, & non ad filiationem, non propterea pater vt pater eſt prior natura filio. Nam tunc ex filio reſultat filiatio cum ex patre paternitas; & eodem fundamento extrinſeco, & neutra ab altera pendet, nam ſi vtrauis penderet ab alia, non eſſent ſimul natura. In forma, nego conſequentiam:

Confirm.

ad probationem item conſequentiam, quia licet Socrates prius ſit homo genitus, quàm filius formaliter; paternitas non terminatur ad illum in illo priori naturæ: ſed poſterius, ſuppoſita iam exiſtentia cauſæ & effectus.

§. 68. *Animaduerſio.*

Aduerte, cauſam in ſua entitate eſſe natura priorem effectu (vt dixi diſput. 8. Phyſicorum.) At cauſam actu, ſimul ratione eſſe cum effectu: in his duobus inſtantibus rationis, tantum intelligitur entitas cauſæ, & cauſalitas ipſa cum effectu; relatio autem tunc non intelligitur, quia hæc conſurgit ex cauſa, & effectu in actu: in tertio verò inſtanti rationis, refertur cauſa ad effectum & effectus ad cauſam; in quo inſtanti reperiuntur cauſa, cauſalitas, effectus, & eorumdem relationes: quæ terminantur ad entitatem abſolutam termini. In illo priori inſtanti, ſicut non erat filiatio, ita nec paternitas, quia hæ dependent ab entitatibus abſolutis cauſæ, & effectus ſimul exiſtentibus: & ſic, licet Socrates priùs ſit homo quàm filius, tamen in illo priori non terminabat paternitatem; quia hæc tantum dependet à Socrate tamquam à termino, ſicut à Sophroniſco tamquam à fundamento: & ſicut propter hanc dependentiam Sophroniſcus eſt prior natura paternitate, ita & Socrates.

§. 69. *Terminus materialiter eſt prior relatione.*

Itaque terminus in ſua entitate eſt prior relatione, non tamen in ratione termini actualis; quia hæc eſt denominatio à paternitate ad illum terminata: ſicut de cauſa & effectu dixi. Imo hinc retorqueo argumentum; terminus formalis eſt natura prior relatione; ſed filiatio non eſt natura prior quàm paternitas, ergo filiatio non eſt terminus formalis paternitatis: minor eſt axioma, *relatiua ſunt ſimul natura & cognitione*, id eſt, in ratione relatiuorum: maior patet, quia relatio dependet à termino, terminus autem non à relatione: ergo terminus eſt natura prior relatione: antecedens patet; quia ideo paternitas tendit ad filium, quia filius exiſtit genitus à Patre; non vero è contra, ideo eſt genitus à Patre, quia terminat paternitatem; quia hæc relatio fundatur in exiſtentia, & actione tamquam in ratione fundandi. Quod ſi filiatio eſſet terminus, eſſet natura prior paternitate; quia paternitas ab illa penderet.

§. 70. *Obiectio. Reſpondetur.*

Dices, eſſe mutuam dependentiam inter vtramque. Contra, quia mutuam hanc dependentiam excluſi ſæpius: in præſenti autem penitus eſſet improbabilis; quia contineretur in eodem genere, nempe in ratione termini terminantis; nam paternitas penderet à filiatione tamquam à termino; & filiatio à paternitate tamquam à termino; qui verò conſtituit mutuam dependentiam, eſt in diuerſo genere; in eodem autem nullus; neque poteſt.

Ad confirm.

Confirmatio argumenti eſt abs re; quia ſi paternitas pendet à filiatione, ergo eſt illa poſterior; ergo vt ſimul ſint natura & ratione, opus eſt vt neutra ab altera pendeat. Solum igitur pendet relatio ab entitate fundamenti, termini, & rationis fundandi: quæ omnia ſunt abſoluta; & ratione præcedunt relationem.

§. 71. *Secundum argumentũ.*

Secundum argumentum: relatiua formaliter ſunt ſimul cognitione, definitione, & natura; ergo vna relatio terminatur ad aliam; alioquin non eſſent ſimul cognitione, & definitione, quia non ſe mutuo reſpiceret.

Conf. primò.

Confirmatur ex teſtimonio Ariſtotelis his verbis. *Si à ſeruo auferantur cætera omnia, etiam illud, quod homo ſit, modò ſeruus relinquatur, adhuc dominus ad illum referetur, & ille viciſſim ad dominum.*

Secundò.

Secundo confirmatur, quia relationes diuinæ terminantur ad correlationes, & non abſolutum.

Reſpond.

Nec me mouent eæ rationes: nam relatiua ſunt ſimul natura; quia vtraque relatio exigit eaſdem omnino cauſas, quibus poſitis vtraque oritur æquali neceſſitate, & independentia inter ſe. Sunt autem ſimul cognitione ob rationem eamdem, quia non poſſumus intelligere in Patre reſultare paternitatem, quin & filiationem in filio: quia per eadem principia ad vtramque manu ducitur intellectus. Nam paternitas oritur ex coëxiſtentia duorum hominum cum generatione alterius ab altero: eodem autem modo oritur filiatio. Itaque ſunt ſimul cognitione; non quia ſe viciſſim terminent, ſed quia intellectus ſimul videt cauſas vtriuſque: definitione item ſunt ſimul, quia definitio eſt quoddam genus cognitionis. Hoc contingit mutuis relatiuis, at in non mutuis ſecus ſe res habet.

Relatio non definitur per oppoſitam.

Imò ſi rectè definiatur relatio, non definietur per oppoſitam relationem; paternitas enim non eſt ratio per quam pater reſpicit filium formaliter; ſed per quam homo reſpicit hominem à ſe genitum: quia eſt relatio cauſæ ad effectum: alterum igitur relatiuum materialiter, & non formaliter ponitur in definitione relatorum; quia cum terminus ille habeat oppoſitam relationem, breuius & clarius definitur per ſubiectum talis relationis: ſic dicimus. *Pater eſt, qui habet filium.* Id eſt, hominem à ſe genitum. Confirmatur, quia relatio creaturæ eſt, qua creatura reſpicit authorem ſuum,

at in

at in Deo iuxta Patris Fonſecæ opinionem non datur mutua relatio.

§. 72. *Ad confirm.*

Ad confirmationem ex Ariſtotele reſpondetur; debere ſeruum manere ſeruum, nempe fundamentum ſeruitutis, & ſeruitutem; non verò ſolam ſeruitutem; hoc enim per locum intrinſecum repũgnat, ſicut manere actionem ſine agente; quia eius eſſentia eſt actu denominare: tunc autem relatio dominij non terminaretur ad ſeruitutem, ſed ad ſubiectum, *ſeruus* denominatum, fundamentumque ſeruitutis (quidquid illud eſſet ab homine diſtinctum.) Ad ſecundam confirmationem patebit

Ad ſecundã.

inferiùs relationes tranſcendentales poſſe ad correlatiuum formaliter terminari. Hæc in omni ſententia locum habent; in diſtinguente relationem à fundamento ſunt clariſſima: in noſtra verò nullam habent difficultatem; quia alterum extremum eſt abſolutum; relatiuum autem conſiſtit in vtroque. Quod autem dicitur relatio oriri poſitis fundamento & termino: intellige de ortu rationis; quia ratione noſtra prior eſt exiſtentia vtriuſque extremi, quàm relatio, quia fundatur in exiſtentia extremorum; nam opus eſt vt vtrumque extremum exiſtat, vt ſibi vtrumque comparemus; hæc autem eſt bona cauſalis, *ideo comparamus vnum alteri, quia exiſtunt*; hæc autem mala, *ideo exiſtunt, quia nobis comparantur*. Hæc intellige de cauſalitate rationis; nam realis non poteſt eſſe, niſi vbi eſt diſtinctio realis.

Relatio ratione oritur ex fundamẽto & termino.

§. 73. *Prima concluſio. Relatio non mutua terminatur ad abſolutum.*

Dico primò. *In relatis non mutuis relatio terminatur ad abſolutum.* Hæc concluſio eſt ad hominem admittentem genus hoc prædicamentalis relationis; nec video quo pacto poſſit ab humano intellectu negari: nam creator, exempli gratia non habet relationem ad creaturam: ergo relatio creaturæ ad Deum non poteſt terminari ad relationem creatoris. Patet conſequentia: quia in Deo non eſt talis relatio, quo ergo modo ad illam terminatur? Caietanus hoc argumento preſſus, pro more, latibula in diſtinctione quæſiuit: ait namque, creaturam terminari ad creatoris relationem exiſtentem non quidem in Deo, ſed in ipſa creatura ad illum tendente. Contra: ſi creatura refertur ad Deum realiter: ergo Deus realiter eſt terminus illius relationis, quia eſt id, ad quod realiter creatura refertur: ergo in Deo debet eſſe realiter formalis ratio terminandi: quia terminus formalis eſt ratio, ob quam terminus materialis terminat vt *quod*, & ab illa denominatur realiter terminans vt *quod*. Quod ſi ratio terminandi non eſt in Deo realiter: ergo non denominat Deum realiter terminantem; ſicut ſi albedo non eſt in pariete, non denominat parietem album, aut viſum; ſed per te relatio non eſt in Deo realiter: ergo non poteſt eſſe ratio, ob quam Deus terminet realiter aliam relationem.

Caietani euaſio.

Impugnatur.

§. 74. *Prima confirm.*

Confirmatur primò. Relatio creaturæ eſt ad Deum, vt ad cauſam: ergo virtus cauſatiua eſt ratio ad quam terminatur: nam Deus in ratione cauſæ per omnipotentiam conſtituitur. Confirmatur ſecundò: illa relatio aut eſt in Deo, aut non: primum negatur: ergo non eſt in Deo: ergo non refert Deum ad creaturam; ſed potius creaturam Deum. Patet conſequentia: quia relatio realis refert ad aliud, ſubiectum intrinſecum, in quo eſt; non extremum extrinſecum. Quod reſpicit, eſt terminus, vt paternitas refert patrem ad filium: quia eſt intrinſecè in patre, & extrinſecè connotat filium. Explicatur: aut relatio Dei terminans relationem creaturæ eſt eadem cum relatione creaturæ, vel diuerſa; ſi eadem; ergo tendit ad abſolutum, quia ad ſe ipſam tendere non poteſt; ſi autem eſt diuerſa, ergo exiſtit intrinſecè in creatura, & reſpicit extrinſecè Deum: ergo communicat creaturæ effectum formalem intrinſecum relationis, Deo autem extrinſecum; ſed effectus formalis intrinſecus eſt referre ſubiectum ad aliud; & extrinſecus eſt terminare relationem: ergo Deus eſt terminus illius; non ſecundum aliam relationem; ne in infinitum progrediamur: ergo ſecundum conceptum abſolutum: cùm ergo illæ duæ relationes, nempè creaturæ ad Deum, & Dei ad creaturam, eodem modo reſpiciãt Deum, & creaturam; nempè Deum extrinſecè, & creaturam intrinſecè, eundem effectum illis communicabit vtraque. Adde, relationem ſecundum conceptum *in* eſſe intrinſecam ſubiecto: ſecundum verò conceptum *ad* eſſe extrinſecam termino; ſed illa relatio non habet eſſe *in* in Deo: ergo habet eſſe *in* in creatura: ergo non habet eſſe *ad* ad illam: quia nihil habet eſſe *in* ad ſe, ſed ad aliud. Confirmatur ex ſententia Caietani,

Secunda.

Explicatur.

affirmantis Deum referri ad creaturas; quia creaturę referuntur ad Deum: ergo prior eſt relatio creaturæ ad Deum, quàm Dei ad creaturas, cum ſit cauſa illius: ergo prius natura teminatur relatio creaturæ ad Deum, quàm Deus intelligatur habere relationem: ergo in illo priori terminatur relatio ad abſolutum. Videantur P. Suarez ſect. 6. num 6. & Fonſeca eo cap. 15. q. 4. ſect. 3.

Argumẽtum ad hominem.

P. Suarez.

P. Fonſeca.

§. 75. *Sententia P. Fonſecæ.*

Ipſe tamen Fonſeca ſect. 4. cæterorum ſententiis improbatis, in aliam incidit non magis probandam: ait enim relationem creaturæ terminari ad Deum, non ſub ratione abſoluti, ſed relatiui relatione rationis: atque creatura exiſtente conuenire actu Deo relationem rationis, quamuis relatio actu non exiſtat in Deo: nam relationes non poſſunt actu conuenire rebus, quin actu exiſtant, & producantur: at relatio rationis tunc incipit actu conuenire, quando relatio realis illi oppoſita actu exiſtit: quia ei reſpondet relatio rationis eo modo quo poteſt: & licet actu non poſſit exiſtere niſi obiectiuè in intellectu, actu tamen poteſt conuenire, ſicut animal rationale actu conuenit homini, licet actu non exiſtat.

§. 76. *Impugnatur.*

Neque percipio P. Fonſecam; primum enim relatio creaturæ tendit realiter in Deum: ergo Deus eſt terminus realis vt *quod*: ergo habet aliquem terminum realem *quo*, à quo realiter denominetur terminans: ſed relatio rationis, etiam quando exiſtit, non eſt in Deo: ergo non denominat Deum terminantem vt *quod*. Probatur minor: quia relatio rationis tantum habet eſſe obiectiuè in noſtro intellectu: ergo nullibi eſt; ſed eam intellectus effingit. Confirmatur, vt Deus terminet relationem creaturæ, non eget vlla fictione actuali, vel potentiali; ſed relatio rationis eſt ficta actu, aut potentia: ergo. Probatur maior: quia Deus realiter terminat relationem creaturæ, ſicut filius paternitatem; nam per eam creaturæ realiter referuntur ad Deum. Secundò ait, hanc relationem actu conuenire Deo antequam actu exiſtat, quod videtur impoſſibile: nam actu conuenire eſt vnum conceptum actu venire in alium, ſicut homini actu conuenit riſibilitas, quando eam actu habet. Quod affertur de homine, eſt planè falſum: illi enim non conuenit actu animal rationale, niſi quando actu exiſtit: quia animal rationale eſt de eſſentia hominis, cum proportione, actuale de homine actuali, & poſſibile de poſſibili, actu autem neque eſt homo, neque ei conuenit aliquid actu, niſi quando actu exiſtit: quod ſi nomine *actu* intelligit connexionem neceſſariam inter vtrumque conceptum, eſt valde æquiuocè, tunc autem relatio non conuenit

Confirm.

Reſpondetur ad exemplũ.

Digitized by Google

uenit actu Deo: quia illi conuenit tam contingenter, quàm Petro paternitas.

§. 77. *Secunda concluſio. Relatio mutua ad abſolutum terminatur.*

Dico ſecundò. *Relationes prædicamentales mutuæ, terminantur ad abſolutum.* Probatur primò ex prima concluſione, vnde patet entitatem abſolutam habere ſufficientem virtutem ad terminandam relationem. Secundò probatur: quia paternitas, e. g. terminatur ad ſubſtantiam filij, & non ad filiationem: ergo. Probo antecedens. Paternitas eſt relatio cauſæ ad effectum: quia in actione fundatur, ſed effectus cauſæ generantis eſt ſubſtantia filij genita: ergo ſubſtantia filij geniti eſt terminus paternitatis. Minor eſt clara: quia generatio tendit in ſubſtantiam hominis geniti. Maior patet: tum, quia pater eſt ſpecies efficientis cauſæ: tum, quia ea ratione pater refertur ad filium, quia illum genuit: niſi enim eum genuiſſet, non referretur ad illum paternitate: nam fundamentum eſt prius relatione; & relatio refert fundamentum, ſed in patre nihil præceſſit in ratione fundamenti, præter ſubſtantiam patris, & actualem generationem: ergo homo generans, quia genuit, refertur: ergo refertur in ratione cauſæ ad effectum, qui eſt ſubſtantia hominis geniti.

§. 78. *Confirm.*

Confirmatur. Filiatio non eſt propriè effectus patris, ſed in filio reſultat poſterius natura, quàm ſit genitus: ergo paternitas non refert patrem ad filiationem, ſed ad filium: quia refert cauſam ad ſuum effectum. *Obiectio.* Dices etiam filiationem eſſe effectum patris, & ſub ea ratione terminare paternitatem. *Reſpond.* Contra: ergo prius ratione intelligitur filiatio, quàm paternitas, quod eſt ridiculum. Probo conſequentiam: quia prius ratione intelligitur cauſa cauſans terminum, quàm ad illum referri; quia cauſatio eſt ratio fundandi relationem: at cauſatio ſimul eſt ratione cum termino: ergo prior eſt effectus, quàm terminet relationem. Denique terminus in aliquo genere eſt cauſa relationis: nam quia terminus exiſtit, relatio exiſtit.

§. 79. *Fundamentū eſt terminus oppoſitæ.*

Igitur commune eſt axioma: *Fundamentum alterius relationis eſſe terminum oppoſitæ:* nam in patre, e.g. cauſa refertur ad effectum, & in filio effectus refertur ad cauſam; hæc autem ſecundum ſuas entitates ſe reſpiciunt, & non ſecundum relationes; quia paternitas non eſt cauſa filij. Hæc clara ſunt in ſententia diſtinguente relationem à fundamento, & termino: in mea autem clariora, quia relatio prædicamentalis nihil eſt præter duas res abſolutas, & relatio vt relatio immediatè dicit vtrumque extremum: ergo pater non poteſt referri ad filium, vt relatiuum: quia referretur ad ſe ipſum; quia includitur in relatione filij. Neque video quo fundamento affirmarit P.Fonſeca, hanc ſententiam eſſe contra communem veterum omnium opinionem, cùm Ariſtoteles expreſsè neget mutuam relationem in tertio genere, neque vſque affirmarit, quod P.Fonſeca, & Caietanus fuere commenti: imò ex S. Thom. oſtendi ſup. terminum ſimilitudinis eſſe albedinem alterius, & eſt certum: quia relatio ſimilitudinis terminatur ad terminum ſimilem fundamento, & non ad aliud; quia eſt ſimilitudo; ſed relatio exiſtens in termino non eſt ſimilis, ſed diſſimilis fundamento: quia hoc eſt qualitas, illa autem relatio: ergo terminatur ad qualitatem, & non ad relationem. *Obiectio. Reſpond.* Dices, ſcibile eſſe ad aliquid. Verum ſi ſcibile conſideretur ſecundum ſe, non eſt ad aliud: ſi autem ſcibile reduplicatiuè ſumatur, iam inuoluit ſcientiam, à qua denominatur, ſicut album albedinem. Has concluſiones defendunt Pater Suarez diſputat. 47. Metraphyſic. ſectione 16. à numero 6. Pat. Vazquez tomo 2. 1. part. Scotus, Soncinas, & alij.

P.Fonſeca. Ariſtoteles. Caiet. S.Thom. P.Suarez. P. Vazq.

§. 80. *Tertia concluſio. Relatio tranſcendentalis non mutua terminatur ad abſolutū.*

Dico tertiò. *Relatio tranſcendentalis, cui non reſpondet mutua, terminatur ad abſolutum.* Probatur apertè ex concluſ. 1. Confirmatur in ſcientia de cœlo, quæ terminatur ad cœlum ſecundum ſe: cœlum tamen ſecundum ſe non dicit ordinem ad ſcientiam, Quod clarius patet in cognitione de ente rationis, & in creatura reſpiciente Deum, carentem relatione tranſcendentali ad creaturam.

§. 81 *Quarta concluſio. Relatio tranſcendentalis mutua ad relatiuum terminatur.*

Dico quartò. *Relatiua tranſcendentalia mutua terminantur ad relatiuum, & non ad abſolutum.* Probatur, quia materia prima, exempli gratia, reſpicit formam ſecundum ſuam eſſentiam; ſed eſſentia formæ eſt formaliter relatiua ad materiam, & non abſoluta; ergo materia prima terminatur ad relatiuum, & non ad abſolutum. Maior eſt ſine controuerſia, quia materia non reſpicit formam ſecundum reſpectum aliquem accidentalem; ſed in quantum eſt perfectibilis, & actuabilis per illam: minor probatur: quia forma eſſentialiter eſt actus materiæ: ſic enim diſput. 1. de anima cum Ariſt. definiui animam in communi: ſed actus informans, eſſentialiter reſpicit ſubiectū informabile, ergo forma per ſuam eſſentiam reſpicit materiam; eſtque ratione manifeſta: quia materia petit formam ſub ea ratione qua ea indiget, vt ab eadem perficiatur: ergo reſpicit eam in quantum eſt propria perfectio, ſed in quantum eſt actus, & perfectio materiæ connotat eamdem materiam: ergo illam connotat ſub ratione relationis.

§. 82. *Conf. primò.*

Confirmatur primò; actus vitalis eſſentialiter connotat potentiam actiuam, & paſſiuam; quia vitalis eſt in ordine ad illam; item potentia vitalis eſſentialiter reſpicit actum, vt effectum in illa manentem: ergo hæc correlatiua ſe viciſſim connotant vt relatiua. Quia verò nonnulli, quorum memini diſputat. 8. phyſic. negant relationem ſecundum eſſe in materia ad formam, & in forma ad materiam; ſimiliter inter cauſam & effectum, ideo aliter cum illis agendum ex diuinis. *Secundò.* Confirmatur ſecundò in Deo: Paternitas eſſentialiter reſpicit filiationem, & non naturam; ergo relatio tranſcendentalis terminatur ad relatiuum: patet antecedens, quia Paternitas reſpicit Filium vt oppoſitum, & productum: quia illum reſpicit vt à Patre procedentem; ſed natura non eſt ratio ob quam opponitur, producitur, atque procedit vt *quo*, ſed id conuenit Filio formaliter per relationem, à qua habet, & oppoſitionem, & diſtinctionem à Patre: ergo. Quod argumentum ſatis ſit indicaſſe, ne illud Theologis præripiamus.

§. 83. *Obiectio. Reſpond. P.Vazq. Circuli non ſunt omnino fugiendi.*

Dices ſecundò, neceſſariò circulum committi. Neſcio, cur Pater Vazquez tantopere circulos refugiat; cum ipſa natura eos præſcribat? Nam à parte rei materia eſſentialiter connotat formam, & forma materiam, quod in myſterio Trinitatis eſt clarius, ergo à parte rei datur circulus in connotatione: ergo earum diffinitiones debent eſſe per circulum; nam definitiones ſunt explicationes rerum. *Circulus quando vitioſus.* Tunc circulus eſt vitioſus, quando per vtramque illius propoſitionem idem per idem (vt aiunt) ſignificatur, vt, *videri poteſt, quod eſt viſibile: & viſibile eſt, quod videri poteſt.* Vel, *materia eſt, quod ſuſcipit formam*; vel *quod ſuſcipit formam, materia eſt.* At verò quando in propoſitionibus circuli explicatur natura vtriuſque extremi, tunc non eſt vitioſus, ſed laudandus; verbi gratia. *Omnipotentia eſt virtus faciendi terminos in ſe non repugnantes. Non repugnans eſt quod habet in ſe intrinſecam aptitudinem; vt poſſit ab alio produci.* Nam licet in his definitionibus vtrumque extremum reperiatur, ponitur tamen vt

eſt à

eſt à parte rei; neque enim ponitur idem bis in definitione; quia non ponitur idem per idê, & eodem modo; quem circulũ damnauit Ariſt. quando dixit, *viſus eſt, cuius eſt viſus.* At vero & Porphyrius genus definiuit per ſpeciem, quam definitionem ibidem agnoſce; & Ariſtoteles paſſim definit materiam per formam, & formam per materiam: idque nobis quotidie contingit. Nam rerum naturæ non bene definirentur, niſi vt ſunt, imò & qui eas intuitiuè cognoſcit, id melius præſtat. Quod clarius patet in diuinis: perſonæ enim formaliter conſtituuntur per relationem producentis, & producti, quæ ſe mutuo connotant.

Ariſtoteles.

§. 84. *Obiectio.* Dices, ergo materia, verbi gratia, ſe reſpicit, quia reſpicit formam vt correlatiuam: correlatiuum autem reſpicit terminum, ergo materia ſe reſpicit. *Reſpond.* Nego conſequentiam vtramque, hæc enim deberet inferri, ergo *materia reſpicit relatiuum, à quo ipſa reſpicitur.* Quod non eſt inconueniens: cum forma ſecundum ſe reſpiciat materiam, & materia reſpiciat formam ſecundum ſe. Reſpicit ergo ſuum correlatiuum. *Obiectio.* Dices non poteſt cognoſci relatiuum formaliter ſine oppoſito: ergo neque reſpici phyſicè. *Reſpondetur.* Nego conſequentiam: quia cognitio penetrando denominationem relatiui debet etiam penetrare terminum, vnde ſumitur: at phyſicę actiones, vel connotationes, id non habent, quia tantum terminantur ad entitatem in recto ſignificatam: terminari autem ad terminos in obliquo connotatos eſt proprium aliquarum actionum intentionalium, exempli gratia, viſio coloris non poteſt ab Angelo cognoſci; quin cognoſcatur color, & viſio, vt refertur ad colorem producitur à potentia vitali, quin per eam producatur color. Quod ſi bis repetitur terminus, id non fit in definitione vnius rei, quod eſſet ridiculum, vt patet propoſitis exemplis: fit autem in definitione duarum rerum; eodem modo, quo ipſæ ſe connotant; exempli gratia cum definitur materia, eſſe *ſubiectum receptiuum formarum,* non ponitur bis materia; ſed eius eſſentia ponitur in recto, & eius correlatiuum connotatur in obliquo; cum verò forma definitur eſſe *actus in materia receptibilis*; explicatur eius eſſentia in ordine ad ſubiectum, cuius eſt actus, in vtraque autem definitione explananda, explicandum eſt quid ſit eſſe ſubiectum, & actum: ſic enim paſſim explanamus Ariſtotelicas definitiones.

§. 85. *Explicatur.* Ita communiter dicimus: *Pater eſt qui habet filium; filius eſt qui habet Patrem.* Vbi explicandum eſt, quid ſit habere Patrem, & filium, nam habere filium eſt *hominem genitorem coëxiſtere genito à ſe,* habere autem Patrem eſt, *hominem coëxiſtere ſuo genitori*; eſtque ratione manifeſtum, quia cognitione quidditatiua materia non poteſt cognoſci, quin ſimul cognoſcatur forma in obliquo; neque item poteſt cognoſci forma, quin connotetur materia: ſi ergo quidditatiua definitio vitio caret, quid ni carebit & abſtractiua? *Obiectio.* Obiicis S. Thomam 1. 2. quæſtion. & articul. 1. ad 1. aſſerentem, viſionem non terminari ad viſibile, vt viſibile. *Explicatur S.Thom.* Reſpondeo ibidem à S. Thoma tantùm dici viſionem non habere pro obiecto ipſum videri, nec primum viſibile eſſe videre ipſum, quod verum eſt; quia viſio terminaretur ad ſe ipſam, & ea propter non terminatur ad viſibile vt viſibile, ſed ad lucem: quia viſibile vt viſibile reduplicat viſionem. At ego non dico formam terminari ad formam; nec ad materiam vt informandam: ſed ad materiam vt receptiuam: quæ in ratione receptiuæ non conſtituitur formaliter per formam, ſed per ſuum eſſe: in quo valde differt à viſibili; quod in ratione viſibilis formaliter conſtituitur viſione.

SECTIO VIII.

Relatio tranſcendentalis, & prædicamentalis.

§. 86. *Diuiſio relationis.* ANte exactam diuiſionem omnium relationum, oportet diſquirere diſcrimen, & eſſentiam relationis tranſcendentalis & prædicamentalis. Ariſtoteles 5. Metaphyſic. cap. 15. ita definit ad aliquid, ſeu relationem: *Ea ſunt ad aliquid, quæ id, quod ſunt, aliorum eſſe aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur.* exempli gratia, Pater aliorum eſſe dicitur, quia Pater alicuius eſt Pater; & ſimile aliorum dicitur, quia alicuius eſt ſimile: Illa autem particula *aliquo alio modo* complectitur relationes tranſcendentales; quæ ad aliud aliquo modo dicuntur, vt potentia factiua, alicuius factibilis eſt factiua. Item definit Ariſtoteles *ad aliquid ſunt, quorum eſſe eſt ad aliquid ſeſe habere.* Hæc videtur conuenire ſolis prædicamentalibus; quia verſantur circa extrema quæ ſimpliciter ſunt aliquid. Non tamen colligitur ſatis ex Ariſtotele diſcrimen inter vtramque, quia de vtraque promiſcuè agit (vt conſpiciet qui legerit illud caput.)

Ariſtotel.

§. 87. *Definitio P.Suar. Impugnatur.* Pater Suarez diſputat. 47. ſect. 5. ſic definit relationem, *relatio eſt accidens, cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere.* Verùm hæc definitio ſolum conuenit relationibus in accidente fundatis; at ſubſtantiali relationi non conuenit. *Obiectio.* Dices, omnem relationem eſſe accidens prædicamentale; licet non diſtinguatur à ſubſtantia. *Reſponſio.* Contra, quia accidens prædicamentale eſt accidens phyſicè, nam eſt accidens ex natura ſua: accidens autem logicum tantum eſt accidens ratione noſtra in modo prædicandi. Dici tamen poteſt, omnem denominationem extrinſecam vocari accidens, quia ſine illa conſtituitur eſſentia rei, & quia poteſt adeſſe, & abeſſe abſque corruptione ſubiecti, nam homini accidit eſſe Patrem; non quidem intrinſecè, ſed per extrinſecam exiſtentiam filij: quod inſinuaui diſput. 9 quæſtio tamen eſt de ſolo nomine.

§. 88. *Difficultas.* Adhuc ſupereſt difficultas, quia cognitio creata quidquid eſt, eſt ad aliud, & eſt accidens, aduenienś homini, qui per illam refertur ad obiectum; & non eſt relatio prædicamentalis: ergo ea definitio conuenit aliis à definito. Maior eſt certa ex libris de anima diſputatione 6. minor non minus certa.

§. 89. *Diſcrimen prædicamentalis à tranſcendentali.* Hic explanare oportet diſcrimen inter relationem tranſcendentalem, & prædicamentalem, cognitio enim non eſt de prædicamento relationis: ſed qualitatis, actionis, & paſſionis. Varia diſcrimina ab autoribus aſſignantur. Alij aiunt, relationem tranſcendentalem non exigere terminum actu exiſtentem, neque etiam poſſibilem. *Opiniones confutantur.* Contra quos præſto eſt obiectio, relationem tranſcendentalem aliquam exigere actualem terminum, vt notitias externas, & omnes modos, plures item requirere terminum realem, hæ quo differunt à prædicamentalibus. Caietanus de ente, & eſſentia capit. 7. quæſtione 15. quem ſequitur P. Suarez d. 47. ſection. 4. numer. 22. ait, relationem prædicamentalem reſpicere terminum non exercendo aliquod munus circa illum, at relationem tranſcendentalem aliud munus non exercere præter reſpicere. *Caietan. P.Suarez.* Contra: nam actio productiua reſpicit terminum purè, vt terminum; item & cognitio, & vnio hypoſtatica *Impugnatur.*

poſtatica Verbum, quæ non ſunt relationes prædicamentales: ergo.

§. 90. *Obiectio. P.Suarez.* Reſpondet P.Suarez, hoc argumentum in æquiuoco laborare; quia actio aliquid agit circa terminum præter quam reſpicere, quia illum producit, & cognitio repræſentat, & vnio vnit. *Confutatur.* Contra: quia omnes illæ ſunt ſpecies reſpiciendi purè terminum: nam tam purè terminus eſt obiectum cognitum, quàm terminus relationis; nam ſicut relatio eſt intrinſeca fundamento, & omnino extrinſeca termino, ita cognitio eſt intrinſeca potentiæ, & omnino obiecto extrinſeca, ergo tam tam purè terminus eſt obiectum, quàm terminus relationis. *Confirm.* Confirmatur, quia ſicut cognitio reſpicit obiectum illud repræſentando, ita ſimilitudo illum phyſicè aſſimilando: ergo ſimilitudo illum non reſpicit vt purè terminum magis, quàm cognitio; patet conſequentia, quia cognitio eſt aſſimilatio intentionalis obiecti; ſimilitudo autem eſt aſſimilatio phyſica, quæ minus habet de reſpectu termini vt termini, quàm intentionalis. Deinde hæc ſolutio non tam explicat quid ſit relatio, quàm quid non ſit: nam tantùm ait reſpicere terminum vt purè terminum, tantùm eſſe illum reſpicere non agendo; nec cognoſcendo, neque vniendò, neque opus eſt in re tam clara tenebras quærere.

§. 91. *Diſcrimen clarum. Relatio prædicamentalis eſt accidẽtaria immediatè fundamẽto; ſecus trãſcendentalis.* Diſcrimen eſt clarum; quia relatio prædicamentalis eſt accidentaria immediatè fundamento, quod poteſt à parte rei ſine illa exiſtere: ſi quod autem non poteſt, oritur aliunde: vno verbo: relatio prædicamentalis eſt extra eſſentiam, & entitatem fundamenti proximè: tranſcendentalis verò eſt à parte rei idem cum eſſentia immediati fundamenti. Hoc probatur apertè, tum percurrendo ſingulas relationes, nam Deus fuit tota æternitate ſine ſimilitudine ad creaturas, & homo poteſt exiſtere ſine paternitate, & palmus quantitatis ſine æqualitate alteri palmo; ratio à priori: quia hæc relatio formaliter conſiſtit in duobus extremis diſtinctis, vel eſt accidens ortum à coëxiſtentia vtriuſque. *Obiectio.* Dices, homo non poteſt exiſtere ſine relatione effectus ad Deum. *Reſpond.* Quid inde? an propterea non erit extra eſſentiam illius? neque item poteſt eſſe ſine vbicatione. Hoc non oritur ex conceptu communi relationis: ſed quia homo eſt ens ab alio, & non poteſt exiſtere, quin illius cauſa ſimul exiſtat.

§. 92. Relationem tranſcendentalem non eſſe diſtinctam ab entitate fundamenti proximi patet, ſingulas percurrendo: nam cognitio, & appetitio ſuis entitatibus reſpiciunt ſuos terminos, ita vt ſine illo reſpectu non modo non poſſint eſſe, verum nec propriè cognoſci: item materia, forma, & vnio ſuis entitatibus ſe mutuò reſpiciunt, quia quidditatiuè ſunt partes, & compoſitio totius. Idem patet in potentia factiua, quæ eadem ratione, qua eſt factiua, eſt alicuius factibilis. *Ratio à priori.* Ratio à priori, quia *tranſcendentalis* dicitur; quia tranſcendit vel penetrat totam entitatem, quæ in ſuo conceptu connotat aliquid à ſe diſtinctum.

§. 93. *Reiiciuntur aliqui.* Hinc reiicio quod alij volunt, relationem tranſcendentalem eſſe accidentalem ſubiecto: etenim ſicut aliqua entitas eſt accidentalis alteri, ſimiliter eſt accidentalis relatio identificata cum illa, vt potentiæ viſiuæ eſt accidentalis viſio, & eius relatio; tamen relatio cognitionis ad obiectum eſt eſſentialis ipſi cognitioni, quod eſt velut fundamentum proximum relationis: quo differt à ſimilitudine albedinis, quæ illi eſt accidentalis, & in ea immediatè fundatur. Rogas ſi relatio prædicamentalis eſt modus à termino, & fundamento diſtinctus, an ſit tranſcendentalis? *Quæſtio.* nam eſſe ad aliud, eſt de illius eſſentia. Non, quia eſt accidentalis immediato fundamento.

§. 94. *Relatio tranſcendentalis vagatur per omnia prædicamenta.* Inde ortum: relationes tranſcendentales per omnia prædicamenta vagantur, immo ab aliquibus dicuntur tranſcendentales, non quia penetrant eſſentiam rei, ſed quia omnia prædicamenta percurrunt; ea tamen relatiua vocantur ſimpliciter abſoluta, quia relatiua ſimpliciter, vocantur ſola prædicamentalia; quapropter S. Thom. *S.Thom.* opuſcul. 48. tractat. 5. cap. 1. has relationes tranſcendentales vocat *ſecundum dici*; quia dicunt per ſe primò rem alterius prædicamenti; ſecundariò autem dicunt relationem; ſicut ſcientia ad obiectum: tamen illud genus relationis eſſentiale eſt ſcientiæ. *Aliud diſcrimen.* Aduerte aliud diſcrimen: quia tota relatio tranſcendentalis non includit formaliter terminum, vt cognitio, & materia; ſed illud connotat in obliquo: prædicamentalis verò præter fundamentum includit formaliter terminum. Inde etiam patet, cur prædicamentalis non poſſit eſſe ſine termino, ſecus tranſcendentalis: quia, verbi gratia, non eſt de eſſentia potentiæ viſiuæ actu videre, ſed poſſe: eſt autem de eſſentia ſimilitudinis actualitas, & ſimilium coëxiſtentia.

§. 95. *Relationis prædicamentalis definitio.* Igitur relatio prædicamentalis eſt, *cuius totum eſſe eſt ad aliud accidentaliter aduenıens immediato fundamento.* *Cuius* ſumitur loco generis, id eſt accidens (inquam) extrinſeca denominatio orta ex coëxiſtentia termini. *Quæſtio.* Rogas, quomodo totum eſſe Patris ſit ad aliud, cum entitas illius non ſit ad aliud? Reſpondeo ly *totum eſſe* non ſumi pro tota entitate, id enim conuenit relationi tranſcendentali, cuius tota entitas refertur ad aliud, ſed totum eſſe ſub aliqua denominatione accidentali. Quod ex eo quod eſt accidens patet; verbi gratia, totum eſſe Patris ſub denominatione Patris eſt ad filium; non verò ſub conceptu hominis præciſè: ſed ſub illa denominatione accidentali *Patris*; ſine qua poteſt eſſe ſubſtantia Patris. Ad hoc prædicamentum in rigore ſpectant relationes phyſicè accidentales; quia quartum prædicamentum eſt differentia phyſicè accidentis; at verò rudi Mineruâ prædicamenta diuiduntur: quapropter omnes relationes includentes extrinſecam denominationem huc referuntur. *Relatio tranſcendentalis definitur.* Relatio tranſcendentalis eſt, *cuius eſſe eſt ad aliud aliquo modo eſſentialiter aduenıens immediato fundamento*: ly *cuius* eſt *ens*; nam hæc relatio abſtrahit à ſubſtantia & accidente.

SECTIO IX.

Appendix de relatione tranſcendentali Dei ad creaturas.

§. 96. *In Deo relationes.* Relationes prædicamentales non ſumuntur à ſola intrinſeca denominatione. Ita in Deo eas reperiri probaui ſectio. 2 Quod qui recuſant, recuſant, quia opinantur relationem eſſe modum ab vtroque extremo diſtinctum. Præter has relationes in Deo reperiri alias diuinas omnino, Paternitatem, Filiationem, & Spirationem actiuam, & paſſiuam fides ſanxit. Aliqui volunt has relationes eſſe potius prædicamentales, quam tranſcendentales; tum quia paternitas, & filiatio creatæ ſunt prædicamentales, tum quia requirũt actualem exiſtentiam termini. Alij aiunt has relationes

in

Inclinâtes in tranſcendentales. in tranſcendentales inclinare: nã relatio prædicamentalis eſt extra conceptum immediati fundamenti, ſed Paternitas diuina non eſt extra conceptum immediati fundamenti, ergo non eſt relatio prædicamentalis: probatur min. Quia paternitas immediatè fundatur in actuali generatione actiua; ſed actualis generatio diuina, & paternitas ſunt idem non modò realiter, ſed etiam ratione (vt ex Theologia poſui diſput.8.Phyſic. ſect.1.) quo differt à creatura, nam generare actu non eſt de conceptu perſonæ Petri; eſt tamen de conceptu primæ in Trinitate perſonæ, quæ conſtituitur formaliter generatione. Id de coëxiſtentia termini nihil refert, eſt enim etiam commune pluribus relationibus tranſcendentalibus: vtrum verò duæ perſonæ, vt ſimul coëxiſtentes, fundent inter ſe prædicamentalem relationem? Theologus diſquirat: noſtra enim principia ad id non ſe porrigunt, neque volo eſſe vltra crepidas.

§.98. *Difficultas.* Magna difficultas eſt, vtrum ſcientia, omnipotentia, & cætera Dei attributa ad creaturas, dicant ad illas relationem tranſcendentalem? an verò hæc omnia dicant ſolam relationem rationis? in ſe autem ſint ſine tranſcendentali reſpectu? *Opinio affirmans. P.Vazquez.* Noſter Gabriel tom.1.1.p.diſp.104. cap.6. tacito nomine refert recentiores nonnullos, opinantes, omnipotentiam Dei dicere reſpectum tranſcendentalẽ ad creaturas. *Probatur primò.* Probari poteſt primò: quia omnipotentia in ſuo conceptu includit virtutem faciendi omnia; ſed virtus ad omnia eſt ordo ad illa, ergo omnipotentia in ſuo conceptu includit ordinem ad creaturas: maior eſt ex terminis nota: minor quidem iiſdem; quia virtus actiua eſt alicuius factibilis actiua; à qua aliquid denominatur factibile, ergo virtus ad omnia eſt ordo ad illa.

§.99. *Obiectio.* Dices, hunc reſpectum non eſſe realem, ſed rationis: quia intellectus non poteſt explicare virtutem actiuam Dei, niſi per creaturas, ex quarũ poſſibilitate conſurgit etiam illa denominatio. Quo differt hæc relatio à relatione ſecundum dici; quia hæc eſt per ſpecies alicuius obiecti, ad cuius ſimilitudinem cognoſcitur aliud, ſed ſuum cõceptum non ſumit ab illo, vt velocitas Angeli non ſumitur ab aquileis alis: at verò ſub iſto conceptu potentia connotat creaturas, & niſi per illas explanari non poteſt.

§.100. *Reſpondetur.* Contra arguitur ſecundò: quia non ſolum per intellectum confuſum, verùm nec per viſionem beatam poteſt cognoſci omnipotentia Dei niſi connotando creaturas, immo neque Deus ipſe poteſt ſe ipſum cognoſcere niſi ſimul cognoſcendo creaturas ex vi ſui cogniti; hoc autem oritur, quia ipſa omnipotentia ducit in cognitionem creaturarum, ergo ipſa omnipotentia dicit intrinſecum ordinem ad creaturas; patet conſequentia, quia ea ratione ducit in cognitionẽ illarum, quia intrinſecè eas reſpicit. Confirmatur, omnipotentia in ſe eſt virtus actiua, ergo in ſe eſt actiua alicuius factibilis: quia nõ eſt actiua ſui. ergo in Deo eſt conceptus tranſcendentalis ad aliud. *Opinio probabilis.* Equidem hæc opinio eſt probabilis, & argumentum haud facilem habet explicatum: quam vidi à grauiſſimis Theologis defendi, neque eſt digna, vt in eam *P.Vazquez.* P. Vazquez tam acriter inuehatur; quam ait nullius eſſe Theologi ex antiquis, negantibus relationes in Deo. Illi tamen locuti ſunt de relatione prædicamentali, diſtincta à fundamento, & termino: de tranſcendentali autem vix, aut ne vix quidem fecere ſermonem. Caue tamen de nomine quæſtionem, ne vocibus obtundare.

§.101. *Prima concluſio.* Dico primò. *Non poteſt eſſe reſpectus tranſcendentalis, niſi ſit poſſibilis illius terminus; qua ratione eſt terminus illius.* *Ordo tranſcendentalis non poteſt eſſe ſine aliqua dependentia à termino.* Ita P.Vazquez ſupra, & ſæpe indicat *P. Vazq.* *P. Suarez.* P. Suarez. *Probatur.* Probatur, quia reſpectus tranſcendentalis eſt entitas rei in ſuo eſſe aliam reſpiciens: vel connotans: ſed ſublato termino non datur reſpectus ad illum: ergo. probo min. tum quia *ad aliquid* reſpicit id, ad quod eſt; ſi autem non eſt, quomodo illud reſpiciet, aut erit ad illud? tum etiã inductione, ſi enim non eſt poſſibilis color, nec lux; non eſt poſſibilis viſio; pone enim viſionem poſſibilem, & pone in actu, *nam poſſibili poſito in actu nullũ ſequitur inconueniens*: quid videbit illa viſio? non colorem, quem poſui eſſe impoſſibilem: neque lucem eamdem ob cauſam; quid ergo videbit? ergo non poteſt eſſe viſio ſublato obiecto: neque item poteſt eſſe potẽtia actiua ſine effectu poſſibili; finge enim calorem eſſe impoſſibilem, & conſtitue à parte rei virtutem calefactiuam operantem; quid producit illa virtus? non calorem, quia ille non poteſt produci: ergo illa virtus nunquam poſſet in actum reduci: nam calor ſimul eſſet poſſibilis & impoſſibilis; impoſſibilis, ex ſuppoſitione; poſſibilis autem, quia poſſet ab illa virtute produci.

§.102. *Obiectio. Reſpondetur.* Dices fore impoſſibilem in ſe, & poſſibilem à potentia. Contra, quia potentia non denominat poſſibile id, quod in ſe eſt impoſſibile, ſicut Deus non denominat chymæram poſſibilem, nam poſſibile dicit non repugnantiam ex parte termini, & virtutem ex parte potentiæ (vt latè oſtendi diſp.8. ſect.1.) Item materia prima eſſet impoſſibilis, ſi eſſet impoſſibilis forma. Finge enim formam impoſſibilem, & materiam exiſtentem: illa materia cuius rei erit ſuſceptiua? non formæ, quia tunc eſſet chymæra: ſicut modò hircoceruus: & ſicut modò materia non eſt ſuſceptiua hircocerui; ita nec tunc eſſet ſuſceptiua formæ.

§.103. Dices, actum de chymæra eſſe de obiecto impoſſibili. Prudens addidi in concluſione hæc verba, *niſi terminus ſit poſſibilis ſub ea ratione qua eſt terminus illius.* Nã ſi terminus eſt impoſſibilis ad exiſtendum, nullus datur ordo tranſcendentalis ad illum vt poſſibilem: ſicut ſi terminus eſt accidens non datur ordo ad illud tamquam ad ſubſtantiam: ita actus de chymæra, non eſt ordo ad illam, vt ad rem poſſibilem, ſed tantum vt ad obiectum. Chymæra autem dicitur eſſe poſſibilis eo modo, quo dicitur eſſe; ſæpe enim dixi nos loqui de non entibus per verbum ſubſtantiuũ tamquam de entibus. At ens rationis eſt obiectiuè in mẽte: & ſic eſt obiectum cognitionis, & illius terminus. Igitur, eſſentia ordinis tranſcendentalis conſiſtit in reſpectu ad terminum: termino autem ſublato, tollitur per locum extrinſecum reſpectus ad illum, & tota entitas identificata cum illo reſpectu: ſicut in relatione prædicamentali, ſi eſſet diſtincta à fundamẽto, & termino, ſublato termino etiam auferretur *Epilogus.* relatio. Vnde concludo omnẽ relationem realem eſſe dependentem à ſuo termino, vt perſpicuè docet S.Thom.2.contra gent.c.22. nec contrarius eſt lib.4. cap. 14. ibi enim docet relationes perſonales non eſſe phyſicè pendentes à ſubſtantia in Deo, nec ab alio termino eſſentialiter diſtincto.

§.104. *Secunda concluſio. Deus eſſet, etſi omnis creatura repugnaret.* Dico ſecundo: *Deus exiſteret, quoad omnem ſuam intrinſecam entitatem, etiam ſi nulla creatura eſſet poſſibilis.* Hæc controuerſia iam eſt de re, non de nomine. Concluſionẽ hanc optimè defendit P. Vazquez ea diſp.104. c.6. *P.Vazq.* Probatur apertè primò, quia Deus in ſuo eſſe non dependet à creaturis, ergo etiamſi creaturæ non eſſent poſſibiles, Deus exiſteret. Conſequentia patet, quia ablatis omnibus à quibus ego non dependeo, cur propterea ego peribo?

peribo? nam interitus oritur ex aliqua dependentia. Antecedens probo:quia Deus eſt ens à ſe;ergo à nullo dependet aliqua ratione. Quo argumento vtitur S.Thom.2. contra gent.c.12.initio.

§.105. *Obiectio.* *Reſpondetur.* Dices, Deum non pendere ab vlla cauſa ſed dici dependere, quia non eſſet ſi terminus non eſſet poſſibilis. Contra: quia illa eſt vera dependentia, & imperfectio.Licet enim non ſit dependentia per phyſicum influxum: tamen vna res neceſſario dependet ab alia, quando ex interitu vnius, alterius interitus ſequitur neceſſariò; vt actus intuitiuus dependet ab exiſtentia obiecti, etiam ſi obiectum nullo modo concurreret phyſicè ad actum:eademque de cauſa materia dependet à forma:quia ſi forma eſſet impoſſibilis: ita & materia. Hoc autẽ eſſe imperfectionem patet:tum exemplis adductis,tum quia per ſe dedecere videtur, Deum facere dependentem à ſimia,& affirmare Deum eſſe impoſſibilem,ſi ſimia eſſet impoſſibilis. *Confirmatur.* Confirmatur,maior perfectio eſt, ſcientiam viſionis Dei fore exiſtentem quoad intrinſecam entitatem, etiam ſi non exiſteret obiectum, quàm noſtræ cognitionis, quæ entitatiue deſineret eſſe niſi obiectum exiſteret.ergo idem eſt in omnipotentia.

§.106. *Secundum argumentũ.* Secundò, probo concluſionem: quia ſi omnes creaturæ in ſe repugnarent eſſe, tamen Deus non repugnaret:ergo illis impoſſibilibus, adhuc exiſteret Deus:probo antecedens: quia ex eo quod creaturæ repugnent, nulla repugnantia ſequitur in exiſtentia Dei, quia Deus in ſuo eſſe non dependet à creaturis. *Obiectio.* Dices, claram oriri repugnantiam:Deus eſſet omnipotens, & non eſſet omnipotens:omnipotens,quia eſt attributum illius tam neceſſarium, quàm natura diuina: non omnipotens; quia nihil poſſet facere, cum nihil à Deo poſſet fieri;egregia *Reſpondetur.* autẽ eſſet omnipotentia, quæ nihil poſſet.Contra, omnipotentia eſt virtus intrinſeca Dei ad efficiendum terminum in ſe non repugnantem: ſed tunc Deus haberet intrinſecam virtutem faciendi terminum in ſe non repugnantem; & licet creaturæ repugnarent, Deus non careret hac intrinſeca virtute; ergo tunc Deus eſſet omnipotens,inquantum omnipotentia dicit virtutem intrinſecam: & non eſſet impotens,ergo non ſequitur illa repugnantia: probo maiorem ex diffinitione omnipotẽtiæ, quæ eſt *potentia faciendi omnia quæ non repugnant:*probatur minor, quia repugnantia creaturarum nõ oritur ex impotentia Dei, neque ex defectu virtutis illius: ſicut repugnantia, qua Angelus non poteſt ab homine oriri, oritur ex impotentia ipſius hominis:oritur autem illa repugnantia ex defectu ex parte ipſarum creaturarum, ergo tunc retineſſet Deus totam virtutem factiuam termini non repugnantis. *P.Vazquez.* Merito ait P. Vazquez hanc eſſe naturalem demonſtrationem.

§.107. *Confirmatur primò.* *Res cur ſint poſſibiles.* Confirmatur primò,homo non eſt poſſibilis eo præcisè, quia Deus poteſt illum facere, nam licet ad hoc requiratur omnipotentia Dei, requiritur tamen non repugnantia ex parte hominis:ratione cuius non repugnãtiæ hæc eſt bona cauſalis, *Deus poteſt facere hominem, quia homo in ſe non eſt repugnãs.* Chymæra autem non eſt impoſſibilis, quia Deus non poſſit illam producere: ſed potius ideo non poteſt à Deo produci, quia in ſe eſt repugnans: & tota ratio repugnãtiæ oritur ex ipſa chymæra;nam ſi inde non oriretur,nõ oriretur ex parte Dei, quia Deus ex ſe virtutem habet factiuam rei non repugnantis. Ratio à priori; quia inter potentiam, & terminum debet reperiri proportio, & potẽtia reſpicit terminum non repugnantem tali potentiæ: & ex defectu termini, licet virtus in ſe productiua ſit ſufficiens, tamen non denominatur potentia reſpectu illius, quia repugnat ex parte termini ab illa denominari: tunc ſic, ergo ſi homo eſſet impoſſibilis in ſe,ſicut eſt chymæra,adhuc Deus eſſet omnipotens quantum ad intrinſecam perfectionem, & virtutem Dei: nam repugnantia hominis nõ oriretur ex Deo, ſed ex ipſo homine,ſicut modò oritur ex chymæra: quia includit duos conceptus inuicem repugnantes, ergo ſicut chymæra modo non minuit omnipotentiam Dei, nec Deus dicitur impotens reſpectu illius.Idem contingeret in homine, ſi eſſet chymæra, ergo etiamſi omnes creaturæ eſſent chymæræ, non minueretur omnipotentia Dei, neque Deus eſſet impotens reſpectu illarum: quia impotens dicit carentiam virtutis ad rem non repugnantem. Totius ratio eſt, quia illa impoſſibilitas oritur ex creaturis ipſis & non ex Deo.Vnde merito S. Thom.ait nõ eſſe dicendum, *Deus non poteſt facere chymæram*, ſed *chymæra non poteſt fieri à Deo*; nam licet idem ſignificent oratio actiua, & paſſiua, tamen hic non ſolum eſt modeſtior, ſed etiam explicat radicem repugnantiæ eſſe in eadem chymæra.

§.108. *Obiectio.* *Reſpondetur.* Dices, etiam ſi homo in eo caſu eſſet chymæra, adhuc aliæ creaturæ eſſent poſſibiles:reſpectu quarum Deus eſſet omnipotens.Contra:quia ea ratione poſſet Deus producere creaturas alias, & non hominẽ:quia illæ in ſe non repugnarent, ſicut homo,non verò ex diſcrimine omnipotentiæ Dei cõparatione illarũ: eas autem in ſe eſſe repugnantes, vel nõ,quid addit Deo, vel adimit?ſicut homo neque adderet,aut adimeret. Quid enim magis habet vna creatura quàm omnes,cum ratio ſit æqualis in vna, & in omnibus? Secundò confirmatur exemplo euidenti: non minus repugnat Deũ eſſe ignorantem futurorum, quàm impotentem: ſed Deus potuit non cognoſcere hæc futura, vt futura, quia hæc potuerunt non eſſe: & tunc Deus non eſſet ignorans. Nam ignorãtia eſt non cognoſcere rem, quæ eſt futura:at verò non eſt ignorantia, non cognoſcere quod non eſt futurum: ſimiliter eſt impotentia non poſſe facere rem in ſe non repugnantem fieri: at verò non poſſe facere obiectum in ſe repugnans,non eſt impotentia.

§.109. *Tertium argumentum.* *Scientia Dei in ſua entitate nõ pendet à creatura.* Vnde argumentor tertiò; ſcientia Dei futurorum habet eundem reſpectũ ad futura; quem omnipotentia ad poſſibilia: ſed tota entitas intrinſeca Dei poſſet exiſtere, licet non denominaretur ſcientia viſionis præcisè ex defectu futurorum; ergo ſimiliter tota entitas intrinſeca omnipotentiæ Dei poſſet exiſtere, licet non ſub denominatione omnipotentiæ præcisè ex defectu poſſibiliũ: conſequentia patet,quia eadem eſt ratio,propter quam omnipotentia deficeret: nempe ex defectu termini; & quia Deus non poteſt eſſe impotens: quod idem reperies in ſcientia.Minor eſt clara; quia potuit Deus non producere mundum, & Deus haberet totam entitatem quam modo habet, nõ tamen denominaretur cognoſcens futura: quia nulla eſſent:maior patet, quia ſicut omnipotentia eſt virtus faciendi aliud, ita ſcientia viſionis eſt virtus cognoſcendi aliud.

§.110. *Obiectio.* *Reſpondetur.* Dices,ſcientiam viſionis eſſe liberam,nõ tamen omnipotentiam. Abs re ſolutio;tantum enim probat, denominationem omnipotentiæ Deo conuenire neceſſariò ex neceſſitate poſſibilium creaturarum:denominationem verò cognitionis futurorũ eſſe liberam ex libera futuritione creaturarum, nõ tamen probat diſcrimen inter virtutẽ intrinſecam ſcientiæ, & omnipotentiæ: ſcientia enim in ſua entitate tã neceſſaria eſt quàm omnipotentia:

quia

quia vtraque eſt à parte rei idem cum natura diuina. Vnde ſic argumentor; licet ſcientia Dei nõ haberet obiecta, quæ connotaret, non defineret eſſe in ſua intrinſeca entitate; quia in ea eſt independens à creaturis, quamuis non haberet denominationem ſcientiæ viſionis: ergo neque omnipotentia defineret eſſe, ſi creaturæ eſſent impoſſibiles, quia eſt independens ab illis, licet non retineret denominationem omnipotentiæ. Aduerte diſcrimen inter ſcientiam, & omnipotentiam entitatiuè ſumptas, & reduplicatiuè conſideratas ſub iſta denominatione ſcientiæ & omnipotentiæ, nam licet manerent ſine terminis ſcientia, & omnipotentia entitatiuè, non tamen ſub iſta denominatione ſcientiæ, & omnipotentiæ; quia hæc ſumitur, & explicatur à coëxiſtentia futurorum, vel poſſibilitate terminorum, ſicque effugies difficultates omnes hac facili diſtinctione.

§. 111. *Tertia concluſio. Deus non dicit relationẽ tranſcendentalẽ ad creaturas.*

Dico tertiò. *Deus nullam dicit relationem tranſcendentalem ad creaturas.* Ita P. Vazquez ſup. & Suarez diſp. 47. Met. ſect. 3. num. 6. & ſect. 15. num. 15. & 1. p. tract. 1. l. 2. cap. 26. num. 14. Probatur apertè ex dictis. Nulla res independens à ſuo termino dicit ordinem tranſcendentalem ad illum: ſed Deus eſt independens à creaturis, quæ ſunt terminus omnipotentiæ, ergo Deus non dicit ordinẽ tranſcendentalem ad creaturas: probo min. quia omnis relatio tranſcendentalis eſt dependens à ſuo termino, & non poteſt ſine illo eſſe (vt probaui concluſione 1.) circa quam nõ poteſt eſſe aliqua quæſtio niſi de nomine: minor patet ex concluſione ſecunda, de qua eſt quæſtio de re: conſequentia patet in *Ferio*.

§. 112. *Reſpondetur ad argumentum ex §. 98.*

Ad argumentum in §. 98. diſtinguo minor. virtus ad omnia eſt ordo ad illa, ſi illa virtus eſt in ſua entitate dependens à termino, vt potentia viſiua à viſione; concedo maiorem: nego tamen, ſi non ſit dependens: diſtinguo etiam probationem minoris: virtus factiua alicuius rei eſt ordo ad illam, ſi ab illa dependet, concedo; ſecus ſi non dependet. Vnde ille reſpectus eſt rationis, vt reſpondetur illo §. 98. Ad replicam in §. 99 reſpondetur: beatos poſſe quidditatiuè Deum videre, nullam creaturam etiam in communi cognoſcendo, & tunc cognoſcerent omnipotentiam Dei, non ſub iſta denominatione *omnipotentiæ*, ſed ſecundum ſuum intrinſecum conceptũ, ſicut re ipſa cognoſcunt actus liberos Dei, & ſcientiam viſionis, quæ pono ex prima parte quæſt. 12. Deus autem non poteſt ſe comprehendere, ſine cognitione creaturarum, non quia omnipotentia ſit ordo ad illas, ſed quia eſt virtus producendi illas; quia nõ repugnant, & eo ipſo quod non repugnent, cõtinentur eminenter in Deo, & ſic omnipotentia ducit in illarum cognitionem; quia habent neceſſariam connexionẽ cum omnipotentia vt cum ſua cauſa, propter quam connexionem cenſent multi aliquas creaturas in commune à beatis neceſſariò videri. Quod ſi creaturę eſſent impoſſibiles; Deus ſe comprehenderet ſine illarũ cognitione, quia tunc nulla ex illis eminenter cõtineretur in Deo, ſicut modò contingit in chymæra, ſine cuius cognitione Deus ſe comprehendit; quia propter repugnãtiam quam includit, non continetur eminenter in Deo, nec cum illo connectitur. Idem re ipſa contingit modo in actibus liberis, & ſcientia viſionis, quæ comprehendũtur à Deo, & in illis quaſi reflexè cognoſcit Deus futura, quia in eo ipſo, quod ſunt futura, debent à Deo dependere & cognoſci.

Virtus factiua Dei eſt independens à termino.

Deus videri poteſt abſque vlla creatura.

Omnipotẽtia ducit in creaturas propter connexionẽ.

§. 113. *Ad confirmationem.*

Ad vltimam confirmationem reſpondetur, virtutem Dei in ſe eſſe factiuam creaturarum, ſine dependentia ab illis. Vnde *ad aliud*, non habet locum in Deo, ſi ſumatur pro relatione dependente, quia Deus quidquid eſt, non eſt ad creaturas cum dependentia ab illis: ſi tamen velis, quemcumque conceptum, & denominationẽ *ad aliud* ſine dependentia ab illo eſſe propriè relationem, quæſtio eſt de nomine: ſed tuam ſententiam non probabis.

§. 114. *Argumentũ ab impoſſibili per locũ intrinſecũ quid ſit.*

Quoniam ſæpe ex caſu impoſſibili per locũ intrinſecum argumentor, maximè in propoſita difficultate: videtur hoc arguendi genus explanandũ. Principium, vnde concluditur argumentũ ad propoſitum aliquid confirmandum: Rhetores *locum* appellant: vt definitionem, diuiſionem, & conglobata, quando ex illis petitur argumentum: locus ergo intrinſecus eſt, principium illud ex quo arguitur per intrinſecos cõceptus, & formales alicuius rei. Vbi obſerua eſſe admittendum caſum impoſſibilem: ſed qui non deſtruat formaliter ſuppoſitionem retentam, ſed qui cum illa non inuoluat formalẽ terminorum repugnantiam, v.g. ſupponamus Petrũ animalitate carere: ecce caſus impoſſibilis, quo admiſſo non debemus admittere tunc Petrum manere hominem; quia homo formaliter includit animal, & in ſuppoſitione retenta inuoluerentur termini repugnantes, nempe animal, & non animal; tenemur autem admittere Petrũ tunc rationale manere, quia conceptus formalis animalis, non eſt conceptus formalis rationalis; in eo caſu poſſumus de Petro diſcurrere quantum ad rationalitatem per intrinſecos illius conceptus, ac ſi non eſſet animal; item per locum intrinſecum ſunt neganda omnia prædicata, quæ formaliter conſequuntur ex cõceptu animalis: vt ratio appetitiui; ſi verò in caſu impoſſibili componas duos cõceptus contradictorios, vt ſi ſupponas hominem cœcum videre, ſuppones ineptè, de qua ſuppoſitione rectè dicitur, *Ex impoſſibili ſequitur quodlibet*. At retento caſu impoſſibili ſine repugnantia terminorũ, non ſequitur quodlibet: ſed per bonas conſequentias ſequitur vna pars, & hoc eſt argumentari per locum intrinſecum. vide diſp 7. in 3. p §. 7. Ita argumentor in præſenti, ſupponẽdo creaturas eſſe chymæras, & probando non propterea ſequi, Deum eſſe chymæram. Si autem ſupponeremus Deum eſſe impoſſibilem, ſequitur per locum intrinſecum creaturam eſſe chymæram; quia à negatione cauſæ eſt formalis conſequentia ad negationem effectus eſſentialiter ab illa pendentis. Quod arguendi genus, & acutum, & vtile; acutum; quia conceptus Metaphyſicos ad vnguem præcidit, & examinat: vtile, quia arguentem deducit in rationes formales conceptuum, eorúmque dependentiam. Ita Theologi diſquirunt, vtrum Spiritus ſanctus realiter diſtingueretur à Filio, ſi à Filio non procederet? Admittunt Theologi caſum impoſſibilem, nempe Spiritum ſanctum non procedere à Filio, & tunc per locum intrinſecum probant, non eſſe tres perſonas realiter diſtinctas in Deo, quia in eo ea tantum diſtinguuntur realiter, quæ realiter opponuntur relatiuè, vnde effluxit illud adagium. *In diuinis omnia ſunt idem, niſi vbi obeſt relationis oppoſitio.*

Quid retinẽdum & quid negandum.

SECTIO X.

Diuiſio relationis.

§. 115.

SI proprium ſequerer Martem, confecta erat diſputatio de relatione ex ſect. 2. & 3 Eiuſque diuiſio eſſet facilis per diuiſionem duarum rerum

coëxiſtentiam: inter quas reperitur aliqua proportio vel ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis; aut cauſę, & effectus. Primum genus fundatur in ente cuiuſque prædicamenti: nam duo homines ſimul exiſtentes habent relationem identitatis: homo autem, & equus, & cætera omnia entia relationem diuerſitatis. Secundum genus non fundatur in eſſentia rei præciſè; niſi intercedat aliqua actio, vel quaſi actio, vt paternitas, & dominium.

SVBSECTIO I.

Relatio rationis, ſecundum dici, & tranſcendentalis.

§. 116. *Ariſtot.* Ariſtoteles cap. *ad aliquid* dixit, relatiua eſſe quæ id quod ſunt, ad aliud dicuntur. Vbi cum Henrico obſeruant alij definita eſſe relatiua ſecundum dici. *Relatio ſecundum dici quid.* Ego quidem opinarer (vt indicaui initio huius diſputationis) relatiua ſecundum dici ea eſſe, quæ explicari, dicique non poſſunt, niſi per comparationem ad alia, vt res ſpiritalis eſt relatiua ſecundum dici ad materialem: quia ſpiritualia dicimus per comparationem ad materialia. Hæc tamen acceptio nondũ eſt accepta. *S. Thom.* S. Thom. opuſc. 48. tract. 5. cap. 1. & q. 7. de potentia art. 10. ad 1. & de verit. q. 21. art. 6 corpore, & 1. p. q. 13. art. 7. ad 1. dicit, relationes ſecundum dici eas eſſe, quæ ſignificant res abſolutas, quas conſequuntur relationes aliquæ, vt ſcientia eſt quidem qualitas abſoluta, ſecundariò autem dicit relationem; relationes verò ſecundum eſſe eas vocat, quæ ſignificant relationes ipſas, vt paternitas, ſimilitudo.

§. 117. *Opinio Thomiſtarum. P. Vazquez.* Thomiſtæ nonnulli apud Pat. Vazquez tom. 2. 1. p. diſp. 173. num. 14. & Suarez, diſput. 47. ſect. 3. num. 9. opinantur, relationes tranſcendentales recidere in relationes ſecundũ dici; mouerique poſſunt authoritate S. Thom. eo opuſc. 48. vbi relationem ſcientiæ ad ſcibile vocat ſecundũ dici, cum ſit tranſcendentalis: item quia res tranſcendenter relatæ ſunt ſimpliciter abſolutæ, explicantur autem relatiuarum more. *P. Suarez. P. Vazquez.* Verum ijdem Pater Suarez, & Vazquez reijciunt ibi eam ſententiam, quia relatio tranſcendentalis eſt verè relatio ſecundum eſſe, ſecus relatio ſecundum dici: *Relatio trãſcẽdentalis eſt ſecundũ eſſe.* oppoſitum autem ineptiæ accuſatur à Pat. Vazquez. Alij volunt, relationem ſecundum dici eſſe relationem rationis, quia tota eſt in intellectu, & ratione; *Relatio ſecundum dici non eſt rationis.* hæc ſententia eſt ſimilior veri: tamen relatio rationis, ſicut & cætera rationis entia, eſt aliquid in obiecto fictum: at relatio ſecundum dici poteſt eſſe ſine figmento vllo.

§. 118. *Aliorum opinio.* Opinatur aliquis, relationem tranſcendentalem diuidi in relationem realem ſecundum eſſe, & relationem realẽ ſecundum dici: primam relationem dicit eſſe eſſentialem immediato fundamento, & idem formaliter cum illo: primò, quia relatio ſecundum eſſe eſt cuius totum eſſe eſt ad aliud ſe habere, *Ariſt.* vt ex Ariſtotele patet: ſed aliquarum rerum eſſentiæ totæ ſe habent ad aliud: ergo habent relationem realem ſecundum eſſe. Secundò, quia illud eſt euidens ſignum relationis, quando conceptus quidditatiuus rei ſecum affert conceptum termini, ſed cõceptus quidditatiuus cognitionis, & aliarum rerum ſecum affert cognitionẽ termini, ergo.

§. 119. *Alia pars eius opinionis.* Relationem tranſcendentalem ſecundum dici eſſe realem probat; quia intellectus conſiderans calorem eſſe principium alius caloris, nihil fingit, ſed concipit id; quod eſt à parte rei: ergo eſt relatio realis. Vnde calor conſideratus cum calefactione in eſſe poſſibili eſt ſtrictiſſimè relatiuum ſecundum dici; quia in recto dicit entitatem abſolutam caloris, cõnotantis in obliquo actionem: quæ eſt relatio tranſcẽdentalis ſecundum eſſe caloris producentis ad productum: eam autem relationẽ non eſſe ſecundum eſſe probat, quia tota eſſentia caloris cognoſci poteſt quidditatiuè, & intuitiuè, ſine calore producibili, vt patet ſenſili experientia: ergo relatio non eſt ſecundum eſſe, quia hæc cognoſci non poteſt ſine termino. Vnde colligit nec creaturam dicere ad Deum ordinem ſecundum eſſe eſſentialem, nec accidens ad ſubſtantiam, nec intellectum ad cognitionem: at verò eo ordine ſecundum eſſe referri cognitionem ad obiectum, actionem ad terminum, vnionem ad extrema.

§. 120. *Potentia ad actum eſt relatio tranſcendentalis.* Potentiam actiuam, & paſſiuam ſecundum eſſe tranſcendenter referri ad effectum, & creaturam ad Deum, & intellectum ad intellectionẽ ex communi Doctorum adſenſu monſtraui diſp. 8. Phyſicorum ſect. 2. Admitto autem doctrinam §. 118. de relatione tranſcendentali ſecundum eſſe. Nego tamen relationem ſecundum dici realiter in obiecto, quin ſit etiam ſecundum eſſe, vt expreſsè aiunt Pat. Suarez & Vazquez ſupra. *Relatio ſecũdum dici in obiecto, eſt ſecundum eſſe. P. Suarez. P. Vazquez.* Nam per te illa relatio eſt realis: ergo realiter refertur per illam ſubiectum in quo eſt; conſequentiam probo: quia (vt rectè Pat. Vazquez 1. part. diſput. 122. num. 24.) relatio realis eſt, quæ realiter aliquid refert; nam relatio exiſtens à parte rei, præſtat realiter ſuum munus; ſed munus relationis realis eſt realiter referre ſubiectum: ergo illa relatio realiter refert ſubiectum: ergo eſt relatio ſecundum eſſe. Patet conſequentia, quia relatio ſecundum eſſe eſt, qua eſſe alicuius rei realiter ad aliud refertur, nam teſte Ariſtot. relatiua ſunt quorum totum eſſe eſt ad aliud ſe habere: *Ariſtot.* ſed totum eſſe eorum quæ realiter referuntur, eſt ad aliud ſe habere realiter, ergo. *Confirmatur.* Confirmatur, ante actualem cognitionem caloris, ille habebat relationem realem ad alium calorem: ergo eſſentia caloris ante actualem cognitionem realiter referebatur ad alium, quia ea relatio aliquid facit, ergo ſecundum eſſe illi adeſt relatio, quia illi adeſt ſecundum ſuam eſſentiam, eam realiter referendo.

§. 121. *Obiectio.* Dices, relationem eſſe realem; quia eſt in obiecto fundamentum, vt cognitione obiectum referatur ad aliud. *Reſpondetur.* Contra primò, in obiecto cognoſcibili duo reperiuntur: alterum intrinſecum ſe tenẽs ex parte obiecti illudque ei eſſentiale; alterum extrinſecè illi accidens, & denominatiuè à cognitione: rogo vtrùm illa relatio ſit ex parte obiecti vt adæquatè diſtincti à cognitione, & formali eius denominatione? vel ſe teneat ex parte cognitionis? ſi ſecundum, ergo relatio non eſt realiter in obiecto: ſed in actu intellectus & conſequenter non eſt intrinſeca, ſed extrinſeca obiecto: ſi autem primum, ergo obiectum ſecundum ſuum eſſe realiter refertur; quia ſecundum ſuum eſſe eſt relatione realiter imbutum. *Confirmatur.* Confirmatur ſecundò, quia ducere intellectum in cognitionem termini non eſt contra relationem ſecundum eſſe; ſed illi annectitur neceſſariò.

§. 122. *Ad argum. ex §. 119.* Ad rationem in §. 119. Reſpondetur, vel calorem non referri realiter ad terminum; vel ſi refertur, eſſe ſecundum eſſe. Ad argumentũ poſſet omiſſo antecedenti concedi conſequentia, & affirmari calorem, & ſimilia, quæ ſine terminis quidditatiuè noſcuntur, nõ habere relationem intrinſecam: ſed extrinſecam ſecundum dici. Vnde nihil euincit; immò qua facilitate negat hic autor intellectui relationem ſecundum eſſe ad intellectionem, negari poſſet & intellectioni ipſi ad obiectum, & affirmari-

affirmari eam eſſe qualitatem inſtitutam ad perficiendum intellectum: abſolutam quidem, & ignotæ nobis naturæ, quam propterea explicamus more relatiuorum. Adde, ipſum aſſerere calorem rectè penetratum ducere in cognitionem calefactionis; rogo, vtrum illa cognitio ſit quidditatiua vel non? ſecundum non dicet, cum ſit exacta cognitio, & ſi dicat, nullo modo calor eſt relatiuum realiter: ſi dicat primum: ergo eſt relatiuum ſecundum eſſe, quia conceptus quidditatiuus caloris affert ſecum conceptum termini, quod ipſe conſtituit, vt principium dijudicandi relatiua ſecundum eſſe. Confirmatur, quia ſi eſſent impoſſibiles formæ, eſſet etiá impoſſibilis materia: quid enim materia eſſet tunc? ergo ſecundum eſſe dependet à formarum poſſibilitate; hoc autem voco ego relationem tranſcendentalem ſecundum eſſe.

§.123. *Reſpondetur abſolutè.* Abſolutè tamen reſpondeo argumento diſtinctione eſſentiæ & quidditatis; quæ ſumi poſſunt realiter, vt ſunt à parte rei: ſic autem de eſſentia caloris, & quidditate eſt relatio ad calefactionem; ſicut immenſitas eſt de quidditate Dei; & conceptus quidditatiuus adæquatus, ſiue penetrans eſſentiam, vt eſt à parte rei, ſecum affert conceptum calefactionis (vt doctor ipſe teſtatur) cognitio autem habita immediatè per ſenſum eſt valde imperfecta: ſimilis belluinæ. Quod ſi ex ea ſumitur argumentum, etiam probaretur qualitatem non eſſe de eſſentia caloris, quia cum ſentimus, quin concipiamus ſit ne qualitas? vel quantitas? Alio modo ſumitur eſſentia ratione noſtra obiectiuè pro primo conceptu, quem de re formamus, ex quo deriuantur alij: quos *attributa* vocamus, & *logicè accidentia*; ſic non eſt de eſſentia, & quidditate caloris eſſe productiuum alius, vel ſaltem non eſt de eſſentia albedinis producere ſpeciem impreſſam, & ſic non eſt de eius eſſentia relatio ad ſpeciem. Recognoſce illam diſp. 8. phyſicorum. Hic enim non quærimus quæ res dicant tranſcendentalem relationem ad alias: ſed diſcrimen relationis ſecundùm dici, & tranſcendentalis.

§.124. *Prima concluſio. Relatio rationis propriè eſt ficta.* Dico ergo primò. *Relatio rationis ſtrictè ſumpta, eſt relatio ab intellectu in obiecto ficta.* Nam omne ens rationis ſtrictum, vt adæquatè diſtinguitur à reali; habet eſſe obiectiuè tantum in intellectu, vel fictè.

Secunda concluſio. Relatio ſecundum dici non eſt realis in obiecto. P. Suarez. P. Vazquez. S. Thom. Dico ſecundò. *Relatio ſecundum dici non eſt realis intrinſeca obiecto relato, ſed formaliter eſt in actu intellectus, cognoſcente rem abſolutam more relatiuæ in ordine ad aliquid ab ipſa dependens.* Ita expreſsè P. Suarez, diſput. 47. Metaph. ſect. 3. num. 8. & 9 & Pat. Vazquez 1. part. diſput. 173. num. 13. & colligitur clarè ex S. Thom. Probatur; quia relatio ſecundum dici, eſt in diſtinctione, & explicatione rei: ergo eſt in intellectu, & nõ in obiecto. Obſerua primò, hic poſſe quæſtionem eſſe de nomine; quid intelligatur nomine huius vel illius relationis? Secundò obſerua, quæſtionem eſſe de relatione ſecundum dici tantum, nam cæteræ relationes, & ſecundum eſſe ſunt, & vocari poſſunt ſecundum dici; quia dicuntur, & explicantur ad aliud, vt obſeruat Pat. Suarez, num. 9. Obſerua tertiò, omnipotentiam, & cætera Dei prædicata ad creaturas tam libera, quàm innata, eſſe relatiua hoc modo, vt bene obſeruat. P. Suarez, num. 8. & 9. *P. Suarez.*

Tertia concluſio. Eſt relatio rationis impropriè. Dico tertiò. *Iſta relatio ſecundum dici poteſt vocari relatio rationis:* latè quidem, vt *relatio* ſignificat reales, & extrinſecas denominationes ab actibus intellectus.

§.125. *Quarta concluſio. Relatio trãſcendẽtalis eſt entitas rei pendentis ab alia.* Dico quartò. *Relatio tranſcendentalis non eſt coexiſtentia duarum rerum, ſicut eſt prædicamentalis: ſed eſt entitas vnius rei depẽdentis ab alia.* Ita ex S. Thom. probaui ſuprà omnem relationem pendere à termino. Sic omnes creaturæ dicunt tranſcendentalem ordinem ad Deum, & omnis res incompleta ad ſuum complementum, vt docet Pat. Suarez num. 12. & 13. eſtque ſententia communiſſima. *P. Suarez.*

Quinta concluſio. Dico quintò. *Relatio tranſcendentalis vt relatio non poteſt concipi ſine termini conceptione*: vt patet ex terminis.

Sexta concluſio. Relatio trãſcendentalis poteſt cognoſci cum termino & ſine illo. P. Suarez. P. Vazquez. Dico ſextò. *Materialiter poteſt cognoſci etiam quidditatiuè aliqua relatio ſine termino concepto*, vt patet in albedine, cognita ſine ſpecie impreſſa. Vide Pat. Suarez, & præſertim Vazquez ſupra impugnantes ſententiam illam de relatione reali ſecundum dici.

SVBSECTIO II.

Ariſtotelica diuiſio relatiuorum.

§.126. *Relatio primi generis. Relatio in vnitate quid petat.* Ariſtoteles verò tripartitus eſt relationem in tria vulgariſſima genera, propterea enucleatim expendenda. Primum genus eſt relationis fundatæ in vnitate; hæc vnitas non requiritur vt ſit propriè vnitas: nam duo homines cum duabus albedinibus habent iſtam relationẽ vnitatis; neque itẽ requiritur vnitas formaliter rationis; nam ſine illa operatione intellectus à parte rei Petrus, & Paulus habent relationẽ idemtitatis. Igitur ea vnitas debet eſſe fundamentalis (vt explicui d. 2. de anima §. 65.) & per ſimilitudinẽ: ſimilia enim vocamus vnum (vt alibi dixi.) Quæ autem ſic conueniunt per ſimilitudinem, fundant hoc primum genus, ſubdiuidendum per varias ſimilitudines: ita dixit Ariſt. *Eadem ſunt, quorum ſubſtantia eſt vna*; ecce relationem identitatis innixã ſimilitudini ſubſtantiali. *Æqualia, quorum quantitas eſt vna:* ecce relationem qualitatis ortã ex ſimilitudine magnitudinis quantitatiuæ. *Similia, quorum qualitas eſt vna*; ecce relationem ſimilitudinis ex accidentali conuenientia qualitatum: ecce item vnitas ſimilitudinis formaliter includens pluralitatem. Quæ vnitas non includit formaliter negationem; ſed duos terminos poſitiuos, nempe duas ſubſtantias, duas quantitates, duas qualitates æquales. *Relatio identitatis. Æqualitatis. Similitudinis.*

§ 127. *Quæſtio. In vna albedine non ſunt duo ſimilia prædicamentaliter.* Hic poteſt inquiri, vtrum duæ res ſint ſimiles, ſi habeant rationem fundandi vnam: v.g. ſi vna albedo poneretur in duobus ſubiectis vtrum eſſent ſimilia, ſicut duæ perſonæ diuinæ ſunt ſimiles in natura? Reſpondeo non fore ſimilia formaliter ſi militudine prædicamentali, quam ſect. 6. oſtendi ex S. Thom. habere terminum realiter diſtinctum à fundamento. Item oſtendi ſect. 7. terminum relationis eſſe fundamentũ in alio v. g. ego ſum ſimilis Antonio: fundamentum meæ ſimilitudinis eſt mea albedo; Petri autem albedo eſt terminus, cum ergo in eo caſu non diſtinguantur fundamentum, & terminus, non poteſt eſſe ſimilitudo formalis, de qua hic agimus. Nec in illam definitio quadrat; nam vnitas qualitatis debet eſſe talis, vt admittat diſtinctionem termini, & fundamenti, quã & non aliam Ariſtoteles agnouit. Quod affertur ex diuinis, peculiarem habet rationem: ibi enim ſunt ſimilia eminentiori ſimilitudine, non prædicamentali: fundata in maxima vnitate naturæ diuinæ; qua ſimilitudine carent creata omnia; quamque imitaretur ſimilitudo caſus miraculoſi.

§. 128. *Relatio diuerſitatis eſt in primo genere. Inæqualitatis.* In hoc genere includitur relatio diuerſitatis, vt oppoſita idemtitati, quia nititur fundamento oppoſito, nempe in non vnitate. Diuerſa ſunt, *quorum ſubſtantia non eſt vna*, id eſt, quorum ſubſtantiæ ſunt intrinſecè diſſimiles: cum inæqualitate ſubſtantiali. Inæqualia ſunt *quorum quantitas nõ eſt vna*. Diſſi

Diſſimilia verò, *quorum qualitas non eſt vna.* Ecce tres relationes tribus prioribus oppoſitas propter diſconuenientias in illis conceptibus. In hoc genere continentur directè omnia genera entis ſub eo conceptu, in quo, quoquomodo ſunt ſimilia accidentaliter: aut diſſimilia; indirectè verò, quæ ſunt in ſubſtantia ſimilia. Item omnes relationes numeri, quia fundatæ in vnitate,aut multitudine. Difficultas eſt de vnitate generica; fundet ne relationem identitatis? ſed ex diſput.2.de anima & ex diſp.5. conſtat, duas ſpecies eſſe intrinſecè diuerſas, & inæquales, ſed quia habent conceptus genericos ſimiles, habent relationem identitatis: abſolutè tamen ſunt diuerſæ propter ſpecificam diſſimilitudinem,& inæqualitatem.

Et relatio numeri.

§.129. *Quæſtio.* Quæritur? an relatio fundata in multitudine ſit poſitiua,an negatiua? quia multitudo includit negationem vnionis. In mea ſententia facile eſt reſponſum; nam relatio tantùm eſt fundamentum, & terminus; vnde ea parte erit poſitiua,vel priuatiua, qua extrema ſint vel poſitiua, vel negatiua: cum autem multitudo ratione entitatum ſit poſitiua, & ratione carentiæ vnionis negatiua,ita relatio eſt partim priuatiua, & partim poſitiua; at verò in ſententia relationem diſtinguente à fundamento & termino alia eſt difficultas. P. Suarez ait, multos probabiliter opinari, eam relationem non eſſe poſitiuam,& poteſt probari, quia dependet à priuatione vnionis tamquam à ratione vel conditione fundãdi. Ego diſtinguerem inter multitudinem rerum non vnibilium:vt inter duos Angelos, & duos homines; & multitudinem rerum vnibilium, vt inter duas aquas. Primam vocarem ego relationem poſitiuam,quia fundatur in diſtinctione rerum, quam diſtinctionem diſp.6. ſect.1. probaui eſſe conceptum poſitiuum;negatio autem quam dicit diſtinctio, eſt poſterior quàm ipſa diſtinctio; per comparationem ad quam negationem explicatur diſtinctio;itaque in dualitate duorum conceptuum fundatur relatio multitudinis; quæ etiam poterit explicari per eamdem carẽtiam vnionis vel idemtitatis. In multitudine rerũ vnibilium duo reperiuntur, & dualitas aquarum, & illarum diuiſio. Aquæ illæ exiſtentes poſſunt habere relationem multitudinis, & vnitatis numericæ, relatio dualitatis, vel multitudinis,quaſi eſſentialiter fundatur in vnitate ſingulari cuiuſque partis: & quando ſunt coniunctæ habent etiam relationem compartis actualis, fundatam in vnione continuatiua, per quam vnionem ſunt vnum in ratione totius.

P. Suarez. *Relatio multitudinis eſt realis in parte.*

§.130. Quando verò illæ partes diuiduntur in duo cõpoſita diſcreta, non accipiunt nouam relationem poſitiuam: ſed accipiunt nouam relationem priuatiuam multitudinis, fundatam in carentia continuationis. In rebus non vnibilibus non diſtinguo has relationes: non quia multitudo,vt multitudo, non includit negationem: ſed quia illa negatio in rebus non vnibilibus eſt omnino negatiua, quia illæ non poſſunt vniri; re tamen ipſa ibi reperitur & relatio multitudinis eſſentialiter, & carentiæ vnionis. Vnde bene P.Suarez ait,relationem realem inniti fundamento poſitiuo, numerus autem vt numerus includit & poſitiuã entitatem, & negationem vnionis, vnde eius relatio non eſt vndequaque poſitiua: ſed mixta ex vtraque. Idem dico de inæqualitate quantitatis; quæ fundatur in carentia aliarum partium: & diſſimilitudinis inter hominem & Angelum in ratione colorati, & non colorati; quia fundatur in Angelica carentia coloris; quapropter eſt mixta. Non tamen de diſſimilitudine inter extrema poſitiua, vt inter albũ, & nigrũ, quæ eſt relatio adæquatè poſitiua. Quia non conſiſtit in carentia; ſed in extremis poſitiuis; licet qualitas imperfectior explicetur per carentiam perfectioris.

P. Suarez.

§.131. *Quæſtio.* Poteſt etiam inquiri, vtrum diſtinctio ſit relatio? an verò terminus abſolutus? Videtur eſſe relatio; quia eſt ad aliud, nam qui diſtinguitur, ab aliquo diſtinguitur,præſertim, quia non datur diſtinctio poſitiua niſi ab exiſtente (vt oſtendi diſput.6.ſect.1.) & quia diſtinctio accidentaliter aduenit immediatè fundamento:& ſic videtur explicanda diffinitio diſtinctionis,*ratio per quam vna res non eſt alia:*alia(inquam) abſolutè, vt etiã explicui de definitione relationis. Confirmatur, quia non ſunt ſimilia abſolutè, niſi quæ exiſtunt: ergo neque diſtincta abſolutè: patet conſequentia, quia diſtinctio videtur eſſe genus ad ſimilitudinem, & diſſimilitudinem; nam ſi diſtinctio eſt numerica tantum, eſt identitas: ſi ſpecifica, eſt diuerſitas. Dices, eſſe aliquam diſtinctionem hominis à non ente. Ita ego dico, & diſſimilitudinem. Hæc non admodum diſplicent. Erit igitur diſtinctio duæ res exiſtentes explicatæ per mutuam negationem: fundamentum intrinſecum eſt ratio, qua vnaquæque res conſtituitur in ſuo eſſe, ſic interpretabere adagium: *vnaquaque res in ſuo eſſe conſtituitur per eam rationem, per quam diſtinguitur ab alijs.*

Diſtinctio videtur eſſe relatio. *Confirmatur.* *Obiectio.* *Reſpondetur.*

§.132. Secundum genus relationis fundatur in actione, vel quaſi actione, vt relatio cauſæ ad effectum, Magiſtri ad diſcipulum, Domini ad ſeruum. Aduerte, ab Ariſtotele in hoc ſecundo genere multa recenſeri, quæ non pertinent ad relationem prædicamentalem:ſed ad tranſcendentalem potius, vt Pat. Suarez fatetur, & eſt manifeſtum:nam in hoc genere conſtituit cauſam præteritam, & futuram ad effectum futurum, & præteritum: patet autem hanc relationem non eſſe prædicamentalem propter defectum exiſtentiæ termini: imò neque propriè tranſcendentalem; quia hæc debet eſſe abſolutè realis: cauſa autem præterita, & futura in ratione præteritæ, aut futuræ, ſimpliciter nihil eſt, niſi in ratione præſentis:imò & impotentiam conſtituit Ariſt. in ſecundo genere relationis, impotentia autem non eſt relatio prædicamentalis;quia non eſt neceſſarium aliud exiſtere:nam ego habeo impotentiam ad alterum mundum. Hæc dixerim, tum vt cognoſcatur quid dixerit Ariſtoteles, tum vt eius interpretes moneam, ne ſint vehementer ſolliciti de hac eius diuiſione; quia ipſe promiſcuè egit de omni genere relationis.

Relatio ſecundi generis in actione. *Ariſt.* *P.Suarez.*

§.133. Primùm in hac relatione occurrit immediatum fundamentum paternitatis. In mea ſententia eſt ipſa ſubſtantia patris, in oppoſita ſententia nonnulli eam ſubiectant in potentiam generatiuam; alij in ſubſtantiam Patris, P. Suarez arbitratur in vtramque: alteram,vt inſtrumentalem, alteram vt principalem: nam ſicut ipſe adſtruit,camdẽ actionem inſtrumentaliter ortam à potentia & principaliter à ſubſtantia:ita conſtituit eamdem relationem principaliter in ſubſtantia, & inſtrumentaliter in potentia. Tamen non recipi in potentiam generatiuam patet; quia ſi homo habens filiũ aliquam ob cauſam caſtretur, non habet potentiam generatiuam, quia præciditur ſeminis officina: & manet relatio patris, ergo hæc non ſubiectatur in poten iam generatiuam:ſed in totam ſubſtantiam patris.

Prima quæſtio. *Immediatum fundamentũ Paternitatis.* *P. Suarez.*

§.134. Secundò occurrit, an relatio agentis ſit extrinſeca agenti? In mea ſententia partim eſt intrinſeca, partim extrinſeca. Imò verò clarè colligitur ex Ariſt.

Secũda quæſtio. *Relatio agentis intrinſeca & extrinſeca.*

Ariſt. Ariſt. relationem agentis non diſtingui à cauſa, & effectu, ſed eſſe vtriuſque coëxiſtentiam, ait enim 1. Metaphyſic. cap. 15. *eorum verò, quæ ſecundum potentiam, etiam ſecundum tempora iam dicuntur ad aliquid: veluti quod fecit, ad id quod factum eſt, ſic enim Pater quoque filij Pater dicitur. Hoc enim fecit, at illud paſſum quid eſt.* Quæ ſunt clariſſima verba pro noſtra ſententia.

§. 135. *Paternitas & maternitas ſolo numero diſtinguuntur.* Age dum, & pone relationem diſtinctam à fundamento & termino, & ratione fundandi, paternitas, & maternitas different ſpecie? an ſolo numero? In mea ſententia ſolo numero, quando pater, & mater ſunt eiuſdem ſpeciei, vt vir & mulier: quando verò ſunt ſpecierum diuerſarum, vt aſinus, & equa, differunt etiam ſpecie relationes; quia nihil ſunt præter parentum entitates. Quid, ſi eſſent modi ab illis diſtincti? S. Thom. videtur opinari, relationes patris, & matris ſpecie differre, fortè quia in eius ſententia mater non concurrit actiuè ad filium, ſecus pater, & vbi ſunt diuerſa cauſarum genera, ſunt etiam relationes diuerſæ. P. Molin. P. Suarez. Pat. Molina, Suarez, & communior ſcholarum, cenſent eas relationes eſſe ſolo numero diſtinctas, oppoſito fundamento: quia vterque parens in prolem concurrit actiuè, quo iacto fundamento tota ſententia ſtabilitur.

S. Thom.

§. 136. *Explicatur in alia opinione.* Quam veram cenſeo, etiam ſi mater non concurrat actiuè; quia in ſententia diſtinguente relationem, hæc non poteſt in ſpecie variari, pro varietate ſolius modi concurrendi, ſed pro varietate fundamenti, aut termini: nam actio non eſt principium, vnde relatio ſumat ſpeciem, quia ſpecies ſumitur, vel à termino, vt materia intrinſecè ſpecificatur per ſuam entitatem reſpicientem formam extrinſecam, & cognitio ab obiecto, vel ſpecificatur à ſubiecto, vt accidens proprium à ſua ſubſtantia, vt cognitio Angeli à ſuo intellectu, vel à principio actiuo, vt actio ab agente in multorum opinione, & cognitio ab ſpecie impreſſa, vel à modo, vt creatio, ex eo quod ſit ſine ſubiecto, vel à fine: ſed nullum ex his muneribus actio exercet cum relatione, quia neque eſt ſubiectum, neque terminus, neque principium actiuum, & cætera, ergo ex ea non ſumitur ſpecies relationis. *Confirmatur.* Confirmatur, tranſacta actione manet relatio: ergo manent omnia principia per ſe ad illam neceſſaria, actio enim inclinat in conditionem ſine qua non reſultat relatio, & velut applicationem cauſarum relationis.

§. 137. *Obiectio.* Dices, relationem referre cauſam ad effectum ſub ratione cauſæ: ergo ſi ſunt diuerſæ cauſæ, erunt diuerſæ relationes. Diſtinguo antecedens, ſub ratione cauſæ, ita vt ratio formalis ſit relata ipſa cauſalitas, nego antecedens: nam cauſalitas non eſt relata, ſed entitas cauſæ: concedo autem referri cauſam ſub ratione cauſæ, id eſt, quia cauſauit. Vnde diſtinguo conſequens, ſi ſunt diuerſæ cauſæ in ſua entitate relata, concedo conſequentiam: ſi tantum ſint diuerſæ in cauſalitate, nego conſequentiam, quia non refertur modus cauſandi, ſed cauſa.

§. 138. *Tertia quæſtio.* *Relatio manet mutata actione.* Tertiò occurrit: vtrum maneat eadem relatio mutata actione? Manet; quia actio non eſt principium vllo modo influens: ſed tantum quædam conditio, vt relatio reſultet: nam licet aliquæ conditiones requirantur tam ad conſeruationem, quàm ad primam productionem, vt certa intenſio accidentis ad formam, aliæ tamen tantum requiruntur ad primam productionem, vt imaginatio ad primam productionem ſpeciei. Ex his vltimis videtur eſſe actio: nam tranſacta generatione, Petrus manet pater Antonij. Hoc intellige in opinione diſtinguente relationem ab extremis: in mea autem relatio eſt ratio fundandi, nec requirit perſeuerantiam.

Num eadem res poteſt referri ad plures cauſas vna relatione? Poteſt: ſed pereunte altera cauſa perit illius relatio, & conſurgit alia reſpiciens ſolas manentes cauſas, vt mutato vno obiecto tota mutatur viſio, nouáque producitur terminata ad obiectum, quod manſit. At plures cauſæ non poſſunt referri ad eundem effectum vnica relatione (ſi cauſæ ſint adæquatè diſtinctæ, & ſeparatæ, vt pater, & mater) nam relatio eſt intrinſeca fundamentis, & non poteſt idem accidens eſſe in duobus ſubiectis. §. 139. *Vna res vna relatione poteſt referri ad multa.*

Thomiſtæ non pauci aiunt, patrem eadem paternitate referri ad plures filios. Contra quos ſic argumentor: per te paternitas diſtinguitur à patre, quia patri exiſtenti accidit paternitas: ſed primæ paternitati exiſtenti accidit ſecunda: ergo diſtinguitur ſecunda à prima. Dicunt, nouam non aduenire, ſed vetuſtam extendi. Contra illa extenſio eſt de nouo, & eſt de nouo ad aliud: ergo eſt noua relatio. Maior à te datur, minor eſt clara; quia illud quod aduenit, eſt, vt referatur pater ad filium: conſequentia liquet; quia quod eſt ad aliud, eſt relatio. Confirmatur, prior paternitas non eſt ratio referendi patrem ad ſecundum filium: ergo indiget alia ratione diſtincta: ſed ſed ratio referens patrem ad filium eſt paternitas: ergo aduenit noua paternitas, imò etiam negare poſſent diſtinctionem relationis à fundamento: ſicut enim vetuſta relatio non exiſtente ſecundo filio non refert patrem ad illum, exiſtente autem ſecundo filio, ad illum refert patrem nulla additione nouæ entitatis; ita entitas patris exiſtente filio illum refert, & non exiſtente non refert, ſine nouo modo: equidem vtrobique eſt eadem ratio. Beat. Thomas non eſt ita intelligendus: ſed quo modo eum explicui, diſput. 4. §. 75. & diſput. 5. de generat. ſect. 5. §. 140. *Opinio Thomiſtarum.* *Impugnatur.* *Obiectio.* *Reſpondetur.*

Tertium genus relationis eſt, quo vna res dicitur ad aliam, non vero è contra hæc ad illam: id eſt relatio non mutua: ſed tantum vnius extremi ad aliud. In quo genere conſtituit Ariſtoteles menſurabile & menſuram: colorem & viſum: quia menſurabile ad aliquid eſt, item & viſibile, non quia res in ſe dicant ordinem ad menſuram, aut viſum; ſed potius quia menſura eſt ad rem, menſurabilē, & viſus ad colorem, quia rem eſſe menſurabilem, aut viſibilem, nihil eſt ex parte obiecti: ſed extrinſeca denominatio à menſura, & viſione: ait ergo Ariſtoteles, viſionem non terminari ad relatiuum, ſed ad abſolutū ſine mutuo reſpectu obiecti ad viſionem: nō enim terminatur viſus ad viſibile, alioquin diceremus, *viſus eſt ad id, ad quod eſt viſus,* qui circulus eſſet vitioſus; qua propoſitione, ſicut nihil verius, nihil ſtultius: neque menſura eſt ad menſurabile: ſed ad quantitatem. Quod intellige de menſura homogenea, non de menſura æquiuocè. Nam hæc ſolet eſſe menſura, qua expendimus perfectionem cauſæ, quæ tamen mutuo referuntur. §. 141. *Relatio tertij generis nō mutua.* Ariſt.

Hæc eſt Ariſtotelis doctrina, licet Pat. Suarez ſect. 13. num. 8. videatur affirmare menſuram non ſumi pro actiua applicatione vnius quantitatis ad aliam, ſed pro obiecto cognitionis, quod vocatur menſura actus: ſed præter mentem Ariſtot. copulatiuè conſtituentis menſurabile, & ſcibile. Quæ verba ſignificant paſſionem, nempe rem menſuratam, & ſcitam. Hinc intellige quæ ſæpe dixi, cognoſcibile, ſeu verum, eſſe extrinſecam denomi- §. 142. P. Suarez.

S.Thom. nationem in obiecto. S.Thom. ſupra adductus, §. 114. hanc relationem cognitionis ad obiectũ vocat ſecundum dici. P.Vazquez. Ita Pat. Vazquez 1. p. d.173. cap. 4. relationem ſcibilis ad ſcientiam vocat ſecundum dici.

§.143. P.Suarez. *Relatio tertij generis nõ eſt prædicamentalis.* P. Suarez affirmat, hoc tertium genus relationis eſſe ſpeciem prædicamentalis relationis. Quod nunquam probaui, tum quia ſcientia ſæpe eſt de obiecto non exiſtente; ſæpe etiam de impoſſibili; quæ relationi prædicamentali repugnant: tum quia ſcientia eſt ordo tranſcendentalis ad obiectũ, neque indiget alia relatione. Tandem ſi relatio diſtingueretur à fundamento, & termino, nihil reſultaret in cognitionem, aut obiectum, ſed tota denominatio cogniti reperitur in obiecto nõ exiſtente, & eadem cognitio perſeueraret eodẽ modo exprimens obiectum, ſiue exiſteret, ſiue non: in quo valde differt à cauſa, & effectu. Ariſtot. Ariſtot. autem effudit eo capite omnia genera relationum, etiam non prædicamentalium.

§.144. *Quæſtio. Omnis relatio primi generis eſt mutua.* Secundò eſt quærendum, ſit ne hæc relatio mutua? In primo genere relationis ſunt relationes omnes mutuæ, quia fundantur in vnitate, quæ eſt mutua in fundamento, & termino. Nam relationes æquiparantiæ ſunt mutuæ; quia vtrumque extremum viciſſim vocatur eodem vocabulo, vt *æqualia*, & *diſſimilia*; quia Petrus eſt æqualis Paulo, & Paulus Petro. Item equus eſt diſſimilis homini, & homo equo. *In ſecundo genere ſunt relationes diſquiparantiæ.* In ſecundo genere relationis fundatæ in actione, ſunt etiam relationes diſquiparantiæ, id eſt, quibus diuerſimodè denominantur extrema, vt paternitas, & filiatio, quæ ſunt etiam mutuæ. Præterea nonnullæ relationes tranſcendentales ſunt non mutuæ. Ita Pat.Suarez. ſect.15. num.8. ex Ariſtotele, & S. Thoma. *Nonnullæ relationes trãſcendentales ſunt non mutuæ.* Probatur primò apertè in Deo, qui non dicit relationem tranſcendentalem ad creaturas, ſecus hæ ad illum. Secundò ſcientia dicit aliquem ordinem tranſcẽdentalem ad obiectum impoſſibile, quod ad ſcientiam non poteſt dicere talem ordinem, quia quod nihil poteſt eſſe, nullum poteſt ordinẽ habere. Tertiò, ſcientia ad obiectum relata dicit ordinem trãſcendentalem: ſed obiectum in ratione obiecti non dicit ordinem ad ſcientiam: ergo. Probo minorem; quia ratio obiecti eſt extrinſeca denominatio rebus cognitis, vt probaui diſp. 1. logicæ ſect. 4. & diſput.5. Metaphyſic. ſect.5. & diſp.7. ſect.2. quæ non videntur repetenda. Tandem confirmatur ex ſcientia viſionis Dei, quæ iã ſupponit creaturas tam poſſibiles, quàm exiſtentes; ergo etiam ſi Deus eas non videret, per impoſſibile, per locum intrinſecum illæ exiſterent; quia exiſtentiam habent independenter ab illa à priori: ergo illa cognoſcibilitas eſt extrinſeca denominatio. Caietan. Quod verò ait Caietanus, ſcibile referri ad ſcientiam relatione rationis, nihil obeſt, quia hic inquiruntur reales relationes. Quod verò ſcientia fundetur in obiecto, non refert, quia cognoſci obiectum ſicuti eſt, eſt illi valde extrinſecum. Ratio menſuræ paſſiuæ non eſt relatio: ſed extrinſeca denominatio vt probaui diſp.13.

§.145. S. Thomas in 1. diſt.30.q.1.art.3.ad 3. affirmare videtur, ſcibile non dicere relationem intrinſecam ad ſcientiam, at verò eam dicere bonum ad appetitum. Nam ſcientia non fundatur in obiecto, appetitus autem fundatur in bono, quod eſt in obiecto. P. Suarez. Ab hac ſententia diſcedit Pat. Suarez ſect.14 à num. 3. quia bonum eſt intrinſeca ratio enti, in quantum dicit, vel abſolutam numeris omnibus perfectionem, vel conuenientiam alteri rei. Quod verò hoc bonum ametur, tam extrinſeca denominatio eſt, quàm quod cognoſcatur: nam ſicut verum ex parte obiecti addit extrinſecam denominationem à cognitione vera, ita & bonum ab amore bono: & ſicut amor dicitur bonus, vel vel malus ab obiecto conformi, vel difformi rationi, ita actus dicitur verus, vel falſus, *ab eo quod res eſt vel non eſt*. De bono egi. diſp.7. & diſput. 12. de anima, vbi oſtendi amabilitatem eſſe extrinſecam denominationem bono: & quidem amabile, & cognoſcibile æquè ſunt abſoluta, & ſunt relatiua non mutua ad ſcientiam & amorem.

Pater Suarez, opinans has relationes tertij generis eſſe prædicamentales, ſolicitè laborat de tuẽda bonitate huius diuiſionis, quia Deus non pertinet ad hoc tertium genus; quia pertinet ad ſecundum, & tamen diffinitio huius tertij generis conuenit Deo; quia habet ralationem prædicamentalem non mutuam. §.146. P. Suarez. Deus enim non refertur ad creaturas in ratione cauſæ, creaturæ autem referuntur ad Deum in ratione effectus. Mirabilis mihi videtur P.Suarez; qui in diſtinctione relationis à fundamento, & termino neganda ſequitur Nominales, & in neganda relatione Deo, ſequitur Thomiſtas, qui ſunt difficillimi conciliatu in ea concluſione; quia in principijs, à quibus ea dependet, contradictoriè opponuntur. Fatetur autem in ſententia Nominalium, ſine abſurdo Deo tribui relationem. Reſpondet tamen, Deum non habere relationem, quia eſt in diuerſo genere; quod non poteſt ad aliud ordinari. Quam rationem §. 12. oſtendi eſſe S. Thomæ; eſtque illi admodum familiaris. Verùm in vtriuſque ſententia relatio non eſt ordinatio ad illud tamquam ad finem, ſed eſt conceptus explicatus ad aliud, comparatione illius: hunc autem modum habet Deus; quia licet non ordinetur ad creaturas tamquam ad finem, at in ratione creantis eſt comparatione ad illas; quia tota hæc denominatio eſt ad aliud; ſicut ergo habet hanc denominationem, cur non habebit, & relationem? cum nihil per eam immutetur magis quàm per creationem, & ſicut omnes conceptus cauſæ concipiuntur in Deo ad aliud ſine relatione diſtincta, quidni idem continget cæteris cauſis? Item in alijs rebus reperitur relatio, quæ ſunt in diuerſis ordinibus; quarum alter non habet pro fine alterum; nam Angelus dicit relationem cauſæ ad motum, & cognitionem, cum tamen Angelus non habeat pro fine motum, nec ſit in eodem genere cum illo. Ratio à priori in noſtra ſententia, quia relatio ſupra fundamentum addit præcisè extrinſecã denominationem à termino; Deus autem capax eſt extrinſecæ denominationis, eſt enim mihi coëxiſtens, ergo & huiuſmodi relationis.

SVBSECTIO III.

Scotica diuiſio relationis in aduenientem intrinſecus, & extrinſecus.

§.147. Scotus. P.Suarez. Scotus in 4. diſt. 14. quæſt. 1. §. *ad huius autem difficultatis*. ante medium, & in 3. d.1. q.1. §. *ad illud in oppoſitum*, & alibi, quem Pat.Suarez diſp.49. metaph. ſ 1. à num.1. refert, atque refellit; Scoto adſtipulatur Durand. in 3. d.5. quæſt.2. num.8. & ex Durand. parte etiam in 1. d.30. quæſt.4. item Gabriel iuuat Gabriel. interdum Scoti phraſim: qui diuidit relationem *Relatio intrinſecus & extrinſecus adueniens.* in aduenientem intrinſecus, & extrinſecus. Primam dicit eſſe, quæ neceſſariò conſequitur ambo extrema in actu poſita, vel quod idem eſt neceſſariò ſequitur ſuum fundamentum termino non excluſo

excluſo. Extrinſecus adueniens eſt, quæ non conſequitur neceſſariò extrema, etiam ambo ſimul in actu poſita; quare ſex vltima prædicamenta non ſunt ſpecies relationis quarti prædicamenti, quia in illo collocantur ſolæ intrinſecus aduenientes. Hanc ſententiam probat Scotus, 1. quia actio eſt relatio, nam abſoluta forma eſſe non poteſt, omnis enim forma abſoluta fit per actionem à ſe diſtinctam, quod repugnat actionibus: ſed non pertinet ad quartum prædicamentum, quia ait Scotus ſaluandam neceſſariò famoſam diſtinctionem decem prædicamentorum: ergo pertinet ad aliud prædicamentum: Secundò probat, quia relationes quarti prædicamenti neceſſariò oriuntur ex fundamento, & termino poſitis; ſecus verò actio: ergo. Mitto Sotum, Heruæum. Soncinatem, alioſque Thomiſtas in hanc diſtinctionem acriter inuectos vide apud P. Suarez, num. 4.

§.148. *Scotus impugnatur.* Leuia fundamenta iecit Scotus ad tam ſingulare ædificium. Primum enim euincit quidem, actionem eſſe modum, non verò rem abſolutam, quam modis opponimus. Quare non fit alia actione, ſed ſe ipſa vt *quo*. Disput. 2. ſect. 5. diſcriminaui res à modis, quia res egent aliquo à ſe diſtincto ad ſuos communicandos effectus: modi autem non egent, quia ipſi per eſſentiam habent vt *quo* ſuas denominationes: at modũ illum actionis eſſe relationem non probat, niſi nomine relationis *tranſcendẽtalem* intelligas. Secundum fundamentum nihil probat, quia ſiue actio oriatur neceſſariò, ſiue non, non eſt relatio niſi tranſcendentalis.

§.149. *Prima impugnatio.* Impugnatur primò Scotus: quia multæ relationes extrinſecus aduenientes oriuntur neceſſariò ex extremis actu poſitis: ergo erunt intrinſecus aduenientes, & quarti prædicamenti: probo antecedens; actio, qua ſol illuminat ſuam materiam, neceſſariò oritur ex forma in materiam, ita vt ex rei natura non queat impediri. Item actio, qua ſol illuminat cælos, & bonam partem aëris; ſed illa eſt intrinſecus adueniens, quæ neceſſariò oritur ex fundamento & termino, ergo. Vnde vel Scotus non diuiſit relationem adæquatè; vel illæ actiones erunt relationes quarti prædicamenti, quod eſſe falſum oſtendo. Primùm, quia illæ actiones ſunt eiuſdem ſpeciei cum alijs; quæ non oriuntur tam neceſſariò. Secundò, quia relatio prædicamentalis manet tranſacta actione. Tertiò, quia actio non

Secunda impugnatio. ſupponit, ſed facit terminum. Secundò impugnatur; quia relationẽ cauſæ ad effectus cum Ariſtotele collocant omnes in quarta categoria: ſed illa computatur ab Scoto inter extrinſecus aduenientes. ergo. Probo min. quia exiſtente actu vtroque extremo, non oritur illa relatio neceſſariò. Dices, eam oriri poſita actione. Contra: ergo relatio actionis etiam oritur neceſſariò ex actione: ergo etiam pertinet ad quartum prædicamentum contra Scotum.

§.150. *Tertia impugnatio.* Tertiò, quia nomine termini vel intelligitur paſſum, verbi gratia, quando ignis calefacit lignũ, relatio verſatur inter ignem & lignum, ſic autem etiã relatio in vnitate fundata, eſt extrinſecus adueniens: nam ita ſumpto termino, exiſtentibus Petro, & Antonio poteſt non eſſe relatio ſimilitudinis, quia Petro albo Antonius poteſt eſſe niger, ergo ſicut relatio calefactionis in lignum eſt extrinſecus adueniens, quia exiſtentibus igne, & ligno, poteſt nõ eſſe: ita erit relatio ſimilitudinis, quia Petro, & Antonio exiſtentibus, poteſt nõ eſſe relatio. Vel intelligitur terminus immediatus, & proximus, vt albedo Antonij eſt immediatus terminus ſimilitudinis Petri; ſed ſic termino accepto actio eſt relatio intrinſecus adueniens: ergo. Probo minorem; quia terminus immediatus calefactionis eſt calor ſubiecto inhærens, ſed calore inhærente ſubiecto, neceſſariò eſt actio, ergo. Ratio à priori meæ ſententiæ eſt, quia omnis relatio conſurgit neceſſariò ex fundamento, termino; & ratione fundandi. Relationes primi generis non habent rationem fundandi diſtinctam à termino, & fundamento, quia nõ fundantur in actione. Relationes verò ſecundi generis habent rationem fundandi diſtinctam, & ſic non orientur magis, nec minus neceſſariò, quàm oritur actio: propterea verò relatio cauſæ non ablegatur à prædicamento *ad aliquid*, cum ſit ſecunda in illo ſpecies: quia poſito fundamento, termino & ratione fundandi, oritur neceſſariò, ſicut ſimilitudo oritur neceſſariò poſito fundamento, & termino.

Quartò, vltima quatuor prædicamenta refert Scotus inter relationes extrinſecus aduenientes, cum tamen è ſubiectis fatali neceſſitate oriantur: nam exiſtente creatura neceſſariò habet durationẽ, non enim poteſt exiſtere, quin aliquandiu duret, vel ſaltem per inſtans: non enim tam cõtingenter durat, quàm ignis calefacit lignum. Item *vbi* neceſſariò ſequitur corpora, quæ neceſſariò ſunt alicubi: ſitus eamdem ob cauſam. Habitus non ita neceſſariò, quia poſſumus eſſe vel inermes, & nudi. Adde vnionem corporis, & animi eſſe relationem, ſicut eſt actio, alioquin egeret alia vnione in infinitum, & non eſt relatio prædicamenti *ad aliquid*, itaq vnio formæ, & materiæ equinæ eſt relatio & non quartæ categoriæ, & tamen oritur neceſſariò expoſitione vtriuſque extremi. Scotus, cum vidiſſet omnes modos eſſe relationes, eóſque voluiſſet expungere à quarta categoria, eos terminos inuenit, quia tunc de relatione tranſcendentali, & de modorum natura, & diſtinctione à rebus, pauca, & perobſcurè ſcholaſtici dixerant: eoſque modos vocauit *relationes extrinſecus aduenientes*; & ſecluſit à prædicamẽto relationis, ſed dixit eos eſſe veras relationes extrinſecus aduenientes, quas nos *tranſcendentales* vocamus. At de ipſo prædicamento relationis loquitur Scotus, ſicut cæteri. §.151. *Quarta impugnatio.*

SECTIO XI.

Vtrum ſit conceptus relationis in communi?

Dico primò, *Relationem prædicamentalem abſtrahi ab omnibus inferioribus.* Probatur primùm, quia prædicamenta ſunt entis diuiſiones, diſtributi per vniuerſaliſſimos conceptus: ſed in prædicamentis ſunt multæ relationes prædicamẽtales, & ipſum ens prædicamentale & creatum dicit relationem tranſcendentalẽm ad Deum, ergo illa ratio abſtrahitur ab omnibus ſuis inferioribus: quia eſt vniuerſaliſſimus conceptus. Secundò, quia omnia relatiua ſunt ſimilia in ratione relatiui, & præcepta ſunt omnibus cõmunia (ſicut actiones ſunt ſimiles in ratione actionis) & diſſimilia in ratione talis, habentque peculiaria præcepta. Nam ſimilitudo conuenit cum paternitate in ratione *ad aliquid*; differt autem, quia altera fundatur in vnitate, altera verò in actione: ergo ab illis poteſt abſtrahi conceptus communis. Patet conſequentia; quia poſſunt cognoſci inquantum conueniunt, & non in quantum differunt. Vide quæ dixi, diſput. 9. logic. ſect. 4. & diſput. 2. Metaph. de conceptu communi entis: iiſdem enim rationibus hæc concluſio probatur. §.152. *Prima concluſio. Relatio prædicamentalis abſtrahitur ab omnibus inferioribus.*

Quæ

§.152. *Grauis difficultas.* Quæ, licet præſeferat veritatem, continet tamen difficultatem, negotium multis faceſſentem: nam ſi relatiuum vt ſic includit conceptum communem omnibus relatiuis: ergo omnia includuntur ſub illo conceptu: ergo relatiuum vt ſic refertur ad aliud, quod non ſit relatiuũ. Patet conſequentia; quia relatiuum vt ſic eſt ad aliud relatiuũ, quia omnia relatiua continentur ſub illo conceptu cõmuni, qui eſt *ad aliud*, omnia enim relatiua ex vna parte debent contineri, & debent referri *ad aliud*, quod non poteſt eſſe relatiuũ; ſicut ego ſæpe probaui attributum entis non eſſe conceptum poſitiuum, ab ente adæquatè diſtinctum, quia nõ tam eſſet attributum entis quam ens; ergo relatiuum vt ſic refertur ad aliud non relatiuum: hoc autẽ eſt falſum: ergo. Probatur minor: tum quia omne relatiuum in particulari refertur ad aliud relatiuum, quod reperiri debet in conceptu cõmuni, quia hæc eſt ratio in inferioribus reperta: tum etiam; quia terminus vnius relatiui eſt ad aliud relatiuum: ergo terminus relatiui vt ſic debet eſſe relatiuum: quod etiam repugnare eſt probatum.

§.153. *In mea ſententia res eſt facilis.* Primùm, hanc difficultatem expedio in mea ſententia, cæteri ſibi conſulant. Relatiuum in particulari nihil eſt præter duas entitates abſolutas ſe mutuo connotantes in aliqua denominatione: relatiuum igitur in cõmuni erunt duæ entitates abſolutæ ſe mutuo connotantes, cognitæ confusè, & ſicut ly *ad aliquid* in relatiuis in particulari eſt denominatio vnius rei, ſumpta etiam à coëxiſtentia alterius: ita in relatiuis in communi ly *ad aliquid* eſt denominatio, quam vna è duabus rebus confusè cognitis ſumit etiam à coëxiſtentia alterius. Itaque relatiuum vt ſic in mea ſententia includit formaliter vtrumque extremum inuicem denominatum. Quibus corruit argumentum poſitum, quia nõ ſunt accipienda omnia relatiua ex vna parte & termini ex alia: nam in prima parte relatiuorum continentur termini. Sicut relatiua particularia non includunt ex vna parte relatiuũ; & ex alia terminum, quia in primo conceptu relatiui includuntur fundamentum & terminus. Videamus quo pacto hoc argumentum cœteros angat, quos refert
P. Suarez. P.Suarez diſput.47.ſect.17. & Rubius tom.1.
P.Rubius. log. in prædicamentis, cap. *ad aliquid*. quæſt.3.

§.154. Albert. Simplicius. Albertus, & Simplicius aiunt ly, *ad aliquid*, eſſe quidem correlatiuum, non in communi, hoc enim repugnat, ſed in particulari; quia illa particula ſumenda eſt diſtributiuè per deſcẽſum, vt relatiuum eſt *ad aliquid* nempe filius ad patrem, & cætera,
S.Aug. Quibus fauet S. Auguſt. lib. categoriarum: *Specialiter, ac realiter* (inquit) *vt hac categoria manifeſtius dignoſcatur, non rectè dici* ad aliquid, *niſi cum ſingulare ad ſingulare refertur.* In quam ſententiam ferè
P. Suarez. P.Suarez inclinat à num.5. opinans relatiuis æquiparantiæ non poſſe dari conceptum communem, cui reſpondeat terminus communis, licet poſſet dari relatiuis diſquiparantiæ, num. tamen 9. pedem refert.

§.155. *Impugnatur.* Impugnatur hæc ſolutio: nam relatiuum vt ſic eſt *ad aliud*, non in ſpecie: ergo in genere: Probatur minor, tum quia correlatiuum in particulari habet terminum in particulari, ergo relatiuum in communi non habet terminum in particulari: patet conſequentia; nam quo pacto diſtingueretur relatiuum vt ſic à relatiuo in particulari, ſi haberent
Obiectio. idem connotatum? Dices; terminum particularem connotari confusè à relatiuo in communi.
Reſpondetur. Contra; quia hoc eſt, habere terminum in communi, & non in particulari, quia terminus vt ſic eſt, qui confusè cognoſcitur: particularis verò, qui clarè: tum etiam quia relatiuum vt ſic clarè cognitum vt diſtinctum à quouis alio prædicamẽto, debet habere aliquem terminum: ſed non terminum particularem: ergo communem: probatur minor; quia ſi id referretur ad terminũ in particulari, verbi gratia, referretur ad Patrem, ſed conceptus relatus ad Patrem clarè, & diſtinctè cognitum eſt filius: ergo tale relatiuum non eſſet in genere, ſed in ſpecie.

Confirmatur; relatiuum vt ſic abſtrahitur ab æquiparantiæ, & diſquiparantiæ relatiuis: ſed relatiuum ad Patrem eſt formaliter relatiuum diſquiparantiæ: ergo non abſtrahitur ab illo. Denique ſicut terminus cognitionis vt ſic non eſt hoc ens, ſed ens; neque terminus actionis vt ſic eſt homo, aut leo, ſed ens producibile: ergo & terminus relatiui vt ſic erit communis, & non particularis. Confirmatur, quia relatiuum vt ſic contrahitur per varias ſpecies, ergo terminus vt ſic contrahitur per varias ſpecies, quia relatiuum per ordinem ad terminum contrahitur, & diſtinguitur, ergo terminus vt ſic eſt genus. Sat hæc contra hanc ſolutionem, qui plura velit, ea Pat. Rubius ſuggeret abunde, qui S.Aug. num.52. exponit de exiſtentia reali, per quam melius intelligimus conceptum cõmunem: cui expoſitioni obeſt, S Auguſtinum loqui de hoc prædicamento in particulari; commune autem eſt cuiuis prædicamento non habere conceptũ à parte rei niſi particularem. Hæc tamen ſolutio Rubiana ſic poterit explicari, S. Auguſt. loqui de hoc prædicamento in ordine ad noſtrã cognitionem: ait enim, *vt melius poſſit dignoſci hac via eſt, &c.* Non dixit vt ſic, ſed vt cognoſcatur: nam cætera prædicamenta poſſunt exponi ſine confuſione per conceptus communes, vt conceptus actionis quantitatis, & cætera, hoc tamen prædicamentum magnam habet confuſionem in cõceptu communi (vt patet ex argumento propoſito) in ſpeciali autem magnam habet perſpicuitatem, quid enim facilius, quàm explicare quid ſit Pater?

§.156. *Confirmatur primò.* *Confirmatur ſecundò.* P.Rubius. S. Auguſt.

Reſpondetur tamen argumento, relatiuum vt ſic abſtrahi à mutuis, & non mutuis. Vnde terminus eius vt ſic abſtrahit etiam à relatiuo, & non relatiuo. Secundò reſpondetur, relatiuum vt ſic ſupponere pro conceptu formali relationis in concreto ſignificatæ; in quo conceptu includuntur omnes relationes ex vna parte, eius autem terminum eſſe rem abſolutam: nam terminus relationis non eſt relatio oppoſita, ſed illius fundamentum, vnde tollitur omnis ambiguitas. Reſpondetur tertiò (admittendo relationes mutuas, & relationem terminari ad relationem) relatiuum propriè dici ſubiectum intrinſecè affectum relatione, atque hanc relationem in hoc prædicamento collocari, cuius terminus adæquatus eſt res extrinſecè denominata per relationem; nam hoc prædicamentum eſt accidentis, quod in concreto eſt *relatum*, in abſtracto autem eſt *relatio* vt eſt intrinſecè afficiens ſubiectum in ordine ad terminum extrinſecum. Dices, etiam terminum eſſe relatiuum, vel relationem. Diſtinguo: relatiuum materialiter, concedo; formaliter, nego: nam effectus proprius relationis eſt intrinſecè referre ſubiectum, terminare autem non eſt referre, ſed extrinſecè denominari ab alia relatione, ſicut terminare cognitionem. Dices, terminus ſaltem materialiter eſt relatio: ergo includitur in relatiuo vt ſic: ergo non habet relatiuum vt ſic alium terminum. Diſtinguo primum conſequens; includitur formaliter, nego conſequentiam; materialiter, concedo. Similiter, ſecundum conſequens, non poteſt habere alium terminum,

§.157. *Relatio vt ſic abſtrahitur à mutuis & non mutuis.* *Obiectio.* *Reſpondetur.*

terminum materialiter diſtinctum, tranſeat conſequens; formaliter, nego conſequentiam; nobis autem ſufficit ly *ad aliud* eſſe aliud ſub diuerſa ratione formali, licet ſubiecta materialia recidant in vnum.

§. 158. *Obiectio. Reſpondetur.* Dices, omnes relationes terminari ad alias realiter diſtinctas: ergo hæc relatio abſtrahitur ab omnibus. Concedo conſequentiam: terminus autem illi reſpondens eſt abſtractus ab omnibus relatiuis in ratione terminantis: nam conceptus relationis vt ſic confuſè cóplectitur omnes relationes in ratione intrinſecè referendi, cui etiam reſpondent omnes relationes in quantum ſunt extrinſecè terminantes: nam hi duo conceptus inuicem comparati realiter diſtinguuntur; quia nihil terminatur ad ſe:ſed ad aliud:& ſicut relationes extrinſecè referentes in ſpecie, habent alias diſtinctas extrinſecè terminantes in ſpecie, vt paternitas vt ſic filiationem vt ſic, ita paternitas & filiatio vt conueniunt in ratione relationis intrinſecè referentis, habent terminum ad quem referantur, abſtractum à paternitate, & filiatione ſub conceptu extrinſecè terminantis. Nam relatio vt ſic ſunt omnes relationes confuſè cognitæ in ratione intrinſecè referentis, earumque terminus vt ſic ſunt omnes relationes vt extrinſecè terminantes. Relationes terminantes vt terminantes non includuntur in primo conceptu formali, & ita confuſè apprehenduntur omnes relationes, quæ ſunt tam paternitas, quàm filiatio, & confuſè etiam illarum termini, qui ſunt paternitas, & filiatio; quæ realiter diſtinguuntur in vtroque conceptu, tam in ſpecie, quàm in genere. Nam relatio vt ſic includit paternitatem, & filiationem, ſunt enim plures relationes vt ſimiles: ita terminus vt ſic ſunt plures relationes vt ſimiles extrinſecè terminantes, quæ realiter diſtinguuntur à relationibus, quas terminant: nam relationi vt ſic confuſè cognitæ reſpondet terminus vt ſic realiter diſtinctus, confuſè cognitus, ſicut paternitati vt ſic. In conceptu autem communi non ſine confuſione explicatur.

DISPVTATIO XVI.

De actione, & paſſione.

DISPVT. 11. Phyſicorum aliqua de actione, & paſſione libaui: item & diſput. 12. dum agerem de creatione.

SECTIO I.

Quid ſint actio, & paſſio.

§. 1. *Actionem & paſſionem eſſe monſtratur.* Reperiri actiones, & paſſiones in phyſicis monſtratur apertè. Eſt igitur actio, *ratio formalis, per quam cauſa actiua reducitur in actum, & denominatur agens.* Nam cauſa actiua in actu primo præciſè conſiderata non intelligitur agere, ſed potens: ergo per aliquam rationem formalem reducitur in actum, à qua denominatur *agens*, & *agere*, ſicut potentia viſiua per aliquam rationem formalem denominatur videns: ſed hæc ratio formalis eſt actio: ergo. Probatur minor; nam actio denominat *agens*, & *agere*, ſicut *viſio videns*, & *videre*: alioquin aſſigna mihi, quam denominationem tribuat actio.

§. 2. *Actio eſt actus agentis vt agentis.* Ergo actio eſt eſſentialiter actus agentis, vt agens eſt. Patet conſequentia, quia ratio formalis per quam agens vt agens conſtituitur in actu, eſt eſſentialiter actus illius, ſicut viſio eſſentialiter eſt actus videntis, vt videns eſt. Ad quod animum aduerte, de actione nos poſſe bifariã opinari. Primùm eam diſtinguendo modaliter à termino, ſic autem hæc concluſio tam certa eſt, quàm omnes modos eſſentialiter reſpectare res, quarum ſunt modi, vt de vnione monſtraui, diſput. 5. phyſicorũ, & vniuerſim de omnibus diſput. 2. Metaphyſic. ſect. 5. Secundò poſſumus opinari terminos nõ diſtingui realiter ab actione: ſed ſe ipſis eſſe productos, ſine productione diſtincta realiter, interiecta inter ipſos, & agentia. Tunc probatur concluſio; quia illi termini per ſuam eſſentiam ſunt actus agentis, vt agens eſt, ita vt nec per potentiam abſolutam poſſint ab illis agentibus ſeparari, magis quàm ſi eſſent modi: nam ſi poſſent ab hoc numero agente ſeparari, iam non per ſe, ſed per actionem à ſe diſtinctam ab agente penderent, vt oſtendi diſp. 5. phyſic. ſect. 1. eſt ergo actio eſſentialiter actus ſecundus agentis, vt agens eſt, à quo denominatur agens.

Hanc actionem, & paſſionem non eſſe relationem prædicamentalem, oſtendi, diſput. 15. Nam relatio prædicamentalis cauſæ prærequirit actionem tanquam rationem fundandi. Secundò, quia poſtquam me genuere parentes, iam non eſt illa actio, & tamen perſeuerat in me relatio filij: imò non perſeuerante actione vlla parentum in me, ergo relatio cauſæ non conſiſtit in actione. Tertiò, quia prius intelliguntur extrema relata materialiter, quàm referri; ſed effectus nec materialiter ſupponitur ante actionem, quia per illam ponitur à parte rei, ergo. Quartò; quia oſtendi relationem non diſtingui à fundamento & termino, ſed eſſe vtrumque ſimul exiſtens: at actio non eſt vtrumque extremum, vt mox probo: ergo. Eſt autem relatio tranſcendentalis agentis ad terminum: item & ſubiecti ad terminum (quando hic fit ex ſubiecto) ita videtur ſentire S. Thom. opuſc. 48. poſt tract. 5. cap. 1. de actione: cum enim retuliſſet hanc ſententiam eſſe multorum, eam ſic relinquit; vt eam videatur approbare: probatur, oſtendi enim relationem tranſcendentalem eſſe, quæ non diſtinguitur ab immediato fundamento: ſed eſt eiuſmet eſſentia. §. 3. *Actio & paſſio non ſunt relatio prædicamentalis. Primò. Secundò. Tertiò. Quartò. Actio eſt relatio tranſcendentalis. S.Thom.*

Paſſio eſt, *ratio formalis, & actus ſecundus à quo cauſa ſubiectiua eſt, & denominatur patiens.* Probo eadem ratione, qua de actione, eſt autem paſſio ratio, ob quam res aliqua fit ex ſubiecto, id eſt concurrente ſubiecto, vt cauſa receptiua influente in effectum, hoc autem contingit quoties terminus productus dependet ab alio principio à quo ſuſtentetur, & cui communicet ſuam denominationem, formalémque effectum: vtrumque enim requiritur ad paſſionem, nam animus rationalis cómunicat ſuum effectum formalem materiæ primę, & tamen materia non patitur animam: quia anima non fit ex materia, neque ad illam concurrit. Similiter vnio hypoſtatica denominat Verbũ vnitum, & tamen quia vnio non fit ex Verbo, Verbum non patitur vnionem: ad veram enim denominationem non requiritur, vt id, quod denominatur, ſit vera cauſa materialis. Poſſumus tamen illud vocare *ſubiectum denominationis*, ad explicandum diuerſitatem inter rem denominantem & denominatam, ſicut etiam paries extrinſecè viſus dicitur *ſubiectum*, & quaſi *materia* in hoc compoſito, *viſum*, viſio autem connotatur vt forma, quia paries accipit denominationem viſi, viſio eam dat. Similiter Verbum habet ab vnione denominationem vniti. §. 4. *Paſſio eſt ratio patientis formaliter. Paſſio eſt dependentia à ſubiecto. Denominatio paſſiua eſt abſque paſſione. Verbũ vnitum non patitur humanitatem.*

Conſtat

§. 5. Conſtat ex diſp.2.ſect.5. cauſas indifferentes ad plures effectus indigere aliqua determinatione, qua determinentur ad hunc numero effectum, quam determinationem ibidem oſtendi eſſe modum. Igitur actio erit determinatio cauſæ ad effectum, non immutando cauſam ex conceptu actionis. Paſſio autem erit intrinſeca determinatio ſubiecti ad effectum, illud immutando tanquam principium ex quo fit effectus. Hos modos ex natura rei à ſuis rebus eſſe diſtinctos probaui diſp.2.ſect.5.de vnione autem in particulari, diſp. 5. phyſicorum, ſect.1. de creatione verò, ibidem diſp.12.ſect.2. & 3. de motu autem diſp.11. ſect.2. Nam poſſunt exiſtere Petrus, & Paulus quin exiſtat alterum ab altero generari: ergo generatio illa non eſt idem cum Petro, & Paulo. Item Deus manens idem & manente eodem termino mutat productiones termini: item ab æterno eſt volens creare; & non creat ab æterno. Recognoſce indicata loca.

Actio eſt modus, & determinatio huius agẽtis ad hunc effectũ, ita & Paſſio.

Actio, & paſſio diſtinguũtur ab agẽte & termino.

SECTIO II.

De ſubiecto actionis.

§. 6. Actionem non recipi in agens, ſed in ſubiectum, ex quo educitur terminus, probaui diſput.11.Phyſic.ſect.7.& S.Thomas opuſc.48. poſt tractatum 5.cap.2.de paſſione ijs verbis. *Dictum eſt autem quod actio, quæ ſubiectiuè eſt in patiente, denominat agens.* Et 1. part.ait, actionem ædificandi tranſire in rem ædificatam, actiones autem immanentes menere in operante. Quãdo verò ait actionem eſſe in agente, intellige de eſſe in actu primo, ſicut effectus ſunt in cauſa: nam ibidem ait actionem tranſire de agente in ſubiectum, at non tranſit greſſibus: ſed producitur, & quaſi emittitur ab agente in ſubiectum.

Actio non eſt in agens recepta ſed in ſubiectũ termini. S.Thom.

Explicatur.

§. 7. Probatur, quia generatio eſt ratio formalis faciendi aliquid ex ſubiecto; quid igitur facit ex ſubiecto, ſi ipſa eſt in agente, & non attingit ſubiectum? aut cur ſubiectum recipiet in ſe paſſionem, & terminum ex eo, quod agens in ſe immutetur tantum? Hæc clarius patebunt ſect.4. vbi probatur identitas inter actionem & paſſionem. Dices in Trinitate generationem actiuam eſſe in patre, ergo & in creatis: nego conſequentiam: tum quia illa generatio non eſt è ſubiecto, ac proinde non debet eſſe in eodem ſubiecto cum termino, ſicut eſt generatio creata: tum quia Pater in ratione perſonæ cõſtituitur Paternitate, in quo idem eſt generare, & poſſe generare, vnde ſicut potentia generatiua eſt in ipſo, ita & generatio, ſecus in creatis, quorum eſſe non conſtituitur generatione actuali, cui præſupponitur eſſe prius natura & ſæpe etiã tempore; quare agentia creata realiter mutarentur agendo formaliter, quod eſt falſum: imo & Deus ipſe mutaretur agendo creaturas. Ecce duo clara diſcrimina de qua re recidet ſermo ſect.4.

Obiectio ex Trinitate.

Reſpondetur.

Pater conſtituitur Paternitate in ratione perſonæ.

§. 8. Actio eductiua; extrinſecè, vel quaſi extrinſecè denominat agens, intrinſecè autem denominat, & afficit ſubiectum, & terminum. Rogas cur non denominet terminum in ratione ſubiecti, cũ vtrumque æquè intrinſecè denominet? Reſpondeo illam rẽ denominari vt ſubiectum tanquam principium ex quo fit terminus: illã autẽ denominari vt terminum, quæ fit ex ſubiecto: ſed terminus non fit ex ſe ipſo tanquam ex ſubiecto: ergo actio non attingit terminum tanquam ſubiectum. Minor eſt clara; quia nihil fit ex ſeipſo, neque eſt cauſa materialis ſui: maior patet; quia rem eſſe ſubiectum, & eſſe principium intrinſecum, ex quo fit terminus, eſt idem formaliter. Vnde in phyſicis probaui, non poſſe actionem recipi in terminum; quia terminus eſſet cauſa materialis ſui ipſius: nam quod attingit in genere cauſę materialis paſſionem, attinget formaliter terminum receptum in eodem genere. Indeque patet, cur Verbum diuinũ non ſit ſubiectum vnionis hypoſtaticæ, quia vnio non fit ex Verbo: ſed ex humanitate; quia productio vnionis non attingit Verbum, ſed humanitatem ſolam: vnde ea productio non eſt actus Verbum attingens, de quo egi diſp.13. in 3.p.& d.5.Phyſic.

Actio denominat agens extrinſecè, ſubiectũ intrinſecè.

Denominat rem productã vt purè terminũ; non vt ſubiectum.

Verbum cur non ſit ſubiectum ſed terminus vnionis.

SECTIO III.

Vtrum omnis actio habeat terminum?

§. 9. Thomiſtæ complures, ſecuti Caietanum, atque Ferraram: quorum meminit P.Suar. diſp.48. ſect.1.num.5 opinantur, aliquas actiones eſſe ſine termino ab ipſis producto. Hanc ſententiam poſſumus bipartiri. Primùm, eſſe actiones huius prædicamenti ſine termino per illas producto. Secundò, eſſe qualitates quaſdam, quas nomine *actionis* ſignificamus, cum tamen nullum terminum producant: ſed terminum reſpiciant extrinſecè.

Caietan. Ferrara.

Quæſtio bipartita.

SVBSECTIO I.

Impugnata prædicamentalis actio ſine termino.

In primo ſenſu loquũtur Thomiſtæ multi: huius ſententiæ tam difficilis nullum eſt fundamentum præter Ariſtotelem, ſiniſtrè quidem intellectum: aſſerentem 9. Metaph. text.16. eſſe actiones quaſdam, quarum nullũ eſt aliud opus, quàm ipſæ actiones. Secundum, quia intellectio, v. g. habet terminum extrinſecum nempe obiectum: ergo non habet alium terminum.

Opinio Thomiſtarum. *Ariſt. prima ratio.*

Secunda.

§. 10. Quàm parum eis Ariſtoteles ſuffragatur! ait enim. *Quoniam verò eſt horum quidem vltimum vſus, & vt viſus viſio, & præter hanc nullum fit alterũ à viſu opus; à quibuſdam autem fit aliquid, vt ab ædificatoria fit domus, præter ædificationem:* è quibus patet Ariſtotelem nec ſomniaſſe de hac ſententia; ſed tantum conſtituiſſe diſcrimen inter fines potentiæ vitalis, & tranſeunter operantis: quod illa non habet opus præter ipſum viuere, vt viſus non facit in obiecto opus, ſed tantum contentus eſt videndo: at architectura habet extra ſe opus, id eſt domum. B. Thom. ibi in eadem eſt ſententia, ait enim intellectum non habere opus externum, ſed tantum habere ſuam actionem, & felicitatem ſibi intrinſecam, & nihil extra producere. Hinc autem cui ſcipioni nituntur, vt probent à B.Thom & Ariſt. aſſignari actionem huius prædicamenti, ſine termino producto? An quia viſus nihil extra facit, bene ſequitur, eum habere qualitatẽ viſionis ſine actione, aut actionem, ſine qualitate? & vt videant quàm longè diſtent ab Ariſtotele, & S.Thoma; aduerto hanc Ariſtotelis, Sanctique Thomæ opinionẽ eſſe vniuerſalẽ in omni actu intellectus; at ipſi ponunt multas actiones intellectus cum termino per illas producto: ergo. Maior patet ex lectione illius textus, & ex S.Thom. lect.8. litt.G. minor ab ipſis datur; quia dicunt cognitionem abſtractiuã producere verbum, in quo obiecta cognoſcat: ſuamque doctrinã tãtum adſtruũt in cognitionibus intuitiuis, ne admittant à beatis formari verbũ, & imaginem,

Ariſtoteles eſt parum ab ipſis.

B.Thomas nõ eſt ab illis.

Non conſentiũt S.Thomæ.

ne

ne item cogantur admittere ſpeciem impreſſam de potentia abſoluta. Itaque hæc ſententia non probatur ab ipſis: ſed eſt effugium argumentorum de ſpecie impreſſa.

§. 11. *S. Thom. actus vitales exclusit ab hoc prædicamēto.*

Agedum, oſtende à S.Thom.eas actiones vitales ab hoc prædicamento expunctas, vt funditus corruat ea ſententia,& quidem opuſc.48.poſt tractat.5 cap.1.de actione,hæc ait: *Scientia ad ſcibile,& ſenſus ad ſenſibile eſt in ſecunda ſpecie qualitatis*.& c.2. *ſimiliter intelligere, & ſentire,ſunt actiones immanentes: hæc autem actio immanens non eſt in prædicamento actionis*. Quid clarius? quo teſtimonio hæc ſententia obtruncatur,quia loquitur de cognitionibus intuitiuis, quales ſunt ſenſitiuæ: & explicantur omnia, quæ pro ſe poſſunt adducere.S.Thom.videlicet loqui non de actione prædicamentali, ſed grammaticali,quæ habet terminum extrinſecum, actio autem productiua illius qualitatis habet eamdē qualitatem pro termino intrinſeco,ſicut localis motus habet pro termino intrinſeco vbicationem. Rectè enim vna actio poteſt immediatè reſpicere intrinſecè vnum terminum, extrinſecè autem alium, vt ipſi admittunt in cognitione abſtractiua, quæ immediatè terminatur intrinſecè ad verbū per ipſam productum; extrinſecè autem ad obiectum, quod cognoſcit: vnde ſolutæ ſunt rationes pro hac ſententia. *Actio habere poteſt vnum terminum intrinſecū, aliū extrinſecum.*

§. 12. *Impugnatur. Intellectus habet terminū productū.*

Impugnatur autem: quia intellectus non ſolum habet terminum extrinſecum cognitum:ſed etiam terminum intrinſecum:ergo actio intrinſecum habet terminum: probo antecedens: quia intellectus creatus eſt eſſentialiter potentia operatiua immanenter:ergo eſſentialiter habet terminum intrinſecum. Nam potentia operatiua eſt ad aliud, vt patet;id autem ad quod eſt,eſt terminus, vt diſp.15. probaui; ergo habet terminum: quia verò eſt operatiua immanenter, debet terminus manere in illa intrinſecè:ergo intellectus habet terminum intrinſecum. Probo autem primam conſequentiam. Nempe actionem habere terminum intrinſecum: quia actio alicuius potentiæ, eſſentialiter habet eumdem terminum potentiæ; ſed actio vitalis eſt actio intellectus: ergo habet eumdem terminum: ſed intellectus habet terminum intrinſecum: ergo & actio habet terminum intrinſecum. Probo maiorem(nam cætera liquent) quia actio potentiæ eſt exercitium eiuſdem;quo conſequatur ſuum finem, ad quem non tendit nec poteſt tendere niſi per actionem. Et quidem videtur ex terminis notum. Calefactio enim habet pro termino calorem,quia eſt terminus caloris producentis,idémque patebit potentias ſingulas cum earum actionibus percurrendo.

§. 13. *Obiectio.*

Dices, actionem intellectus habere idem obiectum, quod intellectus; non tamen eumdem terminum intrinſecum,quia ipſa eſt terminus intellectus intrinſecus,vt eſt potentia operatiua; ſicut in noſtra opinione qualitas vitalis eſt terminus intrinſecus intellectus; & tamen non eſt terminus ſui ipſius. *Reſpondetur.* Contra: ſicut cognitio, & potentia habent idem obiectum, ita actio & potentia habent eumdem terminum: ergo. Probo antecedens, quia cognitio & potentia habent idem obiectum, quia potentia eſt,quæ cognoſcit vt *quod*, cognitio autem vt *quo*. & eſt ratio cognoſcendi:nam ex cognoſcente vt *quod*.& cognoſcente vt *quo* conflatur cognoſcens, tendens in obiectum: nec enim ob aliam cauſam potentia habitus, & actus tendunt in obiectum idem;ſed ſimiliter potentia factiua eſt quæ facit vt *quod* actio verò vt *quo*, & vt ratio cauſandi,& vtraque conflant hoc complexum *faciens*: ergo vtraque habet eumdem terminum factum: ſicut potentia, & cognitio idem obiectum cognitum. Conſequentia certa videtur,minor probatur, quia quando potentia facit, habet aliquam formam à qua denominatur faciens,ſicut quando cognoſcit, habet aliquam formam,à qua denominatur cognoſcens:ergo cum illa forma,quæ eſt actio, conſtituitur faciens: ſed faciens, vt faciens, eſt ad aliquem terminum factum,quia faciens,aliquid facit: ergo actio, & eius potentia habent terminum eumdem,quia potentia factiua, & faciens ad idem ſunt:exemplum oppoſitæ ſententiæ eſt abs re:nam per qualitatem vitalem non conſtituitur intellectus faciens; ſed potius illa terminat intellectum facientem: quia verò per illam conſtituitur intelligens, ideo illa, & intellectus habent obiectum idem. *Actio & potentia habēt eumdem terminum, & obiectum.*

§. 14. *Confirmatio prima.*

Confirmatur hoc argumentum:actio huius prædicamenti eſt ratio per quam cauſa operatur: ergo per illam aliquid operatur. Antecedens probaui ſect. 1. Conſequentiam probo,quia ratio formalis faciendi aliquid eſt id,quo agens agit:ergo illo aliquid agit:patet conſequentia,quia ſi nihil agit,quo modo ergo illo agit?nam forma *qua* ſiue id quo eſt quo aliquid denominatur: ergo illo aliquid denominatur agens: ſicut vnione aliquid denominatur vnitū,& ea ratione vnio etiā ſe ipſa vnitur,& actio fit;quia eſt id,*quo* & extrema vniuntur,& terminus fit. Dices nihil fieri niſi cognoſcere. Contra,per te iſtud cognoſcere eſt facere vt *quo*, quid ergo fit vt *quod?* *Obiectio. Reſpondetur.*

§. 15. *Confirmatio ſecunda.*

Confirmatur ſecundò,quia actio vt actio eſt determinatio potentiæ factiuæ ad faciendum, ſicut vnio ad vniendum,& cognitio ad cognoſcendum: ergo ſicut vnio requirit terminum, ad quem determinet ſubiectum, & cognitio obiectū, ad quod determinet potentiam; ita actio requirit terminum, ad quem determinet agens. Confirmatur *Tertia.* tertiò,actio eſt modus: ergo non eſt operatiua,ſed intellectiones ſunt operatiuæ habituum, ergo intellectio non conſiſtit in ſola actione.

§. 16. *Agens eſt ad aliud.*

Item agens vt agens non producit ſeipſum:ergo aliquid à ſe diſtinctum. Probo conſequentiam: quia non eſt medium. Dices producere actionem. *Obiectio.* Contra: actio vt actio eſt via ad terminum: ergo *Reſpondetur.* per illam producitur terminus exiſtens in alio prædicamento. Antecedens eſt certum: quia actio vt actio eſt ratio formalis per quam terminus pendet ab agente: eſtque fieri: at fieri non poteſt intelligi ſine termino facto. Productio denique alicuius & ab aliquo eſt productio.

§. 17.

Aduerte;non eſſe animum probare omnē actionem habere terminum à ſe diſtinctum realiter: oſtendi enim diſp.12.Phyſic.§....creationem rerum natura ſua ſubſiſtentium non eſſe diſtinctam à termino. Sed animus eſt, nullam actionem ſpectantem ad ſolum hoc prædicamentum,eſſe abſque termino diſtincto: quia eſt determinatio agentis ad aliud in ratione cauſæ actiuæ. Angelus autem eſt per ſe,& directè in prædicamento ſubſtantiæ.

SVBSECTIO II.

Actus vitales habent actiones ab eis diſtinctas.

§. 18. *Alia quæſtionis explicatio. Prima ratio S.Thomæ.*

IN ſecundo ſenſu habet probabilitatem hæc opinio; nempe intellectionem omnem eſſe qualitatem,vt ex S.Thom. monſtraui;eam tamen non diſtingui ab actione: ſed eſſe terminum ſui ipſius ad eum modum,quo vbicatio eſt ſe ipſa vnita. Huius

 ſenten

ſententiæ fundamentum ſumi poteſt ex modo quo S.Thom.loquitur de actibus vitalibus. *Secunda.* Secundum, quia ſic conciliantur multa conciliatu alioqui difficilia de actibus vitalibus in quo conſiſtant? & vtrum poſſint à ſuis potentiis abiungi? Hanc ſequuntur ingenioſi recentiores, quærentes potius effugia aliarum difficultatum, quàm philoſophicè agentes; & quidem in S.Thom. parum habent præſidij; *Explicatur S.Thom.* ille enim tantum vult potentias intentionales non operari extra, vtrum autem agant per actionem à qualitate diſtinctam, nec inſinuat, ſed de omni actione prædicamentali loquitur eodem modo, ſcilicet eam eſſe formam vt ab agente: difficultates autem omnes me arbitror conciliaſſe libris animа. Quod adferunt de *vbi* non eſt è re; *vbi* enim, quia eſt intrinſeca determinatio corporis ad locum, non eget alia vnione.

§. 19. At verò actus vitalis eſt qualitas abſoluta, & non modalis, ergo producitur actione ab ea diſtincta: probo conſequentiam inductione cæterarum rerum abſolutarum; quæ quia ſunt res, & non modi producuntur actione ab eis diſtincta. *Obiectio.* Dices alias qualitates eſſe ſeparabiles à ſuis principiis tam actiuis, quàm paſſiuis, ſecus vitales. *Reſpondetur.* Contra, ideo poſſunt ſeparari, quia ſunt res, & non modi: nam ſi eſſent modi, non poſſent ſeparari, ſed etiam vitales ſunt res, & non modi: ergo etiam poterunt ſeparari. *Diſcrimẽ inter modum & rem.* Equidem ſeparatio actualis oſtendit apertè à poſteriori diſtinctionem termini ab actione: vnde manuducitur Philoſophus ad ſcrutandam naturam modi, & rei abſolutæ: & probat modum ſeparari non poſſe à ſuo ſubiecto, quia ab illo ſe ipſo pendet; rem poſſe, quia non ſe, ſed modo pendet: cum ergo hæc ratio omnibus ſit æqualis, cur non arguitur æqualiter de omnibus? Quapropter dixi hos authores agere non philoſophicè; quia non reddunt rationem, cur vna res ſit ſeparabilis, alia non ſit: poſſent enim etiam dicere, qualitates non poſſe ſeparari à quantitate, quamuis poſſit quantitas à materia: an ne miraculo opus eſt vt quis pari ratione de rebus paribus ratiocinetur? Cum ergo cæteræ actiones realiter diſtinguantur à ſuis terminis: cur non agitur conſequenter in omni actione?

§. 20. *Reſpondetur argumento cuidam.* Qualitates eſſe vitales quid refert? nam vitalitas non conſiſtit in identitate actionis, & termini; nam ipſi dicunt creationem non diſtingui à Deo, & termino; cum tamen terminus vitalis non ſit: nam ratio vitæ, aut conſiſtit in perceptione aut appetitione obiecti: aut in operatione immanenti: quæ omnia habent illæ qualitates; petunt enim fieri, & recipi in ſubiecto eodem: & ſicut non eſt de eſſentia accidentis actu inhærere ſubiecto, ſed aptitudine, ac petere inhærentiam, ita non eſt de ratione illius actus actu fieri à potentia vitali, ſed aptitudine, idque petit eſſentialiter, quo differt à qualitate non vitali. Arbitror quidem nullum adferri nec probabile diſcrimen. Immo licet actus eſſet modus, adhuc fieret actione diſtincta: quia non eſt modus determinans ad agendum, ſed intrinſecè determinans ad obiectum: at modi non actiui fiũt actione diſtincta, vt vbicatio, & vnio, ergo & actus vitalis fieret actione diſtincta. De iis actibus conſule diſput. 6. de anima. Aduertant oppoſitæ ſententiæ aſſertores; ſe conſequenter dicturos, actum vitalem eſſe actionem noſtram & Dei, alioquin recident in phyſicas prædeterminationes: vt in ſimili dixi d.10.Phyſ. ſectione 3.

* * *

SECTIO IV.

Diſtinctio actionis à paſſione.

§. 21. *Creatio non eſt paſſio.* Actionem creatiuam realiter à paſſione diſtingui, eſt notum, quia creatio eſt independens à ſubiecto, paſſio verò eſt ipſa dependentia à ſubiecto. *Actio vt ſic ratione diſtinguitur à paſſione.* Vnde actio vt ſic abſtracta à creatione & generatione, vel eſt genus, vel ſaltem conceptus vniuerſalior, ratione præciſus à ſuis inferioribus, ſicut animal, aut ens. Inquirimus autem diſtinctionem actionis eductiuæ à paſſione. Paſſionem eſſe eamdem cum actione docet S. Thom. *S.Thom.* opuſcul. 48. in tractat. de actione, & alibi: quod probaui, diſput. 11. Phyſicor. ſectione 4. Nam *Paſſio eſt idẽ cum actione.* agens per actionem agit terminum, ergo per actionem terminus agitur: patet conſequentia; quia agens aliquid, illud denominat per eam rationem, per quam agit: ſicut factiuum ſeipſo denominat factibile, & viſiuum viſibile, & videns viſum: nónne idem ſunt formaliter, *Ego video Petrum viſione: Petrus viſione videtur à me*? Nam apud Latinos actiua vox, & paſſiua differunt ſola terminatione. Hæc enim prima notitia actiua, *Ego actione produco Petrum:* redditur paſſiuæ per hanc, *Petrus actione producitur à me:* ſed ratio, qua Petrus producitur, eſt paſſio: ergo actio eſt paſſio.

§. 22. *Obiectio de Trinitate.* Dices, ignem quidem produci, ſed non per productionem actiuam ignis: nam quando Pater Æternus generat Verbum, & Verbum generatur: at non per generationem Patris, ſed filiationem exiſtentem in Filio: ergo non fit effectus per eam rationem, per quam cauſa illud efficit. *Reſpondetur.* Contra, per eam rationem, per quam ignis producit ignem, hunc produci adeo perſpicuum videtur, vt non egeat probatione. Hæ enim orationes Grammaticæ conuertuntur, *Ego amore amo Deum, Deus amore amatur à me: Ego actione hominem occido: homo actione occiditur à me.* Quod verum non eſſet, ſi eſſet realiter diuerſum me occidere hominem, & hominem à me occidi. Immo orationes Hiſpanæ actiuæ tertiæ perſonæ pluralis numeri, Latinæ redduntur per tertiam perſonam ſingularem vocis paſſiuæ *vt occiditur.*

§. 23. *Exemplũ de viſione.* Verum Grammaticis omiſſis, ſicut per eamdem rationem, per quam ego video, & amo obiectum, obiectum amatur, & videtur à me; ita per eamdem rationem qua ego aliquid facio, aliquid fit à me: nam ea ratione obiectum videtur à me per actum, quo video, quia mea viſio terminatur ad obiectum, ſed mea actio terminatur ad effectum, ergo ſimiliter per meam actionem fit effectus. De minori propoſitione nulli dubium: maior patet, tum quia nulla alia aſſignabitur ratio, tum quia omnis forma, vel quaſi forma immediatè verſans circa aliquid, illi tribuit aliquam denominationem, id enim eſſe de ratione formæ in Phyſicis oſtendi, & inductione patet ſingulas percurrendo; tum phyſicas, vt vnionem, paſſionem, vbicationem; tum intentionales, vt cognitionem, & affectum: ſed actio immediatè verſatur circa effectum vt patet, ergo illi tribuit aliquam denominationem, ergo vel agentis, vel acti, vel patientis; nullam enim adhuc agnouimus denominationem ab actione; non agens, nec patiens, quia iſtæ ſolis conueniunt cauſis actiuæ, & paſſiuæ, ergo illi tribuit denominationem acti: ergo per

per eam rationem per quam aliquis agit effectum, agitur effectus.

§. 24. *Prima obiectio.*

Dices primò, non tribui denominationem formæ cuiuis rei, circa quam immediatè verſatur, vt relatio non tribuit denominationem termino, ſed filiatio; filiatio enim non denominat patrem, ſed filium, alioquin pater eſſet pater, & per paternitatem, & per filiationem; nec materializatio vnit formam materiæ, tametſi materiam formæ.

Reſp. primò. Contra primò, quia etiam dici poſſet terminum non denominari à paſſione magis, quàm ab actione: nam paſſio eſt cauſalitas materiæ, ſicut actio efficientis; quo ergo priuilegio paſſio denominet terminum, & non actio? & ſicut per te terminus non agitur per actionem, per quam illum agit efficiens, ita nec recipitur per receptionem, per quam illum recipit materia; nam in te retorquebo argumentum, & reſpondebo qua ratione tu.

Secundò. Contra ſecundò, omnis alius modus denominat terminum: nam vnio eo præciſè, quod vt terminum aliquid attingit, illud facit vnitum vt vnio hypoſtatica Verbum Dei: paſſio ſuum terminum denominat receptum, cognitio cognitum, & amor amatum, ſolane actio exorbitet ab hac orbita?

§. 25. *Ratio à priori.*

Ratio à priori, quia terminus in ratione termini conſtituitur formaliter per formam quam terminat: ergo in ratione termini illam includit formaliter, ſicut cognitum in ratione cogniti cognitionem includit, ergo includit effectum formalem talis formæ. Item forma, aut modus verſatur circa ſuam rem, illi tribuendo formalem aliquem effectum: nam ea ratione circa eam verſatur, vt habeat vt *quod* effectum, quem modus, aut forma habet vt *quo*, ſicut viſio verſatur circa potentiam, vt videat; circa obiectum, vt videatur: item receptio circa ſubiectum vt ſit recipiens; circa terminum vt ſit receptus: alioquin quorſum immediatè circa res verſaretur? quod luce pellucidius apparet.

§. 26. *Ad argum. Forma vnitur materializatione.*

Quæ afferuntur §. 24. de vnione, ſunt æquè falſa: oſtendi namque diſput. 5. Phyſic. materializatione vniri formam vt terminum, & materiam vt ſubiectum; eſt enim vnio compoſitio, atque coniunctio duorum extremorum. De relatione eſt negotium ſine negotio. Nam per filiationem filius reſpicit patrem, & pater reſpicitur à filio; ſicut viſione oculus videt lucem, & lux videtur ab oculo:

Filiatio habet duas denominationes. habet ergo filiatio duas denominationes; alteram intrinſecam ſubiecto, quæ eſt *filius*, ſiue *reſpiciens intrinſecè patrem*: alteram extrinſecam, nempe *eſſe reſpectum à filio*, cui denominationi non eſt

Filiatum, eſt denominatio extrinſeca. Pater eſt intrinſeca denominatio. impoſitum ſimplex nomen, ſed vocetur *filiatum:* ergo ſubiectum filiationis eſt filius, & terminus eſt filiatus; nec propterea pater eſt pater filiatione: quia eſſe patrem eſt intrinſeca denominatio à paternitate, & terminus illius poteſt etiam dici, *paternatus*.

Obiectio. Reſpondetur. Obiicis, eſſe patrem eſt terminare filiationem. Iam oſtendi diſputatione 15. filiationem non terminari ad paternitatem, ſed ad ſubſtantiam abſolutam; ſed & ſi terminetur, non conſtituitur pater, quia formaliter terminet filiationem, ſed quia eſt materialiter id, ad quod terminatur filiatio: ſicut non conſtituitur homo pater, licet filiatio terminetur ad abſolutum, ſed quia ipſe alia intrinſeca relatione terminetur ad filium.

§. 27. *Secunda obiectio. Reſpondetur.*

Dices ſecundò, negari non poſſe omni termino tribui denominationem: at actione non denominari actum, ſed eſſe terminum actionis. Contra; eſſe terminum actionis, & eſſe actum ſunt formaliter idem, ergo: patet antecedens, tum percurrendo terminos omnes: ab vnione terminus denominatur vnitus, vt Verbum Dei; à receptione receptus: ab amore amatus: à cognitione cognitus: à relatione reſpectus: ergo ab actione actus, & productione productus: tum à priori, denominatio formæ eſt ipſa forma vnita, vel quaſi vnita ſubiecto, vel termino: ergo ab ipſa ſumitur formalis effectus: ergo terminus habet vt *quod* effectum formalem modi vel formæ: ergo actio denominabit actum, & agens. Aduerte terminos modorum & formarum ab illis denominari paſſiuè, vt amatum, vnitum, receptum: ergo etiam actum, atque productum: quod inde patet: quia productio conſtituit rem extra cauſas: ergo per illam fit, patet, quia per illam exiſtit ab alio, quod eſt fieri. Non te diutius morabor, quia arbitror hæc eſſe ſatis.

§. 28. *Ad exemplũ de Trinitate. In Trinitate infringuntur argumẽta in naturalibus euidentia.*

Quod autem §. 22. obiicitur de Trinitate, poſſet primùm reſponderi in illo myſterio deludi rationes, quæ in creaturis intenta demonſtrant, vt *quæ ſunt eadem vni tertio, eſſe idem inter ſe*. An rectè quis argumentaretur, in diuinis: Pater, & Filius non ſunt idem inter ſe, cum ſint idem cum natura: ergo etiam in humanis? item, perſona patris in ſuo eſſe ſubſtantiali conſtituitur per actualem generationem, & paternitatem; ergo ſimiliter, Petrus eſt homo per generationem actualem? Ita meum argumentum euincit intentum in obiectis creatis; quid ſi deludatur in Trinitate, ſicut infinitæ aliæ demonſtrationes? quo enim fato non erit argumentum, niſi quòd tam Trinitatem, quàm materiam primam eâdem menſura premat? atque hoc eſt ſatis, ſuperque: nec enim opus eſt oculorum aciem illuc conari defigere, ne præſtringatur & opprimatur à gloria.

Omittitur quæſt. Vtrum generatione ipſa actiua Patris, Filius ſit paſſiuè, & intrinſecè productus. Eáque propter omitto: Vtrum Generatio ipſa qua Pater generat, & Filius generatur ſit intrinſecè in ſolo Patre? an verò in ſolo Filio? Hæc (inquam) omitto, quia non ſunt neceſſaria ad phyſicas quæſtiones de diſtinctione actionis à paſſione: nec enim vtrobique erit eadem ratio hac in parte: ſicut actio creata non conſtituit perſonaliter Petrum, quamuis conſtituit perſonaliter Patrem æternum.

§. 29. *Actio eductiua nec ratione diſtinguitur à paſſione.*

Imo verò hinc apertè probo actionem eductiuam, neque ratione diſtingui à paſſione: nam eadem eſt ratio formalis, per quam ignis calefacit lignum, & per quam lignum calefit ab igne: ſed per paſſionem formaliter lignum calefit, & ignis calefacit formaliter per actionem: ergo actio, & paſſio ſunt formaliter idem. Probatur maior: nam quando ignis apprehenditur calefacere, alterare, aut mouere, intelligitur aliquid calefieri, alterari, aut moueri: neque cenſeo hoc poſſe ratione præſcindi magis quàm oculos videre, quin apprehendatur aliquid videri.

Confirmatur. Hinc autem ſumenda eſt confirmatio argumenti: nam eodem modo comparatur potentia actiua ad ſubiectum, quo cognoſcitiua ad obiectum: ergo ſicut per eamdem rationem formalem oculus videt, & paries videtur, ita per eamdem ignis calefacit, & lignum calefit. Ratio à priori, quia actio eductiua ex ſuo conceptu eſt productio rei ex ſubiecto: ergo ad illam concurrit ſubiectum, vt ad conceptum eductum vt *quo*, quia quum ipſa ſit ratio educendi terminum ex ſubiecto, ita eſt ratio educendi ſe ipſam ex eodem: ergo eſt paſſio, quia paſſio eſt ratio formalis, per quam aliquid educitur ex ſubiecto.

§. 30. *Animaduerſio.* *Actio eductiua & paſſio connotãt eadem eodem modo.*

Quia verò hæc ſententia nonnullis accidit mira, recognoſce d.6. ſectio. 5. vbi probaui, omnia, quæ ratione diſtinguuntur, habere diuerſa connotata, vel idem connotatum diuerſo modo ſub vtroque conceptu: ſed actio eductiua in ratione actionis eductiuæ habet eadem connotata, & eodem modo, quo ſub ratione paſſionis: ergo actio eductiua nec ratione diſtinguitur à paſſione: probatur minor; quia actio eductiua reſpicit terminum intrinſecè in ratione termini, & ſubiectum patiens intrinſecè in ratione ſubiecti, & agens non intrinſecè; terminum quidem, quia eſt eſſentialis determinatio agentis ad illum, & factio illius, & propter eaſdem rationes reſpicit agens: ſubiectum autem, quia in ratione actionis eſt actio eductiua, id eſt productiua concurrente ſubiecto; ſed paſſio, vt paſſio, reſpicit etiam terminum intrinſecè, quia eſt determinatio ſubiecti ad illum, & propter eamdem cauſam reſpicit ſubiectum, quia eſt eductio ex ſubiecto; item reſpicit agens non intrinſecè, tum quia quod mouetur, formaliter mouetur ab aliquo, ſicut quod videtur, ab aliquo videtur, & non poteſt concipi aliquid videri, quin concipiatur videri ab aliquo; tum etiam, quia paſſio vt paſſio eſt ens reale, ergo concipitur vt tale, ergo concipitur vt ens ab alio; ergo vt oritur à principio actiuo: ſed non eſt ab illo per aliam actionem: ergo per ſe: ergo actio eductiua, & paſſio ſub vtraque denominatione habet eadem connotata, & eodem modo.

§. 31. *Alia ratio.*

Tandem paſſio vt paſſio eſt id per quod aliquid fit ex ſubiecto, ergo intelligitur fieri ab aliquo, quia fieri eſt ab agente: vnde neceſſariò concipitur actio vt eſt actus, quo aliquid fit; factio autem vt factio quantumuis paſſiuè ſumatur, reſpicit potentiam effectricem. Itaque ſicut viſio concipitur vt denominat videns, & viſum, ita actio eductiua vt denominat educens, & ex quo educitur, & idem eſt educi ex aliquo, & fieri ex illo. Itaque actio vt ſic diuiditur in creationem & eductionem: eductio autem vt eductio dicit actionem dependentem à ſubiecto.

§. 32. *Prima obiectio. Reſpondetur.*

Dices primò, actionem eductiuam iam includere paſſionem. Contra: quia actio eductiua in quantum eductiua, differt à creatione in ratione talis actionis, quia non ſolùm diſtinguitur ab illa ratione paſſionis, ſed ratione actionis habet aliquam differentiam ab illa: hæc autem differentia eſt eductio, per quam connotat ſubiectum: differt autem à creatione, quia creatio eſt productio ex ſuo conceptu differentiali excludens ſubiectum; eductio verò ex ſua differentia illud connotat. *Secunda obiectio.* Obiicis ſecundò commune verbum, *Paſſio infert actionem.* *Reſpondetur.* Diſtinguo; de illatione phyſica, vel cauſali nego, *S. Thom.* vt expreſsè dixit B. Thomas opuſcul. 48. tractat. 5. cap. 3. de paſſione: de illatione conſequentiæ, concedo, eſt enim bona conſequentia à paſſione ad actionem, vt eſt paſſio: ergo eſt actio, quia paſſio eſt formaliter actio: at non valet conſequentia ab actione ad paſſionem, vt in creatione. *Actio nõ infert paſſionẽ niſi logicè.*

§. 33. *Tertia obiectio. Ariſtot. Reſpondetur.*

Dices tertiò, Ariſtotelem 3. Phyſic. multum propendere in hanc ſententiam, ratione enim diſtinxiſſe videtur actionem à paſſione. Verùm Ariſtot. tantum dixit eas diſtingui ſicut accliue, & decliue, in quo non ſunt duo conceptus viæ, ſed vnus cum duplici denominatione; nam incipiendo à radice via dicitur *accliue*, ſi verò incipias à iugo, dicitur *decliue*; de qua via iidem ſunt termini eodem modo connotati; ita incipiendo ab agente motus dicitur *actio*, incipiendo autem à patiente *paſſio*: & ſicut non poteſt concipi decliue à iugo ad radicem, quin ſimul intelligatur accliue à radice ad iugum: ita non poteſt concipi actio eductiua ab agente, quin ſimul intelligatur in paſſo. Agens quidem & patiens ſæpè diſtinguuntur realiter, ſicut videns & viſum; quia agens dicit in recto principium quaſi extrinſecum actionis eam connotans in obliquo; patiens verò dicit in recto principium intrinſecum actionis: at verò actio & paſſio idem dicunt in recto & eadem connotant in obliquo eodem modo.

SECTIO V.

Aliquæ difficultates expeditæ.

§. 34. *Ad actionem non datur actio naturaliter.*

PRima eſt, verum *ad actionem detur actio?* Ex natura rei non dari patet, quia actio eſt ratio formalis ſe ipſam producendi, ergo non indiget alia actione vt producatur: nam ſi indigeret, etiam illa ſecunda actio indigeret tertia, & ſic in infinitum. *Confirmatur.* Confirmatur ex vnione, quę ex natura rei non vnitur per aliam vnionem, neque albedo albeſcit per aliam, aut nigreſcit nigredo. Ratio à priori, quia forma in eo genere in quo eſt forma, non accipit denominationem ab alia ex natura rei: ad quod non requiritur niſi inſpexiſſe naturam, & conditionem modorum. De potentia abſoluta poteſt controuerti; nam ſicut idem effectus de potentia abſoluta poteſt per duas actiones adæquatas cauſari, ita & vna actio à duobus agentibus adæquatis, ab vno quidem per ſe ipſam, ab altero verò per aliã actionem. Non acquieſco; nam ſi qua actio terminaretur ad actionem, haberet actionem pro termino ſuo in qua ſiſteret, ita vt per illam non cauſaret alium terminum formaliter, eſt enim de ratione actionis, & termini, vt in illo ſiſtatur tamquam in termino: alioquin nõ tam eſſet terminus, quàm via ad terminum: & quamuis vna actio poſſit habere duos terminos adæquatos, tamen vnus non cauſatur per alium ex vi ſuæ actionis, ſed vterque immediatè, ſicut qui aiunt formam materialem, & vnionem eadem actione produci. *Nec diuinitus.*

§. 35. *Terminus actionis non eſt via ad alium.*

Itaque términus alicuius actionis, vt eſt terminus illius, habet negationem viæ ad producendum alium terminum: ſed actio producens aliam actionem non ſiſteret in illa tamquam in termino, ſed per illam formaliter produceret alium terminum, ergo repugnat actionem produci per aliam. Probo minorem, quia actio producens aliam actionem illam attingeret in genere cauſæ efficientis, vt *quo*, ergo etiam attingeret terminum productum per illam actionem, quam ipſa producit. Conſequentia patet; quia cauſa alicuius cauſalitatis in eodem genere in quo cauſat cauſalitatem, cauſat terminum illius; quia terminus non alia ratione cauſatur, niſi ſub qua cauſalitas eius cauſatur, quia cauſalitas eſt ratio formalis illum cauſandi, & non poteſt attingi forma modalis, quin in eodem genere attingatur effectus, ſicut non poteſt fieri vnio, quin per eam actionem fiat vnitum: antecedens autem probo, quia productio tendens in actionem, illam producit ſecundum ſuam eſſentiam; ſed eſſentia actionis eſt eſſe viam ad terminum, ergo illam attinget in quantum eſt via ad terminum.

§. 36. *Prima obiectio. Reſpondetur.*

Dices primò, ſecundum agens attingere primam actionem per aliam; primum autem agens per ſe ipſam. Contra, eo quod ſecundum agens eam attingat per illam, non tollitur quin eam attingat

vt

vt viam, & ea ratione agens connaturale illam attingit vt viam, quia illa eſt ratio cauſandi efficienter terminum; & eâdem ratione non indiget alia actione; ergo ſimiliter agens non connaturale eam attinget vt viam, quia eam attinget vt cauſalitatem alterius. Dices ſecundò, vbicationem afficere actiones inquantum ſunt productiones terminorum, & tamen per illam vbicationem non vbicantur termini: ergo idem erit in productione productionis. Nego conſequentiam, quia licet vbicatio afficiat eſſentiam actionis, inquantum eſt actio; tamen eam afficit in diuerſo genere formæ quo ipſa eſt; vnde & poteſt eſſe extremum denominatum ab illa, quia ipſa non habet per eſſentiam denominationem vbicationis: at verò agens attingit actionem in eodem genere, in quo ipſa eſt per eſſentiam; & ſic idem eſt eam attingere, & attingere terminum. Quod ſi hoc argumentum probat quid, probaret quidem, vel vbicationem actionis, & termini non diſtingui, vel dari ex natura rei modum ad alium modum eiuſdem rationis.

Obiectio ſecunda. *Reſpondetur.*

§. 37. *Secũda quaſt. Idẽ terminus non poteſt ſimul generari & creari ex natura rei, poteſt diuinitus.*

Secunda, vtrum *idem terminus poſſit ſimul generari, & creari*? Ex natura rei non poteſt, quia creatio ex natura rei eſt rerum ſubſiſtentium, generatio verò dependentium à ſubiecto. Diuinitus poteſt, quia non inuoluit repugnantiam magis quàm eumdem effectum terminare ſimul duas actiones adæquatas. Dependere autem à ſubiecto per vnam actionem, & non dependere per aliam, non opponuntur contradictoriè. Neque ille terminus poteſt dici independens à ſubiecto, niſi cum addito, quia propoſitio negatiua æquiualet vniuerſali, & faceret ſenſum, nullo modo dependere terminum.

§. 38. *Tertia quaſt. Actio vt ſic eſt analoga.*

Tertia difficultas, vtrum *actio vt ſic ſit analoga, vel vniuoca*? Quæſtio magni momenti! opinor eſſe analogam, quia imbibitur in differentiis; nam actionem eductiuam formaliter dicere dependentiam actiuam à ſubiecto, eſt certum: creatio verò licet explicetur per negationem, tamen eius differentia propria eſt poſitiua, id eſt, productio termini ſubſiſtentis ab agente, vnde conſequitur negatio ſubiecti.

§. 39. *Quarta quæſtio. Diſcrimen actionis trãſeuntis & immanentis.*

Quarta difficultas, quo *differant actiones tranſeuntes ab immanentibus*? Reſpondeo, actionem tranſeuntem ex ſuo conceptu eſſentiali eſſe conceptum potentem recipi in ſubiectum diſtinctum ab agente; immanentem autem ex ſuo conceptu eſſentiali petere pro ſubiecto ſuum principium agens. Vno verbo, actio immanens eſt vitalis, tranſiens verò non vitalis. Dixi *ex conceptu ſpecifico*, nam aliquæ actiones tranſeuntes ſunt in eodem principio, à quo fiunt; id tamen non oritur ex conceptu ſpecifico, quia terminus eſt tranſiens, ſed oritur ex conceptu indiuiduali modi (vt ſæpè dixi.)

§. 40. *Quinta quæſtio. Actio vt ſic abſtrahit à ſubiecto. Actio eductiua formaliter habet ſubiectum. Confirmatur.*

Quinta difficultas: vtrum *actio vt actio habeat ſubiectum*? Actio vt ſic abſtrahit à dependentia à ſubiecto propter creationem illo carentem. Actio verò eductiua formaliter vt actio, habet ſubiectum. Probatur: paſſio vt paſſio habet ſubiectum; ſed conſtat eductionem eſſe formaliter paſſionem: ergo vt actio habet ſubiectum. Confirmatur: viſio, vt denominat colorem viſum, habet ſubiectum; quia illum denominat, dum potentiam reddit videntem; ſub quo conceptu eſt in eadem potentia. Eadem ratione actio vt actio eductiua, eſt forma intrinſeca ſubiecto; extrinſeca verò agenti.

§. 41. *Quid in alia opinione.*

In ſententia diſtinguente ratione actionem à paſſione; dico eam à parte rei habere ſubiectum. At ratione noſtra ab illo præſcinditur: quia vt actio, ſolum refertur ad agens & terminum: at in neutrum recipitur; ergo non concipitur in ſubiecto. Dices; actio vt actio eſt accidens: ergo habet ſubiectum. Diſtinguo antecedens: eſt accidens extrinſecum, concedo; intrinſecum, nego antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo habet ſubiectum à parte rei, concedo conſequentiam; in illo conceptu præciſo, nego conſequentiam.

Obiectio. *Reſpondetur.*

§. 42. *Secunda obiectio. Reſpondetur.*

Dices; de conceptu accidentis eſt ineſſe; ergo non poteſt concipi ſine ſubiecto. Iam dixi non eſſe de conceptu omnis accidentis inhærere phyſicè: quia creatio quantitatis non ita inhæret, ſed eſt extra conceptum adæquatum rei. Sic actio inhæret; id eſt, extra totam ſubſtantiam rei intelligitur, illam afficiens. Deinde de conceptu adæquato accidentis eſt ineſſe: non verò de inadæquato: quia inadæquatè concipi poteſt vt extrinſeca ratio.

Accidẽtis eſt eſt ineſſe quo pacto.

DISPVTATIO XVII.

De duratione.

SEPTIMVM prædicamentum ab Ariſtotele vocatur *quando*, id eſt, quo tempore res fit, de quo nec verbum aliud fecit, niſi explicare differentiam temporis, quo res fit. Diſputandum autem eſt de duratione in communi.

SECTIO I.

Quid ſit duratio?

§. 1. *Aliquorum opinio. Prima ratio.*

NOnnulli volunt, durationem eſſe quamcumque exiſtentiam in tempore; etiamſi ſit per ſolum inſtans: primùm quia exiſtentia in ſolo puncto imaginario eſt vera præſentia localis; ergo licet res exiſtat in ſolo inſtanti, erit vera duratio: patet conſequentia, quia ſicut exiſtentia in puncto fundat diſtantiam, & propinquitatem ab aliis rebus: ita exiſtentia in inſtanti fundat relationes *præſentis, præteriti, & futuri*: in quo conſiſtit formalis ratio durandi. Secundò, quia generatio inſtantanea dicitur durare per inſtans, licet ſtatim euaneſcat. Alij opinantur, exiſtentiam inſtantaneam non eſſe propriè durationem: nam de eius ratione eſt permanentia in eſſe, res autem per inſtans licet exiſtit, non permanet.

Secũda ratio. *Duratio eſt permanentia, nec in inſtanti.*

§. 2.

Quæſtio eſt parui momenti, non tam de re, quàm de voce: placet tamen ſecunda ſententia, & quia communis, & quia vtitur voce in ſignificatione propriori: durare enim ſignificat perſeuerare. Virgil. *Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis*; id eſt, perſeuerate in labore; at verò perſeuerare eſt acceptam iam exiſtentiam retinere, ſic dicuntur res plus minúſve durare, quia longiori, aut breuiori tempore retinent eſſe. Ad primum argumentum negatur conſequentia; ad probationem reſpondetur, præter fundamentum relationis *præteriti, præſentis, & futuri*: requiri perſeuerantiam in illa ratione fundandi; argumentum quidem probat rem exiſtere, ſicut dicitur eſſe alicubi; non tamen durare. Ad ſecundum illa eſt phraſis impropria, non durat, ſed eſt.

Durare eſt perſeuerare. Virgilius. *Perſeuerãtia eſt permanẽtia in eſſe accepto.* *Ad primum.* *Ad ſecundũ.*

§. 3. *Obiectio.*

Obiicis; Deus æternùm durauit, priùs quàm tempus apprehendatur eſſe poſſibile; & tamen non perſe

perſeuerat: quia perſeuerantia eſt cum ſucceſſione, quæ non potuit eſſe æterna. Diſtinguo antecedens: durauit noſtra ratione durandi, nego antecedens; alia nobiliori, concedo. Nam ſine vlla ſucceſſione in ſe, ita neceſſariò exiſtit ſua æternitate, vt neceſſariò coëxiſtat omni tempori imaginario; & exiſtere, cum repugnat exiſtere tempus. in qua æternitate eſt neceſſariò fundamentum, vt nullum tempus ſit poſſibile, cui Deus non reſpōdeat. in quo eſt perſeuerantia eminentior noſtra; & eminentior duratio.

Reſpondetur. *Deus durat nobiliori ratione.*

§. 4. *Secunda obiectio.*

Dices; etiam lapis eſt in Deo eminentius quàm in ſe: éſtque Deus virtualiter lapis, & eminenter; abſolutè autem Deus non eſt lapis: ergo nec durat, licet eminenter contineat noſtram durationem. Aduerte; noſtram durationem contineri in Deo virtualiter; ſicut & lapis; ac propterea Deus non durat formaliter per illam, ſicut nec eſt lapis. At Deus habet formaliter in ſe rationem permanendi neceſſariò cum omni tempore poſſibili, & illud præuertit neceſſariò: ſicut in Deo eſt formaliter potentia faciendi lapidem. Hæc æternitas Dei, ſi non coëxtitit tempori imaginario, non fuit ex defectu ſui; ſed temporis, quod ab æterno non potuit eſſe. Quod ſi eſſet, Deus illi coëxiſteret. Nego igitur conſequentiam: quia Deus non durat duratione, quam virtualiter, ſed formaliter continet: quia per illam exiſtit neceſſariò cum tempore, & ante illud.

Animaduerſio. *Virtualis duratio quo pacto ſit in Deo.* *Deus cur non coëxtitit tēpori ab æterno?* *Ad argum.*

§. 5. *Opinio Thomiſtarum.* *Fūdamentū.*

Thomiſtæ nonnulli apud P. Suar. diſp. 50. Metaphyſ. ſect. 2. num. 7. opinantur durationem conſiſtere in ratione menſuræ. Huius ſententiæ nullum eſt fundamentum præter quæ adduxi diſput. 13. ſect. 4. ad probandum eſſentiam quantitatis conſiſtere in ratione menſuræ. Quæ ibi apertè conuulſi, quia ratio menſuræ eſt extrinſeca denominatio mēſuræ actiuæ, & paſſiuæ à cognitione perſonæ eas vtentis ad dignoſcendam extenſionem alicuius rei: durare autem non eſt huiuſmodi. Deinde, menſura ſi eſt homogenea, & propria menſura, habet aliquam extenſionem, duratio autem rerum permanentium extenſione caret intrinſeca. Ochamus & Nominales apud eumdem num. 1. opinantur, durationem eſſe exiſtentiam connotantem tempus reale, vel imaginarium, cui coëxiſtat. Alij dicunt durationem eſſe exiſtentiam connotantem immediatè ante rem non fuiſſe corruptam. Has duas ſententias amplectitur P. Suar. num. 9. quia potius differunt nomine, quàm re: nam ipſe ait durationem eſſe permanentiam in re; res enim præcisè dicitur durare, quia in ſuo eſſe permanet.

Menſura eſt extrinſeca. *Opinio Nominalium.* P. Suarez.

§. 6. *Duratio eſt exiſtentia cōnotans tēpus.*

Vera eſt hæc ſententia P. Suar. quia perſeuerare eſt permanere in eſſe, quod eſt durare: nam perſeuerantes vocamus homines diu retinentes ſuſceptum propoſitum; & res diu perſeuerantes. Hiſpani vocant, *de mucha dura.* Verùm non poteſt intelligi res perſeuerare, neque durare niſi connotando tempus reale, vel imaginarium, cui coëxiſtat: nam illa permanentia in eſſe ratione diſtinguitur ab exiſtentia: ergo in duratione debet concipi aliquod connotatum, quod non concipiatur in exiſtentia (vt patet ex diſput. 6. ſect. 5.) ſed illud connotatum debet eſſe tempus, ergo duratio connotat tempus; probo minorem, quia permanere in eſſe eſt habere exiſtentiam, quam res habuit immediatè ante, ſed immediatè *ante*, & *poſt* ſunt denominationes temporis: ergo duratio connotat tempus; quo enim pacto intelligitur res perſeuerare in eſſe, niſi intelligantur diuerſa tempora, quibus perſeueret? Separa enim ratione tempus ab exiſtentia, in illa non concipietur permanentia: nam tantum concipitur ratio exiſtendi; non autem perſeuerantia.

§. 7.

Neque verò poteſt intelligi ſecunda ſententia ſine temporis connotatione: nam rem eſſe connotando immediatè ante eamdem non fuiſſe corruptam, includunt denominationes *ante*, & *poſt*, quæ non poſſunt intelligi ſine tempore. Item aduerte, rem, poſtquam producta eſt, non eſſe corruptam immediatè ante, eſſe idem, quod permanere; quia non corrumpi rem exiſtentem, eſt exiſtere, ſicut corrumpi eſt amittere exiſtentiam. Neque verò opus eſt ad concipiendam durationem concipere formaliter rem non eſſe corruptam; nam ad concipiendam exiſtentiam diuerſis temporibus non eſt opus concipere eius corruptionem, & carentiam; ita ad perſeuerantiam ſufficit concipere exiſtentiam tempori coëxiſtentem, itaque hæc coëxiſtentia poteſt explicari per illam non corruptionem, ſicut lux per non tenebras. Ille autem conceptus non corruptionis eſt attributum durationis, durationem formaliter includens, ſicut *non tenebræ* eſt attributum lucis, lucem formaliter includens. Et ſicut vnitas compoſiti eſt attributum vnionis, vt oſtendi diſp. 4. ſect. 2.

Animaduerſio. *Non eſt opus concipere rem non eſſe corruptā, ſed eſt neceſſe vt nō ſit corrupta.*

§. 8. *Obiectio.*

Huic doctrinæ obiici poteſt; res durare independenter ab omni tempore: licet enim omne tempus eſſet impoſſibile, adhuc res durarent: ergo. Probo antecedens; quia Deus poſſet hominem producere, & deinde corrumpere. Reſpondeo in ſententia conſtituente durationem denominationem extrinſecam à tempore, negandum eſſe antecedens; vt non poteſt eſſe viſum ſine viſione. Ad probationem, implicantur termini; quia ſine tempore poſſibili, non eſt *deinde*: ſignificat enim *poſt*: at verò *ante* & *poſt* ſunt denominationes à tempore. Ac propterea, ſi tempus eſſet impoſſibile, omnia eſſent more æternorum: quia nulla eſſet ſucceſſio, nec denominatio *præteriti*, & *futuri*: immò ne *præſentis* propriè. & quod Deus ſemel produceret, non poſſet corrumpere: immo ſi quid produceret, eſſet neceſſariò ab æterno; quia non poſſet poſt æternitatem: quia non eſſet *poſt*, vt nunc Deus non poſſet corrumpere niſi in tempore quæ creaſſet ab æterno: quia in æternitate non eſt formaliter *poſt*: quia nec ſucceſſio. Igitur & ipſa æternitas eſt duratio per connotationem temporis: quia anteuertit poſſibile tempus, & non poteſt illi non reſpondere: deficiente ergo tempore poſſibili, nullus eſſet conceptus durationis.

Reſpondetur. *Sine tempore non eſt duratio.* *Sine tempore omnia eſſent more æternorum.* *Æternitas eſt duratio connotando tempus.*

§. 9. *In ſententia oppoſita eſt idem.* *Duratio eſt tempus in ea ſententia.*

In ſententia conſtituente durationem, rem intrinſecam ſucceſſiuam, realiter ab exiſtentia diſtinctam, termini implicantur in obiectione: quia ipſa duratio eſt formaliſſimè tempus: ergo ſi omne tempus eſt impoſſibile, eſt impoſſibilis duratio. Probo antecedens: quia *tempus eſt numerus ſecundum prius & poſterius.* Quæ definitio in eam durationem quadrat. Habet enim partes numerabiles, & eſſentialiter vnam poſt aliam, & priorem, & poſteriorem. Motus cælorum dicitur *tempus*, quia eſt omnibus notiſſimus; & cæli circuitione metimur cæteros motus: item quia ipſa diſparantur dies à noctibus propter viciſſitudines lucis & tenebrarum. Si autem hic motus eſſet impoſſibilis; adhuc eſſet poſſibile aliud tempus; nempe ſucceſſionem illam durationum.

§. 10. *Duratio non eſſet relatio ad tēpus cæli.* *Tempus imaginariū quid.*

Hæc ſucceſſio non eſt relatio ad tempus poſſibile cæli; nec ad aliud ab ipſa diſtinctum: quemadmodum *vbi* non eſt propriè relatio ad ſpatium imaginarium: ſed vt apprehendimus vbicationes fundantes immobiliter diſtantias mutuas & indiſtantias: ita tempus imaginarium ſunt ipſi motus ſucceſſiui

Digitized by Google

ſucceſſiui durationum; fundantes mutuas præſentias, abſentias, & futuritiones. Et determinari ad tempus; eſt reſpondere actu, vel potentia aliis durationibus: ſicut determinari ad ſpatium imaginarium eſt determinari ad diſtantias, & indiſtantias ab aliis vbicationibus: & eſſe prius eſt inter exiſtentiam huius rei & poſterioris poſſe eſſe tot partes durationis quot reſpondent motui vnius anni; ſicut diſtare leucam eſt inter vnum *vbi* & aliud poſſe interiici terram vnius leucæ. Nec eſt alia relatio ad tempus. Et ob hanc ſucceſſionem eſt in duratione *prius* & *poſterius*. ergo omnis duratio pendet à tempore.

SECTIO II.

Duratio non diſtinguitur ab exiſtentia vt res abſoluta.

§. 11. *Diſtinctio modalis ſufficit. Prima ratio. Secunda.* Antequam examinem diſtinctionem durationis ab exiſtentia; probandum eſt eas non diſtingui vt duas res abſolutas; ſed ſatis eſſe diſtinctionem modalem. Primùm; quia argumenta diſtinctionis realis, non probant niſi modalem. Secundò, quia duratio eſt eſſentialiter determinatio huius exiſtentiæ ad hoc tempus; nempe ad hanc præſentiam, vel abſentiam ab aliis: vt *vbi* eſt eſſentialis determinatio huius mobilis ad hoc ſpatium; id eſt, ad tantam diſtantiam, & indiſtantiam: ergo eſt modus & non res abſoluta. Conſequentia patet ex diſput. 2. ſect. 5. Antecedens probo; quia hoc mobile, & hæc exiſtentia habent indifferentiam ad has diſtantias, & has præſentias; quæ indifferentia aufertur per hanc durationem, & hoc *vbi*: ergo hæc ſunt eſſentialiter determinationes horum ſubiectorum ad has diſtantias, & abſentias. *Duratio & vbi ſunt modus.*

§. 12. *Obiectio.* Dices; *vbi*, & durationem non eſſe modos; quia licet ſunt per ſuas eſſentias determinatio ad hanc diſtantiam, vel abſentiam; tamen non ſunt determinatio huius numero ſubiecti: ſed poſſunt eſſe indifferenter in pluribus ſucceſſiuè, quod repugnat modis. Exemplo ſit cognitio; quæ eſſentialiter eſt repræſentatio huius obiecti; indifferens tamen ad ſubiecta plura. Fateor poſſe concipi rem aliquam determinatam eſſentialiter ad vnum extremum, cum indifferentia ad aliud: & in *vbi* melius conſtitui indifferentiam ad ſubiectum quàm ad diſtantiam: quia ſubiectis poteſt vniri per vniones diſtinctas, quas non poteſt habere cum aliis *vbi*: idemque dixerim de duratione. vt cognitio ponitur indifferens ad ſubiecta, quibus poteſt intrinſecè vniri per diuerſas vniones: ad obiecta autem non tendit niſi per ſe. *Exemplum à cognitione. Res poteſt eſſe determinata ad vnum, & indifferẽs ad aliud.*

§. 13. *Impugnatio prima.* Impugnatur autem; primùm, quia eadem ratione actio, & paſſio, non eſſent modi. Quia actio poteſt eſſe determinata ad hoc numero agens; & indifferens ad diuerſos terminos, & ſubiecta: quibus poſſet intrinſecè vniri per alium modum diſtinctum. Dices paſſionem ſeipſa eſſe dependentiam termini à ſubiecto. Reſpondeo eſſe dependentiam indifferentem ad ſubiecta diuerſa; non verò ad hoc in ſingulari; ex quo educitur ſeipſa vt ratione educendi; addita verò vnione vt conditione, qua determinetur ad hoc ſubiectum. vt *vbi* & duratio ſunt per te ratio, qua exiſtentia eſt in loco, & tempore; egent autem vnione. Item nullus fere modus admittitur, de quo non poſſit dici doctrina eadem; vt de vnione, actione, paſſione, & aliis. *Obiectio. Reſpond.*

§. 14. *Secunda impugnatio.* Secundò impugnatur; quia ſine neceſſitate conſtituuntur *vbi*, & duratio indifferentes ad plura ſubiecta: ergo. Probo antecedens: quia rectè poſſunt illi conceptus apprehendi vt fixi, & determinati ad hæc ſubiecta: vt intelliguntur vniones ipſorum: & vt ſunt determinatio actualis ad diſtantiam, ſunt etiam ad ſubiectum. Exemplum de actu vitali eſt abſimile: tum quia actus vitales ſunt perfectiones propriæ perfectiſſimi generis entis; nempe cognoſcentis: quæ perfectio conuenit cum perfectione non viuentium in ratione entis abſoluti: tum quia actus producunt ſpeciem impreſſam, & habitum: ſuntque principia plurium actionum externarum. Nihil ſimile eſt in *vbi*, & duratione. *Ad exempl[um].*

SECTIO III.

Vtrum exiſtentia diſtinguatur modaliter à duratione, vt eſt intrinſeca: aut duratio ſit ea ex parte ſucceſſiua.

SVBSECTIO I.

Primum affirmantium argumentum.

§. 15. *Prima opinio. S. Bonauent.* Sanct. Bonauentura, & alij apud P. Suar. diſp. 50. met. opinantur durationem eſſe realiter diſtinctam à re durante, eamque illi eſſe intrinſecam & ſucceſſiuam. Quæ ſententia adeo percrebuit apud recentes Philoſophos, vt eam euidentem arbitrentur. Primum fundamentum. Petrus poteſt abſolutè exiſtere; item & inſtans *A*, poteſt exiſtere, quin Petrus exiſtat in inſtanti *A*, ergo Petrum exiſtere in eo inſtanti, eſt realiter diſtinctum à Petro & inſtanti. Conſequentia patet; quia realis ſeparatio eſt ſignum realis diſtinctionis. Antecedens probo: Deus ante illud inſtans produxit, & deſtruxit Petrum; quo demortuo exiſtit inſtans *A*, quin cum illo Petrus exiſtat: ergo Petrus & inſtans poſſunt exiſtere abſolutè quin coëxiſtant. Probo conſequentiam; quia Petrus eſt abſolutè exiſtens, ſi exiſtit in aliquo inſtanti; nec enim opus eſt, vt exiſtat in omnibus. ergo extitit abſolutè. *Primũ fundamentum.*

§. 16. *Multæ ſolutiones omiſſæ.* Mitto ſolutiones complures, nempe eam de connotatione. oſtendam enim à §.... durationem non poſſe in ea connotatione conſtitui. Item voluntas Dei non poteſt eſſe ratio formalis vt Petrus exiſtat in inſtanti: illa enim poteſt velle Petrum abſolutè exiſtere; item & inſtans; quin velit Petrum coëxiſtere inſtanti: ergo quando Deus vult Petrum exiſtere in eo inſtanti, aliquid vult diſtinctum à Petro & inſtanti. Item ſi dicas non poſſe Petrum exiſtere ſimul cum inſtanti quin in illo exiſtat: petis principium aliis vocibus. Etenim Petrus & inſtans poſſunt abſolutè exiſtere quin ſimul exiſtant: ergo exiſtere ſimul diſtinguitur realiter à Petro & inſtanti. Hoc eſt valens pro ea ſententia argumentum; niſi æquiuocationi niteretur. Placet tamen ad hominem illud retorquere.

§. 17. *Ad hominem retorquetur.* Etenim, ſi eius authores tenerent conſequentiam ſuæ opinionis de connotatis; non videretur illis argumentũ tam robuſtum. Diſtinguerẽt enim antecedens; Petrus & inſtans poſſunt abſolutè exiſtere quin coëxiſterent quantũ ad entitatem, nego antecedens: quin coëxiſterent quantũ ad denominationẽ, concedo antecedens: & nego conſequentiam. Ad eius probationem dico, realem ſeparationem duorũ conceptuum quo ad entitatem eſſe ſignum diſtinctionis realis: at ſeparatio realis in denominatione non arguit realem diſtinctionem, vt

 patet

patet in relatione, & ſexcentis illorum connotatis. Ad probationem antecedẽtis dico; poſſe omnia illa ita euenire ſine reali diſtinctione. Nam ſi exiſtente entitate Petri exiſteret inſtans *A*, tunc haberet denominationem intrinſecam durantis; quia hæc eſt relatiua, vt denominatio *ſimilis*: quæ pendet à poſitione termini. Durare enim eſt eſſe in inſtanti: ſi ergo veniret inſtans, eſſet denominatio durantis: quæ tota erat quoad entitatem a. ·e exiſtentiam inſtantis: ex cuius defectu non erat duratio in illo quo ad denominationem.

§. 18. *Obiectio. Reſpond.* Dices, durare in inſtanti non eſſe relationem: ergo non pendet à termino quo ad denominationem. Antecedens eſt falſum: quia durare pendet à coëxiſtentia Petri & inſtantis, non minus quàm ſimilitudo. Conſequentia item eſt mala: quia ſi relatio ſemel pendet à termino in denominatione; alij etiam conceptus habentes terminum extrinſecum poterunt ab eo pendere. Ex qua ratione hic deberent hi philoſophari de duratione, vt pluribus in locis de relatione.

§. 19. *Obiectio ſecunda. Reſpond.* Inquies: hic teneri non poſſe doctrinam de connotatis: quia non ſunt diuerſa connotata ad diuerſas denominationes. Nego: quia ſunt duo extrema, vt in ſimilitudine: & ex defectu vnius extremi, non oritur denominatio; vt non oritur in ſimilitudine: at vtroque extremo poſito, non poteſt non oriri.

§. 20. *Secundum argumentũ ab inſtantia.* Secundò contra omnes ſectantes hanc opinionem arguo: Duo corpora ſe tangunt per duas vbicationes contiguas, & immediatas ſine vllo modo ab vtraque diſtincto: & tamen poſſunt abſolutè exiſtere quin ſe tangant; ergo exiſtere Petrum & inſtans quin ſe tangant & coëxiſtant, non eſt argumentum diſtinctionis. Probo minorem; quia vnum corpus poteſt exiſtere ſucceſſiuè poſt aliud in eodem loco contiguitatis; tunc autem non ſe tangunt, nec ſunt contigua. Nec recurrendum ad durationem ſimultaneam; quia hæc non eſt ratio contiguitatis; ſunt enim corpora contigua ſeipſis. Vnde arguo: corpora ſucceſſiuè ibi poſita non habent rationem formalem contiguitatis; duratio ſimultanea, vt diſtinguitur ab vtroque *vbi*, non eſt ratio contiguitatis: ergo eam habent de nouo diſtinctam ab vtroque *vbi*. vt ergo hæc conſequentia eſt mala; ita & illorum. Idem patet in coëxiſtentia. Poſſunt enim duo abſolutè exiſtere ſucceſſiuè, & non coëxiſtere: nec tamen coëxiſtentia dicit formaliter durationem, nec aliam rationem formalem coëxiſtendi diſtinctam. Vnde autem hæc mala conſequentia ſequatur, explano.

SVBSECTIO II.

Reſpondetur ad argumentum.

§. 21. *Exiſtens in inſtãti habet intrinſecè duo.* SOlutioni præmitto; exiſtente Petro in aliquo inſtanti, eſſe in illo realem exiſtentiã, per quam eſt extra cauſas & ens in actu: item in horum opinione, eſſe Petro accidens intrinſecum, quo determinatur ad hoc inſtans; vt habet accidens intrinſecum, quo determinatur ad hunc locum. Hæc accidentia non faciunt hominem ſimpliciter, nec illum reddunt exiſtentem; ſed ſunt natura poſteriora ipſa exiſtentia, & entitate eſſentiali Petri. Item;

Item deſtruitur duratio cum exiſtentia. quando Petrus deſinit exiſtere in inſtanti ſequenti, perit realiter & intrinſecè exiſtentia Petri; ita vt non ſolùm deſinat reſpondere inſtanti *B*, ſed abſolutè deſinat eſſe. vt non ſolum deſinit eſſe in loco; ſed abſolutè & ſubſtantialiter deſtruitur.

§. 22. *Obſeruatio apprimè neceſſaria.* Secundò præmitto; Petrum exiſtentem diſtingui realiter inadæquatè à ſe ipſo non exiſtente: ſiue illos duos ſtatus eſſe diuerſos. Itaque Petrus exiſtens inſtanti *B*, diſtinguitur à Petro non exiſtenti inſtanti *C*, non ſolùm ratione accidentium determinantium ad ea duo inſtantia; ſed etiam ob rationem ſubſtantialem exiſtentiæ & eius carentiæ; ſiue diuerſorum ſtatuum exiſtendi & non exiſtendi. Quod ante oculos ſibi obuerſetur.

§. 23. *Exiſtens in vno inſtanti in illo ſolum eſt abſolutè exiſtens.* Tertiò præmitto; id quod exiſtit in aliquo inſtanti, eſſe abſolutè exiſtens pro illo inſtanti dumtaxat: in cæteris autem non eſſe niſi abſolutè non exiſtens; & abſolutè futurum, aut præteritum. Etenim omnia inſtantia fundant denominationes *præſentis, præteriti, & futuri*. Quando loquimur de vno inſtanti, non poſſumus dicere rem exiſtere abſolutè, niſi in illo exiſtat: alioquin futura vt futura, & præterita vt præterita, dicerentur exiſtere abſolutè. Ratio eſt; quia cum loquimur de inſtantibus, loquimur de ratione formali *præſentis, præteriti, & futuri*.

§. 24. *Reſpondetur ad argumentum ex §. 15.* Ad argumentum ex §. 15. facilè reſpondetur: diſtinguo antecedens: poteſt Petrus abſolutè exiſtere exiſtente abſolutè inſtanti *A*, quin Petrus exiſtat in eo inſtanti, nego antecedens. Poteſt exiſtere ſecundum quid, exiſtente abſolutè inſtanti, quin in illo exiſtat, concedo antecedens. Diſtinguo item conſequens: ergo Petrum exiſtere abſolutè exiſtente abſolutè inſtanti, eſt realiter ab vtroque diſtinctum, nego conſequentiam, quia illa diſtinctio non eſt ſubiecti ab accidente; ſed eiuſdem rei exiſtentis à ſe ipſa non exiſtente: ergo Petro exiſtente ſecundum quid, exiſtente abſolutè inſtanti eſt aliquid diſtinctum realiter ab vtroque; concedo conſequentiam. Quia exiſtentia Petri ſecundum quid, dicit abſolutè carentiam exiſtentiæ, & dicit exiſtentiam præteritam & futuram: quæ diſtinguuntur ab exiſtentia abſolutè vt non ens ab ente: vt dixi §. 22. Itaque exiſtentia Petri non diſtinguitur à coëxiſtentia in inſtanti ſequenti, per aliquod accidens: nec eſt ſeparabilis ab illa vt ſubiectum ab accidente; ſed vt ens à ſe ipſo non ente. Probatio antecedentis nihil vrget: Petrus enim exiſtente abſolutè inſtanti *A*, eſt iam non exiſtens: ratione cuius non exiſtentiæ deſinit durare, & eſſe cum inſtanti: non verò ob defectum alicuius accidentis.

§. 25. *Origo eius æquiuocationis.* Hæc autem æquiuocatio tam ingens, originem ducit: quod eius authores non conſiderarunt, defectum exiſtentiæ intrinſecæ, quem habet Petrus inſtanti ſequenti, nec exiſtentiam ipſam quam habuit in præcedenti. Si Petrus eſſet ſubſtantialiter exiſtens, quando exiſtit inſtans ſequens; & non acciperet denominationem durantis, rectè arguerent: quia ſi Petrus & inſtans ſunt entia abſolutè, & non habent coëxiſtentiam: hæc ab vtroque diſtinguitur. At argumentum efformant à Petro ente abſolutè ad Petrum non ens abſolutè: deberentque deducere eſſe diſtinctionem inter eos duos ſtatus eſſentiales Petri; non verò inter durationes.

§. 26. *Probatur æquiuocatio.* Quod apertè confirmo: Petrus exiſtente inſtanti ſequenti, non accipit intrinſecam & accidentariam denominationem durãtis in illo inſtanti, non aliam ob cauſam, niſi, quia corruptus eſt Petrus: & non exiſtit ſimpliciter; ita vt poſſit eſſe ſubiectum accidẽtis intrinſeci: ergo ob eamdem cauſam nõ accipit denominationem extrinſecam durandi. Et quemadmodũ prius natura quàm eſſet acceptu-

Corruptio exiſtentiæ eſt cauſa ne ſit duratio. rus accidens intrinſecum, erat extiturus in illo inſtanti reali pro priori ſigno rationis: ita erat extiturus ad denominationem extrinſecam. Et vt non ideo fuit corruptus, quia amiſit durationem intrinſecam;

ſecam: ſed ideo eam amiſit, quia fuit corruptus: ita eamdem ob cauſam caruit denominatione extrinſeca. Ibi autem authores arbitrati ſunt ob defectum accidentis intrinſeci non eſſe durantem Petrum inſtanti ſequenti: cum prima cauſa defectus fuerit ipſa exiſtentiæ deſtructio.

§. 27. *Obiectio. Reſpond. Exiſtentia à quo determinetur vt ſit.*

Obiicis; exiſtentia Petri eſt indifferens vt ſit & non ſit inſtanti ſequenti; ergo ad illud determinatur per aliquid à ſe diſtinctum. Diſtinguo antecedens; eſt indifferens vt ſit tamquam ſubiectum ad diuerſa accidentia, nego antecedens: tamquam exiſtentia contingens ad duos ſtatus contradictorios exiſtendi ſimpliciter & non exiſtendi, concedo antecedens: & nego conſequentiam, quia creatura determinatur efficienter à voluntate Dei vt exiſtat; & à ſe ipſa determinatur formaliter. Quod probo; quia ipſa duratio tua accidentaria eſt indifferens vt ſit, & non ſit hoc inſtanti *A*, & determinatur à voluntate Dei efficienter; & à te formaliter. ergo voluntas Dei dat exiſtentiam ſimpliciter Petro inſtanti *A*, & eamdem negat inſtanti *B*, quod ſi vellet Petrum conſeruare inſtanti *B*, nihil illi daret intrinſecum diſtinctum à priori; ſed idem omnino; volens illud, quod prius dederat, non corrumpere. quæ voluntas non habet alium terminum à priori: vt in tua ſententia habet duas voluntates, alteram circa exiſtentiam Petri, alteram circa durationem accidentariam. Primæ reſpondet exiſtentia Petri; ſecundæ duratio. Volens autem Petrum corrumpere, illi adimeret per ſe primò exiſtentiam; ſecundariò verò durationem. ergo dico ablata exiſtentia nihil ſupereſſe auferendum.

Confirmatur exemplo.

§. 28. *Quæſtio. Soluitur.*

Rogas, quid Deus appingat exiſtentiæ Petri, cum vult illum exiſtere hoc inſtanti? Equidem nihil diſtinctum à Petro, nam inſtãs accipi poteſt pro imaginario, vel pro reali actuali: ſi pro imaginario; voluit Deus Petrum exiſtere fundantem relationem prioris, poſterioris, & præſentis aliis rebus, & temporibus: hæc autem præter exiſtentiam Petri ſunt denominationes extrinſecæ ab hoc inſtanti imaginario. Voluit ergo Deus Petro dare eſſe, quando illud inſtans exiſtit imaginariè: nam cum hoc tempus ſit ſucceſſiuum, producit Deus Petrum adueniente hac temporis parte, & non alia. Quod explicamus per propoſitiones ablatiui abſoluti: *Producitur Petro exiſtente hoc inſtanti.* Si autem ſumatur inſtans pro reali temporis, vult Deus vtrumque exiſtere in eodem imaginario: & vt, exiſtente vno alterum etiam exiſtat. Nam ſingulæ partes temporis ſunt reipſa indifferentes vt ſint ordine inuerſo: quæ enim eſt prior, potuit eſſe poſterior. vnde fixa regula eſt tempus imaginarium.

Deus vult rẽ exiſtere pluribus inſtantibus abſque mutatione.

§. 29. *Ea argumẽta melius probãt exiſtẽtia ſucceſſionem.*

Animaduerte, hoc argumento, cui reſpondeo, & aliis quæ ego adhuc obieci: melius probari exiſtentiam ipſam eſſe ſucceſſiuam, quàm eam à duratione diſtingui. Quia exiſtentia Petri eſt diuerſa in hoc inſtanti, quàm in alio. Quia Petrus in ſequenti non modò amittit omnia accidentia, ſed etiam exiſtentiam: & dum durat, habet Deus voluntatem nouã non ſolùm de nouo accidente, ſed etiam de ipſa exiſtentia. Hæc eſt noua voluntas, quia adhuc ex ſuppoſitione primæ voluntatis de exiſtentia Petri in alio inſtanti, potuit Deus non velle eam exiſtentiam in alio: & ex defectu huius voluntatis vt primæ radicis oritur negatio aliorum accidentium. Rogo, illa voluntas vt diſtinguitur à voluntate de accidentibus quem terminum habeat? qui eſt naturæ prior ipſis accidentibus; & prior ratione volũtate Dei de iiſdem accidentibus: illum terminum eſſe ſucceſſiuum melius probatur his argumentis; quàm eſſe diſtinctum ab exiſtentia.

§. 30. *Argumẽtum ſeparationis debet eſſe inter duas res abſolutè exiſtentes in eodem temporis extrinſeci inſtanti.*

Vt ergo ſit firmum argumentum de ſeparatione reali ad probandam realem diſtinctionem, debet fieri inter duas res exiſtentes abſolutè; ita vt cum de vna dicitur, *abſolutè eſt*; idem dicatur de alia. Sic probatur diſtinctio inter vnionem & extremum; quia cum de illis dicitur verè; *ſunt abſolutè*, dicitur de vnione, *non eſt abſolutè*. At verò ab exiſtentiis ſucceſſiuè exercitis eſt hallucinans argumentum: quia negatio correſpondentiæ (vt ita dicam) oritur ex negatione abſoluta entitatis alterius extremi; non verò ex ſolo defectu accidentis. Vnde Petrus exiſtens inſtanti *B*, eſt ſecundum ſe & abſolutè exiſtens: & non exiſtens inſtanti *C*, eſt abſolutè & ſecundum ſe non exiſtens; ex cuius defectu non exiſtunt ſimul Petrus & inſtans *C*. Et ſumitur ab his argumentum à Petro exiſtente ad ipſum non exiſtentem; & diſtinctionem inter Petrum exiſtentem & non exiſtentem, appingunt durationi. Petrus ergo exiſtens inſtanti *B*, habet aliquid diſtinctum à non exiſtente Petro in inſtanti *C*, diſtinctũ quidem ſubſtantialiter, non accidentaliter: quia in primo eſt Petrus; in ſecundo eſt non Petrus. Si autem Deus perſeueraret in voluntate prima circa exiſtentiam Petri; ſine vllo alio coëxiſteret inſtanti. Illam autem conſeruationem explicaui §. 5. 6. & 7. per voluntatem non corrumpendi id quod prius fuerat factum, & hac ratione videtur à Deo vt ens ſimpliciter in primo inſtanti; & in ſecundo vt non ens ſimpliciter: ad quod fuit indifferens per eſſentiam, non per aliud.

Equiuocatio monſtratur.

In forma reſponſio.

SVBSECTIO III.

Argumenta cætera.

§. 31. *Secundum argumentũ.*

Secundum argumentum aduerſariorum eſt: quia determinatio ad locum eſt realiter diſtincta ab exiſtentia Petri; ergo & determinatio ad tempus. Probant conſequentiam; quia vt locus fundat diſtantias, & indiſtantias, ita tempus abſentias, & præſentias. & vt mobile eſt indifferens ad eas diſtantias; ita & durans ad abſentias: ergo ad vtrumque exigitur modus ab exiſtentia diſtinctus. Nego conſequentiam. Quia Petrus eſt indifferens ad plures diſtantias, & abſentias: indifferentia ad diſtantias non poteſt tolli per ſpatium imaginarium, nec per mutationem vnius præſentiæ; omnes enim ſunt fixæ; & ideo locus apprehenditur vt immobile: præſentiæ verò indifferentia tollitur ipſa temporis ſucceſſiua circumuectione: tempus autem ipſum eſt ipſa ratio *præſentis, præteriti*, & *futuri*: ſicut *vbi* eſt ratio formalis diſtandi & non diſtandi: quia tempus *eſt numerus ſecundum prius & poſterius*. cum autem tempus ipſum ſuis motibus aduehat: ipſum à Petro exiſtente tollit eam indifferentiam, de quo ſermo redibit à §. 38. ad 48.

Reſpondetur. Diſcrimen durationis & vbi.

§. 32. *Tertiũ argumentum.*

Duratio, qua Petrus heri durauit, non eſt realiter qua durat hodie: ergo realiter diſtinguitur exiſtentia à duratione. Antecedens patet; quia illæ durationes ſunt ſeparabiles à Petro: qui etiam ex ſuppoſitione durationis heſternæ poteſt carere hodierna: quia corrumpi poteſt. Conſequentia probatur: quia exiſtentia heſterna & hodierna eſt eadem; quia non diſtinguitur ab eſſentia.

Retorquetur.

§. 33.

Reſpondeo iiſdem verbis probari exiſtentiam eſſe ſucceſſiuam: & diſtinctam ab eſſentia. Quia exiſtentia heſterna eſt ſeparabilis ab hodierna: ergo ſunt diſtinctæ inter ſe, & ab eſſentia. Probo antecedens; quia etiam ex ſuppoſitione exiſtentiæ heſternæ poteſt Petrus carere hodierna; quia poteſt corrumpi à Deo. Et qua ratione ipſi impugnant

mea

mea reſponſa; eoſdem ego impugno. Vnde qui ea argumenta callent, aut eis reſpondent ad negandam diſtinctionem durationis ab exiſtentia; vel eis vtuntur ad probandam diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia.

§. 34. *Reſpondetur ad argumentum.* Reſpondeo, ex parte recti, ſeu rei durantis eſſe idem durationem heſternam, & hodiernam; non tamen ex parte temporis connotati in obliquo; quod eſſe de intrinſeco cõceptu durationis noſtræ, infra probabo. Vnde negatur conſequentia. Ad probationem antecedentis reſpondeo, durationem hodiernam poſſe deficere manente exiſtentia heſterna, eſſe falſum; poteſt autem deficere, quia poteſt corrumpi exiſtentia, quæ heri durauit. Itaque non ex defectu alicuius accidentis intrinſeci poteſt deficere duratio craſtina, etiam ex ſuppoſitione heſternæ; ſed ex intrinſeca & ſubſtantiali corruptione durationis heſternæ, in recto ſignificatæ; quia illa corrumpi potuit, etiam ex ea ſuppoſitione. Hi autem authores non aduertunt, deficere hodie totam entitatem heri durantem; & omnia accidentia intrinſeca, & extrinſecas denominationes coëxiſtendi perire ob interitum exiſtentiæ. Deberent autem probare, manente eadem exiſtentia & non corrupta, corrumpi durationem, vt ſe ſunt intrinſecè ex parte exiſtentiæ. Nec in hoc argumento minori æquiuocatione laborant quàm in primo. *Eadem æquiuocatio quæ in primo argumento.*

§. 35. *Obiectio.* Obiiciunt, tempus non eſſe de conceptu durationis; ergo duratio heſterna & craſtina non ſunt idem, etiam ex parte recti. Probant antecedens, quia ſine exiſtentia reali temporis poteſt eſſe duratio: tum, quia tempus imaginarium nihil eſt: tandem, quia ſi omne tempus eſſet impoſſibile, res durarent. Reſpondeo probari exiſtentiam non eſſe eamdem. Quia exiſtentia heſterna eſt ſeparabilis à craſtina; non ſolum ratione durationis intrinſecæ; hæc enim non eſt de conceptu exiſtentiæ; ſicut nec per te tempus de ratione durationis. Vnde cras poſſunt realiter duo ſeparari à duobus heſternis: nam exiſtentia ipſa, prior natura eſt quàm omnia accidentia; & accidens reſpondens tempori. Vnde & accidens hodiernum & heſternum diſtinguuntur inter ſe; item & exiſtentiæ; quia ex ſuppoſitione primæ exiſtentiæ potuit non eſſe ſecunda. Et quemadmodum ipſi diſtinguunt durationes, quia ex ſuppoſitione quod Petrus reſponderit diei heſterno, potuit non reſpondere hodierno, ita ipſi debent diſtinguere exiſtentias: quia ex ſuppoſitione quod exiſtentia acceperit accidens intrinſecum heſternum, potuit non accipere craſtinum. vel vt ipſi concipiunt eamdem exiſtentiam ſucceſſiuè permanere in illis accidentibus intrinſecis per illorum intrinſecum defluxum; ita concipio ego eamdem durationem in recto manere ſucceſſiuè in diuerſis accidentibus extrinſecis per illorum extrinſecum defluxum. *Reſpondetur ad hominem.*

§. 36. *Tempus eſt de ratione durationis. Illud tempus eſt imaginarium per ſe primò.* Nego igitur antecedens: Ad probationem reſpondeo, durationem per ſe primò conſiderari per tempus imaginarium; vt diſtantia per ſpatium. Licet enim inter Salmanticam & Medinam nulla corpora eſſent actu interiecta; adhuc diſtarent quantum nunc: quia inter vtriuſque vbicationes interiici poteſt corpus huius extenſionis. Ad ſecundam probationem; tempus imaginarium nihil eſt reale actu, eſt tamen in potentia: quod ſufficere conſtat ex adductis exemplis de ſpatio. Ad tertiam conſtat ex ſect. 1. ſine tempore nullam eſſe durationem nec formalem, nec virtualem. Alia argumenta reiicio inferius; quia tangunt ſucceſſionem durationis.

SVBSECTIO IV.

Duratio non diſtinguitur ab exiſtentia.

Cenceo durationem nõn diſtingui realiter ab exiſtentia rei durãtis; vt ſe tenet ex parte recti intrinſecè ſignificati in ipſa re durante. Quam ſententiam cum S. Thoma, & omnibus ferè Theologis antiquis tuetur P. Suarez illa diſputat. 30. Met. ſect. 1. P. Vazq. 1. p. diſput. 33. cap. 3. P. Molina 1. p. 1. quæſt. 3. art 4. diſput. 2. P. Valentia t. 1. diſp. 1. quæſt. 10. puncto 3. & alij. Quam probo primùm. Si qua ratione eſſet diſtinguenda, præcipuè quòd per eamdem rationem indiuiſibilem non poteſt reſpondere diuerſis partibus temporis, nec fundare diuerſas abſentias, vel præſentias; & quia exiſtentia recipiens heri denominationem durantis, poteſt eam hodie non recipere: ſed hæc omnia componuntur cum identitate durationis permanentis cum exiſtentia ipſa: ergo non diſtinguuntur. §. 37. *Concluſio.* *P. Suarez.* *Primum argumentum.*

Probo minorem. Primò, quia ſimiles denominationes poteſt habere eadem indiuiſibilis exiſtentia ſine reali diſtinctione: quia eadem omnino eſt ſucceſſiuè cum diuerſis accidentibus intrinſecis in tua ſententia; vt ergo eſt cum diuerſis partibus temporis intrinſecis, cur non erit in extrinſecis: & vt intrinſecè fundat præſentias & abſentias per tempus & durationem intrinſecam; quia intrinſecè habet partes natura ſua antecedentes & ſequentes, cur eaſdem non fundabit extrinſecè per tempus conſtans iiſdem partibus ſequentibus & præeuntibus, & vt poteſt intrinſecè eſſe cum hoc accidenti intrinſeco, reſpondenti heri, & facta ea ſuppoſitione poteſt non eſſe intrinſecè cum accidente craſtino; cur non poterit eſſe cum extrinſeco tempore? & ſicut non arguis diſtinctionem in ipſa exiſtẽtia, licet ipſa intrinſecè deſinat eſſe hodie, quamuis intrinſecè fuerit heri: cur eam arguis in duratione quod heri cum extiterit, poteſt cras non eſſe? Propterea dixi eo argumenti filo deduci diſtinctionem realem exiſtentiæ ab eſſentia: immo ipſius eſſentiæ à ſe ipſa. *Prima probatio minoris.* *Collatio argumentorum aduerſantiũ.*

Secundo probatur. Quando vna res eſt ſucceſſiua, poteſt ſeipſa tollere ab alia permanente indifferentiam ad coëxiſtendum pluribus partibus, quin in re permanenti ſit aliqua intrinſeca mutatio: ergo indifferentia exiſtentiæ permanentis ad reſpondendum diuerſis partibus poteſt auferri per ſolam temporis ſucceſſionem ſine intrinſeca mutatione exiſtentiæ. Conſequentia eſt clara: quia tempus eſt ſucceſſiuum; & ſe ipſo, quin intrinſecè mutetur Petrus exiſtens, habet mutationem, per quam continuè exiſtunt diuerſæ temporis partes. Antecedens probo: tum à priori; quia res ſucceſſiua continua circuitione habet nunc vnam partem diſtinctam à priori: tum exemplo; arbori immotæ prope flumen reſpondent ſucceſſiuè plures partes aquæ defluentis: itaque pars *A*, ante defluxum diſtabat ab arbore; per defluxum autem iam non diſtat: quia ipſa ſuo motu accedit ad arborem immotam. §. 38. *Secunda probatio minoris.*

Dicent primùm; aquam & arborem habere vbicationes diſtinctas, per quas mutuo reſpondent; quia vtraque exiſtente carent coëxiſtentia in loco: at Petrus & tempus exiſtunt abſolutè ſine coëxiſtentia; ergo debent habere coëxiſtentiam diſtinctam. Contra: primò ergo etiam ad coëxiſtentiam in loco egent arbor & aqua aliis vbicationibus diſtinctis ab illis duabus per quas coëxiſtunt. Probo conſequentiam; quia ſicut Petrus & inſtans poſſunt ſucceſſiuè exiſtere quin coëxiſtant; ita arbor & aqua poſſunt ſucceſſiuè eſſe in illis locis quin coëxiſtant, §. 39. *Prima obiectio.* *Reſpondetur ad hominem.*

& ſe

& ſe tangant; quia aqua potuit ibi adeſſe antequam arbor, & delabi quin coëxiſteret arbori: ergo vt propterea duratio eſt diſtincta à Petro & inſtanti, ita & coëxiſtentia. Recognoſce §.20.

§. 40. *Impugnatio ſecunda.* Contra ſecundò, aqua & arbor habent vbicationes diſtinctas; non quia vtrumque exiſtunt abſque vbicatione: ſed quia ſimul exiſtunt abſque coëxiſtentia: at verò tempus & Petrus nunquam exiſtunt abſolutè; ita vt vno exiſtente ſic aliud exiſtat, vt tunc non ſit carentia illius; tunc autem ſi non durat Petrus eſt ob carentiam exiſtentiæ, & non ob carentiam modi, vt dixi §. 21. & 25. item hæc ratio probaret exiſtentias ipſas eſſe diſtinctas; quia exiſtentia ſecundum ſe fuit heri; & illa ſecundùm ſe non eſt hodie, cum ſit hodie exiſtentia temporis realis; ergo illamet exiſtentia eſt diſtincta. Recognoſce §.29.

§. 41. *Impugnatio tertia.* Tandem eam ſolutionem impugna; quia ſicut arbori immotæ reſpondent multæ aquæ per diſtinctas præſentias ſucceſſiuas; ita Petro immoto reſpondent diuerſa tempora realia; quæ ſunt diſtinctæ rationes præſentiæ: ergo vt aquæ potuerunt reſpondere arbori immotæ; ita & tempora Petro. Quia tanta diſtinctio eſt in ipſo tempore, quanta in ſucceſſiuo motu aquæ: ergo vt Petrus denominetur à diuerſis temporis partibus, ſatis eſt ſi Petro exiſtenti, & carenti corruptione ſubſtantiali, reſpondeant multæ temporis partes. Quod ſi poſt exiſtentiam in primo inſtanti ſequitur in ſecundo carentia illius exiſtentiæ, iam non deficit correſponſio, & denominatio ob defectum alicuius accidentis; ſed ob defectum rei. Vt autem eorum ratio aliquid probaret, opus erat vt exiſtentiæ Petri exercitæ inſtanti *B*, non ſuccederet in inſtanti *C*, carentia illius exiſtentiæ; vt dixi §.25.

§. 42. *Solutio ſecũda eiuſdem argumenti.* Argumento facto §.37.& 38. reſpondent ſecundò, aquas decurrentes habere ſimiles vbicationes, quibus fundant eamdem diſtantiam; at verò tempus non habere partes fundantes eamdem præſentiam.

Reſpondetur primò. Contra: eadem pars aquæ habet vbicationes diuerſas; per quas habet abſimiles diſtantias & indiſtantias: quibus abeſt & adeſt arbori immotæ: ſed tempus habet eaſdem, per quas Petrus eſt præſens, præteritus, & futurus comparatione diuerſi temporis: ergo Petrus immotus poteſt eas denominationes habere.

Secundò. Adde: Petrus, dum exiſtit, ſemper eſt præſens inſtanti ſibi reſpondenti: & ſingula inſtantia exiſtentia, ſunt diſtinctæ præſentiæ: quas Petrus poteſt habere. exemplum arboris adductæ ad probandum eidem rei permanenti poſſe conuenire diuerſas denominationes à diuerſis formis extrinſecis ſucceſſiuis.

SVBSECTIO V.

Aliæ probationes.

§. 43. *Explicatio argumenti.* QVod ita explico: pone exiſtente Petro exiſtere tẽpus vnius horæ, ita vt per poſſibile, vel impoſſibile Petrus concipiatur ſine vllo modo intrinſeco diſtincto ab ipſo & tẽpore: Petrus intelligitur durare vnam horam: ergo ad durandum formaliter non exigitur aliud diſtinctum. Probo conſequentiam, quia præciſè exiguntur ad durandum formaliter quibus conceptis concipitur duratio, & ſine quibus non concipitur. Cætera autem, quæ durationi nectuntur neceſſariò, non ſunt de illius formali conceptu. Antecedens probo; Petrus intelligitur ſua exiſtentia extitiſſe per horam: & intelligitur tota illa conſeruatus: exiſtere autem & conſeruari per horam eſt durare. Si enim natus fuiſſet ea hora, & coëxtitiſſet viginti annis; natus, & conſeruatus fuiſſet toto eo tempore.

§. 44. *Obiectio.* Dices, caſu terminos implicari: Petrus enim duraret & non duraret horam; duraret, vt argumentum probat; non duraret, quia caret ratione formali, qua reſponderet horæ, & fundaret relationes *præſentis*, *præteriti*, & *futuri*. *Confirmatur.* Confirmatur; ſi quis per ſuam exiſtentiam concipiatur exiſtere Madridi & Salmanticæ ſine modo diſtincto conciperet duo contradictoria.

Reſpondetur primò. Contra: hi authores dicunt durationem eſſe independentem à tempore; & per illud à nobis explicari: ergo concipere Petrum cum tempore ſine modo diſtincto non implicat terminos. Probo conſequentiam, quia non concipitur effectus formalis abſque forma: quia Petrus nullam habet rationem formalem intrinſecam in tua ſententia, qua tempori reſpondeat.

§. 45. *Reſpondetur ſecundò ab exẽplo æternitatis Dei.* Secundò reſpondeo, poſſe concipi rem exiſtentem ſine modo diſtincto; & coëxiſtentem tempori. Deus enim illi reſpondet abſque modo diſtincto; & quidem Deus fuit illi tempori præſens; quod nunc eſt iam præteritum Deo, non minus quàm mihi dies heſterna. Ratio à priori; quia tempus ipſum eſt ratio præteriti, & præſentis: quia enim vna pars eſt prior, alia poſterior; prior eſt præterita, poſterior verò futura. Vnde dies craſtinus æquè eſt futurus mihi ac Deo; & heſternus eſt æquè præteritus: hodiernus autem æquè præſens. ergo hæ denominationes extrinſecè tribuuntur à tempore vni rei indiuiſibili eidem reſpondenti.

Ad confirm. Confirmatio non vrget: quia locus non mouetur ſucceſſiuè, tempus autem mouetur; vnde indifferentia ad exiſtendum in diuerſis locis tollitur intrinſecè per mobile; & extrinſecè per ſpatium: è contra verò indifferentia temporis tollitur intrinſecè per tempus; extrinſecè verò per exiſtentiam Petri. Vnde contra eos arguo: do ex parte temporis diſtinctionem durationis; & non ex parte loci.

§. 46. *Obiectio ſecunda.* Dices ſecundò, Deum exiſtere neceſſariò; nec eius exiſtentiam ſeparari poſſe ab exiſtentia in tempore exiſtente: at exiſtentia Petri ſeparari poteſt ab exiſtentia ſimul cum tempore: vt autem cum tempore exiſtat, opus eſt vt habeat aliquid ab exiſtentia & tempore diſtinctum: *Confirm.* Quod confirmatur exemplo loci: Deus enim ſola ſua exiſtentia eſt in omni loco.

§. 47. *Reſpond. Diſcrimẽ durandi inter Deũ & creaturam verſatur ſine modo diſtincto à creatura.* Reſpondeo, totum illud diſcrimen Dei à Petro concipi poſſe ſine modo diſtincto realiter durandi; ergo ſine modo diſtincto poteſt concipi ratio coëxiſtendi tempori ſucceſſiuè. Probo antecedens; totum illud concipitur verſari inter ſolas exiſtentias Dei & Petri; tametſi nullus modus apprehendatur diſtinctus à Petro: ergo. Probo antecedens: quia conceptus quidditatiuus exiſtentiæ Dei eſt eſſe à ſe & neceſſariò: exiſtentia autem Petri eſt per ſe ſine modo durationis diſtincto, ens ab alio & contingens; ita vt ſe ſola conſiderata ſit apta ad exiſtendum & non exiſtendum, non minus quàm quiuis alius modus: ergo contingentia Petri vt exiſtat tempore ſequenti, etiam ex ſuppoſitione quod extiterit in antecedenti, oritur formaliter ab ipſa exiſtentia: ergo quòd hæc ſit ſeparabilis à tempore futuro, non oritur à duratione diſtincta, quia illa ſeparabilitas eſt ipſa exiſtentia. Recognoſce §. 21. Si ergo Deus velit ipſam exiſtentiam conſeruare, vt illã voluit primùm producere: ipſa coëxiſtet tempori futuro. Deus ergo exiſtit neceſſariò; & reſpondet omni tempori: Petrus autem exiſtit contingenter, & poteſt coëxiſtere tempori, poteſt item & non coëxiſtere. Et vt eſt indifferens vt abſolutè exiſtat & non exiſtat abſolutè; determinatur autem à Deo

à Deo ſine exiſtentia diſtincta; ſic determinatur ad tempus ad quod eſt indifferens ſine modo diſtincto à Petro & tempore.

§. 48. *Ad confirm.* Confirmatio eſt iam impugnata, quia tempus ſucceſſione ſua fit præſens & abſens; non verò locus. Quod patet; quia Deus eſt vnico inſtanti præſens omni loco: alioquin eſſet latione mutandus; at vnico inſtanti non eſt præſens toti tempori, quia totum tempus non exiſtit ſimul: at exiſtit ſucceſſiuè Deus tempori; quia immoto Deo tempus mouetur. Solum ergo eſt diſcrimen; quod Deus neceſſariò exiſtit, Petrus verò contingenter. Hæc ergo exempla nos confirmant.

SVBSECTIO VI.

Argumentum à priori.

§. 49. *Argumẽtum à priori. Exiſtẽtia durat formaliter per ſe; efficienter à Deo.* SEcundum argumentum eſt à priori: cui præmitto doctrinam è §. 21. Sic arguo. Exiſtentia durat per ſe ipſam formaliter, & efficienter per voluntatem Dei: ergo ad durandum non eget alio modo diſtincto. Probo antecedens; exiſtentia ſe ipſa permanet prior natura omni ſuo accidenti intrinſeco permanenti, & ſucceſſiuo; ergo ante omne accidens intelligitur durare. Probo conſequentiam; quia permanentia in eſſe eſt duratio. Etenim comparatione vnius inſtantis præciſè non intelligitur permanentia. Etenim in vnico inſtanti non poteſt eſſe res & non eſſe: at verò ſi permanet, ita eſt, vt poſtquam ſemel eſt, poſſit non eſſe. Antecedens probo. Voluntas Dei de conſeruando Petro vltra inſtans, terminatur formaliter ad eamdem exiſtentiam conſeruandam intrinſecè; ita vt etiam ex ſuppoſitione exiſtentiæ in primo inſtanti, poſſet habere voluntatem non ſolum deſtruendi accidentia, ſed ipſam ſubſtantiam Petri. Itaque Petrus ſecundùm ſuam exiſtentiam terminat voluntatem efficacem nouam formaliter, aut virtualiter; quia potuit Deus ſeparare voluntatem dandi exiſtentiam deinceps à voluntate illam primùm donandi. ergo exiſtentia antecedenter ad omne accidens intrinſecum eſt in ſuo eſſe perſeuerans. Probo conſequentiam; quia in ſuo eſſe perſeuerat res, quæ toto decurſu perſeuerantiæ ita eſt, vt poſtquam primùm fuit, poſſit non eſſe.

§. 50. *Obiectio.* Dices, terminos à me ipſa probatione implicari. Etenim eſſe permanẽtem includit durationem per quam permanet: ſicut eſſe in hoc & illo loco. *Reſpondetur. Exiſtẽtia ſecundum ſe eſt indifferens ad eſſe & nõ eſſe.* Contra: in primo inſtanti accipit Petrus exiſtentiam per actum Dei; & durationem in illo inſtanti, accipit per te; ita tamen vt prius natura exiſtat quàm habeat illud accidens: per quod Petrus non exiſtit abſolutè; vt non exiſtit abſolutè per *vbi.* ergo in ſecundo inſtanti terminat etiam per ſe primò voluntatem Dei de ipſa exiſtentia; quæ voluntas prius natura eſt de exiſtentia quàm de noua parte durationis: ergo illa exiſtentia antecedenter ad durationem eſt de nouo, ita vt potuerit non eſſe. ergo in ipſa exiſtentia antecedenter ad illud accidens ita exiſtit, vt illo non egeat ad habendam indifferentiam ad non exiſtendum etiam ex ſuppoſitione quod terminauerit aliam voluntatem Dei.

§. 51. *Explicatio prima.* Quod explico primò, quia accidens illud non eſt id per quod res exiſtit etiam ex ſuppoſitione quod terminauerit aliam voluntatem Dei, & extiterit. Nec carentia illius accidentis eſt ratio formalis ob quam deſinat exiſtere; ſed prius ratione quàm ea accidentis carentia intelligatur, intelligitur deſtructa exiſtentia; ergo antecedenter ad omne accidens intrinſecum; ita ſubſtantialiter fuit Petrus vt ſubſtantialiter potuerit non eſſe: ergo quando non corrumpitur, ita ſubſtantialiter eſt, vt antecedenter ad omne accidens ſit ſubſtantialiter. Quod apertè probo: quia illud accidens ſequitur Petrum, quia Petrus ita eſt poſt terminationem prioris voluntatis, vt de nouo terminet aliam. ergo antecedenter ad illud accidens eſt terminus duarum voluntatum, quarum poſterior potuit à priori ſeparari. Colligitur ergo clarè, omnia ea accidentia non eſſe vt Petrus exiſtat intrinſecè, & perſeueret.

§. 52. *Explicatio ſecunda. Exiſtẽtia eſt prior natura omni accidẽte.* Explicatur ſecundò. Exiſtentia in quouis inſtanti reali eſt prior natura omni accidente intrinſeco ſucceſſiuo, aut permanente: ſed prioritas in ſola prima productione, qua per te accepit primam durationis partem, non ſufficit ad accipiendam ſecundam; ergo eſt noua prioritas naturæ antecedenter ad ſecundum accidens. Probo minorem; tum quia prima prioritas eſt ſolum temporis; quæ non eſt prioritas naturæ: hæc enim eſt ſimul tempore cum effectu: tum; quia poſt exercitam illam prioritatem, potuit non exerceri ſecunda; quia poſt primam exercitam poteſt non exerceri ſecunda: ergo eſt opus noua prioritate: ergo antecedenter ad accidentia ſucceſſiua intelligitur alia perſeuerantia ſubſtantialis, in qua deſtrui poteſt exiſtentia poſt quam producta fuit.

§. 53. *Obiectio. Reſpondetur.* Dices, prioritatem naturæ eſſe ſubſtantiã ipſius Petri, quæ eadem eſt vtrobique. Reſpondeo, à me non probari eas duas prioritates eſſe realiter diſtinctas; ſed eſſe eamdem ſubſtantiam, conſideratam prius ratione quàm accidentia ſucceſſiua, ita vt potuerit ſubſtantia mutari intrinſecè, & non exercere prioritatem ſecundam, etiam poſt primam exercitam. Hæc autem aptitudo includit potentiam ad non eſſe, & permanentiam priorem natura accidente intrinſeco. Quod ſi ſubſtantia præciſè ſufficit, non poſſet non ſequi duratio craſtina, & æterna. Quapropter eius ſententiæ inſtaurator magis conſequenter negauit diſtinctionem exiſtentiæ à duratione; & vtramque conſtituit ſucceſſiuam: quia alioquin res eſſent æternæ: quia exiſtentia exercita ſecundum ſe eſſet fundamentum æternè durandi; quia ſecundum ſe non poſſet eſſe & non eſſe.

§. 54. *Reſpondetur ad argumentum ex §. 50.* Equibus conſtat ſolutio obiectionis è §. 50. Nam effectus formalis intrinſecæ permanentiæ non eſt ab accidentibus ſucceſſiuis natura poſterioribus ipſa permanentia: ſed eſt ipſamet exiſtentia ſemel producta, & non corrupta, vt terminat diuerſas voluntates efficaces Dei. Quod ſi hanc ſubſtantialem permanentiam ſequuntur accidentia intrinſeca ſucceſſiua, eſt alias ob cauſas; non verò formaliter ad permanendum, nec durandum. Immò, etſi illa accidentia permittamus, non eſt ad coëxiſtendum tempori formaliter: quia coëxiſtentia cum tempore eſt ſimultanea natura; quia nec Petrus pendet à tempore; nec hic ab illo, at exiſtentia accidentis intrinſeci ſucceſſiui eſt natura poſterior Petro; qui non potuit per illud coëxiſtere. Illa ergo permanentia ſubſtantialis Petri, & terminatio plurium voluntatum Dei; & prioritas naturæ plurium accidentium ſucceſſiuorum; non poteſt concipi niſi cum tempore extrinſeco: quia poſſe corrumpi poſt ſemel productam exiſtentiam, eſt in diuerſa temporis parte. Cui ergo muneri ſeruit illa accidentium ſucceſſio?

§. 55. *Metimur tẽpore & non loco rerũ durationem.* Animaduerte; exiſtentiam & durationem rerum non metimur per locum, ſed per tempus extrinſecum. Hoc enim conſideramus vt lineã quamdam ſucceſſiuam; indiuiſibilem vndique niſi ex longitudine. Quod exiſtente vno puncto eius lineæ non

non exiſtit;tunc nō exiſtit abſolutè: quia tunc non eſt in rerum natura(vt aiunt.) At quæ non ſunt in hoc loco,poſſunt exiſtere in alio. *Præſens* item,*præteritū & futurum* ſumuntur à loco;& non à tēpore.

§. 56. *Aliorum argumentum.* Alij vtuntur hoc argumento: Carentia mundi fuit ab æterno durans;& abſque ſucceſſione:ergo. Reſpondent in æternitate fuiſſe meram negationem illam carentiam;quia in ęternitate non potuit eſſe ſucceſſio. At poſt æternitatem, eam negationem mutatā non in vnam priuationem;ſed in tam multas quàm fuerunt poſſibiles partes durationis *Ad hominem argumētum.* ſucceſſiuæ. Quibus hac in parte non refragor. Miror tamen, cur negauerint potuiſſe creaturam permanētem eſſe ab æterno:quia dum extitit illa ipſorum pura negatio ſine ſucceſſione, potuit exiſtere Petrus per durationem reſpondētem illi negationi rei ſucceſſiuę:& quando illa negatio tranſit in priuationes ſucceſſiuas,poſſet tranſire mundi duratio permanens in ſucceſſiuam. Vt dixi diſp.18.Phyſic.

SECTIO IV.

Vtrum duratio includat ſucceßionem?

SVBSECTIO I.

Non includit ſucceßionem intrinſecam.

§. 57. *Duratio non includit ſucceſſionem intrinſecam.* EX tota ſect.3.liquidò conſtat durationem non eſſe ſucceſſiuam. Primùm,quia Petri exiſtentia non eſt ſucceſſiua,quia eſt idem cū eſſentia;vtrumque enim probaui diſput.8.Met.§....ſed duratio eſt idem in recto cum exiſtentia: ergo. Item oſtendi ſect. 3. rem indiuiſibilem poſſe ſucceſſiuè ſine ſui mutatione reſpondere diuerſis temporis partibus. Denique ego non egeo probatione noua:eſt tamen opus aliqua aduerſantium argumenta refellere.

§. 58. *Teſtimonium Boëtij.* Ac primum ſe armant authoritate Patrum. Boëtius enim lib.1. de Trin.c.9.aſſerit apertè *nunc* noſtrum non eſſe permanens; ſed in eo eſſe præſens, præteritum, & futurum iis verbis: *Semper enim eſt, quoniam ſemper præſentis eſt in eo tempus. Tantumq́, inter noſtrarum rerum præſens, quod eſt* nunc,*intereſt ac diuinarum; quod noſtrum* nunc *quaſi currens tempus facit ſempiternitatem: diuinum verò* nunc *permanens, nec mouens ſeſe atque conſiſtens, æternitatem facit.* *Explicatur.* Reſpondeo ex § 3. & 4. æternitatem Dei concipi eſſe abſque omni tempore;eáque propter non concipitur vt ſemper tempori coëxiſtens,ſed ante tempus. Vnde non tam dicitur eſſe in tempore,quàm tempus in illa eſſe. Vt de exiſtentia in loco dixerat ipſe Boët.eo cap.9. Significat ergo Deum nec tempore concludi,nec loco,vt nos; ſed tempora,& loca ab ipſo compleri. At duratio noſtra non anteuertit de facto tempus, nec præſentia complet omnia loca: nec neceſſariò præcurrimus tempora. Quod apertè ipſe dixit exemplo: nam de homine dicitur *heri veniſti*:quod non dicitur de Deo:homo enim non venerat ante:venerat autem Deus;vel potius erat. Secundò conſtat ex diſp.8.§....Patres per exiſtentiam Dei intelligere omnes eius perfectiones; ita per æternitatem intelligunt omnem immutabilitatem actuum internorū;vt conſtat ex definitione Boëtij; *interminabilis vita tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Quod *S. Auguſt.* ex S.Auguſt.conſtabit §.60. Quod etiam explicuit *Vtraque explicatio eſt ipſius Boëtij.* Boët.eo c.9. ait enim de Deo iis verbis: *Quod verò de Deo dicitur,ſemper eſt,vnum quidem ſignificat quaſi omni præterito fuerit,omni quoque modo ſit præſenti,omni futuro erit.* Quibus confirmo explicationem vtramque. Nos enim non fuimus omni præterito: nam ante temporis realis exordiū non fuimus. Quamuis Philoſophi cēſuerint corpora incorruptibilia fuiſſe in omni præterito. En primam ab ipſo explicationem. Secunda verò liquet:quia admittēs diſputādi gratia eam Philoſophorū ſententiam de æternitate corporum incorruptibilium, ſubiicit. *At de Deo non ita*, id eſt,licet ſubſtantiæ ſemper fuiſſent; non tamen omnino; quia actiones intrinſecæ non fuerunt ſemper,ſed ipſæ venerūt ad tempus:at verò tempus præſens in Deo eſt ſemper:quia nihil diuinum cum tempore volat; ſed ad diuina immota venit tempus.

§. 59. *Teſtimonium S. Anſelmi.* Adducunt ſecundò teſtimonium S. Anſelmi in Proſol.cap.20.iis verbis: *An hoc quoque modo tranſis omnia etiam æterna:quia tu & illorum æternitas tota tibi præſens eſt, cum illa nondum habeant de ſua æternitate quod venturum eſt, ſicut iam nō habent quod præteritum eſt? ſic quippe ſemper es vltra illa, cum ſemper ibi ſis præſens,ſeu cum illud ſemper ſit tibi præſens,ad quod illa nōdum peruenerunt.* *Reſpondetur.* Reſpōdeo ab Anſelmo non cogitari de hac ſentētia. Nam non ſolùm in duratione, ſed etiam in ſubſtantia deberet eſſe ſucceſſio: quia vltimis verbis dicit Deum ſemper eſſe:at licet duratio Petri eſſet ſucceſſiua, eſſet quidem cum illa venit. habet ergo S.Anſel.explicatus eoſdem,quos Boët. Primum,quod ſignificat Deum non tam eſſe in tempore, & loco;quàm locū & tempus in Deo. Quod patet ex c.19.his verbis: *Non ergo fuiſti heri, aut eris cras;ſed heri,& hodie,& cras es.immo nec heri, nec hodie, nec cras es:ſed ſimpliciter es extra omne tēpus. Nam nihil eſt heri,& hodie,& cras quàm in tempore:tu autem licet nihil ſit ſine te;non es tamen in loco, aut tempore: ſed omnia ſunt in te. Nihil enim te continet,ſed tu contines omnia.* Itaque incircumſcriptionem Dei in loco & tempore conſtituit pro diſcrimine. Quod confirmo ex eod.c.20.vbi ait Deum eſſe vltra æterna:quia Deus eſſet neceſſariò, licet illa non eſſent: vt conſtat legēti. Secundum explicatum idem ipſe dat cap. 18. recenſis enim Dei perfectionibus ait: *Quomodo nec tu habes partes,nec tua æternitas quæ tu es: nuſquam & nunquam eſt pars tua: aut æternitatis tuæ: ſed vbique totus es, & æternitas tua tota eſt ſemper.* Itaque vult Anſelmus in Deo nullam eſſe diſtinctionem,nec in ſapiētia,nec in potentia,nec in immenſitate,nec in æternitate:quia omnia ſunt Deus.immò c.22.ait ipſum ſolum eſſe *quod eſt*:non quod diſtinguat exiſtētiam ab eſſentia;ſed quia eius eſſentia & exiſtentia ſunt omnia quę ſunt in Deo:quod non euenit nobis, in quibus multa ſunt quæ nos non ſunt. *Tu*(inquit)*ſolus ergo Domine es;& tu es qui es. Nam quod aliud eſt in toto,& aliud in partibus,& in quo aliquid eſt mutabile,non omnino eſt quod eſt. Et quod incipit à non eſſe, & poteſt cogitari non eſſe, & niſi per aliud ſubſiſtat,redit in non eſſe:& quod habet fuiſſe quod iam non eſt, & futurum eſſe quod nondum eſt,id non eſt propriè & abſolutè.* Vt ergo exiſtentiam accipit pro identitate cum omni perfectione, ſic & æternitatem. Quid te moror? Anſelmus in c.1.epiſt.ad Titum,ait æuum eſſe inuariabile; tempus autem variabile: æuum autem eſt duratio creaturæ immortalis. Verba Anſelm. *Nam inter æuum & tempus hoc diſtat:quod æuum quidē ſtabile eſt,tempus verò mutabile.*

§. 60. *Teſtimonium S. Auguſt.* Afferunt S.Auguſtin.t.1.lib. de vera relig.c.49. prope finem. *Mentis*(inquit)*aſpectu omnem mutabilitatem ab æternitate ſeiungo, & in ipſa æternitate nulla ſpatia temporis cerno:quia ſpatia temporis præteritis, & futuris rerum motibus conſtant. Nihil autem præterit in æterno,& nihil futurum eſt:quia & quod præterit,eſſe deſinit,& quod futurum eſt,nondum eſſe cœpit. Æternitas autem tantummodo eſt; nec fuit quaſi iam non ſit, nec erit quaſi adhuc non ſit. Quare ſola ipſa veriſſimè dicere potuit humanæ menti, Ego ſum qui ſum.* Hoc

Hoc teſtimonio magis probatur diſtinctio eſſentia ab exiſtētia.

teſtimonio probaretur potius exiſtentiam ab eſſentia diſtingui: quia illa verba probant ipſam Petri eſſentiam eſſe futuram quaſi nondum ſit; & præteritam, quaſi iam non ſit. Vnde *ſolus Deus eſt qui eſt*: de duratione autem accidentali vbi cogitauit Auguſtinus? cuius verba ego ſine explicatione compono cum mea ſententia. Omnes enim creaturæ ita aliquando fuerunt futuræ, vt nondum incepiſſent: & ſolus Deus nunquam caruit exiſtentia. Secundò reſpondeo ab Auguſtino vſurpari æternitatem pro immutabilitate, & neceſſaria exiſtentia omnium perfectionum Dei: vt conſtat ex illis verbis, *omnem mutabilitatem ab æternitate ſeiungo.* item, *Nihil præterit in æterno.* Si autem Deus ab æterno Angelum creaſſet, eſſet in æternitate mutabilis: at in tempore mutaret actus, & aliquid in illo eſſet præteritum. Auguſtinus autem Angelum cenſet ſucceſſiua duratione carere, eóque à tempore differre; tom. 5. lib. 12. de ciuit. cap. 15. ante finem iis verbis: *Tempus autem quoniam mutabilitate tranſcurrit, æternitati immutabili non poteſt eſſe coæternum. Ac per hoc, etiam ſi immortalitas Angelorum non tranſcurrit in tempore; nec præterita eſt quaſi iam non ſit, nec futura quaſi nondum ſit: tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex præterito in futurum tranſeunt; & ideo Creatori coæterni eſſe non poſſunt.* Quibus in ſolis motibus Angeli conſtituit præteritum, & futurum: non tamen in Angeli immortalitate, quæ eſt duratio.

S. Aug. ſucceſſionem durationis Angelicæ negat.

§. 61. *Primum argumentum.* Ratione arguunt: ſi duratio eſt permanens, res ſemel exiſtens non poteſt corrumpi etiam diuinitus: conſequens eſt apertè falſum: quia Petrus heri exiſtens corrumpetur poſtea: ergo. Maior probatur; quia duratio heſterna eſt etiam duratio hodierna, & craſtina: heríque habuit rationem durandi æternum: ergo tranſcurrente tempore ſyncathegorematicè infinito, habet Petrus heri rationem cum illo durandi: ergo.

§. 62. *Retorquetur ad hominem contra exiſtentiam.* Oſtendi diſput. 8. à §....hoc argumento probaui exiſtentiā eſſe ſucceſſiuam. Quia Petrus ſemel exiſtens habet rationem exiſtendi heri, hodie, & cras: ſicut, ex me, habet rationem durandi. Cuius exiſtentia non eſt ille modus ſucceſſiuus; ſed eſt prior natura. & ſicut, ex me, eadem indiuiſibilis duratio reſpondet heri, & hodie; éſtque ratio reſpondendi tempori infinito; ita exiſtentia eſt ratio recipiendi durationem intrinſecam; éſtque eadem ratio recipiendi infinitas ſyncathegorematicè: ergo. Mirum hæc non animaduerti.

§. 63. *Reſpondetur argumēto ex §. 61.* Reſpondeo negata maiori. Ad probationem dico; exiſtentiam eſſe ex ſe durationem heſternam, hodiernam, & craſtinam, quod eſt ex parte rei durantis; at non propterea non poterit deſtrui hodie: quia illa eſt ratio durandi hodie cōtingenter, etiam ex ſuppoſitione heſternæ durationis: quia illa eſt duratio terminans contingenter diuerſas Dei voluntates. Vt in omni ſententia, exiſtentia adhuc ex ſuppoſitione quod extiterit cum prima parte durationis ſucceſſiuæ, poteſt non exiſtere cum ſecunda. Non quod id oriatur ex defectu durationis, ſed ex defectu exiſtentiæ: & quia hæc deficit, deficit duratio: non econtra. ergo duratio non dat æuiternitatem; ſed exiſtentia. Et quamuis duratio, & exiſtentia non pendeant à tempore, pendent à voluntate Dei. Quæ poteſt efficere, vt exiſtentia non ſit cras. Eſt ergo ea duratio æterna quoad ſufficientiam, non tamen efficacia neceſſaria; ſed pendente ab arbitrio Dei.

§. 64. Secundò arguunt; vnam rem durare plus alia; ſed hoc eſt intrinſecum: ergo. In mea ſententia, minor eſt falſa. oportet autem alias diſquirere.

SVBSECTIO II.

Duratio non dicit connotationem.

§. 65. *Duratio non eſt per connotata.* SÆpius impugnaui ſententiam de connotatis. Ex dictis centum in locis, conſtat: Petrum vno dumtaxat die durantem, non habere in illo maiorem durationem actualem quoad entitatem quin illam habeat quoad denominationem: quia hæc non diſtinguuntur realiter: ergo non ſunt ſeparabiles realiter. Videamus autem nunc, quæ ſunt huius inſtituti.

§. 66. *Opinio Pat. Suar.* Pater Suarez diſput. 50 ſect. 5 num. 29. ait, coëxiſtentiam rerum includere extrinſecam denominationem; durationem verò nequaquam. Itaque duratio in eius ſententia non includit extrinſecam denominationem à tempore, ſed tantum dicit intrinſecam exiſtentiam rei connotantem tempus. At ex hac ſententia concludi videtur durationem intrinſecam rerum eſſe ſucceſſiuam; vel vnam rem non durare plus alia: quod ſic probo. *Impugnatur.*

§. 67. *Inæqualitas extenſiua petit extenſionem.* Inter duas res indiuiſibiles extenſiuè non poteſt fundari inæqualitas extenſionis; ſed per te totæ durationes Petri & Pauli ſunt indiuiſibiles extenſiuè: ergo inter illas non poteſt fundari inæqualitas extenſionis: ergo neutra poteſt eſſe maior, quàm altera: hæc ſecunda conſequentia patet; quia alteram eſſe maiorem altera, eſt inæqualitas extenſiua, qua altera plus ſe, quàm altera extendit. Maior eſt certa: quia inæqualitas extenſiuè habet in vno extremo plures partes, quibus excedit extremum aliud, à quibus partibus denominatur *maius*: hoc autem rei indiuiſibili extenſiuè repugnare patet ex terminis; maior à te datur, conſequentia eſt euidens; conſequens autem nec admittitur, nec poteſt. Ecquis enim auſit dicere, hominem ſexagenarium non durare plus quàm puerum in ipſo ortu necatum?

§. 68. *Prima obiectio.* Dices primò, hominem plus duraſſe, quàm puerum, & habuiſſe durationem maiorem, non quod duratio intrinſecè ſit maior, ſed quia homine exiſtente, plus temporis exiſtit, quàm exiſtente puero. Contra, illud maius tempus coëxiſtens homini non pertinet ad hominis durationem tamquam illius pars: ergo per illud non fit maior duratio: antecedens eſt tuum, conſequentiam ego probo; nulla res fit maior, quin illi addatur aliqua pars, vt patet ex terminis; ſed per exiſtentiam temporis nulla pars additur hominis durationi; ergo illa non fit maior per exiſtentiam maioris temporis. *Impugnatur. Duratio non fieret maior per tempus.*

§. 69. *Secunda obiectio. Impugnatur.* Dices ſecundò tempus non pertinere ad durationem, pertinere tamen ad maiorem durationem. Contra eſt tritum adagium: *Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita ſe habet magis ad magis.* Sed tempus non eſt pars durationis ſimpliciter: ergo nec maius tempus eſt pars maioris durationis. Deinde nihil fit maius alio, niſi per partium additionem, nulla enim res fit maior ſine partium cremento, & quin aliquid illi addatur: ſed tempus non eſt pars durationis: ergo per additionem temporis duratio non fit maior.

§. 70. *Tertia obiectio. Impugnatur.* Dices tertiò, durationem eſſe maiorem, non quia maius tempus includit; ſed quia illud connotat in obliquo. Contra: tempus illud non conſtituit formaliter durationem maiorem: ergo nec temporis connotatio. Probo conſequentiam, quia connotatio nihil eſt modò in duratione, quod antea non eſſet; ſed antea non faciebat durationem maiorem, ergo nec modo. Confirmatur, quando duratio *Confirmatur.*

duratio connotat maius tempus non fit maior formaliter per tempus, quia non eſt pars illius, nec ex parte durationis eſt noua pars, nec nouus modus; nec accidens nouum: nec connotatio eſt præter tempus ipſum, & exiſtentiam: ergo per temporis maioris exiſtentiam non fit duratio maior.

§. 71. *Explicatur.* Explicatur: id quo formaliter eſt maior, non eſt extrinſecum, vt tu ponis: nec partim intrinſecum, & in parte extrinſecum; vt itidem ais: ergo eſt intrinſecum: non diſtinctum à veteri exiſtentia, vt dicis, ergo idem cum illa: ergo tota maioritas exiſtentiæ fuit ante exiſtentiam temporis maioris, ergo fuit maior. *Obiectio.* Dices præextitiſſe totam maioritatem durationis, ſed non denominaſſe maiorem durationem ante maius tempus. *Reſpondetur.* Contra: maius tempus non pertinet formaliter ad illam denominationem: ergo formaliter præceſſit tempus, ergo denominabat formaliter, quia denominatio formalis nihil eſt præter formam vnitam. Recognoſce ſimilem difficultatem de diſtinctione relationis, diſput. 15. à §.....

SVBSECTIO III.

Duratio creata includit ſucceſſionem extrinſecam.

§. 72. *Concluſio. Duratio creata eſt intrinſeca, & extrinſeca.* DIco ergo, *durationem creatam includere denominationem intrinſecam, & extrinſecam: in recto quidem exiſtentiam rei durantis; in obliquo autem tempus cum illa exiſtens actu, vel potentia.* Probo, exiſtens homo, eo præciſè quod cum illo maius tempus exiſtat, quàm cum alio, dicitur durare plus alio: ergo tempus eſt ratio formalis, qua vna duratio eſt maior alia: conſequentia eſt certa, quia formalis ratio alicuius rei eſt illa ex cuius poſitione ſine alia re talis reſultat effectus: id enim eſſe de conceptu formalis effectus, alibi probaui: probo antecedens: exiſtat homo, & mente ſeparemus quemcumque alium modum aut accidens, & tantum concipiamus illum exiſtentem cum vno anno: hic plus durat, quàm homo exiſtens cum ſolo vno menſe: ergo præciſè cum exiſtentia maioris temporis conſtituitur duratio maior. Equidem in ſententia non diſtinguente durationem, nec ab eſſentia, nec ab exiſtentia, arbitror hoc eſſe euidens; nam adueniente tempore præciſè, ſine aduentu alterius rei, duratio, quæ antea realiter non erat maior, nunc fit realiter maior: ergo tempus ſe ipſo illam fecit realiter maiorem, quia nouus iſte effectus realis è nouo oritur à nouo ente, nullum autem eſt nouum ens præter tempus: ergo.

§. 73. *Impugnatio cuiuſdã opinionis.* Hinc etiam impugno ſententiam diſtinguentem durationem ab exiſtentia: demus enim exiſtentiam extrinſecè denominari à tempore maiori, & cogitatione, vel per impoſſibile negemus quodcumque accidens ab exiſtentia diſtinctum, exiſtentia denominata à tempore eſt diuturnior, & longæuior: ergo eſt maior duratio: antecedens liquet, quia exiſteret per longius tempus.

§. 74. *Obiectio.* Dices, terminis implicari, quia exiſtit cum tempore per modum diſtinctum. *Reſpondetur.* Contra, tempus non ſolum denominat modum illum coëxiſtentem, ſed & exiſtentiam ipſam: nam exiſtentia eſt tempori coëxiſtens, ſimiliter, & ille modus: ergo exiſtentia eſt diuturnior præciſè per denominationem *coëxiſtentis*; à tempore longiori. *Alia obiectio.* Dices, per illum modum exiſtentiam reſpondere tempori. *Reſpondetur.* Contra, quia ſine illo poteſt reſpondere, nam exiſtentia immota manente tempus ipſum mouetur: ergo per ſolum temporis motum reſpondebit exiſtentia temporis partibus diuerſis. *Alia obiectio.* Dices, durationem eſſe adæquatè intrinſecam. *Reſpondetur.* Egregia obiectio: hæc eſt opinio, quæ nunc impugnatur, & per locum intrinſecum efficax eſt hoc argumentum: intellecta enim exiſtentia reſpondente pluribus temporibus, intelligitur diuturnior, & per ſolum temporis effluxum reſpondet exiſtentia pluribus partibus: ergo non eget alio modo: vnde probo durationem conflari denominatione intrinſeca, & extrinſeca: vt de relatione dixi. *Duratio eſt vt relatio.*

§. 75. *Prima obiectio.* Obiicis primò hominem exiſtentem, per duodecim annos imaginarios, ante omne reale tempus; realiter durare plus quàm hominem per duos annos imaginarios: ergo duratio non includit tempus. *Reſp. primò. Duratio includit tempus poſſibile.* Diſtinguo conſequens, tempus actu exiſtens, concedo conſequentiam: potentia exiſtens, nego: nam ſunt aliquæ denominationes, quæ conueniunt rebus per alias poſſibiles: vt Pompelona diſtat à Lucronio ſtadia quatuordecim, v. g. quia inter vtramque vrbem interiicitur reale corpus eius menſuræ: *Diſtantia nõ ſumitur à corpore realiter interiecto, ſed à poſſibili.* tollat Deus corpus iſtud, & relinquat inane ſpatium imaginarium, equidem æqualiter diſtabunt ac antea: quia diſtantia non ſumitur à corpore actu interiecto, ſed ex eo quod poſſit interiici: ſimiliter & duratio maior ſumitur à tempore imaginario, non tamen propterea duratio non eſt realis; ſufficit enim actu exiſtere id quod in recto ſignificatur: ſicut illæ vrbes realiter diſtarent, licet interiecta diſtantia non eſſet actualis, & realiter exercita per corpus medium: vel dicito, durationem eſſe realem ex parte recti, licet autem vtraque pars non ſit realis actu, parum refert.

§. 76. *Secunda reſp.* Secundò poteſt argumento reſponderi; durat realiter actu, nego antecedens; realiter in potentia ex ſolo temporis defectu, concedo; quod non eſt abſurdum, damus enim exiſtentiam exercitam, cui reſpondere poſſunt anni duodecim: eos autem non reſpondere actu, non eſt ex defectu exiſtentiæ; quod genus durationis rectè vocat Pater Suarez, durationem quoad ſufficientiam. *P. Suarez.* Aduerte, cum Patre Suarez, quæſtionem mihi eſſe de ſolo nomine: conuenimus enim durationem non eſſe aliquid diſtinctum ab exiſtentia; item durationem petere tempus ſibi coëxiſtens: item perſeuerante exiſtentia indiuiſibili, & adueniente, cum vna longiori tempore, quàm cum alia, eo præciſè vnam eſſe maiorem alia: hæc cum ita ſint, non ſupereſt quæſtio niſi de nomine: ſic autem intelligo omnes, qui durationem per tempus exponunt.

§. 77. *Obiectio tertia.* Obiicis tertiò, æternitatem Dei etiam conſtitui extrinſeca denominatione. *Reſpondetur.* Verùm hac de re me videro ſectione ſequenti; vnde hanc doctrinam confirmabo. *Quarta.* Obiicis quartò, durationem pertinere ad prædicamentum *ad aliquid*: quia eſt coëxiſtentia temporis, & rei durantis. *Reſpondetur. Duratio non ſpectat propriè ad prædicamentum Quando.* Reſpondeo, prædicamentum *Quando*, ſi propriè ſumatur, vt conſtituitur ab authore ſex principiorum, ſiue ſex vltimorum prædicamentorum, nec continere durationem, nec de illa in eo verbum fieri, ſed tantum continere circumſtantiam temporis; quo res efficitur: *Quando eſt circũſtantia temporis.* Nec enim ibi alia fit eius prædicamenti explicatio, ſed tantum continet motum ſucceſſiuum, qui vt eſt actus ab agente, eſt cathegoriæ actionis: vt verò eſt actus in ſubiecto, eſt cathegoriæ paſſionis; vt autem eſt circumſtantia rei,

rei, eſt cathegoriæ *Quando*: quod accuratè tradit S.Thomas, opuſc.48. poſt tract.5.cap.2.de *Quando*, vbi docet, hoc prædicamentum eſſe extrinſecam denominationem à motu ſucceſſiuo primi mobilis, quo menſurantur omnia temporalia. Itaque hoc prædicamentum non includit intrinſecam denominationem rei menſuratæ, & exiſtentis, ſed tantùm extrinſecam à tempore, & motu cæli menſurantis omnia temporalia. Durationem verò, vt etiam includit denominationem intrinſecam exiſtentiæ, & coëxiſtentiam temporis eſſe in prædicamento *ad aliquid*, non eſt abſurdum: nam coëxiſtentia temporis cum homine relationem dicit, ſicut tactus, & alia.

S.Thom.

Duratio interdum eſt in prædicamẽto ad aliquid.

§. 78. Adde, durationem vt ſic non eſſe relationem, quia oſtendi, §. 75. durationem non requirere actualem exiſtentiam termini, id eſt temporis, ſed poſſibilem: relatio verò prædicamentalis requirit actualem exiſtentiam termini: & quamuis dixerim §. 18. eam durationem poſſe dici non eſſe formalem actualiter, ſed tantùm ſufficienter: dico in hoc prędicamento conſtitui durationem ſufficientem: nam rerum duratio ſufficienter colligitur ex tempore imaginario, quod quando actu exiſtit, in ratione coëxiſtentis pertinet ad prædicamentum *ad aliquid*: hæ ſunt nugæ; placet opinio S.Thom. Rogas, cur hic de duratione agatur: Equidem commodè: agitur enim de *Quando* quod duratio connotat, vbi locum habet exacta diſquiſitio durationis, vt ſic: quod recentiores Metaphyſici politè fecerunt, erudiẽtes ruditatem, qua nata ſunt prædicamenta ex primis ſuis parentibus, quæ, ſicut cæteræ philoſophiæ partes, ab ingeniis ſequentium Philoſophorum lucem accepere Sat primi fecere, quia cœpere: inuentis autem additur facilius.

Relatio vt ſic nõ eſt ad aliquid.

S. Thom.

Quæſtio.

Cur de duratione agitur in prædicamẽto Quando?

SECTIO V.

Aeternitas, æuum, tempus.

§. 79. PRæcipua ſpecies durationis eſt æternitas, cuius explanatio eſt Metaphyſici propriiſſima, quia eſt attributum eius obiecti adæquati. Æternitas impropriè ſumitur pro longa duratione, & moleſtè multa verba facientes vocamus Hiſpanè, *eternos*: ſicut *incorruptibile* lignum vocatur quod diu retinet ſuam formam: item æternitas vocatur *à parte poſt*, duratio initium habens, ſed non habitura finem, vt Angelorum, & animorum rationalium: vocari item poteſt æternitas *à parte ante*, ſicut *à parte poſt*: vt ſi Deus hominem ab æterno creaſſet, & illum annihilaret modò: item æternitas ſumi poteſt pro duratione ſine principio, & fine, vt ſi Deus ab æterno Angelum creaſſet, eum perpetuò conſeruaturus, hæc propriè eſſet æternitas: propriiſſimè ſumitur æternitas pro duratione rei neceſſariò exiſtentis ſine principio, & fine: quod genus durationis Deo conuenire, & fides ſancit, & Metaphyſica oſtendit.

Æternitas eſt præcipua ſpecies durationis.

Æternitas impropriè pro longa duratione.

Æternitas à parte poſt eſt duratio cum initio & ſine fine.

Æternitas à parte ante, ſine initio & cum fine.

Æternitas propriè ſine initio & fine.

Æternitas propriiſſimè eſt exiſtentia neceſſaria ſolius Dei.

§. 80. Primum poteſt inquiri, vtrum *æternitas ſit duratio*? Fortè alicui videbitur non eſſe; quia durare eſt retinere eſſe in primo inſtanti, quod habuit in præcedenti: ſed in æternitate non eſt tempus: ergo neque illa denominatio durandi. Contra videtur, quia Deus hodie perſeuerat in eſſe, quod habuit heri: ergo modò durat; ſed durat intrinſecè per æternitatem, ergo æternitas eſt duratio. Ad argumentum reſponderi poſſe videtur, in æternitate intrinſeca Dei non eſſe tempus: illi tamen poſſe coëxiſtere tempora ſine fine, & quocumque inſtanti illorum Deus durat, & retinet eſſe, quod habuit in alio inſtanti priori, vel imaginario, vel reali, quia nulla aſſignabitur pars temporis, quin poſſit aſſignari alia prior in qua Deus fuerit.

Quæſtio.

Quamuis hoc ita fiet, nempe Deum in quocumque inſtanti retinere eſſe, quod habuit in priori, tamen ille modus durandi non conuenit æternitati Dei, quæ ante omne inſtans imaginarium durauerat æternùm; nam æternitas anteuertit tempora omnia etiam imaginaria: nam hoc tempus eſt imaginaria quædam circumuolutio ſucceſſiui motus, qua explicamus poſſibilitatem temporis realis: ſicut per imaginaria ſpatia explicamus reales corporum præſentias: & ſicut non eſt ſpatium imaginarium; vbi non eſt capacitas corporis, ita nec tempus vbi repugnat motus ſucceſſiuus: cum ergo hunc ab æterno repugnare in phyſicis oſtenderim, efficitur nec æternitati reſpondere hanc imaginariam ſucceſſionem; & poſſibilitatem motus ſucceſſiui. §. 81.

Æternitas nõ eſt propriè duratio.

Æternitas anteuertit omne tẽpus.

Vnde æternitas eſt eminens perſeuerantia in eſſe. *Eminentem* dixi, non formalem, quia ſua indiuiſibili exiſtentia, neceſſariò exercita ambit, & ſuperat omnia tempora, in quibus formaliter reperitur *prius*, & *poſterius*, neceſſariò requiſita ad formalem perſeuerantiam. Vnde Deus non eſt dicendus plus duraſſe hodie, quàm heri: quia eius duratio non menſuratur tempore, nec illud connotat, vt coëxiſtens, ſed vt quid à ſe ipſa infinities millies exceſſum: ſed dicendum plus temporis hodie duraſſe cum Deo, quàm heri: ſic enim ſentitur dignius de Deo. Quem loquendi modum grauiter docet grauiſſimus Franciſcus Suarez, diſputatione 50. Metaphyſicæ, ſectione 5. num. 29. & 30. vbi ait denominationem tempori conuenientem, impropriiſſimè in Deum tranſlatam. vt ex S. Seuerino, Boëtio, & S. Anſelmo oſtendi §. 58 & 59. §. 82.

Æternitas eſt eminens perſeuerantia in eſſe.

Deus non durauit hodie plus quàm heri.

Tempus cum Deo plus, aut minus durat.

Quod ſi Deus ab æterno hominem creaſſet, non duraſſet in æternitate per connotationem ad tempus: at verò in quocumque inſtanti poterat dici durare connotando tempus: quia eius exiſtentia, cum libera ſit Deo, eſt menſurabilis tempore. Sic autem dici poteſt plus duraſſe hodie, quàm heri: at non in Deo, quia ille modus videtur quadrare in res liberè, & non neceſſariò durantes. Video, quæſtionem eſſe de nomine. Verùm de homine loquere vt libuerit, de Deo autem quàm potueris digniſſimè atque caſtiſſimè. Exploſa ergo quæſtione de voce; & retenta de re ipſa, Deum coëxiſtere hodie, & heri, & eſſe plus, aut minus coëxiſtentem ſumitur à Deo, & tempore: ergo eadem prædicata ſumentur etiam à Petro exiſtente, & Deo, cum hoc diſcrimine: quod Deus ita illa ſumit, vt exiſtente tempore, ab illo dicatur neceſſario *coëxiſtens*: quia Deus neceſſariò eſt: at Petrus poteſt non denominari *coëxiſtens*: quia exiſtente tempore poteſt non exiſtere. Hoc autem tantum probat neceſſitatem Dei, & contingentiam Petri: at coëxiſtere maiori tempori actuali, vel imaginario eodem modo conuenit vtrique: hoc autem voco ego durare in creaturis: quamuis non in Deo: vt explicem diſcrimen illud de neceſſitate durationis diuinæ, & de contingentia humanæ. §. 83.

Creaturæ ab æterno duraſſet æternùm, non tamen æternitate.

Deũ eſſe coëxiſtentem ſumitur à Deo & tempore.

Diſcrimen durationis diuinæ & noſtræ.

Secundò inquiritur, quid ſit *formalis æternitatis conceptus*? Ac primum à parte rei æternitas eſt exiſtentia Dei à ſe, & ſemper neceſſariò exercita: inquirimus autem formalem illius conceptum: §. 84.

Secũda quæſt.

primúm

Capreol. reijcitur. Æternitas nõ eſt menſura.

primúmque reiicio Capreolum opinantem, æternitatem eſſe menſuram, eſt enim immenſus in aſſignandis menſuris. Impugnatur primò: quia ratio menſuræ eſt extrinſeca denominatio ab intellectu, æternitas autem eſt Deo intrinſeca: ergo. Secundò, quia menſura eſt certa, & determinata, cuius replicatione cognoſcitur alia res, vt cubitus replicatis palmis, & ſtadia replicatis pedibus: ſed æternitas non eſt certa magnitudo, quia eſt infinita: ergo ea non poſſumus tempus metiri, neque eam tempore, quia non poteſt æternitas replicari, ſicut metimur diem horis replicatis.

§. 85. *Nec ens rationis.*

Alij volunt, æternitatem includere aliquod ens, aut reſpectum rationis. Quod eſt planè falſum, ſi intelligatur de ente rationis propriè, quia Deus ſine vlla fictione eſt æternus: immò & ſine vlla actuali noſtra conſideratione: nam æternitas Dei eſt obiectum noſtræ cognitionis, & prius natura quàm illa, neque æternitas includit in primo ſuo conceptu immenſurabilitatem, ſed illi eſt extrinſeca denominatio, ſicut palmo eſſe menſurabilem, vt diſp. 12. dixi.

§. 86. *Opinio Scoti, & Caiet.* P. Suarez.

Caietanus, & Scotus quos ſequitur Pater Suarez, diſputat. 50. ſection. 4. numer. 12. opinantur, æternitatem compleri intrinſecè per negationem, non modò actualem, verum etiam poſſibilem initij, & finis. Nam Deus eſt expers initij, & finis: ergo per aliquem conceptum; hic conceptus eſt æternitas: ergo. Quod probat ex S. Thoma, aſſerente, æternitatem conſiſtere in apprehenſione vniformitatis, id eſt, in vniformitate, quæ apprehenditur, qua negatione explanatur neceſſitas exiſtentiæ diuinæ, & ipſe Pater Suarez, numer. 7. acriter reprehendit Gabrielem, quod dixerit æternitatem dicere conceptum coëxiſtentiæ, infinitæ ſucceſſioni veræ, vel imaginariæ. [S. Thom.]

§. 87. *Æternitas quidditatiuè eſt expers initij & finis. Æternitas nõ connotat negationem.*

Libenter admitto, æternitatem eſſe quidditatiuè expertem initij, & finis, at non arbitror hoc eſſe negationem: ſed conceptum poſitiuum. Quia habere principium & finem eſt conceptus priuatiuus, additus rei incipienti, & deſinenti: ergo carere principio, & fine non erit negatio, ſed poſitiuus conceptus. Conſequentia eſt clara, quia ſæpe oſtendi negatiuo conceptui opponi immediatè conceptum poſitiuum, vt lucem tenebris: at carere initio, & fine contradicit rei initium habenti, & finem: antecedens autem probatur, quia habere initium poteſt eſſe intrinſecè incipere, hoc pacto: *nunc eſt res, & immediatè ante non fuit:* vbi connotat carentiam exiſtentiæ tempore immediatè præcedenti: perſeuerare autem eſt, *nunc habere eſſe, & illud immediatè ante habuiſſe:* vnde inceptio hæc, & perſeuerantia opponuntur per carentiam exiſtentiæ, & exiſtentiam. Si autem inceptio eſt extrinſeca, eſt clarior differentia: quia *nunc non eſt, ſed immediatè poſt erit,* perſeuerantia autem eam negationem excludit, quia *nunc eſt, & immediatè poſt erit.* Igitur æternitas excludit carentiam exiſtendi, quam dicit initium: idem patet de definitione: ergo habere principium, & finem connotat carentiam exiſtentiæ. E contra verò carere initio, & fine erit perpetuò durare in quauis temporis differentia.

§. 88. *Defenditur Gabriel. Infinita duratio explicari nõ poteſt niſi per tẽpus infinitum.*

Vnde miror, Patrem Suarez tam acrem eſſe in Gabrielem: nam carentia initij, & finis non poteſt explicari, niſi connotando infinitum tempus, illud enim caret initio, quod ſignato quocumque inſtanti reali, vel imaginario, in illo eſt: nam quæ initium habent, non ſunt in inſtanti præcedente tempus; quo cœperunt: & carere fine eſt exiſtere in quouis inſtanti ſubſecuto differentiam temporis; qua deſijt res: ergo carere initio, & fine eſt coëxiſtere cuilibet parti temporis poſſibilis, vel potius omnibus temporibus coëxiſtere. Simili argumento probaui, §. 14. vnitatem non eſſe negationem, ſed conceptum poſitiuum negatiuis terminis explicatum, idémque dixerim de æternitate.

§. 89. *Confirmatur.*

Confirmatur: immenſitas Dei eſt eiuſdem exiſtentia explicata per connotationem ad omnia ſpatia imaginaria, ita vt per eam Deus non poſſit ab vlla creatura vbiuis exiſtente diſtare: ergo æternitas eſt eiuſdem exiſtentia explicata per connotationem ad tempora imaginaria, ita vt per eam non poſſit non eſſe præſens cuiuis creaturæ quouis tempore exiſtenti: (immò exiſtere Deum ante omne tempus imaginarium oſtendi: ſi ante illud; dici poteſt, *ante.*) Probo conſequentiam, quia ſicut eſſe in loco explicatur per ſpatia imaginaria, ita durare per tempus. Igitur ſicut nullum poteſt apprehendi ſpatium abſens, aut diſtans à Deo, ita nec tempus vllum. Neque propterea aliqua ſucceſſio eſt de intrinſeco conceptu Dei, ſed intrinſeca Dei permanentia explicatur à nobis connotando eum eſſe ante ſucceſſionem: hæc autem connotatio tantum eſt rationis, quia iſte conceptus æternitatis explanari non poteſt niſi comparatione ante tempora imaginaria.

§. 90. *Obiectio.*

Dices, ab æterno non potuiſſe eſſe tempus infinitum, quia non potuiſſet ſucceſſiuè tranſiri, (vt oſtendi diſputatione 10. Phyſicor. ſectione 1.) ergo non poteſt æternitas explicari per infinitam ſucceſſionem. Diſtinguo antecedens, tempus infinitum actu, & cathegorematicè, concedo; in potentia, & ſyncathegorematicè, nego. Nullum enim tempus tam longum aſſignabitur, quin aliud longius potuerit ante produci, ſiue apprehendi: hoc autem ſufficit ad æternitatem cognoſcendam; quia exiſtentia reſpondens neceſſariò cuiuis tempori imaginabili eſt æterna, cui non poteſt coæquari actu duratio aliqua ſucceſſiua, quia eam infinitis interuallis excedit, ſicut non poſſumus infinitam quantitatem metiri; & diſtinguo conſequens, non poteſt explicari per tempora illi ab æterno coëxiſtentia actu, aut potentia, concedo conſequentiam, (vt patet ex §. 81.) non poteſt explicari per tempora, vt quid æternitate inferius & ab ea ambitum, connotata; nego conſequentiam: licet enim tempus imaginarium non reſpondeat æternitati, tamen æternitas reſpondet toti tempori, & quod toti reſpondet, eſt æternum: quia ante omnia inſtantia, iam extitit.

Ab æterno potuit eſſe tẽpus infinitum ſyncathegorematicè.

Æternitas explicatur per tẽpus vt inferius.

§. 91. *Æuum longa duratio. Æternitas.*

Æuum, ſignificat longam aliquam durationem, ita ſenes decrepitam attingentes vocantur, *longæui.* Sumitur pro æternitate. Tullius enim ait, beatos frui æuo perpetuo, ſiue in cælis æuum degere: à Philoſophis autem vſurpatur pro duratione rei natura ſua incorruptibilis. Vnde æuo non repugnat eſſe ab æterno, quia nullam ſucceſſionem includit. Nec differt ab æternitate, quod ſit duratio finitis temporibus actu coëxiſtens, id enim ei conuenit per accidens, ſed quia eſt duratio exiſtens non neceſſariò: æternitas autem neceſſariò exiſtens. Quapropter, licet Angelus fuiſſet ab æterno creatus, tamen non exiſteret æternitate, quia hæc abſolutam exiſtendi neceſſitatem includit.

Æuũ eſt duratio incorruptibilis. Potuit eſſe ab æterno. Eius diſcrimen ab æternitate.

§. 92.

Aduerte æternitatem à S. Thoma conſtitui in omnimoda vniformitate, & immutabilitate; non modò in exiſtendo, verum etiam in operatione, cui

Æternitas quo pacto accepta à S.Th. & Boëtio.

cui alluſit Boëtius ſua definitione, *tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, id eſt, poſſeſſio exiſtentiæ, & intrinſecarum affectionum. Ly, *perfecta*, eam diſcernit ab æuo, quod eſt imperfectum per ſuam contingentiam: conueniunt autem æternitas & æuum in prima particula, *tota ſimul*, intellecta de ſola intrinſeca ratione durandi in recto ſignificata: non verò de poſſeſſione omnium perfectionum, quas æuum non habet ſimul totas; ſed ſucceſſiuas. Sanctus autem Thomas complectitur totam rationem immutabilitatis diuinæ. *Tempus* eſt duratio motus ſucceſſiui: de quo diſputat. 15. Phyſic. ſect. 6. & 7. duratio rerum permanentium corruptibilium, eſt ſpecies durationis diſtincta ab æternitate: æuo, & tempore.

Tempus quid eſt.

Alia duratio diſtincta à cæteris.

§. 93. De æternitate differunt Pat. Suar. 2. tom. metaphyſic. diſput. 50. ſect. 3. & 4. P. Vazquez tom. 1. in 1. part. diſput. 31. Pat. Molin. Valent. & alij 1. part. quæſt. 10.

P. Suarez.
P Vazquez.
P Molina.
P. Valent.

DISPVTATIO XVIII.

De cæteris prædicamentis.

§. 1. TRIA nobis prædicamenta ſuperſunt præſtringenda. Octauum vocatur *vbi*, ſeu *locus*, de quo ſatis dixi diſputatione 14. Phyſic. Nona cathegoria eſt *ſitus*, de qua Suar. d. 52. ego verò diſput. 14. Phyſic ſect. 4. vbi promiſi, me hîc de eo nec verbum facturum, non poſſum autem non ſtare promiſſis.

§. 2. Vltimum prædicamentum eſt *habitus*, non qualitas, vbi tantum collocantur extrinſecæ denominationes veſtiti, & armati. Velim mihi dicant diuiſores prædicamentorum, hoc quo pacto ſit accidens phyſicum, cum veſtis, & arma ſint ſubſtantia, & homo ſit veſtitus præcisè per vbicationem, qua veſtes circa corpus aptantur? Vnde patet Ariſtotelem noluiſſe, niſi modos concipiendi res, & de eiſdem loquendi explanare. Eſt ergo forma huius prædicamenti veſtis, aut arma hominem circumdantia, è quibus nihil intrinſecum in homine reſultat magis, quàm ex alterius rei iuxta illum poſitione.

§. 3. D. Thomas opuſc. 48. in opere de prædicamentis, ait ab authore ſex principiorum, (quæ ſunt hæc vltima ſex prædicamenta,) nonnulla dici, & falsò, & ſine authoritate.

DISPVTATIO XIX.

De ente rationis.

§. 1. SÆPE oſtendi ex Ariſtotele, & ratione, contrariorum eamdem eſſe diſciplinam; quapropter diſput. 1. oſtẽdi ens rationis ſpectare ad Metaphyſicum, quia opponitur enti reali, cum quo habet veram oppoſitionem, & fictam aliquam affinitatem, de quo latè diſputat Pater Suarez diſput. 54. Metaphyſicæ, in cuius initio ait eſſe dialecticum errorem opinari illius conſiderationem ad Dialecticam pertinere. Vnaquæque facultas materialiter conſiderat entia rationis in particulari, ſuis obiectis in particulari oppoſita: at verò conſiderare naturam, & eſſentiam entis rationis proprium eſt Metaphyſici inſtituti.

Recognoſce quatuor ſignificationes entis rationis quas explicui diſput. 1. Logicæ §. 42. 43. & 44. Eſt enim ens rationis *effectiuè & ſubiectiuè*, pro actu intellectus, quem ratio producit in ſe. *Denominatiuè* pro paſſiua denominatione per quam obiecta dicuntur cognita. *Fundamentaliter* pro denominatione extrinſeca præbente fundamentum vt à nobis concipiatur vt intrinſeca. *Propriiſſimè* pro ente quod non eſt à parte rei, fingitur tamen eſſe. E quibus conſtat ens rationis eſſe nomen æquiuocum: ſignificat enim plura vt plura, quæ vt ſignificata per vocem in nullo conueniunt: ens enim fictum in nullo conuenit cum vero: actus autem intellectus quid habent commune cum ente ficto? §. 2.

Præſens diſputatio non eſt inſtituta ad explicandum ens rationis in prima ſignificatione: nam de actibus rationis ſecundum ſe, agit animaſticus: de iiſdem autem vt ſunt dirigibiles, logicus diſputat. Neque agimus de ente rationis in ſecunda ſignificatione: illa enim ſpectat ad logicum: tertia autem ſignificatio ex parte ſpectat ad metaphyſicum. Quarta autem propriiſſimè: agimus enim de ente rationis vt opponitur enti reali vt ſic. In tribus autem primis ſignificationibus non diſtinguitur ens rationis ab ente reali vt ſic. §. 3.

SECTIO I.

Vtrùm denominationes extrinſecæ ſint ens rationis?

SVBSECTIO I.

Sententiæ affirmantis fundamenta conuello.

COmmunis eſt inter Thomiſtas opinio, omnem extrinſecam denominationem eſſe ens rationis: quos retuli diſput. 1. Logicæ §. 45. quibus præiuit Durand. in 1. d. 19. quæſt. 3. num. 7. & q 6. num. 10. & 11. & d. 33. quæſt. 1. num. 10. Oſtendi tamen ibidem à §. 46. eos non eſſe locutos de ente rationis vt opponitur enti reali vt ſic: ſed de vno ente extrinſeco alicui obiecto, intrinſeco tamen aliis. Exempli gratia obiectum eſſe cognitum dicunt eſſe ens rationis, quia eſſe cognitum non eſt intrinſecum obiecto cognito, neque illi aliquid appingit: at verò cognitio qua obiectum dicitur cognitum, quamuis non eſt intrinſeca obiecto, eſt tamen intrinſeca intellectui. Quapropter Toletus adductus diſput. 1. Logicæ §. 46. rectè dixit has denominationes eſſe entia realia extrinſeca obiectis: cui opinioni conſenſiſſe Maſium ibidem oſtendi §. 50. Definiunt autem hi authores ens rationis, *quod nihil intrinſecum ponit in rebus*. Quæ definitio ſi intelligatur de omnibus rebus eſt vera: quia omne ens reale intrinſecum eſt alicui rei: ſi autem intelligatur de aliquibus rebus ſolum, eſt falſa: quia ens intrinſecum alicui rei poteſt eſſe aliis extrinſecum. Et quamuis cum his authoribus ſic explicatis ſola ſupereſt quæſtio de voce, libet eos confutare ex ipſorum definitione, ne (vt ſæpe contingit) ex impropria vocis vſurpatione, de rebus quoque contendatur. §. 4.

Primò igitur moueri poſsũt authoritate S. Thomæ pluribus in locis, indicatis à me diſput. 1. Logicæ §. 54. Item ab eo §. ad 58. Verùm iam ibi probaui maximè §. 58. S. Thom. accepiſſe ens rationis non vt opponitur enti reali vt ſic, ſed denominatiuè, vt explicui hanc ſignificationem diſput. 1. Logicæ §. 43. cum autem S. Thom. dicat ens rationis §. 5.

eſſe

eſſe obiectum logicæ; dicat item propriam materiam logicæ, circa quam verſatur eſſe actus rationis & intellectus, vt oſtendi ea diſput. 1. logicæ §. 58. conſtat apertè hoc genere entis rationis non excluſiſſe S. Thomam omne ens reale: quia actus intellectus, in quibus conſtituit hoc ens rationis, reales ſunt. Sicubi autem alias denominationes extrinſecas appellat ens rationis, vt quando actus liber Dei dicitur addere aliquid rationis ſuper naturam diuinam, accipit ens rationis in tertia ſignificatione præmiſſa diſput. 1. logicæ §. 44. quemadmodum in eodem ſenſu ſæpe loquitur P. Vazquez.

§. 6. Secundò illi argumentantur authores cum Durando: quia animal eſſe genus non habet à parte rei: ergo habet præciſè per intellectum: ergo eſt ens rationis: probo conſequentiam primò, quia quod aliquo modo eſt & non à parte rei, eſt ens rationis: ſecundò, quia animal eſſe genus nihil ponit in ipſo animali: ergo eſt ens rationis. Reſpondeo diſtinctione antecedentis; animal non habet à parte rei intrinſecè eſſe genus, concedo antecedens: non habet à parte rei extrinſecè, nego antecedens. Non enim dantur vniuerſalia formaliter à parte rei, id eſt, res ipſæ in ſe non habent vniuerſalitatem intrinſecam: in quo ſenſu quæritur vtrum detur vniuerſale à parte rei: id eſt, vtrum independenter ab intellectu ſit animal vniuerſale: at verò per extrinſecam denominationem ab actu intellectus animal eſt genus. Inde nego ſecundam conſequentiam: quia animal habet genereitatem à parte rei, extrinſecè tamen: eſſe enim genus nihil eſt quàm eſſe cognitum confusè tali genere cognitionis: eſſe autem cognitum confusè habet animal à parte rei à forma reali, ipſi animali extrinſeca, intrinſeca verò intellectui. Ad primam probationem reſpondeo quod aliquo modo eſt, & nullo à parte rei, eſt ens rationis: at verò quod eſt à parte rei intrinſecum intellectui, quamuis extrinſecum obiecto, non eſt ens rationis ſed reale. Nec enim opus eſt, vt aliquid ſit reale, vt ſit omnibus intrinſecum: alioquin Deus eſſet ens rationis. Ad ſecundam probationem reſpondetur vt aliquid ſit ens reale, ſatis eſſe ineſſe intrinſecè alicui rei, quamuis non omnibus. Conuenit ergo generis ratio animali, vt eſt obiectiuè in intellectu: at animal eſt à parte rei independenter à cognoſci: item genereitas eſt à parte rei. Quia eſt actus intellectus: animal autem eſt genus vt eſt obiectiuè in intellectu; ſicut etiam eſt cognitum: ens autem rationis in ſe eſt dependens à cognoſci, vt conſtabit tota ſect. 3.

§. 7. Tertium argumentum: quia hominem eſſe cognitum tantum habet eſſe obiectiuè in intellectu: ergo eſt ens rationis & non reale: conſequentia patet à definitione entis rationis. Antecedens probo, quia eſſe cognitum & eſſe obiectum ſunt idem: ſed eſſe obiectum tantum eſt eſſe obiectiuè in intellectu: ergo eſſe cognitum tantum eſt eſſe obiectiuè in intellectu. Hoc argumento vtitur P. Rubius in logica q. 6. procemiali, vt & ſuperiori. Eſt tamen æquiuocum: etenim ens rationis quod tantum habet eſſe obiectiuè in intellectu, vſurpatur pro ipſo obiecto cognito: nam in obiecto cognito duo ſunt, & cognitio & obiectum: cognitio ſemper eſt ens reale; obiectum autem ſecundũ ſe conſideratum eſt reale ſi poteſt exiſtere: vt homo exiſtens, & poſſibilis: ſi verò obiectum illud ſecundum ſe conſideratum repugnat eſſe, eſt ens rationis: quia obiectum illud nullibi poteſt eſſe niſi in fictione intellectus. Quod ſectione 3. patebit.

§. 8. Quapropter diſtinguo antecedens: homo qui eſt cognitus non habet eſſe niſi obiectiuè in intellectu nego antecedens: homo vt cognitus reduplicatiuè non habet niſi eſſe obiectiuè in intellectu, concedo antecedens: quia eſſe cognitum idem eſt ac repræſentari, & terminare actualiter cognitionem: nego autem conſequentiam: quia ens rationis non debet accipi reduplicatiuè ſub ratione cogniti, ſed ſpecificatiuè. Reduplicatio illa *vt cognitum* reduplicat formaliter cognitionem: quod ſignificatur in antecedenti per illam vocem *hominem eſſe cognitum*: at verò homo cognitus vt cognitus reduplicat ens reale extrinſecum quidem ipſi homini, intrinſecum autem intellectui, cuius æquiuocationis initium dedit Durandus in 1. & 3. n. 10. accipiens eſſe obiectiuum non pro obiecto materiali; ſed pro formalitate & reduplicatione *cogniti*. Aduerte ergo vt aliquod prædicatum ſit rationis & non reale, opus eſſe vt forma illud conſtituens ſit rationis & non realis: vt prædicatum accidentale pendet ab aliqua parte accidentali: ſi autem vtraque pars ſit realis, non poteſt prædicatum eſſe rationis: cognitum autem vt cognitum includit tam pro obiecto quàm pro forma ens reale: obiectum enim eſt homo; forma verò cognitio.

Ex his concludo cognitum eſſe hominem eſſe ens reale: quia ex parte obiecti quidquid reſpondet eſt reale: item & ex parte cognitionis. Quæ eſt ratio formalis qua obiectum eſt cognitum. Vnde obiectum eſſe cognitum eſt prædicatum reale extrinſecum obiecto, quia dicit de ſignificato formali cognitionem ipſam: ſicut hominem eſſe album eſt prædicatum accidentarium: quia reduplicat albedinem intrinſecam homini. Hinc negandum eſt abſolutè *hominem eſſe cognitum* eſſe obiectiuè tãtum in intellectu: illud enim prædicatum includit cognitionem: quæ non ſolum obiectiuè, ſed etiam efficienter & ſubiectiuè eſt in intellectu. Si autem vrgeas *hominem eſſe cognitum* non eſſe niſi eſſe obiectiuè in intellectu. Reſpondeo diſtinctione: ſi conſideres illud prædicatum vt ex parte obiecti, nihil eſſe ex parte ipſius præterquam eſſe obiectiuè in intellectu: tunc autem homo & cognitum accipiuntur materialiter: ſic autem non eſt obiectiuè tantum in intellectu, ſed etiam extra illum. At verò *eſſe cognitum* includit etiam cognitionem de ſignificato formali: tunc autem *eſſe cognitum* quamuis in obiecto eſt extrinſecè, quia cognitio eſt illi extrinſeca; tamen in intellectu eſt intrinſecum: quia denominatio conſtituens eſſe cognitum, quæ eſt formaliter cognitio, intellectui hæret intrinſecè. Quapropter abſolutè nego *hominem eſſe cognitum* eſſe tantum obiectiuè in intellectu, propter reduplicationem cognitionis. §. 9.

P. Rubius in tractatu de ente rationis planè fatetur eſſe plures denominationes extrinſecas reales vt columnam eſſe dexteram, obiectum eſſe viſum & alias: affirmat tamen *eſſe cognitum* formaliter eſſe ens rationis, quia ſic habet præciſè eſſe obiectiuè in intellectu. In explicando hoc *eſſe obiectiuè* ille mihi videtur tam obſcurè verſari vt à me quoque percipiatur obſcurè. Iam enim admittere videtur aliquid reſultans ex cognitione intellectus, quo conſtituatur eſſe obiectiuè, quod infra ex inſtituto impugnandum: iam verò videtur nihil admittere ex cognitione deriuatum obiecto, ſed ait intellectum actibus reflexis poſſe cognoſcere denominationes ſubiecti, prædicati, cæteraſque ſecundarum intentionum, quas intellectus ipſe directis actibus dedit obiectis. Eaque propter cenſet à ſolo intellectu humano entia compingi rationis, quia ille reflectitur in ſecundas ſuas intentiones. Itaque ex ſententia P. Rubij ille reflexus actus facit ens §. 10.

cit ens rationis, quod eſt quædam relatio actus directi ad obiectum ſecundò intentionaliter denominatum.

§. 11. Contra hic author cenſet extrinſecas denominationes captas à forma reali eſſe ens reale: ſed totum id quod conſtituit in hoc genere actuum reflexorum eſt denominatio extrinſeca à forma reali, ergo eſt ens reale. Minor probatur, quia denominatio cogniti per actum directum eſt denominatio extrinſeca à cognitione directa, per quam res dicitur ſubiectum, prædicatum, &c. eſſe autem reflexè cognitum eſt etiam extrinſeca denominatio ab actu reflexo referente ſecundam intentionem directam ad rem quam in ratione obiecti denominat ſubiectum, prædicatum, &c. Ex hac autem reflexa cognitione nihil reſultat in obiectum magis quàm ex directa. Vnde concludo denominationem extrinſecam obiecti cogniti, & obiectum eſſe cognitum, & illud eſſe obiectiuè in intellectu, eſſe formaliter idẽ Quia quidquid cognoſcitur, per id per quod cognoſcitur, eſt cognitum: hæ enim propoſitiones *Deus nunc cognoſcitur à me, & Deus eſt cognitus nunc à me*, diſtinguuntur in grammatica, nedum in metaphyſica. Igitur ratio eſſendi obiectiuè in intellectu eſt formaliter cognitio: quæ vt extrinſeca eſt obiecto ita & eſſe obiectiuè: at verò & id quod obiectiuè eſt & ratio per quam eſt, habent eſſe à parte rei. Quod ſi actus ille reflexus aliquid fingit in obiecto, iam ens rationis non conſtituetur in extrinſeca denominatione, ſed in fictione, quod ego libenter admitto.

§. 12. Quartum argumentum eſt, quia omnis denominatio eſt opus rationis: ergo non eſt ens reale. Probo antecedens, quia denominatio eſt nominis impoſitio: ſed impoſitio nominis eſt opus rationis: ergo. Reſpondeo & antecedens eſſe falſum, nec conſequentiam bonam. Quia *denominatio* non vſurpatur pro nominis impoſitione, ſed pro effectu formali præſtito ab aliqua forma aut quaſi forma: quemadmodum dicimus album eſſe denominationem intrinſecam ab albedine: id eſt, eſſe effectum formalem intrinſecum: item dicimus columnam eſſe dextram per extrinſecam denominationem à manu hominis dextra, id eſt, eſſe formalem effectum extrinſecum præſtitum ab hominis dextra vt eſt affecta hoc *vbi*. Conſequentiæ autem malitia inde patet, quod nominum impoſitio & ſignificatio eſt extrinſeca denominatio realis ab actu voluntatis, quo hominibus libuit hac voce hoc obiectum ſignificari: vt oſtendi diſp. 8. logicæ.

SVBSECTIO II.

Impugnatur hæc ſententia.

§. 13. HÆc ſententia à multis authoribus docetur non de ente rationis formaliter ſed fundamentaliter: in tertia ſignificatione præmiſſa diſp. logicæ §. 44. eſtque in eo ſenſu vera. Tamen abſolutè cenſendum eiuſmodi denominationes à formis realibus non eſſe abſolutè entia rationis, ſed realia. Quam ſententiam apertè docent omnes authores qui negant ens rationis eſſe logicæ obiectum, quos ibidem recenſui diſp. 1. §. .... eamque docet P. Suarez in metaphyſica diſput. 54. ſect. 2. num. 10. & P Rubius tract. de ente rationis.

§. 14. Probatur primùm à priori: quia ens rationis eſt formaliter extra totum conceptum entis realis: ſed hæ denominationes extrinſecæ non ſunt extra totum conceptum entis realis: ergo hæ denominationes non ſunt ens rationis. Niſi maior concedatur, reditur ad quæſtionem de nomine: & probatur, quia hic agimus de ente rationis vt opponitur enti reali: ſic enim dicimus ens rationis non habere eſſe niſi per imitationem entis realis, illudque fieri à ſolo intellectu humano: at quod includitur in conceptu entis realis vt ſic, non opponitur conceptui entis realis vt ſic: Item de omni ente reali tam intrinſeco quàm extrinſeco actum eſt iam in toto Philoſophiæ decurſu: cum enim ageretur de actione, non verſabamur in explicando attributo entis rationis, ſed realis. Produci enim à parte rei, atque producere, in ſola quadrant entia realia, non rationis. Liquet ergo ens rationis abſolutè vſurpatum eſſe extra conceptum entis realis vt ſic.

Extrinſecas autem denominationes non eſſe extra conceptum entis realis vt ſic probatur: primùm, §. 15.
quia omnis denominatio ſequitur qualitatem formæ denominantis: denominatio enim à forma ſubſtantiali eſt ſubſtantialis; accidentalis verò à forma accidentali; à forma autem intrinſeca denominatio eſt intrinſeca; extrinſeca verò ab extrinſeca. Præſto eſt ratio, quia denominatio conſiſtit formaliter in forma denominante, ac propterea qualis eſt forma denominans, talis eſt denominatio. Sed iſtæ denominationes ſunt à forma ente reali & non rationis: ſunt enim ab intellectione, ab actione, & aliis realibus formis: ergo ea denominatio eſt realis & non rationis. Differt autem à denominatione intrinſeca per præciſum conceptum formæ intrinſecæ & extrinſecæ: actio enim & cognitio ſunt intrinſecæ ſubiecto & cognoſcenti; extrinſecæ autem agenti & cognito: propter quem modum diuerſimodò denominant: actio enim per extrinſecam ſui denominationem reddit cauſam agentem *agens*; ſubiectum autem *patiens*: cognitio item facit intrinſecè *cognoſcentem*; cognitum autem extrinſecè. Hoc autem diſcrimen non oritur ex diuerſitate formæ denominantis; eſt enim eadem quæ vtrique rei præſtat denominationes diuerſas: ſed oritur ex diuerſo modo, quo illas phyſicè attingit: vt ergo denominatio *cognitis & patientis* eſt intrinſeca realis propter formam realem intrinſecam; ita denominatio *agentis & cogniti* eſt realis extrinſeca denominatio propter formam realem extrinſecam. Et quemadmodum iſta diuerſitas modorum eſt intra conceptum entis realis, quia omnes illos effectus realiter præſtat, & independenter à noſtro intellectu, ſic illa diuerſitas denominationum in concreto eſt intra conceptum entis denominationiſque realis.

Confirmatur primò, quia vt aliquid ſit ens rationis, §. 16.
debet includere aliquem conceptum rationis, & excluſum ab ente reali vt ſic: ſed in his denominationibus extrinſecis nullus concluditur conceptus exul ab ente reali vt ſic: ergo huiuſmodi denominationes non ſunt rationis entia ſed realia. Maior patet, quia ens rationis vel in parte vel in toto includit prædicatum aliquod alienum ab ente reali vt ſic: quemadmodum ens accidentarium includit conceptum aliquem alienum à ſubſtantia vt ſic. Minor autem patet in homine cognoſcente lapidem, & mundum producente Deo. Lapis enim cognitus non dicit niſi in recto propriam ſuam ſubſtantiam quæ non eſt ens rationis: in obliquo autem ſolam connotat cognitionem vnitam potentiæ cognoſcenti, quæ eſt etiam ens reale: præter hæc nihil dicit *lapis cognitus*: vnionem enim nullam habet cum cognitione niſi intentionalem, qua obiectum dicitur vnitum potentiæ; hæc autem vnio eſt ipſa cognitio vt vnita po

ta po

ta potentiæ: ergo cognitus lapis nullum conceptum includit non realem. In actione res eſt non magis obſcura: mundus enim productus & Deus producens actioque ipſa reales ſunt: inter Deum autem & actionem non interiicitur vnio.

§. 17. Confirmatur ſecundò: quia Deus à parte rei ante noſtram cogitationem eſt phyſicè agens; & obiectum phyſicè cognitum, vt abunde probabo à §.39. ergo à parte rei & phyſice Deus & obiectum habent eas denominationes: ergo ſunt denominationes realiter rebus ipſis conuenientes & non ratione noſtra: ergo ſunt denominationes reales & non rationis. Probo conſequentiam euidenter, quia ens reale vt ſic eſt quod à parte rei exiſtit: ita denominatio realis eſt quæ exiſtit à parte rei: quæ ſi exiſtit intrinſecè, eſt denominatio realis intrinſeca: ergo eadem ratione denominatio quæ exiſtit à parte rei extrinſecè, erit realis extrinſeca.

§. 18. Secundò argumentor ab abſurdo: quia denominationes phyſicæ reales eſſent entia rationis: quales ſunt denominatio agentis: Deus enim eſt realiter agens per actionem illi extrinſecam: & color eſt realiter viſus per viſionem ipſi extrinſecam: bonum realiter amatur per extrinſecum amorem: hæc autem ſunt abſurda: ergo. Probo minorem, quia eſſet ens reale phyſicum aliqua ſpecies entis rationis: item eſſet aliud ens voluntatis, quia quemadmodum extrinſeca denominatio ab intellectu eſt per te ens rationis, ita extrinſeca denominatio à voluntate erit ens voluntatis; denominatio autem extrinſeca viſus erit ens viſus: nec verò ſolum homo ſed & Deus & bruta efficerent entia rationis. Et quamuis hæc quæſtio reuocatur ad nomen, tamen quia ens rationis abſolutè ſolet vſurpari pro ente habente eſſe obiectiuè tantum in intellectu, ideo hæc propoſui, vt animaduertatur, vocem *ens rationis* abſolutè prolatam non quadrare in omnes denominationes extrinſecas.

SECTIO II.

Vtrum ens rationis ſit aliquid deriuatum ex denominatione extrinſeca reali.

§. 19. PRimum argumentum & duæ confirmationes, quibus nunc probaui denominationes extrinſecas eſſe reales, euincunt apertè ens rationis abſolutè non poſſe in illis conſiſtere: nunc autem diſquiro vtrum ex his denominationibus extrinſecis aliquid deriuetur in obiecta, quod verè ſit ens rationis nullum habens eſſe à parte rei, ſed obiectiuè tantum in intellectu.

SVBSECTIO I.

Sententia prima.

§. 20. NOnnulli ſunt opinati nihil deriuari ex actibus voluntatis, aut aliarum potentiarum in obiecta, quod verè ſit ens rationis: deriuari autem ex actibus intellectus. Hi authores ſunt bipartiti: alteri exiſtimant ens rationis non deriuari ex actibus intellectus claris & euidentibus; ſed tantum ex actibus confuſis: alteri verò cenſent id deriuari ex omni actu intellectus. Huic parti fauent Magiſter Sotus, P. Rubius, & alij quos adduxi diſputat. 1. logicæ à §.45. item P. Rubius tractatu de ente rationis, vbi aſſerit ex ſolis actibus intellectus entia rationis oriri, non verò ex actibus aliarum facultatum. Ingenuè fateor aut mei paruitatem ingenij, aut horum authorum obſcuritatem. Sotus enim & Rubius in conſtituendo ente rationis non videntur gradi pedibus æqualibus: iam enim videntur conſtituere ens rationis in ſola extrinſeca denominatione intellectus; iam in aliquo ab ea denominatione diſtincto. Cum autem exiſtimaui me percepiſſe doctrinam P. Rubij, viſi conſtituere ens rationis in eſſe obiectiuo in intellectu diſtincto à reali denominatione cognitionis vt dixi §.10. cum hæc (inquam) exiſtimaui, video ab eodem acceptum authore ens rationis fieri ab intellectu, quia ipſe ſolus ſe flectit in actiones ſuas: vbi conſtituere videtur ens rationis in cognitione reflexa conſiderante denominationes ſubiecti & prædicati, quas actus directus dedit obiectis. Sit autem illorum ſenſus, aliquid ex actibus reſultare, aut non reſultare. Si ſecundum, iam ſunt impugnati ſect. ſuperiori: ſi primum, impugnandi ſunt: nec quidem hac ſubſectione difficultatem totam ad viuum reſecabo; ſed tantùm oſtendam nullum eſſe diſcrimen inter actus intellectus & aliarum potentiarum; neque intra intellectiones claras & obſcuras.

Dico igitur primò, *eamdem eſſe rationem actus clari & obſcuri cur ex eis reſultet ens rationis diſtinctum ab actu & obiecto.* Probatur, quia vis illa quaſi efficiendi ens rationis aut oritur ex actuum perfectione, aut imperfectione: non ex perfectione: quia actus clarus perfectior eſt obſcuro in idem obiectum: item actus angelici & diuini ſunt perfectiores, qui tamen per te non quaſi efficiunt hæc entia rationis: ergo hæc vis illorum quaſi factiua non oritur ex perfectione. Neque item oritur ex imperfectione, quia ſenſiones externæ imperfectiores ſunt intellectione obſcura: nec tamen per te habent illam vim quaſi effectricem entium rationis: ergo hæc non innititur actuum imperfectioni. §. 21.

Reſpondeat fortaſſis aliquis, eam vim oriri ex obſcuritate actuum intellectus. Contra, nihil habet actus obſcurus ob quod hæc vis illi poſſit adſcribi quod non habeat clarus. Rem enim obſcurè cognoſci quid habet ad fundandum ens rationis quod non habeat rem eandem clarè cognoſci? Deinde pone actum fidei obſcurè terminatum adexiſtentiam reuelationis de Trinitate: pone item actum clarum ſcientiæ infuſæ, cognoſcentem clarè eandem reuelationem per ſpeciem immediatam, vel mediatam, nempe cognoſcendo euidenter actum fidei circa eandem reuelationem: inter hos duos actus alterum clarum & alterum obſcurum quod poteſt eſſe diſcrimen quo alterum fundet ens rationis altero non fundante? Vterque enim concipit rem ſingularem in ſingulari; vterque per ſpeciem alienam, per quam cognoſcimus Deum etiam euidenter, quin fundetur hoc ens rationis. Tandem multæ ſenſiones externæ ſunt obſcuræ: vt cum quis veſperaſcente die cognoſcit confuſè colorem illum, nec valet illum diſcernere à fuſco; tunc formatur obſcura cognitio de tali obiecto: obſcuritas autem intellectionis oritur ab obſcuritate ſenſionis. Si enim viſus attingeret diſtinctè nigrorem, diſtinctè etiam apprehenderetur intellectu; vt ſæpius oſtendi: nec tamen ſenſio per te producit illud ens rationis: ergo obſcuritas cognitionis non eſt fundamentum entis rationis. §. 22.

Reſpondebit aliquis ſecundò, non quamcumque obſcuritatem actuum eſſe principium entis rationis, ſed illam qua conſtituitur obiectum vniuerſale: verbi gratia, cognitio qua conſtituitur genus, ſpecies, &c. quia denominatio generis aut ſpeciei §. 23.

ſpeciei eſt denominatio rationis, & non realis: ergo oritur ab aliquo ente rationis, quod non potuit fieri niſi per actum conſtituentem genus, ſpeciem,&c. Reſpondeo multa falſa hic implicari:nam enim oſtendi diſput. 5. à §. ... rationem formalem generis & ſpeciei non diſtingui ab actibus intellectus. Admiſſa tamẽ ea ſententia probo eandem eſſe rationem de intellectionibus claris, & ſenſionibus viſus. Quia ſicut à parte rei nulla eſt denominatio generis,aut ſpeciei, ita nec eſt denominatio ſyllogiſmi expoſitorij,neque ſubiecti, neque prædicati: ſed omnes iſtæ ſunt rationis denominationes:ergo ſicut ratio generis eſt denominatio rationis,ita denominatio ſubiecti, prædicati, & in ſyllogiſmum conſtituti erit denominatio rationis. Et quemadmodum ex cognitione rei vt eſt, nullum ſequitur per te ens rationis:cur ſequetur ex cognitione præciſiua rei aliter ac eſt? cum totum diſcrimen harum cognitionum, & denominationum quas tribuunt obiectis, ſit penes actus ipſos clarè & obſcurè attingentes obiecta.

§.24. Adde ſæpe obiectum oculis videri aliter ac eſt: quamuis enim ſenſus externus non facit vniuerſale logicum, negari tamen non poteſt ſæpe ab illo obiecta repræſentari valde diuersè ac ſunt. Vt enim intellectualis apprehenſio coloris repræſentat clarè rationem communem coloris vt ſic non penetratis albedine & nigredine; ſic viſus repræſentat interdum tam obſcurè colorem aliquem, vt non penetret propriam eius differentiam: ergo repræſentat colorem illum aliter ac eſt: quia cum ipſe ſit à parte rei, & in particulari candor, viſione non exprimitur candor in particulari. Neque nunc diſputo an ſenſus verè efficiant vniuerſalia, aut habeant vim præciſiuam: dixi enim diſput. 5. à §. ... quæ ſenſi, ſed tantum volo ſæpe cognitione externa obiectum repræſentari vt eſt; ſæpe etiam aliter ac eſt: cur ergo ex hac ſecunda cognitione non ſequetur aliud ens quod non ſit à parte rei, ſed tantùm obiectiuè in viſu ad eum modum quo ex intellectione ſequitur denominatio generis?

§.25. Sententia P. Rubij eadem ratione impugnatur: quia ſicut rem eſſe intellectam eſt eam eſſe obiectiuè tantùm in intellectu, ita eam eſſe amatam,viſam & auditam eſt eſſe obiectiuè tantùm in voluntate, auditu, & viſu Quia intelligi & eſſe obiectiuè in intellectu, & eſſe intellectus obiectum ſunt ſynonyma: ergo eſſe obiectiuè in voluntate, auditu, & viſu, & eſſe earum facultatum obiectum, & eſſe obiectiuè in illis ſunt etiam ſynonyma:ergo ex illarum actibus reſultat eſſe amatum, auditum & viſum ſicut ex intellectione eſſe cognitum: ergo ſicut eſſe cognitum interiicitur inter cognitionem & obiectum,eſtque per te diſtinctum à denominatione cogniti, idem etiam erit in eſſe amato, audito, & viſo

§.26. Reſponderi poteſt ex doctrina P. Rubij ſolum intellectum habere vim reflexiuã in eſſe: ens autem rationis ab hac reflexione pendere. Contra primò, quia etiam volũtas potitur eadem vi reflexiua:ergo ſicut intellectus reflexè cognoſcit eſſe obiectiuum quod ſui actus directi obiecto dederunt:ita voluntas amabit reflexè eſſe obiectiuum ſui obiecti. Deus item dat obiectis à ſe cognitis eſſe obiectiuum,& in illud reflectere poteſt, efficiet ergo ens rationis.

§.27. Tertiò impugnatur à priori, quia ante actum reflexum erat aliquid diſtinctum ab actu & obiecto: nam illud eſſe obiectiuum quod tu conſtituis, eſt diſtinctum ab actu denominante & obiecto denominato: quia per te ſi non eſſet diſtinctum, non eſſet ens rationis, ſed denominatio extrinſeca realis: ſed eſſe amatum & eſſe viſum eſt obiectiuè tantum in potentia, ergo eſt aliquid diſtinctum ab actibus denominantibus, & ab obiectis denominatis: vel ergo eſt ens reale vel rationis: nullum enim eſt ens niſi reale aut rationis:ſed non eſt ens reale: ergo eſt ens rationis: ergo ab alio quàm ab intellectu fit ens rationis: ergo per cognitionem intellectus terminatam ad illud eſſe viſum,complebitur ens rationis: quia cognoſcetur ſicuti eſt,ſicut cognoſcitur per actum reflexum ens factum per actum directum. Quod ſi eſſe cognitum nihil ponit diſtinctum à cognitione & obiecto, actus reflexus non faciet ens rationis,quia reflexus actus tantum habet pro obiecto denominationem extrinſecam datam obiectis ab actu directo: at intellectio cognoſcit etiam denominationem viſi viſione coloribus datam: ergo eadem eſt ratio in intellectu & cæteris potentiis. Quod ſi refugis appellare ens rationis id quod fit ab aliis potentiis,erunt quidem multa entia, alia realia, rationis alia, alia voluntatis,viſus,&c.

Arguunt: ens priùs habet eſſe quàm cognoſcatur: ergo ens rationis priùs fit quàm cognoſcatur: ergo per actum directum habet eſſe antequam reflexè noſcatur: Reſpondeo conſtitutũ ex §.52. ens rationis priùs habere eſſe quàm cognoſcatur reflexè ſub cõceptu entis rationis, non verò priùs quàm directè noſcatur: quia in ente rationis idem eſt formaliter eſſe & cognoſci directè. Eo tamen prætermiſſo eandem eſſe rationẽ de actu claro & confuſo: vt enim per te priùs fit per actum obſcurum quàm cognoſcatur, ita fiet per actum clarum. Eſt item eadem ratio de actibus intellectus & aliarum facultatum: quæ priùs faciunt ſuum ens rationis, vel ſuum ens voluntatis aut viſus, deinde verò cognoſcetur ab intellectu. Iam autem monui ſcopum huius ſubſectionis eſſe oſtendere nullum eſſe diſcrimen inter intellectus actus claros & obſcuros; neque inter hos & aliarum potentiarum. §.28.

SVBSECTIO II.

Proponitur ſententia, deriuari ens rationis ex omni denominatione extrinſeca.

SIt ſecunda ſententia, ex omni denominatione extrinſeca deriuari quoddam ens,medium inter formam denominantem & ſubiectum denominatum. Hæc ſententia non quia noua diſplicet, nec quod ſit ſine authore vllo, ſed quod ſine vllo fundamento aſſeritur. Quam libet ex inſtituto proponere,& argumentorum inanitatem oſtendere. Primùm ergo præmittitur, ens rationis eſſe ***quod non habet eſſe niſi obiectiuè in intellectu***: ſiue, ***cuius totum eſſe in cognoſci conſiſtit***. Quo ens rationis diſcriminatur à reali: hoc enim eſſe habet præter quam cognoſci: id eſt, habet aliud eſſe obiectiuum ab eſſe diſtinctum: quamuis enim habet eſſe obiectiuè in intellectu, habet etiam à parte rei eſſe actuale vel poſſibile:ob quod non degenerat à cõceptu entis realis. §.29.

Secundò aſſeritur ens rationis eſſe diſtinctum à denominationibus extrinſecis. Probatur primò, quia experientia conſtat multas denominationes extrinſecas nouè aduenire ſubiecto, & adimi abſque ſubiecti mutatione: ſed nihil reale aduenit aut adimitur ſubiecto abſque ipſius mutatione: ergo illæ variæ denominationes ſunt ens rationis. Maior patet,quia Deus immutatus ex non Domino & non creante,& non vnito humanitati, redditur in tempore creans,Dominus, & vnitus. Item homini accidit denominatio Prætoris, & voci ſignificatio libera. §.30.

libera. Reſpondeo primùm hanc probationem cum concluſione pugnare, qua dicitur hæc entia rationis differre à denominationibus extrinſecis;in conſequenti autem infertur,*ergo illæ denominationes ſunt aliquid rationis*. Sunt ergo aliquid rationis in conſequenti; & non ſunt aliquid rationis in concluſione.

§. 31. Reſpondeo ſecundò, eas denominationes non eſſe ens rationis,quia exiſtunt reliter à parte rei independenter à noſtra cognitione, vt dicam à §. ... Ad argumẽtum ergo in forma diſtinguo minorem: nihil intrinſecum poteſt addi aut detrahi ſubiecto abſque ipſius mutatione, concedo minorem; nihil extrinſecum,nego minorem:iam enim oſtendi §.7. & 15. ens reale non indigere intrinſeca inhærentia omni ſubiecto; ſed ſufficere vt ſit alicubi intrinſecum. Probatio maioris in parte eſt falſa,& vniuerſim non è re. Deus enim eſt phyſicè creans & vnitus humanitati; non verò ratione noſtra. Conſequentiam autem eſſe malam patet,quia denominatio viſi eſt denominatio realis extrinſeca à viſione, denominatio prætoris à voluntate Principis:denominatio ſigni in voce à voluntate imponentis: ac propterea non ſunt entia rationis ſed realia.

§. 32. Huic tam apertè reſponſo fiet aliquis obuius: iſtæ denominationes in ſubiectis denominatis habent aliquod eſſe: ſed non eſſe reale,ergo rationis. Maior patet:quia ſubiectis communicant ſuos formales effectus. Reſpondeo, hoc quoquo argmentum cum concluſione pugnare: nam ſi iſtæ denominationes diſtinguuntur ab ente rationis, ergo iſtæ formaliter non communicant ſuos effectus,ſed illos cõmunicabit ens rationis ab ipſis deriuatum. In forma diſtinguo maiorem, habent aliquod eſſe intrinſecum ſubiecto denominato extrinſecè, nego maiorem: habent aliquid extrinſecè, concedo maiorem. Si enim extrinſecè ſunt, quid intrinſecum ſubiecto appinget extrinſeco? ecqua eſt hæc terminorum implicatio? Eadem ratione diſtinguo minorem: communicant enim extrinſeco ſubiecto ſuos effectus extrinſecè; non verò intrinſecè. Diſtinguo item minorem: hoc eſſe communicatum non eſt reale intrinſecum ſubiecto intrinſeco,concedo minorem; non eſt reale extrinſecum ſubiecto extrinſeco, nego minorem & conſequentiam.

§. 33. Rurſus obiicies: quando ſubiectum denominatum non habet realem habitudinem effectus aut cauſæ, aut aliam huiuſmodi, ad formam extrinſecam, non accipit denominationem immediatè ab illa,ſed ab aliqua forma rationis ex illa pullulante: ſed Deus, & alia eiuſmodi ſubiecta extrinſeca non dicunt habitudinem effectus, aut cauſæ, aut aliam huiuſmodi ad formas extrinſecas actionis,vnionis, viſionis, præturæ, & ſigni; ergo non denominantur immediatè ab illis formis, ſed ab ente rationis pullulante. Maior patet, quia medicina ea ratione dicitur realiter ſana à ſanitate extrinſeca animalis; quia dicit habitudinem cauſæ ad illam: & lotium eſt ſanum, quia eſt realiter ſignum ſanitatis: quia quod facit realis & intima cõiunctio in formis intrinſecis vt nominent intrinſecè ſua ſubiecta, hoc facit intrinſeca habitudo per quam cauſa quodammodo vnitur effectui. Secundò probatur eadem maior:quia quando ſubiectum denominatum non dicit eam realem habitudinem ad formam extrinſecam,ab illa non accipit denominationem extrinſecam proximè & formaliter ſed remotè & cauſaliter: ſicut eſſe veſtitum non tribuitur immediatè à veſte adiacente, ſed ab alia forma intrinſeca: ſic Deum eſſe viſum non oritur immediatè à viſione, ſed à quadam relatione rationis: quia homo aut Deus nullam dicunt habitudinem ad has formas extrinſecas, vt ab illis denominentur.

Multa hoc argumentum peccat: primum enim pugnat cum argumento propoſito §.32. vbi probari contenditur has formas extrinſecas communicare extrinſecis ſubiectis ſuos formales effectus: hoc autem argumentum probat rem eſſe viſam non eſſe effectum formalem viſionis,ſed cuiuſdam entis rationis; à viſione autem eſſe effectiuè & remotè: vt calor ignis communicat manui ſuum formalem effectum impropriè quidem dum in manu producit alium colorem: ergo viſio non denominat propriè obiectum viſum, neque ille propriè communicat ſuum formalem effectum, neque ad hoc indiget ente rationis,quæ omnia pugnant cum dictis §.32. §. 34.

Deinde argumentum propoſitum §.33. vitioſam habet vtramque præmiſſam. Maior enim eſt falſa: licet enim ſubiectum nullam habeat habitudinem ad formam extrinſecam,tamen ab illa denominatur immediatè & formaliter extrinſecè, quamuis non intrinſecè. Quod probo primùm ad hominem euidenter vt arbitror: quia Deus nullam dicit habitudinem cauſæ ad ens rationis quo à te fingitur denominari viſus, magis quàm ad viſionem ipſam: imo multo minus,quia entis rationis Deus non eſt cauſa,eſt autem viſionis: & tamen per te Deus dicitur immediatè viſus eo ente rationis tanquam à forma: ergo eadem ratione denominabitur immediatè à forma extrinſeca ad quam non dicit habitudinẽ cauſæ. Secundò probatur à priori:quia quamuis ſubiectum non dicat habitudinem ad formam extrinſecam,hæc tamen poteſt dicere immediatam habitudinem & eſſentialem ad ſubiectum: ergo hæc poterit denominare ſubiectum. Probo conſequentiam,tum quia per te ſubiectum denominaretur ſi diceret habitudinem ad formam: vnde concluditur & formam denominare; quia dicit ordinem illum: tum etiam, quia forma immediatè reſpiciens ſubiectum illud facit *vt quod*, qualis ipſa eſt *vt quo*, vt patebit inferius. §. 35.

Ad primam probationem maioris reſpondeo primùm, medicinam non eſſe formaliter ſanam à ſanitate animalis niſi per metaphoram: eſt enim medicina formaliter ſanatiua per intrinſecam ſuam virtutem: lotium etiam eſt intrinſecè & formaliter effectus ſanitatis, aut ægritudinis: eaque propter dicuntur metaphoricè ſana aut ægra à ſanitate animalis. Nec enim ſpecies impreſſa dicitur videns à viſione; quamuis eſt principium illius: dicitur tamen viſiua, id eſt, habens vim ad viſionem: quod eſt illi formaliter intrinſecum. Secundò reſpondeo, nihil inde probari; quia & ſubiecta quæ dicunt habitudinem ad formas extrinſecas,& quæ non dicunt, denominantur immediatè ab his formis: quia quod per te facit intrinſeca habitudo ſubiecti ad formam,facit non repugnantia eiuſdem ſubiecti ad talem formam. Quod patet ad hominem, quia non repugnantia ſubiecti ad ens rationis facit vt illo denominetur: quo ergo priuilegio gaudet ens rationis vt poſſit denominare ſubiectum quod ad ipſum nullam dicit habitudinem, hoc autem priuilegio careat forma extrinſeca? §. 36.

Ad ſecundam probationem eiuſdem maioris eodem §. 33. reſpondeo, forma immediatè verſante circa ſubiectum extrinſecum, hoc denominari ſine vllo ente rationis. Eſt enim ex terminis notũ Deum non dici viſum niſi à ſola viſione, vt oſtendam à §.... Quod autem affertur de veſtibus frigidum eſt: quia hominem eſſe veſtitum eſt denominatio extrinſeca à veſtibus. Deinde ſit intrinſeca:quid inde? veſtes enim nec ſunt corporis forma,neque ad illud §. 37.

dicunt

dicunt vllam habitudinem intrinſecã: viſio autem eſt forma extrinſeca obiecti,& eſt eſſentialis habitudo ad illud: ergo non arguitur aptè: quia ad negandam communicationem effectus formalis arguitur à non forma ad formam, & à carentia habitudinis ad ſubiectum ad habitudinem ipſam. Hæc de maiori propoſitione.

§. 38. Minor autem eiuſdem §. 33. eſt etiam falſa: Deus enim per ſuam omnipotentiam eſt cauſa omnium creaturarum ſiue ſint termini abſoluti, ſiue ſit actio qua producitur: omnis enim actio Dei habet eſſe ab ipſo Deo per immediatam & eſſentialem dependentiam ab eodem: ergo Deus denominabitur immediatè agens ab actione; quia per te ſufficit in ſubiecto denominato habitudo cauſæ ad formam denominantem. Creaturæ autem non ſolum ſunt cauſæ ſuarum actionum connaturalium, ſed etiam dicunt ordinem tranſcendentalem ad illas. Item color tam eſt cauſa viſionis quàm aqua frigiditatis. Quemadmodum enim aqua per ſuum frigus manum infrigidat, ſic color per ſpeciem impreſſam efficit viſionem: & Deus immediatè producit in Beato viſionem ſui ſupplente diuina eſſentia ſpeciei impreſſæ concurſum actiuum: ergo Deus dicetur immediatè agens & viſus, item & color viſus ab actione & viſione; idem dico de agente creato.

SVBSECTIO III.

Impugnatio prima eius ſententiæ.

§. 39. Conſtat eam ſententiam nulla ratione vel leuiter probari: nunc impugnanda eſt à priori, & oſtendendum id quod fingitur ex denominatione extrinſeca deriuari, nõ eſſe ens rationis ſed reale. Quod ita probo: primùm, quia illud ens eſt à parte rei ante operationem intellectus: ergo eſt ens reale. Conſequentia patet à definitione entis realis, quod à parte rei habet eſſe actu vel potentia: quæ definitio opponitur definitioni entis rationis quod non habet eſſe niſi dependenter ab operatione intellectus: quam definitionem oſtendi §. 29. ex authore oppoſitæ ſententiæ. Antecedens probo: primùm in Deo, qui antequam exiſtat intellectus creatus, erat agens ſaltem in aliquo priori naturæ: quidquid autem de facto ſit, potuit Deus ante omnem intellectum creatum producere ſolem: tunc Deus eſſet agens formaliter: & nullus eſſet intellectus à cuius operatione dependeret ens rationis: ergo illa ratio per quam Deus eſſet agens, non dependeret ab intellectu. Deum tunc futurum agentem, probatur: quia tunc à parte rei eſſet actio per quam terminus eſſet actus: ſed nihil poteſt eſſe actum niſi fiat ab aliquo: ergo eſſet aliquod agens: quia omne id à quo aliquid fit eſt agens. vt enim nihil poteſt eſſe productum niſi ab aliquo producente, ita neque actum niſi ab aliquo agente.

§. 40. Reſpondebis primò, Deum tunc non eſſe formaliter agentem ſed fundamentaliter. Contra, tunc materia ſolis eſſet formaliter creata: ergo & Deus formaliter creans, quod eſt ſpecies agentis. Conſequentia patet, quia quidquid eſt formaliter creatum, eſt à parte rei ab aliquo creante formaliter: quia nulla denominatio paſſiua producti poteſt eſſe à parte rei ſine denominatione actiua: eſt enim in veteri prouerbio *paſſio ſequitur actionem.* Antecedens probo, quia tunc ſol ſecundum ſuas partes eſſet iam formaliter exiſtens. ergo eius materia eſſet formaliter creata: probo conſequentiam, quia omnis creatura formaliter exiſtens eſt formaliter dependens à Deo: quia exiſtentia creata non poteſt exerceri ſine actuali dependentia à Deo. Equidem mirum eſſet, ſole iam creato & exiſtente, dicere Deum nihil creaſſe. Præterea rogo, vtrum creatio fundamentalis ſit abſolutè creatio & dependentia creaturæ à Deo. Si non eſt, ergo Deus abſolutè non eſt creans ante actualem operationem intellectus: & hęc propoſitio eſſet falſa *In principio creauit Deus cœlum & terram:* tam ridicula ſunt hæc, vt hominem pudeat ea probare, aut improbare oppoſita.

Obiicies ſecundò ab æterno exiſtere intellectum diuinum quo facta fuit denominatio agentis. Contra, intellectus diuinus nullũ facit ens rationis præter priuationem & negationem: quia cætera rationis entia pendent ab imperfecta cognitione. Deinde intellectus diuinus tantùm repræſentat rem vt eſt, non verò aliter ac eſt. Cum Deus cognoſcit ſe eſſe creantem, quid reſpondet ex parte obiecti diſtinctum à cognitione Dei? reſpondet quidem creatura cum productione per quam facta eſt dependenter à Deo: ergo cognitio diuina terminatur ad formalem dependentiã creaturæ ab ipſo: ergo per talem dependentiam ſic à cognitione diſtinctam eſt creatura producta à Deo: ergo etiam ex parte obiecti reſpondet Deus vt producens abſolutè: ergo hæc denominatio abſolutè producentis non dependet ab intellectione diuina, ſed ab eius omnipotentia & actione. §. 41.

Confirmatur, quia creaturæ ab æterno cognoſcuntur & amantur à Deo realiter: ergo denominatio cogniti & amati conuenit obiecto creato à parte rei. De antecedenti dubitari non poteſt, homines enim ſunt ab æterno prædeſtinati: & cum Deus ſit ab æterno cognoſcens, etiam creaturæ ſunt ab æterno cognitæ: quia à parte rei creaturam Deus non poteſt cognoſcere, quin creaturæ ſint cognitæ à Deo: pueri enim primam orationem actiuam vertunt per paſſiuam: *ego amo Deum, Deus amatur à me:* ſuntque iſtæ propoſitiones de eodem obiecto & ſynonymæ. ergo ab æterno exiſtit denominatio, qua creaturæ cognitæ ſunt. Probo conſequentiam, quia nihil poteſt eſſe ab æterno denominatum quin ſit ab æterno ratio denominandi: ſicut neque album ſine albedine. Sed ab æterno nihil eſt abſolutè exiſtens præter entitatem diuinam: ergo ab æterno nihil eſt diſtinctum à cognitione diuina, quo creaturæ ſint abſolutè cognitæ, vel illud erit exiſtens realiter ab æterno. §. 42.

Reſpondebit aliquis, creaturas eſſe ab æterno abſolutè cognitas, non tamen eſſe ſiue exiſtere ab æterno rationem per quam proximè ſunt cognitæ: quia vt ſint abſolutè cognitæ, ſufficit vt ſit denominatio cogniti eo modo quo poteſt eſſe: cumque hæc abſolutè non poſſit exiſtere, non eſt opus vt exiſtat abſolutè. Quemadmodum qui caret viſu, eſt abſolutè cæcus, non quod cæcitas ſit abſolutè, quia cum nihil ſit, non poteſt abſolutè eſſe. Contra: homo à parte rei eſt cognitus à Deo ab æterno: ergo à parte rei eſt ab æterno ratio per quam eſt cognitus: ergo hæc ratio eſt ens reale: prima conſequentia iam eſt probata: probatur ſecunda, quia quidquid eſt à parte rei, eſt reale. Ad argumentum reſpondeo nullum effectum formalem poſſe eſſe à parte rei quin forma ſit etiam à parte rei. Ad exemplum reſpondeo hominem eſſe abſolutè cæcum perinde eſſe ac abſolutè non habere viſum: propterea non eſt abſolutè viſus: in quo ſenſu dicimus eſſe priuationem & eſſe cæcum. Itaque eo modo quo eſt cæcus, eſt priuatio: id eſt, non eſt viſus neque videns: quod per abuſum dicimus eſſe cæcum, & eſſe priuationem viſus. §. 43.

SVBSECT

SVBSECTIO IV.

Impugnatio ſecunda.

§. 44. Secundæ probationi præmitto doctrinam aduerſariorum diſtinguẽtium ens rationis ſecundum eſſe actuale & formale ab eodem ente ſecundum quaſi proximam cauſam veluti materialem. In primo ſenſu à ſolo intellectu efficitur ens rationis, quando illud actu conſiderat: in ſecundo verò non ſolùm fit ab intellectu, ſed etiam à viſu cæteriſque potentijs: imo dextera animalis cauſat relationem dexteritatis in columna ſecundum eſſe fundamentale entis rationis; necnon actio efficit fundamentum idem.

§. 45. His conſtitutis ſic argumentor: illud eſſe fundamentale entis rationis eſt aliquid diſtinctum à cognitione, actione, & dextera, antecedens cognitionẽ per quam fit formaliter & actualiter ens rationis: ſed quidquid eiuſmodi eſt, eſt ens reale: ergo illud ens rationis fundamẽtale eſt ens reale. Maior datur ab aduerſarijs vt cõſtat ex § 30. quia nolunt actionem, aut viſionem communicare immediatè effectum formalem agentis & viſi: alioquin agens & viſum eſſent denominationes reales extrinſecæ quod contendimus. Minor probatur, quia illud fundamentum relationis eſt à parte rei ante actualem noſtram conſiderationem per quam conſtituitur in eſſe actuali & formali entis rationis: ſed quidquid exiſtit independenter ab operatione intellectus, eſt ens reale: ergo id fundamentum eſt ens reale Maior eſt ipſa ſententia aduerſariorum, conſtituentium in actione & viſione fundamentum entis rationis actualis diſtinctum ab actione & viſione. Hoc autem eſſe exiſtere à parte rei probo: quia illud fundamentum eſt in ratione fundamenti diſtincti à viſione & actione: & non eſt per intellectum, neque conſiſtit in cognoſci: ergo eſt à parte rei. Conſequentia patet, quia quidquid eſt, aut eſt à parte rei, aut per intellectum. Maior eſt aduerſariorum, conſtituentium hoc fundamentum ſic diſtinctum vt actio & paſſio conſtituant agens & viſum. minor eſt eorundem: quia dexteritas columnæ nihil facit per intellectum noſtrum, ſed à parte rei.

§. 46. Obijciet aliquis illud fundamentum formaliter nec eſſe ens reale nec rationis, fundamentaliter autem eſſe ens rationis. Contra, illud fundamentum in eſſe fundamenti eſt, & eſt diſtinctum à ſubiecto denominato & forma denominante: ergo eſt ens reale. Probo conſequentiam, quia quidquid eſt, eo modo quo eſt, eſt à parte rei. Imo priuatio ipſa, qua ratione dicitur eſſe, eſt à parte rei, id eſt non eſt forma qua priuat à parte rei. Cum igitur hoc fundamentum ſit & non ſit per operationem intellectus, eſt quidem à parte rei. Quod ipſi dant: prius enim quàm noſter intellectus apprehendat fundamentum illud, iam ſupponitur factum à dextera, & actione, & viſione externa: intellectio autem terminatur ad illud iam factum in ratione fundamenti independentis ab ipſa: ergo in ratione fundamenti iam exiſtentis & diſtincti ab illis formis extrinſecis. Illud autem vocari ens rationis fundamẽtale nihil obeſt: albedo enim eſt fundamentaliter relatio prædicamentalis; eſt tamen formaliter ens abſolutum: Sic id ens eſt fundamentaliter ens rationis, formaliter autem ens reale. Si non conſtitueretur illud fundamentum diſtinctum à forma extrinſeca, non vrgeret hoc argumentum: quia forma ipſa eſſet fundamentaliter ens rationis vt dixi diſp. 1. logicæ §. 44. conſtituere autem independenter ab intellectu aliud fundamentum, eſt conſtituere aliud ens reale.

Confirmatur: conſideremus aliquam intellectionem creatam aut increatam terminari ad hoc §. 47. fundamentum vt diſtinctum ab actione: eiuſmodi cognitio repræſentat aliquid diſtinctum ab ipſa, item ab agente & actione: & id quod repræſentat, non fingit, ſed eſt vt per ipſam repræſentatur: quod de cognitione diuinà certius eſt certo: ergo hæc cognitio terminatur ad obiectum habens aliud eſſe diſtinctum ab obiectiuo in intellectu. Probo conſequentiam, quia prius natura vt ratione quàm illud obiectum cognoſceretur, & eſſet obiectiuè in intellectu, iam habebat eſſe: ergo habet eſſe diſtinctum ab obiectiuo, & non dependens ab actuali cognoſci. Ideo enim actus intellectus verè repræſentat fundamentum illud tribuens denominationem agentis, & ab actione diſtinctum, quia ex parte obiecti reſpondet effectus formalis agentis præſtitus ab eo fundamento immediatè & non immediatè ab actione. Sed quidquid habet eſſe diſtinctum ab obiectiuo & independens à cognoſci non eſt ens rationis, vt ex eius definitione conſtat: ergo eſt ens reale.

Reſpondebis primùm illud fundamentum eſſe §. 48. quidem independenter ab intellectu non tamen eſſe phyſicè ſed medio quodam modo: qui nec eſt realis neque rationis actualiter. Cuius non deeſt exemplum in priuatione, quæ præit cognitioni, & tamen eſt ens rationis. Reſpondeo priuationem ſecundum ſe non eſſe abſolutè ens rationis ſed fundamentaliter, in ſenſu explicato diſp. 1. logicæ §. 44. eo autem modo quo priuatio dicitur eſſe, eſt etiam à parte rei: viſum enim non eſſe realiter, eſt eſſe cæcitatem realiter: & ſicut à parte rei non eſt realiter viſus, ita eſt realiter cæcitas. Abſolutè autem reſpondeo tertium illum modum habendi eſſe, eſſe chymericum & inexplicabilem: quia cum proprius character entis realis ſit exiſtentia independens ab operatione intellectus; & hoc fundamentum entis rationis habeat exiſtentiam independentem ab operatione intellectus; habet exiſtentiam realem & phyſicam.

Quod explico exemplis: exiſtat albedo vna non §. 49. exiſtente alia, tunc exiſtit fundamentum relationis: deinde exiſtat nouè alia albedo, tunc ab vtraque pullulat realis & prædicamentalis relatio: quæ in mea ſententia eſt denominatio extrinſeca vnius albedinis, & intrinſeca alterius vt abunde conſtat ex diſput. 15. in ſententia autem aduerſariorum eſt hæc relatio modus realis, phyſicus, diſtinctus realiter modaliter à fundamento & termino: qui modus tam neceſſariò oritur ex fundamento & termino exiſtentibus, vt non poſſit nec diuinitus non reſultare aliquis. Similiter poſito calore ſine actuali calefactione oritur fundamentum actionis: deinde poſita actione, ſequitur ex illa & calore vt ex fundamento adæquato denominatio agentis, diſtincta per te à calore & actione: quid habet hæc denominatio potius potius quàm relatio illa ob quod altera ſit ens rationis, altera ens reale? quia vtriuſque fundamentũ eſt reale, vtriuſque terminus realis, vtraque denominat independẽter ab intellectu, vtraque eſt intrinſeca vni & intrinſeca alteri: vel ſi hoc negatur, debet etiã oſtendi diſcrimen. Dicam enim ego relationem ſimilitudinis non eſſe magis intrinſecam ſubiecto & termino quàm denominationem agentis actioni & calori. O quoties latebras vocum petunt nonnulli authores vt verbis involutis deliteſcant!

§. 50. Aliud exemplum ſit dextera atque columna: vt enim ex duabus albedinibus germinatur relatio realis; vel vtraque eſt ſimilis per denominationem alterius ab altera; quidni dicatur dextra columna per vbicationem vtriuſque? vel cur ex vbicatione dextræ,& *vbi* columnæ non pullulabit modus aliquis realis quemadmodum eſt ſimilitudo realis? Si autem dicas relationem ſimilitudinis eſſe realem, quia duæ albedines ſunt realiter ſimiles. Reſpondeo eſſe idem per idem: quia extrema eſſe realiter ſimilia & ſimilitudinem eſſe realem, idem ſunt: cur ergo ſunt magis realiter ſimiles, quàm columna eſt realiter dextra: cum dextra atque columna habeant etiam duas vbicationes, quibus nititur dexteritas? Secundò reſpondeo etiam columnam eſſe à parte rei dexteram, quia eius *vbi* eſt à parte rei in ea proportione qua poſſit dextera denominari. Hæ videntur phyſicæ demonſtrationes: poſſuntque applicari cæteris denominationibus extrinſecis, è quibus fingitur eiuſmodi ens rationis pullulare.

SVBSECTIO V.

Duo argumenta ſoluuntur.

§. 51. SVpereſt vt hi authores cõfugiant ad entia moralia, quæ nec ſunt realia nec rationis formaliter: vt dominium, ſignificatio vocum, valor operum & ſimilia. Quibus vno verbo reſpondeo, omnia entia moralia eſſe denominationes intrinſecas aut extrinſecas ab aliquo ente reali: vt dominium diuinum eſt idem cum diuinitate, ſi intelligatur dominium radicale: formale verò eſt actus voluntatis liber, qui quoad terminationem poteſt eſſe & non eſſe in Deo, quo actu Deus poteſt pro libito vti creaturis citra iniuſtitiam. Dominium autem creatum eſt denominatio extrinſeca à voluntate transferentis ius, qua voluntate rem accipiens poteſt citra iniuſtitiam vti pro ſuo libito ea re: ſignificatio vocum eſt denominatio extrinſeca à voluntate eas imponentis: ſicut valor monetæ à voluntate Principis. Valor autem bonorum operum nihil eſt præter extrinſecam denominationem à gratia. Actuum autem moralitas aut eſt illorum ſubſtantia, aut denominatio extrinſeca phyſica à phyſica indifferentia voluntatis & aliis: nullum ergo eſt ens morale, quod non, ſit reale, ſi tale ens morale eſt independenter ab intellectu. Adde ijs entibus nihil iuuari hanc ſententiam: quia entia moralia ſunt in ordine ad prudentem vſum & æſtimationem, ſunt fundamento ab actibus liberis, qui ſunt in genere moris: at verò entia de quibus agimus non ſunt in ordine ad prudentem æſtimationem, nec in genere moris, vt ſit accipiendum fundamentum ab actibus liberis etiam non exiſtentibus: quid ergo habent ſimile?

§. 52. Tandem obiiciunt authores eius ſentētiæ: prius eſt rem eſſe quàm cognoſci: ergo prius eſt eſſe ens rationis quàm cognoſci: ergo per aliquem actum habet eſſe priuſquàm cognoſcatur per alium: & quia habet eſſe per intellectionem præcedentem, ideo non eſt ens reale ſed rationis. Confirmatur, entitas eſt prior veritate, vnitate & bonitate: ergo prius eſt ens quàm cognoſcatur. Reſpondeo ens reſultans independenter à cognoſci ſui, ſed reſultans ex cognitione tantum ſui fundamenti, eſſe etiam ens reale: quia habet eſſe independenter à cognitione ſui, vt dixi de cæteris entibus ortis ex aliis denominationibus. Nam ſenſiones externæ producunt quidem ſpecies impreſſas phyſicas: quas poſſemus dicere non eſſe ens reale ſed rationis: intellectiones item producunt habitum diſtinctum aut non diſtinctum à ſpecie impreſſa,& ex præmiſſis deriuatur concluſio; cur igitur illud ens quod à te fingitur deriuari, non erit eadem ratione ens reale, qua concluſio, ſpecies,& habitus,cum tam ſit independens in ſuo eſſe à cognitione ſui quàm concluſio & ſpecies: & hæ tam ſint dependentes à cognitione ſui obiecti, quàm ens rationis à cognitione ſui fundamenti?

§. 53. Reſponſo præmitto, bipartitam eſſe cognitionem entis rationis: alteram directã & in actu exercito, quæ terminatur ad obiectũ fingens quod non eſt: alteram reflexam & in actu ſignato, qua reflexè cognoſcitur fictũ eſſe in obiecto quod non eſt. Ad argumentum in §. 52. diſtinguo antecedens: res independens in ſuo eſſe à cognoſci priùs eſt quàm cognoſcatur, concedo antecedẽs: quæ verò dependet in ſuo eſſe, priùs eſt quàm directè cognoſcatur & in actu exercito, nego antecedens: quia cum totum eius eſſe ſit fictũ, non poteſt priùs eſſe quàm fingatur: eſt tamen priùs quàm reflexè & in actu ſignato cognoſcatur.

§. 54. Ad confirmationem reſpondetur, ens rationis vt directè cognoſcitur; non habere veritatem obiectiuam ſed falſitatem: quia habet eſſe fictum. At verò reflexè cognitum habet veritatẽ obiectiuam, quia eſt verè cognoſcibile ſicuti eſt: id eſt, cognoſcitur eſſe fictum: quæ cognitio vera eſt. Vt cum quis mentitur, & ego id cognoſco, mea cognitio vera eſt, quia repræſentat mendaciũ alterius ſicuti eſt. Poteſt quidem ens rationis amari, & eſt vnum ante reflexam cognitionem: quia per cognitionem directam conſtituitur indiuiſum à quolibet alio; & poteſt apparere ſub aliqua ratione bonum: itaque vt terminet amorem, ſufficit cognitio directa, quia poteſt repræſentare apparentem bonitatem: at verò licet eſt directè cognoſcibile, non tamen verè, quia tunc eſt cognoſcibile falsò, id eſt actu falſo: veritas autem tranſcendentalis eſt fundamentum cognitionis de ſe veræ: id eſt, eſt veritate tranſcendentali cognoſcibile obiectũ ſicuti eſt: cognitione autem directa ens rationis non eſt cognoſcibile vt eſt, ſed aliter atque eſt, quia eſt obiectum fictum.

§. 55. Huic doctrinæ videtur obeſſe quod bonitas eſt poſterior veritate: priùs enim res eſt cognoſcibilis; quàm amabilis. Reſpondeo id eſſe verum in entibus veris per ſe, non verò in falſis per ſe: ad probationem reſpondeo, ens rationis priùs eſſe cognoſcibile quàm amabile, non tamen per cognitionem veram, quæ fundatur attributo veritatis obiectiuè: illa enim cognitio præcurrens amori dat eſſe enti rationis, quia illud fingit: quia verò fingitur cum apparenti veritate, poteſt amor conſequi fictionem illam.

SVBSECTIO VI.

Impugnatio tertia eiuſdem ſententiæ.

§. 56. TErtium fundamentum ad impugnandam ſententiam propoſitam §. 29. ſumitur contra doctrinam propoſitam §. 33. & oſtendo actionem, cognitionem, & amorem, aliaſque eiuſmodi formas extrinſecas ad communicandos ſuos formales effectus ſubiectis extrinſecis, non indigere alio ente ab eis diſtincto; ſed agens actione ipſa eſſe agens, & ſubiectum ipſa cognitione & amore eſſe cognitum & amatum. Ac primum *agens* eſt prædicatum phyſicum: ergo non includit ens rationis:

tionis: Probo conſequentiam, quia prædicatum phyſicum conſtat ex ſolis phyſicis prædicatis, ſicut prædicatum ſubſtantiale ex ſolis ſubſtantijs: & quemadmodum à ſola forma accidentaria & ex ſubiecto ſubſtantiali eſt prædicatum accidentale; ita à forma rationis & non phyſica, & ſubiecto phyſico, eſt prædicatum rationis & non phyſicum. Antecedens probo, quia *agens* eſt idem ac *creans, educens, generans*, & alia, quæ phyſica ſunt: quis enim dicat calorem non habere vim ad calefaciendum phyſicè, neque Deum ad creandum phyſicè? Alioquin etiam ego dicam denominationem inhærentis, vniti, recipientis, & alias, non eſſe phyſicas, ſed rationis: vt enim id aſſeritur de agente pro ſolo libito, poterit etiam aſſeri de recipiente, & dici ex receptione & vnione pullulare denominationem intrinſecam rationis recipientis & vniti, ſicut tu ais pullulare denominationem extrinſecam agentis: eruntque entia rationis ſubiectis intrinſeca non per inhærentiam phyſicam, ſed per inhærentiam rationis.

§. 57. Secundò idem probatur, quia per productionem angeli, aut caloris, angelus & calor ſunt producti, & acti immediatè ab aliquo diſtincto realiter ab ipſis: ergo immediatè per productionem illam aliquod diſtinctum ab angelo & calore illos produxit, & egit. Hæc conſequentia probari non poteſt, quia eſt ex terminis nota: & qui eius probatione indiguerit, eſt de quo dixit Ariſtoteles 2. phyſic. cap. 1. eſſe nonnullos, qui non capiunt terminos per ſe notos niſi per alios qui non ſunt per ſe noti. Si enim per creationem angelus eſt immediatè creatus à Deo, quî poteſt intelligi Deũ non creaſſe immediatè angelũ per creationem? Si enim per creationem creatus eſt immediatè à Deo, ergo Deus immediatè creauit: quod ſi Deus non creauit immediatè angelum, hic à quo fuit creatus immediatè? Etenim angelus qui eſt immediatè creatus, ab aliquo eſt immediatè creatus: illum enim effectum nõ habet à ſe, ergo ab alio à quo immediatè creatus eſt: ergo Deus immediatè creauit angelum per creationẽ, per quam angelus immediatè eſt creatus ab aliquo. Ergo Deus per creationem fuit immediatè creans angelum: quia qui immediatè creauit, fuit immediatè creans: ſicut qui immediatè creat, eſt immediatè creans: quia vt conſtat ex grãmatica, & ſummulis, idem ſunt aliquem currere & eſſe currentem: imo vt clariores efficiantur ſyllogiſmi, illos cõficimus participijs potius quàm præſentibus. Deus ergo creauit & fuit creans angelum immediatè per creationem: idem dico de calore, qui produxit & fuit producens alium calorem immediatè per calefactionem: ergo Deus & calor ſunt agentes immediatè per creationem & calefactionem: quia calefactio & creatio ſunt ſpecies actionis; calefaciens autem & creans ſunt ſpecies agentis.

§. 58. Confirmatur, Deus per denominationẽ agentis producit aliquid immediatè: ergo per illam denominationẽ aliquid eſt immediatè productum: Implicat enim Deum phyſicè aliquid producere immediatè quin aliquid ſit immediatè productum à Deo phyſicè. Oratio enim actiua & paſſiua tam æquiualẽtes ſunt vt ſint ſynonymæ. Quis enim inuenit diſcrimen inter *ego immediatè diligo Deum*: &, *Deus immediatè diligitur à me*? inter quas orationes ſolum eſt grammaticum diſcrimen terminationis verbi actiuæ & paſſiuæ. Vnde liquet Deum per formalem rationem & denominationem producentis produxiſſe aliquid immediatè, & aliquid eſſe immediatè ab ipſo productum: ſed omne productum eſt immediatè productum per productionem paſſiuam ſine alio diſtincto ente communicante immediatè denominationem producti: ergo Deus per ipſam productionem actiuam eſt immediatè producens ſine alio ente diſtincto communicante immediatè denominationem producẽtis.

Objicies hoc argumento probari actionem & paſſionem nec ratione diſtingui: quia per actionem Deus aliquid formaliter producit: ergo eſt §. 59.
aliquid per illam formaliter productum. Reſpondeo id non eſſe abſurdum vt conſtat ex diſput. 16. §.... Ne verò aduerſarij ſe arment authoritate communi diſtinguente ratione actionem à paſſione, reſpondeo eo argumento probari non poſſe à parte rei eſſe diſtinctam actionem à paſſione: ac propterea denominationem agentis & patientis eſſe immediatè ab eadem entitate actionis & paſſionis quæ eſt eadem; ac propterea ad eos effectus formales non exigitur ens rationis. Quod autẽ actio & paſſio diſtinguantur in ſolo modo concipiendi propter diuerſitatem qua reſpicit eadem entitas ſubiectum & terminum, nihil refert: quia id non eſt niſi concipere paſſionem præcipuè vt in ſubiecto, ab agente verò magis in obliquo: at verò vt paſſio concipitur præcipuè ab agente, in ſubiecto verò minùs præcipuè. Hinc autem non poteſt inferri actionem ad effectum formalem agentis egere ente rationis à ſe diſtincto; vt non eget ad effectum formalem patientis: alioquin etiam poſſet inferri, diſtingui realiter actionem à paſſione.

Secundò probo, actionẽ ſeipſa cõſtituere agens: §. 60.
quia prius natura aut ratione quàm ex illa deriuari intelligatur ens rationis, concipitur exiſtens: ſed in illo priori intelligitur agens formaliter: ergo agens conſtituitur immediatè ſola actione independenter ab ente rationis. Minor probatur, quia in illo priori eſt illa actio exiſtens ab aliquo vt ratio formalis per quam angelus creatur, verbi gratia: ergo in illo priori concipitur Deus vt creans. Probo conſequentiam, quia non poteſt intelligi creatio vt exiſtens, quin intelligatur vt ratio formalis extrahens actu terminũ ex nihilo: licet enim aliqua prioritate imperfecta actio ſit prior termino, non tamen prioritate exiſtendi: vt oſtendi diſput. 8. phyſicorũ §.... At verò comparatione entis rationis reſultantis ex actione perfectam rationem prioritatis habet actio; ergo in illo priori intelliguntur exiſtere actio & terminus productus & Deus producens.

Confirmatur: conſideremus, ſi placet, ſolam §. 51.
actionem vt exiſtentem à ſolo Deo: tunc exiſtit aliquod ens creatum, quia productio eſt ens reale & non à ſe ſed ab alio: ergo tum intelligitur aliquod producens. Probo conſequentiam, tum quia implicat concipi aliquid realiter productum ſine principio eſſentiali eius productionis: quia de ratione effectus eſt vt ſit ab alio: tum etiam quia ab effectu ad cauſam eſt conſequentia formalis: non enim poteſt intelligi effectus formaliter ſine cauſa: ſicut cauſa non poteſt intelligi in ratione cauſæ ſine ordine ad effectum. Cum diſcrimine tamen: quod exiſtentia cauſæ poteſt ratione præſcindi ab exiſtentia effectus: exiſtentia autem effectus non poteſt ab exiſtentia cauſæ. Tertiò probatur eadem conſequentia: quia productio eſt modus & non res abſoluta: modus autem non poteſt concipi ſine re cuius eſt modus: quia eius eſſentia eſt communicatio actualis ſui effectus: ſed actio in ratione actionis eſt modus agentis: ergo non poteſt concipi agente non concepto. Sed in illo priori Deus eſt agens, quia in illo in ratione

cauſæ efficientis dedit exiſtentiam actioni : ergo in illo priori habuit denominationem agentis. Sed eam denominationem non habuit per ens rationis quod non intelligitur in illo priori : ergo denominatio agentis eſt indepēdens ab ente rationis.

§. 62. Quæ dixi de paſſionis & actionis denominatione, dico de denominatione cognoſcentis & cogniti. Etenim cognitio repræſentat aliquid immediatè, verbi gratia, viſio præſentat colorem, & reddit viſum videntem per ſeipſam : ergo per ſeipſam facit colorem viſum: probo conſequentiam, quia per eam rationem per quam homo eſt vidēs colorem, color videtur : per illam enim aliquid videt : ergo per illam aliquid videtur : niſi enim per illam aliquid videatur ab homine, quomodo homo per illam aliquid videt? Sume viſionem vt facit hominem videntem colorem; ſume item denominationem immediatam coloris viſi : hæc denominatio viſi eſt ne formaliter viſio, an aliquid diuerſum? Si primum, habetur intentum; ſi verò ſecundum : ergo aliquid quod non eſt viſio reddit formaliter viſum : ſi ergo ipſa non eſt ratio videndi vt quo, qua ratione conſtituit formaliter viſum vt quod? aut à non viſione, quo pacto eſt aliquid formaliter viſum? Si autem dicas viſum conſtitui formaliter viſione, ente autem rationis non vt ratione formali viſi, ſed vt vnione extrinſeca viſionis cum colore. Reſpondeo: ergo viſio non remotè, ſed proximè & formaliter conſtituit viſum: quia vnio inter ſubiectum & formam non impedit immediatam communicationem effectus formalis à forma : ſicut actio non impedit immediatam emanationem effectus à cauſa : vt oſtendi diſput. 5. phyſicorum §... Hæc autem conſequentia eſt contra hos authores vt conſtat ex §. 33.

§. 63. Ratio autem à priori huius doctrinæ eſt, quia actio, viſio, & alia dicunt eſſentialem habitudinem ad agens & obiectum : quapropter ſunt quædam quaſi formæ extrinſecæ obiecti & agentis. Cum ergo reſpiciant illos terminos per ſuas eſſentias, non indigent alio ente à ſe diſtincto ad illis communicandas ſuas denominationes & formales effectus. Reſpectus autem viſionis ad obiectum eſt reſpectus repræſentationis extrinſecæ, intrinſecæ autem ad potentiam : vnde conſtituit potentiam intrinſecè repræſentantem, & obiectum repræſentatum extrinſecè. Idem dico de actione: cuius reſpectus ad agens eſt reſpectus ad principium extrinſecum; ad terminum verò eſt intrinſecus reſpectus : ſic conſtituit agens intrinſecè producens, terminum autem intrinſecè productum. Vnde argumentor à priori : eadem forma per ſuam entitatem reſpicit intrinſecè vnam rem & extrinſecè aliam : ergo per ſuam entitatem poteſt alteri communicare effectum formalem intrinſecum, & extrinſecum alteri : probo conſequentiam, quia ex parte formæ effectus formalis eſt ipſa forma : ergo vt eadem eſt intrinſeca & extrinſeca, eadem præſtabit effectum vtrumque. Imo id præſtabit multo melius quàm ens rationis : hoc enim tam extrinſecum eſt agenti & obiecto, quàm viſio & actio : aliunde verò non habet ordinem tranſcendentalem ad ea ſubiecta : quia ens rationis nullus eſt ordo : quod ſi metaphoricè dicitur ordo, eſt per metaphoram & æquiuocationem : viſio autem & actio habent propriè odinem tranſcendentalem & eſſentialem ad obiectum & agens.

SECTIO III.

Quid ſit ens rationis.

Non poteſt commodè diſputari an ſit poſſibile ens rationis niſi eius definitionem explanemus. S. Thom. opuſc. 42. cap. 1. aſſerit ens rationis fieri, quando intellectus fingit aliquod ens, & illud apprehendit ac ſi eſſet: cuius hæc ſunt verba : *Vnde nec oppoſitum eius* (ſcilicet entis realis) *intelligere poteſt intellectus : non ens ſcilicet, niſi fingendo ipſum ens aliquo modo. Quod cum intellectus apprehendere nititur, efficitur ens rationis. De quo modo entis dicitur in quinto metaphyſica, quòd ens vno modo dicitur, de quo poſſunt propoſitiones formari, etiamſi eſſentiam non habeat.* Igitur S. Thom. admittit fieri ens rationis, & ex illo Ariſtotelis teſtimonio docet nonnulla dici ens, non quòd eſſentiam habeant, ſed quòd terminent propoſitiones. Adſonat ſibi in primum diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. verſu, *Et ex hoc patet :* vbi docet aliquando id quod ſignificatur per nomen, non habere fundamentū in re : neque proximum neque remotum: *ſicut conceptio chymeræ* (inquit) *quia nec eſt ſimilitudo alicuius rei extra animam: neque conſequitur ex modo intelligendi rem aliquam naturæ : & ideo iſta conceptio eſt falſa.* §. 64.

Ex quo doctrina Ariſtotelis & S. Thom. Philoſophi atque Theologi aſſeruerunt ens rationis diſtinctum ab omni eſſe reali tam actuali quàm poſſibili, poſitiuo & negatiuo. Eius autem definitionem adſtruxerunt : *Ens rationis eſt cuius totum eſſe conſiſtit in cognoſci :* ſiue, *quod non habet eſſe niſi obiectiuè tantum in intellectu.* Quam definitionem communem proponit P. Suarez diſp. 54. metaph. ſect. 1. num. 6. quam ſic explico : *habere ſe obiectiuè in intellectu* eſt cognoſci per intellectum : in quo obiecta dicūtur eſſe, quia in illo ſunt cognitiones imagines obiectorum: res autem repræſentata per imaginem eſt intētionaliter in imagine ipſa: imo imago ſolet dici eſſe res quam repræſentat: vt cum videmus Cæſaris effigiem, dicimus, *hic eſt Cæſar :* eſt Cæſar intentionaliter ſiue repræſentatiuè igitur res eſt in ſui cognitione vt in imagine; & propterea res cognitæ ſunt in intellectu. Quæ exiſtentia in intellectu eſt phyſica ipſius imaginis, quæ phyſicè eſt in intellectu : comparata verò ea exiſtentia ad rem cognitam non eſt exiſtentia realis ſed intentionalis & metaphorica : obiectum enim non eſt propriè in ſua imagine, ſed per metaphoram, dum imago eſt repræſentatio rei. Vnde concludo omnia obiecta quæ cognoſcuntur habere in intellectu eſſe obiectiuè, id eſt, repræſentari vt obiecta ſuarum imaginum. §. 65.

Eſt tamen hoc diſcrimen; multa obiecta habent in ſe aliud eſſe diſtinctum ab eſſe intentionali, id eſt, diſtinctum ab intentione & repræſentatione ſui : huic autem eſſe obiectorum conformis eſt repræſentatio & cognitio : exempli gratia dico ego, *Petrus eſt homo :* hoc obiectum & habet eſſe intentionaliter & obiectiuè in meo intellectu, & præterquam repræſentari habet etiā in ſe id quod dicitur in intellectu: Petrus enim homo eſt intra & extra meum intellectū : ac propterea eſt ens reale, quia nec totum eius eſſe conſiſtit in cognoſci, neque habet obiectiuè tātùm eſſe in intellectu. Quapropter ea propoſitio, *Petrus eſt homo,* ideo eſt vera, quia Petrus eſt homo. Idē dixerim de priuatione, & negatione. Hæc enim obiecta *Antonius eſt cæcus, lapis non eſt videns,* non ſolùm ſunt obiectiuè intra intelle §. 66.

intellectum,ſed etiam extra illum: Petrus enim in ſe eſt cæcus: & cognitio repræſentans cæcitatem ideo eſt vera, quia obiectum in ſe eſt ſicut repræſentatur in intellectu. Vnde priuatio dici ſolet ens priuatiuum: ens quidem reale, quia non conſiſtit in ſolo cognoſci, neque fingitur ſed independenter ab operatione intellectus eſt in rebus: priuatiuum autem vt oſtendatur eam non eſſe ſimpliciter ens; ſed carentiam entis: hominem autem realiter non poſſe videre explicamus impropriè per verbum ſubſtantiuum & cæcitatem: perinde enim eſt *Petrus eſt cæcus* ac *non poteſt videre*: quæ quidem contingunt independenter à noſtro intellectu.

§. 67. Alia verò obiecta non ſunt extra illam propoſitionem per quam affirmãtur aut negantur, exempli gratia, *Deus non eſt trinus, homo eſt brutum*: hæc obiecta non ſunt in ſe ſicut intellectu concipiuntur. Carentia enim Trinitatis non eſt in Deo, quia in ipſo eſt Trinitas: nec irrationalitas eſt in homine, in quo eſt rationalitas. Ecce hæc obiecta habent eſſe obiectiuè in intellectu per illas propoſitiones; at nullibi habent aliud eſſe: habent ergo eſſe obiectiuè tantum in intellectu. Neque verò illæ propoſitiones repræſentant ſolum extrema realia quæ habent eſſe extra intellectum: ſed etiam repræſentant aliquid eſſe in rebus quod non poteſt eſſe. Qui enim dicit, *homo eſt brutum* non ſolum concipit hominem & brutũ, ſed etiam vtriuſque identitatem realem: quæ nullibi eſt niſi in illa repræſentatione. Quæ ideo eſt falſa, quia repræſentat in obiecto eſſe quod verè non eſt: at obiectum verè eſt brutum & verè eſt homo: ergo non eſt falſa, quia id repræſentat. In obiecto autem non eſt verè identitas hominis & bruti; propterea propoſitio affirmans eam identitatem, eſt falſa: ergo ea propoſitio aliquid attingit præter hominem & brutum. Id autem quod ſic attingit non reperitur in obiecto.

§. 68. Vnde concludo identitatem illam hominis & bruti non habere eſſe niſi obiectiuè in intellectu: totúmque eius eſſe conſiſtere in cognoſci. Quo differt ab homine: & priuatione: qui extrinſecam denominationem cogniti accipit in alio eſſe diſtincto ab ipſa cognitione: quod eſſe eſt independens ab ea cognitione. Idem dixerim de priuatione quæ ſuo modo exiſtens extra intellectum accipit in ſe denominationem illam extrinſecam cognitæ. At verò identitas inter hominem & brutum in nullo eſſe accipit denominationem extrinſecam cognitæ: ſed hæc denominatio nihil afficit extra intellectum actu exiſtens aut potentia: ſed potius afficit meram repugnantiam ad exiſtẽdum. Quia verò de non entibus nõ poſſumus agere niſi per verbum ſubſtantiuum, ideo abuſiuè dicimus eſſe ens rationis. Quæ duæ voces ſi propriè expendantur, ſunt omnino mutuo pugnantes. *Ens* enim dicit aptitudinem ad exiſtendum: *rationis* autem dicit repugnantiam ad exiſtendum. Accipiuntur igitur *ens & eſt* metaphoricè. Nam obiectum aliquod fingi dicimus eſſe ens rationis.

§. 69. Hinc etiam deduces quanto iure S. Thom. adductus §. 64. dixerit cognitionem qua fit ens rationis, nullum habere fundamentum in rebus neque remotum neque proximum. Fundamentum enim cognitionis eſt eſſe ſui obiecti: ſed hæc obiecta nullum habent eſſe: ergo cognitioni ſui nullum præbent fundamentum: ſed intellectus ob ſuam imperfectionem deluſus aſſerit quod nõ eſt, aut negat quod eſt. Item eadem ratione dixit S. Thom. eiuſmodi obiectum eſſe chymærã: quia eſt obiectum cui repugnat eſſe: ſed omne id cui repugnat eſſe eſt chymæra: hæc enim eſt vnio rerum impoſſibilium vniri: ergo huiuſmodi obiectum eſt chymæra. Dixit item veriſſimè, eiuſmodi obiectum eſſe fictum, & fieri dum intellectus apprehendere nititur id quod non eſt ac ſi eſſet. Itaque hoc eſſe non eſt prius quàm ipſius cognoſci. Eiuſmodi ergo obiecta ficta, atque chymærica vocantur entia rationis: in quibus idem eſt formaliſſimè habere eſſe per ſolam apprehenſionem intellectus: eorum eſſe conſiſtere in ſolo cognoſci: habere eſſe obiectiuè tantum in intellectu: eſſe ficta: & eſſe entia rationis. quæ omnia iam explicui.

SECTIO IV.

Nonnulla corollaria.

EX hac doctrina hæc deducuntur corollaria. Primum, non rectè diuidi ens rationis in formale actuale & in fundamentale. Nam ens fundamentale non eſt chymæra, neque fingitur; ſed in ſententia ſuorum authorum pullulat ex denominationibus extrinſecis independenter ab operatione intellectus Quæ pugnant cum doctrina S. Thomæ adducti §. 64. & 69. & cum communi definitione entis rationis. Ago autem de fundamentali ente rationis propoſito & impugnato à §. 29. præſertim autem §. 44. Ens autem rationis ſecundum eſſe actuale dicunt eſſe idemmet ens fundamẽtale vt intellectu refertur ad ſua extrema: quod quidem eſt falſum, quia ens rationis formaliter eſt aliquid fictum, & chymæricum ex parte obiecti: eiuſque cognitio dat illi eſſe formaliter vt conſtat ex tota ſect. 3. & S. Thom. §. 64. & 69. Eadem ratione conſtat non poſſe ens rationis præire actui, quo primùm cognoſcitur: quia nulla res fingitur antequam cognoſcatur, ſicut non cognoſcitur antequã cognoſcatur: quia cognitio & fictio ſunt formæ conſtituentes fictum & cognitum: ſed omne ens rationis eſt fictum: ergo nullum ens rationis præit cognitioni quæ primùm cognoſcitur. §. 70.

Secundò deduces contra Dur. adductum, denominationes extrinſecas à forma reali extrinſeca nõ eſſe ens rationis: quia illæ nihil ſunt fictum, ſed exiſtunt à parte rei, tribuuntque ſuos formales effectus intrinſecos & extrinſecos independenter à cognoſci ſui: neque illi effectus habent præciſè eſſe obiectiuè in intellectu, ſed extra illum fundant cognitionẽ veram: ideo enim iudicium affirmans illas denominationes extrinſecas eſt verũ, quia illæ denominationes ſunt ſicut affirmãtur: quæ omnia aliena ſunt ab ente rationis: quod eſt chymæra reddens actũ falſum, & ſine vllo fundamento in rebus. Hæc cõſtant ex ſect. 3. & S. Thom. §. 64. & 69. §. 71.

Tertiò deduces, priuationem & negationẽ non eſſe propriè ſpecies entis rationis. Quia omne ens rationis eſt fictum ſine fundamento in rebus proximo vel remoto: vt conſtat ex S. Thom. §. 64. & 69. & ex tota ſectione 3. ſed priuationes & negationes non ſunt aliquid fictum, quia cæcus à natiuitate ſine vlla fictione fuit cæcus: nec eius cæcitas fuit chymæra: & cognitio eã repræſentans habet fundamentum in rebus ipſis carentibus forma: quæ carentia explicatur his vocibus *Petrus eſt cæcus*: ergo illæ priuationes non ſunt entia rationis propriè. Conueniunt item cum ente reali poſitiuo in independentia à cognoſci. & in non habere eſſe obiectiuè tantùm in intellectu, & in fundãda propoſitione vera, eius veritati præbito fundamento: §. 72.

quæ ſunt propriæ notæ entis diſtincti ab ente rationis: ergo priuationes & negationes non ſunt propriè entia rationis. Recognoſce §. 66.

§.73. Rogas,cur eiuſmodi carentiæ dicantur à multis entia rationis. Reſpondeo ens rationis accipi fundamentaliter & non formaliter, in tertia ſignificatione explicata diſp. 1. logicæ §. 44. Cum enim priuatio abſolutè nihil ſit, præbet fundamentum vt à nobis apprehendatur ac ſi eſſet:quod illi conuenit magis præcipuè quàm formis extrinſecis realibus.Hæ enim dant propriam ſpeciem ſui qua cognoſcantur: carentiæ verò non cognoſcuntur per propriam ſpeciem,ſed per ſpeciẽ entis realis.Eáque propter earum cognitio affinis eſt fictioni, quamuis enim non ſit neceſſe affirmare priuationem habere exiſtentiam abſolutè, tamen eam concipimus per ſpeciem abſolutæ exiſtentiæ.

§.74. Quartò deduces,non effici ens rationis per omnem actum ad illum terminatum, ſed præcisè per fingentem:exempli gratia,fingitur directè chymæra:poſſum ego habere duos alios actus reflexos:alterum quo reflexè cognoſco à me iudicari hominem eſſe brutum, præſcindendo à veritate & falſitate illius iudicij directi. Iſte actus reflexus non facit ens rationis:quia licet terminatur ad chymæram,non tamen illam affirmando: iudicium enim reflexum verum eſt affirmans rem ſicuti eſt: ego enim iudicaui hominem eſſe brutum, ergo actus quo reflexè cognoſco me iudicaſſe,verus eſt. Cum autem dicitur ens rationis eſſe quod conſiſtit in cognoſci, intelligitur de cognitione factiua illius, ſiue illud fingente:iudicium autem reflexum nihil fingit. Secundus actus reflexus poteſt eſſe quo affirmetur fictam eſſe chymæram per actum directum:hunc actum non dare eſſe,ſed potius adimere, oſtendam ſect.6.

§.75. Quintò deduces contra Durandum, Valeſium & alios non paucos dari entia rationis.Etenim negari non poteſt poſſe à nobis affirmari aliquid impoſſibile: verbi gratia, quantitatem non diſtingui à quanto, vel diſtingui: alterum enim impoſſibile eſt. Ponamus impoſſibilem eſſe identitatem quantitatis & ſubſtantiæ: ex ea hypotheſi identitas illorum extremorum nihil eſt ex parte obiecti, éſtque ficta: & tota denominatio cogniti, & ficti cadit ſupra nihil, & ſupra eſſentialem repugnantiam ad exiſtendum: actus verò aſſerens diſtinctionem eorum extremorum cadit ſupra aliquid. Hoc vltimum vocamus ens reale: ens autem rationis primum illud, quod nihil habet niſi affirmationem & negationem. Dicunt repugnare ens rationis; quia ſi eſt ens, habet eſſe. Reſpondeo ex §.68.ly *eſt* & *ens* accipi impropriè,ſicut dicimus,*tenebræ ſunt in aëre, nullus eſt in hoc gymnaſio.* In ente autem rationis hac voce, ens rationis, tãtùm ſignificamus obiectum eſſe cognitum contrario modo quo eſt.

§.76. Præterea dices non reſpondere in obiecto præter ens reale.Reſpondeo ex §.67. reſpondere etiam aliquid quod non eſt in obiecto: alioquin iudicium non eſſet falſum. Neque abſurdum eſt actum realem eſſe ordinem tranſcendentalem ad nõ ens, ſicut eſt ad priuationem: quia ea non eſt dependentia phyſica, ſed metaphorica & impropria.

§.77. Tandem deduco,ens eſſe nomen purè æquiuocum:quia aptitudo ad exiſtendum & repugnantia ad exiſtendum ſunt primò diuerſa, neque conueniunt in vllo prædicato ex parte obiecti: cum autem ens rationis non habet niſi eſſe fictum,non poteſt conuenire cum eſſe vero. Imo neque habet vllam analogiam etiam impropriam qualem in riſu habent pratum & homo:pratum enim intrinſecam habet viriditatem,per quam hilareſcere & ridere videtur:ens autem rationis nihil habet ex parte obiecti quo realia imitetur. Apprehenditur quidem à nobis ac ſi eſſet,non tamen propterea eſt.

SECTIO V.

De cauſis entis rationis, & diuiſione.

CAuſas phyſicas nullas habet, quia cum nihil phyſicum ſit, nullam habet phyſicam dependentiam. Cauſam materialem fictam poteſt habere, vt cum apprehenditur habere ſubiectum aliquod prædicatum accidentarium, quod illi repugnat:tunc illud prædicatum dicitur inhærere ſubiecto. Poteſt item habere cauſam formalẽ fictam, vt ſi concipiamus effectum aliquem formalem impoſſibilem ortum ex aliqua forma.Efficientem habet intellectum *vt quod*, *vt quo* verò actum fingentem: hæc efficientia eſt intentionalis & non phyſica, quia dum cognitio repræſentat quod non eſt, dicitur facere ens rationis. Cauſam finalem poteſt habere non quidem directam: nec enim natura per ſe inclinat ad actum falſum:neque aliquis poteſt aſſentiri obiecto niſi appareat eſſe verum: habet ergo eam cauſam finalem quam habet actus falſus. Hac de re conſule P. Suarez diſput. 54. metaphyſ.ſect.2. §.78.

De actibus, quibus fit ens rationis, maior eſt controuerſia. Dico primò.*ens rationis fieri per actum falſum,quo iudicamus exiſtere aut exiſtere poſſe id quod reipſa repugnat eſſe:vt hominem eſſe brutum.*Item cum diximus *eſſe aliquid impoſſibile, quod re ipſa poſſibile eſt.* Hæc concluſio manifeſtè liquet ex S. Thom. §.64. & 69. & P.Suarez ea diſp.54.ſect.2. num.15. éſtque hæc manifeſtè probata tota ſect.3.quia ens rationis non habet aliud eſſe niſi cognoſci, & obiectiuum in intellectu: quapropter nihil illi reſpondet ex parte obiecti Recognoſce præſertim §. 66. etenim ſi obiectum eſſet ex parte ſui ſicut repræſentatur per intellectum, non conſiſteret in ſolo cognoſci: & actus ad illud terminatus eſſet de obiecto ſicuti eſt. Fit ergo ens rationis per iudicium falſum. §.79.

Dubium poteſt eſſe,vtrum per iudicium falſum repræſentans rem poſſibilem vt exiſtentem,fiat ens rationis quando talis res non exiſtit. Exempli gratia, non currente Petro dicat aliquis. *Petrus currit:* an ille curſus Petri ſit ens rationis vel reale? Reſpondeo quæſtionem eſſe de nomine. Illud non eſſe ens rationis videtur oſtendi inde, quòd ille curſus habet eſſe poſſibile: ergo non eſt ens rationis: quia hoc eſt chymæra; exiſtentia autem curſus Petri non eſt chymæra. Contra verò illud eſſe ens rationis ſuadetur, quia illa exiſtentia vt exercita nullibi habet eſſe niſi obiectiuè in intellectu: at verò de ea in eſſe poſſibili nihil affirmatur vel negatur. Ad argumentum pro prima ſententia reſpondetur, frequentiora entia rationis eſſe chymæras: quo non tollitur fieri alia entia rationis, quando non habent illud eſſe quod de illis prædicatur, licet illud poſſint habere. In qua ſententia ens rationis vt ſic eſt quod vt affirmatur vel negatur, non habet eſſe niſi obiectiuè in intellectu. Ad argumentum pro ſecunda ſententia reſpondetur, per accidens eſſe obiectis carere ſtatu exiſtentiæ exercitæ: nec enim ex hac ſuppoſitione expendenda ſunt entia rationis, ſed præcisè ex abſoluta repugnantia ad exiſtendum. §.80.

Dico

§. 81. Dico ſecundò. *Intellectio præciſiua non efficit ens rationis*. Exempli gratia,cócipio ego rationale non concepto animali: illa conceptio non efficit ens rationis: quia nihil fingit, animal enim quod repræſentat, à parte rei eſt. Dices primùm non eſſe rationale ſine animali: ergo rationale ſine animali eſt chymæra. Diſtinguo antecedens; non eſt à parte rei rationale ſine animali, concedo antecedens; non eſt in præciſione, nego antecedens. Diſtinguo item conſequens, concedens exiſtentiam realem rationális ſine animali eſſe chymæram;non verò exiſtentiam in præciſione. Quapropter præciſio non eſt fictio, ſicut eſſet iudicium aſſerens rationale realiter ſine animali. Objicies ſecundò præciſione repræſentari obiectum aliter atque eſt: ergo præciſio eſt fictio. Diſtinguo antecedens;aliter atque eſt contrariè, id eſt affirmando vel negando quod habet, nego antecedens: aliter atque eſt non penetrando totum quod eſt ſicuti eſt,concedo antecedens, & nego conſequentiam.

§. 82. Dico tertiò, *per ſimplicem apprehenſionem ſubiecti & prædicati non fieri ens rationis*. Probatur apertè, quia in illa apprehenſione nullam reperiri falſitatem oſtendi diſp.11. de anima ſect.2. Dices,quando apprehenditur chymæra vt ſubiectū huius propoſitionis,*chymæra eſt ens rationis*:tunc fit ens rationis, quia chymæra non habet niſi eſſe obiectiuè in intellectu. Reſpódeo ibi nullum fieri ens rationis, ſicut nec iudicio illius propoſitionis; quia obiectum illius actus non habet eſſe obiectiuè tantùm in intellectu per illum; ſed potius habet aliud eſſe, cui conformatur actus: nec tunc chymæræ tribuitur eſſe, ſed potius negatur: idem eſt enim dicere; *chymæra eſt ens rationis*, ac *chymæra eſt aliquid fictum*, cui quia negatur eſſe, actus eſt verus. Eſt ergo illa propoſitio de obiecto ſicuti eſt, ly *ſicuti eſt* ſumpto non pro eſſe reali ſed pro eſſe ficto,quod verè conuenit chymæræ.

§. 83. Dico quartò. *Apprehenſione vnionis poteſt fieri ens rationis incomplexū; ſicuti falſitas incomplexa*. Si enim apprehenditur identitas quantitatis & ſubſtantiæ, illa tantum habet eſſe obiectiuè in intellectu per illam apprehenſionem. Quæ intellige de apprehenſione non iudicatiua, iudicatiua enim ſi affirmet identitatem illam, facit quidem ens rationis complexum. Si autem negatur illa identitas, non fit ſed deſtruitur ens rationis vt dixi § 82.quia iſte ſecundus actus eſt verus deſtruens falſitatem prioris. Aduerte item per apprehenſionem non iudicatiuam non debere dici fieri abſolutè ens rationis, quia licet abſolutè ſit obiectiuè in intellectu tantum, quia abſolutè cognoſcitur & non eſt alibi, ly *eſt* videtur ſignificare affirmationem, aut negationem; nam ſicut eſſe à parte rei ſignificat habere determinatam exiſtentiam, ſublata indifferentia ad illam, ita eſſe in intellectu ſignificat eſſe determinatè in alterutra parte contradictionis, ſublata indifferentia ad illam; quod fit per iudicium: apprehenſio autem neutram partem determinat. Ita non dicimur ſcire, aut errare, niſi quod affirmamus,aut negamus; quando verò iudicamus, tunc dicimur rem in mente habere; apud noſtrates, *para mi eſto es aſi*. ad hoc moueor, quia rationis ens neſcio quo pacto ens reale imitatur.

§. 84. Dico quintò.*Neque ſenſus externi neque interni efficiunt ens rationis etiam incomplexum*. Prima pars eſt P. Suarez diſp.54. ſect.2. num. 17. Secunda verò eſt contra ipſum num. 18. Probatur, quia ſenſus interni,aut externi neque affirmant aliquid,neque negant,nec apprehendunt vnionem duorum conceptuum ſe inuicem deſtruentium;ſed tantùm apprehendunt accidentia ſenſilia,quorum apprehenſione ſæpe terrentur,mulcentur ſæpe. Dicimus autem bruta decipi non propriè,quia ipſa efformant actus obiectis non conformes, ſed quia multa accidentia ſunt ſimilia, & illorum affinio mouetur; vt canis hominem è longe apprehendit vt herum propter aliqua accidentia quæ in hero conſpicere conſueuit; dominus autem alia accidentia intuitus, eundem fugit; ſenſus autem humani dicuntur falli, quia propter affinitatem accidentium, quæ præſentant, vel propter imperfectum præſentandi modum, occaſionem præbent intellectui,vt decipiatur: voluntas non efficit entia rationis, ſed efficta amat, aut odit.

Objicit P. Suarez facultatem imaginatricē habere vim componendi ſpecies obiectorū incompoſſibilium: quod eſt facere entia rationis: quia concipiuntur obiecta aliter atque ſunt. Reſpondeo etiam externos ſenſus habere vim componendi eas ſpecies:vt cum ſimul videmus colores diuerſos, quos videre videmur eſſe vnum, vt cum per vitrum philoſophale videmus arbuſta, quæ nobis diſcolora videntur, tunc componuntur ſpecies rerum incompoſſibilium: quia illa compoſitio nihil eſt præter varias ſpecierum excitationes ſimul concurrentes: de vnione autem obiectorum nihil cogitat ſenſus internus. Ad argumentum ergo reſpondeo imaginationem non habere vim ad percipiendā vnionem obiectorum incompoſſibilium: ac propterea nec facit ens rationis incomplexum. Ad probationem reſpondeo imaginatione non concipi obiectum contrario modo atque eſt: concipitur autem aliter atque eſt ex parte modi non attingentis perfectè quod in obiecto eſt: vt in ſimili dixi §.74. §. 85.

P. Vazquez tom.1.1.p. diſp.76. num.6. ait omnia entia rationis fieri poſſe per apprehenſionem, excepta relatione; quia hæc fit comparatiuo iudicio. Verùm etiam ſimplex apprehenſio poteſt facere relationem rationis: quia apprehenſio præcedit iudicium de eodem obiecto; atque hic deſiderare videtur conſequentiam P. Vazquez:quia opinatur ens rationis eſſe figmentum: vnde debet fieri per actum falſum: at in eiuſdem ſententia non datur falſitas in apprehenſione ſimplici: ergo nec ens rationis. Reſponderi tamen poteſt, à P. Vazquez primùm vſurpari ens rationis fundamentaliter, pro priuatione, negatione, & relatione: ſecundò autem accipi ens rationis propriè pro figmento. §. 86.

Ens rationis frequenter diuiditur in priuationem, negationem,& relationem hæc relatio vſurpatur pro denominatione extrinſeca ſecundæ intentionis: ab alijs forte vſurpabitur pro omni denominatione extrinſeca. Hæc autem diuiſio non eſt entis rationis formaliter, ſed fundamentaliter tantùm vt dixi §. 70. Ens autem rationis propriè vſurpatum diuiditur in omnia figmenta, quæ intellectus creatus poteſt moliri. §. 87.

SECTIO VI.

Vtrum Deus cognoſcat ens rationis.

PRimùm opinor,fide & ratione ſanctum,Deum non efficere entia rationis à me explicata; repugnat enim Deo actus falſus, quia perfectiſſimè penetrat rerum omnium conceptus, vt ſunt, & non alio modo. Si quis autem aſſeruit à Deo fieri entia rationis, aut ens rationis in alia ſignifica- §. 88.

tione vſurpat: aut loquitur in ſenſu, quem iam examino.

§. 89. Difficilius ſanè eſt dignoſcere, nouerit ne Deus entia rationis à nobis effecta? Qua in re magnum eſt diſſidium inter P. Franciſcum Suarez, & Gabrielem Vazquez, quod fateor à me non poſſe ſine difficultate componi P. Suarez diſp. 54. Metaphyſ. ſect. 2. num. 23. affirmat, dubitari non poſſe entia rationis à Deo cognoſci. Primùm, quia Deus comprehendit actus humanos, chymæricè diuagantes, ergo cognoſcit eorumdem obiecta. Patet conſequentia, quia actus non poteſt comprehendi, quin cognoſcatur de quo obiecto ſit; ſed obiectum earum fictionum eſt ens rationis; ergo Deus cognoſcit noſtrum ens rationis.

§. 90. Reſpondet P. Vazquez: Deum cognoſcere extrema realia, quæ ſunt obiectum illius actus: non tamen vnionem fictam: quia actus non dicit ordinem tranſcendentalem ad eam vnionem, ſed ad extrema realia. Hæc ſolutio mihi non placet: nam fictio non ſolum repræſentat extrema realia huius chymæræ, exempli gratia, *homo eſt irrationalis*; ſed etiam repræſentat identitatem inter hæc extrema: immo ea ratione propoſitio eſt falſa: quia intentionaliter vnit alterum extremũ alteri. ergo etiam vnio attingitur intentionaliter per illum actum, ergo etiam vnio eſt obiectum illius actus: ad quam ille dicit tam intrinſecum ordinem, quàm ad extrema realia.

§. 91. Confirmatur, ſi propoſitio repræſentaret ſolam quantitatem, & ſubſtantiam, & non earum vnionem, non eſſet chymæra: nam in ſola apprehenſione illorum extremorum, quæ poteſt eſſe chymæra? ergo ea ratione eſt chymæra, quia affirmatiuè repræſentat vnionem: ſed Deus videt eam propoſitionem eſſe chymæricam, ergo videt, in quo conſiſtat ea imperfectio: alioquin qui poſſet diſcerni propoſitio falſa affirmatiua à ſimplici apprehenſione? Confirmatur ſecundò, Deus ſcit à nobis modò agi de chymæris, quia ſcit de eis à nobis diſputari; hoc enim negare eſſet ſacrilegum; ergo aliquo modo apprehendit chymæras: nam ſi eas non apprehendit, neque de illis conceptum vllum efformat; quî ſcit de illis nunc à nobis diſputari? quod me adeo vrget, vt arbitrer terminis implicari, cognoſci à Deo me diſputare de chymæra, quin apprehendat chymæram: Immo videtur per ſe notum, à Deo cognoſci comprehenſiuè chymæram, non directè in illa, ſed in noſtris actibus fingentibus, & in noſtris de illa definitionibus, vel ſi vis negare Deo ſcientiam à poſteriori, illam apprehendit cognoſcẽdo impoſſibilitatem rerum, quam videt à noſtro affirmari intellectu.

§. 92. Secundò probatur; quia licet ſit imperfectio fingere chymæram, quia apprehenditur res diuerſo modo, ac eſt; tamen cognoſcere, ens ab alio malè cognoſci, non eſt imperfectio, ſed perfectio; ſicut eſt magna perfectio cognoſcere aliorum errores: ſed Deus hoc modo entia rationis cognoſcens, tantum cognoſcit noſtros errores, & à nobis ens malè concipi, ergo Deus in ea cognitione nullam habet imperfectionem. Maior eſt ex terminis clara, tum quia eſt perfectio diſcernere inter actum verũ, & falſum, tum quia eſt cognoſcere res, ſicuti ſunt: minor patet, quia Deus nõ fingit, neque mentitur, ſed videt nos fingere, atque mentiri: ſicut nõ fingit, neque mentitur homo deprehendens mendacium alterius, ſicut nec item Deus diſcurrit dignoſcendo noſtros diſcurſus. Vnde non poſſunt dici entia rationis fieri à Deo, quia illud ens rationis non habet eſſe obiectiuè tantum in intellectu Dei; ſed potius extra intellectum Dei habet idem eſſe, quod in intellectu Dei repræſentatur. Quapropter ille actus eſt conformis obiecto. Porro ens rationis non habere eſſe obiectiuè tantum in intellectu Dei, patet; quia Deus cognoſcit ens rationis nihil eſſe ex parte obiecti, ſed illud eſſe fictũ, aut fingibile ab humano intellectu, ergo extra intellectum Dei eſt ens rationis eo modo, quo cognoſcitur à Deo; nam tota illa ratio fictionis, & repugnantia obiecti eſt à parte rei (qua ratione poteſt eſſe repugnantia.) vide ſect. 3. & §. 74.

Vnde patet apertum diſcrimen: noſter intelle- §. 93.
ctus fingit obiectum, & non intelligit ſe fingere; & obiectum apprehendit eſſe, quod tamen non eſt: Deus autem non fingit, cognoſcit tamen hominem fingere; obiectum autem fictum cognoſcit nihil eſſe, & non eſſe quomodo ab homine iudicatur. Vnde Deus negat chymæram, quam homo affirmat.

Confirmatur, poſt quã quis cognouit ſuum er- §. 94.
rorem, poteſt actu reflexo cognoſcere, ſe erraſſe, & obiectum à ſe fuiſſe confictum. Hic reflexus actus eſſet verus, vt patet, ergo conformatur obiecto, ergo illud repræſentat ſicuti eſt, ergo obiectum illud non habet eſſe obiectiuè tantum in illo actu reflexo: idem dico de Deo. Aduerte, poſſe duos homines decipi circa idem obiectum, quod habet eſſe obiectiuè tantum ab illorũ intellectibus, neuter tamen actus eſt verus, quia neuter conformis obiecto. Nec propterea tollitur ens rationis, nihil enim prohibet, duos homines ſimul decipi circa idem obiectum. Igitur vt ſecundus actus ſit verus, debet illius obiectum eſſe ſicut repræſentatur per illum.

P. Vazquez tom. 2. 1. p. diſp. 118. num. 12. hanc §. 95.
opinionem mordet acerrimè: nam quomodocumque Deus cognoſcit entia rationis, ſequitur eum ea fingere, ergo ea non cognoſcit: probat antecedens, quia ſi Deus mente ſua retinet id quod non eſt, licet non primariò, ſed ſecundariò, quia prius fictum eſt ab intellectu humano, re vera format in mente ſua figmentum & monſtrum illud; quod ab alio factum, virtute ſui intellectus conſeruat; ergo illud fingit. Probo antecedens; nam illud eſſe obiectiuum, quod habet à mente Dei, habet adæquatè à ſola mente Dei, & non ab intellectu creato; hoc autem non eſt minus abſurdum, quàm ſi primariò illud Deus efformet.

Cõfirmatur primò; ſi Deus nunc cognoſcit ens §. 96.
rationis ab homine factum, ergo illud cognouit ab æterno; antequam realiter effingeretur ab intellectu creato; ergo habet ab æterno aliquod eſſe obiectiuum pendens à ſolo Deo; ergo fit à Deo ens rationis; probo conſequentiam, quia illud obiectum non habet eſſe in ſe, neque poteſt habere; ſolum ergo habet eſſe obiectiuè in Deo. Dices, ens rationis cognoſci ab æterno vt fingibile ab homine, vel vt fingendum tali tempore. Contra: quia illud eſſe obiectiuum æternum, tantùm habet à Deo. Confirmatur ſecundò, facere, & cognoſcere ens rationis ſunt formaliter idem, ſed per te Deus illud cognoſcit, ergo & facit.

Priorem ſententiã eligo: nam hæc ſecunda plu- §. 97.
rimum peccat æquiuocatione. Prioris explanationem potes deducere tum ex eiuſdem propoſitione ſectione 3. Ad argumentum in §. 95. nego ſequelam. Ad probationem, Deus nec retinet, neque conſeruat monſtrum ab homine fictum, ſed potius illud veriſſimis ſuis actibus deſtruit. Nam retinere aliquid, aut conſeruare, eſt eſſe prius collatum tribuere denuò, vt homo nunc conſeruatur, quia illi tribui

tribuitur eſſe, quod habuit heri: at quando deſtruitur, non conſeruatur: ita Deus non tribuit figmento eſſe, quod illi tribuit humanus intellectus, ſed potius illud deſtruit, cognoſcendo hominem eſſe deceptum, adſtruentem pro ente non ens: eſſet quidem illud conſeruare; ſi Deus illud cognoſceret, vt ab intellectu humano cognitum erat; ſecus autem contingit: quare Deus non format figmentum, quia formare illud, eſt illud cognoſcere diuerſo modo, quo eſt; ſed videt illud ab homine formatum; quæ viſio veriſſima eſt, quia exprimit obiectum ſicuti eſt: à cognitione verò figmentum formante non tenditur in obiectum ſicuti eſt.

§. 98. Ad probationem reſpondetur; denominationem cogniti, & exiſtendi obiectiuè in mente Dei, formaliter prouenire à ſola cognitione Dei; at verò ex parte hominis illi offerri obiectum repræſentabile à Deo ſicuti eſt; vt patet in cæteris cognitionibus diuinis. Nam in illo obiecto diuinæ cognitionis reperiuntur, & extrema realia, & illorum incompoſſibilitas; item & actus fingens, & obiectum denominatum fictum: hæc autem omnia ſunt ex parte obiecti; ſicut per cognitionem diuinam exprimuntur; quapropter non habent eſſe obiectiuè tantùm in mente Dei, ſed extra illam habent eſſe, ſicut in illa repræſentantur, quod repugnat actui efficienti ens rationis. Quod confirmatur ex vera cognitione de mendacio: quæ non conſeruat, ſed deſtruit mendacium.

§. 99. Ad primam confirmationem concedo, primam, & ſecundam conſequentiam, ſicut cætera entia habent ab æterno eſſe obiectiuè in mente Dei: vt patet ex diſp. 8 ſect. 1. & 2.) nego tamē conſequentiam tertiam; quia licet habeat illud eſſe obiectiuè in Deo, tamen non habet eſſe obiectiuè tantùm in Deo: nam etiam ex parte obiecti eſt, ſicuti eſt in Deo obiectiuè, & non in Deo obiectiuè diuerſo modo quo in ſe: ens autem rationis licet nullum habeat in ſe eſſe reale actuale, nec poſſibile, habet tamen in ſe eſſe fictum in aliqua differentia temporis, vel ſaltem eſſe fingibile, & vt tale cognoſcitur à Deo: nam vt obiectum poſſit à Deo cognoſci, ſufficit, ſi cognitio Dei poſſit illi conformari, illud exprimendo ſicuti eſt poſſibile, vel futurum reale, vel fictum. Quæ ibi obijciuntur ſunt vera; & malè diluuntur, quia licet eſſe obiectiuè habeat formaliter à Deo, tamen non habet eſſe obiectiuè tantùm in Deo: ſed ex parte obiecti eſt, ſicut eſt obiectiuè in Deo, quod non contingit in cognitione fingente.

§. 100. Ad ſecundam confirmationem diſtinguo maiorem; fieri ens rationis eſt cognoſci diuerſo modo, quo eſt, concedo maiorem, ſic enim eſt tantum obiectiuè in intellectu; eſt cognoſci eo modo quo eſt in ſe, nego maiorem, quia ſic non habet eſſe obiectiuè tantum in illa cognitione: item diſtinguo minorem; Deus cognoſcit ens rationis diuerſo modo, quo eſt, nego minorem: eodem modo, quo eſt, concedo minorem, & nego conſequentiam. Sicut ergo affirmare, quod non eſt, eſt mentiri, quia cognoſcitur obiectum diuerſo modo, quo eſt: cognoſcere autem mendacium tam formale, quàm obiectiuum, non eſt mentiri; ſed actum eſſe veracem, ita cognoſcere *quantitatem eſſe ſubſtantiam,* eſt mentiri, & chymæram facere: & cognoſcere hoc eſſe falſum, & chymæricū, eſt chymærā deſtruere, & cognoſcere rem ſicuti eſt; quia obiectum eſt chymæra, & cognoſcitur eſſe chymæra, quod non facit, qui eam effingit.

DISPVTATIO XX.

De Deo Optimo Maximo.

HÆc eſt noſtræ Metaphyſicæ meta, quin non ſolùm humanarum actionum, verùm & rerum omnium, quia illius imperio parent: quam vtinam è noſtris carceribus egredientes, attingamus. Deum intelligo cum Ariſtotele libello de mundo ad Alexandrum, intellectualem naturam, omnium optimam, quas noſter intellectus poteſt apprehendere, cuius arbitrio conſtituta ſunt vniuerſa.

SECTIO I.

Eſſe Deum, vnum, ſimplicem, immenſum, æternum, cauſam cæterorum quæ infra eum.

HEu pudor nominis humani! quot hominum excordium millia per impietatem, ſacrilegium, blaſphemiam: per inſenſilem ſtuporem, & ſtoliditatem, Deum ſuis linguis abnegarunt, earumdem motorem, artificem, autorem: qui referūt in vnum caſum pulcherrimam hanc, & admirandam vniuerſitatem, tam multarum rerum alternis iurgantium diſſidijs conſenſione compactā? Contra quos copias educam agmine tripartito. Primò pugnando, homines non caſu, ſed conſilio moueri. Secundò, vniuerſum terrarum orbem his repugnare iumentis. Tertiò, aperta demonſtratione expugnabo caſtra. Quæ copiæ ſi ſuis locis aptè pugnent, atque repugnent, non audebunt obſiſtere dæmoniaca iſta caſtra, hac tempeſtate conferto agmine ex inferno producta. §. 1.

Quæro abs te, O Atheiſta. Vtrum hanc propoſitionem *non eſt Deus* caſu effutias? ſine conſilio? ſine ratione? ſine commentatione, & ſtudio? an vero eam prudens, conſilio capto, rebus conſultis emittas? Inquis; ſine conſilio: iuratem ego tam ſtolidum errorem à te vomitum ſine conſilio: ergo caſu eam pronuntiaſti. Bono animo me iubes eſſe; mox te vertes in cōtrariam, vt oſtendas te vno caſu moueri impotem conſilij, & prudentiæ. Quæ enim caſu geruntur, non ſeruant æquabilem tenorem, ſed inconſtanti, & permixta confuſione contingunt. Iacta in cælum multa grana frumenti: diſperſa recident; iterum iacta: vix in tanta multitudine reperies vnum ſeruans locum & ſtationem priorem. Quid cauſæ? caſus, quo vtraque vice recidere. Hoc telo traiectus dabis manus. Parui faciam, quia non conſilio, ſed caſu moueris, neque arbitror vllum tibi fidere debere, non enim fides ſine conſilio, neque negotia ſine prudentia, neque vrbanitas ſine ratione. Denique non magis tibi fidendum, quàm iumento ad ſtabulum alligato: quod ſine conſilio morſus, & calces impingit domino, à quo alitur. Miſeri huius ætatis Politici; qui dum ſuæ reipublicæ ſtatum conſeruare nituntur, Deo è medio ſublato, illum labefactant, & demoliuntur, ſublato è medio conſilio & prudentia, ſine qua quis ſtatus ſtabit? §. 2.

At (inquis) non caſu, ſed conſilio, & ſtudio id aſfirmo, ſciens linguam cieo, & teneo: labia premo, laxo: manui impero motum, quietem: pedibus curſum, ſtationem. Stulte, mundulum iſtum tuum vis prudentia adminiſtratum, nihil in eo caſu geſtum, §. 3.

geſtum, neque fortuna: maxima hæc mundialis machina te tanto illuſtrior, admirabilior, quanto maior; caſu conſtituitur? ſine conſilio adminiſtratur? gubernatur abſque prudentia? Voces à te miſſæ tuum animum ſuum vociferantur factorem, cuius conſilio, & virtute mittuntur: animus tuus nullum recognoſcet authorem, cuius virtute ſit in tuum corpus infuſus? velox tuus curſus, aut tardus: leuis, aut iunonius inceſſus aperto clamore teſtatur, tibi ineſſe conſilium, & mentem manus moderantem, & pedes: celerrimus ille aſtrorũ curſus, leues aëris excurſiones, tardæ cælorum in latera conuerſiones, aut trepidationes, non conclamant? vociferantur? iurant huic vniuerſitati mentem adeſſe, cuius conſilio, nutuque geratur? finge tibi hanc ſpeciem deſcripti palatij.

§. 4. Mille ſtadiorum ſolum, auro pauimentatum, lectiſſimis ac ſemper floreſcentibus herbis, arte diſtinctum, naturam ad viuum referente; erecti vndique parietes, cœlo altitudine minitantes; quadratis è criſtallo lapidibus, quorum tectorium laqueatum margaritis; tectum argenteum, carbunculis, adamantibus, omnique ornatu gemmarum illuſtre, pellucidum flammeo ſplendore tenebras depellens, continentem diem efficiens. Hic officinæ inſtructæ ad ciborum condimenta: illic triclinia Regio apparatu: iſtic tori aurei ſericis culcitris, & carbaſinis ſindonibus, ceruicalibus, reticulatis, roſa fartis: alibi armamentarium in Vulcania confectum, cum ſtabulo pernicum, & elegantium equorum, alibi nemora plena feris, & beſtiolis ad venandum, hic penſiles horti floribus olfactum, viſum, guſtumque paſcentibus, illic ſtagna, piſces cum aqua euomentia, aureis ſedilibus circumfuſa, ad ebibendos ſuſpenſa aure paſſerculorum cantus: tandem omnia ea arte connexa, vt irrequieta vertigine circumacta ſingula ſuum teneant locum, neque eius palatij inhabitatores motum ſentiant, niſi diligenter attendant, & intendant animum, haurientem cum admiratione voluptatem ex accordi concordia motuum. Si ego tibi ſuaderem, domum hanc caſu confectam proiecto à puero lapide, an perſuaderem? fidem facerem? An verò arbitrare te à me illudi atque deludi? Prudens caſus, qui homini cibos parat, paratis menſas apparat; lectum molle ſternit, equos, & arma tribuit ad venandum beſtias, ſedilia prouidit: ne muſica ad ſtagna cum ſtationis fatigatione audiretur. Si arte, & conſilio voluiſſes, aut tibi, aut filio voluptatem prouidere, an ne imprudentem hunc caſum prudentia, conſilio, arte ſuperares?

§. 5. Eia igitur, erige animum, & oculos in cœlum attolle: circumſpice hoc magnum magni Principis palatium: oculis luſtra illuſtrem illuſtris machinam Architecti. Ecce terreum pauimentũ floribus, frutetis, arboribus, herbiſque diſtinctum; quorum contuitu delectaris, guſtu paſceris, odore reficeris: quibus numquam caret, niſi brumali die, qua Zephyris aridi verruntur flores, vt nouis alijs erumpentibus ac laſciuientibus refloreſcat. Hinc eriguntur parietes aërei, ignei, cælis attigui, continenti vertigine firmi, perpetua latione fortes, pellucidi, nitidi, foris, intuſque conſpicui luce, quam eiaculantur aſtra. His impoſitus pulcherrimus ille cæleſtis fornix, cui lucentia aſtra, inciſa: quæ ſuo lumine complent vniuerſa, virtute fouent, pulchritudine ad ſe oculos, animoſque conuertunt. Inter hos parietes, & tectum quas delitias deſiderat humanus animus? quam voluptatem non prouidit prudens Architectus? hæc quos motus efficiunt? Sol quanta pernicitate? ne qua pars pars mundi oculis diu priuetur. Luna, quam lento gradu? ne imbecilla eius virtus rapido curſu minus proſit. Hæc omnia caſu, ſorte, ſine conſilio arbitraris eſſe perfecta? Equidem ſi quid caſu eueniret, is tu vnus eſſes: mentem enim tam belluinam, quæ mens eſſormaret? ſed te nec caſus conſtituit, ſed Mens, quæ te ad tuam reuocare conatur. Parua Reſpublica nec diem conſeruatur abſque prudentia: cibaria nec ſemel caſu reperiuntur in foro: lucernæ numquam ſine manibus nocte accenduntur; nec natura pluit calceos, mechanicæ artis opus. Magna hæc reluctantium inuicem partium Reſpublica tot annorum millibus ſine prudentia conſeruata floret? Cibi tam abunde hominibus, animantibus, auibus, piſcibus ſuppetunt abſque conſilio? Cæleſtes ignes terras illuſtrantes, caſu ſunt ſemper accenſi? Homines, egregium opus, ſine arte fiunt? O artificioſe caſus! O fortuna prudens! Te oro vt iſta prudentia mihi prouideas, te iterum oro, & ſupplex adoro.

Ad hæc, quæ cæco caſu fiunt, & volubilitate fortunæ, incertos habent euentus, dubios exitus, ſæpè contrarios, eoſdem raro. Si ergo hæc vniuerſitas caſu conſtituta, vbi exitus inopinati? quis arbitratur ſolem cras, non orturum? eius curſum frænandum? defatigandos equos? ab ortu in occaſum reflectendos? aut per immenſam cælorum planitiem hâc, illâc erraturos ſine habenis? Ignis, ſi caſu comburit, cur perpetuo, & nunquam refrigerat? cur aqua frigeſcit vltro, & non incaleſcit? terra aliquando cur ſponte non repetit cælum? aër deprimitur ad terram? Hæc quæ perpetuo eadem ratione contingunt, caſu eueniunt? Cum nihil ſit proprius fortunæ, & caſui volubilitate, incertitudine, contrarietate euentuum. Inquis; iſta non caſu contingunt, ſed certis legibus adminiſtrantur. Gaudeo, primum mearum copiatum agmen parta victoria agere triumphum ex debellato & expugnato caſu; qui in totum orbem iam non dominatur, ſed certæ leges. §. 6.

Agedum, ad impetum agminis ſecundi te compara, quod iam educo, volens has leges ab vno Principe latas. Propugnant veritatem hanc denſis, & confertis agminibus vniuerſi ferè mortales: docti, & indocti: litterati, & idiotæ: rudes, & eruditi: Græcus, & Barbarus, fœminæ, & viri, tam conſtanter, vt vnius religionis, & cultus in Deum cauſa ſæpius terrarum orbis Mauortio conflagrarit incendio; nullaque bella tam belluina feritate, immanitate, rabie ſuſcepta, quàm quæ religionis ergo. Hæc non modo à Principe Principi indicuntur, ab Hiſpano Anglo, ab Anglo Gallo, à Turca Chriſtiano, à Catholico Hæretico: verùm à ſorore fratri, ab vxore viro, à matre filio, & filio à parente: tam altè retinent mortales Dei ſui cultum, vt amoris igniculi in eis ardentes depopulentur, & redigant in cineres chara pignora, pro quibus ipſis perire ſibi iucundum, & honeſtum putarent. *Nulla gens* (inquit Tullius de legibus) *eſt tam fera, quæ non, etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat, tamen habendum ſciat.* Multas prouincias ſine gymnaſijs reperies, ſine literis non paucas, nonnullas inermes, plures ſine emporio mercatorum, ſine vrbanitate complures: ſine Deo neque vnam neque vrbem vnam, neque villam vnam, ſine altari, neque domum, neque lar vnum. Ruſticus filio Deum oſtendit in agris, pueri cum lacte Deum ſugunt à matre; filiam docet mater, & digitos in fuſum, §. 7.

& labia

& labia in Deum mouere. Hæc doctrina non eget gymnaſijs, non Doctoribus, hæc docetur in ruſticorum caſis; hæc gymnaſia ſibi fecit ex Regum turribus, pauperumque cauernis.

§. 8. Quid te moror? Hanc ex ipſa natura ebibimus, hauſimus, arripuimus: in hanc nos ipſa natura vel ignaros, & inuitos impellit. Quis ſubito labore preſſus cœlum non ſuſpexit? Quis nauta intenta præſenti morte, Notis effuſis, non tetendit ſupplices ad ſydera palmas? Quis ex equo decidens nullum numen implorat? Quis Marti aut morti vicinus vota non fecit? Hæc omnia, quotidie præſtamus etiam incauti, improuidi, rapti vi legis innatæ, quæ nos vni ſubiecit Principi. Quæ ſunt claræ, & contentæ voces, quibus muta natura tot linguis vociferata præmonſtrat, eſſe Principem, cuius nutu geruntur omnia, prouidentia adminiſtrantur, virtute conſtituùntur. Cælum ſuſpicimus numen implorantes: arbitramur ergo nos ab eo & videri, & poſſe iuuari. Cum capiti aut lapis, aut vulnus imminet, illud propulſamus ex ipſius naturæ impulſu, obiecto brachio; iaculum pectus petens manu declinamus, eam aperto periculo exponentes, ne cor vel leuiter lædatur. Cur ita? quia nos ipſa natura monet eas eſſe principes partes, vitæque fontes. Subitæ autem iſtæ, & incautæ noſtræ Numinis implorationes nõ monent eſſe principem opitulatorem? Quid huic mortalium omnium voci reſpondes? An tubei iſti clamores aures tuas non penetrabunt? Inquis, etiam gentes multitudinem deorum errantes adorant. Equidem vt te à Deo malus Dæmon auertit, ita & gentes à vero Deo, tibi, & illis admotis accenſis cupidinum, & flagitiorum facibus: quas tu ne reſtinguas concepto numinis timore, illud negas vt totus laxis habenis calcaribus adhibitis in omne flagitium præceps percurras. Quid? multæ nationes vnum tantum coluere Deum, & docti quique Philoſophi multitudinem deorum anuum delyrantium fabulis inuectam irriſere: quin ipſi Poëtæ flagitiorum magiſtri, Iouem cenſuere deorum Principem. Ergo te ab omnium mortalium mente alienum non immeritò vocarem amentem, inhumanum, cum nihil humani ſapias: brutum, cum te ab omnibus hominibus belluina opinione ſeiungas.

§. 9. Ecce ingruit tertium agmen: ac primum terreus orbis, quia grauitate ſuperat aqueum, petit ſub illo eſſe, & aqua petit enatare terræ, quod vtriuſque grauitate firmatur. Grauiora enim corpora ſibi vẽdicant locum anguſtiorem, ſicut ampliorem leuia, vt ignis, aqua, aërque teſtantur: namque ignis ſubterraneis carceribus vinctus eos effringit horriſono fragore, tantarum anguſtiarum impatiens; euolans ad ampliorem regionem, per cuius planitiem liberè diuagatur effuſus. Aër quos efficit motus terræ? quam concutit deiectis ſuperbis Regum ædificijs, Babylonicis muris labefactatis; adæquatis ſolo pyramidibus Ægyptiorum: flumina præcipitantia frænari non poſſunt, nec diu cohiberi repagulis obiectis, quæ rapiunt, & ad ripas allidunt, vt regionem aëri inferiorem repetant, quò innata grauitate pelluntur: terra elementorum grauiſſimum, & humillimum, quam ægrè attollitur in aëra? qua violentia tenetur? queis fulcris ſuſtentatur? quibus fundamentis domus innexa, ne habitatores ſubito viuos conſepeliat certa ruina?

§. 10. Hæc loca ex ſua natura ſibi vendicare elementa ipſa faciunt teſtatum: ediſſere mihi obſecro te, cuius virtute aquæ in alucos confluxere; ac deſerta ſublimi ſede, ex extima terræ ſuperficie ſe depreſſere ad imas terrarum cauitates? ſeque terræ inuitæ ſubiecẽre? Terra, quæ aqueo iure illi ſubiugatur, caput extulit vndis? Quis concluſit oſtijs mare? quis carceres ſtatuit nullo pariete, niſi exiguis arenulis? quis domuit aquam? quis terram extulit? aqua vltro non ſe ſubiecit, neque extulit ſe terra: nam illarum particulæ, cum digladiantur, propria loca capeſſunt, ſuperiorem aqua, terra inferiorem: tota igitur elementaris machina, cum alia comparata, cur non vincit hoſtem debiliorem? cur non ſubiugat? ergo aqua alias recognoſcit vires, quibus comprimitur, & è propria ſede detruditur. Cuius hæc virtus? aſtrorum inquis: at aſtra cur inuerterent naturæ leges? cur eadem virtute aſtrorum globulus terreus non enatat aquis, ſed mergitur? Tam minutula corpora non poſſunt aſtra è loco mouere, & poſſunt tam ingentium machinarum leges violare? vires infringere? naturalem ordinem diuertere? ô demens, qui non vides Numinis imperio terram ab aquis immunem, vt homo inhabitaret, eamque coleret, & adminiſtraret, vt Dei adminiſter & ſeruus, cui pareret, & cultum deferret. Ecce quàm aptè omnia vnius Principis catena illigata: aſtra non habent lationes innatas, (oſtendi id alibi latè) circumaguntur Principis imperio: lucis beneficio quam partitim eiaculantur aſtra in regiones omnes, humani illuminantur oculi: fructus producuntur, quibus viuentia nutriantur, qua prata vireſcant, vt olfactus oblectetur; quatuor humores aptè diſpenſentur, vt animantia animentur. Aures auiditate tenentur ſui obiecti; muſicam docuit homines Deus, nares effecit natura, vt per illas caput reficiatur; præſto ſunt odores vltro in illas tendentes: alget homo brumali die, ſuperat frigus igni applicatus, æſtuat æſtate. Scaturiunt præfrigidi fontes è pedibus. Hæc ſibi tam artificioſè reſpondent caſu? ſine arte? ſine autore? qui vt ſingulos ſenſus, atque hominis partes effecit, ita illis ſingulari ſapientia prouiderit? ô demens! ô brutum!

Moralem philoſophiam adeo, vt tecum etiam manus conſerat. Quid bene conſtitutæ ciuitati eſt proprius, & honeſtius, vtilius, & magis neceſſarium, quàm decreta præmia, & ſupplicia, probis, & prauis? Nuſquam vnquam etiam barbarorum Remp. audiſti ſine legibus adminiſtratam; ſi deſint præmia, quis ſe pro patria, & publico bono, vitæ periculo exponet? Si non ſint ſupplicia, quis erit ſecurus ab improborum rapinis, & furore? ſunt enim præmia calcaria, quibus admotis animi eriguntur, accenduntur ad virtutem: ſupplicia verò fræni, quibus flagitioſi comprimuntur, quibus ſpumantes, eoſdemque cum ſanguine ſæpe mandentes, huc illuc flectuntur, & reſtinguntur æſtus libidine, & immoderatis affectibus excitati: ſine quibus non aliter Princeps Remp. moderabitur, quàm equos effrænatos, aut tardos equos ſine calcaribus, & habenis. Nulla vel parua Reſp. eſt ita manca; ingens hæc vtriuſque orbis Reſp. manca erit? ſine præmio? ſine ſupplicio? nam ſi non eſt Deus, per quem iudicandi Reges? quis flagitioſum Imperatorem puniet? quis frænabit homines efferatos? arrogantes? ſuperbos? tyrannos? equidem te in mea Republica neque horam paterer: nam ſi poſſes, eam occupares; virgines imminueres, ciuium bona diriperes, bona publica depopulareris, abuterere omnibus ad tuam libidinem, quid ni? quia Deum vindicem non times? quo igitur pacto te continebis in officio? inquis, §. 11.

ipſa

ipſa virtus, & honeſta operatio eſt præmium, flagitia ipſa ſupplicium: Stulte, tibi imprudenti excidit iſta ratio; non enim eſt virtus, aut honeſtas ſublato Deo; quia nec finis vltimus. Denique non vides honeſtam operationem eſſe meritum, cui, quod præmium? flagitia ſunt demeritum, & turpitudo ipſa: quibus, quod ſupplicium? an tyrannus excedet è viuis ſatis punitus, eo ſolum quod fuerit tyrannus? tyrannis eſt crimen: bene punitur, ô bone ſenator? homo moritur, ne deſerat honeſtatem, accepit, inquis, præmium, mortem ipſam. O bone Princeps tuos milites ſi iſto donares præmio; ſatis donaſſes, & ſatis digne, ſi tibi eſſent ſimiles. Cur in Rep. alia ſupplicia, & præmia decreta? Iam teneo, ignoſce meam tarditatem: ideo negas Deum, vt eius timore depulſo in flagitia, & teterrima crimina te totum effundas, nam turpido criminũ te non deterret, nec ſupplicia times. Paucis ab hinc annis ita profeceris, vt poſſis in Republica ſtipendio publico publicus eſſe flagitiorum magiſter. O quam bene bonus ille Rex: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Ecce impiorum inſipientium inſipientia dicta: quæ facta ſecuta? *Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in iniquitatibus, non eſt qui faciat bonum.* Ergo Atheiſtæ è republica, more peſtis, ſunt ſuccenſis ignibus abigendi: illam enim flagitijs corrumpunt, & inficiunt omnium contagione vitiorum, demoliuntur, & ab ipſo fundamento conuellunt. Recognoſce diſp. decimam phyſ. & 18. de Anima.

§. 12. *Ergo eſt Deus.* O inſigne noſtrarum concertationum trophæum! Nunc copias contra Ariſtotelem ducamus, opinantem cælos, & elementa, materiam primam, & intelligentias à Deo non creari, ſed moueri. A nullo pendere eſt omnium maxima perfectionum, pendere autem ab aliquo eſt imperfectio; nam qui ſibi ſufficit, neque alio eger, eſt quàm ſimillimus Deo; qui nulli cogitur ſupplicare, alterius autem opem implorare miſerrimum. Mortales immortale numen cenſentur adepti, cum Reip. gubernacula tractant ſuo arbitratu, prouincias partiuntur adminiſtris, vectigalia imponunt; nobiles autem indignam ſeruitutem cenſent, parere alterius imperio: neque eſt apud homines calamitoſior fortuna ſeruitute: qua alijs ſubijcimur; nec regno honeſtior, quo in cæteros dominamur. Hæc politica immunitas, & ſubiectio tanti habetur, vt pro ea paſſim veniatur ad arma: immunitas, & ſubiectio non in politica, & accidentali actione, ſed in ipſa natura, & ſubſtantia, non erit cenſenda perfectionum omnium maxima? Ab alio pendere, aut non pendere in hoc aut illo munere exercendo tanti ponderis eſt; pendere autem aut non pendere in degenda vita, in ſpiritu hauriendo, in ipſa eſſentia, quanto maioris momenti? atqui cæli, & prima materia non ſunt tantæ perfectionis: ergo: minor propoſitio liquet, quia cæli ſunt animo rationali imperfectiores, imo, & leone, & equo, materia autem eſt deſpicatiſſima ſubſtantia. Confirm. operatio congruentem ordinem perfectionis ſeruat cum ſubſtantia: nam ſubſtantia à materia pendens in ſuo eſſe, nihil operatur niſi in materiam, ſpiritualis autem animus multa agit à materia abſtractus, ſed cœli, & materia prima habent ſuas actiones ab alio pendentes, vt indicant cœlorum conuerſiones, ergo & in ſubſtantia ab alio dependent. Quæ rationes perfectè concludunt propoſitum vel ſola terminorum explanatione. De Ariſtotele verum cenſeo Pſaltis iudicium, *male locuti ſunt de Deo,* cui imperium detulit Ariſtoteles humano ſimile, non in ſubſtantias rerum, ſed in actiones. Verum ſicuti in politica magni huius orbis adminiſtratione vnũ ſupremum Principem conſtituit, cuius arbitrio adminiſtretur; ita in ſubſtantiali, & naturali vita eſt conſtituenda vna ſuprema ſubſtantia, cuius arbitrio cæteræ omnes conſtitutæ.

Ad hæc: ſi orbes illi, & hæc materia nullam §. 13.
habent cauſam, à qua pendeant; cur non ſunt plures cœli? cur hic orbis non eſt maior? cur non ingentior materia? quis finem indiuiduis præſcripſit? aut magnitudini terminos? Inquis, repugnant alia: cur ita? ſicut homines ſine numero ſunt multi, & hæc materia centum habet cubitos, cur cœli non poſſunt eſſe plures? aut non poteſt eſſe alius cubitus materiæ? huius nullum reddes argumentum, ergo ſunt hæc poſſibilia, ergo ſunt ſimpliciter, & exiſtunt; nã ſunt entia à ſe (in tua ſententia) neceſſaria, ſummè, ac ſemper actualia; ergo ſunt infiniti cœli, & terræ infinitæ, & infinita magnitudo materiæ. Adde, hominem cœlo nobiliorem ab alio produci, natura enim non pluit hominibus è cœlo emiſſis, aut ex aqua ebullientibus. Recognoſce ergo vnum authorem cæterorum, ea ſuo arbitratu, & infinita virtute è nihilo producentem, & conſeruantem. Obijcis, cœlos eſſe immortales, mortali homine ignobiliores, ergo & poſſunt eſſe à ſe, & ſi non homo: nego conſequentiam: nam eſſe à ſe eſt perfectio in ipſa ſubſtantia, & nobilior actualitas: at verò corruptio non tollit immunitatem, & dependentiam: ſed indicat contrariorum carentiam, & impotentiam in agentibus creatis ad debellandam exiſtentiam, quæ perfectio compluribus humanis ſuperatur.

Vnum tantum eſſe Deũ agnouit Ariſtoteles; Tul- §. 14.
lius aſſeruit, monſtrauit Seneca, & plerique Philoſophi ſunt aſſecuti. Nam intelligentias omnes vni Principi ſubiecêre, quod ita monſtratur. Deus eſt perfectiſſima natura, quam poſſumus excogitare; nam ſi quid perfectius in noſtram cogitationem cadit, illud erit Deus, & non aliud; alioquin & Deus eſſet inferior alio, & illi poſſet inuidere: ſed in humanam cogitationem cadit ſingularitas Deorum vt perfectior pluralitate, eſt ergo Deus ſingularis, & non plures. Confirmatur propoſitio minor; quia perfectius eſt virtute, nobilitate, poteſtate, & imperio cæteris præcellere, quàm vlli eſſe æqualem, vt hominum conſenſio teſtatur. Noluit Alexander mundum duorum regum capacem; nec paſſus Cæſar vllum ſibi æqualem; nec Reges in rep. deferunt poteſtatem ſuæ æqualem; homunciones his ſpiritibus, & animis attolluntur, eorumque imperium eſt ſocietatis impatiens: ſupremus ille Princeps, qui cuncta gubernat; Diuinitatis ſocietatem admittet?

Quod ſi Deus non eſt vnus, ergo erunt plures §. 15.
dij? rogo eiuſdem ſpeciei? an diuerſarum? ſi eiuſdem, ergo ſunt infiniti dij; ſi enim duo non repugnant, cur repugnabunt tres? cur ſex? cur duodecim? & quiuis alius numerus? ſi verò ſunt ſpecie diuerſi, vnus erit perfectior alio; hic autem non erit Deus, quia non eſt perfectiſſimum obiectum, quod nos poſſumus cogitare. Ecquis eſt ille Deus, qui ſuperiorem habeat, cui pareat? item poterunt eſſe infiniti, cur enim repugnabunt potius tres, quàm duo, aut duo potius, quàm viginti? quàm mille? quàm infiniti? Perſonæ autem diuinæ ſunt tres cum eadem numero natura, intellectu, voluntate: & potentia, quia altera terminat adæquatè virtutem productiuam per intellectum, altera per voluntatem.

Fulcio hanc argumentationem; demus duos §. 16.
Deos,

Deos, vnuſquiſque eſt voluntate liber nulluſque determinatur ab intrinſeca natura ad mundi productionem, ſed ipſi ſe liberè inflectunt, v.g. Iupiter vult creare mundum, Saturnus non vult; hoc quid repugnat admiſſo deorum vulgo? nam ſicut Deus voluit producere mundum, & potuit nolle, ita & illi dij ob intrinſecam libertatem: tunc quis vincere? Iupiter ne? an Saturnus, an neuter? ergo neuter eſt omnipotens, quia neuter poteſt, quod vult: vterque autem vincere nō poteſt, quia mundus nequit ſimul eſſe, & non eſſe: vincat Iupiter; ergo Saturnus non eſt Deus, quia non potuit, quod voluit. Inter Deos, inquis non poteſt eſſe diſſidium. Quid ni? oritur enim ex pluralitate arbitrantium, ſinguli enim flectuntur liberè, quò volunt. Quod ſi voluntas Iouis frænat voluntatem Saturni, ergo ei adimit libertatem. Equidem eſt hæc demonſtratio ſolaribus radiis illuſtrior.

§. 16. *Deum eſſe ſimplicem* inde monſtratur; quia natura ſimplex à compoſitione immunis, nobilior eſt ſuo conceptu quàm compoſitioni concreta: ergo Deus eſt à compoſitione immunis. *Immenſitas* non poteſt ſine crimine in dubium reuocari: nam rebus omnibus eſſe præſentem perfectius eſt, quàm abeſſe. Deinde ſi Deus eſt in ſolo cælo, (vt illum ibi ligauit Ariſtoteles) aut poteſt inde auelli, aut non? ſi poteſt, ergo eſt mutationi, & compoſitioni obnoxius; ſi non poteſt, quis eum ibi ligauit? quibus vinculis conſtringitur? O miſerum Ariſtotelem ipſa in luce cæcutientem; meridie hallucinantem. *Æternitas Dei* ſe ipſam oſtendit; eſt enim Deus à ſe, ex nullius voluntate, aut potentia pendens: ſemper actualis. Cætera infra cum à Deo facta probaui.

SECTIO II.

Quis ſit conceptus quidditatiuus Dei?

§. 17. Dvplicem ſignificatum habet quæſtio; alterum de quidditate, & natura à parte rei; ſic omnia attributa ſunt de natura & quidditate Dei; quia cum illa ſunt idem realiter; quod voluit D. Thom. 1. part. quæſt. 14. artic. 4. & quæſt. 19. artic. 1. Nonnulli enim inde volunt probare quidditatiuum conceptum Dei includere formaliter intellectionem; D. igitur Thomas tantùm loquitur in ſenſu reali, & identico: nam etiam ait velle diuinum eſſe ipſum eſſe Dei, ſicut intelligere. Alterum ſignificatum habet in ſenſu formali; quis ſit logicè loquendo quidditatiuus conceptus Dei, quódve attributum? Ac primùm exiſtentiam actualem eſſe de primo conceptu Dei ita monſtratur: in Deo non reperitur fundamentum ad diſtinguendum ratione eſſentiam ab exiſtentia, ſed eſſentia eſt de primo conceptu Dei, ergo & exiſtentia. Probatur maior: tum quia in creaturis fundamentum eſt indifferentia, quam habent ad exiſtendum; & non exiſtendum; & conceptus quidditatiuus poteſt intelligi abſtractus ab vtroque ſtatu (vt probaui diſput. 2. & diſput. 8. ſect. 4.) quod fundamentum non reperitur in Deo: tum etiam quia Deus eſt ens à ſe, id eſt in nullius potentia continetur, ergo eius propria differentia eſt actualitas, quæ includitur formaliter in ente à ſe, hoc enim excludit omne genus potentialitatis, quæ excluditur per actualitatem formaliter.

§. 18. Dices hoc eſſe à parte rei. Contra: definitio quidditatiua entis à ſe eſt *quod habet eſſe ſine dependentia ab alio*, ergo formaliter dicit actualitatem excludentem omne genus potentialitatis; patet conſequentia, quia habere eſſe eſt actualitas: negatio verò dependentiæ ab alio includit neceſſitatem actualitatis; nam ſi illa eſt actualitas, & non dependet ab vlla cauſa, ergo concipitur vt neceſſariò exiſtens; quia concipitur repugnātia, vt poſſit deſtrui; non enim poteſt deſtrui, niſi, quod in alicuius virtute continetur; immò negatio exiſtendi ab alio oritur ex exiſtentia actuali, & à ſe. Confirmatur Deus in primo ſuo conceptu differt à creatura in proprio illius, & primo conceptu, quia creatura eſt ens contingens, Deus autem neceſſarium: niſi enim formaliter hi conceptus apprehendantur, non efformamus proprium conceptum Dei, neque creaturæ; ergo qui propriè concipit differentiam Dei, concipit formaliter neceſſitatem exiſtendi: ſed neceſſitas exiſtendi eſt actualitas neceſſaria exiſtentiæ, ergo differentia propria Dei eſt exiſtentia actualis, ergo exiſtentia actualis eſt de primo conceptu Dei. Hinc colligo, enti in potentia formaliter, & Deo nullum eſſe conceptum communem: nam ens in potentia nihil eſt ſimpliciter, ſed ſimpliciter eſt non ens (vt clarè probaui diſputatione 8. ſectione 2.) Deus autem eſt ſimpliciter ens: ſed enti, & non enti nullus eſt conceptus communis, ergo nec Deo, & enti in potentia. De quó egi diſp. 8. §. 65.

Vlterius diſquirendus eſt quidditatiuus Dei cōceptus qui non videtur adęquatè conſiſtere in conceptu entis à ſe: nam licet iſte conceptus ſit proprius ſolius Dei, & per illum poſſit à creaturis diſtingui; non tamen ſufficit, quia opus eſt, vt eum concipiamus quidditatiuè in aliqua differentia, quaſi completa, quæ ſit radix, & origo attributorum: non enim ſufficit quiuis conceptus proprius ad conſtituendam naturam, ſed ille, qui non attribuitur aliis, neque ab eis oritur ratione noſtra, ſed à quo cæteri: vt patet tum in homine, cuius riſibilitas non eſt quidditatiuus illius conceptus, quia oritur ex rationalitate, tum in Deo, cuius relationes, & iuſtitia non ſunt quidditatiuus illius conceptus. Recurrendum ergo ad primam vnā radicem cæterorum: nam conceptus ſecundarij ſunt attributa, quia attribuuntur primario, attribui autem eſt eos adſcribi primario, illum reddendo pro prima radice cæterorum: vt *quare Deus ſe amat? quia ſe cognoſcit*, ecce amor attribuitur cognitioni tamquā rationi in propoſitione cauſali; cognitio autem non attribuitur amori tamquam rationi, eſt enim hæc mala cauſalis, *ideo Deus ſe cognoſcit, quia ſe amat*: ergo cognitio non eſt attributum amoris: ſicut amor cognitionis. Vbi aduerte, actualem noſtram conſiderationem nihil intereſſe conceptus primarij, aut ſecundarij: niſi inquantum ex parte ipſorum præbetur fundamentum: quo per virtualem diſtinctionem intellectus ita eſt ratio amoris, ac ſi phyſicè eſſet illius principium, ſi realiter diſtingueretur. Quæritur ergo conceptus ille, à quo orientur cæteri abſoluti tamquam à vera cauſa, ſi eſſent realiter diſtincti: ille enim erit ratione noſtra radix cęterorum. Igitur ens à ſe non eſſe conceptum, cui cæteri attribuantur, patet: quia relatio formaliter vt relatio, eſt ens à ſe, & tamen vt relatio formaliter non eſt ratio, cui attribuatur amor, ſcientia viſionis, prouidentia, & cætera: ergo ens à ſe non eſt cui attribuuntur cæteri conceptus: patet conſequentia, quia ſi illi tribuerentur, vbicumque eſſet, attribuerentur, cur enim magis hîc, quàm alibi? Antecedēs patet, quia relatio vt relatio tantū ſeruit oppoſitioni relatiuę, & conſtituit originem actiuā, aut paſſiuam. Nam filiatio, v.g. non eſt ratio for- §. 19.

malis, cui attribuatur iuſtitia, ſicut nec cæteris relationibus: ergo natura Dei in ratione naturæ aliquid addit ſupra ens à ſe, cui cæteri conceptus attribuantur.

§. 20. Hanc rationem non conſiſtere in conceptu ſubſtantiæ, neque ſpiritus, eadem ratione probatur: quia hi conceptus in ſuo genere ſunt vniuerſaliſſimi, item & ſunt tranſcendentes in omnibus conceptibus diuinis. Confirmatur, quia illi conceptus præſupponuntur ad conceptum à ſe (vt probaui diſput. 10.) Sicut ergo in homine, & Angelo non ſiſtimus in conceptu entis, ſubſtantiæ, & ſpiritus; quia ſunt vniuerſaliſſimi; ſed venitur ad aliquem conceptum illis proprium, ex quo, & ex aliis vniuerſalioribus cæteri conceptus oriantur tamquam attributa; ita veniendum in Deo ad rationem propriam illius, quæ non ſit tranſcendens, neque relationes, neque attributa: & ſicut eſſe finitum, menſum, & alia attributa creata, non oriuntur ex conceptu proprio hominis, aut proprio Angeli; ſed ex communi conceptu entis ab alio: ita attributa tranſcendentalia Dei non oriuntur ex vltima ratione compléte quidditatiuè naturam: ſed ex communi ratione illorum entis à ſe; nam relationes ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, infinitæ, & cætera. Inquirimus ergo vltimam rationem magis particularem, complentem naturam Dei cum cōceptibus quaſi vniuerſalibus, ſicut rationalitas complet naturam hominis cum conceptibus communibus entis per ſe, animalis, &c.

§. 21. In hoc conceptu includi rationem vitæ nulli poteſt eſſe dubium, quia Deum neceſſariò apprehendimus in aliqua ſpecie perfecta: viuens autem eſt omnium perfectiſſima, immò & neceſſariò intelligimus Deum actualē vitam. Difficultas; *vtrum in Deo ratione diſtinguantur intellectrix facultas, & actus intelligendi?* Nonnullus affirmat, quia diuerſo modo concipimus in Deo virtutem intelligendi, & formalem intellectionem: ergo ratione diſtinguuntur. Secundò, quia alioquin ridiculæ efficiuntur propoſitiones nonnullæ, v.g. *intellectio formaliter eſt intelligens*; item, *obiectum formaliter eſt intellectio*; item, *intellectio intelligit per obiectum, & per intellectum.* Has autem eſſe ridiculas patet à priori, quia obiectum ratione noſtra non eſt ratio intelligendi, ſed intellecta; nam intellectio non eſt formaliter obiectum, quia intellectio alicuius eſt intellectio, & de aliquo. Confirmatur, quia obiectum eſt ratione prius, quàm cognitio: hæc autem ſequi, patet: nam ſi cognitio eſt de primo conceptu Dei, ergo illa nihil eſt prius in Deo, ergo eius obiectum non poteſt eſſe prius; neque item cognoſcens eſt prius cognitione, alioquin cognitio oritur à cognoſcente tanquam à radice, & non eſſet differentia propria naturæ, inquantum naturæ: ergo idem ſunt ratione obiectum, cognitio, & potentia.

§. 22. Non acquieſco: quia diſtinctio rationis cū fundamento in re, eſt vel circa diuerſa connotata, vel circa eadem diuerſo modo: ſed in Deo non reperiuntur diuerſa connotata inter intellectum, & intellectionem: neque diuerſus modus tendendi in obiecta, ergo in Deo non diſtinguuntur ratione intellectus, & intellectio. Maiorem oſtendi diſp. 5. ſect. 4. Minor patet, quia intellectus non habet modum tendendi in obiectum diſtinctum ab intellectione: nam neque intellectus creatus tendit in obiectum per ſe, ſed per ſuam cognitionem à ſe realiter diſtinctam, quæ eſt ipſe modus, & tendentia intellectus in obiectum, ergo intellectus diuinus non habet diſtinctum modum tendendi in obiectum à cognitione. Dices, intellectum tendere vt *quod*, cognitionem autem vt *quo*; ſicque poterunt ratione diſtingui. Contra, quia potius ex diſtinctione rationis inter intellectum, & intellectionem colligimus alterum tendere vt *quod*, alterum vt *quo*: vnde ergo colligis hanc diſtinctionem? Deinde in Deo non reperitur fundamentum ad diſtinguendum *quod*, & *quo*, ergo non diſtinguuntur ratione. Probo antecedens, quia noſter intellectus tendit vt *quod*, quia eſt principium producens intellectionem, & illam ſibi vniens, à qua denominatur vt ſubiectum, & principium actiuum, ſed intellectus Dei non poteſt comparari ad intellectionem vt principium actiuum, & paſſiuum illius: ergo non habet fundamentum diſtinguendi per intellectum vt *quod*, & vt *quo*: probo minorem; quia intellectio diuina communis, & abſoluta non eſt producta, neque habet principium: ergo in Deo non datur fundamentum ad concipiendum intellectum, vt principium intellectionis.

Dices ſecundò, intellectum Dei non concipi vt virtutem actiuam aut paſſiuam intellectionis, ſed concipi vt virtutem intelligendi, cui poſtea coniungitur intellectiuum inquantum eſt virtus intellectionis, quo modo intelligitur diſtinctio, vt *quod*, & vt *quo*. Deinde ſi intellectus non concipitur vt principium intellectionis, neque intellectio, vt ab illo procedens; quo pacto intelligitur virtus intellectiua, cum non habeamus fundamentum ad concipiendam virtutem intellectiuam diſtinctam ab intellectione, niſi inquantum eſt principium illius? nam virtus intellectiua diſtincta ab intellectione, eſt id in cuius virtute continetur intellectio; res autem continens aliam eſt principium illius. Confirmatur, virtus intellectiua vt ſic, abſtrahitur à creata & increata: contrahitur autem ad creatam, quia eſt verè principium productiuum intellectionis à ſe diſtinctæ; increata verò contrahitur per differentiam, qua non diſtinguitur à ſua intellectione; hoc enim differt intellectus Dei à creato; quia increatus non diſtinguitur à ſua intellectione, ergo in propria differentia illius eſt concipienda idemtitas intellectionis cum illo, quia non poteſt concipi aliqua ſpecies virtutis intellectiuę ſine propria differentia contractiua generis; ſed eſſe virtutem intellectiuam ratione præciſam ab actuali intellectione eſt conceptus genericus virtutis intellectiuæ vt ſic; ergo differentia propria Dei debeţ aliquid addere ſupra illū conceptum: nempe idemtitatem intellectionis cum intellectu, quæ debet eſſe propria illius differentia conſtitutiua, ſicut rationale eſt differentia conſtitutiua hominis. Igitur non diſtinguuntur in Deo intellectus, & intellectio; neque ex modo tendendi, neque ex principio productiuo. §. 23.

Dices tertiò, amorem in Deo oriri ex intellectione, etiam ſi amor non intelligatur productus. Contra: quia propriè non intelligitur oriri, ſed tantum intelligitur cognitio vt ratio amoris, non vt ratio influens in amorem; neque vt virtus illius, ſed vt ratio reddita in cauſali propoſitione, vt *ideo Deus amat, quia intelligit*: hæc autem eſt mala cauſalis, *ideo Deus intelligit, quia amat*: nam ſicut in creatis obiectum priùs debet intentionaliter eſſe præſens, quàm amari, ita in diuinis contingit ratione noſtra cum fundamento in re; quia diſtinctio virtualis in Deo præſtat quod realis in duobus, ſecluſis imperfectionibus diſtinctionis, & compoſitionis; oritur autem ex ipſa natura obiecti, quod vt ametur indiget repræſentatione ſui. At verò intellectus Dei non poteſt eſſe ratio intellectionis; quia intellectus cum intellectione debet comparari, vt poten §. 24.

potentia cum actu, ad quod non reperitur fundamentum in Deo: nam vbi non eſt actus, nec ratione producibilis, non poteſt concipi virtus, aut potentia productiua; quod ſi non concipitur virtus productiua, quomodo poteſt referri ad intellectionem tamquam virtus? Dices, actum poſſe concipi vt producibilem. Contra, quia licet obiectum poſſit præſcindi ab eo, quod habet, tamen non poteſt illi per intellectum tribui, quod nõ habet: ſed actus diuinus non habet eſſe producibilem, ergo non poteſt concipi vt producibilis; nec intellectus Dei vt productiuus intellectionis.

§.25. Ad primum argumentum, in §.20. nego antecedens: nam cum fundamento in re non concipimus in Deo diuerſo modo intellectum, & intellectionem: nam licet conceptus quaſi genericus intelligendi diſtinguatur à differentia Dei, tamen hæc non poteſt præſcindi ab intellectione, magis quàm rationalitas ab homine. Ad ſecundum respondetur, duas priores propoſitiones eſſe veriſſimas; & longè abeſſe ab irriſione: nam licet primo pulſu abſonent auribus, aſſuetis intellectioni creatæ, quæ, quia eſt phyſicè producibilis tam à potentia, quàm ab obiecto, neceſſariò debet ab vtroque diſtingui. At verò Deus ſumma ſua ſimplicitate habet intellectionem improductam actualiſſimam, & independentem ab alio. Quare ab ea debent expungi omnes iſtæ imperfectiones, ortæ ex fæce potentialitatis creatæ. Vnde veriſſimum eſt, in Deo idem eſſe intellectionem, intellectum, & obiectum; & non poſſe ea neque ratione diſtingui. Tertia autem propoſitio eſt falſa, quia non poteſt dici, *intellectio intelligit per intellectum*, immò neque intellectus intelligit per intellectionem: quia ly *per* inſinuat diſtinctionem, qua admiſſa ridiculæ ſunt illæ propoſitiones; ſicut non eſt dicendum, *intellectio eſt ratio intelligendi per intellectionem*, niſi in hoc ſenſu, intellectio ſe ipſa eſt ratio intelligendi; item in rebus creatis ſimile reperimus, nam materia prima eſt potentia ad formas, item eſt potens, & non diſtinguimus in illa potentiam & potentem, neque dicimus, potentia eſt potens per potentem, ſed tantum dicimus, ea non diſtingui.

§.26. Dices, natura Dei dicitur amans, ergo cognitio dicitur amans formaliter, quod repugnat. Reſpondeo, cognitionem creatam non poſſe dici amantem, quia eſt accidens alteri muneri ſeruiens; nec eſt ſubiectum amoris: ſecus increatam, quia illa denominatio eſt eadem entitas naturæ Dei à nobis diuerſo modo concepta; & denomiuata: hoc autem quid repugnat? Aduerte primò, amorem Dei ratione diſtingui à cognitione, & ſub illo conceptu amoris in illo non includi cognitionem formaliter; at verò amans includit cognitionem Dei tamquam radicem, cui attribuitur amor, ad eum modum, quo in rebus creatis amans potentiam includit. Aduerte ſecundò, à nobis ſæpe concipi diuina inſtar humanorum; tunc autem corrigenda eſt apprehenſio, quando adſcribit aliquam imperfectionem creatam, vt cognitionem aliquam accidentalem, vel diſtinctionem in abſolutis. Neque eſt admittẽda aliqua diſtinctio in Deo cuius in ipſo non ſit aliquod fundamentum.

Dico ſecundò, *Amor non eſt ratione de primo, & quidditatiuo conceptu Dei.* Probatur, quia amor habet ratione noſtra radicem, ſeu rationem ſui, ex qua intelligitur oriri, ſicut attributa alia, ergo non eſt eſſentia. Conſequentiam probaui ſæpe, quia eſſentia non oritur ab alia radice, cum ipſa ſit cæterorum radix. Confirmatur, qui concipit Deum cum neceſſaria exiſtentia actualiter intelligentem, concipit illum vt adæquatè diſtinctum tam ab aliis, quàm à ſuis aliis perfectionibus, & in ſpecie perfecta, item ibi concipit fundamentum, è quo attributa intelligantur enaſci; ergo. Secundò probatur, quia intellectio virtualiter diſtinguitur à volitione ad modum & imitationem, ſuo more, qua eſſentiæ diſtinguuntur in nobis à proprietatibus: quia intellectio cum Paternitate complet Verbum vt ſimile in natura, ſimilitudine imaginis ſufficiente ad generationem; amor verò non conſtituit cum ſpiratione actiua principium generandi, quia Spiritus ſanctus non eſt filius. Similiter ſæpe dixi, principium intelligendi eſſe de eſſentia creaturæ rationalis, radicem autem volendi eſſe attributum. Hæc breuiter de Deo, quæ vberiùs diſputanda Theologis omitto parte prima. §.27.

Hæc ſunt ſpolia, ô Summe Deus, quæ te authore, & ſocio ad tua altaria detracta ex deuictis inanis Philoſophiæ Magiſtris appendo. Hæc de tuo numine tota intelligentia ſentio, in hac ſcientia, & fide Romanæ Eccleſiæ de tua Trinitate, quæ eſt vita, qua te cognoſcimus, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, gratiis pro tanto munere actis, lubens, ac ſeriò moriar, conquieſcam. §.29.

***

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN SVMMVLIS ET LOGICA CONTINENTVR.

A

Abſolutè.

ABSOLVTE & ſimpliciter, reſpectiuè & comparatiuè, res eſſe quando dicatur. fol.45.§ 8

Abſtrahere, Abſtractio.

Abſtrahere eſt concipere vnum ſine alio. f.76.§.4
Abſtrahentium non eſt mendacium. f.76.§.5
Abſtractio eſt duplex, alia præciſiua, alia negatiua. ibidem.
Abſtractionum fundamentum quod ſit. f.95.§.61

Accidens.

Accidens tranſcendit nouem prædicamenta, non autem ſubſtantiam. f.10.§.68
Accidens differt à ſubſtantia per conceptum obiectiuum aut formalitatem entis, & non per aliquid ab ipſo diſtinctum. f.121.§.85
Accidens prædicabile quintum quomodo à Porphyrio definiatur. f.103.§.34. vera definitio.§.39
Accidens & proprium logicè conſiderata pertinét ad eandem ſpeciem. f.103.p.39
cur Accidens in duo prædicabilia diuidatur. f.103. §.30
Accidentia plura quinti prædicabilis ſubiectum perficiunt. f.103.§.36
Accidentia ſupernaturalia ad quintum prædicabile ſpectant. f.103.§.37
Accidentia plura quarti prædicabilis ſubiectum non perficiunt, & plura afferunt imperfectionem. f.103.§.37

Actus.

Actus eſt qui diſtinguit. f.82.§.20
Actus practicus poteſt cognoſci ſpeculatiuè. f.72. §.12
Actus reflexus accidentaliter conuenit prædicabili vt ſic. f.105.§.10
Actus confuſus non minorem ſimilitudinem in obiecto requirit ac præſcindens. f 82.§.16
Actus vitalis prius contrahitur ad intellectionem quàm ad amorem. f.118.§.67
an Actus Fidei ſit diſcurſiuus. f.153.§.45
an Actus quo creditur & reuelatio & myſterium, ſit idem. f.153.§.44
idem Actus qui conſtituit ſuperius prædicabile, conſtituit inferiora ſubiicibilia. f.87.§.3
eumdem Actum eſſe ſpeculatiuum & practicum an repugnet. f.72.§.11
res *Actu & potentia*, eſſe quando dicatur. f.45.§.7
Actus non ſunt propter obiecta tanquam propter finem. f.63.§.115
an Actus ſint quædam viæ & tendentiæ ad obiectũ tanquam ad terminum. f.62.§.111. & f.63.§.115
an Actus mentales ſupponantur pro rebus. f.16.§.9
Actus poſſunt eſſe inæqualiter boni & mali, non tamen inæqualiter veri aut falſi. f.151.§.30
Actuum intellectus ſubſtantia an & quomodo ſit obiectum Logicæ. f.62.§.108

Aduerbium.

ſub Aduerbio continentur præpoſitio, coniunctio, & interiectio. f.24.§.5

Æquipollentia.

Æquipollentia ſimplicium propoſitionum quid ſit & quomodo fiat. f.29.§.13

Æquiuocatio, Æquiuocum.

Æquiuocatio ſitne in mente? f.111.§.1.& 2.
Æquiuocatio vniuerſim oritur ex coniunctione duorum adiectiuorum. f.23.§.52
an Æquiuocationes lateant ſub genere. f.111.§.4
an Æquiuocum ſub vno nomine poſſit eſſe vniuocum ſub alio. f.11.§.73
Æquiuoca quid ſint ſecundùm Ariſtot. f.111.§.1

Affirmare, Affirmatio.

Affirmare & negare ſunt actus intellectricis potentiæ. f.16.§.6
an Affirmatio & negatio rectè dicantur qualitas propoſitionis. f.2[illegible].§.5
Affirmatio non ſequitur ex veritate. f.110.§.34
Affirmatio eſt genus reſpectu diuerſarum affirmationum de obiectis ſpecie diuerſis, etſi ſint ſub vna ratione formali. f.110.§.35
an per Affirmationẽ & negationẽ melius definiatur propoſitio quàm per veritatẽ & falſitatẽ. f.27.§.1

Album.

an *Album* ſubſtantiuè ſumptum ſit terminus abſolutus. f.11.§.80
Album adiectiuè & ſubſtantiuè ſumptum an differant ſpecie. f.25.§.11

Alienatio, Alienum.

Alienatio cenſetur quoddam reſtrictionis genus, & quid ſit. f.23.§.49
Alienum poteſt eſſe commune & particulare. f.156.§.79

Ampliatio.

Ampliatio quo ſenſu à Summuliſtis accipiatur. f.22.§.45

Analogia, Analogum.

Analogia non conſiſtit in dependentia vnius analogi ab alio. f.117.§.57
Analogia conſiſtit in tranſcendentia. f.119.§.76
an Actus & potẽtia conueniant vniuocè. f.118.§.64
ſintne correlatiua, & mutuo in conceptu pendeant. §.65
Analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato. f.10.§.72
Analogũ à ratione prędicabilis excluditur. f 80.§.6
Analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato. f.112.§.12
Analoga quę dicantur, in quo cũ vniuocis & æquiuocis vel conueniant vel differant. f.112.§.10
Analoga communiter Philoſophi bipartiuntur in impropria, & propria. §.11

Analoga attributionis cur ſic dicta. f.112.§.12
Analoga proportionis quæ vocentur. §.13
Analogia proportionis vel attributionis quandoque eſt analoga, quandoque vniuoca. ibid.
an dentur Analoga propria? *Lege* ſect. IV. à f.112. ad 124

Angelus.

Angeli in prædicamento conſtituuntur. f.89.§.23
Angeli vnico ſimplici actu plura vt diſſimilia cognoſcunt. f.111.§.2
Angeli poſſunt manifeſtare ſua ſenſa ſine externis ſignis. f.16.§.6
Angelorum eſſentia an diſtinguatur ab indiuiduatione. f.86.§.48
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Animal.

Animal à ſenſatione dicitur, & rationale à diſcurſu. f.81.§.20
Animal eſt homo, ſitne vera propoſitio. f.78.§.22

Appellare, Appellatio.

Appellare eſt vocare ſeu nomen imponere. f.23.§.50
de Appellatione quid ſenſerint veteres Summuliſtæ. ibidem.
Appellationum iudicium magna ex parte pendet ex idiomatis linguarum. f.23.§.52

Apprehenſio.

Apprehenſio ſimplex excluditur ab obiecto Logicæ, etiam partiali. f.70.§.167

Arguere, Argumentatio, Argumentum.

Arguendi ratio. *Lege* proœmium. fol.1
Argumenta proponuntur aut enthymemate, aut ſyllogiſmo. f.1.§.5
Argumentatio quid & quotuplex ſit. f.40 §.13.& 14
Argumentatio eſt duæ aut plures propoſitiones quarum vna ex aliis ſequi denotatur. f.131.§.56. quomodo diuidatur. ibid. ſitne bona hæc diuiſio. §.57
Argumentationis rationem ſola demonſtratio ſibi vendicare videtur. f.132.§.67
Argumētum cornutum ſiue bicorne aut bimembre. f.131.§.56

Artes.

Artes intellectuales quo pacto dicantur Ariſtoteli *artes rationis*. f.51.§.42

Artificium.

Artificium in efficiente eſt notitia practica dirigens artificem ad opus. f.75.§.35
Artificium quod à Logico conſideratur in modo ſciendi formali quid ſit. f.60.à §.99

Aſcenſus.

Aſcenſus quotuplex ſit. f.22.§.42
Aſcenſus eſt conſequentia à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad vniuerſale. f.20.§.33. eius diuiſio. §.35

Attributa.

Attributa Dei an collocentur in prædicamento. f.124.§.108
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

B

Bamalipton.

Bamalipton reducitur ad *Baralipton*. f.144.§.153. & f.145.§.161

Baralipton.

Baralipton quomodo reducatur ad *Celarē*. f.146.§.176

Barbara.

Barbara eſt modus vniuerſalis primæ figuræ. f.136. §.95

Barmaba.

Barmaba quomodo reducatur ad *Barbara*. fol.144. §.152.& f.145.§.160

Bormaco.

Bormaco in quo differat à *Baroco*. f.142.§.142. f.143. §.138

Baroco.

Baroco ſecundæ figuræ modus, eiúſque exemplum. f.142.§.138

Bonum.

Boni diuiſio in honeſtum, vtile, & delectabile. f.130. §.48
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

C

Calemes.

Calemes an reducatur ad *Celantes*. f.144.§.153

Calerem.

Calerem reducitur ad *Celarē*. f.144.§.153.& f.145.§.165

Cameſtres.

Cameſtres in quo differat à Ceſare. f.142.§.137. quomodo conuertatur. f.145.§.164

Canis.

an vox *Canis*, vt eſt æquiuoca, ſit communis, & vniuerſalis. f.8.§.51.& 52

Cauſa.

Cauſæ malæ peius patrocinium. f.99.§.6
Cauſæ particulares communiter requiruntur ad effectus particulares. f.97.§.98
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Celantes.

Celantes exemplum. f.141.§.132

Celarent.

in *Celarent* quomodo concludatur. f.137.§.105

Certitudo.

Certitudo præmiſſarum. f.52.à §.31
Certitudo duplex, ſubſtātialis & gradualis. f.152.§.34
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Ceſare.

Ceſare qui modus concludendi, & eius exemplum. f.142.§.136. quomodo conuertatur. f.145.§.163

Circulus.

Circulus duplex committi poteſt in definitione ſpeciei & generis. f.87.§.4.& 5

Cognitio.

Cognitio rerum omnium pendet à definitione, ſecundùm Ariſtotelem. f.39.§.5
Cognitio intellectualis humana genus eſt reſpectu omnium cognitionum humanarum intellectualium. f.81.§.10
Cognitio modi ſciendi eſt regula qua ratione fieri debeat. f.73.§.19
Cognitio practica qua opus efficitur, & regula, ſecundùm quam fieri debet, ſunt idem. f.73.§.21
Cognitio reflexa eſt de cognitione eiuſdem potentiæ. f.7.§.40
Cognitio de homine eſt compoſitio hominis ex genere & differentia. f.82.§.18
Cognitio qua intellectus ſe cognoſcit non eſt reflexa. f.7.§.41
in Cognitione confuſa ſuperioris poteſtate continentur inferiora. f.83.§.24
Cognitiones dialecticæ dirigentes potentiam ad efficiendum obiectum quod repræſentant, ſunt practicæ. f.74.§.29
quot & quæ Cognitiones inueniantur in concipienda ſpecie hominis. f.82.§.17
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Commune.

Commune an poſſit eſſe particulare. f.156.§.79

Compoſitio.

Compoſitio eſt duarum partium ſimultanea poſitio. f.101.§.22

Compoſitio rationis eſt cognitio coniungens duo obiecta ſola ratione diſtincta. f.82.§.18
Compoſitio ex genere & differentia non includit genus abſtractum ſed contractum à differentia. f.82.§.19

Conceptus.

Conceptus formalis quomodo explicet naturam rei. f.50.§.32
Conceptus realis cur ſit iam analogus, iam vniuocus. f.124.§.110
an Conceptus vltimatus de ſigno ſecundum ſe, & non vltimatus de re ſignificata poſſit ab aliquo formari. f.7.§.39
Conceptus entis non eſt extra conceptum ſubſtantiæ. f.119.§.75
Conceptus obiectiuus ſemper eſt idem quando refertur ad eaſdem operationes, accidentia, aut alias proprietates, licet conceptus formales ſint diſtincti. f.120.§.80
Conceptus obiectiuus entis ſemper eſt idem abſtractus & contractus. f.120.§.81.& f.124.§.111
Conceptus tranſcendentis & non tranſcendentis diſcrimen. f.120.§.83
an detur Conceptus entis abſtractus à ſubſtantia & accidenti, Deo & creaturis. f.116.§.41
aliqui Conceptus attributorum Dei cōueniunt cum creaturis. f.123.§.104
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Concluſio.

Concluſio directa & indirecta quæ dicantur, & quomodo fiant. f.136.§.94.& 95
an Concluſio fieri poſſit ex affirmatiuis ſingularibus. f.136.§.97.98.& 99
Concluſio non per accidens ſed per ſe dicit ordinem tranſcendentalem ad demonſtrationem. fol. 68. §.149
Concluſio ſola ſitne ſyllogiſmus. *lege* ſectio. XII. f.134
Concluſio Theologica tam certa eſt quàm principium naturale. f.153.§.41
Concluſiō deducta ex duobus principiis reuelatis an æquè certa ac ipſa principia. f.153.§ 42
an aliqua Concluſio ſit certior ſuo principio. f.152. §.34
an Concluſio ſemper ſequatur debiliorem partem. f.153.§.47
an Concluſio vera ſequatur ex præmiſſa falſa. f.150. §.1.& 11.
Concluſionis & præmiſſarum an idem obiectum. f.159.à §.105.ad 109
an Concluſione ſint veriores præmiſſæ. f.150.§.12
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Connotare. Connotatiuum.

Connotare quid ſit. f.12.§.84
Connotatiui definitio competit ſemper formæ vt *quo*, materiali, vt *quod.* f.80.§.4
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Conſequentia.

Conſequentia quid & quotuplex ſit. f.44.§.49. valet negatiuè à ſuperiori ad inferius. §.50
Conſequentia à diuiſo ad vnumquodque extremum diuidens non valet. f.129.§.46
an valeat ab vnoquoque diuidente ad diuiſum? ib. non valet ab vno diuidenti ad aliud. ibid.
valet à diuiſo ad vnum extremum diuidens cæteris expunctis. ibid.
de Conſequentia non pauca. *lege* ſect. XXV. f.148. à §.187

Conuerſio.

Conuerſio ſimplicis propoſitionis quid ſit, & quomodo fiat. f.29.à §.15

D

Dabitis.

DAbitis exemplum. f.141.§.133

Darapti.

Darapti quid ſit, & eius exemplum. f.143.§.143

Darij.

in Darij quomodo concludatur. f.136.§.96

Datiſi.

Datiſi in quō differat à Diſamis. f.143.§.145

Definire, Definitio, Definitum.

Definire eſt potentiæ intellectricis. f.16.§.6
Definitio eſt oratio ſignificans, quod quid eſt rei. f.3 §.3. cur ſic dicta. §.4
Definitio conſtat genere & differentia. §.5. quæ definiri poſſint. ibid.
Definitionis leges. f.40.§.6
Definitio eſt oratio quod quid erat eſſe ſignificans. f.124.§.5
Definitio vt eſt iudicium non ſpectat ad logicum. f.48.§.17
Definitio diuiditur in definitionem *quid nominis*, & definitionem *quid rei.* f.126.§.15
Definitio & eius partes nō ſunt media inter definitū & rem ſub definitione contentam; neque è contra definitū inter definitioné & eaſdem res. f.99.§.10
Definitio phyſica, & metaphyſica quid ſint. f 125.§.9
cur Definitio neceſſariò fereda ſit in genus. f.125.§.8
Definitio poteſt ferri in partes phyſicas obiecti. f.125.§.7
Definitio exigit tantùm attingere quidditatem definiti. f.125.§.9
Definitio ſimpliciter ſolis conuenit ſubſtantiis, accidentibus autem ſecundum quid. f.125.§.10
Definitio vniuoca conuenit his quæ vniuocè conueniunt, analoga his quæ analogicè. f.81.§.12
Definitio ſupremorum generum non poteſt conſtare genere proprio. f.81.§.13
Definitio non diſtinguititur realiter à ſuo definito, eſt ne cognitio practica an ſpeculatiua? f.73.§.24
ſi quæratur, *quæ eſt hæc Definitio*, aut, *qualis eſt hæc Definitio?* quomodo reſpondendum. f.40.§.6
Definitio non alio modo explicat naturam rei quàm illam ſignificando ad placitum. f.50.§.32
Definitio, diuiſio & argumentatio an ſint adæquatum Logicæ obiectum. f.65.à §.135
Definitio non refertur ad concluſionem tanquam ad finem, ſed ad demonſtrationem totam ex omnibus actibus compoſitam. f.69.§.156
Definitionis leges. *lege* ſect. IV. f.127.§.28.& 29
Definitionem à definito non differre quomodo probetur. f.116.§.17
Definiti cognitio ſitne communis an particularis. f.126.§.20.& 21.& f.127.§.26

Demonſtratio.

Demonſtratio quælibet differt ab aliis ſpecie pro differentia rationis formalis. f.157.§.84
Demonſtratio ſola ſibi vendicat rationem argumentationis. f.132.§.67
ſola Demonſtratio vt amplectitur omnes demonſtrationum ſpecies, ſitne adęquatum attributionis Logicæ obiectum. f.67.§.147
an Demonſtratio conſtet propoſitionibus immediatis. f.155.§.64.& ſeqq.
an Demonſtratio conſtet principiis propriis, prædicato de omni, vniuerſali & ſecūdum quod ipſum. *lege* ſect. VII. f.156.§ 79
Demonſtratio nulla conſtat vtraque præmiſſa euidentiori, aut certiore concluſione. f.152.§.35
an Demonſtratio vno ſimplici actu conſtare poſſit. f.62.§.110

Demon

Demonſtrationis præmiſſæ an poſſint eſſe de contingentibus ſingularibus & corruptibilibus: *lege* ſect. V I. f.156
ad Demonſtrationem propriæ paſſionis de ſubiecto non poſſumus vti principiis in actu ſignato ſed exercito. f.156.§.70
Demonſtrationes multæ à priorj non conſtant formaliter ex immediatis. f.155.§.68

Denominatio, Denominatiuum.

Denominatio aliquando ſumitur non pro formali nominis impoſitione, ſed pro ipſo effectu formali orto ab aliqua forma, à qua etiam ſumitur. f.11. §.7.
Aliquando ſumitur (& quidem maximè propriè) pro ipſa nominis impoſitione. ibid.
Denominatio primi generis alia extrinſeca, alia intrinſeca, alia partim intrinſeca & partim extrinſeca. f.112.§.8
Denominatio cogniti formaliter conſiſtit in ipſa cognitione. f.54.§.63
Denominatio generis, ſpeciei, vel indiuidui, vnde ſumatur. f.85.§.38
Denominatiua quid ſint. f.111.§.6
Denominatiua recidunt in vniuoca aut æquiuoca. f.112.§.9.

Deſcenſus.

Deſcenſus propoſitionis confuſæ eſt diſiunctus ſecundum Fonſecam. f.20.§.30
Deſcenſus eſt conſequentia ab vniuerſali ad ſingularia. f.20.§.34
eius diuiſio.§.35.eiuſdem à diſiunctiuo diſtinctio impugnatur. §.36
in Deſcenſu copulatiuo an ſumatur propoſitionis veritas ab vno indiuiduo determinato, ſiſtendo in illo. f.21.§.37
Deſcenſus ſeruant ſignificationem propoſitionis vniuerſalis ex qua deriuantur, alioquin nulla foret conſequentia. f.21.§.38
Deſcenſu diſiuncto & diſiunctiuo quid ſignificent Summuliſtæ. f.21.§.39
Deſcenſus re ipſa triplex. f.21.§.41
Deſcenſus per inferiora ſub eadem voce locum habet in ſuppoſitione perſonali vniuerſali, ſecus autem in ſuppoſitione ſimplici. f.18.§.17
an Deſcenſus fieri poſſit per inferiora retinendo proprietatem, qua cognoſcitur ratiò communis. f.18.§.18

Deitas, Deus.

Deitas non eſt vniuerſale. f.88.§.15
an Deus poſſit definiri. f.39.§.4
an Deus & viſio beata ſint vltimus hominis finis. f.63.§.111.& 116
Deus quocunque actu penetrat vltimas rerum differentias. f.111.§.2
Deus nequit vagè velle media ab ipſo ſolo exequenda. f.97.§.96
an nomen, *Deus*, ſit re ipſa incommunicabile. f. 89. §. 22
an Deus ſit terminus ſingularis. f.9.§.57
an Deus ſit terminus communis. f.90.§.26.& 29
ſit ne Deus terminus inferior. f.9.§.66
Deus homines beat vt obiectum beatitudinis, & viſio beat vt beatitudo, & tanquam ratio formalis beandi. f.63.§.116
an Deus velit à nobis res vagè. f.96.§.75
an Deus ſit Metaphyſicæ obiectum attributionis. f.69.§.162.
an Deus ſit adæquatum Theologiæ obiectum. f.47. §.13

Dialectica, Dialecticus. Vide *Logica, Logicus.*

Dialectica eſt peritia diſputandi, ac proinde diſputatoria debet appellari, ſecundum S. Auguſt. contra Creſconium. f.54.§.64.& f.57.§.77
Dialecticæ cognitiones an ſint reflexæ. f.70.§.168
Dialecticum pugno, Oratorem verò manus palmæ comparauit Ariſtoteles, & cur. f.40.§.6
Dialecticorum & Rhetorum in concedendis aut negandis propoſitionibus diſcrimen. f.2.§.8

Dictum.

Dictum poteſt eſſe ſingulare, vel vniuerſale, vel confuſum. f.36.§.59

Differentia.

quid Differentia, quid Genus oſtenditur. f.101.§.22
Differentia contrahit genus ad aliquam ſpeciem. f.98.§.1
Differentia metaphoricè dicitur actus. ibid.
Differentiæ triplex conſideratio. f.98.§.1
Differentiæ tertij prædicabilis à genere & ſpecie diſcrimen. ibidem
Differentia quantum ad modum prædicatur *in quale*; quantum ad rem, *in quid*. f.98.§.2
Differentia generis formaliter eſt per ordinem ad operationes contentas ſub operationibus generis. f.101.§.19
Differentia infima ſi contineret formaliter ſubalternam, etiam contineret genus. f.101.§.20
Differentiâ infimâ conceptâ, genus & ſubalterna concipiuntur non tanquam rationes formales illius, ſed tanquam ab illa ſuppoſitæ, & in obliquo connotatæ. f.101.§.23
Differentia eſt vniuerſalis reſpectu ſpeciei virtualiter, & remotè. f.100.§.11
Differentia non continetur formaliter in genere. f.100.§.12.
Differentia addit inæqualitatem, diſtinctio meram indicat pluralitatem. f.98.§.1
Differentia infima & ſubalterna nec accidentaliter differunt. f.102.§.28
Differentiæ definitio à Porphyrio tradita impugnatur contra Caietanum & Sotum. f.99.§.5.& 6
Differentia non eſt vniuerſalis comparatione ſpeciei. f.99.§.7
Differentia prædicatur de ſpecie vt vniuerſale materialiter. §.8
Differentiæ tot ſunt quot rationes inæqualitatis. f.98.§.1
Differentiæ omnes ſunt conceptus incompleti. fol. 102. §.28.
ab vltimis Differentiis clarè cognitis vt vltimis ratio communis abſtrahi non poteſt; poteſt tamen ſi differentiæ obſcurè cognoſcantur. f.95.§.65
an Differentiæ ſubalternæ conceptus contineatur in conceptu formali differentiæ vltimæ. *Lege* ſect. III. f.10.§.13
Differentiæ quædam vltra operationes formaliter contentas ſub genere addunt alias quæ omnino ſunt ſupra genus, nec continentur ſub ratione communi illarum differentiarum. f.101.§.19

Dilemma.

Dilemma eſt argumentum cornutum, & cur ſic vocetur. f.131.§.56
Dilemma eſt argumentatio bicornis cornuta, in qua duæ partes ponuntur tam efficaciter vt capiatur reſpondens. f.41.§.16

Dimari.

Dimari reducitur ad *Darij*. f. 144. §. 153. & f. 145. §.167.

Dimatis.

Dimatis reducitur ad *Dabitis*, f.144.§.153

Directio.

Directio actuum intellectus ſecundum Logicum nihil eſt præter ipſos actus logicos, quibus docemur

mur naturam modi ſciendi: ex parte verò obiecti eſt ipſe modus ſciendi quem docemur. f.70.§.166

Diſamis.

Diſamis & *Datiſi* in quo differant. f.143.§.145

Diſcurſus.

per Diſcurſum intellectiones loquentis cognoſci poſſunt non pro libito ſed naturaliter. f.110.§.31

Diſputare.

Diſputare eſt actus intellectus. f.16.§.6

Diſſertatio.

Diſſertatio ſcholaſtica inter tres initur. f.1.§.2

Diſtinctio.

Diſtinctio rationis neque tollit identitatem obiecti, neque veritatem propoſitionis. f.78.§.26

Diſtinctionis & differentiæ diſcrimen. f.98.§.1

Diuidere, Diuiſio Diuiſum.

Diuidere pertinet ad actum intellectricis potentiæ. f.16.§.6

Diuiſio eſt ſecundus ſciendi modus. f.40.§.7.& 8

Diuiſio phyſica eſt abiunctio & ſeparatio duarum partium. ibid.

Diuiſio Logica quid ſit. ibid.

in quo conueniat & differat à definitione. ibid.

Diuiſionis leges tres numerantur. §.9

Diuiſio ſuis legibus conſtituta dicitur *bona*, deſtituta *mala*. §.12

Diuiſio quid nominis, & quid rei. ibid.

Diuiſio eſſentialis non eſt modus ſciendi à definitione diſtinctus. f.128.§.39

quid ſi conſiderentur circa diuiſum, aut circa extrema diuidentia? f.129.§.45

Diuiſio eſſentialis non eget notitia aliarum rerum à diuiſo diſtinctarum magis quàm definitio. f.129.§.42

Diuiſionis leges. *Lege* ſect. VII. f.129

Diuiſio dicitur bona, ſi ſuis legibus conſtituatur, ſi ſecus, dicitur mala. f.130.§.49

interroganti, *Quæ eſt hæc Diuiſio?* quomodo reſpondendum. ibidem

Diuiſio totius actualis fit in partes è quibus componitur. f.130.§.50

Diuiſio quomodo bona vel mala dicatur. f.130.§.49

Diuiſio in quæ fiat. *Lege* ſect. VIII. f.130

vt Diuiſio logica percipiatur, quid obſeruandum. f.128.§30

Diuiſio communiter definitur, *conceptus manifeſtans obiecti eſſentiam per partes*. f.128.§.33

Diuiſio eſt modus ſciendi, & ignoti manifeſtatiua. f.128.§.37

Diuiſiones tot ſunt quot ſunt compoſitiones. f.128.§.38

Diuiſum & membra diuidentia quid ſint. f.129.§.46

omne Diuiſum eſt totum, membra diuidentia ſunt partes. f.128.§.38

Diuiſum continet in ſe omnia extrema diuidentia. f.129.§.46

Diuiſum non eſt conuertibile cum ſingulis diuidentibus. ibidem

à Diuiſo ad vnumquodque extremum diuidens non valet conſequentia. f.129.§.46

valet ab vnoquoque diuidente ad diuiſum. ibid.

E

Effectus.

Effectus particulares producunt cauſæ particulares. f.97.§.98.

Eminenter.

voces *Eminenter, virtualiter & formaliter* quid notent, f.44.§.6

Ens.

Ens diſtinguitur à ſubſtantia, non ſubſtantia ab ente. f.121.§.88. *vide* etiam §.37. f.115. & §.73. f.118

Ens reale & rationis conueniunt in ratione materiali generis. f.71.§.9

Ens reale & rationis in nulla ratione primò intentionaliter conueniunt; ſecus ſecundò intentionaliter. f.81.§.11

Ens reale & rationis conuenire in denominationibus Logicis & in prædicato reali, non idem eſt. f.92.§.38

Ens à ratione generis & quoduis analogum à ratione prædicabilis excluditur. f.80.§.6

Ens & Accidens non eſſe duos conceptus ſed vnum magis aut minus confusè cognitum, explicatur. f.119.§73

cognitiones à quibus Ens reale & rationis denominantur genus, quomodo conueniant in ratione genereitatis. f.81.§.10

Ens rationis multipliciter vſurpatur. fol.51.§.42.43. & 44

Ens rationis à quibus conſtituatur logicæ obiectum. f.52.à §.45.ad 52

confutatur eorum opinio. f.53. à §.53.ad 70. incluſiuè.

aſſerere Ens rationis eſſe obiectum adæquatum Logicæ, dialecticus error. f.51.§.41

Ens rationis ſitne Metaphyſicæ obiectum. f.57.§.8

Entis per accidens definitio non explicat quidditatem partium, ſed rationem in qua conueniant. f.80.§.5

Enti reali, & rationis, ſubſtantiæ & accidenti datur ratio vniuocè communis non primò ſed ſecundò intentionaliter. f.104.§.2

Entia rationis an ſpectent ad obiectũ logicę. f.6.§.98

Enthymema.

Enthymema quid ſit, & in quo differat à ſyllogiſmo. f.41.§.15

Enthymema duas continet propoſitiones, quarum ſecunda deducitur ex prima. f.1.§.5

Enthymema eſt argumentatio in qua ex vna ſola propoſitione denotatur ſequi altera. f.131.§.56

Euidentia.

Euidentia præmiſſarum. f.152.§.31

an Euidentia requiratur ad ſcientiam. f.152.§.33

Exemplum.

Exemplum eſt argumentum deſumptum ab alterius exemplo. f.131.§.56

Exemplum eſt argumentum petitum ab aliorum factis. f.41.§.17

Extremitas.

Extremitas maior & minor ſyllogiſmi quæ dicantur. f.134.§.78

F.

Facilitas.

Facilitas Logici in differendo prouenit ex actuum directione. f.75.§.34

Fapemo.

Fapemo in quo differat à *Fapeſmo*. f.143.§.150

Fapeſmo.

Fapeſmo exemplum. f.141.§.134

Felapton.

Felapton modus eſt tertiæ figuræ. f.143.§.144. exemplum. ibidem

Ferio.

in *Ferio* quomodo concludi poſſit. f.137.§.106

Feriſon.

Feriſon & *Felapton* diſcrimen. f.143.§.146

Feſapo.

Feſapo.

Feſapo an idem quod *Fapeſmo.* f.144.§.153

Feſtino.

Feſtino tertium ſecundæ figuræ locum obtinet.f.142. §.138. quomodo conuertatur. f.145.§.169

Fides.

Fidei actus non eſt diſcurſiuus. f.153.§.45

Figura.

quid ſit Figura prima, ſecunda & tertia. f. 41. §.20. modi earum. à §. 21. quid de quarta figura Galeni. f.42.§.27

Figura ſumitur ex modo quo medium ſubiicitur aut prædicatur in vtraque præmiſſa. f.41.§.19.& 20

Figura ſyllogiſmorum triplex. f.135.§.88

Figura ſecunda quæ dicatur. f.142.§.136. eius modi. ibidem.

Figura tertia ſyllogiſmorum,eiuſque modi. *lege* ſect. XIX f.143

Figura quarta Galeno adſcripta an admittenda. fol. 144.§.152

Figurarum modi. f.135.§.91.& ſeqq.

Finis.

Finis quaruncunque facultatum eſt tota obiecta adæquatè cognoſcere. f.68.§.153

Finis habituum Logicæ eſt eius actus. f.75.§.42

Finis *qui* & *quo.* f.63.§.113

Finis eſt obiectum formale voluntatis. f.46.§.2

Firemo.

Firemo quartæ figuræ modus reducitur ad *Ferio.* fol. 144.§.153.f.146.§.171

Fiſemo.

Fiſemo exemplum. f.143.§.149

quomodo differat à Feriſon. §.151.& 170

Fiteſmo.

Fiteſmo in quo differat à *Feſtino.* f.142.§.142

Formaliter.

vox *Formaliter,* quid ſignificet. f.44.§.2

voces *Formaliter, virtualiter & eminenter,*termini ſunt ad expreſſionem cauſarum & effectorum.f.44.§.6

Freſiſonorum.

Freſiſonorum an reducatur ad Friſeſomorum. fol. 144.§.153 f.146.§.172

Friſeſomorum.

Friſeſomorum exemplum & in quo differat à *Fapeſmo.* fol.141. §.135

G

Genus.

GEnus definiri non poſſe arbitratur Sotus, & probat. f.80.§.4

quid Genus, quid differentia explicatur. f.101.§.22

Genus prædicatur in quid incompletè, ſpecies in quid completè. f.80.§.3

Genus quoad fundamentum vniuerſalitatis tam perfectè reperitur in vno inferiori quàm in pluribus. f.93.§.47

Genus eſt id quod de pluribus differentibus ſpecie in quid aptum eſt prædicari. f.80.§.1

Genus non eſt totum potentiale phyſicè, ſed tantum Logicè. f.83.§.21

Genus non eſt ſimpliciter totum ſed ſecundum quid. ibidem

Genus contrahitur ad ſpeciem per differentias. fol. 130.§.55

Genus eſt pars actualis ſpeciei & totum poteſtatiuum reſpectu eiuſdem. f.82.§.17

Genus latius patet ſuis differentiis, eſtne cognitio ſpeculatiua? f.73.§.24

Genus immediatè de indiuiduis incompletè cognitis prædicari docet S.Thomas. f.85.§.37

Genus & ſpecies differunt quod illud incompletè, hæc completè prædicatur. f,88.§.13

Genus ſumitur à materia, differentia verò à forma. f.82.§.20

Genus poſcit differentias in quibus includatur. fol. 80.§.6

Genus non eſt totum poteſtatiuum ex eo quod differentiæ includantur confuſæ in eius conceptu. f.83.§.22

Genus eſt totum poteſtatiuum ſub ratione prædicabilis de ſpecie. §.23

Genus non aliter eſt totum ac eſt pars in potentia reſpectu ſpeciei. f.83.§.25

Genus diuiditur immediatè in ſpecies. f.130.§.52

Genus eſt principium definitionis. f.39.§.5

Genus eſt pars ſpeciei per prædicationem, totum per prædicabilitatem. f.84.§.26

an prædicetur immediatè de indiuiduis. §.27

Genus ſunt plura indiuidua incompletè cognita, completè cognita, ſpecies. f.84.§.28

an Genus in vna ſpecie & hæc in vno indiuiduo reperiri poſſit. f.92.§.42

an detur vltimum Genus. f.102.§.28

an Genus & differentia ſubalterna ſint de conceptu formali differentiæ vltimæ. f. 100. à §.13. per totum ſect.

cur Genus ſit pars ſpeciei. f.82.§.18

cur Genus non conſtituat duas ſpecies prædicabiles. fol.86.§.48

cur Genus non prædicatur de ſpecie, & de ſuo indiuiduo incompleto, vt animal de hoc animali. f.88.§.14.

ſi Genus ſit perfectius in vna ſpecie quàm in alia, & ſpecies in vno quàm alio indiuiduo, nec genus in vna ſpecie, nec ſpecies in vno indiuiduo continetur. f.93.§.45

Generis duplex conſideratio, vt eſt genus & vt eſt ſpecies. f.104.§.5

Generis definitio competit omnibus generibus realibus & rationis. f.81.§.7

Generis à proprio, accidenti, & differentia diſcrimen. f.80.§.3

Generis definitio an rectè dicatur à Porphyrio deſcriptiua. fol.78.§.19

correlatiuum Generis immediatum & adæquatum non eſt ſpecies, ſed ſubiicibile in quid incompletè. f.88.§.9

materiale Generis ſitne commune omnibus inferioribus. f.80.§.7

denominatio Generis, ſpeciei, vel indiuidui non ſumitur à formalitate quæ confuſè tantum cognoſcitur, ſed ab ea quæ clarè. f.85.§.38

Generi ſubiici quid ſit in ſententia Nominalium. f.87.§.2

quid in ſententia Thomiſtarum. ibid.

ad prædicationem Generis an requiratur cognitio totius eſſentiæ. f.86.§.460

Genera ſunt dufinitionis principia. f.125.§.8

omnia Genera vniuocè conueniunt in ratione generis. f.81.§.9

omnia Genera conſtituunt vnam infimam ſpeciem generis. f.106.§.19

an Genera definiri poſſint. f.125.§.12

Generum ſupremorum definitio non poteſt conſtare genere proprio. f.81.§.13

Gradus.

an inter Gradum ſupremum & infimum neceſſariò interponatur medius. f.84.§.34. & fol.85.§.35

Grammaticus.

ad Grammaticum ſpectat omnis libera vocum ſignificatio. f.50.§.32.33.& 34

Gramma

Grammatici quidam ſatis incautè admittunt nomina inflexilia per caſus. f.24.§.7

H

Habitus.

HAbitus naturalis quilibet differt ſpecie ab aliis pro differentia rationis formalis. f.157.§.84
Habitus practicus tollit difficultatem quæ eſt in cognitione obiecti ad quam ipſe inclinat potentiam f.73.§ 20.
an Habitus concurrat efficienter ad ſuos actus proprios. f.74.§.30
Habitus logicæ non tendit immediatè in obiecta, ſed mediis actibus. f.74.§ 33
Habitus ſupernaturales à ratione proprij excluduntur. f.102.§.31
Habitus partiales Logicæ vniuntur per aggregationem & collectionem. f.75.§.40
Habituum acquiſitorum & ſupernaturalium differentia. f.75.§.36

Homo, Humanitas, Humanus.

Homo bifariam cognoſci poteſt. f.127.§.24
Homo in ratione generis an ſimilis bruto. f.82.§.20. ſub finem.
ſitne *Homo* terminus abſolutus. f.11.§.74.& 77
vt Homo componitur ex animali & rationali, ita hic homo ex hoc animali, & hoc rationali. f.86.§ 47
Hominis propria & quidditatiua differentia & perfectio, eſt, eſſe cognoſcitiuum per diſcurſum. fol. 68.§.151
in concipienda Hominis ſpecie quot & quæ cognitiones reperiantur. f.82.§.17.ad 20
vltimus Hominis finis an ſit Deus & non viſio beata. f.63.§.111.112.113.114.115.& 116
Hominis proprietates non prius cognoſcũtur quàm de Petro prædicetur animal. f.84.§.30
Humanitas eſt animalitas, ſitne vera propoſitio. f.28. §.24
Humanus eſt terminus connotatiuus & non abſolutus. f.11.§.75

I

Ignorans.

IGnoranti ſuæ linguæ prolatio verborum non eſt propriè locutio. f.109.§.23

Illatio.

Illatio nihil eſt in obiecto. f.159.§.109

Imperium.

Imperium eſt aggregatum ex Prouinciis. f.75.§.41

Imponens.

Imponentis voluntas, *vide* voluntas.

Impoſſibilia.

Impoſſibilia cum poſſibilibus vniuocè conuenire nequeunt, quantæcunque fingantur hypotheſes. fol.92.§.40
vide Indices Phyſic.& Metaphyſic.

Indiuiduatio. Indiuiduum.

Indiuiduatio ſumitur per ordinem ad accidentia propria & negationem identitatis. f.95.§ 63
Indiuiduatio eſt extra rei eſſentiam. f 88.§.12
Indiuiduum eſt ratio conueniendi & diſconueniendi: huius, in ratione talis indiuidui; illius, in ratione indiuidui. f.95.§ 66
Indiuiduum in vniuocatione aut analogia entis rationem imitatur. f.96.§.72
Indiuiduum vagum opponitur indiuiduo determinato, & quid vtrumque ſit. f.96.§.73
Indiuiduum vagum ſolùm dicitur à potentia vitali confusè in illud tendente. f.96.§.73
Indiuiduum vagum formaliter non exiſtit à parte rei. f.96.§.74
Indiuiduum cur à Porphyrio definiatur per accidentia. f.93.§.49
Indiuiduum ſubiicitur ſpeciei completè: incompletè, generi & differentiæ. f.93.§.51
Indiuiduum primæ intentionis quo pacto definitum ſit à Porphyrio. f 93.§.49
Indiuiduum ſecundæ intentionis eſt quod ſubiicitur ſpeciei. f.93.§.50
Indiuiduum non poteſt perfectè cognoſci, quin expreſsè cognoſcatur ratio ſpecifica. f.85.§.36
cum Indiuiduum vagum ad aliquam rem exigitur, communiter res illa ſignificatur vagè, vniuerſaliter, & indeterminatè. f.97.§.98
Indiuiduum vagum determinatur ad vnum excluſione cæterorum. f.97.§.100
Indiuiduum vagum vt ſignificat vnitatem, vel quidditatem ſingularem rei, quomodo prædicetur. fol. 97. §.100
Indiuiduum vagum bifariam concipitur, & quomodo conceptum ſit vniuerſale, quomodo non. f 98. §. 103
Indiuiduum vagum pertinet ad idem prædicabile, ad quod pertinet terminus quem afficit nomen. f 98.§.105
quando Indiuiduum vagum ad aliquid requiritur; id, ad quod requiritur à parte rei non poteſt exerceri niſi in indiuiduo determinato. f 97.§ 97
Indiuiduum & ſpecies qua ratione differant. f 87.§.8
Indiuidui definitio directè & formaliter de illo prædicatur. f.94.§.55
Indiuidui primæ intentionis definitio non eſt quidditatiua. f.93 §.49
Indiuidui vegè ſumpti datur ratio communis. f.95. §.62
Indiuidui denominatio à qua formalitate ſumatur. f.85.§.38
de Indiuiduo prædicantur formaliter omnes rationes ſingulares quas habet. f.94.§.52
in Indiuiduo quolibet debet poni tota perfectio generis & ſpeciei. f.92.§.43
Indiuidua immediata generi dantur à Sancto Thoma. f.85.§.37
Indiuidua completa quando ponantur immediata generi. f.89.§.23
Indiuidua incompleta dari euidens eſt. f.94.§.54
an Indiuidua definiri poſſint. f.125.§.14
Indiuidua plura incompletè cognita ſunt genus; completè cognita, ſpecies. f.84.§.28
rationes Indiuiduæ de Indiuiduis eodem proportionali modo quo communes de communibus prædicantur. f.94.§.58
Indiuiduorum multiplicitas nulli ſpeciei repugnat. f.90.§.30
Indiuiduis datur ratio communis. f.94 §.59
ea ratio triplex eſt. ibidem

Inductio.

Inductio quid ſit, & quomodo fiat. f.41.§.18

Inferiora.

Inferiora pendent in ſui cognitione à cognitione ſuperiorum ex quibus componuntur. f.86.§.42

Intellectio. Intellectus.

Intellectio, diſcurſus, &c. ſintne nomina primæ intentionis vel ſecundæ. f.155.§.110
Intellectus cur vagè concipiat. f.96.§.75
prima Intellectus operatio ad obiectum Logicæ non pertinet. f 48.§.16
cognitio, qua Intellectus ſe cognoſcit, an ſit reflexa. f.7.§.41
ad Intellectum pertinet diſputare, affirmare, negare, definire,

definire, diuidere & ratiocinari. f.16.§.6
Vide Indices Phyſ. & Metaph.

Intentio.

Intentio ſecunda prædicatur aliquando de ente reali. f.23.§.51
Intentio ſumitur pro fine ſiue ſcopo ſibi aliquo propoſito: & quid ſint prima & ſecunda intentio. f.14.§.109

Irrationale.

Irrationale quomodo prædicetur. f.99.§.3
Irrationale eſt differentia animalis vt ſignificat rem poſitiuam connotantem in obliquo negationem. f.99.§.4

Iudicium.

Iudicium aliud affirmatiuum, aliud negatiuum, & quid vtrunque ſit. f.27.§.2

L

Logica. Logicus.

Logica vnde dicta. f.49.§.24
Logica quomodo proſit aliis ſcientis. fol. 70. §.168
Logicæ cognitiones ſunt reflexæ. ibid.
Logica quo pacto vocetur ſcientia rationis. fol.54. §.64
Logica quomodo diuagetur per omnia prædicamenta. f.55.§.69.& 70
Logica eſt practica. f.73.§.23.& ſpeculatiua.§.24
Logica eſt ſcientia vna, ſpecie completa. f.75.§.37
Logica tendit mediis actibus in obiecta. fol. 74. §.33
Logica docens eſt verè ac propriè ſcientia. fol.71. §.5
Logica vtens vt vtens neque eſt ſcientia nec opinio. f.71.§.8
variæ de vtraque opiniones. ibid.
Logica quomodo conſideret modum ſciendi formalem & obiectiuum. *Lege* Subſect. II. fol.59. & 60.à §. 89.ad 97
Logicum artificium quid ſit. f.60.§.99
Logicæ obiectum an ſit ens reale. f.56.§.71
Logicæ obiectum adæquatum non ſunt voces. fol. 48.§.22
Logicæ obiectum eſt directio actuum intellectus ex S.Thoma. f.53.§.58
an Logicæ obiectum ſit ipſa ſubſtantia actuum intellectus. f.62.§.108
Logicæ obiectum adæquatum ſitne materia adæquata? f.47.§.14
Logicæ obiectum in modo ſciendi formali conſiſtit. f.59.§.89.& 90
Logicæ obiectum attributionis adæquatum. *Lege* Sect. VIII. cum quatuor ſubſectionibus. f.63
Logicæ vtilitas. f.75.§.36
Logicæ finis quis ſit. f.75.§.42
Logicæ finis vltimus per ſe vltimò expetibilis, eſt ſola demonſtratio. f.68.§.150
Logicam eſſe ſpeculatiuam communis eſt Thomiſtarum opinio. f.72.§.10
an dentur Logicæ plures? f.75.§.38
Logicæ partiales habitus quomodo vniantur. fol. 75.§.40
Logicus ob quam rationem faciliùs differat. fol. 75.§.34
Logicus de ſyllogiſmo fallaci agit per attributionem ad demonſtrationem. f.48.§.20
an Logicus agat de actibus intellectus ſecundum ſe. f.62.§.109
Logici officium eſt dirigere actus intellectus. fol. 70.§.166
ad Logicum non ſpectant voces etiam inadæquatè. f.49.§.27
ad Logicum non ſpectat definitio vt eſt iudicium. f.48.§.17
an ad Logicum ſpectent prædicamenta. f.48.§.19
ad Logicum non pertinet prima intellectus operatio. f.48.§.16
Vide Indices Phyſic. & Metaph.

M

Maius & minus.

Maius & minus comparatè dicuntur. f. 133. §.72

Materia. Materialiter.

Materia ſyllogiſmi ſiue proxima ſiue remota. *Lege* ſect.XI. f.132.& 133
vox *Materialiter* quid ſignificet. f.44.§.1
Vide Indices Phyſic. & Metaph.

Medium.

Medium ſyllogiſmi eſt terminus qui repetitur in vtraque præmiſſa. f.134.§.78
Medium in duabus propoſitionibus poteſt quadrupliciter conſtitui. f.135.§.90
de Medio inueniendo quid ſentiat author. f.148. §.186
an Media vagè velle Deus poſſit abipſo ſolo exequenda. f.97.96

Mens.

Mentem diuinam vagè concipere repugnat. f. 96. §.75

Modus.

Modus ſciendi quid ſit & quotuplex. f.124.§.1.2. 3.& 4
Modus ſciendi vocalis & ſcriptus quomodo ſpectet ad Logicum. f.51.§.40
Modus ſciendi quomodo ſit ignoti manifeſtatiuus. f.49.§.25
Modus ſciendi variè vſurpatur. f.39.§.1
quomodo diuidatur. §.2
Modus prædicandi non ſequitur modum eſſendi realem, ſed intentionalem. f.104.§.4
Modus propoſitionis ſolet interponi, vel præponi, vel poſtponi, eundem tamen ſenſum reddit, qui duplex eſt. f.32.§.36
Modus ſciendi obiectiuus eſt obiectum modi ſciendi formalis. f.58.§.84
dupliciter conſideratur. §.85
per quid conſtituatur. §.86
eſt concretum ex obiecto cognito & cognitione, ſiue ex modo ſciendi obiectiuo & formali. f.59.§.88
Modus ſciendi formalis eſt Logicæ obiectum. fol. 59.§.89
Modus ſciendi perfectiſſimus omnium eſt argumentatio. f.41.§.14
Modus ſciendi non raró conſtat vno ſolo actu. fol. 61.§.105
an Modus ſciendi formalis referatur ad obiectiuum tanquam ad finem, an verò obiectiuus ad formalem. f.62.§.111
Modus ſciendi obiectiuus, vt diſtinguitur à formali, eſt dialecticæ obiectum. f.60.§.93
non conſideratur à Logico niſi vt affectus extrinſeca denominatione à modo ſciendi formali. f.60.§.95
Modus ſciendi formalis non conſideratur à dialectico niſi comparatione & cum ordine ad obiectiuum. f.60.§.96
Modus in propoſitione latè ſumptus quid ſit. fol. 32.§.35

Modus ſciendi Formalis quid ſit. f.58. §.82. quomodo conſideretur. §.83
Modi ſciendi cognitio eſt regula, qua ratione fieri debeat. f.73.§.19
circa Modum ſciendi dupliciter errari poteſt. fol. 70.§.167
quid ſit in Modo ſciendi id quod dialecticus immediatè conſiderat. f.60 §.99
Modi cuiuſcunque figuræ. f.135.§.91.& ſeqq.
Modi communiter ſunt quatuor. f.33.§.38
Modi primæ figuræ directè & vtiliter concludentes quot & qui ſint. f.136.§.94
Modi *per ſe* quatuor ab Ariſtotele aſſignantur, & quid ſint. f.158.à §.95.ad 104
Modi indirectè concludentes in prima figura. fol. 141.§.130.& ſeqq.
Modi ſyllogiſmorum quatuor carminibus continentur. f.41.§.11
Vide Indices Phyſic. & Metaph.

Multiplicatio.

Multiplicatio numerica ſumitur à materia. fol.91. §.91

Mundus.

Mundus eſt aggregatum ex orbe cæleſti atque terreſtri. f.75.§.41
Vide Indices Phyſic. & Metaph.

N

Natura.

vt Natura ſit prædicabilis, quid requiratur. fol. 91.§.35
Natura materialis ſeparata à ſingularitate eſt communis. f.90.§.27
Naturam ſecundum ſe quæ nec ſit vniuerſalis nec ſingularis, admittunt Caietanus & Thomiſtæ. f.90.§.25
Vide Indices Phyſic. & Metaph.

Negatiuè.

eſſe *Negatiuè* dicitur quando res caret forma contrariam denominationem tribuente. fol. 45. §.11

Nomen.

an Nomen infinitans ſit propriè nomen. fol.110. §.32
Nomen adiectiuum (quod eſt cauſa æquiuocationis) poſitum ex parte ſubiecti appellat ſubiectum ipſum materialiter, & illi applicat ſuam ſignificationem, non autem ratione alterius adiectiui. f.23.§.52
Nomen quid ſit. f.23.§.1.& §.24.§.4
Nomen ſubſtantiuum & adiectiuum quomodo ab Auctoribus artis regiæ definiantur, & an rectè. f.12.§.88.ſub finem.
Nomen complexum & incomplexum, copulatiuum & non copulatiuum, quid ſint. *Lege* ſect. X I. f.13.à §.97
Nomen commune ſeu vniuerſale quod dicatur. f.7.§.45
Nomen aut verbum an & quomodo infinitentur. f.26.§.16
Nomen appellans, poſitum ex parte prædicati, appellat aliud prædicatum, ſubiectumque appellat non ratione ſui, ſed ratione alterius prædicati. f.23.§.52
Nominis à Verbo diſcrimen vnde penſetur f. 25. §.14
ſub Nomine comprehenduntur pronomen participium & gerundium paſſiuum in *dus*. fol.24. §.5
Nomine indeclinabili vtimur in oratione non ſecus ac ſi declinaretur, eique appingimus adiectiua, tribuimúſque caſus. f.24.§.8
Nomina indeclinabilia cur ſic vocentur. f.24.§.7
Nomina ſubſtantiua ſunt termini abſoluti. fol.11. §.80. & categorematici. §.88
Nomina hæc *Dominus*, *Pater*, & ſimilia an ſint commotatiua. f.12.§.87
Nomina primæ intentionis quæ dicantur fol. 14. §.109
Nomina concreta & abſtracta quot & quibus modis conſiderari poſſint. f.13.§.94.95.& 96
Nomina ſignificantia res indiuiduas ſunt incommunicabilia re & ratione. f.89 §.22
Nomina infinita ſeu infinitantia non videntur iure exulare è nominum claſſe. f.24.§.3
Nomina adiectiua & ſubſtantiua vtrum differant ſpecie. f.25.§.10
Nomina adiectiua omnia ſunt termini connotatiui. fol. 12. §.86. & ſymategorematici. §.88

O

Obiectum.

Obiectum vnde dictum. f.46
Obiectum formale eſt quod primò attingitur, & propter illud cætera. f.46.§.2
Obiectum formale voluntatis eſt finis. ibid.
Obiectum materiale eſt quod attingitur ratione alterius. ibid.
Obiectum formale eſt cauſa vt ametur materiale. §.3
idem Obiectum diuerſis comparatum eſt formale & materiale. §.4
Obiectum formale abſolutè & ſecundum quid. §.4
Obiectum formale primum in intentione & vltimum in reſolutione. §.5
Obiectum formale & materiale vnde dicantur. §.6
Obiectum formale *quo* & *quod*. §.7
Obiectum mediatum vnde dicatur. f.47.§.8
Obiectum materiale diuiditur in proximum & remotum. f.47.§.9
Obiectum partiale & totale quid ſint. §.11
Obiectum adæquatum habitus & potentiæ eſt obiectum omnium actuum. ibid.
Obiectum attributionis quid ſit. §.12
Obiectum adæquatum Logicæ. f.47.§.14
Obiectum propriè ſiue commune eſt quod obiicitur omnibus. f.47.§.12
Obiectum poteſt attingi vltimatè dupliciter. fol.7. §.37
Obiectum Logicæ eſt ens reale non rationis. f.56. à §.71.ad 80
Obiectum adæquatum attributionis Dialecticæ, *Lege* Sect. VIII. à f.63. ad 69. incluſiuè.
an Obiectum vtriuſque præmiſſæ ſimul ſumptæ ſit idem cum obiecto concluſionis. fol. 159.§.105. & ſeqq.
Obiectum Logicæ an ſit modus ſciendi formalis. f.59.§.89
Obiectum adæquatum & immediatum Logicæ ſunt modus ſciendi formalis & obiectiuus f.60. §.97
ab Obiecto Logicæ etiam partiali cur excludatur ſimplex apprehenſio? f.70.§.167
cur etiam entia rationis? ibid.
vide Indices Phyſic. & Metaphyſic.

Operatio.

Operatio prima intellectus an ſpectet ad Logicum. f.48 §.16

Oppoſitio.

Oppoſitio.

Oppoſitio ſimplicis propoſitionis quid ſit & quomodo fiat. f.30.à §.22.ad 24

Oppoſitio cuiuſque figuræ cum aliis. fol.35. §.51

Oppoſitio quælibet propoſitionum in qualitate eſt formaliſſimè propter duas propoſitiones ſingulares mutuò contradicentes, quæ continentur in oppoſitis. f.31.§.15

Oppoſitio propoſitionum modalium quomodo dignoſcatur. *Lege* ſect. I I. f.34

ad veram Oppoſitionem ſecundum qualitatem opus eſt vt negatio neget copulam propoſitionis. f.32.§.32

Oratio.

Oratio quid ſit. f.26.§.19. Grammatici eam quinquepartiuntur. §.21

omnis Oratio conſtat nomine & verbo. f.23.§.1

in Orationibus quomodo vtamur nomine indeclinabili. f.24.§.8

Orbis.

Orbis eſt aggregatum ex imperiis. f.75.§.41

Ordo.

Ordo rerum quadruplex ex S.Thoma. f.53.§.56

P

Participium.

an Participia ſignificent cum tempore. fol.24. §.6

an Participia infinitentur. f.26.§.17

Perfectio.

Perfectiones ſupernaturales ad quintum prædicabile pertinent. f.103.§.37

Vide Indicem Phyſicum.

Per ſe.

vox *Per ſe & per accidens* quid ſit. f.45.§.9

Perſona.

Perſona diuina vt ſic nec eſt ſpecies propriè, nec genus. f.88.§.16

ratio Perſonæ vt ſic habet aliquid de ſpecie vltima & genere ſupremo. f.88.§.61

Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Philoſophia.

an Philoſophia moralis referat ſua obiecta ad aliquod vnum. f.70.§.163

Poſitiuè.

eſſe *Poſitiuè & negatiuè* quid ſit. f.45.§.11

Potentia.

eſſe *Potentia & actu* quid ſit. f.45.§.7

Potentia phyſicè eſt independens ab actuali exiſtentia actus, magis quàm ſubſtantia ab accidente. f.118.§.66

Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Præcognitio. Præcognitum.

Præcognitio quid ſit. f.149.§.2

Præcognita duo requirit Ariſtoteles. f.149.§.5

an ab eodem diminutè numerentur. §.6

Prædicabile.

Prædicabile commodè in quinque ſpecies diuiditur. f.106.§.17

Prædicabile quodlibet eſſentialiter eſt tale, & accidentaliter eſt ſpecies ſubiicibilis. fol. 104. §.6

Prædicabile vt ſic habet pro ratione quidditatiua eſſe vnum de multis prædicabile in quo continentur ea quæ denominantur vniuerſalia.f.104. §.9

an Prædicabile ſit genus ad quinque prædicabilia. *Lege* ſect. I. f.104.§.1.& ſeqq.

Prædicabile ſecundum quod dicit rationem prædicabilis, continet ſub ſe omnia prædicabilia. f.105.§.13

Prædicabile ſuperius conſtituitur ab eodem actu qui conſtituit inferiora ſubiicibilia. fol. 87. §.3

Prædicabile quartum non ſemper phyſicè pendet ab aliis. f.104.§.3

Prædicabile omne poteſt ad actum ſecundum deduci per actuales prędicationes vniuocas de ſuis inferioribus. f.92.§.39

Prædicabile primum ſub diuerſis conſiderationibus poteſt eſſe genus & ſpecies. f.80.§.2

ad faciendum Prædicabile de ſubiicibili idem fundamentum requiritur. f.87.§.3

Prædicabilis quarti & quinti diſcrimen. fol.103. §.31

Prædicabili vt ſic accidentaliter conuenit actus reflexus. f.105.§.10

à Prædicabili vt ſic poſſitne abſtrahi alia ratio prædicabilis. f.105.§.13

Prædicabilia vltima dici poſſunt priora primis, & quomodo. f.104.§.3

Prædicabilia duo vltima phyſicè pendent à ſubſtantia, non tamen in ratione prædicabilis. f.104.§.3

Prædicabilia eſſent ſex, ſi differentia infima ſpecie differret à ſubalterna. f.102.§.27.& 28

Prædicabilitas.

Prædicabilitas duplex eſſe poteſt. f.78.§.20

an Prædicabilitas ſit de eſſentia vniuerſalis. f.77. §.9.10.11.12

Prædicamentum.

Prædicamentum eſt prædicabilium coordinatio. f.89.§.23

Prædicamenta non ſpectant ad Logicum. fol.48. §.19

Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Prædicare. Prædicatio. Prædicatum.

Prædicandi modus an ſequatur modum eſſendi. f.104.§.4

Prædicationis formalis & directæ exemplum.f.94. §.53

Prædicatio idemtica eſt qua vtrumque extremum eodem modo concipitur. f.93.§.51

Prædicatum quid ſit. f.3.§.2

Prędicatum *vt quod*, & prędicatum *vt quo* quid ſint. f.3.§.3

Prædicatum *vniuerſale* quod dicatur Ariſtoteli. f.157.§.89

Prædicatum *de omni* in quo differat à prædicato *ſecundum quod ipſum*. f.157.§.90

Prædicati *de omni poſterioriſtico*, & prædicati *de omni prioriſtico* diſcrimen. f.157.§ 91

Prædicatum *vniuerſale* an idem quod *de omni*.f.157. §.94

Præmiſſa.

Præmiſſa vtraque ſitne ſyllogiſmus. *Lege* ſect.XII. f.134

ex Præmiſſa falſa an ſequatur concluſio vera.f.150. §.10.& 11

Præmiſſæ veræ in demonſtratione. fol. 149. à §.7

an Præmiſſæ demonſtrationis poſſint eſſe de contingentibus ſingularibus & corruptibilibus. f.156.à §.72

Præmiſſæ ante concluſionem præcognoſcendæ. f.149.§.3.& 4

an Præmiſſæ ſint veriores concluſione. fol.150. §.12

Præmiſſæ formales ſunt cauſa concluſionis. f.159. §.112

an Præmiſſæ neceſſitent ad concluſionem. f.160. §.114.& 115
Præmiſſarum euidentia & certitudo. f.152.à §.31. ad 55.incluſiuè.
Præmiſſarum vnio ratione differt ab vnione extremorum. f.152.§.36
Præmiſſarum & concluſionis an eadem obiecta. f.159.à §.105.ad 109
Vide Indicem Phyſicum.
Praxis.
Praxis & ſpeculatio an opponantur. fol.72.§.11. 12.& 13
an Praxis neceſſariò ſit opus dirigibile à ratione. f.72.§.16
Practica cognitio qua opus efficitur, & regula ſecundum quam debet fieri, an ſint idem. fol.73. §.21
Practicus habitus tollit difficultatem remanentem in cognitione obiecti ad quam ipſe inclinat potentiam & facilitat. f.73.§.20
Vide Indicem Phyſicum.
Prioritas.
omnis Prioritas (excluſa prioritate temporis) innititur alicui dependentiæ. f.86.§.42
Vide Indicem Phyſicum.
Pronomen.
Pronomen eſt nomen vſurpatum pro proprio nomine. f.24.§.5
Propoſitio.
Propoſitio eſt, qua aliquid affirmamus vel negamus. f.110.§.34
Propoſitio vt ſic eſt genus reſpectu affirmatiuæ & negatiuæ. §.35
Propoſitio abſtrahens ab hypothetica & cathegorica eſt genus reſpectu cathegoricæ propriæ. ibidem.
Propoſitio determinata an habeat deſcenſum diſiunctiuum. f.20.§.30
Propoſitio per veritatem & falſitatem an rectè definiatur. f.27.§.1
ſitne actus intellectus iudicatiuus. §.2.& 3
Propoſitio, *Petrus eſt homo*, an differat ab hac, *Petrus eſt aliquis homo.* f.98.§.102
an aliqua Propoſitio ſit aliis magis falſa. fol.151. § 26
Propoſitio maior à Rhetoribus vocatur ſimpliciter propoſitio, minor verò, aſſumptio. f.133. §.74
Propoſitio quo pacto vocetur maior & minor, & an maior poſſit dici minor & contra. fol. 133. à §.69.ad 74
Propoſitio ſimplex quo pacto conuertatur. f.29.à §.15.vſque ad 20
Propoſitio exponibilis, & exponens quæ dicantur. f.37.§.61
earum reſolutio quomodo fiat. §.65
an eis aſſignandæ ſint contradictoriæ. fol.39. §.74
Propoſitio excluſiua quid & quotuplex ſit. fol.37. § 62.& 63
Propoſitio excluſiua quomodo reſoluatur. fol.38. §.73
Propoſitio exceptiua quid ſit & quomodo exponatur. f.39.§.75
Propoſitio reduplicatiua habet aliquod ſignum appellans ſupra aliquem terminum. ibid.
Propoſitio cathegorica ſiue abſoluta quæ ſit. f.27. § 7. an conuertatur cum ſimplici enunciatione. ibidem.
Propoſitio ſyncathegorematica, vel hypothetica. f.27.§.1.& f.28.§.8
Propoſitio conditionalis alia eſt in materia neceſſaria, alia in contingenti. f.28.§.9
Propoſitio complexa cur ſic appelletur. fol.28. §.12
Propoſitio modalis fit dupliciter. f.32.§.35
Propoſitio modalis melius à Petro Hiſpano quàm ab Ariſtotele tradita. f.32.§.34
Propoſitionis modalis ſenſus duplex, compoſitus & diuiſus; & quid vterque ſint. f.32.§.36
Propoſitiones modales ſuam habent veritatem vel falſitatem. f.33.§.37
quomodo explicentur ac deſcribantur. fol.eod. §.38.39.40.& 41
Propoſitiones modales conuertuntur ex parte dicti, non autem ex parte modi. f.36.§.60
modales excluſæ quæ vocentur. ibid.
Propoſitionum modalium quantitas & qualitas. f.34.§.47
Propoſitionis identicæ exemplum. f.94.§.56
formalis. §.58
Propoſitionis materia, quæ & quotuplex ſit. f.27.§.4
Qualitas.§.5. Quantitas. §.6
Propoſitionis immediatæ diuiſio. fol.165.§.60. & 62
Propoſitionis confuſæ deſcenſus an ſit diſiunctus. f.20.§.30
Propoſitionis ſimplicis oppoſitio quid ſit. fol.30. §.22
Propoſitionem vnam alia eſſe veriorem an repugnet. f.150.§.13
de Propoſitione per ſe nota, vel per aliud. *Lege* ſectionem IV. f.154.& 155
in qualibet Propoſitione vocali aut ſcripta quot voces ſiue dictiones reperiantur. f.2.§.1
Propoſitiones falſificantes dicuntur, quæ ſeipſas deſtruunt. f.32.§.33
duæ Propoſitiones contrariæ an poſſint eſſe falſæ. f.31.à §.26.ad 31
Propoſitiones veræ & falſæ. fol.78.§.22.23.24. & 25
Propoſitiones contradictoriæ non poſſunt admitti ſimul propter adagium metaphyſicum, *Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe.* fol. 139. §.119
Propoſitiones cuiuſque figuræ quare ſint mutuo æquipollentes. f.33.§.42
Propoſitiones affirmatiuæ poſſunt eſſe abſimilis quantitatis. f.136.§.96
Propoſitionibus affirmatiuis multipliciter poſſumus vti. f.136.§.96
in Propoſitionibus modalibus an reperiatur contradictio. f.36.§.58
Propoſitionum contrariarum, contradictoriarum, ſubcontrariarum, ſubalternarum affirmatiuarum, & ſubalternarum negatiuarum exempla. f.32.§.33
Propoſitionum ſimplicium æquipollentia quæ dicatur. f.29.§.13
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.
Proprietas.
Proprietas non eſt de eſſentia rei, & cur. fol.77. §.9
Proprietas dupliciter ſumi poteſt. ibid.
Proprietatis cognitio eſt ſpeculatiua. f.74.§.29
Proprietates hominis non prius cognoſci debent quàm animal prædicetur de Petro. fol. 84. §.30
Proprium.
Proprium quadrupliciter accipitur. fol. 102. §.29

ad

ad Proprij prædicabile ſpectat omnis conceptus qui de re conſtituta in ſuo eſſe metaphyſicè eſſentiali formatur. f.102.§.30
omnes quatuor modi Proprij ad quartum prædicabile ſpectant. §.31
à ratione Proprij excluduntur habitus ſupernaturales. ibid.
Proprium & accidens logicè conſiderata ad eandem pertinent ſpeciem. f.103.§.39
Proprium quartum prædicabile nō ſemper ab aliis phyſicè pendet. f.104.§.3
Proprium quo pacto definiatur & in quo à cæteris prædicabilibus differat. f.103.§.33
Proprium quarto modo ad quartum prædicabile ſolùm pertinere, quinam & quare velint. f.103. §.32
Proprium opponitur & alieno & communi. f.156. §.79

Prouincia.

Prouincia eſt aggregatum ex Regnis. f.75.§.41

Q

Quidditas.

QViddit as apud Philoſophos idem eſt ac eſſentia rei. f.124.§.5

R

Ratio.

RAtio formalis *ſub qua*, alia obiectiua, alia ex parte potentiæ. f.47.§.10
Ratio communis vt cognoſcatur non requiritur niſi cognoſcere aliquid in quo plura ſunt ſimilia. f.105.§.11
Ratio communis an abſtrahi poſſit ab vltimis differentiis. f.95.§.65
Ratio communis triplex indiuiduis aſſignatur. f.94.§.59
Ratio ſpecifica hominis vt ſic habet aliquam vnitatem abſtractam ab vnitatibus ſingularibus. f.94.§.60
Ratio vniuocè communis an detur enti reali & rationis, ſubſtantiæ & accidenti. f.104.§.2
an aliqua Ratio vniuocè communis conueniat ſubſtantiæ & accidenti, Deo & creaturis. f.123. §.104.& 106
quid ſit illa ratio communis. f.124.§.109
Ratio inferior non poteſt concipi ſine ſuperiori. f.127.§.25
Ratio analoga. *Vide* Analogum.
Ratio ſigni. *Vide* Signum.

Ratiocinari. Rationale.

Ratiocinari pertinet ad intellectum. f.16.§.6
Rationale ad hoc rationale comparatur vt ſpecies ad indiuidua. f.88.§.13
Rationale dicitur à diſcurſu, & animal à ſenſatione. f.82.§.20
an *Rationale* ſit terminus communis reſpectu hominis. f.9.§.65

Rectus.

Rectus & obliquus an differant ſpecie. fol.25. §.9
voces *in Recto & in obliquo* explicantur. fol.45. §.12

Reduplicatiuè.

voces *Reduplicatiuè, & ſpecificatiuè*, ſiue *identicè* quid ſignificent. f.44.§.3

Regnum.

Regnum eſt aggregatum ex Vrbibus. fol.75. §.41

Regula.

Regulæ communes ſufficiunt ad dirigendā quamcumque potentiam. f.70.§.168

Relatiua.

Relatiua omnia ſe connotant. f.12.§.84
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Res.

Res eſt priùs, quàm ſit prædicabilis. f.78.§.16
Res bifariam poteſt eſſe prædicabilis. §.20
cum Rem ſuperioris ordinis cognoſcimus per ſpecies inferioris, non illi debemus eius tribuere imperfectiones. f.91.§.36
Res omnes à parte rei ſunt determinatæ, in intellectu ſunt, prædicantur confusè. fol.97.§.97.& f.104.§.4
Rerum ordinem quadruplicem poſuit S.Thomas. f.53.§.56
duabus Rebus poteſt vna ratio eſſe analoga, alia vniuoca. f.81.§.10
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Reſolutio.

Reſolutio propoſitionum non tam enucleatè, quàm arietino more videtur inuecta. fol.38. §.67

Reſtrictio.

Reſtrictio eſt termini contractio à maiori ſignificatione ad minorem. f.22.§.48
Reſtrictio opponitur Ampliationi iuxta Summuliſtas, ſed melius diceretur opponi Alienationi. f.23.§.48

Reubau.

voce *Reubau* ſex nomina ſignificantur. fol.10. §.67

Rugibile.

an Rugibile formaliter concipi poſſit quin formaliter concipi poſſit ſenſibile? f.100.§.15. & f.102.§.24.25.& 26

S

Scientia. Scire.

SCientia & demonſtratio quomodo diffiniantur, & diuidantur. f.160.§.116.& 117
Scientia propriè ſumpta quid ſit. §.118
Scientia eſt nomen collectiuum. f.75.§.37
ad Scientiam requiritur euidentia, tam in vtroque principio, quàm in concluſione. fol.152. §.33
Scientię particulares tot ſunt, quot particulares rationes formales ſpectantes ad idem obiectum. f.157.§.84
Sciendi modus variis modis accipitur. f.39.§.1
eius definitio. §.2
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Significatio. Signum.

Significatio à ſuppoſitione in quo differat. fol.15. §.1
Signum quid ſit. f.6.§.28
Signum formale eſt ratio formalis cognoſcendi. f.6.§.29
Signum inſtrumentale quod dicatur & in quo differat à formali. §.30
Signum inſtrumentale duplex eſt. §.31.& 32
Signum, quod per cognitionem ſui facit vt cognoſcamus rem per illud ſignificatam, aliud eſt purè intellectuale, aliud ſenſibile. f.6.§.34
diuiditur in ſignificatum ad placitum, & ſignificatiuum purè naturaliter & non ad placitum, & quid vtrumque ſit. §.35
Signum eſt quod aliquid ſignificat, vel repræſentat. f.106.§.2

Signum materiale eſt quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius. f.106.§.3
Signum aliud eſt naturale, aliud ad placitum. f.107.§.4
Signum naturale materiale in eo conſiſtit quod prius cognitum ducat natura ſua in cognitionẽ alterius rei. f.107.§.7
Signum dicit relationem ad intellectum à quo imponitur, ad perſonam cui ſignificat, ad rem ad quam imponitur. f.107.§.10
Signum ad placitum non eſt ens morale medium inter phyſicum & rationis. f.108.§.15
ratio formalis ſigni ad placitum quid ſit. fol.108. §.16
Signum formaliter vt ſignum non poteſt ſignificare perfectius rem quàm ab imponente percipitur. f.109.§.24
Signum materialiter ſignificat rem perfectius quam ab imponente percipitur, excitando ſpeciem, quæ aliunde erat acquiſita. fol. 109. §.24
ratio Signi actualis conſiſtit in actuali expreſſione & perceptione rei ſignificatæ per illud. f.109. §.21
ratio Signi in imagine eſt relatio realis prædicamentalis ſimilitudinis inter imaginis & Cæſaris accidentia. f.109.§.25
ratio Signi ad placitum in actu primo non eſt relatio realis prædicamentalis. f.107.§.11
relatio Signi ad placitum non eſt realis. §.12
non eſt ens rationis fictum, nec quoddam ens ab actibus deriuatum. f.108.§.14
Signa quibus animos noſtros pandimus, ſunt multiplicia. f.16.§.6

Similitudo.

Similitudo eſt fundamentum abſtractionum. f.95. §.61

Singularia. vide *Indiuiduum.*

Singularia confusè cognoſci ſolent, ratione cuius confuſionis formatur vniuerſale. fol. 95. §.64

Species.

Species apud Logicos quid ſignificet. fol. 86. §.1
Species ſubiicibilis diuiditur in atomam & ſubalternam. f.87.§.1
quomodo definiatur à Porphyrio. §.2
Species ſubalterna, infima & indiuiduum ſolùm accidentaliter diſtinguuntur in ratione ſubiicibilis. f.87.§.8
an Species tota in vno indiuiduo reperiri poſſit. f.92.§.42.43.& 44
Species prædicabilis an requirat plura indiuidua poſſibilia. *Lege* ſect. III. à f.89.ad 92
Species tam perfectè reperitur in vno inferiori, quàm in pluribus, quoad fundamentum vniuerſalitatis. f.93.§.47
Species prædicabilis eſt, quæ de pluribus numero differentibus in eo quod quid eſt prædicatur. f.88.§.12
Species explicitè cognoſcenda vt poſſit indiuiduum perfectè & completè cognoſci. fol. 85. §.36
nulla Species eſt ſubiectum totale generis. fol.83. §.23
Species eſt pars obiectiua generis. f.83.§.24
an Species ſint atomæ, vel ſubalternæ, quomodo dignoſcendum. f.106.§.18
Species habens vnum ſolùm indiuiduum ponitur in prædicamento, non in prædicabili. f.89. §.23
Species vnius indiuidui eſt ſubiicibilis, non prædicabilis. f.89.§.24
Speciei definitio directè de ea prædicatur. fol.94. §.55
in definitione Speciei & generis committitur circulus, & quomodo. f.87.§.4.& 5
nulli Speciei repugnat multiplicitas indiuiduorum. f.90.§.30
in Specie reperitur conceptus genericus, ratione cuius genus dicitur de ſpecie directè. fol.130. §.55
Species ſubiicibiles dantur in rebus fundamentaliter tantùm, non formaliter. f.87.§.3
Species ſunt plura indiuidua completè cognita; incompletè cognita, genus. f.84.§.28
omnes Species ſimul ſumptæ ſunt genus. fol.83. §.24
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Speculatio.

Speculatio an opponatur praxi. fol.72.§.11.12. & 13

Spiritualia.

Spiritualia per materialia cognoſcimus, id eſt, per ſpecies ipſorum, non tamen illis tribuendo horum proprietates. f.90.§.27

Subiectum.

Subiectum quid ſit. f.3.§.2
vnde dicatur. ibid.
Subiectum, aut vnionem eſſe primam vocem propoſitionis, vel ſecundam an referat. f.3.§.4
Subiectum vt *quod*, & ſubiectum vt *quo*, quid ſint. f. §.3

Subiicibile.

Subiicibile in quid incompletè, eſt immediatum correlatiuum generis. f.88.§.9
Subiicibile vt ſic non eſt vniuerſale. fol. 88. §.10
Subiicibile & prædicabile per eumdem actum conſtituuntur. f.87.f.3

Subſtantia.

Subſtantia tranſcendit omnia genera ſubſtantiarum, non tamen omne genus entis. fol.10. §.68
Subſtantiæ & accidenti datur ratio communis vniuocè non primò ſed ſecundò intentionaliter. f.104.§.2
Subſtantiæ & accidenti datur aliquis conceptus vniuocè communis. f.123.§.106
Subſtantiæ & accidentis diſcrimen. f.121.§.85
Subſtantiæ & entis diſtinctio eſt inadæquata. f.121.§.88. *vide* etiam §.37.& 73
Subſtantiæ non cognoſcuntur à nobis immediatè per ſe, ſed per accidentia. f.93.§.49
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Summula.

Summula quid ſit. f.1.§.1
qui Summulas rectè tradiderint. f.2.§.11

Suppoſitio.

Suppoſitio quid ſit. *Lege* ſect. I. f.15.& 16
Suppoſitio formalis quid ſit, & cur ſic dicta. f.17. §.11
Suppoſitio materialis quæ dicatur. ibid.
quandoque eſt intrinſeca, quandoque extrinſeca. §.12
Suppoſitio ſimplex & perſonalis quid ſint. fol.17. §.13
in Suppoſitione perſonali vniuerſali locum habet deſcenſus per inferiora ſub eadem voce, non verò in ſuppoſitione ſimplici. f.18.§.17
Suppoſitio confuſa an ſit particularis. fol. 19. §.19

Suppoſitio naturalis eſt qua ſupponitur terminus in materia omnino neceſſaria. f.20.§.31. poteſt eſſe diſcreta. ibid.
Suppoſitio accidentalis eſt, qua ſupponitur terminus pro differentia temporis importata in propoſitione. f.20.§.31. poteſt etiam eſſe diſcreta. §.32
an ſit Suppoſitio ſimplex, *Omnis homo eſt ſpecies.* f.18.§.20
Suppoſitio ſimplex poteſt conſtitui loco termini reflexi. ibid.
Suppoſitio ſingularis eſt ſubſtitutio termini ad ſignificandam vnam rem ſingularem in ſingulari. f.18.§.21
Suppoſitio abſoluta, quam inuenit P. Fonſeca, vocátque mixtam ex ſimplici & perſonali, an admittenda. f.18.§.23
Suppoſitio diſtributiua eſt qua ſupponitur terminus communis reſolubilis per deſcenſum affectum coniunctione *&*, aut diſiunctione *nec.* fol. 19.§.24
Suppoſitio copulatiua eſt ſubrogatio termini ſenſibilis loco termini mentalis copulatiui. f.19. §.25
Suppoſitio communis aut particularis eſt qua ſubrogatur terminus loco rei, aut termini communis & particularis. f.19.§.26
Suppoſitio determinata an rectè à Villapando & Toleto definita. f.19.§.27
an Suppoſitio communis ſit vſus termini pro ſuis inferioribus, vt ait Toletus. f.18.§.22

Syllogiſmus.

Syllogiſmus quomodo ab Ariſtotele definitus. f.41.§.14
Syllogiſmus ex quot propoſitionibus confletur, & qui vocentur. f.1.§.5
Syllogiſmus tribus tantum terminis conſtare poteſt. f.133.§.75.76.& 77
an Syllogiſmus ſit vtraque præmiſſa, an ſola concluſio, an verò vtrumque? *Lege* ſectio. X I I. f.134
Syllogiſmus eſt argumentatio in qua ex duabus propoſitionibus tertia ſequi denotatur. f.131. §.56
eſt perfectiſſimus modus ſciendi. §.58
vnde dicatur. ibid.
explicatur alia eius definitio. à §.58. ad 63. incluſiuè.
Syllogiſmus modalis. f.148.§.185
Syllogiſmus infinitans quibus terminis conſtet. f.148.§.186
Syllogiſmi expoſitorij medium eſt ſingulare in ſingulari. f.147.§.184
Syllogiſmus expoſitorius poteſt confici in tertia figura. ibid.
Syllogiſmi vis cui principio innitatur. fol.134. §.77
Syllogiſmi forma eſt diſpoſitio præmiſſarum apta ad concludendum. f.134.§.79
Syllogiſmi materia & forma. *Lege* ſect. X I. f.132. & 133
Syllogiſmi modus & figura. *Lege* ſectio. I V. f.41
ab eſſentia Syllogiſmi aliqua emanare attributa neceſſe eſt. f.74.§.26
de Syllogiſmo fallaci an & quomodo agat Logicus. f.48.§.20
Syllogiſmi obiectiui & formales an habeant figuram? f.135.§.88
Syllogiſmi imperfecti qui ſint & quomodo deducantur ad perfectos. *Lege* ſect. X X I. f.144. & ſect. X X I I. f.145
Syllogiſmorum figura quotuplex. f.135.§.88.89. & 90
Syllogiſmorum oſtenſiua deductio. f.42.à §.28.ad 36.excluſiuè.
Syllogiſmorum ad impoſſibile deductio. *Lege* ſectio. V I. f.43
Syllogiſmorum figura prima, eiúſque modi. *Lege* ſect. X V. f.136.& ſeqq.
ſecunda figura. f.142.§.136
tertia figura. f.143.§.143
ſitne quarta figura. f.144.§.152
Syllogiſmorum ad impoſſibile deductio quomodo fiat. *Lege* ſect. X X I I I. fol.146.

T

Terminus.

Terminus ſignificatum habet ſine termino, & quomodo vſurpetur à Logicis. p.3.§.5
Termini variæ definitiones. ibidem. per totam ſectionem.
Terminus eſt extremum propoſitionis. f.4.§.17
Terminus mentalis eſt extremum propoſitionis mentalis. f.5.§.21
Terminus ſcriptus & vocalis quid ſint. ibid.
Terminus & propoſitio formaliter & propriè ſunt in ſolo intellectu, in voce autem & ſcripto non reperiuntur propriè, ſed impropriè, analogicè, & per extrinſecam denominationem. f.5.§.22
Terminus poteſt diuidi per varia genera ſignorum, quibus loquimur. f.5.§.26
Terminus determinatus eſt qui adſtringitur ad ſignificandam vnam rem in ſingulari; & cur ſic dictus. f.9.§.59
Terminus confuſus quid ſit. §.61
Terminus communis eſt etiam terminus ſuperior: particularis verò ſeu ſingularis communiter ſolet eſſe inferior: & quid vterque ſint. f.9. §.62.63.& 64
an omnis Terminus ſingularis aut determinatus ſit inferior. f.9.§.64
Terminus tranſcendens & non tranſcendens qui dicantur. f.10.§.67
Terminus tranſcendens alius ſimpliciter & abſolutè tranſcendens; alius tranſcendens ſecundum quid. f.10.§.68
Terminus vniuocus quo pacto definiatur. fol.10. §.70
Terminus æquiuocus. §.71
Terminus analogus. §.72
Termini tranſcendentes clauduntur voce *Reuban.* §.67
Terminus non vltimatus opponitur vltimato. f.7. §.38
Terminus amplus eſt, qui ſignificatur pro tempore diſtincto ab eo quod verbum ſignificat. f.22. §.47
Terminus concretus & abſtractus, complexus & incomplexus, copulatiuus & non copulatiuus. *Lege* ſect. X I. f.13.& 14
Terminus negatiuus dupliciter vſurpatur. fol.14. §.104
Terminus contrarius & contradictorius quomodo definiantur & diuidantur. fol. 14. §. 107. & 108
Terminus ſignificatiuus & non ſignificatiuus. *Lege* ſect. I V. f.6
Terminus cathegorematicus & ſyncathegorematicus

ticus quid ſint. *Lege* ſect.X. f.12.& 13
Terminus connotatiuus variè à variis definitur. f.11.à §.81.vſque ad 87
Terminus ſingularis determinatus & particularis ſunt idem. f.19. §.28. *Vide* præterea diſp.1. §.47
Terminus abſolutus ſignificat rem per ſe ſtantem. fol.11. §.74. Multa de eo per totam ſectionem.
Terminus ſubrogatus pro cognitione rei ſingularis in ſingulari dicitur,diſcretè ſupponi:& quid hoc ſit. f.18.§.21
Terminus communis ſeu vniuerſalis quo pacto definiatur. f.7.§.44.& 45
Terminus ſuperior & inferior qui dicantur. f.133. §.72
Terminus ſingularis ſignificat vnam tantùm rem in ſingulari. f.8.§.54
Terminus primæ & ſecundæ intentionis. *Lege* ſectio. XIII. f.14.& 15
nullus Terminus eſt connotatiuus niſi ſit adiectiuus. f.12.§.87
Terminum ſupponere quid ſit. f.15.§.3
Terminum debere ſupponere, vel debere ſupponi, vtrum melius dicatur. f.15.§.2
Termini mentalis diuiſiones variæ. *Lege* ſect. V. f.7.à §.37
ex vno Termino ſimplici an poſſit rectè inferri alius ſimplex in diuerſo genere. f.18.§.19
Termini primæ & ſecundæ intentionis quid ſignificent. f.78.§.21
Termini ſyllogiſmi ſua habent nomina. fol.134. §.78
Termini pertinentes & impertinentes qui dicantur. f.15.§.111
Termini ſecundæ intentionis prædicantur de terminis primæ. f.79.§.30
Termini ſecundæ intentionis in abſtracto non prædicantur de terminis primæ. ibid.
prædicantur de aliis etiam ſecundæ. ibid.
Termini abſtracti non prædicantur de concretis, neque concreti directi de abſtractis directis. f.79.§.30
Terminorum proprietates. *Lege* diſput.II. à f.15. ad 23
Terminos adiectiuos non ſupponi malè aiunt veteres nonnulli Summuliſtæ. f.17.§.10

Theologia.

Theologia ſpecie totali differt à Philoſophia. f.157.§.84

Tranſcendentia.

Tranſcendentia eſt quando vnus conceptus communis imbibitur in omnibus differentiis, ita vt nulla ſit quin talem conceptum includat. f.119.§.69.& f.120.§.83.& 84

Trinitas.

Trinitatis myſterium an poſſit demonſtratione cognoſci ex reuelatione euidenter cognita. f.136.§.100

Tyro.

Tyronis inſtitutio de arguendi ratione.*Lege* proœmium. f.1.& 2

V

Vagè.

VAgè velle media nequit Deus ab ipſo ſolo exequenda. f.97.§.96

Vbicatio.

Vbicatio eſt terminus abſolutus. f.11.§.75
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Verbum.

Verbum quid ſit. f.25.§.12.& 13
Verbum non infinitatur. f.110.§.33
vtrum Verbum infinitetur in propoſitione. f.26. §.16.& 17
Verbum cur dicatur copula in propoſitione. f.27. §.2
Verba adiectiua explicantur per participium & verbum ſubſtantiuum. f.27.§.2
Verborum prolatio apud ignorantem ſuæ linguæ non eſt propriè locutio. f.109.§.23

Veritas.

Veritas eſt conformatio actus cum obiecto. f.149. §.8
Veritas formaliter conſiſtit in actu intellectus. f.150.§.2
per Veritatem & falſitatem an bene definiatur propoſitio. f.27.§.1
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Virtualiter.

vox *Virtualiter* ſignificat effectus in ſua cauſa, quādo non eſt ſecundum ſuum eſſe in illa, ſed illa poteſt produci. f.44.§.6

Viſio.

Viſio beata quomodo beet. f.63.§.116

Vnio.

Vnio cur ſic dicatur. f.3.§.2
in propoſitione negatiua abiungit. ibid.
Vnio præmiſſarum an ratione differat ab vnione extremorum. f.152.§.36
Vnionem eſſe primam vocem propoſitionis, vel ſecundam,an referat. f.3.§.4
Vide Indices Phyſicum & Metaphyſicum.

Vniuoca, Vniuocatio.

Vniuoca requirunt conuenientiam non ſolùm ex parte modi concipiendi, ſed etiam ex parte obiecti. f.91.§.37
Vniuoca quo pacto ab Ariſtotele definita. f.111. §.1
Vniuocorum diuiſio in Logica & Phyſica non admittitur,& cur? f.111.§.5
ad Vniuocationem an requiratur vt conceptus obiectiuus ſit omnino ſimilis & quidditatiuè. f.111.§.3

Vniuerſale.

Vniuerſale eſt vnum in multis & de multis. f.76. §.2
Vniuerſale in eſſendo à parte rei non datur. f.76. §.4
Vniuerſale quomodo fiat. ibid.
omne Vniuerſale dicit immediatè omnia inferiora. f.83.§.24
Vniuerſale eſt compoſitum ex materia & forma. f.76.§.6
Vniuerſalis forma eſt actus intellectus abſtrahens rationem communem ab inferipri. ibid.
de materia Vniuerſalis quid ſentiant Thomiſtæ & Nominales. f.76.§.7.& f.77.§.8
Vniuerſalia abſtrahuntur etiam ab vno indiuiduo confuſè cognito. f.94.§.48
Vniuerſalia quomodo prædicentur. *Lege* ſect.III. f.78.& 79
Vniuerſaliora ſunt priora in ſubſiſtendi conſequentia,non in cognitione. f.86.§.42
Vniuerſalitas conſtituitur per ordinem ad inferiora. f.100.§.11

Voluntas.

Voluntas imponentis voci ſignificationem habet pro obiecto cognitionem audientis de obiecto quod audit. f.108.§.17
Voluntas imponentis, dum non abrogatur, eſt
ratio

ratio formalis qua voces & ſigna poſſunt in actu primo proximo ſignificare obiecta fol. 108. §. 18
Voluntas ſine vlla imperfectione ob ſuam libertatem poteſt in res vagè tendere. f.96.§.75
Voluntatis obiectum formale eſt finis. 46.§.2
Vide Indices Phyſic. & Metaphyſic.

Vox.

Vox articulata ex natura ſua indicat eſſe apprehenſum id quod profertur. f.110.§.31
Vox omnis & ſcriptura eſt ſignum naturale ſcribentis & vocem emittentis. f.6.§.35
Vox æquiuoca poteſt ſignificare plura quorum neutrum ſit commune, ſed omnia ſingularia. f.8. §.53
Voces non poſſunt ſignificare res niſi vt conceptas, ita vt conceptio ſit conditio ſine qua ſignificarent. f.109.& 110.§.27
Voces formaliter repræſentant res ipſas & non conceptus. f.110.§.28
Voces ſignificant aliquando ipſos animi conceptus. f.110.§.30
Voces, *in communi & vt ſic*, quid ſignificent. fol. 44.§.4
Voces, *formaliter & efficienter*, quid ſignificent. fol. 44.§.5.
Voces & ſcriptura ſunt ſigna rerum, vt mente apprehenduntur. f.5.§.23
Voces & ſcripta non ſupponuntur ratione ſui, ſed ratione propoſitionis mentalis. f.19.§.25
an Voces ſint adæquatum Logicæ obiectum. *Lege* Subiect. I. f.48. à §.22
Voces non ſunt formalis ſed inſtrumentalis modus ſciendi. f.51.§.39
Voces præciſè habent ſignificationem, ſyntaxim & ornatum. f.49.§.29
Vocum libera ſignificatio ad Grammaticum ſpectat. f.50.§.32
Vocum aliquarum explicatio. f.44. à §.1. vſque ad 12. incluſiuè.
Vocibus & de Vocibus diſputare an idem. fol.49. §.28
Vocibus vtimur vt nummis ad reipublicæ libitum. f.7.§.41
an Vocibus & ſcripturis conueniat reflexio. fol.7. §.42.& 43

Vrbs.

Vrbs eſt aggregatum ex domibus. f.75.§.41

Vt quo, & vt quod.

voces, *Vt quo & vt quod*, quid ſignificent. fol. 45. §.10

FINIS INDICIS LOGICI.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN SECVNDO TOMO DE PHILOSOPHIA NATVRALI CONTINENTVR.

A

Abyſſus.

ABYSSVS coniuncta cœlo Empyreo cur tenebreſcebat? f.378.§.24

Accidens.

Accidens educi ſimpliciter, eſt fieri ſimpliciter. f.450.§.50

Accidens non poteſt eſſe ſubiectum formæ ſubſtantialis. f.171.§.46

Accidens non cognoſci prius quàm ſubſtantiam, neque ſingulare prius quàm vniuerſale, quo pacto intelligat Ariſtoteles. f.533.§.59

Accidens & ſubſtantia non diſparantur per dependentiam à ſubiecto. f.308.§.81

Accidentis eſſentia quo pacto ſit *ineſſe*. f.308.§.82

Accidentia ſunt *entis ens*. f.227.§.25

Accidentia quæ præparant ſubiectum ad generationem, ſunt diſpoſitiones antecedentes generationem in eo inſtanti quo fit. f.408.§.5

Accidentia reſpicientia locum determinatum non poſſunt eidem corpori ſimul conuenire in locis diuerſis. f.329.§.64

Accidentia cur per accidens moueantur. fol. 325. §.32

Accidentia panis & vini in Euchariſtia vocantur Species. f.553.§.155

an Accidentia in Euchariſtia per ſe ſubſiſtant. fol. 182.§.128.

Accidentia quædam non poſſunt variari licet cauſæ ſecundæ inter ſe alterentur. f.496.§.131

Accidentia quæ ſunt in agente, concurrunt immediatè ad generationem, non verò quæ ſunt in materia. f.412.§.30

an Accidentia corrupti maneant in generatione. *Lege* Sect. V. f.394.& 395

cur Accidentia non concurrant immediatè ad ſubſtantiæ productionem. fol. 255.§.50. & f.256. §.63

Accidentium materialium ſubiectum. *Lege* Sect. VI. f.217.218.& ſeqq.

Vide Indices Logicum & Metaphyſ.

Accretio.

Accretio eſt motus à minori ad maiorem quantitatem. f.437.§.54

Accretio an differat ab augmentatione. ibidem.

Actio.

Actio non ſumit ſpeciem à termino *à quo*. fol.295. §.69

Actio non eſt abſolutè prior termino. fol. 244. §.150

Actio eſt diſtincta ab agente & termino. f.287.§.7

Actio eſt modus. f.288.§.9

Actio vitalis quomodo immutet agens. fol. 250. §.4.& 5

Actio vera reperitur in potentia vitali ſe exercente. f.536.§.2

Actio ex ſe non eſt relatio inter agens & patiens ſed inter hæc & effectum. f.208.§.126

an Actio ſit propriè relatio agentis & patientis quando realiter diſtinguuntur. f.208.§.127

Actio & paſſio non inhærent termino. fol. 294. §.57

Actio nulla poteſt ex natura ſua creaturæ conuenire quæ non ſit proportionata modo eſſendi illius. f.312.§.117

Actio eſt libera eodem inſtanti quo exercetur & agens liberum liberè agit eodem inſtanti. f.642. §.19

Actio non tollit immediatam dependentiam. fol. 300.§.16

Actio & paſſio ſunt de conceptu eſſentiali motus. f.289.§.23

Actio & paſſio ſunt actiones & motus. f.297.§.81

Actio & paſſio ſunt idem realiter: differunt autem ratione ſicut via accliuis & decliuis, & via Thebis Athenas, & Athenis Thebas. fol.290.§.28

Actio phyſica attingit rationes communes vt contractas. f.311.§.108

Actio eſt motus per extrinſecam denominationem. f.292.§.41

Actio eſt entitas agentium ſubiecti & termini, variis conceptibus ſignificatorum, & accipientium denominationes diuerſas pro diuerſis connotatis. f.289.§.19

eadem Actio non poteſt eſſe generatio & creatio. f.190.§.19

Actionis denominatio duplex. f.219.§.63

Actiones ſunt ſuppoſitorum. f.245.§.160

Actiones & generationes omnes circa ſingulare ſunt. f.232.§.58

Actiones, quibus ex vno viuente producitur aliud ſine vllo concurſu actiuo, à generatione viuentium excluduntur. f.390.§.10

Actiones duæ ſpecie diſtinctæ poſſunt eſſe ab eodem agente, & in eundem terminum, ſed modo diuerſo. f.295.§.63

in Actionibus conſiſtit differentia inhærendi & independendi à ſubiecto. f.305.§.61

Actiuitas.

Actiuitatis ſphæra. *Lege* Sect. VII. f.260

Actus.

Actus ſeparat & diſtinguit. f.173.§.50

Actus omnis an proueniat à forma. f.183.§.146

Actus qua ratione poſſit eſſe certus & obſcurus. f.572.§.44

Actus

Actus primus conſtituitur ante actum ſecundum. f.228.§.33
Actus primus voluntatis eſt ſimplex complacentia. f.621.§.4
Actus abſtractiuus & intuitiuus quid ſint & an opponuntur? *Lege* ſect. II. f.596.& 597
Actus primus eſt potentia actiua actus ſecundi.fol. 642.§.13
Actus idem poteſt eſſe ſimul verus & falſus. f.534. §.66
nullus Actus poteſt mutari de vero in falſum, aut è conuerſo. f.580 §.59
an Actus mutetur, mutato obiecto. f.584.§.78
Actus aſſiſtens & informans qui dicantur. f. 476. §.12
Actus vitalis creatus formaliter conſiſtit in actione, paſſione & illarum termino. fol.536.§.4
Actus vitalis materialis non recipitur etiam partialiter in animum rationalem. f.523.§.44
Actus vitalis diuinitus poteſt produci ſine concurſu potentiæ vitalis. f.546.§.99
Actus vitalis ſine relatione ad potentiam vitalem concipi non poteſt. f.256.§.65
an Actus vitalis poſſit diuinitus in alieno ſubiecto conſtitui. f.549.& 550.§.123
Actus ſecundus eſt ea forma per quam cauſa denominatur agens. f.228.§.32
an Actus, quo Deus videt Petrum exiſtentem, ſit practicus. f.610.§.38
Actus vnus voluntatis poteſt habere pro obiecto adæquato duo partialia. f.627.§.48
Actus voluntatis varij. f.627.§.1.& ſeqq.
Actus practicus in communi eſt cognitio intellectus dirigens potentiam ad efficiendum obiectum. f.607.§.15.*vide* Scientia, Cognitio.
Actus duos habere non poteſt idem homo circa idem obiectum. f.607.§.16
Actus charitatis in iuſto oritur ab habitu charitatis. f.445.§.11
Actus certus eſt exercitium principiorum non forte ſed neceſſariò veritatem attingentium. fol. 571.§.34
Actus vnus poteſt eſſe ſimpliciter euidentior alio. f.572.§.45
poteſt etiam eſſe certior alio. §.48
Actus præmiſſarum in actum concluſionis non influit efficienter. f.256.§.62
Actus fidei ſitne certior quàm quoduis principium naturale? f.573.§.54
Actus non ſpecificatur ab obiecto materiali remoto. f.531.§.34
Actus ſpecie diſtincti ſpecificari poſſunt ab obiecto formali. f.531.§.36
Actu naturali poteſt cognoſci obiectum ſuper naturale, vt ſupernaturale reduplicat obiectum. f.531.§.37
Actus omnis intellectus eſt apprehenſio. f.559.§.1
an idem Actus poſſit eſſe ſimplex apprehenſio, & iudicium. f.559.§.4
idem Actus reſpectu eiuſdem ſubiecti poteſt ſucceſſiuè eſſe practicus & ſpeculatiuus diuinitus. fol.608.§.26
Actus diuiſio in informantem & ſubſiſtentem. f.170.§.50
Actus euidentis, & obſcuri quænam ſit differentia eſſentialis f.568.§.6
idem Actus eiuſdem obiecti an poſſit eſſe clarus & obſcurus. f.568.§.9.& ſeqq.
an Actui libero libertas ſit extrinſeca denominatio, an verò eſſentialis. fol. 646. & ſeqq. præcipuè. § 67
Actum vitalem in ſola actione & paſſione, abſque termino, qui conſtituant. *Lege* ſubſect. I. fol. 541.& 543
Actum vitalem conſiſtere in ſola qualitate, & verbo mentali, affirmat P. Vazquez. fol.543.§.73. & ſeqq.
ab Actu nec realiter nec ex natura rei diſtinguitur euidentia. f.567.§.3
in Actu procedere modo compoſitiuo & reſolutiuo quid ſit. f.605.§.1.& ſeqq.
Actus voluntatis variè oppoſiti. f.630.§.8
Actus efficaces cur ita dicti? f.629.§.3
Actus efficaces volendi rem ſimul & non volendi apertè repugnant. f.630.§.13
Actus intellectus plures, ſunt clari & euidentes. f.567.§.1
Actus practici cauſalitas an obiectum. f.609.§.30. & ſeqq.
ad Actus efficaces finis inſufficiens eſt ſimplex apprehenſio. f.637.§.54
an Actus ſupernaturales efficiant in potentia habitus etiam ſupernaturales inclinantes potentiam ad ſimiles actus. f.673.§.74
Actus logici dirigentes intellectum in conſtructione modi ſciendi non ſunt ſpeculatiui ſed practici. f.606.§.4
Actus ſpeculatiui communiter ſunt perfectiores practicis. f.608.§.29
Actus naturâ ſuâ practici non poſſunt reddi ſpeculatiui. f.608.§.28
Actus liberi poſſunt efficaciter intendi directè & *vt quo.* f.649.§.63
Actuum tres differentiæ. f.608.§.25
Vide Indices Logicum & Metaph.

Acus.

Acus quæ ſemel tetigit magnetem, perpetua vertigine circumagitur, donec fixa ſe polo ſiſtat. f.375.§.65

Adamus.

cur Adamus nō fuit filius naturalis Dei.f.391.§.18

Adoleſcentes.

cur Adoleſcentes ferueſcant. f.621.§.85

Aër.

Aër eſt vitæ miniſter. f.469.§.35
Aër ſibi vendicat ſummam humiditatem. fol.468. §.26
Aëris tripartitio. f.368.§.10

Æquale. Æqualitas.

Æquale quid ſit. f.502.§.176.& 178
Æqualitas & ſimilitudo non ſunt reciprocæ.f.501. §.173
Æqualitas & inæqualitas vnius rei cum alia opponuntur priuatiuè. f.502.§.177

Æquiuocatio.

an Æquiuocatio poſſit eſſe in mente. f.534.§.62
Vide Indices Logicum & Metaphyſ.

Æſtimatiua.

an Æſtimatiua facultas cognoſcat obiecta inſenſata, ſitque diſtincta à ſenſu communi. fol. 682. §.46. & ſeqq.

Ætas.

Ætas omnium præſtantiſſima quæ ſit. f.621.§.85

Æternitas.

in Æternitate quomodo res præſentes Deo. f.589. §.115.& ſeqq.
in Æternitate videntur à Deo infinita actu exiſtentia. f.320.§.57
Vide Indicem Metaphyſicum.

Affectus.

Affectuum varietas an ex varietate cognitionum deprehendatur. f.635.§.44

Affirma

Affirmare, Affirmatio.

Affirmare eſt cognoſcere ſubiectum & prædicatum eſſe idem. f.560.§.13

Affirmatio & negatio quo repugnent. f.693.§.63

Vide Indices Logicum & Metaphyſ.

Agere, Agens.

an *Agere* immediatè conueniat ſubſtantiæ creatæ. *Lege* ſectionem III. f.251.& ſeqq.

Agens dicitur agens intrinſecè per ſuam entitatem cum connotatione. f.289.§.17

Agens non eſt cauſa materialis actionis ſuæ. fol. 293.§.53

Agens creatum non poteſt immediatè agere in diſtans quin agat aliquid in medium. f.257.§.70

Agens creatum agendo per medium poteſt etiam agere indiſtans per ſe ipſum, ita vt actio oriatur immediatè ab illo, & non ab aliquo agente, vel ſaltem ſimul ab vtroque. f.258.§.76

Agens creatum poteſt agere in diſtans actione diſſimili ab intermedia; ſed ab illa dependente. f.260.§.91

Agens naturale propter limitationem ſuæ virtutis non poteſt actionem protendere vltra diffinitos limites. f.260.§.94

Agens non contiguum materiæ, illi coniungi mediis diſpoſitionibus per aërem traiectis, à nonnullis dicitur. f.414.§.36

Agens & paſſum poſt actionem ſimilia ſunt. f.262. §.110.

Agens liberum in actu primo reduci poteſt in actum ſecundum, & eſſe liberè operans. fol.642. §.18

an Agens, quod in primo inſtanti ſuæ applicationis ad paſſum nihil in illud producit propter paſſi reſiſtentiam, ſi poſt illud inſtans nihil virtutis agens acquiſiuit, nec paſſum reſiſtentiæ; poſſit poſt aliquod tempus agere. fol. 263. §. 123. & ſeqq.

Agentis à paſſo diſtinctio & diſſimilitudo. f.262. §.109

Agentia ſola per intellectum operantur propter finem. f.623.§.19

Aggeneratio.

Aggeneratio & augmentatio an differant. f.428.§.4

Aggeneratio rerum inanimatarum eſt eiuſdem omnino rationis cum prima generatione. f.436. §.46

Albedo.

Albedo viſum diſgregat diſſipando in oculis ſpiritus ſenſorios. f.678.§.18

Alteratio.

Alteratio eſt motus ad qualitatem. f.444.§.1

Alteratio connotat in ſubiecto priuationem formæ inductæ. ibidem

Alteratio conuenit in ratione motus cum cæteris: differt autem per qualitatem. ibidem

Amari.

Amari propter ſe quid ſit. f.622.§.11

Amentes.

Amentes cur vocentur lunatici. f.375.§.68

Amor.

Amor ſine cognitione non reddit amantem. f.552. §.147

an Amor in ſola qualitate conſiſtat, an etiam in actione. f.552 §.142.& 144

an Amor poſſit ſine cognitione vniri voluntati. f.549.§.116

Amor Dei tendit in Deum propter ſeipſum. fol. 622.§.5

Amor boni conuenientis ex quo actu oriatur. fol. 622.§.6

Amor nō producitur ab actu intellectus. f.634.§.36

Amor amicitiæ eſt voluntatum vnio. f.192.§.1

Amicitiæ actus tendit in perſonam vt bonam aut pulchram, non vt conuenientem ſibi. f.622.§.5

Angelus.

Angelus ſe ipſo eſt independens à ſubiecto. f.304. §.51

Angelus habet in ſe formalem creationis effectum. f.304.§.51

Angelus non habet indifferentiam ad plures cauſas vt eam habet forma. f.304.§.53

Angelus non poteſt ſeipſum, aut alium Angelum, aut animum comprehendere comprehenſione vulgari etiamſi poſſit cognoſcere actu infinita. f.602.§.48

Angelus comprehendit creaturas naturales irrationales comprehenſione actuali vulgari, non tamen exacta. f.602.§.51

Angelus non ſe comprehendit comprehenſione actuali, etiam vulgari naturali, ſed habituali etiam naturali. f.602.§.52

Angelus actu ſupernaturali ſe poteſt actualiter & perfectè comprehendere. f.602.§.56

Angelus non eſt modus. f.304.§.54

an Angelus poſſit continuè moueri. f.491.§.81.& f.492.§.84.& 85

idem Angelus poteſt diuerſis creationibus à Deo pendere. f.299.§.13

Angeli loquutio quid ſit. f.258.§.75

Angeli in cognitione ſui verbum efformant. f.556. §.171

Angeli non poſſunt vacuum. f.331.§.80

Angeli generari non poſſunt. f.310.§.98

duo Angeli immediatè producti vnus poſt alium non ſunt tempus. f.340.§.77

Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

Anima. Animus.

Anima rationalis quando infundatur. f.427.§.110

Anima rationalis immediatè concurrit in genere cauſæ materialis ad actus intelligendi & amandi. f.520.§.17

Anima rationalis eſt ſpiritualis & ſimplex. *Lege* ſect. I. f.482.483.& 484

Anima rationalis ſitne terminus formalis generationis. f.393.§.31

Animæ rationalis ſpecificatiuum. f.527.§.75

Anima vt informat teſtes eſt principium generationis. f.436.§.45

an Anima immediatè efficiat, & recipiat actus materiales vitales. f.522.§.37.& ſeqq.

Anima vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis, an realiter diſtinguantur. f.477.§.23.& ſeqq.

Anima omnis carnis (vt dicitur Leuit. 17.) in ſanguine eſt. f.480.§.40

Anima immediatè concurrit in genere cauſæ efficientis ad intellectionem & amorem. fol.522. §.35

Anima ſeparata exercet cognitiones ſimiles iis quas ſic exercet. f.690.§.23

Anima ſe ipſa immediatè cognoſcit. f.690.§.26

Anima ſenſitiua memoriam habet. f.535.§.72

Animæ definitioni conſentaneum videtur, eam induci in corpus proximè aptum ad fungendam vitam. f.427.§.109

Animam rationalem generari non poſſe monſtratur. f.310.§.106

an Animæ materiales omnes componantur ex partibus integrantibus. *Lege* ſect. IV. fol.492.493. & 494

Animas hominum eſſe æquales qui ſentiant, & an hoc verum. f.501.§.170. & 171

Animus definitur. *Lege* ſect. I. f.474.& 475
Animus rationalis vt rationalis an corpus informet. *Lege* ſect. V. f.478
Animus quas partes actuet. f.479.§.33.& ſeqq.
an Animus producatur antequam corpus informet. f.481.§.52.& ſeqq.
an Animus omnis ſit actus informans. f.476.§.12. & ſeqq.
Animus rationalis ſitne ſenſitiuus & vegetatiuus formaliter, an eminenter. f.477.§.18
an Animus rationalis ſecundum ſe ſit perfectio materiæ & recipiatur in materia tanquam in ſubiecto. f.200.§.62
Animi rationalis vnio quomodo fiat. *Lege* ſect. III. f.414
Animus rationalis an & quomodo ſit perfectio corporis. f.200.§.63
an Animus rationalis fiat & quomodo. f.165. §.8. & f.166.§.13
Animus rationalis & quæuis Angelica ſubſtantia eſt propriè in loco per veram præſentiam intrinſecam, quam latione mutare poſſunt. fol. 326. §.42
Animus rationalis & formæ cœleſtes ſunt natura ſua mortis expertes, ſed diuerſimodè. f.474.§.7
Animus rationalis eſt ſimplex, carens compoſitione eſſentiali, ac ſolum ipſe eſt ſui ſuppoſiti, vnionis & accidentium ſubiectum. f.484.§.16
Animus non poteſt eſſentialiter concipi adæquatè niſi ſub ratione intellectus. f.526.§.74
in Animi rationalis vnione ſitne inæqualitas. fol. 507.§.218
Animi humani immortalitas. f.686.§.1.2. & ſeqq.
an Animo ſit violenta ſeparatio. f.689.§.12
an Animo rationali inſit potentia obedientialis actiua atque paſſiua. fol.269.§.163.& ſeqq.
Animo rationali ineſſe adæquatè non poſſunt ſenſus materiales. f.522.§.40
Animum rationalem fuiſſe productum, antequam corpori vniretur, cenſuit Origenes. f.481.§.53
Animum rationalem eſſe ſpiritum & ſpiritualem, fide credendum eſt. f.482.§.2
Animorum partes ſunt diuerſæ ſpeciei. fol. 506. §.205
Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

Animal, Animantia.

Animal ægrotare quando dicatur. f.472.§.53
Animalium nex à principio extrinſeco oritur. fol. 404.§.127.& ſeqq.
Animantia ex putri materia genita num fiant à Sole? f.375.§.68

Annihilatio.

Annihilatio & creatio opponuntur. f.399 §.84

Appetitio, Appetitus.

Appetitio & cognitio in quo conueniant, vel differant. f.535.§.1
Appetitus ſenſitiuus, iraſcibilis & concupiſcibilis. *Lege* ſect. X. f.684.& 685
Appetitus alij præter internum an dentur. fol.685. §.62.& 63
Appetitus eſt in cerebro ſicut & ſenſus. f.685.§.67
Appetitus diuiſio,& Appetitus materiæ ad formas. *Lege* ſect. III. §.170.& 171
Appetitum deſiderij non habemus ad id quod poſſidemus,ſed habemus appetitum complacentiæ. f.170.§.34

Apprehenſio.

Apprehenſio in iudicium non efficienter influit. f.256 §.62
Apprehenſio ſimplex cur ita dicta. f.559.§.1
Apprehenſio in nobis quomodo oriatur. f.559.§.2
Apprehenſio ſimplex an terminetur ad vnionem extremorum. f.559.§.5
Apprehenſio ſimplex non ſemper iudicium præcedit. f.559.§.7
Apprehenſio ſimplex non cadit in Deum. f.559.§.8
Apprehenſionem ſequitur iudicium. f.559.§.9
Apprehenſio ſimplex non ſufficit ad actus efficaces finis. f.637.§.54
Apprehenſio ſimplex & iudicium ab illa dependens poſſunt eſſe ſimul. f.596.§.2
Apprehenſio ſimplex ſufficit ad mouendam noſtram voluntatem. f.636.§.53
Apprehenſioni ſimplici an ſubſit falſitas. f.574.§.9
in Apprehenſione totius propoſitionis reperitur falſitas incomplexa. f.574.§.8
in Apprehenſione ſubiecti vel prædicati ſolius nulla poteſt eſſe falſitas. f.574.§.6
in Apprehenſione reperitur veritas incomplexa. f.574.§.7

Aqua.

Aqua primo die creata. f.378.§.22
Aqua eſt in ſummo frigida. f.468.§.26.& 30
Aqua intra æreum vas frigidior quàm gelu. f.469. §.34
Aqua humiditate flaccida, inepta nutritioni animalium. f.405.§.129
Aqua & aër habent grauitatem & leuitatem prope ſummam. f.383.§ 59
cum Aqua petat eſſe ſuper terram, cur non eſt? fol. 387.§.89
Aquas eſſe ſupra cœlos, an verum. f.381.§.46 47. & 48. cui ſimul ibi obſeruiant. f.382.§.50
Aquarum congregatio tertia die facta eſt & à Deo vocata eſt maria. f.386. §.84.& 85

Arbitrium.

an liberum Arbitrium poſſit aliquid facere per impulſum Aſtrorum. f.375.§.68

Argumentum.

Argumentum vocatum Achilles. f.341.§.84

Ariſtoteles.

Ariſtoteles de Deo & mundi creatione errauit turpiter. f.376.§.2

Aſſenſus.

Aſſenſus & diſſenſus idem ſunt quod affirmatio & negatio. f.559 §.9
Vide Indicem Logicum.

Aſtra, Aſtrologi.

Aſtra medica quæ dicantur Galilæo. f.368.§.11
Aſtra tam fixa quàm errantia differunt ſpecie à ſuis orbibus. f.365.§.35
Aſtra fixa inter ſe ſpecie differunt. f.366 §.39
Aſtra quo pacto ſint in ſuis orbibus. f.366 §.40
Aſtrorum magnitudo & numerus. *Lege* ſect. II. f.370.& 371
Aſtrorum inclementia tanta eſſe poteſt vt aërem inficiant peſte, & ſoluant neceſſariam homini temperaturam. f.402.§.109
Aſtrologi ſibi videntur commonſtrare octo cœlos propter octo diuerſos motus. f.368.§.1.& ſeqq. illorum opinioni refragantur nonnulli Eccleſiæ Patres. §.4
Aſtrologi poſſunt ex varia aſtrorum coniugatione bellum mortalibus exitiale inferentium conijcere hominem in tali coniugio natum neceſſariò interiturum certa die. f.376.§.70
Aſtrologos poſſe certò ſcire diem vltra quem aliquis viuere non poſſit, probat exemplum cuiuſdam Aſtrologi celeberrimi. f.376.§.70
Aſtrologos, aſſerentes quotquot naſcuntur ſub Aquario fore piſcatores, acriter inſectatur Gregorius. f.376.§.69

Aſtrolo

Aſtrologorum temeraria locutio. f.375.§.68

Auditus. Auris.

Auditus eſt potentia ſenſitiua ſolum percipiens ſonum. f.678.§.21

Auditus eſt *diſciplinæ mater.* ibidem.

Auditus continetur poſt aures. f.678.§.22

Auditus habet ſpecies. f.611.§.7

Auditus ſumit ſpeciem à ſonoro. f.527.§.75

Auditus obiectum præſtantiſſimum eſt vox. fol. 679.§.28

Aurium egregia deſcriptio. f.678.§.22

Augmentatio.

Augmentatio eſt motus à minori ad maiorem ſubſtantiam. f.428.§.1

Augmentatio in quo differat à diminutione & generatione. f.428.§.1.2.& 3

Augmentatio an differat ab aggeneratione. fol. 428.§.4

Augmentationis terminus & conditiones, f. 429. §.5.6.& 7

an Augmentatio fiat tota ſimul, an ſucceſſiuè. *Lege* ſect. III. f.429.430.& ſeqq.

in Augmentatione duo reperiuntur. f.337.§.45

B

Baculus.

Baculus Iacob an ſit verum metiendi inſtrumentum. f.371.§.31

Beati. Beatitudo.

Beati etiam habitualiter Deum comprehendere non poſſunt. f.602.§.54

qui Beatitudinem habet intenſiorem, perfectiùs videt Deum. f.461.§.128

Bona.

Bona quæ Deus communicat, abſunt ab inuidia. f.355.§.9

Bona conuenientia diuerſimodè amantur. fol.622. §. 8

Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Brutum.

in Bruto imperfecto manere partes formæ, incertum eſt. f.494. §.109. quid in perfecto Bruto? §.110

an Bruta reminiſcantur, & percipiant obiecta inſenſata. f.682.§.48.49.& 50

an Bruta operentur propriè propter finem. fol.623. §.18.& 20

C

Calor.

Calor eſt, quod congregat ea quæ ſunt eiuſdem generis. f.467.§.21

Calor & humiditas ſunt principia corruptionis. f.405.§.129

Calor non producit ſubſtantiam. f.255.§.50

Calor naturalis & præternaturalis. f.404.§.127

Calor ignis, & aëris ſunt eiuſdem ſpeciei. fol.471. §. 48

Calor vitalis an differat ſpecie ab elementari. fol. 471.§.49

Calor gallinæ & furni ſunt eiuſdem ſpeciei. f.471. §.50. ſub finem.

Calorem non eſſe per ſe cauſam mortis, ſed per accidens, probatur à Valleſio. f.403.§.118

Capilli.

Capilli non informantur animo. f.481.§.50

Cauſa.

Cauſa quid ſit, & in quo differat à principio. fol. 164.§.1.& f.165.§.2

Cauſa poteſt ſimul eſſe & operari. f.352.§.2

Cauſæ triplex definitio. f.224.§.1.2.& ſeqq.

de ratione Cauſæ eſt vt influat in *aliud.* f.224.§.4

Cauſæ definitio an conueniat cauſæ remotæ. *Lege* ſect. IV. f.236

Cauſa proxima eſt quæ immediatè per ſuam entitatem ad effectum concurrit. f.236.§.86

Cauſa remota eſt quæ non per ſe ſed per ſua accidentia, aut quouis medio principio operatur. ibidem. cur vocetur mediata cauſa. ibid.

Cauſa remota, ſimpliciter eſt vocanda cauſa. §.87

Cauſa denominatur agens per actum ſecundum, & quid hic actus ſit. f.228.§.32

Cauſa phyſicè influens. f.247.§.173

Cauſa intentionalis. ibidem.

Cauſa moralis quæ & quotuplex. ibidem.

Cauſa per ſe & per accidens. §.175

Cauſa totalis ſeu adæquata & completa. §.176

Cauſa partialis, ſeu inadæquata vel incompleta. §.176.& 177

Connotat ex natura ſua aliam compartem per quam compleatur, ac ſimul cum ea concurrat ad effectus productionem. §.179

Cauſa totalis dicit ex natura ſua totam virtutem influendi in effectum in ſuo genere. fol. 247. §.178

in Cauſa partiali duo reperiuntur. f.248.§.182

Cauſa in ratione cauſæ per quid conſtituatur. fol. 226.§.17.& ſeqq.

Cauſa creata an vere aliquid efficiat. fol.250. §.6. & ſeqq.

Cauſa efficiens creata, alia vniuoca, alia æquiuoca, & quid ſint. f.265.§.135

Alia virtualis, quæ habet virtutem productiuam effectus, ſed illo imperfectiorem. ibidem.

Alia principalis & inſtrumentalis. f.266.§.136, 137.& ſeqq.

Cauſa æquiuoca & vniuoca an ſit etiam partialis. f.265.§.135

Cauſa in actu non eſt relatiua ſecundum eſſe ſed conſtituitur ſua entitate abſoluta. f.230.§.45

Cauſa vniuoca & æquiuoca poteſt eſſe principalis. f.266.§.136

Cauſa prima eſt primum omnium rerum creatarum principium quod à nullo alio trahit originem. f.276.§.1

An influat immediatè in omnes creaturas. *Lege* ſect. II. f.277.& ſeqq.

an Cauſa prima determinet indiuiduationem effectuum. *Lege* ſect. IV. f.283

Cauſa materialis eſt paſſiua. f.293.§.52

Cauſa formalis interdum habet duos formales effectus. f.400.§.90

Cauſa formalis & ratio formalis quî differant. fol. 400.§.89

Cauſa partialis quomodo reſpiciat totalem. fol. 212.§.13

Cauſa adæquata in actu primo quomodo explicetur. *Lege* ſubſect. I. f.255

Cauſa adæquata non poteſt extra ſuam virtutem cauſare. f.253.§.32

an cum vna Cauſa adæquata poſſit concurrere alia in eodem genere. *Lege* ſect. X. f.248

Cauſa libera & neceſſaria quid ſint. f.228.§.31

Cauſa efficiens quo pacto diffiniatur. fol. 249. §.1.& 2

An eius diffinitio conueniat omni efficienti. fol. 250.§.3. & 4

nulla Cauſa ſe ſola poteſt operari ſupra ſuam naturam, ſecus verò coniuncta cauſæ ſupernaturali. fol.273.§.193

Cauſa

Cauſa immediata denominat remotam per vnionem ad illam. f.172.§.42
an Cauſa prima & ſecunda eadem actione concurrant. *Lege* ſect. III. f.281
Cauſa libera & neceſſaria poſſunt æquè ſimul eſſe & operari. f.352.§.4
Cauſa necis humanæ. f.404.§.127
Cauſa exemplaris. *Lege* ſect.V. f.609.& 610
Cauſa finalis, & exemplar obiectiuum quo differant. f.609.§.34
Cauſa phyſica reſpicit terminum vt producibilem à parte rei. f.232.§.58
Cauſa phyſica periret niſi eſſent poſſibiles termini ſingulares. f.235.§.80
Cauſa exemplaris & finalis non ſunt in rigore cauſæ. f.226.§.16
Cauſa dicit tranſcendentalem relationem ad ſuos effectus. f.227.§.25
Cauſa producit totam effectus entitatem. fol.256. §.64
Cauſa eſt actiua in actu primo & potentia phyſica per ſuam entitatem, agens actu per actionem actualem, agens in potentia logica per actionem in potentia phyſica. f.229.§.37
Cauſa prius, ſaltem ratione, aut natura ponitur ad cauſalitatem per quam cauſat. f.245.§.160
an Cauſa vt actu cauſans ſit prior natura quàm effectus. f.244.§.149
an Cauſa requirat exiſtentiam & quo pacto. *Lege* ſect. V. f.238.& 239
an Cauſa finalis ſit realis, & quæ eius cauſalitas. f.625.§.30.& ſeqq.
an moueat ſecundum eſſe reale. f.626.§.40
an Cauſa ſit in ordine ad effectum in communi, an etiam in particulari. f.230.§.46.& ſeqq.
Cauſa actiua duobus modis dicitur actiua in potentia. f.229.§.38
quælibet Cauſa eſt naturâ prior effectu ſuo. f.244. §.152
Cauſæ nomen an conueniat diuinis. *Lege* ſect. I. f.224.& 225
à Cauſa ad effectum ſimpliciter non eſt conuertibilis conſequentia. f.240.§.128
Cauſæ efficienti proximæ neceſſariò reſpondet in effectu aliqua formalis ratio quæ non reſpondet alij cauſæ proximæ efficienti. f.255.§.50
Cauſam primam (Deum ſcilicet) initio condidiſſe creaturas, eíſque permiſiſſe generationes motúſque omnes, ceſſantem ab omni actione, aſſerens eſt plenè & planè hæreticus. f.279.§.28
Cauſæ actiuæ principales ſpecierum ſenſuum externorum non ſunt ſubſtantiæ. f.621.§.82
Cauſæ partiales connaturales ſunt ex natura ſua dicendæ partes ſimpliciter. f.248.§.183
Cauſæ partiales non ſunt multiplicandæ poſitis iam omnibus cauſis, quibus poteſt effectus attribui. f.255.§.54
Cauſæ duæ potentia Dei abſoluta poſſunt ſimul ad eundem effectum concurrere. f.249.§.191
an Cauſæ in eſſe poſſibili ſint inuicem cauſæ. f.244.§.154
an duæ Cauſæ ſecundum eandem exiſtentiam realem poſſint inuicem eſſe cauſæ. fol.244.§.156. & ſeqq.
Cauſarum particularium defectus quomodo ſuppleatur. f.254.§.42
mutua Cauſarum dependentia negatur. fol.240. §.128
Cauſarum & effectuum incipientium ſimul exempla. f.352.§.2
Cauſarum prioritas. *Lege* ſect. VI. f.239.& 240

Cauſalitas.

Cauſalitas non poteſt eſſe poſterior quàm forma. f.215.§.33
Cauſalitas mutua inter accidentia & formam impugnatur. f.410.§.20
Cauſalitas actus practici in obiectum. f.609.§.30. & ſeqq.

Cælum.

Cælum non eſt animatum. f.366.§.41.& 42
Cælum vltra diem iudicij poteſt moueri abſque fine. f.314.§.11
Cælum eſſe corpus ſimplex multi authores cenſent. f.362.§.1.& ſeqq. probabilius eſt non eſſe corpus ſimplex. f.363.§.7.& 8
Cælum non differre ſpecie ab elementis ſed eſſe vnum ex illis cenſuêre plerique philoſophi ex priſcis illis rudioribúſque ſæculis. fol.364. §.17
Cælum eſſe aërem aſtronomi huius temporis cenſent. f.364.§.19
Cælum primo die creatum. f.378.§.22
Cælum ſtellatum ſecunda die productum & quomodo. f.381.§.46
an Cælum ſimul moueatur ab ortu in occaſum & ab occaſu in ortum. fol.371. per totam ſectionem tertiam.
an verum ſit Cælum eſſe reſperſum quaſi ſeminaria virtute gignendi quædam animalia. fol.375. §.67
Cælum non poſſe eſſe excauatum probatur. f.369. §.20
Cælum empyreum eſt ſedes Domini. fol. 369. §.17
Cælum empyreum primo die creatum. fol. 381. §.46
Cælum empyreum inter cœlos lucidiſſimum. f.374.§.60
Cælum empyreum eſt quadam quaſi cortina opaca contectum. f.375.§.63
Cælum ſydereum nullam aut exiguam habet natiuam lucem. f.375.§.64
Cælum in hæc inferiora phyſicè influere experientia teſtatur. f.375.§.65
Cælum empyreum an influat in cœleſtes orbes. f.375.§.66
deſeruit in Sanctorum ciuium curiam. ibid.
Cæli motu ceſſante an ceſſarent omnes motus ſublunares. f.374.§.53
an Cæli materia ſit eiuſdem ſpeciei cum ſublunari. f.364.§.20.& 21
an Cæli motus ſit naturalis. f.373.§.4
Cæli motus velocitas vix explicari poteſt. f.374. §.58
Cæli nomine quid intelligatur, cum dicitur: *In principio creauit Dominus cœlum & terram.* f.378. §.23
an Cæli ſint corrumpendi. *Lege* ſect. VII. f.388
Cæli ſunt natura ſua incorruptibiles. fol. 367. §.48
an Cæli diuinitus ſint diſſoluendi necne. fol.367. §.49
Cæli ſunt ſolidiſſimi, nec poſſunt penetrari. f.369. §.18.& 19
Cæli omnes ſunt ſpecie diuerſi. f.365.§.33
an Cæli moueantur ab aliquo principio intrinſeco, an verò ab extrinſeco motore. fol. 373. §.51
Cælorum & mundi productio. *Lege* diſp.3. f.376. & ſeqq.
Cælorum figura. f.371.§.32
Cælorum numerus. *Lege* ſect I. f.367.368. & 369

Cerebrum.

an Cerebrum ſit ſedes appetitus & ſenſus, an verò cor. *Lege* ſect. XII. f.685.& 686

Certitudo.

Certitudo & infallibilitas ſunt proprietates actuũ intellectûs. f.570.§.27

Certitudo triplex. f.570.§.28

Certitudo eſt determinatio intellectus ad verum vt verum. f.570.§.29

Certitudo adhæſionis ſiue ſubiecti, & certitudo ipſius actus quæ dicantur. f.571.§.37

Certitudo non diſtinguitur realiter ab euidentia in actu euidenti. f.572.§.38

Certitudo non diſtinguitur realiter, neque ex natura rei ab actu fidei Diuinæ. f.572.§.40

Certitudo ratione diſtinguitur ab euidentia. §.42

latius patet quàm euidentia. ibid.

Certitudo vnius actus poteſt eſſe maior alia.f.572. §.48

Certitudinis gradus à ratione formali obiectiua eſt ratione noſtra diſtinctus à gradu proueniente à ſupernaturalitate. f.573.§.50

Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Charitas.

Charitas,ex Durando,conſeruatur ſecundum gradus intenſionis diuerſos. f.445.§.8

Charitatis actus oritur in iuſto ab habitu charitatis. f.445.§.11

Charitatis actus non eſt ratio iuſtificandi. f.673. §.69

Chriſtus.

Chriſtus quot diebus in vtero Virginis fuit.f.428. §.114

an Chriſtus Dominus verè aſſumpſerit ſanguinem. f.480.§.43.& ſeqq.

Chriſtus in cælo non mouetur naturaliter etiamſi eius *vbi* Euchariſticum ſit ſupernaturale. f.328. §.59

Chriſti conceptio. *Lege* ſubſect. III. f.419

Chriſti generatio vniuocè fuit generatio etiam in ratione generationis viuẽtium.f.[illegible]1.§.19.& 20

corpus Chriſti,ex ſententia Scoti, ſub omni parte quantitatis eſt. f.438.§.6

Cibi.

Ciborum temperies multum iuuat ad longiorem valetudinem. f.406.§.140

Cognitio.

Cognitio boni & mali an requiratur ad libertatem. f.662.§.162

Cognitio poſſitne ab intellectu ſeparari. fol.551. §.134.ſub finem.

Cognitio eſt plus quàm conditio. f.636.§.52

Cognitio animæ ſeparatæ. f.690.§.21.& ſeqq.

Cognitio abſtractiua eſt cognitio eſſentiæ abſtractæ ab exiſtentia, vel, eſt cognitio rei in alio. f.598.§.14

quomodo diuidatur. §.15

Cognitio abſtractiua & intuitiua non opponuntur. f.598.§.16

Cognitio anticipata qua Deus res in ſe cognoſcit non in illis,cur ita dicatur. f.598.§.19

omnis Cognitio indicabilis eſt verbum. fol.557. §.181

Cognitio per ſpeciem non differt à cognitione per eſſentiam obiecti in ratione termini.f.556.§.174

Cognitio intellectiua de obiecto materiali vnito ipſi animo non eſt corporea, quamuis eſſentialiter pendeat à termino corporeo. f.491.§.75

quæuis Cognitio quidditatis non eſt quidditatiua. f.599.§.23

Cognitio comprehenſiua quid ſit, f.600.§.34

omnis Cognitio creata poteſt conſtitui aut in lapide aut in alieno ſubiecto.f.550.§.123.& ſeqq.

Cognitio quæ immediatè fertur in obiectum per propriam ſpeciem, vt exiſtens, eſt intuitiua. f.596.§.4

Cognitio futurorum ſitne intuitiua. f.597.§.11

Cognitio in ſingulari perfectior eſt cognitione vniuerſali(ſi cætera ſunt paria.) f.533.§.60

Cognitio non poteſt dici finalizare. f.626.§.47

Cognitio beata voluntati repræſentat obiectũm. f.555.§.168

Cognitio de obiecto ſpirituali repugnat cuiuis potentiæ materiali. f.675.§.5

an Cognitio ſit motus. f.551.§.133.134.& ſeqq.

an Cognitio reflexa de bonitate illationis requiratur ad aſſenſum concluſionis. *Lege* ſectio. V. f.564

an Cognitio pertineat ad rationem formalem finis. f.626.§.40.& ſeqq.

Cognitionis & appetitionis conuenientia & diſcrimen. f.535.§.1

Cognitionis aliqua principia ſunt adeo certa vt illis repugnet ſaltem ex natura ſua errare. f.571. §.32

ad exactiſſimam cauſæ Cognitionem non opus eſt cognoſcere actualem exiſtentiam effectus.f.601. §.43

Cognitione auſcultatiua,ſiue doctrinali,prius cognoſcimus ſubſtantiam quàm accidens, & vniuerſalia quam ſingularia. f.533.§.59

ſine vlla Cognitione creata poteſt volitio à ſolo Deo vniri voluntati. f.552.§.141

Cognitiones duæ tendentes in duo obiecta materialia ſpecie diſtincta,ſunt diſtinctæ ſpecie,etiãſi ſint ſub ratione formali. f.531.§.41

quæ Cognitiones ad quos effectus requirantur. f.636. §.53

ex varietate Cognitionum infertur varietas ſpecifica qualitatis & actionis. f.635.§.46.& 47

in ratione Cognoſcibilis an omnia conueniant. f.232.§.56

Collectio.

Collectio tota poteſt eſſe ens reale non vt exiſtat ſimul tota,ſed ſucceſſiuè. f.319.§.51

Color.

Color variè definitus. f.677.§.14

Color non videtur ſine luce. §.15

Color non poteſt producere ſpeciem. §.16

an eſſentialiter diſtinctus ſit à luce. §.17

Colores variantur ex ignis aut ſolis ardore. f.466. §.20

Comparatio.

Comparatio fieri nequit inter prius & poſterius niſi inter cauſam & effectum. f.242.§.136

Complacentia.

Complacentia ſimplex & diſplicentia de eodem obiecto ſub eadem ratione formali ita opponũtur vt nec diuinitus coniungi queant. f.630.§.8

Complacentia in obiecto ſecundum ſe & diſplicentia comparatione alterius non opponuntur. f.630.§.9

Complacentia ſimplex in obiecto poſſidendo, & actus efficax illius abiiciendi non opponuntur. f.631.§.14

Complacentia ſimplex eſt actus primus voluntatis. f.621.§.4

quinam actus ab ea oriantur.f.622.§.5.6.7.8.& 9

Complacentia ſimplex realiter diſtinguitur ab intentione. f.631.§.17

Compoſitio.

Compoſitio & compoſitum quid ſint. f.210 §.1

Compoſitio & diuiſio pertinent ad iudicium. f.559.§.9.& 16
eſſentialis Compoſitio rei ſpiritualis ex potentia paſſiua & forma ſpiritualibus, repugnat. f.484. §.18
Compoſitionem partium in *vbi* Angelico à P. Suarez admitti, miratur P. Gabriel Vazquez. f.490. §.75

Compoſitum.

Compoſitum dupliciter accipitur. f.217.§.48
Compoſitum neceſſariò mutatur, mutata materia aut forma. f.217.§.49
Compoſitum quam formam habeat, animum ne an vnionem. f.217.§.51
Compoſitum denominatur productum aut genitum per ſolam generationem vnionis. fol.292. §.46
Compoſitum non creatur. f.309.§.90
Compoſitum in ratione compoſiti creari non poteſt. f.215.§.36
quid de potentia abſoluta. f.216.§.45
Compoſitum ne ratione quidem diſtinguitur à partibus vnitis. f.212.§.16
an Compoſitum habeat aliquid præter materiam, formam & vnionem. f.213.§.19.& ſeqq.
Compoſitum perire quo pacto dixerit Ariſtoteles. f.217.§.50
an in totum Compoſitum recipiatur quantitas. f.217.§.52
in Compoſito corrupto an maneat aliquod ſenſibile ex præcedentibus. ibid.
cur non ſit Compoſitum natura completa, vt eſt ſubſtantia completa. f.222.§.7
Compoſiti materialis ſubſiſtentia. *Lege* ſect. VII. f.177.& ſeqq.
an in Compoſito ſint duæ vniones ſubſtantiales. *Lege* ſect. VII. à f.205. ad 210
Compoſita dicũt eſſentialiter ſubiectum, formam, & vnionem. f.550.§.126
Compoſita ſublunaria quomodo diſtinguantur eſſentialiter, cum omnium materia ſit eiuſdem ſpeciei. f.173.§.50

Comprehenſio.

Comprehenſio actualis & habitualis. f.602.§.50. & ſeqq.
Comprehenſio non repugnat cum incomprehenſione. f.601.§.46
Comprehenſio eſt diſtincta cognitio omnium quę formaliter & eminenter in obiecto continentur. f.600.§.34
Comprehenſionis variæ acceptiones. f.600.§.35
an ad veram Comprehenſionem requiratur exacta cognitio omnium effectuum in particulari, an verò ſufficiat cognitio effectuum in ſpecie. f.601.§.37.& ſeqq.
Comprehenſione rei cognoſcitur exiſtentia effectuum neceſſariorum, ſi res ſit exiſtens. f.601. §.45

Conceptio.

Conceptio celerius & perfectius fit ſi fœmina ſimul ab vtroque parente fundantur. f.421.§.81

Conceptus.

Conceptus quidditatiuus eſt primus propriúſque conceptus rei. f.223.§.20
Conceptus cauſæ eſt ad aliud. §.269.§.159
Conceptus rei corporeæ non ſumitur per dependentiam à quantitate. f.486.§.38
Conceptus rei corporeæ non explicatur adæquatè per dependentiam à materia prima. f.487.§.39
Conceptus adæquatus rei corporeæ non eſt impenetrabilitas naturalis. f.487.§.41
Conceptus de animali à conceptu de rationali in quo differat. f.230.§.39
Conceptus eſſentialis cauſę in quo conſiſtat. f.226. §.17.& ſeqq.

Concluſio.

Concluſio non poteſt eſſe perfectior vtraque præmiſſa. f.567.§.63
Concluſio ſemel deducta ex præmiſſis eſſentialiter ab illis pendet. f.566.§.56
Concluſionis obiecto poteſt intellectus aſſentiri ſine actualibus præmiſſis, ſed non per actum concluſionis. f.566.§.57
Concluſionis cauſa ſintne præmiſſæ. fol. 566. §.58
ad aſſenſum Concluſionis non requiritur cognitio reflexa. f.564.§.43
Concluſione perfectior eſt vtraque præmiſſa. f.567.§.63
ad Concluſionem quoad ſpeciem actus neceſſitatur intellectus, poſitis præmiſſis in modo & figura & cognita illarum diſpoſitione. f.562.§.30
Concluſiones diuerſorum obiectorum ex diuerſa ratione formali differunt ſpecie. f.532.§.49

Concupiſcentia.

Concupiſcentia inſatiabilis. f.418.§.60.& 61

Concurſus.

Concurſum actiuum animi in actus intellectus, qui negent. f.518.§.1.2.& ſeqq.
de Concurſu viri & fœminæ ad prolis formationem. *Lege* ſect. VI. f.420.& 421

Conditio.

Conditio pura non immutat operandi modum. f.636.§.52

Conformitas.

Conformitas conſiſtit in repræſentatione obiecti ſicuti eſt. f.578.§.36

Connotatio.

Connotatio cauſæ totalis & partialis quid ſit. f.247.§.180.& ſeqq.
Connotatio bifariam ſumitur. f.229.§.39
de Connotatis multa. f.288.à §.11.

Conſeruatio.

Conſeruatio eſt idem realiter cum prima productione. f.398.§.73

Conſuetudo.

Conſuetudo eſt altera natura. f.663.§.1

Contiguitas.

Contiguitas non eſt vnio. f.335.§.31

Continere.

Continere æquiuocè vel eminenter quid ſit. f.265. §.135

Continuitas. Continuum.

Continuitas eſt terminus nutritionis. fol. 335. §.33
Continuum eſt actu compoſitum. f.332.§.2
Continuum eſt diuiſibile in partes quas actu habet. f.332.§.3
Continuum habet partes actu diſtinctas. fol.332. §.4
Continuum eſt vnum per ſe. f.332.§.7
Continuum componitur ex punctis & partibus. f.342.§.8
Continuum poteſt diuidi in omnes partes determinatas. ibid.
Continuum ſecari poteſt actu in omnes partes determinatas, non verò proportionales. f.339.§.66
Continuum à contiguo diſtinctum. f.335.§.32
Continui vnio eſt inſectilis. f.335.§.34
Continui definitio. §.35
Continui cognitio opprimit ingenia. f.332.§.1
Continui maioris aut minoris diſcrimen oritur ex

ex diſcrimine formarum. f.333.§.9
Continui,& compoſiti eſſentialis diſcrimen. f.216. §.41
Continui partes vniuntur modo à ſe diſtincto. f.335.§.30
Continui vnio diſtincta. §.31
quælibet pars Continui petit per ſe alias.f.333.§.8
in Continuo puncta, lineas & ſuperficies in ſuo genere indiuiſibilia, & realiter diſtincta à partibus admittit opinio communior. fol. 334. §.24

Contraria.

Contraria quomodo pertineant ad eandem potentiam. f.231.§.54

Conuerſio.

Conuerſio eſt tranſitus vnius rei in alteram.f.392. §.24
Conuerſio in compoſitis merè materialibus duplex ſicut & generatio. f.392.§.26.& 28
Conuerſio ſubſtantialis eſt vera productio. f.393. §.33
ad veram Conuerſionem quid requiratur.fol.393. §.36

Cor.

Cor primùm in conceptione animalis efformari, qui cenſuerint. f.424.§.96.& ſeqq.
Cor mundum crea in me Deus explicatur. f.216.§.38

Corruptibile. Corruptio.

Corruptibile & generabile conuertuntur.fol.398. §.79
Corruptio propriè ſumpta, eſt formaliter ſuſpenſio generationis. f.399.§.81
Corruptio rerum ſublunarium quo pacto ſit neceſſaria. *Lege* ſect. X. à f.401.ad 407
Corruptio per ſe à natura non intenditur. f.399. §.85
Corruptio ſitne naturalis. f.399.§.86
Corruptionis cauſæ. f.399.§.87.& ſeqq.
Corruptis nobis,corrumpi omnia quæ ſunt in nobis,quo pacto intelligendum. f.397.§.63

Corporeum. Corpus.

Corporeum & ſpiritale quid ſit. *Lege* ſubſect. V. f.490.& 491
Corpus Mathematicum eſt quantitas. f.487.§.48
Corpus Phyſicum quid & quotuplex ſit. ibid.
Corpus ſimplex completum an poſſit diuinitus eſſe. f.487.§.49
Corpus ſubſtantiale eſt ſola materia prima. f.488. §.55
an Corpus mobile ſit obiectū Phyſicę. *Lege* Proœmium. f.163
Corpus animatum,vt aggregat omnia corpora viuentia, eſt ſubiectum adæquatum attributionis facultatis de Anima. f.473.§.1
Corpus organicum ſitne proprium viuentium. f.476.§.9.& ſeqq.
Corpus vnde diuidatur in *ſimplex* & *mixtum*. f.465.§.9
Corpus infinitum. *Vide* Infinitum.
Corpus ſimplex repugnare probabilius eſt. f.363. §.8.& ſeqq.
qui illud admittunt, an teneantur admittere illud eſſe extenſum quantitate à noſtra ſpecie diſtincta. f.364.§.16
omne Corpus cenſet eſſe continuum, id eſt, compoſitum ex partibus integrantibus, S.Thomas. f.488.§.52
Corpus duobus in locis non poteſt habere plura accidentia abſoluta quàm in vno. f.329.§.64
nec poteſt in illis habere quantitates ſecundum ſe contrarias. §.65
Corpus exiſtens duobus in locis nullibi moueri poteſt naturaliter. f.328.§.56
Corpus in duobus locis poteſt habere calorem in vno quin in alio. f.330.§.68
Corpus idem poſſe eſſe viuum in vno loco, & mortuum in alio,affirmant aliqui. f.330 §.70
poteſt habere vitam Romæ & non Pompelonæ: non tamen poteſt eſſe viuum Romæ & mortuum Pompelonæ. f.330.§.71
idem Corpus poteſt diuinitus eſſe circumſcriptiuè pluribus in locis. f.327.§.46
Corpus habere vitam corpoream & corruptibilem quomodo intelligendum. f.214.§.27
Corporis conceptum quo pacto excludat à Deo S.Thomas. f.488.§.52.& 53
Corporis perfectio quomodo ſit ex animo rationali. f.200.§.63
Corporis motus neceſſariò ſucceſſiuè à creatura etiam habente potentiam infinitè intenſam. f.317.§.39
Corpora humida putreſcunt,non ſicca. fol.405. §.129
Corpora omnia non immediatè ſoluuntur in elementa. f.465.§.11
Corpora duo penetrata moueri ſimul non poſſunt naturaliter. f.328.§.56
duo Corpora in vno loco æquè pugnant,ac vnum corpus in duobus locis. f.327.§.50
licet Corpora creata, & ea quæ ex illis oriri poſſunt, non poſſint habere calorem aut lucem intenſiorem ea quam habent ignis aut ſol: poſſunt tamen à Deo creari alia corpora, quæ habeant intenſiores iſtas qualitates. f.463.§.139

Creabile.Creari. Creatio.

Creabile & generabile æqualiter diſtant à non eſſe. f.311.§.110
Creari non ſemper ſumitur in ſcriptura philoſophico rigore. f.216.§.38
Creari poteſt multipliciter corpus infinitum. f.316.§ 32
Creari quæ res naturaliter & diuinitus poſſint. f.309.per totam ſect.V.
Creari & cognoſci non idem, ſicut non idem eſt habere creationem & cognitionem. f.306 §.66
Creatio eſt productio entis ex nihilo. fol. 179. §.101
Creatio definita explicatur. fol.297.§.1. & f.183. §.134
Creatio differt à generatione. f.297.§.1
Creatio probatur à S.Thoma. §.2
Creatio diſtinguitur à termino ſecundùm Caietanum & Ferrar. 298.§.3
Creatio non eſt relatio prædicamentalis. ibid.
Creatio non eſt relatio. §.5
Creatio non diſtinguitur ab agente & termino ſecūdum opinionem Ferrar.& aliorum.f.298.§.7
Creatio eſt actio ſolius agentis & in ſe habet negationem ſubiecti *vt quo*. f.305.§.61
Creatio non dicitur *ex nihilo* tanquam ex termino *à quo*,ſed tanquam ex ſubiecto. f.189.§.14
Creatio eſt rerum ſubſiſtentium. f.177.§.90
Creatio & volitio an dicant eundem reſpectum. f.301.§.26
Creatio & annihilatio opponuntur. f.399 §.84
Creatio tendit in ens ſimpliciter. f.166.§.11
Creatio non eſt aggregatio Dei & termini. f.306. §.64
Creatio realiter diſtinguitur à Deo & termino creato. f.306.§.67
Creatio quantitatis eſt modus ab ipſa & Deo diſtinctus. f.307.§.73

Creatio non eſt res abſoluta in quantitate. f.307. §.78
Creatio eſt ſubſiſtentia vt ſignificat independentiam à ſubiecto. ibid.
Creatio non habet ſubiectum. f.308.§.83
Creatio diſtinguitur à quantitate. f.305.§.56
Creatio quantitatis eſt accidens. f.308.§.82
Creatio eſt dependens *vt quo* à ſubiecto. fol.308. §.85
ſi Creatio inhæreret, non faceret terminum non inhærentem. f.308.§.87
Creatio nullam facit compoſitionem. fol. 312. §.117
Creatio tribuit duas denominationes. f.306.§.64
Creatio non vſurpatur propriè pro actione. f.298. §.7
Creatio eſt accidens in termino receptum. f.300. §.20
Creatio non eſt voluntas Dei. f.300.§.21
Creatio eſt realiter ſeparabilis à voluntate diuina creandi. f.300.§.22
nulla creatio eſt connaturalis agenti creato. f.312. §.117.
Creatio Angeli & animi non diſtinguitur à termino. f.304.§.51
Creationis Angelicæ à quantitatis creatione diſcrimen. f.305.§.57
Creationis & inhærentiæ comparatio. f.309.§.88
Creationem eſſe productionem rei independentis à priori ab aliqua cauſa intrinſeca tam materiali quàm formali docet P. Vazquez. fol.183. §.134
Creationem eſſe volitionem non eſt opus, ſed eſſe terminum. f.302.§.34
ad Creationem aſſumi poteſt inſtrumentum de potentia abſoluta. f.312.§.118
an Creatione produci poſſit compoſitum. f.215. §.36
à Creatione ſeparatur quantitas. f.299.§.11
Creationibus diuerſis idem Angelus à Deo pendere poteſt. f.299.§.13

Creatura.

Creatura non poteſt eſſe infinita per eſſentiam. f.314.§.18
Creatura ex ſuo conceptu eſt finita in eſſentia. f.320.§.61
an Creatura poſſit creare. *Lege* ſect. VII. f.311
omnis Creatura producta fuit in tempore. f.355. §.10.11.& 12
omnis Creatura excedit infinitas & ab infinitis exceditur. f.315.§.21
Creatura eleuari ad productionem ſui non poteſt per ſecundam actionem inſtrumentalem. f.268. §.154
Creatura permanens potuit eſſe ab æterno. f.352. §.1
Creatura non eſt immenſa quia eſt in ſpatio imaginario finita. f.324.§.22
an Creatura poſſit eſſe abſque aliqua dependentia. f.299.§.10
Creaturæ ob ſuam imperfectionem multis indigent. f.455.§.80
Vide Agens. Cauſa.

D

Dæmon.

DÆmon incubus excluditur à ratione generantis. f.390.§.12
Dæmones plenilunio magis vexant arreptitios & qui ſe lunæ exponunt. f.375.§.65
Dæmones ſuccubi ſimulatis amplexibus deluſere nonnullos adoleſcentes. f.392.§.22
ex congreſſu Dæmonum ortum Merlinum, Nigromantium, Anglorum nonnulli opinati ſunt, vt refert Abulenſis. f.392.§.23

Decretio.

Decretio eſt motus à maiori ad minorem quantitatem. f.437.§.54

Defectus.

Defectus cauſarum particularium quo pacto ſuppleatur pluribus in caſibus. f.254.§.42
Defectum voluntatis an antecedat in intellectu defectus. f.638.§.65.& ſeqq.

Delyrium.

Delyrium vnde oriatur. f.621.§.85

Denominatio.

Denominatio duplex. f.169.§.16

Denſum.

Denſum definiit Ariſtoteles quod ſub paruis dimenſionibus multum habet materiæ. f.437.§.1

Dentes.

Dentes hominis verè informantur animo rationali. f.481.§.47

Deſitio.

Deſitio extrinſeca per primum non eſſe. fol. 351. §.153

Determinatio.

Determinatio indiuiduationis. *Lege* ſect.IV.f.283. 284.285.& 286

Dependere. Dependentia.

Dependere eſſentialiter, & per eſſentiam quid ſit. f.300.§.17
Dependentia immediata non tollitur actione. f.300.§.16
Dependentia à poſteriori quæ dicatur. fol. 182. §.132
Dependentia à priori. ibid.
Dependentia cauſarum mutua an detur. fol. 240. §.128
Dependentia à materia duplex. f.188.§.8
Dependentia cauſarũ ſitne mutua. *Lege* ſect. VIII. f.244.& 245
Negatio dependentiæ à ſubiecto oritur ex perfecto modo exiſtendi. f.304.§.46
per Dependentiam vel independentiam à ſubiecto ſubſtantia & accidens non diſtinguuntur. f.308. §.81
Dependentias duas habet modus. f.310.§.96

Deus.

Deus eſt infinitè participabilis. f.315.§.22
Deus in æternitate videt infinita actu exiſtentia. f.320.§.57
Deus cognoſcendo ſe intuitiuè, & cum repugnantia ſpeciei impreſſæ producit verbum. fol.556. §.173
Deus per verbum an immediatè videatur. fol.557. §.178
Deus videtur perfectius ab eo, qui intenſiorem habet beatitudinem. f.461.§.118
Deus talis eſt in ſe qualis repræſentatur per intuitionem ſui. f.555.§.169
Deus efformat propoſitiones veras. f.560.§.15
Deus non cognoſcit numerum determinatum ſed infinita. f.314.§.14
Deus non cognoſcit infinitum ſyncathegorematicè ſed cathegorematicè. f.314.§.16
Deus nihil de nouo cognoſcit. ibid.
Deus cognoſcit infinitas rerum ſpecies. fol.314. §.17
Deus non comprehenditur viſione infinitè intenſa. f.317.§.40

vnde Deus dicatur omnium rerum perfectiſſimus. f.364.§.15
Deus eſt in ſpatiis imaginariis. f.323.§.21
Deus eſſet loco mutabilis niſi eſſet in ſpatio imaginario. f.320.§.21
Deus rebus adeſt triplici ratione. ibid.
Deus ſibi complacet magis in homine iuſto intensè,quàm in ipſo remiſsè iuſto. f.448.§.34
Deus noſtra bona opera donat præmio cumulatiori,quàm ipſis condignè debeatur. fol. 456. §.88
Deus non poteſt comprehendi à creatura. f. 602. §.53
Deus non poteſt comprehendi à Beatis etiam habitualiter. §.54
Deus operatur propter finem. f.623.§.21
Deus iudicat de obiectis, non tamen illa componit. f.559.§.9
Deus non poteſt diuidi. f.490.§.75
Deus caret compoſitione integrali & eſt ſimplex. f.488.§.53
Deus non habet memoriam propriè. fol. 535. §.73
Deus eſt ab æterno volens & cognoſcens. f. 301. §.25
Deus nec per accidens moueri poteſt. fol.324. §.25
Deus ſucceſſiuè mundum produxit ſex diebus naturalibus. f.377.§.12
Deus ex aliis rebus non perficitur. f.455.§.80
Deus immediato concurſu actiuo attingit omnia entia creata. f.277.§.9
Deus & creatura vnica indiuiſibili actione concurrunt ad effectum. f.282.§.50
Deus creat, & Angelus creatur eadem ratione & non diuerſa. f.306.§.64
Deus non eſt corpus. f.488.§.52.& 53
an Deus poſſit dici operans per exemplar. f. 609. §.33
an Deus videat Petrum exiſtentem actu practico. f.610.§.38
an Deus habeat ſpeciem impreſſam. f.612.§.23.& ſeqq.
de concurſu Dei ad actū peccati. *Lege* ſubſect.III. f.280
Deo ſunt præſentes omnes euentus, & quomodo. f.589.§.115
Deum habere ſcientiam ſimul practicam & ſpeculatiuam,an verum. f.608.§.20
Deum eſſe velut Beatorum verbum, an verum. f.558.§.189
Deum eſſe cauſam adęquatam omnium effectuum, quia continet eos eminenter, an verum. f.255. §.52
Deum nobiſcum eſſe præſentem probantia quædam Scripturæ loca explicantur.f.259.à §.86.ad 90.incluſiuè.
negare Deum poſſe cum creatura efficere creatos effectus,eſt temerarium. f.279.§.32
poſſe Deum cum creaturis concurrere ad earum effectus, & poſſe arbitratu ſuo non concurrere, an verum. f.279.§.33
in Deo continentur infinita indiuidua cognita diſtinctè. f.313.§.10
Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Diameter.

Diameter diuidit circulum in duas partes æquales. f.347.§.123

Diaphanum.

Diaphanum eſt corpus ſecundum ſe totum luce perfuſum. f.677.§.12

Dicere.

Dicere intra ſe & cogitare idem ſunt. f.541.§.52

Dies.

Dies pro tempore. f.378.§.20
Diei duplex vſurpatio. f.380.§.36

Diminutio.

Diminutio eſt à maiori ad minorem ſubſtantiam. f.428.§.1
Diminutio & nutritio fiunt circa omnes partes viuentis. f.436.§.50

Diſcurſus.

Diſcurſus quid ſit. f.561.§.21
habet terminos *à quo* & *ad quem.* ibid.
in eo reperiuntur actus realiter diſtincti. ibid.
Diſcurſus eſt motus naturalis. f.224.§.24
Diſcurſus vel ſyllogiſmus,ſecundùm Ariſtot.eſt in quo quibuſdam poſitis aliud ſequi neceſſe eſt. f.561.§.22
hæc definitio explicatur. ibid.& §.23
Diſcurſus oritur in nobis ex imperfectione ſpecierum impreſſarum. f.561.& 562.§.24

Diſpoſitio.

Diſpoſitio vltima exiſtens in materia habet naturalem connexionem cum forma. f.410.§.18
Diſpoſitio debet eſſe in eodem ſubiecto quod diſponit ad formam, & in quo eſt ipſa forma. f.220.§.77

Diſſimilitudo.

Diſſimilitudo agentis à paſſo. f.262.§.109
Diſſimilitudo eſt eorum quorum ſubſtantiæ ſunt plures. f.503.§.183
Diſſimilitudo conſiſtit in eo quod duæ res non habeant prædicatum idem, ſed diuerſa non gaudentia eodem conceptu communi, ſiue vt alterum non ſit tale. f.503.§.184
Diſſimilitudine non negatur ſimilitudo eiuſdem rei. f.503.§.191
Diſſimilitudo & ſimilitudo quomodo diſtinguantur. f.504.§.192
Diſſimilitudo intentionalis pendet eſſentialiter à termino oppoſito contradictoriè eius quod repræſentat. f.580.§.56

Diſtans. Diſtantia.

in Diſtans agere ſine medio. *Vide* Agens creatum.
Diſtantia ſumitur ex vna vbicatione ad alias.f.324. §.28

Diſtinctio.

Diſtinctio agentis à paſſo. f.261.§.104
Diſtinctio realis quotuplex. f.192.§.3
Vide Indicem Metaphyſicum.

Diuiſio.

Diuiſio & contrarietas ſunt rerum creatarum affectiones. f.596.§.160

Dubium.

Dubium & hæſitatio eſt actus intellectus iudicans neutram partem contradictionis ſatis euidenter,& neutri eſſe aſſentiendum. f.605.§.78

Duratio.

Duratio motus extrinſeca poteſt eſſe maior aut minor. f.350.§.148
Vide Indicem Metaphyſicum.

E

Ebrij.

Ebrij cur aut omnino non vident, aut aliquando ſibi videntur omnia videre circumuolui. f.676.§.11

Eductio.

Eductio actiua & paſſiua quid ſint. fol. 302. §.33

Efficere. Effectus.
Efficere eſt communicare eſſe quod habet cauſa. f.253.§.32
Effectus cauſæ formalis poteſt eſſe duplex. fol.400. §.90
Effectus formalis eſt idem, niſi forma aut ſubiectum ſint diuerſa. f.301.§.23
Effectus formalis non prouenit à ſola forma; & qui prouenit ab illa ſola, non poteſt ab illa ſeparari. f.550.§.125
Effectus formalis quem ſubiectum habet ab vna forma, non præſtatur alij formæ eiuſdem ſubiecti. f.325.§.37
Effectus & cauſa ſe mutuo reſpiciunt. fol. 235. §.84
Effectus ſupernaturalis dependet interdum ex ſe à naturali cauſa cum vero ad illum ordine. fol. 235.§.84
Effectus formalitas duo dicit. f.257.§.67
Effectus formalis intellectionis à Deo productæ. f.548.§.109.& ſeqq.
Effectum aliquem oriri à cauſis infinitis per ſe ordinatis repugnat. f.357.§.11.& 12
ad Effectum formalem quid exigatur. fol. 302. §. 29
Effectus ſupernaturales eſſe poſſunt quin ſint vitales. f.257.§.68
Effectus finis qui dicantur. f.624.§.23.& 25
Effectuum actualis exiſtentia an requiratur ad cognitionem exactiſſimam cauſæ. f.601.§.43

Elementum.
Elementum pro primis cuiuſque rei principiis accipitur. f.464.§.1
Elementum dupliciter ab Ariſtotele definitum, ibidem.& §.2
an Elementum quodlibet ex quouis gignatur elemento. f.472.§.51
cuiuis Elemento ineſt qualitas vna in ſummo. fol. 467.§.26
Elementa præter qualitates in gradu ſummo habent alias prope ſummas. f.469.§.35
Elementa ſymbola & diſſymbola cur ita dicantur. f.468.§.26
Elementa ſymbola facilius ſe mutuo tranſmutant quàm aſſymbola. f.472.§.51
Elementa in congreſſu nec vincuntur, nec vincunt. f.465.§.9
Elementa ſunt naturâ ſuâ rotunda & ſphærica. fol. 384.§.63
an Elementa in propria regione leuitent aut grauitent. f.384.§.64
Elementa carere forma ſubſtantiali, tantúmque gaudere accidentibus opinati ſunt nonnulli.fol. 464 §.3
Elementa quatuor eſſe, probatur. f.464 §.4
an Elementa maneant formaliter in mixto. f.464. à §. 5.ad 17. incluſiuè.
Elementa cur dicantur ſimplicia. f.465.§.9
an Elementa ſymbola potiantur binis qualitatibus ſummis. f.469.§.38.& ſeqq.
an Elementorum qualitates ſymbolicæ inter ſe & à qualitatibus mixti differant ſpecie. *Lege* ſect. VI. f.470.& 471
Elementorum formæ non manent formaliter in mixto. f.191.§.34
Elementorum ſitus, figura, grauitas & leuitas. *Lege* ſect. V. f.383

Embrio.
ex Embrione fiatne homo? f.426.§.102. & ſeqq.

Eminenter.
Eminenter continere quid ſit. f.265.§.135

Ens.
Ens mobile ſitne obiectum Phyſicæ. *Lege* procemium. f.165
Ens ſimpliciter imperfectius alio, eſt illo perfectius ſecundum quid. f.183.§.135
Ens incompletum petit ex natura ſua complementum. f.228.§.28
omne Ens intrinſecè ſpectans ad compoſitionem integrantem ſubſtantiæ aut quantitatis, eſt intrinſecè corporeum. f.490.§.67
omne Ens pendens à materia ſubiectiuè proximè, aut remotè, eſt materiale. f.990.§.69
omne Ens quod adæquatè eſt modus rei corporeæ eſt corporeum. f.490.§.71
Ens ſucceſſiuum an potuerit eſſe ab æterno? *Lege* diſput. XVIII. f.356
ratio Entis vt ſic non creatur. f.311.§.108
Entia nonnulla eſſentialem habent ordinem tranſcendentalem ad alia. f.204.§.93
Entia omnia particularia an ſint terminus omnipotentiæ. fol.232.§.59
ex duobus Entibus completis non fit vnum per ſe eſſentiale, ſecus integrale. fol.333.§.8
Vide Indices Logicum & Metaphyſ.

Equa.
Equa nobilior eſt mulo. f.421.§.75

Errones.
Errones cur ita dicti. f.370.§.22
Errones quo pacto per cœlum moueantur. f. 369. §.18
Errones quos effectus cauſent. f.366.§.36

Eſſe. Eſſentia.
an *Eſſe* prius ſit quàm operari. f.251.§.16
Eſſentia metaphyſicè & phyſicè ſumpta quid ſit. f. 173.§.54
Eſſentia & prima paſſio poſſunt abiungi. f.299.§.9
Eſſentia, ſubſtantia, & natura rei ſunt idem. fol. 188.§.4
an Eſſentia in actu primo ſufficienti ad agendum agat. f.252.§.24
Eſſentiam eſſe indiuiſibilem, aliud eſt, aliud conſiſtere in indiuiſibili. f.449.§.39
Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

Eua.
an Eua filia ſit Adæ. f.387.§.98
Euæ productio non fuit generatio ab Adamo. fol. 390.§.10.& f.391.§.18

Euchariſtia.
de mutatione accidentium in Euchariſtia, animaduerſio. f.208.§.133

Euidentia.
Euidentia nec realiter, nec ex natura rei diſtinguitur ab actu. f.567.§.3
Euidentia eſt differentia eſſentialis actus euidentis, & obſcuritas obſcuri. f.568.§.6
Euidentia vnde oritur? f.568.§.8
Euidentia eſt quaſi ſpecies certitudinis. f.572.§.42
Euidentia vnius actus poteſt eſſe maior aliâ. fol. 572.§.45
Euidentia phyſica eſt cognitio euidens ex phyſicis principiis. f.569.§.16
an ei poſſit ſubeſſe falſitas. § 17.& ſeqq.
Euidentia metaphyſica dicitur quando obiectum tam clarè conſpicitur, vt omnino repugnet aliter fieri. f.570 §.22
Euidentia in atteſtante ad quam ſpeciem reducitur? f.570.§.23
Euidentia, qua credo eſſe Romam, ob teſtimonium tot hominum id atteſtantium, qualis. fol.570. §.24
Euidentia moralis eſt quando in genere moris

iuxta regulas prudentiæ non poteſt quis obiecto non adſentiri. f.569.§.14
Euidentiæ morali ex ſuo genere poteſt ſubeſſe falſum. f.569.§.15

Eunuchi.

Eunuchi ſunt ardentiſſimi veneris amatores. fol. 417.§.55

Excellentia.

Excellentia quæcunque poteſt vocari eminentia. fol.265.§.135

Exiſtens. Exiſtentia.

Exiſtens vt exiſtens eſt ſingulare. f.232.§.61
Exiſtentia quo pacto requiratur ad cauſam. f.238. §.105
Exiſtentia ſingularis ſitne conditio vt exerceatur exiſtentia communis. f.235.§.81
an Exiſtentia formæ vniatur materiæ immediatè. f.176.§.83
Exiſtentia quid ſit. f.173.§.54. an differat ab eſſentia. *Lege* ſectionem.
Exiſtentia materiæ an pendeat ab exiſtentia formæ, & contrà. ibidem.
Vide Indicem Metaphyſicum.

Exemplar.

Exemplar eſt neceſſarium agentibus imperfectis. f.609 §.31
in operante per Exemplar quatuor reperiuntur. fol. 609.§.30

Experientia.

Experientia eſt Philoſophiæ mater. f.395.§.52

Extenſio.

Extenſio eſt qualitatis affectio, & fit quando qualitas extenditur per ſubiectum. f.444.§.2
Extenſio virtualis rei materiali repugnat. fol.343. §.98
Extenſionis & intenſionis termini explicantur. fol. 462. §.137. & ſeqq.
Extenſionem maiorem non faciunt puncta infinita. f.343.§.93
ſine Extenſione virtuali concipitur ſpatium imaginarium. f.344.§.99
Vide Quantitas.

Extremum.

Extremum vtrumque eſt ſubiectum receptiuum vnionis. f.200.§.60

F

Falſitas.

FAlſitas incomplexa reperitur in apprehenſione totius compoſitionis. f.574.§.8
nulla Falſitas eſſe poteſt in apprehenſione ſubiecti vel prædicati ſolius. f.574.§.6
an Falſitas ſubeſſe poſſit euidentiæ morali, phyſicæ & metaphyſicæ. *Lege* ſect. III. f.569
Vide Indicem Metaphyſicum.

Fides.

an Fides poſſit eſſe ſimul cum ſcientia. *Lege* ſect. V. f.603. & 604
Fides humana eſt aſſenſus aut diſſenſus alicuius rei ob teſtimonium humanum: eſt quædam ſpecies opinionis. f.605.§.77
Fides habitualis & lumen gloriæ quomodo repugnent. f.604.§.73
Fidei & ſcientiæ habitus non ſunt oppoſiti. f.604. §.72
Fidei actus ſecundum ſe conſideratus eſt certior, redditque intellectum certiorem quàm quoduis principium naturale. fol.573.§.54
Fidei noſtræ myſteriis tenentur omnes homines aſſentiri. f.569.§.14

Figura.

Figura & ſitus mutantur cum *vbi* mutatur. f. 327. §. 45.
Figura vulgo dicitur non mutari. ibidem.
Figura non diſtinguitur ab vbicatione circumſcripta. f.326.§.44

Filius.

Filius oritur à patre vt à principio coniuncto. fol. f.423.§.90

Finis.

Finis quid & quotuplex ſit. f.622.§.10.& ſeqq.
Finis non poteſt mouere voluntatem niſi vt cognitus. f.626.§.40.& ſeqq.
Finis finalizat terminando. f.626.§.47
Finis voluntate ceſſante an ceſſet amor mediorum. f.625.§.29
an Finis ſit realis & quæ eius cauſalitas. fol. 625. §.30.& ſeqq.
Finis non eſt cauſa ſecundum ſe, ſed vt apprehenſus. f.240.§.131
Finis *cui* per ſe primò amatur, & ratione eius amatur finis *qui*. f.622.§.14
Finis *qui* nonnunquam habet *qui* & *quo*. fol.623. §.16
propter Finem operari quid ſit. f.623.§.17
Finis effectus qui ſint. *Lege* ſect. IV. f.623.& 624
Finis intentio & electio mediorum an diſtinguantur. f.631.§.16.& ſeqq.
Finem aliquem intendere non poteſt homo prudens ſine ſcientia media, qua cognoſcat finem illum obtineri poſſe ſi hoc aut illud medium adhibeatur. f.637.§.55
an duo Fines adæquati poſſint ſimul concurrere ad eundem effectum. f.627.§.48.& ſeqq.
Vide Cauſa.

Firmamentum.

Firmamentum dupliciter ſumitur in ſcriptura. fol. 381.§.47
Firmamentum an ſecunda die factum, & quid ſit. f.380. à §.39.ad 45.incluſiuè.
Frmamentum viſibile factum fuiſſe à Deo vt occultaret cœlum empyreum, Simoni mago dixit S.Petrus. f.375.§.63

Flumina.

an Flumina formaliter exeant è mari. f.386.§.85. & 86

Fœmina.

Fœmina ſola concurrit actiuè immediatè ad generationem actualem filij. f.420.§.72
à Fœmina procedunt viuentia perfecta. f.254.§.47
Fœminam concepiſſe attracto ſemine ex aqua balnei in quam diffuſum fuerat à viro, prodidit Auerroes. f.392.§.23
Fœminæ ſemen emittunt. f.416.§.49.& ſeqq.
Fœminæ humidiores maribus. f.418.§.60
Fœminæ cur magis libidinoſæ quàm mares? fol. 416.§.52
an Fœminæ cum ſentiunt ſe non ſeminaſſe in coitu maritali, teneantur ſe prouocare ad ſeminandum extra coitum. f.421.§.84

Fœtus.

Fœtus formatio atque geſtatio. *Lege* ſect. IX. fol. 427

Forma.

Forma informatione perficitur. f.199.§.54.& 55
Forma indiuiſibilis ſua intrinſeca eſſentia eſt determinatus ordo ad oculos, carnem, oſſa, &c. f.497.§.158
Forma ſubſtantialis vna in vna parte materiæ. fol. 191.§.37
Forma ſubſtantialis vegetatiua, ſenſitiua, & rationalis

nalis, ſunt viuentes in actu primo. f.517.§.71
Forma ſubſtantialis quomodo incipiat & deſinat. f.350.§.149
Forma eſt comes indiuiduus ſubiecti. f.329.§.67
an Forma ſit magis natura quàm materia. fol.223. §.15
Forma quando coniungatur perfectibili. fol.408. §.3
Forma materialis non poteſt ex natura ſua cohærere & exiſtere ſine materia. f.190.§.26
Forma compoſiti quæ ſit. f.217.§.51
an Forma per informationem ſit in materia tanquam actus in potentia. f.205.§.104
omnis Forma abſoluta poteſt diuinitus creari. fol. 309.§.91
nulla Forma diſtincta à rationali creatur. fol.309. §.89
Forma eſt indifferens ex ſe ad hanc numero materiam & illam: determinatur autem actionibus diuerſis. f.304.§.53
Forma accidentalis eſt, qua ablata, res non auffertur, nec poſita ponitur. f.188.§.1
an Forma poſſit dici *purus actus phyſicus* ſicut materia dicitur *pura potentia.* f.170.§.29
an Forma corrupta ſit naturaliter impoſſibilis. fol. 170.§.35.& ſeqq.
Formæ definitio ex P. Suares. f.190.§.21
Formæ inductio eſt cauſa expellendi contrariam. f.351.§.152
Formæ ſubſtantialis & habitus diſcrimen. f.517. §.79
Formæ & materiæ intrinſeca perfectio eſt vnio. f.200.§.59
Formæ rationalis vnio ex natura rei diſtinguitur ab actione qua producitur: non autem vnio formæ materialis. f.197.§.34.& 35
Formam ſubſtantialem eſſe eiuſdem rationis & omnino ſimilem in omnibus partibus, ſicut forma ignis eſt eiuſdem rationis in qualibet parte, plurium Thomiſtarum eſt ſententia. f.495.§.113
inter Formam ſupernaturalem & naturalem poteſt eſſe connaturalis oppoſitio. f.329.§.60
Formæ omnes (rationali exceptâ) ſunt verè & propriè generatæ, & eductæ de potentia materiæ. f.189.§.15
Formæ ſubſtantiales an ſint. f.188.§.5
an Formæ ſubſtantiales ſint in materia ante earum generationem. f.189.§.10
Formæ diſſimiles præſtant abſimiles effectus formales mutuo compoſſibiles. f.455.§.82
Formæ partiales an differant ſpecie. f.500.§.166
Formæ duæ ſubſtantiales non ſubordinatæ an de potentia abſoluta poſſint eſſe ſimul in eadem materia. f.191.§.39
Formæ elementorum an maneant formaliter in mixto. f.191.§.34
Formæ imperfectorum animantium ſunt diuiſibiles. f.494.§.106
Formæ perfectorum viuentium, ſi diuidantur, cur non conſeruantur, ſicut forma brutorum imperfectorum? f.494.§.107.& ſeqq.
Formas cœleſtes & animum rationalem eſſe natura ſua mortis expertes, ſed diuerſimodè, oſtendit Phyſicus. f.474.§.7

Formalitates.

Formalitatum attributio. *Lege* ſubſect. III. f.256

Formica.

Formicæ materia non differt ſpecie à materia cameli, &c. f.173.§.49

Formido.

Formido eſt actus reflexus per quem iudicamus opinionem, cui aſſentimur, poſſe falſam. f.604. §.79

Frigidum.

Frigidum eſt quod congregat ea quæ ſunt diuerſi generis. f.467.§.23

Fundamentum.

Fundamentum ad poſitiuum exercetur actu poſitiuo: ſecus ad negatiuum. f.304.§.52

Futurum.

Futurum eſt, ex mente Auguſt. & re ipſa, exiſtentia rei in inſtanti ſequenti connotando carentiam ſui in inſtanti præſenti. f.585.§.88
multa de Futuro. *Lege* ſect. VI. cum ſubſectionibus. ibidem.
Futura abſoluta & conditi onata quæ dicantur. fol. 593.§.143.& ſeqq.
an Futurorum cognitio ſit intuitiua. f.597.§.11
Futurorum coëxiſtentia in æternitate impugnatur. f.589.§.113.& ſeqq.
Vide Tempus.

G

Galaxia.

GAlaxia ſiue circulus lacteus conſpicitur propter infinitudinem ſtellarum. f.370.§.25

Generabile. Generari.

Generabile à non eſſe tantum diſtat, quantum creabile. f.311.§.110
Generabile & corruptibile conuertuntur. f.398. §.79
an Generari diuinitus poſſit res quæ naturaliter eſt terminus creationis. *Lege* ſect. VI. f.310

Generatio.

Generatio ſubſtantialis variè definitur. f.389.§.1. & ſeqq.
Generatio viuentium explicatur. *Lege* ſect. II. fol. 390.& 391
Generatio per reſurrectionem ſitne vera generatio. f.392.§.21
an Generatio fieri poſſit à dæmonibus ſiue incubis ſiue ſuccubis. f.392.§ 22
Generatio quo differat à creatione. f.389.§.2
Generatio Chriſti vniuocè fuit generatio etiam in ratione generationis viuentium. f.391.§.19
Generatio non poteſt diuinitus creari, modus poteſt. f.309.§.92
Generatio vnius & corruptio alterius quo pacto ſe habeant. f.400.§ 92.& ſeqq.
Generatio non poteſt eſſe etiam diuinitus ſine termino actuali. f.401.§ 97
an Generatio ſit eductio formæ dependentis à materia per generationem, vel per vnionem. f.198. §.49
Generatio equi an terminetur ad formam equi. f.197.§.43
Generatio eſt motus diſtinctus ab alternatione. f.397.§.68
Generatio formaliter ab Ariſtotele definita, eſt actio per quam forma vnitur materiæ. fol.398. §.74
an Generatio compoſiti ſit mutatio inſtantanea, an verò motus ſucceſſiuus. f.398.§.75.& 76
an Generatio ſit conuerſio. *Lege* ſect. IV. fol.392. & 393
an Generatio fiat quin maneat vllum accidens compoſiti corrupti. f.393.§.37
Generationis cauſæ & ordo. *Lege* diſp. II. fol.407. 408. & ſeqq.
Generationis definitio, *origo viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ*, explicatur. f.502.§.178

in Genera

in Generationem actualem filij ſola fœmina concurrit actiuè immediatè. f.420.§.72
Generationes analogæ & ahomalæ quæ vocentur. f.391.§.18
an Generationes potuerint eſſe ab æterno. f. 356. §.1.2.& ſeqq.
Vide Indices Logicum & Metaph.

Genus.

Genere differre quid ſit. f.507.§.2.15

Geſtatio.

Geſtatio fœtus atque formatio, *vide* Fœtus.

Gloria.

Gloriæ lumen & Fides habitualis repugnant ex natura rei. f.604.§.73

Gradus.

Gradus intenſione additi ſunt abſimiles prioribus. f.457 §.28
Gradus qualitatis ſintne inter ſe ſimiles. *Lege* ſect. VI. f.453.& ſeqq.

Gratia.

Gratia qua ratione poſſit phyſicè ſacramento produci. f.352.§.161
Gratia non augetur phyſicè per bona opera, ſed moraliter. f.456.§.88
Gratia, habitus & actus ſupernaturales Chriſti ſunt infinitè intenſi. f.320.§.62

Grauia. Grauitas.

Grauia & leuia perficiuntur per motum. fol.373. §. 49
Grauitas quid ſit. f.383.§.58. cur vocetur ſumma. ibidem.
Grauitas ſimpliciter, appellatur ab Ariſtotele ſecundum quid. f.383 §.61

Guſtus.

Guſtus eſt ſenſus, ſolos percipiens ſapores. f. 680. §.35. plura de guſtu, ibidem.

H

Habere.

Habere reſultat ex motu locali veſtis. fol.297. §.81

Habitus.

Habitus quid ſit. f.663.§.1
Habitus eſt permanens. ibidem.
Habitus facilitat potentiam ad opus. ibidem.
Habitus præſupponit totam virtutem in potentia. ibidem.
Habitus quo differt ab habitu ſupernaturali per ſe infuſo. f. 663. §.1
Habitus omnis vocatur ab Ariſt. *diſpoſitio*.f.664.§.2
Habitus per ſe infuſus non facilitat potentiam ad operandum. f.673.§.70
Habitus per ſe infuſus eſt ſimplex qualitas.fol.673. §.73
Habitus ſupernaturalis non eſt vitalis in actu primo. f.518.§.82
Habitus naturalis non concurrit effectiuè ad ſuos actus. f.256.§.61
an Habitus efficienter concurrat ad actum. f. 671. §.57.58.& ſeqq.
Habitus ſcientificus non eſt vna ſimplex qualitas circa omnes concluſiones eiuſdem ſcientiæ. fol. 666.§.20
Habitus augmentum reale non poteſt intelligi, quin ei addatur aliquid reale diſtinctum realiter ab habitu præcedenti. f.666.§.22
quod Habitus acquirit per augmentum vel extenſionem non vnitur illi continuatiua vnione.fol. 667.§ 24
Habitus augmentum eſſe modum qui vnitur habitui præexiſtenti, cenſet P.Vazquez. f.667.§.27
Habitus tot ſunt quot actus. f.667.§.32
Habitus quomodo producantur aut corrumpantur. f.669.§.45.46.& ſeqq.
Habitus augentur realiter. f.666.§.19
Habitus cur poſſunt eſſe multi ſimul. f.329.§.61
Habitus etiam naturales poſſunt ſimul eſſe, & ſupernaturales interdum non poſſunt. f.329 §.61
Habitus actiui & factiui qui dicantur. f.672.§.63
Habitus naturales non ſunt vitales in actu primo. f.517.§.78
Habitus ſcientiæ & fidei non ſunt oppoſiti. f.604. §.72
Habitus erronei non manent in beatis:nec probabiles. f.690.§.28
Habituum munus quodnam ſit. f.672. §.62.& 63
Habituum naturalium & ſupernaturalium collatio & diſcrimen. f.672.§.65.66.& ſeqq.
Habituum cauſæ quæ ſint. f.671.§.52.53.& ſeqq.
Habituum capax non eſt intellectus. f.664.§.3 ſed voluntas. f.665.§.10
Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

Hæreſis.

Hæreſis eſt aſſerere Deum initio condidiſſe creaturas, eiſque permiſiſſe generationes motuſque omnes, ceſſantem ab omni actione. f.279.§.28
Hæreſi proxima eſt illa ſententia quæ aſſerit eſſe aliquem effectum, qui à Deo fieri non poſſit immediatè. f.279 §.30

Hæretici.

Hæretici negant libertatem. f.641.§.9.& 10

Hæſitatio.

Hæſitatio eſt actus intellectus iudicans neutram partem contradictionis ſatis oſtendi. f.605.§.78

Hepar.

Hepar primùm gigni in conceptione animalis, qui ſenſerint. f.423.§.92.& ſeqq.

Hiſtoria.

Hiſtoriarum defectus leue eſt argumentum ad negandam æternitatem mundi. f.355.§.10

Homerus.

Homerus ex congreſſu dæmonum ortum, ex Ariſtotele refert Plutarchus. f.392.§.23

Homo.

Homo qua ratione *mixtum* dicatur. f.465.§.9
Homo eſt rationalis & materialis. f.497.§.135
Homo cur dicatur corporeus non ſpiritualis. fol. 214.§.26
Homo eſt naturâ ſuâ mortalis. f.401.§ 104
Homo poteſt ex ſe obire diem naturalem abſque morbo. f.407.§.142
Homo componitur ex qualitatibus contrarium habentibus ex naturâ ſuâ. f.402.§.110
Homo nulla naturali ſubſtantia poteſt ali, quin ab ipſa paulatim necetur. f.406 §.139
an Homo fiat ex embryone. *Lege* ſect. VIII. fol. 426
de morte Hominis ab intrinſeco principio, nonnulla impugnata. *Lege* ſubſect. III. fol. 402. & 403
Hominem ſexta die fecit Deus ex limo terræ, illumque produxit virum annorum quaſi triginta, plenum ſcientiæ & ſanctitatis. f.387.§ 97
Homines poſſunt eſſe infiniti. f.314 §.13
Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

Honeſtum.

Honeſtum propter ſe amatur. f.622.§.8
Vide Indicem metaphyſicum.

Humanitas.

Humanitas & natura creata non pendent à priori à ſuppoſitis. f.224.§.2

Humiditas.
Humiditas duplex. f.405.§.129
Humiditas craſſa, pinguis, ſubſtantialis cum calore corpora fouet ac nutrit. f.405.§.129
Humidum.
Humidum radicale cur ita dictum. f.405.§.128
Humidum propriis terminis continetur difficilè: alienis verò facilè. f.403.§.115.& f.467.§.24
Humor.
Humor cryſtallinus. f.676.§.11

I

Idea.
IDea tendens in exemplar an dirigat potentiam ad opus. f.609.§.32
an Idea concurrat efficienter ad opus. f.609.§.36
Idem.
Idem poteſt agere in ſe ipſo actione diuerſæ rationis à principio per quod agit. f.423.§.91
Ignis.
Ignis eſt calidus in ſummo. f.467.§.26
Ignis ſecundum Pythagoricos eſt in terræ meditulio. f.382.§.51
An habeat propriam ſedem. f.382.§.50.& ſeqq.
eſt in concauo Lunæ. §.55
Ignis non extinguitur ex defectu pabuli, ſed ex vi contrarij ambientis. f.404.§.123
Ignem habere ſex gradus ſiccitatis, duos verò humoris, opiuantur Pat. Conimbr. f.470.§.43
Imaginatio.
Imaginatio nihil efficit in partes diſtantes fol.258. §.74
Imaginatio eſt ſenſus internus conſeruans phantaſmata ſeu imagines rerum perceptibilium ſenſu externo. f.681.§.41
Imago.
Imaginis & ſimilitudinis differentia. f.391.§.15
Imaginis & mediorum diſcrimen. f.624.§.28
Immenſitas.
Immenſitas quid ſit. f.322.§.13
Immenſitas quì differat ab aliis *vbi*. f.332.§.14
Vide Indicem Metaphyſicum.
Immortalitas.
Immortalitas animi humani. f.686.§.1.2.& ſeqq.
Impenetratio.
Impenetratio non diſtinguitur ab *vbi* circumſcriptiuo, niſi ratione carentiæ alius *vbi* in eodem loco. 328.§.52
Imperfectio.
ex Imperfectione ſpecierum impreſſarum oritur diſcurſus in nobis. f.561.§.24
Imperium.
Imperium formaliter eſt actus intellectus. fol.637. §.56.& ſeqq.
Incarnatio.
Incarnationis myſterium ex B.Virgine. *Lege* ſubſect.III. f.419
Inceptio.
Inceptio extrinſeca per vltimum non eſſe. fol.351. §.153
Inceptio intrinſeca & extrinſeca in quo differant. f.351.§.159
Incomprehenſio.
Incomprehenſio & comprehenſio non repugnant. f.601.§.46
Incontinens.
Incontinens (ſecundum Ariſtot.) cogitat vt ſomnians & temulentus. f.640.§.74
Incorruptibile.
Incorruptibile & corruptibile quid ſint. f.401.§.99
Incubus.
Incubus & ſuccubus. *vide* Dæmon.
Independentia.
Independentia à ſubiecto oritur ex perfecto modo exiſtendi. f.304.§.46
Independentia à ſubiecto ſequitur perfectum exiſtendi modum. f.304.§.49
Indiſtantia.
Indiſtantia poteſt amitti mutatione vnius corporis. f.322.§.11
Indiuiduatio. Indiuiduum.
Indiuiduatio & conceptus ſpecificus ſunt à parte rei idem. f.504.§.194
Indiuiduatio effectuum an determinetur à cauſa prima. f.283.§.59.& ſeqq.
Indiuidua ſubſtantialiter ſimilia ita habent diſpoſitiones & accidentia, vt quantum eſt ex ſe, poſſint habere diſpoſitiones & accidentia alterius indiuidui ſubſtantialiter ſimilis. f.496.§.130
Indiuidua duo non poſſunt eſſe æqualia in conceptu ſpecifico, & inæqualia in indiuiduo. f.504. §.194
Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.
Indiuiſibile.
Indiuiſibile triplex. f.333 §.10
Indiuiſibilia negantur à Nominalibus. f.333.§.11
Indiuiſibile additum alteri non facit maius. f.342. §.90
an Indiuiſibile diſtinguatur ab vnione. *Lege* ſect. III. f.336
Indiuiſibile penetratur cum tangente. f.343.§.91
Indiuiſibilia qualitatum contrariarum non habent effectus formales oppoſitos. f.334.§.22
Indiuiſibilia temporis ſunt *inſtantia, momenta, mutata eſſe*. f.349.§.138
Indiuiſibilia motus non ſunt ad continuandas partes materiæ. f.337.§.45
Indiuiſibilia materiæ non ſunt illius ſpecies. §.46
Indiuiſibilia cur dicantur ſpecies quantitatis. ibid.
Indiuiſibilia ſunt vniones actuales. §.47
Indiuiſibilia multiplicantur & confunduntur. §.48
Indiuiſibilia materiæ non creantur ſed educuntur ex ipſa. f.337.§.50
an Indiuiſibilia ſint infinita ſimpliciter, an verò finita ſimpliciter? f.338.§.57
ſi duo Indiuiſibilia non faciunt extenſionem, nec infinita: aut eam facient infinitam. fol. 338. §.58
Indiuiſibilitas.
Indiuiſibilitas eſt argumentum magnæ perfectionis. f.494.§.106
Ineſſe.
Ineſſe ſignificat exiſtentiam in alio tertio. f.222.§.5
Inæquale. Inæqualitas.
Inæquale quid ſit. f.502.§.176
Inæqualitas & æqualitas quomodo opponantur. f.502.§.177
Infinitum.
Infinitum quid ſit. f.312.§.1.f.358.§.14.& 16
Infinitum in *eſſentia*. f.313.§.2
Infinitum ſimpliciter & ſecundum quid. f.313.§ 4
Infinitum quomodo ab Ariſtotele definitum. fol. 320.§.58
Infinitum in actu eſt argumentum potentiæ infinitæ. f.315.§.25
Infinitum qua ratione maius aut minus alio. fol. 316.§.29
Infinito non competunt maius & minus formaliter ſed materialiter. f.316.§.30
Infinitum non continet omnia poſſibilia in ſuo genere. f.318.§.43
Infinitum

Infinitum caret principio & fine. f.318.§.44
Infinitum quas habeat affectiones. f.318.§.45
Infinitum in actu non repugnat. fol.318. §.46.& ſeqq.
Infinitum ſyncategorematicum conflatur ex duobus. f.320.§.56
Infinitum non finitur ablatione finita, ſecus infinita. f.316.§.31
Infinitum corpus creari poteſt multipliciter. f.316. §.32
Infinitum corpus eſt loco immobile niſi per partes. f.316.§.33
Infinitum non habet propriè terminos. fol. 316. §.36
Infinitum categorematicum & ſyncategorematicum. f.313.§.6
Infinitum ſyncategorematicum eſt finitum in actu, vt infinitum in potentia. f.313.§.6
Infinitum ſimpliciter non poteſt ſucceſſiuè tranſiri ſecus infinitum ſecundum quid. f.339.§.69
Infinitum ſyncategorematicè non eſt in rebus poſſibilibus, ſed in actualibus. f.314.§.15
Infinitum qua ratione cadit in certam rationem agentis. f.315.§.27
in Infinito tot ſunt quaternaria finita quot binaria. f.315.§.28
Infinita actu exiſtentia videntur in æternitate à Deo. f.310.§.57
Infinita à Deo cognoſci negant aliqui. f.313.§.7
Infinita indiuidua cognita diſtinctè in omnipotentia Dei continentur. f.313.§.10
Infinitudo punctorum & partium. *Lege* ſect. IV. f.337.& 338

Influere. Influxus.

Influere ſignificat dare eſſe cum dependentia à principio cauſante. f.224.§.1
Influxus cœlorum in hæc inferiora. fol.375.§.65. & ſeqq.

Informatio.

Informatio & materializatio eſſentialiter includuntur in vnione materiæ & formæ. f.199.§.58
Informatio eſt modus ex natura rei diſtinctus ab ipſa forma. f.199 §.54
Informatio ſe tenet ex parte formæ. ibid. & §.55
Informatio & materializatio ſunt duo modi realiter diſtincti. f.207.§.120
Informatio minimum ratione diſtinguitur à materializatione. f.202.§.81
plura de Informatione, in ſubſect. III. f.205

Ingenium.

Ingenij ſubtilitatem influit Mercurius. f.366.§.36

Inhærere. Inhærentia.

Inhærendi & independendi à ſubiecto differentiæ conſiſtunt in ipſis actionibus. f.305.§.61
Inhærentiæ & creationis comparatio. f.309.§.88

Initium.

Initium quid ſignificet. f.165.§.3
à diuinis perſonis remouetur. ibid.
Initium iuſtificationis vnum eſt tantùm, principia multa. ibidem.

Inſtans.

Inſtans & inſtantanea qua ratione ſimul incipiunt & deſinunt. f.333.§.15
Inſtantia realia ſunt in tempore. f.336.§.37
Inſtantia non poſſunt cogitatione ſumi extra partes. f.341.§.81
Inſtantia plura non ſunt ſimul. f.341.§.82

Inſtrumentum.

Inſtrumentum aſſumi poteſt ad creandum. f.312. §.118
Inſtrumentum (ſeu cauſa inſtrumentalis) eſt à quo dependet effectus, ſed ei nulla formalitas attribuitur ex modo concurrendi. f.267.§.142
Inſtrumentum vt ſic, non eſt actiuum. §.144
Inſtrumentum aliud coniunctum, aliud ſeparatum, & quid vtrumque ſit. §.146
Inſtrumentum non poteſt aſſumi ad primam productionem ſui quando productio eſt vna ſola. f.267.§.148
per Inſtrumentum non poteſt agens creatum eleuari ad productionem ſui. f.268.§.154

Intellectio.

Intellectio eſt ſpiritualis cognitio obiecti. f. 535. §.1
Intellectio conuenit cum ſenſione in ratione cognitionis, & differt ſpiritualitate. ibidem.
Intellectio à ſola anima & ſuis potentiis pendet, non autem ab vtraque parte compoſiti. f. 522. §.36
Intellectio in quo conſtituatur. f.536.§.4.& ſeqq.
Intellectio non eſt in toto corpore, ſed habet eam animus in ſolo cerebro. f.528. §.13
Intellectio non poteſt produci, quin in eſſe intellectionis producatur. f.546.§.93
an Intellectio ſit modus. f.551.§.133.& ſeqq.
Intellectio creata non reperitur ſine verbo. f. 554. §.160.& f.557.§.281.& ſeqq.
Intellectio adæquatè conſiſtit in ſola qualitate. fol.548. §.110. *Lege* item ſect. I. fol.535. 536. & ſeqq.
Intellectionem in ſola qualitate & verbo mentali conſtituit P.Vazquez. f.543.§.73
ad Intellectionem & amorem anima immediatè concurrit in genere cauſæ efficientis. fol. 522. §.35
in Intellectione perfectâ tria reperiuntur. f.567.§.2
Intellectiones ſpecificantur ab obiecto formali diuerſo. f.531.§.35

Intellectum.

Intellectum in intelligente eſt intellectio intellecta & verbum. f.557.§.182

Intellectus.

Intellectus agens quid ſit. f.527.§.1.& ſeqq.
Intellectus poſſibilis cur ita dictus. f.528.§.8
Intellectus vt ſic eſt virtus cognoſcitiua ſpiritualis. f.528.§.9
Intellectus humanus eſt virtus cognoſcitiua ſpiritualis per diſcurſum. f.528.§.9
Intellectus non eſt idem numero in omnibus hominibus, ſed ſinguli ſingulos habent intellectus. f.528.§.10
Intellectus noſter exiſtit in toto corpore cum animo. f.528.§.12
Intellectus habet ſpecies ſpirituales. f.611.§.14
Intellectus poſſibilis eſt memoria. f.535.§.69
Intellectus etiam eſt memoria, vt hæc ſumitur pro principio recordandi eorum quæ prius geſta fuere in ſingulari. f.535.§.70
Intellectus vt eſt viuens intentionale in actu primo, conſtituitur in ordine ad qualitatem cognitionis, ad eius actionem & paſſionem. fol.536. §.7. & f.538.§.19. & f.539.§.35
Intellectus non eſt capax habituum. f.664.§.3
Intellectus quæ priùs & perfectius cognoſcat obiecta. f.532.§.50.& ſeqq.
Intellectus vnde ſumat ſpeciem. f.527.§.75.& fol. 530.§.26
Intellectus poſitis præmiſſis in modo & figura & cognita illarum diſpoſitione neceſſitatur ad concluſionem quoad ſpeciem actus. f.562.§.20
Intellectus non habet pro obiecto adæquato vnam rationem entis abſtractam ab inferioribus, nec omnia

omnia

omnia entia vt conueniunt in ratione entis. f.231.§.55
idem Intellectus numero eſt practicus & ſpeculatiuus. f.608.§.24
Intellectus tendit ſub ratione veri. f.621.§.2
Intellectus cum qualitate & vnione vitalibus, productis à ſolo Deo, an eſſet intelligens. fol.548. §.111
Intellectus neceſſitatur quoad exercitium per præmiſſas. f.563.§.33
Intellectus non reſpicit obiecta niſi per actus. f.273.§.190
an Intellectus ſaltem ratione diſtinguatur ab anima. f.526.§.74
an Intellectus, informatus ſpecie impreſſa, egeat phantaſmate ad illius vſum. f.620.§.81
an Intellectus ſimul poſſit cognoſcere plura vt plura vnico actu. f.534.§.62.& ſeqq.
Intellectus obiectum adæquatum. fol.529.§.15.& ſeqq.
Intellectus & potentiæ phyſicæ diſcrimen. f.233. §.65
Intellectus determinatio dicit duas determinationes. f.551.§.136
Intellectus plures actus ſunt clari & euidentes. §.567.§.1
ad actus Intellectus anima immediatè concurrit. f.520.§.17
in Intellectu ſemper præcedit defectus alicuius conſiderationis, quæ ſi adeſſet, voluntatem in officio contineret. f.639.§.68
in Intellectu dantur ſpecies propriæ rei ſingularis in ſingulari. f.612.§.17

Intelligere.

Intelligere creatum eſt dicere. f.541.§.52
Intelligere in nobis propriè loquendo eſt dicere. f.558.§.187

Intenſio.

Intenſio naturalis infinita repugnat. f.320.§.62
Intenſio non fit per maiorem radicationem ad ſubiectum ſine additione alterius partis qualitatis: contra opinionem Thomiſtarum. f.447.à §.26. ad 40. incluſiuè.
Intenſio fit per additionem gradus ad gradum. f.449.§.41
Intenſio non poteſt ſortiri rationem modi. f.448. §.35
Intenſio & extenſio ſunt affectiones qualitatis. f.444.§.2. quando fiant. ibid.
Intenſio eſt actio per quam perficitur qualitas circa idem indiuiſibiliter ſubiectum. ibid.
Intenſio non fit per nouam exiſtentiam, aut vnionem præcedentis qualitatis. *Lege* ſect.II. f.445. & 446
Intenſionis compoſitio. *Lege* ſubſect. V. f.461
Intenſionis & extenſionis termini. f.461.§.137
Intenſionem maiorem fieri additione qualitatis minus perfectæ, cenſent aliqui. f.461.§.132

Intentio.

Intentio intellecta quomodo cognoſcatur. f.557. §.184
Intentio finis & electio mediorum an differant. f.631.§.16.& ſeqq.
Intentio & ſimplex complacentia realiter diſtinguuntur. ibid.
Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Iupiter.

Iouis influxus qualis. f.366.§.36
ſub Ioue nati, ſunt alacres. f.375.§.68

Iudicium.

Iudicium includere tres actus realiter diſtinctos, rationémque iudicij conſiſtere in cognitione vnionis extremorum, cenſet P. Molina, ſed impugnatur. f.559.& 560.§.10.& ſeqq.
Iudicium ſeu compoſitionem in duabus apprehenſionibus conſtituit P. Vazquez, ſed impugnatur. f.560.§.16.& 17
Iudicium non influit efficienter in appetitum voluntatis. f.256.§.62
Iudicium & ſimplex apprehenſio an poſſint eſſe ſimul. f.596.§.2
in Iudicium apprehenſio non efficienter influit. f.256.§.62
Iudicium non ſemper præcedit ſimplex apprehenſio. f.559.§.7
Iudicij eſſentia eſt *affirmare aliquid aut negare.* fol. 559.§.9
extremo Iudicij die cæli corrumpendi, ſol obſcurandus, &c. f.367.§.49
in Iudicio eſt veritas ſimpliciter aut falſitas. f.574. §.10
vltra diem Iudicij poteſt moueri cælum abſque fine. f.314.§.11

Iuſtificatio.

Iuſtificationis principia multa, ſed initium vnum tantùm. f.165.§.3

Iuſtum.

Iuſtum eſt quod cum altero comparatum nec eſt maius nec minus, nec habet plus nec minus in ea ratione. f.502.§.176

Iuuencula.

Iuuenculam vitiare quid ſit. f.412.§.52

L

Lapis.

an LApis intelligeret, ſi poneretur diuinitus in eo intellectio. f.550.§.123.124.& ſeqq.
Lapides nimio calore ſoluuntur in calcem, aut nimio humore contabeſcunt in aquam. f.464.§.4

Leuitas.

Leuitas quid ſit. f.383. §.58. cur dicatur ſumma. ibidem.
Leuitas ſimpliciter quomodo vocetur ab Ariſtotele. f.383.§.61

Libertas.

Libertas quid ſit. f.640.§.1.2.3.& ſeqq.
Libertas in quibus agentibus reperiatur. f.641.§.7. & ſeqq.
cur negetur ab hæreticis. §.9
Libertas in voluntate reſidet. f.642.§.12
Libertas in actu primo quid ſit. §.13
eſt idem cum voluntate. §.14
Libertas actualis ſiue in actu ſecundo eſt actio quę ita eſt, vt poſſit non eſſe. f.644.§.32
Libertas in actu ſecundo non eſt modus diſtinctus ab actione. f.645.§.40
Libertas non eſt relatio diſtincta ab actione. f.646. §.42
an Libertas ſit extrinſeca denominatio actui libero, an verò eſſentialis. *Lege* ſect.VI. f.646.647. & ſeqq.
Libertas non tollit neceſſitatem ex ſuppoſitione. f.340.§.71
Libertas contrarietatis & contradictionis quid ſint. f.562.§.29
Libertas in phyſicam & moralem ſubdiuiſa. f.662. §.155.& ſeqq.
Libertatis in ſpeciem & exercitium diuiſio. f.659. §.139.& ſeqq.
Libertatem eſſe de eſſentia actus liberi, præfertur opinio. f.649.§.67.& ſeqq.

Libidinoſi.

Libidinoſi in ſtupiditatem aguntur. f.415.§.47

Libido.

Libidinis humor in lumbis continetur. fol.415. §.47

Lignum.

cur Lignum centum librarum adnatet vndis, lapis verò vnius libræ demergatur in aquam. f. 383. §.59.& 60

Ligna plus participant ex aqua, quàm ex terra f.383.§.60

Ligna exciſa plenilunio carie corroduntur. f.375. §.65

Linea.

Linea ducitur à puncto in punctum, ſecundum Euclidem. f.347.§.122

Linea & puncta æqualem habent rotunditatem. f.335.§.26

Lineæ terminus quid ſit. f.316.§.36

duabus Lineis rectis nullum ſegmentum eſt commune præter vnum punctum. f.347.§.122

Locus.

Locus extrinſecus quid ſit. f.321.§.2

Locus non conſtatur ex vbi & ſuperficie.f.321.§.6

Locus quo pacto vim habeat trahendi. fol. 323. §.18

Locum maiorem non faciunt duo loci indiuiſibiles. f.343.§.92

Loqui, Loquutio.

Loqui eſt manifeſtare rem. f.558.§.188

Loquutio interna an conſiſtat in ſolo verbo. f.541. §.53.& 54

Loquutio Angeli ad Angelum diſtantem quomodo fiat. f.258.§.75

Lumbi.

Lumbi continent humorem, libidinem laceſſentem. f.415.§.47

Lumen.

Lumen,quod eſt viſus obiectum,eſt præſtantiſſima qualitas inter omnes materiales non vitales,cui comparatur ipſe Deus. f.677.§.12

Luna.

Luna dominatur aquæ,& aëri ratione humiditatis. f.468.§.32

Luna cerebro dominatur. f.375.§.65

Luna quoad ſubſtantiam (vt exiſtimat P.Pererius) quarta die non fuit producta ſed illi lux diſtributa. f.387.§.92

Lux.

Lux non eſt ſubſtantia. f.374.§.59

Lux opponitur immediatè tenebris. f.186.§.6

Lux nõ habet rationem aliquam communem cum colore, quam non habeat cum ſapore & ſono. f.231.§.49

an Lux requiratur ex parte obiecti,an verò ex parte medij. f.677.§.15

an Lux intermedia producatur ab agente principali,an verò ab alia luce. f.261.§.102

de Luce,multa. f.379.§.30.31.& ſeqq.

Vide Indicem Metaphyſicum.

M

Magnes.

MAgnes trahitur à polo Arctico. fol. 375. §.65

Magnetis attractio luci non adſcribitur. fol.375. §.65

in Magnetem influit Vrſa minor. f.366.§.36

Magnitudo.

Magnitudinis aut paruitatis termini quatuor ab Authoribus aſſignantur. f.462.§.137

Maius.

Maius aut *minus* non eſt vbi nihil determinatum. f.443.§.41

Malleatores.

Malleatores quodammodo imitari viſus eſt Deus in conficiendis corporibus:exceptis cælo empyreo,terra & aquis. f.381.§.47

Mare.

cur Mare non redundat fluminum confluxu.f.387. §.87

an Mare ſit altius terra. f.387.§.88

Mars.

Mars cur ferox dicatur,& bellorum Deus. f.336. §.36

ſub Marte nati, ſunt habiles ferro, armiſque tractandis. f.375.§.68

Mares.

Mares naturâ ſua ſicciores fœminis, fœminæ autem maribus humidiores. f.418.§.60

Materia.

Materia prima non eſt corpus completum & perfectè ſubſiſtens. f.168.§.8

Materia cur vocetur *mater,adultera,ſylua.* fol.168. §.9

Materia bifariam ab Ariſtotele definita, negatiuè ſcilicet,& poſitiuè. f.168.§.10.& 11

Materia prima rectè ne à Thomiſtis appelletur *pura potentia.* f.169.§.24

cur appelletur *pura potentia.* f.170.§.28

Materia prima an verè pendeat à forma,& forma à materia. fol.175.§.74. *Lege* etiam ſect.VIII. f.182.& 183

Materia prima quomodo potentia paſſiua formarum. f.168.§.13

Materia prima eſt ſimpliciter corpus.f.487.§.48.& f.488.§.55

Materia prima propriam habet exiſtentiam diſtinctam ab exiſtentia formæ. f.174.§.63

Materia prima non poteſt ex natura rei exiſtere ſine forma. f.183.§.141

quid de potentiâ abſolutâ. §.142.& ſeqq.

Materia prima eſt verè ac propriè natura. fol.222. §.13

an Materia prima ad recipiendam v.g. formam leonis egeat aliqua potentia paſſiua ſubſtantiali ab ea realiter diſtincta. f.172.§.42.& 43

quid de potentia paſſiua accidentali. §.44

Materiæ primæ eſſentia eſt vera cauſa materialis formæ materialis. f.175.§.73

Materiæ primæ quo pacto conueniat ratio potentiæ. f.168.§.12

Materiæ primæ nomine quid intelligendum. fol. 167.§.1

an Materia ſit perfectio formæ. f.200.§.61

an Materia ſit eſſentialiter potentia. fol. 169. §.19

Materia prima dicit non modò relationem ſecundum dici ad formas, ſed etiam tranſcendentalem. f.169.§.20

Materia eſſet impoſſibilis,ſi formæ eſſent impoſſibiles. f.169.§.21

Materia & forma diuerſo modo ſunt principia generationis quàm conſtitutionis. f.166.§.18

Materia & forma opponuntur relatiuè tranſcendentaliter. f.167.§.22

Materia omnium rerum corruptibilium creatarum de facto eſt in omnibus eadem ſpecie. f.172.§.48

an Materia formicæ ſpecie differat à materia Cameli. f.172.§.49

an ex eo, quod Materia ſit pura potentia, ſequatur, formam poſſe dici purum actum phyſicum. f.170.§.29
an Materia ſit actus. f.170.§.50
Materia habet diſtinctum *vbi.* f.325.§.32
Materia cæli empyrei & ſublunaris an ſint eiuſdem ſpeciei. f.365.§.26
Materia dicit eſſentialiter conceptum potentiæ paſſiuæ. f.227.§.26
Materia rerum corruptibilium, diſtincta ſpecie à noſtra, de potentiâ Dei abſolutâ poteſt eſſe. f.173.§.52
an eſſet perfectior hac noſtra. §.53
Materia quam vitam habet? ſubſtantialem ne an accidentalem? f.475.§.4
Materia vno ſolo mouetur motu. f.325.§.32
Materiæ & formæ perfectio intrinſeca ab vnione dependet. f.220.§.59
de eſſentia Materiæ primæ eſt natura. f.223.§.22
Materiæ appetitus ad formas. *Lege* ſect. III. f.170. & 171
Materiæ paſſiones. *Lege* ſect. X. f.185
Materiæ ſubſiſtentia. *Lege* ſect. VII. fol. 177. & ſeqq.
Materiæ aut formæ productio an dicatur productio totius. f.213.§.18
Materiæ indiuiſibilia non ſunt illius ſpecies f.337. §.46
in compoſitione Materiæ & formæ reperitur informatio & receptio ſeu materializatio. f.199. §.54
eandem numero Materiam recipere formas corruptibiliter, & incorruptibiliter non repugnat. f.364.§.21
Materiam primam verè & propriè creari quomodo intelligat P. Vazquez. f.216 § 40. & 41
in Materia eſt vna potentia ad quantitatem, alia verò diſtincta ad qualitatem. f.220.§.75
in Materia ſola recipitur quantitas. f.218 §.58
à Materia dependentia duplex. f.188.§ 8
ex Materia & forma cur non fiat vnum per ſe. f.333 § 9
an in Materia poſſint eſſe plures formæ ſubſtantiales. f.190 § 27. & ſeqq.
Materiæ non differunt ſpecie ex eo quod formæ differant. f.173.§ 49
duæ Materiæ ſpecie diuerſæ non repugnant. f.364. §.20

Materializatio.

Materializatio quid & quotuplex ſit. fol.199.§.56. & 57
Materializatio & informatio an & quomodo diſtinguantur. f.201.§.81
Materializatio formaliter ſolam perficit materiam. f.203.§.85
Materializatio & informatio ſunt duo modi realiter diſtincti. f.207.§.120
Materializationem & informationem eſſentialiter includit vnio materiæ & formæ. f.199.§.58

Medici.

Medici nonnulli arguuntur, eo quod non inuenientes rationem à priori, cur homo intereat, recurrerint ad vnam experientiam. f.402.§.111

Medium.

Medium vnum poteſt eſſe finis proximus alterius. f.622.§.12
Media quâ ratione amentur à voluntate. fol.624. §.26
Media quî differant ab imagine. f.624 §.28
Mediorum electio & intentio finis an diſtinguantur. f.631 §.16. & ſeqq.
an Mediorum amor ceſſet, ceſſante voluntate finis. f.625.§.29

Memoria.

Memoria ſpiritualis eſt ipſa animæ ſubſtantia. f.534.§.67
Memoria eſt intellectus vt eſt principium repetendi quæ ſemel percepit per ſpeciem priorem. f.534.§.68
Memoriæ theſaurus mirabilis. f.535 §.71
Memoriam habet anima ſenſitiua. f.535.§ 72
Memoriam Deus propriè non habet. fol. 535. §.73

Mens.

Mentis verbum. *Lege* ſect. V. f.553. & 554
in Mente poſſitne eſſe æquiuocatio. f.534.§.62

Menſis.

Menſis octauus partuum eſt criticus. fol. 427. § 113
Menſes quomodo ſupputentur. f.428.§.114

Mercurius.

Mercurius cenſetur mercatorũ & ſcholarum Deus, & cur. f.366.§ 36

Meritum.

Merito in tempore proportionali reſpondet præmium proportionale. f.342.§.87
an Merita creſcant ex maiori gratia. fol.456.§.90. & 91

Mineralia.

Mineralia producuntur à ſole. f.37[illegible].§.67

Mixtio.

Mixtio variè ſumitur. f.464 §.5
Mixtionis definitio duplex. f 464.§.6
an in Mixtis elementa (quæ ſunt mixtilia) maneant formaliter, an verò virtute. f.465.§.7

Modus.

Modus poteſt diuinitus creari, generatio non poteſt. f.309.§ 92
Modus ſe ipſo afficit, ſed cauſatur alio modo. ibidem.
Modus ideo eſt modus, quia inſeparabilis à creatura, non quia inſeparabilis à Deo. fol. 305. § 54
Modus ſpiritualis cur non ſubiectari poſſit in re materiali. f.209.§.134
Modus omnis habet proprium *vbi.* fol. 326. §.40
Modus perſeitatis patitur eaſdem difficultates quas creatio. f.305.§.59
Modi rationem non ſortitur intenſio. fol. 448. § 15
Modo compoſitiuo & reſolutiuo in actu procedere, quid ſit. *Lege* ſect. I. f 605. & 606
Modi aliqui imperfectè concludentes interdum egent actu reflexo. f.565 §.48
Modi dependentiæ duo. f.310.§.96
Modorum *vbi* non diſtinguitur ab *vbi* rerum abſolutarum. f.326.§.41
Vide Indicem Logicum & Metaphyſicum.

Morbus.

Morbus eſt à principio extrinſeco diſponente materiam ad corruptionem. f.407.§.143
an Morbus oriatur ex inſita animalis natura. f.424. §.99

Mors.

Mors quæuis eſt violenta animali. f.407.§.141
Mors naturalis diſtinguitur à violenta. ibid.
Mors eſt obeunda potius quàm Deus negandus. f.634.§.37
Mors dicit carentiam formæ cum corpore ſecundum ſe: non verò carentiam vbicationis in hoc loco. f.330.§.71

Mors non eſt Romæ quamuis vita non ſit Romæ, quomodo intelligatur id. f.330.§.74
Mors & mortalitas non idem. f.402.§.105
Mors hominis ab intrinſeco principio impugnatur. f.402.§.112.& ſeqq.
an Mors naturalis ſit abſq; morbo. *Lege* ſubſect. V. fol.407
Mortis humanæ cauſa. f.404.§.127.& ſeqq.
Mortem à nullo principio intrinſeco oriri, oſtenditur. f.403.§.119
Procli opinio de Morte hominum. f.402.§.112

Motus.

Motus vnus tantum reperitur inter terminos priuatiuè oppoſitos. f.296.§.71
Motus omnis habet mutationem contradictoriè oppoſitam. f.296.§.72
Motus & quies an opponantur. f.296.§.74
Motus diuiditur in inſtantaneum & ſucceſſiuum: & quid vterque ſit. f.296.§.76
Motus ſucceſſiuus poteſt accipi per morulas intericctas. ibid.
Motus ſucceſſiuus nulla ratione fieri poteſt in inſtanti ſucceſſiuè. f.297.§.79
Motus ſpecie diuiditur pro diuerſitate terminorum. f.297.§.81
Motus ad ſubſtantiam continet duos. §.82
Motus ad quantitatem totidem continet. ibid.
Motus ad qualitatem vocatur alteratio. ibid.
Motus non eſt de conceptu actionis & paſſionis. f.289.§.20
Motus includit in ſuo conceptu formali actionem & paſſionem, ſicut homo animal rationale. f.289.§.23
Motus eſt extrinſecus mobili: ſuperficies verò extrinſeca. f.321.§.3
Motus corporis neceſſariò fit ſucceſſiuè à creatura etiam habente potentiam infinitè intenſam. f.317.§.39
Motus & actionis eſſentia non variatur pro ſola varietate agentium. f.295.§.65
Motus diſtinguitur numero pro varietate vel agentis, vel patientis vel termini. fol. 295. §.68
an Motus diſtinguatur ſpecie pro ſola diſtinctione eſſentiali termini? an etiam pro diſtinctione agentis, patientis & modi tendendi? f.295.§.62. & ſeqq.
Motus localis non habet diſtinctum vbi à ſe ipſo. f.324.§.29
Motus localis eſt eſſentialiter huic loco fixus. f.324.§.30
Motus inſtantaneus in vacuo non poteſt eſſe. f.331.§.82
ad Motum cuiuſque corporis non mouetur totus orbis. f.331.§.84
Motus eſt ſubiectiuè in ſubiecto ſui termini. f.294. §.60.
nullus Motus ſucceſſiuus potuit eſſe ab æterno. f.359.§.21.& f.361.§.35
Motus cæli ſitne naturalis. f.373.§.48
Motus variæ definitiones. f.287.§.1.2.& 3
an Motus diſtinguatur ab agente, ſubiecto & termino. f.287.§.5.& ſeqq.
Motus non habet pro termino *à quo* id quod non deſtruit. f.292.§.41
Motus per accidens vnde ſit. f.325.§.32
an Motus ſit naturalis cuilibet corpori. fol.373. §.50
Motus indiuiſibilia (ſi admittantur) an dicantur *mutata* eſſe. f.349.§.140
Motus ſubiectum. *Lege* ſect. VII. f.293
Motui eſt denominatio extrinſeca carentia termini. f.292.§.41
in Motu à contrario in contrarium poſitiuè reperiuntur duæ mutationes, altera poſitiua, altera priuatiua. f.296.§.70
Motus *primò primi* qui dicantur. f.629.§.2

Mouere.

Mouere ſignificat rem aliò impellere. fol. 626. §.44

Multitudo.

infinita Multitudo non eſt in ſpecie numeri. f.315. §.28
nulla eſt Multitudo finita tam magna vt non ſint infinitæ maiores. f.315.§.21

Mulus.

Muli generatio eſt vera generatio. f.391.§.13

Mundus.

Mundus totus eſt ſphæricus, & quælibet eius pars. f.384.§.63
Mundus poteſt moueri extra ſuum locum. f. 324. §.23
Mundus productus fuit in tempore. fol. 355. §.10
Mundus à Deo ſucceſſiuè productus fuit ſex diebus naturalibus. f.377.§.12
Mundus potuit non eſſe æternus. f.354.§.1
Mundus à Deo creatus eſt verno æquinoctio, id eſt 20. Martij, ab eóque abſolutus eſt die veneris, qui erat 25. quo die Deus crucem ſubiit. f.387. §.99
Mundi perpetuitas vnde pateat. f.388.§.102
Mundi creationem Deo negauit Ariſtoteles. f.356. §.3

Muſca.

cur Muſca minus currat Achille. f.341.§.84

Muſculi.

Muſculi motores ſeptem in oculis. f.676.§.10

Mutatio.

Mutatio inſtantanea habet continuationem quando eius terminus eſt diuiſibilis. f.297.§.77
Mutatio inſtantanea quando fiat. f.297.§.78

N

Naſus.

NAſus & nares. f.679.§.30

Natura. Naturale.

Natura quot & quas habeat ſignificationes. f.221. §.1
Natura communiùs vſurpatur pro eſſentia cuiuſque ſubſtantiæ. f.221.§.3
Natura quo pacto ab Ariſtotele diffinita. fol. 221. §.4. f.222.§.13
Natura tota non mouetur ad motum cuiuſque corpuſculi. f.331.§.84
Natura inclinat in rem ſibi aliquo modo vtilem. f.373.§.49
Natura eſt *opus intelligentiæ.* f.623.§.20
cur Natura completa non ſit compoſitum. f. 222. §.7
Natura per ſe generationem intendit, corruptionem verò per accidens. f.183.§.141
Natura, eſſentia, & ſubſtantia ſunt idem. fol. 188. §.4
Natura eſt de eſſentia materiæ primæ. fol. 223. §.22
Natura aliqua in particulari rectè poteſt inadæquatè concipi. f.224.§.24
de eſſentia Naturæ quæ ratio principij motus ſit. f.223.§.20.& ſeqq.
Naturæ prioritas cur ita dicatur. f.241.§.132

Naturæ

Naturæ prioritas & ſimultas enucleatur. *Lege* ſectionem VII. f.241
Naturæ prioritas non eſt durationis. f.352.§.3
Naturæ prioritas,& quid ad eam requiratur.f.240. §.127.& 129
à Naturæ ratione Angeli & corpus ſimplex excluduntur. f.222.§.6
ad Naturæ rationem ſufficit eſſe principium in aliquo genere. f.222.§.8
Naturarum diſtinctio non eſt in diuinis. fol.226. §.15
Naturale totidem modis dicitur quot natura. fol.221.§.2
Vide Indicem Metaphyſicum.

Neceſſitas.

Neceſſitas duplex. f.562.§.29

Negatio.

Negatio & priuatio in quo differant. fol. 185. §.1

Nemo.

Nemo dat quod non habet. f.253.§.32

Nerui.

Nerui in oculis duo. f.676.§.10.& 11

Nex.

Nex animalium vnde oriatur. f.405.§.130

Nix.

Nix & grando enecant hominem qui eis veſcitur. f.469.§.34

Nigredo.

Nigredo congregat viſum. f.676.§.18

Notitia.

Notitia abſtractiua. *Vide* Cognitio.

Numerus.

Numerus qua ratione pars multitudinis infinitæ. f.317.§.42

Nunc.

Nunc ſignificat inſtans determinatum. fol. 351. §.157

Nutritio.

Nutritio eſt ſubſtantiæ mortuæ in ſubſtantiam viuentem conuerſio. f.479.§.33
Nutritio eſſentialiter differt à prima generatione. f.436.§.48
Nutritio & diminutio fiunt circa omnes partes viuentis. f.436.§.50
Nutritio quælibet partialis fit momento, nulla autem ſucceſſiuè. f.433.§.28
Nutritionis cauſa quæ ſit. f.436.§.52
Nutritionis terminus eſt continuitas. f.335.§.33

O

Obiectum.

OBiectum adæquatum Philoſophiæ naturalis. *Lege* Proœmium. f.163
Obiectum intellectus non vnum. f.231.§.55
Obiectum primarium & ſecundarium in quo conueniant. f.232.§.56
Obiectum ſupernaturale,vt ſupernaturale reduplicat obiectum, actu naturali cognoſci poteſt. f.531.§.37
Obiectum ſpirituale percipi per noſtros ſenſus etiam diuinitus repugnat. f.675.§.3
Obiecti inſenſibilis prima cognitio intellectualis non habet ſpeciem propriam. f.612.§.19
ab Obiecto formali remoto non ſpecificatur actus. f.531.§.34
ab Obiecto formali diuerſo ſpecificantur intellectiones. f.531.§.35
ab eodē Obiecto formali poſſunt ſpecificari actus ſpecie diſtincti. f.531.§.36
Obiecto mutato an mutetur actus. f.584.§.78
Obiecta ſunt quaſi formæ extrinſecæ. fol. 273. §.192
Obiecta ſunt vnum ab vnitate intellectus.fol.232. §.56
quorum Obiectorum ſint, vel eſſe poſſint ſpecies impreſſæ. f.612.§.16.& ſeqq.
Obiecta inſenſata nullus ſenſus materialis percipit. f.682.§.47
Obiecta eiuſdem ſpeciei videntur per vnū actum. f.620.§.77
Obiecta volunt eſſe verba Nominales. fol. 558. §.192
Obiecta non ſunt certa propriè & infallibilia, ſed contingentia aut neceſſaria: vulgo tamen certa dicuntur,& cur. f.570.§.27
Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Oculi.

Oculi quot habent muſculos, tunicas & neruos. f.676.§.10.& 11
Oculi caligant immoderata venere. f.415.§.47

Odor.

Odor eſt qualitas ex temperatione primarum orta in humido,ſiccitate & calore dominante.f.680. §.32. plura de eo. ibid.& §.33

Olfactus.

Olfactus eſt ſenſus percipiens ſolū odorem. f.679. §.29. plura de eodem. ibid.
Olfactus non habet ſpecies. f.611.§.9

Omiſſio.

Omiſſio pura eſt poſſibilis. f.653.§.100
Omiſſio pura poteſt eſſe libera. f.657.§.125

Omnipotens. Omnipotentia.

Omnipotens eſt qui poteſt facere omnia poſſibilia. f.279.§.30
an Omnipotentia reſpiciat omnia entia in particulari. f.232.§.59
Omnipotentiam Dei defuturam ſi qua creatura poſſibilis,eſſet impoſſibilis, multi Theologi recentiores, maximè Salmaticenſes, arbitrantur. f.234.§.73

Operari. Operatio. Opus.

Operari propter finem quid ſit & quibus propriè conueniat. f.623.§.17.& ſeqq.
Operatio intellectus triplex. *Lege* diſp.VII.f.559. & ſeqq.
Opus ſex dierum. *Lege* diſput. III. fol. 376. & ſeqq.
Opera omnia fieri à Deo, quomodo intelligatur. f.277.§.12
Opera honeſta moraliter oriuntur à Deo conſulente & inuitante: ſi autem ſint ſupernaturalia, etiam phyſicè auxiliante per gratiam congruam & phyſicum influxum ſupernaturalium habituum. f.277.§.13
Opera maxima, licet aliqua pars temporis interiiciatur, *ſimul* dicuntur fieri. f.378.§.19

Opinio.

Opinio eſt actus intellectus deductus ex principiis quæ rei veritatem aut falſitatem non oſtendunt euidenter. fol.605.§.76. differt à Fide diuina. ibidem.
Opinio ſine formidine poteſt eſſe cum ſcientia & fide. f.603.§.61

Orbis.

Orbis totus non mouetur ad motum cuiuſque corporis. f.331.§.84

Ordo.

Ordo eſſentialis tranſcendentalis nonnullorum entium ad alia. f.204.§.93. appellatur *via, reſpectus, & tendentia.* §.94

Ordines tranſcendentales multi ſunt eſſentialiter pendentes à termino quin ab immediato fundamento. f.551.§.138

Oſſa.

Oſſa cur in pueris, ſi frangantur, facilius quàm in viris ſarciantur. f.403.§.115

P

Pars.

PArs determinata & proportionalis quid ſint. f.337.§.51

Pars indeterminata, inæqualis, communicans, quid ſint. f.337.§.52

Pars communicans & proportionalis continetur in parte determinata. f.338.§.53

Pars proportionalis non eſt diſtincta ſimpliciter à determinata. f.338.§.54

Partes proportionales vt proportionales dicuntur per abuſum infinitæ ſimpliciter. ibid.

Partes infinitæ quo pacto dicantur. ibid.

ex Partium infinitudine oritur diuiſio infinita ſyncathegorematicè. f.338.§.56

Pars nulla datur ita remiſſa, quin in illa poſſit aſſignari alia remiſſior. f.463.§.140

Pars formæ capitis, in equo, eſt ſpecie diſtincta à parte formæ cordis. f.506.§.205

Pars ex natura ſua reſpicit aliam compartem. f.169.§.22

nulla Pars determinata poteſt triplicari duobus in locis. f.343.§.96

Partes non poſſunt abſque punctis conſeruari, nec è contra puncta abſque partibus. f.340.§.73

Partes ſeparatæ & puncta eſſent ſimpliciter finita. f.340.§.74

Partes viuentium ſintne ſubſtantialiter ſimiles. §.495.§.112.& ſeqq.

Partes heterogeneæ mutuò pendent à reciproca actione. f.425.§.99

an Partes heterogeneę ſint diuerſarum ſpecierum. f.500.à §.164.ad 172.incluſiuè.

Partes animorum ſunt diuerſarum ſpecierum. f.506.§.205

Partes qua ratione infinitæ. f.339.§.70

Partus.

Partus ſextimeſtres in Hiſpania eſſe ſuperſtites, refert Laurentius. f.427.§.113

quid de aliis partibus. ibid.

Partus octimeſtres cur habeantur infœlices. f.366.§.36

Paſſio. Paſſum.

Paſſio. *Vide* Actio.

Paſſio eſt formaliter in agente. f.294.§.56

inter Paſſum & agens aliquam eſſe diſtinctionem probat Suarez. f.261.§.107.& diſſimilitudinem. f.262.§.109

Peccatum.

Peccatum oriri ſemper ex aliquo iudicio quo quis cenſet hoc obiectum hîc & nunc eſſe bonum ſecundùm rationem, ſententia aſſerens videtur Patri Vazquez hæretica. f.638.§.65

Peccatum formaliter non eſt à Deo, ſed à nobis. f.285.§.72

Peccatum non operatur Deus abſolutè. fol.277.§.13

an Peccatum ſit terminus omnipotentiæ. fol.232.§.59

Pecuniæ.

Pecuniæ pertinent ad vtile. f.622.§.8

Penetrabilitas.

Penetrabilitas eſt vna è quatuor gloriæ dotibus & Theologis dicitur ſubtilitas. f.369.§.19

Penetratio.

Penetratio non eget tactu ex omni latere. fol.345.§.112

ad Penetrationem ſufficit tactus ex vno latere. f.346.§.116

Perfectio.

Perfectio maior abſolutè ſumitur ex ratione actus & ſubſiſtentiæ. 364.§.15

Perfectio materiæ & formæ conſiſtit in vnione. f.200.§.59

Perfectio alicuius rei eſt actus illius. f.200.§.60

Perfectio debet vniri perfectibili tanquam forma ſubiecto. f.203.§.85

Phantaſia.

Phantaſia habet ſpecies impreſſas. f.611.§.13

Phantaſia & phantaſma quid ſint. f.681.§.41

in Phantaſia non datur ſpecies obiecti ſenſu externo imperceptibilis. f.612.§.18

Phantaſma.

an Phantaſmate egeat intellectus informatus ſpecie impreſſa. f.610.§.81

Philoſophia.

Philoſophia ſimpliciter dicitur ſpeculatiua. f.164.§.10

Phyſica. Phyſicus.

Phyſicæ obiectum adæquatum. f.163.§.1

ad Phyſicum quo modo pertineat agere de Anima. *Lege* Proœmium lib. de Anima. fol.473. & 474

Piſces.

Piſces olfacere qui ſentiant. f.680.§.34

Planetæ.

Planetæ non efficiunt perfectos circulos. fol.373.§.47

Plantæ.

Plantæ & mineralia à ſole producuntur. fol.375.§.67

Plantas viuere quibus terminis aſſerat Ariſtoteles. f.508.§.1.& ſeqq.

Plenilunium.

Plenilunio exciſa ligna, carie corroduntur. f.375.§.65

Plenilunio magis vexantur à dæmonibus arreptitij. ibid.

Potentia.

Potentia trifariam accipitur. f.168.§.12

Potentia vitalis (& obedientialis tam actiua quàm paſſiua) quomodo ſit cauſa partialis actuum ſupernaturalium. f.247.§.181.& 182

quomodo poſſit ex natura ſua coniungi cum ſupernaturali auxilio. f.248.§.184

Potentia vitalis coniuncta auxilio ſupernaturali per quid influat. §.185

Potentia vitalis ſecundum ſe conſiderata non eſt potentia obedientialis. ibid.

Potentia vitalis quo pacto ab aliis differat. fol.329.§.62

Potentia actiua aut paſſiua non augentur per *vbi* replicationem. f.329.§.64

Potentia vitalis accidentalis eſt vita in actu primo accidentali. f.517.§.75

Potentia actiua duobus modis dicitur productiua in potentia. f.229.§.38

Potentia, quę pendet à termino in commum, etiam pendet à ſingulis ſuis terminis. f.233.§.67

Potentia affectiua vocatur appetitus, & qualis. f.170.§.31

Potentia viſiua quæ dicatur. f.676.§.8

Potentia ſenſitiua quid ſit & cur ita vocetur. f.675.§.1

Potentia actiua quomodo ad aliud. f.305.§.55
Potentia libera quid ſit. f.640.§.1.2.& ſeqq.
Potentia cauſatiua phyſicè, vt actiua & paſſiua; non habent terminum vnum ſed plures in quantum plures quos æquè reſpiciunt. f.232.§.57
Potentia quid dicit in recto & connotat in obliquo. f.642.§.15
Potentia è libera mutatur in neceſſariam per mutationem extrinſeci requiſiti. f.642.§.16
an Potentia creatiua eſſet perfectior intellectu. fol. 312.§.113
an Potentia ſit poſſibilis prius ratione quàm eius effectus. f.228.§.30
Potentiæ ratio conſiſtit vt ſit proximum principium operis. f.228.§.31
an Potentia nutritiua & generatiua diſtinguantur. f.436.§.45
quando Potentia vitalis ſe exercet, ibi reperitur vera actio. f.536.§.2
de Potentia obedientiali. *Lege* ſect. XIV. à f.269. ad 276
Potentiæ vitales materiales, aliæ externæ, aliæ internæ,& quid ſunt. f.675.§.1
non poſſunt percipere obiecta ſpiritualia. §. 2. & ſeqq.
Potentiæ inter ſe ſpecie diſtinguuntur per obiecta adæquata. f.530.§.26
Potentiæ vitales ſpecificantur propriè & formaliter à ſuis actibus, remotè verò ab obiectis. fol. 531.§.33
Potentiæ intentionalis à phyſica diſcrimen. f.302. §.30
Potentiæ ratio quo pacto materiæ conueniat. *Lege* ſect. II. f.168.à §.12
Potentiæ vitales ſeipſas mouent per ſe primò. fol. 261.§.107
Potentiæ paſſiuæ ſunt natura ſua determinatæ ad ſuos effectus. f.273.§.188
Potentiæ vitales an realiter diſtinguantur ab animo. f.524.§.55.& ſeqq.
Potentiæ phyſicæ & intellectus diſcrimen.fol.233. §.63
Potentiæ phyſicæ terminus eſt exiſtens vt exiſtens. f.232.§ 59
Potentiæ intentionales irrationales non tendunt in ſua obiecta, vt ſunt formaliter vnum, aut vt conueniunt in vna ratione formali ſed vt ſunt plura à parte rei. f.230.§.47
an Potentiæ animæ fluant ab eius eſſentia.fol.252. §.23
quæ Potentiæ comitentur Animam ſeparatam. fol. 690 §.21
Potentiarum ſpecificatiua. f.526.§.75
Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

Præmiſſa.

Præmiſſa vtraque eſt perfectior concluſione. fol. 567.§63
an Præmiſſæ efficiant concluſionem. f.566.§.58
Præmiſſarum actus efficienter non influit in actum concluſionis. f.256.§.62
Præmiſſis poſitis in modo & figura, & cognita illarum diſpoſitione, neceſſitatur intellectus ad concluſionem quoad ſpeciem actus. f.562.§.30
per Præmiſſas intellectus neceſſitatur quo ad exercitium. f.563.§.33
ſine Præmiſſis actualibus poteſt intellectus aſſentiri obiecto concluſionis: ſed non per actum concluſionis. f.566.§.57
Vide Indicem Logicum.

Præmium.

Præmium proportionale reſpondet merito in tempore proportionali. f.342.§.87
nec in eo eſt libertas niſi in tempore determinato. ibidem.

Præſentia.

Præſentiæ Dei nobiſcum explicatio. fol.259.§.86. & ſeqq.

Praxis.

Praxis & ſpeculatio. *Lege* diſp. XI. f.605.606.& ſeqq.vbi multa de his actibus.

Primum.

Primum, prius, & poſterius ſimpliciter dictum de prioritate durationis & temporis intelligi voluit Ariſtoteles. f.234.§.122

Principium.

Principium quid ſit. f.164.§.1
an latius pateat quàm cauſa. ibidem & fol.165. §.2
Principij correlatiuum poſſitne dici principiatum. f.165.§.4
an de ratione Principij creati ſit vt in ſuo genere ſit prius principiato. f.165.§.5
Principium actiuum omnium proproprietatum compoſiti eſt eſſentialiter de eſſentia formæ. f.223.§.21
Principum ſitne propriè & in rigore cauſa? f.236. §.88
Principium proximum immediatè à remoto pendet. f.237.§ 100
Principium actiuum & paſſiuum cognitionis & appetitionis an idem? f.522.§.37.& f.523.§.48
Principium actiuum formaliter non recipit vllam perfectionem agendi. f.295.§.54
Principium efficiens primum quid ſit. f.276.§.1
nullum Principium ſe ſolo poteſt operari ſupra ſuam naturam, ſecus verò coniunctum principio ſupernaturali. f.273.§.193
Principio & cauſæ reſpondet terminus diſtinctæ naturæ ſecundum Philoſophos. f.225.§.6
quid ſecundum Theologos. §.7
Principia aliqua cognoſcendi adeo certa vt illis ſaltem ex natura ſua repugnet errare. fol.571. §.32
Principia rei naturalis quomodo definiantur. fol. 165.§.6.& ſeqq.
Principia quomodo opponantur. f.167.§.22
Principiorum numerus & oppoſitio. *Lege* ſect. III. f.167

Priuatio.

Priuatio eſt carentia formæ in ſubiecto apto. fol. 185.§.1
in quo differat à negatione. ibidem.
an rectè appelletur *ens reale priuatiuum.* §.2
Priuatio dicitur eſſe generationis principium. fol. 187 §.15
Priuatio quomodo ſit principium. f.187.§.18
eſt valde per accidens generationis principium. f.188.§.20
Priuatio eſt principium generationis vt terminus à quo. f.167.§.26
Priuatio vna vnius formæ. f.186.§.8
Priuatio tollitur vel per formam oppoſitam poſitiuè vel per negationem. f.186.§.12
Priuationes formæ ſubſtantialis non ſuſcipiunt magis & minus, ſecus accidentalis. f.186.§.10. & 11
Priuatio à nobis per ſenſus externos propriè non cognoſcitur. f.187. §.14. cognoſcitur per intellectum. ibidem.
Priuatio quomodo dicatur ens rationis.f.187.§.14

Prioritas. Prius.

Prioritas originis in diuinis tantum eſt ad ſignificandum

ſicandum vnam perſonam eſſe principium & originem alterius, non contrà. f.226.§.13
Prioritas naturæ non eſt in diuinis. f.226.§.15
Prioritas cauſarum. *Lege* ſect. VI. f.239
Prioritas durationis & temporis. ibidem.122
Prioritas originis. ibidem.§.123
Prioritas naturæ. f.240.§.127
Prioritas vniuerſalis reſpectu ſingularis. fol. 240. §.125
Prioritas naturæ non eſt durationis. f.352.§.3
Prioritas accidentium ad generationem oſtenditur. *Lege* ſubſect. I. & II. f.408.& 409
Prioritas naturæ cur ita vocetur. f.241.§.132
Prioritatem naturæ eſſe *prius* à *quo* non *in quo*, quomodo explicetur. f.241.§.33
inter Prius & Poſterius non poteſt fieri comparatio, niſi inter cauſam & effectum. f.242.§.136

Producere.

Producere rem quid ſit. f.174.§.66

Productiones.

Productiones omnes, quæ non fiunt media aliqua virtute intrinſeca quæ coniungatur cum termino genito, vel per ſemen, vel per aliquam aliam rationem, excluduntur à generatione viuentium. f.390.§.12

Propoſitio.

Propoſitio hypothetica propria ſitne vnus ſimplex actus. f.561.§.19
Propoſitio complexa eſt idem actus. f.561.§.20
Propoſitio obiectiua ſitne compoſita. f.560.§.15
Propoſitio mentalis an habeat propriè ſubiectum & prædicatum. ibidem.
Propoſitio maior & minor, minor item & concluſio, ſintne actus diſtincti. f.562.§.27
Propoſitio dicitur vera, vel falſa, ab eo quod res eſt, vel non eſt. f.574.§.3
Propoſitio omnis de futuro eſt determinatè vera, aut falſa determinatè. f.589.§.113
Propoſitio de futuro libero hypothetico ſeu conditionato eſt determinatè vera, vel determinatè falſa. f.594.§.150
an Propoſitio mutetur mutato obiecto. f.584.§.78
nulla Propoſitio poteſt mutari de vera in falſam, aut è conuerſo. f.580.§.59
Propoſitionem eſſe compoſitam, an verum. f.560. §.15
Propoſitiones aliquas per ſe notas cur dicamus haberi. f.562.§.25
Vide Indicem metaphyſicum.

Proceſſio.

Proceſſio Verbi diuini eſt propriè generatio. f.391. §.16
Proceſſio Spiritus ſancti cur non ſit generatio? fol. 391.§.17

Pueri.

Pueri valde calidi & humidiſſimi. f.405.§.128

Pulli.

Pulli excutiuntur ex cineribus calidis vel clibano temperato. f.471.§.50

Punctum.

Punctum non eſt vnio niſi ſit modus. f.336.§.38
Punctum eſt negatiuè idem cum parte. f.336.§.40
Punctum terminatiuum diſtinguitur à continuantè. f.336.§.42
Punctum tangit lineam in parte indeterminata. f.334.§.19
Punctum eſt in parte proportionali. f.342.§.91
Puncti ſubiectum eſt pars proportionalis. f.337. §.49
cum Puncto exiſtit ſimul pars temporis proportionalis. fol.336.§.43
à Puncto in punctum ducitur linea ex Euclide. fol. 347.§.122
Puncta figi non poſſunt niſi in ſpatio imaginario. f.324.§.26
Puncta infinita ſimpliciter, ex iiſque ſolis componi continuum, non poteſt dici. f.338.§.57
Puncta ſunt infinita ſimpliciter. §.60
Puncta ſunt etiam proportionalia & communicantia. ibidem.
Puncta proportionalia quæ dicantur. f.339.§.61
in Punctis datur primum & vltimum. f.339.§.64
Puncta determinata ſunt ſimpliciter finita. f.340. §.72
omnia Puncta non poſſunt abſque partibus conſeruari: nec è contra partes abſque punctis. fol. 340.§.73
Puncta millia non faciunt extenſionem. f.343.§.91
Puncta infinita non faciunt maiorem extenſionem. f.343.§.93
Puncta infinita non ponuntur vt ipſa creſcat extenſio, ſed vt partes vniant. f.343.§.93
Puncta tumentia non fugiunt mathematicas demonſtrationes. f.343.§.97
Puncta virtualiter extenſa non bene explicantur per puncta Zenonis. f.344.§.101
Punctorum extenſio virtualis expenditur. *Lege* ſubſect. IV. f.343.& 344
Punctorum loci non poſſunt intelligi ſine loco imaginario. f.344.§.102
Punctorum immutatione ſphæricum fit planum. fol.336.§.44

Putredo.

Putredinis mater eſt humiditas. f.405.§.129

Q

Qualitas.

Qualitas ſimplex à primis diſtincta non eſt admittenda. f.472.§.52
Qualitas in ſummo, & qualitas propè ſumma quæ dicantur. f.467.§.26
Qualitas intenſa perfectior ſimpliciter quàm extenſa. f.457.§.101
Qualitas poteſt à Deo conſeruari in loco abſque quantitate. f.326.§.39
ſi Qualitas loco mouetur per extrinſecam denominationem, Deus diceretur moueri. f.326.§.39
Qualitas remiſſa per intenſionem non corrumpitur. f.444.§.2
Qualitas intenſa manet intenſione perfecta. fol. 445.§.10
Qualitas potius conſeruat formam à qua naturaliter dimanat, quàm deſtruit. f.403.§.119
Qualitas, à qua diſponente dependet forma, habet determinatum gradum remiſſionis, ita vt in alio remiſſiori non poſſit talem formam conſeruare. f.463.§.141
Qualitas propter ſui remiſſionem impotens conſeruare vnam formam, poteſt eſſe capax ad conſeruandam aliam. f.463.§.143
Qualitas versùs extenſionem tantum poteſt protendi, quantum eius ſubiectum: ſecus in paruitate. f.463.§.144
Qualitas habet terminos intenſionis. f.462.§.137
an Qualitatis intenſio componatur ex indiuiſibilibus, & partibus infinitis ſyncategorematicè. f.462.§.136
Qualitatis naturalis intenſio infinita repugnat. fol. 320.§.62
Qualitatis affectiones ſunt intenſio & extenſio. fol. 444.§.2

Qualitatis

Qualitatis gradus an ſint ſimiles. f.453.§.65
an in Qualitate ſola conſiſtat intellectio. fol.535. §.1.& ſeqq.
Qualitatem intendi per partes proportionales, quantum eſt ex parte qualitatis ſecundum ſe conſideratæ, non repugnat. f.463.§.146
Qualitates primæ vocantur, quæ per ſe primò inſunt corporibus ſublunaribus, ſuntque radices cæterarum qualitatum materialium. fol. 466. §.18.
Qualitates ſecundæ ſupponunt primas. ibid.
Qualitates contrario carentes quomodo incipiant & deſinant. f.350.§.149
Qualitates corruptiuæ incipiunt ſucceſſiuè. f.350. §.150
Qualitates inſenſibiles ſucceſſiuè intenduntur. ibidem.
Qualitates contrariæ deſinunt intrinſecè: quia oppoſitæ incipiunt extrinſecè. f.351.§.154
Qualitates materiales penetrabiles per ſe: per aliud impenetrabiles. f.322.§.14
Qualitates primas in ordine ad aliquam actionem definire neceſſe eſt. f.467.§.21
an Qualitates recipiantur in materia. f.220.§.71
Qualitates quatuor interitum & ortum corporum moliuntur vt radices primæ. f.464.§.4
Qualitates actiuæ minus habent reſiſtentiæ quo plus habent actiuitatis. f.263.§.120
Qualitates habent diſtinctum *vbi*. f.325.§.33
Qualitates ſymbolicæ dicuntur quæ conueniunt nomine. f.470.§.45
Qualitatum per ſingula elementa partitio. f. 467. §. 26

Quantitas.

Quantitas iuuat materiam ad receptionem. f.220. §.71.& 73
Quantitas exiſtit ſine reſpectu ad Deum vt creantem. f.307.§.69
Quantitas ſine nouo ente non poteſt Deum reſpicere vt creatorem ſui. f.307.§.70
Quantitas ſine nouo modo nequit exiſtere. f.307. §.71
Quantitas eget modo diſtincto. f.307.§.76
Quantitas eſt indifferens ad plures cauſas. fol.307. §.77
Quantitas nequit exiſtere ſine modo intrinſeco. f.304 §.49
Quantitas in materia tantùm recipitur. f.218.§.58
cur Quantitas non recipiat qualitates & ipſæ qualitates producant alias. f.221.§.8
Quantitas ſecundum ſe eſt dependens à ſubiecto. f.303.§.46
Quantitas ſe ſola non fundat independentiam à ſubiecto. f.303.§.43
Quantitas eſt naturâ prior generatione. fol.409. §.11
Quantitas exiſtit ſine creatione ſui. f.305.§.56
Quantitas ſeparatur à creatione. f.299.§.11
augmentum Quantitatis molis & augmentum quantitatis virtutis quomodo fiant. f.450.§.48. & 49
Quantitatis creatio, & cuiuſuis rei, natura ſua à ſubiecto pendentis, diſtinguitur realiter à quantitate. f.305.§.56
Quantitatis creatio eſt accidens. f.308.§.82
Quantitatis & Angeli creatio diſtinguitur. f.305. §.57
Quantitatis productio diſtinguitur ab ipſa quantitate. f.288.§.10
Quantitatis creatio eſt modus ab ipſa & Deo diſtinctus. f.307.§.73
ad Quantitatem non eſſe per ſe motum, an verum. f.437.§.54
in Quantitate creatio eſt modus, non res abſoluta. f.307.§.78

Quies.

Quies ſumi poteſt & pro carentia motus in termino *à quo*, & *ad quem*: & an & quomodo motui opponatur. f.296.§.74
Quies in termino *à quo* etiam opponitur quieti in termino *ad quem*. f.296.§.75

R

Rarefactio. Raritas. Rarum.

Rarefactionis radix. *Lege* ſect.V. f.443
an Raritas ſit motus ad nouam quantitatem. *Lege* ſect. II. f.437
in Raritate neque acquiritur maior quantitas, neque in denſitate deperditur, nec etiam noua corpora attrahuntur, aut depelluntur. fol.441. §.29
Rarum reſpectu vnius eſt denſum reſpectu alterius. f.444.§.47
Rarum eſt (ex Ariſtotele) quod ſub magnis dimenſionibus parum habet materiæ. f.437.§.1
Rari ratio formalis in quo conſiſtat. f.443.§.43

Ratio.

Ratio formalis & cauſa formalis quo pacto differant. f.400.§ 89
Rationis vſus quomodo impediatur. fol. 621. §.85
Rationem communem æqualiter reperiri in ſingularibus, & æqualem reperiri, non idem. f.504. §.195
Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

Reactio.

Reactio eſt mutua ſeu reciproca actio. fol. 264. §.128
non conuenit rebus materia diuerſis. ibid.
fit dupliciter. §.129

Receptio.

Receptio materiæ duplex. f.199.§.56.& 57

Relatio. Relatiua.

Relatio non diſtinguitur à qualitate in qua fundatur. f.297.§.81
de Relatione cauſæ ad effectum *Lege* ſubſect. II. f.217
Relationes prædicamentales an ex eo diſtinguantur, quod poſſint eſſe in diuerſis locis. fol.207. §.124
Relationes prædicamentales an ſint diſtinctæ ab extremis. f.207.§.125
Relatiua ſimul ſunt natura & cognitione. fol.239 §.123
Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

Repaſſio.

Repaſſio eſt recipere ex ſubiecto in quo agit aliquam qualitatem: *vel*, eſt mutua paſſio. fol.264. f.128. fit duobus modis. ibidem.

Res.

Res materialis quid ſit. f.333.§.12
Res omnes quomodo præſentes Deo in æternitate. f.589.§.115
Rei materiali repugnat extenſio virtualis. fol.343. §.98
Res dupliciter intrinſeca. f.351.§.159
Res indiuiſibilis penetratur cum tangente. f.343. §.91
Res ſpiritualis habet virtualem extenſionem. fol. 345.§.111

Res omnis ſpiritualis ſit ne indiuiſibilis. fol. 485. §.19.& ſeqq.
Rei corporeæ conceptus non poteſt ſumi per dependentiam à quantitate. f.486.§.38
non explicatur adæquatè per dependentiam à materia prima. f.487.§.39
non eſt impenetrabilitas naturalis. §.41
Res vt exiſtens dupliciter poteſt cognoſci. fol.597. §.10
Res cum incipit intrinſecè, moueri non poteſt ſucceſſiuè. f.352.§.162
Res incorruptibilis & corruptibilis quæ ſint. fol. 401.§.99
Res omnis intrinſecè ſpectans ad compoſitionem integrantem ſubſtantiæ, aut quantitatis, eſt intrinſecè corporea. f.490.§.67
Res non poteſt ſimul incipere & deſinere extrinſecè, ſecus intrinſecè. f.333.§.17
Res omnis corporea aut eſt compoſita partibus integrantibus, aut pertinet intrinſecè ad eam compoſitionem. f.490.§.72
Res ſpiritualis vt ſic, eſt quæ caret compoſitione integranti. f.490.§.74
Rem ſpecificari quid ſit. f.526.§.75
Rem abſolutè eſſe futuram quid ſit. f.584.§.82
Res duæ poſſunt eſſe mutuo ſimiles & diſſimiles. f.503.§.187
Res vniuerſales quo pacto cognoſcantur in ſingularibus. f.534.§.61
Res dupliciter incipiunt & deſinunt. f.350.§.149
Res indiuiſibilis incipit ſecundum ſe totam. ibid.
Res quæ deſinunt totaliter, intrinſecè deſinunt. f.351.§.155
Res poſſunt deſinere intrinſecè vel totæ vel per partes. ibidem.
cum Res deſinit intrinſecè, eius contraria incipit extrinſecè, & econtra. f.351.§.156
Res diuerſarum ſpecierum completarum non poſſunt continuari. f.456.§.93
Rerum gradus quatuor. f.516.§.70

Reſiſtentia.

Reſiſtentia paſſi quid & quotuplex ſit. *Lege* ſect.X. f.263.

Reſolutio.

an Reſolutio fiat vſque ad materiam primam. fol. 393.§.37.& ſeqq.

Reſpectus.

Reſpectus mutuus eſt inter effectum & cauſam. f.235.§.84

Reuelatio.

Reuelatio quæ euidenter cognoſcitur, non poteſt fide credi. f.605.§.75

Rheumata.

Rheumata non purgata mentem hebetant. f.679. §.30

Rotunditas. Rotundum.

Rotunditas æqualis lineis & punctis. f.335.§.26
Rotundum & planum tanguntur in parte proportionali. f.335.§.27

Ruſticatio.

Ruſticatio quid ſit, an creetur vel generetur. fol. 216.§.38

S

Sanguis.

SAnguis humanus informatur animo rationali. fol.480.§.40

Sapor.

Sapor eſt qualitas ex primarũ temperamento orta ex mixtione partis ſiccæ & terrenæ. f.680.§.35

Saturnus.

Saturnus frigiditatem influit & melancholiam. f.366.§.36
Saturnus & vltima ſphæra eodem tempore conficiunt ſpatium inæquale. f.348.§.131
ſub Saturno nati, ſunt melancholici. f.375.§.68

Scholaſtici.

Scholaſtici aſſiduo ſtudio, ſtomacho deficiente, fiunt phlegmatici. f.376.§.69

Scientia.

Scientia ex Ariſt. eſt cognitio rei per cauſam f.564. §.40
Scientia & naturalis fides, vel opinio cum formali formidine aut dubio, non poſſunt eſſe ſimul. f.603.§.59
Scientia deducta ex medio euidenti cum fide, vel opinione deducta ex medio falſo, poſſunt eſſe ſimul. f.603.§.60
Scientia & fides, vel opinio ſine formidine, rectè poſſunt eſſe ſimul. f.603.§.61
Scientia eſt infinita, quia terminatur ad omne ſcibile. f.315.§.25
Scientia practica dirigit potentiam ad obiectum efficiendum. f.605.§.2.& f.607.§.15.
Scientia ſpeculatiua ſiſtit in ſola contemplatione obiecti. f.605.§.2
an Scientia noſtra deſtruatur in Patria. f.690.§.24
an Scientia practica ſit circa opus liberum. fol.606. §.8.& ſeqq.
Scientiæ & fidei habitus an oppoſiti. f.604.§.72
in Scientiis vnitatem obiecti non exigit Aureolus, niſi ex modo tendendi circa illud. f.231.§.47

Scripta.

Scripta *verba* vocantur ab Auguſtino. f.554.§.156

Semen.

Semen variè à variis definitur. f.414.à §.41
Semen rubrum emittunt homines frequenter habenas veneri laxantes. f.415.§.44
Semen fieri ex oberrantibus ſpiritibus, probant medici. f.415.§.45
Semen eſt ſubſtantia humida & calida. f.402.§.114
Semen an magis ſiccum quàm humidum. fol.403. §.115
Semen iam elaboratè perfectum non animatur. f.481.§.48
Semen facilè continetur terminis alienis, difficilè propriis. f.403.§.115
Semen nullum verum effici à fœminis, ſentiunt multi ac graues authores: ſed impugnantur. f.417.à §.57.
Semen habet partem aliam ſpumoſam & albam, aliam ſpirituoſam. f.403.§.116
Semen fœminæ potius requiritur ad exactam mixtionem, quàm ad concurſum actiuum in fœtum. f.422.§.83
Semen viri eſt neceſſarium ex natura rei ad generationem. f.422.§.85
Semen vtrumque concurrit actiuè ad efformanda organa. f.422.§.86
Semen virile paſſiuè concurrit ad fœtum, ita vt in eius materiam inducatur rationalis animus. fol. 421.§.87
Semen calidum viraginis, traiectum in vterum temperatæ, prægnantem hanc efficiet. fol.421. §.80
Semen emittunt fœminæ. f.416.§.49
Semen nec pueris, nec ſenibus eſt. f.415.§.44
Seminis materiam bipartiuntur medici. fol. 414. §.48

Senectus. Senex.

Senectus ipſa eſt morbus. f.407.§.142.& 143

Senes cur delyrent. f.611.§.85

Senſibile.

Senſibile commune quid ſit,& an propriam gignat ſpeciem. f.620.§.78

Senſibile poſitum ſupra ſenſum non poſſe ſentiri, an dici poſſit de omni ſenſu. f.680.§.37

Senſio.

Senſio ab anima pendet efficienter, & paſſiuè à materia. f.522.§.36

an Senſio recipiatur in animam. f.523.§.45.& 46

Senſus.

Senſus materialis non percipit obiecta inſenſata. f.682.§.47

Senſus externus & internus habet ſpecies impreſſas ſuorum obiectorum. f.612.§.16

Senſus communis an diſtinguatur à phantaſia. fol. 681.§.41.42.& ſeqq.

Senſus communis vnde ſpecificetur. f.527.§.75

Senſus communis cum ſit vnus numero multipliciter nominari & concipi poteſt propter munera multiplicia quibus fungitur. f.683.§.52

Senſus communis an ſit in cerebro. *Lege* ſect.IX. f.683

Senſus internus & eius obiectum monſtrantur. *Lege* ſect. VI. f.680. & 681.§.40.& 41.

Senſus decipi non poteſt circa ſenſibile in genere. f.680.§.39

Senſus quo pacto corrigendus. f.395.§.52

Senſus noſtri percipere non poſſunt obiecta ſpiritualia etiam diuinitus. f.675.§ 3

an Senſus forment verba. f.558.§.191

Senſus materiales non poſſunt adæquatè ineſſe animæ rationali. f.522.§.40

Senſus externi ex natura ſua feruntur in obiectum præſens exiſtens. f.680.§.38

Senſibus familiaria difficilius definiuntur. f.467. §.21

Separatio.

Separatio eſt violenta toti compoſito. f.689.§.12

Separatio eſt in fieri violenta animo. f.689.§.13

Separatio in facto eſſe,ſiue ſtatus ſeparationis non eſt violentus animo. f.689.§.14

Separationis ſtatus nec eſt præter nec ſupernaturalis. f.690.§.19

Siccum.

Siccum eſt quod facilè propriis continetur terminis, alienis verò difficilè. fol.403.§.15.& 464. §.25

Simile.

Simile non agere in ſimile, quo pacto explicetur. f.460.à §.121.ad 127. incluſiuè.

Similium & eorundem an eadem definitio. f.502. §.179

Similitudo.

Similitudo & imago differunt. f.391.§.15

Similitudo capitur ab Ariſtotele pro conuenientia duarum rerum in aliqua qualitate. f.502.§.178

Similitudo formaliter eſt in eo quod duæ res habeant vel vnum prædicatum realiter, vel duo, quorum alterum ſit tale quale eſt aliud. f.502. §.182.& f.503.§.184

Similitudo & diſſimilitudo an opponantur. f.506. §.206

Similitudo & diſſimilitudo duarum rerum an poſſint eſſe reciprocæ. f.503.§.187.& ſeqq.

Similitudo eiuſdem rei non negatur diſſimilitudine. f.503.§.191

Similitudo & diſſimilitudo ſola ratione diſtinguuntur. f.504.§.192

Similitudinis ab æqualitate diſcrimen. *Lege* ſubſect. I. f.501.& 502

Simul. Simultas.

Simul aliqua fieri quomodo intelligatur. fol. 378. §.19

Simultas tot modis dicitur quot prioritas. f.243. §.148

Singulare.

Singulare accidentale prius cognoſcitur quàm ſubſtantiale. f.533.§.58

Sngularia prius aliquando cognoſcuntur quàm vniuerſalia. f.533.§.55

Vide Indiuiduum & Indices Logicum & Metaphyſicum.

Sitis.

Sitis vera expletur neceſſario potu: non naturalis augetur ipſa aqua & in hydropem vergit. fol. 417.§.55

Situs.

Situs non diſtinguitur ab *vbi* circumſcriptiuo. f.297.§.81

Situs non diſtinguitur ab vbicatione circumſcripta. f.326.§.44

Situs & figura mutantur, cum *vbi* mutatur. f.327. §.45

Sol.

Sol multum excedit terram. f.370.§.29

Sol natura ſua deſideratur à cæteris orbibus vt illius lumine perfundantur, & decorentur. fol. 365.§.33

Sol in exiſtentia an pendeat à luce. f.228.§.30

Sol obſcurandus eſt extremo iudicij die. fol.367. § 49. cur occidere dicatur. ibid.

Solem propriè non videmus. f.413 §.34

Solem ſeptuplo lucidiorem noſtro creabit Deus poſt vltimum iudicij diem. f.463.§.139

Solem quarta die non productum fuiſſe, quoad ſubſtantiam, ſed illi fuiſſe diſtributam lucem, exiſtimat P.Pererius. f.387.§.92

Solem & ſtellas Deus fecit ex aqua, quæ erat in eodem loco in quo productæ fuerunt ſtellæ,fol. 387.§.94

vnde oritur Solem reſpectu noſtri,modò altiorem, modò maiorem, modò minorem arcum perficere: ſiue magis in meridie eleuari? f.373.§.47

Somnus.

Somnus verus & naturalis ceſſat coctione iam effecta. f.417.§.55

Sonus.

Sonus cur non auditur cum primum fit, vt lux. f.679.§ 27

Sonus eſt qualitas producta conſequenter ad motum quo aër corpore duro verberatur & cum ipſo motu fluit. f.678.§.23

Spadones.

in Spadonibus eſt rabies non luxuria. f.416. §.52. & f.417.§.55

Spatium.

Spatium imaginarium explicatur. f.322.§.15 impugnatur. f.323 §.16

Spatium imaginarium concipitur abſque extenſione virtuali. f.344.§.99

in Spatiis imaginariis Deus & creatura ſunt. fol. 323.§.20.& ſeqq.

Species.

Species in diuerſa ſignificatione ſumitur ab Animaſtico ac à Logico. f.553.§.155

Species alia impreſſa, alia expreſſa, & quid ſint. f.553.& 554.§.155

Species ab Animaſticis quomodo ſumatur. fol. 610.§.1

Species impreſſa eſt qualitas quæ loco obiecti præbetur potentiæ cognoſcitiuæ, vt ſimul cum illa con

concurrat ad actum. fol.610. §.1
datur Species impreſſa potentiæ viſiuæ quam vocant viſualem ſiue viſiuam. f.610.§.2
Species impreſſa Dei poſſitne dari. fol.612.§.23. & ſeqq.
Species quomodo concurrat ad actum. fol.617. §.56
Species quomodo corrumpatur? f.621.§.83
Species ſenſibilis communis obiecti non eſt diſtincta ab ſpeciebus ſenſibilis proprij. f.620.§.80
Species auditiuæ an dentur. f.611.§.7
dantur olfactiuæ. §.9
Species impreſſæ quorum obiectorum ſint vel eſſe poſſint. f.612.§.16.& ſeqq.
Specie differre quid ſit. f.507.§.115
Speciei, quando excitatur ad operandum, quid addatur. f.621.§ 84
Species ſpirituales dantur in intellectu. f.611.§.14
Species duæ intentionales ſolo numero diſtinctæ, & duæ cognitiones de duobus indiuiduis eiuſdem ſpeciei a,n poſſint eſſe ſimul in eadem potentia. f.262.§.111.& 112
Species omnes eiuſdem obiecti, & diuerſorum obiectorum eiuſdem ſpeciei ſunt continuæ duplici continuatione. f.620.§.75
cauſæ actiuæ principales Specierum ſenſuum externorum non ſunt ſubſtantiæ. f.621.§.82
Specierum indiuiſibilitas. *Lege* ſect. V. f.619
Vide Indicem Logicum.

Spectra.

Spectra *phantaſma* vocantur. f.681.§.41

Sphæra. Sphæricum.

Sphæra actiuitatis *vide* actiuitas, agens.
an Sphæricum fiat planum ſine punctorum mutatione. f.336.§.44

Spiritus.

Spiritus multifariam capitur in ſcriptura. fol.482 §. 1
Spiritus eſt ſubſtantia ſubſiſtens perfectè carens partibus integrantibus. f.489.§.61
an Spiritus ſancti proceſſio ſit generatio. fol. 391. §.17
Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, quomodo id explicetur. f.379.§.28.& 29
Spiritus vitales & animales. f.436.§.52

Stella.

de Stella Caſſiopea viſa anno 1572. *Lege* §§. 44. 45.& 46. f.367
Stellæ quoad ſubſtantiam non productæ fuerunt quarta die, ſed illis fuit diſtributa lux, ſecundum P.Pererium: ſed hoc impugnatur. fol.387.§.92. 93.& 94
Stellæ errantes *vide* Errones.
Stellarum numerus. *Lege* ſect. II. f.370.& 371
Stellarum globi vocantur metaphoricè cæleſtes ignes. f.364.§.18

Suaueolentia.

Suaueolentia eſt maximum integritatis & ſalubritatis ſignum. f.680.§.32

Subiectum.

Subiectum nunquam caret omni forma, nec habet duas oppoſitas. f.350.§.151
Subiectum agendi poteſt duobus modis applicari. f.409.§.12
Subiectum vnionis. *Lege* ſect.V. f.200
Subiectum & terminus qui differant. f.203.§.86.
Subiectum creationis multos diuiſit. f.308.§.79
à Subiecto dependet creatio *vt quo.* f.308.§.85

Subſtantia.

Subſtantia vnde dicatur. f.172.§.46
Subſtantia alicuius rei eſt eius eſſentia. f.188.§.1
cur dicatur primus conceptus phyſicus rei. §.3
Subſtantia & accidens non diſparantur per dependentiam à ſubiecto. f.308.§.81
Subſtantia quælibet metaphoricè dicitur natura ab Ariſtotele. f.223.§.15
Subſtantia, eſſentia, & natura rei an idem. f.188.§.4
an Subſtantia poſſit eſſe ſupernaturalis & eſſe natura. f.221.§.3
Subſtantia creata non efficit immediatè accidentia in ſubiecto à ſe diſtincto. f.251.§.22
Subſtantia quæuis (excipe materiam primam) efficit in ſe ſuas naturales proprietates. f.262.§.23
Subſtantia immediatè producit aliam ſubſtantiam f.252.§.28
Subſtantia in prædicamento accidentis quo pacto conſtituatur. f.550.132
an Subſtantia aliqua compoſita integraliter carens compoſitione eſſentiali, ſit poſſibilis. fol. 488. §.55.& ſeqq.
Subſtantia operantur mediis inſtrumentis vitalibus. f.524.§.56
Subſtantiæ nihil contrarium propriè. f.479.§.35
an ex Subſtantia & accidenti fiat vnum per accidens. f.174.§.58
in Subſtantiam immediatè non influunt accidentia. f.256.§.63

Subſiſtere. Subſiſtentia.

Subſiſtere eſt vlterius non progredi. f.177.§.88
Subſiſtentia quid ſit, & quotuplex ſit. f.177.à §.84. ad 89
Subſiſtentia materiæ & compoſiti materialis. ibid. per totam ſect.
Subſiſtentia an idem quod ſuppſiotum, hypoſtaſis, vel perſonalitas. f.178.§.94.& 95
Subſiſtentia animi inſinuatur. f.306.§.62

Superficies.

Superficies non eſt locus. f.321.§.3
Superficies eſt in loco. f.321.§.5

Supernaturalitas.

Supernaturalitas an poſſit eſſe ſine vitalitate. f.257. §.68. abſtrahitur ratione à vitalitate. ibidem.

Suſpicio.

Suſpicio eſt actus intellectus, quo coniectura probabili opinamur hoc aut illud fieri. f.605.§.80

Syderis.

Sydera non tam natiuo lumine quàm à ſole mutuatiuo ſplendeſcunt. f.375.§.64

Syllogiſmus.

Syllogiſmum obiectiuum repræſentare eodem actu formaliter, an quis poſſit. f.567.§.64
Vide Indices Logicum & Metaphyſic.

T

Tactus.

TActus vnde ſpecificetur. f.527.§.75
Tactus eſt ſenſus, per totum corpus diffuſus, varia ſentiens obiecta. f.680.§.36.
de Tactu non poteſt dici, *ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non poteſt ſentiri*, & cur. f.680.§.37
Tactus ex vno latere ſufficit ad penetrationem. f.346.§.116

Temperamentum.

Temperamentum eſt ſtatus cuiuſque rei, ſiue complexio. f.472.§.52
Temperamentum *ad pondus* dicitur, quando quatuor qualitates æqualibus ponderibus librantur. f.472.§.53
Temperamentum *ad iuſtitiam* eſt, quod datur vnicuique corpori iuxta ſuam exigentiam. fol.472. §.53.duplex eſt. ibidem.

Tempus.

Tempus eſt continuum ſucceſſiuum, conſtans punctis & partibus diuiſibilibus. f.349.§.136
Tempus definiuit Ariſtoteles, eſſe numerum motus ſecundum prius & poſterius. fol. 349. §. 136
Tempus quid dicatur communiter. f.349.§.141
Tempus præteritum, præſens & futurum. *Lege* ſectio.VI. cum ſubſectionibus.f.584.585.& ſeqq.
Tempus habet realem compoſitionem, & vnionem partium. f.340.§.76.& f.342.§.89
Tempus non dicitur velocius aut tardius. fol.350. §.142
an Tempus ſint quatuor Angeli immediatè producti. f.340.§.77
Tempus exiſtit per partes proportionales. fol.341. §.79
nulla pars Temporis determinata eſt tota præſens. f.341.§.80
Temporis indiuiſibilia vocantur *inſtantia, momenta, mutata eſſe.* f.349.§.138
in Tempore eſſe quæ dicantur. f.349.§.141
in Tempore ſunt inſtantia realia. f.336.§.37
Vide Indicem Metaphyſicum.

Tenebræ.

Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, quo pacto id intelligendum. f.379.§.27

Terminus.

Terminus *ad quem* motus, eſt ille ad quem acquirendum mouemur; *vel,* eſt finis ad quem dirigitur motus. f.292.§.43
Terminus *quo* & formalis eſt forma ad quam motus dirigitur. f.292.§.44
Terminus *à quo* motus eſt id quo deſtructo fit terminus *ad quem.* f.291.§.39
Terminus *à quo* ſolet eſſe poſitiuus & priuatiuus, & an vterque requiratur ad motum. fol. 292. §.42
Terminus ſub ratione termini non eſt potentia. f.208.§.132
Terminus potentiæ phyſicæ eſt exiſtens vt exiſtens. f.232.§.60
Terminus in ratione termini non perficitur re quam terminat. fol.203.§.85. & f.205.§.100.& f.208.§.132
an Terminus motus intrinſecè denominetur à motu, an verò extrinſecè ſolum. f.293.§.50
Termini variæ acceptiones. f.204.§.93
Termini magnitudinis aut paruitatis quatuor. f.462.§.137
Termini intrinſeci, & ſubiecti differentia. *Lege* ſubſect. I I. f.203.& 204
Termino neque actio neque paſſio inhærent. fol. 294.§.57
Termino mutato vel in toto, vel in parte, mutatur eſſentialis ordo ad illum. f.233.§.67
à Termino in ſingulari æquè ac in communi pendet potentia phyſica. f.232.§.66
Vide Indicem Logicum.

Terra.

Terra primo die producta. fol.378.§.22. & f.381. §.46
an Terra grauitet. f.384.§.64.& 66
cur Terra non prolabatur, aut quibus columnis fulciatur. f.384.§.67
an Terra trepidet motu aliarum rerum. *Lege* ſubſect. I I. f.384.385.& 386.præcipuè §.76
an Terra quoad ſubſtantiam immutanda ſit. f.388. §.105
Terra ſummam habet ſiccitatem. f.467.§.26
arida per antonomaſiam dicitur. ibid.

Terra & mare vnum faciunt globum, licet non perfectè ſphæricum. f.387.§.90
Terræ nomine quid intelligendum, cum dicitur: *In principio creauit Deus cælum & terram.* f.379. §.26
Terram eſſe maiorem Luna vnde oſtendant Aſtrologi. f.370.§.28
Terram multum excedit Sol. f.370.§.296

Timor.

Timor in ariete cur excitetur viſo lupo. fol.682. §.49

Totum.

Totum à partibus quomodo diſtinguat Ariſtoteles. f.212.§.15
Totum non componitur ex cauſis adæquatis. fol. 212.§.12
Totum quomodo fiat. f.212.§.17

Tranſitus.

Tranſitus eſt deſitio vnius rei in aliam. f.393.§.30

Trinitas.

à Trinitate ad nos malum eſt argumentum. f.300. §.15

Tunicæ.

Tunicæ oculorum quinque. f.676.§.10

Tuſſire.

Tuſſire hominem vnde oriatur. f.679.§.28

V

Vacuum.

VAcuum communiter eſt *locus vacans corpore, aptus illo repleri.* f.331.§.78
Vacuum propriè quid ſit. ibid.
Vacuum repugnare naturaliter, quî probetur. ibid. & §.79
Vacuum Angelica virtute fieri non poteſt. f.331. §.80
in Vacuo non poteſt eſſe motus inſtantaneus. f.331.§.82

Vapores.

Vapores ab Ariſtotele vocantur *fumes.* f.380.§.40. ſub finem.

Vbi. Vbicatio.

Vbi circumſcriptiuum quid ſit. f.322.§.13
Vbi definitiuum quid ſit. ibid.
Vbi animi extenditur ad locum corporis. fol.344. §.103
Vbi eſt forma qualitatum. f.326.§.38
Vbi quantitatis partibus conſtat. f.326.§.43
Vbi Euchariſticum Chriſti quale. ibid.
Vbi penetrationis non conſtituit figuram. f.326. §.44
Vbi circumſcriptiuum non negat aliud in alio loco, ſed aliud corpus in ipſo loco. f.327.§.47
Vbi definitiuum & circumſcriptiuum æqualem dicunt negationem aliorum. f.327.§.49
Vbi modorum an diſtinctum ab *vbi* rerum abſolutarum. f.326.§.41
Vbi ſingula an ſint rebus ſingulis. ibid.
Vbi non poteſt exiſtere niſi actu conſtituendo in loco. f.325.§.34
Vbi quantitatis non attingit immediatè qualitates. f.325.§.36
Vbicatio quid ſit. f.321.§.7
Vbicatio eſt intrinſeca mobili. §.8
Vbicatio non eſt præſentia ad ſuperficiem. §.9
Vbicatio explicatur per diſtantiam & indiſtantiam. f.322.§.10
Vbicatio definitiua cur ita dicta. f.322.§.13
Vbicatio non pendet realiter ab ſpatio. fol. 323. §.17

Vbicationes duæ tantum opponuntur contrariè, vel quaſi contrariè. f.330.§.76

Vegetabile.

an Vegetabile ſit viuens. *Lege* ſect.I.f.508.& ſeqq.

Velocitas.

Velocitas non eſt modus diſtinctus à motu. f.350. §.144

nec eſt de eſſentia motus. §.145

Velocitas eſt entitas motus connotans breuius aut longius ſpatium temporis. f.350.§.146

Velocitas eſt extrinſeca. §.147

Venus.

Venus quid ſignificet & vnde dicatur. f.415.§.47

Venus cur impudica cenſeatur. f.366.§.36

Verbum.

Verbum à Grammaticis & Philoſophis qua ratione ſumatur. f.554.§.156.& ſeqq.

Verbum non eſt perfectibile per vnionem creatam. f.205.§.102

Verbum ab intellectu efformatum eſt idem cum ſpecie expreſſa producta per actionem intelligendi. f.554.§.157

Verbum ab Angelis efformatur in cognitione ſui. f.556.§.171

Verbum communiter ſumitur pro termino realiter diſtincto à loquente. f.558.§.190

Verbum formaliter eſt cognitio. f.557.§.181

Verbum quomodo à Scripturis ſanctis definitum. ibidem.

Verbum eſt imago Patris. f.391.§.17

Verbum & Spiritus ſanctus ſunt æquales in perfectione relatiua. f.502.§.177

cur Verbum dicatur intrinſecè vniri & denominari humanitate, non verò mutari aut affici intrinſecè. f.204.§.99

cur proceſſio Verbi Diuini ſit propriè generatio. f.391.§.16

à Verbo pendere humanitatem & non cauſari, an verum. f.224.§.2

ſine Verbo nulla reperitur intellectio creata. f.554. §.160.& ſeqq.

an in Verbo materia exiſtat per formam. fol.184. §.47

Verba ſed imperfecta formantur à ſenſibus ſuo modo. f.558.§.191

Vide Indicem Logicum.

Veritas.

Veritas aut falſitas ſunt attributa actuum veri, & falſi. f.579.§.49

Veritas aut falſitas ſimpliciter non ſunt niſi in iudicio. f.574.§.10

an Veritas diſtinguatur ab actu vero. *Lege* ſect.III. f.574.575.576.& ſeqq.

Veritas formaliter ex natura rei eſt idem cum actu intellectus. f.578.§.36

an Veritas ſit in ſimplici apprehenſione. *Lege* ſectio.II. f.574.§.5.& ſeqq.

an Veritas ſit immutabilis. f.583.§.78

Veritas propoſitionis de futuro. *Lege* ſect. VI. f.584.585.& ſeqq.

an Veritas conſiſtat in conformitate actus cum obiecto. f.573.§.1.& 2.f.574.§.3.& 4

Veritatem & conformitatem cum obiecto variari poſſe dupliciter oſtendit S.Thomas. f.583.§.78

Vide Indices Logicum,& Metaphyſicum.

Verum.

Verum eſt in intellectu, ſecundum quod conformatur rei intellectæ. f.556.§.170

Verum eſt idem realiter cum ente. f.232.§.56

Virago.

Viraginis ſemen calidum ſi à dæmone in vterum temperatæ traiiciatur, hæc prægnabit & pariet. f.421.§.80

Virga.

Virga infinita poteſt reuniri. f.316.§.35

Virga infinita poteſt moueri deſerendo terminum *à quo* infinitum. f.316.§.36

Virga obliqua cognoſcitur vt ratione diſtincta à ſe ipſa directa. f.533.§.54

cur Virga in aqua ſemidemerſa repræſentatur vt inflexa,cum ſit recta. f.678.§.20

Virginitas.

Virginitas in conceptione (ait Scotus) non violatur niſi per actionem viri rumpentis genitalia. f.419.§.67

Virginitatem amitti ſeminis effuſione, licet non ſit cum viro vel fœmina,an verum ſit. fol.419. §.65.& 67

Virgo.

Virgo integerrima ſemper fuit. f.419.§.67

Virginem eſſe integriorem, ſi abſque proprio ſemine conciperet,nonnulli arbitrati,aſſeruêrunt mulieres quidem ſemen efficere, idque non eſſe neceſſarium; ac proinde abſque illius concurſu B. Virginem potuiſſe eſſe Matrem Chriſti: ſed impugnantur. f.419.§.68

Virilitas.

Virilitas ætatum perfectiſſima. f.621.§.85

Videre. Viſibilia. Viſio. Viſus.

Videre aliquid quid ſit. f.676.§.8

Viſibilia interminata quæ dicantur. f.677.§.13

Viſio infinitè intenſa Deum non comprehendit. f.317.§.40

Viſionem fieri per extramiſſionem, quid ſit, & an verum. f.678.§.19

cur Viſus dicatur tendere in albedinem.f.231.§.53

Viſus habet ſpeciem,quæ viſualis ſiue viſiua appellatur. f.610.§.2

Viſus eſt potentia vitalis,materialis,percipiens ſolum colorem & lucem. f.676.§.8

Viſus principem locum tenet in homine, & cur. ibidem.

Viſus obiectum eſt lumen, & quid hoc ſit. f.677. §.12

Viſum diſgregat albedo,diſſipando in oculis ſpiritus ſenſorios. f.678.§.18

ad Viſum,tanquam ad lydium lapidem, reuocantur quæ non poſſumus tactu aut guſtu diſcernere. f.676.§.8

Vita.

Vita intentionalis creata,vt eſt intentionalis creata,eſt formaliter vita phyſica. f.537.§.16

Vita phyſica intellectus in actu ſecundo eſt etiam vita intentionalis. f.537.§.17

Vita materiæ ſubſtantialiſne, an accidentalis. f.475.§.4

Vitalitas.

Vitalitas ratione abſtrahitur à ſupernaturalitate,& è contra. f.257.§.68

Vitalitas vnionis. *Lege* ſubſect. III. f.545

Vitalitas actionis illi eſt eſſentialis. f.546.§.94

Vitalitas qualitatis productæ per actionem vitalem illi eſt intrinſeca & eſſentialis:diſtincta quidem à vitalitate actionis. f.546.§.95

Vitalitatem formaliter oriri à potentia, & non ab habitu,quo pacto intelligendum. f.257.§.67

tot Vitalitates in actu vitali reperiuntur,quot partes requiſitæ ad rationem intellectionis & intelligentis. f.546.§.97

Viuentia.

Viuentia perfecta à quo principio procedant. f.254.§.47

Viuentia in actu primo quæ ſint.f.517.§.71.& ſeq.

an Viuentium ſit propriũ corpus habere organicum. *Lege* ſect. II. f.476

Viuentia per nutritionem nouas partes acquirunt & deperdunt per diminutionem. fol.217. §.48

Viuentium partes ſunt ſubſtantialiter abſimiles. f.496.§.127.& 161

Viuentium perfectorum formæ cur non conſeruantur diuiſæ, ſicut formæ brutorum imperfectorum. f.494.§.107.& ſeqq.

Vngues.

Vngues animantur. f.481.§.51

Vnio.

Vnio latè ſumpta eſt quæcumque coniunctio ex qua fit vnum quauis ratione. f.192.§.1

quid preſsè ſumpta. ibidem.

Vnio propriiſſimè ſumpta eſt coniunctio duarum rerum ex quibus compoſitum vnum efficitur. ibidem.

Vnio eſt indiuiſio duarum rerum. f.205.§.110

Vnio perficit extrema. f.200.§.60

Vnio ſupponit partes. f.332.§.5

Vnio eſt intrinſeca perfectio materiæ & formæ. f.200.§.59

Vnio eſt ratio formalis per quam obiectum & forma exercent ſuas cauſalitates in compoſitum. f.545.§.89

Vnio eſt de eſſentia compoſiti. f.214.§.29

Vnio eſt ratio formalis qua partes cauſant compoſitum. f.215.§.34

Vnio exigitur ad duo. f.460.§.122

Vnio eſt terminus formalis generationis compoſiti. f.292.§.47

Vnio adæquatè conſiſtit in perfectione materiæ & formæ. f.205.§.10

Vnio non poteſt eſſe prior compoſito. f.215.§.33

Vnio extremorum formaliter eſt idem cum ipſis extremis. f.560.§.12

Vnio animi rationalis non oritur ab ipſo,naturali emanatione,nec libera actione. f.414.§.37

Vnio animæ non fit à ſolo Deo. f.414.§.39

Vnio qualitatis ad intellectum non ſpectat ad conceptum formalem intellectionis, ſed ad conceptum intelligentis. f.543.§.89

Vnio ſe tenens ex parte animi eſt ſpiritualis.f.491. §.76

Vnio animi rationalis ex natura rei diſtincta eſt ab ipſius animi productione. f.197.§.34

Vnio formæ materialis & eius productio ſunt idem ex natura rei. f.197.§.35

Vnio non eſt cauſalitas materiæ in formam.f.198. §.46

Vnio materiæ & formæ eſſentialiter includit informationem & materializationem. f.199.§.58

Vnio hominis in quo differat à cæteris. f.202.§.78

an Vnio in homine ſequatur debiliorem partem ſicut concluſio in ſyllogiſmo,& vnio accidentis cum ſubſtantia accidentaria. f.202.§.80

an Vnio ſit modus ex natura rei diſtinctus ab extremis. f.196.§.31.& 32

an Vnio habeat propriam ſubſiſtentiam. fol.181. §.115

ſi Vnio crearetur, eſſet in homine tota eius perfectio. f.310.§.97

Vnio phyſica eſt præciſiua vnius gradus ab alio. f.478.§.29

Vnio non diſtinguitur realiter abſolutè ab extremis vnitis. f.192.§.4

Vnio diſtinguitur modaliter realiter ab extremis vnitis. f.193.§.5

an Vnio addat ſupra materiam,formam & diſpoſitiones,propinquitatem localem. f.193.§.8

An habeat aliquam diſtinctionem à materia & forma,vbicatione & diſpoſitionibus. §.9

An diſtinguatur ab extremis per ſolam extrinſecam denominationem. f.193.§.10

Vnio duorum extremorum nulla potentia eſſe poteſt vnio aliorum. f.194.§.17

Vnio Verbi diuini quomodo reſpiciat Verbum. f.203.§.83

Vnio hypoſtatica non pendet à Verbo vt à cauſa materiali. f.204.§.97

de Vnione hypoſtatica,multa in diſput.de Vnione ſparſim à fol.193.ad 210

Vnionis vitalitas. *Lege* ſubſect. III. f.545

Vnionis eſſentia. *Lege* ſect. IV. f.199

inter Vnionis & formæ productionem non videtur admittere diſtinctionem P.Suarez. fol.199. §.51

Vnionis ſubiectum receptiuum, eſt vtrumque extremum. f.200.§.60

Vnionem in homine ſubiectari in ſola materia, & attingere animum tanquam terminum extrinſecum, & hoc ſufficere vt per illam animus perficiatur,an verum. f.202.§.77

Vnionem habent res ſucceſſiuæ. f.341.§.78

ad Vnionem efficiendam apta eſt cauſa ſecunda. f.414.§.40

in Vnione diſtinguuntur realiter vnire & fieri. f.309.§.95

Vniones humanæ partium diſſimilium ſunt æquales inter ſe. f.507.§.219

Vniones partiales quæ ſint. f.215.§.33

an Vniones duæ ſubſtantiales ſint in compoſito. f.205.§.105.& ſeqq.

Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Vniuerſale.

Vniuerſale cur dicatur ab Ariſtotele prius particulari. f.240.§.125

Vniuerſale & ſingulare ſunt obiectum intellectus. f.533.§.54

Vniuerſale cognoſcitur aliquando prius quàm ſingulare. f.533.§.54.55.56.& 57

Vniuerſalia quomodo cognoſcantur in ſingularibus. f.534.§.61

Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Vnum.

Vnum per ſe eſſentiale non fit ex duobus entibus completis,fit tamen integrale. f.333.§.8

Vnum per ſe cur ex materia & forma non fiat. f.333.§.3

Vide Indicem Metaphyſicum.

Volitio.

Volitio poteſt à ſolo Deo vniri voluntati ſine vlla cognitione creata. f.552.§.141

Voluntarium. Voluntas.

Voluntarium eſt à principio intrinſeco cognoſcente ſingula. f.632.§.25

Voluntas in ſui exercitio ab intellectu pendet. f.632.§.25

an Voluntas moueatur per imperium intellectus. f.637.§.56.& ſeqq.

Voluntas poteſt peccare ſine defectu in intellectu. f.639.§.69

Voluntas noſtra ſimplici apprehenſione mouetur. f.636.§.53

Voluntas qua ratione amat media? f.614.§.26

Voluntas ab appetitu ſenſitiuo diſtinguitur.f.526. §.71

Voluntas exercet odium & amorem. f.621.§.1

eius obiectum adæquatum quod ſit. ibid.

primus eius actus eſt ſimplex complacentia. f.621.§.4
varij eius actus. f.619.§.1.2.& ſeqq.
Voluntas tendit ſub ratione boni. f.621.§.2
Voluntas quî terminetur ad terminum creatum. f.303.§.45
Voluntas creatiua terminatur ad rem vt independentem. f.303.§.43
Voluntas eſt capax habituum. f.665.§.10
Voluntas creatiua habet pro obiecto fundamentum independentiæ à ſubiecto f.304.§.47
an Voluntas creatiua poſſet habere duos terminos. f.304.§.48
Voluntas Dei non tollit indifferentiam niſi faciendo modum. f.307.§.77
Voluntas directa Dei habet pro obiecto terminum vt independentiam. f.304.§.50
an Voluntatis actus dependeant à cognitione efficienter. f.634.§.35.& ſeqq.
Voluntatis actus variè opponuntur. f.630.§.8
Voluntatis potentia producit appetitionem liberam. f.524.§.54
Voluntatis actus eſt quidam in bonum impulſus, & à malo retractio. f.627.§.1
Voluntatis & creationis comparatio. f.303.§.44
an Voluntati poſſit amor abſque cognitione vniri. f.549.§.116
Voluntatem non poſſe peccare quin in intellectu præcedat aliquis defectus, affirmat P. Vazquez. f.638.§.65
Voluntatem indifferentem, aut determinatam quæ cognitio relinquat. f.662.§.162
Voluntate finis ceſſante, an ceſſet amor mediorum. f.625.§.29
à Voluntate diuina creandi ſeparabilis eſt realiter creatio. f.300.§.22
Voluntates hominum an influxu cœleſti moueantur in hæc, aut in illa obiecta. f.375.§.68
Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Vox.

Vox humana ſentitur eo tempore quo profertur. f.679.§.26
Vox per quam verbum in medium profertur, eſt verbum. f.557.§.181
Vox inter ſonos, eſt præſtantiſſimum obiectum auditus. f.679.§.28
Vox quomodo definiatur. ibidem.

Vrſa.

Vrſa minor habet peculiarem influxum in magnetem. f.366.§.36

Vter.

an Vter inflatus plus habeat ponderis, quàm cum eſt vacuus. f.384.§.64.& 66

FINIS INDICIS PHYSICI.

INDEX RERVM ET VERBORVM, QVÆ IN METAPHYSICA ENVCLEANTVR.

A

Abſtrahi. Abſtractio.

ABSTRAHI poteſt res à rebus contradictoriis. fol.838.§.71
Abſtrahi ab exiſtentia & eius carentia eſt conceptus quidditatiuus creaturæ: ibidem.
Abſtractio à materia quotuplex aſſignetur communiter. f.712.§.123
In ea reperiuntur tria. f.713.§.131
Abſtractio formalis. ibidem.
Abſtractio obiectiua,& ſecunda intentio. ibidem.
Abſtractio formalis non eſt ratio per quam obiectum ſcientias diſtinguat. f.714.§.137
Abſtractio tantum pendet à phantaſia, quantum ſcientia ab abſtractione. f.714.§.140
Abſtractio formalis, & ſecunda intentio entis rationis non pertinent ad rationem formalem obiectiuam. f.721.§.174
Abſtractio formalis eſt conditio ſine qua non eſſet ſcientia. ibidem.
Abſtractio obiecti formalis eſt etiam formalis. f.720.§.172
Abſtractio obiectiua dat ſpeciem actibus & habitibus circa illos verſantibus. f.721.§.174
Abſtractio à materia præcipuè eſt conſideranda ſecundum eſſe. f.718.§.161
Abſtractio à materia ſecundum eſſe eſt duplex. f.718.§.162
Abſtractio rationis generica & ſpecifica differunt ſpecie. f.719.§.163
Abſtractio rationis non adimit materialitatem obiecto. f.718.§.159
Abſtractio & intuitio conferuntur. f.815.§.197
Abſtractio naturæ à ſingularibus eſt cognitio. f.769.§.80
Abſtractionis à materia ſunt plures gradus intra eandem abſtractionem. f.721.§.173
Abſtractionem eandem habent diuerſæ ſcientiæ. ibidem.
per Abſtractionem realem Ariſtoteles diſtinxit Metaphyſicam. f.716.§.202
ab Abſtractione obiectiua qua ratione ſcientiæ ſumant ſpeciem. f.716.§.201
Abſtractiones diuerſorum generum ſunt diuerſæ. f.716.§.199
Abſtractiones à materia phyſica & metaphyſica differunt. f.718 §.162
Abſtractiones à materia nihil interſunt diuiſioni ſcientiarum. f.719.§.166
Abſtractiones à materia plures attingit metaphyſica. f.720.§.167
Vide Indicem Logicum.

Accidens.

Accidens eſt conceptus, rem in eſſe ſubſtantiali ſupponens illámque perficiens. f.883.§.1. ſupponit ſubſtantiam. ibidem.
qua ratione ei præeat ſubſtantia. ibidem.
Accidens logicum & phyſicum. f.883 §.2
Accidens pendet à ſubſtantia. §.3
aliquod Accidens non poteſt inhærere propriè. f.883.§.3
Accidens vt ſic non petit influxum ſubiecti ſed connexionem cum alio. f.851.§.30
Accidens ſe ipſo eſt indiuiduum. f.758.§.100
Accidens non indiuiduatur per ordinem ad hoc numero ſubiectum. f.758.§.101
Accidens ponitur in abſtracto vel in concreto vt libuerit. f.845.§.37
Accidentis eſſe eſt ineſſe quo pacto. fol.3.§.883.& f.929.§.42
Accidentis vt ſic conceptus tam clarus eſt quàm ſubſtantiæ vt ſic. f.732.§.24
de conceptu Accidentis vt ſic eſt inhærere minus propriè. f.883.§.3
Accidentia ſeparata à ſubiecto, ſunt diſtincta. f.874.§.16
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Actio.

Actio quid ſit. f.923.§.1.& 2
Actio & paſſio non ſunt relatio prædicamentalis. f.923.§.3
Actio eſt relatio tranſcendentalis. ibid.
Actio phyſica & cognitio differunt in efficiendo vniuerſale, non verò in tribuendis prædicatis contradictoriis. §.805.§.121
Actio phyſica non eſt præciſiua, niſi in diuinis. f.792.§.37
quo differat ab intentionali. §.38
Actio phyſica & intuitio quo conueniant. f.815.§.194
Actio & intuitio ſunt ad terminum vt exiſtentem. f.815.§.19
Actio eſt magis intuitiua quàm cognitio. fol.815.§.199
Actio & paſſio ſunt accidentia. f.844.§.32
Actio & paſſio in vno prædicamento. fol. 842.§.18
Actio & paſſio diſtinguuntur ab agente & termino. f.924.§.5
Actio non eſt in agens recepta ſed in ſubiectum termini. f.924.§.6
Actio denominat agens extrinſecè, ſubiectum intrinſecè. f.924.§.8
denominat rem productam vt purè terminum, non vt ſubiectum. ibidem.
Actio habere poteſt vnum terminum intrinſecum, alium extrinſecum. f.925.§.11
Actio & potentia habent eumdem terminum & obiectum. f.925.§.13

nulla Actio eſt ſubſtantia. f.850.§.27
cur Actio non fiat per aliam, & relatio poſſit per aliam referri. f.902.§.27
Actio in actu primo logico & phyſico. f.827.§.4
Actio eſt modus & determinatio huius agentis ad hunc effectum. f.924.§.5
Actio eductiua nec ratione diſtinguitur à paſſione. f.927.§.29
Actio eductiua & paſſio connotant eadem eodem modo. f.928.§.30
Actio non infert paſſionem niſi logicè. fol.928. §.32
Actio non datur ad actionem. f.928.§.34
Actio vt ſic diſtinguitur à paſſione. f.926.§.21
Actio vt ſic eſt analoga. f.929.§.38
Actio vt ſic abſtrahit à ſubiecto. f.929.§.40
Actio eductiua formaliter habet ſubiectum. ibid.
Actionis tranſeuntis & immanentis diſcrimen. f.929.§.39
Actionis ad intra ac ad extra diſcrimen. fol.809. §.154
Actionis terminus non eſt via ad alium. fol. 928. §.35
Actiones ſunt ſuppoſitorum,& cur. f.869.§.110. & 112
quibus accidentibus tribuantur. §.114
Actiones cur formaliter non tribuantur Trinitati. f.809.§.155
Vide Indicem Phyſicum.

Actus.

Actus abſtrahens non eſt ratio formalis diſtinguendi ſcientias. f.714.§.137
Actus abſtrahens vnum ab alio eſt formaliter diſtinctio rationis. f.797.§.75
Actus vniuerſalis eſt vnitas obiecti. fol. 778. §.144
Actus vniuerſalis repræſentat plura indiſtinctè. f.776.§.132
Actus vniuerſalis cognoſcit obiectum aliter ac eſt à parte rei. f.778.§.145
Actus omnis pendet ab obiecto formali intrinſeco vel extrinſeco. f.696.§.25
Actus repræſentat obiectum vt *quo*, potentia vt *quod*. f.698.§.36
Actus & habitus habent idem obiectum. fol.699. §.37
Actus ſeipſo denominat obiectum vniuerſale. f.769.§.84
Actus & obiectum qua ratione mutuo accipiant vnitatem. f.768.§.75
Actus confuſus eſt indiuiſio & vnitas obiecti. f.770.§.90
Actus confuſus habet deſcenſum diſiunctiuum. f.772.§.105
Actus confuſus eſt vniuerſalitas. f.777.§.138
Actus confuſus producitur ab vno indiuiduo, & repræſentat plura. f.786.§.201
Actus intuitiuus & confuſus poſſunt differre ſine pluralitate formalitatum. f.808.§.141
Actus clarus de differentiis impedit vniuerſalitatem. f.731.§.14
Actus & terminus ſunt poſſibiles formaliter ab omnipotentia. f.827.§.4
Actus primus logicus actionis eſt abſolutè actus ſecundus phyſicus. ibid.
Actus liber non tribuitur Deo vt creanti. fol.878. §.37
Actus liber & eſſentia ſunt diſtinctæ formalitates. f.813.§.182
Actus non eſt propriè in prima ſpecie qualitatis. f.893.§.8
Actus eſt qui diſtinguit. f.874.§.14
Actus vitalis eſſentialiter cõnotat potentiam actiuam & paſſiuam. f.910.§.82
Actus vitalis ſitne modus. f.741.§.91
Actus vitalis cum vnione determinat potentiam ad obiectum. f.741.§.92
Actus vitales ſintne contrarij. f.895.§.22
Actus vitales habent actiones ab eis diſtinctas. *Lege* ſubſect.II. f.925.& 926
Actus & habitus non ſunt propriè contrarij. f.894. §.18
Actus & obiecti prædicata non ſunt confundenda. f.780.§.16
cur Actus ex natura ſua referantur ad aliorum obiecta, an poſſit reddi ratio. fol.698. §. 32. & ſeqq.
Actus aliqui ex natura ſua connectuntur in vnam ſcientiam. f.723.§.186
Actuum diuinorum perfectio pendet ex ipſorum formali conceptu. f.817.§.210
Actuum diſtinctio non exigitur ad obiectum formale & materiale. f.696.§.26
per Actus intuitiuos non comprehenſiuos fit diſtinctio rationis. f.812.§.174.& 176
Vide Indices Logicum & Phyſicum

Æternitas.

Æternitas eſt duratio connotando tempus. f.930. §.8
Æternitas eſt præcipua ſpecies durationis. f.940. §.79
Æternitas impropriè pro longa duratione. f.940. §.79
Æternitas à parte poſt eſt duratio cum initio & ſine fine. ibidem.
Æternitas à parte ante ſine initio & cum fine. ibidem.
Æternitas propriè ſine initio & fine. ibid.
Æternitas propriiſſimè eſt exiſtentia neceſſaria ſolius Dei. f.940.§.79
Æternitas non eſt propriè duratio. fol.940.§.81
Æternitas anteuertit omne tempus. ibid.
Æternitas eſt eminens perſeuerantia in eſſe. f.940. §.82
Æternitas formaliter concepta quid ſit. fol. 940. §.84
Æternitas non eſt menſura. f.941.§.84
nec ens rationis. §.85
Æternitas quidditatiuè eſt expers initij & finis. f.941.§.87
Æternitas non connotat negationem. ibid.
Æternitas explicatur per tempus vt inferius. f.941. §.90
Æternitas quo pacto accepta à S. Thoma & Boëtio. f.941.& 942.§.92
Vide Indicem Phyſicum.

Æuum.

Æuum ſignificat longam durationem. f.941.§.91
ſumitur pro æternitate. ibid.
Æuum eſt duratio incorruptibilis. ibid.
potuit eſſe ab æterno. ibid.
in quo differat ab æternitate. ibid.

Afficere.

Afficere & dependere in modis diſtinguuntur realiter. f.739.§.73
Afficere eſt de eſſentia modi, non tamen dependere. f.739.§.75

Affirmare.

Affirmare & negare ſimul aliquid eſt difficilius quàm ſolum affirmare. f.808.§.146
Vide Indicem Logicum.

Agens.

Agens.

Agens eſt ad aliud. f.925.§.16

Vide Indicem Phyſicum.

Amabile, Amor.

Amabile fundamentaliter & formaliter. fol. 825. §.48

Amor & vnio, antequam fiant, habent duas priuationes. f.833.§.37

Amor non eſt ratione de primo & quidditatiuo conceptu Dei. f.963.§.27

Vide Indicem Phyſicum.

Analogia.

Analogia non obeſt prædicamento. f.846.§.51

Vide Indicem Logicum.

Angelus.

Angelus vnde dictus, & quid ſit. f.872.§.5.& 6

Angelus eſt poſſibilis. ibidem.

Angelus multis obnoxius imperfectionibus. fol. 873.§.6

Angelus comprehendit cauſas materiales. fol.876. §.27. vtrum diſcurrat. ibidem.

Angelus ex ſe Deum cognoſcit. f.876.§.30

non cognoſcit futura libera. ibidem.

ſecreta cordis non cognoſcit. f.877.§.31

eius locutio eſt actus voluntatis. ibidem.

voluntas eſt eius lingua. ibidem.

cognoſcit intellectionem aliorum. ibidem.

eius ſpecies impreſſa eſt nobilior noſtris. §.32

vna ſpecie non cognoſcit omnia animalia. ibid.

Angelus habet ſpecies inditas. f.877.§.33

habet omnes ſpecies ab initio. ibid.

eo præſente concurrit ſpecies. ibid.

eius actus ſunt à ſubſtantia diſtincti. §.34

Angelus eſt liber. f.877.§.34

Angelus mouet voluntate. f.680.§.48

an Angelus ſemel volens aliquod obiectum poſſit ab eo amore in odium conuerti. f.878.& 879. §.41

Angelus flecti poteſt arbitrio. f.879.§.43

Angelus in cælo Empyreo non agit in corpus. fol. 881.§.54

Angelus prius eſt præſens quàm moueat. fol.881. §.55

Angelus eſt in loco inſtar noſtri. f.882.§.57

Angelus non poteſt ſimul eſſe in duobus locis adæquatis, nec inadæquatis diſtantibus. fol. 882. §.59

poteſt moueri diſcretè de extremo in extremum ſine medio. f.882.§.61

non poteſt moueri niſi per medium. §.62

Angeli natura ſe ipſa eſt immediatum fundamentum independentiæ. f.862.§.69

Angelum ſucceſſiua duratione carere cenſet S. Auguſtinus. f.938.§.60

Angelum in loco non conſtituit operatio. f. 881. §.52

duo Angeli poſſunt eſſe adæquatè in eodem loco. f.882.§.58

duo Angeli poſſunt eſſe ſubſtantialiter æquales. f.875.§.17

plures Angeli actu diſtinguuntur ſpecie. fol. 875. §.21

plures Angeli ſunt actu eiuſdem ſpeciei infimæ. f.875.§.22

Angeli multi poſſunt eſſe intra eandem ſpeciem infimam, de potentia abſoluta. 874.§.12

Angeli incorporei ſunt. f.874.§.11

Angeli diuinitus poſſunt ſolo numero differre. fol. 874.§.12

Angeli potuerunt non creari à Deo. f.873.§.9

naturali ratione non probantur. ibidem.

probantur ex authoritate. §.11

Angeli ſunt pars obiecti communiſſimi metaphyſicæ. f.703.§.67

Angeli duo cur æquè perfecti, non verò duo homines. f.875.§.16.& 17

Angeli natura conſiderata ſine ſuo ſuppoſito non habet naturalem indifferentiam ad ſuppoſitum diuinum. f.864.§.76

an Angeli in primo inſtanti, quo fuerunt creati, potuerint eſſe mali. f.878.§.35

Angelos admiſit Ariſtoteles ob errorem. fol. 873. §.8

Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Anima. Animus.

Anima ſeparata habet alias ſpecies. f.874.§.11

Anima producit ſubſiſtentiam & non vnionem. f.870.§.118

Animus eſt intelligentia incompleta. f.872.§.5

Animus ſeparatus non poteſt mouere corpus. fol. 773.§.11

Vide Indicem Phyſicum.

Animal.

Animal vt animal non eſt formaliter rationale. fol. 775.§.129

Animal non cognoſcitur ſine rationali. fol. 803. §.109. & f.810.§.158

Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Apprehenſio.

Apprehenſio reflexa non eſt neceſſaria ad vniuerſale. f.771.§.98

Apprehenſio eo quod ſit abſtractio non poteſt diſtinguere ſcientias. f.714.§.139

Apprehenſio dat ſpeciem iudiciis, non quia eſt abſtractio à materia, ſed propter communem ordinem iudicij ad apprehenſionem. f.715.§.143

Apprehenſio ſimplex ſubiecti & prædicati non facit ens rationis. f.955.§.82

Apprehenſione vnionis poteſt fieri ens rationis incomplexum, ſicuti falſitas incomplexa. fol.955. §.83

Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Aptitudo.

Aptitudo ad cognitionem eſt extrinſeca obiecto. f.819.§.11

non eſt alia intrinſeca obiectis. §.12

Aqua.

Aqua ſine quantitate moueretur grauitate.fol.890. §.49

Vide Indicem Phyſicum.

Architectura.

Architectura ſubalternatur Phyſicæ. f.726.§.203

Argumentum.

Argumentum ab impoſſibili per locum intrinſecum quid ſit. f.915.§.114

Argumentum ſeparationis. *vide* Separatio.

Ariſtoteles.

Ariſtotelis errores. *Lege* ſect. I. f.871. & 872

Arithmatica.

Arithmetica ſola ſubalternatur propriè Maraphyſicæ. f.726.§.202

Attributum.

Attributum quid ſit. f.742.§.1

Attributum vnde dicatur. f.743.§.10

Attributum reale includit formaliter conceptum entis. f.743.§.11

Attributum ſola ratione diſtinguitur ab eſſentia. f.742.§.2

vnum Attributum eſt attributum alterius. fol.744. §.16

Attributi formale diſtinguitur ratione ab eſſentia. f.742.§.2

Attributa, ſecundum Scotum, ex natura rei diſtinguuntur ab eſſentia. f.742.§.3
Attributa negatiua non ſunt propriè attributa. fol. 742.§.5
Attributa negatiua qua ratione ſint propria Deo. f.742.§.5
Attributa inter ſe non habent virtualem diſtinctionem. f.790.§.23
Attributa quomodo diſtinguantur circa idem obiectum. f.800.§.89
Attributa intrinſeca entis quæ ſint. f.818.§.4
Attributa & eſſentia quid habeant in ſententia negante præciſiones obiectiuas. f.743.§.8
Attributa realiter inter ſe non diſtinguuntur, ſed ratione. f.744.§.17
Attributorum entis numerus. f.744.18
de Attributis entis ſentiendum vt de ſubſtantia & ente. f.744.§.14
Vide Indicem Logicum.

B

Beati.

BEati de facto non præſcindunt, diuinitus poſſent. f.812.§.185
Beati diſtinguuntur ratione. f.813.§.180
in Beatis tam certa eſt noſtra diſtinctio rationis quàm in nobis. f.812.§.184

Bonitas. Bonum.

Bonitas Dei eſt quaſi ordo tranſcendentalis. fol. 823.§.38
Bonum quotupliciter ſumatur. f.822.§.27.& 28
Bonum perfectum ſumitur dupliciter. ibid.
Bonum intrinſecum & extrinſecum. f.825.§.50
Bonum honeſtum quod. fol.826.§.51. duplex eſt. §.54
Bonum pro conuenientia. f.823.§.34
tripliciter diuiditur. ibidem.
Bonum conueniens morale, aliud phyſicum. fol. 823.§.35
Boni variæ diuiſiones. ibidem. & fol.825.§.50
Bonum amabile quid ſit. f.823.§.36
Bonum perfectum abſolutè ſoli Deo conuenit per identitatem. f.823.§.37
Bonum non eſt relatio prædicamentalis. §.38
Bonum non addit ex parte entis aliquid ratione diſtinctam. f.824.§.40
Bonum ſic acceptum, non eſt attributum entis. f.824 §.42
Bonum in ſuo genere perfectum eſt attributum entis. f.824.§.46
Bonum fundamentaliter non includit amorem vt formam. f.825.§.48
Bonum delectabile quid propriè ſignificet. f.826. §. 3. duplex eſt. §.56
Bonum vtile preſsè & latè ſumptum quid ſignificet. f.826.§.52
dicit entitatem cuiuſque rei connotantem aliam ad quam eſt vtilis. f.826.§.51
Boni & veri differentia & conuenientia. fol. 825. §.48.& 49
Boni diuiſio non eſt realis. f.826.§.57

C

Cælum.

CÆlum eſt indiuiſibile. f.885.§.16
Cælum in phyſica non ſemper abſtrahitur à materia. f.716.§.198
Cælum mouetur ab alio. f.873.§.7
Cælum moueri à creatura non probatur. f.873.§.8
Cælum fuiſſe abſque principio ſenſit Ariſtoteles. f.871.§.1
Cæli empyrei materia eſt indifferens ad plures formas. f.741.§.86
Cæli facilius quàm palea mouentur. f.873.§.7
Vide Indicem Phyſicum.

Calor.

Calor eſt malus aquæ poſitiuè. f.826.§.60
Calor eſt in ſecunda ſpecie qualitatis. f.893.§.10
Caloris terminus eſt ſpecie diſtinctus. §.11
Vide Indicem Phyſicum.

Carentia.

Carentia & forma ſunt æquè abſolutæ. f.790.§.26

Cauſalitas.

Cauſalitas omnis eſt modus. f.741.§.87

Certitudo.

Certitudo maior quæ ſit. f.728.§.216
Vide Indicem Phyſicum.

Chriſtus.

Chriſtus abſolutè eſt filius Dei & hominis. f.866. §.93
In eo quibus rationibus non ſint duo ſuppoſita. ibidem.
Chriſtus in recto dicit ſuppoſitum, in obliquo naturam. f.871.§.127
Chriſtus pati dicitur non humanitas. f.865.§.81
Chriſtus in Euchariſtia habet extenſionem proximè, non formaliter. f.887.§.26
Chriſtus in Euchariſtia non habet figuram. fol. 893.§.8
in Chriſto non eſt humanitas violenta. f.858.§.33.
in Chriſto quo ſenſu ſint duæ ſubſiſtentiæ, & an abſolutè. f.862.§.65
Vide Indicem Phyſicum.

Chymæra.

Chymæra nihil eſt. f.755.§.69
Chymæra non poteſt eſſe ſimilis enti reali. f. 785. §.192

Circulus.

Circulus an omnino fugiendus. f.910.§.83
Circulus quando vitioſus. ibidem.
Vide Indicem Logicum.

Cognitio.

Cognitio ſingularium duplex. f.765.§.53
Cognitio rei ſingularis in ſingulari. ibidem.
Cognitio non terminatur ad obiectum vt cognitum. f.803.§.108
Cognitio intuitiua & abſtractiua formalitates habent vnde diſtinguantur, etiamſi vtraque ſit præciſiua formalitatum. f.814.§.193
Cognitio intuitiua poteſt repræſentare rem vt eſt inadæquatè. f.814.§.189
Cognitio intuitiua de albedine eſt abſtractiua formalitatum. f.812.§.177
Cognitionis intuitiuæ & abſtractiuæ diſcrimen. f.814.§.187
Cognitio præſcindens non eſt adæquata ſuo obiecto. f.816.§.208
Cognitio diſtincta ab Angelo. f.876.§ 26
Cognitio animalis non eſt formaliter de animali. f.775.§.128
Cognitio clara & confuſa quid ſint. f.764.§.50
Cognitio clara concipit quid ſit obiectum. f.799. §.85
Cognitio comprehenſiua attingit omnia prædicata intrinſeca. f.817.§.212
Cognitio eſt intrinſecè ſingularis reſpectu ſui, extrinſecè vniuerſalis reſpectu obiecti, & qua ratione. f.768 §.74
Cognitio vniuerſalis terminatur immediatè ad omnia indiuidua. f.778.§.143

Cognitio

Cognitio vniuerſalis immediatè terminatur ad plura vt ſimilia. f.781.§.163
Cognitio totius & partis eſt eiuſdem ſcientiæ. fol. 724.§.188
Cognitio partialis quæ. f.810.§.160
definitio Cognitionis *rei ſicuti eſt*, eſt propriè quidditatiua. f.814.§.191
Cognitionem immediatam rerum Deo negauit Ariſtoteles. f.872.§.2
Cognitiones vniuerſales differunt phyſicè non logicè. f.767.§.70
Vide Indices Logicum & phyſicum.

Cognoſcibile. Cognoſcibilitas.

Cognoſcibile quo pacto attributum. f.819.§.16
Cognoſcibile eſt concretum à cognitione vt forma. f.818.§.9
eſt extrinſeca denominatio. §.10
Cognoſcibilitas eſt attributum, & quod ſit. fol. 743.§.9

Color.

Color habet vnitatem à viſu. f.786.§.199
Vide Indicem Phyſicum.

Commune.

Commune & prædicabile ſunt idem. f.780.§.153

Compoſitio. Compoſitum.

Compoſitio rationis dicit imperfectionem in ſolo intellectu. f.845.§.41
Compoſitio rationis in Deo, non in creaturis admittitur à Caietano. f.801.& 802.§.104
Compoſiti vnitas eſt duplex. f.752.§.50
Compoſiti vnitas eſt vnio partium. f.748.§.23
Compoſita cum vnione efficiunt vnum ſimpliciter, ſecus abſque illa. f.752.§.55
Vide Indices Logicum & phyſicum.

Concipere. Conceptio. Conceptus.

Concipere vnum ſine alio non eſt concipere nouas formalitates. f.775.§.125
Conceptio inferiorum ac ſuperiorum an eadem. f.810.§.263
Conceptus primarius vocatur eſſentialis, & vnde. f.743.§.10
Conceptus ſecundarius poteſt ſignificari termino abſtracto. f.742.§.2
Conceptus tranſcendens & non tranſcendens qui dicantur. f.737.§.51
Conceptus poteſt eſſe dupliciter completus & incompletus. f.843.§.29
Conceptus entis clauditur formaliter attributo reali. f.743.§.11
Conceptus entis quis ſit. f.729.§.1
Conceptus formalis & obiectiuus. f.730.§.9
Conceptus formalis de ente eſt vnus etiam ratione. f.732.§.18
Conceptus entis repræſentans clarè ſubſtantiam; accidentium autem ſumma genera, nullus datur. f.732.§.21
Conceptus accidentis vt ſic tam clarus eſt quàm ſubſtantiæ etiam vt ſic. f.732.§.24
Conceptus de genere eſt imperfectior quàm de ſpecie. f.845.§.45
Conceptus genericus ſimpliciter eſt inæqualis in diuerſis ſpeciebus. f.846.§.49
Conceptum entis non poſſe præſcindi à ſuis inferioribus, an verum. f.734.§.33.& ſeqq.
Conceptus communes rerum infinitarum poſſunt eſſe. f.845.§.44
Conceptus non conſtituentes per ſe rem dicuntur accidentia, & vnde. f.849.§.19
Conceptuum pluralitas ibi eſt, vbi eſt diſtinctio conceptuum. f.804.§.114
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Concluſio.

Concluſio & principia ſunt eiuſdem facultatis. f.725.§.195
Concluſio phyſica debet oriri ex vtroque principio. ibidem.
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Concurſus.

Concurſum immediatum Deo negauit Ariſtoteles. f.872.§.4
Vide Indicem Phyſicum.

Connotatiua. Connotata.

Connotatiua ſignificant in recto ſubiectum & formam in obliquo. f.844.§.33
Connotatiua ſunt frequenter adiectiua. f.844.§.35
Connotata requiruntur ad diſtinctionem actuum. f.800.§.88
Connotata cauſant actuum diuerſitatem. fol.800. §.90
per Connotata diſtinctio perfecta eſt. f.811.§.170
in Connotata non fertur ſenſus externus. fol.811. §.167
quando Connotata eodem modo noſcuntur, non fundant diſtinctionem rationis. f.812.§.172
Connotatorum duplex attingentia. f.811.§.171
de Connotatis animaduerſio. f.812.§.173
ex Connotatis diuerſis non oritur diſtinctio in obiecto. f.800.§.88
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Contineri.

Contineri poteſtate & confuſè cognoſci ſunt idem. f.779.§.152

Contractio.

Contractio rationum communium quando ſpectet ad eandem ſcientiam ac abſtractio. fol.705. §.78

Contrarietas. Contraria.

Contrarietas reperitur in prædicamento qualitatis, & actionis & paſſionis. f.895.§.24
Contraria formaliter non componuntur. fol.895. §.21
poſſunt componi diuinitus. f.896.§.24
Contrariorum definitio. fol.894. §.18. explicatur. f.895.§.19.& 20
Vide Indicem Phyſicum.

Conueniens.

Conueniens non eſt attributum entis. f.824.§.45
Conueniens non eſt relatio rationis, ſed tranſcendentalis. f.824.§.42

Corpus.

Corpus non diſtinguitur à ſuis differentiis. f.762. §.34
Corpora ſunt bona. f.822.§.30
Vide Indicem Phyſicum.

Corrumpi.

Corrumpi in ratione denominationis eſt corrumpi in ratione entis. f.793.§.48
Vide Indicem Phyſicum.

Creatio. Creatura.

Creatio non eſt paſſio. f.926.§.21
Creatio eſt immediatum fundamentum independentiæ à ſubiecto. f.861.§.60.& 63
eiuſdem à generatione diſcrimen. ibidem.
Creatio eſt formalis independentia à ſubiecto. f.870.§.116
Creatio terminatur formaliter ad exiſtentiam. fol. 835.§.51
Creatura cur non ſit ſuum eſſe. f.836.§.60
Creatura ab æterno duraſſet æternùm non tamen æternitate. f.940.§.83
Creaturæ ad ſolam omnipotentiam dicunt ordinem tranſcendentalem. f.819.§.14

Creaturas

Creaturas eſſe poſſibiles quid ſit. f.827.§.2
Creaturas poſſe cognoſci à Deo eſt intrinſecum. f.819 §.14
Vide Indicem Phyſicum.

D

Dæmon.

DÆmon peccauit in primo inſtanti ſuæ creationis. 878.§.35
cur Dæmon nunquam efficiat actum vndequaque honeſtum. f.879.§.45
Vide Indicem Phyſicum.

Damnati.

Damnati vnde nunquam bene operentur. fol.879. §.45

Defectus.

Defectus vnius rei ſuppletur per meliorem. f.857. §.32
Vide Indicem Phyſicum.

Definire. Definitio.

Definire non ſpectat ad Logicum ſed docere definitionem in commune. f.841.§.10
Definitio & definitum cognoſcuntur eodem modo. f.810.§.162
Definitionis & ſcibilitatis eadem eſt ratio.fol.694. §.6
Vide Indicem Logicum.

Delectabile.

Delectabile quid ſignificet & quotupliciter ſumatur. f.826.§.53.& 56

Denominatio.

Denominatio paſſiua eſt abſque paſſione. fol.923. §.4
Denominatio eſt à forma. f.818.§.10
Denominatio *poſſibilis* ſumitur formaliter ab omnipotentia Dei. f.627.§.3
Denominationes extrinſecæ à formis realibus non ſunt abſolutè entia rationis ſed realia. fol.944. §.130. & f.953.§.71
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Denſitas.

Denſitas & raritas non ſunt modi. f.860.§.53

Dependere. Dependentia.

Dependere & afficere in modis realiter diſtinguuntur. f.739.§.73
Dependere non eſt de eſſentia modi. §.75
Dependentia à priori & à poſteriori. f.861.§.57
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Determinatio.

Determinatio connaturalis eſt indifferentiæ connaturalis. f.863.§.75

Deus.

Deus eſt adæquatum obiectum attributionis Metaphyſicæ. f.708.§.100
Deus ſolus eſt neceſſariò bonus in omni genere. f.822.§.28.*vide* bonum.
Deus vnde cognitu difficilis. f.728 §.217
Deus cur cognoſcatur multipliciter. f.814 § 187
Deus habet conceptus communes nobiſcum. fol. 846.§.46
Deus eſt indiuiduum reale. f.846.§.47
Deus non poteſt collocari in prædicamento imperfectionem includente. f.845 §.39
negat ei S. Auguſtinus ſubſtantiam prædicamentalem. f.845.§.40
Deus non ponitur in prædicamento ſubſtantiæ vt nunc diſpoſito. f.845.§.40
Deus non eſt excludendus à prædicamento ſi metaphyſicè agatur. f.846.§.54
Deus volens eſſentias rerũ vult res ipſas.f.738.§.61
Deus in recto dicit naturam, ſuppoſitum in obliquo. f.871.§.126
Deus eſt homo, quid ſit. f.871.§.126
Deus ſolus mouet primam ſphæram. f.873.§.8
potuit non creare Angelos. f.873.§.9
Deus videri poteſt abſque vlla creatura. fol. 915. §.112
Deus eſſet, etſi omnis creatura repugnaret.fol.913. §.104
Deus non cognoſcit diuerſas in ſe formalitates. f.807 §.140
Deus non attingit vnam formalitatem ſine alia. f.816.§.206
Deus non durauit hodie plus quàm heri. fol.940. § 82
Deus ante creaturas nec erat idem, nec diſtinctus abſolutè. f.787.§.1
Deus durat nobiliori ratione. f.930.§.3
Deus cur non coëxtitit tempori ab æterno. fol. 930 §.4
Deus vult rem exiſtere pluribus inſtantibus abſque mutatione. f.933.§.28
Deus habet relationem quam antea non habebat. f.900.§.18
Deus non dicit relationem tranſcendentalem ad creaturas. f.915.§.111
Deus & Angelus diuerſas habent abſtractiones à materia. f.720.§.168
Deus & Angeli pertinent ad obiectum proprium Metaphyſicæ. f.703.§.67.& f.706.§.82
an Deus efficiat & cognoſcat ens rationis. *Lege* ſect. VI. f.955.& 956
An Deus vno actu præſcindat. f.815.§ 200
an vni actui Dei reſpondeant plures formalitates Dei immediatè. f.815.§.201
Dei voluntas & intellectus quo pacto diſtinguantur. f.800.§.89
Dei ſcientia in ſua entitate non pendet à creatura. f.914 §.109
à conceptu intrinſeco Dei ad nos non eſt conſequentia, eſt tamen ab extrinſeco. f.901.§.23
quidditatiuus Dei conceptus quis ſit. *Lege* ſect. II. f.961.& 962
Deo & creaturis aliqua vniuocè conueniunt. fol. 846.§.51
quæ Deo negauit Ariſtoteles. *Lege* ſect.I. fol.871. & 872
Deum eſſe impropriè ſubſtantiam cenſent multi. f.845.§.40
Deum eſſe coëxiſtentem ſumitur à Deo & tempore. f.940.§.83
Deum videntes poſſunt cognoſcere quæ non repugnant tanquam in obiecto formali, ſecus non videntes. f.705.§.79
eſſe Deum, vnum, ſimplicem, immenſum, æternum, cauſam cæterorum quæ infra eum. *Lege* ſect. I. f.957.958.959. & ſeqq.
in Deo non ſunt plures formalitates. f.807.§.138
in Deo eſt virtualis diſtinctio. f.774.§.121
in Deo rationis compoſitionem admittit Caietanus, non in creaturis. f.801.& 802.§.104
Vide Indicem Logicum & Phyſicum.

Differentia.

Differentia & genus æquè completa & incompleta. f.844.§.30
Differentia & genus cur partes ſpeciei. fol. 810. §.159
Differentiæ cur collocantur in prædicamenti lateribus. f.844.§.31
collocantur & directè. ibidem.
Vide Indicem Logicum.

Diffinitiones.

Diffinitiones.

Diffinitiones diſtinctæ eidem rei conueniunt. fol. 759.§.9

Dignitas.

Dignitas ad amorem eſt bonum. f.825.§.49

Diſconueniens.

Diſconueniens poſitiuum & priuatiuum. fol.826. §.60

Diſpoſitio.

Diſpoſitio ſignificat rerum ordinem. f.892.§.6
eſt habitus imperfectus. f.893.§.6
Vide Indicem Phyſicum.

Diſtingui. Diſtinctio. Diſtinctum.

Diſtingui ratione quid ſit. fol.796.§.67.& fol.797. §.60
Diſtinctio quid ſit. f.786.§.1.& f.787.§.3
Diſtinctio abſolutè eſt inter exiſtentia. f.787.§.1
Diſtinctio negatiua. ibidem.
Diſtinctio in potentia. ibidem.
Diſtinctio non eſt modus. f.787.§.2
Diſtinctio eſt relatio. ibidem.
Diſtinctio eſt propria entitas. f.787.§.3
Diſtinctio non eſt negatio ſed negatione explicatur. f.787.§.4
Diſtinctio ſunt duæ entitates. ibidem.
Diſtinctio eſt in duobus. f.787.§.5
Diſtinctio ſunt duo entia. f.787.§.6
Diſtinctio & vnitas quo differant. f.787.§.6.&fol. 788.§.7. item & ſimplicitas. ibidem.
Diſtinctio entis à non ente non eſt vnitate poſterior. f.788.§.8
Diſtinctio eſt poſitiua, & non negatio. f.788.§.10
Diſtinctio an ſit attributum. ibidem.
Diſtinctio realis quid ſit. f.787.§.3.& f.788.§.11
Diſtinctio realis eſt fundamentum extrinſecum diſtinctionis rationis. f.797.§.69
Diſtinctio realis & ex natura rei ſunt ſynonyma. f.794.§.55
Diſtinctio ex natura rei habet negationem identitatis. f.794.§.56
Diſtinctio formalis eſt tam mala quàm ex natura rei. f.794.§.56
nulla Diſtinctio (ex S. Thoma) eſt in Deo præter rationis niſi inter relatiuas oppoſitiones. f.795. §.89
Diſtinctio virtualis quid ſit. f.795.§.61
non ſemper continet prædicata contradicentia. ibidem.
Diſtinctio virtualis altior & nobilior conuenit Deo. f.795.§.62
Diſtinctio virtualis non eſt abſolutè diſtinctio. ibidem.
Diſtinctio virtualis ſine reali nullibi eſt.f.790.§.22
Diſtinctio virtualis eſt ex natura rei. f.806.§.130
quid de ea ſentiat Aureolus. ibidem.
Diſtinctio virtualis in vna formalitate conſtituitur. f.808.§.143
Diſtinctio virtualis non fundat diuerſas formalitates. f.807.§.140
Diſtinctio virtualis duplex. f.774.§.120
in Deo eſt altioris ordinis. ibidem.
Diſtinctio formalis ſiue ex natura rei, & idemtitas ſunt reales. f.762.§.29
Diſtinctio formalis & ex natura rei quid ſit & quotuplex. f.793.§.51
Diſtinctio modalis quid apud P.Fonſec.f.793.§.52
eam non explicat. §.53.& ſeqq.
Diſtinctio modalis eſt abſolutè realis. f.788.§.13
duobus ſignis diſcernitur. f.789.§.17.& 18
Diſtinctio vt ſic non eſt communis reali & rationis. f.788.§.11
Diſtinctio rationis non eſt ſimpliciter diſtinctio, ibidem.
Diſtinctio rationis eſt realis extrinſeca. §.12
Diſtinctio rationis eſt actus intellectus quo vnum cognoſcitur ſine alio identificato realiter cum illo. f.797.§.75
Diſtinctio rationis quid ſit formaliter. fol. 798. §.76.& 81
Diſtinctio rationis eſt realis extrinſeca obiecto. f.797.§.67.& 68
Diſtinctio rationis non eſt propriè ens rationis ſed reale. f.797.f.68
Diſtinctio rationis non dicitur abſolutè realis, quia non ponit negationem realem inter extrema. f.797.§.68
Diſtinctio rationis eſt actus ipſe, ex S.Thoma. fol. 800 §.95
Diſtinctio rationis duplex. fol. 797. §. 74. & fol. 810.§.165
Diſtinctio rationis propria. f.797.§.74
Diſtinctio rationis eſt in intellectu ſubiectiuè ex S.Thoma. f.801.§.96. vel vt in ſubiecto. §.97
Diſtinctio rationis eadem ratione negatur, qua realis. f.838.§.73
Diſtinctio rationis non negatur à Nominalibus. f.776.§.131. nec vniuerſalia negantur. ibidem.
Diſtinctio rationis fit per intuitionem non comprehenſiuam. f.812.§.174
Diſtinctio rationis in Deo negatur à S. Anſelmo. f.805.§.126
Diſtinctio noſtra rationis tam certa in beatis quàm in nobis. f.812.§.184
Diſtinctio rationis ratiocinatæ & ratiocinantis quæ ſit. f.810.§.165
Diſtinctio rationis ratiocinantis eſt ſine fundamento in re, ſola geminatione eiuſdem conceptus. f.811.§.166
non eſt propriè diſtinctio. ibidem.
Diſtinctio rationis ratiocinatæ fundatur in obiecto. f.811.§.167
eius fundamentum ſunt frequenter connotata. ibidem.
poteſt eſſe ſine connotatis. ibidem.
Diſtinctio nobilior circa ſenſibilia. f.811.§.170
Diſtinctio per connotata. f.802.§.104
Diſtinctio perfecta eſt per connotata. f.811.§.170
Diſtinctio nulla ſequitur in obiecto ex diuerſis connotatis. f.800.§.88
Diſtinctio vnionis & cognitionis ad Verbum. fol. 809.§.155
Diſtinctio non ſe tenet ex parte obiecti. fol.782. §.173
Diſtinctio formalitatum arguit imperfectionem in cognoſcente. f.816.§.208
Diſtinctio formalitatum explicatur per prædicata contradictoria. f.802.§.105
Diſtinctio numerica non eſt à materia. fol. 756. §.82
Diſtinctio numerica eſt ſine materia phyſica. fol. 874.§.14.& f.875.§.17
Diſtinctio ſpecifica ſumi poteſt à materia. ibidem.
Diſtinctio & vnitas non idem ſunt. f.750.§.39
Diſtinctio dicit negationem, vnitas non dicit. §.40
Diſtinctio eſt pluralitas ac propterea non ſunt in obiecto plures formalitates. f.803.§.107
Diſtinctio videtur eſſe relatio. f.918 §.131
Diſtinctione conceptuum poſita, ponitur pluralitas conceptuum. f.804.§.114
Diſtinctum eſſe non ſe tenet ex parte obiecti.f.803. §.108

Diſtincta

Diſtincta ſemel, non poſſunt fieri vnum. f.789. §.14
Vide Indices Logicum & phyſicum.

Diuina.

Diuina quomodo diſtinguimus. 811. §.170

Diuiſibilitas. Diuiſio. Diuiſum.

Diuiſibilitas phyſica non eſt effectus formalis quantitatis. f.886. §.22
Diuiſio eſt conceptus priuatiuus, indiuiſio poſitiuus. f.748. §.21
quæ Diuiſio oriatur à quantitate. f.757. §.91
Diuiſio & indiuiſio rationis verſantur circa idem. f.779. §.148
Diuiſio per intellectum eſt clara cognitio partium. f.770. §.88
Diuiſio & vnitas obiectorum. f.770. §.93
Diuiſionis cauſa. f.750. §.34
Diuiſionis proprietas. f.744. §.13
Diuiſum omne, nihil eſt præter partes. f.779. §.149
Diuiſum & non vnitum ſunt idem. f.748. §.27
Diuiſum non eſt ſuperius omnibus diuidentibus. f.783. §.181
Diuiſum & partes diuidentes ſunt æqualia. f.779. §.151
Vide Indicem Logicum.

Durare. Duratio.

Durare eſt perſeuerare. f.929. §.2
Durandi diſcrimen inter Deum & creaturam verſatur ſine modo diſtincto à creatura. f.935. §.47
Duratio eſt permanentia, nec in inſtanti. f.929. §.1
Duratio virtualis quo pacto ſit in Deo. f.930. §.4
Duratio eſt exiſtentia connotans tempus. f.930. §.6
Duratio non eſt ſine tempore. f.930. §.8
Duratio non diſtinguitur ab exiſtentia vt res abſoluta. f.931. §.11
Duratio & *vbi* ſunt modus. ibid. quid differant. f.933. §.31
Duratio deſtruitur cum exiſtentia. f.932. §.21
Duratio non diſtinguitur realiter ab exiſtentia rei durantis vt ſe tenet ex parte recti, intrinſecè ſignificati in ipſa re durante. f.934. §.37
Duratio creata eſt intrinſeca & extrinſeca. fol.939. §.72
Duratio eſt vt relatio. f.939. §.74
Duratio includit tempus poſſibile. §.75
Duratio non ſpectat propriè ad prædicamentum *quando.* f.939. §.77
cur de ea in eo agatur. f.940. §.78
Duratio infinita non poteſt explicari niſi per tempus infinitum. f.941. §.88
Duratio interdum eſt in prædicamento *ad aliquid.* f.940. §.77
Duratio non includit ſucceſſionem intrinſecam. f.937 §.57
Duratio eſſet modus ſi diſtingueretur ab exiſtentia. f.741. §.88
Duratio non eſt per connotata. f.938. §.65
Durationis diuinæ & noſtræ diſcrimen. f.940. §.83
Durationem rerum metimur tempore & non loco. f.936. §.55
Durationem ſucceſſiuam Angelo negat S. Auguſtinus. f.938. §.60

E

Effectus.

Effectus prout in cauſa eſt cauſa. f.817. §.6
Effectus formalis qualitatis eſt conſiderandus. fol.895. §.19
Effectus eſt verus ex eo quod fundet cognitionem veram, non ex eo quod ſit conformis actui practico. f.820. §.19
Effectus formalis primarius quantitatis eſt extenſio in ordine ad locum. f.888. §.39
ſecundarius eſt occupatio loci. f.889. §.39
Effectus ſuppoſiti non eſt reddere naturam incommunicabilem. f.864. §.78
multi Effectus formales primarij poſſunt eſſe diuinitus ſine ſecundariis, & contrà. f.886. §.21
ad Effectus poſitiuos dari poteſt fundamentum proximum, & remotum, non verò ad negatiuos. f.862. §.64
ad Effectus reales plura requiruntur quàm ad negationes. f.863. §.70
Vide Indicem Phyſicum.

Energumeni.

Energumenorum robur. f.873. §.11

Ens.

Ens vnde dicitur. f.729. §.1
Accipitur in vi participij pro re exiſtente. ibid.
Accipitur in vi nominis pro non repugnantia. ibidem.
Ens in vi nominis amplectitur exiſtentia & poſſibilia. f.729. §.2
Ens non poſſe præſcindi à ſuis inferioribus qui doceant. f.734. §.33
Ens per ſe eſt ſubſtantia. f.848. §.8
Ens per ſe non eſt eſſe independens à ſubiecto. fol. 852. §.37
Ens & vnum conuertuntur. f.754. §.68
Ens reale qua ratione per ſingularitatem conſtituatur. f.764. §.51
Ens reale & rationis ſunt abſimiliter vnum. f.753. §.58
Ens à ſe eſt quod habet eſſe ſine dependentia ab alio. f.961. §.18
an in eo conſiſtat quidditatiuus Dei conceptus. f.961. §.10
Ens non conſideratur à metaphyſ. niſi abſtractum à materia. f.711. §.114
Ens vt contractum ad corpus non conſiderat metephyſicus. f.711. §.117
Ens eſſe malum non eſt abſolutè dicendum. f.824. §.45
omne Ens eſt aliquo modo diſconueniens aliis vt cauſa, vel alia ratione. f.824. §.45
omne Ens eſt alicui bonum. f.824. §.43
omne Ens eſt à parte rei ſingulare. f.763. §.42
Ens in potentia non eſt ſimpliciter ens. f.829. §.16
Ens ſecundum quid opponitur Chymæræ. fol.830. §.18
Ens in actu & in potentia ſunt analoga. f.830. §.19
Ens tranſcendit modos. f.741. §.94
Ens non eſſe tranſcendens cenſent nonnulli. fol. 742. §.95
Ens eſſe cognoſcibile, eſt concretum ex obiecto ſignificato in recto, & ex cognitione in obliquo connotata tanquam forma, à qua denominatur obiectum. f.818. §.9
Ens per accidens eſt pars obiecti metaphyſicæ. fol. 704. §.68
an de eo detur Scientia. §.69
Ens per accidens qua ratione definiatur vt terminet ſcientiam. f.704. §.70
Entia per accidens pertinent ad prædicamentum habitus. f.843. §.24
Ens & non ens in nullo conueniunt. f.840. §.86
Ens & eius differentia non ſunt partes duæ, nec propriè ſunt partes. f.737. §.54
Ens tranſcendit vltimas differentias, & ab eis poteſt abſtrahi. f.737. §.55
Ens prædicatur quidditatiuè de ſuis differentiis. f.737. §.57

Ens priùs diuiditur per conceptus quidditatiuos quàm per ſecundarios. f.755.§.70
Ens non abſtrahitur ab vno & multis,nec contrahitur. f.755.§.77
Ens & non ens maximè diſtinguuntur. fol.787. §.1
Ens formaliter clauditur attributo reali. fol.743. §.11
Ens ſecundum ſe eſt vniuerſale comparatum duobus entibus. f.730.§.7
Ens rationis quid ſit. fol.946.§.29. & f.952.§.64. & 65
Ens rationis non rectè diuiditur in formale actuale & fundamentale. f.953.§.70
Ens rationis non efficitur per omnem actum ad illum determinatum ſed præciſè per fingentem. f.954.§.74
Ens rationis datur contra Durandum,Valeſium,& alios. f.954.§.75
Ens eſt nomen purè æquiuocum. f.954.§.77
Ens rationis fit per actum falſum quo iudicamus exiſtere aut exiſtere poſſe id quod re ipſa repugnat eſſe. f.954.§.79
Ens rationis non efficitur per intellectionem præciſiuam. f.955.§.81
nec per ſimplicem apprehenſionem ſubiecti & prædicati. §.82
Ens rationis incomplexum fieri poteſt apprehenſione vnionis. f.955.§.83
fieri nequit per ſenſus tam externos quàm internos. §.84
omne Ens rationis fieri poſſe per apprehenſionem, excepta relatione,cenſet Pat. Vazquez. fol.955. §.86
Ens rationis quomodo diuidatur. f.955.§.87
an Ens rationis fiat & cognoſcatur à Deo. *Lege* ſectionem VI. f.955.& 956
vt aliquid ſit Ens rationis quid requiratur. f.944. §.16
an Ens rationis ſit aliquid deriuatum ex denominatione extrinſeca reali. *Lege* ſect. II. cum ſubſectionibus. f.945.946.& ſeqq.
Ens rationis eſt propriè obiectum intellectus. fol. 703.§.65
Ens rationis habet ſuo more abſtractionem à materia. f.703.§.66
Ens rationis vt ſic abſtractum ab ente rationis concernente materiam primam eſt obiectum partiale proprium Metaphyſicæ. f.701.§.51
Ens rationis non excluſit Ariſtoteles ab obiecto Metaphyſicæ. f.702.§.55
Ens rationis eſt ſuo more vnum, verum, bonum. f.702.§.57
Ens rationis eſt directè cognoſcibile. fol. 702. §.58
Ens rationis ſupponit diſtinctionem. f.798.§.79
Ens rationis aut per accidens non eſt obiectum attributionis. f.705.§.81
Ens rationis reſultans ex actu iam ſupponit naturam vniuerſalem. f.769.§.82
Ens rationis non eſt forma vniuerſalitatis. f.768. §.77
Ens rationis eſt ens nomine tenus. f.905.§.50
Ens rationis non eſt abſolutè verum. fol. 821. §.27
Ens rationis more applicationis non dat ſcientiis ſpeciem. f.713.§.134
Ens rationis eſt per accidens ad exiſtentiam ſcientiarum. f.714.§.134
Ens non habet attributa, in ſententia admittente præciſiones obiectiuas. f.742.§.6
Ens vt ſic habet attributa realia. f.743.§.8
Ens vt ſic terminat ad ſe conceptum formalem. f.730.§.10
Ens vt ſic ex parte obiecti gaudet conceptu obiectiuè vno. f.732.§.26
Ens vt ſic conſideratum à Metaphyſico eſt commune enti ſupernaturali. f.705.§.77
Ens vt ſic eſt obiectum partiale Metaphyſicæ. fol. 700.§.49
Ens vt ſic non eſt vniuerſale Logicæ enti actuali,& in potentia. f.730.§.3
an Ens ſit vniuerſale enti in actu & enti in potentia. ibid.
Ens eſt quod non repugnat exiſtere. §.8
Entis vt ſic diuiſio non pertinet ad ſolam Metaphyſicam. f.704.§.74
Entis vt ſic diuiſio in ſupernaturale & naturale ſpectat ad Theologum non ad Metaphyſicum. 704.§.75
Entis attributa quæ ſint. f.818.§.4
Entis proprietates, quæ formaliter dicunt aut negationem, aut priuationem, non ſunt propria illius attributa. f.742.§.5
Entis ratio non poteſt ex natura rei à ſubſtantia diſtingui. f.762.§.30
Entis immediatior & aptior diuiſio. *Lege* ſect. I. f.847
Entis prima diuiſio non eſt in vnum & plura. fol. 755.§.77
Entis diuiſiones ſunt oppoſitæ. f.842.§.20
conceptus Entis & ſubſtantiæ completæ vt ſic, præciſus ab omnibus inferioribus non conſideratur per ſe à Metaphyſico tanquam propter finem:ſed cum ordine ad ſubſtantiam angelicam & diuinam. f.706.§.82
Enti reali & rationis non datur ratio communis. f.905.§.50
Enti in potentia & actu non eſt ratio communis. f.840.§.86
Entis in vnum & multa, diuiſio eſt valde fuſa & impropria. f.755.§.73
Entium duo genera. f.737.§.58
Entia multa ſunt indifferentia ad multos effectus. f.738.§.59
eam indifferentiam tollit modus. ibidem.
Entia rationis non ſunt in prædicamento. fol.843. §.24
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Eſſe. Eſſentia.

Eſſe poſſibile & actuale. f.837.§.65
quomodo idem. f.838.§.70
Eſſendi modi ſunt perſeitas & inhærentia.fol.847. §.5
Eſſentia eſt quidditatiuus conceptus. f.826.§.1
Eſſentia non oritur ab alia radice. fol. 963. §.27
Eſſentia & indiuiduatio ſunt idem. fol. 758. §.100
Eſſentia & exiſtentia cum proportione nec intellectu diſtinguuntur. f.838.§.72
Eſſentia & exiſtentia ratione quo pacto diſtinctæ. f.838.§.71
Eſſentia & exiſtentia mutantur quidditatiuè ex non ente ſimpliciter in ens ſimpliciter, in creatura exiſtente. f.833.§.34
Eſſentia & exiſtentia an diſtinguantur. fol. 833. §.38
Eſſentia & exiſtentia prout in potentia diſtinguuntur à ſe ipſis vt in actu. f.838.§.69
Eſſentia non eſt ſubiectum phyſicum. fol. 837. §.66

Eſſentia non eſt ſimpliciter ab æterno. fol. 837. §.66
Eſſentia tota rei materialiter ſumpta non cognoſcitur adæquatè per diffinitionem. f.743.§.9
Eſſentia & attributa quid habeant in ſententia negante præciſiones obiectiuas. f.743.§.8
Eſſentia & actus liber ſunt diſtinctæ formalitates. f.813.§.182
Eſſentia non eſt ſubiectum exiſtentiæ. fol. 835. §.54
Eſſentia exiſtens eſt ſuum eſſe. f.836.§.60
Eſſentia exiſtentiæ ſit. f.828.§.8
Eſſentia non eſt ratione prior quàm poſſibilitas. f.828.§.12
Eſſentia Petri & Pauli ſunt tam diſtinctæ quàm ipſi. f.760.§.11
Eſſentiæ ab exiſtentia diſtinctio quo teſtimonio magis probetur. f.937.& 938.§ 60
Eſſentiam ratione diſtinguentes ab exiſtentia in quo ſenſu. f.838.§.71
Eſſentiæ rerum ſunt producibiles. f.828.§.7
Eſſentiæ cur inuariabiles. f.828.§.8
Eſt & poſſibile eſt abuſus vocum. f.838.§.70

Euchariſtia.

Euchariſtiæ quantitas non eſt quanta. f.885.§.19
in Euchariſtiâ Chriſtus habet extenſionem proximè non formaliter. f.887.§.26
in Euchariſtia omnes quantitates ſunt ex ſe penetrabiles apud Nominales. f.884.§.9
in Euchariſtia omnis qualitas creatur. fol. 884. §.11

Exercitus.

Exercitus eſt ens aggregatione, ſimiliter & vnum aggregatione. f.755.§.73

Exiſto. Exiſtens. Exiſtentia.

Exiſto & ſum ſunt ſynonyma. f.834.§.43
Exiſtens in inſtanti habet intrinſecè duo. fol.932. § 21
Exiſtens in vno inſtanti, in illo ſolum eſt abſolutè exiſtens. f 932.§.23
Exiſtentis ratio, eſt ratio entis. f.833.§.39
Exiſtentia eſt ratio eſſendi extra cauſas. f.826.§.1. & f.834.§.44
Exiſtentia non eſt ſuum eſſe. f.836.§.60
Exiſtentia eſt ſubſtantia vel accidens. fol. 839. §.81
Exiſtentia à quo determinetur vt ſit. fol. 933. §.27
Exiſtentia actualis reſpondet aptitudinali. fol.766. §.63
Exiſtentia eſt prior natura omni accidente. f.936. §.52
Exiſtentia durat formaliter per ſe, efficiẽter à Deo. f.936.§.49
Exiſtentia ſecundum ſe eſt indifferens ad eſſe & non eſſe. f.936.§.50
Exiſtentia in potentia eſt ſecundum quid exiſtentia. f.830.§.20
Exiſtentia concipi poteſt in potentia tantùm. fol. 831.§.22
Exiſtentia Dei ſola fuit ante exordium mundi. f.831.§.23
Exiſtentia eſſet modus ſi diſtingueretur ab eſſentia. f.741.§.88
Exiſtentia concipitur eo modo quo concipitur eſſentia. f.837.§.63
non diſtinguitur ab eſſentia ratione. ibid.
Exiſtentia ſubſtantiæ non eſt accidens. fol. 839. §.82
Exiſtentia accidentis eſt accidens contra Bagnes. f.840.§.82
Exiſtentia eſt prior naturâ quàm ſubſiſtentia. fol. 840.§.83
Exiſtentia non efficit rem indiuiduam. fol. 765. §.55
Exiſtentia actualis eſt de primo conceptu Dei. fol. 961.§.17
Exiſtentiæ corruptio eſt cauſa ne ſit duratio. f.932. §.26
Exiſtentiam ſucceſſiuam nullus adſtruxit. fol.389. §.80
ſine Exiſtentia nihil eſt niſi in potentia. fol. 831. §.33

Extenſio. Extenſum.

Extenſio omnis impropriè vocatur quantitas. fol. 889.§.40
Extenſum omne eſt diuiſibile per intellectum. f.885.§.16

Extrema.

Extrema referre non poteſt relatio ſi ſit ab eis diſtincta. f.901.§.24

F

Falſitas. Falſum.

Falſitas in rebus ſecundum ſe non eſt. fol.821. §.22
Falſitas duplex. §.23
Falſitas vnde oriatur. §.27
Falſitas an poſſit eſſe vera. ibidem.
Falſum eſt quod apparet id quod non eſt, & fundat falſam cognitionem ſui. f.821.§.23
Falſum eſt comparatione intellectus humani. §.24
Falſum non eſt quod fiat contra artem. §.25
Vide Indicem Phyſicum.

Fatigatio.

Fatigatio non ab intellectione oritur ſed à ſenſu. f.721.§.173

Fides.

Fides & Theologia habent eandem abſtractionem obiectiuam. f.721.§.173
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Figmentum.

Figmentum non poteſt eſſe vniuerſale. fol. 785. §.191

Figura.

Figura eſt modus reſultans ex magnitudine terminata. f.893.§.7. eam non habet Chriſtus in Euchariſtia. ibidem.
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Filiatio. Filiatum.

Filiatio duas habet denominationes. fol. 926. §.26
Filiatum eſt denominatio extrinſeca. ibid.

P. Fonſeca.

P. Fonſeca nobilis Philoſophus. f.765.§.54
eius ſententia de vniuerſalibus. ibid.
explicatur dupliciter. ibid.

Forma.

Forma quid ſit. f.893.§.7
Forma vnitur materializatione. f.926.§.26
Forma materialis eſt ſubſtantia. f.849.§.21
Forma pendet ab vnione vt agat in ſuo ſubiecto. §.870.§.119
Forma habet vt *quo* effectum quem dat. fol.901. §.24
Formæ abſolutæ à relatiua diſcrimen. fol. 903. §.34
Formæ eſſentia ſumitur à materia extrinſecè. fol. 874.§.15

Formæ

Formæ multæ ſunt indiuiduæ ad eandem materiæ partem. f.874.§.15
Formæ à ſe ſunt intrinſecè indiuiduæ. ibidem.
duæ Formæ ſubſtantiales non ſunt contrariæ. fol. 895.§.23
Vide Indicem Phyſicum.

Formalitas.

Formalitas vna ſine alia non attingitur à Deo. fol. 816.§.206
Formalitates plures obiectiuæ. f.802.§.104
an ſint plures in obiecto. f.802.§.105.& f.803. §.107
Formalitates omnes obiectiuæ terminant eundem actum. f.799.§.86
Formalitates plures obiectiuas in Deo conſtituens ſententia malè audiuit. f.801.§.98
an plures Formalitates Dei immediatè reſpõdeant vni actui Dei. f.815.§.201
Formalitates plures interdum nõ cognoſcit ſcientia abſtractiua. f.814.§.192
Formalitates obiectiuas diſtinguens opinio explicatur. f.774.§.121
Formalitatum diſtinctio fuit olim in Deo ſuſpecta. f.807.§.137.& 138
Formalitatum diſtinctio arguit imperfectionem in cognoſcente. f.816.§.208

Fundamentum.

Fundamentum quid ſit. f.906.§.53
Fundamentum relationis. *Lege* ſect.V. f.906
Fundamentum vniuerſalitatis immediatum ſunt plura. f.778.§.146.& 147
Fundamentum negans rem, negat omnia ab illa rependentia. f.863.§.69

G

Genus.

GEnus eſt imperfectius ſpecie. f.845.§.45
Genus & ſpecies quomodo componantur ratione. f.810.§.159
Genus & differentia cur ſint partes ſpeciei. ibid.
Genus nihil eſt fictum. f.785.§.195
Genus eſt inæquale in ſpeciebus. f.846.§.49
Genus refertur ad ſpeciem in eſſe ſcibilis. fol.698. §.33
Genus & differentia æquè completa & incompleta. f.844.§.30
Genera in prædicamento collocantur directè. fol. 843.§.27
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Geometria.

Geometria ſubalternatur Arithmeticæ. fol. 726. §.200

Gradus.

Gradus ſuperiores & inferiores diſtinguuntur ſola ratione. f.761.§.28.& f.762.§.35
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

H

Habitus.

HAbitus quid ſignificet. f.892.§.6
Habitus ſupernaturalis infuſus non opponitur habitui vitioſo. f.895.§.20
Habitus ſumit ſpeciem ab omnibus actibus,& eorum obiectis ſingularibus. f.715.§.147
Habitus & actus non ſunt propriè contrarij.f.894. §.18
Habitus aliqui habent inter ſe naturale aliquod vinculum quo nectantur & coaleſcant in vnam ſcientiam. f.723.§.186
Habitus circa rationes communes conſtant eandem ſcientiam cum habitibus circa rationes particulares. f.723.§.188
Habitus infuſi ponuntur in ſecunda ſpecie qualitatis. f.893.§.12
Habitus omnes non afficiunt vnam ſcientiam. f.724.§.189
Habitus de tranſcendentibus pertinent ad phyſicam. f.724.§.191
cur dicantur metaphyſici. f.725.§.198
per Habitum cognoſcitur omne obiectum formale. f.694.§.10
Habituum ſimplicitas non requiritur ad vnitatem ſcientiarum. f.722.§.182
Habituum vnitas difficilis viſa eſt Pat. Franciſco Suarez. f.722.§.181
Habitibus de tranſcendentibus omnes ſcientiæ ſubalternantur ſecundo genere ſubalternationis. f.727.§.112
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Hæretici.

Hæretici multi frænantur argumento ab Energumenorum robore, ne Deum negent. fol. 873. §.11

Homo.

Homo eſt indifferens vt cognoſcatur clarè & confusè. f.772.§.108
Homo non eſt intelligentia. f.872.§.5
Homo pura creatura dicit in recto naturam, & in obliquo ſuppoſitum: econtra Chriſtus. f.871. §.127
Homo & Angelus mali per accidens. fol. 822. §.30
Homo abſtrahitur ab indiuiduis. f.764.§.48
Homo ſine quantitate non poſſet ſtare pedibus. f.890.§.50
ageret tunc & pateretur. ibid.
Homo indiuiſus ratione ſunt eius ſingularia.f.778. §.144
Homo & Petrus non ſunt ſynonyma. fol. 776. §.133
Homo quamuis diſtinguatur realiter à Petro, non eſt vniuerſalis. f.760.§.10
Hominis perfectio quid ſit. f.823.§.39
cur Homines duo non ſint ęquè perfecti,ſicut ſunt duo Angeli. f.875.§.16.& 17
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Honeſtum.

Honeſtum quid & quotuplex ſit. fol.826. §.51. & 54
Vide Indicem Phyſicum.

Humanitas.

Humanitas non dicitur abſolutè pati, ſed Chriſtus. f.865.§.81
Humanitas non eſt violenta in Chriſto. fol. 858. §.33
Humanitatis cum Verbo & proprio ſuppoſito comparatio. f.866.§.90
Humanitate præciſa à petreitate an vniuerſale includat immediatè plura. f.782.§.170
Humanitas præciſa à petreitate manet in ſe ſingularis. f.782.§.171
Humanitas diſtincta à ſingularitate eſt ſingularis. f.761.§.20
Humanitas non fit ſingularis Petreitate. fol. 761. §.24
Humanitas reperta in pluribus realiter an vniuerſalis. f.759.§.3
Humanitas terminata proprio ſuppoſito poteſt diuinitus alieno terminari. f.866.§ 94

I

Idemtitas.

IDemtitas & diſtinctio formalis ſiue ex natura rei, ſunt reales. f.762.§.29

Idemtitas & diſtinctio realis ab vno extremo differunt ſpecie. f.784.§.184

Idolum.

Idolum non eſt imago. f.785.§.193

Ignis.

Ignis non eget calore ad operandum. fol. 894. §.14

Vide Indicem Phyſicum.

Immaterialitas.

Immaterialitas ex parte obiecti non eſt neceſſaria intellectui: eſt autem neceſſaria immaterialitas in modo. f.717.§.156

Immenſitas.

Immenſitas Dei. f.961.§.16

Immenſitatem Deo negauit Ariſtoteles. fol. 872. §.4

Impenetrabilitas.

Impenetrabilitas ex ſola oritur materia apud Nominales. f.884.§.9

Impenetrabilitatem non habet omnis forma. fol. 884.§.10

Impenetrabilitas non ſumitur pro negatione. fol. 889.§.39

Impenetrabilitas conſiſtit in ſola quantitate. f.889. §.40

quantitati non aufertur, ſed aufertur impenetratio. f.889.§.42

Impenetratio non eſt modus ſed negatio. f. 889. §.46

Imperfectio.

Imperfectio poteſt eſſe poſitiua & priuatiua. f.826. §.59

Impotentia.

Impotentia quid ſit. f.893.§.7

Incarnatio.

Incarnatio ad Theologum directè & non indirectè pertinet. f.726.§.204

Indifferentia.

Indifferentia & potentia naturalis eſt ad poſſibile naturaliter. f.863

Indiſtinctio.

Indiſtinctio rationis eſt actus clarus. fol. 798. §.77

Indiuiduatio. Indiuiduum.

Indiuiduatio & eſſentia ſunt idem. f.758.§.100

Indiuiduum in prædicamento collocatur, quin illi conueniant omnes rationes communes. f.846. §.46

Indiuiduum vnum producit actum confuſum. f.786.§.201

in vnoquoque Indiuiduo duplex vnitas. fol.772. §.110

Indiuidua omnia repræſentantur ſpecie confuſâ, non verò clarâ. f.786.§.200

Indiuidua de nullo prædicantur directè. fol. 853. §.6

Indiuidua cur primæ ſubſtantiæ. f.854.§.8

Indiuidua omnia vagè cognita ſunt obiectū actus vniuerſalis. f.780.§.157

Indiuidua omnia collectiuè an prædicentur. f.783. §.177

an prædicentur diſiunctiuè. §.179

de Indiuiduis eſt ſcientia phyſica. f.715.§.145

ab Indiuiduis confuſè, non clarè cognitis poteſt abſtrahi ratio communis. f.737.§.53

Vide Indices Logicum & Phyſicum

Indiuiſio.

Indiuiſio radicalis eſt actualis. f.746.§.5

Indiuiſio eſt ens poſitiuum, explicatum negatione. f.747.§.19

Indiuiſio rei ſimplicis eſt pura negatio. f.753.§.59

Indiuiſio eſt conceptus poſitiuus, diuiſio priuatiuus. f.748.§.21

Inæqualitas.

Inæqualitas extenſiua petit extenſionem. fol.938. §.67

Inferiora.

Inferiora contineri poteſtate in ſuperioribus ac confuſè cognoſci ſunt idem. f.779.§.152

Vide Indicem Logicum.

Inhærere. Inhærentia.

Inhærere minus propriè eſt de conceptu accidentis vt ſic. f.883.§.3

Inhærentia & perſeitas ſunt modi eſſendi. fol.847. §.5

Vide Indicem Phyſicum.

Intellectio.

Intellectio de obiecto ſenſili duplex. fol. 811. §.168

Intellectio reſpondens ſenſioni eſt vniuerſalis abſque connotatis. f.811.§.168

Intellectio præciſiua non efficit ens rationis. f.955. §.81

Intellectio immediatè deducta ex ſenſibus externis eſt intuitiua. f.812.§.175

Intellectioni repugnat materialitas in modo. f.718. §.159

Intellectioni non obeſt motus obiectiuus. f.718. §.160

Vide Indicem Phyſicum.

Intellectus.

Intellectus agens quomodo abſtrahat. fol. 767. §.67

Intellectus qua ratione faciat vnum ex pluribus. f.770.§.88

Intellectus attingit obiecta aliter ac ſunt. fol.765. §.52

Intellectus & voluntas pares in attingendo obiecto. f.695.§.15

Intellectus & voluntas Dei quomodo diſtinguantur. f.800.§.89

Intellectus Angeli non eſt diſcurſiuus, nec diſtinctus à ſubſtantia. f.876.§.26

Intellectus habet terminum productum. fol. 925. §.12

in Intellectus actu conſiſtit vnitas vniuerſalis. fol. 768.§.79

Intellectui an & quomodo neceſſaria immaterialitas obiecti. f.717.§.156

an ei officiat materialitas. f.718.§.158.& 159

Intelligendi virtus & formalis intellectio an in Deo ratione diſtinguantur. f.962.§.21

Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Intelligentia.

Intelligentia quid ſit. f.872.§.5

Intelligentias non eſſe factas ſenſit Ariſtoteles. f.872.§.1. & eſſe infinitæ virtutis. §.4

Vide Angelus.

Intenſio.

Intenſionis quæ res ſint capaces. *Lege* ſect. IV. f.896

Intentio.

Intentio ſecunda abſtractionis non eſt principium diſtinguendi ſcientias reales ſed præciſè logicam. f.713.§.133

Intentio ſecunda eſt per accidens ad exiſtentiam ſcientiarum. f.714.§.134

ab

ab ea eſt independens ſcientia de Deo & Angelis. f.714.§.135

Intuitio.

Intuitio & actio ſunt ad terminum vt exiſtentem. f.815.§.195

Intuitionis & abſtractionis collatio. fol.815. §.197

Intuitionis & actionis phyſicæ conuenientia. fol. 815.§.194

inter Intuitionem & abſtractionem formalitatum non eſt oppoſitio. f.814.§.192

Vide Cognitio.

L

Laurentius Valla.

LAurentij Vallæ impudens ignoratio quoad ſignificatum perſonæ. f.853.§.4

Libertas.

Libertatem Deo negauit Ariſtoteles. fol. 872. §.3

Vide Indicem Phyſicum.

Linea.

Linea & ſuperficies non ſunt ſpecies quantitatis completæ. f.891.§.52

Lipſius.

Lipſius reprehenditur. f.872.§.4

Locus.

Locus non eſt propriè ſpecies quantitatis. f.890. §.51

Vide Indicem Phyſicum.

Logica.

Logica ſubalternatur Metaphyſicæ. f.726.§.200

Logica ſubalternatur ſcientiæ reali vt ſic. fol.727. §.209

propriè ſubalternatur Animaſticæ. ibidem.

Item & Metaphyſicæ ſecundo genere ſubalternationis. §.210

Logica inter ſubalternas nobiliſſima. fol. 729. §.22

Logica & ſcientiæ reales quo differant. fol.707. §.90

ad Logicam non ſpectat vniuerſale ſecundum ſe. f.771.§.101

ad Logicam quæ prædicabilitas ſpectat? fol.772. §.102

Vide Logica in indice Logico.

Loquutio.

Loquutio Angelica eſt actus voluntatis. fol.877. §.31

Lux.

Lux non eſt abſolutè obiectum formale viſus. fol. 696.§.20

Lux & forma poſitiua poſſunt concipi abſque priuatione. f.751.§.45

Vide Indicem Phyſicum.

M

Malum.

MAlum totidem modis quot bonum dicitur. f.826.§.59

Malum ſimpliciter pro malo culpæ vſurpatur. fol. 826.§.61

Materia.

Materia prima eſt ſubſtantia. f.849.§.20

Materia prima eſt bona. f.822.§.32

Materia prima ſua entitate eſt indiuidua. fol.758. §.99

Materia prima non eſt primum ſubiectum logicè, ſed phyſicè. f.756.§.85

Materia prima habet indiuiduationem ſubſtantialem & non à quantitate. f.756.§.87

Materia prima vt ſic eſt indifferens ad hanc numero. f.756.§.86

Materia prima non eget quantitate vt diſtinguatur. f.757.§.90

Materia non eſt indiuidua in ordine ad hanc quantitatem. f.757.§.95

Materia ſola non eſt directè in prædicamento ſubſtantiæ. f.843.§.26

Materia poteſt eſſe abſque quantitate. fol. 890. §.47

Materia ſine quantitate non flueret ad punctum. f.890.§.48

poſſet tunc moueri ab Angelo non à corpore. ibidem.

Materia ſine quantitate non eſſet in duobus locis. f.890.§.49

Materia phyſica & metaphyſica quæ dicantur. f.718.§.162

Materia phyſica & metaphyſica ſecundum eſſe. f.719.§.162

earum abſtractiones an differant. ibidem.

Materia cæli empyrei indifferens ad plures formas. f.741.§.86

Materiæ partes an diſtinguantur. f.887.§.30

Materiale. Materialitas.

Materiale vniuerſalis ſunt plura vt ſimilia. f.783. §.176

Materialitas in modo repugnat intellectioni. fol. 718.§.156

Materialitas obiectorum non officit intellectioni, contra Thomiſtas. f.718.§.158

Mathematica.

an Mathematicæ ſint vna ſcientia. f.724.§.190

Medicina.

Medicina ſubalternatur Phyſicæ. f.726.§.200

Mendacium.

Mendacium verum. f.821.§.27

Menſura.

Menſura eſt extrinſeca. f.930.§.5

Menſura quantitatis eſt homogenea, non verò virtutis menſura. 887.§.27

Metaphyſica. Metaphyſicus.

Metaphyſica quî probet ſua principia. fol. 744. §.20

Metaphyſica conſiderat ens reale atque rationis. f.700.§.49.50.51. & ſeqq.

Metaphyſica plures attingit abſtractiones à materia. f.720.§.167

Metaphyſica omnium difficillima. f.728.§.218

Metaphyſica vera ſapientia. f.728.§.219

Metaphyſica nobiliſſima inter ſcientias naturales. f.729.§.220

Metaphyſica ab omnibus appetitur. fol. 729. §.221

Metaphyſica qua ratione erat docenda ante cæteras. f.729.§.222

Metaphyſica eſt omnino ſpeculatiua. f.728.§.215

eſt euidentior & certior omni ſcientia naturali. §.216

Metaphyſica eſt vna ſpecie infima. fol. 722. §.182

Metaphyſicæ nulla ſcientia ſubalternatur primo genere ſubalternationis. f.727.§.211

Metaphyſicæ, vt præciſè agit de intelligentiis, nulla ſcientia (præter Arithmeticam) ſubalternatur. f.726.§.202

Metaphyſicæ obiectum proprium eſſe ſubſtantiam ſeparatam ſenſit Ariſtoteles. fol. 717. §.154

Metaphyſicam diſtinxit Ariſtoteles per abſtractionem realem. fol.716.§.202.& f.718.§.161
Metaphyſicus non conſiderat rationes entis præter abſtractas à materia. f.711.§.114
Metaphyſicus non conſiderat ens vt contractum ad corpus. f.711.§.117

Modus.

Modus tripliciter vſurpatur à Pat.Fonſeca. f.793. §.52
Modus eſt determinatio indifferentiæ. fol.738. §.62
Modus duo diſtincta connotat. f.860.§.53
Modus & res quo differant.fol.739.§.71.& f.926. §.19
Modus in ſuo genere non eget alio modo. fol.738. §.64
eget tamen in alio genere. ibidem.
Modus non poteſt ſucceſſiuè denominare rem aliam. f.738.§.65
Modus vitalis & non vitalis an differant. fol.739. §.68
an Modus ſit operatiuus. f.739.§.72
Modus non eget vnione diſtincta. f.739.§.74
Modus eſſentialiter afficit non tamen dependet. f.739.§.75
Modus quid ſit. f.739.§.71
Modus & res cur diſtincta realiter. f.738.§.60
Modus non poteſt diuinitus vniri per alium.f.867. §.100
Modus diuerſus prædicandi cauſat diuerſa prædicabilia, ſed non prædicamenta. fol.844.§.32
Modus indiuiduatur per ordinem ad hoc numero ſubiectum. f.758.§.102
Modorum duo genera. f.867.§ 99
in Modis afficere & dependere diſtinguuntur realiter. f.739.§.73
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Motor. Motus.

Motor finitus moueri poteſt tempore infinito. f.873.§.7
Motus obiectiuus non obeſt intellectioni. f.718. §.160
à quo Motu abſtrahendum ſit in ſcientia. f.718. §.160
Vide Indicem Phyſicum.

Multitudo.

Multitudo eſt ens reale. f.755.§.69
Multitudo non eſt ens,ſed entia. f.755.§.74
eſt vnum quo pacto eſt ens. ibidem.
Multitudo includit formaliter carentiam vnionis. f.751.§.42
Multitudo ob ſuam priuationem opponitur vnitati contradictoriè. f.751.§.42
Multitudo & vnitas quî ab aliquibus conſtituantur. f.750.§.37
Quomodo opponantur. fol.750. à §.3. ad 42
ad Multitudinem non exigitur in rigore carentia vnionis. f.891.§.55
Vide Indicem Phyſicum.

Myſteria.

Myſteria non pendent à diſtinctione rationis ſed à diſtinctione virtuali. f.807.§.134

N

Natura.

NAtura eſt ſingularis per ſuam entitatem, eſt vniuerſalis extrinſecè. f.766.§.58
eſſentialiter nec eſt ſingularis nec vniuerſalis. ibidem.
Natura quælibet ſubſtantialis creata vel creabilis realiter diſtinguitur à ſuppoſito. fol. 858. §.39
Natura abſtracta ab vno,eſt abſtracta ab omnibus. f.773.§.116
Natura Angelica abſtracta ab indiuiduo non eſt vniuerſalis. f.774.§.118
Natura ſecundum ſe extra intellectum eſt intrinſecè ſingularis. f.767.§.64
Natura non eſt indifferens ad varia ſuppoſita: nec hæc ſunt determinatio. f.860.§.52
Natura quo pacto prædicetur de relationibus. f.809.§.150
Natura quæ prædicata contradictoria terminet, & quæ non. f.809.§.151
Natura cum proprio ſuppoſito poteſt diuinitus alieno terminari vno & multis. fol. 866. § 94
Natura poteſt vniri non vnito ſuppoſito. fol.865. §.87
an Natura diuinitus poſſit eſſe ſine omni ſuppoſito. f.870.§.122.& f.871.§ 123
Natura Dei præciſa à relationibus nullam dicit dependentiam. f.855.§.19
Natura humana vt vnita eſt independens contra Scotum. f.856.§.27
Natura diuina præciſis ſuppoſitis non eſt formaliter completa. f.854.§.10
Natura & attributa ſunt ſynonyma. f.816.§.205
non relationes. ibidem.
Natura quomodo ſumatur à Metaphyſicis. f.853. §.1. quid ſit. ibidem.
eſt primus conceptus ſubſtantiæ. ibidem.
dicitur *vſia* Græcè. ibidem.
Natura vt eſt extra intellectum eſt ſingularis. fol. 766.§.62
Natura exiſtit prius perſonalitate. f.840.§.3
Naturam incommunicabilem reddere non eſt effectus ſuppoſiti. f.864.§.78
Naturam eſſe cognoſcibilem nullam addit vnitatem. f.766.§ 60
Naturæ indifferentiam ad alia ſuppoſita non tollit ſuppoſitum. f.863.§.72.& 76
Naturæ irrationales diſtinguuntur à ſuppoſitis. f.858.§.34
Naturalia reſpiciunt naturæ leges. f.864.§.77
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Negatio.

Negatio non eſt poſitiua. f.788.§.10
Negatio negationis non datur à parte rei. fol.749. §.29
Negatio & priuatio ſuntne propriè ſpecies entis rationis. f.953.§.72.& 73
Negatio oritur ex diſtinctione. f.787.§.4
Negationis fundamentum eſt alietas. §.5
Negatione prius eſt ſubiectum. ibid.

Nomina.

ſola Nominum diuerſitas non ſignificat diſtinctionem. f.855.§.16
Vide Indicem Logicum.

Nominales.

Nominales vnde ſic appellati. f.763.§.38
Nominalium laus. f.763.§.39

Notitia.

Notitia abſtractiua diſponit obiectum prædicabile. f.771.§.97

Nouitas.

Nouitas omnis non eſt nouella vanitas. fol. 703. §.63

Numerus.

Numerus non conſtituitur actu intellectus formaliter. f.891.§.54

Numerus

Numerus addit extrinſecam denominationem à duabus vnitatibus. f.891.§.54
Numerus rerum ſpiritalium non eſt quantitas diſcreta. f.891.§.55
Vide Indicem Phyſicum.

O

Obiectum.

OBiectum vnde dictum, & quid ſit. fol. 693. §.1
Obiectum & ſubiectum qua ratione differant & conueniant. ibidem.
Obiectum per quid conſtituatur proximè ſcibile. f.717.§.157
Obiectum diuiditur per cognitionem claram. fol. 779.§.150
Obiectum definiri poteſt licet à parte rei ſit infinitum. f.845.§.44
Obiectum cognitionis eſt prius illa ratione. f.819. §.13
Obiectum & facit & terminat actum. fol. 819. §.12
Obiectum ſupernaturale poteſt terminare naturalem actum confuſum ſub ratione communi entis. f.705.§.77
Obiectum actus vniuerſalis ſunt omnia ſingularia vagè cognita. f.780.§.157
Obiectum conſiderari poteſt ſpecificatiuè & reduplicatiuè. f.781.§.161
Obiectum ſpecificatiuè & reduplicatiuè ſumptum quid ſit. f.802.§.105
ſpecificatiuè non includit cognitionem, reduplicatiuè inuoluit. ibid.
Obiectum in ratione obiecti eſt cognitum formaliter. f.802.§.105
Obiectum & cognitio non attingunt plures formalitates. f.803.§.107
Obiectum & actus qua ratione mutuo accipiant vnitatem. f.768.§.75
Obiectum non diſtinguitur per connotata. f.800. §.90
Obiectum partiale eſt pars ipſius obiecti. fol.700. §.47
Obiectum metaphyſicæ proprium ſeu communiſſimum. *Lege* ſectionem II. fol. 700. 701. & ſeqq.
omne Obiectum abſtractum à materia eſt obiectum metaphyſicæ. f.704.§.71
Obiectum non habet alietatem ex parte ſui. f.803. §.111
omne Obiectum formale cognoſcitur ſuo habitu. f.694.§.10
ad Obiectum formale & materiale non exigitur actuum diſtinctio. f.696.§.26
Obiectum formale obiectiuè tantum cauſat. f.697. §.26
Obiectum proprium & attributionis quid ſint. f.697.§.27.& 28
Obiectum formale propter ſe attingitur: materiale verò propter aliud. f.695.§.15
Obiectum materiale & formale cur ita dicatur. f.695.§.16
Obiectum materiale eſt in cauſa cur attingatur materiale. f.695.§.17
idem Obiectum poteſt eſſe materiale ſimpliciter & formale ſecundum quid. f.695.§.18
Obiectum cognitum ratione ſui ſitne formale. f.696.§.19
Obiectum formale vltimum eſt in reſolutione. f.696.§.21
Obiectum materiale quid ſit. f.690.§.22
non cognoſcitur propriè. ibid.
non dat ſpeciem actibus. ibid.
Obiectum materiale remotum verè cognoſcitur. f.696.§.23
confert ad diſtinctionem actuum. ibid.
Obiectum totale alicuius potentiæ eſt omnino idem cum obiecto totali omnium habituum & actuum eiuſdem potentiæ. f.698.§.35
Obiectum totale actus eſt partiale potentiæ & ſcientiæ totalis. f.699.§.37
Obiecti totalis conditiones. ibid.
Obiectum attributionis non eſt prædicatum commune etiam in obliquo omnium actuum. fol. 699.§.39
Obiectum quo pacto ratione diſtinguatur. f.804. §.115
Obiectum immediatum actus vniuerſalis eſt fundamentum quod includit plura. f.778.§.147
Obiectum per ſpeciem impreſſam eſt cognoſcibile in actu primo. f.797.§.70
Obiectum vniuerſale eſt vnum extrinſecè. f.783. §.180
Obiectum vniuerſale in ratione vnius cognitionem inuoluit. f.782.§.167
Obiectum actus vniuerſalis nihil eſt fictum. f.784. §.185.& ſeqq.
Obiectum attributionis eſt in eadem abſtractione cum cæteris: quo non eget obiectum proprium. f.703.§.66
Obiectum adæquatum attributionis metaphyſicæ eſt ſolus Deus Optimus Maximus. fol. 708. §.100
Obiectum adæquatum non eſt opus vt ſit prædicatum vniuerſale. f.699.§.40
ei non aſſignat S. Thomas conditiones, quas Thomiſtæ. f.699.§.41
Obiectum adæquatum proprium eſt quod repræſentatur omnibus actibus, eſtque collectio omnium obiectorum. f.699.§.42
Quas conditiones requirat. f.700.§.43
Ab ſcientia ſumit ſpeciem. §.44
Secundum omnes ſuas partes dat ſpeciem omnibus actibus. §.45
Obiectum adæquatum attributionis quid ſit. fol. 700.§.46
ex parte Obiecti quædam ſe tenent, quædam ex parte actus, alia verò ex parte vtriuſque. f.802. §.105
Obiecti materialis & formalis diſtinctio vnde veſtiganda. f.693.§.2
Obiecti materialitas an obſit intelligibilitati. fol. 718.§.158
Obiecto materialitatem non adimit abſtractio rationis. f.718.§.159
ab Obiecto formali intrinſeco vel extrinſeco pendet omnis actus. f.696.§.25
ab Obiecto actuum communium materialiter non ab ipſis actibus communibus diſtinguuntur ſcientiæ reales. f.717.§.156
ab Obiecto vt ſubeſt actui abſtrahenti non ſumitur ſcientiarum ſpecies. f.714.§.137
in Obiecto non eſt abſolutè veritas. f.820.§.21
Obiecta diuerſa diuerſam habent ſcibilitatem. f.693.§.4
Obiecta ſcientiarum an cognoſcat & præſcribat metaphyſicus. f.710.& 711.§.113.& ſeqq.
Obiectorum vnitas eſt confuſa cognitio. fol.770. §.89
Obiectorum diuiſio & vnitas. f.770.§.93
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Odium.

Odium Dei bonum phyſicè, moraliter malum. f.822.§.31

Omnipotentia.

Omnipotentia ducit in creaturas propter connexionem. f.915.§.112

Omnipotentiam Deo negauit Ariſtoteles. f.872. §.3

Operatio.

Operatio non conſtituit Angelum in loco. f.881. §.52

Oppoſitio.

Oppoſitio actu non eſt ſecundum eſſentias. f.832. §.27

Oppoſitio logica eſt inter propoſitiones, phyſica inter entia. f.894.§.16

Oppoſitionum genera. ibidem.

Vide Indicem Logicum.

Ordo.

Ordo tranſcendentalis non poteſt eſſe ſine aliqua dependentia à termino. f.913.§.101

P

Partes.

PArtes ſine punctis qua ratione ſunt vnum. f.752.§.51

Partes materiæ diſtinguuntur ſubſtantialiter numericè. f.887.§.30

Partium extenſio eſt effectus formalis quantitatis, non verò habere partes. f.887.§.29

Vide Indicem Phyſicum.

Paſſio.

Paſſio quid ſit. f.893.§.7

eſt qualitas reſultans ex motibus animi. ibid.

Paſſio eſt modus & determinatio huius patientis ad hunc effectum. f.924.§.5

Paſſio & actio diſtinguuntur ab agente & termino. ibidem.

Paſſio eſt ratio patientis formaliter. f.923.§.4

eſt dependentia à ſubiecto. ibid.

abſque Paſſione eſt denominatio paſſiua. ibid.

Paſſio diſtinguitur realiter ab eſſentia. fol. 742. §.2

Paſſio eſt idem cum actione. f.926.§.21

quæ Paſſio ſit in prædicamento. f.842.§.12

Paſſibilis qualitas eſt paſſio diuturna. f.893.§.7

Pater. Paternitas.

Pater eſt intrinſeca denominatio. f.926.§.26

Pater conſtituitur paternitate in ratione perſonæ. f.924.§.7

Pater in humanis differt ac in diuinis. fol. 904. §.41

Paternitas & maternitas ſolo numero diſtinguuntur. f.919.§.135

Paternitatis immediatum fundamentum. fol.918. §.133

Perfectio. Perfectum.

Perfectio humana quid ſit. f.823.§.39

Perfectio in vno genere. f.822.§.29

Perfectio actuum Dei ex ipſorum formali conceptu pendet. f.817.§.210

Perfectionem ſuam habent res ſingulæ. fol. 822. §.29

Perfectionem æqualem habere poſſunt duo Angeli, non verò duo homines. f.875.§.16

Perfectum ſimpliciter. f.822.§.28

Vide Indicem Logicum.

Perſeitas.

Perſeitas & inhærentia ſunt modi eſſendi. fol.847. §.5

Perſeuerantia.

Perſeuerantia eſt permanentia in eſſe accepto. f.929.§.2

Perſona.

Perſona & prima ſubſtantia vt ſic non ſunt idem. f.854.§.8

in diuinis ſunt idem. §.10

Perſona eſt indiuidua ſubſtantia, completa, intellectualis. f.853.§.3

non ſignificat laruas ſed hominem. §.4

in diuinis Perſona dicit in recto ſuppoſitum: in obliquo naturam: Deus contra. f.871.§.126

Perſonæ diuinæ vocantur *homouſion.* f.853.§.1

Phyſica.

Phyſica eſt vna ſcientia genere continens plures ſpecies nullo vinculo nexas. f.724.§.190

in Phyſica ſunt plures abſtractiones diuerſæ. f.716. §.199

Portentum.

Portentum in Iaponiorum ſalutem. f.874.§.11

Poſſibile. Poſſibilitas. Potentia.

Poſſibile eſt diſtinctum à Deo. f.827.§.5

Poſſibiles eſſe creaturas quid ſit. f.827.§.2

Poſſibilitas formaliter eſt à potentia Dei. f.827.§.3

eſt realiter diſtincta à Deo. §.5

Poſſibilitas non eſt negatio. f.828.§.11

poſſe exiſtere & eſſe in Potentia differunt. f.729. §.2

in Potentia & in actu opponuntur contradictoriè. ibidem.

Potentia eſt facultas ad agendum, vel patiendum, vel vtrumque. f.893.§.7

Potentia & omnes eius actus idem habent obiectum. f.698.§.35

Potentia repræſentat obiectum vt *quod*, actus autem vt *quo.* f.698.§.36

habere Potentiam & eſſe in potentia, non idem. f.829.§.15

Vide Indices Logicum & Phyſicum

Prædicamentum.

Prædicamentum ſubſtantiæ videtur eſſe curtum. f.842.§.15

Prædicamentum relationis non eſt accidentis trāſcendentaliter ad aliud. f.846.§.53

in Prædicamento quæ & qua ratione collocata. *Lege* ſect. III. f.843.& 844

Prædicamenta nihil continent magnum. fol. 840. §.1

Prædicamenta quid ſint. fol.841.§.1.& ſeqq.

dicunt in recto entitatem, in obliquo actum. §.2

Prædicamenta ſunt primæ intentionis. f.841.§.5

non connotant logicam, ſed ſcientias alias. ibid.

non ſpectant ad logicam, ſed ad eam ſpectant actus quibus cognoſcuntur. f.841.§.8

Prædicamenta cur in logicam inuexerit Ariſtoteles. f.841.§.10

Prædicamenta decem ſtatuuntur. f.841.§.11

Prædicamenta nouem ſunt accidentia realiter. f.844.§.32

Prædicamenta poſſent eſſe tria tantùm. f.843.§.21

poſſunt eſſe duo. §.22

ſunt abſolutè decem. §.23

Prædicamenta realiter debent inter ſe diſtingui. fol.842.§.20

Prædicamentorum diſtinctio vnde oriatur. f.846. §.52

Prædicari. Prædicatio. Prædicatum.

nihil verè Prędicatur de aliquo niſi ſit ipſum. f.780. §.153

Prædicatio vniuerſalis habet ſenſum diſiunctiuum. f.783.§.178. explicatur. §.179

Prædicata

Prædicata omnia realia ſunt ens ſimpliciter ex non ente ſimpliciter, in creatura exiſtente. fol. 832. §.34.& ſeqq.
quæ Prædicata contradictoria terminet natura: quæ non. f.809.§.151
Prædicata contradictoria intrinſeca & extrinſeca quo differant. f.809.§.152.& 154
Prædicata contradictoria non conueniunt rei creatæ. f.804.§.116
Prædicata contradictoria extrinſeca repugnant eidem rei. f.804.§.118.& 119
Prædicata actus & obiecti non ſunt confundenda. f.780.§.160
an Prædicatorum contradicentium conuenientia arguat diſtinctionem realem. f.789.§.19.& 20. & ſeqq.
in Prædicatis per participationem venitur ad vnum tale per eſſentiam. f.738.§.63
Vide Indicem Logicum.

Principia.

Principia prima duo, & quæ. f.744.§.21.& f.745. §.21.& 22
Contra negantes ea non eſt arguendum niſi fuſte. f.745.§.23
Principia & concluſio ſunt eiuſdem facultatis. fol. 725.§.195
Principia communia non ſunt in demonſtratione particulari. f.744.§.20
Vide Indicem Phyſicum.

Priuatio.

Priuatio eſt bona. f.824.§.44
Priuatio non poteſt concipi ſine forma. fol.751. §.45
Priuatio duo habet extrema, quia & duos terminos. f.748.§.26
Priuatio & negatio non ſunt propriè ſpecies entis rationis. f.953.§.72.& 73
Vide Indicem Phyſicum.

Propoſitio.

Propoſitio clara & confuſa non differunt in fundamento vnitatis. f.783.§.177
Propoſitio ſempiternæ veritatis quæ. f.837.§.68
Propoſitiones formales quo pacto negandæ in myſterio Trinitatis. f.809.§.156
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Prouidentia.

Prouidentiam Deo negauit Ariſtoteles. f.872.§.2

Punctum.

an in Puncto poſſit retineri figura. f.893.§.7
Punctum non eſt quantitas. f.891.§.52
Vide Indicem Phyſicum.

Q

Qualitas.

QValitas eſt analoga ex S. Thoma. fol. 842. §.19
Qualitatis definitio & diuiſio. *Lege* ſect. I. & II. f.892.& 893
Qualitas propriè contraria non poteſt eſſe cum oppoſita in eodem ſubiecto ſimul in vllo gradu contrario. f.895.§.21
Qualitates omnes poſſunt intendi. f.896.§.26
eſſe Qualitates contrarias & repugnantes experientia probat. f.894.§.17
Qualitates per ſe actiuæ ponuntur in ſecunda ſpecie qualitatis. f.893.§.9
Qualitates ſunt impenetrabiles comitanter. fol. 884.§.9
non inhærent quantitati. §.11
Vide Indicem Phyſicum.

Quando.

Quando eſt circumſtantia temporis. f.939.§.77

Quantitas.

Quantitas non eſt ſubſtantia. f.849.§.15
Quantitas eſt indifferens ad indiuiduationem. fol. 757.§.92
Quantitas eſt extenſio impenetrabilis. f.883.§.5
Quantitas non eſt modus. ibid.& f.889.§.46
quomodo diuidatur à Nominalibus. f.884.§.9
Quantitas eſt accidens diſtinctum à qualitatibus. f.884.§.12
Quantitas & Qualitas ad vnum prædicamentum ſpectant. f.842.§.16
Quantitas poteſt eſſe abſque figura. f.871.§.123
Quantitas non eſt determinata ad ſpatium, ſed eſt determinatiua. f.889.§.46
Quantitas diſcreta non eſt ſpecies quantitatis. fol. 755.§.71
Quantitas continua & diſcreta non differunt ſpecie. f.891.§.53.quid ſint.§.56.& 57
Quantitas diſcreta eſt numerus. ibidem.
Quantitas non conſiſtit in menſura. f.886.§.23
Quantitas ſe ſola non eſt fundamentum menſuræ. f.886.§.25
Quantitas Euchariſtiæ non eſt quanta. f.885.§.19
Quantitatis definitio & explicatio. *Lege* ſect. III. f.885.
Quantitatis ſpecies. *Lege* ſect. VI. f.690.& 691
Quantitatis effectus formalis primarius & ſecundarius. *Lege* ſect.IV. f.886.prætertim §.39
Quantitati non inhærent qualitates. f.884.§.11
Quantitati aufertur impenetratio, non impenetrabilitas. f.889.§.42
ſine Quantitate homo non poſſet ſtare pedibus. f.890.§.50
an ſine Quantitate materia prima poſſet diuinitus conſeruari. f.890.§.47
ſine Quantitate non eſſet materia in duobus locis. f.890.§.49
in Quantitate non eſt intenſio. f.896.§.28
Quantitates omnes in Euchariſtia ſunt ex ſe penetrabiles apud Nominales. f.884.§.9
Quantum propriè quid ſit. f.889.§.40
Vide Indicem Phyſicum.

R

Raritas.

RAritas & denſitas non ſunt modi. fol. 860. §.53
Vide Indicem Phyſicum.

Ratio. Rationale.

Ratio *in* & *ad* quid ſit. *Lege* ſect. IV. f.905
Ratio communis non datur enti reali & rationis. f.905.§.50
Ratio communis abſtrahi poteſt ab indiuiduis confusè, non clarè cognitis. f.737 §.53
Rationis indiſtinctio eſt actus clarus. f.798.§.77
Rationis compoſitionem in Deo, non in creaturis admittit Caietanus. f.801.& 802.§.104
Ratione diſtingui eſt inadæquatè cognoſci. fol. 797.§.69. *vide* Diſtinctio.
Rationale cognoſci formaliter quid ſit. fol. 810. §.158
Vide Indices Logicum & Phyſicum.

Rectus.

in Recto eſſe idem quid ſit. f.817.§.212
Vide Indicem Logicum.

Relatio.

Relatio eſt ad aliud. f.897.§.1
Relatio ſignificat narrationem. ibidem.

Relatio eſt comparatio, & directio. ibidem.
Relatio eſt reſpectus. f.897.§.2
Relatio non diſtinguitur à fundamento & termino. f.898.§.8
cur eam S. Thomas à Deo reiiciat. fol. 899. §. 12
Relatio eſt inſeparabilis à fundamento, & termino. f.899 §.13
Relatio duos habet conceptus, nempe *in* & *ad*. f.905.§.48.& ſeqq.
Relatio patris plus dicit quàm fundamentum & terminum. f.906.§.57
Relatio manet mutata ratione fundandi. fol.906. §.58
Relatio magiſtri pendet à doctrina diſcipuli.f.907. §.58
Relatio prædicamentalis eſt denominatio partim intrinſeca, partim extrinſeca. f.903.§.30
Relatio prædicamentalis ſunt duo conceptus abſoluti. f.804.§.39
Relatio prædicamentalis abſtrahitur ab omnibus inferioribus. f.920.§.152
Relatio vt ſic abſtrahitur à mutuis & non mutuis. f.922.§.157
Relatio non definitur per oppoſitam. f.908.§.71
Relatio ratione oritur ex fundamento & termino. f.909.§.72
Relatio in relatis non mutuis terminatur ad abſolutum. f.909.§.73
Relatio mutua ad abſolutum terminatur. fol.910. §.77
Relatio tranſcendentalis non mutua terminatur ad abſolutum. f.910.§ 80
Relatio tranſcendentalis mutua ad relatiuum terminatur. f.910 §.81
Relatio tranſcendentalis quæ dicatur, & an diſtinguatur à fundamento. f.897 §.4
ſine eâ non poteſt eſſe res. ibidem.
Relatio tranſcendentalis & prædicamentalis quid ſint, & in quo differant. *Lege* ſect. VIII. f.911. & 912
Relatio tranſcendentalis vagatur per omnia prædicamenta. f.912.§.94
Relatio tranſcendentalis Dei ad creaturas. *Lege* ſect. IX. f.912.& 913
Relatio tranſcendentalis non eſt ad aliud abſolutè. f.907.§ 61
Relatio tranſcendentalis eſt ſecundum eſſe. fol. 916.§.117
Relatio ſecundum dici non eſt rationis. ibidem.
Relatio tranſcendentalis eſt entitas rei pendentis ab alia. f.917.§.125
non poteſt concipi ſine termini conceptione. ibidem.
poteſt cognoſci cum termino & ſine illo. ibid.
Relatio rationis propria eſt ficta. f.917 §.124
Relatio ſecundum dici non eſt realis in obiecto. ibidem.
poteſt vocari relatio rationis. ibidem.
Relatio ſecundum dici dicitur impropriè relatio. f.897.§ 3
diſtinguitur à relatione rationis. ibidem.
Relatio ſecundum dici quid ſit. f.916.§.116
Relatio ſecundum dici in obiecto eſt ſecundum eſſe. f.916.§.120
Relatio primi generis. f.917 §.126
Relatio in vnitate quid petat. ibidem.
Relatio identitatis, æqualitatis, ſimilitudinis. fol. 917.§.126
Relatio diuerſitatis. f.eod.§.128
Relatio numeri. f.918.§.128
Relatio multitudinis eſt realis in parte. fol. 919. §.129
Relatio ſecundi generis in actione fundatur. fol. 918.§.132
Relatio agentis intrinſeca & extrinſeca. fol. 918. §.134
Relatio manet mutata actione. f.919.§.138
Relatio tertij generis non mutua. f.919.§.141
Relatio tertij generis non eſt prædicamentalis. fol.920.§.143
Relatio primi generis eſt mutua. f.920.§.144
Relatio intrinſecus & extrinſecus aduenIens. fol. 920.§.147
Relatio directè poſita in prædicamento eſt accidens. f.904 §.42
Relatio ſubſtantialis non eſt directè in prædicamento. ibidem.
Relatio cur à S. Thoma negetur Deo. f.905.§.44
Relatio eſt accidens, ſit ne vera propoſitio. f.905. §.45
Relatio eſt idem cum vtroque extremo. fol.903. §. 31
Relatio ad relationem quomodo detur & non detur. f.902.§.26
Relatio creaturæ eſt immediatè ad Trinitatem. f.809.§.154
Relatio diſtincta ab extremis non poteſt ea referre. f.901.§.24
Relatio diuina non eſt accidens & inclinat in tranſcendentalem. f.846.§.53
Relatio eſſet modus ſi diſtingueretur. f.741.§.90
Relationis fundamentum. *Lege* ſect. V. f.906
Relationis terminus. *Lege* ſect.VI. fol.907
Relationem ab vtroque extremo diſtinguentes eam tenentur ablegare à Deo. f.900.§.18
ſecus qui eam dicunt eſſe extrinſecam. ibid.
Relationem diſtingui realiter à fundamento vnde probetur. f.903.§.35
ad Relationem cur non detur per ſe motus. f.905. §.96
Relationes diſquiparantiæ ſunt in ſecundo genere. f.920 § 144
Relationes nonnullæ tranſcendentales ſunt non mutuæ. ibidem.
Relationes & natura non ſunt ſynonyma. fol.816. §.205
Relationes Deo qui tribuunt. f.900.§.19
an Deus eas habeat. f.901 §.20
aliquæ Relationes carent ſubiecto. f.906.§ 55
aliquæ Relationes non egent ratione fundandi. f 906.§ 57
Vide Indicem Phyſicum.

Res.

Res ens extra cauſas non eſt in potentia alicuius cauſæ. f.835.§.47
Res ſimplex eſt formaliter poſitiua. f.748 §.20
Res poteſt abſtrahi à rebus contradictoriis. f.838. §.71
Res ſingularis, quæ dicatur. f.756.§.78
Res poteſt eſſe determinata ad vnum, & indifferens ad aliud. f.931.§.12
an Res in potentia ſit ſimpliciter ens.fol.829.§.15. & ſeqq.
Res conſtituitur & diſtinguitur eodem conceptu. f.787 §.3
Res non poteſt concipi ſine eo quod non eſt de eius eſſentia. f.730 §.6
Res prius eſt impenetrabilis quam diuidatur. fol. 886 §.22
Res eadem non poteſt diuidi in alias quæ ſunt idem cum illa. f.758.§.2

Res & modus quo differant, & vtrum tranſcendantur ab ente. *Lege* ſect. V. f.737.738. & 739
Rem eſſe cognoſcibilem eſt pura denominatio extrinſeca. f.766.§.61
Rem eſſe vnam, quid ſignificet. f.752.§.48
Rem eſſe diuiſam eſt formalis effectus carentiæ vnionis & non termini poſitiui. f.749.§.31
Res cur ſint poſſibiles. f.914.§.107
Res poſſunt exiſtere & non exiſtere. f.827.§.2
Res ſunt veræ non ſolum comparatione intellectus diuini ſed etiam creati. f.820.§.18
Res dupliciter completa. f.843.§.29
Res ſunt æquè cognoſcibiles & non amabiles æquè. f.825.§.49
Res duæ poſſunt eſſe ſimiles & diſſimiles abſque diſtinctione in ipſis. f.760.§.10
Vide Indicem Phyſicum.

Reſpectus.

Reſpectus tranſcendentalis non poteſt eſſe niſi ſit poſſibilis illius terminus. f.913.§.101
Vide Relatio. Ordo.

S

Sancti.

SAnctorum teſtimonia detruncare perinde eſt ac fingere. f.703.§.62

Sapiens.

Sapiens quid ſit. f.728.§.219

Scibilitas. Scientia.

Scibilitas duplex: altera intrinſeca, altera extrinſeca. f.695.§.14
Scibilitatis & definitionis eadem eſt ratio. fol.694. §.6
Scibilitatem diuerſam an habeant obiecta diuerſa. f.693.§.4
Scientia de ente per accidens an detur. fol. 704. §.69
Scientia nulla ſpeciem accipit ab obiecto niſi qua ratione cognoſcitur per actum. f.721.§.174
Scientia totalis & partialis quomodo attingant obiecta. f.694.§.5
quælibet Scientia totalis oſtendit ſuum ſubiectum, non quælibet partialis. f.744.§.20
Scientia Dei in ſua entitate non pendet à creatura. f.914.§.109
Scientia abſtractiua non cognoſcit interdum plures formalitates. f.814.§.192
Scientia ſubalternata inadæquatè diſtinguitur à ſubalternante, & non è conuerſo. f.726.§.205
Scientia actualis de cælo ſpecie diſtinguitur à ſcientia actuali de homine. f.715.§.146
Scientia de Deo & Angelis eſt independens à ſecunda intentione. f.714.§.135
Scientia per abſtractionem diſtingui in quo ſenſu non poſſit. f.714.§.138
in Scientia à quo motu abſtrahendum. fol. 718. §.160
Scientiæ qua ratione ſumant ſpeciem ab abſtractione obiectiua. f.716.§.201
Scientiæ totales, genere diuerſæ, ſunt plures in philoſophia naturali. f.716.§.199
Scientiæ omnes ſecundo genere ſubalternationis ſubalternantur mediatè vel immediatè illis habitibus qui abſtrahunt à materia & ſpiritu. fol. 727.§.212
Scientiæ humanæ quo pacto ſubalternentur Phyſicæ. f.727.§.213
Scientiæ reales diſtinguuntur ab obiecto actuum communium materialiter, non ab ipſis actibus communibus. f.717.§.156
Scientiæ actuales ſpecie diſtinguuntur, non habituales. f.715 §.147
Scientiæ diuerſæ habent eandem abſtractionem. f.721.§.173
Scientiarum vnitas. *Lege* ſect. VII. fol.721.722. & ſeqq.
Scientiarum diuiſio non eſt propter diuerſas abſtractiones à materia, ſed propter diuerſitatem obiectorum formalium, vel modum illa attingendi. f.719.§.166
Scientiarum diſtinctio, orta ex abſtractione formali, non oritur formaliter ab obiecto. f.714. §.140
Scientiarum obiecta an à Metaphyſica cognoſcantur,& præſcribantur. f.710.§.113.& ſeqq.
Scientiarum partitio communis per abſtractionem à materia. f.712.§.126
Scientiis ſpeciem non dat ſecunda intentio, niſi Logicæ. f.713.§.133.& §.134
Vide Indices Logicum & Metaphyſicum.

Secretum.

Secretum cordis non cognoſcitur ab Angelo. fol. 877.§.31
Secretum cordis eſt voluntas libera. ibidem.

Senſio. Senſus.

Senſio qua ratione vniuerſalis. f.811.§.168
Senſus externi faciunt aliquo modo vniuerſale. f.786.§.199
Senſus externus non fertur in connotata. fol.811. §.167
Senſus externi & interni non faciunt ens rationis etiam incomplexum. f.955.§.84
Vide Indicem Phyſicum.

Separatio.

Separationis argumentum debet eſſe inter duas res abſolutè exiſtentes in eodem temporis extrinſeci inſtanti. f.933.§.30

Similis. Similia.

Similem eſſe Paulo Petrum, & Paulum eſſe ſimilem Petro, an idem. f.904.§.40
duo Similia in vna albedine non ſunt prædicamentaliter. f.917.§.127

Similitudo.

Similitudo quomodo prædicetur de ſubiecto ſimili. f.905.§.47
Similitudo accidentalis eſt in prædicamento. fol. 844.§.32
Similitudo formaliter eſt idem cum fundamento & termino. f.903.§.31
Similitudo eſt denominatio partim intrinſeca, partim extrinſeca. f.903.§.30

Simplicitas.

Simplicitas & vnitas differunt ex parte negationis connotatæ. f.748.§.21
Simplicitas, vnitas & diſtinctio quo differant. f.788.§.7

Singulare. Singularitas.

Singulare quid ſit. f.756.§.78.f.758.§.1.f.759.§.6
ſi Singulare aliquod eſſet impoſſibile, ratio communis non eſſet eadem. f.784.§.184
Singularia dupliciter cognoſcuntur. f.765.§.53
omnia Singularia prædicantur diſiunctiuè. f.783. §.179
Singularia in modo prædicantur vagè de vno, in re vnum tantùm. f.780.§.157
Singularia ſunt immediatum obiectum actus vniuerſalis. f.780.§.154.& 159
Singularitas non eſt accidens phyſicum. fol. 763. §.41
Singularitas non eſt de hominis eſſentia. fol. 763. §.43

Singulari

Singularitas non concipitur neceſſariò. f.764.§.44
per Singularitatem qua ratione conſtituatur ens reale. f.764.§.51

Spatium.

Spatium non eſt ſpecies quantitatis. f.890.& 891. §.51

Species.

Species prædicatur de multis. f.760.§.13
Species determinat ad totum obiectum. f.877.§.32
Species confuſa repræſentat omnia indiuidua, non verò clara. f.786.§.200
Species & genus quo pacto componantur ratione. f.810.§.159
eius partes cur ſint genus & differentia. ibidem.
Species in actu primo continet quod cognitio in actu ſecundo. f.797.§.71
Species impreſſa non eſt actualis diſtinctio rationis. f.797.§.72
Species impreſſa eſt diſtinctio rationis virtualiter non formaliter. f.797.§.73
Species impreſſa, nec ens rationis non ſunt vnitas vniuerſalis. f.770.§.92
Species impreſſa non eſt formalis ſed virtualis repræſentatio obiecti. f.767.§.66
Species eſt vniuerſalis in repræſentando virtualiter. f.767.§.67
an Speciei diuerſæ ſint Petrus actualis & Paulus poſſibilis. f.840.§.87
Species impreſſæ ad quam ſpeciem qualitatis reducantur. f.893.§.8.& 12
Species fictas quas dicat Gregorius de Arimino. f.784.§.186
Species à parte rei non ſunt genere perfectiores. f.845.§.45

Status.

Status cognoſcitur eſſe ens ſecundum quid. f.848. §.12

Subalternatio.

Subalternationis ſpecies tres proponit P. Fonſeca. f.725.§.199.200.& 201

Subiectum.

Subiectum & obiectum qua ratione differant & conueniant. f.693.§.1
Subiectum eſt prius negatione. f.781.§.5
Subiectum per accidens quid ſit. f.726.§.202

Subſiſtentia.

Subſiſtentia quid ſit. f.853.§.2
ei reſpondet hypoſtaſis Græcè. ibidem.
differt à ſubſtantia. ibidem.
Subſiſtentia eſt complementum rei independentis ſecundum rectum, non obliquum. f.862.§.68
Subſiſtentia eſt ſubſtantia. f.850.§.24
Subſiſtentia creata & diuina conueniunt in effectu formali. f.864.§.79
Subſiſtentia creatiua opponitur inhærentiæ immediatè, non verò terminatiua, & illa eſt modus. f.859.§.44
Subſiſtentia recipitur in natura. f.870.§.121
Subſiſtentia quæuis poteſt terminare quamuis naturam creatam. f.868.§.104
Subſiſtentia non eſt modus. f.741.§.90
Subſiſtentia ab anima producitur, non autem vnio. f.870.§.118
Subſiſtentiæ quæ ſit cauſa effectiua. f.869.§.115
Subſiſtentiæ duæ quo ſenſu in Chriſto. f.862.§.65

Subſtantia.

Subſtantia eſt eſſentia cuiuſque rei impropriè. fol. 848.§.6
Subſtantia vnde dicta. ibidem.& §.7
negatur Deo ab aliquibus. ibidem.
Subſtantia eſt conceptus quidditatiuus, quo durante res durat. f.848.§.8
Subſtantia dupliciter ponitur in prædicamento. f.845.§.39
Subſtantia cur ſit ens per ſe. f.849.§.18
Subſtantia non intenditur. f.896.§.25
Subſtantia completa phyſicè ponitur in prædicamento. f.843.§.29
Subſtantia completa eſt etiam prima. f.853.§.6
Subſtantia completa vt ſic, præciſa ab omnibus inferioribus, non conſideratur per ſe à Metaphyſico tanquam propter finem ſed cum ordine ad ſubſtantiam Angelicam & diuinam. f.706.§.82
Subſtantia poteſt operari in primo inſtanti. f.878. §.35
Subſtantia ſpiritualis completa in genere & in ſpecie, nempe Deus & Angeli, eſt pars obiecti communiſſimi Metaphyſicæ. f.703.§.67
Subſtantia prima & perſona an idem. fol.854.§.8. & 10
Subſtantia non diuiditur in primam & ſecundam, id eſt, in ſingularem & vniuerſalem. f.852.§.41
Subſtantia non colligitur ex phyſica prioritate. f.851.§.30
Subſtantia non diſtinguitur à differentia hominis. f.762.§.32
Subſtantia materialis non pertinet ad metaphyſicam. f.704 §.72
Subſtantiam ſeparatam eſſe obiectum Metaphyſicæ ſenſit Ariſtoteles. f.717.§.154
Subſtantiæ quoad nos indiuiduantur per accidentia vel effectus. f.758.§.102

Superficies.

Superficies non eſt ſpecies quantitatis. f.891.§.1
Superficiei eſt extrinſeca ratio loci. ibidem.

Supernaturalitas.

Supernaturalitas & vitalitas non ſunt modus actuum. f.741.§.89

Suppoſitum.

Suppoſitum quid ſit. f.853.§.5.6.& 11
Suppoſitum plus eſt quàm negatio. f.855.§.19
Suppoſitum non eſt de natura hominis. f.857.§.33. f.868.§.107
non eſt de hominis eſſentia. ibidem.
Suppoſitum non eſt pars integralis. f.869.§.108
Suppoſitum non influit immediatè in actiones. f.869.§.111
non eſt per accidens actionibus. §.113
Suppoſitum oritur à naturâ. f.870.§.120
Suppoſitum humanum non poteſt denominari homo. f.71.§.127
Suppoſitum eſt perfectio ſubſtantialis. fol. 865. §.82
Suppoſitum in omni ſententia dat eundem effectum. f.860.§.48
non eſt modus ſed ens abſolutè. §.50
Suppoſitum diſtinctum à natura cognoſcimus ex fide. f.854.§.12
Suppoſitum non dat independentiam à poſteriori. f.862.§.69
Suppoſitum non tollit naturæ indifferentiam ad alia ſuppoſita. f.863.§.72.& 76
Suppoſitum non tollit indifferentiam ad independendum ab alio. f.861.§.59
Suppoſitum creatum vniri poteſt naturæ alienæ. f.868.§.102
Suppoſitum non addit conditiones indiuiduas. fol. 859.§.41. non eſt accidens. ibidem.
Suppoſitum non eſt extrinſecum. §.42
non eſt exiſtentia naturæ. ibidem.
an Suppoſitum Angelicum diſtinguatur à natura. *Lege* ſect.IV. f.858

Suppoſiti formalis effectus. *Lege* ſect. VI. f.861. & ſeqq.
Suppoſiti formalis effectus eſt obſcurus.f.864.§.80
eſſe in proprio & alieno Suppoſito non opponuntur. f.866.§.9
Suppoſita duo non ſunt in Chriſto. f.866.§.93
Suppoſita diuina formaliter non conſtituuntur negatione. f.856.§.21

Syllogiſmus.

Syllogiſmus expoſitorius ſpecie differt à ſyllogiſmo de obiecto communi. f.715.§.146

Synonyma.

Synonyma ſignificant res eodem modo conceptas. f.776.§.133

T

Tempus.

TEmpus non eſt propriè ſpecies quantitatis. f.690.§.51
Tempus cum Deo plus aut minus durat. fol.940. §.82
Tempus eſt duratio motus ſucceſſiui. f.942.§.92
Tempus eſt de ratione durationis. f.934.§.36
Tempus imaginarium quid. f.930.§.10
Tempus inifinitum ſyncategorematicè potuit eſſe ab æterno. f.941.§.90
ſine Tempore omnia eſſent more æternorum. fol. 930.§.8
ſine Tempore non eſt duratio. f.930.§.8

Theologia. Theologus.

Theologia noſtra non ſubalternatur beatæ. f.727. §.214
Theologia & Fides gaudent eadem abſtractione. f.721.§.173
Theologia num ſubalternatur Metaphyſicæ.f.726. §.206. negatur. §.207
Theologus qua ratione attingat Deum reuelantem. f.727.§.208

Terminus.

Terminus quid ſit. f.907.§.59
Terminus relationis. ibidem.
Terminus materialiter eſt prior relatione. fol.908. §. 69
Terminus exiſtit prius accidente. f.835.§.51
Terminus actionis non eſt via ad alium.f.928.§.35
idem Terminus non poteſt ſimul generari & creari ex natura rei, poteſt diuinitus. f.929.§.37

Trinitas.

Trinitas non cognoſcitur à non præſcindente. fol. 809.§.155
cur actiones formaliter ei non tribuantur. ibid.
Trinitatem non cognoſcit Philoſophus. fol. 775. §.130
in Trinitate infringuntur argumenta in naturalibus euidentia. f.927.§.26
in myſterio Trinitatis quo pacto negandæ propoſitiones formales. f.809.§.156

Totum.

Totius & partis cognitio eſt eiuſdem ſcientiæ. fol. 724.§.188

V

Vbi. Vbicatio.

VBi eſt modus. f.740.§.80.& ſeqq.
Vbi ſpiritale & materiale in communi non differunt. f.880.§.48
Vbi Angelicum non ſumitur per puncta fixa. ibid.
Nec eſt modus definitiuus. f.882. §.57. & indiuiſibilis. ibidem.
Vbicatio non eſt ſpecies quantitatis. f.891.§.51
Vide Indicem Phyſicum.

Verbum.

Verbum Dei non poteſt ſupplere modum. fol.860. §. 54
Verbum melius comparatur ad ſubſiſtentiam non modalem. f.860.§.54
Verbum vnitum non patitur humanitatem. f.923. §.4
Verbum cur non ſit ſubiectum ſed terminus vnionis. f.924.§.8
Verbum non eſt modus. f.867.§.101
generatio Verbi & cognitio quo differant.fol.816. §.209

Veritas. Verum.

Veritas non eſt ens rationis. f.818.§.6
Veritas non eſt relatio realis. f.818.§.7
non eſt diſtincta ab ente. §.8
Veritas eſt denominatio extrinſeca obiecto. fol. 820.§.17
Veritas eſt in ordine etiam ad nos. §.18
Veritas non eſt in ordine ad actum practicum. fol. 820.§.19
Veritas in ordine ad quem actum ſit. §.20
non eſt abſolutè in obiecto. f.820.§.21
Veritas non eſt attributum ſed verum. f.820.§.21
Veritas actui & obiecto æquè primò conuenit. ibidem.
Veritatem attingendi difficultas vnde oriatur. fol. 821.§.27
Verum & bonum reſpiciunt extrinſeca. f.817.§.1
Verum & ens differunt. f.819.§.16
Verum eſt res cognoſcibilis vt eſt. f.819.§.17
Verum diſtinguitur à bono. f.744.§.16

Virtus.

Virtus factiua Dei eſt independens à termino. fol. 915.§.112

Vita. Vitalitas.

Vitæ ratio in conceptu quidditatiuo Dei includitur. f.962.§.21
Vitalitas & ſupernaturalitas non ſunt modus actuum. f.741.§.89.& 91

Vnio.

Vnio eſt modus. f.741.§.86
Vnio eſt inter duas res. ibidem.
Vnio cœli Empyrei determinat materiam ad hanc numero formam. f.741.§.806
Vnio & alij modi ineunt compoſitionem. fol.795. §. 60
Vnio materiæ & formæ eſt ſubſtantia. f.850.§.23
omnis Vnio ad accidens eſt accidens. f.850.§.23
Vnio ſubſiſtentiæ eſt ſubſtantia. f.850.§.25
Vnio ad Verbum non eſt accidens Phyſicè ſed Logicè. f.850.§.26
Vnio hypoſtatica potuit non eſſe. f.873.§.10
Vnio hypoſtatica, nec cognitio non habent diuerſos conceptus. f.812.§.172
ab Vnione pendet forma vt agat in ſuo ſubiecto. f.870.§.119

Vnitas.

Vnitas quomodo ſit attributum entis. f.751.§.46
Vnitas eſt idem cum eſſentia in rebus ſimplicibus. f.751.§.47
Vnitas ſimplicium eſt propriè vnitas. f.751.§.47
Vnitas in vnoquoque indiuiduo duplex. fol.772. §.110
Vnitas & multitudo quî ab aliquibus conſtituantur. f.750.§.37
Vnitas non eſt indiſtinctio rei in ſe. f.752.§.52
Vnitas non eſt diuiſio rei ab alia, ſed indiuiſio in ſe. f.752.§.53

Vnitas compoſiti quotuplex. f.752.§.50
Vnitas totius. f.751.§.43
Vnitas eſt prior diſtinctione ab alio. f.788.§.8
Vnitas & diſtinctio non ſunt idem. f.750.§.39
Vnitas non dicit negationem, diſtinctio dicit. §.40
Vnitas compoſiti eſt vnio partium. f.748.§.23
Vnitas ratione tantùm diſtinguitur ab ente. f.747. §.16
Vnitas non conſiſtit formaliter in priuatione vel negatione. f.747.§.17
Vnitas eſt indiuiſio rei in ſe. f.747.§.18
Vnitas & ſimplicitas differunt ex parte negationis connotatæ. f.748.§.21
Vnitas omnis aut eſt ſingularis aut vniuerſalis. f.773.§.114
Vnitas vniuerſalis & diſtinctio rationis quo differant. f.783.§.174
Vnitas tranſcendentalis quo differat à numerali. f.753.§.60
Vnitas obiectorum eſt cõfuſa cognitio. f.770.§.89
Vnitas non dicit abſolutè negationem, nec priuationem. f.753.§.56
Vnitas non diſtinguitur ab ente ex natura rei. fol. 745.§.2
Vnitatum maxima, eſt indiuiſio ſiue ſingularitas. f.756.§.78
nulla Vnitas niſi ſingularis eſt poſſibilis. f.765.§.55
Vnitas formalis abſtracta ab vno ſingulari eſt vniuerſalis. f.773.§.111
Vnitas indiuidualis vnde ſumatur? *Lege* ſect. V. f.756
Vnitas vniuerſalis habet eſſe formaliter in intellectu: item effectiuè & materialiter. f.768.§.76
Vnitas vniuerſalis eſt actus intellectus. f.768.§.79
Vnitas vniuerſalis non conſtituit obiectum intrinſecè, ſed extrinſecè vnum. f.768.§.74
Vnitas vniuerſalis eſt dependenter à cognitione. f.781.§.164.& 165
Vnitas non ſe tenet ex parte obiecti. ibidem.
Vnitas vniuerſalis eſt actus confuſus. f.777.§.138
Vnitas vniuerſalis eſt de eſſentia actus, non verò vnitas ſingularis. f.769.§.87
Vnitas ſingularis eſt prior vniuerſali. f.766.§.6
Vnitas ſingularis & vniuerſalis in ipſo actu ſunt idem realiter. f.769.§.86
Vnitatis & diſtinctionis diſcrimen. fol.787.§.6.& f.788.§.7
Vnitatem eſſe negationem vnionis in ſe, communis eſt ſenſus. f.751.§.43

Vniuerſale. Vniuerſalitas.

Vniuerſale quo pacto vnum in multis. f.776.§.131
Vniuerſale cur non fiat à Deo. f.731.§.14
Vniuerſale fit per notitiam abſtractiuam. fol.771. §.95
Vniuerſale dicit relationem quaſi tranſcendentalem. f.771.§.100
Vniuerſale ſecundum ſe non ſpectat ad Logicam. f.771.§.101
Vniuerſale fit etiam notitia comparatiua. fol.772. §.103
Vniuerſale non fit per actualem prædicationem de inferiori. f.772.§.106
Vniuerſale fit per omnem intellectionem confuſam. f.772.§.107
Vniuerſale non fit fictione. f.768.§.77
Vniuerſale fieri poteſt dupliciter. f.768.§.80
Vniuerſale logicum fit ſolo intellectu. f.786.§.197
non fit per alias facultates. §.198
Vniuerſale abſolutè eſt Logicum. ibidem.
Vniuerſale fit aliquo modo per ſenſus externos. f.786.§.199
Vniuerſale facit aliquo modo voluntas. fol. 786. §.202
Vniuerſale quo pacto ens rationis. f.767.§.68
Vniuerſale vtrum ſit à parte rei. ibidem.
Vniuerſale eſt concretum. f.778.§.142
eius cognitio terminatur immediatè ad omnia indiuidua. f.778.§.143
Vniuerſalis definitione comprehenduntur materiale & formale. f.783.§.180
ad Vniuerſale non requiritur vt natura videatur in pluribus. f.773.§.115
Vniuerſalia qua ratione cognitu difficiliora, & faciliora. f.728.§.217
Vniuerſalitas negatiua impugnatur. f.774.§.119
Vniuerſalitas Scoti impugnatur. *Lege* ſect. II. fol. 759.& 760
Vniuerſalitas formaliter in intellectus actu conſiſtit, non in ſpecie impreſſa, aut ente rationis. f.767.§.65.& ſeqq.
Vniuerſalitatis fundamentum vt tale, cognoſcitur immediatè per actum vniuerſalem. f.778.§.147
Vniuerſalitatem impedit actus clarus de differentiis. f.731.§.14

Vniuocè.

Vniuocè conueniunt aliqua Deo & creaturis. fol. 846.§.51

Vnum.

Vnum per ſe quid ſit. f.753.§.61
Vnum per accidens quid ſit. ibid.& f.754.§.65
Vnum per ſe abſolutè. f.753.§.62
Vnum per ſe in vno genere eſt res indiuiſa in ſe & in ſuo genere completa. f.754.§.63
Vnum per accidens improprium. f.754.§.66
Vnum eſt prius multitudine. f.755.§.76
Vnum ſemper eſt idem cum ſuo ente. f.752.§.50
Vnum eſt attributum entis. f.751.§.44.& quomodo. §.46
Vnum eſt prius quàm ſimile. f.788.§.9
Vnum cognoſci ſine alio in quo ſenſu admittendum. f.800.§.92
Vnum ex pluribus quo pacto fiat ab intellectu. fol. 770.§.88
Vnum & multa opponuntur inadæquatè. fol.750. §.41.& f.753.§.57

Volitio. Voluntas.

Volitio eſt diſtincta ab Angelo. f.877.§.34
Voluntas Dei & intellectus qua ratione diſtinguantur. f.800.§.89
Voluntas eſt lingua Angelorum. f.877.§.31
Voluntas facit vniuerſale. f.786.§.202
Voluntas & intellectus pares in attingendo obiecto. f.695.§.12

Vſia.

Vſia quid ſit. f.853.§.1
ſumitur pro ſubſtantia, natura & eſſentia Dei. ib.

Vtile.

Vtile quid ſit & quid dicat. f.826.§.52.& 55

FINIS INDICIS METAPHYSICI.

ADAGIORVM

Digitized by Google

ADAGIORVM SIVE AXIOMATVM, quæ ſparſim in hoc Opere citantur, aut explicantur, Collectio alphabetica.

AB eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitio dicitur vera vel falſa. f.574.§.3
Abſtrahentium non eſt mendacium. fol. 76.§.5
Accidentis eſſe eſt ineſſe. fol. 291. §. 36. fol. 883. §. 3
Accidentia non migrant de ſubiecto in ſubiectum. f.394.§.39
Accidentia duo ſolo numero diſtincta non poſſunt ſimul eidem ineſſe ſubiecto. f.262.§.110
Actiones ſunt ſuppoſitorum.f.245.§.160.& f.869. §.110.111.& 112
Actus eſt qui diſtinguit. fol.82.§.20. f.756.§.81.& f.874.§.14
Agens conatur facere ſibi ſimile. fol. 262. §.110. f.461.§.125
Analogum per ſe ſumptum ſtat pro famoſiori ſignificato. f.112.§.12

Bonum ex integra cauſa, malum verò ex defectu cuiuſque. f.822.§.28

Cauſæ ſunt inuicem cauſæ in diuerſo genere cauſæ. f.244.§.157
Cognitum eſt in cognoſcente,& amans in amato. f.629.§.1
Conſuetudo eſt altera natura. 663.§.1
Corruptis nobis, corrumpuntur omnia quæ ſunt in nobis. f.397.§.63

Definitio conſtat genere & differentia. f.39. §.5
Dici de omni,Dici de nullo f.42.§.4.26.f.61.§.104. fol.138.§.115. 118. & 121. f.711.§.120. f.727. §.210

Eſſentia eſt primus & proprius conceptus rei. fol. 727.§.210
Ex nihilo nihil fit. f.189.§.14

Fundamentum alterius relationis eſt terminus oppoſitæ. f.910.§.79

Generatio vnius eſt corruptio alterius. fol. 292. §.40.f.400.§.91.92.& ſeqq.
Genus & differentia ſunt de eſſentia rei. fol. 727. §.210
Genus ſumitur à materia, differentia verò à forma. f.82.20

Habitus non dat poſſe ſed facile poſſe. f.663.§.1
Habitus per ſe infuſi non dant facile, ſed ſimpliciter poſſe. f.673.§.72

Idem ſemper idem natum eſt facere ſemper idem. f.264.§.125
Impoſſibile eſt,vt idem de eodem ſimul affirmetur, aut negetur. f.711.§.120.f.745.§.21
Impoſſibile eſt idem eſſe ſimul & non eſſe. fol.139. §.118.& 119 f.711.§.120.f.744.§.21
Intellectus tendit ſub ratione veri. f.621.§.2

Motis nobis, mouentur omnia quæ ſunt in nobis. f.372.§.41

Nemo dat quod non habet. f.253.§.32
Nihil volitum quid præcognitum. f.632.§.25
Non poteſt idem ſimul affirmari & negari de eodem. f.727.§.210.f.745.§.21

Omne quod recipitur, per modum recipientis recipitur. fol.209. §.134. f.476. §.13. f.477.§.22. f.490.§.69.f.523.§.49
Omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe. fol.570. §.27.f.581.§.59
Omne agens agendo repatitur. f.264.§.128
Operatio ſequitur eſſe. f.278.§.15

Paſſio ſequitur actionem. f.948.§.40
Principium arte facti eſt in efficiente artificium. f.75.§.35
à Potentia ad actum affirmatiuè non valet conſequentia. f.363.§.7
Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. f.150.§.18.f.153.§.45.& 46

Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe. f.42. §.26.f.138.§.116. f.152.§.35. f.711.§.120. f.727.§.210
Qui dat formam, dat conſequentia ad formam.fol. 185.§.156.f.191.§.31.f.878.§.37
Qui attingit formæ diſpoſitionem vltimam, attingit formam ipſam. f.410.§.18
Quodlibet eſt vel non eſt. f.139.§.118.f.570.§.22. f.572.§.45.f.744.§.21

Sicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter,ita ſe habet magis ad magis. f.938.§.69
Simile non agit in ſibi ſimile. fol.262. §.110.459. §.113.f.461.§.125.& 127
Subſtantiæ non recipiunt magis & minus. f.896. §.25

Vniuerſalia aut nihil ſunt, aut poſterius ſunt. fol. 854.§.8
Voluntas tendit ſub ratione boni. f.621.§.2

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google